



Ji [redacted]

John Adams 1768

JOANNIS SELDENI
JURISCONSULTI
OPERA OMNIA,
Tam Edita quam Inedita.

In Tribus Voluminibus.

Collegit ac Recenſuit;

Vitam Auctoris, Praefationes, & Indices adjecit,

DAVID WILKINS, S.T.P.

Archidiaconus *Suffolcienſis*, Canonicus *Cantuarienſis*, Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino Domino Guilielmo, Divina Providentia Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, &c. &c. a Sacris Domeſticis.

VOL. I.

In quo continentur,

LONDINI:
Typis *Guil. Bowyer*, impenſis J. Walthoe, G. Conyers, J. Knapton, R. Knaplock, J. & B. Sprint, D. Midwinter, A. Bettesworth, B. Lintot, J. Tonson, R. Gosling, W. & J. Innys, J. Osborn & T. Longman, R. Robinson, T. Woodward, F. Clay, B. Motte, A. Ward, T. Wotton, & Executorum Richardi Sare.
MDCCXXVI.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI REGIO

GEORGIO

WALLIAE PRINCIPI,

DUCI CORNUBIAE,

COMITI CESTRIAE, *&c. &c.*

SUB perturbatissimo Rerum omnium Statu, CELSISSIME PRINCEPS, dum Navis Publica decumanis civilis discordiae fluctibus pene obrueretur, occubuit omnigenae literaturae Princeps SELDENUS: Qui nulla aetate Musis Britannicis benigniore resurgere poterat, quam sub pacatissimo Augusti REGIS NOSTRI

A Impe-

Imperio, quo Religioni, Legibus & Literis ſuus conſtat Honos Decuſque. Nominis *Seldeniani* gloria aeternis conſignata ac impreſſa ingenii monumentisſub nullius Auſpiciis fortunatius, quam *Regii* Nominis Tui, SERENISSIME PRINCEPS, renovari poterat, ſub cujus Praeſidio omnimoda Diſciplinarum ac Scientiarum genera florent & incrementa ſumunt.

SELDENUS in evolvendis Veteribus Commentariis nulli mortalium vel Eruditiſſimorum ſecundus, antiquam Reipublicae Anglicanae Hiſtoriam, mendoſam quidem, & Mythicis, ſi dicere fas eſt, nugis refertam, aſt a rerum initiis depromptam, primus ab interitu vindicavit. SELDENUS divino quaſi Numinis afflatu perculſus, in nullis quae in Europa viſuntur aut coluntur linguis hoſpes, Orientales ſeu Antiquitatum Sacrarum & Civilium Adminiſtras adeo excoluit, ut ancipiti contentione Philologia & Theologia concertent, an Exoticarum an Maternae ſtudium palmam praeripiat. Omnes ingenii ſui nervos intendit, ut Myrmidonis inſtar Scientias ex imis Naturae receſſibus effoderet; ac cum via ipſi ineunda erat lubrica, incerta, ſpiniſque ac dumis implicita, ſedulo cavit, ne imprudenter aut temere in inextricabiles errorum caſſes incideret. Hinc felici ingenio & favente praeſtitit Minerva, ut Veterum Philoſophorum Placita non evolviſſe ſed exhauſiſſe, non ad diſcendum excerpſiſſe, ſed ad docendum & commentandum abſorpſiſſe videatur. In deſcribendis ſuae & aliarum Gentium Moribus exercitatiſſimus, tantam encomiorum aſſecutus eſt celebritatem, ut in explicandis Temporum ordinibus, nemo enucleatius, in vindicandis Regnorum & Rerum publicarum Juribus, nemo accuratius, in adſtruendis nobilioris aeque ac inferioris conditionis Hominum Privilegiis nemo limatius unquam ſcripſiſſe; aut praeclariores animi ad veram laudem impetus commonſtraſſe dignoſcatur.

noſcatur. Extant bono Literarum commodo tot egregia Juriſprudentiae ejus ſpecimina, tot eximia in Legibus ac Statutis Regni illuſtrandis Studia, tamque inſignia Facundiae & Eloquentiae monumenta, quae vel Patronus Cauſae vel Senator in Comitiis edidit, ut quod de *Pericle* dixit *Cicero*, de literarum Heroe noſtro jure merito aſſeri queat, neminem felicius exercitationem mentis a reconditis abſtruſiſque rebus ad cauſas forenſes populareſque traduxiſſe. Et mirum ſane eſt, quod dum Partium ſtudia ac liber *Seldeni* ſpiritus intra limites Prudentiae Aulicae contineri neſcia, crebros carceres ac ſqualida illi minarentur vincula, iniquiora Tempora nullum impedimentum intulerint ſtudiis; & dum Exiſtimationi ac Dignitati tanti Viri parum conſulerent Regni Magnates, ipſe tamen Bono Rei Literariae Publicae conſulens, dies noctеſque Muſis conſecraverit. Quam diligenter, quam utiliter, quam docte, ſedulus operum *Seldenianorum* Lector judicabit.

Ex his errores & defectus (errare enim humanum eſt) excerpere, illis relinquo, qui leporis inſtar mortuis inſultare leonibus geſtiunt, ac inſcitius & ferocius multo quam doctius aut cordatius altercationem inſtituere conſueverunt. Non ſunt, me judice, excitandi Manes *Seldeni*, quod ſiniſtro judicio aliquoties Sacri ordinis detraxit Auctoritati & Commodis, quod in ſtabiliendis his vel illis opinionibus, receptis contrarians principiis, a communi tramite aberravit. Nefas eſſet egregio corpore inſperſos reprehendere naevos; Inſignia namque clariſſimorum Virorum Merita levibus cenſurarum nebulis haud facile obſcurantur.

Hunc domi foriſque clariſſimum Virum, Philoſophum, Jureconſultum, Philologumque celeberrimum Regio Tuo Nomini, Illustrissime Princeps, humillima inſcribo mente, ſupplex obſecrans, ut qui Regibus Jacobo & Ca-

ROLO

ROLO charus, Academiae utrique chariſſimus; qui conſiliis Regni Moderatoribus dandis natus, & ſaluti orbis literati promovendae totus deditus fuit, ea parte qua nominis immortalitatem conſecutus eſt, ſub CELSITUDINIS TUAE Auſpiciis publicam ſalutet lucem.

REGIAE CELSITUDINI TUAE,

Omni Obſequio

Ac Reverentia Animi,

Addictiſſimus,

DAVID WILKINS.

PRAEFA-

LECTORI. S.

CUM Bibliopolae Londinenses, Librorum JOANNIS SELDENI *Curatores, consilium mecum iniissent, de recensendis operibus ejus universis, quae vel ipse edidit, vel edenda aliis reliquit; non diu anceps haesi, qua via incedendum, quave methodo utendum esset, ut ea nova luce donata frequentiori Eruditorum manu tererentur. Primum igitur Latinos Tractatus ab Anglicis separandos, ac justo hos & illos volumine complectendos esse, necessarium duxi, de ordine aut aetate scriptionis eorum parum sollicitus. Hinc ad illos à calce ad carceres perlegendos, ac cum auctoribus ubique citatis conferendos me totum accinxi; errata expuncturus, quae* Seldeno *per illiberalem illam elementa corrigendi operam alias occupato non animadverti fas erat. Hoc improbo labore adeo feliciter me praestitisse credebam, ut* Seldenus *purior & castigatior ex meo quam ex originario Museo ad Typographea abierit. Quod si autem hic & illic sphalmata nonnulla, quod vereor, deprehenderis, benevola ea corrigas manu rogo; cum, ut quotidiana compertum habemus experientia, non sit unius hominis, ejusque occupatissimi, ita ad minima quaeque animum advertere, ut nihil inopinantem subterfugiat. Curae Typographicae tanquam παρέργῳ ut incumberem, officii mei ratio, frequens à prelis absentia, & severiora alia studia requirebant. Neque tamen Typothetas ab omni errorum culpa absolvere possum, cum hoc vel illud sphalma corrigentibus aliud interdum ex improviso subortum est. Aequo ergo rerum mearum, per totum illud quo* Seldenus *sub prelis sudavit tempus aestimatori auctorem nostrum trado, Suffenorum atque sugillantium criticorum censuram flocci faciens.*

Celeberrima illustris Seldeni *fama, ubique locorum & gentium librorum suorum excitavit lectores & encomiastes, qui exinde quasi ex insigni omnis Eruditionis ac Disciplinarum cornu copiae multa ad scientias addiscendas praecepta hauserunt, & summis eum prosecuti sunt celebrationibus. Dies & angustia paginarum, quibus praefatio haec coarctanda, me deficeret, si quae innumeri fere Auctores de ipsius virtutibus & studiis scriptis consignaverunt, congerere tentarem: quinimo res haec à proposito meo plane aliena est, cum nec Panegyristen, nec Antagonistam* Seldeni *hic agere, in animum induxerim.*

Ne autem memoriae tanti Viri injurius esse videar, primis tantum labris attingam Clarissimorum Virorum de Seldeno *judicia.* Grotius *eum* Honorem Britanniae *appellat ad lib.* ii. *De Jure Belli & Pacis cap.* ii. *in Notis. Conferatur idem in Epistolis part.* ii. *epist.* 371. *& part.* i. *ep.* 590. Conringius *vocat* Virum *stupendae lectionis c.* 19. *de origine Juris Germanici.* Boeclerus *in Dedicatione repetitae Editionis de Jure Naturae & Gentium ita:* Equidem Seldeni opera laudare velle, nihil aliud esset, quam Soli testimonium splendoris meditari. Dilherro *est* Vir exasciati judicii *in Apparatu Philolog. p.* 20. *In Lexico Historico Universali Germanico, quod à* Jo. Franc. Buddeo *appellari solet, & secundum auctius non ita pridem prodiit Tomo* iv. *p.* 390. *Vita ejus & scripta sed non sine variis erroribus recensentur. Ibi inter caetera dicitur communiter appellatus* magnus Dictator doctrinae gentis Anglorum. *Dicitur fuisse magnus Jurisconsultus, Theologus, Philologus, Antiquarius & Politicus. Varia Eruditorum de eo partim praeclara & honorifica partim sinistra judicia collecta exstant in* Observationibus Miscellaneis *Lips.* 1715, *editis tom.* ii. *p.* 241. *seq.* Con. Sam. Schurtzfleischius *in part.* ii. *epist. Arcanarum, p.* 196. *ita: Valuit ingenio, nec minor judicio fuit* Seldenus. *Talmudis multo scientissimus, cum quo neutiquam comparandus* Bernardus, *laude tamen diligentiae non fraudandus.* Theophilus Spi-

zelius *in Literato infelice Commonefactione* xxx. *p.* 908. *seq. ita de* Seldeno: “*Felix tunc erat atque beata terra Angliae, cum inexhaustum istum Antiquitatis Hebraicae variaeque eruditionis thesaurum anno superioris aevi quarto & quadragesimo Salvintoniae exciperet, nec sibi uni solum servaret, sed cum universo etiam communicaret orbe literato. Dederat quippe natura Viro huic eam solertiae vim, ingeniique celeritatem, ut quicquid animo collibuisset id non discere, sed didicisse & cum* Platone *reminisci videretur; dederat parem ingenio in suscipiendis exequendisque summe arduis laboribus constantiam, & quae rei literariae bono & emolumento parare statuisset, ea nullo torpore (quo erudita interdum pectora occupantur) minus otio & languore continuo eripi sibi pateretur. Hinc profunda ipsi linguarum Latinae, Graecae, Hebraicae, Rabbinicae, Syriacae & Arabicae nata cognitio; hinc omnium Philosophiae partium, nec non utriusque Juris divini & humani exquisita notitia, ut quicquid uspiam Placitorum Sophicorum, Commentationum Juridicarum exstabat, id ausu plane Herculeo aggressus, incredibili cura volvendo, velut conficeret, cum Ebraeorum & Legibus & Placitis conferret, adeoque in rem suam, h. e. antiquitatis Sanctae & Venerandae converteret illustrationem.*” *Ita pergit* Spizelius *usque ad p.* 916. *praecipua ejus scripta caetera recensens, & promeritis encomiis mactans, quae ibi rectius & copiosius legentur. Sed dantur & alii Viri Eruditionis gloria conspicui qui in diversas ab his abierunt partes, qui agmine facto in* Seldenum *scripserunt & multa in scriptis ipsius desideraverunt.*

Eminet inter caeteros summus Polyhistor & ad miraculum usque doctus, Joannes Clericus, *qui hujusmodi de Auctore nostro fert judicium. In* Arte Critica, *Vol.* I. *p.* 142. *seq.* “*Apparet ex scriptis viri longe doctissimi* Joannis Seldeni, *eum ita studia sua perturbasse, ut eodem tempore de rebus toto genere diversis cogitaret; digressiones enim captat adeo remotas, & interdum tam longas, ut nisi ita studia instituisset, non potuisset tantam ordinis & rerum perturbationem ferre. At sane dum ordinem & perspicuitatem negligit, non parum taedii Lectoribus creat; quae vera ac utilia habet, longe plurima, minus facile intelliguntur; & sicubi in errorem delabitur, vix origo erroris deprehendi potest. Plurimi viri docti, qui lecto ejus de Synedriis opere, crediderunt cum eo synedrium Septuaginta-Virale fuisse perpetuum, à* Mose *ad extrema Judaicae Reipubl. tempora, facile deprehendissent esse hoc merum Judaicum figmentum, si vidissent argumenta* Seldeni *perspicue & ordine expressa. Sed confusio, digressiones, testimonia aliena, & immensa illa eruditionis congesta farrago facile fucum faciunt, & perspicaces etiam obruunt.*” *Idem hoc repetit* Jo. Franc. Buddeus *in selectis Juris Naturae & Gentium. Et in* Bibliotheca Selecta Tomo iii. p. 140. *ait:* “ Selden *un de plus Savans, que l'Angleterre ait eus, est l'un de ceux, qui gardoit le moins, ce que l'on a dit touchant l'ordre, ce qui fait que ses Ecrits quoique savans & utiles, sont lûs par peu de gens d'un bout à l'autre. Et* Tomo vii. *p.* 117. *Je declare au reste, que je suis l'un de ceux, qui estiment le plus le savoir de* Selden, *& que je me sers tres-souvent de ses livres.* Et paulo post: *Quoique je ne voulusse pas imiter la methode confuse, ni le stile de* Selden, *qui est souvent un melange de tout ce que la Latinité a de bon & de mauvais; je suis aussi très eloigné de lui en faire un crime, ni de les mepriser à cause de cela. Les bonnes choses qu'il dit, & l'erudition qu'il fait paroitre par tout, surpassent de beaucoup en utilité ce qu'il y a d'ailleurs de defectueux dans ses Ouvrages.*” *Eadem fere censura Auctoris nostri scripta perstringit Clarissimus* Barbeyracius *in Jure Naturae & Gentium. Ut nihil jam dicam de summo literaturae Septentrionalis restauratore,* Hickesio, *qui in Praefatione generali Thesauri sui, linguae Anglo-Saxonicae notitiam in* Seldeno *desiderat. Missa potius generaliori operum ejus censura, ad specialiorem me conferam.*

In Tractatu De Anno Civili Veteris Ecclesiae & Reipublicae Judaicae Seldenus *multis de Karaeorum Origine Doctrina & Scriptis agit, eorumque diversas à Talmudicorum opinionibus enarrat sententias de annorum, mensium ac phasis lunaris usu & initiis.*

tiis. Nonnulla in hac Diſſertatione mutila imo veritati contraria deprehendit Vir Clar. Jo. Gottofredus Schupartus, *qui in Tractatu ſuo de Secta Karaeorum, eos Sadducaeorum propaginem eſſe ex dogmatibus ſibi invicem oppoſitis, negat; Auctores Karaeos* Seldeno *noncognitos aut non obſervatos citat;* Eliae *Karaitae librum Auctori noſtro mutilum quamplurimis Sedarim & Capitibus ex Bibliotheca Lugduno-Batava auget ac multo accuratiore calamo res Karaeorum perſtringit & enarrat. Adde huic quae Clariſſimum Hamburgenſium & Reipublicae Literariae Decus* Jo. Chriſt. Wolfius *habet in* Notitia Karaeorum ex Mardochaei, recentioris Karaei Tractatu haurienda, Hebr. & Lat. una cum Jacobi Triglandii Diſſertatione de Karaeis.

Tractatum de Anno Civili Veterum Judaeorum excipiunt Libri ſeptem de Jure Naturali & Gentium juxta diſciplinam Ebraeorum. *Eos ex aemulatione operis* Grotiani *de Jure Belli & Pacis conſcriptos fuiſſe opinantur nonnulli. Vide* Spizelii *infelicem literatum, p.* 911. *Et* Jo. Henr. Boeclerus *in Epiſtola ad* Joannem Capellanum *quam Editioni Librorum* Seldeni *Argentoratenſi* 1665, *praemiſit, ait,* Seldenum *exemplo & aemulatione* Hugonis Grotii *ad eos conſcribendos fuiſſe excitatum; vocatque certamen egregium electiſſimorum ingeniorum. Idem in Praefatione Commentationis in* Grotii *libros de Jure Belli ac Pacis, p.* 3 & 4. *aemulationem hanc vocat eruditam & honeſtam;* Seldenum*que operi ſuo civiliorem quam Grotium dediſſe titulum.* Samuel Pufendorfius *in ſpecimine controverſiarum circa Jus Naturale ſibi motarum, cap.* 1. Seldeni *honeſtam & minime lividam adverſus* H. Grotium *aemulationem appellat. Idem* Pufendorfius *ibidem tres adfert cauſas, quo minus tamen eruditiſſimum ac quantivis pretii opus* Seldenianum *vicem pleni & ad captum omnium populorum attemperati ſyſtematis in Jure Naturali ſubire queat. Cauſae hae videri poſſunt in libris* Pufendorfii *de Jure Naturae & Gentium qui cum Eride Scandica in qua dictum ſpecimen occurrit, omnium manibus teruntur.*

Seldenum *in Libris ſuis de Jure Naturali & Gentium juxta diſciplinam Ebraeorum non tam Jus Naturae tradere, quam quid Rabbini de ſeptem praeceptis* Noachicis, *ad quae jus naturae illi quidem exigunt, dicere voluiſſe exiſtimat Juriſconſultorum Princeps* Thomaſius **in ſeinen Freimuthigen Gedancken** Anno 1689, *menſe* Mart. *p.* 223. *ſeq. Clariſſimus* Clericus *parvi momenti libros hos* Seldeni *facit Tomo* ix. Bibl. Selectae, *p.*396. *inquiens:* " Selden *ne fait que copier les Rabbins dans ſon Livre du Droit de " la Nature & des Gens, ſelon les Hebreux, & ne raiſonne preſque point. Ses Principes " Rabbiniques ſont batis ſur une ſuppoſition incertaine de la Tradition Judaique, qui " dit, que Dieu donna à* Noë *ſept Preceptes, que tout le genre Humain devoit obſer- " ver. Quand on le nieroit, les Juifs ſeroient bien empêchez à le prouver. D'ail- " leurs ſes idées ſont très imparfaites & très embaraſſées."* Jac. Frider. Reimmannus *in Introductione ad Hiſtoriam Literariam Germanorum, Tom.* vi. *p.* 98. *tria in hoc opere* Seldeniano *deſiderat. Nempe* 1. *Quod paediam Juris Naturalis non attigerit.* 2. *Quod Jus Naturae non ex ejuſmodi principiis derivarit, quod in omnium oculos incurrit.* 3. *Quod magis ſollicitus fuerit de Rabbinorum ſententiis circa Jus Naturae, quam reſpexerit, quomodo cum ſana ratione conveniant. In primis id diſplicuit Eruditis, quod Praeceptis ſeptem* Noachidarum *ſuam hanc commentationem ſuperſtruxerit, cujuſmodi tamen nulla fuiſſe, vel certe non omnia quae inter ea numerantur, contendunt. Refer huc inprimis* M. Gerhardi Herman. Mencke *Diſſertationem Philolog. qua auctoritatem Præceptorum* Noachicorum *in dubium vocat,* Lipſiæ 1711. *Confer quos de iſtis Praeceptis citat Celeberrimus* Fabricius, *in Codice Apocrypho V. T. p.* 268. *ſeq. De* Seldeni *Praeceptis* Noachicis Jo. Bened. Carpzovius *in Notis ad* Schikardi *Jus Regium Hebraeorum, ait,* " *Sunt praeterea & alia quam plurima quae de Praeceptis " hiſce Hebraei tradunt, ſed ea occupavit* Seldenus *ſuis de Jure Naturae & Gentium " juxta diſciplinam Hebraeorum libris doctiſſimis, qui juſti Commentarii vicem in* vii " Noachidarum *Praecepta ſubire poſſunt. Inprimis autem lege Libri* I. *cap. ult. ubi " ad noſtrum quoque* Schikardum *provocat, quem male putat Praeceptum ſecundum " cum aliis de benedictione reddidiſſe, cum de maledictione debuiſſet potius."* Joan. Franc.

Buddeus

Buddeus *magnum hoc* Seldeni *opus in compendium redactum hoc insignivit Titulo: Synopsis Juris Naturae & Gentium juxta disciplinam Hebraeorum, quae cum Historia Juris Naturalis prodiit & Vitriarii Institutionibus Juris Naturae & Gentium subjuncta est* Halae 1695. Jac. Frider. Ludovici *in delineatione Historiae Juris Naturalis,* §. 44. *ait:* Seldenum *sibi illustranda sumpsisse septem illa Praecepta, quae ex Traditionibus Rabbinorum* Noachidis *fuerunt praescripta. Neque ergo mirandum esse quod nullos oppugnatores, commentatores, adnotatores aut observatores, perinde ut* Grotius, *nactus fuerit.* Seldenum *enim non irritasse crabrones Scholasticos in suo tenebrarum regno, eos refutando, & ipsorum ineptias detegendo, sed fere historice solum rem pertractasse.* Seldenum *interea non tam Jus Naturae, quam potius Jus Positivum sibi tractandum sumpsisse, quia Rabbini in speciali Dei revelatione Praecepta* Noachidarum *fundant; inde esse Inscriptionem,* juxta disciplinam Hebraeorum. *Amplissimo huic Viro valde placent, quae in hanc rem disserit D.* Pauli *Professor Juris Regiomontanus, de ver. jur. & jurispr. princ. part. 2. q. 12. in fine. Dum* Seldenus, *inquit, multo labore jus Naturae & Gentium juxta disciplinam Ebraeorum tradidit, viam aliis monstravit commentandi in Jus Naturae & Gentium juxta disciplinam Persarum, Graecorum, Romanorum, Germanorum, &c. Immo Illustrissimum Baronem* Boineburgium *excitavit, ut* Rachelium *literis sollicitaverit ad scribendum de Jure Naturae & Gentium juxta disciplinam Christianorum. Vide* Rachelii *Diss. de Jure Naturae & Gentium n.* 101. *Addit tandem Jureconsultissimus Vir; de jure autem Naturali Christianorum hodierno forte eleganter scripserunt* Hobbesius, *ejusque contribules & discipuli, quorum principia magis in usu sunt, quam* Seldeni *Rabbinica & Talmudica. His unicum adhuc superaddam Judicium Clarissimi Viri* Jo. Barbeyracii, *qui in Praefatione ad versionem Gallicam operis* Pufendorfiani *de Jure Naturae & Gentium ita de isto* Seldeni *libro.* " *Outre le desordre extreme & l'obscurité, que l'on blame avec " raison dans la maniere d'ecrire de* Selden, *cet Auteur ne tire pas les Principes du " Droit naturel des pures lumieres de la raison, mais seulement des sept Preceptes " donnés à* Noë, *dont le nombre est fort incertain, & qui sont uniquement fondéz sur " une tradition douteuse, quoyqu'assez ancienne: il se contente même le plus souvent de " rapporter les decisions des Rabbins, sans se mettre en peine, d'examiner, si elles " sont bien ou mal fondées.*

Laudat tamen hoc Seldeni *institutum* Boeclerus *in Praefat. Comment. in* Grotium, *p.* 4. & Johannes Marshamus *Eques Auratus, septem Praecepta* Noachica *in epitomen redegit in Canone Chronico, p.* 161. *ad* 187. *ubi monet, quod, cum Libri* Seldeni *de J. Naturali & Gentium juxta disciplinam Ebraeorum sint summa diligentia & mira eruditione conscripti, nemini, saltem è doctioribus, non sunt sedulo evolvendi. Ex illo fonte nos sitim saturavimus. Et vir Clarissimus* Jurieu, *in Historia Critica Dogmatum & Cultuum Ecclesiae,* Seldeno *manus dat contra* Ferrandum *de* vii *Praeceptis Noachicis, opus hoc* Seldeni *suo approbans calculo. Antequam autem abhinc abeamus, liceat hic adnotare quod auctor qui se* Theophilum Aletheum *appellat, in* Polygamia Triumphante *Londini Scanorum* 1682, *impressa p.* 14. *b.* Seldenum *Polygamiae Fautorem adducit, quod nempe statuat Polygamiam non esse contra jus Naturae, lib.* 5. *Juris N. & G. c.* 6. *p.* 519. *seq. & lib.* 5. *c.* 7. *p.* 524. *dicit: Matrimonium igitur, ex jure, quod docent Hebraei, naturali erat viri & foeminae sive unius sive plurium foeminarum, tam ex concubitu, quam ex consensu praeeunte conjunctio vitae consuetudinem continens. Quam de Polygamia opinionem* Seldeno *exprobrat* Heideggerus *in Historia Patriarchatus, p.* 10 & 15.

In Libris Seldeni *de* Synedriis ac Praefecturis Juridicis Veterum Ebraeorum *multa sunt quae passim ab Auctoribus eruditionis fama celeberrimis impugnantur. Supra laudatus* Joannes Marshamus *ita de iis in Canone Chronico, p.* 182. " *Multa disseruit " Vir summus de Synedriis Veterum Ebraeorum in illo temporis intervallo quod Le- " gis sacrae in Sinai dationem antevertit. Mihi vero nondum liquet Patriarcharum " quenquam ante* Mosen, *jurisdictionem forensem exercuisse, nedum Praefecturas Ju-*

" *ridicas per urbes & pagos constituisse. Ebraeorum familia, à Semo propagata ad* " *Abrahamum, in Mesopotamia degebat, neque satis constat an esset sui juris. Abra*- " *hamidae peregrinatione continua jactati sunt, donec consederunt in AEgypto, in qua* " *jure proprio nequaquam usi sunt. Nulla fuit Ebraeorum Respublica, nullum Tri*- " *bunal aut Praefectura forensis ante eorum exitum ex AEgypto. Multiplicato demum* " *Dei populo & in* xii *Tribus diviso praeceptum de Judiciis in Mara datum: Ibi posuit* " *ei Deus statutum & judicium*, Exod. xv. 25." *Multa quoque sparsim de Synedriis Hebraeorum* Seldenianis *habet* Vitringa *libris de vetere Synagoga & aliis nonnullis scriptis huc ab eo relatis. Sententia* Seldeni *de Excommunicationis origine, usu, speciebus & effectibus, quae praeter capita nonnulla lib.* 4. *de Jure Naturali & Gentium, in capite* vii, viii, ix, x, xi, xii & xiii. *libri primi de Synedriis pertractatur, multos experta est & adversarios & asseclas. Inter Theologos haud pauci fuerunt quibus opinio ejus de Excommunicatione*, Erasti *ad principia formata, non fuit ad palatum. Jurisconsultos ea in re* Seldenus *quod habuerit sibi assentientes, facile credo: Maxime qui excommunicationis & poenarum naturam & indolem habuere perspectam, & gravissimorum Theologorum* Bullingeri, Zuinglii, Whitgifti *sententias apud* Seldenum *dicto lib.* 1. *cap.* 10. 13. *legerunt, quique viderunt* Ludovici Molinaei *Paraenesin ad aedificatores Imperii in Imperio à capite* 11. *usque ad* 15. & Rodolphi Gualteri *epistolam ad* Theodorum Bezam *quae exstat in* Erasti *tractatu de Excommunicatione, p.* 375. *seq. uti refert Vir illustris* Christianus Thomasius *ad* Huber. *de Jure Civitatis, lib.* 1. *sect.* 5. *cap.* 6. *ubi etiam ex* Seldeni, *lib.* 1. *cap.* 7. *de Synedriis exhibet. Hic inter alia sententiam de verbis* δέειν & λύειν, Matth. xvi. 19. *ad sententiam* Seldeni & Lightfooti *amplexus est in singulari Tractatu Germanico de eo, an minister V. D. clavem ligantem in principem suum exercere debeat, cui plerumque assentitur* Justus Henning. Boehmerus *Prof. Hallensis in Commentatione sua de Jure Ecclesiastico. Ast ista quidem interpretatio à Lutheranis plerisque rejicitur & speciatim à* Seb. Schmidio *in Fasciculo Dissertationum Theologico-Philologicarum, p.*676. *seq. qui tamen* Lightfootum *tantum, non autem* Seldenum *sibi sumpsit quem confutaret. Opinionem* Seldeni *de potestate Ligandi & Solvendi, consummatissimus Ecclesiae Anglicanae Theologus*, Henr. Hammondus *examinavit, Tractatu Anglico*, The Power of the Keys, or of Binding and Loosing, *dicto, calculum suum* Seldeno *nunc adjiciendo, nunc subtrahendo: Ad quem Lectorem omnino remittimus. Conferatur etiam magnificus ac clarissimus* Christ. Matth. Pfaffius *in originibus Juris Ecclesiastici, p.* 10. *seq. qui & ipse a* Seldeno *dissentit, & in explicatione dicti*, 1 Cor. v. 13. *pag.* 71. *seq. Et supra memoratus Vir Cl.* Jurieu, *loquens de praeclusione rerum sacrarum & vicinitatis aliorum excommunicatis a* Seldeno *facta, ait in Historia Critica Dogmatum & Cultuum Ecclesiae, p.* 395. " *Mais cela ne peut subsister avec ce que nous apprenons des* " *Rabbins, au rapport de* Seldenus *lui-même, qu'un excommunié ne pouvoit appro*- " *cher des autres que de 6 pieds, comment eût-il pû être dans une Synagogue, tou*- " *jours à six pieds de distance des autres? De plus, celui qui etoit excommunié par* " חרם *etoit banni absolument de la societé, & n'osoit approcher des autres à aucune* " *distance, & souvent même, il etoit enfermé, comme le remarque* Seldenus. *Com*- " *ment donc eut il pû se trouver aux fêtes, n'ayant pas la liberté de sortir? Savoir* " *s'ils pouvoient y assister par Procureur, & avoir part à la vertu des sacrifices, c'est* " *ce qui est malaisé à definir. Quoiqu'il en soit, nous ne nous sommes pas obligez de* " *former nôtre Excommunication sur le modelle de celle des Juifs, & encore que l'on* " *eût bien prouvé, que cette Excommunication Judaïque etoit une peine purement Ci*- " *vile, & point du tout Ecclesiastique, une tradition constante depuis les Apôtres nous* " *apprend, que l'Excommunication des Chrêtiens, doit exclurre les Excommuniez de* " *la participation des choses saintes. Nous avons dans* Seldenus, *lib.* 4. *de Jure N. &* " *G. cap.* 8. *les* 24 *causes pour les quelles on excommunioit, & aussi dans le Dictio*- " *naire de* Buxtorf *sur le mot* Niddoui, *tirées de* Maimonides. *Mais il y avoit bien* " *plus de* 24 *causes d'excommunication, car ils excommunioient pour tout crime en*-

"vers Dieu & même pour toute offense envers les hommes, H. J." Contentionem de Excommunicationis ritu & objecto recenset saepius laudatus Thomasius in Historia contentionis inter Sacerdotium & Imperium, in qua p. 345, 420, 601. Seldeni honorificam mentionem facit. Huc refer quae Vir summus Adamus Rechenbergius Dissertationum Historico-Politicarum, p. 2. Dissert. x. de Theodosio Magno Imperatore excommunicato habet, ubi Ambrosii factum improbat. Quae Seldenus libro I. Synedriorum, de Baptismo Proselytorum agens, statuit, Tombesius in libro Anglico Antipædobaptism dicto, vel ultra Seldeni propositum extendit, vel sensum ejus male exprimit; quod Clar. Hammondus, in Tractatu Tombesio opposito, agnoscit, uti videre est in his Defence of Infant Baptism, inprimis lib. 1. sect. 4 & 5. Libro de Synedriis secundo cap. 2. Seldenus de Mose Rege loquens Adrianum Houtuynum Batavum excitavit ad edendum libellum de Monarchia Hebraeorum seu probationem de imperio monarchico in populum Hebraeum ab Abrahamo ad dispersam gentem. Is Adrianus, ut ostenderet Mosen verum Regem fuisse praeter locum Deuteronomii xxxiii. 4, 5. adduxit Seldeni de Synedriis lib. II. cap. 2. §. 2. Adamus Rechenbergius in dissertatione de ficta Hebraeorum Monarchia ante Regem Saulum quae est xiii. Part. I. Voluminis Dissertat. Histor. Politic. editi Lipsiae 1698. Adriani illam sententiam refutat, ostenditque Mosis & Judicum tempore usque ad Saulum regem Theocratiam fuisse; Mosen tantum habuisse potestatem a Deo delegatam; Dei nutum ipsum sequi debuisse; non suo arbitratu enim uti potuisse, ut potuerint alii Reges. Ab hac Rechenbergii sententia Seldenum ipsum haud alienum fuisse puto. Hic enim supra citato loco p. 1196. ait: "Sed vero non intelligendum (quod de Mose rege dictum erat) de regia ejusmodi "dignitate, qualis innuitur sive in Deuteronomio cap. xvii. ante, sive postea in Samu-"ele lib. i. cap. 8. ubi regum futurorum synedrio magno & ejusdem principi, (de qui-"bus infra) adjiciendorum ex novo Israelitarum voto, ac juxta morem aliarum gentium, "mentio." Haec Seldenus. Non est ergo Rechenbergio res cum Seldeno, sed cum Adriano Houtuyno, cujus sententias ex Hobbesio petitas & in Politicam Contractam relatas idem Rechenbergius refellit. Dissert. p. ii. Dissert. xxi. & antea eundem refutaverat Pufendorfius in Appendice ad librum de habitu Religionis Christianae ad vitam civilem. Libro de Synedriis secundo, cap. xiii. §. 12. p. 1522. Seldenus MS. cujusdam Philonis Judaei Alexandrini meminit, cujus titulus τὰ πρὸς δικαστήν. Hujus Codicis materiam & lemmata postquam enarrasset, subjungit: "Absoluto tandem tractatu illo, "ut in editis, de Judicibus, sequitur item additamentum illud de Decalogi praecepto "ultimo, quod in editis memoratur, quasi illic Philo Commentarios in illud statim "subjungere voluisset. Sed cum nihil ea de re in editis sequatur, in MS. post verba "illa postrema τοῦτο δ' ἐστιν Οὐκ ἐπιθυμήσεις non concupisces, sequitur, πᾶν μὲν πάθος "ἐπίληπτον, ἐπεὶ καὶ πᾶσα ἄμετρος καὶ πλεονάζουσα ὁρμή, &c. Atque aliam ibi habet prae-"cepti illius explicationem ab ea quae in edito ejus de Decalogo tractatu reperitur." Ad quam Codicis Manuscripti hujus historiam Vir Clariss. Ericus Benzelius Bibliothecae Upsaliensis Praefectus, sequentia regerit in Epistola quae Tomo v. Observationum Selectarum ad rem literariam spectantium Halae 1702. edita p. 430. "Ipse ille Cl. "Seldeni locus lib. 2. de Synedriis cap. xiii. §. 12. mihi occasionem dedit in codicem "illum MS. inquirendi, qui una cum reliquo legato Seldeniano servatur in Bibliothe-"ca Bodleiana, ut probe nosti. Quis vero satis mirari potest, tam negligenter tra-"ctasse ac evolvisse Codicem MS. praestantissimum sui juris Cl. Seldenum? Sane suo "merito iis annumeratur, quos multitudo perturbavit, & quibus varietas studiorum ob-"fuit. Tractatus ille, cui nunc titulus τὰ πρὸς δικαστήν, pars est commentarii hujus à "me reperti, & quidem in praeceptum Decalogi nonum, quod non modo ex Cod. MS. "didici, sed & ex ultimis ejusdem particulae verbis, ubi ait, sibi nunc transeundum "esse ad praeceptum Decalogi ultimum. Tractatus περὶ καταστάσεως ἄρχοντος, ut nunc "in codicibus vulgatis inscribitur, pars est illius à me reperti περὶ δικαιοσύνης. Sed "plenius haec alias, monebo, H. J."

Libro

Libro de Synedriis *secundo cap.* xvi. §. 4. *lin.* 10. Seldenus Grotii *verbis de Synedrii dignitate & amplitudine ordinaria agentibus, interserit,* ubi Deus Josuam tunc Principem populi alloquitur. *Memoria autem lapsus est Auctor noster, cum Judicum* viii. *capite, non Josuae, sed Gideonis mentio fit, quem tamen Deus non alloquitur in hoc capite. Imo* Grotius *non de alloquio Dei, sed Gideonis facto, loco citato agit. Libro de* Synedriis *tertio cap.* xv. §. 5. *p.* 1806. Seldenus *male expressit* Origenis *locum, quem ita legere debuisset.* Ἀγάλματα δὲ, inquit, καὶ πρέποντα Θεῷ ἀναθήματα, οὐχ ὑπὸ βαναύσων τεχνιτῶν κατεσκευασμένα ἀλλ' ὑπὸ λόγου Θεοῦ τρανούμενα καὶ μορφούμενα ἐν ἡμῖν, αἱ ἀρεταὶ μιμήματα τυγχάνουσαι τοῦ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως, *&c.* Simulacra autem Deo dicanda sunt, non ea, quae fabrorum opera praeparantur, sed quae a Verbo Dei dedolata formataque fuerint in nobis; scilicet virtutes, seu imitamenta primogeniti totius creaturae, *&c. Calendarium Arabicum versus finem librorum de Synedriis allatum, in plus quam viginti locis correxit & lectionem versionemque restituit Clarissimus Polyglottus* Salomon Negri *Damascenus, cujus amicitia & ope Arabica ac Persica in operibus* Seldeni *citata, accurate nunc prodeunt. Tertium de* Synedriis *librum in fine mutilum nobis reliquit* Seldenus, *è vita ereptus antequam* xvi *caput absolvere poterat, cujus tamen lemmata principio ejus adjecta habes.*

Libros Seldeni *de Successionibus editionis Londinensis, ex manibus Bibliopolarum, studio Clarissimi* Scattergoodii *quoad Graeca & Latina correctos, accepi, parum solicitus quid de duabus alteris transmarinis eorum Editionibus, Lugdunensi* 1638 *& Francofurtana* 1673, *statuendum esset. Frustra fui in acquirenda priori, quae post Londinensem, vidit lucem; posterior autem cum in Museo cum Additamentis haud paucis hinc inde insertis, quae genium sapiebant* Seldenianum, *lateret, summe Reverendum & Celeberrimum Virum Dominum* Danielem Ernestum Jablonski *S. R. Majestatis in Prussia Concionatorem Aulicum Primarium, &c. consului, unde* Becmanni *Editioni Librorum de Successionibus, tot additamenta accesserint. Ille pro summo in me amore, quo studia mea multis abhinc annis adjuvit, (pro qua benevolentia cor ipsi gratum ad extremum usque vitae halitum voveo) me monuit, se à compluribus quidem annis traditum accepisse,* Becmannum *additamenta illa MSS. secum ex Anglia, in qua triennium exegit, asportasse, suaeque Editioni inseruisse. Cum autem nullius additamentorum horum faceret mentionem* Becmannus *in Praefatione Editionis suae, ac praeterea* Seldeni *Dedicationem Reverendissimo Archiepiscopo* Laudo *factam suppressisset, suam perillustri Baroni de* Swerin *substituendo, ea suis locis, praefamini meo inserere consilium inivi. Absolutis autem in Typographeo libris de Successionibus, juxta editionem Londinensem, ecce summo cum dolore certior fio, Lugduno-Batavam ab ipso Auctore auctam & emendatam fuisse; nec satis mirari potui, quod* Scattergoodius *qui magna diligentia libros hos à mendis purgavit, ac propius aetati Editionum harum vixit, nullam earum alicubi faciat mentionem; quasi additamenta haec* Seldeno *inscio aut invito adscripta, typis commissa fuissent.*

Hoc Duce à tramite seductus, veniam a Lectore benigno exoro, ac ut aliquo modo damnum hoc resarciendo, in semitam redire possem, additamenta suis inseram locis.

Pag. viii. *lin.* 50. *additur; adjecta saltem qualicunque, ut in juramento etiamsi ficto, cultus umbra.*

Pag. xiii. *lin.* 25. *adde: Sixtus Senensis Bibliothecae sanctae libro secundo, & lin.* 40, *quam ficta illa miraculorum.*

Pag. xiv. *lin.* 14. *adde in sex* סדרים *ordines dispositae. Et lin.* 34. *post Stromateon* I. *adde. Verum quidem est, Deuteroses Mosaicas, ut ipsi vocant in quoddam ordinum sex compendium ab* Hillele, *ante Christi Natales, conjectas fuisse, cum antea per sexcentos distraherentur, qua de re consulas* Sepher Juchasin, *fol.* 19. *b. & fol.* 30. *b. praeter* R. Gedaliam Ben Jechaija *in* Shalsheleth, *fol.* 26. *a. Unde forsan evenit, etiam ipsarum ordinem* Hilleli *à nonnullis perperam tribui. Sed publicavit postmodum* Rabbi Jehuda *instauravitque. Vide si placet,* Hieronymum *ad* Esaiam, *libri* 3. *in capite* 8.

Pag. xv. *lin.* 27. *poſt* Hakadoſh *additur: Synedrii magni Princeps. Et lin.* 33. *opus illud publicari voluit ab ipſo inſtauratum.*

Pag. xvii. *lin.* 11. *Qua de re videſis* Sixtum Senenſem *Bibliothecae ſanctae libro ſecundo & quarto.*

Pag. iii. *lin.* 4. *poſt* pares: *additur. Certe de* Jobi *filiabus legitur*; dedit eis Pater ſuus haereditatem inter fratres earum, *quod interpretantur* Beda moriens fecit cohaeredes fratrum ſuorum. *Locus eſt* Jobi xlii. 15. *Ubi* Levi Gerſomides *hoc factum ait* מתוך חשיבתן ויופין propter dignitatem & pulchritudinem earum, *perinde acſi jure communi cohaeredes neutiquam fuiſſent.*

Pag. ix. *lin.* 27. *poſt:* quaeſt. 7. *additur. Et* Hieronymum *in quaeſtionibus Ebraicis ad* 2 Paralip. *cap.* i. *qui ad illud* Salomonis, *ibi* feciſti cum patre meo miſericordiam magnam & conſtituiſti me Regem pro eo, *cauſam velut e Rabbinis petitam adjicit,* quia ſecundum Legem prohibitum erat, qui de alterius uxore generatus ſum (*de* Bethſeba Uriae) introire Eccleſiam; *quaſi natales ejuſmodi jure communi ſucceſſionem praepediviſſent.*

Pag. xiv. *lin.* 33. *poſt* ſuſceptus *additur* (*ſervos & ancillas intellige tantum ex gentilibus, ſive captos ſive emptos, aliterve jure poſſeſſos & nomine ſervitutis in Judaiſmum baptizatos: id eſt, non ſervos Ebraeos*) *& lin.* 37. *additur* לענין ירושה *ſeu* in re Succeſſionis haereditariae. *Adeoque libertas ſimul & filiatio inde acquirebatur ejuſmodi, ut haeredibus ex ſanguine ipſe, utpote cohæres adoptivus, non ſerviret, tametſi interea ante manumiſſionis plenae ſolemnia, alia libertinitatis privilegia non aſſequeretur. pag.* 15. *l.* 39. *poſt* habenda *inſerunt. Atque mos ille ſeu jus ſingulare ſervorum e citata Gemara allatum, aut quatenus Ebraeorum fuerat, Galatis ſatis cognitum videtur aut etiam apud ipſos, aliaſque forſan* Aſiae *gentes in uſu pariter fuiſſe. Nec* Romanis *incognitum. Senſus autem ejuſce plenior elicitur ex eo, quod adjiciunt ibi Talmudici, ſic ad Iſraelitas rem ſpectaſſe, ut nec aliquem ex* xii *Patriarchis ſeu eorum, in tribubus cognominibus, poſteris demortuum quempiam inter loquendum appellare ſive compellare patrem, matremve, liceret, alterutrius ſexus ſervis* (*nomine ſervitutis in Judaiſmum baptizatos ſemper intellige*) *quemadmodum ferme in orbe Chriſtiano nobilium imagines, ſtemmata ſeu ſcuta gentilitia plebis faeci jactare, non permittitur. Suos autem patres matreſve non habuere civiliter ſervi, quippe quibus nullum cognationis jus. Atque alios citra tribuum initia, ſive Iſraelitas ſive proſelytos juſtos, jure Iſraelitico plerumque poſitos tum compellare tum appellare Parentes, eis, cauſa jam memorata, interdictum eſt. Scilicet hominibus liberis non infrequens erat, formulam appellationis compellationiſque reverentiae ſeu honoris (ut hodieque apud nos obtinet) cauſa uſurpare hujuſmodi* אבא פלוני Pater *N.* & אימא פלונית Mater *N. tametſi his proles ipſi non eſſent. Sic Gloſſa ad citatam Gemaram. In ſcholis autem & ſermonibus publicis nomine proprio patris, quemadmodum & magiſtri ſemper erat, tam in appellatione quam compellatione, rite abſtinendum, qua de re vide Gemaram Babyloniam & Gloſſam ad Tit.* Kidoſhin, *cap.* 1. *fol.* 31. *b.* & Maimonidem *Halach* Talmud Tora, *cap.* 4. *At vero regulariter jam è Gemara dictum de ſervis, exceptionibus aliquot eſt temperandum. Nimirum tametſi Patriarcharum* xii. *eorumve poſterorum quempiam parentem vocare ſervis non licebat, nihilominus quoniam in Judaiſmum ſeu foedus, quanquam non in libertinitatem, recepti erant, patriarcharum majores veluti* Abraham, Iſaacum & Jacobum *patres, ac* Saram, Rebeccam, Rachelem & Leam *matres vocare eis licuit. Verba ſunt dictae Gemarae*; אין קורין אבות אלא לשלשה ואין קורין אמהות אלא לארבעה: appellare eis non licuit patres alios praeter tres, nec matres praeter quatuor; ubi gloſſa: אין קורין אבות לישראל אלא לשלשה אברהם יצחק ויעקב לאפוקי שבטים: אלא לארבעה שרה ורבקה רחל ולאה: Appellare eis non licuit patres alios praeter tres in genere Iſraelitico, *Abraham, Iſaac & Jacob,* ut tribus ſingulae excipiantur, nec praeter quatuor matres *Saram, Rebeccam, Rachelem & Leam.* Sic alii: *Excipiebantur item ſervi ancillaeque exiſtimationis clarioris à Dominorum nobilitate, ut fieri amat, ſumptae, vulgoque natalibus notiſſimis:* כנון עברי הנשיא הרי אלו מותר לקרות להם אבא

ואימא

ואימא veluti servi principis, nam his licuit appellando compellandove sibi sive matrem sive patrem adsciscere. *Nam status eorum & natales passim notissimi sic adscitis damno esse nequibant. Videsis Maimonidem Halach.* Nechaloth, *cap.* 4. & Shulchan Aruch, *tit.* Choschem Hamispat, *cap.* 279. §. 5. *Jam vero in citatis supra e foedere novo, gentis suae, &c. Lin.* 46. *ejusdem paginae,* Abba seu patrem, patrem nostrum.

Pag. xvi. *lin.* 27. *post* διπλᾶ, *ut* Philo & Hellenistae.

Pag. xvii. *lin.* 28. *post* idem est *addit. Argutule vult hic* Philo *revera & ratione temporis primogenitum hac in lege intelligi filium uxoris dilectae, quia ea prius nominatur; ratione autem dignitatis seu praestantiae alicujus, filium odiosae, quod receptissimis magistrorum sententiis est adversissimum. Videsis eum libello* περὶ τȢ ἐξένηψε Νῶε.

Pag. xxv. *lin.* 52. *post* subtilia *adde. Ideo autem trigesimo quinto anno seu hebdomade annorum quinta rem sic finiebant, nec ulterius pubertatis argumenta expectari volebant, quoniam supremus ea in aetate corporis vigor seu* ἀκμὴ *apud veteres habebatur, citra quem absque signis jam dictis in majoribus censebant neminem, uti nec quempiam postea in minoribus. De illo aetatis termino videsis* Philonem *libro de Mundi opificio.* Aristotelem *Rhetoric.* 2. *cap.* 14. Galenum *de sanit. tuenda lib.* 6. *cap.* 2. & *Comment.* 3. *ad Hippocratis Aphorismos* 29 & 30. & *Avicennam lib.* 1. *Fen.* 1. *doct.* 3. *cap.* 3. & *Fen.* 3. *doct.* 1. *cap.* 2. *Unde cernere licet, opinionem illam de* XXXV *annis tam apud Asiaticos quam Europaeos pariter obtinuisse.*

Pag. xxvi. *lin.* 18. *post* Moses *ille, additur capite ex Halach.* Ishoth *citato. Scilicet juxta sive mensium sive annorum intercalandorum rationes pro Synedrii magni, florente Ebraeorum Republica, arbitrio diversimode adhiberi solitas, non juxta statos sive communes sive Embolimaeos annos in cyclo illo decemnovennali, quem Ebraeis veteribus in usu fuisse passim negant Talmudici, utcunque viri sint doctissimi, qui contra sentiant. Sed ea de re nos plura in libro de Synedrio magno.*

Pag. xxxv. *lin. ult. post* significat *additur. Ita Gemara etiam Babylonia ad Tit.* Jabimoth, *cap.* 4. *fol.* 40. *a.* Moses Cotzensis *praec. affir.* 51. *alii passim.*

Pag. xxxvi. *lin.* 57. *post fol.* 19. *addit b. Atque hac de re consentiunt Talmudici passim, ut Gemara itidem Babylonia ad tit.* Baba Bathra, *cap.* 8. *fol.* 110. *b.* Hilcoth Gedaloth, *num.* 31. Moses Cotzensis *praecept. affirm.* 51. *alii. Consulas interea, quod in contrarium scripsere patres aliquot Christiani, dum* Jacobum & Heli *in Christi genealogia uterinos facientes fratres, hujus sine liberis defuncti uxorem illum ex hac lege cepisse atque inde* Josephum *B. Virginis maritum utriusque filium dictum esse volunt. Autor hujus rei est* Julius Africanus *in epistola ad Aristidem, apud* Eusebium *in Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *Atque tam in veteribus quam in recentioribus sequaces habet viros insignes.*

Pag. xliii. *lin.* 6. *post* pretio *additur: quod ad restitutionem in Jubilaeo attinet.*

Pag. xlv. *lin.* 40. *post* Cornarius *additur. Ipse etiam in Ancorato* Epiphanius, ὁ Ἰωσὴφ, inquit, *γέρων ὢν, ϗ χῆρος κατ᾽ ἀνάγκην τῶν κλήρων βαλλομένων ἐπὶ χήρȢς ϗ ἀγάμȢς κατ᾽ ἑκάστην φυλὴν εἰς τὰς ἀπὸ ναȢ παρθένȢς* &c. *ἔλαβε μετὰ κλῆρον τὴν ἁγίαν παρθένον Μαρίαν.* Joseph senex *existens* ac viduus juxta necessitatem sortium conjectarum pro viduis & coelibibus, in tribu unaquaque, in virgines in templo, &c. accepit juxta sortem Sanctam Virginem Mariam. *Ubi manifestum est κλῆρον ad haereditatis rem neutiquam omnino attinere.*

Pag. lx. *lin.* 33. *post* 16. *additur. Tradunt jam haereditatis distributionem seu haeredis, qualem diximus institutionem legitimam, non noctu, sed interdiu tantum rite fieri. Quoniam judicia exerceri aut incipi regulariter, non debebant noctu. Et haereditatis distributionem instar actus habebant judiciarii ex verbis illis sacris de haereditatibus, erit* לחקת משפט *in statum judicii.* Numer. xxvii. 11. *videsis hac de re Gemar. Babylon. ad tit.* Sanhedrin, *cap.* 4. *fol.* 34. *b. Maimon. Halach.* Sanhedrin,

cap. 3. Moſem Mikotzi *praecept. affir.* 76. & Shulchan Aruch *in libro* Choſchen Hamiſpat, *cap.* 253.

Pag. lxxxvi. *lin.* 50. *poſt cap.* 6. *additur. Ita ſcilicet ſe res habuit ſub Tabernaculo & Templo primo. Et claſſes illae* xxiv *in* Paralipomenis *ordine ſuo recenſentur. Nec ſane alius poſt templo ſecundo rempublicam claſſium numerus. Caeterum is ex diſtributione nova confectus eſt, ſi Talmudicis fides. Nimirum quatuor cum* Zorobabele *Hieroſolymam aſcenderunt familiae ſacerdotales*, Jedaiahidae, Immeridae, Paſhuridae & Harmidae. *Id quod liquet ex* Nehemiae vii. 39. & *vide* eum *cap.* x. 1. & xii. 1. *Quamplurimi autem tam ex* Levitico & *ſacerdotali genere, quam ex* Iſraelitico *tum aſcendere nolebant. Familiae autem illae quatuor, ne claſſium numerus alius, quam qui ſub templo primo obtinuerat, haberetur, in viginti quatuor itidem (ſic illi) ſorte tributae ſunt; ſtatuto etiam ut jam dignitatis atque ordinis praerogativa non ex vetuſtiori illa omnino, ſed ex hac tantum diſtributione nova penderet. Gemara Hieroſol. ad tit. citatum, fol.* 68. *col.* 1. ארבע משמרות עלו מן הגולה ידעיה חרים פשחור ואמר והתנו עמהן הנביאים שביניהן שאפילו יהויריב עולה מן הגולה שלא ידחה את המשמר שלפניו אלא יעשה טפילה לו ועמדו הנביאים שביניהן ועשו כ"ד גורלות והטילום בקלפי ובא ידעיה ונטל חמש והוא הרי שש ובא חרים ונטל חמש והוא הרי שש ובא פשחור ונטל חמש והוא הרי שש ובא אימר ונטל חמש והוא הרי שש והתנו עמהן הנביאים שביניהם שאפילו והויריב עולה מן הגולה שלא ידחה את המשמר שלפניו אלא יעשה טפילה לו: Quatuor claſſes aſcendebant e captivitate *Jedaiah Harim, Paſhur* & *Immer.* Pactum autem cum eis inierunt prophetae qui inter eos *(viri inter eos praeſtantiores)* nec quidem *Jehoiaribum* ſi e captivitate aſcenderet *(id primae in diſtributione* Davidis *claſſis nomen eſt)* praerogativam habiturum prae claſſe *(jam ſorte)* ante eum conſtituta, ſed ei tantum fore adjungendum. Ex autoritate igitur prophetarum, qui inter eos, fiebant ſortes xxiv membranulis educendae. Venit *Jedaiah* & eduxit praeter ſeipſum quinque; ita fiebant etiam ſex. Et venit *Charim* & eduxit praeter ſeipſum quinque; ita fiebant etiam ſex. Venit ſimiliter *Paſhur* & eduxit praeter ſeipſum quinque; unde & ſex fiebant. Quod itidem fecit *Immer.* Et pacti ſunt cum eis prophetae, nec quidem *Jehoiaribum* ſi e captivitate aſcenderet, praerogativam habiturum prae claſſe ante eum conſtituta, ſed ei fore adjungendum. *Idem habetur in Gemara Babylonia ad tit.* Eracin, *cap.* 11. *fol.* 12. *b.* & *ad tit.* Thaanith, *cap.* 4. *fol.* 27. *a. Excepto quod in loco poſteriori pro* Charim *perperam legitur* Jehoiarib, *quod nec caeteris de* Jehoiarib *ibi adjectis eſt omnino conſonum. Senſus puto eſt, facta jam familiarum harum quatuor in* xxiv *claſſes diſtributione, caeterarum familiarum ſacerdotalium ſeu claſſium quotquot nondum aſcenderant, in dignitatis ac functionis ordine decernendo, non aliter rationem habitum, quando aſcenderent, iri, quam ſi hiſce & quatenus hiſce ſe immiſcerent adjungerentque. At* Joſephus *expreſſim de diſtributione vetuſtiori ſeu* Davidica, *lib.* 7. *cap.* 11. καὶ, inquit, διέμενεν ἔτος ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, atque haec diſtributio duravit uſque in diem hodiernum, *id eſt, uſque ad templi ſecundi excidium. Numeri claſſium meminit & ipſe alibi; in vitae ſuae initio, unde & corrigendus eſt locus, qui in Latinis libri ſecundi adverſus Apionem habetur;* licet enim ſint tribus quatuor ſacerdotum & harum tribuum ſingulae hominum plus quam quinque millia, ſit tamen obſervatio particulariter per dies certos. *Graeca hic deperdita ſunt, ſed dubitari nequit, pro eo, quod eſt* tribus quatuor *ſcripſiſſe* Joſephum πατριαὶ εἴκοσι τέσσαρες tribus viginti quatuor, *quae & ſtationes & ephemeriae & claſſes nuncupantur. Jam vero (quod obiter monendum) viderint interea viri magni, qui ex diſtributione* Davidica *orbem ſeu cyclum hieraticum ſub templo faciunt ſecundo, adeoque ex encaeniis* Juda Maccabaei, Jehoiaribi *in diſtributione illa veteri loco primo atque* Maccabaica *jugis ſacrificii inſtauratione, Abiae apud D.* Lucam *memorati Ephemeriam octavam fuiſſe, quemadmodum in* Paralipomenis *reperitur, fidenter admittunt. Certe, ſi Talmudicis credendum, ita novata eſt, ut vides, diſtributio, ut quemnam in ea locum jam teneret Ephemeria ſive Abiae, ſive alius cujuſcunque familiis jam dictis ſacerdotalibus*

quatuor

quatuor in classes xxiv *tributis postmodum immista adjunctaque, non omnino constet. Consulas ante alios* Josephum Scaligerum, *tum in Notis ad Fragmenta, emendationi temporum subjunctis, tum in Canonum Isagogicorum libro* iii. *pag.* 297. *Adde D. Hieronymum in Quaest.* Hebraicis *ad* 1 Paral. *c.* 9. *Sed & vide inferius sub finem capitis undecimi.*

Pag. lxxxix. *lin.* 12. *post* recentiores, *additur. Item* Rabbi Isaac, Judaeus Narbonensis, הכהנים גדולים ששמשו בבית א'' אהרן אלעזר פנחס אבישוע בחקי זרקיא, inquit, אלו אמריה וגו' Hi sunt pontifices qui sacro functi sunt ministerio in templo primo, *Aharon, Eleazar, Phinees, Abishua, Bochki, Zerakiah, Amariah,* &c. *Nimirum hic ex ejusdem libro* שערי ציון *seu* portae Sion *inscripto, nec semel apud* R. Gedaliam Ben Jechia *in libro* Shalsheleth *citato legitur in* Shalsheleth, *fol.* 27. *Ubi binos jam dictorum* Eleazari *nepotes inter pontifices censeri, tertium autem oscitanter praetermitti vides, uti & quintum, ut ex stemmate quod capite quarto damus, liquebit. Et lin.* 43. *ejusdem paginae, post* duae eorum *additur. Et D. Hieronym. in Quaest. Hebraicis ad dictum locum;* hic monstratur *Phinees* adhuc eo tempore vivere. *Item lin.* 64. *ejusdem paginae: post* Judicum xi. 35. *additur. Videsis Gloss. ad Gemaram Babylon. tit.* Thaanith, *cap.* 1. *fol.* 4. Vaicra Rabba Parasha, 37. *sub finem* Bereshith Rabba Parasha, 60. Midrash Kohelet, *ad cap.* 10, 15.

Pag. xcii. *lin.* 12. *post* legerat *additur. Sed vero & alibi* Judaeis *ait D. Hieronymus,* Joiadam *in* Paralipomenis *memoratum* Phinees *itidem fuisse. Locus citatur capite proximo. Quin & alii scriptores Christiani.*

Pag. xcv. *lin.* 7. *post* pontifices *additur: At vero in traditionibus ad citatum* Paralipomenon *locum Hebraicis D. Hieronymus: Joada* tradunt fuisse *Phinees,* ad cujus comparationem *Sadoch* puer vocatur.

Pag. xcix. *lin.* 31. *post* leguntur *additur. Videsis* R. Isaac Narbonensem *apud* R. Gedaliam Ben Jechia *in* Shalsheleth, *fol.* 27. *a.*

Pag. cvii. *lin.* 34. *post* fol. 9. a. *additur: Et* Sepher Shalsheleth R. Gedaliae Jechiadis, *fol.* 29. *a.*

Pag. cix. *lin.* 39. *post* Amarcalem *additur: Quin etiam D. Hieronymus ad dictum* Isaiae *locum de* Sobna. Et qui, *inquit,* quondam habebas coronam Pontificiis & Sanctificationem in auri lamina, in qua erat scriptum nomen Domini, coronaberis tribulatione & angustia. *Ubi Pontificem fuisse* Sobnam *diserte admittitur. Et videsis eundem ad dictum caput* Isaiae, *lib.* 5. & 7.

Pag. cxi. *lin.* 51. *Quin portentum est, quod in traditionibus de Hieronymi Hebraicis legitur:* Josedech Sacerdos (1 *Paral.* vi. 15.) ipse est *Esdras.* Demonstrat hoc liber ejusdem *Esdrae,* ubi dicit: Et post haec verba in regno *Artaxerxis* Regis *Persarum Esdras* filius *Saraiae* filii *Azariae.* Sed in libro suo se praetermittit humilitatis causa. *Et paulo post:* Tradunt [illegible] Hebraei eundem *Esdram* esse *Malachiam* Prophetam, qui in duodecim prophetis ultimus est. Ipsius filius est Jesus Sacerdos magnus, de quo meminit *Zacharias* Propheta. *Scilicet* Zachar. iii. 1. *ubi* Josua *Pontifex qui revera* Josedeci *filius erat, nec* Ezrae *filius, sed ex fratre nepos memoratur.*

Pag. cxii. *lin.* 2. *post* Evangelicae *additur, & Hieronymus in* Dan. ix. *Et lin.* 33. *ejusdem paginae post cap.* v. *additur. Certe* Simeonem *illum etiam* Iddo & Jaddum *interdum apud Ebraeos dici legimus. Videsis* Abraham Ben David *in Cabala Historica, interprete* Genebrardo, Sepher Juchasin, *fol.* 66. *a.* & Shalsheleth R. Gedaliae Ben Jechia, *fol.* 22.

Pag. cxvi. *lin.* 3. *post* mentionem *additur.* Idem itidem in *Daniel.* ix. Oniae successit *Simon,* quo regente populum *Jesus* filius *Sirach* scripsit librum qui Graece πανάρετος appellatur & a plerisque *Salomonis* falso dicitur. *Et lin.* 34. *ejusdem paginae post* demonstrationis *additur: aut D. Hieronymus in* Daniel. ix.

Pag. cxxvii. *lin.* 44. *post* Josephus *additur: Sed vero memineris hic, quae capite hujus libri primo de classium illarum* xxiv. *sub Templi secundi initiis novatione, e Talmudicis exhibemus.*

Pag. cxxxv. *lin.* 57. *post* denotavit *additur. Nisi potius intelligi velis nomen aliquod novatae illius classium Sacerdotalium distributionis sub initium Templi secundi, de qua supra capite primo. Nam tametsi* Josephus *distributionem* Davidicam *usque ad suum tempus mansisse aiat, ipsumque se ex prima* xxiv *classe oriundum in vita sua asserat, cum nihilominus Talmudici, ut ibi ostendimus, tradant classes seu stationes alias* xxiv *factas, veteresque ita tantum in posterum dignitatem locumque sortitas, quatenus novatae distributionis classibus singulae accederent, fieri potuit, ut accedentibus post modum veterum aliis, aliis vero earum minime accedentibus, saltem non ita accedentibus, nomina partim distributionis veteris, partim novae in orbe illo hieratico, ut viris magnis nuncupatur, comperirentur, quod inprimis advertendum est eis, qui de orbe illo ac* Abiae *loco octavo tam fidenter pronuntiant. Quin forte* Josephus *non tam ipsas familias* Davidicae *distributionis, quam similem numerum ad sua tempora durasse intellexit. Sed viderint perspicaciores.*

Pag. cxxxix. *lin.* 16. *post* annis *additur. Unde etiam conclave, in quod sub Festum expiationis se recipere solebat Pontifex* לשכת בלווטין *conclave consiliariorum seu principium veteribus dictum, postea* לשכת פרהדרין *seu* פלהדרין *id est,* conclave Praefectorum Palatinorum *seu* Regiorum *vocitatum aiunt, quoniam* מחלפין אותה כל יב׳ חודש : כפרהדרין הללו שמחלפין אותו כל יב׳ חודש permutabant pontificatum singulis annis, quemadmodum Palatina *seu* Regia officia singulis annis permutari solita, *ut verba sunt ejusdem Gemarae.*

Pag. cxlvii. *lin.* 26. *post* compertum *additur. Alia etiam Pontificum Templi secundi nomina eaque satis prodigiosa habes ex* R. Isaac Narbonensi *apud* R. Gedaliam Ben Jechia *in* Shalsheleth, *fol.* 27. *a. Quin occurrit in* Misna *tit.* Jabimoth, *cap.* 6. Josua Ben Gamla *a Rege in Pontificatum evectus. Verum quidem est, nomen* Jesus Ben Gamaliel, *qui numerum in* Josephi *laterculo occupat vigesimum quartum, satis* Josuae Ben Gamla *esse consonum. At vero Jesus ille paulo ante Templi secundi excidium pontificatu ab* Agrippa *juniore Rege donatus est.* Josua *autem* Ben Gamla *sub tempore* Jannaei *Regis collocatur, id est, si de* Alexandro Jannaeo *capiatur, centum quinquaginta amplius annis ante Jesum illum in laterculo* Josephi. *Gemara Babylonia ibi, fol.* 61. *a. & ad tit.* Joma, *fol.* 18. *a. expressim;* Martha *filia* Baithi, *vidua opulenta, munera dedit ampla* : לינא מלכא על דאוקמיה ליהושע בן גמלא בכהני רברבי *Jannaeo* Regi, ut scilicet in pontificatum eveheret *Josuam Ben Gamla. Et Glossa ibi:* מרתה בת בייתוס אלמנה עשירה היתה וקידשה יושע בן גמלא ונתנה ממון לינאי המלך ומינהו : להיות כהן גדול *Martham* filiam *Baithi,* viduam opulentam, desponsavit sibi *Josua Ben Gamla,* quae munera dedit *Jannaeo Regi;* ob quae is eum constituit pontificem. *Sic item* R. Jacob *in* Aiin Israel, *part.* 1. *fol.* 100. *b. Accedat & illud Glossae ad tit.* Joma, *cap.* 1. *fol.* 8. *b.* כהני בית שני היו עומדין על ידי ממון שנותנין על כהונה גדולה : למלכי בית השמונאי pontifices templi secundi constituebantur per munera, quae dabant, pontificatus nomine regibus domus Hasmonaeorum. *Anne igitur pontifices alii fuere ab Hasmonaeis, qui ipsi Pontifices simul atque Ethnarchae & Reges constituti? Certe de ipsa Pontificis dignitate primaria, non de vicaria seu secundaria verba palam fiunt. Notatur autem in margine Gemarae Babyloniae ad tit.* Joma, *cap.* 1. *fol.* 18. *a.* Jannaeum *hic non esse* ינאי המלך Jannaeum Regem *memoratum in ejusdem Gemarae capite tertio tit.* Kidoschin, *fol.* 66. *a. ubi* ינאי *seu* Jannaeus *plane pro* Joanne Hyrcano *usurpatur, ut nemini non constat, qui locum citatum cum* Josephi *historia de* Joanne Hyrcano & Eleazaro *Pharisaeo comparat; vide* Josephum *lib.* xiii. *cap.* 18. *atque infra lib.* ii. *cap.* 3. Alexander *igitur* Jannaeus *is erat, qui* Jesu Ben Gamla *in Pontificatum evexit.*

Pag. cl. *lin.* 54. *post* conjunctionem *additur. Atque inprimis est hic observandum illud* Josephi *de reditu post captivitatem seu politia templi secundi; Judaei, inquit, Hierosolymis degebant* πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ᾽ ὀλιγαρχίας. οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεισαν τῶν πραγμάτων ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμαναίου συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους, ea usi Reipubl. formula, quae tum Aristocratica est, tum Oligarchica. Nam pontifices rebus praeerant

erant donec *Hasmonaeorum* gens Regnum obtinuit. *Praefuisse quidem, ait, rebus Pontifices, sed in Republica partim Aristocratica partim Oligarchica. Ideo ante* Hasmonaeos *Pontifex idem atque Rex non erat, nec solus praefuit. Quin ratio redditur Reipubl. sic mixtae, quia Pontifices praefuere. Inde igitur pars Aristocratica. Atqui sic, non de pontificibus successione singulis, sed de primariis aliquot eisque compluribus simul sacerdotibus pontificum nomine, ut dictum est saepius, innui solitis, videatur capiendum. Undenam alias Aristocratiae cum Oligarchia ratio redditur, quia Pontifices praefuere? Paulo post etiam (locus est lib.* xi. *cap.* 4.) *memoratur legatio ad* Darium *Regem ab Hierosolymitanis decreta, qua functi sunt* Zorobabel *ipse* ϗ ἄλλοι τῶν ἀρχόντων τέσσαρες, & quatuor alii principum, *seu*, qui rebus praeerant. Ruffinus *pro jam allatis substituit*, Habitabant in Hierosolymis & optimatum gubernatione regebantur. Nam sacerdotes tractabant eorum negotia usquequo regnare contigit nepotes *Asmonei*.

Pag. clxiii. *lin.* 24. *post* constaret *additur: Idem, sed paulo aliter, narratur in Gemara Babylonia ad tit.* Kidoschin, *cap.* iii. *fol. 66. a. ubi* Joannes Hyrcanus *Rex vocatur* ינאי המלך Jannaeus Rex. *Mensae apposita esse ibi dicuntur tantum olera campestria, quae* מלוחים *& Syriace* קקולי Kekuli *vocant, atque* כל חכמי ישראל omnes sapientes Israel *(quamplurimos Pharisaeos) esse invitatos, ut laeti convivio ea comederent, patrum qui dum templum secundum aedificabant, non aliis ferme usi sunt dapibus, memoriam celebrantes. Adfuisse inter eos* Eleazar Ben פועריה Phoaria *hominem pessimum. Hunc ut dissidium inter Regem & Pharisaeorum genus concitaret, ei insusurrasse, Pharisaeos eum summo habere clanculum odio, idque satis fore detectum, si per laminam quam in fronte gereret, (id est, eam in qua inscriptum nomen tetragrammaton) eis juraret regem jurasse. Et dein sequitur:* היה שם זקן אחד ויהודה בן גדידיה שמו ויאמר יהוד׳ בן גדידיה לינאי המלך ינאי המלך רב לך כתר מלכות הנח כתר כהונה לזרעו של אהרן שהיו אומרים אמו נשבית במודיעים ויבוקש הדבר ולא נמצא ויברלו חכמי ישראל בזעם וגו׳ Erat ibi Presbyter seu Senior quidam, cui nomen *Jehuda Ben Gedidia*, qui *Jannaeo* Regi dixit; *Jannaee* Rex, sufficit tibi, quod regnum obtineas: at vero Pontificatu te abdica. Nimirum aiebant, matrem ejus captivam fuisse in Modin. Quod tamen falsum esse, disquisitione habita, est compertum. Discessere igitur sapientes Israel indignabundi, &c. *Quos postmodum juxta* Eleazari *consilium vita omnes privasse Regem, ibi etiam traditur. Res ipsa (nam circumstantias praetermittimus) quae apud* Josephum, *pariter hic habetur, tametsi convitium ille* Eleazaro, Gemara Jehudae Ben Gedidia *tribuat. Glossa autem ibi ad illud de captiva,* ושבויה פסולה ונשאה אביו ונמצא חלל & captiva Sacerdoti jungi non debet, quam tamen dixit Pater ejus, inde ipse profanus est, *seu pontificatu arcendus. Ita explicat ille vim rationis, ob quam, si vera fuisset, dignitate illa sacra esset dejiciendus.*

Pag. clxiv. *lin.* 21. *post* manifestum est *additur: Nec melius interpres* Josephi *recentior, lib.* xi. *cap.* 4. Rejecti sunt, *inquit*, etiam ex ordine & honore sacerdotali, quotquot duxerant uxores, quarum genus nec ipsi indicare poterunt nec in Leviticis & Sacerdotalibus Genealogiis inveniebatur. *Graeca sunt:* Ἐξεβλήθησαν δὲ ϗ ἐκ τῶν ἱερέων ἐκ τῆς τιμῆς ἠγμένοι γυναῖκας, ὧν ἔτ᾽ αὐτοὶ τὸ γένος εἶχον εἰπεῖν, ἔτ᾽ ἐν ταῖς γενεαλογίαις τῶν Λευιτῶν ϗ ἱερέων εὑρέθησαν. *Quae vertenda:* Ejiciebantur ex honore sacerdotum quidam etiam, qui uxores ceperant, quorum nempe nec ipsi genus indicare potuere, nec in genealogiis Levitarum & Sacerdotum sunt comperti. *Sic res, ut oportet, ad ipsorum non ad uxorum genus omnino attinet.* Ruffinus *etiam expressim ibi concors est. Vertit enim:* Repulsi vero sunt quidam a sacerdotali honore, qui uxores sibi copulaverant. Hi nec suum genus dicere praevalebant, nec in generatione Levitarum vel Sacerdotum inventi sunt. *Scilicet id ipsum, quod in* Ezra & Nehemia *habetur de sacerdotibus, qui loco in tabulis genealogicis carebant, narrat hic* Josephus. *At quare igitur adjicitur illud* ἠγμένοι γυναῖκας qui uxores ceperant. *Opinor, quasi dixisset, qui ejusmodi erant natalibus vulgo habiti, ut uxores tantum sibi legitimas, id est, Israelitidas, quales Sacerdotibus, ut supra ostensum est, semper ducendae, cepissent,*

d

sent, a functione tamen sacra, quoniam de natalium puritate non constabat, velut prophani, in perpetuum arcebantur. Neque enim ibi de nuptiis illegitimis omnino agitur. Scimus quidem, sub id tempus non paucos fuisse etiam ex genere sacerdotali, qui foeminas sibi non legitimas, id est, generis externi copulassent. Vide Ezram x. 18. Nehemiam xiii. 28. & Josephum *libro* xi. *cap.* 5. *Etiam & ejectas fuisse plerasque, idque decreto publico. Sed qui ejecerunt, functione seu honore sacerdotali summoti non sunt. Tametsi interea verum sit, quotquot non ejecerint, ex sententia forensi rite aut interdictos esse, aut potuisse interdici altari, usque dum ejecissent. Qua de re plura inferius cap.* vi. *Sed nemo non videt, aliud esse profanum quempiam fieri, seu in perpetuum altari arceri, quemadmodum ex natalibus sibi impuris sive incertis; aliud sic tantum interdici, ut in functionem nihilominus rediret, simulac id quod jusserat forum, praestaret, ut in uxoris illegitimae repudio. Priore in specie, pro sacerdote non omnino habetur, in posteriore duntaxat intermissio functionis est.*

Pag. clxvii. *lin.* 26. *post* liceret *additur : D. etiam Hieronymus in Quaestion. Hebraicis ad* 1 Paralip. xxiii. *de Levitis;* quamdiu, *inquit*, Tabernaculum mutabatur de loco in locum, a viginti annis eligebantur. Postquam vero templum Domini aedificatum est, a triginta annis. *Ubi numerus viginti locum triginta, errore manifesto occupat; sed annalis legis mutatio palam docetur. Et lin.* 36. *ejusdem paginae, post* admisisse *additur : Id tamen ipsum D. Hieronymum, qui Ebraeorum mores ac traditiones ab ipsis quamplurimas edidicit, habet assertorem.* Recordetur *(inquit, de* Joanne *Hierosolymitano adversus quem in Epistola* lxii. *ad* Theophilum *scribit, verba faciens)* legis antiquae & post viginti quinque annos a Levitica tribu eligi in sacerdotium pervidebit. Aut si in hoc testimonio solo Hebraicam sequitur veritatem, noverit triginta annorum fieri sacerdotem. *Item in prooemio ad Ezechielem,* nisi quis apud Hebraeos aetatem sacerdotalis ministerii, id est, tricesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium & finem legere permittitur. *Eadem etiam aetas sacerdotibus Christianis olim tum Caesareo tum pontificio jure est præfinita, ut videre est in* Novel. Justiniani cxxiii. *c.*xiii. & Gratiano *Distinct.* lxxviii. *Sed vero Ebraeorum de aetate hic jura suis in commentariis sunt, qualia jam diximus; atque Sacerdotum alia, alia Levitarum.*

Pag. clxxvii. *lin.* 21. *post* nudabit mitra *additur: Apud Judaeos etiam Hispanienses* vuestras cabecas non descubrades & sua cabeca non descubrira, *quemadmodum item alii recentiorum.*

Pag. clxxviii. *lin.*21. *post* non raso *additur: Ante alios consule hic D. Hieronymum lib.* xiii. *in* Ezechiel. *ad cap.* xliv.

Pag. clxxxvii. *lin.*60. *post* discrepasse ait *additur: Eum ante alios de caeteris omnibus ibi consule. Haec & perpauca alia, nominum sc. aut vocum mutationes vel additiones synonymas editionibus duabus Transmarinis insertas reperies, quae in Londinensi desiderantur. Seldenus erroris in* Prolegomenis *ad* Successionum *libros, pag.* 8. *de* Verberum numero *commissi memor, numerum denarium iis adjiciendum esse monet. lib.* 2. *de Jure Natur. & Gent. cap.* 13. *pag. m.* 276. *In libro* de Successione in Pontificatum *primo, cap.* 12. *auctor noster asserit; per Pontificem Maximum in Evangeliis & Actis Apostolorum non intelligendum esse Pontificem Maximum proprie sic dictum, sed Principem Synedrii; & ubicunque mentio fit duorum Pontificum simul, Praesides primarios Synedrii eos fuisse dicendum, alterum nempe* Principem, *alterum* Patrem *Synedrii. Opinionem hanc* Seldeni *Clar.* Humphredus Hody *impugnat libro vernaculo;* The Case of Sees vacant by an unjust or uncanonical Deprivation stated, *Lond.* 1693. *p.* 34. *I deny Mr.* Selden's *conjecture to be true; and against it I offer the following Considerations:* First, *Neither* Josephus *nor any other Jewish Writer, does any where tell us, that the High Priests, properly so called, were deprived by the* Romans *of their Power and Authority in judicial matters, and confined to the Offices of the Temple. Mr.* Selden *does not pretend to the authority of any Writer. And* Josephus, *had there been any such thing, would scarce have fail'd*

to

to have mentioned it; especially since he mentions, that in such and such parts of Judaea *there were Courts of Judicature erected by the* Romans. *Secondly,* Josephus *is so far from warranting any such opinion, that on the contrary, he speaks throughout his whole History of the High Priests, properly so called, as of persons of great power and authority in civil affairs. What he says of* Ananus *the younger is very express;* Antiq. lib. 20. cap. 8. *Here seems to be a plain intimation, that the High Priest as such, had authority in civil Affairs, though neither he, nor any other of the* Jews, *might, without the consent of the* Roman *Governour, sit Judge in a capital cause.* Thirdly, *It is likewise confirmed by that frequent and continual changing of the High Priest under the* Romans. *For, if the High Priests, properly so called, were, as such, concerned about the Sacrifices only, not at all in matters of Government, how could they so frequently come under the displeasure of the supreme civil Governor? Why so frequently turn'd out of their places?* Fourthly, *When St.* Paul *was told, that the person whom he had reviled was God's High Priest, that is, High Priest properly so called; he strait infers, that then he was the Ruler of the People.* Fifthly, *Those difficult places of Scripture, on which Mr.* Selden's *conjecture is bottom'd, may well admit of another explication:* H. J. Joan. Basnagius *in exercitationibus Historico-Criticis de eadem materia agens,* Seldenum *erroris arguit, quod Annae Potificatum apud D.* Lucam *civilem dignitatem designare statuerit; in quem errorem etiam* Lightfootium *a* Baronio *inductum esse asserit, dum Annam propterea sacerdotem summum a* Luca *vocatum existimat, quod & sacerdos & princeps Synedrii fuerit, quam sententiam tamen postea retractavit, cum neminem unquam ejus nominis principem Synedrii fuisse perpendisset.* Basnagii *autem sententia est,* Annam *&* Caipham *omnino simul pontifices fuisse, sed ita, ut officium hoc per annorum vices alternaverint.*

Libellos de Successionibus *sequitur auro contra ac gemmis mihi carior liber de* Diis Syris, *quem multo auctiorem ex* Seldeni *MSS. adnotationibus hic exhibemus. Adsunt & mihi in haec syntagmata* Seldeni *longe doctissimae Notae MSS.* Henrici Jacobi, *qui Clar.* Erpenii *discipulus &* Seldeni *nostri Orientalium studiorum Praeceptor fuit, quas ex favore amicissimi & eruditissimi Viri* Thomae Tanneri *Cancellarii Dioeceseos* Norwicensis, *possideo. Has Deo volente cum meis observatiunculis, separatim in publicum emittere meditor. Quid Clarissimi Viri* Vossius & Jurieu, *ille in libro de Idololatria, hic in historia critica dogmatum & cultuum Ecclesiae de* Seldeni *syntagmatibus duobus de* Diis Syris *statuerint, lectori facile innotescet. Utramque enim apud eos faciunt paginam, & theologiae Paganicae Deitates, verbis* Seldeni *saepius explicatae in hoc & illo deprehenduntur. Supra laudatus Vir Clarissimus* Jo. Marshamus *in Canone Chronico, p.* 481. Seldeni *notionem de* Sorte Fortunae *his prosequitur verbis:* "*Neque satis convenit prisco illi* Jacobi *Patriarchae aevo, ut* Leae *mulierculae parturienti* Zilphae *gratulantis acclamatio intelligatur de* Sorte Fortunae *juxta Astrologorum placita. Nulla enim est adeo vetusta* Syriacae *artis notitia; nisi velimus illis assentiri, qui* Mathesin *omnem* Setho *acceptam ferunt. Quae tamen ea de re scripsit* Seldenus *de* Diis Syris, *vir omni laude major, admodum erudita sunt, lectuque dignissima, H. J.*" Seldenus *Syntagmata* ii. *hujus libri cap.* 4. *Mahumedanos ab antiquissimo* Saracenorum *ritu feriam sextam Veneri sacram celebrasse ait; quo de tamen lib.* 3. *de Jure Naturali & Gentium, cap.* 20. *p. m.* 405. *haud parum dubitat. Multum interea approbo viri summi* Jo. Clerici *judicium Bibl. Selectae, tom.* vii. *p.* 80. *seq. ubi* Seldenum *& alios qui de Orientalium idololatria scripserunt, tres inprimis errores commisisse dicit.* 1. *Quod* Seldenus *ad explicandam historiam ac Deitates veterum orientis populorum, absque discrimine citet auctores, theatricarum superstitionum harum partim gnaros, partim ignaros. Horum numero aggregat Rabbinos, qui fabulosis ingenii sui inventis indulgentes, spreta auctorum Ethnicorum lectione, idololatriam populorum Judaeis vicinorum in V. T. citatam, suis coinquinant mendaciis, ac portentosis orbi obtrudunt historiis obductam. Illorum igitur auctoritati*

potius & prae aliis fides est praebenda, qui vel priscis vixerunt temporibus, vel regiones Judaeae vicinas peragrarunt, vel veterioris aevi historiam evolverunt. 2. Secundus error, qui Seldeno & aliis historicis communis est, quod Deos Graecorum cum aliis barbararum gentium sine ulla discriminis ratione habita, confundat. Bene igitur idolographis istis advertendum est, quod licet prisci Graeciae incolae ex oriente multa numina in occidentem intulerint, eos tamen Deos Patrios, regionibus suis proprios habuisse, haud est diffitendum. Hos qui cum Babyloniis & AEgyptiis Diis confunderet, adversaretur historiae Regni & Regum Graeciae, ac Deos ignotos & nunquam cultos orienti obtruderet. 3. Tertius error est, quod nonnullis in locis allegoricas Fabularum Graecarum explicationes adferant, iisque nescio quae mysteria, quasi ex mente primaevorum historicorum, involuta, affingant.

Syntagmata de Diis Syris excipiunt Eutychii Patriarchae Alexandrini Ecclesiae suae Origines. Multos acerrimosque hostes specimen hoc literaturae Orientalis Seldeno conciliavit, qui dente Theonino famam ejus rodebant, & partim versionem Eutychii Latinam, partim parem Episcoporum & Presbyterorum rationem a Seldeno assignatam, pro aris & focis disputando impugnabant. De infensis hujus & illius scriptoris animis auctor noster conqueritur in Praefatione libri secundi de Synedriis, p. 1156. "Cum vero rectum sit index sui & obliqui, veterum testimonia diligentius congessimus "ex Ebraeis ipsis, etiam & de primitivi christianismi presbyteriis, & qualicunque "jurisdictionis apud eos facie, non contemnenda, pro re nata, interposuimus, a pa"pyraceis cum scriptore quopiam digladiationibus & stridula contentionis personalis "serra libentius semper abstinentissimi; adeoque etiam a crassissimis ineptiis theologi "cujusdam, in alios pariter atque in me sesquipetulci, qui nec mea, nec sua, nedum "rem ipsam, omnino intelligens, in scripta mea de ordinatione & presbyterio veteri "libro superiori alibique interspersa, ac in alia etiam de disciplina Talmudica a me "tradita, procacius involavit, laureolas scilicet in mustaceis, sed more mandrabuli, apud "vernaculos suos, insolentius, impotentiusque quaerendo. Sed quam feliciter, judi"cet lector non impar; ad quem solum provoco." Et in judicio de decem scriptoribus Angliae, p. 1131. tom. 2. opp. de Dionysio Petavio & Abrahamo Ecchellensi Eutychii causa eum exagitantibus ac perstringentibus loquitur: addam his Joan. Morinum & Euseb. Renaudotium qui stylo nimis acerbo & iracundo eum in scriptis suis sunt aggressi. Abraham Ecchellensis in epistola ad Joan. Morinum, §. 4. p. 463. de Originibus Alexandrinis a Seldeno editis & commentariis illustratis tale fert judicium. "Seldenus plura admisit in iis Originibus peccata cum vertendo quam commentando; "in versione ad suas adstruendas fallacias & proposita argumenta pro universalibus "particularia interpretatus est, & viceversa. Exemplo nunc esto. Eutychius lo"quens de ordinationibus Demetrii ait: وهو اول بطريرك بالاسكندرية عمل "الاساقفة quae ad verbum & fidelissime sic reddenda sunt: Et est primus Patriar"cha, qui in Alexandria fecit Episcopos. Ea tamen sic infidelissime reddit Seldenus; "& primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit. Profecto Deme"trius non fuit primus Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit; sed primus "qui fecit Episcopos in urbe Alexandrina. — Et hoc quidem mirum in modum con"sonat iis, quae in Alexandrino Chronico de Episcoporum antiquitate leguntur in Ju"liano Demetrii praedecessore, sed eo tempore nulli poterant Alexandriae commorari. Et in alia Epistola, p. 473. ait Ecchellenses: "Eutychius nequaquam dicit, ab Ha"nania usque in tempora Demetrii nullum fuisse in provinciis AEgypti Episcopum; "sed habet in provincia AEgypti; & quidem loquitur juxta linguam & morem con"ciliorum, patrum & scriptorum Ecclesiasticorum, qui passim AEgyptum accipiunt "pro peculiari provincia Dioecesis Alexandrini Patriarchatus, nimirum pro insula "Niliaca, quae Delta ex similitudine Graecae literae dici consuevit, quemadmodum "Francia pro insula Franciae quandoque usurpatur: Exempla habes apud concilia & "patres obvia, qui passim scribebant; Episcopi qui sunt in AEgypto, Thebaide, "Libya, Pentapoli, &c. ex quo liquido patet, AEgyptum non esse accipiendam

" *pro tota patriarchatus dioecesi, sed pro peculiari illius patriarchatus provincia.*" *Haec & plura alia de ordinatione per Episcopos habet contra* Seldenum *in epistola prædicta, quam consule. Vide etiam quae* Joannes Morinus *de sacris Ordinationibus, part.* 3. *p.* 120. *sequ. & alibi, prolixe hac super re commentatus est. Et* Euseb. Renaudotius *in historia Patriarcharum* Alexandrinorum, *p.* 7. *ita de* Seldeno Eutychii *interprete:* " *Verba referemus* Seldeni *ipsius interpretis, quamvis non minora* " *flagitia contra Grammaticum orationis Arabicae sensum, quam contra Theologiam* " *contineant. Mirum sane est, literato homini venisse unquam in mentem, posse se* " *unius autoris barbari, qui decimo seculo scribebat, testimonio evertere antiquissimam* " *& Ecclesiae coaevam de Episcopis per tres alios Episcopos ordinandis traditionem,* " *aut inauditum alibi quam apud haereticos veteres, & quidem paucissimos, dogma* " *de paritate episcoporum & presbyterorum stabilire. Unde explosus hucusque ab omnibus* Seldenus *fuit, contentus infoelici illa laude, & cujus bonum civem pudeat,* " *quam apud parlamentarios furiosos & parricidium anhelantes, quod post annos ali*" *quot perpetraverunt, consecutus est.*" *H. J. Et p. seq.* 11. *ita fatur:* " *Commentarium prolixissimum* Seldeni *accuratius refellere, operam esset abuti suam; nam si an*" *tiquitatem ecclesiasticam spectes, nihil infantius, cum ea quae ex Hieronymo addu*" *xit, & pauca quaedam alia presbyterianae sectae argumenta centies non a catholicis* " *modo, sed ab episcopalibus etiam Anglis confutata sint. Orientalis porro eruditio,* " *si cujusquam perstringet oculos, ejus fortassis, qui eas literas a limine salutaverit,* " *non qui ad earum penetralia fuerit admissus.— Eas si scivisset, vel ipsorum Muha*" *medanorum testimonio cognovisset, quas ipse excogitavit ad presbyteriorum* Geneven" sium *formam, illas nec in* Alexandrina, *nec in ulla alia Orientali Ecclesia locum* " *habuisse.*" *Et pag.* 53. *de Calendario Patriarcharum a* Seldeno *edito loquitur hoc modo:* " *Non tamen ea est illius Calendarii fides, ut ex eo quidquam stabiliri debeat,* " *cum ab homine Muhamedano consarcinatum ne mediam quidem partem sanctorum,* " *quorum in Ecclesia* Coptica, *memoria est, contineat. Adde perpetuas in interpre*" *tando* Seldeni *hallucinationes, qui non necessario labori supersedere debuisset, cum* " *nec* Arabice *satis sciret, & in rebus Orientalium ecclesiasticis esset plane hospes.*" *Confer quae de impositione manuum per Laicos facta contra* Seldenum *adfert, pag* 54. *sequ. & pag.* 347. *in* Seldenum, *quem in historia Orientali infantissimum appellat, invehitur.* " *Quod vero* Seldenus Eutychium *tantis laudibus exornavit, non alia cau*" *sa factum, quam ut particulam ejus historiae, quae presbyterorum auctoritatem ad* " *ordinandum patriarcham spectare videbatur, majori fide commendaret. At quot* " *errorum portenta male intellecto illi loco superstruxerit, norunt eruditi, apud quos* " *contemtibilem omnino* Eutychium *fecit inanissimus* Seldeni *commentarius. Eum* " *vero totum evertit non ingenio sane, sed autoritatibus,* Abraham Ecchellensis *in* Eu" tychio *vindicato, quam dissertationem lucifugam dum vocat* Pocockius, *eam in ma*" *nus ejus nondum pervenisse, cum scriberet, intelligere possumus. Nec ille tamen* " *qui tot annis supervixit, nec protestantium quisquam adversus illam reponere quid*" *quam huc usque ausus est.*" *H. J.*

In librum Seldeni Uxor Ebraica *dictum, nihil habeo quod observem, nisi quod* Rudolph. Mart. Meelfuhrerus *in accessionibus ad* Almeloveenii *Bibliothecam promissam & latentem, p.* 39. *tradit,* Guilielmi Guisii *apparatum MS. in Bibliotheca* Bodleiana *adservari, unde* Seldeni *Uxorem Ebraicam supplementis aucturum sibi proposuisse.*

Dissertatio Seldeni *in* FLETAM, *summum* Anglicae *antiquitatis monumentum, multum ac frequenter a jurisconsultis cum laude citata est. Clar.* Ericus Mauritius *tamen* Seldenum *erroris arguit, quod in ea pag.* 1051. CODICI *titulum attribuat* de mortuo inferendo, *cum hujusmodi titulus non in* CODICE, *sed* PANDECTIS *reperiatur. De* Fleta *reverendus admodum & doctissimus* Nicholsonus *Episcopus* Derrensis *in Bibliotheca* Anglicana *Historica, p.* 227. *ita loquitur. The* Fleta *was happily secured to us, amongst many other valuable monuments of the like kind, by the incomparable*

Mr. Selden, *who found it in the* Cottonian *Library, in a hand as old as the Author's own time, and aſſiſted in the making it publick. He ſays indeed, that it was tranſcribed for the Preſs by ſuch unskilful Amanuenſes as the Stationer employ'd, and that upon this ſcore it was publiſh'd in a more ſlovenly dreſs than he could have wiſhed. But ought not we much more to complain, that a ſecond edition has not corrected the faults, which he ſo long ſince lamented and had mark'd out to us? 'Tis true, the impertinent marginal notes are removed, but the abbreviations ſtill continue, and the* Fet Aſſavoir *to this day remains as part of the text,* H. J.

Judicium Seldeni de decem ſcriptoribus Hiſtoriae Anglicanae *clar.* Thomas Rudd *Bibliothecae* Dunelmenſis *Curator diligentiſſimus examinavit, ac hiſtoriae eccleſiae ſuae auctorem contra* Seldenum *in docta aeque ac modeſta diſſertatione vindicavit, quam ex ſchedis ſuis tranſcriptam per amicas manus doctiſſimi* Mangeii, *eccleſiae illius canonici digniſſimi, mihi miſit. Ne autem perquam eruditas has hiſtoriae* Dunelmenſis *vindicias publico invidere videar, Diſſertationem* Ruddianam *MS. totam hic addam.*

Diſquiſitio de vero Auctore Hiſtoriae *Dunelmenſis* Eccleſiae; quae ab aliis *Symeoni Dunelmenſi,* ab aliis *Turgoto* attribuitur.

Q*Uaeritur uter hiſtoriam hanc ſcripſerit* Symeon *Monaſterii* Dunelmenſis *Monachus & Praecentor, an* Turgotus *ejuſdem Monaſterii Prior.*

Vir nobilis Rogerus Twyſdenius *Decem ſcriptorum hiſtoriae* Anglicanae *(inter quos hic primus eſt) editor, eam auctoritate manuſcripti Codicis* Cantabrigienſis, Symeoni *tribuit.*

At vir doctiſſimus Joannes Seldenus, *in erudita diſſertatione, quam ſcriptoribus iſtis praepoſuit, pluribus argumentis probare conatur, a* Turgoto *ſcriptam fuiſſe. Ejuſque rationibus aut auctoritate permoti docti viri plerique* Turgoto *hiſtoriam hanc adſcripſerunt;* Symeonem *vero tanquam plagiarium rejecerunt.*

Vide reverendi patris Wilhelmi Nicholſoni *Bibliothecam Hiſtoricam* Anglorum, *par.* II. *cap.* 5. Whartoni *Praefationem* Angliae *ſuae Sacrae, vol.* I. *ſect.* 53. Creſſii *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* Britanniae, *lib.* 28. *cap.* 18.

Seldenianae *conjecturae duo ſunt capita:*

I. *Hiſtoriam hanc a* Symeone *ſcriptam non fuiſſe.*

II. *Probabile eſſe* Turgotum *verum ejus fuiſſe auctorem.*

I. Symeonem *eam non ſcripſiſſe, his argumentis probat. Quod*

(1.) *Multa in hac hiſtoria leguntur, quae cum* Symeonis *aetate non conveniunt, quorum tamen ſcriptor hic ſe teſtem fuiſſe affirmat.* Symeon *enim (auctore* Baleo, *quem* Seldenus *hic ſequitur) floruit A.D.* 1164. *ſed hujus hiſtoriae (quae A.D.* 1096. *deſinit) ſcriptor ait:*

1. *Se corpus Sancti* Cuthberti *contrectaſſe, A. D.* 1105. *(lib.* I. *cap.* 10.*) quod privilegium ſenioribus tantum Monachis conceſſum fuiſſe videtur.*

2. *Se teſtem fuiſſe nonnullarum rerum, quae hic narrantur (lib.* I. *cap.* 1.*)*

3. *Quibus addi poteſt (quod* Seldenus *non obſervavit) earum etiam, quae factae ſunt ante* Walcheri *Epiſcopi mortem, qui interfectus eſt A. D.* 1080. *Ait enim (lib.* 2. *cap.* 6.*) "ſe,* Walchero *adhuc vivo, in choro canentes audiviſſe."*

Annus 1164 *(quo* Symeonem *claruiſſe ſcribit* Baleus) *eſt* 59 *poſt contrectationem corporis Sancti* Cuthberti; 68 *poſt hiſtoriae hujus concluſionem; &* 84 *poſt* Walcheri *interitum. Improbabile autem omnino eſt, ut qui tamdiu poſtea floruit, teſtis fuerit oculatus rerum, quae ante tot annos geſtae fuerunt.*

(2.) *Manifeſta plagii indicia hodierna in hujus hiſtoriae editione comparent.*

1. *Praefigitur apologia* Symeonis, *qua ſimulat, ſuperiorum juſſu ſe hiſtoriam hanc ſcripſiſſe. Fecit id, ut lectoribus perſuaderet, eam a Monacho (cujus erat ſuperiori*

riori jubenti obtemperare) scriptam fuisse. Haec autem apologia, cum in antiquissimo Codice Cottoniano *non inveniatur, spuria censenda est, & impostori attribui debet.*

2. *Omittitur sententia haec cap.* 2. *lib.* 3. *quae in* Cottoniano *manuscripto legitur:* " *Ipse est, qui in locum magistri, videlicet* Aldwini, *succedens, hodie in hac, id est,* " Dunelmensi *Ecclesia, dudum sibi traditum a* Wilhelmo *Episcopo Prioratum tenet.*" *Hinc manifeste patet historiam hanc scriptam fuisse, dum* Turgotus *adhuc Monasterii Prior esset,* i. e. *ante annum* 1108; *quo anno* Turgotus *Prior esse desiit. Itaque* Symeon, *qui eam circiter annum* 1164, *tanquam a se scriptam edidit, sententiam, quae furtum ipsius statim proditura esset, erasit.*

II. Turgotum *verum historiae hujus fuisse auctorem, his rationibus persuadere conatur: quod*

(1.) *Scripta est haec historia, dum* Turgotus *Monasterii* Dunelmensis *Prior esset; quod ex clausula paulo supra laudata constat.*

(2.) Baleus *dicit eum scripsisse chronica* Dunelmensia; *qui titulus huic historiae bene convenit.*

(3.) *In manuscripto* Cottoniano *(non antiquo illo, sed alio qui ab initio imperfectus est)* Turgoto *adscribitur.*

(4.) *Multi viri eruditi eidem illam attribuerunt; scil.* Thomas Allenus *Oxoniensis,* Seldeno *saepe audiente; dominus* Robertus Cottonus, *qui vetustum hunc codicem ab* Alleno *dono accepit, eique* Turgoti *nomen inscripsit;* Brianus Twinus *antiquarius* Oxoniensis; *& Reverendissimus Pater* Jacobus Usserius *Armachanus Archiepiscopus, qui ex hac historia, tum inedita, quaedam tanquam ex* Turgoto *laudarunt.*

(5.) *Quod scriptor hic de aliis saepe cum laude, de* Turgoto *vero semper modice loquitur, videtur tribuendum auctoris de se scribentis modestiae.*

Haec sunt Seldeni *tum contra* Symeonem, *tum pro* Turgoto *argumenta: ad quae quid responderi possit; priusquam expendam, pauca erunt dicenda de tribus antiquissimis optimaeque notae codicibus manuscriptis, qui ad hanc quaestionem illustrandam magnam lucem afferent. Ii autem sunt*

I. Cantabrigiensis, *ex quo* Twisdenius *historiam hanc edidit.*

II. Cottonianus, *a* Seldeno *laudatus, & testis contra* Symeonem *adductus.*

III. Dunelmensis *ab eorum neutro visus, aut (ut videtur) aliunde cognitus; cujus testimonio disquisitio haec praecipue nitetur.*

I. Cantabrigiensem *vir clarissimus* Rogerus Twisdenius, *Decem scriptorum editor, antiquum esse ait: & duo eruditi viri, qui eum a me rogati (cum ipse nunquam viderim) inspexerunt, mihi retulerunt, videri sibi circiter initium seculi* XIII *(i. e. ante annos* 500) *scriptum fuisse. Est sine dubio antiquissimus omnium, qui auctoris nomen a prima manu adscriptum habet. In illo autem* Symeoni *diserte attribuitur. Complectitur hic codex praeter historiam ipsam, (quae in libb.* IV. *dividitur) cum continuatione brevi, praefationem generalem, quae sic incipit:* —— " *Regnante apud* Nor-" thanymbros *Christianissimo Rege*" —— *Apologiam* Symeonis, *quae sic:* " *Exordi-*" *um* Dunelmensis *Ecclesiae describere*" —— *& argumenta singulorum capitum. Quae omnia, quia in* Cottoniano *codice non inveniuntur,* Seldenus *assumenta* Symeonis *esse pronuntiat. Hoc autem ab eo sine causa dictum esse statim ostendetur.*

II. Cottonianus *Codex pulcherrimus est (teste* Whartono) *& ipsi scriptori pene aequalis. Imo,* Seldeno *judice, fuit* Turgoti *ipsius liber autographus, & quidem eo tempore unicus.* Turgotus *quippe (qua erat modestia) historiam, quam scripsit, non edidit in publicum; i. e. per plura exempla describi (qui mos edendi tum fuit) non curavit.* [*v.* Seld. *Dissert. p.* 22.] *Ideo cum in manus* Symeonis *incidisset, ille hoc opus eo fidentius pro suo edidit, quod furtum suum facile celari posse speraret, cum ejus indicem unicum (manuscriptum scil.* Turgotianum) *in manibus suis haberet. Exhibet autem hic Codex historiam solam, sine auctoris nomine, praefatione, librorum*

rum distinctione, capitum argumentis, aut ulla alia accessione. Dividitur vero totum opus in plures minores sectiones, quae singulae a litera majuscula incipiunt.

Haec autem Seldeni *de MS. hoc conjectura, etsi hypothesi suae stabiliendae necessaria, tamen neque vera, neque verisimilis videtur.*

(1.) *Non probabile est hunc codicem esse* Turgoti *autographum.*

(2.) *Nec* Turgotum *historiam, quam scripserat, non edidisse.*

(3.) *Neque fuit hic Codex eo tempore unicus.*

(1.) *Etsi enim demus hoc,* Turgotum *hujus historiae auctorem fuisse, quis tamen credat eum non solum scripsisse illam in codicibus liturariis, (qui scil. pleni essent correctionibus, additionibus, dispunctionibus; quod in primis scriptionibus fieri solet) sed etiam accurate & pulchre totum opus descripsisse? Certe tantum otii vix poterat esse homini tot aliis majoris momenti negotiis occupato. Fuit enim & monasterii prior, & totius dioeceseos Archidiaconus; erat praeterea jam grandaevus; & fuere eo tempore in monasterio juvenes καλλίγραφοι, quorum opera descripti libri plures in ejusdem Ecclesiae Bibliotheca etiamnum asservantur; quique eum hoc labore levare potuissent.*

(2.) *Neque magis probabile est, eum non edere in lucem voluisse, sed tenebris perpetuis damnasse historiam, quam de origine & variis fatis Ecclesiae suae scripserat; idque in eo loco, ubi corpus Sancti* Cuthberti *(monasterii cui ipse praeerat Divi, quod aiunt, tutelaris) & sibi locum quietis, & asseclis suis sedem perpetuam invenisset: quemque* Turgotus *prae caeteris omnibus charum habuisse videbatur, siquidem episcopatu* Santandreano *dimisso huc remeavit, ut in loco sibi assueto & dilecto quod reliquum erat aetatis in otio religioso placide transigeret. Neque hominis modestia hic praetendi debet: alia enim scripta sua in lucem edi passus est. Melius sane pepercisset labori suo in conquirendis & digerendis his antiquitatis monumentis, quam suppressisset opus jam perfectum, & cum optimis ejus aetatis scriptis merito conferendum, quodque etiamsi nullam laudis propriae rationem haberet, ecclesiae tamen suae & monasticae disciplinae multum honoris attulisset.*

(3.) *Codicem vero* Cottonianum *non fuisse eo tempore hujus historiae manuscriptum unicum, Codex de quo jam dicturus sum abunde probat, & proinde quicquid ex ea conjectura deducere conatur* Seldenus, *corruat necesse est.*

III. Dunelmensis *Codex, olim in monasterii tabulario, nunc in Episcopali Bibliotheca conservatus, cum pulcherrimus est, tum etiam (ut mihi quidem videtur) omnium antiquissimus. Scriptus est enim aetate* Rannulfi *Episcopi (qui* Wilhelmo *primo de Sancto* Carilefo, *in cujus morte haec historia desinit, successit) & quidem* Turgoto *adhuc priore; & videtur illud ipsum esse exemplum, quod ex auctoris autographo primum omnium descriptum est. Hujus meae sententiae rationes hae sunt:*

(1.) *AEtatem hujus codicis ostendit ipsa scripturae ratio, & literarum forma rotunda, qualis cernitur in libris jussu* Wilhelmi *primi Episcopi in usum monasterii descriptis; quorum complures in Ecclesiae* Dunelmensis *Bibliotheca etiamnum servantur. Non multo autem post, literas paululum acutas formare coeperunt, quales videmus in eadem bibliotheca, in bibliis illis splendidis* Hugonis *Episcopi, qui Episcopatum adiit A.C.* 1153.

(2.) *In praefatione ad catalogum Episcoporum haec verba leguntur: "Congruum "videtur, ut omnium ipsius Ecclesiae Episcoporum, ab illo qui ejus fundator primus "extiterat usque illum .... qui in praesenti est, hic ex ordine ponantur." Episcopi nomen (post mortem ejus, ut videtur) erasum est: Sed* Rannulfum *fuisse suadent, tum spatium ipsum vacuum, quod huic nomini accurate respondet, tum praecipue catalogus, in quo nomina omnium Episcoporum ab* Aidano *ad* Rannulfum *ab eadem manu sunt, qua historia ipsa descripta fuit: caetera vero sunt diversa. Tres quidem proxime sequentes* (Galfridus, Wilhelmus *secundus,* Hugo) *scripturae sunt non dissimilis quidem, sed tamen (sive atramentum, sive literas ipsas spectes) diversa; reliqui omnino dissimiles sunt. Per illum igitur qui in praesenti est* Rannulfus *designatur.*

6 (3.) *Om-*

(3.) Omnino probabile eſt, hiſtoriae Dunelmenſis Eccleſiae a Monacho Dunelmenſi ſuperiorum juſſu (ut ſtatim patebit) ſcriptae, exemplum omnium primum deſcriptum fuiſſe in ipſius Eccleſiae uſum.

(4.) Videtur autem hic Codex illud ipſum exemplar eſſe, quod primum omnium ex autographo deſcriptum fuit, in uſum ejus Eccleſiae & Monaſterii, cujus hiſtoria hic continetur. Inter Archiva enim aſſervatum fuiſſe oſtendit haec nota in fronte libri adſcripta: "De regiſtro, ſive officio cancellariatus Eccleſiae Dunelm." Idem etiam colligi poteſt ex duobus catalogis hiſtoriae praefixis, altero Epiſcoporum, Monachorum altero. Habet uterque catalogus Praefationem, in qua rogantur poſteri eorum ſucceſſionem continuare. Et Epiſcoporum quidem ſeries ad praeſens uſque tempus deducitur. Monachorum vero catalogus non multum ultra an. 1160 protenditur. Catalogi autem hi, praeſertim poſterior, huic Eccleſiae adeo proprii & peculiares erant, ut ad alias nihil pertinere exiſtimarentur; ideoque in pleriſque aliis hujus hiſtoriae exemplaribus omittebantur. Hic vero inſeruntur tanquam hiſtoriae ipſius breviarium quoddam & continuatio. Et ſane conſentaneum erat, ut in ea Eccleſia, in qua profeſſioni religioſae ſe addixiſſent, memoria eorum conſervaretur.

Exhibet autem hic Codex, praeter alia quaedam a recentiori manu, (narrationem ſcil. ineditam de vexatione injuſta Willelmi Epiſcopi, & ſupplementa duo a Whartono in vol. I. Angliae ſuae Sacrae edita,) hiſtoriam ipſam, qualis eſt in Cottoniano manuſcripto, ſine auctoris nomine, ſine ulla librorum diſtinctione, aut capitum argumentis. Dividitur enim (ut & Cottonianus) in 69 minores ſectiones, ſive capita, quae ſingula a litera majuſcula colorata incipiunt. Willelmi autem primi a Sancto Carilefo, hiſtoria (quae in editis liber quartus eſt) habet literam majorem caeteris, & majori artificio depictam: credo, ut honorem haberent Patrono ſuo & Monaſticae diſciplinae praecipuo in his regionibus inſtauratori. Caeterum hic leguntur, quae in Cottoniano deſunt; (1.) Praefatio generalis, ut in libro edito, quae ſic incipit: "Regnante apud Northanymbros chriſtianiſſimo Rege." (2.) Catalogi bini, paulo ſupra memorati, Epiſcoporum & Monachorum, cum praefatione peculiari utrique praefixa. In Cantabrigienſi Codice, praefationis primae pars prior, & ſecundae pars poſterior in unum coaleſcunt, & Apologia Symeonis vocantur.

Sed hoc melius oſtendent praefationes ipſae, quas integras hic ſubjicere ex manuſcripto noſtro operae pretium viſum eſt.

Praefatio prior, ad Catalogum Epiſcoporum.

"Exordium hujus, hoc eſt Dunelmenſis Eccleſiae, deſcribere majorum auctoritate "juſſus, ingenii tardioris & imperitiae mihi conſcius, non obedire prius cogitaveram. "Sed rurſus, obedientiae hoc praecipientium pluſquam meis viribus confidens, juxta "ſenſus mei qualitatem ſtudium adhibui. Ea ſcil. quae ſparſim in ſchedulis invenire "potui, ordinatim collecta digeſſi; ut eo facilius peritiores, ſi mea non placent, unde "ſuae peritiae opus conveniens conficiant, in promptu inveniant.

"Itaque congruum videtur, ut omnium ipſius Eccleſiae Epiſcoporum, ab illo qui "ejus fundator primus extiterat uſque illum............... qui in praeſenti eſt, hic "ex ordine nomina ponantur: quibus & eos qui illis ſucceſſuri fuerint diligens futu-"rorum cura ſcriptorum apponere non negligat.

Praefatio poſterior, ante Catalogum Monachorum.

"Hic ſcripta continentur nomina Monachorum, in hac Eccleſia ad incorrupti corpo-"ris ſanctiſſimi Cuthberti praeſentiam jam profeſſorum: quorum nominibus prae-"ſcriptis etiam illorum nomina, qui futuris temporibus, annuente Chriſto, ibidem "profeſſionem facturi fuerint, ut ſcribendo adjungat, poſterorum, quaeſumus, ſo-"lertia ſemper meminiſſe ſtudeat.

"Praeterea lectorem petimus, ut tam pro illo, qui hoc opus fieri juſſerat, quam "pro illis, qui obediendo juſſis id ſtudio & labore perfecerunt, Domino Jeſu Chriſto

"*preces fundere dignetur. Sed & pro omnibus, quorum hic nomina viderit, divi-*
"*nae pietatis abundantiam invocare meminerit: vivis quidem postulans sanctae pro-*
"*fessionis augmentum, & bonae perseverantiae in futuro proemium; & defunctis,*
"*ut, percepta venia peccatorum, mereantur videre bona Domini in terra viventium.*

Hae praefationes cum in Codice Dunelmensi, *omnium (ut credere par est) vetustissimo, idque a prima manu, legantur,* Seldeni *conjectura de* Symeonis *assumentis,* & *quicquid ex ea deducere conatur, omnino cadit.*

Praefatio prior cum Episcoporum catalogo legitur etiam in manuscripto Eboracensi, *qui scriptus fuisse videtur circa annum* 1200; *quia Episcoporum series desinit in* Philippo, *qui successit* Hugoni *A. D.* 1195. *Hinc etiam colligi potest, nullam hic factam fuisse fraudem a* Symeone, *cujus nomen huic codici non adscribitur.*

Sed jam tempus est, ut ad Seldeni *sententiam redeam, & argumenta, quibus eam firmare conatur, in quibus examinandis eundem ordinem sequar, quem ille instituit; & quaeram,*

I. *A quo historia haec scripta non sit.*

II. *Quis videatur verus illius fuisse auctor.*

Dicetur igitur primum de Turgoto, *& deinde de* Symeone.

I. *De* Turgoto *haec observari possunt:*

(1.) *Quod argumenta pro ipso allata nihil in hac quaestione probant. Nullius enim antiqui Codicis manuscripti, vel veteris scriptoris testimonium adducitur; sed conjecturae tantum quaedam, eaeque (ut quod res est dicam) leves, parvique in hac controversia momenti.*

1. *Scripta est quidem haec historia, cum* Turgotus *Monasterii esset Prior; sed a Monacho, non a Priore, ut mox ostendetur.*

2. *Etsi concedatur* Turgotum *scripsisse Chronica* Dunelmensia, *nihil tamen hinc efficitur; potuit enim esse alius liber. Sed* Balei *in designandis auctorum scriptis auctoritas jam diu apud eruditos non magni ponderis est.*

3. *In manuscriptis duobus* Cottonianis, *altero vetusto isto, altero imperfecto,* Turgoti *nomen (ut mihi retulit vir doctus, qui eos inspexit) a recenti admodum manu inscriptum est.*

4. *Virorum doctorum, praesertim recentiorum judicium in controversia de* facto vetusto *(nisi rationes etiam ejus afferantur) nihil valere debet contra testimonium antiquum; quale est Codicis* Cantabrigiensis *inscriptio, quae historiam hanc* Symeoni *tribuit.*

5. *Modestia scriptoris de* Turgoto *loquentis tribui quidem potest ipsi* Turgoto; *qui, cum historiam hanc scribi jussisset, & scriptam (priusquam ederetur) recensuisset, nihil magnificum de se dici in ea permiserit: Sed inde colligi non potest ab ipso scriptam fuisse.*

(2.) *Probabiles atque etiam certae rationes sunt, quae probant* Turgotum *historiae hujus scriptorem non fuisse.*

1. Baleus, *qui dixit* Turgotum *Chronica* Dunelmensia *scripsisse, ait etiam & hunc & reliquos* Turgoti *libros vernacula lingua scriptos fuisse. Multi quidem libri a* Baleo *recensiti ficti esse existimantur: Sed si credimus ei,* Turgotum *scripsisse Chronica* Dunelmensia, *non rejicere debemus quod dicit, vernacula eum lingua scripsisse. At* Seldenus *ad haec reponit:* " Fordunium, Scoti *Chronici auctorem, ita quaedam ex*
" Turgoto *laudare, ut videatur ipsa* Turgoti *verba proferre: unde probabile putat,*
"*eum non vernacula, sed Latina Lingua scripsisse." At nihil hinc colligi potest:* Fordunius, *cum ipse Latine scriberet, non potuit ea quae ex* Turgoto *descripsit nisi Latine proferre.*

2. *In initio Praefationis prioris haec sententia legitur:* "*Exordium hujus, hoc est*
" Dunelmensis *Ecclesiae, describere majorum auctoritate jussus — non obedire prius co-*
"*gitaveram. Sed rursus obedientiae hoc praecipientium confisus —— studium adhi-*
"*bui." Et in posteriori Praefatione:* "*Lectorem petimus, ut tam pro illo, qui hoc*

 "*opus*

" *opus fieri jusserat, quam pro illis, qui obediendo jussis id studio & labore perfe-* " *cerunt, Domino Jesu Christo preces fundere dignetur.*" *Audimus hic Monachum loquentem, non Priorem; hujus enim erat jubere, illius jubenti parere.* Seldenus *quidem Apologiam* Symeonis *(quae ex his praefationibus conflata est) rejicit ut spuriam. Sed* Dunelmensis *Codex, in quo a prima manu legitur, genuinam esse omnino probat, & ab ipso historiae auctore fuisse scriptam. Haec igitur historia non a* Turgoto, *qui tum Monasterii Prior fuit, sed ab aliquo ejusdem* Coenobii *Monacho,* Turgoto *jubente, conscripta fuit.*

II. *Atque haec sufficere videntur ad ostendendum quis librum hunc non scripserit. Superest, ut dispiciam, quis illius verus auctor fuerit, atque adeo ad* Symeonem *me convertam. Atque hic considerandae sunt.*

(1.) *Objectiones, quae contra ipsum afferuntur.*

(2.) *Rationes, quae illi favere videntur.*

(1.) *Et primum de objectionibus dispiciendum est.*

Primo, *Objiciunt, quod in praesenti hujus historiae editione justa plagii suspicio est; quae in* Symeonem *(sub cujus nomine edita est) recidere debet.*

1°. Seldenus *ait, suppositam ab eo esse Apologiam, ut lectoribus suis persuaderet, historiam hanc non a Priore, sed a Monacho fuisse scriptam. At supra probatum est argumento, cui nihil videtur responderi posse, Apologiam hanc genuinam esse.*

2°. *Idem fraudi* Symeonis *imputat, quod clausula in cap.* 22. *lib.* 3. *quae indicat* Turgotum *tum, cum haec historia scriberetur, Priorem fuisse, omissa sit; ne furtum scil. ipsius deprehenderetur. Sed huic objectioni duo reponi possunt:*

(1.) *Si* Symeon *omittere voluisset omnes clausulas quae indicare possent historiam hanc ante annum* 1164. *(quo floruisse eum dicunt) scriptam fuisse, omisisset etiam alias, quae istud indicarunt, non minus quam ea quae de* Turgoto *loquitur: scil. quod dicit auctor se contrectasse corpus Sancti* Cuthberti *(lib.* 1. *cap.* 10.*) & oculatum fuisse testem rerum nonnullarum, quae in historia ipsa referuntur; (lib.* 1. *cap.* 1.*) etiam earum quae* Walchero *Episcopo adhuc superstite factae sunt. (lib.* 2. *cap.* 6.*) Et hoc quidem praecipue animadvertendum est:* Walcherus *enim interemptus est A. C.* 1080. Symeon *autem* 84 *demum annis post* Walcheri *mortem (A. C.* 1164.*) floruit, ex* Balei *saltem calculo, cui* Seldenus *conjecturam suam superstruxit. Cum igitur eae sententiae etiamnum in hac historia legantur, nullo dolo malo omissa fuisse videtur unica haec de* Turgoto *clausula, sed alia de causa.*

(2.) *Ea autem haec est: Quod eae clausulae quae propriae videbantur isti tempori & loco, quo historia haec scripta fuit, sequenti aetati & alii loco minus convenire videbantur, ideoque erasae sunt. Hujus rei exempla aliquot Codex* Dunelmensis *dabit. Titulus libri est (ut & in* Cottoniano *manuscripto)* " *de exordio atque procursu* " istius, *hoc est,* Dunelmensis *Ecclesiae*" *in aliis:* " *de exordio atque processu* Lin-" disfarnensis, *sive* Dunelmensis *Ecclesiae.*" *Praefatio prior sic incipit:* " *Exordi-* " *um hujus, hoc est,* Dunelmensis *Ecclesiae*——" *sed in Apologia* Symeonis *voces* " *hujus, hoc est*" *omittuntur. In eadem Praefatione legitur etiam haec clausula,* " *Nomina omnium ipsius Ecclesiae Episcoporum, ab illo qui ejus fundator primus ex-* " *titerat, usque illum............ qui in praesenti est*——" *Nomen Episcopi post vocem* illum, *postquam ipse mortuus est, erasum fuit. Et eadem de causa sententia ista de* Turgoto, *quae fuerat in Codice* Dunelmensi *(p.* 143.*) a prima manu, post* Turgoti *excessum erasa fuit; ita tamen ut literarum aliquot vestigia etiamnum supersint. Hae & similes omissiones, quae in recentioribus libris inveniuntur, imputandae sunt non dolo malo, sed necessitati: descripti sunt enim ii libri ex aliis codicibus, qui clausulis istis caruerunt.*

Atque haec quidem nullum hic fuisse plagium satis ostendere videntur. Sed alia etiam sunt, quae Symeonem *saltem ab hac suspicione liberant.*

(1.) *Cum* Symeon 100 *circiter annis vixerit antequam Codex* Cantabrigiensis *(antiquissimus omnium qui auctoris nomen a prima manu praefixum habent) scriptus fuerit;*

erit; etiamsi error aliquis in inscriptione admissus esset, Symeoni *tamen (qui tanto ante mortuus est) imputari non debet. De* Symeonis *aetate statim dicetur.*

(2.) Symeonem *(ut mox ostendam) qui de eo scripserunt virum doctum fuisse agnoscunt, aliisque scriptis, de quibus nemo dubitat, clarum. Talem hominem, qui scriptis propriis famam suam tueri & augere etiam posset, plagii insimulare, nisi manifesta furti indicia extent, non debemus. Suspiciones certe leves (quales contra* Symeonem *afferuntur) valere nihil debent.*

(3.) *Aut si nullam probitatis rationem habuit, infamiae saltem metus eum a tam turpi furto deterruisset. Historiae enim hujus exemplar inter Ecclesiae suae* Archiva *servari* Symeon, *Monachus & Praecentor ejusdem Monasterii, ignorare non potuit: & quis fuerat ejus auctor, in eo saltem monasterio, in quo superiorum jussu scripta est, notum fuit. Historiam igitur eadem aetate ab alio scriptam sibi adscribere non sustineret, nisi omnium ludibrio objicere sese voluisset.*

Secundo, *Sed restat objectio alia de* Symeonis *aetate, quae sane, si vera est, majoris erit ponderis quam reliquae omnes. Si enim* Symeon *non claruit ante annum* 1164, *(quod* Baleus *& ex eo* Seldenus *affirmant) vix potuit contrectare corpus Sancti* Cuthberti *A.D.* 1105, *aut testis esse rerum gestarum ante annum* 1096, *quo historia haec terminatur: & multo minus earum, quae gesta sunt ante annum* 1080, *quo* Walcherus *Episcopus interfectus est: quae omnia auctor hujus libri de se affirmat. Historia igitur haec a* Symeone *nullo modo scribi potuit.*

Sed huic objectioni multa responderi possunt.

(1.) Balei *auctoritas in aetatibus scriptorum designandis non magni est apud eruditos ponderis.* Whartonus *in Praefatione ad* Angliam Sacram, *vol.* 1. *sect.* 54. *ait, "eum de aetatibus scriptorum clausis plerumque oculis judicare." Et* Seldenus *in hac ipsa Dissertatione ait, "sibi non compertum esse,* Symeonem *tamdiu superstitem "fuisse," scil. ad annum* 1164, *quo eum claruisse* Baleus *dixit.*

(2.) *Ipse* Baleus *ita de* Symeonis *aetate loquitur, ut incertum sit, quid de ea revera senserit. In recensione scriptorum ejus ait, "Historiam Regum* Anglorum *protendisse usque in annum* 1130, *" & paucis deinde lineis interjectis addit, "Claruit "anno* 1164, *quo historiam finivit, sub* Henrico *Rege* Anglorum *secundo." Haec non cohaerere* Seldenus *etiam observavit. Dicere videtur voluisse,* Symeonem *claruisse eo anno, quo historiam suam finivit: cum ergo sciret (quod & recte indicavit) quo anno historiam terminavit, non potuit eodem pene spiritu dicere (nisi per festinationem aut incogitantiam memoria lapsus) eum non nisi* 34 *post annis floruisse. Unicum igitur argumentum, quo probatur,* Symeonem *tam sero vixisse, ut non potuerit hujus historiae auctor esse, videtur habere nullum fundamentum praeter* Balei *incogitantiam.*

(3.) Symeon, *si anno demum* 1164 *claruit, non videtur terminaturus fuisse historiam suam Regum* Anglorum *An. Dom.* 1130, *qui fuit Regis* Henrici *primi tricesimus; sed eam potius ad* Henrici *mortem (quae quinquennio post contigit) perduxisset. Praesertim cum satis diu post hanc scriptionem (si* Balei *calculum sequamur) vixerit: nam* Joannes Hagestaldensis, *qui circiter annum* 1154 *floruit,* Symeonis *historiam ad eum annum continuavit, quod videtur* Seldeno *ipsi non facturus fuisse, si* Symeon *adhuc in vivis fuisset. Suspicatur igitur* Symeonem *ante eum annum mortuum fuisse: &* Whartonus *(spreta* Balei *auctoritate) existimat eum non multum supervixisse annum* 1130, *quo historia ejus desinit. Quod sane verisimile est: neque enim aliter imperfectam reliquisset historiam, quam jam ad finem prope perduxerat. Si igitur circiter annum* 1135 *obiit, facile potuit esse testis rerum etiam ante* Walcheri *mortem (A. D.* 1080*) gestarum. Et tamen* Seldenus, *quanquam* Baleum *hic suspectum habeat, ejus tamen unius testimonio nixus* Symeonem *plagiarium fuisse fidenter pronuntiat; &* Whartonus, *etsi* Balei *judicium in his rebus cum contemtu rejiciat,* Seldeni *tamen sententiae (quae hoc solo nititur fundamento) adhaeret.*

 (4.) *Et*

(4.) *Et hae quidem responsiones ad* Seldeni *objectionem sufficere possint: satis est enim, si conjecturis conjecturae aeque probabiles opponantur. Sed superest alia responsio, ex qua aliquid certius de* Symeonis *vera aetate statui potest. Ea vero ducetur ex catalogo Monachorum, qui in Codice* Dunelmensi *historiae huic praefigitur; in aliis vero manuscriptis (quod isti Ecclesiae proprius videretur) omissus fuit. In hoc catalogo leguntur nomina Monachorum* 228; *e quibus circiter* 80 *ab eadem manu scripta sunt, qua historia ipsa. Catalogum ipsum non ultra annum* 1170 *productum fuisse ostendunt tum scripturae ipsius ratio & forma, tum nomina Priorum primorum, quae ex eo descripta hic subjiciam.*

NB. *Numerus* prior *ostendit locum quem in catalogo occupant;* posterior *indicat annum quo Priores electi sunt.*

Ordo Professionis.

1	Aldwinus	*Prior A.D.*	1083	105	Laurentius	*Prior A. D.*	1150
6	Turgotus		1087	98	Absolon		1154
38	Symeon			191	Thomas		1162
49	Algarus		1109	180	Germanus		1163
67	Rogerius		1193		Bertramus		1188

Habemus hic 8 *primos hujus Monasterii Priores;* 9 Bertramus *non comparet. Videtur ergo is Monasterium ingressus post omnes eos, quorum nomina hic leguntur. Si itaque* Bertramus *se Monachum professus est* 20 *annis antequam Prior electus est, (quod nimium videri non debet) nemo Monachorum in hoc catalogo posterior erit anno* 1168, *qui quartus tantum annus est postquam* Symeon *claruisse a* Baleo *dicitur; (scil.* 1164.) *cum in eo* 190 *Monachi sint* Symeone *juniores. Imo* Algarus, *qui anno* 1109 Turgoto *in Prioratu successit, post* Symeonem *undecimus est. Adeo ut* Symeon *videatur inter primos fuisse Monachos, saltem postquam a* Willelmo *primo Episcopo a* Gyrvo & Wiromutha Dunelmum *translati sunt. Facile igitur ei fuit testis esse omnium earum rerum, quas historiae hujus scriptor se vidisse vel audivisse affirmat.*

Probabile autem esse, quod dixi "*videri* Symeonem *inter primos fuisse Monachos*" *ostendit haec ipsa historia. In ea enim haec leguntur (lib.* 3. *cap.* 21.) "*Dedit* " (Walcherus) *eis* (Aldwino & *sociis) Monasterium constructum in* Gyrvum"—— & *paulo post;* — "*multi exemplo illorum provocati, seculo abrenuntiantes, Monachicum* " *ab eis habitum receperunt, & sub disciplinae regularis institutione Christo militare di-* " *dicerunt. Quorum pauci de ipsa* Northanhymbrorum *provincia, plures vero de au-* " *stralibus* Anglorum *partibus fuerunt, qui —— religiosae conversationis magistrum ha-* " *buerunt* Aldwinum" & *infra:* —— "*Episcopus videns numerum Deo ibidem servien-* " *tium quotidie augeri, dedit illis villam* Gyrvum *cum appendiciis,* Preoston, Mu- " necaton, Heathworth, Heabyrun, Wiveston, Heortedun." [*Hae villae hodie vocantur* Jarrow, Preston, Monkton, Hedworth, Hebborn, Westo, Harton.]

Et ejusdem libri cap. 22.

"*Donaverat* (Walcherus) *illis* (Aldwino & *Monachis) villam* Wiramutham: " *cui postea successor ejus* Willelmus *aliam proximam, videlicet* Suthwic, *adjecit.*

Et libri 4. *cap.* 3.

"*Anno Domini* 1083, &, *postquam* Aldwinus *cum sociis in provinciam* Northan- " hymbrorum *venerat, decimo.* Willelmus *Episcopus Monachos ex duobus Monaste-* " *riis in* Wiramuthe & Gyrvum *simul congregatos in* Dunhelmum *perduxit.*

Videmus numerum Monachorum statim auctum; multos Aldwini & *sociorum exemplo provocatos, e regionibus non modo vicinis, sed etiam remotis, habitum Monachicum induisse: adeo ut* Walcherus *Episcopus (ne victus ipsis deesset)* 8 *villas illis*

 dederit

dederit (quibus Willelmus *postea 9 adjecit) ex quarum fructibus sustentarentur ; & cum prius Monasterium angustius esset, coloniam in aliud deductam fuisse. Hinc colligi potest non exiguum fuisse Monachorum numerum. Atque haec intra decennium acta.*

Sequens deinde Episcopus Willelmus *primus de Sancto* Carilefo, *omnes ex utroque Monasterio* Dunhelmum *traduxit, pluribus eos beneficiis ornaturus. Neque dubitari potest, quin multi, tanti patroni liberalitate excitati, eorum coetui sese adjunxerint. Probabile est igitur* Symeonem *qui in hoc catalogo* 38 *est, e numero Monachorum* Gyrvensium *vel* Wiremuthensium *fuisse ; aut eorum saltem, qui postquam* Dunelmum *translati sunt, primi monasticae disciplinae sese tradidere.*

Atque hinc satis redarguitur eorum error, qui Symeonem *non ante annum* 1164 *floruisse scripserunt ; & refutantur argumenta omnia, quae hoc fundamento nituntur.*

Cum itaque Balei *de* Symeonis *aetate sententia stare minime possit, nostram de ea conjecturam proponere licebit.*

Videtur Symeon *natus fuisse circiter annum* 1060, *potuit igitur esse testis idoneus rerum nonnullarum, quae factae sunt paulo ante annum* 1080, *quo* Walcherus *interfectus est. Circiter annum* 1083 *Monachis* Dunelmensibus *forte adscriptus est. Cum* Rannulfus *Episcopatum adeptus est, (A. D.* 1099) *maturae jam aetatis & judicii vir scribere potuit hanc Ecclesiae suae historiam. Obiisse videtur septuagenario major, paulo post annum* 1130, *quo historiam suam Regum* Anglorum *terminavit.*

(2.) *Atque haec quidem suffecerit dixisse ad ea quae* Symeoni *objecta sunt: superest, ut rationes, quae causae ejus favent, expendam.*

1. *In* Cantabrigiensi *Codice ei diserte attribuitur. Est autem is omnium manuscriptorum antiquissimus, quibus nomen auctoris a prima manu adscribitur. Ejusque auctoritas (postquam objectiones, quae eam elevare videbantur, remotae sunt) non parvi ponderis esse debet. Plagii suspicionem nullam justam esse, supra ostensum est ; ut, etiamsi error esset in hac inscriptione, dolo tamen malo non sit tribuendus. AEtatem, qua* Symeon *floruit, non obstare, quo minus hanc historiam scribere potuerit, catalogus Monachorum in Codice* Dunelmensi *ita (ni fallor) probat, ut nihil contra reponi possit. Pro* Turgoto *leves tantum quaedam conjecturae afferuntur: & contra probatum est, non potuisse ab eo scribi. Neque quisquam alius est, cui eam tribuere possumus. Quidni igitur audimus Codicem hunc, testem veterem, & scriptori ipsi pene aequalem,* Symeoni *eam tribuentem? Supra enim observatum est, eum ante annos* 500 *scriptum fuisse, i. e.* 100 *tantum annis, aut circiter, ipso scriptore esse recentiorem. Auctor sane historiae Ecclesiae* Dunelmensis, *superiorum jussu a Monacho* Dunelmensi *scriptae, & in Ecclesiae ejusdem tabulario servatae, in Monasterio ipso ignorari non potuit: &, etiamsi nomen ejus in fronte libri non apponeretur, rei tamen ipsius notitia (in eo saltem Monasterio) per* 100 *aut etiam plures annos facile conservari poterat. Quanquam non improbabile sit, hunc Codicem ex alio vetustiore descriptum fuisse, cui nomen etiam auctoris adscriptum fuerit. Hoc igitur argumentum pro* Symeone, *cum tam valido nitatur fundamento, neque quicquam satis firmum ei opponi possit, non temere rejiciendum videtur.*

(2.) *Praesertim cum* Symeon *ipse vir doctus fuerit, & scriptis aliis, praesertim historicis sua aetate clarus.* " *Fuit* (Lelando *judice) cum primariis sui seculi mona-*
" *chis jure conferendus optimo.*" Baleus *inter alia, ait :* —— " *Utriusque philosophiae*
" *secreta juvenis collustrabat.* ——*Vir in multis scientiis eleganter instructus, prae-*
" *sertim mathematicis.* ——*Ex varia ac recondita rerum ac temporum cognitione singularis evasit Chronographus. Scripsit,*

" *De Regibus* Anglorum	*lib.* 2.	*De Passionibus Martyrum*	*lib.* 1.
" *De obsidione* Dunelmi	*lib.* 1.	*Abbreviationes* Malmesburienses	*lib.* 1.
" *De Archiepiscopis* Eboracensibus	*lib.* 1.	*Epistolas ad* Elmerum.	*lib.* 1.

 Hactenus

Hactenus Baleus. *Probabile vero omnino est, Monachum eruditum, & in scribendis historiis exercitatum, eandem operam Ecclesiae suae impendisse, quam aliis argumentis, quae ad eum minus pertinere videbantur, impenderat. Haec autem testimonia de* Symeonis *doctrina, ex virorum doctorum judicio, & praecipue ex ipsius scriptis petita, magnum addunt robur & firmamentum argumento superiori. Tribuitur ei haec historia in Codice manuscripto, non multum scriptoris ipsius aetate recentiore; omnium certe antiquissimo qui scriptoris nomen a prima manu adscriptum habent: Et fuit ipse vir ea eruditione, eoque scribendi usu atque (addo etiam) eo loco vitam transigebat, ut facile credamus illum de hoc argumento librum scribere & potuisse & voluisse: neque ulla satis justa causa affertur, (quicquid vir magnus contra ostenderit) quare huic detrahi, alterique tribui debeat. Quid amplius requirimus? AEquitas sane postulare videtur, ut possessionem, quam tamdiu obtinuit, ei relinquamus, donec certius aliquid afferatur, quare illi litem de ea denuo moveamus.*

Liberandus saltem est a gravi, sed injusta infamia, qua aliquamdiu laboravit, neque in posterum vir doctus & innocens inter plagiarios numerari debet.

Judicium Seldeni *de Decem scriptoribus Angliae sequitur liber* Mare Clausum *sive* de Dominio Maris *dictus. Is jussu Regis* Jacobi I. *conscriptus & auctoritate Regis* Caroli I. *typis impressus favorem ac amicitiam* Aulae *auctori nostro conciliavit ac velut* κειμήλιον & *Juris* Anglicani *documentum publicum magno in pretio habitus est; quicquid etiam* Conringius *in contrarium asserat, cui in* Conringianis, *p.* 83. *liber hic* doctus quidem & variae lectionis, sed prae studio in Angliam pene ridiculus visus est. *Auctorem argumentum suum tam egregie & docte persecutum esse, ut reliquis, qui idem tentarunt, omnibus superior sit, & licet contra* Grotium *disputet, ea tamen id facere modestia, ut aliis exemplo esse possit, affirmat Anonymus auctor, qui sub literis A. L. D. latet, brevis Introductionis in Notitiam Legum Nauticarum & Scriptorum Juris Maritimi, cap.* xv. *p.* 121. Grotii *in istum librum Epigramma habes in ipsius epistolis, part.* 2. *ep.* 371. *Supra laudatus Episcopus* Nicolsonus *libro citato, p.*220. *hanc de* Seldeni Mari Clauso *fovet opinionem: Out of the historical remains we have of their Proceedings (which we commonly call Records) the* English *Dominion over the four Seas (totally excluding our neighbours, both* French *and* Dutch, *from fishing therein without our License) has been fairly made out by Mr.* Selden *in his* Mare Clausum, *against all the objections of* H. Grotius, *in his* Mare Liberum. *'Tis very plain, that when the author penn'd this book, he was not such an inveterate enemy to the Prerogative-doctrine of Ship-money, as afterwards: For he professedly asserts, that in the defence of their sovereignty at Sea, our Kings constantly practis'd the levying great sums on their Subjects, without the concurrence of their Parliaments. His Authorities indeed are brought no lower than the reign of* Henry *the Second: But even so the service was reckon'd of that valuable kind, as that (by an express order of the King and Council) the book was delivered to the Barons of the* Exchequer *in open Court, to be* by them laid up, as a most inestimable jewel, amongst the choice Records which concern'd the Crown. *'Twas translated into* English *by* Marchamont Needham, *the scurrilous News-monger; who suppress'd the epistle dedicatory, interlarded it with several treasonable comments and false glosses of his own, and added a few old evidences which were supposed to be communicated to him by* J. Bradshaw *of infamous memory. After the Restoration of King* Charles *the Second, this edition was revised and corrected by* J. H. *Gentleman, who did the learned Author that justice after his Death, which he wanted the courage to demand in his Life-time,* H. J. *Quid de* Mari Clauso Seldeni *senserit Magnus Angliae Antiquarius* Guil. Somnerus *ex MS. ejus in Bibliotheca Cathedrali* Cantuariensi *adservato, quod* Litus Saxonicum per Britanniam *inscribit, facile constat. Totum ad rem nostram spectans caput huc transferre haud pigebit.*

By

By this, Mr. Selden (Mare Claufum, *lib. 2. cap. 7.*) *underſtands the oppoſite tranſmarine Shore or Coaſt to that of the ſouth and eaſt parts of* Britain; *and writes that whole Chapter in confutation of the contrary opinion, delivered by* Ortelius, Camden, Merula, Cluverius, *and the whole College of learned Geographers.* Manifeſtius nihil eſt *(ſaith he there)* quam tranſmarinum Britanniae Auſtrali & Orientali adverſum Litus, ut ſuperius deſignatum eſt, *Saxonicum* in ea dignitate dictum.

If we may examine his Reaſons (from which the renowned Gentleman's great parts of learning and judgment, hereby ſomewhat called in queſtion, much diſſuade me, whilſt my love to truth ſeeming to me to ſuffer by my ſilence more prevails with me,) we ſhall find his aſſertion and opinion chiefly ſupported by theſe two Arguments: The former drawn from the Dominion and Charge of the Wardens or Keepers of the adverſe Saxon *Shore, as not extended nor exerciſed ſo much on the Sea, or Shore, as on the Continent and inland Parts.* Caeterum id maxime heic obſervandum eſt, Duces hoſce tranſmarinos non tam Litus aut Mare, quam continentem ex ipſa dignitatis natura curaſſe, atque inde tantum nomina, ut vides, ſortitos. *So he, adding by and by, that there was not in thoſe parts (as in* Britain) *one diſtinct Count or Duke ſet over the midland or indland Parts, and another over the Shore or Sea-Coaſt,* Neque alium fuiſſe mediterraneorum, alium litoris aut maritimi tractus in Galliis ſive Comitem ſive Ducem. *Thus he, and ſo have we his former Argument.*

His ſecond or latter reſults and may be drawn from the confounding of Litus *and* Limes. *He being willing, and indeed endeavouring to make them here, or in this caſe,* ſynonyma: Non alio certe modo *(ſaith he)* Comes litoris Saxonici per Britanniam, litoris ſeu limitis tranſmarini adeoque totius interluentis Maris; ut Magiſtratus in Britanniarum adminiſtratione conſtitutus, Comes habendus eſt. *On theſe two pillars ſtands his argument, which (being as the premiſſes) if taken away, his concluſion muſt neceſſarily fall and vaniſh.*

Now as to the former, what is or can be more notorious, than that, Firſt, there was on the oppoſite or tranſmarine Side, Coaſt or Tract, a Litus Saxonicum, *extending and ſtretching out (by his own confeſſion) from the* Cimbric Cherſoneſus *as far as the Weſtern* Gall? a Cimbrica Cherſoneſo *(ſaith he)* in Galliam Occidentalem. *Secondly, Nor is it leſs certain and notorious, that there were* Præſidia, *Forts, or Garriſons, to the number of thirteen, fill'd and mann'd with Soldiers, on purpoſe to ſecure and guard that Coaſt againſt the Inroads, Incurſions and Depredations of the* Saxons, *as on the ciſmarine adverſe Coaſt, nine. For which ſee the* Notitia, *fol.* 174. *a.* 175. *b.* & 184. *a. Thirdly, It is as clear and evident, that as on the* Britiſh *ſide there was a* Count, *ſo on the oppoſite there was a double* Duke *ſet over thoſe thirteen* Praeſidia; *the one intitled* Dux Tractus Armoricani, *having under him ten* Praeſidia, *the other* Dux Belgicae ſecundae, *having three, (whereof in the* Notitia, *fol.* 174, 175.) *whoſe ſeveral charges reſpected only thoſe* Praeſidia *(ſaving that the latter had to do at Sea alſo, having the charge of a* Claſſis *or Navy;) not extending to the* Mediterranea, *the midland or indland Parts, which the whileſt were under the* Vicarius Galliarum, *or* 17 Provinciarum *(as he with the* Vicarius Britanniarum, *under the* Praefectus Praetorio Galliarum,) *who had the very ſame officers (both for number and quality) under him as the* Vicarius Britanniarum. *See for this the* Notitia, *fol.* 156. *b.* & 158. *b. So much for the firſt Argument.*

Now as to the ſecond or latter, nothing can with more warrantable confidence be denied, than that there ever was any Limes Saxonicus, *eſpecially in the* Romans *time; during whoſe Empire here the* Saxons *had no footing at all as Inhabitants in* Britain, *nor occupied any part of it, as Mr.* Selden *himſelf in confutation of* Pancirollus, *otherwiſe it ſeems perſuaded, rightly obſerves.*

And Secondly, though Pancirollus *in his Commentary on the* Notitia, *cap.* 72. *makes expreſs mention of ſuch a* Limit, *intitling there his Comment;* De Comite li-

mitis

mitis Saxonici per Britanniam; *and giving this reason for it:* Insulae partem Saxones occuparunt, unde Limes contra eos a Comite creato erectus Saxonicus est dictus: *Yet neither hath that title (as Mr.* Selden *himself observes) any warrant from the* Notitia *itself, nor hath that AEtiologie of his any ground in story, the* Saxons *(as was said) having got no footing in* Britain *until after it was deserted by the* Romans, *nor then, until invited by the native* Britans, *to help them to repel and repress the invading* Scots *and* Picts.

What meaneth then that exception taken, or fault found, by Mr. Selden *at the word* Militum *in the* Notitia, *fol.* 126. *b. who, what both in* Alciat *and* Pancirollus *edition of it, is there expressed,* Comitis militum infrascriptorum, *would have it read,* Comites limitum infrascriptorum, Italiae, Africae, Tingitaniae, tractus Argentoratensis, Britanniarum, litoris Saxonici per Britannias; *by which last (the other inland presidents in* Britain *commanding, as he saith, even to the very skirts of the cismarine Shore) he will have to be meant the transmarine, as else (by consequence) an Earl or Count, without any limit or territory from whence to take his name.*

To which, first, it may be further answered, that probably there was no more mistake here than elsewhere, in another part of the Notitia: *But these very six places, being before in the same Book, fol.* 114. *b. recited and reckon'd up, have in effect the same title or superscription thus:* Comites rei militaris sex, Italiae, *and the rest. And, secondly, enough probable it is it should be* militum, *because who so ignorant in these matters as not to know that those* Praesidia *on either Coast or Shore were intended only (besides their use as* Speculae, *whereof in* Gildas, Bede, *and others) for the mansions and quarters of Soldiers, as so many standing Garrisons, to be press'd and ready upon any Inrode or Invasion of the Enemy (the* Saxons) *to oppose and repel them? Nor, (which is observable) are there any* Classiarii *listed among those* Milites *or* Numeri *under our* British *Count (although Mr.* Selden, *lib.* 2. *cap.* 6. *will have them understood, and consequently employed at Sea;) as being, it seems, meerly Land-soldiers, distinct from such as served by Sea, and of no relation thither; much less appointed or intended to ply and scoure up and down for securing the narrow Seas from the one Shore to the other. Which is hence the much more probable, that in the places, where there was a* Classis *under the command or charge of such a Governour, the* Notitia *taketh notice and maketh mention of it: as (for instance) under the* Dux Pannoniae primae *(fol.* 170. *b.)* & secundae *(fol.* 167. *b.) under the* Dux Valeriae Ripensis *(fol.* 169. *a.) under the* Dux Belgicae secundae. *(fol.* 175. *b.) Add hereunto that* Pancirollus *in the close of his Commentary upon the* Dux Britanniarum, *hath these words:* Hic nulla Classis Britannica nominatur, cujus Jureconf. & Tacitus meminerunt. *As if the* Classis Britannica *were under his (the Duke's) and not under the charge of the* Comes litoris Saxonici per Britannias: *And therefore, contrary to expectation, missing of it there, he thought the omission of it not to be in silence passed over. Yet might not* Pancirollus *also be mistaken in expecting a mention of the* Classis Britannica *in that place, since in likelihood it was under the charge of the* Dux Belgiae secundae? *Plain and clear enough it is by the* Notitia, *that this Duke had under him a* Praefectus Classis; *and that the same* Classis *was to guard the narrow Seas, is probable enough from hence, that* C. Carausius *(as* Eutropius *informs us) was of purpose placed at* Bolen *(which lies within that Dukedom, as being eastward bounded with the River* Phrudis *and westward with the* Seine) *to take charge of the Seas and Sea Coast there, for their defence against the infesting, invading, barbarous* Francks *and* Saxons: ad observanda Oceani litora (quae tunc *Franci & Saxones* infestabant) positus. *So venerable* Bede, *lib.* 1. *cap.* 6. *But then will some reply, How could that* Classis, *the Navy lying there, be called or accounted* Britannica? *I answer, as well, no question, as* Carausius *seated there pass (as with Mr.* Selden *he doth) for the* Count of the *Saxon* Shore along *Britain. Besides, as the Sea*

dividing Gaul *and* Britain, *though some time it be termed* Gallicum, *is more often and commonly called* Britannicum, (*as fitter to receive denomination from the* British *Island, which it wholly incloseth, than from* Gaul, *to which it only was and is a sidelong bound or border:) So, that Navy being intended for the guard of that Ocean might properly enough be called and accounted* British; *because, though principally designed to the service of that part of the Ocean, yet, as not confined to it, at least not to the* Belgick *and* Armorick *Coast, was it, no doubt, sometimes also, in whole or part, as need required, employed in scouting, scowring, and plying up and down alongst the rest of the* British *Coasts on all parts of the Island. All hold, then, of* Limitum (*under favour*) *thus failing, the instance which Mr.* Selden *gives and insisteth on, of* Limes Transrhenanus, *is besides the business.*

Indeed, admitting Limes *for* Litus, Britannicus *alone had been enough; nay, it had been proper and only proper, without any further* Periphrasis, *such as that of* per Britannias. *But admitting once* Limes, *and that the* Litus Transmarinum *was the Limit or Frontier of the* British *maritime Count's Dominion, and then* (*of necessary consequence*) *the Ports, Havens, Creeks, Harbours,* &c. *on the opposite Coast, one and all were appertaining to the* Britans; *nor might the* Dutch, French, *or those of* Britaine Armoric, *then or at any time since justly challenge or use them as their own, nor of right stirre or put to Sea by them, much less claim or have any Toll, Tallage, Tax, Tribute, Impost, Wreck, or any other Customs or Rights in any part of the maritime Tract there: Nor yet might they or any other Nation without a Trespass, or as Invaders of the* British *Empire and Dominions, pass and repass by the Chanel, though never so near the transmarine Shore, nor but by courtesy of the* Britains *make any other use of it, which, from all that I have seen or read, I cannot believe to have been practised or observed in those times.*

'Tis plain enough then, as I conceive, according to the common and received opinion of all Writers on this argument before Mr. Selden, *that there was in the* Romans *time on either side the* British *Chanel a* Litus Saxonicum, *a* Cismarinum *and a* Transmarinum: *The former of which, for distinction-sake from the latter, is, in the Book of* Notices, *called* Litus Saxonicum per Britannias, *and by that the cismarine Shore or Coast of* Britain *was only intended, and is to be understood.*

Controversia de Mari Clauso, *ut* Seldenus *librum suum inscribit (quem* Grotius *in notis ad lib.* 2. *de Jure Belli & Pacis, cap.* 2. §. 2. *n.* 5. Thalassocraticon *vocat, &* Seldenum *Honorem* Britanniae, *licet parum contentus titulo) ad publicas pertinet, & ex historia rerum* Britannicarum & Batavarum *ad annum* 1635. *& seqq. est notissima. Rex* Magnae Britanniae *classem tum instruxerat stabiliendis commerciis, quorum jura & privilegia* Seldenus *ibat assertum, dum eodem anno* Anglos *inter &* Batavos *de piscatione halecum controversia oriretur. In ea* Grotii *partes defendendas suscepit* Theodorus Graswinckelius *in* Vindiciis maris Liberi, & Joannes Isaacius Pontanus, Danorum & Norwegorum *causam acturus in duobus discussionum historicarum libris.* Pontanus *hic mediam tenuit inter controvertentes viam, ut &* Boeclerus *in dissertatione, cujus inscriptio est* Minos, Maris Dominus. *Vide* Hert. *not. ad* Pufendorf. *de Jure Naturae & Gentium, lib.* 4. *c.* 5. §. 5. *a. Pro* Seldeno *stetit* Guilielmus Welwoodus, & Petrus Baptista Burgus *in opere de Dominio Maris* Ligustici, *cui refutationem opposuit* Graswinckelius. *Ex his scriptis postea dicuntur profecisse* Thomas Rivius *in Historia Navali media*; Jacobus Gothofredus & Joannes Strauchius *in Dissertationibus de Imperio Maris:* Loccenius & Stipmannus *in libris de Jure Maritimo*; Claud. Barthol. Morisotus *in libro cui titulus* Orbis Maritimi Historia. *Conferatur* Joannis Francisci Buddei *Historia Juris Naturalis aucta*, §. 57. *Exstat ea in* Buddei *selectis Juris Naturae & Gentium, pag.* 3. *seqq. Interea memorabile est, quod* Huberus *in historia Civili, p.* 3. *lib.* 1. *sect.* 6. *cap.* 1. §. quo autem Carolus

lus Rex, *&c.* & *ex eo* Jacobus Fridericus Ludovici *in delineatione historiae Juris Divini Naturalis*, §. 43. *refert, nempe* Arsenium Sommelsdykii Toparcham *dissuasisse ordinibus Foederatae* Belgicae *editionem refutationis, quam conceperat* Grafwinckelius: Quod ea res non esset calami sed gladii: Si *Belgae* non possent mare tueri classibus & armis, frustra idem libris & stylo esse tentaturos; ubi arma sufficerent, libros esse ineptos & supervacuos. *Quid de illustri hac controversia senserit* Pufendorfius, *notum est ex ejus de Jure Naturae & Gentium, lib.* 4. *c.* 5. §. 5. & *seqq. ubi auctorum studium erga patriam notat. Sequitur eum vir summus* Christianus Thomasius *jurisprudentiae Divinae, lib.* 2. *cap.* 10. §. 130. *seqq.* Ulricus Huberus *Digressionum libro* iv. *cap.* 13. & *seqq. non solum* Seldeni, *sed* & Strauchii *ac* Pufendorfii *sententiam amore patriae, ut apparet, impugnat.* Gerardus Noodt *jurisconsultus & antecessor* Lugduno-Batavus, 1 *Probabilium cap.* 7. *quoque adversus* Seldenum *disputat. Quid amplissimus vir* Cornelius van Bynkershoek *in suis Dissertationibus, praesertim ad L.* 9. *D. de lege Rhodia, de jactu, praestiterit, aequo lectori judicandum relinquo.* Henrici Cocceii, *cujus celebre admodum est in Jure Gentium & Germaniae publico inter doctos nomen, etiam dissertatio exstat de* Dominio Maris. *Ejusdem sententiam de controversia inter* Grotium & Seldenum *de* imperio Maris *exhibet brevibus filius ejus D.* Samuel, *liber Baro de* Cocceiis *Regi* Prussiae *ab intimis Belli & Justitiae consiliis* Juris controversi digestorum, tit. de rerum Divisione, *Quaest.* 8. *Utitur & hic via media, sed aliter atque* Pufendorfius & *alii. Bene habet quod controversia inter potentissimum* Britanniae *Regnum & foederatam* Belgicam *pridem pacificationibus ac pactis est decisa; haec firmius stringunt quam eruditorum argumenta.*

Jam ad Marmora Arundelliana *nos accingimus. In principio decreti foederi* Smyrnaeorum *praevii*, Seldenus *verba* ΕΔΟΖΕΝ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ ΓΝΩΜΗ *vertit*, placuit populo, ducum consilio, *quae etiam vers.* 89. *in foedere ipso, eodem modo leguntur. Omnibus qui prima tantum Graecae linguae elementa norunt, constat, dativo casui semper Iota addi, in communibus sive minoribus literis, subscriptum, in majusculis eadem linea expressum; uti ex vocibus* τῷ δήμῳ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ *patet. Jam cum nullum Iota literae* Η *in voce* ΓΝΩΜΗ *addatur, nominativum casum, quem vox* ἔδοξεν *requirit, hic intelligendum esse credo; ut sensus principii decreti, & foederi* Smyrnaeo *praevii & subsecuti, sit;* Consilium ducum placuit populo. *Occurrit equidem in* Demosthene, *Orat. de Corona, p.* 500. βȣλῆς κ̀ στρατηγῶν γνώμῃ & *in Psephismate sequenti* πολεμάρχȣ γνώμῃ, *quae* Wolfius *vertit*, de Sententia Senatus & Ducum; & de Belli Ducis sententia; *ast ibi Iota subscriptum, verbum non requirit, & in Marmore superfluum foret, si adjiceretur. In foedere* Smyrnaeo, *vers.* 60 & 70, Seldenus ΟΜΝΥΩ ΔΙΑ ΓΗΝ ΗΛΙΟΝ *vertit* Juro per Terram, Solem; *ast rectius hic vox* ΔΙΑ Jovem *significat & non praepositionem* per. Ὀμνύω *enim saepe accusativum* θεὸν *aut* ὅρκον *regit, ut in* Isocrate ἕνεκα χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς. *Et* Plutarchus *in Solone habet:* κοινὸν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βȣλὴ, τοῖς Σόλωνος νόμοις ἐμπεδώσειν. Lucianus *in vitis* Philos. ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα κ̀ τὴν πλάτανον. *Reperitur quidem cum* κατὰ, *ut in* Demosthene *in Orat. advers. Cononem:* κατὰ παίδων ὀμεῖσθαι in capita puerorum jurare: *Et cum* εἰς, *ut in* Plutarch *in* Othone ὀμνύειν εἰς τὸν Οὐιτέλλιον. *Et cum* περὶ *apud* Plutarch. *Et cum* πρὸς *apud* Homerum & *alios. Et cum dativo apud* Aristoph. *Ast cum praepositione,* διὰ *vocem* ὀμνύω *occurrere non novi. Vide quae de juramentorum formulis habet Clar.* Prideauxius *in Notis ad* Smyrnaeorum *decreta, p.* 42. *seqq. Multo melioris notae sunt observationes, quas criticorum princeps, magnus* Bentleius *in Dissertationibus suis ad Epistolas Phalaridis, felici, quo pollet & omnes antecellit ingenio, congessit. In Epochis Graecorum vers.* 54, 55. *lacunas* Marmoris Arundelliani *supplet.* Ἀφ' ȣ̃ ἐν ἀπηνάει κωμῶδιαι ἐφορέθησαν ὑπὸ τῶν Ἰκαριέων ἥυροντος Σȣσαρίωνος; κ̀ ἆθλον ἐτέθη πρῶτον, ἰσχάδων ἄρσιχος, κ̀ οἴνȣ ἀμφορεύς. *His adde quae ad Epochas Marmoreas de aetate* Thespidis, Simonidum

nidum & Stesichori *eruditissime differit libro citato, p.* 39—45. & *p.* 240—285. *In Notis ad Marmora, p.* 1563, 1564. Seldenus *Olympica certamina communis* Asiae *esse affirmat, cui contrariam Clar.* Olearius *cum* Rubenio *fovet opinionem in Notis ad Philostratum, p.* 534. "*Porro quamvis doctissimus* Seldenus *ad Marmora* " Oxoniensia, *p. m.* 73. *existimet,* τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια, *esse certamina* τȣ̃ κοινȣ̃ " τῆς Ἀσίας, *probabilior tamen mihi videtur doctiss.* Rubenii *sententia de urbibus Neo-* " *cor. p.* 1358. *ea quoque distincta sacra esse dicentis. Certe quinquennalia illa sacra* " τȣ̃ κοινȣ̃ τῆς Ἀσίας, *nuspiam Olympia invenio dici*, & Farnesiana *inscriptio diserte* " *distinguit certamina* κοινȣ̃ Ἀσίας *in una certa urbe non semper obiri solita, sed variis* " τȣ̃ κοινȣ̃ *urbibus* Ephesi, Pergami, Smyrnae, &*c. celebrata, a caeteris quae* Smyrnae " *constanter agebantur*, Olympiis *inquam* Asiae, *sive* Smyrnaeorum & Olympiis A- " drianis, *unde etiam numerum addit certaminum* τȣ̃ κοινȣ̃ τῆς Ἀσίας *quinquies* Smyr- " nae *celebratorum, non horum item, quod illa alibi quoque, haec* Smyrnae *semper,* " *unde numero non erat opus:* H. J.

Editionem Eadmeri *Monachi* Cantuariensis Seldenus *multis eruditis adornavit notis. Paucula ad eas adnotabimus, quae vel a Clar.* Francisco Junio *vel ab amico suggesta sunt.*

Pag. MDXCVIII. *lin.* 25. Fabianus *hanc taxationem refert ad* xix *annum Regni* Guilielmi, *non ad* xvii, *ut* Balaeus *ait. Vide Chronicon ejus, p.* 308.

Pag. MDCXII. *lin.* 10. *pro* ongimendre *lege* onginnendre. *lin.* 24. *Post* sweartan *videtur vox aliqua hic omissa, ad perficiendum sensum; forsan* þe læs *aut simile quid. lin.* 34. *pro* gewistlice *lege* gewislice & *tunc verte* certo. *lin.* 46. *pro* geendstalude. *lege* geedstaþelude *ab* edstaþelian renovare. *lin.* 56. *pro* esfullice *lege* estfullice devote.

Pag. MDCXIII. *lin.* 1. *pro* gymcendum *lege* gymigendum hiantibus *a* gynan *vel* gynian. *lin.* 13. *pro* swiþwærelice *lege* swiþe Wærlice. *lin.* 15. *pro* wæpnmann *lege* wæpnmannum maribus *uti* & *legitur* wifmannum. *lin.* 39. *pro* Wintan cæceatre *lege* Wintan ceastre.

Pag. MDCXV. *lin.* 7. *pro* neah *lege potius* neat & *verte* ferae *substantivum, non* fere *adverbialiter. lin.* 15. *pro* gewæstnudan *lege* gefæstnudan. *lin.* 19. *pro* gemetenelicre *lege* gemænelicre. *lin.* 31. *pro* wædlice *lege* rædlice consulte. *lin.* 41. *pro* gewistlice *lege* gewislice. *lin.* 49. *pro* hþa *lege* hwa.

Pag. MDCXVI. *lin.* 3. *pro* swifnysse *lege* swiftnysse velocitas. *lin.* 21. *pro* neide *lege* neode. *lin.* 31. *pro* wrytan *lege* wrytan fastu. *lin.* 65. *pro* sede *lege* setle.

Pag. MDCXVII. *lin.* 11. *pro* si gedrist *lege* si gedristlæht praesumatur. *lin.* 37. *pro* oferwrut *lege* oferprut tumidus. *lin.* 43. *pro* wurdlicra *lege* wurldlicra.

Pag. MDCXVIII. *lin.* 1. *pro* ge *lege* ege timore.

Pag. MDCXX. *lin.* 21. *pro* anrgynn *lege* angynn. *lin.* 35. *pro* innlædisce *lege* innlændisce. *lin.* 49. *pro* forsyrde *lege* forwyrde detrimentum.

Pag. MDCXXI. *lin.* 1. *pro* gestaþelian *lege* belifian; *nam glossator videtur pro* restaverint *perperam legisse* restaurent *vel* restauraverint. *lin.* 9. *pro* fær *lege* þar.

Pag. MDCXL. *Legum harum* Guilielmi *specimen edere voluit* H. Spelmannus, *Concil. Vol.* I. *p.* 634. *Eas postea cum Latina Versione* Seldeni *recudit* Abr. Whelocus *in sua* Archaionomiae *editione* Cantabrigiensi. *Postea absque versione eas edidit historiae* Croylandensis *Editor* Oxoniensis, *pag.* 88. & *quasi commentarium in illas fecit* Nath. Bacon *in libro suo, cui Titulus,* An historical Discourse of the Uniformity of the Government of *England, part.* 1. *cap.* 50, 51, 52. *Tandem ex* Juniano *Codice* & *proprio marte correctas exhibuimus in editione nostra legum* Anglo-Saxonicarum, *quo lectorem mittimus.*

Pag. MDCLVI. *lin.* 11. *rarissime occurrere certo sciam.*] *Has leges* Bradeius *edidit cum versione* Anglica, *pagg.* 254, 255, 256. *seqq. in libro cui titulus:* An Introduction to the old *English* History.

Pag. MDCLVII. *in Titulo legis* lix. *pro* ſubditi *hic legi debuit* liberi homines, *ut ex lege ipſa apparet, quod antea obſervavit* Bradeius *in libro citato, p.* 256.

Pag. MDCLXIV. *lin.* 25. *diſpoſito apud* Pinedene *principum conventu*] *Vide* Hickeſii *Diſſertat. Epiſtol. p.* 31. *ex qua placitum hoc corrigendum. Illud* Guilielmus Dugdalius *in libro, cui titulus* Origines Judiciales, *ad fidem MS. veteris* Cottoniani, & Henr. Wharton *ad fidem perfectioris exemplaris in textu* Roffenſi, *edidit*, Angliae Sacrae, *vol.* 1. *p.* 334.

Pag. MDCLXXXIII. *lin.* 28. Seldenus *hic fallitur.* Godwinus *enim cum librum de Epiſcoporum vitis ſcripſit, tantum erat Subdecanus* Exceſtrenſis, & *Regina* Elizabetha *eum ob praedictum Librum ad Epiſcopalem Sedem* Landavenſem *evexit.*

Antequam autem praefamini huic Colophonem imponam, ſummas quas mente concipere poſſum gratias reddo, illuſtriſſimis Orbis literati luminibus, Viris longe Clariſſimis ac Doctiſſimis, Domino THOMASSINO MAZAUGUES, *Domino* DANIELI ERNESTO JABLONSKIO, *Domino* JOHANNI CHRISTOPHORO WOLFIO, *Domino* BERNARDO HENRICO REINHOLDIO, *Domino* BERNARDO DE MONTFAUCON, & *amico longe mihi chariſſimo Domino* EDVARDO BURTONO, *qui me monitis praeceptiſque ſuis eruditis in opere hoc conficiendo quam maxime adjuverunt.*



Elenchus omnium SELDENI Operum in tribus his Voluminibus contentorum.

In Volumine Primo.

In Volumine Secundo.

In Volumine Tertio.

THE

NAMES

OF THE

SUBSCRIBERS.

N. B. Thoſe who have this (*) Aſteriſk are Subſcribers for the large Paper.

THE *Right Honourable the Earl of* ARRAN.

The Right Reverend the Lord Biſhop of St. ASAPH.

Anthony Allen *of the Middle-Temple, Eſq*;

The Reverend Mr. Ralph Anneſley, *Fellow of Chriſt's College, Cambridge.*

Francis Anneſley *of the Inner-Temple, Eſq*;

* *His Grace the Duke of* BEDFORD.

**The Right Honourable the Earl of* BURLINGTON.

The Right Reverend the Lord Biſhop of BANGOR.

The Right Reverend George Lord Biſhop of BATH *and* WELLS.

* *The Right Honourable the Lord* BINGLEY.

The Right Honourable Sir Thomas BURY, *late Lord Chief Baron of the Exchequer.*

Richard Backwell, *Eſq*;

Daniel Baker *of Penn in Bucks, Eſq*;

John Beale, *M. D.*

Henry Beeſton *of the Middle-Temple, Eſq*;

John Bennet, *Eſq*; *Maſter in Chancery.*

Peregrine Bertie *of the Middle-Temple, Eſq*;

Thomas Bewes *of the Inner-Temple, Eſq*;

Jaſper Blythman *of the Inner-Temple, Gent.*

Thomas Bootle, *Eſq*;

Thomas Bowdler, *Eſq*;

Henry Bradſhaw, *Eſq*;

Thomas Brandsby *of Harleſton in Norfolk, Eſq*;

Mr. Serjeant Branthwayt.

The Reverend Mr. Jaſper Brett.

Thomas Brian, *Eſq*;

Orlando Bridgman, *Eſq*;

* *Robert* Briſtow, *Eſq*;

John Burbey, *Eſq*;

His Excellency William Burnet, *Eſq*; *Governour of New-York and New-Jerſey.*

The Reverend Mr. Burnet.

The Reverend Mr. Joſeph Burroughs.

His Grace the Archbiſhop of CASHEL.

* *His Excellency the Lord* CARTERET, *Lord Lieutenant of Ireland.*

The Right Reverend the late Lord Biſhop of CHESTER.

The Right Reverend the Lord Biſhop of CHICHESTER.

The Right Honourable the Lord COLERAIN.

* *The Honourable Sir Thomas* Coke, *Knight of the Bath.*

Edmund Calamy, *D. D.*

* *John* Campbell *of Stackpole-Court in the County of Pembroke, Eſq*;

The Dean and Chapter of Canterbury.

Mr. Samuel Card.

Samuel Carte, *LL. B.*

Richard Carter, *Eſq*;

The Reverend James Cathcart, *A. M.*

††† *William*

The Names of the Subscribers.

William Chapple, *Serjeant at Law.*
George Chaffin *of the Middle-Temple, Esq;*
The Reverend Leonard Chappelow, *B. D. Fellow of St. John's College, Cambridge, and Arabick Professor.*
Sir John Cheshire, *Knt. one of his Majesty's Serjeants at Law.*
John Clapgutt *of the Middle-Temple, Esq;*
John Clark *and Richard Hett, Booksellers in London.*
James Clitherow, *Esq;*
William Clobery, *Esq;*
Henry Ludlow Coker, *Esq;*
The Reverend Dr. John Colbatch, *Senior Fellow of Trinity College in Cambridge.*
Mr. Nathaniel Cole.
The Reverend Mr. Cole, *Rector of St. Albans.*
The Reverend Mr. Timothy Collins.
Anthony Collins, *Esq;*
Georgius Joannes Conradi *Regiæ Majestati Daniæ a Sacris Domesticis.*
Mr. William Copley *of Bristol, Bookseller.*
The Reverend Mr. Charles Cranley, *Rector of Michael Marsh in Hampshire.*
Nathaniel Curson, *Esq;*

The Right Reverend the Lord Bishop of St. Davids.
The Honourable Alexander Denton, *Esq; one of his Majesty's Judges of the Court of Common Pleas.*
Sir John Darnel, *Serjeant at Law, and Judge of the Marshall's Court.*
Hugh Davison *of London, Gent.*
John Dowdall, *Esq;*
Mountague Gerard Drake, *Esq;*

The Honourable Sir Robert Eyre, *Lord Chief Justice of His Majesty's Court of Common Pleas.*
Thomas Edwards, *Esq;*
The Reverend Mr. John Evans.

The Right Reverend the Lord Bishop of Fernes & Leighlin.
The Honourable Mr. Justice Fortescue.
Brian Fairfax, *Esq;*
Coulson Fellowes, *Esq;*
Mr. Samuel Filks.
The Reverend Mr. James Foster.
Sir Andrew Fountaine, *Vice Chamberlayne to his Royal Highness the Prince.*

Roger Gale, *Esq; one of the Commissioners of the Excise.*
Samuel Gale, *Esq;*
The Reverend Thomas Gooch, *D. D. Master of Gonvil and Caius College, Cambridge.*
Sir Richard Gough, *Knt.*
Francis Greger, *Esq;*
Mr. Gundry *of the Middle-Temple.*

* *The Right Honourable the late Earl of* Harold.
The Right Honourable the Lord Viscount Harcourt.
The Honourable Sir John Hobart, *Bart. Knight of the Bath.*
Mr. John Hand.
The Reverend Mr. Harbin.
Henry Harington, *Esq;*
**Edward* Harley, *jun. Esq;*
Charles Harrel *of the Middle-Temple, Esq;*
The Reverend John Hayes, *D. D.*
* *George* Heathcote, *Esq; three Books.*
Jeffrey Hetherington *of the Middle-Temple, Esq;*
Samuel Hill, *Esq;*
John Hungerford, *Esq;*
James Hunter *of the Middle-Temple, Esq;*
The Reverend Mr. Jeremiah Hunt.

Michael Jackson, *Esq;*
Herbert Jacob *of the Inner-Temple, Esq;*
John Idle *of the Middle-Temple, Esq;*
Thomas Jobber, *Esq;*
Sir Thomas Jones.
The Reverend Mr. James Jones, *Rector of Cound, Salop.*
James Joye, *Esq;*

The Right Honourable the Lord King, *Lord High Chancellor of Great-Britain.*
The Honourable Mr. Kreienberg.
Abel Kettleby *of the Middle-Temple, Esq;*
The Reverend John Kinch, *LL. D.*
The Right Reverend the Lord Bishop of Limerick.
The Right Reverend the Lord Bishop of London.
Robert Lambert, *D. D. Fellow of St. John's College, Cambridge.*

Mr.

Mr. John Leech *of Knutsford in Cheshire.*
Richard Lely, *Esq;*
* Library *of the Inner-Temple.*
* —— *of the Middle-Temple.*
—— *of Lincoln's-Inn.*
—— *of the Cathedral of Durham.*
—— *of Exeter College, Oxford.*
—— *of Merton College, Oxford.*
—— *of Pembroke Hall, Cambridge.*
—— *of Peter House, Cambridge.*
—— *of St. John's College, Cambridge.*
—— *of King's College, Cambridge.*
—— *of Christ Church, Canterbury.*
William Lock, *Esq;*
Charles Longueville, *Esq;*
William Lowndes, *jun. Esq;*
* *Richard* Lyddel, *Esq;*

The Right Honourable the Earl of MACCLESFIELD.
The Honourable Samuel Molyneux, *Esq; Secretary to his Royal Highness the Prince.*
Mr. John Markham, *Apothecary.*
The Reverend Dr. Robert Maxwell.
The Reverend Mr. John Maxwell.
Sir Nathaniel Mead, *Serjeant at Law.*
Richard Mead, *M. D.*
Dr. John Burchard Menckenius, *Counsellor and Historiographer to the King of Poland.*
The Reverend Dr. Conyers Middleton, *Principal Library Keeper of the University of Cambridge.*
Mr. Joseph Mark Innocent Migliorucci, *Merchant.*
Henry Montague, *Esq;*
Samuel Morris, *Esq;*
Joseph Moyle, *Esq;*

The Right Reverend John Lord Bishop of NORWICH.
The Right Honourable the Lord NORTH *and* GREY.
The Reverend W. Needham, *B. D. Rector of Alresford, Hants.*
* *The Reverend Dr.* Newey, *Prebendary of Winchester.*
The Reverend Mr. Thomas Nevin.
Richard Newdigate *of the Inner-Temple, Esq;*
Henry Newcomb, *A M. of Hackney.*
William Henry North, *Esq;*

* *The Right Honourable the Earl of* OXFORD.
* *The Honourable Colonel James* Otway.
John Orlebar, *Esq;*
The Honourable Mr. Baron Price.
The Honourable Mr. Justice Powys.
The Honourable Sir Henry Penrice, *Judge of the Admiralty.*
* *Thomas* Palmer, *Esq;*
David Papillon, *Esq;*
Mr. William Pate.
William Pavey, *Gent.*
George Paul, *LL. D.*
* *Mr. Serjeant* Pengelly.
William Plees, *M. A. Vicar of Boughton under Blean Kent.*
Mr. Serjeant Probyn.

* *The Right Reverend the late Lord Bishop of* ROCHESTER.
The Right Honourable the Lord John RUSSELL.
* *The Right Honourable Sir Robert* Raymond, *Knt. Lord Chief Justice of his Majesty's Court of King's Bench.*
The Honourable James Reynolds, *one of the Judges of the King's Bench.*
John Randolph *of Virginia, Esq;*
Thomas Reeves, *Esq; one of the King's learned Counsel.*
John Rud *of Durham, Esq;*

* *The Right Honourable the Earl of* SUNDERLAND.
George St. Amand, *Esq;*
Mr. Sanford, *Fellow of Baliol College, Oxford.*
The Reverend Dr. Savage, *Master of Emmanuel College, Cambridge.*
Exton Sayer, *LL. D.*
The Reverend Dr. Scott, *for seven Books.*
Sir Thomas Sebright, *Bart.*
The Reverend Mr. Robert Shaw.
The Reverend Dr. Sherlock, *Dean of Chichester.*
Sir Edward Smyth, *Baronet.*
George Smith, *Esq;*
The Reverend Mr. Jos. Sparke, *Register of the Church of Peterborough.*
Charles Stanhope, *Esq;*
The Reverend Dr. Stanley, *Dean of St. Asaph.*

The Names of the Subscribers.

William Strahan, *LL. D. of Doctors-Commons.*
Mr. George Strahan *of London, Bookseller.*
John Strange *of the Middle-Temple, Esq;*
* *Samuel* Strode, *Esq;*

* *The Right Honourable the Lord Viscount* Tyrconnel.
The Right Honourable the Lord Trevor.
The Honourable Thomas Trevor, *Esq;*
The Honourable John Trevor, *Esq;*
The Honourable Sackville Tufton, *Esq;*

The Honourable John Verney, *Esq;*
Simon Urlin, *Esq; Judge of the Sheriffs Court in London.*

The Honourable Sir Thomas Wentworth, *Knight of the Bath.*
The Honourable Thomas Wyndham, *Esq; Chief Justice of the Common Pleas in Ireland.*
John Warburton, *Esq;*
Mr. John Ward, *Professor of Rhetorick in Gresham College.*
Sir Thomas Webster, *Bart.*
John Weeks, *Esq;*
Edward Whitaker, *jun. of the Middle-Temple, Esq;*
Charles Whitaker, *Serjeant at Law.*
The Reverend Mr. John Willet, *Rector of Wadhurst in Sussex.*
John Williams, *Esq;*
Francis Wilkinson *of Lincoln's-Inn, Esq;*
The Reverend Mr. Mountague Wood.
The Reverend Mr. Wood.
Thomas Workhouse, *Esq;*
Henry Wright *of Mobberly in Cheshire, Esq;*
William Wright *of Offerton in Cheshire, Esq;*

The Right Honourable the Earl of Yarmouth.
* *Sir Philip* Yorke, *his Majesty's Attorney-General.*

Omitted in the foregoing List of Subscribers.

John Comyns, *Esq; Serjeant at Law.*
Mr. Tho. Corbet *of London, Bookseller.*
John Jolliffe, *Esq;*
Michael Leheup, *Esq;*
William Lee, *Esq;*
James Mac Manus, *Esq;*
Thomas Parker, *Esq;*
The Reverend Dr. Rundle.
Edward Tenison, *D. D. Archdeacon of Caermarthen.*
Joseph Thompson, *Esq;*
Joas Tillard *of the Inner-Temple, Esq;*
Sir Clement Wearg, *his Majesty's Solicitor General.*
The Right Honourable Richard West, *Esq; Lord Chancellor of Ireland.*



N. B. These three Volumes contain 804 Sheets, which were proposed to Subscribers, *viz.*

The smaller Paper at 2 *d. per* Sheet, amounting to	06 14 00
Received for the first Payment	02 02 00
Remain to pay	04 12 00
The large Paper at 3 *d. per* Sheet, amounting to	10 01 00
Received for the first Payment	03 03 00
Remain to pay	06 18 00

V I T A

JOANNIS SELDENI, JC^TI.

QUOD in apparitione motibuſque planetarum ac aſtrorum evenit, ut nonniſi ſatellitibus aut ſtellis ſtipata eclipticam partiantur, circulos deſcribant, orbeſque ſuos peragrentur; idem hoc, cum magnus Seldenus in coelo ſcientiarum ſtella primae magnitudinis, oriretur, vitaeque curſum per LXX annos conficeret, contigiſſe, hiſtoria temporis illius nos edocet. Vix enim ulla aetas tot juriſconſultorum lumina Europae intulit, quae omnis generis ſcientias, etiam maxime reconditas atque obſcuras, eruditionis ſuae radiis illuſtrarunt: Vix ulla adeo ſerena coeli temperies Muſis illuxit, in qua juriſperitorum longe lateque ſe diffundens ſtudiorum gloria, ignorantiae nebulas diſpellendo magis conſpicua reddebatur, quam ea qua Seldenus in ſummum reipublicae literariae commodum ortus, ſolis inſtar facem ſcientiis praetulit, multorumque ardorem ac aemulationem ad imos doctrinarum receſſus inveſtigandos accendit, ut eorum virtutes iiſdem jam, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis contineantur. “ Quis enim abunde mirari poteſt (ut cum Vellejo Paterculo, lib. 1. c. 16, 17. loquar) quod eminentiſſima cujuſque profeſſionis ingenia, in eandem formam & in idem artata temporis congruere ſpatium: & quemadmodum clauſa capſo, alioque ſepto diverſi generis animalia, nihilo minus ſeparata alienis in unumquodque corpus congregantur; ita cujuſque clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem & temporum & profectuum ſemetipſa ab aliis ſeparaverunt. Alit aemulatio ingenia; & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit, naturaque quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum.”

In Anglia clarebant Franciſcus Bacon vicecomes Sancti Albani, Guilielmus Camdenus Clarentius, Edwardus comes Clarendoniae, Edwardus Coke, Robertus Cotton, Joannes Davis, Joannes Dodderige, Joannes Finch cuſtos magni ſigilli, Guil. Hakewill, Matthaeus Hale, Henricus Hobart, Joannes Holbourn, Edwardus Leigh, Jacobus Ley dominus de Mancheſter, Edwardus Littleton cuſtos magni ſigilli, Georgius Mackenzy, Joannes Maynard, Franciſcus Moore, Guil. Noy, Guil. Prynne, Henricus Rolle, Henricus Spelmannus, Joannes Vaughan, Henricus Yelverton & alii. In aliis Europae partibus florebant ſeculo Seldeniano Andreas Alciatus, Italus; Gothofredus Antonii anteceſſor & cancellarius academiae Gieſſenſis; Henningus Arniſaeus, polyhiſtor profeſſor Viadrinus & Helmſtadienſis; Reinardus Bachovius Echtius, anteceſſor Heidelbergenſis; Matthias Berneggerus, polyhiſtor; Chriſtophorus Beſoldus, anteceſſor Tubingenſis & Ingolſtadienſis; Hieronymus Bignonius, Gallus; Joannes Henricus Boeclerus, polyhiſtor Argentoratenſis; Barnabas Briſſonius, Gallus; Joannes Brunnemannus, anteceſſor Viadrinus; Auguſtus dux Brunſwicenſis, notus ex ſocietate Frugifera, & bibliotheca Wolfenbutelenſi, cujus ſcripta extant ſub nomine Guſtavi Seleni; Guilielmus Budaeus, Gallus; Philippus Camerarius, conſiliarius Noricus & procancellarius Altorfinus; Benedictus Carpzovius, anteceſſor Lipſienſis; Martinus Chemnitius, anteceſſor Roſtochienſis, cancellarius Pomeraniae & Holſatiae; Hermannus Conringus, polyhiſtor; Jacobus Cujatius, Gallus; Petrus Cunaeus, profeſſor Batavus; Nicolaus Faber, Gallus; Marquardus Freherus, conſiliarius Palatinus; Joannes Freinſhemius, polyhiſtor; Chriſtianus Friſius, Danus; Chriſtophorus Forſtnerus, Germanus; Gilbertus Gaumin, Gallus; Melchior Goldaſtus ab Heimensfelt; Jacobus Gothofredus, ſyndicus Genevenſis; Hugo Grotius, Batavus; Joannes Gryphiander, Oldenburgenſis; Achylles Harlayus, Gallus;

lus; Georgius Philippus Harſdorferus, Noribergenſis; Ludolphus Hugo, cancellarius Hannoveranus; Arnoldus Huitfeldius, regni Daniae cancellarius; Joannes Leunclavius, Amelburnus; Thomas Lanſius, juriſconſultus Germanus; Joannes Limneus, conſiliarius Brandenburgenſis; Fredericus Lindenbrogius, Hamburgenſis; Joannes Loccenius, literaturae ſeptentrionalis reſtaurator; Antonius Matthaeus Haſſus; David Mevius, Stralſundenſis; Joachimus Minſingerus a Prundeck, cancellarius Brunſwicenſis; Joannes Oxenſtierna, comes Moreae Auſtralis Suecus; Nicolaus Claudius, Fabricius Peireſkius, Petrus Pithoeus, Galli; Claudius Raalamb, juriſconſultus Sueo; Nicolaus Rigaltius, Gallus; Conradus & Nicolaus Ritterſhuſius, ille anteceſſor Altorfinus, hic conſiliarius Noribergenſis; Claudius Salmaſius, Gallus; Juſtus Georgius Schottelius, conſiliarius Brunſwicenſis; Vitus Ludovicus a Seckendorff; Joannes Stiernhoeckius, juriſconſultus Abuenſis; Caſpar a Teutleben, notus a ſocietate Frugifera anno 1617 conſtituta, cui is primus nomen dedit; Jacobus Thuanus, Andreas Tiraquellus, Henricus Valeſius, Galli; Marcus Velſerus Auguſtanus; Matthaeus & Petrus, Weſenbecii; Caſparus Zieglerus; & quam plurimi alii, qui affulgentibus benignis in Muſas ſideribus, halcyonia inter & turbines imperii Britannici, iiſdem cum Seldeno noſtro auſpiciis & temporibus patrium, totumque literatum orbem ſcriptis, doctrina, & conſiliis illuſtraverunt.

Salvintonia occidentalis Terringi oppidi villa, in agro Suſſexienſi, Seldenum naſcentem cunis excepit, decimo ſexto die Decembris, anno ſalutis humanae milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto. Patrem habuit Joannem Seldenum, ex familia, quae tunc ibi viguit, honeſta; matrem Margaretam Bakeram Thomae filiam ex equeſtri Bakerorum agri Cantiani ſtirpe progenitam. Prima humanioris literaturae fundamenta Ciceſtriae in patrii comitatus civitate jecit Hugo Barkerus juriſconſultus, ſcholae ibidem rector digniſſimus, & poſtmodum legum Caeſarearum doctor inter primarios eximius; a quo Latinis Graeciſque literis imbutus eſt, uſquequo animus penitiora ſcientiarum adyta inveſtigandi cupidus, Seldenum noſtrum ad academiam evocaret. Sub hujus praeceptoris moderamine tantos in humanioribus ſtudiis fecit progreſſus ut nondum ex ephebis egreſſus & vix decennis, diſtichon Latinum, quod hodie adhuc apparet, ligno inciſum, portae domus, in qua natus erat in Salvintonia ſuperimponi juſſerit:

Gratus, honeſte, mihi; non claudar, inito, ſedebis:
Fur abeas; non ſum facta ſoluta tibi.

Inde Oxonium ablegatus, praetextatus ut apud Romanos, & patriae erudiendae natus, ſub annum aetatis decimum quartum, anno Domini MDXCVIII, ſedem in Aula Cervina fixit, philoſophiae aliiſque ſtudiis academicis operam navaturus. Duo Novi Collegii ſocii viri bonarum literarum callentiſſimi, alter Antonius Barkerus, Hugonis frater, alter Joannes Junius, curam hanc per quadriennium ſuſceperunt, ſub quorum amiciſſima diligentiſſimaque tutela, ſummo loco adoleſcens quis & quo animo jam eſſet, & qualis vir futurus eſſet, commonſtravit, tantoſque fecit progreſſus ut circa annum MDCXII jura regni gentiumque addiſcendi ac perluſtrandi cauſa in ſocietatem hoſpitii Cliffordiani admitteretur. Eſt illud ex collegiis juris Anglicani Londinenſibus octo, in quibus tunc temporis ex more veteri inter actuarios & litium procuratores, adoleſcentes juris illius ſtudiis nomina dantes, initiari ſolebant. Sed cum hoſpitium hoc magnum Seldenum, juvenem admodum aetate non ingenio, haud caperet, biennio aut circiter exacto, ſocius renunciatus eſt interioris Templi, collegii ſcilicet juriſconſultorum, quod ſcriptis, conſiliis, & auctoritate ſua adeo illuſtravit, ut non ſocius ſed parens, non membrum ſed caput & princeps ab unoquoque ſalutaretur.

Magna ingenii ipſius vis, ingens ſcientiarum facultas in adoleſcente Seldeno vires acquiſivit in dies, ut ſimulac ordini juriſperitorum adſcriptus eſſet, diu latere nequiret; ſed eruditio ejus plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maximaque ſtudia peperit. Robertum Cottonum, Henricum Spelmannum & Guilielmum Camdenum, ſummos

ſummos antiquitatum reſtauratores variis officiorum generibus benevolos ac devinctos ſibi reddidit. Conciliavit ſibi etiam prolixum ſtudiorum affectum illuſtris ac reverendiſſimi viri Jacobi Uſſerii archiepiſcopi Armachani, qui *ἄξιος τῆς ἐν Ἄργει ἀσπίδος* anno MDCIX, ex Hibernia ad coemendos pro collegio Dublinenſi libros miſſus, familiariter Seldeno uti coepit, amoremque ſuum non obſtante pervicaci multarum opinionum diverſitate integrum ipſi per totum vitae ſpatium conſervavit.

Seldenus triceſimo aetatis anno egreſſus interioris templi ornamentum ac decus factus, recordabatur proverbii Coptici, ⲡⲓⲅ̄ ⲙ̀ⲡⲟⲩⲛⲟⲩⲥⲟⲩⲱ̀ⲛⲟⲩ ⲉ̀ⲃⲏⲗ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲅ̄ ⲛ̀ⲙⲁ ⳾ ⲙ̀ⲡⲟⲩⲛⲟⲩⲥⲟⲩⲱⲛϥ ⲡⲓϫⲱⲣ ⲉ̀ⲃⲏⲗ ϧⲉⲛ ⲛ̀ⲃⲱⲧⲥ ⳾ ⲙ̀ⲡⲟⲩⲛⲟⲩⲥⲟⲩⲱⲛϥ ⲡⲓⲥⲁⲃⲉ ⲉ̀ⲃⲏⲗ ϧⲉⲛ ⲛ̀ϫⲱⲛⲧ ⳾ ⲙ̀ⲡⲟⲩⲛⲟⲩⲥⲟⲩⲱⲛϥ ⲡⲓϣⲫⲏⲣ ⲉ̀ⲃⲏⲗ ϧⲉⲛ ⲛ̀ϯϩⲟϫϩⲉϫ ⳾ His addam quartum: ⲙ̀ⲡⲟⲩⲛⲟⲩⲥⲟⲩⲱⲛϥ ⲡⲓⲕⲁⲧϩⲏⲧ ⲉ̀ⲃⲏⲗ ϧⲉⲛ ϩⲁⲛⲟⲩⲥϧⲓ ⳾ h. e. "Tria non cognoſcuntur niſi in tribus locis: "Non cognoſcitur fortis niſi in proelio: non cognoſcitur prudens niſi in ira: non "cognoſcitur amicus, niſi in afflictione; & non cognoſcitur eruditus niſi ex libris." Unde profeſſionem ſuam haud melius adornare, aut majus juriſconſultorum ordinibus ſervitium praeſtare credidit, quam priſtina retroſpiciendo tempora, atque ex veteribus hiſtoriarum monumentis ea quae ex uſu ipſis ſint, literis conſignando, evolvendo omnes ſtatuum viciſſitudines ac mutationes, & ut exinde lucem atque robur, certitudinem ac famam veterum ſtatutorum ad confirmandam politeiam Anglicanam conquireret, illud primum ſibi aſſignavit ſtudium ex quo imperio potentia, regi auctoritas, civibus pax & ſalus accreſceret. Hoc ut exequeretur propoſitum, anno aetatis vigeſimo ſecundo, Domini MDCVI *Analecta τῶν Βρεταννικῶν* conſcripſit, in quibus de civili veterum Britannorum imperio tractat. Liber hic novem latuit annos, aſt meliore fato dignus demum anno MDCXVI Francofurti lucem vidit, ſed adeo corruptus & mutilatus, ut Seldenus ſuum eſſe haud facile agnoſceret, uti in primae editionis praefatione Syntagmatum de Diis Syris conqueritur his verbis: "Quod primo meum & aetatula non ita indignum, opus ante duodecim & amplius "annos conſcriptum, & ſub id tempus inſtitori, qui typis mandaret, datum eſt id "jam tandem ex officina Paltheniana operarum incuria ita depravatum, mutilatione "ſubinde decurtatum, & abſona verborum non terminatione modo ſed & extermi-"natione ſaepius interpolatum prodiit, ut nec deverra ipſa ſordibus, quibus abunde "ſcatet, expurgandis par eſſet, & meum eſſe plane deſineret. Intervertebant pu-"pilli peregrini bona, & tabulas in ejus fraudem adulterinas ſubjiciebant in leges & "Latoriam & Corneliam graviter committentes, H. J." Degorius Whear in libro, quem methodum legendi hiſtorias vocat, magni opus hoc hiſtoricum facit, illudque univerſis veterem imperii noſtri ſtatum noſſe volentibus, commendat. Aſt reverendus admodum epiſcopus Derrenſis, magnus Nicolſonus, in Bibliotheca ſua hiſtorica Angliae, fol. 49. edit. ult. longe aliam de eo fovet opinionem, "quod ſc. Analecta Seldeni non adeo dilucide explicant religionem, imperium & revolutiones ſtatuum tempore majorum noſtrorum Saxonum, uti fama de iis refert." Analecta haec Seldenus inſcripſit viro ſummo Roberto Cottono equiti aurato & baronetto, qui in evolvendis codicibus MSS. ipſum poſtea multum adjuvit.

Poſt editum hunc venerandae antiquitatis fertiliſque ingenii ſui foetum, veterum ſtatutorum priſcarumque legum ſtudia proſequebatur, quod ſecundo, quem compoſuit libro, unde egregia ipſius enituit eruditio, commonſtravit, cui titulus: *Jani Anglorum facies altera*, quem propriis ſumptibus anno MDCX publici juris fecit, conſecratum Roberto comiti Salisburiae, magno Angliae Theſaurario. Alteram ejus editionem protulit Londinum anno MDCLXXXI, ſed abſque epiſtola nuncupatoria & praefatione. Liber hic circa idem cum praecedente verſatur ſubjectum, & haud longe poſt in Hollandia conjunctim typis impreſſus eſt. Anglica civitate eum donavit, notiſque illuſtravit Adamus Littleton, ſub nomine Redman Weſtcote Londini MDCLXXXII, qui tale de eo fert judicium: "Libro hoc non tam opiniones "eruditorum tentavit, quam applauſum eorum poſtea obtinuit, qua de cauſa licet "de rebus Anglicis tractaret, eum Latino conſcripſit ſermone." Fundamentum

ſcripti

ſcripti hujus jecit Seldenus in tractatu Anglico, quem *England's Epinomis* appellat, eodem anno ac volumine cum Jano Anglorum typis excuſo.

Anno MDCX, Seldenus Londini in lucem miſit ſcriptum de origine, forma, ac modo Duelli, hoc titulo: *The Duello or ſingle Combat*, cujus videndi & intelligendi deſiderio ardebat illuſtris Peireſkius, amicorum Seldenianorum coryphaeus. Tractatus hic ſecunda vice prelum Londinenſe exercuit anno MDCCVI.

Ut ex ungue leo, ita ex ſcriptis his toti orbi innotuit, quanta cura proſperoque ſucceſſu Seldenus antiquitates Anglicanas examinaverit. Quare vir inſignis Michael Drayton, armiger & poeta laureatus Seldeno facem ex antiquitate & hiſtoriis porrigente, maximam Polyolbio ſuo (quod *ἀκαρπότερος Ἀδώνιδος κήπων* videbatur) affudit lucem, auctoritatemque conciliari credidit. Hinc precibus eum fatigavit, ut priores octodecim cantus erudito ſuo commentario lectori intellectu faciliores redderet, quod & praeſtitit, ac anno MDCXII Londini typis divulgavit. De notis hiſce Seldenianis Draytonius in praefatione ait, quod ſingula recondita hiſtoriarum loca, difficileſque phraſes ac verba captui lectoris obvia faciant.

Anno MDCXIII Seldenus poetico genio indulgens Bucolica G. Brown *(Britannia's Paſtorals)* orbi erudito carmine Graeco, Latino & Anglico commendabat; quae, ut & alia opera ejus poetica, clariſſimorum illius temporis auctorum operibus praefixa, adeo placuerunt poetis, ut Joannes Suckling eques auratus in claſſe poetica *(Seſſion of Poets)* Seldeno proximum Apollini conceſſerit locum.

Anno MDCXIV abſconditum antiquitatum, hiſtoriarum & eruditionis theſaurum aperuit auctor noſter, librum Anglicum Londini in quarto edendo, quem *Titles of Honour* inſcripſit, ac amiciſſimo ſuo contubernali Edwardo Hawardo armigero ſacrum fecit, cujus poema Latinum in laudem Seldeni Jano Anglorum praefixum videmus. Paulo antequam opus hoc litteratorum offerretur manibus, Seldenus cum magno conflictabatur morbo, ſed ſaluti reſtituebatur opera & cura celebris Fluddii medicinae doctoris, quod grato agnoſcit animo in dedicatoria hujus libri. Hos Titulos Honoris clariſſimus auctor noſter doctis haud diſplicere cerneret, aliam eorum parabat editionem, priori multo auctiorem & ampliorem, quae Londini impreſſa extat MDCXXXI in folio; cujus aliud extat exemplar Londini MDCLXXII quod a ſecundo haud differt, niſi quod ex iterata lectione orta addenda in proprios relata ſint locos. Opus hoc hiſtoricum adeo placuit eruditis tranſmarinis ut ampliſſimus Briotius (cui Gallicam verſionem hiſtoriae Turcicae Pauli Ricaultii debet Gallia) theatri honoris Andreae Favynii interpretis Angli exemplum imitaturus illud in idioma Gallicum in uſum nobilium gentis ſuae vertere conſtitueret; ſed matura morte praereptus propoſitum hoc exequi non potuit. Tandem vir doctiſſimus Simon Joannes Arnoldi, operis hujus uſum in rebus heraldicis, chronologicis & hiſtoricis perſpiciens, in Latinum eum vertit ſermonem, ac typis Francofurtenſibus expreſſum in quarto anno MDCXCVI cum erudito communicavit orbe; vide celeberrimi Fabricii Biblioth. Antiq. p. 486. Magnam libri hujus utilitatem agnoſcens reverendus admodum epiſcopus Nicolſonus, talia in Bibl. Hiſt. Angliae, pag. 9. de eo fatur. "Quod ad dignitatem nobilium & patritiorum noſtrorum attinet, omnes qui ſub "alterutro horum ordinum nomine veniunt, facile concedent, clar. Seldeni Titu"los Honoris bene evolvendos eſſe ad formandam ideam diverſorum graduum ab "imperatore ad patritium."

Hoc anno ſc. MDCXIV ſocietas antiquitatis ſtudioſorum (quae a viro ſummo Roberto Cottono anno MDXC fundata, & per viginti annorum ſpatium interrupta fuit) vitales reſumpſit ſpiritus: Vid. Spelman. Poſthum. 69. Et nullum eſt dubium, quin clar. Seldenus ab amicis ſuis, fundatore, Henrico Spelmanno & Guilielmo Camdeno Clarentio, in numerum eorum cooptatus fuerit. Non multo poſt tamen diſſoluta eſt ſocietas haec, rege conventus eorum haud ſatis adprobante.

Anno MDCXVI clar. Seldenus Joannis Forteſcutii equitis & cancellarii regis Henrici VI, tractatum edidit de laudibus Legum Angliae, quibus ſummas Radulphi Hengham equitis, ad ſuas in utrumque adjecit notas. Alia operis hujus editio egregia

comparuit Londini MDCLXXII, quam clar. Edovardus Waterhouſe poſtmodum commentario ſuo eruditionis pleno illuſtravit; cui priorem (anni ſcilicet MDCLX.) citat ſaepe laudatus epiſcopus Nicolſonus in Bibl. hiſt. Angliae p. 228. 232.

Anno MDCXVII, Seldenus Samuelis Purchaſii Itinerarium illuſtraturus ſectionem pag. 171. addidit ex veteribus monumentis collectam de Judaeis olim in Anglia viventibus. Tractatum hunc mutilum admodum ac truncatum Purchaſius mala fide ſuo inſeruit libro, quo de magnus ille bibliographus Prynnius parte ſecunda libri, quem inſcripſit *A ſhort demurrer to the Jews diſcontinued remitter*, pag. 12. ita fatur. " Probatae fidei viri mihi narrarunt, ſummum antiquarium noſtrum " proxime defunctum Dominum Joannem Seldenum multis abhinc annis monu- " menta vetuſtiora collegiſſe de Judaeis Anglis eaque Domino Samueli Purchaſio " dediſſe, Itinerario inſerenda. Sed adeo mutila, parum fidelis & ab autographo " diverſa fuit hiſtorica haec relatio, ut Seldeno ſtomachum, Purchaſioque litem " moveret, quod nec famae auctoris, nec lectoris bono conſuluerit, recitando tria " tantum, eaque mutila, in tota illa ſectione monumenta. "

Eodem hoc anno in lucem protulit Seldenus omnis eruditionis promptuarium Syntagmata duo de diis Syris quae falſorum deorum ſive idolorum catalogum quorum vetus ac novum Teſtamentum & auctores nonnulli ſacri ac profani mentionem injiciunt, contexunt. Alia multo accuratior & auctior editio cura magni viri Ludovici de Dieu apud Elzevirios prodiit Lugduni Batavorum MDCXXIX, quam Seldenus doctiſſimo Danieli Heinſio conſecravit. Andreas Beyerus typis Lipſienſibus aliam expreſſit MDCLXVIII cum indice; & clar. Fabricius in Biblioth. Antiquaria pag. 249, ſecundae a Beyero in Germania factae editionis MDCLXXII meminit. Opus hoc vere aureum magnum eruditorum Seldeno peperit applauſum. Aſt cum invidia individuus virtutis ſit comes, Seldenus noſter non caruit adverſariis, qui ut عثيثة تعرم جلدًا املس *tineola rodit corium glabrum*, ita illi famam ejus arrodere conabantur. Agmen in his ducit theologus Cantabrigienſis Richardus Montacutius, qui epiſcopus Norwicenſis extremum obiit diem, vir ſane eruditus, ſed impatiens eorum qui umbram ipſi faciebant, ut inter alia ex literis Caſauboni, & ex rebus ejus geſtis, dum exercitationes Anti-Baronianae Londini imprimerentur, conſtat. Montacutius hic Seldenum in Diatribe ſua contra Hiſtoriam Decimarum praefat. pag. 9. plagii literarii accuſat, quod ſcilicet ex Petri Fabri ſummi litteratorum ſui aevi antiſtitis Semeſtribus, majorem libri ſui partem de diis Syris hauſerit. Crimen hoc Seldenus in praefatione ſecundae hujus libri editionis diluit, aequo Semeſtrium & Syntagmatum lectori negotium committens.

Anno inſequenti MDCXVII Seldenus quaſi *ὕδραν τέμνων*, iram cunctorum totius Angliae clericorum in ſe concitavit, ut cum hactenus univerſa eruditorum cohors ſtudiis ipſius ambabus applaudiſſet manibus, quod ſtudia ejus non in ſingulis literis atque interpunctionibus verborum occupata ſint, (ut de Servio Sulpitio ait Cicero orat. pro L. Muraena) ſed quod nulla ab ingenio ejus aliena eſſet doctrina, nulla ipſi ſcientia incognita, jam diſquiſitione decimarum omnium animos ac vota a ſe alienavit. Per Hiſtoriam namque Decimarum, quae inauſpicata hujus anni luce illuxit, maxime terribilem (ut cum Lloydio in vitis pag. 10. loquar) quae unquam viſa fuit, excitavit tempeſtatem in clericorum granaria. In praefamine libri magno cum furore perſonas clericorum aeque ac in opere ipſo reditus eorum eſt aggreſſus. Hiſtoria haec ſi intacta, nulliuſque cenſurae ſubmiſſa fuiſſet, quidnam periculi aut mali clero, illo attuliſſet tempore, neſcio. Hoc certe ſcio, ſtricturas ac examina nil in uſum ejus contuliſſe. Sed ut hiſtoriam aliquam libri hujus contexamus, ejuſque fata enarremus; nulli non conſtat Seldenum criminis accuſatum & convictum in ſuprema delegatorum curia " viceſimo octavo " die menſis Januarii, anno Domini juxta computationem eccleſiae Anglicanae " MDCXVIII, coram reverendiſſimo in Chriſto patre, Domino Georgio, providentia " divina Cantuarienſi archiepiſcopo, totius Angliae primate & metropolitano, Jo-

" anne London. Lancelot Winton. & Joanne Roffen. eadem providentia reſpe-
" ctive epiſcopis; Joanne Bennet, Willielmo Bird, & Georgio Newman, militibus,
" in manerio archiepiſcopali apud Lambehith in comitatu Surrey, judicialiter ſeden-
" tibus; praeſente Thoma Motterſhed.

* Domini mei gratioſi,

" Humillime errorem meum, quem in conſcribendo Decimarum Hiſtoriam
" commiſi, agnoſco, & inprimis quod omnino interpretando ſacram ſcripturam,
" citando concilia, patres eccleſiae & canones, vel ullo alio modo anſam prae-
" buerim contra jus divinum redituum miniſtrorum evangelii argumentandi. Sup-
" plex ergo vos rogo, Domini mei, ut hanc ingenuam & humillimam confeſſi-
" onem recipiatis, una cum ſincera proteſtatione doloris mei, quod hoc pacto in
" regiae majeſtatis, veſtramque incurrerim, iram, quam in me nomine eccleſiae
" Anglicanae concepiſtis."

JOANNES SELDENUS.

De hac palinodia tamen Seldenus, quaſi Penelopes telam, ut poetae aiunt, textu-rus, dubio valde modo agit in reſponſo ad Tilſlejum his verbis. " Quod unquam " in illa curia ſcilicet ſuprema delegatorum, praeſens, vel eo appellatus fuerim " (per vitam meam) plus eſt quam novi.". Et paulo poſt, " Fateor me lu-" benti admodum animo agnoviſſe coram nonnullis ſupremis delegatis (non in " ſumma delegatorum curia) ac regiae majeſtatis conſiliariis intimis, quod me " conſcriptae hiſtoriae poeniteat; qui animi moeror benigniſſimae regis erga me " ſatisfecit gratiae pro intempeſtivo errore meo in edendo librum meum commiſ-" ſo. Et jam univerſum appello terrarum orbem, quod me hujus rei poeniteat, " & eodem poeniteret modo, ac ſi maxime orthodoxam catecheſin, quae ſcanda-" lum aliquod dederit, divulgaſſem." Plura de his invenies in Tilſleji reſponſo ad haec verba item in Seldenianis *(Table Talk)* & in epiſtola ejus ad marchionem Buckingamiae. Quicquid autem Seldenus de recantatione ſua aſſerat, illud tamen ex auctore libri *The Worthies of England* conſtat, " Certum eſt Seldenum in literis " ad archiepiſcopum Laudum ſinceram ſuam profeſſum eſſe contritionem, pro pub-" licatione libri ſui de decimis." Poſt palinodiam hanc, quae difficilius ipſi quam Herculi clavâ extorquebatur, cum manus ipſius ligatae eſſent, ut *ἄλλην δρῦν βαλανίζειν* aut apologias conficere nequiret, tota adverſariorum ejus caterva ſuborie-batur, qui ut dolorem dolori adderent, variis eum modis per reſponſa affligere quaerebant. Horum dux & ſignifer cothurnatus erat Jacobus Sempill eques Sco-tus, qui in appendice libri ſui *Sacrilege ſacredly handled* Lond. MDCXIX eam partem decimarum, quae ex ſacra ſcriptura derivatur, refutare aggrediebatur. Huic Seldenus reſponſi loco admonitionem reddidit, cujus exemplaria MSS. inter ami-cos diſpertiebantur, archetypum autem hodie inter manus Gualteri Moyle armigeri verſatur. Equitis Scoti calcem archidiaconus Roffenſis Richardus Tilſlejus preſſit, qui anno MDCXIX Londini Animadverſiones ſuas in hiſtoriam decimarum typis commiſit. His Seldenus reſponſum tulit, quod in ſecunda Animadverſionum ſua-rum editione Londini MDCXXI, orbi erudito cum reſponſo ſuo per ſectiones ob-tulit; cujus MS. in Muſaeo Aſhmolaeano hodie adſervatur. Hunc excipit alter in-fenſiſſimus Seldeniani nominis hoſtis, ſupra nominatus Richardus Monacutius, qui vi naturae & ingenio elatus famae ac eruditionis ſocium ferre non potuit. Hic in

* My good Lords,

I moſt humbly acknowledge my error which I have committed in publiſhing the *Hiſtory of Tithes*; and eſpecially, that I have at all, by ſhewing any interpretation of holy Scripture, by meddling with Councils, Fathers or Canons, or by what elſe ſoever occurs in it, offered any oc-caſion of argument againſt any right of mainte-nance *jure divino* of the miniſters of the Goſ-pel; beſeeching your Lordſhips to receive this ingenuous and humble acknowledgement, toge-ther with the unfeigned proteſtation of my grief; for that through it I have ſo incurred both his Majeſty's and your Lordſhip's diſpleaſure, con-ceived againſt me in the behalf of the Church of *England*.

JOHN SELDEN.

Diatribe ſuper tria priora capita Hiſtoriae Seldenianae Londini MDCXXI, ut & in Decateutica & apparatu ad Orig. Eccleſ. p. 254, & tom. 2. Orig. Eccleſ. p. 210. Seldenum refutare conatus eſt. Aſt cum triga adverſariorum Hiſtoriam Decimarum non a capite ad calcem examinaverit, illa Hiſtoriae pars, quae Judaicam recenſet decimandi praxin, hactenus inconcuſſa manſit, donec Stephanus Nettles S. T. B. primum pro concione publica (uti ipſe aſſerit) multa adverſus eam ſub prelo adhuc ſudantem exceperit, & deinde ſcriptum aliquod divulgaverit Oxonii MDCXXV, hoc titulo: *An anſwer to the Jewiſh part of Mr. Selden's Hiſtory of Tithes.* Rationem autem quare poſt tot annorum decurſum demum reſponſum hoc publici juris fecerit, ipſe aſſignat, dicens: "Quia hiſtoricus ipſe & nonnulli alii, benevo-" lo affectu potius quam judicio ducti prae caeteris Judaicam Hiſtoriae hujus par-" tem adhuc extollunt quaſi magni momenti myſteria illi incluſa eſſent." Montacutio & Nettleſio, quantum quidem novi, nullum dedit reſponſum Seldenus, nec Willelmo Sclatero, qui argumenta de decimis Londini MDCXXIII, in 4to. pro virili examinare conatus eſt. Apologia ejus Anglica pro ſcriptione Hiſtoriae Decimarum (quam in tertio operum ejus exhibemus tomo) in genere tantum tractatus hujus hiſtoriam & materiem abſolvit: & num rixas literarias evitaverit, quod (ut in diſſertatione de decem ſcriptoribus Anglicanis ait) horridulo ſerrae contentionis literariae ſtridore haud ipſi quidquam eſſet inſuavius, an vero juſſu regio ab iis abſtinuerit patet ex Vindiciis Exiſtimationis ſuae, tom. II. opp. fol. 1423. "Hoc tem-" pore anni jam dicti MDCXVIII verno factum eſt, ſeu circa annum & men-" ſes tres, antequam ego in carcerem aut cuſtodiam aliquam fueram unquam con-" jectus, aut etiam carceris alicujus minas mihi audiveram, extra quam quod Ri-" chardus Montacutius (poſtea epiſcopus Norwicenſis) in ſe recepiſſet, Hiſtoriae" Decimarum, rege annuente, confutationem, rex mihi acrius interdicens reſponſo" aliquo mihi dixit: *Si aut tu ipſe, aut quis amicorum in confutationem illam* (quae" paulo poſt furore pleniſſima Anglice exiit) *ſcripſeritis, in vincula te conjiciam.*" Quod confutationis futurae puto non exigua per ſe confutationis inſtar fuit." Et c. 16. Syntagm. II. de diis Syris cauſam ſilentii ſui contra antagoniſtas declarat. "Locus hic non eſt plura aperiendi de lite illa decimarum acriter nimis, non di-" co quam feliciter, ſi compluribus contra nos, manum interea de tabula non ſine" juſſu principali, cui libentiſſime parebamus, ſecure retinentes diſputata. Nu-" meroſus ſane eſt libellorum, quos ea occupat, cumulus. Sed diu eſt, quod an-" noſa ſatis & ſatis vexata, prudenter puto, ſopita eſt." Quamvis autem in diverſas partes abierit eruditorum illius temporis judicium de Seldeni adverſariis, cum juxta ſententiam Arabicam لا كلّ من جلد النّمر شجيس *non omnis qui pellem fert pantherae fortis eſt*, & Seldenus ipſe ἔριν Heſiodi in orbem terrarum miſiſſe viſus fuerit; ſucceſſu temporis haud parum roboris contulit ad civile decimarum jus corroborandum. Patet hoc ex epiſtola conjunctiſſimi ipſius amici Gerardi Langbaine collegii reginalis Oxonienſis praepoſiti ad Seldenum ſcripta, quae exſtat in Lelandi collectaneis append. I. p. 291. his verbis. "Ex occaſione hiſtoriae decimarum" hodie ventilatae, nonnulli, quorum res agitur, a me quaeſiverunt, quid de civili" earum jure ſtatuendum, quibus quid regererem, nihil melius novi, niſi quod ad" tuam eos ablegarem hiſtoriam. Hoc mirum forſan illis videbitur, nullus ta-" men dubito, quin opus hoc (Peliae haſtae inſtar) quod quam maxime divinum" decimarum jus deſtruxit, civile quam firmiſſime ſit adſtructurum. Et ſi hic" primarius libri hujus ſcopus eſſe praetenderetur, de proſpero rei ſucceſſu non de-" ſponderem." Literis his anno MDCLIII, Aug. 22. ſcriptis Seldenus reſponſum dedit, ut in libro *Table Talk* dicto edocemur, quod de Hiſtoria Decimarum multo aptius ſimile quam Peliae haſtae ipſis ſuggerere poſſet, nempe fatum librorum Ariſtotelis, qui publica auctoritate Pariſiis concremati & poſt quadraginta annos reſuſcitati, in omnium manus reddebantur. Praeter ea, quae dum Seldenus vitales traxit auras circa Hiſtoriam Decimarum agitabantur, Georgius Carleton epiſcopus Cice-

Ciceſtrenſis ſub initium ſeculi decimi ſeptimi anno MDCVI & MDCXI, librum edidit de decimis, ſub hoc titulo, *Tithes proved to be jure divino.* Et Cornelius Burgeſius: *Tithes proved due both in conſcience, and by the lawes of the kingdome* MDCXXV. Sub finem regni regis Caroli II. nova cum veteri titulo editio hiſtoriae hujus publici juris fiebat; in qua omnes Seldeni adverſarii reviviſcebant in Thoma Combero, qui cuncta eorum argumenta in nuce exhibuit, in libro ſuo, *Hiſtorical Vindication of the Divine Right of Tithes* MDCLXXXII, & rurſus anno MDCLXXXV. Argumentorum horum ſpicilegium fecit Carolus Leſlejus MDCC, in libro: *Eſſay concerning the Divine Right of Tithes,* quem Humfredus Prideaux, Decanus Norwicenſis, vir, de republica literaria, ſi quis alius, optime meritus, ſecutus in libro: *The Original and Right of Tithes* MDCCX. Adde his quae Henricus Spelmannus eques auratus & Edwardus Stillingfleet epiſcopus Wigornienſis, ille in tractatibus de non temerandis eccleſiis, de decimis & hiſtoria ac fato ſacrilegii, hic in caſibus eccleſiaſticis erudite, congeſſerunt. Tria priora Hiſtoriae Decimarum Seldeni capita, literatorum coryphaeus Joannes Clericus latine converſa ſuo in Pentateuchum commentario cum caſtigationibus ſubjecit, quarum judicium aequo relinquo lectori; mihi Seldeni diſcipulo, nimis acerbae, (quod pace viri clariſſimi dixerim) ſtricturae illae videntur, praeſertim quas, in notis ad ſect. II. §. 1. lego. Ex occaſione nonnullorum quae in capite libri, *Review of the Hiſtory of Tithes,* occurrunt Seldenus librum θεάνθρωπος conſcripſit, qui tamen anno demum MDCLXI, publicam vidit lucem.

Motibus hiſce de hiſtoria decimarum vix ac ne vix quidem compoſitis, alii carceres ac odia regis minantes exoriebantur. In curia & ſenaculis parliamentariis, procellae & tempeſtates detonabant. Tolerantia & privilegia pontificiis indulta, murmura excitabant plebis, quae ſenatorum animos in diverſa trahebant. Seldenus illa tempeſtate eos nactus erat adverſarios, non qui odio inimicitiarum ad accuſandum, ſed qui ſtudio accuſandi ad inimicitias deſcendebant. Rem totam ex illius temporis hiſtoria paucis expediam. Vergente anno MDCXXI, ſub finem menſis Novembris, inferior comitiorum parliamentariorum ſenatus multa de ſtatu religionis in Anglia, de fraudibus & aſtutiis papicolarum & Hiſpanorum, de matrimonio principis Caroli cum Infanta Hiſpaniae, & de bello in Palatinatu orationibus ventilabant, quae deinde duobus libellis ſupplicibus ad regem ipſum complectebantur, humili prorſus modo addentes remedia nonnulla contra ingruentem malorum horum vim. Rex ira commotus petitiones aegro tulit animo, illiſque reſponſum dedit, quod alieni fori negotia tractarent, quod diſputarent de rebus quae ad aliud ſpectant tribunal. Senatus hoc reſponſo regio incenſus proteſtationem (quam & petitiones vide vol. I. hiſtor. collect. Ruſhworth. pag. 40. ſeq.) antequam comitia in octavum Februarii diem rejicerentur, communi conſenſu decimo nono die Decembris in tabulas referebant, hujus tenoris: Quod privilegia, praerogativae & immunitates ſenatus populique Anglicani concedant iis libertatem in comitiis parliamentariis de hujuſmodi rebus conſultare, quarum in libellis ſupplicibus mentio facta eſt. Rex Decembris 30 convocato concilio privato, accerſivit diarium domus inferioris parliamenti, proteſtationemque illam propria manu ex publicis eorum tabulis eraſit, ac ſexto Januarii die ſequenti comitia, ante primae ſeſſionis finem diſſolvit. Attamen ſtomachari haud deſiit, ſed fraena potius irae ſuae laxans, nonnullos ex ſenatu quos auctores motuum credebat in carcerem conjecit. Seldenus noſter, licet albo ſenatorio nondum inſcriptus, aſt ad conſilia de praerogativis parliamentariis danda, evocatus, proteſtationis ſuaſor an author, multa in hanc rem coram ſenatu diſſeruit, genioque ſuo indulgens vitia curiae, imminens papiſmi periculum regis animum fraude aulicorum a ſenatu alienatum palam expoſuit. Hoc iram regis adeo irritavit, ut Seldenum in arctius ſub cuſtodia decurionis Londinenſis detruderet domicilium. Quod ipſe in vindiciis exiſtimationis ſuae his enarrat verbis: “ Exitus “ parliamenti jam dicti (quod quaſi quadrimeſtre erat) incidit in Junium anno “ MDCXX, cum ob res parliamentarias, quibus cum proceribus aliquot, ut juris

" regii, ita & libertatis patriae justae amantioribus, me, nec temere, sed ut consi-
" liarium ab ipsis adscitum immiscueram (neque enim hactenus comitiorum parli-
" amentariorum ipse pars fueram unquam aliqua) regio jussu in Roberti Ducaei de-
" curionis Londinensis, viri optimi & tunc urbis vicecomitis, posteaque baronetti,
" custodiam detrudebar, uti & procerum aliqui in aliorum ejusmodi custodias. Ita
" arcta quidem mihi fuit illa, ut libero amicorum colloquio frui non esset, pro mo-
" re, permissum. Atque in ea per hebdomadas tenebar quinque. Sed non alibi
" quam in aedibus Ducaei Londini nitidis splendidisque; neque aliter atque amicis-
" sime lautissimeque illic per tempus illud exceptus habebar. Sub hebdomadarum
" illarum finem, in aulam ex regio jussu vocatus sum a proceribus aliquot privati
" consilii, in quibus ille ὁ πάνυ & dignitatis suae & eruditorum coryphaeus Lance-
" lotus Andraeides, antistes Wintoniensis, ut cordatissime pro more suo, munus su-
" um, ita amantissime mihi, de parliamentaria citra regem jurisdictione, captio-
" sius interrogato, patronum se praestitit. Hinc adeo infensus esse desiit rex.
" Nam ex sycophantiis aulicis aliquot, tum proceres istos custodiae traditos, tum
" me falso insimulatum esse satis jam perspexerat. Unde solennibus libellis sup-
" plicibus porrectis, liberabamur omnes." Ex hoc liberatus carcere ac locupletis-simo jam restitutus museo, liberumque spirans aerem, studia continuare aggrediebatur Seldenus. Atque primum Augusti Vincentii Rouge-croix liber, *Discovery of Errors in* Brook, in manus ipsi traditur, quem eleganti eruditaque operi illi praefixa epistola perpolivit.

Anno proxime insequente auctor noster Eadmeri Monachi Cantuariensis & discipuli S. Anselmi Historiam Novorum, quae diu neglecta jacuit, ut Sibyllae folium, cui arbitri & interpretis lumen deesset, e tenebris eruit, eamque in carcere ante biennium tentatam, jam absolvit ac Joanni Williams episcopo Lincolniensi, magnique sigilli Angliae custodi consecravit. Libri hujus veneranda antiquitas, doctissimaeque monumentorum ejus illustrationes Seldeno summam gloriam, omniumque animos conciliabat. Unde Clemens Reynerus hoc anno Angliam ingressus ad antiquitatem Benedictinorum ordinis in hac insula investigandam, famae orbis literati consuluit, ac propositum cum viris doctrinae ac eruditionis gloria domi forisque claris, Roberto Cottono, Henrico Spelmanno, Guilielmo Camdeno Clarentio, & Joanne Seldeno communicavit. Quid ex gazophylacio scientiarum eorum hac de materia hauserit, disceptationibus suis historicis, pag. 202, 203. inseruit, ubi herois nostri famam his describit verbis. " D. Joannes Seldenus jurisconsultus, ita in
" studio jurium tam civilis & canonici quam municipalis Angliae profunde doctus,
" ut inter praecipuos justitiae (ut sic dicam) sacerdotes merito habeatur; ita ta-
" men in antiquorum monumentorum indagatione solidus, ut videatur nulli alteri
" rei operam dedisse; linguarum autem eruditiorum, Latinae, Graecae, Hebraicae
" aliarumque intelligentia valde conspicuus, quod indicant, quae scripsit non so-
" lum nostro Anglorum idiomate, verum & historica quaedam quasi pegma lu-
" dentis aut sese recreantis ingenii, spicilegia historica in Eadmerum, & syntagma
" eruditum de Diis Syris, quorum mentio in sacris scripturis occurrit.

Hoc anno MDCXXIII, Seldenus senator municipii Lancastriae cum Thoma Fanshaw armigero renunciatus, Februarii 12, sedem in comitiis occupavit, testantibus inferioris domus parliamenti monumentis. Ast biennium tantum burgi hujus saluti consuluit, toto hoc tempore otiis literariis indulgens, & post tot tantasque lites ac turbas, quas amor libertatis patriae ciebat, tranquillitatis privatae assertor strenuus. Adeo in museo latere, musisque incumbere placuit Seldeno, ut officii domestici immemor, nihil in usum societatis, cujus decus & praesidium fuit, ne coactus quidem conferre vellet. Patet hoc ex sequenti historia, quam ex registro secundo interioris templi hausi. Seldenus scilicet unanimi totius societatis consensu lector juris in hospitio dicto *Lyons Inn* delectus, spartam hanc quam nactus erat, repetitis vicibus admonitus nec suscipere nec ornare voluit. Tandem cum nec precibus aut minis, nec obtorto collo ad cathedram trahi poterat, ob contumaciam

mulctatus, atque de ſede in tribunali illo deturbatus, ab omni ſpe reſtitutionis dejiciebatur. Enarrat hoc regiſtrum modo dictum his verbis. “ *Whereas an or-*
“ *der was made at the bench table this Term, ſince the laſt parliament, and entered*
“ *into the buttery book in theſe words:* Jovis 21 die Octobris 1624. Memorandum,
“ *That whereas* John Selden *Eſq; one of the utter barriſters of this houſe, was in Tri-*
“ *nity Term laſt choſen reader of* Lyon's Inn *by the gentlemen of the ſame houſe, ac-*
“ *cording to the order of their houſe, which he then refuſed to take upon him*
“ *and perform the ſame, without ſome ſufficient cauſe or good reaſon, notwithſtand-*
“ *ing many courteous and fair perſuaſions and admonitions by the maſters of the bench*
“ *made to him; for which cauſe he having been twice convented before the maſters*
“ *of the bench, it was then ordered, that there ſhould be a* ne recipiatur *entered up-*
“ *on his name, which was done accordingly; and in reſpect the bench was not then*
“ *full, the further proceedings concerning him were reſpited until this Term. Now*
“ *this day being called again to the table, he doth abſolutely refuſe to read. The*
“ *maſters of the bench taking into conſideration his contempt and offence, and for that*
“ *it is without precedent, that any man elected to read in Chancery has been diſ-*
“ *charged in like caſe, much leſs has with ſuch wilfulneſs refuſed the ſame, have or-*
“ *dered, that he ſhall preſently pay to the uſe of this houſe the ſum of* 20 l. *for his*
“ *fine, and that he ſtand and be diſabled ever to be called to the bench, or to be a*
“ *reader of this houſe. Now at this parliament the ſaid order is confirmed; and it*
“ *is further ordered, that if any of this houſe, which hereafter ſhall be choſen to*
“ *read in Chancery, ſhall refuſe to read, every ſuch offender ſhall be fined, and be*
“ *diſabled to be called to the bench, or to be a reader of this houſe.*”

En ardens deſiderium ſocietatis hujus ſtudiorum praecepta legumque commentarios ex ore magni Seldeni hauriendi! En communia ſuffragia viva voce e cathedra ab eo edoceri ſcientias, qui orbem terrarum nominis ſui celebritate implevit. Aſt votis hiſce cum Seldenus annuere nollet, ac nulla ex muſeo ejus praelectio in hoſpitio juridico dicenda, extorqueri poſſet, nihil aliud ad bonum in ſocietate regimen conſervandum reſtabat, quam ut ex decreto publico minis poenaque valde ſevera animus herois noſtri labefactaretur, qui aliis illo tempore diſtractus negotiis, publicaque privatis anteponens ſtudia, aliquantulum perturbatus fuit. Aſt cum non obſtante fato iniquiſſimo ac tanto viro indigna exterminatione de patria, de republ. literaria optime mereri pergeret Seldenus, domique ac foris magnus eruditi orbis praeſes & moderator clueret, tandem anno MDCXXXII, termino Michaelis ſocietas haec ducta inimicitiae poenitentia, ambabus manibus eum recepit ac fovit, ac ſtatutum reſtitutionis in tabulas publicas retulit his verbis; “ Mich. Term. 1632.
“ *It is ordered at this parliament, that Mr.* John Selden, *one of the utter barriſters*
“ *of this houſe ſhall ſtand enabled and be capable of any preferment in the houſe in*
“ *ſuch a manner, as other utter barriſters of this houſe are to all intents and purpo-*
“ *ſes, any former act of parliament to the contrary notwithſtanding; and according-*
“ *ly he was called to the bench* Michaelmas *following.*”

Inteſtina haec diſſidia dum rabiem adverſus Seldenum exercerent, rex Jacobus vitam cum morte commutabat: Deinde comitia nova (prioribus diſſolutis) primo Caroli I. Febr. 6. MDCXXV indicuntur, in quibus Seldenus burgi *Great Bedwin* in comitatu Wiltoniae cum Mauricio Barkeley equite, ſenator eligebatur. Rex patris premens veſtigia, conſiliariis & aulicis paternis imperii & curiae ſuae curam concredit, bellum in principis Palatini gratiam continuat, ducemque Buckinghamiae, quem princeps Walliae intimo cordis affectu fovit, jam ad regium evectus ſolium, conſiliorum & vitae ſocium fecit. Haec & multa alia ignem fomiteſque diſcordiarum curiae ſenatoriae intulerunt. Parietes gravaminibus & querelis perſonabant, dux Buckinghamiae fax & tuba omnis mali, publicaeque calamitatis audit. Samuel Turnerus medicus ſex propoſitiones ſeu quaeſtiones potius, contra ducem in ſenatu proponebat, quas Thomas Wentworth eques, Guilielmus Noy & Joannes Seldenus orationibus illuſtrabant. Tandem res eo recidit, ut ex ſenatuſconſulto votum ederetur, quod

 communis

communis fama ſufficiens ſuppeditaret ſenatoribus argumentum, proceſſum contra aliquem formandi. Hoc nixi fundamento poſt trimeſtre fere ſpatium an. MDCXXVI Maii 8, tredecim accuſationum articulos contra ducem Buckinghamiae conſarcinatos ſuperiori comitiorum domui exhibent. Hi in colloquio utriuſque domus parliamenti per octo ſenatores primarios & ſedecim adſeſſores explicabantur. Nomina priorum ſunt Dudley Diggs eques auratus, qui accuſationum articulos auſpicabatur, Herbertus, Seldenus, Glanville, Pym, Sherland, Wandesford & Joannes Elliot eques, qui finem negotio huic impoſuit. Quartum & quintum articulos ad veritatis trutinam examinandi provincia Seldeno tradebatur, qui oratione hiſtoriae & eruditionis documentis refertiſſima rem expedivit. Eſt haec prima inter orationes quas tertio operum Seldeni volumini inſeruimus.

Dudleius Diggs & Joannes Elliot equites pro concionibus in utroque tribunali habitis in turrim Londinenſem detrudebantur, ſed libertate non longe poſt donabantur. Hoc facto ſenatus unanimi conſenſu ſtatuit, quod illi, necnon Seldenus ac reliqui ſenatores, qui articulos accuſationum contra ducem Buchinghamiae publice tractaverunt, non ſint tranſgreſſi commiſſionem datam iis ad colloquium cum proceribus habendum. Aſt finito hoc praeludio, cum ad proceſſus contra ducem continuandos ſe accingerent, turbulenta haec fluctibuſque diſſenſionum agitata comitia, periodum videbant anno MDCXXVI Junii 15. Priuſquam autem rex illis finem imponeret varia emiſit mandata ad tributa pro expenſis ſuis quotidianis mutuo danda & colligenda, quae univerſis valde diſplicuerunt ſubditis. Ut benigniori fronte liberaliorique illa exſolverentur manu, clero res committitur, qui pro concione auditores ſuos ad obedientiam regi debitam praeſtandam exhortentur. Hanc ut ſtabiliret doctrinam, regiſque mandatis ſatisfaceret Sibthorp S. Theologiae doctor in verno judicum conſeſſu Northamptoniae MDCXXVI Februar. 22, celebrato, ſermonem ad populum habuit, vocatum Obedientia Apoſtolica. Eum ut typis divulgaret licentiam ab archiepiſcopo Cantuarienſi Georgio Abbot obtinere ſtuduit; ſed hac non impetrata in aedibus Lambethanis, ad epiſcopum Londinenſem ſe contulit, cujus Sacellanus domeſticus Dr. Worral, vir multifariae eruditionis, cujus principia tamen & doctrinas, arctioris conſcientiae dictamina haud gubernabant, licentiam impreſſionis, ſubſcriptione nominis ſui conceſſit. Sed poenitentia ductus, ſuaſuque amicorum ſermonem hunc ad Seldenum mittit, cum annexa epiſtola, qua opinionem ejus ſummopere expetit ſuper his, quae paulo ante contigerunt. Seldenus de lecto hoc ſermone judicium literis conſignare noluit, ſed Worrallium accerſitum hoc modo alloquebatur: " Quid tu feciſti? Calculum adjeciſti libro erroneis principiis " pleno, quae ſi veritati ſunt conſona non datur Meum aut Tuum, ac nemo in Anglia " aliquid de proprio poſſidet. Quandocunque tempora mutabuntur, & quae non ita " pridem tranſacta ſunt ad examen revocabuntur, patibulum tibi praemii loco pro " hoc libro parabitur." Worrallius dicto hoc perterritus, quid conſilii jam caperet, cum manu ſua licentiam libri hujus obſignaviſſet, Seldenum rogavit. Ad quod ille regeſſit, " eradendum eſt nomen tuum, ut ne apex quidem literulae appareat in " charta." Hoc pacto difficili huic negotio ſe extricavit. Attamen ſermo ille publicam videbat lucem anno MDCXXVIII, & non tanti momenti eſſe adjudicabatur, ut animos ſubditorum & tributa hilari animo ſolvenda flecteret. Permulti illa juribus gentis Anglicae contraria credebant, unde ea mutuo dare recuſabant. Res haec regis odium & carceres haud paucis, iiſque non ultimo loco natis attraxit; ex quorum numero quinque, videlicet, Thomas Darnell, Joannes Corbet, Gualterus Earl, Joannes Heveningham & Edwardus Hampden equites, privilegio ſenatuſconſulti Habeas Corpus dicti, confiſi, libertatem ſuam aſſerere tentabant. Seldenus oratione ſua tutelari pro privilegiis Edwardi Hampden equitis, multa de iis erudite diſſeruit, uti ex oratione ejus in tertio operum volumine patet. Nec tamen eloquentiae oratoris aut argumentationibus juriſconſulti tantum roboris ineſſe voluerunt aulici regis, ut animos eorum mitigarent, ac ad recludendos carceres incitarent; ſed judex praetorius Nicolaus Hide eques paucis verbis argumenta recapitulans, quinque ſupra memoratos

moratos viros ad arctiora domicilia remisit, ex quibus non dimittebantur, donec consilium nova convocare comitia confirmatum fuerit, quo tempore hi & alii incarcerati jussu concilii regii in libertatem sunt restituti. An hoc animos tributum mutuo dare recusantium animos edulcavisse crederes, an potius exacerbavisse? Certe calcar addidit senatui libertatem subditorum majori alacritate & zelo in comitiis adserendi, quae 17 Martii MDCXX$^{vii}_{viii}$ tertio Caroli I. summonebantur, in quibus Seldenus municipii Ludgershall in comitatu Wiltoniae cum Thoma Lay equite senatorem se stitit. Die Martis Martii 25, MDCXXVIII, controversia de libertate civium in senatu primordia sumpsit. Quinque paulo ante dicti viri occasionem huic ratiocinationi, aut altercationi potius, praebebant contra quos judicium vel sententia in commentarios relata esse dicebatur. Dum res haec publice ventilaretur Robertus Heath eques, cognitor fisci regii auctor schematis sententiae hujus fuit repertus, qui omnem impendit operam, ut in tabulas publicas referretur. Judices autem regii totis viribus proposito huic restiterunt. Post varia tandem in utramque partem disputata, Seldenus tali modo fatus est: "* Non argumentandi causa in hoc "maximi momenti negotio consurgo; quo majus nunquam hic vel alibi locorum "tractatum fuit. Libertas, uti jurisconsulti & alii, quod spero, credunt, licet non "sine concomitantibus querelis, est violata; nunquam tamen nisi in hoc speciali "casu, sententia, de ea, quantum quidem novi, lata est. Privilegium decreti Habeas "Corpus dicti asserebatur; causa jussu regio, praevioque consiliariorum regis scitu in forum redibat. Argumenta adferebantur. Septem senatusconsulta allegabantur, quibus bona verba responsi loco data sunt. Tandem sententia declarabatur, quod carcer jussu regis vel concilii assignatus relaxari nequiret. Solennia "semper argumenta in causa magni negotii adhiberi didici. Res haec regis conciliique auctoritatem respicit; ideo rogo, ut nonnulli ex regiis consiliariis edisserant, quo pacto tantam potestatem tueri ac justificare valeant."

Haec controversia de libertate civium dum agitaretur in comitiis, Edwardus Coke eques assurgens dicebat, nimis periculosum esse, praerogativam regis infringere, uti patet exemplo domini de Beaumont 18 Edw. II, qui regi a secretioribus consiliis fuit, & cum extra patriam legati munere fungi, regiaque tractare recusaret negotia, mulctatus in carcerem conjiciebatur. Petrus Hayman, Guilielmus Fleetwood & Joannes Elliot equites cum aliis multa contra allatum exemplum attulerunt. Seldenus opinionem suam adjecit hoc modo: † "Illis assensum praebeo, qui particulare "hoc servitium examinari jubent. Jam quod ad exemplum modo allatum attinet, "observetis quaeso, dominum de Beaumont fuisse regis ministrum, non solum qua "consiliarius intimus, sed alio etiam respectu. Rex forsan ministrum suum quocunque vult ablegare potest; ast non sequitur, quod idem aliis facere possit."

Die Jovis sequente Martii 27 MDCXXVIII, Creswellus unus senatorum prolixa oratione, subditorum gravamina circa incarcerationem absque declaratione causae prosequebatur, quod nempe hoc contrarietur fundamentalibus regni hujus legibus libertatumque civium auctoritati multum derogaret. Haec Seldenus sermone haud

* I rise, not to make an argument in this point, the greatest that ever was in this place or elsewhere. This liberty, which all men as well lawyers as others believe, as I hope, hath been violated, tho' not without complaint: But except in this late course, I am confident, was never adjudged before. The *Habeas Corpus* was brought, the cause was returned by command of the King, intimated by the Lords of the council: Argument was made: Seven acts of Parliament were mentioned, and all were passed over, and only commended, and upon that a declaration of judgment given, and so adjudged, that upon any commitment by the King or the Council, no enlargement can be. I ever observed, in any great cause, solemn arguments used to be made. We see his Majesty and his council are both interested in this. I do desire that some of the King's Council may speak what they can to satisfy us of this great power. *Ex MSS. Pymmii apud virum honoratum Thomam Hales baronettum.*

† I assent to those that this particular service be taken into consideration. As for that precedent cited, do but observe that the Lord *Beaumont* was the King's servant, both as a Privy Counsellor, and otherwise. Perhaps the King may send his own servant whither he pleaseth: But it follows not, that therefore others may be sent also.

b

incompto

incompto & argumentis ſolidis ex antiquitate ſenatuſque conſultis petitis, clariora reddidit. Damus eam in tertio operum ipſius volumine.

Die Veneris ſequente Martii 28, Seldenus orationi procuratoris regii pridie circa eandem materiam factae haec reſpondit. * " Quaeſtionem propoſiturus ſurgo. " Heri dominus procurator eruditum proferebat argumentum ſtatuto 21. Edw. I. " confirmatum. Aſt illud civium libertatem ſalutemque populi diſerte adſtruit. " Mihi ſiquidem perſuaſiſſimum eſt, quod *libertas populi ſit ſalus populi:* Feſto " juriſconſulto imperiali, qui Paulum ad Agrippam mittebat, ſanae rationi con- " trarium videbatur captivum ablegare, abſque ſpeciali criminis ejus ſignificatione. " Ex conſtitutione imperiali nullius carcer ultra 30 dies protrahebatur, ac erga- " ſtularius ſub poena obſtrictus erat, captivitatis rationem dare; & ſi ergaſtula- " rius hoc facere negligat, mulctetur. Cum hic ſermo ſit de ſententia in Banco " Regio data, exempla male recitata eſſe aiunt. Inquirat quaeſo coetus ſenato- " rum ſelectior in ſententias has ac exempla. Actio *Quouſque* hic intendebatur, " ſed nihil praeter *Remittitur* invenitur. Officium miniſtri eſt, in commentarios " referre actionem *Quouſque*, &c. hoc eſt, donec juxta legis praeſcriptum libe- " rentur, & haec eſt integra ejus rei ſententia."

Poſt varias hujuſmodi diſputationes coetus ſelectus ſenatorum ad proceſſus in hoc caſu examinandos condicebatur, cujus praeſes Seldenus conſtitutus variorum judicia & opiniones collegit. Tandem ſenaculo reſtitutus narrabat, ſe cum aliis juriſperitis evolviſſe monumenta vetuſtiora ac inveniſſe exempla & pſephiſmata, quorum exemplar in comitia attuliſſet. His ſubjungebat, ſe in examine ſententiae de ſenatus conſulto *Habeas Corpus* dicto reperiſſe tantum actionem *Remittitur.* Haec & quae ſuperius ſunt allata, ſenatum moverunt ad varia pro libertate civium ſtabilienda conſilia, quae Vol. I. Ruſhworthii Collect. Hiſtor. p. 513. recitantur. Praeter incarcerationem abſque declaratione cauſae aliae etiam difficultates imponebantur iis, qui tributa mutuo dare recuſabant, ſcilicet carceres domeſtici & ablegationes ad ſervitia tranſmarina. Has quaeſtiones Aprilis 2. die in comitiis propoſitas Seldenus hoc modo ventilavit. † " Omnem impendamus operam, ut liber- " tates modo nobis conceſſas, quae primarium inter omnes occupant locum, tuea- " mur. Carcer enim domeſticus (*Confinement* Anglice) differt ab incarceratione, " imo legibus contrariatur, ut quis in domo ſua vel alibi coarctetur. Omnibus

* I riſe to make a motion. Yeſterday a learned argument was made by Mr. Solicitor, and 21 Edw. I. was cited by him, which makes clearly for the ſubject, alſo for that *ſalus populi.* I am ſure, that *libertas populi eſt ſalus populi.* And *Feſtus* himſelf that ſent *Paul* to *Agrippa* was a lawyer of the Empire; and to ſend a priſoner without ſignifying the crimes laid againſt him, ſeemed unreaſonable to *Feſtus* to do. By the law of the Empire, none were to be committed above thirty days, and the jailor is under a penalty to certify the cauſe of the priſoner's commitment; and if the jailor be ſlack he is to be fined. When they ſpeak here of the judgment given in the *King's-Bench*, they ſay the precedents were miſrecited. Let a ſub-committee ſearch into thoſe judgments and precedents. I heard here a *quouſque*, and there is nothing but a *remittitur.* The courſe of the officer is to enter *quouſque*, &c. and that is till they be delivered by law, and is all the judgment that can be. *Ex MSS. Pymmii.*

† For thoſe liberties already concluded (which are chief) let us determine how we ſhall right ourſelves in them. For confinement is different from impriſonment, and it is againſt the law that any ſhould be confined to his houſe or elſewhere. Every Chriſtide men are confined to their houſes by proclamation; this will be taken for a law. I know not what you call a puniſhment, but that there is ſome ground of it or mention in Acts of Parliament, Law-Books or Records, but for this I find none. Alſo it is a puniſhment itſelf. *Bracton* 136. lib. *de Corona*, ſpeaking of abjuration, ſaith, that *exilium eſt triplex, certorum locorum interdictio, ſive villae vel comitatus*, &c. ſo it is with him a baniſhment. 35. Eliz. there was then a deſire of this houſe to confine recuſants, and they petition'd the Queen about it, but that was not held a ſafe way, but they made a law for it. In all our queſtions ſtirred amongſt us, we cannot better determine them, than by comparing ourſelves to *villeins.* A *villein regardant* muſt not be out of his Lord's mannor, 22. Hen. VI 31. but *liber homo eſt, qui poteſt ire quo vult*, ſaith the book of Domeſday. *Jews* were confined to certain places, as here in *London* to the *Old Jewry.* The Civilians have perpetual priſons, and coercive priſons upon judgment in court, and *carcer domeſticus*, and that is in *Engliſh* confinement. Madmen may be confined. *Ex MSS. Pymmii.*

" feriis natalitiis homines per edictum publicum coarctantur; & hoc legis vim " obtinebit. Quid ſub nomine poenae veniat, neſcio, niſi quod fundamentum " aliquod vel mentio ejus occurrat in ſenatus conſultis, in libris juridicis vel mo- " numentis. Sed pro carcere domeſtico nulla datur lex, & tamen poena dici de- " bet. Bracton. 136. lib. de Corona, de abjuratione loquens dicit; exilium eſt " triplex, certorum locorum interdictio ſive villae vel comitatus, &c. & idem a- " pud eum valet ac relegatio. 35. Eliz. ſenatores ad carceres domeſticos damnare " volebant recuſantes, & hanc poteſtatem per libellos ſupplices a regina expete- " bant, quia tamen tuto hoc fieri non poſſe dicebatur, legis auctoritate veniam " ſtabiliverunt. Quaeſtiones hactenus inter nos ventilatas non melius determi- " nare poſſumus, quam ſi nos comparemus villanis. Villanus *regardant*, non de- " bet conſpici extra domini ſui territorium 22. Henr. VI. 31. aſt liber homo eſt, " qui poteſt ire quo vult, dicet liber Domeſday dictus. Judaei coanguſtabantur ad " certa loca, ut hic Londini ad vicum, vulgo dictum *Old Jewry*. Cauſidicorum " perpetui carceres, ergaſtula coerciva ac carcer domeſticus inſequuntur ſententias " curiae. Homines mente capti coarctari poſſunt."

Hac diſceptatione finita ſtatutum fuit, ut nullus civis coarctetur in domo ſua vel alibi. Hanc excepit alia de violatione proprietatis bonorum. Poſtquam ſcilicet Thomas Wentworth eques rogaſſet, ut quaeſtio de determinatione articuli de proprietate bonorum proponeretur, Seldenus dicebat: * " Gaudeo nos quaeſtioni tra- " ctandae tam vicinos eſſe, ſed errorem altero pede jam attingimus. Nemo hoc " niſi tanquam locumtenentis deputatus facit. Deputatum tantum domini ſui lo- " cumtenentis agit, & auctoritas ejus ab illo derivatur. Locumtenentis deputati " literis a proceribus regni inſtructi negotia peragunt." Haec & aliorum ſenatorum orationes tale produxerunt conſilium, quod ſcilicet non liceat regi vel miniſtris ejus cenſum, tributum vel alios ſumptus imponere ſubditis, abſque communi ſenatus conſulti conſenſu. Demum tertia quaeſtio naſcebatur, de civibus in regionibus tranſmarinis negotia tractantibus. Utrum ſcilicet rex eos nolentes volentes illuc ablegare poteſt. Orationem ea de re, vide Seldeni operum Vol. III. In craſtino & ſecundo poſt die rex duos ad ſenatum inferiorem miſit nuntios, unum de falſitate famae arrodentis ducem Buckinghamie, alterum de auxiliis praeſtandis. Nuntios hos Seldenus ſequenti excepit oratione. † " Benevola regis nun- " cia, bonitati ejus incrementa dederunt. Nos autem ſi diſceptando tempus te- " rere pergimus, elongamur a ſuppetiis regi mittendis. Ambabus manibus aſſen- " tior, ut propoſitiones ipſius ſub examen revocentur; hoc enim modo res illa " ſub forma parliamentaria ſucceſſum nanciſcetur. Rex eas ad nos miſit, ut qui- " bus egeret ſuppetiis, nobis innoteſceret. Obedientiae regi debitae deeſſemus, ſi " eas negligenter tractaremus. Omnes namque ad tutamen regni ſpectant, cu- " jus cura comitiorum inprimis tempore agitur, v. g. mare Balticum tueri, con- " ſcribere decies mille pedites, & mille equites, & alere ſexies mille milites. Si " omnes regis propoſitiones non exequamur in genere, ad has tamen exequendas " noſmet ipſos coegimus. Senatus in comitiis principem ad bella tranſmarina mo-

* I am glad to hear we are ſo nigh the queſtion, but we are near a miſtake. No man doth this but as a deputy-lieutenant. He is but deputy to the lord-lieutenant, and his authority is derived from him. Thoſe people who are deputy-lieutenants have letters of direction from the Lords. *Ex MSS. Pymmii.*

† The King's goodneſs has been encreaſed by his gracious meſſages. I doubt while we are in debate, we are as far off as at the firſt. I cannot but aſſent to that, that we take theſe propoſitions into our conſideration, and it is to advance this buſineſs in a parliamentary way. His majeſty ſent them to us to ſhew the ſupply that he wants. We perform not our duties if we look not upon them. And if we do, we may block up our ſelves with an inconvenience. All the particulars merely concern the defence of the kingdom, which we uſually in Parliament take into conſideration; as to guard the *Baltick* ſeas, to find 10000 foot, and 1000 horſe, and to pay 6000 ſoldiers. If we do not deſcend into all in general, then we have driven ourſelves to theſe. In Parliament ever the Commons decline to adviſe foreign wars, for it is an engagement to them. You know, it is objected againſt us, that we did adviſe the wars with *Spain*. *Ex iiſdem.*

" venda

" venda incitare nunquam audet; hoc ipſo enim ſe ad ſumptus faciendos obſtrin-
" git. Cuilibet conſtat, quod nobis objicitur, bellum Hiſpanicum noſtro ſuaſu
" fuiſſe ſuſceptum."

Ut autem ſenatorum inferioris parliamenti decreta conſenſum ſortirentur inferioris, 7 Aprilis ſtatuebatur, ut ea ad auguſtum regis tribunal tranſmitterentur, coram quo Seldenus monumenta & exempla civium privilegia confirmantia, eleganti oratione expoſuit. Habetur ea in tertio operum volumine.

Die craſtino Aprilis 8. ſelectus ſenatorum coetus praeſidem habuit Littletonium, & de injuriis ac rapinis militum tractavit. Haec poſtquam Gualterus Earl bene diſcuſſiſſet, Seldenus addebat: * " Locumtenentium deputati auctores ſunt hujus
" mali. In expeditione inſulae Rheae 4000 homines in noſtris terris alebantur,
" & de toto exercitu 1500 aegrotantes revertebantur, & 3000 locumtenentium
" deputatis alendi relinquebantur. Hi deputati conſtabulariis mandata impertie-
" bantur, ut aegrotos milites in diverſa domicilia aſportarent; illi autem unius
" hebdomadae ſtipendium nacti ſunt, & reliquarum adhuc adſervantur."

Sequenti die 9 Aprilis, Baberus ſenator, magiſter monumentorum civitatis Wellenſis in comitiis accuſabatur, quod capitaneis & locumtenentibus in civitate Wellenſi hoſpitantibus teſſeras militares diſtribuerit, iiſque certas domos aſſignaverit, non obſtante quod decretis parliamentariis plane adverſaretur, in quibus militum praefecti ob ampliora ſtipendia habitacula ſibi proſpicere jubebantur. Cancellarius Scaccarii accuſationem crimenque Baberi extenuans pacem commendabat ſenatoribus, aſſerens quod proceſſus contra Baberum ſemen diſcordiae ſererent inter duas curias Albae aulae & Weſtmonaſterii. Haec Seldenus ſequenti perſtrinxit oratione. † " Spe alor nos in hoc negotio non eſſe diſſenſuros. Hoc nullo mo-
" do ad tribunal ſuperius vel deputatos locumtenentium attinet. Locumtenentes
" ipſi nullam ei hac in parte auctoritatem tribuere poterunt. Baberum expulſione
" dignum credo; ſi ex ignorantia hoc feciſſet, conniverem. Se timuiſſe dicit;
" hoc cauſae loco omnes male agentes praetendunt. Qui enim ex timore ruri id
" peragit, quod haud deberet, in ſenatu quod juſtum eſt facere timebit."

Biduo poſt Aprilis 2, cum ducis Buckinghamiae oratio coram rege in concilio habita typis divulgata eſſet, ut publice legeretur, a ſenatu inferiori tractabatur. Ad quae Seldenus: ** " Num concilia parliamentorum in officinis expo-
" nentur? Num publici fient juris? Selectus ex nobis eligatur coetus, & perpen-
" datur, quis typis eam expreſſit, & quis libertatem impreſſionis conceſſit, & illi
" ex horum numero accerſantur, quibuſcum ſenatores coram agere aequum dux-
" erint."

Eodem die cum regis mandatum & inſtructiones circa jus armorum publice praelegerentur in tribunali inferiore, Seldenus agebat. †† " Res haec majoris eſt mo-
" menti, quam ulla quae unquam hic tractata eſt: De vita noſtra agitur. Juſti-
" tiarios propter mandata haec jus armorum haud exſequi audere invenio. Com-

* The deputy-lieutenants do all this. At *Rhé*'s expedition there were 4000 men in our country, and all the army upon the return there landed 1500 men that were ſick, and 3000 were left with the deputy lieutenants to pay. The deputy-lieutenants ſent warrants to conſtables to carry theſe ſick ſoldiers to ſeveral houſes, and they were never pay'd but one week, and the money is ſtill kept. *Ex MSS. Pymmii.*

† Touching the claſhing mentioned, I hope we ſhall not. This no way toucheth the lords or the deputy-lieutenants. The deputy-lieutenants themſelves could give him no authority. I think him fit to be expelled. Were it out of ignorance I ſhould be indulgent to him. He ſays he was afraid: It is the common excuſe of all agents. He that for fear in the country will do that, which he ought not, may fear to do what is fit here. *Ibidem.*

** Shall the councils of Parliament be laid on ſtalls? And ſhall any thus divulge them? Let a Committee conſider of it, and who printed it, and who gave licenſe for the printing of it, and ſend for what parties they think fit. *Ibidem.*

†† This matter is of the greateſt conſequence of any, that we have yet meddled with. This concerns our lives. We find juſtices dare not meddle with the law, by reaſon of theſe commiſſions. The commiſſion concerns ſoldiers, and all diſſolute perſons that meddle with them. *Ex MSS. Pymmii.*

" missio milites comprehendit, & omnes prodigos illis se associantes." Sed negotia haec de jure armorum multoties postea in senatum introducebantur ac Seldeni ingenium & eloquentiam exercebant, uti ex orationibus ejus die Aprilis 15, 19, 22, 25, 26, & Maii 7 habitis, quas in tertio operum volumine damus, perspicue patet.

Sermonibus illis Seldenus multorum animos adeo sibi infensos reddidit, inprimis eorum, qui ab ore aulicorum & consiliariorum regis pendebant, ut nec doctrinae nec eruditioni nec famae parcerent, sed labem qualemcunque hic illic ei aspergere tentarent. Exemplo sit infamis illa historia, quae in senatu inferiore April. 14 & 15, 1628 proposita, ventilata, & mendacii tandem convicta fuit. Hanc ex codicibus manuscriptis clarissimi ac consultissimi olim Pymmii, apud virum honoratum Thomam Hales baronettum adservatis, & ex ephemeridibus parliamentariis haustam sic accipe. Kirtonus unus patrum conscriptorum in senaculo declarabat, comitem Suffolciae asseruisse, quod Seldenus patibulum mereretur, eo quod tabulas publicas eraserit & seditionem promoverit inter regem & subditos. Inaudita haec res multorum curiosas evocavit quaestiones ad investigandam occasionem hujus accusationis. Joannes Elliot, Thomas Jermin, Thomas Edmonds, Humfredus May, Thomas Hobby equites & alii orationibus habitis, dubii quid hac de re statuerent permanserunt, his aulae, illis famae Seldenianae consulentibus. Ast cum nondum innotesceret, quis mendacium hoc ex ore comitis propagaverit, ut Seldeni existimationem vindicaret Kirtonus, jussu senatus fatebatur, se verba illa ex ore Joannis Strangeways equitis hausisse, qui comitem Suffolciae eadem dicentem audiebat. Haec cum proponerentur Robertus Philipps eques, rogabat, ut iniqua haec accusatio, quae in dedecus non Seldeni solum, sed totius etiam senatus tendebat, non interturbaret negotia publica. Post illa Seldenus ita : * " Ut me justificem appellor. Verba accusationis de erasione tabularum publicarum loquuntur, spero tamen neminem ei fidem adhibiturum esse. Quid comes hic sibi velit, hariolari nequeo. Integra exemplaria dictarum tabularum publicarum tribunali tradidi a me & aliis domus hujus senatoribus examinata, & clericus coronae officii sui monumenta proceribus exhibuit. Ut per nuntium coram cancellis tribunalis accusatio contra comitem talia loquentem adferatur rogo, & spero nobis jus aequumque vindicatum iri."

Finita hac oratione, Edwardus Coke eques multa ut Seldenum a crimine hoc absolveret, in medium protulit, appellans eum virum dignissimum ac illustre jurisprudentiae ornamentum, asserens quod accusatio illa ad totum spectaret senatum. Senatus hisce commotus verbis Joannem Strangeways equitem jussit literis consignare verba, quae ipse comitem Suffolciae contra Seldenum loquentem audiverat. Ea Robertus Philipps eques ad tribunal superius portare, atque accusationem ante cancellos ejus adferre jubebatur contra comitem illum, ut responsum daret, justitiaque senatori fieret. Tribunal superius responsi loco senatum certiorem reddebat, se totos in id incumbere, ut concordia harmoniaque inter senatum utrumque stabiliretur, addentes quod comes Suffolciae in honorem & animam suam protestatus sit, quod stigma tale Seldeno inurere non fuerit meditatus, neque verba superius memorata ad Joannem Strangeways equitem unquam sit elocutus. Die proxime insequente Joannes Strangeways eques in frequenti senatu asserebat, quod comes Suffolciae quidem negaverit, in honorem & animam suam se verba illa dixisse. Ast quod me attinet (Strangewaysium audis) coram Deo omnipotente & honora-

* I am called up to justify my self. I see the words charge me to have razed records. I hope no man believes I ever did it. I cannot guess what this Lord means. I did deliver in whole copies of divers records examined by myself and divers other gentlemen of this house. These I delivered into the Lords house, and the Clerk of the Crown brought in the records of the office before the Lords. I desire that there may be a message from this house to the Lords, to make at the bar there a charge against the Lord that spoke thus, and I hope we shall have justice. *Ibidem.*

3 tissimo

tiſſimo hoc ſenatu affirmo, eum ipſiſſima illa verba elocutum eſſe: *(Sir John, will you not hang Selden?)* Nonne patibulo affiges Seldenum, domine Strangeways? Affirmo illum poſitive eadem verba dixiſſe, meque promptum ac paratum ſiſto, fidem aſſertionis hujus, modo quo ſenatorem parliamenti decet, defendere. His auditis ſenatus coetum ſelectum deſtinavit, qui viam aperiret Strangewayſium juſtificandi.

Maleferiatis hiſce ſubſannationibus animo haud fractus Seldenus, eodem 15 Aprilis & aliis ſubſequentibus jus armorum multum ſtrenueque tuitus eſt, uti ex orationibus ejus hac de materia habitis videre eſt. Quia autem omnes ſenatus conſultationes nullam in ſe vim habebant, niſi communi parliamentorum regiſque conſenſu confirmatae eſſent, in animum duxerunt legem formare, quam petitionem juris appellabant. Haec octavo Maii finita in colloquio comitiali ad tribunal ſuperius aſportata eſt; diuque ac diverſimode agitatae tandem 17 ejuſdem menſis hanc addiderunt clauſulam: "Nos humillimam hanc petitionem majeſtati tuae "offerimus, ſoliciti non tantum propriam noſtram libertatem conſervare, ſed cum "debita veneratione integram relinquere poteſtatem regiam, qua majeſtas tua in "tutamen, munimen & felicitatem civium induta eſt." Clauſula haec quae omnes tribunalis inferioris conſultationes hactenus factas ſubvertit, multorum eloquentiam provocavit, inter alios Seldeni noſtri, qui erudita oratione clauſulae huic ſe oppoſuit, quam vide tertio Vol. operum. Hic & alii ſenatores ſermonibus ſuis λίνον λίνῳ συνάπτοντες tandem poſt varias diſceptationes 26 Maii a ſuperiorum comitiorum tribunali obtinebant, ut clauſula haec in petitione juris omitteretur. Pymmius unus ex ſelecto ſenatus coetu pro tuenda religione Maii 9 narrabat, quod Burgeſius clericus in comitatu Oxoniae profanationis accuſatus & convitiorum adverſus Calvinum & Bezam reſponſum reddere fuerit juſſus, hoc autem facere recuſans, contemptus parliamenti reus ſit adjudicatus. Quare ſtatutum fuit, ut hoc regi praeſentetur, ac ut pro hoc contemptu in turrim conjiciatur, durante beneplacito ſenatus. His Seldenus addidit: * "Quod ad formam proceſſus attinet, ſcilicet ut "huc regi praeſentetur, conſtat, quod rex puniat & juſtitiam diſtribuat in aliqua "curiarum ſuarum. Nulla ab ipſius regis perſona irrogatur poena, ſed ea in curia aliqua indicitur. Res haec religionem tantum concernit; attamen ad archiepiſcopale forum non poteſt tranſmitti, quia archiepiſcopus poenas infligere "nequit. Ut ad domum convocationis clericorum referatur, rogo." Et cum hic Burgeſius tertio pentecoſtes feſto Junii 3, libellum offerret ſupplicem, judicio ſenatus ſeſe ſubmittens, Seldenus dicebat: † "Nos omnes delinquentes ad tribunal ſuperius conducimus; inde in noſtra poteſtate non eſt poſitum, eos poſt ſubmiſſionem dimittere."

Die lunae Maii 12, Robertus Cotton baronettus ex ſelecto ſenatus coetu ad inquirendam electionem militum comitatus Cornubiae congregato aſſeruit, quod illi tyrannico plane faſtu elegerint & perverterint libertatem electionis militum comitatus; quod conſiliarii ad proceſſum hunc proſequendum iis ſint denegati, & quod ſelectus ſenatus coetus, petitionem eorum in contemptum auctoritatis parliamenti factam fuiſſe judicaverit. Haec Seldenus tali proſequebatur oratione: ** "Conſiliarios iis concedere poſſemus, ſed jam hic eorum non eſt opus. Ubicunque

"quaeſti-

* As for that courſe to have it preſented to his Majeſty: The King is to puniſh men, and diſtribute juſtice in ſome of his courts. There is not an immediate courſe of puniſhment from his Majeſty's perſon, but he muſt go to ſome court. This matter is only for matter of religion. It cannot go to the Archbiſhop: He as Archbiſhop cannot puniſh. I deſire it may go to the Convocation-houſe.

† Whoever is a delinquent here we tranſmit him to the Lords; and ſo it lies not in our power upon his ſubmiſſion to diſcharge him.

** We may allow council, but here now is no need. Where men are queſtioned for matters, where the truth appears not, council is granted. Here all theſe are to anſwer only to contempts. All the charge is in their own letters and petitions, which things all confeſs. Admit one come into the houſe and affront us, and we going to cenſure, he deſires council; if we ſhall grant it, we ſhall do that that no inferior court of *Weſtminſter-hall* doth. If one in the preſence of the

e court

" quaestiones formantur de rebus dubiis, quarum veritas non apparet, causidici ad
" rem examinandam conceduntur. Impraesentiarum ad contemptum authoritatis
" parliamentariae responsiones dandae sunt. Omnis eorum accusatio ex literis &
" petitionibus patet, & in confesso est. Supponamus aliquem senaculum ingredi-
" entem nos injuria afficere, & ille nos censura eum adstringentes rogaret, ut cau-
" sidicos ei rem hanc tractantes indulgeamus: Nonne hoc concedentes id quod
" nulli inferiori in aula Westmonasteriensi curiae in usu est, faceremus. Si quis
" praesenti curiae contemptum adferat, num consiliarii illi indulgerentur? Cau-
" sidici Cornubiensium nihil aliud in clientum suorum gratiam regerere queunt,
" quam quaerendo, an actio eorum sit contemptus, nec ne? Quaestioni huic du-
" bio plane modo respondent. Hoc tamen omnes fatentur se subscripsisse literis,
" quod idem est, ac si coram nobis hoc factum fuisset."

Cum autem sequenti die Littletonius coetus selecti praeses, proposuisset, ut Cornubienses errorem suum submisse, publicoque modo agnoscerent in conventu juridico, Seldenus addebat: * " Senatus non alia auctoritatem suam vindicare potest ratione, quam si crimen commissum submisse in Cornubia agnoscatur. Meritis virorum quorum res jam agitur, nulla inferri potest labes. Senatus noster injuria affectus est, quia homines illi liberam electionem impediverunt."

Sequente 14 die Maii Manwaring S. Theol. Doctor censuram subiit parliamenti ob concionem ecclesiasticam *Religio & Fides* dictam. Coetus ex senatu electus libellum accusatorium contra eum adferri voluit; at Pymmius, quod si eo contra illum procedatur modo, quaestio oriretur inter superiorem & inferiorem domus parliamenti, utrum ante hujus vel illius cancellos actio primum proponi debeat. Ad haec Seldenus ita: † " Alio modo quam cum superiore tribunali rem juste auspicari nequimus. E cathedra ecclesiastica scandala inurere parliamentis crimen est forense. Ut per libellum condemnatorium res contra eum procedat, haud aequum esse judico, nec ullo unquam tempore libellus talis in hujusmodi casibus prolatus fuit. Regis Henrici VI & Edwardi IV, temporibus multae condemnationes conscribebantur, ast in lege temporis aliquod spatium personae accusatae apparendi concessum est, nisi condemnationibus onerari vellet. Ab exedra clericorum ad supremum parliamenti tribunal Manwaringius abduci potest, ut ibidem pro seipso respondeat, & sic tandem libellus condemnatorius produci debet."

Ex hac occasione Maii 16, lex roganda proponebatur de cohibendis tumultibus & confusionibus quae a verbi divini ministris oriri possent. Henricus Martin eques, totus in eo erat, ut privilegia clericorum tueretur, unde Magnam Chartam, quae libertates eorum stabiliebat, clericis conservari voluit, quoniam multum fuderant sanguinem in obtinendo & confirmando eam. Seldenus his addebat: ** " Quod Magnam Chartam attinet, ecclesia multis gaudet privilegiis, quae tamen per varias leges parliamentarias diminuta & mutata sunt. Nullus clericorum nisi

court do a contempt, do they there allow of council? All that council can say for these gentlemen, is, whether this be a contempt or no. Here they answer not clearly, but say I know not certainly. But they all confess they did subscribe the letters. This confession makes it all one as if it were done by them here.

* This house cannot right itself but by an acknowledgment in the country. For the worth of the gentlemen whom it concerns, no stain can stick upon them: The injury is to the house in that they prevented a free election.

† We cannot fitly go otherwise than by the Lords. This is a temporal crime to have Parliaments thus scandaled in pulpits. To go by bill I do not think fit. In such cases there was never any bill of attainder. In *H.* VI. and *Edw.* IV's. time many attainders were, but in the bill time was given to the party to come in, or else to stand attainted. He may be fetched from the Convocation unto the Lords, and there answer for himself, and then there may be a bill of attainder.

** As for *Magna Charta* the church has many liberties, but those liberties by many acts of Parliament are lessened and varied. All clergymen were not to be tried by the laity for any offence under treason. As for that, that ministers must be under lay-jurisdiction, they were ever in part, and since 2 *Henr.* VIII. have been totally. As for the points of scandal, we do but the same as the canons and all councils in former times did, who have titles *de concubinatu episcoporum*, and *de ebrietate episcoporum*. But I think the bill is not to pass.

" pro crimine laesae majestatis a laicis examinabatur. Ut quid de jurisdictione " laica sentiam, dicam, clerici quodam modo omni tempore & post 2 Hen. VIII. " omnino illi subfuerunt. Quod scandala attinet, idem tantum agimus, quod ca- " nones & omnia pristina concilia egerunt, quae titulos habent de concubinatu " episcoporum, & de ebrietate episcoporum. Sed libellus hic, suffragia parlia- " menti, ni fallor, non obtinebit."

His ita peractis Maii 17, lex de subscriptionibus, ad corroborandam legem 13 Eliz. de reformandis criminibus, in senatu proponebatur. Ad quae Seldenus haec protulit: * " Legem hanc haud satis intelligo; forsan id sibi vult, ut nemo coga- " tur ullis aliis, quam illis qui anno MDLXII concludebantur, subscribere articu- " lis. Canones 1 Jacobi regis aliam subscribendi methodum assignant. Si hic " est libelli scopus, tum tres articulos canonum 1 Jacobi excludit, omnemque illis " adimit vim ac robur."

Die 20 Maii multae emendationes offerebantur libello de petitione juris, inter alias quaedam de juramento, quod senatus inferior illegitimum appellat, addebatur, quod nempe quilibet juramento obstringebatur, seipsum accusare. Seldenus haec tali explicuit sermone: † " Hoc juramentum est illicitum. Nullum juramentum " novum legitimum est, nisi ratihabeatur per jus municipale vel senatusconscon- " sultum. Ratio assertionis hujus apparet ex sententia tempore reginae Eliz. lata " ad quaestionem, utrum subvicecomites juramenta praestare debeant; concludeba- " tur nimirum, quod nequirent donec statutum esset evulgatum 31 Edw. I. Quod " judices comitiorum provincialium assisas habere & juramentum praestare pos- " sint, tempore quadragesimali & adventus, quia ante hoc tempus id peragere non " poterant, 25 Henr. VIII. contra haereses. Dicitur, justitiae aequitatique con- " trarium esse, quod quis absque accusatione & testibus poenas patiatur. Nec un- " quam quis auribus percepit, prima fronte homini alicui juramentum imponi " absque accusatione vel testimonio."

Maii 24, supremum tribunal colloquium expetebat cum inferiore, ut regi satisfacerent circa petitionem juris: Et quaestio movebatur, utrum consessus ex toto senatu, an coetus selectus ad tribunal ascendere deberet. Seldenus suam hac de re opinionem tali modo manifestabat: ** " Quaestio est, utrum addere liceat sena- " tores nonnullos selecto eorum coetui, nec ne? Recusemus rem integram. In " dubio enim positum est, an methodus haec usitata sit, nec ne? Supponamus " novam quaestionem, ac negotium nunquam ante agitatum proponendum fuisse;

* I understand not this bill. It is, that none be compelled to subscribe to any other but the articles of—LXII. The canons 1 *Jac.* appoint another manner of subscription. If this be the bill, it excludes those three articles in the canons 1 *Jac.* and will make them of none effect. *Ex MSS. Pymmii.*

† This oath was not lawful. No new oath is lawful that is not warranted by the common law, or by act of Parliament. The ground of this appears by a resolution in the Queen's time, that under-sheriffs should take oaths, but it was resolved, that they could not till the statute was made 13 Edw. I. That judges of assize may take assises and oaths in time of *Lent* and *Advent*, because before that they could not. 25 H. VIII. c. 14. against heresies. It is said to be against justice and equity, that any man should suffer without accusation and witnesses. It was never heard of, that at the first dash a man should be put to his oath without accusation or witness. *Ex MSS. Pymmii.*

** The question is, whether we may add to a select committee now or no. Let us wholly decline it. It was questioned by some whether this course be usual or no. Admit this had been some new proposition and a thing not before agitated, then it hath been usual to have a committee to treat of it, especially of matters of great moment. As in *H.* VIII's time a committee was appointed for the marriage of the King's daughter. So the 8 Eliz. a committee about the Queen's marriage. But observe our case with the proceedings we have had in this. It hath been agitated in both houses, and there have been several conferences and divers meetings about it, and no accommodation can be yet found. Shall fourteen or more do that that the whole houses cannot do? Can any shew, that ever when any business hath been agitated in both houses, and come to particulars, the particulars have been laid aside? And now to refer it in general, as it is now propounded, is very dangerous and without example. It was objected, that we give not respect to the Lords. I say we augment our respect: They ask us a select number, we tell them we will all meet with them. *Ibidem.*

" tum

" tum aequum foret, coetum selectum ea de re tractandi causa assignare, inprimis
" si res magni momenti est. Ita e. g. tempore Henr. VIII. coetus selectus desti-
" nabatur ad tractandum de matrimonio filiae regis. Ita & 8 Eliz. selectus senato-
" rum coetus de matrimonio reginae agebat. Ast consideremus quaeso casum no-
" strum, ac ea quae jam expedivimus circa hanc materiam. In utroque tribunali
" ventilata est, variaque colloquia & congressus habita sunt, controversia tamen di-
" rimi haud potuit. Num quatuordecim vel plures id praestabunt, quod uterque
" senatus nequit? An quis meminit, particularia negotii alicujus, postquam in u-
" troque senatu ventilata fuerint, tandem negligi? Certum est, si rem universam,
" uti nunc proponitur, in genere recusemus, nos periculis exponi, & rem inusita-
" tam peragere. Objicitur nobis, quod non tractemus tribunal superius honore
" tantis viris debito. Ast, me judice, majorem iis quam expectant, exhibemus
" honorem, dum loco coetus selecti, totus senatus cum illis conferre sese offert."

Non diu post causidici Eboracenses in senatu conquerebantur, quod non obstantibus literis patentibus soli Leptono durante vita datis, de componendis libellis, declarationibus & informationibus & de litibus tractandis coram concilio Eboracensi, aliae literae patentes prioribus similes datae sint Thomae Mounsonio equiti pro termino vitae trium personarum. Senatus negotium hoc examinans concludebat, monopolium ac gravamen esse potestatem uni soli concedere libellos & declarationes conficere: Asserebat tamen in regis arbitrio positum esse curiam erigere, ac officium causidici in ea assignare cuicunque libuerit. Haec Seldenus tali prosequebatur oratione: "* Omnes unanimi consensu gravamen esse dicunt, si uni soli pro-
" vincia concedatur libellos conficiendi. Quod ad lites tractandas attinet, si pro-
" cessus regius uni committeretur postquam per concessionem vel praescriptionem
" in multorum manus traditus fuisset, hoc gravamen foret idem acsi omnes causi-
" dici communis banci contraherentur in unum. Officium hoc, de quo jam quae-
" stio est, secretario de jure attribuebatur, dum curia illa erigeretur, & ab initio
" uni tantum viro inhaerebat. Statutum quod attinet 21 Jac. si admittas novam cu-
" riam erigi posse, eam novo & solo administratore gaudere posse dicendum. Li-
" terae patentes anno 21 Jac. invalescebant licet in nostro senatu condemnaren-
" tur; & decretum 18 Jac. circa Leptoni literas, nullam amisit auctoritatem."

Haec dum statuerentur die 5 Junii nuncius ad tribunal inferius mittebatur, indicans sessionem parliamenti 11 Junii proximo finitum iri, quare requirebat, ut nova non auspicarentur negotia, vel inchoata in prolixius protraherent tempus, nec aliquid tractarent, quod scandalum inurere vel labem aspergere posset imperio, ejusve administratoribus. Nuncius hic frena privilegiis parliamentariis injicere credebatur, unde variae cohibitionis hujus rationes a diversis senatoribus assignabantur. Tandem statutum fuit, nullas honore aut submissione carentes orationes pronunciatas esse in senatu, quae regem movere possent, vim libertatibus senatoriis inferre. Ut autem res illa plenius discuteretur, totus senatus in coetum selectum se convertit, injungens, ut nemo sub poena carceris exeat tribunali. Orator solus, relicta cathedra, veniam obtinebat, abeundi. Jam ergo ad disputationes de nuncio regis perventum est. Edwardus Coke eques libere alloquens senatum ducem Buckinghamiae omnis mali nominabat scaturiginem, ex qua tot calamitatum rivuli in omnes cives fuerint derivati. Seldenus ab ejus partibus stans consilium tale iniit, "† Ut decre-
" tum

* For the bills, all agree it to be a grievance. For the process, if the King's process had been legally by grant or prescription in the hands of many men, now to contract it to one is a grievance, as if all the attorneys of the Common-Pleas be contracted to one. But here this of right in the erection of the court belonged to the Secretary. Originally this was in one man. As for the statute 21 *Jac.* if ye admit, a new court may be erected; that new court may have a sole and a new officer, and this patent was on foot 21 *Jac.* although it was condemned here. As for the resolution 18 *Jac.* it is not now one whit lessened. *Ex MSS. Pymmii.*

† Let a declaration be drawn under four heads. 1. Let us express our dutiful carriage towards his Majesty. 2. Of our liberties that are violated. 3. To present what the purpose of the house

" tum conficiatur quatuor constans articulis, quod exponat 1. Obsequiosos senatus mores erga S. R. majestatem. 2. Violationem libertatum nostrarum. 3. Propositum discussionis hujus tribunalis. 4. Quod magnus ille vir (scilicet dux Buckinghamiae) timens ne in quaestionem vocetur, interponat ac causetur dissidia praesentia. Toto hoc tempore silentii peplo involvimus ea, quae ultimo in parliamento agebantur: Jam coacti ad virum hunc redire, prosequamur ea, quae auspicate satis tunc temporis inceperamus; renovetur accusatio contra eum in ultima sessione allata ad quam responsum qualecunque tulit, cujus speciales circumstantiae sat argumentorum continebant, ut judicium contra illud postuletur."

Consultationes hae ad dies 10, 11 & 14 Junii protrahebantur; in quarum discussione quaestio oriebatur, utrum ducis Buckinghamiae nomen inserendum esset gravaminibus senatus, quod ille nempe solus & primarius auctor esset omnium calamitatum domi forisque regnum Angliae affligentium. Prolocutor post trihorium rediens, nuncium a rege attulit, ut senatus, hora jam existente undecima, dissolveretur, nec coetus aliquis selectus post meridiem conflueret. Comitia ergo in crastinum rejiciebantur quo eadem materia tractabatur. Seldenus opinionem suam sequentibus explicabat verbis, " *Concludamus primum, utrum vir ille causa sit omnis mali necne? Et deinde quaestio moveri potest, an nomen illius sit exprimendum, an non? Ut quid opinor, dicam: Nomina quaeso articulos accusationis, & statim deprehendes quis sit auctor & princeps calamitatum nostrarum. De mutatione religionis ejus, nihil habeo quod afferam, nam, quam profiteatur religionem ignoro; ipsum etiam alienae a nostra religionis assertoribus favere scio. Ille primaria est causa mutationum in imperio. Si quis ducem auctorem hujus mali esse deneget, rationes suas assignet, quaeso."

Hoc sermone finito, senator quidam objiciebat, quod si nominandus esset dux in gravaminibus comitialibus, omnia quae hactenus in tribunali acta sunt destruerentur, & omnis auctoritas derogaretur constantiae animi quam hucusque commonstraverunt. Ad haec Seldenus respondit: " Sub initium comitiorum rerum non personarum rationem habebamus.

Tandem 14 die Junii Seldenus ultimam negotio huic adhibebat manum afferens: " †Quod clausulam attinet gravaminum nostrorum, certum est, ducem auctorem esse omnis mali. Jam quaestio suboritur, an saluti regni consulatur, cum tanta auctoritas unius viri manibus concreditur. Et cum articuli nostri nimiam ipsius respiciant potestatem, addamus quaeso abusum ejus, & preces nostras, ut a dextris regis amoveatur." Postea res haec ad coetum selectum referebatur, in quo abusus potestatis injiciebatur mentio, & Seldenus sequentia adjecit. " †† Postquam exposuerimus mala, quae nos torquent, causam eorum esse evincimus nimiam potestatem ducis abusumque ejus. Supplicemus re-

house was to have dealt in. 4. To preserve our assurance, that that great person, fearing himself to be questioned, did interpose himself, and caused this distraction. All this time we have cast a mantle on what was done last Parliament, but now being driven again to look at that man, let us proceed with that, which was then well begun. Ye know the charge that was last Parliament, to which he made an answer, but the particulars were sufficient to demand judgment on that answer only. *Ex MSS. Pymmii.*

* Let us first resolve, whether this man be the cause of all those evils or no; and then it may come in question, whether he shall be named or no. For my part, the question being whether the Duke be a cause, or the principal cause? Do but name the heads and they point out the man, that he is the cause. As for change of Religion and Government, what his Religion is, I know not. He favours them that are of the contrary. For the alteration of Government, he is a principal instrument.

† As for the last clause, that toucheth the Duke. The power of the Duke is the cause of these evils. Now we offer it, whether it be fit for so much power to be in one hand. But all here refers to the excess of his power. Let us mention the abuse of his power, and pray that this man be removed from his Majesty.

†† After we present the evils, we shew, that the cause of these evils is the excessive power in the Duke, and the abuse of that power is the cause of these evils. Let us present to his Majesty to consider, whether it be safe that a man of his power should be so near his Majesty. *Ibidem.*

"gem, ut perpendat, an res ſalva ſit, quod vir tanta indutus auctoritate omnium "conſiliorum regis ſocius exiſtat."

Decimo die Junii libellus ſubſidiorum regi reddendorum in ſenatum introducebatur, ut cum ad Scoticam aeque ac Hibernicam nobilitatem ſeſe extenderet, in diſputationibus publicis ventilaretur. Seldenus his verbis eum complectebatur: "*Conſentiamus libellum hunc includere vicecomites & barones, ſub his titulis ii ſe alienigenas reddunt. Addatur tamen vicecomites & barones Scotiae & Hiberniae "qui non ſunt tribunalis ſuperioris ſenatores." Libellus ille ſubſidiorum ad tribunal ſupremum allatus frontiſpicii loco exhibebat conceſſionem inferioris curiae comitialis; aſt titulus proceribus regni diſplicebat, ejuſque loco conceſſionem ſubditorum regis ſurrogare volebant, addentes, quod uterque ſenatus mutuum ei aſſenſum praebeat. Seldenus ſenatus inferioris privilegia pro aris & focis defendens Junii 17. titulum legis rogandae tali modo vindicare tentabat: "† Duae jam naſcuntur "quaeſtiones, an & quo pacto conveniat, ut titulus hic corrigatur. Nos tribunali "ſuperiori nullam intulimus injuriam. In priſtinis temporibus 1 Eliz. ſubditi tui, "pares regni eccleſiaſtici & civiles dicuntur. Libellus Tonnagii & Pondagii eſt "libellus ſubſidii, & eo nomine ad ſenatum inferiorem ſpectat; adeo ut ad tempora uſque Henr. VII, proceres non fuerint nominati. Aſſenſus eorum ita prodeſt, ut ſilentium non noceat. Aſſenſus illorum nominum ſupplet locum. Quod "ſecundam reſpicit quaeſtionem, qua ratione titulus corrigendus: Procerum propoſito aſſentiri nequimus. Principia enim non ſunt deſtruenda, ut emendatio "exhibeatur in colloquio publico." Quae oratio titulum priſtinum legi dandae vindicabat.

Sequenti 18 die Junii quaeſtio oriebatur in ſenatu, an ſi ſpurius bona poſſidens moriatur inteſtatus, bona ejus in manus regis perveniant? Edwardus Coke regi hoc denegabat emolumentum, cui conſenſit Seldenus his verbis: "†† Quaeſtio eſt utrum "ſpurii morientis bona ad regem pertineant? Novi hoc olim attentatum eſſe, & "quemlibet ex hoc capite in dubium vocari poſſe. Audivi quoſdam objicere, quod "in monumentis veteribus extet *Bona inteſtatorum in manus regis capi ſolebant*: "Sed hoc nihil ad natalium infamiam. 21 Henr. VIII, ſpurius nullam habebat "conſanguinitatem, cui bona committi poſſent, & ſic rex ea capere debuit. Et "cum bona inteſtatorum in manus regis capi dicuntur, de miniſtris & calculatoribus regis hoc intelligendum, qui regi hujus rei rationem reddere debebant. "7 Henr. III, exemplum datur, quod *Bona inteſtatorum in manus regis capiuntur*, "ſed erat ille clericus & calculator regius. Quaeſtio haec trans mare ad nos advecta eſt: In Gallia enim rex bona capit ſpuriorum inteſtatorum."

Die 19 Junii lex danda in ſenatu proponebatur de reſtauranda fama & reſtituendis

* Let it ſtand for the Viſcounts and Barons: Under theſe titles they make themſelves as aliens. Only let it be added, that the Viſcounts and Barons of *Scotland* and *Ireland*, that are not of the Lords Houſe of Parliament.

† There are two queſtions, 1. Whether this be fit to be amended; 2. The way how. For the firſt, whether there be a neceſſity of amending it, yea, or no? We have done them no injury at all. In former times it was your ſubjects, 1 *Eliz.* the Lords Spiritual and Temporal are named. The Bill of Tonnage and Poundage is a Bill of Subſidy, and in that it is the Commons only: And it is ſo far from neceſſity, that 'till *Henr.* VII's time, the Lords were not named. Their aſſent intereſſeth them, ſo that their omiſſion doth not prejudice them. Their aſſent ſupplies the omiſſion of their names. As to the ſecond, the way how. We may not take this way propounded: We muſt not thus ſhake a principle to make an amendment at a conference.

†† The queſtion is, if a baſtard die ſeized of goods, whether the King be entitled to them or no? It is a project, I know, attempted, but all men may be queſtioned by it. I have heard ſome object, that in old records *Bona inteſtatorum in manus regis capi ſolebant*: But this makes nothing for baſtardy. And upon 21 *Henr.* VIII. the baſtard hath no kindred, to whom the goods may be committed, and ſo the King muſt have them. But that of *Bona inteſtatorum in manus regis capiuntur* is to be intended for the goods of the officers and accomptants of the King, to the intent that the King may be ſatiſfied firſt. 7 *Henr.* III, there is a record, that *Bona inteſtatorum in manus regis capiuntur*, but that was a clergyman, and an accomptant. This project is fetch'd from beyond ſea. In *France* the King hath the goods of men inteſtate that are baſtards.

nata-

natalibus Cary Raleigh armigero, cujus familiae ſupplicium patris Gualteri Raleigh equitis infamiae notam inuſſerat. Comes *Corkiae* ſupplicem libellum exhibebat, ut jus ſuum in terras quaſdam Hiberniae, quas a Gualtero Raleigh equite emerat, conſervaretur intactum. Huic propoſito nonnulli ſenatorum ſeſe opponebant; aſt Seldenus tali modo ſe explicuit: "* Limitatio haec non eſt concedenda. Libellus "enim reſtitutorius ſupplere debet breve de errore corrigendo, ſed non obſervavi "in libello hoc alium quam diplomatarium regis in jure ſuo conſervari. Et haec "praeſentatio juris, titulum regis vel eorum qui ſub rege jus ſibi arrogant confir-"mat. Comiti Briſtoliae titulus communi conſenſu vindicabatur, & comitis Cor-"kiae titulus per libellum condemnatorium non poteſt infringi. Lex quae in jus "civitatis aliquem adſcribit, non continet hanc exceptionem. Comitis Corkiae "ejuſdem cum hoc eſt naturae."

Sequenti 21 die Junii Edmundus Sawyer miles & ſenator a Daweſio accuſatus, reus eſſe judicabatur, quod tributum, ſolidum ſcilicet per libram, in omnia bona exigere propoſuerit. Seldenus totum hoc negotium paucis expoſuit verbis. "† Duo "ejus crimina hic invenimus; alterum contra rempubl. dum deſtinaverit, quan-"tum quidem potuit, librum cenſuum duplicare; alterum contra ſenatum, dum "conjuraverit veritatem a nobis celare. Sed referatur res haec ad ſenatum." Cum in ſenatu res haec propoſita & examinata eſſet, Seldenus poenam Sawyero inter malleum & incudem jam conſtituto indixit, hoc modo. "†† Ablegetur ad "turrim & ſenatu expellatur: Teſtes enim (fidei ſubleſtae) cauſae ſuae ſubornavit. "Reddatur in perpetuum incapax ſedis alicujus in curia comitiali. Juriſdictio "noſtra eouſque ſeſe extendit. Sicut enim pares regni ſenatores ſuos ob crimen "de tribunali deturbant, ita & nobis idem ad ſtabilienda privilegia facere licet ſe-"natoribus noſtris."

Controverſia de Tonnagio & Pondagio, quae paucos ante dies ortum ceperat die 24 Junii novas acquiſivit vires. Seldenus circa hoc ſubjectum ita fatus eſt. "** Cre-"do regi a cauſidicis pro certo narratum fuiſſe, quod ſtatutum 1 Eliz. pro ipſo "militet, & quod Tonnagium ac Pondagium conceſſa fuerint regi poſt hominum "memoriam. Veritatem autem facile ex hiſtoriis elicere poſſumus, quia verba il-"la *poſt hominum memoriam* non ſolum 1 Eliz. ſed & 1 Jac. occurrunt. Jam "cuilibet conſtat Henricum VII, & alios reges progenitores ſubſidia ad cuſtodienda "maria habuiſſe, nec ullus unquam fuit rex, cui ſubſidia non fuerint indulta; in "hoc ſenſu dicendum eſt, quod ſit poſt hominum memoriam. Donum hoc eſt "voluntarium. De publicis legibus ſtabiliendis rex ait: *Le roy le veut*; de petitio-

* This proviſo is not fit to be received. This bill of reſtitution is but to ſupply a writ of error. I have not obſerved, that in this bill there is a ſaving of any other than a patentee of the King. And this ſaving in this Bill is to ſave the title of the Crown, or of thoſe that claim under the Crown. Though there be a ſaving by my Lord of *Briſtol*'s title, that is put in by conſent, and this title of the Earl of *Cork* hath nothing to do with the attainder. In a bill of naturalization we put in no ſaving. This is of the like nature.

† We find theſe two things; firſt, his offence to the commonwealth, that is, his project, ſo far as he could to double the book of rates: Secondly, his offence to this houſe; to plot aforehand, that we might not know the truth. Let it be reported to the houſe.

†† Let us commit him to the *Tower*, and turn him out of the Houſe. It is ſubornation. Let him alſo ſtand for ever diſabled to ſit here. Our juriſdiction here extends to the members of our own houſe. To maintain the privilege of our houſe, we can fine as well as the Lords. And as they diſable Lords from ſitting there, ſo may we any member of our houſe from ſitting here.

** The King's Council objected, that 1 *Eliz.* ſaith, it was granted time out of mind to the King. I fear his Majeſty is told ſo, and ſome body doth aſcertain him ſo. But we may clear that, and ſhew how far that is from truth. As for 1 *Eliz.* it was ſo alſo in the ſtatute 1 *Jac.* but the words *time out of mind* are, that whereas *Hen.* VII, and other your progenitors, have had ſome ſubſidies for the guarding of the ſeas. There was never a King but had ſome ſubſidy, and ſo in that ſenſe it is indeed time out of mind. This is a matter of free gift. For publick bills the King ſaith, *ſoit fait come eſt deſire.* For the bill of ſubſidies it is thus; *the King heartily thanks his ſubjects for their good wills.* In all the bills of Tonnage and Poundage is the very ſame anſwer, ſave one which was 1 *Eliz.* and but for that only miſtake of the clerk, it ever hath the ſame aſſent as the bill of ſubſidy. *Ex MSS. Pymmii.*

nibus

" nibus pro jure, *soit droit fait comme est desire.* De libello subsidii rex summas " agit gratias subditis suis pro favore. Omnes libelli Tonnagii & Pondagii (ex- " cepto uno 1 Eliz. per errorem clerici) idem obtinuerunt responsum, & eundem " assensum ac libelli subsidiorum."

Dum haec in senatu discuterentur coetui selecto committebatur provincia declarationem jurium populi conficiendi, quod Tonnagium ac Pondagium atque tributa injuste exigantur, absque auctoritate parliamenti: rationes etiam allegari voluerunt, quare senatus tam brevi temporis spatio legem rogandam praeparare nequiret. Declaratio haec dum publice pro concione praelegeretur, rex senatum inferiorem accersivit, audaciam illorum exprobrans, quod Tonnagium & Pondagium absque consensu parliamenti ab ipso postulari assererent; affirmabat modum hunc vectigal requirendi, contrariari responso suo ad petitionem jurium, addens aerarium suum adeo non esse exhaustum, ut ad vectigal doliare, aut vectigal pro mercibus in singulas libras capiendum, confugere necesse sit. Tum libellum subsidiorum ac alios ratihabuit, & custos magni sigilli jussu regis prorogavit comitia ad 20 Octobris & hoc die elapso ad 20 Jan. sequentem.

Durantibus his feriis comitialibus Seldenus rus abiit ad palatium comitis Cantii in comitatu Bedfordiae Wrest dictum; horas & otium suum literarium ibi impendit in Marmora Arundelliana, quae publicam lucem hoc anno MDCXXIX videbant Londini in quarto. Inscripsit ea amico suo Patricio Junio, qui cum Richardo Jamesio ad favum illum formandum flores suos contulit, describendo scilicet inscriptiones marmorum. Opus hoc jussu Roberti Cottoni baronetti susceptum (uti ex praefatione Seldeniana constat) maximi pretii ubique aestimabatur; panegyris Seldeni per totum literatum orbem personabat, adeo ut nulli Heliconis proceres palmam ei praeripere possent. Quanto in honore habita sint marmora haec, diserte testatur severioris & absconditae literaturae gazophylacium Humfredus Prideauxius, " A " bibliopolis statim tanto literatorum concursu emebatur, ab iisque tam arctissime " semper retinetur, ut tota jamdudum exhausta impressione per postremos hosce " annos, non possit, licet summo oblato pretio comparari." Ne autem illustre hoc antiquitatis κειμήλιον diu lateret incognitum, sed crebriori, quod meruit, versaretur manu, vir summo reipubl. literariae bono natus, Joannes Fellus episcopus Oxoniensis ὁ μακαρίτης Humfredo Prideauxio aedis Christi tum temporis alumno, virtutumque Seldenianarum aemulo, Marmora Arundelliana in manus tradidit, ut novam eorum festinanter pararet editionem, cum auctario inscriptionum ac notarum, quae sub nomine Marmorum Oxoniensium anno MDCLXXVI, Oxonii in folio prodierunt.

Commentariis in Marmora Arundelliana ad finem perductis Seldenus ad comitia per edictum regium 20 Januarii MDCXXVIII convocata se contulit. Quid in iis memoratu dignum a senatore nostro peractum sit ad 12 usque Februarii ad manus nostras non pervenit. Hoc die typographi & bibliopolae Londinenses libellum supplicem senatui offerebant, conquerentes de cohibitione librorum contra Papismum & Arminianismum, & de libera venditione librorum haereses has adstruentium, solo permissu episcopi Londinensis Guil. Laudi; adjungentes quod nonnulli typographi & bibliopolae per apparitores accersiti, ob impressionem librorum contra papismum sint objurgati. Seldenus summus typographeorum stator & patronus, tale consilium suggessit. Certum quidem est, quod nulla reperiatur lex de inhibendis impressionibus librorum in Anglia. Libertas typographiarum solo decreto in camera stellata nititur; ast ex usu reipublicae esse credebat, ut lex feratur de typographeis; quia alias virtute hujus decreti typographus vel bibliopola mulctari, incarcerari & bonis suis spoliari potest; id, quod tamen nimium quantum infringit libertatem subditi. Postquam haec querela facile sopita fuisset, alia longe gravior renascebatur in senatu, quae in ultima sessione comitiorum agitata, multisque obstaculis impedita jam ἀμεινόνων οἰωνῶν τυχεῖν expectabat. Fuit hoc nempe negotium de vectigali doliari, & de eo quod pro mercibus in singulas libras solvitur. Adnotandum est inprimis,

mis, quod non obstantibus senatus inferioris declarationibus contra Tonnagium & Pondagium, rex ea tamen irrogare haud desierit; unde bonis mercatoris Chambers & senatoris Rolles manus injiciebantur, quod recusaverint vectigalia illa solvere, utpote consensu comitiali haud stabilita: Hinc causa contra Chambers ea de re agebatur in Camera Stellata.

Haec dum ad aures senatus pervenerint, inter alios accersiverunt vicecomitem Londinensem Guilielmum Aston equitem, quem de variis rebus ad tributa & vectigalia spectantibus examinabant, ac non contenti responsis illius, turrim Londinensem carceris loco ei assignabant. Inde quaestio oriebatur, utrum senatus aliquo unquam tempore vicecomitem Londinensem ad carcerem ablegaverit. Seldenus eam solvit, dicens, quod memoriae ipsius non occurrat exemplum unius vicecomitis Londinensis ad carceres damnati, sed utriusque vicecomitum bene se meminisse aiebat. Quinam illi fuerint, nobis haud certo liquet; forsitan fuit casus Georgii Ferrers 34, Henr. VIII, qui reperitur ex Holingshedio descriptus in Crompo, Jurisdict. del Courts 8. b. 2. a. &c. Alter qui saevitiam lictorum experiebatur, quod vectigal solvere recusaret, fuit Rolles senator. Hic 10 Februarii coram senatu exposuit repositorium suum ab apparitore Massey clausum, & se a coetu selecto in Scaccario citatum fuisse ad apparendum in Camera Stellata. Senatus querimoniam ejus 19 Februarii examinabat, & Seldenus ira in ministros curiae percitus dicebat, "* Si quis a "dextris regis stat, qui actiones nostras prave interpretatur, maledictio sit super "eum, & non super nos. Summum jam instare tempus credo, ut jura nostra "vindicemus, nisi incassum locum hic occupare velimus." Oratio haec tribunal adeo commovit, ut coetum selectum destinaverit ad considerandum negotium Rollesi. Die lunae 22 Februarii injuria ei illata in curia comitiali discutiebatur, in qua nonnulli senatores pro sola restitutione bonorum, alii pro citatione in jus agebant. Sed regis nuncius senatui significabat, quod magnum dedecus in caput regis effunderetur si lictores ejus in jus vocarentur, quare statuebatur ut Rolles senator privilegiis personae ac bonorum gaudere deberet, sed propter nuncium regis rem totam curae senatus committerent. Senatus accuratiori trutina nuncium regis perpendens prolocutorem suum exhortabatur ad movendam quaestionem pro concione propositam. Ast ille monitis haud morem gerens, dicebat, sibi aliter a rege injunctum esse, vel ut Whitlockius habet, se non audere proponere quaestionem, quia ejus contrarium ipsi a rege injunctum esset. Ad haec Seldenus, "† Annon "audes proponere quaestionem, domine prolocutor, quando nos jubemus? Plicatis brachiis otio hic torpescere debemus, si hoc facere pernegas. Hoc pacto "nulla hic negotia unquam expediri poterunt, quia successores tui, jussa regis prae-"tendentes, quod nos jubemus, facere recusarent. Nos hic jussu regis ex aucto-"ritate magni sigilli confluimus, & tu a rege in solio coram utroque tribunali se-"dente, orator noster es electus; num munere tuo fungi detrectas?" Hoc sermone orator neutiquam commovebatur, unde comitia a senatu in Febr. 25, & jussu regio in 2 Martii comperendinabantur. Senatores eo die convenientes prolocutorem suum urgebant quaestionem proponere; ast ille ex mandato regis ad 10 Martii comitia procrastinabat, quaestionem proponere constanter recusans: Et jam curia comitiali exire volens retrahebatur a senatoribus nonnullis, qui hanc in auribus ejus legebant protestationem, declarantes, quod omnes innovatores in religione, qui favent ac protegere videntur Papismum & Arminianismum, ac omnes consiliarii vecti-

* If there be any near the King, that doth misrepresent our actions, let the curse light on them, not on us. I believe it is high time to vindicate our selves in this case, else it is in vain for us to sit here.

† Dare you not, Mr. Speaker, put the question, when we command you? If you will not put it, we must sit still. Thus we shall never be able to do any thing. They that come after you may say, they have the King's command, not to do it: We sit here by the command of the King under the great seal, and you are by his Majesty sitting in his royal chair before both houses appointed for our speaker; and now you refuse to do your office?

gal doliare & pro mercibus in singulas libras absque auctoritate parliamenti regem exigere persuadentes, sint capitales imperii inimici, & quod ii qui voluntario tributum hoc solverint, sint proditores libertatum Angliae. Verba illa mira omnes implebant confusione, unde comitia comperendinabantur ad 10 Martii, vel ut Whitlockius asserit, ad diem antequam rex comitia dissolveret. Crastino die 3 Martii, vel ut Whitlockius habet 5 Martii, literae dabantur ad Denzill Hollis armigerum, Joannem Elliott, Coritonum, Valentinum, Miles Hobbard, & Petrum Hayman, Seldenum, Long & Stroudium jubentes, ut personaliter apparerent crastino die. Priores quatuor mandatis parebant, & quia extra curiam comitialem respondere recusabant ad ea quae dicta & facta sunt in comitiis, in arctiores turris Londinensis carceres conjiciebantur, & warranta publicabantur de obsignandis museis Seldeni, Hollis & Joannis Elliott. Rex ira commotus die 10 Martii in tribunali superiore oratione habita, comitia ore custodis magni sigilli, absente oratore senatuque inferiore, dissolvit.

Comitiis hoc modo dissolutis rex in animum induxit senatores in carcerem detrusos in jus vocare. Ex judicibus igitur quaerebat in Camera Stellata, utrum juxta formam juris contra senatores procedere posset pro iis quae in comitiis facta sunt. Et cum desideriis regis annuissent, Robertus Heath eques, cognitor fisci regii informationem contra eos in Camera Stellata protulit. Seldenus primo Trinitatis termini die anno MDCXXIX, ad cancellos banci regii adducebatur virtute statuti *Habeas Corpus* dicti, quod ad Allenum Apsley equitem in turri locum tenentem dirigebatur. Hic causam carceris illius indicavit nempe warrantum concilii regii & warrantum regis ob seditionem & contemptum. Littletonius deinceps custos magni sigilli, in favorem incarceratorum argumenta protulit de vera invaliditate causarum carceris, ideoque rogabat ut vades sisterentur. Eodem tempore Hobartus, Valentinus, & Hollis ad cancellos banci regii ducebantur, virtute ejusdem statuti, quod ad diversos, in quibus coarctabantur, carceres directum erat. Hi sub tutela causidicorum ad arguendum in curia paratorum comparebant, causaque incarcerationis illorum existente eadem cum Seldeni, res fatumque suum tuto committebant argumentationibus Littletoni. Paucis interjectis diebus Robertus Heath eques argumenta protulit pro validitate causarum carceris, & cum curia in procinctu esset opiniones suas declarare, incarcerati juxta formam curiae non sistebantur ante cancellos banci regii. Rex 24 Junii literas ad judices exaravit, annuncians iis, quod omnes incarcerati ad turrim Londinensem sint ablegati, attamen permittebat ut Valentinus & Seldenus coram illis in curia crastino comparerent die. Ast post trihorium rex alias conscribebat literas, prioribus contrarias, judicibus declarans, quod nec Valentinus nec Seldenus se coram illis sisterent, sed ut omnes eodem fato digni, quousque majorem modestiam moresque civiliores quam quibus ante usi fuerant, certo promitterent, in carceribus contineantur. Nullam ergo hoc termino curia pronunciavit sententiam, sed senatores per totum longarum feriarum spatium in vinculis detinebantur. Ante terminum autem Michaelis, die scilicet Mercurii post festum illud, rex accersivit justitiarium capitalem Hyde & justitiarium Whitlocke ad curiam Hamptoniensem, qui omnem movebant lapidem, ut regis animum emollirent, ac incarceratis senatoribus gratiam ejus conciliarent. Justitiarii illi tandem effecerunt, ut captivi vadimoniis allatis, vades de bonis in posterum moribus sisterent, & sic dimitterentur. Hoc primo termini Michaelis die in curia proponebatur in Turrim ablegatis annunciandum. Postquam enim Masonus nomine incarceratorum rogavisset judices, ut sententiam suam edicerent, tunc curia una voce declaravit, quod jam sint contenti vadimoniis eorum, sed quod vades etiam adferant de bonis suis in posterum moribus. Sententiae huic Seldenus nomine sociorum carceris regessit, " * Se fidejussores paratos habere pro vadimonio, non pro " bonis

* That they have their sureties ready for the bail, but not for the good behaviour, and desire that the bail might first be accepted, and that they be not urged to the other, and that for these

" bonis ſuis moribus, ideo rogabat, ut vades primum admitterentur, & ut non " compellantur ad alteram conditionem adimplendam propter ſequentes rationes. " 1. Cauſa haec diu in curia agitata eſt, & in vinculis detenti ſumus per triginta " hebdomadarum ſpatium, & cum in utramque partem ſaepius diſputatum eſſet, " cauſidici regis ſemper requirebant, ut in carceres remitteremur, noſtri autem ro- " gabant, ut vel vadimonium acciperent, vel dimitteremur: Neutra autem pars " hactenus arguit, ut fidejuſſores bonorum morum ſiſteremus. Ultimo termino " quatuor dies deſtinabantur, ad ſententiam curiae audiendam, & ſolum argumen- " tum in quaeſtione erat; utrum cauſa haec vadimonii ſit capax, nec ne? Qua- " propter rogabat Seldenus, ut vadimonii & bonorum morum argumenta ſeparen- " tur & non confundantur. 2. Quia raro vades bonorum morum requiruntur in " cauſa feloniae vel proditionis, & crimen quod nobis objicitur implicite tantum " horum nos accuſat. 3. De jure requirimus ut vadimonia noſtra accipiatis, & ſi " de jure votis noſtris annuere non poteſtis, nullatenus hoc requirimus. Fidejuſ- " ſores bonorum morum conquirere a diſcretione ſolum dependet, & ſi huic ſen- " tentiae ſubmitteremus, magnam ſenatui inferremus injuriam, in quo res hae, " quarum in cauſa incarcerationis noſtrae mentio fit, agebantur. Juxta ſtatu- " tum IV. Henr. VIII. omnes hujuſmodi poenae nihili habebantur & quaſi non " infligendae judicabantur." Cum autem curia fidejuſſores bonorum morum re- quirere continuaret, incarcerati vero id facere negarent, omnes excepto Longio ad turrim remittebantur.

Rex malae manſionis tot illuſtrium virorum pertaeſus, eis per certum nuncium privatim annunciare juſſit (per doctorem Moſelli ni fallor, qui regis a ſacris fuit, ut in Seldenianis adnotatur) quod ſi libellum ſupplicem regi porrigerent, finis proceſſui imponeretur, & illi e carcere liberarentur. Aſt uno omnes ore id facere recuſabant. Quare cognitor fiſci regii eodem termino juridico in banco regio informationem contra incarceratos exhibuit, eadem fere repetens, quae olim in Camera Stellata allegaverat. Vincti contra juriſdictionem curiae excipiebant, quod crimina (ut ſupponitur) in comitiis commiſſa, ibi & non alio in foro puniri debeant. Argumentum hoc termino Hilarii propoſitum tandem refutabatur a judicibus ſingulis opinionem ſuam declarantibus, quod hoc in caſu Bancus regius auctoritatem ſuam exercere poſſit. Defendentes alia argumenta producere jubebantur, ſed nihil aliud in medium proferre volebant. Unde judicium contra eos ferebatur ex ſtatuto *Nihil dicit*, quod non liberentur ex carcere donec crimine ſubmiſſe agnito fidejuſſores bonorum morum attulerint, & certam pecuniae ſummam mulctae loco ſolverint. Seldenus obſtinate ſubmiſſionem facere detrectans in ergaſtulum piraticum Banci regii detrudebatur; aſt metuens ne morbo in Southwarkia graſſante inficeretur, ſub finem termini Trinitatis 6 Caroli I. ſupplex rogabat magnum Angliae theſaurarium (neglectis judicibus qnamdiu Londini commorarentur) ut regem ſuaderet, ad alium ei aſſignandum carcerem in Weſtmonaſterio *Gatehouſe* dictum, ne periculo infectionis nimium expoſitus vitae jacturam faceret.

theſe reaſons: 1. The caſe here hath long depended in court, and they have been impriſoned for theſe thirty weeks; and it hath oftentimes been argued on the one ſide and the other, and thoſe that argued for the King, always demanded, that we ſhould be remanded, and thoſe that argued on our ſide, deſired, that we might be bailed, or diſcharged, but it was never the deſire of the one ſide or the other, that we ſhould be bound to the good behaviour. And in the laſt term four ſeveral days were appointed for the reſolution of the court, and the ſole point in queſtion was, if bailable or not. Therefore he now deſires that the matter of bail, and of good behaviour, may be ſevered and not confounded. 2. Becauſe the finding of ſureties of good behaviour is ſeldom urged upon returns of felonies or treaſons, and it is but an implication upon the return, that we are culpable of thoſe matters, which are objected. 3. We demand to be bailed in point of right; and if it be not grantable of right, we do not demand it. But the finding of ſureties for the good behaviour is a point of diſcretion merely; and we cannot aſſent to it, without great offence to the parliament, where theſe matters, which are ſurmiſed by return, were acted, and by the ſtatute of 4 *Henr.* VIII, all puniſhments of ſuch nature are made void, and of none effect.

Rex utriusque precibus assurgebat, unde thesaurarius jussa regis ad marescallum misit, ut Seldenus ad carcerem Westmonasteriensem transferretur; id quod factum est. Judices in urbem reduces termino Michaelis marescallum accersebant, ut de Seldeno captivo rationem redderet. Hic thesaurarii warrantum jussu regis perscriptum exhibens a judicibus increpabatur, quod vinctum dimisisset, quia nonnisi per breve transferri debuisset; & si regis mandatum curiae eorum justo innotuisset tempore, hoc facile juxta formam curiae fieri potuisset. Judices adjiciebant, quod in eorum absentia clericus coronae post receptum thesaurarii warrantum, breve conscribere debuisset, postea a judicibus reducibus subscribendum. Et ne similis quis error in posterum committeretur curia justitiarium Whitlocke ad thesaurarium mittebat, significans ei, quod Seldenus omnes curias & fora juridica flocci faceret, & quod ex pruritu iis omnino sese opponendi, novam hanc & irregularem amotionis methodum ipsi indicaverit. Thesaurarius responsum expressionibus observantiae & cultus plenum judicibus reddidit, quod hanc regis gratiam non conciliavisset Seldeno, nisi prius ab eo solenni modo certior factus esset, quod illa amotionis methodus legibus conformis esset; quoniam autem contrarium hujus apparet, Seldenum vestrae reddo potestati, ut eum transferatis quocunque volueritis: Regis enim propositum non fuit ullo aliquo modo, methodo processibusve curiae contraire. Unde breve hoc termino Michaelis mittebatur ad amovendum ipsum ad ergastulum piraticum. Quo modo e carcere liberatus fuerit, nullibi reperio; nisi quod MDCXL. Dec. 18, selectus destinatus fuerit coetus ad considerandas violationes privilegiorum parliamentariorum, in incarcerationibus senatorum nonnullorum Seldeni exempli gratia & aliorum 4 Caroli I. factis, ut damna eorum resarcirentur ab iis, qui contra illos causam egerint. Et anno MDCXLVI Januar. 18. senatus votis communibus ei & aliis sociis olim carceris jam comitiorum pecunias ad compensanda damna illo tempore illata assignabat. Quo tempore Seldeno quinque mille libras traditas esse constat, & coetus selectus constituebatur ad considerandum, quo pacto pecunia illa colligenda esset, quod anno sequenti MDCXLVII Maii 11, juxta statuta fiebat.

Seldenus sub finem anni MDCXXIX cum aliis senatoribus in libertatem restitutus, anno sequenti in carcerem cum comitibus Bedfordiae & Clare, Roberto Cottono baronetto & St. Johnio recidebat, eo, quod libellum dispersisse dicebantur hoc titulo: *A proposition for his Majesty's service to bridle the impertinency of Parliaments.* Dum criminis hujus accusatio anno MDCXXX Maii 19, in Camera Stellata argueretur, David Fowlis eques, manifesto probabat, tractatum illum a Roberto Dudleio equite, qui in partibus transmarinis agebat, exaratum fuisse. Accessit dies natalis principis Caroli, qui regem totamque curiam tantis implevit gaudiis, ut rex incarceratis libertatem redderet, custodemque magni sigilli haud ulterius procedere, sed librum publice igne concremari, & processus a filo curiae detrahere juberet.

Antequam autem senator noster liberiorem spiraret aerem, dum squalido adhuc ergastulo piratico, carcere Westmonasteriensi & turris Londinensis coarctatus teneretur, animus exteriora corporis vincula ridens, ac ergastulorum impatiens, hinc inde inter literatorum volumina exspatiabatur, ac foetum summi ingenii inter sordida conceptum vincula, bene tamen enutritum, omnibusque numeris absolutum in lucem produxit, sub titulo: *De successionibus in bona defunctorum secundum leges Hebraeorum*, qui publici juris fiebat Londini quarto MDCXXXI. Ortum locumque nativitatis hujus auctor ipse in prolegomenis describit; titulumque libri cum hoc emittit lemmate: --- *Sordes arcta inter vincla recusat.*

Eodem hoc anno MDCXXXI, dum liber de successionibus sub prelo sudaret, Seldenus consiliarius adscitus est a Donaldo domino Rea in appellatione & accusatione proditionis contra Davidem Ramsey. Rex armis ut rem deciderent, manusque in duello conferrerent, adjudicavit. Antequam autem ad arma perventum esset, causa haec juxta juris civilis statuta decidenda erat, unde cum non nisi juris civilis

vilis doctoribus causam hanc agere permissum esset, Seldenus juris municipalis praeses eorum numero exclusus extitit.

Inter haec illustria severioris literaturae specimina, seriosque inter studiorum progressus, quis ludicra Seldeno tripudia placere crederet? Quis larvata gaudia austeris musarum curis eum interponere velle vel cogitando assequi potuisset? Tempori parere studuit heros noster, ne officiis suis honoratae in qua degebat societati deesset. Quatuor scilicet hospitia seu collegia juridica quae Londini colliguntur, desiderio ardebant specimen aliquod summae observantiae suae erga regem & reginam commonstare; ac cum choragia larvata iis perplacere noscerent, choreas cum diversis diversarum gentium sexusque vestibus ornatas, variisque musicorum interludiorum scenis decoratas regi praesentare parabant. Et hoc eo ipso quidem tempore instituebant, ut diversam suam a nova Prynnii doctrina publicarent opinionem, qui in Histriomastige suo omnia interludia nimis severa flagellavit manu, ac nimium austero vetuit ore; cujusque poenam tanta audacia & temeritate dignam luit in Camera stellata. Ut autem eo melius larvatae hae choreae ac ludi instituerentur, in quolibet hospitio duo ex assessoribus eligebantur choragi, qui junctis opibus & opera curam totius comoediae cantibus saltibusque personatis agendae haberent. In hospitio interioris templi Edwardus Herbert eques & Seldenus noster, choragia vere splendida, ludiones ludicros musicos suaviter concinnentes & canore ludentes conquirebant. Et totus in fine ludus feria Purificationis Mariae exhibitus regi & reginae admodum perplacuit. Vide quae Whitlockius in historia hujus temporis, p. 18, 19, 20. ea de re collegit.

Anno MDCXXXIV, Batavi summum fere in mare imperium in piscatura boreali occupabant, ac cum propositiones nonnullae inter regem Angliae & eos stabilirentur, de halecibus capiendis, de navigiis in littoribus nostris, & de abigendis extraneis, rixae aliquae inter Anglos & Batavos suboriebantur, quae Hugonem Grotium illustre illud Bataviae & totius orbis literati lumen ad conscribendum librum de Mari Libero incitabant. Rex Carolus imperii Britannici limites arctius a Batavis circumscribi videns, Seldenum hortabatur ad revisendum librum, quem ex actis monumentisque anno MDCXXVI jussu regis Jacobi olim ad vindicandum maris Britannici imperium contra omnes extraneos collegerat: uti hoc patet ex libro *Titles of Honour* dicto sub initium, ex Vindiciis existimationis suae contra Burgum, & ex praefatione summe eruditi sui libri Mare Clausum dicti, quod in fol. MDCXXXVI Londini publica luce donabatur. Tractatus hic tanto in pretio & honore habitus est ut 26 Martii 12 Caroli I. per statutum concilii privati rex ordinaverit unum exemplar in arca concilii, alterum in curia Scaccarii & tertium in curia Thallassiarchiae reponi tanquam fidele, certissimum ac exploratissimum imperii, in maria Britannica documentum. Virtute hujus decreti exemplar unum Maris Clausi in manus baronum Scaccarii in publica curia tradebatur collocandum, ceu gemma quantivis pretii, inter recondita regni monumenta. Vid. Nicolf. Hist. Bibl. fol. 220. Huic decreto aliud, non multo post adjungebatur his verbis: "Quandoquidem hactenus "jussu regio typis expressus fuerit liber, h. t. Mare Clausum seu de Dominio Maris ad "manifestandum jus & imperium regis & regiorum antecessorum ejus in maria, "quae regna & dominia M. Britanniae & Hiberniae circumcingunt: Et quando- "quidem alia libri hujus editio alicubi trans mare sit divulgata, addens multa, "quae in prima haud comparent editione, fictumque impressionis locum Londi- "num scilicet exprimens; rex igitur jubet ut nemo cujuscunque fuerit conditionis "importet, divulget vel venalem exponat ullum aliquem librorum transmarinae "hujus editionis Latine vel Anglice, praeter eos quibus juxta leges & consuetudines "regni hujus licentiam imprimendi concessimus." Antequam tradito hoc mirandae eruditionis cornu copiae in manus lectoris ad alia transeamus, pace reverendi admodum episcopi Derrensis Nicolsoni ea quae cum Antonio Wood, ni fallor, de Mari Clauso dixerit, brevi strictura persequamur. Tale autem de eo fert judicium in Bibl. Hist. fol. 220. "Manifesto apparet, quod dum auctor hunc conscribe-

" ret librum non fuerit tam infensus inimicus praerogativae tributum pro navibus
" construendis irrogantis, qualem se postea praestitit. Ex professo namque asserit, re-
" ges nostros absque consensu parliamentorum ad defendendum dominium maris,
" ingentes summas constanter a subditis suis exigere consuevisse. Exempla sive do-
" cumenta ejus aetatem regis Henr. II. haud superant." Ast si fas est, quod sentiam, dicere, mihi valde credibile videtur, patronos tributi pro navibus construendis in defendenda causa sua, aeque accurata oculorum acie cernere potuisse ac sequioris aevi scriptores: Unde maximo eos gaudio procul dubio perfusos esse crederem, si documenta hujusmodi ex auctore proposito ipsorum totis viribus se opponente, conquirere potuissent. Exempla Seldeni ad Henrici V, (non Henr. II, tantum) regnum attingunt. Et in libri secundi capite XV. ubi de tributis & vectigalibus ad custodiam seu tutelam maris pendi solitis, ex professo agit, ne γρὺ quidem reperitur de sola regis auctoritate absque consensu parliamenti ea exigentis. Seldenus non ita pridem in concione comitiali opinionem suam de Tonnagio & Pondagio declaraverat; si hoc in libro illi contradixisset assertioni, risui & subsannationibus se exposuisset. Danegeldum (quod pace reverendi admodum viri dixerim) nullum est praerogativae hujus documentum, quoniam concessum erat ex decreto parliamenti; nec exempla ex libro *Domesday Book* petita, quia regis terras tantum patrimoniales respiciunt. Sed ut in callem redeam. Mare Clausum libertatis Anglicae assertoribus pergratum, ast Batavis exosum, amicitiam illorum, horum autem odium plus quam Vatinianum Seldeno nostro aperuit: unde variae ejus refutationes jussu publico tentabantur. Ordines Hollandiae Theodorum Graswinckel hominem eruditum & jurisconsultum operi huic admoverunt; ast num telam hanc pertexerit, vel saltem auspicatus sit, nusquam didici. Joannes Isaac Pontanus percelebris historicus & criticus in dissertationibus suis librum hunc de Dominio Maris discussit. Ast Petrus Baptista Burgus indecoro admodum modo auctorem nostrum aggressus Vindicias maris clausi & existimationis suae anno MDCLIII, ab eo extorsit. Libri hujus fama & celebritas Magnae Britanniae finibus terminari nescia, versionem Anglicam, ut & vulgo innotesceret, requirebat: Willelmus Watsius, auctor glossarii Matthaei Parisiensis eam moliebatur. Et cum foedera Anglos inter & Batavos tempore Cromwellii violarentur, Marchamont Needham versionem Anglicam Maris Clausi in se suscepit, quae Londini MDCLII in folio divulgabatur. Versionem hanc nunquam vidi, judicium tamen seu famam ejus ex monito J. H. (qui Mare Clausum paulo post vertit) colligo. Dicit enim quod Needhamius licentiam sibi arrogavit reipubl. nomen, regum Angliae loco, libro huic inserendi, epistolamque nuncupatoriam ad regem Carolum supprimendi. Pergit auctor ille, quod Needhamius tamen majori cum honore Seldenum tractaverit in libro, quia impietas homuncionum illius aevi non tam perfricatae frontis erat, ut scriptis eruditissimi viri in faciem contradicerent. In libri hujus appendice nonnulla monumenta a praeside Bradshaw (sit locus conjecturae) translatori tradita subjiciuntur. Post restaurationem regis Caroli II. J. H. generosus aliam libri hujus tentabat versionem, egregiam sane, reliquisque multis parasangis superiorem, cui licentiam impressionis concessit secretarius regni, quae Londini typis divulgata anno MDCLXIII, fol. continet chartas ex appendice prioris editionis cum historia divitiarum marium Britannicorum ex tractatu Joannes Borroughs equitis. His additur liber de Dominio Maris ex Italico idiomate versus, quae omnia Maris Clausi versioni Anglicae adjecta fuisse auguror.

Anno MDCXL, Octob. 17, Seldenus senator ab Academia Oxoniensi uno ore renunciabatur, summis honoribus & veneratione semper ab ea mactatus, uti ex literis quas ex autographis ex musaeo reverendi & clarissimi viri Georgii Harbin, infra dabimus, lectori patebit. Ipsius curae, prudentiae & amicitiae celeberrima haec academia se suasque res tuto commisit, & sub ejus tutela contra furentem temporum iniquitatem secura quiescebat. Seldeni Atlantis instar humeris innitebatur Oxonium, ut cum anno MDCXLIII, vel sub initium MDXLIV, Thomas Roe eques, comitialium

tialium procuratorum academiae alter, vitam cum morte commutasset, soli Seldeno confisa in eo se felicem crederet academia. Hoc anno MDCXL, Seldenus in selectum arcanorum celandorum coetum adsciscebatur ad chartas comitis Straffordiae inspiciendas. Quanta cum animi solicitudine & industria munere demandato functus fuerit, examen comitis hujus in Rushworthio nos edocet; ast finito examine dum libellus condemnatorius in senatum introduceretur, strenue & totis viribus se opposuit, quare nomen ipsius in numerum Straffordianorum cooptatum est.

Eodem anno Novemb. 10, Seldenus inter alios e selecto senatorum coetu eligebatur ad eliciendam veram de hodierno regni statu declarationem ex iis chartis & monumentis quae in senatu essent exhibita.

Sequenti die 23 ejusdem mensis querimoniae contra curiam magni Angliae mareschalli in senatu proponebantur. Has Lydius & Seldenus magna ingenii acrimonia, judicioque limato prosequebantur, ut communibus tandem votis processus curiae illius ceu illegitimi, gravaminaque involventes damnarentur.

Proxime insequenti die Veneris 27 Novemb. quaestio de tributo pro navibus exstruendis in senatu personabat. Seldenus privilegiorum comitialium contra interminatam regis auctoritatem patronus publice asserebat, quod diversa judicia in Scaccario a judicibus sint lata, omnino contraria judicio in comitiis dato, adeo ut statutum 1 Jacobi, quod regi concedebat vectigal doliare & pro mercibus in singulas libras, durante tantum vita, non possit extendi ad regem hodiernum. Mensis sequentis Januarii scilicet die 31, declaratio contra episcopos & episcopatus in senatu praelegebatur, quam Seldenus athletica sua oratione destruere conatus est, dicens quod senatus non esset tanta indutus auctoritate, ut negotium illud tractare possent. Ast nonnulli patrum conscriptorum regerebant, regem eis hanc concredisse provinciam, ut id facere tuto jam liceret. Senatores hoc spiritu ad ecclesiam suo more reformandam ducti, libellum bis praelegebant in curia comitiali de abolenda superstitione & idololatria, & de promovendo vero cultu & servitio Dei, eumque patrocinio Seldeni & aliorum committebant. Rationibus ex hoc libello decerptis nonnulli senatorum inducti, doctorem Chaffni coram senatu inferiori accusabant imprudentium verborum, quae in sermone in visitatione dioeceseos Salisburiensis habito, continebantur. Doctor hic publicam eorum explicationem e cathedra ecclesiastica Salisburiensi facere jussus, tandem dimittebatur. Ast senatus censura hac non contentus, examenque actionum suarum in ecclesiae Anglicanae clericis aegre ferens, omnem illis praeripere ansam quaerebat regiis commodis inserviendi. Unde Seldenus cum XXII aliis senatoribus coetum selectum constituebat, ad considerandum & praeparandum rationes, quare provincia justitiariorum clericis eripi debeat. Haec dum meditarentur senatores die 9 Martii libellum contra episcopatum proferebant. Multis ibi verbis disputabatur, utrum episcopi tanquam barones vel proceres regni, vel tanquam episcopi sedem in tribunali occupent. Variae rationes & documenta in utramque partem allegabantur. Tandem Seldenus assurgens dicebat: Sibi persuasum esse, quod episcopi sedem in tribunali non occupent, tanquam barones temporales, nec tanquam episcopi, sed tanquam viri qui spirituali diocesana jurisdictione gaudentes totum clericorum coetum repraesentabant. Ratio haec tanti ponderis esse judicabatur a senatu, ut statim quaestionem hoc modo formatam proponendam statuerent. 1. Quod legislativa & judiciaria potestas episcoporum in supremo tribunali remoratur functiones illorum spirituales & praejudicium adfert reipubl. unde aequum esse judicatur, ut ea ipsis adimatur per auctoritatem parliamentariam, quae libellum hac de re publice proponi jussit. 2. Quod si episcopis vel aliis clericis concedatur officium justitiariorum ad pacem, vel auctoritas judiciaria in camera stellata, vel in alio aliquo foro civili; tunc impediatur spiritualis illorum functio & praejudicum adferat reipublicae: Unde aequum judicatur, ut per legem potestate hac exuantur. Circa hoc tempus, quum res ecclesiasticae in senatu inferiori magno zelo reformandae proponerentur, Grimstonius & Seldenus argumenta de divino episcopatus jure permutabant, hoc modo: An episcopi sint jure divino, quaestio est;

eſt. Quod archiepiſcopi non ſint jure divino, extra controverſiam poſitum eſt. Jam, num epiſcopi, de quibus dubitatur an ſint jure divino; vel archiepiſcopi, quos nemo jure divino dixerit, poſſint ab officio ſuſpendere miniſtros eccleſiae, qui ſunt jure divino, vobis relinquo conſiderandum. " Ad quae Seldenus: An concili-" um clericorum ſit jure divino, quaeſtio eſt. Quod comitia parliamentaria non " ſint jure divino, extra dubium eſt poſitum. Quod religio ſit jure divino, nulla eſt " quaeſtio. Jam utrum concilium clericorum de quo dubitatur, an ſit jure divino, " & comitia quae abſque dubio non ſunt jure divino, tractare debeant res, quae " ſpectant ad religionem, quae extra controverſiam eſt jure divino, tibi, domine " prolocutor, conſiderandum relinquo." Grimſtonius replicabat: Aſt archiepiſcopi non ſunt epiſcopi; ad quod Seldenus reſpondit, " Hoc non eſt alio modo verum, " quam quod judices non ſunt cauſidici, & ſenatores non ſunt cives."

Interea dum motus hi de eccleſiaſtica poteſtate clericorum Angliae in tribunali exardeſcere continuarent, Seldenus anno MDCXL, librum ſuum vere aureum De Jure Naturali & Gentium juxta Diſciplinam Ebraeorum Londini fol. in publicam emittit lucem, qui omnis eruditionis promptuarium quaſi inter halcyonia muſarum conſcriptus omnium applauſus & gratulationes ſibi attraxit. Puffendorfius ſummum illud juriſprudentiae lumen, hunc Seldeni librum maximis encomiis proſequitur, dicens: " Joannes Seldenus nemini fortaſſe ſecundus haberi poſſet, ſi ei propo-" ſitum fuiſſet eadem ἀκριβείᾳ jus naturale ad univerſum humanum genus, quam ad " tradita Ebraeorum accommodare."

Anno MDCXLI, Maii tertio, Seldenus cum multis aliis ſenatus inferioris adſeſſoribus proteſtationem ſuo ſignavit nomine, promittens ſe reformatam proteſtantium religionem juxta doctrinam Eccleſiae Anglicanae, perſonamque honorem & imperium regis atque privilegia comitialia, inviolabiliter tueri velle. Quinto Junii ejuſdem anni tribunal inferius Seldeno cum aliis provinciam tradebat, accuſationum articulos contra Guilielmum Laudum Cantuarienſem archiepiſcopum ex iis quae in coetu ſelecto congeſta erant, formare. Huic muneri cum juxta mentem ſenatorum ſatisfecerit, Julii ſexto hujus anni decretum in curia comitiali communi ſuffragio ſignabatur, quod evolvere & obſignare muſaea ac chartas Seldeni & aliorum ſenatorum, warrantaque hujus rei cauſa emittere ſit violatio privilegiorum parliamentariorum. His jungebatur aliud decretum, quod juſtitia retardata fuerit in cauſa Seldeni, cum 5 Caroli termino Paſchali atque Trinitatis vadimonia ipſius non acciperentur. Sequenti 25 Auguſti, ſenatus conſpiratorum, officiariorum ſcilicet militum cauſam examinabat, quod nempe libellum ſupplicem ad regem ſcripſerint contra parliamentum, ut ejus auctoritati, quantum quidem poſſent, derogarent. Decretum ideo publicabatur ut pecuniae Percio Willmottio, Aſhburnhamio & aliis debitae, non ſolvantur, uſque ad proximum congreſſum. Seldenus crimen illorum extenuaturus, ipſos juxta primum pacificationis ſtatutum non ſolum dimiſſos ſed abſolutos etiam pronunciavit. Aſt reſponſi loco in tribunali explicabatur, quod decretum hoc non perſonas privatas, ſed utrumque reſpiceret imperium; quia alias contra archiepiſcopum Laudum, aut contra alios malefactores proceſſus formari non potuiſſet. Sequenti decimo ſeptimo Januarii Seldenus cum 21 regni proceribus & aliis a ſenatu nominabatur ad examinandam violationem privilegiorum parliamenti & ad formandum libellum ſupplicem ad regem, ut Pymmio, Hambdeno, & reliquis proditionis olim accuſatis & male idcirco tractatis damna reſarciantur.

Invaleſcente interim indies diſcordia inter curiam & ſenatum, amici regis pedetentim ſe debilitatos ſentiebant, vota tribunalium fruſtra implorabantur, & qui pro ſalute regis tanquam pro aris & focis non ita pridem dimicarant, jam in obſequio remiſſiores fiebant. Talis fuit cuſtos magni ſigilli Littletonius, qui in cauſa comitum Eſſexiae & Hollandiae, non modo non reſpondit expectationi regis, ſed quaſi ad aliena tranſiens caſtra, cum de militia quaeſtio eſſet in tribunali, contra regem ejuſque amicos vota dedit, alioſque qua pollebat auctoritate ſecum traxit. Rex moribus hiſce Littletonii irritatus dominum de Falkland ad eum mittere deſtinavit,

ut magnum ſigillum ab ipſo requireret: Hoc facere meditans Falklandium & Hydium conſuluit, in cujuſnam manus faſces illos traderet a Littletonio repetendos; utrum juſtitiarii primarii Bankſii, an vero Seldeni. Bankſium peritiam ac integritatem cum ingenti animi timiditate conjunctam habere noverant rex & conſiliarii, unde ipſum ancipiti rerum ſtatu muneri huic obeundo humeros ſubſtracturum eſſe credebant. Idem illud de Seldeno ſtatuebant, quod ſummam hanc provinciam ipſi oblatam ſit detrectaturus. Noverant quidem prolixum illius erga regem affectum, aſt aetatem provectam & tenerrimam temperiem, magnam, qua per plurimos abhinc annos delectabatur, requirere requiem. Opibus ipſum affluere aiebant, nec iter Eboracenſe ſuſcipere, aut ex propriis plumis ſomnum capere velle, ſi maximum, quod nunquam tamen appetiit, praemii loco ei traderetur officium. Ita Seldenus honoribus non tam uti, quam dignus haberi credebatur.

Verum paucis interjectis diebus ejuſdem MDCXLII anni, ſumma haec regis gratia erga Seldenum decreſcere coepit, ingruentibus tribunalium & aulicorum diſſidiis. Conſeſſus nempe inferior binis in congreſſibus multa de edendo ſtatuto militari *(Ordinance for the militia)* diſputabat, locumtenentes cuilibet comitatui aſſignare volens, cui cura militiae & armorum committenda eſſet. Rex Eboraci agens decretum hoc ſuae opponi ſaluti ac auctoritati videns, armatorium mandatum *Commiſſion of array* dictum ad diem Junii 11 & 12, miſit ad comites Huntingdoniae & Devoniae, Henricum Haſtings armigerum & alios "ad armari faciendum in comitatu Leiceſtriae "omnes illos, qui de corpore ſunt potentes & habiles ad armandum, ut qui de ſuo "proprio habent, unde ſeipſos armare poſſunt, juxta ſtatum & facultates ſuas taxentur, aſſideantur & proportionentur." Unicum hoc defenſionis regiae munimentum ſenatus ſtatim ab initio deſtruere moliebatur; unde mandatum cum proclamatione, literiſque regiis publice praelectum multos acerrimos hoſtes, quorum agmen ducebat Seldenus, experiebatur. Hic commiſſionem illam, nulla legum auctoritate corroboratam, ſtatutum Henrici IV, cui ea inniti dicebatur, abrogatum, lernamque malorum ſecuturam eſſe aſſerebat, ſi obſequium ei praeſtaretur. Argumentis in favorem regis eodem tempore allatis Seldenus felici cum ſucceſſu obviam ivit, ac tanta vi & auctoritate praejudicium & odium propoſiti hujus regii ſenatui & aliis civibus extra curiam agentibus impreſſit, ut rex inimica ejus ſtudia aegre ferens, Falklandio auctor fuerit epiſtolae ad eum mittendae, rationes inquirendi cauſa, quare tumultibus ubique graſſantibus decretum ſenatus militare, nullo fundatum jure, confirmaturus, obſequio mandati armatorii ſe totis viribus opponeret; cum tamen acta regni natales ei dederint, & hodie a multis juriſperitiſſimis, imperii legibus concordare dicatur. Seldenus Falklandio ingenuum reddidit reſponſum, "ſe veritatem contra injuſtitiam commiſſionis hujus eo modo defendiſſe, ut nulla in poſterum vis illam infringere queat. Libere etiam de pſephiſmate militari ſuam "addebat opinionem, quod nec umbra legis vel praetextus exempli cujuſdam illud ſtabilire poſſet, utpote conſtitutionibus imperii e diametro contrarium. Fatebatur ſe tanto majori cum fervore orationem pronunciaviſſe in ſenatu, contra "mandatum armatorium, ut eodem zelo adverſus ſtatutum militare, quandocunque in curia proponeretur, argueret. Certo credebat ſe decretum hoc, quod "minori juſtitiae robori innititur, eſſe deſtructurum, & melius reipubl. conſultum "fore, ſi commiſſio aeque ac ſtatutum aboleretur, quam ſi alterutrum auctoritate "parliamentaria ſtabiliretur."

Hoc anno Carolo regi inauſpicato, Seldenus privilegia baronatus ſive baronum Angliae in lucem miſit; quem eodem tempore excepit alius tractatulus duabus plagulis conſtans, circa eandem materiam Londini impreſſus, qui, ut fama refert, Seldenum auctorem agnoſcit; licet nonnulli eum Simoni D'Ewes equiti acceptum ferant. Titulum gerit: *A brief Diſcourſe concerning the Power of Peers and Commons in Parliament in point of Judicature.* Hunc de privilegiis baronum Angliae libellum, alius haud diſſimilis materiae, poſt annorum aliquot decurſum ſequebatur, qui poſthumus dictus: *Of the Judicature in Parliament.* Hoc anno Seldenus origines eccleſiae

Alexandrinae auctoris *Said Ibn Batrick* Arab. & Lat. Londini typis exprimi curavit, cum adjectis notis quae censuram & odium clericorum ipsi conciliabant, multaque negotia facessebant, quorum rationem ac apologiam reddidit in praefatione ad decem Angliae scriptores. Notas Seldenianas in Eutychium, Abraham Ecchellensis Maronita refellere aggressus est, sed majorem scripti sui partem calumniis implendo adeo infausto hoc praestitit successu, ut nec Seldenum a sphalmatibus haud immunem, refutasse, nec Eutychium satis accurate intellexisse videatur. Origines hae Alexandrinae partem constituunt annalium, quos literaturae orientalis olim praeses Edwardus Pocockius versione Latina & typis donavit Oxonii MDCLVI, Seldeno nostro chorago existente, i. e. sumptus ad impressionem annalium non versionem ipsam suppeditante, quod ad tom. VIII, Biblioth. Eccles. Dupinii observandum, qui illustri summi Pocockii famae, versionis annalium gloriam derogat, haud bene intellecta voce choragus. Vide quae ea de re erudite scripsit Humfredus Prideauxius in vita Mahomedis.

Magna regis in Seldeno fiducia, dum magnum Angliae sigillum ei offerre meditaretur, major hujus in regem pietas, maximaque jurisprudentiae & legum municipalium cognitio omnium impleverat aures & pectora, ut dum mandato armatorio regis aeque ac psephismati militari in senatu se opposuisset, ex animo regiis inserviendi commodis hoc factum fuisse crederetur. Seldenum duabus sellis sedere autumabat senatus, privatim amicum, publice hostem agendo regis. Periculum ergo honestatis & propositorum ipsius facere tentabat. Unde dum anno MDCXLIII conspiratio Walleri detecta fuisset, ipse in foro examinatorio quaerebatur, an Seldenus, Pierpoint, Whitlock & alii consiliorum ejus participes fuissent. Ast insontes illos declarans, rem totam narravit; quod nempe vespera aliqua musaeum Seldeni ingressus, Pierpointium & Whitlockium ibi salutaverit, generalem propositi sui ideam illis communicaturus. Cuncti autem (Wallerum audis) uno ore a Deo invehebantur in turpitudinem & perfidiam actionis hujus unde multus civium profunderetur sanguis, ut oratio & praesentia eorum panicum illi injecerit terrorem, ac os a recensendis particularibus negotii circumstantiis cohibuerit, imo tantum non ab exequendo proposito deterruerit. Hoc modo Seldenus a proditionis suspicione liberabatur; & ne quis fidelitatis ejus famam in posterum arrodere posset, juramentum Junii 6 praestabat, contra perfidum horrendumque consilium de subversione parliamenti & imperii.

Duodecimo Junii hujus anni decretum comitiale synodum ex clericis & laicis conflatam a. d. 1 Julii in capella Westmonasteriensi regis Henrici VII convocari jussit, ad regimen ecclesiae stabiliendum. In hoc consessu Seldeno inter caeteros concedebatur sedes, qui spartam hanc quam maxime ornavit difficilia, sacrae scripturae loca ex proprio primaevarum linguarum fonte explicando, diversas a Spiritus S. sensu interpretationes refutando, quaestionesque controversas ex antiquitatum monumentis historia tam ecclesiastica quam profana & variorum auctorum scriptis decidendo. Et cum disputatio de vera cujusdam loci s. scripturae lectione oriretur, clericique ad biblia vel Latina vel Anglica quae in loculis circumferebant, appellarent, Seldenus respondit: " In parvulis vestris bibliis deauratis foliis versio forsan ita vel ita sonat, " ast Hebraeus & Graecus ita legit." Speciminis loco duo vel tria exempla ex praefatione venerandi senis & historici Joannis Strypii ad Lightfootii librum *Genuine Remains* dictum excerpam. Gillaspius Scotus ex Deut. xvii. 12. duas curias sacerdotum & judicum probare conabatur, ex quarum una appellandum esset ad aliam. " Et vir qui fecerit in superbia ad non audiendum sacerdotem stantem ad mini- " strandum ibi domino Deo tuo, vel judicem, morietur ille." Ast Seldenus duas ibi statui curias negabat, hoc modo. " Vulgata usque quadraginta abhinc annos " locum ita legit, *Qui non obediverit sacerdoti, ex decreto judicum morietur*. Et si " lectio haec vera est, nec umbra quidem duarum curiarum apparet, sed omnes " alii ibi includuntur casus. Si in aliqua inferiorum curiarum judices de sententia " ferenda dubii essent, & consilium petituri Hierosolymas abirent, si inde reduces dubii

" dubii ſolutionem adferrent, attamen juxta eam haud judicarent, moriendum ip-
" ſis eſſet. Et hi judices juxta placita Ebraeorum rebelles appellabantur.

De congregationibus chriſtianorum ſtatim poſt aſcenſionem Domini ad Actor. ii. 46. hanc dedit explicationem, quod ſcilicet eſſent προσκαρτεροῦντες ἐν ἱερῷ, eo tem-
" pore non tanquam chriſtiani, ſed tanquam gentiles judaizantes. Judaei enim
" in ſcribas & phariſaeos diviſi, chriſtianos ad ſuum pertinere coetum haud agnoſ-
" cebant. Eſſenos eos appellatos fuiſſe dicendum eſt. Jam Judaei Hieroſolymita-
" ni ad chriſtianam converſi fidem credebant legem & ſtatuta Moſis ipſis neceſſario
" obſervanda eſſe: Unde cum Paulo arguebant Act xxi, quod dehortaretur audi-
" tores ab obſervatione legis Moſis. Et quid mirum, ſi hac ducti ratione conſtan-
" ter in templo permanerent? Unde ſicuti Hieroſolymis CCCCLXXX ſynago-
" gae fuiſſe dicuntur in Megilla fol. 73, quarum unaquaeque ex decem ad mini-
" mum familiis conſtabat, uti patet ex Maimonide tit. תפלה, ita & chriſtianos con-
" ſuetudini huic morem geſſiſſe, ac ſeipſos in diverſas ſynagogas ſive congreſſus
" diviſiſſe dicendum eſt. More Judaico templum viſitabant, panem autem κατ'
" οἶκον frangebant more chriſtiano. Ubi per *frangere panem* Syrus intelligit eu-
" chariſtiam. Et κατ' οἶκον, בית כנסת domus ſynagogae, ſc. domum aliquam huic ne-
" gotio deſtinatam fuiſſe, affirmandum. Sicuti enim primitus chriſtiani Hieroſolymis
" agentes omnia bona κτήματα καὶ ὑπάρξεις communia habebant; ita nulla cuilibet
" chriſtiano domus propria allocanda eſt: Sed hoc in loco per κατ' οἶκον intelligen-
" da eſt domus in qua omnes ad preces publicas conveniebant.

Et cum Actor. ii. ſermo eſſet de diverſis linguis in feſto pentecoſtes auditis nonnulli unam communem fuiſſe linguam diverſis dialectis diſtinctam, attamen ab omnibus intellectam dicebant. Seldenus his contradicens aſſerebat: Quod in ſacro-
" rum adminiſtratione varietas linguarum non fuerit neceſſaria, & quod (exceptis
" verbis mulieris adulterae & benedictionis ſacerdotalis Num. vi. quae in Hebraica
" lingua pronunciabantur) benedictiones in templo in quacunque lingua a populo
" intellecta fiebant. 2. Quod Helleniſtae ubicunque locorum fuerint, in diſper-
" ſione proculdubio Graeca uſi ſunt lingua. Et Philo ipſe linguae Hebraicae igna-
" rus fuiſſe dicitur Druſio. 3. Quod cum judex in magnum concilium Sanhedrin
" admittendus LXX linguarum peritia inſtructus eſſe requiritur, varias eum callu-
" iſſe linguas dicendum eſt. 4. Synagogae libertinorum, Cyreniorum, &c. Ac-
" tor vi. diverſitatem nationum oſtendunt; quare non & diverſitatem linguarum?
" 5. Quod Actor. vi. aperta & evidens detur diſtinctio inter Helleniſtas & Hebraeos
" ſeparatim viventes tempore quo omnia eorum bona erant communia." Tantam Seldenus in ſynodo hac conquiſivit nominis gloriam, ut Cleavelandus poeta in libro *Mix'd Aſſembly* dicto haec de eo ſcripſerit:

And Selden *is a galliard by himſelf,*
And well may be; there's more divines in him,
Then in all this their Jewiſh Sanhedrin.

Jacobus Uſſerius primas Hiberniae ſynodo huic interfuit, & cum contra comitialia Weſtmonaſterii decreta publice ac ſtrenue pro concione Oxonii ageret, cauſa ei dicebatur tanquam malefactori & ſtatutum divulgabatur de confiſcando muſaeo ejus maximi pretii, quod altero Londino lapide in Chelſea adſervabatur. Et parum abfuit, quin haſtae ſubjiceretur, niſi doctor Featleius ope Seldeni veniam redimendi eos obtinuiſſet. Hoc anno Nov. 8, Seldenus communi comitiorum voto cuſtos monumentorum in Turri Londinenſi ſalutabatur. Et Februar. 9, die Veneris ſolenni ligae & foederi ſubſcripſit, quod ex decreto comitiali feriebatur pro reformatione & defenſione religionis, pro honore & ſalute regis, & pro pace ac tranquillitate trium regnorum Angliae, Scotiae & Hiberniae.

Sequenti anno MDCXLIV Seldenus diſſertationem de Anno Civili veteris Eccleſiae ſc. reipublicae Judaicae prelo ſubjiciebat: cui ſi doctiſſimo Sellero fides eſt, adjunxerat

junxerat tractatum de Anno Solari Macedonum; sed injuria temporis eum nobis, sola magni Usserii de hac materia contentis chronologia, invidit. Eodem forte fato periit vita Rogeri Baconi Latine a Seldeno conscripta, uti ex adversariis Gerardi Langbainii in bibliotheca Bodleiana adservatis certi reddimur: Unde multos Rogeri Baconi codices MSS. pro Seldeno collatos fuisse ediscimus. Antonius a Wood eam in Gallia periisse indigitat.

Aprilis 15, anni MDCXLV, tribunal utrumque decrevit, ut selectus coetus sex scilicet proceres regni & 12 patricii, in quorum numero Seldenus noster erat curiae thallassiarchiae praeessent, negotiorumque ejus supremam agerent curam; ast proxime sequenti octavo vicesimo ejusdem mensis die, senatus inferior post multas disceptationes & ventilationes statuit, ut tres solummodo ex utroque senatu eligerentur viri, qui clavum thallassiarchiae tenerent: Hi fuerunt comes Warwici Bensius & Pelhamius. Septembris tertio sequenti tribunal sub incudem revocavit petitionem synodi de excommunicatione & suspensione a s. coena. Seldenus suam de hac quaestione opinionem his declaravit verbis, "* Quod per quatuor mille annorum spatium " ne ἴχνος quidem legis alicujus compareat, homines sacris interdicentis. Quod " sub lege quilibet peccator eo nomine, quod peccator esset, sacrificium offerre de- " bebat, nullusque sacerdos vel alius magistratus auctoritatem in eum exercere po- " terat, nisi, quod difficile satis est, probari possit, utrum quis poenitentiam agat " necne? Alienigenae a paschate arcebantur; sed hi aut pagani erant, aut Judai- " cae religioni non addicti. Quaestio jam non est de arcendis paganis in aevo " christiano, sed protestantibus a cultu divino protestante. Nullus clericorum " evincere potest mandatum aliquod de interdictione sacrorum alicubi extare. Si " post passionem Christi, Judaei facti fuissent christiani, eadem ratio, cui sacrifi- " cia illorum innitebantur, obtinuisset in s. coena. Et jam nullum extat manda- " tum aliquem his vel illis sacris interdicere. Nemo juxta statuta reformatarum " ecclesiarum excommunicatione innodatur eo nomine, quod peccati reus est, vel " quia pro peccato non satisfecit. Omnes homines sunt peccatores, hac solum " cum differentia, quod hic sit privatus, ille publice peccator. Uterque contra De- " um peccat. Dic ecclesiae in S. Matthaeo forum juridicum spectat, quod tunc " temporis Hierosolymis confluebat. Nemo excommunicationem ante paparum " Victorii & Zephyrini tempora (duo post Christum natum secula) in usu fuisse " ostendet. Illi ad sopiendos tumultus privatos primum excommunicationem ad- " hibebant; ergo ea humanum est inventum, desumptum ab ethnicis." Juxta hanc Seldeni de excommunicatione sententiam, (de qua in primo de synedriis Ebraeorum libro prolixe agit) decretum senatus fuit statutum.

Februarii 24 die controversia nascebatur in tribunali de tutelis: Seldenus Maynardus, St. Johnius, Whitlockius & alii jurisconsulti pro concione exponebant originem tutelarum, malam earum administrationem, & praesentem diversarum fami-

* That for 4000 years there was no sign of any law to suspend persons from religious exercises. That under the law every sinner was *eo nomine* to come to offer, as he was a sinner; and no priest or other authority had to do with him, unless it might be made appear to them, whether another did repent or not, which was hard to be done. Strangers were kept away from the passover, but they were pagans, and such as were not of the Jewish religion. The question is not now, for keeping away pagans in times of christianity, but protestants from protestant worship. No divine can shew there is any such command as this, to suspend from the sacrament. If after *Christ* suffered the Jews had become Christians, the same ground upon which they went, as to their sacrifices, would have been as to the sacrament: And certainly no way or command to keep any one from partaking of it. No man is kept from the sacrament *eo nomine*, because he is guilty of any sin, by the constitution of the reformed churches, or because he hath not made satisfaction. Every man is a sinner; the difference is only, the one is in private, and the other a sinner in publick. The one is as much against God, as the other. *Dic Ecclesiae* in St. *Matthew* was the courts of law, which then sat in *Jerusalem*. No man can shew any excommunication till the Popes *Victor* and *Zephyrinus* (200 years after *Christ*) first began to use it on private quarrels; thereby excommunication is but human invention; it was taken from the heathen. *Whitlock. Memor. p.*163.

liarum nobilium & patriciorum oppressionem. Senatus hac commotus oratione, psephisma constituit, ut curia tutelaris, tutelae, possessiones & licentiae alienationum, &c. plane annihilentur. Cui statuto tribunal superius calculum suum adjecit.

Hoc anno MDCXLV, Seldenus per mandatum parliamentarium unanimi consensu magister Aulae S. Trinitatis Cantabrigiae eligebatur. De qua electione societas sequenti epistola eum certiorem fecit.

Clarissime vir,

" Cum primum te in praefecturam Aulae Trinitatis cooptavimus, illud nobis so-
" lum incubuisse arbitrati sumus, ut uno eodemque negotio collegio magistrum, rei
" literariae ornamentum, & academiae patronum & praesidium prospiceremus.
" Qua quidem in re, postquam summis utriusque ordinis viris visum sit electioni
" nostrae album calculum adjicere, nihil denique restare speramus, nisi ut desi-
" deriis nostris, gravissima jam Pan-Anglii hujus auctoritate munitis, succumbas, &
" voluntatem tuam adhuc fluctuantem in utilitatem atque commodum nostrum di-
" rigi ac defigi patiaris. Te igitur repetitis denuo votis ambimus, ut & nos tanti
" senatus judicio fruamur, & tu suffragiis tandem nostris supremam manum impo-
" nas; in cujus omnino potestate est, ne orbitatem nostram importune lugeamus.
" Frustra statutorum interpretamenta solicitamus, cum amplissimus ille conventus
" (nisi ipse nobis teipsum invideas) societatem nostram ditioni tuae addixerit. Sa-
" tis cum modestia tua certatum est; ad humanitatem tuam provocamus. Quam
" si expugnari demum siveris, curatum erit, ne aut nostri nos obsequii, aut tuae te
" facilitatis poeniteat. Fac quod te facturum & speramus & ardemus, vir exopta-
" tissime, ut te praefectum cominus salutemus, quem eminus mirati sumus. Ut
" qui in Edeno securi fuimus, in Seldeno felices esse possimus.

Humillimi tui Clientes.

Ut autem Seldenus in locum praefecti Aulae legitimo institueretur modo, socii comiti Hollandiae universitatis cancellario electionem hanc nunciabant, utque eam ratihaberet, his verbis rogabant.

" Praenobili & honorando viro Henrico comiti Hollandiae, almae universita-
" tis Cantabrigiensis cancellario honoratissimo, ejusve procancellario seu procan-
" cellarii vicemgerenti: Socii Aulae S. & Individuae Trinitatis in universitate Cant'
" praedict' omnimodam reverentiam in hac parte debitam.

" Nos socii dicti collegii vestro honori harum serie notum facimus & significamus,
" quod custodia collegii praedicti per mortem naturalem venerabilis viri Thomae
" Eden legum doctoris, nuper custodis ejusdem collegii, decimo octavo die mensis
" instantis Julii mortem obientis, vacua devenit & vacavit. Et quod insuper nos
" socii, saltem major pars sociorum dicti collegii, ad effectum eligendi novum cu-
" stodem collegii praedicti congregatorum, habitoque per nos maturo tractatu de
" persona idonea in ea parte eligenda, tandem vicesimo tertio die mensis instantis
" Julii, in praeclarissimum virum Johannem Seldenum armigerum vota nostra di-
" reximus, eundemque Johannem in magistrum & dicti collegii custodem elegimus.
" Vestro igitur honori tenore praesentium humiliter supplicamus & rogamus, qua-
" tenus dictae nostrae electioni, sic (ut praefertur) per nos dicti Johannis Selden
" in custodem praedict' habiti & facti notitiam habere, caeteraque facere & pera-
" gere quae ad officium vestrum cancellarii, in hac parte quomodolibet spectant,
" dignetur clementia vestra cum favore. Et ad effectum praedictum dilectos no-
" bis in Christo Robertum Wiseman, legum doctorem, Guilielmum Forth & Jo-
" hannem Pepys in legibus Baccalaureos, dicti collegii socios, conjunctim & divi-
" sim ad comparendum coram honore vestro, ac electionem nostram de persona
" dicti Johannis Selden in custodem dicti nostri collegii, & hoc praesens instru-
" mentum desuper factum praesentandum (curavimus). In cujus rei testimonium

" sigillum nostrum commune sive collegiat' praesentibus apponi fecimus. Dat' de-" cimo nono die mensis Aug. anno MDCXLV.

Ast Seldenus provinciam hanc detrectans sua manu & sigillo electioni renunciavit, quare societas haec a tribunali utroque libertatem alium eligendi magistrum petebat, quam & facile obtinuit, & in locum Edeni Robertus King sufficiebatur Octob. 28, 1645. & cum hic officio haud spontaneo resignavisset modo 7 Mart. 1645, Bondius LL. doctor eligebatur. Rationes renunciationis amplissimae hujus provinciae a Seldeno factae perquirere jam non vacat. An cura academiae Oxoniensis, cujus procuratorem illo tempore egit, ipsi sufficeret; an quod sexagenario major quieti domesticae indulgens & splendida divitiarum possessione gaudens, aeque ac ante quadriennium magni sigilli ita jam collegii hujus custodiam detrectaret. Hoc tamen certo statuere possum, Seldenum non ex odio aut contemptu universi clericorum ordinis spartam hanc a suis in Kingii devolvisse humeros, neque academiam Cantabrigiensem aulamve S. Trinitatis suo patrocinio indignam judicavisse. Verum quidem est, Seldenum clericis jus divinum adimere, possessiones autem eorum humanis traditas & confirmatas legibus, quibus clerum subjectum esse voluit, tenaciter & athletico semper more defendit. Familiariter utebatur multis clericorum, inprimis Jacobo Usserio Armachano archiepiscopo, Merico Casaubono, Richardo Jamesio, custode magni sigilli episcopo Williams, Pocockio, Langbainio & aliis, quos ob maxima merita summo in honore habuit. In academiam utramque singularia ac ampla venerationis Seldenianae monumenta extabant. Oxoniensis alumnum suum tanta matre dignissimum prae caeteris procuratorem elegit, ut ingruente tempestate sub ejus tutamine secura, libertates, statuta, ac privilegia, illibata atque inconcussa retineret. Grata hoc recolit mente Gerardus Langbainius collegii reginalis Oxoniensis praepositus in epistola ad Seldenum. " *Notwithstanding those common endearments by which you have purchased so great an interest in this disconsolate university——however the condition of this place be now so desperate, that* Salus ipsa servare non potest, *yet we are all abundantly satisfied in your unwearied care and passionate endeavours for our preservation. We know and confess*

——si Pergama dextra
Defendi poterant, etiam hac defensa fuissent.

" *Of this we are confident, that next under God's, it must be imputed to your extraordinary providence, that we have stood thus long; you have been the only* belli mora, *and*

Quicquid apud nostrae cessatum est moenia Trojae
Hectoris (I cannot add *Aeneaeque*, for you had no second) *manu victoria Graium*
Haesit ————

" *By your good acts and prudent manage, our six months have been spun out into two years, and it has been thus far verified upon us, by your means,* nec capti potuere capi. Vide Leland. Append. 1. Collectan. p. 282, 283.

Idem & Reynoldesius vicecancellarius academiae & collegii sui nomine fecit uti ex literis autographis in museo supra memorati clarissimi Harbinii constat, quas hic damus.

Honoured Sir,

" *I take the boldness in regard of the relation, wherein you stand unto this university (in the service whereof by order of the honourable houses of parliament I am employed) to become an humble suiter unto you in a business wherein the interest of this university is much concerned. It pleased King* James *for the better en-*

" *couragement of learning in this place, to annex unto the professor's place of law, and*
" *unto the Lady* Margaret's *lecture, some prebends. To the law place,* Shipton *in*
" Oxfordshire, *belonging to the church of* Sarum: *To the other, one in the church of*
" Worcester, *which places they have hitherto enjoyed. My humble suit is, that you,*
" *who are the honour of this nation for learning, will be pleased to be the patron for*
" *this seminary of learning, and when you shall find it needful and seasonable to*
" *move that honourable house wherein you sit, that these salaries may be continued.*
" *I should make the like humble request in the behalf of* Christ-Church, *if I thought*
" *that ample foundation could stand in need of any mediation of mine, either with*
" *you or them. I shall not give you any more trouble, save only to tell you how*
" *greatly this favour will oblige not only the whole university, but in special manner,*

Oxon. Octob. 23, 1648.

SIR,
Your very humble servant,
ED. REYNOLDES, Vicecan.

SIR,

" *When we consider the relation you bear in the honourable house of Commons unto*
" *this university, and the singular eminency of your own learning, whereof therefore*
" *you cannot but be a patron and protector. We have taken the boldness to put this*
" *ample foundation of* Christ-Church *under your wing for shelter, beseeching you to*
" *improve your interest for the preserving thereof (in regard to the wide difference*
" *between it and other cathedrals) from the danger which general words, without*
" *some effectual and full exception, may expose it unto. We have to that purpose*
" *sent up the charters, and given instructions to some of our members to wait upon*
" *you with them. Sir, the favour you shall herein do to learning, and to one of the*
" *most famous houses thereof in christendom, we shall record in our hearts, and transmit the memory thereof unto posterity, unto whom this will add one eminent de-*
" *gree of obligation to all those others, which your incomparable labours have laid on*
" *this, and on future ages. So fearing to give you any further trouble, we remain*

Christ-Church, Nov. 7, 1648.

SIR,
Your humble servants
ED. REYNOLDES, JO. MYLLES,
CHRISTOPHER ROGERS, HENRY CORNISH,
JO. WALL, RALPH BUTTON.

To our most honoured friend John Selden, *Esq; one of the members of the honourable house of Commons.* *These present.*

Et si Woodio in Histor. Univ. Oxon. fides, Seldenus unus academiae illius visitatorum anno MDCXLVII, apologistam contra Bradshawium egit; verba Woodii sunt haec: " Cum consurgeret D. Bradshaw advocatus parliamentorum, deque aca-
" demia inconsulto rege protinus visitanda more suo acriter perorare occiperet; vi-
" rum interpellavit Seldenus, iniquum esse ostendens, ut praecipuum integrae litis
" caput disceptandum prius veniret, quam consilio & patrocinio expetitis instrue-
" rentur togati, quod ut inprimis concederetur suadebat. Et cum visitatores Oxo-
" nii commorarentur, absente Seldeno, uterque academiae procurator historiam vi-
" sitationis contexuit epistolio ad Seldenum, h. m.

SIR,

" *Being unwilling to commit our cause to such wild advocates, rumour and prejudice,*
" *we are bold to trouble you (that you may not be farther abused by misreports) with*
" *a just narrative of all that the university hath acted in reference to the intended vi-*
" *sitation,*

" *ſitation. And we deſire our actions ſhould be repreſented to you by our regiſter, rather than by our own relation, or others reports. The acts of the late* Tueſday (Jun. 1.) *in our moſt ſolemn convocation, with the whole hiſtory of our proceedings we crave leave to refer to the regiſter, and the particular memory of the preſenter hereof Mr.* Maplett. *We then conſulted with all, in what belonged to all; and had prepared ourſelves to the utmoſt (with a ſalvo only of our conſciences and our rights, which yet we choſe at that time rather to wave than diſpute, and ſought all ways poſſible to ſuppreſs objections, that we might go beyond all others in the examples of peaceableneſs and obſervance) to receive and to expedite the viſitation. But at the time and place appointed (on* Friday June 4, *between nine and eleven) according to the citation (which called us to the ſchools, while the viſitors preached out the time at* St. Maries) *we the proctors, with the heads of colleges and halls, and the whole body of the univerſity, having attended there from nine till after eleven, apprehending ourſelves to be quit (whether by their willing remiſſion we know not) from any farther obſervation, we then deſired our appearance to be regiſtered, and departed with ſome unwillingneſs to loſe that advantage of anſwering for ourſelves. For in ſo great innocence we could not entertain any ſuch light thoughts of gaining reſpite and time. But now we have ſhewed our moſt punctual obſervance we are forced to turn this, which was intended only for a narration into a plea, to vindicate ourſelves from any poſſible ſcandal. However we then had amongſt other pleas (as the very day of the citation blotted and altered in the margent from* July *to* June, *without notice of the alteration) very good authority for non-appearance from our articles, which tye us to ſubmit to none, but the immediate power of parliament, and in the number of the viſitors, that then were in town, there was no parliament man; yet we overlooked all exceptions, ſeeking rather occaſions to expreſs our obſervance, and clear our innocence, than taking advantages of liberty, and ſeeking refuges. Sir, let us not ſeem to call you into a part of our troubles, while we deſire, as it were, to plead our cauſe with you, not ſo much that you may plead it better with others, as that the actions may plead for themſelves, with you firſt, and then with others.*

Oxon. Jun. 5. *SIR,*

We are your humble honourers and ſervants,

ROB. WARING, HENRY HUNT, } Procurat. Univerſitat. Oxon.

Cantabrigienſis academia bibliothecam Bancroftianam, ac conſervationem privilegiorum academicorum Seldeni patrocinio & favori acceptum ferebat; quod teſtatum facit binis, quas ex autographo apud clar. Harbinium deſcripſimus literis, infra ſubjiciendas. Reverendiſſimus ſc. Richardus Bancroftius archiepiſcopus Cantuarienſis, ſuprema tabula Octob. 28, anno MDCX, bibliothecam ſuam inſtructiſſimam archiepiſcopis Cantuarienſibus ſucceſſoribus ſuis legabat, hac cum conditione, ut nempe tuto in manus ſucceſſorum eam devolutum iri fides daretur. Ea autem deficiente libros ſuos in collegium Chelſeyanum reponi juſſit, ſi nimirum intra ſexennium extrueretur. Hoc autem ſi infra praeſcriptum tempus haud fieret, publicae academiae Cantabrigienſis bibliothecae eos adjungi voluit. Cum igitur poſt archiepiſcopum Laudum violenta morte e vivis ereptum nulla de conſervatione bibliothecae Bancroftianae fides dari poſſet, & collegium Chelſeyanum nondum eſſet erectum, academia Cantabrigienſis anno MDCXLV ſupplicem ad ſupremam comitiorum curiam libellum miſit, ut teſtatoris voluntati & intentioni ſatisfieri pro ſumma ſua auctoritate juberent. Seldenus ab academiae Cantabrigienſis partibus quaſi cauſidicus & patronus ſtans, duo ſummorum tribunalium decreta obtinuit, alterum MDCXLVI, 15 Febr. concedens cancellario, magiſtris, & ſcholaribus academiae Cantabrigienſis, omnes archiepiſcopi Bancroftii libros: Alterum ſtatim ſequenti

24 Martii

24 Martii approprians academiae illi omnes ſucceſſorum ejus libros, pro quo favore maximas ei referunt gratias; his verbis.

Spectatiſſimo doctiſſimoque viro, Joanni Seldeno armigero, amico academiae plurimum colendo.

" Cum multa ſint & magna, clariſſime Seldene, quae veſtro conventui honora-
" tiſſimo debemus, tum haec eadem alio ordine, imputamus merito tibi. Stanti-
" bus enim nobis ad illud regni perfugium, tu benignus affulges, aditum patefa-
" cis, honorem & benevolentiam patrocinio tuo concilias, authoritate demum illa
" & gratia, qua polles, voti compotes dimittis. Feciſti hoc ſaepius, quod & gra-
" ti jam recolimus. Feciſti itidem nuper in libris illis Lambethanis, tum priori-
" bus quos legavit archiepiſcopus Bancroftus, tum his aliis quos ab illo ſucceſſores
" congeſſerunt. Tua primum ſolertia hunc theſaurum nobis detexit, tua animi
" benevolentia academiae vovit, tuis auſpiciis & diligentia ſuffragia omnium adju-
" dicarunt. Cum te nuper cuperemus academiae noſtrae partem, ut in parva prae-
" fectura magnum praeſidem, ambitioni noſtrae datum eſt, non conſultum tibi.
" Intuliſſes enim in Cantabrigiam illud nominis & literarum, quod ab illa viciſſim
" accipere non potuiſſes. Sed id nobis ut ſuccederet, cum multa non paterentur,
" quod proximum potuiſti de bibliotheca nobis proſpicis. Vim librorum ingen-
" tem agnoſcimus & gloriamur; ſed tecum collatam, quid aliud reputabimus quam
" aliquot manipulos immenſae illius gazae quam tu animo tuo repoſitam congeſtam-
" que complecteris. Sed nec ſic tamen damno nobis aut incommodo accidit. Nam
" & illa tot librorum poſſeſſione aucti ſumus, & te etiam a longinquo non minus
" noſtrum experimur. Tu abſens illa praeſtas, quae vix praeſens potuiſſes, & in
" illa quaſi ſpecula terrarum orbis conſtitutus, latius fulges, longius proſpicis & tot
" illuſtrium virorum conſortio ſuccinctus, potentius opitularis. Perge porro, ſum-
" me vir, academiam noſtram fovere, literas ornare, tuam ipſius cauſam agere.
" Nam quibus ſpatiis vel temporis vel locorum ſtabunt literae, iiſdem tuum no-
" men & fama terminabitur.

Datae e frequenti ſenatu noſtro 4 Non. Aprilis, A.D. MDCXLVII.

Haec vox & votum eſt tibi dedititiſſimorum
Procancellarii reliquique ſenatus
academiae Cantabrigienſis.

Spectatiſſime Domine,

" Cum tot tantiſque occupatus, nullum finem aut modum facis academiae Can-
" tabrigienſi gratificandi, non intempeſtivum fore ſperamus, ſi dignatatem tuam de
" arduis licet graviſſimiſque regni negotiis deliberantem gratiarum libamine inter-
" pellemus. Frigide nimis amplecteremur indulgentiſſimum tuum erga nos affe-
" ctum, ſi tempora ac opportunas accedendi occaſiones ſcrupuloſe moraremur, aut
" metueremus, quod levi errore de favore tuo caderemus, qui jam in intimis ani-
" mi praecordiis altius radices egiſſe videtur, & quadam benefaciendi conſuetudine
" ſtabiliri. Majora, majora ſunt quae accepimus, quam ut vel minimas procra-
" ſtinationes ferre poſſimus, quin eadem impatientia gratias referamus, qua tu ac-
" cumulaſti beneficia. His enim orientalibus gemmis impetratis (etſi bibliothecam
" reliquaque favoris tui pignora omiſiſſes, quae tamen in perpetuum religione ſin-
" gulari recognoſcemus) melius de eruditis omnibus ac eruditione mereris, quam
" ſi orientales Indias huc totas tranſportaſſes. Hoc ſcilicet argumento & proba-
" tione, quod cum Romanorum Graecorumque millies coctam recoctamque cram-
" ben faſtidiebamus, novum literarum orbem, novoſque deliciarum paradiſos in-
" dicaſti; quo defeſſa langueſcenſque prae nauſea indoles, a veterno ſuo reſipiſce-
" ret, ac infeliciorem arenam ad recentiores floridioreſque lauros deſcenderet: acſi
" non ſatis habuiſſes vetera doctrinae pomoeria ſarta tecta conſervaſſe, ſi non &

" ultra columnas Herculeas, quas sibi hactenus praefixerat, extenderes, suavique va-
" rietatis condimento exhilarares. In qua tua beneficentia aliquid praeterea lae-
" ti ominis exosculatur alma mater, quod eo praesertim tempore, quo occasum subi-
" tura videbatur eruditio, ab oriente candidior emerserit. Quamvis & illud pro-
" pensissimum in nos animum tuum non parum commendare possit, quod praeter
" spem expectationemque omnem, quasi Deo quopiam procurante, dormientibus
" fere haec evenerint, idemque dies & consilium tuum & felicissimum eventum attu-
" lerit. Neque enim sedulitati aut solicitationibus nostris, aut vestrae inde defa-
" tigationi, sed benevolentiae tuae tanquam fonti fontium, quamvis ad hunc feli-
" citatis nostrae torrentem & alii latices suos exemplo tuo contribuerent, haec quanta
" quanta sunt, accepta referimus. Et merito plane, cum inter omnes illas, qui
" sane non pauci sunt, qui e portu nostro solverunt, & ad summos honorum api-
" ces & praecipua reipublicae gubernacula appulerunt, nec aequale contigit obser-
" vare, nec simile utilitates nostras adaugendi desiderium. Neque tamen haec di-
" cimus, ut heroibus illis plurimum honorandis quicquam derogemus (uberrimam
" enim ab illis etiam beneficiorum messem reportavimus) sed ut intelligas quan-
" tum dignitati tuae nos debere putamus, quem, cum alius academiae filius esses,
" Cantabrigiae nostrae maritum esse oporteat, eadem licet conditione, qua ille fuit
" olim Atheniensium Minervae. Saltem pater almae matris & tutelaris genius non
" potes non audire, ut qui commoditatibus nostris toties invigilasti, nullamque ela-
" bi passus es benefaciendi ansam. Sed nolumus amplius abuti aut modestia aut pa-
" tientia tua, quem alacrius ista praestitisse, quam haec lecturum confidenter reci-
" pimus. Quamvis nec tamdiu molesti fuissemus, si pauciora dici, aut gratitudi-
" nis nostrae in tam ampla materia importunitas pateretur, aut beneficii tui mag-
" nitudo. Quod tanquam regium vereque aureum, nullique nisi alteri ex acade-
" miis, aut saltem tertiae, hoc est, Seldeno, idoneum gratissima commemoratione
" in secula prosequemur.

Dat' Cantab' e frequenti senatu prid' Idus Apriles, MDCXLVII.

Dignitati tuae devinctissimi,
Procan' reliquusque senatus
academiae Cantabrigiensis.

Sub finem hujus anni Mart. 19, MDCXLV, Seldenus unus antistitum fecialium constituebatur ad rite disponenda & stabilienda jura fecialia, ac ad supplendas provincias constabularii capitalis atque marescalli Angliae circa privilegia armorum. Sequenti anno reverendissimus Jacobus Usserius, jam inde a synodo senatoribus nonnullis exosus ob negativum juramentum severam fori Westmonasteriensis poenam expertus fuisset, nisi Seldenus dignitati ac existimationi ejus consulens furore causidicorum depulso, tribunalis amicitiam primati conciliasset. Hoc facto, typis commisit Uxorem Ebraicam; tractatum doctissimum continentem ceremonias nuptiales, Ebraeorum, paganorum ac christianorum, cujus impressionem Francofurtenses propter Viadrum typographiae anno MDCLXXIII, prelis suis repetierunt. Anno sequenti MDCXLVII, Seldenus tractatum juridicum Fleta dictum cum dissertatione eruditionis & jurisprudentiae promptuarium referente cum orbe literato communicavit: Atque Patricio Junio bibliothecario regio auctor fuit, de imprimenda versione LXX virali ex codice MS. regio vetustissimo, quam provinciam matura praereptus morte in humeros pii ac doctissimi Grabii devolvit Junius; sed nec hic tam diuturna valetudine, vitaeque longaevitate fruitus est, ut opus hoc ad colophonem perduceret; volumen posthumum namque testamenti quasi loco academiae Oxoniensi legavit typis absolvendum. Quae Seldenus hoc & sequenti anno inter tot theatrales cruentorum funerum ac impiarum discordiarum strenas in publicum contulerit commodum, pessimi injuria temporis nobis subtraxit. Tres tamen literas academiae Oxoniensis ex autographo hic subjiciemus, lacunam hanc chronologiae quodam modo supplere tentaturi.

Vir clarissime,

" Dabis veniam importunitati nostrae quod te summa gentis negotia tractantem " interpellemus, quod ultro currentem & reipublicae literariae sedulo invigilantem " votis nostris porro urgeamus. In eo certe nominis & famae loco constitutus es, " ut tibi nihil non debere gestiat, quicquid est ubique literatorum ; adeoque liceat " literas hasce officii saltem nostri ac debiti tesseras & argumenta apud te reponere, " quippe cui haec aetas nostra detulit perpetuos fasces & literarum principatum. " Aequum foret, ut pluribus grati agnosceremus promptitudinem tuam, quod vota " nostra tardiora praevenis, quod privilegia nostra tuenda in te suscipis, quod prox- " enetam & procuratorem nostrum tam facilis audis, & rebus literarum gentisque " togatae ubique adsis. Sed in hisce angustiis temporis ac rerum constituti, non li- " cet recensere, quas tibi gratias debemus & meditamur. Illud potius seposuimus " limatius posthac (ut par est tanto μυσηγέτῃ) praestandum. In praesentiarum ob- " nixe rogamus quod facis ut facias; quantum licet & fas est, ut tu gentis acade- " micae tribunus legi rogandae intercedas, atque a summo senatu (cujus ipse pars " tanta audis) nomine nostro impetres, ut stipendia ista quae contra barbariem & " ignorantiam indulsit proavorum pietas nobis perpetuo numerentur, atque pie " prospiciatur parti academicae in censu illo capitulari (ut loquuntur) ne theologia " & jurisprudentia, ne gens Hebraea & Graeca, ne sacrae & humaniores literae " (quae hinc aluntur) inopes marcescant & solum vertere cogantur. Ita a te jam " vivent literae, per quas tu semper victurus; ita literatos universim demereberis, " & praecipue

Dat' e domo nostra con-
vocationis Kal. Nov.
MDCXLVIII.

Tibi devotissimam
Academiam Oxoniensem.

Alia.

" In hoc ferali rerum squallore, hac inauspicatae fabulae ad tristissimum exitum " festinatione, Apolline, eheu, deportato, & moestissimo, oracula non ex tripode " fundente, sed ex hypogaeo, Musisque nunc ipsis sordidatis, & hoc unum conten- " dentibus, ut non sine pompa & ritibus cadaver luctuosissimum efferatur, elegis in " γόυς mutatis, & in boatus threnodiis, gestit afflictissima mater, & hoc quasi ulti- " mo conatu concertat, salutare tribunum suum, ipsamque dum agit animam in " sinum tuum effundere, nunciatura paucis, quam te lubens agnoscat conquassatis- " simae rei literariae quaedam non pessima ominantem, adversantibus ventis ἀντο- " φθαλμȣ̃ντα, fugientium Musarum & Gratiarum statorem, ad adyta arasque nostras, " quibus excedere confertim properant, redire placide jubentem, unicum demum " inter tot infaustissima auguria felicem alitem, inter tot noctuas halcyonem.

" Noluit tumulo attonita vel atrox statui : Noluit bonitatis tuae aut inscia defer- " ri, aut ingrata : Noluit comitialem, quo decumbit, morbum lethargia cumu- " lari, suisque maturius pavoribus aut socordia, quam hostium iris occidisse : No- " luit solicitudinem aut peritiam tuam experiri toties, nunquam interpellasse : No- " luit desperatissimam valetudinem medicinae praeripere, quam Deus & φύσεος ἰη- " τρεῖ, te adstante & salvere jubente, adhuc denuo (non diffidimus) instauraturi sunt

Clienti simul ac matri tuae
Academiae Oxoniensi.

Alia.

Illustrissime Seldene,

" Quanto libentius in nominis tui historiam (bonis omnibus amabilem nobis li- " terisque intime venerandam) stylus sese noster effunderet, quam nobis tibi aut " precibus aut querimoniis negotium facesseret! Sed is demum malis nostris quasi " cumulus accessit, ut quocunque nos acrior illorum sensus abripiat, obluctando

" impares,

" impares, sequamur captivi. Ad te, literarum singulare decus, certissimum oraculum, commune perfugium, impellimur (imo sponte nostra universi ruimus) literarum cultores, oppressi, inopes consilii, magis virium tui. Scilicet navis haec literaria, variis novisque subinde procellis jam saepius agitata, nihil ultra mitius quam praesentissimum naufragium minatur, nisi praesentius numen hunc decumanorum fluctuum impetum (quos in nos, nihil minus vel cogitantes vel meritos concitarunt, qui & ipsi ut & fortunae eorum in eodem una navigio feruntur) vel avertat vel frangat. Vicinos loquimur oppidanos Oxonienses, non jam amplius de terminis rixantes, sed de fundo integro litem nobis moventes, nec tam academiae privilegia quam jugulum petentes. Libellis nempe supplicibus apud imperii ordines vel nunc agant, vel jam nuperrime egerunt, ut juribus & privilegiis antiquis (quibus hactenus stetit res academica) penitus exutis, & nobis statim, & sibi ipsis non ita post, miseris esse liceat & mendicis. Optavimus sane & illis mentem saniorem, & nobis dum haec redierit, invictam patientiam. Nullis injuriis provocatos non semel neque perfunctorie oravimus, ut in pacem consentirent, neque nobis pudendam, neque ipsis damnosam, utrisque certe opportunam. Sed frustra fuimus. Atque hoc est, quod tibi interpellationis hujusce molestiam peperit, nobis fiduciam. Consilio, fidei, gratiae tuae, quantum & olim & nunc tribuit afflictissima mater academia, in obscuro non est; ut laboranti (o si non in extremis) opportune satis succurrere possis: Id vero apud supremam numinis majestatem precibus quam enixe contendemus; ut velis autem apud dignitatem tuam haud itidem: Scilicet cui adeo semper religio fuerit, literis bene velle, ut jam aliter facere non possis. Neque, si minus (in hoc transitu rerum) prudentia tua summa, authoritas tua (quae non minor esse debuisset) valere poterit, titulum hunc sepulchro tuo invidebunt seri nepotes.

——si academia dextra
Defendi poterat, etiam hac defensa fuisset.

Humillimi clientes tui

Oxonii, a. d. viii Eid. Aprileis, An. Dom. MDCIL.	ED. REYNOLDES,	Vicecancell' Oxon.
	JOH. MAUDIT, HIERONYMUS SANCHIUS.	Procuratores Universitatis Oxon.

Anno MDCXLIX, Julii 30, psephisma concilii edebatur de conservandis libris & numismatibus regii palatii D. Jacobi; & sparta haec Whitlockio offerebatur, qui pro singulari sua modestia oneri huic se imparem profitebatur, imo in se suscipere plane recusasset, nisi a Seldeno prius edoctus, quod rara haec antiquitatum monumenta (quibus praeter Vaticanam orbis christianus non possidet insigniora) sine custode vel clam surriperentur, vel hastae publicae subjicerentur, aut in terras transmarinas transportarentur. Mutata hoc tempore imperii Britannici facie, cum diadematis regii usurpator nomen familiamque monarchae misera morte defuncti odio, inimicitiis, persecutionibusque oneraret, cum amici monarchiae nec gratiam apud impietatum enthusiasticarum protectorem inire, nec carceres, patibula & gladios in cervices suos derivare vellent, spectatoresque potius agerent quam actores in republica Britannica, attoniti & nescii quisnam perturbatarum rerum futurus sit exitus, jurisconsultorum plurimi in supremo olim honorum fastigio collocati, jam privata contenti vita delitescebant. Seldenum exulante imperii haerede, libertatis puduit, unde musaeum carceris domestici loco arctius ac majori quam unquam antea desiderio pressit, & nec cothurnatum tribunal consiliis, nec clientes patrocinio adjuvit. Et cum Cromwellius plus semel Seldenum hortaretur, ac per amicos rogaret, ut calamum adversus librum regi Carolo adscriptum ΕΙΚΩΝ ΒΑΣΙΛΙΚΗ stringeret, contemptim ac pervicaci animo provinciam hanc detrectavit, quam Miltonus regiminis parliamentarii defensor strenuus in se suscepit. Hac tempestate auctor noster ad Synedria

Ebraeorum ex antiquitatibus ſacris & profanis eruenda ſe accinxit, quorum duos priores libros anno MDCL & MDCLIII, typis mandavit, tertium obitus ejus nobis imperfectum tradidit, qui anno MDCLV, primo poſt mortem, demum comparuit. Libro ſecundo §. octavo horum tractatuum, Seldenus diſſertationis meminit Ad ſenatuſconſultum Laconum in Timotheum Mileſium, quam nunquam tamen vidi. Anno MDCLII decem ſcriptores Angliae, qui poſt Bedam ſcripſerunt, in lucem mittebantur, quibus praefationis loco judicium ſuum de ſingulis illis hiſtoricis ſumma cum eruditione adjecit. Seldeno e fatis erepto diverſi ingenii ejus foetus lucem aſpiciebant. Anno MDCLXI tractatus Anglicus de Die Natali Chriſti ad diem 25 Decembris, juſſu regis Jacobi conſcriptus, divulgabatur, qui aegre ferens aliam in reviſione hiſtoriae decimarum ſtatui opinionem, manum aſſertioni huic ſtabiliendae eum admovere voluit. Decennio poſt, anno ſc. MDCLXXI, typis edebatur tractatulus Seldeni de Officio Cancellarii Angliae, cui Dugdalius ſummus ille antiquitatum Anglicanarum reſtaurator adjunxit catalogum omnium cancellariorum & cuſtodum magni ſigilli Angliae a conqueſtu Normannorum ad annum uſque MDCLXXVII. Seldenus libellum hunc Franciſco Baconio ſummo Angliae cancellario inſcripſit. Sequenti anno MDCLXXV tractatus de Nummis ſub mentito nominis Seldeniani praeſidio lucem vidit, inſcriptus Simoni Dewes equiti aurato: Aſt quinque ante natalem Seldeni annos librum hunc ab Alexandro Sardo conſcriptum, ac cum eadem epiſtola nuncupatoria mutato ſolum nomine editum fuiſſe conſtat. Juſti Lipſii nempe, viri doctiſſimi, tractatibus peculiaribus octo, ad cognoſcendam hiſtoriam Romanam apprime utilibus, Alexandri Sardi Ferrarienſis liber de Nummis adjectus eſt Francofurti 1609, in duodecimo: *In quo antiqua pecunia Romana & Graeca metitur precio ejus quae nunc eſt in uſu.* Tractatus hic Auguſtino Muſto patricio Ferrarienſi oblatus, eadem quae ficta Seldeni dedicatio repetit verba, praefationis loco recenſet; hac ſolummodo inſerta ſententia, quam Pittiana neglexit editio; *At vide quid egerim, nolo omnino ipſe malum nomen, nolo ἄδωρος eſſe. Ad te igitur &c. —— Hac ſpaciaſſe ſequenti ſpatiatos eſſe. —— Moguntiaci calend. Maii,* MDLXXIX. Cauſam erroris hujus, ſi fallacia Pittium abſolvere vellem, ne hariolando quidem aſſequi poſſum, niſi quod rara libri copia Seldeni manum ad exemplar deſcribendum excitaverit, & cum poſt obitum tractatulus hic charactere Seldeniano expreſſus in muſeo reperiretur, pro genuino Seldeni foetu creditus, licentiaque epiſcopi Londinenſis ſacellani Smithii ſtipatus, divulgatus eſt.

Paulo majorem, ſi ullam, fidem meretur liber Anglicus *Table Talk* dictus, quem Richardus Milward, amanuenſis, ex ore Seldeni ad prandium vel coenam accumbentis hauſiſſe dicitur. Quam fideli autem manu felicique memoria quotidie ex triclinio in muſeum, Seldeno inſcio, referre potuerit ſecretarius ea quae inter calicem ſupremaque labra ceciderunt, aliis judicandum relinquo. Multa certe in libello iſto continentur, quae eruditioni ipſius nimium quantum derogant, & nec genium ſapiunt Seldenianum, nec mores aut principia ejus depingunt.

Poſt impreſſa duo Synedriorum veterum Ebraeorum volumina, cum Seldenus anno MDCLIV ad metam ſibi praefixam currente calamo abſolvendam, properaret, *robuſtior aetas Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra ſenectus.* Cum ingraveſcentis aetatis faſtidia non aegre heroico animo ac maleferiatorum vinculorum olim perferre poſſet fortunatiſſimus ſenex; cum invaleſcente imbecillitate & deficientibus viribus ſtadium vitae quaſi confectum eſſe ſentiret, corpuſque nimia ſcribendi, legendi & meditandi contentione fatigatum, impar animi viribus, hoſpitem admoneret migrationis, reverendiſſimum Hiberniae primatem Uſſerium doctoremque Langbaine accerſivit, ut de vanitate ſcientiarum, atque de ſpe & requie animae ſuae in promiſſis ſ. ſcripturae fundata, atque cordi ſuo penitius impreſſa diſſereret. Conſolabatur autem ſe, "*That he had his ſtudy full of books and papers of moſt ſub-" jects in the world; yet at that time he could not recollect any paſſage out of infi-" nite books and manuſcripts he was maſter of, wherein he could reſt his ſoul, ſave" out of the holy ſcriptures; wherein the moſt remarkable paſſage that lay moſt upon*

" *his spirit was* Titus ii. 11,12,13,14. quae verba excepit illustris auctor libri: *Historical applications and occasional meditations upon several subjects, written by a person of honour*, 1670, & repetita extant in Woodwardii *Fair Warnings to the careless World*, p. 129. Non multo post dum summis corporis doloribus oppressus dubia spe vitae spiritum duceret, mortem proxime vicinam metuens, non vitae desiderio, satis enim naturae, satis gloriae vixerat; sed ut de mutando testamento consilium peteret, Whitlockium, amicorum coryphaeum, cui tunc temporis magni sigilli Angliae cura concredita fuit, summis precibus, aegrotante licet, tremulaque manu, hac ad se invitabat epistola.

My Lord,

" *I am a most humble suitor to your Lordship, that you would be pleased that I* " *might have your presence for a little time to morrow or next day. Thus much* " *wearies the most weak hand and body of*

Novemb. 10, 1654. *Your Lordship's most humble servant,*
Whitefryers. J. SELDEN.

Whitlockius morientis amici petitis assurgens, de disponendis facultatibus ac mutanda suprema tabula a Seldeno consulebatur, ac ut officium arbitri testamentarii in se suscipere vellet rogabatur. Ast invalescens aegritudo & mors imminens eum ab executione propositi deturbabat. Tandem variis studiorum ac caeteris vitae laboribus exhaustus ultimam naturae legem, ea parte qua mori potuit, omnes autem elegantiores literarum cultores sui desiderio implevit Seldenus ultimo die Novembris anno MDCLIV, postquam septuaginta annos minus sedecim dies vixisset. Corpus ipsius decimo quarto die sequentis Decembris in ecclesiae templi crypta solenni ritu & concomitantibus multis regni proceribus, senatoribus parliamentariis, & societatis illius adsessoribus, confluentibusque undique amicis, recondebatur. Usserius, licet rostra ecclesiastica conscendere desuevisset, in concione funebri, rogatu Halesii, Vaughani & Juckesii habita, mortem defuncti doluit; & quanto honore vivum, quantaque pietate mortui memoriam prosecutus fuerit illustris hic primas, ex iis quae Smithus in vita Usserii, pag. 101, habet, perspicue legere licet: " D. Joanne " Seldeno viro summo, cujus fama ob excelsissimas animi dotes, consummatamque " eruditionem nunquam interibit, neque ex hominum memoria delebitur, quam- " diu literis constabit honos, tricesimo Novembris A. MDCLIV e vivis excedente, " clarissimi viri D. Matthaeus Halesius & Joannes Vaughanius, hic postea regnante " Carolo II. summus communium placitorum, ille summus totius Angliae justicia- " rius, aliique ultimarum tabellarum executores, impense rogarunt Usserium, ut " amico jam fatis functo concione funebri parentaretur; utpote satis gnari, nemi- " nem qui laudaret, quam Usserium, digniorem habitum iri. Ut suum erga virum " arctissima per XL annos & ultra necessitudine ipsi conjunctissimum testatum fa- " ceret affectum & amorem, facile adsensus est, & die decimo quarto Decembris, " quo corpus in societatis, cujus Seldenus erat ingens lumen & decus, jurisperito- " rum templariorum aedes occupantium ecclesia terrae mandabatur, conscensis sa- " cris rostris, perorans non sibi, non amplissimo illustrium virorum, qui splendi- " dissimis, maximeque solennibus interfuere exequiis, coetui, non Seldeno defuit. " Inter elogia, quibus dilectissimum suum Seldenum cumulavit, hoc maximum me- " rito videbitur, quod se vix dignum, qui, phrasi apud nos usitatissima, illius libros " portaret, h.e. nullo in precio, si cum illo conferatur, habendum esse putaverit. " Ita prae modestia propriae dignitatis oblivisci visus est Usserius, dum summam " Seldeni doctrinam, quasi in altissimo humanae industriae fastigio collocatam prae- " coniis pene fidem exsuperantibus extollere studuerit."

Ut autem memoria nominis Seldeniani jurisperitorum templariorum ecclesiam intrantium & egredientium visui obversaretur, amici marmoream tabulam parieti

meri-

meridiem verſus reſpicienti prope ambulacrum rotundum eccleſiae ejus affixerunt cum hac inſcriptione:

Johannes Seldenus
heic juxta ſitus
Natus eſt XVI Decembris MDLXXXIIII.
Salvintoniae
Qui viculus eſt Terring occidentalis
in Suſſexiae maritimis
Joanne Seldeno Thomae filio
e quinis ſecundo
Anno MDXLI nato
&
Margareta filia & haerede unica
Thomae Bakeri de Ruſtington
ex equeſtri Bakeriorum in Cantio familia
filius e cunis ſuperſtitum unicus
Ætatis fere LXX annorum.
Denatus eſt ultimo die Novembris
Anno Salutis reparatae MDCLIV
per quam expectat heic
Reſurrectionem
foelicem.

Infra hoc monumentum marmori cryptam operienti inſcripta eſt haec epigraphe:

J. SELDENUS JC.
heic ſitus eſt.

Prolixius tamen epitaphium paulo ante obitum ſibi conſtruxit Seldenus, quod ex autographo deſcribere haud pigebit.

" Natus eſt 16 Decembris MDLXXXIV, Salvingtoniae qui viculus eſt Terringi " oppidi in Suſſexia maritimi, in aedibus *Lacies*, ibi dictis, parentibus honeſtis Jo- " anne Seldeno Thomae filio (qui anno MDXLI natus ſeptuagenarius obiit) & Mar- " gareta Bakera Thomae cognominis a Ruſtington ex equeſtri in Cantio Bakero- " rum familia oriundi, filia unica & haerede, quibus primogenitus erat & haeres. " Fratres habuit ex hiſce binos Georgium & Henricum in cunis mortuos. Sororem " unicam Mariam, Joanni Bernardo a Goring enuptam. Literis puerilibus in " ſchola Ciceſtrienſi publica Oxonium amandatus eſt, ubi in Aula Cervina diſcipli- " nis academicis per annos aliquot incubuit. Jus illic Anglicanum ultro affectans, " primo hoſpitii Cliffordienſis Londini, dein Interioris Templi Maii MDCIV " ſocius admiſſus eſt. Non indiligenter loci ſtudiis nec infoeliciter operam nava- " vit. Sed genio ſuo indulgentior, nec moleſtiis forenſibus ſatis idoneus, ad alia, " ut explorator, ſe contulit. Amicitiis cujuſque ordinis optimis, doctiſſimis, am- " pliſſimis, etiam & illuſtriſſimis, nec paucis beatius fruebatur, nec ſine ſummis " procacium aliquot veritatis & libertatis juſtae oſorum inimicitiis, quas graviſſime " ſed viriliter perpeſſus eſt. Comitiis parliamentariis ut burgenſis ſaepius intererat, " etiam in illis quae & regem habuere & nullum. Denatus Anno heic " prope ſitus eſt.

Antequam vero, quod a biographis ut plurimum fit, ad vitae mores, animique affectus auctoris noſtri praeſcribendos, tranſeamus, pauca de bibliotheca ejus delibare placet. Teſtamento ſc. legaverat Seldenus bibliothecam curatoribus ſuis, Haleſio poſtea baroni capitali, Vaughanio dein juſtitiario primario communium placitorum, Rowlando Jucks armigero, qui tanto honore memoriam amici defuncti, tantaque pietate rempubl. literariam proſequebantur, ut ſelectiſſimum atque inſtructiſſimum illud totius Europae gazophylacium ex pluſquam octo mille voluminibus

conſtans

constans, nec inter se partiri, nec hastae subjicere vellent, sed academiae Oxoniensi religionis ergo devoverent, donoque offerrent, quae ad recipiendam ingentem hanc librorum vim, amplum bibliothecae Bodleianae addidit spatium. Museum Seldenianum, gratus Heliconi Britannico hospes Oxonium in navigio actuario appellens, musarum alumnos laetitia applausibusque implevit & votis, libris diurna nocturnaque Seldeni manu versatis incumbendo, genii tutelaris ejus limatiorisque judicii participes reddi. Curiosa spectatorum cohors ubique confluebat stupendam hanc librorum molem lustratura. Academia de tam immenso adepto thesauro laeta inexhaustum eruditionis Seldenianae fontem in compendio quasi exhiberi sibi gratulabatur, dubia, an scripta Seldeni majorem lucem ex tot voluminibus mutuo sumpserint an dederint. Pro liberali inexpectatoque hoc munere academia devotas grates testamenti curatoribus referebat, eo quod supremae amici defuncti tabulae aliquo modo contradicentes, honori potius ipsius consulere primoque consilio satisfacere aequum duxerint. Seldenus namque, quod ex testamento vitae huic annexo, patet, libros suos curatoribus legaverat, museis suis privatis, vel societati alicui publicae, si placeret, inferendos: Unde post obitum possessoris ex palatio Carmelitano in musea nonnulla ad ambulacrum banci regii inter templarios sita, transferebantur, ad augendam vel fundandam potius bibliothecam jurisperitorum illius societatis, si modo intra certum temporis spatium propriis sumptibus armaria ad biblothecam recipiendam construeret. Haec dum parari sperabant, curatorum cognati, horumque amici libertate gaudebant, hoc vel illud volumen mutandi, domumque asportandi, quorum magna copia reditum in banci regii ambulacrum invenire nescia, possessoris nomen furtim mutavit. Donec arbitri testamentarii societatem Interioris Templi moras nectere, librorum numerum per quinque annorum decursum decrevisse, videntes, bibliothecam communibus votis Oxonium ablegarent. Idem hoc & Seldenus olim facere statuerat, memor honoris, quo academia burgensem, & patrocinii, quo ille almam matrem foverat. Cum vero aliquando codicem manu exaratum ex Bodleiana Londinum sibi expeteret, ac academia statutorum observantissima syngrapham mille librarum pro restitutione ejus expeteret, ira commotus Seldenus, ex suprema tabula verba quibus academiae bibliothecam suam legaverat, expungebat. Ast Halesius, Vaughanius & Jucksius re maturius perpensa, se testamenti non iracundiae Seldeni executores esse credebant; unde eam Oxonium, cui primum destinata fuerat, mittebant. Vide Vitam Matthaei Hale equitis a doctissimo Burneto conscriptam pag. 154, 155, 156. Molliori autem calamo rem hanc recenset historia biblioth. Bodleianae praefixa catalogo MSS. Angliae & Hiberniae: "Quod ad librorum mutuatio-
"nem pertinet, nihil temere affirmare ausim. Certe constat ex academiae rege-
"stis, quod anno 1654, Johanni Seldeno publice concessum fuit libros ex biblio-
"theca mutuari; his conditionibus, ut tres tantum simul haberet, atque singulos
"intra annum restituere centum libris teneretur." Locus in quo instructissima haec bibliotheca reposita est, hac circumscribitur epigraphe:

Auctarium
Bibliothecae Bodleianae
E Museo Joannis Seldeni
Jurisconsulti.

Et ad dextrum latus fenestrae occidentem versus positae sequens inscripta est tabula.

Bibliothecam
Johannis Seldeni
Nitore ingenii, candore morum, praecellentia doctrinae
Imparilis viri heic repositam
Johannes Vaughan, Matthaeus Hale, Rolandus Jucks armigeri (quibus testamenti sui fidem mandavit) in duraturam tanti viri memoriam, & rei literariae bonum, amplissimae huic academiae sacratam voluere.

Praeter

Praeter immenſum librorum theſaurum, etiam marmora a Seldeno academiae conſecrata adjecerunt curatores teſtamenti, in quorum gratiam & honorem intra cancellos proſcholii ſcholae theologicae hanc lapidi inſculpebat academia inſcriptionem.

Univerſitas Oxonienſis
Johanni Vaughan,
Supremo Tribunalis Regii Juſtitiario,
Matthaeo Hale,
Fiſci Regii Baroni Primario,
Rolando Juckes Armigero,
Viris ex recondita Juris Peritia
& Virtute magis ſua
Illuſtribus,
Ob antiqua Marmora & Bibliothecam Inſtructiſſimam
Diligentia & ſumptu ingenti comparatam,
Johannis Seldeni
Academiae olim Alumni, Patroni,
Et Burgenſis Parliamentarii,
Juriſconſultorum Doctiſſimi,
Antiquariorum Coryphaei,
Munificentia inſolita & merito ſuſpicienda
Ab ipſis dono datam,
Monumentum hoc Honoris ergo
& Gratitudinis,
L. M. L.
Poſuit.
XII Cal. Jan. Ann. MDCLXIX.

Ne autem longiore, quam par eſt, filo, vitam Seldeni protrahamus, taediumque lectori pariamus, ad hiſtoriolam vitae morumque illuſtris hujus viri contexendam nos accingamus. Jam ex ſupradictis conſtat, quanto in honore & pretio domi a regibus Jacobo & Carolo, utraque academia, proceribus regni, viriſque omnium ordinum ampliſſimis & clariſſimis ſit habitus: Sed & foris a Grotio, Salmaſio, Bocharto, Pricaeo, Petito, Gerardo Voſſio, Imperiali, Holſtenio, Riveto, Golio, Gronovio, Daniele Heinſio, Molinaeo, Boeclero, Spizelio & innumeris aliis ſummis laudum elogiis evectum fuiſſe, qui leviter tantum tot eruditiſſimorum virorum ſcripta evolverit, deprehendet. AEquum enim erat, ut qui tot praeclaras regum ac principum res geſtas quaſi poſtliminio revocaverat ad vitam, qui religionum jura ac ritus omnium gentium, incognita utplurimum, captui cujuſlibet accommodaverat, & tot illuſtrium virorum ſcripta ex obſcuritate cinerum eripuerat, ipſe optimis celebrium ingeniorum officiis coleretur, ornareturque. Archiepiſcopus Laudus in epiſtola ad academiam Oxonienſem Junii 16. MDCXXXVI, eum "Virum omni eruditionis genere inſtructiſſimum, appellat, qui olim academiae *illius* alumnus, nunc decus." Mericus Caſaubonus in praefatione praefixa M. Antonini imp. libris Latine verſis talibus eum alloquitur verbis: "Quem amicum, (hoc enim nomine juriſconſultos olim dignabantur imperatores) Antonino noſtro potius dabimus, quam te, Seldene praeclariſſime, qui praeſtantiſſimis ingenii tui monumentis patriam tuam magis ornaveris, an majus apud exteros decus tibi privatim paraveris haud facile dixerim? Ea certe tum domi apud cives & populares tuos, tum foris apud exteros ubicunque literis ſuus conſtat bonos, nominis tui fama & celebritas, ut eruditum quicquid illud ſit & laude dignum, quod Seldeni nomen praefixum habet, non docti tantum, qui tua legunt & intelligunt, quod paucorum eſt; ſed & de plebe literaria homines protinus affirmaturi ſint."

" sint." Gerardus Langbainius collegii reginalis apud Oxonienses praepositus, elegans in memoriam Seldeni conscripsit tetrastichon:

Talem se ore tulit, quem gens non barbara quaevis
Quantovis pretio mallet habere suum.
Qualis at ingenio, vel quantus ab arte, loquentur
Dique ipsi & Lapides, si taceant homines.

Et quid mirum? Omnes illum totius orbis scientias devorasse, cunctas Europae, plurimas Asiae, Africaeque linguas Angliae intulisse, universos in orbe cognito libros impressos & MSS. sedulo evolvisse, accuratamque antiquiorum monumentorum rationem ac explicationem reddidisse, doctissima illius scripta edocent, quae praesens miratur & suspiciet posterior aetas; adeo ut forulos museorum regum principumque virorum non Angliae solum, sed & Galliae, Hollandiae, Italiae & Hispaniae ei patuisse crederes, ex quibus quicquid ad studia theologica & philologica, juridica & historica, mathematica & philosophica rite pertractanda utile occurrebat, docta manu limatoque judicio excerpserit & exhauserit. Finxerat Seldenum ipsa natura ad gravitatem, industriam & magnitudinem animi, hominem magnum & excelsum, cujus animus noctes & dies gloriae stimulis incitatus studiisque vacans, circulos suos turbari vix ac ne vix quidem patiebatur. Unde cum Isaacus Vossius, referente P. Colomesio, cum seriis obrutum negotiis aliquando inviseret, Seldenus de summo scalae, alta clamasse dicitur voce, quod nulla sibi jam restarent momenta colloquio mutuo terenda. Contraxerat namque Joannes noster ingratam quandam vultus & morum austeritatem, sibique familiarem & tantum non nativam reddiderat ex gravioribus, quibus semper immersus erat negotiis, ex illiberalibus quibus ter coarctatus fuit carcerum vinculis, & ex creberrimis severiorum disciplinarum lucubrationibus. Unde etsi singulis quidem consilia communicaverit, & nec ambitu nec officiis privatorum gratiam unquam captaverit, multisque amicis fuerit, perpaucis tamen familiaris existebat, ac tempori adeo invigilabat, ut jacturam ejus graviter ferret, procerum vel clientum vel librorum sodalitio assidue stipatus. Vanae captandae gloriae Seldenus studuisse Woodio in Athenis Vol. II. dicitur, quod exemplo Thomae Lydiati, in carcerem Oxoniensem ob aes alienum cognati, cujus se vadem praestiterat, conjecti, comprobatum it. Seldenus namque, ut Antonius opinatur, Marmora Arundelliana ab ipso scriptis impetita, editoremque eorum industrium tantum, haud emunctae naris vel limati judicii appellari, aegre ferens, ex hoc capite amicorum loculis suos, ut e carcere liberetur Lydiatus, adjungere recusasse narratur. Quis autem umbram gloriolae a Lydiato capere voluisse Seldenum existimaret, qui summam in regno Angliae provinciam a rege Carolo, praefecturam collegii ab academia Cantabrigiensi oblatam eum sua sponte repudiasse, qui insignibus eum honorum elogiis ab unoquoque extolli, qui ipsum domi forisque ducem & signiferum eruditorum cluere norit? Quis eum omnigenam scribendi & judicandi libertatem erudito alicui auctori denegasse affirmaret, qui illam auro contra ac argento pretiosiorem & cariorem, veritatique indagandae apprime utilem omnibus commendat? Quod diversitas opinionum in scientiis vel rebus politicis animum studiaque Seldeni non alienaverit, vel amicitiam ejus remissiorem reddiderit, patet ex exemplo Usserii, Halesii, Vaughani, & Roberti Cottoni, quorum regiis partibus mordicus adhaerentium illum a rabie vulgi plus semel defendit, istos sua locupletavit bibliotheca, hunc intimo amoris affectu semper fovit atque amplexus est. Quod clar. Smithus in vita Cottoni ampliori prosequitur stylo, de Seldeno agens: "Quod " Cottonum omni morositate seposita egregia comitate indesinenter exceperit. " Quin etiam in eorum negotiis, si qua occasio impulerit, grassante impia istorum temporum rebellione, quando proceres senatoresque parliamentarii in regiis " partibus, quas viri hi nobilissimi integra fide secuti sunt, addictos dominarentur, " procu-

" procurandis promptus alacerque, nullis sive humanitatis sive observantiae officiis, " quibus benevolentiam suam testaretur, omissis neglectisve." Et ne liberalitati ejus aliquid derogetur, Matth. Christ. Ravius, Edwardus Kelley alias Talbot, Biblia Polyglotta Waltoni, Eutychii annales, ut privata ipsius in amicos egenos & miseros taceam beneficia, pleno ore eloquuntur. Solum quod morosi & invidi Seldenianae famae hostes, in scriptis ejus desiderant, ac vitio quasi ipsi vertunt, est incompta illa austeriorque ac inculta Latini sermonis scribendi ratio. Ad grammaticum tribunal eum vocant, cathedraeque Ciceronianae assidere volunt, qui oratoris suadam ac eloquentiam nunquam affectavit; qui stylo eruditionem ubique spirante ac pro dignitate materiae concepto, animi sui sensa expressit, cui assiduus lector post horulae spatium facile sibi assuescere potest. Nullius in verba nec phrases auctor noster jurabat, sed magna ingenii, verborum judiciique libertate utebatur (quam in secundo & tertio capite libri primi de Jure Naturali & Gentium maxime necessariam & utilem esse adstruit) & quam de re qualibet foveret sententiam, absque ulla haesitatione aut reservatione declarabat, de dictionum elegantia parum solicitus, symbolique sui περὶ παντὸς τὴν ἐλευθερίαν memor, cujus ad amussim discursus suos publicos & privatos instituebat, cujusque interpretationem adjicere visus est in praefatione Historiae Decimarum his verbis: " *But plainly he that avoids their* (de scepticis loquitur) *disputing* " *levity, yet being able takes to himself their liberty of enquiry, is in the only way* " *that in all kinds of studies leads and lies open even to the sanctuary of truth, while* " *others that are servile to common opinion and vulgar suppositions can rarely hope* " *to be admitted nearer than into the base court of her temple, which too speciously of-* " *ten counterfeits her inmost sanctuary.*" Ingens tenacis memoriae Seldeni erat felicitas, etiam in extrema senectute, ut in rebus maxime dubiis & arduis velut oraculum consuleretur, responsumque non quasi ex tripode dictum; sed pro re nata actis comitialibus, juribus gentium & testimoniis priscae exemplisque praesentis aetatis, ad miraculum usque firmatum pro divino suspiceretur. Miranda haec ingenii judiciique παρρησία ex inexhausta solidioris eruditionis & scientiarum scaturigine propullulans, licet nec scribendo tumultuarios lectoris applausus, nec adulando magnatum favorem aut quaestum aucupari, hospitalitatemve blanditiis expugnare studeret, apud proceres regni tamen aliosque viros illustres tantam iniit gratiam, ut societatem & colloquia ejus quam avidissime ambirent. In horum numero praeter alios Seldeno suspiciendus erat Henricus comes Cantii, de cujus benevolentia in praefatione ad Marmora Arundeliana agit: " Otia quibus haec fere praestitimus, inprimis nobis fe- " cit summa faventia & benignitas amplissimi herois Henrici comitis Cantii, & vere " nobilissimae heroinae Elizabethae conjugis ejus. Tranquillus enim secessus, quo " Wrestae, quae eorum villa est in agro Bedfordiensi, tum aestate superiori, tum " festo Christi natalitio fruebar, (liberalissimo scilicet pro insigni eorum erga me im- " merentem & perpetua bonitate, ibi hospitio exceptus) opportunissime indulsit, ut " urbanis interturbationibus liber opus incoeptum commodissime absolverem." Ast summa haec humanitatis & amicitiae studia non desinebant cum vita illustris comitis, sed haereditaria quasi reliquit nobilissimae conjugi suae, cui in urbe commoranti aut rus abeunti Seldenus vitae viaeque ducem ac comitem se adjungebat, ut fama loquax conjugalem illos ducere vitam referret. An autem hoc veritati consonum sit, illi quorum interest, disquirant. Hoc tamen ex suprema Seldeni tabula luce meridiana clarius apparet (ut natales, vitaeque genus ac asperam temporum sortem silentii peplo involvam) amplas illas divitiarum & librorum gazas, quas moriens posteritati sacravit, majorem partem ex benevolo gratiosoque comitissae sinu derivatas fuisse, in cujus gratia & amicitia non sibi ornamenti aut praesidii plus, quam commodi repositum in liberalitate sensit.

Jam ut de religione Seldeni aliqua in medium proferamus restat. Quod in castris independentium contra divinam episcoporum auctoritatem militaverit, quod regiminis ecclesiastici formam vicissitudinibus obnoxiam esse & arbitratui principum subjacere voluerit, juraque nonnulla jam primis stabilita seculis clericis denegaverit,

rit, libri de Synedriis, Commentarius in Eutychium, praefatio ad Historiam Decimarum & alia forsan scripta passim declarant; quae acerrimo stylo, summaque invectiva quamplurimis in locis perstringit Simon Lowthus in libro *Of the subject of Church Power in whom it resides.* Quod religioni ecclesiae Anglicanae se addictum publice professus sit, singulares regum Jacobi & Caroli gratiae, insigniaque honorum & amicitiae monumenta pleno ore eloquuntur, quae nec illo tempore erecta, nec ad posteros transmissa fuissent, si principia latitudinaria sub umbone ecclesiae Anglicanae propagasset. Odia inimicorum ejus in camera stellata, in senatu ac curiis, incitatiore cursu ubique adversus heterodoxum grassata fuissent, donec carceres in exilium vel supplicium mutassent. Utraque academia seque suasque res paterno & fideli ejus patrocinio tuto haud committere potuisset, si religionem divinis humanisque psephismatibus confirmatam, perditum ire voluisset, aut saltem in votis habuisset Seldenus. Multas tamen κυρίας δόξας eum tenuisse ac protulisse nequaquam dubitari potest, quae nostra aetate publicis divulgata scriptis multum auctoribus negotii facesserent. Ut autem quaenam in genere principia religionis amplexus sit, constet; en tibi memoratu dignum locum ex prolegomenis libri de Successionibus, fol. xiv. descriptum, ubi ait: "Cordatiores christianorum, qui ecclesiae Romanae "renuntiarunt, idque ob compluria in ea sancita ac sententias repertas, quae sibi "visa sunt divinis contraria, sine prudenti priscarum ecclesiae historiarum, anna- "lium, patrum, conciliorum, canonum sententiarum receptarum usus forensis, id "genus aliorum delectu, suam formari noluere. Et qui morose haec & delectum "hujusmodi respuunt sui duntaxat ingenii vi sacras literas temere explicantes, ridicu- "lis atque impiis pacem christianam novationibus perturbare solere passim videmus." Quod verba illa reformationem ecclesiae Anglicanae respiciant, verbis Pauli Colomesii in epitome MS. vitae Seldeni ex museo cognati illius exprimam. "De quel- "que coste j'envisage ces paroles, je ne vois pas que le caractere de reformation, "qu'y donne Selden puisse convenir à d'autres eglises qu'a celle d'Angleterre. Qui "ne sçait, que lorsqu' elle vint à se reformer, elle eut de grands egards pour l'an- "tiquité. Luther ny Calvin ne furent pas ses modelles. Ce qui apres un public "examen & une longue deliberation fut trouvé bon, fut retenu; ce qui fut recon- "nu mauvais, fut aboly. La succession des eveques, des pretres, & des diacres qui "avoit lieu depuis tant de siecles fut continuée. La dignité & l'etat du clergé "furent maintenus, & la solennité du ministere de la parole de Dieu fut conservée. "Les coutumes anciennes furent retenues. Enfin l'Angleterre eut cet avantage, "que la reformation s'y fit sans marquer aucune humeur de contradiction affectée; "mais au contraire une charitable condescendance pour l'Eglise Romaine en tout ce "qui ne repugneroit point à la loy de Dieu. Au lieu que dans la reformation, qui "se fit ailleurs, on courut a corps perdu, s'il faut ainsy dire, à des innovations tu- "multuaires. Aussy plusieurs Catholiques Romains dans leur plus sobres pensees "ne peuvent ils s'empescher d'avouer que les Anglois sont la seule nation, qui s'est "prise à ses reformer. C'est ce qu'a reconnu autrefois munde l'hospital chancelier "de France, dont le nom seul peut faire l'eloge, & dans nostre siecle Jacques Des- "may docteur de Sorbonne dans son epitre. Jacques de Hay seigneur Ecossois sur "la vie de John Calvin tirée de registres de Noyon & ecrite d'assez bonne foy, "imprimée à Rouen avec privilege & approbation l'an 1621, en douze. Dans "cette epitre l'auteur apres avoir fait un parallele de la creance & de la pratique "de l'eglise Anglicane & de celle des reformez de France, conclut enfin à l'avan- "tage des Anglois". Tandem ut colophonem vitae Seldeni imponamus, supremam ejus tabulam ex museo dignissimi viri, Caroli Longueville armigeri, ejusdem municipii *Great Bedwin* (cui heros noster olim praefuit) senatoris, adjicere placet.

JOHN SELDEN, *Esq;* *his last Will and Testament.*

In the name of God, Amen. I *John Selden* of the *Inner-Temple*, *London*, dwelling in *Whitefryars* next adjoining, Esq; being in good and perfect health of body, mind and memory, thanks be given to Almighty God, the author and fountain thereof, and considering the uncertainty of this transitory life, and the reasonableness of a settled disposition to be made of what I possess, in such sort as may become me, do hereby make void and revoke all and every my former Wills and Testaments, and every or any Will and Testament by me formerly made, and all and every Codicil and Codicils annexed, or to have been annexed to any such former Will and Testament, and do now make and ordain this my last Will and Testament in manner and form following:

First, with all humility and contrition of heart, and with true repentance of my manifold sins and offences, I commend my soul and self into the gracious protection and preservation of my Creator, Redeemer and Saviour, from and through whom only with fulness of assurance I expect and hope for eternal bliss and happiness in the world to come.

Next, I desire that my body may be buried in the *Temple* Church, *London*. *Item*, I give and bequeath to the poor of the Precinct of *Whitefryars* aforesaid thirty pounds. *Item*, The like sum to the poor of the parish of *Flitton* aforesaid. *Item*, Whereas I am seized in fee of the mannor, lordship or grange of *Cheadle*, alias *Chedull* in the county of *Stafford*, and of divers lands, tenements and hereditaments in *Cheadle*, alias *Chedull*, in the said county of *Stafford*, and also of one third part of certain lands, tenements and hereditaments in the county of *Lincoln*, called or lying in *Dudmandale* in the said county of *Lincoln*, I do give, devise and bequeath all and every the said mannor, lordship and grange, and all and every my lands, tenements and hereditaments in the said counties of *Stafford* and *Lincoln* respectively to my beloved friends *Edward Heyward* of *Reysham* in the county of *Norfolk*, and of the *Inner-Temple* aforesaid, Esq; *John Vaughan* of *Troescoed* in the county of *Cardigan*, and of the *Inner-Temple* aforesaid, Esq; *Matthew Hale* of *Lincolns-Inn*, Esq; and *Rowland Jewks* the elder, of the said *Inner-Temple*, Esq; to have and to hold all and every the premises to them the said *Edward Heyward*, *John Vaughan*, *Matthew Hale*, and *Rowland Jewks*, their heirs and assigns for ever. But to this intent and purpose, and upon this trust, that they or the survivors or survivor of them, their and his heirs and assigns shall and may the better raise and perform, and do raise and perform out of the profits, or by sale of all or any of the premises, as occasion shall be, such personal legacies as I shall herein, or by any Codicil or Codicils hereto to be annexed, or otherwise give and bequeath, and to such other intents, purposes and trusts, as I shall hereafter further under my hand declare. And for want of any further declaration so to be made by me, my mind and will is, that all and every the premises shall remain and be to the said *Edward Heyward*, *John Vaughan*, *Matthew Hale* and *Rowland Jewks*, and the survivors and survivor of them and their and his heirs and assigns, and to their only use and behoof for ever, and to no other intent, purpose, use or trust whatsoever. *Item*, Whereas I have two nephews, descended of my only sister *Mary Selden*, by her husband *John Bernard* of *Goring* in *Sussex*, that is to say, *John Bernard* and *Thomas Bernard*, both of *Goring* aforesaid, or thereabouts, and four nieces daughters of the said *John Bernard*, and my said sister; that is to say, *Mary* the eldest married to *Robert Douglas* of *Goring* aforesaid, and *Sarah* the second married to *James Chapman* of *Ifield* near *Crawley* in *Sussex*, and *Joane Bernard* the third daughter married to *Edward Mansfeild* of *Ham* near *Lewis* in *Sussex*; and *Susan* the fourth, heretofore married to *John Bode* of *Whiston* in *Sussex*, deceased; I give and bequeath

to each of my ſaid nephews one hundred pounds apiece; and my will is, that if at the time of my deceaſe all or any of them ſhall be dead, then every of the ſaid ſums of one hundred pounds ſhall be reſpectively diſtributed to their children, ſo that every child remaining of every or any of them reſpectively ſo dead, may have an equal part of that, which according to this intent of my Will ſhould have come to my nephews, their fathers or nieces their mothers reſpectively. *Item*, I give and bequeath unto the ſaid *Edward Heyward* one hundred pounds. *Item*, To the ſaid *Vaughan* one hundred pounds. *Item*, To the ſaid *Matthew Hale* one hundred pounds, and alſo to the ſaid *Rowland Jewks* one hundred pounds. *Item*, All and every other my goods and chattels real and perſonal, my leaſes and terms for years whatſoever in preſent or to commence hereafter, and all my ready money, and all debts by law or equity owing to me, and all ſums of money due or payable to me either in mine own right only, or as executor of the laſt Will and Teſtament of the right honourable the Lady *Elizabeth* late Counteſs Dowager of *Kent*; and all my jewels, plate, hangings, houſhold-ſtuff, and whatſoever elſe at the time of my deceaſe either I my ſelf ſhall be poſſeſſed of, or have intereſt in as executor as aforeſaid; and whatſoever any perſon or perſons ſhall be then poſſeſs'd of, or have intereſt in to my uſe or behoof, or in any kind of truſt for me; and all whatſoever I may or can by law or equity further give, deviſe or bequeath, I hereby give, deviſe and bequeath to the ſaid *Edward Heyward*, *John Vaughan*, *Matthew Hale*, and *Rowland Jewks*: All which four together I hereby make and ordain my executors of this my laſt Will and Teſtament; to have and to hold to them my ſaid executors and every of them, their executors and aſſigns, all and every my ſaid goods and chattels both real and perſonal whatſoever, as their own, and to their own uſe and behoof. But nevertheleſs under and with this ſpecial truſt and confidence, that they my ſaid executors, and the ſurvivors and ſurvivor of them, their and his executors and aſſigns reſpectively, ſhall and do out of the ſame, and the benefit thereof, pay and diſcharge my debts and funerals, and pay and diſcharge all and every ſuch legacies and bequeſts as either by this my laſt Will and Teſtament I have given or bequeathed, or ſhall give, bequeath or leave in or by any Codicil or Codicils hereunto annexed, or to be annexed; and ſhall and do further alſo perform and fulfil all and every gifts, diſpoſals, aſſignments and declarations in any other kind made, or to be made by me, of or concerning the premiſes, or any of them, or any profits to be raiſed out of them or any of them. And farther my will and mind is, that after the ſaid truſt and confidence ſo performed by them reſpectively as aforeſaid, all and every the reſidue of the premiſes, and the benefits and advantages thereof to be had or made whatſoever ſhall remain and be wholely and ſolely to my ſaid executors and their executors, adminiſtrators and aſſigns, to their proper and only uſe and behoof diſcharged of and altogether without any other truſt or confidence whatſoever. In witneſs whereof I have written here this my laſt Will and Teſtament all with mine own hand, and have ſigned and ſuperſcribed every leaf thereof (the whole number of the leaves being ſix) with my name; and have ſealed it in the laſt leaf with my ſeal, and have endorſed the ſaid laſt leaf with my ſign and ſeal, and have publiſhed it for and as my laſt Will and Teſtament, this eleventh day of the month of *June*, in the year of our Lord God, according to the computation uſed in *England*, one thouſand ſix hundred fifty and three.

J. SELDEN.

Signed, ſealed and publiſhed accordingly, in the preſence of *Will. Lee*, *Tho. Gibſon*, *Tho. Calvert*, *Will. Richardſon*, *Tho. Gill*, *Jam. Gill.*

June 11, 1653. *J. Selden* my laſt Will and Teſtament.

June

June 11, 1653.

A Codicil made and publiſhed the eleventh day of the month of *June*, in the year of our Lord God, according to the computation uſed in *England*, one thouſand ſix hundred fifty and three, by me *John Selden* of the *Inner-Temple*, *London*, dwelling in *Whitefryars* next adjoining, Eſq, as annexed to, or to be annexed to my laſt Will and Teſtament already made and publiſhed by me the ſame day above written.

Firſt, Concerning my books, I give and bequeath all and every my manuſcripts, not otherwiſe hereafter diſpoſed by me, that are in *Hebrew*, *Syriack*, *Arabick*, *Perſian*, *Turkiſh*, or any other Tongue uſually underſtood by the name of Oriental, or in *Greek* too; as alſo with them a manuſcript in *Latin* concerning *Dares Phrygius*, *Paulus Oroſius*, *Jornandes*, and ſome others, together with *Theodoſius* his *Code*, *Pauli Sententiae*, *&c.* And further alſo all ſuch Talmudical and Rabbinical books (if any ſuch I ſhall have among mine) as are not already in the library, reſpectively hereafter mentioned, or are not there of the ſame edition, and all other my books, parchments and papers whatſoever, which I ſhall not otherwiſe diſpoſe of in this Codicil, or elſewhere, I give and bequeath to my executors named in my laſt Will and Teſtament to their own uſe and behoof: But deſiring them rather to part them among themſelves, or otherwiſe diſpoſe of them, or the choiceſt of them, for ſome publick uſe, than put them to any common ſale: It may do well in ſome convenient library publick, or of ſome college in one of the univerſities. *Item*, I give and bequeath all and every my *Greek* marble inſcriptions in and about my houſe in *Whitefryars*, and ſuch heads and ſtatues of *Greek* work, as I have there to the ſaid chancellor, maſters and ſcholars, to be conveyed to them with my beforementioned books given to them, at the charge of my executors, wiſhing they may be placed about the publick library walls. *Item*, I do give and bequeath to the chancellor, maſters and ſcholars, a map of *China* made there fairly, and done in colours, together with a ſea compaſs of their making and diviſions, taken both by an *Engliſh* commander, who being preſſed exceedingly to reſtore it at a great ranſome, would not part with it. *Item*, I give and bequeath to the preſident and college of Phyſicians *Hippocrates*'s *Aphoriſms* in *Arabick*, and ſuch pieces of *Galen* as I have in *Arabick*, and the firſt book of *Avicenn* in *Arabick*; and alſo all and every other books among my manuſcripts of oriental tongues written of phyſick or chirurgery. *Item*, Whereas the right honourable the Lady *Elizabeth* late Counteſs Dowager of *Kent*, did put to ſchool in *Holland*, under the care of Mr. *Francis Junius*, *William Liddall* a young boy to be brought up there, and made fit for ſome courſe of life, being now paſt the age of twelve years, I give and bequeath to him for his maintenance and education yearly, to begin at the firſt half year after my death, the ſum of fifty pounds, until he be eighteen years old, if he ſhall ſo long live, and no longer. Or otherwiſe, and if he the ſaid *William Liddall* ſhall live until he be of the ſaid age of eighteen years, then I give and bequeath to him the ſum of five hundred pounds for a ſtock to ſet up with, for himſelf, or otherwiſe to enjoy it for his beſt advantage. *Item*, That whereas *Jane Liddall*, ſiſter to the ſaid *William Liddall*, was put to be an apprentice with . . . . . . in St. *Martins*, if ſhe ſhall live to be out of her apprenticeſhip, I give and bequeath to her the ſaid *Jane* the ſum of three hundred pounds for a portion to marry her with. *Item*, My will and deſire is, that my ſervants of my family be competently maintained with dyet together in my houſe for ſome ſpace after my deceaſe, under the direction of my ſervant *William Richardſon*, and that every one of them have the whole half years wages, for that half year current, wherein I ſhall happen to dye. *Item*, I give and bequeath to my ſervant *Thomas Gill* three hundred pounds; and to my ſervants *James Gill*, *William Richardſon*, and *Clement Lavander*, one hundred pounds apiece to every of them. *Item*, I give and bequeath to Mr. *Thomas Gibſon* living in the houſe with me, one hundred pounds. *Item*, To *Philip Runball* of *Silesko*

Silesko in *Bedfordshire*, one hundred pounds. *Item*, To . . . . . *Snead*, my porter, fifty pounds: All these and the aforesaid sums to be paid within three months next after my decease. *Item*, I give and bequeath to Mrs. *Rachael Casewel*, Widow, since Mrs. *Williamson*, the sum of five hundred pounds. *Item*, To Mrs. *Lucy Longeville* the sum of one hundred pounds. *Item*, To Mrs. *Martha Lemon* the sum of one hundred pounds. *Item*, To Mrs. *Anne Jenkins* one hundred pounds. All these sums I desire may be raised, and paid within three months after my decease. *Item*, Whereas there is in the press at *Oxford*, *Eutychius* Patriarch of *Alexandria* his Annals, in *Arabick* and *Latin*, under the edition and care of my beloved friends Dr. *Langbaine* provost of *Queen's College* there, and Mr. *Edward Pocock* professor there of the *Hebrew* and *Arabick*; if at the time of my decease, there shall not be left by me in the hands of the said Dr. *Langbaine* money enough to pay for the finishing the work at the press, my mind and will is, that so much be given into his hands to finish it, as he and Mr. *Pocock* shall direct. And farther, that when the impression is finished, all and every the copies of the said impression be left wholly to the said Dr. *Langbaine* and Mr. *Pocock*, to whom I hereby give and bequeath them, which I think will be five hundred in number. There are indentures in my behalf between Dr. *Langbaine* and the printer, which direct the business for the charge at the press. *Item*, I give and bequeath to the right honourable *William* Lord Marquis and Earl of *Hertford* my chrystal cabinet, with the two cases thereto belonging, together with all the agat stones, and the rest that is in it. *Item*, I give and bequeath to the right honourable *Algernoon* Earl of *Northumberland*, a bason and ewer of silver gilt in yellow cases, the one marked *A*, the other *B*. *Item*, To the right honourable *Jocelin* Lord *Peircy* my crystal ship or gally, with all its tacklings, and the cases belonging to it, together with my square nicomy marble table set in ebony and ivory. *Item*, To Sir *Thomas Cotton*, Bar. a dozen of silver plates parcel gilt of *Hercules*'s labours, in a yellow case marked *G*, and a chrystal kind of flagon set in silver gilt marked *H* in a yellow case, and a cup of pearl shell set in silver gilt in a black case marked *I*: And my cabinet covered with crimson velvet, which is in prospective the representation of the entrance of *Hampton-Court*. *Item*, To Mr. *Grey Longeville* a bason and ewer and two dozen of plates, all parcel gilt in several red cases, marked *C*, *D*, *E*, *F*, which were his great uncles *Henry* Earl of *Kent*, and afterwards continued to *Charles* Earl of *Kent* his grandfather, and then to *Henry* Earl of *Kent* his uncle, the brother of Earl *Charles*, a fit heir-loom for his family, together with a hatband set round with diamonds, which his said uncle usually wore, and is increased by me about the buckle with a broad diamond, and some others besides.

In witness to all and every the legacies and particulars whatsoever comprized in this Codicil, containing ten leaves, I the said *John Selden* have written them with my own hand, and subscribed my name to every leaf, and to the last leaf have put my hand and seal, and have also endorsed the last leaf with my hand and seal, and do now publish this for a Codicil annexed or to be annexed to my last Will and Testament, the said eleventh day of the month of *June*, in the year of our Lord God, according to the computation used in *England*, one thousand six hundred fifty and three.

J. SELDEN.

Signed, sealed and published accordingly, in the presence of *William Lee*, *Tho. Calvert*, *Tho. Gill*, *Tho. Gibson*, *William Richardson*, *Jam. Gill*.

June 11, 1653 *J. Selden.* A Codicil to my last Will and Testament.

DE

ANNO CIVILI

Veteris Ecclesiae, seu Reipublicae

JUDAICAE

DISSERTATIO.

PRAEFATIO.

Scribendi anſa & cauſa. De exiſtimatione ac autoritate eorum, unde deſumpta eſt diſſertationis materies; deque ejuſdem uſu.

QUAE de Judaica temporum diſciplina, atque obſervatione priſca, apud magiſtros chronologiae technicae primarios, ſive diſputantur, ſive utcunque occurrunt, genere cernuntur in duplici. Aut in eo, quo cyclica aſſeritur, ſeu quae certis, ac in ſe poſt intervalla aliquot ſimiliter redeuntibus periodis coeleſtibus, ſeu aſtronomicis, veluti Jarchiniana, vel pro vario opinionum ſimul, & ſeculorum diſcrimine, Metonica, Calippica, Alexandrea, ejuſmodi aliis coercetur: Aut in eo, quo perquam vaga traditur, cyclorumque cancellis omnino libera, ſuique, adeo incerta cum quotannis tum menſibus ſingulis (ob multifariam in terris accidentium varietatem) diſſimilis, ut futuram anni alicujus, aut menſis in ea ſingularis quantitatem ante ipſum ejuſdem exitum ad amuſſim praenoſcere quiret mortalium nemo, magis atque inſulae fluctuantis aut cometae motum. De genere hic priori, uti & de calendario ei accommodo, fuſius diſſeruere Paulus Foroſempronienſis, Sebaſtianus Munſterus, Joſephus Scaliger, Gilbertus Genebrardus, Jacobus Chriſtmannus, Carolus Sigonius, Sethus Calviſius, Thomas Lydyatus, Auguſtinus Torniellus, Dionyſius Petavius, Joannes Keplerus, Alphonſus a Caranza, Nicolaus Mulerius, Henricus Harvillaeus, Joannes Morinus, Aegidius Bucherius, Samuel Petitus, viri alii in Chriſtianis celebres; haud parum interea quidem ſaepenumero invicem diſſidentes. Et praeibant hiſce Rabbi Ori Ben Simeon, Abraham Zahalon, Rabbi Naheſchon ſeu Nahaſſon, praeter Maimonidem, Moſem Mikotzi, Ritualium aliquot autores, alioſque in Judaeis ſatis obvios. De poſteriori etiam Talmudici frequentius: Atque Chriſtianorum etiam quos nominavimus nonnulli; ſed ita ut leviori tantum brachio, ac perfunctorie nimis hi plerumque hoc tangant, nec tam ipſam Judaeorum hac in re veterum diſciplinam plene tradant, quam aliquantulum adumbratam, aut ſolum demirati [a] aut veluti fictam, ut interdum negare, aut ſaltem pluſquam par eſt aſpernari videantur. Ne rationibus nimirum, ſeu inventis cujuſlibet (pro ſententiarum diverſitate) cyclicis locus alias minus haberetur idoneus. Quicquid item hoc de genere narrant, id univerſum e Talmudicorum ſeu Judaeorum traditionalium ſcriptis hauriunt. Saltem ſcriptum aliquod hac de re Karaeorum, ſeu Scripturariorum Judaeorum (qua de ſecta nos plura capite ſecundo) quantum memini nuſquam adducunt; tametſi eorum etiam de calculo expreſſius ſubinde loquantur. Exercitationem quidem de eis integram, eorumque inprimis ceremonias paſchales (quibus temporum ratio neceſſario accederet) ante decennium promiſit Joannes Morinus [b]. Sed necdum typis fidem liberavit. Rationem autem aſſerit Joſephus Scaliger [c] Neomeniarum Karaeos diverſam habere a Judaeis caeteris: Eaſque illis puras putas eſſe Arabicas, nec a coitu luminarium putari; ſed a phaſi lunari, ſcilicet poſt coitum prima: Quæ reprehendit Dionyſius Petavius [d] ut autorem nullum aut ſuffragatorem prae ſe ferentia. Sed plane vera partim ibi dixit Scaliger, partim hallucinatus. Etenim cum Karaeorum alii in Palaeſtina, ſeu Terra

[a] *Videſis Joſ. Scaligerum lib. 2. de Emend. Temp. pag. 100. & lib. 3. Can. Iſag. pag. 266. & 276. Aegidium Bucherium de Paſchali Judaeorum Cyclo cap. 5. Dionyſium Petavium lib. 2. de Doctrina Temp. cap. 26. & ad Epiphanium, haereſ. 51. pag. 151.*

[b] *In Indice capitum poſterioris part. Exercit. Biblic. exercit. 4.*

[c] *Lib. 2. de Emend. Temp. pag. 144.*

[d] *De Doctrina Temp. lib. 2. cap. 55.*

Sancta,

Sancta degant, alii in Aegypto, Constantinopoli, terrarum alibi; verum quidem est Karaeos, in Terra Sancta degentes, etiam hodieque, idque ex disciplina avita a lunari phasi (quoties ex tempore suo habere possit) menses auspicari, aut trigesimo primo a praecedente Neomenia, civili die eos incipere, adeoque incerto, quod diximus temporum observationis genere uti, nec cyclicam aliquam, seu certo in se redeuntem rationem admittere; alibi vero degentes eodem ipso cyclo decemnovennali notissimo, seu Hilleliano cum Talmudicis subniti, atque juxta eum festa celebrare, mensibusque ac Neomeniis locum dare, nec a phasi putare. Talmudicis interea sive in Terra Sancta, sive alibi degentibus, antequam synedrium magnum inde prorsus evanuit, id est ante secula aliquot a Christo elapsa, genere posteriore, seu incertissimo illo, postea vero cyclo jam dicto semper utentibus. Ac demum ex utriusque sectae, alias invicem haud leviter saepe dissidentis, sententia, ac doctrina a majoribus receptissima, palam fit, rationem illam incertissimam, atque e phasi lunari, & intercalatione, quam infra ostendimus, diversimode accidenti, nec raro plane arbitraria pendentem, Judaeis veteribus, seu utriusque majoribus, id est Ecclesiae seu Reipublicae Judaicae veteri fuisse omnino in usu. Quod ut luculentius studiosis pateat, cum ex optimis Talmudicorum commentariis editis, tum ex ipsis Karaeorum hac de re disciplina, scriptisque nullibi hactenus typis mandatis, rem totam veluti demensam horreo, visum est repraesentare. Ut nimirum, ita & firmior & apertior fiat doctrina illa, de tam incerta annorum mensiumque ibi ratione, haud quidem demiranda magis atque illa quae in veteri Roma, ubi Pontificibus datum est negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. Sed horum plerique ob odium, vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam, ultro depravarunt, *quod ait Censorinus*[a]. *Et de phasi lunari ibi, alia habet Macrobius*[b] *mori Judaico non ita dissona. Quemadmodum vero id, de quo in jure Caesareo Proculeianis cum Sabinianis, in theologia Pontificiis cum Reformatis, Calvinianis cum Lutheranis, in doctrina Judaica scholae Hillelianae cum Sammaeana, aliisve id genus cum aliis convenit, id, inquam, insigniori multo veritatis charactere apud homines eminere, admitti solet, quam quod pars inter hos alterutra, aut oppugnat, aut sola affirmat, & pro indubitato quidem inde non raro sumitur; ita de consensu hic Sectarum, quas diximus, binarum illustrium toties invicem alias discrepantium, scriptisque pugnantium, merito in re cum ad sacrorum suorum regimen tum ad mores civiles adeo spectante, est statuendum. Harum neutra de usu vetusto dubitat, utraque pariter asserit; utcunque altera (Talmudica scilicet) postquam synedrium magnum desiit, cyclum adhiberi velit Hillelianum, idque ubique terrarum; altera (seu Karaei) cyclum hunc intra Terram Sanctam admitti nolit, vetustam illam avitam, ac incertissimam temporum rationem ibi semper retinens, alibi vero Hillelianam pariter amplexa.*

Honore autem, existimatione, autoritate, uti & vetustate, Talmudicos Karaeis nunquam non praecelluisse satis est receptum. Etenim hi Sadducaeorum propago, (sic vulgo[c] *creditur;) quorum initia sub annum Christi* 130. *collocare solent. Illi vero longe antiquiores, atque ex eis Pharisaei, ac Scribae,* qui supra cathedram Mosis sedebant, *& de quibus Christus ipse, stante adhuc ecclesia, seu republica Judaica;* Omnia[d] quæcunque dixerint vobis servare, servate & facite. *Atque expressim Judaicae religionis* ἡ ἀκριβεστάτη αἵρεσις[e] secta exquisitissima, *seu* exactissima, *Pharisaica dicitur Paulo apostolo, qui & eorum in scholis ad Gamalielis*[f] *Talmudici pedes educatus. Quinetiam quoties in moribus, ritibus, sententiis, atque interpretationibus receptis ecclesiae seu reipublicae Judaicae eruendis, docendisque cordatius ad Christianismi, utpote inde primo orti, res illustrandas, riteque dignoscendas, idque meritissimo, satagunt scriptores*

[a] *De Die Natali cap.* 20. [b] *Saturnal.* 1. *cap.* 15. [c] *Vide Differt. hujus cap.* 2. *& Frederic Spanhemii part.* 2. *Dub. Evangelic.* 38. *& part.* 3. *Dub.* 28, *&* 29. [d] *Matth.* xxiii. 2. [e] *Act. Apost.* xxvi. 5. [f] *Act.* xxii. 3. *& vide J. Buxtorf. in Abbreviaturis, lit.* ר.

Christiani

Christiani celebriores, Talmude plerumque Babylonio (subinde etiam, sed raro nimis Hierosolymitano) & Talmudicorum, qui recentiores sunt Commentariis, veluti quibus autoritas in hisce amplissima tribuenda, neque Karaeorum scriptis omnino ferme solent uti. Et quam clara sane, quam necessaria, quam ingenuis universis grata inde atque exoptatissima saepe lux! utputa, in probe decernendo quinam ritus & forma primae coenae dominicae, qualisnam in Ecclesia illa olim fuerit, ac quotuplex excommunicatio forensis (seu ex sententia aliqua humana) quid Ἀποσυνάγωγος, *seu extra synagogam fieri (in quibus ibi singularis civilis tantum consortii cujusdam privatio erat; sed non omnino templi sacrorumve usus interdictio; nisi, ut interdum ex accidenti, quoties carcere quis nimis contumax impediretur.) Quid absolutio; quid synagogae, quid ecclesia ibi in* Dic ecclesiae, *& in eo,* Si ecclesiam non audierit *(quo alii audientiam intelligunt episcopalem, Christianorum presbyteralem alii, alii eam, quae est congregationis, seu populi alicujus integri Christiani, alii Papalem, uti & Hieronymus Xaverius Jesuita, qui in Historia Christi Acabaro Mogolensium imperatori Persice conscripta*[a], *pro* Dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, &c. *substituit* بسر دار جماعت كوي واكر ازو نيز نشنود principi ecclesiae dic; & si nec illum audierit, &c. *cum revera juxta linguam, & mores, tempore Christi in usu, ac doctrinam Talmudicam,* ecclesia, *seu* synagoga, *id est* עדה, *&* קהל, *quae vocibus illis apud Mosem, reliquosque prophetas explicantur, tum pro synedrio*[b] *sumantur Judaico, sive magno, seu septuaginta uniusvirali, sive minorum aliquo, seu viginti-triumvirali, scilicet ex certo personarum qualiscunque tribus Israeliticae, sed interim rite in facultatem judiciariam ordinatarum, numero constante, adeoque pro civilibus plane reipublicae illius tribunalibus, tum pro numero hominum denario*[c], *seu qui plurium ibi nomine venit, quorum plane nihil audientiarium, quas diximus alicui analogum fuit magis atque* Ἐκκλησίας, Γερουσίας, *seu* Συνεδρίου *vocabulum apud Xenophontem, Thucydidem, Pausaniam, alios, usurpatum pro legitima concione, coetu, seu collegio; id est parte aliquota populi selecta, ac civiliter congregata;) qualia ac quotuplicia ibi judicia; quid* tanquam ethnicus, *seu* gentilis, *&* publicanus *haberi (nominum par) quo simpliciter sumto, ut extra mores mere Judaicos, eosque quatenus Christianismo solum praeibant, haud ulla tunc existimationis sequioris, nedum infamiae nota irrogabatur, ita neque intra mores illos, aliter atque Gentili, qua simpliciter Gentili necdum in Judaismum recepto, fraternitas Judaica, ejusque effectus singulares, Publicano vero utpote molestiori imperii quod gravate ferebatur Romani instrumento, ideoque cum peccatoribus insignioribus non semel pariter in evangelio censito, etiamsi Judaeus esset, effectus ejusmodi fraternitatis aliquot, arctiorque amicitiae conjunctio denegabantur; huic interea omnimoda, si Judaeus esset, aut justitiae proselytus, cum Judaeis reliquis, sacrorum, illi autem sacrorum gentilibus in templo propriorum, licet non ipsorum Judaicorum, libertate nunquam non permissa. Quid sceleratorum aliquot generum abscissio, exterminium, seu ablatio, quam* כרית *vocitant, quae coelitus perpetuo expectanda, nec ad humanum omnino attinuit judicium; quidnam* potestas, *seu* facultas *(conferri, seu expressim donari solita)* ligandi & solvendi, *id est* רשות להורות באיסור והתר facultas decernendi, *explicandi, interpretandi, declarandi, de ligato, & soluto, seu quid ligatum, & quid solutum; quod plane millies in Talmudicis, ex vetustissimo Ecclesiae illius usu denotat quid vetitum ex lege sacra, quid permissum; (quemadmodum & Graecis*[d] *scimus* δῆσαι *quod* ligare *est, etiam* interdicere *sonare, &* λύειν, *quod est* solvere, *etiam* permittere, *seu obligationem, sive auferre, sive nondum inductam monstrare, aut asserere) adeoque ad docendi, seu interpretandi, seu theologiae praeceptivae (ut* praeceptiva philosophia, *&* praeceptores, *qui praecepta tantum docebant, Latinis*[e] *dicti) munus solum ibi attinuit,*

[a] *Pag.* 371. [b] *Lev.* iv. 13, 14, 15. *Numer.* xxxv. 24, 25. *Psal.* lxxxii. 1, *&c. Misn. & Gemar. tit.* Horaioth, *cap.* 1, & 2. *& tit.* Sanhedrin, *cap.* 1. *Maimonides Halach.* Shagagoth, *cap.* 12, & 13. & Maigsha Korbanoth, *cap.* 1. *Moses Mikotzi Præcept. affirmat.* 217, *&c.* [c] *Vide Misn. tit.* Megillah *cap.* 3. *& tit.* Sanhedrin, *cap.* 1, *&c. & Jo. Cameron. & Hugonem Grotium in Matth.* xviii. 17, *& Maimonidem in Canonibus Ethicis, seu Halach.* Daioth, *cap.* 6. [d] *Vide Eustathium & Didymum in illud Iliadis* Σ. Ἐμεῖο δὲ δῆσεν Ἀρῆς ἀλκτῆρα γενέσθαι. *Inscriptionem Isidi apud Diodorum Siculum, lib.* 1, *&c.* [e] *Seneca Epist.* 94. & 95.

quo nempe in ipsa ordinationis formula solenni verbis expressis, non raro donabantur presbyteri ii quibus, ut mos etiam alias ibi obtinebat, particulariter creatis neque in munus presbyterii seu doctoratus ibi integrum, seu judiciorum forensium administrationis facultatem assumtis, casus solum conscientiae ex lege sacra placitisque majorum decidendi, seu sic de jure publice respondendi, illudque docendi potestas conferri solebat (de hujusmodi decisionibus integer extat in corpore Talmudico titulus הוריות Horaioth *dictus) & quam aliena revera fuerit potestas haec a sensu quo a Pontificiis, aliisque in rem suam non paucis est perperam, uti &, quae hic memorantur reliqua, imbuta, atque offuscata; quinam & quales ibi simpliciter presbyteri, aut in presbyteratus integri dignitatem, seu universaliter creari soliti, id est divini pariter atque humani juris scientes (quemadmodum in Roma veteri* [a] *jurisprudentes) publice & ritu solenni ab ante creato aliquo agnosci; qualisnam ille ritus, atque manuum impositio, qua plerumque creabantur presbyteri ibi omnigeni, atque innumera alia. Quorum sane scientiam genuinam, quatenus studiis Christianis, aut praevia olim fuerit, aut eximium nunc est, aut esse potest explicandi instrumentum, adeoque doctrinam Talmudicam (id est primarias, seu veteres jurisprudentiae simul, ac theologiae illius ecclesiae seu reipublicae interpretationes unde scientia illa eruenda) quotquot, sive per fastidium, sive per contemtum, sive, quod crebrius fit, per ignorantiam simul ac desidiam, pervicacius neglexerint suo solum, suique similium ingenio ac doctrinae modulo, quantuluscunque fuerit, innitentes, tum misere falli solent, tum perniciosius fallere. Neque aliter ferme atque si quis geometriae ignarus ausu temerario opticen, aut harum alterutrius nescius astronomiam edoceret, aut hujus denique expers, artem coeli judiciariam, divini instar, ridicule nimis venditaret. Specimina autem satis ampla singularis Talmudicorum, apud Christianos scriptores celebriores, existimationis (sive in Judaismo refutando, sive in Christianismo firmando) habes cum in Pontificiis tum in Reformatis. Ut vetustiores illos, Hieronymum a Sancta fide, Nicolaum Lyranum, & Johannem Bachonem nostratem praeteream; in Pontificiis sunt quibus sola sectae hujus scripta usui fuere maximo, Petrus Galatinus, Paulus Riccius, Petrus Brutus, seu Catharensis, Victoria Porchetus, Paulus Burgensis, Paulus Forosempronienisis, Gilbertus Genebrardus, Angelus Caninius, Nicolaus Serrarius, Philippus Aquinas, Antonius Giggaeus, Dionysius Petavius, Joannes Morinus, Gilbertus Gaulmin, Simeon de Muys, Aloysius Novarinus, alii; in Reformatis, Sebastianus Munsterus, Joannes Capnio, Paulus Fagius, Cunradus Otto, Joannes Mercerus, Josephus Scaliger, Joannes Buxtorfius pater ac filius, Isaacus Casaubonus, Joannes Drusius, Sixtinus ab Amama, Petrus Cunaeus, Gulielmus Schickardus, Hugo Grotius, Joannes Cochius, Constantinus L'Empereur, Claudius Salmasius, Joannes Cameron, Ludovicus Capellus, Samuel Petitus, Joannes Ritangelius, aliique; inter quos sane locum etiam merentur non postremum Henricus Ainsworthus & Joannes Wemesius Anglice plurima docentes ex Talmudicis; qui etiam subinde cum Baronio tum Bezae opem praestant singularem. Ubi igitur dissidium inter sectas, quas diximus, Talmudicis potius adhaerendum, idque ex doctissimorum tot, illustriumque virorum sententia, qui se toties ab illis edoctos agnovere, dissonantia interim Karaeorum scripta insuper habentes. Saltem neutiquam sunt ita soliciti de eorum placitis, quae sane cum Talmudicorum eadem sunt crebro ipsa; istis ex ipsis scripturae visceribus suisque interpretamentis non raro idem ipsum docentibus, quod hi ex avita solum petunt traditione. Qua in re sane imitatoribus inter Christianos, neque hi, neque illi carent.*

Quod autem ex utrisque hic praestitum est, in tricis nugisque tantum chronologicis versari, adeoque nec in se operae pretium forsan cum morosioribus aliquot tum delicatioribus habere ullum videatur. Certe quisquis pro nihilo censeat, accuratius edoceri.

Primo, qualisnam singularis annorum, mensium, festorum, adeoque temporis omnimodi ratio, in ecclesia seu republica illa divinitus instituta, legisque sacrae verbis, ac receptissimis jurisprudentum ac theologorum, ejusdem sententiis explicata, fuerit; qua-

[a] *L.4. D. tit. de Justitia & Jure, & vide Brisson. Select. ex Jure Civili, lib.4. cap.16.*

lis

lis item in reliqua Asia, Aegypto, Africa, Graecia, Italia, alibi per orbem terrarum in usu inter Judaeos dispersionum, qui numerosissime passim sub Christi maxime tempora creverant, ut scimus ex Dione, Martiale, Juvenale, Seneca, Rutilio, Tacito, aliis; quo & inprimis spectat illud Horatii:

——Nam multo plures sumus: ac veluti te
Judaei cogemus in hanc concedere turbam. Lib. 1. Sat. 4.

id est, proselytum, ut secta illa numerosissima solet, etiam renitentem suadendo faciemus;

Secundo, ejusdem ibi usum dum D. N. Jesus Christus ipse in terris, adeoque eum ipsum (quod satis consequitur) eum observasse;

Tertio, primitivarum Christianorum maxime ex Judaeis ecclesiarum, veluti Hierosolymitanae, aliarumque id genus pariter inter Gentiles sequacium, mores Judaicos, diu retentos, juxta rationem hanc etiam formatos esse;

Quarto, aequinoctii verni in paschate rite quotannis designando tempus apud Christianos causam ac originem;

Quinto, plane frustranea esse (nam & consequitur etiam hoc) chronologorum maximorum argumenta, quibus nimio cum sudore contendunt, ex cyclica, seu astronomica temporis, apud Judaeos, ratione, adeoque ex decima quarta luna in ipsa passione dominica (quasi illa die decimo quarto a synodo naturali aliterve astronomice evenisset) vera passionis, paschatum in novo foedere, ac demum nativitatis, retro putando, tempora eruere;

Sexto, certam mere Judaici alicujus (ante cycli Hilleliani usum) labentis anni mensisve quantitatem, seu in diebus Julianis initia aut dies eorum alios Julianis respondentes, nemini dignosci omnino posse, nisi calendarium ejusdem singulare, aut quod tantundem suppleret, ob oculos positum habeat (quale nullibi reperitur) adeoque scire plane moralium cuiquam nequire, quod viri tot illustres se scire perperam existimant;

Quisquis, inquam, horum, aliorumque ex hisce subinde non ita levis momenti pendentium cognitionem, velut nihili, nec opera, & oleo omnino dignam aestimet, vereor sane ne is simul non modo plurima ignaviae portentosa de seculis ante actis somnia, suavesque (sed saepe fateor non ita inutiles) sciolorum, sive hallucinationes sive simulationes pronius multo quam par est admittat, sed etiam eas ingenuae, nobiliori, diffusiorique disquisitioni veraeque ac solidae inde solum oriturae disciplinae frequenter nimis, sive per incuriam, sive per ignaviam, ne quid gravius dicam, anteferat.

Quod si, ut non raro, objiciatur, ipsum corpus utrumque Talmudicum aliquot seculis aevo, quo, sive floruit, sive stetit ecclesia, seu respublica Judaica, recentius fuisse compositum, adeoque nec fidem ideo alterutri, nedum commentariis rabbinicis inde natis, habendam; nae is qui hac ductus ratione ita sentiat, necesse est, ut ratione non dispari, nec Digestis Juris Caesarei, nec Codici Justinianeo credendum putet in sententiis, rescriptis, sanctionibus innumeris, Justinianum ipsum tanto intervallo antevertentibus, nec Theodosiano in iis, quae Theodosio ipso vetustiora, nec demum historicis ullis praeter sacros ipsos, aut qui res gestas moresque sibi plane coaevos, aut tantum non proximantes tradidere. Sed immane quantum videtur interea mirum, homines reperiri, qui eo vecordiae insolentioris devenerint, ut, in priscae, atque alienae sibi ecclesiae seu reipublicae jure, ac moribus discutiendis, definiendisque, novitiis, temerariis, jejunisque sui ipsorum, per tot secula, totque intervalla distantium commentis quicquid ejusdem cives veteres, jurisconsulti, ac theologi a majoribus acceptum fideliter scriptis mandarunt, audacissime postponant. Quod plane haud aliud est quam, aut miserum nesciendi, aut fallacissimam scientiae larvam, obtendendi studium.

DE

DE

ANNO CIVILI
Veteris Ecclesiae, seu Reipublicae
JUDAICAE
DISSERTATIO.

CAP. I.

Annorum & mensium apud veteres Judaeos, tum naturalium tum civilium, indicatio generalis.

DIERUM veteribus Judaeis, uti & hodiernis, civilium, ita proprie dictorum, revolutio a vespera ad vesperam fuit, ita ut nox praecedens, integra diei naturali proxime insequenti conjuncta, civilem perpetuo conficeret. Annorum autem & mensium ratio item erat, quemadmodum etiam apud Christianos, aliosque, alia naturalis, civilis alia. Naturalis, seu astronomica, mensem lunari a coitu ad coitum motu definitum, seu synodicum, dierum constituit 29, ac horarum 12, praeter partes aliquot ad horam ferme excrescentes. Duodecim menses sic putati, seu annus eis lunaris, dies habuit 354, & horas ferme novem. Annus solaris illis erat, uti & aliis plerisque astronomice putantibus, dierum 365 praeter quadrantem, aut circiter, unde excessum vides, supra lunarem, dierum undecim, quatuor aut circiter horis demtis. Nam de partibus minutioribus sollicitius hic agendi locus non est. Naturalem hujusmodi calculum, motuumque ad eum rite ineundum coelestium apices docuisse [a] aiunt majores suos, maxime Isacharitas, *qui habebant cognitionem, & intelligentiam temporum, scientes quid faciendum esset Israelitis*, ut in Paralipomenis [b] legitur. Et Hieronymus ibi in Quaestionibus & Traditionibus Ebraicis: *De filiis Isachar viri eruditi, qui norunt singula tempora. Ipsi enim erant doctores, computatores, & magistri, sive ad festivitates celebrandas, sive ad caetera. Et ideo dictum est in benedictione Isachar, suppofuit* [c] *humeros suos, & factus est tributis serviens.* Unde & illud R. Samuelis, כי יששכר עלה לרקיע והביא תתר"פ חלקים *Isacharem ascendisse in firmamentum, & secum deduxisse* (in mortalium usum) *partes* 1080; illas nempe in Judaeorum computo non minus celebres, quam sexagenas apud Graecos aut Latinos. Hyperbole est manifesta de singulari tribus illius in re astronomica peritia. Sed ante secula multa Isacharitarum qualescunque fuerunt hac de re libri periere. Saltem ad manus suas non devenisse fatentur magistri celeberrimi, Graecorum seu Paganorum veterum calculo quidem, seu mathesi utentes, sed majorum suorum haud ita dissimilem, aut imparem fuisse interea statuentes. Quin & illud Mosis, [e] *Haec est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis*, seu *in oculis gentium*; *aut audientes universa praecepta haec dicant, En populus sapiens, & intelligens &c.* ita interpretantur ut *sapientiam & intellectum* ibi sumant [f] pro חישוב תקופות ומזלות *calculo revolutionum partium anni & syderum.* Unde etiam a seculis rationem hanc naturalem vetustissimis sibi derivant, sed ut scholis, ac civilis rationis artificum studiis inservientem, atque auxiliarem, nec per se, ac simpliciter omnino usui populari, aut civiliter adhibitam. Civilis mensium ratio alia erat qua eorum in contractibus, pactis, re nuptiali, puerperio (ablactatione id genus aliis praecise dictorum usus) alia qua annum complebant, ejusve fuere partes. Modo priori, rotundus dierum triginta numerus mensis est passim magistris, adeoque tempus trimestre nonaginta: Posteriori vero, nunc 29, nunc 30 dies mensi civili aliter atque aliter assignabantur. Unde etiam nunc plures, nunc pauciores habuit dies annus lunaris civilis, juxta statim ostensa. Neque enim, aut lunaris revera, aut solaris erat civilis eorum annus. Nec interim negligebatur in ejusdem dispositione sive lunae motus, cujus tamen mensura non aliter regebatur annus civilis, atque incertissimi quidam (nec sane ii ita pauci) eventus admitterent; ut fusius mox dicetur. Anni item initium aliud erat qua festorum recurrentium, atque id genus aliorum aliquot ratio habita, aliud qua jubilaei ac anni sabbatici inchoandi. Prius in vere statuebatur [g], seu sub initium Abib, seu in Nisan, quod per tempus vernum vagari solebat, & τῆς ἔτους ἀρχὴ, seu anni initium etiam a Fl. Josepho [h] nuncupatur, uti quidem & Philoni [i] posterius in autumno, seu Tisri mense qui a Nisan

[a] Maimonides H. I. *Kiddush Hachodesh*, cap. 17. § 25. [b] Lib. 1. xii 32. [c] Genes. xlix 15. [d] Apud Abraham [illegible] in *Iuchasin*, fol 4[illegible]. [e] Deut. iv 7. [f] Gemar. Babyl. ad tit. *Sabbath* cap. 7. [illegible] Mosem Mikotzi praec. [illegible] 7. [g] Exod. xii. 2. Numb. xxviii. 16. Esther iii. 7. [h] Antiq. Judaic. lib. 1. cap. [illegible] lib. 3 cap. 10. alibi. [i] Lib. [illegible] vita Mosis.

septimus

ſeptimus eſt. Atque alia item [k] fuere quoad agenda aliquot alia, ſingularia anni initia (quemadmodum & ſcimus fuiſſe apud veteres Romanos, hodieque apud Chriſtianos praeter kalendas Januarii) quae tamen in dierum periodis, aut relabebantur, aut ſurſum protrudebantur, prout locum Neomenia Niſan, ſeu verni menſis primi variatim obtinebat. Sed hac de re plura inferius.

CAP. II.

Judaeorum, quorum ſcripta legimus, ſectae binae. Talmudici, *ſeu* Traditionales, *&* Karaei, *ſeu* Scripturarii. *Utrorumque diſciplina hic adhibita.*

JAM vero genus eſt Judaeorum, quorum ſcripta legimus, duplex. Alterum, Talmudici dici ſoliti, ſeu בעלי הקבלה *Magiſtri Traditionum*, quos traditionales vocabimus; alterum, Karaei, ſeu קראים *Karaim*, id eſt *Scripturarii*, ſeu בעלי מקרא etiam & בני מקרא, id eſt, & *domini*, & *filii ſcripturae*; utpote qui rejectis Talmudicorum traditionibus, ipſas ſolum, quas ipſi exiſtimant, ex ſcripturae ſenſu eruendas eſſe, ut ſatis manifeſtas interpretationes amplectuntur, inde nomen ſortiti. Genus prius eos continet magiſtros (praeter ipſos juris Talmudici corporis utriuſque, Hieroſolymitani ſcilicet, & Babylonici, autores) qui commentarios ſcripſere theologicos ſimul, & juridicos ſatis numeroſos, Venetiis, Mantuae, Cremonae, Baſileae, Cracoviae, Pragae, alibi typis editos, veluti autores Sepher Siphri, Siphra, Mechilta, Peſiktha Zotertha, Rabbi Eliezer, autorem Rabboth, ſeu commentariorum ſic dictorum in Pentateuchum, autorem Hilcoth Gedaloth, Moſem Maimonidem, Salomonem Jarchium, Aben Ezra, Kimchios, Nachmanidem, Abarbinel, Bechai, R. Jehudam autorem Sepher Muſar, Abraham Zacuthium, autorem Sepher Juchaſin, R. Gedaliah Ben Jechai, autorem Sepher Shalſheleth, R. Mordecai, Iſaac Ben Arama, R. Levi Ben Gerſom, autorem Sepher Colbo, Sepher Corban Aharon, Jacob Bar Salomon, autorem Sepher Aiin Iſrael, Moſem Cotzenſem, Rabbenu Aſher, Jacob Ben Aſher, Alpheſium, Jehudam Levitam, Joſephum Caro, Obadiam Bartenorium, & qui ſunt id genus reliqui non pauci. Atque hi univerſi Phariſaeorum ferme veterum, & Scribarum, qui Moſis cathedram [a] occuparunt, placita more ſuo tradunt explicantque, traditionibus velut in monte Sinai Moſi, a numine receptas refertiſſimi. Paſſim apud illos traditiones hujuſmodi הלכות למשה מסיני *Traditiones Moſi e Sinai* nuncupantur. Poſterius genus, ſeu Scripturarii, propago Talmudicis habentur Sadducæorum; adeoque eorum initia ab illis tribuuntur tempori Joannis [b] Hyrcani Judaeorum principis, ſub annum centeſimum triceſimum ante Chriſtum incarnatum. In AEgypto, Palaeſtina, Conſtantinopoli, ex ſcripturariis hujuſmodi habentur. Ipſi autem viciſſim (quale inter ſectas nimium fieri ſolet) traditionales tunc primo inclareſcere coepiſſe, contendunt, praecipuumque eorum autorem fuiſſe Rabbi Simeon Ben Shatach, nominis in utroque Talmude celeberrimi. Summa nempe illum gratia apud Hyrcanum (cui ſoror ejus nupta) cum diſcipulis ſuis pollentem ſimplicitati ſcripturae, & genuinis ejuſdem interpretationibus legem Oralem ſeu traditiones Talmudicas fidentius tunc primum commiſcuiſſe ſeu adjeciſſe. Sic Rabbi Eliah Ben Moſeh ſcripturarius, de Simeone illo locutus; אח אשת ינאי חדש דרך אחרת לפי דעתו ומוסף על הכתוב *frater uxoris Joannis novavit diſciplinam aliam juxta ſententiam ſuam, & ſcripturae adjecit*; id eſt, התורה שבעל פה *Legem Oralem* ut expreſſim idem Eliah. Libri ſcripturariorum, quantum hactenus ediſcere potui, admodum ſunt pauci. Nec quidem typis impreſſum alium, mihi videre contigit praeter unicum illum שער יהודה dictum, ſeu *Portam Jehudae*, qui totus eſt על ענין עריות *de inceſtu, & concubitu illicito*, autore Rabbi Jehuda Poki מערת בני מקרא *ex coetu*, ſeu *ſecta Judaeorum ſcripturariorum*. Editus eſt hic Conſtantinopoli anno mundi juxta eorum calculum 5342, ſeu Chriſti 1582. Neque alius omnino Judaei alicujus ſcripturarii, codex manuſcriptus ad manus meas pervenit, praeter jam memoratum Eliah Ben Moſeh, qui & ſubinde [c] ſe vocat ב״כר לעיה מכנדייא *Filium honorati Rabbini Moſeh Candienſis*, forte pro *Cretenſi*. Scripſit ille tractatum, ex receptiſſimis ſectae ſuae ſententiis deſumptum, ac in סדרים *Sedarim*, ſeu ordines diſtributum, quorum primus eſt בזמנים *de temporibus*, adeoque de die, nocte, ſeptimana, menſe, anno. Et להיות inquit, שהמצות תלויות בזמנים ידועים הגון בקר וערב ויום ולילה וחדש ושבוע ושנה על כן ראוי לנו לבארם תחלה קודם תחלונו לבאר במצות התורה *Cum praecepta, ex temporibus notiſſimis, veluti matutino, veſpertino, die, nocte, menſe, ſeptimana, & anno pendeant, viſum eſt nobis, ea explicare, antequam explicationem praeceptorum legis aggrediamur.* Ordo ejus ſecundus eſt de Sabbato, tertius de Paſchate, quartus de feſtivitate Paſchali, quintus de ea, quae eſt Septimanarum, ſextus de inceſtu, ſeu concubitu illicito, ſed mutilus. Nec plura habentur in exemplari, quo utor. Floruit ſub annum 240, chiliadis Judaicae ſextae, id eſt Chriſti 1480. Moſem Maimonidem, Aben Ezra, Levi Ben Gerſom, traditionalium alios ſubinde citat. Byzantii, aut loco aliquo non ita inde diſſito ſcripſiſſe eum, vix dubito. Nam tabulas aſtronomicas in calculum motuum ſolis & lunae conſtructurus, ait [d] ſe operaturum כאופק קוסטנדינא מסכים לדעת אלבתאני *ad latitudinem*, ſeu *Horizontem Conſtantinopolis, juxta doctrinam Albatenii* Arabis, cujus inſignis hiſce in rebus, apud Judaeos exiſtimationis alibi, [e] etiam apud ipſos habetur teſtimonium luculentum. Autoribus utitur ille, ſcriptor quidem diligentiſſimus & eruditus, ſubinde ſcripturariis, veluti Rabbi Levi Ben Rabbi Japhet, Rabbi Jehoſua, Rabbi Aaron. Neque enim a titulo Rabbi, aut Rabbenu abſtinet quoties de ſuis loquitur,

[k] Miſna tit. *Roſh Haſhana*, cap. 1. & videſis Hieron. in Ezech. cap. i. Aben Ezra ad Exod. xii. J. Buxtorf. in ſynagoga cap. 12. & Manaſſeh Ben Iſrael in conciliat. ad Exod. quaeſt. 11. praeter chronologos obvios. [a] Matth. xxiii. 2. [b] Vide Fl. Joſeph. lib. 13. cap. 18. & Rabbi Jehudam Levitam in Sepher Coſri orat. 3. ſect. 65. & Gem. Babyl. ad tit. *Kiddoſchim* cap. 3. fol. 66. a *Sepher Juchaſin* fol. 15 a. item citata Joanni Buxtorfio in lexico Chaldaico, verb. קרא col 2114. & tunc Joſeph Scalig. de Emend. Temp. lib 2. pag. 143. Elench. Tihaereſii cap. 2. Serrar. in Minervali cap. 11. Joannem Ritangel ad lib. *Jezira* p. 33, &c. [c] Seder. 2. in calce. [d] Seder 1. cap. 19. [e] Tzemach David part. 2. anno Chil 5. 635. ſeu Chriſti 875.

utcunque apud Benjaminum Tudelensem in itinerario, aliosque [f], non semel sic distinguantur invicem רבנים, & קראים, seu *Rabbini*, & *Scripturarii*, perinde, ac si hos titulo illo neutiquam insigniri solitos, velint. Forte quidem Benjaminus ille, traditionalis ipse Judaeus, scripturarios ejusmodi dignitatis nomine a se honestandos, noluit, utcunque ipsi inter se eo uterentur. Anne potius ex more obtinuit, traditionales eo nomine, seu titulo magis quam scripturarios innotuisse? utrisque interea eo insigniri solitis. Nam dissimulandum non est, scripturarium nostrum ipsos traditionales, seu eorum sectam generatim interdum [g], sed raro satis, רבנים *Rabbinos* nuncupare. Quando scilicet eo solo vocamine, a secta sua discriminatos eos vult; tametsi dum suos pariter, ac traditionales memorat, Rabbini nomen utrisque indiscriminatim tribuat, adjecto subinde etiam non minus his quam illis formula illa pietatis honorariae solenni ז"ל *memoria ejus sit in benedictionem*. Unde ediscendum haud ita semper, inter sectas hasce intestinum exerceri odium; qua de re obiter scriptores christiani. Quemadmodum autem traditionibus adhaeret genus hic alterum, sic alterum interpretationibus, rejectoque quod traditur, quatenus traditur, illud in primis profitetur [h] כל העתקה שאין לה סיוע מן הכתוב היא בשלה *Interpretationem*, seu *disciplinam omnimodam neutiquam in scriptura ipsa fundatam, vanam esse*. Sed interea cum traditionum revera genus sit duplex; alterum quod legis oralis (seu traditionum Mosaicarum) nomine venit, velut id, quod seorsim, atque extra legem scriptam per se traditum est; alterum quod disciplinam, seu interpretationem legis illius scriptae a majoribus traditam, seu qua illi praeivere, complectitur; certe scripturarii Judaei, dum genere posteriore solum utuntur, perplurima interim in eo admittunt, quae, quum placitis in priore genere receptissimis sint simillima, nec magis quam illa quidem, in scriptura ipsa reperiantur, eorundem vim, ac rationem haud parum imitantur, induunt, ac supplent. Quale ferme etiam de christianis aliquot pariter, dicendum; qui dum traditiones majorum, qua traditiones, idque subinde meritissimo rejiciunt, interpretationes tamen haud minus, nec aliter a sacri sermonis simplicitate, quam traditiones ipsas alienas, sed commodi sui causa (sic maxime fieri amat, ubi sacri imperii urget aut jurisdictionis fames, ac ambitio) prae aliis sibi optatissimas, enixius conantur adstruere. De Judaeorum secta utraque specimen videbis etiam hic luculentum. Codicem MS. scripturarii quem dixi uti & alterum illum typis editum, perhumaniter mecum communicavit (& libentissime beneficium agnosco) Radulphus Cudworthus Cantabrigiensis, multiplici doctrinae reconditioris praestantia morumque suavitate juvenis ornatissimus, qui etiam ex illo nonnulla appositissime adhibuit ipse, de phasi lunari, & calendario Judaico in libello ingenioso, & pereruditio, de coena Domini, anglice pridem [i] edito. Et primus est, ac solus quantum scio, qui inter scriptores, autore illo omnino hactenus usus est. Jam vero, quae capite superiore de annis, & mensibus Judaicis generatim indicantur, utriusque sectae, tam scripturariorum, quam traditionalium, seu Talmudicorum disciplinae, satis sunt consona. Quomodo autem in neomeniis constituendis, mensibus disponendis, annis augendis, minuendisque, sive consenserint sectae hae, sive inter se discreparint, in sequentibus, ex Talmudicorum scriptis, atque ex Eliah Ben Moseh illo, qui sectae suae personam hic necessario sustinet, ostendetur. Scripturae autem loca quibus secta nititur utraque sunt notissima illa; de luminarium creatione *ut essent* [k] *in signa, & in certa tempora & in dies, atque annos*; de mensium, ac dierum in historia arcae Noachi [l], enumeratione; de primo anni mense [m] praefigendo; de paschate adeoque mense primo in tempore Abib [n], seu verno retinendo; de neomeniis, seu noviluniis peculiari sacrorum genere celebrandis [o], aliis ejusmodi in Pentateucho obviis, quorum aliqua etiam mox allata. Testimonia autem, seu scripta Talmudica, unde ea, quae de re ipsa tradimus maxime hausta sunt, hic simul potius indicare visum est, quam absque operae pretio aliquo, margines paginarum saepe nimium repetitis eis frustra illinere. Ea maxime habentur in Misnis, & Gemaris tituli *Sanhedrin* cap. 1. & tit. *Rosh Haschana* cap. 1, 2. &c. & glossis, & commentariis in easdem, uti & ad Exod. cap. xii. in *Pirke*, seu capitibus Rabbi Eliezer, apud Mosem Maimonidem in tractatu *Kidush Hachodesh*, cap. 1, 2, &c. usque in 5. & diem 11, &c. & in eis quae ibi fusius adnotantur; apud Mosem Mikotzi in Praec. Affirm. 47. Jacob Ben Ascher in *Arba Turim* libro *Orach Chaim*, cap. 427. ut scriptores congeneres, sed notae minoris, praetermittam.

CAP. III.

De anno communi, atque mensium, partim cavorum partim plenorum duodecim in eo dispositione, & phasis lunaris usu, ac neomeniis, juxta Talmudicos.

ANnus civilis, juxta Talmudicos, aut שנה פשוטה, seu *annus communis* erat, aut מעוברת, seu *intercalaris*, Communem implebant menses duodecim, qui aut חסרים seu *cavi* fuere, aut מלאים seu מעוברים quod sonat *pleni*, seu *intercalares*; id est, aut dierum 29, aut 30. Neque enim ullum admittunt fuisse aliud mensis genus. Cavos autem, & plenos, non ex certa aliqua in se redeuntis, ac sui semper similis (quemadmodum in computo nostro, quem ecclesiasticum vocant) cycli ratione, aut praescripto stabili faciebant. Nec omnino praenosci quidem potuit cavus an plenus mensis aliquis foret ante ipsum mensis exitum, saltem proximantem. Neomeniam enim civilem docent fuisse semper, aut ipsam lunarem, post synodum, seu neomeniam naturalem, phasin, seu הראיה vocant, id est *visionem*, aut initium, seu tempus vespertinum diei trigesimi primi a proxime antecedentis, seu elabentis mensis neomenia civili putati. Quemadmodum & de Arabibus, quoad phasin, Alfraganus; *Voluerunt*

[f] Videsis Jos. Scal. de Emend. Temp. lib. 2. pag. 143. [g] Seder 1. cap. 12. [illegible] [h] Eliah Ben Mosch seder 1. cap. 15. [i] Londini 1642. [k] Genes. i. 14. [l] Ibid. cap. vii. & [illegible] [m] Exod. xii. [illegible] [n] Ibid. xxiii. 15. [o] Num. x. 10. & xxviii. 11.

Arabes,

Arabes, a vespera diem auspicari, quoniam a phasi lunari, incipiunt numerare dies mensium. Sub exitum igitur mensis cujuslibet, sive a phasi lunari, id est visione figurae ejus corniculantis, proxime praecedenti, sive a die postremo (qui semper, aut trigesimus erat, aut vigesimus nonus) superioris mensis numerati, diligentissime advertebatur, utrum in vespera, quae mensis elabentis diem 29 secuta, trigesimum inchoabat, luna e radiis solaribus emersa conspiceretur, nempe an post interlunium phasis eis extaret tunc lunaris. Si phasis sic haberetur, solenni acclamationis more sanctificata neomenia, cavum faciebant mensem ex diebus illis 29 jam elapsis, a phasi illa proximum auspicantes; sin phasis eo tempore nulla, tunc adjecto die sequente, seu trigesimo, plenus fiebat mensis, seu dierum triginta, adeo ut neomenia civilis insequens in vespera diei proximi, seu trigesimi primi a proxime superioris mensis neomenia numerati (nulla phaseos, in illa, habita ratione) initio collocanda foret. Id quod de phasi dictum est, perpetuo, quoties habita est, juxta eos obtinuit. Quod vero de vespera trigesima phasi carente regulariter pronuntiant, exceptiones recipit aliquas. Nempe quoties constituisset illis, qui calculo huic praefuere (de quibus mox) turbatum, aut incommode nimis dispositum iri anni praesentis rationem, si juxta frequentiam lunaris post synodum tempore suo (id est die 30) phasis defectus per aërem nubilum, aut imbres, aliasve ob causas accidentem, menses praeteritos plenos facerent; integrum eis erat, usuque receptum pro arbitrio tam cavos facere quam plenos, eosque, sive continuos, sive alternos. Sed nullam aiunt sanctificationis acclamationem accessisse neomeniae, seu mensis initio praeter illud, quod a phasi, ut diximus, est designatum. Id est a luna tempore suo, seu trigesimi diei vespera, seu initio in coelis conspicua. Cavos autem tunc maxime inseruere, quando ex astronomico calculo dignoscerent phasin (qua de re plura inferius) haberi potuisse, utcunque ab aëris caligine impediretur. Mensium plenorum numerus sic ex arbitrio eorum, qui huic rei praeerant pendens, ita ab ipsis coërcebatur, laxabaturque, ut nec pauciores quam quatuor, nec plures quam octo, interponi ullo in anno communi regulariter decernerent. Verba sunt Misnae [a];
א׳; פוחתין מארבעה חדשים המעוברים בשנה ולא נראה יותר על ח
quod tantundem sonat. Medius autem numerus, seu phases sex, adeoque menses sex cavi, totidemque pleni, annum lunarem naturalem (horis demptis aliquot, & minutis, quae insuper accedunt) conficiunt, id est dies 354. Ex adjectione vero, qualem diximus, sive plurium plenorum, sive pauciorum, crescebat, minuebaturque variatim annus communis, ut in subjecta tabella.

Menses	Pleni 4 Cavi 8	Pleni 5 Cavi 7	Pleni 6 Cavi 6	Pleni 7 Cavi 5	Pleni 8 Cavi 4
1 Nisan	29	30	29	30	30
2 Jiar	30	29	30	29	29
3 Siwan	30	29	29	29	29
4 Tamuz	29	30	30	30	30
5 Ab	29	29	29	29	30
6 Elul	29	30	30	30	30
7 Tisri	30	29	29	29	29
8 Marchesvan	29	29	30	29	30
9 Casleu	29	29	29	30	30
10 Tebeth	30	30	30	30	29
11 Sebat	29	29	29	30	30
12 Adar	29	30	30	30	30
Dierum summa	352	353	354	355	356

Ita intra hosce terminos regulariter vagabatur juxta Talmudicos annus communis. Nec exceptio adjicienda, nisi quoties, aut numerosiores forte phases cavos plures quam octo forte inducerent, aut necessitas aliqua anni extra ordinem intra suos cancellos retinendi accideret.

CAP. IV.

De mensium legalium initiis, seu neomeniis juxta Judaeos Scripturarios. Eorum item sententia de cavis, ac plenis, horumque numero in annum communem admittendo.

ELiah ille Ben Moseh, Judaeus scripturarius, caput [a] habet בחדוש התורה ועת תחלתו *de novilunio*, seu *mense legali, & tempore quo incipit*, Id est, de mense Judaeorum veteri, ejusque principio. Opiniones aliquot, & argumenta recitans ad hunc modum tandem concludit סוף דבר חדשי התורה דבם חדשי לבנה והטעם חדוש הלבנה והראותה בפאת מערב כפי מה שנודע לנו מקבל הירושה ומהקש כח הדבור ורזה הסכימו חכמים כלם כלם ב״ה וכ״מ *Ita plane statuendum est, menses legis esse lunares rationemque novilunii*, seu *mensis initii in luna, ejusque phasi in plaga occidentali esse positam, quantum scilicet intelligere possumus ex iis quae haereditario* (per interpretationes avitas) *accepimus, aut diligentius quaerendo edidicimus. Atque hac de re consentiunt, tum traditionales Judaei, tum scripturarii.* Consensere nimirum ita, ut

[a] Tit. Eracin cap. 2. §. 2.

[a] Sedei 1. cap. 5.

haec

haec utrisque pariter esset sententia receptissima de neomeniarum & mensium veterum, illa in ecclesia seu republica, ratione. Etenim subdit multiplicia quidem hac de re placita fuisse, atque sapientes, seu theologos, & jurisconsultos Judaeorum opinionum, ut fieri amat, varietate subinde esse distractos, dum ab ipso luminarium coitu alii, alii a tempore quo radiis solaribus occultari primo coeperit luna, alii aliter mensem auspicandum esse voluerint. Sed vero inquit חכמינו קיימו הדעת האומרת שהתחלת החדש הוא משעה שתראה אחרי בא השמש *amplexi sunt sapientes nostri sententiam illam qua definitur neomeniae initium esse, a tempore quo conspicitur luna post solis occasum*, id est post crepusculi finem, quod occasum solis sequitur. Nam caput habet integrum בקדש החדש על פי חכמי קראים [b] *de sanctificanda neomenia juxta disciplinam scripturariorum*; ubi quod ante de die inchoando docuerat repetens scilicet initium ejus, & vesperae illius, quam tertiam vocant idem esse, seu, מתחלת הערב השלישי *ab initio vesperae tertiae* diem semper incipiendum (scilicet tres juxta receptas etiam sectae sententias, facit vesperas, primam ab occidente sole ad occasus finem, secundam tempus crepusculi, tertiam tenebrarum initium, seu momentum quo finitur crepusculum) pergit, והוא עת התחלת החדש והנה בשעת ההיא אם יראה החדש מקדשים היום ההוא *atque hoc tempus est initii neomeniæ, quo si phasis habeatur, diem, cujus hoc initium est, sanctificare solent*. Atque alibi [c] quidem de hujusmodi diei, seu vesperae tertio initio verba faciens ait Talmudicis illud plane ante ignotum se eorum nonnullis ostendisse, ac assensum ea de re ab eis extorsisse. Atque inquit [d] Eliah noster Ben Moseh אמרו החכמים עשה ירח למועדים שמש ידע מבואו והטעם עשה ירח למועדים בעת ביאת השמש והוא תחלת הערב השלישי והטעם שהתחלת החדש הוא מערב השלישי שהוא מבוא השמש *Dicunt sapientes*, illud [e] *lunam fecisse* (numen) *in solennitates* seu stata variatim per menses tempora) *& solem suum noscere occasum, denotare, lunam facere solennitates tempore occasus solis* (finiti) *quod principium est vesperae tertiae; atque initium neomeniae, seu mensis esse ab vespera tertia, quoniam tunc finitur occasus solis*. Hisce de neomeniis juxta scripturarios traditis, quae cum aliis capite hoc allatis nec Talmudicorum disciplinae sunt, si circumstantias aliquot satis exiguas demas, dissonae (nam quae gravioris sunt in utriusque sectae dissensu circa temporis calculum momenti seorsim mox dabimus) monet etiam idem Eliah שאין לך חדש פחות מכ"ט יום ולא יותר על שלשים *non esse mensem cui pauciores quam dies 29, nec cui plures quam 30*. Quod non minus scripturariis, quam Talmudicis receptissimum. Illi etiam non minus quam hi cavos menses חסרים & plenos מלאים nuncupant, adjiciuntque אין ראוי לעשות חדש חסר ולקדש יום שלשים אלא בראייה אמנם לעשות חדש מלא שלשים יום ולקדש שלשים באחד אין צריך בראייה *non oportere mensem facere cavum, ad diem sanctificare tricesimum sine phasi lunari. Sed vero ut fiat mensis plenus dierum triginta, & sanctificetur dies trigesimus primus, phasi opus non esse*. Ubi sanctificationem sine phasi adhibendam esse, contra quam Talmudici, admittunt, qua de re etiam mox plura. Quod vero ad variam mensium, sive cavorum, sive plenorum interpositionem attinet, sapientum sectae suae doctrinam aiunt esse, quoties per aëris nubila pluribus continuis mensibus phasis haberetur nulla, fas esse continuos inde facere plenos menses, seu triginta dierum singulos modo quatuor non excederent. Plures enim simul admittendos regulariter negant, argumento etiam ex illo, quod de Noacho dicitur sumpto. *Mense secundo* [f], *in die 17 mensis ingressus est, &c. in arcam*, & dein *in mense 7, die 17 ejusdem mensis arca quievit super montem Ararat*; interjecto illo, *& coeperunt aquae minui* מקצה חמשים ומאות יום *a fine centum, & quinquaginta dierum*, qui fuit 17 dies mensis septimi. Unde ad hunc modum putant. A 17 die Jiar, seu mensis secundi, ad 17 diem Tisri qui septimus est, utrinque inclusivi sunt dies 151, si menses illos singulos quinque plenos admittas. Quoniam vero temporis illius spatium unico die minus in textu sit, id est dierum 150, quorum postremus est ipse dies quo arca quievit, adeo ut excluso termino primo, seu 17 Jiar, restent dies 149 pro mensibus quinque sequentibus, ideo necessum esse aiunt ex hisce quinque unicum fuisse cavum, seu dierum 29. Quod quidem verum esse nemo non videt, qui calculum cum eis eundem admittat. Exemplum sic sibi hinc sumunt quatuor plenos faciendi etiam continuos, nec plures, quia in exemplo plures non habentur. Sed nec in exemplo quatuor fuisse continuos liquet, sed liquet potuisse esse continuos, nec in contrarium quid constare. Et lunares hinc menses tempore Noachi fuisse volunt; quia si solares, tunc dies hi quinque mensium pauciores non extitissent quam 152, quoniam annus solaris est dierum 365 & $\frac{1}{4}$ praeter partem unicam partium diei 360, ut aiunt ipsi. Cavos autem menses continuos superare nolunt hi numerum ternarium. Et tribus per phases continuis admissis חנה מן החיוב לעשות הרביע מלא *necessum esse* volunt *quartum fieri plenum*. Scilicet quoties ex arbitrio, juxta quod & aiunt Talmudici, sive cavi faciendi, sive pleni. Atque ex mensibus hujusmodi cavis, & plenis duodecim, annum sibi faciunt communem, quemadmodum, & Talmudici, & veterem, seu legalem hunc constanter etiam cum illis asserunt.

CAP. V.

De anno intercalari, seu cui adjectus est mensis decimustertius, nunc cavus nunc plenus. Atque de intercalandi causis variis, incertissimisque.

Intercalari anno menses fuere tredecim. Scilicet Adari qui postremus est in anno communi, adjiciebatur in intercalari, alter Adar mensis, Adar secundus, uti & ואדר *Veadar*, seu & *Adar* vocitatus, cujus initium, & finis similiter, ut de anni communis mensibus ante dictum est, constituebantur. Nec pro alia ratione, aut cavus fiebat mensis hic adjectus, aut plenus. Unde evenit ut quoties cavus esset, annus intercalaris minimus ex diebus constaret 381, maximus ex 385,

[b] Seder 1. cap. 11. [c] Seder 1. cap. 29. [d] Ibidem cap. 11. [e] Psal. civ. 19 [f] Genes. vii. 11. & 13.

quoties

quoties plenus minimus haberet dies 382, maximus 386; intervenienteſque ſuos pariter auctos minutoſve numeros, ut hic ob oculos;

Anni comm. dier.	352,	353,	354,	355,	356.
Menſis adjectitius ſeu Adar ſecundus	29	29	29	29	29
Dierum ſumma	381	382	383	384	385

Si plenus adjiceretur Adar, unitate auctus quilibet hic numerus anni pariter intercalaris quantitatem exhiberet. Ratio intercalandi hujus menſis, unde fieret annus menſe integro auctior (nam aut menſis integer anno aut nihil omnino intercalatione adjiciebatur) ex eo pendebat, quod feſta ac ſolennitates, veluti paſcha, pentecoſte, ſcenopegia, dies expiationum, aliae, juſto ſeu congruo anni naturalis, ſeu ſolaris tempore & juxta praeceptum qua fieri poſſet divinum rite celebranda ſunt. Quod evenire nequibat niſi ſic augeretur ob notiſſimum undecim fere dierum exceſſum anni ſolaris, ſubinde annus lunaris, ut menſes ejus, quatenus a numero denominarentur, commodius anni ſolaris tempeſtatibus reſponderent. Clavis hic erat praecipua, atque index anni totius diſponendi paſchatis feſtum. Hoc enim rite collocato, reliqua ſuos conſequenter ut haberent locos feſta ſatis idoneos, neceſſum erat. Paſcha (primum ſcilicet, nam ſecundum, quod menſe Jiar, ſeu ſecundo celebrandum, ex primi tempore omnino pendebat) immolandum erat die xiv Niſan, ſeu primi [g] menſis deſinente, dieſque feſtus xv, & inſequentes aliquot variatim celebrandi; id eſt, tempore Abib [h], ſeu matureſcentium frugum in dierum menſtruorum calculo ſic a numine conſtituto. Et recte quidem aiunt לולי תוספת החדש הזה הפסח בא פעמים בימי החמה ופעמים בימי הגשמים *niſi adjiceretur menſis ille* (Adar ſecundus) *paſcha* (quod in tempore verno ſemper celebrandum ex inſtituto numinis) *nunc tempore aeſtivo, nunc item hyberno accideret*; quod nemini non manifeſtum: tempus autem illud feſtivum non incipiendum, ex receptiſſima a majoribus traditione ſtatuerunt, niſi plane conſtaret aequinoctium vernum, quam Tekupham Niſan appellant, aut poſtero immolationi die, aut ante eventurum; adeo ut, niſi praeſcirent, ſi annus elabens communis foret, ſeu duodecim tantum menſium, aequinoctium in ratione temporum, aut ante diem xv Niſan, ſeu primi menſis anni imminentis, aut eodem die confectum iri, annum elabentem intercalarem facerent, ſeu menſium tredecim, ut inde Niſan imminentis anni ſurſum protruſus, vicem ejus Adare ſecundo occupante, commodum in diebus ſuis praeberet paſchati locum, ſeu tempus quod, aut aequinoctium ſequeretur, aut non aliter atque dictum eſt anticiparet. Hinc aiunt hoc fieri ſolitum כדי שיהיה הפסח בזמן האביב ועל סימן זה סומכין ומעברין ואין חוששין למימן *ne ſcilicet non celebraretur paſcha tempore Abib*, ſeu *matureſcentium frugum*, id eſt ſuo. Atque rationi huic ita ſubnitebantur, ut abſque ulla alia annum intercalarent. Etenim aliae fuere cauſae, eaeque ferme triplices; ut, ſerotina frugum, agnorum, hoedorum maturitas; itinerum ad urbem ducentium incommoda, veluti pontes diffracti, aquarum colluvies, viae coenoſae; & minime idoneus fornacum Hieroſolymis agnis paſchalibus aſſandis ſtatus. Etiam cauſas ob haſce ſub exitum anni elabentis praeviſas, adjectitium ſeu intercalarem adhiberi voluere menſem, ne ſcilicet per aliqua horum incommoda deeſſet quid paſchati feſtiſque inſequentibus vernis omnino neceſſarium. Frugum autem, ac vernantis temporis ſtatus conſiderabatur in regionibus illis tribus, Judaea, Tranſjordanina ac Galilaea. Si in harum duabus ſerotina praevideretur ſub exitum anni maturitas, intercalabatur annus; non item, ſi in earum unica aliqua. Quin & aliae fuere ſubinde nec minus incertae intercalandi cauſae, pro arbitrio eorum qui huic rei, uti mox dicetur, praeerant. Atque ita quidem Talmudici. De cauſis his non video ſatis conſentire ſcripturarios. Sed plane in hoc conſentiunt, quod intercalatio menſis ideo fuerit adhibenda, ut menſis primus tempore Abib, ſeu verno perpetuo haberetur; quo ſcilicet tempore rerum conditum, ſeu initia ponunt [i], non in autumno, ut fere Talmudici. Menſes non dubitant ſcripturarii, in lege lunares fuiſſe, annum autem, cujus ad rationem ipſi diſponendi, ſolarem. Et Eliah noſter [k], והנה מפני ששנת השמש מוסף על שנת הלבנה עשרה ימים ועשרים ואחת שעות וראשונים, הנה מפני זה ראוי לנו לפעמים לעשות שנה משלשה עשר חדשים עד שיהיה האביב בחדש הראשון כפי מה שאמר הכתוב שמור את חדש האביב כדי שתתחוינה שנות החמה עד שנות הלבנה *& vide quoniam annus ſolaris excedit lunarem diebus* 10, *& horis* 21 *praeter minutias aliquot, ideo ſubinde oportet annum facere menſium tredecim, ut inde habeatur Abib*, ſeu *tempus vernum menſe in primo, juxta id, quod legitur in ſcriptura*, [l] cuſtodi menſem Abib, ut ſcilicet ita ſatis adaptentur invicem anni ſolares, ac lunares. Nec apud ſectam hanc omnino comperio rationem anni intercalandi ſeu menſe adjectitio augendi, fuiſſe aliam praeter eam, qua retinendus menſis primus ſeu Niſan, in tempore quotannis Abib ſeu verno, quo matureſcunt in terra ſancta fruges, ne ſcilicet deeſſet meſſis in lege memorata, unde primitiarum manipulus [m] coram domino ventilandus tempore paſchali decerperetur. Subtilia habent cum de tempore imminentis meſſis, ſeu frugum ibi matureſcentium exploratione, tum de ſignis, veluti ſpicis, germinibus, aliis quibus ea de re, ſive manifeſto ſive ex conjectura, eſſet decernendum. Sed ſummam eſſe ſtatuunt [n]; ſi ſub finem Adaris, ſeu menſis duodecimi האביב היה נמצא היו מקדשים החדש הבא חדש ראשון ואם לאו היו מעברים אותו אדר שני *compertum eſſet fruges matureſcere, ſanctificandum eſſe menſem inſequentem pro menſe* (anni proximi) *primo. Sin vero, menſem illum inſequentem pro Adare ſecundo, ſeu adjectitio habendum*; adeoque annum fieri intercalarem, ſeu menſium tredecim. Nec aequinoctii verni, ſeu Tekuphae Niſan, ſectae huic ratio quantum video (qua aequinoctium, ſeu Tekupha) omnino habita.

[g] Exod. xii. 6. [h] Exod. xiii. 4. Levit. xxiii. 5. Deut. xvi. 1. [i] Eliah Ben Moſeh Sed. 1. cap. 18 42. & vid. Exod. xii. 2. [k] Ibidem cap. xviii. [l] Deut. xvi. 1. [m] Levit. xxiii 10. & vide Exod. xxiii. 15. [n] Eliah Ben Moſeh Seder 1. cap. 37.

CAP. VI.

Specimina annalis incertiſſimaeque, ob cauſas jam dictas, intercalationis.

Quonam temporis momento, aut die incertorum, atque in ſe aequabiliter recurrentium annorum, veluti AEgyptiorum, aut Julianorum calculo, ſic dictam intercalationem collocarint mathematici veterum Judaeorum, mihi ſatis non eſt compertum. Neque ea de re ſunt, aut inter ſe, aut ſibi ipſis ſatis concordes viri magni, qui in temporum magiſtris apud chriſtianos ducunt familiam. Quocunque autem die ſtatuendum juxta illos fuerit calculi annalis ratio pariter ex dato aliquo, ſeu ficto (qui & forſan verus fuerit) die luculenter conſtabit. Nam ſi calculus annalis apud chriſtianos quaereretur, ejuſdem ratio omnimoda intelligi nunc poſſet tam ex aequinoctio verno in xxi Martii Juliani (ubi plane non eſt) quam in x ejuſdem ubi revera reperitur admiſſo, utcunque alia, atque alia forent ex diſcrimine ejuſmodi ipſiſſima anni initia. Ut igitur ſpecimen intercalandi, juxta Talmudicos, Adar ſecundi ob oculos ponatur; detur primo eodem die, qui reſpondet xxv Martii Juliani collocatum fuiſſe priſcis, in ſeculo quod natalibus Chriſti propius eſt, Judaeis aequinoctium vernum; quod quidem vero ſatis eſt conſonum. Detur dein Niſan menſis initium ſeu neomeniam, id eſt, ſive phaſin ſive trigeſimum primum ab antecedente neomenia civili, ſeu initio praecedentis menſis diem incidiſſe aliquo in anno, in Martii Juliani diem xxiii. Et demum ab hiſce velut epochis exempli gratia datis ſatiſque certis dinumerentur neomeniae, indeque dies, ac menſes Ebraici uſque in ſeptennium abſolutum, unde intercalandi ratio, juxta antedicta, fiet manifeſtiſſima; quae in tabella ſubſequenti oſtenditur. Ubi item cavorum neomeniae minio, ut horum a plenis diſcrimen facilius oculis pateat, notantur.

	Annus I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.
1 Niſan	Mart. 23	Mart. 12	Mart. 30	Mart. 19	April. 8	Mart. 28	April. 16
2 Jiar	April. 21	April. 10	April. 28	April. 17	Maii 7	April. 26	Maii 15
3 Siwan	Maii 21	Maii 10	Maii 28	Maii 17	Junii 6	Maii 26	Junii 14
4 Tamuz	Junii 19	Junii 8	Junii 26	Junii 15	Julii 5	Junii 24	Julii 13
5 Ab	Julii 19	Julii 8	Julii 26	Julii 15	Aug. 4	Julii 24	Aug. 12
6 Elul	Aug. 17	Aug. 6	Aug. 24	Aug. 13	Sept. 2	Aug. 22	Sept. 10
7 Tiſri	Sept. 16	Sept. 5	Sept. 23	Sept. 12	Oct. 2	Sept. 21	Oct. 10
8 Marcheſwan	Oct. 15	Oct. 4	Oct. 22	Oct. 11	Oct. 31	Oct. 20	Nov. 8
9 Caſleu.	Nov. 14	Nov. 3	Nov. 21	Nov. 10	Nov. 30	Nov. 19	Dec. 8
10 Tebeth	Dec. 13	Dec. 2	Dec. 20	Dec. 10	Dec. 29	Dec. 18	Jan. 6
11 Sebat	Jan. 12	Jan. 1	Jan. 19	Jan. 9	Jan. 28	Jan. 17	Feb. 5
12 Adar	Feb. 10	Jan. 30	Feb. 17	Feb. 8	Feb. 26	Feb. 15	Mart. 6
13 Adar ſecundus		Mart. 1		Mart. 9		Mart. 17	

Praefixis hic ſuo in ordine duodecim menſibus, cum decimotertio item ſeu Adare ſecundo; monendum eſt, cuilibet anno, praeter quartum, tribui menſes totidem alternatim cavos & plenos. Niſan ſcilicet eſt dierum 29 a 23 die Martii incluſive ſeu neomenia ſua incipiens: verbi gratia, in anno primo, Jiar, ſeu menſis ſecundus dierum 30 incipiens itidem Aprilis 21; quale de reliquis dicendum in eodem anno, uti & in ſecundo, tertio, quinto, ſexto, & ſeptimo. Quartus vero, quem & biſſextilem hic admiſimus, habet plenos menſes octo; τοῖς Caſleu, & Sebat nono ſcilicet, & undecimo, diebus triginta tributis, cum in ordine alternativo 29 tantum, ut cavi caeteri, habeant. Quae omnia ex diebus menſium Julianorum ſingulas neomenias denotantibus facile dignoſcuntur. Ex annis illis ſeptem, quatuor ſunt communes, tres intercalares; ut liquet ex Adare altero annis ſecundo, quarto, ſextoque ſubnexo. Communes quatuor, videlicet primus, tertius, quintus & ſeptimus; habent ſinguli dies 354, qui ex 6 plenis, totidemque cavis conflantur. Secundus menſe cavo auctus, dierum eſt 383, uti & ſextus menſe pleno, 384. Quartus vero cum Adarem habeat ſecundum plenum, atque praeterea octo ejuſmodi menſes, dierum eſt 386. Atque ſic variatim annum ſuperant lunarem. Jam vero vides, ſi neomenia Niſan incideret in 23 Martii, ut in anno primo, decimum quartum ejuſdem menſis reſpondiſſe diei 5 Aprilis, atque tunc paſcha rite immolandum, indeque feſta annua ordinanda. Retrocedente dein neomenia Niſan anni proximi in diem Martii 12, dies ejuſdem 14 fit Martii 25, qui ipſe eſt quo (ut ſupra admiſſum) conficitur aequinoctium vernum. Quod quoties per menſium diſpoſitionem eventurum praeno-

praenoscerent, qui huic rei praeerant, paschatis causâ annum praesentem non faciebant intercalarem. Quamdiu enim ita fieret ut citra decimum sextum diem Nisan, id est, aut in tempore immolationis, aut in die festi paschalis primo, qui dies erat insequens seu decimus quintus, aut ante, aequinoctium accideret, pascha tempore suo citra intercalationem servari potuisse, non dubitabant. Atqui si annus hic secundus communis esset, id est die 28 Februarii desineret (sic enim evenire palam est ex eo, quod neomenia Adar hujus anni, mensis pleni, est 30 Januarii) tunc neomenia Nisan anni tertii, seu sequentis foret in Martii primo, adeoque dies 14 Nisan (qui sic diei 14 Martii responderet) aequinoctium vernum (seu Martii vigesimum quintum) diebus undecim anticiparet, quod nullo pacto ferendum. Igitur paschatis anni tertii causa, adjiciendus erat Adar secundus, sive plenus, sive cavus (cavum hic nos fecimus) unde fieret ut die 30 Martii Juliani annus ille tertius seu ejusdem Nisan mensis inciperet, adeoque paschatis festum, in Aprili, seu post aequinoctium rite celebraretur. Desinente vero anno hoc tertio die Martii ut vides 18, paschatis insequentis seu anni quarti (quod in Aprilis initia sic etiam protruditur) causa, intercalatione opus non fuisse ex jam dictis liquet. At anni quarti exitus, si communis foret, dies esset Martii octavus adeoque neomenia Nisan anni sequentis, seu quinti incideret in Martii 9. Quod si fieret, 14 Nisan in eo esset 22 Martii, unde sequeretur aequinoctium respondere 17 diei Nisan, & paschatis immolationem illud nimium, juxta jam dicta, anticipaturam. Ideo Adar secundus etiam hic adjectus. Annus sextus inde rite dispositus, & in 16 Martii (si communis esset) desinens, paschatis simpliciter insequentis anni causa plane intercalandus non erat. Nam ipsa neomenia Nisan anni proximi sic fuisset 17 Martii, adeoque 14 Nisan Martii 31, seu diebus sex post aequinoctium. At vero fingimus hic serotinam fructuum maturitatem praevisam, itinerum incommoda, fornacum defectus, alia ejusmodi quorum causa pro arbitrio qui rei praeerant, intercalatione annali usi sunt; unde & exempli causa accedit Veadar, seu Adar alter plenus. Inde etiam intercalaris fieri potuit annus hic septimus, qui tamen sic disponitur ut paschatis futuri causa (quippe quod manifesto incidit in Aprilem) intercalationi locus sit in eo nullus. Juxta has autem rationes, intercalares faciebant, idque pro arbitrio, sive continuos, sive intermissos.

CAP. VII.

De calendario veterum Judaeorum, juxta antedicta. Dissidium inter traditionales, & scripturarios de pentecostes epocha. Calendarium integrum cum festis, solennitatibus, & jejuniis omnimodis, eorum annis ita, ut dictum est, vagis incertissimisque satis inserviens.

QUum igitur festorum, solennitatum, ac jejuniorum statorum genus fuerit duplex; alterum hebdomadarium, seu quod in septenarium dierum numerum perpetuo recurrebat, ut sabbata, quae diebus saturni respondent, & jejunia vetustissima [a] feriae secundae, & quintae, (de quibus illud Pharisaei [b] intelligendum, jejuno bis in sabbato, id est, in hebdomada qualibet) alterum menstruum, seu quod mensium diebus, aut expressim assignatum aut inde solummodo pendens, juxta mensium rationem & dispositionem, locos in temporum serie obtinebat; palam est, ex jam ante ostensis, festa ac jejunia omnimoda generis secundi aliter, atque aliter, ac perquam diversimode in annis, ac mensibus Julianis, AEgyptiacis, aliisve solaribus certo cyclo redeuntibus, se habuisse, tametsi eundem ipsum dierum in mensibus Judaicis numerum cuncta (modo pentecosten, ratione statim dicta, excipias) nunquam non sortirentur. Pentecoste autem, seu festum septimanarum (quod generis secundi appellamus, quoniam ex menstruo paschatis loco pendet) in mensem tertium, seu Sivan perpetuo incidebat; ita tamen, ut necessario nunc diem ejusdem quintum, nunc sextum, nunc septimum juxta Talmudicorum calculum, secundum scripturarios vero etiam alios dein ejusdem mensis dies occuparet. Scilicet lex sacra ubi de paschate loquitur, enumerationem dierum illorum quinquaginta [c] instituit ממחרת השבת *a crastino sabbati.* Id paraphrastes Onkelos vertit מבתר יומא טובא *post diem festum*, & Chaldaeus ille alter מבתר יומא טובא קמאה דפסחא *post diem festum primum paschatis*; Graeci in exemplaribus nonnullis ἀπὸ τῆς ἐπαύριον τῆς πρώτης τῶν σαββάτων *a die postriduano primae diei sabbatorum* (τῆς πρώτης, seu *diei primae* in aliis omisso) Judaei Mauritanienses, uti & Saadias Gaon من غد العطلة *postriduano die diei festi*; Judaei Hispanienses, *del otro dia de sabbath*, uti & vulgatus *ab altero die sabbati*, & tum Arabs nuper Romae cum vulgata editus, tum penes me Arabs vetustus MS. من بعد يوم احر *a die altero.* Jam vero Talmudici hic sabbatum sumunt, pro ipso paschatis festi primo, seu xv Nisan. Glossa ad legem illam sacram [d], ממחרת שבת ממחרת יום טוב הראשון של פסח שאם אתה אומר שבת בראשית אין אתה יודע איזהו *a crastino sabbati, id est, a crastino diei festi primi paschatis. Nam si intellexeris hic sabbatum creationis, undenam cognosces, quinam dies sabbati ille fuerit.* Hinc illis discrimen illud triduanum in pentecoste diebus Sivan mensis assignanda. Nam quo in anno Nisan, & Jiar fuerint utrique pleni, quintus Sivan illis erat pentecoste; quo utrique cavi septimus; & demum, quo alter plenus, alter cavus sextus. Scripturariis vero sabbatum ibi, seu festus dies, cui crastinus est hic pentecostes epocha, non pro paschali aliquo die, qua paschalis erat, sumitur, sed pro sabbato בראשית *creationis*, uti & ipsi nuncupant, id est die saturni illo, qui pascha proxime sequitur. Eliah noster Ben Moseh in praefatione ad Seder de festo septimanarum, ראוי inquit לנו לפרש תחלת מחרת השבת אם הוא כדברי בעלי המקרא שאמרו שהוא מחרת שבת בראשית ואם שהוא כדברי ב"ה שאמרו שהוא מחרת יום טוב *operae pretium erit nobis explicare unde crastinus dies sabbati* (in lege

[a] Maimonides Hal. *Thainijoth*, cap. 1. §.5, &c. [b] Luc. xviii. 12. [c] Levit. xxiii. 15. [d] ỳ.11.

sacra)

sacra) *sit auspicandus*; *an juxta scripturarios, qui volunt crastinum illum fuisse diem sabbato creationis postriduanum, an juxta traditionales, seu Talmudicos, quorum sententia est crastinum illum esse diei festi*, seu *primi paschatis*. Ita juxta hos etiam in 8, 9, 10, & ulterius protrudi potuisset pentecoste. At vero nemo non videt ex jam dictis, calendarium haberi potuisse apud eos nullum, quod anni, seu mensium prognostici vicem gereret, sed ejusmodi tantum quod historicum esset, aut temporis praeteriti index. Quale exempli gratia infra formavimus anno septennii, quod supra finximus primo, seu mensium alternatim cavorum & plenorum duodecim, anno. Hoc autem non solum huic, sed & annis septennii reliquis, aliisque omnimodis apud eos congeneribus ita est accommodum, ut festorum, ac jejuniorum loca singula hic signata (pentecoste ob rationem jam ante redditam excepta) nulli eorum anno non pariter, ac perpetuo conveniant. Ita autem formatum est, ut non menses solum sed & hebdomadas adeoque dierum septem periodum, & sabbata inde, & jejunia pendentia, id est omnimodas, sive ex lege sacra, sive ex scitis majorum solennitates satis exhibeat. Numeros, seu literas Ebraicas adjecimus, uti & vocabula aliquot Ebraica, festa & jejunia denotantia, quae solum sumpta formam ostendunt calendarii quod Judaeis, cum veteribus tum inclinantis illius reipublicae aevi, non incommode semper inserviret. Haec autem figuris arithmeticis & vocibus Latinis explicantur; ratione etiam pauculis adjecta, & in margine historia sacra, aliisque subinde, quae huc lucem afferant indicatis. Sed en tibi calendarium ipsum, cujus in quolibet mense columna prima & tertia, mensium dierum series est, secunda & quarta hebdomadum; quarum singularum dies 2 & 5 jejunium est hebdomadarium. Numeri vero miniati festa & jejunia, solennitatesque reliquas certis mensium diebus assignatas, denotant.

ניסן חסר א Nisan Cavus I.					אייר מלא ב׳ Jiar Plenus II.				
א	א	1	1	צום *Jejunium.* Mortui sunt filii [a] Aaron.	א	ב	1	2	
ב	ב	2	2		ב	ג	2	3	
ג	ג	3	3		ג	ד	3	4	
ד	ד	4	4		ד	ה	4	5	
ה	ה	5	5		ה	ו	5	6	
ו	ו	6	6		ו	ז	6	7	
ז	ז	7	7		ז	א	7	1	
ח	א	8	1		ח	ב	8	2	
ט	ב	9	2		ט	ג	9	3	
י	ג	10	3	צום *Jejunium.* Moritur Miriam soror [b] Mosis.	י	ד	10	4	צום *Jejunium.* Moritur Eli pontifex [f] capta arca.
יא	ד	11	4		יא	ה	11	5	
יב	ה	12	5		יב	ו	12	6	
יג	ו	13	6		יג	ז	13	7	
יד	ז	14	7	פסח *Pascha* [c] immolatum, & dein dies Azymorum septem.	יד	א	14	1	
טו	א	15	1		טו	ב	15	2	
טז	ב	16	2	מחרת השבת *Crastinus dies sabbati* [d], unde festum septimanarum, seu pentecoste putanda; juxta Talmudicos.	טז	ג	16	3	
יז	ג	17	3		יז	ד	17	4	
יח	ד	18	4		יח	ה	18	5	
יט	ה	19	5		יט	ו	19	6	
כ	ו	20	6		כ	ז	20	7	
כא	ז	21	7		כא	א	21	1	
כב	א	22	1	מחרת השבת *Crastinus* ille *dies sabbati* juxta scripturarios, seu Karaitas.	כב	ב	22	2	
כג	ב	23	2		כג	ג	23	3	
כד	ג	24	3		כד	ד	24	4	
כה	ד	25	4		כה	ה	25	5	
כו	ה	26	5	צום *Jejunium.* Moritur [e] Josue Ben Nun.	כו	ו	26	6	
כז	ו	27	6		כז	ז	27	7	
כח	ז	28	7		כח	א	28	1	צום *Jejunium.* Moritur Samuel [g] propheta.
ט	א	29	1		כט	ב	29	2	
					ל	ג	30	3	

סיון חסר ג Siwan Cavus III.					תמוז מלא ד׳ Tamuz Plenus IV.				
א	ד	1	4		א	ה	1	5	
ב	ה	2	5		ב	ו	2	6	
ג	ו	3	6		ג	ז	3	7	
ד	ז	4	7		ד	א	4	1	
ה	א	5	1		ה	ב	5	2	
ו	ב	6	2	חג השבועות *Festum* [h] *septimanarum* seu *pentecoste*, juxta Talmudicos.	ו	ג	6	3	
ז	ג	7	3		ז	ד	7	4	
ח	ד	8	4		ח	ה	8	5	
ט	ה	9	5		ט	ו	9	6	
י	ו	10	6		י	ז	10	7	
יא	ז	11	7		יא	א	11	1	
ב	א	12	1	חג השבועות *Festum septimanarum* seu pentecoste, juxta scripturarios.	יב	ב	12	2	
יג	ב	13	2		יג	ג	13	3	
יד	ג	14	3		יד	ד	14	4	
טו	ד	15	4		טו	ה	15	5	
טז	ה	16	5		טז	ו	16	6	
יז	ו	17	6		יז	ז	17	7	צום *Jejunium.* Franguntur tabulae [k] legis. Cessat [l] juge sacrificium. Urbs fissa. Epistemon cremat librum legis. Ponit statuam in templo.
יח	ז	18	7		יח	א	18	1	
יט	א	19	1		יט	ב	19	2	
כ	ב	20	2		כ	ג	20	3	
כא	ג	21	3		כא	ד	21	4	
כב	ד	22	4		כב	ה	22	5	
כג	ה	23	5	צום *Jejunium.* Ob idololatriam & defectionem [i] tempore Jeroboami.	כג	ו	23	6	
כד	ו	24	6		כד	ז	24	7	
כה	ז	25	7	צום *Jejunium.* Occisus R. Simeon Ben Gamaliel, &c.	כה	א	25	1	
כו	א	26	1		כו	ב	26	2	
כז	ב	27	2	צום *Jejunium.* Combustus est R. Hanina Ben Tardion una cum libro legis.	כז	ג	27	3	
כח	ג	28	3		כח	ד	28	4	
כט	ד	29	4		כט	ה	29	5	
					ל	ו	30	6	

[a] Levit. x. 1. Num. iii. 4. [b] Num. xx. 1. [c] Exod. xii. & Levit. xxiii. [d] Levit. xxiii. [e] Jos. xxiv. 29. & Jud. ii. 8. [f] 1 Sam. iv. 11. [g] 1 Sam. xxv. 1. & xxviii. 3. [h] Levit. xxiii. 15. [i] 1 Reg. xii. 27, &c. [k] Exod. xxxii. 19. [l] Vide Machzor Magnum Venetiis, part. 1. fol. 94. b. & 95. b.

Ab

אב חסר ה׳ Ab Cavus V.					אלול מלא ו׳ Elul Plenus VI.				
א	ז	1	7	צום *Jejunium.* Moritur [a] Aaron Pontifex.	א	א	1	1	
ב	א	2	1		ב	ב	2	2	
ג	ב	3	2		ג	ג	3	3	
ד	ג	4	3		ד	ד	4	4	
ה	ד	5	4		ה	ה	5	5	
ו	ה	6	5		ו	ו	6	6	
ז	ו	7	6		ז	ז	7	7	
ח	ז	8	7		ח	א	8	1	
ט	א	9	1	צום *Jejunium.* Decretum contra [b] eos, quibus negatus est in terram sanctam ingressus Desolatio templi [c] utriusque.	ט	ב	9	2	
י	ב	10	2		י	ג	10	3	
יא	ג	11	3		יא	ד	11	4	
יב	ד	12	4		יב	ה	12	5	
יג	ה	13	5		יג	ו	13	6	
יד	ו	14	6		יד	ז	14	7	
טו	ז	15	7		טו	א	15	1	
טז	א	16	1		טז	ב	16	2	
יז	ב	17	2		יז	ג	17	3	צום *Jejunium.* Moriuntur exploratores [e] qui terram promissionis diffamaverant.
יח	ג	18	3	צוב *Jejunium.* Extincta est lucerna vespertina in diebus Ahaz.	יח	ד	18	4	
יט	ד	19	4		יט	ה	19	5	
כ	ה	20	5		כ	ו	20	6	
כא	ו	21	6		כא	ז	21	7	
כב	ז	22	7	קרבן העצים *Xylophoria* [d].	כב	א	22	1	
כג	א	23	1		כג	ב	23	2	
כד	ב	24	2		כד	ג	24	3	
כה	ג	25	3		כה	ד	25	4	
כו	ד	26	4		כו	ה	26	5	
כז	ה	27	5		כז	ו	27	6	
כח	ו	28	6		כח	ז	28	7	
כט	ז	29	7		כט	א	29	1	
					ל	ב	30	2	

כסליו חסר ט׳ Casleu Cavus IX.					טבת מלא י׳ Tebeth Plenus X.				
א	ו	1	6		א	ז	1	7	
ב	ז	2	7		ב	א	2	1	
ג	א	3	1		ג	ב	3	2	
ד	ב	4	2		ד	ג	4	3	
ה	ג	5	3		ה	ד	5	4	
ו	ד	6	4		ו	ה	6	5	
ז	ה	7	5		ז	ו	7	6	
ח	ו	8	6		ח	ז	8	7	צום *Jejunium.* Ob scriptam legem Graece, diebus Ptolemaei regis.
ט	ז	9	7		ט	א	9	1	
י	א	10	1		י	ב	10	2	
יא	ב	11	2		יא	ג	11	3	צום *Jejunium.*
יב	ג	12	3		יב	ד	12	4	צום *Jejunium.* Obsidetur Jerusalem a Rege Babylonis.
יג	ד	13	4		יג	ה	13	5	
יד	ה	14	5		יד	ו	14	6	
טו	ו	15	3		טו	ז	15	7	
טז	ז	16	7		טז	א	16	1	
יז	א	17	1		יז	ב	17	2	
יח	ב	18	2		יח	ג	18	3	
יט	ג	19	3		יט	ד	19	4	
כ	ד	20	4		כ	ה	20	5	
כא	ה	21	5		כא	ו	21	6	
כב	ו	22	6		כב	ז	22	7	
כג	ז	23	7		כג	א	23	1	
כד	א	24	1		כד	ב	24	2	
כה	ב	25	2	חנוכה *Encaenia*; post altare [n] ab Antiocho inquinatum; per octiduum.	כה	ג	25	3	
כו	ג	26	3		כו	ד	26	4	
כז	ד	27	4		כז	ה	27	5	
כח	ה	28	5	צום *Jejunium.* Joakim combussit volumen a Barucho scriptum [o] dictante Jeremia.	כח	ו	28	6	
כט	ו	29	6		כט	ז	29	7	
					ל	א	30	1	

תשרי חסר ז׳ Tisri Cavus VII.					מרחשון מלא ח׳ Marchesvan Plenus VIII.				
א	ג	1	3	שב תון וכרון תרועה *Sabbatum* [f] *Memoriale Clangoris*, Tubarum scilicet.	א	ד	1	4	
ב	ד	2	4		ב	ה	2	5	
ג	ה	3	5	צום *Jejunium*; ob Godoliam [g] occisum.	ג	ו	3	6	
ד	ו	4	6		ד	ז	4	7	
ה	ז	5	7	צוב *Jejunium.* Moriuntur 20 Israelitae.	ה	א	5	1	
ו	א	6	1		ו	ב	6	2	
ז	ב	7	2	צוב *Jejunium.* Decretum in eos, qui vitulum aureum fabricarant.	ז	ג	7	3	צום *Jejunium.* Excaecatur Sedekias [m], & filii ejus coram ipso jugulantur.
ח	ג	8	3		ח	ד	8	4	
ט	ד	9	4		ט	ה	9	5	
י	ה	10	5	יום הכיפורים *Dies expiationum*, [h] seu reconciliationum, ille magnus.	י	ו	10	6	
יא	ו	11	6		יא	ז	11	7	
יב	ז	12	7		יב	א	12	1	
יג	א	13	1		יג	ב	13	2	
יד	ב	14	2		יד	ג	14	3	
טו	ג	15	3	חג הסוכות *Festum* [i] *tabernaculorum*, seu Scenopegia.	טו	ד	15	4	
טז	ד	16	4		טז	ה	16	5	
יז	ה	17	5		יז	ו	17	6	
יח	ו	18	6		יח	ז	18	7	
יט	ז	19	7		יט	א	19	1	
כ	א	20	1		כ	ב	20	2	
כא	ב	21	2	הושענה רבה *Hosannæ Rabba.*	כא	ג	21	3	
כב	ג	22	3	עצרת [k], seu octava Scen.	כב	ד	22	4	
כג	ד	23	4	שמחת תורה *Festivitas legis* [l], seu Gaudium ob legem acceptam.	כג	ה	23	5	
כד	ה	24	5		כד	ו	24	6	
כה	ו	25	6		כה	ז	25	7	
כו	ז	26	7		כו	א	26	1	
כז	א	27	1		כז	ב	27	2	
כח	ב	28	2		כח	ג	28	3	
כט	ג	29	3		כט	ד	29	4	
					ל	ה	30	5	

שבט חסר יא׳ Sebat Cavus XI.					אדר מ׳א יב׳ Adar Plenus XII.				
א	ב	1	2		א	ג	1	3	
ב	ג	2	3		ב	ד	2	4	
ג	ד	3	4		ג	ה	3	5	
ד	ה	4	5		ד	ו	4	6	
ה	ו	5	6	צוב *Jejunium.* Moriuntur [p] seniores Josuae coaevi.	ה	ז	5	7	צום *Jejunium.* Moritur [r] Moses.
ו	ז	6	7		ו	א	6	1	
ז	א	7	1		ז	ב	7	2	
ח	ב	8	2		ח	ג	8	3	
ט	ג	9	3		ט	ד	9	4	צום *Jejunium.* Scholae Sammai & Hillel inter se contendere coeperunt.
י	ד	10	4		י	ה	10	5	
יא	ה	11	5		יא	ו	11	6	
יב	ו	12	6		יב	ז	12	7	
יג	ז	13	7		יג	א	13	1	יום ניקנור *Dies Nicanoris* [s].
יד	א	14	1		יד	ב	14	2	פורים Festum sortium [t].
טו	ב	15	2		טו	ג	15	3	
טז	ג	16	3		טז	ד	16	4	
יז	ד	17	4		יז	ה	17	5	
יח	ה	18	5		יח	ו	18	6	
יט	ו	19	6		יט	ז	19	7	
כ	ז	20	7		כ	א	20	1	
כא	א	21	1		כא	ב	21	2	
כב	ב	22	2		כב	ג	22	3	
כג	ג	23	3	צוב *Jejunium.* Congregati sunt [q] Israelitae contra Benjamin, propter pellicem & idolum Micha.	כג	ד	23	4	
כד	ד	24	4		כד	ה	24	5	
כה	ה	25	5		כה	ו	25	6	
כו	ו	26	6		כו	ז	26	7	
כז	ז	27	7		כז	א	27	1	
כח	א	28	1		כח	ב	28	2	
כט	ב	29	2		כט	ג	29	3	
					ל	ד	30	4	

[a] Num. xxxiii. 38. [b] Num. xiv. 23. Sed vide Euseb. Chron. num. 2150. & ibi Jos. Scaligerum, & Canon. Isag. lib. 3. pag. 219. [c] 2 Reg. xv. 8. Josephus, &c. [d] Vide Nehem. x. 34. & xiii. 31. Josephum Haloseos lib. 2. Joseph. Scaligerum de Emendat. Temp. lib. 7. pag. 609. [e] Num. xiv. 36, &c. [f] Levit. xxiii. 24. Num. xxix. 1. [g] 2 Reg. xxv. 25. Jer. xli. 2. [h] Levit. xxiii. 27. [i] ℣. 34. [k] ℣. 26. [l] Vide Jos. Scal. lib. 7. de Emendat. Temp. pag. 607. [m] 2 Regum xxv. 7. Jerem. lii. 10. [n] 1 Maccab. iv. 52. 2 Maccab. ii. & vide Maimonidem Hal. *Chanoke* cap. 1. §. 3. [o] Jerem. xxxvi. 23. [p] Judic. ii. 10. [q] Jud. xviii & xx. [r] Deut. xxxiv. 5. [s] 2 Maccab. xv. 37. [t] Esther ix. 27.

CAP. VIII.

Variatio annua festorum celebriorum in septennio superius exhibito, unde pariter dignosci possit jejuniorum variatio similis, incertissimaque. Et de jejuniis, aliisque aliquot in calendario supra memoratis, monita.

CAlendaria quidem Judaica habes non solum apud Rabbinos ipsos (veluti Abraham Zahalon in *Sepher* יד חרוצים, seu *manu*, aut *instrumento sedulorum*, in canonibus Rabbi Naheschon, & in *Machzorim*, & *Maharil*, seu ritualibus gentis annalibus, quæ prostant) sed etiam apud Sebastianum Munsterum, Paulum Middleburgensem, Carolum Sigonium, Gilbertum Genebrardum, Josephum Scaligerum, Sethum Calvisium, Dionysium Petavium, Nicolaum Mulerium, alios. Et festa, etiam solennitates, & jejunia, eadem ipsa juxta Talmudicos in eis habentur, qua in nostro. Verum aptantur illa cyclo Judaico recentiori illi novemdecennali (de cujus initio mox plura) in quo menses sunt perpetuo alternatim pleni, & cavi, & anni septem, nempe, 3, 6, 8, 11, 14, 17, & 19, nunquam non intercalares. Sed cyclus ille ad veterem ecclesiam, seu rempublicam Judaeorum non attinet: Uti nec translationes feriarum, ac festorum, quibus in ejusdem ratione recentiores utuntur. Qualecunque autem jejuniorum in veteri illa ecclesia, sive temperamentum, sive translatio ex more accederet, quoties dies menstrui eis assignati in sabbatum aut festum aliud inciderent, id satis quidem veteribus dignosci potuit ex indicatis in calendario nostro. Festa quae in eo habentur celebriora, atque adjunctae solennitates ex lege sacra sunt. Alia item ex majorum institutis, uti & jejuniorum pleraque. Quod ad festa illa celebriora attinet; manifestum est loca eorum annalia perquam diversimode in annis Julianis, seu certa temporis revolutione variasse, & vagari solere. Verbi gratia, anni, ut in exemplo superius [a] allato, septennii quod finximus primi (cui & calendarium hic aptatum est) neomenia Nisan erat 23 Martii; ergo erat pascha primum, seu 14 Nisan, (nempe immolationis tempus) 5 Aprilis; pascha secundum, seu minus, id est 14 Jiar, 4 Maii; pentecoste Talmudicorum seu 6 Sivan, Maii 26; dies expiationum, seu 10 Tisri, 25 Septembris; Scenopegia, seu 15 Tisri, 30 Septembris. At cum neomenia Nisan anni in eodem septennio secundi, seu proxime sequentis sit Martii dies 12 pascha, seu 14 Nisan respondet diei 25 Martii. Et reliqua totius septennii illius aliter, atque aliter se habuere juxta tabellam adjectam.

Festa celebriora septennii superioris.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.
Pascha primum Nisan. 14.	April. 5	Mart. 25	April. 12	April. 1	Mart. 24	April. 11	April. 29
Pascha secundum Jiar 14.	Maii 4	April. 23	Maii 11	April. 30	April. 22	Maii 10	Maii 28
Pentecoste Talmud. Sivan. 6.	Maii 26	Maii 15	Jun. 2	Maii 22	Maii 14	Junii 1	Junii 19
Dies expiationum Tisri 10.	Sept. 25	Sept. 14	Octob. 2	Sept. 21	Sept. 13	Octob. 1	Octob. 19
Scenopegia Tisri 15.	Sept. 30	Sept. 19	Octob. 7	Sept. 26	Sept. 18	Octob. 6	Octob. 24

Atque ut festa haec, lege sacra instituta cum solennitatibus conjunctis, pro anni diversitate, mensiumque qualitate, quam praenoscere nemo quibat, in annorum certa aliqua ratione adeo incerto vagabantur, sic item festa reliqua, ac jejunia; quod nemo non videt aliter fieri nequivisse; utcunque in dierum gentis menstruorum numeris, loca eadem, seu dies constanter (modo pentecosten, causa jam ostensa, excipias) quotannis retinerent. Et quale de ficto septennio hoc ostenditur, dicendum est pariter de annis apud veteres Judaeos omnimodis, quorum ne unum quidem in menses, seu partes suas rite distributum ullibi reperimus. In jejuniis autem ex majorum institutis superinductis maxime eminent (quod obiter liceat adnotare) quatuor illa quae assignantur diei 17 Tamuz mensis quarti, 9 Ab mensis quinti, 3 Tisri mensis septimi, & 10 Tebeth mensis decimi. Atque haec ipsa esse volunt magistri [b] (uti & patres christiani ab illis edocti) quae Zachariae prophetae [c] nuncupantur *jejunium quarti, & jejunium quinti, jejunium septimi, & jejunium decimi.* Etiam in commentario veteri quod [d] ὑπομνηστικὸν appellatur Ἰωσίππου *Josephi* (codice nimirum a Theodoro Cantuariensi antistite ante annos amplius septingentos [e] in Angliam cum Graecis aliis, ut existimatum est, allato, cujus capita pleraque recensiones sunt numerorum, personarum, ac rerum sibi invicem congenerum cum apud Judaeos tum apud Graecos) capitis 127 Lemma est ποίας νηστείας Ἰουδαῖοι νηστεύουσι. *Qualia apud Judaeos in usu jejunia*; & dein sequitur, Νομιμὸν μὲν ἓν νηστείαν τὴν ἐν τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ δεκάτῃ τοῦ μηνὸς νηστεύειν παρειλήφασιν. Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι δ' αὐτοῖς παρειλημμέναι νηστεῖαι καὶ παρὰ τῷ προφήτῃ Ζαχαρίᾳ μνημονευόμεναι περὶ ὧν φησι, νηστεία ἡ τετάρτη καὶ νηστεία ἡ πέμπτη, καὶ νηστεία ἡ ἑβδόμη, καὶ νηστεία ἡ δεκάτη ἔσται τῷ οἴκῳ Ἰούδα εἰς χαρὰν καὶ εἰς εὐφροσύνην καὶ εἰς ἑορτάς· καὶ ἡ μὲν τοῦ τετάρτου μηνὸς νηστεία ἐστιν ἐν ᾧ μηνὶ ἡ πόλις ὑπὸ τοῦ Ναβουχοδονόσορ ἐρράγη, ἡ δὲ τοῦ πέμπτου ἐν ᾧ ἐνεπρήσθη ὁ ναός. Ἑβδόμου δὲ ἐν ᾧ ὁ Γοδολίας ἀνῃρέθη ὑπὸ Ἰσμαήλου. καὶ δεκάτου καθ' ὃν μῆνα τοῖς οὖσιν ἐν Βαβυλῶνι ἀπηγγέλει τὰ γενόμενα ἐν Ἰερουσαλὴμ ἅπαντα κακά. *Ex lege acceperunt jejunium mensis septimi die decimo observandum. Sunt etiam alia quatuor eis recepta, eaque à Zacharia propheta memorata, ubi ait jejunium quartum, & jejunium quintum, & jejunium septimum, & jejunium decimum erit domui Judae in gaudium, & laetitiam, & dies festos. Quarti vero mensis jejunium est in mense illo, quo urbs a Nebuchodonosor est vastata. Quinti, in mense, quo conflagravit templum. Septimi, in quo Godolias trucidatus est ab Ismaële.*

[a] Cap. 6. [b] Maimonides Hal. *Thainiuth* cap. 5. §. 4. [c] Cap. 8. 19. & vide ibi S. Hieronymum. [d] MS. in Bibliotheca Colleg Benedict. Cantabrigiae. [e] Antiquit. Ecclef. Britannicæ in Theodoro.

maële. Et decimi in menſe, quo Judaeis Babylonienſibus nuntiata ſunt mala univerſa, quae Hieroſolymis acciderunt. Sic Joſippus, ſeu Joſephus ille. Dies obitus Moſis, Mariae[f], aliorum adjiciuntur neutiquam quidem in ſacro ſermone memorati. Verum ſcimus apud orientales ejuſmodi quamplurima alia reperiri velut ex avorum ſententiis receptiſſimis. Quod maxime liquet ex annalibus MSS. Eutychii patriarchae Alexandrini, qui etiam veterum patriarcharum, ab ipſo Ada dies e monimentis in oriente antiquitus pro fide dignis habitis exhibet emortuales. De Ada ille,

ومات ادم يوم الجمعة في اربعة عشر ليلة
من الهلال في ستة ايام من نيسان وهو
برموده في تسع ساعات من يوم الجمعة
وهي الساعة التي اخرج فيها من الفردوس

Et obiit Adam die veneris, ſeu *feria ſexta, luna decima quarta, qui ſextus erat dies Niſan, qui reſpondet τῇ Barmuda,* ſeu Pharmuthi (menſi nempe octavo AEgyptiaco, in fixo eorum anno incipiente die Martii 27) *hora nona feriae ſextae, quae eadem ipſa erat hora qua pulſus eſt e paradiſo.* Similiter Sethum ait mortuum fuiſſe anno vigeſimo aetatis Enochi (quem اخنوخ *Achanoch* nuncupat)

يوم الثلثا في تسع ساعات من النهار في
سبعة وعشرون يوما من اب وهو مسري

Feria 3, hora 9 diei 27 Ab, qui reſpondet Muſri, ſeu Meſori AEgyptiorum, cujus initium in anno eorum fixo 25 Julii. Dein, & Enochum tradit obiiſſe anno aetatis Methuſalae 53;

في يوم السبت عند مغيب الشمس لثلاث
ايام خلت من تشرين الاول وهو بابه

die ſabbati, poſt occaſum ſolis, die 3 Tiſrin, prioris, qui reſpondet menſi Baba, ſeu Paophi AEgyptiorum, qui incipit 28 Sept. Alia habet Eutychius id genus non pauca de ſeculis illis vetuſtiſſimis. Et de Chriſti die Natali, quod obiter etiam notare liceat,

ولد سيدنا المسيح في خمسة وعشرون يوم
من كانون الاول وفي تسعة وعشرون يوم من
كيهك *Natus eſt dominus noſter Chriſtus die 25 Canun prioris, & die 29 Choiac menſis*; id eſt plane 25 die Decembris Juliani. Dies enim primus Choiac menſis quarti AEgyptiorum in anno fixo incipit 27 Novembris. Certe in chronico Alexandrino (& Alexandrinus erat patriarcha Eutychius) legimus, Chriſtum natum χοιὰκ κε *Chuiac 25*, quod diebus pauculis anticipat tempus Eutychianum. Nonne potius legendum ibi χοιὰκ κθ *Chuiac 29*, ut in Eutychio? Sed patribus chriſtianis receptum eſt, traditionem hanc de 25 die Decembris (eo ſcilicet die natum eſſe Chriſtum) ex occidente in orientem primo manaſſe, ea de re conſulas imprimis Chryſoſtomum[g], præter chronologos ea de re nuperos, & ſatis obvios. Niſan autem, Ab, & Tiſrin uti & Canun hic ſunt menſes Syromacedonici. Haud igitur mirum eſt, apud Judaeos traditiones de diebus majorum ſuorum emortualibus ita invaluiſſe. De eo vero quod adjicitur diei 8 Tebeth menſis, jejunium ſcilicet quotannis tunc habendum ob legem Graece olim verſam. Praeter Joſephum Scaligerum[h], videſis Joannem Morinum[i], & Joannem Euſebium[k].

CAP. IX.

Edictorum, ſeu Epiſtolarum intercalarium, quibus Adare ſecundo, ſeu menſe adjectitio annus juſſu ſynedrii magni augendus erat, ſpecimen, ſeu formula Talmudica. Et de paſchate menſis ſecundi, ſub Ezechia rege.

ANno labente, & plerumquc ſub finem ejus, mos erat ſynedrii magni collegis, decreto publico intercalationem, ubi opus erat futuram ſtatuere. Neque omnino ante initium hoc rite ſatis fieri potuit. Imo aiunt [a] אין מעברין השנה לפני ראש השנה ואם עברוה אין מעוברת *non intercalabant annum ante initium anni, quod ſi faciebant, intercalatio illa plane irrita habebatur.* Edicto per tribuum tractus, ac urbes terrae ſanctae, uti & alia etiam loca extera ubi Ebraeorum pars aliqua inſignior, ſeu διασπορά eſſet, miſſo, rem ſignificabant ſynedrio; adjecta item intercalationis cauſa. Breviuſculam memorat edicti hujuſmodi formulam על לשין הנשיא *nomine principis ſynedrii* conſcribi ſolitam Moſes Maimonides; יודע לכם שהסכמתי אני וחבריי והוספו על שנה זו כך וכך *vobis innoteſcat me, ſocioſque meos,* ſeu *collegas meos,* aut *nos ſynedros* conſenſiſſe *ut adjiciatur huic anno* (jam labenti) *tantum, vel tantum,* id eſt, ſive cavum menſem integrum, ſive plenum, ſeu Adar ejuſmodi ſecundum. Formula item habetur in utraque Gemara [b] verbis non ita multum diſcrepantibus. לאחנא בני גלותא דבבל בני גלותא דמדי בני גלותא דיון ושאר כל גלותא דישראל שלמכון יסגא מודענא לכון דאימריא רכיכין וגוזליא דקיקין וזימנא דאביבא לא מטא ושפר מילתא באפיי ובאנפי חבריי מוספא על שתא דא תלתין יומין *Fratribus noſtris, filiis deportationis Babylonicae,* ſeu *qui in Babylonia peregrinantur, iis etiam qui in Media ſunt, & in Graecia, caeteriſque univerſis Iſraelitis ubicunque peregre agentibus, pacem vobis multam,* ſeu *ſalutem plurimam. Notum ſit vobis quod cum agni ſint adhuc teneres, & pulli* (columbarum) *graciles* (uſibus ſacris nimium adhuc

[f] De his conſulas Samuel. Petitum in Eclog. Chronolog. lib. 1. cap. 10. & 19. & lib. noſtrum 1. de Succeſſione in Pontificatum Ebraeorum. cap. 1. [g] Tom. 2. Edit. Baſil. homil. 39. Edit. Saviliana Tom. 5. p. 513. [h] In Euſebianis, ad num. 1734. & Canon. Iſagog. lib. 3. p. 216. [i] Exerc. Biblic. 8. cap. 3. [k] De origine ſacræ ſcripturæ, lib. 12. c. 3, & 4.

[a] Gem. Hieroſolym. ad tit. *Nedarim*, cap. 7. fol. 40. col. 1. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 12. a, alii. [b] Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 11. b, Hieroſolymit. ib. fol. 18. col. 4.

impares)

impares) & *tempus Abib*, seu *frugum maturescentium nondum ita prope sit, visum est mihi, & collegis meis adjicere huic anno dies triginta.* Sic legitur in Gemara Hierosolymitana. Tam in hac autem, quam in Babylonia tribuitur hoc edictum Gamalieli synedrii magni principi [c], Rabban Simeonis filio, atque ut non immerito existimatum est, Pauli Apostoli [d] praeceptori. Commemorat quidem edictum hoc, vir summus Josephus Scaliger [e], paulo ante ad hunc modum praefatus. *Ab ultima*, inquit, *antiquitate consistorium judicum Hierosolymitanum ex libro τῆς ψηφοφορίας σεληνιακῆς, de quo paulo ante egimus quotannis in Galilaeam formam anni proxime imminentis mittebant, item in alias regiones finium Israel; quod & hodie a Samaritanis fieri in eorum computo demonstravimus. Ejusmodi epistolae pontificis maximi, & consistorii ad Galilaeos subjecimus.* Dein subjicit formulam edicti a synedrio etiam emissi [f], de indicando tempore τῆ ביעור quod vertens ille *excussuram*, & triturae voce explicans, non dubitat quin edictum ipsum sit anni communis praemonitio, quam & sic fieri ait eleganter. Et demum pro anni proxime imminentis intercalationis indictione edictum supra allatum sumit; quasi tam annum communem fore, edicto synedrii praedici fuisset solitum (ex eo quod fruges jam maturescentes etiam triturae ferme idoneae essent) quam fore aliquem intercalarem. Sed haec non sine hallucinatione, nec unica. Nam quod attinet ad formulam illam de ביעור ab eo, nec sine typographi, aut amanuensis ejus incuria nimia, ibi memoratam, id certum est, vocabulum illud a בער factum esse, quod *removere, auferre*, aut *abolere* denotat, nec eam ad anni calculum omnino spectare, sed solummodo ad tempus postremum quo abolendi, auferendi, exponendi erant ab agricolis, & colonis omnimodi fructus, id est solvendi, aut pollucendi, [g] idque maxime juxta legem [h] sacram ubi legitur בערתי הקודש מן הבית וג" *separavi*, seu *removi, quod sanctum est de domo, tradidique ipsum levitis, peregrinis, &c.* Quod ad annum decimandi tertium pertinet. Atque ex בערתי illo ibi usurpato fit ביעור in edictis illis memoratum, nec cum qualitate anni quid omnino habet commune. Quin & quod ait de anni proxime imminentis intercalatione error est manifestus. Nunquam intercalandus erat annus proximus imminens, sed solummodo praesens, seu labens. Error item est non levis quod habet de libro τῆς ψηφοφορίας σεληνιακῆς, seu computi lunaris ante ibi indicato. Nam perperam sumit figuras lunares variatim secundum inclinationis, aut illuminationis discrimen depictas, quas צורות לבנה vocant Talmudici veteres, pro calculi libro, seu tabulis. Qua de re nos alibi [i]. Et demum quod de pontifice maximo adjicit, quasi non sine ejus nomine edicta, seu epistolae intercalares emitti solerent; apertissime constat Rabban Gamalielem, qui princeps erat synedrii, nec omnino pontifex, & dictasse, & emisisse edictum illud intercalare, nec pontifici hic jus aliquod a Talmudicis quidem, ut mox dicetur, permissum, sed omnino, ut judici hac de re nimis impari, negatum. Controversia autem est aliqua utrum edictum illud de paschate [k] celebrando mense [l] secundo sub Ezechia rege, ad intercalationem etiam anni attineret. Et plerumque quidem attinere recipitur, uti etiam ad synedrii hic potestatem. Dicitur enim "ויועץ המלך וג id est, & *iniit rex consilium cum principibus suis, atque universo coetu Hierosolymis ut facerent pascha in mense secundo*, seu ut vulgata, *decreverunt ut facerent pascha in mense secundo.* Id quod complures non accipiunt perinde ac si mense Jiar, contra institutum numinis, qui in mensium ordine est secundus, pascha primum (nam non ut secundum [m] hic agitur) fuisset celebrandum. Sed quoniam ante dies Nisan decimus sextus [n], dum in templi sacrorumque instauratione occuparentur, adeoque legitimum in anni communis ratione paschatis tempus praeterierat, ideo ne non omnino eo in anno celebraretur, aiunt annum sic adjecto tunc mense intercalatum, ut mensis hic secundus dictus fieret saltem alter Nisan, priori velut pro Adare secundo habito. Qua tamen de re loquuntur fere magistri ut de eo, quod לפי שעה *pro temporis necessitate* factum est nec moribus avitis consonum. Nam neque rite intercalatione adjiciendus erat mensis alius praeter ipsum Adar secundum, qui item ante finitum Adar primum erat adjiciendus. Quod hic non observatum. Et ubi hac de re loquuntur Talmudici dicere solent, Ezechias Rex עבור ניסן בניסן *intercalavit Nisan in Nisan*, id est, Nisan alterum fecit & in mensis secundi locum protrusit. Addunt autem ולא הודו לו *rem fuisse* (posteritati) *improbatam*, quod ipsum, & de aliis aliquot ab illo gestis loquuntur. Nec defuere [o] qui intercalaris rationis initia ei tribuerent. Sed id Talmudicis acceptum non comperio, sed potius plane rejectum. Jam vero ex ostensis liquet, ita citra ultraque vagari solitum Nisan mensem, seu anni civilis primum, ut non solum, tam Aprilem, quam Martium, verum etiam Maium Julianum subinde occuparet. Neomeniam autem ejus die undecimo Martii, juxta jam admissa, nunquam fuisse citeriorem.

CAP. X.

Talmudicorum, & scripturariorum sententiae discrepantes de locis, ac seculis, ad quae vetus ille mensium, & annorum calculus attinuerit.

IN mensium legalium, annique veteris incerta illa, quae hactenus demonstratur, ratione par-

[c] Sepher Juchasin. fol. 53. & 54 fol. & R. Gedalia in Schalscheleth, fol. 27. a. [d] Act. Apost. xxii. 3. vide Buxtorf. Biblioth. Rabbinic. lit. ר. [e] Canon. Isagog. lib. 3. p. 278. [f] Habetur in Gemar. Hierosolym. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 18. col. 4. & Babylon. ad tit. eundem fol. 11. b, uti & in Gem. Hierosolym. ad tit. *Maighsher Sheni*, cap 5. fol. 56. col. 3. §. 6. [g] Gloss. ad Talm. Bab. tit. *Sanhedrin*, pag. 11. b. Misnae & Gemarae ad tit. *Maighsher Sheni*, cap. 5. & tit. *Shebiith* cap. 7. & Maimonides Halach. *Maighsher Sheni*, c. 11. Moses Mikotzi Praec. Affirmat. 138. Adde Jo. Cochium in tit. *Sanhedrin*, c. 1. pag. 8. [h] Deut. xxvi. 12. [i] Lib. 2. de Jure Nat. & Gent. cap. 5. p. 205. [k] 2 Paralip. xxx. 2. [l] Vide Gemar. Hierosolym. ad tit. *Pesachim*, cap 9. fol. 36. col. 3. & 4. ad tit. *Nedarim*, cap. 7. fol. 40 col. 1 ad *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 18. col. 4 halac 2. Babylon. ibid. fol. 12. b. & D. Kimchi ad cit. locum. Paralip. & Aben Ezra ad Exod. xii. [m] Num. ix. 11. [n] Ibid. cap. xxix. comm. 17. [o] Vide Gilb. Genebrard. Chronolog. lib. 1. anno mundi 3440.

tim

tim concordes eſſe, partim diſcrepare invicem Talmudicos ac ſcripturarios ex ante oſtenſis liquet. Sed vero ſunt etiam alia aliquot, nec ſane momenti levis, huc ſpectantia, in quibus impenſius ſunt diſcordes. Ea fere cernuntur, aut in locis ac ſeculis, ad quae calculus ejuſmodi attinuerit, aut in perſonis quae, ſive menſibus, ſive annis intercalandis adeoque phaſibus decernendis, promulgandiſque praefuerint, aut in legitimo decernendi modo. Talmudici in ipſo phaſis, ſeu intercalationis ejuſmodi decernendae actu, loci nullius rationem habent hic ullam praeter terram ſanctam. Ibi ſcilicet, nec alibi neceſſario phaſes ſic obſervandas, juxtaque eas menſes conſtituendos, intercalareſque annos faciendos. Ita tamen ut juxta anni menſiumque ibi diſpoſitionem, qualis ante ex ipſis deſcribitur, Judaei veteres ubicunque terrarum agentes ſeu diſperſi neomenias, feſta, jejunia, alia ad anni rationem attinentia ſervarent; quibus nec fas exiſtimatum ex phaſibus alibi habitis quid ſibi hac in re ſtatuere. Sed vero hoc duntaxat obtinuit quamdiu ſynedrium magnum in terra ſancta haberetur, cujus authoritate (ut mox dicetur) phaſes ac intercalationes more ſolenni aiunt fuiſſe decernendas. Simul ac autem praeteriere ſecula illa quibus ullatenus floruit ibi aut non plane emortuum eſt ſynedrium illud, nec in terra ſancta, nec alibi rite locum habuiſſe annalem ejuſmodi ſupputationem. Unde eſt quod aliud inde putandi genus adhibuerint (de quo plura inferius) idque cyclicum nec ita incertum, & nefas eſſe aiunt annos intercalare extra terram ſanctam, id eſt, ad morem ſeu formulam aliam quam ibi indicatam eos intercalare, qua de re item mox plura. Maimonides [a] ex veterum mente כל שאמרנו מקניעות ראש חדש על הראיה ועבור השנה מפני הזמן או מפני הצורך אין עושין אותו אלא סנהדרין שבארץ ישראל או בית דין הסמוכין לארץ ישראל שנתנו להן הסנהדרין רשות שכך נאמר למשה ולאהרן החדש הזה לכם ראש חדשים ומפי השמיעה למדו איש מאיש ממשה רבינו שכך הוא פירוש הדבר עדות זו תהיה מסורה לכם וכל העומד אחריכם במקומכם אבל בזמן שאין שם סנהדרין בארץ ישראל אין קובעין חדשים ואין מעברין שנים אלא בחשבון זה שאנו מחשבין בו היום ודבר זה הלכה למשה מסיני וגו' *Quicquid diximus de figendis neomeniis ex ratione phaſis, aut de annis intercalandis ex tempeſtatis, aliuſve rei neceſſariae ratione, id univerſum faciendum erat tantum a ſynedrio* (magno) *quod in terra Iſraëlis locum habuit, aut a judicibus manuum impoſitione ordinatis terrae Iſraëlis, quibus poteſtatem in hanc rem dederit ſynedrium. Quoniam & ſic dicitur Moſi, & Aharoni*, Menſis hic erit vobis principium menſium, *quo innuitur (ut didicimus a majoribus qui per manus avitas traditiones nobis reliquere) hoc traditum vobis, & unicuique veſtrum poſterorum qui locum veſtrum occupabunt. Sed vero quando non eſt ſynedrium in terra Iſraëlis, non figendae ſunt neomeniae, aut anni intercalandi aliter atque calculus, quo hodie utimur, admittit, atque haec ſane traditio eſt Moſaica e monte Sinai, &c.* Sic Talmudici. At vero ſcripturarii ita ſunt hic, cum de locis tum de ſeculis diſcordes, ut in terra ſancta perpetuo hodieque juxta phaſes lunares, velint a ſuis menſes adeoque tempus annuum, feſta, ac jejunia digeri, atque menſem primum juxta tempus ibi frugum matureſcentium [b] conſtitui, ſicque intercalationes fieri. Extra vero terram illam, id nec neceſſario fieri nec adeo commode fieri poſſe. Quod ſi poſſit, non cum Talmudicis damnant. Quin & ait ex ſectae ſuae diſciplina Eliah [c] noſter, לא מצאנו בכתוב שיסגיל זאת המצוה בארץ ישראל אמנם זאת המצוה היתה מימים קדומים מזמן נח ואברהם אבינו ע"ה לקדש הירח לפי מקום ומקום *Nullibi reperimus in ſcriptura praeceptum hoc* (de ſanctificandis neomeniis) *peculiare fuiſſe terrae Iſraeliticae. Sed vero manavit a ſeculis vetuſtiſſimis, adeoque a tempore Noachi, & Abrahae patris noſtri (quibus pax) mos ille ſanctificandi lunam quocunque locorum.* Sed & de utriuſque ſectae ſententiis circa temporum ſuorum poſt reipublicae illius excidium obſervationem, plura inferius [d].

CAP. XI.

De perſonis quae phaſibus decernendis, anniſque intercalandis praefuere, adeoque de ſingulari (juxta Talmudicos) ſynedrii magni hic authoritate. Scripturariorum item hac de re ſententia.

PErſonae, quas, & phaſibus decernendis, & intercalationi annali praefuiſſe aiunt Talmudici, erant princeps, ac ſynedrii, ſeu collegae ſynedrii, ſeu conſiſtorii Hieroſolymitani illius celeberrimi, סנהדרין הגדולה dicti, id eſt, *ſynedrii* (ſeu *Sanhedrin) magni*, ſeu eorum ex ſeipſis mandatarii aliquot minimum tres, qui uſque in ſeptem augendi, ſi ſententiis diſſediſſent; nec omnino alii. Principis autem ſynedrii aſſenſum aiunt hic adeo neceſſarium, ut illo invito anni intercalatio admittenda non eſſet. Atque hac de re nonnulla obiter capitibus proxime ſuperioribus allata ſunt. Exceptionem autem tradunt; nec regem, nec pontificem maximum in annali intercalationis negotio (quatenus ſaltem ex arbitrio, ut oſtenſum eſt, haud parum pendebat) rite quid potuiſſe ſtatuere, adeoque nec in eorum numerum admittendum qui intercalationi ejuſmodi praeeſſent. Locum exceptio haec habuit, ſi modo vel rex princeps fuiſſet ſynedrii (quod tamen rariſſime juxta receptiſſima eorum ſcita accidit) vel pontifex, ſive princeps, ſive collega forte fuiſſet. Nam quod pontificem ſynedrio huic ſemper [a] praefuiſſe etiam viri maximi aſſerunt, temere nimis illud nunc in pontificis Romani gratiam, nunc aliter ſuarum ex partium ſtudiis ut ſacri ordinis adſtruatur in laicos neſcio quae juriſdictio, comminiſcuntur, nec omnino ex commentariis aut interpretationibus traditionibuſve Judaicis, quae planiſſime ſunt hic adverſiſſimae, hauriunt. Rationes autem afferunt de rege [b]; משום אפסניא *ob ſtipendiorum ſolutionem*, ſcilicet, מהלך ממין לחיילתיו כך וכך לשנה ונח לו שיהו כל השנים

[a] Halach *Kiduſch Hachodeſh*, cap. 5. [b] Eliah Ben Moſes Seder 1. c. 40. [c] Seder 1. c. 10. [d] Cap. 17. & 10.

[a] Vide Thom. Aq. 1. ſecunda quaeſt. 105. art. 2 ad 7. Baron. Annal. tom. 1. anno 31. §. 10. 5. 7 &c. alios obiter ad Deut xvii.

[b] Gemar. Babylon. & gloſſ. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 18, b Adde Maimon dict. Halach *Kiduſch Hachodeſh*, cap. 4 §. 11. & Gemar. Hieroſolymit. ad dict. tit. cap. 2. fol. 19. col. 3.

מעוברות *praestare solebat copiis suis militaribus certam annuatim pecuniam; unde praesumebatur placuisse ei potius ut anni singuli forent intercalares.* Quod enim in annum simpliciter praestituebatur, id ita praestandum erat ut quoties intercalatio fieret annalis tredecim, quemadmodum ubi intercalatio nulla duodecim menses annum [c] conficerent. Non aliter atque ex jure quo passim utimur Christiani, bissextilis annus, perinde atque si communibus annis die integro impar non esset, sumi solet. De pontifice maximo aiunt, id in more receptum ne intercalationi annali nimis refragaretur (ubi arbitrio locus) idque animi sui, seu voluptatis causa. Nam praesumebatur eum libenter nolle mensem Tisri, seu septimum, cujus in festo expiationum, aliquoties erat is lavandus, in frigidiora, aut hyemi proximiora tempora protrudi, quod necessum erat in anno insequente fieri, quoties Adar secundus praeterlabenti adjiceretur. Sic Talmudici. Eousque autem ex synedrii magni authoritate anni, mensium, noviluniorum adeoque festorum universorum (praeter sabbatum quod in periodis similiter perpetuo recurrit) rationem omnimodam pependisse volunt illi, ut quantumvis synedri omnino inter decernendum errassent, nihilominus ab universis Israëlitis eorum standum esset judicio, atque juxta illud festa a numine imperata, essent observanda. Maimonides [d] ex disciplina vetustiorum [e], ב"ד שקדשו את החדש בין שוגגים בין מוטעין בין אנוסין הרי זה מקודש וחייבין הכל לתקן המועדות על היום שקדשו בו אע"פ שזה יודע שטעו חייב לסמוך עליהם שאין הדבר מסור אלא להם ומי שצוה לשמור המועדות הוא צוה לסמוך עליהם *Quoties synedrium sanctificasset neomeniam, sive id ex errore, aut ignorantia, aut etiam vi, aut invito fecisset, sanctificatio legitima erat. Et unicuique necessario inde incubuit officium, festa, atque alia tempora observandi juxta diem, quem illi sanctificassent. Atque etiam si sciret ipse synedros errasse, illorum tamen judicio ei erat nitendum. Neque enim aliis praeter illos negotium hoc traditum est. Atque is, qui festa observanda jussit, eorum item judicio jussit standum.* Quo trahunt illud legis [f], *Et loquutus est dominus ad Mosem dicens, loquere ad filios Israel, & dices ad eos, solennitates domini* אשר תקראו אותם, id est, *quas vocabitis convocationes sanctas, hae sunt solennitates meae.* Ubi & legunt תקראו אתם *vocabitis vos*, quemadmodum habetur etiam in codice Samaritano; quasi ibi Mosi, & synedris suis adeoque successoribus eorum expressim dictum fuisset, juxta vestrum in temporibus digerendis judicium, & pronuntiata, neque aliter suos habebunt in annis, & mensibus dies festa imperata. Atque סוד העיבור, seu *mysterium* hoc *intercalationis*, annorumve, ac mensium disponendorum scientiam traditam fuisse aiunt אין לכל אדם אלא לסמוכים נבונים *non cuilibet, sed eis qui manuum impositione ordinati intelligentiores essent*, id est presbyteris, nec omnimodis, sed in synedrium cooptatis magnum. At Eliah Ben Moseh ex scripturariorum suorum sententia בזמן inquit בית המקדש היה הדבר מסור לכהן הגדול עם שאר הכהנים או הנביא אשר בכל דור ודור *Tempore, quo templum stetit traditum*, seu *commissum est negotium hoc* (de phasibus decernendis, & quae inde pendent aliis loquitur) *pontifici maximo cum reliquis sacerdotibus, aut propheta cujusque seculi*, rerum harum intelligentiori. Sed vero post excidium, judices hujus rei facit [g] is, ex sectae suae placitis, eos, qui e variis sui generis Judaeorum coetibus diversimode electi. Pauciores quam tres non debere esse. Unicum scilicet judicem regulariter negant etiam cum Talmudicis scripturarii admittendum, sive hac in re, sive in alia (exceptionibus aliquot minutulis adhibitis) uti nec numerum parem ob dissensus incommodum. Humiles item spiritu, juris sacri, ut & astronomiae, & epilogismi annalis, & menstrui juxta sectam suam peritos esse debere hos judices monet suorum nomine scripturarius noster. Discrimen igitur inter sectas hasce non leve est de personis, quarum judicio negotium hoc suberat, adeo scilicet ad sacra attinens, ut nihil ferme supra. Nam festa omnimoda, (praeter sabbatum hebdomadarium) jejunia cuncta, neomeniae peculiaribus item sacris celebrandae, annalis revolutio, ex eorum, qui sic praeerant authoritate, ac arbitrio pendebant. Nec Levitici, aut sacerdotalis generis ullos necessario hic omnino praefuisse, volunt Talmudici. Aiunt quidem, ut vides, scripturarii (undenam edocti nescio) הדבר מסור *rem traditam*, aut *commissam* pontifici maximo, & sacerdotibus; ut scimus etiam in Roma veteri [h] intercalationem fuisse pontifici minori. Sed non ita iis commissam, aut traditam, quin & aliis perspicaciae singularis, & sapientioribus (quos cum Mahumedanis prophetas appellare solenne est Judaeis) cujusque tribus eandem ipsam pariter concessam velint, etiam dum stetit templum; quemadmodum post excidium judicibus quibuscunque modo sui generis essent; seu Israëlitae, ac satis ut dictum est periti. Dum vero Talmudici synedrii magni principi, & collegis rem ita tribuunt, penes summos reipublicae Judaicæ praefectos (nam hujusmodi fuere princeps, & collegae illi qualicunque scilicet e tribu indiscriminatim selecti presbyteri) imperium, & arbitrium circa sacra cum annua tum menstrua hinc toties pendentia, in ecclesia illa divina (quae plane ipsissima erat illa respublica) mansisse interim plane docent. Quod & perquam consonum est amplissimae tribunalis illius jurisdictioni ad quam solam spectarunt, velut casus reservati, alia non pauca momenti, cum in sacris tum in profanis gravissimi. De errore autem explodendo, qui viris alioquin doctissimis recipitur, forum fuisse apud Judaeos aliud cui rerum sacrarum (seu earum instar quas ecclesiasticas vocamus nos) cognitio, aliud cui civilium, seu profanarum attineret, alibi fusius dicemus.

[c] Vide cap. 16.
[d] Halach. *Kidush Hachodesh*, cap. 2. §. ult.
[e] Gemar. Babylon. tit *Resh Haschana*, cap 2. fol. 25. a.
[f] Levit. xxiii. 1.
[g] Ibid. cap. xvi.
[h] Macrob. Saturn. 1. cap. 15. & videsis Jacobum Gutherium de veteri jure Pontif. lib. 1. cap. 22.

C A P.

CAP. XII.

Et Talmudicorum & scripturariorum sententiae de phaseon, atque intercalationum decernendarum loco, intercalandi tempore, ac neomeniis sanctificandis.

LEgitimus phaseon, atque intercalationum decernendarum modus habetur in loco, quo, sive phasis, sive intercalatio erat promulganda, in tempore anni intercalandi, in neomeniae sanctificatione, in calculi astronomici usu, in testimoniis de phasi admittendis, ac demum in neomeniis, ac intercalationibus populo rite indicandis. Locus Talmudicis Hierosolyma erat dum ibi synedrii magni, cujus collegis ut ostensum est incubuit hoc curare negotium, item locus; templo scilicet conjunctus. Cum vero alibi in terra sancta id suas haberet sedes, ibi etiam hac de re decernendum; nec omnino alibi, nec sine convivio solenni. Phasin habitam ibi lunarem promulgabant illi, unde mensis imminentis initium; quemadmodum, si phasis nulla, aut cavus, aut plenus mensis praeteritus, juxta superius dicta, ab illis ibi fiebat. Postquam autem desiit synedrium, etiam & desiisse volunt illi (ut & ante dictum est) jus neomeniarum ex phasi, atque intercalationum decernendarum. Scripturarii vero hac de re sic statuunt, ut etiam tam post urbis, gentisque excidium quam ante, adeoque etiamnum, in terra sancta cum ex phasi neomeniae tum ex Abib [a] seu *maturescentium frugum tempore* annum, sive communem retinendum, sive intercalandum, juxta ante ostensa velint; qua de re plura mox ubi de utrorumque in regionibus aliis usu. Tempus autem intercalationis sub exitum anni intercalandi a Talmudicis plerumque collocatur, uti & res ipsa juxta eos interdum exigebat, scilicet quoties ex causis praeter incommodum paschatis locum aliis supra dictis esset intercalandum. Nec omnino intercalandi edicta, seu epistolae intercalares emanabant ante initium anni intercalandi, ut docent illi, quod non video non admittere scripturarios. De sanctificatione neomeniae loquuntur utrique, id est, lunae corniculantis benedictione, cujus formula singularis habetur apud Talmudicos [b] quo & spectat illud prophetae, [c] *Clangite tuba in neomenia, in tempore constituto, & die solennitatis vestrae.* Nam ex ipsa lege sacra neomeniis tum tubarum sonus [d] solennis, tum peculiare [e] sacrificium praestituitur, unde prae caeteris diebus sanctificandae. Eae ראשי חדשים *principia mensium* nuncupantur lingua Mosaica. Synedri autem qui rei huic praefuere simul ac tempore suo vidissent corniculantem lunam (ut docent Talmudici) acclamabant מקודש מקודש *sanctificata est, sanctificata est,* succlamante similiter populo qui adesset. Tradunt vero illi sanctificationis formulam hanc a synedris neutiquam adhibendam neomeniae alicui praeter eam, quae phasi insigniretur tempore in suo, id est vespera, quae exitu diei 29 mensis praeterlapsi haberetur, adeo ut quoties plenus fieret mensis, seu 30 dierum neomenia proxime insequens nunquam esset sanctificanda. Sed quantum video scripturarii sanctificandas omnimodas pariter docent neomenias. Eliah Ben Moseh [f] ex suorum doctrina, אם ביום שלשים נראה הירח עם השמש דע שהיום ההוא הוא מקודש ואם לא יראה עם השמש אמנם יראה אחר עריבתו דע שהיום למחר הוא מקודש אמנם אם לא יראה ביום שלשים ולא בערב ג״כ רואים שלשים ואחד ואם יראה עם השמש סמוך לשקיעתו דע שהיום ההוא הוא מקודש ואם יראה עם השמש בעוד יום גדול כגון שנים שעות או שלשה קודם השקיעה דע שהיום הקודם לו הוא מקודש אלה הם סימני דההקרבות אשר אחר זמן הרא״ה אשר יודיעו זמן המקודש אז *Si conspiciatur luna cum sole in die 30, scito hunc diem esse sanctificandum. Si non conspiciatur cum sole, sed conspiciatur post vesperam suam, scito diem postriduanum esse sanctificandum. Sed si nec die 30, nec vespera compareat, observandus est dies etiam 31, in quo si appareat cum sole prope hujus occasum, scito diem hunc sanctificandum. Quod si conspiciatur cum sole die aperto, veluti horis duabus, aut tribus ante occasum solis, scito diem hunc pridianum* (id est 30) *esse sanctificandum. Atque haec sunt signa, seu causae probabiles, seu conjecturales, quae cum accidant post tempus visionis,* (legitimum, & ordinarium, id est exitum diei 29) *docent rationem sanctificandi, quae etiam tunc adhibenda.*

CAP. XIII.

De calculi astronomici apud utramque sectam usu in arcu visionis, seu phasis lunaris eruendo.

CAlculi astronomici juxta utramque sectam hic usus ejusmodi erat, ut ex motu ac loco luminarium saepius (cum phasis legitima, ac ordinaria, sive per aëris nubila, sive alias ob causas haberi nequiret) operosius ediscerent utrum omnino tempore suo, seu legitima, & ordinaria astronomice haberi potuisset. Atque inde alia de mensium quantitate, ac de neomeniis constituendis decernebant, sic nempe tempora menstrua ex artificii ratione digerentes, atque intra suos retinentes cancellos, quando visionis, seu phasis vespertinae carebant indicatione. Apud Talmudicos [a] epilogismus astronomicus (cui item tres minimum synedrii collegas praeesse debuisse aiunt) hujusmodi exhibetur. Terrae illius latitudo septentrionalis inter gradus 29 & 33 (seu ut volunt alii 35; diffusius in boream, quam vulgo recipitur, terram illam extendentes) constituitur, & Hierosolyma sub 32, uti & longitudo horum in gradu $66\frac{1}{2}$ ac terrae sanctae inter 63 & 69. Reperto utriusque luminaris loco ineuntis diei a praecedente neomenia civili trigesimi, seu temporis, quo phasis legitima, ac ordinaria expectanda (id est, juxta illos, עת השקיעה *temporis ipsius occasus solis)* adeoque, & longitudine

[a] Eliah Ben Moseh Seder 1. cap. 40. [b] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 5. fol. 42 a. Jacob Ben Asher in *Orach Chaim*, cap. 426. Mos. Micotzi praec. Aff. 27. fol. 114. a. & vide J. Buxtorf. Synagog. cap. 17. [c] Psalm. lxxxi. 3. [d] Numer. x 10 & vide Levit. xxiii 24. [e] Ibid. xxviii. 11. [f] Seder 1. cap. 16. [a] Maimon. Hal. *Kiddush Hachodesh*, cap. 9, &c.

lunae

3

lunae a sole diligenter observata; aut inter initium Capricorni, & Geminorum finem juxta signorum seriem repertus est lunae locus verus, aut inter Cancri initium, ac finem Sagittarii. Si in priori Zodiaci semicirculo longitudinem haberet tunc luna graduum tantum 9 aut minorem, consequens aiunt nullam potuisse tunc haberi ullibi in terra sancta phasin; quemadmodum vicissim si plusquam graduum 15 in semicirculo illo esset tunc lunae longitudo, dubitandum non fuisse quin coelo sereno phasis haberi potuisset ubique illic locorum. Si in semicirculo Zodiaci posteriori, seu qui a Cancri initio ad Sagittarii finem intercipitur, longitudo lunaris esset graduum duntaxat 10, aut minor, phasin haberi potuisse nullam pro certo statuebant; ut vicissim si gradus excederet 24 passim in coelo sereno potuisse haberi. At vero si gradus longitudinis lunaris in priori semicirculo inter 9 & finem 15, aut in posteriori inter 10 & finem 24 reperirentur, tunc ex latitudinis, ac parallaxis ratione, descensionis varietate, prosthaphaeresibus, id genus reliquis in epilogismo astronomico adhiberi solitis terminos, & arcum visionis (quem קשת הראיה nuncupant) eruebant; unde pronuntiari posset an ea in vespera haberi in aëre sereno quiret phasis necne. Scripturariis vero non tam revera alius est epilogismi modus, quam alii, unde discrimen haud contemnendum nasci palam est, inter putandum termini. Etenim cum Talmudicis diei initium habeatur in ipso solis occasu, scripturariis vero (ut capite ante ostensum est quarto) in vesperae tertiae initio, seu crepusculi fine; ita apud hos initur ratio dum arcus visionis quantitatem venantur, ut arcus qui in crepusculi fine, seu vesperae tertiae initio coitum luminarium insequente, inter ea intercipiatur, pro visionis arcu sit habendus, non vero ille qui inter solis occasum & coitum. Quo nomine Talmudicos reprehendit Eliah Ben Moseh [b], & in scripturariorum sententiam eorum aliquos a se monitos transiisse ait חושבים קשת הראייה עד עת השקיעה היו inquit והיו חושבים שעת הבקשה והקדוש הוא עת השקיעה ולא ידעו דעת חכמינו שהתחלת היום הוא מתחלת הערב השלישי להם זה הפסק בספרי החכמים והודו בזה *Putare solent arcum visionis usque ad tempus occasus, atque ita eruunt tempus sanctificandum, scilicet ipsius occasus; neque gnari sunt sententiae sapientum sectae nostrae, cui diei initium est a vesperae tertiae initio; quod & ostendi illis in nostrorum libris, nec rem porro diffitebantur.* Eliah autem ille, constructis [c] motuum lunaris, & solaris tabulis באופק קוסטדינא לדעת אלבתאני ולדעת החכם עמנואל בעל הכנפים *ad latitudinem Constantinopolitanam juxta doctrinam Albategnii, & Emanuelis Geographi* (Constantinopolis autem latitudo ei est graduum 41½) de phasi lunari ibi sic demum concludit סוף דבר inquit [d], בהיות בין המולד והשקיעה יותר מי״א שעות וחצי עד עשרים וחמש שעות וחצי אספר שיראה ואפשר שלא יראה וכהיות בין המולד והערב השלישי יותר מארבעה עשר שעות כהות שעה עד עשרים ושבעה שעות וחצי אפשר שיראה ואפשר שלא יראה ואם יהיה בין יתר מזה דע שעל כל פנים יראה אם לא יהיה מניעה והנה לפי זה כשיהיה בין השמש והירח במעלות ישרות שמנה מעלות ועשרה ראשונים לא יראה וכל שכן פחות מאלה וכשיהיה בינהם במעלות ישרות ארבעה עשר מעלות על כל פנים יראה וכל שכן יותר *Summa est quoties inter coitum solis, & lunae medium, & occasum solis intercedant horae 11½ aut quae usque in 25½ excrescunt fieri posse ut phasis habeatur, uti & posse fieri ut non habeatur. Quod itidem dicendum, si inter coitum ejusmodi & vesperam tertiam intercedunt plures quam 14 horae (sexta parte dempta) aut quae usque in 27½ excrescunt. Quod si harum excessus fuerit horarum, haberi potest omnino phasis, nisi* (per aëris nubila) *impediatur. Unde etiam fit ut quoties inter solem, & lunam intercipitur arcus tantum graduum 8, min. 10, aut minor, phasis nulla habeatur, quoties vero arcus ille fuerit graduum 14, aut major, haberi possit.*

CAP. XIV.

De testimoniis phasis aliunde allatis quando eorum, qui huic negotio praeessent, oculis de ea non constaret.

PRinceps, ac collegae synedrii magni, seu eorum mandatarii, qui juxta Talmudicos phasi decernendae praeerant, non solum oculis suis credebant, sed & testium pariter fide dignorum, qui corniculantem lunam se tempore suo seu die 29 exeunte, sive Hierosolymis, sive alibi in terra sancta vidisse assererent. Atque inde sive plenos, sive cavos menses faciebant. Etiam die tricesimo de phasi proxime superioris vesperae testimonio allato ita creditum, ut inde mensis praeteritus cavus fieret. Adeoque e locis integri diei itinere ab Hierosolymis dissitis satis tempestive in rem advenire potuere testes. Non item qui intervallo majori abessent. Neque hic nefas habebatur tanto itinere in festo aliquo die, aut sabbato ipso ad urbem testimonii hujus gratia accedere, ut scilicet sanctificatio neomeniae inde sequeretur. Hoc enim & hujusmodi alia, quae, aut ad festa solennia celebranda, aut solennitates statas observandas attinuere, ne quidem pro violatione sabbati regulariter habuere. Unde toties illud דוחה את השבת *depellit sabbatum* de actibus hujusmodi, aliisque aliquot dictum. Binos autem hic minimum voluere illi testes, ut in rebus aliis, sed moribus, ac vita integerrimos, ac sui generis, seu Israëlitas; Gentiles autem, uti & foeminas & minores, quemadmodum & rebus in aliis rejiciendos. Quin & de corniculantis figura sollicitius eos examinabant, utrum scilicet reclinante, inclinante, aut ejusmodi alia figura lunam vidissent quam quae loco ac latitudini ejus in Zodiaco, ac habitudini solari, quam ex epilogismo astronomico compertam habebant, satis conveniret. Atque in hanc rem צורות הלבנה *depictas* in pariete *figuras lunares*, variatim scilicet formatas, habuere, juxta quas testimonia exigere solebant. De figuris illis nos plura alibi; [a] jam vero si testimonium de phasi allatum ejusmodi fuisset, ut nec calculo astronomico esset consonum, scilicet si refragaretur calculus ille quo mi-

[b] Seder [illegible] cap [illegible] [c] Seder 1. cap 10. [d] Seder 1. cap. 29. [a] De jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 6.

nus, aut phasin tunc haberi, aut eadem quam renuntiarent testes figura lunam conspici esset inde credendum, nec quidem testibus creditum. In scripturariis autem sunt, qui testem admittunt [b] hic unicum. Nec obstare aiunt quod habetur in lege de testibus binis [c], pluribusve. Id scilicet eo solum spectare, ut in litium & actionum judiciis veritas de eo, quod, aut a reo male fit, aut ab actore falso imputatur a testibus binis, pluribusve fiat manifesta: Hic vero testimonium tantum adhiberi de re visa unde decernatur quid statuendum in praecepto numinis observando, eoque pariter ad universos Israëlitas attinente. Et receptior haec apud illos sententia; quam alii rejiciendam tamen volunt. De moribus item testium sollicitores sunt scripturarii, ita tamen ut nec omnes rejiciant non Judaeos, quorum etiam aliquos Judaeis Talmudici generis plane hic praeferunt, veluti Ismaelitas, seu Hagarenos; quoniam horum calculus de phasi, a scripturariorum non ita multum diffidet. Eliah Ben Moseh noster inter qualitates, quibus praeditum testem volunt sectae suae plerique hanc memorat שלא יהיה תלוק בדעתו בקדוש החדש מדעת חכמינו והנה מזה הצד ראוי לקבל עדות הישמעלים מפני שהם הולכים אחרי דעת חכמינו בענייני הראייה זברוב הזמנים אנו שוים עמהם בקדוש החדש ביום אחר יתד ואין ראוי לקבל לנו עדות הרבנים מפני שהם חלוקים ממנו בזה אמנם חחכם רבי לוי אמר ואם יגיד לני מי שנקריב כי דבריו אמת והטעם אם יעיד לנו שום אדם שדבריו אמת בין מהרבנים או מהגוים ככד נתחיב עלינו שנשתמר *Ut non sit diversae circa neomeniae sanctificandae rationem sententiae ab ea, quae sapientibus nostrae sectae recipitur. Et certe hac causa consonum est accipere testimonium Ismaelitarum, eo quod sequuntur illi disciplinam hic sapientum nostrorum in materie phasis. Et nos ut plurimum cum eis convenimus in neomenia sanctificanda etiam eodem plerumque die. Sed non oportet nos accipere testimonium Rabbinorum* (scilicet Talmudicorum Judaeorum) *quoniam illi a nobis hac in re disciplina sunt discordes. Attamen sapiens Rabbi Levi* (scripturarius) *ait, si quisquam mortalium nobis indicaverit id quod verum est, seu vero ita proximat ut probabile videatur, sive is ex Rabbinis illis fuerit, sive ex gentilibus, seu christianis, debere nos juxta rem observare.* Quod Eliae huic ipsi tamen displicet. Suorum vero, ac aliorum, qui in disciplina neomeniarum sanctificandarum ipsis sunt satis concordes testimonia de phasi tempestive allata (quoties scilicet judicum, seu eorum qui phasi decernendae praeessent oculis neutiquam de ea constaret) maxime docent scripturarii facienda, fidemque eis non raro habendam, prae ipso calculo astronomico, quem, sive per hypothesium incertum, sive per putantis incuriam saepius hic fallere non immerito profitentur, modo scilicet crassissimus, & nemini ferme non manifestus in plaga lunae visae designanda, aliave phasis circumstantia in testimonio, minime reperiretur. Tunc enim etiam ipsi testimonium rejiciendum volunt. Hinc Talmudicos hoc nomine quidem severius reprehendunt, velut qui nec legem sacram satis observarent dum calculum astronomicum tanti faciebant, ut testimonium huic non satis consonum plane rejicerent. Elias [d] hac de re אפילו יראה כי לא בחשבונם עלה אם שבאו עדים והעידו כי נראה אין שומעין להם וזה הפך כונת התורה ודבור סרה במצות השם להחליף המועדים מזמנם להשליך דעת הברור שהוא המוחש וללכת אחרי דעת ההקרבה שהוא החשבון *Quoties per epilogismum initum non reperirent* (de Talmudicis loquitur) *phasin haberi potuisse, etiamsi advenirent testes, qui de phasi testimonium adferrent, neutiquam audiendos eos voluere. Quod quidem sensui legis contrarium est, & praeceptis numinis adversum; dum inde festa luxantur, suisque e locis detruduntur; & ratione phasis dignoscendae manifesta, & quae ex sensu pendet neglecta, adhibetur illa, quae probabilis est tantum, seu conjecturalis qualis est ipse calculus.* Etenim in hoc negotio rationem manifestam, seu scientiam certam, quam דעת הברור nuncupant, solam in ipsa phasi, ut oculorum objectum est, tempore suo, seu vespera diei trigesimi habita positam volunt. Calculum autem astronomicum, & quae sunt reliqua, juxta ante dicta, in digerendis mensibus, cavisque, & plenis, variatim faciendis, adhiberi solita, ad דעת ההקרבה, seu *rationem probabilem*, seu *conjecturalem* aiunt attinere. Sed demum aiunt, אמנם כשאין לנו דעת הברור חנה או נלך אחרי דעת ההקרבה ואם לא כן הוא מרד גדול במצות השם ועל כן אנו בעלי מקרא כשאין לנו דעת הברור שהוא המוחש נלך אחרי דעת ההקרבה *Si vero desit nobis ratio manifesta, tunc sequimur rationem conjecturalem. Nisi enim sic fieret, praecepta numinis graviter transgrederemur. Ideoque nos scripturarii, quoties rationem manifestam, & quae e sensu pendet non habemus, conjecturalem amplectimur.* Et caput habet Elias noster [e] integrum בחיוב דעת ההקרבה כשאין דעת הברור *de eo quod est, necessario adhibendam esse rationem conjecturalem,* seu *probabilem, ubi manifesta deest,* idque in mandatis sacris observandis, veluti de mundo, & immundo discriminando, de ciborum delectu legitimo, id genus aliis.

CAP. XV.

De neomeniae promulgatione, & de festo duplici, seu biduo continuo, dubii, in neomeniis, seu mensibus digerendis, causa, celebrando.

EX incerta mensium, sive plenorum, sive cavorum per annum distribuendorum; formula ac more hactenus ostenso, nemo non videt adeo incertam fuisse festorum, jejuniorum, aliarumve solennitatum, dierum menstruorum nomine, seu numero, sive in lege sacra, sive in decretis publicis denotatorum, juxta rationem hanc observationem, ut quicunque nesciret cavusne an plenus ab iis qui negotio huic praeessent, mensis praeteritus fieret, eum ut hodie an cras festum aliquod, decimo, verbi gratia, nono, decimi-

[b] Apud Eliah Ben Moseh Seder. 1. cap. 12. & 13. [c] Deut. xvii. 6. Num. xxxv. 30. & vide Deut. xix. 51. [d] Seder. 1. cap. 10. [e] Seder. 1. c. 14.

quarto, ſeu alicui alii menſis cujuſcunque labentis diei affixum, ſervandum eſſet, ſimul ignorare eſſet neceſſum. Nam ſi cavus fieret menſis praeteritus, ſeu dierum 29, tunc unico die citius advenire quemlibet menſis inſequentis diem palam eſt, quemadmodum, ſi plenus, aut dierum 30, die unico ſerius. Hinc docent Talmudici, huic ut occurreretur incommodo, ſeculis in vetuſtioribus morem fuiſſe, ſignis flammeis, aliiſve in montium ſummitatibus collocatis neomeniae tempus indicare; quoties ſcilicet, aut phaſi Hieroſolymis tempore ſuo habita cavus nocte trigeſima fieret menſis praeteritus, aut non habita plenus; cujus indicium ſic nocte potuit trigeſima prima expediri. Poſtmodum vero aiunt, quoniam Cuthaei (quo nomine Samaritanos plerumque innuunt) ſignis hujuſmodi poſitis Judaeos hac in re fallere, utpote ſibi odioſiſſimos, conabantur, in morem fuiſſe receptum, nuntios, ſeu curſores publicos per terram ſanctam ſub neomeniarum tempora, ſeu poſt menſis praeteriti qualitatem indicatam, mitti a ſynedris ſynedrii magni ſolitos, qui populum ubique hac de re facerent certiorem. Neque horum itinera, aut dies feſtos, aut ſabbatum violaſſe. Ab eis vero qui propter loci ab Hieroſolymis diſtantiam [a] tempeſtive ſatis edoceri nequirent, biduum continuum feſto diei unicuique tribuendum, ſeu diem quemlibet feſtum biduo continuo celebrandum. Ne ſcilicet verum ipſum diem juxta neomeniae quam ignorarent, conſtitutionem obſervandum forte praetermitterent. Etenim ſi cavus fieret menſis praeteritus, dies prior verus erat dies feſtus, ſi plenus, poſterior. Utrumque igitur voluere ſic ſervandum. Nuntios hoſce שלוחין *Apoſtolos* nuncupant, qua quidem voce indigitantur etiam Judaeorum miniſtri alii a patriarcha eorum miſſi ad exigendum per ſynagogas aurum, ut videre eſt in codice Theodoſiano [b]. Quod vero ſic de nuntiis, ſeu Apoſtolis hanc in rem emittendis dictum eſt, non ad cunctas pariter neomenias attinet, ſed ad eas ſolum e quarum tempore dies feſti menſibus aſſignati, & jejunium illud celebrius quotannis nono die menſis Ab ſervatum pendebant. Id eſt ad neomeniam Niſan, Tiſri, Caſleu, Adar, Jiar ob feſta in eis ſignata, atque ad neomeniam Ab, propter jam dictum jejunium. Reliqua enim jejunia, quae ſparſim aliis habentur in menſibus, non tanti feciſſe videntur ut curſorum publicorum hic uſus adhiberetur; qua de re tamen conſulas magiſtros [c], nuncius, ſeu apoſtolus hic ſufficiebat unicus. Et ſi quis alius fide dignus, licet neutiquam a ſynedris miſſus, decretum de neomenia indicaret, feſta, juxta ea quae is narraret, celebrare licuit. Scripturarii autem qui hodieque in terra ſancta neomenias, & temporum rationem, juxta antedicta, ſervant, de feſto ejuſmodi duplici item monent; ſed alias etiam ob cauſas. Sic nempe eſſe illud ab univerſis ſectae ſuae celebrandum, quando, aut per crebrum phaſis tempore ſuo, ſeu ſub exitum menſis praeteriti defectum, ac per incommodam forte cavorum, & plenorum menſium praeteritorum diſpoſitionem, aliaſve inter diſquirendum ob cauſas de certo, juxta eorum diſciplinam, neomeniae die ſatis non liqueret, aut per confuſionem ejuſmodi qualemcunque neomeniarum, & menſium exituum eveniſſet ut plane in dubio reſtaret utrum diei praeſenti an poſtriduano neomenia legitima eſſet tribuenda. Verba ſunt Eliah Ben Moſeh [d] noſtri;
סוף דבר פסקו הכל שראוי לעשות שני ימים מספק
שוה זה לזה לא יצריך אחד מהשב יהם על האחר
Summa eſt, conſentire univerſos, oportere celebrari dies binos propter dubium, eoſque non omnino, quantum ad celebrationem, inter ſe dignitate impares. Hoc vero maxime obſervandum in menſibus Niſan, & Tiſri; quoniam in altero paſchatis feſtum celebrandum, in altero expiationum, idque ſub graviſſima [e] exciſionis (כרת *Cerith* dictae) poena coelitus ſcilicet non humano aliquo judicio infligenda, nec aliunde quam a numinis vindicta expectanda. Sed perperam minus, & contra receptiſſimam Judaeorum cum Talmudicorum [f] tum ſcripturariorum doctrinam docent theologi quidam celebres, poenam illam humani fuiſſe judicii, adeoque excommunicationis forenſis in eccleſia, ſeu republica illa ſpeciem fuiſſe, aſſerunt. Adeo etiam ut interdum ipſum vocabulum כרת, quae *exciſio* eſt a numine ſolum expectanda, peſſime reddatur a viris alioquin doctis nec rebus Talmudicis prorſus inaſſuetis, *excommunicatio.* Quae ſumma eſt morum Judaicorum gentiſque diſciplinae, aut imperitia, aut peritiae diſſimulatio, ne quid gravius dicam. Ea autem de re alibi plenius. De duplici autem ejuſmodi feſto propter calculi aſtronomici incertum ſubinde obſervando, rationem addunt ſcripturarii, שאין מנהג הכתוב לדבר
בעיינים המסופקים רק הולך אחר הברור והודיע לנו
הכתוב שכשאין לנו דעת הברור איך נדין על הספק
morem ſcripturae non eſſe loqui, de rebus dubiis; ſed de eo quod manifeſtum, & certum eſt. Sed interea eam docere nos, quoties certa nobis deeſt ſcientia, de dubio (quatenus dubium eſt, & manet) *eſſe judicandum.* Exemplum petunt ex lege ſacra de effractore nocturno [g], quem eo quod in dubio erat utrum furti, an caedis cauſa aedes nocte effringeret, ideo patrifamilias in tutelam ſui occidere licuit; non item, ſi luce hoc fecerat, quia de furto tunc ſolum praeſumendum; quod mulcta, non caede omnino ex lege compenſandum. Hinc aiunt, והזה מפני שמצאנו בכת׳ הורין
חן על הספק הזה יחוייב לנו ג״ל׳ לדון על הספק
Quoniam in ſcriptura comperimus gratioſam poenae (aliter homicidii cauſa ſubeundae) *remiſſionem propter id quod in dubio eſt, ideo etiam debemus nos de dubio judicare.*

[a] Vide cap. 17. [b] Lib. 16. tit. 8. lib. 14. [c] Gem. Babyl. ad tit. *Roſh Haſchana* cap. 1. fol 18. & Gloſſ. in Maimon. Hal. *Kiduſch Hakodeſch* cap. 3. fol. 200. b. [d] Seder. 1. cap. 16. [e] Numer. xix. 13. Levit xxiii. 30. [f] Videſis lib. noſt. 7. de Jure Naturali, &c. c. 9. & Sixtin. Ab Amama Antibarb. lib. 3. p. 955. [g] Exod. xxii. 2.

C A P.

CAP. XVI.

Incertissimae annorum quae hactenus descripta est rationis, in hominum aetatibus, rebusque aliis civilibus decernendis, usus.

QUam operosa res & molesta esset neomeniarum, adeoque consequenter festorum, jejuniorum, omnimodarumque solennitatum menstruarum apud Judaeos recurrentium legitima observatio ex jam ostensis liquet. Quin & incertissima inde atque ex Adare secundo subinde adjecto, sibi crebro dissimillima erat annorum in rebus civilibus dijudicandis ratio. Veluti in majorum, minorum aetatibus juxta annorum numerum putandis, locati item, ac conducti annis, id genus, quae in hominum commerciis obvia sunt, aliis. Regulariter, verbi gratia, ante annum decimum tertium, ac diem insuper unicum completum minores habebantur masculi; foeminae vero ante annum duodecimum, ac unicum praeterea diem, qua de re etiam nos [a] alibi. Jam vero anni quidem, cum solaris, tum lunaris, ut ex ante dictis constat, rationem habuere. Adeoque etiam non solum numero rotundo solarem dierum 365 esse admisere, sed & simplici anni nomine illum subinde intellexere; uti etiam dum commentum vetus sic adjicitur a Bar Chama [b] de Satana, & solenni, seu magno expiationum die; השטן בגמטרוא תלת מאה ושיתין וארבע הוי תלת מאה ושיתין וערבע יומי אית ליה רשותא לאסטובי ביומא דכיפורי ליה רשותא לאסטוני HASATAN *numerum exhibet* 364; *scilicet sunt dies* 364, *in quibus facultas est Satanae Judaeis adversari, eosque accusare* (unde nomen habet.) *Die vero expiationum deest ei facultas haec*; seu die 365, quo annus completur. Caeterum in rebus civilibus decernendis, quales jam memoravimus, idque genus aliis, neque lunaris ratio, neque solaris habebatur anni, sed solummodo incertissimi illius, qui e mensibus etiam non minus certis conflabatur, sive communis, sive intercalaris. Adeo ut pro vario annorum ejusmodi discrimine, aliter atque aliter se haberet, & natorum aetas, & locationum, aliorumque contractuum tempus. Expressissima sunt hac de re in utroque Talmude [c] testimonia. Atque ex eis Moses Maimonides [d], de legitima natorum utriusque sexus aetate annorum numero distinguenda, verba faciens demum subjungit כל השנים האמורות בבן ובנות ובערכין ובכל מקום אינן לא שנין הלבנה ולא שנין החמה אלא שנים של סדר העיבור שהן פשוטות ומעוברות על פי בית דין כמו שהן קובעין אותן כמי שנארנו בהלכות קידיש החודש ובאוהן השנים מונין לכל דברי הדרת *Anni omnimodi, sive de prole alterutrius sexus, sive de rerum qualicunque aestimatione dicti, alibive memorati, nec solares sunt, nec lunares, sed anni quales ex ordine intercalandi nascuntur, sive communes, sive intercalares, juxta quod synedrium eos praestituerit, quemadmodum explicatum est a nobis in libro de sanctificanda Neomenia. Quin & juxta hoc genus annorum putandum est in rebus omnimodis ad legem attinentibus.* Tantundem habet Moses Cotzensis [e], alii. Nemo igitur erat inter eos mortalium cui satis constare potuisset de futuro legitimae, sive suae, sive alterius aetatis termino, antequam postremi anni a synedrio qualitas decerneretur, id est, aut adjiceretur Adar secundus, aut praetermitteretur. Quale & de rebus aliis civilibus, quibus annorum ratio necessaria, dicendum. Et vide quod habetur supra capite undecimo, de annuorum stipendiorum solutione.

CAP. XVII.

Quando & unde desierit, juxta Talmudicos, vetus ille mos, ex phasi lunari, mensium praestituendorum, atque annos ex arbitrio intercalares faciendi. Cyclus enneadecaetericus ab Hillele principe synedrii magni introductus. Quamdiu synedria judaica in terra sancta.

TAlmudicis, ut ante diximus, receptissimum est, incertam illam mensium, annorumque rationem ex synedrii magni decreto pependisse, adeoque quamdiu synedrium illud in terra sancta emortuum non est, nec evanuit, perpetuae phasium lunarium observationi, atque annorum, qualem ostendimus, intercalationi locum ibi fuisse, eumque debitum. Atque velut הלכה למשה מסיני *traditionem*, seu *doctrinam Mosaicam e Sinai* [a] habent calculum illum menstruum, seu neomeniarum על פי הראייה *juxta phasin lunarem*, seculis scilicet in illis, quibus synedrii authoritas obtinuit. Caeterum בזמן inquit Maimonides, שאין שם סנהדרין קובעין על פי החשבון הזה שאנו מחשבין בו היום ואין נזקקין לראיה *tempore, quo synedrium ibi defuit, annos, & menses praestituere sumus soliti juxta computum hunc quo hodie utimur, nec phasis habetur omnino necessaria*, quae & nunc ante computi illius neomeniam, nunc in ipsa neomenia, nunc post eam accidit. Computus ille visitur in Machzor illo, seu cyclo decemnovennali, cui certus est annorum intercalarium, & similiter semper redeuntium numerus, atque obiter habetur apud authores jam ante a nobis indicatos. Author cycli hujus fuit Hillel princeps synedrii magni, Filius Jehudae principis. Rabbi Abraham Zacuthius [b], הלל הנשיא בנו של ר׳ יהודה הנשיאח תקן העיבור על דרך רב ארא עד שיבוא המשיח בן דוד והיה בזמן אביי ורבה וכן כתב ר׳ שמעון דורן בפירוש האזהרות והיה בשנה תר״ע לשטרות ואחריו לא היה בית דין ערד *Hillel princeps filius R. Jehudae principis composuit rationem intercalationis*, seu *computum annalem juxta doctrinam astronomicam Rab Ada a nostris adhibendam, usque dum venerit Messias filius David. Floruit autem tempore Abii & Rabba (quod & testatur etiam Rabbi Simeon Doran in exegesi sua monitoria) atque anno aerae contractuum* 670.

[a] Lib. de Successionibus, c. 9. [b] Gem. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 1. fol. 20. a. [c] Hierosolymit. ad tit. *Nedarim*, cap. 7. fol. 40. col. 1. Babylon. ad tit. *Erakin*. cap. 3. fol. 18. a. & cap. 8. fol. 31. a. [d] Halac *Ishoth*, cap. 2. [e] Praecept. affir. 50 fol. 134. col. 4.

[a] Vide supra, c. 8. [b] Sepher Juchasin, fol 90. a.

Neque post eum habitum est unquam synedrium. Alibi [c] item de eodem Hillele; תקן העיבור לכל ישראל קודם שתתבטל הסמיכה עד ימי המשיח *composuit*, seu *instituit intercalandi modum universis Israelitis, antequam cessavit, seu desiit ordinatio presbyterorum* (scilicet per legitimam in terra sancta manuum impositionem; qua de re alibi [d] egimus) *idque ut usque ad Messiae adventum duraret.* Scilicet ex doctrina astronomica & chronologica illius Rab Ada Bar Ahaba [e] & Samuelis minoris dicti, uti & Jarchinaei, [f] aliorumque (qui praevidentes postquam synedrium magnum plane esse desineret, cyclo aliquo annali opus necessario fore, quo tempora sua juxta legem Mosaicam digerentur, materiem artificiosam eam in rem ex medio luminarium motu diligentius formassent) cyclum illum, seu enneadecaeteridem notissimam sibi, posterisque conflavit Hillel ille. Annus autem aerae contractum 670 quo floruit Hillel hic respondet Christi anno 358, seu tempori Constantii Augusti. Adeoque sub id seculum desiit mos ille menses, a phasi lunari auspicandi, uti & annos mense adjectitio, seu Adare secundo causas ob incertissimas, juxta superius ostensa, augendi, intercalaresque modo vetustiori faciendi; limitibus, seu velut repagulis, cum mensibus adeoque neomeniis, tum annorum rationi certissimis jam secundum cyclum illum enneadecaetericum praestitutis. Neque enim pristinus mos diutius juxta Talmudicos obtinere potuit וסתלק ב"ד הקבוע מארץ ישראל *quia* [g] *consessus judicum stabilis*, seu *synedrium* cujus ex arbitrio pependit haec res tota, *desiit esse in terra Israelitica.* Diximus sub id seculum desiisse juxta Talmudicos morem illum veterem, ita tamen ut etiam annos ab Hillele elapsos non paucos mordicus ab ipsis ibi retentus interim videatur. Etenim septuaginta ab anno aerae contractuum annis; id est consulibus Florentio, & Dionysio, seu Christi 429, rescriptum habetur Theodosii secundi, & Valentiniani AA. ad Joannem sacrarum largitionum comitem quo Judaeorum synedria in utraque Palaestina memorantur. Verba rescripti sunt (ut in Theodosiano [h] occurrunt codice) *Judaeorum primates, qui in utriusque Palaestinae synedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quaecunque post excessum patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsolvere.* In codice Justinianeo [i] pro *nominantur* lege *dominantur:* Aliaque ibi haud parum a Theodosiani hic verbis discrepant. Sed quantum ad synedriorum mentionem attinet, codex est uterque concors, quae de collegiis, ac synedriis Judaeorum observavit Cujacius [k]. Quin & Maimonides morem pristinum desiisse ait בעת שחרבה ארץ ישראל ולא נשאר שם בית דין *Tempore, quo vastata est terra Israelitica, nec relicta in eo est domus judicii*, seu *synedrium*; quod & ipse ad aetatem Abii, & Rabba refert, seu לסוף חכמי תלמוד *ad finem doctorum Talmudicorum*, seu seculum, quod in Talmudicorum [l], id est in Gemaris citatorum, serie recentissimum est. De Hillele illo, ejusque computo, praeter Scaligeros & Petavios, vide cum primis etiam Joannem Morinum [m], & Samuelem Petitum [n]. Et Talmudicis tam extra quam intra terram Israeliticam degentibus, receptus calculus ille enneadecaetericus, ibi sic olim praestitutus; utpote qui priscum illum adeoque incertum suppleret: Ita tamen pristinum illum perpetuo redolere volunt novitium hunc calculum ut tametsi, dum cyclum in se redeuntem simpliciter spectamus, satis praenoscatur diei cujuslibet in dispositione menstrua festi locus, isque certissimus, nihilominus in regionibus ab Hierosolymis longius dissitis (id est in quibus Judaeis mos erat, dum ex phasi, ac synedrii magni promulgatione neomeniae pendebant, festa duplicia, seu binos simul dies festos, dubii causa, ut superius dictum est, regulariter celebrare) eandem, quae ante cyclum hunc introductum festorum duplicium, obtinuit rationem velint retineri. Distantiam autem sic definiunt. In locis ab Hierosolymis decem amplius dierum itinere dissitis perpetuo ut ante (quoniam illuc Apostoli seu neomeniae nuntii, maxime, שלוחי תשרי *Apostoli Tisri* mensis, cujus dies 10 erat festum expiationum illud magnum, tempestive satis pervenire tunc nequibant) festa agunt [o] duplicia. Quod si locus intra hoc intervallum reperiatur, sic distinguunt. Aut locus ejusmodi habetur intra terram sanctam, aut extra. Prioris generis in locis unicum, juxta cyclum hunc, celebrant festum. In locis posterioris generis, festa regulariter duplicia. Quod tamen sic temperandum, ut a recepto a patribus singulis in locis more aliquo singulari neutiquam interea recedatur. Quicquid enim ad festa haec duplicia attinet, fatentur esse plane מדברי סופרים *ex scitis scribarum*, quo nomine superinductos mores, ac instituta solent indigitare.

CAP. XVIII.

Excommunicationis Judaicae causae binae singulares ad ante ostensa de festis duplicibus, & intercalationem attinentes.

EX jam ostensis liquet quid sibi velint causae binae singulares inter viginti quatuor eas, ob quas apud Judaeos Talmudicos quis posset rite excommunicari, id est, eo usque pristina libertate consortii inter suos civilis privari, ut nec intra quatuor cubitorum distantiam eorum cuiquam assidere ei fas esset, nec legitimi, seu civilis hominum numeri pars aliqua, etiamsi praesens, interdum haberetur. Neque enim a templo, sacrificiis, aut conventibus sacris omnino quis apud eos ex sententia aliqua excommunicationis, sive forensi, sive alia humana arcendus erat. Nam & excommunicatio, tam a privatis, quam a foro aliquo ob causarum illarum aliquam legitime potuisset apud eos pronuntiari; qua de

[c] P[illegible] 45. [illegible] & tantundem R. Gedaliah Ben Jechai in *Shalsheleth*. fol. 34, 35. [d] In notis ad Eutychii Origines Alexandrinas. [e] Vide [illegible] Juchasin, fol. 75, & 70. [f] Ibidem fol. 69. a. [g] Tzemach David qui citatur etiam Jos. Scalig. Canon. Isagog. [illegible] p. 271. [h] Lib. 16. tit. 8. l. 29. [i] Tit. de Judaeis, l. 17. [k] Observat. lib. 7. c. 30. [l] Vide Jos. Scalig. lib. 7. de Emend. Temp. p. 6[illegible]4. [m] Exercit. 1. in Pentateuch. Samaritanum. [n] Observ. 3. lib 3. [o] Videsis Jos. Scalig. Can. Isagog. pag. 223. videsis Dionys. Petavium lib. 2. de Doctrina Temp. cap. 27. & Ægid. Bucherium de Pascha. Judaeorum Cyclo, c. 6.

re

re nos alibi fusius [a]. Nec quid cum forensi excommunicationis sententia apud eos commune erat legibus sacris de immundis corpore a [b] templo, sacrisque arcendis. Scilicet ex ipsa legis sacrae vi ita arcebantur illi, ut ex sententia forensi puniendi quidem essent mulcta aut verberibus si legem violarent. Ipsa autem disertis verbis lex sacra, non forensis aliqua sententia, a sacris eos excludebat. Quod imprimis observandum, ubi ex immundorum ejusmodi exclusione argumenta pro excommunicatione apud christianos afferri solent. Nec ad genus hieraticum, ejusve partem aliquam, jus excommunicandi prae aliis omnino attinuit. Causarum autem illarum altera [c] est, si quis esset מחלל יום טוב שיני של גליות *profanator diei festi secundi* (seu diem duplicis festi posteriorem) *captivitatis*, seu potius τῆς διασπορᾶς, seu *dispersionis*, seu Judaeorum extra terram sanctam degentium. Altera [d] est si quis מחשב שנים וקוביע חדשים בחוצה לארץ *computi annorum, seu mensium figendorum rationem iniret extra terram sanctam*, id est, aliam observaret annorum, mensiumque rationem, qua Judaeus, praeter eam, quae in terra sancta praestituta est, olim scilicet a synedrio magno, ac post praeter eam, quae ab Hillele ejusdem principe, non sine collegarum assensu, ut diximus, est introducta. Excommunicatum, qualem diximus, appellitant מנודה *separatum*, id est, מנודה מן הקהל *separatum ab ecclesia, synagoga, republica Judaica*, seu ἀποσυνάγωγον [e] *extra synagogam factum*. Atque dicebatur is esse בשמתא *in Shematha*, seu בנידוי *in Niddui*, id est in *separatione*, aut ἀφορισμῷ [f]. Quibus vocibus non plane ejectus innuitur, sed peculiari illa, quam diximus civilis inter suos consortii intra quatuor cubitorum distantiam libertatis deprivatione punitus. Quemadmodum in illo Virgilii,

Et penitus toto divisos orbe Britannos

peculiaris tantum insulae in oceano positura, non omnino divisio ejus ab reliquo orbe, quasi ejusdem pars non restaret, indicatur. Neque omnino admittendum [g], synagogae vocem in τῷ ἀποσυνάγωγος seu *extra synagogam*, aut *absque synagogis* (ut vulgata) *fieri*, synagogam, qua proseucham, aut cultus divini locum, aedesve sacras significat denotare, sed universum populum Judaicum, sexcenties in foedere veteri synagogae nomine denotatum; non aliter atque apud christianos ecclesiae nomine populum christianum, quae nihilominus pro aedibus item sacris passim sumitur. Sic excommunicatus, a triumviris sui generis quibuscunque, modo saltem ad mentem meliorem poenitentia ductum rediisse eum eis constaret, legitime potuit absolvi. Quod ut sibi fieret si non sedulo conaretur; sed per tempus bimestre, maxime si ex sententia forensi excommunicatus fuisset, contumax perstitisset, τῷ חרם *cherem* anathematismo, seu diris, atque execrationibus, ex sententia item fori feriebatur; interdum etiam carceri traditus; qua de re item nos plura loco supra indicato.

CAP. XIX.

Scripturariorum sententia de annis, & mensibus tum intra tum extra terram Israelis observandis, etiam post cyclum Hillelianum ita, ut ostensum est, admissum.

ITA discrepant in annali & menstruo computo scripturarii Judaei a Talmudicis post cycli, quem diximus, Hilleliani introductionem, ut ejusdem intra terram sanctam ne hodie quidem velint scripturarii usum admittere [a], phasis ibi rationi, ac prisco intercalandi mori, ac tempori Abib, seu frugum ibi maturescentium semper adhaerentes. Extra vero terram sanctam eundem ipsum cyclum amplectuntur. Eliah Ben Moseh noster, quoniam, inquit [b], qui extra terram sanctam degimus tempus Abib, seu maturescentium frugum satis internoscere nequimus הכרחנו להמשך אחרי חשבון העבור כפי מה שעושין אחינו ב"ה מפני שזה החשבון במשך אחר מציאת האביב בארץ ישראל בקרוב כי כשאין דעת הברור צריך ללכת אחרי דרך ההקרבה *Cogimur sequi computum intercalationis*, seu *cyclum illum, quem item amplectuntur fratres nostri Talmudici*, seu *traditionales. Nam & computus ille adeo nititur tempore Abib*, seu *maturescentium frugum in terra Israelitica, ut eidem quotannis, aut respondeat, aut proximet. Et, ubi manifesta ratio deest, sequenda est ea, quam suppleat conjectura*, seu *quae veritati propior videatur.* Et dein explicat מחזור *Machzor*, seu cyclum illum decemnovennalem cum certa intercalationis ratione in eo admitti solita, in qua nec tres continui anni communes, nec bini intercalares. At vero de Judaeis hujus generis in terra sancta agentibus, autor idem אלא אנשי ארץ ישראל הנכשכים על פי האביב לפעמים יעשו ג' פשוטות מחוברות ולפעמים שתים מעוברות וזהו מצד שנוי הזמנים בבכור והאחור והם הולכים אחרי דעת הברור ואנו הולכים אחרי דעת ההקרבה *Atqui Judaei, qui terram sanctam incolunt, tempore Abib, seu maturescentium ibi frugum nixi, interdum tres faciunt annos communes continuos, uti & interdum binos intercalares; quod evenit ex citioris aut serioris germinandi temporis discrimine. Utuntur scilicet ii ratione manifesta* (quae scilicet juxta patrum scita in terra sancta, ut ante ostenditur, recepta est) *nos vero conjecturali, seu quae a veritate non ita videatur distare.* Hinc sequitur, communem fieri subinde in terra Israelitica a recentioribus adeoque hodiernis Judaeis scripturariis annum, qui extra terram eandem degentibus, sive scripturariis, sive traditionalibus intercalaris fuerit, uti & intercalarem ibi qui extra degentibus communis; adeoque tempus quod his Nisan, aut Tisri mensis fuerit, illis interdum esse Adar, aut Elul, atque e converso. Addit Eliah noster ex Rabbi Aharone in anno quarto cycli Hilleliani 269 (qui respondet aerae christianae anno 1349) mensem Tisri eundem fuisse Judaeis scripturariis

[a] Lib. 4. De Jure Nat. & Gent. cap. 8, &c. Adde Constant. l'Empereur in Bertram. pag. 371, &c. [b] Num. v. 2. & xix. 11, &c. Levit. xiii. 46. & cap. xxii. [c] Gemar. Babylon. ad tit. *Pesachim*, cap. 4. fol 52 a. [d] Ad finem Gemar. Bab. ad tit. *Beracoth*. & Maim. Hal. *Talmud Tora*, cap. 6. [e] Johan. ix. 22. xii. 42. [f] Vide Luc. vi 22. [g] Videsis Drus Praeterit. 4. ad Joh. ix. 22. [a] Vide supra cap x. [b] Sedir 1. cap 40.

in terra Israelitica, qui Elul iis, qui extra degebant. Atque וכן inquit, הקרה בזמננו שנת דר"מ ט'ו למחזור חלכו אנשים מקהלתנו בעיר הקדש ואמרו ששנת י"ד ממחזור רע"ו שאנו בו והיה לוו עבור היה להם שנה פשוטה & *sic accidit tempore nostro, in anno* 240 (chiliadis scilicet Judaicae sextae, seu sub annum Christi 1480) *ac cycli, seu* Machzor *Hilleliani* 15. *Profecti sunt scilicet homines aliquot ex ecclesia nostra in urbem sanctam, qui retulere annum* 14 *cycli* 276, *qui nobis erat intercalaris* (ut oportuit ex ratione cycli) *Judaeis ibi degentibus generis nostri fuisse communem.*

CAP. XX.

Apocryphorum aliorumque scriptorum ex Judaeis Graecorum (ut Agathobulorum, Aristobuli, Fl. Josephi, Philonis) testimonia, seu vestigia aliquot de doctrina temporum Talmudica, & Karaitica hactenus ostensa. Neomeniae, & neomeniae secundum lunam notiones variae: Et de pronoumenia.

JUxta hactenus ostensa Judaei cum Talmudici tum scripturarii, intelligunt illud a numine in ipso creationis actu de luminaribus prolatum, *Et* [a] *sint* לאותות ולמועדים ולימים ושנים *in signa, in certa,* seu *solemnia tempora, in dies, & annos,* uti & reliqua in corpore Mosaico de annis, ac mensibus, eorumque initiis, ac diebus occurrentia. Et quanquam ipsius lunae (cujus e phasi, & menstrua, & annua adeo variabant tempora) in hanc rem mentio in lege sacra plane est nulla, sed mensium duntaxat, & ראשי חדשים [b] *principiorum mensium,* attamen expressim legitur apud Syracidem [c] de luna postquam de sole est praefatus, Καὶ ἡ Σελήνη ἐν πᾶσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς, ἀνάδειξιν χρόνου, καὶ σημεῖον αἰῶνος. Ἀπὸ σελήνης σημεῖον ἑορτῆς. Φωστὴρ μειούμενος ἐπὶ συντελείας. Μὴν κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστιν. αὐξανομένη θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώσει. *Et luna in omnibus pro tempore suo, ostensione* seu *indicatione temporis, & signo seculi. A luna signum diei festi. Luminare quod minuitur in fine* [d] (motus sui, seu periodi.) *mensis secundum nomen ejus est. Crescit mirabiliter in mutatione.* Ibi autem codex Complutensis habet καὶ σελήνην ἐποίησεν εἰς στάσιν καὶ καιρὸν αὐτῆς, &c. *& lunam fecit pro positura, & tempore suo, &c.* In Apocryphis item Esdrae, Josias dicitur [e] *immolasse pascha quartadecima luna primi mensis,* & *novilunium* quinti mensis postea [f] in eisdem memoratur. Atque in hisce quidem lunae ipsius expressior mentio. Id autem interea verum est, interpretibus veteris testamenti Graecis τῆς νεομηνίας vocabulum, seu νουμηνίας *neomeniae,* quod *novilunium* vertitur, multoties usurpari (uti & semel apud Paulum [g] apostolum) pro *mensis initio,* atque substitui pro ipso חודש, quod tum pro *mense* sumitur tum pro ipso civilis *mensis initio,* atque etiam pro *luna nova,* a verbo חדש quod *renovare* significat. Si autem τὸ *neomeniam* ἀπὸ τῆς μήνης, quod *lunam* denotat (ut vulgo) potius quam ἀπὸ τοῦ μηνός, quod *mensis* est, idque secundum nomen illud *lunae* Graecum, uti & ait Syracides, factum velis, tunc ipsa etiam novilunii vox in eodem plane haberi potest quatenus lunam primo e radiis solaribus emersam adeoque in coelo primo conspicuam, seu phasin toties ante memoratam significat, seu quatenus ab interlunio, seu occultationis tempore post synodum discriminatur. Et certe Angli neomeniam in sacris literis new moone (quod nunc pro synodo ipsa, nunc pro luna primo post synodum conspicua hodieque sumitur) ut Galli *nouvelle lune,* Itali *nuova* ut Hispani *nueva luna,* Germani neue mond (uti & cognatae his linguae) seu *novam lunam* interpretantur; ubi Syrus & Arabs habent *initium mensis,* juxta locutionem Ebraicam. Sed vero ut idem vocabulum paulo variatum apud Graecos, & lunam, & mensem denotat, sic apud Ebraeos etiam ut ipsum חורש est, & *mensis,* & *nova luna,* ita ירח [h] est tam *mensis* quam *luna,* uti & in linguis cognatis: Mensura scilicet pro mensurato adhibita. Summa autem est, neomeniae seu novilunii nomen non solum pro nova, seu prima, aut primo e radiis solaribus emersa luna, *revertentes cum primum colligit ignes,* sumi, verum etiam pro mensis initio utcunque ab ipsa synodo diebus aliquot distante. Unde & ubi mensis praeteritus plenus, juxta ante ostensa, seu dierum triginta factus est, nulla scilicet phasi post interlunium legitima habita; dies trigesimus primus, seu civile mensis proximi initium neomenia dicebatur, quemadmodum & calendas vocamus, & vocarunt Romani veteres initia mensium etiam ubi calatio, quod munus erat pontificium, nulla. Quin & in Graecorum [i] commentariis non minus admitti videtur factum esse vocabulum illud ἀπὸ τοῦ μηνὸς quod *mensis* est, quam ἀπὸ τῆς μήνης quod *lunam* significat. Unde & distinctio illa neomeniae κατὰ σελήνην *secundum lunam,* ab ea, quae simpliciter sic dicta, aut quae μὴ κατὰ σελήνην *non* [k] *secundum lunam,* seu non mere lunaris. Certe Thucydidi [l] neomenia κατὰ σελήνην *secundum lunam* est ipsa lunae ἡ γέννα, seu nativitas (quatenus distinguitur ea [m] ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, seu ejusdem *ortu)* id est ipsa luminarium synodus, ut liquet ex eo quod aestate primi belli Peloponnesiaci anni ait defecisse solem νουμηνίᾳ κατὰ σελήνην *neomenia juxta lunam,* extra quod tempus nec eclipsin solarem haberi potuisse recte adnotat. Ipsum igitur synodi tempus, seu eam interlunii partem, quae sola est eclipsis tempus, plane intelligit. Caeterum etiam Flavius Josephus Judaeus doctissimus, non semel, eodem locutionis genere usus est, neomenias, in rebus Judaicis Graece enarrandis, memorans; mensium nempe Atticorum, & Macedonicorum, qui Ebraicis propius respondere (nam, nec ipsi sibi inter ipsos, nec cum Ebraeorum mensibus iidem omnino fuere) simul cum Ebraicorum ipsorum nominibus. Floruit ille sub Vespasiani, & quae sequuntur tempora in Domitianum. Mariae sororis Mosis obitum fuisse ait [n] Xanthici mensis Macedonici (qui propius τῷ Nisan, seu

[a] Genes. i. [b] Num. xxviii. 11. [c] Cap. xliii. 6. [d] Sed vide Jos. Scalig. Canon. Isag. lib 3. pag. 264. [e] Lib. iii. i. 1. [f] Cap. viii. 6. [g] Ad Coloss. ii. 16. [h] Psalm. viii. 4. Deut. xxi. 13, &c. [i] Hesychium, Etymologic. Magnum, Glossar. [k] Vide Jos. Scalig. de Emend. lib. 1. pag 24 A. lib. 2. pag 61. C. [l] Lib. 2. [m] Achil. Tatius in Aratum. cap. περὶ σελήνης. [n] Orig. Judaic. 4. cap. 4.

primo

primo Ebraeorum, uti & ipse alibi [o], respondebat) νουμηνίᾳ κατὰ σελήνην, & Aharonis κατὰ σελήνην νουμηνίᾳ Hecatombaeonis mensis Attici, qui sic respondebat τῷ Ab [p], seu nono Ebraeorum. Gelenius substituit *luna prima*, & quidem recte satis, si juxta illam Thucydidis neomeniae lunaris notionem Josephi Graeca sint intelligenda. Nam & scimus interlunii tempus post synodum *lunam primam* [q] Latinis vocatam, & phasin, diesque sequentes, secundam, tertiam, & sic deinceps. Atqui Ruffino interpreti Josephi veteri, qui annos abhinc mille amplius ducentos sexaginta floruit, priori in loco pro Graecis illis habetur *mensis initio secunda luna*, uti in posteriori *secunda luna initio mensis*. Quae etiam exemplaribus Ruffini MSS. binis in bibliotheca ad S. Jacobi Regia (quorum alterum quidem optimae notae) sunt consona. Ac *mensis initium* is alibi, uti & *novum mensem* [r] pro neomenia substituit. Et ubi Mosis mortem tribuit Josephus [s] dystri Macedonum mensis Ἀδάρου δ' ὑφ' ἡμῶν νουμηνίᾳ, *apud nos autem* (habet ille) *Adar mensis initio*. Quod male in Ruffini impressis legitur, *apud nos autem Adar mensis initium est*. Sed & κατὰ σελήνην adjicitur apud Josephum diebus menstruis, quae neomeniam sequuntur, ut decimo, decimoquinto, aliis. Israelitae, inquit [t], reliquere AEgyptum πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην *die 15 secundum lunam*, Xanthici mensis. Jejunium item magnum septimi mensis, seu Tisri, quem Hyperberetaeo Macedonum propius respondere facit [v], τῇ δεκάτῃ αὐτοῦ μηνὸς κατὰ σελήνην *decimo diei ejusdem mensis secundum lunam* tribuit, alibique similiter loquitur. Et Ruffinus locis jam indicatis *decima*, & *decimaquinta luna* tantum habet. Sane si neomenias, diesque mensis insequentes Ebraicos, seu quales tam scripturarii quam Talmudici Judaei, ut ostensum est, suis receptos esse docent, apud Josephum in hac phrasi intelligas, necesse est, ut novilunium ejus κατὰ σελήνην *secundum lunam* minime sumatur, ut Thucydidi, pro ipsa synodo, sed pro novilumio civili; scilicet aut pro phasi (ut quoties mensis proxime praeteritus propter phasin cavus erat) aut pro trigesima prima a novilunio civili proxime praeterito die; ut, quoties mensis plenus, seu triginta dierum. Atque ita dies reliqui κατὰ σελήνην hac notione apud eum dici potuere, quatenus a noviluniis illis civilibus dinumerarentur. Phasis autem adeoque neomenia ab illa pendens civilis saepius die a synodo, cujus dies luna prima dici solita, secundo, id est secunda luna habebatur; ut nemo nescit ex lunari motu non raro nunc haberi. Anne igitur Ruffinus, cujus quidem sub aevum priscus phaseon usus evanuit, omnino apud Talmudicos (qui tamen a scripturariis in terra sancta perpetuo retentus) ita Josephum intellexit, ut non tam verba transferenda, quam sensum sic substituendum duxerit, ut nomine *secundae lunae* neomeniam civilem phasi post coitum insignitam denotari voluerit? Graecis autem veteribus etiam ipsa phasis, seu neomenia ex phasi, prima luna, uti & dies insequens phasin secunda dici solita, quod scimus ex Gemino [x]. Sed vero Josephus, *Mense*, inquit [y], *Xanthico, qui nostris Nisan vocatur*, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος &c. Τὴν θυσίαν πάσχα λεγομένην δι' ἔτους ἑκάστου θύειν ἐνόμισε, *Et anni principium est, die 14 secundum lunam, sole tunc Arietem obtinente, sacrificium pascha dictum quotannis immolare praecepit.* Ubi Ruffinus, *quartadecima luna, sole opposito in ariete.* Quod plane intelligendum de luna decimaquarta, non ab ipsa synodo putata; sed a luna prima, seu neomenia lunari civiliter sumpta, juxta superius explicata, si aut Talmudicis, aut scripturariis credendum. Sed vero & hic expressius testatur Josephus de paschatis immolatione, sole arietem tenente, id est, aut post aequinoctium vernum, aut in ipso, secundum id quod pariter, ut ostendimus, volunt Talmudici. Quin & Philo Judaeus & ipse Alexandrinus, Josepho paulo prior, hic consonus est. Diserte ille [z] de Mose; Τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀναγράφει μῆνα, *Primum mensem facit eum, qui sub aequinoctium est vernum, in quo mundi initium* [a]. Et dein, Τῷ δὲ μηνὶ τούτῳ περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφαοῦς ἄγεται τὰ διαβατήρια, *Eodem in mense, die decima quarta, sub tempus ipsum, quo suum orbem lumine complere solet luna, celebratur pascha.* Quod, juxta ante ostensa, necessario sic intelligendum saepius de biduo, aut etiam triduo, ut interdum, veram lunae oppositionem sequente. Nam quantum tempus a synodo vera ad novilunium civile intercessit, tantum ut ab oppositione lunari ad lunam decimam quartam, seu mensis diei decimum quartum intercederet nemini non palam est. Etiam aequinoctii verni tempus plane interpretatur Philo per id, quod est Abib mensis, seu *tempus frugum maturescentium*, de quo supra non semel; κατὰ γὰρ ταύτην, inquit, τὰ μὲν σπάρτα, ἡ ἀναγκαία τροφή, τελειογονεῖται, *tunc enim maturescunt segetes ad victum necessariae.* Alibi [b] etiam tantundem de aequinoctio verno, veluti cujus imprimis in paschate rite celebrando ratio adhibenda erat, agnoscit. Ac initium mensis, inter festa gentis suae definiens, ait festum esse μετὰ σύνοδον τὴν κατά τινα σελήνην νέαν, νουμηνίαν *quod sequitur synodum* (lunarem) *secundum lunam aliquam novam, seu neomeniam*, ubi eodem sensu neomeniam sumere videtur, quo Thucydides in ante citatis, seu pro neomenia naturali; ac diem aliquem sequentem, seu phasis tempus pro ipso festo, seu mensis initio, id est pro neomenia civili. Tametsi postea sane τὴν κατὰ σελήνην (nam sic lego, non σελήνης, ut in vulgatis) νουμηνίαν etiam pro phasis tempore usurpet. Νουμηνία γάρ, inquit, ἄρχεται φωτίζειν αἰσθητῷ φέγγει σελήνην ἥλιος, *Neomenia incipit sol splendore sensibili lunam illustrare.* Et ἡ δὲ ἴδιον κάλλος ἀναφαίνει τοῖς ὁρῶσι, *ipsa vero proprium decus tum patefacit spectantibus*, quod de phasi ut intelligatur necesse est. Hinc item ob menstruum phasis, quoties haberi tempore suo potuisset, in orientis partibus aliis usum veterem, neomenia, Graeco barbare [c] dicitur καινούργιον φεγγάριον καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ νέου φεγγαρίου, *novum luminare*, seu *principium novae lucis* menstruae. Et sunt quidem viri magni [d], qui naturalis neome-

[o] Lib. 3. cap. 10. & 11. [p] Videsis Samuel. Petitum in Eclog. Chronolog. lib. 1. cap 10 & 19. & lib. Nostrum 1. de success. in Pon. c. 1. [q] Vitruvius, lib. 9. cap. 4. Plinius, alii. [r] Lib. 3. cap. 10. [s] Lib. 4. cap. 8. [t] Orig. Jud. lib. 2. cap. 6. [v] Lib. 3. cap. 11. [x] Elem. Astronom. cap. 6. [y] Lib. 3. cap. 11. [z] Lib. 3. de Vita Mosis. [a] Vide Philonem lib. de Septenario, p. 1190, 1191. [b] Lib. citato, p. 1174. & 1189. [c] Simon Portius in Lexico. [d] Jos. Scalig. lib. 3. de Emend. Temp. p. 209. & Can. Isagog. 204.

niae dies, seu ipsas synodos προνουμηνιῶν seu *antenoviluniorum* nomine observatas Judaeis fuisse volunt; quod fateor vocabulum occurrit in apocryphis Graecis Judithae [e]. Ea scilicet ibi jejunasse dicitur *omnibus diebus viduitatis suae*, χωρὶς προσαββάτων καὶ σαββάτων καὶ προνουμηνιῶν καὶ ἑορτῶν καὶ χαρμοσυνῶν οἴκου Ισραήλ, *exceptis prosabbatis, & sabbatis, & pronumeniis*, seu *antenoviluniis, & festis laetitiae diebus domus Israel*; ut editiones habent Complutensis, Aldina, Regia, aliae; in aliis, veluti Romana, & Francofurtensi, atque codice vetustissimo, qui Teclae tribuitur, in bibliotheca ad S. Jacob. regia, etiam καὶ νουμηνιῶν & *noviluniis* adjecto. Certe nullibi video ego Talmudicis solennem observationem aliquam anteneomeniae tributam. Nisi quoties ex ratione festi duplicis, ante ostensa, binae simul neomeniae servarentur, earum altera pronoumenia forsan dici potuerit. Nec vocabulum illud locum in origine Judithae codicum forte habuit. Nec aliud praeter καὶ νεομηνιῶν &c. post sabbata ibi legendum merito suspiceris. Nempe Chaldaice primo scriptum librum illum ait Hieronymus, atque *multorum se codicum varietatem vitiosissimam amputasse, ac sola ea, quae intelligentia integra in verbis Chaldaeis invenire potuit, Latinis expressisse.* At vero in Latinis habet ille tantum *praeter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.* De anteneomenia nihil omnino. Quod autem ad aequinoctii tempus servandum, utpote anni, paschatis causa, initii indicem attinet, legimus [f] etiam alios Judaeorum scriptores Graecos, eosque gravissimos admodumque vetustos idem juxta superius ostensa tradidisse. Agathobulos nempe binos praeceptores Aristobuli viri eximii, qui ex septuaginta interpretibus erat, in commentariis suis ad Exodum docuisse, δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ἐπίσης ἅπαντας μετ' ἰσημερίαν ἐαρινὴν μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός. τοῦτο δὲ εὑρίσκεσθαι, τὸ πρῶτον τμῆμα τοῦ ἡλιακοῦ ἢ, ὥς τινες αὐτῶν ὠνόμασαν, ζωοφόρου κύκλου διεξιόντος ἡλίου, *oportere universos pascha immolare* (seu celebrare) *post vernum aequinoctium* (ita ut ante diem, quo conficitur aequinoctii sydus non omnino fuerit celebrandum) *medio mense primo*; *atque tempus hoc esse, cum sol primam sectionem*, seu *signum solaris, seu, ut eorum nonnulli appellitant, signiferi circuli permeat.* Et de Judaeorum, qui, nec scripturariorum nomine, nec Talmudicorum vulgo veniunt, sed inter Graecos habentur scriptores, consonantia hic, hactenus.

CAP. XXI.

Ex paganis nonnullis scriptoribus, & christianis vetustis, loca aliquot ad temporis rationem Judaicam ante ostensam attinentia. Christianis primitivis disciplina hac in re cum Judaica eadem. Et de veteri paschatis observatione locus ex Eutychio patriarcha Alexandrino animadvertendus.

ETiam in scriptis cum paganorum veterum tum christianorum Judaico, quem ostendimus usui coaevorum occurrunt, quae jam dictis de phasi lunari, & varia incertaque annorum quantitate satis consonant. Ad neomeniarum solennitatem Judaicam omnino attinet illud Horatii [a],

—— *Hodie tricesima sabbata, vin' tu*
Curtis Judaeis oppedere? —— id est,

plane προσπέρδειν vel καταπέρδειν (vocabulum apud Aristophanem obvium) seu *ventris crepitu*, sive sonorius emisso, sive petulantius simulato Judaeos buccinis arietinis neomeniam pro more celebrantes *contumeliosius & ludibrio habere.* Quin & Galenus τοῖς κατὰ παλαιστίνην *eis, qui Palaestinam incolunt* annum fuisse ait (ubi [b] de Latinorum item, & Graecorum mensibus agit) dierum 354 seu mere lunarem, mensisque apud eos intercalandi morem ejusmodi memorat incertum, ut pro eo quem descripsimus facile sumere liceat. Judaeos autem ab eo intelligi non dubitandum. Nam & alibi [c] lapis in Palaestina proveniens *lapis* ei dicitur Judaicus, & balsami liquor, qui ex Judaea, e Palaestina ei [d] petitur. Scripsit autem Galenus sub Commodo Augusto, seu sub annum a Christo 180, cum priscus ille Judaeorum mos in temporum ratione nondum evanuerat. Autor item concionis [e] Petro apostolo tributae, quae sane vetustissima est, Judaeos corripit, quod lunam, & mensem adorantes, ἐὰν, inquit, μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, οὐδὲ νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, οὔτε μεγάλην ἡμέραν, *nisi apparuerit luna, sabbatum non celebrant primum dictum* (quod pro neomenia Tisri accipiunt alii [f], alii [g] pro primo Azymorum die) *nec neomeniam, nec azyma, nec festum* (quod κατ' ἐξοχὴν pro pentecoste sumitur) *nec diem magnum*, quam volunt aliqui fuisse scenopegiam. Sed tam in evangelio [h] quam in concilii Ancyrani [i] canonibus dies magnus, pro ipso paschatis die usurpatur. *Praeclara quidem ista* (inquit Josephus Scaliger) *sed nescit quid dicit.* Nec ad phasin lunarem locum attinere vult ille; sed ad feriarum translationem. At mihi satis est persuasum, hoc tantum ab autore hoc prisco innui; adeo scilicet ex phasi lunari apud Judaeos solennitatum menstruarum celebrationes simulque festa insigniora mobilia universa pependisse (juxta superius ostensa) ut idem fuerit ac si dixisset aliter, atque aliter omnimoda ejusmodi festa se habuisse prout lunaris phasis in mensis initio haberetur, aut minime. Scilicet si non apparuerit luna tempore suo, seu nocte trigesima tunc dies illos Hierosolymis non omnino servandos (nec alibi sine festo duplici servandos) qui aliter plane servari, praeeunte, atque agnita phasi, debuissent. Unde & Epiphanio [k], ex usu Judaico qui ante cyclum Hillelianum obtinuit, festa illa vocantur αἱ ὑποπίπτουσαι τῆς κατὰ σελήνην νεομηνίας καὶ αἱ καθεξῆς ἑορταί, *festa*, aut *solennitates, quae neomeniam juxta lunam*, seu *phasis lu-*

[e] Cap viii. 6. ubi vide Nic. Serrarium quaest. 11, 12, 13.
[f] Anatol. apud Euseb. Eccl. Hist. lib. 7. cap. 32. Gr. Lat. 36.
[a] Lib. 1. Serm. 9.
[b] Comment in Hippocr. lib. 1. Epidem. lib. 1.
[c] Lib. 9. de simplic. Medicam. facult. cap. de Lapidibus.
[d] Lib. 1. de Antidotis.
[e] Apud Clem. Alexandrin. Strom. lib. 6.
[f] Joseph. Scalig. in Prolegom. ad lib. de Emend. Temp. & Dionys. Petav. in Epiphan. Haeres. 30.
[g] Isaac. Casaubon. exercit. 14 num. 4.
[h] Johan. xix 31.
[i] Can. 7. & ibi Zonaras & Balsamon.
[k] Haeres. 30. num. 30. seu Ebioniaeorum.

naris

naris cauſa evenere, & quae inde pependerunt, ut paſcha, dies paſchales continui, pentecoſte. Haec ſcilicet ut mobilia, & pro civili neomeniae varietate (quae tamen ſub Epiphanii ſeculum cyclo illo Hilleliano coërcebatur) aliter atque aliter recurrentia, diſtinguit ab hebdomadario ſabbato φύσει ἀνακυκλουμένῳ *natura*, ſeu ſimiliter ſemper *revertente*. Certe nec deſunt, qui firmari haec velint ex illo evangelii [l] ubi dicitur Judam veniſſe, tempore nocturno ipſius paſchatis, μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων *cum laternis & facibus*; unde colligi ſcilicet poſſe exiſtimant [m], plenilunium, ſeu decimamquartam a ſynodo lunam paſcha ipſum, ſeu decimum quartum diem primi menſis, ſeu Niſan ſic antevertiſſe ut novilunium naturale, ſeu vera ſynodus anteverterat (veluti, ſive biduo ſive triduo) menſis ejuſdem phaſin, aliudve initium. Aliter enim nec facibus aut laternis adeo [n] opus fuiſſe; cum non ſolum in ipſo plenilunio, ſed & in tempore utrinque proximante ſatis eſſe ſoleant noctes in coelo illo plerumque ſereno ſub id tempus lucidae.

Nec ſolum Judaeis olim ſed & chriſtianis primitivis, maxime ex Judaeis, annalis ac menſtrua obſervatio, qualis ante deſcribitur, in uſu. Quemadmodum enim Chriſtus in terris ipſe, ac diſcipuli ejus, apoſtolique legem moreſque Judaicos violare nolebant [o], ita & poſt aſcenſionem diſcipulos ac apoſtolos, etiam & eccleſiam maxime Hieroſolymitanam integram, earundem legum morumque diu admodum fuiſſe tenaces liquet. Sic enim Jacobus, & presbyteri Hieroſolymitani ad Paulum. [p] *Vides frater quot myriades ſunt in Judaeis, qui crediderunt,* καὶ πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσι, *& univerſi ſunt zelotae legis,* ſeu qui legem Moſaicam ut ſanctiſſimam ſervari volunt. *Audierunt autem de te* ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωσέως *apoſtaſiam doces a Moſe Judaeos, qui per gentes ſunt omnes, dicens non oportere eos filios circumcidere,* μὴ δὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν *neque in moribus* (avitis, ſeu Judaicis) *ambulare*, ſeu *neque ſecundum inſtituta*, aut *mores vivere*; ubi & codicem MS. unum habere notat Robertus Stephanus ut etiam & Beza, ἔθεσι τοῖς πατρῴοις *moribus avitis, patriis*, ſeu *paternis*. Vulgata ibi ſubſtituit, *neque ſecundum conſuetudinem ingredi*, quod Wicleſius noſtras olim vertit **neither owen to enter bi custom**, *cum ingredi* ibi pro *incedere* ſeu *ambulare*, non pro *introire* uſurpetur; id eſt, pro *vivere*, ut in verſionibus Anglicanis, quae ſecutae ſunt, **to live after the customs.** Verum quidem eſt ſynodo Hieroſolymitana [q] ab apoſtolis & presbyteris annos aliquot ante definitum fuiſſe nihil gentibus quae Chriſto nomen dederant, ſatiſque aliter ſimplicem cultus chriſtiani rationem erant edocti, velut ex religione inſuper neceſſarium, imponendum praeter abſtinentiam idolothytorum, ſuffocati, ac ſanguinis, (quod ad res per ſe pro tempore interdicendas attinuit) καὶ πορνείας, καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι ἑτέροις μὴ ποιεῖτε, *& inceſtus* (quod *fornicatio* vulgo hic, uti & alibi vertitur) *& quae non vultis vobis fieri, aliis ne feceritis.* Quae poſteriora ad perſonas ſpectant nunquam non obſervanda. Unde & concubitus in Levitici decimo octavo interdicti, ac apoſtolorum [r] lingua τῆς πορνείας nomine deſignati, etiam pro interdictis in eccleſia chriſtiana perpetuo habiti. Quod vero dein ſequitur, certiſſimum eſt ac univerſale, modo rite intellectum, aequitatis, juſtitiae, juriſdictioniſque omnimodae, officiorumque invicem humanorum firmamentum, ac divinum tabulae ſecundae [s] compendium. Atque habetur quidem in exemplaribus Graecis vetuſtis, optimiſque novi foederis editionibus Graecis, atque etiam codice AEthiopico, uti item in antiquiſſimis Latinorum, atque in eo quo olim Anglicana eccleſia uſa eſt, ut alibi [t] obſervavimus. Neque exiguus eſt ejuſdem, ut ibi reperitur, ſi cum judicio perpendatur, in rebus momenti graviſſimi, quae agitari ſolent diſcutiendis, uſus. Verum ita de chriſtianis ex gentilibus tunc δόγματα [v] τὰ κεκριμένα *dogmata decreta* fuere. At interea chriſtianis ex Judaeis alia hactenus & poſtea, aut neceſſaria habita, aut velut neceſſaria necdum praetermittenda; legis ſcilicet integrae, morumque patriorum tam qui ad ceremonialem quam qui ad judicialem aut moralem attinuere, inde pendentium obſervatio, ut ex paulo ante citatis vides; quae ad eccleſiam Hieroſolymitanam primario ſpectabant, & conſequenter ad chriſtianos ex Judaeis diſperſos, qui Hieroſolyma ut exemplar, juxta diſciplinam tunc receptam, ſequendum habuere. Obviae ſunt diſputationes [x] in ſcholis de ceſſatione legalium, maxime quae ceremoniarum nomine veniunt, in quibus agitur de tempore, quo primum, ſi efficaciam ſpectes, mortua fuerint, quo primum mortifera ſeu illicita, & quando & quomodo mortua mater ſynagoga, ſeu lex Moſaica aliquandiu ſervata (ut illuſtriorum, ante ſepulturam cadavera) demum ſepeliretur. Et egregius ea de re etiam, extat liber Roberti Capitonis (Groſſe teſte vocitant) Lincolnienſis olim epiſcopi nondum typis editus, qui luce ſane digniſſimus. Sed diu poſt Chriſti paſſionem inter chriſtianos ex Judaeis, legalia & quae inde pendent omnimoda ſervata eſſe, extra controverſiam fit. Etiam tota minimum tempore, quod in ſacra actorum hiſtoria continetur, ſeu uſque ad ampliorem evangelii divulgationem, imo uſque ad excidium Hieroſolymitanum ſub Veſpaſiano (anni ſic eſſent, ab incarnatione Chriſti amplius ſeptuaginta) idem obtinuiſſe volunt viri docti. Inter mores igitur Judaicos ſic a chriſtianis retentos dubitari nequit quin etiam haberetur illa ipſa, quam oſtendimus annorum & menſium ratio legalis, ſine qua feſta aliaque ſacra non pauca rite celebrari non potuiſſe nemo non videt. Nec chriſtianos ex Judaeis ſolum; ſed & ex gentilibus legi Moſaicae quam par erat addictiores eo in ſeculo fuiſſe, ſcimus ex epiſtola ad Galatas, quos & expreſſim reprehendit [y] Paulus quod *dies obſervarent, & menſes, & tempora, & annos*, inter reliqua rudimenta Moſaica. Unde etiam adnotatur pſeudapoſtolos, quorum illi doctrinam ſecuti eſſent, non ſolum circumciſionem praedicaſſe ἀλλὰ καὶ τὰς ἑορτὰς καὶ τὰς νεομηνίας, *verum etiam ferias, & novilunia.* Quin & poſtquam evanuerat reliqua legalium obſervatio, haec de temporibus ſibi digerendis diu ita manſit apud chriſtianos Aſiaticos, ut paſcha ſuum, quod in feſtis ha-

[l] Joann. cap. xviii. 3. [m] Georg. Herwart in Chronolog. part. 1. cap 171. [n] Sed vide Hug Grot. in notis Evangelicis, pag. 1007. [o] Matth. xxiii. [p] Act. xxi. 20. [q] Act xv. 20. [r] 1 Corinth. v. 2. [s] Videſis Nic. Serrarium ad Tobiae, cap. iv. praecept. 6. [t] Lib. 7. de Jure Nat. & Gent. cap. 12. [v] Act xvi 4. [x] Thom. Aq. 1. ſecundae quaeſt. 103. art. 4 Scotus ad lib. 4. ſent. diſt. 3 quaeſt 4. Jo. Bachon in 4. ſent prolog quaeſt. 6. art. 4 alii ibidem, Suarez de legibus, lib. 9. cap. 10, &c. [y] Ep. ad Galat. iv. 10. & ibi Theophylactus.

buere primarium, non aliter fervari velint quam Judaicus annorum, & menfium computus obfervandum defignaret; id eft eodem cum Judaeis die, feu decima quarta luna primi menfis Judaici, quemcunque in diem hebdomadis luna illa inciderat. Qui mos quidem ecclefiis aliis difplicuit, non alio quam dominico die lunam Judaeorum decimam quartam fequente feftum illud celebrari quotannis volentibus. Atque utraque pariter opinio in fui tutelam antiquitatem etiam, &, ut fieri amat, apoftolicam traditionem prae fe ferebat. Qua de re obvia funt perplurima eaque expreffiffima [z] apud Eufebium, Socratem, Epiphanium, alios. Sed vero etiam qui diem dominicum fic volebant folum fervari, eos non minus juxta Judaicum computum rem ftatuiffe quam qui lunam decimamquartam, cuique palam eft, quamdiu fcilicet annorum certus ad hanc rem cyclus a chriftianis fibi repertus erat nullus. Tandem enim praeeuntibus, ut fieri folet, aliquot incaffum tentamentis, & Judaei fibi, & fibi chriftiani (& puto fane diu ante Judaeos) cyclos & fecere & demum inter fe publice recepere certos; faltem pro certis, & fimiliter per annos aliquot in fe redeuntibus habitos. De Judaeis diximus nos fupra: De chriftianis, chronologi paffim. Maxime AEgidius Bucherius ad canonem Victorii Aquitani pafchalem. Quoniam vero etiam apud Eutychium patriarcham Alexandrinum, Arabem nondum editum, hac de re legitur, quod ftudiofis forte non omnino ingratum erit, illud etiam adjicere hic vifum eft. Res tractans ille, quae ad Victoris papae feu Severi Augufti tempora, id eft ad annum Chrifti 200, aut praeterpropter, attinent,

وفي ذلك العصر inquit كتب ديمتريوس
بطريرك الاسكندرية الي اغابيوس اسقف
بيت المقدس والي مقسيموس بطريرك
انطاكيه والي بقطر بطريرك روميه في سبب
حساب فصح النّصاري وصومهم وكيف
يستخرج من فصح اليهود ووضعوا في
هذا كتب كثيرة ورسايل حتي ثبّتوا فصح
النّصاري علي ما هو عليه اليوم وذلك ان
النصاري كانوا من بعد صعود سيّدنا المسيح
الي السّما اذا عيّدوا الكميم من ذلك اليوم يبدوا
يصومون اربعون يومًا ويفطرون كما فعل
سيّدنا المسيح لان سيّدنا المسيح لمّا اعتمد في
الاردن خرج الي البرّية فاقام بها صايمًا اربعون
يومًا وكان النّصاري اذا كان فصح اليهود
عيّدواهم ايضًا الفصح ووضعوا هولاء البطاركة
حساب الفصح ليصومون النصاري اربعون
يومًا ويكون فطورهم في يوم الفصح

Tempore in illo fcripfit Demetrius patriarcha Alexandrinus ad Agapium epifcopum Hierofolymitanum, & Maximum patriarcham Antiochenum, & Victorem patriarcham Romanum, de materia pafchali chriftianorum, & eorum jejunio (perquam obvium eft patriarchas Alexandrinos epiftolas pafchales fuas quotannis olim alias ad ecclefias emittere folitos) *& quomodo difcriminandum effet a pafchate Judaeorum. Et quamplurima fcripta, & epiftolae hac de re hinc inde fuere; adeo ut demum confentirent in pafchatis obfervationem qualis hodierna eft. Scilicet cum chriftiani poft afcenfionem Domini noftri Chrifti in coelum celebrabant Epiphaniorum diem* [a], *ab eo die jejunabant quadraginta dies, & tunc jejunium folvebant, quemadmodum fecit Dominus nofter Chriftus. Etenim Dominus nofter Chriftus, cum baptizatus effet in Jordane, egreffus eft in defertum, ubi per quadraginta dies jejunavit. Cum autem Judaei fuum celebrabant pafcha tunc item fuum pariter chriftiani. Sed ftatuere patriarchae hi computum pafchatis ejufmodi dein fore, ut quadraginta dies jejunarent, & dies quo jejunium folverent, effet fibi pafcha.* Id eft ut quadraginta dies jejunarent ante dominicum diem, qui fequeretur pafcha Judaeorum, & tunc jejunium folverent. Quod & alibi fic fatis explicat. Nam de fynodo Nicaena verba faciens, & ejufdem de pafchate decreto

واتّفقوا ait ان يكون فصح النّصاري في يوم
الاحد الذي يكون بعد فصح اليهود وان لا
يكون فصح اليهود مع فصح النّصاري في
يوم واحد وثبّتوا ما وضعه ديمتريوس بطريرك
الاسكندرية واغابيوس اسقف بيت المقدس
ومقسيموس بطريرك انطاكيه وبقطر بطريرك
روميه من حساب الصّوم والفصح وان يكون
فطر النّصاري يوم فصحهم وهو يوم الاحد
الذي يكون بعد فصح اليهود ☼

Et decreverunt ut chriftianorum pafcha foret dies primus (feu dominicus) *qui fequeretur pafcha Judaeorum, nec celebrandum pafcha chriftianorum fimul,* feu *eodem die cum Judaeorum. Idem fcilicet ftatuere, quod & ante Demetrius patriarcha Alexandrinus, & Agapius epifcopus Hierofolymitanus, & Maximus patriarcha Antiochenus, & Victor patriarcha Romanus, de jejunio, & pafchate, ut nimirum jejunium folverent*

[z] [illegible] C. 23. Lat. Ruffin. cap 24. & Socrat. lib. 5. cap. 21. Nicephor. Callift lib. 4. cap 37, &c. [a] Videfis Concil. [illegible] collat. 1 . 2. praef. ad Epift. Pafchal. Theophili patriarchae Alexandrini. Concil. Antifiodor, c. 2.

rent

8

rent die quo pascha celebrarent, quae feria esset prima, seu Dominicus, *qui Judaeorum pascha insequeretur.* Id est plane ut die dominica decimam quartam lunam sequente, eam, quae proxime aequinoctium vernum sequebatur, pascha christianorum celebraretur, velut ἀναστάσιμον, seu *festum resurrectionis* non ut σταυρώσιμον, seu *festum crucifixionis*, more Judaico. Quod quidem patribus Nicaenis tribui solet [b] (licet in eorum synodi canonibus nec Graecis nec Arabicis comperiatur) atque etiamnum in ecclesiasticis christianorum cyclis obtinet. Tam aequinoctii igitur rationis quam lunae decimaequartae, ac terminorum paschalium origo ex Judaeorum est usu; de quo supra. Atqui interea immolare quidem pascha rite ex sententia sua potuere illi pridie aequinoctii, sed non omnino diutius ante. Scilicet paschale festum illud quod Azymorum primo, seu luna decimaquinta incipiebat, aequinoctium antevertere nunquam debuit, ut ostensum est [c]; juxta quod intelligenda, quae de aequinoctio habent scriptores ex Judaeis Graeci supra citati. Hinc partim forsan scimus quid sibi velit canon ille vetustus (sed apostolis falso tributus [d]) episcopum, presbyterum, diaconum gradu suo dejiciendum, si pascha πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, *ante vernum aequinoctium cum Judaeis egerit.* Nam qui eodem cum Judaeis die pascha christianum, jejunium solvendo, agebant, quoties in aequinoctium luna decimaquinta incidebat, plane ante aequinoctium pascha suum celebrabant. Die scilicet pridiano immolabant olim Judaei, stante templo, uti & post excidium faciebant quod immolationis locum sibi suppleret. Certe palam est inter christianos vetustissimos, receptam fuisse etiam sententiam illam de paschate ante aequinoctium non celebrando, quod satis edíscitur ex illo Dionysii episcopi Alexandrini [e] ὅτι μὴ ἄλλοτε ἢ μετὰ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν προσήκει τὴν τοῦ πάσχα ἑορτὴν ἐπιτελεῖν *non aliter debere eos paschatis festum agere quam post vernum aequinoctium.* Floruit ille sub annum Christi 250. Nec ea de re dubitavit [f] Anatolius episcopus Laodicenus, qui non ita multis inde annis de paschate scripsit, uti nec Epiphanius [g] aut autores constitutionum quas apostolicas [h] vocamus, nec fere qui dein secuti sunt. Et persuasissimum sane habeo, ex doctrina Judaica, ante ostensa, id est Talmudicis recepta, sententiam hanc in christianos manasse. Quod vero subinde sic occurrit de celebratione Judaica ante aequinoctium, non intelligendum existimo perinde ac si illi (saltem Talmudici) unquam agnoscerent legitimam fuisse simpliciter ejusmodi celebrationem, sed capiendum, aut de immolatione, ut dictum est, aequinoctio pridiana, aut de Karaeorum sectae forsan usu ubique ante cyclum Hillelianum receptum, atque etiam post in terra sancta (nam aequinoctii rationem eis citra cyclum illum habitam nondum didici) aut potius de diversis circa aequinoctii tempus & locum placitis. Scimus enim ex Gemino, Hipparcho, Achille Tatio, Ovidio, Columella, Plinio, Vitruvio, Manilio, Capella, veterum aliis, cardines solaris circuitus (id est Judaeorum Tekuphas) in signorum quidem initiis, ut hodie, aliis interea in partibus octavis, in decimis, duodecimis, decimisquintis, aliterque aliis locatos; adeoque juxta discrimen hujusmodi aliter atque aliter in Ariete locatam Tekupham Nisan, seu aequinoctium vernum. Non igitur in doctrina de celebratione ante aequinoctium discrepasse opinor tunc Talmudicos, & christianos. Sed ex eo quod illud Zodiaco citius perfici crederent illi, quam calculo in suo hi tunc admitterent, irrepsisse illam de celebrationis anticipatione objectionem. Hac autem de re, si plura velis, consulas ante alios, Dionysium Petavium, maxime in Epiphanii haereses 51 & 70 & in dissertationibus ad auctarium, & AEgidium Bucherium cum in Victorii canonem, tum in tractatu de paschali Judaeorum cyclo.

[b] Vide Canon. 1. Concil. Antioch. Euseb. de vita Constantini, lib. 3. cap. 17. Socrat. lib. 1. cap. 6. & lib. 5. cap. 21. & scriptores de paschate obvios. [c] Vide supra cap. 6. [d] Can. Apost. 7. [e] Apud Euseb. Hist. Eccl. cap. 20. Gr. 15. Lat. [f] Ibid. cap. 32. Lat. 26. [g] Haeresi 70. §. 11. Lib. 5. cap. 16.



DE
JURE
NATURALI
ET
GENTIUM,
Juxta Disciplinam
EBRAEORUM,
LIBRI SEPTEM.

————Loca nullius ante
Trita solo. Juvat integros accedere fontes,
Atque haurire————

PRAEFATIO,

Quae etiam inſtituti operiſque eſt ſummula.

T*Itulus, quantum ſcio, plane novus eſt; etiam hactenus tam inauditus quam incompertus. Nec ſolum in molem praegrandem excrevit volumen, verum & ipſe librorum ac capitum elenchus paginas non ita paucas occupat. Unde fit ut nec ocyus tranſeunti, nec oſcitanter evolventi, nec leviter intuenti facile ſatis queat excogitari quidnam operis fuerit ſubjectum ſeu materies, aut qualiſnam aut unde ratio inſtituti. Merito igitur viſum eſt ea hic velut in tabella contractiori exhibere. De Jure Naturali & Gentium, quidem agitur; ſed non ſimpliciter ſic dicto. Adjicitur, juxta diſciplinam Ebraeorum; quae tituli eſt novitas. De Jure tum naturali, tum gentium, quomodolibetcunque alias ſumpto, ac de obligatione & permiſſione circa utrumque verſantibus, anxius diſquirunt acriuſque diſceptant crebro ethici, politici, juriſconſulti, theologi: Nec defuere quibus omnino placuit illud veterum aliquot,*

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.

Caeterum ex eis in quae plerique ſcriptorum, alias etiam de jure hoc diverſimode diſſidentium, conſentire ſolent, nullo labore elicitur, naturalis qualecunque id demum fuerit, peritiam (id eſt juris ejus quod cunctorum hominum ab ipſis rerum ipſiuſque naturae creatae initiis commune fuit, ſeu univerſorum cordibus, ut dici ſolet, inſcriptum) non minus nec alio ferme modo juris univerſi divini humanique, quod citra initia illa poſitivum eſt, atque morum ſcientiae exactiori conducere, quam ſapientiam quam appellitant primam ſeu metaphyſicam reliquis philoſophiae membris, quae ſua ex illa mutuo accipiunt principia, ſeu quam artes pure mathematicas eis quae ſunt mixtae, aut epochas in temporum motuumque ratione, inſequentium calculo. Neque abſonum eſt dicere, ab jure illo caetera multifariam ſuperinducta, velut ſurculos per inſitionem accedentes a trunco cui inſeruntur, ſuſtentari alique. De eo autem interea quod eſt, qualia & quot ſint ac quouſque extendantur contrahanturve juris iſtius capita, atque undenam petenda, diſſenſus eſt ſane multiplex. Gentium jus interdum pro jure item naturali ſumitur; quoties nimirum primaevi ſeu primarii nomine indigitatur. Sed vero quatenus juris gentium vocamine mores & jus pluribus gentibus, nec interim univerſis nec ſemper, ſive ex numinis juſſu imperativum, ſive ex pacto aut conſuetudine interveniens, denotatur (quale ſecundarium nuncupari ſolet) naturalis illud, non aliter atque caeſareum, pontificium, provinciale, municipale jus, plane eſt additamentum. Atque ex hac duntaxat notione in titulo uſurpatur: Et jus naturale ita ſignificat hic quod jus mundi ſeu univerſale; gentium jus, id quod gentibus aliquot peculiare. Lucanus,

Sed neque jus mundi valuit, neque foedera ſancta Gentibus----

jam vero naturalis vocabulum in titulo id tantum indicat quod ex Ebraeorum, ſeu eccleſiae aut reipublicae veteris Ebraicae, placitis, ſententiis, moribuſque tam in foro quam in ſcholis receptis avitiſque pro jure mundi, ſeu omnium hominum omnimodarumque tum gentium tum aetatum communi, etiam ab ipſo rerum conditu eſt habitum, ut ſcilicet a totius naturae creatae autore ſeu numine ſanctiſſimo humano generi, ſimulatque creatum eſt, indicatum, infuſum, imperatumque. Hoc מצות בני נח *praecepta ſeu jus filiorum ſeu poſterorum Noachi appellitant Ebraei; utpote quo nomine genus humanum a Noacho ſecundo, quemadmodum ferme ab Ada primo, propagatum innuere eis eſt ſolenne. Capita hujus juris ſeptena, quae illuſtriora ſunt, a ſcriptoribus chri-*

3 *ſtianis*

ſtianis ſubinde habes, ſed nec ſine craſſiſſimo ſubinde errore, generatim memorata; nullibi autem explicata. Ea ſunt, de cultu extraneo ſeu idololatria; de blaſphemia; de homicidio; de inceſtu ac concubitu illicito; de furto; de eſu membri ſeu partis ab animali hactenus viventi diſcerptae; & de judiciis ſeu regimine forenſi, atque obedientia quam civilem vocitamus. Gentium autem jus in titulo accipitur pro eo quod ſive ex ſingulari numinis imperio ſive ex pacto ſeu conſuetudine interveniente Ebraeis aliiſque gentibus ſive vicinis ſive aliis (nec interim univerſis, nec ſemper) commune habebatur; veluti in contractibus, nuptiis, ſervitute, foederibus, proſelytorum admiſſione ac regimine, captivis, tributis, id genus reliquis. Inſtituti autem ratio ita ſe habet, ut praemittatur primo diſſertatio de neceſſario in rebus difficilioribus ſerio perpendendis diſpiciendiſque diligentioris ac multiplicis aliorum ſententiarum, utcunque inter ſe plurifariam diſcrepantium, indaginis atque examinis uſu. Quem ſane ſi qui negligentius aut ignavius rejiciant, ut ſui ipſorum commentis nimium fallantur illi ſaepius neceſſe eſt; perinde fere atque Antipheron ille, cui proximus aër perpetuo ſpeculum adeoque perpetuo ac ſolum ſui fuiſſe fertur. Agitur dein de gentis populive Ebraici vetuſtate, dignitate ac praerogativa olim prae cunctis aliis eminentiſſima, ac de barbaricae philoſophiae (cujus Ebraica pars eximia) veluti occidentis magiſtrae praeſtantia. Diſcutiuntur etiam placita ſcriptorum diverſimoda de juris, qualecunque id fuerit, naturalis fonte, ortu, ſedibus, adeoque de eo quod eſt, unde petendum ſeu ediſcendum jus illud. Atque enumeratis, tum ex Ebraeis tum e Chriſtianis aliquot, capitibus juris naturalis, quod Noachidarum Ebraeis dicitur, illuſtrioribus, abſolvitur liber primus. Sequentibus libris talmudice & rabbinice ſigillatim explicantur capita illa; ſed ſparſim & pro re nata, quicquid juris hic gentium nomine venerit. Neque enim aliam eſſe idoneam methodum cenſui. Praeterea, non raro tum interſeritur doctrina Talmudica de juris Ebraeorum civilis ſeu ſimpliciter Iſraelitici, ad res ſive ſacras ſive profanas attinentis, capitibus aliquot, tum alia aliunde obſervanda adhibentur: ut inde eorum de jure ſive naturali ſive gentium ſenſus inter legendum explicatior reddatur.

Hinc Liber ſecundus interdicta priora bina de idololatria & blaſphemia complectitur; ubi item proſelytorum juſtitiae, proſelytorum domicilii, libertinorum, ſervorum in Judaiſmum cooptatorum initiamenta, ſtatus ac conditio, ſeu peregrinitatis jura, velut conſequentibus neceſſario praevia, enarrantur. Accedunt coeleſtium, humanarum, aliarum imaginum tum formatio tum uſus, qua licitus, qua illicitus, tam originariis quam proſelytis; publicanorum ibi qualitas; luci plantatio; figurae, ad neomeniarum tempus ex teſtium deſignatione decernendum, lunares; icones Caeſareae; nummi, ex eis qui Ebraeis in uſu, illis inſigniti; Ebraici item; numiſmata Rhodia, quae velut pars pretii Domini noſtri Jeſu Chriſti Romae & Pariſiis oſtentantur; Moſis figura; vitis aurea; India in velis Judaicis picta apud Claudianum; profanatio nominis divini, ac ejuſdem ſanctificatio; peccatum illud quod in lege ſacra dicitur ביד רמה fieri, ſeu manu elata; filii Dei nomen; veſtium, blaſphemiae auditae cauſa, dilacerandarum ritus; ſententiae Ebraeorum aliquot de gentium diis non blaſphemandis.

Libro tertio diſpicitur, utrum ad cultum aliquem divinum, & ad qualem, genus univerſum humanum quod reliquum erat, ſeu gentiles, obligari vellent Ebraei. Qualis item cultus gentilibus permiſſus, qualis interdictus, ſive ad templum Hieroſolymitanum ſive alibi in ditione Iſraelitica; Et fuſius quid ſtatuerint Ebraei de ſabbati ſeu ſeptimi diei cultu, qua ad gentiles, ſeu alios praeter ſeipſos, quoviſmodo attinere poſſet. Cultus ante legem Moſaicam adjicitur divinus; templi Hieroſolymitani, quantum ad loca gentilibus vetita ſeu permiſſa, deſignatio; interdicta eis, nondum in Judaiſmum rite cooptatis, legum Moſaicarum obſervatio. Opinio eorum qui non res ipſas ſed pretia tantum rerum a gentilibus nondum in Judaiſmum cooptatis offerenda temere aſſeruerant, diſcutitur. Sabbati adjungitur inſtitutionis tempus, annus, dies, locus, ratio, iter etiam ſabbaticum, & primum ſabbatum feſti nomine, ex imperio juxta eos divino, celebratum. Fl. Joſephi & Philonis loca inſigniora de ſabbato expenduntur, intertextis de calendario Romano, Graeco, aliis, uti & de orbe nundinali, quae lucem hic praebeant. Quae item ex Heſiodo, Homero, Lino, Callimacho, Ariſtobulo, Clemente

Alexan-

8

Alexandrino, Luciano, A. Gellio, Suetonio, Censorino, Ovidio, Tibullo de diei septimi seu saturni inter gentiles observatione, uti & e Tertulliano, Lampridio, Seneca, afferri solent, explicantur. Ogdoades etiam dierum, ac hebdomades, denominatio planetaria, quae hebdomadica est, ejusque ortus, ratio, usus, heptazonus, planetarum ordo, juxta veteres, in systemate mundi, & horarum vetustas, in eodem tractantur.

Quartum Librum occupat interdictum homicidii, quatenus sive ex jure naturali penderet, sive cum gentium jure in ditione Israelitica esset commistum. Conjunguntur jura tutelae sui, aliorum, zelotarum, asyli tum in urbibus Levitarum tum in altari, vindicis sanguinis, anathematum; caedes sub ratione poenae aut quasi, id genus alia quae interdictum hoc seu ejusdem laxamentum aut temperamentum aliquod respexere aut respicere visa fuerint; excommunicationis jura, id est ejus formula, causae, ritus, effectus; negotiatores & nummularii a Domino nostro Jesu Christo e templo ejecti; arcae tredecim totidemque mensae in templo ad recipienda tum allata tum oblata; hostiae humanae; aposynagogi in evangelio; Jephthae votum.

Libri Quinti materies est incestus, ac illicitus juxta Ebraeos concubitus, sive ex jure naturali sive ex Mosaico interdictus; matrimonium item ex jure naturali; uti & matrimonia proselytis, libertinis, servis, ancillis inter se, aut cum originariis, qua vetita, qua permissa; innuptarum concubitus; merces meritricia; ritus nuptiales; polygamia, ac divortium; concubinae; primorum parentum liberi; cognationis ac affinitatis gradus qua matrimonium spectasse volunt; captivae ex lege singulari coitus; Salomonis uxorum conditio; natales, qua ex diversa personarum coeuntium qualitate pependerint; de Herodis magni natalibus patrum veterum sententiae defensio; Semijudaei seu proselyti imperfecti; Agrippae regis junioris fraternitas Ebraica; cognata alia. Quae vero praeterea ad rem matrimonialem inter originarios, seu ex jure simpliciter Ebraeorum civili seu Mosaico, reliqua spectant, toto ea demensa horreo damus in uxore nostra Ebraica, quae typos praestolatur.

Sextus Liber interdictum furti explicat, qua naturale habitum est, qua item jus gentium cum eo mistum; adeoque agit de fide servanda; adquisitione ac translatione dominii tam personarum quam rerum, cum ejusdem modis ac temperamentis; contractuum formulis, ac vi; mendacio; occupationis titulo; rebus derelictis, deperditis; jure pauperum seu mendicorum; angulo segetis; spicilegio; racematione; uvis deciduis; frugibus per oblivionem in agro relictis; decima pauperis; eleemosynis; pauperum necessitate, qua aliorum dominium spectare posset, seu eo quod dici solet, utrum furari liceat propter necessitatem; servitute; manumissione; usuris; bonis alea seu certamine quovis alio lucrifactis; piscium ac columbarum captura; columbariis; bello indicendo; deditione; foederibus; victoria; tributis; regionibus subactis; praeda; numismate census in evangelio; didrachmi ibi pensitatione; semisiclo; loco illo evangelii, nemini servivimus unquam, &c. captivis; congeneribus non paucis.

Septimus interdicti de membri seu partis ab animali hactenus vivente discerptae sensum exponit, praeter obscuriora quaedam seu minora capita juris Noachidarum apud Talmudicos reperta, veluti honorem parentum, heterogeneorum usum, castrationem. Obiter de votorum effectu. Et demum accedit ibi caput de judiciis seu regimine forensi, atque obedientia civili. Etiam de judicio divino, ac praemio & poena qua Noachidas, juxta Ebraeos, spectent, agitur. De judicibus item seu tribunalibus seorsim ac per se, proselytis domicilii, constitutis, poenis aliisque rebus forensibus, qua nempe sive ad proselytos hosce sive alios nondum in Judaismum cooptatos ex jure sive naturali sive gentium attinerent. Nam res forenses jure simpliciter Ebraico seu gentis mere civili subnixae locum hic non habent. Sed earum pars insignior, & quae totius instar est, in libris de synedrio eorum magno, quos nondum publici juris fecimus, traditur. Quae sunt in scriptis Mahumedanis materiei congeneris subinde etiam intermiscentur.

Quemadmodum autem res, scita, placita ac sententiae AEgyptiacae ex AEgyptiorum, Phoeniciae e Phoenicum, Graecae e Graecorum scriptis, quod olim monuit Eusebius, aliae similiter (velut Anglicae ex Anglorum, Gallicae e Gallorum, Hispanicae

ex Hispanorum) edifcendae funt, ὅτω δὴ, *recte inquit idem, quem fequor,* [a] κατὰ τὸ ἀκόλουθον ἡγοῦμαι δεῖν καὶ τὰ Ἑβραίων ἐκ τῶν παρ' Ἑβραίοις λογίων, ἀλλὰ μὴ ἄλλοθέν ποθεν, ἀποδέχεσθαι, Eodem plane jure ftatuo, res Ebraeorum non aliis quam Ebraeorum ex libris literifque effe repetendas; *unde fane, nec indiligenter (vere, id eft, libere, philofophantium caufa, quotquot literarum huic generi fuerint inaffuetiores) ipfis Ebraeorum verbis fideliter defcriptis femperque verfis repetimus hic nos. E fcriptis nimirum, praeter Biblia facra, & Fl. Jofephum & Philonem Judaeos, Talmudicis; quae Ebraeorum de Jure placita, interpretationes, fententiafque receptas ac avitas fufe exhibent; perinde ac digefta, codices, novellae, bafilica, eas quae fuere Romanorum; feu, ut edicta, conftitutiones, confuetudinum corpora, ac decifiones Gallicae, jus Gallicum; aut ejufmodi alia in Hifpaniis, Hifpanicum jus; in Anglia, Anglicanum. Nefcius non fum, hominum effe genera, nec fane pauca ea, quae eoufque aut ftudiorum fuorum aut fui folius ingenii fuaeve fectae commentorum anguftiis ultro circumfcribuntur ut earum cancellos, ne quidem ut exploratores, libentius dignentur egredi: Veritatem aliquam alibi quam in fuo, quantulumcunque illud fuerit, reperiri poffe, aut temere negantes, aut fecurius non agnofcentes, defperantefve. Certe haec jam breviter praemiffa, licet illufmodi hominibus ulterius legendi defiderium neutiquam forfan pepererint, nihilominus etiam de eis merebuntur faltem gratias, quales itineris longi, quod an capeffere operae pretium fuerit viator haefitabundus quaefiverit, incommodorum & taedii indici debentur. Lectores vero inprimis praemoniti fint, utcunque omnia fuerint probanda, nihil interim in toto hoc opere abfque Lydii chriftianifmi lapidis examine effe amplexandum.*

[a] Praeparat. Evangelic. lib. 7. cap. 8.



DE

DE JURE NATURALI ET GENTIUM,

Juxta Disciplinam EBRAEORUM,

LIBER PRIMUS.

In quo operis adgrediendi ratio; Ebraicae philosophiae, quae Barbaricae pars erat perinsignis, dignitas; disquisitio generalis de jure naturali, seu omnium hominum ab ipsis rerum initiis communi, ejusque ortu ac sedibus; Ebraeorum ea de re sententia, & demum illustriorum, juxta illos, juris ejusdem capitum designatio, continentur.

CAP. I.

Tum philosophos tum theologos, qui sive de officiis hominum naturalibus seu jure naturali, simul & summo bono, sive de civili gentium jure seu disciplina accuratius egerunt, non solum sibi consona sed & diversissima aliorum instituta ac placita operosius corrogare & perpendere meritissimo solitos: Nullibi autem apud veteres, sive Graecos sive Latinos, Ebraeorum, id est, gentis numini adeo olim peculiaris, de jure naturali placita seorsim seu ad eorum mentem designari. A recentioribus perfunctorie nimis ea tangi. Instituti demum ortus & ratio.

QUOD in nobilissima illa philosophiae severioris parte, qua doctrina moralis atque civilis vitaeque humanae norma sive tradi sive tractari solet, continetur, id universum aut circa officia versatur, ad quae homines tum erga numen sanctissimum, tum ipsi erga se invicem, sive ex affirmatione sive ex negatione expressa qualitercunque obstringuntur, aut circa ea quae adiaphora manent, aut demum circa accessiones illas atque selectiora sanctitatis seu beatitudinis complementa, quae velut officiis jam dictis superstructa gradus illos conficiunt quibus ad summum bonum finemque perfectissimum, qualiscunque is pro vario hominum ingenio statuatur, ascenditur. In officiis autem illis locum obtinent primarium τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν seu *prima naturae*. Atque haec sane sive velut columnae, cui innitantur caetera, robustissimae munus obeunt, sive qualem fere habet ad vectis, librae, cunei, trochleae, aliorum in staticis & mechanicis motum circulus (qui πάντων τῶν τοιούτων ἔχει τῆς αἰτίας ἀρχὴν [a] *omnium talium continet causae principium)* rationem praestant juris naturalis nomen simul induere solita, atque in re civili & morali plane fiunt καθ' ὅλου πρῶτα seu *universaliter prima*. Juri huic naturali accedit, ut dignitatis prae reliquis quotquot civilia sunt singularis, jus illud illustrius gentibus diversis variatim sive ex imperio sive ex pacto interveniens. Tam de officiis illis quam de accessionibus quas diximus habentur passim disputationum ingentes a philosophis, theologis, jurisconsultis, congestae moles. Atque hisce quidem non solum perquam solenne est ea

[a] Aristot. in Mechanicis.

quae

quae apud alios, sive sui ipsorum persuasionibus sive coetuum sectarumque quibus immiscentur disciplinae aliterve sive consona sive viciniora occurrerint, exhibere; verum etiam contrarias & discrepantes pariter opiniones & sectarum aliarum dogmata ac scita saepissime solicitius adferre: Idque non sine causis certe gravissimis. Nam non sua modo sic auxiliaribus suffragiis haud parum firmant, sed & insuper adversa refellendi, obscuriores, quae suas dissidentesque sententias intermeant, confiniorum ipsissimas lineas detegendi designandique, proximantis subinde vero falsi ac simulantis larvam exuendi, id genus caetera, quae in accuratiori veritatis indagatione adhiberi solent, peragendi ansam commodius arripiunt. Ita academici, peripatetici, stoici, epicurei, sceptici, alii, interdum pro re nata in partes trahuntur; nunc instar finitimorum amiciorumque ostentantur; nunc pro adversariis indicati, argumentorum telis petuntur, a scriptoribus qui singuli suam philosophiae sectam, ut castra quibus addictissimi sunt, acriter propugnantes, eo tutius id faciunt quo habent quid & quantum fuerit copiarum tum hosticarum tum subsidiariarum foederatarumque exploratius. Ad hunc modum Aristoteles, Cicero, Seneca, Sextus Empiricus, alii. Unde & operae pretium habitum est insigne, diversas omnigenum philosophorum sententias scriptis sedulo mandare; quod fecere non modo Laërtius, Plutarchus, Hesychius Milesius, id genus caeteri, quorum lucubrationes ejusmodi etiamnum exstant; verum etiam & philosophorum ille facile princeps Aristoteles [b] in libris illis de Archytae, Speusippi, Xenocratis, Timaei, Pythagorae, aliorumque placitis, qui cum non paucis ejusdem operibus aliis ante secula compluria interciderunt: ut illorum qui περὶ αἱρέσεων seu *de sectis*, περὶ δογμάτων seu *de opinionibus*, περὶ βίων seu *de vitis*, περὶ διαδοχῆς seu *de successione*, philosophorum eorumque disciplinae scripserunt turbam jam nullibi exstantem, sed Laërtio, Eunapio, aliisque citatam, praetermittamus. Nec parum laborarunt viri aliquot id genus summi in plurimarum gentium atque rerumpublicarum moribus atque institutis, idque tam barbariae quam Graeciae veteris, diligenter corrogandis memoriaeque tradendis; ut scilicet ex eorum utcunque diversissimorum rationibus atque momentis rite perpensis ea tandem elicerentur quae moralibus civilibusque studiis, maxime vero tum juris universalis seu naturalis, tum ejus quod gentibus seu populis integris (quorum autoritas non omnino negligenda) intervenit, indagationi conducere possent. Inde est quod Aristoteles etiam volumen conscripserit νόμιμα βαρβαρικὰ nuncupatum, id est *mores atque instituta barbarica*, seu populorum qui extra Graeciam sedes habuere. Ante plurima secula quidem periit illud; citatur autem tum Apollonio [c], tum Varroni [d]. Sed apud Varronem ante Turnebi [e] emendationem male legebatur *nomina barbarica* pro *nomima*. Memorat etiam ipse Aristoteles συνηγμένας πολιτείας [f] seu *respublicas congestas* (quas a Laërtio [g] πολιτείας πόλεων *civitatum regimina* dici opinor) quarum ex consideratione atque veterum placitorum observatione τῆς περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφίαν, seu *philosophiam illam quae ad res attinet humanas*, id est doctrinam moralem & civilem, post Ethica ad Nicomachum absoluta, perficere est adgressus. Regiminum illorum seu rerumpublicarum sic ab eo in corpus unicum collectarum numerus erat centum quinquaginta octo. Mittimus quae habuit alia ejusmodi opera, veluti δικαιώματα πόλεων seu *civitatum forensia* [h], praeter politicorum libros octo, qui ex hujusmodi supellectili ejus tantum superstites id genus disciplina sunt haud parum referti. Hujus etiam discipulus Theophrastus praeceptorem imitatus est. De utroque Cicero [i]; *Omnium fere civitatum, non Graeciae solum, sed etiam barbariae, ab Aristotele mores, instituta & disciplinas, a Theophrasto leges etiam cognovimus.* Et quatuor ejusdem Theophrasti libros πολιτικῶν ἐθῶν seu *morum civilium*, inter id genus alios, expressim memorat Laërtius [k]. Non dissimili consilio Dionysius Metathemenos [l] librum περὶ βαρβαρικῶν ἐθῶν *de moribus barbaricis* composuit; uti & Nymphodorus Amphipolites [m] περὶ νομίμων τῆς Ἀσίας *de moribus atque institutis Asiae*, quem item ipsum νόμιμα βαρβαρικὰ seu *barbarorum ritus ac instituta* nuncupari existimo apud Clementem [n]. Scripsit itidem Anacharsis Scytha volumen [o] de moribus atque institutis tam Scytharum quam Graecorum; atque Hecataeus opus [p] de AEgyptiorum philosophia, quod tam theologiam quam jurisprudentiam eorum est complexum. Sed & haec itidem temporum injuria, ut innumera ejusmodi alia, intercidere; quemadmodum & pars pleraque πολιτειῶν seu *rerumpublicarum* Heraclidis Pontici, qui huic philosophandi rationi sedulo se pariter immiscuit. Theologi insuper veteres, patres inprimis dico nascentis ecclesiae christianae, de veritate catholica stabilienda agentes, non solum numerosissimas portentosasque ex luxuriantibus illis simul & distractissimis aevi ingeniis pullulantes haereses, verum etiam Graecae Latinaeque philosophiae scita atque alia ejusmodi tam christianismo dissona quam consona usque adeo enarrant ut nec praetermitti interim velint prorsus explosa. De haeresibus res est manifestior, quia eas diligenter in volumina cognomina contexuere Epiphanius, Philastrius, alii; quos & recentiorum seculorum aliqui sunt imitati. Etiam de eis obiter nec raro aliis in scriptis patrum occurrunt quamplurima. De philosophiae scitis obscurior res non est ei, qui, praeter jam citatos, Justinum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Lactantium, Minutium Felicem, Hieronymum, Ambrosium, id genus alios diligentius paulo consuluerit. Et tametsi patriarchae haereticorum [q] aliisque summae infamiae nominibus a patribus hisce solent philosophi veteres appellari, nihilominus fatentur & ipsi interdum patres [r] *nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quempiam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero*; &, *totam veritatem & omne divinae religionis arcanum philosophos attigisse*; *sed, aliis refellentibus, defendere id quod invenerant nequivisse, quia singulis ratio non quadra-*

[b] Laertius lib. 5. [c] Hist. Mirab 11. [d] De ling. Lat. lib. 6. [e] Adversar. lib. 23. cap. 25. [f] Nicomach. lib. 10. cap. 10. [g] In Vita Aristot. seu lib. 5. [h] Videsis Is. Casaubon. ad Laertii lib. 5. [i] De finibus lib 5 [k] De vitis lib. 5. [l] Laërt. lib. 7. [m] Clemens Alex. Strom. α. [n] In Protreptico. [o] Laert. lib. 1. [p] Idem in Prooem. [q] Tertullian adverf. Hermogen. cap 8. [r] Lactantius lib. 7. seu de divino praemio, cap. 7.

vit.

vit. Adeo ut rem ipſam optime complectatur Clemens [s], dum gentilium philoſophiae, καθάπερ καὶ τῶν καρύων, οὐ πᾶν ἐδώδιμον, *quemadmodum & nucum, totum non eſſe comedendum* ait, verba faciens de eis qui ea paſcebantur. Ut ſunt putamina rejicienda, ſed nuces comedendae; ſic placita habent philoſophi non pauca inter errores manifeſtos connumeranda vitandaque; nec interea aliis carent, quae, utpote aut veritati ſatis ipſa cognata aut temperamentis paulo reformata, fuerint cum primis amplexanda. Summa eſt; non ſolum congeneres conſimileſque ſed & perquam diſpares aliorum qualeſcunque ſententias rationeſque inſervientes impenſiſſime voluiſſe veteres illos (quos etiam recentiores, qui ſimul & cordatiores ſunt, non raro imitantur) explorari, congeri, animadverti, perpendi, ad poſteros tranſmitti: Ut ſcilicet ita quid ipſis ſcholaeque a ſe propagandae ſtatuendum, retinendum, rejiciendum foret dignoſceretur, & quod ſeligerent argumentis fulciretur tum facilius tum ſecurius. Qua de re inprimis ſtudioſos non ſemel monuit olim etiam Ariſtoteles [t]. Atque ut in phyſicis, non ſolum ex diverſo ſed & ex contrario in diverſi invicem & contrarii natura exploranda, quemadmodum itidem ex remiſſione in natura ſummi inveſtiganda ſubſidium non raro habetur non contemnendum; etiam pene dixeram, ſicut ex lateribus non ſolum angulos continentibus ſed etiam oppoſitis, anguli ipſi in trigonis ſive planis ſive ſphaericis dimetiendis, praeter aream, certius menſurantur; ita ferme aliorum quotquot ſedulo ac ſerio philoſophati ſunt epichiremata ac placita ſive confinia ſive quomodolibetcunque diverſa, etiam vero adverſiſſima, accuratius indaganti opem crebro praeſtant perinſignem. Hinc etiam [v] Euclides ipſorum mathematicorum ψευδάρια ſeu *fallacias* atque *aberrationes* ſingulari congeſſit volumine. Similiter de aliis ſcientiis fecere alii. Ne ſcilicet qualicunque aliorum rationis uſu atque examine quam ſuae, quantum fieri poſſet, magis carerent. Ita veteres mutuas in diſquirendo tradidere quaſi operas, τἀλλιπὲς ἀλλήλοις ἀντιπαρεχόμενοι, ſeu *alii aliis quod deerat invicem ſubminiſtrantes*, quod ait Leonidas [x] in epigrammate de caeco & claudo. Unde demum nata eſt philoſophia illa ſingularis atque, praeſtantiſſimo illo patre Clemente Alexandrino [y] judice, omnium praeſtantiſſima, adeoque prae caeteris amplexanda, quae ἐκλεκτικὴ dicta eſt, quia in perſpicaciter ſeligenda ex ſingulorum qui praeierant dogmatibus philoſophiae materie verſabatur. Hac primo uſus eſt Potamo Alexandrinus, ἐκλεξάμενος, quod ait Laërtius [z], τὰ ἀρέσαντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων, *qui ſelegit quae ſibi placuere de ſingulis philoſophorum ſectis:* ſub Auguſti ſcilicet [a] initia. Nimirum probe norunt eximii iſti indagatores veritatem, ſaepius ſive in abdito ſive in obſcuro latentem, non aliter ferme ab intellectu humano capi quam ab oculo ſolent corpora ſive longius diſſita, ſive in luce ſatis temperata neutiquam poſita, aliterve ſive primum ac unicum ſive indiligenter nimis utcunque iteratum aciei intuitum aut fugientia aut fallentia. De horum alicujus colore, figura, diſtantia, magnitudine, loco, motu quaeratur; ubi oculi ſunt depravati, res ipſis ſolis, plane in deſperato eſt.

Lurida praeterea fiunt quaecunque tuentur
Arquati. ———
Multaque ſunt oculis in eorum denique miſta,
Quae contage ſua palloribus omnia pingunt.

Quod ait Lucretius [b c]. Sed detur lyncei acies, optimus undiquaque habitus, atque omnimoda contagione praevia prorſus liber: color nihilominus pro varietate lucis tam incidentis quam reflexae aliter atque aliter ſe ingerit; adeo ut etiam nigra interdum albeſcant; haec crebro viridia, flava, quod & de reliquis eſt dicendum, ſimulent; ſphaerica etiam & cylindrica plana, circuli ellipſes, quadrata oblonga, ingentia minima, in longinquo poſita propinqua, aequalia inaequalia videntur, & vere parallela

Paulatim [d] *trahere anguſti faſtigia coni.*

Alia apparent fracta, dum revera ſunt integra, ob medii diverſitatem. Extra verum item locum; ut non ſolum nummus in vaſe per aquam oblique viſus, ſed etiam praeter ſtellas caeteras ſol ipſe per vapores, nubeculas, ac aërem humidiorem. Parallaxes itidem nimium oculi aciem fallunt; unde inprimis tot de ſtellarum aliquot novarum & cometarum locis, atque utrum in aethere coeleſti an in eo qui luna inferior eſt moverent, diſputationes inter mathematicos etiam egregios habitae. Quieſcere inſuper, dum velociſſime movent, videntur corpora quotquot movent coeleſtia. Movere non raro quieſcentia; ut navigantibus

—— *Portuſque urbeſque recedunt.*

At vero ex diligentiori ſaepiuſque tum variato tum accuratius iterato intuitu, crebra item ſtationum oculique poſiturae mutatione, comparatiſque invicem, quae ſtationum variationem ſuppleant, aliorum obſervationibus (citra quas viri alioquin viſu acerrimi ut hic nimium caecutiant neceſſe eſt) aut recte tandem de objecto, circa quod tot eveniunt hallucinationes, ſtatuitur, aut undenam res porro fuerit decernenda conſtat, aut eam non omnino decernendam nec ſatis liquere demum reperitur. Quin ne ſuis quidem ſolem [e] ipſum maculis nebuloſis, qua nobis viſitur, eiſque totam Africam ac Aſiam ipſam magnitudine ſuperantibus, carere, nuper ex aliorum, qui penitius eum teleſcopii beneficio introſpexere, obſervatione adjuti didicimus, qui defaecatiſſimam fuiſſe illam atque omnino immaculatiſſimam lucis regionem cum vetuſtate tam diu ſecuri credideramus. Stellas item circa Jovem quatuor ferri, quae a rerum conditu ad noſtra uſque tempora nunquam, quantum ſcimus, conſpectae ſunt aut creditae; ut id genus caetera tam veteris quam noſtri ſeculi exempla tum in aſtronomia tum aliis in artibus ac ſcientiis illuſtria, nec quidem pauca ea, taceamus. Neque tantummodo verae, aut veris ſive prope ſive quaſi accedentes, verum etiam & falſae adeoque omnimodae obſervationes aliorum qui non indiligenter, utcunque infeliciter, rem aſſequi tentarunt, rite hic diſquirenti adhibendae. Nam ut ex umbrarum ratione de cor-

[s] Strom. α. [t] Topic. 1. cap. 12. & 1. de coelo text. 98. [v] Proclus in lib. 1. Euclid. lib. 2. cap. 5. [x] Antholog. 1. cap. 4. [y] Stromat. 1. [z] In Prooemio. [a] Suidas in Potamone. [b] Lib. 4. ℣. 333. [c] ℣. 337. [d] Idem. ℣. 431. [e] Galilaeus Galilaei in nuncio Sidereo, & in Syſtem. Coſmico, dialog. 1. alii.

poris tam lucidi quam opaci & figura & magnitudine dijudicatur, ita fere etiam ex erroribus deceptionibusque cum judicio animadversis tutior multo ad veritatis arcem via saepe sternitur. Ad hunc modum qui sive de officiis necessariis sive de accessionibus jam dictis egere sive Graeci sive Latini, tam philosophi quam patres christiani, satis gnari erant, ut oculorum, sic mentis aciem, licet acutissimam, ex aliorum sive veterum sive coaetaneorum observationibus, placitis, rationibus quibuscunque, sive veris sive falsis rite collatis, nunc dirigi, nunc corrigi, nunc firmari stabilirique. Quam ad rem illud etiam mortalium sapientissimi facit, *Et* [f] *erit salus ubi multa consilia sunt*, seu ut in Ebraeo, ותשועה ברוב יועץ *& salus in plurimis consiliariis.* Quale quidem tam de consiliariis seculorum anteactorum quam praesentium aut recentiorum, quibus sectarum omnimodarum scriptores continentur, intelligendum. Horum alii rem aliis sive velut ob distantiam seu medii incommodum minime perspectam commodius positi detegunt. Stationum item quasi mutationes (quae in coloribus, distantiis, figuris, magnitudinibus discernendis oculo adeo necessariae sunt, ut fere nihil supra) seu varias oculi, sic dicere liceat, intellectivi posituras, haud parum supplent illi qui aevo, patria, studiis diversi in consilium accersuntur. Etiam qui apertius hallucinatur, vicem monitoris, ne quis sic denuo aut in similibus impingat, quandoque obtinet. Quin ubi mores ac instituta aliquot tum continua tum recta, sed ab ipsa origine remotissima, velut linea seu radio, quasi is nullibi a rigore deflexus distortusve fuisset, recipi (ut saepe nimis) videntur; ea sane, diligentius consultis iis qui origini proximiores sunt, sive hac sive illac ob diversitatem aliquam medii, id est, seculorum, rerumpublicarum, geniorum, ingeniorumque varietatem in quam tandem inciderunt, multum inflecti, nec recta protendi, imo & dissimilem omnino colorem statumque plane nonnunquam ei qui originarius erat contrarium nancisci ac induere, nemo non deprehendet agnoscetque. Non aliter ac ubi radii etiam solares per medium diversum oblique transeuntes franguntur, aut tinguntur per coloratum: Alienum contrahunt sic colorem Empedoclis, Parmenidis, aliorum de ente, uno, primo, motu sententiae, dum ab Aristotele obiter eas memorante recipiuntur: Sed genuinus interea ex ipsorum scriptis dictisque aliquot, quae simplici [g] indagini maxime debemus, posteritati servatur. Quam in rem exemplum etiam advertamus unicum sub christianismi initia, ut de seculo nostro prorsus reticeamus. Monuerat Nicolaus Diaconus *παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ* *abuti carne:* Quo breviter dicto voluptatum cupidinem, maxime vero Veneris, reprimendam vir sanctus voluit. Hoc perperam arripientes libidinosi aliquot, qui nomine ejus sectam suam insigniri gestiebant, adeoque Nicolaitae vocitari, pro eo quod omnino contrarium est interpretati, eum velut concubitus qualiscunque vagi ac libidinis nefandae praeceptorem flagitiosissime venditarunt. Neque sane aliud ipsum statuisse crediderunt posteri, nisi in seculis ei vicinioribus reperti fuissent, qui a convitio hoc eum vindicarent, ac sensum ejus genuinum mandarent scriptis, veluti Clemens [h], Eusebius [i], Theodoretus [k]. Ejusmodi fuere alia non pauca. Nimirum haud impares errores alii ab integris hominum coetibus pro vera disciplina ultro sunt recepti, patienter admissi, &, veluti sarcinae, posteritati impositi, quoties ipsa rei circa quam versantur origine in longinquo ac retro nimis posita, hominum seculorumque, a quibus primo & per quae dein in posteros id quod recipitur manavit, indoles, verborum sensus, ratio, interpretationes, & veluti mediorum discrimina, veterumque quibus haec omnia docentur testimonia, insuper omnino citra examen sunt habita. Quo facit inprimis illud numinis sanctissimi [l], *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona,&c.* Accuratius circumspiciendae viae omnes: De semitis antiquis consulendum; quae vero sit optima seligenda. Jam vero dum consilium hoc adhibuere indagatores illi prisci philosophi (qui scilicet singulari illo vocamine ad nos transmissi sunt) non solum congeneribus sibi e Graecia & Latio ac Barbaria, ut supra ostensum est, forte viciniori, verum etiam ex ipsis Judaeis seu gente Ebraea, quod inferius [m] pluribus enarratur, sive praeceptoribus sive in discendo rebusque perpendendis consiliariis sunt usi. Patres autem christiani nullibi quidem non e libris Ebraeorum sacris, id est foedere veteri, doctrinam moralem & civilem eliciunt, philosophiam etiam eam barbaricam atque Ebraeorum subinde vocantes (ut maxime Clemens Alexandrinus, uti & postea Chalcidius Platonicus [n] philosophiam Hebraicam) atque archetypam eam philosophiae gentilium facientes, seu hanc veluti facem ab illo sole accensam. Et meritissimo quidem nemo non fatebitur, in hujusmodi indagine primum & longe prae aliorum omnium qui ante christianismum floruere institutis moribusque atque philosophia, id quod receptum seu praescriptum fuerit apud עם סגולה *populum numini ipsi olim peculiarem* [o] ac selectissimum *prae omnibus populis qui fuere super faciem terrae* perscrutandum esse subtiliusque intuendum. Unde nec exortae apud Ebraeos haereses, veluti Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum, aliorum, scitaque ad has spectantia a patribus praetermittuntur. Haec inter contemplandum, video hoc inprimis esse praeterea animadvertendum, apud Ebraeos, praeter Mosaica instituta veterisque foederis disciplinam sub Mose inchoatam, quam sibi faciunt ipsi haereditatem [p] propriam (unde tam Mahumedani quam Christiani, ut gentiles taceamus, quamplurima suis aptarunt) fuisse juris morumque praecepta singularia, scripto seu literis ipsis, nedum Mose, antiquiorem multo sortita originem, ac partim Mosaicis similia partim dissimilia multoque pauciora: Atque ad haec tantum universum genus humanum reliquum populosque caeteros cunctos obligari, ipsos voluisse, uti ad juris naturalis ac universalis officia a mortalium nemine violanda. Horum item disciplinam observationemque penes eos singularem fuisse philosophiam illam moralem ac civilem cui nomen ritu solenni non dare hominum quempiam, eorum in territoriis seu potestate degentem, non modo nolebant sed nec jure suo permittebant.

[f] Prov. xi. 14. & xxiv. 6. [g] Comment. in Arist. 1. & 8. Physicorum; & videsis Card. Bessarion. l. 2. in Calumn. Plat. cap. 11.
[h] Strom. 3. [i] Histor. Eccl. lib. 3. c. 23. [k] Haeretic. Fab. lib. 3. [l] Apud Jerem. vi. 16. [m] Cap. 2.
[n] In Timaeum Platonis pag. 351. edit. Meursianae. [o] Exod. xix. 5. Deuteron. vii. 6. [p] Deut. xxxiii. 4.

Jam

Jam vero cum nec mentio quidem hujus sive juris sive philosophiae sive officiorum, ad quae universum genus censebant illi humanum obstringi (quibus etiam praemium poenamque divinam, ut infra fusius aperitur, conjunxere) alicubi apud veteres christianismi scriptores, nedum philosophos, omnino exstet, & brachio sane levissimo ab aevi nostri scriptoribus & perfunctorie nimis tangi, nec ullibi satis ostendi soleant; & cum demum citra jus hoc gentibus caeteris proprium, seu philosophiam juxta eos vere universalem, jus illud alterum ipsis ac gentibus finitimis aliisque quibuscum rem haberent, sive in pace sive in bello, sive imperativum sive ex pacto interveniens, plane ad eorum doctrinam nequeat satis internosci, & quidem apud viros alioquin doctissimos curte nimis intelligatur doceaturque; inde certe est quod nec opera existimavimus indignum nec oleo, tum juris ad eorum placita atque disciplinam naturalis, seu omnium hominum communis, semperque, ut volunt, obligativi, adeoque philosophiae jam dictae, tum juris ipsis aliisque illis gentibus imperativi ac intervenientis, capita & explanationes, quatenus ipsa suppetunt eorum testimonia, diligentius ex eorundem testimoniorum verbis contexere. Etenim sic uno in opere studiosis indagatoribus praesto erit e populi tam insigniter Deo O. M. olim peculiaris promptuariis penetralibusque desumpta disciplina, quae, secundum jam dicta, cum caeterarum gentium sectarumque scitis in libera veritatis disquisitione conatu subinde felici ac bona cum fruge comparetur. Imperativum atque interveniens illud jus, quod ad bella gerenda, foedera, captivos, proselytos attinet, suis in locis obiter ac pro re nata sparsim mox explicabitur. Id vero quod naturale juxta eos diximus, seu universale, ita rectius tum traditum tum pretio suo rite aestimatum iri censuimus, si praelibaverimus primo fusiorem paulo dissertationem unde quam accommoda atque scitu digna sint hic Ebraeorum placita, sententiae receptae, seu philosophia singularis, manifestius cuique liqueat; nec sine monito ea de re christiano; secundo, magis perspicuam quidem & apertiorem, sed interea tantum generalem juris ejusdem, qua in sacra Ebraeorum disciplina morali, civili, ac rituali locum habuit, designationem, simul cum difficultate illud inde eliciendi; tertio, varia rationum momenta quibus tum e confusis diversisque juris corporibus moribusque hominum atque aliorum etiam animalium actibus secerni solet, tum aliunde peti id quod juris naturalis seu universalis nomine vulgo indigitatur: eorumque unicum duntaxat ab Ebraeis esse admissum. Hisce tandem absolutis ut necessario praeviis, juris seu philosophiae hujus Ebraeorum capita singularia, & horum juxta eos sensum atque usum explicatius fusiusque ostendere opportunius adgrediemur.

CAP. II.

Quam accommoda atque scitu digna sint hic Ebraeorum placita, & traditiones avitae, seu philosophia eorum barbarica singularis, rationibus tam e paganismo quam christianismo, atque aliunde adductis, ostenditur. Sed & adjicitur monitum ea de re christianum.

PErquam dignam, quae exploretur & cum primis advertatur, atque philosophiae studiis adprime accommodam esse, adeoque subinde merito intermiscendam Ebraeorum disciplinam moralem & civilem, quam universi generis humani communem (qualiscunque ea demum fuerit) esse voluere eorum theologi, jurisconsulti, philosophi, libentissime, puto, agnoscet quisquis ex diligentiori ac solertiori eo fuerit hominum coetu, qui, in rebus non paucis christianis discutiendis, Ebraeorum veteres interpretationes, mores, scita & sententias receptas solicite consulendas velit. Id genus hominum sane exiguus in ecclesia christiana numerus jam non est. Pullulavit nostro in seculo scriptorum ejusmodi seges egregia. Et lux inde non raro accepta plurimos quidem in studia Ebraica, Rabbinica, Talmudica impensius irritavit. Nec fieri omnino arbitror posse, ut quis, dum ea quae tradiderint ipsi de moribus ritibusque sibi propriis, suoque jure singulari seu quod Mosaicum dicitur, summo in pretio habuerit, ea interim quae de communi humani generis jure & officio, quatenus ab eo quod ipsis proprium erat distinguebatur, docuerint, omnino contemserit, imo non magni fecerit. Ecquis enim dum subsidia veterum in hujusmodi indagine sedulo conquirit, sive civiles Atheniensium, verbi gratia, leges a Dracone seu Solone latas atque hierophantarum & sacerdotum Atticorum ritus avide venabitur, nec interea Socraticam, Platonicam, Aristotelicam de universalibus hominum officiis philosophiam, quae ibi pariter docebatur, non minori saltem affectu intuebitur, consulet, excutiet? Quale de similibus aliis est dicendum. Obvia sunt etiam argumenta hic ex summa gentis Ebraicae olim dignitate ac praerogativa desumenda, quae utpote capite superiori tacta, nec quempiam fugientia, hic praetermittimus. Quin adeo insignes atque singulares Ebraeos olim universae sapientiae autores facit Lactantius; ut Pythagoram & Platonem tantum non increpet, quod illos, consulendi causa, dum ut sapientiam ediscerent peregrinabantur, neutiquam (sic ille; qua de re statim plura) quemadmodum AEgyptios, Magos & Persas adierant. Verba ejus sunt [a]; *Equidem mirari soleo quod cum Pythagoras & postea Plato amore indagandae veritatis ad AEgyptios & Magos & Persas usque penetrassent, ut earum gentium ritus & sacra cognoscerent (suspicabantur enim sapientiam in religione versari) ad Judaeos tamen non accesserint, penes quos tum solos fuit, & quo facilius ire potuissent.* Sed de christianorum testimoniis hac in re ampliandum non est. *Christiani enim Judaeis successores ac posteri sumus*; ut recte alibi [b] idem Lactantius. Et nostra, seu originem unde veritatem sacram, cui innitimur ipsi, deduximus, tantum laudamus, dum singularem Ebraicae gentis dignitatem ac sapientiam, quae olim fuit, sic ex-

[a] Lib. 4. seu de vera sapientia, cap. 2.

[b] Lib. 5. seu de justitia, cap. 23.

tollimus. Viſum igitur eſt etiam quae homini, quiſquis is fuerit, nec ſatis chriſtiano, nec Judaeo, nec ulli denique immiſto ſectae, tantundem fere probare queant argumenta aliquot, etiam paganiſmi, imo quae religione ſingulari praeoccupante ſatis ſolutae ſunt, rationibus maxime ſubnixa attexere. Ea triplici ſunt in genere: Primum ex inſigni philoſophorum veterum ante chriſtianiſmum Ebraeos conſulendi atque audiendi uſu petitur; ſecundum, ex ſumma qua apud Graecos alioſque gentiles ſapientiae nomine claruere Ebraei veteres exiſtimatione; tertium demum, ex rerum, morum ac diſciplinae veteris orientis notitiae penuria, qua miſere nimis laboramus. Quod ad primum ſpectat; teſtimonia ſunt ea de re compluria. Atque alia Judaeorum ipſorum, alia patrum chriſtianorum, & ſcriptorum denique paganorum alia. Ariſtobulus Judaeus AEgyptienſis, qui Ptolemaei Philometoris eſt in Maccabaicis [c] magiſter, de Pythagora expreſſim [d], Πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετήνεγκεν εἰς τὴν αὐτοῦ δογματοποιΐαν, *Multa quae in noſtra ſunt diſciplina in ſectae ſuae dogmata tranſtulit.* Nec enim ſatis didicerat Lactantius ſive Pythagorae ſive Platonis res, cum, ut ſupra memoratur, eos minime Judaeos acceſſiſſe ſcripſit: Id quod ex ſequentibus fiet manifeſtum. Flavius item Joſephus de Pythagora, *Non ſolum*, inquit [e], Ἐγνωκὼς τὰ παρ' ἡμῖν δῆλός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ζηλωτὴς αὐτῶν ἐκ πλείστου γεγενημένος, *plane novit diſciplinam noſtram, ſed etiam ejuſdem multa cupide eſt amplexus.* De Platone pariter jam citatus Ariſtobulus [f]; Κατηκολούθηκε τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ, καὶ φανερός ἐστι περιειργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ λεγομένων, *Leges & inſtituta noſtra ſectatus eſt; a quo etiam partes eorum ſingulas curioſe & diligenter inſpectas & excuſſas eſſe conſtat.* Floruit autem ſub ducenteſimum a Platone annum Ariſtobulus. Huic eſt ſatis conſonus Joſephus [g]. Quin etiam ex Ariſtobuli illius authoritate dicitur [h], *Philoſophiam peripateticam* (cujus princeps Ariſtoteles, & ſectator ipſe Ariſtobulus) ἔκ τε τοῦ κατὰ Μωϋσέα νόμου καὶ τῶν ἄλλων ἠρτῆσθαι προφητῶν, *ex lege Moſaica atque aliis pendere prophetis.* Certe & vetuſtum liquet eſſe Ebraeorum aliquot commentum, Ariſtotelem jam moribundum diſcipulos ſuos tum animae immortalitatem tum poenae ac praemii rationem velut a peculiaribus Semi poſteris, id eſt Judaeis, edoctum docuiſſe, tum a Simeone juſto pontifice monitum priſtinas mutaſſe ſententias בכל מה שהיתה סברתו הולכה על תורתם ובהפך לאיש אחר [i], *in univerſis de quibus ante ſenſerat contra legem ac doctrinam Ebraeorum, & in hominem inde plane alium migraſſe.* Illud de animae immortalitate habetur in libello veteri התפוח ſeu *de pomo* inſcripto (quod fingitur illum manu, lecto decumbentem ac diſcipulis circumſtipatum, idque ſuaviſſimi odoris, tenuiſſe) atque ex Arabico compluribus abhinc annis in Ebraicum a R. Abraha Levita traducto. Alterum illud de Simeone juſto ex libro citant veteri in AEgypto antiquitus reperto [k], quem nec Ariſtoteli ipſi tribuere verentur. Utcunque autem fictis hiſce non ſit cur credamus, id nihilominus interea ſatis etiam inde conſtat, invaluiſſe quidem apud Ebraeos ipſos ſententiam de ſingulari ipſorum atque veterum apud Graecos philoſophorum in diſciplinis tradendis accipiendiſque communione. Qua de re ex ipſorum [l] monimentis plura congerere difficile non eſt. Conſoni ſunt hic patres chriſtiani, Clemens Alexandrinus, Juſtinus, Theodoretus, Ambroſius, alii. Verba Ariſtobuli ſuperius citata dum affert Clemens de Pythagora, neque de eorum fide dubitat, adjicit etiam [m] eum circumciſum fuiſſe, quod & memorat Theodoretus [n]; ritu quidem AEgyptiaco ſeu in AEgypto uſitato circumciſum; ſed eo interea qui illo in ſeculo, ni fallor, etiam ibi erat plane Judaicus: Utpote qui e Judaea ejuſque moribus cum Judaicae diſciplinae aliis in AEgyptum antea migraſſet. De circumciſione autem Pythagorae ſic tradita libentius equidem cum Lipſio [o] dubitarem, niſi etiam apud Laërtium [p] occurreret, quod dum peregrinabatur, πάσας ἐμυήθη τάς τε Ἑλληνικὰς καὶ βαρβαρικὰς τελετάς, *cunctis tam Barbarorum quam Graecorum myſteriis eſt initiatus.* Niſi hyperbole ſit, par eſt ſane ut & ritu Judaico eum initiatum fuiſſe velle Laërtium exiſtimemus. Atque Laërtio ſatis eſt hic quantum ad hanc rem conſonus Iamblichus [q], ubi cum Phoeniciis ſacerdotibus aliiſque congreſſum Pythagoram initiatum eſſe ait omnibus ſacris quae in Byblo urbe & Tyro fuere, & quae per Syriam in uſu. Quod & de Judaicis inter alia non iniquum eſt ut accipias. Sed & de eodem D. Ambroſius [r]; *Cum ex populo*, inquit, *Judaeorum, ut plerique arbitrantur, genus Pythagoras duxerit, ex ejus diſciplina derivavit etiam magiſterii praecepta, meritoque magnus apud philoſophos habitus, qualem, ut aiunt, vix reperis ullum.* Hinc etiam ob diſciplinae ſimilitudinem Numam illum Romanorum regem Pythagoreum, velut ejus diſcipulum, interdum ſed non ſine errore (nam Pythagora antiquior erat) dictum [s], a Judaeis inſtitutum eſſe, ſaltem eorum imbibiſſe doctrinam, cenſet Clemens [t]. Sane quiſquis credere volet libros illos ſeptem de diſciplina ſapientiae Graece conſcriptos, in agro Petilii ſcribae circa annum ab U. C. DLXX ſub janiculo repertos, Numae ex arculae inſcriptione tributos, & poſtmodum ſenatus juſſu crematos, ipſius Numae revera fuiſſe, is Numam in eis ſive diſciplinam aliquam Ebraicam ſive ejuſdem propaginem tradidiſſe non immerito forſan exiſtimabit. Nam *diſciplinam ſapientiae quae illius aetatis eſſe potuit* libros illos complexos, ac *pleraque diſſolvendarum religionum fuiſſe*, ſcribit Livius [v]: uti etiam, *Aliqua ex parte ad ſolvendam religionem pertinere exiſtimatos eſſe*, Valerius [x]. Neque ulla in eis ſcripta eſſe niſi philoſophiae Pythagoricae, id eſt, niſi Pythagoricae diſciplinae conſona, tradiderunt Caſſius Hemina [y] & C. Piſo. Atqui ad diſſolvendas quae jam dictis intelliguntur religiones, multiplicem nempe apud Romanos veteres idolorum cultum, nil aeque facere potuit atque ipſa, quae Ebraeis erat, atque ab ipſis, ut vult diſerte

[c] 2 Maccab. i. 10. [d] Apud Clement. Alex. Strom. α & Euſeb. Praep. Evangel. lib. 9. cap. 6. [e] Contra Apion. lib. 1. [f] Apud Clement. Strom. α. & Euſeb. Praeparat. Evangel. lib. 9. c. 6. [g] Contra Apion. lib. 1. [h] Apud Clement. Alex. Strom. 5. [i] MS. in Biblioth. Oxonienſi. Memoratur etiam in Comment. ad Sepher Cozri, part. 1. § 65 [k] R. Sem Tob in Ethica Ariſt. apud ſcholiaſt. in Sepher Cozri., loco citato. [l] Videſis Sepher Juchaſin, fol. 157. b. R. Gedaliam Ben Jechai in Shalſheleth, fol. 101. a. [m] Strom. 1. [n] Therapeutic. 1. [o] Manuduct. ad Stoicam Philoſoph. lib. 1. diſſert. 6. videſis Jacob. Cappell. Hiſt. ſacr. & exotic. An. M. 3488. [p] De Vitis Philoſoph. lib. 8. [q] De Vita Pythag. cap. 3. [r] Lib. 3. epiſt. 20. [s] Apud Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2. Plutarch. in Numa, &c. [t] Strom. 1. [v] Lib. 40. [x] Lib. 1. cap. 1. [y] Apud Plin. Hiſt. Nat. l. 13. cap. 13.

Clemens,

Clemens, Numae tradita disciplina. Id est totius humani generis jus commune, seu philosophia simul & theologia moralis ac civilis nemini juxta illos carenda: Quod libro proximo fiet manifestius. Neque est omnino quod cum [z] Lactantio autumemus Numam eis in libris *religiones, non eas modo quas ipse instituerat, sed omnes praeterea dissolvisse.* Nec ejusmodi quid aiunt scriptores Romani. Sed imaginum cultum, quem Numam non admisisse aliunde etiam scimus [a], tantum indicare videntur. Atque ut de Pythagora ab Judaeis edocto, sic de Platone Clemens [b] non semel; quem & τ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφον *ex Ebraeis philosophum* expressim nuncupat [c]. Quin pluribus in locis illud inculcat, Graecorum generatim philosophos fures fuisse, utpote παρὰ Μωϋσέως καὶ τ προφητῶν τὰ κυριώτατα τ δογμάτων οὐκ εὐχαρίστως εἰληφότας, *qui* [d] *a Mose & prophetis praecipua sua dogmata satis ingrati*, seu *beneficii immemores, acceperant.* Tantundem de Platone Justinus [e], & non semel Joannes Philoponus [f]. Et Theodoretus eum ἐκ τ Ἑβραϊκῶν ναμάτων *ex Ebraicis fluentis* plurima hausisse, etiam & quaecunque pie de Deo ejusve cultu dixerit ex [g] Ebraica theologia surripuisse asserit. Astipulatur D. Ambrosius ubi [h] Platonem scribit *eruditionis gratia in AEgyptum esse profectum, ut Moysis gesta, legis oracula, & prophetarum dicta cognosceret.* Atque ea de re ipse plura alibi [i]. Fuere etiam qui Hieremiae prophetae auditorem in AEgypto fuisse Platonem [k] assererent; de Judaica ei tradita disciplina quidem securi, sed interea in temporum ratione hallucinati: Nam seculis aliquot ante Platonis ortum Hieremias floruit. Floruere autem Pythagoras & Plato, hic sub instaurationem templi Hierosolymitani, ille, ut vulgo recipitur, sub excidium. Adeo ut Judaei quibuscum in AEgypto sive hic sive ille versaretur, diu ante Ptolemaeorum tempora (quibus notissimae de Judaeis illic sedes post patriarcharum secula habentibus historiae collocantur) illuc se transtulerint. Et de Judaeis qui ibi seculis illis vetustioribus degebant luculenta sunt in sacris literis [l] testimonia. Et Tertullianus [m], *Quis poetarum, quis sophistarum, qui non omnino de prophetarum fonte potaverit? inde igitur philosophi sitim ingenii sui rigaverunt.* Adde insuper quod hanc in rem occurrit apud D. Thomam [n]. Jam dictis tandem etiam consentiunt scriptores e gentilibus, iique vetustissimi. Quorum hic autoritas ideo inprimis aestimanda est adducendaque, quoniam ea quae sive ex Judaeis ipsis sive a patribus christianis jam attulimus, velut in rem suam, id est ad efferendam & firmandam librorum sacrorum ac religionis, quam sive hi sive illi amplectuntur, mysteriorum dignitatem, ab ipsis adhibita nonnullis forsan videantur. Adeoque nec alia esse quam velut domestica, utcunque de paganis allata, testimonia; nec fidem mereri seu autoritatem sortiri multo meliorem quam rationes eorum de gentis dignitate ac praerogativa simplices; quas breviter tantum, idque consulto, jam supra tetigimus. Ecce igitur quod hac de re habet Hermippus vetustissimus atque diligentissimus vitae Pythagorae scriptor paganus. Diserte ait [o] eum πολλὰ τ παρὰ Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τ αὐτοῦ μετενεγκεῖν φιλοσοφίαν, *multa eorum quae Judaeis recepta sunt in suam transtulisse philosophiam.* Memorat etiam eum quaedam de anima, de munditie, & interdictum de blasphemia docuisse; quibus subjunxit, Ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτὸν, *Haec autem fecit dixitque tum Judaeorum tum Thracum imitatus disciplinas, quas & sibi assumpsit.* Sed & ipse Hermippus alibi totam Judaeis accepto fert Pythagorae philosophiam. Origenes; [p] Λέγεται Ἕρμιππον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκέναι Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν, *Fertur Hermippus in libro primo de legislatoribus prodidisse, Pythagoram philosophiam suam a Judaeis ad Graecos traduxisse.* Malchus item, qui ipse est Porphyrius [q], eum ait non solum Arabas & AEgyptios, sed etiam Ebraeos & Chaldaeos discendi causa adiisse. Atque, Ἐκ τῆς, inquit, περὶ ταῦτα τὰ ἔθνη πλάνης ὁ Πυθαγόρας τὸ πλεῖστον τῆς σοφίας ἐνεπορεύσατο, *Ex peregrinatione ad hasce gentes Pythagoras potissimam sapientiae partem acquisivit.* Quin idem autor; Ἔν τε Βαβυλῶνι τοῖς τ ἄλλοις Χαλδαίοις συνεγένετο, καὶ πρὸς τὸν Ζάβρατον ἀφίκετο, παρ' οὗ ἐκαθάρθη τὰ τοῦ προτέρου βίου λύματα, *Babylone cum aliis quidem Chaldaeis versatus est, & Zabratum etiam adiit, a quo pristinae vitae sordibus est expurgatus.* Zabratum hunc, qui & Zaradas & Zarethas interdum dictus [r], haud alium fuisse a Nazarato Assyrio Pythagorae praeceptore, ab Alexandro Pythagoricorum symbolorum collectore apud Clementem Alexandrinum memorato, olim [s] mihi satis persuasum est. Atque eandem video libenter amplecti sententiam Lucam Holstenium [t] nuperum Porphyrii editorem. At de Nazarato expressim Clemens [v]; Ἰεζεκιὴλ τοῦτον ἡγοῦνταί τινες, *Ezechielem hunc opinantur fuisse nonnulli.* Quod tamen ipse improbat. Sed vero & temporum ratio accuratius inita satis id patitur. Et Judaeum Assyrii nomine Graecis denotari mirum non est. Nam non solum Ezechiel ipse atque Judaei alii Pythagorae aevo Babylone alibique in Assyria erant numerosissimi, utpote in captivitatem illuc sub id tempus ducti, verum etiam invaluit postea ipsum Assyrii nomen pro Judaeo seu Ebraeo apud Graecos interdum usurpari. Unde, ut caetera huc facientia mittam, Themistius γράμματα τ Ἀσσυρίων *Assyriorum literas* substituit [x] pro eo quod est sacra Ebraeorum volumina; ubi scilicet Salomonis [y] laudat dictum de corde seu mente regis in manu Dei. Sed de tempore Pythagorae, quoniam in idem minime satis convenire videntur veteres, adjicere visum est quod habet de eo priscus orientis scriptor Arabicus nondum editus. Is est Saidus Batricides, qui e quamplurimis veterum scriptis, quorum pars pleraque nobis interciderunt, Chronicon diligentissime contexens, diu

[z] Lib. 1. cap. 22 & videsis D. Augustin. de Civit. Dei, lib. 7. c. 34. [a] Plutarch. in Numa. [b] In Protrept. & in Paedag. lib. 2. cap. 1. [c] Strom. 1. [d] Strom. 5. & 1. & 6, &c. [e] Paraenetic. & Apolog. 2. [f] Ad Genes. l. 1. c. 2. lib. 3. c. 5. lib. 6. c. 21. [g] Therapeutic. lib. 2. 6. & 11. [h] Ad Psalm. cxviii. 3. [i] Lib. de Noe & Arca, cap. 8. [k] Vide D. Augustinum de Doctrina Christiana, lib. 2. cap. 28. & Retract. lib. 2. cap. 4. [l] Jerem. xliv. [m] Apologetic. cap. 47. [n] In 1. 2æ. quaest. 74. art. 3 sent. 1. dist. 3. quaest. 2. art. 2. & sent. 2. dist. 14. q 2 art 1. [o] Apud Josephum contra Apionem, lib. 1. [p] Advers. Celsum, lib. 1. [q] In Vita Pythagorae. [r] Plutarch. in περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας, & videsis Francisc. Picum in Exam. doct. Vanit. Gent. lib. 1. cap. 14. [s] De Diis Syris syntag. 2. cap. 1. [t] Observat. in Porphyrii vitam Pythagorae. [v] Strom. 1. [x] Orat. 9. [y] Prov xxi. 1.

nimis post captivitatem Babylonicam, in quam abductus est Ezechiel, Pythagoram collocat; juxta scilicet chronologiam quam plerumque jam recipimus, sub annum inde centesimum quinquagesimum; nimirum sub Artaxerxe Mnemone Persarum rege. Sed & temporum, apud Saidum hunc, imperii Persici ratio plurimum discrepat ab ea quae sive antiquis sive recentioribus, quantum video, alias recipitur. Breviter igitur eam damus. Idque facimus, tum ut quod habet ipse de Pythagorae aevo, qua huc spectet, rectius intelligatur, tum ut ea quae quomodolibetcunque hac de re narrat cum testimoniis Eusebii, Diodori, Laërtii, aliorum, qui sive de Pythagora sive de imperii Persici, quocum is hic involvitur, regibus, successione, & annis diversissime tradi solitis & passim controversis scripsere, studiosi pro re nata comparent, nec interea non mirentur. Primum facit Batricides imperii Persici regem (adeoque Babylonici successorem, mortuo Belshatzare) Cyrum; cui triennium assignat. Secundum Achasuerum; quem regnasse ait annos duodecim. Huic successisse ait Cyrum, Darium item dictum, & regnasse triginta annos. Verba sunt,

وكان ملك كورش الفارسي ثلث سنين
ومات ۞ وملك بعده اخشويرس اثني عشر
سنة ۞ وملك بعده ابنه كورش ويسما
داريوس ثلثين سنة ۞ وفي اوّل سنة من ملكه
مات دانيال النبي وفي السنة الثانية من ملكه
امر بني اسرايل بالرجوع الي اورشليم وان
يبنوا المدينة والهيكل ۞

Regnavit Cyrus Persa triennio, & mortuus est. In hujus locum successit Achasuerus, regnavitque annos duodecim. Hunc secutus est Cyrus, Darius item dictus, qui triginta regnavit annos. Hujus autem anno primo obiit Daniel propheta; secundo autem veniam Hierosolymam redeundi Israelitis indulsit, atque urbis templique instaurandi. Paulo dein post,

ومات كورش داريوس ملك بابل وملك
بعده ابنه قمبيسوس تسع سنين وملك بعده
سمرديوس المجوسي سنة واحدة ۞

Mortuus est autem Cyrus Darius rex Babylonis; & in locum ejus successit Cambyses, qui annos regnavit novem. Hunc secutus est Smerdes Magus, qui unico regnavit anno. Paucis interjectis,

وملك بعده دارا الاوّل عشرين سنة وملك
بعده ارطخشاستّ ۞ ويلقب بطويل اليد
اربعة وعشرين سنة ۞ وفي عصره كان بارض
اليونانيين في مدينة قوا ابقراط الحكيم
صاحب صناعة الطب ۞

Et regnavit post eum Dara primus, annos viginti. (Quin de Dario Hystaspis filio capiendum sit, opinor, nequit dubitari. Sic in exemplari meo recentiori, sed elegantissimo. Vetustiori autem legitur عشر سنين *annos decem.*) *Post hunc vero regnavit Artachshasheth, qui a manus longitudine cognominatus est* (Artaxerxes plane longimanus) *annos* xxiv. *Atque illius tempore floruit in Graecia, scilicet in Coo insula, Hippocrates philosophus, qui medicinae artis princeps.* Sic Dario proxime succedit Artaxerxes Longimanus, praetermisso ibi omnino Xerxe illo decantatissimo; quem tamen Longimani, ni fallor, facit successorem. Sic enim paulo post,

ومات ارطخشاست الملقب بطويل اليد ۞
وملك بعده ارطخشاست الكبير واحد
وثلاثين سنة ۞ وملك بعده صغدانيوس ثلثة
سنين وملك بعده دارا الثاني ۞ ويلقب
بالناكث سبعة عشر سنة ۞ وملك بعده
ارطخشاست من بني اخي كورش الثاني
اثنين وعشرين سنه ۞ وفي عصره كان
بارض اليونانيين من الحكما والفلاسفة هرقلس ۞
ومالوس ۞ وفيثاغورس ۞ وسقراطس ۞ وسيلون
صاحب الشرايع ۞ وزينون ۞ وانبدقلس ۞
وملك بعده ابنه ارطخشاست ويسمي اخوس
عشرين سنة ۞

Mortuus autem est Artaxerxes cognomento Longimanus, cui succedit Artaxerxes Magnus, qui regnavit annos xxxi. *Post hunc regnavit Sogdianus, triennio. Eum secutus est Darius secundus, cui cognomen erat a maculis, & regnavit annos* xvii. *Huic successit Artaxerxes nepos ex fratre Cyro secundo: Atque is annos regnavit* xxii. (Certe in exemplari vetustiori hic proxime sequitur Longimanum, Artaxerxe Magno, Sogdiano, & Dario secundo praetermissis.) *Ejus in tempore floruere in Graecia sapientes & philosophi, Heracles Heraclitus, Malus Melissus, Pythagoras* (manifesto scilicet in exemplari elegantiori scriptum est ۞ وفيثاغورس & *Pythagoras*, vetustiori autem & rudiori exaratur وساعورس quod punctis, quibus caret, ornatum, erit itidem وبيثاغورس & *Pythagoras*, (Nam ب & ف invicem saepius in Graecis nominibus

minibus apud Arabas mutant.) *Socrates, Solon legiſlator celeberrimus, Zeno, & Empedocles. Poſt hunc autem regnavit filius ejus Artaxerxes, dictus item Ochus, qui regnavit annos* xx. Ocho ſuccedens Arſes regnat, apud Saidum, annos xi; cujus ſucceſſor Darius anno ſuo ſeptimo ab Alexandro victus eſt & interemtus. In hiſce ſane non ambigendum quin Pythagoram illum Samium vulgo dictum, philoſophiae nempe principem illuſtriſſimum, de quo locuti ſumus, nec omnino obſcuriorum ejuſdem nominis aliquem, intellexerit. Ita vero Ezechiele propheta fit multo recentior. Sed viderint hic chronologi. Et ſcimus etiam apud hiſtoricos orientis Mahumedanos (ſcilicet chriſtianus erat quem citavimus, & patriarcha ante annos DCC. aut circiter, Alexandrinus; cui nec priſci chronologi proculdubio fuere ignoti) imperii Perſici reges eorumque annos, qui ejuſdem initia & Alexandrum interveniunt, perquam diverſos eſſe ab eis qui ſive in autoribus quibus uti ſolemus ſive in Batricide jam memorato reperiantur. Tetigit quidem rem eandem Guilielmus Schickardus in prooemio ad ſeriem regum Perſiae. Sed luculentiſſima ſunt ejuſdem teſtimonia apud Abu Mahumed Muſtaphi Ben Haſen ſeu Muſtaphium Haſenidem, Abu Walid Mahumed Ben Shecena ſeu Mahumedem Sheceniden, egregios hiſtoricos Mahumedanos, atque ejuſmodi alios, qui ſuos de rebus orientis orientales habuere, ut nos occidentales plerumque ſeu Europaeos, autores. Plura ea de re hic adjicere intempeſtivum eſt. Quae adduximus, Pythagorae aevi cum Ezechielis comparati cauſa (quatenus nimirum id ita Perſico imperio apud Saidum immiſcetur) tantum memorantur. Certe perquam longaevus erat Pythagoras. Atque ex annorum aetatis ejus ratione facilius fieri potuit ut Ezechielem, quomodocunque ferme in confuſo temporum illius intervalli calculo a chronologis collocatus, audiret. Nam & Ezechiel ſub captivitatem [z] puer erat. Pythagoram autem nonageſimum [a] alii aiunt attigiſſe annum, alii centeſimum quartum [b], etiam & centeſimum decimum ſeptimum non nemo [c]; vita nempe aceti ſcillini inprimis beneficio eouſque producta. Neque vero eſt illud Jamblichi de eo hic plane contemnendum. De mora ejus Sidone, quam & patriam ei facit, loquens, Ἐνταῦθα δὲ, inquit [d], συμβαλὼν τοῖς τε Μώχου τοῦ φυσιολόγου προφήταις ἀπογόνοις καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ φοινικικοῖς ἱεροφάνταις, *Illic cum prophetis qui Mocho phyſiologo ſucceſſores erant, aliiſque etiam & Phoeniciis ſacerdotibus congreſſus*, initiatus eſt ſecundum id quod paulo ſupra ea de re memoravimus. Scio quidem Mochum Tyrium ſeu Phoenicium ſcriptorem citari Flavio Joſepho *, Athenaeo [e], Tatiano [f], atque, ex eo, Euſebio [g]. Sed is non phyſiologus, ſed hiſtoricus ſolummodo, quantum ſcimus, erat. Neque enim aliter teſtimoniis ejus utuntur autores jam dicti. Occurrit etiam apud Galenum [h] Mochi medici nomen, quod in Latinis fit Moſchus [i], quemadmodum itidem Mochus ille Phoenicius apud Athenaei interpretem. Et quin phyſiologus etiam fuerit quiſquis eſſet medicus, dubitari quidem nequit. Straboni autem e Poſidonio memoratur antiquum de atomis dogma ἀνδρὸς Σιδωνίου Μόχου *Moſchi hominis Sidonii* (adeoque Phoenicii) qui ante Trojani belli tempora floruit. Caeterum Joannes Arcerius, Jamblichi editor, ad locum illum, Μόχου *legendum*, inquit, *videtur; niſi quis* Μώχου *vel* Μωσέως *legere malit*. Adeo ut de Moſis ſucceſſoribus, id eſt Judaeorum philoſophis & prophetis, verba capienda eſſe, nec forſan immerito, ſuſpicaretur. Quis alias ſit Mochus ibi, cui ſcilicet prophetae ſucceſſores fuerint, haud ita facile eſt conjiciendum. Numenii autem Pythagorici huc cum primis ſpectat notiſſimum illud, τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων; *Quid enim eſt Plato aliud quam Moſes Attica lingua loquens?* Et expreſſim perſtrictum eſſe Platonem a Numenio legimus [k] ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν βιβλίων τὰ περὶ Θεοῦ καὶ κόσμου ἀποσυλήσαντα, *quod ea quae de Deo & mundo tradiderit ex libris Moſaicis velut plagio ſurripuerit*. Scriptoribus quos citavimus paganis accedat Clearchus Solenſis, Ariſtotelis diſcipulus, qui ſe vidiſſe teſtatur [l] τινὰ Ἰουδαῖον ὃς Ἀριστοτέλει συνεγένετο, *Judaeum quendam quocum verſatus eſt Ariſtoteles*. Scilicet dum in maritimis Aſiae regionibus aliquot ſimul cum aliis philoſophiae ſtudioſis agebat Ariſtoteles, ſtudiorum & ſocius factus eſt & explorator Judaeus ille. Atque is cum illis ita familiariter degens παρεδίδου τι (ut verba ſunt Ariſtotelis, referente Clearcho [m]) μᾶλλον ὧν εἶχε, *plus aliquanto quam acciperet ipſe communicabat*. Is enim eſt verborum horum ſenſus, quae perperam nimis in Joſephi, qui ex Clearchi libro de ſomno ea citat, verſione redduntur, *tradebat potius aliquid eorum quae habebat*. Ex hiſce igitur liquet, tum Italicae ſectae autorem, eundemque primarium theologiae Graecanicae [n] praeceptorem, primumque philoſophi nomine inſignitum, cui primam etiam in Graecia de immortalitate animae diſciplinam tribuunt nonnulli [o] (nec fere, ſi Pherecydem illum Syrium [p], hujus magiſtrum, qui etiam barbaricae philoſophiae diſcipulus fuit, excipias, ea de re, dum ſectarum & dogmatum tantum inſpicimus ſucceſſiones, habetur controverſia) primaſque de virtutibus diſputationes alii [q], id eſt moralis philoſophiae principia, deberi volunt; cujus item ſectae nomen ſic diu viguit ut nulli alii, quod ait Cicero, docti viderentur; tum & academicorum & peripateticorum principes (quales hi ſimul, quanti viri ac ſapientiae coryphaei!) Ebraeos conſuluiſſe, audiiſſe, atque ab eis diſciplinam accepiſſe. Qua de re ſcriptorum etiam recentiores aliquot [r] prudenter pro re nata monuere. Unde ſane nemo, puto, non concedet placita ac diſciplinam Ebraeorum, quam omnium hominum communem eſſe ipſi ſtatuerunt, nec ſibi propriam, ſed univerſo humano generi communicandam eſſe, adeoque proculdubio

[z] Joſeph. lib. 10. cap. 8. [a] Laërt. in vita ejus. [b] Anonym. de vit. Pythagor. apud Photium, Cod. 259. [c] Autor lib. 3. Galeno adſcripti περὶ εὐπορίστων num. 205. [d] De vita Pythag. cap. 3. * Orig. lib. 1. cap. 4. [e] Dipnoſoph. lib. 3. [f] Lib ult. [g] Praeparat. Evangelic. lib. 10. cap. 11. [h] De Compoſit. Medicament. lib. 1. [i] Et videſis Franciſc. Picum Exam. doct. Vanit. Gent. lib. 1. cap. 10. [k] Heſych. Illuſtr. in Numenio, & Suidas. [l] Apud Clem. Alex. Strom. 1. & Euſeb. Praep. Evang. lib. 9. cap. 6. [m] Apud Joſephum contra Apion. lib. 1. & Euſeb. Praeparat. Evang. lib. 9. cap. 5. [n] Proclus in Platon. Theolog. lib. 1. cap. 6. [o] Maxim. Tyr. Diſſert. 28. & Porphyr. in vita Pythagorae. [p] Cicero Tuſculan. quaeſt. 1. Lactant. lib. 7. cap. 8. [q] Ariſt. Mag. Moral. lib. 1. cap. 1. [r] Cardinal. Beſſarion in calumn. Platonis lib. 2. cap. 8. Auguſtinus Steuchus de perenni philoſophia, lib. 2. cap. 2. Marſil. Ficinus de religione Chriſtiana, cap. 26. Franciſc. Picus Exam. Doct. Vanit. Gent. lib. 1. cap. 14. & lib 3. cap. 14. Raimundus Reganius de Theologia Gentium, cap. 8. Joann. Filеſacus Select. lib. 2. cap. 8. alii non pauci.

illis qui eos sic consulerent tradendam, non indignam esse quae jam eruatur, explicetur, ediscaturque; nemo, inquam, maxime qui philosophiae veteris fontes velit omnino exploratos. Et de primo hic argumento paganismi rationibus subnixo hactenus. Sequitur secundum, quod ab existimatione qua apud Graecos summopere claruere, idque sapientiae nomine, Ebraei, desumtum; cum AEgyptiis, magis, aliisque aliquot orientis philosophis non raro, velut ex primariis atque barbaricae philosophiae antesignanis, recensentur Judaei veteres. *Quicquid*, inquit Megasthenes[s], scriptor vetustissimus, *ab antiquis de natura dictum est*, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι. Τὰ μὲν παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δὲ ἐν Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων, *etiam docetur ab eis qui extra Graeciam philosophantur, veluti apud Indos a Brachmanis, atque in Syria a Judaeis.* Aristoteles item ipse, ut verba ejus retulit Clearchus[t], qui eum audivit, de Judaeis loquens; Οὗτοί εἰσιν ἀπόγονοι τῶν ἐν Ἰνδοῖς φιλοσόφων. Καλοῦνται δὲ, ὥς φασιν, οἱ φιλόσοφοι παρὰ μὲν Ἰνδοῖς κάλλανοι, παρὰ δὲ Σύροις Ἰουδαῖοι, τοὔνομα λαβόντες ἀπὸ τοῦ τόπου, *Sunt hi*, ait, *philosophorum qui apud Indos claruere propago.* (Sed mirum non est scriptorem Graecum in Judaeorum origine hallucinari.) *Nuncupantur autem, ut fama est, philosophi apud Indos Callani, sed apud Syros Judaei, a loco* (Judaea scilicet, ut postea ipse ibi) *nomen sortiti.* Et manifestum est Clearchi seu Aristotelis hac de re verba apud Eusebium[v] hinc emendari debere. Res ipsa a Clearcho de Aristotele & Judaeo tradita, juxta superius citata, habetur tam apud Eusebium quam Josephum. Sed locus de Callanis & Judaeis jam nunc adductus librariorum incuria mutilus nimis est apud Eusebium. Nam hoc modo ibi legitur; Οὗτοί εἰσιν ἀπόγονοι τῶν ἐν Ἰνδοῖς Καλάνων, παρὰ δὲ Σύροις Ἰουδαίων, τοὔνομα λαβόντων ἀπὸ τοῦ τόπου, *Hi sunt propago Calanorum apud Indos, apud Syros autem Judaeorum, qui a loco nomen sortiti sunt.* Caeteroquin sibi satis est concors utrobique Clearchus. Sed non solum Josephi autoritas sed & sensus ipsaque res emendationem hic manifesto exigit. Hinc autem advertendum, Judaei nomen etiam pro ipso quod philosophum signantius denotaret ab Aristotele ibi sumi. Numenius pariter, philosophus Pythagoricus, Brachmanibus, Magis, ac AEgyptiis Judaeos expressim conjunxit[x]: ut celebriorum sic designaret per orientem philosophorum sectas, quemadmodum itidem[y] Porphyrius. Hisce accedant oracula[z] illa Apollinis;

Πολλὰς δὲ Φοίνικες ὁδοὺς μακάρων ἐδάησαν,
Ἀσσύριοι, Λυδοί τε, καὶ Ἑβραίων γένος ἀνδρῶν.

Plurimas etiam Deorum vias cognovere Phoenices, Assyrii, Lydi & Ebraei. Scilicet praeter AEgyptios; quibus initia is tribuit paulo ante theologiae atque viae ad felicitatem ducentis. Eam τὴν μακάρων ὁδὸν, id est, *Deorum* seu *felicium viam*, ipse & τὴν πρὸς Θεοὺς ὁδὸν *ad superos viam* appellat, dum oraculum explicat, Porphyrius. Quin in altero etiam oraculo[a] idem Apollo solos Ebraeos cum Chaldaeis pro eis apud quos solum olim viguit vera sapientia memorat;

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς.

Soli Chaldaei atque Ebraei sapientiam sortiti sunt, aeternum Numen sancte venerantes. Idem etiam Ebraeos alio in oraculo vocabat ἀριζηλήτους, utpote qui sapientiae fama percelebres fuere. Aut igitur plurimi aestimanda sunt hic veterum Ebraeorum placita & disciplina, aut non solum christianorum, juxta ante dicta, sed & paganorum antiquorum, quibus tanti fuere, etiam tunc cum maxime in Graecia floruit sapientiae studium, judicium ea de re plane rejiciendum. Neque mirum est expressiora in philosophorum Graecorum scriptis doctrinae Ebraicae vestigia non ita multa reperiri, imo nihil ferme ibi occurrere quod puram putam originis Ebraicae naturam satis retineat. Adeo enim tum commiscebantur in Graecorum disciplina barbaricae philosophiae sectae (quarum primaria erat Judaeorum) tum ipsa philosophia Graecorum tot in partes, velut a bacchis Pentheus, discerpta est atque in opinionum factiones distracta, ut tam quae ex ipsis hausta sunt fontibus, quam quae velut per rivulorum alveos ab eis deducta sunt, in tam multiplicis disciplinae oceanum recepta hujus naturam plerumque induerent, suam minime satis servantia. Tametsi sint etiam viri magni qui in philosophia Platonica ac Pythagorica sententias aliquot haberi animadvertunt, quas ex Ebraica disciplina desumptas esse non magis dubitant quam egregius seculi nostri theologus ac mathematicus[b] universam architecturae rationem perfectiorem per Graecos in Romanos & demum in Vitruvii libros ab Ebraeorum in templi Salomonici aliisque ejus structuris proportionibus omnino manasse: veluti Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, D. Ambrosius, Joannes Philoponus. Sed & ea de re optime Tertullianus[c], *Si etiam ad ipsos prophetas*, inquit, *adisse credibile est indagatorem quemque sapientiae* (de philosophis illis loquitur) *ex negotio curiositatis, tamen plus diversitatis invenias inter philosophos quam societatis, cum & in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur. Siquidem vera quaeque & consonantia prophetis aut aliunde commendant aut aliorsum subornant cum maxima injuria veritatis, quam efficiunt aut adjuvari falsis aut patrocinari.* Atque alibi[d] idem, *Nec mirum*, ait, *si vetus instrumentum ingenia philosophorum interverterunt. Ex horum semine & nostram hanc novitiolam paraturam* (christianismum tunc nuper natum innuit) *viri quidam suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt, & de una via obliquos multos tramites & inextricabiles sciderunt.* Dictum quod notatu dignissimum; velut commentariolus etiam est in illud Platonis, ubi a barbaris sive orientis populis disciplinas accepisse Graecos agnoscens, quicquid, inquit[e], sic acceptum est, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται, *praestabilius tandem effecerunt*, id est, suo more mutarunt, ornarunt, nec originis faciem seu vestigia satis manere siverunt. Idem affirmavit a-

[s] Apud Clement. Strom. 1. & Euseb. Praeparat. Evang. lib. 9 cap. 6. [t] Apud Joseph. lib. 1. contra Apionem. [v] De Praeparat. Evang lib. 9 cap. 5. [x] Apud Euseb. Praep. Evang. lib. 6. cap. 7. [y] Apud Theodoret. Therap. lib 1. [z] Porphyrius apud Eusebium Praep. Evangelic. lib. 9. c. 10. [a] Ibid. [b] J. Bapt. Villalpandus in Ezechielem tom 2. part. 2 lib. 5. disp 1. cap. 13. & 14 & 21. & in Apparatu Urbis ac Templi, part. 2. lib. 3. cap. 15. [c] Lib. de Anima, cap 2. [d] Apologetic cap. 4. [e] In Epinomide.

nonymus
I

nonymus [f] vitae Pythagorae ſcriptor; unde, Οὐδ' ἐπείσακτος, inquit, ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, ἡ παιδεία ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἀλλ' ἐκ φύσεως ὑπάρχουσα, *adventitia, ut ita dicam, non eſt in Athenis eruditio, ſed nativa.* Reapſe quidem & ex origine adventitia erat: Sed ideo nativam dicendam eſſe voluit ille, quia adeo ab origine deviarat. Tandem vero, quod ad tertium ac poſtremum hic attinet argumentum, e veteris orientis rerum, morum ac diſciplinae notitiae penuria adductum; illud eſt inprimis in mentem revocandum de Orientis ſeu Aſiae interioris, quacum jungere liceat AEgyptum, rebus, moribus, diſciplina; quamplurima ſcilicet olim exſtitiſſe volumina quae multis abhinc ſeculis prorſus, ſi fragmenta paucula apud ſcriptores eoſque plerumque Europaeos ſervata excipias, periere. Id ſatis inde ſcimus quod de rebus Arabicis, Syriacis, Phoeniciis, Chaldaicis, Babylonicis, Perſicis, Indicis, AEgyptiacis, id genus illius plagae aliis, autorum nullibi, quantum ſcimus, nunc repertorum nominum ſeges ampla occurrat apud ſcriptores Graecos, Athenaeum, Strabonem, Plutarchum, Laërtium, Stephanum de Urbibus, veterum poetarum ſcholiaſtas, alios. Eorum etiam qui res ipſas Ebraicas data opera codicibus integris Graece antiquitus contexuere complurium, velut Eupolemi, Artapani, Alexandri Cornelii Polyhiſtoris, Hecataei Abderitae, Demetrii, Ariſtobuli, Juſti Tiberienſis, aliorum ejuſmodi (quorum nonnulli forſan ipſam quam oſtenſuri ſumus philoſophiam Ebraicam, ſeu jus univerſale atque naturale & gentium, expreſſius complexi ſunt) opera ante plurima ſecula delevit temporis injuria: tametſi Flavium Joſephum & Philonem, qui huc magnopere non faciunt, neutiquam nobis invidit. Sed de horum utroque ſtatim plura. Et impenſe dolenda eſt, dum nomina ſola fere ſic occurrunt, tanta rei literariae jactura. Jam vero, cum decantatiſſimum ſit illud Soloni ab AEgyptio ſacerdote dictum (Saiticum ſacerdotem Pateneit AEgyptiace nominatum hunc fuiſſe conjectatur Proclus [g]) Graecos ἀεὶ παῖδας εἶναι *Graecos ſemper pueros fuiſſe*, id eſt, diſciplinae orientalis tantum candidatos, nec ſatis edoctos; cum etiam velut ſapientiae omnimodae ſive mater ſive officina prima ſemper Europaeis habita ſit olim illa orientis plaga, atque in occidentem doctrinam omnimodam inde manaſſe & ſuccreviſſe ſit palam in confeſſo, nec omnino interea exſtent ſcripta unde gentis alicujus ſeu ſcholae orientalis, praeter Ebraicam, ſeculis illis vetuſtis florentis philoſophia moralis & civilis, ſeu jus quo nemini juxta ejuſdem ſcita carendum erat, ſatis ediſci poſſit, adeo ut caeterorum maxima laboremus penuria; cum, inquam, haec ita ſe habeant, fieri arbitror non poſſe quin recte intuenti ſummo etiam ex hac ratione habenda fuerit in pretio philoſophia illa ſeu jus Ebraeorum, velut theſauri ingentis, id eſt totius ferme philoſophiae in oriente barbaricae, pars optima ſolum ſuperſtes. Atque ea ideo majoris forſan jam aeſtimabitur quia ſic ſola ſuperſtes eſt. Non aliter ferme ac libri Sibyllini illi tres ex novem (quorum ſex ſub ipſam auctionem, eo quod licitatio omnium ſimul parvo nimis facta eſt, ab anu cremati ſunt) ſuperſtites in hiſtoria illa [h] Herophiles & Tarquinii notiſſima. Pars reliqua velut deperditae pariter atque ſui pretio forte ſic ab aliquo hic taxabitur. Neque vero adeo miretur interim quiſquam, apud ſuperſtitem Judaeorum bigam illam, quae Graece non ſolum res alias Ebraicas conſcripſit, verum etiam de philoſophis aliquot & philoſophia non unius generis apud Ebraeos in uſu expreſſius & diligentius egit, (Joſephum dico & Philonem) nullam omnino univerſalis hujus juris aut philoſophiae, qua pariter, juxta receptam gentis aut eorum qui ejuſdem diſciplinae (quod idem hic eſt) praeerant ſententiam, ad univerſum genus humanum attinuit, in numerato aut diſertis verbis capitum mentionem occurrere, ſed omnia hic, quae communi hominum obſervationi deſignantur, ex autoribus & libris ſolum ferme Talmudicis, ut infra liquebit, peti, id eſt, e corpore Talmudico aliiſque ſcriptis cognominibus, quae in ſtudiis Ebraicis ſerio inſtitutis pariter ſe habent atque in Romanis juris Caeſarei Pandectae & Codices. Scilicet τρία, inquit Joſephus [i], παρὰ Ἰουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται, *tria hominum ſunt genera apud Judaeos qui philoſophantur*, Phariſaei, Sadducaei, Eſſeni. Dogmatum etiam eorum aliquot & inſtituta ſingularia perſequitur. Et Philo [k] multis itidem ea quae fuere Eſſenorum; quibus Eſſaeis ipſi dictis philoſophiam diſerte tribuit δίχα περιεργίας Ἑλληνικῶν ὀνομάτων, *Graecorum nominum pompa & ambitione carentem.* Atque horum ex eiſdem, philoſophorum nomine, ac diſciplinae eorum, nomine philoſophiae, ſimiliter meminere Euſebius [l], Porphyrius [m], veterum alii. Et dogmata eorum habentur etiam apud Epiphanium [n]. Quin & fuſe de eis ſeculo noſtro eſt diſputatum a Caeſare Baronio [o], Joanne Druſio [p], Nicolao Serrario [q], Joſepho Scaligero [r], Iſaaco Caſaubono [s], aliis. At vero advertendum eſt, philoſophorum & philoſophiae nomen, quantum ad hanc rem attinet, dupliciter ſumi ſolere: interdum ſcilicet ſectas tantum ſingulares eo venire, ut ſtoicam, peripateticam, academicam; interdum nec raro generale ſapientiae ac pietatis juriſque cuique mortalium obſervandi ſtudium ac diſciplinam intra ſectarum areolas non omnino cohibitam; id eſt, philoſophiam moralem ac civilem ſimplicem ac cuique genuinam, nec in particulas (ut de veſte ejus loquitur Boetius [t]) ſeu factiones diſtractam. Et ſimplicitati ejuſmodi ſectae ea quae ſibi ſingularia fuere ambitioſius, etiam mangonum inſtar, illinere atque ſuperſtruere, ut in aliis fieri etiamnum amat, ſolebant. Hoc animadverſo, ſatis liquebit, tam Joſephi quam Philonis, dum de philoſophis illis Ebraeorum ac ſingularibus eorundem dogmatibus locuti ſunt, inſtitutum fuiſſe, celebriores tantum gentis ſuae ſectas ſeu factiones philoſophicas, earumque dogmata, non generalem illam ac ſimplicem, quae omnium utpote mortalium juxta diſciplinam Ebraicam communis, forſan & ſectis ipſis, quotquot erant, pariter aut plerumque eſt recepta, philoſophiam, ſeu juris univerſalis capita, indicare. Capita, dixi:

[f] Apud Photium Cod. 259. [g] In Platonis Timaeum lib. α. [h] Varro apud Lactant. lib. 1. cap. 6. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 4, &c. [i] Haloſ. lib. 2. cap. 12. & Archaeolog. 18. cap. 2. [k] Lib. περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον. [l] Lib. 8. de Praep. Evang. cap. 11 & 12. [m] De Abſtinentia animalium, lib. 4. [n] Haereſ. 15, &c. & 30. [o] In Apparatu. [p] Lib. de Haſidaeis & de tribus ſectis. [q] In Trihaereſio & Minervali. [r] In Elencho Trihaereſii. [s] Exercit. 1. in Apparat. Baron. num. 7. [t] De Conſolat. Philoſoph. lib. 1; proſ. 1.

Nam disciplinam ipsam de qua loquimur generatim sumptam, nec in capita aut partes distributam, satis est verisimile non semel a Philone innui: Quoties nempe philosophiam, non hanc vel illam a caeteris discriminatam, aut jus ὑπὸ τοῦ δεῖνος ἢ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρτὸν, ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἄψυχον ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἄφθαρτον ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθὲν [v], *ab hoc vel illo mortali, adeoque ipsum mortale, in chartulis aut cippis inanimatis, ipsum pariter inanimatum, sed immortale ab immortali natura in mente seu anima humana immortali exaratum*, hominibus universis quaerendum, amplexandum, exercendum, in libris de mundi opificio, de congressu quaerendae eruditionis gratia, de nominum mutatione, suadet inculcatque. Inde nimirum probos & pios fieri homines. Id quod non omnino intra professionis Judaicae cancellos coercet, nedum sectarum dogmatis assignat, sed generalis illius philosophiae severioris, id est omnium mortalium, sine ritibus institutisve Judaicis, atque ante illa, in seculis quae Mosem antevertunt, communis, effectum pariter non semel facit. Quod vero ad Josephum attinet, qui Judaeus Hierosolymitanus Philone Alexandrino Judaeo rerum Ebraicarum erat proculdubio multo scientior, utcunque Talmudicis nimium sit interdum dissonus; haud magis sane mirum est eum disciplinae hujus universalis capita simul cum singularibus illis philosophiae sectis non tradidisse quam si historicus christianus presbyteros ac ordinem sacerdotalem, qui secularis est, cum Franciscanis, Dominicanis, aliis qui sunt id genus sodalitiis, ipsisque quibus invicem subinde discrepant institutis, inter scribendum adnotaret, nec interea sive religionis christianae horum omnium cum caeteris christianis communis nec philosophiae moralis ad universos pariter spectantis capita simul explicaret aut omnino ulterius tangeret. Quam rem nemo non videt esse satis obviam. Atqui & hoc apud Josephum observatu est hic forte non indignum. Scilicet admodum hactenus adolescentem se ait [x] sectarum illarum trium gustum aliquem primo capere sibi instituisse, per omnes transiisse, Bano Heremitae adsuevisse, tandem vero undeviginti annos natum Pharisaicae se addixisse, ἢ παραπλήσιος, inquit, ἐστὶ τῇ παρ' Ἕλλησι Στωϊκῇ λεγομένῃ, *quae similis est, affinis, aut proxime accedit ad sectam stoicam Graecis ita dictam.* Pharisaeos, quibuscum Scribas connumero, caeteris tum dignitate civili tum autoritate praeluxisse [y] certum est, & avitas disciplinae traditiones ita penes ipsos esse servatas, ut caeterae quae fuere sectae aut pro schismaticis, aut pro eis qui strictius sive ex arbitrio sive voto genus vitae selegissent, essent habendae. Et de seipso D. Paulus [z], κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος, *secundum certissimam* seu *accuratissimam sectam nostrae religionis vixi Pharisaeus.* Unde & Josephus [a] τὴν ἀκρίβειαν & ἀκρίβωσιν, id est *diligentiam accuratam* seu *subtilitatem*, eis non semel tribuit. Syrus autem in citato de D. Paulo loco habet יולפנא רישיא *disciplinam* seu *sectam praecipuam*, uti & Arabs تعليم الفريسيين الفائق *disciplinam Pharisaeorum illam excellentiorem.* Avitas autem seu Majorum traditiones omnes, quotquot sive legem scriptam aliter atque ipsa verba sacra simpliciter sumpta interpretarentur, sive superinducta observationis ex more majorum additamenta continerent, rejiciebant Sadducaei. An itidem eam quae erat de jure ac disciplina hac omnium mortalium communi haud satis didici. Eam vero semper retinuisse, idque ut ab ipsis rerum initiis per posteritatem continenter propagatam, Pharisaeos, palam est ex eis quae e Talmudicis libris afferimus in sequentibus. Jam autem quid cedo illud Josephi, sectam Pharisaicam, id est primariam & ferme solam, quae disciplinae autoritate viguit, stoicae philosophorum sectae proximasse? Si de doctrina aliqua quatenus Judaica erat, seu Judaeis eorumve legi, qua eorum erat propria, rem sumamus, nihil plane erit absurdius. Quid enim omnino ejusmodi in sectae stoicae dogmatis aut disciplina? A ritibus Judaicis & juris Pharisaici, quantum nempe Judaeis erat, proprium, apicibus erat ea plane alienissima: nec eatenus simile aut affine quid intercedit. Nonne igitur de eo quod utrisque commune erat est necessario intelligendus Josephus? Et videtur quidem de communibus aliquot tam contemplationis quam actionis dogmatis? Quaenam autem illa? Certe in stoica disciplina [b] occurrunt de Deo, de fato, de anima, de humano arbitrio quae Pharisaeorum [c] sententiis perquam sunt affinia: de virtutis praemio ac vitiorum poena, etiam alia; hac item manibus post mortem infligenda, illo tunc accipiendo: quae plane Pharisaicae seu Talmudicae disciplinae consona. Et quemadmodum apud stoicos, uti etiam alios aliquot, obtinuit illud, *secundum naturam* [d] & *rationem*, id [e] est revera *secundum naturae* atque *rationis humanae parentem* seu *Deum*, vivendum, ita etiam apud Pharisaeos seu Talmudicos, secundum normam ab ipso naturae parente humano generi sive inditam sive indicatam, juxta ea quae inferius sequuntur, vitam mortalium cuique ex obligatione esse transigendam. Quod sane dogma ipsam quam tractamus disciplinam & jus omnium commune generatim complectitur. Nimirum non solum Judaeos, quorum reipublicae tot Mosaica accesserunt, ut ipsis singularia, instituta, probos ac pios ex eorundem institutorum observatione fieri asserebant, uti & ex violatione improbos & impios, verum etiam reliquum genus humanum ex observatione atque violatione juris universalis, & politia & ritibus Judaicis immunis, atque disciplinae nemini non mortalium praescriptae, pariter probum ac pium, seu impium & improbum fieri, ac futuri seculi sive praemium sive poenam mereri. Unde fit quod in libris Talmudicis [f] memorentur חסידי אומות העולם *pii e gentibus mundi*, eisque similiter ut Israelitis חלק לעולם הבא seu *sors in futuro seculo*, id est virtutis seu vitae bene transactae praemium, assignetur; uti & ejusmodi impiis, sortis illius negatio. Quemadmodum etiam de philosophorum aliquot ante christianismum ob vitae sanctitatem

[v] Lib. de eo quod est, probum omnem liberum esse.
[x] In vita sua.
[y] D. Matth. xxiii. 2, 3. & vide Josephum lib. 18. cap 2 & 17. cap. 3.
[z] Act Apost. xxvi. 5.
[a] Lib. 17. cap. 3. Halos. lib. 2. cap 12. Et videsis Nic. Serrarium Trihaeres. lib 2. cap. 5. & 6.
[b] Consulas Lips. in Manuduct. ad stoicam physiolog. & philosophiam.
[c] Joseph. Halos. lib. 2. cap 12. & Archaeolog. lib 18. cap. 2.
[d] Seneca de Vita Beata, cap. 3. & 8. Et Epist. 5.
[e] Videsis eum Epist. 65. & lib 4 de Beneficiis cap 7.
[f] Maimonid. Halach. *Thesuba*, cap. 3. & vide Obad. Bartenor. ad Misn. tit. *Sanhedrin*, cap 10. & Manasse Ben Israel. de Resurrect. Mortuorum lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 11.

celebriorum

celebriorum salute pronunciant patres [g] aliquot. Unde & Joannes episcopus Euchaitensis [h] de Platonis & Plutarchi salute precibus ad Christum diserte olim egit. Sed de piis ejusmodi e gentilibus plura, juxta Ebraeorum sententiam, infra libro septimo. Adeo demum ut, tametsi ipsa juris hominum juxta Ebraeos universalis nullibi recenseat capita Josephus, id nihilominus quod generatim jus istud complecteretur, aut signaret, tunc forsan obscurius indicari vellet, cum disciplinam stoicam, seu in qua de virtute & vitio eorumque praemiis & poenis, qua genus spectant humanum, disputari solet, ita Pharisaicae, id est quidem Talmudicae, affinem fuisse scribebat. Quodnam igitur sit jus illud, quaenam item ejusce capita, scitu non indignum esse ex argumentis jam allatis, puto, fit satis manifestum. Veruntamen nec sine monito haec dicta aut accepta sunto. Absit ut rerum quis aestimator iniquior existimet disciplinae hujusmodi (qualiscunque ea fuerit) Ebraeorum praestantiam hic ita praedicatam esse magnive faciendam nos velle, perinde ac si eo nomine in ullis rerum christianarum discussionibus vim aliter seu effectum sortiri debeat, quam ipsa sacrarum literarum verique christianismi morumque in illum receptorum ratio ac autoritas admiserit statueritve. Nam haec, ut vitae moralis ac civilis cynosura, nobis sequenda observandaque. Capita quidem disciplinae Ebraeorum quam exhibituri sumus, quatenus generatim tantum singula ex avitis eorum traditionibus ac scriptis depromuntur, christianismo, veritati catholicae, & moribus quibus utimur, adeo sunt, quod inferius liquet, consona, ut, si unicum, quod est de membro animalis hactenus viventis, seu, ut volunt etiam aliqui, itidem de esu sanguinis, excipias, non omnino ea dissona sic reperiantur. Sed vero illud [i] rectissime olim dictum, Τοῦτό ἐστι τὸ αἴτιον τοῖς ἀνθρώποις πάντων τῶν κακῶν, τὸ τὰς προλήψεις τὰς κοινὰς μὴ δύνασθαι ἐφαρμόζειν ταῖς ἐπὶ μέρους, *Haec est causa hominibus omnium malorum, quod non possint anticipationes* seu *notiones communes* seu *generales singularibus adaptare*. Inde sane capitum eorundem ex eisdem traditionibus sumptae Interpretationes, subtiliores partitiones, negotiosaeque scrupulositates, tametsi saepius quidem christianismo & rationi quam sequi solemus aut consonae sint aut non adversae, subinde nihilominus sunt, uti & aliae apud Ebraeos non paucae, plane dissonae nec a viro christiano admittendae. Unde etiam de traditionibus ejusmodi, uti itidem de philosophia, monita habentur in foedere [k] novo; ne scilicet inde doctrina christiana detrimenti quid capiat, ubi sine delectu, id est, sine Lydio christianismi lapide, in vitae normam sive haec sive illae adhibeantur. Atque eam ab causam cardinales inquisitores reipublicae christianae generales sub Julio tertio pontifice maximo in corpore Talmudico *adversus naturae* inquiunt [l] *& honestatis leges ea concedi quae humanae aures audire perhorrescunt*. Quod opinor potissimum sumendum de interpretationibus aliquot quibus concubitus nonnulli nefandi, idque maxime ex naturalis, quae ex sanguine pendet, relationis admissa interdum abolitione civili (qua de re plura libro ostenduntur secundo & quinto) nefarie permittuntur. Quin inde aliasque ob causas igni damnabant cardinales corpus illud; quod & non semel antea, idque tam ab aliis [m] quam a pontificiis [n], factum. Lectio item ejusdem & possessio a pontificibus summis est aliquoties [o] interdicta. Idemque interdictum, opinor, etiamnum vim Romae obtinet, cujus autor postremus Clemens Octavus [p]. Sed antea ex Pii Quarti de libris purgandis, prohibendis, tolerandis constitutione, *Thalmud Hebraeorum, ejusque glossae, annotationes, interpretationes & expositiones omnes, si tamen prodierint sine nomine Thalmud, & sine injuriis & calumniis in religionem christianam tolerabantur*. Quae quidem permissio per Pii quinti, Gregorii decimi tertii, Sixti quinti, Urbani septimi, Gregorii decimiquarti, atque Innocentii noni tempora pariter mansit. Sed simul ac in pontificatum evectus est Clemens octavus, ita permissioni illi derogatum est ut omnino libri illi damnarentur, nec lectoribus jure pontificio ulterius paterent. Utut autem se res ea habuerit, nemo, puto, interea est hominum cordatiorum simul atque doctiorum, qui traditiones atque interpretationes quae in Talmude & jurisconsultis Talmudicis reperiuntur, adeoque eas unde disciplina qua de loquimur est conflata; pensiculatius in libera rerum indagine & cum delectu prudenti consideratas, lucem saepius praebere serio studiosis variam etiam & maximi faciendam, non libentius concesserit. Appello hic Paulum Fagium & Sebastianum Munsterum, hunc in Ebraici, illum in Chaldaici pentateuchi & capitum patrum versione, alia item eorundem opera; Josephum Scaligerum in libris de emendatione temporum ubi de Ebraica temporum ratione atque ritu agit paschali, in elencho Trihaeresii, Diatriba de decimis, animadversionibus etiam Eusebianis & canonibus isagogicis, Isaacum Casaubonum in exercitationibus Baronianis, ubi de proselytis, jure regio, alia aliquot disputat; Joannem Buxtorfium maxime in bibliotheca Rabbinica & in Tiberiade; Gulielmum Schikardum in libro de jure Ebraeorum regio, aliis ejusdem lucubrationibus; Petrum Cunaeum in libris de republica Hebraeorum; Joannem Drusium passim; Jacobum & Ludovicum Cappellos, hunc in spicilegio & diatriba de Jepthis voto, illum in historia sacra & exotica; Joannem Cameronem in myrothecio, alibi; Sixtinum ab Amama in antibarbaro; Samuelem Petitum in variis lectionibus & eclogis chronologicis; Joannem demum Cochium, Constantinum *L' Empereur*, quorum uterque integros etiam aliquot Misnarum tractatus & Gemararum fragmenta non pauca in summum rei literariae commodum verterunt ediderunt que. Atque in horum primariis habendus est Hugo Grotius, qui in eximiis illis de jure belli ac pacis libris (a sacra indicis congregatione, quemadmo-

[g] Praeter Clem. Alexandrinum Strom. lib. 6. Videsis Robert. Holkotium ad Sent. lib. 3. quaest. 1. Francisc. Collium lib. de Animabus Paganorum, &c. [h] In Iambicis. [i] Arriani Epictet. lib. 3. cap. 26. [k] Epist. ad Colos. ii. 8. [l] Decret. 1563. in lit. apostol. Directorio Inquis. subnexis fol. 120. [m] In Hassia 1539. Conradus Huserus de Imposturis Iudaeorum c. 6. & videsis Sleidan. Comment. lib. 2. [n] Sixt. Senens. in Bibliotheca sanct. l. 2. & 4. [o] Videsis Laert. Cherubin. in Bullario tom. 1. p. 62. & 716. tom. 2. pag. 452. tom. 3. pag. 25. Adde Prosperum Farinacium de Haeresibus, quaest. 180 § 10. Eimeric. in Director. Inquis. l. 2. Indic. Expurg. Madriti. 1612. [p] 1593. Bullar. tom. 3. p. 25 & vide Franc. Magdalenum in elencho librorum prohibit. Romae 1632. Jacob. Gretser. de jure & more prohibendi libros lib. 1. cap. 16. & Nicol. Serrarium in Rabbinis, cap. 33. & Bellarm. de membris Ecclesiae militantis, lib. 3. cap. 2.

dum

dum & sunt plerique jam citati, ante annos aliquot [q] etiam prohibitis) ipsam Ebraeorum quam exhibituri sumus disciplinam e Talmudicis tangit, aliaque ex eorum scitis ad augendam etiam nonnullis christianismi rebus lucem [r] prudenter adfert. Plures scriptores satis celebres ex eis qui persuasionis Romanae non sunt hic in eandem rem jam memoratis adjicere facile satis esset. Nec vero in pontificiis desunt qui similiter suppetias sibi in rebus gravissimis e Talmudicis latas voluere. Sic cardinalis illustrissimus Baronius [s], ubi de ritu paschali, de *Sanhedrin* seu Synedrio magno, de manuum Pauli artificio, & de corpore Christi in sepulcro novo ponendo disserit. Sic Gilbertus Genebrardus [t], Nicolaus Serrarius [v], Joannes Morinus [x], Dionysius Petavius, ubi de anno & mensibus Judaicis ad Epiphanium agit. Quales quantique viri sane universi! Nec quidem interdicta quae memoravimus librorum Talmudicorum rerumque inde cum delectu sumptarum & rite perpensarum autoritatem qualemcunque magis minuunt, quam olim edictum illud in Aristotelis physices & metaphysices libros, quoniam tum theologis illius aevi tum aliis displicuere, eis dignitatem omnino sustulit, quam passim & a multis seculis merito sunt sortiti. Ante annos scilicet CCCLX, aut circiter, id est, sub ipsum quo institutum est Sorbonnae collegium, prorsus damnati sunt ejusdem libri illi, ut christianismo nimis dissoni, quod a Rogero Bachone Franciscano, qui paulo post id tempus floruit philosophus & mathematicus summus, didici. Verba faciens ille de varia hominum seculorumque in libris rejiciendis admittendisque sententia, *Theologi*, inquit [y], *Parisius & episcopus & omnes sapientes jam ab annis circiter quadraginta damnaverunt & excommunicaverunt libros naturales & metaphysicae Aristotelis, qui nunc ab omnibus recipiuntur.* Et alibi [z] idem; *Scimus enim quod temporibus nostris Parisius diu fuit contradictum philosophiae naturali & metaphysicae Aristotelis per Avicennam & Averroym expositis, & ob densam ignorantiam fuere libri eorum excommunicati, & utentes eis, per tempora satis longa.* Summa demum est, ut in ejusdem aliorumque, quibus assuetiores sumus, veterum (sive philosophi illi fuerint, sive poetae, sive oratores, aliive) libris, disciplinis, sectis plurima occurrunt homini christiano & lectu jucundissima & perquam utilia, quorum alia, sed non citra christianismi morumque receptorum amussim, in vitae sive normam sive exemplum rite adhiberi solent, aliis interea, nec quidem paucis iis, plane explosis, ac, cum caeteris gentilismi faecibus, damnatis; ita pariter disciplina haec Ebraeis universalis, pro singulari gentis indole, more, genio, praerogativa, alia atque alia habet christianismo plerumque consona, alia haud parum dissona, quorum nihilosecius neutra sunt adeo rejicienda contemnendave, quin aut pro receptarum aliquot in christianismo sententiarum sive confirmatione sive explicatione sint meritissimo interdum recipienda, aut singularem saltem in liberrima tum veritatis tum errorum disquisitione ac contemplatione, sicut & reliquae philosophorum sive Barbaricorum sive Graecorum sive Latinorum sententiae aeque non raro christianismo dissonae, locum qualemcunque debeant sortiri. Ut ferme poetae veteres variaque Deorum hominumque in eis gesta legenda sunt, juxta ea quae de eis prudenter olim monuere Plutarchus & D. Basilius in tractatibus ea de re singularibus. Quale itidem de juris Ebraeis atque aliis gentibus intervenientis interpretamentis ac apicibus inferius suis in locis sparsim ostensis est dicendum. Si cui vero hic dubium forsan occurrat, utrum corpori & scriptoribus Talmudicis hujusmodi in rebus quatenus historicae sunt, id est, quatenus in eis pro jure qualicunque Ebraeis veteribus recognito atque usitato traduntur, fides sit habenda, eo scilicet quod corpus illud, qua jam habetur contextum, scriptoresque illi caeteri seculorum sunt templi urbisque excidio recentiorum (qua de re consulas autores inprimis qui de Misnarum & Gemararum conscriptione diligentius & data opera [a] egerunt) nae is forsan etiam dubitabit de Justiniani seu Triboniani fide, dum Modestini, Papiniani, Florentini, Alpheni, Proculi, Celsi, ejusmodi aliorum, qui trecentis aut circiter sunt Justiniano annis vetustiores, sententias atque scita juris alibi non reperta, nedum quando leges duodecim tabularum, quae plurimis etiam hosce seculis antevertunt, in digestis alibive enarrat memoratve. Parilis sane fidei detrahendae atque depretiandi ratio sequeretur, quoties in catenarum autoribus patrum aliquot priscorum nomina, quorum opera ac lucubrationes ipsae alibi non exstant, occurrunt; seu quoties similiter apud Galenum medicorum veterum, veluti Archigenis, Asclepiadis, Philoxeni, Critonis, Lamponis, aliorum ejusmodi, qui ipso multo vetustiores alibi non habentur, medicamenta ac opiniones afferuntur. Simile in re mathematica dicendum de Euctemonis, Metonis, Calippi, Eudoxi, Attali, aliorum id genus complurium, observationibus ac scitis, quae a recentioribus, utpote Aristotele, Hipparcho, Ptolemaeo, Proclo, Pappo, Vitruvio, aliis ejusmodi, solummodo traduntur. Simile item de autoribus priscorum seculorum innumeris, quorum sive fragmenta sive sensum beneficio recentiorum, veluti Athenaei, Laërtii, Stobaei, Strabonis, Plinii, Plutarchi, scholiastarum Graecorum, A. Gellii, etiam & Livii aliorumque aliquot historicorum, tantum debemus. Et rationem dubitandi sive in jure, sive in theologia, sive in re historica, sive uspiam alibi ex hac sola causa (rebus caeteris quae circumstant fidei neutiquam refragantibus) admittere, nihil aliud est quam universae ferme antiquitati ipsique historicae rerum veritati perperam nimis & morosius reluctari.

[q] Decreto Romae, 4 Febr. 1627. apud Franciscum Magdalen. in Elencho. [r] De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 1. §. 16. cap. 13. § 7. cap. 14. §. 6, &c. [s] Tom. 1. [t] In Chronologia, aliisque ei subjunctis. [v] In Opusculis. [x] De Pentateucho Samaritano & Exercit. Biblicis. [y] MS. In opere tertio ad Clem. PP. 5. in Bibliotheca Cottoniana. [z] MS. de utilitate scientiarum. [a] R. Jehuda Levita in *Sepher Cozri*, part. 3. §. 65. Moses Maimonides in praefat. ad י״ד, Moses Mikotzi in praefat. ad lib. praeceptorum, R. Abraham Zacuthius in *Sepher Juchasin*, R. Gedalia Ben Jechai in *Sepher Shalsheleth*, *Tzemach David*, Hieronymus de sancta fide in Hebraeomastige lib. 2. Sixt. Senensis in Bibliotheca sancta lib. 2. tit. 2. lit. T. R. Ori Simonides in Calendario Palaestino, atque ibi Jacobus Christmannus, Josephus Scaliger de emend. temp. lib. 7. pag. 518. & 614. Joannes Buxtorfius in Bibliotheca Rabbinica, lit. ת. Adde prolegomena nostra ad libellum de successionibus, & Jo. Morini promissa ad calcem exercitat. Biblicarum, praeter Genebrardum, & chronologos aliquot alios, qui seculis secundo, tertio, & quarto res exhibent Ebraicas.

C A P.

I

CAP. III.

Officiorum humani generis communium, seu juris naturalis atque universalis morum philosophiae, quatenus in Ebraeorum politia & disciplina locum habuit, designatio generalis, cum difficultate eam inde eliciendi.

UT qualenam jus illud naturale ac qualia officia hominum omnium communia seu philosophia morum universalis, quem intelligunt hic Ebraei, fuerit, generali consideratione, antequam ad singularia capita devenimus, rite capiatur, nec difficultas qua implicari necesse est quotquot suo marte jus hoc, philosophiam, atque officia e corpore juris Mosaici seu pentateucho secernere contendunt, praetermittatur; illud est inprimis animadvertendum, contineri quidem in sacro illo corpore seu pentateucho, inter alia quae Ebraeis ipsis fuere propria, veluti civilia ac ritualia seu judicialia & ceremonialia, etiam & naturalia seu moralia jura seu officia non magis ipsis quam hominum universitati perpetuo observanda. Quemadmodum & de populis omnibus recte Gaius[a] & Justinianus[b]; *Omnes populi qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur.* Neque, opinor, an jura ac officia naturalia seu universalia inibi quidem utcunque contineantur dubitabit mortalium, quibus juris illud corpus innotuit, quisquam praeter alastores illos atque humani generis pestes, quibus, nec sine philosophorum aliquot veterum[c] patrocinio, naturalia seu hominum communia nulla sunt jura, nihil natura aut per se justum aut injustum, turpe aut honestum habetur, sed arbitrio, utilitate, ac virium humanarum, spreto omnino juris nomine, potestate, omnimoda sic dicta tantummodo subniti videntur. Caeterum cum illis agendi locus hic non est. Alii autem nunc integrum decalogum, nunc tantum partem ejusdem, nunc, pro multiplici ingenii ac pietatis discrimine, alia atque alia in corpore illo Mosaico reperta sive naturalia sive universalia semper fuisse, sive in horum classem recipienda volunt: aut scilicet quatenus ibi scriptis mandata sunt, aut qua in se vim seu indicem rationis complectuntur. Consilium est quidem gravissimum vetus illud[d] de Foederis Veteris lectione, ἔστω σοι πρὸ ὀφθαλμῶν γινώσκειν τί νόμος φυσικὸς καὶ τί τὰ τῆς δευτερώσεως, *sit tibi ante oculos propositum, ut cognoscas quid sit lex naturalis, & quid deuterosis.* Quo vocabulo ibi plane ea quae Judaeis singularia fuerint nec omnium communia denotantur. Verum, cum in corpore illo legum Ebraeis in deserto praescriptarum naturalis seu universalis nomine verbis expressioribus & apertis nullae appellentur, atque in historia quae scriptarum hanc legum lationem praecedit, seu Genesin, diluvium & sequentia continet, interdictum habeatur, praeter illud in paradiso primis parentibus datum, unum tantum & alterum (de quibus infra) quod integrae hominum universitati traditum est, atque e virorum sanctorum quae ibi occurrunt exemplis jura caetera quae in universum obligent indicare (quod ut faciant perquam anxie sunt aliqui soliciti) sit plusquam difficile; fieri sane nequivit quin jura seu officia illa universalia ac naturalia atque philosophia illa quam tractamus barbarica non aliter ferme in corpore illo Mosaico atque inter civilia illa atque ritualia scriptis mandata latuerit, quam aurum purum in corona illa diis vovenda quam ex solum auro puro locarat faciendam Hiero[e]. Historia notissima est. Fuisse certe in ea aurum, argentum etiam fuisse non omnino dubitabatur: at quantum auri quantumque argenti ab artifice simul commistum esset, res erat perquam difficilis dignoscere. Ea quidem res summo Archimedis ingenio tandem est deprehensa; hominis scilicet qui ponderum, magnitudinum, ac proportionum, id est, rerum, citra quas frustra de quantitate auri in corona, nisi denuo liquata fuisset, quaesierat quis, erat callentissimus. Absque mathematico ejusmodi fuisset, tale est verisimilius tunc evenisse Syracusis quale dudum Romae. Admisti monetae argenteae nimii aeris accusabatur monetarius. Is ab iis qui rebus praeerant impetravit ut duo constituti[f] judices seorsim causam attentius examinarent sententiamque seorsim proferrent. Id ipsi juxta fecere, atque eodem die uterque ex eisdem actis causa atque libellis cognitis & confessione rei audita, sententiam quidem protulit, sed prorsus absolutoriam alter, alter eousque damnatoriam ut plurima aureorum millia reipublicae, adulteratae monetae nomine, a reo refundenda censeret, & tum bona ejus caetera fisco addicenda, tum capitale insuper infligendum supplicium. Ingens hic discrimen. Et a vero forsan uterque, licet pariter diligentissimus, immane quantum recessit. Alterum, manifesto scimus. Atque aliis in rebus discernendis simile non raro accidit. Perplexa rite extricare, confusa invicem distinguere, veri ac falsi confinia horumque sinuosos anfractus satis habere exploratos, & demum ex eis quae superstruuntur de fundamentis seu principiis recte conjicere, res est perquam ardua, pene inaccessa, & mortalium paucissimorum. Id quod in quaestione de jure naturali ex civili aliquo simul & naturalis juris corpore secernendo jam memorata inprimis etiam obtinet. Assumatur exemplum sive ex Athenis sive e Roma veteri. Tam hic quam illic leges fuere xii. tabularum, aliae: Atque ob populorum qui eis usi sunt singularem prudentiam, doctrinam, fortitudinem, caeterosque virtutum apices maximi eas passim facimus. Neque, quin naturalia seu universalia saltem aliquot jura intra earum cancellos designentur, solemus dubitare. At vero haec ex illis secernere, atque ad amussim juxta autorum atque eorum qui illis usi sunt mentem disterminata ob oculos studiosis ponere, id quidem plusquam Archimedeum est, nec facilius forsan quam ancile illud e coelo delapsum a caeteris quae Mamurii artificio adeo ei similia facta sunt olim distinxisse, aut AEgyptiis singula cujusque post Nili inundationem jugera ante geometriae inventionem internovisse. Caeterum disquirentibus circa jura na-

[a] L. 9. ff. de Justitia & Jure. [b] Instit. tit. de Jure Nat. §. jus autem civile. [c] Aristippus apud Laertium, lib. 2. Carneades apud Lactantium, lib 5. cap. 17, &c. [d] Constit. Apostol. lib. 1. cap. 6. [e] Vitruvius lib. 9. cap. 3. & Proclus ad lib. 1. Euclid. lib. 2. cap. 3. [f] J. Baptist. Villalpandus in apparatu urbis & templi, part 2. lib. 2. disp. 1. cap. 1.

turalia seu universalia in legibus illis sive Atticis sive Romanis comprehensa, nihil puto fuisse prius in votis (si modo omnino sperari potuisset) quam ex ipsorum, quos tanti faciunt, & qui, legibus eis usi, conditores nominis amplissimi ostentant, scitis atque disciplina ediscere quid in illis quantumque sigillatim pro naturali, seu pro officiis omnium hominum communibus, seu philosophia universali, & quid quantumque seorsim pariter pro civili tantum ac rituali, seu genti cui praescriptum est proprio ac peculiari, esset sumendum. Neutiquam quod inde res sic prorsus definita foret, ut in eorum verba quis statim juraret, sed ut libere nihilosecius philosopharentur omnes, ac quid statuendum, pro viribus undiquaque, ut in discussionibus caeteris, porro quaererent. Veruntamen, sive sententia sibi praeeuntes in hujusmodi disquisitione, interim disquirentem, quempiam habuisse illos qui & tanta sapientiae scientiaeque gloria alios excelluerunt, ipsasque de quibus sic quaeritur leges ad posteritatem transmiserunt, sive adversa eorum ea de re aut dissona placita atque rationes certo rescivisse, tum jucundum tum perquam utile fuisse serio contemplanti facile, opinor, concedetur. Id quod manifesto agnorunt quotquot diversissimas philosophorum, qui in populis jam dictis florentes de jure naturali atque officiis omnium hominum communibus disputarunt, opiniones diligenter venati ac perpendentes, suis, juxta capite primo ostensa, interseruerunt. Scilicet etiam lacera distractarum nimium opinionum fragmenta magni aestimarunt, cum nec theologorum, nec philosophorum, nec fere scholae eorum cujuspiam, nedum populi integri ex aliqua eorum disciplina edocti, hac in re definienda consensum reperirent. Et sane quale de Atticis ac Romanis legibus diximus eorumque philosophis ac moribus, tale de gentibus, quantum scio, universis aliis est dicendum, praeter Ebraeos unicos. Nullibi scilicet ex alius cujuspiam gentis instituto, seu philosophia seu theologia seu jurisprudentia in ea recepta, certa haberi atque subtilius sic definita juris naturalis seu omnium mortalium communis capita, ac seorsim a caeteris sic consensu publico distincta, ut ejusdem veluti corpus singulare, simplex, & perpetuo sibi simile tum nomine tum usu per se tam autoritate dignoscatur quam disciplina publica, & in publica rerum administratione sigillatim ac solum, atque eo nomine a caeteris disterminatum, adhibeatur. Commiscentur passim, in libris quos vulgo terimus, capita, qualiacunque sunt ea, cum civilibus, e Mosaicis translatis, evangelicis, ecclesiasticis, gentium. Et de distinctione perquam diversimode a scriptoribus agitur. Quin habetur quidem in titulis aliquot tum juris Caesarei tum pontificii jus naturale; quod tamen in incerto nimis in eis relinquitur. Et quanquam in aliquot capita juris, etiam naturalis adeoque universalis nomine, consensus interdum scriptorum vulgo reperitur, id tamen interea advertendum est, ut numeri alicujus aut magnitudinis incognitae pars nulla, qua pars & quota est, satis cognoscitur, sic nec juris cujuscunque generis capitum aliquod satis atque ut oportet undiquaque internosci, nisi etiam quot fuerint & quaenam ejusdem generis caetera pariter dignoscatur. Nam alterum alteri saepius temperamento est, & interpretis vicem non raro supplet. Ebraei autem juris Mosaici, quatenus Mosaicum est, atque in foedere veteri solum conscriptum, corpus integrum sibi peculiare [g] faciunt. Caeterum quasi in numerato seorsim habent ipsi, idque non e disciplina sua tantum umbratili seu scholarum institutis, verum etiam ex publica eaque vetustissima rerum, quoties cum gentilibus seu gentibus aliis eis erat agendum, administrationis ratione, jura quaedam certa ac definita, quae omnium hominum tam gentilium quam Judaeorum esse volunt communia, מצות בני נח eis dicta, id est, *praecepta* seu *jura Noachidarum*, seu *filiorum posterorumve Noachi*; quo nomine universum genus humanum post diluvium venire palam est. Haec scilicet volunt tum ad tempus illud תהו seu *vacuum* eis dictum, id est, totum illud quod rerum conditum & legis scriptae dationem intervenit, tum ad sequentia secula attinere; ita ut legis scriptae datio partim esset horum iteratio, partim caeterorum, quae ipsis propria, accessio & superstructio. Atque ex hisce conflantur officia illa universalia, ac philosophia moralis ac civilis, qua genus humanum ab ipsis rerum initiis teneri pariter, tum invicem inter se tum erga Numen sanctissimum, docent; ut in sequentibus fusius ostenditur. Nihil quidem in officiis eis reperitur de quo in scriptis Mosaicis itidem non cautum est. Sed Mosaica conjuncta simul immistaque habent quae reipublicae suae propria eique tantum civilia fuere perplurima. Noachidarum autem juris capita seorsim exhibita, & simpliciora interdum faciunt, & aliis, quam Mosaica sibi adeo singulariter aptata, interpretationibus non raro explicant. Naturale autem id, ad eorum mentem, appellamus nos, atque universale, quoniam τὸ μὲν φύσει ἀκίνητον, καὶ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, ὥσπερ τὸ πῦρ καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν Πέρσαις καίει (quod ait Aristoteles [h], de jure naturali obligativo verba faciens) *quicquid est ex natura*, seu *naturale*, *immobile* seu *immutabile est*, *& nullibi non eandem vim obtinet*, *quemadmodum ignis & hic & apud Persas pariter urit*. Unde & rectissime ipsi alibi [i] aliisque Graecorum jus hoc dicitur ὁ κοινὸς νόμος seu *jus commune*, & semper vim eo nomine etiam passimque sortiri. Neque enim, si obligationem ipsam solum spectes, (nam diffusissimae morum pravitatis rationem hac in re praefinienda habent nullam Ebraei) minus censent immutabile jus hoc, seu minus vim suam ubique gentium semperque obtinere, quam ignem ubique urere. Sed hac de re plura in sequentibus. Juris hujus apud eos capita illustriora seu majora sunt de quibus satis inter cunctos eorum convenit. Alia item obscuriora seu minorum veluti gentium accedunt. Singula inferius cum partibus in quas distribuuntur, cum appendicibus quas perpetuas ac necessarias habent comites, & demum cum exegesi Talmudica trademus, simulatque de varia hominum adeoque & singulari Ebraeorum ipsorum & a compluribus aliis dissona, in generali juris naturalis seu universalis, qualiacunque fuerint revera ejusdem capita, designatione definitioneque, ratione summatim viderimus.

[g] R. Jehuda in *Sepher Cozri*, part. 1. §. 101. & Talmudici passim. & 13. & videsis Alex. Aphrodisaeum de Anima, lib. 2. cap. 42.

[h] Nicomach. 5. cap. 8.

[i] Rhetoric. lib. 1. cap. 11.

CAP.

CAP. IV.

Jus hominum naturale seu universale ex aliorum animantium actibus ac usu non omnino eliciunt Ebraei, neque jus aliquod hominum ac brutorum commune agnoscunt, nec poena sic proprie dicta bruta affici. Interseritur de libertatis, juris, obligationis, poenae, permissionis, & actuum sive hominum sive brutorum notionibus, quatenus earum hic usus necessarius, dissertatio.

IN designatione atque definitione juris naturalis, quae apud scriptores solet diversimode occurrere, alii ex aliorum animantium actibus ac usu jura hominibus aliquot naturalia petunt, alii juris naturalis corpus e moribus omnium seu plurimarum gentium communibus, ex naturali ratione seu recto ejusdem usu alii, & demum alii e naturae, adeoque naturalis rationis parentis, id est, sanctissimi Numinis, imperio atque indicatione. Quod ad animantia caetera hic attinet; obvium est apud jurisconsultos tum orientalis [a] quam occidentalis [b] imperii, *Jus naturale esse quod natura omnia animalia docuit*; *atque jus istud non humani generis esse proprium, sed omnium animalium quae in terra, quae in mari nascuntur, avium quoque commune esse.* Unde etiam habent illud, *Hinc descendit maris atque foeminae conjunctio, quam nos matrimonium appellamus*; *hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus enim caetera quoque animalia, feras etiam, istius juris peritia* (seu, ut nonnullis legitur, *perita*) *censeri.* Accedunt quae in sui tutelam bruta faciunt, atque in posterorum conservationem, apium item respublicae, columbarum conjugia, id genus reliqua. Haec scilicet dum similitudinem quandam rei quam pro jure normaque vivendi accipiunt homines, id est, μιμήματα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς *vitae humanae imitamenta*, ut habet Aristoteles [c], seu *virtutum simulacra*, ut Cicero [d], exhibent, etiam & juris adeoque hominum caeterorumque simul animalium communis ac natura in ipsis brutis pariter subnixi nomen subinde induunt. Nec raro tam apud theologos christianos quam jurisconsultos aliosque mentio fit juris naturalis velut ita hominum caeterorumque animantium communis. Atque ex horum actibus de illorum jure etiam statuitur. Qua de re plura item capite proximo. At vero usus seu actuum aliorum animantium ratio ab Ebraeis nulla est omnino hic habita, nec jus esse aliquod hominum ac brutorum commune seu utrisque naturale ullatenus agnoscunt. Neque ex jure aliquo (quod totum recte versari volunt circa אסור והיתר seu *licitum atque illicitum*) sed e propensione ac inclinatione tantum animantium caeterorum actus evenire. Ut vero tum eorum tum aliorum rationes tam ea de re quam de aliis aliquot, quae, in qualicunque hac de juris naturalis seu universalis sive ortu sive sedibus originariis indagine praevia, mox sequuntur, facilius intelligantur, nec interea aut obscuritate laborent aut perplexitate; praemittere visum est atque compendio explicare quasdem rerum simul atque vocabulorum notiones sine quibus rite conceptis frustra nimis de juris cujuscunque, quod sive ad hominum sive ad brutorum actus spectet, proprie dicti natura agitur. Ea sunt, praeter jus ipsum generatim, qua sive haec sive illos respicere omnino videatur, sumptum, libertas, obligatio, poena, permissio, & demum actus brutorum pariter ac hominum. Horum scilicet omnium notiones, quatenus earum hic usus est necessarius, resectis ac sepositis quibus intricari solent appendicibus & circumstantiis huc non attinentibus, velut in tabella satis aperte & distincte conabimur depingere. Libertatis nempe hic notio aut absoluta est ac simplex, aut restricta & temperata. Absoluta; velut in priore illa Florentini ac Justiniani libertatis definitionis [e] parte, qua dicitur *naturalis facultas ejus quod cuique facere lubet*, seu Φυσικὴ εὐχέρεια συγχωροῦσα πράττειν ἃ βούλεται, *Naturalis facultas cuique permittens facere quae velit*, ut vertit Theophilus antecessor; seu, ut melius in basilicis, τοῦ ποιεῖν ὅπερ τις βούλεται, *ejus faciundi quod cuique facere lubet.* Juxta quod & illud apud Dionem Chrysostomum [f], Τὸ ἐλεύθερον τὸ μηδενὸς ὑπήκοον, ἀλλὰ πράττειν ἁπλῶς τὰ δοκοῦντα ἑαυτῷ, *Libertas est nemini obtemperare, sed simpliciter facere quaecunque sibi placuerint.* Et Cicero [g], *Libertati proprium est, sic vivere ut velis.* Hac quidem notione libertas pariter in brutis atque hominibus concipi potest; nullo nimirum accedente jure quod sive horum voluntatem sive illorum appetitum ac propensionem, quae voluntatis plane instar satis agit, omnino cohibeat. Concipi, dico: Nam necessariam de interminata utrisque hujusmodi libertate atque dissertationi inservientem conceptionem tantum ejusmodi supponimus; ut fere geometrae demonstraturi quid, lineam saepius in infinitum excurrentem. Restrictae autem libertatis notio est, cum libertati quam ita supponimus adjicitur id quod in memorata definitione sequitur temperamentum, *nisi si quid vi aut jure prohibetur.* Ad hunc locum vis, quatenus injuria in ea contineatur, non spectat. Jus autem, quod qualem jam concepimus libertatem absolutam sic temperare potest, qualicunque id fuerit nomine sive naturalis sive civilis aliove aliquo appellandum, ὁ τῶν πραγμάτων κανών ἐστι δίκαιος [h], *rerum gerendarum est ipsa regula justa* seu norma & amussis, juxta quam libertas sic concepta adeo a praescripto ejusmodi jure (quisquis ejusdem autor fuerit) minuitur, ut non solum jussa atque interdicta inde superinducantur sed etiam simul indicentur permissa. Undenam autem jussis ac interdictis, quaecunque demum naturalia seu universalia fuerint, autoritatem accedere velint Ebraei, inferius ostendimus. Nam sufficit hic ut de effectibus duntaxat generalioribus juris qualiscunque atque undecunque constituti in rem praesentem videamus. Neque est quod de causis juris (quas infra juxta Ebraeorum mentem damus) simus hoc in loco solicitiores. Tam vero jussa quam in-

[a] Basilic. lib. 2. Harmenopul. Prochir. lib. 1. tit. 1. [b] Lib. 1. D. de Just. & Jur. & Instit. de Jur. Natur. [c] Lib. 9. de Hist. Animalium, cap 7. [d] Lib. 2. de Finibus. [e] Lib. 5. D. de Statu Hominum, Instit de Jure Person. § Et libertas. [f] Orat. 14. [g] De Officiis, 1. [h] Dio Chrysost. Orat. 75.

terdicta

terdicta illa unico satis nomine prohibendi in memorato libertatis absolutae temperamento illo, *nisi si quid jure prohibetur*, nemo non videt comprehendi. Nam & jussum violari prohibetur, uti & prohibitioni obtemperari jubetur. Ex jussis ejusmodi ac interdictis evenit ut designata habeantur quaedam bona non tantum utilitatis causa sed etiam honestatis simul & officii ex obedientia debita praestandi nomine, secundum jubentis (sive is numen sit, sive homo cui legitima potestas) mentem amplexanda observandaque, quaedam itidem mala ac turpia sic fugienda evitandaque. Unde plane jus conflatur obligativum. Atque ex jure ejusmodi obligativo, juxta varios ejusdem capitum sensus atque actus, circa quos illa versantur, oritur obligatio, quod *juris vinculum*[i] *est, quo necessitate adstringimur* alicujus rei faciendae, observandae, praestandae, fugiendae. Adeo ut, quemadmodum ex jure hoc ipso efficitur in rebus seu actibus discrimen boni ejusmodi & mali, seu turpis & honesti, sic in personis nascatur inde ad officium exsequendum obligatio & debitio, quae primaria est inter eas & jus relatio. Nam obligationes singularium, quae ex contractu singulari seu delicto nasci solent, ideo inde nascuntur quia ex generaliori jure praeeunte (qualecunque id fuerit) praestitutum reperitur contractus generatim servandos, delicta vero fugienda. Quemadmodum ex praemissis universalibus nascuntur conclusiones singulares. Ex obligatione autem ejusmodi, seu eo quod est necessitate sic adstringi, haud concipi potest quin poena aliqua idque ex praestituto sive expressim sive tacite violationi immineat. Nam quatenus facultas faciendi quod velis ipse, seu libertas absoluta, ex jure quocunque sive tollitur sive temperatur, eatenus saltem necesse est ut in restrictam ea transeat & cohibitam. Ex jure autem cohiberi & obstringi quempiam (qua in re obligationum substantia[k] consistit) citra poenam aliquam alicunde violationi imminentem, quae scilicet obligationi inserviat, ne comminisci, si recte intuemur, quis potest. Unde Ebraeis etiam חייב, quod obligatum denotat, *poenae obnoxium esse* pariter significat, uti & ἐνοχὴ & ἔνοχος, quae jurisconsultis Graecis *obligatio* sunt & *obligatus*, etiam id quod est poenae seu juris minis obnoxium esse signantius interpretantur. Et apposite ad temperamentum illud libertatis, *nisi si quid jure prohibetur*, Constantinus Harmenopulus, judex olim Thessalonicensis, Νόμῳ, inquit[l], ὅτι τιμωρειῶν ἀπειλαῖς εἴργομαι πράττειν ἃ βούλομαι, *Jure*; *nam suppliciorum minae impedimento mihi sunt quo minus faciam quae volo.* Atque ad eandem mentem interpretes ibi recentiores. Neque sane juris obligatio sine poenae alicujus violationi imminentis ratione (qua contineri nemo non videt, pro vario scilicet rerum ac personarum genere, liberationem, remissionem, novationem, acceptilationem, & si quae caetera sive perimunt, sive differunt poenae irrogationem, non praestanti seu violanti alias debitam) mortalibus magis potest fingi quam in relatis paternitas sine filio. Actiones autem & coërcitiones forenses quae inde sequuntur, veluti exactiones & quae alia sententiis latis non obtemperantes cogere solent, poenis seu eorum rationi merito adnumerantor. Neque omnino adversatur quod apud jurisconsultos Caesareos[m], etiam ex veterum mente, de diversis obligationis naturalis & civilis effectibus occurrit: Nimirum, obligationem civilem semper parere actionem, & cum naturali conjunctam etiam exactionem; naturalem autem, quamdiu simplex fuerit, plerumque neque actionem parere, nedum exactionem, adeoque nullam inducere violationi poenam poenaeve umbram: Sed tantum producere exceptionem, atque impedire soluti repetitionem, quae ad poenae rationem non attinent. Naturalis tantum obligationis ex contractu exemplum habent, ubi quis[n] pupillo credat pecuniam sine tutoris autoritate, atque is eam male consumat; aut, si frater credat fratri dum uterque in patria potestate. Obligationis ejusmodi item memorant ex testamento[o] minus solenni, seu quod solennitatibus a jure civili praescriptis caret: Scilicet tametsi legatario ex jure civili actio non competit, naturaliter nihilosecius obligari haeredem seu in bona successorem legata praestare. Ex delicto itidem; veluti si filius nondum emancipatus aliquid surripiat patri, aut servus domino. Quas inter personas scilicet actio locum non habet. Nudum etiam pactum, si vis, adjicias. Sed haec, inquam, nihil adversantur eis quae de obligatione & qualicunque simul & perpetua ejus comite poena alicunde imminente diximus. Etenim jurisprudentia definiebatur *tam*[p] *divinarum quam humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia.* Ea autem olim viguit maxime in pontificum collegio quod de jure respondebat, ut ex Livio[q], & Pomponio[r] scimus. Hinc fiebat ut tam jus divinum quam humanum adeoque omnimodum docerent iidem juris seu justitiae utriusque antistites, adeoque de jure ac officiis tam erga Numen quam erga homines sive naturaliter sive civiliter observandis, ac de poena quae violationi immineret sive a Numine, ut naturae totius parente & rectore, sive ab hominibus infligenda monerent. Unde Ulpianus juxta mentem caeterorum qui ex illo collegio in posteritatem sunt propagati jurisconsulti, *Justitiam*, inquit[s], *colimus, & boni & aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes*; *bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione efficere cupientes*; *veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam, affectantes.* Quae cum ita fuerint, mihi sane satis est persuasum, ex hac ratione evenisse, ut, dum a naturae parente seu Numine jura aliquot obligativa praestitui agnoscebant, adeoque naturalia appellitabant (qua de re plura inferius) sed nihilosecius ex obligatione solum naturali exactionem & actionem quae coërcitionis & violationis poenam suppleret, sic negabant, hoc interea tantum innuerent; civilem nempe seu forensem obligationibus simpliciter naturalibus ejusmodi poenam seu coërcitionem quidem inservire nullam: Veruntamen imminere nihilosecius poenam qualem-

[i] Instit. & D. tit. de Obligationibus, l. 3, &c. [k] L. 3. D. tit. de Obligationibus. [l] Prochir. Juris, lib. 1. tit. 18.
[m] D. ad tit. de Obligationibus videsis l. 46. D. tit. de Condictione indebiti, l. 95. D. tit. de Solutionibus & Liber. § 4. &c.
[n] Mynsinger. ad Instit. tit. de Obligationibus in princ. [o] gl. l. 1. D. de Condict. indebiti. Bald. in l. si post divisionem facti C. de Juris & facti ignorantia, Julius Clarus Sentent. lib. 3 quaest. 90 n. 1. [p] Instit. tit. de Justitia & Jure. [q] Liv. 1.
[r] L. 2. § omnium D. de Origine Juris. [s] L. 1. D. de Justitia & Jure, § 1.

cunque aliunde, ſcilicet a rectore mortalium ſupremo, id eſt, a numine ſeu naturae totius parente exſpectandam: Ob ea nempe violata ad quorum obſervationem ex obligatione, quam ita vocabant, naturali, qualiſcunque ea fuerit, ſeu, ut chriſtiani dicimus, ex nexu conſcientiae ſeu conſcientiae foro, is qui violarat proprie eſſet adſtrictus. Unde & bene theologi interdum [t] obligationem juriſconſultis Caeſareis naturalem dictam eandem cum nudo conſcientiae nexu, ſeu eo quo ad juſſa numinis implenda tenemur, faciunt. Quemadmodum etiam philoſophi veteres expreſſim τὸ συνειδὸς αὐτῷ *conſcientiam ipſam* pro naturalis officii, ad quod quis obligatur, menſura ſumunt: Ut videre eſt inprimis in praeſtantiſſimo illo ad carmina Pythagorica Hieroclis commentario. Et niſi obligationis apud juriſconſultos naturalis interpretatio hujuſmodi admittenda fuerit, quorſum cedo de aequitatis vinculo, ut de eo quo ſolo ſuſtinetur obligatio naturalis, loquitur [v] Papinianus? Qualenam in jure vinculum ejuſmodi (quod & conventionis aequitate, ut ait ille, quandoque pariter diſſolvitur) fingi poteſt, niſi juris alicujus ſive humani ſive divini coercitionem ſeu poenam alicunde inſervientem & violationi debitam velis itidem ſubſtitui? Neque ſane aliter voluere veteres illi. Etenim non ſolum in chriſtianiſmo, judaiſmo & mahumedaniſmo, verum etiam in theologia ac jure Graecorum & Romanorum veterum (apud quos ſcilicet viguit illud de obligatione naturali) aliarumque fere gentium, ſeu in paganiſmo, & Numen eſſe ſive unicum [x] ſive plura, & Numinis vindictam officii juriſque neceſſario ſeu ex vinculo aut obligatione obſervandi violationem conſequi, id eſt, Deum eſſe & remuneratorem, credebatur. Quorſum alias tot victimae ac februa quae peccata diluerent? Obvium eſt illud Virgilii [y] de manibus,

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt; aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos, &c.——

Pariter etiam de vivorum poenis coelitus irrogari ſolitis, ubi de Diris loquitur [z], quae ad Jovis ſolium apparent,

——*acuuntque metum mortalibus aegris,*
Si quando lethum horrificum morboſque Deum Rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.

Et Cicero [a], *Perjurii poena divina exitium, humana dedecus eſto.* Quin obligationem eſſe naturalem, qua juramenta ſervare homines adſtringerentur, dum de poena ſic locutus eſt divina, exiſtimaret, nullus dubito. Et Agrippinae umbra, ex recepta de vindicta divina ſententia, apud Senecam [b], *Ultrix Erinnys impio dignum parat letum tyranno.* Innumera ſunt ejuſmodi alia. Et gentilium hic ſententiam maxime ſcimus tum ex egregia illa Plutarchi *de his qui ſero a Numine puniantur* diſſertatione, tum philoſophia apud Hieroclem Pythagorica, Platonis Phaedone, Phaedro, libris de republica [c], & de legibus [d], ut quamplurima de Adraſtea, Nemeſi, Minoe, Rhadamantho, Eumenidibus, Tartaro, aliis nunc ad mortuorum nunc etiam ad ſuperſtitum delicta & ſcelera atque poenas eo nomine a Diis irrogatas attinentibus, quae apud Tragoedos alioſque paſſim occurrunt, praetermittamus. Vide inprimis quae ea de re ex Graecis collegit Johannes Stobaeus [e]. Neque erat ſane quod juriſconſultus Caeſareus clariſſimus negotium ſibi de obligatione naturali faceſſens negaret eam, ſi naturam vocabuli ſpectemus, recte appellari obligationem, *Quia tum demum vere*, ut inquit [f], *eſt hujuſmodi cum neceſſaria eſt, & in invitum ſatis habet firmitudinis.* Quam ei ineſſe negat, quippe cui deeſt civilis coercitio ac poena. Etenim tametſi in invitum non habebat ſatis ex jure civili ſeu in civili foro firmitudinis, modo nihilominus quem memoravimus, eoque paganorum ſententiae de poena violationi imminente receptiſſimae perquam conſono, firma habebatur planeque obligatio. Quemadmodum & apud chriſtianos tam obligatio ſolius conſcientiae quam civilis firma habetur. De obligatione naturali, quam proprie ſic dictam vere obligare ſtatuerunt veteres, veluti in exemplis allatis aliiſque id genus, ſemper loquimur, non de obligationis naturalis vocabulo per abuſionem interdum uſurpato de eo quod natura quidem honeſtum eſt nec tamen interim debitum nuncupandum; velut beneficio vicem rependere, etiam & beneficium rite collocare. Cujus generis eſſe quamplurima nemo non videt. Atque diſtinctio haec [g] inprimis eſt hic advertenda. Ex inducto, juxta jam dicta qualicunque jure obligativo, actus quotquot eorum quos antea omnino liberos ſeu omnimodo & juſſu & interdicto ſolutos, in libertate abſoluta, notionis cauſa, ſuppoſuimus, nunc reſtricti ſunt, in malum culpae ſeu turpe juxta conſtituentis, quiſquis ille fuerit, mentem tranſeunt; tum exiſtente inde obligatione ad id quod ſive jubetur ſive vetatur, ſecundum conſtituentis itidem mentem, nomine boni ac honeſti, ut dictum eſt, ex officio obſervandum, & ad violationem, nomine mali ac turpis, fugiendam; tum violationi imminente malo poenae, non ſub ratione damni tantum aut incommodi (quo nomine veniunt qualeſcunque moleſtiae ſeu infortunia) ſed etiam ſub ratione meriti, quod reſpectu violationis ſeu non ſervatae obligationis, id eſt culpae, ſequitur, irrogandae. Nam ex ratione & eſſentia poenae proprie dictae eſt, ut pro peccato [h] ſeu culpa aliqua impendatur, idque ſive ea ſatiſfactoria dicatur, ſive expiatoria, ſive purgatoria, quemadmodum ſatisfactionis, expiationis & purgationis ipſa aliaque ejuſmodi ſatis indicant nomina. Omnigena enim eſt partim ſaltem retributiva, tametſi ſimul etiam fuerit medicinalis, ut in ſcholis [i] loquuntur, ſeu emendationi ſive ipſius peccantis ſive aliorum adhibita. Neque ſane Platonicum illud, *Neminem* [k] *prudentem punire quia peccatum eſt, ſed ne peccetur*, verum ſatis

[t] Leſſius de Juſtitia & Jure, lib. 2. cap. 19. & videſis Franciſc. Suarez. lib. 2. de Legibus, cap. 9. § 6. [v] L. 95. S. ... D. tit. de Solut. & Liberat. § 4. [x] Ariſtot. de Coelo, lib. 1. text. 22. [y] AEneid. 6. [z] AEneid. 12. [a] De Legibus, lib. 2. Adde Metellum apud A. Gellium lib. 1. cap. 6. in fine. [b] In Octavia, act. 3. [c] Lib. 10. [d] Lib. 2. [e] Eclog. Phyſic. lib. 1 cap. 7. & ſerm. 15. [f] Franciſcus Connanus Juris Civilis, lib. 2. cap. 3. [g] Videſis Hugon. Grotium de Jure Belli ac Pacis, lib. 2. cap. 4. § 6. [h] D. Auguſt. Retract. lib. 1. cap. 9. S. Thom. 1. ſecundae quaeſt. 87. art. 7. [i] S. Thom. 2. ſecundae quaeſt. 66. art. 6. ad ſecundum & 108. art. 3. & 4. [k] Seneca de Ira, cap. 10. ... de Ira Dei, cap. 18. & Plato, lib. 11. de Legibus. D. Auguſt. de Civit. Dei, lib. 21. cap. 13. Adde Hugonem Grotium de Jure Belli ac Pacis, lib. 2, cap. 20, § 4, &c.

eſſe poteſt niſi intelligas exceſſum quidem modoſque & temperamenta poenae ſingularia, ejuſve ſingulares ſpecies, qua tales, veluti capitalem, corporalem, pecuniariam, (quae etiam perquam diverſimode ſe habent) variatim apud homines & lege praeſtitui & infligi tantum ne peccetur, ſeu emendationi ſocietatiſque publicae inde conſervationi, pro alia atque alia perſonarum, locorum, temporis ratione adhiberi aptarique Sed vero & ſpecies has, quibus poenae univerſim dictae genere continentur, ejuſve naturam induunt communem, atque ita ipſum qui jus violavit reſpiciunt, non ſolum ne porro peccetur, ſed & quia ante peccatum eſt, & pro malo actionis praeteritae irrogari. Exempli cauſa; furtum capitali interdum, interdum corporali, pecuniaria interdum poena lui ſcimus. Poena, qualibet hac in ſpecie, qua generatim poena eſt, plane eſt retributiva, ſeu nomine meriti irrogatur, & quia peccatum eſt. Quatenus autem haec vel illa ſpecies ſingularis praeſtituitur infligiturque, medicinalis eſt; juxta legiſlatoris ſcilicet arbitrium, quo ſive exceſſum neceſſarium ſive temperamentum ſatis idoneum emendationi ac ſocietatis publicae conſervationi fore is ſtatuerit. Formalis enim poenae cauſa certe in hoc maxime conſiſtit, quod ſit τιμωρία [l] ſeu *vindicta* atque ſatisfactoria ſeu purgatoria ſeu expiatoria aliterve ſcelus ſeu peccatum commiſſum reſpiciat; unde & poenae recte dicuntur interdum λύσεις νενομισμέναι [m] *expiationes* ſeu *liberationes a lege praeſtitutae*; quod nomen plane id quod commiſſum eſt, non emendationem futuram, quae in finalibus tantum poenae cauſis habetur, reſpicit. Atque hac de re etiam plura mox. Actus autem reſidui, ſeu qui in juſſis, qualia diximus, interdictiſque non continentur, adiaphori fiunt, ſeu permittuntur. Atque ad hos etiam ex inducto, quod ad alteros illos ſpectat, jure obligativo, tam ſpectat jam permiſſio atque jus permiſſivum quam ad iſtos obligatio ſeu obligativum jus. Nam praeſcriptum jus obligativum ex ipſius conſtituentis autoritate (cujus ſane in abſoluta, qualem ſuppoſuimus, libertate ratio, nomine ejuſmodi, haberi nequit) tam actus reſiduos, ſeu ad quos nolit ille obligationem attinere, permiſſos deſignat, ſeu licitos eſſe indicat, quam alteros iſtos pro juris ſuperinducti formularum diſcrimine illicitos. Ita ferme, quemadmodum perpetuus limitis in finibus regundis diſterminantis rigor indicat tam extracluſam quam aſſignatam agri partem, ſive ut diameter ſeu linea ſeu ſegmentorum ſive ſectorum circuli utramque pariter quae circumjacet aream arcuſque diviſos. Nec magis in actibus qui juris ſunt obligativi, poenae violationi imminentis ſeu meriti adeoque ad officium ex imperato praeſtandum obligationis ratio habetur quam in actibus juris permiſſivi, quoties nimirum licitum ac illicitum ſeu jus conſideramus, habetur ratio permiſſionis, id eſt, obligationis nondum praeſtitutae adeoque poenae abſentis. Ubicunque autem deſunt hujuſmodi rationes, juris ullius proprie dicti, ſcilicet quod liciti atque illiciti, juſti ac iniqui amuſſis aliqua mortalibus eſſe poſſit, nomini locus, opinor, excogitari quidem nequit. Actus demum omnimodi ſive hominum ſive brutorum concipi etiam poſſunt, aut quatenus ex voluntate, appetitu, ſeu naturae propenſione tantum emanent, atque ſive utilitatis ſolum ſive delectationis cauſa a ſingulis ſic ſive fiant ſive omittantur, aut quatenus ad eorum alios, boni ac honeſti, ex officii debitione, non praetermittendi nomine, praeſtandos ſervandoſque juxta jam dicta obligentur, ad alios itidem ex debitione pariter fugiendos, nomine mali ac turpis, poena meriti nomine contra facientibus adjecta exſpectataque, adſtringantur; reſiduis interea ex ipſius juris obligativi amuſſis indicatione omnino permiſſis. Jam vero hiſce ſic breviter oſtenſis, nemo non videt modo quidem priori actus humanos atque aliorum ſimul animantium invicem eſſe non raro perſimiles atque ejuſdem generis. Quales ſunt, nunc ſexuum conjunctio, nunc coelibatus ſeu conjunctionis ejuſmodi abſtinentia, foetus educatio, tutela ſui, damni illati ultio, caedes mutuae; qui utriſque ſic interdum communes, quatenus ſingulis ſive utiles tantum ſunt ſive tantum jucundi, nulla, ex officio praeſtituto, ſive obligationis ſive permiſſionis, qualem diximus, nedum poenae, velut meriti, ejuſve abſentiae ratione habita. Caeterum modo ſecundo, qua ſive ad dictorum actuum aliquos ſive ad alios, ſive nomine ejus quod ad juris undecunque ſuperinducti mentem bonum eſt ac honeſtum, officii ac obedientiae debitae nomine praeſtandos & ſequendos, ſive nomine ejus quod malum eſt & turpe, pariter fugiendos, obligationis aliqua atque poenae ſeu permiſſionis rite, juxta jam dicta, habeatur ratio, nihil eis ineſſe volunt Ebraei brutis cum hominibus commune. Id quod ſatis cernitur ad legem illam, *Vir* [n] *qui poſuerit concubitum ſuum cum beſtia, interficiatur*; *& beſtiam quoque occidetis. Mulier vero quae acceſſerit ad quamcunque beſtiam & ſuccubuerit ei, occides mulierem atque beſtiam. Morte interficiantur: Sanguis eorum ſit ſuper eos.* De beſtiis omnimodis tam feris quam cicuribus, etiam de avibus, legem hanc indiſcriminatim capiunt. Quemadmodum & in jure caeſareo, ex lege, *Si quadrupes pauperiem fecerit*, actio utilis competit etiamſi non [o] quadrupes ſeu aliud animal fecerit. Quin & beſtiam lapidandam (nam de lapidatione mortem quae hic innuitur intelligunt) ſine ullo aetatis ſuae diſcrimine [p]; quod tamen obſervandum in utroque ſexu humano volunt; adeo ut ſi puer novennium non excederet, aut puella non triennium, neque ipſis neque beſtiae qualiſcunque aetatis ex hac lege mortem infligendam aiant. Nam ante hominum aetatem illam coitum in lege interdictum nec fieri admittunt. Non minus quidem beſtiam quam hominem, ſive maſculum ſive foeminam, e medio tollendum vides. Sed homini mortem ob juris cui obſtrictus eſt violationem poenam hic faciunt, non itidem beſtiae; tametſi etiam jus violatum ipſum eſſe hominibus naturale ſeu perpetuo univerſale, quo cuncti tenemur, non dubitent; qua de re in ſequentibus [q]. Cum vero, nefando commiſſo ſcelere, non ſolum perſonae ipſae quae reae ſint ex lege interdum alias puniantur, verum & res etiam inanimatae in loco ſceleris commiſſi repertae ex eadem lege ſint igne comburendae, ſimul cum brutis, quod tamen nec in horum, ne-

[l] Videſis A. Gellium, lib. 6. cap. 14. [m] Ariſtot. Politic. 2. cap. 2, &c. [n] Levitic xx. 15, 16 & cap xviii. 23.
[o] L. 4. ff Si quadrupes pauperiem. [p] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, c. 7. fol. 54. & 55. Maimonid Halach. *Iſure Bia*, cap. 1. Moſes Mikotzi Praecept. negativ. 95. [q] Lib. 5. cap. 1.

dum

E

dum illarum, poenam praestituitur (nam in illis ne fingi quidem poteſt obligatio, aut juris ſive obſervatio ſive violatio, unde poena ſequatur) ſic in exemplo hoc de beſtia quacum concubuerit homo occidenda rem definiunt. Nempe quemadmodum urbis apoſtaſiae reae non ſolum incolae, utpote apoſtatae, gladio erant ob ſcelus admiſſum plectendi, ſed etiam jumenta [r] ac pecora gladio itidem delenda, & bona caetera comburenda, uti pariter Cananaeorum ſculptilia [s], & luci diis gentium dicati, idque non ob culpam ab jumentis aut pecoribus, nedum a bonis, ſculptilibus & lucis admiſſam, ſed ut ab apoſtaſia, etiam bonorum amore, poſteritatis gratia, ducti magis deterrerentur aliarum urbium cives, ſceleriſque tum memoria tum novandi ejus, quantum fieri potuit, anſa demeretur; ſic etiam beſtiam ex lege jam allata e medio tollendam volunt tum ratione [t] תקלה ſeu *offenſionis* atque exitii in quod per eam incurreret forſan homo cum ea concumbens (nempe ne conſpecta alium quempiam in nefandam libidinem forte irritaret) tum ratione קלון ſeu *ignominiae* quae hominis, poſtquam poenas luerat, nomini, quoties ante oculos beſtiam haberet vulgus, neceſſario recrudeſceret. Ratio autem jam adducta utraque legitur in Miſna [v], אם אדם חטא בהמה מה חטאת אלא לפי שבאת לאדם תקלה על ידה לפיכך אמר הכתוב תיסקל ד"א שלא תהא בהמה עוברת בשוק ואמרו זו היא שנסקל פלוני על ידה: *Licet peccaverit ſic homo, quid peccavit jumentum? Caeterum quoniam evenit homini offenſio per eam atque exitii cauſa, ideo dicit ſcriptura lapidandam eam eſſe; ſeu, ut volunt etiam, ne, cum beſtia per plateas agitur, dici vulgo poſſit, haec eſt beſtia illa cujus cauſa lapidatus eſt N.N.* Alibi item [x], מפני מה אמרה התורה להרוג את הבהמה שלא תהא בהמה עוברת בשוק ויאמרו בהמה זו נסקל פלוני על ידיה: *Quamobrem praecipitur in lege etiam beſtiam* quacum concubuerat quis *occidendam eſſe? Ne ea per plateas tranſeunte dicant homines, haec eſt beſtia cujus cauſa, aut propter quam, lapidatus eſt N.N.* Quod ad hominis plexi ignominiam attinet: Interdum etiam beſtiam ex hac lege occidendam aiunt [y] in poenam domini, quia majori eam diligentia non cuſtodierat. Adeo ut poenam ob jus aliquod violatum ad beſtiam attinere neutiquam ullatenus admittant, nec jure aliquo eam teneri. Unde etiam evenit ut extra legem illam Iſraelitis, in poenae genere praeſtituendo ac beſtia lapidanda, civilem (tametſi interea circa juris illis plane naturalis caput verſaretur) beſtiam quacum ejuſmodi commiſſum eſt ſcelus occidi noluerint, nec, quantum video, aliud quid pati quod poenam ſimulet. Scilicet de Noachide ſeu gentili qui eorum reipublicae pars ſeu proſelytus juſtitiae nondum factus apud eos reus hic eſſet, aiunt ipſum quidem ultimo ſupplicio ob jus naturale ſeu Noachidarum ſic violatum puniendum eſſe, non vero beſtiam occidendam, quippe quae juris violati rea eſſe nequibat. Nec rationes jam ante memoratas ac legi ſibi civili proprias ad jus Noachidarum ſeu naturale ſpectare cenſebant. Maimonides [z] de gentili apud eos hic reo, הוא נה"ג לבדו ואין הורגין את הבהמה שלא נצטוו בהריגת בהמה אלא ישראל: *ipſe ſolus eſt morte afficiendus. Neque enim beſtia occidenda: Etenim praeceptum de beſtia occidenda Iſraelitis ſolum civile eſt.* Qua de re etiam D. Auguſtinus [a], *Quaeritur*, inquit, *quomodo ſit reum pecus, cum ſit irrationale, nec ullo modo legis capax? An quemadmodum transferuntur verba modo locutionis, quae Graece appellatur metaphora, ab animali ad inanimale? Sicut dicitur improbus aeſtus, vel iratum mare, ita & hic tranſlatum eſt rationale ad irrationale? Nam pecora inde credendum eſt juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata refricant facti memoriam.* Ipſam de ignominia magiſtrorum rationem jam oſtenſam indicat, poenam aut culpam in pecore non agnoſcit. Conſoni ſunt D. Auguſtino Radulphus Flaviacenſis, Lyranus, praeter theologos [b] recentiores paſſim. Nec alius quidem eſt Philonis [c] ſenſus, ubi rationum quas de pecore hic occidendo affert primam facit, ὅτι τοιούτοις ὀνείδεσιν ὑπηρέτησε, *quoniam probris* ſeu *facinoribus hujuſmodi nefandis operam dedit.* Neque enim ex culpae merito id dictum eſt, ſeu ex jure a pecore violato, ſed ex eo quod tam infame ex hominis ſcelere pecus redditum ſit, juxta quidem jam memorata; quemadmodum quae ibi ſequuntur etiam apud Philonem fuſius oſtendunt. Simile dicendum de bove cornupeta [d] qui hominem occiderat. Lapidandus quidem erat: at non juris ab eo violati nomine, ſed aut ideo ne quid, hominis cauſa, denuo ab eo parile fieret, aut ut dominus in re ſua puniretur quia negligenter cuſtodiſſet. Maimonides [e]; היות הבהמה נהרגת כשתהרוג אדם אינו לקחת דין ממנה כמו שירחיקו עלינו הצדוקים אבל הוא לקחת הדין מבעליה ומפני זה נאסר ליהנות בבשרה מפני שיפלג בעל הבהמה לשמרה: *Quod beſtia occidi debuit quando hominem interficiebat, id non fiebat ad poenam ab illa exigendam, quemadmodum improperant nobis Zaducaei, ſed ad poenam exigendam a domino. Atque inde erat quod prohibebatur ei uſus carnis bovis hujuſmodi, ut ſcilicet etiam boum domini majorem in eis cuſtodiendis diligentiam adhiberent.* Et Flavius Joſephus [f]; *Lapidetur*, inquit, *bos*, μηδ' εἰς τροφὴν εὔχρηστος εἶναι καταξιωθείς, *quem nec in alimentum ſumi* (unde ſcilicet in domini commodum cederet) *aequum exiſtimabatur.* Legem de bove cornupeta etiam beſtias caeteras, feras, volucres, quoties in caedis humanae cauſa eſſent, comprehendere itidem aiunt Ebraei [g], atque tam has quam bovem lapidandas; ratione non diſſimili ab ea qua animalia caetera lege Caeſarea, *ſi quadrupes pauperiem*, continentur. Veruntamen inquiunt [h], אם המית את הגוי פטור כדיניהם *ſi animal ejuſmodi occiderit gentilem, juxta forenſem qui ad gentiles attinet morem occidendum non eſt.* Id eſt, ſi apud Iſraelitas occiderat gentilem ſeu proſelytum domicilii, ad quem jura naturalia ſeu Noachidarum, forumque quo jura illa tantummodo exercebantur, ſpectabant, minime ex moribus eo in foro uſitatis, citra ſuperinductam

[r] Deuteron. xiii. 15, 16. [s] Ibid. vii. 5, 25. & xii. 3. [t] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 55. *α*. [v] Tit. *Sanhedrin*, cap. 7. [x] *Peſiktha Zotertha*, fol. 26. col. 2. & videſis Gloſſ. Jarchii ad Levit. xx. 15. & *Baal Aruch* in ת.קל. [y] Maimonides in *More Nebochim*, part 3. cap. 40. [z] Halach. *Melacim*, cap. 9. [a] In Levitic. 19. quaeſt. 74. & apud Gratian. cap. 15. quaeſt. 1. cap. 4. [b] D. Thom. 1. ſecundae q. 105. art. 2. ad 11, &c. [c] In lib. de legib. ſpecialibus de adulterio & homicidio. [d] Exod. xxi. 28. [e] In *More Nebochim*, part. 3. cap. 40. [f] Archaeolog. 4. cap. 8. [g] Moſ. Mikotzi praecept. affirm. 67. Maimon. Halach. *Nizke Mammon*. c. 10. Miſna. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [h] Moſ. Maimonid. Hal. *Nizke Mammon*, cap. 10. & conſulas Miſna tit. *Baba Kama*, cap. 4. §. 6, 7.

[illegible]ilem, quae etiam ad Noachidas ea in republica attineret, constitutionem, occidendum erat animal ejusmodi nocivum. Quippe cui ex [illegible]chidarum seu naturali illo simplici, quod a [illegible] qui in republica Israelitica degentes reipublicae ejusdem jurisque ejus civilis participes non erant, non ad animal ejusmodi ullatenus pertinebat, poena quatenus poena deberi nequibat. Id verum quidem est, poenae nomine improprie interdum nuncupari qualiacunque sive hominibus sive brutis damna ac incommoda eveniant, juxta sane lusum illum Biantis de uxore pulchra & deformi; si pulchram [i] accipias, habebis *κοινὴν* seu *communem*; si deformem, *ποινὴν poenam.* Eodem item interdum nomine vocantur etiam quae inanimata quoquo fere modo pati videntur; secundum illud, verbi gratia, Lucani [k] de Sicori Hispaniae fluvio, qui, ne inundatione Caesaris coeptis obstaret,

Spargitur in sulcos, & scisso gurgite rivis
Dat poenas majoris aquae——

Neque infrequens est poenae vocabuli ejusmodi usus; qua de re etiam plura capite proximo. Sed vero poena, proprie loquendo, atque ut in jure qualicunque locum habet, sumitur pro eo quod est malum passionis pro [l] malo actionis, seu quod redditur ut malum insequens poenae pro eo quod est malum praeteritum culpae. Scilicet poena est noxae [m] vindicta, seu, ut jurisconsulti Graeci [n] loquuntur, *ἁμαρτήματος ἐκδίκησις culpae vindicta,* ut superius etiam ostenditur. Imo & ipsum vocabulum simpliciter sumptum id quod est *ἀντάλλαγμα, [illegible], ἀμοιβὴ,* seu res aliqua in *permutationem, retributionem, compensationem* data, veteribus significasse, velut Homero & Pindaro, docet Eustathius [o]. Adeo ut vis vocabuli propria in eo maxime consistat quod meritum qualecunque praecedat. Id quod tam de poena vicaria seu translata intelligendum quam de ea quae merenti ipsi infligitur: nam utraque in specie culpa, noxa, seu juris violatio praecedit. In hac scilicet ipse qui patitur, in illa is cujus vice & gratia subitur poena, jus ante violavit. Unde incommoda, quae non ex obligatione ad officium aliqua praecedente seu jure aliquo violato, sed ex diversissimo apud homines, sine praeeunte juris alicujus qualem diximus violationis ratione, usu accidunt, abusive tantum poenae dicuntur. Etenim nemo legem illam apud Aristotelem [p], *μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν, corpore non integro foetum non esse educandum,* aut morem illum Romanum de Androgynis seu Semimaribus aliisque monstris inventis aruspicum praecepto in mare deportandis (qui apud Livium & Julium Obsequentem crebro occurrit) poenam continere proprie ita nuncupatam dixerit; cum ne foetus ejusmodi nec Androgyni ipsi aliave monstra ejusmodi jura aliqua sibi praescripta, eo nomine, violarint. Ad purganda quidem & aqua marina expianda mala omina, eaque averruncanda, deportatio ea fieri [q] solebat, non omnino in deportatorum poenam. Id quod etiam dicendum de damnis ac incommodis vi tantum & cum injuria illatis, veluti sicariorum caedibus, latrociniis, caeteris ejusmodi, quae quatenus sic nullo jure sed vi solummodo inferuntur, nec culpam supponunt praeviam, poenae planissime neutiquam sunt proprie dicendae. Neque vetus illud totius quae sub eodem tecto mansitaverat familiae ex S.C. Silaniano supplicium, quoties dominus clam peremptus est [r], poena, qua eos qui ipsius caedis rei non erant respexit, proprie dicta erat, nisi simul admittas, ad insidias aut prohibendas aut prodendas familiae singulos sic obligatos esse ut ob neutrum praestitum praevia culpae labes contraheretur. Quod similiter de compluribus aliis ubi poenae communicatio, nec tamen palam communicatio culpae, habetur, statuendum. Atque ut poenae vocabulum abusive, juxta jam dicta, interdum usurpatur, simili quidem modo etiam canones seu regulae quibus artes mathematicae aliaeque traduntur legum habent subinde nomen. Et Typhis apud Senecam [s] dicitur ausus esse leges scribere ventis, cum artem navigandi ex carbasorum usu inveniebat. Qua de re nonnulla etiam capite proximo. Caeterum ut leges ejusmodi obligatione morali, qualem diximus, carent, adeoque poena proprie dicta, unde nec leges proprie ipsae dicendae; ita incommoda qualia memoravimus, quoniam non ex juris alicujus, ad quod obligatur quisquam, violatione eveniant, idcirco poenae tantum abusive vocitantur. Quod sane rite intellectum quaestioni percelebri de legis mere poenalis obligatione ad culpam tum finem statueret, tum absurde nimis eam plerumque fieri etiam ostenderet. Nam lex mere (uti vocant [t]) poenalis de hoc patiendo si illud praetermittatur, sine obligatione aliqua ad illud faciendum, neutiquam proprie, seu potius non omnino, est revera poenalis, sed tantum alternativa seu disjunctiva sanctio (unde libera fiat electio) poena expressim nulla adjecta, sed, ex jure quo vivitur, aliunde utrumque praetermittenti exspectanda. Si vero ad alterum prae altero obligatio accedat, sive expressim sive tacite, tunc quidem poenalis plane fit lex quam mixtam, scio, vocant viri gravissimi. Sed interim lex eorum sensu pure poenalis, si proprie loquamur, tam non omnino reperitur, quam poena sine jure aut lege seu obligatione, qua a re patrata quis arcendus erat, infligi non rite dicitur. Sed ad rem quam tractamus apposite etiam vir praestantissimus Hugo Grotius in dissertatione eruditissima ac ingeniosissima de poena ejusque nominis usu proprio, *Sic,* inquit [v], *quia in bestias proprie delictum non cadit, ubi bestia occiditur, ut lege Mosis ob concubitum cum homine, non ea vere poena est, sed usus dominii humani in bestiam.* Quod sane dominium parilem vim obtinet ubi nec similitudo quidem aliqua in bestiis culpae ejusve figmentum reperitur: ut nemo non videt [x] in promiscua brutorum pro humano arbitrio caede. Adeo ut revera in bovis cornupetae brutique quocum homo coiisset caede, poenae proprie dictae, si brutum, ut hic, tantum spectes, ratio ulla non magis ha-

[i] A. Gellius Noct. Attic 5. cap 11. [k] Pharsal. 4. [l] Videsis (ante alios) Hugon. Grotium de Jure Belli ac Pacis, lib. 2. cap 20. §. 1. & Alphons. a Castro lib. 1. de lege poenali, cap. 3. [m] Ulpian l. 231. D. de verb. signif. [n] Eclog. B[illegible]lic lib 2. cap. 131. [o] Ad Iliad. ρ. [p] Politic. 7. cap. 16. [q] Jac. Durantius Variar. lib. 1. cap. 3. [r] Lib 1, &c. De S. C Silaniano & Tacitus. Annal. lib. 14. [s] Medea act. 2. [t] Videsis Alphons. a Castro de lege poenali lib. 1. cap 9. Henric. a Gandavo. Quodlibet. 3. quaest. 22. Summ. Silvestrin. verb. Inobedien. Francisc. Suarez de legibus lib. [illegible] cap 4. Ludovic. Carbonem de legibus, lib. 8. disp. 1, &c. [v] De Jure Belli ac Pacis, lib. 2. cap. 21. § 11. & videsis eum in Defensione Fidei Catholicae, cap. 1. ubi de hirco apopompaeo. [x] Videsis Plutarch. lib. de solertia brutorum.

beretur,

beretur, quam ubi canis, simia, gallus ac vipera, culeo, ex jure Romanorum [y] veteri, cum parricida (quia ei simillimi [z] erant) insuti in mare aut amnem projiciebantur. Cum eo, ut inquit Juvenalis [a],

Clauditur adversis innoxia simia fatis.

Quod & de caeteris est dicendum. Nec magis innoxia seu culpa vacantia, si juridice & proprie de re praesenti loquamur, fuere bruta ea quae nihil omnino parricidii patrarant, aliave per dominii humani usum sic morti tradita (ut vitula ex lege sacra [b] ubi homicida ignorabatur decollanda, & quae sunt id genus reliqua) quam animalia fuere ista quae ob actus quos qua homines spectant fieri noluit lex, morti, sed non in sui ipsorum, ut ostensum est, poenam, damnabantur. Quippe delictum proprie dictum non magis in haec eorumve actus cadere potuit quam in illa ex solo hominis parricidio ceciderat. Atque demum ut ubi poenae proprie dictae imminentis nomine obligatio esse nequit, ibi nec delictum seu juris violatio haberi potest, ita nec juris dicenda est permissio, quoties nec poenae, quae superinduci posset, absentiae ratio in actibus distinguendis, veluti brutorum, habetur. Ita tandem nec obligativum nec permissivum jus hominum naturale aliquod seu universale ex actibus aliorum animantium juxta Ebraeos est eliciendum. Id quod etiam manifestius constabit infra, ubi unde jus hoc deducant ostendimus.

CAP. V.

Quae contra juris naturalis inter homines & bruta communionem jam dictis adversari videantur, expenduntur; satis Ebraeorum ea de re sententiae consonos esse cum alios tum etiam inter jurisconsultos Caesareos, viros gravissimos celeberrimosque.

Contra jam secundum Ebraeos dicta de eo quod est, jura hominibus ita propria esse ut nec eorum atque brutorum ullatenus sint communia, nec bruta juris proprie dicti aut observatione omnino teneri aut permissione laxari, praeter ea quae superioris capitis initio adducuntur, facere videntur nonnulla, quae tamen, si rite perpendantur, partim aut consona satis aut non adversa sunt, partim plane rejicienda. Legitur in sermone sacro [a], *Sanguinem vestrum de animabus vestris*, seu *vobismetipsis, requiram* מיד כל חיה אדרשנו *a manu cuncti animalis*, seu *cunctarum bestiarum*, ut habet vulgata, seu ἐκ χειρὸς πάντων τῶν θηρίων, ut Hellenistae, id est, *a manu omnium belluarum*, seu, *a cunctis animalibus, bestiis, belluis*, ex idiotismo Ebraico, *requiram eum*; *& de manu hominis, de manu fratris sui requiram eum*. Comminatur ibi poenam homicidio ab homine patrato Numen; etiam sanguinem humanum a bestiis se requisiturum ait: unde interdictum homicidii, adeoque poena & obligatio, ad caetera animalia etiam spectare forsan videatur. D. item Ambrosius asinorum & equarum coitus *adulterina contagia & vera adulteria naturae & adulterium jumentale* vocat [b]. Atque ad hominem cujus cura haec, ut ait ille, perpetrantur, *Ipse*, inquit, *genera aliena confundis, diversaque misces semina, atque ad vetitos coitus plerunque cogis invitos, & hoc industriam vocas? Hospitalia* item *avium jura* memorat [c], quae ex iis homines vult discere. Et, *Aves*, inquit, *non scripta sed nata lex stringit.* Plurima adjicit [d] de ciconiis, hirundinibus, cornicibus, turturibus, apibus, animalibus aliis, e quorum usu & exemplo formari ac reformari vult hominum mores. Quin D. Hieronymus [e], *Quod in animalibus & bestiis ipso natu ac jure praescriptum est, ut praegnantes ad partum usque non coeant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum; ut merces esset ex abstinentia voluptatum.* Ex jure igitur aliorum animantium abstinentia illa hominibus insinuatur. Camelos porro matrum coitum fugere scribit Aristoteles [f], Avicenna [g], alii; adeo etiam ut Camelus qui cum matre a curatore gregis ne eam agnosceret operta coivisset, ac delapso operimento eam tandem agnovisset, *memor commissi sceleris* (ut in versionibus aliquot Aristotelis habetur) *paulo post camelarium illum morsu defixo interemerit.* Quale item de equo memorat Varro [h]. Historiolam habet etiam Aristoteles [i] aliique de Scytharum regis equo, qui ejusmodi arte ad matris coitum admissus, simulac eam viderat, fugiens in praecipitium se dedit. Quin AElianus [k] expressim, *Utrique*, inquit, *praecipites sese agentes* τὸ ἀσέβημα διέλυσαν τῷ θανάτῳ, *morte flagitium* seu *scelus dissolvebant.* Et Plinius [l], *Equae eadem ex causa in Reatino agro laceratum perorigam invenimus. Namque & cognationum intellectus in iis est. Itaque in grege prioris anni sorore libentius quam matre equa comitatur.* Huc spectat illud ejusdem [m]; *Odore pardi coitum sentit in adultera leo, totaque vi consurgit in poenam.* Et Theseus apud Senecam [n] de Hippolyto filio incestus in Phaedra noverca, ut falso credebat, reo,

——o tetrum genus
Nullaque victum lege melioris soli.
Ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas.

quin & Agathias, dum in epigrammate nefandum masculorum concubitum insectatur [o],

Δέρκεο τῶν ἀλόγων ζώων γένος· οὐ γὰρ ἐκείνων
Φύσις ἀτιμάζει θέσμια ζυγίης.
Ἄρσενι γὰρ θήλεια συνάπτεται ——

Vide, inquit, *brutorum animalium genus. Neque enim horum natura coitus jura praestituta aspernatur* seu *violat. Masculo scilicet foemina conjungitur.* Accedat illud Romae veteris de

[y] L. poena 9. D. De lege pompeia de parricidiis ac Instit. tit. de publicis judiciis §. Alia deinde. [z] Theophilus citato loco institut. [a] Satyr. 13. [b] Deuteron. xxi. [a] Genes. ix. 5. [b] Hexaemer. lib 5. cap. 3. [c] Ibid. c. 16. [d] Ibid. c. 17, 18, &c. & lib. 6. cap. 4. [e] In Epist. ad Ephes. lib. 3. ad cap. v. [f] Hist. Animal. lib. 9. cap. 47. [g] De Natura animalium, lib. 9. sermone de Moribus animalium. [h] De re Rustica, lib. 2. cap. 7. [i] Loco citato, Antigonus Hist. Mirab. cap. 59, &c. [k] De Animalibus, lib. 4. cap. 8. [l] Lib. 8. cap. 42. [m] Lib. 8. cap. 16. [n] In Hippolyto act. 3. [o] Antholog. lib. 1. cap. 78. & ad fin. Historiae.

canibus quorum per silentium nocturnum capitolium a Gallis captum fuisset, nisi anserum Junoni juxta sacrarum clangor & alarum strepitus M. Manlium caeterosque Romanos ad propugnandum excitassent. *Eadem de causa*, scribit Plinius [p], *supplicia annua canes pendunt inter aedem juventutis & summani, vivi in furcas sambucea arbore fixi.* Habito interim anseribus ob servatam arcem honore in eisdem solennibus annuo; quod & memorant Plutarchus [q], D. Augustinus [r], & Ambrosius [s]. Guilielmus item Alvernus, Parisiensis episcopus, de belluarum, ut ipse vocat, justitia & juribus, *Diligentem*, inquit [t], *considerationem faciens per singula, invenies nihil vacare a creatoris justitia; quando & ipsas belluas, & pene omnia genera animalium, invenies quandam exercere justitiam, & jura sua defendere. Attende qualiter ursa rapinam vel necem catulorum suorum vindicet: similiter & leo. Qualiter pro uxoribus, pro nidis, pro escis & pro pullis seu foetibus suis pugnet: quanta justitia labores suos masculi & foeminae invicem patiantur, ut foemina remanente in nido vel spelunca, masculus ad perquirendum cibum atque reportandum foeminae suae & foetibus egrediatur & regrediatur. Tempore etiam meo ciconia, tanquam de adulterio convicta per olfactum masculi sui, congregata multitudine ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo vel detegente ejus crimen, a tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est; tanquam concilio aut judicio omnium esset adulterii judicata. Narratur de equo qui ignoranter cum matre sua concubuerat, postquam hoc deprehendit, propriis dentibus sibi genitalia abscidisse, tanquam in se ipsum vindicans incestum, quem commisisse sibi videbatur, licet ignorans, eo quod operimento abscondita fuisset ei mater ejus dum eam ascendebat.* Pisces item aliquos, aves, & quadrupedes nonnullos adulteria fugere notatum est [u]; alterum item sexum, demortuo altero, coelibem manere. Quin palumbium coetum velut judicio solenni morte punire sui generis adulteros scribit Phile [x]. Elephantorum item odium & vindictam in adulteria hominum, perinde ac si juris officio subniterentur, legimus apud AElianum [y]. Justitia etiam eorum celebratur in exemplis elephantorum qui pabulum ad equos, velut ex debito, parilisque cum eo quod ipsi ante ab illis eripuerant mensurae [z], reportasse dicti sunt. Legimus etiam apud Aristotelem [a] animalia alia ὑφ' ἡγεμόνα εἶναι *sub duce* seu *rege esse*, id est, sub imperio alicujus sui gregis; quin & diserte animalia politica cum homine nuncupari seu civilia, ut apes, grues. Et de apibus eandem in rem plura item Virgilius [b], alii. Quae sane jus simul indicare videntur, ejusque communionem aliquam apud homines & bruta. Ex lege porro xii. tabularum in juris Caesarei corpus recepta animalia, quae pauperiem [c] fecerint, si noxae dedantur, proficiunt reo ad liberationem ab actione noxali. Perinde ac ex illis ab eo cui pauperies facta est, veluti ob jus violatum, poena sic foret suo arbitrio exigenda. Plato item in legibus de homicidio, *Si*, inquit [d], *brutum seu jumentum aliquem, extra scilicet publica certamina, occiderit*, ἐπεξίτωσαν οἱ προσήκοντες τοῦ φόνου τῷ κτείναντι, *caedis reum illud peragant cognati, & ab agronomis damnatum e regionis finibus ejiciatur.* Praeterea apud christianos scimus in foro aliquoties [e] decisum, porcum qui puerum occiderat, mulam item quacum rem habuerat mulio, morti tradendos. Empedoclis item aliorumque Pythagoreorum de jure ac justitia hominum brutorumque [f] communi opinionem, vulgaremque nimis etiam eadem de re sententiam, quae superioris in capitis initio allatae sequax est, (unde & jurisconsulti nonnulli [g] obligationem naturalem brutis inesse expressim aiunt) passim habemus. Et sunt alia non pauca quae jus atque illius obligationem ac poenam ad animalia caetera spectare videntur pariter innuere. Sed allatis adeo sunt cognata ut ex hisce rite perpensis reliqua non minus fuerint intellecta. Quod ad illud attinet de sanguine humano a bestiis requirendo, ut obvias christianorum in commentariis perpetuis explicationes, quae nec hic adversae, praeteream; id verum quidem est, diversas esse apud Ebraeos ea de re sententias, quarum tamen nullae superiore in capite de juris alicujus inter homines & bruta communionis negatione dictis adversantur. Vetusta est interpretatio, eaque illis receptior, denotari verbis illis caedem humanam a bruto ex hominis instigatu factam. Vindictam scilicet Numen sumpturum non tantum de caede humana ab homine ipso patrata, manu, jactu, telo, sed etiam de ea quae a bestia, homine instigante, fit. Sic enim aiunt [h], מיד כל חיה זה המוסר את חבירו לחיה להרגו A MANU CUNCTI ANIMALIS, *eum indicat qui alium animali alicui tradit ut ab eo occidatur.* Nec sane Josepho [i] alia praeter homines animalia ipso homicidii interdicto tunc dato ullatenus tenentur. Sic enim rem tradit, Παραινῶ μέντοι σφαγῆς ἀνθρωπίνης ἀπέχεσθαι, καὶ καθαρεύειν φόνου, καὶ δράσαντάς τι τοιοῦτον κολάζοντας, &c. *Jubeo vero ut ab caede humana abstineatis, & ab homicidio sitis puri, atque eos qui ejusmodi quid patrarint puniatis; aliorum autem animalium omnium usum vobis permitto.* Neque aliud sane innuit illa Salomonis Jarchii Glossa [k], מיד כל חיה לפי שחטאו דור המבול והופקרו למאכל חיות רעות לשלוט בהן *Id quod legitur* A MANU OMNIS BESTIAE (seu *ab omni bestia*) SANGUINEM HOMINIS REQUIRAM, *ideo adjicitur, quia apud homines qui ante diluvium vixerunt per impietatem mos invaluerat bestias nocentissimas nutriendi, ut scilicet earum auxilio commodius dominarentur.* Nimirum in non obtemperantium caedem, nulla justitiae ratione habita, eas irritatas vult. Unde subjungit, לפיכך הוצרך להזהיר עליהן את החיות *Eam ob causam necessarium erat ut de animalibus* in usum ejusmodi nutritis *monerentur.* Sunt autem qui locum de poena homicidio coelitus infligenda intelligunt: Perinde ac si dictum fuisset לא תעבור יהריגת

[p] Hist. Nat. lib. 29. cap. 4. [q] Lib. de fortuna Romanorum. [r] De Civit. Dei l. 2. cap. 22. [s] Hexaemer. lib. 5. cap. 13. [t] Part. 1. De universo, part. 3. cap. 8. [u] Videsis Jodoc. Damhouder. Prax. Criminal. cap 91. §. 101, &c. & Vincent. Turturet. in Parallel. Ethicis & Juridicis diss. 34. [x] Cap. 19. [y] De Animalibus, lib. 11. cap. 15. [z] Gillius apud Ulyss. Aldrovandum de quadrupedibus, lib. 1. [a] Hist. Animal. lib 1. cap. 1. [b] Georgic. 4. [c] Lib. 1. D. Si quadrupes pauperiem. & Instit. tit. eod. [d] De legibus lib. 9. [e] Guido Papa decis. 238. & Ranchinus ibi. Adde Rebuffum ad Reg. Constit. gloss. 5. §. 46. Abulensem ad Levitic. cap. xx. q. 14. [f] Apud Sext. Empiric. advers. Mathematicos, lib. 8. cap. περὶ Θεῶν, & Porphyrium in lib. 3 & 4. de Abstinentia animalium. [g] Eguinarius Baro, de dividuis & individ. obligationibus, lib. 1. cap. 4. §. 16, &c. [h] *Beresith Rabba* parash. 34. fol. 38. col. 2. Maimonides Halach *Rotzach*, cap. 2: Moses Mikotzi praecept. negativ. 163. [i] Archaeolog. lib. 1, cap. 4. [k] Ad Genes. ix. 5.

האדם

האדם מכלי נקמה *Homicidium vindicta non omnino carebit.* Pauci admodum estis. Si vestrum quis alterum occiderit, quemadmodum Cainus olim sub hominum initia, quae velut imitatur haec in vobis generis humani instauratio, Abelem, requiram ab eis qui superstites fuerint judicium in homicidam ferendum. Quod si quis tutum se fore, si ipse solus post homicidia patrata superstes fuerit, forsan existimaverit, edico etiam me ipsum id quod homines, si superessent, facere in poena exigenda debuissent, per ipsas bestias, quas in scelestum ejusmodi immittam, exsecuturum. Isaac Abarbinel [l], וא"ת ואיש אין בארץ לשיעשה משפט ברוצח דיע' כי הרבה פתחים למקום לנקום נקמתו ולכן במקום שאין אדם לנקום דם הנרצח מיד כל חיה אדרשנו כלומר שעל ידי החיה הטורפת והיה משפט הרוצח ובמקום שיהיה אדם אדרוש על ידו דם הנרצח *Et si forte putaveritis* (sic numen, ad loci explicationem, loqui fingit) *hominem deesse posse, nec in orbe terrarum repertum iri qui in homicidam sententiam ferat, scitote plurimis modis posse me vindictam sumere. Ideoque, si desit homo qui occisi sanguinem ulciscatur, a manu omnis bestiae, seu ab omni bestia, requiram eum, veluti a bestia quae dilaceret homicidam. Et sic in eum sententiam exsequar. Ubi vero fuerit homo, requiram ab ejus manu sanguinem occisi*, seu vindictam tanti sceleris. Certe in codice Samaritano [m] locus hac de re e Genesi allatus legitur ࠌࠉࠃ ࠊࠋ ࠇࠉ ࠀࠃࠓࠔࠍࠅ id est, מיד כל חי אדרשנו quod vertendum *a manu cuncti viventis requiram illum.* Adeo ut *vivens* seu *vivum* pro eo quod est *bestia* seu *animal brutum*, quod interpretari solet חיה, ibi sic esset substituendum. Unde & non male, si id admittendum esset, sequeretur, de hominibus tantum superstitibus seu viventibus qui caedis rei essent, non de bestiis, locum commode capi posse. Nam etiam ante in Genesi [n] כל חי seu *omne vivens* tantum *omnem hominem* significat, ubi scilicet Heva dicitur אם כל חי *Mater omnis viventis*, seu *omnium viventium*, ut Graeci, Latini, Judaei Graeco-barbari, alii non pauci vertunt. Sed Onkelos Chaldaeus ibi expressim, אימא דכל בני אנש *Mater omnium filiorum hominum.* Cui & consona est illa Judaeorum Mauritanensium, أمّ كل حي ناطق *Mater omnium viventium quae rationalia sunt*, & Arabica illa altera Saadiac, ubi adjicitur ناطق مايت *quae rationalia & mortalia sunt.* Etiam in Tawasii Persica ibi vertitur, مادر وهمه زندهي ناطق *Mater omnium viventium quae sunt rationalia.* Sed & manifestum etiam est, ipsum כל חי seu *omne vivens* alibi in Genesi tam bruta omnimoda quam hominem denotare; ut in illo [o], *neque addam ut amplius percutiam* כל חי seu *omne vivens, sicut feci.* Atqui & alias interdum, velut apud Davidem, pro circumstantiarum varietate, *omne vivens* [p] id quod est *omnis homo* [q] etiam tantum significat. Imo & ipsum חיה, quod in codice habetur Ebraico, & pro bestia sumi solet, *vivens* etiam denotat. Non defuere autem qui [r] de ד' מלכיות seu *quatuor imperiis* in Daniele per bestias designatis locum caperent: Perinde ac si numen ibi vindictam caedibus etiam ab imperatoribus per tyrannidem postmodum patrandis tum minitaretur. Ita locum de re diu post futura intelligunt, quemadmodum & christiani aliquot interpretes [s] de lege tunc diu etiam post futura, qua bovis in Levitico cornupetae lapidatio praestituitur. Alii sunt Ebraeorum [t] qui de vindicta seu vindictae specie quidem etiam ab ipsa bestia hominem occidente nunc in foro sumenda nunc coelitus infligenda locum capiunt. Atqui in eis nemo, quantum scio, reperitur qui obligationem omnino ad bestiam attinere aut jus ab eo esse violatum velit. Unde & vindicta illa seu poena qualiscunque sic improprie, juxta superius dicta, nuncupatur, quemadmodum & bovis cornupetae & bestiae quacum homo coierat lapidatio, ut supra [v] ostensum est. Nam & scimus ex Atheniensium legibus lapidem, lignum, securem, id genus res alias, quoties homicidii instrumenta fuere, in Prytaneo in judicium deductas [x] velut in poenam; quam tamen eas proprie pati nemo sanus dixerit. Et Theagenis statua, ex sententia Thasiorum Draconis lege subnixa, in mare ob caedem casu suo patratam est projecta: Non in statuae poenam, sed homicidii odio. Ita etiam *maledicta est terra* [y], sed בעבורך *propter te, tui causa*, seu propter hominis tantum peccatum. Unde & Lyranus [z], juxta mentem Ebraeorum qui de vindicta ejusve specie aliqua de bestia hic sumenda loquuntur, *Ut homo*, inquit, *non solum puniatur propter homicidium, sed etiam bestia, si interficiat hominem, propter facti horrorem, quamvis animal brutum peccare non possit.* Quae ex D. Ambrosio afferuntur de brutorum adulteriis, non ad ea spectare interdicta ulla seu obligationem innuunt, sed hominem ea ad ejusmodi commixtiones adigentem reprehendunt. Nec alia sunt naturae adulteria ibi quam brutorum generum diversorum coitus, quorum in causa esse ex lege Mosaica [a] homini quidem interdictum est. Quin & interdictum illud, qua homines velut prorigas spectat, Ebraei etiam in obscurioribus juris universalis capitibus collocant, ut in sequentibus [b] liquebit. Coitus igitur hujusmodi *vetitos* appellat Ambrosius, sed homini, ne ad illos bestias adigat, non brutis, ne ipsa admittant, aut perinde ac si ipsa jure aliquo, sicut homines, ea de re tenerentur. Quod autem vocat ille *Legem avibus natam, & jura earum hospitalia*, haud aliud omnino indicare potest praeter certas illas & notissimas animalium illorum aliorumque brutorum propensiones atque actus naturae plerumque constantes, quae per homonymiam & propter similitudinem quandam *jura* quidem interdum nominantur ac *leges*, nec tamen revera sunt magis atque arborum ac fruticum aliorumve corporum naturalium actiones ac motus naturales. Tantundem sane voluit Aristophanes [c] ubi lepide πολλὰς εἶναι ὀρνί-

[l] *Pirush Tora* fol. 46. col 3. & consule Mosem Nachmanidem in Genes. ix. 5. & Seb. Munsterum & Paulum Fagium in Commentariis, ibid. [m] Gen. ix 5. [n] Cap. iii. 20. [o] Genes. viii. 21. [p] Psalm. cxlv. 16. [q] Psal. cxliii. 2. [r] In *Beresith Rabba* Parash. 34. fol. 38. [s] Videsis Benedict. Pererium, lib. 14. in Genes. cap. ix. & ibidem Jo. Mercerum. [t] Apud Abarbinel, loco citato, & videsis R. Bechai in *Beresith*, fol. 20. col. 3. [v] Cap. 4. [x] Demosthen. Orat. contra Aristocratem, Pausanias in Eliacis, Suidas in Nicone. [y] Genes. iii. 17. & ibi Lyranus. [z] Ad Genes. ix. 5. [a] Levit. xix. 19. [b] Lib. 7. cap. 2. [c] In avibus.

θων

θων νόμȣς multas esse avium leges ait, etiam & ipsas ciconiarum *κύρβεις* seu *legum tabulas* festive memorat. Quin & ad hunc modum etiam *legis* usurpatur nomen in illo Senecae [d], *Legem barbae & canorum nondum natus infans habet.* Atque alibi satis crebro similis habetur vocabuli usus. Neque enim minus in lege ejusmodi quam in illis avium, qualescunque fuerint, reperitur obligatio seu culpa, citra quarum considerationem jus, seu liciti atque illiciti norma, nullibi haberi potest. Unde & de exemplis illis, [e] maris & foeminae scilicet conjunctionis, foetus procreationis, educationis, velut hominum atque aliorum animantium, juris communis statuendum plane est. In quantum etiam in ipso homine sunt propensiones hae duntaxat naturales, adeoque eo nomine tam homini quam bruto communes, *juris* vocamine eas neutiquam esse indigitandas; at vero in quantum ratione liciti, illiciti, obligationis (quae ad bruta non attinent) veniunt, aut qua circa eas obligatio versatur ac permissio, juxta superius ostensa, tantummodo *juris* nomen sortiri. Sic capiendum & illud D. Hieronymi de bestiis praegnantibus, quae ad partum usque ipso naturae jure non coeunt. Jus illud non aliusmodi est quam aut quo gramina & frondes depascunt ipsae, aut ab herbis nocivis abstinent: Nec cum jure quod obligat aut permittit citra homonymiam quid habet commune. Quae sunt reliqua id genus non aliter intelligenda. Neque omnino obstat quod affertur de camelis, seu de Scytharum regis equo aliove uno & altero. Quid hoc ad jus, obligationem, culpam aut poenam? Detur camelorum genus matrum coitum fugere; etiam ex admissione irritatum illum gregis curatorem mordicus peremisse. Ideone hoc eum fecisse (ut in Aristotelis loco citato) *memorem commissi sceleris*, quasi obligatio aut interdictum ad eum attinuisset, existimandum? Sed versio illa (quae Gazae est) nimium, nec sine manifesta in Aristotelem injuria, redundat. Graeca sunt, *μικρὸν δ' ὕστερον δακὼν τ̀ καμηλίτlω ἀπέκτεινε*, *Paulo post morsu camelarium peremit.* Sceleris, in Aristotele ipso, mentio nulla. Et quomodo scire, quaeso, potuerit quis utrum hac causa camelarium momorderit? Quod tamen si fecerit, nihil magis de scelere probatur quam si aliter quomodocunque ultro custodem calcitrasset. Nec mirum est, irritatum esse ex ejusmodi admissione, quae (si philosopho aliisque credamus) etiam generi ejus universo adeo displicet. At equus ille Scythicus, uti & mater, se praecipitem dedit. Ideo se praecipites dedisse hos quia incestum commiserant, aut ob admissionem, velut illicitam, prorigam illum in agro Reatino laceratum esse, non est quidem unde omnino statuamus; utcunque AElianus, ex more hominum vulgari quo actus aliquot brutorum intuentes humanis proni comparamus, *τὸ ἀσέβημα* seu *scelus* morte ab eis expiatum scribat, & de scelere hic atque eo quod est ipsis brutis illicitum loquantur alii [f], argumentum etiam ad interdictum apud homines de incestus hoc genere naturali probandum ex ejusmodi exemplis alii [g] deducant. Sed revera in brutorum hisce actibus juris violati, obligationis, seu eorum quae inde pendent, vestigium satis habetur nullum. Etiam & in specie equina, e cujus individuo uno & altero exempla sic afferuntur, matres ac filias equos ex more supervenire expressim fatetur Aristoteles [h], qui illud de equo Scythico aliam in rem memorat. Dissimilis non est ratio in historiola illa de leone. *Consurrexisse* ait Plinius *leonem in poenam adulterii.* Eleganter quidem dictum; ubi de adulterii ac poenae significatione propria non agitur, sed similitudo ex actibus humanis sumitur. At undenam cedo dignosci potuerit quod in poenam adulterii consurrexerit? Erat quidem quod leonem in furorem egit. Sed nec adulterio, qua scelus eo nomine indicatur, nec poenae, quae ex obligatione semper pendet, seu proprie dictae locus ibi reperitur ullus, juxta id quod supra monstratum est. Poetice autem non philosophice dictum est illud Thesei apud Senecam. Undenam enim scimus quid sit feris seu bestiis veneris nefas, quatenus illicitum aut scelus aut obligatio aliqua eo nomine denotetur? Imo exceptis obscurioribus illis aliquot exemplis, undenam scimus aliquod veneris genus esse quod fugiunt bruta omnino aliqua? Apud eundem Senecam etiam alibi [i], Laii umbra de Oedipode, qui Jocastam matrem inscius matrimonio sibi conjunxerat,

——— quique nec mos est feris,
Fratres sibi ipse genuit ———

Certe temere nimis (nisi licentia poetica seu incestum detestantis ardor excusationi sit) mos ille feris est negatus. Rectius proculdubio hac de re Myrrha ipsa, incesto patris amore percita, apud Ovidium [k],

———coeunt animalia nullo
Caetera delicto: Nec habetur turpe juvencae
Ferre patrem tergo; fit equo sua filia conjux:
Quasque creavit init pecudes caper; ipsaque, cujus
Semine concepta est, ex illo concipit ales.

Quae hactenus dicta sunt, satis item diluunt id quod de masculorum coitu a brutis non admisso ex epigrammate Agathiae affertur, uti etiam quod de annuo canum apud Romanos supplicio. Supplicium plane non erat proprie dictum, nec enim jus aliquod omnino aut violarant canes, aut violare quiverant. Sed tum anseribus honos eodem tempore est habitus (ut & Phidolae equa ob victoriam singularem imagine ex Eleorum sententia [l] donata est) tum canes sic suppliciis improprie dictis affecti sunt, ut tum diligentioris custodiae ac beneficiorum erga rempublicam praemia, tum rerum socordius gestarum poena, velut in schemate quodam seu apologo, quotannis civibus ostentarentur. Quod sequitur de brutorum adulteriis ex Guilielmo Parisiensi, Phile, AEliano, atque id genus quae occurrunt apud alios similia, haud difficilem e jam dictis recipiunt interpretationem. Uti & illud de elephantorum justitia. Ex actu ejusmodi foeni ad equos reportandi singulari haud aliud probatur quam animali solerti illum placuisse, non interim ad justitiam spectasse. Quod vero ad animalia illa Aristoteli dicta simul cum hominibus politica at-

[d] Quaest. Nat. lib. 3. cap. 29. [e] Supra cap. 4. [f] Joachim. Camerarius in Appendice ad Philen cap. 10 Ulysses Aldrovandus de Quadrupedibus, lib. 1. [g] Joannes Lupus de Matrimonio, apud Aldrovand. loco citato. Antonius Gubertus [illegible] de Matrimonio, cap. de his qui nuptias, &c. § 151. [h] Hist. Animal. lib. 6. cap. 22. [i] In Oedip. act. 3. [k] Metamorph. 10. [l] Pausan. in Eliac. 2. & P. AErodius Rer. Indicat. lib. 6. tit. 8. cap. 10.

tinet, in quibus praeter apes & grues enumerat etiam vespas & formicas; inditum palam est ab eo id nominis ex eo tantum quod simul seu in commune quid facere solent, nulla omnino juris (quod ipse [m] brutis, uti & peripateticorum schola, plane negat) ratione interim habita. Neque ex eo quod duces habeant animalia illa sequitur obligationem seu officii debitionem aliquam conjunctam esse, citra quam jus de quo loquimur nullibi reperitur. Quale pariter dicendum de fucis ac furibus, qui pabula consumunt, a caeteris enecari, ut aiunt [n], solitis. Neque enim poena ea est violationi juris debita: Sed damno irritati, uti & animalia solent caetera, damnum inferunt. Atque ex homonymia, qualem supra memoravimus, vocabuli legis illud est Virgilii [o] de apibus dictum,

——*magnisque agitant sub legibus aevum.*

Sed demum cur cedo a camelis, apibus, turturibus, ciconiis, elephantis, aliisque aliquot animalibus (etiamsi daretur ipsas horum species, juxta id quod habetur apud scriptores citatos, quaedam semper sive aversari sive facere; quae res tamen saepe admodum est dubia) vitae humanae norma aliqua seu juris naturalis exempla (nam de imitationis quae interdum [p] etiam in sacris literis fiunt monitis non loquor) potius quam a tota brutorum velut republica seu numerosissimis reliquorum gregibus, de quibus nil tale fando auditur, sunt petenda? Aut, quod magis est dicendum, cur ab horum simul omnibus, etiamsi tantundem de omnibus verum esset, cum penes eorum nullum revera liciti ac illiciti seu obligationis, juxta jam dicta, aut vola sit aut vestigium? Neque est omnino cur alterius eorum alicujus speciei actus solitos actibus alterius (atque hos multipliciter diversissimos esse scimus) hac in contemplatione omnino anteponeremus, nedum cur ex individuorum aliquot exemplis obscurissimis, quod faciunt nonnulli, jura aliqua naturalia expiscatum iremus. Certe etiam id ferme perinde est ac si quis e prodigiis ac ostentis rarioribus constantes rerum naturalium causas ac effectus ut physicus edoceret. Manifestum autem est in eo quod supra sequitur, animal quod pauperiem fecerat non omnino in sui poenam, perinde ac si jus aliquod ipsum violasset, sed in aestimationem noxiae ac compensationem damni illati, ac inde domini alias rei liberationem, dedendum. Illud autem Platonis de jumento quod homicidii in causa esset exterminando, poenae, adeoque juris, qua jumentum solum spectat, simulationem tantum in se continet; non aliter atque id quod habet statim post Plato ipse ibidem de rebus inanimatis eandem ob causam exterminandis. Neque scilicet ad haec minus quam ad jumentum jus seu poenam proprie dictam voluit attinere. Neque porcus & mula in decisionibus memoratis poenae, quasi mererentur, nomine morti sunt traditi, sed in rei quod evenerat, veluti homicidii & nefandissimi coitus, summam tantum detestationem, similesque ob rationes eis quae capite superiori de bove aliisque animalibus lege Mosaica lapidandis afferuntur. Quod vero attinet ad Empedoclis ac Pythagoreorum aliorum sententiam de jure ac justitia hominum ac brutorum communi; etiam pueri sciunt id totum ferme metempsychosi [q] niti, seu eo quod est homines & bruta figura tantum distare corporea, animas autem non solum plane similes habere sed & invicem commutare. Id quod si quis credat, etiam jus ipsis naturale pariter commune esse consonum satis est ut is sentiat. Ut vero tandem ad vulgarem illam sententiam, quae in superioris capitis initio ex jurisconsultis Caesareis allatae adeo sequax est, deveniamus; ea sane ab Ulpiani ac Justiniani verbis primo manavit. Quae nempe sunt ipsa dicto capite citata. At vero & alibi contrarium uterque docere videtur. Quid enim est illud [r], *Pauperies est damnum sine injuria facientis datum. Neque enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu* (id est, humana hic ratione) *caret?* Ita scilicet Ulpianus in libro xviii. ad edictum scripserat, tametsi in institutionibus suis [s] jus naturale esse *quod natura omnia animalia docuit* definierit. Atque ex eo pariter utrumque in pandectas & instituta sua transtulit Justinianus. Certe quod injuriam, quia sensu caret, fecisse dici nequit, ut ejus sit jus aliquod proprie dictum, nedum cum hominibus commune, minime capio. Ipse etiam Ulpianus [t], *Injuria ex eo dicta est quod non jure fiat*, quod & reddunt jurisconsulti Graeci [v] κακὸργημα, id est, *maleficium.* Quod igitur male aut turpiter quidquam facere nequit, quamnam id habere cum hominibus juris, obligationis, officii praestandi, debitionis, seu poenae violationi imminentis (sine quibus jus, qua ad homines spectat seu proprie dictum, rite non potest comprehendi) communionem potis est quis excogitare? Adeo ut etiam Ulpianus atque Justinianus, e quorum dictis hujusmodi manavit juris communio, satis eam ipsam, ni fallor, hic pernegent. Eam autem non modo admittunt, sed etiam varie tueri nituntur, jurisconsulti non pauci [x], uti & theologi [y]; sed distinctionibus adhibitis quae ad homonymiam manifestam plane rem abigunt. Alii vero, maxime jurisconsulti aevi recentioris, iique viri perquam insignes, communionem illam prorsus explodunt; quemadmodum olim faciendum monuerat Laurentius Valla [z]. Jurisconsulti ii sunt Albertus Bolognetus [a], Joachimus Mynsingerus [b], Franciscus Connanus [c], Hugo Donellus [d], Jacobus Cujacius [e], Franciscus Hotomannus [f], Hugo Grotius [g], Claudius Salmasius [h], quibus alios adjicere difficile non est. Nam etiam expressim Cujacius, *Jus in bruta non cadit; nam nec injuria cadit:* tametsi aliter sententia ejus interdum citetur. Quin Joannes Corasius jurisconsultus Tholosanus percelebris, postquam vulgi sequax primaevum seu primarium quoddam jus

[m] Polit lib. 1. cap. 2. & Plutarch. in lib. de solertia animalium. [n] Arist. Hist. Animal. l. 9. cap. 40. [o] Georgic. 4. [p] Videsis S. Chrysost. Orat. 12. ad populum Antiochenum. [q] Porphyr. de Abstinent. Animal. lib. 3. & 4. Sext. Empiricus advers. Mathemat. lib. 8. c. περὶ Θεῶν. [r] L. 1. D. Si quadrupes § 3. Instit. tit. eodem. [s] L. 1. D. de Justitia & Jure. [t] L. 1. D. tit. de Injuriis. [v] Theophilus Instit. tit. Si Quadrupes. [x] D. D. ad Instit. tit. de Jure Nat. & ad ff. tit. de Instit. & Jure l. 1. & vide Jacobum Revardum Variorum, lib. 1. cap. 1. Stephanum Forcatulum in Necyomantia dialog. 37. Michaelem Ulcurnum de Regimine Mundi part. 1. q. 3. alios. [y] Vide S. Thom. 1. secundae q. 104. art. 2. & 2. secundae, q. 57. art. 3 & qui ad illum, &c. & videsis Fernand. Rubellum de Obligationibus, part. 1. lib. 1. quaest. 2. § 1. [z] Elegantiarum, lib. 4. cap. 48. [a] De Jure & AEquitate, cap. 5. & 6. & 16. [b] Ad Instit. tit. de Jure Naturali. [c] Comment. de Jure Civili, lib 1. cap. 6. [d] De Jure Civili, l. 1. c. 6. [e] Ad Instit. tit. de Justitia & Jure, & vide eum Epitom. Pandect. l. 1. tit. 1. § 9. [f] Ibid. [g] De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 1. § 11. [h] Lib de Usuris, cap. 9.

naturale hominibus & brutis esse commune in opere de jure civili [i] in artem redigendo fusius statuerat, sententiam suam, cordatius rem perpendens, in juris civilis miscellaneis [k] expressim damnavit Plutonisque familia dignum judicavit, id jus naturale esse tantum quod hominum commune est asserens. Concors est hic Ludovicus Carbo [l] theologus insignis, praeter alios tum theologos tum jurisconsultos qui in ipsa juris naturalis designatione Ebraeorum scitis consona, ut infra ostendimus, tantundem palam affirmant. Sic etiam Hesiodus [m] animalia caetera, praeter homines, quibus jura sunt, ait

Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς,

se mutuo devorare, quoniam jus eis nullum inest. Seu ἐν αὐτοῖς, ut nonnulli legunt, quod idem sonat. Aliis ibi ἐστὶ μετ' αὐτῶν, sed in sensum non dissimilem, substituentibus. Et autor quaestionum & responsorum Justino tributorum [n], Τὸ ἐπὶ φαυλότητι πράξεως διαβάλλειν τὰ ἀλόγων τὰς φύσεις, οὐκ ἐστιν εὔλογον, *Rationi consonum non est, naturam animalium quae ratione carent ob factorum pravitatem reprehendere.* Negat plane turpe & honestum, seu malum ac bonum, circa quae jus proprie dictum versatur, adeoque jus aliquod, caeteris animalibus inesse; quae scilicet, sive ratione careant, sive habeant (nam ea de re contentionis serra hinc inde solet duci) ad jus aliquod observandum, causis jam ostensis, minime aliter atque plantae & corpora inanimata obligantur. Quin demum rectissime designat rem, paucis totam complexus, Hugo Grotius; *Quod si quando*, inquit [o], *brutis animantibus justitia tribuitur, id fit improprie ex quadam in ipsis umbra rationis atque vestigio. An vero actus ipse de quo jus naturae constituit sit nobis communis cum aliis animantibus, ut prolis educatio; an nobis proprius, ut Dei cultus, ad juris ipsam naturam nihil refert.* Et bene sane Isidorus [p], Gratianus [q], alii, jus naturale esse definiunt quod est commune omnium nationum, id est, hominum duntaxat, non omnium animalium. Quod recte quidem dictum si obligationem tantum omnium nationum spectes: an vero, si omnium usum seu consuetudinem solum, in sequentibus discutiendum. Neque interea injiciat hisce scrupulum quis de ratione quam tribuunt cum Galeno [r] nonnulli brutis. Unde & interdum, juxta ejusdem de λόγῳ προφορικῷ & ἐνδιαθέτῳ, seu *ratione quae verbis enunciatur*, atque *ea quae animo concepta interius retinetur*, distinctionem, jus item ἐνδιάθετον seu *interius positum* commune a nonnullis dictum est hominum & brutorum; alterum autem, seu illud quod verbis exprimitur, hominum proprium. Sed vero detur qualemcunque eis inesse rationem, (neque enim ea res hic omnino controvertenda) etiam & sapientiae & disciplinae aliquot particulas ea sortiri, eousque ut etiam, verbi gratia, ex principiis aliquot geometricis ac artificiosa figurarum quarundam aequilaterarum & aequiangularum, veluti trigoni, tetragoni, hexagoni, consideratione, hexagonum, eo quod plures habet angulos, tum capacius esse ratiocinantes (quali hercle ratiocinationi quamplurimorum hominum ingenia satis sunt imparia) statuerint, tum prae caeteris illud sibi in usum delegerint aliqua; quod diserte de apibus fusius quidem asserit Pappus Alexandrinus [s], nec minus ferme de aliis aliorum complurium animantium actibus credit; concedantur, inquam, quotquot vis in animantibus aliis mirando huic exemplo, etiam juxta Pappi mentem, consimilia atque analoga, adeo ut de ratione eorum dubitare desinamus; nihilosecius neque sic omnino reperietur ideo apud ea jus aliquod aut obligatio naturalis; cum ne apud homines quidem ex simplici & nuda, qua ipsos tantum spectat, ratione ejusmodi jus seu obligatio aliqua rite sumpta superinduci queat, ut in sequentibus ostendetur.

CAP. VI.

Cum gentium sive omnium sive complurium opiniones, mores seu constitutiones mensurae apud Ebraeos in eo decernendo quod jus esse velint naturale seu universale locum habeant nullum, aliorum de hujusmodi hac in re mensura sententia consideratur.

QUemadmodum ex aliorum animantium actibus aut usu jus aliquod naturale disci aut designari nolunt Ebraei, ita neque ex aliarum, sive omnium sive plurimarum, gentium usu ac moribus de jure naturali seu hominum universali decerni volunt. Neque inde id omnino petunt, ut jurisconsulti Caesarei [a], & theologi christiani interdum, aliique, quibus jus illud quod hominibus solis apud eos est naturale jus gentium primaevum seu primarium dictum est, atque *id quod naturalis ratio inter omnes homines constituit*, atque *quod apud omnes populos* seu *gentes peraeque custoditur*; est definitum. Juxta illud doctissimi Cujacii [b], *Incestae nuptiae sunt quae natura prohibitae sunt. In L. 8. & L. Sororis D. de ritu nuptiarum, ait (Justinianus) quae moribus, quod idem est, nempe tacito consensu omnium gentium.* Ejusmodi alia sunt apud jurisconsultos occidentis obvia. Quin & jurisconsulti Graeci seu orientis jus hoc ἐθνικὸν *gentile* seu *genticum* vocitant, retento nihilominus interdum ipso *jurisgentium* in locutionibus Graecis nomine; quemadmodum & alia non pauca Latinorum solent retinere. Veteres Basilicorum glossae, Ιερισγεντίοις, νομίμοις ἐθνικοῖς ἤτοι Φυσικοῖς, *Jurisgentiis*, id est, *Juribus gentilibus seu naturalibus.* Certe & ita philosophi. Aristoteles, ubi legem seu jus tribuit [c] in ἴδιον seu *proprium*, id est, populis ac civitatibus singulis civile, & κοινὸν seu *commune*, quod per id quod est κατὰ φύσιν explicat, scilicet *secundum naturam* seu *naturale*, subjicit, Ἔστι γὰρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες,

i Part. 2. cap 3. & 4. k Lib. 6 cap 6. l De Legibus, lib. 5 disp. 5. vide item Paul. Comitolum de Contractu, part. 1. cap. 11. m In Ἐργ. & Ἡμέρ. & de eodem loco videsis Clement. Alex. Strom. α. juxta finem. Plutarch. in lib. de Solertia animalium, Stobaeum Eclog. Physic. lib. 1. cap. 7. n Quaest. 123. consulas etiam Sextum Empiricum adversus Mathematicos, lib. 8. c. περὶ Θεῶν. o De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 1. § 11. p Origin 5. cap 4 q Dist. 1. c. 7. r In Protreptico. s Mathematic. Collect lib. 5. in praefat. a Caius, l. 9 ff de Justitia & Jure & Justin. Instit. de Jure Nat. §. Jus autem civile. b In Novell. 12. c Rhetoric. lib. 1. cap. 13, & 15.

φύσει

φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ἦ, μηδὲ συνθήκη, Est enim aliquid quod opinantur universi, natura commune jus & injuria, tametsi nullam habeant invicem ipsi communionem, nullave pactio intercedat. Ubi commentarius anonymi Graecus πάντες seu *universi* interpretatur per καὶ οἱ Κελτοὶ, καὶ οἱ Ἕλληνες, καὶ οἱ Σκύθαι, *& Celtae, & Graeci, & Scythae*, scilicet per gentes, quibus, licet nulla communio ex disciplina seu pacto eis intercedat, naturales tamen atque eaedem de capitibus aliquot juris & injuriae conceptiones seu animi anticipationes pariter insunt. Et Alexander Aphrodisiensis, *Si sociales*, inquit [d], *ac communicabiles natura sumus, impossibile autem est durare societatem sine justitia, necesse est jus quoque natura esse. Quod si, quoniam apud alios aliud jus est, propterea negent ipsum esse natura, certe id natura dicent esse quod apud omnes idem est. Et si jus scriptum, quoniam scriptum est, per constitutionem & non natura esse dicent, certe necesse erit ut natura non positione fateantur id quod non in scripto vim habet. Suntque ejusmodi pleraque quae appellare solemus ex ipso affectu leges non scriptas, quae communes omnibus hominibus sunt, nisi sint excaecati. Revereri enim seniores, colere Deum, honorare atque observare parentes & praestantiores viros, sunt jura quaedam non scripta & communia, quae naturaliter apud universos homines retinentur. De his enim neque paciscuntur secum, neque leges sanciunt, sed retinent tanquam statutas & confirmatas ab ipsa natura.* Sic ille, qui plura ibi in eandem habet sententiam. Et Seneca [e]; *Multum dare solemus praesumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri. Tanquam Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta ut non aliquos Deos credat. Cum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium.* Quin etiam Cicero [f], *Omnes esse vim & naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est.* Hujusmodi occurrunt apud veteres aliosque alia non pauca. Jam vero dum de omnibus, quemadmodum apud Aristotelem aliosque, verba fiunt, vocabulum illud bifariam consideratur; aut qua in eo homines omnes, seu species aut gens humana, adeoque totum quid ex individuis constitutum, ita continetur, aut qua populi seu gentes omnes hominumque coetus, sic tantummodo divisi ut in corpora coaluere civilia, eo denotantur. De priori notione commodius dicetur capite proximo, ubi de ratione generatim humana, qua huc spectat, loquimur. Quod ad posteriorem attinet notionem, seu eam qua gentes populorumque corpora intelliguntur; id quidem verum est, argumentum, ut a posteriore, e gentium moratiorum illustriorumque (quas scilicet hisce nominibus unanimes dignamur) moribus, velut e laudatorum virorum suffragiis, non intempestive interdum desumi, maxime cum de juris naturalis, quod scilicet est permissivum, capitibus aliquot disquiritur. Nimirum inde manifestum fit quid ipsae de rebus circa quas mores sui, qua generatim permissi sint aut liciti, versantur, in hanc rem senserint, aut sentire saltem visi fuerint. Nam quicquid jure quocunque homines permitti consenserint, id ut etiam jure naturali, si ejusdem rationem scilicet aliquam haberent, permitti, neque naturam in contrarium obligare, id est, rem non universali naturae, quae sibi constans est, aliquo interdicto restringi, existimaverint, aut existimare simularint, opinor, necesse est. Atque ita qui disputant aut disquirunt, quemadmodum & capite primo ostensum est, aliarum gentium de jure permissivo illo suffragia seu interpretationes in subsidium sibi, nec frustra, subinde colligunt. Caeterum interea, quid gentes eaedem de juris naturalis quod obligativum est capite aliquo, aut de simplici naturalis permissionis ratione ac universali ejus usu statuerint, ne quidem satis conjectari quis inde poterit. Nam tametsi in scholasticis atque umbratilibus aliquot, forsan etiam in forensibus, disputationibus hoc vel illud juris naturalis esse caput apud gentes ejusmodi a disciplinarum praeceptoribus subinde, sed diversimode satis, afferatur; in rebus tamen publice gerendis decidendisque earum quas novimus gens quaelibet aut jure duntaxat sibi civili ac positivo, aut jure gentibus aliis, quibuscum foedera habet, commercia seu bella, ipsisque sive imperativo sive interveniente ac pro seculorum varietate aliter atque aliter se habente, nec naturali, aliter atque hisce veluti vestitur superinductis glumis, utitur. In utroque hoc genere jura quidem naturalia aliqua exerceri non raro forsan concedetur; sed ut civili seu positivo atque imperativo illo ac interveniente adeo immixta & involuta & una (sic dicere liceat) in massa conjuncta, ut haec ab illis secernere ex gentium ipsarum tantum usu seu moribus, earumque ea de re sententiam inde elicere queat mortalium nemo. Nam creberrime videmus tum obligationis tum permissionis formulas civiles ac positivas naturalibus, qualescunque demum illae fuerint, numerosius accedere. Atque spectant huc pariter rationes capite superius tertio adhibitae. Praeterea, gentes seu populi omnes hic tripliciter sumi possunt, uti & solent; aut pro universis simpliciter per orbem terrarum eo nomine distributis; aut pro omnibus eis quarum notitia habita; aut demum pro omnibus duntaxat quae cognitarum sunt moratiores. Certe omnes per orbem terrarum gentes disseminatas nec veterum eorum qui de jure quo omnes utuntur locuti sint, indeque velint jus naturale edisci, quispiam novit. Neque hactenus aut qualesnam aut quot sint fuerintve eae est ab aliquo satis exploratum. Quin licet de numero constare daretur sive juxta Ebraeos [g], qui plerumque tantum LXX & linguas & gentes orbem occupasse volunt; sive juxta patres aliquot christianos [h] aliosque, qui numerum illum rotundum aliquantulum, sed diversimode, auxerunt, sive juxta numeros earum aliter atque aliter se habentes apud Ptolemaeum, Marcianum Heracleotem, AEthicum, id genus alios, sive aliter; id sane ad rem quam tractamus nihil omnino

[d] De anima lib 2. cap. 42. [e] Epist. 117. [f] Tusc. quaest. 1. [g] Misna & Gemara Hierosolymitana ad tit. *Sota*, cap. 7. fol. 21. col. 4 Halach. 5. *Seder Olam Rabba*, cap. 11. R. R. ad Josuae cap. viii. & Deuteron. xxxii. [illegible] [h] S. August. de Civit. Dei lib. 16. cap. 6, & vide Clem. Alexandrin. Strom. α. Epiphanium Haeres. 39, &c.

fecisset,

fecisset, nisi etiam mores earum fuissent simul, idque penitius, explorati: quod factum esse nullibi compertum est. Caeterum neque hactenus, etiam post Indias utrasque atque alias ante aliquot secula incompertas terras Europaeis commercio junctas, omnes orbis terrarum gentes seu populos ne nomine quidem tenus cognoscimus. Quid igitur dicendum de veterum illorum aevo cui Europae areolae incolae & in Asia atque Africa accolae maritimi, iique admodum, prae iis qui nunc a nautis, mercatoribus, legatis adeuntur, pauci tantum cogniti? Adeo ut nemo non videat frustra plane de omnibus qua universae eo nomine revera veniunt hic verba fieri, sive vetera sive recentiora secula spectes. Jam vero si gentium quarum notitia habita est omnium, ut consensus in moribus hic eliciatur, inspiciamus; certe seculis illis priscis gentes fuere in arcto illo numero complures quae juris omnimodi expertes habitae, etiam more plane ferino vixisse dicuntur. Memorat Aristoteles [i] ἔνια ἔθνη τῶν πόρρω βαρβάρων, *nationes quasdam barbarorum procul dissitorum*, qui ἐκ φύσεως ἀλόγιστοι, καὶ μόνον τῇ αἰσθήσει ζῶντες θηριώδεις ἦσαν, *ex natura* seu *a natalibus recto rationis usu carentes, & sensu tantum viventes instar ferarum erant*, seu, ut interpretatur Andronicus Rhodius [k], θηριώδη ἀφροσύνην ἄφρονες ἦσαν, *ferina laborabant amentia.* Quod de Scythis atque id genus aliis capit Aspasius paraphrastes Graecus, & tum de australioribus tum de septentrionalioribus Averroes Arabs. Atque hisce merito adjungas gentes illas non paucas quas memorat alibi idem Aristoteles [l], Πολλὰ δ' ἐστὶ, inquit, τῶν ἐθνῶν ἃ πρὸς τὸ κτείνειν καὶ πρὸς τὴν ἀνθρωποφαγίαν εὐχερῶς ἔχει, καθάπερ τῶν περὶ τὸν Πόντον Ἀχαιοί τε καὶ Ἡνίοχοι· καὶ τῶν ἠπειρωτικῶν ἐθνῶν ἕτερα· τὰ μὲν ὁμοίως τούτοις, τὰ δὲ μᾶλλον, *Multae sunt gentes quibus usitatum est hominum caedes facere, atque ex eorum carnibus cibos capessere, quales sunt in Ponticis gentibus Achaei & Heniochi; deque mediterraneis aliae sunt partim quidem his similes, partim etiam immaniores.* Et Andromacha de Astyanacte praecipitato, apud Senecam [m],

Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha
Commisit? aut quae Caspium tangens mare
Gens juris expers ausa? ——

Ejusmodi sunt alia non pauca, de quibus etiam obiter alibi [n] monuimus. Et de gentibus itidem aliquot & nostri & cujusque quod praeteriit aevi tantundem pluribus dici potest. Neque igitur omnium gentium quarum notitia habita morum ratio ejusmodi hic habenda est, ut inde juris naturalis veluti corpus aliquod sperari possit, cum apud omnes illas ne quidem servari quid quod juris nomen induat (nam de propensionibus illis naturalibus quae brutis etiam communes sunt non loquimur) comperiri omnino queat. Caeterum sumatur gentium cognitarum nomen hic pro eis tantum quas cognovimus legibus usas esse civiliter vitam transigentes, juxta illud Michaelis Pselli [o],

Νόμιμον ἐθνικόν ἐστιν, οὐχὶ τὸ βαρβαρῶδες·
Τὸ γὰρ τοῦ ἔθνους ὄνομα νομικῶς εἰρημένον
Γενῶν συλληπτικόν ἐστι νόμοις ὑποτεταγμένων.

Jus gentium est, non illud quod est barbaricum. Scilicet gentis nomen legitime hic acceptum eas nationes complectitur quae legibus subsunt. Atqui & illud satis scimus a viris gravissimis olim esse observatum, nullum ferme juris universalis seu naturalis, quod juxta receptiores hominum sententias excogitari possit, caput esse quod non ex perversis seculorum ac gentium etiam ejusmodi aliquot, earumque illustrium, non solum moribus sed pariter & legibus latis fuerit violatum. Qua de re consulas Eusebium [p], alios [q], qui depravatos gentium veterum mores sive insectantur sive enumerant. Unde & tradunt Ebraei [r], nec Idumaeos veteres interdictum de homicidio, nec Ismaelitas illud de furto omnino admisisse; ut alia id genus hic praetermittamus obiter apud scriptores occurrentia. Saepius item non tam contemplatione justi & injusti, liciti ac illiciti, seu boni & mali, qua nominibus illis honestum & turpe, quam qua utile ac jucundum atque inutile & injucundum continentur, gentes populosque similes interdum invicem mores non paucos, interdum vero plane contrarios, amplexos esse, etiam in rebus circa quas jus naturale seu hominum commune inprimis versari solet concedi (veluti in consanguineorum coitu, liberis exponendis, caede humana, conjugiis, aliis) eosque parili ratione mutasse, revocasse, ac pro libitu atque caeca & temeraria illa animi dominatrice cupiditate novasse nescit nemo qui Persarum, Assyriorum, AEgyptiorum, Graecorum, Romanorum, aliarum gentium veterum quae celeberrimae fuere, mores atque instituta nunc invicem similia nunc diversissima diligentius introspexerit. Neque aliunde argumentum petendum esse duxit Carneades quo nullum omnino jus esse naturale probare conaretur, aeque atque ex hac utilitatis solius (quo nomine id quod jucundum est simul satis continetur) in jure sanciendo ratione habita. *Ejus disputationis* (ut scribit Lactantius [s]) *summa haec fuit; jura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus saepe mutata; jus autem naturale nullum esse. Omnes & homines & alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri: proinde aut nullam esse justitiam; aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret alienis commodis consulens.* Sic Carneades. Et alii [t] pariter olim eadem ex causa justitiam tantum esse quae iis prodesset qui plurimum possent definierunt. Certe id quod aiebant rationi satis consonum videbitur dum ex gentium moribus tantum ac usu mensura petitur juris, qua universi eo obligamur laxamurve, naturalis. Nec perperam minus aut minus frustra sic rem adgrederetur sive philosophus sive jurisconsultus, quam medicus faceret qui sive sanitati tuendae sive morbis curandis quaenam essent conducibilia edocturus sive e vulgari hominum victu sive e solennibus epularum lautitiis discenda ea praescriberet. Ut illic habetur ratio gustus, luxus, pompae, non pariter sanitatis tutelae aut curationis, quarum

[i] Nicomach. lib. 7. cap. 6. [k] In Paraphras. cap. 9. [l] Politic. 8. cap. 4. [m] In Troade, act. 5. [n] Mari Clauso, lib. 1. cap. 7. [o] In Synopsi legum. [p] Praeparat. Evangelic. lib. 1. cap. 4. & lib. 4. cap. 15, 16, 17. [q] Cardin. Perron. in Calumn. Plat. lib. 4. cap. 3. Francisc. Picus in Exam. Doctrinae Vanit. Gent. lib. 1. cap. 19. [r] Targ. Hierosolymit. ad Deut. xxxiii. 2. [s] Lib. 5. cap. 17. [t] Apud Chalcidium ad Platonis Timaeum.

altera

altera a cibis altera a medicamentis ex natura sui, nec cupedinarii nec coqui arte, congruis speranda est; ita in gentium complurium moribus atque institutis non tam naturalis juris simplicitas quam ipsarum *utilitas*, ut *justi prope mater & aequi*, (quod olim Horatius [v]) spectari est solita. Ac non raro,

——— Sidera terra
Ut distant, & flamma mari, sic utile recto.

ut apud Lucanum [x] Pothinus. Personam item naturae consuetudo saepius induit, atque eousque larva fallit, ut quod ex ea tantum apud gentes introductum obtinet pro naturali ac universali hominum jure subinde sumatur. Unde & consuetudo veteribus dicta [y] est hominum daemon seu genius, etiam & ipsa natura. Et appositissime Aristoteles [z], Καὶ γὰρ τὸ εἰθισμένον ὥσπερ πεφυκὸς ἤδη γίγνεται. Ὅμοιον γὰρ τὸ ἔθος τῇ φύσει· ἐγγὺς γὰρ καὶ τὸ πολλάκις τῷ αἰεί. ἔστι δ᾽ ἡ μὲν φύσις τοῦ αἰεί· τὸ δὲ ἔθος τοῦ πολλάκις, *Etenim id quod consuetum est velut natura est inditum. Nam simulat consuetudo naturam. Vicinum scilicet est id quod saepe fit ei quod semper; & natura quidem ejus est quod semper; consuetudo, ejus quod saepe fit.* Qua de re ipse etiam alibi [a], aliique [b] obiter plura. Et egregium est hanc in rem exemplum illud illustre apud Herodotum [c]. Cum Darius accitos Graecos, qui in ditione sua, percontabatur quanta pecunia vellent defunctis parentibus juxta Indorum aliquot morem vesci, & negabant se ulla pecunia in hoc posse induci, rogavit pariter Indos illos quantum acciperent ut patres defunctos igne juxta Graecorum morem comburerent, nec postea comederent; qui vehementer reclamantes meliora illum ominari jubebant. Abominandum scilicet revera morem illum non retinere, velut naturae seu officio nunquam non servando adversissimum esse judicabant. Et in primis hic obtinet illud Taciti [d] de Vonone Phrahatis filio in regnum Parthorum a Tiberio Roma, cujus mores imbiberat, misso; *Prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia; &, quia ipsorum majoribus aliena, perinde odium pravis & honestis.* Quin & Maximus Tyrius [e], Νόμος καὶ δίκη ἄνω καὶ κάτω φέρεται διασπώμενα καὶ σπαραττόμενα. Μὴ γὰρ ὅτι γένος γένει ὁμολογεῖ ἐν τούτοις, ἀλλ᾽ οὐδὲ πόλις πόλει, ἀλλ᾽ οὐδὲ οἶκος οἴκῳ, οὐδὲ ἀνὴρ ἀνδρί, οὐδὲ αὐτὸς αὑτῷ, *Leges & jura pro cujusque placito in partes ita distrahuntur dilacerantur que, ut non modo gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat.* Tantundem alii obiter. At demum gentium omnium earum quas cognovimus moratiorum mores hic in argumenta quibus juris naturalis capita adstruantur, ut expressim volunt nonnulli, indagentur. Certe simulac de moratioribus verba fecerimus, haud pauci mortalium suam, seu aliquam saltem quam sibi sive ex vitae instituto adsciverint sive in literarum studiis fuerint prae caeteris admirati, aut moratissimam caeterisque juris omnimodi nomine praeferendam (qua de re & olim prudenter monuit Herodotus [f]) esse, aut saltem moratioribus connumerandam, pertendet. Atque ita rem non in imparem sane, quoties exinde controversia orta fuerit, recidere difficultatem palam est. Quin Graecos Latinis, hos Graecis, utrisque AEgyptios, Persas, Chaldaeos, AEthiopas, Celtas, Scythas, Judaeis hosce simul aliosque universos barbaros fuisse sciunt pueri. Atque ob incertum, quod in hujusmodi mensura ut diversimode habeatur necesse est, Constantinus Harmenopulus [g] jus gentium nihil aliud esse voluit quam quod distribute habetur, utcunque invicem discrepans, apud gentes qualescunque. Ἐθνικὸς δὲ νόμος, inquit, ἐστὶν ᾧτινι ἔθνος ἓν ἢ ἔθνη χρῶνται τινά· οἷον, τὸ μὴ μίγνυσθαι ταῖς μητράσι, παρὰ Σαύραις καὶ Ἕλλησι· καὶ τὸ ἐναντίον, τὸ μίγνυσθαι ταύταις, παρὰ Πέρσαις; *Jus gentium est, quo gens gentesque utuntur aliquae: ut, non misceri matribus, apud Sauras (Sarmatas* substituit Joannes Mercerus) *& Graecos; contraque, iis misceri, apud Persas.* Quae cum ita se habeant, certe sive gentes seu populos ipsos omnes utpote necdum cognitos consideres, sive mores cognitorum seculorumque mirum in modum circa ea quae juris naturalis dicuntur discrepantes, sive civiles quae accedunt obligationis ac permissionis formulas, sive juris omnimodi apud eorum aliquos violationem, sive utilitatis rationem boni ac honesti considerationi in rebus publice gerendis moribusque introducendis crebro praelatam, sive consuetudinis diuturnae vim naturam in gentium moribus toties simulantem tandem spectes, non imprudenter factum merito forsan dixeris ab Ebraeis dum in juris naturalis designatione omnium seu plurium gentium morum seu institutorum rationem habent nullam. Accedat, jus qualecunque non satis accurate inde peti aut denotari unde autoritas & imperium aliquod, e quo pendent obligatio, permissio, earumque comites juxta superius capite quarto ostensa, satis haberi nequeat. Detur uniformes e seculis priscis fuisse atque etiamnum esse gentium sive omnium sive cognitarum sive moratiorum pariter mores aliquot, veluti in contractibus, successionibus, conjugiis, judiciis, foederibus, commerciis: anne inde juris naturalis seu universalis vim, atque obligationis & permissionis effectum (citra quem frustra de jure aliquo loquimur) sortiri omnino possent ejusmodi mores? In exemplis memoratis mores, ut vides, partim sunt singulatim & domi genti cuilibet usitati, partim universis ut communes interveniunt. Quod ad singulatim & domi cuilibet usitatos attinet; anne gens unica aliqua gentis alterius non subjacens imperio (nam de gentibus plurimis quae sui sunt seorsim invicem juris res est capienda) ideo ad morem ejusmodi aliquem retinendum obstringitur quia ipsa simul sicut caeterae eum tamdiu observavit? Ullamne obligationis exinde nasci posse communionem, cui singulae earum qui observaverint pro libitu suo per caeteras nequeant contraire, fingi potest? Certe non cum meliori ratione quam si quis dixerit Spartanos, verbi gratia, ideo ad retinendum aliquem morem sibi seorsim avitum obligari quoniam nondum placuerit ejusdem aut similis Athenienfibus, Thebanis, Macedonibus, aliis, quibus non omnino subsunt Spartani, abrogatio. Nescit quidem nemo regulam illam [h] juris, *Refertur ad universos quod fit per majorem*

[v] Sermon. 1. Sat. 3. [x] Lib. 8. [y] Al x. Aphrodis. lib. de Fato, cap. 4. [z] Rhetoric. lib 1 cap 11. [a] Metaphysic. 1. cap. 8. [b] Cicero de Inventione, lib. 1, &c. [c] In Thalia & videsis Origenem advers. Celsum l. 5. [d] Annal. 2. [e] Differt. 1. [f] In Thalia. [g] Prochir. lib. 1. t. 1. [h] L. 160. D. tit. de divers. reg. juris.

partem. Quae paſſim fere obtinet in curiae[i] decretis, arbitrorum[k] ſententiis, id genus aliis. Quoties ſcilicet id totum, cujus ea pars eſt, unico ita complicatur ſive imperio ſive pacto ſive conſtitutione ut in corpus unicum civile coaluerit, parteſque ibi habuerit exinde veluti invicem continuas. Quod ſi ex numero tantum, velut quantitate diſcreta, ita conflatur gentium hominumve coetus aliquis ut non omnino in ejuſmodi totum ſeu continuum quid coaluerint, majoris ſane partis in rebus quales jam tractamus ratio habenda eſt ad obligationem ſeu officii debitionem introducendam nulla. Finge homines aliquot ſingulares trium, verbi gratia, gentium (quae pro cunctis in exemplum ſumantur) & perſonas & imperia induiſſe: gentium ſemper intellige ſui plane ita ſigillatim juris ut alterius ditione earum nulla contineatur: Finge, inquam, Titium, Sempronium & Seium, gentium & perſonis & imperiis trium (id eſt, hic omnium) ſic indutis, ſibi ſtatuiſſe ſeu elegiſſe quid ac pariter ſemper obſervaſſe: adeo etiam longaevos fuiſſe ut omnes praeſcriptionis terminos obſervatio illa excederet. Ut ſcilicet gentes univerſas eorumque mores qualeſcunque ſic velut in tabella unico complectaris intuitu. An major trium illorum pars in cauſa hic eſſe quibat quo minus tertius pro libitu ſuo id quod a ſe ſibi ita ſtatutum eſt atque obſervatum, rite non poſſet abolere ac rejicere? Parilis omnium obſervatio citra obligationem aliquam ſingulis ſuperiorem qua pariter coerceantur omnes, utcunque diutina, efficere plane nequit ut non contrarium aeque ſingulis ſibi (ſi nil aliud obſtet) ſtatuere atque obſervare liceat. Simili modo dicendum de moribus gentibus quotcunque communibus ſeu intervenientibus. Si alia obligationis cauſa non reperiatur praeter ipſarum obſervationem mutuam ſeu conſtitutionem, quid vetat quo minus ex conſenſu in diverſam ſive obſervationem ſive conſtitutionem inito jus qualecunque illud priſtinum interveniens eſſe deſinat. Quemadmodum clarigationis ſeu repreſaliarum, belli denunciandi, alia juris fecialis ac bellici capita gentibus quas novimus intervenientia mutata pro ſeculorum varietate ſcimus. Et quod paucioribus gentibus qualibuſcunque poſt conſenſum in obſervationem diutinum abolere ſeu mutare licet, id omnibus, ſi itidem velint, licere, modo ſuperior non habeatur quae vetet obligatio, quis poſſit dubitare? Neque igitur e plurimarum neque ex omnium, tametſi mores earum exploratos haberemus, gentium uſu aut obſervatione jus illud naturale atque univerſale, maxime quod ſibi perpetuo conſtans eſt & nunquam non obligat, petendum eſt. Nec ſane de illo quod naturaliter permiſſivum eſt, aliter atque ſuffragia velut interpretationum in capitibus hujus aliquot excutiendis e gentium moribus ſubinde ſuppeditantur, ut ſuperius diximus, eſt decernendum. Quin & alia capite proximo dicenda huc pariter ſpectabunt.

CAP. VII.

De rationis humanae in jure naturali diſquirendo uſu, quo ſolo neque hic ſubnituntur Ebraei. Ex rationis ſolo & ſimpliciter ſumpto uſu, tum quia adeo incertus eſt & ſibi inconſtans, tum quia ſine ſuperiori cui ſubſit imperio obligationem non inducit, non rite ſatis ediſci jura naturalia.

QUOD ad naturalem rationem ſeu rectum ejuſdem apud homines uſum ejuſque dictamen attinet (nam de eo juxta inſtitutum proxime videndum) paſſim legimus, communes innaſci hominibus notitias atque anticipationes quibus nemini non intus conſtituitur, bonum amplexandum appetendumque, malum fugiendum, honeſte vivendum; atque ex ejuſmodi notitiis ſeu principiis practici intellectus theoremata ſeu concluſiones fieri, mente non depravata ex vi ſibi congenita ratiocinante, ipſis principiis non incertiores. Adeoque jus naturale cum Ariſtotele[a] ſaepe definitur id eſſe quod πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή, *ubique eandem vim obtinet, & non quia ita videtur vel minime*, id eſt, quod non ex incerto ac vario apud gentes opinionum uſu, aut ex re pro civili bono diverſimode nata (quale non raro eſt jus poſitivum, quod νομικὸν ſeu *legale* vocat ille) ſed ex conſtanti eorum judicio qui recta ratione ſanaque utuntur, perpetuo ſibi ſimile pendet. Nam pro eo quod eſt ibi πανταχοῦ *ubique* ſubſtituit praeſtantiſſimus paraphraſtes Andronicus Rhodius, παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσι, οὐδὲ τοῖς νοσοῦσι τὰς φρένας καὶ διεστραμμένοις, *apud homines qui recte atque ut oportet ſapiunt, non apud eos quibus laborat mens aut perverſa eſt.* Et Michael Epheſius ibi, παρὰ τοῖς πλείστοις καὶ ἀδιαφθόροις καὶ κατὰ φύσιν ἔχουσιν, *apud plurimos, qui tamen perverſi non fuerint, ſed ſecundum naturam ſe habuerint. Nam apud eos* (ſic pergit) *qui ferinum in morem vivunt, prorſuſque excaecatam mentem habent, ac ſolum brutorum voluptatem ſectantur, nullum naturale jus eſt.* Quin etiam Cicero[b], *Eſt*, inquit, *unum jus, quo devincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una. Quae lex eſt recta ratio imperandi atque prohibendi; quam qui ignorat, is eſt injuſtus, ſive eſt illa ſcripta uſpiam ſive nuſquam.* Et paulo poſt, *Nos legem bonam a mala nulla alia niſi naturali norma dividere poſſumus. Nec ſolum jus & injuria a natura dijudicantur, ſed omnino omnia honeſta ac turpia. Nam & communis intelligentia nobis res notas efficit, ea quae in animis noſtris inchoavit ut honeſta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Haec autem in opinione exiſtimare, non in natura poſita, dementis eſt.* Alia ſunt ejuſmodi apud eundem, Platonem, Senecam, Plutarchum, philoſophos alios, uti etiam theologos, & juriſconſultos, qui jura naturalia ex recto rationis uſu indicari ſeu ibi ſedem habere velint: hinc ſcilicet naſci principia qualia practica & prima vocant in ſcholis, atque dein conſectaria, e quibus jus conflatur naturale. Et quemadmodum in Matheſi poſt datam lineam, angulum, planum, circulum, inſequuntur etiam principia quaedam nemini non primo intuitu, qui oſcitanter non intueatur, pro veris agnita, unde

[i] L. 19. D. tit. ad Municipalem.
[k] L. 27. D. de Receptis & qui arbitrium, §. 3.
[a] Ethic. lib. 5. cap. 10.
[b] De legibus lib. 1.

etiam

etiam concluſiones non minus certae inferuntur; ita etiam in ipſis moralis diſquiſitionis ſeu rationis vitae inſtituendae, quam practicam nuncupant, primordiis, poſt data quaedam, veluti tutelam ſui, rerum in vitae commodum uſum, ſexuum conjunctionem, ſpeciei propagationem, & quae caetera venire ſolent nomine boni ac honeſti (quod primarium eſt hic objectum, ut in philoſophia prima ens) naturaliter oriri volunt ex ipſa recta ratione praecepta aliquot interdictaque in univerſum obligantia, quibus bonum illud ac honeſtum conſervetur, praepediaturque contrarium. Unde in rerum adaequatione quadam ſeu invicem commenſuratione, quae diligenti rationis, ut ſolius κριτηρίου ſeu *judicandi inſtrumenti*, opera eruatur, naturale ſeu univerſale jus conſiſtere dici ſolet tum theologis tum juriſconſultis. S. Thomas [c], *Sic ſe habent praecepta legis naturalis in homine quantum ad operabilia, ſicut ſe habent prima principia in demonſtrativis.* Alii tantundem non raro. Atque huc ſpectat illud Alberti Bologneti juriſconſulti non incelebris, quod vicem aliorum quae adduci facile poſſent e juriſconſultis theologiſque ſimilium ſortiri hic voluimus. *Generatim*, inquit [d], *concludimus, naturam, ut aliis omnibus ſemper in rebus, ita in hoc maxime providam, pleniſſime illa omnia nobis ſuggeſſiſſe quibus ad vitam juſte, pie & honeſte degendam optime inſtrui poſſimus. Quae ut perfecte ac diſtincte a nobis cognoſcantur, ſciendum eſt bipartitam eorum rationem eſſe. Quaedam enim ſunt quae natura neque prohibentur neque imperantur, ſed libero ipſorum hominum arbitrio permittuntur, ita ut poſſint homines libere decernere quae pro locis & temporibus ſibi magis expedire judicaverint. Quaedam vero ſunt quae determinate, ut ita dicam, natura imperantur vel prohibentur, ita ut ejus imperii vel prohibitionis mutandae nulla hominibus facultas conceſſa ſit. In illis quidem primis maxime inſpicitur utilitas, in his vero honeſtas ac juſtitia ſola attenditur: ſolaque haec poſtrema ſunt quae ipſi naturae praecipuo quodam jure tribui poſſint.* Sic ille; idque ad vulgi ſcriptorum mentem, qui ex recto rationis uſu fines illos, quos ultra citraque naturaliter nequit conſiſtere rectum, reperiri ediſcique dictare ſolent. Juxta & illud Euripidis [e]; *Vir bonus*, inquit,

Οἶδε τό γ' αἰσχρὸν, κανόνι τοῦ καλοῦ μαθὼν,

Novit id quod turpe eſt, malum, ſeu prorſus fugiendum, ex canone, regula ſeu norma illa qua bonum honeſtumque deſignatur edoctus. Quam regulam ſeu normam in ratione humana ſeu ex ejuſdem dictamine haberi paſſim inculcatur. Caeterum neque hoc modo ſimpliciter ſumpto de jure naturali ſeu univerſali ſtatuunt aut diſquirunt Ebraei. Qua de re paucis videbimus. Id quidem fatendum eſt, ex gentium complurium, quas pro moratioribus atque illuſtrioribus habemus, ſcitis ac rationibus, juxta ea quae capite proxime ſuperiori diſputata ſunt, ſuffragia ceu interpretationes in diſceptationibus de jure naturali permiſſivo rite ſatis interdum adhiberi: quin & tam in juris obligativi quam permiſſivi diſquiſitione ſubſidium cuique ingens (ſicut & in rerum omnium aliarum aeſtimatione) ex multiplici tum ſui tum aliorum rationis uſu, id eſt e perquam variis atque invicem diſſidentibus hominum ſententiis, juxta capite primo oſtenſa, praeſtari: Ut ferme complurium virginum pulcherrimarum, quas ſeligendi poteſtatem Zeuxi publico conſilio dederant Crotoniatae, formae invicem ſatis diſſimiles, id ei praeſtiterunt unde unicam Helenae [f], quae ei magno pretio ab illis conducto depingenda erat, faciem velut excerperet. Ut vero rite hac de re diſpiciamus, ratio ejuſque uſus dupliciter ſumitur; aut qua per ſe ſimplex eſt nuduſque, nec alicujus humana natura ſuperioris ſive indicationem ſive autoritatem reſpicit, aut qua autoritatem ejuſmodi ſeu indicationem boni malique officiorumque debitionis terminos deſignantem agnoſcit. De modo ſecundo agitur capite ſequenti. Caeterum de ratione in criterium primo modo adhibita animadvertendum eſt non modo non adeo certum eſſe aut ſibi conſtantem ac ſimilem apud homines ejuſdem in hiſce diſcernendis uſum ut quid ex eo melius aut optatius ſit ſemper ſatis liqueat, verum etiam nec inde ſolum, licet certiſſimus eſſet ſibique ſimillimus & conſtantiſſimus, erui ſic poſſe obligationis atque permiſſionis (quod hic caput eſt) legitimae cauſam. Quod ad incertum atque inconſtantiam, qua laboravit ſemper liber nudae rationis ille in hiſce uſus, ſpectat; ut vulgus hominum, cui diligentior rationis uſus qualiſcunque eſſe ſolet ſatis alienus, praetermittam, nemo humanior neſcit de bono & malo eorumque finibus numeroſiſſimas fuiſſe olim etiam rectae rationis profeſſorum ſeu antiſtitum, id eſt, philoſophorum, diſceptationes, ſed mirum in modum invicem diſcrepantes. Neque erat qui tantas potuit componere lites. Sectae erant perquam multiplices, & tam foecunda dogmatum ſeges, ut philoſophia, quae accuratiſſima, pro diſquirentium viribus ac ingenio, ratione nitebatur, ad CCLXXXVIII ſectas, non quae jam eſſent, ſed quae eſſe poſſent, adhibitis quibuſdam differentiis, facillime perveniret; quod obſervavit olim togatorum doctiſſimus Varro [g]. Et philoſophiam ipſam de veteribus illis adeo, dum ſuis ſinguli rationibus veluti veris & cogentibus ſubnixi eam ſibi ſolum ceſſiſſe oſtentabant, diſſidentibus conquerentem eleganter inducit Boetius; *Epicureum*, inquit [h], *vulgus ac Stoicum caeterique me reclamantem renitentemque velut in partem praedae trahebant, & veſtem quam meis texueram manibus diſciderunt, abreptiſque ab ea panniculis totam me ſibi ceſſiſſe credentes abiere. In quibus quoniam quaedam noſtri habitus veſtigia videbantur, meos eſſe familiares imprudentia rata, nonnullos eorum profanae multitudinis errore pervertit.* Ita qui ex profeſſo principia bene vivendi univerſalia quaeſierunt, in diverſiſſimas abire ſententias, ſuas ſinguli optimas judicantes; aliorum fere ſive damnantes ſive reprehendentes. Quid quod nonnullis etiam majorum gentium philoſophis adeo ſingularis hic erat ratio, ejuſque uſus ac dictamen (nam de pravitate locus hic non eſt dicendi) ut quaedam certe raro apud ho-

[c] 1 ſecundae, quaeſt. 94. art. 2. ubi videſis plura. & in 5. Ethicorum lect. 12. Adde Scot. in Sent. 3. diſt. 37. quaeſt un ca.
[d] De lege, jure & aequitate. cap. 18. §.6.
[e] In Hecuba.
[f] Cicero de Inventione, lib. 2.
[g] Apud D. Auguſtinum lib. 19. de Civitate Dei, cap. 1. Adde Clementem Strom. 6. Epiphanium (de ſectis) in comp. de fide Catholica, praeter Laërtium, &c.
[h] De Conſolat. 1. proſ. 3.

mines

mines non pro juri naturali plane adversis habita omnino ex eodem jure permissa ac probata esse auderent asserere. Sic Zenoni & Chrysippo, quemadmodum etiam Persarum Magis, μητρομιξία seu *concubitus maternus* atque etiam filiae, uti & masculi, licitus [i] habebatur; ut Theodoro philosopho [k] furtum, sacrilegium, adulterium. Quae tamen Ulpiano [l] jurisconsulto, qui nec christianus, aliisque paganis natura turpia expressim esse dicuntur, Theodorus etiam & Diagoras Melius aliique satis celebres, nullos Deos asseverando, timorem omnem quo humanitas regitur venerationemque penitus [m] sustulerunt. Hisce adjice Platonis, philosophorum cunctorum divinissimi, uxorum communionem [n], coitum ferme promiscuum, aliorum [o] rerum universarum perpetuam velut ex lege imperante communionem. Accedant Archelai [p] item, Aristippi [q], Carneadis [r] placita, quibus nihil omnino ex natura justum admittitur, sed omnia quae illa induunt nomina ex legibus scriptis hominumque arbitrio aut utilitate pendent. Alii etiam tantundem [s] acriter propugnarunt. Quin & id genus innumera alia, pro diversissima disquirentium ac docentium ratione, in veterum scriptis occurrunt. Personat quidem ubique, Ὁ νόμος ἐστὶν λόγος ὁ ὀρθός, *lex*, maxime naturalis, *est recta ratio*; in quod unanimes satis consentiunt etiam qui de recta ratione immane quantum, sicut de gustu solemus, interim dissident. Perinde ac si de mensura nomine quidem tenus, veluti pedis ulnaeve, satis essent concordes, de utriusque interea quantitate mire discrepantes. Et sane ubi verbis etiam expressissimis pro firmamentis quibus innitantur homines, praecepta atque interdicta sive a numine sive a principibus sive ab aliis qui rebus praesunt conscripta habentur, in horas inibi etiam videmus, non sine ingenti rationis, tametsi habeat ea ibi palam quo subnitatur dirigaturque, usus discrimine, in alias atque alias, imo creberrime in contrarias, discedere sententias interpretes, utcunque pollentes admodum ingenio. Summa est quod habet Plato [t]; Soc. *Cum quis argenti aut ferri nomen protulerit, nonne universi idem intelligimus?* Phaed. *Id verum quidem est.* Soc. Τί δ' ὅταν δικαίου ἢ ἀγαθοῦ; οὐκ ἄλλος ἄλλῃ φέρεται, καὶ ἀμφισβητοῦμεν ἀλλήλοις τε καὶ ἡμῖν αὐτοῖς; *Quid vero, cum justi aut boni nomen usurpaverit, nonne alius alio fertur, & tum inter se ipsi & a nobismetipsis dissentimus?* Alii etiam omnia ita in dubio posuere ut assensum perpetuo retinerent, veluti Pyrrhonii, Sceptici, id genus alii, qui stateris rationes (ut de eis Lucianus [v]) trutinantes, indeque ponderis aequalis esse comperientes, veritatem nullibi haberi existimarunt; sectis suis scilicet adeo addicti ut nec communibus, quae sic dicuntur, notionibus, cum aliis crederent. Cautius igitur utendum est, nec temere innitendum liberrimo ac simplici solum rationis disquirentis usu, qui adeo multiformis, atque etiam ita in incerto passim est positus, ut quod alteri maxime, in hac potissimum indagine, sive pro principio evidentissimo sive pro conclusione principio non impari habitum est, id alteri, nec imparis ingenii, plane rejiciendum ac falsissimum, aut pro vero saltem non admittendum, non raro visum fuerit. Nam sic crebro evenisse apud illos disciplinae heroas qui de boni ac mali, turpis & honesti natura, libero nec aliunde coercito rationis usu disceptarunt, nescit nemo eorum scriptis paulo versatior. Unde est quod de gentium philosophia Tertullianus, id est de rationis quae rectae nomine ostentari passim solebat usu, *Nihil divinae*, inquit [x]; *licentiae servat, leges naturae opiniones suas facit*, quibus si scholarum ac sectarum species varietatem, nec incertiores nec invicem magis adversas ulla in re comperies. Quod vero ad obligationem hic attinet, quae velut juris est anima; homines, in rem quae prae manibus est, considerari possunt aut quatenus ipsi universi aequales natura, citra scilicet imperiorum ac rerumpublicarum constitutionem, philosophis [y] ac jurisconsultis [z] habiti sunt, aut quatenus in unicam coaluisse societatem civilem seu civile ex pacto imperium unicum universi possint fingi. Etenim qua in plures gentes seu imperia distribuuntur, capite considerantur proxime superiori. Quatenus homines universi aequales natura quomodocunque habiti sunt, seu ut singuli tantum considerantur; concedatur, si placet, non solum philosophos sed etiam homines universos ita solo ac simplici, qualem diximus, rationis usu in honesti & turpis definitionem aliquam rerumque singularium quae sub eis nominibus veniunt designationem consensisse, eamque plane naturalem esse opinatos, adeo ut nec sententiarum discrimen restaret ullum. Scilicet ut hoc rectius intelligatur, fingamus cum veteribus aliquot [a], tempus quoddam fuisse cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam sed pleraque viribus corporis administrabant. Atque ferinam hanc vivendi libertatem diligentiori rationis tandem usu, eoque simplici nec superioris autoritatem omnino respiciente, sigillatim ductos fingatur eos exuisse, ac unanimes, nec tamen ab aequalitate recedentes, vitae secundum juris qualiacunque, naturalis nomine, capita formulae in posterum retinendae nomina dedisse. At quid cedo hoc simpliciter ita sumptum ad naturalis obligationis seu officii debitionis non violandae atque permissionis sive causam sive effectum proprie, juxta capite quarto ostensa, dictum? aut ad naturalem liciti atque illiciti disterminationem? Quale de constitutione atque observatione gentium sui seorsim plane singularum juris invicemque aequalium capite dicitur superiori, tale etiam hic de philosophica observatione seu scholastica, utcunque universali, ex nudo rationis liberae, sine expressissima praeeunte autoritate, usu nata est pariter dicendum. Quin ratio, quatenus talis solum & simplex, suadet & demonstrat, non jubet,

[i] Sixtus Empiricus Pyrrhon. Hypotypos. lib. 3. cap. 24. & 25. & advers. Mathemat. lib. 10. Epiphanius in Comp. de Fide Catholica. [k] Diogenes Laert. in vita Aristippi. Hesychius illustrius in Theodoro, Epiphanius in Comp. de Fide Catholica [l] L. 42. D. de divers. Reg. Juris. [m] Minutius Felix in Octavio [n] De Republica, lib. 5. [o] Epiphanes Alexandr. apud Clement. Strom. γ. alii. [p] Laert in vita ejus. [q] Idem in vita ejus. [r] Lactant. citatus capite proxime superiori. [s] Callicles apud Platonem in Gorgia; & Arist. Elench. lib. 1. cap. 12. & vide Platonem de Republica, lib. 2. ubi de Gygis annulo. [t] in Phaedon. & videsis Galen. de Hippocratis & Platonis placitis, lib. 9. cap. 2 [v] In vitarum auctione. [x] De Anima, cap. 2. [y] Arist. Polit. 3. cap. 12. [z] Ulpian, l. 32. D. de divers. Reg. Juris. [a] Cicero lib. 1. de Inventione, Lucretius lib, 5. Plato de Repub. lib 2.

bet, aut ad officium, nisi superioris eo qui jubetur accedat simul autoritas, obligat. Quod legis datae proprium est. Alterum hominum sic singulorum parisque invicem juris ex alterius solummodo ratione, seu unum aliquem sive ex sua (neque enim imperare sibi neque se prohibere[b] quisquam potest) sive e caeterorum omnium sic obligari aut juberi, ut suam, prout sibi ex arbitrio videbitur, ideo duntaxat rationem ac sententiam etiam in contrariam postea mutare nequeat, ne admitti quidem potest magis atque caeteros universos ex ipsius unici sic obligari. Nam undenam obligationis causae reperitur disparitas, ubi universi, ut diximus, habentur pariter sui juris & aequales, nec in civile aliquod corpus sociati? At vero universos illos etiam, id est totam gentem humanam, in civile corpus fingatur coaluisse, ac de aliqua non solum vivendi sed etiam imperii formula consensisse, adeo ut jam inter eos principes subditis praeessent, poenae insuper jus, quod sic ex nuda natum eis est ratione, violantibus praescriberetur. Certe nisi superior etiam & hic accedat autoritas, atque jus ratione qualicunque singulorum superius, quo fides sic inita servanda, quo principibus parendum, quo pactis standum, quo demum universi simul, ut vinculo singulorum arbitrio ac vaga ratione pollentiori, constringantur, qui fieri potest ut naturalis aliqua, aut quae a singulis pro libitu & variante ratione naturaliter solvi nequeat, obligatio refragetur quo minus a fide, imperio, pactis, poenarum praescriptione, omnibus tandem in quae sic consenserint, libere quisque & pro arbitrio recedere queat? Qua scilicet turpe & honestum, licitum atque illicitum, officii debitionem & jus, non per homonymiam, ut assolet, utile & inutile aut vim obligatio spectat; quod semper hic advertendum. Ut enim paris in parem imperium esse nequit, ita nec qui pares fuerint, ii ex jure aliquo sibi inter se praescripto, officiique debitionis inde solum nomine, adeo impares fieri possunt, ut cuilibet nihilominus eorum non sit societati quam inivit, jurique in quod consensit, par renuntiandi semper libertas, nisi velut ab externo seu aliunde quam a se ipsis accedat simul quod pacta, conventa, deditiones, jus illud & officium, & quae caetera sunt quibus societates humanae, respublicae atque imperia nasci conservarique solent, obligando, cum imperio firmet. Incoibiles plane alioquin sunt invicem homines, dum jus tantum & obligationem communem ut hic spectamus. Quin & in quicquid simul omnes etiam se obligari quacunque ratione velint, eo pariter & omnes se solvere rite posse nemo non videt, nisi etiam superior aliqua homine autoritas ipsos ita velit manere obligatos. Rem se aliter habere, sive de hominibus singulis sui pariter ac seorsim juris sive de eis in corpus civile sociatis loquamur, ne facilius quidem potest excogitari, quam duabus lineis rectis, sine alia quae utramque pariter terminet, spatium qualecunque comprehendi, aut extrema invicem continua fieri sine medio quo conjungantur, aut demum numeros qui pares sunt sine unitatis aut imparis velut ab externo adjectione crescere posse in impares. Unde etiam evenit ut in paganorum disciplina veteri nec diis ipsis obligatio aliqua ad pactum promissumve servandum, qualem scilicet rite fatis violare nequirent ipsi, superinduceretur, nisi palude stygia, superioris in hanc rem numinis nomine, invocata[c];

Dii cujus jurare timent & fallere numen.

Ambrosiae item & nectaris Deorumque consortii interdictio temporalis pro poena violationi imminebat. Ne quidem inter Deos supremos obligationem invicem admittere quibant citra numinis ipsis supremis superioris fictionem. Qualisnam autem revera fuerit atque undenam petenda juris naturalis obligatio, quae etiam jura omnimoda humana quae positiva sunt consequenter firmet, capite sequenti ostendetur, ubi quae huc itidem attinent alia habentur.

CAP. VIII.

Ex naturae parentis seu numinis sanctissimi imperio atque indicatione orta hominibus esse jura naturalia seu universalia, cum philosophis aliquot, patribus christianis, & jurisconsultis etiam nonnullis Caesareis, statuere Ebraeos. Et de obligationis inde ac permissionis ortu ac effectu.

PLane igitur rejecto, in disquisitione de jure naturali ineunda, animalium aliorum usu; nec aut gentium quantumvis usitatissimis moribus, aut sola, ut dictum est, ratione humana, eorumque opinionibus & consensu ex ratione ejusmodi per se nuda ac simplici, pro amussi seu mensura rite hic judicandi definiendique admissis; restat ut de quarto illo modo quo jura naturae indagantur, & designari velut a causa efficiente solent, videamus, id est, de naturae parentis seu numinis sanctissimi imperio, autoritate atque indicatione. Nimirum docent tum philosophi magni tum patres christiani, quemadmodum etiam jurisconsulti nonnulli expressim, Deum, ut naturae parentem universique rectorem, hominum animis insevisse, indicasse, imperasse alia quaedam, sigillatim etiam designata, boni & honesti nomine observanda, alia similiter nomine mali ac turpis perpetuo fugienda, atque inde conflari jus naturale, seu ejusdem velut in unum corpus partes coalescere singulares: Atque ex hisce solum (qualiscunque interea pullulaverit e nudo rationis humanae usu ac operatione, absque admissa ejusmodi insitione, indicatione atque imperio, sententiarum seu opinionum seges) obligationem eam quae naturalis est, uti & permissionem, pendere: Adeo ut alia eousque turpia esse, alia eousque bona & honesta illinc designentur, ut ex imperio naturae parentis ejusque autoritate, qua universi obligamur, sic nunquam esse desinant; atque insuper poena consequatur violationem ejus quod ita ex imperato observari debeat, uti & observationem praemium. Quod ad phi-

[b] L. 51. D. tit. de Receptis qui arbitrium.

[c] Hesiod. in Theogon. Homer. Odyss. 5. Virgil. AEneid. 6.

losophos attinet; *Hanc video*, inquit Cicero [d], *sapientissimorum fuisse sententiam, legem* (de naturali plane loquitur, e qua caeteras, quocunque designentur nomine, pendere cunctas, nec immerito, voluit; qua de re etiam plura mox) *neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei.* Et paulo post, *Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiae Tricipitini filiae attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad recte faciendum impellens & a delicto avocans, quae non tum denique incipit lex esse cum scripta est, sed tum cum orta est. Orta autem est simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad jubendum & ad vetandum ratio est recta summi Jovis.* Idemque alibi [e], *Est quidem vera lex, recta ratio naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat; quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec propagari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet: neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alius. Non erat alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit, unusque erit communis quasi magister & imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur. Hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi caetera supplicia quae putantur effugerit.* Et Hesiodus [f],

Τὸν γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων,

Legem hominibus constituit Jupiter, seu naturae rector. Et *secundum Deum vivere* & *Deum sequi* idem non raro habetur cum eo quod est *vivere secundum naturam*, etiam & *secundum rationem*, apud Ciceronem, Senecam, Plutarchum, alios. Unde cum Hierocles in egregio illo ad carmina Pythagorica commentario de eo quod est rationi parere verba facit, Λόγῳ γὰρ ὀρθῷ, inquit, πείθεσθαι, καὶ Θεῷ, ταυτόν ἐστι. Τὸ γὰρ λογικὸν γένος εὐμοιρῆσαν τῆς οἰκείας ἐλλάμψεως ταῦτα βούλεται ἃ ὁ θεῖος ὁρίζει νόμος· καὶ γίνεται σύμψηφος Θεῷ ἡ κατὰ Θεὸν διακειμένη ψυχή, καὶ πρὸς τὸ θεῖον καὶ τὸ λαμπρὸν ἀποβλέπουσα πράττει ἃ ἂν πράττῃ, *Est vero idem rationi rectae parere atque Deo. Natura enim quae rationis est particeps, illuminationem sibi sortita, ea amplectitur quae praefinivit lex divina. Nec discrepat a Dei sententia animus qui secundum Deum se habeat, sed divinitati atque fulgori* (*a quo illuminatur*) *intentus ea facit quae facit.* Adeo ut Deum ipsum, quatenus indicando rationi imperat seu imperando indicat, ἅτε τῆς μόνης τῶν καλῶν στάθμης, *velut solius bonorum*, seu officii debitionis, adeoque obligationis, *mensurae* seu *amussis*, nomen habere etiam velit. Illinc est quod passim jura naturalia seu omnium hominum communia interdum quidem *communes notitias* sed saepissime τοὺς θείους νόμους *leges divinas* seu a Numine datas appellat. Atque ὁ ὑποδεξάμενος αὐτοὺς λογισμὸς δικαστὴς ἄγρυπνος ἑαυτῷ γίνεται, *leges eas*, seu jus ita indicatum imperatumque, *suscipiens ratio sibi vigilantissimus efficitur judex*; quod itidem ille. Quibus sane verbis id quod ipsi philosophisque etiam e paganis aliis non raro τὸ συνειδὸς in vitae peragendae ratione seu *conscientia* dicitur, optime designatur. Scilicet ex indicatione atque imperio, quale dictum est, conscientia sic velut conjungi numen hominemque cujus rationi sic indicatum imperatumque est, ut revera homo in juris naturalis seu nunquam non observandi capitibus sic indicatis imperatisque discernendis numini sit conscius, uti & consequenter obligationis ex autoritate illa, humana superiore, sibi superinductae poenaeque pro violationis comite praestitutae. Nam conscius hic est ita *cum alio scius*, quemadmodum de vocabulo illo Nonius Illinc est quod apud Homerum θέμιστες seu *jura*, quibus genus humanum carere non debet, non semel [g] Jovi tribuantur ut autori. Et sceptrum Minois apud Homerum οὐδὲν ἄλλο εἶναι dicit Plato [h] ἢ τὴν παιδείαν τοῦ Διός, *nil aliud esse quam doctrinam* seu *disciplinam a Jove acceptam.* Scilicet *arbitria principum, quae principio rerum*, ut ait Justinus [i], *erant pro legibus*, jure illo communi seu naturali, quo violari noluit Jupiter, coercebantur. Ex hac causa itidem Demostheni jus generatim, id est omnimodi juris apud homines positivi fundamen proximum, seu jus naturale, dicitur [k] εὕρημα καὶ δῶρον Θεοῦ, *inventum & donum Dei*, & Dioni Chrysostomo [l] Διὸς θεσμὸς *Jovis sancitum.* Et Euripidi jura hominum communia νόμιμα Θεῶν [m] *jura Deorum*, aliisque id genus nominibus designantur. Id genus occurrunt non pauca apud poetas [n] veteres, aliosque philosophia hac sacra satis plenos. Quin Platonici [o], Νοῦ ἐστιν ὁ νόμος διανομή, *Mentis* seu *Dei est distributio lex* seu *jus.* Atque inde est quod Aristoteles, ubi pauca de eo quod est utrum jus naturale sit mutabile locutus, nonnullis ait [p] mutabile videri quoniam apud alias atque alias gentes variatim se habeat, Τοῦτο δὲ, subjicit, οὐκ ἔστιν οὕτως ἔχον, ἀλλ' ἔστιν ὡς· καίτοι παρά γε τοῖς Θεοῖς ἴσως οὐδαμῶς ἄλλως ἔχον, *Hoc vero non ita se habet, sed quodam modo. Quanquam apud Deos forte nullo modo se aliter atque aliter habet.* Scilicet, tametsi ob depravatos hominum mores ipsa juris naturalis capita, dum observationem ipsaque observationis sive praecepta sive permissiones apud gentes non satis secundum naturam instituta habentes, aliter atque aliter agnosci mutarique videntur, nihilosecius ipsum αὐτοδίκαιον, seu *quod per se atque ex sui natura justum est* [q], ex Deorum praescripto perpetuo manet sibi simile, parilemque semper & parem obligationis vim obtinet: Id est, plane est immutabile. Neque

[d] De Legibus, lib. 2. [e] De Republica, lib. 3. apud Lactantium, lib. 6. cap. 8. [f] In Ἔργ. & videsis Clement. Strom. α. sub finem. [g] Iliad. α & ι & Odyss. λ. [h] In Minoe. [i] Hist. 1. [k] Orat. 1. adversus Aristogitonem. [l] Orat. 80. [m] In Ἱκέτησιν. [n] Videsis Stobaeum Eclog. Physic. lib. 1. cap. 7. [o] Proclus in Theolog. Plat. lib. 5. c. 9. [p] Ethicorum Nicom. 5. cap. 10. [q] Videsis Michaelem Ephesium ad 5. Ethicorum. & Albertum Bolognetum de Lege, Jure & AEquitate, cap. 16. § 16.

aliunde

aliunde eveniſſe fingi poſſe videtur receptam illam, maxime apud Graecos & Romanos, ſententiam de ſcelerum poenis apud inferos dandis. Amphitryo [r] ad Theſeum inde reducem,

———Verane eſt fama, inferis
Tam ſera reddi jura, & oblitos ſui
Sceleris nocentes debitas poenas dare?

Cui ille.

Quod quiſque fecit, patitur: autorem ſcelus
Repetit, ſuoque premitur exemplo nocens.

Ejuſmodi occurrunt infinita, quoties de nefandis & horrendis contra inſtituta ſcilicet naturae ſeu jura communia commiſſis ſceleribus loquuntur. Qua de re etiam plura habes capite ſupra quarto. Putandumne eſt, non tam jus ipſum naturae ſeu commune quod violatum eſt, quam poenam quae ob violationem ſic infligitur, a numine praeſtitui ipſos exiſtimaſſe? Sexcenta ſunt in ſcriptoribus paganis quae huc faciunt: ſed plura adjicere ſuperſedemus. Illud vero non praetereundum, legiſlatores illos celeberrimos ſeculorum priſcorum, Minoem, Solonem, Draconem, Charondam, alios, legibus ſuis autoritatem ſeu obligationem conciliari nequiſſe opinatos eſſe, niſi eas numini alicui acceptas ferrent; quod pueri in hiſtoria ſciunt. Quid vero patres chriſtiani hic ſenſerint ex eorum ſcriptis pariter liquet: fuiſſe nempe, etiam in intervallo illo quod rerum creationem & legis ſcriptae in reipublicae Ebraicae uſum primarium dationem interjacet, jura naturalia atque univerſalia a numine generi humano lata, indicata, imperata, quae poſtmodum inter compluria alia in corpore illo Moſaico locum itidem habuere. Tertullianus de interdicto arboris ſcientiae boni & mali locutus, *In hac lege*, ait [s], *Adae data omnia praecepta condita recognoſcimus, quae poſtea pullulaverunt data per Moſem, id eſt diliges dominum Deum tuum* (ea innuit quae in Moſaico corpore ſcripta etiam pro naturalibus ſeu moralibus, adeoque Moſe ipſo multum vetuſtioribus, vulgo ſumuntur) *de toto corde tuo & ex tota anima tua*; &, *diliges proximum tibi tanquam te*; &, *non occides*, *non moechaberis*, *non fraudaveris*, *falſum teſtimonium non dices*, *honora patrem tuum & matrem*; &, *alienum non concupiſces*. Atque hanc primordialem legem appellans matricem quaſi eſſe ſcribit omnium praeceptorum. Et poſt, *Ante legem Moyſi ſcriptam in tabulis lapideis, legem fuiſſe contendo non ſcriptam, quae naturaliter intelligebatur, & a patribus cuſtodiebatur. Nam unde Noe juſtus inventus, ſi non illum naturalis legis juſtitia praecedebat? Unde Abraham amicus Dei deputatus, ſi non de aequitate & juſtitia legis naturalis?* Quod autem dicit naturaliter eſſe intellectam legem illam; id ante ex ipſo citata oſtendunt ita capi deberi, ut ex imperio parentis naturae ſeu numinis a primis parentibus accepto atque ad poſteros propagato obſervanda intelligatur. Diſerte etiam Origenes [t] naturae legem vocat eam quam generi humano ſancivit Deus. Ad illud item Eſaiae [v], *quia tranſgreſſi ſunt legem, mutaverunt jus, diſſipaverunt foedus ſempiternum*, quod ad alias gentes praeter Judaeos attinet, S. Hieronymus [x], *Audiant*, inquit, *Judaei, qui ſe ſolos legem accepiſſe domini gloriantur, quod univerſae primum gentes totuſque orbis naturalem acceperit legem, ac idcirco poſtea lex data ſit per Moyſem quia prima lex diſſipata eſt.* Quin S. Chryſoſtomus [y], Ἐξ ἀρχῆς πλάττων ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, νόμον αὐτῷ φυσικὸν ἐγκατέθηκε. καὶ τί ποτέ ἐστι νόμος φυσικός; τὸ συνειδὸς ἡμῖν διήρθρωσε καὶ αὐτοδίδακτον ἐποίησε τὴν γνῶσιν τῶν καλῶν καὶ τῶν οὐ τοιούτων, *Ab initio rerum cum formavit hominem Deus, ipſi indidit legem naturalem. Et quid eſt lex naturalis? conſcientia nobis explicavit & ex ſe notam fecit notitiam rerum tum honeſtarum tum earum quae ejuſmodi non ſunt.* Unde etiam adnotat, legiſlatorem, cum interdicta homicidii, adulterii, furti decalogo insereret, eorum cauſam aliquam non omnino adjeciſſe, uti nec aliorum ibi quae a principio ut juris naturalis capita data ſunt, eoque nomine fuere notiſſima; ſed ſimpliciter tantum de eis breviterque ſtatuiſſe. At vero praecepto de ſabbato, quod ex vetuſtis illis eſſe negat, atque particulare fuiſſe & temporaneum aſſerit, cauſam obſervat adjectam ex eo quod ſanctificata eſt ſeptima dies poſt rerum creationem abſolutam. Sic ille, ubi plura habet in hanc rem egregia. Ipſam conſcientiam ejus quod per ſe honeſtum eſt a numine hominibus inditam palam vult. S. item Ambroſius [z]; *Lex vera, ſermo rectus*; *lex vera, non inſculpta tabulis, nec aere inciſa, ſed impreſſa mentibus, atque infixa ſenſibus*; *quando ſapiens non ſub lege, ſed ipſe ſibi lex eſt, opus legis in corde ſuo continens naturali ſibi ſtylo & quadam inſcriptione formatum.* Stylus ille & inſcriptio a naturae parente, qui & mentibus impreſſit & ſenſibus infixit, ut generis humani totiuſque naturae rector & moderator, cujus eſt imperio parendum. Idcirco autem ſermonem rectum proculdubio vocavit, quoniam tum apud philoſophos Graecos, tum apud patres Chriſtianos qui Graece ſcripſerunt, toties legem generaliter, cum eo nomine naturalem ſeu univerſalem, ut ſaepe intelligunt, vocari legerat λόγον τὸν ὀρθόν. Nam λόγον nemo neſcit tam *verbum* & *ſermonem* quam *rationem* denotare. At interea id certiſſimum eſt, cum patres chriſtiani aliquot ſic Graece loquebantur, utcunque vocabula ipſa a philoſophis accepiſſent (& de philoſophorum ſententia qua de nudo, ſimplici ac mere libero, abſque numinis imperio, rationis uſu intelligatur, capite ſatis dictum eſt ſuperiori) ita tamen λόγον eos capi velle ut, quatenus ad legem ſic referebatur, non tam nudam hominis *rationem* ſignificaret quam ipſum verbum, ſeu numen quae perſona eſt trinitatis ſecunda, ſeu juxta illud apud D. Johannem, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *Et Deus erat* ὁ λόγος ſeu *Verbum*, quod & apud veteres & recentiores interdum *Sermo* redditur. De vocabulo ipſo ejuſque homonymia qualem diximus, egerunt pridem viri doctiſſimi [a] non raro. Caeterum dum λόγος ſic ſumitur, interea ab ipſo numine atque ab ejuſce imperio, autoritate & indicatione petitur, nec a ſcitis nuda ratione humana ortis emanaſſe dicitur, lex illa; unde etiam Νόμος καὶ λόγος, *Lex & Verbum* ſimul, numen, a quo jura naturalia edoceri atque cum imperio

[r] Apud Senec. in Herc. Furent. Act. 3. [s] Adverſus Judaeos, cap. 2. [t] Adverſus Celſum, lib. 5. [v] Cap. xxiv. 5. [x] In Iſaiam, lib. 8. [y] In Orat. 12. ad populum Antiochenum. [z] In Pſalm. civ. [a] Praeter obvios in D. Joann. Evangel. cap. 1. commentarios conſulas Chriſtophor. Helvic. de Paraphraſi Chaldaic. cap. 5. Iſaac. Caſaubon. Exercitat. 1. § 1. & Daniel. Heinſ. in Ariſtarcho ſacro, cap. 3. pag. 72.

indicari

indicari volebant, nuncupabatur; quemadmodum in concione D. Petri, ut non semel observatum est a Clemente Alexandrino [b], qui notione jam memorata λόγον cum primis usurpat. Huc maxime spectat illud D. Pauli [c], *Cum gentes, quae legem non habent* (ut Judaei libris scriptam) *naturaliter ea quae legis sunt faciunt; legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* A numine scilicet inscriptum indicatumque. Unde & Patres [d] interdum legem naturalem loqui in cordibus nostris aiunt, & similia. *Et per hanc naturalem legem,* inquit D. Hieronymus, *& Cain cognovit peccatum suum, dicens, major est causa mea quam ut dimittar; & Adam & Eva cognoverunt peccatum suum, & propterea absconditi sunt sub ligno vitae. Pharao quoque, antequam lex daretur per Moysem, stimulatus lege naturae sua crimina confitetur, & dicit, Dominus [e] justus est, ego autem & populus meus impii.* Ideo etiam apud Jobum, cujus historia antiquior plerumque scripto Mosaico habetur, saltem non intra rempublicam Ebraicam seu Mosaicam conscripta, legimus [f], *vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea. A* מצות שפתיו *mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi* אמרי פיו *verba* seu *dictata oris ejus.* Sic *custodia viae Domini* [g] dicitur tempore Abrahae id quod cuique ex officio praestandum erat. Jura naturalia seu universalia ita numinis *vestigia, via, mandata, verba* seu *dictata* sunt. Atque apud theologos item recentiores quamplurima occurrunt quae juris naturalis originem numini tribuunt, ejusque inde solum obligationem petunt. Nempe jus faciunt divinum duplex; alterum naturale, seu humanae naturae coaevum; alterum positivum, seu a numine postmodum adjectum. Secundi generis pleni sunt libri sacri. Primum autem aiunt [h] esse *participationem legis aeternae in rationali creatura,* adeoque divinum. Et ad hanc rem apposite Ludovicus Molina [i]; *Cum natura a Deo O. M. instituta sit, naturaeque legem, qua bonum a malo discernimus, ipse mentibus nostris impresserit, ut vel experientia ipsa constat, colligiturque aperte ex illo Psalmi* iv. Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, *quod sane lumen aliud non est quam vis ipsa intellectus qua ea quae ex se & natura sua bona sunt ab iis quae ex se mala sunt secernimus ac dijudicamus: consequens profecto est ut jus naturale a Deo O. M. sit mentibus nostris inditum, naturisque ipsis rerum impressum, atque adeo ut sit jus divinum a Deo ipso datum.* Et Alphonsus a Castro [k], *Jus naturale est illud quod ex ipsius naturae institutione provenit; & hoc est omnibus commune. Et hoc etiam est jus divinum; quia Deus ipse, qui naturam condidit, est juris naturalis autor & institutor. Si igitur jus illud ad conditorem referas, divinum dicetur; si vero ad tempus sui ortus illud comparare velis, naturale dicetur; quia simul cum ipsa oritur natura, & non postea per aliquam sive humanam sive divinam legem.* Tantundem apud theologos alios non paucos. Quod ad jurisconsultos demum hic attinet; Fernandus Vasquius [l], *Omne jus naturale,* inquit, *est jus divinum, licet ex diverso non omne jus divinum sit naturale, cum in multis sit supernaturale (quale est in cunctis sacramentis ecclesiae) sicque jus divinum & naturale differunt inter se tanquam genus & species.* Et Joachimus Mynsingerus [m], *Jus hominum naturale potest sic recte definiri; jus naturale est quod natura, adeoque Deus ipse, omnes homines in creatione* velut *prima quaedam praecepta & formulas honestatis docuit.* Atque alii [n] causam juris naturalis efficientem Deum recte nuncupant. Similiter in opere illo juris consuetudinarii regni Hungariae a Stephano de Werbewcz contexto, ab jurisconsultis regni celebrioribus recognito atque approbato, & regia autoritate confirmato, jus naturale dicitur [o] *incepisse ab exordio naturalis creaturae, a solo Deo institutum.* Certe diu est quod glossa ad illud, *Jus* [p] *naturale est quod natura omnia animalia docuit,* per naturam Deum voluit intelligi, sicut & recentiorum aliqui [q]; tametsi eo nomine reprehendatur glossa a Bartolo, qui naturam naturatam non naturantem seu Deum ibi denotari velit. Quin & ipsum Deum juris naturalis autorem expressim etiam facere videtur Justinianus, ubi de jure simul civili & naturali locutus, *Palam est autem,* inquit [r], *vetustius esse jus naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit,* quod Theophilus vertit, ὅπερ ἅμα τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων εἰς φῶς ἡ φύσις προήγαγε, *quod simul cum genere humano in lucem eduxit ipsa natura.* Quod id ipsum innuit Gaius, a quo sumpsit Justinianus, ubi ait [s], *Antiquius jus gentium cum ipso genere humano proditum esse. Prodere* hic in lucem emittere seu educere denotat. Et quod genus humanum in lucem emisit simul cum jure naturali, id aliud quid esse praeter rerum omnium parentem rectoremque summum seu numen ne quidem posse satis intelligi existimo. [illegible] illud Justiniani [t], *N*[illegible] *apud omnes gentes peraeque observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent.* Jam vero hanc ipsam amplexi sunt semper sententiam, eamque, dum hac de re decernunt, solam, Ebraei. Unde quoties de juris humani generis pariter communis capitibus loquuntur, dicere eis solenne est, נפטוו בני נח *imperabantur Noachidis* seu Noachi posteris, id est generi humano; &, נצטוה אדם הראשון *Praecepta illa accepit homo primus* seu Adam, a numine scilicet; quae מצות בני נח *praecepta Noachidarum* sexcenties nuncupantur. Qua de re mox. Nimirum a sanctissimo numine

[b] Stromat. [illegible] & in Eclog. [illegible] propheticis. [c] Ad Romanos ii. 14. [d] D. Hieronym. ad Epist. ad Galatas, c. iii. quem & videsis in Epist. 151. Algasiae quaest. 8. [e] Exod. ix. 27. [f] Job xxiii. 11, 12. [g] Genes. xviii. 19. [h] Alexander Alensis, part 3. quaest. 26. art. 4. S. Thom. 1. secundae, q. 19. art. 2. Suarez. de legibus, lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 6. § 13, &c. [i] Tract. 1. de Justitia & Jure disp. 3. [k] De lege poenali. lib. 2. cap. 14. [l] Controvers. Illustr. lib. 1. cap. 29. § 14. [m] Ad Instit. in princ. tit. de jure nat. & ad § sed naturalia. [n] Matth. Wesenbech. Paratit. tit. de Just. & Jur. [o] In Prolog. [p] D. dict. tit. de Just. & Jure, l. 1. §. 3. [q] Fernand. Vasquius Illust. Controvers. lib. 1. cap. 29. § 14. Michael Ulcurnus de regimine mundi, part. 1. quaest. 3. § 1, &c. [r] Instit. tit. de rerum divis. § singulorum. [s] L. 1. D. de adquir. rerum dominio. [t] Instit. de jure nat. §. sed naturalia.

6

in

in ipſis rerum primordiis homini imperata indicataque fuiſſe jura volunt quaedam naturalia, quae ex imperio divino nunquam non obligarunt. Unde pro eo quod eſt in ſacris literis, *Ambulavit cum Deo*, dictum de Henocho [v] & Noacho, qui jure vixerunt naturali, ſubſtituitur in paraphraſi Chaldaica Onkeli, הליך ברחלתא דיי *Ambulavit in timore Domini*, atque in verſionibus tum Saadiae Gaon tum Judaeorum Mauritanienſium Arabicis, *ambulavit* في طاعة الله *in obedientia Dei*. Juſtos ſcilicet fuiſſe utroſque, quod & de Noacho expreſſim dicitur, ſic indicari volunt, quoniam imperantis praecepta ſimul cum ipſa rerum natura orta & per genus humanum propagata obſervabant. Illinc ſcelus erat Caini fratricidium, aliorum adulterium, ejuſmodi alia quae in Pentateucho ante Moſis tempora, ſeu legem tabulis ſcriptam, illicita fuiſſe conſtat. Unde etiam ad illud, *Abraham* [x] *plantavit nemus in Berſabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei aeterni*, paraphraſis Hieroſolymitana adjicit, convivium ibi Abraham celebraſſe, nec convivas locos ſuos reliquiſſe עד זמן דהוה מגייר יתהון ומליף יתהון אורחא דעלמא *donec eos proſelytos feciſſet, & viam ſeculi illos docuiſſet*, id eſt, donec in juris naturalis ex imperio numinis vim obtinentis obſervationis profeſſionem eos reduxiſſet, jus illud hominum ſociale explicatius docendo. Neque enim tunc temporis aliud ſignificare potuit *proſelytos facere*. Alia huc ſpectant in Geneſis atque Exodi libris obvia. Sic tandem admiſſo, juxta philoſophorum, theologorum, juriſconſultorum ſcita, jus naturale ſeu generis humani commune ex imperio ac dictatis numinis ſanctiſſimi pendere, conſectarium habemus manifeſtum de obligatione hactenus in praemiſſis quaeſita. Nimirum jus proprie dictum omnimodum eſt aut divinum aut humanum. Divinum, ſeu ab ipſo numine immediate indicatum, praeſtitutum, imperatumque, aut naturale eſt, quale jam memoravimus, ipſiſque hominum initiis coaevum, aut poſitivum, ſeu recentius, ac poſtea in utroque foedere adjectum. Et utrumque eſt aut obligativum, id eſt ſive affirmatione ſive negatione expreſſa praeſcriptum, aut arbitrio humano permiſſum, adeoque permiſſivum dici ſolitum. Humanum appellamus quicquid ab hominibus quatenus divinum, ſive quod naturale eſt, ſive quod naturali poſtmodum adjectum, permittit, variatim ſuperſtrui addive ſolet. Jam vero de obligatione divini utriuſque generis, rite ſcilicet & juxta modos ac limitationes ejuſdem ad legiſlatoris ſanctiſſimi mentem intellecti, adeoque de naturalis obligatione, nemo dubitabit niſi qui ſimul rectoris univerſi poteſtatem & imperium nequaquam agnoverit. Ipſe enim, ut rerum omnium moderator ſummus, & bonum & malum per ſe indicat, & hoc fugiendum, illud amplexandum imperat, adeoque ex ſui natura & pro libitu obligat, ut nil poſſit excogitari ſupra. Atque illinc plane habetur cauſa efficiens juris obligativi tam quantum naturale eſt quam quantum naturali in ſacris literis adjectum. Unde & jura naturalia ſemper firma & immutabilia permanere, quae ſcilicet divina quadam providentia conſtituta ſunt, recte pronunciavit olim Juſtinianus [y]. Tametſi non deſunt etiam juriſconſulti qui rationem humanam, quae ſimpliciter ſumpta in objectis juris ſuaſoria tantum eſt, nec poteſtatem homine ſuperiorem, quae eſt imperatoria, reſpiciunt; aiunt quidem generatim *Jus naturale eſſe immutabile*, ſed adjiciunt [z], *quamdiu jus remanet, hoc eſt, quamdiu jus illud naturalem habet rationem & aequitatem quibus juſtum dicitur. Veruntamen & mutabile erit quando ſubductis columnis rationis & aequitatis juſtum diſſolvitur*; *quod accidit, quando rationes quae aequum ſtatuebant, aliis ſubortis cauſis novis, incipiunt minui, & ſuperantur alia majori aequitate.* Sic Petrus Gregorius, ſic interdum alii. Quod ſane de juris naturalis obligativi capite aliquo dictum, rationi perquam eſt diſſonum. Nam quatenus ejuſdem juris capita obligant, id eſt quatenus eorum obligatio intelligitur juxta id quod voluit Deus legiſlator, omnimodam plane ſuperant hominum poteſtatem, nec rationis eorum incerto omnino ſubjacent. Quod nemo non videt. Quod vero ad permiſſivum jus naturale attinet, adeoque ad ſanctiones humanas aliter atque aliter in ejuſdem objectis indies ſe habentes, & demum ad obligationem qua ad eas quatenus divinis non adverſantur obſervandas, pro vario rerumpublicarum moderamine, homines obſtringuntur; ſtatus hominum bifariam conſideremus; aut in ſeculis illis quae leges a numine adjectas antevertunt, aut in eis quae ſequuntur. Prioribus illis in ſeculis, cum jus aliud non habebatur praeter naturale, quicquid in obligativo jure naturali non continebatur, id ut ad permiſſivum ſpectaret neceſſe eſt. Permiſſivi autem juris naturalis actus, qua huc ſpectant, duplicis erant generis; aut qui hominum ſingulis arbitrio naturaliter ſeu a numine relicti, humana aliqua conſtitutione, pacto, moribus aliterve ab hominibus coerciti non ſunt; aut qui ſic ex ratione & conſenſu inito coerciti ſunt ac illiciti facti, tametſi tum ſingulis antea pariter liciti eſſent, tum poſtea pro diverſa hominum poteſtate, ratione & conſenſu fieri poſſent rurſus liciti. Prioris generis univerſos palam eſt libere ex ſui natura ac licite exerceri a cunctis potuiſſe. Atque inter hoſce nemo non videt conſtitutiones ferendi, pacta ineundi, mores ac regiminum formulas introducendi, atque haec omnia pro hominum quorum intererat coetuum arbitrio temperandi, reſcindendi, revocandi actus ſimiliter permiſſos. Quod vero ad poſterioris attinet generis; ſimulatque ex ejuſmodi permiſſione quid ab hominibus ſociatis coercitum, vetitum ſeu conſtitutum eſt, ad illud in quod ſic conſenſerant ipſi ſive pacto, ſive deditione, ſive aliter, & quicquid civiliter ita eſt novatum, juxta modos & temperamenta quibus praeſcriptum eſt, obſervandum obligatos eſſe quotquot & quatenus civiliter conſenſerant univerſos, eſſe ſolet in confeſſo. At undenam obligatio iſta? Scilicet a natura parente actus ejuſmodi antea permiſſi ſunt. Atqui obligationem ex ſimplici hominum ratione & conſenſu, abſque ſuperioris imperio, naſci nequire in ante [a] dictis oſtenditur. A numinis igitur, id eſt homine ſuperioris imperio, etiam in hiſce petendus eſt obligationis ortus, adeoque ex capitibus aliquibus juris naturalis obligativi. Nam

[v] Geneſ. v. 22 & vi. 9. [x] Geneſ. xxi. 33. [y] Inſtit. tit. de Jur. nat. § ſed naturalia. [z] Petrus Gregorius Syntagm. Juris univerſi, lib. 11. cap. 1. § 8. [a] Cap. 7.

permissi erant hominibus actus de quibus loquimur tum pro libitu exercere, tum ex consensu mutuo inhibere, suamque, sive pacto invicem pariter inito, sive principibus qui res moderarentur constitutis, minuere libertatem; quod ne quidem satis intelligi posse videtur, dum, ut hic semper jus & officii debitionem spectamus, nisi & adjicias etiam, ex ipsius qui ut homine superior permittit autoritate ac imperio inhibitioni ejusmodi ac libertatis diminutioni obligationem accessisse. Sic obligatio qua obtemperandum est decretis aut senatusconsultis ex permissione decurionibus seu corporis alicujus sociis invicem hactenus paribus a principe indulta latis, ex ipsius principis autoritate ac imperio pendet, qui dum permittit pro eorum libitu decreta legesque tum ferre tum rescindere, aeque etiam in ipsa permissione vult sic latas leges, usque dum ex eadem similiter permissione rescindantur, observari; id est obligationem inducere. Juris autem naturalis obligativi capita, quorum in hanc rem erat tunc usus, fuere, *Pactis ac regiminum formulis civiliter initis standum, fidem servandam*, & quae similiter sonant. Quomodo autem ea in capitibus juris hujus juxta Ebraeos sint reperta, in sequentibus videbimus. Ita pactis & legibus hominum positivis seu civilibus inerat obligatio quidem naturalis, id est plane divina, si causam ejusdem efficientem juxta jam dicta respicimus. Quae tamen etiam civilis recte dicitur, dum ab objecto civili cui accedit denominatur. Resumere hic paululumque ampliare liceat similitudinem illam quam viri aliquot maxime in schola celebres habent capitum juris naturalis obligativi seu principiorum practicorum, & principiorum theorematumque ipsis principiis non minus certorum in demonstrativis, veluti in mathematicis. Ipsa principia ac theoremata ejusmodi in mathematicis perpetuo vera sunt, & studiosi seu artificis assensum etiam extorquent, adeoque quasi obligant. Caeterum quasi etiam permissum est ea construere quae in problematis designari solent. Atqui problematum diagrammatumque juxta ea tandem constructorum veritas & certitudo, quae obligationis perpetuae item satis hic instar est, ex principiis illis ac theorematis nunquam non est demonstranda. Quemadmodum & hic obligatio ad ea attinens quae ex jure permissivo (ante legem divinam aliquam aliam naturali adjectam) ab hominibus constituta sunt, ex principiis & capitibus petenda erant juris naturalis obligativi. Jam vero in seculis quae legem scriptam seu Mosaicam secuta sunt, aliae accesserunt quidem obligationes in utroque foedere repertae. At interea quicquid ex permissione diversimode inter homines civiliter ac rite, juxta varias regiminum formulas, ab ipsis solum sic per modum determinationis [b], ut in scholis loquuntur, constitutum est ut nec naturali nec positivo quod divinum est juri adversetur, id etiam ex ejusdem juris quod tum naturale est tum in numinis positivo seu scripto repetitur capitibus, obligationis, secundum multiplices constitutionis modos ac temperamenta, vim sortitur. Juxta illud apostoli [c]; *Non est potestas nisi a Deo. Et quae potestates sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Sed hac de re consulendi scriptores qui de legum civilium seu humanarum ex permissione quam diximus latarum obligatione, earundemque observandarum ex conscientia debitione, accuratius egerunt; ut praeter eos qui ad dictum locum & ad S. Thomam scripsere, & casus explicant ex professo conscientiae, Franciscus Suarez [d], Ludovicus Carbo [e], Adamus Contzenus [f], Claudius Carninius [g], Azorius [h], id genus alii. Et Carninius expressim, *Nunquam violatur lex humana* (rite lata, & quae revera lex fuerit) *quin simul infringatur illi implicita annexa & involuta lex illa praefata apostolica, naturalis, divina & evangelica.* Scio quidem non deesse viros [i] gravissimos qui legibus inesse interdum civilibus obligationem conscientiae negant, tametsi vim retineant, nec juri naturali seu divino sint omnino adversae. Sed quae hactenus dicta sunt & autores jam citati id, ni fallor, satis refellunt.

CAP. IX.

Quomodo juris naturalis seu universalis capita humano generi ex imperio ac indicatione divina innotescere velint Ebraei. Eorum item, uti & paganorum, atque scholae tum Mahumedanae seu Arabicae tum christianae, de intellectu Agente, qua huc spectet, sententiae receptae.

PRiusquam autem capitum juris naturalis, juxta jam dicta, adeoque juxta sententiam Ebraeorum, a numine praestituti singularium designationem inimus, instituto consonum esse duximus ut de modo quo hominibus jus illud, qualecunque demum fuerit, innotuisse volunt illi videamus. Rerum scilicet initiis coaevum fit. Nec literis mandatum esse aliquod jus ante Mosis tempora omnino reperitur; nisi fabellis de Razielis libro Adae tradito [a], atque id genus aliis, credere velis. Quomodo igitur velint ut generi humano patefacta sint capita illa juris naturalia, seu numinis rerum creationi coaeva placita, (utcunque postmodum sacris literis inter alia mixtim conscripta) indicandum. Solenne est in libris eorum juridicis, quod & supra memoravimus, imperata esse capita haec Noachidis [b] (quo nomine genus humanum universum eis venit) ac imperata esse Adae [c] seu primo parenti. Unde & haec nunquam non volunt obligare. Hoc autem bifariam concipi potest. Aut scilicet intelligere eos ejusdem juris capita tum in ipsis rerum initiis tum in ea quae fuit post diluvium instauratione humano generi ipsa sanctissima numinis voce fuisse imperata, atque ad posteros per traditionem solum inde manasse; aut tum fuisse huma-

[b] S. Thomas 1. secundae q. 95 art. 2, &c. [c] Ad Romanos, cap. xiii. 1. [d] De Legibus, lib. 2. [e] De Legibus, lib. 6 [illegible] 16, [illegible] cap. 1, &c. [f] Politicorum [illegible] 5 [illegible] 8. [g] In Oppugnatione Turris Babel part. 1 cap. 18. & seq. [h] [illegible] Mor. [illegible] 5 cap. 6 & vide Bellarmin. de Romano Pontifice. lib. 4 cap. 20. [i] Vide Navarr. in [illegible] cap. 23 & [illegible] 1 [illegible] 3. [a] Zohar in [illegible] 55. [illegible] Mantuanae. [b] Gemar. Babylon. ad [illegible], c. 7. fol. 56 [illegible] &c. [c] Maimonid. [illegible], cap. 9, &c.

no generi in ipſa creatione praeſtituta, tum animae ſimul cuique rationali facultatem ejuſmodi inditam naturaliter eſſe ut homini cuilibet mentis non depravatae nec male ſe habenti ac diligenter ſatis & rite intuenti, ea quae ſic imperata ſint nec unquam ſint non obſervanda, ſicut & in demonſtrativis principia ac theoremata, indicentur & fiant manifeſta. De modo juxta eos priori, ſi nil aliud obſtet, non obſcure videtur liquere ex ipſo locutionis genere, dum de imperatis ſic verba faciunt. At & alia habent ipſi quae etiam poſteriorem ſimul admittunt. Philoni Judaeo [d] lex naturalis ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθεὶς *ab immortali natura in mente immortali exarata* dicitur. Sed & praecepta naturalia interdum vocant [e] המצות שנתפרסמו בכל אומות *praecepta quae manifeſta ſunt apud omnes gentes*, & מצות שכליות [f] *praecepta intellectiva*. Nimirum ex debita intellectus humani operatione & aſſidua intellectus agentis (qualiſnam is illis ſit, ſtatim oſtendimus) ope & auxilio ea quae ſic imperata ſunt ſeu naturaliter habentur obſervanda, uti & principia caetera omnia & concluſiones circa quas verſatur intellectus humanus, indicari, dignoſci & veluti intus legi (quatenus ſcilicet dignoſcuntur) innuunt. Intellectus autem agens, id eſt שכל הפועל, illis eſt aut numen ipſum, aut, juxta diſciplinam eis recentiorem, intelligentia omnium poſtrema, quam [g] האחרון שבשכלים הנפרדים ſeu *ſeparatarum intelligentiarum poſtremam* nuncupant, & miniſtrum intermedium faciunt qui vi atque autoritate a numine derivata mentem humanam in actu intelligendi illuminet. Sibi autem ipſum numen ſine intermedio eſſe interdum aiunt [h] intellectum hunc agentem, velut ex praerogativa gentis; caeteris, intelligentiam illam quam diximus. Et de utroque pariter capiunt illud [i], *In lumine tuo videbimus lumen*, quod Moſes Maimonides [k] interpretatur אשר ישפע ממך בשפע השכל *per influentiam intelligentiae quae a te influit*. Et R. Aben Tybbon [l] de intellectu agente ſic extra hominem ipſum poſito, מוציא שכל האדם מן הכח אל הפועל והוא התחלת שכלו המתפעל כמו שנצוץ השמש או שאר דברים המאורים יוציאו חוש העין מן הכח אל הפועל: *Efficit ut intellectus humanus e potentia in actum educatur; atque eſt principium intellectus ejus in actum educti, quemadmodum radii ſolares vel aliae res lucidae educunt ſenſum viſus in actum.* Similitudinem quidem hanc radiorum ſolarium & viſus in re intelligendi, etiam ubi intellectus agens ipſius animae pars eſſe admittitur, in ſcholis crebro adhibitam nemo neſcit. At vero Ebraeorum mihi hic ſenſus eſt hujuſmodi. Sive numen ipſum ſive intelligentiam quam vocant poſtremam, ut miniſtrum numinis, non aliter rite intelligendi actum menti humanae ſemper praeſtare quam ſolem ſeu corpus lucidum oculo videndi actum. Atque ut in lumine claro & quemadmodum oportet incidente oculo nullo modo ſe male habenti nec incommode poſito objecta recte ſatis internoſcuntur, quod non fit in tenebris, aut obſcuro lumine, aut oculo aegro aut male ſive ſe habente ſive collocato, ita etiam menti ſeu intellectui humano non depravato ac diligentius intuenti intellectus agentis ope illuminante, imperata illa quae ex naturae parentis inſtituto ſunt obſervanda, uti & caetera etiam intellectus objecta, tam ſcilicet vera ac falſa quam bona & mala, indicari; depravatam autem mentem, etiam & intellectum humanum qualemcunque, citra ejuſmodi opem, in imperatis illis caeteriſque rite diſcernendis plane hallucinari. Nimirum ut oculo a ſole ſeu ex radiis ſolaribus in horologio aliterve horae ad amuſſim demonſtrantur, ita velut in appenſa ob intellectum humanum perpetuo tabula ſeu libro expanſo indicari ei rite diſpoſito (ex intellectus qualem diximus agentis ſubſidio, quo phantaſmata rite intelligibilia fiant) praecepta illa ſeu jura naturalia, ut perpetuo obligantia, quemadmodum etiam caetera quae humano arbitrio permiſſa. Neque vero principia generalia tantum, qualia ſunt, *bonum amplexandum*, *malum fugiendum*, *honeſte vivendum*, ſed & concluſiones & propoſitiones quibus quaenam particularius bona, quaenam mala ex natura ſui, id eſt ex naturae parentis placito ac imperio, habenda fuerint, hoc modo hominibus primis ſeculiſque ſequentibus, juxta jam dicta, indicari atque imperari aſſerunt. Quod ex ſequentibus facile conſtabit. Nec quod ſocietati humanae optime conſervandae conducat praeceptum ullum ita praetermittere ſibi videntur. Atque ita demum ex perpetua indicatione ſimul atque imperio numinis praecepta juris naturalis haberi volunt, non aliter atque objecta viſus a luce indicari, quae tamen caecutientibus, luſciofis, myopibus, aut neutiquam omnino aut male nimis cernuntur. Sane quod habent ſic de intellectu agente, cum nempe non omnino eſſe animae humanae potentiam ſeu partem magis atque ipſe ſol eſt oculi, ſed ſive Numen ipſum ſive miniſtrum numinis (quod hic in idem recidit) ſeparatum, velut angelum ſeu intelligentiam generi humano aſſiſtentem, novum aut ipſis ſingulare non eſſe ſcimus omnes. Nam tum inter paganos atque Mahumedanos tum etiam inter chriſtianos olim tantundem obtinuiſſe comperimus. Certe admodum affine eſt illud Epicharmi [m];

Ὁ δέ γε τ' ἀνθρώπων λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ θείου λόγου,

Ipſaque humana ratio nata eſt ex ratione Dei. Et Seneca [n], *Ratio nihil aliud eſt quam in corpus humanum pars divini ſpiritus merſa.* Antoninus [o] item imperator & philoſophus *vivere cum diis*, ſeu ut hominem oportet, *animam* dicit ποιοῦσαν ὅσα βούλεται ὁ δαίμων, ὃν ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν, ἀπόσπασμα ἑαυτοῦ· οὗτος δέ ἐστιν ὁ ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος, *agentem ea quae genio ſeu daemoni, quem Jupiter in praefectum & ducem unicuique dedit, placeant. Is autem eſt divinae naturae particula, ſcilicet uniuſcujuſque mens & ratio.* Ejuſmodi alia non ita raro occurrunt in paganorum [p] ſcriptis. Sed expreſſius adſtipulantur hic Plato [q], Priſcianus Lydus [r], Alexander Aphrodiſaeus [s], Marinus Neapolitanus [t].

[d] Lib. quod omnis probus liber. [e] Aben Tybbon. in *Ruach Hachen*, cap 6. [f] R. Simeon in Logica, cap 8. [g] Aben Tybbon in *Ruach Hachen*, cap. 3. & videſis R. Jehudam in *Sepher Cozri*, part. 1. c. 87. part 4. cap 25. & 5. cap. 10, 12, & 14. Adde Moſ. Maimonid. in *More Nebochim*, part. 2. cap. 4. [h] R. Iſrael Ben Moſes in diſp. Cabaliſtic. de Anima cap. 7. 21. & 25. & videſis notas Joſephi Voiſin ad cap. 7. [i] Pſalm. xxxvi. 9. [k] *More Nebochim*, part. 2. cap. 4. 6 & 12. & part 3 cap 52. [l] *Ruach Hachen*, cap 3. [m] Apud Clement. Strom. 5. & Euſeb. praepar. Evangelic. lib. 13. cap. 13. [n] Epiſt. 66. & videſis Joann. Sariſburienſ. in Metalogico, lib 4. cap. 16. [o] De vita ſua lib 5 cap. 27. [p] Vide Sextum Empiricum adverſ. Mathematic. lib. 6, &c. [q] De Republica lib 6. [r] Lib. de Phantaſia & Intellectu. [s] De Anima lib. 1. cap. de Intellectu agente, & lib. 2. cap. 15. 20, &c. [t] Apud Joann. Philoponum ad Ariſt. lib. 3. de Anima, cap 5.

Quin

Quin & Aristoteles [v] ipse in partes interdum trahitur. Proxime etiam huic sententiae accedit Themistius [x]. Neque ita diversum innuit ille quisquis fuerit Poemandri Hermeti tributi autor, dum de cratere & praeconio divino loquitur, quo rite accepto adhibitoque homines cognitionis participes fieri ait; sine eo autem plane manere nescios ἐπὶ τί γεγόνασι ϗ ὑπὸ τίνων, *ad quid geniti sint & a quibus.* Consonam Arabum sententiam habemus ex Avicenna [y], Averroe [z], Algazele [a], aliis; qui, tametsi de ipsa intelligentia ejusve gradu, quae intellectus agentis juxta jam dicta hominibus officium praestet, minime satis consentiant, separatum tamen quid ex numinis ordinatione & praescripto id facere uno dictitant ore. Nec formam humanam illud esse, ejusve partem aliquam, sed divinius quid, statuunt. Unde & ad calcem tractatuum aliquot acephalorum de dialectica & metaphysica inter codices quantivis pretii Arabicos complures MSS. quibus nuper, ut pro summa sua munificentia assolet, bibliothecam Oxoniensem donavit reverendissimus ac praestantissimus praesul Guilielmus archiepiscopus Cantuariensis, haberi memini hexastichon rhythmicum,

لم يضع المنطق بالانسان
ولم يكن يرقم بالبنان
اجل من حمد الذي هدانا
افضل التصديق الذي دعانا
الي سبيل الحق والايمان
باوضح الحجة والبرهان

quod sonat, *Locum non habet ratiocinatio in homine, neque intra ejusdem structuram formatur. Sed a Deo O. M. qui dirigit nos, venit disciplina illa quae nos vocat in viam veritatis & certitudinis per illuminationem probationis & demonstrationis.* Atque idem est, quantum ad id quod jam de intellectu humano consideramus, sive numini ipsi, ut hic, sive ministerio angelico a numine praestituto, ut Arabum plerique, intellectus agentis officium tribuatur. Utroque enim modo pariter animae partem seu facultatem negatur illum esse: sed plane manationem solummodo seu irradiationem asseritur esse divinam. Tam vero de Arabum quam paganorum sententia si quis plura cupiat, adeat Joannem Philoponum [b], Albertum Magnum [c], Bonaventuram [d], Jacobum Zabarellam [e], & qui ad caput quintum tertii de anima scribunt: sed ante alios, Fortunium Lycetum, qui data opera [f] atque copiosius ea de re disputat. Quod vero spectat tandem ad opinionem hac de re scholarum christianarum; ea cernitur aut in illis quae quadringentis aut circiter abhinc annis floruere, aut in illis quae recentiores sunt. Non partem animae seu ejusce facultatem fuisse intellectum agentem, sed ipsum numen sanctissimum, quod immediate illuminaret, statuere vetustiores illae scholae. Saltem ita statuerunt Oxoniensis & Parisiensis academiae viri quadringentis abhinc aut circiter annis perquam celebres, adversamque sententiam tunc invalescentem velut plane novitiam acriter impugnarunt. Robertum dico episcopum Lincolniensem, Guilielmum Arvernum episcopum Parisiensem, Adamum de Marisco, id genus alios. Qua de re etiam egregium Rogeri Baconi philosophi, theologi ac mathematici summi testimonium attexere visum est. *Quia a Deo est tota philosophorum illustratio,* sic ille [g], *ostendo quod intellectus agens est Deus principaliter, & secundario angeli, qui illuminant nos. Nam Deus respectu animae est sicut sol respectu oculi corporalis, & angeli sunt stellae. Et non solum ostendo istud propter meam intentionem hic, sed propter evacuationem unius maximi erroris qui sit in theologia & philosophia. Nam omnes moderni dicunt quod intellectus agens in animas nostras & illuminans eas est pars animae, ita quod in anima sint duae partes, agens scilicet & passibilis. Et intellectus passibilis vocatur qui est in potentia ad scientiam, & non habet eam de se; sed quando recipit species rerum, & agens influit & illuminat ipsum, tunc nascitur scientia in eo. Et hoc est verum. Sed falsum est quod agens sit pars animae. Nam hoc est penitus impossibile, sicut ibi* (de alio loquitur opere quod minus vocatur) *ostendo per autoritates & rationes sufficientes. Et omnes sapientes antiqui, & qui adhuc remanserunt usque ad tempora nostra, dixerunt quod fuit Deus. Unde* [h] *ego bis audivi venerabilem antistitem Parisiensis ecclesiae, dominum Guilielmum Arvernensem* (Guilielmum Arvernum episcopum Parisiensem [i], cujus opera prostant, innuit) *congregata universitate coram eo, reprobare eos, & disputare cum eis. Et probavit per aliquas rationes, quas pono, quod omnes erraverunt. Dominus vero Robertus episcopus Lincolniensis, & frater Adam de Marisco Majore, clerici de mundo & perfecti in sapientia divina & humana, hoc idem firmaverunt. Unde quando per tentationem & derisionem aliqui minores praesumtuose quaesierunt a fratre Adam, Quid est intellectus agens? respondit, corvus Heliae. Volens per hoc dicere quod fuit Deus, vel angelus. Sed noluit exprimere, quia tentando & non propter sapientiam quaesiverunt.* Vides hic tum tenacissimos fuisse viros tunc in scholis christianis eximios sententiae illius de intellectu agente Ebraeorum supparis, tum eam pro antiquissima tunc habitam & retro seculis receptiori. Floruit Rogerus Baconus sub annum Christi MCCXC. Illi quos memorat, paulo vetustiores, sub annum MCCL. Desinere autem seu minui tunc coepit; ut ex Baconi verbis liquet, sententia illa, quae &, post Guilielmi episcopi Parisiensis tempora, a successore ejus tantum non proximo, Stephano II. publice Parisiis anno MCCLXX. damnata est, cum aliis inde pendentibus dogmatis. Scilicet inter errores tunc damnatos numerantur hi [k] de anima & intellectu; *Quod intellectus non est forma cor-*

[v] De Anima lib. 3. text. 20. [x] De Anima lib. 3. cap 25. [y] De Anima cap. 10. & Metaphysic. tract 9. cap. 4. [z] Ad 3. de Anima Com 5. & Metaphysic. tract. 4. [a] Apud Albertum Magnum Summ. part. 2. [b] In 3 de Anima cap 5. [c] Summ. part. 2. seu de homine. [d] In sent. 2. dist 24. q 4. [e] Lib. de Mente Humana. [f] De intellectu agente lib. 2. [g] In lib. MS. de scientiarum utilitate ad Clement. 4 P. 4. cap. 28. ita etiam in lib. de sapientia ejusque impedimentis persuas. 1. part. 2. cap 5. [h] Consulas eum part. 2. de universo part. 3. cap. 3. [i] Videsis eum in poster. Analytic. lib. 1. cap. 1. Venetiis 1504. [k] Habentur ad calcem editionum aliquot Petri Lombardi, & in Bibliothec. Patrum edit. Paris. 2 & 3 tom. 4.

poris,

poris, nisi sicut nauta navis, nec est perfectio essentialis hominis. Item, *Quod intellectus est unus numero omnium, licet omnino separatur a corpore hoc, non tamen ab omni.* Item, *Quod nos pejus vel melius intelligimus, hoc provenit ex intellectu passivo, quem dicunt esse potentiam sensitivam. Error est, quia hic ponit unum intellectum in omnibus, aut aequalitatem in omnibus animalibus.* Adeo ut inde magis invalescere coeperit sententia altera, nempe intellectum agentem esse partem animae, seu naturalem ejusdem facultatem, aut non formam separatam seu assistentem sed informantem, ut in scholis loquuntur. Ea de re videsis cum primis Albertum Magnum [l], & discipulum ejus S. Thomam, cum in summa [m] tum in opusculo de Unitate Intellectus contra Averroistas alibique [n], uti & Alexandrum Halensem [o], ac ejusdem discipulum Bonaventuram [p], praeter horum sequaces aevi citerioris. Et Henricus Gandavensis postea expressim de *intellectu agente*, inquit [q], *plurimae erant opiniones; sed in summa quoad duo. Quoniam quidam dicebant quod erat intelligentia separata alia a possibili. Alii vero communius, quod agens & possibilis sunt duae potentiae animae.* Sed demum, ne praeberet sententia illa vetustior ansam propagandi haeresin qua negatum est substantiam animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis esse formam, aliaque de unica duntaxat generi humano anima intellectrice assistente placita [r] asserendi, ideo, opinor, e scholis christianorum ferme summota est. Haeresis illa damnatur in concilio Viennensi [s], utpote quae ex Graecis & Arabibus desumpta seculo jam indicato invalescere coeperat. Et qui sententiam illam de intellectu separato rejiciunt sunt passim obvii in commentariis de anima. Tametsi sint etiam nuperi seculi philosophi celebres [t] qui eam velint revocatam. Caeterum & qui animae humanae partem esse faciunt, ipsi assistentem seu perpetuo indicantem intellectum Deum itidem esse volunt, *a quo lumen intellectuale ea participat*, ut Thomae [v] verba sunt; qui item inde, quemadmodum & alii, legem naturalem *participationem legis aeternae in rationali creatura* (ut capite superiori etiam occurrit) appellat. *Unde*, inquit [x], *cum David* [y] *dixisset*, SACRIFICATE SACRIFICIUM JUSTITIAE, *quasi quibusdam quaerentibus, quae sunt justitiae opera? subjungit*, MULTI DICUNT, QUIS OSTENDIT NOBIS BONA? *cui quaestioni respondens dicit*, SIGNATUM EST SUPER NOS LUMEN VULTUS TUI, DOMINE. *Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nil aliud sit quam impressio divini luminis in nobis.* Atque ad hunc modum intelligi solet illud D. Pauli [z] de lege naturali in cordibus hominum scripta, & consimiles ea de re locutiones quae apud patres occurrunt. Quomodocunque autem physice circa haec fuerit statuendum, certe in idem satis recidit, quantum ad rem quae prae manibus est, sive numen ipsum, sive ministrum aliquem ex ejusdem autoritate intermedium, sive animae humanae partem seu facultatem intellectum agentem facias; cum scilicet etiam qui partem seu facultatem animae illum faciunt, ipsi a numine velut oculo a sole lumen intelligendi affulgere decernant, adeoque quae naturaliter bona sint, quae mala, ab ejusmodi illuminatione divina rationi ac intellectui humano rite disposito per indicationem cum imperio insinuari. Atque is sane sensus est Ebraeorum; unde & supremam illuminationis, qualis dicta est, maxime clarioris & perfectioris, causam seu divinitatem, qua huc spectat, sexcenties in commentariis שכינה, id est *praesentiam* seu *majestatem divinam* (verbum sonat ac si diceres *habitationem* [a] Dei in homine) non raro etiam רוח הקדש *spiritum sanctum* [b] (uti & Mahumedani [c]) appellitant graduumque ejusdem discrimina faciunt. Atque per intervallum illud quod rerum conditum & tempora Mosaica intervenit, praesentiam illam divinam seu juris naturalis lumen Sethianis in posteris Adae & Semianis in posteris Noachi prae aliis maxime volunt affulsisse. Scilicet in illis סגולה [d] seu successionem *peculiarem*, & populum περιούσιον seu ἐξαίρετον, id est *selectum*, seu, ut dicere solemus, *ecclesiam visibilem*, habitum. Hisce etiam accessisse ex aliis gentibus alios. Nam memorant [e] prophetas aliquot seculo in illo docuisse אומות העולם *populos* seu *gentes mundi*. Septem nempe enumerant; Bileamum seu Balaamum [f], ejusque patrem, Jobum, Eliphazum Temanitem [g], Baldadem Shucitem [h], Tzopharum Namathitem [i], & Eliam Barcalidem Buzitem [k]; quos omnes sub Mosis aevum collocant nonnulli. De sequenti autem tempore dictum habetur [l], ממשה ואילך לא שרתה שכינה על אומות העולם *A Mose & deinceps non requievit praesentia* seu *majestas divina* (solennis est locutio, ubi ejusdem absentiam seu illuminationis, qualem diximus, negationem innuunt) *gentibus mundi* seu paganis. Nimirum raro affulsisse eam postea aliis praeter seipsos volunt. Quid autem senserint de paganis qui jura naturalia lumine naturae parentis adjuti cognoverint observaverintque, tum ante tetigimus, tum libro septimo plura dicemus. Et ad capitum tandem designationem transimus.

[l] In Compend. Theologiae lib. 2. cap 46 & in summae part. 2. [m] 1. primae quaest. 79. art. 4. [n] Contra Gentiles, lib. 2. cap. 59. [o] Summ p. 2. quaest. 69. membr. 2. art. 3. [p] In sent. 2. dist. 24. quaest. 4. [q] Quodlibet S. quaest. 12. [r] Videsis Colleg Conimbric. ad lib. 2. de Anima cap. 1. quaest. 7. art. 2. [s] Clementin. tit. De summa Trinit. c. 1. §. porro. [t] Jac. Zabarella lib. de Mente agente, cap. 13. Cardanus apud Jul. Scaliger. Exercit. 307. Sect 30 Joann. Bodin. Theatr. Naturae lib. 4. Alii apud Fortunat. Licetum de Intellectu agente, l. 2. c. 1. [v] 1. primae, quaest. 79. art. 4. [x] 1. secundae, quaest. 91. art. 2. [y] Psalm. iv. [z] Ad Romanos, cap. ii. 15. [a] Videsis V. C. Daniel. Heinsium in Aristarch. sacro, cap. 15. & 18. [b] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 11. a, &c. Et vide S. Hieronym. ad Esaiam, lib 11. cap. 40. [c] Avicen. in tract. 10. Metaphysic. cap. 2. & in Opusculis Arabicis, & vide Averroem in Epit. Metaphysic. tract. 4. [d] Videsis R. Jehudam in *Sepher Cozri*, part. 1. §. 63, &c. [e] Gemar. Babylon. ad tit. *Baba Bathra*, cap 1. fol. 15. 2. [f] Numer. xxii. 5. [g] Job iv. 1. [h] Ibid. viii. 1. [i] Ibid. xi. 1. [k] Ibid. xxxii. 2. [l] Gloss. ad citat. tit. *Baba Bathra*, & videsis Gemaram Babylon. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 3. a.

CAP. X.

Singularia juris naturalis seu universalis, quod & Noachidarum dicitur, juxta Ebraeorum disciplinam capita, quae majora sunt seu illustriora, generatim indicantur. Et de nomine Noachidarum. Tum item de horum silentio tum de mentione obvia apud scriptores christianos.

CApita juris naturalis seu universalis juxta Ebraeos designaturo subit in mentem illud S. Ambrosii, *Lex* [a] *naturalis tres habet partes, cujus prima haec est, ut agnitus honoretur creator, nec ejus claritas & majestas alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis, hoc est, ut bene vivatur, modestia gubernante: Congruit enim homini habenti notitiam creatoris vitam suam lege fraenare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis, ut notitia creatoris Dei & exemplum morum caeteris tradatur, ut discant quemadmodum apud creatorem meritum collocatur.* Certe hujus hic sensui quam prope accessisse Ebraeos, sequentia luculenter satis ostendent. Juris naturalis seu omnium hominum communis juxta eos capita sunt alia, ut superius memoratur, majora atque illustriora, alia minora seu obscuriora. Majora atque illustriora numero continentur septenario. Horum bina sunt בין אדם למקום seu *inter hominem & numen sanctissimum*; quibus scilicet agnoscatur honoreturque creator. Quatuor בין אדם לחבירו *inter hominem & proximum suum*, seu ad hominum inter se invicem mores spectant. Septimum demum immanem erga alia animalia crudelitatem interdicit. Ordine hujusmodi recenseri plerumque solent;

I. על עבודה זרה *de cultu extraneo.*
II. על ברכת השם *de maledictione nominis sanctissimi*, seu *numinis.*
III. על שפיכות דמים *de effusione sanguinis*, seu *homicidio.*
IV. על גילוי עריות *de revelatione turpitudinum*, seu *turpitudine ex concubitu.*
V. על הגזל *de furto ac rapina.*
VI. על הדינים *de judiciis*, seu *regimine forensi ac obedientia civili.*
VII. על אבר מן החי *de membro animalis viventis* non comedendo.

Priora sex in ipsis rerum initiis homini imperata a numine esse aiunt [b], velut *primordialem legem & matricem omnium praeceptorum Dei*, quemadmodum ea quae primis parentibus imperabantur vocat Tertullianus [c]: adeoque pro naturalibus seu universalibus sumunt & nunquam non obtinentibus. Id quod pariter etiam de septimo dici quidem posset. Sed quoniam cum christianis non paucis existimant itidem ipsi ante diluvium carnis esum non omnino homini permissum esse, ita ut interdictum singulare de membro animalis viventis plane supervacaneum tunc fuisset; quod tamen postea eliciunt ex carnis cum sanguine esu interdicto Noacho & filiis ejus, ubi [d] carnis esus expressim indulgetur; ideo hoc a Noachi tempore tantum solent auspicari, utcunque esset generali lege qua carnes in escam non permittebantur ante involutum. Sed ea de re plura alibi [e]. Nuncupari autem simul omnia haec ad genus humanum sic attinentia מצות בני נח *praecepta Noachidarum*, seu *filiorum* aut *liberorum Noachi*, aliquoties jam diximus. Hoc vero nomine licet etiam ipsi pariter atque alii omnes palam, si genus spectes, contineantur, nihilo secius, ut seipsos velut populum numini peculiarem a caeteris segregent, praeceptorum interim corpus scripto Mosaico insertum velut sibi peculiare habentes, gentes tantum caeteras signantius ita vocare solent, quemadmodum etiam אומות simpliciter, id est, *populos* seu *gentes*, atque אומות העולם *gentes* seu *populos mundi*, atque גוים id est *gentes* seu *barbaros*; uti etiam in sacris libris τὰ ἔθνη seu *gentes* passim occurrit pro aliis praeter Ebraeos gentibus, sicut etiam *gentium* nomen apud Romanos invaluit pro caeteris praeter Quirites populis, tametsi pariter & hos idem complecteretur. Quin tam singulare nomen illud בני נח seu *Noachidarum* (quo nihil reapse universalius est) faciunt Ebraei gentibus caeteris seu paganis ut nec ipsos se eodem velint ex vi phraseos comprehendi. Legitur in Misna [f], קונם שאינו נהנה לבני נח מותר בישראל ואסור באומות *Si quis voto se damnaverit, commodum se nullum Noachidae seu Noachi filio praestiturum, interdictum ei inde non est quin Israelitae id praestet: sed ut gentibus seu paganis aliquibus illud praestet, plane illicitum est.* Fatentur שכל העולם יצאו מבני נח *universos paganos* seu *populos mundi Noachidarum esse propagines:* sed non sine hac exceptione seu temperamento de nomine; Israelitas exemptos esse מכלל בני נח כיון דאיקדש אברהם איתקרו על שמיה ut verba sunt Gemarae Babyloniae, *ex universitate* seu *communi filiorum Noachi, quoniam scilicet ex eo quod sanctificatus est Abraham nomen sibi inde peculiare sortiti sunt.* Quod solum de Abrahamidis interim sumunt qui divina secuti sunt instituta, non de Esavi posteris seu Edomitis, nec de Ismaelitis. Summa est; איתקרו ישראל על שמיה דאברהם ולא על שם בני נח *Nomen sortiti sunt Israelitae ab Abrahae nomine, & minime a Noachidis.* Tametsi nemo non videt Abrahamum ipsum etiam Noachidem fuisse, quo etiam vocabulo non raro in commentariis eorum nuncupatur, quatenus nimirum ante legem Mosaicam datam floruit, numenve coluit. Sed ex illo circumcisionis ejus tempore intercisionem ejusmodi nominis seu avitae originis talem in locutionibus suis haberi voluere, ut non solum posteri ejus, seu ipsi, Noachidae non sint dicti, sed etiam aut Abrahamidarum, aut Israelitarum, uti & tandem etiam Judaeorum, nomine a Noachidis cunctis voluerint, velut e praerogativa, discriminari. De praeceptis autem jam dictis legitur in Gemara Babylonia [g]; ת"ר שבע מצות נצטוו בני

[a] In Epist. ad Romanos, cap. v. [b] Maimonid Halach. *Melachim* cap 9. [c] Adversus Jud. cap. ii. [d] Genes ix. 3, & 4. [e] Lib. 7. capite primo. [f] Tit. *Nedarim*, cap. 3 fol 31 a. in Talm. Babylonic. & Maimonid. Halach. *Nedarim*, cap. 9, &c. [g] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. a. *Bereschith Rabba* parasch. 34 Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 122. R. Bechai in *Biur Tora*, fol. 37 col 3, & 4. & videsis Gemar. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 6. fol. 67. b.

נח

נח דינין וברכת השם ע"ז וגילוי עריות ושפיכות דמים וגזל ואבר מן החי ר' חנינה בן גמלאל אומר אף על דם *Traditur a Rabbinis, ſeptem praecepta imperata eſſe Noachidis; de judiciis, de maledictione numinis, de cultu extraneo, de revelatione turpitudinum, de ſanguinis effuſione, de rapina* ſeu *furto, de membro animalis viventis. Etiam, ex ſententia Rabbi Chanina Ben Gamaliel, de ſanguine.* Et in *Bereſith Rabba*; על ז' דברים נצטוו בני נח על ע"ז ועל גלוי עריות ועל שפיכות דמים ועל ברכת השם ועל הדין ועל הגזל ועל אבר מן החי רבי חנינה בן גמליאל אמר אף על הדם מן החי: *De ſeptem rebus mandata acceperunt Noachidae; de cultu extraneo, de revelatione turpitudinum, de homicidio, de maledictione nominis divini, de judicio, de rapina ſeu furto, de membro animalis viventis. Rabbi Chanina F. Gamalielis dixit etiam, de ſanguine animalis viventis.* Maimonides[h] autem; על ששה דברים נצטווה אדם ראשון על ע"ז ועל ברכת השם· ועל שפיכות דמים· ועל גילוי עריות· ועל הגזל· ועל הדינין· אע"פ שכולן הן קבלה בידינו ממשה רבינו· והדעת נוטה להן· מכלל דברי תורה יראה שעל אלו נצטווה· הוסיף לנח אבר מן החי שנ' אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו· נמצאו שבעה מצות· וכן היה הדבר בכל העולם עד אברהם בא אברהם נצטווה יתר על אלו המילה· וגו': *De rebus ſex mandata accepit Adam* ſeu *primus homo, de cultu extraneo, de maledictione numinis, de homicidio, de revelatione turpitudinum, de rapina ſeu furto, & de judiciis; tametſi haec cuncta apud nos ſint recepta a Moſe magiſtro noſtro, atque ejuſmodi ſint ut ſententia humana in ea prae caeteris quae legis corpore habentur pronius inclinet. Liquet etiam praeter haec Noacho mandatum traditum eſſe de membro animalis viventis, juxta illud,* Carnem[i] in anima ſua, ſanguine ſuo, non comedetis. *Ita fiunt ſeptem praecepta. Atque ad hunc modum ſe res habuit per univerſum terrarum orbem uſque in Abrahae tempora. Inſuper autem illi praeceptum datum eſt de circumciſione, &c.* Tantundem Moſes Mikotzi[k], alii item obiter. Unde fit etiam ut, cum magiſtri, diſtinctius ſubinde loquendo[l], jura naturalia, ſeu quae perpetuo obligare volunt, משפטים & מצות, id eſt ſimpliciter *judicia, jura, praecepta, ſeu mores* univerſo generi humano praeſcriptos, uti & מצות הדעת *praecepta ſcientiae* ſeu nemini recte intuenti ignota appellitent, jura vero caetera, quae a numine ipſis ſingulariter imperata ſunt, חוקים ſeu *ritus* aut *ſtatuta* nuncupent; in prioris generis exempla capita juris Noachidarum afferant, velut ea quae non ſcripta a rerum initiis obtinuere, & in exempla generis poſterioris ritus aliquot reipublicae Ebraicae primo ſcriptos proprioſque. Qua de re animadvertendum eſt quod habet Gemara Babylonia ad locum illum legis[m] ſacrae, את משפטי תעשו ואת חקותי תשמרו ללכת בהם אני יהוה אלהיכם: *Judicia* ſeu *jura mea facietis, atque ſtatuta mea* (vertunt aliqui *ceremonias meas*; Judaei Hiſpanienſes ibi, *mis fueros*) *cuſtodietis, ut in eis ambuletis. Ego*[n] *Dominus Deus veſter.* Scilicet Gemara illa; תנו רבנן את משפטי תעשו דברים שאלמלא לא נכתבו דין הוא שיכתבו ואלו הן ע"ז וגלוי עריות ושפיכות דמים וגזל וברכת השם את חוקותי תשמרו דברים שהשטן משיב עליהם ואומות העולם משיבין עליהם ואלו הן אכילת חזיר ולבישת שעטנז וחליצת יבמה וטהרת מצורע ושעיר המשתלח ושמא תאמר מעשה תוהו הם ת"ל אני ה' אני ה' חקקתיו ואין לך רשות להרהר בהן: *Traditio eſt Rabbinica, illud,* jura mea facietis, *intelligendum de rebus ejuſmodi, quae, tametſi ſcriptis nondum mandarentur, mandari tamen per ſe debuerant; veluti de cultu extraneo, revelatione turpitudinum, homicidio, rapina ſeu furto, & maledictione nominis: illud vero,* ſtatuta mea cuſtodietis, *intelligendum de rebus quas non ſolum mens humana protervior, verum etiam gentes mundi impugnabant; quales ſunt eſus porci, amictus heterogeneorum, mos calcei in fratriae renunciatione exeundi, uti & leproſum mundandi, hircus apopompaeus. Ne vero objiceret quis res hujuſmodi eſſe inanes, expreſſim adjicitur,* ego Dominus, *ego Dominus conſtitui eas. Unde nec tibi licet eas in controverſiam revocare.* Hinc eſt quod quae ſunt generis prioris vocitent דברים המישורים[o] *res in quibus rectitudo eſt manifeſtior*, utpote nemini fere non agnita; ſecundi vero generis, res quarum ratio אינו אלא גזירת מלך *non eſt alia praeter decretum regium.* Sic mandata haec diſcriminari volunt; non quod genus utrumque non ex decreto regis univerſi, id eſt numinis, pendere voluerint (nam ex ejus autoritate & ſancitis ipſum jus naturale manaſſe paſſim docent juxta jam ante oſtenſa) ſed quod a legibus regum mortalium autoritate juri naturali ſuperinduci ſolitis locutionis formulam deſumpſerint. Sed interdum quidem in eorum[p] libris recentioribus hac de re (ut fit de aliis) verba ita male tranſponuntur ut ℥ משפטי locum ℔ חוקות, & hujus pariter illud, perperam occupet. Ex contextu vero Talmudico, quem citavimus, ſunt corrigenda. Septem autem praeceptorum, quae diximus, naturalium fuiſſe Ebraeis ipſis inſtaurationem in Mara paulò poſt exitum ex AEgypto, vetus eſt apud eos traditio. Seder Olam Rabba de ſtatione eorum illic; שם נתנו לישראל עשר מצות שבע מהן שנצטוו עליהן בני נח וגו' והוסיפו עליהן ישראל באותה שעה שבת ודינין וכיבוד אב ואם *Ibi tradita ſunt decem praecepta Iſraelitis, quorum ſeptem imperata fuerant Noachidis, &c.* & (recenſitis quae diximus ſeptem) *adjecerunt tunc temporis Iſraelitae ſabbatum, & judicia, & honorem parentum.* Tantundem etiam habetur in Gemara Babylonia,[q] cujus hac de re verba afferuntur infra, ubi de ſingulari ipſis ſabbati jure, nec ad alias gentes omnino juxta eos attinente, agitur; libro nempe tertio. Nam ubi de ſtatione in Mara verba fiunt ſacra, adjicitur, [r] *Ibi poſuit ei* חוק ומשפט *ſtatutum & judicium*; quod de ſabbato & aliis aliquot interpretantur. Lex vero adjecta hic de judiciis quomodo ab ea quae antea Noachidis data erat diſcreparet, atque in denario hoc praeceptorum numero locum juxta eorum ſententiam ſortiretur, in ſequentibus oſtendimus, ubi caput juris Noachidarum de judiciis tractamus. Quod ad parentum vero attinet honorem; etiam

[h] Halach. *Melakim*, cap. 9.
[i] Geneſ. ix.
[k] Praecept. Affirm. 122.
[l] Videſis *More Nebochim*, part. 3. cap. 26. & Hug. Grot. de Jure Belli, lib. 1. cap. 1. §. 9.
[m] Levitic. xviii. 4.
[n] Tit. *Joma*, cap. 6. fol. 67. b.
[o] Gloſſa Talmudica ad tit. *Joma*. cap. 6 fol. 67. b. *Aun Iſrael*, part. 1. fol. 107. col. 4. & videſis Salom. Jarchi. ad Levit. xviii. 4. & Nachmanid. in *Peruſh Tora*, fol. 198. b.
[p] *Peſiktha Zotertha*, fol. 23. col. 3.
[q] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. b.
[r] Exod. xv. 25.

ea

ea de re praeceptum ex eadem in Mara statione petunt. Unde illud in repetito decalogo, *Honora*[s] *patrem tuum & matrem tuam, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus*, intelligunt de praecepto in Mara antea dato. Rabbi Jehuda[t], כאשר צוך במרה *sicut praecepit tibi, scilicet in Mara*; uti etiam ad eundem locum adnotat Salomon Jarchius, qui tamen ad memoratum in Exodo de statione in Mara locum, *In Mara*, inquit, *tradita est* מקצת פרשיות תורה שיתעסקו בהם שבת ופרה אדומה ודינין *pars capitum legis qua se exercerent, nempe de sabbato, de vacca rufa, de judiciis.* Honorem parentum hic praetermittit, legem[v] de vaccae rufae sacrificio substituens, quod etiam[x] ut primario tunc traditum ab aliis memoratur. Sed & de parentum honore plura libro septimo, ubi de minoribus seu obscurioribus juris naturalis capitibus agitur. Ut vero praecepta illa illustriora septem, sacro veluti carmine designata, memoria facilius retinerentur, atque in rerum primordiorum aliquatenus historia inde tum lectori agnoscerentur tum auditori, ideo ex veterrimo instituto fiebat ut comma hoc e Genesi[y] desumptum in usum ejusmodi adhiberetur, *Et praecepit Dominus Deus ipsi Adam, dicens, de omni ligno horti comedendo comedes.* Rabbi Jehuda Ben Samuel verba faciens de commatis sacri sermonis in res hujusmodi adhiberi solitis, כאשר, inquit[z], שמע פסוק ויצו ה׳ אלהים על האדם לאמר סימן לשבע מצות שנצטוו בני נח ויצו אלו הדינין ה׳ ברכת השם אלהים זו ע״ז על האדם זו שפיכות דמים לאמר זו גלוי עריות מכל עץ הגן זה גזל אכל תאכל זה אבר מן החי כמה רחוק בין אלו הענינים ובין פסוק הזה אך אצל העם קבלה בשבע המצות האלה סומכין אותה במקרא הזה בסימן שיקלו עליהם זכרם: *Quemadmodum cum auditur comma illud*, Et praecepit Dominus Deus ipsi Adam, dicens, &c. *signum est seu indicatio septem praeceptorum quae Noachidis imperata sunt.* Et praecepit *sic denotat judicia*, seu *praeceptum de judiciis*, quoniam in eis praeceptio est atque imperium; Dominus, *Praeceptum de non maledicendo nomini seu numini sanctissimo*; Deus, *Interdictum cultus extranei, seu idololatriae*; Ipsi Adae seu homini, interdictum homicidii; Dicens, *Interdictum incestus*, quia scilicet *dicit Dominus* alibi[a] increpationi de scortatione subjungitur; *De omni ligno horti, furtum*, quia bona quaedam vocabulis illis etiam denotantur; *Comedendo comedes, membrum animalis viventis. Sed multum discrepat comma hoc a rebus hisce. Attamen habetur vulgo cabala* seu *traditio de septem jam dictis praeceptis, perinde ac si ipsa hoc commate subniteretur, quod in faciliorem eorum memoriam ut signum adhiberi solet ac subsidium.* Alii[b] item hac de re plura. Horum quidem capitum mentio occurrit subinde apud scriptores christianos doctrinae Talmudicae assuetiores, eaque satis interdum Ebraeorum commentariis consona. Scriptores dico tum qui seculo nostro studiis orientalibus uberius scaturiente cordatiores inexploratam sibi noluere praetermitti veterem Ebraeorum disciplinam, tum qui non ita diu postquam literae orientales sub centum abhinc annis in occidente renascebantur, commentariis suis placita de jure interspersere Rabbinica. Neque enim in christianorum ante illud aevum scriptis mihi comperta est expressa horum mentio omnino aliqua. Delituere scilicet in libris Talmudicis, qui paucissimis praeter Judaeos ipsos intellecti olim lective. Neque e scholasticis, puto, quisquam omnino eis usus est. Citatur quidem interdum S. Thomae Rabbi Moses, scilicet celeberrimus AEgyptius ille, *Rambam* dici solitus; uti etiam Joanni Bacono in sententias, tituli aliquot Talmudici. Sed hic, uti & aliis superioris aevi id genus nonnulli, Talmudica seu Rabbinica sua Hieronymo de sancta fide & Nicolao Lyrano Exjudaeis plane debuit; & S. Thomas sua ex R. Mose desumpta veteri versioni libri ejus *More Nebochim* dicti, in quo nec jus hoc omnino tractatur. Seculo autem nostro non mentio solum juris hujus capitum apud scriptores quales diximus satis obvia est, velut eorum quorum ratio in nobiliori & libera rerum disquisitione est habenda, verum etiam in argumentis de jure naturae gravissimis eorum aliquot appositissime interdum usurpantur. Id quod etiam maxime liquet ex incomparabili illo viri amplissimi Hugonis Grotii opere[c] de Jure belli ac pacis; ut minorum gentium commentarios mittam. At vero praetereundum non est, theologos nonnullos, qui etiam, puto, nunc, id est in hac literarum orientalium luce, florent, viros alioquin eruditione singulari, septenarium quidem eorundem numerum, velut ex Ebraeorum monimentis haustum, in scripta sua nuperrime transtulisse; sed interea ab autoribus quos citant ipsi, adeoque ab eo quod res ipsa est, nimium discrepare. Alter enim de Judaeorum mysteriis agens[d], sic; *Neque vero contemnendum arbitror quod Hebraei doctores tradunt, si quis gentilium Judaicam religionem amplecti vellet, variis praeceptionibus velut quibusdam gradibus instituebatur, antequam lex Mosaica illi explicaretur. Primum enim illum docebant septem praecepta filiis Noe a Deo data, ut aiunt; quae erant ejusmodi. 1. Non colere idola. 2. Benedicere Deum. 3. Cavere ab incestu. 4. Quodvis aliud peccatum carnis vitare. 5. Non fundere humanum sanguinem. 6. Non rapere aliena. 7. Non tollere membrum de animali vivente.* Alter dum de Jobi pietate, atque observatione praeceptorum divinorum quae ante Mosaica scripta ab ipsis rerum initiis obtinuerant, verba facit, *His addam*, inquit[e], *quod R. Abraham Ben Ezra, Rab. Levi Ben-Gerson & alii scribunt, gentiles non admitti solitos ad religionem Judaeorum, id est verum Dei cultum, nisi prius promitterent se servaturos septem praecepta quae ante legem Noe morti proximus filiis suis tradiderat. Idem asserunt Talmudistae. Unde & in libro quem vocant Seder Olam*[f] *scriptum habetur, quod Noe dedit filiis suis septem praecepta: Primum, servare jus gentium*; 2. *Fugere idololatriam*; 3. *Fugere incestum, adulterium, & nefandum coitum*; 4. *Non occidere*; 5. *Non blasphemare nomen Dei*; 6. *Non fu-*

[s] Deut. v. 16. [t] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. b. & videsis *Thosephatha* ad Gemaram Babylon, tit. *Sabbath*, c. 9. fol. 87. b. [v] Numer. xix. 2. [x] Videsis praeter Lyranum ad Exod xv. D. [illegible] Carthus. in Exod. Enarrat. 31. & Abulens. ibi quaest. 9. [y] Cap. ii. 16. [z] In *Sepher Cozri*, part 3 § 73. [a] Jerem. iii. 1. [b] R. Jose Ben Chupetha in *Seder Olam. Rabba*, cap. 5. [c] Lib. 1. cap. 1. § 10. cap 2. § 5, &c. [d] Jo. Filesacus Selectorum, lib. 2. tit. Mysteria, § 1[illegible]. [e] Jacobus Boulducius in Jobi xxiii. 12. [f] Cap. 5.

rari;

rari; 7. *Non abscindere membrum de vivo animali. Confirmatur haec doctrina* (sic pergit) *ex iis quae postea docet per modum examinis suae conscientiae per totum caput trigesimum primum, ubi sigillatim discurrit & ordine quodam per omnes peccatorum species quae ad septem praedicta capita facile reduci possunt.* Idemque alibi [g], *Hebraei & R. Salomon tradunt a Deo data Noe praecepta numero septem*; 1. *Non colere idola*, 2. *Benedicere Deum*, 3. *Servare jus publicum*, 4. *Cavere ab illegitimo concubitu*, 5. *Non fundere humanum sanguinem*, 6 *Non rapere*, 7. *Non tollere membrum de animali viventi. Quae Christus generaliter quidem, quantum spectat ad proximum, expressit, iterumque promulgavit in evangelio, sed sub affirmativo mandato, Omnia* [h] *quaecunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Haec est enim lex & prophetae.* Sic ille. Horum autem prior hic caput illud *de judiciis* omnino praetermittit, & nescio cur quartum facit quod plane capitis *de revelatione turpitudinis* seu *incestu* pars est. Posterior pariter illud *de judiciis* non memorat, nisi in eo quod ei altero in loco primum est, scilicet *servare jus gentium*, at in altero loco tertium, *servare jus publicum*, id forsan contineri velit. At interea *servare jus* sive *gentium* sive *publicum* nullibi apud Talmudicos seu Rabbinos quos ipse affert aut totidem verbis aut sensu qualem verba illa exhibent inter praecepta haec enumeratur. Neque is sensus est eis praecepti naturalis *de judiciis*, ut infra suo loco fusius demonstramus. Quod vero prior, uti etiam altero in loco posterior, enumerat in hisce caput illud *Benedicere Deum*, quemadmodum sane & alii viri linguarum etiam peritissimi [i] orientalium interdum faciunt; id ex eo evenit quod verbum ברך (unde ברכה in enumeratione nostra pro *maledictione*) tum *benedicere* denotat, tum, quod prorsus contrarium est, *maledicere*, ut fusius ostendetur ubi inferius interdictum maledictionis numinis explicatur. Quin & in hisce praeivit ferme Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis literis Ebraicis certe apprime eruditus & Rabbinicis: *Septem*, inquit ille [k], *praecepta dantur, quae Hebraei partim praecepta filiorum Noe, partim praecepta naturae appellant, & obligare etiam gentiles scribunt, isto ordine*, 1. *Non colere idola*, 2. *Benedicere Deum*, 3. *Servare jus publicum*, 4. *Cavere ab incestu alioque nefando concubitu*, 5. *Non fundere humanum sanguinem*, 6. *Non rapere*. 7. *Non tollere membrum de animali viventi.* Dari scilicet septem haec praecepta anno primo diluvii ait, atque autores affert R. Salomonem & *Seder Olam*. Sed instaurata tunc temporis fuisse ea, atque cum rerum initiis incepisse, juxta superius dicta, ex Ebraeorum mente statuendum. Neque aliter verum est quod toties occurrit, sive Noacho sive a Noacho, sive filiis ejus ea esse tradita, eorumve praecepta esse. Caeterum quod theologorum binorum quos ante memoravimus tam posterior quam prior habet de horum praeceptorum usu in gentilibus ad religionem Judaicam admittendis, id immane quantum doctrinae Talmudicae atque Ebraeorum magistris refragatur. Nullus enim omnino capitum horum in ejusmodi admissione usus; sed tantummodo in *proselytis domicilii*, quos גרים תשובים appellitant, id est, gentilibus ad incolatum seu pacem in territoriis ditionis Israeliticae fruendam, tametsi *Proselytae Justitiae* non fuerint, seu religione Mosaica non omnino imbuerentur, admittendis. Quotquot enim sic tantum admitterentur, eos in capitum horum rite explicatorum observationis futurae professionem adigebant; florente scilicet eorum statu. Id quod explicatius suo infra loco etiam demonstratur. Et quoties *Proselytus Justitiae*, id est גר הצדק fiebat, ipsa legis Mosaicae professio cum circumcisione aliisque aliquot ritibus (de quibus etiam inferius nos fuse) initia fuere quibus admittendus erat; nulla omnino Noachidarum juris capitum, qua Noachidarum, ea in re habita ratione. Christianis autem scriptoribus accedat etiam hic Manasseh Ben Israel Judaeus, Archisynagogus (id munus, ni fallor, gerit) Amstelodamensis, qui & Latine & Hispanice de rebus aliquot Rabbinicis scripsit. *Septem*, inquit ille, *praecepta, ut traditur in Gemara* Sanhedrin [l], *omnes gentes observare tenentur*; *quae idcirco vocata sunt* שבע מצות בני נח *septem praecepta filiorum Noachi. Ex his (quemadmodum in* Seder Olam, *c.* 5. *& apud R. Mosem in* Jad a-Hazaqua [m] *legimus) sena Adamo data sunt*; *nimirum ut abstineret ab Idololatria*, 2. *Maledictione nominis divini*, 3. *Caede*, 4. *Adulterio*, 5. *Furto*, 6. *Ut judices institueret quorum esset curare ut illa praecepta observarentur. Super haec Noacho septimum additum fuit, ne membrum vivo animali amputatum comederet, his verbis*, Carnem cum anima & sanguine suo ne comedas. *Haec sunt praecepta ob quorum violationem, ut ex sacra scriptura ibidem in* Sanhedrin *probatur, etiam gentes mundi a Deo punitas constat.* Sic ille in conciliatore [n]. Nec alio sensu in libris [o] de resurrectione mortuorum; nec dissono ab eo qui Talmudicis recipitur, si tum *adulterii* nomine omnimodum coitum ex jure Noachidarum homini illicitum, id est tam masculorum ac brutorum, ut infra patebit, quam ex sanguine incestum contineri admittas, tum *judiciorum* praeceptum nil aliud complecti praeter id quod est judices instituere quorum esset curare ut illa observarentur. Qua de re libro videbimus septimo. Sed de generali apud scriptores numerandi exprimendique praecepta Noachidarum majora atque illustriora ratione hactenus. Capita juris hujus, juxta Ebraeos, minora seu obscuriora infra suo in loco seorsim habentur. Singulorum autem, tam eorum quae majora diximus atque illustriora quam quae minora, uberiorem, juxta Talmudicorum, id est, tam theologorum quam jurisconsultorum apud Ebraeos, mentem, explicationem (quam quidem vix aut ne vix quidem attigit scriptorum, quantum scio, qui Latine prostant aliquis) libris sequentibus una cum juris gentibus aliis atque Ebraeis simul, sive ex praescripto numinis imperativi, sive ex moribus seu arbitrio eorum qui rebus praeerant, intervenientis capitibus apicibusque satis vulgo etiam doctorum incognitis exhibebimus.

[g] Lib. de Ecclesia post legem, cap. 8. [h] Matth. vii. 12. [i] Schindlerus Lexic. pag. 1530. & Guil. Schickardus lib. de Jure Regio, cap. 5. theorem 17. alii. [k] Chronologiae lib. 1. ann. mundi, 1656. [l] Cap. 7. [m] Sepher *Melakim*. cap. 9. [n] Quaest. 2. in *Deuteron*. Latine, sed & Hispanice. [o] Lib. 2. cap 9.

DE JURE NATURALI ET GENTIUM,

Juxta Disciplinam

EBRAEORUM,

LIBER SECNDUS:

In quo interdicta Noachidarum seu naturalia bina priora, cultus nempe extranei seu idololatriae, atque maledictionis nominis divini seu blasphemiae, explicantur, una cum jure Ebraeis simul atque aliis gentibus tum imperativo tum interveniente quod ad interdicti utriusque in ditione Israelitica observationem firmandam, priorisque inprimis violationis ansam qualemcunque etiam Noachidis praeripiendam, superinductum est. Accedit ut hisce caeterisque sequentibus necessario praevium, proselytorum justitiae, proselytorum domicilii, libertinorum designatio; aliorum item ad jura gentium, juxta eorum mores, attinentium.

CAP. I.

De cultu extraneo seu idololatria, quod eorum quae juris Noachidarum seu naturalis majora seu illustriora sunt, caput est primum. Interdicti hujus violationis Noachidis in ditione Israelitica poena erat plerumque capitalis. Obiter & compendio de idololatria Judaeorum, &, ut aliqui volunt, ipsius synedrii magni. Quam grave crimen hanc faciant magistri. Magiae infamis species aliquot idololatriam esse statuunt.

CUltus extranei nomine (quod primum est juris Noachidarum seu naturalis illustrioris, juxta libri superioris capite postremo designata, caput) Noachidis seu universo humano generi, secundum Ebraeos, interdicitur non modo saxorum, stipitum, statuarum, imaginum, sed etiam qualiscunque angelorum, corporum coelestium, elementorum, aliusve cujuscunque creaturae cultus, sive qua pro numine supremo ipsa habeatur, sive qua veluti intermedia ad supremum colenti placandum invocetur. Imo ut intermedia tantum numina coli solitas fuisse a gentilibus creaturas sic credebant, ut nec aliter a quoquam eorum aliquam cultam crederent fuisse; quod ex sermone etiam sacro eliciunt. Egregius est ad hanc rem Maimonidis [a] locus, ואתה ידע כי כל מי שעובד עבודה זרה לא יעבדה דעת שאין אלוה בלעדיה ולא דמה מעולם כלל מן העובדים ולא ידמה מן הבאים שהצורה אשר יעשה מן המתכות או מן האבנים והעצים שהצורה ההיא היא אשר בראה השמים והארץ והיא הנהיגם אבל אמנם יעבדוה על צד שהיא דמיון לדבר שהוא אמצעי בינם ובין האלוה יתברך כמו שבאר ואמר כי לא ייראך מלך

[a] *More Nebockim*, part. I. cap 36.

הגוים וכו׳ ואמר בכל מקום מוקטר מוגש לשמי וכו׳ רומז אל הסבה הראשונה אצלם וככר ביארנו זה בחבורינו הגדול וזה מדה שלא יחלוק בו אחד מבעלי תורתנו: *Noſti, quicunque fuerit extraneo cultui aſſuetus, eum non ea ſententia eo cultu uti ac ſi numen non eſſet aliud praeter id quod colit. Neque enim ſive ex ipſis qui olim colebant cuipiam venit in mentem, ſive ex eis qui colent impoſterum in mentem veniet, figuram ſive ex metallo ſive ex ſaxo ſive ex ligno confectam fuiſſe ipſum coeli & telluris creatorem gubernatoremque. Sed ita eam colunt quatenus imaginem induit rei alicujus quae velut intermedia ſit inter ipſos & Deum benedictum; ſicut & ipſe explicat ubi* [b] *ait*, Quis non timebit te, o rex gentium? Tuum enim eſt imperium. Etiam apud omnes ſapientes gentium & in omni imperio eorum non eſt ſimilis tui. In uno autem (באחת, ubi *ἅμα* ſeu *pariter* apud Helleniſtas & in Vulgata ſubſtituitur) deſipiunt & ſtulti ſunt; doctrina vanitatis (eorum) lignum eſt. Atque alibi [c]. Et in omni loco incenſum offertur nomini meo atque oblatio munda: quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus. *Ubi cauſa prima ex eorum ſententia indicatur. Atqui hac de re jam egimus in opere* [d] *noſtro majore. Neque ſane de ea quiſpiam ex legis noſtrae magiſtris diſſenſit.* Hactenus ille; qui receptam etiam Talmudicorum [e] hic de cultus extranei diſcrimine, qua ad Noachidas attinebat, ſententiam breviter ſic eſt [f] complexus; בן נח שעבד ע״ז חייב׃ והוא שיעבוד כדרכה׃ וכל ע״ז שבית דין של ישראל ממיתין עליה בן נח נהרג עליה׃ וכל שאין בית דין של ישראל ממיתין עליה׃ אין בן נח נהרג עליה׃ ואף על פי שאינו נהרג אסור בכל׃ ואין מניחין אותו להקים מצבה׃ ולא ליטע אשרה׃ ולא לעשות צורות וכיוצא בהן לנוי׃ *Noachidis qui cultu utitur extraneo reus eſt, modo ſcilicet juxta aſſuetum ritum colat. Nam ubicunque ultimo ſupplicio punitur in foro Iſraelitico cultus extraneus, ibi Noachides ob ſimilem cultum, gladio plectendus erat. Et ubicunque in foro Iſraelitico morte non punitur ejuſmodi cultus, neque ob ſimilem gladio plectitur Noachides. Caeterum tametſi gladio non fuerit plectendus, interdicitur ei nihilominus omnimodus cultus extraneus. Neque permittitur ei ſive ſtatuam erigere, ſive lucum plantare, ſive imagines facere, ſive quae ſunt id genus alia, ne quidem etiam ornatus cauſa.* Loquitur de Noachide ſeu gentili Hieroſolymis alibive in Ebraeorum veterum ditione reo. Iſraelita autem ultimo ſupplicio minime ob cultum extraneum puniebatur, niſi ſive propalam ac difertis verbis Deum ſibi novum invocaret, ſive במשתחוה *adoratione*, ſive בזובח *immolatione*, ſive במקטר *ſuffimento*, ſive במנסך *libamine*, ſive כדרך עבודתו *cultu qui peculiaris erat numini* [g] *commentitio*, ſive בעבודת שהיא מיוחדת לשם *cultu numini vero proprio*, illum, idque ſaltem velut numen, coleret. Cuicunque igitur ficto Deo ſive expreſſa invocatione divinitatem apud Ebraeos tribueret Noachides, ſive ex illis quatuor prioribus ritu aliquo faceret, ſive cultum aut numini ſanctiſſimo aut idolo ipſi [h] peculiarem atque proprium adhiberet, ultimo puniendus erat ſupplicio: idque partim ex jure ipſis aliiſque gentibus interveniente, ſeu ex more majorum ſuperinducto, partim ex imperativo; non autem ex naturali ſeu ipſo Noachidarum per ſe jure, quo poenarum ſpecies apud homines forenſes has vel illas in univerſum praefiniri neutiquam docent. At vero ſi quis, praeter oſculum aut amplexum, ſaxi jactu Baal-Peor, ac corporis denudatione Mercolis ſeu Mercurium coleret, mortis reus non habebatur. Nam huic peculiaris erat ſaxi jactus, illi denudatio corporis; neutri vero ſive oſculum ſive amplexus. Quod de caeteris diis fictis itidem dicendum. Non quod impune omnino cultum qualemcunque extraneum fieri, nedum licitum fuiſſe, putarent, ſed quod ultimo ſupplicio ex judicio forenſi illum aliter puniri nollent. Nulla erat cultus extranei ſpecies, circumſtantia nulla, nullae ferme appendices quae non fuere באזהרה *in monito* ſeu *cautione*, id eſt, quae non ita etiam pro interdictis haberentur, ut non modo earum gravius commonefieret populus, verum etiam, ſive ex lege ſacra, exciſionis poena (quam כרת nuncupatam in ſequentibus fuſius explicamus) ſive poena qualiſcunque ביד שמים *coelitus infligenda*, ſive verbera, quibus pro vetuſtiſſimo reipublicae inſtituto culpae frequentius caſtigabantur, ſeu id genus poenae aliae, quoties contra quid hic commiſſum nec ultimo ſupplicio locus erat, ſequerentur. Sed de poenis ac judiciis qua Noachidas ſpectabant, libro agitur maxime ſeptimo; aliis nihilominus ea de re ſubinde, pro re nata, aliis in locis, ut hic, nec intempeſtive, interſperſis. Summa hic eſt, voluiſſe eos a Noachidis ſeu genere humano, ex praecepto hoc, ita univerſi creatoris rectoriſque majeſtatis divinae unitatem, ſimplicitatem ac poteſtatem inſociabilem perpetuo eſſe agnoſcendam, ut nec creaturarum alicui, ne quidem ut medioxumo, cultum liceret exhibere aliquem divinum. Ita nempe ſe habuit diſciplina eorum ſacra, pura, atque intaminata, ut volunt magiſtri, quam in theologiae & juriſprudentiae pandectis ſuis docent. Caeterum hanc nemo neſcit moribus perquam adverſis ſaepius interpolatam eſſe foedatamque; ante templi primi maxime excidium. Seculis enim illis, pro vario hominum perverſorum affectu atque dominantium libidine, ita idololatria ſeu cultus extraneus ſubinde apud eos recruduit ut nullum ferme ejuſdem genus non ſit etiam publice admiſſum: id quod paſſim in foedere veteri liquet. De Baalim, Aſtarte, lucis ſive cultis ſive cultui inſervientibus, militia coeli, Thammuz, ejuſdem farinae caeteris mentio eſt obvia. Et prae aliis eſt illud Ezechielis inprimis [i] obſervandum; *Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & univerſa idola Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Jezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas; & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua: & vapor nebulae de thure conſurgebat.* Ubi nec illud plane negligendum, magiſtros aliquos [k] ſeptuaginta hic

[b] Jeremiae x. 7. ubi videſis R. David Kimchium. [c] Malachiae i. 11. ubi vide ad hanc rem Salomon Jarchium & David Kimchium. [d] In Jad, halacoth *Jeſudi Thora*, & *Aboda Zara*. [e] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56, & 57. [f] Halach. *Melakim*, cap. 9. [g] Meciltha (unde Maimonides Hal. *Aboda Zara*, cap. 3, & 4.) & Miſna tit. *Sanhedrin*, cap. 7. Gemar. Babylon. ibi fol. 60. b. Obadias Bartenorius, alii. [h] Videſis Deut. xii. 30. [i] Cap. viii. 10. [k] David Kimchi, ibidem.

memoratos

memoratos sumendos velle pro rotundo synedrii magni seu septuaginta-unius-viralis numero, iis scilicet quorum ex dictatis decretisque, juxta divinam in Pentateucho [l] institutionem, יוצאה תורה לכל ישראל *egreditur*, [m] seu *traditur, lex universis Israelitis.* De quibus item saepius dicitur, כל דבר שנותנין ב"ד נפשם עליו סופו להתקיים [n] בידן כמה שנאמר למשה בסיני *Quidquid id fuerit quod amplexandum censuerint synedrium, id ex eorum autoritate vim sortitur perinde ac si dictum fuisset Mosi, seu a Mose receptum, in Sinai.* Id quod interea sic interdum temperatur ut pariter aiant [o] כל גזירה שב"ד גוזרין על הצבור ולא קבלו רוב הציבור עליהן אינה גזירה *Quodcunque decretum tulerit synedrium magnum a populo observandum, id neutiquam vim sortiri nisi si populi pars major id in se susceperat.* Sed hoc obiter. Et de hujusmodi decretis, synedrii magni dignitate & potestate, partisque hic majoris ratione, fusius in libris de eodem conscriptis agimus. Tandem vero post templi primi excidium gens toties icta eousque sapuit (Judaicam dico ita proprie dictam, ut Samariticam colluvionem excludam) ut nihil magis atque cultum extraneum, idque ex majorum disciplina, quam mali temporis anterioris mores nimium saepe obumbrarant sed delere nequibant, velut pestem gravissimam ante alias exsecrandam fugerent. Occurrunt quidem subinde apud scriptores veteres [p] de Judaico angelorum & astrorum cultu aliquo etiam post secundi templi excidium testimonia; sed quae conjecturae potius sunt, nec temere admittendae. Et quod e concione quam nescio quis D. Petri nomine insignivit citatum habetur apud Clementem Alexandrinum de cultu eorum angelis, archangelis, mensi ac lunae exhibito, plane hallucinatio est. Angelos quidem, quos & suis designant nominibus, mensibus praeesse, ut infra apertius [q] ostenditur, aliisque rebus existimarunt, solicitius etiam more majorum in mensium initiis finibusque, adeoque festorum ratione ex lunae visione praefinienda semper agere soliti sunt; quod & concionis illius autor ille ibi memorat, & velut causam ejus quod de cultu dixerat affert. De cujus verbis alibi [r] fusius. Sed haec quid ad cultum? Ita sane qui solaris lunarisque motus apicibus minutiisque, ut temporum ratio sibi in periodis consonet, cruciare se solent, solem & lunam adorare seu colere dicerentur. Ita fuere ex gentilibus qui porcinum numen [s] eos adorare tradere non vererentur, quemadmodum & alii asininum, seu [t] asini caput. Forte ex porcinae carnis abstinentia, quae prae abstinentia aliarum sacra lege interdictarum gentilibus multo notior proculdubio & frequentior erat, natum est illud de porcini numinis cultu convitium; uti & alterum illud de asino, ex singulari asini primogeniti redimendi jure [v] ac more gentilibus perperam intellecto. Sane utrumque falsissimum esse, & cum Apionum, Molonum, id genus aliorum calumniis caeteris connumerandum, nemo, puto, dubitat. *Coeli* autem *summas advocare auriculas* apud Petronium, & *nil praeter nubes & coeli numen adorare* apud Juvenalem [x], tantumdemque ab aliis [y] de Judaeis dictum, ex eo ortum est quod solenni eorum locutione numen sanctissimum, quod solum volebant adorandum, שמים id est *coelum*, sit nuncupatum, uti & foederis novi.[z] lingua Hellenistica. Nubes autem & coelum ab eo qui non ipsum numen sed coelum quod videmus stellatum innui putabat, sic conjungi mirum non est. Hinc & Judaica secta quaedam *coelicolae* etiam apud christianos dictae; de qua codex [a] uterque sed maxime Theodosianus [b]. Sed haec missa sint. Quod vero ad interdictum Noachidarum seu omnium hominum commune de idololatria fugienda attinet; illud magistri, dum defaecatam majorum, eamque divinitus acceptam, disciplinam de eo tradere conantur, caeterorum quae sunt fundamentum primarium faciunt. Unde, cum de eo in corpore Mosaico repetito loquuntur, non semel habent, [c] מצות ע"ז כנגד המצות כולן *Praeceptum de cultu extraneo*, seu *idololatria, est instar praeceptorum cunctorum*; &, היא עיקר כל המצות כולן *Fundamentum est quo caetera innituntur praecepta universa.* Tam nempe sua seu reipublicae Israeliticae propria quam omnium hominum communia, seu cum ipsis rerum initiis nata. A quo & illud, כל המודה בע"ז כופר בכל התורה כולה ובכל הנביאים ובכל מה שנצטוו הנביאים מאדם הראשון ועד סוף העולם וכל הכופר בע"ז מודה בכל התורה כולה ובכל הנביאים ובכל מה שנצטוו הנביאים מאדם ועד סוף העולם *Quicunque cultum extraneum exhibendum esse professus fuerit, certe is renunciat non modo legi universae, sed & universis prophetis, atque imperatis quaecunque acceperint prophetae, ab Ada hominum primo usque ad finem seculi. Quisquis autem cultui extraneo renunciaverit, is professione agnoscit legem universam, uti & prophetas universos, & imperata quaecunque acceperint prophetae ab Ada usque in finem seculi.* Nimirum, dum unicum agnoscit quis Deum, nec praeter eum alium omnino colendum (quod hic est cultui extraneo renuntiare, seu exhibendum eum esse prorsus nolle) imperium simul ejus atque autoritatem, adeoque legis universae tam rerum initiis aequaevae quam postea divinitus acceptae, atque prophetiarum, qualescunque nimirum fuerint, & quatenus ex eodem imperio atque autoritate pendent, vim palam innuunt illum agnoscere; idololatram vero, seu qui creaturae qualemcunque pro divino exhiberi velit cultum, sic, quantum in se est, aliud in rerum natura facere aut admittere, praeter illud quod revera unicum est, sive socium sive medioxumum numen, ut unici illius creatoris rectorisque, a quo ejusmodi cultus sub ipsa creatione expressim est interdictus, imperio simplici, qua simplex est, plane renunciet, seu vim ejus mandata sortiri, qua satis obstringantur homines, diffiteatur: perinde scilicet ac si omnimodo juri,

[l] Numer. xi. 16. & Deut. xvii. 10. [m] Misna tit. *Sanhedrin* cap. 10. [n] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Succa* cap. 4. fol. 54. col. 2. ad tit. *Shebuth* fol. 33. col. 2. Halach 7. ad cap. 1. tit. de Sabbato, fol. 3. col. 4. ad cap. 8. tit. *Cethuboth* fol. 32. col. 3. Halach 11. [o] Gemar. Hierosolymit. ad tit. de Sabbato cap. 1. fol. 3. col. 4. [p] Concio D. Petro tributa apud Clem. Alexand. Strom. 6. D. Hieronym. Epist. 151. ad Algasiam quaest. 10 & videsis Baronium Ann. Chr, 60. [q] Lib. 4. cap. 7. [r] Lib. 2. de Synedrio magno cap. 13. [s] Petronius in Catalectis, Plutarchus Symp. 4. cap. 5. videsis Syntagm. de diis Syris cap. 17. [t] Plutarch. loc. citat. Tacit. Hist. 5. Apion apud Josephum adv. eum lib. 2 videsis Petrum Crinitum de honesta disciplina lib. 1. cap. 9. [v] Exod. xiii. 13. [x] Satyr. 14. [y] Strabo lib. 16. [z] D. Matth. xxi 25 D. Luc. xv. 18. [a] Tit. de Judaeis, Coelicolis, &c. [b] Lib. 16. tit. 8. l. 19. [c] Maimonides Halach. *Aboda zarah* cap. 2. & videsis Gemaram Babylon. tit. *Nidarim*, cap. 3. fol. 25.

quod

quod non tam ex numinis ejuſmodi adſcititii quam veri ac unici inſtituto manaverit, vim ac autoritatem quae ſic obſtringat, dum utrumque vult coli, prorſus denegaret. Nam pro numine quomodocunque colere aliud quidpiam, eſſe pariter imperii divini ſaltem aliquatenus particeps illud facere, intelligunt: Adeoque ubi imperii participes ſunt bini, alterius, qua ſolum particeps eſt, autoritatem minorem ſimul admitti quam quae ſatis edictis obliget ſola. Atque ad hunc modum ſe habet hic magiſtrorum ſenſus, tum in ipſo idololatriae actu deſignando, tum in opinionis ſeu haereſis, qua quis ſine actu aliquo creaturam colendi eam colendam eſſe fuerit profeſſus, ſcelere deſignando. Tametſi interim haereſin ejuſmodi, ubi cultus ipſe actu non intervenit, maledictionis numinis ſpeciem faciunt, adeoque ad interdictum ejuſdem, quod Noachidarum ſeu naturalium ſecundum hic eſt, recte trahunt, ut inferius [d] oſtenditur. Illud vero praetereundum non eſt, ad ſpeciem primam earum quae ſuperius enumerantur idololatriae, id eſt, ad eam qua quis Deum ſibi novum invocaret, ſeu creaturae divinitatem tribueret, referri a magiſtris [e] id quod habetur in ſacris literis de infamibus magiae ſpeciebus [f] morte plectendis. Nam a magis ejuſmodi cultum divinum innuunt ſpiritibus neſcio quibus exhiberi aut divinitatem quadantenus tribui, dum quaſi numinis alicujus, ſeu ejus quod ſtatum rerum ordinem ac ſcientiam numinis inſtar ſupereminet, loco habentur. Maimonides [g], כל מכשף הוא עובד ע"ז בלא ספק אבל בדרכים מיוחדים זרים בלתי דרכי עברת ההמון לאלהות ההם: *Quilibet magus citra dubium eſt idololatra, modo tamen peculiari & diverſo ab eo quo vulgus idola colit.* Sed de magis quales diximus ſumendum eſt. Apud eum videſis hac de re plura; uti & quae de ariolis, auguribus, id genus farinae aliis occurrunt infra capite ſeptimo.

CAP. II.

Ex jure Ebraeis gentibuſque aliis partim imperativo partim interveniente (utrumque gentium jus hic vocamus) templa, & quae caetera ad cultum attinerent extraneum, in Ebraeorum ditione qualicunque diruenda, abolenda. Noachidis ex eodem jure interveniente non ibi permiſſa quae cultus ejuſmodi novandi anſam aliquatenus praebere poſſent, tametſi ex jure naturali ſeu hominum omnium communi omnino licita. Perſonarum, quae ſive e gentiliſmo in eorum ritus tranſirent, ſive ſedibus intra eorum ditiones gentium hoc jure fruerentur, conditio, ſtatus diſcrimina. Proſelytorum juſtitiae initiationis rituum, ut circumciſionis, baptiſmi, ſacrificii, vetuſtas, exempla: eorum ſcilicet qui ex hominibus liberis fiebant.

HActenus de cultus extranei interdicto naturali ſeu Noachidarum, id eſt, omnium pariter hominum communi. Ex inſtituto autem, non modo jus illud naturale ſeu omnium hominum gentiumque ex imperato numinis, juxta diſciplinam Ebraeorum, commune tradendum eſt, verum etiam anguſtius illud jus quod gentium in operis lemmate nuncupamus. Jus ſcilicet Noachidis ſeu gentibus finitimis, vicinis, aliis, ſive quae ſeu quarum pars aliqua ſolo Judaico ſedes haberent, ſive quibuſcum bellum gererent, ſive quae in eorum ditionem quoviſmodo tranſirent, ſeu foedere, pacto, uſu qualicunque cum ipſis jungerentur, ipſiſque tantummodo commune erat; idque ſive ex imperato etiam numinis ipſis atque aliis ejuſmodi, tametſi diverſimode, imperativum, ſive ex conſtitutionibus, pactis moribuſve ſolum ſuperinductis interveniens, nec ad alias omnino gentes ex autoritate ſui ullatenus diffuſum. Ex imperativo hoc jure ad cultum extraneum attinente diruenda ab Iſraelitis fuere gentium delubra, atque id genus caetera, cum univerſis eorum appendicibus. Legis verba ſunt, [a] *Diruetis omnia loca in quibus coluere gentes, quas poſſidebitis, deos ſuos, &c.* Quod de ſolo Iſraelitico tantum, ſeu terra promiſſa, ex ipſa legis indicatione, capiunt: non de terris aliis ſibi ſubactis. Aiunt enim, [b] מצוה לרדוף אחרי ע"ז עד שנאבד אותה מכל ארצנו אבל בחוצה לארץ אין אנו מצווין לרדוף אחריה: *Imperatum eſt nobis ut perſequamur cultum extraneum uſque dum eruatur e cuncta terra noſtra: at vero extra terram noſtram imperatum non eſt ut perſequamur eum.* Id etiam genus ſunt illa de foederibus aut pactis cum populis idola ibi colentibus non ineundis, quae in ſacris literis [c] obvia. Sed de pactis & foederibus ejuſmodi plura inferius; ubi de ſeptem populis ac jure belli & pacis imperativo & interveniente agitur. Haec autem ideo maxime imperata ſunt, ne idololatriae contagione facilius poſtmodum inquinarentur Iſraelitae. Quam legis ſacrae rationem imitati ipſi jus ſuperinduxerunt interveniens de omnimodis templis, aris, lucis, caeteriſque idolorum cultui ſacratis rebus diruendis abolendiſque, etiam in territorio qualicunque alio bello ſibi ſubacto. Nam tametſi de ejuſmodi territorio, quantum ad hanc rem, nihil in imperativo gentium hoc jure a numine expreſſim praeſtituebatur, attamen כל מקום שנכבוש אותו נאבד כל ע"ז שבו: *Quoties territorium ejuſmodi ſubactum eſt, aboleri in eo quicquid idolis eſt dicatum ex more ſolebat:* Adeo ut in eorum ditione idolorum cultus ex jure partim imperativo, partim interveniente quod diximus gentium omnimodus abolendus eſſet, nec magis Noachidis quam Iſraelitis permittendus. Etiam ex jure hoc interveniente poenarum fuere genera quibus ex ſententia forenſi Noachides, juxta capite ſuperiori dicta, in Ebraeorum ditione idololatra afficiebatur.

[d] Cap. 11. hujus libri. [e] Halach. *Aboda Zara*, cap. 6. [f] Exod. xxii. 18. Levitic. xx. 27. videſis de eis, juxta magiſtrorum placita, Paul. Fagium ad Levitic. xix. 31. Munſter. ad Levitic. xx. Conſtantin. l'Empereur in Notis ad Paraphraſ. Daniel. cap. ii. 2. [g] *More Nebochim*, part. 3. cap. 37. [a] Deuteron. xii. 2. Exod. xxxiv. 13. [b] Maimonides Halach. *Aboda Zara*, cap. 7. Moſ. Mikotzi Praecept. Affirm. 14. *Sepher Siphri*, fol. 39. col. 1. Miſna & Gemarae tit *Aboda Zara*, cap. 3. [c] Exod. xxxiv. 15. Deuter. vii. 2.

batur. Inde item idololatrarum consuetudinem, uti & commercii genus omne quod suspicionem sive de promovenda sive sustinenda idololatria injiceret, in vetitis [d] habebant. Quin neque Noachidis, nedum Israelitis, apud ipsos permissum est quidpiam quod ex civili & singulari Israelitis jure ideo vetitum, ne forte idololatriae animis in eam pronioribus occasionem seu ansam praeberet, utcunque per se seu jure Noachidarum aut naturali non omnino illicitum: idque ex jure quod diximus interveniente. Quale est illud ad calcem verborum ex Maimonide paulo post initium capitis superioris citatorum; scilicet, *Nec permittitur ei* (Noachidae, seu, *non permittunt eum) sive statuam erigere, sive lucum plantare, sive imagines facere, sive quae sunt id genus alia, ne quidem ornatus causa.* Neque enim id capiendum perinde ac si velint facultatem statuam erigendi, lucum plantandi, imagines faciendi Noachidae ex jure simpliciter suo, seu quod humani generis commune est, quemadmodum idola colendi, negari: Nam haec & ejusmodi qualiacunque extra territoria seu ditiones Israeliticas degentibus pro arbitrio, modo non in cultum extraneum, facere Noachidae licuisse non dubitabant. Cum vero in corpore Mosaico, praeter ipsum cultus extranei interdictum, quod universale est, non semel repetitum, compluria haberentur alia divinitus ideo ipsis posita, ut populus in idololatriam propensior non solum ab ea ipsa, sed etiam ab omnimodis rebus quae eam quovismodo in animos leviores forte revocare possent, penitus arceretur; quae tamen Noachidas, seu alios praeter ipsos, & qui in eorum ritus transierant, obstringere negant, utpote sibi peculiaria & solum posita; idcirco mos, pactum seu constitutio ipsis aliisque gentibus sibi commistis interveniens superinducta est ad eas ita regendas cohibendasque ut nec illis permitteretur quid in ditione Israelitica facere unde forsan velut ab exemplo seu invitamento aliterve idololatria sic prorsus abolenda recrudescere posset. Juxta etiam illud ipsi Mosi tributum apud Josephum [e], *Δεῖ μηδὲν εἶναι τοιοῦτον συγκεχωρημένον ἐξ οὗ κατὰ μίμησιν παρατροπή τις τῆς κατὰ τὴν πολιτείαν ἔσοιτο*, *Cavendum est ne quid ejusmodi permittatur ex cujus imitatione mores publici depravari queant.* Haec autem ut rite intelligantur, simul cum aliis quae de Noachidis, gentilibus, proselytis, inter Ebraeos seu in eorum ditione degentibus, ac de jure sive imperativo sive interveniente ad illos variatim spectante sequuntur, praemittere visum est personarum ejusmodi apud eos qualitatem & conditionem, ejusque discrimina, quibus non satis animadversis quicquid de jam memorato jure occurrerit in obscuro nimis & confuso remanebit. Hoc simulac praestitimus, ad statuas, lucos, imagines, qua locum hic habent, aliaque pariter ejusmodi tam Noachidis quam Israelitis ex jure illo interveniente interdicta redibimus. Bina fuere hominum ex Noachidis seu gentibus genera quibus sedes licitae in imperio Israelitico: Alterum eorum qui in ritus Ebraeorum prorsus transierant, seu juris Mosaici corpori nomina palam, admissi juxta modum statim indicatum, dederant: Alterum eorum quibus sedes ibi citra aliquam Judaismi professionem permissae. Prioris generis, alii conditionis seu status fuere liberi, quos גרים הצדק *proselytos justitiae* seu *justos* nuncupant, alii servi, alii demum libertini משוחררים dicti. De hisce ordine suo: Et primo de ritu hosce omnes utriusque generis admittendi seu initiandi, dein de admissionis seu initiationis effectu. Nam leges illas sacras quibus generatim imperatum est [f], *Si peregrinus fuerit apud vos*, לא תונו אותו *non vexabitis eum*, aliasque [g] quae breviter conceptae parilem omnino peregrini atque Ebraei conditionem facere videntur, ita interpretantur passim Talmudici ut sine distinctionibus aliquot subtilitatibusque a majoribus acceptis, quarum praecipuas saltem jam dabimus, ea nolint intelligi. Cum ex Noachide seu gentili conditionis liberae fiebat proselytus justus, id est, cum in foedus quod cum Israelitis jecerat numen recipiebatur gentilis, tria illa adhibebantur initiamenta, sine quibus nec ipsi Israelitae foedus illud, juxta receptam ipsorum sententiam, primo inierant, nimirum מילה טבילה וקרבן *circumcisio, ablutio* seu *baptismus, & oblatio* seu *sacrificium.* Qua de re etiam alibi [h] diximus, בשלשה inquiunt נכנסו ישראל לברית במילה בטבילה וקרבן *Tribus initiamentis inierunt Israelitae foedus, circumcisione, baptismo & oblatione.* Id docent passim Talmudici [i]. De circumcisione, tum qua ad Israelitas [k] spectabat, tum qua ad proselytos [l], nemini non constat. Baptismi in his initiamentis rationem seu primum testimonium sive usum in deserto, cum legem Deus O. M. erat traditurus, eliciunt ex illo ad Mosem [m], *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras; laventque vestimenta sua, ut sint parati in diem tertium. Quoniam in die tertio descendet Dominus in oculis totius populi super montem Sinai.* Et paulo post; *Descenditque Moses de monte ad populum, & sanctificavit eum; cumque lavissent vestimenta sua, ait ad eos, estote parati in diem tertium, &c.* Ita vestimentorum ablutione ipsorum qui vestiebantur ablutionem contineri [n] seu indicari volebant. Utcunque vero ratio seu origo sit petenda, de re ipsa, id est, de proselyti baptismo modo infra indicato adhibendo, uno consentiunt ore, ex majorum placitis ac more edocti. Oblationis jus huc afferunt, ex eo quod acceptam legem propediem sacrificia seu oblationes insequerentur. [o] *Et scripsit Moses omnia verba Domini, surgensque mane aedificavit altare sub monte, & duodecim statuas seu titulos secundum duodecim tribus Israel: misitque juvenes de filiis Israel, qui adduxerunt holocausta, & sacrificaverunt sacrificia pacifica Domino, nempe juvencos.* Proselyti vero cooptati oblatio seu initiationis sacrificium holocaustum erat, sive scilicet ex pecore, sive turtures aut columbi. Ita dum stetit templum: Nam eo exciso, tertium hoc initiamentum usque in ejusdem instaurationem comperendinatum volunt. Proselytae autem baptismo duntaxat & oblatione ini-

[d] Videsis Maimonid. Halach. *Aboda Zara*, cap 9. Mikotzi Praec Neg. 48. Joseph. Karo in *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*, cap. 143. & Mim. & Gemaras superius citatas. [e] Originum 4. cap. 8 [f] Exod xxii. 21. Levitic. xix. 33. & vide xxv 36. [g] Numer. xv 15 Videsis S. Thom. 1. secundae, quaest 105. art 3 Adde Constantin. l'Empereur in *Baba Kama*, cap 4. § 3. [h] De Successione in bona cap. 26. [i] Gemara Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap 4. fol. 46 a & tit. *Cerithoth*, cap 2 fol. 8 & 9. Maimonid. Halach. *Isuri bia*, cap. 13 & 14. Moses Mikotzi Praecept Negat 116. R. Joseph Karo in *Shulcan Aruch* tit. *Jore Dea*, cap. 268. [k] Genes. xvii. 10. [l] Exod. xii. 48. [m] Ibid. xix. 10. [n] Vide Levitic xi 25. & xiv. 47. & xv. 10. & xxii, &c. [o] Exod. xxiv. 4, 5.

tiabantur.

tiabantur. Unde & apud Gulielmum Pariſienſem [p] legitur, *Intrant mulieres in pactum Abrabrahae per quaedam baptiſmata & traditiones quae in corpore legis non inveniuntur.* Sed nec circumciſio ſola niſi accederet baptiſmus, neque hic niſi & illa accederet, proſelytum faciebat. Numerus item Iſraelitarum ternarius qui baptiſmo praeeſſent, uti & tempora, velut & alia idonea, praeſtituebantur. Nec baptiſmo ſolum verum etiam circumciſioni proſelyti ejuſmodi triumviros adeſſe debuiſſe volunt aliqui [q], eoſque omnes כשרים לדון *Qui rite judicia apud Ebraeos exercere poſſent*; id eſt, ſanguinis defaecatiſſimi Iſraelitas, etiam & juriſconſultos. Sed triumviri baptiſmo ſolum plerumque praeficiuntur, velut ritui cujus hic maxima ratio. Maimonides [r]; גר שמל ולא טבל או טבל ולא מל אינו גר עד שימול ויטבול • וצריך לטבול בפני שלשה והואיל והדבר צריך • בית דין אין מטבלין אותו בשבת ולא ביום טוב ולא בלילה ואם הטבילוהו הרי זה גר: *Proſelytus qui circumciditur nec tamen baptizatur, aut qui baptizatur nec circumciditur, proſelytus neutiquam habendus, antequam tam baptizetur quam circumcidatur. Neque legitimus erat baptiſmus niſi coram triumviris perageretur. Et cum actus ſit forenſis* (Triumviri nempe qui huic negotio ſic praeerant fori genus erant, ſive autoritate publica, ſive velut ex compromiſſo ſeu auſpiciis eorum quorum intererat, uti & in rebus aliis fieri aſſolebat, ſelectum) *ideo nec ſabbato baptiſmus rite ſatis adhibebatur, nec die feſto, nec noctu. Quibus temporibus nihilominus ſi forte adhiberetur, proſelytus quidem is erat qui ſic baptizatus.* Actus ſcilicet non irritus erat, tametſi fieri non debuiſſet. Quod de tempore adjicitur, ex ſingularibus ſeſſionum forenſium diebus & horis habetur. At vero ſi pauciores quam qui Triumvirorum numerum conſtituerent baptiſmo aderant, irritus [s] nec pro initiamento habebatur. Gentilem ſeu Noachidem qui in foedus hoc ſuum ſive pellectus ſive ultro recipi cupiebat (id quod להכנס ולהסתופף תחת כנפי השכינה non raro appellant, id eſt, *Intrare & tutam habere ſtationem ſub alis majeſtatis divinae*, & להכנס לקהל ישראל *introire in congregationem* ſeu *eccleſiam Iſrael*) de rei gravitate plurifariam monebant [t], de gentis cujus in ſocietatem cooptandus eſſet dignitate, de juſtorum mercede, poena impiorum, futuro ſeculo, praeceptorum Moſaicorum onere, id genus caeteris; diligenter etiam an ob ſimplicem Judaiſmi amorem in illum tranſire deſideraret explorantes. Quo rite peracto, poſt ſinceram Judaiſmi profeſſionem, eum circumcidebant; profeſſionem ſcilicet integram & perfectam totius Judaiſmi, & uniuſcujuſque legis Moſaicae capitis: Nam ſi unicum aliquod obſervare renueret, foedere ſacro arcebatur. Gemara Babylonia [v], גוי שבא לקבל דברי תורה חוץ מדבר אחד אין מקבלין אותו *Si gentilis adveniret ut in ſe ſuſciperet capita legis excepto unico aliquo, eum non admittebant:* Non ſcilicet in conditionem proſelyti juſtitiae, qualem hic tractamus. Si antea ex more ſive veterum AEgyptiorum [x], Iſmaelitarum, AEthiopum, Cholchorum, ſive aliorum, quorum in moribus circumciſio, aliterve fuiſſet circumciſus, eliciendum tamen fuiſſe plerumque [y] volunt דם ברית *ſanguinem foederis* ex praeeuntis circumciſionis cicatrice. Id quod etiam fieri ſolitum Samaritis, quando ex eis proſelytus factus, ſcribit Epiphanius [z]. Sed eos, id eſt Cuthaeos, in proſelyti juſtitiae jus ſeu conditionem olim non recipiendos ex edicto Ezrae ſcribit R. Eliezer [a], ob odium ſcilicet in eos inde natum quod urbis inſtaurationem pro viribus impedierant. Quod ſi נכרת הגיד אין מילתו מעכבת מלהתגייר וסגי ליה בטבילה *Abſciſſum forte* [b] *ante eſſet ei membrum virile, id non obſtabat quo minus proſelytus fieret. Sufficiebat ea in ſpecie ſolus baptiſmus*, quemadmodum in foeminis in Judaiſmum cooptandis. Circumciſioni proſelyti acceſſit, ut ritus appendix ſolennis, haec benedictionis formula [c], ברוך אתה ה׳ אלהים מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו למול את הגרים ולהטיף מהם דם ברית שאלמלא דם הברית לא נתקיימו שמים וארץ שנ׳ אם לא בריתי יומם ולילה חוקות שמים וארץ לא שמתי *Benedictus ſit Dominus Deus rex mundi, qui ſanctificavit nos praeceptis ſuis, & juſſit nos circumcidere proſelytos, & ex eis elicere ſanguinem foederis. Quia niſi ſanguis foederis fuiſſet, neutiquam firmata fuiſſent coelum & terra, juxta quod & dicitur* [d], *abſque pacto meo*, ſeu *foedere meo, fuiſſet, diem & noctem, leges coeli & telluris non poſueram.* Iſraelita qui proſelytum circumcidebat ſic benedictione praeibat; membro, dum ea pronunciabatur, ſi major aetate eſſet, obtecto. Benedictionem item adhibebant, ut actibus aliis pleriſque, Iſraelitarum circumciſioni. Sed ab hac, ut res ipſa poſtulavit, aliquantulum ea diſcrepabat. Veluti, *Benedictus*, &c. וצונו על המילה *& juſſit nos circumciſione uti*, & וצונו למול הבן *& juſſit nos filium circumcidere.* Prior nempe formula in uſu, cum quis alterius filium circumcideret; poſterior, cum ſuum. Atque aliam inſuper adjicere ſolebat pater. Aſtantes autem, tam ubi proſelytus quam cum Iſraelita circumciſus eſt, adclamabant, כשם שהכנסתו לברית כן תכניסנו לתורה ולחופה ולמעשים טובים *Quemadmodum introduxiſti eum in foedus, ſic introduc nos in legem, & protectionem* ſeu *ſalutem, & bona opera.* Abluendum autem proſelyti (quemadmodum uniuſcujuſque immundi) corpus omnino integrum erat [e], idque in מקוה מים *confluente* ſeu *conceptaculo aquarum* naturali, veluti fluvio, ſtagno, fonte. Cavendum item ne corporis particulae ulli maneret quid quod ejuſdem ablutionem impediret. Id חוצץ nuncupant, ſeu quod obſtat quo minus

[p] Lib. de legibus, cap 3. [q] *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea.* cap 268. 9 3. [r] Halach. *Iſuri bia* cap. 13. & cap. 14. & R. Jochanan Gemar Babylon. ad tit. *Jabimoth* cap. 4 fol. 46 a & videſis R. Moſem Bar Nachman in *Piruſh Tora* fol 213. b. [s] Talm. Hieroſolym. apud Moſ. Mikotzi praecept. negat. 116 Gemara Babylon. ad tit. *Jabimoth* cap 4. fol 47. b Gloſſ. Talmud. ad tit. *Cethuboth* cap. 1. fol. 11 a. [t] Gem. Babylon. tit. *Jabimoth* cap. 4. fol. 47. a. Alpheſius part. 2. fol. 419. loci alii ante citati. & videſis Gul. Schikard. de Jure Regio cap. 5 theorem 17. & Paraphraſ. Chald. Ruth. cap. 1. & Jarchium ibid. [v] Ad tit. *Becoroth* cap. 4 fol 30. b. [x] Joſephus lib. 8. c 4 Herodotus lib. 2 Origen. contra Celſum lib. 5. D. Ambroſ. in Levitic. cap. 12. 4. D. Hieronymus lib. 2. in Jeremiam cap. ix. a 11. vide Petrum Cunaeum de Rep. Hebraeor. lib. 3. cap. 5. [y] Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth* cap. 4. fol 47. a Maimonid. & Mikotzi locis citatis, & Halach. *Milla* cap. 1. § 7. & vide ibi citata a R. Jom. Tob in *Migdol oz.* [z] Lib. de Ponderibus & Menſuris & vide Gemar. Hieroſolymit. ad tit. *Sabbath* cap. 18. fol. 17. col. 1. [a] Perek. 38. & videſis Jo Morin Exercit. in Pentat. Samarit 1. cap. 2. [b] *Schulcan Aruch* lib. *Jore Dea* cap. 268. § 1. [c] Maimonides Halach. *Milla* cap. 3. § 4. [d] Jerem. xxxiii. 25. [e] Maimonides Halach. *Iſuri bia* cap. 13. & tunc vide cap. 11. & dein eundem Halach. *Mikuaoth* cap. 1, 2, &c.

integrum

integrum corpus, ejusve (quod idem hic est) tota superficies, pariter abluatur. In hoc genere enumerant oculorum mucum, cicatricum crustulas, sanguinem induratum, aliasque sordes cuti adhaerentes perplurimas. Scilicet voluere aqua passim continua corpus ablui. Unde aiunt res שהמים באין בהן *per quas transit aqua* (veluti etiam vestium aliquot genera) aut שלא מבדלין בין הגוף ובין המים *quae corpus & aquam non interveniebant*, seu *hanc ab illo non separabant*, אין חוצצין *ablutionem non impedire.* Subtilitates hic habent non paucas de מקוה מים הכשר לטבילה *confluente* seu *conceptaculo aquarum quod baptismo rite posset adhiberi*; in quibus nihil minus admittunt quam ut aqua hausta aut conceptaculis artificiosis recepta quis rite omnino sive ut proselytus sive aliter mundaretur, nisi ubi forte pauxillulum haustae in conceptaculum naturale alius idoneum incideret. Et quoties conceptaculum aquae ipsum ejusmodi non erat ut rite in eo esset lavandum, aut per res quales diximus, aquam ad corporis superficiem non admittentes, integrum corpus non baptizabatur, לא עלתה לו טבילה *baptismus lavato non profuit*, seu *irritus habebatur.* Baptismus autem non adhibebatur antequam circumcisionis vulnusculum integre resanaretur. Tunc eum baptismo suscipiebant ita ut, dum in aqua stabat ipse, Triumviri superne inclinarent super eum tam graviora aliquot quam leviora praeceptorum binis vicibus explicantes. Ita etiam praecepta aliquot utriusque generis explicabant ubi proselyta baptismo erat initianda. In praeceptorum autem corpore, quod obiter monendum graviora, quae חמורות vocant, הן שחייבין עליהם מיתת ב"ד או כרת ושבועת שוא ושקר אף על פי שאין בהן כרת הרי הן מן החמורות *Quorum*[f] *violationi imminebat sive ultimum supplicium ex sententia forensi infligendum sive excisio* (de qua plura inferius) *uti etiam praecepta de juramento vano & falso, quibus tametsi non adjiceretur excisionis poena, inter graviora sunt nihilominus etiam numeranda.* De levioribus vero, quae קלות nuncupant, post graviora sic designata, ושאר inquiunt, מצות לא תעשה ומצות עשה שאין בהן כרת הם הקלות *Caetera praecepta negativa & affirmativa, quorum violationi excisio non imminet, leviora sunt.* Foemina in aquis collocabatur collo tenus a foeminis tantum quae eam lavarent, dum adstabant triumviri baptismum rite observantes, quibus pudoris causa facies avertendae abeundumque ipsa ex aquis ascendente. Ita autem baptizatus benedictione[g] usus est etiam ipse simulac e lavacro ascenderat, eaque על הטבילה seu *ob baptismum.* Cave putes baptismum seu ablutionem hanc commune quid, praeter ipsas aquas, habuisse cum quotidianis illis Judaeorum lavacris, de quibus Tertullianus[h], alii[i]. *Semel*, inquit Tertullianus, *lavacrum inimus christiani, semel delicta diluuntur, quia iterari non oportet. Caeterum Israel Judaeus quotidie lavat, quia quotidie inquinatur. Quod ne in nobis quoque factitaretur, propterea de uno lavacro definitum est.* Verum quidem est, quotidianis ablutionibus, uti hodieque, assuetos olim esse Judaeos. At vero solennis illa qua proselytus justus fiebat unica tantum erat. Rite peracta, neque ex minoris proselyti, postquam aetatem compleverat, dissensu, ut mox dicetur, irrita habita est. Nunquam iterabatur, ne quidem in posteris. Adeo ut plane de uno lavacro etiam apud Judaeos, dum de eo quod initiationis erat loquimur, fuerit definitum. Nec si proselytus aetate major initiatus, ut apostata, Judaismo renuntiasset, unquam iterandus erat ei baptismus. Atque hoc demum erat προσήλυτον ποιεῖν, *proselytum facere*, quae locutionis formula in evangelio[k]. Ut gentiles majores ad hunc modum ex animi sui sententia proselyti fiebant, ita minores (masculi ante annum decimum tertium praeter diem unicum, foeminae ante duodecimum & diem insuper expletum) ex sententia sive patris sive fori cui suberant, in Judaismum pariter cooptati. Atque actus tam forensis quam paternus assensum eorum tum in circumcisione[l] & baptismo tum in sacrificio offerendo, quod sequebatur, supplebat. Nempe[m] גר קטן מטבילין אותו על דעת בית דין שזכות הוא לו *Proselytum minorem baptizabant ex sententia fori, quia in commodum ejus res cessit.* Nimirum quod in minoris commodum cedebat, quoniam ipse לא בר דיעה הוא *Filius assensus non erat*, seu *rite assentire nequibat*, id ita ex fori sententia, quae assensus minoris vicem obtinuit, perficiendum. Idem de fatuo[n] jus. Si vero minor, simulac aetatem compleverat, Judaismo renunciasset, nec eum omnino, postquam major erat, fuisset amplexus, ita dein evanuit[o] quicquid accesserat per initiamenta quibus ex assensu sive paterno sive forensi cooptatus est, ut in gentilis plane conditionem rediret. Nominantur proselyti hujusmodi justi in sacris literis[p] non raro גרים הגרים בתוככם προσήλυτοι προσκείμενοι ὑμῖν *Proselyti vobis adjecti*, seu *juris vestri participes*, ut Hellenistae, qui in eundem sensum idem aliter subinde reddunt. Item גר אשר בשעריך, *proselytus*, seu *advena*, *qui in portis tuis*, hujusmodi proselytum interdum, ut in decalogo, denotat. Alias habent[q] ejusmodi designationes. Interdum etiam simpliciter גרים dicuntur, seu *advenae*, ex re circa quam versatur nomen discriminati ab illis qui proselyti domicilii erant; de quibus infra. Unde fit ut quoties simplex nomen גר seu *proselyti* in lege sacra aliqua simul occurrit cum nomine אזרח *indigenae*, neque objectum ipsum legis omnium hominum alias commune est seu naturale, non magis indigenam pro Ebraeo seu Israelita originario sumant quam proselytum pro proselyto tantum justo, seu, quod idem est, pro בן ברית *filio foederis.* Legis verba sunt; *Et omnis*[r] *anima quae comederit cadaver aut raptum a bestia*, באזרח ובגר, *sive indigena fuerit, sive peregrinus, lavabit vestimenta sua, &c.* Ibi in commentariis priscis[s], וכל נפש יכול אף הגוי ת"ל גר אי גר יכול אף גר תושב ת"ל אזרח מה אזרח בן ברית אף גר בן ברית: Et omnis anima; *quibus verbis comprehendi*

[f] Maimonides Halac. *Thesuba*, cap. 1. [g] *Shulcan Aruch* lib *Jore Dea*, cap. 268. §. 2. [h] Lib. de baptismo. cap. 15. [i] Petrus Blesensis advers. perfidiam Judaeorum cap. 26. [k] Matth. xxiii. 15. [l] Vide 1 Maccab. ii. 46. [m] Gemar. Babylon ad tit. *Cethuboth*, cap. 1. fol 11 a. & Gloss ibidem. Maimonid Halach. *Issuri bia cap.* 13. *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea*, cap. 268. §. 7, & 8. [n] *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea*, cap 267. §. 6. [o] Idem ib. cap. 268. § 7, & 8. & Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 10. [p] Levitic. xvi. 29. xvii. 8 xxv. 6. Exod. xii, 49. Num. xv. 14, &c. & videsis gloss. Jarchi ad Levit. xxiv. 10. [q] Videsis R. David Kimchi in Josua cap. 8. 35. [r] Levitic. xvii. penult. [s] Sepher Siphra col. 171. & Pesiktha Zotertha fol. 23. col. 2.

forſan videatur etiam gentilis. Sed animadvertendus eſt proſelyti *nominis hic uſus. Quid proſelytus? Eo nomine venire videatur etiam forſan proſelytus domicilii. Sed animadverte* indigenae *nomen conjungi. Quid autem eo in loco indigena? Certe filius foederis. Unde &* proſelytus *ibi eſt filius foederis.* Scriptoribus etiam chriſtianis proſelyti juſti Γειῶραι οἱ ἐπίμικτοι *proſelyti immiſti* interdum nuncupantur, ut habetur apud Euſebium [t], alios. Sed vero nomen quidem proſelyti juſti tribuunt interdum nonnullis ad quorum initiamenta juxta rationes memoratas ritus jam dicti omnes attinere nequibant. Nam & Abraham ipſe, quocum primo circumciſionis foedus initum eſt, ita comperio [v] appellatum. Poſtquam autem rationes quas de baptiſmi & oblationis initiis afferunt, natae ſunt, primus, quantum obſervavi, qui in proſelytis juſtitiae nomine memoratur, eſt Jethro Moſis ſocer. In *Semoth Rabba* [x] legitur eum dictum fuiſſe Jether (& polyonymum fuiſſe certo ſcimus) כשהוא גוי שנ׳ וישב אל יתר חותנו ומשנתגייר הוסף לו אות אחרת כשם שעשה לאברהם ונקרא יתרו *Dum gentilis* ſeu *paganus fuit, juxta illud quod in ſacro* [y] *habetur ſermone,* & reverſus eſt ad Jether ſocerum ſuum. *Simulac autem factus eſt proſelytus, litera unica adjecta eſt illi, uti & olim Abrahae, & vocatus eſt* Jethro. Proſelytum item eum factum ait Gemara [z] Babylonia. Et in tabulis apud Judaeos genealogicis ſub Chriſti tempora fuere quae ſtemmata proſelytorum [a] τῶν ἀπ' Αἰγύπτου συνεκπεσόντων ἐπιμικτῶν, *qui ex AEgypto, patriis renunciantes inſtitutis, commiſcebantur cum Iſraelitis.* Quin AEgyptium illum בתוך בני ישראל *inter filios Iſrael* [b], blaſphemi patrem, proſelytum fuiſſe vult Jarchius. Nam ad vocabula ea is; מלמד שנתגייר *inde diſcendum eſt eum proſelytum factum eſſe:* Quod tamen pro argumento neceſſario capi nolunt alii [c]. Sed & quamplurimos factos eſſe proſelytos Moſis tempore memorat Philo [d], uti & D. Ambroſius, qui, *foeneravit,* inquit [e], *Moyſes gentibus, qui proſelytos acquiſivit.* Obſervant etiam ad illud Joſuae [f] de Rahaba patreque ejus ac matre, *poſitos fuiſſe extra caſtra Iſraelitarum,* ibi poſitos eſſe & relictos [g] עד שותגיירו וישובו לדת ישראל ואחר שנתגיירו ישובו בתוך ישואל כמו שאמר ותשב בקרב ישראל עד היום הזה *uſque dum proſelyti fierent & Judaiſmum ſuſciperent. Proſelyti autem facti ſedes habuere inter Iſraelitas, juxta illud,* "& habitavit inter Iſraelitas uſque in diem hodiernum". De Rutha Moabitide item proſelyta facta luculentum eſt in paraphraſi ejuſdem hiſtoriolae ſacrae Chaldaica [h] (cui hic magiſtri concordes) teſtimonium. Et de Nabuzardane, aliis, in Gemara [i] Babylonia. De ſequentibus ſeculis plura ſuis in locis obiter dicentur. Legitur autem in Gemara Babylonia [k], לא קבלו גרים לא בימי דוד ולא בימי שלמה *In more poſitum non erat proſelytos admittere* ſeu *recipere aut Davidis tempore aut Salomonis.* Quod a clariſſimi nominis magiſtris [l] ad hunc modum explicatur. Proſelyti hujuſmodi nomine initiari debuit nemo qui ſive honoris ſive opum ſive timoris aliave id genus cauſa in Judaiſmum voluit tranſire. Et כל inquit Maimonides, החוזר מן הגוים בשביל דבר מהבלי העולם אינו מגירי הצדק *Quiſquis e gentiliſmo tranſit ob vanitatem ſeculi, inter proſelytos juſtitiae non eſt connumerandus.* Mutationem vitae & religionis hujuſmodi inire debuit מאהבה ומלב שלם *ex amore ſincero & integro corde ac animo.* Id quod ſatis credebatur fieri quoties amoris ejuſmodi indicia in ipſis initiamentis juxta ſuperius dicta manifeſto haberentur. Timoris autem cauſa complures e gentibus, ait ille, Davidis tempore, uti & cauſa honoris atque opulentiae, quam in regno florentiſſimo futuram ſpe devoraſſent, tempore Salomonis a triumviris quidem ſive ex compromiſſo ſive ex autoritate principali conſtitutis ita initiatos fuiſſe ut nec circumciſio, nec baptiſmus, nec oblatio quidem deeſſet: attamen aut amoris animique erga Judaiſmum ſinceri profeſſionem tunc non praeceſſiſſe, aut de ejuſdem ſimulatione fuiſſe meritiſſimo praeſumendum. Ubi enim ea praeceſſerat, nec de ſimulatione erat praeſumendum, initiatio undiquaque, peractis quos diximus ritibus, legitima erat. At vero ſi aut non praeceſſerat, aut de ſimulatione praeſumebatur, tametſi ex ipſis ſolum ritibus illis, hoc nomine nunquam iterandis, velut ex opere, ut loquimur in ſcholis, operato fieret quidem quis proſelytus juſtus, adeoque inde ſic eſſet indigitandus, & יצא מכלל הגוים *ex gentium univerſitate eximeretur,* nihilominus publice non admittebatur antequam ex ſententia fori ſive ſupremi, quod ſynedrium erat LXXI virum, ſive XXIII viralis ſynedrii cui ſuberat, conſtaret de juſtitia ejus, id eſt, aut nomen eum Judaiſmo ultro atque ejuſdem ſolum ob amorem dediſſe, aut jam initiatum Judaicam religionem libenter amplecti liqueret. Unde & Maimonides, גר שלא בדקו אחריו או שלא הודיעוהו המצות ועונשן ומל וטבל בפני שלשה הדיוטות הרי זה גר ׳ אפילו נודע שבשביל דבר הוא מתגייר הואיל ומל וטבל יצא מכלל הגוים וחוששין לו עד שיתבאר צדקותו׳ *Ubi in proſelyto initiando de animo ejus ſolicitius non inquiritur, nec praecepta vel poenae ei explicantur, ſed nihilominus adhibetur circumciſio & baptiſmus coram triumviris e vulgo adſcitis, is quidem proſelytus eſt, idque tametſi manifeſtum fuerit eum in Judaiſmum tranſiſſe lucri ſeu alia ejuſmodi cauſa: Quoniam enim circumciſus eſt & baptizatus, eximitur ex univerſitate gentium, ſed diligentius eum obſervant, nec publice agnoſcunt antequam de juſtitia ejus ſatis conſtet.* Quin ſi in gentium idololatriam relaberetur, habebatur כישראל משומד *veluti Iſraelites apoſtata,* & non ut gentilis. Jam vero quod ad illud attinet de proſelytis tempore Davidis & Salomonis non receptis, adjiciunt, in foro, id eſt autoritate publica, tunc quales diximus initiatos, non quidem receptos fuiſſe antequam de juſtitia eorum conſtaret, nec tamen rejectos cauſa jam memorata. Verba Maimonidis; לא קבלו בית דין גרים כל ימי דוד ושלמה *Non recipiebat forum proſelytos toto tempore Davidis & Salomonis.* Caeterum inquit, היו גרים הרבה מתגיירים בימי דוד ושלמה בפני הדיוטות והיו בית דין הגדול חוששין

[t] Eccleſ. hiſt. lib. 1. cap. 7. [v] *Machzor,* part. 1. fol. 150. b. & 175. b. [x] Paraſh. 27. [y] Exod. iv. 18. [z] Ad tit. *Zebachim,* cap. 14. fol. 116. a. [a] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. 1. cap. 7. [b] Levitic. xxiv. 10. [c] Nachmanides in *Piruſh Tora,* fol. 213. b. [d] Lib. 1. de Monarchia. [e] Lib. de Tobia cap. 19. [f] Cap. 6. 23. [g] R. David Kimchi ad dict. locum. [h] Cap. 1. & 2. [i] Ad tit. *Sanhedrin,* cap. 10. fol. 96. b. & vide J. Cochii Excerpt. p. 330. [k] Ad tit. *Jabimoth,* fol. 76. a. [l] Maimonid. Halach. *Iſuri bia,* cap. 13.

 להם

להם לא דוחין אותן אחר שטבלו מכל מקום ולא מקריבין אותן עד שתראה אחריתם׃ *Complures fuere proselyti initiati tempore Davidis & Salomonis a privatis* (scilicet triumviris sive ex compromisso sive ex autoritate principali, non autem forensi seu ordinaria, constitutis) *sed synedrium magnum* (cujus imperio suberant caetera quae fuere) *hos ita voluit observatos exploratosque, ut nec eos rejiceret, quoniam baptizati utcunque fuerant, nec interea eos publice vellet admitti usque dum insequentis vitae ratio satis eam in rem innotesceret.* Cum vero tunc initiatorum aut nullus aut quam paucissimi pristina ita exuerent vitae instituta ut revera Judaismum amplecti viderentur, ideo nec publice in proselytorum censum admissi sunt, nec sive juris Israelitici, ut videtur, praerogativis, quatenus earum alias participes fuere, uti, sive idem violare permissi. Atque ex ejusmodi proselytorum justitiae sive admissione sive rejectione, pro eorum qui rebus praeerant arbitrio, intelligendum est rescriptum Theodosii, Arcadii & Honorii AAA. ad Tatianum praefectum praetorio, de quibusdam qui illis etiam in seculis (quibus ita floruere Judaeorum in oriente res, utcunque afflictae majorum fuissent, ut post excidium templi nunquam clarius) autoritate judicum recepti sunt in sectam Judaicam, reclamantibus legis eorum primatibus. Verba sunt, [m] *Judaeorum querelae, quosdam autoritate judicum recipi in sectam suam, reclamantibus legis suae primatibus, adseverant, quos ipsi judicio suo ac voluntate projiciunt: quam omnino submoveri jubemus injuriam, nec eorum in ea superstitione sedulus coetus, aut per vim judicum, aut rescripti subreptione, invitis primatibus suis, quos virorum clarissimorum & inlustrium patriarcharum arbitrio manifestum est habere suam de religione sententiam, opem reconciliationis mereantur indebitae. Dat.* XV. *Kal. Maii Constantinop. Arcadio A.* II. *& Rufino Coss.* Et hac de re plura libro quinto, ubi de Salomonis uxoribus aliisque ex gentilibus sumptis agitur. Certe & tempore Mordecai in Susis complures proselytos hujusmodi timoris causa factos docet scriptura. Verba sunt [n], ורבים מעמי הארץ מתיהדים כי נפל פחד היהודים עליהם׃ *Et multi ex populis terrae facti sunt Judaei, quoniam pavor Judaeorum super eos.* Quo de loco vide plura capite inferius quarto. Exemplum etiam habetur illustre de tota Idumaeorum gente, quae patriae retinendae causa ex edicto Joannis Hyrcani in Judaismum transierunt. Nam circumcidi, utpote ex Abrahae posteris, antea [o] soliti avitum illum morem exuerant. Cum subegerat scilicet Hyrcanus Idumaeos, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς (sic Josephus [p]) μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. Οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίου γῆς καὶ τὴν περιτομὴν καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι· κἀκεῖνος αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρχεν, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, *Edixit mansuros illos in patria, si circumcidi & legibus Judaicis uti vellent. Illi autem amore patriae ducti & circumcisionem & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formulam admiserunt. Atque eo tempore eis contigit ut deinceps Judaei essent.* Inde etiam Straboni [q], Stephano [r], Ammonio [s] inter Judaeos censiti Idumaei. Sed & Ammonius diserte ait eos coactos esse in Judaismum transire. Affirmant etiam inter Talmudicos aliqui Neronem Caesarem [t] & Antoninum Pium [v] proselytos esse factos; qua de re non disputo. Certe memorat Dio Cassius [x], cum Judaeis tempore Hadriani complures alias gentes lucri cupiditate conjungi & tumultuari, ac fere ob eam causam omnem orbem terrarum commoveri. Quod de proselytis justitiae, si non de christianis, dictum. Nam aliorum illo in seculo consuetudinem, qua fieri potuit, non admisere Judaei, ut fusius ostenditur infra capite quinto. Jam accedat hic mos Ebraeorum etiam recentiorum proselytos juxta traditiones majorum admittendi, quemadmodum a Ludovico Mutinensi, Rabbino Veneto, describitur. *Si alcune*, sic ille [y], *volesse farsi Hebraeo, primo sono tenuti tre Rabbini, o persone di autorità, interrogarlo sottelmente, che cosa lo move a far questa rissolutione, e intender bene se fosse a qualche fine mondano, che devono licentiarlo, e poi protestarlo con notificarlo che la legge Mosaica é strettissima, e che gl' Hebrei al presente sono abietti e vili, & esortalo che meglio sarebbe ch' egli se ne stasse nel stato che si trova. Stando saldo a questo esame, e protesto, si circoncide, e come e sano, si bagna tutto in acqua, sempre alla presentia di quelli tre predetti, e resta con cio Hebreo come gli altri.* Et de proselytis justis seu justitiae dici solitis, id est, gentilibus conditionis liberae Judaismo initiandis, hactenus.

CAP. III.

De servis & libertinis e gentilibus Judaismo initiandis. De proselytis domicilii, seu gentilibus tum servis tum liberis quibus citra Judaismi professionem sedes in Ebraeorum ditione permissae, rite admittendis. Admissio ejusmodi solennis post captivitatem Babylonicam, seu postquam sui juris satis esse desierant Ebraei, non in usu. Alii postmodum instar ejusmodi proselytorum Ebraeis in solo Israelitico, praeter gentiles idololatras, permisti.

DE servis initiatis Judaismo proxime dicendum. Ii fuere ex gentilibus emptitii aliave ex causa ejusmodi adquisiti, aut ex ancillis domini nondum in Judaismum cooptatis domi nati. Quemadmodum vero a parentibus ingenuis filii, ita a dominis servi ejusmodi circumcidi debebant. Atque ut filius a patre, ita servus qualem diximus domi natus, die octavo; adquisitus, si minor, simulac adquirebatur. Ejusmodi officio si

[m] Cod. Theodos. lib. 16. tit. 8 l. 8. [n] Esther viii. 17. [o] Vide Hierem. cap. 9. ult. & ibi D. Hieronymum. Lutherum lib. de Judaeis & eorum mendaciis. Hugon. Grotium de Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 1. § 16, &c. [p] Originum lib. 13. cap. 17. [q] Geogr. lib. 16. [r] In Ἰουδαῖοι. [s] Lib. de Differ. verborum. [t] Videsis Gemar. Babylon. ad tit. *Gittin*, cap 5. 56. a. *Sepher Juchasin*, fol. 41. a. *Tzemach David*, part. 2. fol. 24. a. [v] Gemar. Hierosolymitana ad tit. *Megitta*, cap. 3. fol. 74. col. 1. hal. 2 & ad tit, *Sanhedrin*, cap. penult. fol. 29, col. 3. hal, 6. [x] Histor. 69. [y] Historia de gli riti Hebraici, part. 5. cap. 2.

deesset

deeſſet ſive pater ſive dominus, ex ſententia forenſi [a] res erat peragenda. Servus ejuſmodi major, quamprimum ipſe Judaiſmo nomen dare voluit, nec ante, circumcidebatur. Sed uterque modo qualem diximus erat baptiſmo item ſuſcipiendus, & oblatio, ut in proſelytis juſtitiae initiandis, ſequebatur. Caeterum niſi libertate in ipſo actu baptiſmi donandus eſſet, diſertis verbis baptizabatur לשם עבדות *nomine ſervitutis retentae.* Domino hic cavendum erat ne ſervus major in praeſentia ejus [b] baptiſmo ſuſceptus profiteretur triumviris שטיבל בפניהם לשם בן חורין או לשם גירות: *Se baptizari coram illis nomine*, ſeu *in nomen, ingenui liberive, aut nomine juris proſelyti*, id eſt, ut libertatem ſeu integrum proſelyti juſti jus ſibi nanciſceretur, atque ita ex aquis libere aſcenderet. Sic enim יצא לחירות *liber fiebat*, ſeu *in libertinitatem tranſibat*, & תימגר גרותו *integer reddebatur proſelytiſmus ejus*; adhibito interdum ex ſententia forenſi, quae abnuentem dominum coerceret, גט שחרור ſeu *manumiſſionis libello*, qui ſemper libertati plene adquirendae neceſſarius. Qua de re, uti etiam de perſonarum dominio, plura libro ſexto. Ex more igitur, dominus eum ſuperne inclinans in aquis cohibuit, nec aſcendere ſivit, uſque dum verbis ſive domini ſive ipſius diſertis baptiſmum nomine ſervitutis retentae fieri pronunciaretur. Servi circumciſioni benedictio etiam acceſſit [c], qualis proſelytorum juſtitiae ſuperius oſtenſa; ſi nempe proſelytorum in ea nomen in ſervorum mutetur. Baptizatus item benedicendus [d] erat. Sed alii volunt a domino, niſi in ipſo baptiſmi actu manumitteretur, non ab ipſo, uti a proſelyto, benedictionem adhibendam. Libertini fuere qui ſive in ipſo baptiſmi, quem diximus, actu, ſive poſtmodum, libertate a dominis donati. Si in ipſo baptiſmi actu, quomodo id fieret ex jam dictis liquet. Si poſtea, alius acceſſit baptiſmus לשם חירות *nomine libertinitatis*, iſque coram triumviris, ut prior. Sed juxta nonnullos, ex jure ſeu moribus receptis haud ita neceſſarius erat hic ad libertinitatem baptiſmus ſecundus. Utcunque, nova Judaiſmi profeſſione in baptiſmo ejuſmodi opus non erat. Sexus hic diſcrimen non aliud atque in proſelytis juſtitiae initiandis; de quibus capite ſuperiore. Minorem ſeu infantem e gentibus captum, aut forte repertum, Iſraelitae qui poſſideret integrum erat ſive in ingenuitatem, ſive in ſervitutem, ſive in libertinitatem baptizare. Maimonides [e]; ישראל שתקף גוי קטן׳ או מצא תינוק גוי והטבילו לשם גר הרי זה גר׳ לשם עבד הרי זה עבד׳ לשם בן חורין הרי זה בן חורין: *Si Iſraelita ceperit gentilem minorem, aut infantem e gentilibus repererit, eumque baptizari fecerit in nomen proſelyti, is proſelytus fit* juſtitiae; *ſi in nomen ſervi, ſervus eſt*; *ſi in nomen libertini, libertinus.* Servus autem major qui initiamenta haec ſeu Judaiſmum renueret, gentilibus retro vendendus [f] erat, ſi modo per annum integrum, a domino ſaepius iterata ut ſuſciperet Judaiſmum monitione, contumax perſiſteret: Ita nihilominus ut, ſi ea conditione primo expreſſim adjecta emptus eſſet ut circumciſionis expers ſerviret, eo ſolum initiatus modo quo gentiles quibus ſedes rite in ditione Iſraelitica citra aliquam Judaiſmi profeſſionem permiſſae, tunc ſic initiatus apud Iſraelitas ſervire permitteretur. Caeterum ſi ejuſmodi etiam detrectaret initiationem, veluti ne tantillum luce dignus, morte erat damnandus. Quod vero ad ſecundum hic genus perſonarum ſeu gentiles illos demum attinet quibus ſedes & habitatio in ditione Iſraelitica citra Judaiſmi profeſſionem permiſſa eſt, eorum ratio habenda eſt duplex. Aut tempore quo floruit ſuique prorſus juris manſit Ebraeorum ſtatus, veluti ſub Davide, Salomone, & ſi quae ſunt alia id genus tempora; aut tempore rerum eorum acciſarum imperiique admodum imminuti, ut ſub Romanis, aliiſque etiam ante ſeculis. Tempore priori, permiſſae ſunt in ditione Iſraelitica ſedes iis tantum qui juris Noachidarum ſeu naturalis, quod ſupra & in ſequentibus fuſius indicatur, ejuſque capitum ſeptem, ſecundum Ebraeorum mentem, obſervationi nomina dederant, גרים תושבים *advenae* ſeu *proſelyti inhabitantes*, ſeu *proſelyti domicilii*, ſeu *inquilini*, dici ſoliti. Gentili enim idololatriae, ſeu qui ſeptem illius juris praeceptis nomen non dederat, ſedes & domicilium in ditione ſua, dum juris plane ſui erant, negabant. Quin in ſolo Iſraelitico [g] ne hoſpitio quidem volebant excipi. De proſelyto autem hujuſmodi, juxta doctrinam Talmudicam, Maimonides [h]; אי זה הוא גר תושב זה גוי שקבל עליו שלא יעבוד עכ״ום עם שאר המצות שנצטוו בני נח ולא מל ולא טבל הרו זה מקבלין אותו והוא מחסידי אומות העולם׳ ולמה נקרא שמו תושב לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל: *Qualiſnam eſt is quem proſelytum domicilii*, ſeu *inhabitantem, vocamus?* (Ut ſcilicet a proſelyto juſtitiae diſcriminetur.) *Is gentilis erat qui in ſe ſuſceperat a cultu extraneo abſtinere, ac caetera obſervare quae in Noachidarum ſeu omnium hominum communi jure continentur. Nec circumcidebatur ille, nec baptizabatur*; *ſed admittebant eum veluti unum ex piis e gentibus mundi. Ideo autem nuncupatur inhabitans* ſeu *inquilinus, quoniam licuit nobis ei ſedes inter nos aſſignare in territorio Iſraelitico.* Alii tantundem. Hinc Judaeus qui nuperrime ſcripſit [i] גר תושב *proſelytum domicilii*, ſeu qui ſeptem quae tractamus praecepta in ſe receperat, vocat *peregrino moradiſo que podia morar con Iſrael*, id eſt, *peregrinum* (ut ipſe vertit) *habitantem, quia in Iſraele morari poterat.* Quin Maimonides vult nec tranſitum quidem per ditiones Iſraeliticas gentili ex jure permiſſum olim, quoties florebat & ſui plane juris erat Ebraeorum ſtatus, niſi is ſimili profeſſione cultui extraneo renuncians caetera etiam praecepta juris Noachidarum ſeptem in ſe reciperet. Poſtquam enim de vulgaribus commerciorum aliquot officiorumque generibus inter Iſraelitas & gentiles qui hactenus cultui extraneo non renunciaverant ſeculis recentioribus

[a] Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap. 4. fol. 47, & 48. Maimonid. Halach. *Iſuri bia*, cap. 13. & Halach. *Milla*, cap. 1. Moſes Mikotzi Praec. Negat. 116. *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea*, cap. 267. [b] Dict. Gemara, fol. 46. a. Maimonid. Halach. ead. cap. 14. & Halach. *Aibdim*, cap. 8. [c] Maimonid. Halach. *Milla*, cap. 3. § 4. *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea*. cap. 267. §. 12. [d] Vide *Magid. Miſna* ad Maimonid. Halach. *Iſuri bia*, cap. 13. fol. 337. a. [e] Halach. *Aibdim*, cap. 8. [f] Gemar. Babylon. tit. *Jabimoth*, cap. 4. fol. 48. b. Maimonid. Halach. *Milla*, cap. 1. §. 6. & Halach. *Iſuri bia*, cap. 14. [g] Miſna & Gemar. Babylon. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 21. Moſes Mikotzi Praecept. Negat. 41. & videſis Hugonem Grotium de Jure Belli, lib. 1. cap. 1. §. 16. [h] Halach. *Iſuri bia*, cap. 14. Gemar. Babylon. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 5. fol. 64. b. [i] Manaſſeh Ben Iſrael in Conciliatore, ad Deuteron. quaeſt. 163. Hiſpanice, 2 Latine.

permiſſis

permiſſis egerat, ſubdit [k] אין כל הדברים האלו אמורים אלא בזמן שגלו ישראל לבין האומות או שיד עכ"ום תקיפה על ישראל אבל בזמן שיד ישראל תקיפה אליהם אסור לנו להניח עובד כ"ום בינינו אפילו יושב ישיבת עראי או עובר ממקום למקום בסחורה לא יעבור בארצנו אלא עד שיקבל עליו שבע מצות שנצטוו בני נח שנ' לא ישבו בארצך אפילו לפי שעה ואם קבל עליו ז' מצות הרי זה גר תושב: *Haec autem intelligenda ſunt tantum de tempore quo aut exſulabant inter gentiles Iſraelitae, aut quo gentiles ipſis praevalebant. Caeterum quoties Iſraelitae praevalebant illis*, (id eſt, ſui omnino juris fuere) *illicitum erat nobis permittere apud nos gentilem idololatram, ne quidem ex accidenti illic agentem*, (veluti AEgyptios, Phoenicios, Tyrioſque operarios ad Salomonem regem a regibus ſuis in templi aedificationem [l] miſſos) *aut mercaturae gratia a loco ad locum tranſeuntem. Ne quidem per terram noſtram ei tranſeundum erat, niſi in ſe receperat ſeptem praecepta quae Noachidis ſunt imperata; ſecundum id quod dicitur* [m], nec habitabunt, aut *manebunt*, in terra tua, *ne quidem ullam ob rationem. Si vero praecepta illa ſeptem ſe obſervaturum profiteretur, proſelytus deinceps domicilii erat.* Alibi etiam idem [n], כל גוי שלא קבל מצות שנצטוו בני נח הורגין אותו אם ישנו תחת ידינו: *Gentilis quilibet qui non in ſe receperat ſeptem praecepta Noachidis imperata, ultimo ſupplicio afficiendus erat ſi in ditione noſtra commoraretur.* Sed quod de tranſeuntibus habet non admittunt alii [o], verba quae affert ſacra de domicilio tantum, eoque populorum ſeptem quos diſerte exſcindi juſſit numen intelligentes. Sed vir eruditiſſimus atque in literis hiſce verſatus Petrus Cunaeus, *Septem*, inquit [p], *praecepta quae Talmudici data eſſe filiis Noachi aiunt, juſtitiae regulas quaſdam continebant, quibus carere hominum vita nequibat. Quare vis eorum tam late ad omnes pertinuit, ut qui neſcirent ea, hos interficere in bello atque ex hominum communione tollere juſſi ſint Iſraelitae.* Caeterum ea de re plura inferius, ubi de jure belli Ebraeis aliiſque gentibus imperativo atque interveniente agitur. Quemadmodum autem proſelytus juſtitiae, ſervus, libertinus, Judaiſmo non ſine triumviris initiabatur, ut oſtenſum eſt, ita nec proſelytus hic domicilii. Admittendus erat ac profeſſio facienda בפני שלשה חברים *coram* [q] *tribus minimum ſui generis*, ſeu, *profeſſione hujuſmodi priſtina ſibi conſociatis*, ſi non coram tribus Iſraelitis, aliiſve qui Judaiſmo nomen dederant. Neque aliter ſatis intelligere queo verba illa de triumviris. Mentio proſelytorum hujuſmodi occurrit in Pentateucho: ſed non ſemper eiſdem verbis. Diſcrimen ex natura rei & circumſtantiis eliciendum. Sed & expreſſim legimus [r] de התושבים הגרים עמכם *inhabitantibus*, ſeu *inquilinis, qui proſelyti ſunt*, ſeu *peregrinantur, apud vos*; quos Chaldaeus vocat תותביא ערליא דדיירין עמכון *Incolas incircumciſos qui ſunt habitantes vobiſcum.* Similiſque alibi [s] apud eum locutio. Quibus verbis proſelyti hi domicilii optime indicantur. Interdum proſelytus etiam ejuſmodi magiſtris dicitur כל שקבל עליו שלא לעבוד ע'ז ואוכל נבלות *Quiſquis cultui extraneo*, ſeu *idololatriae, renunciaverit, ita tamen ut is ſit qui morticinia licite comederit.* Cultus extranei renunciatione, utpote quae in proſelyti hujuſmodi initiatione res erat primaria, caetera quae ipſi in ſe recipienda erant ſic complectuntur. Id autem quod de morticiniis ſequitur, ex loco Deuteronomii jam ante indicato ſatis explicatur. Quod vero ad morem illum gentiles in profeſſionem hanc intra ditionem eorum adigendi attinet; aiunt, tametſi nemo Gentilium Judaiſmo nomen dare erat omnino cogendus, nihilominus ex juſſu etiam divino a Moſe ſe accepiſſe, mortalium quemlibet apud ipſos degentem profeſſione ad ſeptem, quae diximus, praecepta obſervanda adſtringi debuiſſe. Maimonides [t]; מי שלא רצה אין כופין אותו לקבל תורה ומצות וכן צוה משה רבינו מפי הגבורה לכוף את כל באי העולם לקבל מצות שנצטוו בני נח וכל מי שלא קבל יהרג *Nolentem non cogebant in ſe ſuſcipere legem & praecepta Moſaica. At vero juſſit Moſes a numine ipſo edoctus, ut, quemadmodum dictum eſt, quiſque mortalium in ſe ſuſcipere cogeretur praecepta Noachidis imperata. Et qui id facere nolebat, ultimo ſupplicio erat afficiendus.* Et de tempore duntaxat quo ſui erant ſatis juris Ebraei, adeo ut nec imperium eorum in gentiles qui quoviſmodo advenirent minueretur, haec dicta: id eſt, de tempore potiſſimum quod captivitatem antevertit Babylonicam. Nam & aliqui tunc temporis deſiiſſe morem proſelytos domicilii ſic admittendi docent. Nimirum [v] אין inquiunt גר תושב נוהג אלא בזמן שהיובל נוהג *non erat mos proſelytos domicilii recipere niſi tempore tantum quo obſervari ſolebant jubilaei*; id eſt, tempore quo eouſque ditionis fuere omnia in terris illis Iſraeliticae, ut leges de poſſeſſionibus in jubilaeo reſtituendis atque id genus caeteris vim & effectum, veluti apud gentem ſummum ſibi imperium occupantem, integrum retinerent. Jubilaeorum autem obſervationem ſub captivitatem Babylonicam deſiiſſe ſcribunt [x]; unde etiam adjiciunt, [y] ſervum, qualem ſupra diximus, ſi Judaiſmum detrectaret, poſt jubilaeorum ceſſationem non retinendum, quoniam ſcilicet ad praeceptorum Noachidarum obſervationis profeſſionem rite quempiam adigendi mos deſierat. Quod vero ad tempora inſequentia attinet, quo non ſui juris erant Ebraei, ſed rebus fruebantur nimium acciſis; tametſi ſolennis, & qui ex ſummo quo ante gaviſi ſunt imperio natus eſt, ritus ille proſelytos domicilii admittendi evanuerat, nihilominus quos cogere jam nequibant, eorum ambigendum non eſt quin nonnullos pro re nata ad hanc profeſſionem interdum invitarent & hortarentur, eiſque quos viderent eſſe מחסידי אומות העולם *ex piis e gentibus mundi*, id eſt, citra Judaiſmum bonis moribus & religione, quali oportuit eſſe proſelytum domicilii ſolenni ritu admiſſum, imbutos, ſedes in ſolo Judaico permiſſas eſſe non ita illibenter vellent. *Et cujus regionis homines non contigit*,

[k] Halach. *Aboda Zara* cap. 10. [l] Eupolemus apud Euſeb. Praeparat. Evangelic. 9. cap. 30. Clem. Alexand. Strom. α. [m] Exod. xxiii. 33. [n] Halach. *Melakim* cap. 8. [o] Abraham Ben David ad Maimonid. Halach. *Aboda Zara* cap. 10. [p] De Repub. Hebraeor. lib. 1. cap. 1. quem & vide lib. 2. cap. 19. [q] Gemar. Babylon. ad tit. *Aboda Zara* cap. 5. fol. 64 b. & Maimonid. Halach. *Melakim* cap. 8. [r] Levit. xxv. 45. & 47. [s] Deut. xiv. 21. [t] Halach. *Melakim* cap. 8. [v] R. Simeon Ben Eliezer in Gem. Babylon. tit. *Erakim* cap. 7. fol. 29. a. Maimonid. Halach. *Iſuri bia* cap. 14. & Halach. *Milla* c. 1. [x] Maimonid. Halach. *Semita Wejubal.* cap. 10. [y] Idem Halach. *Iſuri bia* cap. 14. vide ibi comm. R. Jom. Tob.

inquit Josephus [z], *aliquando apud nos peregrinari?* Egregium hac de re habetur exemplum in foedere novo, ubi occurrit [a] *Vir quidam in Caesarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quae dicitur Italica, religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper, vir justus, testimonium habens ab universa gente Judaeorum* hunc gentilem fuisse liquet. Nec Italum fuisse, etiam & Romanum, dubitant viri docti [b]. Id genus fuit Candaces eunuchus [c] Hierosolymis, uti & Thessalonicae Ἕλληνες illi σεβόμενοι, seu *Graeci, Gentilesve, Deum colentes*, qualibus non est quod dubitemus quin sedes solo Israelitico permissas esse non illibenter seculis illis voluerint Ebraei, cum plane proselytorum domicilii rite admissorum instar essent, utpote qui simpliciorem illam colerent religionem moresque quibus proselyti ejusmodi initiari soliti.

C A P. IV.

De effectibus initiationis & admissionis proselytorum justitiae, veluti nominis Judaei adquisitione, regeneratione, juris Judaici participatione, peregrinitatis retentione, & conditione posterorum; quae omnia juris gentium sive imperativi sive intervenientis fuere.

INitiationum autem & admissionum, quas capite praecedenti ostendimus, effectus duplici sunt in genere. Alii in jure juxta quod deinceps initiatis ac admissis, posterisque suis, vivendum erat, cernuntur. Alii in ipsa personis tum ipsorum tum posterorum inhaerente qualitate secundum quam censebantur. Qui prioris sunt generis, sparsim in sequentibus pro re nata, maxime quoties de jure gentium agitur, suum obtinent locum: Unde etiam qui secundi sunt fusius subinde sic explicantur. Sed in priore genere caput habetur unum hic non praetereundum; scilicet pristinae vitae conditionem seu statum idololatricum sive proselyti ipsius sive parentum ejus neutiquam probro ei objiciendum. Nimirum legem illam, [a] *peregrinum* לא תונו *non molestabitis*, seu *non vexabitis*, ita interpretantur; nec minus puto, quantum video, ad proselytum domicilii quam ad eum qui justitiae erat volunt attinere. Sed secundi generis effectus compendio jam praemittere visum est, ut quoties nomina *proselyti justitiae, libertini, servi e gentilibus in Judaismum cooptati & proselyti domicilii* obvia inter legendum habeantur, minus obscura sint ea nec de singulari personarum qualitate satis non liqueat. Quod ad proselytum justitiae attinet; quinque inprimis consideranda sunt hic effectus ejusdem initiationis; *Judaei* nominis adquisitio, regeneratio, juris Judaici seu praerogativae Israeliticae participatio, originis atque peregrinitatis, velut characteris perpetui ac indelebilis, retentio, & conditio posterorum. De *Judaei* nomine testimonium est sane luculentum in eo quod capite superius secundo affertur tum ex Josepho de Idumaeis proselytis factis, tum ex historia Estheris sacra. Idumaeos, postquam in ritus Judaeorum transierant, Judaeos fuisse ait diserte Josephus [b]. Ammonius autem, ἐκλήθησαν Ἰουδαῖοι, *nominabantur Judaei*. Et in Esthere [c] מתיהדים, a verbo התיהד quod *Judaeum fieri* denotat, usurpatur pro eo quod est in vulgata *sectae eorum, religioni & ceremoniis jungebantur*, seu, ut apud Hellenistas, *circumcisi judaizabant*, id est proselyti facti sunt. Uti etiam diserte ibi Salomon Jarchius, qui מתיהדים explicat per מתגיירים *proselyti fiebant*, quemadmodum & Paraphrastes Chaldaeus. Nomen item *Judaei* proselyto cujuscunque gentis exterae accessisse palam memorat Dio [d]. Et memini me legisse olim in forensibus temporis Henrici Angliae regis tertii tabulis [e], Judaeos quamplurimos Norwici puerum Anglicanum, Benedicti physici filium, quem quinquennem circumciderant & proselytum fecerant, ex aedibus ubi hospitio a muliercula christiana exceptus est, vi rapere voluisse, saepius inclamantes *ipsum esse Judaeum suum.* Et signanter ad hanc rem Josephus [f], ubi de proselytis justitiae ex Mosis mente admittendis verba faciens, eum ait existimasse, οὐ τῷ γένει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ προαιρέσει τοῦ βίου εἶναι τὴν οἰκειότητα, *non solum ex genere* seu *sanguine, verum etiam ex singulari instituti vitae electione nasci cognationem quandam.* Quae velut in *Judaei* nomine indicatur. Unde distinctio illa *Ebraeorum ex Ebraeis*, [g] seu Judaeorum omnino originariorum, ab *Ebraeis* seu *Judaeis* qui sive ipsi primo accesserunt ad Judaismum, sive e proselytis justis nati fuerunt. Alia de nomine hoc proselytis indito alibi [h] diximus. Sed advertendum, illud tum demum coepisse proselytis justitiae dari, postquam Ebraei, quotquot in terra Israelitica reliqui, *Judaei* generatim dicti. Nemo enim nescit antiquitus gentem *Ebraeos & Israelitas* dictam; nec *Judaeos* alios praeter Judae tribules [i], nec *Judaeam* aliam territorii Israelitici partem praeter portionem Judae tribui assignatam primo denotasse. Quod sane quamdiu obtinuit, non est cur dubitemus quin, ut postea *Judaei*, ita tunc sive *Ebraei* sive *Israelitae* nomen proselytis justitiae tribueretur. Neque enim dissimilis tunc erat horum nominum ratio. Quemadmodum autem tribus decem post secessionem nomine *Israelis & domus Joseph*, ita reliquae binae, Juda & Benjamin, *Judae* nomine [k] indigitatae. Etiam & lingua harum *Judaica* [l] dicta. Et post tribuum decem captivitatem, cum aliae praeter binas illas (quibus tamen ex tribubus quae asportatae sunt non pauci proculdubio sunt commixti [m]; & de Levitis res est manifestissima) in solo Israelitico non remanebant, dein quicquid gentis ibi supererat seu illuc sub-

[z] Advers. Apion. lib. 2. [a] Act. Apost. x. 1. & 22. [b] Baronius Ann. Christi 41. [c] Act. viii. 27. [a] Exod. xii. 21. Levitic. xix. 33. Ibid. Jarch. & vide Paulum Fagium ad locum utrumque. [b] Originum lib. 13. cap. 17. [c] Cap. viii. 17. [d] Hist. 37. [e] Placit. 18. Hen. 3. rot. 21. in arce Londinensi. [f] Advers. Apion. lib. 2. [g] Vide Epist. ad Philip. iii. 5. & ibi comment. Adde J. Drus. Observat. 4. cap. 20. [h] Lib. de successionibus in bona cap. 26. [i] 2 Reg. xvi. 6. 1 Sam. xxiii. 3. [k] Vide 2 Regum xvii. 18. & S. Hieronym. in Osee cap. 1. § *Et in illa die*, & lib. 2. in Esaiam cap. v. § *Vinea autem Domini.* [l] 2 Reg. xviii. 26. & 28. [m] Videsis Dionys. Petavium in Epiphan. haeres. 78. pag. 333.

inde revertebatur, *Judaei* [n] nomen sive retinebat sive induebat, adeoque quicquid dein proselytorum justitiae genti accessit eodem appellabatur. D. Hieronymus [o], *Scissura decem tribuum a duabus populo nomen* Judaeorum *imposuit.* Hinc obvium *Judaeorum* nomen in Ezra, Nehemia, Esthere, Jeremia, libris Maccabaicis. Et ut Mordecai Benjaminita inde *Judaeus* [p] nuncupatur, ita caeteri quacunque e tribu fuerint in reliquiis illis. Post binarum autem tribuum seu Judaeorum quos diximus e captivitate reditum, non solum *Judaei* inde dicti binarum illarum tribuum territoriorum ex Ebraeis incolae, verumetiam quotquot Ebraei sive tribuum caeterarum, principum indultu, territoria possiderent, sive alibi Babylone seu loco quovis alio dispergerentur. Unde etiam terra sancta tota *Judaeae* nomen induit. S. Hieronymus ad illud Isaiae [q], *Visio quam vidit super Judam & Jerusalem, pro* Juda, inquit, *in quo significantur duae tribus*; LXX. *& Theodotio posuere* Judaeam, *quae totam terram duodecim tribuum* [r] *ostendit.* Josephus autem, ubi de Esdra & Nehemia populum reducem ad urbem templumque instaurandum hortantibus agit [s], Καὶ Ἰουδαῖοι, ait, πρὸς τὸ ἔργον παρεσκευάζοντο· ἐκλήθησαν δὲ τὸ ὄνομα ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους, αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας μετέλαβον, *Et Judaei ad opus se accingebant. Vocabantur autem hoc nomine ex illa die qua ascenderunt e Babylone, a tribu scilicet Juda, quae cum prima in locos illos pervenerit, tum ipsis tum regioni hujusmodi appellatio indita est.* Nempe a nomine *Judaeorum* (quod tam apud Josephum quam in sacris literis binis illis tribubus, & qui eis ex aliis commisti sunt, ante etiam tribuitur) post reditum e captivitate, non modo territorii tribus Judae ac Benjamiticae incolae, sed etiam in caeterorum agris sedes habentes qualescunque atque undecunque illuc confluentes Ebraei, uti etiam ipsa terra promissa, denominabantur. Sunt [t] qui a tempore Judae Maccabaei *Judaeos* dici coepisse scripserunt. Sed hallucinatio est manifesta. Certe invaluit etiam apud paganos opinio, Israelitas omnes *Judaeos* a Judae patriarchae non solum nomine sed & aevo sic dictos. Justinus historicus [v]; *Populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Judae, qui post divisionem decesserat, Judaeos appellavit, colique ejus memoriam ab omnibus jussit.* De Jacobo loquitur. Ad singularem autem tum vetustatem tum dignitatem hujus nominis spectant etiam quae crebro apud scriptores occurrunt de sacrae illius prophetiae seu Jacobi verborum sensu, *Non* [x] *auferetur sceptrum de Juda*, &c. Christiani scriptores, iique doctissimi nec pauci, ea de re passim leguntur. Et sententias etiam magistrorum exhibet Manasse Ben Israel [y]; quem vide. Summa vero est, a Juda quidem patriarcha velut ab ipsa origine sumptum esse *Judaeorum* nomen [z], quatenus scilicet ab eo denominata est illustrior illa tribus, quae genti postmodum nomen dedit: sed aevo ejus multo, ut dictum est, esse illud recentius: tametsi per prolepsin subinde etiam Mosis tempori a scriptoribus [a] tribuatur. Quemadmodum autem novum sic nomen proselyto accessit, ita etiam natales plane novi: adeo ut simulac initiabatur, regeneratus haberetur. Non semel Talmudici [b], גר שנתגייר כקטן שנו״ד דמי *Proselytus, ex quo fit proselytus, velut infans qui recens nascitur habetur*, idque perinde acsi ipse ex nova aliqua matre renasceretur. Unde evenit ut nulla dein ei restaret pristina cognatio seu sanguinis relatio, nec fratrem, sororem, patrem, matrem, liberos ante genitos omnino in suis haberet. Nomina haec, etiamsi naturalia, esse desiere. Quin si pater, mater, filius, frater simul fierent proselyti, nulla prorsus restabat cognatio seu sanguinis inter eos relatio. Et pro regula habetur; כל שאר בשר שהיו לו כשהוא גוי אינן שאר בשר *Quisquis proselyto consanguineus erat dum fuit gentilis, consanguineus plane jam non est.* Nempe velut jam primo creatus aut e coelo lapsus, omnino novus homo fiebat, consanguinitate pristina non minus ac gentilismo prorsus exutus. Unde nec ex jure sanguinis pristini ei succedere quis potuit, ut alibi [c] ostendimus. Instar fere erat apud Ebraeos eorum qui Athenis a peste convalescentes ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους, *neque ipsi se noverunt nec propinquos*, ut ait Thucydides [d]. Habebatur quidem in jure Attico [e] regeneratio quaedam. Atque in Caesareo habetur; quando nempe servus non solum manumissione fruitur ac libertinitate, sed etiam *natalibus* * *restituitur in quibus initio omnes homines fuerunt, non in quibus ipse nascitur, cum servus natus esset.* Id est, plena donatur ingenuitate, adeo ut natales simul & mater, quae ancilla erat, adeoque ipse, jam pro ingenuis civiliter habeantur. Atque ita ingenuitate donare dicitur in novellis [f] *regenerare.* Sed in regeneratione hujusmodi natalium regenerati conditio tantum ex autoritate principali mutata est: proselytus vero justitiae sic regenerabatur ut nec pro antea omnino nato deinceps sumeretur. Hinc erat quod cum Nicodemus mirabatur Jesum Christum dixisse, *Oportet vos nasci denuo* [g], instaretque quaeritans, *Quomodo possunt haec fieri? respondit Jesus & dixit ei, Tu es,* ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ, *magister Israelis*, seu *magister in Israel*, ut vulgata, *& haec ignoras?* Etenim regenerationis notio (tametsi de ea quae spiritu fit, non solum aqua, loqueretur Christus) in Ebraeorum de proselytis justitiae initiandis disciplina ac moribus, quos mirum est Nicodemum non agnovisse, erat minime obscura. Sed ea de re & quae consequuntur plura libro quinto, ubi de proselytorum, libertinorum, aliorum conjugiis agimus. Hic tantum adjicimus, stupendam, quae jam me-

[n] Vide Petrum Cunaeum de Republ Hebraeorum lib. 1. cap. 10. Ludovic. Cappell. ad Act. xxvi. 7 Constantin. L'Empereur. in *Baba Kama* cap. 7. §. 7, &c. [o] In Jonam, cap. i. [p] Esther ii. 5. [q] Cap. i. [r] Vide librum de locis Hebraicis inter D. Hieronym. editum, in verb. *Judaea.* [s] Origin. lib. 11. cap. 5. Videsis Is. Casaubonum Exercit. 1. ad Apparatum Annal. Baron. § 2. & 3. [t] S. Ambros. in epist. ad Rom. cap. 1. & videsis Petr. Abelardum. Sed & adde S. Ambros. lib. 4. de Sacramentis, cap. 3. [v] Hist. 36. [x] Genes. xlix. 10. [y] In Conciliatore, ad Gen quaest. 65. [z] Epiphanius haeres. 8. Justin. Martyr. Apolog. 2. Euseb. Praep. Evang. lib. 7. cap. 6. [a] Euseb. ibid. cap. 8, &c. [b] Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth* cap 2. fol. 22. a. & cap. 11. fol. 97. b. Maimon. Halach. *Jebom Wechaluza* cap. 1. & *Isuri bia* cap. 14. Moses Mikotzi praec. affirm. 51. fol. 135. col. 4. *Shulcan Aruch* lib. *Aben haaezer* cap. 157. § 3. [c] De successionibus in bona cap. 26. [d] Lib. 2. & Galen. lib. de symptom. diff. cap. 3. [e] Vide Jos. Scalig. in Festum, verb. *Postliminium.* * L. 2. D. de Natalibus restituendis. [f] Novell. 18. cap. 11. & Nov. 78. cap. 1, 9. & 5. [g] D. Joann. iii. 7.

morata

2

morata eſt, regenerationem doctrinae cuidam de animabus proſelytorum in reconditiori eorum philoſophia repertae adeo eſſe conſonam ut ex hac illam de novis plane natalibus aut ex illa hanc ortam eſſe ſive pendere non immerito forſan ſuſpicandum. Nimirum animas aiunt Cabaliſtae [h] ſive ſingulares, ſive e maſſa, ut loquuntur, ideali educendas, innumeras ſemper exiſtere; atque ex hiſce in corpora humana ſeu embryones immiſſis fieri homines; inſtar ferme Platonicorum. Corpus autem humanum eſſe materiem, animam formam hominis, ut phyſici alii; ſecundum quos etiam ipſi formam eſſe ſcribunt [i] הדבר המוצא לאור הוית החומר אשר בו היה מה שיהיה ובו נתעצם ר״ל שנעצם שלם ונבדל בו מעצם אחר׃ *Rem quae educit in lucem ipſam materiae eſſentiam, quae ex ea eſt id quod eſt, & perfecta efficitur ſubſtantia, & ab alia ſubſtantia ea diſtinguitur.* Jam vero ſicut in embryonem animam, qua homo fit, e coelo delabi aiunt, ita etiam in proſelytum quemlibet juſtitiae novam ſtatim ipſoque eodem quo fit momento animam, priore quae corpus in gentiliſmo occupaverat ſive evaneſcente ſive redeunte, immiſſam coelitus aſſerunt. Quin & commentum hanc ad rem habent de neſcio quali animarum generatione quae omnes in proſelytos novos illabantur. In celebri illo codice quem *Zohar* nuncupant, etiam & τῷ Rabbi Shimeon Ben Jochai, qui ſub Adriani tempora vivere deſiit magiſter illuſtris, velut autori alii, alii diſcipulis [k] ejus tribuunt (ut cabaliſticae doctrinae promptuarium ſummum) memorantur quatuor in mundo ſuperiori ſeu regione coeleſti היכלין *palatia*, quae vocantur היכלין דבנות בוטחות *palatia filiarum* ſeu *puellarum confidentium.* Primum tribuitur Batheae filiae Pharaonis; ita eam vocitant quae Moſem [l] educavit, Joſepho [m] Thermuthin dictam. Secundum Saerachae filiae [n] Aſer; tertium Jochabedae matri Moſis [o]; quartum denique Deborae [p]. Cum hiſce ſingulis aiunt cabaliſtae, velut palatiorum praeſidibus, adeſſe innumeras alias ſanctas animas, atque eis, tanquam conjugio, virorum etiam ſanctorum animas copulari. Addunt, ut in conjugiis hujus mundi ſeu terreſtribus, corpora corporibus conjunguntur, ita in alterius illius ſeu coeleſtibus conjugiis eſſe אתדבקותא דנשמתא בנשמתא נהורא בנהורא׃ *Conjunctionem animarum cum animabus, luminis cum lumine.* Et demum, ut rem abſolvant, ſubjiciunt [q], זווגא דההוא עלמא אתעביד אובא יתיר מאיבא דאתעביד בהאי עלמא בזווגא דלהין דההוא עלמא בתאובתא דלהון כחדא כד מתדבקן נשמתין דא עם דא עבדי איבין ונפקי נהורין מנייהו ואתעבדי שרגין ואינון נשמתין לגיורין דמתגיירין וכלהני עיילין להכלא דא וכד מתגיירא גיורא חדא פרחא מההוא היכלא נשמתא ועאלת תחות גדפהא דשכינתא ונשקת לה בגין דאיהי איבא דצדיקיא ומשדרת לה לגו ההוא גיורא ושראת ביה ומהוא זמנא אקרי גר צדק׃ *Conjugium illius* coeleſtis *mundi facit fructum praeſtantiorem fructu eo quem facit conjugium hujus* terreſtris *mundi. In conjugiis illius mundi cum mutua dilectione animae invicem conjunguntur, fructum faciunt, ac producuntur lumina, e quibus fiunt* velut *lucernae, quae ſunt animae eorum qui fiant proſelyti, Hae omnes in palatium illud* ad quod attinent animae e quibus prodeunt *aſcendunt. Et quamprimum fit proſelytus, volat ex eo palatio anima, & ſubit alas divinae majeſtatis, quae eam oſculatur, eo quod eſt fructus juſtorum, atque eam mittit in corpus proſelyti in quo manet. Ab eo igitur tempore vocitatur proſelytus juſtus* ſeu *juſtitiae.* Ita legitur in Zohar. Et pro more magiſtrorum, qui ſacri ſermonis loca ad commenta ſua qualiacunque ſive ſtabilienda ſive ornanda ambitioſius afferre ſolent, adtexitur hic illud Salomonis, *fructus juſti, arbor vitae.* מה אילנא דחיי אפיק נשמתין *Quid arbor vitae? proventus animarum.* Inde fere haec tranſtulit Rabbi Iſrael Ben Moſes in libellum ſuum [r] תמים יחדיו ſeu *perfecta ſimul* dictum, quem etiam Latine edidit jam pridem Joſephus Voiſinius Gallus, & *diſputationem cabaliſticam de anima* non immerito nuncupavit. Reſciſſis hic de animarum generatione nugis (quibus vix impares ſunt Platonicorum aliquot) illud animadvertatur, voluiſſe eos animas in coelo antequam in humana corpora infundantur [s] creari, atque novam in proſelytum quemlibet, quam primum factus eſſet, animam, adeoque novam formam, coelitus illabi ſolere. Certe ita plane novus homo dicendus erat, atque priſtinam qualemcunque cognationem exuiſſe, utpote velut infans in utero matris novae denuo conceptus atque renatus. *Enimvero quis non animae*, inquit Tertullianus [t], *dabit ſummam omnem cujus nomine totius hominis mentio titulata eſt? quantas animas paſco! ait dives.* Et frequentiſſimus eſt in linguis orientalibus uſus τῷ נפש ſeu *animae* pro ipſa perſona. Nova, ſecundum ipſos, anima ipſe erat proſelytus, nulla corporis ſolius ſeu materiae habita, in cognatione ſeu natalibus diſcernendis, ratione. Quoniam quicquid omnino erat proſelytus, ex ipſa forma ſolummodo ſeu anima id, uti quiſque alius, erat. Juxta fere illud Pythagorae [v],

Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram; ——

ex Metempſychoſis doctrina dictum. Diverſa fuiſſe ſibi & Euphorbo corpora non dubitavit, uti & AEthalidi [x], Pyrrho piſcatori, Hermotimo, quos omnes ſe antea fuiſſe etiam aſſerebat. Sed ex eadem ipſa anima in hoſce univerſos ac demum in ſeipſum dum in utero matris embryo erat tranſmigrante, nulla corporis ratione habita, fuiſſe ſe illos pronunciavit. Auſonius [y],

——*Sic fama renatum*
Pythagoram docuiſſe refert——

& fingatur certe in recidivatu illo animarum, quem ipſe affirmavit, revolubili (ut Tertulliano nuncupatur) animam novam quacum natus non eſt ei illapſam eſſe dum in ſubterraneo latuit mortuus, ut poſt ſeptennium reviviſceret. Ita expreſſiſſimum renati (juxta commentum jam dictum) proſelyti exemplum in eo haberemus, quantum ad priſtinam cognationem ac natales novos attinet. Etiam & Euphorbus fuiſſe & Pythagoras ipſe ita

[h] Apud fratrem Archangelum in Dogmat. Cabaliſtic. 43. [i] R. *Aben. Tybbon* in *Ruach Hachen*, cap. 8. [k] R. *Gedalia* in *Shalſheleth*, fol. 31. b. [l] Exod. ii. 5. [m] Archaeol. lib. 2. cap. 5. [n] Numer. xxvi. 46. [o] Exod. vi. 20. [p] Judic. iv. 4. [q] *Zohar*, in *Midbar*, fol. 167, & 168. *Mantuae.* [r] Cap. 21. [s] Vide *Menaſſeh Ben Iſrael*, lib. de Creatione problem. 15, & 16. [t] Lib. de Anima, cap. 13. ſic fere Epiphanius in Ancorato, non ſemel, alii. [v] Apud Ovid. Metaphor. lib. 15. [x] Tertullian. de Anima, cap. 28. [y] Epiſt. 25.

desierat, adeoque nec parentum filius (quod nomen ex primis natalibus animaque corpori ante conjuncta pendet) erat dein dicendus; sed ex novae animae, id est, novae omnino formae, accessione novus homo atque denuo renatus sine parentibus. Fuere etiam inter Ebraeos qui metempsychosin seu transanimationem, qualem ferme Pythagorei, admittebant. Ea an huc attinuerit nescio. Solas autem piorum animas ita transire volebant illi, ut memorat Josephus [z]. Participatio juris Judaici seu Israeliticae praerogativae qua gaudebant proselyti justitiae in eo cernitur quod habetur in lege sacra [a], ככם כגר *sicut vobis, sic proselyto.* Unde Talmudici passim aiunt [b] proselytum ejusmodi fuisse כישראל לכל דבר *velut Israelitam respectu omnimodo*; & Philo [c] cum originariis fuisse scribit proselytis ἰσοτιμίαν seu *parem conditionem*, atque alienigenas qui Judaismum amplecterentur ab eis οὐχ ἧττον [d] τῶν ἰδίων πολιτῶν, *non minus atque suos cives* aestimari. Sed haec temperanda sunt, atque, juxta majorum disciplinam, non sine distinctione sumenda. Nimirum in jure Israelitico alia fuere quae ad vitae rationem in officiis juxta Mosaica praescripta tum erga Deum O. M. tum erga proximum praestandis instituendam, alia quae ad magistratus & praefecturas capessendas gerendasque, & connubia quaedam ineunda spectabant. Prioris quae fuere generis non minus ad proselytum justitiae quam ad Israelitam originarium attinuere. Quod tamen sic temperandum, ut sacrorum formulis a numine datis quibus quidpiam occurrit quod originarios signantius denotet minime uterentur proselyti justitiae, nec ad ejusmodi sacra praestanda obligarentur. Etenim in lege [e] praescripta est *confessionis* seu *professionis decimanda* (quam וידוי מעשר *professionem decimae* nuncupant) formula anno quarto festique paschalis die postremo post pauperum decimas polluctas adhibenda: In ea habentur verba illa, *Benedic populo tuo Israel, atque terrae quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris*; quae adeo singularia habita sunt Israelitis ut ad proselytos ideo formula illa neutiquam omnino attineret. Maimonides [f] ex mente & moribus [g] majorum; ישראל וממזרים מתודים אבל לא גרים ועבדים משוחררים מפני שאין להם חלק בארץ הרי הוא אומר כאשר נשבעת לאבותינו כהנים ולוים מתודים שאף על פי שלא נטלו חלק בארץ יש להם ערי מגרש: *Israelitae & Mamzeres professione illa utuntur: neutiquam vero proselyti aut libertini, quoniam eis sors non est in terra sancta* juxta professionis scilicet sensum: *nam dicitur*, sicut jurasti patribus nostris. *Sacerdotes autem & Levitae eadem pariter utuntur professione. Nam tametsi sortem seu partem sibi in terra sancta*, ut tribus caeterae, *non habebant, erant nihilominus illis urbes & praediola* [h] *suburbana.* De aliis aliquot parilis ratio. Adhibito autem hujusmodi temperamento, prioris generis res intelligi volunt quoties originariorum & proselytorum conditionis paritas innuitur. Quod de eis quae sunt generis secundi non dicendum. Nam a magistratibus & praefecturis tam civilibus omnimodis quam castrensibus regulariter [i] ex jure arcebantur proselyti hujusmodi, veluti neutiquam ex ipsa legis sacrae mente idonei: Quod fusius ostenditur in sequentibus. Proselytarum item connubia sacerdotibus interdicta esse alibi [k] monstravimus, quae tamen Israelitis originariis permissa. Alia etiam proselytis permissa esse conjugia quae illis vetita, nec par proselytorum omnium in re connubiali jus fuisse, inferius libro docetur quinto. Quod ad peregrinitatis seu originis, velut characteris perpetui ac indelebilis, hic retentionem spectat; tametsi gentilis, quamprimum factus est proselytus justitiae, Judaeus dicebatur, adeo ut non solum jam religionis Judaicae sodalitio, gentilismo renunciato, immisceretur, verum etiam alius patriae nomen sibi sic regeneratus indueret, ita nihilominus semper retinuit גר צדק seu *proselyti* aut *advenae* etiam nomen ut ab originariis perpetuo etiam inde distingueretur. Nec sane Judaei in illo nomen aliud innuit quam id quod est *Judaeus ex peregrinis* seu *proselytis*, non *Judaeus simpliciter*, seu *Judaeus civiliter ex Judaeis*, aut *Ebraeus ex Ebraeis*, ut se vocavit D. Paulus [l]. Et tametsi in קהל ישראל *coetum* seu *ecclesiam Israelitarum* seu *originariorum* ingrediebatur (ut solennis erat locutio) proselytus, nihilominus ea multis nominibus sanctior atque alia semper habebatur, etiam & fuit, a קהל גרים *coetu* seu *universitate proselytorum* seorsim sumpta. Id quod aliter sane se habere nequivisse liquet etiam ex eo quod jam dictum est de eis a dignitatibus, magistratibus & praefecturis arcendis, atque connubiis aliquot eis interdictis quae originariis permissa, aliisque eis permissis quae vetita originariis. Nam a peregrinitate perpetuo retenta & originis exterae non deletae ratione hoc discrimen. Finge Romanae ecclesiae sacris initiatos quosque exteros neque ex Romanis familiis oriundos dici ex more Romanos, nec tamen in urbe seu regionibus suburbicariis dignitatem seu munium capessendorum jus illis permitti; alia aliquot peregrinae originis nomine eis denegari; pleraque interim ibi concedi: Ipsissimum sic haberetur proselytorum justitiae apud Judaeos exemplum seu specimen. Denominarentur quidem illi a Roma, quam velut novam etiam sic induissent patriam, quatenus scilicet ex initiatione Romani sic fierent, ac quam plurimis, qua numen, qua hominem spectarent, privilegiis novisque sibi juris generibus in territorio Romano gauderent: at vero quia alia originariis permissa (juxta quod diximus) eis sic negarentur, idque ex eo quod e peregrinis essent, necessum foret ut perpetua peregrinitatis discriminarentur nota: nimirum ut nunquam non haberentur quidem Romani, sed nihilominus ex peregrinis seu peregrini ac homines novi qui Romanum induissent nomen; non vero civitate plene essent sed quadantenus tantum donati. Adeo ut proselyti hi, retentae peregrinitatis hujusmodi nomine, instar ferme essent Cumanorum, Acerranorum, Atellanorum, [m] *qui ea conditione olim cives Romani erant ut semper rempublicam separatim a populo Romano haberent, & in legione mererent, sed dignitates non caperent*, seu municipum, quibus jus civitatis hono-

[z] Halos. lib. 2. cap. 7. [a] Numer. xv. 15. adde Levit. xix. 33. [b] Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap. 8. fol 77. a. Maimon. Hal. *Iyuri Bia*, cap. 12, &c. [c] Lib. de Monarchia. [d] De Legat. ad Caium. [e] Deut. xxvi. 13. [f] Halach. *Maigsher Sheni*, cap. 11. [g] Misn. tit. *Maigsher Sheni*, cap. 5. § 15. [h] Numer. xxxv. 2. [i] Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 4 Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. & 11. Halach *Melacim*, cap. 1. alii passim. [k] De successione in pontificatum Ebraeorum, lib. 2. cap. 2. [l] Ad Philip. iii. 5. [m] Festus in *Municeps*.

rarium,

rarium [n], sed sine suffragii aut magistratuum capessendorum jure. Adeo ut juxta Aristotelem [o], cui civis οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς, *nulla re alia magis explicari definirique potest quam judiciorum & magistratuum communione*, proselytus justitiae, utcunque novato patriae nomine Judaeus diceretur, non tam quidem civis Judaicus simpliciter censendus esset quam peregrinus semper cui jura quamplurima inter cives. Caeterum, quod obiter non praetereundum, ex eo quod jam dictum est de Judaei nomine adquisito, pristina ex regeneratione cognatione omnimoda deleta, & peregrinitate nihilominus retenta, rite sumendum est illud Taciti [p], cui proselyti justitiae recte dicuntur transgressi in morem Judaeorum. De quibus inquit, *nec quidquam prius imbuuntur quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere.* Horum demum posteri, quotquot ex parentibus utrisque proselytis geniti, eadem cum parentibus perpetuo conditione fuere: Neque magis aut aliter cives Israelitici erant quam parentes ipsi, seu qui primo sunt initiati. Exemplum ferme est in legibus moribusque Hispanorum de Mahumedanis ac Judaeis qui christianismo nomina dederunt, eorumque posteris: Peregrinitatem enim tam hi quam illi ejusmodi semper retinent ut a dignitatibus officiisque civilibus non paucis, idque originis seu status pristini unde exibant nomine, arceantur: Ut fusius videre est apud Ludovicum a Peguera [q], Joannem Escobarum [r], alios Hispaniae jurisconsultos. Sed vero, non aliter atque Israelitae ipsi, filii proselytorum circumcidendi tantum erant, nec quemadmodum parentes sive illi sive filiae baptizandae. Nunquam enim solennis proselyti baptismus ille iterandus erat, nec in ipso qui primo baptizatus, tametsi apostata factus in ritus Judaicos rediret, nec in posteris. Et patris conditionem sequebatur proles ex foeminis quarum conjugia proselytis hujusmodi jure permissa sunt, a proselyto suscepta, extra quam ubi ex Israelitide eorum aliquis prolem genuisset. Ea enim matris, ob gentis dignitatem, sequebatur conditionem, & civis optima lege erat Judaicus. Proselyti autem filius ex foemina gentili susceptus plane gentilis censebatur; ut ex ancilla natus, servus. Horum enim nuptiae ei, ut in sequentibus dicetur, quemadmodum & Israelitis interdictae. Proselytarum autem proles patrum, quibus rite nubere possent ipsae, conditione semper fruebatur; alias in profanam [s], veluti cum sacerdoti proselyta pepererat, transibat, aut in proselytis item habebatur, ut ubi a gentili aut servo genita. Sed haec regulariter dicta exceptiones aliquot subinde admittunt, de quibus, uti & de non paucis huc spectantibus, libro quinto, ubi de conjugiorum jure adeoque prolis conditione fusius agitur. Hisce hic tantum subjungere nonnulla sufficiat de foeminae gentilis gravidae [t] quae proselyta facta est prole. Ea maternam ita sequebatur conditionem ut baptismo ei opus non esset. Aiunt scilicet, מעברת שנתגיירה וטבלה אין בנה צריך טבילה *Si gravida fiat proselyta, adeoque lavacro suscipiatur, proli ejus baptismo opus non est.* Nimirum ex eo quod nata est בקדושה seu *in sanctitate* matris, aut ביהודית *in* ejus *Judaismo* (nam hisce sic utuntur vocibus) proselyti seu matris conditionem induebat. At vero animadvertendum, tametsi ex ipsis solum natalibus ita conditionem proselyti justitiae adquiri volunt, nihilominus consanguinitatis seu fraternitatis rationem inter proselytae binos, verbi gratia, filios nolunt haberi undiquaque plenam, nisi pariter concepti fuerint utrique, nec solum sic nati, in sanctitate, id est, postquam mater est baptismo initiata. Nimirum inter praeceptum de fratria leviro ducenda, defuncto sine [v] prole fratre, & interdictum de fratria [x] extra illam speciem non ducenda distinguunt hic Talmudici. Nam verba facientes de fraternitatis jure quo fratris sine prole defuncti uxor ex lege ducenda, ואפילו inquiunt [y] אחד מהם הורתו שלא בקדושת ולידתו בקדושה והשני הורתו ולידתו בקדושה הרי הן כורים ׳ ואפילו תאומין ונולדו בקדושה אין ביניהן אחוה עד שתהא הורתן ולידתן בקדושה׃ *Etiam ubi frater alter non concipiebatur in sanctitate sed in sanctitate nascebatur, alter vero tam concipiebatur quam nascebatur in sanctitate, fuere invicem velut extranei. Quod item dicendum de geminis in sanctitate natis. Nam neque inter eos fraternitas habebatur nisi tam conciperentur quam nascerentur in sanctitate.* Adeo ut ex illa lege nec fratriam duceret, nec ei ritu solenni renunciaret. Caeterum משום אשת אח seu *interdicto de non ducenda alias fratris uxore* seu de ejusce concubitu fratres ejusmodi teneri [z] volunt. Sed haec ad effectus secundi hic generis, qui suis sparsim occurrunt infra locis, potius spectant. Et de proselytorum justitiae eorumque posterorum qualitate ac conditione hoc in loco haec sufficiant.

CAP. V.

De libertinorum eorumque posterorum qualitate & conditione. Libertini generis Judaei apud Tacitum quinam fuerint. Synagoga libertinorum in apostolorum actis. De servorum Judaismo citra manumissionem initiatorum, item proselytorum domicilii, uti & qui horum seculis recentioribus instar fuere, conditione & qualitate. Gentilium omnimodorum consuetudine Ebraei seculis recentioribus, cum sui satis juris non erant, ipsi sibi interdixere. Jus & mores ea de re varii pro locorum ac aetatum diversitate. De Samaritanis. Publicani nomen unde adeo invisum. Titulus olim singularis in Talmude Hierosolymitano, de proselytis.

EX eis quae de proselytis justitiae capite ostenduntur proxime superiori, difficile non est

[n] A Gell. Noct. Attic. lib. 16. cap 13. [o] Politic 3 cap. 1. & 3. [p] Histor. 5. [q] Decis. Criminal. 13. [r] Tract. de Puritate & Nobilitate probanda, part. 1. quaest. 1 & 2. [s] Videsis lib. 1. de successione in pontificat. cap. 2. [t] Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap 8. fol. 78. a & Maimonides Halach. *Isuri Bia*, cap. 13. *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*. cap. 268. 6. [v] Deut xxv. 5. [x] Levit. xviii. 16. [y] Ex Misna tit. *Jabimoth*, cap. 11. Maimonides Halach. *Jibum Wechalitza*, cap. 1. *Shulcan Aruch*, lib. *Aben Haaezer*. cap. 157. §. 1. [z] Maimonid. Halach. *Isuri Bia*, cap. 14. *Shulcan Aruch*. ib. *Jore Dea*, cap. 269. §. 4.

qualitatem & conditionem libertinorum pariter ediscere. Praeter ipsum libertini nomen, ovum non ovo similius quam in cunctis libertinus proselyto. Omnia de Judaei nominis adquisitione, regeneratione, adeoque cognatione pristina deleta, juris Judaici participatione, peregrinitatis retentione, & conditione posterorum jam ante dicta in eundem similiter ad amussim conveniunt: Adeo ut revera libertinus in Judaismum cooptatus, id est, ut monstratum est, in ipso cooptationis actu libertinitate donatus, undiquaque ejusdem esset conditionis & qualitatis cum proselyto justitiae qui tempore cooptationis e gentilismo in Judaismum erat ingenuus seu liber. Qui primo manumissus etiam & postmodum circumcisus & baptizatus erat, proselytus justitiae non libertinus dicendus. Quoniam autem in ipso actu transitionis in Judaismum servus baptizatus לשם בן חורין *in nomen ingenui* seu *liberi*, seu לשם גירות *in nomen proselytismi*, libertatem necessario ex more majorum consequebatur, ideo in pristinae conditionis seu servitutis memoriam libertini seu libertate donati nomen retinuit ipse posterique ejus, quemadmodum origine liber seu proselytus justitiae nomen, ut dictum est, proselyti in peregrinitatis, quam nec totam exuerat, memoriam. Ita nomine tantum hi discriminantur. Et solenne est Talmudicis [a] גרים ומשוחררים *proselytos & libertinos* & גרים שנתגיירו ועבדים שנשתחררו *proselytos qui proselytantur* (verbo venia detur) *& servos qui libertate donantur* seu libertinos modo quem indicavimus factos conjungere, velut par cui jus non omnino diversum, tametsi nomine ita discreparent. Occurrunt quidem apud scriptores Judaei libertini generis, quod nomen aliud omnino, si notionem spectes, ab eo quod jam tractamus significat; licet veri sit satis simile in personis eo nomine designatis etiam & libertinos quales diximus repertos. Legitur apud Tacitum [b]; *Actum & de sacris AEgyptiis* sub Tiberio *Judaicisque pellendis, factumque patrum consultum ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, queis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, & si ob gravitatem coeli interiissent, vile damnum: caeteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.* Quatuor haec millia Judaeos expressim vocat Josephus [c]. Et eadem de re Suetonius [d], *Judaeorum juventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris coeli distribuit* Tiberius; *reliquos gentis ejusdem vel similia sectantes urbe submovit, sub poena perpetuae servitutis nisi obtemperassent.* De AEgyptiis sic distributis nihil ait. Adeo ut manifestum sit Tacitum loqui tantum de Judaeis libertini generis, quanquam verba ejus simpliciter sumpta AEgyptios pariter atque Judaeos respicere forsan videantur. Sed vero hi universi posteri fuere Judaeorum bello Pompeiano in Judaea sub annum ante octogesimum ac postea in Sosiano sub Augusto Caesare aliasque captorum, qui in servitutem abducti, dein a Romanis dominis libertate donati sunt, atque ita libertini Romani facti. Unde libertini generis dicti, qua jura manumissionis Romana nomen illud spectat, non omnino qua manumissionem ex jure quod ante explicatum est gentium Judaeis in usu. Ita in hisce esse potuere, & vix dubitandum est quin sane fuerint, tam proselyti justitiae atque libertini quales ex jure hoc gentium descripsimus quam Judaei originarii. Nam omnes pariter Judaeorum nomine veniunt, ut ostensum est, & non minus ex illis quam ex his captivos e Judaea bello captos atque abductos est existimandum. Ita autem se rem habuisse satis discimus ex Philone, ubi de regione Transtiberina Judaeorum sedibus Augusti indultu assignata verba faciens [e], Ῥωμαῖοι δὲ, inquit, ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες. αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν, οὐδὲν τῶν πατρίων παραχαράξαι βιασθέντες, *Romani vero erant eorum plerique quibus libertas donata*, seu *libertini*. *Nam bello capti & in Italiam abducti a dominis sunt manumissi, nec ritus patrios violare coacti.* Sensus ab interprete Philonis curte nimis redditur: nec Romanorum aut Italiae apud illum mentio. Hi igitur Judaei etiam Romani fuerunt cives, id est, libertini optima lege facti. Quorsum alias a Philone signantius dicti Romani? Et civem Romanum simul & optima lege Judaeum, etiam extra territorium Judaicum natum, quempiam esse potuisse manifestum est ex D. Pauli exemplo; qui ex Ebraeis: Nam is [f] Tarso Ciliciae natus & Judaeus erat & civis Romanus. Quod vero ad libertinos hosce spectat; scimus quidem ex jure Caesareo vetustiori libertinos fuisse alios qui aut [g] testamento aut in ecclesia seu concione (aede sacra volunt aliqui) aut ante consulem manumitterentur, alios qui per epistolam aut inter amicos aut convivii adhibitione, alios qui quovismodo manumissi sunt postquam poenae infamiam insigniorem subierant. Secundum & tertium genus Latini & dedititii nuncupabantur, nec civitate fruebantur. Genus autem primum cives erant Romani, seu Quirites, quales una vertigo, ut est apud Persium [h], fecit. Atque illis eadem competebat libertas quam habebat manumissor, nisi quod scilicet libertinus esset qui manumittebatur, licet manumissor esset ingenuus, ut loquitur Justinianus, qui discrimen illud libertinorum sustulit [i], atque omnes pariter civitate donatos voluit. Generis igitur libertini quod Romani juris erat, non omnino quod Judaici, Judaei sic apud Tacitum denotati sunt censendi; id est, Judaeorum, proselytorum, & libertinorum, qui juxta mores & ritus Judaicos superius ostensos facti, in servitutem postea a Romanis redacti sunt, posteritas. Qualis quidem servitus aut libertinitas Romana obstare nequibat quo minus, qua Judaicam rempublicam spectabant, pristino nomine & conditione pristina prorsus etiam absque postliminio frui possent. Utrum libertinorum hujusmodi Romanorum in patriam reducum, an Judaicorum, qui nomen scilicet illud ex ipsa e servitute in Judaismum simul & libertatem cooptatione jam ostensa nacti fuerant, synagoga illa in novo foedere memorata conflaretur, viderint acutiores. Verba sunt [k], *Surrexerunt autem quidam* ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων, &c. *Ex synagoga quae appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & A-*

[a] Maimonid. Halach. *Isuri Bia*, cap. 13 & 14. Misna tit. *Jabimoth*, cap. 8, &c. [b] Annal. 2. [c] Origin. lib. 18. cap. 5. [d] Lib. 3. cap. 36. [e] Lib. de Legatione ad Caium. [f] Act. Apost. xxii. 3. & 27. [g] Gaius Instit. tit. 1. [h] Satyr. 5. [i] L. Unic. C. tit. de Dedititia lib. toll. & C. tit. de Latina lib. tol & Instit. tit. de Libertinis, §. Libertinorum. [k] Act. Apost. vi. 9.

lexandrinorum,

lexandrinorum, & eorum qui erant e Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano. Non nescimus, inter veteres non deesse qui libertinorum nomen ibi sumant pro eo quod regionem [l], gentem, seu populum, pariter, ut caetera quae sequuntur, significet; id est, Judaeos dispersionum, ex gente seu populo sic dicto, apud quem nati sunt, atque unde in terram sanctam velut reduces confluxerant, pro more denominatos. Et Suidas, λιβερτῖνοι, ὄνομα ἔθνους, *libertinos* ait *gentis nomen esse.* Quin & ecclesia Libertinensis in Africa habetur in collatione Carthaginiensi. Quin ex AEgypto nomen hoc, qua sectam nescio quam designet, petitur ab aliis. Atque ab aliis aliter. Sunt vero interea non pauci ex doctissimis [m] qui de libertini generis Judaeis, qua libertate utcunque donatos verbum illud e Latio in sermonem Hellenisticum receptum, atque tum a Syro tum ab Arabe retentum indicat, locum interpretantur, [n] Chrysostomum secuti, cui Romanorum ἀπελεύθεροι *Libertini* vocantur qui eo hic fruuntur nomine. De vocabuli notione qua libertatem nuper acquisitam complectitur assensum libentissime praebeo: at vero an non potius Libertinorum sic ex jure Ebraico juxta jam narrata dictorum, id est משוחררים seu qui e servitute in libertatem ac Judaismum migrarent, quam eorum qui ex jure tantum Romano sic dicebantur, notio eo in loco obtinere debeat, subdubito. Certe id quod apud Tacitum de juventute Judaica generis Libertini in Sardiniam a Tiberio missa habetur, spectat ad annum quo Marcus Silanus & Lucius Norbanus fuere consules, seu decimum nonum, juxta vulgi computum, a Christi natalibus annum. Et sub annum inde quintumdecimum, seu sub Stephani martyrium, manifestum est synagogam hanc, neque tunc primum, ut videtur, Hierosolymis floruisse. Ita incongruum non est de Libertini juxta jura Romana generis sodalitio aliquo synagogam illam intelligere. Nec sane rationi diffidet si de Libertinis juxta ritus Judaicos factis capias. Nam & hosce sua habuisse seorsim, uti & proselytos justitiae, sodalitia & synagogas vix aut ne vix est cur dubitemus. Et tametsi *Libertinitatis* nomen tempore illo, quo ita imperarunt Caesares tam Hierosolymis quam Romae, potuit quidem locum tam Hierosolymis quam Romae obtinere, qua servitutem in libertatem ex jure Romano mutatam innuit, nihilominus vero propius in conjecturae statera accedere videtur, *Libertini* nomen, licet e Latio deductum, Hierosolymis tunc temporis, in synagoga seu collegio ejusmodi, Judaeos eos posterosve eorum denotare qui *Libertini* dici ex ipsa in Judaismum e servitute cooptatione solebant; idque ex jure Ebraico seu Hierosolymitano jam ostenso ejusve tunc temporis reliquiis, neque sane ex Romano jure, quod a Judaeis ipsis neutiquam nomine tenus nedum re aliqua in synagogarum proculdubio disciplina receptum est adhibitumve. Porro haud ita ambigendum videtur quin Judaei generis Libertini apud Romanos, postquam Hierosolymas redierant, non libertinae ibi conditionis sed plane ingenuae atque originariae, veluti ex jure quodam postliminii, haberentur. Apud Syrum autem legitur, *Surrexerunt homines ex synagoga quae dicitur Libertinorum, Cyrenaci & Alexandrini, & qui erant ex Cilicia, &c.* Omissa copula illa post *Libertinorum*, e qua caeteri qui sequuntur ab illis sic disterminati sunt ut pro aliarum synagogarum sodalibus sumendi videantur. Neque aliter, ut videtur, apud Arabem quem transtulit Junius. Nam in Erpeniano copula habetur, uti & in Latina versione atque AEthiopica, ut adnotat praestantissimus vir Ludovicus de Dieu; qui ad illud de copula in Syro omissa, *Sic*, inquit, *unum indigitatur collegium Libertinis Judaeis consecratum, cujuscunque tandem gentis essent, sive Cyrenaei sive Alexandrini sive Cilices sive Asiatici. Quod valde nobis arrideret si lectio comprobaretur.* Certe nil ita mihi videtur obstare quo minus etiam dum copulam legimus de unica tantum synagoga, eaque *Libertinorum* dicta, sed cujus sodales gentium quae insequuntur nominibus distinguantur, locus capi possit. Atque ita eum olim intellexit Cajetanus. Et consulas quae de hoc nomine pridem scripsit AEgidius Bucherius in tractatu [o] de Paschali Judaeorum cyclo. Sed de Libertinis satis superque. De servis, ut superius monstratum est, circumcisis & baptizatis, seu Judaismo retenta servitute initiatis, ajunt [p], יצאו מכלל הגוים ולכלל הישראל לא באו *exeunt ex universitate* seu *numero gentilium, nec tamen universitati Israelis* (sicut proselyti justitiae ac libertini) *accedunt.* Veluti medium quid inter gentilem & Judaeum seu proselytum justitiae habebantur. Quod pariter de ancillis baptizatis dicendum. Nam servus ex baptismo ejusmodi, quo quidem eatenus Judaismo initiabatur quatenus servi, qui ab alio inter bona possidetur, conditio ferret, desiit esse gentilis, quia Judaismi institutis nomen ritu solenni dederat: nec tamen habebatur proselytus justitiae, quia libertate caruit, nec sui omnino erat juris. Unde adquisivisse eum aiunt מקצת גרות *partem proselytismi*, sed qualis eum inter bona potius quam in hominum censu collocabat. Cognationis autem servilis ratio erat eis nulla. Posteri ejus ex ancillis e gentilibus suscepti, uti ancillarum e gentilibus sic adscitarum, perpetuo parentum sequebantur conditionem. Quamprimum autem libertate, juxta superius dicta, non sine alio baptismo donabantur, libertini fiebant tam posteri quam ipsi qui primo Judaismo nomina dederant. Aliud omnino erat servitutis genus Ebraica illa quam serviebant Ebraei originarii ipsi in sacris literis non semel memorata. Eam libro sexto, ubi de servis etiam hisce plura, latius, ut de utroque genere simul constet, explicamus. Ita demum tam apud Ebraeos quam Romanos aliosque illud quod de hoc hominum ex jure gentium discrimine apud Justinianum [q] habetur obtinuit: *Postquam jure gentium* (sic ille) *servitus ingenuitatem invasit, secutum est beneficium manumissionis. Et cum uno communi nomine omnes homines appellarentur, jure gentium tria hominum genera esse coeperunt; liberi, & his contrarium servi, & tertium genus libertini, qui desierant esse servi.* Proselyti autem domicilii qualitas & conditio satis quidem videtur manifesta ex eis quae de eo jam supra sunt dicta: aut liberae nempe, qua rempublicam spectavit Ebraicam, aut

[l] Glossa interlinearis. [m] Th. Beza, Cornelius a Lapide, J. Lorinus, Ludovicus de Dieu, &c in Act. vi. [n] H[illegible] 15. in Acta. [o] Cap. 6. pag. 387. [p] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin* cap. 4 fol. 58. b. Maimonid. Halac. [illegible] cap. 12. & 13. [q] Instit. tit. de Libertinis.

servilis erat conditionis. Utrique sedes in territorio Israelitico eorumque ditione, juxta qualitatis discrimen, permissae: sic tamen ut Hierosolymis ob singularem urbis sanctitatem habitationis locus eis assignandus non esset. Maimonides[r], אין נותנין בירושלם מקום לגר תושב *Locus proselyto domicilii intra urbem Hierosolymae assignandus non erat.* Alibi autem, ut dictum est, permissae proselytis ejusmodi sedes; idque citra Judaismi professionem; ad quam neminem mortalium adigebant. Sed aut Judaismus amplexandus, aut futurae septem Noachidarum seu omnium hominum communium praeceptorum observationi nomen dandum erat gentili cuique in eorum potestate degenti, dum sui juris erant, ut ostensum est: Aliter velut pro hoste habitus. Cognatio omnimoda apud proselytos domicilii manebat. Et posteri non minus atque ipsi, opinor, in hujusmodi professionem adigi soliti. Quo autem foro uterentur, & quomodo tum ob juris Noachidarum seu naturalis tum ob gentium juris imperativi ac intervenientis violationem puniendi essent, suis in locis obiter in sequentibus docetur. Nec dubitandum puto quin proselytus ejusmodi, dum sui juris erant Ebraei, id est, seculis quibus, juxta superius dicta, admissio haec in usu fuit, consuetudine tum Israelitarum tum proselytorum justitiae aliorumque qui in eorum mores transierant, pro arbitrio, excepta sacrorum communicatione (qua de re plura inferius) uti posset. Atque illuc spectat illud Josephi[s]; Τοὺς δ᾽ ἐκ παρέργου προσιόντας ἀναμίγνυσθαι ταῖς συνηθείαις οὐκ ἠθέλησεν· ἄλλα δὲ προείρηκεν, ὧν ἐστιν ἡ μετάδοσις ἀναγκαία, πᾶσι παρέχειν τοῖς δεομένοις, πῦρ, ὕδωρ, τροφὴν, ὁδοὺς φράζειν, ἄταφον μὴ περιορᾶν, *Eos autem qui obiter adveniunt* (seu *non ad Judaismum suscipiendum*, id est *proselytos domicilii*, seu *advenas in mores nostros non transeuntes*, nam de proselytis justitiae proxime ante locutus est) *misceri solennitatibus* scilicet sacris *noluit* Moses. *Caetera tamen indigentibus universis exhibenda constituit, quorum scilicet participatio ac communicatio necessaria est, veluti ignem, aquam, alimentum; itinera item indicare, nec insepultum quempiam relinquere.* Ita is veteris seu Mosaicae de proselytis domicilii institutionis sensum explicat ex majorum traditionibus quae ad tempora anteriora, quibus sui fuere juris, spectant. Seculis autem insequentibus, seu cum plerumque partim sui juris (solum ferme in rebus sive sacris sive ad sacra seu singularem gentis sanctitatem necessario attinentibus; idque ex dominantium indultu, quo nec semper ita fruebantur) partim alieni fuere, neque eis integrum satis relinquebatur proselytos domicilii ritu solenni ac more majorum admittere, utpote quos coercere jam nequibant, sed tantum proselytos justitiae, libertinos ac servos in Judaismum eo nomine, ut ostensum est, cooptare, quorum omnium initiationis, nempe quae ad sacra fere omnino jam spectabat, neque jus, neque usus unquam desiit; seculis, inquam, illis insequentibus domicilio saepe commistos fuisse illis nemo non videt gentiles pro exterorum qui dominabantur libitu, quibus reluctari nequibant. In hisce autem palam est fuisse tum qui idololatriam aliosque gentium, qui Noachidarum juri adversantur, mores retinuerint, tum qui מחסידי אומות עולם *e piis* seu *religiosis ex gentilibus*, seu qui tametsi proselyti domicilii nec fiebant nec jam ex more publico fieri quibant, proselytorum tamen ejusmodi instar fuere, tantum non rite admissi. Qualis Caesareae Cornelius ille cohortis Italicae centurio, qui non solum *vir religiosus* erat *& timens Deum*, sed etiam[t] μαρτυρούμενος ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων, *testimonium habens ab universa gente*, seu *multitudine gentis, Judaeorum*; quales item alii supra[v] memorati. Caeterum quoniam quinam jam essent in iis idololatrae, quinam juxta Noachidarum jura pii, ex professione aliqua publica, & quae sub poena obligaret, resciri nequibat, & adeo moribus avitis adversum fuerat consuetudinem cujuspiam in solo Judaico admittere nisi idololatriae ritu solenni renuncians caetera Noachidarum juris capita in se suscepisset observanda, atque ut proselytus domicilii esset admissus, ideo quod ex imperio in gentiles adeo minuto seu pene deleto praestare non potuere, id, quantum in ipsis erat, ex imperii in suos reliquiis volebant praestitum. Scilicet ex superinducto a sapientibus jure interveniente, quo Judaei, quatenus gentes respiciebant, inter se atque ad Judaismum ejusque ritus sartos tectos conservandos essent regendi, mores inolevere de gentilium omnimodorum qui in Judaismum non transirent, non solum, quatenus commode fieri posset, maxime in solo Judaico, consuetudine, societate ac familiari consortio sed etiam contractuum commerciorumque generibus compluribus fugiendis. Ratio qua jus ita superinductum nitebatur, velut sola, saltem obtenditur, ne ex eorum, quibus per jus Israelitarum in solo Judaico ne sedes tenere liceret, consuetudine, consortio ac commerciis, idololatria rebusve aliis idololatriae causa fugiendis (ut fusius infra ostenditur) ipsi inquinarentur. Maimonides de interdictis ejusmodi cum idololatris consortiis, pactis commerciisque, inquit[x] וכל הנחיקה הראת מפני ע״ז הוא שנ׳ וקרא לך ואכלת מזבחו ולקחת מבנותיו לבניך וזנו וגו׳: *Et omne id quod sic dicitur de non admittendo idololatrarum consortio & commercio, idololatriae causa introductum est, juxta id quod habetur in sacra lege*[y], "Ne vocet, *seu* " *invitet*, te, edasque de sacrificio ejus, & acci- " pias de filiabus ejus filiis tuis, & fornicentur, *&c.* Nimirum ob ipsam quae in sacris literis non semel affertur de septem populorum consortio commerciisque evitandis rationem (unde & de eis jus gentium imperativum seu a numine praescriptum habetur) aliarum item gentium, quarum non dissimilis ratio, ex jure gentium sibi, maxime in solo Judaico quantum fieri potuit, aliisque gentibus interveniente seu ab ipsis superinducto, consuetudinem, consortium & commercia aliquot vetabant. Quod ut facilius effectum sortiretur, etiam gentiles omnes pro immundis, seu qui contactu Judaeum nunquam non contaminarent, statuere habendos. Cum enim[z] sacras haberent leges tum de puerperae tum de viri seminis & mulieris sanguinis profluvio laborantis immunditie quae contactu personarum contrahebatur, neque

[r] Halacha *Bith habechira* cap. 7. [s] Contra Apionem lib. 2. [t] Act. x, 22. [v] Cap. 3. [x] Halacha *Aboda zara* cap. 9. [y] Exod. xxxiv. 16. [z] Levit. vii. & xv.

leges eae, Iſraelitis nempe peculiares, ad gentiles attinerent, ſuperinductum eſt ſapientum decretum quo nunquam hujuſmodi immunditie ſeu ejus effectu, quantum ad Judaeos, carere gentiles conſtitutum eſt. Scribunt enim [a], הגוים אין חייבין עליהם משום נדה ולא משום זבה ולא משום יולדת ׃ וחכמים גזרו על כל הגוים הזכרים והנקבות שיהיו כזבים תמיד בין ראו בין לא ראו לענין טומאה וטהרה ׃ *Leges ſacrae de muliere menſtruis aut ſanguinis profluvio laborante, aut de puerpera, ad gentiles quidem non attinent*; id eſt, ex ipſa lege ſacra immundi ex cauſis illis non ſunt. *Sed ſapientes decrevere omnimodos gentiles tam maſculos quam foeminas pro eis qui perpetuo ſanguinis profluvio laborant, ſive ea de re conſtet ſive minime, habendos, quoties de munditia & immunditia quaeſtio ſit*; id eſt, ex eorum contactu immunditiam contrahi. Eos enim qui ſacra immunditiae lege non tenebantur ipſi eis qui ea tenebantur ſemper immundos haberi jam ex ſuperinducto hoc atque interveniente jure volebant, ut facilius ſic eorum conſortio, quantum fieri poſſet, arcerentur Judaei. Quod & tempore Haſmonaeorum, aut ante, initium habuit. Nam illis tribuitur [b] decretum in quo foemina quaelibet gentilis cenſebatur velut ſemper נדה ut libro quinto expreſſius oſtenditur, id eſt, *quae menſtruis laborat*. Ex hujuſmodi decretis pendet illud in evangelio [c], ubi Judaei *non introierunt in praetorium* Pilati miniſtris qui gentiles erant refertum, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha* intaminati. Atque ex ſuperinducta gentilium immunditie manavit & illud D. Petri [d], *Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Judaeo conjungi aut accedere ad alienigenam.* Graeca ſunt, ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, *quod illicitum ſit viro Judaeo adhaereſcere ſeu advenire ad alienigenam*; ubi Syrus habet לאנשא נוכריא דלא הוא בר שרבתה *ad hominem extraneum, qui non ſit filius generationis ſuae. Sed mihi oſtendit Deus,* ita ibi ſtatim Petrus, *neminem communem aut immundum dicendum hominem.* Quod de adventu ejus ad Cornelium Italum dictum eſt, & immunditie qua gentiles univerſos pollutos eſſe ex more Judaico exiſtimabatur. Unde etiam ad Petrum viri aliquot ex circumciſione, *Quare* [e] *introiiſti ad viros praeputium habentes, & manducaſti cum illis?* Nimirum eouſque tunc illicitum erat atque infame gentilem convenire, & familiarius conſuetudine ejus uti, ut tum contra majorum morem, quo abſque publica proſelyti domicilii profeſſione in ſolo Judaico gentilem ſedes habere non permittebatur, iniquius commiſſum eſſe videretur, tum aut immunditiem lavacro velut poena ſimul & purgatione ſolvendam aut ejus non levem ſaltem ſuſpicionem contraheret quiſquis id faceret. Hinc & illud apud Juſtinum hiſtoricum [f], *Quoniam metu contagionis pulſos ſe ab Ægypto meminerant, ne eadem cauſa inviſi apud incolas forent, caverunt ne cum peregrinis communicarent: quod ex cauſa factum paulatim in diſciplinam religionemque convertit.* Hinc illud Apollonii Molonis [g], Judaeos recipere noluiſſe ex aliis gentibus quempiam diverſa de numine ſentientem, μηδὲ κοινωνεῖν τοῖς καθ' ἑτέραν συνήθειαν βίου ζῆν προαιρουμένοις. *Nec conſuetudine eorum uti qui aliam* praeter Judaicam *vitae rationem ſequebantur.* Quod & verum fuiſſe palam aſſerit Joſephus dum rem ipſam ex Graecorum aliquot de peregrinis more pluribus defendit. De commerciis autem & humanitatis officiis aliquot inſtituta habuere pro locorum diverſitate alia atque alia, uti & proculdubio ſeculorum. Huc etiam ſpectat illud de Samaritanis, qui nunc ſe ſanguine Judaeis junctos profitebantur, nunc ibant inficias ipſi, ſed perpetuo Judaeis exoſiſſimi: *Quomodo* [h] *tu, Judaeus cum ſis, bibere a me poſcis, quae ſum mulier Samaritana?* οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, *non enim coutuntur Judaei Samaritanis,* ſeu לא מתחשחין *non habent commercium*, ut Syrus. Verba ſunt Samaritanae ad Jeſum Chriſtum aquam poſcentem. Unde propter conſuetudinem hanc cum muliere illa, uti etiam cum [i] Samaritanis; atque ex eo quod diſcipuli ejus cum Samaritanis commercia habuerunt, convitium illud Judaeorum ei impactum eſt, *Samaritanum* [k] illum fuiſſe, id eſt, Judaeum Apoſtatam [l], ſeu qui ex conſortio illo Judaiſmo renunciaſſe videretur. Et ſane gentem Samariticam, utpote quae Cuthaeorum & Judaeorum colluvies verum cultum diverſimode adulterarat, habebant ſibi prae aliis inviſiſſimam & veluti gentiles. Atque, ut alias fieri ſolet, quo anguſtius poſt defectionem erat vicinitatis interſtitium, eo gravius utrinque odium. In vetitis autem jam erat aedes [m] agroſve in ſolo Judaico gentili cuicunque vendere, uti & agros locare. Sed aedes ibi locare ei fas erat, modo non in habitationem; nec, ut opinor, Samaritano. De habitatione autem aiunt, אין שכונה פחות משלשה *Habitatio non eſt dicenda niſi tres ſimul inhabitarint.* At in Suria (ſic vocitant Aram Zoba, regionem ſolo Judaico vicinam, a Davide ſubactam) eis locare fas erat etiam & agros in culturam: alibi locorum, & aedes & agros pariter vendere. Commercia alia eis etiam intra ſolum Judaicum ex majorum inſtitutis cum gentilibus permiſſa; ſed ea tantum quae nec gentilium omnino cultui extraneo adjumento, nec libertatis Iſraeliticae reliquiis ipſorumve cultui ſacro detrimento, ſive revera ſive exiſtimatione forent. Qua de re quam plurimae occurrunt ſubtilitates [n]. Eas autem, quoniam potius ſive ad tempora locoſque quibus poſt urbis templique excidium per orbem terrarum diſperſi ſunt Ebraei, ſive ad ejuſmodi ſtatum, tempora & locos ante excidium ſpectant, praetermittimus. Et fieri nequit quin, pro re nata, alia atque alia de rebus hujuſmodi ab iis qui exſulantibus Babylone, AEgypto, alibique per Aſiam, Europam, Africam, Judaeis praeerant diverſimode ſuperinducerentur inſtituta. Nam munera civilia inter gentiles ac chriſtianos, veluti decurionatus, alia, ſeculis quae

[a] Maimonid. Halach. *Iſuri bia* cap. 4. & vide Miſnam tit. *Nidda* cap. 4. [b] Gemar. Babylonia tit. *Aboda zara* cap. 2. fol. 36. b. *Sepher Juchaſin.* fol. 15. a. [c] D. Joan. xviii. 28. [d] Act. Apoſt. x. 28. [e] Ibid. xi. 3. [f] Lib. 36. [g] Joſephus contra Apionem, lib. 2. [h] D. Joan. iv. 9. [i] Ibid. ver. 8. & 40. [k] Ibid. viii. 48. [l] Videſis Daniel. Heinſium in Ariſtarcho ſacro, cap. 7. juxta finem, & Jo. Morin. in exercit. 1. in pentat. Samarit. cap. 2 & 4 &c. [m] Miſna tit. *Aboda zara* cap. 1. & Maimonid. Halach. ejuſd. tit. cap. 10. & vide Moſem Mikotzi Praec. Negat. 48. [n] In Miſna & Gemara tit. *Aboda zara* cap. 1. & 2. & Maimonide Halach. ejuſd. tit. cap. 9. & 10.

templi excidium propius ſecuta ſunt, neceſſario ſubinde [o] ambitioſius obibant, interdum nihilominus immunes etiam nec [p] admittendi. Unde diverſitas, puto, etiam ipſis juris de aliorum conſortio fugiendo, admittendo. Et vide hac de re plura capite hujus libri poſtremo. Ex jam dictis autem ſatis, opinor, conſtabit de cauſa cur adeo inviſum eſſet Ebraeis *Publicanorum* nomen, id eſt, eorum qui vectigalia ac cenſum Romanis ab eis ſolvendum conduxerant. Eorum plane gentiles alii, alii Judaei. Qui gentiles erant, eo nomine ſatis odio habiti, utpote idololatrae, aut ſaltem ſic cenſiti. Qui Judaei, ideo inviſi, quod cum ejuſmodi gentilibus in terra Iſraelitica degentibus, velut praeſidibus, quaeſtoribus legatiſque Romanis, nec proſelyti domicilii profeſſione, quae tunc non in uſu, obſtrictis conductionis ejuſmodi contractum, conſortium ac conſuetudinem contra morem atque inſtituta majorum, idque palam velut gentiles, alieni nempe imperii miniſtri, inierant. Cum peccatoribus igitur ac meretricibus ſignantius cenſentur interdum in evangelii [q] locutionibus publicani; interdum pari cum gentilibus conditione; *Si eccleſiam* [r] *non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus* ſeu *gentilis & publicanus.* Atque cum bis repetatur in Graecis Matthaei [s] editis, *nonne & publicani hoc faciunt?* poſteriori in loco tum nonnulli codices Graeci [t], tum verſio vulgata habet veluti ſynonymum, *nonne & ethnici hoc faciunt?* Quod vero habet Tertullianus [v] velut ex Deuteronomio, *Non erit* [x] *vectigal pendens ex filiis Iſrael,* perinde ac ſi publicanus ex ipſis inde non fuiſſet admittendus; id manavit ex verſione Helleniſtica, qua τελεσφόρος & τελισκόμενος uſurpantur ſive pro eo quod eſt ſcortum ſive maſculum ſive foemineum vectigalia ſeu pretia ſive pendens ſive accipiens, ſive pro eo quod eſt myſteriorum gentilium praefectus ſeu initiatus, ut vult Theodoretus [y]. Vide hac de re item D. Hieronymum [z], praeter recentiores * aliquot. De proſelytorum autem quos jam tractavimus jure, quod ſparſim in corpore quo utimur Talmudico & apud magiſtros traditur, nec ſibi, quantum ſcio, in Talmude ſive Hieroſolymitano ſive Babylonio ullo quod typis editum eſt, aliiſve Miſnae editionibus, titulum ſortitur proprium, habetur, aut olim ſaltem habebatur, apud Judaeos titulus ac liber ſingularis, qui etiam, ni fallor, Talmudis ſaltem Hieroſolymitani pars. Cum enim librorum corporis Talmudici utriuſque quilibet מסכת dicatur, ut *Maſſeceth Sanhedrin- Maſſeceth Iabimoth,* & qui ſunt caeteri, citatur non ſemel τῷ Rabbi Jom Tob Bar Abraham in commentario ſuo ad Maimonidem † *Migdal oz* dicto, מסכת גרים *Maſſeceth Gerim* ſeu *tractatus* aut *liber de proſelytis,* uti & פרק שני דמסכת גרים ירושלמי *caput ſecundum libri de proſelytis in Talmude Hieroſolymitano,* atque id genus alia. Perquam mancam eſſe tam Venetam quam Cracovienſem Talmudis Hieroſolymitani editionem nemo neſcit, utpote quamplurimis qui in Babylonio habentur titulis etiam ad ipſum pariter ſpectantibus carentem, adeo ut iis qui ſic deſunt hic connumerandus eſſe videatur. Sed nec in titulis Talmudicis ſive ab Ebraeis ‡ ſive a Chriſtianis ** ſimul enumeratis hunc de proſelytis comperio. Floruit Jom Tob ſub annum Chriſti trecenteſimum ſeptuageſimum ſupra milleſimum.

CAP. VI.

De facultate ſtatuam ſeu titulum erigendi, ſaxum adorationis ad illud cauſa pro libitu dolandi ſeu figurandi, lucum plantandi, imagines formandi (quales ſcilicet nec Ebraeis formare fas erat) Noachidis ſeu proſelytis domicilii ex jure gentium interveniente, ob novandae idololatriae metum, negata. Et de humanarum, coeleſtium, aliarum hic diſcrimine imaginum.

Perſonarum, quarum obvia neceſſario nec infrequens erit in commentariis his mentio, veluti *proſelyti juſtitiae, libertini, ſervi in Judaiſmum cooptati, proſelyti domicilii,* ejuſque qui hujus *proſelyti* ſeculis recentioribus *inſtar* erat, diſcrimine ſic in ſuperioribus explicato; redimus ad illud [a] quod habetur de facultate ſtatuam erigendi, lucum plantandi, imagines aliaque id genus etiam ornatus cauſa faciendi, Noachidis in eorum ditione, id eſt, proſelytis domicilii, ex jure gentibus aliis ipſiſque interveniente, negata. Quod ad illud attinet, de ſtatua non erigenda; habetur in ſacrae legis [b] verbis interdictum Iſraeliticum, לא תקים לך מצבה *non conſtitues,* ſeu *eriges, tibi ſtatuam.* Sic enim מצבה vertit vulgata, uti etiam ſaepius *titulum.* Helleniſtae vero ϛήλην, *cippum* ſeu *columnam.* Vocabulum hoc ſenſu non raro in foedere veteri occurrit. Neque dum *ſtatua* vertitur, id quod vulgo *ſtatua* denotat, id eſt figuram humanam, ſignificat: ſed, ut volunt magiſtri, qualecunque opus, velut etiam altare, ſeu id genus aliud, ideo conſtitutum erectumque (ultro ſcilicet, neque ex mandatis de tabernaculo aut templo erigendo ornandoque) ut conventus publicus ad ſacra illic peragenda qualiacunque, etiam vero Deo, fieret. Nam, ſi Deo commentitio, tunc ex generali cultus extranei ſeu idololatriae interdicto prohibitum eſt hujuſmodi opus, ipſis quidem Ebraeis alias, ac ſine aliqua ſacrorum cauſa erectum, non [c] illicitum. Maimonides[d], מצבה שאסרה בתורה היא בנין שהכל מתקבצין אצלה ואפילו לעבוד את השם שכן היא

[o] L. 3. § 3. D. tit. de Decurionibus l. 5. & 10. C. tit. de Judaeis lib. 3. tit. eod. cod. Theodoſiani & vide ibi l. 24. [p] L. 19. C. tit. de Judaeis & C. Theodoſ. lib. 16. tit. 8. L. 13. & vide inferius hic cap. 9. [q] D. Matth. ix. 11. & xi. 19. & xxi. 32. D. Marc. ii. 15. D. Luc. vii. 29. [r] D. Matt. xviii. 17. videſis Tertullian. adverſ. Marcion. lib. 4. cap. 11. [s] Cap. v. 46. & 47. [t] Rob. Stephan. ibid. & Theodor. Beza. [v] De Pudicitia cap. 9. [x] Cap. xxiii. 17. [y] Quaeſt. 28. [z] Epiſt. 146. * Baron. Annal. 31. num. 71. & Iſaac. Caſaubon. exercit. 13. § 36. Caſpar. Waſerus lib. 1. de antiquis Hebr. nummis cap. 18. Abr. Scultetus exercit. evangelic. lib. 1. cap. 18. Conſtantin. L' Empereur ad *Baba Kama* cap. 10. § 1. † Ad Halach. *Iſuri bia* cap. 13. fol. 337. a. & b. ‡ R. Gedaliah Ben Jechai in *Shalſheleth* fol. 35. & 36. ** Petrus Galatinus de Arcanis lib. 1. Sixt. Senenſis Bibliothec. 4. J. Buxtorf. in Bibl. Rabbinica, &c. [a] Supra cap. 1. & 2. [b] Deut. xvi 22 Levit. xxvi. 1 [c] Joſuae iv 9. & videſis Abarbinel in *Piruſh Tora* fol. 363. col. 2. [d] Halach. *Aboda Zara* cap. 6. & videſis Levi Gerſomidem ad Levit. xxvi. 1. Nachmanidem ad Deut. xvi. 22. *Sepher Siphra* col. 121. alios ad locum utrumque.

דרך עבודה זרה *Statuta seu titulus interdictus in lege erat opus ideo constructum ut publicus ad illud fieret conventus: idque etiamsi fieret veri numinis cultus gratia. Nam mos ejusmodi obtinuit apud idololatras*, pro arbitrio scilicet statuas id genus diis suis erigendi. Quo spectat sane & mos ille Graecorum apud Pausaniam[e], Τὰ παλαιότερα ἐ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς Θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι, *Seculis vetustioribus apud Graecos quidem universos rudes lapides pro simulacris divinos honores habuere.* Quoniam igitur titulum ejusmodi erigi Israelitis ipsis inhibitum est a sacra lege (qua pariter comprehensi sunt proselyti justitiae, libertini, & servi in Judaismum cooptati) velut id quod in idololatrarum moribus erat frequentissimum, ideo, ne forte idololatriae ansam aliquam ex ejusmodi opere sive arriperent sive praeberent intra ditionem Israeliticam Noachidae seu proselyti domicilii, id est, qui lege & foedere Israelitarum sacro non contenti ibi sedes haberent, ex jure quod diximus interveniente eis pariter titulorum ejusmodi erectio ibi interdicta est. Cum alias Noachidae ex jure naturali seu omnium hominum communi id neutiquam omnino vetaretur, sed plane & licite & cum pietatis laude fieret. Id quod satis liquet tum ex tituli ejusmodi a Jacobo patriarcha[f] ante legem Mosaicam, tum ex altari & duodecim statuis ejusmodi seu titulis a Mose ipso[g] ante tabernaculum constructum erectis. Parilis ratio de אבן משכת להשתחות עליה *saxo formato ut adoretur super ipsum.* Nimirum libera ejusmodi saxa figurandi facultas, utpote apud idololatras in usu, verbis legis sacrae[h] disertis, Israelitis extra templum negata est: adeoque & ex jure interveniente, ac simili causa, proselytis domicilii. Sequitur, *neque lucum plantare* Noachidae permissum. Neque lucum, qualis in lege sacra Israelitis citra cultum prohibitus est, plantare Noachidem seu proselytum domicilii prohibebant. Verba legis sunt[i], *Non plantabis tibi* אשירה כל עץ וגו' *lucum, ullam arborem*, seu *ex ulla arbore, juxta altare Domini Dei tui quod facies tibi.* Id sumunt de lucis seu arboribus qualitercunque sive juxta altare sive in atrio sive in monte templi plantatis seu collocatis[k] לנוי למקדש וליופי *ad ornatum & pulchritudinem templi.* Causam autem interdicti afferunt; מפני שהיה זה דרך עבודה זרה נוטעין · אילנות בצד מנבח שלה כדי שיתקבצו שמה עם: *Quoniam ritus is erat idololatrarum; arbores scilicet juxta altaria sua plantare ut ibi conveniret populus.* Neque igitur Noachidae permissum sive juxta tabernaculum sive templum Hierosolymitanum, sive, ut videtur, in loci ubi adoraret ipse qualiscunque ornatum, lucum plantare seu arborum ordines conserere. Quin nonnulli[l] legem sacram ita capiunt ut nec cuiquam apud eos fas esset sibi lucum utcunque plantare, nec opus ligneum sive juxta altare sive in monte templi construere. Quod si ita fuerit, nec sane Noachidae lucum sibi omnino in aedium ornatum suive commodum intra territoria Israelitica plantare licuisse, par est ut existimemus. Sed de permissa extra loca sacra & cultus rationem arbores sive frugiferas sive steriles conserendi, adeoque lucum in promiscuos vitae usus plantandi, facultate, luculentum etiam est alibi[m] testimonium, quod puto potius amplexandum. Nec permissum est Noachidae seu proselyto domicilii imagines facere in territorio Israelitico, ne ornatus quidem causa, splendoris scilicet seu magnificentiae; aut in majorum, ut apud Graecos Romanosque, memoriam. Quod itidem sic accipiendum, ut quales imagines Israelitae nefas erat formare, tales pariter, ex superinducto, quod diximus, Noachidis seu proselytis domicilii jure, nec hisce omnino formare esset fas. Cum alioquin ex jure Noachidarum communi, seu quo genus humanum obstringi docent, imagines qualescunque facere, id est, picturam, sculptoriam, statuariam, coelaturam, id genus artes alias pro arbitrio exercere, nemini interdictum esse velint. Ut vero quod de imaginibus minime apud ipsos faciendis habent rite capiatur, de eis distinguendum. Alia ipsis erat imaginis humanae, alia aliorum animantium, ut quadrupedum, volucrum, arborum, rerumque quarumlibet, praeter hominem, terrestrium & aquaticarum; alia denique coelestium ratio, veluti solis, lunae, siderum caeterorum. Humanae rursus alia erat ratio in cherubinis tabernaculi & templi, alia ubi alias sive statua fieret sive sculptoris artificio promineret, alia ubi sive pictura sive textura planam sive coelatura insculptam exhiberet. Distinctiones nimirum has faciunt doctiores cordatioresque dum idololatriae in decalogo interdictum aliasque leges congeneres ex more majorum interpretantur. Nec sine his ac sequenti explicatione intelligi volunt capita de non faciendis imaginibus in scriptis Talmudicis breviuscule, nec adjectis quae integrum sensum aperiant, subinde[n] concepta. Cherubinis, quorum figurae genus hic primum est, facies fuisse humanas agnoscunt[o], & testatur scriptura[p]; alas item eis adjectas quatuor, praeter alia unde forma eorum erat qualis[q] in rerum natura alibi non omnino simul reperta. Jam vero, praeter id quod de singulari numinis, qui omnium praeceptorum dominus est, hic mandato nemini non facile occurrit, aiunt interdicti de imaginibus verbis utcunque alias intellectis neutiquam contineri horum formationem, quia nihil in eo interdicitur praeter imaginem rei quae aut in superiori aut in inferiori mundi parte reperitur. Rabbi Isaac[r] Mosaides, a proavo etiam Arama dici solitus, אין מעשת כרובים בכלל שהרי אין צורתם נמצאת בשום אחד מהמדורים: *Non comprehensa est formatio cherubinorum in generali interdicto, quoniam scilicet eorum figura non reperitur in re aliqua sive superioris sive inferioris mundi partis.* Qua de re item videsis quae e Talmudicis habet alia Manasseh Ben Israel[s]. Et de cherubinorum figuris, praeter commentarios magis obvios, consule, si plura velis, tum J. Baptistam Villalpandum[t], tum

[e] In Achaicis. [f] Gen. xxxv. 14. & videsis *Pesiktha Zotertha* (ad Deut. xvi. 22.) fol. 76. col. 1. [g] Exod. xxiv. 4. [h] Levit. xxvi. 1. videsis Maimonid. Halach. *Aboda Zara*, cap. 6. [i] Deut. xvi. 21. [k] Maimonid. Halach. *Aboda Zara*, cap. 6. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 44. & vide Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 19. ordine 2. num. 5. [l] Salomon Jarchi in Deut. xvi. 21. & vide ibi Nachmanidem. [m] Vide Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 7. & Hal. *Bith Habechira*, cap. 7. [n] Apud Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 19. alibi. [o] Gloss. Jarchii ad Exod. xxv. 18. [p] Vide Ezechiel. xli. 18, & 19. & 3 Regum in Vulg. v. 36. & vide Leontium in Synod. 7. act. 4. [q] Joseph. Archaeolog. 3. cap. 6. & lib. 8. cap. 2. [r] In *Aqueda, Shair*, 45. fol. 149. col. 1. & *Shair* 48. [s] In Conciliatore ad Exodum quaest. 30. Latine 97. Hispanice. [t] Explan. in Ezech. tom. 2. part. 2. lib. 4. cap. 43.

Visorii & Moncaei disputationes de vitulo aureo. Quod vero ad imaginem simpliciter humanam in solido seu statua aut materie prominente expressam attinet, receptissima est eis sententia, talem facere non omnino licuisse. Talmudici [v]; אסור לעשות צורות לנוי וא״עפ שאינן ע״ז שנאמר לא תעשון אתי כלומר צורות של כסף וזהב שאינם אלא לנוי כדי שלא יטעו בהן הטועים וידמו שהם לע״ז ואין אסור לצור לנוי אלא צורת האדם בלבד׃ לפיכך אין מציירין לא בעץ ולא בסיד ולא באבן צורת האדם והוא שתהיה הצורת בולטת כגון הציור והכיור שבטרקלין וכיוצא בהן ואם צר לוקה׃ *Nefas erat facere imagines etiam ornatus causa, etiamsi citra cultus extranei rationem; juxta illud*, Non facietis mecum, *seu* coram me, Deos argenteos & Deos aureos, &c. *Videlicet imagines argenteas & aureas etiam quae non fiant ob aliam quam ornatus causam. Ideo scilicet ne errent qui in errorem fuerint proniores, & existiment eas in cultum extraneum factas. Caeterum illicitum non est imaginem* rei terrestris alicujus *aliam praeter hominis tantum, ornatus causa fingere. Unde fit ut nec e ligno nec calce nec saxo imaginem formarent humanam, quae scilicet promineret seu exstaret, quemadmodum ornamenta & figurae in tricliniis poni solitae, & id genus alia. Et qui ejusmodi formaverat imaginem verberibus puniebatur.* Sunt qui hic integram tantum hominis figuram, non partem, intelligunt. Pictas autem seu ita insculptas figuras humanas ut non protuberarent, sed aut in plano tantum aut in concavo viserentur, licitas habebant: Sic tamen, ut ectypas quae ex insculptis prominerent formare nefas. Tametsi interea tam figuris humanis in pariete [x] pictis cultum apud ipsos extraneum olim exhibitum quam imaginibus solidis doceamur. Sed regulariter jam dicta exceptiones aliquot pro seculorum rerumque discrimine admittebant, quas suis in locis infra dabimus. Certe apud Flavium Josephum [y] exemplum est de iconibus Caesaris decurtatis quae signis adesse solebant ab Hierosolymitanis non admissis. Pilatus, inquit Josephus, a Caesarea Hierosolyma traducto in hyberna milite, προτομὰς Καίσαρος, αἳ τοῖς σημείοις προσῆσαν, *decurtatas Caesaris imagines, quae signis aderant*, in urbem intulit. Id quod adjicit factum ἐπὶ καταλύσει τῶν νόμων Ἰουδαϊκῶν, *in legum Judaicarum violationem*; subjiciens, εἰκόνων ποίησιν ἀπαγορεύοντος ἡμῖν τοῦ νόμου, *cum nobis interdictum sit imagines facere.* Unde magno agmine cives Hierosolymitani, qui legum suarum violationem ejusmodi ferre nequibant, eum adeunt, & demum ut Caesaream reportarentur, nec sine tumultu ingenti, impetrant. Etiam ex hac causa qui ante eum fuerant praesides cum signis aliter insignitis urbem ingredi solebant, ut ibi memorat etiam Josephus. Vitellius item ad bellum paratus Arabicum cum vellet per Judaeam exercitum ducere, occurrerunt ejusdem principes [z] deprecantes transitum; οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, *neque enim mores permittere patrios ut inferantur imagines*, quales scilicet signa comitarentur, seu Caesaris. Et precibus horum flexus Vitellius propositum mutavit. Quin cum theatrum aliaque moris Romani Hierosolymitanis perquam inassueta in urbem induxerat Herodes [a] rex Antipatri F. atque, inter alia, gentium devictarum trophaea, scilicet arma humana auro & argento collucentia, nihil aeque atque haec civibus molesta, invisa atque exsecranda fuere. Nimirum existimabant imagines humanas eis tectas fuisse. Atque Herode blandis alloquiis eos hac superstitione eximere conante, ὁμοθυμαδὸν ἐξεβόων, εἰ καὶ πάντα δοκοῖεν οἰστὰ, μὴ φέρειν εἰκόνας ἀνθρώπων ἐν τῇ πόλει, τὰ τρόπαια λέγοντες. οὐ γὰρ εἶναι πάτριον αὐτοῖς, *Uno ore exclamant, etiamsi reliqua omnia ferenda viderentur, non permissuros se intra urbem imagines hominum. Sic trophaea nuncupabant. Patrium enim suum morem eis adversari.* Postquam autem detracto armorum ornatu Herodes, ut tumultum sedaret, nudos qui sustinerent stipites non humanas subesse imagines ostenderat, plerisque satisfactum est. Atque ex hisce Josephi eliciendum videtur non solum imagines in solido humanas, etiamsi decurtatas, non fieri apud eos debuisse, sed nec omnino factas conspici aut in usum admitti. Caeterum juxta disciplinam magistrorum, tametsi facere hujusmodi imagines apud illos illicitum habitum est, tamen de factarum usu aliter statuebatur. Et cautius intelligendus hic alibique de imaginibus Josephus. Nam aliae planae hic suberant & singulares rationes ob quas adeo exosae Judaeis imagines illae. Sed ea de re capite proximo & octavo. Jam vero, tametsi ornatus solum seu animi causa imagines ejusmodi fieri illicitum habebant, nihilominus להתלמד seu *discendi docendique* solum quid vitae humanae necessarium, imagines ejusmodi formare, apud cordatiores saltem eorum, neutiquam habebatur nefas. Quod sane evincitur ex eo quod mox dicetur de corporum coelestium imaginibus discendi docendique causa formatis. Incisas autem seu coelatas nec protuberantes effigies humanas quamplurimas a Judaeis ipsis editas habemus in rituali illo paschali nuper Venetiis typis mandato tam Hispanice quam Ebraice; nimirum res patriarcharum atque aliorum gestas, eorumque vitae atque itinerum iconas. Tantum abest ut in universum verum sit, nullius generis imagines seu figuras humanas ex Judaeorum institutis licite fieri. Joannes Baptista Villalpandus [b] vidisse se ait apud Fulvium Ursinum nummum pondere drachmae qui ex altera parte refert Marci Antonii caput cum inscriptione hujusmodi שלמה מלך, hoc est, *Rex Salomon*; ex adverso vero, rudem quandam & incongruam templi formam cum inscriptione ההכל שלמה *templum Salomonis.* Nec dissentit ab Ursino, qui arbitratus est percussum esse hunc ab Herode, qui, ut Antonio assentaretur, ei Salomonis nomen & aedificati templi gloriam adscriberet. *Quapropter*, inquit, *tam hunc quam alium quemcunque similem, si reperiatur, non Hebraeorum habendum esse putamus, sed peregrinum. Percussus enim est ab Herode iniquo principe, qui se Hebraeum esse plane profiteretur, ac nihil minus curaret quam Hebraeorum legibus se subdere atque institutis, quibus impium habetur atque ex-*

[v] Maimonides Halach. *Aboda Zara.* cap. 3. Halach. *Sanhedrin.* cap. 19. Moses Mikotzi Praecept. Neg. 22. Ex Gemara Babylonia ad tit *Aboda Zara*, cap 3 fol 42 & 43. *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea* cap. 141. [x] Ezechiel. viii. 10. & xxiii. 14. [y] Archaeolog. lib. 18. cap 4. & Halos. lib. 2. cap. 8. [z] Josephus Archaeolog. [a] Archaeolog. lib. 18. cap. 7. 15. cap. 11. [b] Apparat. Urbis ac Templi, part 2. lib. 2. disp. 4. cap. 27.

ſecrandum hominis imaginem quacunque ratione aut cauſa efformare. Sed reclamant celeberrimi, quorum ſcita ex more majorum deſumpta attulimus, magiſtri, ſi de figura humana quacunque etiam depicta aut coelata loquatur. Satis interea concordes de protuberante in nummo alibive figura humana non efformanda. Quod igitur dicendum de nummo hoc aeneo Moſis figura & nomine inſignito, idque velut ex diſciplina Ebraica, apud Guilielmum Schikardum [c], qui ex antiquaria Thomae Lanſii ſupellectili illud deprompſit? Certe inſtitutis ac moribus Iſraeliticis plane eſt alienum. Literae altera parte inſcriptae, ſive a vetuſtate ſive a ſculptoris incuria qui primo incidit, vitii nonnihil contraxere. Sed id quod volunt eſt quod legitur in decalogo, לא יהיה לך אלהים אחרים על פני *non erunt tibi dii alieni coram facie mea.* Neque vero quod affert idem Schikardus de numiſmate Abrahae ſene & vetula inſignito quidquam hic probat. Concedatur, ſi vis, traditionem [d] illam de Abrahae nummo veram eſſe. Certe ad inſtituta Iſraelitica, quae diu poſtea nata; moreſque inde ſequentes rite dignoſcendos nihil omnino ea facere poteſt. Nam Abrahae aevo nullum de imaginibus faciendis interdictum habebatur, ſed tantum de non colendis; quod Noachidarum faciunt univerſale. Quin nonnulli Ebraeorum qui legem Moſaicam tot ſeculis poſtea ortam ad Abrahamum neſcio qua ratione retrotrahunt, adeoque & ipſum interdictis de imaginibus humanis neutiquam faciendis teneri volunt, traditionem illam non de ſenis & vetulae imaginibus ſed de vocabulis tantum ipſis in nummo capiunt [e]; quoniam ſcilicet אסור לעשות צורת אדם *interdictum eſt* ſic *facere imaginem humanam.* Habeo equidem ipſe item Moſis icunculam antiquitus expreſſam in lamina aeris rotunda, quam non ita pridem Shenae, in agro Surreienſi circa nonum a Londino lapidem, inter rudera repertam accepi. Craſſa eſt ea admodum, & ponderis paulo amplius dodrantis unciae; id eſt, minoris quam Lanſianum illud aes pendens unciam cum ſextante aut paulo plus, quod ait Schikardus. Craſſitie



parili protuberat mecum icon qualem hic damus; parte altera non ſolum eadem ipſa prae ſe ferente verba, ſed eandem etiam ipſiſſimam ſcriptionis formam quae in aere Lanſiano. At vero in meo non tam crinis criſpus, ut in Lanſiano, quam cornu arietinum cernitur. Rem ſatis non intelligo. Nec capillum ejus an indumentum aliquod capitis videamus. Num interea ratio inſit aliqua cornutae illius faciei quae Moſi tribui ſolet, viderint qui operae duxerint pretium. Sed in figuris ejus cornutis erigi ſolent, ut Panum & ſatyrorum aut capreolorum, non incurvari, ut arietum atque Jovis Hammonis, cornua: In pictura ſcilicet chriſtianorum, qui ex eo quod in Vulgata habetur de Moſe, *ignorabat* [f] *quod cornuta eſſet facies ſua,* &, *videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam,* bicornem Moſem pingunt. Rident autem cornua illa Judaei, quibus ibi קרן עור פניו, quod *cornuta erat ei facies* ſonat in Vulgata, ſumitur pro eo quod eſt *ſplenduit* ſeu *radiavit cutis faciei ejus.* Nec alio ſenſu reddunt Judaei Mauritanienſes, Hiſpanienſes, praeter paraphraſtas Chaldaeos: nec ſane alio Helleniſtae. Quin nec alium merito exiſtimant viri docti fuiſſe interpretis Vulgati ſenſum, utcunque pictores ſculptoreſque atque ii a quibus docentur illum interverterint. Nam lucis radii cornua velut imitantur, & Ebraice τὸ קרנים tam haec quam illos denotat. Et radios illos faciei Moſis קרני ההוד *cornua magnificentiae* vocat ibi Salomon Jarchius. Quin expreſſim D. Paulus [g], *τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ gloriam vultus ejus* nuncupat. Adjici vero inſuper ſeu deliteſcere in Moſis hujus collari crucis videtur icuncula nomini ſubjuncta: adeo demum ut chriſtiani alicujus potius opus eſſe ſuſpicer, fortean ideo ante ſecula aliquot factum ut officioſi muneris vice inſerviret ad Judaeos aliquos ſive demerendos ſive ad chriſtianiſmum civiliter invitandos. Nam quanquam a faciendis ornatus animive cauſa hujuſmodi imaginibus protuberantibus ex more eis abſtinendum erat, factis tamen, modo in venerationem neutiquam fierent, ex diſciplina ſua uti adeoque dono accipere rite potuere, ut capite oſtenditur proximo. Tantum autem abeſt ut pro nummo aliquo ſive funderetur ſive percuteretur aes hoc meum, ut vel ipſa tum laminae tum figurae exſtantis craſſities ſatis mihi videatur id palam denegare. Certe & Moſis figuram cum nomine adjecto a chriſtianis olim interdum fieri, idque velut in eorum gratiam, facile concedet quiſquis fidem habuerit hiſtoriolae illi quam neſcio unde hauſerint ſeculorum paulo anteriorum Judaei de imagine Moſis, eaque apud Anglos noſtros juſſu olim regio ſic formata, pro inſigni tentorii in quod Judaei Anglienſes ſe reciperent quotquot chriſtianiſmo nomina dare pertinaciter nollent. Ea de re narrationem legimus apud R. Gedaliam Ben Jechaia ſcriptorem quidem nuperum (nam ſub quinquaginta abhinc annis floruit) ſed qui e vetuſtioribus multo aevi antiquioris mediique ſui generis ſcriptoribus quamplurima nec ſine induſtria ſumma edidit. Verba [h] apponam. בשנת ה׳ אלפים כ׳ כומר א׳ נימול באינגילטרה כדי להנשא עם יהודית שנתלהב באהבתה ויודע הדבר לבני העיר והיו רוצים לשרפם אבל המלך בחר לעשות הנקמה בדרך אחרת וגזר כי תוך ג׳ חדשים ימירו ואשר מלו הכומרב שרפו ורבים מהם המירו׃ ויקחו כל בניהם מו׳ שנים ולמטה ויולכם לסוף מלכותו למען ישכחו מנהג אבותיהם היהודים וימת

[c] In Prooemio ad *Tarich* Regum Perſarum, pag. 34. cap. 9. & Comment. ad *Bereſith Rabba*, fol. 43. a. [d] In *Bereſith Rabba*, paraſh. 39. [e] Thoſiphta in *Baba Kama*, [f] Exod. xxxiv. 29, & 35. [g] 2 Ad Corinthios iii. 7. [h] In *Sepher Shalſheleth Hacabala*, fol. 112, & 113.

המלך וימלוך בנו תחתיו ותכף בא על מלכותו דבר ורעב ויאמרו יועציו כי לחטאת היהודים שאינם מאמינים הטב בא העונש להם ויעש שני אהלים על חוף הים על א׳ צייר צורת מר״עה ושכו ועל אחר צייר משיחם ויקרא לכל האנוסי בדברים טובים ויאמר אליהם כי מרשה להם להתיהד ולא יכריח שום מהם לשום דבר אמנם כדי להכיר כי יהיה יהודי רוצה שהמתיהדים יכנסו באהל מר״עה וקבלו עליהם לעשותו ורבים נכנסו באהל מר״עה ואחרי הכנסם היו שם מרצחים אותם וכן ספו תמו כלם׃ *Anno quinquies millesimo & vigesimo sacerdos quidam christianus circumcisus est in Anglia, ideo scilicet ut uxorem duceret Judaicae gentis foeminam, quam efflictim deperibat. Id quamprimum est loci civibus notum, voluere illi eos vivicomburio punire. Caeterum alio modo ultionem futuram statuit rex; edicto nempe promulgato ut intra tempus trimestre Judaeorum commune Judaismo renunciaret, & qui sacerdotem circumciderant comburerentur. Et eorum perplurimi sane Judaismo renunciarunt. Liberi autem eorum universi sexennii aetatis & minoris in extremos regni limites missi sunt, ut ibi disciplinae avitae seu Judaicae oblivviscerentur. Mortuo autem regi huic successit filius ejus. Nec diu post, cum & pestis & fames regnum ejus invasit, monuerunt consiliarii ejus, poenae hujus causam esse peccatum Judaeorum non recte credentium. Fiebant igitur jussu regio duo tentoria juxta littus marinum, quorum super alterum efformabatur figura Mosis magistri nostri, super quem sit pax, uti & nomen ejus; super alterum autem, figura Christi eorum. Mitioribus dein verbis cum eis in angustias has redactis rex agens, denunciavit cuilibet eorum licitum fore Judaismum amplecti & retinere, nec omnino ad rem quampiam eos iri coactum. Id tantum se velle dignoscere satis quisnam revera Judaeus esset, quis non. Imperavit igitur ut qui revera Judaei essent atque esse vellent, ingrederentur tentorium Mosis magistri nostri, super quem sit pax. Conditione accepta, quamplurimi illud ingrediuntur. Ingressos autem occiderunt, & in mare projecerunt. Atque sic exitus erat universorum.* Ita Rabbi ille Gedalia. Et tantundem, de tentoriis ac Judaeis Angliensibus trucidatis ac in mare projectis, fere habetur apud autorem christianum Fortalitii [i] fidei, sive is [k] Guilielmus Totanus sit, sive Bartholomaeus de Spina. Sed pro eo quod legitur apud Gedaliam de imagine Mosis & Christi super tentoria, in Fortalitio dicitur legem Judaeorum in altero, in altero crucem Christi positam; nulla Mosis mentione habita. *Et intrantes*, inquit, *papilionem* legis, *unus post alterum jugulabantur in secreto ex altera parte papilionis, & projiciebantur in mare; & sic purgatum est praedictum regnum, & continuo cessit plaga; nec amplius Judaeus ibi habitavit, sed nec habitat usque in hodiernum diem.* Scripsit vero autor hic diu ante Gedaliae tempora, atque, ut nonnulli [l] volunt, anno Christi 1459, sodalis scilicet Franciscanus. Id vero scribit ille velut e *chronicis*, ut ipse ait, *Anglorum antiquis* sibi relatum. Nondum quid in chronicis nostratibus ejusmodi mihi repertum. In iis quidem Judaeos Anglia pulsos legimus sub annum regis Edwardi primi decimum octavum, id est, Christi 1290. Neque ea de re dubitandum, cum & sexcenties in Archivis illius temporis tum cancellariae nostrae tum fiscalibus idem asseratur. Sed occisos seu tentoria, qualia memorantur sive apud R. Gedaliam sive in Fortalitio fidei, posita esse inde non discimus. De tempore autem non satis liquet apud Gedaliam. Initium historiolae collocat in Judaicae seu Hillelianae, qua hodieque utuntur Judaei, periodi anno 5020, id est, Christi 1260. Occisos vero & in mare projectos tempore regis qui tunc regnanti filius successit: id est, proculdubio Edwardi nostri primi; qui filius Henrici tertii, cujus annus 43 idem est cum Christi 1260. Quin eidem ipsi anno perperam tribuit Judaeorum Angliensium exsilium Salomon [m] Ben-Wirga, qui avorum memoria calamitates atque adeo variantia per orbem terrarum gentis suae discrimina operiosius collegit. De exsilio Anglicano verba faciens ille, ויהיה, inquit, הגירוש שנת חמשת אלפי׳ ועשרים ליצרה *atque erat exsilium illud anno 5020 a creatione*, id est, anno Christi 1260, seu Henrici nostri tertii 43; quod falsum esse scimus. Hallucinatum igitur eum fuisse existimo aut ex eo quod historiolae initium juxta id quod apud Gedaliam habetur, alibi ipsi apud suos repertum (nam is Gedalia vetustior est) pro ipso exsilii anno male sumpserit, aut ex eo quod numeros literis apud suos alibi juxta morem denotatos haud sedulo satis animadverterit. Nam ut ה׳אלפים כ׳ denotant 5020, sic ה׳ אלפים נ׳ 5050. Et τὸ נ pro τῷ כ, elemento maxime in scriptione Rabbinis usitatiori non raro simillimo, sumi, uti & hoc pro illo, tralititium est. Annus autem periodi Judaicae 5050 exsilio Anglicano satis respondet, id est, Christi 1290; juxta id quod plerumque in annalibus nostratibus legitur. Nec carent Judaei etiam e suis testimonio omni exceptione majori, quo asseritur circa triennium ante non expulsos Anglia Judaeos. Etenim Judaeus Angliensis qui tunc vixit scriptum reliquit, anno 47 sexti millenarii (id est, periodi quam diximus Judaicae 5047) prehensos adeoque in carcerem traditos esse universos per Angliam Judaeos. Scilicet in cellae arcis Wintoniensis subterraneae, quae proculdubio nonnullis eorum carcer erat, parieti saxeo hujusmodi habetur inscriptio,

יום ואמר היו
תפיסים כל יהודי
ארצ האי שנ׳
מ״ז לפ׳ לאלף
ששי אני אשר
חקקתי

quod sonat, *Die*..... (utrum י״א מר׳, quod incisis proximat, id est, 11 Mar. sit ibi legendum nescio; & vocabulum, ut exaratum est, sonat *& dixit*, aut quid simile, cujus ibi sensui locus non est) *prehensi sunt universi Judaei*, seu *Judaeorum communitas*, (quae locutionis apud nos formula tunc temporis in usu) *terrae hujus, anno 47 juxta sexti millenarii rationem. Ego qui* (seu potius, *ego Assher*) *incidi.* Descriptam e

[i] Li . 3 pag . 19 Edit. Lugdun. 1525 & pag 169. Edit. Norimberg. 1494. [k] Videsis Anton. Possevin. in Biblioth. select. [illegible] cap 3. & J. Molanum in B[illegible] th materiarum. [l] Editor Norimbergensis 1494. in Prologi fronte. [m] In *Sebet Jehuda*, fol. 19. a. Edit. Adrianopolitana.

cella

cella ante annos aliquot mecum amicissime communicavit V. Cl. Patricius Junius bibliothecarius regius, uti & postmodum Henricus Jacobius. Certe & annalium nostratium aliqui [n] secundo Maii anni Christi 1287, qui ipsissimus est hic annus, ejusmodi Judaeorum collocant prehensionem custodiamque. Alii anno 1286 [o], qui etiam facile in ipsum 47 sexti millenarii cadit; si annorum variatim inchoantium apicumque temporis inde pendentium, quales hic praetermisimus, ratio habeatur. Sed haec obiter. Ad Guilielmum Schikardum redimus. Quod adjicit ille de aliarum rerum signis in numismatis Ebraeorum veterum protuberantibus, haud quicquam facit ad asserendum suum illud de humana in nummo apud eos figura. Nam de caeterarum rerum in terra aquave imaginibus receptior est sententia, nullam ex eis fuisse quam formare ornatus seu animi causa quomodolibetcunque non liceret. Sic enim generatim magistri celeberrimi [p]; צורת הבהמות ושאר נפש חיה חוץ מן האדם וצורות האילנות ודשאים וכיוצא בהן מותר לצור אותם ואפילו היתה הצורה בולטת: *Imagines bestiarum aliorumque, praeter hominem, animalium, imagines item arborum, herbarum, id genus aliarum rerum, facere licet, idque etiamsi promineant.* Sed excipiunt nonnulli leonis, bovis, atque aquilae (quorum facies in Ezechielis visione) figuras; aliqui etiam draconis, quippe cujus in idolis adeo frequens cultus. Sed nec desunt qui non minus hujusmodi rerum imagines quam hominum velint interdictas. Certe scimus Flavium Josephum legatum a populo Hierosolymitano ad Tiberienses missum ut cum illis ageret [q] de diruendo *τῷ οἴκῳ ὑπὸ Ἡρώδου τοῦ τετράρχου κατασκευασθέντι, ζώων μορφὰς ἔχοντι, τῶν νόμων οὕτω τι κατασκευάζειν ἀπαγορευόντων*, *Palatio ab Herode tetrarcha exstructo, quod animalium habebat imagines, cum ita quid exstruere ex lege esset interdictum.* Quod & factum est. Sed ea de re vide quae dicuntur capite proximo. Nam revera alio plane spectat. Eousque etiam detestantur Judaei nonnulli hodierni imagines omnimodas ut nec sigillis [r], quibus figura cerae imprimatur ulla, uti velint. Sed ad sententiam illam de aliarum in terris praeter hominem rerum imaginibus pro libitu faciendis adstruendam, veluti nempe vetustioribus Ebraeis receptam, haud parum facit quod de numismatis eorum legimus [s]. Fuisse numisma Josuae altera parte tauro, altera monocerote insignitum; Davidi etiam cui מקל ותרמיל מיכן ומגדל מיכן *baculum & pera in parte altera, altera turris* visebatur; quin & Mordecaeo, cui שק ואפר מיכן ועטרת זהב מיכן *saccus & cinis in altera, & corona aurea altera* eminebat, non autem regina Esther & cum ea ipse (ut hallucinati nonnulli [t] aiunt) quod ex Ebraeorum moribus ferendum, ut ostensum est, non erat. Finguntur forte numismata haec. Nec ea de re contendo. At dum in libris eorum vetustissimis viris illis sanctis ea utcunque tribuuntur, dubitari, opinor, nequit quin ejusmodi rerum apud majores suos, idque post Mosaica instituta, imagines non illicitas interea haberent; saltem qui haec scriberent. Nec sane serpens aeneus [v] sic aut formatus aut retentus, quasi ipsa simpliciter formatio ex jure communi non fuisset licita. Nummi autem Ebraeorum seu Sicli ac congeneres, quos sive ipsos sive apud scriptores depictos vidimus, animalium carent figuris, & sive virga Aaronis, sive urna mannae, sive thuribulo, palma (quae velut gentis symbolum in Caesarum etiam nummis subinde reperitur, veluti Augusti, Vespasiani, Nervae) id genus aliis tantum insigniuntur. Horum figuras habes apud Antonium Augustinum [x], J. Baptistam Villalpandum [y], Casparum Waserum [z], Joannem Morinum [a], ut alios, qui de eis obiter, praetermittam. Eorum par exhibemus, velut caeterorum omnium ferme instar. Nam tametsi plures apud jam citatorum



aliquos habentur, binis tamen hisce inspectis quicquid eorum reliquum est ac genuinum, ad rem saltem quam tractamus, satis inspicitur dignosciturque. Caeteri enim aut plane similes sunt, aut proxime sive huic sive illi accedunt. De numismate autem census, Caesaris in evangelio imagine insignito, vide quae habentur infra capite octavo. Binorum, quae jam depicta sunt, numismatum, prioris archetypon unum argenteum penes me habeo, cujus altera pars urnulam mannae (sic credi solet) altera Aaronis virgam ostendit. Haec autem verbis hisce charactere Samaritano, id est qui Judaeis ante captivitatem in usu, circumscribitur, ירושלים הקדושה *Jerusalem sancta*; illa, eodem item charactere, verbis hisce שקל ישראל *siclus Israelis.* Posterioris verba sunt eadem charactere Assyriaco, seu qui post Ezram in usu. Partem alteram thuribulum & fumus ascendens, alteram palma seu palmae ramus occupat. Etiam & hujus generis aliquot non semel vidi, figuris, ut in priori, prominentioribus. Sed cum praesto jam non sit ejusmodi mihi ullum, ex Villalpando & Antonio Augustino figuram huc transtuli. Quod demum ad coelestium rerum imagines spectat; quemadmodum ex illo legis sacrae [b], *Non facietis mecum*, seu *coram me*, *Deos argenteos*, &c. aliisque legibus congeneribus, humanam figuram exstantem seu prominentem, adeoque statuam humanam, formare interdictum esse volunt, ita etiam exinde

[n] J. Stowaeus ex Guil. Thorno MS. monacho Cantuariensi. [o] Hollinshed. eod. anno pag. 283. [p] Maimonid. Halach. *Aboda Zara* cap. 3. Mos. Kotzensis praecept neg. 22. ex Gem. Babylon. ad tit. *Aboda Zara* cap. 3. fol. 42 & 43. [q] In vita sua. [r] Guil. Schikard. in prooem. ad *Tarich* regum Persiae pag. 34. videsis Manass. Ben Israel in Exod. quaest. 30. [s] Beresith Rabba Parash. 39. [t] Villalpand. apparat. urbis & templi part. 2. lib. 2. disp. 4. cap 27. [v] Num. xxi. 8. 2 Reg. xviii. 4. [x] Dialog. 2. [y] Loco jam citato, & seqq. [z] Lib. de antiq. nummis Hebraeorum. [a] In Pentateuch. Samaritan. exercit. 2. cap. 10. & vide Mos. Nachmanidem in *Pirush Tora* fol. 342. b. [b] Exod. xx. 23.


in univerſum quidem pronunciant Talmudici [c], לא תעשון אתי לא תעשו כדמות שמשיי המשמשין לפני במרום כגון חמה ולבנה כוכבים ומזלות ומלאכי השרת *Non facietis mecum*, ſcilicet, *non facietis imagines inſtar miniſtrorum qui coram me ſuperius miniſtrant, veluti ſolis, lunae, ſignorum, ſiderum, aut angelorum miniſtrantium*; unde Maimonides [d], aliique, אסור לצור דמות חמה ולבנה כוכבים ומזלות ומלאכים שנ' לא תעשון אתי לא תעשו כדמות שמשי המשמשין לפני במרום ואפילו על הלוח : *Illicitum eſt formare ſimulacra ſolis, lunae, ſtellarum, ſignorum, & angelorum; juxta id quod ſcriptum eſt*, Non facietis mecum; *non ſcilicet facietis inſtar miniſtrorum qui coram me ſuperne miniſtrant, ne quidem etiamſi in tabula* ſeu plano: id eſt, etiamſi non promineant nec exſtent, ſeu, ut nonnulli, ואפילו אין הצורה בולטת בהן שברקיע הם שקועים *etiamſi non exſtet* ſeu *promineat earum figura: Nam & ipſa ſidera in firmamento immerguntur*. Non prominere videntur. Adeo ut qui in plano ſidera depingit, veram omnimodo, quantum fieri poteſt, ipſorum figuram (ita proculdubio ſenſus eſt) exhibeat; quod fieri non debet. Sic illi. Et tametſi aliter atque aliter interpretantur legem illam Exodi de diis argenteis & aureis in hanc rem a magiſtris, quorum verba attulimus, citatam, nihilominus, quantum video, corporum coeleſtium figuras ſive planas ſive prominentes ornatus cauſa velut in xyſtis, prothyris, parietibus, aulaeis, alibive fieri apud ipſos illicitum unanimes habebant, ſi Talmudicis fides. At quid interea tum dicendum de pronai Herodiani velo illo pretioſiſſimo ſeu peplo Babylonio apud Joſephum [e] non ſolum ita coloribus hyacinthino, purpureo, byſſino & coccineo variegato, ut ὥσπερ εἰκόνα τῶν ὅλων *velut omnium rerum imaginem*, quae ſcilicet ſub luna viſuntur, uti per ſymbola prae ſe ferret, verum etiam πᾶσαν τὴν οὐράνιον θεωρίαν πλὴν ζωδίων *omnem coeli rationem, praeter ſigna*, ut vertit Ruffinus, haberet in ſe perſcriptam, id eſt ipſam coeli, ſi quid video, imaginem totam, modo ſigna excipias; ſi ζώδια pro *ſignis* ſeu zodiaci illis duodecim, ut vulgo, ſolum hic ſumenda? Cum autem vocabulum ipſum tam generatim *animalia* denotet quam *ſigna* illa duodecim, quae nec animalia ſunt omnia, forte voluit potius Joſephus omnem coeli rationem ſeu rerum coeleſtium imagines in velo illo depictas, modo animalium figuras, in quas tam zodiaci ſidera quam quae occupant coelum reliqua antiquitus tributa ſunt, excipias; veluti Orionem, Cepheum, Draconem, Cygnum, Canem, Delphinum. Nam & tabernaculi Moſaici velum (cujus hic imitatio) ipſe alibi [f] ait floribus omnigenis variegatum eſſe, τοῖς τε ἄλλοις ἐνυφασμένον ἃ κόσμῳ εἶναι ἔμελλον, πλὴν ζώων μορφῆς, *rebus aliis omnimodis intertextis quae ornamento eſſe poſſent, exceptis animalium figuris*. Adeo ut abſonum non ſit τὰ ζώδια in velo illo Herodiano idem denotare quod τὰ ζῶα in Moſaico illo. Ideone vero innuit Joſephus ſtellarum ipſarum tam zodaici quam reliqui coeli ſpatii, ſolis, lunae, atque errantium caeterarum figuras ſive in Moſaico ſive in Herodiano velo depictas? aut cum hiſce etiam coronam Ariadnes, Deltoton, Lyram, Argo, thuribulum, id genus alia? Nam in hujuſmodi partes ac nomina coelum diu ante Herodis magni, id eſt, Auguſti, tempora ab AEgyptiis ac Chaldaeis, uti etiam a Graecis, diſtributum nemini non eſt in confeſſo. Sed, ut ex jam ante dictis vides, doctrinae Talmudicae omnino adverſum eſt figuras id genus coeleſtes depingere ſeu quoviſmodo formare, ornatus ſcilicet ſeu elegantiae animive tantum cauſa. Quod ut ſignanter adjectum capias. Nam cauſa aſtronomiam aliave inde pendentia docendi diſcendive, veluti in globis coeleſtibus conficiendis, eclipſium diagrammatis deſignandis, magnitudinum, illuminationum, motuum, aliorumque in theoria ſiderum id genus, quae mathematicis in uſu, ob oculos demonſtratione, etiam figuras coeleſtes fieri apud veteres quidem haud video interdictum. Sunt, fateor, in magiſtris qui nec ſic figuras ejuſmodi libenter admittere videntur. Abraham Aben-Ezra, & ipſe aſtrologus ſummus [g], אין תמונות בשמים רק שמונה וארבעים צורות וחכמי הצורות עושים דברים אשר לא כן ומעשיהם קרובים לעבודה זרה *Non ſunt imagines aut ſimulacra in coelo praeter quadraginta octo*, conſtellationes Aſtronomis notiſſimas; *& pictores formare ſolent res quidem diſſimiles. Sed dum ita faciunt, proxime accedunt ad cultum extraneum*. Nimirum arietem, taurum, geminos, & quae ſunt caetera, imaginum ipſorum ſiderum loco habent. Quin & religioſiores hodie Judaei, quod ait Guilielmus Schikardus [h], *ne characteres quidem* ☉ ☾ ✶ *aut* ♈ ♉ ♄ ♃ *tolerant etiam in ſuis Lucoth, hoc eſt calendariis aut aſtronomorum libris, neque ceras quovis annulo ſignant*. At vero non ſolum annulorum ſignatoriorum uſus in libris Talmudicis [i] licitus citra controverſiam habetur, verum etiam permiſſum Ebraeis, utcunque non ſimplicis ornatus, tamen diſcendi docendique cauſa, juxta majorum ſuorum ritus, etiam figuras rerum ipſarum coeleſtium facere; id quod tum ex virorum clariſſimorum ſeculorumque priſcorum recentiorumque in libris eorum mathematicis exemplo, tum ex Talmudicorum ſcitis edocemur. Illuſtre eſt exemplum illud Rabban Gamalielis. Is princeps erat ſynedrii magni. Abeſſe autem ſibi in ſupellectili forenſi noluit quidquam quo facilius in menſium initiis diſcernendis ſanctificandiſque fidem probaret teſtium qui ex more ſe lunam naſcentem vidiſſe aſſererent. Scilicet a phaſi lunae noctis a praecedentis menſis initio triceſimae, quoties ejuſmodi phaſis haberi quiret, ita ſupputabant ut ex prima hac lunae viſione ratio eis penderet & menſium & anni initii: adeoque feſtorum quae ſive annua erant ſive menſtrua. Unde Syracides [k] lunam ait fuiſſe εἰς ἀνάδειξιν χρόνου, καὶ σημεῖον αἰῶνος, ἀπὸ σελήνης σημεῖον ἑορτῆς, *in oſtenſionem temporis & ſignum ſeculi*; *a luna ſignum feſti*. Ut quae in pentateucho alibique in foedere vetere de ea in hanc rem occurrunt praeteream. Illinc igitur menſes finiebantur ſive

[c] Gemar. Babylon. ad cap. *Aboda Zara* cap. 3. fol. 43. b. [d] Halach. *Aboda Zara* cap. 3. Moſ. Mikotzi praecept. neg. 22. & videſis paraphraſ. Uzielidi tribut. Exod. xx. 23. [e] Haloſeos lib. 6. cap. 6. gr. 14. lat. [f] Origin. lib. 3. cap. 5. & vide J. Bapt. Villalpandum explanationum in Ezek. tom. 2. part. 2. lib. 3. cap. 45. [g] Ad Exod. xx. 22. ſeu in Decalogum. [h] In prooem. ad Tarich tegum Perſ. pag. 34. [i] Videſis *Schulcan Aruch* lib. *Orach Chiim* cap. 301. § 9. &c. [k] Cap. 43. 6, 7.

cavi

2

cavi seu dierum viginti novem sive pleni seu triginta dierum. Nam quoties ex phasi [l], qualem diximus, per coeli nubila aliterve res definiri nequibat, mensis qui praeterierat plenus seu dierum 30 fiebat. Neque ullus unquam admittebatur aut plurium sane quam triginta, aut pauciorum quam viginti novem. Et ex phasi tempore jam memorato habita vigesimus nonus praecedentis mensis illum claudebat; proximo a phasi incipiente. Quam mensium rationem una cum integri mensis seu Adar secundi ex re nata & pro synedrii magni libitu intercalatione incerta dum non discunt aut non advertunt chronologi de vero anno & die passionis D. N. Jesu Christi adeoque de natalium tempore inde disputantes, circa inaccessa frustra nimis sudant. Nimirum calculi solum astronomici apicibus tempora civilia perperam metiuntur. Etenim ex phasis solum diversitate ac dicta mensium sive cavorum sive plenorum ratione tum synodi tum plenilunia naturalia seu astronomica civile mensis initium mediumque seu primum & quartumdecimum diem seu diem paschatis (quem inprimis hic intueri solent) biduo, triduo, quatriduo, plus etiam, idque incertissime, ut anteverterent necesse est. Sed hoc obiter. Jam vero manifestum est, lunam novam, pro habitudine sua ad solem mense quolibet post coitum aliter atque aliter mutante, diversimode versus occidentem primo in coelo satis sereno conspici: Idque sive partis nobis illuminatae quantitatem, sive cornuum posituram, sive visionis primae tempus locumque spectes. Nam pro nodorum loci seu latitudinis ab ecliptica, longitudinis a sole, motus sive velocitatis sive tarditatis, zodiaci & horizontis obliquitatis, adeoque descensionum, poli altitudinis, & quae sunt id genus in calculo tum astronomico tum optico aliorum discrimine multiplici, citius quandoque primo conspicitur, veluti die a coitu proximo, seu etiam intra ipsum coitus diem; quandoque autem tardius, veluti die tertio, etiam interdum & quarto. Unde major minorve partis nobis illuminatae quae primo conspicitur quantitas. Nunc instar tenuioris tantum arcus seu lineolae curvae lucis; nunc instar segmenti fere circuli, pro temporis lunaeque loci varietate, angustioris amplioris ve. Easdem item ob causas cornua nunc inclinantur, reclinantur, erectiores apparent. Qua de re accuratius egere seculis vetustis mathematici illi ex Arabibus egregii, Albategnius seu Mahumedes Aracensis [m], & Mahumedes ille alter Alfragamus [n], praeter Messahalam [o]. Orientalium enim plerique, quemadmodum fere Judaei, uti & alii aliquot orientalium mores secuti, a prima lunae visione menses auspicari sunt soliti. Unde illis de primae visionis diversitate disciplina perquam erat necessaria. Et Albategnius, *Visus lunae scientia*, inquit, *in mensium primordiis ac eorum extremitatibus inter praemissorum* (eorum quae de lunae motu praemiserat) *potissima numeratur, eo quod Taric* (epoca ac computi ratio) *Arabum eorumque mensium initia secundum lunae visum discurrunt, & in hujus vera cognitione quaedam multimodae difficultates habentur, quae sunt lunae vicinitas, ejusque a sole remotio*, &c. Quod de prima dicitur visione, quam diligentius persequitur, haud pariter tractatam apud mathematicos Graecos, Ptolemaeum, Geminum, Cleomedem, alios qui systematis quae reliquere astronomicis res lunares caeteras fusius tradiderunt. Certe inter veteres nemo, puto, hac de re aeque expressim atque argute ac Aristoteles [p], tametsi breviuscule. Sed & de ea recentiores aliquot nostri superiorisque seculi obiter agunt; ut Erasmus Rheinoldus, & Petrus Nonnius ad Georgii Purbachii passiones planetarum, & Joannes Keplerus in paralipomenis ad Vitellionem seu astronomiae parte optica; uti etiam Talmudici [q] summa cum accuratione. Et de visione hac prima decernebat princeps seu praeses synedrii magni cum collegis aliquot quibus hoc munus mandatum. Maimonides [r] juxta veterum mentem; בית דין שחשבין בדרכים שהאיצטגנונין מחשבין בהן ויורעין הלבנה כשתראה בחדש זה אם תהיה בצפון חשמש או בדרומה ואם תהי׳ רחבה או קצרה ולהיכן יהיו ראשי קרני׳ נוטין וכשיבאו העדי׳ להעיד בודקין אותם כיצד ראיתם אות׳ בצפון או בדרום להיכן היו קרני׳ נוטות כמה היתה גבוהה בראיית עיניכם וכמה היתה רחבה אם נמצאו דבריהם מכוונין למה שנודע בחשבון מקבלין אותם ואם לא נמצאו דבריהם מכוונין אין מקבלין אותם: *Calculo astronomico usi qui huic rei praeerant* (id est, praeses, quem diximus, & collegae) *inde sciebant utrum luna prima seu quae primo visa est (mensis scilicet proxime futuri) soli esset septentrionalis an australis, qualisnam item esset ejus latitudo seu ab ecliptica sive distantia sive propinquitas, qualis etiam inde cornuum inclinatio ac positura. Quoties igitur aderant testes* (qui scilicet de visione ritu solenni principem synedrii ac collegas, quando ipsi non viderant, certiores facerent) *ad testificandum, inquirebant ab eis quomodo lunam vidissent; an in parte coeli septentrionaliori an in australiori; quamnam in partem inclinarent cornua ejus; quanta esset oculorum eorum aciei altitudo ejus, qualisnam latitudo. Horum responsa si calculo astronomico dissona non essent, pro testibus hac in re habebantur idoneis: sin vero, plane rejiciebantur.* Siquidem pro diversa lunae ad solem, juxta ante memorata, confi-




guratione, aliter atque aliter collustrari eam, luminisque cornua variatim nobis inde inclinare, recli-

[l] Videsis Joseph. Scaliger. lib. 2. de emendat. temporum cap. de periodo Judaeorum Alexandrea, Canon. Isagogic. lib. 3. p. 278. Dionys. Petavium in Epiphanium Haeres. 51. pag. 151. Samuel. Petitum Eclog. Chronolog. lib. 1. cap. 1. [m] De Scientiis Stellarum cap. 41. [n] Element. Astron. cap. 27. seu diff. 25. [o] De Elementis & Orbibus coelestibus cap. 9. [p] Problem. § 15. quaest. 6. [q] Misn. & Gemar. Babylon. tit. *Rosh Hashena* cap. 2. Maimonides Halach. *Quidosh Hachodesh*, &c. cap. 2. maxime cap. 17 alii. [r] Halach. *Quidosh Hachodesh* cap. 2. § 4. ex tit. Talmudico *Rosh Hashena* cap. 2. fol. 22, &c.

reclinare, erigi, ex hac etiam manifeſtum ſatis eſt figura. Quo ſpectat quidem & illud feſti Avieni in prognoſticorum Arateorum paraphraſi;

Cynthia cum primum coelo nova cornua promit,
Cautus utrinque Deam circumſpice: namque revectae
Nequaquam ſemper ſimilis lux imbuit ortum:
Sed ſpecies diverſa trahit, varioque notatur
Formarum primi cum ſurgit luminis igne.

Et de cornibus erectis, reſupinis, inclinantibus, plura apud eum atque ipſum Aratum. Quam interea poſiturae diverſitatem intemperiei aeris ventoſae, ventiſve nunc his nunc illis imminentibus, tribui ſubinde etiam a viris doctiſſimis nequeo ſatis mirari. Id verum quidem eſt, pallorem, ruborem, albedinem, colores quorum in prognoſticis uſus ſolennis alios, lunae, qua nobis apparet, ab aeris qualitate contrahi. Quod nec minus dicendum de figura cornuum plus minuſve ſive accuminata ſive obtuſa. Sed de iſtis ſimul & de ipſa cornuum inclinatione pariter ita loquuntur, ut tam hanc quam iſta ab aeris velint intemperie pendere aut veluti inter meteora haberi. De Arato ipſo ac id genus aliis ſcriptoribus, qui non tam revera aſtronomi aut phyſici quam poetae aſtra ac meteora in carmen deducentes, haud adeo mirum eſt. Sed Theon ipſe, mathematicus quidem ſummus, in commentariis [s], Εἰ μὲν ζέφυρος, inquit, πνεύσῃ, ἀπὸ τῆς δύσεως ἐπίπροσθεν αὐτῆς διωθούμενος τὸν ἀέρα, ἔμφασιν ἡμῖν παρέχει τοῦ δοκεῖν τῆς Σελήνης τὰ κέρατα ὡς ἐπὶ ἀνατολὴν πρηνῆ φέρεσθαι. Ἐὰν δὲ ἀπηλιώτης πνεύσῃ, τότε ἀνάπαλιν νενευκότα τὰ κέρατα φαίνεται, ὡς ὑπτιούμενα. Ἐὰν δὲ βορέας πνεύσῃ, τὸ ἓν κέρας τὸ βόρειον ἐπικαμπὲς γίνεται· πάλιν ἐὰν νότος, τὸ πρὸς νότον κέρας καμπτόμενον. ὡς οὖν εἴπομεν, ὁ ἀὴρ ἐστιν αἴτιος. *Si flabit Favonius, quoniam ab occidente in adverſa aerem impellit, ideo in cauſa eſt ut etiam lunae naſcentis cornua nobis videantur in orientem inclinare. Si vero flabit Eurus, tunc e converſo cornua videntur in partem alteram reclinare ac reſupina. Si flabit Boreas, cornu alterum, ſeu quod Borealius eſt, incurvari videtur*; *ſi Notus, pariter cornu illud quod Notum reſpicit. Quemadmodum igitur diximus, harum rerum aer in cauſa eſt.* Ex hujuſmodi etiam ratione forſan illud Theophraſti [t], Τὸ σελήνιον ἐὰν ὀρθὸν ᾖ μέχρι τετράδος, καὶ εἰ ἔγκυκλον, χειμάσει μέχρι διχοτόμου, *Luna nova ſi fuerit directa* (vertitur etiam *lunae cornu alterum ſi rectum ſtabit*) *uſque ad quartum diem, & bene rotunda, hyemabit uſque in partem dimidiam illuminatam.* Varro [v] item, ex veterum diſciplina; *Si quarto die luna erit directa, magnam tempeſtatem in mari praeſagiet, niſi ſi coronam circa ſe habebit.* Alii veterum id genus alia. Neque haec recentioribus [x] aliquot non admiſſa; perinde quaſi ab aeris intemperie ſeu tempeſtatum imminentium diverſitate cornuum poſituram oculis mortalium variatim ingeri non dubitarent. Ex ejuſdem quidem latitudine varia, adeoque cornuum erectione, inclinatione, reclinatione, tempeſtates olim, uti & nunc, agricolis ſolitas praedici ex Ptolemaeo [y], Proclo [z], aliis ſequacibus ſcimus. Sed varietatem illam aeri, aut non motibus ſolum coeleſtibus tribuere, plane mathematici aut phyſici non eſt. Qua de re etiam olim monuit venerabilis Beda [a] noſtras. Itaque Rabban ille Gamaliel, ut fidem ſolertius probaret teſtium viſionis quam diximus lunaris, in tabulis & parietibus figuras aptavit lunares ſeu lunulas adeo variatim illuminatas, corniculatas, cornibuſque hac illac inclinantibus, reclinantibus, erectioribus, ut qui teſtandi de viſione gratia adeſſent, inſpectis figuris illis reſponderent, hac an illa vidiſſent naſcentem lunam figura. Nam ſi quis viſionis ſuae figuram in tabula aut pariete elegerat, ſive calculo aſtronomico ita alienam ut revera ſic conſpici nequiviſſe ex demonſtratione ſtatuendum eſſet, ſive figurae ex more pro viſione tantum admittendae adverſam, ejus veluti falſo de viſione teſtantis fidei ratio habebatur nulla. Ex more nimirum admittendi non erant de viſione teſtes, niſi partem nobis illuminatam ſine nubium interventu integram a ſe conſpectam aſſererent. Hac autem de re plenius multo in libris de ſynedrio magno agimus. Sed de figuris quas diximus, diſerte Miſna [b]; דמות צורות לבנות היו לו לרבן גמליאל בטבלא ובכותל בעלייתו שבהן מראה את ההדיוטות ואומר הכזה ראית אוכזה: *Imagines figurarum lunarium fuere Rabban Gamalieli in tabula & in pariete in coenaculo ejus, quas oſtendens teſtibus & vulgo rogabat hac an illa figura lunam vidiſſent?*



Oriens — Occidens.

Schema adponimus quali uſum fuiſſe principem illum ſynedrii arbitror. Atque id ipſum eſt quod pro lunae ψηφοφορίᾳ, & ψηφοφορίᾳ σεληνιακῶν συνόδων Gamalieliana ſumpſit vir maximus [c], perinde ac ſi per צורות לבנות *figuras lunares* computi tabulae ſeu noviluniorum computus eſſet intelligendus. Neque obiter id fecit, aut ſemel. Nam in libris de emendatione temporum, ubi de viſione, quae jam prae manibus, loquitur, *Cui rei etiam*, inquit, *fidem facit quod in eodem capite Roſch Haſchana* (caput idem ante citavimus) *ſcriptum exſtet judices* (principem, quem diximus, ſynedrii magni, & collegas) *cum de neomenia ſpeculatum homines delegarent, ipſos inante* צורת הלבנה *habuiſſe, id eſt figuram lunae, quod intelligo* ψηφοφορίαν σεληνιακῶν συνόδων, *ad quam nimirum confugerent quoties nubila aut imbres viſionem oculis inviderent. Sane magna me hujus rei inceſſit admiratio*, &c. Et in canonibus Iſagogicis diu poſt ſcriptis, *Tempore*, ait, *nubilo, quod ipſi vocabant* יומא דעיבא *diem nubilum*,

[s] In Dioſemeia. [t] Lib. de ſignis tempeſtatis. [v] Apud Plin. Hiſt Nat. 18. cap. 35. [x] Andreas Mirowſki in Theoria Ventorum § 109. alii. [y] Tetrabib. lib. 2. cap. περὶ τῆς ἐπὶ μέρους, &c. [z] In locum citatum. [a] De Rat. temp. cap. 25. [b] Tit. *Roſh Haſhena* cap. 2. Talmud. Babylon. fol. 24. a. [c] Joſ. Scaliger de emendat. temp. lib. 2. cap. de periodo Judaeorum Alexandrea & Canon. Iſagogic. lib. 3. pag. 278. videſis *Cochium* in tit. *Sanhedrin* cap. 1. p. 13.

6 *bilum*,

bilum, *item* יומא דסיתה *diem opacum*, *habebant lunae* ψηφοφορίαν, *ut hodie*, *quam sequebantur*. *Ea in Talmud dicitur* צורת הלבנה σχῆμα τῆς Σελήνης, *qualem* ψηφοφορίαν *semper ante oculos scribitur habuisse Rabbi Gamaliel*. Ita ille; adeo ut constanter affirmarit non figuras nascentis lunae ejusque illuminationes varias, sed calculi lunaris formam, seu tabulas lunares, seu quibus motus lunaris epilogismus indicaretur, duntaxat in jam citatis innui fuisse Gamalieli. Sed vero aut depravatum aliquod Talmudicae Misnae exemplar virum praestantissimum fefellit, aut lectionem veram non satis animadvertit. Nam pro eo quod utroque in loco vocat ille צורת הלבנה *figuram lunae* (quo forsan nomine simpliciter sumpto non ita absonum fuerit, tametsi opinor nondum compertum, ipsum calculum quo figurae lunae nascentis possint dignosci per metonymiam designari) legitur in Misnae loco a Scaligero laudato, idque in editionibus quas consuluimus optimis nec ita paucis, aut דמות צורות לבנות (ut superius citatur) *imagines figurarum lunarium*, seu *lunarum*, aut דמות צורות לבנה ut tam in Hierosolymitano quam Babylonico Talmude, id est *imagines figurarum lunae*. Alio item in loco, seu Gemara in Babylonia [d], idem totidem affertur verbis juxta lectionem priorem. Sed vero lectio sive haec sive illa nec lunarem epilogismum nec quidquam praeter id quod jam monstravimus, si quid video, rite satis potest denotare. Id palam etiam afferunt magistri [e], quibus explicatio est צורות לבנות שעיר הירח ולאיזה צד קרניה נוטות *Figurae* seu *imagines lunares denotant lunae mensuram ac quantitatem atque indicationem unde dignosceretur in quamnam cornua ejus inclinarent partem*. Quin & ita rem capiendam, satis docet Gemara in utroque quem memoravimus loco Babylonia. Disputatur quidem ibi utrum licitae ejusmodi figurae, cum regulariter corpora coelestia neutiquam juxta superius dicta depingenda. Sed tandem lunularum has figuras licitas juxta cum Misna ait Gemara, quia factae sunt להתלמד seu *docendi discendique causa*, ut expressim ibi dicitur. Nec sane e subtilioribus tantum calculi apicibus (qui plane non ignaris tantum sed & inassuetis cruces sunt) aut nudo de visione colloquio potuisse testem ex hominum vulgo sive discere sive satis enarrare figurae seu cornuum, de quibus respondendum esset, positurам, omnino credibile est. Unde & R. Joseph Karo [f], צורות חמה ולבנה וכוכבים אסור בין בולטת בין שוקעת ואם הם להתלמד להבין ולהורות כולן מותרות אבילו בולטות: *Figurae solis & lunae & siderum tam planae quam prominentes interdictae sunt. At vero, si fiant discendi, docendi, resque dubias decernendi gratia, licitae sunt omnes, idque etiam prominentes*. Ubi omnes, opinor, tam ad figuras refertur etiam humanas, de quibus proxime ante loquitur, quam ad coelestes. Nimirum, fas esse, juxta Ebraeorum ritus, figuras etiam humanas docendi quid discendive gratia, simul & coelestium corporum qualescunque, facere; tametsi ornatus solum animique causa hae non omnino, illae nisi in plano aut coelatura, textura, seu incisione fieri non deberent. Certe & de coelestium figuris idem firmant ritualia aliquot Judaeorum ab ipsis typis edita. Hymnus scilicet interdum sacris paschalibus adjicitur, in quo tum mensium duodecim tum zodiaci signorum, quibus suo ordine respondent, fit mentio; unde & typis etiam margine [g] depictae habentur signorum omnium, veluti arietis, tauri, geminorum figurae. Nisi si dicas has revera non esse figuras coelestes, sed plane (sicut se res ipsa habet) adinventas ut stellarum in zodiaco spatia & numerus aliarum rerum nominibus denotentur, stellasque tantum ipsas esse corpora coelestia, adeoque figuras ipsis similes esse tantum corporum coelestium imagines. Certe in commentariis eorum de motu solis & lunae, id est de annorum ratione, etiam Talmudicis, orbes coelestes, uti eccentricos, concentricos, epicyclos, alios quemadmodum apud mathematicos sive paganos sive christianos, describi ab ipsis solenne est. Et adnotat R. Salomon Loria [h], reperisse se ad calcem Gemarae Babyloniae ad titulum de sabbato codicis Rabbini celeberrimi צורת הגלגל ומזלותיה *figuram coeli* seu *sphaerae & signorum ejus*. Quae tamen, ut ipse ob oculos posuit, circulus tantum est, cujus aream circumeunt mensium nomina Ebraica; peripheriam vero, signorum duodecim nomina citra aliam omnino figuram. Sed de hisce satis superque. Ex jam dictis vero tandem sequitur, proselyto domicilii ex jure quod diximus superinducto seu gentium interveniente neutiquam permissum esse imagines in solido seu protuberantes humanas, nec sive protuberantes sive in plano coelestes ornatus seu splendoris gratia, sed tantum להתלמד seu *docendi discendique causa*, formare. Alias autem pro libitu formandi permissam ei libertatem, si receptiorem spectamus sententiam, veterumque morum, ut par est, rationem hic habemus. Utcunque vero ea se res habuerit, dubitandum vix est, quin pro variante eorum qui rebus ac disciplinae praeerant opinione seculorumque discrimine, aliter atque aliter permissio seu interdictum hoc se habuerit. Nam quod Israelitae ob idololatriae novandae metum de hisce variatim & juxta discrepantes hominum, ut fieri amat, sententias negatum est, id neque Noachidae apud eos permissum esse, eandem ob causam, secundum jam ostensa, aequum est ut existimemus. Et qui statuam erexerat, lucum plantaverat, aut imaginem aliter atque dictum est fecerat, verberibus ex sententia forensi [i], uti etiam qui alia id genus juris capita, quae mox sequuntur, violaverat, pro more puniendus erat; atque ex jure civili Judaeus. Proselyti autem domicilii, juxta jus gentium ad regendos eos civili superinductum, id est interveniens gentium jus, sive verberibus sive aliis, pro rerum temporumque discrimine, poenis afficiebantur.

[d] Ad tit. *Aboda zara* cap. 3. fol. 43. a. [e] R. Obadias Bartenorius ad tit. *Rosh Hashena* cap. 2. § 8. Maimonides ibid. &c. [f] In *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea*, cap. 141. § 4. [g] *Machzor* Judaeorum Germ. part. I. fol. 171, &c. [h] In *Chochmach Shelomo* fol. 61. b. [i] Maimonid. Halach. *Sanhedrin* cap. 19.

CAP.

CAP. VII.

De actibus aliis a quibus ideo ex jure gentium interveniente abstinendum proselyto domicilii, uti ex jure civili Israelitae, quia ritus idololatricos imitari videbantur. Item de imaginibus jam factis proselyto domicilii, uti & Israelitae (huic ex civili suo, illi ex interveniente quod diximus jure) utendis, retinendis, abolendis. Imaginum ac rerum idolis sacratarum, nisi si resecrarentur, possessio & usus omnimodus utrique interdictus. Scilicet prorsus erant abolendae. Omnimodarum imaginum cultus gratia non factarum nec cultarum possessio & usus promiscuus eis licitus. Quid hic resecratio. Quomodo lucorum sive cultus gratia plantatorum sive fructus causa, & postea cultorum, usus seu possessio licita illicitave, ex jure jam memorato. Qua demum ratione abolendae res quarum usus & possessio caussis jam dictis vetita.

IN verbis Maimonidis superius [a] memoratis de statuam erigendi, lucum plantandi, imagines formandi libertate proselytis domicilii ex jure gentibus aliis Ebraeisque interveniente negata, occurrit illud, וכיוצא בהן לנוי *nec quae similia* seu *id genus sunt alia ornatus* seu *splendoris* aut *nitoris*, id est, *plane usus qualiscunque, etiam qui sacer non fuerit, causa.* Adeo ut ex Talmudicorum sententia, non solum tria illa quae jam explicata capite habes praecedente, sed & caetera quae ex Ebraeorum disciplina eandem aut parilem sortiuntur rationem, proselytis domicilii fuerint similiter interdicta. Non ex jure hominum communi, seu quod per excellentiam Noachidarum dici solet, sed tantum ex interveniente hoc, seu Ebraeis atque inquilinis ejusmodi seu in eorum ditione vitam transigentibus singulari, ut supra monitum est; quod inprimis hic semper animadvertendum. Designatio autem illa generalis partim, ni nimium fallor, imaginum quarundam possessionem & usum (nam de faciendis non de utendis seu possidendis imaginibus ante factis hactenus solum agitur; saltem si excipias exempla superius ex Josepho adducta de Caesaris iconibus & trophaeis atque animalium in palatio Tiberiensi figuris, de quibus, qua jam facta in usum ab Herode, Pilato, Tiberiensibus aliisve apud Ebraeos qualemcunque adhibita sunt, mox plura) imaginum, inquam, quarundam aliorumque bonorum sive ipsa idololatria sive ejusdem circumstantiis inquinatorum possessionem & usum complectitur, partim actuum abstinentiam aliquot aliorum quos, cum pro cultus extranei seu idololatriae sive imitamentis sive invitamentis ab Ebraeis, idque ex lege sacra cum gentilium ritibus collata, haberentur, haud proselytis domicilii magis quam sibi ipsis (quos solos cum proselytis justitiae ex sacra lege scripta teneri hic censebant) permitti voluere. Actus, alias per se ac simpliciter liciti, quibus hoc nomine abstinendum erat [b], fuere, habitum sexuum ementiri seu sexum alterum alterius habitum induere [c], (& magnopere sane mirandum, ut recte Dionysius Petavius, si modo verum est quod tradit Epiphanius [d], γυναικικοῖς ἱματίοις *muliebribus palliolis* usos esse Pharisaeos ipsos, cum expressissimis legis sacrae verbis adversetur, uti & doctrinae Talmudicae) vestimentum ex diversis generibus, veluti lana & lino, confectum gestare, diversi generis animalia ad coitum seu ad [e] aratrum simul admittere, fructus ante annum quartum comedere [f], in rotundum attondere comam, aut barbam radere, cutem incidere [g], alii id genus aliquot in foedere veteri prohibiti. Ideo enim hosce actus aiunt Israelitis prohibitos, quia solenniores antea [h] erant idololatris sive Cananaeis sive vicinis, & quoniam, tametsi extra cultum fierent, prope nimis nihilominus ad idololatriam ejusve ritus, quibus verendum erat ne verus cultus forsan inquinaretur, accedebant. Ea de re fusius Moses Maimonides [i]. E cujus item ꝑ *more Nebochim* versione veteri S. Thomas [k], alii. Neque solum conjectura nituntur aut traditione majorum, dum actus ejusmodi paganis atque idololatris orientis vicinisve in usu solenniori fuisse scribunt, indeque vetitos. Nam illis in usu fuisse actus hosce simul cum aliis non paucis qui ipso idololatriae genere per se contenti pariter in lege sacra prohibentur, expressim docent e libris orientis vetustissimis, nullibi nobis repertis, de Zabiorum ritibus, seu de eorum qui orientem maxime occuparunt omnimodis sacris. Vocantur illi Maimonidi [l] אומת הצאבה *gens Zabaea, quae*, inquit, היא אומה שמלאה כל הארץ *erat gens quae implevit totum orbem.* Zabiorum rituum atque superstitionum seu, ut Saido Batricidi dicuntur, دين الصابيين *religionis morumque Zabiorum* origo tribuitur aetati Nachoris Abrahae avi atque Zaredshatho velut autori. Verba ejus sunt,

وفي ايامه ظهر رجل فارسي يقال له
زرادشت فاظهر دين الصابيين وكان
بفارس ملك يقال له طهمورث

Et in diebus ejus Nachoris *claruit Persa quidam nomine Zaradshath* (pro eo, ni fallor, quem *Zoroastrem* dicere solent; nam & eum *Zaradem* [m] dictum scimus) & *publicavit* seu *propagavit religionem Zabiorum, regnante tunc in Perside Tecmuratho.* Sed alias habet ille sententias quibus e Graecia petitur disciplina Zabiorum. Videsis etiam de Zabiis responsa Josephi Scaligeri [n] ad quaesita aliquot Isaaci [o] Casauboni. Et de

[a] Cap. 1. 2. & 6. [b] Vide Levit. xviii. 3. & xx. 23. [c] Deut. xxii. 5. [d] Haeres. 16. [e] Levit. xix. 19. [f] Ibid. xxiii. [g] Ibid 27. & 28. [h] Videsis Levit. xx. 23. [i] *More Nebochim* part. 3. cap. 37. & in Halach. *Aboda Zara* cap. 11. & 12. & in Numer. praecept. negat. 40, &c. [k] Secundae quaest. 102. art. 6 ad 6, 8, 9, 11. 2 Secundae quaest. 196. art. 2 ad 3. [l] Ibid. cap. 29. [m] Agathias lib. 2. &c. [n] In Epistolis Francof. 1612 pag. 341. [o] Epist. 438.

Zoro-

3

Zoroastre, qua huc spectet, consulas Laertium [p], Justinum [q], alios. In libris autem illis quos de Zabiorum ritibus in hanc rem memorat Maimonides, primarium obtinet locum is qui inscriptus est העבודה הנבטיה, quod nomen in versione sua Latina retinuit doctissimus Joannes Buxtorfius nec transtulit. Veteri autem versione Latina pro eo substituitur liber *de agricultura AEgyptiorum*, & liber *de servitio AEgyptiaco*. Unde S. Thomas [r] aliique hic sequaces de AEgyptiorum veterum moribus toties loquuntur, dum praecepta aliquot Mosaica explicant. Certe vocabulum prius cultum tam qua sacra respicit quam qua agrum, denotat; & sacra Zabiorum agriculturam inprimis spectasse monet etiam Maimonides [s]. Quod vero ad vocabulum posterius attinet seu הכבטיה, seu הנבטיה, ut interdum [t] ex eo citatur, id *Nabathaea* forte seu *Nabathaeorum* vertendum: adeo ut de Nabathaeorum, gentis Arabicae Judaeae vicinae, cultu ritibusque juxta Zabiorum disciplinam congestis intelligatur. Nec ita mirum est autorem versionis vetustioris AEgyptiorum substituisse. Nam vix dubitandum quin ex elementorum נ & כ cognatione, quae in manu exaratis saepe est maxima, legerit ille הכבטיה, quod pro *AEgyptiaco* capi posse manifestum est. Atque illum Ebraicam Maimonidis versionem, quam R. Samueli Ben R. Jehudae Aben Tybbon debemus, non Arabicam ipsius autoris, transtulisse non ambigimus. De libris autem illis, ritibusque Zabiorum in eis repertis, Maimonides; ידיעת הדעית ההם והמעשים ההם הוא שער גדול מאד בנתינת עלת המצות *Cognitio disciplinae in eis contentae rituumque juxta eam solemniorum, porta magna est*, seu *impense facit, ad reddendas praeceptorum causas*. Summa demum est, actus omnimodos qui viciniorum gentium idololatriam ejusve ritus omnino saperent aut imitari viderentur, tametsi idoli cultus procul abesset, ex jure interveniente, non vero communi seu naturali, proselytis domicilii, ut ex civili Israelitis, interdictos. Quibus dubitari nequit quin annumerandae sint sortilegorum, augurum, aliorum artes quae in sacra lege morte non puniuntur. Nam Magiam infamem [v], morte punitam, ad ipsam idololatriam referunt, ut capite primo diximus: id est, artes illas quibus creditum est spiritibus nescio quibus cultum divinum seu divinitatem tribui. Caeterae autem, veluti augurum [x], sortilegorum, ariolorum, praestigiatorum, seu quae citra ejusmodi idololatriam adhibitae tantum interdicuntur, nulla expressim in sacris literis, nedum mortis, ullibi poena adjecta, nomine simplici חוקות הגוים *statutorum* seu *morum gentium* veniunt; qui, tametsi idololatria carerent ipsa, fugiendi nihilominus Ebraeis erant, quoniam apud idololatras atque ex ipsa idololatriae non raro ratione [y] orti sunt fotique. Mores autem hi sic vetiti, adeoque artes quales diximus, verberibus ex sententia forensi in Judaeo [z] puniendae erant. Neque aequum est ut existimemus Noachidem seu proselytum domicilii artibus ejusmodi, utcunque ex jure hominum communi seu naturali juxta ipsos, non vetitis, impune ex jure interveniente uti potuisse; maxime si harum actus ac circumstantias cum caeteris quae nunc tractamus rite componimus. Quod vero ad imaginum jam factarum possessionem & usum hic attinet; triplex erat harum genus. Aut enim factae sunt cultus causa necdum cultae, aut etiam cultae, aut factae tantummodo לנוי, id est *in ornatum*, ut fieri solet, sive rusticum sive urbanum, seu ejusmodi alium usum citra omnimodam cultus extranei rationem. Primi generis quae fuere, aut a Noachide seu gentili factae sunt, aut ab Israelita. Imaginem qualemcunque a gentili cultus gratia sic formatam inter ipsos fuisse [a] aiunt אסורה להנאה *adeo illicitam ut nec in usum* seu promiscuum *vitae commodum ullatenus esset adhibenda*; idque etiam tametsi nondum a gentili culta fuisset. Et distinctionem habent de praesumptionibus quibus hic, ubi de re non aliter liqueret, standum erat. Si in gentilium villis seu oppidulis reperirentur imagines qualescunque, אסורים בהנאה מפני שהוקתם שלעבודה זרה הן עשוין: *usus earum interdictus erat omnimodus, quoniam praesumebatur eas in cultum extraneum esse factas*. At vero הנמצאות במדינה אם היו עומדין על פתח המדינה והיוה ביד הצורה צורת מקל או צפור או כדור או סייף או עטרה וטבעת הזקתו שהוא לע"ז ואסור בהנאה: ubi ubi *imagines repertae sint in urbe aliqua, si ad portam collocatae haberent manu figuram baculi, sphaerulae, aut globi, aut gladii, aut coronae & annuli, praesumitur factas eas esse in cultum extraneum, adeoque usus earum interdictus est*. Aliter praesumendum non erat eas cultus causa factas, sed tantum in ornatum urbanum. Temperamentum item adjiciunt de imagine ejusmodi resecrata, seu quae antea religione ita solveretur ut sacra esse plane desineret: tunc enim usus ejus, ut bonorum aliorum, satis licitus. Sed de resecrandis imaginibus plura mox. Ab Israelita autem imago qualiscunque facta, si minime omnino culta fuisset aut sacrata, ab omnimodo usu sic arcenda non erat. מה בין ע"ז של גוי לע"ז של ישראל ע"ז של נכרי אסורה בהנאה מיד שנ' פסילי אלהיהם תשרפון באש משפסלו נעשה לו אלוה ושל ישראל אינה אסורה בהנאה עד שתעבד שנ' ושם בסבר עד שיעשה לה דברים שבסתר שהן עבודתה: *Quod ad discrimen spectat inter imaginem cultus causa ab gentili factam atque eam quae causa parili fit ab Israelita; gentilis imago ejusmodi statim atque fit ab omnimodo arcenda est usu, juxta id quod dicitur in sacra lege* [b], sculptilia eorum igne comburetis. *Simulac sculpserint, tribuitur ei divinitas. At vero Israelitae ejusmodi imago non ita omnimodo arcenda est usu priusquam colatur (juxta etiam id quod in sacra lege habetur* [c], & in abscondito posuerit) *scilicet priusquam ea in abscondito* seu *clanculum faciat quae ad cultum ejus attinent*. Tertii generis imagines factae seu repertae, id est, quae tantum factae sunt, sive a gentili sive ab Israelita, ornatus gratia, aut in promiscuum sive in aedibus sive in

[p] Lib. 1. [q] Lib. 30. & videsis Jacobum Boulducium de ecclesia ante legem, lib. 2. cap. 18. [r] 1 Secundae q. 102. art. 6, &c. [s] *More Nebochim* part. 3. cap. 30. [t] In Comment. ad *Sepher Cozri* part. 1. cap 61. fol. 28 a. [v] Exod. xxii. 18. Levit. xx. 27. [x] Deut. xviii. 10, 11. [y] Vide Maimonidem *More Nebochim* part 3. cap. 29, 30, &c. [z] Idem Hal. *Sanhedrin* cap. 19. [a] Misna & Gemarae tit. *Aboda Zara* cap. 2. & 3 Maimonides Hal. *Aboda Zara* cap. 7. *Hilcoth Gedaloth* fol. 120. a. Moses Mikotzi praecept. negativ. 45. Joseph Karo in *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*, cap. 139. [b] Deut. vii. 25. [c] Ibid. xxvii. 15.

vasis, tabulis, aulaeis, velis, vestibus ornandis usum, nec postmodum dicatae seu cultu extraneo inquinatae, habebantur plane licitae (utcunque illicite apud Israelitas factae, veluti coelestes qualicunque forma, & humanae in solido seu prominentes) non aliter atque supellectilis pars aliqua alia seu bona qualiacunque caetera. Nam poena verberum, quae illicitas facienti infligenda, expiabatur ipsa faciendi culpa; nec retinendo alia commissa est. Unde & de imagine apud gentiles reperta quam cultus gratia neutiquam factam esse, juxta jam dicta, praesumebatur, aiunt, הרי הוא בחזקת לנוי ומותר *praesumendum erat eam ornatus tantum gratia factam, adeoque uti frui licuit*. Qua de re etiam pronunciant המוצא כלים ועליהן צורת המה ולבנה ודרקון אם היו כלי כסף וזהב או בגדי שני או שהיו הקוקים על הנזמים ועל הטבעות הרי אילו אסורין ועל שאר הכלים מותרין מפני שחזקתן לנוי וכן שאר הצורות הנמצאות על כל הכלים חזקתן לנוי ומותרין: *Si quis repererit utensilia in quibus figura lunae aut solis aut draconis, eaque fuerint aurea aut argentea, aut vestes purpureae, aut si fuerint figurae hae in monilibus aut annulis, utensilia sunt ipsa illicita. Attamen si utensilibus in aliis fuerint repertae, ea licita sunt, eo quod praesumitur ornatus gratia tantum esse formatas. Quin & figurae caeterae in quibuscunque repertae utensilibus licitae sunt, quia praesumitur formatas esse ornatus tantum gratia.* Quoties nempe de cultus gratia palam non constiterat. Atque huc sane spectat illud Procli Polyzeli F. & Rabban Gamalielis, Misna [d]; שאל פרוקלוס בן פלוספוס את רבן גמליאל בעבור שהיה רוחץ במרחץ של אפרודיטי אמר לו כתוב בתורתכם לא ידבק בידך מאומה מן החרם מפני מה אתה רוחץ במרחץ של אפרודיטי אמר לו אין משיבין במרחץ וכשיצא אמ' לו אני לא באתי בגבולה היא באתה בגבולי אין אומרים נעשה מרחץ לאפרוד' נוי אלא אומרים נעשה אפרוד' נוי למרחץ: *Interrogavit Proclus philosophi filius Rabban Gamalielem curnam se lavaret in balneo Veneris*, balneo, ut interpretantur magistri, in quo figura habebatur Veneris, unde est denominatum: *Nam*, inquit, *scriptum est in lege vestra* [e], Non adhaerebit in manu tua quidquam de anathemate: *cur igitur tu te lavas in balneo Veneris? Dixit ei Gamaliel, respondendum non est in balneo*, Nudo scilicet, reverentiae causa, de lege loquendum non est; quemadmodum apud gentiles in templis nudare se quempiam seu vestimenta mutasse nefas [f] habebatur. *Simulac autem exierat*, & vestem induerat, *Ego, inquit, huc non accessi figurae Venereae causa, sed ea huc mei causa advenit*, id est, causa balnei & lavantium in eo. *Neque quisquam dixerit Balneum in Veneris usum factum, sed Venerem hanc*, seu figuram *in usum seu ornatum balnei*. Sensus est, & balneo utor & in eo figuram hanc collocatam non illibenter conspicio: sed cum consecratio omnimoda cultusque absit, & figura utcunque ejus, quod alias interdum pro numine habetur, ornatus tantum causa locum hic habeat, non est omnino cur violatae legis nostrae hoc nomine incuser; qua nempe earum quae cultus gratia tantum factae sunt aut Diis dicatae imaginum, juxta majorum interpretationes, usus omnimodus interdicitur. Sed vero non solum imaginum sive cultus gratia factarum, sive cultarum, quales diximus, verum etiam victimarum, oblationum, & instrumentorum ac vasorum, veluti pollubri, simpuli, arae, mensae (simulac in cultu adhibita fuerint haec, uti illae simulac fuerint oblatae aut in oblationem signatae, nec ante) & quae sunt aliorum id genus, imo & כל הנעשה בשבילה *universi apparatus cultus extranei gratia facti*, id est idolo culto dicati, usus omnimodus pariter est interdictus: excepto quod culter cujus in idololatria usus fuerat, non illicite [g] in victima tantum mactanda, sed non dissecanda, adhiberetur. Adeo ut ne quidem ex horum alicujus aut possessione aut venditione locupletiorem fieri apud Israelitas fas esset. Pretium, aeque atque ipsa, illicitum. Praeceptum quidem sibi civile habent ex illo legis [h], *Non inferes abominationem*, seu, ut vulgata, *quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema sicut & illud est. Sed exsecrando exsecraberis illud, & detestando detestaberis illud, quia anathema est.* Rationem etiam afferunt; ne aut ipsum idolum aut vasa aliave ipsa ad illud spectantia possessorem in idololatriam forsan invitarent, aut [i] rerum dein ejus secundarum seu vitae quae forte sequeretur beatioris causam vulgus, cui in rebus maxime ejusmodi discernendis hallucinari solenne est, in hujusmodi possessione & usu temere collocaret, indeque existimatio & honor cultui extraneo accederet. Atque ex hac ratione consonum superinduxere jus gentium seu proselytorum domicilii interveniens. Sed praetereundum non est, tam vasa & apparatum idoli quam ipsum idolum, si resecrarentur seu religione solverentur antequam in Israelitae possessionem devenirent, non aliter atque alia bona in vitae usum & commodum licite adhiberi potuisse. Resecrandi facultatem aiunt fuisse tantummodo gentili, qui scilicet hactenus esset ipse idololatra, non gentili qui idololatriae renunciaverat. Nec tamen omnigenas imagines consecratas resecrandi ei fuisse facultatem, sed eas tantum quae a gentili etiam consecratae fuissent ab Israelita nondum possessae. Nam nec Israelita ipse resecrare potuit ejusmodi sive imaginem, sive vas, sive apparatus sacri partem aliquam a quocunque sacratam; nec, postquam ipse possederat, quis alius mortalium, ut volunt nonnulli: quod quantum ad imaginem sacratam ipsam attinet, admittunt omnes. De vasis autem & instrumentis ita dissentiunt ut aliqui velint illa etiam postquam ab Israelita possiderentur potuisse rite resecrari. Quod vero legitur in Misna Talmudis Hierosolymitani [k], נכרי מבטל עבודה זרה שלו ושל ישראל *Gentilis resecrat tam consecratam imaginem* seu *idolum quod suum est quam quod est Israelitae*, lapsus est, opinor, sive typographi sive librarii. Restituendum igitur שלו ושל חבירו *quod suum est quam quod gentilis est alterius*. Nam Talmudis Babylonii Misna aliaeque Misnae editiones ita locum illum habent. Et Gemara utraque ibi non semel, ע"ז שעבדה ישראל

[d] Tit. *Aboda Zara* cap. 3. § 4 & videsis Maimonid. Halach. *Aboda Zara* cap. 7, &c. *Shulchan Aruch* lib. *Jore Dea* cap. 142. § 12.
[e] Deut. xiii. 17.
[f] Plutarch. in quaest. Romanis.
[g] Gemar. Babylonia ad tit. *Cholin* cap. 1. fol. 8. a. Maimonid. Hal. *Aboda Zara* cap. 7. *Shulchan Aruch* lib. *Jore Dea* cap. 10. & 142.
[h] Deut. vi. 26 & vide cap. xiii. 17.
[i] Vide ante [illegible], Maimonid. *More Nebochim* part. 3. cap. 37.
[k] Tit. *Aboda Zara* cap. 4. § 4.

אין

אין לה ביטול לעולם *idolum quod coluit Israelita nunquam omnino potest resecrari*, seu *religione solvi*, quemadmodum & magistri consentiunt passim. Ubi & obiter advertendum, nomine עבודה זרה *cultus extranei* seu *peregrini* non solum venire ipsum cultum seu latriam, sed rem etiam ipsam, pro discrimine rerum de quibus verba fiunt, quae sive ut idolum colebatur, sive idolo sacrata est, veluti *ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων inquinamenta idolorum*, & idolothyta, id genus caetera. Id quod apud magistros est frequentissimum. Gentili autem, qualem diximus, non solum quod ipse fecerat seu sacraverat idolum, sed quod alius quis gentilis, resecrandi facultatem tribuunt. Resecrato autem idolo ipso, resecrata simul consequenter omnia quae ad id spectabant vasa, instrumenta, apparatum afferunt, praeter victimas atque oblationes, quae nec resecrationis capaces. Vasis autem, instrumentis aut apparatu resecrato, non simul inde resecratum est idolum. Resecrare hic erat, non solum liquefacere seu resecrandi animo comminuere aut mutilare, verum etiam ut liquefieret seu confringeretur alienare, & usibus communibus palam addicere, juxta illud Tertulliani [m], *Domesticos deos, quos lares dicitis, domestica potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando aliquo in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva; ut quisque contritus atque contusus est, dum diu colitur; ut quisque dominus sanctiorem expertus est domesticam necessitatem.* Quin & idolum quod tempore pacis coli desiit, exinde resecratum est; non item, quod tempore belli. Magistri, ע"ז שהניחוה עובדיה בשעת שלום מותרת בהנאה שהרי ביטלוה בשעת מלחמה אסורה מפני שלא הניחוה אלא מפני המלחמה *Idolo quod tempore pacis a colentibus negligitur, seu coli desinit, uti frui* inter bona *fas est: nam id resecrarunt. At vero si id fiat tempore belli, eo sic uti frui est nefas, quoniam non ob aliam quam belli causam coli desiit.* Tametsi autem gentilis tam alienum quam suum idolum, juxta jam dicta, ita resecrare potuit ut usus ejusdem rerumque ei ante sacratarum promiscuus inde licitus esset, nihilominus rem alienam ita consecrare nemo rite quibat ut inde ejusdem usus fieret illicitus. Quo spectat illud [n], אין אדם אוסר דבר שאינו שלו *nemo mortalium usum rei alienae illicitum reddere potest.* Quemadmodum vero imaginum in cultum extraneum factarum rerumque aliarum eis dicatarum usus, secundum jam memorata, illicitus erat, ita parili ratione etiam luci [o] seu arboris sive eo nomine ut coleretur ipsa, sive ut idolum obumbraret, idoleumve ornaret, plantatae: adeo ut nec umbrae proceritatis ejus seu trunci juxta extensae beneficio uti frui liceret; quam tamen a foliorum & ramorum tegmine ita discriminant aliqui [p], ut hujus, nec interim illius, refrigerium licitum haberetur. Nec per lucum ejusmodi transire fas, nisi alia non pateret via. Volucrum item in eo nidificantium tum ova tum pulli teneriores illiciti. Ratio adjicitur; שהרי האשרה כמו בסיס להן *quoniam lucus ipse hisce est veluti basis* seu *fundamentum*, locus nempe in quo orti atque eis peculiaris. At de nido ipso aiunt, והקן עצמה שבראשה מותר מפני שהעוף מביא עציו ממקום אחר *Nidus ipse qui in ejus est summitate licitus est, quoniam virgulas* seu *ligna e quibus conficitur nidus avis ex alio loco affert.* Lignari ex ejusmodi luco non licuit; nec panibus in furno inde calefacto coctis uti: adeo ut si forte panis sic coctus aliis ita commisceretur ut dignosci nequiret, יולך דמי אותה הפת לים המלח כדי שלא יהנאה בה ושאר הככרות מותרין *pretium ejusdem panis projiciendum esset in mare salsum, ne ex eo commodum fieret, & caeterorum usus* (ut & jam hujus) *licitus esset.* Parilis ratio erat in cibis elixandis, assandisque. Quin quoties radius textorius aut quid ejusmodi aliud e lignis luci, qualem diximus, fieret, vestis pannusve eo textus illicitus habitus; qui si forte aliis sic commisceretur ut nec quiret internosci, similiter de pretio ejus ut de panis jam memorati statuendum. Nec in cujusquam commodum rite cedebat luci combusti cinis: abjiciendus erat usibusque eximendus. Solum autem luci ejusque umbrae neutiquam ita interdictum, quin herbas, legumina, olera, quaecunque in umbra felicius crescerent, ibi serere fas esset, eorumque possessio & usus licitus. Ratio redditur, מפני שצל האשרה שהוא אסור עם הקרקע שאינה נאסרת גורמים לירקות אלו לצמוח וכל שדבר אסור ודבר מותר גורמין לו הרי זה מותר בכל מקום *Quoniam umbra luci, quae illicita est, simul & solum, quod illicitum non est, in causa sunt cur germinent crescantque olera haec. Et quoties quid rem licitam & rem illicitam simul in causa sibi ejusmodi habuerit, id perpetuo in licitis habitum:* Scilicet ubi res id genus naturales, forte etiam contra fas, commistae. Unde ager fimo victimarum idolis sacratarum stercoratus rite seminabatur, uti & jumentum quod pabulo, cujus usus idololatriae nomine alias interdictus, pinguefiebat, rite satis comedebatur. Et similis de aliis id genus ratio. Quae autem hactenus dicta sunt, ad res attinent aut ideo ab homine factas, veluti statuas, imagines, lucos, ut colerentur, aut idolo culto oblatas aliterve sacratas peculiaresque. Extra harum numerum fuere res mere naturales, seu, ut dictitant magistri, res שאין בהן תפיס ידי אדם *quibus artificium humanum non omnino* cultus gratia *accessit*, quae interdum ipsae etiam ab idololatris cultae; veluti montes, luci item fructus causa primo non cultus plantati, fontes & flumina publica, etiam & jumenta & pecora, modo quo apud AEgyptios apis, & quae sunt ejusmodi alia. De hisce in universum pronunciant, כל שאין בו תפיס אדם ולא עשאו אדם אע"פ שנעבד הרי זה מותר בהנאה *Quicquid artificio caret humano, nec ab homine factum est, etiamsi velut idolum cultum fuerit, ejus usus & possessio non interdicitur.* Caeterum luci non in cultum extraneum plantati, nec culti, nec cultui extraneo inservientis, possessio & usus non illicitus erat, tametsi, juxta jam dicta, plantatio ipsa illicita; secundum eandem quam de imaginibus afferunt rationem. Quorum vero usus ut in ante dictis omnino negatus, id est quaecunque causis jam memoratis erant אסורים בהנאה, nullibi locorum reponere aut retinere ea licuit: Sed aut igne comburenda erant, aut comminuenda, conterenda, & projicienda sive in aerem, sive

[m] Apologetico, cap. 13. [n] Maimonid. Halach. *Aboda Zara* cap. 8. & Misn. & Gemar. supra citatæ. [o] Misn. & Gemar. tit. *Aboda Zara*, cap. 3. & Maimonid. ad dict. Misn. & Halac. citat. cap. 7. *Shulcan. Aruch* lib. *Jore Dea* cap. 142. [p] Videtis Misn. & Gemar. Babylon. tit. *Aboda Zara*, cap. 3. fol. 48. b. & Maimonid. loc. citatis.

לים המלח *in mare salsum*, sive in flumina [q], ut quantum fieri posset nuspiam haberentur. Neque cineris aut carbonum rerum ejusmodi usus licitus. Et de imaginibus, idolis, eorumve vasis ac supellectili aliisque rebus cultis idolisve sacratis sive retinendis sive abolendis sive sic projiciendis, ad hunc modum statuunt Talmudici.

C A P. VIII.

Ut quae de jure gentium interveniente circa imaginum usum superius adferuntur rite capiantur, ea quae occurrunt apud Fl. Josephum, capite sexto ante citata, de iconibus Caesaris aliisque figuris jam factis a populo Judaico nec admissis nec permissis, una cum Josephi ipsius sententia de imaginibus animalium omnino nullorum rite apud ipsos faciendis, expenduntur. Totius hujus rei apud populum Judaicum rationem pendere, non ex eo quod rerum seu personarum simpliciter figurae essent, sed quod vererentur ne earum cultus, pro more seculi, divinus inde irreperet. Ea de re alia. Quamobrem numismatis Caesaris icone cusis usi sint Judaei, apud signa interea Romana aliterve suo in solo eam conspici nolentes. Nummis aliis principum exterorum vultibus insignitis usos fuisse Judaeos. De Rhodio numismate Romae & Parisiis, veluti ex triginta quibus divenditus est Christus, adservato. De eo quod veterum aliqui habent, nec pictorem nec statuarium apud Judaeos esse permissum. De vite aurea, tum quae Pompeio ab Aristobulo donata, tum quae supra fores templi Herodiani. Judaeorum hodiernorum de imaginibus mores, uti & Makumedanorum.

ATqui unde interea evenit tanto Ebraeos habuisse odio Caesaris icones & figuras generatim humanas in exemplis capite sexto ex Josepho allatis? Nam non modo legi suae omnino adversas eas esse clamitabant, sed nec intra ditiones suas conspici fas habebant. Quinetiam prae aliis omnibus quae contra majorum disciplinam sub id aevum introducerentur eas habebant longe invisissimas. Imo in oeco Tiberiensi τῶν ζώων μορφὰς *animalium figuras* ita detestati sunt ut earum causa oecus ipse, solenni ea de re legatione peracta, sit dirutus. Et de legibus suis Hierosolymitani [a] acriter & constanter; Οὐδὲν ἀξιοῦσιν ἐν τῇ πόλει δείκηλον τίθεσθαι, *neutiquam ab eis permissum, in urbe imaginem ullam poni.* Ita scilicet Pilato. Et postmodum Petronio ex lege asserunt & moribus patriis, οὐδὲ Θεοῦ τι δείκηλον οὐχ ὅπως ἀνδρὸς, οὐ κατὰ τὸν ναὸν μόνον ἀλλ' οὐδ' ἐν εἰκαίῳ τινὶ τόπῳ θεῖναι θέμιτον, *non Dei simulacrum, nedum hominis, non solum in templo sed nec in profano aliquo loco fas sibi locare.* Immane quantum distare videntur haec a doctrina quam attulimus Talmudica, qua non duntaxat omnimodis imaginibus ornatus seu communis usus solum causa factis (utcunque factis illicite) uti frui licuit, verum etiam ipsis idolis antequam ab Israelita possiderentur resecratis. Quin Josephus ipse, de Salomone rege [b]; Ἁμαρτεῖν αὐτὸν ἔτυχε καὶ σφαλῆναι περὶ τὴν φυλακὴν τῶν νομίμων, ὅτε τῶν χαλκῶν βοῶν ὁμοιώματα κατεσκεύαζε τῷ ὑπὸ τῇ θαλάττῃ ἀναθέματι καὶ τῶν λεόντων τῶν περὶ τὸν θρόνον τὸν ἴδιον, *a praescripto legum discessit quando aereas boum effigies basi maris addiderat, sicut solio suo leonum post apposuit.* Quibus adjicit, οὐδὲ γὰρ αὐτὰ ποιεῖν ὅσιον, *neque enim illa facere fas erat.* Adeo ut tum expressissimam habeamus de imaginibus non omnino faciendis Josephi sententiam, tum alia ex eo, & hic & capite sexto, de eis citra legis violationem a Judaeis non admissis. Quod ad illius sententiam attinet; novum non est, Talmudicam doctrinam illius de rebus Ebraicis doctrinae adversari. Ut hic, ita alibi subinde id ita se habet; quod non semel monuimus. Et non autumare sane nequeo ea quae sic de imaginibus apud Judaeos suos non omnino admissis narravit, eum perperam sententia sua, receptissimae adeo dissona, inter narrandum velut incrustasse. Jam vero quod ad ipsa quae hac de re narravit ille spectat; sane iniquum non est ut existimemus ea quae generatim in Judaeorum rationibus, per se & absque Josephi praejudicio sumptis, sic impugnasse videntur qualescunque figuras humanas (nam de Tiberiensium palatio & animalium in eo figuris seorsim loquemur) eo tantummodo tetendisse ut tum quam compendiosissime possent assertione generali ac responso rotundo mores avitos tutarentur, tum ab Caesaris irritatione ac offensa, quantum fieri posset, procul abessent; rem ipsam quam sibi obtrudi nunc palam viderent, nunc merito dubitarent, anxie interea verentes. Scilicet in Romanorum votis inprimis erat ut Caesarum icones Hierosolymis atque per Judaeam alibique in eorum proseuchis, quemadmodum aliis in orbe Romano locis, dicatae velut numina colerentur. Quod quidem expressissimum habetur tum in rebus a Petronio [c] gestis, qui, Caio Caesare jubente, plurimum ut id fieret etiam in templo Hierosolymitano instabat, tum in historiola illa de Judaeis Alexandrinis quam cum altera illa de Petronio atque legatione sua ad Caium literis mandavit Philo. Id verum quidem est, neque ab Augusto neque a Tiberio, nedum a Julio, qui omnes Judaeis plurima indulserunt, iconum ejusmodi dedicationem omnino eis imperatam. Nempe a Caesaribus illis permissum est ritus servare patrios, quos nihilominus dedicationibus ejusmodi violatum iri, maxime postquam in divos est relatus Augustus, summopere suspicabantur. In Italia enim, Graecia, AE-

[q] Videsis Exod. xxxii. 20. 1 Regum xv. 13. 2 Regum xviii. 4. & xxiii. 4, 6. 2 Paralip. xv. 16. & xxix 16. & xxx. 14.
[a] Joseph. Halos. lib. 2. cap. 8. ibid. cap. 9. [b] Archaeol. 8. cap. 2. [c] Joseph. Halos. 2. cap. 9.

gypto,

gypto, Asiae provinciis non paucis, Augusto superstiti [d], uti & divo Julio, divos honores haberi, templa exstrui, statuas seu icones sacrari viderant. Quin Herodes [e] Antipatri filius ipsorum rex, licet in solo Judaico non auderet, extra nihilominus, veluti Caesareae in Phoenice, alibique, templa Augusto erexit, atque statuas sacravit colendas. Praeterea, tametsi Tiberius, quia modicis contentum se honoribus simulare voluit, *Templa, flamines* [f], *sacerdotes decerni sibi prohibuit, etiam statuas atque imagines nisi permittente se poni: permisitque ea sola conditione ne inter simulacra deorum, sed inter ornamenta aedium ponerentur.* Adeo ut nec ante turpissimum Caii fastum, quo Jovis nomine per Judaeam pariter atque alibi se coli imperavit, imagines expresso cultus nomine Judaeis omnino a Romanis obtruderentur. Attamen prudenter sane, opinor, sub Augusto timebant, ne summa Herodis adulatione & nequitia, utpote qui extra solum Judaicum templa & imagines ei dicaverat, uti & alii frequenter fecerant, forte eveniret ut, postquam tot disciplinae patriae adversa alia intulerat, aut sub armis humanis auratis (qualia fuere trophaea illa de quibus in jam ante allatis Josephus) laterent imagines sive Caesaris sive Romae cum illius imaginibus ex more interdum simul dicatae, aut Caesaris Romaeque nomine ipsa in cultum ab eo adveherentur. Civiliter autem in humanas tantum clamitant figuras, tum a Caesaris nomine cautius abstinentes, tum figuras solummodo cultus, quem tantopere abhorrebant, gratia allatas, non omnimodas, aliasve, si quid video, innuentes. Quid quod etiam trophaea illa seu imagines ex eo erant genere quod & adorari solebat. Tertullianus [g]; *Sed & victorias adoratis, cum in tropaeis cruces intestina sint tropaeorum.* Non ita dissimilis sane ratio locum habuit, sive cum Pilatus Tiberii imaginem in urbem intulit, sive cum Vitellii exercitum ob ejusmodi apud signa imagines per Judaeam transire nolebant; scilicet imagines illas, seu vultus & pectore tenus effigies, clypeis exprimi solitas, thoracidas item dictas, & προτομάς. Quicquid enim incomparabilis simulandi ac dissimulandi artifex ille Tiberius de imaginibus suis jusserat, eas nihilominus proculdubio locis non incommodis coluere non pauci, ut honorem ei atque Augusto & Julio exhibere alicubi saltem viderentur parilem. Et Aspendi, quae Pamphyliae urbs est, sanctissimas habitas & supra Jovi Olympio dicatas venerabiles etiam Tiberii statuas legimus apud Philostratum [h]. Utcunque vero, saltem imagines ejus quae apud signa militaria erant, quales hasce fuisse palam liquet, in castris cultas & adoratas esse [i] non est quod ambigamus. Etiam & ipsa signa, quorum plane hae veluti pars divinior habitae, *signorum praesentium & divinorum* nomine indigitabantur, atque adorari solebant. Tertullianus [k]; *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus diis praeponit.* Et Tacitus [l]; *irent, sequerentur Romanas aves, proprium legionum numina.* Adeo etiam ut signis μὴ μετὰ τῶνδε κόσμων, *hujusmodi imperatoris effigiebus carentibus*, quibuscum Hierosolymam ingredi solebant retro praesides (idque ne cives conspectis apud se quas coli scirent aut saltem dubitarent imaginibus commoverentur) cultus quidem exhiberetur a castrensibus divinus, qui tamen Judaeis aut ignotus aut dissimulatus. Aliter existimandum est nec illa admittere ipsos voluisse. Scimus enim Pilatum etiam, non tam in Tiberii gratiam quam in odium populi, intra urbem in Herodis regia ἐπιχρύσους ἀσπίδας *auratos clypeos* dedicasse μήτε μορφὴν ἐχούσας μήτε ἄλλό τι τῶν ἀπαγορευομένων *nec imagine* seu *figura aliqua insignitos*, *nec alia re quacunque ex lege vetita*, excepto solum quod nomen dedicantis & ejus ὑπὲρ οὗ ἡ ἀνάθεσις, *cujus causa* seu *cui facta est dedicatio*, ut inscriptiones necessariae adjicerentur, veluti, opinor, Tiberio Caes. Augusti F. Pontius Pilatus. Rem narrat Agrippa in libello [m] quem popularium gratia Caio Caesari exhibuit. Atqui quoniam consecrationis formula, etiam illa simplicior, numen novum sine imagine inducere (quod & res ipsa erat) videbatur, clamitant Judaei, ritus patrios ea violari, nec impensius instare desinunt usquedum jussu principali tollebantur. Ideoque in templum Caesareae Augusto sacratum erant inde translatae. Ita cultum, adorationem, novi numinis dedicationem seu praesentiam qualemcunque, etiam sine imagine, magis semper spectabant quam simplices ipsas imagines; tametsi ubi imagines cultus gratia obtrudi existimabant, in illas, sed tantum qua tales, acerrime insurgere solerent. Sic & apud Tacitum [n] simulacri nomine generatim usurpato, id tantum ex rerum quas narrat circumstantiis innuitur, quod colitur seu pro numine habetur. De Judaeis ipsis, *Nulla simulacra urbibus suis, nedum templis, sunt. Non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor.* Quod dici de simulacris tantum cultus gratia habitis manifestum videtur. Tametsi paulo ante de animalis effigie in penetrali ipsis sacrata (asininum caput intelligitur) nescio cur verba fecerit ipse. Sed diu est quod eo nomine a Tertulliano [o] est reprehensus. Ejusmodi generalis vocis simulacri usus etiam in C. Norbani Flacci [p] literis ad Ephesios, alibi. Ex hac simulacri notione etiam puto rite capiendum illud de animalium figuris in oeco seu palatio illo Tiberiade, id est urbe soli Judaici, ab Herode Tetrarcha exstructo. Tam urbem ipsam quam palatium exstruxerat ille in Tiberii honorem. Templum, ob principis interdictum, nuncupare neutiquam est ausus. At vero viderant Judaei Caesaream ab Herode magno rege suo [q] in Augusti honorem extra solum Judaicum in vicino conditam, aliasque etiam urbes, uti & hanc, principi cognomines: etiam templa & effigies plane numini Julii, Augusti, Caii dicatas: sub Tiberio autem ejusmodi consecrationes non quidem adeo palam fieri, nec tamen adulandi artes tunc minutas: postea vero de divinis Caesari honoribus exhibendis, eoque pro numine accipiendo, non semel cum eis actum esse. Jam igitur verentes, opinor, ne & effigies illae qualescunque in oeco Tiberiensi, uti & oecus

[d] Videsis Joseph. lib. 16. cap. 10. If. Casaubon. in Monument. Ancyranum, &c. [e] Josephus Archaeol. lib. 15. cap. 12. & 13. [f] Suetonius lib. 3. cap. 26. [g] Apologetic. cap. 16. [h] De vita Apollonii Tyanei, lib. 1. cap. 1. [i] Vegetius de re militari, lib. 2. cap. 6. ubi vide Godeschalcum Stewichium. [k] Apologetic. cap. 16. [l] Annal. 2. [m] Apud Philonem, lib. de legatione ad Caium. [n] Histor. 5. [o] Apologetic. cap. 16. [p] Apud Philonem de Legatione. [q] Joseph. Origin. lib. 15. cap. 12, & 13. & in vita sua.

ipſe, aut jam dictis congeneres eſſent aut ſaltem haberentur, adeoque ipſi in ſolo ſuo alienum viderentur numen cultumque contra ritus patrios, quos tantopere ſervare illaeſos ſtudebant, admittere, oecum ipſum dirui volebant: non magis quod ſimpliciter animalium ibi effigies quam quod ſimpliciter oecus eſſet: ſed quod neque hunc neque illas ſine religionis ſuae violatione permittendas exiſtimabant; id eſt, in cultum extraneum ibi poſitas. Quale manifeſte dicendum de aquila aurea quae ſupra maximam templi partem collocata adeo Judaeis exſecranda habebatur, ut legitur apud Joſephum [r]. Quid quod murium quinque & anorum totidem figuras a Palaeſtinis vero Deo oblatas ſimul cum arca non illibenter accipiunt [s] Iſraelitae? Et Joſephus [t] ipſe id quod pro anorum ſimulacris ibi ſumitur diſerte nuncupat *ἀνδριάντας ſtatuas:* qua ſane voce proprie denotantur ſtatuae ſeu ſimulacra humana. Adeo demum ut ubi cultus ratio omnino aberat, nullius imaginis uſus illicitus haberetur. Et ſane abſque temperamento ejuſmodi minime intelligenda eſſe Judaeorum apud Joſephum de iconibus Caeſareis reſponſa ſuperius memorata, nec aliter ex ſententia publice recepta capiendam eſſe illam de animalium in Tiberienſium palatio figuris legationem, ſatis evincitur e diſerto evangelii [v] teſtimonio, quod & magiſtrorum de iconum etiam humanarum cultus extranei gratia non factarum uſu apud ipſos licito, ſcitis ſuperius oſtenſis eſt, ni fallor, inprimis conſonum. Rogantibus Chriſtum Phariſaeis utrum cenſum liceret dare Caeſari, *Oſtendite mihi,* inquit, *numiſma cenſus.* Oblato denario, ait illis, *τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; Cujus eſt imago haec & inſcriptio?* ſeu, *τίνος ἔχει εἰκόνα, &c. Cujus habet imaginem? Dicunt illi, Caeſaris. Tunc ait illis, Reddite ergo quae ſunt Caeſaris Caeſari, &c.* Numiſmata igitur illa cenſus, parte altera prae ſe tuliſſe Caeſaris vultum ſeu imaginem, qualis in Caeſarum nummis haberi ſolet, eamque prominentiorem, neutiquam dubitandum. Et ridiculum eſt quod ſomniant aliqui de Caeſaris imagine in ſiclis Judaeorum honoris cauſa hic inciſa. Certe jus cudendae monetae etiam tunc Ebraeis inter privilegia alia eximia manſiſſe, uti & ante indultum ſcimus ſub Antiocho Demetrii filio Syriae rege (nam in diplomate [x] ejus Simoni Pontifici dato legitur. *Καὶ ἐπέτρεψά σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σου, Et permitto* ſeu *concedo tibi cudere propria nota monetam regioni tuæ,* ſeu, ut vulgata, *& permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua)* jus, inquam, illud tunc Ebraeis manſiſſe non immerito exiſtimant viri docti [y], nec ante excidium ſub Veſpaſiano ſublatum. Suis autem in officinis monetariis, ſuoque juſſu, Caeſaris imaginem ſiclis ſuis adpoſitam aſſerere, nihil aliud eſt quam eos id feciſſe affirmare quod non ſolum a moribus eorum publicis, rebus in hujuſmodi, pertinaciſſime retineri ſolitis immane quantum diſſidet, ſed etiam omnimoda veterum fide caret. Multo minus eſt rationi conſonum imaginem Caeſaream à Romanis adpoſitam fuiſſe ſiclis ſeu numiſmati alicui Ebraico quod cenſui inſerviret. Numiſma igitur cenſus a Romanis cuſum eſt, atque autoritate Caeſarea, Caeſariſque imagine inſignitum, eaque juxta cudendi modum protuberantiori; qualis hic viſitur Tiberii Caeſaris; cujus probabilius videtur fuiſſe numiſma illud, tametſi etiam deceſſorum Caeſarum alicujus eſſe potuerit.



Sed ea de re, ac de nomine & qualitate numiſmatis hujus plura libro ſexto, ubi de imperio Judaeorum a Romanis imminuto, ac tributo inducto, agitur, id eſt, de jure his ac illis ſub id tempus interveniente. Quemadmodum autem numiſmata ejuſmodi Ebraeis ex ſuis moribus ac jure apud ipſos uſitato cudere nefas erat, ita cuſis uti juxta jam ante narrata omnino fas. Atque hic ſane ex evangeliis nummo icone Caeſaris inſignito uti frui licuiſſe, obſcurum non eſt. Quod enim אסור להנאה *uſibus communibus interdictum* eſt (qua loquendi formula denotare id quod cultus extranei cauſa aut imaginis damnatae nomine aliiſque aliquot rationibus communi arcebatur uſu, eis paſſim eſt ſolenne) id nec praeſtitum tributi debitione quempiam rite ſolvere potuit, neque ex ritu patrio omnino retinendum aut in bonis habendum erat, ſed in mare, ut diximus, ſi aliter ex hominum uſu eximi nequibat, abjiciendum. Nec ſcrupulum injiciat quis, invicem adverſa nimis haec videri; ne quidem apud ſigna Caeſaris hujus imagines (quales ferme in ipſis numiſmatis) conſpici in ſuo ullibi eos toleraſſe, ut memoratum eſt, in numiſmatis vero, uſu quotidiano, ſaltem aliquo qui licitus undiquaque habitus, Hieroſolymis paſſimque alibi admiſiſſe. Diſcriminis ratio manifeſta eſt. Prioris generis imagines aut conſecratas eſſe merito ſive credebant, ſive dubitabant, aut conſecratarum, adeoque numinis, loco ab adulantibus habitas: unde & ſummopere arcendas, velut idola decernebant. Secundi vero generis, ſeu numiſmatum, iconas Caeſareas, ſive Tiberii ſive deceſſorum ſucceſſorumve, tam certum eſt neutiquam conſecratas eſſe aut numinis loco habitas, quam ſic habitas eſſe in templis ſeu apud ſigna omnino ullas. Idque proculdubio ſatis ipſi ſciverunt. Etenim cuſa ſunt numiſmata, id eſt Caeſarum figuris ornata, nulla religionis ſpecie aut umbra, ſed ideo tantum ut, recognita ex imagine civili eorum majeſtate, promiſcuis commerciorum, donationum, ſolutionum uſibus inſervirent: adeo ut plane in poſſidentium eſſent, uti hodieque principum nummi, bonis. Et tametſi reverentia quidem civilis etiam Caeſarum figuris in numiſmatis eorum exhibenda erat, divini nihilominus aliquid eis, velut rebus ibi conſecratis, tribui nullibi compertum eſt. Occurrit quidem, impietatis quendam damnatum eſſe apud Aſpendios, quia [z] ſuum verberabat ſervum drachmam Tiberii imagine ſignatam ferentem; nec Romae impune nummo vel annulo Auguſti effigiem [a] impreſſam latrinae aut lupanari quempiam intuliſſe, aut Tiberii imaginem [b] ejuſmodi matellae ſeu obſcoenis admoviſſe. Sed ex ridiculis hiſce adulantium

[r] Haloſ. l. 1. c 21. & Orig. l. 17. c. 8. [s] 1 Samuel. vi. 4. [t] Originum lib. 6. cap 1. & 2. [v] D. Matth. xxii. 17. Mar. xii. 14. Luc xx. 22. [x] 1 Maccab. xv. 6. [y] Marquard. Freherus diſſert. de Numiſmate cenſus. Gaſp. Waſerus de antiquis nummis Ebraeorum, lib. 2. cap. 4. [z] Philoſtratus de vita Apollonii, lib. 1. cap. 11. [a] Sueton. in Tiberio c. 58. [b] Seneca de Beneficiis, lib. 3. cap. 26. Coel. Rhodiginus, lib. 16. cap. 20.

ineptiis

ineptiis non omnino elicitur, vel ipſis, nedum ex jure communi, imagines hujuſmodi pro conſecratis habitas. Honor ille imaginibus hiſce plane civilis, qui & vultus aeternales & vultus divini inclinante imperio dici ſoliti, ſed citra ullam conſecrationis in nummis rationem. Nam ſi pro conſecratis ſeu rebus juris divini habitae eſſent, commercio plane exuti fuiſſent, id eſt ſua natura prorſus privati, nummi. Scilicet Juſtiniani illud [c] eſt ex jure Romanorum [d] veteri; *Nullius ſunt res ſacrae, & religioſae, & ſanctae. Quod enim divini juris eſt, id nullius in bonis eſt*, ſeu ἀδέσποτον eſt, id eſt *domino caret*, ut Theophilus anteceſſor. Quod & in chriſtianiſmo obtinere volunt juriſconſulti [e] & Caeſarei & Pontificii, exceptionibus aliquot circa opera hac in re charitatis neceſſaria adhibitis. Atqui & ſacrantur in chriſtianiſmo cruces, aliaque aliquot, quae tamen ipſa, uti nec Chriſti aut ſanctorum ſimulacra numiſmatis expreſſa, pro dedicatis nemo, puto, ſumit aut ſuſpicatur. Et licet qui ſtatuas aut imagines imperatoris jam conſecratas conflaverint, aliudve quid ſimile admiſerint, lege Julia majeſtatis [f] tenerentur, nihilominus reſcripſere Severus & Antoninus, *Non videri* [g] *contra majeſtatem fieri ob imagines Caeſaris nondum conſecratas venditas.* Conſecratae ejuſmodi imagines ſimpliciter per ſe ſumptae, ut & aliorum numinum ſimulacra, ex jure Romano hominum commerciis & uſu promiſcuo eximebantur, nec ullius erant in bonis, antequam reſecratae, ſeu profanae factae, ut phraſis erat juriſconſultis [h] Caeſareis. Ut aedibus autem hortiſve appendices, non illicite cum illis ſimul vendebantur, ita velut in bonis habitae; quemadmodum & ex jure pontificio [i] res ſacrae & religioſae tranſeunt cum univerſitate, ſi univerſitas in profanis conſiſtit. Sic Tiberius conſulibus, de Falanio accuſato quod venditis hortis ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet, *Nec contra*, inquit [k], *religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia numinum ſimulacra, venditionibus hortorum & domuum accedant.* Id interea certum eſt, tum lares ſeu deos domeſticos oppignorari vendique ſolere, tum publicos deos in haſtario vectigales habitos. *Si capitolium*, inquit Tertullianus [l], *ſi olitorium forum petitur, ſub eadem voce praeconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione quaeſtoris, divinitas addicta conducitur.* Sed venditionibus hujuſmodi praeceſſit ſive expreſſa ac apertior ſive obſcurior vendentis reſecratio, quam nova conſecratione rite peracta reſcindere emptori pro arbitrio licuit, uti pariter & communibus quorumlibet uſibus imaginem addicere. Nam citra reſecrationem, ſeu niſi profana redderetur divinitas illa ſeu imago, nullius in bonis, adeoque nec contractus materies, omnino per ſe fuiſſet. Et ſacra ſcimus, ex jure Romano [m], fieri potuiſſe profana, non minus atque uſibus publicis relicta in privatos uſus reverti, & ex libero ſervum fieri; illis ſcilicet formulis ac ritibus qui in uſu adhibitis. Ita ſe res habuit de Caeſaris imaginibus ſacratis, quas reſecrare ſeu uſibus communibus addicere nemini tutum. Quae autem in numiſmatis habitae ſunt, religione omnino liberae: earum uſus adeo communis ut nihil ſupra. Unde tam libenter a Judaeis hae admiſſae, quam ſacratae, aut quas ſacrari ſive credebant ſive ſuſpicabantur, inviſae. Id quod pariter dicendum de nummis quibus inſcripta vocabula quae etiam conſecrationem imitari viderentur: veluti quales olim Tarraconenſium, qui deo Auguſto prae ſe ferebant, ejuſmodi alii. Neque enim id ſeu ejuſmodi vocabula alia imagini adjecta eam conſecrarunt, ſed alibi conſecratam denotabant. Quod ſatis ſcimus de Auguſto Julioque [n], quorum utrique etiam in nummis *Divi* nominis adjectio frequentiſſima. Quin vocabula ejuſmodi, citra pontificum ritus, conſecrationem neutiquam ex jure Romano efficiebant. Nam ex eo quod dixerat, juxta morem veterum, Marcianus [o], *Sacrae res ſunt hae quae publice conſecratae ſunt, non private*, fecit Juſtinianus [p], *Sacrae res* ſunt *quae rite per pontificem Deo conſecratae ſunt.* Nec majeſtatis erat ſed falſi crimen, adeoque ad legem Corneliam de falſis referri ſolebat [q], nummos Caeſarum adulterare, lavare, conflare, radere, vitiare. Quod vero, qui conflaret pecunias vel mercandi cauſa transferret, ei ſacrilegii ſententiam ſubeundam & capite plectendum legitur [r], id non omnino ad conſecrationem aliquam Caeſarearum in numiſmate imaginum ſpectabat: ſed exinde locutionis illa formula manavit quod ſacrilegii crimen non raro uſurpabatur pro eo quod ſimpliciter erat conſtitutionum qualiumcunque imperatoriarum violatio ſeu praeceptorum Caeſaris neglectus. Id quod ex codice utroque [s] liquet. Nam ut *obſequia ſacra, largitiones ſacrae, ſacratiſſimus imperator, ſacra* item equi ejus [t] *lupata*, complura id genus alia, imperio inclinante dici ſolebant citra ullam conſecrationis qualem tractamus rationem (quae ante frequentior, tunc vetita [v] eſt) & tantummodo ut ſingularis, ſed eminentiſſima, civilis majeſtatis, qua civilis, deſignatio haberetur; ita etiam *ſacrilegii* crimen, imperatoriae conſtitutionis violatio etiam tunc dicta. Neque exiſtimandum eſt numiſmatis, praeter ſua, tantummodo Romanis ſeu imagine inſignitis Caeſarea uſos fuiſſe Judaeos, verum etiam & aliis, veluti Antonii, Agrippae, provinciarum, victoriae, figuris decoratis, uti etiam nummis aliorum populorum [x], quicunque ſive humana alia imagine, ut Alexandri, Philippi, Lyſimachi regum, atque id genus reliquorum, ſive Deorum, veluti Herculis, Apollinis, Minervae, vultibus monetam ſuam cudentes commercia aliqua cum Judaeis haberent. Tametſi interea imagines ejuſmodi facere ipſi ſibi haberent, ut oſtenſum eſt, Judaei nefas. Qui aliter fieri potuit ut *aurum Judaeorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus provinciis Hieroſolymam exportari ſoleret*, quod ait Cicero [y]? De annua dimidii ſicli [z] in

[c] Inſtit. de rer. diviſione § nullius. [d] Gaius Inſtit. tit. 9. & D. de diviſ. rer. lib. 1. & Martianus. ib. l. 6. § 2. [e] Guilelm. Redoanus lib. de rebus eccl. non alienandis Rubric. 6, &c. [f] L. 6. D. tit. ad leg. Juliam majeſtatis. [g] Lib. 5. ibid. [h] Paulus l. 83. D. tit. de verb. obligat. § 5. [i] Dd. ad c. 7. ex literis, tit. de Jure patronatus, incertus autor de diverſis contract. in tractat. juriſc. tom. 7. fol. 70. § 2. [k] Tacitus Annal. 1. [l] Apologetic. cap. 13. [m] Paulus l. 83 D tit. de verb. obligationibus § 5. [n] Anton. Auguſtin. Antiq. Rom. & Hiſpan. dialog. 2. Occo, &c. videſis If. Caſaub. in Ancyranum Marmor. [o] D. tit. de rerum diviſ. l. 6. §. 3. [p] Inſtit. eod. tit. § 8. [q] Paulus Sent. 5. tit. 25. lib. 8. D tit. de lege Cornel. de falſis. & vide C. Theodoſ. lib 9. tit. 21. l. 6. Cujac. obſervat. 19 cap. 25. [r] C. Theodoſ. lib. 9. tit. 23. lib. 1. [s] L. 1. C. tit. ut dignitatum ordo ſervetur, tit. de crimine ſacrilegii l. 3, & 4. C. Theod. lib. 11. tit. 30. l. 6. [t] Claudian. Epig. de equo Honorii. [v] C. Theodoſ. lib. 15. tit. 4. & lib. 2. C. tit. de ſtatuis & imaginibus. [x] Videſis If. Caſaubon. exercit. 16. § 6. ad Annales Eccleſiaſtic. [y] Orat. pro Flacco. [z] Exod. xxx. 12.

ſacri-

ſacrificiorum publicorum ſumptus praeſtatione loquitur. Aurum illud, id eſt haud exigua nummorum vis, ex Europa, Africa, Aſia, Hieroſolymam quotannis a Judaeis, quotquot aetatis viginti annorum [a], verno tempore miſſum eſt, ibique receptum inque ſacra publica impenſum. In hac autem auri vi quiſquamne dubitat fuiſſe etiam monetam fere omnigenam; veluti Graecam, Romanam, Arabicam, AEgyptiam, Perſicam, & ſi quae alia a gentibus quibuſcum agebant Judaei diſperſi cuſa? Certe gentium illarum nummis uſos eſſe Judaeos diſperſos, ut hodieque, velut ſibi omnino licitis palam eſt. Ideoque aurum illud Hieroſolymam miſſum, maſſam fuiſſe non ſignatam ſeu non ſine incommodo ingenti quotannis conflatam recuſamque Hieroſolymis, autumandum non eſt; ſed ſingulares fuiſſe provinciarum ac regionum, in quibus Judaeis ſedes fuere, monetae ſpecies quae ſiclis illis dimidiis menſuratae in ſacros uſus penſitabantur. Id quod facile, puto, concedent, qui numiſmata oſtentant bina, velut ex argenteis illis triginta quibus ut moneta ibi tunc in uſu promiſcua, divenditus eſt a Juda proditore Jeſus Chriſtus. Alterum viſitur Romae in aede S. Crucis in Hieruſalem, alterum Pariſiis in aede S. Joannis Lateranenſis. Horum meminere Janſenius [b], Caeſar Baronius, alii mox citati. Et Baronius [c] expreſſim; *Nos ſic affirmamus, nummos illos argenteos eo modo ſignatos, qui Romae atque Pariſiis vel alio loco habentur, ex illis eſſe qui a principibus ſacerdotum numerati ſunt Judae; ut tamen non triginta tantum ex illis fuerint numerati; ſed quod illius monetae argenti ſignati certam ſummam, quam dicemus, Judas acceperit.* Et Octavius Pancirollus, ubi de eccleſia S. Crucis in Hieruſalem agit [d], *Sono,* inquit, *anche in queſta chieſa due ſpine, delle quali fu coronato il ſignore, & uno de quei* 30 *denari co' quali fu da Giuda venduto, che veriſimilmente gli furno donate da S. Helena.* Mei non hic eſt numiſmatis illis fidem aut praeſtare aut minuere. Romani autem figuram, qualem apud Antonium Au-



guſtinum epiſcopum Tarraconenſem Italice Romae editum [e] reperio, ibi ejuſdem juſſu cuſam adpono: haud parum ſane ab ea quae pro eadem ipſa verſioni Andreae Schotti Latinae [f] ſubjungitur diſcrepantem. Sed veterum Rhodiorum palam numiſma hoc eſt, non Judaeorum, uti etiam diſerte fatetur Auguſtinus ille, ac qui de eo agunt alii. Nimirum quod altera parte inſcribitur, ΡΟΔΙΩΝ eſt (juxta morem veterem ο pro ω ſcribendi) ſeu *Rhodiorum*, id eſt, Rhodi urbis ſeu inſulae incolarum; unde & *Rhodium* & *Rhodienſe* ſcriptoribus [g] dici ſolet. Flos ſubjunctus aut roſa habetur aut heliotropium. Facies in parte altera pro ſolis Phoebive ſeu coloſſi Rhodienſis ſumitur capite, quod tam radiatum eſt quam admodum capillatum. Neque ex conjectura tantum pendet, Rhodium eſſe numiſma illud. Scimus enim tum ſolennem inſulae ac ſolis, in ſcriptis veterum [h], conjunctionem, tum *Rhodi* nomen a roſis, quae Graece ῥόδα ſunt, veteribus deductum. Atque accedit, nummos ſimili figura utrinque inſignitos haberi inter Rhodiorum nummos qui ab Huberto Goltzio cum Graecarum civitatum ac inſularum aliarum nummis ſumma cum diligentia typis [i] eduntur: uti & alios ab Antonio Piſone [k], aliis. Ejuſdem plane generis videtur alterum illud quod Pariſiis vitro tectum aſſervatur; de quo Guilielmus Budaeus [l], *Scio hodie in aede D. Joannis Lateranenſis Pariſiis oſtendi argenteum unum qui ex illis triginta eſſe dictitatur quos Judas in templum abjecit, characterem diverſum a denario Romano habentem. Habet enim effigiem hominis non luſcam, eminente altera mala, ut Romana numiſmata viſuntur, ſed adverſam & integram, & a tergo floſculum, utrinque nullo indice.* De his conſule item, ſi placet, Marquardum Freherum, & Gaſparum Waſerum, hunc in libro ſecundo de antiquis Ebraeorum nummis, illum in eruditiſſima ac graviſſima illa de numiſmate cenſus a Phariſaeis in quaeſtionem vocato diſſertatione. Etiam in curta mea ſupellectili



id genus antiquaria numiſmata argentea habentur aliquot Rhodia, eaque plane genuina, quorum ſingulis pondus didrachmo proximans. Figura binorum, quae reliquorum ſunt inſtar, hujuſmodi eſt, gentem literis indicans. Nec aliud eſt omnino a Romano illo alterum. Quidnam vero in alterius, cujus caput nec radiatum eſt ſed tantum capillatum, parte averſa lineolae illae crucem imitantes & litera E denotent, aliis judicandum relinquo. Sed ſolis in utroque facies admodum ſane protuberat. Nec quidem pauca id genus ex oriente ſolent adferri. In dialogis autem Antonius Auguſtinus, *B. Poſſetne fieri Judae proditori vario nummorum genere ſatiſfactum eſſe, & in his etiam Rhodienſi nummo? A. Equidem non inficior. Vero tamen ſimile magis eſt, ſiclos illi perſolutos eſſe.* Quin in mutuis apud ipſos commerciis ac praeſtationibus, nummis exterorum utcunque imaginibus ſive hominum ſive Deorum ſignatis promiſcue uti ſolitos Judaeos, ſatis etiam videtur eliciendum ex eo quod drachmae, ſtateres, denarii, alii id genus nummi, qui plane exteri fuere, pro ſiclis ſeu eorum menſura in utroque foedere ac libris Talmudicis toties ſubſtituuntur. Sed & res ipſa adeo

[a] Miſn. & Gemar. utraque tit. *Siklim* cap. 1, 2, &c. & Maimon. eod. tit. *Moſes Mikotzi* praecept. affirm. 45. [b] In Concord. Evangel. cap. 128. [c] Annal. tom. 1. ann. Chr. 24. [d] Teſori naſcoſti dell' alma citta di Roma; Romae 1625. pag. 151. [e] Dialog. de Numiſm. 2. [f] In Tab. Numiſm. 68. [g] Ibidem & Steph. Vinandus Pighius in Hercule Prodicio, pag 367. [h] Videſis Pindar. Olymp. 7. & ibid. Scholiaſten, & Ludovic. Nonnium ad Hub. Goltzii Numiſm. Graeca. [i] In Numm. Inſul. tab. 23. [k] Diſcours ſur les Medailles cap. 8. [l] De Aſſe, lib. 5.

quod volumus postulat, ut dum probare nitimur soli facem accendere videamur. Ideo autem libentius hoc facimus, quoniam non desunt viri docti qui *eo gravius fuisse* scribant *Judaeis tributum Romanis* praestitisse, *quod* [m] *ultra dispendium argenti, Caesaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque adeo illi afferre cogerentur*; *cum memores ipsi divinae legis omne sculptile omnemque imaginem detestarentur.* Quod quam Talmudicae de promiscuo imaginum qualiumcunque nec cultarum nec in cultum factarum usu doctrinae, ipsisque Ebraeorum moribus, adversum sit, ex jam ostensis fit manifestum. Et ut perquam consonum huc spectat illud quod habent de christianorum principum nummis [n], מטבעות שלנו שיש בהן צורת עבודה זרה שתי וערב שרו *Numismata quibus utimur figuris cultus extranei staminis & subtegminis insignitis, illicita non sunt. Staminis* & *subtegminis* nominibus, eo quod ex illis in textura passim cruces fiunt, velut per opprobrium joculare, christianos vocitant linguae petulantioris Judaei. At distinctionem superius e Talmudicis allatam de statuis, figuris prominentibus, & in plano depictis, insuper habuisse aut non agnovisse videtur Origenes dum tam pictores quam statuarios apud gentem illam non admissos scribit. Apud illos, inquit [o], οὐδεὶς τῶν εἰκόνας ποιούντων ἐπολιτεύετο. οὔτε γὰρ ζωγράφος οὔτ᾽ ἀγαλματοποιὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν ἦν, ἐκβάλλοντος πάντας τοὺς τοιούτους ἀπ᾽ αὐτῆς τοῦ νόμου· ἵνα μηδεμία πρόφασις ᾖ τῆς τῶν ἀγαλμάτων κατασκευῆς τοὺς ἀνοήτους τῶν ἀνθρώπων ἐπισπωμένης καὶ καθελκούσης ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς γῆν τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς, *Nemo qui imagines faceret locum habuit. Nam in eorum civitatem nullus admittebatur pictor, nullus statuarius, lege totum hoc genus arcente, ne qua occasio per statuarum formationem praeberetur hominibus crassis, animarum suarum oculos a Deo O. M. ad tellurem avocandi retrahendique.* Et Tertullianus disputans de Mose & Elia ab apostolis agnitis, *Nec enim*, ait [p], *imagines eorum vel statuas populus habuisset & similitudines, lege prohibente.* Sed cum supra ostensum sit animalium aliorum praeter hominem figuras arte etiam sculptoria fingere eos fas sibi habuisse (modo superstitiosiores aliquot semper excipias) etiam & humanas in plano depingere, non est quod ita credamus artifices rerum hujusmodi eis ex instituto unquam defuisse. Certe Salomonis tempore non defuisse scimus: nec tempore tabernaculi structurae, templique, sive a Judaeis Babylone reducibus, seu Zorobabeliani, sive ab Herode magno instaurati. Nam in velis florumque in eis elegantia ac sacris aliis figuris adornandis [q] artificum hujusmodi operam nemo non videt adeo necessariam ut nihil supra. Et undenam etiam cedo absque illis vitis illa aurea [r] quam Pompeio in Coelesyria agenti dono misit Aristobulus princeps de regno Judaico cum Hyrcano fratre contendens? Id quod cimelium erat domus Hassamonaeorum, ut recte eam vocat Josephus Scaliger [s]. Scilicet inscripta est nomine Alexandri Jannaei regis Hassamonaei, Aristobuli patris; ut apud Flavium Josephum Strabo; cui εἴτε ἄμπελος εἴτε κῆπος ob ingentem magnitudinem dicitur, id est, *sive vitis, sive hortus.* Quingentorum quidem talentorum fuisse asseritur apud Josephum & Zonaram [t]. Neque aliunde acceptam vitem hanc auream alicubi docemur. Nec desunt viri docti qui pomorum omnis generis ac animalium item figuris insuper ornatum esse hortum illum existiment. Etenim ubi ex ipsis Pompeii triumphi Asiatici actis memoratur apud Plinium [v] *Mons aureus quadratus, cum cervis & leonibus & pomis omnis generis, circumlata vite aurea*; locum illum trahit Justus Lipsius [x] ad hanc ipsam nobilem vitem. Et Plinii verbis, inquit, *apposite observa, vitem hanc non simplicem fuisse, sed monti aureo implexam, totumque opus in formam horti flexum. Ideo in Strabonis verbis apud Josephum,* εἴτε ἄμπελος εἴτε κῆπος. Jovi Capitolino Romae sacra mansit sive vitis sive hortus hic. Haud sane minor hujusmodi artificum operae usus in aurea illa vite altera super portam templi Herodiani; de qua item Josephus [y] *Habebat*, inquit ille, *porta illa* χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς ἀμπέλους, ἀφ᾽ ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο, *aureas super se vites* (sic in originibus; sed altero in loco singulariter id pronunciatur) *unde racemi homini longitudine non dispares pendebant.* Etiam sine artificibus hujusmodi undenam folia, uvae, ac racemi aurei ex hac vite suspendi a voventibus soliti? Sic enim de ea Talmudici [z]; גפן של זהב היתה עומדת על פתחו של היכל ומודלה על גבי כלונסות כל מי שהוא מתנדב עלה או גרגיר או אשכל מביא ותולה בה: *Vitis aurea expandebatur super portam templi, erigebaturque super canterios* seu *transtra. Quicunque vovebat sive folium sive uvam sive botrum adducebat ea, suspendebatque ex hac vite.* Quod scilicet nolunt intelligi de foliis ipsis seu uvis racemisve naturalibus, sed de pampinis, uvis ac racemis ex auro artificiose confectis. Magistri ibi [a]; כל מי שהוא מתנדב זהב להיכל ורוצה שהזהב עצמו שהתנדב יתנוהו בהיכל לפי שהיה כלו מצופה זהב היה עושה מאותו זהב שמתנדב כדמות גרגיר או עלה או אשכל ותולה בה: *Quisquis aurum sponte oblaturus templo volebat ut ipsum quod offerret aurum templum, quod totum erat auro obductum, ornaret, facere consuevit ex ipso auro quod oblaturus erat effigiem sive uvae sive folii aut palmitis sive racemi, eamque ex vite illa suspendere.* Seu, ut in eundem sensum vir praestantissimus Constantinus L' Empereur [b], *Si quis considerans aurum quo templum ornatum erat, voveret aurum, nec vellet permutari a sacerdotibus, sive alia ejus pretio in templi ornamenta aliosve usus comparari, is ex auro confecit pampinum sive folium vitis, aut acinum, vel denique racemum sive botrum, quae postea de vite illa suspenderet.* Causam vitis hujus in eo ponunt לפי שכנסת ישראל נמשלה לגפן *quoniam synagoga Israelitarum,* seu *eorum ecclesia, viti assimilatur,* toties scilicet in foedere [c] veteri. Atque rejicienda plane est J. Baptistae Villalpandi sententia, ubi [d] vitem hanc templi Herodiani

[m] Gasp. Waserus de Antiq. Hebr. nummis, lib. 2. cap. 20. & tantundem fere Marq. Freher. dissert. de Numismate census. Sed vide J. de Pineda de rebus Salomonis lib. 7. cap. 15. § 7. [n] *Thosphoth* & *Pesquim* ad cap. 3. tit. *Aboda Zara.* [o] Contra Celsum lib. 4. [p] Advers. Marcionem, lib. 4. cap. 22. [q] Vide Josephum Orig. lib. 15. cap. 14. & Halos. lib. 6. cap. 6. Lat. 14. Graec. [r] Joseph. Origin. lib. 14. cap. 5. unde *Zonaras* tom. 1. [s] Elench. Trihaeres. Nic. Serrarii cap. 5. [t] Tom. 1. [v] Hist. Nat. lib. 37. cap. 2. [x] Electorum, lib. 2. cap. 5. [y] Origin. lib. 15. cap. 14. & Halos. lib. 6. cap. 6. Lat. 14 Graec. [z] Misna tit. *Middoth* cap. 3. § 8. [a] R. Obadias Bartenorius, Maimonides, alii. [b] Ad tit. *Middoth.* cap. 3. pag. 133. [c] Psal. lxxx. 8. Ose. x. 1, &c. [d] Explan. in. Ezech. tom. 2. part. 2. lib. 5. disp. 4. cap. 71.

foribus visendam ex filo aureo aulaeis intexto, non ex auro solido, confectam esse pertendit. Si magistris credas dum *vitem ex auro* nuncupant, nec aulaeo alicui seu velo miscent, sed transtris seu canteriis suffultam aiunt, & suspensa ex ea donaria aurea, quae diximus, memorant, non erit omnino quod de aureo filo aulaeis intexto jam dictum admittas. Sed manifestum est, hallucinatum esse Villalpandum ex depravata nimis Flavii Josephi versione Latina. Sic enim ille, velut ex Josepho [e]; *Janua pene ipsi templo par & superliminare aulaeis variegatis ornabatur, floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botryonibus. Mirandum sane opus tam manus quam materiae pretio.* Quae verba sunt ipsissima versionis Gelenianae. Hinc Villalpandus, *Ecce*, inquit, *omnem auri gloriam intertextam cum columnis & vite; unde quod auream dixit Josephus, putandum non est illam fuisse ex auro solido factam, sed ex filo aureo aulaeis intexto.* Certe si sub intextarum columnarum capitibus expandebatur vitis, (ut vult haec versio) aequum est ut & ipsam in aulaeis seu velis locum habuisse existimemus. Sed res alia omnino erat, alia Josephi verba & mens. Etenim post mentionem illam forium, aulaeorum, & florum columnarumque intextarum, Josephi Graeca sunt, *καθύπερθεν δ' αὐτῶν ὑπὸ τοῖς τελχώμασι* (lego *θελγκώμασι*) *ἄμπελος διέτατο χρυσῆ*, &c. pro quo apud Ruffinum substituitur, *super quarum capita vitis tendebatur.* Sed plane reddendum, *Supra haec autem* (id est, in fronte supra fores) *sub muri coronulis vitis aurea distendebatur.* Quod ad amussim eis quae Josephus ea de re alibi [f] habet quadrat. Adeo ut vitis haec, seu opus illud, sive pretium sive artem spectes, mirandum, ex solido constaret auro, & artifices quales negavit Judaeis Origenes satis fateatur. Mille talentorum auri fuisse ait Pseudogorionides, quem hoc nomine, utcunque scriptorem satis futilem, immerito nimis ac temere Villalpandus mendacii incusat ideo quod ita solidam fecit. Sane & Talmudici [g], נמנו עליה ג׳ מאות כהנים לפנותה *Numerabantur trecenti sacerdotes qui in ea dimovenda sunt occupati.* Quod quidem per hyperbolen, ut expressim hic aiunt magistri, dictum, pondus ejus ingens fuisse palam evincit, nec pictam etiam aut intextam, sed fusoris sculptorisque opera atque instar vitis illius Pompeio donatae confectam: cujus generis vitium aurearum alibi in oriente usus. Nam & Persarum regum ejusmodi cimelia memorant scriptores; Athenaeus [h], Herodotus [i], Plutarchus [k], Plinius [l]. Jam dicta vitis illa fuit de qua Tacitus [m]; *Vitis aurea templo* Hierosolymitano *reperta.* De hac nunc consulas, si vis, scriptores, praeter citatos, christianos, qui templi fabricam libris integris ostendunt, ut Franciscum Riberam [n], id genus alios; item Isaacum Casaubonum in exercitationibus [o] Baronianis. Monere autem hic obiter liceat de recepta nuper in L. Flori editiones aliquot emendatione Lipsiana, ubi de Hierosolymis loquitur a Pompeio expugnatis. Verba sunt [p]; *Hierosolymam defendere tentavere Judaei. Verum hanc quoque intravit, & vidit illud grande impiae gentis arcanum patens sub aureo uti coelo.* Ad quae Justus Lipsius [q]; *Quae istaec*, inquit, *comparatio patentis arcani cum aureo coelo? Inepta & nulli rei. Quin, si attendis, fatebere vere nos & cum historiae momento emendasse*, sub aureo vitem coelo. *Ita scilicet res est. Vitis aurea magnae artis & pretii in Judaeorum templo fuit, quam Pompeius illic sive repperit, ut Florus & Tacitus volunt, sive oblatam ab Aristobulo recepit, ut Josephus & Zonaras narrant. In hanc vitem ludit & dentem stringit nunc Florus: &, En, inquit, hoc illud secretum & grande arcanum quod templi sui adytis Judaei celant & colunt.* Subjungit dein quae Josephus & Zonaras de vite illa Pompeio data habent, atque conjecturam de emendatione sibi inde palam firmare visus est. Flori editiones nuperrimae aliquot [r] hinc juxta Lipsium emendantur. Et nuperus politae quidem eruditionis editor Joannes Freinshemius, *Nihil certius*, inquit, *hac conjectura Lipsiana.* Sed interea, tantorum virorum pace, undenam τῷ *vitem* hic locus esse potest ullus? nisi absurdissimi prochronismi rerumque inprimis disjungendarum confusionis ridiculae reum peragamus Florum. Quod enim de Aristobuli donario affert Lipsius, ad rem plane non spectat. Nemo veterum dixit vitem illam ab Aristobulo donatam unquam in templo fuisse, seu structurae ejus partem aliquam. Regium domus Hassamonaeae id cimelium erat, nec omnino sacrum, antequam Jovi Capitolino postmodum Romae offerebatur. Neque illud Taciti de vite in templo reperta ad tempora ullatenus attinet Pompeiana, sed ad posteriora multo seu Caesarum tempora. Nec sane ad Pompeiana attinere potuit. Nam ante Herodis structuram nulla in templi fabrica vitis ejusmodi mentio. Vitem sive Salomonicum sive Zorobabelianum habuisse quis veterum docuit? Satis quidem negant, dum in structuris Herode prioribus accuratius describendis eam nullibi, in Herodiana autem structura velut singulare memorant. Adeo ut si etiam vitem templi fronti sic affixam per grande illud gentis arcanum significari vellet Florus, certe id quod multis postea natum est annis in Pompeianam expugnationem prochronismo & rerum confusione neutiquam toleranda eum retro trahere necesse est affirmemus. Nam Hierosolyma capta, & ingens illud arcanum a Pompeio visum, annis amplius viginti ante Herodis initia. Et quorsum cedo vitem sive Aristobuli sive templi Herodiani ingens vocaret ille arcanum? Quisquamne sive donarium illud ante templum expugnatum a Pompeio publica legatione acceptum, sive prominentem in templi fronte atque oculis cunctorum transeuntium mirum in modum splendentem vitem, ingens nuncuparet arcanum, velut tunc primo patens? Ego sane pristinam lectionem, a qua etiam stant codices MSS. tantum, puto, non omnes (nam in unico legitur ibi *uti scoelo)* plane retinendam censeo. Id est, Pompeium vidisse *illud grande impiae gentis arcanum patens, sub aureo uti coelo.* Pro arcano hoc ingenti ipsum templum sumit Joannes

[e] Origin. lib. 15. cap. 14. [f] Halos. lib. 6. cap. 14. Gr. 6. Lat. [g] R. Eliezer Ben Zadoc in Misn. tit. *Middoth.* cap. 3. § 8. unde habet [illegible] *Sepher Juchasin.* fol. 27. b. [h] Deipnosoph. 7. & 12. [i] Lib. 7. [k] Lib. de Fortuna Alexandri. [l] Hist. Nat. lib. 33. cap. 10. [m] Hist. 5. [n] De Templi fabrica, lib. 1. cap. 30. [o] Exercit. 16. § 108. [p] Lib. 3. cap. 5. [q] Electorum, lib. 2. cap. 5. [r] Harderwici 1636. & Lugduni Batavorum 1638.

Camers.

Camers. Ego ſane pro ſacris in ipſo ſancto ſanctorum, in quod aditus pontificibus tantum licitus. Neque enim templum ipſum adeo arcanum ingens: Pompeium autem ſanctum etiam ſanctorum introiiſſe legimus apud Joſephum [r]. Arcanum hoc ingens merito vocat Florus; idemque jam a Pompeio viſum patuiſſe *ſub aureo coelo*, id eſt, ὑπὸ χρυσέῳ οἱονεὶ οὐρανῷ, *comme ſous un ciel d'or*. Seu, perinde ac ſi conſpectum oculis introgreſſi ſe ſplendide admodum ac magnifice exhibuiſſet ſub tentorio ſeu concameratione aurea coelum imitante, ſeu inſtar tentorii atriive aurei coeli nomine notiſſimi, quod ſummae dignitatis ac magnificentiae cauſa principibus ſupremis, maxime orientis, ut hodieque aliis, in uſu. Quo certe, juxta vulgi captum, nihil forte auguſtius potuit, comparatione, tametſi ironice, utenti, exprimi. Sic adyti rerumque in eo ſacrarum majeſtatem utcunque apparentem adumbrare voluit. Aureos autem coelos ſignificaſſe tentoria, atria, ſeu conclavia quibus principes orientis ſummi ſedentes populo, alias receſſibus obtecti, ſubinde patebant, ſcimus ex veterum non paucis. De eis diſerte ſatis Plutarchus [s], atque apud Athenaeum Phylarchus [t], quibus χρύσεοι dicuntur οὐρανίσκοι, ſeu *aurea auratave inſtar coelorum minorum tegumenta*; etiam quacunque ex materia facta, modo aurata ſeu auro magnificentius ornata. Neque enim tentoria ſolum, ſive ex pellibus auro pretioſis ſive ex filis intertextis, ſic dicta, ſed etiam atria ac conclavia auguſtiora in tholum ſurgentia, quibus e receſſibus ſecretioribus prodire principes ejuſmodi dignantes ſe exhibebant, & reſponſa velut oracula dabant. Heſychius de Perſis [v], τὰς βασιλείους σκηνὰς καὶ αὐλὰς, ὧν τὰ καλύμματα κυκλοτερῆ οὐρανοὺς, *Tentoria atque atria regia quorum tegumenta circularia coelos* vocant. Adeo ut, ſive comparationem ſpectes, ſive loci ſancti ſanctorum in templo Zorobabeliano (nam de eo templo tantum Pompeii facta narrantur) figuram, majeſtatem, velumque praetenſum, non eſt quin appoſite dixerit Florus *arcanum illud vidiſſe Pompeium patens ſub aureo uti coelo*. Et videſis etiam quae de οὐρανίσκοις illis ſeu *coelis minoribus* obſervavit vir praeſtantiſſimus Iſaacus Caſaubonus [x], ubi ex Polybio [y] recte monet coelum ejuſmodi dici σκηνὴν χρηματιστικὴν, *tentorium unde reſponſa* velut *oracula dabant reges orientis*. Scilicet Ptolemaei Evergetis regis coelum aureum, ſeu tentorium magnificum, appellatur Polybio ἐπιφανὴς καὶ χρηματιστικὴ σκηνὴ, *illuſtre ac oraculis* ſeu *reſponſis regiis dandis tentorium*. Certe & ſanctum ſanctorum דביר dictum, id eſt *oraculum*, nemo neſcit, ob reſponſa illic divinitus accepta; adeo ut etiam inde velut pro σκηνῇ χρηματιστικῇ, ſeu coelulo aut *tentorio* aureo *unde reſponſa acciperentur* divina, in dicta comparatione ſanctum ſanctorum ſumi forte vellet Florus. Quin & ſanctum ſanctorum σκηνὴν vocat autor epiſtolae [z] ad Ebraeos. Et tabernaculi Moſaici ſanctum ſanctorum, quod imitati ſunt templi conditores, diſerte dicitur Joſepho [a] τοῖς ἱερεῦσιν ἄβατον, ὡς οὐρανὸς ἂν εἴη τῷ Θεῷ, *Sacerdotibus etiam inacceſſum, perinde ac ſi coelum Deo fuiſſet*; quod Floro item inprimis conſonum. Sed in callem regredimur, id eſt, ad picturae & ſculpturae apud Judaeos uſum. Notat ipſe Joſephus [b] ſingulare, porticus templi οὔτε ζωογραφίας οὔτε γλυφίδος ἔργῳ *nec picturae nec ſculpturae artificio* ornatas. Ideo alibi in templo artium harum uſus. Recole etiam hic quae de omni coeli ratione in velo depicta ſupra occurrunt ex Joſepho. Picturam item inſigniter laudat Philo [c] Judaeus uti rem diſciplinae ſuae gentis per ſe ſatis conſonam. Mitto quod de Nicodemo principe illo ſeu magiſtro in Iſrael dicitur [d]; eum ſcilicet arte ſculptoria qua pollebat Chriſti imaginem ex ligno ad ſimilitudinem illam quam in linteamine impreſſerat Chriſtus efformaſſe. Ea de re fides ſit penes autores. In ſupellectili autem mea Rabbinica habeo equidem ipſe vetuſtum ſatis MS. codicem anonymi Ebraei, qui dum praecepta ordine ſuo Moſaica diligentiſſime, id eſt Talmudice, explicat, figuris animalium, veluti leonum, equorum, taurorum, aquilarum, neque adeo rudibus, paginas ornat, non ſine annotationibus pectori, tibiis, alis, ſubinde inſertis. Sed pro ſeculorum cauſarumque, dum idololatriam ſummopere cavebant, emergentium, maxime ſub Caeſaribus juxta ante dicta, diſcrimine, artificum qualium hic ratio habetur rarior interdum opera erat, nec ita in pretio habita; forte etiam nonnunquam, juxta Origenem, vetita. Chriſtianorum autem recentiorum obviae ſunt, ubi de imaginibus ſcribunt, de Judaeorum hac in re & uſu & legis ſacrae juxta eos interpretatione ſententiae, nimium interea Talmudicis, ut conſulenti liquebit, diſſonae. Vide ea de re, praeter alios qui perpetuos ad legem adjiciunt commentarios, aut de imaginibus ex profeſſo ſcribunt, J. Baptiſtam Villalpandum [e], & Joannem de Pineda [f]. Judaeorum autem recentiorum, qui ſtrictius quam ex veterum ſcitis neceſſe eſt imagines a ſe, idque pertinacius, arceri volunt, alii nullam ſive ſtatuam ſive imaginem humanam (praeter eam quae in nummis eſt) aedibus ſuis, ut multi Judaei Italicenſes, retinent; alii vero pictas tantum, ſed non protuberantes, nedum completas; ſeu ſtatuas aut effigies ejuſmodi decurtatas. Ita ſcilicet docet Ludovicus Mutinenſis, Archiſynagogus Venetus, de Judaeorum ſuorum ritibus agens: *Figure*, inquit [g], *ne imagini, ne ſtatue non tengono in caſa, e tanto meno nelle ſinagoge e luochi ſacri a loro, per quello che è detto nello Eſodo, cap.* 20. Non farai a te ſcoltura ne niuna imagine, &c. *& in molti altri luochi. Ma in Italia molti ſi fanno lecito tener ritratti e pitture in caſa, maſſime non eſſendo di relievo ne di corpo compito.* Nec diſtinguitur hic inter ipſam imaginis formationem & formatae, juxta jam oſtenſa, uſum, qui tam Talmudicis licitus quam illa illicita habita. Judaeorum autem ſuperſtitioſiores haud parum ſequuntur hic Mahumedani, qui dum imagines abhorrent [h] alias, Chriſtianorum nummos principum vultu ſignatos libentiſſime amplectuntur; quos tamen olim, eo quod imagines ejuſmodi prae ſe ferebant,

[r] Halos. lib. 1. cap 6. [s] In Phocione. [t] Deipnosoph. 12. [v] In verb. Οὐρανούς. [x] In Suetonii Neronem cap. 12. & Animadverſ in Athenaeum, lib. 5. cap. 6. [y] Hiſtoriar. lib. 5. [z] Cap. ix 3. [a] Originum, lib. 3. cap. 5 [b] Halos. lib. 6. cap. 14. gr. 6. lat. [c] Lib. de Somnus. [d] Legend. & videſis Alphonſ. Palaeotum, lib. de Stigmatibus Chriſti, cap. 1. [e] Apparat. urbis & templi, part. 2. lib. 2. diſp. 4. cap. 27. [f] De rebus Salomonis, lib. 7. cap. 15. [g] Hiſtoria de gli riti Hebraici, part. 1. cap. 2. [h] Septem-caſtr. de rebus Turcicis. cap. 10.

bant,

bant, summopere detestabantur. Nimirum ex eo quod in Alcorano toties damnatur imaginum cultus, nec earum usus admissus, Joannes Leunclavius [i]; *Causa, vel praetextus causae potius, cur Talismani, velut admodum religiosi & accurati Mahumetanae religionis observatores, usum nummorum veterum e medio tollendum censerent, explicationem minime difficilem habet. Quippe nota lex Mahumetis, qua statuas, simulacra, sculptas & pictas imagines ex interdicti divini praescripto severe prohibuit: notum, quanto zelo Musulmani christianorum in templis imagines mutilare, frangere, destruere soleant. Itaque quum Romanorum & Graecorum imperatorum imagines in nummis & aspris expressae conspicerentur, violari prophetae legem clamabant, & abolendae monetae veteris autores erant. Sed interim sub praetextu religionis impostores nequissimi quaestum faciebant, ut ipsimet Turcae satis ingenue fatentur. Hodie non amplius animos Turcarum illa religio tantopere tangit, ut signatos christianorum principum charactere nummos aversentur. Imo nummos sive ducatos Venetos, quibus vetitae lege Mahumetis impressae sunt imagines, Sultaninis suis, qui nihil habent legi contrarium, Arabicis duntaxat insignitis literis, longe praeferunt. Taleris autem Germanicis, praesertim quibus aut ipsius imperatoris, aut Ferdinandi archiducis, aut septemviri Saxonis insculpti sunt vultus, usque adeo non infesti sunt, ut ex illis ipsis sibi prohibitis agnitos imaginibus expetant avidissime.* Ita lucro atque avaritiae, ut fieri amat, cessit etiam superstitio summa. Et de imaginum aliarumque quas supra diximus rerum factura, usu, possessione, abolitione, qua scilicet proselytos domicilii seu Noachidas apud Israelitas degentes ex jure gentium interveniente, ipsosque simul ex jure civili, quod intervenientis subinde mensura erat, Israelitas spectarunt, hactenus.

CAP. IX.

De India in Judaicis apud Claudianum velis picta digressiuncula. Judaicae gentis splendor singularis & privilegia tempore Claudiani, seu sub Theodosio primo.

PRiusquam vero ad instituti caetera pergimus, liceat obiter hic dispicere utrum ex Ebraeorum de imaginibus disciplinae jam in superioribus traditae ratione elici queat Cl. Claudiani sensus, qui hactenus in obscuro nimis mansit, de India velis Judaicis picta. Invehitur ille [a] in Eutropium consulem in oriente factum, ideo maxime quod abjectissimus fuisset servorum & castratus. Rem incredibilem ait visam;

Atque aliquis gravior morum, si talibus, inquit,
Creditur, & nimiis turgent mendacia monstris;
Jam testudo volat, profert jam cornua vultur,
Prona petunt retro fluvii vada, Gadibus ortum
Armenii texere diem, jam frugibus aptum
AEquor, & assuetum sylvis delphina videbo;
Jam cochleis homines junctos, & quicquid inane
Nutrit Judaicis quae pingitur India velis.

Inane quod nutrit India Judaicis picta velis inter summa ponitur rerum monstra, seu prae aliis velut ipsum summum, nec in rerum natura exstare creditum. Vela hic non alia sumenda sunt proculdubio notione (neque enim id lectorum imparium gratia praemonendum non est) praeter eam qua velamina forium, parietum, recessuum, sacrariorum, cubicularia, atque id genus alia, veluti aulaea, siparia, tapetia, stragula, peristromata, denotantur. Servius [b] de velis hac notione; *Augustus, postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis quos adduxerat donavit ad officia theatralia: dedit etiam aulaea, id est velamina, in quibus depinxerat victorias suas, & quemadmodum Britanni ab eo donati eadem vela portarent*; *quae revera portare consueverant.* Alibi ipse [c], *aulaea vela picta* esse & *in aula Attali regis Asiae inventa*, scribit. Et Tertullianus [d]; *Sed & parietes Tyriis & hyacinthinis & illis regiis velis, quae vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* Atque hoc sensu in jure Caesareo [e] non semel (maxime in phrasi etiam illa notissima, quae in proverbium abiit, *Causam velo* [f] *levato cognoscere)* alibique apud scriptores alios occurrit. Nec quin horum in templis, aedibus, synagogis, tribunalibus varius esset, ut hodieque, usus, est quod dubitemus. India autem velis hic depicta non pro ipsa regione in eis velut in tabula geographice, nedum pro forma aliqua humana, qualis regionibus seu provinciis etiam dari solebat, capienda; sed pro qualicunque congerie sive textoris sive pictoris artificiosa animalium figuris perquam stupendis nec omnino creditis, eisque tum ex India petitis ac receptis, tum famam inde ea de re portentosam, pro vario artificum arbitrio, interdum superantibus; veluti monocolorum, seu hominum qui nascuntur singulis cruribus; & sciopodum, seu qui plantarum suarum magnitudine inumbrantur; qui item cervicibus carentes in humeris habent oculos; sylvestrium & hirtorum, serpentium cervos & animantia ad parem molem, alia item tota haurientium, leucrocotarum, ealarum, mantichorarum, aliorum id genus, quae Plinius, Solinus, alii sive Indiae tribuebant sive somniabant in accessionem. Adeo ut mirantis apud Claudianum sensus sit; si monstrum hoc credendum, ne quidem dubitabo quin hisce oculis posthac revera videro etiam quicquid falsum atque ut somnium inane hactenus creditum nutrire solet seu exhibere India illa, seu portentosum illud animalium Indicorum vivarium, grex, armentum in velis illis belluatis (ut tapetia dixit belluata Plautus [g]) pingi solitum. At vero quamobrem vela haec tam signanter Judaica dicta? Gasper Barthius ibi, *Babylonica,* inquit, *vela Judaica vocat, ut Judaeos somniorum interpretes pro Chaldaeis dixit Juvenalis* [h]. Et verum quidem est Babylonica vela in pretio ac usu lautioribus fuisse summo. At

[i] Pandect. Turcic. cap. 55. [a] In Eutrop. lib. 1. [b] Ad Virgil. Georgic. 3. Purpurea, &c. [c] Ad AEneid. 1. [d] De habitu muliebri, cap. 8. [e] L. 17. D. tit. de Actionibus empti, § 4. L. 12. § 17. D. tit. de Instructo vel instrum. & ibid. § 20. [f] L. 5. C. tit. de Naufragiis, Hieronym. Magius miscellan. lib. 2. cap. 13. [g] In Pseudolo. [h] In Satyr. 6.

durum

6

durum nimis, nimis abſonum interea videtur Judaica pro Babylonicis ſumi. Neque certe Judaeos pro Chaldaeis uſurpavit eo loci Juvenalis. De mulieribus Romanis ſacerdotem Iſidis alioſque id genus ſuperſtitioſius conſulentibus cum egerat poeta, ſubjungit,

Cum dedit ille locum, cophino foenoque relicto,
Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum & magna ſacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuncia coeli.
Implet & illa manum, ſed parcius; aere minuto
Qualiacunque voles Judaei ſomnia vendunt.

Judaei in periocha hac, arctiori ſenſu, id eſt, pro ſola gentis ipſius Judaicae propagine, intelliguntur, non omnino pro Babyloniis. Quod & palam evincitur tum ex legum Solymarum, tum cophini foenique & ex arboris ſacerdotii per opprobrium & ironiam mentione. Nam & idem poeta alibi [i];

Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Judaeis, quorum cophinus foenumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſylva camoenis.

Quod ſane de ipſis ſolum Judaeis, & qui ritibus eorum imbuti, eſſe accipiendum, non eſt, opinor, qui ambigat. De Babyloniis a nemine intellectum eſt. Nemus autem Aricinum, fonſque ibi ac delubra olim muſis a Numa rege ſacrata, veteri religione ſoluta ſunt ſub Domitiano, ac Judaeis urbe pulſis locata. Unde Judaea, nempe ipſa gens (ut Graecia mendax, pro gente Graecorum) magna dicitur arboris ſeu nemoris ſacerdos; quod nomen per opprobrium & ironiam ei muſarum ſacerdotis locum reſecratum occupanti, non ut revera ſacerdoti, a Juvenale tribuitur: non ſine faceta forſan etiam ad quercus Dodonaeas, earumque ſacerdotes, alluſione; quod & adnotant interpretes. Utrobique igitur Judaeos tantum innuit Juvenalis, neque hoc loco minus atque illo. Adeo tandem ut quod hic de ſomniis venditis dicitur, aut ad futiles Judaeorum aliquot mendicantium tunc temporis in uſu Romae artes, aut ad calumnias ſaltem quibus a Romanis inſpergebantur omnino, non ad Babylonios, nec ſane tam ad ſomniorum interpretationem quam ad ſuperſtitioſa inſtar ſomniorum monita ſeu reſponſa, ſpectet. Quin & poſtea expreſſim in Juvenale ibi locum ſuum ſibi ſeorſim habent Babylonii ac Chaldaei. Nam, paucis de Armenio & Commageno aruſpice interjectis, ſequitur.

Chaldaeis ſed major erit fiducia: quicquid
Dixerit aſtrologus, credent a fonte relatum
Ammonis——————

Atque huic, de Judaeis ſtricte ſumptis ea in ſatyra ante intelligendis, non Babyloniis (ut vult Barthius) ſententiae ſatis etiam accedunt citra controverſiam interpretes alii. Joannes autem Wankelius apud Barthium de velo tabernaculi locum Claudiani capit: *Referendum ſibi videri ad velum tabernaculi quod miris & obſcuris figuris pictum tradat Joſephus. Eas effigies paganos pro monſtris Indicis habuiſſe.* Locum e Joſepho [k] affert de velis templi Salomonici. Sed curnam Claudianum tot non ſolum a templi Salomonici ſed etiam ab Herodiani ſeu ultimi excidio ſeculis ſcribentem, vela ſive hujus ſive illius, nedum tabernaculi, quod proprie Moſaicum erat, adeoque nemini niſi Judaeis ipſis ſatis cognitum, in carmen traxiſſe crederemus? Id proculdubio nauci eſt. Conjectura ejuſdem Wankelii habetur, qua Attalicis potius ſubſtituendum pro Judaicis. Sed reclamat codicum MSS. & editionum fides. De loco eo verba faciens vir doctiſſimus Franciſcus Junius Franciſci F. in opere de pictura veterum [l], Judaica ibi vela inter textilis picturae ſpecies ponit, nec aliud addit quam ea nimiis monſtris fuiſſe notabilia. Hactenus quidem nos. Sed ut conjiciendo rem hic tentemus, primo de Judaici, tunc temporis, nominis ſplendore inſigni atque exiſtimatione, quam ſupellectilis atque utenſilium (inter quae vela qualia diximus locum paſſim obtinent primarium) lautitia & elegantia comitari ſolet, videamus. Dein utrum ex jam ſupra dictis ratio quare vela ejuſmodi belluata ſeu monſtris referta Judaica a Claudiano nominentur elici poſſit. Certe Claudiani, id eſt Theodoſii primi, Arcadii & Honorii A A A ſeculo, atque tempore quod propius antecedit, Judaeos in oriente, utcunque diſperſos urbeque majorum & templo carentes, eximio vitae ſplendore rerumque opulentia inſigniter floruiſſe, ſi unquam poſt excidium, tam certum eſt ut nihil certius. Celebres tunc eorum academiae illae ſeu potius reſpublicae clariſſimae, Soriana [m], Pombodithana, Nehardaienſis, id ſatis teſtantur, uti & ſynagogarum frequentia & immunitas, ſingulariſque principum indulgentia. Theodoſii, Arcadii, & Honorii Auguſtorum habetur reſcriptum ejuſmodi ad Addeum comitem & magiſtrum utriuſque militiae; *Judaeorum* [n] *ſectam nulla lege prohibitam ſatis conſtat. Unde graviter commovemur interdictos quibuſdam locis eorum fuiſſe conventus. Sublimis igitur magnitudo tua, hac juſſione ſuſcepta, nimietatem eorum qui ſub chriſtianae religionis nomine inlicita quaeque praeſumunt, & deſtruere ſynagogas atque exſpoliare conantur, congrua ſeveritate cohibebit. Dat.* III. *Kal. Octob. Conſtantp. Theod. A.* III. *& Abundantio Conſſ.* Id eſt, anno Chriſti CCCXCV. Triennio item poſt [o] ad Judaeos ipſos Arcadius & Honorius A A. *Rectores provinciae vobis nullum diſcuſſorem aut moderatorem eſſe concedent. Quod ſi qui munere ſibi* (forte, *ſi quis induere ſibi*) *curam praeter vos proceresque veſtros audeat, tum velut aliena adpetentem ſupplicio coherceri feſtinent.* Quin iidem Auguſti ad Claudianum comitem orientis, eodem anno [p], *Si quis audeat illuſtrium patriarcharum contumelioſam per publicum facere mentionem, ultionis ſententia ſubjugetur.* Neque iniquum eſt ut exiſtimemus Claudianum hunc ipſum fuiſſe, qui ſcripſit, poetam. Nam & Auguſtis his ac ſenatui adeo charus habitus eſt poeta ipſe ut ſtatua [q] in foro divi Trajani atque titulo honorifico diu ante obitum donaretur. Unde & facilius credendum dignitatem hanc & munus inſuper acceſſiſſe. Proximo item anno ad Caeſarium praefectum praetorio iidem Auguſti; *Nos in conſervandis Judaeorum privilegiis veteres imitemur, quo-*

[i] Satyr. 3. [k] Origin. lib. 8. cap. 2. [l] Lib. 2. cap. 8. § 9. [m] Videſis R. Gedaliah Ben Jechai in *Shalsheleth*, fol. 35. a. &c. [n] C. Theodoſ. lib. 16. tit. 8. l. 9. & vide l. 12. & 25. [o] Ibid. l. 10. [p] Ibid. l. 11. [q] Claudian in praefat. ad lib. de Bello Getico, & Lyl. Girald. in dialog. 5. de Poetis.

rum sanctionibus [r] *definitum est, ut privilegia his qui illustrium patriarcharum ditioni subjecti sunt, archisynagogis, patriarchisque ac presbyteris, caeterisque qui in ejus religionis sacramento versantur, nutu nostri nominis perseverent ea quae venerandae christianae legis primis clericis sanctimonia deferuntur. Id enim & divi principes Constantinus, & Constantius, Valentinianus & Valens divino arbitrio decreverunt. Sint igitur etiam a curialibus muneribus alieni, pareantque legibus suis.* Ita summo principum indultu suoque jure libere, modo christianae religioni palam non officerent seu facerent contumeliam, utebantur: patriarchis eorum nomine nunc illustrium nunc spectabilium [s] designatis. Nec levia ejusdem rei vestigia occurrunt in D. Chrysostomi homiliis adversus Judaeos, ubi in christianorum & Judaeorum consortium adeo frequens invehitur. Brevi autem evenit ut tot privilegiis ac tam ampla vitae splendidae libertate nimium, ut fieri amat, elati, atque rebus tam secundis insolentius & superbius usi, felicitate pristina indigni merito haberentur. Primo igitur ab Honorio & Theodosio II. Augustis [t] tum attemptandae de caetero militiae aditus eis, quibus antea uti Romanis caeteris patebat, obstruebatur, tum cingulo militiae ante decorati Judaei exuebantur omnes; circa vigesimum scilicet a rescripto illo ad Caesarium annum, seu Honorio XII, Theodosio VIII consulibus. In ipso autem hoc de militia rescripto, alias se satis Judaeis eorumque dignitatibus ac splendori favere edici volebant principes, temperamentum interdicto adjicientes: verba sunt; *Sane Judaeis liberalibus studiis institutis exercendae advocationis non intercludimus libertatem, & uti eos curialium munerum onere permittimus, quam praerogativa natalium & splendore familiae sortiuntur. Quibus cum debeat ista sufficere, interdictam militiam pro nota non debent aestimare.* Sua per haec tempora habuisse in utraque Palaestina synedria [v] etiam scimus. Nec ante quadragesimum aut circiter annum ab Eutropii consulatu, in quem adeo invectus est Claudianus, desierunt haec Judaeis indulta privilegia, vitaeque inde collucens passim splendor. Tunc autem, seu Theodosio A. secundo XVII & Festo consulibus, Valentiniani tertii & ejusdem Theodosii edicto [x] mirum in modum ea quibus ante fruebantur diminuta sunt, ipsique in conditionem pessimam redacti. Sed interea ex his satis, opinor, fit manifestum ipso in seculo quo sua scripsit Claudianus, insigniter floruisse Judaeos; maxime in oriente, quae & scena est carminum ex eo superius allatorum, adeoque in AEgypto, quae Claudiani, ut creditur [y], patria est. Neque est quod ambigamus quin rerum opulentia, aediumque ac supellectilis, veluti aulaeorum, velorum, id genus aliorum copia, pariter atque aliarum gentium beatiores, eousque ibi per provincias abundarent uterenturque, ut vela aliave ejusmodi, si quae essent eis prae aliis singularia, ipsorum nomine proprie satis atque apposite, ut aliorum id genus caetera, in carmine possent designari. Quod ideo etiam adjicimus, quia de lectione a viris doctis ita dubitatum est. Jam vero quod ad conjecturam hic attinet, quare vela qualia diximus Judaica Claudiano appellata fuerint; quicquid tunc temporis hominum in orbe quidem Romano fuere, aut pagani erant, aut christiani, aut judaei. Paganorum vela quotquot picta sunt, pleraque, si non universa, deorum figuris gestisque, aut gestis quibus dii pro more immisti, plena fuisse credere par est (uti & de seculorum anteriorum pictura ex Vitruvio [z] scimus) nec solum in templis diis publicis eorum aliqua, sed & domi quamplurima laribus obtendi solere, eaque consecrata, aut saltem quasi consecrata. Etiam sive ex artificum sive ex operae conductorum voto non raro idolis quidem, dum fiebant, sacrabantur. Sua etiam christianis fuisse, partim paganorum instar, partim sacris suis, quae Judaei aeque ac paganorum abhorrebant, aptata. Cum igitur supellectilem ac utensilia cultui extraneo dicata, nisi palam atque actu aliquo manifesto ab ipsis qui cultui ejusmodi addicti sunt resecrarentur, in ornatum aut utensilitatem aliquam adhibere, aut quoquo modo uti frui sibi illicitum haberent Judaei (juxta superius ostensa) & certo satis sciri utrum vela, aulaea, id genus caetera, qualia diximus, sive a paganis, sive a christianis facta aut possessa, sacris ac religione eorum qui facerent aut possiderent libera essent, raro, si unquam, posse non immerito forsan existimarent, etiam & ספק ע"ז אסור *Id* [a] *de quo dubium manebat utrum cultui extraneo dicatum fuisset plane esset illicitum,* & demum paganorum pariter & christianorum moribus alienissimos se ambitiosius in rebus plerisque facerent; cum, inquam, haec se ita haberent, nonne inde factum est ut singulare sibi, saltem ipsis multo magis quam aliis peculiare, velorum genus hoc belluatum fieri vellent? Ita quidem satis varietate jucunda ornatum, sed figuris rerum, quibus illa quae paganis & christianis plerumque in usu plena erant, carens; figuris, inquam, Judaeis etiam eousque invisis, ut quotquot earum coelestes essent, nec artificibus suis facere esset licitum, & quae fuere, caeteras velut superstitione inquinatas, saltem de quorum inquinamentis dubitabant, magnopere, juxta jam dicta, ipsi aversarentur. Et genus sane hoc a caeteris ita ex usu pariter & affectu Judaico haberi potuit discriminatum, ut tum inde nominari signantius mereretur, tum ab aliorum religione (utpote in Judaeorum potissimum usus contextum, formatum, pictum) censeretur prae aliis immune. Certe & quotquot haec imitarentur in aliorum facta usus, sic eodem forte nomine etiam appellitabantur; quemadmodum *aulaea*, ut volunt Grammatici, ab Attali regis Asiae aula sic primo nominata, quocunque locorum adhibita, sic dicuntur. Et tam quae imitantur Phrygia, Babylonica, Tyria ejusdem generis artificia apud veteres, quam quae hodie Atrebatensia, Turcica, Persica, alia iisdem vocibus non raro cum prototypis nuncupantur. Quid quod ita non solum non communes haberent cum paganis & christianis figuras, sed nec in velis hisce ullam similitudinem seu imaginem rerum quae coli solerent; imo earum tantum quas nullibi locorum exsistere crederent, ideoque etiam a cultu extraneo quam alias multo sejunctiores? Quin si ad-

[r] C. Theodos. lib. 16. tit. 8. L. 13. [s] Ibid. l. 15. [t] Ibid. l. 24. [v] L. 17. C. Justin. de Judaeis. & C. Theodos. lib. 16. tit. 8. l. 29. [x] C. Justin. tit. de Judaeis, l. 19. [y] Petrus Crinitus de Poetis Latinis, cap 86. [z] Architect. lib. 7. cap. 5. [a] Gemar. Babylon. ad tit. *Zebachim*, cap. 8. fol. 74. a. & Maimonid. Halach. *Aboda Zara*, cap. 7

mitteretur

mitteretur paganis illius aevi ac chriſtianis in uſu fuiſſe picturae genus illud tantum duplex quod ex Vitruvio [b] ſeculis liquet adhibitum fuiſſe Claudiano multo vetuſtioribus, videlicet aut ejus quod eſt ſeu poteſt eſſe, id eſt eſſe vel poſſe eſſe creditur, veluti hominis, aedificii, navis, fani, luci, montium, reliquarumque rerum e quarum formis certiſque corporum finibus figurata ſimilitudine ſumuntur exempla, aut rerum ſeu partium rerum, quae quidem exſiſtunt, ſed ita ab artifice conjunctarum ut ex ipſo naturae ordine nec revera ſint nec unquam fuerint, veluti ſigillorum ſive integrorum ſive dimidiatorum e floribus ſeu coliculis exeuntium, partim humanis partim beſtiarum capitibus ſimilium, candelabrorum aediculas ſuſtinentium, id genus caeterorum; certe monſtrorum Indicorum, quorum nec partes nec corpora credita, picturae genus erit tertium, adeoque facilius potuit eſſe ſeligentibus peculiare. Et ſcimus genus illud ſecundum, quod propius quam primum Indicae quam tractamus accedit, ſed interea ab ea longe diſtat, a veteribus Graecis & Romanis eſſe acrius reprehenſum. *Neque enim*, inquit Vitruvius utrorumque artium callentiſſimus, *picturae probari debent quae non ſunt ſimiles veritati.* Id ſi poſtea etiam, & Claudiani ac proximantibus ante ſeculis, aliis praeter Judaeos obſervatum fuerit, certe Indica monſtra depicta, quae in rerum natura non extitiſſe credita, nec in Graecorum ac Romanorum picturam legitimam admittebantur, *Judaeorum*, qui ea ſibi ob rationes jam dictas forte ſelegerant, ſeu *Judaica* commode ſatis ac appoſite dici poſſent. Quemadmodum ferme verpae ipſi pecora ſibi immunda, quae tamen a chriſtianis edi viderent, *pecora chriſtiana* [c] olim appellitabant. Quin & inter diverſas de imaginibus eorum ſententias obtinuit & illa, aevo forſan in illo frequentior, *Rerum quae reipſa non ſunt ſed finguntur imaginem omnem facere licere*, ut verba ſunt Manaſſis Ben [d] Iſrael ex Gemara [e]. Quo ſpectat etiam quod ſupra [f] ex Arama citavimus. Adeo ut in velis iſtis Judaicis pictura haberetur qualem *Crypticam* [g] ſeu *Croteſquam* indigitant. Sed vero conjectura tantum modeſtius auguramur, nec, etiamſi aberremus, veniam deſperantes. Dum haec cogitabamus, monitum de Claudiani loco accepit a viro ampliſſimo ſummoque Hugone Grotio cognatus ejus Franciſcus Junius, in literis ſcilicet quibus doctiſſimi ejus de pictura veterum operis nomine gratiam ei egit. Pro *Judaicis* forte ſubſtituendum *Lydiacis*; quod in ſcriptione veteri manifeſto quidem proximum. Id mecum communicavit Junius, & de loci ſenſu qualem jam exhibui paucis una diſſeruimus. Qua de re cum is reſcripſerat, a Grotio reſponſum eſt dum hiſce praelum calet, *De loco Claudiani & mihi in mentem venerat poſſe defendi, ſi animantium non quae conſpiciuntur ſed quae finguntur formas velis impreſſas intelligamus.* Tanti viri, utcunque de lectione ſubdubitantis, ſuffragio, locum hunc non ornare nequibam. Sed hac de re ſatis ſuperque. In callem regredimur, ſecundum juris nauralis ſeu Noachidarum quod illuſtrius eſt caput praeter jus etiam gentibus aliis Ebraeiſque eo nomine interveniens proxime explicaturi.

CAP. X.

Ad interdictum naturale de maledictione nominis ſanctiſſimi numinis (quod Noachidarum ſeu generis humani juris communis, quod illuſtrius eſt, caput Ebraeis habetur ſecundum) ſeu de blaſphemia melius capiendum, praemittitur profanationis nominis divini, cui opponitur ejuſdem ſanctificatio, genus, velut ejus cujus affine eſt vocamen, triplex. Profanationis ejuſmodi remiſſio ante mortis momentum, juxta Ebraeos, nemini perfecta.

UT Noachidarum ſeu omnium hominum juris communis, quod naturale hic appellatur & illuſtrius, caput ſecundum, ſeu de maledictione nominis ſanctiſſimi numinis, rite intelligatur, animadvertendum eſt apud Ebraeos ex ſacri ſermonis interpretatione occurrere tam חללת השם ſeu *βεβήλωσιν*, *pollutionem* aut *profanationem nominis divini*, quam גדופת השם ſeu *ὀνειδισμὸν*, *κατάραν*, *maledictionem* ſeu *exſecrationem ejuſdem:* quae item חרפה & קללה nuncupata blaſphemia eſt omnium graviſſima. Τὸ שם autem ſeu *nomen* abſolute poſitum pro *ſanctiſſimo numinis nomine*, ſeu *ipſo numine*, non ſolum paſſim apud magiſtros verum etiam in lingua ipſa Moſaica * uſurpatur. Profanationis ſeu pollutionis interdictum eſt, *Cuſtodite † mandata mea ac facite: Ego Dominus.* לא תחללו שם קדשי *Ne polluatis*, ſeu *profanetis*, *nomen meum ſanctum, ut ſanctificer in medio filiorum Iſrael.* Profanari autem tripliciter aiunt nomen divinum. Primo modo, ubi Ebraeus, ut mortem imminentem evitaret, quid adverſus ſacrae legis praeſcripta patrabat, quoties ſcilicet ex majorum inſtituto ſeu diſciplina mors prae tanto peccato, ut minus malum, fuiſſet eligenda. Quoties, dico: Neque enim ſemper volunt mortem anteferendam; ut ex ſequentibus liquebit. Nec levioris periculi ratio habebatur hic ulla. Mors autem imminebat aut aegro ex morbo eam palam minitante, aut ex hominis alicujus minis qui legis violationem perſeveranti extorquere inſtaret. Ubi ex morbo mors imminebat, fas habebatur aegro tum vetita comedere, tum alia in lege ſacra prohibita qualiacunque facere quae ſaluti, ut medicina, conducerent, modo ‡ interdictis tribus inſignioribus ſemper, juxta exceptionem ſingularem atque a majoribus acceptam, interea non contra iretur; ſcili-

[b] Lib. 7. cap. 5. [c] Agobardus Lugdun. epiſt. ad Ludovicum Imp. de inſolentia Judaeorum. [d] Conciliatore in Exod. qu. 30. lat. 97. Hiſp. [e] Ad tit. *Aboda Zara* cap. 3. [f] Cap. 6 pag. 187. [g] Gabriel. Palaeot. de imaginibus, lib 2. cap 37. * Levitic. xxiv. 11. & 15. ubi videſis Paulum Fagium. † Levitic. xxii. 31, 32. & videſis Ezekiel. xx. 14 & xxxvi. 22. ‡ Gemara Babylonia ad tit. *Aboda Zara* cap. 2. fol. 27. b. & ad tit. *Sanhedrin* cap. 1. fol. 74. a. & b. Maimonides Halach. *Jeſudi Tora* cap. 5. quod videſis nunc a Guil. Vorſtio verſum & notis explicatum. Moſes Mikotz. praecept. negat. 2. affirmat. 5. *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea* cap. 157. & videſis *Thoſphoth* ad Gem. Babylon. tit. *Cethuboth* cap. 1. fol. 3. b.

cet interdictis idololatriae, homicidii, ac revelationis turpitudinum seu coitus illiciti. Quod vero ad metum mortis ex minis attinet, aliam habent publicae persecutionis temporis, quod שעת השמד nuncupant, rationem, aliam temporis quo persecutio ejusmodi nulla. Nimirum quoties persecutione publica non habita, Ebraeus quisquam mortis minis ad legis violationem impelleretur, permissum esse ei, aiunt, qualemcunque in quem sic impelleretur actum, ut inde se morte imminente liberaret; modo trium quae diximus interdictorum singularium violaretur nullum, & distinctio haec una & altera insuper observaretur. Si in ejus qui sic minis impelleret emolumentum tantum cederet actus, veluti ubi opus ei in sabbato praestandum; satius fuisse sic impellenti obtemperare quam mortem subire. Si vero in cogentis emolumentum non cederet, sed eo tantum nomine ut quid adversus legem sacram committeretur exacta esset violatio, tunc de numero Ebraeorum, quorum in praesentia res esset patranda, distinguunt: nam de gentilibus hic impellentibus rem plerumque intelligunt. Si Ebraei decem pluresve adessent (quem numerum in coetibus definiendis crebro usurpant) tunc mortem praeponendam: Sin pauciores, vitam obedientia redimendam. Et qui aliter hujusmodi causa se morti tradidisset eum מתחייב בנפשו, seu *vitae suae reum*, nonnulli appellitant. Tempore autem persecutionis publicae (qualis sub Antiocho Epiphane, cum in violationem legis sacrae Ebraeos impellere is acriter instabat) nefas fuisse docent ullius omnino legis capitis violatione, seu actu ullo lege interdicto, vitam redemisse. Huc spectat illud de Israelitis [d], *Qui mori elegerunt ne polluerentur cibis*, καὶ μὴ βεβηλώσωσι, *& ne profanarent, foedus sanctum; itaque mortui sunt.* Alia item in historia [e] Maccabaica; ubi agitur de proelio ad vitae tutelam capessendo etiam in sabbato: Quod Talmudicae doctrinae [f] consonum est. Videsis hac de re plura apud Josephum in secundo adversus Apionem, alibique. De fuga autem hic pronunciant; gravissimum facinus ab eo committi qui se ea, ubi facultas esset, non redimens cogenti obtemperaret. Jam vero qui aliter ac dictum est licuisse imminente morte per actum aliquem lege sacra interdictum se eripuisset, is חילל את השם seu *profanare nomen divinum dicebatur*. Et ברבים seu *publice* atque בפרהסיא, quod ex Graeco desumptum *palam ac aperte* significat, id profanare dicebatur si in Ebraeorum decem praesentia commiserat. Inversa ratione, qui se morti juxta ante ostensa temperamenta & distinctiones, id est quoties mors violationi erat anteponenda, se tradiderat, is קידש את השם seu *sanctificare nomen divinum* dicebatur, veluti martyr agonem necessarium subiens; quemadmodum Daniel, Chananiah, Misael, Azariah, id genus alii. Unde & illud apud R. Samuelem Sullam [g]; fuisse familiam seculis recentioribus Judaeorum quae tota nomine קדושים *sanctorum* seu *sanctificantium* indigitabatur כי בכל השמדות קדשו את השם *quoniam in cunctis persecutionibus sanctificabant dominum.* Profanatio autem nominis, qualem diximus, supplicio forensi, veluti morte seu verberibus, neutiquam erat apud Ebraeos punienda; utpote coelesti vindictae omnino relicta. Maimonides; מפני שעבר באונס אין מלקין אותו ואין צריך לומר שאין ממיתין אותו בית דין ואפילו הרג באונס שאין מלקין וממיתין אלא לעובר ברצונו ובעדים ובהתראה: *Quoniam vi peccabat, flagris puniendus non erat, nedum morte ex sententia forensi; idque obtinuit tametsi homicidium vi patrasset. Nimirum nullum peccatum flagra aut mors sequebatur, nisi id sponte commissum esset, adessentque testes, & praecessisset admonitio legitima.* Quin vi sic coactum, etiam in idololatriam poenam coelestem, quae כרת seu *excisio* in sacro appellatur sermone, neutiquam ideo subire aiunt, utcunque gravissime peccaret, aliterque coelitus, nec sine singulari de remissione jure, de quo nonnihil ad finem capitis dicemus, esset puniendus. Sed hoc obiter. Secundus hic profanandi modus est, ubi quis in praeceptum quodcunque בשאט הנפש להכעיס *cum contemptu* aut *ardore animi, etiam ad tentandum* aut *irritandum* numen, procacius seu morosius quid patrarat; agnoscens interea numinis unitatem ac autoritatem, seu non omnino negans, sed protervius tantum irritans. Signantius nempe is *profanare nomen Domini* dicebatur; quemadmodum & qui non aliam ob causam quam ut sanctissimo creatori qui jussit placeret, praeceptum aliquod observasset, is idem dicebatur sanctificare. Et ex numero jam ante dicto eorum qui aderant, seu inspectorum, publicam itidem dicebant sive sanctificationem sive profanationem. Tertius demum profanandi nominis divini modus a Maimonide [h], juxta Talmudicos veteres [i], sic describitur; ויש דברים אחרים שהן בכלל חילול השם והוא שיעשה אותם אדם גדול בתורה ומפורסם בחסידות דברים שהבריות מרננים אחריו בשבילם ואע״פ שאינן עבירות הרי זה חילל את השם *Sunt etiam res aliae quae nomine profanationis nominis divini veniunt; veluti ubi tum eximia legis scientia tum singulari virtute ac pietate vir celebris ea forsan fecisset, quae, tametsi in legem peccata alias non essent, eousque nihilominus hominibus essent offensioni ut eorum causa eum acrius etiam inclamando convitiandoque reprehenderent.* (Nempe humanitatis causa seu societatis humanae gratia, reprehendere seu ob scandalum publice datum gravius corripere non nequirent) *Is enim profanabat etiam nomen Domini.* Exempla habet ille de tali viro; Si, cum emptor esset nec egenus, venditorem pretium efflagitantem palam eluderet; si comessationibus aut risu jocisque effusioribus cum hominum vulgo seu faece plebis uteretur; si vultu inquieto, iracundo, jurgioso homines excipere soleret. Quibus adjicit, וכיוצא בדברים האלו *Et parilis est aliorum quae sunt id genus ratio.* Morum autem sanctiorum, seu justae tum gravitatis tum comitatis, aliarumque quibus consistit societas humana virtutum, legisque sacrae, diligentior in ejusmodi viro observatio, *sanctificatio nominis* dicebatur. Viderint hic eruditiores, utrum ex eo quod Ebraeis, juxta jam ostensa, erat *profanare nomen domini*, eliciendum fuerit quid sermone Helleni-

[d] Lib. Hasmonaeorum, cap. 1. 66. [e] Jason in Epit. seu 2 Mac. vi. 18. 1 Mac. ii. 41. Joseph. lib. 12. cap. 8. [f] Maimonid. Halach. *Sabbath*, cap. 2. & 30. & videsis Guil. Schikard. de Jure Regio, cap. 5. theorem. 18. & Petr. Cunaeum de Repub. Hebr. lib. 2. cap. 22. [g] In Annot. ad *Sepher Juchasin*, fol. 132. b. [h] Halach. *Jesudi Tora*, cap. 5. [i] Gemar. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 8. fol. 86. a.

ſtico ſit *nomen domini blaſphemare. Qui in lege*, inquit D. Paulus [k], *gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum* [l] *eſt*; ubi D. Hieronymus, *Per bona opera veſtra benedicitur Deus; ita nunc non recte converſantibus blaſphematur.* Et gloſſa interlinearis illud D. Pauli affert ad ſacra verba, de *non polluendo* ſeu *non profanando nomine*, in Levitico [m] explicanda. Alibi etiam D. Paulus [n], *Quicunque ſunt ſub jugo ſervi dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* Et ſimilis alio in loco [o] de verbo Dei locutio, quae ad nominis profanandi genus tertium ſpectare videtur. De profanationis autem genere triplici hactenus indicato ſingulare quiddam tradunt quod remiſſionem ejuſdem divinam ab aliorum omnimodorum peccatorum remiſſione perquam diverſam eſſe facit. Ubi enim de ſacrificiis, confeſſione, poenitentia, caſtigationibus, die expiationum, hirco apopompaeo, adeoque de peccatorum aliorum quorumcunque ex hiſce כפרה גמורה *remiſſione plena ac perfecta* ſive ante diem illum ſive in die illo (pro ſpecierum atque actuum varietate) agunt, de nominis profanatione ſeorſim aiunt, eam nemini plene remiſſam ante mortem; ſed in ipſo ſolummodo mortis momento; idque tametſi praeceſſerint quae omnium remiſſioni neceſſario praevia. Exceptio hac de re habetur in Gemara Babylonia [p], אבל כי שיש חלול השם בידו אין לו כח בתשובה לתלות ולא ביום הכיפורים לכפר ולא בייסורין למרק אלא כולן תולין ומיתה ממרקת שנאמר ונגלה באזני ה׳ צבאות אם יכפור העון הזה לכם עד תמותון׃ *Sed vero qui reus eſt profanationis nominis, ei neque poteſtas eſt per poenitentiam peccatum* (uſque ad diem expiationum) *ſuſpendere, nec in die illo expiare, nec per caſtigationem ſui abſtergere. Sed omnino in ſuſpenſo manet, nec ante ipſum mortis momentum deletur. Juxta etiam illud* [q], *Et revelatum eſt in auribus domini exercituum, ſi expiabitur* (ſeu *non expiabitur) iniquitas haec vobis donec moriamini.* Nam & locum illum capiunt de nominis profanatione qualem deſcripſimus [r]. Qua de re conſulas, ſi placet, magiſtros recentiores, quibus recepta eſt haec doctrina.

CAP. XI.

Sanctificationis nominis divini praecepto Noachidas, juxta Ebraeos, non teneri. Profanationis nominis ſuperius oſtenſae genus nullum in interdicto de maledictione nominis univerſali ſeu naturali contineri; ſed horrendum illud blaſphemiae genus quo ſanctitas, poteſtas, veritas, unitas numinis ſanctiſſimi ſive convitio ſeu verborum contumelia proſcinditur, ſive ex profeſſione actuve aliquo ſcienter, procacius & conſequenter negatur. De verbo ברך qua tum pro maledicere tum pro benedicere ſumitur. De lege illa ſacra in numeris, anima, ſeu perſona, quae fecerit manu elata, &c. excidetur, quatenus ad interdictum idololatriae & blaſphemiae ſolum attinere illud volunt magiſtri.

SED vero profanationis nominis divini hactenus indicatae, utcunque etiam blaſphemiae nomine (ſaltem ſi ita in ſermone Helleniſtico blaſphemare pro profanare hoc ſenſu interdum ſumatur) non ignotae, genus nullum volunt Ebraei interdicto quod jam tractamus de ברכת השם ſeu *maledictione nominis ſanctiſſimi* contineri. Neque enim profanationem ejuſmodi Noachidis interdici volunt, ſeu ſanctificationis nominis praecepto juxta modum aliquem indicatum eos teneri. Quaeſtio ea de re olim orta eſt [a], בן נח מצווה על קדושת ה׳ או אין מצוה על קדושת ה׳׃ *An praeceptum de ſanctificatione nominis* (cujus oppoſitum eſt profanatio jam dicta) *ad Noachidas attineat?* Ubi Rab Ada Bar Ahaba, *Scriptum eſt*, inquit, *hoc ſolum* [b] *eſt de quo depreceris dominum pro ſervo tuo; quando ingredietur dominus meus templum Rimmon ut adoret ibi, &, illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero, &c. Et reſpondit Eliſha* לך לשלום *vade in pace.* Nimirum Naaman princeps militiae regis Syriae Noachides erat, qui lepra mundatus in ſe ſuſceperat veri Dei cultum, ſaltem diis alienis ac cultui extraneo omnino renunciarat, ut citato liquet Scripturae loco. Unde etiam גר תושב *proſelytus domicilii* expreſſim in Gemara Babylonia [c] dicitur. Petiit autem ab Eliſha ut ei indulgeretur, ſi forte cum rege ſuo, cui prorſus obtemperandum erat, manui ſuae innitente, in templo Rimmon, coactus (ſic loci citati ſenſus) adoraret; tulitque reſponſum, *vade in pace:* Quod magiſtrorum quidem nonnullis [d] ſumitur pro eo quod eſt, vade, & vero Deo, quem ipſe tibi jam edoctus elegiſti, cultum exhibe. At vero in Gemara Babylonia verbis jam laudatis ſubjungitur ואם איתא לא לימא ליה הא בצנעה הא בפרהסיא׃ *Si ita fuerit* (ſcilicet ſi Noachides praecepto ſanctificationis nominis teneatur) *non ita reſpondiſſet propheta Naamani, ſive in occulto exhibendus ſive publice fuiſſet ille cultus.* Et in gloſſa reſponſum illud pro aſſenſu in adorationem ejuſmodi in templo Rimmon, ſeu extraneum cultum ab invito extortum, accipitur. Ubi etiam legitur, ואפי׳ נמצווה בני נח על קדושת השם לא נצטווה לקדשו בתוך הגוים אלא בתוך ישראל׃ *Etiamſi praecepto ſanctificationis nominis teneretur Noachides, ad ſanctificationem nihilominus illam non teneretur inter gentiles, ſed tantum inter Iſraelitas.* Quod ſi admitteretur, id jure interveniente ſeu ſuperinducto, non univerſali ſeu naturali, niteretur. Nam quod hoc

[k] Epiſt. ad Romanos, cap. ii. 24. [l] Iſaiae lii. 5. & vide Ezek. xxxvi. 22. [m] Cap. xxii. 32. [n] 1 Ad Tim. vi. 1. [o] Ad Titum ii. 5. [p] Ad tit. *Joma*, cap. 8. fol. 86. a. [q] Iſaiae, cap. xxii. 14. [r] Maimonides Halach. *Teſhuba*, cap. 1. R. Obadias Bartenorius ad Miſnam. tit. *Joma*, cap. 8. §. 8. [a] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 8. fol. 7[illegible]. b. [b] 2 Reg. v. 18. [c] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 96. b. [d] Levi Ben Gerſom ibid. & videſis, praeter interpretes obvios, *Naamanum Syrum* in Nic. Serrarii opuſculis.

jure nititur perſonarum aut locorum cancellis non terminatur. Apertius autem, juxta Talmudicorum veterum mentem, hic Maimonides [e], בן נח שאנסו אנס לעבור על אחרת ממצותיו׳ מותר לו לעבור׳ אפילו נאנס לעבוד ע״ז עובד׳ לפי שאינן מצווין על קדוש השם: *Ubi Noachides vi in tranſgreſſionem alicujus praecepti quo is tenetur adactus fuerit, ipſa tranſgreſſio ei licita eſt; idque tametſi in idololatriam adigatur. Neque enim eis praecipitur ſanctificatio nominis.* Jam vero quod ad interdictum, quod tractamus, naturale ſeu univerſale juxta eos attinet; gravius illud & horrendum flagitium גדופת השם *maledictionem* ſeu *exſecrationem nominis divini* (dictam a גדף, quod *probris* ſeu *convitiis laceſſere* ſignificat, & a Syro quidem in aliquot apoſtoli [f] locis pro βλασφημεῖν uſurpatur) ipſiſſimam eſſe volunt blaſphemiam quae interdicto hoc vetatur; ſcilicet, quando ſanctitas, poteſtas, veritas, unitas numinis aut convicio ultro ac diſerte proſcinditur, aut ex profeſſione actuve aliquo palam ac procaciter negari conſequenter deprehenditur. Prioris generis eſt blaſphemia qua inſectatus eſt numen [g] Rabſaces; & Selomithae filius, eo [h] nomine morte mulctatus: & ejuſmodi blaſphemia vetita eſt Nebuchadnaezaris edicto; *Omnis*, inquit [i], *populus & lingua quaecunque locuta fuerit* שלוה (quod proprie quidem errorem ſignificat) *contra Deum Sidrach, Miſach & Abednego, diſpereat, & domus ejus vaſtetur.* Sed Helleniſtae & vetus Latina habent ibi, *quaecunque locuta fuerit blaſphemiam*; adſtipulante item R. Saadia, qui שלוה ibi per דבר מכוער *rem aliquam turpem* interpretatur. Sic inſimulatur [k] Nabothus; ברכת אלהים ומלך *blaſphemaſti Deum & Regem*; ubi etiam paraphraſtes Chaldaeus גדפתא habet, quod idem ſonat; tametſi tum Latina vetus habeat, *benedixit Deo & Regi*, tum Helleniſtarum verſio, ηὐλόγησας Θεὸν καὶ βασιλέα, *benedixiſti Deo & Regi*. Certiſſimum eſt ברך verbum tam *exſecrari* ſeu *maledicere* quam *benedicere* [l] ſignificare; nec puto per Antiphraſin, ut quidam volunt; nedum ex eo quod *benedicere* pro *valedicere*, atque hoc demum pro *renunciare* (ut aliqui [m]) ſeu *numen abnegare* ſumendum, ſive hic ſive alibi ubi ſimilis vocabuli notio. Sed ita fere ex ipſo linguae ſanctae idiotiſmo in utramque partem, pro varietate loci quo uſurpatur, ſignificat, ut apud Latinos *ſacrare* & *imprecari*. Nam ut tam diris & exitio quempiam devovere quam velut numen ſeu numini quidpiam conſecrare ſignificat interdum prius, & tam in bonam quam in malam partem imprecamur, ita τὸ ברך, in quo nihil eſt expreſſim notionis vocum e quibus *benedicere* ac *maledicere* componuntur, denotat ardentiori quodam animi affectu *homini optare* ac imprecari, ſed ſive ſalutem ſive exitium; ac *numini attribuere*, ſed ſive laudes gratiaſque (qui uſus frequentior eſt) ſive contumelias ac probra: & diſcrimen ex natura rei verborumque comitantium advertendum. Illuſtrius aliis eſt hac de re exemplum in Jobi hiſtoria: *Ne forte peccaverint*, inquit [n], *filii mei*, & ברכו אלהים בלבבם *maledixerint Deo in cordibus ſuis*. Nam ut ita intelligatur ibi ברך res ipſa palam poſtulat. Et Chaldaeus ibi diſerte, ״ וארגיזו קדם & *maledixerint Deo*, ſeu *blaſphemaverint*. Sic Judaei ibi Hiſpanienſes, *y maledixeron al Dio en ſu corazon.* Ejuſdem autem capitis commate decimo manifeſtum eſt pro *benedicere* idem uſurpari; מעשה ידיו ברכת *operi manuum ejus benedixiſti*; quae verba ſunt ſatanae. Et Jobus ipſe paulo inferius, שם יהוה מברך *nomen domini ſit benedictum.* At ſatanas eodem in capite, item & ſequenti, אם לא על פניך יברכך quod ſonat, *ſi non in faciem tuam maledixerit tibi.* Uti & Chaldaeus, אין לא באנפי מימרך ירגזנך *ſi non in faciem verbi tui tibi maledixerit*, ſeu *blaſphemaverit.* Ubi & Judaei Hiſpanienſes, *ſi no ſobre tus fazes te meledizera.* Quin paulo poſt [o] in verbis uxoris ejus, pro eo quod eſt ברך אלהים ומת Chaldaeus בריך מימרא דיי ומית *benedic verbo Dei, & morere.* Et Judaei ibi Hiſpanienſes, *benedize al dio, y muere.* Cum interea in vulgata quolibet hic in loco *benedicere* ſubſtituatur: ut fere in Helleniſtica. Sed in primo loco habet haec, *Ne filii mei in mente ſua*, ſeu *cordibus ſuis*, κακὰ ἐνενόησαν πρὸς τὸν Θεὸν, *mala excogitarint adverſus Deum*; aliis, juxta Aquilam, ibi habentibus etiam ηὐλόγησαν, *benedixerint*; qua voce etiam in ſatanae verbis utuntur Helleniſtae. Sed in verbis uxoris Jobi; εἰπόν τι ῥῆμα πρὸς κύριον, καὶ τελεύτα, *dic verbum aliquod adverſus Deum, & morere*, ſeu, ut alia exemplaria, καταρᾶσον *exſecrare* Deum. Qua quidem ſignificatione ſumitur etiam in verbis ſatanae εὐλογεῖν. Olympiodorus; *ſi non in faciem tibi* εὐλογήσει, ἀντὶ τοῦ δυσφημήσει, *benedixerit, pro eo quod eſt maledixerit. Et in faciem te benedicet*, τοῦτ᾽ ἔστι, φανερῶς σε βλασφημήσει, id eſt, *aperte conſcindet te maledictis.* Conſulas, ſi placet, alios qui in Jobi initia conſcripſere. Hinc etiam τὸ ברך plerumque redditur *benedicere*, maxime a recentioribus, in quibus tamen non deſunt qui, ut res ipſa exigit, *maledicere* ſubſtituunt. Quin & ברכת השם in interdicto hoc naturali ſecundo *benedictio nominis* ab eis ſubinde vertitur; uti & alibi [p] monemus. Et de convitio ſeu procaciori verborum contumelia in numen, qua interdictum hoc de maledictione ſpectat, hactenus. Alterum blaſphemiae ſeu maledictionis genus eſt quando non ita diſertis in ipſum numinis nomen verbis contumelia ingeritur, ſed ex profeſſione aliqua actuve ſanctitas, poteſtas, veritas, unitas ejuſdem palam ac procaciter negari conſequenter deprehenditur: Velut aut ubi quis citra ipſum cultum extraneum ſeu idololatriae actum aliquem (nam ſic crimen ad primum interdictum attinet, & ſimul blaſphemiam ejuſmodi juxta Ebraeos in ſe continet) eam amplexandam ſive aliis ſuadet ſive ipſe profitetur, idque ביד רמה *manu elata*, ſeu ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας *in manu ſuperbiae*, atque ex protervia, non ex ignorantia ſeu diſciplinae errore; aut ubi Iſraelita jus Moſaicum, aut Noachides, ſeu qui nondum in Ebraeorum ritus tranſiit, jus Noachidarum ſeu naturale quod prae manibus eſt, ſimili modo violat; non ſcilicet animi ſui aut concupiſcentiae innatae ſeu ignorantiae cauſa, aut ex errore, ſed ex eo quod in contrarium ſe obligari proterve detrectet agnoſcere, ſeu quia numinis praecipi-

[e] Halach. *Melakim*, cap. 10. [f] Epiſt. 1. ad Timoth. vi. 1. ad Tit. ii. 5. [g] 2 Reg. xviii. 30. Iſaiae xxxvi. 15. [h] Lev. xxiv. 14. [i] Dan. iii. 29. [k] 1 Regum xxi. 10. & 13. videſis Daniel. Heinſium in Ariſtarcho ſacro, cap 28. pag. 408. [l] Vide D. Ambroſium lib de *Nabuthe*, cap. 11. Sixt. Senenſ. in Biblioth Sanct. lib. 2. verb. *Jezabela*, &c. [m] Mar-[illegible] de Rea ſingularium, lib 1. cap. 9. in appendice. [n] Job 1. 5. [o] Cap. ii. 9. [p] Lib. 1. cap. 10. & lib 3. cap. 7.

3 entis

entis interdicentisve autoritatem, potestatem, unitatem minime reveretur; id est, eam ex ipso actu consequenter, idque sponte, superbe, scienter ac manu elata, negat atque insuper prorsus habet. Maimonides [q] ex veterum Talmudicorum disciplina; כל המודה בע"ז שהיא אמת אף על פי שלא עבדה הרי זה מחרף ומגדף את השם הנכבד והנורא: *Quisquis nomen* ita *dederit* seu *professus fuerit cultui extraneo, adeo ut pro veritate ipsum voluerit amplexandum, tametsi is non omnino idolum coluerit, certe pro maledico & blasphemo in gloriosum nomen Dei O. M. habendus est.* Et statim subjungit, ואחד העובד ע"ז ואחד המגדף את השם שנ' והנפש אשר תעשה ביד רמה מן האזרח ומן הגר את ה' הוא מגדף: *Parilis ratio habetur illius qui idololatra est, & qui blasphemat nomen Domini, juxta id quod scriptum est* [r], *& anima quae fecerit manu elata, sive indigena fuerit, sive proselytus* seu *peregrinus, in Dominum is blasphemus est.* Scilicet huc inprimis, ad blasphemiae hoc genus rite capiendum, attinet lex illa sacra, *Anima* [s] *quae fecerit per manum elatam* (id est, ביד רמה quod vertunt Hellenistae ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας, *in manu superbiae*; Chaldaeus בריש גלי *capite aperto*, seu *impudenter*; vulgata, *per superbiam) sive fuerit ex indigenis sive ex peregrinis* seu *proselytis*, את יהוה הוא מגדף *in Dominum is blasphemus est* (vulgata, *quoniam adversus Dominum rebellis fuit*; Hellenistae, τὸν Θεὸν οὗτος παροξύνει *Deum is irritat*; quemadmodum & Judaei Mauritanienses, quibus الله هو يغضب substituitur; Judaeorum versio Graecobarbara, טון קיריו אפטוש אנתימטי τὸν κύριο αὐτὸς ἀναθέματι *Dominum ipse exsecratur*; Hispanienses autem Judaei, *a A. el denostan) excidetur anima illa de populo suo. Nam verbum Domini contempsit, & praeceptum ejus irritum fecit. Ideo excidendo excidetur anima illa, eritque iniquitas ejus super eum.* Neutiquam scilicet legem hanc capiunt de peccato omnimodo scienter, sponte, aut contemptim patrato; tametsi quae praecedunt, de peccato errore atque ex ignorantia commisso, adeoque sacrificiis expiando, ita diserte sanciantur, ut hoc, quod proxime sequitur, de omnibus antithetis, seu sponte atque ex animi sententia commissis, levius intuenti videri posset intelligi. Sed nullum ita eis fuisset peccatum sponte patratum quod excisione (quam poenam a coelesti vindicta exspectari, non a magistratu infligi aiunt) non fuisset puniendum; cum interea triginta sex duntaxat praecepta plerumque enumerent (inque iis hoc de גדופה seu *blasphemia* simul cum eo de idololatria censent) ad quae כרת seu *poena excisionis* attinet, ut in tituli Talmudici *Cerithoth*, seu de excisionibus inscripti, capite primo fusius est videre. Sed ea de re nos plura libro postremo. Legem autem supra allatam velut de extraneo cultu ejusve professione & blasphemia tantum conceptam ad hunc modum intelligunt. In Levitico [t] sacrificia praestituuntur quibus peccata tum universitatis tum hominum singulorum ex errore seu ignorantia commissa expianda fuere: peccata scilicet quibus praeceptum אחת מכל מצות *aliquod ex omnibus praeceptis*, seu singularia quaedam, citra idololatriam, sive ab Israelitis sive a proselytis justitiae violabantur. De errore autem seu ignorantia etiam hic in Numeris lex fertur: Nam commate vigesimo secundo legitur וכי תשגו ולא תעשו את כל המצות האלה *Et si erraveritis, & non feceritis*, seu *violaveritis omnia praecepta haec*, &c. Quod ad populi universitatem attinet, cujus in Levitico juvencus est sacrificium, hic vero juvencus in holocaustum & hircus in oblationem pro peccato, praeter liba; singulorum vero utroque in loco capella. Et tunc hic sequitur in Numeris lex quam citavimus. Jam vero inquiunt, ut in Levitico de uno aliquo praecepto ex errore violato leges feruntur, ita in Numeris de omnibus simul violatis, ut & verborum discrimen innuit, id est (nam aliter non intelligunt) de omnium autoritate simul ex violatione aliqua negata, non de ipso cujusque violationis actu. Vulgata quidem habet in Numeris hic, *Si per ignorantiam praeterieritis quodquam horum*, &c. Sed Hellenistae; *Si peccaveritis, & μὴ ποιήσητε πάσας τὰς ἐντολὰς ταύτας, non feceritis omnia praecepta illa*, quemadmodum & Chaldaeus juxta veritatem Ebraicam. Omnia autem sic violari [v], id est, autoritatem numinis qui constituit, ejusque unitatem, errore seu ignorantia negari aiunt, quoties Israelita seu qui in Israelitarum ritus transierat (veluti minor inter gentiles captivus, seu majores seculis quibus ex publica legis ignorantia passim fere peccatum est) idololatriae reus, sed ex errore seu ignorantia, fuerat. Et de hujusmodi negatione ex idololatria vide quae dicta sunt supra capite primo. Jam vero statim post leges in citato Numerorum loco de errore ejusmodi seu ignorantia (quam, ut dictum est, idololatriam solum spectare ibi docent) sequitur ea quam paulo superius inde descripsimus: cujus sensum utpote de eo quod scienter ac superbe commissum est latae ita intelligunt, ut tum sponte, scienter, ultro, superbe idololatram in ea contineri velint, quemadmodum idololatram ex errore in praecedentibus tum eum qui sic ביד רמה *manu elata*, scienter ac superbe quid facit quo non minus ipsam numinis potestatem, unitatem, veritatem revera ac palam negat quam idololatriae scienter & manu elata commissae reus. Id est, eum qui sive nomen idololatriae dederit, sive ex animi sententia agnoverit, sive alteri amplexandam suaserit, sive demum praeceptum aliquod sic manu elata violaverit, ut non ex affectu seu ardore sibi complacendi, numenve solum irritandi, nedum errore seu ignorantia, id violaverit, sed ideo quia praecipientis numinis autoritatem non agnoverit, neque ea sola se obligari existimaverit magis atque ipse qui scienter & manu elata idolum coluerit, ejusve cultum professus fuerit, alterive, ut dictum est, suaserit. Nempe aliud est praeceptum quodpiam agnoscere, atque simul autoritatem dignitatemque praecipientis, ex animi tamen affectu seu בשאט הנפש *ex toto animo*, etiam irritandi, procacius in illud peccare; aliud, neque praecepti vim agnoscere, neque unicam praecipientis autoritatem, sed ita ביד רמה seu *manu elata* sive committere sive tuto committi posse quempiam pro-

[q] Halach. *Aboda Zara*, cap. 2. Misna & Gem. tit. *Cerithoth*, cap. 1. & vide Maimonidem Halach. *Sanhedrin*, cap. 15. [r] Num. xv. 30. [s] Ibidem. [t] Cap. iv. [v] Videsis R. Mosen Bar Nachman in *Pirush Tora*, fol. 248 b. & Abarbinel in *Pirush Tora*, fol. 296. col. 3. alios ad Numer. xv. & Maimonidem Halach. *Sanhedrin*, cap. 15.

fiteri,

fiteri, aliisve idem suadere, ut veri numinis potestatem, veritatem, unitatem, simulque praecepti ipsius vim deneget. Non qui primum faciebat (nam & ejusmodi in praecepta reliqua במזיד seu *scienter ac sponte* commissis, alia atque alia poenarum genera in pentateucho suis in locis sparsim praestituuntur) sed tantum qui secundum, allata lege teneri [x] volunt, eumque etiam מגדף השם *blasphemum esse in Dominum.* Unde insuper non minus ad blasphemiam seu maledictionem nominis divini expressam, quam ad crimen hujusmodi nefandum ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας seu *manu superbiae* commissum, כרת seu excisionis poenam attinere concludunt; cum nihilominus utrumque ex lege [y] ultimo etiam supplicio (sed non sine distinctionibus aliquot de blasphemia, de quibus capite proximo) esset puniendum. Et de lege illa ad veterum mentem egregie Maimonides [z]; העושה ביד רמה הוא המזיד שיעיז פניו ויעבור בפרהסיא שזה עובר לתאבון לבד ולא לעשות מה שמנעה התורה לעשותו לרוע מדותיו לבד אבל לחלוק על התורה ולעמוד כנגדה מפני זה אמר את יי׳ הוא מגדף והוא יהרג בלא ספק ולא יעשה אלא מי שעלה בלבו דעת אחרת לחלוק בו על התורה ומפני זה בא הפירוש המקובל בע״ז וכתוב כדבר מפני שהוא הולך על פנות התורה: *Qui manu elata fecit, is est qui superbus frontem indurat, & palam atque aperte ita peccat, ut non concupiscentiae suae causa solum aut ex morum suorum pravitate legis interdicta violet, sed studio ipsi legi contradicendi, atque ut eam impugnet. Ideo dicitur, Dominum is* [a] *probris afficit*, seu *in Dominum blasphemus est. Atque is sine dubio morte est plectendus* (qua de re consulas caput proximum.) *Neque quis ita peccat nisi in cujus animam irrepserit dogma aliud quod legi repugnet. Unde recepta est expositio, quod scriptura loquatur ibi etiam de cultu extraneo, quoniam iste adversatur ipsis legis fundamentis.* Atque idem alibi in tractatu suo de idololatria [b], doctrinam de blasphemia, qualis in eo quod prae manibus est interdicto continetur traditurus, parilem utriusque rationem esse ait, verbis jam supra citatis, & dein, מפני זה כללתי דין המגדף בהלכות ע״ז שעניהם כופרים בעיקר הם *Atque ideo conjunxi doctrinam de blasphemo cum ea quae est de idololatra, quoniam uterque ipsum negat fundamentum*, seu *totius religionis principium.* Exempla hic afferunt, Manassis [c] Judae regis qui Hezekia patre mortuo manu elata in numen fecit, id est, extraneum [d] cultum restituit, nec praecepta sacra nec praecipientis autoritatem agnoscens; item alia. Animadvertendum autem est, legum e Numeris jam memoratarum parte priori, seu ea quae ad idololatriam errore aut ignorantia commissam juxta Ebraeos tantum attinet, tam גר הגר בתוכם *peregrinum* seu *proselytum peregrinantem inter vos* (quae verba bis ibi usurpantur) seu τὸν προσήλυτον τὸν προσπορευόμενον πρὸς ὑμᾶς *proselytum qui accedit ad vos*, ut Hellenistae, seu *advenas qui peregrinantur inter eos*, ut altero in loco ibi vulgata, quam Judaeos seu Israelitas originarios expressim contineri, id est, tam proselytos justitiae quam indigenas. Nam de proselytis domicilii manifestum est eam partem capi nequire, quippe quae ad violationem omnium praeceptorum quae per Mosem recepta sunt, qualem diximus, attinet: At vero in lege illa de eo quod est, juxta jam dicta, manu elata seu superbe commissum lata, mentio quidem parilis est originariorum; sed non eadem in proselyto designando vocabula, מן האזרח ומן הגר *sive ex indigenis sive ex proselytis.* Hic proselytorum nomen simpliciter adhibetur. Et certe cum interdicto de idololatria ac blasphemia, quod non solum originarios ac proselytos justitiae, sed pariter proselytos domicilii seu Noachidas hic repetitum, juxta jam ostensa, spectat, ita hoc conjungatur; non adeo absonum est ut hoc in loco tam proselytos domicilii seu Noachidas quam proselytos justitiae praeter originarios indicari, atque eis similiter poenam excisionis coelitus infligendam imminere existimemus. Sed utrum ad proselytum domicilii seu Noachidem poenam illam hoc in loco praescriptam attinere velint magistri [e], nondum satis didici. De poenis autem forensibus quae jure sive imperativo sive interveniente gentium huc attinent, proxime videbimus.

CAP. XII.

De poena proselyti domicilii ob blasphemiam seu maledictionem numinis sanctissimi forensi. Receptior Talmudicorum sententia de Judaeo morte ob blasphemiam ejusmodi non puniendo nisi expressim nomen tetragrammaton blasphemasset. Ea de re aliorum, uti & synedrii cui Caiphas in evangelio praeest, sententia diversa. De Judaeis in evangelio clamitantibus Jesum Christum ideo mortis reum quod filium Dei se fecerat. De vestibus blasphemia audita, aliasque ob causas, tam a sacerdotibus ac pontifice summo quam a Judaeo quovis alio, ex more dilacerandis.

QUOD attinet ad poenas ob blasphemiam seu maledictionem numinis sanctissimi superiori in capite ostensam, juxta Ebraeos forenses, proselytis domicilii ex jure sive proselytis ejusmodi ipsisque ex jussu numinis imperativo sive ex moribus superinductis interveniente infligendas; animadvertenda est inprimis lex illa sacra ea de re in Levitico lata. Simulatque Selomithae filius qui * ויקב את השם ויקלל *expressit* seu *blasphemavit nomen, & maledixit*, ex imperio numinis lapidatione damnatus est, sequitur statim lex sacra, *Et ad filios Israel loqueris, dicens,* איש איש id est, *Quicunque maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum. Et qui blasphemaverit nomen domini, morte interficiatur.*

[x] Gemar. Babylon. & Gloss. Talmud. ad tit. *Cerithoth*, cap. 1. fol 3. a. & ad eundem locum Obadias Bartenorius, praeter Maimonidem Halach. *Aboda Zara*, cap. 2. & *More Nebochim* part. 3. cap 41. [y] Lev. xxiv. 16. Deut. xiii. 5. & Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 7. [z] *More Nebochim* part 3. cap. 41. [a] Num xv. 30. [b] Halach *Aboda Zara*, cap. 2. [c] *Pesiktha Zotertha* fol. 50 col. 1 & Gemar Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 99. b. [d] 2 Regum xxi. [e] Videsis Abarbinel in *Pent. Tora* fol. 297. col. 2. * Levit. xxiv. 11.

Lapidando

Lapidando lapidabit eum universus coetus, כגר כאזרח בנקבו שם יומת id est, *sive fuerit proselytus* seu *peregrinus*, sive *indigena* aut *civis*, *ex eo quod blasphemaverit nomen, morte plectendus est.* Pro eo quod hic est *blasphemaverit*, habetur in Ebraeo נוקב שם יהוה, quod & simpliciter *explanaverit*, *expresserit* seu *nominaverit nomen domini* vertitur tum Chaldaeo tum Hellenistis [b], & من يلفظ اسم الله *qui loquetur nomen Dei* Judaeis Mauritaniensibus. Hispanienses item ibi, *Y declarante nombre de A. matar sera matado.* Sed de simplici nominis expressione consule viros doctos [c], quorum integros de eo commentarios scripsere aliqui. Nos de qualicunque non sine blasphemia expressione, quae etiam ad rem quam tractamus solum attinet, legem cum Talmudicis, Vulgata, aliisque hic intelligimus. Peregrinum autem seu proselytum hoc in loco pro gentili apud ipsos degenti, id est, Noachide seu proselyto domicilii, sumunt [d]. Et formulam illam loquendi איש איש *homo homo* (ut & Hellenistis vertitur; & *Varon Varon* Judaeis Hispaniensibus) quae *quicunque* seu *universi* denotat, adhibitam ibi aiunt [e] לרבות את הגוים שמוזהרין על ברכת השם כישראל׃ *ut comprehendantur etiam gentiles, quibus interdicitur maledictio nominis, quemadmodum & Israelitis.* Legem vero illam, quantum ad poenam attinet, ita plerumque interpretantur ut mortis ex ea reus non esset quisquam עד שיפרש השם *nisi* [f] *expressisset nomen:* id est, nisi nomen tetragrammaton, quod שם המיוחד seu *nomen proprium* appellant, expressisset, atque, ut Gemara Babylonia, עד שיברך שם בשם *nisi maledixisset nomini nomine*, seu, ut Talmudici [g] recentiores, nisi maledixisset ei בשם מן השמות שאינן נמחקין *nomine aliquo eorum quae scripta* (ut illi) *eradi* seu *deleri non debent*, id est, septem illorum sanctiorum, *Tetragrammati*, *Adonai*, *Elohe*, *Elohim*, *Eheihe*, *Sadai*, *Zebaoth:* Nempe, si recte capio, nisi ipsum tetragrammaton ore prolatum (quod tam pro אדני quam pro יהוה a nonnullis sumitur) ita blasphemasset quis ut sive verborum contumeliae ipsum conjunxisset, sive alio eorum quae dicta sunt nominum aliquo in ipsa blasphemiae prolatione Tetragrammaton ante expressum designasset. Nam & expressim in lege habetur שם יהוה *nomen Domini*, seu *tetragrammaton*; ubi poena mortis praestituitur. Legis initio omnimodam quidem blasphemiam in Deum interdici volunt, tam nominis divini alicujus eorum quae כינויין *cognomina* vocant, veluti *Sadai*, *Zabaoth*, id genus caetera, quam proprii seu tetragrammati; ac suppliciis tum forensibus, veluti flagris, coerceri; tum coelitus immissis, veluti excisione, puniri; at poenam mortis blasphemiae nominis proprii tantum, ex lege illa, irrogandam. Atque oportuit (ita Talmudicorum sententia receptior) ut in ipsius blasphemi verbis, non tantum adstantis, nomen proprium usurparetur, quoties mortis poena ea ex lege debita. Unde glossa Talmudica [h], אם לא הוציא שם מפיו אלא שמע שם יוצא מפי אחר וברכו פטור׃ *Si ex ore suo non protulerit nomen, sed ex alterius ore audito maledixerit, morte non est puniendus.* Et glossa ad legem ipsam, אינו חייב עד שיפרש את השם ולא המקלל בכינוי *Reus* mortis *non est nisi qui expresserit ipsum nomen: neutiquam vero qui cognomini maledixerit:* quod & paulo ante dictis consonum. Adeo ut juxta hanc interpretationem nec proselytus domicilii nec Judaeus (nam pariter in lege hac comprehenditur uterque) morte plectendus esset, nisi ipsi nomini proprio seu tetragrammato expressim maledixisset. Quod si fecisset proselytus domicilii, ex gentium hoc imperativo jure, morte apud eos puniendus erat; uti Judaeus ex eadem quidem lege, sed sibi civili. Caeterum quoniam hac in re gravioribus coerceri volebant poenis gentiles seu proselytos domicilii quam cives Ebraicos, ideo ex jure gentium interveniente, seu proselytis ejusmodi ipsisque superinducto, tam cognominis alicujus blasphemiam aut maledictionem quam nominis proprii in proselyto domicilii seu Noachide ultimo plectebant supplicio. Maimonides [i]; בן נח שבירך את השם בין שבירך בשם המיוחד׃ בין שבירך בכינוי בכל לשון חייב׃ מה שאין כן בישראל׃ *Noachides qui maledixerit nomini, sive id fecerit nomine proprio seu tetragrammato, sive cognomine aliquo quocunque modo, reus est* mortis (nam ut ita intelligatur, faciunt tam quae praecedunt quam quae sequuntur, praeter rem ipsam) *quod non ita obtinet in Israelita.* At non defuere in Talmudicis qui cognomina divina etiam, seu כל הכינויין *omnimoda Dei cognomina*, ea legis hujus parte qua ultimum praestituitur supplicium, sive contineri sive innui voluerint, ut diserte Rabbi Meir [k]. Id si admittatur, tunc poena mortis, tam ob blasphemiam qua cognomen usurpatum est, quam qua nomen proprium, proselytus domicilii ex jure imperativo fuisset puniendus, uti & Judaeus ex civili. Et sane sententiam ejusmodi de cognominibus pariter atque nomine proprio in synedrio magno videtur tunc obtinuisse cum D. N. Jesus Christus in eo sistebatur. Nam Caiphas [l], *Adjuro*, inquit, *te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus ille filius Dei. Cui respondit Jesus, tu dixisti. Veruntamen dico vobis, A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris* τῆς δυνάμεως, id est, *potestatis & venientem in nubibus coeli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, reus est mortis.* Seu, ut D. Marcus [m] habet, *omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.* In ipsis Christi verbis nominis proprii mentio nulla; sed cognominis manifesta, in eo quod est *sedentem a dextris potestatis*, id est, גבורה quod sexcenties apud magistros inter cognomina usurpatur. Unde etiam in vulgata

[b] Et vide Philonem, lib 3. de vita Mosis, & Daniel. Heinsium in Aristarcho sacro, cap. 28. pag. 498. [c] Videsis Scriptores ad Levitic. xxiv. Maimonid. *More Nebochim*, lib. 1. cap. 61, &c. & J. Drusium de Nom. Tetragram. [d] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. a. [e] Ibid. & *Sepher Siphra*, fol. 53. col. 2. *Pesiktha Zotertha*, fol. 31. col. 3. Moses Mikotzi Praec. Negat. 16. [f] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 7. Gem. Babylon. ibid. fol. 56. a. *Jarchius* ad Levitic. xxiv. 15. [g] Maimonid. Halach. *Aboda Zara*, cap. 2. Mos. Mikotzi Praec. Negat. 16. [h] Tit. *Sanhedrin*, fol. 55. b. [i] Halach. *Melakim*, cap. 9. & videsis Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. a. [k] Gem. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap 7. fol. 56. a. & vide Misnam ibidem, de maledictione parentum. [l] D. Matth. xxvi. 63, &c. [m] Cap. xiv. 64.

ſubſtituitur *virtutis Dei.* Diligentius hic advertas illud de Jeſabela & Nabotho [n], ubi maledictionis Dei (nam proprii nominis mentio ibi nulla) incuſatur vir innocens, ut mortis fiat reus. Atque huc ſpectat illud, [o] *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Certe quod in Caiphae ſynedrio de ſanctiſſimo capite deciſum eſt (ſed maxime ex odii praejudicio, quod deciſionum rationes novare ſolet) id ipſum in tumultuaria hac ad Pilatum reſponſione, id eſt blaſphemiae in Deum eum reum fuiſſe, innui non videtur dubitandum. Non quod ipſis Meſſiam verum adeo aſpernantibus *filii Dei* nomen eouſque inſolens haberetur ut nulla omnino notione id vellent ſine blaſphemia cuiquam praeter ipſum numen tribui: Nam בני האלהים *filios Dei*, uti & *Deos*, dictos eſſe nunc homines aliquot (qua de re etiam vide caput proximum) nunc angelos, ex ipſa ſacra liquet ſcriptura [p]; idque etiam juxta Ebraeorum ſententiam. Non aliter fere atque apud gentiles *Jovis & deorum filii* ſubinde (praeter daemones [q]) dicti heroes prae aliis longe eximii: non divinitate numinis, ſed humanitatis tantum excellentia ſic eis, de quibus nomina ejuſmodi uſurpata ſunt, interim per hyperbolen tributa. At vero Judaeis alia erat *filii Dei* hic notio, qua ipſum Dei verbum ſeu λόγος, quem Chaldaice מימרא דיי vocabant, ita deſignabatur, ut hac notione ſe quempiam facere aut dicere Dei filium, non aliud ipſis haberetur quam revera, non per hyperbolen, Deum ſe profiteri, adeoque, ſi falſum eſſet, numen ſanctiſſimum blaſphemare. Atque ut בר נש *filius hominis* millies pro homine in Ebraeorum commentariis occurrit, ita *filius Dei* etiam in eorum hic ore pro ipſo vero Deo. Atque huc ſane inprimis attinet illud Philonis Judaei ex more Helleniſtarum ſuorum loquentis [r]; Ἀναγκαῖον γὰρ ἦν τὸν ἱερωμένον τῷ τοῦ κόσμου πατρὶ, παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ, πρός τε ἀμνηστείαν ἁμαρτημάτων, καὶ χορηγίαν ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν, *Neceſſarium enim erat* (verba jam fecerat de τῷ συνέχοντι καὶ διοικοῦντι λόγῳ τὸ σύμπαν, *verbo* ſeu *ratione cuncta continente & diſpenſante*, in pontificis rationali quod pectore geſſit repraeſentata) *ut ſacerdos ſupplicaturus* (ſeu potius *ut ſic conſecratus*) *patri omnipotenti, advocatum adhiberet perfectiſſimum virtute ejus filium, tum ad peccatorum veniam, tum ad uberem in poſterum gratiam impetrandam.* Sed de loco illo, quo eo quod filium Dei ſe fecit Jeſus Chriſtus, debuiſſe eum mori clamitarunt Judaei, praeter interpretes obvios, vide virum praeſtantiſſimum Danielem Heinſium in Ariſtarcho [t] ſacro. Quin nec illud obſervatu indignum, verba illa legis ſacrae [u] קללת אלהים תלוי (quae verti ſolent, *maledictus a Deo qui eſt ſuſpenſus*, ſeu *in maledictione Dei qui eſt ſuſpenſus*) ſumi a magiſtris perinde ac ſi ibi poenae auctarium blaſphemiae praeſtitueretur, id eſt ſuſpenſio [x] poſt lapidationem; quaſi vertenda eſſent, *Qui Deum blaſphemaverit ſuſpendendus eſt*, ſeu patibulo ſub occaſum ſolis (ſic aiunt) poſt lapidationem affigendus: Ebraeus ſcilicet, ſeu Judaeus: nam ad proſelytos domicilii hoc genus mortis non attinuit. Sane ex hiſce atque caeteris de blaſphemia legibus jam ante memoratis, mirum non eſt, ſi in ſententiarum quale diximus diſcrimine (ſaltem ſi Chriſti tempore diſcrimen erat ſententiarum quale tempore R. Meir) Judaei odio in Chriſtum tam acriter flagrantes, eligerent amplectarenturque eam, qua quicquid in Dei unitatem, ſanctitatem, veritatem, poteſtatem ſummam blaſphemia ipſis ullo modo videretur, morte luendum eſſet. Sed de judicio illo ejuſque appendicibus plura in libro ſecundo de ſynedrio magno. Quod vero laceravit ſeu diſcidit veſtimenta Caiphas, ex more erat avito. *Conſuetudinis Judaicae eſt* (inquit ad locum illum D. Hieronymus) *cum aliquid blaſphemiae & quaſi contra Deum audierint, ſcindere veſtimenta ſua.* Et Lyranus ibi; *Iſte erat mos Judaeorum ſcindere veſtimenta in ſigna doloris quando audiebant blaſphemiam divini nominis.* Id liquet etiam tum ex corpore Talmudico [y] tum ex ſacris literis. Et doloris ſignum hoc fuiſſe alibi [z] in oriente ſcimus ex Jobi hiſtoria. Sed Baronius [a]; *Hac conſuetudine caeteri, haud tamen ſacerdotes, tenebantur; nam divina lege ſacerdotibus* [b] *vetitum erat ne ſua ſcinderent veſtimenta. Sed Caiphas, illa contempta, quo caeterorum aſtantium animos in Chriſti perditionem magis ac magis concitaret, furore quodam percitus, primus ſummorum omnium pontificum (quorum ſit memoria) ſic ſua veſtimenta conſcidit.* Ad eundem ſenſum alii. Atque ea de re controverſia ſubinde [c] agitatur: Quae facile ſopita erit, ſi Talmudicorum placita penitius advertamus. Non ſolum leges ſacras jam e Levitico indicatas, ſed etiam alias [d] adhibent, dum de veſtium laceratione ſacerdotibus interdicta loquuntur: ſed eas intelligunt tantum de veſtibus ſacerdotalibus quarum ſolus in ſacris miniſteriis [e] uſus; unde & illud [f], המקרע בגדי כהונה לוקה *Qui dilaceraverit veſtes ſacerdotales, vapulabit.* Nec certe, reverentiae & honoris cauſa, fas erat cuipiam ſive ſacerdoti ſive laico veſtibus dilaceratis atrium, in templo, Iſraelitarum ingredi. Alias autem veſtes, ſeu amictum vulgarem, quem extra ſacra geſtabant miniſteria pontifices ſacerdoteſque, tam ipſi, quam alii cujuſcunque generis Ebraei, dilacerare [g] ſolebant, tum in luctu, tum blaſphemia ex ore Iſraelitae (non gentili) ſive in nomen tetragrammaton ſive cognomen Dei aliquod audita, aliaſque ob cau-

[n] 1 Regum xxi. 10. [o] D. Joan. xix. 7. [p] Geneſ. vi. 2. ubi vide verſiones Judaeorum, Chald. Arabic. Hiſpan. Pſal. xxix. 1. lxxxii. 2. Dan. iii. 25. Job. i. 6. Scholia ibi praeter verſionem Judaeorum Hiſpanienſium, & *Pirke* Rabbi Eliezer cap. 22. [q] Ariſt. Rhetoric. lib. 3. cap. 18. & Maxim. Tyrius diſſert. 1. [r] Vide Chriſt. Helvicum de paraphraſ. Chaldaicis cap. 5. & in ſyſtemate controverſ. theologic. elench. jud. 2. claſſ. 3. [s] De vita Moſis lib. 3. [t] Cap. 28. p. 498. [u] Deut. xxi. ult. & vide epiſt. ad Galat. iii. 13. & videſis Jo. Druſ. praeterit. 4. ad D. Jo. xix. 7. [x] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 6. fol. 45. Maimonid. Halach. *Aboda Zara* cap. 2. & Halach *Sanhedrin*, cap. 15. Moſes Mikotzi praecept. affirmat. 103. [y] Miſn. tit. *Sanhedrin* cap. 7. Gem. Babylon. ad tit. *Moed. Katon*, cap. 3. fol. 26. a. Hieroſolymit. ibid. fol. 83. a. 2 Reg. xviii. 37. & xix. 1. Iſaiae xxxvi. 22. xxxvii. 1. [z] Cap. 1. 20. [a] Annal. tom. 1. A. Chr. 34. [b] Levit. x. 6. & xxi 10. [c] Vide Petrum Cunaeum de Rep. Hebr. lib. 2. cap. 3. Iſaac. Caſaub. exercit. in Baron. 16. ann. 34. num. 73. [d] Exod. xxviii. 32. & xxxix. 23. [e] Videſis lib. noſt. 2. de Succeſſione in pontif. cap. 7. [f] Gemar. Babylon. ad tit. *Joma* cap. 7. fol. 72. a. adde Maimonid. Halach. *Biath hammikdaſh* cap. 1. & Moſ. Mikotzi praecept. negat.. 398. & vide Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 19. ord. 2. num. 18 & 34. [g] 2 Sam. iii. 31. Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Moed Katon*, cap.. 3 fol. 83. a. Babylon. ad tit. eund. fol. 26. a. Maſſec. *Semichoth* cap. 9. Maimonid. Halach. *Abel*, cap. 8. & *Aboda Zara*, cap. 2. videſis Aloyſium Novarin. Schediaſm. ſacro-prof. lib 9. cap. 26.

ſas, veluti legis incendium, atque urbis templive ſive excidium ſive damnum aliquod inſigne. Et expreſſim tradunt diſcrimen inter ſolennem pontificis veſtium, quas diximus, dilacerationem, atque aliorum: illi nempe dilacerandas ab ima atque anteriore parte verſus ſummam, aliis a ſumma deorſum. Miſna [h]; כהן גדול פורם מלמטה והדיוט מלמעלה; *Pontifex dilacerat a parte ima, ſacerdos gregarius a ſumma*, quemadmodum & caeteri univerſi. Maimonides; מהיכן קורע מלפניו והקורע מאחריו או מן הצדדין או מלמטה לא יצא ידי חובת קריעה אלא כהן גדול שהוא פורם מלמטה; *Dilacerandae erant veſtes ab anteriore parte. Qui autem a tergo aut a latere aut ab inferiore parte dilacerabat, is a ritu dilacerationis aberrabat. Quod tamen de pontifice ſummo non eſt intelligendum, cui a parte inferiore dilacerandum erat.* Sed hiſce miſſis, ſi juxta jam dicta blaſphemiae verba morte plectendus non erat quiſquam ex lege illa ſcripta, cujus interdicto tam proſelyti domicilii quam Judaei continentur, niſi ipſum nomen Dei proprium, uti vocant, blaſphemus verbis adhibuiſſet, & nihilominus poena ea ſubeunda erat proſelyto domicilii quomodocunque blaſphemiae etiam in cognomen reo, palam ſequitur, ex interveniente Ebraeis ac proſelytis ejuſmodi jure, quod moribus ſuperinductum eſt, ultimum ſupplicium ad proſelytum hujuſmodi hic ſpectaſſe; uti etiam idem ad eum ſpectaſſe ex jure utriſque imperativo ſeu a numine praeſcripto, ſi juxta ſententiam illam τοῦ Rabbi Meir, ac ſynedrii cui Caiphas praeerat, blaſphemiae verba citra proprii nominis uſum mortem mererentur. At vero, qui manu elata quid fecerat in legem e Numeris capite ſuperiori citatam, adeo ut aut idololatriam profiteretur aut ſuaderet, indeque, juxta ibi oſtenſa, pro blaſphemo in Dominum pariter haberetur, is ſi Judaeus eſſet, ex lege civili [i], ſi proſelytus domicilii, ex interveniente gentium jure, morte erat plectendus.

CAP. XIII.

De eo quod habetur apud Flavium Joſephum & Philonem de diis gentium non blaſphemandis. Magiſtrorum ſententiae de lege ſacra qua deorum alienorum mentio interdicitur. Votum aut juramentum idoli nomine. Nonnullorum opinio, ne gentili, ex lege ſacra, licuiſſe Deo ſuo ſeu gentis ſuae (cujus cultui ſcilicet nondum renunciaverat) qualicunque maledixiſſe.

SED mirum eſt interea quod habet Flavius Joſephus in legum ſacrarum recenſione [a]; Βλασφημείτω δὲ μηδεὶς Θεοὺς οὓς πόλεις ἄλλαι νομίζουσι. Μὴ συλᾶν ἱερὰ ξενικὰ, μηδ' ἂν ἐπωνομασμένον ᾖ τινι Θεῷ κειμήλιον λαμβάνειν, *Nemo blaſphemet deos quos aliae civitates deos eſſe aeſtimant. Nec ſpolianda fana peregrina, nec donarium Deo cuiquam dicatum auferendum.* Atque alibi [b] hoc ait fuiſſe αὐτῆς ἕνεκα προσηγορίας τοῦ Θεοῦ, *eo quod Dei nomine indigitabantur.* Quinetiam Philo Moſem ait [c] vetuiſſe convicium in deos οὓς ἕτεροι νομίζουσι Θεοὺς εἶναι, μὴ κἀκεῖνοι διακινηθέντες ἃ μὴ θέμις φθέγξωνται κατὰ τοῦ ὄντως ὄντος, *quos alii exiſtimaverint eſſe deos, ne ipſi viciſſim irritati prorumpant in voces nefarias in Deum O. Maximum qui verus eſt.* Alibi item ipſe [d] ex Moſis mente ait deorum ejuſmodi τῆς βλασφημίας ἀνέχειν ἀναγκαῖον, ἵνα μηδεὶς ἐθίζηται τῶν Μωυσέως γνωρίμων συνόλως Θεοῦ προσρήσεως ἀλογεῖν, *blaſphemia abſtinendum, ne quis Moſis diſcipulus aſſueſcat ullo modo appellationem Dei contemnere.* Ἀξιονικοτάτη γὰρ, inquit, ἀεὶ καὶ ἐπαξιέραστος ἡ κλῆσις, *Nomen enim illud & invictiſſimum ſemper eſt & ſummo amore proſequendum.* Haec ſi recipienda eſſent, ſane juris gentium apud eos imperativi caput ſingulare idque ſatis inſigne de numinibus gentium qualibuſcunque, eorum delubris & donariis ſacris, inde oriretur. Caeterum haec maxime adverſantur receptioribus vetuſtiſſimiſque Talmudicorum ſententiis: neque apud Moſem reperiuntur. De contrario ſatis conſtat. Nam & idola & quicquid cultus extranei nomine veniebat, deſtruendum fuiſſe abolendumque, neque intra ditiones Iſraeliticas jure permittendum, ex ſacris literis liquet, uti etiam ex iis quae juxta Talmudicos ſuperius oſtenduntur. Quod autem ad aliarum civitatum ſeu gentium deos hic attinet, ſcimus quidem apud Helleniſtas [e] legi, Θεοὺς οὐ κακολογήσεις, *Diis non maledices*, ſeu *diis non detrahes*, uti vulgata. Sed deorum ibi notio habetur qualis in illo [f], *Deus ſtetit in ſynagoga deorum. In medio autem deos dijudicat; quouſque judicabitis perverſe?* Ita de judicibus ſeu principibus, non de fictitiis Diis, locus capiendus. Recte de more apud Judaeos loquendi Origenes [g], *Judices*, inquit, ἐλέγοντο εἶναι θεοὶ πατρίῳ τινὶ Ἰουδαίων ἔθει, *Dii eſſe dicebantur ex more quodam Judaeis patrio.* Ebraea ſunt אלהים לא תקלל, quod ſane ex nuda ſermonis vi recte poſſet verti, *diis* ſeu *Deo* (ex pluralis numeri uſu) *non maledices.* Sed expreſſim ibi Onkelus, דיינא לא תקיל *judicibus non maledices.* Conſona eſt paraphraſis Jonathani tributa. Judaei item Mauritanienſes, حاكما لا تشتم *judicibus non maledices*, quemadmodum & Saadias in Arabica ſua, & Tawaſius in Perſica verſione. Judaei item ibi Hiſpanienſes, *Juezes no maldigas.* Sed Salomon Jarchius ibi, הרי זו אזהרה לברכת השם ואזהרה לקללת דיין *Ecce*, inquit, *tam interdictum hic de maledictione nominis*, ſeu *numinis, ſanctiſſimi, quam de exſecratione judicis.* Alii [h] tantundem. Neque deeſt Rabbinus in hodiernis qui Philonis illam de diis non maledicendis velut ex lege Moſaica hauſtam ſententiam ſatis [i] amplexetur. Atque ex hoc loco hallucinatum fuiſſe Joſephum [k] ſunt qui opinentur. Et Baronius [l] de eo; *Communis in dictum illud Exodi*, diis non detrahes, *vulgata illa ferebatur interpretatio,*

[h] Tit. *Horaijoth*, cap. 3. [i] Deuteron. xiii, &c.

[a] Orig. Judaic. lib. 4. cap. 8. [b] Adverſ. Apion. lib. 2. [c] Lib. 1. de Monarchia. [d] Lib. 3. de vita Moſis. [e] Exod. xxii. 28. [f] Pſal. lxxxi. 1. [g] Contra Celſum, lib. 4. [h] Gemar. Hieroſolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 14. fol. 45. a. [i] R. Simone Luzzato, nello diſcorſo circa il ſtato de gli Ebrei conſiderat. 13. [k] Petr. Cunaeus de Republic. Hebr. lib. 1. cap. 21. [l] Annal. tom. 1. A. Chr. 57.

tatio, ut neque in deos gentium obloquerentur. Ad illud scilicet Alexandri de apostolorum in Epheso modestia, *Abduxistis*[m] *homines istos neque sacrilegos neque blasphemantes deam vestram.* Ita etiam intellexit olim praeceptum illud in Exodo Julianus Apostata[n], quem refellit S. Cyrillus deorum ibi nomine viros dignitate praecellentes contineri asserens. Quae christiani scriptores hac de re habent, obvia sunt. Sed vero tam Josephum quam Philonem par est ut credamus potius illud suum de blasphemia in deos alienos ex alio hausisse praecepto sacro, quod sequenti Exodi capite legitur, de diis alienis non nominandis seu memorandis. Nam & Josephus citato capite inter leges habet Mosaicas, μὴ βλασφημεῖν, *nec convitiandum*, judicibus praesentibus. Et Philonem ex praecepto illo suum sumpsisse palam facit ipse ejusdem verborum in libro tertio de vita Mosis contextus; quem vide. Praeceptum autem sacrum[o] de diis alienis non nominandis seu memorandis ita se habet, שם אלהים אחרים לא תזכירו לא ישמע על פיך *nomen deorum* seu *dei aliorum non memorabitis*; *non audietur ex ore tuo*; seu, ut codex Samaritanus, לא תזכר ולא ישמעו על פיך *non memorabis*; *nec audientur ex ore tuo.* Ubi Chaldaeus habet, ושום טעות עממיא וגו' *& nomen idolorum gentium non memorabitis, &c.* Hellenistae, aliique orientalium, juxta ac vertimus. Interpretatio autem legis hujus apud magistros duplex fere habetur: Alia, quae ad simplicem ipsum nominandi seu memorandi deos alienos actum attinet; alia, quae vota ac juramenta eorum nomine concipienda, praestanda, atque societatem, qualis sine juramento mutuo recte consistere nequeat, cum gentili, dum idololatra est, ineundam negat. In iis qui primam tradunt, alii vetari volunt tantum eorum nomina quibus tribuitur[p] eis divinitas aliqua, non autem propria nomina, quae discriminis solum gratia, sine expressa divinitatis notione, solent usurpari; veluti *Moloch*, *Bel*, *Mars*, & quae sunt similia. Atque ita sane legem hanc sacram explicat etiam Tertullianus[q]. Alii vero ne simplicem inter loquendum nominum eorum memoriam inde admittunt[r], אפילו בלא זכר אלהות *ne quidem tametsi divinitatis eorum mentio non fiat.* Adeo ut nec *Chemosh*, nec *Milcom*, nec *Asima*, id genus caetera in sacris literis deorum gentium nomina sic memoranda esse doceant, sed cum contumelia seu probro tantum designanda; veluti שקוץ או תועבת *idolum seu abominatio* Moabitarum, Ammonitarum, Hamathitarum. Inde hi illicitum aiunt dicere, תעמד עמי ביום ע"ז פלונית *mecum moraberis die festo idoli gentibus culti N.* & similia. Sed & sunt qui dum simplicem nominum usum vetari aiunt, legem nihilominus de diis in sacris literis sparsim nominatis non intelligi asserunt. Unde Maimonides[s], quem & sequuntur alii, כל ע"ז הכתובה בכתבי הקדש מותר להזכיר שמה כגון פעור ובל ונבו וגד וכיוצא בהן: *Omnium gentium idolorum in sacris literis memoratorum fas est nomina memorare, veluti Peor, Bel, Nebo, & Gad, & quae sunt id genus caetera*; quae & in scriptis Talmudicis passim occurrunt. Sed & in illis מרקולים *Merkolis* pro *Mercurio*, alia item nomina parilis apud Ebraeos existimationis. Hoc vero genus in sacris suis libris non nominatum, memorari aliqui[t] aiunt nunquam sine לשון גנאי seu contumeliosa aliqua syllabarum sive inversione sive decurtatione, aliave ejusmodi nota qua opprobrium ingeratur. Qui autem interdictum sacrum sumunt (atque receptior est haec sententia) de non ineunda cum gentili, dum idololatra est, societate, illud intelligunt perinde ac si dictum fuisset, cum gentili seu idololatra societatem minime ineas, ne forte inde adigatur ille ad jurandum per deos suos, & tu sic in causa sis ut velut dii, seu non sine divinitatis charactere, ii non solum memorentur, sed & habeantur. Atque illud על פיך, quod *ex ore tuo* vertimus, interpretantur pro eo quod est *per te*, seu ex ratione societatis ejusmodi a te initae. Atque ex parili ratione tum votum nuncupari nomine idoli alicujus, tum juramentum per illud praestari ea lege volunt interdici. Maimonides[v], הנודר בשם עבודה זרה והנשבע בה לוקה ש"נ ושם אלהים אחרים לא תזכירו אחד הנשבע בה לעצמו ואחד הנשבע בה לגוי ואסור להשביע הגוי ביראתו ואפילו להזכיר שם ע"ז שלו דרך שבועה אסור: *Qui votum nomine idoli concipit, & qui per illud jurat, vapulat. Nam & lex sacra est*[x], *Et nomen deorum aliorum non memorabitis. Neque diversa est ratio ejus qui sibi sic juraverit, & qui gentili. Etiam nefas habetur adjurare gentilem per id quod is timet*; *& quidem memorare idola seu cultum ejus sub ratione juramenti, pariter vetitum.* Subjungit autem paulo post Maimonides, ואסור לגרום לאחרים שידרו וישקיימו בשם עבודה זרה: *In vetitis etiam habetur in causa esse ut quis alius sive votum nomine idoli concipiat, sive nomine ejus pactum confirmet* seu *juret*; quae omnia partim item in Misna[y] partim in Gemara Babylonia occurrunt. Neque aliter intelligunt illud Misnae, הנודר בשמו והמקיים בשמו עובר בלא תעשה: *Qui votum concipit aut jurat nomine idoli, praeceptum negativum violat*, id est, legem quam diximus de non nominandis diis alienis. Sed & verba illa Misnae vir doctissimus vertit, *Qui votum concipit in nomine ejus, atque id exsolvit nomine ejus, violat interdictum.* Poena autem forensis, id est hic verberum, non infligebatur ex hac lege nisi ei a quo aut votum conceptum aut juramentum praestitum fuerat idoli nomine. Maimonides, ואינו לוקה אלא הנודר בשמה והמקיים בשמה והוא הנשבע בשמה: *Sed nemo vapulat* (ex legis jam dictae violatione, quam ibi interpretatur) *nisi qui votum conceperit aut pactum confirmaverit, id est, qui juramentum praestiterit, illius nomine.* Neque enim idololatriae speciem faciebant hujusmodi sive vota sive juramenta. Neque divinitatem aliquam idolis inde tribui existimabant. Nam sic supplicio ultimo punita fuissent, juxta capite primo dicta. In iis vero censebantur interdictis שאין בהן לא כרת ולא מיתת ב"ד שלוקין עליהן *quorum ob violationem* in sacris literis *neque excisionis poena, ne-*

[m] Act. Apost. xix. 37. [n] Apud D. Cyrillum, lib. 7. in Julianum. [o] Exod. xxiii. 13. [p] Vide Annot. ad Maimon. Halach. *Aboda Zara*, cap. 5. [q] De Idololatria, cap. 20. [r] R. Nachmanides in *Pirush Tora*, fol. 134. b. vide Gloss. Jarchii ad Exod. xxiii. 13. & ib. Paul. Fagium. [s] Hal. *Aboda Zara*, cap. 5. Mos. Mikotzi Praec. Negat. 32. *Shulcan Aruch* in *Jore Dea*, cap. 147. [t] Vide Mosem Mikotzi Praec. Negat. 32. & Paul. Fagium ad Exod. xxiii. 13. [v] Halach. *Aboda Zara*, cap. 5. & Hal. *Sheluchin Weshothphin*, cap. 5. Adde Mosem Mikotz. Praec. Negat. 32. [x] Exod. xxiii. 13. [y] Tit. *Sanhedrin*, cap. 7. & Gem. Babylon. ib. fol. 63. b.

que

que ultimum supplicium quod forense est, praestituitur; *sed ex more recepto verbera debentur.* Horum numerus est CLXVIII. Simul alibi a [z] Maimonide series eorum exhibetur. Unde liceat hic obiter indiligentiae in prolegomenis ad libellum de Successionibus in bona defuncti lapsum corrigere, ubi hac de lege verba fecimus [a]. Numerum ibi, adjecto denario, correctum sequatur, *Octavus ibi est de* הנשבע בשמה *eo qui per nomen Dei alieni juraverit*, quod & fusius, &c. Certe legis illius sacrae interpretationi illi de juramento haud parum accedit versio Vulgata: etenim ea diserte, *Per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Caeterum in sententiarum quas diximus Talmudicarum discrimine nihil reperitur, quo illud quod de alienis diis non blasphemandis apud Josephum & Philonem occurrit, omnino innitatur. Quin magistri qui *abominationis, rei exsecrandae*, id genus alia contumeliae nomina deorum mentioni (qui itidem mos est sacrae scripturae) adjici voluere, plane non sine blasphemia eos a Judaeis nominandos docent. Et exemplum est ea de re illustre in historia sacra [b] de Elia & Baalis prophetis. Atque ubi de abolendis idolis, quae ע״ז id est *idololatriae* nomine designare solent, loquuntur magistri [c], expressim interdum adjiciunt שצריך לכנות לה שם גנאי *oportere ei nomina contumeliosa & opprobria ingerere.* Caeterum ex alia lege sacra obtinuit apud aliquos opinio (quae hic non praetermittenda) gentilium nemini licuisse numini patrio, seu quod ipse velut patrium coluerit, maledixisse: Quod de gentili apud Ebraeos qui nondum solenni ritu proselytus domicilii factus est intelligendum. Verba sunt legis [d] superius etiam adductae, *Quicunque maledixerit* אלהיו id est *Deo suo, portabit iniquitatem suam*, ubi paraphrasis Uzielidi tributa habet שום כינוי אלהיה *cognomini Dei sui.* Hac locutionis formula interdici volunt nonnulli [e] non solum cunctis mortalium numinis sanctissimi ac unici maledictionem, verum etiam gentilibus, apud Ebraeos, maledictionem deorum quos sibi adsciverant: neminem scilicet gentium deo suo fictitio, cui nondum renunciaverat, maledixisse, sine interdicti illius violatione; tametsi poena mortis ibi praescripta ad eos tantum attineret (ut & verba legis postea sonant) qui Deum verum ejusque nomen sanctissimum blasphemarent. Sed disciplinae Talmudicae, seu quae magistris receptior est, quantum video, nimis est haec dissona. Et de hisce hactenus.

[z] Halach. *Sanhedrin*, cap. 19. [a] Edit. Lond. 1636. pag. 12. [b] 1 Reg. xviii. 27. [c] In *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*, cap. 146. §. 15. [d] Lev. xxiv. 15. [e] Videsis Abarbinel in *Pirush Tora*, fol. 267. col. 4. & Theodoretum, item Augustinum, alios, ibi.



DE JURE NATURALI ET GENTIUM, Juxta Disciplinam EBRAEORUM,

LIBER TERTIUS:

In quo dispicitur utrum ad cultum aliquem divinum alium praeter eum qui simplici jam enarratorum binorum interdictorum (qua negativa sunt) & quae sequuntur praeceptorum reliquorum Noachidarum observatione continetur, obligari voluerint Ebraei Noachidas seu gentiles, & ad qualem. Item, qualis proselyto domicilii seu gentili Hierosolymis alibive in ditione Israelitica cultus, ex jure gentium sive imperativo sive interveniente, permissus; qualis interdictus. Et quid statuerint Ebraei de eo quod est, an sabbatum seu septimus, in dierum a rerum initiis periodis, dies universo generi humano fuerit celebrandus.

CAP. I.

Utrum in superius explicatis interdictis binis tam affirmativum quid de cultu insuper numini exhibendo, quam negativum de idololatriae & blasphemiae abstinentia, ex Ebraeorum seu Talmudicae doctrinae mente contineatur.

Explicatis in libro superiori prioribus binis Noachidarum seu naturalibus interdictis (idque quatenus mere interdicta sunt seu praecepta negativa) nimirum altero quod de cultu extraneo seu idololatria datum est, altero quod de maledictione nominis divini seu blasphemia, una cum jure gentium apud Ebraeos ad utrumque, etiam in negativis, spectante; consequens est ut, priusquam transimus ad caetera quibus mutua hominum inter se officia praestituuntur, dispiciamus quid de officio cultuve alio (praeter simplicem negativis obedientiam praestandam, qua quidem etiam cultum aliquem contineri nemo non videt) hoc vel illo ritu numini a Noachide ultra praestando hic velint Talmudici: id est, ut videamus quidnam affirmativi in hisce Noachidarum praeceptis circa cultum numinis contineri sive docerent sive admitterent. Etenim cultum extraneum universo humano generi fugiendum, uti pariter & blasphemiam, ex superius traditis voluisse eos liquet. Caeterum ita nihil praeter negativum quid & abstinentiam tradi forsan videatur. Nam utrum praeceptum aliquod aliud hac de re affirmativum (excepto eo quod est de simplici obedientia) quo obligentur Noachidae, implicari interdictis idololatriae ac blasphemiae

miae innuerent, id eſt, utrum inſuper colendum ex jure hominum communi vellent Deum verum ac benedicendum (nam de ſanctificatione numinis, cujus oppoſitum faciunt profanationem, jam ante [a] fuſius dictum eſt) non omnino ſane ex eis quae de interdictorum ſenſu ſupra allata ſunt fit manifeſtum: Neque ſane de affirmativa hic parte perinde ac de negativa, dum de jure Noachidarum agunt, expreſſius agere ſolent. Caeterum rite perpenſa ea quam tradunt diſciplina, haud difficile eſt elicere, etiam Deum verum Noachidis ſeu univerſo generi humano colendum, eos, idque ex jure naturali, voluiſſe, & caetera quae cultum ſolent comitari, veluti benedictionem, amorem, majeſtatis agnitionem, gratiarum actionem, id genus reliqua, a cunctis eodem jure praeſtanda. Jurium ſcilicet Noachidarum ſeu naturalium de officiis erga numen, ratio eis plane erat duplex: altera qua rempublicam ſeu eccleſiam Ebraicam ita ſpectabant ut proſelyti domicilii, ſeu, quod idem eſt, Noachidae in Ebraeorum ditione agentes, ob eorum violationem eſſent ex ſententia forenſi ſeu jure gentium ſive imperativo ſive interveniente puniendi; cujus rei exempla habentur libro in ſuperiori: altera qua univerſum genus humanum ex imperio numinis, atque poena violationi inde, ſed non ex ſententia fori civilis, imminente, ſimpliciter obligari ad ea ſervanda volebant. Diffitendum quidem non eſt, ratione priori, affirmativum quale diximus de cultu ſeu benedictione in memoratis interdictis ſeu eorum materie contineri ſeu innui praeceptum nullum. Neque enim docent proſelytum domicilii ſeu gentilem in ditione agentem Iſraelitica, eo quod non coleret numen, ſic fuiſſe puniendum; id eſt, numen ab eo ſive formula ſive tempore aliquo praeſtituto eſſe colendum, poenamque ſimul ejuſmodi praecepti violationi apud ipſos in foro civili imminere. Praeter idololatriam ac maledictionem numinis, nihil omnino ex jure naturali ſeu hominum omnium communi pro crimine ſeu delicto circa ſacra, quatenus ſcilicet Noachidas ſolum ea reſpiciebant, in foro, quoties ſiſtebatur proſelytus domicilii ſeu gentilis ejuſmodi, ipſis eſt habitum: Adeoque praecepto Noachidarum de cultu affirmativo ibi locus nullus. Poſteriori autem ratione, ſenſus eorum proculdubio erat; obligari quidem tum proſelytos domicilii, tum reliquum genus humanum ad cultum divinum: quem tamen ſi non praeſtarent, numinis ſolius exſpectandam eſſe, non civilem, vindictam. Quoniam vero hujuſmodi juris uſus forenſis in eo quod negativum erat, interdicti formula conceptum, omnino verſabatur, ideo paſſim negative ſeu de abſtinentia idololatriae ac maledictionis, non pariter affirmative ſeu de cultu exhibendo aut benedictione, in commentariis eorum praecepta haec quae ad officia erga numen ſingularia ſpectant ſolent exprimi. Ita interim ut pariter credendum ſit etiam ex ipſa negatione idololatriae ac maledictionis ſeu blaſphemiae affirmationem de cultu & benedictione veri numinis ſimul voluiſſe eos inſinuari: nimirum cultum qualemcunque divinum adeo in univerſum praeſtari ſolere, ut nemo ſit hominum, mentis non depravatiſſimae, qui eum rei alicui divinitatis nomine non praeſtiterit, ſeu duxerit praeſtandum: id eſt, aut cultum verum, aut falſum ſeu extraneum. Atque ita & falſi cultus interdicto, cujus ſimpliciter ac negative ſumpti in foro apud eos ſolum ratio habebatur, breviuſcule concepto, verum conſequenter ac affirmative imperari generi humano a numine (tametſi non ſub poena ex ipſorum fori ſententia infligenda) volebant. Adeo ut ſenſus eſſet, idque ab ipſa rerum origine ſeu tempore interdicti, uti aiunt illi, dati; deos alienos non habendos ſeu colendos eſſe, ſed tantum Deum illum unicum ac verum, ſecundum id etiam quod habetur in fronte Decalogi. Nam & quod legitur ibi de *non habendis diis aliis*, interpretantur ſubinde etiam magiſtri [b], quemadmodum & ſcriptores chriſtiani, velut de cultu vero Deo exhibendo, a numine pariter & ſatis expreſſim dictum. Quin & *aliorum* nomen, uti & *alieni* in *cultus alieni* ſeu *extranei* vocamine, ita exceptivi, veluti *niſi*, *praeter*, *ſed*, vim innuit, ut quod excipitur, ſeu verus Deus ejuſque cultus, ex locutionis formula ſatis affirmative contineri poſſit. Juxta fere receptius illud apud juriſconſultos; *Promitto* [c] *quod nunquam aliam accipiam uxorem niſi te*, ſponſalia contracta eſſe, perinde ac ſi dictum fuiſſet, *in uxorem te accipiam*. Quae vocabula a nonnullis controvertuntur quidem, dum de ſponſalitio contractu agitur; verum non quod vim exceptivi affirmativam omnino quis ſimpliciter neget, ſed quod non in vulgi collocutionibus, unde hujuſmodi fieri aſſolent contractus, perinde ac in legibus ac decretis ex graviori prudentum ſermone natis, exceptivi ejuſmodi vim ſolum admitti velint, nec ſane immerito, aliqui. Nec praetereundum eſt hic illud Naamanis Syri, qui velut proſelytus domicilii cultui extraneo renuncians, *Servus tuus*, inquit Eliſaeo [d], *non faciet amplius holocauſtum & ſacrificium diis* ſeu *deo alieno* ſeu *alii praeter Dominum*; quaſi dixiſſet, *ſed faciam Domino*. Sed ut haec jam dicta recte capiantur, & quid de Noachidarum ad cultum numini praeſtandum obligatione (qua benedictionis obligationem involutam eſſe nemo non videt) ſenſerint Ebraei, liquido ſatis conſtet, fuſius eſt agendum, & res altius repetenda. Tria igitur ſunt primo hic conſideranda. Primum, cultus divini, legitimi ſcilicet ac Deo vero & unico citra idololatriam exhibiti, qui ab ipſis rerum initiis uſque in tempora Moſaica ubicunque locorum, & dein extra territorium ſeu ditionem Iſraeliticam Noachidis, florentibus Ebraeorum rebus, in uſu fuit, genera, tempora, loca. Secundum, cultus illius qui Ebraeis poſt legem datam in uſu, genera, item tempora, & loca. Tertium denique, qualiſnam cultus ex jure Ebraeis gentibuſque aliis imperativo aut interveniente, ſive proſelytis domicilii ſeu Noachidis in Ebraeorum ditione agentibus, ſive exteris aliis, qui tametſi ibi non agerent, ſacris nihilominus citra Judaiſmum Hieroſolymitanis miſceri ſubinde cupiebant, interdictus ſit; qualis item permiſſus; & quare cultus aliquis ſic ſive permiſſus ſive interdictus. Nam ex his, ut oportet, diligentius perpenſis, etiam & obligationem qua ad cultum divinum obſtringi Noachidas, utcunque in foro ab ipſis ob

[a] Lib. 2. cap. 10. [b] Videſis Iſaac Abarbinel lib. *Roſh Amana*, cap. 7, &c. [c] Alexandr. 5. conſil. 152 156. Decian. Conſil. 133. Albericus Gentilis de Nuptiis, lib. 2. cap. 9. [d] 2 Reg. v. 17.

I viola-

violationem non puniendos, sed numinis vindictae relinquendos, innuerent, absque difficultate eliciemus.

CAP. II.

Proponuntur aliquot quae capitis superioris disquisitioni inserviant: cultus simplicioris numinis veri a rerum initiis usque in Mosaica tempora, ac dein ejus qui aliis praeter Ebraeos, dum stetit eorum respublica, gentibus in usu, consideratio brevis.

QUOD ad cultus divini quo usi sunt Noachidae, eorumque decessores vetustissimi, genera hic attinet; scimus paulo post ipsa rerum initia cultum divinum per oblationes exhibitum, ut in sacrificiis Abelis & Caini. Adae item similis tribui solet, idque ex eo quod tunicas haberet [a] ipse & Eva pelliceas. Oblationum autem Abelis & Caini, hujus frugum, illius pecorum, ratio traditur in vetustis orientalium aliquot christianorum monumentis: Utrosque nimirum ex Adae patris monito sacrificasse, cum contenderent de sororum conjugiis, atque eam deperiret Cainus quam ei conjungi nefas pronunciarat pater. Nam cum Abele gemellam natam Awinam, cum Caino Azronam aiunt: hanc autem sibi in uxorem jungere voluisse Cainum, refragante Ada, & Awinam ei, uti & Azronam Abeli, (ne alteruter suam haberet gemellam) destinante, & demum ad hunc modum utrumque monente,

خذا من اثمار الارض ومن اولاد الغنم وانطلقا
الي راس هذا الجبل المقدس وقربا قربانكما
وحينيذٍ تاخذا نسا كما وجاب قاين من ثمار
ارضه بقرابين لله طيبة نقية وجاب هابيل
من ابكار غنمه بقرابين لله طيبة نقية فبينما
هما طالعان الي راس الجبل اذ دخل الشيطان
في قاين ان يقتل اخاه هابيل من اجل
ارزون اخته ومن اجل هذا لم يقبل الله قربان
قاين فلما قدما قرابينهما قبل الله قربان
هابيل ولم يقبل قربان قاين

Sumite vobis ex fructu telluris & ex foetu gregis, & ascendite in montis hujus sancti cacumen, & offerte oblationes vestras, atque tum accipietis uxores vestras. Attulit autem Cainus e frugibus terrae suae oblationem Dei opimam mundamque; Abel, ex primogenitis gregis oblationem opimam mundamque. Cum autem simul ascendebant in montem, diabolus suggessit Caino ut interficeret fratrem suum Abelem ob Azronam sororem suam; unde fiebat ut non acciperet Deus oblationem Caini. Et cum offerebant oblationes suas, accepit Deus oblationem Abelis, Caini vero respuit. Ita scilicet Saidus Batricides patriarcha ante annos septingentos aut circiter Alexandrinus. Et apud Ebraeos [b] sane de gemellis illis, ac Caini in fratrem ob gemellae suae amorem malevolentiam, parilis fere habetur narratio. Noachum autem altari exstructo [c] obtulisse holocausta legimus, nec Abrahamum [d] semel & Jacobum [e] aras erexisse. Preces [f] item, benedictiones, adorationes, sacrificia, vota in intervallo illo habentur quod legem Mosaicam antevertens ad Noachidas generisque humani universitatem pariter attinuit. Primogenitorum tunc temporis sacerdotia, de quibus alibi egimus [g], praetermitto. Et jumenta pariter omnia, ferae, volucria, sine sexus discrimine aut vitii corporis ratione, altari satis idonea tunc habita; excepto, quod Noachidis [h] immundum erat; nam de immunditie animalium etiam Noacho nemo nescit monitum a numine datum. Gemara Babylonia, ubi de primogenitorum sacerdotio & tempore quod tabernaculi structuram praecedit loquitur, statim subjungit [i], והכל כשרין להקריב בהמה חיה ועוף זכרים ונקבות תמימין ובעלי מומין טהרי אבל לא טמאין : והכל קרבנו עולות : *Et universa animalia rite offerebantur, sive jumentum* seu *pecus, sive fera, sive avis, idque tam foeminea quam mascula, tam vitiosi quam integri corporis, modo ex mundis essent, non item immunda. Et victimae sic oblatae fuere cunctae holocausta.* Nam & sic interpretatur glossa שלא היו מקריבין אלא עולות *quod non offerebant alia* (saltem eorum quae immolabantur) *praeter holocausta.* Ad idem intervallum attinet illud domini ad Eliphazum & amicos ejus duos; *Iratus* [k] *est furor meus contra te & contra duos amicos tuos, quia non estis locuti de me rectum sicut servus meus Job. Nunc igitur tollite vobis septem boves & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis; & Job servus meus orabit pro vobis.* Atque ex jam memoratis etiam satis liquet tam hilastica seu propitiatoria atque expiatoria quam eucharistica fuisse sacrificia Noachidarum decessorumque. Controvertitur autem panis & vinum [l] a Melchisedeco prolatum: & theologi qui utrinque disputant obvii sunt. De sacrificio ea non sumunt Ebraei. Sed de ipso, quantum ad hanc rem, in christianis orientalium monimentis vulgo non prostantibus habetur traditio quam adjicere non pigebit: cruentis nempe eum sacrificiis omnino abstinuisse, etiam & abstinere debuisse, & panem ac vinum duntaxat Deo obtulisse. Tantundem enim de eo asseritur apud Saidum Batricidem patriarcham illum Alexandrinum jam ante laudatum, idque tum ex vaticinio quod de eo effatus est (sic e veterum scriptis Batricides ille) Noacho filio Lamechus, tum ex consonis quae a Noacho accepit Melchisedecus ea de re mandatis: Scilicet

[a] Genes. iii. 21. [b] Apud R. Eliezer in *Pirke*, cap. 21. [c] Genes. viii. 20. [d] Ibid xii. 7. & xiii. 18. [e] Ibid. xxii. 5.13. & xxviii 18. & xxxiii. 20. & xxxv. 1. [f] Genes. xiv. 20. & xx. 17. & xxviii. 20. & vide vi. ult. Job xlii. 8. [g] De Successione in Pontific. lib. 1. cap. 1. [h] Vide Genes. viii. 20. [i] Ad tit. *Zebachim*, cap. 14. fol. 115. b. sic Abulensis in 1. Paralip. cap. 16. quaest. 28. [k] Job. xlii. 7, 8. [l] Genes. xiv. 18.

Adae

6

Adae corpus aromatis, ut ipſe moribundus praeceperat, conditum, e Sethianorum monte, ubi في مغارة الكنوز *in ſpelunca theſauri* repoſitum eſt, in وسط الارض *medium* ſeu *umbilicum telluris* poſtmodum transferendum, idque ex ipſius etiam juſſu; atque eam rem ut procuraret, in mandatis dediſſe Noacho Lamechum paulo ante obitum. Adae igitur corpus, uti & aliorum patriarcharum ita ſepultorum, in arcam ſecum tuliſſe Noachum, idque ad exitum vitae ferme retinuiſſe: Moribundum autem Semo imperaſſe ut corpus Adae clam inde educeret.

وخذ معك خبزا وخمرا لمعونة الطريق وخذ
معك ملشيساداق ابن فالق وتذهبا حتى
تجعلاه حيث يريكما ملاك الله واوصي
ملشيساداق وقال له يجلس في ذلك الموضع
ولا يتخذ له امراة ويكون ناسكا ساير ايام حياته
لان الله اختار ان يخدم قدامه ولا يبني له بيتا
ولا يهرق هناك دما لا سبع ولا طير ولا شي
من الحيوان ولا يقرب هناك قربان الا خبزا
وخمرا يكون يقرب الي الله

Et accipias tecum panem & vinum in viaticum. Accipias item tecum Melchiſedecum filium Phalegi (ita vocatur apud Batricidem) *& progrediamini uſque in locum ubi recondendum eſt corpus illud, quem vobis indicabit angelus Dei. Impera autem Melchiſedeco, ei dicens quod in loco illo ſedes ſibi ponat, nec uxorem ducat, ſed ut religioſus reliquos vitae ſuae dies tranſigat, quoniam Deus eum elegit ut miniſtret coram eo. Nec aedificet ſibi templum, nec ſanguinem effundat ſive pecoris ſive volucris ſive alius cujuſpiam animalis, nec offerat illic oblationes alias praeter panem & vinum, quae Deo offerenda ſunt.* Quae ferme (praeter alia ad hanc rem non ſpectantia) prius ibi Noacho dixerat de eodem Lamechus, ſubjungens لان من هناك يكون خلاص ادم *quoniam inde erit ſalus* ſeu *ſalvator Adae.* Locus ſcilicet, telluris medium ſeu umbilicus in traditione hac, eſt Golgotha, ubi crucifixus Jeſus Chriſtus. Quo nomine non ſemel apud Judaeos Hieroſolyma dicuntur. Atque illic a Semo & Melchiſedeco repoſitum juxta mandata illa Adae corpus ibi poſtea narratur. Sed de cultu divino temporum vetuſtiſſimorum, ſeu quae Moſem praecedunt, conſulas Jacobum Bolducium in libris [m] de eccleſia ante legem, Joannem Cloppenburgium in ſacrificiorum patriarchalium ſchola, Paulum Burgenſem in ſcrutinio [n] ſcripturarum, praeter Alexandrum Alenſem *, ſcriptores ad Geneſim obvios, & qui de ſacrificio miſſae ſcriptitant nonnullos. Accedant hic varii in libaminibus, frugibus, hoſtiis, aromatibus, aliis numini vero offerendis ritus quos uſurpabant philoſophi aliquot gentilium, ſeu viri cordatiores, deorum multitudinem non omnino re, utcunque nomine (quod pluraliter paſſim Ebraice uſurpari etiam in ſacris literis, dum unicus Deus O. M. innuitur, nemo neſcit) admittentes: ſeculis illis nempe ac regionibus quibus cultus formulae nondum [o] a numine expreſſius praeſcriptae. Apud Graecos veteres ac Latinos (praeter ſingulares aliquot luſtrationum ac februationum, ſine oblatione, ritus, ſupplicationes, initia, id genus alia ad cultum ſpectantia) bina ſacrificiorum genera illa ſexcenties occurrunt, quae ab exemplo vetuſtiſſimo Abelis & Caini in genus humanum manaſſe non immerito ſane exiſtimant viri docti [p]: alterum cruentorum, veluti victimarum, ſeu hoſtiarum; quale Abelis fuit: alterum incruentorum, veluti frugum; quale Caini, id genus alia. Et utrumque in panis & caſei oblatione rite conjungi exhiberique volebant haeretici quidam priſci, Artotyritae inde [q] dicti. Sed de ſacrificiis gentilium fuſius Lucianus in Prometheo, Porphyrius in libris de abſtinentia animalium, alii tum veteres tum recentiores qui de eis volumina conſcripſere integra. Et gentium ſacrificia ejuſmodi tam hilaſtica atque expiatoria ſeu purgatoria quam euchariſtica, paſſim liquet tum apud autores omnium manibus tritos, tum ex dedicationum altarium formulis; quarum exempla ampliora tametſi habeamus ſatis pauca, ex eis nihilominus quae exſtant mentem dedicantium adeoque ſacrificantium elicere non ita eſt difficile. Digna eſt quae ad hanc rem obſervetur ara illa Jovi O. M. ſub annum Chriſti CXXXVII. Salonae in Dalmatia dedicata [r], Cn. Domitio Valente duumviro, praeeunte C. Julio Severo pontifice. Verba quae huc ſpectant ſunt, *Hanc tibi aram, Jupiter Opt. Max. dico dedicoque, uti ſis volens propitius mihi collegiſque meis, decurionibus, coloniis, incolis coloniae Martiae Juliae Salonae, conjugibus, liberiſque noſtris.* Ipſa, ni fallor, ara jam Patavii viſitur. Saepius item *ex voto & pro ſalute* nunc dedicantis & ſuorum, nunc principis atque aliorum, dedicationes ejuſmodi factae. Et in univerſum hac de re Paulus Burgenſis epiſcopus, Exjudaeus [s]; *In qualibet aetate & apud quaſlibet hominum nationes ſemper fuit aliqua ſacrificiorum oblatio. Quod autem eſt apud omnes, naturale eſt. Hujus autem rei ratio eſt. Nam ſicut in rebus naturalibus inferiora naturaliter ſuis ſuperioribus ſubduntur, ita etiam naturalis ratio dictat ut ſecundum naturalem inclinationem homines ei quod eſt ſupra omnes ſubjectionem & honorem exhibeant ſecundum modum homini convenientem. Qui quidem modus eſt ut ſenſibilibus ſignis utatur ad exprimendum interiorem conceptum, ſicut ex ſenſibilibus cognitionem accipit inviſibilium. Unde ex naturali ratione procedit quod homo ſenſibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in ſignum ſubjectionis & honoris, ad ſimilitudinem eorum qui*

[m] Lib. 1. cap. 1. cap. 2. lib. 2. cap 5, &c. [n] Part. 2. diſt. 3. cap. 11. * Summae part. 4. membr. 1, 2, 3, 4 & 5. [o] Videſis S. Thom. 2. ſecundae quaeſt. 93. [p] Fortunius Licetus, in Encyclopaedia ad aram Nonarii Terrigenae, cap. 0. pag 96 & 97. [q] Guido de Perpiniano haereſ. 28. [r] Apud Jan. Gruter. pag. 23. num. 12. & Roſſinum, Antiq. Rom. lib 2 cap 2. Barnab. Briſſonium, formularum lib. 1. [s] Scrutinio Scripturarum, part. 2. diſt. 3. cap. 11.

dominis suis aliquid offerunt in recognitionem dominii. Sic ille, uti & S. Thomas [t]. Alii tantundem non raro. Fuere etiam in sacrificiis gentium aliquot hostiae humanae; quod pueri sciunt, eaeque, ut nonnulli voluere, ex Ebraeorum aliquo ritu per imitationem desumptae. Sed ea de re plura libro quarto, ubi caput de homicidio tractatur. Atque ut Noachidis seu gentilibus cultus genera sic variabant, ita etiam tempora & loca. Nam similiter, pro diversitate morum, alia atque alia ab ipsis pro arbitrio festa instituta observataque; alia item atque alia fana, delubra, altaria cultui sacrata. Et spontaneae oblationes ritusque alii sacri quoquo tempore ac loco fere pro re nata adhibiti.

CAP. III.

Cultus divini qui Ebraeis ex lege sacra in usu, generum, temporum, locorum synopsis. Horum quaenam sive permissa sive interdicta proselytis domicilii, seu gentilibus in ditione Israelitica, summatim indicatur.

QUOD ad secundam hic distributionis partem attinet, seu ad cultum Ebraeis ipsis in usu; genera quidem ejusdem nemo nescit fuisse perquam multiplicia. Ea partim in precibus, adorationibus, benedictionibus, gratiarum actionibus visuntur; partim in victimis, sacrificiis, oblationibus, praestationibusque in corpore Mosaico memoratis, praeter solemnem cessationem a laboribus, & obedientiam insuper qua & praeceptorum corpus reliquum erat observandum. Preces autem, adorationes, benedictiones, gratiarum actiones considerantur hic aut qua simplex in eis cultus habitus, aut qua ritus singulares insuper Ebraici ipsis sive ex lege scripta sive ex moribus superindictis conjuncti sunt. Similiter sacrificiorum, oblationum, ac praestationum, atque actuum sacrorum multiplicium qui ipsis in usu, ratio ineunda est duplex; aut qua ex humani generis usu solemniores erant, spontaneae ac simpliciores, aut qua adjecta habuere jussa, ceremonias, ritusque Ebraeis peculiares. In priori genere censebant ipsi holocausta plane spontanea, tum quae sacris usibus reliqua sive ex voto sive ex donatione ultro ac simpliciter addicta sunt. Posterioris generis exempla habentur in libaminibus, pacificis, expiatoriis, quorum & ritus varii Ebraeis praescripti sunt, & finis, praeter simplicem cultum, diversimode etiam peculiaris; quemadmodum insuper in annuis dimidiorum siclorum pensitationibus, decimationibus, agni paschalis comestionibus, primogenitorum consecrationibus, & quae sunt ejusdem commatis caeteris. Quod ad tempora autem spectat hujusmodi cultus; dies festi, praeter jejunia, fuere ipsis non pauci, veluti sabbatum seu septimus quique in periodo dierum a rerum conditu putatorum dies, dies paschales, neomeniae, scenopegia, alii nemini ignoti; sacrificia item matutina & vespertina; Preces pariter quotidie cum gratiarum actionibus effundendae; etiam & horae precum, uti apud christianos canonicae, ipsis peculiares: Preces enim, benedictiones, gratiarum actiones, ac celebrationes numinis etiam in legibus sacris jussas aiunt, veluti ex illa [a] ועבדתם את יהוה אלהיכם *& servietis dominum Deum vestrum*, seu *coletis, &c.* & ex illo [b], *Ut diligatis dominum vestrum, & serviatis ei toto corde vestro & tota anima vestra*, seu *colatis eum toto, &c.* Et in sapientum scitis [c] habetur איזו היא עבודה שבלב זו תפלה *cultum cordis esse precationem.* Id vero quod hoc nomine praestandum volunt sic describunt, שיהא אדם מתחנן ומתפלל בכל יום ומגיד שבחו של הק"בה ואחר כך שואל צרכיו שהוא צריך להם בבקשה ובתחנה ואחר כך נותן שבח והודיה לה' על הטובה שהשפיע לו כל אחד לפי כחו: *Ut homo quotidie supplicationibus & deprecationibus utatur, & laudes Dei benedicti exprimat, & dein ea quae sibi sint necessaria petitionibus & deprecationibus postulet; quo peracto, etiam profiteatur cum numinis laudibus bona ab eo ubertim accepta, quantum fieri potest, etiam singula.* Quoniam autem tempora precibus & gratiarum actionibus hujusmodi in lege sacra neutiquam praestituuntur, ideo ex majorum [d] sancitis inolevit ut tempora precum jugis sacrificii tempora imitarentur, adeoque matutinum contineretur intra quatuor horas inaequales a solis ortu, & vespertinum hora dimidia post nonam inciperet. Praetermittimus discrimen ex adjectitiis festorum sacrificiis ortum quod explicant Talmudici aliique [e]. Victimarum autem & libationum locus tabernaculum & templum Ebraeis erat. Et sunt in Pentateucho peculiares de loco leges [f]. Precibus & benedictionibus nullibi non usi sunt, nisi loci immundities obstaret. Jam vero tametsi nihil magis inculcant quam legis Mosaicae corpus integrum esse מורשה קהלת יעקב [g] *haereditatem ac peculium ecclesiae Jacob*, adeoque sibi proprium faciunt, nec gentibus aliis pariter a umine datum; nihilominus gentes alias ipsis non subditas nec in Judaismum receptas, ex eodem, velut ex optimo archetypo, sibi leges seu legum exempla non pauca sumpsisse, ritusque Mosaicos saepius, ut revera se res habuit, tam in sacris quam profanis imitatas esse gloriantur. Neque enim ita sibi proselytisque suis proprium id corpus fecere, quin semper fas fuisse opinarentur exteris qualibuscunque (modo proselytos domicilii excipias de quibus statim) ex eodem juris capita, pro arbitrio, sibi seligere. Non aliter atque Anglis aut Gallis fas est (quod nemo non videt) ex Italorum aut Hispanorum, his vicissim ex illorum legibus & moribus ea pro re nata & libitu desumere, sibique sua seorsim potestate ac imperio sancire, quae rerum suarum administrationi fuerint accommodatiora. Cum interea alteros alterorum, qua alterorum, legibus neutiquam teneri, uti nec gentes alias Judaicae legis corpore, qua Judaicae, obligatas esse sit manifestum. Huc spectat illud quod per hyperbolen forte, sed quae hac in re mentem eorum satis aperit, traditur de lege Mosaica cippis seu columnis [h] inscripta, idque linguis sep-

[t] Secundae quaest. 85. art. 1. [a] Exod. xxiii. 25. [b] Deut. xi. 13. [c] Gemar. Hierosolym. ad tit. *Beracoth*, cap. 4 fol. 7. col 1. *Sepher Siphri*, col. 140. Maimonid. Halach. *Thephila Webarceth Cohenim*, cap. 1. [d] Misna tit. *Beracoth*, cap. 4. Maimonid Halach. *Thephila Webarceth Cohenim*, cap. 3. Moses Mikotz Praecept. Affirm. 19. [e] Samuel. Petitus Variar. Lect. lib. 1. cap. 15. [f] Deut. xii. 5. & xvi. 2. & 5. [g] Deut. xxxiii. 4. [h] Vide Deuteron. xxvii. 8. & Josuae viii. 32. & Magistros ibi.

tuaginta

1

tuaginta (quo numero gentium univerſarum linguas ſolent denotare) atque inde a gentibus, velut divinum ſibi in rebus ordinandis exemplar, deſcripta. Sic enim de lege ſic inſcripta aiunt Talmudici [i]; בכל יום ויום אומות העולם משלחין נוטריהן ומשיאן את התורה שהיתה כתובה בשבעים לשון: *Indies gentes mundi miſerunt notorios* ſeu *ſcribas ſuos qui ſibi adferrent legem ſcriptam in linguis ſeptuaginta.* Et נתן הק"בה בינה בלב כל אומה ואומה והשיאו את התורה שהיתה כתובה בשבעים לשון: *Dedit etiam Deus O. M. intelligentiam cordi ſingulae gentis, ut procuraret ſibi legem illam* (ejuſdem exemplar) *linguis ſeptuaginta conſcriptam.* Conſonum & illud eſt quod habent [k] de ipſa legis datione, per hyperbolen etiam dictum; קולו הולך מסוף העולם ועד סופו *Dantis vox exivit ab altera extremitate mundi ad alteram.* Neque hiſce obſtat omnino quod habetur in calendario Judaico de jejunio ob Pentateuchum Graece ab interpretibus ſeptuaginta ſub Ptolemaeo Philadelpho verſum quotannis obſervando; ſcilicet ad octavum diem menſis Tebeth (qui Decembri noſtro ferme reſpondet) *jejunium. Scripta eſt lex Graece diebus Ptolemaei regis. Tenebrae triduo per totum orbem.* Nam ad diem VIII Tebeth ſpectat illud jejunium, ut rite collocatur a Joſepho Scaligero [l], Franciſco Ribera [m], aliis; non ad diem ſecundum, ubi perperam Gilbertus Genebrardus [n] & ejuſdem ſequax Paulus Guldinus [o] poſuere. Dum autem ſe graviter cruciant magiſtri aliquot ad cauſam jejunii hoc nomine ſic memorati eliciendam, atque aliam aliamque ejuſdem & tenebrarum, pro timore ſummo, mentionis afferunt, nullam omnino in eo ponunt quod aut nefas eſſet, aut lugendum, legem ſibi peculiarem cum gentibus aliis per ejuſmodi verſionem communicari: qua de re videſis quae animadvertunt Samuel Petitus [p] & Joannes Morinus [q]. Quin apud Philonem [r] expreſſim legimus, feſtum quotannis in Pharo inſula, ubi πρῶτον τὸ τῆς Ἑρμηνείας ἐξέλαμψε, *primo verſio illa effulſit*, non ſolum a Graecis ſed & Judaeis ipſis ideo celebratum. Legis igitur ſuae ſeu Moſaicae capita Judaei gentibus aliis, quae ſibi ſubditae non ſunt, nunquam ita inviderunt, ut ejuſdem, velut exemplaris optimi, uſum eis pro libitu, atque ut res eorum poſtularent, non uſquequaque licitum eſſe, juxta jam dicta, arbitrarentur. Quod ita de gentibus locisque extra ditionem Iſraeliticam dictum, aliter ſe multo habuit in proſelytis domicilii ac gentilibus ſive in ipſorum ditionem redactis, ſive ſacris (quod idem ferme hic eſt) Hieroſolymitanis citra Judaiſmum miſceri cupientibus, etiam dum abſentes erant. Fuere ſane ſingularia quaedam, ex ipſius numinis imperio, ſeu gentium hic jure imperativo, circa ſacra tam proſelytis domicilii quam Ebraeis expreſſim interdicta, utputa vitioſorum [s] animalium aliarumque ſpecierum quam quae praeſtituuntur oblatio. Caeterorum autem quae in corpore Moſaico ad cultum attinent pleraque, ex jure gentibus aliis ac Ebraeis interveniente; atque juxta receptam a majoribus legis ſacrae interpretationem, proſelytis domicilii etiam vetita ſunt, utcunque Ebraeis imperata; alia viciſſim illis pariter atque his permiſſa: quod tertio juxta diſtributionem ſuperiorem eſt conſiderandum. Monuimus ſupra, cultus apud Ebraeos generum ſeu actuum ſacrorum rationem haberi duplicem; aut qua ſimplices fuere citra Moſaicorum aut peculiarium Ebraeis rituum commiſtionem, aut qua ſic commiſti. Actus ſacri ſeu cultus genera ſic commiſta proſelytis domicilii (modo paucula illa quae ex imperativo jure ab ipſis, in hoſtiis ſeligendis, erant obſervanda, ſemper excipias) non omnino permiſſa ſunt; nec gentilibus aliis ſacris Hieroſolymitanis, dum abſentes erant, miſceri cupientibus. Veluti ſacrificia pacifica & expiatoria, & quae ſunt caetera (praeter holocauſta ſpontanea) in Pentateucho memorata, primitiarum, decimarum, dimidiorum ſiclorum annuae penſitationes, & quae ſunt id genus plurima. Quae autem ſic neutiquam ritibus Ebraicis commiſta ſunt, ſed ſolemniori humani generis, etiam a rerum initiis, uſu ac ſimpliciori animi affectu niti exiſtimabantur, ea proſelytis domicilii & gentilibus, quales diximus, plane ſunt permiſſa: veluti preces, adorationes, benedictiones, holocauſta ultronea ac ſimplicia; atque oblationes ſpontaneae, & vota ſimplicia. Tempora item hiſce praeſtandis promiſcue permiſſa, ita tamen ut nec feſtum aliquod Ebraicum proſelytis domicilii celebrare fas eſſet, nec ſibi feſtum aliquod ſtatuere, aut alibi ſtatutum in ditione Iſraelitica obſervare. Cultus autem locorum ratio ſic habenda erat, ut nec eorum quae libro in ſuperiori de lucis non plantandis, & ſtatuis ſeu altaribus non erigendis, intra ditionem Iſraeliticam, ex jure interveniente adducta, a proſelyto domicilii quid violaretur. Tametſi vix ſit quod dubitemus quin quoties excelſa Iſraelitis autoritate publica in uſu (qua de re ex hiſtoria ſacra ſatis conſtat) etiam & proſelytis domicilii fas eſſet in eis holocauſta offerre. Etiam ad templum (qua locutionis formula uti hic malo; tametſi etiam in templo dici poſſet, pro varia templi notione, ut infra patebit) locum habuere ejuſmodi proſelyti, caeterique gentiles proſelytorum inſtar, qui cultus gratia illuc ſubinde ſe contulerant. Sed haec luculentius intelligentur e teſtimoniis quae proxime afferimus, ſingula inde accuratius explicaturi.

[i] Miſna, & Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Sota*, cap. 7. fol. 21. col. 4. Halach. 5. & videſis *Seder Olam Rabba*, cap. 11. & Levi Ben Gerſom & D. Kimchium ad Joſuae viii. [k] Gemar. Babylon. ad tit. *Zebacim*, cap. 14. fol. 116. a. unde intelligendus Salomon Jarchius ad Pſalm. xxix. 7. & vide Gemar. Babylon. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 1. & Joſeph. Albo in *Sepher Ikarim*, part. 1. cap. 20. [l] Calend. Judaic. in Canon. Iſagogic. lib. 1. pag. 42. [m] De Templo lib. 5. cap. 21. [n] In Calend. Judaico. [o] Refutatione Elenchi Calendarii Gregoriani, lib. 5. cap. 12. [p] Var. Lect. lib. 2. cap. 1. [q] Exercit. Biblic. 8. lib. 1. cap. 3. [r] De Vita Moſis, lib. 2. [s] Levit. xxii. 18.

C A P.

CAP. IV.

Testimoniis fusius confirmatur quod jam ante asseritur de simpliciori illo cultus divini genere, seu quod in precibus, adorationibus, gratiarum actionibus, holocaustis, aliisque oblationibus plane spontaneis ac votis, citra juris ac rituum Ebraicorum commistionem, consistit, proselytis domicilii aliisque gentilibus in ditione Israelitica permisso; cultu vero Ebraico, qui in victimis expiatoriis ac pacificis (quatenus ab holocaustis spontaneis distinguuntur) aliis id genus sacrificiis, primitiarum, decimarum, & quae sunt similium praestationibus habetur, eis interdicto.

DE precibus & adorationibus proselytis domicilii seu gentilibus in templo Hierosolymitano (quomodo id capiendum, ostenditur capite septimo) permissis, satis quidem docemur ex ipsa Salomonis regis ad Deum de templo suo oratione, *Insuper*, inquit [a], *& alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum: audietur enim nomen tuum magnum & manus tua fortis & brachium tuum extentum ubique: cum venerit ergo & oraverit in hoc loco, tu exaudies in coelo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel; & probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam aedificavi.* Aiunt item [b], תנ' גוי שמברך את השם עונים אחריהם אמן *Traditio est, si gentilis Dominum benedixerit, respondendum esse a Judaeo, Amen.* Atque huc inprimis spectare videtur locus ille D. Joannis, ubi τινὰς Ἕλληνας, *quosdam Graecos* seu *gentiles*, Hierosolymam advenisse ut in festo paschatis adorarent, memoratur; scilicet adorarent solum & panegyris sacrae inspectores essent, non ut festum simul celebrarent; quod illis minime ibi permissum ex jure interveniente, ut mox docebitur. Verba evangelistae sunt, *Erant autem* [c] τινὲς Ἕλληνες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ, *quidam Graeci* seu *gentiles*, (ut legitur in vulgata, cui consonus est Syrus, qui habet אף מן עממא *etiam ex gentibus) ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.* Et de gentilibus qui in eo erant ut proselyti justitiae fierent, intelligit S. Chrysostomus. Sed non desunt [d] qui de Judaeis Graeciensibus seu Hellenistis, non de gentilibus, τὸ Ἕλληνες ibi capiunt. Quod si admittendum, ad gentilium quidem Hierosolymis adorationem quam tractamus, locus ille non attinebit. AEthiops item eunuchus [e] *venerat adorare in Hierosolymis.* Quod ad holocausta, spontaneas oblationes, & vota Hierosolymis gentilibus permissa, caetera vero cultus in sacrificiis sacrisque praestationibus genera ipsis ibi interdicta attinet; recolendum est, quod ex Gemara Babylonia [f] capite supra secundo occurrit, gentilium seu Noachidarum victimas omnes legitimas, Ebraeis fuisse holocausta. Et, ex Talmudica doctrina veteri, Maimonides [g], הגוים אין מקבלין מהן אלא עולות בלבד שנ' ומיד בן נכר לא תקריב את לחם אלהיכם · אפילו עולות העוף מקבלין מן הגוי אף על פי שהוא אובד ע"ז · אבל אין מקבלין מהן ושלמים ולא מנחות ולא חטאות ואשמות וכן עולות שאינן באות בנדר ונדבה אין מקבלין אותן מן הגוים כגון עולות יולדת וכיוצא בה מעולות שאינן באות משום נדר ולא משום נדבה: *A gentilibus recipienda non erant alia* (de victimarum & quae earum immolationes comitabantur oblationibus tantum loquitur) *praeter holocausta, secundum illud legis sacrae, de manu* [h] *alienigenae non offeretis panem Deo vestro.* Qua de re plura mox [i]. *Etiam holocausta ex avibus recipiebant a gentili, idque tametsi nondum cultui extraneo seu idololatriae renunciasset. Caeterum recipienda a gentilibus non erant aut sacrificia pacifica* [k], *aut sacra frumentacea* [l] *in lege praestituta, aut sacrificia pro peccatis* [m] *ex ignorantia, aut ea quae offerenda fuere ob transgressionem* [n] *voluntariam. Quin nec in holocaustum ab gentilibus recipiendum fuit aliquid quod ab eis non sponte aut ex voto offerebatur; veluti si gentilis adferret in holocaustum agnum puerperii nomine,* [o] *seu quid ejusmodi aliud in holocaustum quod neque ex voto neque ex spontanea penderet oblatione.* Alia ad hanc rem similia habentur non raro in Talmudicis [p]; quibus קדשי גוים dicuntur, seu *sancta gentilium* quae ab ipsis sic oblata. Etiam si animal, verbi gratia, pacifici sacrificii nomine a gentili expressim offerebatur, id accipiebant quidem sacerdotes, nec tamen ut eo nomine aut pacifici ritu offerri sinebant; sed quoniam exinde sciebant gentilis pietatem ac cultum, eo modo offerebant qui gentilis apud ipsos immolationibus proprius erat: Id est, holocaustum fiebat, & velut spontanea simpliciter oblatio habebatur. Sed vero si in pacificum sacrificium quid ejusmodi dederat, adjecta conditione ut inde expiarentur sive Israelitae laici sive sacerdotes, juxta ipsius quidem mentem ex ritu pacificorum offerebatur. Sed is non ipsius, sed Israelitae sive sacerdotis offerentis cultus erat. Idem Maimonides, גוי שהביא שלמים מקריבין אותן עולות שהגוי לבו לשמים נדר שלמים ונתנם לישראל על מנת שיתכפר בהן לישראל אוכלין אותן הישראלים כשלמי ישראל · וכן אם נתנן לכהן כהן אוכלין: *Si gentilis afferebat sacrificia pacifica, offerenda ea erant velut holocausta, quoniam cor ejus erat versus Deum,* seu *de cultu ejus spontaneo inde constabat. Si voverat pacifica, eaque dederat Israelitae sub conditione ut expiaretur Israel, come-*

[a] 1 Reg. viii. 41. Joseph. lib. 8. cap. 2. [b] *Beresith Rabba* Parash. 66. fol. 74. col. 4. [c] Cap. xii. 20. [d] Jo. Calvinus ibidem, & Jo. Drusius praeterit. lib. 4 Sed & vide ibi J. Maldonatum. [e] Act. Apost. viii. 27. [f] Ad tit. *Zebachim*, cap. 14. fol 115. b. [g] Hal. *Maigshe hakorbanoth*, cap. 3. Moses Mikotzi praecept. 182 fol. 215. col. 4. [h] Lev. xxii. 25. [i] Cap. 7. [k] Levit. iii. 1. [l] Ibid. ii. 1. [m] Ibid. iv. 27. [n] Ibid. vi. 6. [o] Ibid. xii. 6. [p] Vide Misn. tit. *Zebachim*, cap. 4. & Gemar. Babylon. fol. 45. b. & R. Obadiam Bartenorium ibidem § 5. & ad tit. *Siklim* cap. 1. § 5. & Gemar. Babylon. ad tit. *Erakin*, cap. 1. fol. 5. b.

denda

denda erant (quae nempe igne ex ritu non consumebantur) *ab Israelitis*; *si vero sacerdoti dederat*, *a sacerdotibus*. Dum vero ex illo toties in Levitico [q] de solemni offerentis manus in victimam impositione iterato pronunciant [r], כל קרבנות בהמה שיקריב יחיד בין חובה נין נדבה סומך עליהן כשהן חיין חוץ מן הבכור והמעשר ופסח: *Quoties privatus quisquam jumentum seu pecus offerebat* (nam avibus manum solemni imponi ritu nolunt) *sive obligatione* seu *lege sive sponte*, *manum ab illo* (id est, ab jumenti seu pecoris domino) *imponendam ei fuisse*, *dum hactenus vivebat*, *exceptis oblationibus primogeniti*, *decimae*, & *paschatis*; Dum, inquam, haec aiunt, excipiunt interea fatuum, minorem, foeminam, & gentilem. Illos quidem, ut liquet, quoniam etiam in rebus fere caeteris omnes velut minores habiti sunt, adeoque actus eorum ab aliis, veluti a tutoribus, praestandi: gentilem autem excipiunt, ni fallor (neque enim rationem hanc diserte hic adjectam comperio) ut undiquaque simplicior esset actus ejus sacrificandi, nec ritibus Ebraicis omnino quantum fieri potuit commistus. Unde nec holocaustis gentilium accessere נסכים *libamina*, alias ex lege [s] Ebraeorum holocaustis praestituta. Expressim aiunt עולות הגוים אין מביאין עמהם נסכים *Cum holocaustis gentilium neutiquam offerenda libamina*. Atque quod habetur de proselytis in lege illa de libaminibus, *Si peregrinetur apud vos proselytus*, *seu qui inter vos fuerit in generationibus vestris*, & *facere voluerit sacrificium ignitum in odorem suavitatis Domino*, *sicut vos facitis*, *sic ille faciet*, seu, ut vulgata, *tam indigenae quam peregrini eodem ritu offerent sacrificia*, id non de proselytis domicilii, sed de proselytis justitiae aut qui Judaismo nomina dederant, intelligunt. Sed de simplici tam proselyti domicilii quam Israelitae holocausto, voto, & spontanea oblatione legem aliam explicant; scilicet; *Quicunque* [t] *de domo Israel* & *de proselytis in Israel*, *obtulerit sacrificium suum pro cunctis votis suis atque pro cunctis oblationibus suis spontaneis quas adduxerit ad Dominum pro holocausto*, &c. Ubi de sacrificiis immaculatis leges sequuntur. De lege autem illa aiunt [v], איש איש להביא את הגוים שהם נודרים בנדרים ובנדבת כישראל *Dicitur in ea*, *homo*, *homo*, seu, ut Judaei Hispanienses, *varon*, *varon*, id est, *quicunque*, *ut etiam comprehenderentur gentiles*, *qui tam vovent* & *sponte offerunt quam Israelitae*. Tametsi nec desint qui [x] de proselytis justitiae locum illum capiant, haud interea expressim negantes proselytos domicilii simul contineri. Gentilium autem hujusmodi sacrificiorum Hierosolymis praestitorum exempla habemus in Vitellio, qui cum Herode tetrarcha & amicis ascendit Hierosolymam, Θύσων τῷ Θεῷ, ἑορτῆς πατρίου τοῖς Ἰουδαίοις ἐνεστηκυίας, *Sacrificaturus Deo in festivitate quae tum instabat publica*, uti Josephi [y] versio habet Geleniana: sed, ut Ruffiniana, *Deo hostias immolaturus. Nam dies festus Judaeorum propinquus instabat*; id est, paschalis, uti satis manifestum fit ex tempore mortis Tiberii, quae in XVII. Kl. Aprilis tunc [z] incidens sub idem tempus, seu paucis post diebus, Vitellio ibi literis est indicata. Et qui gentilis sic ad immolandum illuc venit, in festo exceptus est a populo εὐπρεπῶς, *honorifice* seu *favorabiliter ac decenter*, utpote qui sacrificiis ibi offerendis, modo quem e Talmudicis diximus servato, neutiquam non idoneus. Eadem de re apud Philonem [a], Πρῶτον τὸ ἡμέτερον ἱερὸν ἐδέξατο τὰς ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς Γαΐου θυσίας, *Primum nostrum templum excepit pro imperio Caii victimas*, quae scilicet spontanea erant Vitellii holocausta. Apud eundem item de Augusto Caesare; Οὕτως ὡσιοῦτο περὶ τὰ ἡμέτερα, ὥστε μονονοὺ πανοίκιος ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε, προστάξας καὶ δι᾽ αἰῶνος ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεχεῖς ὁλοκαύτοις καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων, ἀπαρχὴν τῷ ὑψίστῳ Θεῷ, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται, καὶ εἰς ἅπαν ἐπιτελεσθήσονται), μήνυμα τρόπων ὄντως αὐτοκρατορικῶν, *Tam sancte sacra nostra coluit*, *ut pene omnium domesticorum ejus dona exstent in templo nostro*, *in quo mandavit quotidiana mactari holocausta suis sumptibus Deo sacrata altissimo*; *quae sacra in hodiernum peraguntur*, *durabuntque perpetuo*, *monumentum virtutum vere imperatoriarum*. Quod nec semel memorat ille. Juge hoc Augusti sacrificium spontaneum taurus erat & agni bini, ut apud eundem legitur Philonem. Julia etiam Augusta ibi dicitur ornasse templum Hierosolymitanum aureis phialis & calicibus, καὶ ἄλλων ἀναθημάτων πολυτελεστάτων πλήθει, *aliisque donis plurimis* & *pretiosissimis*. Quin Alexandrum magnum Josephus [b] scribit summo cum honore a pontifice ac sacerdotibus Hierosolymis exceptum, ibique immolasse κατὰ τὴν τοῦ ἱερέως ὑφήγησιν, *juxta sacerdotis praescriptum*, quod ex ritu superius indicato factum aequum est ut existimemus. Consonum est illud in decreto Cyri regis Persarum de templo ac sacrificiis in eo instaurandis; *Et quicquid necessarium* [c], *juvenci*, *arietes*, *agni*, *in holocaustum Deo coeli*, *frumentum*, *sal*, *vinum*, & *oleum*, *secundum ritum sacerdotum qui sunt in Jerusalem*, *detur eis per singulos dies*; *ne sit in aliquo querimonia*. *Et offerant oblationes Deo coeli*, *orentque pro vita regis* & *filiorum ejus*. Id quod Ebraei ipsi impetrarunt; ut scilicet ex regis gentilis spontanea ejusmodi oblatione seu voto donata (neque aliter eis accipere fas erat) tam varia quae ab ipsis suo ritu praestanda erant sacrificia commodius supplerentur. Heliodorus item Seleuci regis quaestor & sacrificia [d] Domino Hierosolymis obtulisse & vota vovisse dicitur. Huc spectant quae subinde occurrunt plura. Scilicet exteri interdum sacra aliquot Hierosolymis obire desiderabant, quemadmodum, ut scimus ex Livio [e], legati gratulatum Romam missi dona plerumque Jovi Capitolino tulerunt, utque ea in Capitolio ponere, ac ibi sacrificare ipsis liceret subinde impetrarunt. Atque huc inprimis spectat illud de Eleazaro F. Ananiae pontificis, qui paulo ante excidium templi sub Vespasiano persuasit iis qui sacra obirent ministeria, ut nullius munus aut ho-

[q] Cap. i. 4. & iii. 2, 8, &c. [r] Misn. & Gemara Babylon. tit. *Menachoth*, cap. 10. fol. 92. b. Maimonides Halach. *Maigshe hakorbanoth*, cap. 3. Obadias Bartenorius ad tit. *Zebachim*, cap. 4. §. 5. Gemara Babylon. ibid. fol. 45. b. [s] Numer. xv. 4. & 14. [t] Levit. xxii. 18. [v] Gemara Babylonia tit. *Cholin*, cap. 1. fol. 13. b. *Sepher Siphra* col. 194. Salom. Jarch. ad Levit. xxii. 25. Moses Mikotzi praecept. negat. 314. [x] Levi Ben Gersom in *Perush Tora* fol. 166. col. 3. [y] Origin. lib. 18. cap. 7. [z] Sueton. in Tiberio, cap. 73. [a] Lib. de legatione ad Caium Caesarem. [b] Origin. lib. 11. cap. 8. [c] Ezra 6. 9. Joseph. Orig. lib. 11. cap. 4. & apud Barn. Brisson. de formulis, lib. 2. [d] 2 Maccab. iii. 35. & vide comma. 3. [e] Lib. 37. 35. 45.

ſtia qui non eſſet de Judaeorum gente ſuſciperetur, quae erat Romani inde belli καταβολὴ ſeu ſeminarium atque materies. Sed qui rebus ibi tunc praeerant pontifices aliique e Pharisaeis nobiliſſimi, concione habita [f] τῆς προφάσεως τὸ ἄλογον διήλεγχον, φάμενοι τοὺς μὲν προγόνους αὐτῶν κεκοσμηκέναι τὸν ναὸν ἐκ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἀλλοφύλων τὸ πλέον ἀεὶ προσδεχομένους τὰς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἐθνῶν δωρεάς· καὶ οὐ μόνον οὐ διακεκωλυκέναι θυσίας τινῶν, τοῦτο γὰρ ἀσεβέστατον, ἀλλὰ καὶ τὰ βλεπόμενα καὶ τὰ παραμένοντα τὸν τοσοῦτον χρόνον, ἀναθήματα περὶ τῷ ἱερῷ καθιδρυκέναι· αὐτοὺς δὲ νῦν ἐρεθίζοντας τὰ Ῥωμαίων ὅπλα καὶ μνηστευομένους τὸν ἀπ' ἐκείνων πόλεμον, καινοτομεῖν θρησκείαν ξένην καὶ μετὰ τοῦ κινδύνου καταψηφίσεσθαι τῆς πόλεως ἀσέβειαν, εἰ παρὰ μόνοις Ἰουδαίοις οὔτε θύσει τις ἀλλότριος οὔτε προσκυνήσει, *Quam rationi diſſona eſſet eorum cauſa oſtendebant, dicentes, majores eorum ornaſſe templum, ex magna parte, de muneribus gentium exterarum, atque harum munera ſemper accepiſſe, nec ſolum non prohibuiſſe aliquorum hoſtias (id ſiquidem eſſe impiiſſimum) ſed etiam anathemata, quae viſerentur permanerentque uſque in praeſens tempus, in templo collocaſſe. At nunc eos, qui arma irritarent Romana, & eorum bellum invitarent, rem novam de exterorum cultu inducere, & temere ream facere decreto ſuo urbem impietatis; ſi nempe praeter Judaeos ſolos nullus alius ibi ſacrificarit, nec adoraverit.* Quin & παρῆγον τοὺς ἐμπείρους τῶν πατρίων ἱερεῖς ἀφηγουμένους ὅτι πάντες οἱ πρόγονοι τὰς ἀπὸ τῶν ἀλλογενῶν θυσίας ἀποδέχοντο, *producebant in medium ſcientiſſimos morum patriorum ſacerdotes, qui teſtarentur omnes eorum majores exterarum gentium* ſeu gentilium *ſacrificia accepiſſe.* Quae autem ex ſpontanea oblatione ſeu voto gentilium accipiebantur, ita accipiebantur ut ex ſimplicis duntaxat voti ſeu ſpontaneae oblationis vi, citra ullum juris ſacri Ebraeis peculiaris reſpectum, donata ſeu praeſtanda: aliter, velut quae nefas erat accipere aut admittere, rejicienda erant. Locus eam in rem habetur in Miſna [g] egregius, ubi agitur de ſiclis dimidiis ex lege [h] quotannis in uſus ſacros ab Iſraelitis penſitandis. Ab hac praeſtatione immunes aiunt minores, ſervos, & foeminas: horum tamen ſi ultro ſolveret quis, ſiclos dimidios haud rejiciendos. Atqui addunt, הנכרי והכותי ששקלו אין מקבלין מידן ואין מקבלין מידן קיני זבים וקיני זבות וקיני יולדות וחטאות ואשמות אבל נדרים ונדבות מקבלין מידן זה הכלל כל שנידר ונידב מקבלין מידן ׃ וכל שאין נידר ולא נידב אין מקבלין מידן ׃ וכן הוא מפורש על ידי עזרא שנ׳ לא לכם ולנו לבנות בית לאלהינו ׃ *Gentilis* ſeu *exterus, & Cuthaeus*, id eſt, Samaritanus, *ſi ſolvere vellent dimidium ſiclum* (eo ſcilicet nomine, & velut ex lege ſacra) *admittendi non erant*, ſeu *ab eis accipiendus non erat ſiclus ille dimidius. Neque accipiendum ab eis erat turturum* ſeu *columbarum par nomine immunditiei* [i] *ſive maſculae ſive foemineae, aut puerperii* [k], *nec ſacrificium expiatorium pro peccato aut tranſgreſſione. At vero quae vovebant & ſponte offerebant, ea ab eis erant accipienda*, ut in codicibus melioris notae legitur; nam in nonnullis deſunt illa verba. *Regula autem eſt univerſalis; quicquid vovebatur aut ſponte offerebatur, id ab eis accipiendum erat: quicquid nec ex voto nec ex oblatione ſpontanea ab eis adductum eſt, erat rejiciendum. Atque ita rem explicavit olim Ezra, juxta id quod dicitur* [l], *Non veſtra ſed noſtra intereſt ut aedificemus domum Domino.* Habet hic pro נכרי codex *Miſnaioth* nuper Amſtelodami a Manaſſe Ben Iſrael editus עכו״ם, quae abbreviatura eſt ſolemnis pro עובד כוכבים ומזלות ſeu *qui colit ſtellas & ſigna*, ſeu *idololatra.* Sed de qualicunque gentili locus capiendus, ſive fuerit idololatra, ſive proſelytus domicilii necdum in Judaiſmum receptus. Et quoniam ſeculis, ut libro oſtenſum eſt ſuperiori, reipublicae Iſraeliticae recentioribus nulla fuit proſelytorum ejuſmodi admiſſio ſolemnis, ideo tum hic tum alibi non raro *gentilis & idololatra* pro eodem magiſtris ſumuntur. Cuthaei autem & gentiles, tametſi diverſas ob rationes, hac in re aequiparabantur. Judaeorum enim & Cuthaeorum ſeu Samaritanorum odium mutuum nemini non eſt notiſſimum. Et Maimonides [m] hinc edoctus הגוים inquit, שנתנו מחצית השקל אין מקבלין מהם *Si gentiles afferrent dimidios ſiclos, ab eis accipiendi non erant.* Ita etiam autor *Sepher Siphra* [n], alii. Parilem ob rationem nec decimas aut primitias aut alia [o] ejuſmodi accipiebant ſacerdotes a proſelyto domicilii, ſeu gentili qui agrum in ditione Iſraelitica qualicunque conduceret. Neque ſi proventus agri a proſelyto domicilii emerat Iſraelita, ex jure aiunt ſolviſſe hunc decimas ac caetera quae decimarum comites, niſi emiſſet aut antequam a fundo ſepararentur, aut ſaltem קודם שתגמר מלאכתן *antequam perficeretur opera quae in eos impendenda erat ruſtica*, veluti colligendo, ligando, inſolando. Praeſtationes enim ejuſmodi ſacras ad Judaeos tantum, non ad gentiles inter ipſos degentes, attinere volebant. Quod vero ad gentilium Hieroſolymis vota & oblationes ſpontaneas alias, praeter holocauſta, de quibus jam dictum eſt, ſpectat; tametſi oblatum a gentili animal in ſacrificium pacificum, non hujus ſacrificii, ut oſtenſum eſt, ſed holocauſti ritu conſumendum erat, (quippe utrumque igni, licet diverſimode, devovebatur) nihilominus ſi votum aliud ſuſciperet gentilis, ſeu quid aliquod offerret, aut ſimpliciter tantum atque expreſſim Deo id fieri debebat, aut ita ad rationem & morem Ebraicum expreſſim referri ut inde ſciretur ſimplicem, quae apud Ebraeos etiam erat in uſu, vovendi offerendive in ſacros uſus formulam eum velle imitari, non autem aliquam ritibus Ebraeis peculiaribus immiſtam. Et ex gentilium ejuſmodi tantum votis ac obligationibus augebatur ſubinde aerarium ſacrum, quod in ſacrificia ac miniſteria ſacra atque opera publica erogabatur: ita tamen ut nec aliquid ſic acceptum ſive templi ſive urbis ſanctae refectioni impendi vellent. Quam exceptionem ſub templo ſecundo natam non eſt quod non exiſtimemus, uti etiam ex ſumptibus [p] a Cyro rege templi ejuſdem ſtructurae acceptis licet elicere. Poſt exceptionem autem illam natam, gentilis & votum & ſpontaneam oblatio-

[f] Joſeph. Haloſ. lib. 2. cap. 30. & 31. gr. 17. lat. [g] Tit. *Siklim*, cap. 1. [h] Exod. xxx. 13. [i] Levitic xv. [k] Ibid. cap. xii. [l] Ezra iv. 3. [m] Halach. *Siklim* cap. 1. [n] Col. 196. [o] Maimonid. Halach. *Therumoth*, cap. 1. [p] Ezra vi. 4.

nem,

nem, ſive templo ſive urbi reficiendae, plane reſpuebant. Maimonides [q]; הערכין כולן והדמין הכל סתמן לבדק הבית ויפלו הכל ללשכה שהיתה במקדש מוכנת לקדשי בדק הבית · גוי שאמר דמי עלי או דמי פלוני עלי נותן כפי נדרו ואינו נופל ללשכה · שאין מקבלין מן הגוים נדבה או נדר להזק את בדק הבית או בדק ירושלם שנ' לא לכם ולנו לבנות בית וגו' · ונאמר ולכם אין חלק וצדקה וזכרון בירושלם · ומה יעשה בהן יבדוק הגוי על דעת מי נדר · אם נדר על דעת ישראל יוציאוהו בית דין במה שיראה להם חוץ מבדק הבית ובדק ירושלם ואם אמר לשמים נדרתי יגנזו : *AEſtimationes univerſae & pretia*, ab Iſraelitis ſcilicet praeſtita, juxta legem ea de re ſacram [r], *in templi refectionem obſignata conjiciebantur in conclave quod erat in templo eis, quae erant reficiendo templo ſancta, proprium. At vero ſi gentilis ſive ſui ipſius ſive alterius pretium voverat, ſolvebat quidem quantum voverat: Id autem in conclave illud neutiquam conjiciebatur: Quoniam a gentilibus accipienda non erant ſive vota ſive oblationes ſpontaneae aut in templi aut in urbis ſanctae refectionem; juxta id quod dicitur* [s], *Non eſt vobis, ſed nobis aedificare templum, &c. atque item illud* [t], *Et vobis non eſt pars & juſtitia* (vocabulum idem ſignificat inſuper eleemoſynam) *& memoria in Jeruſalem. Ad hunc autem modum cum votis & ſpontaneis gentilium oblationibus agi ſolitum. Quaerebant a gentili, quo animo aut ratione votum ſuſcepiſſet? Si reſponderat, Id ſe feciſſe juxta rationem Ebraicam,* id eſt, modo ac ratione qua ſimplicia ſuſcipere ſolebant vota Ebraei, non peculiari aliquo ipſis ritu, *erogabat, quod ſic praeſtitum eſt, ſynedrium* magnum, *idque pro ſuo arbitrio, ita tamen ut nihil inde in templi refectionem urbiſve impenderetur. Quod ſi reſponderat, tantum ſe Deo voviſſe, in aerarium conjiciebatur.* Hactenus ille ad Talmudicorum veterum mentem. Ita demum ex teſtimoniis hiſce liquet, nullum ſive animal ſive munus aliud ſacrum, veluti fruges, pecuniam aut utenſilia, recipiendum fuiſſe velut ſacrificium aut oblationem gentilis ſeu proſelyti domicilii, praeter id quod ſponte ſeu voto ſimplici, non omnino ritibus moribuſve Ebraeis peculiaribus commiſto, offerebatur. Nec animal altari offerendum illius nomine alio ritu quam eo qui holocauſto ſimplici ſine libaminibus, manus impoſitione aliiſve ſacrificandi ritibus quos habebant ſibi ipſis proprios, competebat.

CAP. V.

Teſtimonia de feſtorum obſervatione proſelytis domicilii, ſeu gentilibus in ditione Iſraelitica, interdicta omnimoda; utcunque ſacris ſuis tempora alias promiſcue eis permiſſa fuerint. Talmudicorum item de legis Moſaicae obſervatione eis ibi vetita ſententiae.

QUOD ad tempora ſacrorum attinet promiſcue, ut diximus, proſelytis domicilii permiſſa, id ex teſtimoniis quae ea de re habent ita interea (ut monuimus ante) intelligendum, ut nec feſti dies in ditione Iſraelitica ipſis permiſſi ſint ulli, nec, puto, horarum illarum ex more Ebraico precibus praeſtitutarum obſervatio, ſaltem publica. Par enim videtur hic ratio horarum & dierum ex eo quod de feſtis juxta Talmudicorum veterum [a] mentem docet Maimonides. Sic enim ille [b]; גוי ששבת אפילו ביום מימות החול אם עשאהו לעצמו כמו שבת חייב מיתה ואין צ"ל אם עשה מועד לעצמו · *Si gentilis* in ditione Iſraelitica *ſabbatum celebrarat, licet id feciſſet in diebus profeſtis, ſi velut ſibi ſabbatum id haberet, etiam mortem merebatur. Quod pariter dicendum ſi feſtivitatem ſibi* ibi *praeſtituerat aliquam aliam.* Nimirum graviſſime ex jure interveniente puniendus. Et demum ſumma erat, ut extra limites ſui ſeu Noachidarum juris ſacra illi nulla permitterentur. Idem Maimonides; כללו של דבר אין מניחין אותן להדש דת ולעשות מצות לעצמן מדעתן · אלא או יהיה גר צדק ויקבל כל המצות או יעמוד בתורתו ולא יוסיף ולא יגרע : *Summa eſt; non ſinebant gentiles* in ditione Ebraica *novum quid moribus ſuis adjicere, ſibive praecepta ultro facere. Sed eorum quiſque aut proſelytus juſtitiae fieri debuit, atque univerſae legis obſervationi nomen dare, aut ſua in lege manere, nec augendo eam nec minuendo.* Et paulo ante, גוי שעסק בתורה חייב מיתה · לא יעסוק אלא בשבע מצות שלהן בלבד : *Gentilis qui legem* Moſaicam *obſervaret, reus erat mortis; quippe cui tantum obſervanda erant ſeptem praecepta Noachidarum* ſeu *omnium hominum communia.* Id quod ſumitur e Gemara Babylonia [x], ubi legimus, גוי שעוסק בתורה חייב מיתה שנ' תורה צוה לנו משה מורשה לנו מורשה ולא להם וליהשבה גבי שבע מצות: *Gentilis qui legem* Moſaicam *obſervaret reus erat mortis*, quod de proſelyto domicilii aut gentili in ditione Iſraelitica dici manifeſtum eſt. *Nam & dicitur, legem praecepit nobis Moſes in haereditatem. Nobis eſt haereditas*, ſeu velut peculium, *non gentilibus, quibus meditandum eſt de praeceptis ſuis ſeptem.* Quod vero dicitur reum fuiſſe mortis, ita capiendum; ex vetuſto aliquo more ſeu jure interveniente ſeu veterum ſententia non plane rejicienda, morte plectendum fuiſſe gentilem ob hujuſmodi obſervationem; cum nihilominus ex recentiori Ebraeorum, dum res eorum ſtetere, more flagris duntaxat coerceretur ejuſmodi obſervatio. Idem Maimonides; ואם עסק בתורה או שבת או חדש דבר מכין אותו ועונשין אותו ומודיעין אותו שהוא חייב מיתה על זה אבל אינו נהרג : *Quod ſi obſervaret legem* Moſaicam, *aut ſabbatum* ſeu *feſtum celebraret, aut quid ejuſmodi innovaret, flagris puniebatur; non ſine monito, mortem eum mereri, tametſi ea non afficeretur.* Huc facit & illud a Joſepho [d] dictum, proſelytos domicilii, ſeu gentiles obiter in ditionem Iſraeliticam olim advenientes, non debuiſſe ἀναμίγνυσθαι τῆς συνηθείας, ſeu, ut legitur ex eo apud Euſebium [e] citatum, τῇ συνηθείᾳ, *miſceri ſolemnitatibus* ſeu *conſuetudini-*

[q] Halach. *Erakin Wecharmim*, cap. 1. & *Mithnoth* Ainiim, cap. 8. vide Gemaram Hieroſolymitan. ad tit. *Siklim*, cap. 1. fol. 46. col. 2. Miſn. & Gemar. Babylon. ad tit. *Erakin*, cap. 1. fol. 5, & 6. [r] Levit. xxvii. [s] Ezra iv. 3. [t] Nehemiae ii. 20. [a] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. b. [b] Halach. *Melakim*, cap 10 & videſis Joſephum Albo in *Sepher Ikarim*, part. 3. cap. 19. [c] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 59. b. [d] Contra Apionem lib. 2. [e] Praeparat. Evangelic. lib. 8. cap. 8.

bus

stia qui non esset de Judaeorum gente susciperetur, quae erat Romani inde belli καταβολὴ seu seminarium atque materies. Sed qui rebus ibi tunc praeerant pontifices aliique e Pharisaeis nobilissimi, concione habita [f] τῆς προφάσεως τὸ ἄλογον διήλεγχον, φάμενοι τοὺς μὲν προγόνους αὐτῶν κεκοσμηκέναι τὸν ναὸν ἐκ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἀλλοφύλων τὸ πλέον ἀεὶ προσδεχομένους τὰς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἐθνῶν δωρέας· καὶ οὐ μόνον οὐ διακεκωλυκέναι θυσίας τινῶν, τοῦτο γὰρ ἀσεβέστατον, ἀλλὰ καὶ τὰ βλεπόμενα καὶ τὰ παραμένοντα τὸν τοσοῦτον χρόνον, ἀναθήματα περὶ τῷ ἱερῷ καθιδρυκέναι· αὐτοὺς δὲ νῦν ἐρεθίζοντας τὰ Ῥωμαίων ὅπλα καὶ μνηστευομένους τὸν ἀπ' ἐκείνων πόλεμον, καινοτομεῖν θρησκείαν ξένην καὶ μετὰ τοῦ κινδύνου καταψηφίσεσθαι τῆς πόλεως ἀσέβειαν, εἰ παρὰ μόνοις Ἰουδαίοις οὔτε θύσει τις ἀλλότριος οὔτε προσκυνήσει, *Quam rationi dissona esset eorum causa ostendebant, dicentes, majores eorum ornasse templum, ex magna parte, de muneribus gentium exterarum, atque harum munera semper accepisse, nec solum non prohibuisse aliquorum hostias (id siquidem esse impiissimum) sed etiam anathemata, quae viserentur permanerentque usque in praesens tempus, in templo collocasse. At nunc eos, qui arma irritarent Romana, & eorum bellum invitarent, rem novam de exterorum cultu inducere, & temere ream facere decreto suo urbem impietatis; si nempe praeter Judaeos solos nullus alius ibi sacrificarit, nec adoraverit.* Quin & παρῆγον τοὺς ἐμπείρους τῶν πατρίων ἱερεῖς ἀφηγουμένους ὅτι πάντες οἱ πρόγονοι τὰς ἀπὸ τῶν ἀλλογενῶν θυσίας ἀποδέχοντο, *producebant in medium scientissimos morum patriorum sacerdotes, qui testarentur omnes eorum majores exterarum gentium* seu gentilium *sacrificia accepisse.* Quae autem ex spontanea oblatione seu voto gentilium accipiebantur, ita accipiebantur ut ex simplicis duntaxat voti seu spontaneae oblationis vi, citra ullum juris sacri Ebraeis peculiaris respectum, donata seu praestanda: aliter, velut quae nefas erat accipere aut admittere, rejicienda erant. Locus eam in rem habetur in Misna [g] egregius, ubi agitur de siclis dimidiis ex lege [h] quotannis in usus sacros ab Israelitis pensitandis. Ab hac praestatione immunes aiunt minores, servos, & foeminas: horum tamen si ultro solveret quis, siclos dimidios haud rejiciendos. Atqui addunt, הנכרי והכותי ששקלו אין מקבלין מידן ואין מקבלין מידן קיני זבים וקיני זבות וקיני יולדות וחטאות ואשמות אבל נדרים ונדבות מקבלין מידן זה הכלל כל שנידר ונידב מקבלין מידן ׃ וכל שאין נידר ולא נידב אין מקבלין מידן ׃ וכן הוא מפורש על ידי עזרא שנ׳ לא לכם ולנו לבנות בית לאלהינו ׃ *Gentilis* seu *exterus*, & *Cuthaeus*, id est, Samaritanus, *si solvere vellent dimidium siclum* (eo scilicet nomine, & velut ex lege sacra) *admittendi non erant*, seu *ab eis accipiendus non erat siclus ille dimidius. Neque accipiendum ab eis erat turturum* seu *columbarum par nomine immunditiei* [i] *sive masculae sive foemineae, aut puerperii* [k], *nec sacrificium expiatorium pro peccato aut transgressione. At vero quae vovebant & sponte offerebant, ea ab eis erant accipienda*, ut in codicibus melioris notae legitur; nam in nonnullis desunt illa verba. *Regula autem est universalis; quicquid vovebatur aut sponte offerebatur, id ab eis accipiendum erat: quicquid nec ex voto nec ex oblatione spontanea ab eis adductum est, erat rejiciendum. Atque ita rem explicavit olim Ezra, juxta id quod dicitur* [l], *Non vestra sed nostra interest ut aedificemus domum Domino.* Habet hic pro נכרי codex *Misnaioth* nuper Amstelodami a Manasse Ben Israel editus עכו״ם, quae abbreviatura est solemnis pro עובד כוכבים ומזלות seu *qui colit stellas & signa*, seu *idololatra.* Sed de qualicunque gentili locus capiendus, sive fuerit idololatra, sive proselytus domicilii necdum in Judaismum receptus. Et quoniam seculis, ut libro ostensum est superiori, reipublicae Israeliticae recentioribus nulla fuit proselytorum ejusmodi admissio solemnis, ideo tum hic tum alibi non raro *gentilis* & *idololatra* pro eodem magistris sumuntur. Cuthaei autem & gentiles, tametsi diversas ob rationes, hac in re aequiparabantur. Judaeorum enim & Cuthaeorum seu Samaritanorum odium mutuum nemini non est notissimum. Et Maimonides [m] hinc edoctus הגוים inquit, שנתנו מחצית השקל אין מקבלין מהם *Si gentiles afferrent dimidios siclos, ab eis accipiendi non erant.* Ita etiam autor *Sepher Siphra* [n], alii. Parilem ob rationem nec decimas aut primitias aut alia [o] ejusmodi accipiebant sacerdotes a proselyto domicilii, seu gentili qui agrum in ditione Israelitica qualicunque conduceret. Neque si proventus agri a proselyto domicilii emerat Israelita, ex jure aiunt solvisse hunc decimas ac caetera quae decimarum comites, nisi emisset aut antequam a fundo separarentur, aut saltem קודם שתגמר מלאכתן *antequam perficeretur opera quae in eos impendenda erat rustica*, veluti colligendo, ligando, insolando. Praestationes enim ejusmodi sacras ad Judaeos tantum, non ad gentiles inter ipsos degentes, attinere volebant. Quod vero ad gentilium Hierosolymis vota & oblationes spontaneas alias, praeter holocausta, de quibus jam dictum est, spectat; tametsi oblatum a gentili animal in sacrificium pacificum, non hujus sacrificii, ut ostensum est, sed holocausti ritu consumendum erat, (quippe utrumque igni, licet diversimode, devovebatur) nihilominus si votum aliud susciperet gentilis, seu quid aliquod offerret, aut simpliciter tantum atque expressim Deo id fieri debebat, aut ita ad rationem & morem Ebraicum expressim referri ut inde sciretur simplicem, quae apud Ebraeos etiam erat in usu, vovendi offerendive in sacros usus formulam eum velle imitari, non autem aliquam ritibus Ebraeis peculiaribus immistam. Et ex gentilium ejusmodi tantum votis ac obligationibus augebatur subinde aerarium sacrum, quod in sacrificia ac ministeria sacra atque opera publica erogabatur: ita tamen ut nec aliquid sic acceptum sive templi sive urbis sanctae refectioni impendi vellent. Quam exceptionem sub templo secundo natam non est quod non existimemus, uti etiam ex sumptibus [p] a Cyro rege templi ejusdem structurae acceptis licet elicere. Post exceptionem autem illam natam, gentilis & votum & spontaneam oblatio-

[f] Joseph. Halos. lib. 2. cap. 30 & 31. gr. 17. lat. [g] Tit. *Siklim*, cap. 1. [h] Exod. xxx. 13. [i] Levitic. xv. [k] Ibid. cap. xii. [l] Ezra iv. 3. [m] Halach. *Siklim* cap. 1. [n] Col. 196. [o] Maimonid. Halach. *Theramoth*, cap. 1. [p] Ezra vi. 4.

nem, ſive templo ſive urbi reficiendae, plane reſpuebant. Maimonides [q]; הערכין כולן והדמין הכל סתמן לבדק הבית ויפלו הכל ללשכה שהיתה במקדש מוכנת לקדשי בדק הבית׃ גוי שאמר דמי עלי או דמי פלוני עלי נותן כפי נדרו ואינו נופל ללשכה׃ שאין מקבלין מן הגוים נדבה או נדר להזק את בדק הבית או בדק ירושלם שנ׳ לא לכם ולנו לבנות בית וגו׳׃ ונאמר ולכם אין חלק וצדקה וזכרון בירושלם׃ ומה יעשה בהן יבדוק הגוי על דעת מי נדר׃ אם נדר על דעת ישראל יוציאוהו בית דין במה שיראה להם חוץ מבדק הבית ובדק ירושלם ואם אמר לשמים נדרתי יגנזו׃ *AEſtimationes univerſae & pretia*, ab Iſraelitis ſcilicet praeſtita, juxta legem ea de re ſacram [r], *in templi refectionem obſignata conjiciebantur in conclave quod erat in templo eis, quae erant reficiendo templo ſancta, proprium. At vero ſi gentilis ſive ſui ipſius ſive alterius pretium voverat, ſolvebat quidem quantum voverat: Id autem in conclave illud neutiquam conjiciebatur: Quoniam a gentilibus accipienda non erant ſive vota ſive oblationes ſpontaneae aut in templi aut in urbis ſanctae refectionem; juxta id quod dicitur* [s], *Non eſt vobis, ſed nobis aedificare templum, &c. atque item illud* [t], *Et vobis non eſt pars & juſtitia* (vocabulum idem ſignificat inſuper eleemoſynam) *& memoria in Jeruſalem. Ad hunc autem modum cum votis & ſpontaneis gentilium oblationibus agi ſolitum. Quaerebant a gentili, quo animo aut ratione votum ſuſcepiſſet? Si reſponderat, Id ſe feciſſe juxta rationem Ebraicam*, id eſt, modo ac ratione qua ſimplicia ſuſcipere ſolebant vota Ebraei, non peculiari aliquo ipſis ritu, *erogabat, quod ſic praeſtitum eſt, ſynedrium* magnum, *idque pro ſuo arbitrio, ita tamen ut nihil inde in templi refectionem urbiſve impenderetur. Quod ſi reſponderat, tantum ſe Deo voviſſe, in aerarium conjiciebatur.* Hactenus ille ad Talmudicorum veterum mentem. Ita demum ex teſtimoniis hiſce liquet, nullum ſive animal ſive munus aliud ſacrum, veluti fruges, pecuniam aut utenſilia, recipiendum fuiſſe velut ſacrificium aut oblationem gentilis ſeu proſelyti domicilii, praeter id quod ſponte ſeu voto ſimplici, non omnino ritibus moribuſve Ebraeis peculiaribus commiſto, offerebatur. Nec animal altari offerendum illius nomine alio ritu quam eo qui holocauſto ſimplici ſine libaminibus, manus impoſitione aliiſve ſacrificandi ritibus quos habebant ſibi ipſis proprios, competebat.

CAP. V.

Teſtimonia de feſtorum obſervatione proſelytis domicilii, ſeu gentilibus in ditione Iſraelitica, interdicta omnimoda; utcunque ſacris ſuis tempora aliàs promiſcue eis permiſſa fuerint. Talmudicorum item de legis Moſaicae obſervatione eis ibi vetita ſententiae.

QUOD ad tempora ſacrorum attinet promiſcue, ut diximus, proſelytis domicilii permiſſa, id ex teſtimoniis quae ea de re habent ita interea (ut monuimus ante) intelligendum, ut nec feſti dies in ditione Iſraelitica ipſis permiſſi ſint ulli, nec, puto, horarum illarum ex more Ebraico precibus praeſtitutarum obſervatio, ſaltem publica. Par enim videtur hic ratio horarum & dierum ex eo quod de feſtis juxta Talmudicorum veterum [a] mentem docet Maimonides. Sic enim ille [b]; גוי ששבת אפילו ביום מימות החול אם עשאהו לעצמו כמו שבת חייב מיתה ואין צ״ל אם עשה מועך לעצמו׃ *Si gentilis* in ditione Iſraelitica *ſabbatum celebrarat, licet id feciſſet in diebus profeſtis, ſi velut ſibi ſabbatum id haberet, etiam mortem merebatur. Quod pariter dicendum ſi feſtivitatem ſibi* ibi *praeſtituerat aliquam aliam.* Nimirum graviſſime ex jure interveniente puniendus. Et demum ſumma erat, ut extra limites ſui ſeu Noachidarum juris ſacra illi nulla permitterentur. Idem Maimonides; כללו של דבר אין מניחין אותן לחדש דת ולעשות מצות לעצמן מדעתן׃ אלא או יהיה גר צדק ויקבל כל המצות או יעמוד בתורתו ולא יוסיף ולא יגרע׃ *Summa eſt; non ſinebant gentiles* in ditione Ebraica *novum quid moribus ſuis adjicere, ſibive praecepta ultro facere. Sed eorum quiſque aut proſelytus juſtitiae fieri debuit, atque univerſae legis obſervationi nomen dare, aut ſua in lege manere, nec augendo eam nec minuendo.* Et paulo ante, גוי שעסק בתורה חייב מיתה׃ לא יעסוק אלא בשבע מצות שלהן בלבד׃ *Gentilis qui legem* Moſaicam *obſervaret, reus erat mortis; quippe cui tantum obſervanda erant ſeptem praecepta Noachidarum* ſeu *omnium hominum communia.* Id quod ſumitur e Gemara Babylonia [x], ubi legimus, גוי שעוסק בתורה חייב מיתה שנ׳ תורה צוה לנו משה מורשה לנו מורשה ולא להם וליהשבה גבי שבע מצות׃ *Gentilis qui legem* Moſaicam *obſervaret reus erat mortis*, quod de proſelyto domicilii aut gentili in ditione Iſraelitica dici manifeſtum eſt. *Nam & dicitur, legem praecepit nobis Moſes in haereditatem. Nobis eſt haereditas*, ſeu velut peculium, *non gentilibus, quibus meditandum eſt de praeceptis ſuis ſeptem.* Quod vero dicitur reum fuiſſe mortis, ita capiendum; ex vetuſto aliquo more ſeu jure interveniente ſeu veterum ſententia non plane rejicienda, morte plectendum fuiſſe gentilem ob hujuſmodi obſervationem; cum nihilominus ex recentiori Ebraeorum, dum res eorum ſtetere, more flagris duntaxat coerceretur ejuſmodi obſervatio. Idem Maimonides; ואם עסק בתורה או שבת או חדש דבר מכין אותו ועונשין אותו ומודיעין אותו שהוא חייב מיתה על זה אבל אינו נהרג׃ *Quod ſi obſervaret legem* Moſaicam, *aut ſabbatum* ſeu *feſtum celebraret, aut quid ejuſmodi innovaret, flagris puniebatur; non ſine monito, mortem eum mereri, tametſi ea non afficeretur.* Huc facit & illud a Joſepho [d] dictum, proſelytos domicilii, ſeu gentiles obiter in ditionem Iſraeliticam olim advenientes, non debuiſſe ἀναμίγνυσθαι τ̃ συνηθείαις, ſeu, ut legitur ex eo apud Euſebium [e] citatum, τῇ συνηθείᾳ, *miſceri ſolemnitatibus* ſeu *conſuetudini-*

[q] Halach. *Erakin Wecharmim*, cap. 1. & *Mithnoth Aniim*, cap. 8. vide Gemaram Hieroſolymitan. ad tit. *Siklim*, cap. 1. fol. 46. col. 2. Miſn. & Gemar. Babylon. ad tit. *Erakin*, cap. 1. fol. 5, & 6. [r] Levit. xxvii. [s] Ezra iv. 3. [t] Nehemiae ii. 20. [a] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. b. [b] Halach. *Melakim*, cap. 10 & videſis Joſephum Albo in *Sepher Ikarim*, part. 3. cap. 19. [c] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 59. b. [d] Contra Apionem lib. 2. [e] Praeparat. Evangelic. lib. 8. cap. 8.


bus

bus Ebraeorum; quod & ſupra [f] memoravimus. Unde etiam locum Egeſippi apud Euſebium [g] exagitat Joſephus Scaliger [h]; ubi ſcilicet Martyrium Jacobi fratris domini exſequens, διὰ τὸ, inquit, τὸ πάσχα συνεληλύθασι πᾶσαι αἱ φυλαὶ μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν, *propter feſtum namque paſchatis, non ſolum omnes Judaeorum tribus ſed multi etiam ex gentibus convenerant.* Ad haec Scaliger; *Quis fando audivit aut legendo didicit gentes die azymorum Hieroſolyma convenire ſolitas? Gentiles ſane adorabant, immolabant, vota ſolvebant ſuſcipiebantque in templo Hieroſolymitano, non catervatim, nec condicta profectione, ſed ſinguli, & ut quemque negotiatio ſua aut caſus Hieroſolyma tulerat; non autem ut gentes ſibi condicerent diem* θρησκείας *in feſto ullo Judaico, nedum in azymorum ſolenni, a quo omnis incircumciſus ſummovebatur.* Certe ſi locus ſupra e D. Joanne de τοῖς Ἕλλησι Hieroſolymam aſcendentibus ut adorarent in die feſto capiendus ſit de *gentilibus*, non de *Helleniſtis*, tunc non omnino erit quod de gentilium in feſto ibi conventu dubitemus. Celebrare quidem feſtum paſchatis aut azymorum gentilibus Hieroſolymis non permiſſum, uti nec aliud omnino feſtum: at intereſſe tunc ut inſpectores, locis ſibi non vetitis, (de quibus ſtatim) neutiquam prohibebantur, ſive condicta profectione, ſive ſinguli convenirent. Et Dionyſius Petavius de animadverſione Scaligeriana in illum Egeſippi locum, *De gentilibus*, inquit [i], *abſurdum eſt negare illos cum aliis temporibus ac Judaeorum ſolennibus, tum azymorum diebus, quod feſtum longe apud Judaeos celeberrimum fuit, Hieroſolyma confluxiſſe.* Ad quam rem locum illum D. Joannis etiam trahit, & Egeſippum defendit. Et quis non videt *propter feſtum convenire* id ſatis ibi denotare quod eſt, ſolemnibus quidem Ebraicis in urbe, ut peregrinos, intereſſe, nec tamen celebrationis feſti rituumque, qui plane gentilibus illiciti, participes fieri? De eo vero quod obiter in jam citatis de ſabbati, id eſt, diei in dierum a rerum conditu periodis ſeptimi, obſervatione veluti Judaeis ſolum propria occurrit, diligentius ac fuſius infra [k] videbimus.

CAP. VI.

De locis tum interdictis tum permiſſis divino gentilium cultui Hieroſolymis, teſtimonia Ebraeorum. Templum ſubinde pro montis templi, extra eam quae vulgo pro ipſo templo ſolum ſumitur ſtructuram, ſpatiis intelligitur. Ibi gentilium cultui locus. Atrium gentium. Doctorum virorum e chriſtianis de gentilium Hieroſolymis cultu ſuffragia. De gentilium holocauſtis, etiam poſt templi excidium, Talmudicorum ſententia.

SEquitur ut teſtimonia de locis quae proſelytis domicilii ſeu gentilibus ſive ad preces ſolemnius effundendas adorationeſque, ſive ad hoſtias offerendas in templo, ſeu juxta illud, permiſſa interdictave, videamus. Arcebantur illi, in templo ſaltem Herodiano (quod Zorobabelianum plerumque imitabatur, uti & hoc Salomonicum) non ſolum a ſacerdotum atrio, uti & alii Iſraelitae laici, eoque quod Iſraelitis laicis &, qui ipſorum jure pariter ferme in caeteris fruebantur, proſelytis juſtitiae, tertioque quod mulieribus proprium erat, verum etiam ab ipſo intermurali quod חיל nuncupant; loco ſcilicet latitudinis decem cubitorum, qui muros templi vulgo & ſignantius dicti praecingebat. Adeo ut nec intra eum precari, aut hoſtias ſive immolare ſive popis aut ſacerdotibus in holocauſta offerre, gentili fas eſſet; ſed tantum in monte templi (monte ſcilicet Moriah) ſeu ſpatiis ac porticibus exterioribus, quibus etiam, uti & ipſi monti, templi nomen ſubinde tributum. Rem oſtendit ichnographia quam ob oculos ponimus. Talmudici de diverſis



[f] Lib. 2. cap. 5. [g] Eccleſ. Hiſt. lib. 2. cap. 22. [h] Animadverſ. in Euſeb. ad num. 2077. pag. 171. [i] Ad Epiphan. Haereſ. 78. ſeu Antidicomarianit. pag. 333. [k] Cap. 9, &c.

ſanctitatis gradibus in locis de quibus nunc loquimur agentes aiunt [a], הר הבית מקודש מן העיר שאין זבין וזבות נדות ויולדות נכנסים לשם החיל מקודש ממנו שאין עכו"ם וטמא מת נכנסים לשם עזרת נשים מקודשת ממנו וגו׳ : *Mons templi*, qualiſcunque ſcilicet pars ejus inferior, ſeu intermurali exterior, *ſanctior eſt urbe* (quae ſanctior habita quam aliae terrae ſanctae regiones) *quoniam in eum non admittebantur ſive viri ſive foeminae ſeminis profluvio laborantes, nec menſtrua patientes, nec puerperae* nondum rite luſtratae. *Intermurale ſanctius eſt monte* (partibus ejus exterioribus) *quia intra illud non admittebantur gentiles, aut qui cadaveris cauſa immundi erant. Atrium mulierum intermurali ſanctius erat, &c.* quemadmodum & Iſraelitarum laicorum atrium eo quod mulierum erat, & ſacerdotum eo quod laicorum, ut ibi ſequitur. Et tametſi immundos alias pariter habebant gentiles atque eos qui ſeminis aut ſanguinis profluvio immundi erant (ut ante [b] monitum eſt) nihilominus hac in re immunditiem ipſorum ei quae erat eorum qui cadaveris tacti cauſa immundi erant aequiparandam volebant. Urbis autem aream uſque ad radices montis templi ſolemni nomine vocabant [c] מחנה ישראל *caſtra Iſraelitarum*; quae inde ad portam orientalem, מחנה לויה *caſtra levitica*; & demum quicquid erat inde templi in atriis, conclavibus, caeteriſque ſtructurae partibus, מחנה שכינה *caſtra divinae majeſtatis* appellata. Ita nec in ipſa caſtra divinae majeſtatis, ſeu templi cum vulgo tantum pro eo quod porta illa interius erat ſumpti partem ullam, nec quidem in intermurale, introitus gentili licitus. Caeterum quacunque in parte caſtrorum leviticorum, ſeu montis templi quae intermurali exterior erat, fas fuit ei precari, & ſacrificia, atque alia, ſed tantum quae diximus, offerre; ibi etiam immolare, quod altari a ſacerdotibus conſumendum. Nam tametſi regulariter ex lege ſacra [d] immolationes interius fieri debebant (ut interpretantur magiſtri) nihilominus etiam extra [e] eas rite fieri admittunt, quoties qui ſuas ipſi immolarent victimas ob ſingularem aliquam ſui qualitatem propius accedere non deberent. Ad quam rem animadvertendus eſt locus jam ante de varia locorum ſanctitate e Talmudicis allatus. Sed ſaepius nummi accipiebantur in victimas impendendi, item ipſae victimae popis qui immolarent traditae [f]; unde facile fiebat ut quod extra a gentili offerretur intra rite immolaretur. Atque ita igitur juxta Ebraeos capiendum illud ſupra capite quarto memoratum de gentilium precationibus in hoc loco, in Salomonis [g] ad Deum O. M. oratione (ſi primi & ſecundi templi parilem admittant hic rationem) uti & illud Joſephi [h] de Alexandro Magno, ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ ἱερὸν θύει μὲν τῷ Θεῷ, *aſcendens in templum immolavit Deo*; quod de Zorobabeliano dictum. Nimirum ob templi vicinitatem & ſingularem loci ſanctitatem, porticus & ſpatia quae fuere alia extra intermurale loca montis, qua aſcendebatur ad templum, id eſt, tota caſtrorum leviticorum (ut ſpatium illud nuncupabant) area, templi etiam nomine veniebat; quod plerumque tamen pro eo quod intermurali interius erat tantum ſumebatur. Etiam Joſepho [i] ſcimus, qui Herodianum deſcribit, primum templum (id eſt ἱερὸν) & ſecundum memorari. Ad frontem autem ſecundi, columnis inſcriptum literis tum Graecis tum Latinis, μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι, *alienigenam* ſeu *gentilem in locum* illum *ſanctum tranſire non debere*, etiam θανατικῆς ἀπειλουμένης τῆς ζημίας, *ſub interminatione poenae capitis*. Atque ita quod in monte exterius erat pariter templum habebatur, in quod gentilibus aditus licitus. Alibique idem Joſephus de templo verba faciens, *Quatuor*, inquit [k], *porticus habuit in circuitu, & harum ſingulae propriam ſecundum legem habuere cuſtodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienis. Mulieres tantummodo menſtruatae tranſire prohibebantur.* Quibus ex Talmude vides ſuperius conjungi alios qui juris parilis. Quod de porticu montis templi intermurali exteriori capiendum. Quo ſpectat & illud, in Antiochi regis diplomate [l], μηδενὶ ἐξὸν εἶναι ἀλλοφύλῳ εἰς τὸ περίβολον εἰσιέναι τοῦ ἱεροῦ τὸ ἀπηγορευμένων τοῖς Ἰουδαίοις, εἰ μὴ οἷς ἂν ἁγνισθεῖσιν ἐστὶν ἔθιμον κατὰ τὸν πάτριον νόμον, *Nemini alienigenae liceat intra ſeptum* ſeu *peribolum templi ingredi, eorum ſcilicet qui a Judaeis ingredi prohibentur, praeter eos quibus luſtratis fas eſt juxta praeſcriptum legis patriae.* Nimirum praeter gentiles ſeu alienigenas in Judaeorum ritus tranſeuntes, ſeu proſelytos juſtitiae & libertinos, qui juris non diverſi. Intelligunt hic viri docti nonnulli [m] templi nomen in evangelio interdum pro porticibus aut locis intermurali exterioribus. Hinc etiam rite capiendus locus ubi feſtis diebus celebrioribus cohortes Romanae ſtationes habebant ad cuſtodiam; cohibiturae ſcilicet tumultum ſi quis forte exſiſteret. Qua de re vide Joſephum [n]. Si quis de ſitu horum locorum in monte templi plura velit, praeter Joſephum ſcriptoreſque ad libros regum obvios, & qui de tota templi fabrica diligentius ſcripſere chriſtianos, veluti Bedam, Ariam Montanum [o], Franciſcum Riberam, Adrichomium, Sebaſtianum Barradium [p], J. Baptiſtam Villalpandum, Joannem de Pineda [q], Ludovicum Capellum [r], adeat Moſes illos Maimonidem [s] & Cotzenſem [t], & tractatum Talmudicum *Middoth* ſeu de menſuris templi, qui a V. Cl. Conſtantino L'Empereur Latine pridem verſus eſt: ubi habetur etiam templi ſciagraphia Talmudica affabre delineata. Eam vero compara cum illa quae Ebraei ipſi conjunctim interdum exhibent cum tractatu illo; qualem viſe ad calcem ejuſdem in *Miſnaioth* Pragae olim editis ſimul cum commentariis R. R. Obadiae Bartenorii & Jom Tob. Locus etiam in quem patebat gentilibus in monte templi, ſacrorum cauſa, aditus, atrium gentium non raro dicitur; quod & [v] non ſemel in foedere novo *porticus Salomonis*, ut volunt aliqui, nuncupatur.

[a] Miſna tit. *Celim*, cap. 1. & Maimonides Halach. *Bith Habechira*, cap 7. [b] Lib 2. cap. 5. [c] Maimonid. in Comment. ad tit. *Celim*, cap. 1. alii. [d] Levitic. xvii. 4. i. 11, &c. [e] Maimonides Halach. *Maiſſhe Korbanoth*, cap. 18. [f] Videſis Philonem lib. de Victimis & Joſeph. lib. 3. cap 10. [g] 1 Regum viii. 42. [h] Orig. lib. 11. cap. 8. [i] Haloſ. lib. 6. cap. 14. Gr. 6. Lat. & Origin. lib. 15. cap. 14. vide Conſtantin. L'Empereur ad tit. *Middoth*, cap. 2. ſect. 3. pag. 44, 45. & 190. [k] Contra Apionem lib. 2. [l] Joſeph. Orig. lib. 12. cap. 3. [m] Vide Conſtantinum L'Empereur loco citato, &c. [n] Orig. lib. 20. cap. 4. & 7. [o] In apparatu; in Libano. [p] Comm. in Concordiam Evangelic. tom. 2. lib. 3. [q] De Rebus Salomonis, lib. 5. cap. 5. §. 19. [r] In Compendio Hiſt. Judaicae ſubjuncto Hiſtoriae Apoſtolicae. [s] Halach. *Bith Habechira*, cap. 6. & ſeqq. [t] Praecept. Affirmat. 163. [v] Actis Apoſt. iii. 11. & v. 12.

patur. De atrio illo videsis Adrichomium[x]. Et de eo fusissime disputant J. Baptista[y] Villalpandus & Joannes de Pineda[z], eoque nomine fuisse atrium tam in Salomonico quam in Zorobabeliano atque Herodiano templo multis pertendunt. Huc attinent loca aliquot S. scripturae[a] de gentilibus templo, sed non aliter atque dictum est, arcendis. Et Hierosolymitani D. Paulum, cum viderant Trophimum Ephesium familiarius ab eo in urbe habitum, unde & existimabant ipsum ei in templi interiora comitem fuisse, incusant quod gentiles *induxit*[b] *in templum, & violavit sanctum locum istum.* Templi vero Hierosolymitani nomine (quod בית *domum domini, & domum sanctam & domum electam* vocitant Ebraei) intelligi subinde non modo sanctiorem illam structuram quod vulgo templum dicitur, verum etiam vicina, sed in monte continentia, quae diximus spatia, inque eis tum porticus tum loca qualiacunque hypaethra, absonum magis non est quam pomoerium & suburbana aedificia & vicos urbis Romae[c], subinde etiam aliarum, nomine, vicinas etiam ecclesiis christianis domus[d], hortulos, areas, nomine interdum ecclesiae, parilique jure insuper hortum domus legatae nomine contineri. Si testator, inquit Papinianus[e], *hortum domus causa comparavit, ut amoeniorem domum & salubriorem possideret, aditumque in eum per domum habuit, & aedium hortus additamentum fuit, domus legato continebitur.* Et de civilibus urbis oppidive finibus vide quae inferius[f] occurrunt, ubi de itinere sabbatico obiter agitur. Etiam apud gentiles nonnulli templum nuncupabant *non solum quod potest claudi, verum etiam quod palis aut hastis aut aliqua tali re & lineis aut loris aut simili re septum est: quod ecfatum est:* Scilicet cujus fines sive ab augure sive a pontifice effati sunt. Verba sunt Servii Honorati[g] ad Virgilium. Et templa tam subdialia & arboribus finita quam tecta & muris inclusa veteribus fuisse scimus ex Varrone[h], Vitruvio[i], aliis. Quam vero aliter peculiare fuerit Judaeorum immolationibus, nec gentilium permissum, templum Hierosolymitanum, ita vulgo, id est, strictiori sensu, nuncupatum, recte innuit Otto episcopus Frisingensis, ubi de Pompeio, *Inter alia orientis regna*, inquit[k], *Hierusalem veniens, capta civitate, templum, quo soli populo Dei immolare licuit, oblatis hostiis polluit.* Sed quod de polluto ex hostiis a Pompeio oblatis templo habet (ut obiter id adnotem) hallucinatio est. Id quidem est verum, apud Zonaram legi imperasse populo Pompeium purgare templum, *ϗ θύειν νομίμως, & rite sacrificare*; atque apud Cedrenum, *τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν, sacrificia peragere*; etiam ad sancta sanctorum ante accessisse, non ut veneratorem, sed ut profanatorem (quod ait D. Augustinus[l]) atque ita sane templum polluisse. Et ex ejusmodi sive Graecorum quos memoravimus sive aliorum verbis forte illud suum, indiligentius advertens, sumpsit Otto ille. Nam hostiis cum templum polluisse nemo vetustiorum dixit. Hujusce rei autor vetustissimus est Josephus, cujus mens proculdubio, tametsi non verba, in scriptoribus illis. Josephi verba sunt[m]; *Postero die post excidium purgare templum aedituos jussit, ϗ τὰς ἐξ ἔθους ἐπιτελεῖν θυσίας, & sacrificia quae ritu solenni erant peragenda peragere*, seu *solennia sacra celebrare*, ut vertit Ruffinus, seu *celebrare assueta sacrificia*, ut Egesippus. Scilicet intermissum aliquantulum juge sacrificium rite jussit instaurari juxta morem patrium, *non devotione supplicis* (ut verba sunt D. Augustini[n] de referato ab eo templo) *sed jure victoriae.* Itaque non hostias obtulit ille, sed ut suas non intermitterent Ebraei imperavit victor. Jam dictis lucem aliquantulam praebet, mutuoque accipit illud Taciti[o]; *Templum Hierosolymitanum intimis clausum. Ad fores, tantum Judaeo aditus; limine, praeter sacerdotes, arcebantur.* Placet Lipsio *templum intimum*, seu potius *interius*; nec immerito. Nam quid *intimis clausum?* Quae introitu in sacerdotum atrium interiora fuere, templum interius vocare videtur. Nam ad fores ejusdem Judaeo tantum aditus; per atrium scilicet, id quod alienigenae neutiquam admissi, sed tantum Judaei. De gentilium autem precibus, adorationibus, oblationibus, & votis, quae diximus, in templo Hierosolymitano seu monte templi, juxta jam ostensa, praeter scriptores christianos numerosos illos qui de atrio gentium obiter loquuntur, expressim etiam alii a Talmudicis edocti, iique gravissimi summique nominis. Josephus Scaliger[p]; *Gentiles sane adorabant, immolabant, vota solvebant & suscipiebant in templo Hierosolymitano.* Quin & Hugo Grotius[q]; *Inter ipsos Hebraeos vixerunt semper aliqui exteri homines εὐσεβεῖς & σεβόμενοι τὸν Θεὸν*[r], *Hebraice* חסידי אומות *pii ex gentilibus, ut legitur titulo Talmudico de rege. Talis qui est in lege*[s] *dicitur* בן נכר, & גר תושב, *ubi Chaldaeus dixit incolam incircumcisum. Hi, ut narrant ipsi Hebraeorum magistri, leges Adamo & Noae datas servare tenebantur, abstinere ab idolis & sanguine & aliis quae infra suo loco memorabuntur, at non item proprias leges Israelitarum. Itaque cum Israelitis non liceret vesci carne bestiae quae fato suo periisset, peregrinis*[t] *tamen inter ipsos viventibus id licebat. Nisi quod quibusdam legibus specialiter expressum est, ut incolae iis non minus quam indigenae teneantur. Extraneis etiam qui aliunde advenirent, neque institutis Ebraicis subjicerentur, in templo Hierosolymitano licuit*[v] *Deum adorare, & victimas offerre, stantibus tamen in loco peculiari ac separato a statione Israelitarum.* Sic vir praestantissimus. Simile ferme reperitur in ecclesiae christianae

[x] Theatr. Terrae Sanct. pag. 162. [y] Explan. in Ezechiel. tom. 2. part 2. lib. 1. cap. 9. & lib 3. cap. 9 11 14. & 27. & lib. 5. disp. 4. cap. 60. [z] De rebus Salomonis lib. 5. cap. 5. §. 19. videsis Abulens. ad 3. Regum cap vi. quaest 21. Lucam Burgens. ad S. Matth. xxi. 12. Sebastianum Barradium Comment. in Concord. Evangelic. tom. 2. lib. 3. cap. 29. I. Maldonat. in D. Joann. xii. 20. [a] Ezechiel. xliv. 7, &c. [b] Act Apost. xxi. 28. [c] Dd. ad l. 2. D. tit. de Verb significatione, & Virginius Fortia, de Jure novae Urbis condendae, lib. 2. cap. 1. §. 23. [d] L. 3. C. de his qui ad Ecclesiam conf. comit. Toletan. 12. cap. 10. c. 35. caus. 17. q. 4. Petrus Gambacurta de Immunitate Eccles. lib 4 cap. 1. §. 13. [e] L. 91. Praedus D. de Legatis 3. Caepola de Servitut. Urban. praed. cap. 76. [f] Cap. 9. [g] In AEneid. 4. & vide Jos Scaliger in Festum, verb. Minora. [h] De Lingua Lat. lib. 6. [i] Lib. 1. cap. 2, &c. [k] Chronic. lib. 2. cap. 46. [l] De Civit. Dei, lib. 18. cap. 45. [m] Halosεos lib. 1. cap. 5. [n] De Civit. Dei, lib. 18. cap. 45. [o] Histor. 5. [p] Animadvers. in Eusebium num. 2077. pag. 178. [q] De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 1. §. 16. [r] Vide D. Matth xv. 22 Act Apost. x. 2. & xvii. 4. [s] Levit. xxii. 25. & xxv. 47. [t] Deut. xiv. 21. [v] Vide 1 Regum viii. 41. 2 Maccab. iii 35 D Joann. xii. 20. Act. Apost. viii. 27.

stianae

ſtianae veteris moribus. In templum admittendi erant [x] & gentiles & Judaei, ſed *uſque ad miſſam catechumenorum* tantum. Quae vero ſunt hactenus dicta ad ſecula attinent quibus floruere, ſaltem exciſae non ſunt, Hieroſolymis res Ebraeorum. Seculis autem quae inde ſecuta ſunt, id eſt poſt dirutum templum, priſtinam loci ſanctitatem ita aiunt retineri, ut ad ſacrificia peragenda maneat ipſis etiamnum ea peculiaris, nec extra atrium ſeu atrii juxta ſuperiorem delineationem ſpatia regulariter fas ſit ipſis immolare aut offerre. At de gentilibus adjiciunt [y] הגוים מותרין להקריב עולות לשם בכל מקום · והוא שיקריבו בבמה שיבנו · ואסור לסייען ולעשות שלוחותן שהרי נאסר עלינו להקריב בחוץ · ומותר להורות להם וללמדם · היאך יקריבו לשם האל ברוך הוא: *gentilibus licet holocauſta offerre Domino quocunque locorum* (neque enim poſt excidium templi, adeoque reipublicae Iſraeliticae, jura ipſis Ebraeiſque intervenientia, quibus altaria intra ditionem Iſraeliticam ſibi erigere prohibebantur, vim retinere potuerunt ullam; & extra ditionem illam nunquam non fuiſſe eis fas holocauſta offerre exiſtimabant) *modo aram ſibi exſtruant. Sed nobis nefas eſt illis opem praeſtare aut procuratores agere. Quoniam nimirum vetitum eſt nobis offerre extra* Atrium. *At vero fas eſt nobis indicare illis, & docere quomodo offerre debeant Domino Deo benedicto.* Et in Gemara Babylonia, poſtquam de liberiori illo holocauſtorum vero numini ante legem Moſaicam offerendorum more verba fiunt, ſubjicitur [z], וגוים בזמן הזה רשאין לעשות כן, *Etiam & nunc temporis gentilibus eo uti fas eſt.*

CAP. VII.

De Sententia chriſtianorum aliquot ſcriptorum; res ipſas, veluti animalia, a gentili ſeu incircumciſo in ſacrificia rite non oblatas Hieroſolymis, ſed tantum earum pretia. Lex ſacra qua nititur ſententia illa. Magiſtrorum interpretatio. Alia ex ſcriptoribus chriſtianis circa ante oſtenſa.

SUNT quidem in ſcriptoribus chriſtianis qui negent ſacrificia ipſa offerenda a gentilibus ulla accipi debuiſſe, ſed tantum pecuniam aut pretium rerum unde ſacrificia coëmerentur. Et ſane ſolemne ſatis erat ipſis Ebraeis pecuniam [a] offerre pro ſingulis quibus tenebantur ſacrificiorum oblationumque generibus, quae in arculis (harum numerus erat tredecim) repoſita a ſacerdotibus in ſacrificium ipſum, ſeu id quod praeſtituta ſpecie praeſtandum erat, rite erogabatur. Sed Nicolaus Lyranus, etiam Exjudaeus, de alienigena qui, ut ipſe ait, *non erat Judaeus natione, nec converſus ad Judaiſmum, a talibus,* inquit [b], *non debebat accipi aliquid offerendum in altari. Poterat tamen accipi pecunia vel alia dona ex quorum pretio emerentur illa quae eſſent offerenda. Et hoc modo dicitur quod Seleucus Aſiae rex ex ſumptibus ſuis praeſtabat ea quae pertinebant ad ſacrificia.* Alii hujus ſententiae ſunt ſequaces, in eam interim ducti interpretatione legis ſacrae diverſa nimis ab ea quam amplectuntur magiſtri. Lex eſt ſubjuncta eis quae de victimis tantum immaculatis offerendis latae ſunt, hujuſmodi [c], ומיד בן נכר לא תקריבו את לחם אלהיכם מכל אלה כי משחתם בהם מום בם לא ירצו לכם: *Nec de manu filii alienigenae* ſeu *gentilis* (ſeu *a gentili*) *offeretis panem Deo veſtro ex omnibus iſtis,* (vulgata ibi habet, *& quicquid aliud dare voluerit*) *quia corruptio eorum eſt in eis; macula eſt in eis. Non accepta erunt vobis*; ſeu, ut vulgata, *non ſuſcipietis ea.* Pro eo quod eſt hic *panem* ſubſtituunt Chaldaei ית־קורבן *oblationem,* uti & Judaei Mauritanienſes aliique in verſionibus orientalibus. Et Helleniſtae ibi, οὐ προσοίσετε δῶρα, *non offeretis munera.* Et de carnibus aliiſque in ſacrificium ipſum oblatis accipiunt locum illum ſcriptores item chriſtiani [d]. Ad oblationes autem ſeu victimas ibi memoratas omnes legem attinere volunt magiſtri: ſed ita ſcilicet ut ſenſus ſit, iſque a majoribus acceptus, oblationes ſpontaneas ſeu vota gentilium (juxta jam ſuperius dicta; quae etiam paulo ante [e] ibi lectis de oblationibus & votis tam gentilium quam Iſraelitarum nituntur) admittenda quidem eſſe, nec oblationum ſeu ſacrificiorum genera alia. Sic tamen ut nec omnimoda ab ipſis jumenta aut pecora, ſuis alibi ſacrificiis ſatis idonea, in ſacrificium eorum ſpontaneum ſacerdotibus Hieroſolymitanis acciperentur, quod ut fieret forte morum ſuorum tenaces ſequaceſque gentiles inſtarent: ſed plane reſpuenda eſſe quae per manum gentilis, ſeu ex more gentilium, ab eo, citra rationem macularum & defectuum ibi praeſcriptam offerrentur: quia ſcilicet corruptio ac defectus ſeu vitium tam in eis, pro vetito ex ſacra lege, quam in ſacrificiis Iſraelitarum erat habendum. Expreſſim ibi ad veterum mentem Salomon Jarchius, נכרי שהביא קרבן ביד כהן להקריבו לשמים לא תקריבו לו בעל מום *Si gentilis attulerat oblationem* ſeu *victimam, ut ſacerdos eam Deo O. M. offerret, non offerendum erat animal vitioſum. At vero,* inquit, תמימה תקבלו מהם לכך נאמר למעלה איש איש לרבות את הנכרים שנודרים נדרים ונדבות כישראל: *Victimam* ſeu *oblationem vitio carentem accipietis ab eis. Cum etiam ſupra dicatur, quiſquis* ſeu *omnis homo; ut ita etiam continerentur gentiles, quorum vota & oblationes ſpontaneae habebantur velut Iſraelitarum.* Sic Maimonides, de victimis vitioſis quas ſacerdos offerre ex lege ſacra non debuit verba faciens, inquit [f], ולא קרבנות ישראל בלבד אלא אף קרבנות גוים אם הקריבן והם בעלי מומין ליקה שנאמ׳ ומיד בן נכר לא תקריבו את לחם וגו׳ *Nec ſolum id de ſacrificiis Iſraelitarum eſt intelligendum, verum etiam de eis quae a gentilibus offerebantur. Nimirum ſi, cum vitioſa eſſent, ea offerret ſacerdos, is flagris puniebatur. Nam & lex ait, nec de manu filii alienigenae offeretis panem, &c.* Tantundem alii dum legem

[x] Concil. Carthag. 4. cap. 84. Diſt. 1. de Conſecrat. cap. 67.
[y] Maimonides Halach. *Maiſhe Korbanoth,* cap. 19 & Halach. *Bith Habechira,* cap. 6.
[z] Ad tit. *Zebachim,* cap. 14. fol. 115. b.
[a] Miſna tit. *Siklim,* cap. 1. & 2. & Maimonides Halach. *Siklim,* cap. 2.
[b] Ad Levitic. xxii. not. 12.
[c] Levitic. xxii. 25.
[d] Abulenſis in Levitic. xxii. quaeſt. 22. Cajetanus, Cornelius a Lapide, Jo. Lorinus, &c.
[e] Comm. 18.
[f] Halach. *Iſuri Mizbach.* cap. 1. & vide num. 7. in fronte Halach.

hanc

hanc ſacram ita breviter in praeceptorum recenſione exhibent; שלא ליקריב בעל מום אפילו בקרבנות הגוים: *ut non offeratur animal* ſeu *victima vitioſa, ne quidem etiamſi a gentili in ſacrificium adducatur.* Sed legem illam capit Lyranus aliique [g] chriſtiani non pauci de eo quod eſt, victimam ſeu oblationem aliquam ipſam neutiquam a gentili offerendam, ſed duntaxat pretium quo a ſacerdotibus coëmeretur victima ſeu oblatio. Quin & Salomonem Jarchium expreſſim pluribus impugnat Lyranus. Et Abulenſis ibi [h]; *Pecunia cum accipiebatur, non offerebatur Domino, quoniam non erat aliquid cremabile; ſed de pecunia emebatur aliquid quod eſſet ad uſus ſanctuarii. Hic autem ſolum dicitur, non accipiendum eſſe aliquid de manu gentilium quod offeratur Domino, id eſt, quod cremetur coram Domino, vel ponatur ſuper altare. Unde ſi aliquis gentilis voluiſſet offerre panes ita ut illi cremarentur ſuper altare, vel cederent in jus ſacerdotum, aut vellet offerre aliquod animal ut immolaretur, non reciperent hoc ſacerdotes Judaeorum, quia hoc immolandum erat per ſe; ſi tamen aliquis gentilis daret panes aut animalia, non ut per ſe immolarentur aut offerrentur, ſed ut venderentur & converterentur in pecunias applicandas ad uſum ſanctuarii, reciperetur talis oblatio; quoniam hoc ſolum prohibitum erat, ſcilicet id quod ipſi darent poni ſuper altare, vel offerri Deo, ita ut efficeretur ſacrum. Si autem gentiles darent pecuniam, vel aliquid aliud convertendum in pecunias, non efficiebantur iſta ſacra, ſed poſtea ex eis emebantur alia quae ſacra eſſent, ſcilicet animalia vel panes. Directe autem non efficiebantur ſacra quae illi dabant. Quia poſtquam acciperentur pecuniae datae ab eis in ſanctuario, tranſibat in jus ſanctuarii. Et ideo ſive emerentur inde animalia ad ſacrificia facienda, ſive ad aliquid alterum, non dicebatur tale ſacrificium vel talis res data a gentili, quia jam emebantur iſta ad voluntatem ſacerdotum miniſtrantium in ſanctuario. Et hoc ſufficiebat ad hoc quod non acciperetur ſacrificium de manu gentilium.* Sic Toſtatus ille; quod & alibi [i] pluribus ſibi firmare videtur. Joannes Lorinus, alii, tantundem. Sed refragatur magiſtrorum ſchola. Nec vim omnino in eos habet argumentum illud quod Lyranus affert, & velut firmum admittit Abulenſis [k], de paſchalibus ritibus cum gentili non communicandis: quaſi vero inde ſequeretur multo minus ei permiſſum templo, ut dictum eſt, oblationes ſpontaneas offerre. Nam peregrinus in Numeris [l] ad paſchatis celebrationem admittendus plane proſelytus juſtitiae eſt. Et non ſolum, ex lege ſacra [m] alia, paſchalibus ritibus, verum etiam omnibus aliis [n] qui Ebraeis proprii, arcebantur gentiles necdum in Judaiſmum recepti, juxta magiſtrorum placita jam ante oſtenſa. Non utique ſpontaneis oblationibus aut holocauſtis numen Hieroſolymis colere vetiti: quippe quae in cultum afferebantur ſimplicem, rituum Ebraicorum legumque leviticarum ratione alia non habita quam ut, juxta jus illud a numine datum utriſque imperativum, vitio carerent. Quin nec deſunt in chriſtianis [o] qui oblationem quidem pecuniae ſeu alius cujuſvis rei in ſacros qualeſcunque uſus accipi a manu gentilis ea lege prohiberi velint: aliis [p] interea (praeter ſuperiori in capite citatos) id ipſum quod docent magiſtri, de ipſis oblationibus vitio carentibus etiam a manu gentilis accipiendis, aſſerentibus. Chriſtianorum autem alii, etiam in rebus Ebraicis verſatiſſimi, interius quam Talmudici admittunt in templo Hieroſolymitano gentiles. Arias Montanus [q] etiam de Salomonico; *Poſterioribus temporibus extra Iſraelis ac foeminarum atrium aliud conſtructum fuit cui* חול, *hoc eſt profano, eſt nomen factum, in quod exteri, id eſt gentes, quae Iſraelis nomen non profiterentur, convenire ad orandum poſſent: & Iſraelitae etiam qui ceremoniali ritu puri non eſſent. Ad hoc atrium illae pertinebant exedrae, quarum ſitum paulo ante deſcripſimus, partim in ſacro partim in profano conſtitutae. Habuit etiam ſuas porticus atrium hoc, quibus vel imber vel aeſtus nimius vitari poſſet. Hujus atrii porta quae ortum reſpiciebat, infima dicebatur.* Citantur ab eo in margine etiam Talmudici [r] aliquot velut hujus rei teſtes. Admiſſos quidem gentiles in loca intermurali exteriora (ut oſtenſum eſt) conſentiunt Talmudici. Sed exedrae illae, quae partim in ſacro partim in profano ponebantur, fuere quae partim atria gentilibus plane inacceſſa & partim intermurale (quod reſpectu atriorum quae ſanctiora erant חול ſeu *profanum* etiam eſt dictum [s]) occupabant. Unde, ſi verum dixerit Arias, intra intermurale admiſſi gentiles; quod Talmudicis plane refragatur. Nec loci ab eo citati ejuſmodi quid omnino praeſtant. At ſingulare eſt quod apud Bedam alioſque aliquot habetur ex Caſſiodoro; *admiſſos in extremum atrium gentiles, & Judaeos qui nuper venerant ex gentibus, uſque ad ſextum purificationis diem.* Hoc ſcilicet inter alia ex vetuſta templi apud Caſſiodorum figura affertur [t]. Et ſtatim ſubjungit Beda; *Haec ut in pictura Caſſiodori reperimus diſtincta, breviter annotare curavimus; ita eum ab antiquis Judaeis didiciſſe: neque virum tam eruditum voluiſſe in exemplum legendi proponere quod non ipſe prius verum eſſe cognoviſſet.* Tantundem ex eo Rabanus Maurus [v]. De gentilium admiſſione res quidem palam eſt ex ſupra memoratis. At Judaeos qui nuper venerant ex gentibus (ſive proſelytos juſtitiae, ſeu qui e gentilium ritibus in Judaiſmum tranſierant, ſive Judaeos originarios e gentilium regionibus, quibus degerant, Hieroſolymam ſe adorandi cauſa conferentes intelligas) eo nomine interius non admiſſos ante diem ſextum, nondum comperio apud Talmudicos. Sed vero, ut hanc rem tandem finiamus, procul a vero abeſſe nemo ex hiſce non videt id quod a nonnullis aſſeritur, *nunquam paſſos fuiſſe Judaeos miſceri ſibi in ſolemni Dei*

[g] Moſes Mikotzi praecept. negativ. 314. Abarbinel in *Piruſh Tora*, fol. 260. col. 4. [h] Abulenſis in Levitic. xxii. quaeſt. 22. & 23. Cajetanus, Jo. Lorinus, Cornelius a Lapide, &c. [i] Ad 1. Paralip. cap. 16. quaeſt 29. [k] Ad Levitic. xxii. quaeſt. 23. [l] Cap. ix. 14. [m] Exod. xii. 43. [n] Videſis Abulenſem. ad D. Matthaei cap xxvi quaeſt 40, 41, &c. [o] Hugo Cardinalis ad Levitic. xxii. [p] Jo. Brentius ibidem, ubi & vide P. Fagium, Seb. Munſterum, Iſidorum Clarium, &c. [q] In Libano pag. 13. [r] Miſna de Decima ſecunda cap. 3 parag. ח & Camh in Ezek. xlii. 18. Miſn. tit. סוכה cap. 5. par. ח. [s] Conſtantin. L'Empereur ad Cod. *Middoth*, pag. 186. [t] Beda tom. 8. lib. de templo Salomon. cap. 16. [v] Ad 3. Regum cap. vi.

cultu gentiles, quia putassent hoc modo se & templum & sacrificia pollui. Quod scilicet etiam de adoratione tantum dictum. Nam ita Joannes Calvinus [x], ubi ob hanc potissimum causam non vult gentiles seu incircumcisos fuisse Ἕλληνας seu Graecos illos qui Hierosolymam apud D. Joannem ascendebant ut adorarent, sed Judaos Graecienses. Et merito sane eo nomine a Joanne Maldonato [y] refutatur.

CAP. VIII.

Ex ante allatis concluditur, Ebraeorum sententiam manifestam esse, tum proselytos domicilii tum Noachidas reliquos seu genus humanum universum ad cultum divinum, qui in precibus, gratiarum actionibus, benedictionibus, holocaustis spontaneis ac spontaneis oblationibus (quibus scilicet peculiares Ebraeorum ritus non commisti) & votis simplicibus habetur, esse obligatos. Christianorum aliquot hac de re placita. De holocaustis illis singularia quaedam. Ad fusiorem de septimo die explicationem transitus.

OStenso hactenus tum qualisnam cultus divinus proselyto domicilii seu gentili Hierosolymis alibive in ditione Israelitica permissus fuerit, tum qualis interdictus, tempestive redimus ad id quod supra proposuimus de eo quod est, Ebraeos non solum voluisse gentiles seu Noachidas, id est genus humanum, interdictis illis naturalibus de cultu extraneo & blasphemia negativis, qua negativis, inter caetera juris Noachidarum capita, teneri, seu sceleribus illis binis, qua numen seorsim & per se interdicta respiciunt, abstinere; verum etiam existimasse eos ad cultum & honorem numini exhibendum obligatos esse; idque velut ex appendice interdictorum illorum affirmativa, juxta superius capite primo dicta: quod ex cultus, apud ipsos proselytis domicilii aliisve gentilibus eorum instar, permissione & interdictione jam fusius explicata non est elicere difficile. Etenim dum, ut ostensum est, negant gentilem, necdum proselytum justitiae factum, ritibus Ebraicis, qua Ebraicis, ex jure ipsis aliisque gentibus partim imperativo partim interveniente potuisse misceri, nec impune legem Mosaicam ejusve partem aliquam apud ipsos (quibus lex ea peculiaris) ab eo servandam fuisse, nec aliud omnino ultro ibi in cultum praestari ab eo debuisse praeter id quod jure suo, id est septem capitibus juris Noachidarum, praestandum erat; sed demum preces, laudes, adorationes, id genus alia, praeter spontanea sacrificia, oblationes spontaneas, & vota, id est cultum simplicem ritibus Ebraicis nullatenus involutum, juxta superius dicta, ei etiam Hierosolymis ipsoque in monte templi (pro templo interdum, ut diximus, sumpto) permissum; liquido sequitur, cultum ejusmodi, ex jure ipso Noachidarum, seu ejusdem sensu obligativo ac affirmativo, veluti interdictis illis binis annexo, gentilibus apud ipsos seu in eorum ditione agentibus praestandum eos admisisse. Nec scrupulum intempestivius hic quis injiciat, spontaneum obligationi adversari videri. Ideo enim *spontanea* dicuntur hic sacrificia illa & oblationes, quia genus, tempus, aestimatio, juxta superius dicta, offerentis arbitratui sic relicta sunt ut praestitutis, in legibus Ebraeorum, sacrificiis quae reliqua sunt, solemnibus essent plane libera; sed pro re nata tamen ex obligatione praestanda, ut supplicationes, & gratiarum actiones. Et cum cultus divinus sit tum interior, quae consistit in conjunctione ad Deum summaque ejus reverentia per intellectum & affectum; tum exterior, quae in precibus & laudibus effundendis, adorationibus, sacrificiis, oblationibus cernitur, neque hic sine illo rite exhiberi possit; consequitur similiter, ad cultum utrumque obligatos etiam proselytos domicilii & qui eorum instar fuere (adulti scilicet, nec rationis expertes; & pro rerum suarum sive copia sive inopia) censuisse Ebraeos. Ita tamen ut ob non praestitum alterutrum nulla apud eos sequeretur poena civilis, sed cultus neglecti poena בִּיד שָׁמַיִם *coelitus* esset exspectanda; quemadmodum loquuntur etiam non raro de peccatis aliquot ex lege ipsis civili, coelitus tantum, non in foro civili puniendis agentes. Atque ex hoc de proselytis domicilii seu gentilibus eorum instar sic demonstrato, pariter sequitur, ad simplicem reverentiam ejusmodi actu tum interiori tum exteriori praestandam, cultumque quantus in precibus, gratiarum actionibus, benedictionibus, sacrificiis ac oblationibus votisque simplicibus consistebat, exhibendum, similiter obligatum esse universum genus humanum Ebraeos autumasse. Nam nil permissum in ultroneo cultu proselyto domicilii Hierosolymis, seu in ditione Israelitica, praeter id quod ex juris Noachidarum, quod humani generis faciunt commune, obligatione pendebat. Atqui cultus qualem diximus simplex atque ultroneus ille proselyto domicilii permissus est Hierosolymis, &, pro natura rei, alibi in ditione Israelitica. Unde manifestum fit, ad communia hominum officia, etiam ex obligatione, cultum illum, juxta disciplinam quam tractamus, pertinuisse. Neque igitur expiatoria signantius sic dicta, juxta eos, sacrificia, propitiatoria, aut pacifica, nec oblationes aliaeve praestationes lege scripta, qua scripta, imperatae, in cultu externo proselyti domicilii Hierosolymis locum habuere ullum; adeoque nec in cultu illo externo ad quem genus humanum ab ipsis rerum initiis obligari volunt. Sed in eo tantum locum habuere preces, benedictiones, gratiarum actiones, holocausta simplicia eaque ultronea, ut supra ostensum est, & ultroneae oblationes ac vota. Holocausta autem, tametsi ex interdicto illo de eis divino (quo tam proselyti domicilii quam Israelitae, ut dictum est, licet diversimode, continebantur) Hierosolymis tum vitiis in Levitico memoratis carere debebant, tum ex gregibus ac armentis tantum aliquot ibi enumeratis seligi; nihilominus extra ditionem Israeliticam, seu ubi non obligabat lex Mosaica, sed jus tantum Noa-

[x] Ad D. Joan. cap. xii. 20. [y] Ibid.

chidarum, ex aliis [a] animalium generibus, mundorum ſaltem, nec ita vitio carentibus, indiſcriminatim (modo hoſtiis humanis, de quibus libro quarto, abſtinerent) ſumi potuere. Quale de aliis etiam gentilium oblationibus votiſque numini vero dicendum. Vices autem tam hilaſtici atque expiatorii quam euchariſtici ſacrificii ſimplicia ac ſpontanea holocauſta illa proſelytis domicilii, adeoque caeteris Noachidis, ſuppleſſe, Ebraeos non dubitaſſe puto palam eſt. Nam ut Abelis & Noachi euchariſtica & hilaſtica fuiſſe liquet ex diſertis ſacri ſermonis [b] verbis, ita non ſolum Eliphazi [c], Baldadi & Tzophari holocauſta, quae ad intervallum illud etiam ante legem ſcriptam attinent, ſunt expiatoria; verum etiam de ipſo holocauſto ſpontaneo (ad quod ſolum ſacrificii cruenti genus, utpote ſimpliciſſimum, admittebantur Hieroſolymis gentiles) dicitur [d], ונרצה לו לכפר עליו & *acceptabile erit pro eo, ut ſcilicet expiatio fiat illi*, ſeu, ut vulgata, *acceptabilis erit atque in expiationem ejus proficiens*, nimirum ſponte offerentis. Quale pariter de gentilium oblationum aliarum ſpontanearum votorumque effectu Ebraeos exiſtimaſſe aequum eſt ut autumemus; modo ſaltem accederet confeſſio & poenitentia [e], ſine quibus expiationem rite ſic fieri ſibi ipſis quidem non admittebant. Hiſce, ut ſequaces, connumerandi etiam ſunt ſpes praemii ac timor poenae divinae, qui cultus interioris pars. Sed de ea plura ubi caput de judiciis infra tractamus. Neque Ebraeorum ſententiae de cultu per ſacrificia & oblationes numini ante legem ſcriptam, id eſt ex jure Noachidarum ſeu humani generis communi, ſic exhibendo, diſſona ſunt quae apud patres chriſtianos ſubinde occurrunt de intervallo illo. S. Thomas; *Sicut* [f] *in ſtatu legis naturae homines nulla lege exterius data* (literis mandata) *ſed ſolo interiori inſtinctu* (ex numine indito) *movebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur.* Recole hic etiam quae ſupra [g] ex Paulo Burgenſi adferimus. Et certe qui ſacramenta illius intervalli tria illa faciunt [h], ſacrificium, oblationem & fidem, Ebraeis hic proxime accedunt. Sed de externo cultu, ſignis ſacris ac ſacramentis illius intervalli quamplura huc ſpectantia controvertuntur apud ſcholaſticos [i]; quos, ſi placet, vide; prae aliis autem S. Thomam, Alexandrum Halenſem, Scotum, & Guidonem Brianſonem. Certe & Ebraeorum ſententiam fuiſſe, Noachidas ſeu genus totum humanum ad cultum divinum praeſtandum, non ſolum idololatria & blaſphemia abſtinendum, obligatos eſſe, idque ex ſenſu interdictorum binorum quae libro ſecundo explicavimus, non dubitarunt viri aliquot in chriſtianis ſcriptoribus ſummi, dum interdicta illa e magiſtrorum commentariis obiter enumerant. Monuimus ſupra [k], eſſe qui ברכת השם, quod *exſecrationem* ſeu *maledictionem nominis* merito vertimus, *benedictionem* interpretantur. Horum quidem aliqui id explicant per *ut hunc ſolum creatorem veneraretur.* Sic Guilielmus [l] Schickardus. Alii pro interdicto ſubſtituunt *benedicere Deum:* ſic praeter ſupra citatos, Paulus Fagius, Sebaſtianus Munſterus, Iſidorus Clarius, alii ad Levitici caput vigeſimum ſecundum. Atque id plane cultum denotat. Petrus item Cunaeus [m] pro eodem in juris Noachidarum capitum ex Ebraeis recenſione habet *celebrandam divini nominis majeſtatem eſſe.* Summa igitur eſt, in oblationibus ſpontaneis, holocauſtis itidem ſpontaneis, & votis (pro vario perſonarum ac rerum diſcrimine) praeter preces, gratiarum actiones, benedictiones, conſtitiſſe cultum illum divinum ad quem genus humanum obligatum eſſe voluere Ebraei, idque ex jure quod tractamus naturali: In oblationibus ſcilicet ac votis (qualia in oblationibus deſinunt) rerum ſacros in uſus, veluti in templa ac aras exſtruendas, ſacerdotiorum ſumptus, miniſteria, inſtrumenta, & ſi quae ſunt id genus alia; in holocauſtis autem cruentis, ſeu animalium ſacrificiis, igne omnino conſumendis, parte nulla polluta ſeu comeſa. Quod ex eo videtur manaſſe quod primae aetatis hominibus, id eſt, qui Noachum praeceſſerunt, carnium eſus permiſſus non ſit (ſic enim Ebraei [n] ſtatuunt; qua de re plura ubi inferius agimus de membro animalis viventis Noachidis interdicto) atque tunc temporis ſacrificia illa ignita, ex juſſu ſeu inſpiratione [o] numinis, cum caeteris ad cultum neceſſariis, originem habuerint. Neque enim ex immolati animalis parte aliqua (quemadmodum in ſacrificiis aliis Ebraeorum, & in non paucis gentilium aevi ſuccedentis) epulum ſacrum, velut ſacrificii appendicem, celebrari tunc licite potuiſſe nemo non videt. Et cum carnium eſus verbis diſertis [p] generi humano poſt compluria ſecula a numine indultus eſt, de ſacrificiorum cruentorum ritu nihil interea eſt novatum. Sed totum animal pro victima oblatum, excoriatum [q] tamen ex more & diſſectum, ut ante concremandum erat: uſibus nempe humanis ſic plane eximendum; idque tum in recognitionem ſupremi numinis imperii, tum in gratiarum actionem, favoris conciliationem, peccatorum expiationem, velut per ſymbolum quod retributionis univerſi Domino factae faciem ſaltem ſibi indueret. Adjiciunt etiam aliqui, in ipſo primo quod diſerte legitur holocauſto cruento, adeoque in caeteris quae ſecuta ſunt, rationem ſingularem habitam humani in caetera animantia, quae dignitate & ſimilitudine homini proxima, dominii agniti. Scilicet Abelem rite didiciſſe, adeoque crediſſe, utcunque carnibus veſci homini non liceret, animalia nihilominus omnia ita homini ex numinis indultu ſubjacuiſſe, ut non ſolum alios in uſus cogenda, ſed etiam in holocauſta immolanda eſſent: inde, ut tam inſignem indultum numinis quam imperium ejus ac bonitatem agnoſceret, ac propitium redderet, primogenita ovium, eaque optima, in holocauſtum eum immolaſſe, numini-

[a] Videſis Salomon. Jarch. ad Levit xxii. 25. [b] Geneſ. iv. 4. & viii. 20. [c] Job. xlii. 8, 9. [d] Levitic. i. 4. & vide Joſeph. lib. 3. cap. 10. & Philonem lib. de Victimis. [e] Vide Maimonidem Halach. *Theſuba* [f] Part. 3. quaeſt. 60. art. 5. ad tertium. [g] Cap. 2. [h] Guid. Brianſon in ſent. 4. diſt. 1. quaeſt. 1 Correlar. 3. 5. Gregor. Moral. lib. 4 c. 2. diſt. de conſecrat. 4. cap 5. [i] Ad ſent 4. diſt. 1. & S. Thom. 2. ſec. q. 85 part. 3 quaeſt. 60. & vide Hugon. de Sacramentis, lib. 1. part 11. cap. 3. Adde Abulenſ. ad Geneſ. vi. & ad 1. Paralip. cap. 16. quaeſt. 26. & 27. [k] Lib. 1. cap. 10. pag. 127. [l] De Jure Regio, cap. 5. theorem. 17. pag. 129. [m] De Repub. Hebraeorum, lib. 2. cap. 19. [n] *Bereſith Rabba* paraſh 34 fol. 38. col. 2. Joſeph. Albo lib. *Ikarim* part. 3. cap. 14 & 15. [o] Alex. Halenſ. part. 4. memb. 6. Scot. in ſent. 4. diſt. 1. quaeſt. 7. [p] Geneſ. ix. 4. Joſeph. Orig. 1. cap. 4. [q] Gemar. Babylon. ad tit. *Zebachim* cap. 14. fol. 115. b.

que

que ſic placuiſſe: Cainum vero tantum abfuiſſe ab hoc tam eximio numinis hominibus indultu agnoſcendo, ut nondum admitteret animantium caeterorum alicujus immolationem ſeu caedem licitam magis fuiſſe atque homicidium; parilem item hominibus ac animantibus caeteris fuiſſe exitum: atque inde eum res viliores, ſeu fruges terrae, obtuliſſe; & hoc demum nomine numini diſplicuiſſe. Quae pluribus exſequitur R. Joſeph [r] Albo, quem vide. Et de hiſce ſatis ſuperque. Jam vero obligatione Noachidarum ad cultum juxta Ebraeos ſic oſtenſa, reſtat ut fuſius diſpiciamus, quemadmodum ſuperius [s] promiſimus, de ſacra ſabbati ſeu ſeptimi diei obſervatione. Obiter ibi ex Ebraeis docuimus feſta eorum omnimoda proſelyto domicilii interdicta, uti & omnimoda alia quae forte proſelytus ejuſmodi ſibi intra ditionem Iſraeliticam obſervanda inſtitueret aut alibi inſtituta ibi ſervaret: id eſt, tempus nullum ſolemne ſeu feſtum nullum ex jure Noachidarum ſeu humani generis communi ſacris, quae diximus, juxta eorum ſententiam, etiam neceſſario generi humano obeundis, eſſe praeſtitutum. Id enim manifeſto ex jam ante oſtenſis ſequitur. Nam quod proſelytum domicilii obſervare non permittebant, ad id nec ipſum nec gentilem alium ſeu Noachiden obligari eos voluiſſe, inde palam eſt. Pro vario igitur tam locorum ac temporum quam perſonarum ac rerum diſcrimine ac opportunitate, cultum illum a Noachidis extra ditionem Iſraeliticam exhibendum cenſuere; quemadmodum dum parentes dicimus colendos, ſeu ablata reſtituenda, alia ejuſmodi, obligationem quidem palam innuimus, loca tamen & tempora obſervationis ex re nata, ac rerum & perſonarum diſcrimine atque opportunitate, perquam variatim elicienda, nec ſignato aliquo die determinata, intelligimus: Quae nihilominus ex jure aliquo poſitivo determinari poſſe nemo dubitat. Nec dubitarunt Ebraei quin gentiles ſui plane juris extra ditionem Iſraeliticam & tempora & loca cultui ſuo ſacro poſſent pro arbitratu ſuo praeſtituere, & ſive feſta cultui veri numinis ab ipſis adinventa celebrare, ſive Ebraica etiam quotquot vellent [t] imitari: Quod proſelytis domicilii, utpote ex arbitratu, non ex obligatione pendens, plane negatum. Et cum ita ſe rem habere ex jam ante allatis conſtet, ſupervacaneum forſan nimis videatur plura de ſeptimi diei ſeu ſabbati feſti obſervatione, qua Noachidas ſeu genus reliquum humanum ſpectat, hic adjicere. Caeterum, quoniam non ſolum olim in ſchola [v], verum etiam & hoc ſeculo, perilluſtris habetur ea de re quaeſtio, eaque a ſcriptoribus ſane graviſſimis aliquot, tum integris ea de re libellis tum commentariis ad caput Geneſis ſecundum, & decalogum, aliiſque lucubrationibus editis agitata, in qua ſubinde trahuntur in partes etiam Ebraeorum nonnullorum ſententiae perinde ac ſi ex jure naturae univerſalem, neceſſariam, ac perpetuam ſabbati aut ſeptimi diei, ut feſti, obſervationem ipſi docerent, adeoque ad eandem genus humanum univerſum obligatum eſſe ſtatuerent; ideo operae pretium duximus, rem altius repetendo, tum quid de ſabbati ſeu ſeptimi diei, ut feſti neceſſario celebrandi, inſtitutione atque etiam obſervatione, qua Noachidas ſpectet, ulterius docuerint Talmudici, tum quid de locis aliquot in hanc rem e celeberrimo illo Judaeorum pari, Flavio Joſepho & Philone, afferri ſolitis ſtatuendum ſit, proxime explicare. Et primo de ſabbati ſeu recurrentis ſeptimi in dierum periodis diei, ut feſti, celebrationis, juxta Talmudicos, inſtitutione.

CAP. IX.

Quid de originis ſeu primariae ſabbati ſeu ſeptimi in dierum periodis diei, ut feſti, Inſtitutionis tempore & loco ſenſerint Talmudici. Obiter de itinere ſabbatico; & quanta fuerit ejuſce menſura, atque unde auſpicanda. De Chronico Seder Olam Rabba dicto, ejuſque autore & vetuſtate.

IN ſabbati, ita per excellentiam dicti, id eſt ſeptimi in periodis dierum a rerum conditu putatis diei, ut feſti, celebrationis ſolemnis nec ſine piaculo intermittendae (quae in opere ac laboribus, cultus cauſa, abſtinendo, lege legenda, audienda, ac ſacrificiis ſingularibus maxime cernebatur) inſtitutione, juxta Ebraeos, diſpicienda, conſideremus oportet, ex eorum diſciplina, potiſſimum tempus inſtitutionis, locum, cauſam, & quamnam relationem habere velint inſtitutionem illam ad genus humanum, ſeu ejuſce partem aliquam. Tempus inſtitutionis non in rerum primordiis, ſed intra menſem ab exitu ex AEgypto, adeoque ante decalogi promulgationem, a Talmudicis collocatur; ſcilicet in ſtatione Iſraelitarum in Mara, quae quinta [a] eſt ab exitu. De ſtatione illa legitur in Exodo [b], *Ibi poſuit ei Deus* חוק ומשפט, id eſt, *ſtatutum & judicium.* Partem ſcilicet capitum legis Moſaicae, quae poſtea ſecuta eſt, hic intelligunt, ut & ante [c] memoratur: atque in ea parte ſabbati inſtitutionem fuiſſe pronunciant. Et tametſi de omnibus capitibus tunc traditis neutiquam conſentiant univerſi, attamen ſabbatum in eis contineri traditio eſt eis avita atque vetuſtiſſima. Statuti nomine, ſabbatum; judicii, hujus formulas ibi innui plerumque volunt, praeter honorem parentum. Ea de re quod ſupra [d] citatum eſt ex *Seder Olam Rabba* & gloſſa Salomonis Jarchii, hic recole. Conſona eſt Gemara etiam Babylonia, ubi legitur [e] עשר מצות נצטוו ישראל במרה שבע שקיבלו עליהן בני נח והוסיפו עליהן דינין ושבת וכיבוד אב ואם דינין דכתיב שם שם לו חוק ומשפט שבת וכיבוד אב ואם דכתיב כאשר צוך יי' אלהיך ואמר ר' יהודה כאשר צוך במרה: *Decem praecepta accepere Iſraelitae in Mara; ſeptem quae Noachidarum fuere,* ſeu *humani generis univerſi: jam vero adjecta ſunt judicia, ſabbatum, & parentum honos. Judicia; juxta illud* [f], Illic poſuit ei ſtatutum & judicium; *ſabbatum, & parentum honorem; juxta illud* [g], Quemadmodum praecepit tibi dominus Deus tuus, *quod ex ſententia Rabbi Jehudae intelligendum eſt de eo quod ante praeceptum eſt*

[r] Part. 3. cap. 15. [s] Cap. 5. [t] Vide ſupra cap. 3. [v] Alex. Halenſ. part. 3. quaeſt. 32. S. Thomas 2. ſecundae quaeſt. 122. Scotus ad Sent. 3. diſt. 37. quaeſt. unic. &c. [a] Numer. xxxiii. 8. [b] Exod. xv. 25. [c] Lib. 1. cap. 10. pag 161, 162. [d] Ibid. [e] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. b. [f] Exod. xv. 25. [g] Deut. v. 12. & 16.

in


3

in Mara. Scilicet obſervant in lege repetita, ſeu decalogo a Moſe in Deuteronomio iterato, bina illa praecepta de ſabbato & parentum honore verba illa *quemadmodum praecepit tibi dominus Deus tuus* velut ſibi peculiaria habere; caeteris ſine hiſce omnino ibi prolatis. Et ſunt quidem in magiſtris qui [h] de lege in Sinai antea data verba illa intelligunt. Sed utroque in loco adjecta ea eſſe volunt viri apud Ebraeos inſignes, Rabbi Jehudae hic ſequaces, ad indicandum id quod in Mara, atque ante decalogi ipſius promulgationem, praeceptum eſt. Unde ad jam allatum e Deuteronomio locum Salomon Jarchius, אשר צוך קודם מתן תורה במרה *Quemadmodum praecepit* (ſeu antea praeceperat) *intelligendum eſt de eo quod ante legem datam praeceptum eſt in Mara.* Quin & in Gemara Babylonia, ubi de itineribus ſabbaticis diſputatur, quaeſtio fit utrum etiam illa in Mara praefinirentur. Atque altercantibus ea de re magiſtris, admittitur interea ut receptiſſimum, ipſum ſabbati ſeu ſeptimi in enumerationis ordine a mundi conditu inchoato diei obſervationis praeceptum originem eſſe in Mara ſortitum. Verba ſunt [i], ופליגי בשבת דמרה דכתיב כאשר צוך ה׳ אלהיך ואמ׳ רב יהודה אמר רב כאשר צוך במרה מר סבר אשבת איפקוד אתחומים לא איפקוד ומר סבר אתחומים נמי איפקוד : *Altercatio fuit* (inter Rab Acha Bar Jacob & Rabba) *de ſabbato qua ad Mara refertur. Scilicet ſcriptum eſt,* quemadmodum praecepit tibi dominus Deus tuus; *quod interpretatur Rab Jehuda, quemadmodum praecepit in Mara. Alter vero eorum exiſtimavit non ibi itinerum quantitatem praefinitam eſſe, ſed tantum ſabbatum; alter etiam & itineris quantitatem.* Scilicet תחומין השבת *itinerum* ſeu *intervallorum ſabbaticorum* apud Talmudicos, juxta receptam antiquitus ſententiam, de qua obiter hic monere liceat, duplex habetur genus: alterum majus, quod legi ſcriptae coaevum, id eſt Moſaicum, fecere; alterum minus, quod ex ſcribarum ſcitis, id eſt moribus ſuperinductis, manavit. Prius aiunt fuiſſe XII milliarium; poſterius, cubitorum bis mille; quod aequale eſt milliario Italico, aut praeterpropter. De minori illo itinere ſcriptores chriſtiani ad apoſtolorum Acta [k]; ubi pro σαββάτυ ὁδὸς, *iter ſabbati* (quae diſtantia ibi inter montem olivarum & urbem ſacram) ſubſtituitur a Syro איך שבעא אסטדון *quaſi ſeptem ſtadia*; ab AEthiope [l] autem, *curſus unius viri, quod eſt iter antiquum ſabbati.* Sed pro bis mille cubitis, velut ex Ebraeis, habet S. Hieronymus totidem pedes tantum. *Praeterea,* inquit ille [m] de Judaeis, *quia juſſum eſt ut diebus ſabbatorum ſedeat unuſquiſque in domo* [n] *ſua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat; ſi quando eos juxta literam coeperimus artare, ut non jaceant, non ambulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi velint praecepta ſervare; ſolent reſpondere, & dicere, Rab Akiba & Simeon & Hillel* (ſic plane legendum, non *Hille*, ut in editis) *magiſtri noſtri tradiderunt nobis ut bis mille pedes ambulemus in ſabbato.* Sic ille; ubi tamen Eraſmus [o] aut legebat aut intellexit (ni memoriae lapſus fuerit) bis mille paſſus. Sed quod citavimus ex Hieronymo, id ipſum ferme legitur pariter apud Agobardum epiſcopum [p] Lugdunenſem, cui nec cubiti ſed pedes etiam hic menſura ſunt. Sed hiſce vetuſtior Origenes [q] cubitos ſeu πηχεῖς totidem habet, uti & ex eo OEcumenius & Theophylactus, tametſi in libris Theophylacti corrupte excuſis legatur, velut ex Origene, τριῶν πηχῶν, *trium cubitorum,* pro διχιλίων, *bis mille*, ut & recte animadvertit J. Druſius [r]. Atque ita ſane apud Suidam citatur locus ille ſive ex Origene ſive e Theophylacto aut OEcumenio deſumptus. Eucherius etiam per mille paſſus, qui eidem menſurae ſatis ſunt conſoni, iter ſabbati in Actis, ut rem notiſſimam explicat. Sic ibi Beda, Lyranus; ſic gloſſa interlinearis, quae adjicit, *quod cujus autoritatis ſit ignoratur.* Sic alii. Sed oſcitanter nonnulli duum milliarium ſubſtituunt hic ſpatium. Atqui audiamus Talmudicos, היוצא חוץ לתחום המדינה בשבת לוקה שנ׳ אל יצא איש ממקומו ביום השביעי׃ מקום זה הוא תחום העיר ולא נתנה תורה שיעור לתחום זה אבל חכמים העתיקו. שתחום זה הוא חוץ לשנים עשר מיל כנגד מחנה ישראל׃ וכך אמר להן משה רבינו לא תצאו חוץ למחנה׃ ומדברי סופרים שלא יצא אדם חוץ לעיר אלא עד אלפים אמה הוא מגרש העיר : *Qui in ſabbato ultra terminum urbi praeſtitutum exibat, vapulabat; juxta id quod habetur in lege* [s], Non egrediatur ullus e loco ſuo die ſeptimo. *Locus hic eſt terminus urbi praeſtitutus,* ſeu *ſpatium intra terminum illum protenſum. Ejus vero menſura diſerte non ſtatuitur a lege; unde tamen per interpretationem ſapientes illud fecere duodecim milliaria, quod ſpatium erat ultra quod e caſtris Iſraeliticis non erat egrediendum. Nam & ſic juſſit Moſes magiſter noſter, non eſſe egrediendum e caſtris. Caeterum ex ſcribarum ſcitis manavit illud, quod non liceret homini urbe exire ultra bis mille cubitos. Scilicet ſpatium illud pro ſuburbio* [t] *habetur.* Sic Maimonides [v], Moſes Mikotzi [x], autor *Sepher* Colbo [y], alii, idque juxta ſcita in corpore Talmudico [z] utroque reperta. Jam dicta autem ſic interpretantur, ut fas fuiſſe aiant לאדם בשבת להלך את כל העיר כולה אפילו היתה כנינוה בין שהיתה מוקפת חומה בין שלא היתה מוקפת חומה׃ וכן מותר לו להלך חוץ לעיר אלפים אמה לכל רוח : *Homini in ſabbato totam urbem peragrare, etiamſi fuerit ampliſſima, etiam ut Ninive* [a]; *idque ſive muris cincta eſſet, ſive non cincta. Atque ita etiam fas fuiſſe ex urbe egredi per bis mille cubitos in quamlibet plagam.* Dein adjiciunt, ואם יצא חוץ לאלפים אמה מכין אותו מכת מרדות עד שנים עשר מיל אבל אם יצא והרחיק מן העיר יתר על שנים עשר מיל אפילו אמה אחת לוקה מן התורה : *Si bis mille cubitos excederet, nec tamen duodecimum lapidem attingeret, flagris puniebatur, eis ſcilicet qui ſcribarum ſcita non obſervarent debitis. Caeterum ſi ultra duodecimi ab urbe lapidis diſtantiam exiret uſque ad cubitum unicum,*


[h] Aben Ezra ad Deuter. v. & Iſaac. Abarbinel in *Piruſh Tora*, fol. 339. col. 3, 4. [i] Gemara Babylon. ad tit. de *Sabbato*, cap. 9. fol. 87. b. [k] Cap. 1, 12. [l] Apud Ludov. de Dieu ibid. [m] Epiſt. 151. ad Algaſiam, quaeſt. 10. & videſis Baronium Ann. Chriſt. 34. Maldonat. ad S. Matth. xxviii. 20, &c. [n] Exod. xvi. 29. [o] Ad Act. Apoſt. cap. i. [p] Opuſc. de Judaicis ſuperſtitionibus. [q] Apud Theophylact. in Act. 1. & Peri Archon, lib. 4. cap. 2. & adde Suidam verb. σαββάτυ ἔχων ὁδόν. [r] De Quaeſt. N. T. [s] Exod. xvi. 29. [t] Vide Numer. xxxv. 4. & ſeq. [v] Halach. *Sabbath*, cap. 27. [x] Praecept. Neg. 66. & vide *Shulcan Aruch*, in lib. *Orach Chiim*, cap. 397. [y] Cap. 34. fol. 37. [z] Hieroſolymit. tit. *Erubin*, cap. 3. fol. 21. col. 3. Babylon. eodem tit. cap. 4. fol. 49, 50, &c. [a] De cujus amplitudine videſis Jacobum Capellum in Miſcellan. ad rem Nummariam & Menſurariam.

vapu-


vapulabat ex lege sacra Atque ita vetustior obtinuit sententia, quae & sui habet sequaces in Talmudicis recentioribus viros celebriores; recentioribus interea aliquot, &, si Talmudicos vetustiores excipias, sane aliquot vetustis, non aliud praeter minus intervallum omnino agnoscentibus, quo nec inter se usquequaque [b] consentiunt omnes. Certe in Chaldaea Ruthae [c] paraphrasi legitur, אתפקדנא למטר שביא ויומי טבא בדיל דלא להלכא בר מתרין אלפין אמין *Praeceptum accepimus de observandis sabbatis & diebus festis, ne longius iter faciamus quam bis mille cubitorum.* Sic etiam in *Sepher Zohar* [d]. Quod nec accipiunt, quantum video, de tanto solum itinere unico; sed nolunt die sabbati quempiam procul magis urbe sua, aut loco ubi mansit, rite potuisse discedere. Atque idem intervallum velut cum ipsa lege natum esse volunt nonnulli [e]. Quo & illud Josuae [f] de arca trahunt, *Longitudo erit inter vos & illam quasi mensura duum millium cubitorum, nec appropinquabitis ad eam, quatenus scilicet sciatis viam per quam incedatis.* Ubi Salomon Jarchius e Midrash Tanchuma [g], שתהיו יכולין לילך ולהתפלל בשבת לפניו *Ut poteritis ire & precari coram domino, etiam in sabbato.* Quae ratio habetur ipsissima apud Theophylactum & Suidam. Subtilitates quas hac de re habent magistri scrupulosiores non paucas, & singularem quatuor cubitorum insuper [h] rationem hic saepius habendam, libenter praetermittens, ex veteribus tantum adjicio id quod de modo intervalli cubitorum, quae diximus, bis mille dimetiendi tradunt singulare, nec rerum hujusmodi studiosis, puto, injucundum; maxime, cum ad locum illum novi foederis de itinere sabbatico rite capiendum forsan haud parum faciat, sed apprime sit accommodum. Qui tempore sabbati desertum, planitiem campestrem ab urbe procul dissitam, aut locum aliquem occuparet alium cujus mensura adeo ignota ut cubitorum jam dictorum terminum certius dignoscere nequiret, permissi [i] sunt ei אלפים פסיעות בינונית וזה הוא תחום שבת *bis mille passus mediocres, qui sunt iter sabbati.* Scilicet mensurae exactiori adeo hi proximabant ut in incerto ejusmodi vicem ejus satis sortirentur: si quis tunc in domo esset quae urbis seu oppidi non esset pars, eam passim obambulare fas habebatur & cubitos bis mille quoquoversum ab ejus extremitatibus. Jam vero quod attinet ad urbes ac oppida integra, qua ex aedibus contiguis, insulis, areisque interpositis in unum nomen coalescentibus constabant; urbis seu oppidi figura ferme erat aut circularis, aut quadrata, aut oblonga, aut triangularis, aut multilatera, aut semicircularis, aut segmenti instar, aut gibbosa, aut curvaturis variatim circumquaque extumescens, aut arcuata, aut falcata seu uncinata, veluti Gamma Graecorum, aut Ebraeorum Daleth, Resh, aut Caph finale, aut harum alicui ita proximans ut pro ipsis, quod in rebus hujusmodi fieri amat, haberetur. Si quadrata esset, aut ita quadrangularis, adeo ut quatuor haberet angulos rectos, seu quasi, ab [k] angulis & lateribus cubiti bis mille dimetiendi. Nam urbis seu oppidi ipsius areae ratio in horum mensura, ut & supra monitum est, habetur nulla. Si circularis esset, aut quasi, circa circulum describendum erat quadratum, a cujus angulis & lateribus mensura auspicanda; ut a lateribus & angulis B C D E quadrati circa urbem circularem A descripti, in adjecta figura.




Si triangularis esset, aut multilatera, aut quadrangularis quae rectilinea non est (veluti Rhombus seu Trapezium) aut semicircularis, aut segmenti instar, aut gibbosa, seu curvaturis variatim circumquaque extumesceret, in quadrati seu quadrilateri rectanguli speciem sive describendo sive complementum conjungendo eam reducebant, atque ab hujus angulis & lateribus dimetiebantur. Latera autem illa quatuor mundi plagas recta semper spectare debebant. Unde alia atque alia ratio figuram urbis seu oppidi in quadrati seu rectanguli figuram reducendi, adeoque etiam augendi. Triangularis B, quoniam latera bina recta plagas mundi spectant, parili triangulo augenda erat; unde a lateribus & angulis quadranguli C D E F dimetiendum.



Circa multilateram urbem C, quadratum aut quadrangulum, pro diversitate figurae urbis, ita describere oportuit ut dimetiendum esset ab angulis & lateribus figurae D E F G.



Si semicircularis esset, ut D, & diameter L M recta ab occidente in orientem septentrionem spectaret, in quadrangulum I K L M reducenda erat: atque ab hujus angulis & lateribus dimetiendum. At vero si diameter ita in-



[b] Videsis *Magid. Misna* ad Maimonid. Halach. *Sabbath*, cap. 17. fol. 126. b. *Sepher Mechilta*, fol. 20. col. 1. [c] Cap. i. 16. [d] In *Elle Semoth*, fol. 64. edit Mantuana. [e] Jarchius ad Exod. xvi. 29. [f] Cap. iii. 4. [g] *Bemidbar*, fol. 65. col. 2. [h] Misn. tit. *Erubin*, cap. 3. & 4. & *Sepher Mechilta*, fol. 20. col. 1. Gloss. ad Exod. xvi. 29. & ibi Paraphras. Uzielidi tributa. [i] Gemar. Babylon. ad tit. *Erubin*, cap. 4. fol. 42. a. Maimonid. Halach. *Sabbath*, cap. 27. Mikotzi Praecept. Negat. 66. [k] Misna & Gemara tit. *Erubin*, cap. 5. Babylon. fol. 55. Maimonides Halach. *Sabbath*, cap. 28. Mikotzi Praecept. Negat. 66.

clinaret ut non illa sed linea G H recta spectaret septentrionem, a lateribus & angulis quadranguli E F G H captanda mensura. Similiter, si triangularis urbis E latus H I recta ab oriente in occidentem duceretur, K a lateribus & angulis N G H I dimetiendum erat. Sin ita inclinaret latus illud ut linea H M sic recta duceretur, latere K H ab austro in septentrionem porrecto, quadranguli K L H M tantum hic erat usus. Et nemo non videt ex hisce exemplis perquam diversimode, pro alio atque alio urbis ad plagas mundi situ, habuisse se figuram unde dimetiendum erat, urbiumque ac oppidorum terminos areasque hinc conflatas dissimillime ampliari. De figura dein arcuata atque uncinata seu falcata, singulare quiddam habent. Si chordae seu hypotenusae G H ab extremitatibus urbis seu oppidi arcuati F aut chordae seu hypotenusae H K ab extremitatibus urbis seu oppidi uncinati aut falcati G ductae longitudo 4000 cubitis seu itinere sabbati duplicato minor esset, mensura ab ea atque ab extremitatibus reliquis exterioribus captanda fuit, perinde ac si spatium intra chordam seu hypotenusam inclusum aedificiis non minus obductum esset quam urbis seu oppidi area inaedificata. Unde fiebat urbis seu oppidi, quantum ad hanc rem figura sive trilatera, sive semicirculi sive segmenti instar, aut quasi; quae in mensura hic retinenda. At vero si hypotenusa seu chorda illa tot contineret aut amplius cubitos, ab ipsius areae inaedificatae extremitate qualibet duntaxat dimetiendum. AEdificiorum autem sparsim circumjacentium ita ratio habenda erat ut quod cubitis 70 & $\frac{2}{3}$ non distaret זה מצטרף למדינה ונחשב מכנה *id cum ipsa urbe conjungendum esset & ejusdem pars hic existimandum.* Adeoque aedes hujusmodi tum in figurarum variatione includendae; tum figuram civitatis aliam atque aliam ut facerent, necessum est. Distantiam illam קרפף vocitant, atque aiunt esse עילה בית סאתים המרובעת *radicem* seu *latus quadratum spatii duorum satorum seminis quadrati*; id est numeri [l] 5000, qui fit ex multiplicatione 100 per 50, quae latera fuere atrii tabernaculi. Ex hoc autem conjunctionis spatio miram etiam ineunt de urbibus seu oppidis vicinis hic rationem. Si ita vicinae essent invicem urbes binae seu bina oppida ut distantia non excederet jam dictum conjunctionis spatium duplicatum, id est cubitos 141 & $\frac{1}{3}$, urbs seu oppidum velut unicum ad hanc rem habebantur. Atque ex hac ratione, spatiandi in sabbato per urbes aut oppida haec bina, velut unicum, licentia; & mensura itineris sabbatici extra urbem seu oppidum velut unicum, in figuram juxta jam dicta accommodam reducendum, semper aestimanda. Quin & tria oppida (& plurium, opinor, ratio parilis) sic inde in unum ad hanc rem coaluisse docent ut a trianguli circa ea descripti angulis & lateribus dimetiendum esset sabbati iter cujusque incolis pariter servandum. Verbi gratia; si oppida haec tria F G H ita ponerentur ut H ab F & G 2000 tantum cubitis aut minori intervallo distaret, nec major distantia F a G quam קרפף, seu spatium conjunctionis quadruplicatum, id est 282 cubitorum & $\frac{2}{3}$, intercederet, oppidum H velut recta linea inter oppida F & G, pari utrinque distantia, locatum in jure fingebatur; unde fiebat ut, ex ratione sic spatii conjunctionis ficta, in unicum [m] tria haec coalescerent, perinde ac si revera ad hunc modum collocata fuissent.

F H G
141 $\frac{1}{3}$ 141 $\frac{1}{3}$

Sed מודדין לה אלפים אמה לכל רוח מחוץ לשלשתן *mensurandi erant* 2000 *cubiti* pro itinere sabbati *in quamlibet plagam ab extremitatibus trianguli quod faciebant*; scilicet trianguli I K L, intra quod cujusque incolis par in sabbato, ut in oppido unico, spatiandi libertas. Refragatur quidem de quadruplicato hic conjunctionis spatio R. Abraham Ben David. Sed refutat eum Rabbi Jom Tob Bar * Abraham, & Talmudicorum hunc sensum esse, post alios eosque celeberrimos magistros, ostendit. Si autem urbs seu oppidum ad fluvii seu torrentis ripam sedes haberet, nunc in fluvii seu torrentis ripa ulteriore, nunc in extremitatibus aedium, adeoque citra fluvium seu torrentem, terminus a quo mensurandum erat collocabatur. Maimonides juxta mentem veterum, עיר שיושבת על שפת הנחל אם יש לפניה דקה רוחב ארבע אמות על שפת הנחל כדי שיעמדו עליה וישתמשו בנחל נמצא הנחל בכלל העיר ומודדין לה אלפים אמה משפת הנחל השנייה ויעשה הנחל כולו בכלל המדינה מפני הדקה הבנוי מצדו׃ ואם לא היה שם דקה אין מודדין להן אלא מפתח בתיהן ונמצא הנחל במדד מן האלפים שלהם׃ *Si urbis sedes fuerit ad ripam fluvii* seu *torrentis*, *atque in ripa quae praejaceret haberetur statio* seu *locus aliquis* (veluti tuguriolum, gurgustiolum, scabellum, aut quid ejusmodi aliud) *latitudinis quatuor*

[l] Vide Exod. xxvii. 9. & Salom. Jarch. ad 1 Regum xviii. 32.

[m] Misna tit. *Erubin*, cap. 5. ubi vide R. Obadiam Bartenorium. Et Maimonides Halach. *Sabbath*, cap. 28. *Sepher Cilbo*, cap. 34.

* In *Migdol oz* ad locum Maimonidis citatum, fol. 129.

tuor cubitorum, qui incolis illuc ſe conferentibus uſui eſſe ſoleret; *Fluvius ſeu torrens ille in corpore urbis erat cenſendus, atque ita menſurandi erant* 2000 *cubiti ab ulteriore fluvii ſeu torrentis ripa: Toto ſcilicet fluvii ſeu torrentis tractu ſic in corpus urbis conjecto, loci quem diximus cauſa juxta eum habiti. Caeterum ſi ejuſmodi non fuerit ibi locus, menſura auſpicanda erat ex oſtiis aedium incolarum* (id eſt, ab urbis non muratae latere, quod fluvius praeterfluebat, uti a muratae moeniis) *atque in eam conjiciendus fluvius* ſeu *torrens*. Alia habent de montium ac convallium in hac menſura varietate. Et viderint eruditiores utrum in rite dignoſcendo quid fuerit iter illud ſabbati inter montem Olivarum & Hieroſolymam [n], non oporteat tum quadrati, juxta ſuperius dicta, circum deſcribendi, tum fluvii ſeu torrentis Cedron prope murum Orientalem interfluentis rationem habere. Guilielmus Tyrius [o], *Eſt mons oliveti urbi ab oriente oppoſitus, ab urbe quaſi milliario diſtans, valle Jehoſaphat interjecta, unde eſt quod a beato Luca dicitur, ab Hieroſolymis iter habens ſabbati.* Vix eſt ut non credamus torrentem illum ita vicinum ejuſmodi fuiſſe Hieroſolymis qualem volunt in jam dictis Talmudici pro ipſius urbis parte [p] in ſabbatico itinere dimetiendo ſumendum. Vide urbis deſcriptionem apud Adrichomium & Villalpandum [q]. Nos alio trahimur. Nec locus hic eſt apicibus menſurarum, quorum hac in re uſus, diutius immorandi: De eis conſulas, ſi placet, viros doctos qui data opera eos ſeorſim & ſubtilius tractant, veluti Ariam Montanum [r], Villalpandum, Jacobum Cappellum, ejuſmodi alios. Monere nihilominus liceat, etiam Judaeis hodiernis iter ſabbaticum eſſe idem quod e veteribus indicavimus. Ludovicus Mutinenſis archiſynagogus Venetus ſuorum in ſabbato ritus exſequens, *Non poſſono*, inquit [s], *caminar piu d'un miglio fuori della citta e borgi, cio e due mila braccia.* Quod ſupra dictis eſt conſonum. Fuere quidem in Samaritanis aliiſque haeretici qui ipſo legis ſacrae [t] ſono ſimplici (majorum interpretatione traditioneque avita prorſus rejecta) ita niterentur, ut quo loco [v], quo habitu, qua poſitione quis repertus eſſet in ſabbati initio, eadem toto die ei ſuperſtitioſius manendum velint. Sed Talmudici, ut diximus, neque ambulandi ſpatiandive libertatem aliter in ſabbato denegant quam ne quid inde ſequatur quod ex opere aliquo ſeu labore, maxime in rerum a loco altero in alterum tranſlatione, diei violet ſanctitatem. Uti nec hodie ſaltandi aut tripudiandi libertatem juvenibus non permittunt. Opere autem ferme omnimodo ac rerum plerarumque citra veſtes geſtatione volunt abſtinendum. Qua de re vide, ſi placet, etiam archiſynagogum jam memoratum, & Joannem Buxtorfium in ſynagoga Judaica [x]. Et ſummatim Lyranus [y] exjudaeus, Sabbati habens iter, *id eſt, diſtans a Jeruſalem per mille paſſus, qui faciunt dimidiam leucam. Et dicitur hic iter ſabbati, quia licebat Judaeis in ſabbato a ſua civitate vel loco tantum elongari. Talis enim ambulatio magis erat ad recreationem quam ad laborem: propter quod non erat contra ſabbati quietem.* Sed miſſa digreſſione, ad illud quod eſt, praeceptum obſervationis ſabbati primo, juxta Talmudicos, datum eſſe in ſtatione Mara, tandem redimus. Adde ſupra memoratis paraphraſin Chaldaeam Uzielidi tributam, quae in dicto Exodi [z] de Mara loco habet גזירת שבתא *decretum* ſeu *inſtitutionem ſabbati*, veluti rem apud Ebraeos notiſſimam, tempori illi aſſignatam. Et Maimonides [a]; תחלת צווי שבא אחר יציאת מצרים הוא מה שנצטוינו בו במרה והוא אמרו לנו שם אם שמוע תשמע בקול יי׳ אלהיך וגו׳ שם שם לו חוק ומשפט וגו׳ יבאה הקבלה האמרית שבת ודינין במרה איפקוד והחוק הרמוז אליו הוא שבת והמשפט הוא הדינין׃ *Primum praeceptum quod poſt exitum ex AEgypto datum eſt, fuit illud quod imperatum eſt nobis in Mara; id ſcilicet quod dictum nobis fuit,* ſi audiendo audiveris vocem Domini Dei tui, *&c.* Ibi poſuit ei ſtatutum & judicium, *&c. Adjecta eſt etiam cabala* ſeu *traditio avita, qua aſſeritur ſabbatum & judicia in Mara imperata. Unde* ſtatuto *ibi denotatur ſabbatum*; *&* judicio, *hujus formulae.* Saepius autem occurrit illud velut a traditione vetuſtiſſima in poſteros tranſmiſſum, שבת ודינין במרה איפקוד *ſabbatum & judiciorum formulae imperatae ſunt in Mara.* Ita enim legendum [b] apud Maimonidem, non אפקוד, ut in editis. Unde & hallucinatus vir doctiſſimus *ſabbatum & judicia in Mara deponam* vertit. Totidem verbis idem habet R. Abraham Hiſpanienſis [c], Levi Ben [d] Gerſom, alii complures. Atque Iſaac Abarbinel de ſabbato in decalogi explicatione diſputans [e], ubi de primo praecepti vocabulo זכור *recordare* diſpicit, traditionem illam diſerte agnoſcit; ולפי דעת חז״ל ששבת ודינין במרה איפקוד אפשר לפרש זכור את יום השבת זכור מה שצויתיך במרה׃ *Et ſecundum ſententiam*, inquit, *ſapientum piae memoriae, ſabbatum & judiciorum formulas in Mara fuiſſe inſtitutas, abſonum non erit interpretari illud,* recordare diei ſabbati, *recordare ejus quod tibi praecepi in Mara.* Mittimus id quod habetur in *Baal Haturim* [f] de eodem numero literis finalibus verborum כאשר צוך יי׳ אלהיך (id eſt, *quemadmodum praecepit tibi dominus Deus tuus*) & literis vocabuli מרה *Mara* conflato. Somnia quidem merito habentur quae ex literis, qua numerales ſunt, ita deducere ſolent Cabaliſtae. Caeterum etiam & hinc traditionem hanc eſſe receptam probatur. Et Rabbinis veteribus generatim, ut ipſis receptiſſimum, tribuitur etiam a Levi Ben Gerſom [g]. Quod vero de judicii formulis in allatis dicitur, non omnino intelligendum eſt de praecepto quod de judiciis Noachidis (ut libro primo memoratum eſt) ex Ebraeorum ſententia dabatur. Sed id inferius libro poſtremo fuſius habes explicatum. Manaſſeh autem Ben Iſrael ipſe Judaeus, & jam nunc archiſynagogus Amſtelodamenſis, *Quid quod*, inquit [h], *quidam veterum dicant in Mara omnibus Iſraelitis prae-*

[n] Act. Apoſt. i. 12. ubi vide Th. Bezam, Ludovicum de Dieu, &c. [o] Hiſt. lib. 8. cap. 11. [p] Vide Jerem. xxxi. 40. [q] Tom. 3. lib. 1. [r] In Tuba. cain. [s] Hiſt. de gliriti Hebraici part. 3. cap. 1. §. 8. [t] Exod. xvi. 29. [v] Origenes Peri archon lib. 4. cap 2. [x] Cap. 11. [y] Ad Act. Apoſt. cap. i. [z] Cap. xv. 25. [a] More Nebochim part. 3. cap. 32. [b] Vocabuli uſus ejuſmodi frequens. Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol 56. 6. ad tit. *Sabbath*, cap. 9. fol. 87. b. &c. & in *Thoſiphta* ibidem. [c] In *Zerror hammor* fol. 74. col. 4. [d] In *Piruſh Tora* fol. 70. col. 3. [e] *Piruſh Hatora* fol. 175. col. 1. [f] Ad Deut. v. [g] In *Piruſh Tora* fol. 70. col. 3. [h] De Creatione problem. 8.

ceptum sabbati datum fuisse? & eo adducunt haec verba, illic posuit iis statutum & judicium. Nec plura de traditione illa memorat ille, in medio sic rem relinquens. Quin nec sententiam hanc de sabbati in Mara observatione imperata placuisse magistrorum recentiorum [i] nonnullis video. Veruntamen veteres illi sunt Ebraeis non autoritatis adeo levis nec aestimationis tam exiguae ut eorum ratio non inprimis in rebus hujusmodi decernendis fuerit apud eos habenda. Non dico Mosem Maimonidem, Salomonem Jarchium, ejusmodi alios jam laudatos, quos tamen ipsi maximi faciunt. Nimirum hi neutiquam hujusmodi sententiae de prima sabbati in Mara institutione autores sunt primi: sed eam per veterum ac sapientum gentis suae scholas a seculis vetustissimis propagatam accepere, posterisque, secundum id quod declaratum jam est, ut certam tradiderunt. Porro pro receptissima habetur tum in corpore Talmudico (ut ex locis inde supra adductis liquet) tum in chronico illo Ebraeorum *Seder Olam Rabba* dicto, ut ostensum est loco ex eodem citato in capite postremo [k] libri primi; quod etiam ex eis quae mox de observatione ejusdem inde afferimus plenius constabit. Sunt quidem qui chronicum illud scriptum opinentur circa annum Domini [l] millesimum. Atqui nec ita adeo est recens: & autoritas ei utcunque haud exigua tribuitur, dum a Rabbinis anno illo non ita citerioribus subinde citatur. At vero etiam existimatur codex ille multo vetustior, nec vicinioribus Christo seculis recentior. Scilicet, autorem ejus fuisse Rabbi Jose Ben Chilpetha. *Autor libri*, ait doctissimus Joannes Buxtorfius [m] pater, ר׳ יוסי בן חלפתא *Rabbi Jose Ben Chilpetha putatur.* Etiam τῷ R. Jose tribuitur chronicon illud a Josepho Scaligero [n], aliis christianorum. Quin & expressim Ebraei, chronici ejusdem nominis τὸν R. Jose hunc faciunt [o] autorem. Jam vero de R. Jose hujus aevo atque apud Ebraeos existimatione & in rebus hujusmodi autoritate paucis monere liceat, ut inde etiam de traditione de sabbati institutione illa chronico hoc intexta (si interea autor illius ille fuerit) sit liquidius dijudicandum. Floruit hic R. Jose Ben Chilpetha sub Antonino Pio; coaevus [p] celeberrimis illis Rabbinis, Simeoni, Meir, & Jehudae qui *Misnaioth* composuit. Ante hunc mortuus est, τῷ R. Meir superstes. Et in Gemara Babylonia [q] Chronicon illud, saltem ejusdem nominis, ad hunc modum citatur; תנאי בסדר עולם ניסן שבו יצאו ישראל ממצרים בערבעה עשר שחטו פסיחין בחמשה עשר יצאו ואותו היום ע״ש היה *Legitur in Seder Olam, mensis Nisan, in quo ex AEgypto profecti sunt Israelitae, die* XIV *eos paschata sua immolasse, & in* XV *exivisse, qui erat vespera sabbati.* Quod ipsum habetur in *Seder Olam Rabba* [r] qui τῷ R. Jose dicitur. Atque alibi etiam in ipsa eadem Gemara [s] codicem nomine *Seder Olam* conscripsisse R. Jose memoratur. Et nomen quidem R. Jose (ut non raro solent autorum nomina in scriptis orientalium) occurrit sub initium codicis istius in ipso sermonis filo. Scholae Zepphorensi praefuit, ubi legem praelegebat. Frequentissime sententia ejus in disputationibus Talmudicis adhibetur, in quibus, tametsi sint complures Rabbini ejusmodi praenominis, velut Rabbi Jose Ben Joazar, Jose sacerdos, Jose Galilaeus, Jose Ben Jochanan, Jose Ben Choni, aliique, & non raro nomen *Rabbi Jose* simpliciter occurrat, hoc nomine tamen simplici R. Jose hic Ben Chilpetha propter ejus excellentiam [t] semper intelligitur. Et quemadmodum in scholis christianis cognomina sua habuere notissima, *angelici*, *seraphici*, *subtilis*, *resoluti*, *mirabilis*, *profundi*, *solennis*, *irrefragabilis*, theologiae scholasticae magistri, ita fere apud Ebraeos [v] Rabbi Meir dictus est חכם וסופר *sapiens & scriba*, Rabbi Jehuda חכם לכשירצה *sapiens quoties ipse vellet*, scilicet satis deliberaret, Rabbi Terphon גל של אגווין *nucum acervus* ob solennem scripturae, misnae, homiliarum in argumentis suis confusionem, Rabbi Aquiba קופת הרוכלים *arca aromatum*, alii aliter, & demum Rabbi Jose Ben Chilpetha נימקו עמו, id est, *doctrina* seu *observatio* seu *ratio ejus cum eo*, seu orthodoxus. Adeoque perspicacia ac judicio pollebat, ut, juxta popularium sententiam, ubicunque sententiae ejus alii qualiscunque dignitatis ac praestantiae magistri singulares in libris Talmudicis adversantur, ea semper praeponderet. Saepius enim binae occurrunt diversae sententiae suis autoribus singulis insignitae, quarum altera tantum recepta est; ut perpetuo ea quae est hujus Rabbi Jose; ubi nimirum sententiarum autor seu assertor est alter ipse, nec unica plures habet adversas. Id in Gemara docemur Babylonia [x]. Et in vetusto autore τῶν *Halacoth Gedaloth* [y]; ר׳ מאיר ורבי יוסי הלכה כר׳ יוסי ר׳ יהודה ור׳ יוסי הלכה כר׳ יוסי ר׳ שמעון ור׳ יוסי הלכה כר׳ יוסי ר׳ אלעזר ור׳ נחמיה ור׳ אליעזר בן יעקב שנחלקו עם ר׳ יוסי הלכה כר׳ יוסי כל אלה הלכה כר׳ יוסי במה דברים אמורים בזמן שנחלק עליו אחד אבל אם נחלקו עליו חכמים הלכה כחכמים: *Si dissentiant Rabbi Meir & Rabbi Jose, recipitur sententia Rabbi Jose. Idem fit ubi ab eo dissentiunt singuli Rabbi Jehuda & Rabbi Simeon. Quin ubi Rabbi Eliaezer, Rabbi Nehemias, aut Rabbi Eliaezer Ben Jacob ab eo dissentiunt, ejusce recipitur sententia. Quod nempe intelligendum est ubi singulares habet adversarios. Caeterum si sapientes ei adversentur, recipitur sententia sapientum.* Hinc etiam Abraham Zacuthius [z], *Rabbi Jose Ben Chilpetha*, inquit, הידה חסיד גדול והלכה כמותו נגד חביריו משום דנימוקו עמו ו״ל טעמו *fuit vir pietatis insignis, & sententia ejus perpetuo recipitur prae illa quae ejus est quocum conjungitur; idque quoniam adeo doctrina & ratione pollebat.* Sed de autore illo satis superque. Tempus autem cui ita tribuunt hanc sabbati institutionem intra menstruum ab exitu cadere manifestum est. Nam in medio mense Nisan, seu sub paschatis celebrandi tempus [a], exibant ex AEgypto: ante vero medium mensem qui insequitur, id est, Jiar, in Mara castra metati sunt; quod docemur ubi legitur [b] eos e Mara in Elim, & dein ex Elim in

[i] R. Mos. Bar Nachman in *Pirush Tora* fol. 116. a. & vide Levi Ben Gersom fol. 70. col. 3. [k] Pag. 161. [l] Gilbert. Genebrard. in epist. dedicatoria versioni praefixa. & Anton. Possevinus in apparatu sacro lit. S. [m] In Biblioth. Rabbinic. lit. ם. [n] De emend. temp. lib. 5. pag. 445. [o] *Sepher Juchasin* fol. 9. b. & 43. a. & *Shalsheleth hacabala* fol. 33. b. [p] Ibid. & *Juchasin* fol 62. [q] Ad tit. *Sabbath*, cap. 9. fol. 88. a. [r] Cap. 5. [t] Apud Abr. Zacuthum in *Sepher Juchasin*, fol 43. a. [s] Ibid. [v] Hi Ben Jehuda in Gemara Babylonia ad tit. *Gittin*, cap. 6. fol. 67. a. [x] Ad tit. *Erubin*, cap. 4. fol. 46. b. [y] Cap. *Ketzuboth* fol. 120. a. [z] *Sepher Juchasin*, fol. 43. a. [a] Exod. xii. 37. Numer. xxxiii. 3. [b] Exod. xv. 27. & xvi. 1.

desertum

desertum Sinae decimoquinto die mensis secundi, id est, Jiar, discessisse. Ita autem stationum tempora putant chronologi aliqui [c] ut etiam diem tantum unicum, id est XXIV Nisan, in Mara transegisse Israelitas velint. Quod si ita fuerit, intra novem ab exitu dies institutio haec in Mara. Decalogus autem in Sinai sub initium mensis tertii [d] seu Sivan, qui fere Junio Juliano respondet, datus est. Hujus item sexto diei (quem in sabbatum seu feriam septimam incidisse tradunt alii; alii in sabbati vesperam, seu sextam feriam) dationem ejusdem [e] plerumque assignant. Quemadmodum & chronologi aliquot christiani; apud quos de feria parilis subinde habetur controversia. Hac autem de re vide etiam quod habetur capite proximo, ubi de observatione prima agitur. At vero ex jam dictis, viginti amplius diebus, etiam, si in Mara diem tantum XXIV Nisan transegerint, circa quadraginta, ante decalogi promulgationem, sabbati institutionem atque originem hanc, quam ita a patribus acceptam tradunt, evenisse necesse est, & post annos bis mille & quingentos aut circiter a mundi conditu elapsos. Sunt autem in christianis qui [f] pluribus hanc praecepti de sabbato in Mara dationem oppugnant, quos, si placet, consulas. Alii interea idem de ejusdem institutione cum Rabbinis hic sentiunt. Leonardus Marius [g], theologus insignis, *Praesentem*, inquit, *locum* (citatum ante ex Exodo locum de judicio & praecepto in Mara dato) *optime possumus vel de sabbati lege exponere. Nam cum statim sequenti capite fiat mentio requiei quam Deus voluit in eo servari, neque alibi tamen praecedat illius institutio aut praeceptum requiescendi, videtur id hoc loco commode intelligi: praesertim cum ibidem paulo post in renovatione cultus sabbati praemittat Moses prooemium quo satis indicatur illud etiam ante a Deo per aliquod praeceptum institutum fuisse.* Hoc est quod locutus est Dominus. Requies sabbati sanctificata est, *q. d. Ideo feria sexta dat nobis dominus duplicem collectionem mannae ut re ipsa doceat nos velle se servare legem suam quam de sabbato ante nobis praescripsit, & qua mandavit ut in sabbato ad sanctificationem & honorem illius requiesceremus.* Sic ille. Sed de loco & tempore institutionis, ad Ebraeorum placita, hactenus.

CAP. X.

De causa & ratione institutionis sabbati, ex Ebraeorum sententia, & ad quosnam illam pertinere velint.

POst locum & tempus institutionis sabbati ita ex Ebraeorum commentariis ostensum, sequitur etiam ejusdem, ad eorum placita, causa seu ratio. Causam seu rationem institutionis in iis ponunt quae cum ejusdem praecepto in sacris literis conjunguntur. In capite tricesimo primo Exodi legitur, post juris Israelitici corpus enarratum, *Aitque dominus ad Mosen, Et tu loquere ad filios Israel, dicens,* אך את־שבתותי תשמורו כי אות היא ביני וביניכם לדורתיכם לדעת כי אני יהוה מקדשכם ושמרתם את השבת כי קודש הוא לכם וגו׳: *Tantummodo sabbata mea custodite* (ita vertit Munsterus; Hellenistae, Ὁρᾶτε, & τὰ Σάββατά μου φυλάξασθε, *Videte, & sabbata mea custodite*; vulgata, *Videte ut sabbatum meum custodiatis*; sed אך ibi non *tantummodo*, sed *veruntamen* potius, seu *nihilominus*, aut, ut Judaei Hispanienses, *de cierto*, vertendum est) *quia signum est inter me & vos* (Chaldaei ibi, בין מימרי וביניכון *inter verbum meum & vos) in generationibus vestris, ut sciatis* (ita plerumque vertitur; sed *in scire* aut *in scientiam* sonat, seu, ut Onkelos, למדע, & Judaei Hispanienses, *por saber*, quod idem significat; atque ab Ebraeis nonnullis [h] ad scientiam gentium, non ad Israelitarum ipsorum, refertur) *me esse dominum qui sanctifico vos. Custodietis igitur sabbatum. Est enim vobis sanctum.* Et paucis de violantium poena interjectis, *Custodiant igitur filii Israel sabbatum, ut faciant sabbatum in generationibus suis, foedere perpetuo. Inter me & filios Israel signum est perpetuum* (ita enim plane distinguendum est ex fide codicum Ebraeorum; tametsi in vulgata & Hellenistica versione habeatur, *pactum* seu *foedus est sempiternum inter me & filios Israel, signumque perpetuum*; quorum etiam de verborum distinctione olim [i] dubitatum est) *quoniam sex diebus fecit dominus coelum & terram, & in die septimo quievit, & cessavit.* Atque iteratum illud, *sabbata esse signum inter me & vos*, alibi [k] observant; etiam & illud, *Quia in sex diebus fecit Deus coelum & terram*, in ipso decalogo [l] occurrere: hujus item in repetitione seu traditione secundaria praecepto de sabbato adjici, *Memento* [m] *quod & tu servus fueris in terra AEgypti, & eduxerit te dominus Deus tuus inde per manum fortem & brachium extentum; idcirco* (scilicet על כן, seu διὰ τοῦτο, ut Hellenistae) *praecepit tibi dominus Deus ut observes diem sabbati*; & demum sanctificationem sabbati creationis historiae a Mose subjungi. Ex hisce aiunt, post praecepta eis de exsistentia, unitate, & cultu numinis tradita secutum esse praeceptum de sabbato, atque ejus fuisse causas binas. Alterum & primarium [n], ut eorum animis insigeretur atque perpetuaretur יסוד חדוש העולם *fundamentum illud de mundi creatione*, ad quam septimi diei in ipso praecepto toties relatio fit: adeoque ut interrogati de cultu sabbatico praesto responderent, *Quia sex diebus fecit Deus coelum & terram*, &c. septimum vero agnoscerent esse τὴν τοῦ κόσμου γενέθλιον ἡμέραν, *diem mundi natalem*, & τὴν ἑορτὴν τοῦ κόσμου γενέσιον, *festum natalibus mundi sacratum*, quibus nominibus Philo [o] sabbatum denotat. Adeo ut revera dici posset de sabbato, sic in septenario apud eos dierum numero culto, illud τρόπον τινὰ τῆς πρώτης ἀρχῆς ἐκμαγεῖον εἶναι ἀπ᾽ ἐκείνης ὥσπερ ἀρ-

[c] Jacobus Capellus in A. M. 2503. & vide *Seder Olam Rabba*, cap. 5. [d] Exod. xix. 1. [e] *Seder Olam Rabba*, cap. 5. vide *Mechilta*, fol. 18. col. 4. Gemara Babylon. ad tit. de *Sabbath*, cap. 9. fol. 87. b. & R. Abraham in *Juchas.* fol 9. b Josephum Albo *Sepher Ikarim* part. 2. cap. 11. Jehudam Ben Saul ad *Sepher Cozri* fol. 76. col. 1. [f] Abulensis in Exod. xv. quaest. 9. alii. [g] Comment. in Exod. pag. 448. § 223. [h] Glossa Jarchii ad Exod. xxxi. 13. [i] D. August. ad Exodum, quaest. 139. [k] Ezech. xx. 12. & 20. [l] Exod. xx. 11. [m] Deut. v. 15. [n] *More Nebochim* part. 2. cap. 31 & part. 3. cap. 32. & vide ibi Sem Tob. [o] Lib. de mundi opificio, & lib. περὶ τῆς ἑβδόμης.

χετύπου σφραγῖδος τυπωθὲν, *quodammodo primi rerum initii esse exemplar, ab eo veluti a sigillo archetypo impressum*; quod de mense primo paschalibusque in eo diebus eleganter dixit Philo [p]. Sic certissima habebatur, constans ac perpetua indicatio cessationis a creatione, seu ipsius creationis rerum naturae, cujus fidem universis qui Mosaicae doctrinae erant sequaces inprimis amplexandam, eamque velut caeterorum fidei suae articulorum summam quandam esse docuere; scilicet [q] nullam rem esse Deo coaevam seu אין דבר קדמון עם השם quod idem sonat. Unde habent illa Talmudici, הכופר בשבת כאילו כופר בכל התורה כולה *Qui negaverit sabbatum, similis est illi qui negaverit totam legem.* Nimirum totius legis seu articulorum fidei eorum fundamentum esse aiunt creationem mundi; hanc autem in sabbati institutione atque cultu, ut ejusdem causam seu rationem, esse agnoscendam, adeoque sabbatum negare aut violare idem esse ipsis ac creationem seu legis totius fundamentum abnegare. Hinc scilicet illud [r], כל עושה מלאכה בשבת המכחש במעשה בראשית רק איננו מכחש השם הנכבד: *Quisquis opus fecerit in sabbato, abnegat ille opus creationis, quantumvis non abneget ipsum Deum O. M.* Alteram institutionis causam in eo ponunt quod in repetitione decalogi seu Deuteronomio habetur, servos eos fuisse in AEgypto: scilicet, ut beneficii a numine tunc, cum servitute gravissima, quae sine ulla dierum intermissione, nedum sabbati requie, eos presserat, liberabantur, accepti memoriam semper retinerent. Agnoscunt etiam dignitatem & honorem diei memoratum in eo quod sub initium Genesis legitur historiae creationis subjunctum, *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum.* Quod intelligunt aliqui tantum ut per prolepsin ibi dictum de benedictione & sanctificatione sabbati, quod omnium primum proxime post institutionem seu praeceptum in Mara celebratum est; unde ad eundem Genesis locum Salomon Jarchius, המקרא כתוב על העתיד *id quod ibi* in ipsis rerum initiis *traditur* de septimi diei sanctificatione *ad secula sequentia attinet*, seu per prolepsin ibi sedem habet. Sed ea de re plura capite proximo. Sequitur ut, juxta superius propositum, de relatione quam institutionem sabbati habere velint Ebraei ad genus humanum, seu aliquam ejus partem, id est, ad quosnam ipsi velint eam qua in praeceptis habetur pertinere, dispiciamus. Certe ita sibi suisque, id est, ritibus & religione eadem imbutis, proprium & peculiare eos facere praeceptum de sabbato, ut alias ad gentes illud qua praeceptum est attinere plane denegent, non obscure liquet ex eis quae supra [s] adducta sunt, ubi de proselyto domicilii legem Mosaicam observante agitur. Alia adjicimus hic consona. In vetustissimis ritualibus preces habent & hymnos sabbato proprios, quorum unico (quem nec ipso Ezra, seu viris magnae synagogae, recentiorem esse volunt) inseritur periocha illa de sabbato quae legitur supra ex tricesimo primo capite Exodi, ubi dicitur sabbatum esse *signum inter me & filios Israel.* Periochae huic statim subjungitur in illo hymno, [t] ולא נתתו יי׳ אלהינו לגויי הארצות ולא הנחלתו מלכנו לעובדי אלילים וגם במנוחתו לא ישכנו רשעים כי לישראל עמך נתתו באהבה לזרע יעקב אשר בם בחרת: *Et non dedisti illud, domine Deus noster, gentibus terrae, neque in possessionem seu haereditatem illud dedisti, rex noster, idololatris; neque in requie ejus habitabunt impii quoniam Israeli populo tuo dedisti illud ex amore erga semen Jacob, quod in eis elegisti.* Unde etiam illud quod ait Rabbi Jochanan ex autoritate Rabbi Simeon Ben Jochai [v], כל מצות שנתן להם הק״בה לישראל נתן להם בפרהסיא חוץ משבת שנתן להם בצינעה שנאמ׳ ביני ובין בני ישראל אות היא לעולם: *Omnia praecepta a Deo O. M. Israelitis tradita, eis tradita sunt publice, excepto praecepto de sabbato, quod privatim eis est traditum, secundum id quod scriptum est, inter me & filios Israel signum sit in perpetuum.* Vult dicere, peculiare esse praeceptum hoc Israelitis. Nam & statim subsequitur, אי הכי לא נענשו גוים על השבת *Quod cum ita sit, non puniuntur gentiles ob sabbatum.* Unde etiam fit quod Judaei hodierni, ubi epistolis adjiciunt tempus sabbati initio proximum, ita interdum exprimunt [x] סמוך להכנסת כלה *proxime ingressum sponsae.* Ut gentis sponsam, sibi esse volunt proprium sabbatum. Unde etiam Rabbi Iisa [y], נמי כנסת ישראל אקרי שבת בגין דאיהי בת זוגו ודא היא כלה לכתיב ושמרתם את השבת כי קדש היא לכם ולא לשאר עמין הינו הך דאיתמר ביני ובין בני ישראל ודא היא אחסנת ירותת עלמין לישראל: *Etiam synagoga* seu *ecclesia Israelitica sabbatum nuncupatur; quoniam ei consors est & sponsa. Nam & scriptum est, observabitis sabbatum, quoniam sanctum est vobis. Vobis, non gentibus reliquis. Atque hoc est quod intelligitur verbis illis, inter me & filios Israel. Unde etiam habetur peculium haereditarium perpetuo Israelitis.* Porro observant שלש מצות נתנו לישראל שכל אחד ואחד מהן נקרא אות ואלו הן מילה ותפלין ושבת: *Tria praecepta Israelitis data fuisse, quorum quodlibet signi nomine* velut singulari *denotatur*; *ea sunt praeceptum de circumcisione* [z], *de phylacteriis* [a], *& de sabbato* [b]; qua de re plura Rabbi Moses Bar Nachman [c]. Ejusmodi occurrunt sexcenta tum apud Talmudicos, tum apud Cabalistas. Sed tam hoc quam quae hactenus ostendimus caetera de sabbati, ex eorum sententia, institutione, explicatoria reddentur in iis quae de eorum placitis circa observationem proxime exhibebimus.

[p] περὶ τῆς ἑβδόμης. [q] More Nebochim part. 2. cap. 13. & 27. adde Manasseh Ben Israel de creatione problem. 1. & Joseph. Albo part. 1. cap. 12. & 23. [r] Apud Aben Ezra ad Exod. xx. [s] Cap. 5. [t] *Machzor* Judaeorum Germ. part. 1. fol 49. a. vide Manasseh Ben Israel de creatione problem. 8. [v] Gemara Babylon. ad tit. *Bitza*, cap. 2. fol. 16. a. & *Halacoth gedaloth* fol. 16. col. 2. Petrus Galatinus de Arcanis lib. 11. cap. 9. & Christophorus Helvic. elench. Judaeorum 6. § de Sabbato. [x] Buxtorf. in epist. Hebraic. instit. p. 45. [y] In *Zohar* ad *Elle-Semoth* fol. 63. *b.* editione Mantuana; & vide *Zerror* Hammor fol. 4. col. 3. [z] Genes. xvii. 10. [a] Exod. xiii. 9. & 16. [b] Exod. xxxi. 13. & 17. [c] In *Sepher* האמונה והבטחון, cap. 21.

CAP.

CAP. XI.

De loco in deſerto, & tempore (adeoque menſe menſiſque die) primae, juxta Ebraeos, obſervationis ſabbati, ex praecepto nimirum ſeu inſtitutione capite ſuperiori oſtenſa. Epocha dierum enumerandorum ſeu temporis nychthemerini, juxta Ebraeos aliquot; & de telluris umbilico. Primum ſabbatum, unde ſequentia pendent, in deſerto obſervatum, neutiquam fuiſſe ſeptimum in periodo a rerum conditu dierum, non deeſſe inter chriſtianos qui exiſtimaverint.

QUOD ad ſabbati, ſeu diei in conflatis dierum a conditu mundi periodis ſeptimi, ut feſti, obſervationem hic attinet; ea conſideratur bifariam; aut qua initium habuiſſe eam volunt Talmudici, aut qua ipſi aliis eam ſive imperabant,ſive permittebant,interdicebantve. Quod ad primum obſervationis genus ſpectat; ut ex inſtituto in Mara diem ſeptimum ſeu ſabbatum colendum fuiſſe juxta jam oſtenſa ſtatuunt, ita primam ejuſce obſervationem in deſerto Sin, ſeu in hiſtoria ſacra de manna colligenda, adeoque in tempore quod inſtitutum ſeu praeceptum in Mara paulo poſt ſecutum eſt, collocant. E Mara ſcilicet in Elim, atque inde in deſertum Sin, quod eſt inter Elim & Sinai, quintadecima die menſis ſecundi, ſeu Jiar, profecti ſunt Iſraelitae. Ibi cum murmurabant ob panis inopiam, *ait* [a] *dominus ad Moſem, ecce ego pluam vobis panem de coelo, & egredietur populus, colligentque rem diei in die ſuo; ut probem eum utrum ambulet in lege mea, an non. In die vero ſexto parabunt ſibi quod inferant; eritque illud duplum, reſpectu illius quod colligunt per ſingulos dies.* Et paulo poſt, *Collegerunt* mannam *mane per ſingulos dies, &c. Et fuit in die ſexto ut colligerent panem duplum, binas ſcilicet Gomeras pro una. Et venientes omnes principes congregationis retulerunt Moſi; qui ait ad eos, hoc eſt quod locutus eſt dominus, quies ſabbati ſancti cras eſt domino. Quod pinſere volueritis, pinſite, &c. Sex diebus colligetis ipſum; & in die ſeptimo, non erit in illo. Factum eſt autem in die ſeptimo ut egrederentur quidam de populo ad colligendum; & non invenerunt. Et ait dominus ad Moſem, uſquequo renuitis obſervare praecepta mea & leges meas? Videte, dominus dedit vobis ſabbatum, & ob id quoque dat vobis in die ſexto panem pro duobus diebus. Maneat igitur quiſque apud ſe, & non egrediatur ullus de loco ſuo in die ſeptimo. Sabbatum igitur celebrarunt,* aut *ſabbaticaverunt,* ſeu *requieverunt, populus die ſeptimo.* Hic manifeſto ſabbati ſeu ſeptimi diei requiei obſervatio indicatur. Atque ſabbatum Ebraeis hoc primum nuncupatum eſt ſeu שבת ראשונה (ut in Gemara Babylonia [b]) quod idem ſignificat. Et Rabbi Joſe Ben Chilpetha in *Seder Olam* [c], uti & alii, (quod infra liquebit) primae huic obſervationi pro loco aſſignant *Aluſham*, ſeu manſionem Iſraelitarum decimam; quae pars eremi Sinae ſeu Sin, quae octava eſt manſio, cenſetur. S. Hieronymus [d], *Profecti de deſerto Sin, caſtra metati ſunt in* דפקה *Daphca. Nona manſio. Profecti de Daphca, caſtra metati ſunt in* אלוש *Alus. Decima manſio. In Exodo non habetur, crediturque in Sin eremo contineri, eodem narrante libro. Profecta* [e] *eſt omnis multitudo filiorum Iſrael de eremo Sin per manſiones ſuas juxta os domini, & venerunt Raphidim* (quae ſcilicet eſt manſio undecima.) *Ex quo perſpicuum eſt plures manſiones ejuſdem regionis vocabulo demonſtrari.* Et S. Ambroſius [f], *Decima manſio Halus eſt: ad quam a Dephca profecti ſunt filii Iſrael. Ideo dicit* [g], *Et profecti Dephca caſtra metati ſunt in Alus. In Exodo nec iſta manſio diſtincte nominatur, ſed comprehenditur ſub manſionibus a deſerto Sin uſque ad Raphidim.* In Alus igitur, Aluſh ſeu Aluſha, ſtatione ſeu manſione decima, adeoque in deſerto Sinae, primam ſic collocat ſabbati obſervationem *Seder Olam*; באלוש נתנה להם השבת ושם עשו שבת ראשונה שנ' וישבתו העם ביום השביעי׃ *In Aluſha* [h] *acceperunt ſabbatum, ibique primum ſabbatum celebrarunt, juxta illud quod ſcriptum eſt, & ſabbatizavit populus die ſeptimo.* Jam vero facit ille diem decimum quintum menſis primi, ſeu Niſan, pleni, ſeu XXX dierum, quo ex AEgypto [i] profecti ſunt Iſraelitae, feriam ſextam; unde ſequitur in calculo, ut & habet ille, quintumdecimum menſis ſecundi, ſeu Jiar, quo [k] venerunt in deſertum Sinae, in primum hebdomadis (dierum a mundi conditu elapſorum inita ratione) incidiſſe. Putatis igitur inde diebus quibus manna collecta eſt, primum illud ſabbatum juxta eum diei XXI Jiar reſpondet. Sed receptior eſt Talmudicis [l] ſententia, ipſum quintumdecimum diem Niſan, ſeu diem exitus, fuiſſe feriam in ejuſmodi enumeratione quintam, non ſextam, adeoque quintumdecimum Jiar, ſeu illum in quo caſtra in Sinam movebant, fuiſſe ſeptimam. Et ſic pro hac ſententiarum diverſitate ſabbatum eorum primum, id eſt dies ſeptimus, requie a laboribus primo celebratus incidit aut in XXI aut in XXII diem menſis Jiar qui fuit anni exitus ex AEgypto; adeoque legem datam in Sinai ſeu decalogum ita diebus aliquot antevertit. Nam ſub initium menſis Sivan, ſeu tertii [m], qui ſecutus eſt, ejuſque, ut tradunt, die ſexto, decalogus datus eſt. Monendum vero, menſis nomina quae poſt nata ſunt, ut fieri aſſolet, hic adhiberi. Ratio autem temporis inde diverſa non eſt, ſed explicatior habetur. Calculi quod diximus diſcrimen uſque ad decalogi dationem ob oculos ponimus; Jiar, ut volunt Ebraei, cavo facto, ſeu XXIX dierum.

[a] Exodi xvi. 4. [b] Ad tit. *Sabbath*, cap. 16. fol. 118. b. & vide *Thoſiptha*, ad cap. 9. fol. 87. b. [c] Cap. 5. [d] Epiſt. 127. ad Fabiolam. [e] Exod. xvii. 1. [f] Lib. de 42. manſionibus. [g] Num. xxxiii. 13. [h] Vide Numer. xxxiii. 13, & 14. & compara cum Exod. xvi. 1, & 17. [i] Num. xxxiii. 3. [k] Exod. xvi. 1. [l] Gemara Babylon. ad tit. *Sabbath*, cap. 9. fol. 17. b. *Mechilta*, fol. 18. col. 4. Jarchius ad Exod. xvi. 1. [m] Exod. xix. 1.

Adjici-

Menses Juliani.	Talmudici alii.	Dierum Hebdomades.	Seder Olam & sequaces.
* Aprilis.			* Nisan mensis primus.
16	15	V	14
17	16	VI	15
18	17	VII	16
19	18	I	17
20	19	II	18
21	20	III	19
22	21	IV	20
23	22	V	21
24	23	VI	22
25	24	VII	23
26	25	I	24
27	26	II	25
28	27	III	26
29	28	IV	27
30	29	V	28
* Maius. 1	30	VI	29
2	1	VII	30
3	2	I	* Jiar mensis secundus. 1
4	3	II	2
5	4	III	3
6	5	IV	4
7	6	V	5
8	7	VI	6
9	8	VII	7
10	9	I	8
11	10	II	9

Menses Juliani.	Talmudici alii.	Dierum Hebdomades.	Seder Olam & sequaces.
12	11	III	10
13	12	IV	11
14	13	V	12
15	14	VI	13
16	15	VII	14
17	16	I	15
18	17	II	16
19	18	III	17
20	19	IV	18
21	20	V	19
22	21	VI	20
23	22	VII	21
24	23	I	22
25	24	II	23
26	25	III	24
27	26	IV	25
28	27	V	26
29	28	VI	27
30	29	VII	28
31	1	I	29
* Junius. 1	2	II	* Sivan mensis tertius. 1
2	3	III	2
3	4	IV	3
4	5	V	4
5	6	VI	5
6	7	VII	6

Adjiciuntur etiam dies mensium qui in anno Juliano retro putato, juxta chronologiae aliquot coryphaeos, mensibus illius anni Ebraeorum respondent: Veluti Josephum Scaligerum, Sethum Calvisium, Ludovicum Capellum, alios, qui Talmudicorum aliorum, non τȣ Seder Olam, in neomeniis & diebus mensium sunt hic sequaces. Atque ita in XXIII Maii, qui juxta eos idem est in anno illo cum XXII Jiar, prima incidit illa sabbati observatio. Adeo ut tametsi praeceptum de sabbato in Mara ita datum fuerit ut plures inde quam septem dies hanc observationem antecederent, imo ut viginti septem dies inter praecepti dationem & XXII Jiar intervenirent (si stationum calculum, qui unicum tantum, eumque XXIV diem Nisan, seu XXV Aprilis, ei quae in Mara fuit tribuit, admittimus) nihilominus ex praecepto illo, cujus, non minus ac populi ejusve peregrinationis, dominus erat legislator sanctissimus, ante XXII hunc diem Jiar, seu Maii XXIII, observatio [n] secuta non sit. Atque ex observatione illa prima novatoque tunc temporis praecepto cum mannae descensu conjungitur non raro ipsum praeceptum. Rabbi Jehuda Levita [o], de decalogo verba faciens & de praecepto sabbati quod in eo habetur, וכבר, inquit, קדמה מצותו עם הורדת המן *praecesserat etiam praeceptum illud, quando manna descendebat.* Alibi item ipse, והלא תחלת השבת אינה כי אם מסיני ומאלוש קודם לכן שירד המן בו תחלה׃ *Anne initium sabbati aliunde repetendum est quam e Sinai, & ab Alusa ante, ubi primus mannae descensus?* De tempore autem jam dicto disserte Josephus Scaliger [p], XXII Jiar, inquit, *quae incidit in* XXIII *Maii* (sic plane legendum) *observatum primum sabbatum, quae erat* XIIII *Zin in anno prisco dierum. Et deprehensum est etiam a Judaeis neomeniam Jiar illius anni incidisse in sabbatum* (septimum nempe in periodo dierum septenaria diem) *& proinde Nisan feria quinta contigisse: quae est egregia observatio, quae fraenat licentiam chronologorum, qui nullum modum faciunt novos annos, novos reges, novas epochas comminiscendi. Mirum vero exstitisse, qui adversus verba Mosis negent secundi mensis neomeniam in sabbatum incidisse. Hebraei pervenerunt in desertum Sin* XV *mensis secundi* [q]; *Sexta die ab illa jubetur populus colligere duplum demensum* [r] *mannae: ea dies igitur* XXI *mensis. Atqui erat parasceve & prosabbatum. Ergo neomenia mensis erat sabbatum.* Id est, ergo dies XXII ejusdem mensis erat sabbatum, quod primum cum Ebraeis vocat ille. Tantundem ipse [s] alibi; ubi etiam *Arabes quoque*, inquit, *christiani scribunt feriam quintam incidisse in* XV *noctem illius Nisan quo Moses populum eduxit.* Quod consonum est jam ostensae dierum dispositioni. Et Jacobus Capellus [t], *Jiar* XVI, *Maii* XVII, *feria prima man colligere incipiunt, usque ad Jiar* XXII, *Maii* XXIII, *quo sabbatum observare jussi sunt; unde Josephus Scaliger & Sethus Calvisius recte colligunt sabbatum hoc observatum annis Julianis* 1496 *diebus* 223 *ante Januarias aerae Christi Kalendas.* Sed & Sethus Calvisius, *Die*, inquit [v], 15 *mensis secundi, qui fuit dies* 16 *Maii, de observando sabbato legem fert Deus, in ipso die sabbati; sed primum sabbatum a quibusdam manna colligere volentibus violatum est die* 23 *Maii.* Consonum est jam dictae mensium & dierum dispositioni id quod habent Ebraei plerique [x] de tempore decalogi dati. ערב שבת בששה לחדש בשש שעות ביום קבלו ישראל את הדברות׃ *Vespera sabbati,* VI *die mensis* (Sivan, qui hic est Junii quintus) *hora diei* VI *acceperunt Israelitae decalogum.* Sunt autem chronologi alii, nominis etiam summi, quibus haec non ita placent, quin de anno, feriis & mensibus Julianis hic Ebraeorum respondentibus diffideant. Gilbertus Genebrardus, ex mente, ut vult ipse, τȣ *Seder Olam*, in anno 2670 *vigesimo secundo*, inquit, *die Aprilis primam sabbati celebritatem agitarunt.* Atque simili ratione dies reliquos Julianis assignat, τȣ *Seder Olam* (cujus in versione Aprilem τῷ Jiar respondere etiam vult) interea sic sequax, ut & feriarum, quae in calculo superius allato visitur, feriem ejus potius admittat. Atque quantum ad ferias attinet, ita Augustinus Torniellus, qui Nisan hunc facit cavum, unde & alia in diebus hic denominandis diversitas. Anno autem mundi 2544 rem collocat ille.

[n] Vide *Thosiptha* ad Gemar Babylon. ad tit. *Sabbath*, cap 9. fol. 87 b. [o] In *Sepher Cozri*, part. 1. §. 87. & part. 2. § 20. & R. Jehuda Ben Saul in comment. ibidem. [p] De Emendat. Temporum, lib. 5. pag. 351. [q] Exod. XVI. 1. [r] Commate 5. 22. & 23. [s] Canon Isagog. lib. 3. pag. 282. [t] A. M. 2503. [v] A. M 2453. [x] *Pirke* Eliezer, cap. 46. Gemar. Babylon ad tit *Sabbath*, cap. 9. fol 87. b. *Mechilta*, fol. 18. col. 4. & vide ad finem capitis superioris.

In

In Joſephum Scaligerum de anno & temporis charactere hoc diſputat Dionyſius Petavius [y]. Sed vero anno mundi 2453 & ante Chriſtum 1529 ſabbatum hoc ponens, etiam & ipſe vigeſimo ſecundo diei Jiar idem plane aſſignat, dum de octavae ſtationis in Sin rebus verba faciens, eas *contigiſſe* ait [z] *die* XVI *menſis ſecundi, qui eſt Jiar, feria prima*, quam tamen non XVII, ut in ſuperius exhibito calculo, ſed IV Maii facit. At ſic cadit ſabbatum in XXII Jiar, uti ex ſacro Exodi textu ſatis etiam liquet: id eſt, juxta Petavium, in Maii diem decimum. Alii [a] aliter. Sed de litibus his plura huc afferre, intempeſtivum. Utcunque de anni tempeſtate, qua primum ſabbatum juxta Talmudicos collocandum, manifeſto liquet. Ad hanc ſabbati primi, id eſt primo obſervati, notionem, qualis juxta magiſtros jam oſtenſa eſt, attinet illud quod a Petro Galatino [b] ex libro *Siphri* citatur. *Apud Ebraeos*, inquit, *legitur ibi ſuper illud* [c], *Et fecerunt paſcha*; *non fecerunt niſi illud tantum. Dixit R. Eleazar, habetur in Exodo* [d], *ſabbatizavit populus in die ſeptimo. Per hoc docet quod omnibus* 40 *annis quibus filii Iſrael fuere in deſerto non fecerunt niſi duntaxat primum ſabbatum*, id eſt שבת ראשונת, quae locutio eſt e Talmudicis ſuperius adnotata. Sed commentum hoc de unico tantum ſabbato in deſerto obſervato non admittunt omnino magiſtri. A primo, quod diximus, ſeptimum diem inſequentem pro ſecundo, & deinceps alia enumerant. Poſt primi ſabbati in *Seder Olam* mentionem ſequitur ſtatim אחד בשבת בכ"ג איר ונו' *primo die Hebdomadis, qui fuit* XXIII *Jiar, deſcendentes de Aluſha acceſſerunt ad Raphidim, ubi puteus eis datus eſt, & pugnarunt contra Amalecitas* ושם עשו שבת שנייה, id eſt, *atque ibi celebrarunt ſabbatum ſecundum.* Sed mendum in numero eſt manifeſtum, quod & a Genebrardo in verſione perperam retinetur. Reſtituendum plane eſt כ'ב ſeu XXII pro כ"ג ſeu XXIII. Nam nemo non videt ſabbatum primum ex autoris mente in XXI diem incidiſſe, cum ſcilicet diſerte aiat diem XV fuiſſe primum hebdomadis, ſeu feriam primam, id eſt, XIV fuiſſe ſeptimum, qui in ſabbatica dierum enumeratione proxime praecedebat. Et niſi ſic emendetur chronicon illud, in pauculis illis quae ibi conjunguntur lineis ſibi ipſi palam in numerando diſcors eſt. De diſcordia quidem monuit [e] Dionyſius Petavius. Sed cur de mendo librarii dubitaremus in re tam manifeſta, non omnino video. Certe Philo de hac prima ſabbati (ſic Talmudicis dicta) celebratione loquitur, perinde ac ſi poſt cultus ſeptimi diei ex praecepto divino inſtitutionem dubitaſſent de ipſo die qui enumeratione a mundi conditu ſeptimus eſſet, eumque ideo jam primum & ex oraculo & miraculo didiciſſent. Is enim enarrans beneficium numinis quo manna depluente alebantur (quod totum ad tempus & locum de quo verba facimus attinet) Ἅμα μὲν τοι καὶ τὴν τετρυπόθητον ἡμέραν, inquit [f], ἀνεδιδάσκοντο· ζητοῦντες γὰρ ἐκ πολλοῦ τίς ἄρα ἡ τοῦ κόσμου γενέθλιος, ἐν ᾗ τόδε τὸ πᾶν ἀπετελέσθη, καὶ παρὰ πατέρων καὶ προγόνων τὴν ζήτησιν ἄλυτον διαδεξάμενοι μόλις ἠδυνήθησαν εὑρεῖν, οὐ μόνον χρησμοῖς ἀναδιδαχθέντες, ἀλλὰ καὶ τεκμηρίῳ πάνυ σαφεῖ, *Simul etiam diſcebant diem illum deſideratiſſimum. Cum enim jamdudum quaeſiſſent quis eſſet mundi natalis, in quo hoc univerſum abſolutum eſt, nec a patribus aut majoribus quaeſtionem ſolutam accepiſſent, rem tandem comperiebant, non ſolum oraculis, ſed & ſigno* ſeu *argumento manifeſtiſſimo edocti.* Atque vix eſt ſane ut non autumemus Trogum Pompeium ex Ebraeorum traditionibus de hac ſabbati celebratione illud hauſiſſe quod ex eo de primo ſabbato narrat Juſtinus, utcunque, pro more ejuſmodi ſcriptorum, nonnulla quae falſiſſima ſunt interſerantur. Verba Juſtini [g] ſunt, *Itaque Moſes, Damaſcena antiqua patria repetita, montem Synam occupat, quo ſeptem dierum jejunio per deſerta Arabiae, cum populo ſuo fatigatus, cum tandem veniſſet, ſeptimum diem, more gentis, ſabbatum appellatum, in omne aevum jejunio ſacravit*; *quoniam illa dies famem illis erroremque finierat.* Quod cum paganorum aliis de jejunio habet, falſiſſimum eſt. Neque enim die ſabbati, qui dies eſt in dierum periodo ſeptimus, & vulgo ſic dictus, ex Ebraeorum inſtituto jejunandum. Qua de re plura inferius [h]. Atqui interea ex fame natum illud feſtum ait; id quod alimenti inopiam quae primam feſti obſervationem ac deſcenſum mannae praeceſſerat, reſpicere videtur. Et ſi deſertum Synam dixerat Juſtinus, idem etiam ferme dixerat quod autor *Seder Olam*, non ſine ſacrarum literarum autoritate; ubi in Sina (nam Aluſham & Sinae deſerti partem eſſe, ante monitum eſt) primum ſabbatum ſcribit celebratum, ut ſupra monſtratum. Sed deſertum Sinae in montem Sinam pro Sinai (qui locus celebrior multo erat & ob legem ibi datam illuſtrior) mutari ſcriptori pagano ſatis obvium erat. Et Tacitus [i] de Judaeis, *Septimo die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit.* Traditionem de refocillatione hac quam nacti ſunt in Sinae deſerto, forte etiam reſpexit ille. Certe & celeberrimi in Ebraeis magiſtri primam illam ſub Geneſis initium benedictionis & ſanctificationis ſeptimi diei mentionem ad primam hanc in Sinae deſerto diei celebrationem ac beneficia in eam accepta referunt. Ita Salomon Jarchius, ad illud [k], *Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*; ברכו במן שכל ימות השבוע יורד להם עומר לגלגלת ובששי לחם משנה וקדשו במן שלא ירד כלל והמקרא כתוב על העתיד: *Benedixit ei per mannam* ſeu *in manna, quoniam in caeteris diebus ſeptimanae deſcendebat unicuique Gomera, ſexto vero panis duplus*, ſeu *quantitas dupla. Sanctificabat item per mannam, quoniam* in eo die *ea non omnino deſcendebat. Et quod hic ſcriptum eſt ad tempus ita attinet futurum.* Adeo ut benedictionem & ſanctificationem ibi a Moſe memoratam ad benedictionem & ſanctificationem quae poſt tot ſecula in Mara evenit ſpectare voluerit. Ita etiam ad Decalogum, ubi iterantur [l] verba ſacra de benedictione & ſanctificatione, ברכו במן לכפלו בששי לחם משנה וקדשו במן שלא היה יורד בו׃ *Benedixit ei in manna, quae in ſexto die duplata eſt* in uſum ſeptimi; *& ſanctificavit eum in manna, quippe quae in ſeptimo die non deſcendit.* Neque ſane Jarchii


[y] De Doctrina Temporum lib. 9. cap. 23. [z] Ibid. lib. 13. period. Julian. 3183. & videſis Samuel. Petitum Eclog. Chronolog. lib. 1. cap. 20. [a] Videſis Leonardum Marium ad Exod. pag 378. § 99. [b] De Arcanis Catholicae Veritatis, lib. 11. cap. 10. [c] Numer. IX. 5. [d] Cap. XVI. 30. [e] De Doctrina Temporum, lib. 9. cap. 23. [f] Philo, de Vita Moſis lib. 1. [g] Hiſtor. lib. 36. [h] Cap. 15. [i] Hiſtor. 5. [k] Geneſ. II. [l] Exod. XX.

est commentum hoc: sed pro more suo e veterum hausit commentariis, quod & ad eundem locum notat Moses Bar Nachman. In *Beresith Rabba* [m], ר׳ ישמאל אומר ברכו במן וקדשו במן ברכו במן שכל ימות השבת היה יורד עומר ובערב שבת שני עומרים וקדשו במן שלא ירד בו כל עיקר ר׳ נתן אומר ברכו במן וקדשו בברכו ר׳ יצחק אמר ברכו במן וגו׳: *Docuit Rabbi Ismael benedictionem* diei septimi *fuisse per mannam, & sanctificationem itidem per mannam:* Loquitur de benedictione & sanctificatione cujus in secundo Genesis capite mentio: *Benedictionem, in eo quod, cum in caeteris diebus septimanae descenderit Gomera unicuique unica, pridie sabbati descendebant binae Gomerae; sanctificationem, in eo quod illo die nihil omnino descendebat. Ex sententia vero Rabbi Nathan; benedictio quidem in manna erat, & sanctificatio in ipsa benedictione. Quin & Rabbi Isaac astipulatur, & benedictionem ejus in manna collocat, &c.* Quae omnia eo plane spectant ut prima sabbati benedictio & sanctificatio, quatenus ea etiam sub initium rerum a Mose memoratur, ad locum & tempus primae observationis sabbati, juxta sententias jam ostensas, sit ex horum mente indubitanter referenda. Sed de benedictione & sanctificatione illa quae in Genesi occurrit, ad Ebraeorum placita, plura mox. Illud interea accipe, quod pluribus ostendunt Rabbini Jehuda Ben Samuel & Jehuda Ben Saul, in commentariis ad dictum Samuelidem [n], scilicet ipsum initium sabbati, qua ex praecepto festum est, tempori & loco superius memorato ita esse tribuendum, ut primo ex illa duntaxat coeli, solis, terraeque positura, dein ex Hierosolymae seu terrae sanctae (cujus gratia leges de tempore festisque in deserto traditae) situ, neque ex alio auspicandum fuerit primum sabbatum, qua festum; uti neque numeri seu periodi dierum a rerum conditu septenariae, juxta quam sabbati festum in die septimo institutum, aliunde quam a terra Israelitica primitus deducendi: id est, a dierum ibi vespera, seu solis occasu; non inde ut a meridiano primo, aliter atque meridianus ille vesperam illam seu occasum designat. Legitur in dialogo illo *Sepher Cozri* dicto, אמר הכוזרי הלא תחלת קביעות הימים מן הצין מפני שהוא תחלת המזרח ליישוב אמר החבר והלא התחלת השבת אינה כי אם מסיני ומאלוש קודם לכן שירד המן בו תחלה ואין השבת נכנס אלא על מי שבא עליו השמש אחר סיני על הדרגה עד אחרית המערב ואחר כך עד אשר תחת לארץ ואח׳ כך עד הצין אשר הוא מזרח היישוב ויקרא השבת לצין אחר ארץ ישראל בשמונה עשר שעות מפני שארץ ישראל באמצע לישוב וכאשר בא השמש לארץ ישראל היא חצי הלילה לצין וחצי היום לארץ ישראל הוא בא השמש לצין וגו׳ והכונה היא לארץ ישראל שהיא מקום התורה שהורד בו אדם מגן עדן בליל שבת וכמנו תחלת המנין סמיך לששת ימי בראשית והתחיל אדם לקרות שם לימים וכאשר נושבה הארץ ורבו בני אדם היו סופרים הימים כאשר יסד אותם אדם ועל כן לא יחלקו בני אדם בשבעת ימי השבוע וגו׳ *Dixit Cozri, nonne initium praestitutae dies numerandi formulae à Zin petendum, ideo quod locus ille initium est orientis orbis terrarum? Responsum est, an initium sabbati aliunde petendum est quam a Sinai, & ante etiam ab Alusha, quia ibi primus erat mannae descensus. Nec vero incipit sabbatum antequam sol ultra Sinai transeat in extremum occidentis gradum, unde postea sub tellurem circumvolvitur ad Zin, qui oriens est orbis terrarum. Et esse incipit sabbatum in Zin; postquam habetur ejusdem initium in terra Israelitica, horis octodecim: Eo scilicet quod, terra Israelitica in medio seu umbilico orbis collocata, occasus solis illic est nox media τῷ Zin, & meridies terrae Israeliticae est occasus solis τῷ Zin, &c. Aptanda autem est res terrae Israeliticae* (nimirum Sinai & Alusha circa sesquigradum occidentaliores sunt Hierosolymis) *quoniam ea locus est legis, & idem est locus in quo pulsus est Adam e paradiso nocte sabbati* (alia exemplaria habent בע״ש *vespera sabbati) atque inde initium enumerationis dierum quae sex diebus creationis innititur. Atque ibi incepit Adam nomina diebus imponere. Et cum postea auctis ejus posteris terra habitata est, hominum mos erat numerare dies eo modo quo disposuerat eos Adam; unde factum est ut non dissentiant homines de septenario septimanae dierum numero*, seu *hebdomadis constitutione, &c.* Sic ibi R. Jehuda. Sin hic est Sinarum seu צינין aut صينين regio, plagae Orientalis ultima; ita scilicet scriptoribus tam Arabicis & Ebraicis quam Ptolemaeo ejusque sequacibus [o] censita. Objectio est; nonne inde, scilicet ab oriente ultimo, ratio dierum enumerandorum ineunda? Minime, inquit, R. Jehuda. Nam a rerum initiis dierum enumeratio erat eadem qua utimur nos in terra Israelitica, id est, a vespera ad vesperam. Id quidem scimus etiam ex sabbati observatione, cujus initium in Alusha & Sinai. Et quicquid ibi statutum reperitur, ita aptandum est terrae Israeliticae cujus gratia lex data est, ac ubi primus parens noster Adam dies sic a vespera ad vesperam numerare & in periodos septenarias distribuere coepit, ut a solis e terra Israelitica in occidentem discessu, seu a tempore quo terrae Israeliticae sol occidit (quae sic velut naturalis habetur & primaria dierum civilium, id est XXIV horarum, numerandorum epocha) dierum initia adeoque periodi septenariae sint deducendae. Atque ita necesse erit ut horarum octodecim spatio tum sabbatum tum quilibet alius pariter dies incipiat in terra Israelitica antequam in orientis ultimo seu apud Sinas incipiat; similisque in aliorum locorum dierum initiis, veluti primario illi secundariis, pro longitudinis diversitate, ratio sit habenda. Exempli gratia; cum in adjecta figura sol per circulum ABCD graduum 360, circum tellurem EFGH spatio XXIV horarum feratur, diesque, juxta jam dicta, a cardine GC, qui occasus est solis τῷ F terrae Israeliticae, seu umbilici telluris hic locum occupanti, incipiat; palam est diei initium telluris umbilici seu τῷ F incolis XVIII horis prius haberi quam suum ex ejusmodi numerandi ratione initium habeant Sinae in extremo orientis, qui τῷ E designantur. Nam ut GC solis occasus est τῷ F, ita FB τῷ E seu Sinis. Et

[m] *Parash.* 11. fol. 13. col. 1. [n] *Sepher Cozri*, part. 1. §. 87. & part. 2. §. 20. [o] Geograph. Arab. part. 9, & 10. Climatis 1. *Abraham* Ben *Chaia* in sphaera mundi, cap. 6, &c.

inter

inter G C & F B, per D A, arcum 270 graduum intercipi, id eſt XVIII horas, nemo non videt.



Qui ſenſus eſt Rabbini quem citavimus, ejuſque ſequacium. Pendere vides hanc dies enumerandi in terra Iſraelitica poſitam epocham ex eo quod eſt, Adamum ibi ſic enumerare coepiſſe, adeoque illam regionem primum tenuiſſe. Unde & טבור הארץ eam nuncupant Ebraei, ſeu *umbilicum telluris*; quemadmodum oppoſitum in globo telluris locum, ſeu H in ſuperiori figura, טבור הים *umbilicum maris.* Certe & alii ibi telluris umbilicum collocant; quod etiam ſcimus ex eo quod ſuperius citatur ex Saido Batricide de Ada in terrae umbilico ſepeliendo. Occurrit itidem in deſcriptionibus territorii tribus Judae ſpelunca Adam, ſeu rupes in qua traditur eum cum Eva uxore diu luxiſſe Abelem occiſum; locus etiam ubi a Caino occiſus Abel. Et apud chriſtianos ſcriptores non raro ea in regione vitam tranſegiſſe primos parentes exiſtimatur. Obvia ſunt quae de paradiſi loco, & vicinio in quod relegatus eſt Adam, & de monte Calvariae diſſeruntur. Saidus autem Batricides in Indiae orientalis montem aliquem expulſos fuiſſe e paradiſo primos parentes ex orientalium traditionibus ſcribit. Verba ſunt,

اخرجهما من الجنة في تسعة ساعات من يوم الجمعة على جبل من جبال الهند *Expulit eos* Deus *e paradiſo hora* IX *feriae* VI *in montem e montibus Indiae.* Quin & mons ille Mahumedanis dicitur mons سرنديب *Sarandib.* Abu Mahumed Muſtaphi Ben Haſen in hiſtoria univerſali perquam eximia, quod bibliothecae Oxonienſis cimelium eſt manuſcriptum, اهبط ادم علي جبل سرنديب في سرقي ارض الهند *Relegavit* Deus *Adam in montem Sarandib in orientali Indiae regione.* Eo ſpectat etiam quod lego in Abu Walid Mahumed Ben Elſhecina hiſtorico penes me vetuſto MS. ubi de وسط الارض *medio* ſeu *umbilico telluris* verba faciens, قالوا inquit هو وادي سرنديب حيث هبط ادم عليه السلام *Fertur locum hunc eſſe fluvium Sarandib quo deſcendit Adam, ſuper quem ſit pax.* Sarandib autem inſula maris orientalis *Harchend* dicti celeberrima fuiſe deſcribitur apud geographum Arabem [p]. Neque alia eſt a Taprobana, quae item سمطره *Sumatra* dici ſolet. Fluvius autem ille ſub AEquinoctiali ponitur. Achmed Ben Magad in inſularum chorographia واما الحقيقة خط الاستوي هو الوادي وادي سرنديب *Ad amuſſim ſub linea aequinoctiali habetur fluvius dictus fluvius Sarandib.* Quod & Ptolemaicae Taprobanae geographiae diſſonum non eſt. Unde etiam latitudines urbium ac provinciarum a jam dicto fluvio putantur, ut Achmed ille, quemadmodum longitudines ab occidentis termino. Ita in orientis extremo juxta nonnullos ponitur telluris umbilicus ſeu medium. Sed nomen illud pro vario gentium ingenio aliter etiam collocatum ſcimus ex eo quod Graeci, atque ex eis Latini, de Delphis habent: ibi ſcilicet eſſe medium ſeu umbilicum orbis terrarum. Strabo, Pauſanias, Livius, Plutarchus, alii [q] autores veteres ſunt obvii. Quae autem hactenus dicta ſunt abſque controverſia admittunt aſſeruntque ſabbatum in Aluſha, ſeu primum quod in deſerto celebratum eſt poſt mannae deſcenſum, fuiſſe diem (ut par eſt credere) a mundi natalibus in ſeptenaria dierum periodo ſeptimum. Quod ſane non defuere inter chriſtianos qui negarint. Paulus epiſcopus Burgenſis [r], Exjudaeus, *Si bene conſideras, primum ſabbatum quod legitur in deſerto celebratum* (ſic ibi Paulus; quem inter & Saulum Judaeum dialogus fit) *non fuit ſeptima dies correſpondens primo ſabbato quod fuit in mundi exordio, prout tu dicis: ſed fuit ſeptima dies a deſcenſu mannae. Qui quidem deſcenſus non legitur incepiſſe in prima die hebdomadae; unde ſic ſeptima dies computata a prima die deſcenſus mannae concurrat cum die ſabbati in primo exordio ſanctificati. Imo probabilius poſſet dici quod dies prima in qua manna deſcendit, non fuit prima dies hebdomadae, quae dicitur una ſabbatorum. Nam in primis veſperis illius diei deſcendit coturnix* [s], *& ſaturati ſunt carnibus. Conſtat autem quod, ſi illa veſpera eſſet veſpera ſecunda diei ſabbati, non eſſet eis licitum occidere coturnices, & parare eas. Ex quo patet quod dies immediate praecedens deſcenſum mannae non fuit dies ſabbati, & per conſequens prima dies in qua manna deſcendit non fuit una ſabbatorum.* Sic ille. Sed ratio ejus perquam frivola videtur. Nam quis non videt primas veſperas illius diei, ut ille vocat, ſeu ſecundam ſabbati veſperam, fuiſſe etiam partem ſeu initium feriae primae, non omnino ſeptimae ſeu ejus quae praecedens ſabbati recurrentis in dierum periodis loco reſpondet, juxta ſci-

[p] Part. 8. clim. 3. [q] Videsis If. Caſaub. in comment. ad Strabonem, pag. 180. [r] Scrutin. ſcripturar. part 1. diſt 8. cap. 14. [s] Exod. xvi. 13

licet

licet Ebraicam temporis rationem, a vespera ad vesperam? Quorsum igitur hic coturnicum in vespera occisionis & praeparationis, velut ejus quod sabbatum violaret, mentio? Sed nec ejusmodi redargutione adeo opus est; cum juxta receptiorem Ebraeorum sententiam, institutionem seu praeceptum sabbati observatio neutiquam secuta sit ante septimum post migrationem ibi memoratam diem, id est ante XXII Jiar, qui ipsum in quo migrabant Israelitae in Sin diem, seu XV Jiar, quae feria erat septima, insecutus est. Quo spectat & illud viri maximi [t] de eis qui simili ratione nolunt ipsum XV Jiar feriam fuisse septimam seu sabbatum, qua vocabulum illud in dierum periodis locum habet. *Atqui Hebraei* (sic apud eum objiciunt) *non migrassent die sabbati* (inde nimirum volunt XV Jiar non fuisse feriam septimam.) *Egregium animadversionem! Quid est magis contra sabbatum quam sabbato colligere manna? Atqui multi profecti sunt colligendi* [v] *causa die sabbati. Isti critici non meminerunt adhuc legem datam non fuisse.* Legem scilicet, quae ad observationem alicujus diei pro sabbato ante migrationem illam obligaret, aut datam non fuisse, aut pro data, atque statim in deserto observanda, non habitam.

CAP. XII.

Ad sabbati observationem, ut Judaeos originarios, sic proselytos justitiae & parilis conditionis reliquos obligari; proselytos autem domicilii aliosve gentiles non item, statuunt Ebraei. Nec observatio ejusmodi permissa proselytis domicilii. De peregrino seu proselyto in legibus de sabbato sacris magistrorum sententiae.

QUOD demum ad sabbati quale diximus observationem, qua eam Ebraei aliis sive imperabant sive permittebant sive interdicebant, idque ex avitis institutis placitisque, attinet; non minus atque seipsos ad illud observandum teneri volebant proselytos justitiae universos, libertinos, aliosque baptismo & circumcisione, veluti servos, ut superius libro secundo ostensum est, in ecclesiam Ebraicam rite cooptatos: neque vero alios aliasve gentes. Nam & proselytos domicilii, seu eos qui Judaismo nondum nomina dederant, in qualecunque vitae commercium intra ditionem Israeliticam admissi, non modo observatione omnino solutos habuere, sed poenis gravissimis obnoxios si observarent. Id quod satis dignoscitur ex eis quae capite superius quinto ea de re allata hic non repetimus. Et in eundem sensum plura occurrunt in scriptis [a] Talmudicis. Neque, juxta eorum interpretationem rite intellectam, adversatur omnino quod habetur in decalogo, *Non facies ullum opus, tu, & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, &* גר *advena* seu *proselytus tuus qui in portis tuis*; uti nec illud [b], *Sex diebus facies opera tua, & in septimo die quiesces, ut habeat quietem bos tuus atque asinus tuus, & respiret* seu *refrigeretur filius ancillae tuae, & peregrinus* seu proselytus; quae ferme alibi totidem etiam in sacro sermone [c] verbis habentur. Id quidem verum est, ad legem posteriorem expressim adnotari a Salomone Jarchio בן אמתך בעבד ערל הכתוב מדבר והגר גר תושב Filius ancillae tuae *sumitur ibi pro servo incircumciso, &* peregrinus *seu* proselytus *pro proselyto domicilii.* Alii [d] tantundem. Ideone etiam proselytis domicilii seu gentilibus sabbatum existimabant observandum? Nihil minus. Distinguendum nempe est de ratione nominis *servi* aut *proselyti* in contextum ejusmodi adhibita. Ea duplex est: altera, qua intelligat quis tam servum & proselytum ex legis vi ad observationem sabbati pariter obligari; altera, qua sic obligari Judaeos, & quotquot in eorum ritus transirent, ut nec ipsi opere aliquo sabbatum violarent, nec sabbato in causa essent ut sive a servo sive a proselyto opus aliquod fieret. Priori ratione non alium volunt legibus illis contineri *servum* quam circumcisum, aut *ancillam* aliam praeter eam quae baptismo in Judaismum cooptata est, nec alium *peregrinum* seu *proselytum* quam proselytum justitiae, ac libertinum, qui juris parilis: id est, non alios praeter eos qui ecclesiae Ebraicae pars fuerunt, seu בני ברית *filii* seu *liberi foederis*. Posteriori autem ratione solum servos incircumcisos ac proselytos domicilii ibi innui aiunt. Scilicet fas non fuisse Judaeo servi gentilis seu incircumcisi domino, sabbato in causa esse ut servus ejus ejusmodi opus aliquod tunc faceret, nec fas Judaeo fuisse tunc in causa esse ut proselytus domicilii (cujus cum ejusmodi servo parilis, quantum ad hanc rem, conditio) praestaret opus aliquod: id est, fas ei non fuisse aut per se aut per alios aut per jumenta eo die operari. Egregius est ea de re locus apud Rabbi Mosem Bar Nachman; ubi ostendit quidem legum jam citatarum cunctis non eandem prorsus esse, si verba spectes, interpretationem; ejusmodi tamen cunctis esse ut juxta distinctionem jam allatam sint omnino capiendae. Verba ejus [e] sunt, ad illud וגו' גרך *Proselytus* seu *advena tuus qui in portis tuis in decalogo*; על דרך הפשט גר שער לעולם הוא גר תושב שבא גר בשערי עירנו וקבל עליו שבע מצות בני נח והוא הנקרא גר אוכל נבלות שאמ' בו הכתוב לגר אשר בשעריך תתנה ואכלה ולכן לא היתה בו המצוה שאמר לא תעשה בו מלאכה האזרח והגר אבל לנו יצוה שלא יעשה מלאכה לצורכינו כקטנים והבהמה והוא בעצמו אין עליו זאת המצוה ועושה מלאכה לעצמו בשבת והכתוב שאמר וינפש בן אמתך והגר הוא גר צדק שנתיהד וחזר לתורתנו שצוה אותו בשבת וכן בכל שאר המצות כאשר אמר' תורה אחת ומשפט אחד יהיה לכם ולגר הגר אתכם ולאזרח הארץ אבל מצאנו לרבותי' שדרשו בהפך אמרו כי וגרך אשר בשעריך על דרך הפשט גר צדק והוא חייב כמונו בשבת וינפש בן אמתך והגר לרבות גר תושב הערל ורצונם שיהיה המוזהר תחלה הגר הנימול שחייב כמונו והכתוב השני לרבות הערל ולפיכך הוקש לבהמה שאמר למען ינוח שורך וחמורך וינפש

[t] Joseph. Scaliger. de emendat. temp. lib. 5. pag. 351. [v] Exod. xvi. 27 & 28. [a] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. b. & vide excerpt. ex eadem Gemara apud J. Cochium, pag. 274. [b] Exod. xxiii. 13. [c] Deut. v. 14. [d] *Sepher Mechiltha*, fol. 36. col. 1. [e] *Pirush Tora*, fol. 125. b.

בן אמתך והגר צוונו בשביתת כלם בשוה שלא יעשו לנו ויעשו כרצונם לעצמן וכן יהיו העבד והגר הנזכרים בעשרת הדברות שוים וחייבים בכל דין השבת כמונו כמו שנאמר למען ינוח עבדך ואמתך כמוך: *Proselytus* seu *advena portae simpliciter sumptus intelligitur de proselyto domicilii qui advenerat ut peregrinaretur in portis civitatis alicujus, & qui susceperat in se observationem septem praeceptorum Noachidarum. Atque idem vocatur etiam proselytus comedens carnem morticinam, de quo loquitur scriptura* [f], proselyto qui in portis tuis dabis, ut comedat. *Et propterea non datur ei mandatum quod imperet ne in sabbato opus omnino faceret aut proselytus aut indigena: sed nobis datur mandatum ut in usum seu commodum nostrum opus is non faciat; uti nec minores aut jumenta. Adeo ipsi proselyto non datur mandatum hoc, quippe cui opus sibi facere in sabbato licitum. Atque in illo scripturae loco ubi dicitur* sabbatum ita observandum, [g] ut respiret filius ancillae tuae, & peregrinus, *capiendus est* peregrinus, *seu* proselytus, *pro proselyto justitiae, qui Judaeus factus legi nostrae nomen dederat, adeoque ad observationem sabbati ex mandato obligatus erat, sicut ad praeceptorum reliquorum, juxta id quod dicitur* [h], Lex una & judicium unum erit vobis, & proselyto qui peregrinatus fuerit apud vos, *proselyto scilicet & indigenae telluris. At vero comperta etiam est apud Rabbinos nostros diversa hic interpretatio; nimirum,* proselytum tuum intra portas tuas *simpliciter dictum* in decalogo *significare proselytum justitiae, qui ad observationem sabbati non minus obligatur quam nos ipsi: illud autem* postmodum in Exodo dictum, ut respiret filius ancillae tuae & peregrinus, *seu* proselytus, *eo spectare ut & proselytus domicilii, qui incircumcisus erat, includeretur. Nempe existimant, primo loco,* in decalogo ipso, *expressim contineri proselytum circumcisum, qui aeque atque nos ipsi obligatur; loco autem altero, qui sequitur, contineri etiam incircumcisum: argumento ex eo quod ibi dicitur de jumento etiam sumpto. Nam verba sunt,* ut quietem habeat bos tuus atque asinus tuus, & respiret filius ancillae tuae, & proselytus. *Parili omnino modo volunt mandatum nobis datum de cunctis; scilicet ut nobis minime opus aliquod faciant, qui tamen sibi pro libitu facere possint. Atque juxta hanc interpretationem servus & proselytus in decalogo memorati nobis ipsis* hac in re *aequales sunt, & pariter ac nos ipsi ad observationem sabbati obligantur, perinde ac si dictum fuisset* ibi, *ut requiescat servus tuus & ancilla tua non aliter atque tu ipse.* Sive hanc sive illam interpretationem admittas, palam est, neque hanc neque illam voluisse proselytos domicilii seu gentiles omnino ad sabbati observationem ex legum illarum sensu obligari, sed tantummodo proselytos justitiae & qui in Judaismum transierant. Et *proselyti* nomen ac *proselyti intra portas*, pro materiei circa quam in scriptura versatur diversitate, nunc pro justitiae nunc pro domicilii proselyto sumi superius [i] etiam monuimus. Atque ex jam dictis rite intelligendi sunt Jarchius aliique magistri qui proselytos domicilii in legibus de sabbato contineri [k] scribant. Consonum est illud Josephi Caro [l]; אדם מצווה על שביתת עבדו שמל וטבל לשם עבדות וקבל עליו מצות הנוהגות בעבד אבל אם לא מל וטבל אלא קבל עליו שבע מצות בני נח הרי הוא כגר תושב ומותר לעשות מלאכה בשבת: *Imperatum est unicuique* Israelitae, *ut servus ejus sabbatum observet, qui scilicet circumcisus fuerit & baptizatus nomine servi, & in se receperit praecepta quae ex more ad servos attinebant. At vero si non fuerit circumcisus & baptizatus, sed in se receperit septem Noachidarum praecepta, ei, quoniam erat plane ut proselytus domicilii, fas erat opus facere in sabbato.* Nimirum servum ejusmodi nullatenus ad observationem sabbati teneri volunt, uti nec proselytum domicilii, cujus, quantum ad hanc rem, parilis conditio. At vero subjicit idem autor, juxta Talmudicorum veterum sententiam, לעצמו אבל לא לרבו ואסור לכל ישראל לומר לו לעשות מלאכה בשבת לצורך ישראל אפילו מי שאינו רבו: *Fas erat servo ejusmodi opus facere, in sui ipsius nempe usum,* seu commodum, *non in usum domini. Et illicitum est unicuique Israelitae jubere eum opus quidpiam facere in sabbato in usum Israelitae cujuscunque, etiamsi non fuerit dominus ejus.* Ipsi nimirum Israelitae ex jure suo sabbatico tenebantur, non solum ut nec servo Noachidae seu gentili, aut Noachidae qui servus non esset, seu proselyto domicilii, opus aliquod facere in sabbato, quocunque in tempore, imperarent, verum etiam ut nec operis in sabbato a Noachide in Israelitae usum praestiti beneficio seu commodo, durante eodem sabbato, omnino uterentur. Cujus tamen usus eis licitus, si Noachides in sabbato sibi duntaxat, non Israelitae [m], id praestitisset. Nam usum in sabbato operis a Noachide seu proselyto domicilii in Israelitae quidem usum, tametsi ejus injussu, in sabbato praestiti, pro festi violatione sumebant, ideo quia hujusmodi operis usus velut ejusdem participatio habebatur. Quod non volebant obtinere, ubi in ipsius Noachidae usum praestitum est. Inde etiam evenit ut ex scribarum scitis illicitum fieret quocunque extra sabbatum tempore jubere aut conducere operas proselyti domicilii in sabbatum ad id quod Israelitae illicitum esset in eo praestandum: ne scilicet, si id fieri soleret, promptiores redderentur inde Noachidae ad opera sabbatis in Israelitarum usum praestanda, quorum beneficio seu commodo, perinde ac illorum quae a Noachidis in sui tantum usum praestarentur, licite frui nequirent; unde etiam sabbati dignitas forsan Noachidis seu proselytis domicilii haberetur vilior. Moses Maimonides [n]; אסור לומר לגוי לעשות לנו מלאכה בשבת אף על פי שאינו מצווה על השבת ואע"פ שאמר לו מקודם השבת ואע"פ שאינו צריך לאותה מלאכה אלא לאחר השבת׃ ודבר זה אסור מדברי סופרים כדי שלא תהיה שבת קלה בעיניהן ויבואו לעשות בעצמן׃ גוי שעשה מלאכה מעצמו בשבת אם בשביל ישראל עשה אותה אסור ליהנות באותה מלאכה עד מוצאי שבת וגו' ואם בשביל עצמו בלבד עשה מותר ליהנות בה בשבת: *Illicitum est* Judaeo *jubere gentiles opus facere in sabbato,*

[f] Deut. xiv. 21. [g] Exod. xxiii. 12. [h] Num. xv. 16. [i] Lib. 2. cap. 2. pag. 178, 179. [k] Vide *Sepher Mechilta*, fol. 26. col. 2. & 36. col. 1. [l] In *Schulcan Aruch* lib. *Orach Chiim*, tit. *Sabbath*, cap. 304. [m] *Misna* tit. *Sabbath*, cap. 16. Talmud. Babylon. eod. tit. fol. 122. a. [n] Halach. de sabbato, cap. 6. vide & cap. 12. §. 7. & Mosem Mikotzi praecept. negativ. 65.

tametsi illis non sit imperatum sabbatum, & tametsi jubeat ante sabbatum & tametsi usus ejusmodi operis exspectandus fuerit usque dum transierit sabbatum. Hoc vero e scribarum scitis manavit, tum ne apud gentiles vilius haberetur sabbatum, tum ne ipsi ultro id praestarent. Si gentilis in sabbato opus ultro fecerit, idque in Israelitae usum, interdictus est ejusdem usus Israelitae *usque dum desinat sabbatum, &c. At vero si in sui tantum usum id fecerit, usus ejus etiam in sabbato* Israelitae *licitus est.* Quod Gemarae Babyloniae [o], unde sumitur, est concors. Et exempla afferunt de lumine a Noachide sibi in sabbato accenso, fune quo e navi descendat tunc sibi contorto, id genus alia, quorum scilicet in sabbato, per solennem diei quietem, usus licitus. Atque ex hisce intelligitur id quod habent Talmudici [p] de non prohibendo Noachide aliquo conditionis liberae ab opere quali Israelita sabbatum violaret. Verba sunt; ישראל אין מוזהרי' על שביתת גוי שאינו עבד שלהם : *Israelitae non prohibent ab opere in sabbato gentilem,* seu *non monent eum de requie eo in die, nisi fuerit eorum servus.* Nimirum, qua gentilis seu Noachides erat, praecepto teneri eum nolunt: qua vero servus fuerit Noachides Israelitae, monendus erat, non velut quem ad sabbati observationem existimarent omnino obligari, sed ut cui abstinendum erat ab opere in usum domini; quippe cujus beneficio & commodo uti is rite nequibat, secundum ea quae dicta sunt.

CAP. XIII.

Quae ante de sabbato ostensis videantur apud Ebraeos adversari; tum eos qui Ebraice scripsere, tum Philonem & Fl. Josephum.

HIsce ita ex Ebraeorum commentariis de sabbato seu septimi diei cultu explicatis, quae nempe receptissimas Talmudicorum ea de re sententias aperiunt; restat ut de iis quae hisce apud eos reluctari videantur dispiciamus; scilicet de iis quae ex eorum commentariis trahi possunt ad has astruendas assertiones adversas; sabbatum, seu septimum in periodo dierum a mundi conditu diem, ut festum, universo humano generi colendum; in ipsis rerum primordiis, seu mundi natalibus, initium habuisse; ante legem, seu stationem in Mara, ut festum, ex praecepto observari esse solitum; atque demum, ab aliis gentibus in ritibus suis, veluti ex jure omnium gentium communi seu Noachidarum, adhibitum. Quomodo interpretentur nonnulli, atque ii vetusti simul & celebres, magistri illud de sanctificatione atque benedictione diei septimi simul cum creatione rerum memoratum, ostensum est supra [a]. Scilicet ad primam illam, juxta ea quae ostensa sunt, in Sina seu Alusha celebrationem sabbati locum illum volunt per prolepsin attinere. Quae sententia quidem nonnullis [b] displicet ob tanti temporis, seu, ut ipsi supputant, MMCCCCXLVIII annorum, anticipationem. Neque satis consonum esse admittunt ut quae ad primum Mannae descensum, seu sabbati in Sina tot seculis postea celebrationem, spectant, ea locum aliquem habere sentiamus in ipsa rerum primordiorum descriptione, utcunque ab historico eodem sacro descensui Mannae seu celebrationi jam dictae coaevo tradita. Benedictionem igitur & sanctificationem diei septimi etiam fuisse volunt hi in ipsis rerum primordiis seu natalibus mundi. Sed qualisnam ea fuerit perquam varie definiunt, & interdum nugacissime. Alii enim benedictionem ibi memoratam in eo ponunt [c], quod, si diis placet, nullum omnino tempus nocturnum, seu nulla nox diei illi septimo accesserit, sed ex perpetua constiterit luce. Ita benedictam aiunt ejusdem lucem: atque exinde secutam esse sanctificationem, quia ita a caeteris diebus qui praecesserant est discriminatus. Nempe ita הנבדל seu *discriminatum* seu *separatum* מעסקי העולם *a communi rerum natura* sanctum dici; unde & Israelitas, quos sibi separavit numen, *sanctos* nuncupatos. Alii benedictionem & sanctificationem ibi pro eadem ipsa re sumunt [d], atque locum intelligunt velut illud [e], וימשחם ויקדש אותם & *unxit eos & sanctificavit eos,* ungendo sanctificavit. Benedictione hac volunt hi naturam septimo diei tunc inditam aliam ab ea quae est reliquorum, ac multo praestantiorem; nimirum ut בזה תגבר בו הנפש *ex ea vires in eo adjiciantur augeanturque menti humanae* ob requiem corporis quae in eo. והו קדושת השבת שלא תשתמש בו הנפש בדבר חול כלל רק בדברים המקודשים *Atque* juxta hanc sententiam *haec est sabbati sanctificatio, ut mens humana in eo non incumbat rei alicui profanae, sed tantummodo rebus sanctis.* Nec mentis solum sed etiam corporis vires ex ea benedictione quolibet in sabbato augeri volunt ex eis alii [f]; unde benedictionem ibi nuncupant תוספת טובה *incrementum bonitatis.* Alii benedictionem ibi ad creaturas, quae jam recens ex nihilo formatae erant, existimant attinere; quemadmodum in illo Jobi [g], *Maledixit diei suo, &, pereat dies in qua natus sum,* maledictio diei ad ipsum qui in eo natus est attinet. Ita Isaac Abarbinel, qui etiam de sanctificatione hic, קדש והבדיל לכבוד ולתפארת את יום השביעי בעבור שבהכנסתו נשלמה ונגמרה מלאכת שמים וארץ כמו האדם בעשותו מלאכה יקרה יעשה אחר גמירתה משתה ויום טוב : *sanctificavit & separavit in honorem & gloriam diem septimum, quoniam in ejus adventu perfectum est & consummatum opus coeli & terrae; quemadmodum etiam homo, ubi opus quid magnificum praestiterit, postquam illud perfecerit, convivium facit & diem festum.* Sic ille. Adeo ut sanctificationem & benedictionem diei septimi ipsis rerum initiis coaevam hi omnes, uti & alii similes, faciant. Unde etiam natum est commentum illud, ipsum Adamum cantici illius [h] in sabbatum autorem fuisse, atque illud cecinisse; quem-

2

[o] Alfes. *Sabbath* cap. 16. fol. 122. a. [p] Gloss. ad Alphesium part. 1. fol. 145. Obadias Bartenorius ad Misn. tit. de sabbato, cap. 16. § 6. & Rab. Nissim ad dictum Alphesii locum. [a] Cap. 11. [b] Mos. Maimonid. ap. Abarbinelem in *Perush Tora* fol. 21. col. 3. citatus Rabbi Bechai ad Genes. fol. 10. col. 2. [c] *Bereshith Rab.* parash. 11. & R. Bechai ad *Bereshith,* fol. 10. col. 2. [d] Rabbenu Nissim apud Abarbinelem in *Perush Tora,* fol. 21. col. 3. [e] Num. vii. 1. [f] Aben Ezra ad Genes. 2. [g] Cap. iii. 1. [h] Psal. xcii. R. Eliezer in *Pirke,* cap. 19. & vide Genebrard. Chron. pag. 6.

admodum

admodum etiam tribuunt Adae psalmum alium [i], ob dicta quaedam in eo, ut volunt illi, ad primam hominis creationem attinentia. Quin & a patriarchis septimi diei festum, sive velut e naturali omniumque hominum universali jure, sive ex alio quod ante legem, quam supra memoravimus, de sabbati institutione obtinuit, ortum, voluere nonnulli fuisse observatum. Menasseh Ben Israel jam nunc archisynagogus Amstelodamensis, *Dico*, inquit [k], *quemadmodum traditio creationis mundi penes Abrahamum & ejus posteros tantum fuit, ita etiam ex dictamine legis naturalis sabbatum ab iis solis cultum fuisse. De Abrahamo dicit S. scriptura* [l], Observavit cultum meum; *quo loco custodia sabbati intelligitur. De Jacobo idem affirmant veteres ex eo loco quo dicitur venisse* [m] *ad Salem, & castra posuisse e regione vel ad conspectum civitatis. Quia enim sabbatum, inquiunt, instabat, non licebat ei ulterius proficisci, sed subsistebat ante urbem. Idem asserunt de Josepho, quando dicitur jussisse servis suis ut mactarent & praepararent, id propter sabbatum ab eo factum fuisse. Ad haec refertur in Semot Rabba, Mosem petiisse a Pharaone in AEgypto ut afflicto populo suo permitteret unum diem cessare a laboribus, eoque impetrato, ex traditione elegisse sabbatum. Ex his omnibus colligitur sabbatum ante datam legem observatum fuisse.* Ita archisynagogus ille. Et certe verum est ad locum illum Genesis de Abraha, ex illo משמרתי *cultum meum* seu *observationem meam*, rituum sabbaticorum ita fieri a nonnullis mentionem ut etiam eos existimasse Abrahamum sabbatum coluisse, non ita absonum sit autumare. Rabbi Jochanan ibi [n], אפילו הלכות עירובי חצרות היה אברהם יודע *etiam traditiones de commixtionibus atriorum* (nempe de apicibus aliquot juris sabbatici, qui integrum occupant in Talmude titulum [o]) *scivit Abraham*. Alii [p] tantundem. Et de Jacobo quod habet hic Menasseh, legitur, ut nonnullorum sententia, in *Beresith Rabba* [q], quemadmodum & illud de Abraha. Etiam & illum praestitutae itineris sabbatici quantitatis autorem [r] fuisse. Sabbatum item & Josepho in AEgypto celebratum esse, velut receptissimum, habent aliqui [s]. Et demum quod de Mose & Pharaone adjicitur, diserte occurrit in *Semoth Rabba* [t]. Verba sunt; ad illud de Mose [v], *Et vidit onera eorum*, ד"א ראה שאין להם מנוחה הלך ואמר לפרעה מי שיש לו עבד אם אינו נח יום אחד בשבוע הוא מת ואלו עבדיך אם אין אתה מניח להם יום אחד בשבוע הם מתים אמר לו לך ועשה להן כמו שתאמר הלך משה ותקן להם את יום השבת לנוח : *Sunt qui aiant Mosem, cum videret nullam eis esse laboris intermissionem, ad Pharaonem se contulisse, eique dixisse: Servus cui labor non intermittitur unico in hebdomade die, morietur. Hi servi tui sunt; qui, nisi permiseris ipse ut unico in hebdomade die requiescant, itidem morientur. Respondit Pharao, Abi, fac eis ut dixisti. Abiit Moses, & ordinavit eis diem sabbati, quo requiescerent.* Ubi adnotat Isachar Ben Nephthali [x] והו שתקנו ישמח משה במתנת חלקו שהיה שמח על שבחר הקב"ה שינוחו ישראל ביום שבחר הוא להם : *Atque hinc est quod a posteris in ritualibus habetur*, Laetabitur Moses ob datam sibi sortem; *laetabitur scilicet, eo quod elegit Deus O. M. eundem ipsum diem quo requiescerent Israelitae, quem ipse eis elegerat.* Verba illa sunt hymni initium vetustissimi qui in sabbati sacris [y] occurrit. Et Menasseh, quem diximus, de institutione sabbati in Mara locutus [z], *Quicquid*, inquit, *de re sit, certum est, eos omnes qui per traditionem a majoribus suis creationem mundi acceperant, etiam observasse sabbatum. Et quamvis alii quidem illo die adhibitis quibusdam ceremoniis coluerint Deum, & preces ad eum fuderint, nihilominus tamen alii quoque illo die quieverunt & feriati sunt.* Nec desunt qui in Jobi historia [a] sabbati seu septimi diei cultum reperiri velint. Traditur scilicet ibi septem fuisse ei filios. *Et ibant filii ejus, & faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo, &c. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta juxta numerum eorum. Sic faciebat Job cunctis diebus.* Septimum diem sic volunt aliqui [b] Jobum sacrificiis celebrasse. Quin de festo hoc velut ex jure universali nato observandoque loquitur Philo. In ipsis primordiis mundi sanctificatum esse ait, & statim subjungit [c]; Ἑορτὴ γὰρ οὐ μιᾶς πόλεως ἢ χώρας ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ παντὸς, ἣν κυρίως ἄξιον καὶ μόνην πανδήμιον ὀνομάζειν καὶ τοῦ κόσμου γενέσιον· quod vulgo vertitur, *Est enim festus non unius populi regionisve, sed in universum omnium; quae sola digna est ut dicatur popularis festivitas, & mundi natalis.* Alibi item, solenne esse omnibus gentibus abhorrere ab externis ritibus, eosque aspernari, praeter popularium suorum seu Judaeorum ritus, quos a cunctis summa in veneratione habitos addit. Et, Τίς γὰρ, inquit [d], τὴν ἱερὰν ἐκείνην ἑβδόμην οὐκ ἐκτετίμηκεν, ἄνεσιν πόνων καὶ ῥᾳστώνην αὐτῷ τε καὶ τοῖς πλησιάζουσιν, οὐκ ἐλευθέροις μόνον ἀλλὰ καὶ δούλοις, μᾶλλον δὲ καὶ ὑποζυγίοις διδοὺς; *Quis sacrum illum diem per singulas hebdomadas recurrentem non honorat, remissionem laborum feriasque afferentem patrifamilias cum domesticis, non ingenuis tantum verum etiam mancipiis & jumentis insuper?* Et Josephus [e]; Οὐδ᾽ ἔστιν οὐ πόλις Ἑλλήνων οὐδητισοῦν, οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν. Quod vertitur in editis, *Neque est civitas Graecorum ulla usquam, aut barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimanae, in qua vacamus, consuetudo minime pervenerit. Quin de sabbato*, vere inquit vir doctissimus [f] Christophorus Helvicus ex Ebraeorum commentariis edoctus, *Mira somniarunt Judaei. Fingunt enim omnes gentiles qui sabbatum non servarunt horribiles cruciatus perpeti in inferno, & nolentes volentes cogi ad sabbatum etiam apud inferos servandum, idque tum fabellis, tum mysteriis cabalisticis ex tertio praecepto erutis mirabili modo probant.* Recentiorum etiam Judae-

[i] Tit. *Baba Bathra*, cap. 1. fol. 14. b. Psal. 139. [k] Lib. de Creatione Problem. 8. [l] Gen. xxvi 5. [m] Gen. xxxiii. 18 [n] *Beresith Rabba*, Parash. 64. [o] Tit. עירובין [p] *Beresith Rabba*, Parash. 47. Jarchius ad Genes. xxvi 5. Bechai ad Genes. fol. 37. col. 4. [q] Parash 79. [r] Ibid. & in Comment. ad Machzor. part. 1. fol. 49. a. [s] Bechai ad Beresith, fol. 37. col. 4. [t] Parash. 1. [v] Exod. ii. 11. [x] Edit. Cracoviens. fol. 118. b. [y] Machzor, part. 1. fol. 49. a. [z] De Creatione Probl. 8. [a] Cap. 14 [b] *Aben Ezra*, &c. apud Boulducium ibid [c] Lib. de Opificio Mundi. [d] De Vita Mosis, lib. 2. [e] Contra Apionem, lib. 2. [f] Elench. Judaeorum, cap. 6. § 2.

orum

orum aliquot opinionem, universum genus humanum ad sabbati cultum obligari, rationibus e fluvio sabbatico & sanctificatione diei in ipsis rerum initiis petitis, exhibet Petrus Galatinus [g]. Sed vero, sicut pluris faciendum non est, quantum video, hoc de fluvio sabbatico quam figmentum illud Alcoranicum [h] de piscibus in sabbato, nec aliis diebus, capita sua e mari exserentibus, aliaque similia, oscitanter nimis ex insania amabili credi solita; ita quae de gentilium apud inferos observatione sabbati, eorumque, quoniam vivi non observarant, cruciatibus memorantur, deliria quis non videt esse hominum id genus feriatorum, qui ritus suos qualescunque tanti & tam morose aestimant, ut cuique mortalium eos pariter amplexandos, larvatis atque monstrificis argumentis, gravioribus plane ac rationi consonis indigentes, inculcare non vereantur? Caeterum nec in Judaeis solum, verum etiam in Mahumedanis reperiuntur qui praeceptum de sabbato, qua ipsum septimum diem in periodis a conditu mundi dierum conflatis denotat, naturale esse probare conati sunt; quemadmodum Ahmed filius Zin Alabedin, Persa, in politore speculi adversus christianae religionis instituta conscripto. Sed eum refutavit pridem vir doctissimus Philippus Guadagnolus [i] linguae Arabicae Romae professor, qui & illud ex Alcorano [k] in eum affert, نلعنهم كما لعنا اصحاب السبت *Maledicemus eos sicuti malediximus sabbatizantibus.* In christianorum porro theologorum aliquot scriptis etiam non pauca reperiuntur quae illuc tendunt ut septimi diei cultum naturalem, seu rerum initiis coaevum, atque generi humano observandum asseverant. Horum alii aliter rem, sive lucubrationibus singulis, sive ad decalogum aliterque definiunt. Sed neque hos neque illos aut impugnare aut defendere ad praesens attinet institutum: quod nempe in eo solummodo versatur ut expendamus, an & quomodo testimonia graviora jam ex Ebraeis allata, nec commentis illis insulsis de observatione sabbati apud inferos aut fluvio sabbatico commista (nam quis non agnoscit haec adeo futilia esse ut nihil supra? nisi diutius in eorum examine immorari futilius dixeris) adversentur eis quae supra pro receptis Talmudicorum sententiis circa institutionem primamque celebrationem sabbati, qua festum erat ex jussu divino colendum, ejusque singularem Ebraeis observationem, afferuntur.

CAP. XIV.

Expenduntur atque explicantur quae capite in superiore ex magistris & Philone allata receptis eorum de sabbati institutione atque prima celebratione observationeque sententiis adversari videantur.

QUAE superiore in capite velut receptis apud Ebraeos de sabbato sententiis adversa corrogantur, ea aut ad sanctificationem ejus in rerum primordiis, aut ad patriarcharum ante legem, sive in Mara sive in Sinai datam, ejusce observationem, aut demum ad universalem aliarum gentium ejusdem diei cultum spectant. Quod ad sanctificationem illam in ipsis rerum primordiis attinet; vides eorum aliquos qui ibi sanctificationem collocant, non de recurrentis cujuslibet septimi diei, sed de ipso tantummodo septimo a creationis initio die unico locutos esse. Quorsum alias illud de perpetua ejusdem diei luce? Et qui alia habent de diei, ut mundi natalis, bonitate, dignitate, honore, nihil interea adjiciunt de festi institutione, aut obligatione aliqua universali, qua teneretur humanum genus ad septimum quemque inde recurrentem cessatione a laboribus aliterve celebrandum. Et expressim nonnulli qui neque recentiorem mundi conditu volunt esse diei sanctificationem, eam aiunt [a], uti & benedictionem, ibi memorari, על השבת לא על השומרים *ut ad ipsum sabbatum* seu *diem ipsum attineat, non ut ad eos qui eum observarent.* Cum autem sacra creationis historia, adeoque memoria diei qui universi erat natalis, ad posteros transmitteretur, sive libris, qui periere, mandata, sive inter patrum traditiones accepta; mirum quidem adeo non est, inter patriarchas fuisse qui diem tam celebrem, ut creationis historia simulque summa numinis potestas in animis hominum commodius recoleretur servareturque, interdum colerent festumque [b] haberent. At vero ideo eos qui patriarcharum ejusmodi observationem admittunt, putasse praeceptum seu institutionem naturalem seu divinam, adeoque observandi obligationem, rituumve ex praecepto designationem aliquam praecessisse, non omnino sequitur: non magis sane, quam ideo existimare scriptores alios, dies principum, philosophorum, aliorum natalitios ex instituto seu praecepto quod obliget, semper celebrari, quoniam a compluribus aiunt dies ejusmodi celebrari solitos. Quod autem ad Abrahae, Jacobi ac Josephi observationem in superius allatis attinet; monendum est, apud Ebraeos perquam receptum esse, tam singularem horum, maxime Abrahae, fuisse praerogativam sanctitatis atque illuminationis divinae in lege discernenda anticipationem, ut non sabbatum duntaxat atque apices juris ad illud pertinentes rite observarent, verum etiam totam [c] integramque eam, quae postmodum data est, legem, ejusque DCXIII praecepta; scilicet quicquid in toto habetur juris Levitici corpore. Et plane hyperbole est. Unde fit ut etiam ipsi qui primam sabbati non solum qua festum est observationem, sed etiam sanctificationem in deserto Sinae, ut dictum est, collocant, Abrahae interea sabbati cultum etiam accuratiorem non denegent [d], imo asserant,

[g] De Arcanis Christ. Veritatis, lib. 11. cap. 9. & quod habet ibi de fluvio sabbatico, legitur in Gemara Babylon. ad tit. *Sanhedrin,* cap. 7. fol. 65. b. & vide Joseph. Haloseos, lib. 7. cap. 13. Eldadum Danitem, Plin. lib. 31. cap. 2. Adde If. Casaub. Exercit. 15. §. 20. Nic. Fuller. Miscell. lib. 1. cap. 9. Petr. Cunaeum de Repub. Hebraeorum, lib. 2. cap. 24. Eliam Thisb. in Sambation. Manass. Ben Israel in Conciliatore ad Exod. quaest. 36. [h] Azoar. 7. Arab. 17 Lat. [i] In Apologia pro Christiana Religione, part. 1. cap. 8. §. 9. [k] Azoar. 3. [a] R. Saadias Gaon apud Abarbinel. in *Beresith,* fol. 21. col. 3. [b] Videsis Alexand. Alens. part. 3. quaest. 32. membr. 3. art. 1. [c] Apud Rab. *Bechai* ad *Beresith,* fol. 37. col. 4 [d] *Salomon Jarchius* ad Genes. xxvi. 5.

ut videre eſt in Salomone Jarchio, qui non ſemel primam ſanctificationem & benedictionem diei, ut feſti requie celebrandi, in Sina ac deſcenſus mannae hiſtoria ponit (ut capite liquet undecimo) & ſimul hoc de Abraha admittit. Nam & neſcio quam opinionem Cabaliſtarum coetus portentoſis otii ſui commentis indulgentiſſimus imbiberat de ipſius legis totius, quemadmodum itidem de paradiſi, Hieroſolymarum, Iſraelis, etiam ante mundi conditum, creatione; unde itidem, ad patriarcharum, quos diximus, dignitatem impenſius extollendam, ſingularem illam nec adeo facile intelligendam ſanctitatis atque obſervationis praerogativam & anticipationem eis tribuere non verebantur. Sed peculiaria ejuſmodi ſomnia non omnino faciunt quo minus etiam apud eoſdem ſtabilis remaneat atque pro receptiſſima habeatur illa de inſtitutione & primaria obſervatione ſabbati ſententia ſuperius ex eorum commentariis exhibita; qua ſcilicet ſive humani generis, ſive coetus Iſraelitici totius, ſive legis alicujus de ſabbato obſervando promulgationis ratio in hiſce diſpiciendis hiſtorica ſit habenda. Id vero quod de Moſe & Pharaone ex veterum aliquot habetur traditionibus, illum ſcilicet ab hoc impetraſſe ut Iſraelitae, aerumnis AEgyptiacis preſſi, ſabbato requie gauderent, non omnino probat (tametſi de veritate conſtaret) tunc temporis obligationem aliquam fuiſſe, ne quidem ex eorum opinione qui id tradunt, ad diem illum ſeptimum, ut feſtum, colendum. Detur Moſem natalis mundi diem ſic in illorum requiem elegiſſe: ideone natalis ille ex univerſali aliquo praecepto tunc obſervandus? Nullo modo ſequitur. Nec vero recipitur Ebraeis hiſtoriola illa Moſis, utcunque in vetuſto illo codice *Rabboth* inter ejuſmodi alias non paucas interſerta. Imo plane rejici videtur viris inter eos egregiis, qui ideo volunt in repetito decalogo[e] cauſam ſabbati obſervationis ex ſervitute in AEgypto deductam eſſe, quoniam ita memoria laborum, quibus omni ſine intermiſſione dierum ibi fuerant preſſi, & jam numinis beneficio liberati, erat retinenda. Sic certe Moſes Maimonides[f]. Neque erat ſane cur Iſhacar Ben Nephthali tam fidenter hymnum illum in ſabbati ritualibus ex hiſtoriola illa interpretaretur. Certe ſive Maram, ſive deſertum Sinae, ſive montem Sinai reſpicias (in quibus omnibus de ſabbato, uti volunt, aliquid praefinitum eſt) indiſcriminatim pariterque verba illa, *Laetabitur Moſes ob datam ſibi ſortem*, ad horum quemvis pertinere poſſent, niſi quae ſequuntur in hymno datam de ſabbato in monte Sinai legem ibi innui plane indicarent. Sequitur enim, כי עבד נאמן קראת לו כליל תפארת בראשו נתת בעמדו לפניך על הר סיני ושני לוחות אבנים הוריד בידו וכתוב בה שמירת שבת וכן כתוב בתורתך וגו׳ • *Quoniam fidelem ſervum eum vocaſti. Summam gloriam capiti ejus dediſti, cum ſtabat coram te in monte Sinai; & binas tabulas lapideas ſecum reportavit, in quibus ſcriptus eſt ſabbati cultus, ſicut ſcriptum eſt in lege tua, &c.* Et dein ſequuntur verba legis[g]. Quin in commentariis ad dictum hymnum adjicitur doctiſſimum ſane, juxta Ebraeorum magiſtros, & ingenioſum de ſabbato, ad rem quam tractamus, compendium. Breviter ibi ſic[h]; כ״שה שבת מרה תכנת שבת הר סיני אתה קדושת שבת בראשית אתה אחד שבת בעתיד • *Deſignatum eſt ſabbatum in Mara, in numerum praeceptorum conjectum eſt in monte Sinai, ſanctificatio ejus in ipſa rerum creatione evenit. Primum autem ſabbatum* (quod obſervatum eſt) *evenit ſeculis in futuris.* Quod de Jobo adjicitur, quaſi is ſeptimum diem coluiſſet, perpauci ſunt e magiſtris qui illud admittunt, tametſi nec deſint in chriſtianis[i] qui locum ex eo citatum ſic intelligant. Sed dies ibi quem celebravit ipſe, craſtinus eſt diei ſeptimi, ſeu octavus. Expleto nempe dierum quibus convivabantur filii orbe ſeptenario, craſtino ſacrificia peragebat ille: ita ad ſeptimi cultum non attinet. Quin nec ſatis liquet utrum dies illi ſeptem continui eſſent ac perpetuo recurrentes, an natales ſeptem filiorum anniverſarii[k], an unicus tantum in anno orbis ſeptenarius continuus. Sane & patres aliquot[l] chriſtiani, ſeculis illis ante legem, ne a patriarchis quidem obſervatum ſabbatum hebdomadicum, & Moſis ſeculo praeceptum ejus initium habuiſſe volunt, atque ex ratione ſingulari[m], non ex perpetua aut univerſali obligationis vi. Neque vero contra faciunt quae e Philone afferuntur, quaſi aliarum gentium cultum hic adſtruerent. Priore in loco non dicit feſtum hunc diem fuiſſe hominum omnium, ſeu, ut in ejus verſione edita, *non unius populi regioniſve, ſed in univerſum omnium.* Vertendus plane, *non unius populi regioniſve, ſed univerſi.* Scilicet non ait populorum omnium aut regionum eſſe hoc feſtum, ſed τοῦ παντὸς, *univerſi*, ſeu *mundi*; unde & ejuſdem vocat natalem, quo nomine manifeſtum eſt tum ex ipſo decalogo tum ex receptiſſimis Ebraeorum traditionibus illum eſſe ex inſtituto celebratum. Poſteriore autem in loco non omnino loquitur Philo de ſabbato velut aliis gentibus pariter culto, ſed tantum de ejuſmodi honore ei apud alias gentes exhibito, qualem ii qui exterae gentis ritus ſeu alienos eis quibus ſunt peculiares ſuis in territoriis libenter permittentes, ipſis ritibus dicuntur exhibere. Id palam fit ex ſequentibus eodem in loco atque connexis. Nam paulo poſt[n], Τίς γὰρ, inquit, τὴν λεγομένην νηστείαν οὐ τέθηπε καὶ προσκυνεῖ, καὶ μάλιστα δι᾽ ἔτους ἀγομένην, τῆς Ἱερομηνίας αὐστηρότερον καὶ σεμνότερον τρόπον; *Quis jejunium quod vocant non mirabundus adorat, maxime quod annuum habetur in ſacrato illo menſe, diſciplina tetrica & auſtera?* Et dein itidem, Τὸ τῆς νομοθεσίας ἱεροπρεπὲς, *Sanctitas legum Judaicarum*, inquit, *non ſolum ipſis Judaeis, verum etiam* παρὰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις τεθαύμασται, *omnibus aliis venerabilis habetur.* Alia habet ejuſmodi. Quae eo quidem faciunt omnia ut rituum non ſolum ſabbaticorum, ſed etiam reliquorum, legumque Judaeis in uſu, honorem quendam atque venerationem apud alias gentes omnimodas, inter quas tunc temporis diſperſi ſunt Ebraei, reperiri oſtenderet; ſed neutiquam eo omnino tendunt ut eorum obſervatio aliqua extra ipſos Ebraeos, aut qui in ipſorum ritus tranſierant, haberetur. Parili modo verba facit ille de celeberrimo illo in menſe ſeptimo, ſeu Tiſri, feſto expiationum, & demum ſane de toto Ebraici juris

[e] Deut. v. 15. [f] *More Nebochim*, part. 2. cap. 31. [g] Exod xxxi. 16, 17. [h] Ad *Machzor* Judaeor. Germ. part. 1. fol. 49 a. [i] Genebrard. Chronol. in continuatione Anni Diluvii, 583. [k] Vide Jac Bolduc. ad Job 1. 4. & Chald. Paraph. comm. 13. [l] Tertullian. lib. adverſ. Judaeos. Juſt. Mart. in Dialog. cum Tryphone. [m] S. Chryſoſt. Hom. 12 ad Populum Antiochenum. [n] De Vita Moſis lib. 2.

corpore. Neque sabbatum interea magis atque hoc totum alias innuit gentes observasse. Ex indultu autem principum, veluti Julii, Augusti, Tiberii, ritus Judaicos Judaeis ipsis plerumque permissos scimus; adeoque inde dubitandum non est quin ritus ipsi, quos memorat illic Philo, in honore passim cum Judaeis ipsis apud alias gentes habiti. Quin ipse Philo expressius alibi, *Quartum*, inquit [o], *praeceptum est* περὶ τῆς ἱερᾶς ἑβδόμης, ἵν' εὐαγῶς καὶ ὁσίως ἄγηται. Ταύτην ἔνιαι μὲν τῶν πόλεων ἑορτάζουσιν ἅπαξ τοῦ μηνὸς, ἀπὸ τῆς κατὰ Θεὸν νεομηνίας διαριθμούμεναι, τὸ δ' Ἰουδαίων ἔθνος συνεχῶς, ἐξ διαλείποντες ἀεί· *de sacro die septimo, ut is sancte pieque transigatur. Hunc civitates quaedam semel in mense ut festum celebrant, numerando a novilunio coelitus ostenso: caeterum Judaica gens quemlibet diem septimum continenter, sex semper relinquentes.* Nil manifestius est quam eum hic peculiarem singularemque popularibus suis facere diei in periodo dierum septimi, seu sabbati hebdomadici, cultum; utcunque aliud diei septimi genus apud gentes aliquas alias receptum etiam memoret. Nimirum septimus mensis dies Apollinis natalibus sacer erat. Qua de re plura inferius capite decimo sexto. Quin etiam Philo, ubi solicitius omnia de numeri septenarii tum usu tum honore ex disciplinis gentilium & physicis & mathematicis congerit, concludit tandem Mosem dignitatem ejus tum sacratissimis tabulis legis tum τῆς [p] διανοίας τῶν ὑφ' αὐτὸν ἁπάντων, *animis omnium qui sub sua erant ditione*, insculpsisse diei septimi seu sabbati recurrentis observationem, non omnino ejusdem apud gentiles cultum aliquem interserens. Atqui & alia huc spectantia occurrent in sequentibus.

CAP. XV.

Fl. Josephi locum capite in decimotertio adductum, si de diei septimi cultu alias apud gentes pariter atque Ebraeos recepto sumatur, ipsi rerum veritati palam reluctari. Neque sic intelligendum. Aliae scilicet gentes neutiquam diem in periodis dierum septimum, seu sabbatum hebdomadicum, colebant. Obiter de sabbati nomine, hujusque & jejunii apud scriptores paganos confusione. Calendarium Romanorum vetus. Orbis dierum nundinalis.

QUOD ad Josephi locum superius e libro ejus adversus Apionem secundo citatum attinet, quo diserte asseritur nullam fuisse civitatem aut gentem, sive Graecorum, sive Barbarorum, εἰς ἣν μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν· vertitur is quidem vulgo, ut diximus, *ad quam septimanae, in qua vacamus, consuetudo minime pervenerit.* Atqui septimana, substantive pro septem dierum systemate, non pro ipso die septimo, sumi solet. Graecum vero vocabulum Latinis satis receptum, id est, hebdomas, tam diem etiam & annum septimum, aliudve tempus aut numerum qui orbem septenarium claudat, quam ipsum sive dierum sive annorum aliorumve temporum septem systema significat. Usus illius ejusmodi pro die apud Josephum alibi [a] habetur; atque in ipso apud eum decalogo [b], παρατηρεῖν τὰς ἑβδομάδας occurrit pro eo quod est *observare dies septimos*. Sic in historia Maccabaica [c], & scriptoribus aliis. Neque diversimode vocabulum hic denotare liquet ex verbis illis ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, *quam requie celebramus nos*, seu *qua nos requiescimus*. Atque ut Hesiodo, Aristophani, aliis, τετρὰς pro *die quarto*, sic ἑβδομὰς pro *septimo* usurpatum est. Illud autem τὸ τῆς ἑβδομάδος ἔθος Josepho sic est *peculiaris ad septimum diem spectans consuetudo* seu *mos*, quo nomine etiam ipse alibi in popularium suorum dierum hebdomadicorum observatione requiem sacram denotat. In oratione Agrippae [d] ad Judaeos, τηροῦντες μέν γε τὰ τῶν ἑβδομάδων ἔθη, καὶ πρὸς μηδεμίαν πρᾶξιν κινούμενοι, ῥᾳδίως ἁλώσεσθε, *Si enim servetis sabbatorum* seu *dierum septimorum consuetudinem, & ad nullum actum moveamini, facile profecto capiemini.* In discutiendo autem loco illo e libris adversus Apionem citato duo inprimis hic consideramus; alterum, quid sentiendum sit de sensu illo quem viri aliqui docti [e] inde eliciunt, cultum scilicet septimi diei seu sabbati hebdomadici etiam Judaicum, apud alias pariter gentes atque Ebraeos fuisse in usu; alterum, quisnam fuerit genuinus Josephi illic sensus. Dum prius expendo, certe ejusmodi quid intellexisse Josephum nullus admittere queo: Non tam quia Talmudicis adversum id nimis est (nam illis alias etiam is subinde adversatur) quam quoniam rem se aliter palam habuisse, non solum ex aliorum scriptis gentiumque moribus facile evincitur, verum etiam ex ipso Josepho videtur eliciendum. Hoc simulac demonstravimus, & argumenta quae in contrarium facere videantur diluimus, etiam mentem Josephi hic explicare conabimur. Vixit ille sub excidium templi, seu Vespasiano Caesare. Scriptores exstant ei partim coaevi, partim seculum ejus hinc inde circumstantes; apud quos mentio quidem septimi diei cultus, sed veluti ritus Ebraeis maxime proprii, nec gentibus aliis ex instituto seu more publico omnino communis, sed ipsis plane peregrini. Justini historici verba superius [f] adducuntur; quibus a Mose diem septimum sacratum scribit, ac velut Ebraeis singularem memorat. Tacitus [g] item; *Continuum sex dierum iter emensi* Ebraei *septimo, pulsis cultoribus, obtinuere terras in quibus urbs & templum dicata sunt.* Et de jejuniis crebris, azymis, id genus aliquot aliis locutus, *septimo die*, inquit, *otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit. Dein, blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviae datum. Alii honorem eum Saturno haberi; seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos & conditores gentis accepimus; seu quod*

[o] Lib. de Decalogo. [p] Lib. de Mundi Opificio.
[a] Advers. Apion. lib. 2. & Halos. lib. 1 cap. 2. & 5. & lib. 5. cap. 9. al. 34. &c. [b] Archaeolog. lib. 3. cap. 4. [c] 2 Mac. vi. 11. & xv. 4. [d] Halos. lib. 2. cap. 28 Gr. 16. Lat. [e] Praeter scriptores nuperos de sabbato, consulas Jacobum Bolducium de Ecclesia ante legem, lib. 1. cap. 2. Jacobum Gothofredum ad Tertullianum advers. Nationes lib. 1. cap. 13. Desiderium Heraldum ad Tertull. Apologetic. cap. 16. [f] Cap. 11. [g] Histor. 5.

e septem

e septem sideribus, queis mortales reguntur, altissimo orbe & praecipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque coelestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant. Hi ritus quoquo modo inducti antiquitate defenduntur. Nemo, puto, haec a Tacito (qui etiam *Hierosolymis* ait *profana omnia Judaeis quae apud Romanos sacra)* dicta existimabit veluti de septimo die aliis pariter gentibus suisve Romanis culto. Singularem plane facit Judaeis, uti & ritus caeteros ibi memoratos, non sine nugis interea mendacissimis, pro more scriptorum gentilium rerum Judaicarum ita nesciorum. Atque illud etiam tam cultus sabbatici apud eum quam rituum reliquorum velut lemma est; *Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque caeteris mortalibus indidit. Profana illic omnia quae apud nos sacra.* Mortalibus sane caeteris, mortalium nempe caeterorum institutis ac moribus publicis, adversum fuisse ritum etiam hunc de septimi diei cultu proculdubio innuit ille. Dio item [h] sabbati seu saturni diei cultum, ut Judaeis proprium ac singularem manifesto meminit. Atque Ovidius, ubi de sacris aliquot ab amoris candidato, ut ibi spectet specteturque, frequentandis [i] monet;

> *Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis,*
> *Cultaque Judaeo septima sacra viro.*

Et paulo post,

> *Culta Palaestino septima festa viro.*

septimi diei sacra Judaeo, qui *Palaestinus* tum Graecis, tum Romanis dici solitus, facit propria, nec Romanis suis aliisve omnino communia. Versum hunc immane quantum, sive verba sive metrum spectes, depravavit, idque miserrime, insignis ille theologus, Alphonsus Tostatus; cui tamen idem ipse est ejusdem, ad hanc rem, sensus quem hic volumus. Sic autem ille [k]; *Ovidius dixit in primo de Arte amandi loquens de Judaeis,*

> *Terra Palaestinae septimo culta viro.*

Id est, terra Palaestinae, quae comprehendit partem terrae Chanaan, est culta, id est habitata, septimo viro, id est Judaeo, qui vocatur septimus, quia de septem in septem dies sabbata facit. Et sic magnus iste poeta posuit istud adjectivum septimus tanquam proprium Hebraeorum connotatum. Sed hoc non esset verum si aliae gentes servarent sabbata: ergo nulla gens hoc faciebat. Sic ille. Perquam absurdum esse illud de *septimi* nomine Ebraeis tributo etiam pueri vident; quod viro gravissimo, aliasque doctissimo, excidens est condonandum. Sed proprium ex Ovidii sensu fuisse Ebraeis recurrentis septimi diei cultum apposite satis infert. Unde & sabbata *peregrina* Romanis vocat idem poeta [l].

> *Nec pluvias opta, nec te peregrina morentur*
> *Sabbata*——

Animadvertendum autem obiter est, quemadmodum a Judaeis ipsis festa sua seu dies feriati qualescunque etiam *sabbata* [m] dicebantur, quod nemo fere nescit; sic gentilibus itidem jejunia omnimodasque eorum solennitates eodem interdum nuncupari vocabulo. Recte quidem Josephus Scaliger [n]; *Omnem festivitatem Judaicam non solum Judaei sed & gentiles sabbatum vocant. Judaei quidem, cum dicunt Tisri nunquam incipere a feria prima, quarta, sexta, ne duo sabbata continuentur. Gentiles autem non alio nomine omnes eorum solennitates vocabant. Juvenalis; Observant ubi festa mero pede sabbata reges. Nudipedalia enim Judaica, quae nona Ab, & alias etiam extra sabbati diem, si ita contingat, celebrantur.* Unde &, post Acronem, neomenias, tametsi feriatae non essent (nam praeter neomeniam Tisri, quod initium anni solennius, feriata fuit nulla) sic dictas recte observat [o], uti & alii [p] ex illo Horatii [q],

> ——*hodie tricesima sabbata, vin' tu*
> *Curtis Judaeis oppedere?*——

Tam jejunia itidem Judaeorum quam solennitates alias *sabbata* Romanis dici scimus ex illo Augusti [r] ad Tiberium; *Ne Judaeus quidem, mi Tiberi, tam libenter sabbatis jejunium servat quam ego hodie servavi.* Hinc & Martiali [s], ipsa gens, *sabbatarii*;

> *Quod siccae redolet palus lacunae,*
> *Quod jejunia sabbatariorum,* &c.

Persius [t] item,

> ——*recutitaque sabbata palles.*

Et Petronius,

> *Et non jejuna sabbata lege premet.*

Nimirum festi notissimi celeberrimique nomine caeteris etiam festis seu diebus feriatis ab ipsis Judaeis communicato, Romani nulla etymi ratione habita & neomenias & jejunia eorum pariter vocitabant. Unde evenit etiam ut, moribus gentis non satis perspectis nominibusque *jejunii* & *sabbati* confundi solitis, ipso sabbato hebdomadico, seu τῇ φύσει σαββάτῳ (ut appellat Epiphanius [v]) id est *naturali calculo septimo*, seu sabbato inde celebrari consueto, jejunia celebrata tradiderint scriptores nominis maximi. Sic enim expressim Trogus seu Justinus [x], alii veterum. quod sane rei veritate est alienissimum. Sabbato enim hebdomadico non solum non jejunabant Judaei (ut etiam videre est apud Plutarchum [y], qui eos sabbata, quo nomine hebdomadica is tantum intelligit, pollucibiliter celebrasse scribit) quod & recte monent Caesar Baronius [z] & Isaacus Casaubonus [a]; sed nec jejunare eis fas erat, uti passim docent magistri. Cum vero in qualibet dierum septimana bini nimirum haberentur in Judaeorum solennitatibus jejunii dies [b], nempe feria secunda & quinta, seu Lunae & Jovis dies, quibus, ut in sabbatis etiam, legis sacrae

[h] Histor. 37. [i] De Arte Amandi lib. I. [k] Ad Exod. xx. quaest. II. [l] De Arte Amandi lib. I. [m] Levit. xxiii. 24. Epiphan. haeres. 30, &c. [n] Lib. 3. de emend. temporum pag. 209. [o] Ibid. & Canon. Isagogic lib 3. pag 223. [p] AEgidius Bucherius de paschali Judaeorum cyclo, pag. 384. [q] Lib. I. ser. 9. [r] Suetonius in Octavio, cap. 76. [s] Lib. 4. epig. 4. ubi vide Matth. Raderum. [t] Satyr. 5. [v] Haeres. 30. § 32. [x] Hist. 36. [y] Sympos. 4 cap. 4. [z] Annal. Eccles. an. Christi 34. ubi de coena pura, & vide Judith, cap. viii. 6. [a] Ad Suetonii Octavium cap. 76. & exercit. 16. § 108. [b] D. Luc. xviii. 12. J. Drusius ibid. & ad Luc. I. *Sepher Juchasin*, fol. 10. a. Epiph. Haeres. II.

publice pars aliqua legebatur, adeo ut etiam sic reperirentur in eorum sacris alii, praeter sabbatum hoc, dies septimi cum jejuniis crebro recurrentes; quod ipsum est de quo Tacitus[c], *Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur*, quo & spectare videtur illud Censorini[d], *Judaeos in dierum omnium numeris sequi septenarium*; cum, inquam, se res ita habuerit, adeo mirum non est aut Augustum sabbati Judaeorum jejunium pro exemplo in epistola ad Tiberium attulisse, aut Romanos alios sic jejunia eorum & sabbata simul memorasse. Nam qua *sabbati* vocabulum, sive septimum diem recurrentem, sive solennitatem Judaeorum omnimodam eis denotabat, sic sane jejuniorum illorum, quae stata & solenniora, dies rite signabat: utpote qui non minus septimi dies in dierum periodis quam ipsa sabbata illustriora seu dies Saturni. Hinc etiam dies septimos seu Saturni ac sabbata hebdomadica pro jejuniis perperam sumpsit doctissimus geographus Strabo[e] in Pompeii obsidionis historia. Nam rem ipsam ad sabbata hebdomadica seu dies requiei, non jejunii, attinuisse liquet ex scriptoribus aliis, Josepho[f], Plutarcho[g], Dione[h]. Scimus quidem, sabbatis seu diebus Saturni christianos aliquot[i] veteres jejunasse, atque hos *Judaeos* interdum a scriptoribus Romanis appellari. Sed Augusti (cujus autoritas jam ante adducitur) tempus aliaque minime sinunt ut de illis sabbati jejunia quae memoravimus sint sumenda, sed tantum de Judaeis ipsis. Utut autem se res haec habuerit, sabbata hebdomadica Romanis fuisse plane peregrina, nec in civitatis Romanae sacra admissa, ex jam memoratis edocemur. Quibus accedat illud Claudii Rutilii[k],

Reddimus obscoenae convicia debita genti,
Quae genitale caput propudiosa metit.
Radix stultitiae, cui frigida sabbata cordi:
Sed cor frigidius relligione sua est.
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
Tanquam lassati mollis imago Dei.
Caetera mendacis deliramenta catastae
Nec pueros omnes credere posse reor.

Dubitatne quisquam haec de Judaeis ita dici ut eis sabbati hebdomadici usus seu septimi diei cultus non minus, ad Rutilii mentem, proprius esset & singularis quam circumcisionis ritus; id est, neutiquam Romanis Graecisve aliisve gentibus in occidente receptus? Juvenalis item[l], de Judaeis,

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil praeter nubes & coeli numen adorant, &c.
Sed pater in causa est, cui septima quaeque fuit lux
Ignava, & partem vitae non attigit ullam.

Quis non videt hoc de septimam lucem colentibus sic dictum ut cives Romanos neutiquam ex more suo eundem colere innuat? Cum primis huc facit item Senecae testimonium. Is in civilem Romanorum aliorumque Romae degentium theologiam vehementius ac copiosius quam Varro in theatricam & fabulosam invectus, *reprehendit etiam sacramenta Judaeorum, & maxime sabbata*, (sic ex libro ejus contra superstitiones, qui jam non exstat, D. Augustinus[m]) *inutiliter eos facere affirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam fere partem aetatis suae perdant vacando, & multa in tempore urgentia non agendo laedantur.* Gentilium suorum numina ritusque sacros seorsim exagitat; sabbata autem seu septimi diei requiem ut Judaeorum omnino propriam. Subdit item; *Illi tamen causas ritus sui noverunt, & major pars populi facit quod cur faciat ignorat.* Ritum *suum*, seu Judaeis singularem tantum, iterum agnoscit. Martianus item Capella[n] veterum rituum callentissimus, ubi philologiam inducit omnimoda numina in coelo venerabundam, *poscitque*, inquit, *quosdam tres deos, aliosque diei noctisque septimo radiatos; quandam etiam Fontanam virginem deprecatur.* De christiana proculdubio theologia falsus loquitur; sed interea de septimi diei cultu sive ipsis sive simul cum Judaeis singulari. Hoc vero ut liquidius constet (si quae hactenus ostensa sunt non satisfaciant) componantur jam dicta cum ipsis tum Romanorum tum Graecorum in dierum observatione moribus. Graecos dies suos habuisse scimus mensis ἱσταμένου, μεσοῦντος, φθίνοντος, *ineuntis, medii, inclinantis*, ita dispositos ut inde trifariam divideretur mensis quilibet. Festa etiam quamplura eorum visuntur tum apud veteres tum in recentioribus[o], qui integra de eis edidere opera, nec interea festi hebdomadici in dierum periodis redeuntis vestigium aliquod exhibentes. Quicquid autem in adversum tendere videatur, infra diluetur. Quod ad Romanos attinet; dum Ovidius, Macrobius, alii, dies eorum fastos, nefastos, intercisos, feriatos, kalendas, nonas, idus, copiosius ostendunt, de diei septimi recurrentis cultu nullibi apud eos reperitur mentio. Verum quidem est, noni redeuntis rationem esse ipsis publice habitam.

Est[p] quoque qui nono semper ab orbe redit.

Quale de septimo in dierum observatione sacra, publica, atque ex instituto, apud gentiles veteres inauditum. Scilicet ogdoas, non hebdomas, in dierum tributione servabatur in Romanorum calendario (ut maxime videre est in eo quod sub initio Caesarum saxo incisum, quantum ad hanc rem, tam ante quam postea diu fuit in usu) propter nundinas seu noni diei reditum, ut hebdomas apud Judaeos propter sabbatum, & apud christianos propter diem dominicum. Atque ut literae quas dominicales ecclesia vocitat christiana, ideo τῷ G seu numero septenario in calendariis nostris terminantur, ita parilem ob rationem, ad observandum nundinarum reditum, in calendario illo Romanorum veteri τῷ H finiebantur seu ogdoade. Calendarii illius Romani, quod & Colotianum Josepho Scaligero dici solitum, etiamnum Romae, puto, in aedibus Maffeianis ad Agrippinam visitur, exemplar hic exhibemus.

c Histor 5. d De Die Natali cap. 1. e Geograph. lib. 16. f Orig. 14. cap. 8. Halos. lib. 1. cap. 5. g Lib de superstitione. h Hist. 37. i S. August. epist. 86 & vide Socrat. Hist. Eccl. lib. 5. cap. 22. Graec. 21. Lat. de Romanis, & Gabrielem Albaspinum observat. lib. 1. cap. 13. k Itinerar. lib. 1. l Satyr. 14. m Lib. 6. de Civit. Dei, cap 10, 11. n De Nuptiis philologiae, lib. 2. o Petrus Castellanus in Eortologio, J. Meursius in Graecia Feriata, Hospin. de fest. orig. Lyl. Gyrald. lib. de annis & mensibus, Mich. Beutherus in fastis, &c. p Ovid. fast. 1.

Jann-

Januarius.	*Februarius.*	*Martius.*	*Aprilis.*
A K. JAN. F	H K. FEB. N	D K. MAR. NP	C K. APR. N
B F	A N	E F	D C
C C	B N	F C	E C
D C	C N	G C	F C LUDI MATRI MAGN...
E NON. F	D NON	H C	G NON. LUDI
F F	E N	A N. HOC DIE CAESAR PON. TIFEX. MAX. FACT. EST.	H N LUDI
G C	F N	B NON. F	A N LUDI
H C	G N	C F	B N LUDI
A AGON	H N	D C	C N LUDI
B EN	A N	E C	D N LUDI IN CIRC.
C CAR. NP	B N	F C	E N
D C	C N	G C	F N LUD. CERER
E EID. NP	D EID. NP	H EN	G EID. NP LUDI
F EN DIES VITIOSOS EX S. C.	E N	A EQ. NP	H N
G CAR	F LUPER. NP	B EID. NP	A FORD. N LUDI
H C	G EN	C F	B N LUDI
A C	H QUIR. N	D LIB. NP	C N LUDI
B C	A C	E C	D N LUDI
C C	B C	F QUIN. N	E CER. N. LUDI
D C	C C	G C	F N IN CIRC.
E C	D FERAL. F	H C	G PAR. NP
F C	E C	A N	H N
G C	F TER. NP	B TUBIL. NP	A VIN. N
H C	G REGIF. N	C Q. REX C. F.	B C
A C	H C	D C	C ROB. NP
B C	A EN	E C	D F
C C	B EQ. NP	F N. HOC DIE CAESAR A-LEXAND. RECEPIT.	E C
D C	C C	G C	F NP LUD. FLOR.
E F	XXIIX	H C	G C LUDI
F N		A C	H C LUDI
G C		B C	XXX.
XXXI		XXXI	

Maius.	*Junius.*	*Julius.*	*Augustus.*
A K MAI. N	H K. JUN. N	F K. JUL. N	E K AUG. N
B F COMP.	A F MART. CAR MONET.	G N	F C FER HOC DIE C. CAES. VICIT HISP.
C C	B C	H N	G C
D C	C C	A N	H C
E C	D NON	B POPLIF. N	A NON. F
F C	E N	C N LUD. APOLLIN.	B F
G NON. N	F N	D NON. N LUDI	C C
H F	G N MENTI IN CAPIT.	E N LUDI	D C
A LEM. N	H VEST. N FER. VEST.	F N LUDI	E N HOC DIE CAES. HISPAL. VICIT.
B C	A N	G C LUDI	F C
C LEM. N	B MATR. N	H C LUDI	G C
D. N. LUD. MART. IN CIRCO	C N	A N LUDI	H C
E LEM. N	D EID. N	B C LUDI CIRC.	A EID. NP
F C	E N	C C MERK.	B F
G EID. NP	F Q. ST. D. F	D EID. N MERK.	C C
H F	G C	E F MERK.	D C
A C	H C	F C MERK.	E PORT. NP
B C	A C	G C MERK.	F C
C C	B C	H LUCAR. N. MERK.	G VIN. F. P
D C	C C	A C LUD. VICIT CAESAR.	H C
E AGON. NP	D C	B LUCAR. LUD.	A CONS. NP
F N	E C	C C LUDI	B EN
G TUB. N P	F C	D NEPT. LUDI	C VOLC. NP
H Q. REX C. F	G C	E N LUDI	D C
A C	H C	F FURR. N. LUD.	E OPIC. NP
B C	A C	G C LUDI	F C
C C	B C	H C IN CIRC.	G VOLT. NP
D C	C C	A C IN CIRC.	H NP H. D. ARA VICTORIAE IN CURIA DEDICATA EST.
E C	D F	B C IN CIRC.	A F
F C	E C	C C IN CIRC.	B F
G C	XXX.	D C	C C
XXXI.		XXXI.	XXXI.

Septem-

September.	*October.*	*November.*	*December.*
D K. SEPT. N HOC DIE FER. NEP.	B K. OCT. N	A K. NOVEM. N	G K. DEC. N.
E N	C F	B . . .	H . . .
F NP	D C	C . . .	A . . .
G C LUDI ROM.	E C	D . . .	B . . .
H NON. F LUDI	F C	E NON. F	C NON. F
A F LUDI	G C	F F LUDI	D . . .
B C LUDI	H NON. F	G C LUDI	E C
C C LUDI	A F	H C LUDI	F C
D C LUDI	B C	A C LUDI	G C
E C LUDI	C C	B C LUDI	H C
F C LUDI	D MEDITR.	C C LUDI	A AGON. NP
G N LUDI	E AUGUST. NP	D C LUDI	B EN
H EID. N	F. FONT. NP.	E EID. NP EPUL. INDICT.	C EID. NP
A F. F. EQUOR. PROB.	G EN	F F EQUOR. PROB.	D F
B C LUD. ROM. IN CIRC.	H EID. N	G C LUD. PLEB. IN CIRC.	E CONS. NP
C C IN CIRC.	A F	H C IN CIRC.	F C
D C IN CIRC.	B C	A C IN CIRC.	G SAT. FERIAE SATVRN.
E C IN CIRC.	C C	B C MERK.	H C
F C IN CIRC.	D ARM. NP	C C MERK.	A OPAL. NP
G C MERK.	E C	D C MERK.	B C
H C MERK.	F C	E C	C DIV. NP
A C MERK.	G C	F C	D C
B NE MERK. AUG. NAT. LUD. CIRC.	H C	G C	E LAR. N
C C	A C	H C	F C
D C	B C	A C	G C
E C	C C	B C	H C
F C	D C LUD. VICT.	C C	A C
G C	E C LUDI	D C	B C
H F	F C LUDI	E F	C F
A C	G C LUDI	F C	D F
XXX.	H C LUDI	XXX	E C
	XXXI		XXXI

Dici solent a scriptoribus hi fasti *Kalendares*; quales Cn. Flavius publicasse & populo Romano tradidisse creditur, quosque Ovidius XII libris descripsit. Habentur apud Aldum Manutium [p] a Paulo patre explicati, Janum Gruterum [q], Josephum Scaligerum [r], Hubertum Goltzium [s], Joannem Rosinum [t], Sibrandum Siccamam [v], Carolum Neapolim [x], alios. Atque horum nonnulli e veterum libris auxerunt explicaruntque. Fragmenta etiam Kalendariorum seculi illius veteris reperiuntur alia, quibus dierum ogdoades literariae pariter adnotantur. Atque nono quolibet die nundinae seu urbani rusticorum conventus habiti: ita tamen ut per [y] intercalationem seu translationem caveri soleret, ne, mali ominis causa, nundinae in kalendas Januarii aut nonas alicujus mensis inciderent. Sententiarum autem etiam apud veteres habetur discrimen de orbe nundinali; aliis ogdoade in ipsa contineri nundinas volentibus (quod facile concipitur si terminus posterior semper iteraretur & fieret sequentis ogdoadis initium) aliis interea diem nonum ogdoadis orbem proxime sequentem pro nundinis habentibus, adeoque nundinas enneade dierum integra claudentibus. *Rutilius*, inquit Macrobius, *scribit Romanos potuisse nundinas ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent.* Varro [z] autem; *Annum ita diviserunt ut nonis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis* VII *ut rura colerent.* Et Dionysius Halicarnasseus [a], Αἱ δὲ ἀγοραὶ Ῥωμαίοις ἐγίνοντο, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, δι' ἡμέρας ἐννάτας· ἐν δὲ ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν (sic plane legendum pro eo quod est ἀγορῶν in excusis) οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν τάς τε ἀμείψεις ἐποιοῦν τῶν ὠνίων, καὶ τὰς δίκας παρ' ἀλλήλων ἐλάμβανον, &c. τὰς δὲ μεταξὺ τῶν ἀγορῶν ἑπτὰ ἡμέρας αὐτουργοί τε ὄντες οἱ πολλοὶ καὶ πένητες ἐν τοῖς ἀγροῖς διετέλουν, *Nundinae autem apud Romanos diebus nonis celebrabantur, quemadmodum etiam ad nostra tempora. In iis plebs agrestis in urbem confluebat, venalia permutabat,* seu *commercabatur, & jure inter se agebat,* &c. *Septem autem diebus intermediis ruri degebant, quod magna pars ob paupertatem operaretur suis manibus.* Sic ille. Alii veterum de nonis diebus [b] & diebus novem rem non ita explicant ut satis sciamus utrum orbem nundinalem ex enneade integra conflari, an octavum semper inter putandum sic repeti vellent ut octo duntaxat dies integri in orbe illo haberentur; perinde ac si hebdomadem nostram ogdoadem dierum (quemadmodum interdum Hispani, Itali, Germani) & diem dominicum diem octavum, putatis duobus diebus dominicis in qualibet ogdoade, cum patribus [c] e-

[p] Subjunct. lib. de Orthographia. [q] Inscript. pag. 133. [k] De emendat. temp. lib 4. [l] Thesaur. rei antiquariae pag. 122. [t] Antiq. Rom. lib. 4. cap 2. [v] Fast. Kalend. lib. 1. [x] Ad Ovid. fast. 1. [y] Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 13. Dio hist. 40. & 48. & vide Jos. Scaliger. emendat. temp. lib. 5. cap. de Bissexto ab Aug. correcto. [z] Praef. ad lib. 2. de re rustica. [a] Antiq. Rom. lib. 7. pag. 342. Parisiis. [b] Columella in praefat ad lib. 1. de re rustica, Dio hist. 40. Plutarch. in quaest. Rom. [c] Tertullian. de Idololatria cap. 14. Beda de ratione temporum, cap. 4. Ausonius eclog. de nominibus septem dierum; alii.

tiam

tiam aliquot vocaremus, a secundo scilicet dominico seu primo supremoque, ut eum vocat Ausonius, ogdoadem proximam semper auspicantes, sed non alium interea praeter septenarium revera dierum orbem innuentes. Persimilem in lustris & olympiadibus, quibus nunc quinquennia nunc quadriennia tribuuntur, supputandis rationem nemo nescit. Jam vero Rutilium diserte vides orbem nundinalem facere dierum integrorum novem; Varronem autem, & Dionysium Halicarnasseum dierum octo, adeo ut septem dies rusticationi, octavus, id est nonus a proxime superioribus nundinis repetitis putatus, conventui Urbano inserviret. Certe autores sunt Varro & Dionysius ille gravissimi antiquissimique: at recentioribus scriptoribus, quos inter sunt etiam viri summi judicii & doctrinae politissimae, Rutilii sententiam [d] video plerumque receptam: Et recipiunt sane magis quam discutiunt. Inde etiam trinundinum, quo leges, antequam vim sortirentur[e], promulgandae erant, spatium sit [f] 27 dierum, quod juxta Varronem & Dionysium triduo foret minus. At si horum codices minime corrupti sint, non esset omnino cur ipsis non crederemus. Sunt igitur qui pro ἑπτὰ ἡμέρας *septem diebus* apud Dionysium substitui velint [g] ὀκτὼ *octo*, ut sic Rutilio is consonus fiat. Certe tunc & VIII pro VII apud Varronem legendum. Sed nec desunt in recentioribus [h] etiam qui, rejecto Rutilio, ogdoade orbem nundinalem velint contineri; non paucis aliis de nundinarum qualitate reliqua verba facientibus, qui de reconciliando de earum quantitate sententiarum discrimine aut non omnino aut negligentius loquuntur. Nos autem vulgarem recentiorum & Rutilii sententiam hic admittentes minio sic nonum quemque diem in kalendario supra notavimus. Quod si displiceat, facile est cuique enneadem in ogdoadem commutare, id est octavam quamque literam pro miniata seu nundinarum die habere. Neque vero nundinas sic exhibemus quasi in anno revera sic aliquo se habuerint. Nam serie non interrupta etiam nonis eas adjicimus; quibus ne caderent, per intercalationem seu translationem quotannis a pontificibus prospiciendum erat. Undenam autem initium numerandi ducendum esset, viri docti [i] aliter atque aliter conjiciunt. Exemplum tantum nos orbis nundinalis in calendario Juliano vero ita ob oculos poni curavimus ut inde satis liqueat dierum sive novem sive octo (juxta sententiarum quod diximus discrimen) non septem, periodi usum fuisse veteribus Romanis; nec diem aliquem septimum in dierum periodis eis cultum. Nundinae autem illae olim feriae fuere, sive Jovi [k] sive Saturno [l] sacrae, adeoque nefastae: sed postmodum lege Hortensia [m] effectum est ut essent fastae: ut fastae scilicet essent, nisi alia forte causa, veluti festus dies, redeuntem sic diem nonum nefastum redderet. Quod ex lege Hortensia sic novatum dum non animadvertit Franciscus Hotomanus [n], nundinas pro diebus nefastis, juxta atque ex vetustiori ritu apud Festum nuncupantur, ita accipit quasi nunquam fastae fuissent. Qua de re etiam olim inter veteres dissensus ex legis Hortensiae neglectu, ut monet apud Macrobium Granius Licinianus: nam pontifices ibi & Trebatius nundinas neutiquam ferias fuisse asserunt, sed in eis posse cum populo agi, ac fas esse praetori tria verba foro solennia pronunciare; id est fastas esse: Quod negabant Julius Caesar & Cornelius Labeo. Sed tam hi quam illi verum dixere si temporis diversitatis & legis Hortensiae, quae diu ante Caesares lata, ratio habeatur. Manifestum igitur est, ex veteri jure Romano, quoties feriae publicae, veluti stativae ac conceptivae, quae annuae plerumque erant, aut imperativae, veluti ob victoriam seu laetitiam aliquam ex eventu publicam, non intervenirent, totis diebus sive octo sive septem continuis opus omnimodum, quod dierum alias simpliciter nefastorum nomine non est interdictum, facere licuisse, nonum autem seu octavum (pro diversitate sententiarum de orbe nundinali semper loquor) ante legem Hortensiam feriatum fuisse; ex lege autem illa ferias esse desiisse. Etenim feriae Romanis operum genere multiplici (qua de re vide inferius capite decimo septimo) polluebantur. *Quapropter*, inquit Servius Honoratus [o], *pontifices* feriis *sacrificaturi praemittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices assidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio suo & ipsorum oculos & deorum ceremonias attaminent. Feriae enim operae deorum creditae sunt.* Sic item Festus, Macrobius [p], alii. *Quin praecepti negligens multabatur. Et praeter multam, affirmatum est eum qui talibus diebus imprudens aliquid egisset porco piaculum dare debere; prudentem expiare non posse.* Nec cum populo agere, lites decidere, aut comitia habere feriis seu diebus festis magis licuit atque opus aliquod interdictum facere; cum nihilominus in Januario dies XIII continuos comitiales supra habeamus. Nam dies ejusmodi litera C denotantur, ut fasti litera F, ac simpliciter nefasti litera N. In Maio item septem comitiales habentur continui, in Junio comitiales & fasti continui XVI, in Novembri XVII, in Decembri VIII, ac in Octobri comitiales XII continui; qui plane septenariam feriarum aliquam periodum, si nil aliud id faceret, excludunt. Et de Romanis hactenus. Quin demum nec Josephus ipse, sive dum de sabbati sanctificatione seu natali mundi loquitur [q], sive ubi de obsidione Pompeiana, in qua singularem sabbati hebdomadici observationem meminit [r], sive dum alibi de sabbati cultu verba facit, aut in Apionem de origine ejus disputat [s], gentem aliquam omnino aliam nominat cui dies septimus cultus, sed eum veluti Judaeorum festum proprium semper nominat. Quod sane facere eum noluisse vix est ut dubitemus, si in loci quem tractamus verbis generatim prolatis gentibus aliis universis festum hoc commune omnino existimasset. Accedat, Theodoretum [t] item expressim monuisse, solam Judaeorum nationem sabbatum observasse, nec gentes quae etiam cir-

[d] Anton. Augustin. de Legibus cap. 10. & in lege Caecilia & Didia & Hortensia. Dionys. Petav. Variar. Dissertat. lib. 5. cap. 13. Samuel. Petitus Eclog. Chronolog. lib. 5. cap. 2. [e] Cicero Orat. pro domo sua. [f] Francisc. Hotoman. Antiq. Roman. lib. 3. cap. ult. [g] AEmyl. Port. in Comment. ad Dionys. Halic. lib. 7. [h] Hospinian. lib. de Origine Festorum, cap. 5. [i] Samuel. Petitus Eclog. Chronologic. lib. 5. cap. 2. Dionys. Petavius Dissert. Variar. lib. 5. cap. 17. & vide Jos. Scalig. de Emend. Temp. lib. 5. cap. de Bissexto ab Augusto correcto. [k] Granius Licinianus apud Macrobium Saturnal. 1. cap. 16. [l] Plutarch. in Quaest. Rom. [m] Granius Licinianus loco citato. [n] Antiq. Rom. lib. 3. cap. ult. [o] Ad Georgic. 1. [p] Saturnal. lib. 1. cap. 16. [q] Lib. 1. Archaeolog. cap. 2. [r] Ibid. lib. 14 cap. 8. & Halos. lib. 1. cap. 5. [s] Lib. 2. contra Apionem sub initium. [t] In Ezekiel. §. 7. vide Isychium in Levitic. lib. 6. cap. 19.

cumcisionem

cumcisionem in suos e Judaea, sed non satis Judaice, ritus acceperant, sabbatum seu septimum diem coluisse. Alii eum sequuntur. Quin & Julianus apostata testis est hic perquam idoneus. De decalogo verba is faciens, Ποῖον ἔθνος, inquit [v], ἐστὶ, πρὸς τῶν Θεῶν, ἔξω τοῦ, Οὐ προσκυνήσεις θεοῖς ἑτέροις, καὶ τοῦ, Μνήσθητι τῶν σαββάτων, ὃ μὴ τὰς ἄλλας οἴεται χρῆναι φυλάττειν ἐντολάς; *Quaenam gens est, per Deos, si haec demseris,* Non adorabis Deos alios, &, Memento sabbatorum, *quae mandata caetera* decalogi *servanda non putet?* Gentibus antiquitus aliis non cultum magis sabbati aut septimi diei quam numinis unici cultum in usu fuisse palam dicit.

CAP. XVI.

Quae apud veteres tum Graecos tum Latinos occurrunt, alia item veteribus tributa, quorum autoritate asserendum videatur, etiam a nonnullis asseritur, diem septimum gentilibus olim coli seu observari, idque velut ex instituto publico, solitum.

Atqui jam dictis, de eo quod est, diem septimum gentibus aliis Flavii Josephi seculo temporibusque anterioribus non cultum observatumve, refragari nimis forsan videantur non pauca quae obvia apud scriptores tum Graecos tum Latinos. Aristobulus, Judaeus, sed philosophus peripateticus, quem inter Graecos potius hic numero quia Graecorum tantum scriptis ad hanc rem utitur; is, inquam, de creatione verba faciens, ac de die septimo seu popularium suorum sabbato, hebdomadisque seu numeri septenarii tum significatione mystica tum in rerum natura vi, Διασαφεῖ, inquit [a]. Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος, μετειληφότες ἐκ τῶν ἡμετέρων βιβλίων, ἱερὰν εἶναι, *Palam etiam docuere Homerus & Hesiodus, cum id nostris hausissent ex libris, sacram esse.* Quod de ipsa die septima, quam ante memorat, non capere nequeo. Tunc, *Hesiodus,* inquit, *ad hunc modum,*

Πρῶτον ἔνη, τετράς τε, καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,

Primum prima, quarta, & septima, dies sacra est. Item,

Ἑβδομάτη δ' αὖθις, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,

Septima vero rursus, lux splendida solis. Ex Homero autem affert idem;

Ἑβδομάτη δ' ἤπειτα κατήλυθεν, ἱερὸν ἦμαρ,

Septima dein illuxit, sacra dies. Et,

Ἕβδομον ἦμαρ ἔην, καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα,

Septima dies aderat, qua cuncta absoluta sunt. Uti & illud,

Ἑβδομάτη δή οἱ λίπομεν ῥόον ἐξ Ἀχέροντος,

Septima liquimus fluvium Acherontis. Quibus subjungit item ex Lino;

Ἑβδομάτη δή οἱ τετελεσμένα πάντα τέτυκται,

Septima, qua cuncta quae absoluta sunt perficiebantur. Et,

Ἑβδόμη εἰν ἀγαθοῖσι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ γενέθλη,
Ἑβδόμη ἐν πρώτοισι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελεία,

Septenarius bonus est; septenarius item est ortus; est etiam septenarius primus, atque postremus etiam seu *perfectus ac absolutus est septenarius.* Pro quo in Eusebii versione substituitur,

Omine laeta dies est septima, septima rerum
Ortus, & eximias inter perfecta coruscat.

Clemens item Alexandrinus [b], Ἀλλὰ καὶ τὴν, inquit, ἑβδόμην ἱερὰν οὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι, quod aliis vertitur [c], *Septimum quoque diem sacrum esse non Hebraei modo verum etiam Graeci agnoscunt;* aliis [d], *Quinetiam septimum diem esse sacrum non solum sciunt Hebraei sed etiam Graeci.* Atque totidem ferme verbis eosdem affert ille versus quos Aristobulus ex Hesiodo & Homero. Illud autem ἑβδομάτη δή οἱ λίπομεν apud Clementem ipsum legitur ἑβδομάτη δ' ἠοῖ λίπομεν *septima luce liquimus, &c.* tametsi apud Eusebium citetur ex Clemente non aliter atque ex Aristobulo. Affert etiam ex Homero Clemens, Ἑβδόμη ἦν ἱερή, *Septenarius sacer erat,* seu *septima sacra fuit.* Quos autem Lino tribuit Aristobulus versus, Clemens Callimachi facit; lectione aliquantulum in primo variante. Sic enim apud Clementem ipsum,

Ἑβδομάτη δ' ἠοῖ καὶ οἱ τετύκοντο ἅπαντα,

Septima vero in luce qua omnia parata sunt; qui apud Eusebium ex Clemente citatus ita se habet,

Ἑβδομάτη δ' ἔην, καὶ οἱ ἐτέτυκτο ἅπαντα.

quod tantundem sonat. Addit demum Clemens, Ἀλλὰ καὶ αἱ Σόλωνος ἐλεγεῖαι σφόδρα τὴν ἑβδομάδα ἐκθειάζουσι, quod etiam vertitur ab Eusebii interprete, *Quam diem* septimam, *uti sanctiorem, ipsae quoque Solonis elegiae mirum in modum praedicant.* Lucianus item, dum exempla adducit de nomine hominibus aliquot per facetias ideo tributo ut rei eo designatae qualitate asperius reprehenderentur, Ὁ δὲ, inquit [e], ἑβδόμην, ὅτι ὥσπερ οἱ παῖδες ἐν ταῖς ἑβδόμαις, κἀκεῖνος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἔπαιζε, καὶ διεγέλα, καὶ παιδιὰν ἐποιεῖτο τὴν σπουδὴν τοῦ δήμου, *Alius quendam nuncupavit Hebdomam,* seu *septenarium, quod perinde ut pueri septimanis diebus solent, etiam ille in concionibus luderet, & rideret, & pro joco haberet serium populi studium.* Quocum conjungas illud A. Gellii, ubi de nugatore quodam philosophi Platonici nomen ambiente, *Is in conviviis,* inquit [f], *juvenum, quae agitare Athenis hebdomadibus lunae solenne nobis fuit, simul atque modus epulis factus, & utiles delectabilesque sermones coeperant, tum silentio ad audiendum petito loqui coeptabat.* Quem locum sunt qui [g] interpretentur de septi-

[v] Apud S. Cyrill. contra eum lib. 5: [a] Apud Euseb. Praeparat. Evangelic. lib. 13. cap. 12. [b] Stromat. 5. & apud Euseb. Praeparat. Evangelic. lib. 13. cap 13. [c] Vers. Latina Eusebii. [d] Vers Lat. Clem. Alexandrini. [e] In Pseudologista, seu περὶ ἀποφράδος. [f] Noct. Attic. lib. 15. cap. 2. [g] Apud Barnab. Brisson. ad L. Dominico C. Theodos.

ino quoque die Iunae. Sic igitur festa hebdomadica Athenis. Suetonius item [h], de Diogene Grammatico; *Disputare sabbatis Rhodi solitus, venientem* Tiberium, *ut se extra ordinem audiret, non admiserat, ac per servulum suum in septimum diem distulerat. Hunc Romae salutandi sui causa pro foribus adstantem nihil amplius quam ut post septimum annum rediret, admonuit.* Sabbata sic in usu ac septimi diei observatio Rhodi! Atque ejusdem mentio velut rei notissimae! Quin & Censorinus [i]; *Alter ille partus, qui major est, majori numero continetur, septenario scilicet, quo tota vita humana: ut & Solon scribit, & Judaei in dierum omnium numeris sequuntur, & Etruscorum libri rituales videntur indicare.* Librine Etruscorum rituales indicare visi sunt in dierum numeris septenarium, quemadmodum Judaei? Certe ejusmodi fuisse sensum non dubito quin concessisset Guilielmus Postellus. De Etruriae originibus [k] scribens ille, *Quod erat ipsis Judaeis*, inquit, *& patriarchis in primo praecepto & usu, hoc est sabbatum, illud fuit etiam Romae usitatum. Licet enim non esset forsan eadem dies quae apud Judaeos observari solita est, tamen sicuti nos in solis die, Pseudo-Judaei Ismaelitae in Veneris die, eandem atque Judaei in Saturni sabbative die, septem intelligentiarum, quae planetis motrices sunt, mentionem religiosam facimus ad summi Dei creatorisque laudem, sic Romani una hebdomadis die. Nam, ut est videre apud Ciceronem in sacris legibus & apud Halicarnasseum in Romuli institutis, indicta erat Romae dies sacra quieti servitiorum & animalium. Asserit vero Dion historicus tricesimo septimo Romanae historiae libro, ejusdem sabbati quod & apud Judaeos erat usum ad Graecos Romanosque fuisse translatum. Verum ejus fides ideo mihi non videtur magnifacienda quod apud AEgyptios dicat ortam esse hanc observationem sabbati, quum revera, licet de sabbato & Deo Judaeorum aliquid velle dixisse visus est, nihil mihi de sabbato, quove die observaretur a Judaeis, attigisse videatur, ut ipse in planetarum haereat intervallis. Posito enim his diatessaron descendendo, debuit ponere diapente ascendendo, & rursus diatessaron descendendo, & item diapente ascendendo, &c. Satis est ab illo obtinuisse hoc unum, quod Romani primi omnium gentium post Judaeos observarint sabbatum. Certissimum vero est, quum nunquam in sacris cum ipsis Judaeis convenerint, aliunde quam a prisca institutione Jani accipere non potuisse, quum primi omnium gentium habuerint. Licet enim ipse Dion dicat recenter Romanos accepisse, illi non crederem nisi, qua occasione, adferret. Satis est ut mihi testetur sabbati instar unam ex septem diebus hebdomadis fuisse quieti concessam.* Sic Postellus. Accedat hic illud Ovidii [l], ubi amantem docens quomodo dediscat amare, hoc inprimis monet ut procul a loco discederet quo amicam alloqui, convenire, videre assueverat;

Sed quanto minus ire voles, magis ire memento;
Perfer, & invitos currere coge pedes.
Nec pluvias opta; nec te peregrina morentur
Sabbata; nec damnis alia nota suis.

Peregrina sabbata dici possunt videri ut sacra peregrina, de quibus Festus; *Peregrina sacra appellantur, quae aut evocatis diis in oppugnandis urbibus Romam sunt conlata, aut quae ob quasdam religiones per pacem sunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnae, ex Graecia Cereris, Epidauro AEsculapii, quae coluntur eorum more a quibus sunt accepta.* Sic igitur peregrina sabbata intellexerit forte quis pro sabbatis seu more sabbatico, qui hebdomadicus erat, a Romanis, ad quos scribit Ovidius, ex Judaea accepto, quemadmodum sacra illa e Graecis, Phrygibus, Epidauriis. Et conjunguntur ab eo hic sabbata cladis Aliensis diei funestissimo infaustissimoque, qui sub medium Julii [m] recurrit, perinde ac si ut hic ita illa in usu Romanis, parilisque fuisset de utrisque ratio monendi, in remedium amoris nimium haerentis, delirum amatorem ac moras ultro nectentem pedemque aegre producentem, ne causaretur quidem dies illos, tametsi rebus agendis nequaquam idonei essent (qua de re inferius) discessum ejus praepedire. Quemadmodum, ubi de puellae primo captandae tempore rudimenta docet, eosdem ipsos dies similiter conjungit, velut eos quibus, utcunque rebus agendis alias non idoneis, ansa nihilominus amoris conciliandi avide juventuti Romanae arripienda. Verba ejus [n] sunt.

Tunc licet incipias, qua flebilis Alia luce
Vulneribus Latiis sanguinolenta fuit;
Quoque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palaestino septima festa viro.

Tibullus item Ovidio, id est Augusto Caesari, coaevus, dum in Phaeacia morbo laborat, de discessu suo a Roma conquerens, Deliam, suam scilicet dominam, ait deos sortesque consuluisse de ejus reditu, ipsam tamen, quanquam cuncta dabant reditum, fletibus haud abstinuisse, quibus subdit [o],

Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum caussatus aves, aut omnia dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.

seu, ut Josephus Scaliger mavult,

——— *aut omnia dira*
Saturni sacra me tenuisse die.

quoniam scilicet scriptis aliquot libris *aut* deest in versu postremo. Hic manifesto dies Saturni, qui idem est cum Judaeorum sabbato hebdomadico, sacer dicitur, & velut itineris impedimentum Romanis veteribus haberi videtur. Accedat hisce Tertulliani locus illustris. Is adversus gentes scribens, eorumque in christianos convitia diluens, *Alii*, inquit ad gentes [p], *plane humanius & verisimilius solem credunt Deum nostrum, &c. aeque si diem solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione quam religione solis, secundo loco ab eis sumus qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi ab judaico more quem ignorent.* Ubi vir doctissimus Desiderius Heraldus, *Sane dies*, inquit, *Saturni, qui erat septimus, otio ac quieti fuit veluti assignatus, nec apud Romanos solum aut Graecos, sed apud gentes pene omnes: quod observabat Josephus contra Apionem.* Atque ex Philone, Luciano, Ovidio, Tibullo jam superius memorata eam in rem affert. Tantundem certe fusius & expressius occurrit in Tertulliani congenere ad nationes opere [q] dudum a Jacobo Gothofredo in lucem primum edito. Ibi enim; *Alii plane hu-*

[h] In Tiberio, cap. 32. [i] De die Natali, cap. 11. [k] Florentiae 1551. pag. 210. [l] De Remedio Amoris, lib. 1. [m] Videsis G. Xylandrum in Plutarchi Camillum, & Andream Schottum Nodorum Ciceronian. lib. 3. cap. 6. [n] De Arte Amandi, lib. 1. [o] Lib. 1. Eleg. 3. [p] Apologetic. cap. 16. [q] Lib. 1. cap. 13.

manius solem christianum Deum aestimant, quod innotuerit ad orientis partem facere nos precationem, vel die solis laetitiam curare. Quid vos minus facitis? Non plerique affectatione adorandi aliquando etiam coelestia ad solis initium labra vibratis? Vos certe estis qui etiam in laterculum septem dierum (legit, nec puto infeliciter, Samuel Petitus [r] *deorum*) *solem recepistis, & ex diebus ipsorum praelegistis quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium & prandium curetis: Quod quidem facitis exorbitantes & ipsi a vestris ad alienas religiones. Judaei enim festi, sabbata, & coena pura, & Judaici ritus lucernarum, & jejunia, cum azymis, & orationes litorales, quae utique alienae sunt a diis vestris. Quare, ut ab excessu revertar, qui solem & diem ejus nobis exprobratis, agnoscite vicinitatem. Non longe a Saturno & sabbatis vestris sumus.* Nationum hic diserte habentur seu gentilium sabbata, velut ex ritu Judaico, saltem eum aliquantum imitantia, & Saturni diei qualiscunque observatio. Ubi doctissimus Gothofredus; *Comparat otium & convivia christianorum in die dominica cum otio & conviviis sabbathi, quod & ipsum gentiles judaico more observarunt. Nempe Saturni diem seu sabbathum otio & quieti ubique gentium, Judaeorum imitatione, assignatum fuisse, etiam Josephus lib. 2. contra Apionem, & Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum testantur.* Verum quidem est Tertullianum Flavio Josepho annis amplius centum recentiorem esse. At vero de receptis ante & priscis gentilium moribus is loquitur, quemadmodum & scriptores aliquot alii supra citati, qui itidem Josepho recentiores; ut Agellius, Lucianus. Quin & AElius Lampridius, de Alexandro Severo; *Capitolium septimo die quum in urbe esset, ascendebat, templa frequentavit.* Sed & de seculo ipso Josephi, Seneca [s]; *Quomodo*, inquit, *sunt dii colendi, solet praecipi. Accendere aliquem lucernam sabbatis prohibeamus; quoniam nec lumine dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Ubi Justus Lipsius, *Lucernas accendere in honorem deorum aut principum festis diebus, mos apud Romanos: Sed, ut apparet, paulatim Judaici ritus invaluere, & sabbathi diem illa superstitione coluerunt.* Certe de luminibus sabbatis accendi solitis loquitur Seneca velut de ritu usitatissimo. Neque jam ex obiter dictis animadversa septimi diei observationem aliquam solennem veteribus Romanis in usu fuisse solum videntur firmare, verum & ipsa calendarii eorum formula a viris aliquot doctissimis edita. Prodiit, idque primum, ni fallor, anno salutis 1552, Venetiis ex Juntarum officina, calendarium ecclesiasticum novum. Opus de vera paschatis celebratione institutum, idque ex pontificum summorum quatuor jussu supputatum; autore Luca Gaurico Geophonense episcopo. In ipso titulo monetur adjici etiam fastos Julii Caesaris. Et post supputationes paschales, prope libri calcem, demum sequitur hic titulus, *Calendarium Julii Caesaris. Fasti primorum sex mensium per Pomponium Gauricum & Thamiram sub Capitolinis ruinis in antiquo marmore reperti, cujus marmoris altera pars reliquos sex menses sine fastis continebat.* Interpositis dein dierum & noctium cujuslibet mensis longitudine, & quid fastorum nomine veniret, ideo scilicet maxime interpositis, ne paginae reliquum, quo calendarium commode incipere nequiret, literis careret, sequitur *calendarium Julii Caesaris cum cyclo lunae*; quod ad hunc modum Januarium exhibet.

Cyclus ☽	Dies	Literae	Januarius		
1	1	A	Calendis	JANUARIUS,	Festum Jovis & AEsculapii.
	2	B	4 non.		
9	3	C	3 non.		♋ occidit cosmice.
	4	D	2 prid. non		
17	5	E	1 nonis		Lyra occidit chronice.
6	6	F	8 idus		
	7	G	7 idus		Delphin oritur cosmice.
14	8	A	6 idus		Agonia incipiunt.
3	9	B	5 idus		Agonalia, ludi Agonales.
	10	C	4 idus		Hyemis medietas.
11	11	D	3 idus		Festum Carmentis & Juturnae.
	12	E	2 Prid. idus		
19	13	F	1 idibus	FEBRUARIUS,	Festum Jovis, redditae sunt provinciae.
8	14	G	19 cal.		Caesar Octavius dictus Augustus.
	15	A	18 cal.		Festum Carmentis, Porimae.
16	16	B	17 cal.		Festum Concordiae de templi consecrat.
5	17	C	16 cal.		⊙♑ relicto.
	18	D	15 cal.		⊙♒ ingrediebatur.
13	19	E	14 cal.		
2	20	F	13 cal.		
	21	G	12 cal.		
10	22	A	11 cal.		
	23	B	10 cal.		Lyra parte occultatur.
18	24	C	9 cal.		Pectus ♌ occidit cosmice, festum Sementis.
7	25	D	8 cal.		
	26	E	7 cal.		
15	27	F	6 cal.		Festum Castoris & Pollucis.
4	28	G	5 cal.		
	29	A	4 cal.		
12	30	B	3 cal.		Festum Pacis.
1	31	C	2 prid. cal.		

r Comment. ad leges Atticas, pag. 4.

s Epist. 96.

Ex hoc specimine reliquorum dierum ratio dignoscitur. Sequuntur enim ibi caeteri quinque menses priores, syderum aliquot ortu occasuque, festis, cyclo lunae, ac dierum hebdomadibus per literas itidem signati; sole, luna, & zodiaci signis, characteribus, qui astronomis in usu, similiter passim denotatis. Additio fit & reliquorum sex, quorum quidem Julius & Augustus parili ferme modo exhibentur. At quatuor qui supersunt cyclum lunae, dierum numerum, hebdomadas, seriemque kalendarum, iduum & nonarum adnotatam habent, sine festis aliisve quae columnae superius quintae respondeant. Paulus item de Middelburgo, episcopus Foro-semproniensis, in Paulina sua, seu opere de recta paschae observatione ad Leonem X inscripto, caput habet *de cyclo lunari decemnovennali Romanorum quem Julius Caesar suo calendario inscripsit*, cui subjungit *calendarium Romanum cum cyclo Romano Julii Caesaris*. Id annum similiter per hebdomadas dierum seu literarum mensibus adjectarum (quod idem hic est) dividit, quemadmodum illud Lucae Gaurici. Exhibet etiam Joannes Stoeflerus [t] *Quatuor primos menses calendarii Romani cum cyclo divi Julii Caesaris dictatoris*, cum feriarum literis in orbem septenarium recurrentibus. Alii viri docti [v], dum calendarium veterum Romanorum non e marmoribus describunt, sed tam ex horum monumentis quam ex Ovidio aliisque fastorum autoribus conficiunt, hebdomadas seu literas usque G tantum, non ogdoadas seu literas ad H inclusive, diebus cujuslibet mensis adponunt; aliis quidem, uti par est, ogdoadas in ejusmodi calendariis rite retinentibus, ut videre est ad calcem editionum Ovidii fastorum, in Dionysii Petavii Uranologio, alibi. Ex jam ante dictis igitur observationem aliquam diei septimi recurrentis solennem, eamque sacram, tum Graecis tum Romanis veteribus in usu fuisse, eoque publico, asserendum forsan videatur. Quin sane non desunt viri insignes quibus etiam id plane inde asseritur. Sed quae sic corrogantur, rite perpensa, ad assertionem ejusmodi tuendam vi carebunt omnimoda. Qua de re proxime videbimus.

CAP. XVII.

Quae capite superiori ex Aristobulo ac Clemente Alexandrino, (adeoque ex Hesiodo, Homero, Lino, Callimacho) Luciano, Agellio, Suetonio, Censorino, Ovidio, ac Tibullo, de diei septimi seu Saturni observatione apud gentiles allata sunt, explicantur. Ea ad sacrum diei in periodis dierum septenariis septimi cultum non omnino attinere. De sabbati nomine tam orientalibus quam occidentalibus accepto pro ipso die septimo, qua septimus est, perinde ac si septimum significaret.

ID quidem manifestum est, Aristobulum Judaeum in superius citatis voluisse Hesiodum & Homerum innuere diem septimum sacrum fuisse, velut ex sacris literis edoctos, atque sabbatum, seu requiem numero dierum septenario apud populares suos recurrentem, ipsum ea in re primario respexisse. Sed nec minus est manifestum, aut insigniter hallucinatum fuisse eum, aut id quod res est ultro plane dissimulasse: Si nempe diem septimum in dierum periodis recurrentem inde velut festum cultum Graecis seu gentilibus fuisse vellet probari. Nam ea de re haud ita expressim loquitur. Quod autem ad Hesiodi locum hunc attinet aliaque capite superiore allata, ut commodius quae de eis dicenda sint capiantur, praemittenda est dierum apud gentiles veteres distributio; quae, quantum ad hanc rem rite dispiciendam, triplex erat, qualis certe hodieque apud nos. Primi generis fuere dies ἑορτάσιμοι seu *festi*, in quibus mos erat [a] τὰς ἱεροποιίας μετ' ἀνέσεως ἑορτασικῆς ποιεῖσθαι, *Sacra curare cum laborum intermissione solenni*; veluti Panathenaea, Eleusinia, Thalysia, Elaphebolia, id genus festa sexcenta apud Graecos, & Saturnalia, Lupercalia, Agonalia, Carmentalia, reliqua ejusmodi apud Romanos. De festis autem seu feriis hisce advertendum est, non omnimodo opere juxta gentilium disciplinam necessario fuisse in eis abstinendum: imo opera quae ad vitae utilitatem pertinuere haud pauca facere licuisse. Virgilius [b];

Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
Fas & jura sinunt. Rivos deducere nulla
Relligio vetuit; segeti praetendere sepem;
Insidias avibus moliri; incendere vepres;
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Et Columella [c]; *feriis ritus majorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas sebare, vineam conductam colere, piscinas, lacus, fossas veteres tergere & purgare, prata sicilire, stercora aequare, foenum in tabulata componere, fructus oliveti conductos cogere, mala, pyra, ficus pandere, caseum facere, arbores serendi causa collo vel mulo clitellario adferre; sed juncto advehere non permittitur, nec apportata serere, neque terram aperire, neque arborem collucare. Sed ne sementem quidem administrare, nisi prius catulo feceris; nec foenum secare, aut vincire, aut vehere: ac ne vindemiam quidem cogi per religiones pontificum feriis licet; nec oves tondere, nisi prius catulo feceris. Defrutum quoque facere & defrutare vinum licet. Pellibus oves vestiri non licet. In horto quicquid olerum causa facias, omne licet. Feriis publicis hominem mortuum sepelire non licet. M. Porcius Cato* [d] *mulis, equis, asinis nullas esse ferias dixit. Idemque boves permittit conjungere lignorum & frumentorum advehendorum causa. Nos apud pontifices legimus*

[t] Calendar. Rom. Magn. propos. 34. [v] Tho. Demster. in Paralipomenis ad Jo. Rosini Antiq. Rom. lib. 2. cap. 4, &c.
[a] Strabo lib. 10. [b] Georgic. 1. [c] De Re Rustica lib. 2. cap. 22. [d] De Re Rustica cap. 139.

feriis

feriis tantum denicalibus (quibus scilicet hominis mortui causa [e] familia purgari solita) *mulos jungere non licere caeteris licere.* Ita ea de re varia quidem erat opinio, ut in rebus praesertim ejusmodi fieri amat. *Sed qui disciplinas pontificum interius agnovere, in die festo,* ut monet Servius Honoratus [f], *sine piaculo dicunt posse fieri quae supra terram sunt, vel quae omissa nocent, vel quae ad honorem deorum pertinent, & quicquid fieri sine institutione novi operis potest.* Qua de re consulas item quae habent Umbro, Scaevola, alii apud Macrobium [g]. Secundi dierum generis fuere ἐργάσιμοι seu *rebus agendis idonei dies,* id est *profesti* Latinis; quibus scilicet opus aliquod facere per leges & mores ex autoritate publica receptos licuit. Vocabulum nostrum Working-days optime rem interpretatur. Tertium autem genus constituunt ἀποφράδες [h] seu *dies infausti, inauspicati, atri,* quibus nimirum festivitas quidem nulla; sed opere omnimodo, nisi quod necesse erat aggredi, abstinebant, velut mali ominis infortunium superstitiosius verentes. Atque generis hujus binae fuere species; altera eorum qui ex autoritate publica seu instituto civili ita infausti seu atri habebantur, *religiosi* item dicti seu *sacri,* ea notione qua *sacrum* ac *religiosum* exsecrandum, detestandum aut tristi omine infame significat [i], non qua diis dicatum aut cultu celebrandum; Altera eorum qui non ex autoritate seu instituto civili sed ex privatorum hominum opinione, observatione, seu disciplina secretiori sic habiti. Prior species visitur in eo quod apud Romanos institutum est de diebus postriduanis. Quoniam scilicet Sulpitius tribunus militum [k] ad Aliam adversum Gallos pugnaturus rem divinam fecerat postridie Idus Quintiles, item apud Cremeram multisque aliis temporibus & locis post sacrificium die postero celebratum male cesserat conflictus, ideo jusserunt patres ut ad collegium pontificum de his religionibus referretur. Pontifices igitur statuere *postridie omnes kalendas, nonas, idus, atros dies habendos; ut hi dies neque praeliales, neque puri, neque comitiales essent. Sed & Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Janum Jovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet.* Et de his Festus Pompeius [l]; *Dies autem religiosi, quibus nisi quod necesse est nefas habetur facere; quales sunt sex & triginta atri qui appellantur, & Aliensis, atque ii quibus mundus patet.* Sex & triginta sunt postriduani illi. *Mundus* autem *patere* dicebatur [m] postridie Vulcanalium, & a. d. III nonas Octobris & ante diem VI idus Novembris. Tunc existimatum quae occulta & abdita fuere religionis deorum manium patere ac veluti in lucem duci, unde *mundum* tunc *patere* dici solebat. Per eos dies non cum hoste manus conferebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebant, non aliud quicquam in republica nisi quod ultima necessitas admonebat administrabatur. Ita haec infaustorum seu atrorum dierum species tam opus & laborem quam festorum genus non admittebant, idque ex autoritate seu instituto publico: sed diversissima plane ratione; festi, ob sacrorum curam & deorum cultum; atri, tantum ne male cederet opus incoeptum ob malum diei omen: neque enim illis sacrificium [n] rite peragebatur. Posterioris atrorum speciei exemplum habetur in quarto calendas, nonas & idus cujuslibet mensis [o]. Verrius Flaccus aliique scriptores veteres, tum apud Macrobium, tum apud Agellium [p]; *Ante diem quartum kalendas vel nonas vel idus tanquam inominalem diem plerique vitant. Ejus observationis an religio ulla tradita sit, quaeri solet. Sed nos nihil super ea re scriptum invenimus; nisi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam vastissimam pugnae Cannensis factam refert a. d. quartum nonas sextiles.* Hujusmodi farinae sunt quintae dies cujuslibet mensis lunaris apud Hesiodum & Virgilium, natales scilicet Furiarum; item quibusdam quartus lunae dies [q]; AEgyptiaci [r] alii aliquot, olim hodieque forsan a nonnullis, ut atri seu infausti, servati. Bini in quolibet mense ejusmodi habentur apud Bedam; alii, apud Joannem Paduanum [s], & Joannem de sacro Bosco; alii in calendario Romano Constantini magni [t] dicto. Atque apud alios editos aliter atque aliter se dies illi habent. Quos inter tamen consensus est nullus, uti nec cum dierum ejusmodi penes me designatione in schedis sane scripta vetustis hujusmodi; Εἰσὶ ἢ ἐν ἑκάστῳ μηνὶ ἀνὰ δύο ἡμέραι ἃς ὀφείλει πᾶς ἄνθρωπος παρατηρῆσαι· μηνὶ Ἰανουαρίῳ ἡ β ἡ ιδ· μηνὶ Φεβρουαρίῳ ἡ β καὶ κς, μηνὶ Μαρτίῳ ἡ δ καὶ ἡ κ. μηνὶ Ἀπριλλίῳ γ καὶ κ, μηνὶ Μαΐῳ ζ καὶ κβ, μηνὶ Ἰουνίῳ γ β ιβ, μηνὶ Ἰουλίῳ ς καὶ β, μηνὶ Αὐγούστῳ δ καὶ ιε, μηνὶ Σεπτεμβρίῳ γ καὶ ιδ, μηνὶ Ὀκτωβρίῳ γ β κη, μηνὶ Νοεμβρίῳ ε καὶ ια, μηνὶ Δεκεμβρίῳ γ καὶ κδ, *Sunt in mense quolibet dies bini quos cavere debet quisque mortalium: Januario* II & XIV, *Februario* II & XXVI, *Martio* IV & XX, *Aprili* III & XX, *Maio* VII & XXII, *Junio* III & XII, *Julio* VI & II, *Augusto* IV & XV, *Septembri* III & XIV, *Octobri* III & XXVIII, *Novembri* V & XI, *Decembri* III & XXIV. Atque ex duplici fere ratione dies hujus speciei atri habiti; aut ex malo seu infortunio aliquo insigni quod in illis accidisse notaretur, aut ex disciplina astrologica, qualem docuere Hesiodus & Orpheus. Dierum autem jam dictorum, tam generis secundi seu profestorum aliquot, quam primi & tertii, omnes ἡμέραι ἱεραὶ *dies sacrae* dicebantur, sed ratione perquam dissimili. Cur primum genus sic dictum res ipsa indicat, quia scilicet diis sacrae ac sanctae, seu, ut Angli vocamus, Holi-days. Cur autem genus tertium, & quam diversa ratione, paulo superius monetur. At qui secundi generis, id est profestorum, rebus agendis maxime ac prae aliis idoneii sive ex ratione astrologica sive alia quavis disciplina habebantur, ideo etiam ἱεροὶ nominari solebant, velut ταῖς ἀποφράσι seu *infaustis* atque *inauspicatis* sic oppo-

[e] Festus. [f] Ad Virg. Georgic. [g] Saturnal. I. cap. 16. [h] Lucian. in Pseudologista, Plutarch. in Camillo. [i] Agell. noct. Attic. lib. 4 cap. 9. [k] Cassius Hemina apud Macrobium Saturn. lib. I. cap. 16. anno ab U. C. 363. Agell. Noct. Attic lib. 5. cap. 17. [l] Verba *religiosus.* [m] Fest. in verb. *mundus.* [n] Agell. Noct. Attic. 5. c. 17. [o] Saturnal. lib. I. cap. 16. [p] Noct. Attic. 5. cap. 17. [q] S. Ambros. Hexaemer. 4. cap. 9. [r] Cael. Rhodigin. antiq. lect. lib. 14. cap 9. Gratian. c. 26. quaest. 7. c. 17. Lil. Gyrald. lib. de diebus & mensibus. & videsis Jo. Tzetz Chiliad. 10 303. [s] Vide A. Romanum in supputatione ecclesiastica, pag. 8, Wiceburgi, 1595. & Henric. Ranzovium in Calendario pag. 119. [t] Edit. in Dionys. Petavii Uranologio, pag. 112.

siti.

ſiti. Et obſervant paſſim Grammatici τὸ ἱερὸν ſeu *ſacrum* etiam Homero aliiſque veterum dici, nunc quidem notione communiori, tum id quod diis ſacrum, tum id quod ſuo in genere praeſtabilius; nunc etiam quod, ſingulari deorum beneficio, humano generi utilitatem affert inſigniorem: Unde ἱερὸν ἄλφιτον, ἱερὰ πόλις, ἱερὰ γῆ, *Farina ſacra, urbs ſacra, tellus ſacra.* Jam vero, cum Heſiodus diem ſeptimum ἱερὸν dixerat, rationem ſtatim ſubjungit [t],

——ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ.
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Septimus dies ſacer eſt: hoc enim Apollinem aurienſem genuit Latona. Nimirum menſium dies exſequitur, bonos, malos, mediocres. Inſignes tres facit; neomeniam ſeu primum, quartum, & ſeptimum: rationem reddit expreſſim de ſeptimo; natales Apollinis incidiſſe in menſis diem ſeptimum, id eſt, ut docuere Delii, Thargelionis, quod ſcimus ex Laertio [v]. Unde & Ἑβδομαγενὴς dictus Apollo. Qua de re viſendi Plutarchus [x], Proclus ad Heſiodi locum, Euſtathius [y], alii; qui inde non ſolum menſis in quo natus eſt diem ſeptimum (quo Thargelia celebrari [z] ſolita; ut ſeptimo menſis Pyanepſionis, Pyanepſia) ſed uniuſcujuſque ſeptimum, per totum annum, ei tradunt ſacrum fuiſſe. Quemadmodum octavum quemque menſis diem Neptuno [a], atque Mercurio quartum ſcribunt nonnulli. Feſtum autem illud Apollini celebrabant [b] Athenienſes, laurum geſtantes, caniſtrum coronantes, hymniſque laudantes Deum. At quid hoc omnino ad ſeptimi diei in recurrentibus periodis dierum hebdomadicis cultum? nihil hic aſſeritur praeter id quod ſolum eſt, ſeptimum menſis diem Apollini ſacrum. Neque enim ſeptimus qui ſequitur, ſeu decimus quartus menſis inde, hoc ſenſu ſacer eſt Heſiodo, ſed altera illa *ſacri* notione, qua id quod utiliſſimum eſt aut per quam accommodum dicitur *ſacrum.* Unde poſt de decima quarta menſis die (ſic τετράδα ἱσαμένου *quartam menſis inſtantis,* quo nomine menſem vocat ille uſque ad diem viceſimum; id eſt pro ſecunda tetrade, ſeu decadis ſecundae tetrade, ſumit Proclus, aliique interpretes Graeci) & de inclinantis etiam menſis ſeu tertiae decadis die quarta, id eſt, viceſima quarta die, ſimul locutus, non vult dies illos quempiam omnino curis gravioribus terere, ſeu animum tunc ominis cauſa cruciare, ſed res qualeſcunque laetius agere. Rationem ex ſingulari rebus agendis temporis opportunitate addit de utraque,

——μάλα τοι τετελεσμένον ἦμαρ,

Valde haec accommoda eſt dies. Quod per ἱερὰ ſeu *ſacra* explicant interpretes. Non quia feſti illi dies (ſi feſtum Buphoniae in XIV Scirrophorionis [c] menſis, aut ſimilia ex accidenti evenientia, excipias) ſed quoniam ex ratione aſtrologica rebus agendis perquam idonei auſpicatiſſimique. Proclus; Τὰς δὲ τετράδας ἀμφω εἶναι ἱερὰς· τὴν μὲν, ὡς μάλιστα τὸ σεληνιαῖον ἐκφαίνουσαν φῶς· τὴν δὲ, ὡς τοῦτον ἔχουσαν πρὸς τὴν τριακάδα (ſic plane pro τετράδα legendum) λόγον ὃν ἡ ἑβδόμη πρὸς τὴν νουμηνίαν· καὶ γὰρ ἡ τετάρτη καὶ εἰκοστὴ ἑβδόμην ἔχει τάξιν πρὸς τὴν ἐσχάτην. *Quartas dies utraſque* (id eſt, decimam quartam & vigeſimam quartam menſis) *ſacras facit: alteram, quoniam in ea maxime ſplendet luna*; ſcilicet plenilunium eſt: *Alteram, quoniam eandem ea habet ad trigeſimam* (ſi putes retro) *rationem quam habet ſeptima ad novilunium. Nam dies vigeſima quarta locum obtinet ſeptimum ab ultimo menſis die.* Et de decimaquarta expreſſius poſtea Heſiodus,

Τετράδι δ' οἴγε πίθον (περὶ πάντων ἱερὸν ἦμαρ)
Μέσσῃ.

Quarta, quae media eſt, ſeu decadis ſecundae die quarta, *dolium aperi*; *prae omnibus ſacra dies eſt*; quemadmodum & iterum ibi ſacrum eo ſenſu facit diei tertii decadis quartae tempus antemeridianum. Neque vero ſpectat illud de dolio aperiendo ad diem decimum quartum velut ad feſtum tunc celebrandum, aut primitias novi vini tunc ritu ſolenni ac ſacro delibandas: Nam feſtum eo nomine notiſſimum, ſcilicet Πιθοιγία, ad diem Antheſterionis undecimum [d] attinuit. Et ad decimum quartum menſis diem, ratione jam dicta, attinere volunt aliqui [e] illud Virgilii,

Septima poſt decimam felix & ponere vites,
Et prenſos domitare boves, & licia telae
Addere ——

Septima nimirum duplicata, quae dies eſt iterato ſeptima poſt primam decadem. Sed liquido hinc conſtat non omnino voluiſſe Heſiodum ſeptimum diem recurrentem ea notione ſacrum fuiſſe qua cultus aliquis denotatur, ſed cujuſlibet menſis tantum diem ſeptimum Apollini ſic ſacrum; quemadmodum in rhythmico illo carmine de diebus AEgyptiacis,

Prima dies menſis & ſeptima truncat ut enſis,

nihil ad ſeptimanae ſed ad menſis, Januarii ſcilicet, ſeptimum diem duntaxat ſpectat. Adeo ut nihil ex Heſiodo de ſeptimi recurrentis diei ſive cultu ſive obſervatione aliqua poſſe elici nemo non videat. Verſus qui apud Ariſtobulum ex Heſiodo ſequitur, feſtivitatem ne verbo tenus quidem reſpicit; uti nec reliqui quos citat ex Homero, praeter unicum illum quo dies ſeptima, quemadmodum Heſiodo, etiam ἱερὸν ἦμαρ dicitur, ſeu *dies ſacer.* Nam bini reliqui non magis ſanctitatem ſeptenario in diebus numero tribuunt quam illud Papinii [f],

Septima jam nitidum terris aurora deiſque
Purpureo vehit ore diem ——

aut Claudiani [g] illud,

Septima lux aderat coelo, totieſque renatus
Viderat exactos heſperus igne choros.
Tum Phoebus, &c.

Et quae ſunt ſimilia. *Sacrum* autem *diem* nuncupari interea Homero diem ſeptimum, mirum magis non eſt, quam Heſiodo. Ratio forte parilis. Quin & non ſemel alibi [h] Homerus,

Ἀλλ' ὅτ' ἄρ' ἕβδομον ἦμαρ ἐπὶ Ζεὺς θῆκε Κρονίων,

[t] In diebus. [v] In Platonis vita. [x] Sympoſ. 8. quaeſt. 1. [y] Ad Iliad. φ'. Videſis Jo. Meurſium de Denario Pythagorico, cap. 9 & in Graecia feriata, lib 3. in Ἑβδόμη. [z] Plutarch. Sympoſ. 8. quaeſt. 1. [a] Idem in Theſeo. [b] Proclus in Heſiodi dies. [c] Etymologic. in Βουφονία. [d] Plutarch. ſympoſ. 3 quaeſt. 7. [e] Apud Servium in Georgic. 1. & videſis Jo. Picum Mirand. in Aſtrologiam lib. 3 cap. 14. [f] Thebaid. 3. [g] Praefat in nuptias Honorii & Mariae. [h] Odyſ μ & ν.

Sed quando ſeptimum diem Jupiter induxerat. In quo nulla ſeptenariae periodi dierum ratio alia praeter eam quae rei quam narrat ſingularis erat. Atque altero in loco expreſſim naves conſcenſas ait, ſolutumque e portu; neutro ſacra memorat. Tametſi ex veterum more dies etiam omnes, qua optatiſſimam lucem hominibus praeſtant, tam *ſacri* dici poſſent quam ii qui auſpicatiores habiti; per metonymiam cauſae, qui Jupiter hic ſeu numen eſt. Unde ἡμέραι ἐκ Διός, καὶ ἐκ Διόθεν, *Dies a Jove* generatim dicti; quod nihil aliud ſignificat quam *dies quos natura conſtituit*, uti & monuit vir praeſtantiſſimus Daniel Heinſius in Heſiodum. Unde & *diei* [i] nomen, & *dieſpeter*. Et Homerus [k] etiam,

Ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν, καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ,

Quamdiu tempus matutinum erat, & ſacra creſcebat dies. Ubi quidem ſanctitatem volunt aliqui [l] tempori antemeridiano tribui, ex eo quod tunc ſacra peragi frequentius ſolita. Sed Euſtathius recte quidem integro diei ibi tributam vult, ratione ei quam diximus haud diſpari. Et ſcholiaſtes alter vetus nihil aliud dictum ibi vult quam diem ex ortu ſolis auctum ſeu factum. Quae ſequuntur apud Ariſtobulum ex Lino atque apud Clementem ex Callimacho (ſi verſum priorem excipias, in quo interea ne veſtigium aliquod exſtat unde ſanctitas ſeu cultus diei ſeptimo afferatur) ad ſingularem numeri ſeptenarii dignitatem, non ad diei ſeptimi cultum aut ſanctitatem omnino attinent. Neque recte, ſi quid video, vertunt interpretes Clementem, perinde ac ſi voluiſſet ille ſeptimum in periodis dierum diem ſacrum tam Graecis quam Ebraeis agnitum. Dum enim ait quidem τὴν ἑβδόμην, qui *numerus* eſt *ſeptenarius*, ſacram eſſe utriſque, non, ut Ariſtobulus, tam de die ſeptimo loquitur quam de numero in univerſum ſeptenario. Tam Graeci, inquit, quam Ebraei ſciunt τὴν Ἑβδόμην ἱερὰν εἶναι, *numerum ſeptenarium eſſe ſacrum*, καθ' ἣν (ſic enim pergit) ὁ πᾶς κόσμος κυκλεῖται τῶν ζωογονουμένων καὶ φυομένων ἁπάντων, *per quem*, aut *ſecundum quem, univerſus mundus circumagitur eorum quae viva gignuntur & omnium quae producuntur.* Quod ipſum crebro dici ſolitum [m] ab aſtrologis veteribus (quibus κοσμοκράτορες *mundi gubernatores* nuncupati planetae ſeptem) etiam totidem verbis de hebdomadibus ſeu numeris ſeptenariis dixerat Ariſtobulus paulo ante illud ex eo de Heſiodo & Homero allatum. Atque alibi idem ipſum de hebdomadibus ſeu numeris ſeptenariis repetit ipſe Clemens [n], ubi explicans quaenam hebdomadibus illis innuantur, ea dicit eſſe ſeptem angelos principes, ſeptem planetas ὑφ' ὧν κατὰ συμπάθειαν οἱ Χαλδαῖοι πάντα γίνεσθαι νομίζουσι τὰ περὶ τὸν θνητὸν βίον, *a quibus Chaldaei* (ſic ille) *exiſtimant omnia per ſympathiam quae ad mortalem vitam pertinent fieri*; ſeptem pleiadas, ſeptem triones, καθ' ἃς αἱ γεωργίαι καὶ ναυτιλίαι συμπεραίνονται, *per quos & agricultura exercetur, & navigatur*, lunaris figurae ſepteno quolibet a neomenia die mutationes, ſeptem lyrae ſonos, ſeptem ſenſuum inſtrumenta, mutationes aetatis anno quolibet ſepteno, dies in medicina criticos; in quibus hebdomadis nomen notiſſimum; uti & apud Ciceronem [o] eſt videre; ut quae apud medicorum filios ea de re ſunt obvia praeteream. Atque alia ejuſmodi reperiri inquit Clemens quamplurima apud Hermippum in libro περὶ ἑβδομάδος ſeu *de ſeptenario.* Qualis etiam liber de hebdomadibus tribuitur Hippocrati apud Chalcidium [p]; qui in operibus ejus non reperitur. Unde manifeſtum ſit, de ſeptentenario numero generatim, non ſimpliciter de die ſeptimo, intelligendum in citatis Clementem. Neque alio ſpectare vult verſus illos Heſiodi, Homeri, Lini ſeu Callimachi. Quibus, velut ex Callimacho, uti etiam Ariſtobulus ex Lino, ſubjungit diſtichon conſonum,

Ἑπτὰ δὲ πάντα τέτυκτο ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι
Ἐν κύκλοισι φανέντ' ἐπιτελλομένοις ἐνιαυτοῖς,

Septem vero omnia perfecta ſunt in coelo ſidereo, quae orbibus viſuntur volventibus in annis. Neque igitur Ἑβδόμη in Callimachi ſeu Lini verſibus *dies ſeptima* eſt, ſed *ſeptenarius numerus*; nec *hebdomas* pro die ſeptimo cum interprete ſumenda in eo quod habet Clemens de elegiis Solonis. Nam palam eſt, elegias illas de annis climactericis ſeu ſeptenaria aetatis humanae mutatione, *hebdomadum* nomine Ariſtoteli [q] etiam aliiſque ſaepius denotata, tantum loqui. Quod liquet ex ipſis Solonis ea de re verſibus tum alibi ſaepius tum apud Clementem ipſum [r] occurrentibus. Ac celeberrimas fuiſſe has Solonis hebdomadas ſcimus ex Plutarcho, Cenſorino, aliis. Et de eximia dignitate ac praeſtantia ſeptenarii (cui virginis, Palladis, ipſiuſque temporis [s], omnium rerum nodi, alia veneranda nomina indita) ex ſchola Pythagorica & Platonica innumera habent Varro [t], Macrobius [v], Nicomachus Geraſenus [x], Philo [y], Chalcidius [z], Martianus Capella [a], alii. Et ea de re commentarios ſcripſere recentiorum aliqui [b]. Adeo ut nec ſenſus Clementis alius eſſe queat quam, ut Ebraeis ita & Graecis ſeptenarium numerum valde in honore habitum; non omnino, diem ſeptimum his, uti & illis, cultum; quod tamen cum interprete ejus ſunt viri docti [c] qui aſſerant. Ex jam dictis autem de ſeptimo menſis apud Athenienſes aliiſque die, ea quae e Luciano & Agellio afferuntur, intelligenda. Dies ſeptimanae & hebdomades illis ſunt dies menſium ſeptimi, ſeu lunae hebdomades; minime dies ſeptimi periodis perpetuo recurrentes. Atque ita ſumit Agellium Joannes Meurſius [d]: Samuel autem Petitus [e], de Prytaniae hebdomadibus. Utcunque ad ſacrum aliquem ſeptimi cujuſque diei cultum non attinent ibi hebdomades: Uti nec Varronis liber de hebdomadibus, Agellio [f], Nonio [g], Symmacho [h] citatus; nec Hermippi, cujus meminit Clemens [*]. Neque ſane ex eo quod *Diogenes grammaticus Rhodi ſabbatis diſputare ſolitus eſt* apud Suetonium, ideo ſabbati ſeu ſeptimi diei cultum Rhodiis fuiſſe omnino ſequitur. Septenariam qui-

[i] Varro de Ling. Lat. lib. [illegible] Macrob. Saturn. 1. cap. 15. [k] Iliad. θ. [l] Porphyrius apud Euſtath. ad Iliad. λ & θ. [m] Vid. [illegible] Meurſ. lib. 3 in prooemio, Proclum in Timaeum pag. 11, &c. [n] Stromat. 6. [o] Fam. epiſt. [illegible] 16. [illegible] [p] In Timaeum Platonis. [q] Politic. lib. 7. [r] Stromat. 6. [s] Heſychius in Καιρός. [t] Apud Agellium lib. 3. cap. [illegible] [v] In Somn. Scipionis lib. 1. [x] De mundi opificio, & lib. περὶ Ἑβδόμης. [y] Arithmetic. Theolog. apud Photium cod. 187. [z] In Timaeum Platonis. [a] De Nuptiis Merc. & Philologiae lib. 7. [b] Fabius Paulinus lib. 7. de hebdomadibus. J. Meurſ. in denario Pythagorico cap. 9, &c. [c] Jacob. Boulduc. de eccleſia ante legem lib. 1. cap. 2. alii. [d] Graecia feriata lib. 3 in Ἑβδόμη. [e] Eclog. Chronolog. lib. 4. cap. 4. [f] Lib. 3. c. 10. [g] Verb. *ululantur* & *laces*. [h] Auctario ep. 2. ubi vide Juretum. [*] Stromat. 6.

dem
4

dem ibi dierum periodum recurrentem innui res ipſa docet: Nam *in ſeptimum diem*, pro ſabbato in quo diſputare ſolebat, Tiberium diſtulit Diogenes. Idem forte ſcripſiſſet Suetonius ſi dixerat, *diebus ſeptimis*, ſeu die quolibet ſeptimo, perinde ac ubi de M. Antonio Gniphone ait [k] eum *quotidie praecepta eloquentiae tradidiſſe, declamaſſe* vero *non niſi nundinis*, aliud forte non ſignificat niſi nono quoque die, non ipſarum, ut in civili temporum ratione locum habuere, nundinarum die, declamaſſe. Nam ut *nundinae* ex origine Latina nonum diem, ita ſane & τὰ *ſabbata* ex origine Ebraica & linguae Helleniſticae, quae apud Judaeos AEgyptienſes, Graecienſes, Romanenſes in uſu, propagine in Romanorum linguam receptum, non ſolum feſta & ſolennitates omnimodas Judaeorum (ut ante memoravimus) denotavit, verum etiam ipſos dies ſeptimos, qua ſeptimi fuere. Atque ita in ſabbatis diſputare foret tantum diſputare in hebdomadis recurrentis die aliquo unico quem ſibi praeſtituerat. Sonus quidem affinis eſt τȣ̃ שבע *Sebai*, quod *ſeptem* eſt, & τȣ̃ שבת *Sabath* ſeu *Sebath*, quod eſt *ſabbatum* ſeu *requies*, nec commune quid ex vi nominis habet cum *ſeptimo*. At vero quoniam ſeptimo requieſcendum erat, die ſcilicet atque anno, ideo ipſum vocabulum שבת *requiem* ſeu *ſabbatum* denotans, lingua Helleniſtica, uti & orientalium aliis, ipſiſque Judaeis, ſubinde *ſeptimum* reddebatur. In ipſo decalogo [l] pro eo quod eſt על כן ברך יהוה את־יום השבת ויקדשהו *Idcirco benedixit dominus diei ſabbati*, & *ſanctificavit eum*, habent Helleniſtae, Διὰ τȣ̃το εὐλόγησε κύριος τ̀ ἡμέραν τ̀ ἑϐδόμίω, ϗ ἡγίασεν αὐτίω, *Idcirco benedixit Deus diei ſeptimo*, & *ſanctificavit eum.* Quemadmodum etiam R. Saadias Gaon in verſione ſua Arabica ſubſtituit ibi *benedixit Deus* اليوم السابع *diei ſeptimo*, uti & vetus Arabica verſio penes me manuſcripta. Sic item in decalogo legitur qui in ritualibus aliquot chriſtianorum. Sed Judaei Mauritanienſes, Chaldaei, alii ibi *ſabbatum* juxta Ebraicam retinent veritatem. Alibi item in Exodo [m], *Omnis qui fecerit opus* ביום שבת *die ſabbati, morte morietur*, ab Helleniſtis editis vertitur, *Omnis qui fecerit opus* τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑϐδόμῃ, *in die ſeptimo.* Sed ibi quidem in codice vetuſtiſſimo regio, ex oriente pridem allato, legitur τῇ ἡμέρᾳ τȣ̃ σαϐϐάτȣ, *die ſabbati.* Ex ratione non diſſimili pro eo quod eſt in Ebraeo [n], *numerabitis* שבע שבתות *ſeptem ſabbata integra, &c.* habent Helleniſtae ἑπτὰ ἑϐδομάδας ὁλοκλήρȣς, *ſeptem hebdomadas integras*, uti & שבע שבתות השנים *ſeptem* [o] *ſabbata annorum* appellant in verſione Helleniſtae ἑπτὰ ἑϐδομάδας ἐτῶν, *ſeptem annorum hebdomadas*; & utrobique conſona etiam eſt vulgata. Priore in loco Chaldaei item שבע שבוען, R. Saadias سبعة اسابيع etiam & Judaei Hiſpanienſes *ſiete ſemanas*; quae omnia *ſeptem hebdomadas* ſignificant. Inſuper poſteriori, Judaei Mauritanienſes, سبعة اسابيع سنين *ſeptem hebdomadas annorum*, ubi Hiſpanienſes *ſiete Sabbathoth de annos.* Ita ex interpretatione tam veteri quam recentiori שבת ſeu *ſabbatum* non ſolum *quietem* ſeu *a laboribus ceſſationem*, quae pars feſti ſemper ſingularis habita, atque vocabuli ipſiſſima eſt ſignificatio, denotat, verum etiam diem ſeu annum ſeptimum, quoniam in eo quieſcendum; uti & luſtrum & olympias, quinquennium ſeu (pro varia ratione putandi) quadriennium, praetermiſſa primaria unde dicitur utrumque ſignificatione, quae nihil temporis ejuſmodi omnino in ſe habet. Hinc nemo neſcit hebdomadam etiam ſeu orbem dierum ſeptenarium tam magiſtris dici paſſim שבת quam שבוע, id eſt, tam *requiem* quam *ſeptimanam*, ut per ſynecdochen partis. Illinc feriae ſexcenties appellantur prima, ſecunda, tertia בשבת *ſabbati*; quemadmodum etiam in foedere novo: ut, *prima* ſeu *una ſabbatorum* [p] pro die ſolis ſeu dominico; &, *jejuno bis* [q] *in ſabbato*, pro eo quod eſt, jejuno bis in hebdomade. Mirum igitur non eſt Lactantium exiſtimaſſe ſabbatum ſeptem denotaſſe: *Hic eſt*, inquit [r], *ille dies ſabbati, qui lingua Hebraeorum a numero nomen accepit.* Sic alii [s]. Hinc factum eſt inſuper ut Gentiles, quorum in linguas ſabbati haec notio per Judaeorum ſive conſuetudinem ſive libros Helleniſticos irrepſerat, diem quemlibet in ordine hebdomadico vocarent ἡμέραν τ̃ σαββατικω̃ *diem ſabbaticum*, perinde ac ſi ſignificaſſet ex vocabuli vi diem hebdomadicum, ut inferius [t] patebit ex Vettio Valente Antiocheno. Haec cum ita ſint, intelligi quidem commode poteſt, Diogenem Grammaticum ſeptimis quibuſlibet diſputaſſe diebus, per ſabbatorum vocamen ſic a Suetonio (cui τὰ *ſabbata* pro recurrente dierum ſeptenorum, quibus jejunia ſervata ſunt, periodo notum eſſe ſcimus ex epiſtola Auguſti, de qua ſupra [v]) denotatis; non aliter atque intelligimus illud Vulcatii Gallicani de Avidio Caſſio; *Exercitium ſeptimi diei fuit omnium militum, ita ut & ſagittas mitterent, & armis luderent*, &, *arma militum ſeptima die ſemper reſpexit.* Si dixerat ſabbatis, idem ſane, tametſi vocabulo peregrinae originis, ſed Romanis ſuis eadem notione non inuſitato, dixerat; nullo ad feſtivitatem ſabbati ita vulgo dicti, ſed ad dierum ſeptenorum tantum qualemcunque orbem, reſpectu habito. Quod interea ſi quis non ferat, concedatur ſabbata Diogenis illius fuiſſe ipſos dies Saturni, Ebraeorum ſabbatis ita vulgo dictis ſemper reſpondentes; quae ob Ebraeorum mores, nullibi ferme in Romano imperio non in uſu, eo nomine Romanis etiam ſatis nota. Certe id non ita facile concedendum, quoniam dies ille rebus agendis inauſpicatior Romanis Graeciſque habitus. Qua de re etiam plura mox. At vero cultum quaerimus. Ideone ſive Rhodiis ſive Gentilibus aliis cultus dies Saturni ſeu Ebraeorum ſabbatum quoniam memoratur Diogenem eis in diebus Rhodi diſputaſſe ſolere? Nihil minus ſequitur. At demum de Graecorum veterum moribus hic in univerſum illud pronunciandum eſt; annorum & menſium rationem in ſacris, non omnino dierum aliter atque ex recurrente anni menſiſve tempore revolverentur, eos habuiſſe. Scilicet ab oraculis legibuſque acceperant ipſis ſacrificandum eſſe κτ̀ γ, ἤγȣν τὰ πάτρια, μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτȣ̀ς, *ſecundum tria, videlicet patria*, *menſes*.

[k] Lib. de Illuſtr. Gram. [l] Exod. xx. 11. [m] Exod. xxxi. 15. [n] Lev. xxiii. 15. [o] Ibid. xxv. 8. [p] D. Marc. xvi. 9. D. Joan. xx. 1. [q] D. Luc. xviii. 12. [r] Lib. 7. ſeu de Divino Praemio, cap. 14. [s] Theophil. Antiochen. ad Autolycum lib 2. [t] Cap. 19. [v] Cap. 15.

menses, dies, annos. Unde ἅπαντες οἱ Ἕλληνες *universi Graeci* (ut ait Geminus [x] Astronomus priscus, qui rem totam narrat) *annos juxta solem, menses vero & dies juxta lunam agebant.* Atque ἀπὸ τῶν τῆς σελήνης, inquit ille, φωτισμῶν αἱ προσηγορίαι τῶν ἡμερῶν κατωνομάσθησαν, *a lunae illuminationibus appellationes dierum sunt denominatae*, id est, a synodo ad synodum, nulla septenarii [y] revertentis ratione civili seu sacra (nisi, ut dictum est, ex accidenti) habita, sed subinde astrologica. Quod ex ritualibus Etruscorum libris apud Censorinum affertur, ad numeri septenarii in aetatibus urbium ac hominum praerogativam, non omnino ad dierum cultum pertinet. Nec quod de Judaeis intermiscetur, eos spectat aliter atque numeri illius ipsis in temporum distinctione usus erat, quemadmodum Soloni & Etruscis, de quorum libris, qua huc attinent, ipse Censorinus [z] postea in aetatum discrimine. Et sciunt pueri Solonis hebdomadas aliud non fuisse praeter annos climactericos. Quod vero habet de Etruscis Postellus, aut hallucinatio est manifesta aut commentum audax. Neque enim Dionysius Halicarnasseus [a] neque Cicero [b], quos citat ille, de septimo aliove die recurrente loquuntur; ut intuenti liquebit. Et quod ait Dionem asserere sabbati Judaeorum usum ad Graecos Romanosque fuisse translatum, aut testari saltem unam ex septem diebus hebdomadis fuisse quieti concessam, id etiam a vero est alienissimum. Nil hac in re asserit Dio praeter id quod est dierum juxta planetarum septem in eis dinumerandis ordinem ab AEgyptiis acceptam passim invaluisse, maximeque apud Romanos; quod ad unam in hebdomade quieti concessam nullatenus spectat. Et quod adjicit de Jani institutione, nugae sunt prorsus nugacissimae. Nec omnino culta Romanis sabbata seu hebdomadem Judaeorum innuit tetrastichon illud prius Ovidii. Monet scilicet amantem, qui amare jam dedisceret, ut in remedium amoris loca quibus ipse simul cum amica assueverat, diligentius, quantocyus & procul fugeret; idque adeo solicite ut nec dies inauspicatissimi alias rebus agendis, adeoque itineri, habiti eum laqueis amoris nondum extricatum morarentur. Quinam hic illi? Dies Saturni, quibus sabbata ab Ebraeis Romae culta, ideoque peregrina dicta, etiam & cladis Aliensis dies infaustissimus. Peregrina enim sacra illa fuere quae Romanis ex autoritate publica e regionibus exteris invecta, qualia memorat loco citato Festus; Et Ausonius [c],

Adjiciam cultus peregrinaque sacra deorum.

Alia, quae peregrinis ibi degentibus plerumque sed non semper permissa, nec Romanis ex more aut jure Romano omnino communia; qualia AEgyptiaca aliqua fuere, & Judaica, *alienigenarum sacra* Senecae [d] dicta. Et C. Cassius [e] de Servis; *Postquam nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coërcueris.* Suetonius item de Tiberio [f]; *Externas ceremonias, AEgyptios Judaicosque ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur religiosas vestes cum instrumento omni comburere.* Et Tacitus [g], *Actum & de sacris AEgyptiis Judaicisque pellendis.* Atque inter hujusmodi sacra peregrina sabbati cultus tunc fuit Romae: non inter ea quae ex decreto publico recepta. Nam & sabbata sua hebdomadica seu peregrina illa Romae sub Augusto, id est, cum scripsit Ovidius, servasse Judaeos scimus etiam ex Philone [h], ubi traditur, Augustum rationem in distributionibus suis menstruis Judaeorum ita haberi voluisse, ut, si liberalitas illa in τῇ ἱερῷ ἑβδόμῃ *sacrum diem septenum* incidisset, qua illis nec dare nec accipere licuit, a diribitoribus die postero beneficium illud acciperent. Quod sane nec Romanis communem fuisse diei septimi celebrationem seu cultum obiter palam facit. Et Ovidius ipse, ubi de locis puellarum captandarum amoris candidatum docet, locos Romae quibus culta septima sacra Judaeis memorat, ut videre est in disticho superius capite decimoquinto ex eo citato. Non igitur in eo quod ait, *nec te peregrina morentur sabbata*, de sabbatis peregrinis amasium Romanum monet, perinde ac si sabbatorum ipsorum, id est festi, gratia dubitaret de discessu ejus: sed cum dies quibus sabbata illa a Judaeis celebrata, id est Saturni, per sabbatorum peregrinorum nomen illic denotati, inter infaustos ac atros, licet non ex autoritate publica seu instituto civili, tamen ex disciplina permultis privatim recepta, numerarentur; ideo dubitavit Ovidius ne facile evenire posset ut diebus illis discessum pronius differret amasius (libentissime aliis etiam cunctabundus) eo quod rebus gerendis ac itineri minus idonei existimarentur. At vero, inquit, non solum dies illiusmodi te non morentur qui ex disciplina tantum mathematicorum inauspicati habentur, verum nec illi qui ex instituto publico rebus gerendis minime idonei serio fiunt, veluti dies ille cladis Aliensis: Id est, nullius diei aut temporis utcunque alias infausti qualitas discessum tuum differat. Quod quidem firmatur ex sequenti tetrasticho. Nimirum docet, puellam primo captare intempestivum esse natalibus suis, seu calendis Aprilis, festisve solennioribus, *Quaque aliquid dandum est, illa sit atra dies.* Alias vero, inquit, etiam dies alioquin atri seu infausti haberi soliti, veluti cladis Aliensis, & septima festa Judaeis culta, id est dies Saturni, amori incipiendo satis idonei sunt, tametsi alias rebus sint minus apti gerendis. Ex re enim manifestum est, in utroque tetrasticho sabbata & festa septima ad tempus ipsum seu diem Saturni tantum denotandum, non ad ipsos diei ritus sacros, velut Romanis ipsis in usu, indicandos, memorari. Unde & quod ex Tibullo subjungitur & lucem capit & mutuo dat. Quaesivit ibi amasius moras; mala avium omina causatus est; inauspicatam etiam Saturni diem se tenere, sacram etiam nuncupatam ea notione, ut ante diximus, qua sacrum quid aut religiosum eo quod tristi omine est infame nuncupatur. Unde Justus Lipsius [i] tum Ovidii peregrina sabbata tum Tibulli diem Saturni breviter sic explicat. *Triste Saturni sidus & maleficum: quale ingenium inferorum. Inde est naenia Graecorum,* Κρόνου ὄμμα, *id est, Saturnius oculus. Inde superstitio, Saturni diem*

[x] Isagoge εἰς τὰ φαινόμενα, cap. 6. [y] Videsis Arati Diosemeia, & Hug. Grotii Notas ibi, pag. 17. col. 1. [z] Cap. 17. [a] Antiq. Rom. 1. [b] De legibus, lib. 1. [c] In Eclogario. [d] Epist. 108. [e] Tacit. Annal. 14. [f] Cap. 36. [g] Annal. 2. & videsis Joseph. Archaeolog. lib. 18. cap. 4. & Valer. Max. lib. 1. cap. 3. [h] Lib. de legatione ad Caium. [i] Saturnal. Serm. lib. 1. cap. 5.

viae non faustum. Quae omnia in id recidunt ut dies Saturni seu septimus pro inauspicato seu atro quidem haberetur; sed pro inauspicato, tantum ex disciplina mathematica, adeoque tantum iis qui ea, ut amantes non raro, caperentur; non civili seu publico aliquo instituto. Malevolum nimis Saturni sidus esse passim apud astrologos legitur; de quorum denominatione dierum a planetis fusius (ut rite Josephi locus de quo agitur explicetur) infra dicemus. Summa ex hactenus dictis est, diem illum ex instituto moribusve publicis tantum Judaeorum genti, atque eis qui in eorum ritus, ut proselyti justitiae, transierant, festum fuisse; Romanorum autem nonnullis ex disciplina mathematica diem quidem inauspicatum, ob sideris dominantis, a quo denominatus est, malevolentiam, haberi: Sed neque sic ex instituto seu moribus publicis. Ita ut ejusdem ratio nulla omnino Romanis haberetur extra astrologicas privatorum opiniones; quas sane, cum in seculo illo mathematicorum, id est hic astrologorum, artes (ut scimus ex Suetonio & Tacito) toties Romae tanto in pretio essent, totiesque damnatae pulsaeque recurrerent, non est quod dubitemus plurimum apud vulgus, ut fieri amat, invaluisse. Et festos Saturni dies, quotquot omnino fuerint, in Decembri simul locatos esse, nescii non sunt qui nondum aere lavantur.

C A P. XVIII.

Ostenditur quae capite decimo sexto e Tertulliano, Lampridio, Seneca, de die Saturni, sabbatis ac die septimo afferuntur, non omnino probare cultum diei septimi Romanis veteribus ex instituto seu publice receptum. Festa Romanorum quotannis stativa ne pentecostes numerum, juxta Tertullianum, implesse. Calendariis aliquot, velut ex more Romanorum veteri, dierum hebdomadas pro ogdoadibus summa cum oscitantia adponi.

SEquuntur in capitis superius decimi sexti objectionibus, loci illi Tertulliani bini insignes, alter ex apologetico, ex libro adversus nationes alter cum virorum doctorum aliquot in eos animadversionibus, quibus apud gentiles veteres septimi diei seu sabbati hebdomadici observationem in usu fuisse asseritur. Certe si id de septimi, id est, Saturni, diei otio simplici, velut ejus qui minus aptus rebus gerendis erat, non religionis, sed disciplinae astrologicae causa (ut jam ante dictum est) sumatur, idque non de instituto aliquo moribusve publice receptis, sed de superstitione privatorum, nec forte paucorum, qui disciplinae ejusmodi indulgentiores fuerint; consonum erit eis quae capite superiori tradita sunt de operis itinerisque eo die apud veteres abstinentia, eo quod inauspicatum atque velut atrum haberent. At sic, cultus sacri, de quo quaeritur, nihil inesse dicit Tertullianus. Certe nec de gentilibus generatim, aut de gente aliqua, populo, civitate, aut instituto publico loquitur ille. *Secundo loco ab eis sumus*, inquit, *qui diem Saturni otio & victui decernunt*; ab eis qui ex disciplina sibi recepta id faciunt. Qui cum gentiles etiam sint ipsi, non est quod solis diei laetitiam magis nobis christianis objiciatis quam ipsis pariter Saturni diei otium. At utroque in loco exorbitare ipsos ait; altero, a Judaicis moribus quos ignorabant; altero, a suis ad alienas religiones. Nonne igitur etiam religionis seu cultus causa otium ac victum fuisse innuit diei illius? quemadmodum & alia observata, quae ibi memorat, ex ritu Judaico sacro. Certe vix diffitendum. Et sane superstitio illa in dierum observatione astrologica bene satis apud veteres illos pro religione sensu vulgari intelligi potest. Cognatissimae plane sunt. Et superiori capite monuimus, etiam dies atros religiosos & sacros, sed notione peculiari, dici solitos. Sed detur voluisse Tertullianum etiam Judaica sabbata ipsos, de quibus loquitur, voluisse qua Judaica religione imitari. Certe ita hoc tantum sequitur, fuisse qui etiam ex Judaicis ritibus sibi aliquos, atque in illis hunc de sabbato, sumpsissent; sed perperam interea hunc observassent a Judaico more exorbitantes, quia nec eo more, quem ignorabant, otiabantur; a suis item religionibus exorbitantes, quoniam otium ejusmodi ac observatio qualiscunque hebdomadica sacris eorum erat plane aliena. Quod quidem negare plane ipsum, observationem ejusmodi aliquam ex ritu fuisse gentilium, aut in eorum sacris (quorum ipse inter patres Latinos, ut Clemens inter Graecos, callentissimus erat) repertam, satis interea etiam evincit. Et credibile sane est, Romae, ubi indultu principum sacra Judaica Judaeis ipsis ibi perquam numerosis proselytisque justitiae adeo permissa fuerint, non defuisse ex paganis qui, tametsi in ritus eorum ut proselyti non transissent, ritus nihilominus eorum, uti & aliorum ejusmodi ibi degentium, subinde ita imitarentur ut moribus suis, maxime eis qui cognatiores fuere, illos commiscerent, ac Judaicam etiam religionem ipsam venerarentur ac metuerent; utcunque ei nomina sua rite non darent. Horum ex genere haud forsan iniquum existimare fuisse Aureliam Soteriam, de qua marmor hoc vetus, quod Polae in Istria visitur, saltem pridem [a] visebatur.

AVR. SOTER. ET
AVR. STEPHANUS
AVR. SOTERIAE
MATRI PIENTISS.
RELIGIONI JUD-
AICAE METUENTI
F

Sive quadratarii sive exscriptoris incuria *religioni* legitur pro *religionis*. Et scimus quidem *metuentem sabbata* & *metuentem jus judaicum* pro ipso Judaeo seu proselyto justitiae sumi Juvenali [b] Sed & alias Judaicam religionem ritusque quosdam affectantes, nec tamen proselytos factos, Romae seculis illis egisse, cum res ipsa suadet, tum elicere licet ex illo Senecae de seipso; *Quaeris quomodo desierim? In Tiberii Caesaris principatum juventae tempus inciderat. Alie-*

[a] Apud Janum Gruterum in Thes. pag. 721. num. 11.

[b] Satyr. 14.

nigenarum sacra movebantur. Sed inter argumenta superstitionis ponebatur quorundam animalium abstinentia. Quod de seipso, velut Judaicam religionem, non christianam, affectare viso, recte probat Joannes Rualdus [c] adversus Martinum del Rio [d]. Ad locum autem Tertulliani posteriorem, seu qui in opere ad nationes habetur, annotavit quaedam V. C. Samuel Petitus quae huc transferre non pigebit. *Integrum,* inquit ille in Commentariis [e] ad leges Atticas, *locum descripsimus ut emendemus. Primo enim ista,* qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis, *omnino sunt corrupta. Quanquam enim agatur de hebdomadis observatione paulo ante haec tempora usurpari coepta a Romanis, cujus dies denominationem a planetis acceperunt, immediate sequitur,* & ex diebus ipsorum praelegistis, *&c. Satis indicant* τὸ dierum, *ad quod refertur* τὸ ipsorum, *non esse sanum. Itaque rescribo,* qui etiam in laterculum deorum solem recepistis. *Nam a septem planetis, quos in diis censuerunt ethnici, dies hebdomadis nomina invenerunt. Addit deinde Tertullianus, quibusdam hebdomadis diebus Romanos otium & prandium curasse, quibusdam totis jejunasse, quibusdam ad nonum tantum, quod imitatione Judaeorum proculdubio usurpabant. Hinc addit Afer noster*; quod quidem facitis exorbitantes & ipsi a vestris ad alienas religiones. *Nomine* alienarum religionum *intelligit* Judaicam; *sed verba in mendo cubant, quanquam id non primo venae tactu deprehendas. Sed morbi arguunt haec Tertulliani verba ex Apologetici cap.* XVI. AEque si diem solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione quam religione solis, secundo loco ab eis sumus qui diem Saturni otio & victui decernunt: exorbitantes & ipsi a Judaico more, quem ignorant. *Nam optime dixit Tertullianus ethnicos exorbitasse a Judaicis moribus, quos tamen usurpare videbantur*; *idque verissimum est. Neque enim veri Dei religione ista observabant, sed prava Judaeos imitandi affectatione, cum tamen mores illorum eorumque causas ignorarent*; *quemadmodum christiani die solis laetitiae indulgebant alia certe longe ratione quam religione ulla solis*; *atque ita ethnici exorbitabant a suis moribus, ut & etiam ab alienis, quos tamen admittebant, quia alia religione tacti quam ii a quibus acceperant, mores istos usurpabant. Rescribo igitur,* exorbitantes & ipsi a vestris, ab alienis, religione. *Exorbitant enim, ut jam diximus, a suis ritibus ad alienos, Judaicos nempe, rursumque a Judaicis moribus exorbitabant religione, quia Judaei Saturni diem laetitiae indulgebant longe alia quam ethnici religione, quia isti haec in honorem Saturni usurpabant.* Sic ille. Sed quod ait, *in honorem Saturni,* admittere nequeo. Nam dies celebrati in honorem Saturni festi erant; uti Saturnalia in Decembri. Quicquid Saturni erat in diei hebdomadici hujus observatione, diem faciebat atrum, inauspicatum, non omnino festum. Quicquid autem festi inerat, ex Judaeorum ortum est imitatione, qua Judaicae religionis metuentes aliqui, ut dictum est, subinde trahebantur. De hebdomadibus autem dierumque nominibus, quale illud Saturni apud Tertullianum, plura mox. Ne vero scrupulus dubitandi maneat de ejusdem mente in locis illis quos jam tractavimus, ipse alibi, ni fallor, luculentissimus est sui interpres. Christianos nascentis ecclesiae exagitat qui ethnicorum festis interesse ac celebrationis participes esse solebant; veluti Saturnalibus, Brumalibus, Matronalibus. Et demum, *O melior fides*, inquit [f], *nationum in suam sectam, quae nullam solennitatem christianorum sibi vendicat! Non dominicum diem, non pentecostem, etiam si nossent, nobiscum communicassent. Timerent enim ne christiani viderentur. Nos ne ethnici pronunciemur non veremur. Si quid carni indulgendum est, & habes non dicam tuos dies tantum, sed & plures* (legunt aliqui, *non dicam suos dies, &c.* id est ethnicorum; sed editio Rigaltiana, *non tamen dies tantum, sed & plures*) *Nam ethnicis semel annuus dies quisque festus est: Tibi octavo quoque die* (Rigaltiana, *tibi octavus quisque dies.*) *Excerpe singulas solennitates nationum, & ordinem texe* (Rigaltiana, *in ordinem exsere*) *pentecosten implere non poterunt.* Christiano festa paganica frequentanti inquit, Si ita genio indulgeas ut dies festos numerosiores cupias, cur eo nomine ad ethnicorum solennia sic confugis? In christianismo dies festos jam habes multo plures quam in paganismo. Pagani enim festa habent tantummodo annua, semel quotannis, nec minori temporis spatio recurrentia: Christiani vero, seu sodalitium illud cujus tu pars es, octavo quolibet die festum celebrant, id est die primo cujuslibet hebdomadis (qua ratione tam octavus quam septimus dies ille veteribus habitus, supra [g] monitum est.) Atque ita etiam quinquaginta duos dies festos quotannis iteratos habes. Sed & si festa universa annua ethnicorum in ordinem texas, numerum festorum quinquagenarium implere non potes; ne quidem illum qui tibi continenter celebrandus, scilicet pentecosten; quo nomine veteres christiani non solum ipsum diem a paschate quinquagesimum, sed cunctos simul dies qui intercedunt, seu *contextas quinquaginta diebus ferias,* ut S. Hieronymi [h] verbis utar, nuncupantes, intervallum illud integrum ut festum continuum seu jugem & continuatam festivitatem celebrabant. D. Ambrosius [i]; *Instar dominicae tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut dominici deputantur.* Alii [k] tantundem non raro. Ethnicorum festa annua universa nec dies tuos dominicos, nec quidem unicam hanc continuam, qua quotannis frueris, festivitatem numero aequant. Sic christiano festa ethnicorum sectanti pater ille. Quisquamne igitur autumare potest voluisse omnino Tertullianum die septimo recurrente festum aliquod ethnicis ex civili aliquo seu publico instituto celebratum? cum & omnia eorum festa annua esse dicat, adeoque nulla hebdomadica, neque ea numerum quinquagenarium implesse. De ethnicis Romanis proculdubio loquitur. Id inde satis liquet quod adversus christianos Romanorum festa celebrantes agit. De feriis item stativis, non de conceptivis, aut imperativis; quae incertae fuere. Et certe si stativas ferias in calendario Romano, quod supra exhibemus, minio notatas enumeres, quinqua-

[c] In Vita Plutarchi, cap. 9. & vide Lips. in Tacit. Annal. 2. n. 173. [d] In Vita Senecae, cap. 12. [e] Tit. 1. pag 4.
[f] De Idololatria, cap. 14. [g] Cap 15. [h] Epist. 28 ad Lucinium. [i] Sermone de Temp. 60. & Dist. 76. c. 8.
[k] Epiphan. in compendio de Doctr. Catholica. Autor Quaest. & Resp, Justino tribut. 115, &c.

ginta
3

ginta non reperies. Sed ea de re vide, si placet, praeter Ovidii fastos & Ausonii [l] ferias Romanas, eos qui e veterum libris calendarium illud sive auxerunt sive commentariis illustrarunt; maxime Sibrandum Siccamam [m], Lylium Gyraldum [n], Carolum Neapolim [o], Thomam Demsterum [p], Dionysium Petavium [q], ut alios qui de festis Romanorum fusius egerunt, velut Rodulphum Hospinianum, Michaelem Beutherum, & id genus reliquos, praetermittam. Quod vero ex Lampridio affertur de Alexandri Severi ascensu in capitolium septimo quoque (nam sic intelligendum) die, cum in urbe esset; dubitandum non videtur quin id spectarit ad animum ejus sive in Judaismum sive in christianismum propensiorem, adeoque ad diei sive Judaeorum sive christianorum hebdomadici singularem cultum. Nam statim sequitur apud Lampridium, *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere.* Et ante; *Quodam tempore festo, ut solent, Antiochenses, AEgyptii, Alexandrini lacessiverant eum conviciolis, Syrum archisynagogum eum vocantes, & archierea*; velut ritibus Judaicis utentem. In diis etiam, id est in lararii sui numinibus, Abrahamum eum ac Christum habuisse scribit idem Lampridius. Ita morem ejus septimo die in capitolium ascendendi non omnino refert ille perinde ac si ex publico aliquo ac veteri Romanis instituto mos ille manasset. Quod de lucernis in sabbatis accensis ex Seneca citatur, ad Judaeorum plane ritus spectasse fatendum est. Apud eos enim patrifamilias cuilibet ex instituto veteri mos erat, uti hodieque [r], vespera sabbati sub crepusculum lucernas nocti imminenti accendere. Nec quisquam sive vir sive foemina, familiae praeerat, cui non incubuit officium [s], להיות בבתיהן נר דלוק בשבת אפילו אין לו מה יאכל שואל על הפתחים ולוקח שמן ומדליק את הנר שזה בכלל עונג שבת: *Lucernae accendendae in aedibus suis in sabbato. Quin tametsi deesset quod comederet*, id est si pauperrimus esset, *ostiatim mendicandum erat ut oleum sibi ad hanc rem compararet: quoniam pars haec erat lautitiae sabbaticae.* Atque hinc est quod Arnoldus Albertinus [t], *Quaero*, inquit, *si quis descendens de gente Judaeorum solemnizaverit vesperam sextae feriae, incendens luminaria, domum mundando, & abstinendo ab opere servili, non tamen observaverit sabbatum, operando in eo, an iste dicatur caeremonias legis Moysi observare, adeo quod de crimine haeresis & apostasiae accusari possit.* Atque quaestionem hanc ait frequenter accidere, & de luminum accensione hac pluribus disputat. Etiam tum ex jam ante citatis e Tertulliano tum e Josepho [v] scimus, accensionem lucernarum Judaicam [x] nonnullos, necdum Judaeos seu proselytos, imitatos. At interea, ex aliquorum sive Judaicam religionem, ut diximus, metuentium seu affectantium, sive eorum quibus ritus exteri adeo subinde grati fuere, more ejusmodi a Judaica etiam ratione, ut dixit Tertullianus, exorbitante, sabbata Judaica a Romanis velut ex instituto publico celebrata esse asserere, rationi nemo non videt plane dissonum. Quin sane Senecam de Judaeis ipsis, qui Romae tunc numerosi, tantum locutum esse, non iniquum est ut existimemus. Ita nullo modo publicus sabbati apud Romanos ipsos ex eo cultus probatur. Quod vero tandem attinet ad calendarium illud Julii Caesaris dictum, quod hebdomadas dierum sibi aptatas habet; certo certius est ex marmore aliquo veteris Romae descriptum id non fuisse. Quisnam enim in illius seculi aliquo marmore aut figuras numerorum barbaricas aut planetarum & signorum characteres unquam vidit? Scimus figuras illas barbaricas ex Arabicis non ita dissimilibus fieri, ac primo ante annos quingentos aut circiter ab Arabibus ipsis Mauritaniensibus ac Hispaniensibus, cum artibus liberalibus christianos imbuerent, esse communicatas. Et manifestum quidem est, calendarium illud, prout a viris doctis rem quam tractamus negligentius curantibus exhibetur, a christianis sub seculum quartum aut quintum a Christo, aut citra, compositum, adeoque hebdomadem in eo, pro more christiano, ogdoadis locum inde supplesse. Recte Josephus Scaliger [y]; *Post tempora Theodosii, imo a temporibus Dionysii Exigui, kalendaria Romana in hebdomadas tributa, & cyclus lunae in margine appositus, quem aureum numerum vocamus, exemplo calendarii Alexandrini. Antea nondum Kalendariis Julianis annotabatur numerus aureus. Nam plane inventum est christianorum post consessum Nicenum. Ut satis mirari non possim doctos viros qui asseverant etiam epactas a Julio in kalendario suo impressas. Diceres eos cum Sosigene in consilium a dictatore adhibitos.* Eadem item de re Dionysius Petavius [z]; *Minime dubito quin falso calendarium istud Julium Caesarem vel Augustum authorem praeferat, ac tantam originis suae vetustatem ementiatur. Nam est longe recentioris inventi & instituti: prorsus ut a christianis concinnatum appareat. Cujus rei complura sunt argumenta: sed illa maxime, quod circulus Heptazoni veteribus Romanis ignotus sit* (publico scilicet temporis calculo non receptus; aliter nec verum est, ut mox ostendemus) *nec ab aliis quam a christianis secundum Judaeos usurpari solitus: in illo vero calendario dominicales literae septem feriarum orbem circumagunt. Quod aureorum numerorum usus in calendariis sub ipsum Nicaenum concilium introductus fuerit, ut libro* II *declaravimus. Quod parum latine multa in Gaurici calendario concepta sint. Haec enim scilicet Augusti seculum redolent,* Oriri chronice, heliace, cosmice, medietas veris, *& alia compluria, recentioris seculi barbarie digna? Postremo, quod in sex duntaxat primis mensibus festa & sidera, ortus occasusque notantur. Hinc enim evidens est, ex Ovidianis fastis calendarium istud esse descriptum.* Et quae obiter in calendariis aliis, velut ex Romae veteris consuetudine, habentur dierum hebdomades appositae, ex incuria pariter atque oscitantia summa scriptorum ortae sunt, vetustati ipsi plane refragantes, quod ex eis quae supra differuntur fit satis manifestum. Interdum autem tam ogdoas quam heb-

[l] In Eclogario. [m] In Fastorum Calendario. [n] Lib. de Annis & Mensibus. [o] Ad Ovidii Fastos. [p] In Paralipom. ad J. Rosin. lib. 4. cap. 4. [q] In Uranologio, pag. 102. [r] Leo Modena nella Historia degli Riti Hebraici, part. 3. cap 1. §. 13 [s] Misna & Gemarae tit. *Sabbath*, cap. 2 Maimonides eod. tit. cap. 5, [t] De agnoscendis assertionibus Catholicis & Haereticis, Quaest. 32. [v] Advers. Apion. lib. 2. [x] Videsis, Jo. Filesacum, Selectorum lib. 2. cap. de Ceremoniis, §. 10. [y] De Emendat. Temp. lib. 4. pag. 219. [z] De Doctrina Temporum, lib. 6. cap. 12.

domas

domas a christianis apponitur, ut in calendario illo Constantini Magni dicto, quod e bibliotheca Joannis Georgii Herwartii primo ante annos aliquot in lucem seorsim emissum, nuperque Dionysii Petavii Uranologio insertum.

CAP. XIX.

Flavii Josephi verborum de hebdomadis more *(qua* ad gentes universas cum pervenisse *ait) explicatio initur. Cujus gratia quaedam praemittuntur. Primo, dierum per hebdomadas distributio, & planetarum nominum adjectio, ejusque vetustas.*

CUM igitur verba illa Flavii Josephi, τὸ ἔθος τῆς ἑβδομάδος ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, *Consuetudinem* seu *morem hebdomadis quam vacatione operum celebramus nos,* seu *qua nos otiamur, ad alias gentes civitatesque universas pervenisse,* de diei septimi cultu seu sabbati hebdomadici festo, ex instituto aliquo civili seu publico recepto, non sint sumenda; quod in superioribus fuse demonstratum est; restat ut expendamus quinam eorum verborum fuerit sensus & vis. Ego sane sic statuendum duxi. Nemo non videt ex jam superius dictis triplicem hebdomadis seu diei septimi circumacti rationem & haberi posse atque etiam habitam: primam, qua septimus, ut festus seu sabbatum, aliterve seorsim ex religione recepta atque instituto publico colitur; secundam, qua in fastos, calendaria, ac publicas temporum, citra sacra, rationes admittitur; tertiam, qua septem dierum sive apud mathematicos eorumque in rebus gerendis sequaces, sive apud alios sic qualitercunque, sed citra institutum civile aut publicum, numerantes, periodum die proximo semper instaurandam tantum finit. Quolibet pariter modo *hebdomas* dicitur dierum septem postremus, & cuilibet rite tribui potest vocamen illud τὸ ἔθος τῆς ἑβδομάδος, *consuetudo, usus* aut *mos hebdomadis,* seu diei septimi recurrentis ac systema finientis. Jam vero tertio modo usus erat hebdomadis passim inter gentes Josepho cognitas auditasve omnes, seu plerasque, forte & alias, isque tunc vetustus; etiam & secundo, ut videtur, apud gentes saltem aliquot alias, praeter Judaeos, orientales, tametsi nec Graecis nec Romanis admissus; modo vero primo nullibi Josephi seculo, praeter Judaeos, saltem si nascentem tum ecclesiam christianam excipias. Usus scilicet tum dies per septenarios distribuendi, tum planetarum, ut hodieque, nominibus signandi, juxta modum tertium, passim invaluerat; ita ut septimo praeesset Saturnus, ut Sol primo. Sensus igitur, opinor, est; usus seu consuetudo diei septimi velut termini redeuntis dierum periodi, nulla in civitate, in gente nulla, sive Graeca sive barbara (quale dici solet de plerisque) non reperitur; quin & ejusdem ipsius diei ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, *qua otiamur,* seu *quam otio celebramus, nos.* Nam in dinumeratione itidem is apud gentes alias est periodi terminus; uti nobis non solum laborum terminus, sed & festus. Adeo ut eo in loco τὸ ἔθος, *usus* seu *mos,* non ad celebrationem sabbaticam seu festivitatem aliquam, quae Judaeis ita singularis fuit, sed ad periodi similis eodem ipso in die desinentis observationem aliquam mathematicam, ac subinde chronologicam, gentium caeterarum communem, spectet, & tale quid tantum interim innuatur quale Philo, Judaeus alter, de sabbato simul atque numeri septenarii dignitate plurima congerens, tandem subdit [a], Τιμᾶται δὲ καὶ παρὰ τοῖς δοκιμωτάτοις Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων οἱ τὴν μαθηματικὴν ἐπιστήμην διαπονοῦσιν, *In honore etiam habetur apud illustriores tam Graecorum quam Barbarorum qui disciplinis versantur mathematicis.* De numero septenario, non de sabbato, manifestum est eum loqui. Ut vero sententiae hujus ratio rectius capiatur, sex sunt inprimis animadvertenda: I. Dierum apud alias gentes per septimanas distributionis qualiscunque vetustas & origo; II. Planetarum septem nominum hebdomadi adjectionis, eorumque in orbem sic redeuntium observationis qualiscunque itidem vetustas; III. Planetarum in orbe illo seu periodo septenaria ordo singularis, uti & dierum; IV. Ordinis ejusdem ratio; V. Usus hujus ordinis, & undenam in vulgus observatio ejusdem ita olim disseminata; VI. Scopus Josephi in verbis illis, unde mens ejus ac sententia quam amplectimur clarius elucescat. Quod ad primum attinet; quanquam ex Graecorum ac Romanorum veterum institutis publicis seu disciplina civili hebdomadicam temporis rationem neutiquam adhibitam comperimus (quod ex superius ostensis satis dignoscitur) attamen autores sunt non ita contemnendi qui etiam ab ipsis seculis primis hebdomadum in dierum periodis usum petant, atque eum apud antiquissimos temporum artifices putatoresque receptum, per alias praeter Judaeos, seculis vetustissimis, gentes sic velint inde propagatum ut nullibi ferme incognitus plane esset. Huc inprimis spectat quod capite superius undecimo legitur ex *Sepher Cozri* de septenaria dierum periodo ab Ada incoepta & in posteros propagata. Ex Georgii item Syncelli chronologia MS. in regis Galliarum bibliotheca observatur, *priusquam ratio computandi per menses & annos ab astrologis inventa fuisset, veteres illos patres spatia distinxisse tantum* καθ᾽ ἑβδομάδας, ut ex Claudii Salmasii indicatione citat Andreas Rivetus [b]. Certe in annalibus Michaelis Glycae legitur, interprete Joanne Leunclavio, *Georgius tradit Sethum primum invenisse literas Hebraeas, signa coelestia, conversiones annorum, menses, septimanas.* Neque Georgius hic alius est a Syncello illo, quem saepius citat Glycas. Sed quicquid de Setho dicendum, vetustissimum interea esse atque ab intima antiquitate petendum hebdomadis in temporum ratione usum, scriptores superiorum seculorum existimasse videmus. Et Joannes Philoponus, Ἐκεῖνό γε μὴν, inquit [c], (συμπεφώνηται) πᾶσιν ἀνθρώποις, ἑπτὰ μόνας εἶναι ἡμέρας, αἵτινες εἰς ἑαυτὰς ἀνακυκλούμεναι τὸν ὅλον ποιοῦσι χρόνον, *In illud certe omnes homines consentiunt, septem solos esse dies, qui in seipsos revoluti totum tempus constituunt.* Quibus dein subjungit, Τίνα οὖν τούτου λόγον ἐστὶν

[a] Lib. περὶ κοσμοποιίας.   [b] Dissert. de Sabbato, cap. 5.   [c] De Mundi Creatione, lib. 7. cap 14.

εἰπεῖν

o

εἰπεῖν ἕτερον ἢ μόνον ὃν εἴρηκε Μωϋσῆς, *Hujus rei quam certe aliam rationem dare possumus praeter illam solam quam Moses assignavit?* Nempe in creationis historia numero septenario signata. Quod vero ait *omnes homines consensisse*, sumendum est, ut id genus locutiones aliae, pro quamplurimis, idque tam gentilibus quam Judaeis aut Christianis. Floruit enim Philoponus ille, quem & *Joannem Grammaticum* appellitant, scriptor scilicet in Aristotelem celeberrimus, sub annum [d] Christi D. C, quo tempore gentes complures quidem Graecis Romanisque satis notae fuere quae paganismum nondum exuerant, adeoque nec e christianismo, nec e judaismo (nam mahumedismi natales Philopono coaevi fuere) sed ex antiquissima creationis historia per genus humanum diffusa, utcunque sive interpolata, ut fit, sive oblivione inobscurata, hebdomadum morem aliquem, tametsi non sacrum, acceperant. Sic vult Philoponus. Et Theophilus patriarcha Antiochenus, *Praeterea*, inquit [e], *de die septimo, qui inter omnes mortales celebris est, magna apud plerosque ignorantia est. Hic enim dies, qui ab Ebraeis sabbatum vocatur, Graece, si quis nomen interpretetur* (qua de re supra diximus) *septimus dicitur. Hoc nomine mortales omnes diem istum appellant: at nominis causam nesciunt plerique.* Certe perinsigne hic habetur de cycli dierum septenarii apud gentiles usu aliquo, etiam universos, id est notiores seu plerosque, testimonium, idque de seculis vetustissimis: saltem, si opus illud Theophili hujus esse genuinum cum viris aliquot doctissimis admittas. Neque enim aliter loquitur atque de re diu ante per gentes diffusa. Et seculum ejus est Josepho omnino proximum. Astipulantur hic e recentioribus [f] viri clarissimi, theologi, aliique, quotquot etiam a primis seculis per gentem humanam sacram diei septimi observationem volunt disseminatam. Quam autem sacram fuisse illi volunt, si in astrologicam aut chronologicam tantum observationem, ut debent, mutant, id ipsum quod voluere veteres satis enunciant. Sed & ad hanc rem plura habentur in eis quae statim de planetarum nominibus hebdomadi inditis sequuntur. Planetarum septem nominum diebus hebdomadis adjectio, ejusque observatio (de qua proxime juxta institutum est hic videndum) ex intima etiam petitur antiquitate; id est, ex veterrima astrologorum disciplina, non ex civili seu publico aliquo instituto; dum scilicet de seculis illis priscis loquimur. In scriptoribus seculis aliquot Josepho recentioribus manifesta quidem occurrunt adjectionis hujus testimonia, velut rei cujus tunc origo in gentilismo veteri agnita. S. Augustinus ad titulum illum Psalmi XCIII, *Psalmus ipsi David in quarta sabbati*, (qui reperitur quidem in vulgata, atque in editionibus aliquot Hellenisticis) *Quarta sabbatorum*, inquit, *quarta feria, qui Mercurii dies dicitur a paganis, & a multis christianis.* S. item Hieronymus [g], *Una sabbati dies dominica intelligenda est*; *quia omnis hebdomada in sabbatum, & in primam & secundam & tertiam & quartam & quintam & sextam sabbati dividitur, quam ethnici idolorum & elementorum nominibus appellant.* Alia sub horum aevum, id est, sub trecentos a Josepho annos, obvia sunt, e quibus planetarum septem nomina tunc e gentilismo veteri indita scimus; veluti rescripta aliquot [h] Valentiniani, Theodosii & Arcadii AAA, Ausonii ea de re carmen [i], uti & Theonis [k], Sozomeni [l] historia de Constantino, Petri Alexandrini Isagoge Apotelesmatica, alia [m]. Caeterum, ut res manifestior fiat, ab hisce ascendamus per scriptores aliquot qui etiam ultra Josephum sursum excurrunt. Nam & haec cum eis quae sic vetustiora sunt rite commissa liquidum facient planetariam dierum denominationem, idque in paganismo, fuisse Josepho multum antiquiorem. Constantini Magni de die solis habetur [n] rescriptum; *Sicut indignissimum videbatur, diem solis* (inseritur ibi, in Guilielmi Monachi Malmesburiensis, quae habeo MS. excerptis e codice Theodosiano, *quem dominicum dicimus) venerationis suae* (ex MS. corrige *veneratione sui) celebrem altercantibus jurgiis & noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum ac jucundum est eo die quae sunt maxime votiva compleri.* Atque ea de re luculenter etiam historiae [o] ecclesiasticae. Constantino autem vetustior Dio Cassius sub annum a Josepho entesimum quadragesimum floruit. Is, Τὸ δὲ δὴ, inquit [p], εἰς τοὺς ἀστέρας τοὺς ἑπτὰ τοὺς πλανήτας ὠνομασμένους τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι, κατέστη μὲν ὑπ' Αἰγυπτίων· πάρεστι δὲ καὶ ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους, οὐ πάλαι ποτὲ, ὡς λόγῳ εἰπεῖν, ἀρξάμενον. οἱ γοῦν ἀρχαῖοι Ἕλληνες οὐδαμῇ αὐτὸ, ὅσα γε ἐμὲ εἰδέναι, ἠπίσταντο. *Quod vero septem stellis, qui planetae vocantur, dies assignari receptum est, inventum quidem putatur AEgyptiorum: sed in omnes tamen homines, haud ita pridem, ut sic dixerim, vulgari coeptum. Certe Graeci veteres (quantum equidem scio) nullo prorsus eam rem pacto cognitam habuere.* Sed ea de re vide quae mox dicentur. Et quidem de tempore suo expressim hic Dio, καὶ πάνυ νῦν τοῖς τε ἄλλοις ἅπασι καὶ αὐτοῖς τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιχωριάζει, καὶ ἤδη καὶ τοῦτο σφίσι πάτριον τρόπον τινὰ ἐστι, *& nunc ubique fere apud omnes alios, etiam & ipsos Romanos, in usu est, & velut mos ipsis patrius habetur.* Quod sine vetusta tunc origine factum intelligere nequis. *Morem* dicit *velut patrium*; quia ita inter mathematicos, id est astrologos, &, qui eorum disciplinae sequaces fuere numerosissimi, alios, non omnino interea ex instituto civili, sive Romanis sive Graecis, tunc receptus, ut & supra ostensum est. Quod hic semper animo recolendum. Dione antiquior circa annos quadraginta Clemens Alexandrinus, de quarta & sexta feria verba faciens, Ἐπιφημίζονται, inquit [q], ἡ μὲν, Ἑρμοῦ· ἡ δὲ, Ἀφροδίτης, *Nuncupatur quidem haec Veneris, illa Mercurii.* Atque huic coaevus Tertullianus Afer *diem Solis & Saturni* diserte memorat locis capite supra decimo sexto ex apologetico ejus & opere adversus

[d] Niceph. Callist. lib. 18. cap. 47. & ipse Philoponus in Comm. ad lib. 4. physicorum. [e] Lib. 2 ad Autolycum. [f] Vide Andream Rivetum dissert. de sabbato, cap. 5. Guil. Postellum de Orig. Etruriae pag. 108. Philipp. Cluverium in Germania antiqua, lib. 1. cap. 33 alios qui de sabbato scripsere. [g] Epist. 150 ad Hedybiam, quaest. 4. [h] Lib. 7. C. tit. de Feriis, & C. Theodos. tit. eod. lib. 2. [i] In Eclogario. [k] Antholog. lib. 1. cap. 91. [l] Hist. Eccl. lib. 1. cap. 8. [m] Vide Barnab. Brisson. ad l. dominico C. Th. tit. de spectaculis. [n] L. 1. C. Theod. lib. 2. tit. 8. & vide C. Justin. tit. de feriis. 3. [o] Euseb. de vita Constantini. lib. 4. cap. 18. Sozomen. lib. 1. cap. 8. Nicephor. Callist. lib. 7. cap. 46. Baron. Annal. tom. 3. ann. Chr. 321. [p] Hist. 36. & Xiphilin. in Pompeio. Et videsis Angel. Politian. Miscellan. Cent. 1. cap. 8. [q] Stromat. lib. 7.

nationes adductis. Egregii sane testes, in occidente alter, alter in oriente, moris hujus, ut in paganismo passim, modo quo diximus, usitati. Hisce antiquior Justinus Martyr, qui Josepho sexaginta aut circiter annis tantum recentius scripsit, *Solis* itidem *diem*, & τὴν Κρονικὴν, id est, *Saturniam*, verbis memorat [r] expressis; Τὴν ἢ τοῦ ἡλίου ἡμέραν, inquit, κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, *Dies solis communiter omnes convenimus*. Et, Τῇ πρὸ τῆς Κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν, *Pridie Saturni diei in crucem actus est* Jesus Christus. Si nupera tunc fuisset denominatio illa planetaria, velut e gentilium theologia & artibus pridem nata, proculdubio ea uti noluisset pater ille adeo familiariter. Illustres, dum ad Josephi tempora ascendimus, sequuntur bini illi, Plutarchus & Tacitus, Graecus alter, alter Romanus; ejusdem cum Josepho seculi, etiam satis coaetanei. Disquisitionem inierat Plutarchus undenam evenerit planetarum nomina diebus hebdomadis sic esse assignata. Titulus ejusdem hactenus visitur in Sympofiacorum [s] editione Aldina, aliisque aliquot: nam in recentioribus, nescio quare, cum nonnullis aliis praetermittitur. Verba sunt, Διὰ τί τὰς ὁμωνύμους τοῖς πλάνησιν ἡμέρας, ἀτάκτην ἐκείνων τάξιν, ἀλλ' ἐνηλλαγμένως ἀριθμοῦσιν, *Quamobrem dies planetis cognomines, non juxta planetarum ordinem, sed mutato ordine numerari soleant*. Ipsa disquisitio utinam minime temporum injuria, cum aliis ejusdem operis, periisset. At cum ea miscuerat Plutarchus scriptum περὶ ἥλων τάξεως, *de clavorum ordine*, id est, de clavis annalibus idibus Septembris Romae in aedium sacrarum pariete ad annos dinumerandos [t] pangi antiquitus solitis; ante scilicet annorum a consulum nominibus numerandorum morem. Anne planetarum clavorumque hic usum parilem habuit, aut non ita dissimilem, vetustatem? Certe ex eo solum quod ipse tunc sub Josephi aevum rem, pro more suo vetera indagando, aggressus sit, non obscure liquet etiam Josephi aevo nomina illa diebus adhibita, maxime apud Graecos. Tacitus autem manifesto idem innuit, dum rationem sabbati seu septimi diei apud Judaeos quietis ex honore Saturno habito juxta nonnullos ait deduci, *seu quod e septem sideribus, queis mortales reguntur, altissimo orbe & praecipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque coelestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant*; per septimos scilicet tum in horis tum in diebus numeros juxta astrologorum, qui tunc maximi habiti sunt, disciplinam. His conjungendus est Damis Assyrius, qui de rebus Apollonii Tyanei, cui socius erat, scribens, tradidit Jarcham Brachmanum principem ei dedisse δακτυλίους ἑπτὰ τῶν ἑπτὰ ἐπωνύμους ἀστέρων, οὓς φορεῖν τὸν Ἀπολλώνιον κατὰ ἕνα πρὸς τὰ ὀνόματα τῶν ἡμερῶν, *Septem annulos septem stellis* (plane planetis) *cognomines; eorumque singulos, secundum dierum nomina Apollonium gestasse*. Sic ille Josepho coaevus; ut legitur apud Philostratum [v]. Tibullus autem centum amplius annis Josepho est antiquior. Saturni diem diserte apud eum memorari ante [x] notatum est. Quin & oracula defecisse diu ante Josephum creditur. At vero in vetusto Apollinis legitur ex Porphyrio apud Eusebium [y],

Κλήιζειν Ἑρμείην, ἠδ' Ἥλιον κατὰ ταὐτὰ
Ἡμέρῃ Ἡελίου. Μήνην δὲ, ὅτε τῆσδε παρείη
Ἡμέρη· ἠδὲ Κρόνον, ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην.

Invoca Mercurium, & pariter solem die solis; lunam itidem, cum aderit ejusdem dies; & simili modo Saturnum, & Venerem. Atque hinc ait Josephus Scaliger [z], *Demonstratur quod vetustissima sit appellatio dierum a planetis etiam apud Graecos*. Ubi etiam adnotat, in oraculi explicationem, vulgus credidisse planetas apparere die suo; nempe, omni die Martis ipsam planetam sui videndi potestatem facere, & sic de reliquis. *Idque*, inquit, *plane Orpheus designavit in* Ἔργοις καὶ Ἡμέραις·

Πρῶτα μὲν εἰ πρώτῳ ἐνὶ ἤματι φαίνεται Ἄρης,
Μήνη δ' ἐς τὸν Ἄρην ἐπιτέλλεται, ἴσχεο δ' ἔργων·

Nam diserte intelligit, si Neomenia κατὰ Σελήνην inciderit in diem Martis, id est feriam tertiam, abstinendum ab opere. Ita scilicet Scaliger versus illos ex Orphei ephemeridibus sumptos, & depravate apud Joannem Tzetzem in animadversionibus Hesiodianis olim editos, legit & explicat. Aliis ibi viris doctissimis Πρῶτον μὲν πρώτῳ ἐνὶ, &c. legentibus. Sed quod ait Scaliger hic de vulgi opinione, planetas die suo exoriri solitos, satis amplecti nequeo. Nec sane ibi mentionem fieri diei Martis qua in orbe hebdomadico locum habet. Hoc enim tantum, ni fallor, significant versus illi; *Si die primo mensis apparet Mars, sidus infaustum, & cum Marte luna, operibus abstine*. Utcunque vero, ex oraculis vetustissimis, atque etiam ex Orphicis (si conjecturae Scaligerianae fidem tribuere velis) denominationem dierum planetariam habemus. Quin & origo ejusdem a scriptore veteri Graeco nondum edito Zoroastris & Hystaspis scholae Chaldaicae & AEgyptiacae tribuitur: Οἱ περὶ Ζωροάστρην καὶ Ὑστάσπην Χαλδαῖοι καὶ Αἰγύπτιοι ἀπ' ἀριθμοῦ τῶν πλανητῶν ἐν ἑβδομάδι τὰς ἡμέρας ἀνέλαβον. *Qui Zoroastris*, inquit [a], *& Hystaspis sectam amplexi sunt*, seu *eorum sectatores Chaldaei & AEgyptii, a numero planetarum dies in hebdomade repetebant*. Certe Zoroaster Magus nonnullis [b] est Abrahae ipsi coaetaneus; aliis [c] eum sexcentis annis ante Xerxis transitum collocantibus, id est, sub Ebraeorum regni initia; etiam aliis [d] aliter atque aliter vetustiorem eum facientibus. Et Hystaspis, ut autoris ac prophetae magique vetustissimi, mentio apud Clementem [e], Justinum [f], alios. Darii patrem eundem fuisse vult Ammianus Marcellinus [g]. Hydaspen vocat Lactantius [h], uti & alii, tam de fluvio cognomine quam de viro loquentes. At multis interea seculis doctrinam illam de planetaria dierum denominatione Fl. Josephum etiam sic antevertisse sequitur, quemadmodum insuper ex eis quae oraculi versibus paulo hic ante e Porphyrio citatis continenter subjunguntur.

Κλήσεσιν ἀφθέγκτοις, ἃς εὗρε μάγων ὄχ' ἄριστος

[r] In Apologia 2. [s] Lib. 4. quaest 7. [t] Festus in *Clavus*. & videsis Jacob. Durantium Var. Lect. 1. cap. 5. [v] De vita Apollonii lib. 3. cap. 13. [x] Cap. 16. [y] Praepar. evangelic. lib. 5. cap. 14. & habetur in orac. vet. cap. 8. [z] In prolegom. ad lib. de emendat. temp. [a] Citatur ab Andrea Riveto in dissert. de orig. sabbati cap. 5. [b] Eusebius in chronico [c] Xanthus Lydius apud Laert. in prooemio. & vide Jos. Scalig. in Eusebianis, pag. 15. [d] Videsis Plin. hist. 30 cap. 1. [e] Stromat. 5. [f] Apolog. 2. [g] Histor. lib. 23. [h] Lib. 7. cap. 15

Τῆς ἑπταφθόγγου βασιλῆος, ὃν πάντες ἴσασιν.

Invocationibus arcanis, quas invenit magorum praeſtantiſſimus ſeptiſonae rex, quem omnes norunt. Seu, ut vertitur,

Vocibus arcanis, quas maximus ille magorum
Septiſonae dominus reperit, notiſſimus idem
Omnibus ———

Deſignari autem ab oraculo intelligere dixerunt ſe qui praeſentes fuere Hoſtanem ſeu Oſtanem, Aſtanem [h] interdum etiam nuncupatum; quod nomen quidem eſt obvium apud ſcriptores [i] qui de magis veteribus eorumque philoſophia agunt. Etiam & eouſque familiam in magia duxit ut Hoſtanae apud Perſas dicti [k] ipſi magi. Scaliger autem ad ſecundum verſiculum, βασιλῆος, inquit [l], τῆς ἑπταφθόγγου, rex ſeptiſonae, *eſt Oſtanes rex Babylonis. Babylon enim eſt* ἑπτάφθογγος, *hoc eſt ſeptem literarum.* Babylon quidem eſt ſeptem literarum; quod & aeque dixeris de τῷ Ὀστάνης. Nam elementum hic ſecundum ſeu ἐπίσημον in bina rite tribui poſſe nemo non videt. Atque ita βασιλῆος τῆς ἑπταφθόγγου, *rex* ſeu *dominus ſeptiſonae,* poſſet quidem intelligi tam pro *rege* ᾠδῆς ſeu λέξεως τῆς ἑπταφθόγγου, ſeu *vocis ſeptem literarum* (ut dixit ille, *homo trium literarum)* quam pro rege πόλεως ſeu *urbis* ſeptiſonae, uti vult Scaliger. Sed vero φθόγγος raro pro litera alia uſurpatur quam vocali, ſeu ſono per ſe ab alio diverſo. Atque ita ſane nec *Babylon* nec *Oſtanes* eſt proprie ſeptiſonus, ſed trium tantummodo ſonorum ſeu ſyllabarum. Neque interea tam pro *rege* βασιλέα ibi ſumi exiſtimandum eſt ſenſu vulgari, quam eo quo viri inſigniores eminentioreſque Homero, Heſiodo, aliis [m] βασιλῆες dicti. Nec ſatis compertum habeo Oſtanem Babylonis regem omnino fuiſſe. Suidas [n]; *Aſtronomiam Babylonii primum invenerunt* διὰ Ζωροάστρου, μεθ᾽ ὃν καὶ Ὀστάνης, *per Zoroaſtrem; poſt quem etiam Hoſtanes.* Cujus nomen tamen celebre non tam apud Babylonios quam Perſas primo fuit. Malim ſane ego per τῆς ἑπταφθόγγου intelligere aut τῆς συμφωνίας τῆς ἑπταφθόγγου, *concentus ſeptiſoni,* quo nomine [o] etiam ars ſideralis, ob veterum de orbium ſeptem coeleſtium harmonia opinionem, ſatis indicatur, aut τῆς ᾠδῆς, λέξεως ſeu τελετῆς ἑπταφθόγγου, *vocis, orationis,* ſeu *ſacri ſermonis rituſve ſeptiſoni.* Adeo ut Oſtanes ſic diceretur hujuſmodi vocis rituſque ſolennis rex, praefectus, ſeu moderator, autor, praeceptorque ſummus; qua notione & *regem* interdum Latinis uſurpari ſciunt pueri. Ritus nempe ἀστροθύταις ſeu *aſtrorum ſacrificulis* ſolennis, ſepties deos illos coeleſtes ſeu planetas verbis arcanis [p] invocandi: ſepties, ſive ipſorum ſpectes per ſingulorum dies numerum, ſive ritus ejuſmodi ſolennis ſeptemplicem cuilibet repetitionem. Nam & ea videtur fuiſſe in Oſtanis diſciplina hac magica. Quod eliciendum ex verſu quem, ſimulac nominatus eſt ab audientibus Oſtanes, effutiit oraculum,

Καὶ σφόδρα καὶ καθ᾽ ἕκαστον ἀεὶ Θεὸν ἑπτακιφώνῳ.

Vertitur,
Magna quemque Deum ac ſeptena voce vocabis.

Et, *valde & ſingulatim ſemper Deum ſeptemplici voce.* Pro vocabulo poſtremo legitur in MSS. aliquot ἑπτάκι φωνεῖν, forte pro ἑπτάχα φωνεῖν, quod verſioni priori ſatis conſonum: id eſt, planetam quemlibet ſuo die ſepties voce alta invocabis. Niſi forſan ἑπτακιφώνην velis hic fuiſſe nomen myſticum ipſius ſolis, ſeu Phoebi, eumque quotidie, velut numen ſupremum, ex praerogativa etiam ſimul invocandum; nam theologis gentilium τὸ ἑπτάκις ei ſingulare fuiſſe ſcimus ex Proclo [q]. Palam vero morem iſtum denominationis planetariae ab oraculo ſeculis etiam ipſo vetuſtioribus, ac magorum primariorum aevo, tribui ſic videmus. Invocabantur autem velut dii, quales exiſtimari eos voluit antiquitas gentilis. Unde etiam feriae ſeu dies ſeptimanae apud aſtrologos diu poſtea ἡμερῶν τῶν θεῶν, *dierum deorum,* nomen retinuere. Lemma eſt apud Petrum Alexandrinum [r], περὶ τοῦ γνῶναι ἑκάστην ἡμέραν, τίνος τῶν θεῶν ἐστιν, *ut ſciatur quaelibet dies cujuſnam deorum ſit*; id eſt, cuinam in orbe hebdomadico planetae ſit aſſignanda, ſeu quomodo ordine feriarum ſit denominanda. Nec praetermittenda eſt haereſis illa vetuſta quae dixit *nomina dierum Solis, Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, a Deo ita poſita ab origine mundi, non hominum vana praeſumptione nuncupata,* ut refert Philaſtrius [s]; qui, dum ejuſdem falſitatem deteſtatur, originem interea ejuſmodi denominationis planetariae Hermeti AEgyptio tribuit. Expreſſim ait, *A prima origine uſque ad Graecos reges & Hermen fallaciſſimum illum, qui haec nomina vaniſſima & frivola mentiendo auſus eſt nuncupare, ſi quaerere volueris, invenies multum fluxiſſe temporis, & ſic paganos, id eſt, Graecos, haec nomina poſuiſſe: cum* per *haec nomina etiam, ſecundum ſeptem ſtellas, dixerint hominum generationem conſiſtere, uti ille ipſe delirans hoc definit.* De ipſo originis denominationis hujuſmodi momento ſeu anno ſeu ſeculo non ita anxie diſquirimus. Sed ex hiſce demum liquet per gentes tum orientis tum occidentis, perquamdiu ante Joſephi aevum, idque per barbaras Graecaſque, morem illiuſmodi dies denominandi fuiſſe diffuſum, & temere nimis ſcripſiſſe aliquos [t] *diei Solis, Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, aut Saturni, nuſquam in antiquis autoribus apparere veſtigia.* Etenim non ſolum de more illo velut de re notiſſima loquuntur monumenta Graeca ac Latina, etiam Joſepho vetuſtiora aliqua, ut indicatum eſt; verum etiam petitur ex AEgyptiis Babyloniiſque, id eſt, primariis rerum mathematicarum arcanorumque theologiae gentilis magiſtris, παρ᾽ ὧν πολλὰς πίστεις περὶ ἑκάστου τῶν ἄστρων, *a quibus plurimas de unoquoque aſtro perſuaſiones,* Graecos veteres imbibiſſe ſcribit Ariſtoteles [v], aliique paſſim. Quin nec deſunt in magiſtris priſcis qui illud decalogi, *Memento diei ſabbati, ut ſanctifices eum,* ſic ſeorſim intelligi velint, ut etiam tunc temporis velut monitum haberetur, ne numerarent dies hebdomadis more eorum qui planetarum nomina eis indiderant, ſed quemlibet ipſius *ſabbati* vocamine denotarent, quemadmo-

[h] Apuleius in Apologia. [i] Plin. lib 30. cap. 1. Laert. in Prooemio. [k] Suidas in verb. Ὀστᾶνοι. [l] Prolegom. ad Emend. Temp. [m] Euſtath. ad Odyſſ α. [n] Verb. Ἀστρονομία. [o] Videſis Nicomach. Geraſen. in Enchirid. Harmonices, lib. 1 & 2. [p] Videſis Philoſtratum de Vita Apollonii, lib. 3. cap. 13. [q] In Timaeum Platonis, lib. 1 pag. 11. [r] Iſagoge εἰς τῶν ἀποτελεσματικῶν. [s] Lib. de Haereſibus, num. 111. [t] Phil. Beroald. in Chron. lib. 1. cap. 4. [v] De Coelo, lib. 2. cap. 12. Ptolem. Tetralib. lib. 1, &c.

dum

dum cum dicunt, *prima ſabbati, ſecunda ſabbati, tertia ſabbati*, pro *die Solis, die Lunae, die Martis*. Rabbi Iſaac [x] ſic verba illa interpretatur, לא תהא מונה כדרך שאחרים מונין אלא תהא מונה לשם שבת *Non numerabis more quo numerare ſolent alii; ſed numerabis per nomen ſabbati.* Quod ad denominationem planetariam gentilibus olim in uſu ſpectare vult Iſaac Abarbinel. Accedant hic etiam Vettius Valens Antiochenus & Petrus Alexandrinus, aſtrologi antiqui, & Ebraeus, Joſepho, ut magiſtris vulgo creditur, coaevus, id eſt, Rabbi Eliaezer τῶν פרקי *capitum*, nomine hoc inſignitorum, autor celebris. Hic ſane, ut rem notiſſimam vetuſtiſſimamque, planetas diebus hebdomadis aſſignatos tradit, & cum eo alii congeneres. Vettius etiam aſtrologis ſeu theologis vetuſtiſſimis gentium aſſignationem illam fert accepto. Sed opportunius horum verba afferimus dum lemma quod ſupra propoſuimus tertium, ſeu illud quod eſt de ſingulari planetarum in hac diſtributione ordine, tractamus; quod proxime faciendum. Unde etiam, uti & ex aliis quae in diſſertatione ſequuntur, ea quae de vetuſtate denominationis jam diximus haud parum firmabuntur.

CAP. XX.

De planetarum in diebus deſignandis ordine, ejuſque vetuſtate. Ἑπτάζωνος. Ἡμέρα σαββατική. *Zonarum notio, pro orbibus, ſpatiis ſeu circulis quibus circumferuntur planetae ſeptem. Commentitia apud Judaeos aliquot planetarum in diebus hebdomadis ordinis diſpoſitio. Orbis dierum hebdomadici conſtans apud veteres initium in die ſolis, quale hodieque manet. De Mahumedanorum* الجمعة *ſeu die Veneris illis ſacro.*

EUM ipſum planetarum in diebus denominandis ordinem, quo jam & per plurima abhinc ſecula utimur, Dionis tempore apud Graecos ac Romanos etiam & AEgyptios, unde acceperant iſti, obtinuiſſe, ex verbis ejus ſuperiori capite allatis liquet: Floruit ille ſub Alexandro Severo: Nimirum Solem, Lunam, Martem, Mercurium, Jovem, Venerem, Saturnum, hoc ordine, dierum denominaſſe orbem hebdomadicum. Neque opinor dubitandum quin ſuperioribus in ſeculis, & quae ultra Joſephum ſurſus excurrunt, idem eſſet ordo receptiſſimus. Elicere fas eſt quidem illud etiam ex ante dictis de planetariae denominationis, qua ordo is nec alius innuitur, vetuſtate. Et videmus ibi Solis, Saturni, Veneris, Mercurii dies ita ex veteribus memoratos ut ipſis qui nunc ſic dicuntur prorſus quadrent. Neque eſt quod ambigamus quin is ipſe ordo fuerit de cujus ratione diſputationem inſtituit Plutarchus [a]. Quid quod etiam in oratione ſacra ipſi Pythagorae tributa monitum reperitur [b] Ἀφροδίτῃ τι θυσιάζειν τῇ ἕκτῃ, *Veneri ſacrificandum eſſe ſexta?* ſi de ſexta hebdomadici orbis capiatur, teſtimonium videtur inſigne, Venerem in diebus locum, uti & nunc, tenuiſſe ſextum aevo Pythagorae; quod vetuſtiſſimum. Sed forte de ſexta menſis ineuntis eſt intelligendum. Nam paulo poſt dixit & Herculi ſacra immolanda ὀγδόῃ τοῦ μηνὸς ἱσταμένου, *octava menſis conſiſtentis.* Caeterum egregium eſt ad hanc rem quod legitur apud Vettium Valentem Antiochenum, aſtrologum priſcum. Is de heptazono & die ſabbatica ſeu hebdomadico orbe agens, ab intima antiquitate ipſum quo tamdiu uſi ſumus ordinem planetarum manaſſe haud parum confirmat. Caput ex ἀνθολογίων ſeu *floridorum* ejus MS. primo integrum exhibemus unum & alterum.

Ὑπὲρ Ἑπταζώνου ἤτοι σαββατικῆς ἡμέρας, ἀπὸ χειρός.

Περὶ δὲ τῆς ἑβδομάδος τῆς σαββατικῆς ἡμέρας οὕτως. Τὰ ἀπὸ Αὐγούστου ἔτη πλήρη καὶ τὰς ἐμβολίμους ἀναλαβὼν, πρόσθες καὶ τὰ ἀπὸ Θωθ ἕως τῆς γενεθλιακῆς ἡμέρας. Καὶ ἐκ τούτων ἀφαίρει ὁσάκις δυνῇ ἑπτά. Τὰς δὲ λοιπὰς ἀπὸ ☉ εἰς οἷον δ' ἂν καταλήξει ἀστέρα, ἐκείνου ἄρα ἡμέρα. Ἡ δὲ τάξις τῶν ἀστέρων πρὸς τὰς ἡμέρας οὕτως ἔχει, ☉ ☽ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄. Ἡ δὲ τῶν ζωνῶν διάθεσις οὕτως, ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☽. Ἐκ ταύτης δὲ τῆς διαθέσεως αἱ ὧραι σημαίνονται, ἐκ δὲ τῶν ὡρῶν ἡ ἡμέρα τοῦ ἑξῆς ἀστέρος· οἷον ἔτος α Ἀδριανοῦ, Μεχὶρ κζ Ἀλεξανδρεῖς ιγ ρ, ὥρα α, τὰ ἀπὸ Αὐγούστου ἔτη πλήρη ρμη καὶ ἐμβόλιμοι λς, καὶ ἀπὸ Θωθ ἕως ιγ Μεχὶρ ρξγ, γίνονται τμζ. Ἀφαιρῶ ἑβδομάδας μθ. λοιπαὶ δ· ἀπὸ ☉ καταλήγει εἰς ☿ ἡ ἡμέρα, καὶ ἡ α ὥρα ☿, ἡ β ☽, ἡ γ ♄, ἡ δ ♃, ἡ ε ♂, ἡ ς ☉, ἡ ζ ♀, ἡ η ☿, ἡ θ ☽, ἡ ι ♄, ἡ ια ♃, ἡ ιβ ♂, ὥρα α ρ ☉, β ♀, γ ☿, δ ☽, ε ♄, ς ♃, ζ ♂, η ☉, θ ♀, ι ☿, ια ☽, ιβ ♄. Εἶτα ἑξῆς γίνεται ἡ ἐπιοῦσα ἡμέρα, τοῦτ' ἔστι Μεχὶρ ιδ, ἀριθμὸς ♃, καὶ ἡ α ὥρα.

Περὶ οἰκοδεσπότου ἔτους.

Εἰ δὲ καὶ τὸν οἰκοδεσπότην τοῦ ἔτους θέλῃς ἐπιγνῶναι τῷ αὐτῷ τόπῳ οἷον ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ὑποδείγματος τὰ πλήρη Αὐγούστου ἔτη ρμη, καὶ ἐμβόλιμοι λς, καὶ τοῦ Θωθ δ (lege *α*, ut res ipſa exigit; neque hic ſolum in exemplari meo *δ* ſic pro *α* in numeris, librarii incuria, perperam ſubſtituitur) *γίνονται ρπε. ἐκ τούτων ἀφαιρῶ ἑβδομάδας κς, λοιπαὶ γ. ταύτας ἀπὸ ☉ καταλήγει, τὸ ἔτος ♂ ἐστίν· Ἐπὰν οὖν ἐπιγνῷς τὸν κύκλον τοῦ ἔτους, εὑρήσει καὶ τὸν κύκλον τοῦ μηνὸς οὕτως· τῇ τῶν ζωνῶν διαθέσει ἀναφερῶς χρώμενος· οἷον ὁ Θωθ ἔσται ♂· ἐπεὶ οὖν ἡ κθ τοῦ Θωθ πάλιν εἰς τὸν Ἄρεα καταλήγει, ἡ λ ☿, ἡ πρώτη τοῦ Φαωφ ἔσται ♃, ἡ π ♀ ἡ α τοῦ Ἄρεως ρ ♄* (locum incuria librariorum depravatum reſtituo; *♃, ἡ α τοῦ Ἀθὺρ ♄*) *ἡ τοῦ Χοιὰκ ☽, ἡ τοῦ Τυβὶ ☿, ἡ τοῦ Μεχὶρ ♀. Ἐπεὶ οὖν τοῦ μὲν ἔτους κύκλος ♂, τοῦ δὲ μηνὸς ♀, τῆς δὲ ἡμέρας ☿, τῆς δὲ ὥρας ☉, τούτους σκοπεῖν δεήσει ἐπὶ τῆς γενέσεως πῶς εἰσὶ κείμενοι· ἐπεὶ τόπος μὲν γὰρ καὶ τῆς αἱρέσεως πράξεως δηλωτικός· καὶ μάλιστα, ὅταν ὁ κύκλος τοῦ ἔτους διαπορευόμενος τύχῃ τὸν καταγόμενον ἐνιαυτὸν, ὁ δὲ τοῦ μηνὸς τὸν μῆνα, καὶ ὁ τῆς ἡμέρας τὴν ἡμέραν. Ἐὰν δέ πως παραπέσωσιν ἢ ὑπὸ κακοποιῶν μαρτυρήθωσιν, ἐναντιωμάτων καὶ ταραχῶν εἰσι δηλωτικοί. Ἐμοὶ δὲ μᾶλλον φυσικώτερον ἔδοξε*

[x] [illegible] *Mechilta* fol. 26. col. 2. Abarbinel in *Piruſh Tora* fol. 175. col. 3.
[a] Sympoſ. lib. 4. cap. 7.
[b] Jamblichus de vi[t]a Pythagorae cap. 28.

6

τὰ

τὰ πλήρη τὰ ἀπὸ Αὐγούστου ἔτη καὶ τὰς ἐμβολίμους λαβόντα, καθὼς πρόκειται), καὶ τὰς ἀπὸ Θὼθ ἕως τῆς γενεσιακῆς ἡμέρας, καὶ ἐκκρούσαντα ἑβδομάδας, καὶ τὰς λοιπὰς ἀπολύσαντα ἀπὸ ☉, ἐκεῖνον κρίνειν τοῦ ἔτους κύριον εἰς ὃν κατάληξεν ὁ ἀριθμός· Ἑκάστης γὰρ γενέσεως ἡ νουμηνία τὴν γενεθλιακὴν ἡμέραν ἐφέξει. Ἐν δὲ αὐτῷ ἔτει τοὺς γενομένους ὑπὸ μίαν οἰκοδεσποτίαν τετυχέναι οὐ δοκεῖ λόγον ἔχειν. Καθολικῶς οὖν τοῦ ἔτους κύριον καὶ κοσμικῶν κινήσεων οἱ παλαιοὶ ἐκ τῆς νουμηνίας Θὼθ κατελάβοντο. ἔνθεν γὰρ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔτους ἐποιήσαντο· φυσικώτερον δὲ καὶ (lego ἐκ) κυνὸς ἐπιτολῆς. Quae sonant,

Canon facilis de heptazono, seu *die sabbatica.*

Quod ad hebdomadem & diem sabbaticam seu septimanae diem attinet, sic faciendum est; integris ab Augusto annis ac diebus intercalatis adde dies qui a Thoth usque ad diem natalem effluxerint. Ex his dein quoties poteris abjice septem: reliquas a ☉ dinumera. Syderi quod numerum terminat dies natalis est tribuendus; seu *dignoscitur ex syderum ejusmodi dinumeratione quemnam in hebdomade locum dies natalis obtinuerit. Ordo autem syderum, qua dies designant, ad hunc modum se habet,* ☉ ☽ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄. *Zonarum autem dispositio est hujusmodi,* ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☽. *Atque ex hac dispositione horae indicantur: ex horis vero, dies syderis ordine insequentis. Verbi gratia; nascitur quis anno Adriani primo, Mechir mensis, juxta Alexandrinos*, 13, *hora noctis* I. *Integri ab Augusto sunt anni* 148, *dies intercalati* 36, *& a Thoth* (mensis ille anni AEgyptiaci primus erat) *usque ad* 13 *Mechir mensis*, 163. *Fiunt* 347. *Abjicio hebdomadas* 29. *Reliqui sunt dies* 4. *Dinumeratio a sole facta desinit in Mercurii die. Hujus hora prima est* ☿ (exemplar meum habet hic καὶ ἡ α ὥρα ρ ☿, *& prima horae noctis* ☿; sed delendum est illud ρ, quod pro *nocte* substitui solet; nam a summo mane initium diem apud Vettium hic, uti apud astrologos in hujusmodi calculo alios, habuisse nullus dubito.) 2 ☽, 3 ♄, 4 ♃, 5 ♂, 6 ☉, 7 ♀, 8 ☿, 9 ☽, 10 ♄, 11 ♃, 12 ♂, *hora prima noctis* ☉ (In MS. meo habetur tantum ὥρα ☉ *hora solis*; sed docet res ipsa, legendum ὥρα α ρ ☉) 2 ♀, 3 ☿, 4 ☽, 5 ♄, 6 ♃, 7 ♂, 8 ☉, 9 ♀, 10 ☿, 11 ☽, 12 ♄. *Inde fit dies insequens*, seu 14 *Mechir, Jovis*; *cujus etiam est ejusdem hora prima.*

De gubernatore anni.

Sin vero anni gubernatorem scire velis, pariter eodem in exemplo, cum sint anni Augusti integri 148, *& dies intercalati* 36, *& Thoth mensis* 1, *fiunt* 185. *Ex hisce demptis hebdomadibus* 26, *reliqui sunt dies* 3. *Dinumeratione a sole facta, annus Martis est*; nempe ad dierum rationem qua ☉ ☽ ♂ hebdomadis priores tres dies denominant. *Cognito ita anni domino, reperies etiam dominum mensis, si hac ratione, zonarum posituram ascendendo, utaris.* Τοῦ *Thoth dominus erit* ♂. Scilicet primi mensis idem est planeta qui, in ostenso calculo, anni est. *Quandoquidem igitur vigesimus nonus revolvitur in* ♂, *adeoque trigesimus in* ☿, *prima dies Phaophi* (vulgo *Paophi*) *erit* ♃, *prima Athyr* ♄, *prima Choiac* ☽, *prima Tybi* ☿, *& demum Mechir* (qui mensis est natalitius) ♀. *Reperto ita, anni dominum esse Martem, mensis Venerem, diei Mercurium, horae Solem; quomodo hi in themate disponantur advertendum est. Confert enim locus ad rerum gerendarum electionis indicationem; tunc vero inprimis quoties anni dominus anno instanti eum pertransit, aut dominus mensis in mense instante, aut diei dominus in die. Quin si debiles fuerint, aut stellis maleficis conjuncti, adversa & perturbationes significant. Caeterum mihi naturae videtur convenientius integros ab Augusto annos atque dies intercalatos, ut dictum est, sumere, praeter illas quae ab* initio *Thoth fluxere usque ad diem natalitium, &, abjectis hebdomadibus, reliquos a* ☉ *dinumerare, atque ipsum anni dominum censere in quo finitur numerus. Uniuscujusque enim nativitatis novilunium diem natalitium ipsum coercebit. Eodem autem in anno natos gubernationi unicae subditos esse, rationi non videtur consonum. In universum igitur, tum anni tum motuum mundanorum dominum veteres e novilunio Thoth accepere. Etenim inde annum sunt auspicati. Naturae vero magis est congruum, ut etiam ex canis ortu.* Hactenus Antiochenus ille, cui annorum ab Augusto putatorum epocha est AEgyptiaca illa, Romana annorum Augustanorum biennio, ut est apud Censorinum, antiquior. Menses sunt Actiaci. Sed de hisce consulas Josephum Scaligerum[c], chronologos alios. Et de rotundo hic annorum numero viderint, idque non immerito, chronologi; etiam de naeniis genethliacis astrologi. Sufficit abunde in rem nostram, hebdomadici dierum orbis denominationem planetariam, eodem quo utimur ordine, Vettii hujus aevo notissimam fuisse, & in astrologicas rationes ex antiquitate intima tunc receptam. Josepho quidem is recentior est: nec forte alius a Valente illo mathematico summo, qui natalitium urbis Constantinopolitanae thema jussu Constantini Magni constituisse tradidere aliqui, ut refert Zonaras[d], atque ex eo Michael Glycas[e], alii. Et e schedis vetustis ex oriente allatis descripsit olim mihi tantundem amicus eruditione ac virtute ornatissimus, Patricius Junius; Σημείωσαι (sic schedae illae) ὅτι ἐθεματίσθη ἡ Κωνσταντίνου πόλις παρὰ Οὐάλεντος ἀστρονόμου ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν ἐγγνίων (legendum ἐγκαινίων) αὐτῆς, διὰ προστάξεως τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου, ἐν μηνὶ Μαΐῳ ια, ἡμέρᾳ β, ἰνδικτιῶνος γ, ἔτους ἀπὸ κτίσεως κόσμου ε ω λ η. *Nota quod thema natalitium urbis Constantinopolitanae constitutum est ab Valente astronomo in die dedicationis ejusdem, idque jussu imperatoris Constantini, mensis Maii* XI, *feria secunda, indictione* III, *anno ab orbis conditu* 5838. At vero tametsi antiquior is non fuerit, nihilominus disciplinam suam astrologicam, cujus haec pars est insignis, hausisse se passim fatetur Valens ex autoribus vetustissimis, Petosiride, Necepsone[f], Abramo, quem τὸν θαυμάσιον nuncupat, Hermippo, Timaeo, Critodemo, Seitho, Apollinario, aliis qui prorsus periere. Similia apud Petrum Alexandrinum in Isagoge apotelesmatica habentur. Nam de diebus deorum, uti vocat ille, septem, eorumque do-

[c] Lib. 5. de Emendat. Temp. cap. de primo Thoth August. &c. lib. 3. Canon. Isag. pag. 267. [d] Annal. tom. 3. [e] Part. 4.
[f] Vidêlis Petrum Crinitum de Honesta Disciplina, lib. 19. cap. 13.

minio horario, ut tempore suo (coaevus Theodosio & Gratiano creditur) ex vetustissima origine in usu, qualem e Vettio Valente dedimus, fuse loquitur. Vide quod capite superiori ex illo affertur. Et rem totam a Valente, Petro Alexandrino, aliisque de denominatione ejusmodi tam mensium (ut vides in eis quae exscripsimus) quam dierum succincte complecti videtur Herodotus autor vetustissimus, dum priscos AEgyptiorum mores exsequitur: Καὶ, inquit[g], τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστι ἐξευρημένα. μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί, καὶ τῇ ἑκάστῃ ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔσται· καὶ τούτοισι τῶν Ἑλλήνων οἱ ἐν ποιήσει γενόμενοι ἐχρήσαντο. *Alia etiam sunt ab AEgyptiis excogitata; quis mensis diesve cujusque deorum sit*, id est planetarum, ut diserte Petrus Alexandrinus, *& quo quis die genitus, qualia sortietur, & quam mortem obiet, & qualis exsistet. Quibus rebus ii qui e Graecis in poesi versabantur usi sunt.* Sic ex AEgypto ejusque moribus ac disciplina vetustissima in Graeciam illam de planetaria denominatione cum caeteris ad artem genethliacam attinentibus traducit. Viderat illa Vettii Josephus Scaliger. Is scilicet, *Hebdomadem*, inquit, *dierum veteres Graeci* τὸ ἑπτάζωνον, *vel* τὴν ἑπτάζωνον, τῆς σαββατικῆς ἡμέρας *vocant, ut distinguant ab ea quae dicitur,* ἡ ἑπτάζωνος τῶν ἀστέρων, *quae est series septem planetarum,* ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☽; *sed* ἡ ἑπτάζωνος τῆς σαββατικῆς ἡμέρας, *ut eam vocat priscus scriptor Vettius Valens Antiochenus, est series dierum hebdomadis per notas septem planetarum* ☉ ☽ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄. Postea etiam, *Cyclus Solis est orbis* ἑπταζώνου σαββατικῆς ἡμέρας. Et alibi[h]: *Quam vocamus septimanam christiani, ipsi gentiles vocabant* τὴν ἑπτάζωνον, *septizonium, praesertim AEgyptii.* Alii Scaligeri sequaces eodem modo subinde *Heptazoni* vocabulum usurpant, viri quidem doctrina illustres; scilicet pro dierum orbe hebdomadico. Ipse item in Eusebianis[i] de Septizonio, quod & *Septizodium* interdum scribitur in Historia Augusta alibique, verba faciens, *Veteres*, inquit, *commutant haec inter se: ut circulum dierum hebdomadis quidam septizodium, alii septizonium vocant.* Et Bedae in Ephemeride *septizodium* usurpatur pro eo quod est redeuntium dierum septimorum cyclus. At vero non appellavit Vettius seriem dierum hebdomadis τὴν ἑπτάζωνον τῆς σαββατικῆς ἡμέρας, seu *septizonium diei sabbaticae*; nec, quantum video, veterum aliquis. Id quidem palam est, τὴν σαββατικὴν ἡμέραν ei dici diem in orbe hebdomadico quamlibet, perinde ac si dixisset septenariam. Nam quo modo apud veteres sabbatum, adeoque sabbaticum, quae ab eo quod quietem Ebraice significat fiunt, etiam pro septenario sumpta sint, superius[k] est ostensum. Et ἡμέρα ἡ σαββατικὴ ita non alia accipitur notione quam ἡμέρα ἡ ἑβδομαδικὴ, ut Graecis aliis nuncupatur. Et recte quidem Scaliger[l], *Vettius Valens*, inquit, *Antiochenus priscus scriptor* σαββατικὴν ἡμέραν *vocat quamlibet diem septimanae.* At vero τὸ ἑπτάζωνος adhibetur a scriptoribus Graecis pro serie duntaxat planetarum septem, non qua alio quam suo quem in coelo tenent ordine diebus tribuuntur, sed qua in coelo collocantur. Id manifestum satis est ex illo Valentis, ubi de dierum etiam a planetis denominatorum serie hic locutus, seorsim τὴν ζωνῶν διάθεσιν, *Zonarum dispositionem septem* (unde ἑπτάζωνος fit) coelestem & continuum planetarum ordinem tantum, nec semel, nuncupat. Et heptazonus simpliciter pro eodem ordine seu compage coelesti solum sumitur ab scriptore anonymo (quem compactum habeo cum Valente) de temporibus nati domini distribuendis. Οἱ πλείους μέντοι, inquit ille, μερίζουσι τοὺς χρόνους ἐπὶ πάσης γενέσεως κατὰ τὸν Ἑπτάζωνον, ἀρξάμενοι πρῶτον ♄ διδόναι, ἔπειτα ♃, εἶτα ♂, εἶτα ☉, μεθ' ὃν ♀, ἔπειτα ☿, καὶ ἑξῆς ☽, *Plerique distribuunt tempora cujuslibet thematis natalitii juxta heptazonum, incipientes a Saturno, & dein per Jovem, Martem, Solem, Venerem & Mercurium ad Lunam pervenientes.* Sic etiam Petrus Alexandrinus; Ὁ τοῦ ἑπταζώνου στοιχειωτικὸς λόγος, *Elementaria* seu vulgo receptissima *Heptazoni ratio*, usurpatur[m] pro eo quod est planetarum in coelo series vulgata. Qui interea dum, quemadmodum Vettius, disciplinam illam horarum & dierum astrologicam tradit, nullibi orbi dierum hebdomadico, sed duntaxat planetarum ordini continuo eorumque compagi, *Heptazoni* nomen tribuit: quoniam scilicet zonas habent planetae sibi numero pares. Nam tametsi apud cosmographos & astronomos sive veteres sive recentiores, quos terit vulgus, *Zonae* nomen ita plerumque occurrat tum pro intervallis quinque illis notissimis quae paralleli disterminant tropici & polares, tum pro ipsis his parallelis & aequatore, perinde ac si orbes seu circuli coelestes alii eo nomine neutiquam indigitarentur; atque etiam zonis his[n], uti & climatibus[o], planetas praeesse subinde doceatur; nihilominus *zonae* vocabulo etiam usi sunt veteres tum Graeci tum Latini pro cujuslibet planetae sive sede sive orbe sive spatio circulari in quo circumfertur aethereo. Theon Alexandrinus[p]; Ἔχει ὁ οὐρανὸς ζ ζώνας οὐκ ἐπιψαυούσας τῷ ζῳδιακῷ, ὧν τὴν μὲν πρώτην ἔχει ὁ Κρόνος, τὴν δὲ δευτέραν ὁ Ζεύς, τὴν δὲ τρίτην ὁ Ἄρης, τὴν δὲ τετάρτην ὁ Ἥλιος, τὴν δὲ πέμπτην ἡ Ἀφροδίτη, τὴν δὲ ἕκτην ὁ Ἑρμῆς, τὴν δὲ ἑβδόμην ἡ Σελήνη. Ὁ μὲν δὲ ζῳδιακὸς κύκλος ἀνώτερός ἐστι πάντων. *Habet coelum septem zonas zodiaco non conterminas, quarum primam habet Saturnus, secundam Jupiter, tertiam Mars, quartam Sol, quintam Venus, sextam Mercurius, septimam Luna. Circulus autem zodiaci* in coelo stellato *his omnibus est superior.* Petrus item Alexandrinus[q]; Ἔστι δὲ ἡ τάξις τοῦ ἑπταζώνου ἔχουσα οὕτως· Ὁ μὲν γὰρ ♄ ἀστὴρ ἐκληρώσατο τὴν α καὶ κειμένην ἐν τῷ πάγῳ, ὁ δὲ ♃ τὴν δευτέραν καὶ εὔκρατον, &c. *Ordo heptazoni hujusmodi se habet. Stella Saturni sortitur primam & supremam zonam, quae frigida est ac in glacie sita; Jovis secundam, quae temperata est.* Et sic de caeteris pergit. Achilles item Tatius in Aratum; Οἱ περὶ τὰ μετέωρα δεινοί φασι ζώνας τινὰς εἶναι ἑπτά, δι' ὧν φέρονται οἱ ἑπτὰ ἀστέρες, *Coelestium rerum periti aiunt zonas quasdam esse septem per quas totidem feruntur stellae,*

[g] In Euterpe [h] In Manilii Isagogic 2. pag. 290. [i] Animad. pag. 209. [k] Cap. 17. [l] Canon Isagog. lib 3. pag. 177. [m] Isagog. cap. περὶ πολεύοντος καὶ οἰκοδεσπότου. [n] Achil. Tatius in Aratum, cap. 29. & liber Eratosthenis dictus, in eundem, cap. 3. &c. [o] Bardesanes apud Euseb. Praep. evangel c lib. 6. cap 10. Haly & Albumasar citati in Summa Astrologiae Anglicanæ, tract. 1. dist. 8. cap. 1. [p] In Aratum. [q] Isagog. cap. περὶ πολεύοντος, &c.

ſeu planetae ſeptem. Inde vetus illud[r], τ̓ δημιουργὸν ἓξ ἀνακρεμάσαι ζώνας, ἕβδομον ἡλίου μετεμβολήσαντα πῦρ· *Rerum creatorem ſex ſuſpendiſſe zonas, atque eorum in medio Solis ignem collocaſſe.* Conſonum eſt oraculum illud Apollinis, qui conſultus quo ſenſu coeleſtes orbes multos eſſe dici ſoleret,

> Εἷς, inquit[s], ἐν παντὶ πέλει κόσμῳ κύκλος, ἀλλὰ σὺν ἑπτὰ
> Ζώναισιν περιφόρηται ἐς ἀστερόεντα κέλευθα.

Unicus in toto eſt mundo circulus; ſed cum ſeptem zonis fertur in itinera aſtrica. Atque zonas has porro οὐρανίας *coeleſtes* dici ſolitas ait Chaldaeis Ebraeiſque. Hinc etiam Chaldaeis dii fuere alii ζωναῖοι, alii ἄζωνοι, ut notat Michael Pſellus ad oracula Chaldaica. Et Servius Honoratus[t] ad illud Virgilii, *Et diis communibus aras; ut altioris ſcientiae hominibus placet, dii communes ſunt qui ἄζωνοι dicuntur, id eſt, qui coeli certas non habent partes, ſed generaliter a cunctis coluntur: ubique enim eos eſſe manifeſtum eſt. Ut mater deum, cujus poteſtas in omnibus zonis eſt. Nam ideo & mater deum dicitur, quod cum omnibus eſt ejus communis poteſtas.* Et Martianus Capella[v]; *Ex cunctis igitur coeli regionibus advocatis diis, caeteri, quos Azonos vocant, ipſo commonente Cyllenio convocantur.* Id eſt, dii zona ſibi propria, orbe ſeu circulo carentes. Adeo tandem ut circuli, orbes, ſeu ſpatia, quibus circumferrentur planetae ſeptem, totidem dictae fuerint *zonae*, velut inferiora mundi circumcingentes; quemadmodum & ſignifer ipſe ſub quo moventur, Manilio[x] dicitur *ingenti ſtellatus balteus orbe*; nam *balteus* plane zona eſt. Unde & Vitruvius[y] loquitur *de zona* XII *ſignorum & ſeptem aſtrorum.* Et Arabes zodiacum ſubinde eadem notione appellant النطاق & منطقة id eſt, *cingulum*, ſeu *zonam.* Hinc in Alcabitii fronte, *Nitach, id eſt, circulus, ſignorum dividitur in* XII *partes*, &c. Ab hac etiam zonae notione nuncupavit Nonnius[z] οὐρανὸν ἑπτάζωνον *coelum heptazonum.* Et parili notione *zona* uſurpatur non ſemel Claudiano. In Theodoſii apotheoſi ait[a] eum, globum lunae ingreſſum, Mercurium dein, Venerem, Solem, Martem, & Jovem permenſum eſſe, & demum *ſtetiſſe*

> ———*arce ſuprema,*
> *Algenti qua zona riget Saturnia tractu.*

Alibi[b] etiam de urbe Roma;

> *Quae ſeptem ſcopulis zonas imitatur Olympi.*

Et de Clementia[c];

> *Quae Jovis incoluit zonam*———

Non diſſimili notione dicta eſt Orpheo[d] oceani ſeu pelagi *zona*, eo quod terram cingit. At vero nondum comperi orbem dierum hebdomadicum *ſeptizonum* aut *heptazonum* apud priſcos, ut vult Scaliger, dici; tametſi diem in orbe illo *zonam* per metaphoram non immerito autumarit forte quis nuncupari apud Auſonium in Eclogario. Nam nomina ſeptem dierum planetaria carmine deſcribens, de Mercurii & Jovis die inquit;

> *Mercurius quarti ſibi vindicat aſtra diei,*
> *Illuſtrant quintam Jovis aurea ſidera zonam.*

Ubi tamen *zona* poteſt etiam accipi de ipſa planetae zona, *quinta* ibi dicta, ſi *heptazonum* de planetis itidem dici velis cum nec ſuo ſed dierum ordine ipſi numerantur. Caeterum Scaliger non ſolum ſeptimanam ſed & omnem ſeptenarium ordinem *ſeptizonium* & *ſeptizodium* vocatum ait. Quin & *ſeptizonium* apud AElium Spartianum (*ſeptizodium* etiam dictum, ut ejuſdem libri prae ſe ferunt, qui idem vocabulum habent tam in Antonio Geta quam in Severo) ita cenſeri vult ille[e] ut omnia aedificia ex molibus alia alii impoſitis conſurgentia idem ſignificet. *Severi ſeptizonii*, inquit Marlianus[f], *ſuperſunt Romae tres ordines columnarum invicem ſuperimpoſitarum. Alios autem quatuor inſuper fuiſſe quidam putant, & ideo Septizonium dictum quod ſeptem ordinibus columnarum jungeretur, ut ſeptem zonis.* Sic item Coelius Rhodiginus[g]. Sed & Severo vetuſtius illud in ſubſtructionibus nomen. Nam Suetonius[h] Titum memorat *natum in ſordidis aedibus prope ſeptizonium.* Sed, ut de *heptazoni* & *zonae* notione ac uſu plura non adjiciamus, luce, puto, clarius eſt tam Vettio Valenti quam Petro Alexandrino, aliiſque, ſeriem ſeu compagem planetarum continuam & coeleſtem, non pro dierum ſive denominatione ſive regimine immutatam, *heptazoni* nomine indigitatam; uti etiam ordinem illum immutatum, quo hodieque utimur, ex vetuſtis aſtrologorum monimentis ac diſciplina manaſſe. Neque enim aliter de hoc loquuntur atque de eo quod ex antiquitatis intimae penu, id eſt AEgyptiorum Chaldaeorumque, diſciplinis quas occidens acceperat, hauſiſſent. Quin & ordo ſeu ſeries illa planetarum in diebus deſignandis eadem eſt Judaeis vetuſtis, & vetuſtiſſima habita, tametſi non ſit eadem eorum omnibus ordinis illius in orbe hebdomadico nominibus aptandis diſpoſitio. Etenim in iis ſunt qui ab ipſis rerum initiis ordinem petentes primum diem Mercurio, ſecundum Jovi, tertium ♀, quartum ♄, quintum ☉, ſextum ☽, & Marti ſeptimum aſſignant; adeo ut, a rerum origine diebus putatis, Mars ſeptimum, non Saturnus, ut vulgo, ſortiretur, & Sol ſextum, non primum. At interea non ſolum ordinem eundem ipſum quem tum ex Dione & Vettio, tum ex hodierno habemus uſu, retineri vides; verum etiam vetuſtiſſimam dierum juxta planetarum apud gentiles numerum dinumerationem ipſis Judaeis habitam. Commentum habent dum hac de re loquuntur Judaei[i] aliqui perridiculum de exorta die creationis quarto, ſeu quo ſidera creata ſunt, inter luminaria controverſia; lunam ſcilicet graviter ferentem planetarum poſtremum ſe fieri, non ſolum in orbium poſitura,

[r] Apud Proclum in Timaeum Plat. lib. 4. pag. 258. [s] Porphyrius apud Euſebium praeparat. evangelic. lib. 9. cap. 10. [t] Ad AEneid. 12. [v] De Nuptiis, lib. 1. [x] Aſtron. lib. 1. [y] Architect. lib. 9. cap. 4 [z] Dionyſiac. α. [a] Panegyric. de 3. conſulatu Honorii. [b] De Laudibus Stilicenis lib. 3. [c] Ibid. lib 2. [d] In Theologia apud Euſebium prep. evang. lib. 3. cap. 9. alii. [e] Animadver. Euſeb. ad num 2216. [f] Topograph. Romae lib 4. cap. 6. [g] Antiq Lect. lib. 22. cap. 19. [h] In Tito cap. 1. [i] Lib. Neomeniarum & AEquinoct. a Munſtero edit. pag 91. in calendario Ebraico.

verum

verum etiam in diei horarum dominio, in solem querelam procaciter instituisse, atque ob calumniam demum luce, quam antea multo majorem fuisse nugantur, minutam esse. Quod vero habent de postremo lunae loco in horarum dominio non satis, si diis placet, procedit, nisi diem illum quartum, quo lumina creata, Saturno, ut dictum est, tribuant. Nam sic hora ejus prima erit, lunaeque septima, seu in primo horarum assignatarum ordine postrema. Adeoque ex hoc commento alia illa jam memorata planetarum in hebdomade ordinis dispositio nata est. Atque hinc intelligendus Rabbi Eliaezer [k], כל הכוכבים משרתים לשבעה כוכבים של שעות ושכן כלש״צמחן והם משרתי׳ לשבע ימי השבוע יום א׳ כוכב חמה יום ב׳ צדק לבנה יום ג׳ נוגה מאדים יום ד׳ שבתאי כוכב יום ה׳ חמה צדק יום ו׳ לבנה נוגה יום ז׳ מאדים שבתאי ; Haec quidem sonant, *Sidera universa ministri sunt sideribus septem, quae horis praesunt, quorum characteres sunt* ☿ ☽ ♄ ♃ ♂ ☉ ♀. *Hi autem ministri sunt diebus septem hebdomadis: diei* 1 *Mercurius, Sol*; *diei* 2 *Jupiter, Luna*; *diei* 3 *Venus, Mars*; *diei* 4 *Saturnus, Mercurius*; *diei* 5 *Sol, Jupiter*; *diei* 6 *Luna, Venus*; *diei septimo Mars, Saturnus.* Ita, inquam, verbotenus reddita sonant. Sensus autem neutiquam proculdubio est binos cuilibet diei planetas assignari. Sed cum juxta commentum illud de Solis & Lunae controversia dies quartus Saturno, primusque Mercurio (unde ab hoc planetarum etiam numerus hic sumit initium) tribueretur, caeterique eadem dispositione dies alias quam vulgo acciperent denominationes, vix ambigendum putaverim quin commentitiae huic dispositioni vulgaris ac recepta, sive a librariis sive a lectore aliquo prisci seculi inter lineas posita, typis simul mandaretur, adeo ut verba dispositionis diversitatem tantum, non partiarium singulis diebus planetarum sive ministerium sive imperium, ad hunc modum denotent.

☿ ♃ ♀ ♄ ☉ ☽ ♂.
Dies 1 2 3 4 5 6 7.
☉ ☽ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄.

Superior verparum aliquot commentitia est, inferior vulgaris & antiquissima dispositio, quam & ita esse satis asserunt Judaei alii, quibus [l] Saturnus Ebraice שבתי id est *sabthi*, נקרא בן מצד היותו מושל ביום השבת *sic nuncupatur quia dominus est sabbati*, seu sabbato inter planetas assignatus est, id est diei septimo, non quarto. Certe inter Levitas apud Nehemiam [m] nomen habetur etiam שבתי *sabbati*, seu *sabbataeus*, velut a *sabbato* itidem deductum: perinde ac si *hesychium* aut *requietum* diceres. Summa demum esse videtur quod existimat Joannes Philoponus [n], gentiles, quemadmodum stellas inerrantes aliis atque aliis deorum daemonumque aut heroum, velut Orionis, Herculis, id genus aliorum, nominibus dedicarunt, sic etiam ταῖς ἡμέραις ἑπτὰ πεπιστευμέναις ὑπὸ πάντων ὑπάρχειν, *cum ab omnibus septem dies* (seu periodus a rerum initiis dierum septenario numero terminari solita) *esse crederetur*, aut hisce planetas numero suppares, aut planetis hosce ordine jam dicto tribuisse. Et de ordine ipso planetarum in diebus denominandis hactenus. Dierum autem denominatorum ordo (quicquid de Mercurii initiis, & inaudita alibi illa orbis hebdomadici dispositione, qua sol quintum sortitur diem, & Saturnus quartum, loquantur Judaei aliqui jam citati) passim apud veteres alias ejusmodi est ut primus Soli tribuatur, adeoque postremus Saturno, caeteris intervenientibus, non aliter atque juxta morem hodiernum; seu, ut Ausonio,

Cuncta supergrediens Saturni septima lux est,
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

Solis diem *octavum*, *supremum*, & *primum* pariter vocat. In ogdoade scilicet ex repetitione facta est is tam supremus quam primus. Neque alium fuisse veteribus ordinem palam liquet ex eis quae a Vettio Valente aliisque supra depromta sunt. At vero Nicolaus de Cusa cardinalis *Septem*, inquit [o]; *dierum numero apud omnes nomina revolvuntur* (de gentibus quae Europaeis etiam antiquitus cognitae *omnes* hac in re semper intellige) *licet de prima septimanae die ac dierum nomine diversitas sit. Christianorum septimanae initium est a die dominico, Graecorum ac Alexandri a die Lunae, Jesnargit* Jesdegird *a die Martis, Nabugodonosor a die Mercurii, ethnicorum a die Jovis, Elhigera a die Veneris, Hebraeorum a die sabbati.* Palam negat initium septimanae idem omnibus esse, utcunque in universum periodum dierum septenariam omnibus in usu esse asserat. Sed oscitanter nimis perperamque hoc traditum. Quae enim affert de omnibus quos memorat, modo christianos excipias, ad rem de qua loquitur non omnino attinent. Certe ut christianis tam orientis quam occidentis initium septimanae est dies dominicus seu solis (unde & dixere Graeci christiani [p] annum ἑβδομαδικῶς κανονίζειν, *hebdomadice ordinare*, pro eo quod est a die Solis incipere) ita pariter reliquis. Dies autem quos habet ille alios, velut pro variis septimanae initiis, sunt dies epocharum chronologicarum, seu dies alii atque alii in septimana, id est feriae aliae atque aliae, a quibus anni solum putantur, neque ad orbis hebdomadici initium spectant. Verbi gratia, ubi ait septimanae Jesdegird, id est Persicae, initium esse a die Martis, id non aliter verum est nisi intelligas characterem annorum Persicorum a regno Jesdegird esse diem septimanae tertium, interim septimanae initio etiam apud Persas in die Solis, non Martis, collocato. Sic illud, diem Mercurii initium esse septimanae Nabugodonosor, nihil aliud est quam a feria quarta annos ejus putandos. Nabonassarus scilicet ille, cujus epocha astronomica illustris in Almagesto Ptolemaei, intelligitur. Alfraganus; *Character annorum Persicorum a regno Jezdaieris* Jesdegird *filii Schared filii Cosre est dies tertius*; id est Martis. *Character annorum AEgyptiorum in libro Almagesti a regno Nebuchadneziris Babylonii est dies quartus*, id est Mercurii. De aliis ille similiter. Quod ideo adjeci ut etiam ex scriptore Mahumedano hoc vetere manifestum fiat septima-

[k] *Pirke*, cap. 6. [l] Jehuda Ben. Saul ad *Sepher Cozri*, part. 1. cap. 57. fol. 27 b. [m] Cap. xi. 16. [n] De Mundi Creatione, lib. 7. cap. 14. [o] In Reparat. Calendarii. [p] Maximus Martyr in computo ecclesiast. part. 1. cap. 23.

nae

6

nae initium dierumque in ea ordinem ejuſmodi fuiſſe ut locum primum ſolis dies ſortiretur. De caeteris apud Cuſanum non aliter ſtatuendum. Quod habet de ethnicis, intelligo de Mahumedanis, quos eo nomine occidentis lingua non ſemel notavit. Dies Jovis ſeu quintus epochae fugae Mahumedis e Mecha aſſignatur etiam ab Alfragano, unde Cuſanus. Sic Georgius Almacinus, alii.

Elhigera autem, ſeu الهجرة, pro eadem notiſſima Mahumedis aera etiam ſumitur, cujus initium feria ſexta ab aliis collocatur. Dies vero ſecundus, ſeu lunae, aerae Alexandreae etiam Alfragano aliiſque initium eſt. Sed quid hæc ad initium ſeptimanae? Sabbatum demum Ebraeis, ut vult Cuſanus, ſeptimanae initium fuiſſe, nemo dicet qui ſive novi foederis illud recoluerit de *una* ſeu *prima ſabbati* pro die ſolis ſeu prima ſeptimanae, ſeu tralatitiam eorum dinumerandi rationem per *primam*, *ſecundam*, *tertiam*, &c. *ſabbati*, pro hebdomade ſumpti, meminerit; tametſi videam quidem alios [q] eundem errorem cum Cuſano obiter admittere. Sed plane quod Cuſano in animo hic fuit, id ad annorum mundi epocham ſpectat. Nimirum palam liquet ſabbati diem, ſeu ſeptimum in periodo dierum a mundi conditu prima, primum eſſe in computo inde annali, ſed interea ſeptimum ſeu poſtremum in orbe hebdomadico. Neque ſolum eis qui planetarum nominibus hic frequentius uſi ſunt, adeoque ſolem praepoſuere, nec Judaeis ſolum & Chriſtianis tam orientis quam occidentis, quibus idem eſt, feſti etiam recurrentis gratia (his diei dominici, quem primum habent, illis ſabbati, quem diem habent ſupremum) in orbe hebdomadico initium, dies ſolis, idque ex more veterrimo, eſt feria prima, ſeu prima ſabbati; verum etiam apud ipſos Mahumedanos, quibus nec ſolis nec Saturni dies feſtus eſt, is qui ſoli tribuitur locum in ordine illo obtinet primum; quod tum ex Alfragano Mahumedano ſuperius citato palam ſcimus, tum ex Abugiafare, aliiſque ejuſdem ſectae hiſtoricis, theologis, chronologis. Almacinus ex Abugiafare [r];

لول الهجرة كان يوم الخميس واخر مدة

حياته يوم الاثنين *Primus dies Hegirae, ſeu Mahumedis fugae, dies fuit quintus*; *& ultimus vitae ejus, ſecundus.* De Jovis & Lunae diebus nemo non intelligit. Quamplurima id genus ſunt obvia alia apud eum ex eodem Abugiafare. Et vide ſeriem dierum inferius capite vigeſimo ſecundo. Feſtum autem hebdomadicum interea illis eſt dies ſextus ſeu Veneris: Sed nec inde orbem ſeptimanae incipiunt, nec eo claudunt. Joſephus Scaliger [s]; *Quod Mucharam Hegirae coepit a feria ſexta, ideo eam diem ſacram Mahumedanis dicunt ab eo tempore. Ego ſcio antiquiorem ſuperſtitionem eſſe propter Venerem, quam* Chobar *vocabant, & ſumma ſuperſtitione antiquitus venerabantur. Caeterum feria ſexta illis dicitur* جمعة Giuma, *hoc eſt,* συνάξις, ἐκκλησία, ὁμιλία, *quae ea reverentia illis eſt qua Judaeis ſabbatum, chriſtianis dies ſolis.* Atque ſic paſſim apud viros doctiſſimos nominis يوم الجمعة *diei Giuma* ratio inde petitur, quod conventus Mahumedanis ſacer tunc haberi qualibet ſeptimana ſolet. Verum quidem eſt; ex vi nominis ſimplici illud idem ſignificare. Caeterum ſunt in Mahumedanis ipſis qui ex rerum creatarum, eodem in rerum initiis die, ſeu univerſi compage abſoluta diem *Giuma* dictum velint: a verbo ſcilicet

جمع quod *congregare* ſeu *in unum corpus conflare* denotat. Etenim ſic lego in Abu Walid Mahumed Ben Elſhecina, hiſtorico veteri MS. qui rerum initia & ſex creationis dies exſequens, ait,

ثم خلق الكواكب والشمس وغير ذلك

وكان ابتدا ذلك يوم الاحد الي يوم الجمعة

وسمي يوم الجمعة لاجتماع تكامل اصول

الخلق فيه *Tunc creavit ſtellas, & ſolem, & quae ſunt id genus caetera. Et continuatum eſt opus illud a die primo in diem Giuma. Ideo autem vocatur dies Giuma quoniam eo in univerſum rerum primo creatarum compages eſt abſoluta*, ſeu τοῦ παντὸς fuit συμπλήρωσις. Certe & Arabes Chriſtiani eodem nomine ſolent ſcriptis ſuis nuncupare feriam ſextam; quod eos noluiſſe facere autumandum, ſi tantummodo ſacer Mahumedanorum conventus eo innueretur. Sic Saidus Batricides, patriarcha Alexandrinus, ſcribit Adamum e paradiſo ejectum hora nona

من يوم الجمعة *diei Giuma.* Quo nomine alias pro eodem die ei ſolenne eſt uti. Quin & qui Arabice novum tranſtulit foedus pro *paraſceve ſabbati*, id eſt die Veneris, الجمعة paſſim ſubſtituit [t]. Mahumedanum autem illum, qui, ſicut diximus, hoc derivat, in animo etiam habuiſſe

non dubito vocabulum جميع *Giamia* toties iteratum in Geneſis Arabicae hiſtoria creationis pro eo quod eſt *omne* ſeu *univerſum.* Et [v]

وبطل في اليوم السابع من جميع صناعته

التي عمل *Et quievit in die ſeptimo ab univerſo opere quod fecerat.* Certe perſuaſum habeo cum Scaligero, Hegira antiquius eſſe, etiam ſub nomine *Giuma*, feſtum illud. Sed an a Saracenico cultu Veneris derivandum (quod & olim [x] exiſtimavi ipſe) haud parum dubito. Antiquius eſſe, eliciendum videtur ex eo quod in Alcorano memoratur, velut notiſſimum, feſti nomen, quo etiam, ut lemmate, ca-

[q] Henr. Ranzovius in Calendario, pag. 112. Valent. Schindler. Lexic. Pentaglot. col. 324. [r] Saracen. Hiſt. lib. 1. [s] De Emend. Temp. lib. 2. pag. 132. [t] De Matth. xxvii. 62. Marc. xv. 42. Luc. xxiii. 54. Joan. xix. 14, 31, & 42. [v] Geneſ. ii. 2. [x] D. Diis Syntagm. 2.

pitis integri frons insignitur. Verba sunt [y],

يا ايها الذين امنوا اذا نودي للصلوة من يوم

الجمعة فاسعوا الي ذكر الله وذروا البيع


ذلكم خير لكم ان كنتم تعلمـــون

O vos qui e credentium sitis numero, quando convocatur ad precandum in die Giuma, seu *die Veneris* (uti & vertitur a Retinensi; & notat ibi Mahumedes Ben Achmed (من بمعي ـــــيــق) *mercandi negotia relinquite* ; *quod bonum est vobis, si sapitis.* Et quod ad originem festi quatenus a Mahumedanis retinetur attinet; cum partim e christianis partim e judaicis ritibus conflatum esse mahumedismum certum sit, an non constitutioni Constantinianae illi qua tam dies Veneris, seu feria quod prosabbatum est, quam solis dies, seu dominicus, festus habendus erat, ea debetur? In christianismo quidem diu est quod evanuit constitutio illa. Sed forte inde diem illum in colluviem suam recipi voluit Mahumedes. De constitutione illa Eusebius [z], Sozomenus [a], Nicephorus [b] Callistus; unde Baronius [c].

CAP. XXI.

De ordinis in orbe dierum hebdomadico planetarii ratione. Horarum praefecturae, apud astrologos veteres, planetariae. De horarum vetustate. Priscorum sententiae de heptazoni seu planetarum in coelo ordine. Unde argumentum a nonnullis adversus denominationis hebdomadicae vetustatem perperam affertur.

ORdinis in diebus designandis planetarum jam ante ostensi ratio seu causa, juxta superius proposita, proxime est inspicienda. Nam ex ea etiam rite perpensa tum facilius diluuntur nonnulla quae ejus orbisque dierum, qualem descripsimus, hebdomadici vetustati adversari videantur, tum ipsa vetustas pressius asseritur. Sunt quidem qui rem fortuito seu κατ' ἐξουσίαν αὐτόνομον, *pro hominum libitu*, citra rationem rei ipsi aptandam, factam opinentur [d]. Alii inter veteres de causa disputarunt, quorum scripta temporum injuria delevit. Partem dico desideratissimam quarti symposiacon Plutarchi Josepho, cujus verborum gratia dissertatio haec tota instituta est, coaevi. Titulum ejus ea de re habes supra capite decimonono. Certe & verisimile est, Hermetis AEgyptii libros illos vetustissimos, de quibus Clemens Alexandrinus, seu volumen illud ejus Panaretum dictum apud Petrum Alexandrinum, rationem hanc aperuisse. Nam astrologica non pauca, atque inprimis ad planetarum ordinem, regimen, usum spectantia, in libris illis contineri ex autoribus jam dictis, qui eos memorarunt, satis liquet. Ratio autem seu causa ordinis illius planetarum intermissi alia atque alia habetur tum apud veteres quorum scripta non periere, tum apud recentiores. Triplex ferme apud veteres occurrit; prima ex proportione musica petita; ex horarum praefecturis secunda; & demum, ex alternatione quadam planetarum luminibus vicinorum tertia. Quod ad primam attinet; cum in hebdomade sic disponantur planetae ut sole diem primum occupante, lunaque proximum, bini in ea orbium serie quae vulgo agnoscitur, & Ptolemaica est, semper itidem praetermittantur, quartusque ab antecedente repetito in dierum denominatione (ut in adjecto tum heptazoni tum denominationis hebdomadicae ordinis paradigmate) sequatur, id est ut saltus in quartum quemque




planetarum fiat; fuere [e] qui juxta harmoniam quae diatessaron dicitur ordinem planetarum illum intermissum existimarint primo institutum; adeoque musicum esse voluerint. Et de musicis in coelo rationibus obvia sunt non pauca ex Pythagoreorum aliorumque veterum scholis apud Ptolemaeum [f], Macrobium [g], Nicomachum Gerasenum [h], alios; quemadmodum & inter recentiores summi nominis [i] mathematicos. Ratio hic secunda, seu quae ex horarum praefecturis pendet, ipsissima est quae exhibetur in eis quae superius ex Vettio Valente Antiocheno afferuntur. Etenim distributis secundum vulgarem orbium seu heptazoni seriem continuam viginti quatuor diei cujuslibet seu temporis nychthemerini horis inaequalibus (scilicet diei naturalis duodecim, totidemque noctis) adeo ut planeta cui dies cognominis primam sortiatur horam, caeterasque caeteri suo deinceps ordine continuo in orbem redeuntes; is qui horae proximi perpetuo diei primae praefectus est, eidem etiam diei nomen tribuit; quod putanti manifestum est. Utraque ratio a Dione simul, velut ab anterioribus seculis accepta, traditur. Sed posteriorem video viris doctis qui res hujusmodi seculis recentioribus tractant maxime placere; veluti Nicolao cardinali Cusano [k], Joanni Garcaeo [l], Francisco Maurolyco [m], Joanni Lucido [n], Christophoro Clavio [o], Francisco Barocio [p], Rodulpho Hospiniano [q], Joanni Keplero [r], aliis. Tertia ratio, seu quae pendet ex varia planetarum reliquorum luminibus

[y] Azoar. 62. Arab. 72. Lat. [z] De Vita Constantini, lib. 4 cap. 18. [a] Hist. Eccl. lib. 1. cap. 8. [b] Hist. Eccl. lib 7. cap 46. [c] Annal. tom. 3. ann. 321. [d] Philopon. de Mundi Creatione, lib 7. cap. 14. [e] Dio Hist 37. Xiphilin. in Pompeio. [f] Harmonic. lib. 3. cap. 10, &c. [g] Macrob. in Somn. Scipionis. [h] Enchirid. Harmonic. lib. 1. [i] J. Kepler. Harmonices Mundi, lib. 5. cap. 3. & in Prodromo Dissertat. Cosmographic. [k] In Reparat. Calendarii. [l] Tractat. 1. de Tempore, cap. 29. [m] Lib. de Sphaera, & in Cosmograph. Dialog. 1. [n] De Emend. Temp. lib. 1. cap. 1. [o] In cap 1. Joan. de Sacro Bosco. [p] Cosmogr. lib. 3. cap. 2. [q] De Origine Fest. cap 5. [r] Epit. Astronomiae Copernicanae, lib. 3.

vicinitate

vicinitate atque alternatione, habetur apud Bedam[s]: *Haec erat*, inquit ille, *stultitia Gentilium falsa ratiocinatione subnixa, qui quasi jure primam diem Soli, quia maximum est luminare; secundam Lunae, quia secundum luminare est, se consecrare putabant*, (&) *de inordinata alternatione tertiae diei primam a Sole stellam, quartae primam a Luna, quintae secundam a Sole, sextae secundam a Luna, septimae tertiam a Sole praeponebant.* Atque ita hac de re veteres. Recentiorum autem qui diffident instar omnium erat vir praestantissimus Josephus Scaliger. Is non horas in causa fuisse opinatur appellationis dierum (nam appellatione ejusmodi horarum usum ac distributionem recentiorem facit) sed potius dies, horarum. *Ea appellatio*, inquit Scaliger[t], *longe antiquior horis. Quare non ab horis planetariis nomina diebus septimanae imposita, sed potius superstitio appellationis dierum in horas derivata.* Alibi item de Ebraeis veteribus[v], quorum scilicet res in foedere veteri enarrantur, locutus, *Ne horarum quidem*, scribit, *ulla apud eos mentio. Nam diem*, id est, τὸ νυχθήμερον, in XXIV *horas partiri & Graecorum est commentum, & longe post tempora Solonis in Heliotropiis Graecorum notatum, & tandem sub Romanorum imperio ad Judaeos a Romanis translatum. Itaque antiquior, ut mea fert opinio, feriarum appellatio a planetis, quam ut ab horis, quae singulae planetam suum sibi vindicant, nominatae sint.* Causam autem seu rationem cur dies cognomines planetarum non sequantur ordinem & situm siderum quorum sunt cognomines, sed, binis praetermissis, quartum semper in dierum denominatione sit sidus proximum, ad hunc modum assignat[x]. *Septem planetae per circulum secundum ordinem suum dispositae aequabili*



intervallo constituunt septem triangula isoscele, ad peripheriam quorum bases sunt latera heptagoni circulo inscripti, ut habes in circulo proposito, ad cujus peripheriam septem errantes sunt secundum seriem suam sitae constituentes triangula isoscele ♄ ♀ ♃, ♃ ☿ ♂, ♂ ☽ ☉, ☉ ♄ ♀, ♀ ♃ ☿, ☿ ♀ ☽, ☽ ☉ ♄. *In quibus triangulis dexter angulus ad basim est prima stella trianguli, secunda in angulo ad verticem, tertia angulus sinister ad basim: ita ut omnis stella anguli dextri habeat oppositam stellam anguli in vertice, stella autem anguli a vertice stellae anguli sinistri ad basim sit opposita. Sequentur igitur sese omnes septem planetae non per seriem suam, sed per intervalla laterum, quae verae sunt oppositiones. Sit igitur triangulum* ☉ ☽ ♂ *primum ordine*, ☉ *in angulo basis dextro praeibit; sequetur Luna ei opposita in vertice, eam oppositus Mars in angulo sinistro basis. Qui quidem Mars, cum in triangulo* ☉ ☽ ♂ *sinistrum angulum basis occupet, in triangulo* ♂ ☿ ♃ *occupabit dextrum basis angulum, habens oppositum Mercurium; Mercurius autem oppositum Jovem in angulo sinistro: Qui Jupiter faciet angulum dextrum in triangulo* ♃ ♀ ♄, *habens oppositam in vertice Venerem, ut ea opposita est Saturno in angulo sinistro: sed angulus ille rursus erit dexter in triangulo* ♄ ☉ ☽. *Et sic erogati sunt septem planetae in totidem dies quas ecclesia Romana vocat ferias. Haec est vera harum appellationum ratio.* Sic Josephus Scaliger. Quod vero loquitur ille de horis seu vicesimis quartis diei civilis partibus, quasi recentius illarum inventum esset & usus; certe dum aevo Soloni proximo in Heliotropiis notatas admittit, eas admodum vetustas facit; nam Solon sexcentis amplius annis natales Christi antevertit. Et expressim Herodotus[y], *Gnomonem*, inquit, καὶ τὰ δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρας παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες, *& duodecim partes diei didicerunt à Babyloniis Graeci.* Quod intelligo de XII horis inaequalibus diei naturalis, totidemque noctis. Quales quidem vulgo ab intima antiquitate in usu, diu olim obtinuere, a planetis nomina, ut ostensum est, sortiti: Tametsi interea mathematicis ipsis seu astrologis in motuum temporumque calculo horae aequinoctiales, ut quidem necesse erat, adhiberentur. Certe de Anaximandro Milesio legitur apud Eusebium[z], Οὗτος πρῶτος γνώμονας κατεσκεύασεν πρὸς διάγνωσιν τροπῶν τε Ἡλίου, καὶ χρόνων, καὶ ὡρῶν, καὶ ἰσημερίας. *Hic primus stylos elaboravit, ut dignoscerentur conversiones solis, tempora, horae, & aequinoctium.* Qua de re etiam, Laertius in Anaximandri vita, & Plinius[a]. Horas item ejusmodi in usu Romanis sub Augusti aevo scimus ex Varrone, Manilio, Virgilio. Antiquiorem item earundem distributionem, ex P. Cornelii Nasicae censoris horario, quod ex aqua fecit. Et Censorinus[b]; *Horarum nomen non minus annos* CCC *Romae ignoratum esse credibile est. Nam* XII *tabulis nusquam nominatas horas invenies, ut in aliis postea legibus, sed ante meridiem.* Ex Ebraeorum item historia sacra[c] notissimum est illud de Achazi regis solario. Et ne quidem qua ratione calculum inire astronomicum possent veteres illi citra horas, qualibus utimur, aliasve certas & invicem siderum venatoribus cognitas temporis mensuras quae eas imitarentur, excogitari potest. Et postquam horae aequinoctiales seu aequales tempori nychthemerino a mathematicis in calculi usum tributae sunt, successit proculdubio altera illa apud vulgus inaequalium seu planetariarum, ex eorundem disciplina[d], ratio. Sed de horarum vetustate, horologiis, sciothericis id genus aliis consulas, si vis, Josephum Scaligerum[e], Claudium Salma-

[s] De Temporum ratione, cap. 6. [t] Prolegom. ad Emend. Temp. [v] Lib. 2. de Emend. Temp. pag. 131. [x] Lib. 1. de Emend. Temp. pag. 8. [y] In Euterpe. [z] Praeparat. Evangel. lib. 10. cap. ult. [a] Hist. Nat. lib. 2. cap. 76. [b] De Die Natali, cap. 23. [c] 2 Reg. cap. 20. & Isaiae cap. 38. [d] Vid. Francisc. Barocium in Cosmographia, lib. 3. cap. 2. [e] Ad Manil. Isag. 2. pag. 254.

sium,


ſium [f], Dionyſium Petavium [g]. Interea agnoſcendum videtur, ut vult Scaliger, rationi magis conſonum eſſe horarum nomina ex ſuperſtitione appellationis dierum ſeu hebdomadicae orta, quam hanc ex horarum cyclis. Suadet inprimis illud quod e commentis aſtrologicis vetuſtiſſimis legimus apud Petrum Alexandrinum [h] περὶ τοῦ πολεύοντος καὶ διέποντος *de* planeta *poſſidente & adminiſtrante*; ſcilicet planetam diei cognominem totum diem & quamlibet ejuſdem horam πολεύειν *poſſidere*, adeoque regere, horarium autem planetam miniſterium praeſtare. Verbi gratia, die Saturni ajebant, Ὁ αὐτὸς ἀστὴρ κύριος τῆς ἡμέρας γίνεται, καὶ πολεύει ὅλην τὴν ἡμέραν· τὴν α ὥραν αὐτὸς πολεύων καὶ διέπων, τὴν β παραδίδωσι τῷ ♃ καὶ λέγομεν, τὴν β ὥραν ♄ πολεύοντος καὶ ♃ διέποντος. *Ipſe Saturnus dominus eſt diei, & poſſidet integram diem. Quin & horam primam non ſolum ut dominus poſſidet, verum etiam ſibi ipſi regiminis miniſteria praeſtat. Secundam vero horam tradit Jovi. Et dicimus, horam ſecundam poſſidente quidem ſeu dominante Saturno, ſed miniſterium praeſtante aut procurante Jove.* Quin & Rabbi Gedaliah Ben Jechai [i] ex diſciplina illa futili, ſed priſca; הכוכב המתחיל למשול בשעה ראשונה בין ביום בין בלילה נמשכת כל היום ההוא וכל הלילה ההיא שהוא יהיה מושל על כלה אמנם יתר הכוכבים הנכנסים למשול בשאר שעות הם כמו ב׳ חברים המושלים יחד אך המושל בשעה ראשונה יותר חזק מהאחרים: *Planeta qui hora prima incipit dominari, ſive interdiu ſive nocte, totum diem illum & totam illam noctem poſſidet, quoniam is dominus eſt ſupremus. Attamen & planetae caeteri, qui ordine ſuo horis praeſunt reliquis, ſunt* (quatenus primae horae dominum reſpiciunt) *veluti ſocii, qui & ſimul dominantur. Veruntamen horae primae dominus caeteris praecellentior eſt.* Hinc [k] ſane exiſtimandum non videtur, dominium totius diei, & poteſtatem cujuſlibet etiam horae ſuperiorem & continuam, adeoque planetariam diei denominationem, ab horario illo recurrente qualicunque dominio ortum habuiſſe, ſed potius horarium illud dominium, quod minus habitum eſt, & inferius eſt diurno, ex diei dominio manaſſe, atque anſam horarum ſic denominandarum inde arreptam. Miniſtros, procuratores, legatos, praeſides principibus, qui univerſis imperent, poſteriores eſſe palam eſt. Quod vero ad planetariae denominationis ordinis rationem ſeu cauſam primariam ſpectat; ſane mihi nondum perſuaſum eſt aut a proportione muſica, aut ab horarum praefecturis, nedum a triangulis laterumve aut baſium ratione ſeu oppoſitionibus, hujuſmodi ordinem manaſſe; ſed a ſimpliciori multo origine, eaque quidem alternationi illi de qua loquitur Beda proximante. Nimirum advertendum eſt inter planetas, ſeu in heptazono, longe primariam obtinuiſſe ſemper dignitatem ſolem & lunam. Etenim apud philoſophos, aſtrologos, gentium theologos, alioſque paſſim dicuntur, & ſunt illi bina lumina (per excellentiam ſic nuncupata) temporum rerumque moderatores adeo ſingulares ut tam reliquos in heptazono varia ſuarum configurationum vi potiſſimum regant diſponantque, quam inferiora, velut principes corporum coeleſtium, gubernent, atque etiam in veteri paganiſmo univerſa divinitatis nomina alia complectantur. Ea de re conſulas Macrobium, ut caeteros mittam pariter obvios. Unde evenit etiam Solem ex diſciplina Indorum, Perſarum, & AEgyptiorum in Onirocriticis, regem, Lunam πρόσωπον τοῦ ἀπὸ βασιλέως δευτέρου ἐξουσιαστοῦ, *perſonam ejus qui ſecundus a rege praeeſt* denotare, ut docet Achmes [l]. Unde & AEgyptii aſſimilare ſoliti ſolem regi & oculo dextro, lunam autem reginae & ſiniſtro, reliquos quinque hiſce ῥαβδοφόρους ſeu ſatellites habentes, ut tradit Sextus Empiricus [m]. Quin & in ipſa creationis hiſtoria ſacra ſoli illi bini ob praecellentiam memorantur per nomina *majoris & minoris luminaris. Luminare majus* [n] לממשלת היום *in dominium diei, & luminare minus in dominium noctis.* Quod poſtquam Helleniſtae verterant εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, *in principatus* ſeu *dominium diei*, & εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτὸς, *in principatus* ſeu *dominium noctis* (idque ſatis juxta veritatem Ebraicam) legerunt nonnulli veterum τὴν ἀρχὴν, & vocabulum Graecum alia illa notione qua *initium* ſeu *inchoationem* ſignificat accepere: ita ut ſacrum ſermonem perperam intelligerent fuiſſe *luminare majus ad initium* ſeu *inchoationem diei, luminare minus ad initium* ſeu *inchoationem noctis.* Qua de re praeter S. Auguſtinum [o], Iſaacum Monachum [p], Eugubinum [q] (cujus verba Graeca ex Iſaaco Monacho deſumuntur) videſis Robertum epiſcopum Lincolnienſem in hexaemero, citatum in *ſumma aſtrologiae anglicana* [r] in impreſſis, quos vidi, tributa Joanni Eſhcuido, quem & *Eſquidum* nominat Guilielmus Camdenus [s]. Autor vero eſt Joannes de Eſchenden, Eſthenden, etiam & Aſhelden, in MS. bibliothecae Oxonienſis Socius erat olim Mertonenſis ibi collegii [t], noſtratibus etiam ſubinde *de* Eſtwode, quod in *Eſquidum* degeneravit, dictus. Sed ex utravis verſione praecellentiam vides pereximiam utrique luminari tribui. Summa hic eſt, quod ex aſtrologorum veterum ſcitis habet Ptolemaeus [u]; Ὁ μὲν ☉ καὶ ἡ ☽ διαζευκτικοὶ ὥσπερ ἡγεμόνες εἰσὶ τῶν ἄλλων, *Sol & Luna, ut principes caeterorum, imperium exercent.* Cum igitur tam inſignis habita ſit ſemper, idque merito, utriuſque dignitas ac praecellentia, dieſque inde hebdomadis primus Soli, velut ſiderum plane regi ſummo, & ob dignitatem ſecundam, ſecundus Lunae eſſet (quod aliter inter denominandum vix fieri quibat) aſſignandus; videtur quidem intervallum, non dico magnitudinis ſeu ſpatii, ſed numeri, quo bini hi planetae primarii in heptazono invicem disjungerentur, velut prototypum fuiſſe caeteris in heptazoni cyclo ſequentibus: adeo ut quemadmodum & quoniam Luna Solem binis intermediis, nempe Venere & Mercurio, praetermiſſis, in hebdomadicae denominationis initio ſequebatur, ita etiam atque ideo parili, in revertente heptazoni cyclo, intervallo numeri diſtaret tertius a Luna. Unde tertium diem ſortitus eſt

[f] Plin. exercitat. pag. 632, &c. [g] Ad Auctarium diſſertat. lib. 7. cap. 8. & 9. [h] In Iſagoge Apoteleſmat. & videſis Joſ. Scalig. ad 2. Iſagog. Manilii, pag. 290. [i] *Sepher Shalſheleth*, fol. 74. b. [k] Ante alios videſis Jul. Firmicum Matheſ. lib. 3. cap. 1. ex Necepſone & Anubio. [l] Onirocritic. cap. 167. & 168. [m] Adverſus Mathematicos, lib. 5. [n] Geneſ. i. 16. [o] In Geneſ. ad literam lib. 2. [p] In computo. [q] Ad Gen i. [r] Tract. 1. diſt. 1. Venetiis, 1489. [s] In Britannia, p. 132. [t] J. Balaeus cent. 6. ſcrip. 14. J. Pitſaeus aet. 14. ſcript. 602. [v] Tetrabib. lib. 2. cap. περὶ τῆς ποιότητος τοῦ ἀποτελέσματος.

6

Mars,

Mars, & simili semper intervallo deinceps dies suos reliqui quatuor, ut in figura adjecta. At-



que etiam hinc forte ratio aliqua est petenda cur Sol, Phoebus, Apollo (nam nomina haec eadem esse sciunt pueri) ἑβδομαγέτας, id est ἑβδομηγέτης, veteribus diceretur; quoniam scilicet τῆς ἑβδόμης esset ἡγετής, seu *septenarii*, tam in planetis, qua coelum tenent, quam in hebdomadica dierum denominatione, *princeps*, *dux*, seu qui velut in exemplum praeibat. AEschylus [a];

Καλῶς ἔχει τὰ πλεῖς' ἐν πυλώμασι
Τὰς δ' ἑβδόμας ὁ σεμνὸς ἑβδομαγέτας
Ἄναξ Ἀπόλλων εἵλετο ——

Bene se habent reliqua in sex portis. Septimam vero venerandus hebdomageta, rex Apollo elegit. Scholiastes autem ibi, ὅτι ἐν ἑβδόμῃ τοῦ μηνὸς γεννηθεὶς ἐκλήθη ἑβδομαγέτας, *quoniam septima mensis die natus* (qua de re supra [b]) *vocatus est hebdomagetas.* Id ipsum illi nomen tribuitur apud Proclum [c]. *Apollini* τὴν, inquit, ἑπτάδα ἀνεῖσαν ὡς συνέχοντι πάσας τὰς συμφωνίας, &c. διὸ καὶ ἑβδομαγέταν ἐκάλουν τὸν Θεὸν, *septenarium dedicarunt, veluti ei qui concentus universos complecteretur*, &c. *unde & Hebdomagetam eum vocabant.* Quam locutionem retinendam sentio, neque mutandam in ἑβδομαγενὴν, id est, *septimo die natum.* Pace dico viri literatissimi [d], qui non semel monuit sic potius mutandum. Scimus quidem etiam hoc nomine Apollinem a sacerdotibus [e] dictum, quod & supra [f] memoratum est, uti & a nonnullis [g] ἑπταμηνιαῖον, *septimestrem.* At vero nec ideo sequitur apud Proclum ἑβδομαγενὴν substituendum, cum & res ipsa & quod apud AEschylum legitur ἑβδομαγέταν palam videantur asserere. Nam & apud utrumque non natales (quicquid nugatur scholiastes) sed principatus ejus & in septenario praerogativa singularis designatur. Et Sextus Empiricus [h], Τῶν ἑπτὰ, inquit, ἡγεῖσθαι μὲν τὸν Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην οἴονται, *Septem stellis arbitrantur praeesse Solem & Lunam*, id est hebdomagetas esse. Rationi autem quam conjectando adduximus de ordine caeterorum in diebus denominandis, Solis & Lunae, qui hic principes sunt, licet dispares, ordinem & intervallum imitante, similis ferme ratio est quae habetur in aliquot ecclesiae christianae nominibus dierum qui ex nulla sui omnino ratione ea sortiti sunt, sed tantum e solennitatis primariae e qua pendent denominationis imitatione quadam seu respectu. *Quadragesimae* nomen inditur primo diei dominico a quo jejunium sic dictum auspicamur. Hujus gratia seu [i] imitatione dies dominicos retro putatos dicimus *quinquagesimam*, *sexagesimam*, *septuagesimam*, nullam numerorum his nominibus denotatorum rationem, quod nemo non videt, habentes, sed *quadragesimae* seu primarium respicientes solummodo nomen, quod sono & similitudine quadam, non re omnino, nomina caetera imitantur. Sic fere *feriarum* nomen a feriis revera primariis ad alios dies qui nec revera feriae translatum. Sic a *sabbati* nomine primario hebdomas ipsa, & dies quaelibet, *prima*, *secunda*, *tertia*, & deinceps, *sabbati* dicta. Nimirum, ut inquit Beda [k], *a requietionum die, quae suo nomine & cultu singularis excellebat.* Sed vero objectio hic obvia est, quae ex ordinis ejusmodi in diebus denominandis planetarii ratione qualicunque sumpta, vetustatem ejusdem denominationis, quam antea adstruimus, haud parum impugnare videatur. Ratio nempe quovis modo hactenus adducta admittit seriem heptazoni, seu in coelo planetarum, vulgarem veteribus, qui diebus nomina indiderint, receptam esse, juxta paradigmata ante ostensa. At vero scimus, apud veteres aliam atque aliam fuisse de planetarum in coelo ordine & locis sententiam. Supremo in loco collocarunt aliqui Solem, atque huic Lunam proximam, ut Anaximander, Metrodus, Crates [l]. Alii superiores tres ♄, ♃, ♂, ordine qui tum vulgo, tum mathematicis, post hosce, plerisque omnibus placuit, ponentes, Solem Lunae sursus proximum fecere (ut non solum Plato [m], & Eratosthenes [n], atque autor libri de mundo Aristoteli [o] tribui soliti, verum etiam AEgyptii [p], saltem in eis nonnulli nominis celebrioris) adeoque Venere & Mercurio inferiorem. Et de dissensu circa hanc rem veteres alii [q], recentioresque [r] obiter atque affatim. Quin diserte scribit Moses Maimonides [s], tam physices ac mathematices quam theologiae ac jurisprudentiae Judaicae magister quidem eximius, היא דעת הראשונים כלם שכדורי נגה וככב למעלה מן השמש: *veterum omnium sententia fuit orbes Veneris & Mercurii esse supra Solem*, quod nec semel dicit. Atque fuisset ita heptazoni ordo, horum alteruter. Subjungit vero ואחר כן בא בטלימוס והכריע היותה מתחת Maimouides, *Et secutus est postea Ptolemaeus, qui argumentis obtinuit eos esse infra Solem.*

♄	♄
♃	♃
♂	♂
♀	☿
☿	♀
☉	☉
☽	☽

Certe si veterum omnium opinio esset, Solem Mercurio & Venere inferiorem fuisse, adeoque alium fuisse heptazoni ordinem ab eo quo in ratione dierum denominandorum dispicienda usi sumus, sequeretur aut denominationem illam vetustam non fuisse, aut saltem rationes hactenus sive ex ejusdem ordinis intervallis, sive e recurrente in horarum praefecturas, juxta eundem ordinem, successione nihili plane esse. Nam quae dicta

[a] In ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. [b] Cap. 17. [c] In Timaeum Plat. lib. 3. pag. 200. [d] Meursius in Graecia Feriata, lib. 3. in ἑβδόμη, & lib. de Denario Pythagorico, cap 9. [e] Plutarch. sympos. 8. cap. 1. [f] Cap. 17. [g] Scholiast. Callimachi ad hymn. in Delum. [h] Adversus Mathematicos, lib 5. [i] Guil. Durand Rational. lib. 6. cap 24. §. 5. & 6. [k] De Temp. Rat. cap. 8. [l] Plutarch. de Placit. Philos. 4. cap. 15. [m] In Timaeo. [n] Chalcid. in Plat. Tim. [o] Cap 2. [p] Macrob. in Somn. Scip. lib 1. cap. 19. [q] Ptolem. de magna construct. lib. 9. cap. 1. Proclus in Timaeum Platonis. Achil. Tatius in Aratum, cap. 16. Simplicius in Arist. lib. 2. de coelo, &c. [r] Copernicus lib. 1 cap. 10. Jo. Picus advers. Astrologiam, lib. 10. cap. 4. Francisc. Picus in exam. doctrin. vanit. gentium, lib. 1. cap. 12. Cornelius Agrippa de Vanitate Scientiarum, cap. 30. Francisc. Barocius de Sphaera Mundi lib. 1. cap. 2. Francisc. Maurolyc. Cosmograph. dialog. 1. Clavius in cap. 1. Joan. de Sacro Bosco. [s] *More Nebochim*, lib. 2. cap. 9.


ſunt vulgari ordine velut priſcis receptiſſimo nituntur. Unde etiam nec defuere qui cum Maimonide hic ſentientes, ante Ptolemaeum ſcilicet ordinem illum apud veteres non admiſſum, ipſam denominationem hebdomadicam, ex ordine illo natam, Ptolemaeo antiquiorem eſſe negent. Floruit Ptolemaeus ſub annum poſt Chriſti natales CXL. Expreſſim Holpinianus [t]; *Nec dies hebdomadae ante tempora Ptolemaei nominibus planetarum eo ordine ut hodie diſtincti fuerunt: ſed nominati ſolum a numero quo ſe invicem in menſe ſequebantur. Id hac ratione probo. Veteres aſtrologi ante Ptolemaeum ſtatuerunt Solem immediate ſupra Lunam, ſic ut illis Saturnus eſſet primus, ſecundus Jupiter, tertius Mars, deinde Venus, poſt eam Mercurius, inde Sol, ultima Luna,* &c. Et pluribus ſententiam ſuam adſtruere conatur. Sed palam hallucinatio eſt inſignis. Neque enim ordinis heptazoni illius receptiſſimi autor eſt Ptolemaeus: vetuſtiorem eſſe apud complures manifeſto liquet. Certe tametſi in mutilo Ciceronis de univerſo opere, ex Platonicorum ſententia, Lunae proxima ſupra terram eſt Solis circumvectio, atque inde ad Venerem & Mercurium aſcenditur, in ſomnio nihilominus Scipionis ſatis expreſſim collocatur Sol in heptazoni medio. *Subter*, ſcilicet poſt tres ſuperiores, inquit, *mediam fere regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum. Hunc ut comites conſequuntur Veneris alter, alter Mercurii, in infimoque orbe Luna,* &c. Cicero autem ducentos circiter ante Ptolemaeum annos floruit. Ejuſdem item ſeculi Manilius [v], *Sunt*, inquit, *quae coelum terramque inter volitantia pendent ſidera,*

Saturni, Jovis, & Martis, Soliſque ſub illis
Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus.

Sic & Hyginus in aſtronomicis, Manilio coaevus. Quin & Cicerone recentior non fuit Geminus, ſi Dionyſii Petavii [x] de tempore ejus conjecturae fides. Quem tamen non deſunt qui tertio a Chriſto ſeculo ponant, ut Joſephus Blancanus [y]. Certe Geminum, ſi quid video, palam eſt ſcripſiſſe ante Actiacam victoriam. Nempe, ſub id tempus [z] annus Julianus receptus eſt ab AEgyptiis, qui ante anno uſi ſunt aequabili ac vago illo CCCLXV dierum, quadrantis, qui excreſcit, nulla habita ratione; adeo ut in periodo 1461 annorum feſta eorum ſingula per totum annum vagantia nullo menſis alicujus die ſemel non celebrarentur, ut & monet Herodotus [a], & res ipſa docet. Diſerte autem Geminus [b] de vago illo anno, ſuo tempore AEgyptiis in uſu, ac feſtorum circumactione pluribus loquitur, nec Thoth menſem in calce Auguſti fixum, a quo, poſtquam Julianum acceperant, annum ſemper auſpicabantur, omnino agnoſcit. Jam vero pugna Actiaca Ptolemaeum annis CLXXX aut circiter antevertit. Et Geminus expreſſim eundem facit [c] ordinem heptazoni quem approbat Ptolemaeus, vulgari ſcilicet conſonum. Sic etiam Alexander Mileſius apud Chalcidium [d]; alii Ptolemaeo vetuſtiores. Quin & Macrobius [e] de Sole a Cicerone ſic medio heptazoni in ſomnio Scipionis collocato, ac Platonis ſententia de proximo Lunae ſurſum ejuſdem loco, verba faciens, *Ciceroni*, inquit, *Archimedes & Chaldaeorum ratio conſentit. Plato AEgyptios omnium philoſophiae diſciplinarum parentes ſecutus eſt.* Ita non ſolum Cicero, Manilius, Geminus, Archimedes, Alexander Mileſius, verum & Chaldaei, natio quorum e ſcitis ipſam aſtrologiam natam eſſe dici ſolet, de ordine Ptolemaico diu ante Ptolemaeum conſenſere. At vero & ipſe Ptolemaeus [f]; *Videmus* τὴν τῆς Ἀφροδίτης (σφαῖραν) καὶ τὴν τοῦ Ἑρμοῦ παρὰ μὲν τοῖς παλαιοτέροις ὑποκάτω τιθεμένας τῆς ἡλιακῆς, παρὰ δ᾽ ἐνίοις τῶν μετὰ ταῦτα καὶ αὐτὰς ὑπερτιθεμένας, *Veneris ſphaeram atque eam quae Mercurii eſt a vetuſtioribus ſub ſphaeram Solis poſitas. A nonnullis autem juniorum eas ſupra collocari.* Ipſe diſerte agnoſcit antiquitus receptum eundem eſſe quo utimur ordinem, ſeu vulgarem, quem & diſerte poſtea appellat παλαιοτέραν τάξιν *vetuſtiorem ordinem*, eoque nomine eum laudat amplectiturque; alterum autem illum recentiorum eſſe ait commentum. Idem ipſe ordo palam etiam agnoſcitur in harmonico coeli Pythagorae calculo, apud Cenſorinum [g]. Nec alius eſt hujus calculus apud Nicomachum Geraſenum [h], niſi quod Mercurius inter Venerem ab hoc ponatur & Solem; quo nomine certe libris ejus librarii errorem ineſſe ſuſpicati ſunt veterum aliqui [i]. Et expreſſim de ordine Pythagorico quemadmodum Cenſorinus, Plinius [k]. At ut Nicomachus, autor vitae Pythagorae anonymus apud Photium [l]. Sed de Veneris & Mercurii ordine plura ſtatim. Haec cum ita fuerint, audiendi hic non ſunt qui veterum de ſphaerarum ſeu heptazoni ordine diſſenſum ſic objiciunt ut ante Ptolemaeum vulgarem illum receptum denegent. Et plane hallucinati ſunt, ſed & cum ipſo Maimonide ex hiſtoriae aſtronomicae imperitia. Qualiſcunque autem ſententiarum fuerit hic diverſitas, animadvertendum eſt, quemadmodum in rebus aliis hujuſmodi, ita in hiſce, aliud eſſe receptiorem vulgo aſtrologorum aliorumve magiſtrorum, qui vetera ſecure docent retinentque, ſententiam, aliud ſingulares ſive philoſophorum ſive mathematicorum opiniones, qui diſciplinas, ut fieri amat, ſive novatum eunt ſive emendatum ex ſuo ingenio ac inventis, tritiori orbitae doctrinae, qua primo imbuuntur, non ita confidentes. Apud genus hominum poſterius nulla aetate non habentur ſententiae a receptis aliter atque aliter diverſae, neque eae quidem paucae, cum interea prius ſit hominum genus quorum ſcitis & ex antiquitate receptis dogmatis regulae, mores, ac diſciplinae quibus vulgo utimur innitantur. Ex antiquo igitur ordinis heptazoni illius vulgaris uſu, qualem oſtendimus, ſatis conſtat penes genus hominum quod diximus hic prius, id eſt, qui receptiores ſententias & amplexi ſunt & profeſſi, & rationes qualeſcunque aſtrologicas e quibus naſceretur denominatio hebdomadica invenerunt, receptiſſimum fuiſſe ordinem illum; penes alterum autem

[t] De Origine Feriorum, cap. 5. [v] Aſtronomic. lib. 1. [x] De Doctrina Temp. lib. 2. cap. 6. in notis ad Geminum pag 411. Rationar. Temp part. 1. lib 4. cap. 14. [y] Mathematic. Chronolog. ſecul. 13. [z] Cenſorin. de die natal. cap. 21. Joſ. Scalig. de emend. temp. lib. 4. pag. 221. Dionyſ. Petav. de doctrina temp. lib. 4. cap. 5. & lib. 10. cap. 72. [a] In Euterpe. [b] Iſagog. cap. 6. [c] Ibid. cap. 1. [d] In Timaeum Platonis. [e] In Somn. Scip. lib. 1. cap. 19. [f] Almageſt. lib 9. cap 1. [g] De Die Natali, cap. 13. [h] Harmonic. lib. 1. [i] Vide edit. Meurſian. pag. 84. [k] Hiſt. Nat. lib. 2. cap. 22. [l] Biblioth. Cod. 259.

genus non item. Quale in rebus aliis evenire nemo non videt. Etiam ſuperiori & noſtro in ſeculo de Marte, Mercurio, Venere, Sole, novis etiam planetis circum Jovem & Saturnum latis, ſententiae ortae ſunt mathematicis ſummis, Copernicis, Rheticis, Tychonibus, Kepleris, Galilaeis, aliis, ab antiquorum receptorumque perquam diverſae, quae tamen impoſterum argumento neutiquam omnino erunt, vulgus aſtrologorum velut ab intima vetuſtate ordinem coeli, quem populariter agnoſcimus, continenter propagatum non accepiſſe; non magis ſane quam Pythagorae atque Hippocrati Chio eundem non receptum aſſerere, ideo quod planetam octavum eſſe dicerent, cui raro apparenti [l] *cometae* nomen tribueretur. Sed ſingularia ejuſmodi receptis ſententiis adverſari neutiquam ſolent. AEgyptii autem illi aliique qui ſupra Solem Venerem & Mercuri-



um collocarunt (quorum ſcilicet loca rem hic primario turbare videntur) etiam & utrumque, ut in hoc ſchemate, Sole pariter inferiorem agnovere. Scilicet *ita Solem inter Lunam & Mercurium locatum volebant, ut ratione deprehenderint* (ſic Macrobius [m]) & *edixerint cur a nonnullis Sol ſupra Mercurium ſupraque Venerem eſſe crederetur.* Ita nimirum circumambire Veneris ſphaeram eam quae Mercurii eſt, atque hujus eam quae eſt Solis, voluere, ut ſidus utrumque in perigaeo ſeu ſemicirculo inferiore conſtitutum Sole inferius eſſet, ſicut in apogaeo ſeu ſemicirculo ſuperiori eo ſuperius. Cum enim conſenſus ferme nullibi non eſſet de tribus ſuperioribus, *horum trium* (appoſitiſſime ſcribit Macrobius) *ſibi proximorum, Veneris, Mercurii, & Solis, ordinem vicinia confudit*; *ſed apud alios. Nam AEgyptiorum ſolertiam ratio non fugit, quae talis eſt. Circulus per quem Sol diſcurrit, a Mercurii circulo, ut inferior, ambitur; illum quoque ſuperior circulus Veneris includit.* (Sic etiam voluit Copernicus, &c, qui eum ſequuntur, viri magni.) *Atque ita fit ut hae duae ſtellae, cum per ſuperiores circulorum ſuorum vertices currunt, intelligantur ſupra Solem locatae; cum vero per inferiora commeant circulorum, Sol eis ſuperior aeſtimetur.* Unde ſententiarum diverſitatem ex ipſorum AEgyptiorum diſciplina ſic reconciliat. *Illis ergo qui ſphaeras earum ſub Sole dixerunt, hoc viſum eſt ex illo ſtellarum curſu qui nonnunquam, ut diximus, videtur inferior, qui & vere notabilior eſt, quia tunc liberius apparet: nam cum ſuperiora tenent, magis radiis occuluntur. Et ideo perſuaſio iſta convaluit, & ab omnibus pene hic ordo in uſum receptus eſt.* At vero dixerit quis, qualiſnam ad rem noſtram reconciliatio haec? Nam ſic Venus in ſemicirculo ſuo inferiori, cujus loca quae a Sole maxime diſtant eam terris ſplendidiorem, utpote viciniorem, reddunt, Mercurio inferior eſt: Atque ita heptazoni vulgaris luxatio remanet. Quod verum quidem eſt. Sed antequam accuratius Veneris & Mercurii ſitum ſic explorarant AEgyptii, natus eſt ex veteri coeleſtium corporum ignorantia, tametſi docta, apud Chaldaeos ordo ille vulgaris quem in judiciis aſtrologicis novari nolebant ne quidem ii qui coeleſtem ſemper eſſe negarent. Semper dico. Nam ex ſchemate ſuperiori nemo non videt ſaepius fieri ut Mercurius (qui etiam velocius & ſaepius circumagitur) inferiorem ſuum ſemicirculum peragrans, Lunae ſit Venere proximior. Atque ita heptazoni in ſimplici enumeratione ratio & uſus popularis idem erat apud omnes, etiam & ipſos AEgyptios, ut ex Vettio Valente & Dione ſuperius allatis, itidem docemur. Summa eſt, veterrimos aſtrologos, Chaldaeos nempe, etiam & AEgyptios ipſos, turbamque reliquorum, qui poſtea vetuſtatis diſciplina acquieſcentes eam ingenii atque inventorum acceſſione minime novatam vellent (quorum ratio in rebus moribuſque hujuſmodi popularibus ſolum habenda) ordinem illum heptazoni vulgarem ſemper in re aſtrologica retinuiſſe; nec placita eorum qui diverſimode ſive apud AEgyptios recentiores ſive apud alios ſenſerunt docueruntque, magis in denominationem illam ſive hebdomadicam ſive horariam ex ordine illo, ut oſtenſum eſt, pendentem, invaluiſſe, aut in ejuſdem antiquitatem invaleſcere, quam Copernici, Galilaei, Kepleri aſtronomiam novatam in hodiernam dierum denominationem planetariam, cui, ut ex heptazono veteri nata eſt, horum hypotheſes aeque diſſonae ſunt. Certe & R. Abraham Judaeus Hiſpanienſis, Ben Chaia [n], de Venere & Mercurio expreſſim, כל החכמים הקדמונים סוברים שהן תחת כידור החמה והיו מסדרין ככבי לכת על הסדר שצמח"נכל: *Sapientes* ſeu *philoſophi veteres univerſi* (ſeu philoſophorum ac aſtrologorum vulgus) *opinati ſunt eos collocari infra ſolis orbem, atque ordinarunt planetas ordine hujuſmodi* ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☽. Vera horum poſitura ad rem hanc non omnino attinet. Sed ex eo quod eſt, hujuſmodi fuiſſe veterum, idque ab intima antiquitate, de eorum ordine ſententiam, eamque populariter paſſim receptam, plane ſatiſfit objectis quae ex Ptolemaico heptazoni ordine velut novo adverſus planetariae denominationis vetuſtatem afferuntur. Quin & in Sinenſium paganiſmo, & civili temporum ratione ex ſeculis antiquiſſimis longeque Joſephum (ſi fides eis qui

[l] Apud Ariſtot. in Meteorolog. α cap. 6. [m] In Somn. Scip. lib. 1. cap. 19. Videſis Martian. Capellam de Nuptiis Philologiae, lib. 8. cap. *quod Tellus non ſit*, &c. Copernic. Revolut. lib. 1. cap. 10. Athanaſ. Kircher. in Prodromo Copto, pag. 266.
[n] In Sphaera Mundi, cap. 2.

rem

rem narrant) antevertentibus petita, idem habetur ordo in diebus denominandis planetarius; qua de re plura capite sequenti.

CAP. XXII.

Ordinis dierum in hebdomade, & planetariae eorundem denominationis, Josephi seculo, usus, in oriente; in occidente. Et undenam in vulgus hominum hujus observatio adeo fuerit olim disseminata.

HIsce ita de hebdomadis dierum vetustate, planetarum septem nominum assignatione, ordine, ordinisque ratione ac causa ostensis, sequitur ut de ejusdem ordinis apud gentes, sive universas, sive tot quot universarum nomine apud scriptores veteres solent venire, usu, atque unde usus ille sic disseminatus, dispiciamus. Ex superius adductis satis liquet diem in periodis dierum septimum seu Saturni neque apud Graecos veteres neque apud Romanos aliasve gentes, praeter Judaeos (quantum ex priscis monimentis rite intellectis est eliciendum) in festis omnino habitum, seu laborum vacatione celebrari ex instituto seu moribus receptis solitum. Cum vero facile, uti & supra [o] monitum est, concipiatur, triplicem haberi dierum hebdomadis usum; primum, qua sacrum indicat festum recurrens; secundum, qua in fastos seu temporis calculum, citra festi rationem, ex instituto publico admittitur; tertium, qua ex artificum tantum disciplina chronologica seu astrologica, citra publicum institutum; tametsi usus primus nullibi gentium praeter Judaeos Josephi seculo, nisi exceptam velis christianam tunc enascentem ecclesiam, repertus est, nihilominus de tertii generis usu apud gentes tunc plerasque testimonia sunt satis frequentia. Atque secundi etiam apud nonnullos vestigia, ut mox dicetur, forte non obscura. Tertii generis usum videre est in eis quae superius tum ex oraculis vetustis, tum ex sabbatico in rebus genethliacis decernendis calculo, aliisque id genus, depromuntur. Atque astrologicarum ejusmodi affaniarum usum in orbe Romano frequentissimum fuisse seculis Josepho vetustioribus palam liquet ex Manilio, Horatio, Lucano, aliis. Etiam anno ferme ante Caesares centesimo *edicto jussi* [p] *sunt Chaldaei intra decimum diem abire urbe atque Italia.* Et postmodum [q] tantundem factum, non semel sub Augusti tempora; etiam sub Tiberio [r]. *Facta* (inquit Tacitus) *& de mathematicis magisque Italia pellendis senatusconsulta; quorum e numero L. Pituanius saxo dejectus est.* Idem [s] memorat Ulpianus. Sub Claudio item, Tacitus [t]; *De mathematicis Italia pellendis factum senatusconsultum atrox & irritum.* Nimirum in leges etiam invaluerant eorum artes. Et egregium est illud ejusdem [v] de illis; *Mathematici novos motus, & clarum Othoni annum observatione siderum affirmant; genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper & retinebitur.* Luculentissimum sane est testimonium, ipsi Josepho etiam coaevum, de frequentissimo superstitionum astrologicarum (nam astrologos, Chaldaeos, mathematicos, idem genus hominum pariter veteribus dici nemo nescit) adeoque hebdomadis seu calculi sabbatici, qui in eis tam eximium, uti superius ostensum est, obtinuit locum, usu tunc temporis inter Romanos, quemadmodum & ante diu & apud alias gentes, recepto; qui nec legibus abigi potuit. Atque hinc sane facile est conjectari quam per alias gentes seu orbem Romanum tunc temporis fuerit usus ille diffusus. Et apposite scribunt Beda [x] & Isidorus [y] Hispalensis, gentilitatem credidisse, in hebdomadica illa dierum juxta planetas distributione, *habere se a Sole spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium & linguam, a Jove temperantiam, a Venere voluptatem, a Saturno tarditatem,* velut a diis quorum imperio suberant: adeo ut quidem sic tam theologica etiam quam astrologica hebdomadi inesset ratio. Sed non omnino quae publicis niteretur moribus, sed nugaci disciplinae circumcellionum qui *levibus & ineptis ingeniis,* uti ait Valerius [z], *fallaci siderum interpretatione quaestuosam mendaciis suis caliginem injiciebant.* Hinc Saturni dies inauspicatus, nec rebus aptus gerendis, ut ostensum est, habitus. Hinc gentilitatis moris, tametsi non superstitionis, etiamnum reliquiae in planetaria apud christianos dierum denominatione. Atque sane sive hinc sive forte a simplici temporum calculo, nec sine instituto publico, sed non omnino sacra ratione, hebdomadis invaluit antiquitus usus apud gentes, quae cum nec christiani nec Judaei sint, nimirum nec dominicum diem seu Solis nec sabbati seu Saturni diem festum habeant, adeoque non festi ratione orbe hebdomadico utantur, eundem dierum ordinem in numerando etiam & citra plerumque planetarum nomina servant. De christianis gentibus palam est, quotquot earum locutione & scriptione vulgari planetariam denominationem retinent, eam e veteri illo gentilium usu accepisse. Nam notissimum est illud, stylo magis proprio atque ecclesiastico, feriarum nomine, non planetarum, ex veteri Sylvestri primi, ut passim creditur, pontificis Romani instituto, dies hebdomadis, adjecto numero, nuncupandos; quorum & sextus *parasceve* non raro dicitur, uti primus *dominicus*, & septimus etiam *sabbatum.* Atque hac de re videsis quae congessit doctissimus Barnabas Brissonius [a]. Et sunt quidem gentes christianae quae undiquaque, ni fallor, veterem illam consuetudinem ita exuerunt ut nullius planetae nomine in diebus designandis, ne sermone vulgari, utantur; quemadmodum Poloni, Bohemi, alii lingua Sclavonica cognati, qui [b] Nedele & Niedziela, aut vocabulo affini, pro *dominico* primum vocantes, proximum postriduanum dominico dicunt, tertium secundum, quartum tertium, & deinceps usque ad sextum, quem quintum nominant, id est, quin-

[o] Lib. 3. cap. 19. [p] Valer. Max. lib. 1. cap. 3. [q] Dio lib. [illegible] [r] Annal. 2. [s] Apud autorum Collat. Legg. Jud. & tit. Rom. de Mathematicis & Manichaeis. Et vide Lar[illegible]nal. 2. num. 60. [t] Annal. 12. [v] Histor. 1. [x] De Temporibus, cap. 4. [y] Etymolog. lib. 5. cap. 30. [z] Lib. 1. cap. 3. [a] Ad L. Dominico C. Theodos. tit. de Spectaculis. [b] A. Roman. in Supputat. Ecclesiast. & V[illegible] Pragense.

tum

4

tum a poſtriduano incluſo, & demum ſeptimum **Sobota**, quod ſabbatum eſt. Hungari item ſine planetarum adjectione dies deſignant. Graeci etiam, opinor, diu eſt quod a dominico [d] ſecundam, tertiam, quartam diem, & deinceps numerare ſolent, planetarum nominibus plane ſepoſitis. At vero in eccleſiae occidentalis regionibus pleriſque caeteris, celebrioribus puto univerſis, denominatio illa invaluit planetaria, quam, cum e chriſtianiſmo ipſo manare ea nequiret, ex vetuſtiſſimis gentilitatis moribus ortam propagatamque plane cenſendum eſt. Gentes qui linguis utuntur provincialibus ſeu a Latina degenerantibus, veluti Itali, Hiſpani, Galli, veſtigia cuique manifeſta nominum planetarum Romanorum eorumque antiquitatis in prioribus ſex diebus retinent, ſeptimum interea Sabbatum vocantes Hiſpani & Itali, ut *Sammedy* Galli. Et Cambro-Britannorum etiam denominatio dierum adeo Latinam redolet originem (ſic ab amicis qui eorum linguam callent mihi obſervatum eſt) ut e Romanorum paganiſmo in Britanniam eam deſumptam eſſe non ſit quod dubitemus. At vero Germanorum, Belgarum, Danorum, Anglorum nomina dierum vulgaria ut ſunt a Latinis alieniſſima, ita & ſummam ac ſingularem ſui atque planetariae apud gentes has denominationis, adeoque hebdomadis aſtrologicae uſus, vetuſtatem indicant. Ea ad hunc modum ſe habent.

	Germani,	Belgae,	Dani,	Angli,
Dies Solis	Sontag	Sundach	Sondag	Sunday
D. Lunae	Montag	Maendach	Miandag	Monday
D. Martis	Dienſtag	D.ngheſtach	Thiſdag	Tue.day
D. Mercurii	Mitwoch	Woenſdach	Onſdag	Wedneſday
D. Jovis	Donnerſtag	Donderdach	Thaarſtag	Thurſday
D. Veneris	Freytag	Vreydach	Fredag	Fryday
D. Saturni	Sambſtag	Saterdach	Loſuerdag	Saturday.

Saturni quidem dies hic Germanis & Danis non ab ipſo denominari videtur. Sed **Sambs** in **Sambſtag** ſabbatum, puto, eſt; unde forſan & *Samme* in *Sammedy* Gallorum. Et tralatitium eſt apud eos qui linguarum cognationes obſervant, quamplurima vocabula Perſica in lingua Germanica aliiſque ei cognatioribus reperiri. Certe ut Judaei *ſabbati* nomen tum pro hebdomade ipſa atque die ſeptimo, tum in hebdomadis diebus ſingulis recenſendis adhibere ſolent, ita & Perſae شنبه *Sambe* [e]; tametſi pro eo quod eſt *ſabbatum* in pentateucho Tawaſii Perſico معطل quod *requiem* denotat, paſſim uſurpetur. De Danorum autem **Loffuerdag**, **Loverdag** item & **Leffuerdag** dicto, *ſicut non uno modo ſcribitur*, ait Iſaacus Pontanus [n], *ita nec uniuſmodi haberi poteſt ejus interpretatio. Qui* **Loverdag** *ſcribunt, videntur reſpicere vel ad lotionem publicam, cui eo die vacarent, vel ad nuptiarum contractus; poſt nimirum acceptum a Frea nuptiarum auſpicium. Unde &* **Loven**, **Loffte** *&* **Bryloffte** *nuptialia adhuc apud Danos verba ſunt.* Alii **Lofferdag** ſignificare volunt *diem purgationis*. Alii aliter [g]. Germanis item Mercurii diem dici vides **Mitwoch**, id eſt, *ſeptimanae medium*, quia initium & finem pari reſpicit intervallo. At caetera nomina, planetarum eſſe quorum in gentiliſmo gentium illarum uſus, non iniquum eſt ut ſentias. De Sole & Luna res palam in omnibus videtur; licet animadvertat Pontanus, *Danos non, ut omnis fere hodie Germania,* **Son** *ſed* **Soel** *dicere; ut ſcilicet hic primus hebdomadae dies* **Sondag** *diceretur, quod eſſet quaſi dies pacationis ac judicationis dominicae. Nam & hodie adhuc* **Sone** *pacare Danis dicitur.* Ita etiam ſubdubitando alii [h], qui interea Solem in Danorum **Sondag** contineri malint. Quod ad Martis diem attinet, qui & **Dinſtag** Germanis ſeu Alemannis, & **Diiſſendach** & **Diiſdach** Belgis nuncupatur; opinantur viri docti, a *Tuiſtionis* ſeu *Teutatis* (quorum alterum habetur apud Lucanum [i] pro Deo barbarorum qui ſeptentrionaliores regiones incoluere, alterum apud Tacitum [k] pro gentis Germanorum conditore) nomine, diei praenomen in linguas illas cognatas pariter defluxiſſe. Atqui & aliae ſunt de illis ſententiae, uti & de diei hujus denominatione. Sed cum locum Martis inter praecedentes ſequenteſque occupet praenomen illud, vix dubito quin pro ipſo Marte antiquitus ſumeretur. Mercurius autem **Wodan**, aliiſque quae proximant nominibus, dictus eſt; & Danis **Othin**; unde **Othinſdach** in **Onſdag** contractum. Certe dum de paganiſmi hiſce in regionibus theologia loquuntur ſubinde ſcriptores veteres [l], **Wodan** Martem nuncupari, aut ſaltem officium ejus ab illo praeſtari ſolitum, aiunt. Sed tum Mercurium eum fuiſſe diſerte aſſerit Paulus Warnfredus [m], tum ea de re teſtimonia ſunt quamplurima in annalibus Angloſaxonicis, id eſt, de Saxonum qui in Angliam ſedes tranſtulere rebus geſtis moribuſque conſcriptis. Ubi de primo Horſi & Hengiſti, qui Saxones in hanc inſulam ſecum duxere, atque Vortigerni regis Britonum colloquio verba faciunt, annalium illorum autores, *Quaeſivit*, inquiunt [n], *Rex ab eis quam fidem, quam religionem, patres eorum coluiſſent. Cui Hengiſtus, Deos patrios, ſcilicet Saturnum, Jovem, atque caeteros, qui mundum gubernant, colimus; maxime autem Mercurium, quem lingua noſtra* **Woden** *appellamus. Huic patres noſtri veteres dedicaverunt quartam feriam ſeptimanae, quae in hunc hodiernum diem* **Wodeneſday** *appellatur:* id eſt, ƿodenandæȝe, ſi locutionis Saxonicae veteris rationem habeamus. Scilicet dicebant ſunnan [o] dæȝe, monan dæȝe, &c. pro *die Solis, die Lunae*. Hunc innuit & Tacitus [p]; *Germani* ait ille, *deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent. Herculem ac Martem conceſſis animalibus placant. Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat.* Quod ideo libentius citavimus, quia hinc diſcimus deos quidem hos, adeoque planetarum nomina tunc fuiſſe Germanis ſua, nec adeo contracta ut vult Caeſar, qui, cum non explorata ita ei eſſet eorum religio, *Deorum numero*, inquit [q] *eos ſolos ducunt quos vident, Solem, Vulcanum, & Lunam. Reliquos ne fama quidem acceperunt.* Sed falſo, uti & recte notat Lipſius ad

[c] Hieronym. Megiſer. in Theſ Polyglotto verb. Dies. [d] Theodor. Gaza, lib. de Menſibus, cap 17. [e] Joſ Scaliger. lib. 1. de Emendatione Temp. pag 8. [f] Chorograph. Daniae deſcrip. pag. 798. [g] Olaus Wormius in Faſtis Danicis, lib 1. cap. 15. [h] Olaus Wormius, ibidem. [i] Pharſal 1. [k] De moribus Germanorum. [l] Adam Bremenſis Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap. 233. [m] De Geſt. Longobard, lib. 1. cap. 9. [n] Apud Mat. Weſtmonaſterienſem in Florilego, a. d 450. alii. [o] Leges Edgari regis, cap. 5. [p] De Moribus Germanorum. [q] De Bello Galico, lib 6.

Tacitum. Et Wodenum jam dictum diu etiam a paganis, post christianismum in regionum harum nonnullis disseminatum, cultum esse memorat Ethelwerdus [r]. Nec raro in annalibus nostris obiter, alias pro Mercurio gentilismi Saxonici sumitur. Sic & Thonner, Donner, & Thor [s] pro Jove accipi solet, unde dies ejus inde denominatus. Haud alium fuisse a *Tarani* apud Lucanum, existimant aliqui. *Frigga* vero, *Fricco*, *Frea*, seu *Frecca*, unde Frie & Frey in praenomine diei Veneris, pro Venere passim apud scriptores sumitur. Et in Hengisti ad Vortigernum oratione [t]; *Post illum* Wodenum *colimus deam inter caeteras potentissimam, vocabulo Fream, ex cujus vocabulo* Friday, id est, friccandæge, *appellamus*. Tam de hac dea quam Wodeno Guilielmus Malmesburiensis [v]; *Erant* Hengistus & Horsa *abnepotes illius antiquissimi* Woden, *de quo omnium pene barbararum gentium regium genus lineam trahit, quemque gentes Anglorum deum esse delirantes ei quartum diem septimanae, & sextum uxori ejus Freae, perpetuo ad hoc tempus consecraverunt sacrilegio.* Saturni autem nomen pene ipsius Latinum a Belgis & Anglis retinetur in septimo. Et de his & cunctis vide plura, si vis, apud Guilielmum Cambdenum [x], Olaum Wormium [y], Isaacum Pontanum [z], Philippum Cluverium [a], alios qui de septentrionalium moribus agunt. Hinc autem liquet non minus in populorum septentrionalium quam Australium veterum gentilitate seu paganismo denominationem dierum planetariam cum hebdomade obtinuisse. Neque mirum est tam diversa septentrionalibus fuisse a Latinis aut Graecis haec sive planetarum sive deorum nomina. Nam satis quidem diversa sunt ipsa Latina ab eis quae Graecis vulgo recepta. Etiam & Graecis ipsis pariter fuere nomina diversissima, uti & AEgyptiis. Saturnus tum Graecis etiam, tum AEgyptiis qui Graeca lingua uterentur, dictus est *Phaenon* [b], sed ipsis AEgyptiis (si fides planetarum nominum descriptioni Roma ad Claudium Salmasium missae, quam typis nuper edidit V. praestantissimus Ludovicus de Dieu [c], nunc etiam in Athanasii Kircheri Prodromo Copto [d] Romae evulgatam) *Rephan*, atque, Nemesis stella; Jupiter item, *Phaethon*, & ab AEgyptiis ipsis *Pizeus*, &, ut alii, Osiridis stella; Mars, *Pyroeis*, & ab AEgyptiis ipsis *Moloch*, & stella Herculis; Sol AEgyptiis ipsis *Pire*; Venus, *Phosphorus*, & AEgyptiis ipsis *Surot*; Mercurius, *Stilbon*, AEgyptiis ipsis *Piermes*, & Apollinis stella; & Luna, AEgyptiis ipsis *Piia*. Quin & nomina planetarum alia atque alia sunt, atque a Graecis Latinisque diversissima, Arabibus, Ebraeis, Polonis, & qui linguae Sclavonicae propaginibus utuntur. At & aliae quidem atque aliae nominum rationes. Atque ita fuere olim a caeteris diversa Germanis & Saxonibus seu septentrionalibus sub Cauro positis planetarum vocabula, prout in dierum nominibus supra ostensis; licet nunc, Sole & Luna exceptis, Latinorum nominibus in idioma suum deflexis, ubi de planetis simpliciter loquuntur, uti soleant. Et de reliquiis gentilismi ex hebdomadis usu ac planetaria denominatione apud gentes christianas hactenus. Jam vero in oriente alibique sunt Mahumedani complures qui etiam absque denominatione [e] planetaria (utcunque planetarum ratio astrologica interea ipsis habeatur, & subinde etiam in denominatione usurpetur) hebdomadem in diebus enumerandis retinent: nec tamen cum Judaeis diem Saturni, nec cum christianis diem Solis festum habentes. At interea in die Solis hebdomadis initium ponunt & ipsi: id est, hebdomadem, quatenus hebdomas est simplex, sine festivitatis ratione in termino ejus ulla servant. Qua de re vide quae superius occurrunt sub calcem capitis vigesimi. Arabum, Turcarum, Persarum hebdomadem statim damus, quatenus scilicet ex Joanne Leunclavio [f], Josepho Scaligero [g], Hieronymo Megisero [h], aliquotque etiam orientalium ipsorum monimentis eam didicimus. Et Muhamedes Alfraganus [i], *Dies*, inquit, *Arabum quibus numerant menses sunt septem, primus, secundus, tertius, quartus, quintus, dies congregationis, dies sabbati.*

Arabes.

يوم الاحد *Dies* 1.

يوم الثني *Dies* 2.

يوم اثالث *Dies* 3.

يوم الرابع *Dies* 4.

يوم الخامس *Dies* 5.

يوم الجمعة *Dies giuma.*

يوم السبت *Dies sabbati.*

Turcae.

بزر كوه *Dies mercatus.*

بزر ارتسي *Dies mercatui postriduanus.*

صلي *Salli.*

درشنبه *Dies quartus.*

پنشنبه *Dies quintus.*

جمع *Giuma.*

جمع ارتسي *Giumae postriduanus.*

r Lib. 1. cap. 2. s Adam Bremens. Hist. Ecclesiastic. cap. 233. t Apud Mat. West. in Florilego, ann. 450. v De [illegible] Reg. Angl. lib. 1. cap. 1. x Britan. pag. 97. y In Fast. Danicis, lib. 1. cap. 15. z Chorographic. Daniae descript. pag. [illegible], &c. Orig. Francic. lib. 6. cap. 1. a Germania Antiqua, lib. 1. cap. 26. & 33. b Mart. Capella, lib. 8. Achilles Tatius Isagog. in Phaenomena. Et Firm. Mathes. lib. 1. cap. 2, &c. c Animadvers. ad Act. Apost. vii. 43. d Cap. 5. pag. [illegible]. e Videsis Joseph. Scaliger. lib. 1. de Emend. Temp. pag. 8 f Pandect. Turcic. cap. 11. g De Emend. Temp. lib. 1. pag. 8. h Thes. Polyglott. verb. Dies. i Astronomic. Elem. cap. 1. edit. Christmanni.

Perſae.

یکشنبه *Dies* 1. ſeu *prima Shanbe.*

دو شنبه *Dies* 2. ſeu *ſecunda Shanbe.*

سهشنبه *Dies* 3. ſeu *tertia Shanbe.*

چهرشنبه *Dies* 4. ſeu *quarta Shanbe.*

پنج شنبه *Dies* 5. ſeu *quinta Shanbe.*

ادینه *Adina.*

شنبه *Shanbe.*

Retinent quidem Arabes ipſum *ſabbati* nomen, quod Ebraeum eſt, pro die ſeptimo. Neque, opinor, in Perſica hebdomade τὸ شنبه aliud quam ſabbatum denotat, qua eo vocabulo ex Ebraeorum uſu deſignantur & hebdomas ipſa & ejuſdem dies. Sed palam eſt primum orbis hebdomadici diem eſſe diem ſolis, etiam gentibus hiſce quae nec ipſum nec praecedentem feſtum habeant, adeoque nec e ſacrorum ratione ſive terminum ſive initium hebdomadis figant. Unde igitur illis mos hic, niſi ex intima vetuſtate, quae primo illum ſive ex chronologica aliqua ſive aſtrologica diſciplina induxerit? Abſonum enim eſt exiſtimare ex Judaiſmi ritibus, quos ſatis plerumque aſpernati ſunt, & in cultu ſabbati plane rejecere, ſeculis Joſepho recentioribus morem illum enatum. Et ritus Chriſtianiſmi illos hac in re imitatos eſſe, niſi ſimul feſtum, quod die primo celebramus, etiam recepiſſent, vix queo ſuſpicari. Quin & ex ſuperius adductis liquet, orientis nationes fuiſſe e quarum ſcitis hebdomadicus dierum calculus aſtrologicus in Graecos & Romanos occidentiſque populos reliquos diffuſus eſt: Atque exinde dubitari nequit quin apud illas vetuſtiſſimus fuerit. Neque interea magis ſequitur feſtum illis ideo fuiſſe ſeptimum diem ob calculi ſolum uſum, quam trecenteſimum ſexageſimum quintum diem anni, aut viceſimum nonum aut trigeſimum menſis feſtos fuiſſe; qui tamen in calculo & chronologico & civili etiam, uti hodieque, ſemper fere in uſu. Quod ſimiliter de aliis in calculo periodis ſine feſtivitate dicendum. Cum autem feſtus non eſſet dies ſeptimus gentilibus illis priſcis, e quorum uſu in ſecula poſteriora enumeratio tum ſimplex hebdomadica tum planetaria in oriente, & in occidente planetaria manavit; anne publico olim apud illos nitebatur orbis hebdomadici obſervatio qualiſcunque ſeu civili etiam inſtituto, an diſciplina tantum aſtrologica, pro libitu, ut fieri ſolet, privatis recepta? Certe ex utraque ratione in oriente, extra Judaeos, diu etiam ante Joſephum, hebdomadis uſum fuiſſe forte exiſtimandum. Ita proculdubio exiſtimarunt illi qui ſive Adae ſive Setho hebdomadici calculi initium atque inſtitutionem tribuunt; de quibus ſupra [k]. Argumento etiam videtur eſſe, quod ſimplex enumeratio dierum hebdomadica, ſive planetaria, adeo eis in uſu fuerit ut ex intima vetuſtate etiamnum retineatur. Accedat hic, in Sinenſium ipſorum paganiſmi faſtis ac civili temporis calculo obſervationem vetuſtiſſimam hodieque eſſe hebdomadis recurrentis eodem modo ac ordine quo apud alias gentes, citra tamen feſtivitatis alicujus rationem, quam aut a Mahumedanis in oriente didiciſſe, aut longe ante mahumediſmum a majoribus (quorum moribus in hiſce non diſſimiles fuiſſe aliarum in oriente gentium, non iniquum eſt conjectari) ac ſeculis Joſepho vetuſtioribus accepiſſe eos opinandum. Fide dico patrum e ſocietate Jeſu qui hac de re expreſſim [l] in literis ad Claudium Aquavivam ejuſdem ſocietatis praepoſitum generalem. Verba ſunt, *Sinae conſtellationes numerant octo & viginti, quae ſingulae proprium habent characterem. Hi quoque characteres ſinguli cum ſingulis planetis componuntur. Planetae ergo, cum ſeptem ſint, ſinguli quatuor habent ſibi adjectos characteres; quod ad amuſſim reſpondet numero noſtri cycli ſolaris. Nam quoniam ſingulis hebdomadae diebus unam ex his conſtellationibus cum planetarum uno componunt, hinc fit ut quatuor illi conſtellationum characteres qui ſoli ſunt addicti, perpetuo in diem dominicum incidant, quatuor Lunae in ſecundam feriam, Martis in tertiam, atque ita deinceps. Dixi, perpetuo: Nam cum apud Sinas intercalans dies nullus inſeratur, ipſaeque conſtellationes ſint quaternae, & evoluto conſtellationum numero, a capite ex integro inchoetur a primo, ipſi quoque hebdomadarum dies perpetuo pro numero planetarum ſeptem numerentur, hinc fit ut illi quatuor characteres conſtellationum ſingulis addicti planetis in unum eundemque ſemper diem incidant. Hi porro characteres cum in dies ſingulos in faſtis Sinenſibus appicti reperiantur, fit ut Neophyti* (Sinenſes quotquot ſacro imbuti lavacro) *ſi quatuor norint ſoli addictos characteres, quos ipſi* ſun fam hium mad *vocant, nullo negotio ex ſuis ipſorum faſtis dominicum diem explorent, quo in ſedem ſacram conveniendum ſciant.* Et quantum video, a quater millibus abhinc annis aut circiter, hanc, uti alia in temporum calculo, calendarii ſeu faſtorum publicorum rationem petunt. Atque ita etiam apud ipſos in extremo orientis poſitos, ex intima vetuſtate habes uſum civilem, non tantum aſtrologicum, tum ordinis hebdomadici, tum planetariae denominationis, in qua & qui Soli tributus eſt dies primus (quod forte, ut ſynodi Palaeſtinae [m] patres olim, ex hiſtoria creationis audita ſic eſſe ſibi probarant) & Lunae ſecundus eſt, caeterique deinceps ſequuntur, ut in hebdomade vulgari. Sic de orientis populis ſtatuendum videtur: Non item de occidentis. Tum Graecis tum Romanis civilem hebdomadis uſum fuiſſe in paganiſmo nullum, oſtenſum eſt ſupra; ſed tamen aſtrologicum. Qui, poſtquam Chriſtianiſmi, diei dominici gratia, hebdomas in faſtis invaluerat, etiam civilis factus eſt; utpote ex more vulgi, aſtrologicis rationibus plus aequo ante dediti, ſic deſumptus. Quod manifeſtum eſt ex eo quod planetariae hebdomadis uſus civilis ex ſeculis illis priſcis inter gentes oc-

[k] Lib. 3. cap 19. [l] Literae e regno Sinarum, ann. 1610. & 1611. Antwerpiae 1615. pag 131. [m] Apud Bedam, in lib. de AEquinoctio Vernali, & in tom. 1. Concil. edit. Bin. 1618. pag 79.

cidentis

cidentis tot Christianas, quae orbis fuere Romani, propagatus sit. Nec aliter opinor dicendum de septentrionalibus illis populis, seu sub Cauro positis, qui, tametsi planetariam haberent & ipsi hebdomadem quae etiam hactenus in usu est Germanis, Belgis, Anglis, Danis, aliis, eam nihilominus in civilem temporum calculum seu fastos ante christianismum non videntur recepisse. Beda Anglosaxo[n] annorum ac mensium, adeoque temporum calculum majoribus suis, antequam paganismum exuerant, in usu diligentius docet; menses eorum aliquot item nominibus deorum ritibusque paganismi signatos ostendit, veluti illum qui Martio respondet ꞃheðmonaþ dictum a dea illorum Rheda, Aprilem Eoꞅtuꞃ monaþ, qui nunc, inquit, *paschalis mensis* interpretatur (unde & paschatis tempus hodieque Easter Angli vocamus, ut & Alemanni Ostertag; neque aliter in Beda hic depravato legendum) a dea cognomine, & Septembrem haliᵹmonaþ seu *mensem sacrorum*, & Novembrem Bloðmonaþ *mensem immolationum*, a Blod, quod *sanguis* est. Initium item anni illius fuisse, ait, in VIII kal. Januarii, seu ipso Decembris Juliani, *Giuli* dicti, die XXV, quem Moðꞃanecht, id est, *matrum*, ut inquit ille[o], *noctem* appellitarunt. Persequitur etiam[p] concordiam maris & lunae, & juxta quidem hujus motum, maxime autem juxta illius fluxus refluxusque, quos pro incrementi ac decrementi varietate Mælinaꞅ nuncupatos ait & Leðoneꞅ, majoribus suis menses in dies tributos, nunc septenos, nunc octonos, alternante successu. Qua in re totius temporis rationem eis constitisse vult, unde & cyclum illorum lunarem hausit Josephus Scaliger[q]. At de hebdomadico recurrenti perpetuo dierum orbe aliquo apud eos non omnino loquitur Beda, tametsi de hebdomadis planetaria denominatione a gentilibus adhibita non semel alibi generatim loquatur, ut & ante memoravimus. Et de antiquorum Anglorum temporum ratione sic verba facturus, diserte inquit; *Neque mihi videtur congruum aliarum gentium annalem observantiam dicere, & meae reticere.* Quasi vellet indicare, in usu civili ac fastis Anglorum veterum, seu Saxonum, adeoque aliorum eisdem moribus in vicinia utentium, omnia quae subdit, nec alia locum obtinuisse. Neque igitur hebdomas eis civili seu publico in usu, sed tantum astrologico, aut, si vis, theologico, qua hic subinde cum astrologico, nondum in publica sacra aut fastos recepto, penes gentiles confundebatur: Id est, usu non dissimili ab eo qui inter Graecos ac Romanos, ut ostensum est, ex disciplina astrologica, citra institutum publicum, invaluerat. Nec interea miretur quis disciplinam, qualem diximus, de hebdomade astrologicam adeo per tot orbis terrarum populos olim disseminatam esse. Nam illud non magis mirum quam medicinae artem & sacros orientis ritus per occidentem diffluxisse. Scilicet AEgyptiorum (uti & par est credere caeterorum, quorum illi sive magistri sive discipuli) mos erat sacros ritus, medicinae praecepta, & astrologica simul eisdemque in libris consulto tradere. Rem quidem tangit Ptolemaeus[r]. Sed expressius vetus ad eum Scholiastes; Οἱ Αἰγύπτιοι ἐγνωκότες τὴν αἰτίαν τῆς τοιαύτης ἀγνοίας οὐκ ἰδίᾳ μὲν τὰ ἰατρικὰ συνέταξαν, ἰδίᾳ δὲ τὰ ἀστρολογικὰ καὶ τὰ τελεστικά, ἀλλὰ ἅμα πάντα συνέγραψαν ἵνα τὰ συγγενῆ καὶ ἐφεξῆς τεταγμένα, εἷς καὶ ὁ αὐτὸς εἰδὼς μὴ παρὰ τὴν ἄγνοιαν τῶν κοινῶν τούτων ἀντιστῆναι τοῖς ἐπιοῦσι μὴ δυνήσεται. *Aegyptii causam cognoscentes istius ignorationis* (nimirum qua nec per astrologiam plurimi hominum, artem interim obtendentes, praevidere, nec aut per medicinam aut per sacros diis ritibus peragendos praecavere poterant) *non medicinam & astrologiam & ritus sacros seorsim composuerunt, sed omnia simul conjunxerunt: Ut scilicet res cognatas & serie quadam cohaerentes unus idemque sciens, per ignorantiam eorum quae ita invicem communia fuere, malis imminentibus resistere minime nequiret.* Ita medicinam simul, astrologiam & theologiam imbiberunt, saltem curiosiores: Neque harum aliquam sine reliquis. Unde facilius evenit multo ut hebdomadis astrologicae usus passim invalesceret, sicut reliquae duae. Et de theologia gentilium cum astrologia sic olim subinde conjuncta testis est luculentus Julius Firmicus[s]. Is de astrologi qualitate verba faciens, *Antistitem*, inquit, *Solis & Lunae & caeterorum Deorum per quos terrena omnia gubernantur, sic oportet animum suum semper instruere, ut dignus esse tantis ceremoniis, omnium testimoniis comprobetur.* Astrologus omnium deorum antistes habitus: sed ex artis disciplina, non ex instituto publico. Unde & conqueritur Sextus Empiricus[t] suo in aevo, quod a Josephi vix dissitum, astrologos ποικίλως ἐπηρεάζειν τῷ βίῳ, μεγάλην δ' ἡμῖν ἐπιτειχίζειν δεισιδαιμονίαν, μηδὲν δὲ ἐπιτρέπειν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ἐνεργεῖν, *diversimode magnam vitae humanae afferre injuriam; & in nobis magnam struere superstitionem, neque quidquam permittentes agere ex recta ratione.* Atque adeo apud gentiles invaluisse astrologiam, theologiaeque sic commistam esse, minus dubitabit quisquis observaverit etiam inter Christianos fuisse, dum superioribus seculis astrologiae judiciariae deditiores erant, repertos viros sane eximios qui ratione astrologica tantum, non omnino sacro aliquo obtentu, die Saturni, seu septimo illo quolibet, laboribus vacandum etiam Christianis voluere. Joannes Franciscus Picus[v], *Rogerius Bacon*, inquit, *eo usque evectus est, ut scribere non dubitarit errare Christianos, qui die sabbati non ferientur & ab opere vacent ritu Judaeorum, cum sit ea dies Saturni parum commoda rebus agendis.* De celeberrimo loquitur illo Rogerio Bacone Anglo, qui sectae Franciscanae ante CCCXL amplius annos philosophus, theologus, mathematicus floruit perinsignis. Quid quod etiam sub id tempus non deesset qui[x] ipsum judaicum diei cultum Saturni gratia, quemadmodum & conjectabat olim Tacitus[y], habitum existimarent, Christiani quidem, sed nugacibus astrologorum scitis fanatice dediti? Mitto qui ex ipso schemate tum mundi tum Jesu Christi natalitio, quem frustra sibi fingunt, ex magnis conjunctionibus, atque ex imperii, si diis placet, planetarii

[n] De Temporum Ratione, cap 13. [o] Videsis Jos. Scaliger. de Emend. Temp. lib. 2. pag. 162. [p] Bed. de Ratione Temp. cap 27 & lib. de Natura Rerum, cap. 39. [q] Loc. citat. & videsis Dionys. Petav. de Doctr. Temp. lib. 2. cap. 70. [r] In Tetrabib. lib. 1. [s] Matheseos, lib 2. cap. 33. [t] Adversus Mathematicos, lib 5. [v] De Rerum Praenotione, lib. 5. cap. 7. [x] Apud Gulielm. Parisiensem, lib. de legibus, cap. 4 & 20. [y] Histor. 5.

successione

ſucceſſione, mira etiam de theologiae ac religionis ſtatu mutationeque ſuperioribus ſeculis ſcire videri ac praedicere auderent; ut Joannes ille Eſquidus dictus *, ſeu apud illum alii, Petrus de Alliaco †, Hieronymus Cardanus ‡, alii ſimiles. Sed de hiſce ſatis ſuperque.

CAP. XXIII.

Scopus Flavii Joſephi in verbis illis quorum gratia hactenus diſputatum eſt, ejuſque vera ibi ſententia de more hebdomadis quem ad gentes univerſas ait perveniſſe.

JAM vero, ut ad ipſa Flavii Joſephi verba, de quibus quaeſtio inſtituta eſt, tandem revertamur; animadvertendus eſt ejuſdem ibi [a] ſcopus; unde ſane mentem ejus, quae vulgo accepta totius antiquitatis fidei palam renititur, non obſcurae perquam veritati conſonam eſſe patebit. Scilicet praeter dignitatem & vetuſtatem Moſis, ducis, doctoris, legiſlatoris Judaeorum ſingularem, dum in Apiones, Molones, alios gentiles ibi ſcribit, ſummopere leges ſeu jura eorum collaudans, ea ante alia univerſis hominibus in pretio habita eſſe tradit; philoſophos item veteres de Deo aliiſque vitae rationibus ſententias aliquot doctrinae Moſaicae non diſſimiles amplexos eſſe; etiam & cultum Judaicum ſeu religionis eorum aliquot ritus gentilibus eouſque placuiſſe, ut tametſi ſuos ſibi peculiares haberent, Judaicorum tamen a longe imitatores ſeu amantiores interea ſe palam oſtenderent, dum ex eis mores aliquot, utcunque Judaicis non ſatis conſonos, ſibi adſciſcerent, adeoque etiam ipſum hebdomadis ſeu diei ſeptimi (in quo labore vacabant Judaei, non item gentiles) morem qualem ſupra fuiſſe demonſtravimus, item jejuniorum, luminum accendendorum, animalium aliquot abſtinentiam. Verba ejus ibi perpendenda: Ὑφ' ἡμῶν, inquit, διηλέγχθησαν οἱ νόμοι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις ἀεὶ καὶ μᾶλλον αὐτῶν ζῆλον ἐμπεποιήκασι. πρῶτον μὲν γὰρ οἱ παρὰ τοῖς Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες τῷ μὲν δοκεῖν τὰ πάτρια διεφύλαττον, ἐν δὲ τοῖς πράγμασι καὶ τῷ φιλοσοφεῖν ἐκείνῳ κατεκολούθησαν, ὅμοια μὲν περὶ Θεοῦ φρονοῦντες, εὐτέλειαν δὲ βίου καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους κοινωνίαν διδάσκοντες. *Et noſtrum cauſa accuſari ſolent leges* (ita vertendum; non, ut interpres, *a nobis itaque declaratae ſunt leges*, quod ibi nihili eſt) *etiam quae hominibus caeteris univerſis zelum* ſeu *imitationis cupidinem*, ſeu *honorem ſui prae aliis induxerunt. Primum enim qui apud Graecos philoſophati ſunt, viſi quidem ſunt jura patria obſervare, ipſis autem vitae actionibus* ſeu *revera atque inter philoſophandum, illius* (id eſt Moſis) *ſequaces fuere, ſimilia de Deo ſentientes, & vitam frugi atque ad invicem communionem edocentes.* Haec ſtatim ſequitur, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πλήθεσιν ἤδη πολὺς ζῆλος γέγονεν ἐκ μακροῦ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας, quod mihi ſonat, *quinetiam hominum vulgo zelus non exiguus evenit a longe noſtri cultus:* id eſt, cultum noſtrum tanto habent in pretio ut imitari videantur, tametſi ab eo qui verus eſt nimium exorbitent. Hiſce dein proxima ſunt verba de hebdomadis uſu ſupra allata. *Neque vero eſt*, inquit, *civitas aut gens ulla, ſive barbara ſive Graeca, ad quam*, μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν, *hebdomadis*, ſeu *diei ſeptimi, quem laborum vacatione celebramus nos, conſuetudo non pervenerit*, καὶ αἱ νηστεῖαι (ſic enim pergit) καὶ λύχνων ἀνακαύσεις, καὶ πολλὰ τῶν εἰς βρῶσιν ἡμῖν οὐ νενομισμένων παρατετήρηται. μιμεῖσθαι δὲ πειρῶνται καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους ἡμῶν ὁμόνοιαν, καὶ τὴν τῶν ὄντων ἀνάδοσιν, καὶ τὸ φιλεργὸν ἐν ταῖς τέχναις, καὶ τὸ καρτερικὸν ἐν ταῖς ὑπὲρ τῶν νόμων ἀνάγκαις; *& jejunia, & lumina accenſa, & multa circa ea quae nobis comedere nefas eſt, obſervantur. Conantur vero imitari mutuam inter nos concordiam, aequam rerum diſtributionem, induſtriam in artibus, & conſtantiam quoties pro legibus ad neceſſitatem aliquam adacti ſimus*, &c. De philoſophis locutus eſt, de aliis item gentilibus, qui ſive leges ſive dogmata, de Deo vitaeque ratione aliquot Moſaica aut amplexi ſunt aut, zelo eorum qualicunque ducti, ſunt imitati. *Similia de Deo*, inquit, *ſentiebant philoſophi Moſis ſequaces.* Idque de legibus expreſſim dixerat, *zelum eas ſui hominibus univerſis caeteris induxiſſe*, tametſi ob odium gentis ipſae interea ab adverſariis accuſarentur. Et ſatis ſcimus, leges eorum tum morales tum judiciales, velut exempla a quibus gentes aliae fuerint edoctae, non raro ſumi. Quemadmodum autem ſimpliciter primo dixerat *leges* Judaeorum *zelum ſui hominibus univerſis aliis induxiſſe*, ita ſtatim id ipſum de εὐσέβεια, *cultu*, ceremoniis ſeu ritibus ſacris, ſed cum temperamento, ſubdit. *Quin & vulgo hominum*, inquit, ſeu *quamplurimis*, *zelus inſignis evenit* ἐκ μακροῦ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας *a longe cultus noſtri.* Non ita quidem ceremonias noſtras ſacras ſeu cultum amplexi ſunt ut leges & philoſophiam: attamen etiam cultum ſeu ceremonias noſtras a longe imitati ſunt aliquas, ut videre eſt in hebdomadis (qua laboribus vacamus nos) uſu ſeu more, in luminibus accendendis [b], jejuniis, animalium aliquot abſtinentia. Licet eodem modo quo nos animalibus non abſtineant, nec lumina eodem modo ſeu ritu accendant, nec jejunia celebrent, nihilominus in hiſce omnibus ſuo modo obſervandis ἐκ μακροῦ μὲν τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ζῆλος πολὺς αὐτοῖς γέγονε, *cultus noſtri*, ſeu *rituum noſtrorum*, *zelus inſignis evenit*, ſed *a longe*; ſeu qui non ita rei ipſi proximat, ita tamen ut, dum in horum obſervatione longe a nobis diſſiti ſunt, noſtrorum rituum, utpote omnium vetuſtiſſimorum, quadantenus ſe imitatores non obſcure nec illibenter praebeant amanteſque. Quod & de hebdomadis uſu dicendum. Scilicet ſeptimo quidem die, ſeu Saturni, laboribus vacamus nos: vacatio illa cultus noſtri pars eſt. Cultum ejuſmodi licet in aliarum gentium inſtituta receptum eſſe non reperiamus, uti nec in calendaria ſeu publica temporis apud Graecos aut Romanos monimenta periodum dierum ſeptem tranſiſſe, ipſius tamen

* Summa Anglic. tract. 1. diſt. 1. ‡ Elucidario aſtronomicae concordiae. † Ad Ptolemaei Quadripartit. lib. 4. diſt. 54. & videſis Sixtum Senenſem biblioth. lib. 6. annot. 10. [a] Lib. 2. adverſus Apionem. [b] Vide Senec. lib. de vita beata cap. 27. Lipſium elect. 1. cap. 3. Fortunat. Scaccum Sacrorum Elaeo Chriſmat. lib. 1. cap. 6.

hebdomadis ſeu diei ſeptimi recurrentis obſervationem ſeu morem (id eſt τὸ τῆς ἑβδομάδος ἔθος) ad gentes populoſque univerſos utcunque perveniſſe ſcimus, atque tam in diſciplinis, quibus ſummopere incumbunt gentiles, quam in hominum vitae functionibus, tametſi non in publicis ubique temporum monimentis, locum primarium obtinere, & demum gentiles ipſam periodum noſtram ſeptem dierum ſacram, ſed quidem *a longe*, dum diei ſeptimi cultus, cujus gratia nobis eſt in uſu, ab illis praetermittitur, imitari. Horum quidem zelo ducti *a longe* ſunt imitatores. Alia etiamnum noſtra imitari contendunt, ut concordiam, induſtriam, conſtantiam. Hic, ni fallor, eſt Joſephi eo in loco ſenſus. Interpreti ejus τὸ ἐκ μακροῦ tempus ibi deſignat; nam *olim* vertit: Alii itidem *a longo tempore* ſubſtitui volunt. Ego potius, *a longe*, notione jam oſtenſa. Quod vero interea ad rem ipſam attinet, ex jam diſputatis, opinor, eſt manifeſtiſſimum, locum illum, utcunque vertendum, non omnino de gentium aliarum cultu ſabbatico intelligendum eſſe. Mores hac de re gentium aliarum ſupra exploravimus. Ad eas ipſe Joſephus velut ad rei totius & judices & teſtes provocat. Ἀυτός γέ τις ἕκαστος, inquit, τὴν πατρίδα καὶ τὸν οἶκον ἐπισκοπῶν τὸν αὑτοῦ τοῖς ὑπ᾽ ἐμοῦ λεγομένοις οὐκ ἀπιστήσει. *Quilibet ſuam patriam domumque inſpiciat: Certe ita non recuſabit jam dictis fidem adhibere.* Si ſenſu noſtro locus intelligatur, certum opinor eſſe ipſos ad quos ipſe ſic provocat, Graecos ſcilicet & Romanos, orientales occidentaleſque gentes demum ei cognitas univerſas, hebdomadis uſum ſibi receptum fuiſſe aſſerere, adeoque dictis ejus praebere aſſenſum tunc voluiſſe. At vero ſi de cultu capiatur ſabbatico in gentium inſtituta recepto, non ſolum non univerſae gentes aſſenſum ſic appellatae praebuiſſent, ſed nec etiam ulla fuiſſet comperta quae mendacii eum manifeſti non meritiſſimo coarguiſſet. Et de jure tum naturali, tum gentium, ex diſciplina Ebraeorum, quantum ad ſacrum cultum ejuſque ritus attinet, hactenus.



DE

DE JURE NATURALI ET GENTIUM,

Juxta Diſciplinam

EBRAEORUM,

LIBER QUARTUS:

Homicidii interdictum naturale (quod Noachidarum ſeu omnium hominum communis juris illuſtrioris caput eſt tertium) cum temperamentis ſuis, limitationibus atque exceptionibus apud Ebraeos; jus item gentium, quo apud illos caput hoc commiſtum, explicat: adeoque jus apud eos tutelae ſive ſui ſive aliorum, etiam ex vim inferentis caede; jus item ſingulare Zelotarum. Excommunicationis inſuper ac hominis devovendi, ſeu anathematis jus, qua caedes humana ſive inde revera permiſſa, ſive permitti a nonnullis credita; jura item aſyli, tum in urbibus Levitarum, tum in altari; jus vindicis ſanguinis; alia ejuſmodi.

CAP. I.

De ſcelere homicidii voluntarii. Ejuſdem genera, & poena tum coeleſtis tum forenſis; ordinaria, extra ordinem. Nefas abortum inferre, foetum in utero extinguere, liberos exponere. Juris diſcrimen hic quoad poenam inter originarios, proſelytos juſtitiae reliquoſque rite circumciſos, & proſelytos domicilii ſeu gentiles in ditione Ebraica degentes. De vindicis ſanguinis, ex jure cognationis, poteſtate.

OSTENSO, libris proxime ſuperioribus binis, quid ſenſerint docuerintque Ebraei veteres de duobus juris Noachidarum capitibus prioribus, quae ſunt בין אדם למקום ſeu *inter hominem & numen ſanctiſſimum*, id eſt, cultum divinum ejuſque ritus ſpectant, idque tum qua ſimpliciter naturalia ſunt ſeu univerſalia, tum qua ſive imperativum ſive interveniens Ebraeis aliiſque gentibus jus eis acceſſit ſeu commiſtum fuit, ſequitur ut tranſeamus ad capita ea quae ſunt בין אדם לחבירו *inter hominem & proximum ſuum*, id eſt, quae mutua hominum inter ſe officia complectuntur: ita ſcilicet dicta quia in ejuſmodi officiis maxime cernuntur; tametſi etiam obedientiam numini praeſtandam habeant conjunctam, & nonnulla inſuper in eis contineantur quae ſimpliciter duntaxat numini obedientiam exigunt, veluti ſimplex caedis ſui interdictum, ut mox oſtenditur. Horum primum eſt, (ſed in enumeratione omnium ſimul tertium) על שפיכות דמים *de effuſione ſanguinis*, quo nomine generi humano homicidium interdicitur. Qualiſnam autem eis fuerit ſenſus ejuſdem interdicti, tam qua naturale eſt, quam

quatenus

quatenus jure apud eos gentium ſubinde commiſcebatur, juxta quod ſupplent eorum commentarii, imus nunc explicatum. Ex nonnullis obiter in ſuperioribus dictis ſatis liquet, eos ita tantum habuiſſe interdictum hoc obligativum, ut interea vim ſuam pariter ſortirentur leges aliae moreſque de poenis etiam mortis, quae ſcilicet, ut reliquae in ſimplici Noachidarum jure, ex capite illo altero de judiciis, quod in enumeratione noſtra ſextum eſt, oriuntur. Nam de ultimo ſupplicio ipſis in uſu tam ex jure eorum civili, uti & ſacrae paſſim docent literae, quam gentium, aliquoties ſupra, dum de idololatria atque blaſphemia agitur, dictum eſt. Et de ejuſmodi aliis ſimiliter dicendum ſubinde in ſequentibus. Sed vero interdictum hoc non ſolum ſic temperant poenis mortis ex ſententia forenſi, ſeu ſolenni judiciorum more, irrogandis, verum etiam pariter aliis, quarum pleraeque revera poenae ſcelerum & delictorum ſunt nuncupandae, uti & nonnullae quaſi poenae potius appellandae, ut infra oſtendetur. Summa erit, velle eos, homicidium non committendum pro cujuſque arbitrio, aut extra poenae legitimae, aut quaſi, rationem; qui quidem ipſe eſt ſenſus ſcholae, dum ait homicidium nefas eſſe ſub ratione indebiti. Interdictum hoc, etiam qua univerſale eſt, Noachidis ad hunc modum inſtauratur: *At ſanguinem* [a] *veſtrum de animabus veſtris* (de vobis ipſis) *requiram, de manu cuncti animalis requiram eum, & de manu hominis, de manu viri fratris ſui requiram animam hominis. Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effundetur, quoniam in imagine Dei* Deus *fecit hominem.* Poſtmodum autem, praeter id quod eſt *non occides* in decalogo, habentur leges de homicidio in corpore Moſaico Ebraeis non ſemel datae. Ut, *Percutiens* [b] *hominem unde moritur, morte interficiatur.*—— *Et ſi homo machinetur in proximum ſuum ut dolo occidat eum, ab altari meo tolles illum ut moriatur.*—— *Et ſi percuſſerit vir ſervum ſervum ſuum aut ancillam ſuam virga, & mortuus fuerit ſub manu ejus, ulciſcendo ultio ſumetur. Et ſi* יום או יומים quod verbo tenus ſonat *per diem, vel per duas dies* (ſed magiſtrorum ſenſum infra damus) *manſerit ſeu ſteterit, non ultio exigetur, eo quod pecunia illius ſit. Si contenderint viri, & offenderint mulierem praegnantem, ut egrediantur foetus ejus ſeu nati ejus* (ſcilicet ויצאו ילדיה; quod ſingulariter legitur in pentateucho Samaritano ויצא ילדה *& egrediatur foetus ejus) & non fuerit exitium, puniendo punietur, ſecundum quod illi impoſuerit maritus mulieris, dabitque juxta judicum ſententiam. Et ſi exitium fuerit, dabis animam pro anima.* Alii occurrunt in ſacra lege [c] ejuſmodi. Inter quae & hoc inprimis hic animadvertendum de poteſtate legitima ejus qui גואל הדם *vindex ſanguinis* erat, id eſt, uti & helleniſtis & vulgatae vertitur, *cognatus*, ſeu *propinquus occiſi.* Verba legis ſacrae [d] ſunt, גאל הדם הוא ימית את הרוצח בפגעו בו הוא ימיתנו׃ *Vindex ſanguinis interficiet homicidam cum occurrerit ei*, ſeu, ut vulgata, *ſtatim, ut apprehenderit eum, interficiet eum:* quod & paulo poſt iteratur. Jam vero priora verba eorum quae e Geneſi citantur, ſeu τὸ *ſanguinem veſtrum de animabus veſtris requiram*, interpretantur magiſtri de caede ſui. Gloſſa ibi; אף החונק עצמו אף ע״פ שלא יצא ממנו דם *etiam qui laqueo finit ſibi vitam* in legem hanc committit, *licet ſanguis ejus non effundatur.* Quale in caeteris caedis generibus incruentis ſemper recolendum, tametſi *effuſionis ſanguinis* nomine homicidium plerumque eis denotetur. Et Nachmanides illic, רבותינו דרשו בו הורג את עצמו וגו׳ *Rabbini noſtri locum explicant de caede ſui.* Ita alii [e]. De caede autem ſui, praeter ea quae obiter a theologis [f] homicidium tractantibus dicuntur, conſulas Balthaſaris Gomeſii J. C. Toletani librum [g] *de poteſtate in ſeipſum*, uti & quae nuper ex Olympiodori commentariis MSS. in Platonis Phaedonem atque aliunde ea de re edidit Carolus Annibal Fabrotus [h] Juriſconſultus. Quae ſequuntur, *De manu cuncti animalis requiram eum*, nunc explicant de caede per animalia rapacia ac voracia illata, homine inſtigante; nunc etiam de poena coelitus homicidis infligenda, immiſſis ſcilicet ab ipſo numine beſtiis quae vindictam ſumant, ſi homines ſcelus non puniant. Qua de re obiter ſatis ſuperius [i] diximus. Illud, *De manu hominis, de manu viri fratris ſui*, alii interpretantur de ſicario, qui interficiat, miſſo, id eſt altero; quod *per fratrem* deſignari ſolet; alii de caede ex errore facta ab amico ſeu ſocio. Codex Samaritanus ibi habet, מיד איש ואחיו *de manu viri & fratris ejus*, quemadmodum & vulgata. Paraphraſis autem Chaldaea Onkeli; *Et de manu hominis, de manu viri qui fuderit ſanguinem fratris ſui, requiram animam hominis.* Etiam receptior eſt magiſtris ſententia, verbum דרש, quod *requirere* ſignificans hic iteratur, denotare שדינם מוסר לשמים *judicium de eis* (ſi ſacra verba ibi tantum ſpectes) *referri ad ipſum numen*, ſeu coelitus exſpectandum. Poſteriora item in Geneſi verba, *Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effundetur*, de judicio forenſi ſeu poena in foro civili homicidae qui *per ſe* בעצמו, non per alium, nec ex errore, ſed data opera ſeu ex animo, caedem patraverit, ſumi volunt. Certe & Onkelos ea vertit; דישוד דמא דאנשא בסהדין על מימר דיניא דמיה יתישד *Qui effuderit ſanguinem hominis, per teſtes juxta ſententiam judicum ſanguis ejus effundetur.* Et Judaei itidem ibi Mauritanienſes,

من يسفك دم الانسان في قول الانسان

دمه يسفك *Qui effuderit ſanguinem hominis, ex decreto* ſeu *ſententia hominis effundetur ſanguis ejus.* Jam vero dum legem hanc de homicidio Noachidis diſerte inſtauratam, cum ſibi civilibus illis de homicidio item in corpore Moſaico latis committunt, omnimodam quidem caedem humanam, extra rationem poenae legitimae, aut quaſi (quod mox explicabitur) interdici tum ipſis volunt, tum generi humano; at interea perquam diverſimode apud ipſos puniri homicidium utcunque ex animo & data opera

[a] Geneſ. ix. 5. [b] Exod. xxi. 12. [c] Levit. xxiv. 17. Numer. xxxv. 16, &c. Deuteron. xix. 11. [d] Numer. xxxv. 19. [e] Maimonid. Halach. *Rotzach* cap. 2. [f] Thom. 2. ſecundae q. 64. art. 5. alii ibidem, &c. [g] Panormit. 1616. [h] Exercitat. 5. [i] Lib. 1. cap. 5. pag. 120. & 121.

patratum (nam de caede errore commiſſa dicemus inferius) idque ſive genera caedis, ſive perſonas quae interemerint, ſive interemptos ſpectes. Quod ad genera attinet; caedes [k] ex animo patrata, ſive gladio, ſive fuſte, ſive ſaxo, aliterve per ipſum reum, caeſim, punctim, jactu, ultimo ſupplicio, id eſt hic gladio, ex ſententia forenſi punienda. Neque perſonarum quae caedem patrarent hac in re diſcrimen. Tam ſcilicet Ebraeus & quilibet rite circumciſus quam proſelytus domicilii ſeu gentilis Ebraeorum in ditione ſic puniendus: nempe gladio vita privandus. Nec ſane quod habet Philo [l], etiamſi Judaeus, de ſuſpenſione homicidae in patibulo (quod & male nonnulli viri doctiſſimi de cruce ſic vulgo dicta ſumunt) velut ex lege Moſaica atque Ebraico uſu, omnino verum eſt; ſi Talmudicis fides. De Philonis loco videſis ante alios Iſaacum Caſaubonum [m] in Baronianis. Sic de poena homicidii ſpontanei ab homicida ipſo patrati. At vero de Ebraeis reliquiſque rite circumciſis caedis non per ſeipſos, ſed per alium, eorum juſſu ſeu opera, factae reis aiunt, הַשּׂוֹכֵר הוֹרֵג לַהֲרוֹג אֶת חֲבֵירוֹ אוֹ שֶׁשָּׁלַח עֲבָדָיו וַהֲרָגוּהוּ אוֹ שֶׁכְּפָתוֹ וְהִנִּיחוֹ לִפְנֵי הָאֲרִי וְכַיּוֹצֵא בוֹ וַהֲרָגַתּוּ חַיָּה וְכֵן הַהוֹרֵג אֶת עַצְמוֹ כָּל אֶחָד מֵאֵלּוּ שׁוֹפֵךְ דָּמִים הוּא וַעֲוֹן הֲרִיגָה בְּיָדוֹ ׃ וְחַיָּב מִיתָה לַשָּׁמַיִם ׃ וְאֵין בָּהֶן מִיתַת בֵּית דִּין ׃ *Si quis mercede conduxerat alium in caedem humanam, ſeu ſervos ſuos miſerat ut alterum interficeret, ac caedes ſecuta eſſet, aut quempiam ligatum expoſuerat leoni aut beſtiis ſimilibus a quibus fuerit occiſus, aut ſibi ipſi mortem conſciverat, pro homicida habendus erat, & homicidii plane reus*; *quo nomine mortem* (etiam ex lege) *coelitus infligendam merebatur. Sed ex ſententia forenſi morte horum plectendus erat nullus.* Quod tamen dici volunt de jure ordinario. Nam extra ordinem, & pacis tranquillitatiſque publicae cauſa, ex hiſce ſpeciebus homicidia quae jure ordinario morte non punienda, etiam in Ebraeo caeteriſque rite circumciſis, etiam morte puniebantur. Addunt enim, כָּל אֵלּוּ הָרַצְחָנִים וְכַיּוֹצֵא בָהֶן שֶׁאֵינָן מְחוּיָּבִין מִיתַת ב״ד ׃ אִם רָצָה מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל לְהָרְגָם בְּדִין הַמַּלְכוּת וְתַקָּנַת הָעוֹלָם הָרְשׁוּת בְּיָדוֹ ׃ וְכֵן אִם רָאוּ בֵּית דִּין לְהָרְגָם בְּהוֹרָאַת שָׁעָה ׃ אִם הָיְתָה הַשָּׁעָה צְרִיכָה לְכָךְ ׃ יֵשׁ לָהֶם רְשׁוּת כְּפִי מַה שֶּׁיִּרְאוּ ׃ *Homicidas jam dictos qui ex ſententia forenſi morte* jure ordinario *neutiquam erant plectendi, ſi morte nihilominus afficere vellet rex Iſrael, ex jure Regio* [n] *& in ſalutem publicam, id ita facere ei licuit*; *quemadmodum etiam, ſi extra ordinem & ob ſingularem temporis neceſſitatem morte plectendi ſynedrio* ſeu *foro civili atque ordinario* (ſive ſcilicet LXXI virorum, ſive XXII.) *viderentur, fas etiam & ſic eos morte plecti.* Quin & ſubjungunt, ſi nec cauſa eſſet cur aut ſynedrium aut rex ita homicidas ejuſmodi morte plecteret, בֵּית דִּין חַיָּבִין מִכָּל מָקוֹם לְהַכּוֹתָם מַכָּה רַבָּה הַקְּרוֹבָה לְמִיתָה ׃ וְלַאֲסָרָם בְּמָצוֹר וּבְמָצוֹק שָׁנִים רַבּוֹת ׃ וּלְצַעֵר בְּכָל מִינֵי צַעַר כְּדֵי לְהַפְחִיד וּלְאַיֵּים אֶל שְׁאָר הָרְשָׁעִים שֶׁלֹּא יִהְיֶה הַדָּבָר לָהֶם לְפוּקָה וּלְמִכְשׁוֹל ׃ וְיֹאמַר הֲרֵינִי מְסַבֵּב לַהֲרוֹג אוֹיְבַי כְּדֶרֶךְ שֶׁעָשָׂה פְּלוֹנִי וְאִפָּטֵר ׃ *Ex officio, ſynedrio incubuiſſe, plurimis verberibus eos plectere etiam uſque ferme ad mortem*; *& in carcerem traditos ibi annis multis tenere, aerumniſque omnimodis premere, ut ſic deterrerentur homines alii peſſimi, nec inde titubarent atque in offendiculum inciderent, adeo ut eorum quis ſibi diceret, ad occidendum inimicos meos circumcurſito, modo quo N. fecit, nec poena omnino afficiar.* De perſonis dein interemptis tradunt, אֶחָד הַהוֹרֵג אֶת הַגָּדוֹל אוֹ אֶת הַקָּטָן בֶּן יוֹמוֹ בֵּין זָכָר בֵּין נְקֵבָה הֲרֵי זֶה נֶהֱרָג עָלָיו אִם הָרַג בְּזָדוֹן וְהוּא שֶׁכָּלוּ לוֹ חֳדָשָׁיו ׃ אֲבָל אִם נוֹלַד לְפָחוֹת מִתִּשְׁעָה חֳדָשִׁים הֲרֵי הוּא כְּנֵפֶל עַד שֶׁיִּשְׁהֶה ל׳ יוֹם ׃ וְהַהוֹרְגוֹ בְּתוֹךְ ל׳ יוֹם אֵינוֹ נֶהֱרָג עָלָיו ׃ *Pariile jus eſt, ſi quis annis majorem aut minorem recens natum occidat, ſive maſculum ſive foeminam. Caedis nempe hujuſmodi nomine morte plectendus eſt, ſi ex animo* ſeu *ſponte occidat. Quod ita intelligendum ut recens natus compleverit menſes ſuos. At vero ſi novem menſibus in utero matris non manſerit, pro abortivo habendus eſt, uſque dum diem tranſegerit trigeſimum. Et qui eum intra dies triginta occiderit, eo nomine minime morte plectendus.* Neque diverſum jus faciunt ſive quis occiderat origine Ebraeum, ſive liberum ſive ſervum ſive proſelytum juſtitiae ſive ſervum e gentilibus alienum: qui ſcilicet nomine ſervitutis juxta ante [o] oſtenſa lavacro ſuſceptus eſſet, ſeu rite circumciſus, nec manumiſſus; ſervum nempe alterius qui קִבֵּל עָלָיו הַמִּצְוֹת וְנוֹסַף עַל נַחֲלַת ה׳ *in ſe receperat praeceptorum* ſervis baptizatis obſervandorum *obſervationem, & ita adjectus eſt haereditati* ſeu *poſſeſſioni domini Dei O. M.* diverſum jus, inquam, non faciunt, ſive liberum, ſive ejuſmodi ſervum alterius quis occiderat. Neque ſane ſi quis ſuum e gentilibus ſervum (nam par omnino ſervi origine Ebraei ac liberi hic conditio, uti & recte monet Lyranus) ita percuſſerat ut intra viginti quatuor horas ſeu noctem diemque proxime inſequentem ſtare nequiret, ſed ex plaga ſeu vulnere ſtatim decumberet, atque inde moreretur. At ſi per tantum tempus ſteterit, ſeu non, ut aeger, ex plaga ſeu vulnere decumberet, poſtea tamen inde mortuus eſſet, morte dominus non plectendus. Ita ſcilicet interpretantur [p] magiſtri legem illam ſibi civilem de ſervo ſuo a quopiam percuſſo, ante ex Exodo citatam. *Si per diem vel duos dies ſteterit*; id eſt, aiunt, quantum ſaltem tempus nox & dies, ſeu dies unicus civilis, complectitur. Et Pentateuchus Samaritanus ibi expreſſim pro eo quod eſt נָקֹם יִנָּקֵם *ulciſcendo ultio ſumetur*, & לֹא נָקֵם *ultio non exigetur*, habet מוֹת יוּמַת *morte morietur* & לֹא יוּמַת *non morietur.* Et quae ibi ſequuntur de muliere gravida percuſſa ſic intelligunt, (juxta verſionem etiam vulgatam, Chaldeam, aliaſque Judaeorum ipſorum) ut, ſi ex abortione mortua non eſſet foemina, nec ſequeretur poena ibi praeſtituta. Quod autem vertitur ibi, *ſi non fuerit exitium*, &, *ſi fuerit exitium* (id eſt, אָסוֹן) per *mortem* interpretantur בָּאִשָּׁה ſeu *mulieris.* Compenſationem autem damni marito hinc illati aeſtimabant ex detrimento quod uxoris corpori inde eveniret [q], ſeu juxta id quod uxoris pretio, ſi ancilla eſſet, inde decederet. Huic etiam acceſſere mulctae forenſes aliae ipſi foeminae praeſtandae. At vero de

[k] Miſn. & Gemar. tit. *Sanhedrin* cap. 9. Moſ. Maimonid. Hal. *Rotzach.* cap. 2. Moſes Mikotzi praec. neg. 163. [l] Lib. de leg. ſpec. ad 6. & 7. praec. [m] Exercit. 16. num. 77. [n] Videſis *More Nebochim* lib. 3. cap. 40 [o] Lib. 2. cap. 3. & 5. [p] Moſes Bar. Nachman in *Piruſh Tora* fol. 130. a. alii in Exod xxi. & Maimonid. Halach. *Rotzach* cap. 2. [illegible] Philonem, lib. de leg. ſpec. ad praec. 6. & 7. [q] Maimonides Halach. *Chobal Wemazik*, cap. 4.

quisquis jure haereditario ei succedere debuisset, is vindex erat sanguinis. Adeo ut nomen hoc in sacra lege & commentariis Ebraeorum usurpetur velut id quod non tam ex singulari constitutione inter Mosaicas inductum sit, quam ex more anteriore in oriente receptum. Et quis cuique haeres esset legitimus ex jure Ebraico, disce, si nescis, ex libello de successionibus in bona defuncti olim non semel edito. Male igitur Gelenius Josephi interpres[q], *Licere cuivis e cognatis interempti homicidam impune occidere, duntaxat extra urbem refugii deprehensum,* quae verba postrema ad homicidium involuntarium tantum attinent; de quo capite proximo. Graeca sunt, ἐχόντων ἐξουσίαν τῶν τοῦ πεφονευμένου συγγενῶν κτείνειν, εἰ λάβοιεν ἔξω τῶν ὅρων τῆς πόλεως εἰς ἣν ἔφυγε, τὸν πεφονευκότα, quod recte ante verterat Ruffinus, *habentibus scilicet potestatem cognatis perempti* (id est, quisquis perempto sanguine esset proxime juxta stemmatis haereditarii rationem conjunctus; non e cognatis quivis, ut Gelenius) *occidere homicidam, si eum extra terminos civitatis ad quam fugerat inveniret.* Neque aliter igitur intelligendus Philo[r], ubi pariter interempti ἀγχιστεῖς seu *cognatos* in hanc rem non semel memorat. Quod singulariter, ut & in sacris literis, semper accipiendum, si Talmudicis fides. Pergit Maimonides; לא רצה גואל הדם או שלא היה יכול להמיתו או שאין לו גואל הדם · בית דין ממיתין את הרוצח בסייף· האב שהרג את בנו · אם היה בן לנהרג הרי זה הורג אבי אביו מפני שהוא גואל · ואם אין לו בן · אין אחד מן האחין נעשה גואל הדם להמית את אביו · אלא בית דין ממיתין אותו · ואחד הזכר ואחד הנקבה בגואלת הדם: *Si nollet vindex sanguinis, aut si nequiret, interficere homicidam, aut si illi non esset vindex sanguinis* (id est haeres, ut proselyto justitiae sine prole post Judaismum susceptum mortuo; aut si homicida ipse haeres esset) *ex sententia forensi ultimo supplicio puniendus erat, idque gladio.* (Quoties scilicet circumstantiae atque apices juris, sine quibus forensis sententia locum non omnino habuit, minime deerant.) *Unde evenit ut si pater filium interficeret cui proles esset,* scilicet haeres, *ab ea avus esset interficiendus, quoniam proles haec vindex erat sanguinis; sin vero prole careret, fratrum nullus factus est vindex sanguinis:* Nam pater ipse, seu homicida, haeres erat. *Atque eadem erat haeredum utriusque sexus ratio in vindictae ex jure sanguinis sumendae jure.* Neque fas erat in juris sui compensationem pretium seu lytrum vindici hic ab homicida recipere, aut eum poena imminente pretio omnino liberare. Scilicet adjiciunt; ומזהירין בית דין שלא ליקח כופר מן הרוצח ואפילו נתן כל ממון שבעולם ואפילו רצה גואל הדם לפוטרו · שאין נפש הנהרג קניין גואל הדם אלא קניין הקב"ה שנאמר ולא תקחו כופר לנפש רוצח: *Et monere solebant synedria, ne impunitatis pretium acciperetur ab homicida, etiamsi daret quicquid opum essent in mundo, atque etiamsi vindex sanguinis eum libenter liberare vellet; quoniam vita occisi hujus non erat habenda in rebus vindicis sanguinis, sed in rebus Dei Opt. Max. juxta & illud quod scriptum est*[s], "Et non accipietis pretium seu lytrum pro "vita homicidae". Quale autem jus in ditione Israelitica esset proximo cognato proselyti domicilii, alteriusve gentilis, in hac sanguinis vindicta, ex eis eliciendum quae sub capitis proximi calcem de homicidio involuntario & asyli jure (qua ad proselytos domicilii & gentiles alios in ditione Israelitica haec spectarent) sequuntur.

C A P. II.

De homicidio involuntario, seu quod casu factum ac errore. Urbes sex refugii, seu asyla. Caeteris Levitarum urbibus XLII *asyli item jus, sed dispar. Iterum de vindice sanguinis. Jus asyli quale in altari esset. Horum omnium jura, quatenus eorum sive proselytis domicilii sive gentilibus aliis in ditione Israelitica aut legitimus esset usus aut nullus.*

QUAE superius tradita sunt ad homicidii scelus spectant plane voluntarium, quod בזדון & בכונה nuncupant. Generis autem homicidii involuntarii, quod בלא כונה vocitant, tres faciunt magistri[a] species. Prima est, quando בשגגה *ex errore & ignorantia* simplici atque infortunio, nec tamen sine culpa levi ex negligentia aliqua, qualem prudentiores seu cordatiores fugerent, contracta, omnino interea nolens quis hominem occiderat; juxta illud in lege sacra[b], *Qui non est insidiatus, sed Deus tradidit* illum *in manum ejus, ponam tibi locum quo confugiat.* Cui speciei accedit etiam homicidium quidem per se alias voluntarium, sed ex ignorantia seu errore hujusmodi facti velut ex jure commissum: quemadmodum ubi vindex sanguinis homicidam ex hujusmodi errore, non sponte, e civitate refugii egressum occiderat; qua de re mox plura. Secunda, quando etiam ex errore quis hominem occiderat seu casu, sed qui קרוב לאונס *ad injuriam* seu *violentiam prope accedens*, seu eam quadamtenus imitans, interea casus esset, שאינו מצוי ברוב מאורעות בני אדם *qui nequaquam in rebus humanis evenire ut plurimum soleret*; unde nec culpa ne levis quidem homicidae tribuenda. Exemplum secundae habent in eo qui, dum scalam ascendit, forte delabens in quempiam, casu hoc mortem ei infert: primae vero, in eo qui descendens idem facit. Quoniam enim casus in descensu frequentior est, non item in ascensu (sic illi;) ideo discrimen hoc inesse volunt, imputata in exemplo primae negligentia seu culpa levi, in secundae non item; unde & regulam habent de descensu & ascensu, casum ex hoc secundae esse semper speciei; at ex illo, primae: tertia autem homicidii involuntarii species est, ubi יש הורג בשגגה ותהיה השגגה קרוב לזדון · *Qui alium occidit ex errore quidem* aut *ignorantia, quae tamen prope accedit ad id quod spontaneum est* seu *voluntarium*; veluti ubi quis alterum

[q] Archaeolog. lib. 4. cap. 7. [r] Lib. de leg. spec. ad 6 & 7. praecept. [s] Num. xxxv. 31. [a] Misna & Gem. tit. *Maccoth*, cap. 2. Maimonides Halach. *Rotzach*, cap. 6. Mikotzi praecept. affirm. 75. [b] Exod. xxi. 13. aude Numer. xxxv. 22. Deuteron. xix 5.

occidere

occidere volens, alterum jactu aliterve perimit; aut ubi jactu ſive ſaxi ſive teli in hominum coetum, cujus nec ignarus qui jecerit, quis occiſus; adeoque intervenerit culpa latiſſima. Ex tribus hiſce homicidii involuntarii ſpeciebus nulla eſt quae morte ex ſententia forenſi ordinaria ſive in Ebraeo aliove circumciſo ſive in proſelyto domicilii aut gentili alio puniretur. Nam in univerſum pronunciant, homicidam nullum בלא כונה, ſeu *qui non ſponte ſcelus patraret*, ſic foro puniendum. Nec ad ſpeciem ſecundam aut tertiam attinere volunt urbium refugii ſeu φυγαδευτηρίων jura in corpore Moſaico [c] praeſcripta, ſed tantum ad primam, & ad primam ferme duntaxat [d], quoties percuſſus ſtatim moreretur, nec ex vulnere ſeu ictu langueret. Sic enim non ſatis conſtare utrum ipſe ſibi ex negligentia aliterve, an qui percuſſerit, in mortis eſſet cauſa. Unde nec ad aſylum homicidae ejuſmodi, ubi mors repentina non ſequeretur, confugiendum, nec confugiendi cauſa: Neque enim vindici ſanguinis in eum poteſtas. Excipiunt hic item patrem filium, ac magiſtrum diſcipulum, verberibus corrigentem, atque inde forte occidentem, quoties ſcilicet ſive filius ſive diſcipulus inter legem, philoſophiam, aliaſve artes neceſſarias a patre aut magiſtro ediſcendum verbera inde mereretur, ſeu caſtigandus eſſet. Pari modo excipiunt hic lictorem qui in jus vocatum, nec ſequentem aut comitantem, verberibus forte interimeret: Quoniam ſcilicet infortunium evenit ex eo quod fiebat non ſine praecepto ſeu juris praeſcripto, nec ſolum ex arbitrio. Maimonides [e]; הבן שהרג את אביו בשגגה גולה׃ וכן האב שהרג את בנו גולה על ידו׃ במה דברים אמורים בשהרגו שלא בשעת לימוד׃ או שהיה מלמדו אומנות אחרת שאינו צריך לה׃ אבל אם יסר בנו כדי ללמדו תורה או חכמה או אומנות ומת׃ פטור: וכן הרב המכה את תלמידו או שליח בית דין שהכה את בעל דין הנמנע מלבוא לדין׃ והמיתו בשגגה פטור מגלות׃ שנ׳ להטוב עצים לדברי הרשות׃ יצא האב המכה את בנו׃ והרב הרודה את תלמידו׃ ושליח ב״ד׃ שהרי שגגו והרגו בשעת עשות המצות: *Filius qui patrem errore aut caſu occiderat, in urbem refugii eo nomine migrabat*; *uti & pater qui filium: Nimirum ubi pater filium occiderat non diſciplinae cauſa caſtigando, ſeu inter artes alias quam quae ediſcere oportuit ediſcendum. At vero ſi caſtigaverat filium, dum docebat eum legem aut philoſophiam arteſve* neceſſarias, *atque ita occiderat*, *non migrabat ad urbem refugii. Quod ſimiliter dicendum de magiſtro percutiente diſcipulum ſuum, ac lictore forenſi qui reum renitentem forte occideret. Exemplum enim in ſcriptura eſt de ligna* [f] *ſuccidente, ſeu de rebus factiſve liberi arbitrii. Excipitur ex illis pater filium ſic percutiens, & magiſter imperium in diſcipulum ſic exercens, & lictor forenſis: Nam errore occidebant dum id faciebant quod ex jure faciendum*, nec pro arbitrio rite omittendum. Et de eis aiunt, אע״פ שהם מזידין אין מערימין *tametſi ſponte percutiebant, tamen dolo malo* aut *cum injuria id non faciebant*. Ideoque immunes erant non ſolum poena forenſi, ſed etiam migratione ad aſylum, adeoque vindicis poteſtate. In ſpecie vero ſecunda, ubi nulla imputata negligentia, ſed caſus qui rarius eveniret, in cauſa homicidii eſſet, nec aſyli itidem juris uſus, nec vindici ſanguinis poteſtas in homicidam. Aiunt enim, פטר מן הגלות ואם הרגו גואל הדם נהרג עליו *Liber erat* homicida ille *ab exſilio* ſeu *migratione* in urbem refugii. *Et ſi eum interemerat vindex ſanguinis, ipſe eo nomine ultimo puniendus ſupplicio.* Tertiae demum ſpeciei homicidae ex errore; qui adeo facinori ſpontaneo proximat, ſalus nulla in urbibus refugii, neque ad eum jus ad eas confugiendi attinuit. Rationem adjiciunt [g], מפני שעונו המורה אין גלות מכפרת לו׃ ואין ערי מקלט קולטות אותו׃ שאינן קולטות אלא המחוייב גלות בלבד׃ לפיכך אם מצאו גואל הדם בכל מקום והרגו פטור׃ ומה יעשה זה׃ ישב וישמור עצמו מגואל הדם: *Quoniam gravius deliquit, migratio ejus in urbem refugii ei non profuit, nec urbes ejuſmodi eum tuebantur. Nimirum tuebantur illae eos tantum ad quos jura illa refugii attinebant, ſeu quibus ex jure confugiendum erat. Unde ſi eum quocunque loci repertum vindex ſanguinis interimeret, impune id faciebat. Quid igitur homicidae ejuſmodi faciendum? Certe cautius ſibi proſpiciendum ne in poteſtatem vindicis ſanguinis incideret.* Atque ſub hac tertia ſpecie continebatur ex errore qualicunque homicida qui odio haberet percuſſum, ſeu ei inimicus eſſet. De eo ſcilicet magiſtri [h]; הוקתו שהוא קרוב למזיד ואיזהו שונא זה שלא דבר עמו שלשה ימים מפני האיבה: *Praeſumebatur homicidium ejus fuiſſe ſpontaneo proximum. Is autem odio habuiſſe eum dicebatur, qui inimicitiae cauſa per triduum integrum cum eo colloquium non haberet.* Urbes illas refugii homicidii ex errore ſpeciei primae cauſa tantum praeſtitutas, duplicis faciunt generis. Alterum eſt illud notiſſimum, quod ſex urbes Levitis aſſignatas complectitur; de quibus ſacrae literae [i] fuſius. Alterum reliquas quadraginta duas Levitis aſſignatas (nam quadraginta octo habuere) continet. Maimonides [k] ex veteribus; כל ערי הלוים קולטות׃ וכל אחד מהן עיר מקלט היא׃ שנ׳ ועליהן תתנו מ״ב עיר כל הערים אשר תתנו ללוים מ״ח עיר׃ הקישן הכתוב כלן זו לזו לקלוט: *Univerſae urbes Levitarum fuere urbes refugii* ſeu *aſyla: ſcilicet earum erat nulla quae hoc non gaviſa eſt privilegio. Nam & in lege dicitur* (ubi [l] ſex praeſtituuntur) Et ultra has dabitis quoque quadraginta duas civitates; *ut ſcilicet omnes civitates ſint quadraginta octo civitates. Ita pares fere facit ſcriptura univerſas ſimul ſibi invicem quantum ad refugii ſeu aſyli jus:* Fere nempe; nam inter genera haec bina diſcrimen ejuſmodi fuiſſe volunt, ut ſex illarum quaelibet in cauſa homicidii ex errore qualis in ſpecie prima deſcribitur, commiſſi, nunquam non eſſet ex ſe aſylum ſeu refugium adeo tutum, ut nefas eſſet vindici ſanguinis ibi homicidam occidere: At vero reliquae habebantur tantum aſyla pro incolarum arbitrio, ſeu ſi ita vellent homicidam illuc confugientem recipere, ut aſyli jus ibi tuto ſortiretur. Idem Maimonides; ומה הפרש יש בין ערי מקלט שהובדלו

[c] Exod. xxi. 13. Numer. xxxv. Deut. ix. Joſeph. Archaeolog. 4. cap. 7. & Philo, lib. de ſpecial. legibus ad praec. 6. & 7. Et praeter commentarios Chriſtianorum ad dicta loca, videſis Iſidor. Peluſiotam, lib. 3. Epiſt. 108. [d] Maimonides Halach. *Rotzach*, cap 5. [e] *Halach* Rotzach, cap. 5. Moſ. Mikotzi Praecept. affirm. 75 & v. de Jarchi ad Exod. xxi 14. [f] Deuter. xix. 5. [g] Maimon. Halach. *Rotzach.* cap. 6. [h] Deut. xix. 11. [i] Numer. xxxv. Deuteron. 19. Joſ. xx. & xxi [k] Halach. *Rotzach*, cap. 8. [l] Numer. xxxv. 6.

למקלט ובין שאר ערי הלוים׃ שערי מקלט קולטות בין לדעת בין שלא לדעת׃ הואיל ונכנס בהן נקלט׃ ושאר ערי הלויים אינן קולטות אלא לדעת׃ *Diſcrimen inter urbes refugii eo nomine ſignantius aſſignatas & reliquas Levitarum urbes erat hujuſmodi; ut ſcilicet illae jure aſyli gauderent, ſive vellent ſive nollent incolae, adeo ut ſimulac ingrederetur in earum aliquam homicida, tutus eſſet; hae vero, non niſi vellent incolae*, ſeu *pro eorum arbitrio.* Adjiciunt etiam; הרוצח הדר בערי מקלט אינו נותן שכר ביתו׃ והדר בשאר ערי הלויים נותן שכר לבעל הבית׃ *Homicida in urbium aliqua ſignantius refugii cauſa aſſignatarum domicilium abſque mercede habet; in caeteris vero domino aedium merces ab eo ſolvenda.* Extra autem urbis refugii limites ſeu agrum ſuburbanum (ut diſerte ſatis etiam ſacrae literae[m]) deprehenſum homicidam, ante mortem ſummi pontificis[n] (nec enim poſt omnino) fas erat vindici ſanguinis perimere. De limitibus illis ſeu ſuburbiis videſis Paulum Burgenſem in additionibus ad Gloſſam [o] Numerorum, alios ibi obvios. Quin & aiunt Ebraei, etiam ſi quis alius praeter vindicem ſanguinis eum limites illos ſponte egreſſum occiderat, impune id factum. Quod ex illo eliciunt; *Si*[p] *egrediens egreſſus fuerit homicida, veneritque ultra terminum civitatis refugii ſui ad quam confugit, & invenerit eum vindex ſanguinis, interfeceritque vindex ſanguinis homicidam illum*, אין לו דם *non eſt ei ſanguis*, quod verti ſolet, *non eſt is reus.* Hinc docent[q], יצא חוץ לתחומה בזדון׃ הרי זה התיר עצמו למיתה ורשות לגואל הדם להורגו׃ ואם הרגו כל אדם אין חייבין עליו שנאמר אין לו דם׃ *Sponte ſi eſſet egreſſus limites urbis refugii, ipſum ſe morti obnoxium reddebat; & vindici dein ſanguinis fas erat eum interficere. Quin ſi quis alius mortalium eum occiderat, neutiquam illius nomine fuerat puniendus. Nam & dicitur in lege ſacra, Non eſt ei ſanguis*, ſeu *reatus inde nullus.* Ita ſcilicet de ſponte egreſſo. Quod ſi errore aut ignorantia egreſſum כל ההורגו בין גואל הדם בין שאר אדם גולה על ידו *occideret ſive vindex ſanguinis ſive quis alius, in aſylum ejus nomine migrandum erat.* Nimirum error ibi, nec ſine culpa ſaltem levi, eum occidenti imputabatur, quoniam ejus in egreſſu erroris (qui alias eum tueri debuiſſet) neſcius, cum interea ex inquirendi diligentia errorem illum ſcire potuiſſet, velut ex jure, ſed ex facti ignorantia, eum occiderat. Ob occiſum autem homicidam ejuſmodi, quocunque loci, intra limites urbis, etiam vindex ſanguinis morte ex ſententia forenſi plectendus. Alios habent de aſylis hujuſmodi, viis quae illuc ducerent publicis, earum cura, id genus aliis, juris apices, quos videſis in capite ſecundo tituli Talmudici *Maccoth* (qui & latine proſtat) & in Maimonide, Moſe Kotzenſe[r], & commentariis tam magiſtrorum ad leges ſacras ſatis obviis quam aliorum; maxime Pauli Fagii[s]. Nec ſolum urbes illae Levitarum aſyli gaudebant privilegio, verum & altare templi, licet perquam diſpari. Maimonides, uti & alii[t]; המזבח קולט שנאמר בהורג בזדון מעם מזבחי תקחנו למות׃ מכלל שההורג בשגגה אינו נהרג במזבח׃ לפיכך ההורג בשגגה וקלטו מזבח והרגו שם גואל הדם הרי זה נהרג עליו כמי שהרגו בתוך עיר המקלט׃ *Altare locus erat confugii legitimi; nam & ſcriptum eſt*[v] *de homicida qui ſponte ſcelus patraverat*, Ab altari meo tolles illum ut moriatur. *Unde eliciendum plane, homicidam ex errore* (qualis in ſuperioribus deſcribitur) *ad altare interficiendum neutiquam eſſe. Quare ſi homicidam ejuſmodi qui ad altare confugerat, ibi occiderat vindex ſanguinis, is ejus nomine morte plectendus erat, pariter atque ſi in urbe refugii eum occidiſſet.* Sic item Gemarae ad caput ſecundum tituli *Maccoth*, alii. Caeterum exceptiones hic adjiciunt quae inſigniter aſyli jus in altari imminuunt, alias de partibus altaris; de perſonarum & de facinorum qualitate, etiam de mora ibi, alias. Plerumque inquiunt אין קולט אלא גג של מזבח *confugii tutelam non praeſtitit alia pars altaris praeter ipſum tectum*, ſeu *corporis altaris partem ſuperiorem:* non ſcilicet cornua, nedum vicinia aliqua, aut laterum tactus. Perſonis autem aliis altare tutelam hic praeſtitiſſe negant praeter ſacerdotes, neque eis omnibus, ſed tantummodo ſacerdoti in ipſo altaris tecto ſeu parte ſuperiori ſacra operanti. Nimirum אין קולט אלא כהן ועבודה בידו׃ אבל זר או כהן שאינו עובד בשעה שנהרג׃ או שהיה עובד ולא היה על גגו של מזבח אלא סמוך לו׃ או אוחז בקרנותיו אינו נקלט׃ *Tutela ab altari non praeſtabatur niſi ſacerdoti, eique ſacra ibidem operanti. Caeterum nec ei qui ſacerdotalis generis non erat, nec ſacerdoti qui ibi ſacra non operabatur ipſo quo occiſus eſt momento; nec ei qui non operabatur*, ſeu ſacra aliqua peragebat, *non ſuper ipſum operimentum altaris, ſed in vicinio ejus*, ſeu *ei innitebatur*, ſeu *tangebat; nec ei qui cornua ejus amplecteretur, tutela inde debita.* Nec morandum ibi erat ei qui confugerat. Magiſtri; מי שקלטו המזבח אין מניחין אותו שם אלא מוסרין לו שומרים ומגלין אותו לעיר מקלטו *Qui confugerat ad altare, tutelam inde nactus, non permiſſus eſt ibi morari, ſed, traditis ei cuſtodibus, deduci eum faciebant in urbem refugii ei idoneam.* De facinorum demum qualitate ſic diſtinguunt, ut quae jam de altari dicta ſint ad homicidas tantum ſpectent quibus alias urbes in aſyla aſſignatae tutelam praeſtarent, ſeu quibus rite, juxta ſuperius oſtenſa, in eas eſſet migrandum, quas מחוייבי גלות vocitant. At vero, ſi ordinaria mortis ſententia liberi, ut capite primo diximus, judicium tantum regium aut forenſe illud quod extraordinarium erat, etiam ob homicidium voluntarium, merito timentes, ad altare ſe tutelae cauſa contuliſſent, ſive ſacerdotes ſive alii ex Ebraeis circumciſiſve caeteris, atque illud amplexi eſſent (utcunque ex jure ordinario aditus illuc aliis praeter ſacerdotibus non patebat) tuti ibi, hac in cauſa, erant, nec לוקחין אותן מעם המזבח למות לעולם *divellendi unquam ab altari, ut mortis judicio traderentur.* Nec Joabo, qui Abneri & Amaſae caedis reus cornua altaris amplexus eſt, tutela praeſtari non debuiſſet, אם לא היה מחוייב מיתה בב״ד *niſi etiam ob patratum facinus ultimo, ex jure ordinario & ſententia forenſi, ſupplicio rite plecti potuiſſet.* Sic Magiſtri[x]. Jus igitur

[m] Num. xxxv. 26. [n] Videſis Maim. *More Neboch.* lib. 3. cap. 39. [o] Ad caput citatum. [p] Ibid. [q] Maimonid. Halach. Rotzach, cap 5. [r] Praecept. affirm. 75, & 76. [s] Ad Numer. xxxv. [t] Halach. *Rotzach*, cap 5. & Rabbini ad Exodi xxi. 14. & ad 1 Regum, cap. II. alii jam citati. [v] Exod. xxi. 14. [x] Levi Ben. Gerſom. ad 1 Regum, cap. 2.

asyli

I

aſyli nullum in altari quidem, nec ſacerdotibus ipſis, extra jam memorata. Unde locum illum Exodi [y] de caede voluntaria ſic explicat paraphraſis Uzielidi tributa, אפילו כהנא הוא ומשמש על גבי מדבחי מתמן תסבוניה ותקטלוניה בסייפא *etiamſi ſacerdos ipſe fuerit, & miniſtraverit ad altare* ſeu *ſuper altare meum, inde rapient eum, & gladio occident.* Et Paraphraſis Hieroſolymitana tantundem etiam de pontifice ſummo. Verba ſunt, אפילו הוא כהנא רבא דקאי ומשמש קדמוי מן תמן תסובן יתיה ותקטלון יתיה *etiamſi fuerit pontifex ſummus, qui ſteterit & miniſtraverit coram me, inde rapient eum, & gladio occident.* At vero Nicolaus Lyranus ibi, *Etiamſi fuerit ſacerdos, ut dicit R. Salomon, niſi inceperit officium miniſtrandi in altari, in quo caſu erat exſpectandum complementum miniſterii, quo peracto trahebatur ad mortem.* Sic ille velut ex R. Salomone; aliique [z] ex eo, R. Salomonis nomine interea ſolum utentes. At Rabbi ille ibi tantum ad hunc modum, quemadmodum & R. Abenezra אם היה כהן ורוצה לעבוד עבודה תקחנו למות *ſi fuerit ſacerdos, & voluerit ſacrum ſuum praeſtare officium, rapietis eum ad mortem.* Et plane id R. Salomoni hic tribuit Lyranus, atque in jam dictis (uti & alias ſubinde) velut ex eo aliiſque magiſtris id aſſerit quod Talmudicae doctrinae nimis adverſum. Nec morae quidem, uſque dum perageretur incoeptum ſacrificium, in R. Salomone aliiſve magiſtris vola aut veſtigium; quod & recte olim advertit J. Druſius [a]. I nunc & vide quae obiter habent theologi chriſtiani [b] de Ebraico aſylorum jure, uti & juriſconſulti, [c] dum interpretationes ac ſcita Ebraeorum ipſorum negligunt. Ideo autem haec, tametſi pleraque ipſis civilia fuerint, ita fuſius hic enarravimus, tum ut temperamenta quae in his habent de interdicto homicidii (unde & quantum ipſis in eo cenſeretur naturale ediſcitur) obſervarentur, tum ut inde atque ex eis quae ſtatim ſequentur apertius liqueret quale fuerit in hiſce jus proſelytorum domicilii, aliorumve apud Ebraeos gentilium, & quomodo illud Ebraeorum civili hic juri ſive diſſonum ſive conſonum eſſet, ſive ubi Ebraeus aut circumciſus occideretur a proſelyto domicilii aliove gentili, ſive ubi hic ab Ebraeo. Si proſelytum domicilii ſive liberum ſive ſervum caſu occiderat Ebraeus, migrandum ei erat in urbem refugii: Ad gentilem autem, qui nondum proſelytus domicilii factus ſive Ebraeum ſive gentilem ex errore ſeu caſu qualicunque occiderat, urbium refugii privilegia non attinuere. Nec tamen ex ſententia forenſi morte plectendus is erat, ſed vindicis ſanguinis arbitrio ita ſuberat, ut ab eo impune poſſet occidi. Maimonides [d]; בן נח ששגג באחת ממצותיו פטור מכלום׃ חוץ מרוצח בשגגה שאם הרגו גואל הדם אינו נהרג עליו׃ ואין לו עיר מקלט׃ אבל בתי דיניהם אין ממיתין אותו׃ *Si Noachides caput aliquod ſeptem praeceptorum* (quae ſub juris naturalis nomine tractamus) *violaverat ex errore* ſeu *caſu*, nec ſponte, *liber erat* poena civili, *excepto homicidii errore* ſeu *caſu reo. Nam ſi eum occiderat vindex ſanguinis, impune id factum: Neque ei profuit urbs aliqua refugii. Sed vero ex ſententia fori, quo res ejus cognoſcendae, morte non erat homicida ejuſmodi afficiendus.* Alibi etiam idem [e]; ישראל שהרג בשגגה את העבד או את גר תושב גולה׃ *Iſraelitae qui occiderat ſervum aut proſelytum domicilii in urbem refugii migrandum erat.* At vero הגוי שהרג הגוי בשגגה אין ערי מקלט קולטות אותו׃ שנ׳ לבני ישראל׃ *Gentili qui gentilem caſu occiderat, tutelam non praeſtitit urbium refugii aliqua. Nam & ſcriptum eſt*, Filiis Iſrael [f]; nempe urbes refugii eis praeſtitutae. Quod ſcilicet, ut conſimile paulo ante allatum, ad gentilem qui nondum proſelytus domicilii factus ſpectare volunt: Nam proſelyti ejuſmodi jus erat hic ſingulare: Si caſu occiderat is Ebraeum ſeu circumciſum, urbs refugii ei non proderat; ſi vero proſelytum ſui generis, ſive liberum ſive ſervum, aſyli ejuſmodi privilegio gaudebat: uti etiam tam ſervus quam liber ejuſdem generis. Aiunt enim; גר תושב שהרג את ישראל בשגגה א״עפ שהוא שגג הרי זה נהרג׃ *Proſelytus domicilii qui ex errore* ſeu *caſu Iſraelitam occiderat, tametſi involuntarium eſſet homicidium, nihilominus morte ſeu gladio* (a vindice ſcilicet ſanguinis, non ex ſententia forenſi) *plecti potuit.* Atque adjiciunt; גר תושב שהרג את גר תושב או את העבד בשגגה גולה שנ׳ לבני ישראל ולגר ולתושב שבתוכם׃ *Proſelyto domicilii qui caſu interemerat ſive proſelytum domicilii ſive ſervum* ejuſdem generis, *migrandum erat in urbem refugii. Nam & ſcriptum eſt* [g], Filiis Iſrael, & proſelyto, & qui domicilium habet inter vos. Quod tamen juxta tam memoratas diſtinctiones intelligebant. Nec parile jus gentilibus nondum proſelytis domicilii atque domicilii proſelytis; nec horum alterutris cum circumciſis. Nam ex his manifeſtum eſt jura vindicis ſanguinis tam ad gentiles nondum proſelytos domicilii factos, quam ad eos qui in hanc tranſierant conditionem, non minus atque ad originarios reliquoſque circumciſos in ditione Ebraica ſpectaſſe: Non item jura urbium refugii; ſed ad proſelytum domicilii quando alium ſui generis occiderat; ad gentilem autem, nondum factum ejuſmodi proſelytum, nequaquam omnino. Jus item gentium apud Ebraeos de errore ſeu caſu fuiſſe in homicidii cauſa ſingulare, nec quale in alicujus alius ſeptem Noachidarum juris capitum violatione involuntaria. Quod vero habet velut ex Ebraeis Lyranus [h], *Altare propter reverentiam loci fuiſſe refugium in aliquibus caſibus, inter quos erat homicidium gentilis, ſed non Judaei*, de gentili, ſi proſelytum domicilii intelligas, ac de vindice ſanguinis, plane falſum eſt. Neque enim, ut aſylum, ſic profuit altare Judaeo homicidae gentilis ejuſmodi aliter atque ſi Judaeum occiderat: Non aliter ſcilicet tutus erat a vindice ſanguinis. Sed & alii [i] fidenter hic Lyrani ſequaces ſunt. De vindice autem ſanguinis toties ante memorato obſervatu dignum eſt quod monet vir praeſtantiſſimus Hugo Grotius; *Cum jam ante diluvium*, inquit [k], *gigantum aetate promiſcua invaluiſſet caedium*

[y] Cap. xxi. 14. [z] Abulenſis, ad Exod. xxi. quaeſt. 16. [a] Ad difficil loc. Exodi cap. xxxiii. & videſis lib. noſtrum 2. de Succeſſ. in pontificatum, cap. 6. [b] Abulenſis ad Joſuae xx. quaeſt. 6. alii ad Exod. xxi. & Numer. xxxv. Petrus de Gambacurta de immunitate eccleſiarum lib. 1. cap. 9. [c] Ad tit. de homicidio & ad C. tit. de his qui ad eccleſ. confugiunt. Didac. Convaruvias Var. Reſolut. lib. 2. cap. 20. [d] *Halach*, Melakim, cap. 10. [e] Halach. *Rotzach*, cap 5. Ita etiam Moſes Mikotzi Praec. Affirm. 75. & v. de Talm. Babylon. tit. *Maccoth*. cap 2. fol 9. b. [f] Numer. xxxv. 15. [g] Ibidem. [h] Ad Exod. xxi. 14. [i] Dionyſ. Carthuſian. ad Exod. xxi, &c. [k] De Jure belli & Pacis, lib. 1. cap. 2. §. 5.

licentia,

licentia, instaurato post diluvium humano genere ne mos idem invalesceret, severius occurrendum Deus censuit; & repressa prioris seculi lenitate quod natura non iniquum esse dictabat, & ipse permisit, ut insons esset qui homicidam occidisset. Quod postea institutis judiciis summas ob causas ad judices solos restrictum est; ita tamen ut moris pristini vestigium manserit in jure ejus qui occisum sanguine proxime attingeret etiam post Mosis legem. Quod autem ad interdictum homicidii, qua naturale est, attinet, manifestum est ex jam dictis, non alium esse, juxta Ebraeos, ejusdem sensum quam ut caedes etiam permitteretur humana sub ratione poenae legitimae, seu sub ratione reatus, quod in idem recidit. Et mox ostendetur, tantundem etiam permitti apud eos sub ratione quasi poenae, seu quasi reatus. Ad rationem autem poenae hic seu reatus seu quasi (id est vindictae atque coercitionis) spectat item caedes bellica (de qua, ut a jure naturali, ex Ebraica disciplina, non dissonat, copiose & doctissime etiam Hugo Grotius [l]; ut alios praetermittam; & nos plura libro sexto,) & quae sunt alia in sacris litteris de capitali supplicio non raro irrogando. Advertendum autem est, irrogari ex eorum disciplina, idque in pace, supplicium illud dupliciter; aut ex sententia forensi seu solenni magistratus civilis decreto, aut ex singularum etiam personarum, quarum sive privatim sive publice intererat, interdum arbitrio aut jure. Genus prius passim in sacris literis obvium est, & in ante dictis non semel occurrit. Etiam posterioris specimen habetur eximium in illo quod jam tractavimus de vindice sanguinis; de quo item apposite Grotius [m]; *Lex Hebraea propinquo occisi permittit ut extra asyli loca homicidam interficiat: recteque notant interpretes Hebraei talionem pro mortuo exigi posse; pro se, ut puta in vulnere, non nisi per judicem; quia scilicet difficilior est moderatio ubi proprius dolor accedit.* Nec ejusmodi talionis jus propinquis tantum apud Ebraeos olim. Verba Theoclymeni ad Telemachum apud [n] Homerum similem inter Graecos vetustissimos morem testari videntur. Fugisse se ait Theoclymenus ob caedem contribulis patratam cui plurimi κασίγνητοί τε ἔταί τε *consanguinei amicique*, quorum

——ὑπαλευάμενος θάνατον καὶ κῆρα μέλαιναν
Φεύγω——

nece ac nigro fato ut me eximam, fugio. Nisi de ultionis qualiscunque, non legitimae, timore locum capi velis. Sed & apud Ebraeos [o] impune occidebatur fur nocturnus aedes invasurus ab aedium domino aut custode, quemadmodum & ex lege XII tabularum & Platonicis [p]. Exemplum [q] occurrit item insigne de trucidatis, velut absque cognitione forensi, ob vitulum aureum conflatum adoratumque tribus millibus. Viginti tria millia habet vulgata; sed contra veritatem Ebraicam, versionesque tum Hellenisticam tum quae linguarum sunt orientalium omnes, modo Arabicam nuper Romae excusam excipias, quae vulgatae omnino versio est. De numeri autem discrimine ibi vide Lyranum, aliosque commentarios christianos. Sed vero & jussu numinis, cui lex qualiscunque pro placito ejus cedit [r], id factum; idque enunciat Moses. Et pro judicio forensi seu principis extraordinario ac singulari, ante rempublicam ordinatam, rem capiunt magistri [s].

CAP. III.

De poena capitali a privatis irrogata, adeoque caede apud Ebraeos privatis, sed ad morum publicorum amussim, citra cognitionem forensem, variatim, extra causam vindicis sanguinis, permissa. Moderamen inculpatae tutelae. Ebraei qui Ebraeum in gentilium potestatem traderet; qui in contemptum numinis praeceptum aliquod violaret; apostatae; idololatrae caedes. Dolo, ut vita horum nonullis eriperetur, uti licuit, qualis in gentilem non adhibendus. De officiis erga gentiles humanioribus, seu charitate, quid senserint Ebraei. De foetus nece, puerperae salutis causa.

FUERE autem in moribus Ebraeorum etiam alia, extra causam vindicis sanguinis, homicidii genera privatis, sub ratione poena aut quasi, citra judicium forense, permissa; sed ita ut & ipsi morte aliterve plectendi essent, nisi id in caede solicitius servarent quod praescripti reipublicae mores exigerent. Adeoque tametsi qua judicibus tribunal tenentibus ministrisque publice ac nominatim constitutis opponebantur hi quibus sic permissum est, privati etiam recte dicendi erant, attamen, cum quicquid fas eis esset hic praestare, id publicis moribus quibus poenae irrogandae, ac authoritate publica qua hoc indultum est, omnino niteretur, etiam pro publicis velut judicibus simul & ministris, saltem ministris, quoties mortem cuiquam licite inferebant, plane habendi. Quale certe dicendum de more illo Venetorum, qui cum complures a patria exsules habeant condemnatos, singulis facultatem faciunt (sic Dominicus Soto) ut qui alium eorum interfecerit, vita ac libertate donetur. Quod exsules hic licite facere queunt, homines utpote privati, id reipublicae Venetae decreto ac authoritati tribuendum esse palam est, adeoque publicorum saltem ministrorum personam eos induere. Mos fere ejusmodi apud Graecos veteres observatur [a] a viris doctis. Et videsis quae tradunt jurisconsulti [b] aliqui aliique [c] de haereticorum manifestorum caede. Adde, si placet, quae de privatorum vindicta disputant scholastici [d] jurisconsultique [e]. Ex jure autem ordinario Ebraeorum & usu quotidiano, extra singulares quales diximus permissiones, in-

[l] Ibid. &c. [m] De Jure Belli & Pacis, lib. 2. cap 20. §. 8. [n] Odyss. o. [o] Exod. xxii. 2, & 3. [p] De legibus, lib. 9. [q] Ibid. 32, 28. [r] Vide S. Augustin. de civitate Dei, lib. 1. cap. 21. [s] Apud Mos. Nachmanidem in *Pirush Tora*, fol. 155. b. & videsis S. Thom. 2. secundae quaest. 64. art 3. & ad eum alios Dominic. Soto de Justitia & Jure, lib. 5. quaest. 1. art. 3. [a] Jo. Meursius in comment. ad Lycophron. pag 298. [b] Prosper. Farinach. de haeresi quaest. 189. §. 3. [c] Jac. Simanca de Catholic. Instit. tit. 46. num. 50. [d] S. Thom. 2. secundae quaest. 64. art. 3. Petrus de Aragon. alii ibidem. [e] Petr. Faber. Semestr lib. 2. cap. 2. Hugo Grot. de Jure Belli, lib. 2. cap. 20. Vide Gaspar. Beatum de creditore inope debitori addicendo, cap. 1. §. 68, & 69. l. 1. D. ad leg. Cornel. de Suariis.

telligendum

r

:elligendum illud Judaeorum de Herode ob nefa·iam Ezekiae aliorumque necem Hyrcano conquerentium: Tranfgreffus eft, inquiunt, legem noftram, quae hominem quantumvis fceleftum vetuit affici fupplicio capitali, *εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ συνεδρίου, nifi prius eo damnatus fuerit a fynedrio,* quod memorat Jofephus [f]. Species autem infigniores caedis humanae privatis apud Ebraeos fic ut jam dictum eft, citra fententiam forenfem, fub ratione poenae legitimae, permiffae (praeter illam quae permiffa vindici fanguinis, ut oftenfum eft) binae fuere; altera violentiae injuftae quaedam genera repellenti impedientique, feu five fe five alium tuenti, permiffa; altera, zelotis. Nam ex jure ordinario dictum illud apud Jofephum jam memoratum verum effe afferunt item Talmudici [g], בשעבר ועשה העין שחייב עליו מיתת בית די *Quoties id quod jam perpetrabatur ex fententia forenfi poffet morte puniri.* Quod ad fpecierum jam dictarum priorem attinet; lex habetur [h] facra לא תעמוד על דם רעך *Non ftabis adverfus fanguinem proximi tui.* Hujus fenfum, ex doctrina avita, docent effe, proximum, id eft congenerem, a periculo imminente ita ipfis tuendum, ut non folum e flumine, puteo, igne, aliove vitae periculi genere, qua fieri poffet, effet omni diligentia eripiendus, verum etiam ab occifuro, feu qui necandi animo perfequeretur, liberandus: *Non ftabis* ociofus feu iners *adverfus fanguinem proximi tui.* Maimonides [i]; הרודף אחר חבירו להרגו אפי׳ היה הרודף קטן׳ הרי כל ישראל מצווין להציל הנרדף מיד הרודף׳ *Si quis alium perfequeretur ut occideret eum, quantumlibet minor, tenebantur univerfi Ifraelitae* (quilibet pro loci ac temporis opportunitate) *eripere feu liberare eum cui vis ita illata, e manu* feu *poteftate perfequentis,* feu *aggrefforis.* Tutelae ejufmodi moderamen legitimum erat, ut, fi fieri poffet, incruenta praeftaretur: Sin vero, etiam cum aggrefforis membri alicujus mutilatione feu abfciffione: Quae fi nec fic praeftari poffet, caedes aggrefforis legitima habita, nec aliter. Et tam tutela fui quam alterius hic pariter intelligitur. Neque folum vim necis caufa illatam fic aggrefforis caede cuique propulfare licuit; fed etiam adulterii ac inceftus omnimodi caufa, uti & poederaftiae feu concubitus mafculi. Verba funt Mifnae [k]; אלו הן שמצילין אותן בנפשן הרודף אחר חבירו להרגו ואחר הזכור ואחר הנערה המאורסה: *Hi funt qui etiam vitae fuae jactura praeripidi funt, feu impediendi ne peccent: qui alterum perfequitur ut eum occidat; qui perfequitur mafculum;* &, *qui puellam difponfatam.* Recenfetur hic fpecies trina. Prima ad moderamen inculpatae tutelae attinet; adeo ut vim animo occidendi illatam etiam inferentis morte, fi citra eam fieri nequibat, juxta jam dicta, repellere liceret non folum ipfi cui vis inferebatur, fed & alteri cuicunque qui fuppetias adferret. Secunda eft de eo qui mafculum, ut nefando cum eo coitu mifceretur, fuerit aggreffus. Tertia de eo qui alterius fponfam vi fuerit compreffurus. Sceleftos hujufmodi adfectus vi privata, etiam occifione, fi verbere, vulnere, aut mutilato membro cohiberi nequirent, puniri volebant. Sed neque aliud obtinuiffe jus aiunt ad Mifnam jam citatam Gemariftae Babylonii, ubi illicitum alium quemcunque concubitum, nomine ערוה feu *turpitudinis* in Levitici decimo octavo denotatum (excepto concubitu beftiae) vi quis attentaret. Neque ut praepedirentur ad hunc modum, occifione nempe vim inferentis, alia praeter haec jam dicta, volebant ii [l] qui hifce rebus praeerant. Unde mendum puto effe manifeftum, five librarii five typographi, in Gemara Hierofolymitana [m], ubi legitur, אחד הרודף אחר חבירו להורגו ואחד הרודף אחר כל שאר עבירות שבתורה מצילין אותו בנפשו: *Eadem eft ratio ejus qui alium animo occidendi perfequitur, & ejus qui vi attentat qualecunque caeterorum peccatorum quae in lege. Utrumque etiam vitae fuae jactura praepedire fas eft.* Pro עבירות, quod *peccata* fonat, lego עריות, quod *turpitudines* illas feu concubitus paffim denotat, adeo ut verfio ita fit mutanda, *& ejus qui vi attentat qualemcunque caeterorum concubituum* humanorum *qui nomine turpitudinum in lege occurrunt.* Nam fcribitur hoc ad Mifnam quam attulimus hac de re. Et τὸ שאר, quod hic τῷ *caeterorum* refpondet, unicam illam ערוה feu *turpitudinem,* five cum fponfa aliena concubitum in Mifna memoratum refpicit. Neque eum qui Gemaram & Gloffam ad eundem locum Babyloniam confuluerit, diffenfurum omnino hic arbitror. Huc fpectat caedes ejus qui Ifraelitam, ipfe fcilicet Ifraelita, (extra caufas ftatim indicatas) feu bona ejus in poteftatem gentilium tradiderit. Talmudici [n], אסור למסור ישראל ביד גוים בין בגופו בין בממונו׳ *Nefas eft Ifraelitam tradere in poteftatem gentilium, quod tam de bonis ejus fumendum quam de perfona:* Idque tam de fceleftiffimo quam de probo ac pio. Neque traditori fortem fore admittunt in feculo futuro. Et demum adjiciunt, מותר להרוג המוסר בכל מקום ואפילו בזמן הזה שאין דנין דיני נפשות ומותר להרגו קודם שימסור: *Fas eft occidere traditorem ejufmodi quocunque in loco; idque etiam hoc feculo, licet genti noftrae jam diu permiffa non fint judicia capitalia. Quin & fas eft eum occidere antequam tradiderit,* ubi fcilicet animum tradendi ei perfeverare liquerit. וכל הקודם להרגו זכה *Et quifquis eum occiderat, quantocius poterat, infons erat.* Addit vero Maimonides; הרי זה יהרג שמא ימסור אחרים ומעשים בכל זמן בערי המערב להרוג ומוסרים׳ שהוחזקו למסור ממון ישראל׳ ולמסור המוכרים ביד הגוים להרגם ולהכותם ולאסרם כפי רשעים׳ וכן כל המיצר לציבור ומצערן מותר למוסרו ביד הגוים להכותו ולאסרו ולקנסו׳ אבל מפני צער יחיד אסור למוסרו׳ ואסור לאבד ממונו של מוסר ואע״פ שמותר לאבד גופו שהרי ממונו ראוי ליורשיו: *Caedes autem ejufmodi permiffa eft, ne is tradat* feu *prodat alios. Sed & frequenter in civitatibus occidentis* (id eft occidentalium Judaeorum qui terram fanctam incoluere; fic dicti ut ab orientalibus, qui Babylonem & loca vicina occupant, difcriminarentur) *evenit ut qui fic tradendi Ifraelitae alicujus bona animo perfeverarent,*

[f] Archaeol. lib. 14. cap. 17. [g] Maimonid. Halach. *Rotzach.* cap. 1. Mofes Mikotzi Praec. Negativ. 163. [h] Levitic. xix. 16. [i] Halach *Rotzach,* cap. 1. Mof. Mikotzi Praec. Negat. 165. [k] Tit. *Sanhedrin,* cap. 8. Gemar. Babylon. ibid. fol. 73. a. [l] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin,* fol. 73. a. Obadias Bartenorius ad Mifnam ejufd tit. cap. 8. Maimonides Halach. *Rotzach,* cap. 1. [m] Ad tit. *Sanhedrin,* cap. 15. fol. 26. col. 3. §. 9. [n] Maimonid. Halach. *Chobal Wemazik,* cap. 8. Mikotzi Praecept. affirm. 70.

rent, occiderentur, aut in poteſtatem gentilium traderentur ipſi, ut ab eis occiderentur, vapularent, & coercerentur, ſecundum quod malitia eorum mereretur. Ita etiam ſi quis populi univerſitatem (eccleſiam ſeu coetum Iſraeliticum) *acrius oppugnaret, eamque contumeliis afficeret, fas erat eum tradere in poteſtatem gentilium, ut ab eis vapularet, coerceretur, mulctaretur. Non item, ſi privatum quempiam ſic contumeliis afficeret. Nec fas erat bona traditoris diripere, tametſi eſſet fas perſonam ejus ſic laedere: nam bona ejus ad haeredes attinebant.* Accedat & hic id quod tradunt de caede cuique permiſſa Judaei qui palam atque ad irritandum numen, ſeu ejuſce contemptu, praeceptum aliquod divinum violaret. Maimonides [o] ex veterum ſcitis[p]; המינים והם עובדי עבודה זרה מישראל או העושה עבירות להכעיס אפילו אכל נבילה או לבש שעטנז להכעיס הרי זה אפיקורוס ושכופרין בתורה ובנבואה מישראל מצוה להרגן׳ אם יש בידו כח להרגן בסייף בפרהסיא הורג׳ ואם לאו יבוא עליהן בעלילות עד שיסבב הריגתן׳ כיצד ראה אחד מהן שנפל לבאר והסולם בבאר קודם וסלקו׳ ואומר הריני טרוד להוריד בני מן הגג ואחזירנו לך׳ וכיוצא בדברים אלו: ſeu *praevaricatores* ſeu *minim (ſic vocamus Iſraelitas idola colentes, uti & eos qui alias transgrediuntur ad irritandum numen,* ſeu *in ejus contemptum; etiamſi morticinum comederint, aut veſtibus heterogeneis fuerint induti in ejus contemptum) uti & Epicurei (quo nomine continentur nobis Iſraelitae qui abnegant legem & prophetias) occidendi ſunt ab eo cui facultas eſt eos occidendi, modo id gladio & palam* ſeu *in publico faciat. Id vero ſi facere nequeat, dolis eum adgrediatur uſque dum mors ei eveniat,* non vi, *ſed ad hunc,* verbi gratia, *modum: Si quis viderit ex hoc genere hominum aliquem in puteum decidiſſe, & ſcalam in puteo; hanc praeoccupans relinquat eum, dicatque, diligentius conabor ut filius meus deſcendat e tecto, & tunc utrique ad te redibimus.* Ut ſcilicet ſic ſpe deceptus [q] facilius periret. *Ejuſmodi aliis fraudibus, quibus mors ei inferatur, uti fas eſt.* Nec quid ſic commiſſum cenſebant adverſus legem illam ſuam [r] de *non mentiendo, nec decipiendo proximum*; quod nomen ex praevaricatione & apoſtaſia ejuſmodi deſiiſſe voluere. Quod de Iſraelita aliter, veluti in ſui ſive utilitatem ſive voluptatem tantum, non contumaciter aut conſtanter, peccante non omnino intelligunt. Quanquam autem ſic ſive vi palam ſive dolo Iſraelitam ejuſmodi ob praevaricationem ſeu apoſtaſiam alteri, Iſraelitae item, cuiquam fas habebatur trucidare, aut morti dolo tradere; nefas nihilominus exiſtimabant gentilem in ſui exitium ſic dolo circumvenire, tametſi nec legi nec prophetiis nomen daret is, ſed eas plane abnegaret; uti nec tametſi idololatriae hactenus non renunciaſſet. Apud Maimonidem ibi ſtatim ſequitur; אבל הגוים שאין בינינו וביניהם מלחמה׳ ורועי בהמה דקה מישראל וכיוצא בהן אין מסבבים להן המיתה׳ ואסור להצילן אם נטו למות׳ כגון שראה אחד מהן שנפל לים אינו מעלהו׳ שנאמר לא תעמוד על דם רעך׳ ואין זה רעך: *At vero gentiles quibuſcum nobis bellum non erat, & qui pecora minuta Iſraelitarum nutriebant* (moribus enim introductum eſt ut haud ipſi, ne frequentiora inde vicinis damna evenirent, locis quibus aut vineae aut ſegetes adjacerent [s], ea nutrirent, ſed tantummodo in ſylvis & deſertis; unde factum eſt ut gentilibus vicinis nutrienda ſaepius locarent) *atque id genus reliqui, dolo circumveniendi, ut morti tradentur, non erant. Sed nec fas erat eos imminente morte liberare; veluti, ſi quis eorum in mare caderet, eum inde ſublevare. Nam ſcriptum eſt* [t], Non ſtabis adverſus ſanguinem proximi tui, *& hic proximus tuus non eſt.* Nimirum legem illam ſacram capiunt perinde ac ſi dictum fuiſſet, non piger ſtabis ſeu otioſus quando periculum mortis proximo tuo imminet, ſed eripere eum conaberis; ut & ante dictum eſt. Atqui quanquam conceſſeris proximi hic nomine gentilem non contineri (quod & de aliis legis ſacrae locis non raro ſcriptitant magiſtri) undenam interea vetitum eſſe volunt Iſraelitis gentilem periculo ejuſmodi liberare? Nam hic quidem praecipitur Iſraelitae ut Iſraelitam liberet: An inde elicitur ut gentilem liberare non liceret? Forte huc illud trahunt [v] את הנכרי תגש quod vertitur *peregrino exiges*, & locum habet in lege ſingulari de debitorum in ſeptimo anno remiſſione inter originarios. Sed quidem id intelligunt magiſtri perinde ac ſi pauculis illis verbis, utcunque ibi interpoſitis, vetaretur ipſis quidquam gentilibus praeſtare quod charitatis ſimplicis in ſe ſpeciem, extra juris ſtricti amuſſim haberet; modo paucula aliquot ſui interea in commodum, ac pauperum e gentilibus, ſed tantum inter pauperes ex Iſraelitis, alendorum cauſam excipias; de qua [x] inferius. Et tametſi gentiles, ut puto, nolunt, ex alia [y] lege (ſaltem poſtquam proſelyti domicilii fierent) contra juſtitiam meram ſeu jus ſtrictum a ſe *vexandos* ſeu opprimendos, fallendos, attamen ſeipſos ab officiis humanioribus illis [z], maxime qui nondum idololatriae renunciarint, etiam in contractibus alias praeſtandis, ex jure ſuo ſacro cohibitos docent; qua de re plura libro ſexto [a] ubi de uſuris agitur. Quanquam interea ſciam Joſephum[b], ubi gentis ſuæ mores evehere non parum ſtudet, tradere, etiam ex receptis legibus ac moribus, advenis qualibuſcunque, ſeu proſelytis ſaltem domicilii, neceſſaria omnia praebenda ab Ebraeis fuiſſe, ignem, aquam, cibum; viam item illis indicandam. Sed vero ex jam oſtenſis juxta Talmudicos manifeſtum eſt, caedem ſic privato permiſſam tam in poenam permitti aggreſſoris & traditoris, quam in tutelam aliorum, & plane in poenam praevaricatoris & apoſtatae quos diximus. Jam vero ex illo tutelae jure ortum eſt illud quod quaſi poenam ante diximus. Quaſi item poena, & quaſi vis illata, cum revera non eſſet, locum apud eos habuit, ubi ſine puerperae exitio [c] foetus vivus eximi nequiret. Utriuſque vita in juſtitiae ſtatera poſita, illius, ut dignioris, ita anteponebatur, ut hujus caedes juſta, quia neceſſaria ob illius ſalutem, haberetur; quaſi ob imminens matri, veluti ex vi illata, periculum ipſe poenas meruiſſet. Ita *in ipſo adhuc utero* (quod ait

[o] Halach. *Rotzach*, cap. 4. [p] Gemar. Babylon. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 2. fol. 27. b. [q] Vide lib 6. cap. 3. [r] Levitic. xix. 11. [s] Miſna tit. *Baba Kama*, cap. 7. §. ult. & ibi Conſtantin. l'Empereur. Maimonides Halach. *Naziki Mammon* cap. 5. [t] Levitic. xix. 16. [v] Deut. xv. 3. & vide Nachmanid in *Piruſh Tora*, fol 323. a. [x] Lib. 6 cap. 6. [y] Exod. xxii. 21. & vide ſupra lib. 2. cap. 4. [z] Vide Maimonid. Halach. *Rotzach*, cap. 12. ſub fine. [a] Cap. 10. [b] Advers. Apion. lib. 2. [c] Maimonid. Halach. *Rotzach*, cap 1.

Tertul-

Tertullianus [d]) *infans trucidatur necessaria crudelitate, cum in exitum obliquatus denegat partum, matricida, ni moriturus.* Maimonides juxta Gemarae paulo post ante citatae mentem; הורו חכמים שהעו ברה שהיא מקשה לילד מותר לחתוך העובר במיעיה׳ בין בסם בין ביד מפני שהוא כרודף אחריה להורגה: *Decrevere sapientes, si foemina gravida puerperio laboraret* ita ut ejusdem inde vitae periculum plane immineret, *fas esse foetum in utero ejus sive pharmaco sive manu exstinguere, quoniam habitus est quasi aggressor*, seu *quasi is qui vim inferret necandi causa.* Quod tamen sic temperant, ut si vel caput in lucem emiserat foetus, ei non omnino matris gratia nocendum; quoniam, inquiunt, אין דוחין נפש מפני נפש *non pellenda anima pro anima*, id est innocentis alterius vita gratia alterius non tollenda. Allata jam verba sequitur, ואם משהוציא ראשו אין נוגעין בו שאין דוחין נפש מפני נפש: *Verum si exseruerat caput, ei nocendum non erat, quia anima* seu *vita pro anima* seu *vita pellenda* seu *tollenda non erat.* Neque tunc aggressoris instar seu quasi vim inferens habitus. Hac de re videsis quae disputant theologi, maxime Sanchez [e], & Rainaudus [f], quibus aliorum turba laudata. Medici item ea de re obiter.

CAP. IV.

De singulari zelotarum apud Ebraeos jure, quo criminibus in aliquot atrocioribus deprehensi a privatis illico sive impune verberabantur, sive occidebantur.

Supplicium item capitale בשעת מעשה, id est, *in ipso dum committebatur facinus duntaxat momento*, seu homini ἐπαυτοφώρῳ deprehenso, a zelotis, id est privatis zelo ductis, infligi permittebant, quoties sanctitatem sive numinis, sive templi, sive gentis Ebraeus aut circumcisus alius seu in Judaismum cooptatus ita violaret ut palam ac in publico eam sive denegare sive spernere speciebus aliquot facti atrocioribus [g] videretur. Misna; הגונב את הקסוה והמקלל בקוסם והבועל ארמית קנאין פוג עין בו כהן ששימש בטומאה אין אחיו הכהנים מביאין אותו לב״ד אלא פרחי כהונה מוציאין אותו חוץ לעזרה ומפציעין את מוחו בגזירין: *Qui sacrilegium commiserat*, ex sacra nempe supellectili quid furatus erat, *qui per idolum maledixerat* numini, *qui coitu se miscuerat cum foemina Aramaea*, id est extera seu plane gentili, *zelotis fas fuit incurrere* [h] *in eum. Sacerdotem in immunditie sua sacra obeuntem non erat necesse ut sacerdotes caeteri in forum deducerent: sed sacerdotes qui per aetatem nondum ministerio sacro pares erant eum extra atrium protrahebant, & cerebrum ejus fustibus elidebant.* Hic templi ac numinis sanctitatis violatio manifesta. Gentis autem sanctitatem coitu, jam dicto violari volebant; etiam & coitum ejusmodi veluti cultum extraneum, sed non ita in foro puniendum, habebant. Gentilem autem foeminam hic intelligunt non qualemcunque, sed eam tantum [i] quae nondum proselyta domicilii ipsa facta, aut proselyti hujusmodi filia non esset. Nam stuprum Israelitae in hujusmodi proselyta, sive libera sive ancilla, tametsi manserit plane gentilis, verberibus tantum in foro ex veterum traditione puniebant. Zelotarum vero quorum hic mentio, & qui Ebraeis [k] dicuntur בני אדם כשרין המתקנאין קנאתו של מקום *homines pii qui zelo numinis accenderentur*, jus ejusmodi habebatur ut si viderent בפרהסיא *palam* seu *in publico*, id est, ut recepta fertur sententia, praesentibus coram decem minimum Israelitis, quempiam facinorum aliquod jam dictorum commissurum, ipso eodem momento fas eis esset [l] incurrendo seu aggrediendo eum aut verbere aut vulnere praepedire ac cohibere, aut etiam caede perseverantem e medio tollere. Nam si intermitteret, occidendus non erat sine judicio forensi. Idem juris obtinuit de Israelita apostata seu הכופר בעקר *eo qui renunciasset fundamento*, id est, ipsius numinis sanctitatem veritatemque palam ac aperte negasset, legemque sive scriptam sive oralem plane deseruisset [m]. Origo unde manavit pendebatque jus hoc zelotarum, dicitur, ut non pauca recepti juris alia, הלכה למשה מסיני *traditio Mosis e Sinai.* Et exemplum ejus habent primum ex sacra [n] historia Phinees qui hasta trajecit, zelo accensus, Zimri principem tribus Simeonis & Cozbi paganam, filiam Zur principis Midianitarum, in stupro palam deprehensos; ubi laudatur a numine, בקנאו את קנאתו בתוכם *quia zelaretur zelum meum inter eos.* Et de hoc Philo [o]; Ἐπαινέσας οὖν ὁ Θεὸς τὴν ἀριστείαν αὐτοκελεύστῳ καὶ ἐθελουργῷ σπουδῇ γενομένην διτταῖς αὐτὸν ἀνέστεφε δωρεαῖς, εἰρήνῃ, καὶ ἱερωσύνῃ, *Deus idcirco laudavit navatam sponte & aliorum injussu operam, eamque honoravit praemio duplici, pace atque sacerdotio.* De sacerdotio Phinees nemo nescit. De pace vero hic adjicit ille, τῇ μὲν, ἄξιον διακρίνας ἀπολέμου μεταποιεῖσθαι βίου τὸν ἀράμενον τοὺς ὑπὲρ τιμῆς Θεοῦ ἀγῶνας, *Pace honoravit, quia judicavit bello implicari non debere qui cultus divini propugnatorem se exhibuisset.* Adeo ut Philo etiam zelotarum jus velut a numine tunc praestitutum asseruerit. Quod itidem, licet parcius, innuit ipse ubi de eo [p] qui lignatum exivit in sabbato loquitur. Conspectum scilicet ait eum a quibusdam, qui statim occisuri erant prae ira, seu Δυσαναχετήσαντας, cohibitos tamen fuisse, ἵνα μήτε ἰδιῶται, πρὸ ἀρχόντων, κολάζειν τινὰ δοκῶσι, καὶ ταῦτ' ἄκριτον, κἂν ἄλλως τὸ παρανόμημα ᾖ ἐμφανές, *ne scilicet viderentur, cum privati homines essent, in aliquem animadvertere, idque indicta causa, priusquam magistratus* id decernerent, *tametsi crimen esset manifestum.* Agnoscitur hic zelotarum jus, ejusque non obscurum vestigium. Jam vero קנאה *Kinea* zelus est, & קנא *Kanna* & קנאי *Kannai* zelotes, unde pluraliter קנאין *Kannain* zelotae. E quorum numero fuisse videtur apo-

[d] Lib. de Anima, cap. 25. [e] Lib. 9. de Matrimonio, disp. 20. [f] De ortu infantium contra naturam per Sectionem Caesaream cap. 9. [g] Tit. *Sanhedrin* cap. 9. § ult. Gemar. Babylon. ibid. fol. 81. b. &c. Hierosolymit. eod. tit. fol. 27. col. 2. §. 11. [h] בהן *in eos* codice Hierosolymitano. [i] Gemar. citat. & Maimonid. Halach. *Isuri bia* cap. 12. [k] Gloss ad Gem. Bab. ad tit. *Sanhedrin* fol. 81. b. [l] Praeter locos citatos, vide Maimonid. Halach. *Rotzach* cap. 4. & Halach. *Sanhedrin* cap. 18. & Halach. *Aboda Zara*, cap. 10. [m] Videsis etiam Maimonid. Halach. *Memarim* cap. 3. Mos. Mikotzi praec. negativ. 163. *Schulcan Aruch* tit. *Jore dea* cap. 158. [n] Numeror. xxv & videsis historiam illam fusius narratam a Josepho, lib. 4 cap. 6. [o] Lib. 1 de Monarchia, & lib. 1. de vita Mosis. [p] Lib. 3. de vita Mosis.

stolus

stolus ille Simon cognomento Zelotes [q] apud D. Lucam. Appellatur idem DD. Matthaeo [r] & Marco [s] Κανανίτης (ut in plerisque, & quos vulgo sequimur, codicibus) quod per *Cananaeum* reddit vulgatae autor. Exemplaria alia habent Καναναῖος, alia Κανναῖος, id quod proxime accedit ut ex *Kanna* seu *Kannai*, adjecta Graecorum terminatione, fiat. Neque assentire queo viris doctis, etiam S. Hieronymi [t] sequacibus, qui a *Cana* (quod קנה Hebraice scribitur [v]) urbe Galilaeae eum ita dictum volunt. Etiam urbs illa קטנא *Katana* passim [x] Syro exaratur. Et quid *Zelotae* cognomento cum urbe illa? *Cananaeum* autem seu *Cananitem* apud DD. Matthaeum & Marcum reddit Syrus per קנניא *Canania*; *Zelotem* vero apud Divum Lucam per טננא *Tanana*, quod est ipsum, uti & Arabs per الغيور *Zelotem* etiam significans, ut appellativum est. Sed perperam nimis Ebraicum Matthaei evangelium habet שמעין הכנעני *Simeonem Cananaeum*, acsi a terra *Canaan* nomen deduxisset. Nec soni nec ipsius rei ratio id omnino fert. Non magis videntur Thomas & Didymus iidem esse quam hic *Cannaeus* & *Zelotes*, de Simone dicti. Ad receptum hoc Zelotarum jus attinet illud in historia Maccabaeorum ubi in Judaeum Modinae, juxta edictum Antiochi regis, sacrificaturum involat Mattathias. *Id videns* [y] *Matthias zelatus est, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum judicium legis*, κατὰ τὸ κρίμα *& insiliens trucidavit eum super aram. Sed & virum quem rex Antiochus miserat*, Apelles ei nomen, *qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit. Et zelatus est legem*, id est, ἐζήλωσε τῷ νόμῳ, *sicut fecit Phinees Zamri filio Salom. Et exclamavit Mattathias voce magna in civitate, dicens, Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentum*, id est, ratum habens foedus inter nos & Deum nostrum, *exeat post me.* Josephus verba illa Mattathiae ita profert, Ἔι τις ζηλωτής ἐστι τῶν πατρίων ἐθῶν καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ θρησκείας, ἑπέσθω ἐμοί, *Si quis Zelotes sit patriorum morum & Dei cultus, sequatur me.* Alia illic de hac re habes. Scimus etiam, obtenso hoc nomine, nec ab alia planissime petito origine, immanem scelerum segetem Hierosolymis pullulasse, quam pluribus explicat Josephus libris de bello Judaico. Ejusce autores ita se nominasse ait ille [z] ὡς ἐπὶ ἀγαθοῖς ἐπιτηδεύμασιν, ἀλλὰ οὐ ζηλώσαντες τὰ κάκιστα τῶν ἔργων καὶ ὑπερβαλλόμενοι, *ac si optimis rebus studuissent, & non pessima facinora, usque ad nequitiae summum, zelo affectassent.* Atque alibi [a], καί τοι τὴν προσηγορίαν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ἐπ' ἀγαθῷ ζηλουμένων ἐπέθεσαν, *Nomen sibi ab iis qui id quod bonum est zelo affectabant imposuere.* Zelotas plane de quibus diximus innuit, seu המתקנאים קנאתו של מקום *eos qui zelati sunt zelum Dei O. M.* quemadmodum Ebraeis nuncupantur. Neque novum est nefarios homines patrii juris obtentu, qualecunque id fuerit, flagitia sua obtegere, ut scelesti illi hujus juris Zelotarum obtentu fecere. Quo tamen dum pii atque sancti utebantur, privati quidem ipsi, sed publica nixi autoritate atque moribus e majorum disciplina receptis, bene consultum est & numinis, & templi, & gentis sanctitati, quam tueri volebant atque inviolatam servare. Nec injuria vis inferebatur, quia patriis legibus, etiam a Mosis aevo deductis, ut ita inferri liceret, sic stabilitum. Et apposite Hugo Grotius [b]; *Hebraeorum moribus, Hebraeus a Deo & Dei lege deficiens, aut ducem se ad falsos cultus* [c] *praebens, illico a quovis homine poterat interfici. Judicium zeli id vocant Hebraei, quod a Phinea* [d] *primo exercitum aiunt, & inde abiisse in morem. Sic Judaeum quendam Graecis se ritibus polluentem occidit Matathias* [e]. *Sic trecenti alii Judaei a popularibus suis occisi referuntur libro qui vulgo dicitur Maccabaeorum tertius. Nec alio obtentu instituta lapidatio in Stephanum* [f], *& conjuratio in Paulum* [g]; *multaque alia exempla ejuscemodi exstant & apud Philonem & apud Josephum.* Sic ille. Certe & legitur in Essenorum disciplina [h], Σέβας μέγιστον παρ' αὐτοῖς μετὰ τὸν Θεὸν τὸ ὄνομα τοῦ νομοθέτου· κἂν βλασφημήσῃ τις εἰς τοῦτον, κολάζεσθαι θανάτῳ, *Summa in veneratione apud eos habetur post Deum nomen ipsius legislatoris* Mosis, *adeo ut si quis in eum convitium effutiret*, seu *blasphemaret, morte puniretur.* Interpres ibi, *morte damnaretur.* Si de judicio forensi rem capias, undenam apud sectam hanc imperium ejusmodi aut jurisdictio? Nisi de zelotarum jure fuerit intelligendum, quomodo impune convitiantem quempiam Mosem, adeoque legis sanctitatem polluentem, sic ii (sive alios sive ipsorum sectarios tantum ita puniri velit Josephus) punire possent, ne ariolari quidem queo; maxime cum vicatim etiam inermes [i] degerent. Nec vero ad aliud praeter zelotarum jus referri videtur quod tradit [k] de Paederaste & Androgyno, τὰ φύσεως νόμιμα παρακόπτοντι, *sexum adulterante:* Legem scilicet jubere eum νηποινὶ τεθνάναι, μηδεμίαν ἡμέραν ἀλλὰ μηδ' ὥραν ἐώμενον ζῆν, ὄνειδος αὐτοῦ καὶ οἰκίας καὶ πατρίδος ὄντα, καὶ τοῦ σύμπαντος ἀνθρώπων γένους, *impune occidi, nec diem aliquam aut horam vivere permittendum*, (seu *die ipsa & hora qua prehenditur* sic puniendum) *utpote & sui & familiae & patriae dedecus, adeoque totius humani generis.* Sed nec satis capio quid velit, aut quamnam legem intelligat. Nec in zelotarum apud magistros jure ejusmodi quid occurrere memini.

[q] Lucae. vi. 15. Act. Apost. i. 13. [r] Cap. x. 4. [s] Cap. iii. 18. [t] Ad D. Matth. x. [v] Jos. xix. 28. [x] D. Joann. ii. 1. 4. xlvi 21, 22. [y] 1 Maccab. ii. 24. Jos. Orig. Judaic. lib. 12. cap. 8. [z] De Bello Judaico, lib. 4. cap. 12. [a] De Bello Judaico lib. 7. cap. 30. [b] De Jure Belli ac Pacis lib. 2. cap. 20. §. 9. [c] Deut. xiii 9. [d] Num. xxv. [e] 1 Maccab. ii. 24. [f] Act. vii. 57. [g] Act. xxiii. 13. [h] Joseph. lib. 2. de Bello Judaico, cap. 12. gr 7. lat. [i] Josephus ibi, & Philo. lib. *Quod omnis probus liber.* [k] De legibus specialibus, seu 6. & 7. decalogi praecept.

C A P.

I

CAP. V.

Utrum Zelotarum jus in negotiatoribus & nummulariis flagello a D. N. Jesu Christo e templo ejiciendis locum habuerit.

VIderint hic perspicaciores utrum D. N. Jesus Christus, cum privatam omnino personam (qua nempe civibus suis est censitus) sustinens, *ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo*, & *mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertebat*, ut S. Matthaeus [a] & Marcus [b] (qui adjicit, *eum nec permisisse* ἵνα τὶς διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ, *ut quis vas transferret per templum)* seu, ut S. Joannes [c], *vendentes oves & boves & columbas, & nummularios sedentes, flagello, quod de funiculis ipse fecit, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit aes, & mensas subvertit*; *& eis qui columbas vendebant dixit, Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis*; adeoque, dum pro privata tantum persona atque omnimodo imperio ac jurisdictione publica Hierosolymis carente habebatur, vim hujusmodi sic palam templi sanctitatem violantibus inferebat, idque impune & citra reprehensionem eorum qui, ut sanctissimae illius innocentiae poenas irrogarent, omnem indies summopere movebant lapidem; utrum, inquam, a poenis forensibus, quae alias vim citra juris autoritatem inferentibus ibi debitae, & infligi solitae, tutus esset ac immunis, ideo quod ex zelotarum jam dicto jure quicquid sic a capite sanctissimo, sed interea invisissimo, praestitum est, plane licitum haberetur. Locus, in quo nummulariorum hujusmodi ac vendentium & ementium sedes, a scriptoribus poni, nec immerito, solet ad montis templi (qui & *templum* interdum dictus; qua de re ante [d] monitum est) partem orientalem seu atrium [e] gentium, scilicet ad intermuralis partem exteriorem, cujus quidem sanctitas, tametsi dispar haberetur sanctitati interiorum montis templi partium, singularis tamen fuit & urbis reliquae sanctitate multo praestantior, ipsiusque templi structurae gratia diligentius tuenda. Ut autem res hic rite capiatur, dispiciendum est undenam & quinam nummularii hi, & qui oves, boves, columbas, ibi venderent. Docent Talmudici, ubi de annua, dimidii sicli [f] in sacros usus pensitatione agunt, solenne fuisse quotannis per urbes & oppida primo die mensis Adar moneri populum de pensitatione illa. Die autem ejusdem mensis decimoquinto, aiunt [g], ישבו השולחנין בכל מדינה ומדינה ותובעין בנחת כל מי שיתן להם יקבלו ממנו ומי שלא נתן אין כופין אותו ליתן: *sedebant mensarii* seu *nummularii in qualibet urbe, & cum vasculo flagitantes ab omnibus qui solvebant accepere*; *quorum tamen neminem tunc cogebant solvere.* Id scilicet in diem Adar XXV distulere. Etenim tunc nummularii in templo, seu monte templi (ut dictum est) considentes, ab eis qui non solverant etiam vi per ministros exigebant. Talmudici; בחמשה ועשרים באדר ישבו במקדש לגנות׳ ומכאן ואילך כופין את מי שלא נתן עד שיתן׳ וכל מי שלא יתן ממשכנין אותו ולוקחין עבוטו בעל כרחו ואפילו כסותו: *Die* XXV *Adar sedebant* nummularii *in templo ad exigendam* sicli dimidii pensitationem. *Atque tunc & deinceps quemlibet non solventem solvere cogebant. Et quisquis non solvebat, eum in pignus adigebant, quod & ab eo sive volente sive nolente auferebant, etiam vestimenta ejus.* Considentes autem sic in templo nummularii perpetuo coram habebant tredecim arcas totidemque mensas. Arcae fuere tubarum instar, seu parte superiori angustae, inferiori latae, ut commodius retinerent quod per foramina angusta reciperent. Talmudici [h]; ובמקדש היה לפניהם תמיד י״ג תיבות כל תיבה כמין שופר: *Et in templo semper habebant* nummularii *coram se tredecim arcas, quarum quaelibet tubae instar erat.* Unde & *tubae* sunt dictae. Nam de hisce intelligendum illud Misnae; שלשה עשר שופרות שלשה עשר שולחנות: *tredecim fuere tubae, totidemque mensae*, id est nummariae. Arcarum autem usus singularum ad hunc modum explicant.

לשקלי שנה זו.	א	I. *Ad recipiendos siclos anni instantis.*
לשקלי שנה שעברה.	ב	II. *Ad siclos anni praeteriti.*
לכל מי שיש עליו קרבן שתי תורים או שני בני יונה אחד עולה ואחד חטאת משליך דמיהן לתיבה זו׳	ג	III. *Unicuique* [i] *a quo oblatio duorum turturum seu pullorum columbae, alterius in holocaustum, alterius in sacrificium pro peccato, praestanda erat. Nempe pretium eorum in hanc conjiciendum arcam.*
לכל מי שיש עליו עולת העוף בלבד משליך דמיה לתיבה זו׳	ד	IV. *Unicuique a quo in holocaustum tantum avis* [k] *offerenda. Pretium ejus in hanc conjiciendum.*
למי שהתנדב מעות לקנות עצים למערכה:	ה	V. *Ei qui sponte obtulit pecuniam qua ligna in sacros usus compararentur.*
למי שהתנדב מעות ללבונה:	ו	VI. *Ei qui sponte obtulit pecuniam thuri coemendo.*
למי שהתנדב זהב לכפורת:	ז	VII. *Sponte offerenti aurum in templi ornatum.*
למותר חטאת כגון שהפריש מעות לחטאתו ולקח חטאת והותיר מן המעות ישליך השאר לתוכה:	ח	VIII. *Residuo sacrificii pro peccato ex errore* [l]. *Veluti, si quis pecuniae quam sacrificio suo pro peccato destinaverat parte aliqua sacrificium emerat, residuum pecuniae in arcam hanc conjiciebatur.*

[a] Cap. xxi. 12. [b] Cap. xi. 15. [c] Cap. ii. 14. [d] Lib. 3. cap. 6. [e] Videsis J. Baptist. Villalpand. ad Ezech. tom. 2. part. 2. lib. 3. cap. 9. [f] Exod. xxx. 12. & vide supra lib. 2. cap. 8. & Josephum, Archaeolog. lib. 9. cap. 8. [g] Misna tit. *Siklim*, cap. 1. Maimonid. tit. eod. cap. 1. Mos. Mikotzi praecept. affirm. 45. [h] Misn. Gemar. & comment. ad tit. *Siklim* cap. 6. Maimonides Hilach. ead. cap. 2. Moses Mikotzi praec. affirm. 45. [i] Levitic. v. 7. xii. 8. & xv. 14. [k] Levitic. i. 14. [l] Levitic. iv

ט לַמּוֹתַר אָשָׁם׃ IX. *Residuo sacrificii* [m] *pro delicto spontaneo.*
י לַמּוֹתַר קִינֵּי זָבִים וְזָבוֹת וְיוֹלְדוֹת׃ X. *Residuo nidorum* (id est, pullorum in sacrificium [n]) *profluvio laborantium, & puerperarum.*
יא לַמּוֹתַר קָרְבְּנוֹת נָזִיר׃ XI. *Residuo oblationum* [o] *Naziraeorum.*
יב לַמּוֹתַר אָשָׁם מְצוֹרָע׃ XII. *Residuo sacrificii pro delicto spontaneo leprosi.*
יג לְמִי שֶׁהִתְנַדֵּב מָעוֹת לְעוֹלַת בְּהֵמָה׃ XIII. *Sponte offerenti pecuniam, ut inde compararentur pecora in holocausta.*

Cuilibet arcae titulus suus inscriptus erat. Quicquid enim nomine *Residui*, juxta jam dicta, veniebat, ex synedrii magni decreto in holocausta ex pecoribus impendebatur; atque adeo quae in arcas posteriores sex conjecta sic impensa. De sicli autem dimidii pensitatione annua aiunt [p]; ואין השקלים דבר שצריכין ליתן כדי שיתן כל אחד ואחד חצי שקל עצמו דהוא חייב לפיכך כשהיה אדם הולך אצל השולחני ומחליף שקל בשני חצאין יתן לו תוספת על השקל ואותה התוספת נקראת קלבון [illegible] שנים שנתנו שקל על שניהם חייבין בקלבון *Nomini non opus erat ut siclos dimidios sibi haberet, adeo ut singuli qui hac tenebantur pensitatione dimidium siclum*, ipsam dimidii sicli speciem, *solverent. Hinc evenit ut, cum quis ad nummularium veniebat ut* ob hanc causam *siclum integrum binis siclis dimidiis commutaret, ei insuper in augmentum daret* (id est, siclo, quod commutaret, adjiceret) *quod kolbon vocitabant; adeo etiam ut, si bini siclum integrum sic afferrent, ab utroque kolbon esset praestandum.* Et subtiles habent aliquot distinctiones de augmenti hujus praestatione, ex ratione sociorum ac cohaeredum juris, & ex commodati, donationis, eleemosynae discrimine, aliisque ejusmodi ortas, quae huc non attinent. Kolbi autem seu kollybi valor erat חצי מעה *obolus dimidius* [q], seu pars sicli quadragesima octava. Et kollybi hujusmodi usus tam in urbibus terrae sanctae aliis, aliisque, ubi mensarii postulabant dimidios siclos, regionibus, quam Hierosolymis solennis erat: Adeo ut qui solveret ex lege, haud alia specie praeter ipsam dimidii sicli solvere deberet; cum interea eis qui alibi reciperent fas esset [illegible] מפני משאוי הדרך *commutare speciem illam in nummos aureos* [r] *ob itineris ac oneris commoditatem.* Nam ad templum sic universi undiquaque advehendi. Jam vero ex his nemo non videt qualesnam fuerint nummularii in templo sedentes, eorumque mensae in evangeliis memoratae. Vocantur autem in Matthaeo & Marco [illegible], & a Joanne [illegible], quorum prius etiam קלבון seu *Kollybi* vestigia retinet manifesta: Utrumque sane rem ipsam seu nummulariorum officium maxime in siclis dimidiis, qui quotannis & frequentius ibi solvebantur, recipiendis palam indicat. Qualesnam item boves, oves, & columbas ibi venderent, non difficile est conjectari. Verum est [illegible] ad incta ut in [illegible] quae adeo crebra fuere, in dominorum commodum distraherentur. Nec dissimile est veri, etiam in hisce [illegible] Talmudicis [illegible] *columbas* [illegible] appellantur. Scilicet [illegible] a testimoniis & judiciis [illegible] aleatores, foeneratores, quaestum facientes ex anni septimi seu remissionis anni frugibus, & demum eos qui columbas volare docebant. Quoniam scilicet [t] horum nemo מתעסק בישובו של עולם *incumbit rebus quae ad firmitudinem seculi*, id est ad bonum publicum seu vitae humanae commodum, *spectant.* Adjiciunt enim, [illegible] *Nefas esse homini in vitae suae ratione rebus aliis incumbere praeter legem, & beneficiorum retributionem seu charitatem, aut mercaturam, aut artificia, atque opera bono publico utilia.* Phrasi autem illi [illegible] *quibus inest firmitudo seculi* aut *mundi*, quod vertimus, *quae bono publico utilia*, similis habetur apud Siracidem, ubi meminit agricolarum, fabrorum, figulorum, aliorum ejusmodi artificum, sine quibus civitas manca est, tametsi primas non teneant partes: Attamen, inquit [u], κτίσμα αἰῶνος τηρήσουσι, seu, ut alia est lectio, στηρίσουσι, *structuram seculi servabunt*, seu *firmabunt:* id est, reipublicae utiles sunt. Vulgata ibi, *Creaturam aevi confirmabunt.* Sed sensus ex idiotismo Ebraico petendus. De eis autem qui columbas volare docebant Gemara Babylonia [x]; מפריחי יונים אלו שממרין את היונים ולא יונים בלבד אלא בהמה חיה ועוף *Qui columbas volare docebant, fuere qui eas ad certamen irritabant. Nec vero duntaxat de columbis, sed etiam de pecoribus, feris, volucribus aliis simile intelligendum.* A testimoniis nempe & judiciis arcendos esse tam qui alia animalia sic docerent quam qui columbas. Id ipsum habet & Gemara Hierosolymitana [y]. Glossa ad Babyloniam שממרין quod *qui ad certamen irritant* vertimus, interpretatur per [illegible] זה על זה להלחם *excitant eas ad certamen mutuum.* Columbarum autem nomine signantius usurpato (quia forsan aut illae frequentius sic edoctae, aut carius prae caeteris habitae) qui caetera animalia pariter docerent innuuntur a Talmudicis, perinde ac si nos nomine eorum qui gallos in certamina nutriunt, etiam eos qui ursos, tauros, canes simili curant instituto, complecti vellemus. Id genus forte fuere illi qui ex coelestis oloris in themate suo genethliaco virtute, ut ait Manilius [z], clausas

——— *culmine summo*
Pascere aves gaudent Veneris, & reddere caecas,
Aut certis revocare notis, totamque per urbem
Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas.

Ad jussa paratae volucres etiam sunt tum quae in certamina nutriuntur volatus reditusve celerioris, tum quae in pugnam. Hodieque item Memphi, Damasco, Tripoli, alibi in oriente, columbae,

[illegible] 14. [o] Numer. vi. 14. [p] Tit. Shekal. cap. 1. & Maimonid. tit. eod. [illegible] Ordin. [illegible] lib. 2. cap. 8. [s] Misna, [illegible] 24, & 25. [illegible] [y] Cap. xxxviii. 34. [illegible] fol. 21. col. 1. [illegible] cap. 7. fol. 37. col. 4. hal. 4. [illegible]

quasi

4

quasi[a] hominum nunciatrices, novarum rerum eventus, pacis bellique successus, mira velocitate denuntiare solent. Atque inter Africae Mahumedanos, consimiles, velut non infrequentes, memorat Leo Afer. Nec vero apud Talmudicos sententia est hac de re unica. R. Obadias Bartenorius[b]; אית דמפרשי מין המיני השחוק אם תקדם יונתך ליונתי אתן לך כך וכך ואית דמפרשי שמגדל יונה מלומדת להביא יונים לבית בעלה בעל כרחן ויש בהן גזל משום דרכי שלום ולא גזל גמור *Sunt qui ludum intelligunt, quo de columbarum celeritate* (velut hodie equorum, canum) *pignore certabatur. Sunt etiam alii qui dictum capiunt de columbis ideo nutritis, adeoque ad jussa paratis, ut ad domini tecta alias etiam vi secum adducerent. Unde quidem, si humana invicem officia spectes, velut rapina quaedam commissa est, tametsi neutiquam simpliciter rapina.* Sic Bartenorius. Sed hac de re plura libro sexto[c]. Ideo autem libentius admiserim etiam in vendentibus columbas, oves & boves in templo, fuisse quales infamia sic notant Talmudici, quoniam ut illi nomine ? מפריחי יונים *columbas volare docentium* signantius, ut ostensum est, usurpato, pariter eos qui animalia alia in certamina ludicra nutriebant contineri seu innui volunt, ita & evangelistae bini (scilicet Matthaeus & Marcus, veluti phrasin receptam secuti) tantummodo columbas vendentes, non vendentes oves & boves, hos interea pariter cum D. Joanne innuentes, memorant. Hisce hactenus sic explicatis, redimus ad quaestionem de zelotarum jure in nummulariis ac vendentibus animalia illa ejiciendis, nec sine flagelli vi. Certe quanquam Servator humani generis & Deus & rex erat, adeoque ita universi, nedum Judaeorum, dominus, ut quicquid ei placeret illud non licitum fuisse nefas sit putare; attamen cum caeteras res omnes etiam & seipsum receptis atque stabilitis reipublicae formulis judiciariis, qua Ebraicae eae essent, qua Romanae, permiserit, atque absolutissimum justitiae exemplar ab omni vi illicita, veluti privatus, abstinere voluerit; quin & tanta ei imminuerit invidia, ut nihil magis invidentium in votis esset, quam ut cujuscunque delicti reum eum peragere potuissent; haud rationi sane ita consonum videtur existimare ejectionem illam factam seu vim illatam ab eo fuisse sine agnita, etiam ab ipsis qui tam maligne ei invidebant, lege seu more quo in id genus homines templi sanctitatem ita polluentes incurrere licuerit, atque vi ejicere. Quid obiter facilius quam adversus eum, pro privato habitum, scribas & sacerdotes (qui *eum* & tunc *quaerebant*[d] *perdere*) statim egisse de vi publica sive ex jure patrio, sive ex Romano, nisi id, quod fecisset, ex jure patrio, quod tunc temporis haud hac in re Romano cesserat, fieri fas fuisset? Ideo non iniquum videtur ut existimemus, fas etiam idem tunc esse habitum Ebraeo cuicunque privato, idque ex recepto, quod diximus, zelotarum jure; quod hic adhibitum item esse elicere licet ex verbis D. Joannis hac de re. Postquam eis quos ejecerat dixerat Christus, *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis, recordati sunt discipuli ejus,* ait evangelista[e], *quod scriptum est*[f], *zelus domus tuae comedit me*; perinde ac si ? [illegible] seu *zelotarum* juris moribus patriis subnixi expresse illic meminissent, & ad Domini factum traxissent. Qualisnam autem sanctitatis templi pollutio seu violatio in negotiatorum, quos diximus, commerciis fuerit, satis ostendit ipse Dominus, dum in verbis e S. Joanne jam citatis templum negotiationis domum neutiquam fieri debere ait, & apud Matthaeum, *Scriptum est*[g], *domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum*; seu, ut apud Marcum, *Nonne scriptum est quod domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecistis,* &c. *Domus orationis* scilicet לכל עמים *omnibus gentibus* seu *populis*. Nam in monte templi[h] locus orationis etiam gentibus. Atque ibi nummularii hi & negotiatores, qui ejecti. At vero ex more erat patrio, eoque solenni ac licito, ut nummularii seu mensarii ibi perpetuo ferme sederent, juxta jam e Talmudicis ostensa. Quanquam igitur ita polluebant loci sanctitatem vendentes oves, boves & columbas, tam forte in certamina aliasve artes[i] non licitas quam sacrificia, idque per fraudes crebras quas in quaestum etiam exercerent; curnam nummularii etiam seu mensarii, quorum ibi consessus solennis licitus, ac sacris necessarius, simul ex hoc jure ejecti? Certe simplex nummulariorum seu mensariorum in siclis dimidiis reliquisque nummis, secundum quod dictum est, in sacros usus recipiendis arcisque condendis officium neutiquam loci sanctitatem polluisse est existimandum. Sed quoniam negotiationis illicitae societatem cum vendentibus ibi inierant, atque animalia, quae extra loca sancta emenda erant, in sacrificia contra fas ibi compendii causa emere solebant, nec fraudibus, eo in hominum genere non raro reperiri solitis, illic ministerio illo fungentes carebant; ideo & ipsi, ut qui tum criminis aliorum participes tum suo infames pariter sic templum seu montis templi locum illum alias ipsis permissum profanabant, ejiciendi. Alia sunt recepti hujus moris exempla, tam ubi falso ac impie obtendebatur zelus, quam ubi, ut hic, expressissimo universae pietatis ac justitiae exemplari revera & tempestive accensus est. Nec reverentiam ipsam sive summi pontificis sive consessus magni obstitisse puto, quin mos hic licitus haberetur. Etenim cum in consessu sistebatur Christus, ac filium Dei se profitebatur, ob quod reus blasphemiae habitus est, in adstantibus erant qui zelum proculdubio obtendentes in eum irruerent, in faciem exspuerent, colaphis caederent, uti videre est apud DD. Matthaeum ac Marcum. Etiam cum ex ministris cuidam Christus haud satis reverenter habuisse Caipham summum pontificem visus est, ab eo[k] percutitur. Ubi observandum est Servatoris responsum ministro illi, *Si male,* inquit, *locutus sum, perhibe testimonium de malo; si bene, cur caedis me?* Ac si ex more licitum fuisset adstanti eum qui publice pontificis summi sanctitatem, quae velut & templi est, irreverenter habuisset seu violasset, irruendo statim percutere. Rogat igitur tantum ut testimonium perhiberetur de malo quod alapam ibi mereretur.

[a] Gabriel & Joannes Maronitae in lib. de nonnullis orient. urbibus, cap. 9. [b] Ad Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 3. §. 3. & vide Gemar. Babylon. ad tit. eundem, fol. 25. a. [c] Cap. 11. [d] D. Marc. xi. 18. [e] D. Joan. ii 16, 17. [f] Psalm. lxix 9. [g] Esaiae, cap. lvi. [h] Vide supra, lib. 3. cap. 6. [i] Vide lib. 6. cap. 11. [k] D. Joann. xviii. 22.

Nam

Nam ubi nihil ejusmodi esset, nefas fuisse reum in judicio percutere, scimus ex D. Pauli verbis. Sistebatur Paulus[1], nec dum quid omnino dixerat quod ipsis Judaeis sanctitatem sive numinis, sive templi, sive gentis violare visum est: At percuti eum, furore in christianismum percitus, jubet Ananias pontifex. Paulus autem juris gentis suae scientissimus, *Sedes*, inquit, *ut judices me secundum legem, & contra legem jubes me percuti?* Sed de his hactenus.

CAP. VI.

De caede humana, extra belli, poenae, seu quasi rationem, juxta nonnullos (ex lege sacra de anathemate seu חרם*) parentibus saltem & heris permissa; velut hostiae humanae nomine.*

ITA temperatum in ante dictis vides apud Ebraeos generale homicidii interdictum ut nihilominus poenae nomine & quasi poenae mortem irrogari fas haberetur: quemadmodum etiam, pro facti specierum varietate, habebatur tum in ipsa lege sacra, tum in universarum quas novimus gentium moribus. Et quanquam temperamenta ejusmodi, qua in Noachidarum jure dispiciendo locum habere possunt, potius ad sextum eorum juris caput, quod de judiciis est, attinet; dum scilicet poenarum nomine simpliciter considerantur; attamen dum ea ut interdicti laxamenta intuemur, locum habent hic sibi debitum. Uti etiam in primis illud, utrum in sacra illa republica ejusmodi haberetur aliquod interdicti naturalis de homicidio laxamentum, idque ex ipsa lege sacra, ut spontaneum homicidium aliquod, nulla juris bellici, poenae, seu quasi poenae ratione habita, jure potuisset committi? Ex lege, dico, perpetua, expressa, & cujus Ebraeis, pro libitu eorum, usus permissus. Nam ex praecepto numinis singulari atque extraordinario, sive quale de immolando filio accepit Abraham, sive ejusmodi alio, caedem humanam licitam fuisse, utpote ab eo cui tota rerum natura simpliciter ac omnimodo subest imperatam, dubitandum non est. Sed vero lex expressim sacra hujusmodi habetur[a] de rebus quae devovebantur; כל חרם אשר יחרם איש ליהוה מכל אשר לו מאדם ובהמה ומשדה אחזתו לא ימכר ולא יגאל כל חרם קדש קדשים הוא ליהוה כל חרם אשר יחרם מן האדם לא יפדה מות יומת׃ *Omne anathema quod devoverit* seu *anathematizaverit homo domino* (Vulgata, *Omne quod domino consecratur*; Judaei Hispanienses, *Todo apartamiento que apartare varon a A. Paraphrasis Hierosolymitana,* כל אפרשו די יפרש גבר לשמא דיהוה *Omne separatum,* seu *sacris usibus destinatum, quod separaverit homo nomini domini) ex omnibus quae habet, ex homine, & e pecore, & ex agro possessionis suae, non vendatur, nec redimatur. Omne anathema sanctum sanctorum est domino,* seu *sanctissimum est domino. Omne anathema quod devovetur ex homine* (Vulgata, *Omnis consecratio quae offertur ab homine*; Hellenistae, Πᾶν ἀνάθημα ὃ ἐὰν ἀνατεθῇ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *Omne anathema quod consecratum fuerit ab hominibus*, seu *de* aut *ex hominibus*; Judaei Hispanienses, *Todo apartamiento que se apartare del hombre*; & paraphrases Chaldaea & Hierosolymitana, praeter versiones Arabicas, retinent particulam מן, quod *ab*, *de* & *ex* pariter orientalibus significat) *non redimatur. Morte moriatur*, seu *interficiatur.* Ad hanc legem, *Disceptatio est*, inquit Munsterus, *inter Judaeos, num homo etiam interfici debeat per votum anathematis domino consecratus.* Alii tantundem. Jam vero si ita capiantur verba illa sacra ut significent omne anathema, devotum, consecratum ex homine, seu e coetu hominum, esse morte afficiendum, sequitur ut ultronea consecratione, devotione seu anathematizatione liceret cuicunque, ad quem lex haec attineret, alium, saltem quem ei fas esset ut sui juris devovere, morti addicere. Quod sane mire derogaret universali homicidii interdicto, & caedem humanam pro affectu eorum cui devovendi potestas permitteret: Eodem fere modo quo apud Africanos olim, maxime Carthaginienses, etiam & aliquot in Europae Asiaeque locis, caedes humana in hostiis humanis diis immolandis permittebatur: non tamen quibusvis, sed eis quae in immolantium potestate, veluti filiis[b], servis. Nam ita proculdubio se res habuit ut plurimum; tametsi etiam essent apud quos honestum haberetur patrem immolare, ut [c]Triballi. Neque desunt in scriptoribus christianis qui ex citata jam de anathemate lege licitum fuisse apud Ebraeos existiment filios, aliosque quos in potestate sua quis haberet, neci devovere atque immolare. Horum instar omnium hic erit V.CL. Ludovicus Cappellus, cujus prostat diatriba singularis & certe doctissima de voto Jepthae. In ea ille; *Ad diritatem & immanitatem quod attinet hujus legis*, (ita scilicet intellectae; & obvium erit tunc diritatem objicere) *dicimus eandem prope hujus legis esse rationem quae fuit legis de repudio. Non probabat Deus repudium; sed si quis erat tam duro & praefracto animo ut nollet diutius uxori convivere, Deus, quatenus populi Judaici rex erat, veluti politicus & civilis legislator, non prohibebat quo minus illam a se amandaret, dato repudii libello. Sic etiam Deus non probabat ut quis personam humanam sibi per* חרם Cherem *devoveret; sed si quis adeo temerarius erat ut votum ejusmodi nuncuparet, non de bestia aut agro tantum, sed de persona etiam quae ipsius esset juris, volebat eam morte affici; non quod illi probarentur & gratae essent humanae hostiae, sed aliis de causis legitimis quas lex quidem non aperit (neque enim Deus legum & praeceptorum suorum rationem reddere tenetur) sed quas nobis suspicari & subolfacere licet. Ac primo quidem videtur Deus sic tacite voluisse innuere se potestatem vitae & necis concedere parentibus in liberos, & heris in servos, non quidem ab ipsis pro arbitrio exercendam quum liberet, quomodo eam ethnici Graeci & Romani exercuerunt, sine magistratus conscientia, sed quam hac duntaxat ratione exsererent, sacra nempe capitis eorum devotione, ad cujus exsecutionem intervenire oportebat sacer-*

[1] Act. Apost. xxiii 3.

[a] Levitic xxvii 28, 29.

[b] Videsis Syntagm. 1. de diis Syris, cap. 6. Hugonem Grotium de Satisfact. Christi, cap. 10.

[c] Aristot. Topic. 2. cap. ult.

dotum

dotum operam & miniſterium; ad quos nimirum pertinebat votorum cognitio, rerumque Deo per חרם Cherem *ſacratarum jus & proprietas ſive dominium; Numer.* xviii. 14. כל חרם בישראל לך יהיה Omne anathema in Iſrael tuum erit. *Qua ſanctione ſacerdotes judices erant a Deo conſtituti qui diſpicerent & judicarent an vota illa eſſent legitime necne concepta & nuncupata; atque ita mors liberorum & ſervorum a parentibus & heris devotorum non ſimpliciter & nude a parentum & hererum arbitrio & libidine pendebat, quandoquidem ſacerdotum judicium & ſententiam intercedere oportebat. Ita abuſus cavebatur, & ſimul parentes a liberis & heri a ſervis tanto majore in honore habebantur, utpote quos tantam viderent in ſe habere vitae & necis poteſtatem, ut, ſi libuiſſet, ab uno oris ipſorum verbulo vita & mors ſua penderet. Hac ratione magis in officio & debita erga parentes & heros obedientia continebantur.* Adjicit etiam, hac ratione parentes magis ab imprecationibus ſeu diris in liberos fuiſſe deterritos; ne ſcilicet ita morti ex lege eſſent tradendi. Typicum inſuper legis ſenſum adjungit; patrem coeleſtem filium ſuum in humani generis redemptionem immolationi devoviſſe; ejuſmodi alia. Nec omnino praetermittit adverſas Ebraeorum aliorumque ſententias, quas tamen potius tangit quam explicat; & demum ex hac lege Jephthen filiam ſuam devoviſſe atque immolaſſe aſſerit. Certe negandum non eſt quin omnimoda ejuſmodi caedes ex lege numinis, cujus imperio univerſa rerum natura ſubeſt, ſi ita is voluiſſet, jure certiſſimo committi potuiſſet. Neque ideo de legis juſtitia, ſi ejuſmodi ſenſu intelligenda ſit, ullatenus diſputandum. Sed vero quoniam ex hujuſmodi devovendi immolandique libertate neceſſe fuiſſet ut mirum in modum minueretur interdicti de homicidio amplitudo, nec ulla ita prolis ac ſervorum (a quibus neque in hac lege alii quiquam diſtinguuntur) vitam innocentia tueri potuiſſet, adeo ut plane ultroneum homicidium tum extra belli, poenae aut quaſi, rationem, tum citra fori ſententiam, eorumve qui rebus praeerant decretum, hac in ſpecie intra ſacram illam rempublicam permitti inde eſſet concludendum (nam quod addidit Capellus de ſacerdotum interveniente hic ſententia, veluti forenſi, nihil habet id omnino quo nitatur ſive in lege ſacra ſive in magiſtrorum commentariis; & certe, ſi haberet, nil aliud ſequeretur praeterquam quod pro devoventis & ſacerdotum arbitrio, extra cauſas omnimodas jam dictas, homicidium potuiſſet patrari) idcirco quid ipſi Talmudici tum de legis hujus ſenſu tum de Jephthae voto filiaeque ejus, quae nonnullis creditur, immolatione ſtatuerint, fuſius hic oſtendere duximus operae pretium.

CAP. VII.

De verbis legis illius ſacrae qua ultronea caedes humana parentibus & heris liberos & ſervos anathemate devoventibus permitti viſa eſt. Et de vario a[pud] Ebraeos anathematis genere.

UT rite ad mentem Ebraeorum capiatur lex illa ſacra qua nonnullis videtur caedem humanam quandam ultroneam hoſtiaſque humanas in republica illa a numine inſtituta ita permitti, tria inprimis ſunt diſpicienda: primum eſt, ipſe legis ſacrae verborum contextus, ejuſque in verſione ſignificatio; ſecundum, naturae τȣ̃ חרם *Cherem* ſeu anathematis apud magiſtros diverſitas atque circumſtantiae; tertium, quomodo in ea diverſitate atque inter illas circumſtantias legem jam dictam ipſi interpretentur: quibus ſatis apertis nec intempeſtive ſubjungemus quod de Jephthae voto filiaeque immolatione ita credita tradunt. Quod ad primum attinet, obſervandum eſt in Levitici capitis [a] quod legem illam habet priore parte praeſtitutas eſſe formulas aeſtimandi taxandique vota, ſeu res & perſonas, ubi non tam ipſae res ſeu perſonae quam eorum aeſtimatio, pretium, ſeu valor domino conſecratus eſt. Hujuſmodi vota nuncupantur נדרים ערכין *vota aeſtimationum.* Atque res voto aeſtimationis illigata, pretio ſeu aeſtimatione ſoluta, etiam & ipſa ſolvebatur, dominoque ita redimebatur in uſus quoſcunque retinenda. Poſtea in eodem capite ſequitur ritus devovendi, quo ipſa ſive res ſive perſona devovetur atque conſecratur ſine ſpe redimendi. Et tam perſonas quam res in lege illa contineri manifeſtum eſt ex verbis illis, מאדם ובהמה ומשדה *ex homine, & pecore, & agro,* ſeu, *ſive homo fuerit, ſive pecus, ſive ager,* quod fuerit devotum. Quin ut מאדם eo in loco *ex homine* ſeu *ex hominibus* denotat, ita ſane in verbis ſequentibus מן האדם aequum ſatis videtur ut interpretaremur *ex hominibus* ſeu *ex homine,* nimirum *ſi quod caput fiat ex hominibus ut anathema ſacrum, non redimatur; morte moriatur;* cum ſcilicet ſimilis ſit utrobique & in locis adeo invicem proximantibus praepoſitionis illius uſus. Atque ita ſane intelligunt verba illa Ebraei, ut mox liquebit. Utcunque ſint inter chriſtianos viri ſane doctiſſimi qui non *ex* ſed *ab* ibi malint vertere, adeo ut ſignificatio fiat, *aut quicquid ab homine fuerit abdicatum ut anathema, interficiatur;* quo ſenſu homo ipſe eo in loco anathema non erit, ſed animalia quaecunque alia ab homine devota. Res ſeu perſona ad hunc modum devota חרם *Cherem,* nuncupabatur, quod *anathema* recte vertitur; cujus vocabuli, qua etiam devotionis in ea vis habetur, diverſitatem (quod ſecundum eſt eorum quae hic diſpicienda propoſuimus) diligentius oportet animadvertere. Quemadmodum autem *devoti, anathematis, ſacri,* aliorumque ejuſmodi vocabulorum ſignificatio interdum rem pietatis ergo numini ſacratam, interdum diris onuſtam denotat (cum ſcilicet utraque devovebatur, haec ut malorum vindici, illa ut bonorum autori conſervatorique) ita etiam uſus τȣ̃ חרם *Cherem,* ſeu *anathematis* aut *devotamenti,* (ut Tertulliano [b] dicitur) apud Ebraeos obtinuit. Uſus autem ſeu notio vocabuli quadruplex, ad rem quam tractamus, habetur: aut enim ſacrum ſignificat donarium ipſum quod numini,

[a] Cap. xxvii.

[b] Adverſ. Gnoſticos, cap. 2.

mini, seu in sacros usus, devovebatur, ut in commate 28 capitis vigesimi septimi Levitici, seu prioribus periochae inde superiori in capite citatae verbis; aut id quod expressim jure belli ac militari, seu ob inimicitias capitales, devovebatur perditioni, internecioni, aut odio intestino; aut quod in commissum cadit; aut demum quod diris, jure tantum pacis, onustum. De primo genere non est ut hic plura dicantur. Secundi generis exemplum illustre habetur in sacris illis de Hierichunte verbis [c], והיתה העיר חרם היא וכל אשר בה ליהוה *Et sit urbs haec anathema*, seu *Cherem, ipsa & omnia quae in ea, domino.* Et statim; *Et vos cavete ab anathemate, ne fiatis anathema, & tollatis de anathemate, ponatisque castra Israel in anathema, & turbetis ea. Sed omne argentum atque aurum, vasa aenea atque ferrea domino consecrabuntur, venientque in thesaurum domini.* Urbs ita tota anathema erat in poenam seu vindictam hostium; ita tamen ut metalla in victoris potestatem redacta anathemata fierent primi generis, sacra utpote domino, & in sacros servanda usus; caeterae tam personae (excepta Rahab; quod ex historia nemo nescit) quam res sive nece sive incendio aliove modo disperderentur. Quod adeo necessum erat fieri, ut flagitium haberetur horrendum quempiam rerum seu personarum ita devotarum quid sibi sumere, quemadmodum scimus ex Achanis poena capite proximo ibi narrata. Alia sunt quae huc faciunt in sacris literis, ubi verbum חרם hac notione, nec infrequenter, occurrit. Atque ad hoc genus attinent publica sive populi sive regis sive synedrii magni anathemata quibus bellum gesturi seu praelium krituri milites suos aliosve, si quidquam imperatum non praestarent, devovebant morti; quemadmodum illud populi de eis qui non ascenderent [d] in Mizpa, & illud Saulis regis de eis qui [e] ante noctem quid comederent. Huc etiam attinet excommunicatio illa simul & anathema quo Cuthaei veteres qui templi instaurationem impedirent devovebantur, veluti quorum in amicitiam nunquam redituros se profiterentur Judaei. Legitur in *Pirke* Rabbi Eliaezar [f] de Ezra, Zerubbabel, & Josua Ben Jozedec Pontifice tum Maximo; קבצו את כל הקהל אל היכל ״ והביאו שלש מאות כהנים ושלש מאות תינוקות ושלש מאות שופרות ושלש מאות ספרי תורה בידם והיו תוקעין והלוים משוררים ומזמרי ומנדין את הכותיים בסוד שם המפורש ובכתב הנכתב על הלוחות ובחרם בית דין העליון ובחרם בית דין התחתון שלא יאכל אדם מישראל פת כותי עד עולם מכאן אמרו כל האוכל בשר כותי כאלו אוכל בשר חזיר ואל יתגייר אדם כותי ואין להם חלק בתחיית המתים שנאמר לא לכם ולנו לבנות בית אלהינו לא בעולם הזה ולא בעולם הבא ועוד שלא יהיה להם חלק ונחלה בירושלם שנאמר ולכם אין חלק וצדקה וזכרון בירושלם ושלחו החרם אצל ישראל שבבבל ועוד הוסיפו עליהם חרם על חרם והוסיף המלך כורש וקבע עליהם חרם עולם: *Congregaverunt totam ecclesiam seu coetum populi in templum domini, & introduxerunt* CCC *sacerdotes, &* CCC *pueros* seu discipulos minores, *quibus erant in manibus* CCC *buccinae & trecenti libri legis. Hi clangebant, cantantibus interea & psallentibus Levitis. Et excommunicabant Cuthaeos per mysterium nominis tetragrammati, & per scripturam descriptam in tabulis* decalogi, *& per* [g] *anathema fori superioris seu coelestis, & per anathema fori inferioris, ita ut nemo Israelitarum unquam in posterum comederet buccellam aliquam Cuthaeorum. Hinc etiam inolevit, eum qui comederit carnem Cuthaeorum habendum veluti qui comederit carnem porcinam. Neque Cuthaeos proselytos fieri, neque eis esse partem in resurrectione mortuorum, juxta illud quod scriptum est* [h], Non ad vos simul nobiscum attinet instauratio domus Dei nostri, *nec scilicet in hoc seculo nec in futuro. Et praeterea non esse eis partem* seu *haereditatem aut possessionem Hierosolymis, juxta id quod itidem scriptum est* [i], Et vobis nec portio est nec jus nec memoria Hierosolymis. *Miserunt autem anathema ad Israelitas qui in Babylonia. Quin & saepius iterarunt in eos anathema. Etiam & adjecit Cyrus rex anathema, quod stabilivit in eos in perpetuum.* Formulam anathematis hic adhibitam usurpasse alibi [k] dicitur Phinees, scilicet, *Per mysterium nominis tetragrammati, & per,* &c. Et de capitalibus inimicitiis inter Israelitas & Cuthaeos testimonia sunt passim obvia. Et quod ad buccinarum usum in anathemate denunciando attinet, alia sunt ejusce rei exempla; quod a viris doctis [l] etiam pridem observatum est. Nec de trecentorum in tam publica anathematis denunciatione numero mirabitur qui quadringentas adhibitas fuisse legerit etiam in simplici ab uno magistro, idque extra forum, excommunicatione denunciata; de qua sub calcem capitis octavi. Tertium anathematis genus visitur in illo Ezrae edicto [m], *Quicunque non adfuerit intra triduum, juxta decretum principum & seniorum,* יחרם כל רכושו והוא יבדל מקהל הגולה ἀναθεματισθήσεται πᾶσα ἡ ὕπαρξις αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς διαςαλήσεται ἀπὸ ἐκκλησίας τῆς ἀποικίας, *anathematizabitur* (Vulgata, *auferetur) universa substantia ejus, & ipse disterminabitur ab ecclesia transmigrationis.* Quarti denique generis, quod, jure pacis, diris fiebat, species sunt binae; altera, ubi diris quis devovebatur si quid imposterum sive committeret sive omitteret; altera, ubi quis ob jam commissum quid ita devovebatur. Prioris exemplum est egregium in illo Josuae [n]; *Juravitque Josua in tempore illo, dicens; maledictus sit coram Domino qui surgens aedificaverit urbem istam Hierichuntem. In primogenito suo fundabit eam, & in minore* filio *collocabit portas ejus.* Scilicet proles ejus posteritasque universa destruatur. Certe & hujus est generis quod ex instituto Rabbenu Gersom (natione is Gallus floruit sub annum Christi 1070) literis obsignatis Judaei hodierni apponere solent. Diris nempe devovent eum qui praeter sententiam mittentis eas resignaverit; personae & loco ad quem mittuntur nunc ad hunc modum nunc ad alium, devotionis formula subjuncta; וחרם לזר בנדוי חרם שמתא דרבי גר שום מאור הגולה ופתו פת כותיים יינו יין נסך *In anathema devoveatur alienus per excommunicationem, anathema,*

[c] Josua vi. 17. [d] Jud c. xxi. 5. [e] 1 Sam xiv. 25. [f] Cap. 38. & videsis Sepher Tanhuma, fol. 16. col. 1. & 2. & in Buxtorf. Lexic. Chald. Talmud. & Rabb. col. 2464. [g] Grot. in Evang. p. 677. lin. ult. [h] Ezra iv. 3. [i] Nehem. ii. 20. [k] Pirke R. Eliaezar, cap. 47. [l] Jo. Cochius in excerpt. ex Gemar. tit. Sanhedrin, cap. 1. pag. 146. & Gemar. Babylon. ad tit. Sanhedrin, cap. 11. fol. 107 b. [m] Cap. x. 8. & vide lib. 3 Esdrae ix. 4. & Nehem. c. x. 29. [n] Cap. vi. 26. & vide Nehem. xiii. 25.

& separationem Rabbi Gersom luminis captivitatis : & panis ejus sit cibus gentilium ; vinum ejus, vinum idololatricum. Hujusmodi scilicet diris alienum qui resignaverit devovent [o] ; breviter atque more suo unoquoque vocabulo primo tantum sui elemento designato. Atque ad hanc speciem attinet illud [p] ; *Collegerunt se quidam ex Judaeis, &* ἀναθεμάτισαν ἑαυτὰς *anathematizaverunt seipsos, dicentes neque manducaturos neque bibituros donec occiderent Paulum* ; ubi Syrus habet, אחרמו עליהון *se anathemate devoverunt*, ab ipso חרם *Cherem*, quod Ebraeum est; & paulo itidem post, חרמא אחרמן עלין pro eo quod est *anathemate devovimus nos* ; alibique ex Ebraico חרם facit id quod Graeco *anathemati* respondeat in novo foedere; quemadmodum etiam Arabs. Nempe devoverant se diris Judaei si vel ederent vel biberent atque interea omitterent necem Pauli. Ejusdem est speciei anathema quo devovebantur adjurati si pejerarent. Nam praeter alias diras (de quibus nos [q] alibi) ipsum בה חרם non raro adjectum est; ut e [r] Mose Cotzensi discimus. Accedat etiam illud quo admissi in Essenorum sectam se obligabant, ut videre est apud Josephum [s]. Quin & apocryphis de orbis terrarum distributione inter Noachidas illos tres memoratur jurejurando invicem se patre praecipiente obstrinxisse, alterum alterius fines non transgressurum ; qui vero transgrederetur, eum ἐξολοθρεύεσθαι αὐτὸν καὶ πᾶν τὸ σπέρμα αὐτοῦ, *funditus exterminandum, uti & posteros ejus.* Atque huc spectat anathema illud generale quod statis temporibus Ebraei veteres in universos Israelitas qui capita aliquot juris, sive sacri sive aliter introducti, cautius pro re nata observanda, sponte & scienter violarent, tactis bibliis sacris promulgare soliti. Formula ejusmodi anathematis habetur in rituali illo libro quem *Colbo*, id est *Pandecten*, nuncupant, sub titulo דין העובר על החרם *Jus quod ad eum attinet qui anathema seu Cherem violaverit.* Sunt quidem in eo tum astrologica nonnulla, tum nescio quae de angelis atque ejusmodi alia, quae seculorum recentiorum commenta esse merito censeas. Sed integrum, ut habetur [v], exhibemus.

נוסח חרם

בגזרת עירין ובמימר קדישין אנו מחרימין ומשביעין ומנדין ומשמתין ומקללין ומארדין על דעת המקום ועל דעת הקהל בספר התורה הזה בשש מאות ושלש עשרה מצות הכתובות בו בחרם שהחרים יהושע את יריחו ובקללה שקלל אלישע את הנערים ובקללה שקלל גחזי נערו ובשמתא דשמתיה ברק למרוז ובשמתא דשמתינהו אנשי כנסת הגדולה ובשמתא דשמתיה רב יהודה ב"ר יחזקאל לההוא עבדא ובכל החרמות והאלות והקללות והנדוין והשמתות שנעשו מימות משה רבנו ועד עכשיו בשם אכתריאל יה ה' צבאות בשם מיכאל השר הגדול בשם מטטרון ששמו כשם רבו בשם סנדלפון הקושר קשרים לרבו בשם שם בן ארבעים ושתים אותיות בשם שנראה למשה בסנה בשם שקרע משה את הים * בשם אהיה אשר אהיה בסוד שם המפורש בכתב שנכתב על הלוחות בשם ה' צבאות אלהי ישראל יושב הכרובים בשם הגלגלים והאופנים וחיות הקדש ומלאכי השרת בשם כל המלאכים הקדושים [illegible] עליון כל בר ישראל או בת ישראל שיעבור על שום דבר מהתקנה הזו או מן אחת מן המבוארות בחרם הזה ונדוי המנודה אלהי ישראל יושב הכרובים ארור הוא מפי השם הנכבד והנורא היוצא מפי הכהן גדול ביום הכפורים ארור הוא בשמים ובארץ ארור הוא מפי הגבורה ארור הוא מפי מיכאל השר הגדול ארור הוא מפי מטטרון ששמו כשם רבו ארור הוא מפי אכתריאל יה ה' צבאות ארור הוא מפי שרפים ואופנים וחיות הקדש ומלאכי השרת המשרתים לפני עליון בקדושה ובטהרה אם נולד בחדש ניסן ששם מלאך ראש משמרתו שמו אוריאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש אייר ששם מלאך ראש משמרתו שמו זפניאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש סיון ששם מלאך ראש משמרתו שמו אמריאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש תמוז ששם מלאך ראש משמרתו שמו פניאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש אב ששם מלאך ראש משמרתו שמו ברקיאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש אלול ששם מלאך ראש משמרתו שמו ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש תשרי ששם מלאך ראש משמרתו שמו צוריאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש מרחשון ששם מלאך ראש משמרתו שמו בזקריאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש כסלו ששם מלאך ראש משמרתו אדוניאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש טבת ששם מלאך ראש משמרתו שמו עניאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש שבט ששם מלאך ראש משמרתו שמו גבריאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ואם נולד בחדש אדר ששם מלאך ראש משמרתו שמו רומיאל ארור הוא מפיו ומפי כל משמרתו ארור הוא מפי שבעה מלאכים הממונים על שבעה ימי השבוע ומפי כל משמרתם וסיעתם ארור הוא מפי ארבעה המלאכים הממונים על ארבע תקופות השנה ומפי כל משמרתם וסיעתם ארור הוא מפי שבעה היכלות ארור הוא מפי ספרי התורה שם כתוב ושם חותם ארור הוא מפי האל הגדול הגבור והנורא [y] מבע ליהו ויהיה מגלא תהא מפלתיה אל אלהי הרוחות לכל בשר השמידהו והאבידהו אל אלהי הרוחות לכל בשר השפילהו אל אלהי הרוחות לכל בשר הכניעהו אל אלהי הרוחות לכל בשר השחיתהו אל אלהי הרוחות לכל בשר הכריתהו חמת ה' וסער מתחולל על ראש רשעים יחול מלאכי חבלה יפגעו בו ארור הוא בכל אשר יפנה בבהלה תצא נשמתו באסכרה תהא מיתתו לא יצא ולא יעבור [illegible] ויכהו בשחפת ובקדחת ובדלקת ובחרחור ובחרב ובשדפון ובירקון וירדפוהו עד אבדו חרבו תבא בלבו וקשתותיו תשברנה יהיה כמוץ לפני רוח ומלאך ה' דוחהו יהי דרכו חשך וחלקלקות ומלאך ה' רודפו תבואהו שואה לא ידע רשתו [z] אשר ה' טמן תלכדהו ידחפהו מאור אל חשך ומתבל ינדוהו יגעוהו [illegible] [illegible] יראו עיניו בידו ומחמתם שדי ישתהו [illegible] כידה כבדו יאכל בדי עורו גם אל יתצהו לנצח ויסחהו מאהלו לא יאבה ה' סלוח לו כי אז יעשן אף ה' וקנאתו באיש ההוא ורבצה בו כל האלות הכתובות בספר התורה הזה ומחה ה' את שמו מתחת השמים והבדילו ה' לרעה מכל שבטי ישראל ככל אלות הברית הכתובות בספר התורה הזה ואתם הדבקים בה' אלהיכם חיים כלכם היום מי שברך אברהם יצחק ויעקב ומשה ואהרן דוד ושלמה ונביאי ישראל וחסידי עולם הוא יברך כל הקהל הקדוש הזה עם כל קהלות הקדש לבד מי שעובר על החרם

[o] J. Buxtorfius in epistolar. Hebraic. instit. pag. 59. [p] Act. Apost. xxiii. 12, 14, 21. [q] In prolegom. ad lib. de success. in bona. [r] Praecept. negat. 219. [s] De Bello Judaico lib. 2. cap. 12. gr. 7. lat. [t] Epiphanius in Ancorato. [v] *Sepher Colbo* fol. 144. a. [x] Lege בשבם. [y] מבע ליהו. [z] Lego אשר טמן.

הזה

הוה המקום ברחמיו ישמרם ויושיעם ויצילם מכל צרה וצוקה ויאריך ימיהם ושנותיהם וישלח ברכה והצלחה בכל מעשה ידיהם ויגאלם בקרוב עם כל ישראל הכדים וכן יהי רצון ונאמר אמן.

Formula Anathematis.

Ex decreto civitatum & sanctorum jussu nos anathematizamus, adjuramus, exterminamus, excommunicamus, male dicimus & exsecramur, volente Deo & ecclesia, per librum hujus legis, per DCXIII *praecepta in eo conscripta, per anathema quo anathematizavit Josua* * *Hierichuntem, per maledictionem qua maledixit* [a] *Elisha juvenibus, & per maledictionem qua maledixit Gihezi puero suo, & per excommunicationem qua excommunicavit Barak* [b] *Meroz, & per excommunicationem qua viri synagogae magnae sunt usi, & per excommunicationem qua usus est Rab. Jehuda filius Rabbi Jehezkiel hujusmodi in re, & per omnia anathemata, imprecationes, diras, excommunicationes atque exterminationes quae factae sunt a tempore Mosis magistri nostri & deinceps, per nomen Acetheriel*[c], *Jah, Dom. exercituum, per nomen Micael principem illum magnum, per nomen Mittatron, cujus nomen est ut nomen magistri sui, per nomen Sandalipon qui ligat ligamenta domino suo, per nomen nominis quadraginta duarum literarum, per nomen ejus qui apparuit Mosi in rubo, per per nomen quo divisit Moses mare, per nomen* SUM QUI SUM, *per mysterium nominis tetragrammati, per scripturam quae scripta est super tabulas, per nomen Domini exercituum Deum Israel sedentem super cherubin, per nomen sphaerarum & circulorum & animalium sanctorum & angelorum ministrantium, per nomen universorum angelorum qui Deo supremo ministrant; quilibet scilicet Israelita & quaelibet Israelitis scienter & sponte violans quidquam eorum quae observanda esse jam denunciantur, maledictus sit Domino Deo Israelis sedenti super Cherubin.*

Maledictus sit per nomen gloriosum & lucidum quod exprimit ore suo pontifex maximus in die expiationum. Maledictus sit per coelum & terram. Maledictus sit a Deo omnipotente. Maledictus sit a Micaele principe illo magno. Maledictus sit a Mittatron, cujus nomen est ut nomen magistri sui. Maledictus sit ab Acetheriel, Jah, dom. exercituum. Maledictus sit a seraphim, & orbibus, & animabus sanctis, & angelis qui ministrant coram Deo supremo in sanctitate & munditie.

Si natus fuerit in mense Nisan, quem angelus dictus Uriel, ut princeps classis cui subest, gubernat, maledictus sit ab eo & ab universa classe ejus. Et si natus fuerit in mense Jiar, quem angelus dictus Tzephaniel, ut princeps classis cui subest, gubernat, maledictus sit ab eo & ab universa classe ejus. Et si natus fuerit in mense Sivan, &c. Scilicet similis sit atque eisdem verbis pro quolibet mense imprecatio. Angelus qui praeest mensi Sivan, Amiariel ibi nuncupatur; qui Thamuz, Peniel; qui Ab, Barachiel; mensis Elul praetermittitur praefecti nomen; Tisri mensis angelus dicitur Tzuriel; Marchwescan habet Zacaliel; Casleu, Adoniel; Tebet, Anael; Sebat, Gabriel; Adar, Rumiel. Sed alia nomina etiam angelorum signis seu mensibus interdum ab eis [d] assignantur. Dein sequitur, *Maledictus sit a septem angelis constitutis super septem diebus hebdomadis, & a tota eorum classe & potestate adjutrice. Maledictus sit a quatuor angelis qui praeficiuntur quatuor cardinibus anni, & ab universa eorum classe atque potestate adjutrice. Maledictus sit a septem palatiis. Maledictus sit a principibus legis; nomine coronae & nomine sigilli. Maledictus sit a Deo magno, forti, & lucido. Ex coitu ejus sit ei confusio. Veloci cadat ruina. Deus, Deus spirituum universae carni eum destruat & perdat. Deus, Deus spirituum universae carni eum subdat. Deus, Deus spirituum universae carni eum prosternat. Deus, Deus spirituum universae carni eum deprimat. Deus, Deus spirituum universae carni eum exscindat. Ira Domini*[e] *& turbo violentus cadat super caput impiorum. Angeli perditionis in eum incurrant. Maledictus sit in omnibus ad quae se divertat. In terrore exeat anima ejus. Ex angina moriatur Non exeat, non transeat mensis ejus. Phthisi, febre, uredine, siccitate, gladio, marcore, ictero feriatur, neque ante exitium ejus liberetur. Gladius* [f] *suus in cor suum ingrediatur, & arcus ejus diffringantur. Sit velut* [g] *pulvis coram vento, & angelus Domini eum dispellat. Sit via ejus tenebrae & lubricitates; & angelus Domini eum persequatur. Veniat ei desolatio inopina; & rete suum, quod abscondidit ipse, eum deprehendat. Expellent* [h] *eum ex luce in tenebras, & ex orbe habitabili eum exterminabunt. Terrebunt* [i] *eum tribulatio & angustia; videbunt* [k] *oculi ejus perditionem suam, & bibet furorem Omnipotentis. Induet* [l] *maledictionem ut amictum suum Comedat* [m] *robur cutis suae. Etiam Deus* [n] *dissipabit eum in aeternum, & evellet eum de tabernaculo. Non acquiescet Dominus* [o] *ut propitietur ei; sed fumabit tunc furor Domini & zelus ejus in virum istum, & cubabunt super istum omnes maledictiones scriptae in libro hujus legis; delebitque Dominus nomen ejus sub coelo. Separabit quoque eum Dominus ad malum ex omnibus tribubus Israel, juxta omnes maledictiones foederis quae scriptae sunt in libro hujus legis. Vos* [p] *autem qui adhaeretis Domino Deo vestro, vos omnes salvete hodie. Is qui benedixit Abrahae, Isaaco, Jacobo, & Mosi, & Aharoni, Davidi, & Salomoni, & prophetis Israel, & iis qui inter gentes pii sunt, totam hanc congregationem sanctam benedicat, cum omnibus congregationibus sanctis, excepto tantum eo qui anathema hoc violaverit. Deus ex misericordia sua custodiat eos, salvos eos faciat, atque eripiat eos ex omni aerumna ac miseria, atque prolonget dies eorum atque annos eorum, & mittat benedictionem & eventum prosperum omni operi manuum eorum, atque eos vindicet festinanter cum omnibus Israelitis aliis. Atque ita sit voluntas ejus & decretum. Amen.*

* Jos. vi. 17. [a] 2 Reg. v. 22, 27. [b] Judic. v. 23. [c] Videsis *Sepher Cozri*, pag. 102. a. [d] Vide Joseph. Voisin ad R. Israel Mosei lem, cap 5. pag 305. [e] Jerem. xxiii. 19. [f] Psal. xxxvii. 15. [g] Ibid. xxxv. 5, &c. [h] Job xviii. 18. [i] Ibid. xv. 24. [k] Ibid. xxi. 20. [l] Psal. cix. 18. [m] Job xviii. 13. [n] Psalm lii. 7. [o] Deuteron. cap. xxix 20. [p] Deut. iv 4.

Ejusdem

Ejuſdem generis anathematiſmi ſunt in jure Caeſareo, velut ex Ebraeorum more memorati. Permiſit Juſtinianus Ebraeis legem ſuam ſive Graece ſive Latine legere. *Neque*, inquit [q], *licentiam habebunt hi qui ab his majores omnibus archiperecitae aut presbyteri appellantur Perinaeis aliquibus aut anathematiſmis hoc prohibere, niſi velint propter hoc caſtigari corporis poenis*, &c. Et de quarti generis anathematis ſpecie priori hactenus. Ejuſce ſpecies altera eſt, qua ex ſententia forenſi devovebatur is qui excommunicatus, ſeu a coetu Iſraelitico ejuſque conſuetudine rite juxta mores receptos ſemotus, intra tempus ſibi iterato praeſtitutum non reſipiſceret, ſed ex contumacia ſua aut neglectu ſibi in cauſa eſſet ut excommunicatione interim non ſolveretur. Haec ſpecies ut recte intelligatur, cauſas, effectus, formulas, ritusque excommunicationis, quam ſequi ſolebat haec anathematis ſpecies, proxime ut ſubjiciamus res ipſa poſcit.

CAP. VIII.

Cauſae, ritus ac effectus excommunicationis apud Ebraeos, atque τὸ Cherem *ſeu Anathema, quod inde interdum ſequebatur. Hujus item formula ac effectus. Utriuſque ſolutio.*

VIginti quatuor apud Talmudicos aſſignantur cauſae, ob quas excommunicandus erat quis, ſeu libera coetus Iſraelitici conſuetudine interdicendus. Excommunicationem hujuſmodi נדוי *Niddui* vocant, plerumque excommunicatum מנודה, & qui excommunicant מנדין, a verbo נדה, quod in prophetarum lingua *ſeparare* ac *ſemovere* denotat. Eandem etiam excommunicationem appellant שמתא *ſhammatha*, & verbum שמת pro eo quod eſt *excommunicare* non raro uſurpatur in commentariis Talmudicis: Qua de re plura mox. Cauſae in perſonis excommunicandis ad hunc modum ſe habent.

I. המבזה את החכם ואפילו אחר מותו *Qui* [a] *ſapientem* ſeu *magiſtrum contumelia affecerat, tametſi mortuum.*

II. המבזה שליח בית דין *Qui* [b] *miniſtrum fori publicum contumelia affecerat.*

III. הקורא לחבירו עבד *Qui* [c] *alterum* liberae ſcilicet conditionis *ſervum appellarat.*

IV. מי ששלחו לו בית דין וקבעו לו זמן ולא בא, *Is* [d] *qui in forum evocatus ad diem ſibi praefixum non venerat.*

V. המזלזל מדבר אחד מדברי סופרים ואין צריך לומר בד"ת *Qui* [e] *vili penderet praeceptum unicum*, ſeu *unicum doctrinae caput, quod habetur in praeſcriptis ſcribarum, nedum in praeſcriptis legis.*

VI. מי שלא קיבל עליו את הדין מנדין אותו עד שיתן *Qui* [f] *non in ſe ſuſceperat judicatum praeſtare, excommunicandus erat uſque dum praeſtaret.*

VII. מי שיש ברשותו דבר המזיק כגון כלב רע או סולם רעוע מנדין אותו עד שיסיר היזיקו *Is* [g] *qui in ſuo haberet quod aliis pauperiem* ſeu *damnum inferret, veluti canem mordacem, aut ſcalas confractas, excommunicandus erat uſque dum id quod damnum ita inferret corrigeret.*

VIII. המוכר קרקע שלו לגוי מנדין אותו עד שיקבל עליו כל אונס שיבא מן הגוי לישראל חבירו בעל המיצר *Qui fundum ſuum vendiderat gentili, excommunicabant eum niſi in ſe ſuſcepiſſet reſarcire damnum quodcunque inde eveniens Iſraelitae proximo ſuo.*

IX. המעיד על ישראל בערכאות של גוים והוציא ממנו בעדותו ממון שלא בדין ישראל מנדין אותו עד שישלם *Qui* [h] *teſtem ſe exhiberet contra Iſraelitam in tribunalibus gentilium, adeo ut inde pecuniam ſolvere cogeretur ex moribus Iſraelitarum indebitam, excommunicandus erat uſque dum ipſe refunderet.*

X. טבח כהן שאינו מפריש המתנות ונותנין לכהן אחר מנדין אותו עד שיתן *Sacerdos* [i] *mactans qui non ſepoſuerat donanda ſacerdotibus caeteris, excommunicandus erat uſque dum ea daret.*

XI. המחלל יום טוב שני של גליות אף על פי שהוא מנהג *Qui* [k] *diem feriatum ſecundarium in captivitate profanaret, tametſi id eſſet ex conſuetudine.*

XII. העושה מלאכה בערב הפסח אחר חצות *Qui* [l] *opus aliquod fecerat pridie paſchatis tempore pomeridiano.*

XIII. המזכיר שם שמים לבטלה או בשבועה בדברי הנאי *Qui* [m] *nomen Dei pronunciarat, ſive oſcitanter ſive cum juramento, verbis elatioribus* aut *hyperbolicis.*

XIV. המביא את הרבים לידי חילול השם *Qui* [n] *vulgo in cauſa eſſet ut nomen Dei profanarent.* Quale illud facinus, libro ſecundo [o] explicatum eſt.

XV. המביא את הרבים לידי אכילת קדשים בחוץ *Qui* [p] *vulgo in cauſa eſſet ut ſacra extra locum ſacrum comederent.*

XVI המחשב שנים וקובע חדשים בחוצה לארץ *Qui* [q] *annos ſupputaret & menſes praefigeret extra terram ſanctam.* Id eſt, aliter eos obſervaret atque olim in terra ſancta a majoribus temporum ratio praeſtituta eſt.

XVII. המכשל את העור *Qui* [r] *caeco poſuerat offendiculum*, ſeu *eum labi fecerat.*

XVIII. המעכב את הרבים מלעשות מצוה *Qui vulgo eſſet impedimento ne praeceptum quodpiam praeſtarent.*

XIX. טבח שיצאת טרפה מתחת ידו *Mactans* [s] *qui permiſerat pecudem laceratam exhiberi.* Vide Levitic. xxii. 8.

XX. טבח שלא בדק סכינו לפני חכם *Mactans*

[q] Novell. 146. cap. 1. [a] Gemara Babylonia ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 17. a. [b] Eadem Gemara ad tit. *Jabimoth*, cap. 5. fol 52. a. [c] Ead. ad tit. *Kidoſhim*, cap. 1. fol. 28. a. [d] Eadem Gemara ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 16. a. & Hieroſolymit. ibid. fol. 81. col. 4. &c. Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 25. [e] Eadem Gemara ad tit. *Beracoth*, cap 3. fol. 19. a. & Hieroſolymit. ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 81. col. 4. [f] Ibid. & Gem. Bab. ad tit. *Baba kama*, cap. 10. fol. 112. b. Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 5. [g] Gemar. Babylon. ad tit. *Baba kama*, cap. 1. fol. 15. b. & cap. 4. fol. 46. a. [h] Vide Gemar. Babylon. ad tit. *Baba kama*, cap. 10. fol. 119. a. Maimonid. Halach. *Chobal Wemazik*, cap. 8. [i] Gemar. eadem ad tit. *Cholin*, cap. 10. fol. 132. b. [k] Gemar. ead. ad tit. *Peſachim*, cap. 4. fol. 52. a. [l] Ibid. fol. 50. b. & vide Maimonid. Halach. *Sebbithath Jomtob*, cap. 8. §. 27. [m] Gemara Babylonia ad tit. *Nidarim*, cap. 1. fol. 7. b. [n] Gemara Hieroſolymit. ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 81. col. 4. [o] Cap. 10. [p] Ibid. & Babylon. ad tit. *Peſachim*, cap 4 fol. 53. a. [q] Ad finem Gemarae Bab. ad tit. *Beracoth*. [r] Gemar. ead. ad tit. *Moed katon*, cap 3. fol. 17 Vide Levitic. xix. 14. & comm. ad Maimon. Halach. *Talmud Tora*, cap. 6. [s] Rab. Alpheſi in tit. *Sanhedrin*, cap 3. part 3. fol. 274. & in nonnullis Talmudis Babylonii exemplaribus, eod. cap. fol. 25. a.

[t] *qui coram sapiente non exploraverat cultrum suum.*

XXI. המקשה עצמו לדעת *Qui morosius* [v] seu *difficilius se praebuerat ad discendum.*

XXII. מי שגירש את אשתו ועשה בינו ובינה שותפות או משא ומתן המביאין להן להיזקק זה לזה כשיבאו לבית דין מנדין אותן *Ubi* [x] *repudiaverat quis uxorem quacum nihilominus commercii societatem retinuerat, qui in causa essent adeo redintegrandi eorum congressus, ut in forum eo nomine vocarentur, erant excommunicandi.*

XXIII. חכם שמועתו רעה [y] *Sapiens cui mala fama.*

XXIV. המנדה מי שאינו חויב נידוי *Excommunicans* [z] *alium immerentem.*

Neque vero causae hae tam solae quam primariae; tametsi etiam seculis vetustissimis eodem continerentur excommunicationis causae numero. Expressim Gemara Hierosolymitana [a]; על עשרים וארבעה דברים מנדין *Ob* XXIV *causas excommunicare solent.* Sed sparsim hae in Gemaris leguntur, a Mose Maimonide [b] aliisque simul enumeratae. Et vides in nonnullis capitibus singularia quamplurima reperiri. Et memini Judaeorum Londinensium universitatem ab Henrico Angliae rege tertio impetrasse licentiam ut a magistris suis excommunicarentur quotquot Judaei promissum coemeterio suo Londini sustinendo subsidium solvere detrectarent. Diplomatis regii verba sunt: *Rex justitiariis suis* [c] *ad custodiam Judaeorum assignatis, salutem. Sciatis quod concessimus Judaeis nostris London. quod magistri legis eorundem Judaeis in civitate London. promulgare possint sententiam excommunicationis in omnes illos Judaeos qui subsidium aliquod promiserint ad coemeterium suum London. sustinendum, & illud non solverint, ita quod nos, & non alius, de Judaeis excommunicatis sufficientes emendas recipiamus. In cujus, &c. T. R. apud Clarendon.* XXVIII. *die Junii.* Neque juxta veterem eorum disciplinam tantummodo ex sententia fori quis erat excommunicandus; nempe sive ex consessus magni sive ex viginti trium virorum sive ex trium virorum (nam triplex ita forum eis erat) autoritate. Nam non solum alteri alterum extra forum ob causas jam dictas excommunicare licuit, verum etiam in gravioribus aliquot causis; veluti ubi quis in caput decimum tertium commiserat, is qui praesens audierat חייב לנדותו ואם לא נודהו הוא עצמו חייב נידוי וצריך להתיר לו מיד כדי שלא יהא מכשול לאחרים *obligabatur ad eum excommunicandum. Et si eum non excommunicaret, ipse etiam excommunicandus erat. Sed vero & statim absolvendus, ne aliis esset offendiculo:* Quae verba sunt Josephi Caro [d]. Sed immerito excommunicantis temeritatem puniebat forum tum excommunicatione, tum aliter, ut res ipsa postulabat. Excipiunt vero hic personas aliquot illustriores [e] quos docent aut nullatenus, aut cautissime, nec publice excommunicandos fuisse, extra causam idololatriae; veluti sapientes seu juris sui prudentes, qui nominis celebritate praecellebant, ac principem fori seu ejusdem patrem, qui principi erat secundarius. Quin nec legis studiosos sine summa deliberatione forum excommunicabat; licet tum hos tum illos ob causas jam dictas graviter alias puniret. Etiam qui tantum ob illatam magistro, sapienti, seu legis studioso contumeliam excommunicabatur, eorum tantum consuetudine (juxta ea quae infra dicentur) privabatur qui magistro, sapienti seu legis studioso dignitate inferiores erant. Si vero ob causam aliquam jam dictarum aliam, etiam & universorum; temperamentis, quae infra dicuntur, adhibitis. Occurrit etiam interdum [f], תלמיד חכם מנדה לעצמו ומיפר לעצמו *Sapiens* seu *sapientis discipulus* (juris peritus scientia celebris) *potuit seipsum excommunicare, & absolvere seipsum.* Formula autem hujus excommunicationis, tum forensis, tum extrajudicialis illius, cuilibet, secundum jam ostensa, permissae, causa primum indicata, verbis in conceptis hujusmodi erat, פלוני יהיה בשמתא *N. sit in excommunicatione*, seu *shammatha*, id est, *excommunicatione sit obstrictus.* Etiam si adesset ipse excommunicandus, non secunda sed tertia persona rite excommunicabatur hac formula, פלוני זה בשמתא *N. hic sit in excommunicatione.* Et, ubi ignorabatur excommunicandi nomen [g], ההוא גברא בשמתא *Homo ille sit in shammatha* seu *excommunicatione.* Quanquam enim נידוי מנודה מנדין *Niddui, Menuda, Menadin* non raro in corpore Talmudico & commentariis Ebraeorum occurrit pro eo quod est *excommunicatio, excommunicatus, excommunicantes,* a verbo נדה, quod est *separare,* nihilominus in ipso tum forensi, tum extra forum solenni excommunicandi actu non *niddui* sed *shammatha*, ut magis proprium ac receptum, usurpabatur; unde fit etiam quod in Gemara Babylonia [h] בשמתא pro *in excommunicatione*, & משמתינן ליה & שמתיה pro eo quod excommunicationem hanc in alium pronunciatam indicat, frequenter occurrat. Adeo ut manifestissimum sit vocabulum שמתא *shammatha* (quod pro eodem ipso expressissime in decisione illa de excommunicatione *Rish Lakish* in Gemara Babylonia [i] memorata sumitur) a verbo שמת, quod *separare, abdicare* aut ejusmodi quid primario, & denique *excommunicare* significat, simpliciter deducendum esse; nec omnino a שם אתא *shem atha*, quod sonat *Dominus venit*, ut viri quidam docti ariolati sunt. Nec igitur melius faciunt qui *niddui & shammatha* binas tradunt esse excommunicationis species, contra locorum in commentariis Ttalmudicis innumerorum fidem. Et tametsi, qua vocabulorum horum, seu verborum quibus conjugata sunt, usus aliis in rebus, veluti

[t] Gem. Bab. ad tit. *Cholin*, cap. 1. fol. 18. a. [v] Ead. Gemar. ad tit. *Nidda*, cap. 2. fol. 13. b. [x] Ead. Gemar. tit. *Cethuboth*, cap. 2. fol. 28. a. [y] Gem. ead. ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 17. a. [z] Ibidem. [a] Ad tit. *Moed. katon*, cap. 3. fol. 81. col. 4. [b] Hal. *Talm. Tora*, cap. 6. Elias de *Widesh* in *Reshith Cochma*, l. 1. c. 7. Vide Jos. Caro in *Shulcan Aruch*, lib. *Jore dea*, sect. 334. §. 43. & vide Joan. Coc. in tit. Talm. *Sanhed.* pag. 147. & *Migdol.* ad Maim. par. 1. f. 23. a. & vide jam Lexicon Chaldaic. Jo. Buxt. col. 1303. [c] Rot. Pat. 34. Hen. III membr. 3. seu anno Christi 1251. [d] *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*, sect. 334. §. 37. [e] Gemar. Babylon. ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 17. a. Maimonid. Halach. *Talmud Tora*, cap. 7. & ibi Abraham Ben David. Gemara Hierosolymit. ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol 81. col. 4. Gloss. Jarchii ad tit. *Talm. Pesachim*, fol. 51. a. & videsis Jo. Buxtorf. in Lexico Chaldaic. col. 2465. & 2466. [f] Ras. in Gem. Bab. tit. *Moed. katon*, cap. 3. fol. 17. a. & vide Jo. Buxtorf. Lexic. Chald. col. 2465. & Maimonid. Halach. *Nidarim*, c. 1. [g] Gem. Babyl. ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 17. a. [h] Ad tit. *Baba kama*, cap. 1. fol. 15. b. cap. 10. fol. 112. b. ad tit. *Cholin*. cap. 10. fol. 132. b. ad tit. *Pesachim*, cap. 4. fol. 52. a. & ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 16, 17, &c. [i] Ad tit. *Moed katon*, cap. 3. fol. 17. a. *Aiin Jacob*, part. 1. col. 159. col. 1. *Halacoth gedaloth*, fol. 104, & 105.

in votis, locum habuit, discrimen Ebraeorum nonnullis inter ea[k] fuisse visum est (quod alii admittere nolunt) quatenus tamen ad solennem excommunicationem attinent, nullo modo ea esse invicem, aliter ac supra ostensum est, diversa apud Talmudicos comperi. Qua de re plura mox. Effectus ac finis excommunicationis hujusmodi, jure communi, erat, ut solitae popularium consuetudinis libertate reus privaretur, usque dum poenitentia ad bonam mentem rediens solveretur sententia. Scilicet nec luctus ritibus ei uti fas erat[l], ולא כוללין אותו בעשרה לכל דבר שצריך עשרה *neque censebant eum in numero hominum denario, ubicunque scilicet* (pro more gentis; cujus exempla sunt nonnulla libro secundo, ubi de profanatione numinis agitur) *numerus ejusmodi necessarius.* Nimirum ita coetus esse pars desiit ut cum novem aliis decem non conficeret. Quin adjicitur in *Sepher Shulcan Aruch* אם ראו בית דין לנדותו שלא יזמן בג׳ ולא יתפלל בעשרה ולא יקברו לו מת ולא ימולו לו בן רשעים הם: *Si ita visum esset foro, licuit interdici ei ne convivio trium interesset; ne cum decem oraret; nec, si mortuum haberet, quis eum sepeliret; nec, si filium, eum quis circumcideret.* Sed vero ex jure communi seu receptissimis moribus haudquaquam fas ei erat alteri (praeter uxorem & liberos) intra spatium quatuor cubitorum assidere. Nec mortuus plangendus erat. Et Hierosolymitani[m]; נידוהו ומת בנידויו סקלו בית דין ארונו ללמדך שכל המנודה ומת סוקלים ארונו׃ *Ubi quis excommunicatus moritur in excommunicatione sua, forum lapidat ejus tumulum; unde discas oportet cujuslibet excommunicati qui mortuus fuerit tumulum esse lapidandum.* At vero Babylonii[n]; ר׳ יהודה אומר לא שיעמידו עליו גל אבנים כגלו של עכן אלא בית דין שולחין ומניחין אבן גדולה על ארונו ללמדך שכל המתנדה ומת בנידויו ב״ד סוקלין את ארונו: *Id quod de lapidatione dicitur, ex sententia R. Jehudae non ita intelligendum est, saxorum cumulum super eum congeri, instar cumuli Achan*[o]. *Sed ex jussu forensi relinquitur super tumulum ejus saxum grande, ut inde discas oportere cujuslibet excommunicati tumulum esse lapidandum.* Nam & lapidationis poenae, quae gravissima erat, ritus traditur fuisse[p], ut in prostrati pectus primo lapis unicus a testium altero immitteretur; unde etiam haec poenae illius in excommunicati tumulo simulatio; quae ideo infligebatur quia הוא מובדל מן הציבור[q] *mortuus est dum separabatur a coetu* seu *ecclesia sua*; quemadmodum erat separatus etiam excommunicatus edicto illo Ezrae superiori in capite citato. Si vero excommunicatus poenitentia ductus solvi se desideraret, a privato, si privatus superstes eum excommunicasset; a foro aliquo, seu cui fori potestas mandata est, si excommunicasset eum forum; & a principe fori alicujus, si aut mortuus esset qui excommunicasset, aut plane ignotus esset, solvi solebat.

Formula solvendi excommunicatos erat, si ipse adesset, שרוי לך ומחול לך *Absolutio tibi est; res est tibi remissa:* si absens, פלוני שרוי לו ומחול לו *Absolutio est N. & res est ei remissa.* Ita tamen ut qui praesens excommunicatus est, praesens etiam, qua fieri potuit, absolvendus. Pro diversitate peccati & peccantis moribus nunc citius nunc serius sequebatur absolutio. Sed ut plurimum excommunicatio fiebat in diem tricesimum; unde saepius occurrit[r], אין נידוי פחות משלשים *Excommunicatio non fit in tempus minus quam dies triginta.* Intra hoc tempus exspectabat forum ut ad bonam rediret mentem, resipisceret, & quae juberent ipsi praestaret: ita tamen ut interim verberibus etiam pro fori arbitratu[s] esset puniendus. Post triginta dierum contumaciam idem tempus semel iterabatur, adeo ut ex jure, quod plerumque obtinebat, sexaginta dierum spatium excommunicati[t] contumaciae ita permitteretur. At vero si neque intra id spatii poenitens absolutionem peteret, τῷ חרם *Cherem* seu anathemate feriebatur, id est diris multo[v] gravioribus. Nam in ipsa excommunicatione non aliae fuere dirae quam quae solita popularium consuetudine eum privarent. In anathemate autem seu *Cherem* accedebant dirae qualescunque in vindictam exsecrationibus seu juramentis sive adjici solent sive tacite inesse existimantur. Carmen illud solenne ac horrendum hujusmodi erat[x], פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נידוי בו. *N. anathema sit, seu devotus atque exsecrandus habeatur. Dirae imprecationes in eum, juramentum in eum, excommunicatio in eum.* Quicquid scilicet horrendum est, sive numinis vindictam sive hominum odium atque aversam consuetudinem spectes, in hunc incidat. Hoc, si resipisceret ita devotus, rescindebatur simili plane formula qua excommunicatio. At vero devoti seu anathematis hujus status pejor multo fuit eo qui erat excommunicati: non dico ex ipsis solum diris, verum ex eo quod omnimoda fere consuetudine hominum privaretur. Consuetudinis temperamenta vides non pauca excommunicato praestitui: hujusmodi autem devoto ferme nulla sunt relicta; אין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו אלא מעט עסק כדי פרנסתו: *Nullum cum eo habere*[y] *licuit commercium, neque illi omnino adesse, nisi in quantum necesse esset ut aleretur*; seu ne inedia moreretur. Nam ne illud fieret, nec tamen aliorum consuetudine frueretur, faciebant ei חנות קטנה בשביל פרנסתו *tabernaculum* seu *tugurium exiguum quo ali posset.* Sed, pro arbitrio fori, manebat excommunicatus sine חרם seu anathemate interdum ultra sexagesimum contumaciae diem. Quin pro ejusdem etiam libitu non solum ipse ita contumax anathemate feriebatur, verum etiam quisquis cum eo comederet seu biberet, aut intra quatuor cubitos ei adsideret; quae omnia facta sunt כדי לייסרו וכדי לעשות סייג לתורה עד שלא יפרצו החוטאים *In ejus castigationem,*

[k] Videsis Gem. Babylon ad tit. *Nedarim*, cap. 1. fol. 7. a. & Gloss. ibid. & Mos. Maimonid. Halach. *Nidarim*, cap. 1. [l] Gemar. Babylon. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 16, & 17. Maimonid. Halach. *Talmud Tora*, cap. 7. *Shulcan Aruch*, lib. Jore Dea, cap. 334. §. 2. & 7. [m] Gemar. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 81. col. 4. [n] Ibid. fol. 15. a. & ad tit. *Beracoth*, cap. 3. fol. 19. a. Alphesius, part. 1. fol. 388. & Mordecai ad tit. *Moed Katon*, fol. 407. *Halacoth Gedaloth*, fol 104. [o] Jos. vii. 26. [p] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 6. [q] Maimonid. Halach. *Talmud Tora*, cap. 7. [r] Gemar. utraque ad tit. *Moed Katon*, cap. 3, &c. videsis Mosem Cotzensem Praecept. Negativ. 208. [s] Gem. Babylon. ad dict. tit. fol 16. a. & Gloss. ibid. [t] Gemara Babylon. ad dict. tit. fol. 16. a. Maimonid. Halach. *Talmud. Tora*, cap. 7. Moses Cotzensis loco citato; *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*, cap. 334, &c. [v] Videsis praeter Jurisconsultos obvios & Theologos, de excommunicatione & anathemate christianorum, Albaspinaeum Observat. 2. cap. 4. Dionys. Petavium Miscel. exercit. cap. 15. [x] Ibid. & Gemara Babylon. ad tit. *Shebuoth*, cap 4 fol. 36. a. & Maimonid. loco citato. [y] Gemar. Babylon. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 15. a. Maimonid. Halach. *Talmud. Tora*, cap. 7. Alphesi part. 1. fol. 388. a. *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*, cap. 334. §. 2. 7, &c.

atque

atque ut fieret sepes legi talis qualem peccatores non perrumperent. Originem autem seu potius exempla tum excommunicationis tum anathematis petunt [z] ferme e Josuae, Nehemiae & Ezrae locis superius obiter indicatis, praeter historiam sacram de Dathane & Abiramo *, & quae sunt ejusmodi alia in veteri foedere.

CAP. IX.

Neque consecratum quempiam nomine anathematis ut donarii sacri, neque eum qui inter bona in commissum caderet, nec solenniori anathemate, sive ante sive post excommunicationem, devotum, mortis reum aut eo nomine occidendum fuisse. Atque obiter de aposynagogis, seu qui extra synagogam fierent, in Evangelio. Excommunicato templum ingredi fas.

QUadruplici ad hunc modum anathematis seu τȣ̃ *Cherem* usu seu notione apud Ebraeos ostensa, sequitur ut videamus quomodo ex moribus seu interpretamentis magistrorum capiendus sit locus ille [a] Levitici de *Cherem* seu anathemate, & de caede seu morte ibi memorata. Certe si nulla distinctio τȣ̃ *Cherem* ibi adhibeatur, necesse est ut quicunque ullo anathematis genere jam indicato devoveretur, is etiam simul esset occidendus. Quod vero ad primum anathematis genus, seu donaria ultronea, attinet, id in universum verum esse dictitant, neminem potuisse nomine sacri donarii consecrare quidquam שאינו שלו *quod suum non erat*, atque ita in sua potestate ut illud alienandi, disponendi esset sibi jus integrum. Verba autem illa *ex homine, ex pecore, &c.* in priori sacrae periochae parte sic interpretantur ut intelligant servos & ancillas in sacros usus devotos; non quoslibet, sed tantum Cananaeos [b], seu servos & ancillas e gentilibus in servitutem sic ab Ebraeis redactos ut non minus essent in dominorum potestate, qua operas praestarent, quam ipsa pecora seu jumenta. Vitae tamen ac necis potestatem in servos & ancillas quascunque, nedum in liberos, ex reipublicae illius sacrae institutis, quenquam habuisse non omnino agnoscunt. Neque ex anathemate ejusmodi seu consecratione servorum aut ancillarum aliud evenisse, quam ut totum jus quod in eis antea domini consecrantis erat, jam sacerdotibus & usibus sacris cederet [c]; veluti potestas jubendi & utendi eorum operis assiduis, quae nec redimi quibant. Et de anathematis ejusmodi atque de rerum consecratarum possessione ac redemptione solennis erat quotannis cognitio in foro xv die Adar [d], qui fere Februario nostro respondet. Misna vero de aliis servis liberisque [e]; המחרים בנו ובתו ועבדו ושפחתו העברים ושדה מקנתו אין מוחרמין שאין אדם מחרים דבר שאינו שלו : *Si quis anathemate devoveret sive filium suum sive filiam, sive servum sive ancillam ex Ebraeis* (nam ejusmodi servi ex lege sacra libertatem pristinam post certum tempus elapsum exspectabant, adeo ut ipsi in perpetuum alienari nequirent, neque in eis domino esset jus plenum) *sive agrum ad tempus conductum, anathemata non sunt; quoniam nemo potest anathemate devovere id quod plane suum non est*, seu, ut aliter dicunt, שאין גופו תלו *cujus ipsum corpus omnino suum non est*, hoc nempe genere anathematis; quod monemus hic, quoniam genus secundum anathematis (de quo capite proximo) ad ea tantum quae in bonis devoventis non erant attinebat, veluti ad hostes in quos bellum inferendum. Neque vero cuiquam Ebraeo erat tanta potestas sui ut in alterius servitutem non redimendam transire posset. Adeoque in hoc primo anathematis genere tantum abest ut ultroneam caedem admittant aliquam humanam, ut ex ipso anathemate nil aliud praeter ipsum devoventis jus seu dominium, quod ex contractu aliquo mutare potuit, alienari velint. Cui nemo est hominum qui vitae & necis, extra anathema, potestatem hactenus assignavit. Atque haec ex eorum mente apertiora erunt, si quid etiam de caeteris anathematis generibus, qua caedis cuicunque permissae in eis ratio aliqua habeatur, hic statuant dispiciamus. Genus tertium, seu ubi ex anathemate quid in commissum cadit (nam secundum, seu quod certae perditioni atque internecioni devovetur, inferius & postremo tractabitur) nihil in se habet quod servi, verbi gratia, qui solus ex ejusmodi anathemate, dum personas tantum spectamus, in commissum cadere potuit, caedem introducat: Neque ejusmodi rei vestigium aliquod in commentariis eorum reperio. Quod si ita aliquando fuisset ut servus ejusmodi anathemate, cum caeteris domini devoti bonis, devotus interfici potuisset, id sane poenae nomine, non caedis extra rationem poenae ultroneae, venisset. Nam ita fieri potuit ut servus domini criminis particeps simul cum domino ipso morte damnaretur, si lex ita anathematis obtinuisset. Id quod etiam recte dicendum est de generis anathematis quarti speciebus illis binis quae in unicam satis recidunt, si conditiones in priori praestitutae tollantur aut non perimpleantur: Scilicet, si liberum fuisset sive carnifici sive alteri cuiquam devotum istiusmodi diris occidere, caedes ea in poenae augmentum fuisset; non, citra poenae rationem, ultronea, aut quae e libitu cujusquam penderet. Sed vero neque ejusmodi devotum, horrendisque, ut vides, diris onustum, cuiquam occidere fas fuisse comperio; eo nimirum nomine quod ita devotus esset, aut anathema adeo exsecrabile omnibus haberetur; tametsi occurrat apud virum clarissimum rebusque in Ebraicis versatissimum, etiam ejus qui excommunicatione illa *Shammatha* dicta damnatus est, *cujusvis* [f] *manibus vitam expositam esse & cuilibet eum interficiendi fuisse liberam potestatem.* Sed vero, quod pace tanti

[z] Gemar. Babylon. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 16. a. *Halacoth Gedaloth*, fol. 104 col. 4. Alphesi, part. 1. fol. 388. b. &c.
* Numer. xvi. 26.
[a] Supra cap 5.
[b] Misna tit. *Eracin*, cap. 7. & Gem. Babylon. fol. 28. a. *Sepher Siphra*, col. 236. *Pesiktha Zotertha*, fol. 36. col. 1. Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. cap. 2. fol. 195. col. 2.
[c] Gemara Babylon. ad tit. *Eracin*, cap. 9. fol. 28, & 29. Abarbinel in *Pirush Tora*, fol 275. col 2. alii passim.
[d] Gemar. Hierosolymit. ad tit. de Siclis, cap. 1. fol 46. col. 7. in Babylon. fol. 2. & Maimonid. Halach. *Eracin*, cap 8.
[e] Tit. *Eracin*, cap. 7. Maimonid. tit *Eracin Vechermim*, cap. 6. Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 132. fol. 195. col. 2.
[f] Buxtorf. in Instit. Epist. Hebraic. pag. 58.

viri dictum sit, non solum in commentariis Talmudicis nihil ejusmodi haberi puto, sed contrarium inde manifesto probari. Mitto illum ibi excommunicationem illam *Shammatha* postremam sive facere sive admittere (nam obiter tantum rem tractat) & τῷ *Cherem* secundam, quin & a *Niddui* diversam omniumque gravissimam; quae res se aliter multo habet, ut ex jam dictis liquet. Etiam & alibi [g] vir doctissimus satis agnovit. Neque tanta est autoritas Eliae Levitae [h] aut Davidis de pomis, qui non tam jurisconsulti quam grammatici oscitanter tres species חרמות seu *anathematum* faciunt *Niddui*, *Cherem* & *Shammatha*, atque hoc ordine alteram alteri & tempore & dignitate praeponunt, ut ab eis quae tum e gravissimis gentis jurisconsultis ac magistris recentioribus, tum ex ipso corpore Talmudico supra allata sunt, omnino dimoveamur. Nec ubi in lingua [i] Targumica alibive occurrit interdum, sed, puto, rarissime, שמתא pro חרם quasi diversa haec non essent, aliud est praeter catachresin, e qua, ut fieri amat, verba sensus cognatioris, licet interim diversi, se invicem quandoque permutant. Etiam perperam hic Paulus Fagius ipsa Eliae verba vertit; אם לא שב היו משמתין אותו ופי' שמתא שם מיתה *Si adhuc non agit poenitentiam* (ita loquitur Elias, sed contra Talmudicorum disciplinam, de eo qui τῷ *Cherem* devotus est) *reum mortis judicant, ut sit sensus* τȣ̃ שמתא, *ibi mors*. Sic Fagius; ubi mortis reus ei habetur is qui ita anathemate feriebatur. At vero verba illa tantum sonant, *Si adhuc poenitentiam non agit, eo genere anathematis* seu *excommunicationis quod* Shammatha *nuncupatur eum devovent. Et exponitur Shammatha per Shem mitha*, id est, *ibi mors*. Nimirum de morte, qua ea damnandus foret sive excommunicatus sive devotus, ibi nihil habet Elias. Sed ipsum vocabulum Talmudicum שמת, quod *excommunicare* denotat, usurpat, & dein subjungit quorundam non tam etymon quam allusionem τȣ̃ *Shammatha*, cujus quidem autor est Rab in Gemara Babylonia [k]; quemadmodum alterius illius שממה תהא *Shamma theha*, id est, *desolatio erit*, autor est Rabbi Samuel eodem in loco. Sed haec nihil omnino faciunt ad probandum mortis omnino reum fuisse sive excommunicatum sive hujusmodi devotum. Lusus sunt grammatici; integra & plane aliena interea significatione τȣ̃ שמת verbi, unde שמתא *Shammatha*, pro eo quod est simpliciter *excommunicare & excommunicatio*. Sed demum nil manifestius est quam neque excommunicatum neque devotum mortis reum habitum esse, aut cujusquam manibus more gentis expositum; cum etiam devoto, ex majorum instituto, tabernaculum sibi singulare, quo seorsim & a popularium coetu remotus aleretur, ut supra ostensum est, esset assignandum. Popularium consuetudine ita τῷ *Shammatha* seu excommunicatione atque anathemate seu τῷ *Cherem*, ut jam dictum est, ex sententia seu denunciatione forensi privatos, ipsos fuisse credo ἀποσυναγώγȣς seu *a synagoga ejectos*; quales fieri impense timebant Judaei multi, iique ex principibus, ut in evangelio D. Joannis memoratur. *Conspiraverant*, inquit ille [l], *Judaei ut si quis eum confiteretur esse Christum*, ἀποσυνάγωγος γένηται, *extra synagogam fieret*, seu *synagoga moveretur*. Et, *ex principibus* [m] *multi crediderunt in eum; sed propter Pharisaeos non confitebantur*, ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται, *ut de synagoga non ejicerentur*. Atque ipse Servator [n]; ἀποσυναγώγȣς ποιήσȣσιν ὑμᾶς, *absque synagoga*, seu *sine synagoga, facient vos*. Syrus primo & tertio loco substituit id quod significat *ejici*, in hoc *e synagogis suis*, in illo simpliciter *e synagoga*: secundo vero loco habet דלא נהוון לבר מן כנושתא *ne essent foras a synagoga*. Atque hunc sequitur Arabs, cui synagoga vocatur notissimo illo in oriente pro conventu seu synagoga vocabulo, الجماعة *Algamaiah*. In oratione item Athanasii [o] de imagine Christi Berytiensi, Judaeum cujus in aedibus illa reperta est, generis sui primores ἀποσυνάγωγον ποιήσαντες ἤλασαν, *extra synagogam facientes expulerunt*. Video viros doctos *synagogam* in hujusmodi versionibus, atque in composito illo e *synagoga* facto, sive pro eo sumere quod erat solennis in synagogis, locis ita dictis, conventus, sive pro ipso loco, aedibus synagogae, seu בית כנסת *domo congregationis*, eadem notione qua Christiani aedes sacras seu templum etiam *ecclesiam*, quo nomine congregatio itidem denotatur, nuncupare solemus. Qua notione saepissime in evangeliis *synagoga* sumitur, velut in eo, *synagogam* [p] *nobis ipse aedificavit*. Sed vero & synagogis Deus invocabatur tum sabbatis tum secunda & quinta feria, idque ritu solenni. Caeterum notissima est τῆς συναγωγῆς notio illa duplex: altera, eo in sensu quem jam diximus, quo item verbum *synagogae* in aliis linguis hodieque utimur: altera, qua omnimodus populi plebisve sive totius sive partis conventus denotatur, quemadmodum in pentateucho & prophetis, ubi saepissime apud Hellenistas συναγωγὴ pro קהל substituitur [q], quod *populi conventum* seu *totum populum* seu *ecclesiam universalem* illis significat, uti etiam sexcenties pro עדה [r], quod idem ferme sonat. Unde etiam habetur *synagoga peccantium* [s], *synagoga superborum*, *ludentium* [t], id genus alia; quibus res luce clarior fit, frequentissimum fuisse in lingua Hellenistica τῆς συναγωγῆς seu *synagogae* usum pro eo quod generatim *conventum*, *congressum*, *coetum hominum* qualemcunque innuit. Atque ex hac notione vir praeclarus ad D. Matthaeum, *Synagoga*, inquit [v], *significat conventicula quae fieri solent in plateis ac foro seu triviis*. Quod cum ita sit, posterior sane *synagogae* notio multo accommodatior videtur locis illis de eo quod est *extra synagogam fieri*, seu ἀποσυνάγωγος, quam prior illa qua loci synagogarum, sensu angustiori, seu conventicula Judaeorum in locis illis indicantur: nimirum synagogis priori sensu motos esse

[g] Lexico. Chaldaic. col. 2469. [h] In Thisbi verb. נידוי & verb. שמתא vide etiam J. Drusium quaest. & resp. lib. 1. quaest. 9. & Ludov. Capellum in spicileg. ad D. Joann. cap. 9. comm. 22. & in diatrib. de voto Jepthae pag. 174. David de Pomis in Lexico pag. 226. col. 2. Cornel. Bertram. de Politia Judaic cap. 7. [i] Paraphras. Jonathani tribut. Deuteron. vii. 26. [k] Ad tit. *Moed katon* cap. 3. fol. 17. a. vide *Halacoth gedaloth* fol. 104. col 4. & *Baal Aruco* in שמת. [l] Cap. ix 22. [m] Cap. xii. 42 [n] Cap. xvi. 2. [o] Synod 2. Nicaen. act 4. [p] D. Luc. vii. 5. [q] Exod. xvi. 3 Levit. iv. 13. Numer. x. 7. Deut. v. 22, &c. [r] Exod. xii. 3. Levit. iv. 13. Numb. i. 18, &c. [s] Syracides 1. 30. & 16. 6. [t] Jerem. 31. 4 [v] Erasmus in notis ad D. Matth. cap. vi.

quoſpiam ita ut interea aliis hominum coetibus libere intereſſent, nullibi in Ebraeorum diſciplina reperitur: poſteriori vero, tam excommunicatus quam devotus anathemate (juxta ea quae ſupe-rius dicta ſunt) aut motus erat aut pro fori libitu moveri poterat & privari ſolita congreſſus hominum libertate. De anathemate devoto res palam eſt: nam omnimoda, praeter eam quae victui in tuguriolo ſibi ſingulari neceſſaria erat, hominum conſuetudine privabatur, ut eſt oſtenſum. Atque is plane *a communicatione orationis & conventus & omnis ſancti commercii relegabatur*, quemadmodum de hujuſmodi anathemate ſub initiis eccleſiae chriſtianae loquitur Tertullianus [x] Excommunicatum autem non male dixerit quis itidem ſolita hominum conſuetudine ſemotum ſeu extra ſynagogam fieri (ſecunda *ſynagogae* notione) cum ex jure communi ei intra quatuor cubitos nemini, ſecundum id quod monſtravimus, aſſidere licuerit, nec ſolitis conventiculis intereſſe. Adeo ut extra ſynagogam fieri ſeu ἀποσυνάγωγος denotaret *ſolita hominum* ſcilicet popularium *conſuetudine privari*, *exterminari*, *diſpellive*. Et ſane peculiare erat etiam Helleniſtis [y] verbum ἀποσυνάγειν pro eo quod eſt quomodocunque *abigere* ſeu *expellere*. Suadet etiam poſteriori notione *ſynagogam* apud D. Joannem locis indicatis ſumendam ſingularis ille apud eum alibi τῆς συναγωγῆς uſus. Nam cum apud evangeliſtas caeteros frequentius priori notione ſumatur, quorum nullus id quod eſt *extra ſynagogam fieri* meminit, & D. Joannes ſemel tantummodo vocabulum illud *ſynagogae* nudum ipſe uſurpaverit, vix eſt ut non ſentiamus ipſum etiam poſteriore, quae multo frequentior eſt in lingua Helleniſtica, notione uſum fuiſſe. Sic enim ille de Servatore pontifici de doctrina ejus atque diſcipulis interroganti reſpondente; *Reſpondit* [z] *ei Jeſus, Ego palam locutus ſum mundo. Ego ſemper docui* ἐν τῇ συναγωγῇ, καὶ ἐν τῷ ἱερῷ, ὅπου πάντοτε οἱ Ἰουδαῖοι συνέρχονται, *in ſynagoga, & in templo, ubi ſemper Judaei conveniunt*. Sic codices nonnulli. Alii, ὅπου πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, &c. *ubi Judaei univerſi conveniunt*. Atque ita ſane non Vulgata ſolum, ſed & Syrus & Arabs. Certe haud ita commode capitur hic *ſynagoga* pro particulari aliquo loco eo nomine ſignato, aut pro plurimis ejuſmodi ſynagogis; ſed potius pro ipſo populi Hieroſolymitani qualicunque conventu publico; quod proculdubio intellexit Arabs dum ibi ſubſtituit في الهيكل وفي المجامع حيث يجتمع كل اليهود *in templo & ſynagoga*, ſeu *coetu*, *ubi conveniunt Judaei univerſi*. Et demum in vetuſtiſſima illa excommunicationis atque anathematis formula apud Ezram [a] habetur יבדל מקהל הגולה *diſterminabitur ab eccleſia* ſeu *populo tranſmigrationis*, ſeu eorum qui e captivitate redierant; quod plane ipſum eſt ἀποσυνάγωγον fieri, ut appoſitiſſime monuit V. doctiſſimus Ludovicus Capellus in ſpicilegio ad D. Joannem. Nec ſane locis ſacris ejectos fuiſſe apoſynagogos ſeu excommunicatos, ſed hominum tantum coetu, inde ſatis evincitur quod etiam templum ipſum ingredi excommunicatis ejuſmodi nefas non eſſet; quod palam elicitur e titulo Talmudico *Middoth* [b], ubi legitur, Si quis rogatus cur ſiniſtrorſum, & non, ut ritus alias obtinuit, dextrorſum ſe vertens templum ingrederetur, reſponderet, שאני מנודה *Quoniam ego excommunicatus ſum*, ex more ſolenni ei reponendum fuiſſe, השוכן בבית הזה יתן בלבך ותשמע לדברי חביריך ויקרבוך *Qui hanc aedem inhabitat, indet cordi tuo ut auſcultes verbis ſociorum tuorum, quo fiat ut recipiant te*. Sed vero undenam eveniſſe putandum eſt, ita Phariſaeos, ſeu qui rebus tunc ante alios praeerant, minis ſive excommunicationis ſive anathematis ſive utriuſque (nam qui non reſipiſcerent tam hoc quam illa damnabantur) eos qui Chriſtum confiterentur deterruiſſe, etiam & excommunicandos ſeu devovendos fore denunciaſſe, nec tamen ipſum Servatorem, quem ita odio habebant, excommunicatum iviſſe? Si conjecturam ex Ebraeorum diſciplina adjicere fas ſit, ſane in promptu ſatis videtur. Nam ut neutiquam omnino excommunicabant ſive principem, ſive patrem fori alicujus, ſive juriſprudentia celebriorem, ita neque juris ſui ſtudioſum (quem תלמיד חכם nuncupant, id eſt, *diſcipulum ſapientis*, ſeu philoſophum) ſine ſumma deliberatione; quod & ante [c] memoravimus. Maimonides [d]; כל תלמיד חכם שנתחייב נידוי אסור לבית דין לקפץ לנדותו במהרה *Neque inter juris ſtudioſos reperitur aliquis quem temere*, ſeu *ſine ſumma deliberatione, excommunicare fas erat, ne quidem foro*. Ita etiam Gemara Babylonia [e]. Et temere excommunicans minime ex jure excommunicandum, etiam & ipſe excommunicandus erat, ut videre eſt in cauſarum viginti quatuor ſupra memoratarum poſtrema. Hinc ſane ſuſpicandum eſt, ob Servatoris, qua juriſprudentiſſimus erat & nominis inde celeberrimi, dignitatem, excommunicatione ejus abſtinuiſſe etiam ipſos qui interea Chriſtianos ſeu ſequaces ejus e turba excommunicatione terrebant. Neque obſtat quod legitur apud D. Joannem [f], etiam principes fuiſſe qui, licet crederent, metu tamen excommunicationis fidem ſuam profiteri non auderent. Nam *principum* nomine quamplurimi fuere (veluti tribuum, vicium, ſtationum, familiarum) qui, ut fori principes aut legis ſtudioſi, minime excommunicatione adeo liberi. Sed vero habetur in corpore Talmudico narratiuncula de ipſo D. Jeſu Chriſto excommunicato Alexandriae AEgypti ab Joſua Ben Perachia ſynedrii magni principe, qui illuc ut comes cum eo (ſic illi) fugerat ab Jannaei tyrannide. Quaſi vero Jannaeus (ſive Alexandrum cognominem, ſive Joannem Hyrcanum, ut nonnulli, intelligas) Chriſto eſſet coaevus, qui centum ſeu plurimis ante annis rex & pontifex Judaeorum ad plures abierat. Sed rarum non eſſe, tempora illius ſeculi Ebraeis confundi, aliterque multo atque a chriſtianis putari, ſciunt qui chronica eorum ſalutarunt. Verba ſunt Gemarae Babyloniae [g]; אזל רבי יהושע בן פרחיה וישו לאלכסנדריא של מצרים *Deſcendit Rabbi Joſua Ben Perachia & Jeſu Alexandriam quae eſt AEgypti*. Dein aiunt, Rabbi

[x] Adverſ. gentes, cap 30. [y] 4 Regum v. 3, 6, 7. [z] D. Joann. xviii. 20. [a] Cap x. 8. [b] Cap. 4. §. 2. [c] Cap. 7. [d] Halac. *Talmud Tora* cap. 7. [e] Ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 7. [f] Cap. xii. 42. [g] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 11. fol, 107. b.

Simeo-

3

Simeonem Ben Shatach, five patrem five principem fynedrii, cujus foror, quae Jannaeo uxor fuit, (fic volunt [h]) illuc etiam defcenderat, a Perachiade, qui praeceptor ei fuerat, petiiffe ut ipfam hofpitio exciperet. Advenientem autem falutaffe Jefum, ac de ea dixiffe כמה יפה אכסניא זו *Quam pulchra hofpes haec?* adjeciffe vero Perachiadem, עיניה טרוטות *oculos ei fuiffe teretes* feu *rotundos.* Jefum repofuiffe, רשע בכך אתה עיסק *improbe, rebus ejufmodi tu occuparis!* oculis ejus caperis[i]! Ob quod dicterium veluti probrofum, nec impune in legis magiftrum celebrem emittendum, אפיק ארבע מאות שיפורי ושמתיה *produxit quadragintas buccinas*, nempe R. Jofua Ben Perachia, & *excommunicavit eum.* Quo fpectat quod paulo ante in eadem Gemara legitur de Jefu utraque manu a Perachiade depulfo. Dominum autem noftrum Jefum Chriftum ibi a Talmudicis intelligi palam eft. Nam fimplici illo nomine ישו eum eis denotari eft folenne. Et de eo capiunt qui locum integrum, non aliam ob caufam, e Talmude Babylonico editionis Bafilienfis, cum aliis non paucis, expurgando deturbarunt. Sed in his nimii fumus. Hoc liceat obiter adnotare, ubi legitur apud virum doctiffimum [k], reperiri *in libro praeceptorum majore* 67.4. *Soliti funt excommunicare per maledictionem, per feparationem, per Maranatha, & per alia ejus generis* perinde ac fi ipfum anathema, adjecto vocabulo *Maranatha*, cujus in initiis ecclefiae chriftianae [l] mentio, eo ipfo nomine in Talmudica Judaeorum difciplina compertum fuiffet; plane lapfus memoriae eft. Verba loci citati funt [m], הורו הגאונים שמי שנתחייב שבועה לבנו אינו משביעו בשבועה האלה כמו שרגלים להחרים באלה ובנידוי בשמתא וכיוצא בזה שהרי זה בא לקללת אביו אלא משביעו שבועה שאין בה אלה: *Decreverunt Gaonim* feu *Prudentes, ubi pater quis adjurandus eft in rem filii, non adjurandum effe juramento exfecrationis; quemadmodum fieri folet ubi devoventur adjurati per anathema, diris, excommunicatione* (feu *Niddui*) *Shammatha* (quod idem, ut fuperius fufe oftenditur, fignificat) *atque ejufmodi aliis. Scilicet haec fonant in exfecrationem patris ejus. Adjurant igitur eum juramento in quo exfecratio nulla exprimitur.* Quae fuperius adductis nullibi obftant: uti nec quod habet ibi Drufius e libro Mufar de porta templi quae excommunicatorum & lugentium erat. Nam fimplici templi ingreffu, jure communi, (quod & ante monitum eft) excommunicatus feu מנודה interdictus non erat. *Maranatha* forte ibi fubftituit ideo quod, cum aliis viris doctis [n] tam veteribus quam recentioris aevi, vocabulum illud idem ipfum effe exiftimavit [o] cum *Shammatha.* Certe שם אתא *Sham* feu *Shem atha*, fic fcriptum & divifum, fignificare poteft *Dominus venit*, quemadmodum & fignificat מרן אתא *Maranatha.* Et video viris doctiffimis placere, tempore D. Pauli hoc Syriace ufurpatum pro eo quo poftea Talmudicis dictum *Shem atha*; perinde ac fi tam in hoc quam in altero *Dominus venit* femper pariter compertum fuiffet; faltem ex allufione feu foni fimilitudine recepta, licet non ex etymologia. Sed nec apud Talmudicos video hactenus ejufmodi omnino e τῷ *Shammatha* allufionem natam, licet aliae aliquae, ut praemiffum eft, occurrant. Nec tam videtur apud D. Paulum τῷ *Maranatha* nomen anathematis effe ibi memorati quam exclamationem folennem [p] feu epiphonema aut affeverationem fanctiorem adjectam. Graeca funt, ἤτω ἀνάθεμα· μαρὰν ἀθὰ, *fit anathema; Maran atha.* Syrus, נהוא חרם מרן אתא *fit Cherem*, id eft, *anathema; Dominus venit.* Arabs فليكن مكروها من رجا الـــــرب *fit devotus a fpe Domini.* Ipfum Maranatha retinent verfiones pleraeque recentiores. At vero in Germanica Lutheri legitur, Der fey Anathema Maharam Motha, uti & in Danica illius fequaci, hand vere Anathema Maharam Motha. Scilicet *Maranatha* voluere fub Lutheri aevum cum ipfo alii aliqui depravatum effe vocabulum ex eo quod potius in origine *Maharam motha* fuiffet, feu מחרם מותה, quod fignificaret *devotus* feu *anathematizatus ufque ad mortem*, quemadmodum & in nota Germanice epiftolae ad Corinthios primae fubjecta vifitur. Unde & verfio qua ecclefia Anglicana fuperiori in feculo ufa eft, habet ibi, Let him be had in execration, *yea excommunicated* to death. Et in Latina quam Gualterus Deloenus Henrico Angliae regi octavo biblioscopus ei dedicatam publicavit [q], *Maranatha* per *Dominus* feu *Dominus nofter* (nam variatio illa ex eo evenit quod volunt aliqui ן [r] ibi effe pronomen affixum) *venit* vertitur quidem in adjecta notula; fed, *nifi forte*, inquit ille, *vitiofe fcriptum fit pro* Maharamatha, *quod internecionem fignificat, deductum a* חרם, *quo Malachias fuam prophetiam abfolvit.* Neque novum eft hunc D. Pauli locum ad illud Malachiae [s] referre. Ibi fcilicet legitur, פן אבוא והכיתי את הארץ חרם *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Sed & inde fenfus D. Pauli nonnullis fit, *Veniat Dominus, & cum aeterno exitio feriat.* Sed Jacobus Simanca [t], *Quidam*, inquit, *hanc five fabulam five hiftoriam retulit.* Maranatha *anathematis fignificationem induit ex illo eventu, quia Judaei gloriantes de venturo Meffia dicere folebant vulgo*, Maran, *hoc eft Dominus nofter: contra quos chriftiani dicebant*, Maran atha, *Dominus nofter venit. Hinc inimicitia orta inter chriftianos & Judaeos, quorum in ore erat* Maran, *quos per contemptum chriftiani Maranitas vocabant, & illis obtrudebant*, Maranatha, *id eft, Dominus nofter venit vel invitis vobis, irridentes eos, & illis male precantes. Unde apud noftrates vulgo* Maranos *appellant eos qui ex Judaeis defcendentes apoftatae facti funt, Meffiam fuum exfpectantes* [v]. Commentum pulchrum! De Ebraeorum autem excommunicationibus videfis nunc etiam Aloyfium Novarinum [x].

[h] Ibid. & *Sepher Juchafin*, fol. 67. a. & vide gloff. ad *Kidofchin* fol. 66. a. [i] Vide fupra cap. 7. cauf. 1. [k] J. Druf. praeterit. lib. 4. ad D. Joann. cap. ix 22. [l] 1 ad Cor. xvi. 22. [m] Mofes Kotzenfis praecept negat 219. [n] Praeter comment. Th. Bezae atque aliorum ad 1 Cor. xvi. 22. vide J. Buxtorf. in Lexico Chaldaico, col. 1249. & 2466. [o] Ipfe ad 1 Cor. xvi. 22. [p] Videfis Daniel. Heinfium exercit. facr. ad cap. 21. D. Joann pag. 240. praeter Theophylactum, Ambrofium, Hieronymum, (quos & memorat Erafmus;) Bedam, & Ifidorum Clarium ad 1 Cor. xvi. 22. [q] Londini 1549. [r] Vide Eliam in Thifb. & Buxtorf. Lexic. Talmudic. col. 1248. [s] Cap. & commate poftremo. [t] De Catholica Inftit. tit. 27. § 8. [v] Vide Marian. Hift. Hifp. lib. 7. c. 6. ad fin. [x] Schediafm. facroproph. lib. 7. cap. 10.

CAP.

CAP. X.

De illo anathematis genere quo expressim homines ex jure belli, seu militari, neci devoverentur.

Ex jam ostensis manifestum est, hominem anathemate sive primi sive tertii sive quarti generis (juxta ea quae de anathemate capitibus tribus proxime superioribus explicantur) devotum eo nomine ex Ebraeorum sententia non jure occidendum fuisse. Caedes vero plane ultronea, de qua disputamus, locum tantummodo habere potuerat (si modo daretur, occidendum fuisse ejusmodi devotum) in genere primo. Nam in reliquis binis plane poena fuisset caedes; quod & concedunt in genere quarto illi qui de ejusmodi devoto velut mortis reo perperam loquuntur. Et ad poenae plane, sed coelestis, rationem spectat, si credibile sit quod habet Josephus [a] de eis qui in Essenorum sectam admissi (non sine anathemate in seipsos horrendo quarti generis denunciato si disciplinam quam amplecterentur violarent) & postmodum ob delicta graviora consortio ejecti ne cibum quidem oblatum capere potuere, sed more pecudum herbas decerpentes fame miserrime, nisi reciperentur, periere. Quod autem genus anathematis secundum spectat, seu ad anathema illud internecioni & deperditioni expressim devotum, cujus scilicet usus bellis suscipiciendis praevius esse solebat, adeoque sive ad hostes ac captivos sive ad cives jura militaria violantes duntaxat, qua ad homines attinuit; id ipsum est anathema seu *cherem*, secundum magistrorum aliquot eorumque nominis praeclari sententiam, quod in postrema parte legis illius in Levitico [b] sacrae occurrit, *Omne anathema quod devovetur* מן האדם *ex homine, non redimatur; morte moriatur.* Quod non de consecratis, devotis seu anathematizatis ejusdem generis quod comma praecedens occupat, volunt intelligendum; scilicet de ultronea sive servi sive jumenti sive cujuscunque bestiae consecratione in usus sacros, ad quos tantum comma illud spectare consentiunt Ebraei omnes; sed de hostibus tantum aut civibus jura militaria violantibus morti devotis (qua scilicet homines ea in lege comprehenduntur) qui non redimendi sed ad unum omnes morti tradendi erant. Priori nimirum in commate donaria seu anathemata sacros in usus consecrata & sacerdotibus jure communi [c] possidenda contineri aiunt, qualia necesse erat ut essent e devoventis bonis, secundum ipsa verba sacra, מכל אשר לו *ex omnibus quae sua sunt*, veluti signanter dicta ad excludendum anathema quodcunque ex eis quae necdum devoventis erant in bonis, nec, post devotationem, humanis usibus seu commodo omnino applicanda, sed plane delenda. Hujus autem generis cum unicum duntaxat esset anathema, idque aut in hostibus seu civitatibus in quas bellum inferendum erat devovendis (quale ad usus sacros seu sacerdotum possessionem nemo devovens attinere volebat) quemadmodum illud Ebraeorum de Araditis [d], *Et vovit Israel votum domino, dicens, Si tradendo tradideris populum istum in manum meam,* והחרמתי את עריהם *etiam* morti & internecioni *devovebo urbes eorum*; unde, populo ex hoc anathemate deleto, locus ipse חרמה *chorma* seu *anathema* dicebatur; aut in jura militaria violantibus neci similiter devovendis, ut praetermittamus exempla superius ea de re memorata, commate in hoc breviusculo proxime subsequente, hoc genus anathematis tunc satis generali illo nomine cognitum existimant designari. Perinde ac si in commatis illis scriptum fuisset, ubi quid de suo quis in sacros sacerdotum usus, sive hominem, sive bestiam, sive agrum, consecraverit seu devoverit, non vendatur, non redimatur, quia sanctum est, nec in usus profanos omnino revocandum; & tantum de hoc ita fiat. Nam in principio commatis prioris אך *tantum* etiam ad hanc rem praefigi notant. At vero ubi quis devoverit quid מן האדם *ex homine*, seu ex hominibus, juxta nempe notissimum illud devovendi morem bello praevium, adeo ut nil praeter necem, destructionem atque excidium devoti sit postmodum ex ipso voto seu anathemate exspectandum, ibi *tantum* abest sive vendatur sive redimatur, sive sanctum maneat Domino, ut jure fieri nequeat, quin plane sit delendum; &, sive homo fuerit, sive animal quodcunque aliud, interficiendum. Ita devovens priori in commate fit המחרים משלו *devovens id quod suis esset in bonis*; in posteriori המחרים מן האדם שאינו שלו *devovens ex hominibus* seu *homines, qui sui quidem non essent*; tametsi ita in devoventis potestate haberentur ut ex jure belli seu militiae singulari suum sortiretur effectum ipsa devotatio, quemadmodum ibi distinguit Isaac Abarbinel [e]. Qui de specie utraque subjungit, כנגד המין הראשון אמר אך כל חרם אשר יחרים איש וגו' לא ימכר ולא יגאל לפי שהחרם ההוא הוא קדש קדשים ליי' ומה שהוא קדש ליי' לא ימכר כי הוא אסור בהנאה ולכן החרם הזה הוא לה' בלבד ועל המין השני אמר כל חרם אשר יחרם ליי' מן האדם לא יפדה מות יומת ומזה המין היה חרם יריחו שאם יגיע ליד איש ישראל נפש אדם מהנלכדים שמה לא יוכל לפדות אותו אבל על כל פנים מות יומת אך בחרם שיחרים איש עבדו ליי' לא יומת לך ינתן להטוב עצים ולשואב מים ולשרת לכהנים וזהו פשוטו של ענין *De prima specie ait sacra scriptura, Tantum omne anathema quod quis devoverit, &c. non vendatur, nec redimatur; quoniam scilicet hujusmodi anathema est sanctissimum Domino. Et quod ita sacratum est Domino, non vendatur, quia profanis usibus interdictum est. Idcirco anathema hoc tantum est Domini. De secunda vero specie ait, Omne anathema quod devoverit quis ex homine, non redimatur, morte moriatur. Et hujus speciei erat anathema Hierichuntis, si nempe inciderit in potestatem cujuspiam Israelitae; vita hominis, ex eis qui ibi caperentur, non poterit redimi, sed omnino morti tradendus erit. Nihilominus quod ad anathema illud quo servum suum quis Domino devoverit attinet, is morti tradendus non est. Tantum is donarium est, ut ligna discindat, aquam hauriat, & sacerdotibus ministerium praestet. Atque hic est*

[a] De bello Judaico, lib. 2. cap. 12. gr. 7. lat. [b] Cap. xxvii. 29. [c] Numer. xviii. 14. Vide Gemar. Bab. ad tit. *Erakin*, cap. 9. fol. 28, 29. [d] Numer. xxi. 2. Videsis ibi D. August. quaest. 40. & adde D. Hieronym. ad Algasiam, quaest. 9. [e] In *Pirush Tora*, fol. 275. col. 2.

literalis

3

literalis loci illius sensus. Ita Abarbinel. Cui astipulatur Rabbi Moses Bar Nachman [f], alii. Hinc est quod universi incolae Jabesh-Gilead caesi sint, ideo quod violassent anathema illud publicum atque militare [g] de eis qui non ascenderent ad Mizpa, ubi ipsi anathemati expressim adjectum est מות יומת *morte moriatur.* Quod & partem fuisse anathematis quo Saul praelium cum Palaestinis initurus devovebat omnes qui ante noctem quid comederent, existimant, quia ob anathematis illius violationem Jonathan, etiam regis filius, morte plectendus [h] erat: Sed ideo liberatum esse aiunt, quia non sponte sed ex errore atque ipsius anathematis ignarus illud violasset. Alii vero aliter legem illam de anathemate sacram interpretantur, perinde scilicet ac si de homine morti ex sententia forensi damnato lata fuisset: Si quis, inquiunt, devoverat aestimationem capitis damnati eo modo quo consecrationes fiebant, juxta ea quae priore dicti Levitici capitis parte constituuntur, votum ejus irritum fuisset. Et verba illa, *non redimatur*; *morte morietur*, significare volunt, eum non redimendum, seu pretium seu aestimationem aliquam ejus nomine non solvendam, quoniam ultimo supplicio damnatum statim mori oportuit, adeoque ipse jam veluti mortuus erat, unde nec pretium nec aestimationem habebat. Atque tum in libris vetustissimis [i] haec occurrit etiam sententia velut a majoribus accepta, tum apud maximi nominis magistros [k] seculorum recentiorum. Sed vero, ut tandem haec de anathematis concludamus, manifestum est ex Ebraeorum interpretatione qualicunque dictae legis sacrae, nullum omnino homicidium ultroneum seu extra poenae seu quasi rationem permissum ea fuisse; quod erat inprimis, atque ad rem quam tractamus, aperiendum.

CAP. XI.

De Jephthae voto discrepantes Ebraeorum sententiae. Nullo jure immolandam fuisse ejus filiam consentiunt. Summa sententiae Ebraeorum de caede humana. Lustratio post caedem etiam licitam.

Restat ut quid Ebraei de Jephthae voto atque filiae suae immolatione statuant videamus. Verum quidem est non unicam apud eos reperiri de voto ejus sive concipiendo sive solvendo sententiam. Etenim sunt qui eum illud tam de personis hominum quam de aliis animalibus concepisse, atque filiam immolando solvisse, volunt; aliis neque eam immolasse, nec immolationi personam aliquam destinasse asserentibus. Prior quidem vetus est. Utraque autem pendet ex varia interpretatione historiae sacrae: Verba sunt, *Et vovit* [a] *votum Domino Jephtha, dicens, Si tradendo tradideris filios Ammon in manum meam* והיה היוצא אשר יצא מדלתי ביתי לקראתי בשובו בשלום מבני עמון והיה ליהוה והעליתיהו עולה quod in Vulgata vertitur, *Quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Graeci etiam interpretes ibi, καὶ ἔσται ὁ ἐκπορευόμενος ὃς ἂν ἐξέλθῃ, &c. καὶ ἔσται τῷ Κυρίῳ, καὶ (ut in exemplaribus nonnullis; quae conjunctio aliis deest) ἀνοίσω αὐτὸν ὁλοκαύτωμα, *Et erit, exiens quicunque exierit, &c. & erit Domino, & offeram cum holocautoma.* Adeo ut ipsum votum de persona hominis immolationi destinata conceptum sumatur necesse sit, si rectae versiones hae. At vero manifestum ex Ebraismo verti posse & sane deberi ad hunc modum, quantum ad personae alicujus designationem attinet; *Erit ut egrediens quod egressum fuerit de foribus domus meae in occursum meum, cum reversus fuero in pace de filiis Ammon, erit Domino, & offeram ipsum in holocaustum.* Ita non personae tantum (si verba spectes) sed animalia qualiacunque alia in voto continentur. Dein de voti solutione subjungitur, ויעש לה את נדרו אשר נדר *Et fecit ei sicut voverat,* ut Vulgata; καὶ ἐποίησεν ἐν αὐτῇ τὴν εὐχὴν αὐτοῦ ἣν ηὔξατο, *Et perimplevit in ea,* filia quae ei redeunti cum victoria occurrerat, *votum suum quod voverat.* Non autem hominis personam tantum, verum etiam alia animalia votum fuisse complexum palam docent Ebraei, ubi ad priora voti vocabula adnotant [b], יכול אפילו דבר טמא נזדמנה לו בתו *Fieri potuit ut etiam immundum quid* (veluti porcus aut canis) occurreret, ut voto esset satisfactum; sed *occurrit ei filia sua.* Prior autem hic sententia, qua filiam suam ex hoc voto immolasse Jephtham affirmatur, habetur non solum apud Flavium Josephum [c], sed etiam in Chaldaica Judicum paraphrasi [d], & apud Rabbinos celebres, quorum aliqui [e] Jephtham existimant deceptum fuisse more illo anathematis bello seu praelio, ut supra ostenditur, praevii, atque inde tam personam hominis quam aliud quodcunque animal devovisse. Nimirum, cum in more positum esset principem seu populum internecioni devovere sive hostes sive cives qui jura militaria anathemate praestituta violarent, Jephtham hunc morem perperam intelligentem temere devovisse tam personam quam animal quodcunque ei post victoriam occurreret: Filiam vero, praeter spem occurrentem, post menses binos, quibus virginitatem deflevit, juxta votum immolasse, nec ad Phineesum pontificem accedere voluisse ut is voto eum solveret (nam & sic etiam aiunt) & pontificem ad eum adire detrectasse; utroque invicem dignitatis praerogativam obtendente. In Vaicra Rabba [f]; יכול להפר את נדרו ולילך אצל פנחס אמר אני מלך ואלך אצל פנחס ופנחס אמר אני כהן גדול ובן כהן גדול ואלך אצל עם הארץ : זה בין דין לדין ספת ההיא *Potuit quidem voto suo solvi, si ad Phineesum accessisset: At vero dixit, Ego, cum rex sim, adibo Phineesum? Phineesus etiam, Ego, cum sim pontifex, pon-*

[f] Ad Levitic. xxvii. & apud R. Bechai in Pentateuch. fol. 161. col. 1. [g] Judic. xxi. 5, & 10. [h] 1 Sam. xiv. 24. & 44. ubi vide R. David. Kimchi, & consulas R Bechai in Pentateuch. fol. 161. col. 1. [i] Gemar. Babylon. ad tit. *Eracin,* cap. 1. fol. 6. b. & ad tit. *Cethuboth,* cap. 3. fol. 37. b. *Sepher Siphra,* col. 336. [k] Mos. Maimonid. Halach. *Eracin Wecheremim,* cap. 1. Mos. Mikotzi Praecept. affirmat. 132. Jarchius ad Levit. 27. R. Bechai, *Pesictha Zotertha,* fol. 36, &c. [a] Judic. xi. 31, & 39. [b] Gem. Bab. ad tit. *Thainith,* cap. 1. fol. 4. a. *Vaicra Rabba parash,* 37. [c] Orig Judaic. lib. 5. cap. 9. [d] Cap. 11. proxime post comm. 39. [e] Moses Bar Nachman, R. Bechai in Pentat. fol. 161. col. 1, &c. [f] Parash. 37. & *Bereshith Rabba* parash. 60. Adde *Midrash Coheleth* ad cap. x. 15.

tificis etiam filius, adibo[g] *plebeium? Atque ita, hisce invicem altercantibus, periit ipsa*; seu אבדת הבערת ההיא *perdita est virgo illa.* Adjiciunt tam Phineesum quam Jephtham hoc nomine punitum [h] a numine; hunc membrorum paralysi, illum spiritus sancti ab eo discessu. Et demum interpretantur illud, ותהי חק בישראל [i] *atque erat statutum in Israel,* (quod in Vulgata ita commati proximo conjungitur ut denotet inde statutum fuisse annuum quatriduum ob puellam luctum) de sanctione apud Ebraeos inde orta ne quis humanas hostias ex simili errore postea immolaret, nec sive Jephthae sive Phineesi morosum dignitatis praerogativae obtentum in similibus imitaretur. Unde ibi paraphrasi suae inserit Chaldaeus, תוספת בדיל דלא לאסקא גבר ית בריה וית ברתיה לעלתא כמא דעבד יפתח גלעדאה ולא שאיל לפינחס כהנא ואלו שאיל לפינחס כהנא הוה פריק יתה בדמין : *Addicta est sanctio illa,* seu *statutum, ideo ne quis immolaret filium suum seu filiam suam, quemadmodum fecerat Jephtha Gileadites, nec consuluit Phineesum pontificem, qui consulenti eam, ob pretium datum, liberaverat.* Vide etiam quae de Phineeso atque immolatione hac ex Saido Batricide patriarcha Alexandrino alibi [k] notavimus. Et de ipsa immolatione rara non est apud christianos scriptores [l] mentio, unde & festum idololatricum in ejusce memoriam alicubi natum etiam scribunt nonnulli [m]. Sed vero, ut praeteream difficultates chronologicas de Phineeso [n] hoc tempore superstite, nondum mihi e commentariis Ebraeorum compertum est quodnam jus illud fuerit adeo pontifici singulare solvendi hic votum ut absque eo id solvi nequiret. Nec qui synedrium nescio quod hic memorant [o] ad voti relaxationem a filia consultum, quasi aliter relaxari nequiret, mores patrios satis videntur meminisse. Receptissimum fuisse Ebraeis, velut ab ipso Mose, per majorum traditiones acceptum scimus, a sapiente seu legis doctore unico seu triumviris illis (si ipsis ita visum esset) jure potuisse tum vota tum juramenta relaxari, ubi quid nimirum causae postmodum forsan eveniret praeter id quod voventis seu jurantis animum occuparet ipso voti seu juramenti momento Atque ea de re fusius magistri [p]. Neque ad hunc locum attinet plura de ea adjicere. Undenam igitur ortum illud, Jephthae votum solvi aut redimi nequivisse absque indultu & praesentia pontificis? Caetera mittimus quae congeri possent adversus commentum hoc de Phineeso, quod nec in Talmudico corpore locum habere memini, sed in ejusdem glossis, τοῖς Rabboth, paraphrasi Chaldaica, & in magistris aliquot recentioribus. Quin si ita adversus jus patrium conceptum esset (qua ad filiam immolandam attinere potuit) votum hoc ut illud ejus immolatione perimplere nefas esset (quod universos Ebraeos sentire existimo) quorsum de eo relaxando hic negotium facessunt? Quod ad alteram hic Ebraeorum de Jephthae voto sententiam attinet; primo, ipsa voti sacra verba aliter qui hanc amplectuntur intelligunt atque prioris sententiae auctores. Nempe illa, והיה ליהוה והעליתיהו עולה quod sonat quidem, *& erit Domino, & offeram illud in holocaustum,* ita capiunt ut copulativum secundo loco vim disjunctivi induat; adeo ut votum conceptum esset, *& erit domino,* seu consecrabo domino, si res ejusmodi fuerit ut in sacros usus aut domino sancta remaneat; quin & si ejusmodi fuerit ut in holocaustum offerri rite queat, *etiam in holocaustum offeram:* Breviter; *& erit,* seu *manebit domino, aut offeram illud in holocaustum.* Sic Rabbini Kimchii, pater & filius. Rabbi David Kimchi ad Judicum locum memoratum, דעת רז"ל בזה ידוע וא"א ז"ל פיר' והעליתיהו הו"ו במקום או ופיר' והיה ליי' הקדש אם אינו ראוי לעולה או העליתיהו עולה אם ראוי לעולה וכמו זה הו"ו מכה אביו ואמו או אמו ויפה פיר' : *Quid hic Rabbini nostri piae memoriae plerumque sentiant satis notum est. Caeterum pater meus memoriae piae* (is est Josephus Kimchius) *in eo quod est* & offeram illud *interpretatur & pro* aut, *perinde ac si scriptum fuisset, Et consecratum erit, seu sanctum manebit, Domino, si non sit holocausto idoneum; aut offeram in holocaustum, si fuerit idoneum holocausto. Et sic in lege sacra de eo qui percusserit patrem & matrem, & pro* aut *sumitur. Atque haec interpretatio pulchra est.* Similiter R. Levi Ben Gersom, יהיה בהכרך בעל החיים ואם היה ממין האדם יהיה ליי' ויהיה מיוחד לעבודת הש"י • *Necesse est ut animal aliquod intelligeretur; quod si accideret esse e specie humana, domini fiebat, utpote separatum in ejus cultum* Alii tantundem [q]. Voto ipso ita intellecto, verba illa *& fecit sicut voverat* pro filiae consecratione ejusmodi sumunt, non omnino pro immolatione. R. David Kimchius, עשה לה בית והכניסה שם היתה שם פרושה מבני אדם ומדרכי העולם והיה חק בישראל כי משנה לשנה היו הולכות אליה בנות ישראל • *Fecit ei domum, & introduxit in eam; atque ibi remansit seclusa a filiis hominum & a rebus secularibus. Atque statutum seu mos invaluit in Israel, ut quotannis eam inviserent Israelitides.* Atque notat Gersomides, si filius aut mas Jephthae ita occurrisset, ipsum a mulierum consortio non ita secludendum fuisse, sed tantum domino consecrandum, ut sacris inserviret, (quemadmodum Levitae) nec interea conjugio arceretur. Cum vero eveniret ut filia occurreret, יחוייב שתהיה פרושה מאיש שאם היה לה בעל לא תהיה מיוחדת לעבודת הש"י אבל תעבוד על זה בעלה כמשפט הנשים הנשואות • *Oportebat eam a viri consortio segregari. Nam si conjugem haberet, non potuit Domino solum inservire; sed conjugi etiam inservierat, more uxorum.* Atque hinc ait Gersomides fuisse causam cur vestimenta laceraret Jephtha, atque ita doleret, quamprimum filia ei visa est. Nempe eam, quae ei unica erat proles, jam sciebat a viri consortio in perpetuum secludendam, adeo ut de posteris ex ea suscipiendis spes non esset reliqua. Sed mirum interea est magistros, qui hujus sententiae sunt autores, admittere etiam votum hujusmodi ita praecise obligasse eum ut necessum esset ex lege seu moribus patriis filiam ita devotam

[g] Videsis Judicum ix. 2. [h] Praeter jam citata a *Rabboth* vide Sal. Jarchium ad Judic. xi. & ad 1 Paralip. ix. 20. [i] Judic. xi. 39. [k] De Successionibus in Pontific. lib. 1. cap 2. [l] Ambros. de Virginibus, lib. 3, &c. [m] Epiphan. haeres. 78. [n] Videsis R. Gedaliah Ben Jechai in *Shalsheleth,* fol. 14. a. [o] In Gloss. Jarchii & Davidis Kimchii ad Judic. xi. [p] Misna tit. *Chagiga,* cap. 1. & Glossa ibid. in Talmud. Bab. fol. 10 a. & Hierosolymit. fol 76 col. 3. Gem. Bab. ad tit. *Nazir,* cap. 9. fol 62. a. Maimonid. Halach. *Shebuoth,* cap. 6. & Halach. *Nidarim,* cap. 4. Moses Mikotzi Praecept. Negativ. 238, &c. [q] Videsis R. Bechai in Pentateuch. fol. 161. col. 1.

a Vi-
4

a virorum consortio seclusisse. Quin & ipse Jephtha, *Aperui os meum domino, neque potero revocare.* Certe neque patriae ejusmodi potestatis alicubi in corpore Talmudico, aut apud jureconsultos eorum celebriores, vestigium reperio. Neque omnino potestatem ejusmodi consecratio Samuelis [r] asserit: Nam & ipse Levita erat, atque eo nomine & a natalibus domino sacer. Atque ipse libenter matris votum sacra ministeria praestando solvit. Quin in corpore Talmudico receptissimum est, filium aut filiam ita sacrari nequivisse ut ipsi sacerdotibus aut sacris usibus ex parentum votis vi cederent, ut superius [s] ostensum est. AEstimationem autem seu pretium sive filii sive filiae sive alterius cujuscunque (modo excipias servos & ancillas e gentilibus) consecrati sacerdotibus solvendum praescribit lex sacra [t], non ipsos addicendos. Quin & qui ipsos se devoverant etiam & se redimere quibant. Et de aestimatione filiae Jephthae vetus erat controversia inter magistros binos Talmudicos, Rabbi Simeon Ben Lakish & Rabbi Jochanan. Ben Lakish existimavit [v] Jephtham ex hoc voto pretium seu aestimationem filiae juxta legem sacram sacerdotibus solvere debuisse: At vero R. Jochanan, nec pretium aut aestimationem; quia res ipsa quae devovebatur erat immolanda, qualis filia ejus seu homo quispiam non erat, neque ex lege esse potuit; ita ut ille nec filiam seu personam aliquam in ipso voto contineri velit, sed tantum animalia caetera quae immolatitia. De secunda autem sententia hic, seu ea qua negatur filiam Jephthae esse immolatam, Genebrardus [x] scribit se ab Ebraeo aliquo accepisse interpretationem illam seu sententiam esse ab autoribus suis excogitatam *ne inde typus filii Dei a patre sacrificati duceretur.* Utcunque autem se res ea habuerit, id certum puto esse non reperiri apud magistros qui ex jure aliquo immolandam eam esse affirmaverit. Quin in Gemara Babylonia [y] expressim dicitur *sacrificium* שלא כהוגן *quod offerri non decuit.* Et Josephus [z]; τὴν παῖδα ὡλοκαύτωσεν, οὔτε νόμιμον οὔτε τῷ Θεῷ κεχαρισμένην θυσίαν ἐπιτελῶν, *filiam immolavit, neque legitimum, neque Deo gratum sacrificium solvens.* Idcirco ex hactenus enarratis de interdicto naturali homicidii sic demum hic statuendum est; apud Talmudicos atque Ebraeos caeteros nullibi (si errorem illum Jephthae, ut aliqui volunt, excipias) esse admissum ut ultronea caedes seu homicidium extra poenae legitime constitutae seu quasi rationem (nam & caedes bellica in poenae ratione satis continetur) adeoque hostiae humanae oblatio jure aliquo subniteretur. Quoniam vero societatis humanae compages sine facinorum castigatione consistere nequit, ac poenae, sive pro criminum qualitate sive pro reipublicae commodo, nunc leviores nunc graviores ex jure naturali de judiciis (quod sextum est hic juris Noachidarum caput) sunt introducendae, & in justo bello poena itidem hostibus infligenda; ideo, quemadmodum sartum tectum interdictum quod hactenus tractavimus naturale de homicidio servandum docebant ab omni ultroneae, extra rationem jam dictam seu indebiti, caedis permissu, ita mortis poenam, id est caedem humanam, tum in bello fuisse licitam, tum sceleribus ac delictis eam praestituere nefas non fuisse eis qui rebus praeessent seu quibus poenarum constituendarum jurisque positivi condendi potestas cederet, neutiquam omnino dubitabant. Quod fusius e libris sequentibus, ubi de re bellica atque de judiciis agitur, explicabitur. Adeo vero ipsum actum caedis humanae, utcunque licitum, invisum habebant, saltem nonnulli, & impurum, ut lustratio aliqua ei qui commiserat esset necessaria. Ad illud Mosis in Numeris, post caedem in praelio Midianitarum, *Manebitis* [a] *extra castra septem diebus, quicunque scilicet quempiam occidit, & qui tetigit cadaver, purificetur seu lustretur in die tertio & septimo, tam vos quam captivi vestri;* Philo [b], *Jussit*, inquit, *victores extra castra dies aliquot manere,* τῷ δὲ μεγάλῳ ἱερεῖ καθᾶραι τοὺς φόνους τοὺς ἀπὸ τῆς παραλλάξεως ἥκοντας τῶν συμμάχων, *& pontifici summo mandavit ut lustraret reversos a recenti caede commilitones.* Rationem reddit; Καὶ γὰρ εἰ νόμιμοι αἱ κατ' ἐχθρῶν σφαγαί, ἀλλ' ὅγε κτείνων ἄνθρωπον, εἰ καὶ δικαίως καὶ ἀμυνόμενος καὶ βιασθείς, ὑπαίτιος εἶναι δοκεῖ διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν. οὗ χάριν καθαρσίων ἐδέησε τοῖς κτείνασι πρὸς ἀπαλλαγὴν τοῦ νομισθέντος ἄγους γεγενῆσθαι, *Quamvis enim per leges liceat hostes occidere, tamen qui necavit hominem; etiamsi coactus & propulsans injuriam, obnoxius* seu *reus esse videtur propter antiquam generis & communem cognationem. Ideoque lustratione opus erat, ut etiam species qualiscunque sceleris ab eis dilueretur.* Et pueri sciunt similem ob causam apud gentiles (maxime Graecos) lustrationes etiam in usu. Locum autem illum Numerorum capiunt magistri de pollutione seu immunditie non tam a caede quam a mortuis [c] contracta, adeoque lustranda. Qua de re etiam consulas Josephum [d].

[r] 1 Samuel. i. ult. [s] Cap. vii. [t] Levitic. xxvii. 2, &c. vide & Josephum lib 4 cap. 4. [v] *Beresith Rabba* parash. 60. & *Vaicra Rabba* parash. 37. unde habet D. Kimchi in Judic. xi. [x] Ad annum mundi 2981. [y] Ad tit. Themith, cap. 1. fol. 4. a. [z] Orig. Judaic. lib. 5. cap. 9 & vide J. Cloppenburgium in schola sacrificiorum 5. [a] Num. xxxi. 19. [b] De Vita Mosis, lib. 1. [c] Levitic. xxi. 1 Numer. v. 2. [d] Archaeolog. lib. 4. cap. 4.

D E

DE JURE NATURALI ET GENTIUM,

Juxta Diſciplinam

EBRAEORUM,

LIBER QUINTUS:

De concubitu agit, ex jure ab origine rerum naturali, illicito; de matrimonio item, concubinatu, & divortio, juxta eos, ex eodem jure; de acceſſione interdictorum revelationis turpitudinum, quae in Levitico habentur, quatenus ad gentes alias illa ſpectare velint Ebraei. Demum de jure gentium huc attinente, id eſt jure quo ſive proſelytos juſtitiae alioſve non ex originariis circumciſos, ſive proſelytos domicilii alioſve alterutrius ſexus gentiles, tum in re matrimoniali tum in eo qui etiam extra matrimonium fit concubitu, nationi ſuae ſeu originariis ſive vetitos ſive permiſſos tradunt.

CAP. I.

De concubitu illicito. Tum qualiſnam concubitus ex jure naturali ante legem Moſaicam illicitus habeatur, tum qualis poſtea ex ipſis ejuſce legis verbis juxta Ebraeorum ſententiam, generatim indicatur.

JUris naturalis, in recenſione ſuperius allata, caput quod ex illuſtrioribus eſt quartum ad revelationem turpitudinum, quam גילוי עריות appellitant, id eſt, ad inceſtos ſeu illicitos concubitus, attinet. Horum ratio hic duplex primo habenda: altera, qua ante leges in decimo octavo Levitici capite latas illiciti aliqui habiti; altera, qua ex illis legibus acceſſere de inceſtu interdicta inſuper alia. Ante leges illas, ſive ſub ipſis rerum initiis, adeoque, juxta quae dicentur, ex jure naturali, interdictum, hoc nomine, fuiſſe ſcribunt [a] homini coitum cum ſex hiſce;

I. באמו id eſt, *cum matre ſua.*
II. באשת אביו *cum uxore patris*, ſeu *noverca.*
III. באשת איש *cum uxore aliena.*
IV. באחותו מאמו *cum ſorore ex matre ſua*, ſeu *uterina.*
V. בזכור *cum maſculo.*
VI. בבהמה *cum beſtia.*

Sic vero ſub ipſis rerum initiis vim ſuam obtinuiſſe quartum ex hiſce, de ſorore ſcilicet, interdictum, intelligendum eſt, ut non ante proximam fere ab ipſis initiis aetatem coeperit obſervari,

[a] Gem. Bab. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. a. Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 9. & Halach. *Iſuri bia*, cap. 14. Moſes Kotzenſis praecept. affirmat. 122.

adeo-

adeoque ut inter primos qui fuere fratres ac sorores uterinas, seu Adami ex Eva liberos, conjugia licita, nec illicitus coitus haberetur. Quod nemo non videt. Et ea de re mox plura. Ex lege in dicto Levitici capite lata viginti sex personas recensent, quibus concubitus illiciti nomine poena *excisionis*, quam כרת nuncupant irroganda; unde quales ex ipsa lege concubitus ad mentem eorum interdicti sint dignoscas. Ad hunc modum [b] hosce exhibent.

I. הבא על האם *Qui cum matre concubuerit* [c].

II. הבא על אשת האב *Qui concubuerit cum uxore patris* [d].

III. הבא על הכלה *Qui concubuerit cum nuru* [e].

IV. הבא על הזכור *Concumbens cum masculo* [f].

V. הבא על הבהמה *Qui concumbit cum bestia* [g].

VI. האשה המביאה את הבהמה עליה *Foemina quae in coitum pellexerit sibi bestiam* [h].

VII. הבא על אשה ובתה *Qui concubuerit cum foemina & filia ejus.*

Lex [i]; *turpitudinem foeminae* (אשה; ubi *uxoris* plerumque substituitur: nam idem vocabulum tam *uxorem* quam *foeminam* denotat, ut Graecis γυνή) *& filiae ejus non revelabis, filiam filii ejus, aut filiam filiae ejus non accipies, ut reveles turpitudinem ejus; propinquae sunt. Et nefas est.* Ubi vulgata, *& talis coitus incestus est.* Huc spectat etiam illud, *Vir* [k] *qui acceperit uxorem & matrem ejus, id nefas est.* Uti & illud [l], *maledictus qui concumbit* עם חותנתו *cum socru sua.* Caeterum unico hoc nomine *concumbentis cum foemina & filia ejus* simul comprehendi volunt etiam qui [m] concubuerit cum nepte ejusdem foeminae sive ex filia sive ex filio, cum socru, socrus matre, aut matre soceri. Et si *filiam* hic tam neptem quam filiam denotare sinas (quod frequens satis est) obscurum non erit cur tot nomina sive consanguinitatis sive affinitatis hoc unico includant. Quin nec filiae aut neptis ex filio filiave concubitus prohibitionem, in hac recensione, aliter designant. Nimirum si cum uxoris filia aut nepte fuerit illicitus, multo magis cum sui ipsius sive filia [n] sive nepte. Sed de nepte lex diserte lata [o] est, *turpitudinem filiae filii tui, vel neptis ex filia, non revelabis; quia turpitudo tua est.* Unde nec de filia, quae tacite includitur, dubitandum. Hinc igitur pergit recensio potius ad hunc modum,

VIII. הבא על אם אשתו *Concumbens cum socru sua.*

IX. הבא על אם אמה *Concumbens cum socrus matre.*

Typographi incuria legitur in Maimonide אם אמו, id est *avia*, quae in secundariis Talmudicis habetur, non in lege sacra interdictis: uti & ex ipso Maimonide alibi [p] liquet.

X. הבא על אם אביה *Cum soceri matre concumbens.*

XI. הבא על בתו *Qui cum filia concubuerit.*

XII. הבא על בת בתו *Concumbens cum nepte ex filia.*

XIII. הבא על בת בנו *Concumbens cum nepte ex filio.*

XIV. הבא על בת אשתו *cum privigna concumbens*, seu *uxoris filia.*

XV. הבא על בת בתה *Concumbens cum nepte uxoris ex filia.*

XVI. הבא על בת בנה *Concumbens cum nepte uxoris ex filio.*

XVII. הבא על אשת איש *Qui concumbit cum uxore aliena* [q].

XVIII. הבא על אחותו *Qui concumbit cum sorore sua* [r] *uterina.*

XIX. הבא על אחותו שהיא בת אשת אביו *Concumbens cum sorore sua quae fuerit filia uxoris patris*, id est, germana [s], sed non uterina. Hoc autem in Mosis Kotzensis enumeratione praetermittitur, velut id quod verbis prioribus de sorore generatim dictis satis contineretur. Unde & tametsi de viginti sex primo loquitur, viginti quinque tantum personas enumerat.

XX. הבא על אחות אביו *Qui concumbit cum sorore patris sui*, seu *amita* [t].

XXI. הבא על אחות אמו *Qui concumbit cum sorore matris suae*, seu *matertera* [v].

XXII. הבא על אחות אשתו *Qui concumbit cum sorore uxoris suae* [x].

XXIII. הבא על אשת אחיו *Qui concumbit cum uxore fratris sui*, seu *fratria* [y].

XXIV. הבא על אשת אחי אביו *Qui concumbit cum uxore patrui* [z].

XXV. הבא על הנדה *Qui concumbit cum ea quae mensibus laborat* [a].

XXVI. הבא על אביו

XXVII. הבא על אחי אביו

Quos duos postremos adjiciunt ex eo quod legitur in lege sacra, *turpitudinem patris tui non revelabis* [b]; &, *turpitudinem patrui tui non revelabis* [c], quasi verbis illis de utroque contineretur [d] יתירה על אזהרה של משכב זכור *additamentum interdicto de concubitu masculi.* Ad hosce omnes concubitus attinet illud in lege subjunctum, *Quicunque* [e] *fecerit aliquid ex istis abominationibus,* נכרתו *excidentur animae illae de medio populi sui*; id est, poena *excisionis* seu כרת punientur. Quilibet item ejusmodi concubitus nomine ערוה seu *turpitudinis* Talmudicis passim denotari solet, uti etiam ipsae quarum concubitus interdicitur. Unde Maimonides [f]; כל שאסר ביאתו בתורה וחייב על ביאתו כרת והם האמורות בפרשת אחרי מות הן הנקראין עריות וכל אחת מהן נקראת ערוה כגון אם ואחות ובת וכיוצא בהן: *Quarumcunque concubitus interdictus est in lege, adjecta excisionis poena, quae scilicet memorantur in dicto Levitici capite, nuncupantur eae* עריות seu *turpitudines: Quin earum unaquaeque nuncupatur* ערוה seu

[b] Misna tit. *Cerithoth* cap. 1. Maim. Hal. *Shagegoth* cap. 1. Moses Mikotzi praecept. affirm. 213. [c] Levitic. xviii. 7. [d] Levitic. xviii 8. adde Levit. xx. 11. & 27. & Deut. xxvii. 20. & xxii. 30. seu xxiii. 1. [e] Levit. xviii. 15. & xx. 12. [f] Levit. xi. 22. [g] Levit. xviii. 23. [h] Ibid. [i] Ibid. comm. 17. [k] Levit. xx. 14. Deut. xxvii. 23. [m] R. Obadias Bartenorius ad tit. *Cerithoth* cap. 1. §. 1. & cap. 3. §. 6. & Misna ejusdem tit. cap. 3. R. Bechai ad *Vaicra* fol. 148. col. 4. *Pesiktha Zotertha* fol. 24. col. 3. [n] Maimonid. Halach. *Issuri bia* cap. 2. [o] Levit. xviii. 10. [p] Halach. *Ishoth* cap. 1. [q] Levit. xviii. 20. [r] Ibid. comm. 9. & 11. Adde cap. xx. 17. & Deut. xxvii. 22. [s] Ibidem. [t] Levit. xxviii. 12. [v] Ibid. comm. 13. [x] Ibid. comm. 18. [y] Ibid. comm. 16. adde Levit. xx. 20. [z] Levit. xviii. 14. vide Deut. xxii. 30. seu xxiii. 1. & xxvii. 20. & magistros ibi. [a] Levit. xviii. 19. [b] Ibid. 7. [c] Ibid. 14. [d] Mos. Mikotzi in indice praecept. negat. tit. נשים num. 89. & 90. [e] Levit. xviii. 29. [f] Hal. *Ishoth* cap. 1.

turpitudo, veluti mater, soror, filia, & quae sunt caeterae. Idem ipsum nomen masculo & bestiae similiter tribuunt, ob frequentem in illo legis loco ה ערוה seu *turpitudinis* revelandae, ad illicitum coitum designandum, mentionem Neque alias foeminas praeter eas quae in allata recensione exhibentur ita nominant; tametsi sint etiam aliae quarum nuptiae interdicuntur, veluti, ex ipsa[i] lege, profanae, repudiatae, & meretricis sacerdoti; harum, & viduae pontifici summo; atque ex majorum sancitis[k], שניות seu *secundariarum*, id est aliquot remotioribus quam qui in Levitico expressim vetantur gradibus distantium; de quibus, utpote ad jus duntaxat Israeliticum seu gentis civile omnino attinentibus, in Uxore Ebraica seu libris de nuptiis Ebraeorum agimus. In secundariis illis habetur אשת אחי אמו, seu *uxor*[l] *avunculi:* quod ideo hic monemus quia in editionibus aliquot[m], iisque alioquin optimis, ה Misnaioth, tam uxor avunculi quam patrui locum habet inter eas quae etiam excisionis poena ex ipsa lege interdicuntur; quod plane nec agnoscunt editiones aliae[n], nec omnino admittunt magistrorum placita.

CAP. II.

Quomodo etiam e verbis sacris eliciant Talmudici illicitos ab ipsis rerum primordiis, atque ante legem Mosaicam, concubitus.

Interdictorum de incesto concubitu, secundum id quod jam ante ostensum est, ratione sic habita duplici; primo videndum est de sex illis prioribus, qua tum ante legem Mosaicam tum nunquam non gentes universas eis teneri volunt; dein de eisdem simul cum caeteris in Levitico adjectis. Ubi quidem & gentiles contineri tradunt; sed qua ratione inferius explicabitur. Quod ad sex pristini illius intervalli seu primorum seculorum interdicta hic attinet, liquet in eis causam inesse quadruplicem: speciei diversitatem; unde bestiae interdicitur homini coitus: diversitatem sexus; unde masculi masculo: alterius nuptias; unde vetatur aliena uxor; nam nullibi apud eos reperitur opinio illa quam temere aliqui & contumeliose Mosi AEgyptio[a], id est, Maimonidi, tribuunt, adeoque Judaeis, de adulterii ante promulgationem legis licentia ac permissione, sed contrarium tum apud ipsum Mosem AEgyptium tum apud Talmudicos caeteros millies millies occurrit: & demum consanguinitatem; unde matris, novercae, ac sororis uterinae coitus interdicitur. Etiam ratio cuilibet horum, ut traditione duntaxat minime subnitantur, pro magistrorum more, ex sacra scriptura adhibetur. Illud Adae, a numine edocti, in Genesi[b], *Propterea deseret vir patrem suum & matrem suam, & adhaerebit*, seu *conglutinabitur*, seu *adglutinabit*[c] *se*, באשתו, id est, *uxori*, seu *virae*[d], si ita dicere licet, aut *mulieri*[e]; *atque erunt in carnem unam*, seu *in carne una*, ut habet Vulgata, id est, *caro una*, veluti legem sub ipsa sexuum creatione natam interpretantur; eamque non ad maritalem conjunctionem, (quemadmodum totidem verba inde desumpta in evangeliis[f]) sed ad illicitos concubitus seu turpitudinum revelationes interdictas ante legem Mosaicam, attinere volunt. Glossa Jarchii ibidem; רוח הקדש אומרת כן לאסור על בני נח העריות *Verbis illis usus est Spiritus Sanctus ut Noachidis*, seu *universo generi humano, interdicerentur concubitus incesti.* Atque hoc ad mentem veterum[g], etiam qui primas in juris interpretatione apud Ebraeos tenuere. Unde *patrem suum* pro *uxore patris sui* sumunt; uti & *revelatio turpitudinis patris* pro *uxore patris* non raro intelligitur. Novercae sic coitum aiunt ibi vetari: matris autem, nomine aperto. Certe Onkelos ibi habet, *Propterea deseret vir* בית משכבי אבוהי ואמיה, & Targum Hierosolymitanum, uti & illud Pseudouzielidis בית מדמכא דאבוי ואימוי Utrumque sonat, *Cubile patris sui & matris suae.* Unde etiam doctissimus & ingeniosissimus ille scholasticus Alexander Halensis[h], citatis jam memoratis verbis sacris, *A prima*, inquit, *ergo origine excluditur a matrimonio pater & mater; cum lex ab origine ponatur in personis.* Sequentibus autem verbis illis, ודבק *& adhaerebit* seu *conglutinabitur virae* seu *mulieri suae*, vetari scribunt[i] non solum adulterium, seu foeminae alienae aut alienae uxoris coitum, sed etiam masculi, seu paederastiam. Pro *adhaerebit* seu *conglutinabitur* ibi habent hellenistae προσκολληθήσεται, quod *adglutinabitur* sonat; quod & de ipso coitu usurpatur, ut Ebraeis ה דבק[k]. Unde etiam D. Paulus[l], *An nescitis quod qui adhaeret* (id est ὁ κολλώμενος seu *adglutinatus) meretrici, unum corpus efficitur*, seu *unum est corpus*, ut Graece habetur. Adjici demum, *atque erunt in carnem unam*, ut interdiceretur utrique sexui humano carnis seu speciei diversae coitus. Singularis nimirum primorum parentum erat carnis unitas, utpote cum altera ex ipsa alterius carne ac ossibus formaretur. Et D. Augustinus de utroque sexu; *Unum*, unamve carnem, *dici certum esse* ait[m], *vel propter conjunctionem, vel propter originem foeminae, quae de masculi latere creata est.* Et opinio illa vetus[n] etiam apud Ebraeos, parentem utrumque primum primo unico in corpore creatum fuisse. Hac de re autem Gemara Babylonia[o], והיו לבשר אחד כי שנעשין בשר אחד יצאו בהמה וחיה שאין נעשין בשר אחד *Et erunt in carnem unam, scilicet qui fiunt caro una; unde excipiuntur jumenta ac ferae, quae nequaquam una fiunt caro.* Nempe, neque in ipsa creatione seu prima formatione bestiarum

[i] Levit. xxi. 7, & 14. [k] Misna. tit. *Jabimoth*, cap. 2, & 9. & Maimon. Hal. *Ishoth*, cap. 1. de quibus consulas etiam Hugonem Grotium, lib 2. de Jure Belli ac Pacis, cap. 5. §. 13. [l] Maimonid. & Misn. locis citatis. [m] Talmud. Babylon tit. *Cerithoth*, cap. 1. [n] Misn. dict. tit. & cap. cum commentariis Obadiae Bartenorae. [a] Vide Sixtum Senensem Biblioth. Sanct. lib. 5. annot. 94 [b] Videsis Epiphan. haeres. 33. & J. Mercerum ad Genes. ii. 24 [c] Tertul. lib. de Anima, cap. 11. & 21. [d] Nicol. Lyranus ibidem. [e] Sic Tertull. lib. de Virginibus velandis, cap. 5. & lib. de Anim. cap. 21. [f] D. Matth. xix. 5. Marc. x. 7. [g] Gemar. Babylon. ad tit *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. a. Adde Isaac Abarbinel in *Beresith*, fol. 29. & Maimonid. in Halach. *Melakim*, cap. 9. [h] Summ. part 3. quaest. 27. art. 3. [i] Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. a. Hierosolymitani in Gemara, tit. *Kidoschim*, cap. 1. fol. 58. col. 3. [k] Talm. Babylon. ibid. [l] Ad Corinth. epist. 1. cap. 6. comm. 16. [m] De Civitate Dei, lib. 14. cap. 22. [n] Apud Maimonidem *More Neboch.* lib. 2. cap. 30. & Leonem, Dialog. de Amore, lib 3. [o] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. a.

unitas erat ejusmodi carnis sexuum earum qualis illa viri & foeminae, neque bestiarum caro atque humana una dicenda. Unde non alium coitum verbis illis permitti volunt ac eum quo primaria illa atque singularis speciei humanae unitas seu caro unica conservaretur. Glossa Talmudica[p]; מי שנעשה לבשר אחד שורע יוצא מהם שנעשה בשר האם והאב אחד בו *Fieri in carnem unam ad prolem ex parentibus prognatam attinet. Etenim in ea caro patris & matris una fit.* Atque ejusdem autor alibi[q]; לבשר אחד הולד נוצר על ידי שניהם ושם נעשה בשרם אחד *Verba illa in carnem unam de prole per utrumque parentem formata dicuntur. Ibi scilicet fit caro eorum una.* Maimonides vero[r]; והיו לבשר אחד להוציא בהמה חיה ועוף שאין הוא והם בשר אחד *Et erunt in carnem unam, quod dicitur ad excipiendum jumentum, feram, volucrem. Quoniam animalium horum atque hominis caro una non est.* Graeci interpretes, uti & ipse humani generis redemptor in evangeliis[s], pro *& erunt in carnem unam*, habent, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, *Et erunt duo*, aut *illi duo, in carnem unam.* Neque aliter Paraphrasis Jonathani tributa, ויהון תרויהון לבישרא חד *Et erunt ambo ii in carnem unam.* Atqui codex Samaritanus, *Propterea deseret vir patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suae*, והיה משניהם לבשר אחד *Et erit*, aut *fit, ex utrisque illis in carnem unam*, seu *caro una.* Singulare tandem de sorore uterina, ante legem in Levitico latam, interdictum eliciunt ex Abrahae historia, ubi[t] de Sara uxore sua ab Abimelecho Geraris rege in concubinatum capta, sed intacta (quam sororem suam, ne uxoris nomen sibi forte fraudi foret, appellari, uti antea[v] in AEgypto, volebat) *Sed & vere soror mea est*, inquit: *est enim filia patris mei, tametsi non sit filia matris meae; & facta est mihi in uxorem.* Quod nonnulli de alio consanguinitatis genere, quo contigisse Saram Abrahamum volunt, intellexere; scilicet neptem illam ei fuisse ex fratre Harane, neque aliam ab Iisca filia Haranis in Genesi[x] dicta; uti diserte etiam Paraphrasis ibi Uzielidi tributa. Nec minus proprie, aut minus ad linguae sanctae seu ipsius Abrahae idiotismum, neptem ita dici sororem, quam alio in loco nepotem eidem nuncupari fratrem. Nam Lotum Haranis fuisse filium manifestum est, adeoque nepotem ex fratre Abrahae; cum interim expresse ille ad Lotum, *Nos*[y] *fratres sumus.* Sed vero receptior est & ad rem quam tractamus accommodata sententia, apud Ebraeos, Saram fuisse Tharae filiam, adeoque Abrahae sororem tantum non uterinam. Unde Glossa Jarchii ad verba illa Abrahae de *sororis* nomine; בת אב מותרת לבן נח שאין אבות לגוי *Filia patris*, soror non uterina, *jure conjungebatur Noachidae, quoniam inter gentes*, seu ex jure naturali, *ratio consanguinitatis paternae neutiquam habebatur.* Quin Tharae uxoris quae Abrahae mater, uti & matris Sarae, quae eidem uxor altera, nomen habetur apud vetustum illum scriptorem Saidum Batricidem, quem & Apthisium nuncupant, ante annos septingentos patriarcham Alexandrinum; qui ex priscis orientis monumentis a rerum initiis ad sua tempora historiam seu potius annales plerumque ecclesiasticos summa cum diligentia Arabice contexuit. Abrahae matri nomen fuisse يونا *Jonam*, eamque Tharae uxorem primam, qua demortua, nuptam ei fuisse تهويت *Tebevitham*, e qua susceptam Saram, atque ita intelligendum esse quod habet scriptura sacra de conjugum istorum cognatione. Verba ejus sunt,

فاخذ ابراهيم زوجته ساره وهي اخته من ابيه لان تارح ابو ابراهيم لما ماتت يونا ام ابراهيم تزوج امراة اخرى اسمها تهويت فولدت منه ساره وتزوجها ابراهيم ومن قبل ذلك كان ابراهيم يقول انها اختي ابنه ابي

Et cepit Abraham conjugem suam Saram, quae soror ei erat ex patre. Etenim, mortua Jona Abrahae matre, duxit in uxorem Tharas pater ejus foeminam aliam, cui nomen Tehevitha, ex qua suscepit Saram, quae Abrahae nupsit. Atque inde est quod dixit Abraham eam fuisse sororem suam quidem, sed ex patre, non uterinam. Mater autem Abrahae, seu uxor Tharae e qua Abrahamum suscepit, in veteribus Mahumedanorum[z] monimentis *Ibicilne*, si recte transtulerit Hermannus Dalmata, nuncupatur. Ut vero Ebraeorum de primaevis quae diximus incesti concubitus interdictis sensus explicatior reddatur, duo inprimis sunt hic penitius dispicienda: Alterum, illius intervalli quod legem scriptam antevertit jus matrimoniale, quo tum fiebat foemina quaepiam uxor: Alterum, conjugum, qui eodem intervallo occurrunt, aliarumque, quarum consanguinitatis ratio hic habenda, personarum cognationes. Et de utroque sigillatim.

CAP. III.

De jure matrimoniali atque operae liberis dandae, ad quod ab ipsis rerum primordiis obligari volunt Ebraei ipsum genus humanum. Et primo de origine ejusdem, atque necessitate. Obiter de Essenorum abstinentia a consortio muliebri.

QUod ad jus attinet illius intervalli matrimoniale; videndum est, ad magistrorum placita, de origine ejus, de necessitate, de ipso contractu seu obligatione nuptiali, de innuptarum concubitu, de ritibus nuptialibus, de polygamia, & demum de divortio, & nomine

[p] Ad locum citatum. [q] Ad *Beresith*, cap. 2. comm. 28. [r] *Halach* Melachim, cap. 9. [s] D. Matth. cap. xix 5. Marc. cap. x 8. Videtis Ludovicum de Dieu ad indicatum D. Matthaei locum. [t] Genes. xx. 12. Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, c 7. fo. 58 b. Maimon. Hal. *Melakim*, cap 9. Isaac Abarbinel in *Beresith*, fol. 71. col 4. [v] Gene. xii. 13. [x] Cap. xi 29. & vide Glossam Salom. Jarchii, tam ad Genes. quam ad Talmudis locum indicatum, & S. Hieronym. advers. Helvidium. [y] Genes. xiii. 8. [z] Lib de generatione Mahumet & nutritura ejus.

concu-

concubinarum. Juris matrimonialis originem ex illo petunt, *Creavit* [a] *itaque Deus hominem in imagine sua, in imagine Dei creavit eum: Masculum & foeminam creavit eos. Et benedixit illis Deus, dixitque ad eos Deus,* פרו ורבו *fructificate, & multiplicamini, & implete terram, atque subjicite eam.* Unde a פרה, quod *fructificare est*, vocabulum petunt aliqui אפריון[b], quod significat *lectum conjugalem*, ac si *fructificandi locum* appellares. Et לבנות אפריון, *Exstruere locum fructificandi*, phrasis hodie est [c] Rabbinis frequens & solennis ubi de nuptiis celebrandis loquuntur. Quin & velamen quo protegi soliti sponsi in ipsa deductione ita [d] subinde nuncupatur. Necessitatem etiam matrimonii praecepto illo fructificandi seu propagationis multiplicationisque eo usque sanciri docent ut ita eo teneri velint masculos omnes, ut quicunque expleto vigesimo [e] aetatis anno (& sunt qui de minore aetate hic pronunciant) uxorem non duxerit, eum in illud committere scribant; nisi aut assiduo legis studio incumbat, acriori libidinis stimulo immunis, aut partium quibus viri sumus defectu generationi impar sit: Ubi horum neutrum in causa, uxorem ducendam. Et ad omnes pariter homines ac Noachidas universos praeceptum hoc attinere volunt, tametsi illud in illustrioribus non enumerent; Qua de re plura inferius. Jam vero quod ad feras, quantum ex Genesis libro dignoscitur, primaevi seculi parentum generationes attinet, ne illi non satis tempestive, aut opera satis data, praecepto multiplicationis generis humani obtemperasse videantur, animadvertere liceat quod habet D. Augustinus de eorum prole atque generationis tempore locutus; *Aut tanto serior*, inquit [f], *fuit proportione pubertas, quanto vitae totius major annositas; aut, quod magis video esse credibile, non hic primogeniti filii commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat, ut perveniretur ad Noe, a quo rursus ad Abraham videmus esse perventum.* Et paulo post, *Porro autem Seth quando natus est, non quidem taciti sunt anni patris ejus: sed jam genuerat alios. Et utrum solos Cain & Abel, affirmare quis audeat? Non enim quia soli nominati sunt propter ordines generationum quas commemorare oportebat, ideo consequens videri debet, solos fuisse tunc generatos ex Adam. Cum enim, silentio coopertis omnium nominibus caeterorum, legatur eum genuisse* [g] *filios & filias, quota fuerit ista proles ejus, quis praesumat asserere, si culpam temeritatis evitat? Deinde quod scriptum est, Vixit* [h] *autem Seth* CCV *annos, vel secundum Hebraeos* CV *annos, & genuit Enos, quis possit nisi inconsideratus asseverare hunc ejus primogenitum fuisse? Ut admirantes merito requiramus quomodo per tot annos immunis fuerit a connubio sine ullo proposito continentiae, vel non genuerit conjugatus, quandoquidem etiam de ipso legitur, Et genuit filios & filias; & fuerunt omnes dies Seth* DCCCCXII *anni, & mortuus est? Atque ita deinceps quorum anni commemorantur, nec filios filiasque genuisse reticentur. Ac per hoc non apparet omnino, utrum qui nominatur genitus, ipse fuerit primogenitus: imo vero quoniam credibile non est patres illos aetate tam longa aut impubes fuisse, aut conjugibus caruisse vel foetibus: nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. Sed cum sacrae scriptor historiae ad ortum vitamque Noe, cujus tempore diluvium factum est, per successiones generationum notatis temporibus intenderit pervenire, eas utique commemoravit, non quae primae suis parentibus fuerint, sed quae in propagationis ordinem venerint.* Cujus rei exemplum subdit luculentum ex Christi apud D. Matthaeum genealogia, ubi, ut servetur succedentium ordo, Abraham dicitur genuisse Isaacum, hunc Jacobum, Jacobum Judam, Phares & Zaram, quorum nullus genitori primogenitus. Et de Ada, exempli gratia, aiunt ex veterum traditione nonnulli, non solum statim a creatione, saltem ab egressu e paradiso, operam liberis eum dedisse, sed & Cainum cum filia gemella unica, & Abelem cum binis gemellis ex Eva suscepisse. Rabbi Josuah Ben Carchia de primis parentibus, עלו למטה שנים וירדו שבעה קין ותאומתו והבל ושתי תאומותיו *Et ascenderunt*, inquit [i], *in thorum bini; descenderunt septem. Nempe Cain & gemella ejus soror, & Abel cum sororibus suis binis gemellis.* Adjectis parentibus, ita fiunt septem. Alii de hac re [k] aliter, sed mente non ita dissimili. Et de gemellis Adami & sequioris ejus sexus liberis plura mox capite octavo, ubi de fratrum & sororum, sub initiis rerum, conjugiis agitur. Methodius vero episcopus Patarensis haud ante tricesimum aetatis annum Cainum filium primogenitum ei natum esse velut ex orientalium traditionibus edoctus, scriptum reliquit. Ut ut vero se res haec habeat, Ebraei eum qui uxori superstes prolem utriusque sexus, ejusque integri (nam spado, aut filia plane sterilis, prolis vicem hic non obtinet) non haberet, praecepto [l] neutiquam voluere satisfecisse. Eum autem cujus filius & filia mortui relinquerent liberos utriusque sexus, ita ut nec eorum alterutri proles deesset, praecepto liberum fuisse: aliter semper, aetate non effoeta, teneri, ubi in prole sexus deesset alteruter. In prole autem, filiorum filiarumque locum supplere nepotes neptesque, ut dictum est. Gentilem item cui liberi essent utriusque sexus, non aliter, si proselytus fieret [m], ex hoc jure teneri ac si postquam Judaismum fuerit amplexus eos suscepisset. Quale tamen obtinere nolebant, ubi servus post susceptam ejusmodi prolem manumissus est: scilicet uxorem aiunt ei denuo ducendam, prolemque utriusque sexus aliam suscipiendam. Rationem adjiciunt, eo quod העבד אין לו ייחוס *servo familia*, cognatio, prosapia, *non est.* Nimirum ante nolebant satisfieri praecepto quam liberis ingenuis ingenuus seu qui liber est genus humanum

[a] Gen. [illegible] 28. ix. 2. [b] Gem. Bab. ad tit. *Sota*, cap. 1. fol. 12. a. & *Baal Aruch* in אפריון. [c] J. Buxtorf. pater ad epist. Hebr. [illegible] 2. ep. 7. usurpatur אפריון p. c. חופה seu *Thalamo* (sed templum innuitur) Cantic. Salom. 3. 9. [d] Misna tit. *Sota*, cap. 9. [illegible] B. b. fol. 4[illegible]. b. [e] Maimonid. Halach. *Ishoth* cap. 15. & videsis Gemar. Bab. ad tit. *Pesachim*, cap. 10. [illegible] b. [f] De Civitate Dei, lib. 15. cap. 15. [g] Gen. v. 4. [h] Ibi com. 6, 7. [i] In *Beresith Rabba* parash. 22. [illegible] ad *Vaicra* fol. 1[illegible]8. col. 3. [k] Apud Hieronym. de sancta fide in Hebraeomastigis lib. 2. cap. 1. de liberis vero Adami [illegible] susceptis videsis *Sepher Zohar*, Cremonae, ad *Beresith* fol. 45. col. 177. Maimonidem in *More Nebochim* lib 1. cap. 7. [illegible] fol. [illegible] Gem. Bab. ad tit. *Erubin* cap. 2. fol. 18 b. *sepher Zohar* (Mantuae) ad *Vaicra* fol. 76, 77. *Perke* R. [illegible] cap. 22. [l] Gem. Bab. ad tit. *Jabimoth*, cap. 6. fol. 61. & 62. Hierosolymit. eod. tit. fol. 7. col. 3. §. 6. Maimonid. loco citato; [illegible] Mikotz [illegible] affirmat. 49. [m] Ibidem & Rabbi Jochanan. in Gem. Bab. tit. *Becoroth* cap. 8. [illegible] 47. a.

adauxerat.

3

adauxerat. Nec sufficere ut sterilem quis, vetulam, aut quae viripotens non est, duceret, nisi & superinduceret foecundam. Utrumque autem pariter sexum praecepto illo teneri negant plerumque magistri; sed duntaxat necessitatem, quam diximus, ad masculos attinere, adeo ut ipsi solum praeceptum violarent, quoties nempe, quantum in se esset, juxta jam dicta, matrimonio & liberis operam non darent. Verba sunt Misnae [n], האיש מצווה על פריה ורביה אבל לא האשה, *Vir praecepto fructificandi & multiplicandi tenetur: non item foemina.* Ibi tamen adjicitur sententia Rabbi Jochanan Ben Baruka, utrumque pariter teneri ex eo quod habet scriptura, *Et benedixit eos Deus, & dixit eis,* utrique sexui, *fructificate, & multiplicamini.* Et in utraque Gemara, tam Hierosolymitana * quam Babylonia †, occurrunt qui recipiendam esse ejus sententiam volunt, uti & alii qui rejiciendam; quos sequuntur Moses Maimonides [o], Obadias Bartenorius [p], Salomon Jarchius [q], alii non pauci. Etiam argumentum sumunt ex eo quod sequitur in Genesi, *Implete terram, & subjicite eam.* Quasi praeceptum de terra subjicienda seu imperio ad masculos tantummodo, non ad foeminas, spectaret, adeoque neque id quod eadem verborum serie praecedit, eas ibi aeque obligaret. Unde etiam, ubi deesse observatur [r] ad vocabulum וכבשה, quod vertitur *& subjicite eam*, literam *vau* seu pluralis numeri notam (quae tamen in bibliis quibus puncta adsunt per Kibbuts suppletur) adeoque, si punctum negligatur, *& ille subjiciat eam* singulariter ibi posse substitui, adjicitur eo denotari tam sequiorem sexum masculo subjiciendum quam propagationis & multiplicationis praeceptum ad masculum tantum, qua scilicet praeceptum, spectare. Glossa Jarchii, חסר ו"ו ללמדך שהזכר כובש את הנקבה שלא תהא יצאנית ועוד ללמדך שהאיש שדרכו לכבוש מצווה על פריה ורביה ולא האשה׃ *Deficit ibi Vau, tum ut inde discas, masculo subjiciendam esse foeminam, ne extra limites suos vagetur; tum ut ibidem discas, viro, cui proprium est subjiciendi munus, imponi propagationis ac multiplicationis praeceptum, non foeminae.* Perinde ac si viro dictum fuisset, adstante foemina, *Accepta tibi foemina, jubeo ut fructificetis, & multiplicemini, & impleatis terram, & subjicias tu eam.* Ita ut verba pluralia ideo adhiberentur, quoniam sine foemina propagatio seu multiplicatio fieri nequiret, non quoniam ad utrumque sexum praeceptum pariter, qua praeceptum, attineret. Ideoque virum qui quantum in se esset non ei obtemperaret, reum esse, non item foeminam, cui ita integrum per legem aiunt sive coelibem sive nuptam vitam transigere. Tametsi vero quis praecepto huic suscipiendo prolem, modo quo dictum est, utriusque sexus satisfecerit, ex adjectis tamen magistrorum monitis, ab humani generis ejusmodi propagatione ac multiplicatione neque sic abstinendum. Maimonides [s], ex mente veterum; אף על פי שקיים אדם מצות פריה ורביה הרי הוא מצווה מדברי סופרים שלא יבטל מלפרות ולרבות כל זמן שיש בו כח שכל המוסף נפש אחד בישראל כאילו בנה עולם׃ וכן מצות חכמים היא שלא ישב אדם בלא אשה שלא יבא לידי הרהור׃ ולא תשב אשה בלא איש שלא תחשד׃ וחובה על כל איש לקנאות לאשתו׃ *Quanquam perimpleverit quis praeceptum de multiplicatione humani generis, habetur nihilominus praescriptum ex scitis scribarum ut nemo cesset a multiplicatione humani generis ullo tempore, modo ei suppetat facultas. Nempe quicunque adjecerit animam unicam Israeli, quasi mundum aedificat. Quinetiam in scitis est sapientum, ut nec vir domicilium habeat sine uxore, ne libidinis stimulo urgeatur; neque uxor sine marito, ne suspecta reddatur & procorum importunitati obnoxia.* Hinc est etiam quod toties inculcatur hyperbole illa apud magistros [t], כל אדם שאין לו אשה אינו אדם שנאמר זכר ונקבה בראם ויקרא את שמם אדם׃ *Quemlibet hominem cui non est uxor minime esse hominem, cum etiam in scriptura dicatur, masculum & foeminam creavit eos, & vocavit nomen eorum Adam,* seu *hominem.* Item [v] כל מי שאין עוסק בפריה ורביה כאילו שופך דמים *Quicunque negligit praeceptum de multiplicatione humani generis, habendum esse veluti homicidam.* Id genus occurrunt plurima etiam ad sensum Varronis [x] in lege Moenia; *Si quis patriam, majorem parentem, exstinguit, in eo culpa est; quod facit pro sua parte is qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit.* Ubi *liberos producere* (quod prolem gignere vulgo sonaret, ut Lucilio [y] *instituere*) pro *liberorum procreationem differre* seu *impedire* usurpari, neque ex glossemate, cum Ausonio Popma, irrepsisse, vult Christophorus Collerus [z]. Ejusmodi fere alia habes, de nuptiarum necessitate, apud Hieroclem & Musonium [a] philosophos. Ut τὰς τῆς ἀγαμίου καὶ ὀψιγαμίου δίκας [b], id est *mulctas sive ob coelibatum sive ob dilatas nuptias impositas* Athenis, ac Lacedaemone, qualia fuere etiam uxoria [c] Romae, alia item ex lege Julia & Papia [d], praetermittamus. Et eleganter Plato, *Cuilibet*, inquit, χρὴ τῆς ἀειγενοῦς φύσεως ἀντέχεσθαι τῷ παῖδας παίδων καταλείποντι ἀεὶ τῷ Θεῷ ὑπηρέτας ἀνθ' αὑτοῦ παραδιδόναι, *oportet perpetuam naturam sustinere, liberos nepotesque relinquendo, ut numini ministros, sui vice, suppleat.* Sed exorti etiam sunt, quemadmodum fieri amat, ex Judaeorum gente, qui adeo receptis majorum sententiis hic volebant adversari ut non modo nuptiis sed omnimodo foeminarum consortio sibi interdicerent. Essenos dico, seu tertium illud praeter Pharisaeos ac Sadducaeos philosophorum apud Judaeos genus, cui γάμου μὲν ὑπεροψία *conjugii plane fastidium* erat; quod de eis ait Flavius Josephus [e], atque ex eo Porphyrius [f], e quo Eusebius [g]. Quod tamen de altero tantum eorum τάγματι *collegio* seu *secta* dicitur, sed majori. Nam & eorum secta memoratur altera quae receptiori majorum sententiae satis erat de conjugio consona, uti videre est apud Josephum. De priori autem illa Plinius [h], *Ab occidentali Palae-*

[n] Tit. *Jabimoth*, cap. 6. * Eod. tit. fol 7 hal. 6. col. 4. † Eod. tit. fol. 65. b. [o] Hal. *Ishoth*, cap. 15. [p] Ad tit. *Jabimoth*, cap. 6. §. [q] Ibid & ad Genes ii. 28. [r] Genes. ii. 28. [s] Halach. *Ishoth*, cap. 15. [t] Rabbi Eliaezer in Gem. Bab ad tit. *Jabimoth*, cap. 6. fol 63. a. [v] Idem ibid. & *Beresith Rabba* Parash. 34. Salom. Jarch. ad Genes. ix. 1. [x] Apud Nonium in Eunuchare. [y] Satyrarum lib 26. [z] Parerg cap. 34 [a] Stobaeus serm. 65. [b] Pollux, lib. 3. cap. περὶ ἀγάμων. adde Platonem de legibus, lib 4 & 6. [c] Festus verb. *Uxorium*, atque ibi Jos. Scal. [d] C tit. de infirmandis poenis coelibatus l. unic. adde Lipsium ad Taciti Annal. 3. de lege Papia. [e] De excidio Urbis lib 2 cap 12. & Archaeolog. lib. 18. cap. 2. [f] De abstinentia animalium, lib. 4. [g] De Praeparatione Evangelica, lib. 9. [h] Hist. 5. cap 17

stinae littore Esseni, quos fugitant usquequaque nocentes. Gens sola, & in toto orbe praeter caeteras mira, sine ulla foemina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex aequo convenarum turba renascitur, longe frequentantibus quos vita fessos ad mores earum fortunae fluctus agitat. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens aeterna est, in qua nemo nascitur. Tam foecunda illis aliorum vitae poenitentia est. Et Solinus[i], *Esseni praediti memorabili disciplina recesserunt a ritu gentium universarum, majestatis, ut reor, providentia ad hunc morem destinati. Nulla ibi foemina. Venere se penitus abdicarunt. Pecuniam nesciunt, palmis victitant. Nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiae est; ad quem plurimi licet undique gentium properent, nullus admittitur nisi quem castitatis fides & innocentiae meritum prosequatur.* Et mox; *Per immensum spatium seculorum (incredibile dictu) aeterna gens est, cessantibus puerperiis.* Hujusce autem rei ratio habetur apud Josephum, ejusque exscriptores. Hoc nempe faciebant, seu abstinebant nuptiis, τάς τε τῶν γυναικῶν ἀσελγείας φυλασσόμενοι, καὶ μηδεμίαν τηρεῖν πεπεισμένοι τὴν πρὸς ἕνα πίστιν, *quia*, ut recte vertit Ruffinus vetus interpres, *cavendam putabant intemperantiam foeminarum, nullam earum uni viro fidem servare credentes.* Posteriora verba de foeminarum fide apud Porphyrium desunt, uti etiam Eusebium. Uterque vero habet priora de earum intemperantia, quae Eusebii interpres, *quia mulierum mores cavendos putabant*, vertit, & vetustior Porphyrii, vir doctus, Joannes Bernardus Felicianus, ante octoginta amplius annos Venetiis typis editus, *ut mulierum petulantias evitarent.* Quorum uterque Graeci sermonis mentem satis aperiunt. Libentius hoc ideo monuimus quoniam nuperus Porphyrii e Gallia interpres, nescio unde edoctus, ne quid gravius dicam, verba illa ex Josepho autori suo exscripta τάς τε τῶν γυναικῶν ἀσελγείας φυλαττόμενοι, vertit, *quocirca ut alienarum foeminarum libidines coerceant excubias agunt*; cum planissime nihil aliud verbis eis innuatur quam ut ratio Essenorum abstinentiae nuptiarum reddatur, & manifesto sit vertendum, *quoniam petulantes foeminarum mores cavebant*, aut earum intemperantiam, ut veteres etiam interpretes ostendunt. Sed rarum non est nupero illi ab autoris mente nimium aberrare. Exceptionem quam hic habent magistri de suis qui sacrae legis studio adsiduo incumberent, in Uxore Ebraica, seu libris de eorum nuptiis seu jure matrimoniali eorum simpliciter civili, exhibemus.

C A P. IV.

Consensu, sed non sine concubitu, ex jure Noachidarum seu naturali, ante legem Mosaicam, fieri matrimonium. De innuptarum tunc concubitu. Quid de eo ex lege Mosaica novatum velint. Et de magistrorum in lege τῆς זונה *&* קדשה, *quod scortum seu meretrix vulgo vertitur, recepta quantum ad hanc rem interpretatione, & de meretricis mercede non offerenda.*

Ut contractus matrimonialis seu obligatio illa nuptiarum mutua, qua fieret foemina quaepiam uxor, satis ante legem Mosaicam seu sine ea iniretur, praeter mutuum in vitae lectique societatem consensum, & in thalamum, ubi rerum postulabat circumstantia, deductionem, etiam concubitum necessarium aiunt fuisse. Consensus autem non solum ex ipsorum conjugum, eorumve nomine parentum aut propinquorum, verbis, sed etiam per proxenetam seu internuncium habebatur, ut videre est in nuptiis Isaaci & Rebeccae, & Jacobi atque utriusque Labanis filiae. De contractu illo intervalli quod jam tractamus matrimoniali ad hunc modum Moses Maimonides[a]; קודם מתן תורה היה אדם פוגע אשה בשוק אם רצה הוא והיא לישא אותה מכניסה לתוך ביתו ובועלה בינו לבין עצמו ותהיה לו לאשה. *Ante legem datam* Mosaicam *si foeminae in publico occurrisset vir, & tam haec quam ille in matrimonium consensisset, eam is domum deducebat, & remotis arbitris* בועלה, id est, *cum ea concumbebat, atque ita ei fiebat ea uxor*, seu *foemina ejus fiebat.* Etenim verbum בעל, quod ζωοικεῖν, *maritum esse*, seu *connubio jungi*, plerumque in veteri testamento vertitur, pro *concumbere* a magistris frequentissime sumitur; id est, de conjunctione corporum seu mutuis conjugum amplexibus & commistione signantius dici intelligitur; non aliter fere ac apud Latinos *nubere* & *nuptiae*, quae, licet de matrimonio seu ipsis ejusdem solennibus plerumque usurpentur, ipsum tamen duntaxat concubitum seu naturalem corporum conjunctionem non raro indicant; quemadmodum apud Plautum[b], ubi *viduam in lecto cubare* & *nubere*, de meretrice a Lena dicta, invicem opponuntur. Silenium de Gymnasio meretrice;

At satius fuerat eam viro dare nuptum potius. Lena. *Etiam.*
Haec quidem ecastor cotidie viro nubit; nupsitque hodie.
Nubet mox noctu. Nunquam ego hanc viduam cubare sivi:
Nam si haec non nubat, lugubri mihi fame familia pereat.

Quo etiam sensu *nuptias columbarum* legimus apud Martialem[c];

Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita quam sunt nuptiae columbarum,
Rogare coepit Phyllis amphoram vini.

Alia sunt ejusmodi non pauca. Et recte Lipsius; Nubendi *verbum*, inquit[d], *antiquitus inter ea fuit quae custos ille hortorum libentius quam virgines Vestae usurparent. Inde Festo* nupta verba, *obscoena*;

[i] Polyhist. cap. 48.
[a] Halach *Ishoth*, cap. 1. & vide in Gemara Hierosolymit. ad tit. *Kiduschim*, cap. 1. fol. 58. col. 2. verba Rabbi Jona nomine R. Samuelis.
[b] In Cistellaria act. 1.
[c] Lib. 12. epig. 60.
[d] Antiq. Lection. lib. 2. cap. 9. cui adde quae de hac re habet Albericus Gentilis de Nuptiis, lib. 2. cap. 3. & Fernandius de Cordova in Didascalia multiplici, cap. 39. & videsis Tertullianum ad Uxorem, lib. 1. cap. 5. & advers. Hermogenem, cap. 1.

obscoena; & *Petronio* Nuptias facere, τὸ συνουσιάζειν. Quin *maritare*, quod uxorem ducere plerumque significat, interdum ipsum coitum solum denotat. Varro[e] de canibus loquens, *De foetura*, inquit, *principium admittendi faciunt veris principio. Tunc enim dicuntur catulire, id est, ostendere se velle maritari.* Neque aliunde est quod *maritae arbores* apud Plinium[f] & Columellam[g] nominantur eae quas vites & flexiles ejusmodi alii sinuosi frutices complectuntur. Ab ipsis conjugum amplexibus locutionem transferri dubitandum non est. Firmare autem hanc de concubitus in matrimonio contrahendo necessitate sententiam volunt ex illo Numinis de Sara Abrahae uxore ad Abimelechum Geraris regem; *Venit*[h] *Deus ad Abimelechum in somnio noctis, & dixit ad eum, Ecce tu morieris propter mulierem* אשר לקחת והיא בעולת בעל *quam accepisti. Nam concubuit cum ea maritus.* Id est, juxta magistrorum sententiam, ita consummatae erant nuptiae, atque adeo ex coitu, quo contractus nuptialis praeeunte consensu perficitur[i], legitima erat uxor Abrahae Sara, seu ita ei inde plane acquirebatur, ut qui cum ea postmodum rem haberet, is morte, uti adulter, esset plectendus; non item, si ante mariti coitum, sine quo uxorem fieri, seu nuptialem obligationem satis contrahi, tunc temporis nolunt. Unde etiam Glossa Talmudica[k], לא כתיב והיא אשת איש אלמא הנך מת משום בעילתו של בעל ולא מפני קידושין וחופתם *Non scriptum est*, Nam uxor viri est, *seu* viri alterius foemina; *sed verba illa*, Ecce morieris, *pronunciantur eo quod maritus concubuerat cum ea, & non ratione sponsaliorum aut deductionis in thalamum.* Ita matrimonium illius seculi magistris aliud non est atque corporalis viri & foeminae, praeeunte in vitae communionem & lecti societatem consensu, conjunctio. Quod inchoarat utriusque consensus, id perfici intelligunt ex sequenti, qui e consensu illo penderet, concubitu, atque exinde compleri matrimonium, (contra ac jurisconsulti[l] Romani atque Christiani) velut ex traditione, praeeunte donationis causa, dominium. Scilicet eam quacum hujusmodi contractus ac concubitus haberetur fieri אשה איש, id est, ἀνδρὸς ἄλοχον... seu *viri foeminam*, ac tam maritale inde dominium nasci quam possessionem. Quin de certis legum conditoribus, quos AEgyptiorum quidam olim sequebantur, legimus, quibus (ut in[m] Zenonis constitutione habetur) placuit sine corporum conjunctione nuptias non videri esse contractas; forte ex Ebraeorum, quibus assueverant, scitis de gentium seu Noachidarum jure edoctis. Ebraeis autem ipsis, ex jure suo sacro & civili, consensus solus citra omnem controversiam sufficiebat, ut in libris de nuptiis eorum ostendimus. Unde & deprehenditur manifesta doctorum aliquot hallucinatio, qui *AEgyptiorum* nomine in memorata constitutione innui putant Judaeos. Nam horum conjugia sine concubitu ex consensu firma semper habita; nec fratrum mortuorum conjuges, nisi ex singulari jure ubi sine liberis demorerentur, sibi copulari (quod ibidem etiam memoratur) ipsi fas censebant. Quemadmodum autem ubi sine causa donationis, venditionis aut alicujus alius ejusmodi tituli, traditio a domino fit, veluti depositi, commodati, locati, non dominium, sed possessio tamen legitima transfertur; ita foeminam, cui potestas erat sui ac dominium, id est, quae contractus matrimonialis tum consensu tum concubitu firmati obligatione neutiquam teneretur, sive innuptam, sui in aliquam concubitus vicem, sine consensu in vitae communionem, copiam, ante legem Mosaicam, licite aiunt permisisse seu locasse, aut se sic tradidisse; adeo ut pro breviusculo ejusmodi amplexuum momento, sive amicae sive meretricis, modo neutra earum alteri nupta esset, illicitam[n] nolint fuisse illam sive sui permissionem, sive locationem, traditionemve, aut concumbentis possessionem, magis ac cujuscunque alius rei mancipi locationem usum fructumve. Et sane apud orientales non infrequens illa stupri[o] permissio ex ipso jure. Ex lege vero Mosaica ejusmodi innuptarum concubitus primo sibi ipsis interdictos fuisse volunt Ebraei, adeo ut dein nec mercedis nec libidinis causa extra matrimonium circumcisis inter se concubitus aliquis licitus haberetur. De paganae autem innuptae etiam cum circumcisis subinde coitu, ut volunt illi, licito, plura inferius suis in locis. Ipsis autem inter se posita lex primaria ista de re se habet; *Non sit*[p] קדשה, id est, *meretrix*, aut *quae pro libitu sine nuptiis copiam sui corporis faciat, ex filiabus Israel*; *nec sit* קדש, id est *scortator*, seu, ut aliqui volunt, *cinaedus*[q], ut alii, *exsectus* seu *gallus, ex filiis Israel.* Cui consona est alia illa; אל תחלל את בתך להזונתה וגו׳ *Non profanabis filiam tuam ut scortari facias eam, ne & ipsa terra scortetur, & scelere impleatur.* Ubi[r] glossa Jarchii, [illegible]סר בתו פנויה לביאה שלא לשם קידושין *Intelligendum est, prostituens f[illegible] in concubitum dum innupta est, idque sine sponsalibus.* Hinc & scortationem & stuprum ex lege interdictum verberibus puniebant. Hac de re tota Moses Maimonides[s]; קודם מתן תורה היה אדם פוגע אשה בשוק אם רצה הוא והיא נותן לה שכרה ובועל אותה על אם הדרך והולך וזו היא הנקראת קדשה משנתנה התורה נאסרה הקדשה שנאמר לא תהיה קדשה מבנות ישראל לפיכך כל הבועל אשה לשם זנות בלא קידושין לוקה מן התורה לפי שבעל קדשה׃ *Ante legem datam, occurrente in publico viro foeminae, si ita ex pacto convenirent, mercede data, concubuit is cum ea atque abiit. Haec autem dicta est* קדשה seu *meretrix*, sive *quae pro libitu sine nuptiis corporis sui copiam faceret. Post legem datam, interdictus est id genus foeminarum usus, secundum id quod in lege habetur,* Non sit קדשה, seu meretrix, sive pro libitu corporis sui copiam faciat, ex filiabus Israel; *unde fit ut si quis ut stuprator foeminam compresserit ubi non intercesserint sponsalia, verberandus sit ex lege, ideo quod cum innupta qualem diximus coiverit.* Meretrices autem in publico ita quaestum, ante legem non contra fas fecisse, eliciunt[t] etiam ex

[e] De Re rustica lib. 2. c. 9. [f] Hist. Nat. lib. 14. c. 1. [g] De Re Rustica, lib. 11. c. 2. [h] Genes. xx. 3. [i] Videsis ad hanc rem, etiam Genes. cap. xxix 23. [k] Ad tit. *Sanhedrin*, cap 7. fol. 57 b. & tantundem, fol. 56. a. [l] Ulpianus l. 30. ff. tit. De regul. juris. [m] L. 8. C. de Incest. & inutilibus Nuptiis. [n] Videsis D. Ambrosium lib. 1. de Abraham, cap. 4. [o] Geograph. Arab. clim. 1. part. 8. & clim. 2. part 8. Azoar 3. Alcorani Arab. Petr. Guerra de Lorca in Catachef. mystagog. pro Mahumedanis, cap 5. [p] Deuteron. cap. xxiii. 17. [q] Jarchius & Abenezra ibidem, & *Baal Aruch* in קדש & Talmud Bab. tit. *Sanhedrin*, fol. 54 b. Adde quae adnotat J. Drusius ad Hoseam, cap. iv. 14. ex interpretibus priscis de hoc vocabulo. [r] Levitic. xix. 29. [s] Halach *Ishoth*, cap. 1. [t] *Magid, Misna* ad citatum Maimonidis locum.

historiola

hiſtoriola illa ſacra de Juda & Thamar; *Quae* [v] *depoſitis viduitatis veſtibus aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu ſedit in bivio itineris quod ducit Thamnam,* &c. *Quam cum vidiſſet Judas, ſuſpicatus eſt eſſe* זונה, ſeu *meretricem: operuerat enim vultum ſuum. Et declinans ad eam in via dixit, Age, dimitte me ut coeam tecum; neſciebat enim illam nurum ſuam, eſſe. Et illa reſpondit, Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo? Ego, inquit ille, mittam hoedum tibi de gregibus.* Et arrhabone dato, ex pacto coeunt. De poena autem capitali quam poſtea inflicturus erat Judas Thamari, eo quod ex intumeſcente utero eam coitu aliunde pollutam fuiſſe ſuſpicaretur, dicetur infra. Neque ſententiae huic de innuptarum coitu ante legem Moſaicam poenam illam adverſari omnino volunt; quod fuſius etiam oſtendetur ubi de poenis hujus quod tractamus intervalli inferius agitur. Atque ibi plura de Thamaris, quae prae manibus eſt, exemplo; uti etiam de Dina Jacobi filia a Sichemo ante legem [x] datam violata. Scio τῶ קדשה in citata ex Deuteronomio lege plerumque magiſtris ſumi pro מופקרת לזנות, ſeu *meretrice quae in ſtuprum ſe publice proſtituit, proſtibulo,* ſive *ſcorto publico,* uti etiam accipitur in hiſtoria [y] illa Thamaris. Eodem tamen vocabulo non modo ſcorta publica ex lege interdici, ad eorum ſententiam, eſt manifeſtum, verum etiam amicas qualeſcunque quae ſine juris matrimonialis interventu amaſiis, uti ex Maimonide palam eſt, pro libitu ſe permiſerint. Unde Helleniſtis pro קדשה & קדש, *meretrice & ſcortatore,* ſubſtituuntur πόρνη & πορνεύων, vocabula quibus tam *ea quae quocunque ſtupro compreſſa eſt* [z] *& ſtuprator* quam *proſtibula* comprehenduntur. Pro eiſdem habet R. Saadias Gaon, in verſione ſua Arabica, ممتعة & ممتع non diſſimili ſenſu; uti & codex Erpenianus زانية & زاني, a زني quod idem eſt cum Ebraeorum זנה *ſcortari & ſtuprare* ſignificante, unde זונה fit quae foeminam ſine nuptiis qualitercunque ſponte compreſſam denotat. Senſu dico vulgari. Nam ſingularis eſt & diſpar ſatis ejuſdem vocabuli ſignificatio, ut mox dicemus. Interdicti vero illius ſacri, *Non ſit meretrix,* &c. ratio etiam adfertur a Maimonide [a]. Tum ad evitanda, inquit, contentionum & ſimultatum mala quae ex ejuſmodi libidine matrimonio non cohibita oriri ſolent, tum להביא התועלת הכוללת והיא ידיעת היחסים נאסרה הקדשה והקדש ולא נמצא צד התר למשגל רק ביחד אשה ולישא אותה במפורסם *ut bono illo fruamur, diſtinctionis ac certe notitiae familiarum, interdicitur* קדשה *ſcortum &* קדש *ſcortator, nec ullus concubitus permiſſus eſt praeter illum qui cum propria eſt uxore, eaque publice in matrimonium ducta.* Sed interdictum illud aliter multo ac alii explicat paraphraſtes Chaldaeus Onkelos; לא תהי אתתא מבנת ישראל לגבר עבד ולא יסב גבר מבני ישראל אתתא אמא: *Non erit foemina,* ſeu *uxor, de filiabus Iſrael, viro ſervo; neque jungat ſibi vir de filiis Iſrael foeminam,* ſeu *uxorem, quae ancilla eſt.* Paraphraſtem autem ita intelligunt ac ſi ideo de ſervo & ancilla ſic locutus fuerit, quoniam ex jure Ebraeorum civili de ſervis e gentilibus (nam de eis tantum verba fiunt) אין קידושין תופשין בהם *juris* [b] *matrimonialis,* ut ex vetere etiam jure Romano, *rite capaces illi non ſunt.* Ne igitur ex contubernio tantum בעילת זנות *ſtuprum* ſeu *ſcortatio ſequeretur,* id quod in Ebraeo diſertius Iſraelitis interdicitur, verba de ſervo & ancilla paraphraſten volunt ibi feciſſe. Sed exceptiones habent in jure ſuo civili hic Ebraeorum aliquot; de quibus plura inferius capite duodecimo. Etſi vero ex innuptae coitu liberi non minus atque ex nuptae ſuſcipi poterant, nihilominus, ne aut communio in ſpeciei propagationem vitae deeſſet, aut non ita certa haberetur notitia quonam ex parente prognata eſſet proles, ſi nuptae abfuiſſent, ideo neutiquam ſatisfactum fuiſſe praecepto jam dicto de generis humani multiplicatione volunt, niſi etiam uxor ſaltem unica quae eſſet foecunda, ut ſupra oſtenſum eſt, duceretur. Quod vero ad vocabulum זונה in jam dictis attinet, quo *ſcortum meretrix* & ejuſmodi alia denotari plerumque, nec male, admittitur; ejuſdem interpretatio & ſenſus apud magiſtros interdum multum diverſus eſt, maxime in legibus ſanctis ubi vocabulum illud expreſſim occurrit. Quomodo ſumendum ſit in lege de meretrice, ſcorto, ſeu זונה ſacerdoti non ducenda alibi [c] fuſe e magiſtris explicavimus Et in lege itidem illa de τῆς זונה ſeu *meretricis* mercede; *non inferes* אתנן זונה *ſcorti,* ſeu *proſtibuli,* aut πόρνης (ut Helleniſtae) *mercedem, aut pretium canis in domum domini,* &c. quod de oblationibus intelligunt; *ſcortum* ſeu זונה non ſumitur pro quacunque ſine nuptiis vitiata, ſed pro ea duntaxat quae, cum aut ratione priorum nuptiarum, veluti alterius uxor, aut ratione ſanguinis aut affinitatis, aut demum alicujus ſacri interdicti, nuptiae ejus eſſent cum eo quocum concubuerit illicitae, mercedem ab eo ſeu donum, coitus nomine acceperat; aliis aliquot, ex parili legis interpretatione, mercedis ſpeciebus etiam adjectis. Maimonides [d] ad veterum [e] mentem; אחד זונה גויה או שפחה או ישראלית שהיא ערוה עליו או מחייבי לאוין אבל הפנויה אפילו היה כהן אתננה מותר וכן אשתו נידה אתננה מותר אע״פ שהיא ערוה נשא אחות מחייבי לאוין כל שיתן לה מחמת בעילה הרי זה אתנן ואסור והזכור אתננו אסור נתנה האשה אתנן לבועל הרי זה מותר משום אתנן האומר לחבירו הא לך דבר זה ותלין שפחתך אצל עבדי העברי הרי זה אתנן והוא שאין לו אשה ובנים אבל אם יש לו אשה ובנים הרי זו מותר בשפחה כנענית כמו שיתבאר. *Eadem hic eſt ratio* τῆς זונה ſeu *ſcorti. ſive ea fuerit pagana, ſive ancilla, ſive Iſraelitis, quacum matrimonium ſive nomine inceſtus regulariter prohiberetur, ſive alio interdicto ſacro. Ita tamen ut, ſi innupta fuerit,* nec hiſce interdictis vetita, *tametſi is qui cum ea rem habuerit ſacerdos fuerit, merces ejus rite offerri poſſit; uti etiam ubi cum uxore menſibus laborante quis concubuerit, quanquam inter inceſtuoſos coitus etiam hic prohibeatur. Etiam ſi quis in uxo-*

[v] Gen. xxxviii. 14, &c 21, 22. & Deut. xxiii. 17. & 19. [x] Gen xxxiv. [y] Gen. xxxviii. 21, 22 [z] Vide Helleniſt Gen xxxviii. 15. [a] *More Nebochim* 1. 3 cap 49. [b] Gloſſa Jarchii ad Deu . xxiii. 18 [c] Lib. 2. de Succeſs. in pontificatum cap. 2. [d] Halach *Iſſure Biah* cap. 4. [e] Talm. Bab. tit. *Themura* cap. 6. fol. 29. & vide Moſem Cotzenſem praecept. negat. 316.

rem

rem duxerit foeminam quae interdicto qualicunque sacro vetita est, nec tamen aut sanguinis aut affinitatis ratione, id quod ei nomine mercedis coitus causa dederit rite offerri nequit. Neque alia est ratio mercedis quae datur ob coitum masculum. At vero si dederit foemina mercedem viro, hoc nomine nil obstat quin rite ea possit offerri. Caeterum si quis alteri dixerit, Tibi hoc do ut conjungatur ancilla tua servo meo Ebraeo, hoc quidem mercedis nomine hic venit; *si nempe non fuerint servo illi uxor & liberi. At si essent ei liberi & uxor, rite offerri potuit. Ancilla hic pro Cananaea* (seu non origine Ebraea) *intelligitur*; *uti & alibi explicatum est.* Ita Maimonides; cui etiam, uti & Talmudicis caeteris, *pretium canis* est id quod in permutatione pro cane datur, non quod ἐπ' ὀχεύσει κυνός, *pro canis admissura*, ut apud [f] Josephum habetur. De ancilla hic Cananaea seu gentili servo Ebraeo conjuncta, fusius intra [g] ex eodem autore librisque aliis Talmudicis; ubi satis liquebit quare distinctio illa habeatur hic de servo cui antea uxor & liberi, & eo cui non essent. Etenim ancillae copulationem ex lege censebant huic illicitam non item illi. Nec cum innupta, qualem diximus, matrimonium illicitum. Ideo nomine זונה seu *scorti* hic non veniebat. Quae satis consona sunt eis quae de τῆς זונה interpretatione habentur, ubi de conjugio sacerdotum loquuntur. Quod vero de innuptarum coitu etiam apud Israelitas hic dicitur, maxime de prostibulis est intelligendum, seu amicis sine nuptiis amasiis suis pro eorum libitu se permittentibus. Nam de virgine quae sive ex illecebris sponte sive vi semel compressa fuerit, leges habent singulares; de quibus in uxore Ebraica agimus.

CAP. V.

De ritibus nuptialibus qui, velut ex jure seu moribus ante legem Mosaicam in usu, eliciuntur e sacra historia.

DE ritibus ac solennibus, intervalli juris naturalis, seu quod Mosaicam antevertit legem, nuptialibus pauca leguntur. Veluti de mora sponsae apud parentes, de flamei seu theristri usu, de convivio nuptiali. Quod ad moram sponsae attinet; ad illud fratris & matris Rebeccae Abrahae servo nuptias Isaaci & Rebeccae procuranti, *maneat* [a] *puella nobiscum* (ימים או עשור) *dies, saltem decem, & postea ibit*, notat Salomon Jarchius per *dies* annum intelligi integrum; per *decem*, menses decem: scilicet postulasse eos (ac si mos sic inolevisset) annum integrum quo maneret apud parentes Rebecca, aut saltem decem menses, ne a more usitatiori longius recederet, ut per id tempus sibi nuptialia aptaret commodius ornamenta. Onkelos ibi; *Maneat nobiscum* עידן בעידן או עסרא ירחין *per tempus aliquod, saltem decem menses.* Et paraphrasis Uzielidis dicta, יומי שתא הדא או עשר ירחין, *per dies anni unius, aut per decem saltem menses.* Judaei item Mauritanienses, سنة او عشرة شهور *annum, aut decem menses.* Cum tamen Graeci interpretes ἡμέρας ὡσεὶ δέκα, *circa decem dies*, & Vulgatae autor *saltem decem dies* ubi substituat. Caeterum alibi etiam in lege de aedibus urbanis venditori redimendis, ימים תהיה גאולתו [b], quod sonat, si verbum verbo reddas, *Dies erunt redemptio ejus*, sumitur pro eo quod est; *Annus erit redemptio ejus*; atque ita expresse vertitur Judaeis Mauritaniensibus سنة تكون فكاكه quod id ipsum denotat. Et Glossa Jarchii ibi, ימי שנה שלמה קרויים ימים *Dies anni integri vocari solent dies absolute.* Quemadmodum autem apud Romanos flamei erat [c] usus, quo se obtegebant novae nuptae, ita etiam volunt aliqui in primo Isaaci & Rebeccae occursu theristri seu pallii, velut solennis sponsae ornamenti, usum fuisse, atque inde flameum habuisse ortum. Historia sacra; *Rebecca* [d] jam per internuncium desponsata *levavit oculos suos*; *& viso Isaac, lapsa est de camelo, & dixit ad servum, Quis est vir ille qui ambulat in campo in occursum nostrum? Respondit servus*; *Ipse est Dominus meus*, scilicet Isaac. *Tulit igitur* הצעיף, quod θέριστρον vertunt Hellenistae, & Vulgatae autor, *pallium, & operuit se. Et narravit servus ipsi Isaac omne quod gesserat. Introduxitque eam Isaac in tabernaculum Sarae matris suae, & accepit Rebeccam, & facta est ei in uxorem.* Certe *θέριστρα nos possumus*, inquit D. Hieronymus [e], *appellare palliola, quibus obvoluta erat Rebecca, & hodie quoque Arabiae & Mesopotamiae operiuntur foeminae. Dicuntur θέριστρα ab eo quod in θέρει, id est, in aestate & caumate, corpora protegant foeminarum.* Et vocabulum illud quod in fonte hic pro pallio, theristro seu velo usurpatur, interpretantur orientales per רדיד & רדידא, ut in Targum Jonathani tributo & Hierosolymitano, item per עיפא, ut Onkelos, & ردا, ut Arabes; quae omnia Rabbi Nathan [f] denotare ait velum tenue quo foeminarum velantur capita. רדיד בלשון ישמעאל רדא והיא צעיף דק שמכסה האשה על ראשה *Lingua*, inquit, *Arabica* ردا, *idem est quod* רדיד, *nimirum velum tenue quo foeminarum capita obtegi solent.* Ita alii. Nec sane ejusdem usus duntaxat ad aestivos calores minuendos, sed etiam pudoris causa tam a meretricibus quam sponsis ac matronis adhibebatur. Etenim hoc veli genus, neque alio [g] denotatum nomine, pars erat habitus quo, ne agnosceretur, usa est Thamar in bivio itineris meretricem simulans. Et generatim Tertullianus [h], *Atquin etiam apud ethnicos* sponsae *velatae ad virum ducuntur.* Convivia autem nuptialia, seculis illis, solennibus accessisse scribunt, eaque per septem dies celebrari solita; quod ex nuptiis Jacobi & Labanis filiarum observant. Laban, dum simulat se Rachelem in uxorem ei tradere, *convocatis* [i] *omnibus hominibus illius loci*, ויעש משתה *fecit convivium*, quod Hellenistae ver-

[f] Orig. Judaic. lib. 4. cap. 8. [g] Infra cap. 12. & lib 6. cap. 7. [a] Gen. xxiv. 55. [b] Levitic. xxv. 29. [c] Festus in Flameo, alii passim. [d] Genes. xxiv. 64. [e] Comment. in Isaiam cap. 3. & de Arabicarum foeminarum velis ejusmodi, legitur in Alcorano, Azoar 24. edit. Lat. 34. & Azoar 33. edit. Lat. 43. [f] In *Aruch* verb. רד. [g] Gen. xxxviii. 15. [h] Lib. de velandis virginibus cap. 11. [i] Gen. xxix. 22.

tunt ἐποίησε γάμον, *fecit nuptias*; sed Aquila & Symmachus, ἐποίησε πότον, seu *convivium fecit*; uti etiam Onkelos, Paraphrastes Uzielides dictus, Hierosolymitanus & Arabs. Sed Vulgatae autor ibi, *vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.* Cum vero post noctem quam cum Lea habuerat Jacob de Rachele ei promissa apud socerum quereretur, *respondit Laban, Non est hujus loci consuetudo ut tradatur in nuptias junior ante majorem.* Imple שבע זאת *septenarium hujus*, seu, ut Hellenistae, τὰ ἕβδομα ταύτης, *hebdomadem hujus*, seu, ut Vulgata, *hebdomadem dierum hujus copulae*, ונתנה לך גם את זאת *& dabitur quoque tibi ista*, nimirum Rachel *pro servitute qua servies mihi adhuc septem annis aliis. Fecit itaque Jacob sic, & implevit septenarium illius. Et tradidit ei Rachelem filiam suam in uxorem —— Et ingressus est quoque ad Rachelem, & dilexit Rachelem plus quam Leam; servivitque illi septem aliis annis. Septenarius* hic seu *hebdomas* pro septem diebus quibus epulum nuptiale celebraretur, sumitur magistris, uti & Hellenistis, ut vides, & Vulgatae autori, qui habet etiam, *hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem.* Septenarium ibi diserte per שבעת ימי המשתה, id est, *septem dies convivii*, explicat Rabbi Eliaezer [k], & pro solenni nuptiarum convivio sumit. Sic etiam Salomon Jarchius, tum a vetustissimo hoc Rabbino tum a Gemara [l] Hierosolymitana edoctus, quam citat. Targum item Hierosolymitanum pro eo quod hic est *imple septenarium, &c.* habet, אשלים שבעתי יומי משתותה דלאה ונתן *Imple septenarium numerum dierum convivii Leae, & dabitur, &c.* Et Jonathanis paraphrasis ita dicta, אשלים כדון שובעתי יומי משתיא דדא וניתן לך אוף ית דא בפולחנא דתפלח עמי תוב שיב שנין אוחרנין *Imple nunc septenarium numerum dierum convivii hujus, & dabitur tibi etiam ista, non sine conditione ut servias mihi altero septennio*; & paulo post, ועבד יעקב כדין ואשלים שבעתי יומי משתיא דלאה *Et fecit Jacob juxta id quod dictum est, atque implevit septenarium numerum dierum convivii Leae:* Quo expleto, & Rachel ei in uxorem datur. Perinde ac si dixisset Laban, utriusque nuptiae hebdomade epulari pro more sunt celebrandae. Perfice, agedum, eam quae nomine Leae inchoata est: Et tum Rachel, iterata septennii servitutis conditione, ut scilicet post ejusce nuptias septennium mihi servias, etiam in uxorem tibi dabitur, & epularis illius nomine hebdomas redintegrabitur. Atque ita sane, in locis Ebraicis, vult D. Hieronymus locum illum capi. Etiam in historia Samsonis septidui ejusmodi nuptialis celebritatem haberi [m] observatur, velut eam quae ex jure seu moribus Palaestinis, Ebraeis, aliisque gentibus tunc atque antea diu intervenientibus & plerumque receptis in usu. Quin & benedictionis exemplum, ante legem datam, sumunt ex eo de Rebecca, ubi deducebatur in uxorem Isaaci, *Et benedixerunt* [n], seu *imprecabantur prospera, sorori suae*, ut Vulgata, *dicentes, soror nostra es; crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum tuorum.*

CAP. VI.

De polygamia ex jure naturali, seu universali illo quod tum ante legem Mosaicam tum post juxta Ebraeos pariter obtinuit.

POlygamia cum alia sit ubi plures uxores, sed per successionem tantum, seu plures itidem viri, sed non simul plures, eidem habentur; alia, ubi plures viri uni uxori, pluresve uxores uni viro, idque simul, conjunguntur; de prima specie non est cur plura dicamus. Neque enim a secundis, pluribusve, alterutro conjugum demortuo, nuptiis quempiam sive in intervallo quod tractamus, id est ante legem Mosaicam, sive postea, ex magistrorum placitis arceri comperimus; tametsi in patribus christianis non desint qui nuptiis aliquantulum iniquiores utriusque speciei velut interdictum ex rerum petant initiis. De monogamiae disciplina disputans Tertullianus [a], *Hoc ipsum*, inquit, *demonstratur a nobis, neque novam neque extraneam esse monogamiae disciplinam, imo antiquam, & propriam christianorum, ut paracletum restitutorem potius sentias ejus quam institutorem. Quod pertineat ad antiquitatem; quae potest antiquior forma proferri quam ipse census generis humani? Unam foeminam masculo Deus finxit, una costa ejus decerpta, & utique ex pluribus. Sed & in praefatione ipsius operis, non est, inquit, bonum homini solum eum esse: faciamus adjutorium illi. Adjutores enim dixisset, si pluribus eum uxoribus destinasset. Adjecit & legem de futuro: Siquidem prophetice dictum est,* Et erunt duo in unam carnem; *non tres, neque plures. Caeterum jam non duo, si plures. Stetit lex. Denique perseveravit unio conjugii in auctoribus generis ad finem usque, non quia non erant foeminae aliae, sed quia ideo non erant ne primitiae generis duplici matrimonio contaminarentur. Alioquin si Deus voluisset esse, & potuissent. Certe de filiarum suarum numerositate sumpsisset, non minus ex ossibus & ex carne sua habens Evam, si hoc pie fieret. At ubi primum scelus, homicidium, in fratricidio dedicatum, tam dignum secundo loco scelus non fuit quam duae nuptiae. Neque enim refert, duas quis uxores singulas habuerit, an pariter singulae duas fecerint. Idem numerus conjunctorum & separatorum. Semel tamen vim passa institutio Dei per Lamech constitit postea in finem usque gentis illius. Secundus Lamech nullus exstitit, quomodo duabus maritatus. Negat scriptura quod non notat. Aliae diluvium iniquitates provocaverunt, semel defensae quales fuerunt. Non tamen septuagies septies; quod duo matrimonia meruerunt. Sed & reformatio secundi generis humani monogamia matre censetur. Iterum duo in unam carnem crescere & redundare suscipiunt. Noe & uxor filiique eorum in unicis nuptiis. Etiam in ipsis animalibus monogamia recognoscitur, ne vel bestiae de moechia nascerentur. Ex omnibus*, inquit [b], *bestiis, ex omni carne duo induces in arcam, ut*

[k] In Pirke R. Eliaezer cap. 16. & cap. 33. [l] Ad tit. *Moed Katon*, cap. 1. fol. 9[illegible]. col. 4. §. 7. [m] R. David Kimchi, alii ad Judic. xiv. 15. [n] Genes. xxiv. 60 [a] De Monogamia, cap. 4. Sed & vide cum lib. de unis nuptiis ad uxorem cap. 2. citatum hic capite proximo. [b] Genes. vi. 19.

vivant tecum; maſculus & foemina erunt, de animalibus volatilibus ſecundum genus ipſorum, & de omnibus ſerpentibus terrae ſecundum genus ipſorum. Duo ex omnibus introibunt ad te, maſculus & foemina. Eadem forma & ſeptena ex binis adlegi mandat, ex maſculo & foemina, uno & una. Quid amplius dicam? Immundis quoque alitibus cum binis foeminis introire non licuit. Quin Joannes Cantacuzenus, imperator Conſtantinopolitanus, adverſus Mahumedem hac de re diſſerens, ex veterum etiam mente unicam Noachi uxorem in ſcriptura memorari animadvertit, ſingulaſque filiis ejus ſingulis, πάντως, ita inquit [c], ὐδὲν ἕτερον δηλῦντος τῦ λόγυ ἢ ὅτι κἂν καὶ μίαν καὶ μόνην γυναῖκά ἐστιν ἀπὸ δικαίυ ἔχειν τὸν ἄνθρωπον. *ac ſi non aliud ejuſmodi narrationis genus innuiſſet quam ex juſto & aequo unam atque unicam duntaxat quempiam ſibi habuiſſe uxorem.* Etiam Innocentius Papa tertius, *Nec ulli*, inquit [d], *unquam licuit ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum, quae mos quandoque, interdum etiam fas cenſetur.* Alii tantundem. Sed de pluralitate hac uxorum ex jure vetuſtioribus ſeculis conceſſo aliter alii ex patribus chriſtianis. *Prolis gratia*, inquit D. Auguſtinus [e], *patres ſanctos ex Abraham & ante Abraham, quibus Deus quod ei placuerint perhibet teſtimonium, uſos fuiſſe conjugibus, neminem oportet dubitare chriſtianum, quando quibuſdam etiam ſingulis plures habere conceſſum eſt, ubi ratio fuit prolis multiplicandae, non variandae appetitio voluptatis.* Obvii ſunt theologi qui hac de re agunt, nec pauci. Atque Hugo Grotius [f]; *Conjugium naturaliter eſſe exiſtimamus talem cohabitationem maris cum foemina quae foeminam conſtituat quaſi ſub oculis & cuſtodia maris. Nam tale conſortium & in mutis animantibus quibuſdam videre eſt. In homine vero, qua animans eſt utens ratione, ad hoc acceſſit fides qua ſe foemina mari adſtringit. Nec aliud ut conjugium ſubſiſtat natura videtur requirere. Sed nec divina lex amplius videtur exegiſſe ante evangelii propagationem. Nam & viri ſancti ante legem plures una uxores habuerunt; & in lege praecepta quaedam dantur his* [g] *qui plures una habent, & regi* [h] *praeſcribitur ut nec uxorum nec equorum nimiam ſibi adſciſcat copiam: Ubi Ebraei interpretes notant octodecim ſive uxores ſive concubinas regi fuiſſe conceſſas; & Davidi Deus imputat quod uxores ei complures, & quidem illuſtres, dediſſet.* Et ſane juxta Ebraeorum placita ſemper viro licita fuit uxorum etiam ſimul conjunctarum (ſed nunquam virorum uxori) pluralitas ante legem Moſaicam, ſeu ex jure naturali; nec minus poſt illam legem, temperamentis aliquot ex jure ipſis civili (de quibus alibi) adjectis. Receptum enim eſt illud quod in Gemara Babylonia [i] habet Rabba; נושא אדם כמה נשים לאשתו והוא דאית ליה למיזיינינהי׃ *Fas eſt cuique quotcunque ſuperinducere uxores, modo, quibus victus eis praebeatur, res ei ſuppetant.* Ubi tamen praeter alimenta & veſtitum ſufficientem, etiam τὴν עונה, id eſt, τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, *debitam benevolentiam* ſeu conjugale illud concubitus debitum volunt ut ſuperinducenti eſſet ſingulis praeſtandi poteſtas. *Fas eſt*, inquit Maimonides [k], *quotcunque, etiam centum, uxores ſive ſimul omnes, ſive alteram poſt alteram, ducere,* ואין אשתו יכולה לעכב והוא שיהיה יכול לתן שאר כסות ועונה כראוי לכל אחת ואחת׃ *Neque poteſtas uxori antea ductae virum hic impediendi, modo illi poteſtas fuerit praeſtare alimenta, veſtitum, atque debitum conjugale, ſecundum id quod unicuique earum competit.* Et haereſis habita eſt, nec toleranda, Sadducaeorum opinio qua binas ſimul haberi jure uxores negabant ex lege illa [l] male intellecta, אשה אל אחתה לא תקח לצרור *Uxorem ſorori ſuae non accipies, in ejus afflictionem*, τῷ אחותה, quod ibi *ſorori ſuae* eſt, pro *alteri*, ut certe verbum ipſum fert, ſumpto. Caeterum de ſororibus binis, idque dum in vivis tantum fuerit utraque, locus ille paſſim magiſtris capitur, ut fuſius in libris de nuptiis Ebraeorum oſtendimus. Et auctor *Peſichtha Zotertha* [m] ad dictam legem; שאמר שתי נשים בעולם אסירות בידוע שאין להם לא דת לא חוק שהרי כמה צדיקים נשאו שתי נשים כגון אלקנה ודוד ושלמה ובדברי הימים כמה בשתי נשים׃ *Qui dicit binas ſimul uxores eſſe interdictas, notum ſit eum nec morum nec juris eſſe peritum. Nam multi juſti acceperunt binas uxores; velut Elcana* [n], *David* [o], *Salomon* [p]. *Et in libro Paralipomenon multi memorantur quibus binae uxores.* Vetuſtiora autem plurium ſimul conjunctarum uxorum exempla habes non ſolum in Lamecho [q], ſed etiam in Abraha [r], & Jacobo [s], & Eſau [t]; quae ad jura Noachidarum ante legem Moſaicam obtinentia ſpectant. Quin & Joſephus [v], neſcio unde edoctus, binas uxores, Tharbin AEthiopiae regis filiam & Sepphoram Raguelis ſeu Jethronis (quae in ſacris literis unica eſt) Moſi ipſi tribuit. Id quod velut fabuloſum rejiciunt viri [x] docti. De Lamechi autem ſeculo, atque eo quod inde uſque ad diluvium intervenit, traditio priſca eſt, morem fuiſſe frequentem ut, ubi binae cuipiam haberentur uxores, altera prolis gratia, eaque ſeverius & durius haberetur; altera voluptatis tantum, quae ſterilitatis exhauſto poculo, opipare & lautius, velut nova ſemper nupta aut amica, quotidie exciperetur. Ad hiſtoriam ſacram de binis Lamechi uxoribus Salomon Jarchius [y]; כך היה דרכן של דורי המבול אחת לפריה ורביה ואחת לתשמיש זו שהיא לתשמיש משקה כוס של עיקרין כדי שתעקר ומקושטה ככלה ומאכילה מעדנים וחברתה נזופה ואבלה כאלמנה וזהו שפירש איוב רועה עקרה לא תלד ואלמנה לא ייטיב׃ *Ad hunc modum ſe habuit mos ſub diluvii tempora, ut alteram haberent uxorem prolis gratia, alteram vero ad concubitum. Ea autem quae ad concubitum duntaxat ducebatur, ſterilitatis exhaurire ſolebat poculum, ut ſterilis redderetur. Ornata etiam, velut nova nupta, lautiores comedebat dapes. Acerbius autem ac durius tractabatur ſocia ejus, ſeu altera, & lugebat, velut vidua. At-*

[c] Apolog. κατὰ τῦ Μωαμὲθ, 4. [d] C. 8. Gaudemus, tit. de Divortiis. [e] De Nuptiis & Concupiſcentia, lib. 1. cap. 8. quem videſis item lib. de bono conjugali, cap. 25. & contra Fauſtum, lib. 22. cap. 47, & 48. [f] De Jure Belli ac Pacis, lib. 2. cap. 5. §. 8, & 9. [g] Deut. xxi. 15. [h] Ibid. xvii. 16, 17. [i] Ad tit *Jabimoth*, cap 6. fol 65. a. & videſis Miſnam. tit. eodem cap. 4. ubi de quatuor fratribus, eorumque ſuperſtite agitur in Gem. Bab. fol. 43. b. [k] Halach. *Iſhoth*, cap. 14. adde R. Bechai ad *Vaicra*, fol. 141. col 2, & 3. [l] Levit. xviii. 18. [m] Fol. 24. col. 1. & videſis J. Druſium ad difficiliora loca Levitici, cap. 61. [n] 1 Samuel i. 2. [o] 2 Samuel iii. 2. & v. 13. [p] 1 Regum xi. 3. [q] Geneſ. iv. 19. [r] Geneſ. xvi. 3. [s] Geneſ. xxix. [t] Geneſ. xxxvi. 2, & 6. [v] Lib. 2. Archaeolog. cap. 5. [x] Auguſtinus Chiſamenſis apud Sixt. Senenſ. bib. ſanct. lib. 5. annot. 123. [y] Tantundem ad Jobi caput xxiv. 21.

que hoc est quod intelligitur apud Jobum[z], ubi ait, "Pavit sterilem quae non peperit, sed vi-"duae bene non fecit." Nam periocha illa, *levis erat super faciem aquae, &c.* In Jobi verbis de diluvio etiam Jarchio sumitur, uti etiam vetustioribus multo interpretibus. *Beresith Rabba*[a]; כך היו אנשי דור המבול עושין היה אחד מהן לוקח לו שתי נשים אחת לפריה ורביה ואחת לתשמיש זו שהיתה לפריה ורביה היתה יושבת כאלו אלמנה בחייה וזו שהיתה לתשמיש היה משקה כוס של עקרים שלא תלד והיתה יושבת אצלו בקושטת כזונה הה"ד רועה עקרה וגו׳ : *Sub diluvium hominum mos erat ut pro libitu binas sibi duceret quisque uxores, alteram prolis gratia, alteram in concubitum. Ea autem quae prolis gratia haberetur, velut vidua, quamdiu superstes esset, degebat. Sed ea quae in concubitum adhiberetur, sterilitatis exhaurire solebat poculum, ut sterilis redderetur, atque juxta virum accumbere solita, velut meretricio ornabatur habitu. Atque idem innuitur verbis illis*, Pavit sterilem, &c. quemadmodum ex Jobo jam ante citantur. Quin statuere audent quaenam ex Lamechi uxoribus prolis gratia, quaenam in concubitum adhibita: Priorem Adam dictam, prolis gratia; alteram, nomine Sellam aut Zillam, in concubitum. Id quod etiam ex nominum etymo ludentes[b] petunt: *Adam* scilicet seu ערה ita nuncupatam, quoniam ערה מינה invicem *recedere solebant*, sive quod rara eorum consuetudo; *Zillam* autem seu צלה, quoniam versari solebat בצלו *in umbra ejus*, quoniam vix a marito, magis ac a corpore umbra, discedebat. Utcunque vero se res haberet, tam Zillam quam Adam marito foecundam fuisse liquet satis in historia sacra. Quin & traditur apud Christianos aliquot, polygamiae illo aevo morem fuisse ut plures simul uxores, utcunque ductae, non cohabitarent, sed singulis seorsim fruerentur aedibus. Epiphanius[c]; Εἰ γὰρ καί τινες τῶν πατέρων δύο καὶ τρεῖς γυναῖκας ἐσχήκασιν, οὐκ ἐν μιᾷ οἰκίᾳ αἱ γυναῖκες ἦσαν, *Tametsi enim quidam patres duas & tres uxores habuerunt, non tamen in una domo uxores fuerunt.* Quod certe ex institutis Ebraeorum in veteri sua polygamia[d] est apprime consonum. Caeterum qualia temperamenta de eo quod de indefinito uxorum numero seu polygamia hactenus adductum est, ad intervallum legis naturalis seu quod Mosaicam antevertit spectans, sive ex lege sive ex institutis monitisve seipsos accepisse aiant Ebraei (quos & imitati sunt Mahumedani) ostendimus in Uxore Ebraica. Jus hoc polygamiae in oriente (semper excipias locos gentesque quibus a Christianismo abolitum est) olim hodieque passim in usu. In occidente non item. Nam ne quis binas eodem tempore uxores haberet Cecropem Atheniensium regem[e] memoriae proditum est primo constituisse. Et rarae satis binae simul in occidente nuptiae; licet post Cecropem psephisma occurrat[f], διὰ τὸ λειπανδρεῖν, συναυξῆσαι τὸ πλῆθος, *ne homines deficerent, atque ut multitudo cresceret*, γαμεῖν μὲν τὴν ἀστὴν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας, *unam uxorem civem & legitimam ducendam, liberos vero etiam ex alia suscipiendos.* Sed rara quidem apud Graecos aut Romanos polygamiae seu legitimarum seu justarum uxorum plurium simul exempla; quanquam in Socrate[g] legimus Valentinianum primum legem evulgasse qua cuilibet liceret δύο νομίμους ἔχειν γυναῖκας, *duas uxores habere simul legitimas.* Et vide caput proximum, ubi de concubinis agitur. Apud barbaros autem seu gentes alias frequenter reperta polygamia. Tacitus de Germanis; *Severa illic matrimonia; nec ullam morum partem magis laudaveris: Nam prope soli barborum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.* Alia sunt hac de re in scriptoribus obvia: Quibus adscribere non pigebit quae de Cecrope, quem diximus, tradit Joannes Antiochenus Malala dictus[h], maxime cum nondum is sit typis editus: Ἐκέλευσε νομοθετῆσαι τὰς γυναῖκας τὰς ὑπὸ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ οὔσας ἐν ᾧ εἰσι παρθένοι γαμεῖσθαι ἑνὶ ἀνδρί· ἅστινας ἐκάλεσε Νύμφας ἐν τῇ νομοθεσίᾳ αὐτοῦ, διὰ τὸ πηγαῖς ἐοικέναι αὐτὰς παρθένους καὶ κόρας, αἳ τίκτουσι, καὶ ἀπὸ ἀδήλων πόρων πηγάζουσι γάλα. Πρὸ γὰρ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πᾶσαι αἱ γυναῖκες τῶν Ἀττικῶν καὶ τῶν Ἀθηναίων καὶ τῆς πλησίον χώρας θηριώδει μίξει ἐμίγνυντο, ἑκάστῳ συγγινόμεναι τῷ ἀρεσκομένῳ αὐταῖς, ἐὰν κἀκείνη ἐβούλετο· καὶ ἐκαλεῖτο ἡ ἁρπαζομένη γυνὴ οὐδενὸς, ἀλλὰ τοῖς πᾶσι προσήρκοντο, διδοῦσαι ἑαυτὰς εἰς πορνείαν· καὶ ὅσας ἐβουλήθη τις κρατῆσαι αὐτὰς ἡμέρας, κατ' οἶκον παρέμενον αὐτῷ τρεφόμεναι· καὶ εἰ ἤθελε, πάλιν ἀπέλυσεν αὐτὴν τοῖς βουλομένοις· τοῦτο δὲ ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς εἴρχθη, τὸ μὲν ἀναγκάζεσθαι αὐτὰς συνεῖναι ἀνδρὶ πρὸς ὃν βούλονται· οὐδεὶς οὖν ᾔδει τίς ἦν υἱὸς ἢ θυγάτηρ· καὶ ἐδίδου τὸ τεχθὲν ᾧ ἐβούλετο ἀνδρὶ συμμιγέντι αὐτῇ, εἴτε ἄρρεν εἴτε θῆλυ ἔτεκε· καὶ ἔχαιρον δεχόμενοι. Ὁ δὲ Κέκροψ ἐκ τῆς Αἰγύπτου καταγόμενος ἐξεφώνησε τὸν νόμον τοῦτον, εἰρηκὼς ὅτι ἡ Ἀττικὴ χώρα διὰ τοῦτο ἀπώλετο. Καὶ λοιπὸν ἐσωφρόνησαν πᾶσαι, καὶ ἀνδράσιν ἐζεύγνυον ἑαυτὰς αἱ ἄγαμοι παρθένοι· ἡ δὲ πορνευθεῖσα ἐγαμεῖτο ἑνὶ ᾧ ἐβούλετο ἀνδρί. Καὶ ἐθαύμασαν οἱ Ἀθηναῖοι τὸν τοῦ βασιλέως νόμον, ὡς δὲ καί τινες ἐξέθεντο ὅτι διὰ τοῦτο αὐτὸν οἱ Ἀθηναῖοι εἶπον διφυῆ, ὅτι ἐξωλόγησε τὰ τέκνα, τὸ εἰδέναι τοὺς ἑαυτῶν γονεῖς. *Edicto jussit foeminas, quotquot virgines in illius regno essent, viro unico nubere. Atque has in legislatione Nymphas dixit, ideo quod fontibus virgines & puellae sunt similes, utpote quae pariunt, & ex obscuris meatibus lac emittunt. Etenim ante ejus regnum foeminae regionis Atticae & Atheniensis, & quae in vicinia erat, more ferino commiscebantur cuicunque pro libitu vellent. Nec vocabatur foemina sic arrepta uxor alicujus: sed promiscue omnibus in libidinem se dabant. Et quamdiu quis eas retinere vellet, domi manebant ab eo alimenta accipientes: Et pro libitu sic retentam dimittere solebat aliis, qui pariter pro libitu acciperent. Hoc autem Attica regione vetitum est; ut in posterum libido haec promiscua locum ibi non sortiretur. Nemo enim scivit quis sibi filius, quae filia. Et mater dare solebat prolem, sive masculam sive foeminam, cuicunque eorum quibuscum rem habuerat, pro arbitratu suo: qui libentissime etiam sic datam recepere. Cecrops autem ex AEgypto redux legem hanc pro-*

[z] Cap. xxiv. 21. [a] Rabbi Uriah, ex Rabbi Juda Bar Simon, ibi Parasch. 23. [b] *Beresith Rabba* ibidem. Sed alia horum nominum etyma habes in Gem. Hierosolymitana ad tit. *Jabimoth*, cap 6. fol. 7 col. 3. § 5. [c] Haeresi 8. [d] Maimonid. Halach. *Ishoth.* cap. 14 [e] Videsis Petrum Fabrum Semestr. 2. cap. 1. [f] Demosthen Orat. contra Neaeram. Athenaeus Dipnosoph. lib. 13. Et videsis Samuel. Petit. in Leges Attic. lib. 6 tit. 1. [g] Hist. Ecclesiast. lib. 4. c 26. & vide Baron. alios, & C. de Incest. nupt. [h] MS. in Biblioth. Oxon. fol. 24 a.

mulgavit;

mulgavit; dixitque regionem Atticam ex more pristino eversam. Dein igitur mores amplexae pudicos maritis se junxere virgines innuptae. Et quae vitiata etiam fuisset, cuicunque vellet nubebat. Adeo autem admirabantur regiam hanc legem Athenienses, ut inde ab eis rex ipse διφυὴς *nuncuparetur, ut volunt aliqui, quoniam sic nobilitata est proles ex eo quod parentes dignosceret.* Ita sane & nominis ratio redditur apud Athenaeum[i]; apud alios, aliter.

C A P. VII.

De divortio ex jure naturali seu omnium juxta Ebraeos ante legem Mosaicam seu extra illam communi, ac de concubinae & uxoris nomine; & obiter de vocabulo Anglicano **Wife.**

MAtrimonium igitur, ex jure, quod docent Ebraei, naturali, erat viri & foeminae, sive unius sive plurium foeminarum, tam ex concubitu quam consensu praeeunte, conjunctio, vitae consuetudinem continens. Non adjicimus individuam, quod Christiani habemus in matrimonii[a] definitione. Neque enim separari aut dividi nequibant conjuges, seu matrimonium dirimi, nisi ex singulari aliqua legis permissione, seu repudii causa; neque communis consensus (quo ex veteri jure Caesareo distrahi matrimonia scimus) necessarius erat ut dirimeretur. Neque individua dici potuit vitae consuetudo quae aequo jure a marito pluribus communicabatur. Quemadmodum vero ex veteri jure Caesareo distrahebantur matrimonia[b], alia quidem consentiente utraque parte, pactis causam, sicut utrique (ut verba sunt Justiniani) placuerit, gubernantibus; alia vero, per occasionem rationabilem, quae etiam *bona* [c] *gratia* vocabatur; alia, citra omnem causam; alia quoque, cum causa rationabili (cui libertati sanctiones tam Caesareae [d] etiam quam pontificiae haud parum derogarunt) ita ex jure naturali ab ipsis rerum primordiis communi citra ullam omnino causam ea distrahi fas fuisse volunt magistri; idque pro libitu tam uxoris quam viri: quod etiam ex praescriptis aliquot causis jure Caesareo olim permissum est. Adeo ut pactum matrimoniale hic non aliud haberetur quam sociorum contractus, qui eo usque stabilis manet dum in eodem consensu utrinque perseveratur, & renunciante societati [e] alterutro solvitur. Ita, sive viro sive uxore matrimonio renunciante, solutum aiunt fuisse contractum, velut divortio plane legitimo. Moses Maimonides[f], ad mentem Gemarae Babyloniae[g], hac de re, בן נח שייחד שפחה לעבדו ובא עליה הרי זה נהרג עליה משום אשת חבירו ואינו חייב עליה עד שיפשט הדבר ויאמרו כל העם זו דבית עבד פלוני ומאימתי תחזור להיתירה משיפרישנה מעבדו ויפרע ראשה בשוק ומאימתי תהיה אשת חבירו כגרושה שלנו משיוציאנה מביתו וישלחנה לעצמה או משתצא היא מתחת רשותו ותלך לה שאין להם גירושין בכתב ואין הדבר תלוי בו לבד אלא כל זמן שירצה הוא או היא לפרוש זה מזה פורשין *Noachides* seu *gentilis, si conjugaverit ancillam in contubernium servo suo, etiam ipse*, si cum ea rem habuerit, *ultimo supplicio puniendus est, eo quod uxorem alienam compresserit. Sed hoc nomine reus ille neutiquam est usque dum manifestum fuerit contubernium, & publice dignoscatur eam ex servi ejusmodi familia* velut conjugem *esse. Undenam vero fiet ut cum ea licite denuo concumbat? Nimirum si disjungat eam a servo suo* (nam utriusque voluntas in potestate domini) *& caput ejus palam aperiatur*, si detecto capite in publicum ea prodeat; quoniam [h] non sine velo nuptae prodire solebant. *Undenam vero fiet ut aliena apud Noachidas* liberi hominis *uxor similis fiat ei quae apud nos divortio separatur? Nimirum si aut ex aedibus vir eam ejiciat, & solutam dimittat, aut ipsa exeat e potestate ejus, & eum relinquat. Neque enim ad eos libellus divortii attinet. Neque res est omnino*, uti apud nos, *forensis: Caeterum quandocunque sive viro sive uxori disjungi invicem placuerit, disjungantur.* Unde & occurrit interdum in vetustissimis scriptis Talmudicis[i], בני נח אין להן קידושין אין להן גירושין *Noachidis nec sunt nuptiae*, solennes scilicet illae, & ex consensu tantum contractae, ut ante ostensum est, *nec divortia*, qualia nimirum Ebraeis praescripta. Sed שניהן מגרשין זה את זה *alteruter conjugum pro libitu connubium solvit.* Et appositissime Josephus Scaliger[k]; *Apud Romanos & Graecos tam mulier quam vir potest alter alteri dicere ut res suas sibi habeat. Quin nomina rei illius propria jure Attico prodita erant, ut si vir discederet ab uxore, hoc diceretur* ἀποπομπὴ, *si mulier a viro*, ἀπόλειψις. Voces has in re Graecorum divortii memorat Julius Pollux[l]. Discriminis autem rationem recte exhibet Samuel Petitus[m]; *Cur uxor*, inquit, *non dicatur* ἀποπέμπειν τὸν ἄνδρα, *ratio est, quod uxor nupta deducitur domum mariti, neque potest* ἀποπέμπειν, *id est, ejicere, virum ex illis aedibus quarum ea domina est: at potest eum relinquere, & ab illius aedibus recedere.* Quod vero aiunt Ebraei *ad Noachidas* seu gentiles *non attinere libellum divortii*, id intelligendum est, nec scilicet quemadmodum ex lege sacra apud Ebraeos, nec ex rei natura omnino divortiis eorum necessarium esse ex jure quo tenentur naturali libellum: Pro libitu autem adhiberi posse, & adhibitum ex civili, quod superinduxerint, jure. Unde tam Graecis quam Romanis libellus in usu. Quale pariter dicendum de eo quod est, Ebraeorum divortium Noachidis *rem neutiquam esse forensem.* Graeci libellum divortii sive τῆς ἀποπομπῆς, ubi vir foeminam ejiciebat, sive τῆς ἀπολείψεως γράμματα, ubi haec illum relinquebat, nuncupabant[n]. Et Archontis Athenis erat sortiri judices[o] apud quos

[i] Lib. 12. [a] Instit. tit. de patria potestate in princ. [b] Novell. 22. cap. 4. & 117. cap. 10. [c] Novell. 98. cap. 2. [d] C. de Repudiis l. 8. Novell. 22. c. 4. & 117. cap. 10. C. Theodos. lib. 3. tit. 16. Harmenopul. Prochir. lib. 4. tit. 12. & videsis Alberic. Gentil. de Nuptiis lib. 6. cap. 4. [e] Instit. tit. de Societate, §. manet. [f] Halach. *Melakim*, cap. 9. [g] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. b. [h] Glossa Jarchii, ad citat. Gemarae Babyloniae locum. [i] Gemara Hierosolymit. ad tit. *Kidoschim*, cap. 1. fol. 58. col. 3. [k] Animadvers. Euseb. num. 2015. & de paganorum divortiis vide Alex. ab Alexand. Genialium dierum, lib. 4. cap. 8. Et Alphonsum a Vera Cruce Specul. Conjugior. part. 2. art. 9, 12, 13. [l] Onomastic. lib. 3. cap. 3. [m] Comment. in leges Atticas, lib. 6. pag. 459. [n] Plutarch. in Alcibiade. [o] Andocides Orat. in Alcibiad. & Isaeus pro Pyrrho.

disceptandum utrum divortii causa esset legitima. Morem illum ἀπολείψεως, quae nullo pacto legitima erat Judaeis, inducere tamen ex jure seu exemplo aliarum gentium voluit Salome Herodis magni soror, cum Costobaro marito suo libellum repudii mittebat, quod scribit Josephus[p]. Sed aut proselyta ea fuit, aut libertina, aut ancilla in Judaismum cooptata, aut plane gentilis (qua de re vide inferius, capite vigesimo secundo) non omnino originaria. Exemplum ejusmodi aliud sub id tempus habetur in Herodiade[q] Aristobuli filia. Certe & de ἀπολείψει seu divortii libello ab uxore misso, velut de eo quod in declinante Ebraeorum statu aliquantulum contra mores avitos inoleverat, loquitur Christus; *Si*[r] *uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, moechatur.* Quin & divortii pro libitu alterutrius conjugum usus repertus est apud novi orbis incolas; quod docet Alphonsus a Vera Cruce[s] in academia Mexicana theologiae olim professor primarius. Atque advertendum quod habet de divortiis apud alias gentes D. Augustinus[t], de eis ex lege evangelica locutus; *Aliter*, inquit, *se habere jura gentium quis ignorat, ubi, interposito repudio, sine reatu aliquo ultionis humanae, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit; cui consuetudini simile aliquid propter Israelitarum duritiem videtur permisisse Moses de libello repudii.* Quae cum ita sint, manifestum erit qualesnam fuerint concubinae, id est, פילגשים sic dictae ante legem; neque obscurum, qualesnam eae quae post legem in sacro sermone hoc nomine indigitantur. Quod ad concubinas ante legem attinet, concubinae Abrahae[v], Nachoris[x], Jacobi[y], Eliphazi[z] a Mose memorantur. Et Tertullianus[a], *Sane apud veteres nostros, ipsosque patriarchas, non modo nubere, sed etiam plurifariam uti matrimoniis fas fuit. Erant & concubinae.* Cum vero legitima uxor, consensu praeeunte, eoque concubitu, ut ostensum est, firmato, in vitae consuetudinem acciperetur, pluresque ita simul possent rite haberi; cumque matrimonium pro alterutrius conjugum arbitratu nunquam non esset, idque, nisi interveniret lex adversa civilis, sine libello, solvendum, juxta scilicet jam dictam magistrorum de Noachidarum jure sententiam; sequitur, concubinam, quae item in concubitum & vitae consuetudinem aeque adscisci soleret, nec leviori divortii genere disjungi posset, aut nomine tenus duntaxat, aut saltem dignitatis tantum minoris (ubi, verbi gratia, ancilla esset, aut generis obscuri) ratione, ab uxore discrepasse; jugalem autem contractum nodumque utrique eundem ipsum fuisse. Apposite Philo, Καὶ Ναχὼρ, inquit[b], *καί τοι ὁ ἀδελφὸς Ἀβραὰμ, ἔχει δύο γυναῖκας, ἀστὴν τε καὶ παλλακήν. Ὄνομα δὲ τῆς μὲν ἀστῆς Μελχὰ, Ῥουμὰ δὲ τῆς παλλακίδος, Etiam Nachor Abrahae frater duas habuit uxores, justam & concubinam. Justae nomen erat Melcha; concubinae, Ruma.* Neque patitur ratio ut aliter sit de ipso contractu sentiendum. Quin expresse satis adstipulatur sacra scriptura. Cetura (quam eandem cum Hagare ancilla fuisse plerumque[c] volunt orientales) dicitur a Mose אשה seu *uxor* Abrahae; quae ipsa in paralipomenis[d] *concubina* nuncupatur. Et egregie ad hanc rem, quod ex sacro contextu habet D. Augustinus, cui Cetura & Hagar diversae sunt, uti fere Christianis: *Ambae*, inquit[e], *& uxores Abrahae & concubinae sunt appellatae. Sara vero nunquam dicta est concubina, sed uxor tantum. Nam & quando data est Hagar Abrahae, ita scriptum est*[f], Et apprehendit Sara uxor Abram Agar AEgyptiam ancillam suam post decem annos quam habitaverat Abram in terra Chanaan, & dedit eam Abram viro suo uxorem. *De Cethura autem, quam post obitum Sarae accepit, sic legitur*[g], Adjiciens autem Abraham sumpsit uxorem, cui nomen erat Cethura. *Ecce ambae dicuntur uxores; ambae porro concubinae fuisse reperiuntur, postea dicente scriptura*[h], Dedit autem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, & filiis concubinarum suarum dedit Abraham dationes, & dimisit eos ab Isaac filio suo adhuc se vivo ad orientem in terram orientis. Et Tertullianus, *Abraham*, inquit[i], *mutatus est in digamiam per ancillae concubinatum.* Concubinatus igitur tunc nuptiae erant, & concubina etiam uxor habita. Et quia ancilla erat, ideo *concubinam* dictam fuisse Ceturam volunt magistrorum[k] nonnulli. In universum autem ii concubinas ab uxoribus distinguunt pactis dotalibus & sponsaliorum solennibus. Saepe occurrit illud[l], נשים בכתובה ובקידושין פלגשים בלא כתובה ובלא קידושין *Uxores fiunt cum pactis dotalibus & sponsaliorum solennibus; concubinae neque his neque illis.* Sed hoc maxime ad concubinatum qui post legem in usu attinet; cum scilicet & dotalia pacta & alia atque in pristino seculo solennia, eaque magis necessaria, nuptiis (quod alibi fusius exhibemus) praescriberent; nec tamen ejusmodi quae contractum irritum omissa facerent. Nam ante legem in consensu solum & concubitu, modo ad vitae consuetudinem futuram uterque haberetur, matrimonii substantiam ponebant: solennibus pactisque dotalibus pro libitu omnino adhibitis, quae postmodum etiam ex eorum qui rebus praeerant autoritate praescripta atque aucta formulam etiam legitimam sed non substantiam matrimonii, seu ipsum contractum, mutasse docent. Hinc *concubinarum* Saulis[m], Davidis[n], Salomonis[o], Rehoboam[p] regum, ad magistrorum mentem, nomen rite intelligendum. Unde, cum ex majorum institutis dotem & sponsaliorum solennia nuptiis accedere velint justis hominum privatorum seu subditorum, regi tamen suo fas fuisse, utpote hac lege superinducta soluto, aiunt concubinam[q] sibi בייחוד בלבד *solum concubitu sibi conjungere*, אבל ההדיוט אסור בפילגש אלא באמה העבריה בלבד אחר ייעוד *pri-*

[p] Archaeolog. lib. 15. cap. 11. [q] Idem lib. 18. cap. 7. [r] D. Marc x. 12. [s] Specul. Conjug. part. 2. art. 5. [t] De bono conjugali, cap. 8. quem videsis etiam lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, lib. 1. cap. 8. [v] Genes. xxv. 6. [x] Genes. xxii. 24. [y] Genes. xxxv. 22. [z] Genes. xxxvi. 12. [a] Lib. 1. de unis nuptiis ad uxorem, cap. 2. [b] Lib. τῶν εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου. [c] Targum Hierosolymit & Jonathan Genes. xxv 1. & Jarchius ibi & ad comm. 6. [d] 1 Paralip. i. 32. [e] De Civitate Dei, lib. 16. cap. 34. quem & videsis in Genes ad literam quaest. 90. [f] Genes. xvi. 3. [g] Genes. xxv. 1. [h] Ibid. comm. 6. [i] Lib de Monogamia, cap. 6. [k] Rabbi Bechai ad Genes. xxv. 1. fol. 35. col. 4. [l] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Cethuboth*, cap 5. fol 29. col. 4. §. 3. Babylon. ad tit *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 21. a. Jarchius ad Genes. xxv. 6 Bechai loco citato. David. de Pomis, fol. 143. Moses Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 4. Adde Mosem Mikotzi, Praecep. Negat. 222. [m] 2 Sam. iii. 7. & xxi. 11. [n] 2 Sam. v. 13. [o] 1 Regum xi. 13. [p] 2 Paralip. xi. 21. [q] Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 4.

vato

vato nihilominus ſeu ſubdito interdictam fuiſſe concubinam, ſi excipias ancillam Ebraeam tantum, poſtquam eam ex venditione [r] *patris deſponſaverit.* Qua de re libro proximo fuſius; ubi ancillam illam plane uxorem fuiſſe liquet ſine nuptiarum ſolennibus conjunctam, id eſt concubinam. Certe & Levitae concubina a Benjaminitis nefarie perempta planiſſime uxor habebatur. Is etiam *vir* ejus [s] dicitur: atque in vulgata verſione indiſcriminatim & *uxor* & *concubina* appellatur. In fonte nuncupatur bis אשה פילגש, quod ſive *uxor concubina* ſive *foemina concubina*, uti etiam γυνὴ παλλακή, verti poteſt. Quod itidem dicendum de decem illis Davidis concubinis, quae נשים פילגשים [t], id eſt, ſive *uxores concubinae*, ſive *foeminae*, ſeu, ut Vulgata, *mulieres concubinae* vocantur. Et de Levitae, quem diximus, concubina, ad rem hic inprimis D. Ambroſius [v], *Vir*, inquit, *Levita acceperat jugalem, quam a concubitu concubinam appellari arbitror.* De ſucceſſione etiam liberorum e concubinis apud Ebraeos ſuſceptorum alibi [x], uti etiam de concubinis, plura diximus. Commentum vero habet Elias Levita de nominis פילגש, quo concubina in ſacris literis denotari ſolet, originatione, & veluti uxorem dimidiatam eam inde facit. *Concubina*, inquit [y], *vocatur* פילגש *Pilegeſh*, שהיא מלה מורכבת מן פלג אשה פי חצי אשה ובלשון רומי אדם שיש לו שתי נשים קוראות זו אל זו פלגש *quod vocabulum compoſitum eſt ex* Pelag Iſha, *id eſt, uxore dimidiata; & lingua Latina, ubi quis binas habet uxores, harum altera nuncupatur alteri pellex.* Quaſi *pellex, pallaca*, παλλακή pro concubina, ab Ebraeorum jam dicta voce, quod & alii volunt, deducenda eſſet. Et certe pellicis habetur notio altera [z], quae ipſam hic concubinam recte ſatis denotat. Quemadmodum autem, ubi plures uxores, ibi etiam concubinae plures, mixtaeve concubinae & uxores licitae (ut apud Ebraeos, & fere in oriente alibique apud Mahumedanos) fuere, juxta ea quae dicta ſunt; ita ubi unicam duntaxat uxorem ſuperſtitem (ut non ſolum ex legis evangelicae interpretatione, ubicunque ea viguit, ſed ex civiliorum ita dictarum Europae diu ante chriſtianiſmum nationum [a] moribus obtinuit) liceret habere, ibi & unicam concubinam, id eſt, ſine ſolennibus praeviis uxorem ſed uſu tamen ſatis conjunctam, licuit olim retinere; caeterum non magis binas quam binas uxores. Nec unicam hanc magis repudiare fas erat quam uxorem. Cum ſcilicet nomine magis & ſolennibus quam re invicem diſtarent. Juriſconſulti Graeci [b], Παλλακή ἐστιν ἡ συζῶσά τινι ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, νομίμου χωρὶς γάμου, *Concubina eſt quae cum aliquo in aedibus cohabitat, ſine matrimonio legitimo*; ſine formulis matrimonio praeſcriptis, non ſimpliciter ſine matrimonio. Et veteri apud Harmenopulum [c] conſtitutione Caeſarea concubinatus, qui κοινωνία τῆς παλλακῆς ibi dicitur, nomine γάμου οὐκ εὐπρεποῦς ſeu *matrimonii indecori* deſignatur. Hinc Julius Paulus, celeberrimus ſub Alexandro Severo, id eſt, antequam chriſtianiſmus in imperium Romanum receptus eſt, juriſconſultus, *Eo tempore*, inquit [d], *quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt*; alias licitam, ut uxorem ſine ſolennibus. Neque vero ingenua eo aevo, ſed tantum ancilla, liberta, libertinave, in concubinatu ita proprie dicto potuit eſſe ſine [e] teſtatione manifeſtum hoc faciente; quae ſi accederet, nullis aliis adhibitis ſolennibus, ingenua, concubinae nomine depoſito, uxor honoris cauſa dicebatur; caeteris, quae ingenuae non erant, concubinis [f], ut inferiore dignitatis nota, appellatis, & ſola animi deſtinatione [g] ſeu affectione aeſtimatis [h]. Inſtauratum poſtea eſt jus illud quo nefas erat uxorem ſimul & concubinam (id eſt, alteram cum ſolennibus, ſaltem teſtatione ſatis manifeſta, alteram ſine hac, ſine illis, ſed utramque conjugem) habere; idque tum a Conſtantino Magno [i], tum a Juſtiniano [k]. Etenim velut in diverſa ſub uno tempore conjugia convenire, ad Ebraeorum morem, id deputabatur. Unicam vero, qualem diximus, concubinam in vitae conſuetudinem (non ad tempus [l] certum ex contractu) adhibitam, loco uxoris, neque ea minus licite conjunctam, in veteri eccleſia ei cui uxor alia nondum eſt habere [m] permittebatur, uſque dum Caeſareae [n], Pontificiae [o], minorumque gentium ſanctiones, praeter vetuſtum etiam in chriſtianiſmo [p] morem, de ſolennibus conjugiorum quorumcunque ſacriſque benedictionibus, publica eorum teſtatione, atque id genus aliis ita vim ſortirentur, ut conjugia aliter inita pro interdictis, etiam interdum & irritis [q], haberentur. Neque forſan obſervatu indignum videatur; cum *ſponſae, conjugis, jugalis, concubinae*, id genus aliorum nominum, etiam & τῆς אשה & γυναικὸς pro uxore notationes apertae ſint, atque ejuſmodi ut poſſeſſio & uſus matrimonialis, ſive tori ſocietas atque ſexus eis palam indicetur; *uxoris* interim, quae e priſca ante chriſtianiſmum latinitate deducta eſt, notationem quidem nimium latere, ſed tamen a Grammaticis aliquot a ſacro [r] ungendi, in ſolennibus nuptiarum, liminis ritu peti, ideoque etiam *unxorem* eam olim dici: perinde ac ſi abſque ſacris illis ſeu ſolennibus nuptiarum, etiam ex ipſa vocabuli vi, nulla proprie illo nomine fuiſſet indigitanda. Certe ſacris, veluti interventui ignis & aquae (qui veteribus *ſacramentum* [s] *foederis nuptialis* dicebatur) farri, confarreationi [t], ejuſmodi aliis non paucis locum

[r] Ex lege Exod. xxi. 8. [s] Judic. xix. 3. ubi vid. comm. 1, 9, 27. & cap. 20. 4, 5, &c. & videſis Henning. Arniſaeum de Jure Connubiorum cap. 5. [t] 2 Sam. xv. 16. [v] De Officiis lib. 3. cap 14. [x] De ſucceſſ. in bona defuncti, cap. 3. [y] In notis ad David. Kimchi radices verbo פלגש. [z] L. Maſſurius, 144. ff. de verb. ſignific. [a] Vide Sixt. Empiric. Pyrrhon. hypotypoſ. lib. 3. cap. 24. Caeſar. de Bello Gallico lib 6. ubi de Britannis, &c. Athenaeum Dipnoſ. 13 ubi de Cecrope, Suidam in eo, Petr. Fabrum in Semeſtr. lib. 2. cap. 1. Jacob. Ravard. lib. de autoritate prudent. cap. 1, &c. [b] Baſilic. apud Theodorum Balſamonem in Photii Nomocanon. tit. 13. cap. 5. [c] Prochir. lib. 4. tit. 7. [d] Sentent Recept. lib. 2. tit. 20. adde ff. tit. Communia de Manumiſſionibus l. 3. in fine. [e] Marcianus l. 3. ff de Concubinis, & Modeſtinus l. 24. ff. de Ritu Nuptiarum. [f] Ulpianus l. 1. ff. de Concubinis. [g] Paulus l. ult. ff. eodem titulo. [h] Ulpianus l. 3. ff. de donat. inter virum & uxorem. [i] L. unic. C. de concubinis. [k] Novell. 18. cap. 5. & 89. c. 12. Adde l. ult. ff. tit. Communia de manumiſſionibus. [l] D. Aug. de bono conjugali cap. 17. cauſ. 32. q. 2. c. 5. [m] Dict. novell. & concil. Toletan. 1. cap. 17. diſt. 34. c. 4. [n] Novell. 74. cap. 4. Leonis conſtit. 89. & 91. Harmenopulus Prochir. lib. 4. tit. 4. & 7. [o] Cauſ. 30. q. 5. & extr. de cland. deſponſ. c. 3. [p] Tertull. lib. 2 ad uxorem cap. 9. & lib. de pudicitia, cap. 4. D. Ambroſ. epiſt. lib. 3. ad Vigilium. adde Franciſc. Hotoman. quaeſt. illuſtr. 25. & Dionyſ. Gothofred. ad Leonis conſtit. 89. [q] Leo conſtit. 89. Harmenopul. lib. 4. tit. 4. & 7. [r] Donatus in Terentii Hecyram. [s] Lactantius lib. 2. de origine erroris cap. 10. Adde Dionyſ. Gothofred. ad l. 66. ff. de donat. inter virum & uxorem. §. 1. [t] Boetius, in Ciceronis Topica & Servius ad Virgilii Georgic. lib. 1. Arnob. lib. 4. alii.

fuisse in nuptiarum solennibus scimus; atque in iis, liminis etiam unctioni, cui praeerat dea *Unxia* dicta. *Unctionibus superest* (sic apud Arnobium [t] legimus) *Unxia, cingulorum cinxia replicationi, victa & potua sanctissimae victui potuique procurant. O egregia numinum & singularis interpretatio potestatum! nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur a sponsis, nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent atque imminentes mariti, nisi potarent & manderent homines, dii nomina non haberent?* Et Josephus Scaliger [v], *Unxor dicendum erat pro unctor. Ejusmodi enim erant verbalia apud veteres*, uxor *pro* unctor, pacio *pro* pactio. *Ita dicta est, quia adipe lupino postes novi mariti ungeret.* Sed interea versum adfert Ennii Donatus, seu quis alius ejusmodi in Terentii Hecyram, quo ritus ille unde & *uxor* etymon habeat probetur; quod tantum abest ut inde fiat, ut nec ad nuptias omnino, sed ad funus Tarquinii, versum illum unctionemque in eo memoratam spectare a viris doctis [x] recte observetur. Ut ut se res hic habeat, tam coemptione & usu quam confarreatione seu farre (qui modus erat nubendi religiosissimus) uxores omnifariam fiebant, & proprie ita dicebantur, cum tamen nec usus nec coemptio sacra ulla haberent. Adeo ut vocabulum illud non minus ac caetera jam dicta, undecunque demum derivetur, possessionem ac usum matrimonialem, seu tori societatem, etiam citra sacra, veteribus indicaret. Quin ipsum sexum tantum *uxoris* nomine, ac si *mulieri* aut *foeminae* seu τῇ אשה & *γυναικὶ* synonymum esset, denotat Martialis [y];

Conviva quisquis Zoili potest esse,
Summoenianas coenet inter uxores.

Et [z],

——*resina,*
Summoenianae qua pilantur uxores.

Prostibula, quae in summoenio, seu suburbana innuit; summoenianas mulierculas, sive nuptas sive innuptas. Sed has ante illas; quae raro satis in Roma veteri in prostibulis. Et videmus sane in linguis provincialibus, Latinam parentem suam agnoscentibus, vocabula quae uxorem denotant, ex pronunciatione, sive barbara sive decurtata, foeminae seu mulieris (quae sexum duntaxat respiciunt) possessivo adjunctae, enasci. Quin & vox illa **wife**, qua nos Angli ut conjugio propria, non aliter ac veteres Romani generatim *uxoris* vocabulo, utimur, transmissa ad nos est ab Anglosaxonibus, seu majoribus nostris vetustioribus, quibus vocabulum illud uxorem non aliter denotabat atque *foemina* seu γυνή, seu id quod sexum sequiorem simpliciter etiam designaret. Adjecto possessivo, dicebant illi, ut nos, **his wife**, id est, hyꞅ ƿiꝼ, seu *foemina ejus*, ut scimus ex evangeliis [a] Anglosaxonicis. Nam in eis pro eo quod est *benedicta tu in mulieribus*, legitur [b], Ðu eaꞃð ᵹebleꞇꞅoð on ƿiꝼu & beꞇƿux ƿiꝼum, ac si diceremus, **thou art blessed among wives**; & pro illo [c] *Quaedam mulier ei dixit*, ꞅum ƿiꝼ him ꞇo cƿæð; uti & pro *Erat* [d] *enim mulier gentilis*, ꞅoðlice þ ƿiꝼ ƿæꞅ hæðen; & pro *Venit* [e] *mulier de Samaria*, þa com þæꞃ an ƿiꝼ oꝼ Samaꞃia: qualia occurrunt etiam sexcenta. Cum interim ex possessivi adjecti vi idem ipsum vocabulum non minus illis quam nobis uxorem seu conjugem denotaret; veluti [f] Ælc man þe hyꞅ ƿiꝼ ꝼoꞃlæꞇ ⁊ oðeꞃ nimð ꞅe unꞃihꞇ hæmð, *Omnis qui dimittit uxorem suam* (Anglosaxonice hic *foeminam suam*) *& alteram ducit, moechatur.* Et [g], Ða cƿæðon hys leoꞃnunᵹ cnihꞇaꞅ; Ꞡiꝼ hyꞇ ꞅƿa ys þam menn mið hys ƿiꝼe ne ꝼꞃemað nonum menn ꞇo ƿiꝼienne, *Dicunt ei discipuli ejus, Si ita est causa hominis cum uxore* (cum foemina sua) *non expedit nubere.* Alia ejusmodi obvia sunt plurima. Quin & ubi apud P. Orosium habetur Constantium Constantinum filium ex concubina Helena, creatum imperatorem Galliarum, reliquisse, Anglosaxonica ejusdem versione [h] substituitur hiꞅ ƿiꝼ pro *concubina* Sed vero in MSS. aliquot vetustis vidi deletum τὸ *concubina*, & supra scriptum *uxore*, nec manu recenti. Certe nec dispar ȝ **Weib** Germanis usus: ex possessivi vi uxorem seu conjugem significat, ex sua simplici foeminam, ut *femme* Gallis. Et videsis quae de *mulieris* & *uxoris* nomine habet Tertullianus [i]. Sed de hisce hactenus. Et a jure matrimoniali, qua Noachidarum ex magistrorum sententia conjugia spectat, ad personarum, quarum in seculo illo legem scriptam seu Mosaicam antevertente ratio hic habenda est, cognationes, ut superius institutum est, transimus.

CAP. VIII.

De primorum parentum liberis, & de conjugiis, inque eis cognationis, veluti fratris, sororis, filiae, sub ipsis rerum initiis ratione.

QUOD ad cognationes personarum, quarum hic ratio habenda, attinet; eae aut in ipsis fere rerum initiis, quando scilicet praeter primos parentes eorumque liberos nondum quis alius exstaret, reperiuntur, aut in seculis sequentibus atque Mosem antevertentibus, quando pro conjugiorum multiplicatione multiplicaretur etiam cognationum varietas. Sub ipsis rerum initiis aliter nequibat fieri quin & fratribus sorores, eaeque & germanae & uterinae nuberent, aut parentibus liberi conjungerentur. Sed tam novercam privigno quam matrem filio nunquam non interdictam fuisse volunt, ut supra ostenditur. De filiabus autem (quas ante legem scriptam minime vetitas [a], uti nec diserte alias, praeter matrem & sororem uterinam, ut ostensum est, volunt) ita Gemara Babylonia [b] legitur; מפני מה לא נשא אדם את בתו כדי שישא קין את אחותו שנאמר כי אמרתי עולם חסד יבנה: *Quamobrem non in uxorem duxit Adam filiam suam,*

[t] Adversus gentes lib. 3. [v] Ad Festum verb. *Author.* [x] Paull. Merula ad Annalium Ennii lib. 3. [y] Lib. 3. Epig. 82. [z] Ibid. Lib. 12. Epig. 32. [a] D. Matt. v. 31, &c. [b] D. Luc. i. 28 & 42. [c] Ib. xi. 27. [d] D. Marc. vii. 26. [e] D. Joann iv. 7. [f] D. Luc. xvi. 8, &c. [g] D. Matt. xviii. 10. [h] MS. in Biblioth. Cottoniana. [i] Lib. de veland. virginibus cap. 5.

[a] Videsis R. Bechai ad *Vaicra* fol. 148. col. 2, 3. [b] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 58. b.

seu

z

seu *ex filiabus aliquam? Ideo quod Cain duxit sororem suam*; *secundum id quod scriptum* [c] *habetur, nam dixi, indulgentia* seu *benignitas aedificavit seculum*, seu *mundum*. Quod ut rite intelligatur, sermone ampliori opus est. Primis parentibus utriusque sexus liberi fuere; Mares, Cain, Abel, Seth; quibus, in oriente adjiciunt orientalium nonnulli, ex majorum [d] traditione, Abdalcariths; nisi putes nomen illud fuisse Caini tantum appellativum, atque inde Adae filios sic ex incogitantia auctos fuisse. Scribitur عبد الحارث Certe id sonat Arabice, *cultor agri*, quemadmodum in Genesi diserte Cain nuncupatur. Quin apud Mahumedanos legitur, primum Evae foetum a parentibus nominatum fuisse عبد الحارث *Abdalcariths*, seu *cultorem agri*, cum dici debuisset عبد الله *Abdalla*, seu *cultor Dei*, quo etiam spectasse Mahumedem in Alcorano ubi de primo Adae & Evae coitu loquitur, scribit Achmetides paraphrastes [e]. Atqui & plures Adamum habuisse filios, satis elicitur ex ipsa Mosis historia; qua de re satis ante dictum est. Filias etiam eum suscepisse non minus expresse tradidit [f] Moses. In universum autem, filios fuisse ei duodecim, filias binas, alii [g]; alii filios [h] triginta tres, & viginti septem filias, ex veterum orientalium monumentis edocti scriptum reliquere. Habent etiam inde nonnulli [i] tum filiorum qui adjecti sunt, tum filiarum nomina. In filiabus autem apud Epiphanium memorantur Save & Azura, apud Cedrenum Azua, depravate proculdubio pro Azura seu Ἀζουρᾶ, ut habet Epiphanius, qui eadem cum Cedreno, scilicet Leptogenesis, autoritate hic usus est. Methodii Patarensis episcopi historiolae seu revelationis editionibus nonnullis [k] Calemera & Lebora (quae aliis Debora [l]) pro Calmana & Lembora, ut rectius scribendum [m], Adae filiae nominantur. Quin apud Saidum Batricidem, patriarcham Alexandrinum, Azrona & Awina Adae sunt filiae primae. Verba ejus sunt

ووقع ادم على حوي فحملت وولدت غلاما
وجارية فسمي الغلام قاين وسما الجارية
ازرون ثم حملت حوي وولدت غلاما وجارية
فسمي الغلام هابيل وسمي الجارية اوين

Et concubuit Adam cum Eva, quae concepit, & peperit puerum & puellam: Et vocavit puerum Cain, puellam vero nominavit Azron. Rursus concepit, & puerum itidem & puellam peperit; quorum hanc Awin, illum Abel nominavit. Subjungitur autem in altero exemplarium, quibus utor, sed recentiori, Awinam dici بالرومي لبورا *lingua Romana, Leboram*; quod ad consimile nomen e Methodio jam ante notatum attinere nullus dubito. Apud Mahumedanos [n] etiam habetur filia Adae & Evae Machuveliet nuncupata; ubi commentum etiam adjicitur, *Praeter Seth, omnes partus Evae gemellos fuisse, singulos ex masculo & foemina.* Adeo ut de primorum parentum gemellis opinio veteres suos, tametsi non ubique similes, autores non solum apud Ebraeos (ut ex eis [o] supra notatum est) verum etiam apud Mahumedanos, ipsosque demum orientis christianos habuerit. De harum conjugiis etiam eorundem autorum plerique loquuntur. Epiphanius, e Leptogenesi, Οἵ τε τούτου, inquit [p], υἱοὶ ζευχθήσαν, ὁ μὲν Κάϊν τῇ ἀδελφῇ τῇ μείζονι Σαυὴ οὕτω καλουμένῃ, ὁ δὲ Σὴθ τρίτος υἱὸς, μετὰ τὸν Ἄβελ γεννηθεὶς, τῇ λεγομένῃ αὐτοῦ ἀδελφῇ Ἀζουρᾷ, *Et ipsius* Adae *filii matrimonio conjuncti sunt*; *Cain nimirum, sorori majori Save dictae*; *Seth vero tertius filius post Abel genitus, sorori suae quae Azura vocabatur.* Sane & Setho eam Adae filiam quam Asuam nominat (Azuram, puto, innuens,) nuptam esse scribit Cedrenus. Vetustus autor vitae Mahumedis Sethi uxorem fuisse ait Machuveliet jam dictam: Saidus vero Batricides, Azronam, Caini gemellam sororem, ipsi fuisse in uxorem ductam; Awinam autem, gemellam Abelis, Setho nuptam. Et rem de hisce, cujus in libris editis ne vestigia puto comperta esse, ex receptis orientalium traditionibus narrat; primos nempe parentes, tametsi fratribus sorores conjungere tunc necesse erat, nihilominus ita statuisse, ut qui, in ipsis fratribus & sororibus, magis essent caeteris invicem natalibus dissiti, non conjunctiores, matrimonio copularentur: Conjunctiores vero fuisse gemellos quam qui partu diverso nascerentur: Inde adolescentibus, quos ex eodem autore memoravimus, gemellis, eorum paria ita disjungi voluisse, ut gemella fratri qui non esset gemellus nuberet. Gemellorum autem nuptias etiam tum illicitas fuisse, veluti eorum οὓς ἡ μὲν φύσις, ut ait Philo [q], ἅμα τῇ γενέσει διήρτησε καὶ διέζευξε, *quos ipsa quidem natura ipsis natalibus disjunxit invicemque separavit.* Hinc Caino Awinam, Abeli Azronam destinasse. Quod cum Caino, qui sororem sibi gemellam, utpote venustiorem, deperiret, maxime displiceret, Adamum utrumque filium, alterum ut frugibus, alterum ut pecorum foetu numini in monte sancto faceret monuisse; utque ad bonam mentem, quae peractis sacrificiis adesset, nuptias inirent. Peractis sacrificiis Cainum, ne gemella sibi soror alteri jungeretur, fratrem illiso in caput saxo interfecisse; idque animo, ante sacrificium, praestituisse. Azronam ita sibi in uxorem cepisse (sed uxor ejus Pseudophiloni [r] nescio unde edocto Themech dicitur) atque in convallibus cum posteris suis impie vitam transegisse. Sethum vero, Adami auspiciis, Awinam cepisse in uxorem; montem sacrum (ubi etiam sepultus, ut vult ille, Adam) illum ejusque posteros tenuisse; cujus ad radices Cainitarum convalles erant; numen & naturalia jura re-

[c] Psalm. lxxxix. 2. [d] Apud Guil. Schikard in prooemio, ad *Tarich* Regum Persiae, pag 24. [e] Ad Alcoran. azoar 7. in Arab 17. in eod. Lat. [f] Genes. v. 4. [g] Epiphanius, ex Leptogenesi, haeres. 39. [h] Cedrenus, pag. 7. [i] Pseudophilo in Antiquitatibus Biblicis. [k] In Orthodoxographia Jacobi Grynaei, fol. 93. & 101. [l] Vide Petr. Comest. hist. Scholast. lib. 1. cap. 25. [m] Ut apud L. Allatium in Notis ad Eustathium Antiochenum, pag. 213. [n] Vetustus autor de Generatione Machumet, ab Hermanno Dalmata versus. [o] Cap. 3. [p] Haeresi 39. videsis Operis imperfect. in D. Matth. S. Chrysostom. tributi Homil. 1. & Sixt. Senens. lib. 6. annot. 4. [q] Lib. de specialibus Legibus ad Adulterium & Homicidium attinentibus. Sed & videsis R. Eleaezer in *Pirke*, cap. 22. [r] In Antiquitatibus Biblicis

ligiose coluisse, usque dum in convalles, ut e Caini filiabus sibi uxores seligerent, e monte aliqui eorum descenderent, etiam post praestitutum commune omnibus بدم هابيل *per sanguinem Abelis* juramentum se non descensuros. Unde & explicatur Batricidi illud[s], *Videruntque filii Dei filias hominum quod pulchrae essent, & acceperunt sibi in uxores ex omnibus quas elegerant*, Sethum nimirum & posteros ejus *filios Dei*, Caini filias neptesque *filias hominum*, utpote hominum vitiis nimis sordescentium, nuncupari. Certe & *Dei* nomine Sethum fuisse celebrem ex Leptogenesi scribit Cedrenus: Sed *filios Dei* seu *Dei liberos* posteros ejus tum ob pietatem atque Adae similitudinem dici, tum eo quod sibi in populum eos elegerat numen, monent etiam Ebraei[t] nonnulli; aliis[v] etiam ipsorum, loco illo Genesis angelos, qui Caini filias nepotesque sibi in conjugium sumpserant, intelligi, cum patribus aliquot christianis, autumantibus. Observandum vero, versionibus orientalium plerisque ibi non *filios Dei* (id quod in Ebraeo est (בני אלהים) sed *filios magnatum* seu *principum* verti. Sic enim Onkelos Chaldaeus בני רברביא, quod idem sonat. Sic etiam paraphrasis Uzielidi tributa. Et in versione Arabica tam Judaeorum Mauritaniensium quam R. Saadiae *filii* vocantur الاشراف *nobilium* seu *principum*; quemadmodum item Symmacho, qui vertebat τ̃ δυναστευόντων, *potentum*. Nec alia mente Aquila, cui *filii* τ̃ Θεῶν, *Deorum*, ibi legebatur. Judaei etiam Hispanienses, *y vieron hiios de los grandes a hiias del hombre que buenas ellas.* Tawasius autem in versione Persica pro eo quod est hic *filii Dei* habet فريستكان خودا *Magnates Dei*; quemadmodum & veterum Graecorum versio, qua usus est tum Philo[x] tum D. Augustinus[y], οἱ ἄγγελοι τ̃ Θεοῦ, *angeli Dei*. Qualem lectionem etsi fuere inter patres[z] qui non agnoscerent, manifestum tamen est antiquissimam fuisse, eo quod etiam reperiatur in codice Hellenistarum versionis summae antiquitatis, quod cimelion est serenissimi regis nostri ad D. Jacobi bibliothecae, ex oriente ante annos aliquot allatum. Sed hoc obiter. Verba autem Batricidis, quae ad rem quam tractamus inprimis attinent, adjicimus;

فلمّا كبرا الغلامان قال ادم لحوي لياخذ قاين
اوين التي ولدت مع هابيل ولياخذ هابيل
ازرون التي ولدت مع قاين فقال قاين لامّه حوي
انا اخذ اختي وياخذ هابيل اخته لان ازرون
كانت احسن من اوين فلمّا سمع ادم هذا الكلام
شقّ عليه جدّا وقال هذا خلاف الوصيّة ان
تاخذ اختك التي ولدت معك وكان قاين فلاحا
الارض وكان هابيل راعي غنم فقال لهما ادم

Cum vero pueri adolescerent, praecepit Adam Evae, ut Cainus Azinam, Abelis nempe gemellam, sibi conjungeret; atque Abel item Azronam, quae Caini gemella soror erat, in uxorem duceret. Sed matri suae Evae dixit Cain se ducturum sororem suam, & Abeli fore conjunctam suam sororem: Etenim Azrona venustior erat Azina. Hoc cum audisset Adam, valde conturbatus, at, inquit, nefas tibi est uxorem accipere sororem tuam, quae tibi gemella. Erat vero Cain cultor agri, & Abel pastor ovium. Dixit autem illis Adam ea quae superius[a] ex Batricide hac de re afferuntur. Sequitur dein,

فازداد قاين على هابيل غضبا وحنقا حسد
اخاه فلمّا نزلا من الجبل شدّ قاين علي هابيل
فضرب راسه بحجر فقتله واشتدّ حزن ادم
وحوي وناحا على هابيل مائة سنة ولعن الله قاين
ولاولاده وكان قاين فزعا مرتعشا دايما ايّام حياته
وطرده الله في غربة في نود واخذ قاين
ازرون اخته معه وكان مسكنه هناك ثم وقع
ادم علي حوي فحملت بعد ان اتا علي ادم
مايتين وثلثون سنة وولدت غلاما فسمّاه شيث
وكان شيث صبيح الوجه جبّارا تامّ الخلق مثل
ابيه ونوابع الجبابرة الذين كانوا قبل
الطوفان فزوج ادم لشيث اوين اخت هابيل
وولد له منها انوش وولد لانوش قاينان

Unde ira commotus est Cainus in Abelem, atque indignatus eum invidebat. Itaque cum e monte descenderent, involat in Abelem Cain, & caput ejus saxo percutiens occidit eum. Adam vero & Eva moerore afflicti plangebant Abelem centum annos. Et exsecratus est Deus Cainum ejusque posteros. Et erat Cain animo perturbato, homo subdolus errabundusque, dum vivebat. Et ejecit eum Deus ut velut exsul ageret in Nod. Et cepit Cain Azronam sororem suam secum, atque ibi sedes posuit. Rursus concubuit Adam cum Eva, quae concepit tricesimo supra ducentesimum anno (interpretum Graecorum calculum sequitur) *postquam primo congressi sunt, & puerum peperit, atque vocavit eum Seth. Erat autem Seth aspectu pulchro, for-*

[s] Genes. vi. 2. Ad quem locum, praeter ea quae obiter occurrunt multa, videsis Suidam in verbo Μισαφαίας, Librum Henoch apud Josephum Scaligerum in Notis ad Eusebium, pag 244. & Jo. Drusium in Notis ad Sulpitium Severum, pag. 23. [t] Rabbi Jehuda Ben Samuel. in *Sepher Chasid*, part. 1. §. 95. *More Nevochim*, part. 1. cap. 14. [v] Apud R. Eliezer in *Pirke*, cap. 23. adde Apocryph. Enoch apud Jos. Scaliger. in Notis ad Eusebium, pag. 244. vide annot. supra lib. 2. cap. 12. pag 273. [x] Lib. de Gigantibus. [y] De Civitate Dei, lib. 15. cap. 23. & in Genes. quaest. 3. [z] D. Chrysostom. in Genes. hom. 22. & Theodoret. quaest. 47. [a] Lib. 3. cap. 2.

tis,
6

tis, nec naturae dissimilis a patre; & parens erat gigantum, qui ante diluvium, Conjunxit vero Adam Setho in matrimonium Awinam sororem gemellam *Abelis, cui ex ea susceptus est Enos, cui natus est Cainan.* Ut igitur id quod ex Gemara Babylonia superius citatur rite tandem ad magistrorum mentem capiatur, ideo aiunt a filiarum nuptiis abstinuisse Adamum, quoniam eae filiis ejus erant ducendae ad genus humanum commodius multiplicandum: sed ducendae velut ex indulgentia temporis, id est, rerum initiorum necessitate id exigente, cum citra illam necessitatem fratribus sorores uterinas conjungi etiam ex jure primaevo nefas fuisset. Quin & indulgentiam hanc, seu juris quod ad liberos spectabat relaxationem, velut interdicto [b] ejus, quod parenti alias fuisset neutiquam illicitum, tunc compensatam. Certe & notatur apud scriptores aliquot christianos [c], Evam velut plane filiam Adae fuisse, utpote quae ex ejus carne desumpta, indeque formata. Etiam indulgentiae hujus in lege Mosaica mentionem fieri volunt magistri. Lex ait [d]; *Vir qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, aut filiam matris suae, & viderit turpitudinem ejus, & ipsa viderit turpitudinem illius,* חסד הוא (pro quibus verbis substituunt Hellenistae ὄνειδός ἐστι, *flagitium est*; Vulgata, *rem nefariam sunt operati*; interpretes fere alii tantundem; sed Talmudici זה חסד, quod saepissime in prophetarum lingua occurrit pro *gratia, benignitate,* seu *indulgentia,* & rarissime alibi interpretibus aliter sonat, etiam sumunt hic pro *gratia* seu *indulgentia seculi primaevi,* adeo ut ad eorum mentem vertendum sit) *indulgentia erat; exterminabuntur in oculis filiorum populi sui: turpitudinem sororis suae discooperuit, iniquitatem suam portabit.* Quasi in ipsa lege scripta, qua tam germana quam uterina soror interdicebatur, praeoccupatio intercessisset objectionis quae fieri potuisset de ipsis rerum initiis, quando sorores etiam uterinae fratribus nubebant, atque aptata fuisset responsio, illud tunc temporis ex gratia seu indulgentia, rem necessitate exigente, obtinuisse. Itaque Gemara Hierosolymitana [e]; דכתיב ואיש אשר יקח את אחותו בת אביו או בת אמו וראה את ערותה והיא תראה את ערותו חסד הוא שלא תאמר קין נשא את אחותו הבל נשא את אחותו חסד עשיתי עם הראשונים שיבנה העולם מהם אמרתי עולם חסד יבנה *Ubi in lege scripta habetur, Vir* [f] *qui acceperit sororem suam, sive filiam patris sui sive filiam matris suae; & ille viderit turpitudinem ejus, atque illa turpitudinem illius viderit, indulgentia erat; id adjicitur ne objicias, At Cainus sororem suam in uxorem duxit, ac Abel suam etiam in uxorem duxit sororem; atque intelligendum est ac si interfertum fuisset, indulgentia* seu *gratia usus sum erga homines primaevos, quoniam ex eis mundus aedificatus est. Dixi* [g], *indulgentia aedificavit mundum.* Et glossa Jarchii ad citatam legem, מדרשו אם תאמר קין נשא אחותו חסד עשה המקום לבנות עולמו ממנו *Exponi solet; si objicias Cainum in uxorem duxisse sororem suam, id ex numinis indulgentia factum est, ut aedificaretur seculum illius ex eo.* Quin paraphrasis Chaldaica Jonathani tributa legis illius vocabula illa חסד הוא *indulgentia erat,* ita fusius enarrat; גניי הוא ארום חסדא עבדית עם קדמאי בין בגלל דיתמלי עלמא מנהון עד לא איתיהיב קיימא בעלמא ומן דאתיהיב קיימא בעלמא כל דיעבד כדין וגו' *Turpe est. Caeterum indulgentia usus sum erga homines primaevos, ideo quod ex eis mundi fierent propagines, usque dum satis multiplicatum esset genus humanum. Sed postquam id satis multiplicatum est, quicunque ita faceret,* &c. & poenam in sacro sermone adjectam subjungit. Ubi tamen, contra mentem magistrorum, tam germanam quam uterinam sororem, postquam satis multiplicatum est genus humanum [h], & cognationum crevit varietas, interdictam fuisse innuit. Nam ante legem Mosaicam & post humani generis multiplicationem, quae uterina non esset, fratri ex Noachidarum jure interdici nolunt Talmudici, ut antea ostensum est; Germanam nempe, seu quae paterno tantum sanguine conjungeretur, neutiquam fuisse ante fratri illicitam. Sed illam sororum non habent hic distinctionem, qua vetustius illud seculum spectant, patres christiani, dum rationes tamen magistrorum rationibus non dissimiles fere hac de re adhibent. Epiphanius, *sorores fratribus* sub ipsis rerum initiis *conjungi* οὐκ ἦν, inquit [i], ἀθέμιτον, ἐπεὶ μηδὲν ἕτερον γένος ἦν. Καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς, ὡς εἰπεῖν, ὁ Ἀδὰμ τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ σχεδὸν τῇ ἐκ τοῦ σώματος αὐτοῦ πλασθείσῃ συνήφθη, κατὰ συζυγίαν αὐτῷ ἐκ Θεοῦ πεπλασμένῃ, καὶ οὐκ ἦν παράνομον, *Non erat illicitum, cum progenies nulla erat alia. Imo & ipse Adam propriae, ut ita dicam, filiae velut ex corpore ipsius formatae, quae & a Deo in conjugium ei formabatur, conjunctus est; nec illicitum erat.* Et paulo post, *Multiplicato genere humano,* ἡ ἀκρίβεια, inquit, ἡ κατὰ τὸν γάμον τὸ σεμνὸν ἐπλατύνετο καθεξῆς προβαίνουσα, *Cura de nuptiis honestis ampliata est, &, ut res tulit, invaluit.* Et deinde; Λοιπὸν οὐκέτι τὰς αὐτῶν ἀδελφὰς πρὸς γάμον ἤγοντο, ἀλλὰ εἰς διοικίαν κατέστη, ὃ πρὸ τοῦ διὰ Μωϋσέως ἐγγραφῆναι νόμους, ὁ κατὰ τὸν σεμνὸν γάμον θεσμός· καὶ ἐκ τῶν πατραδέλφων αὐτῶν τὰς γαμετὰς ἑαυτῶν ἤγοντο. *De caetero non amplius in uxores sorores ducebant suas, sed juris vim obtinuit de matrimonio lex, etiam ante scriptam a Mose legem. Et ex patruorum filiabus uxores sibi ducebant.* Et D. Augustinus [k], *Cum non essent ulli homines nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profecto quanto est antiquius, compellante necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente.* Et inferius paulo; *fieri ergo debuit quando potuit, ut, exsistente copia, inde ducerentur uxores quae non erant jam sorores. Et non solum istud ut fieret nulla necessitas esset, verum etiam, si fieret, nefas esset. Nam etsi nepotes primorum hominum, qui jam consobrinas poterant accipere conjuges, sororibus matrimonio jungerentur; non jam duae sed tres in homine uno necessitudines fierent, quae propter charitatem numerosiore propinquitate nectendam disseminari per singulos*

[b] Glossa Jarchii ad Gem. Bab. tit. *Sanhedrin,* cap. 7. fol. 58. b. [c] Epiphanius haeres. 39. [d] Levit. xx. 17. [e] Ad tit. *Sanhedrin,* cap. 16. fol. 26. col. 4. §. 1. [f] Levit. xx. 17. [g] Psalm. lxxxix. 2. Atque ita uterque locus intelligitur in *Sepher Zohar* ad *Vaicra* fol. 38. col. 2. *Cremonae* & fol. 77. Mantuae. & R. Eliezer in *Pirke,* cap. 22. [h] Genes. vi. 1. [i] Haeresi 39. videsis Alexand. Halens. summ. part. 3. quaest. 27. art. 3. [k] De Civitat. Dei lib. 15. cap. 16. Adde Caus. 35. qu. 1. cap. 1.

singulae

singulae debuerunt. Alias subnectit de sociali inter homines vinculo latius, ex patruelium consobrinorumque, & qui fratribus ac sororibus invicem essent disjunctiores, nuptiis diffundendo rationes, quas praetermitto.

C A P. IX.

De ratione cognationis habita in conjugiis inter ipsa rerum initia & tempus datae legis Mosaicae.

De cognationibus sub ipsis rerum initiis, qua matrimonia spectabant, jam dictum est. In sequentibus usque ad Mosaicam legem seculis, praeter Abrahae nuptias cum sorore tantum non uterina initas [k] (ita volunt, ut ante est ostensum; [l] unde & eum docuisse ait Clemens Alexandrinus [m] τὰς ὁμομητρίας μὴ δεῖν ἄγεσθαι πρὸς γάμον, *uterinas sorores non oportere in uxores duci)* & binas sorores simul [n] Jacobi in uxores ductas, quarum neutrae ex lege Mosaica non diserte [o] interdictae sunt; exemplum in primis habetur illud Amrami, qui uxorem duxit Jochabedam amitam suam. Nimirum [p] τῷ Levi filius erat Koathus, & filia Jochabeda. Koathi autem filius Amram, Mosis pater; de quo ipse, *Accepit,* inquit [q], *Amram Jochabedam* דודתו, id est, *amitam suam, in uxorem; genuitque illa ei Aharonem & Mosem.*

Levi
Koath Jochabed
Amram

In Vulgata habetur, *Accepit autem Amram in uxorem Jochabed patruelem suam:* & Hellenistis ea appellatur θυγατὴρ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *filia patrui sui.* Certe etiam דודה pro *patrui uxore* alibi [q] sumitur, & pro *uxore* sive *avunculi* in Vulgata [r], sive *patrui,* quae generatim est συγγενής Hellenistis. Sed loco de Amramo adducto amitam seu patris sororem vocabulo illo denotari, non modo evincit ipsa genealogia sacra, sed consentiunt versiones orientales. Onkelos expresse אחת אבוהי *sororem patris sui.* Eodem sensu habet Pseudouzielides חבובתיה idem seu amitam sonans, & Arabica tam Judaeorum Mauritaniensium quam Saadiae versio عمته aliud non significans, & Tawasii Persica, ex eodem factum, عمه‌اي Judaei item Hispanienses, *su tia.* Atque ita expresse volunt [s] Talmudici. Binorum etiam fratrem cognatione liquet non obstitisse in hoc intervallo quo minus mortuo alterutro uxor ejus superstiti conjungeretur. Exemplum, nec sine juris testatione, habetur in Judae filiis [t] ejusque nuru Thamar. Cum autem Jacobo uxores Isaac patrueles essent, qualis etiam τῷ Esau Basematha uxor ejus [v] Ismaelis filia, & Rebecca ab Isaaco unico gradu longius distaret, nec Loti ex conjugio cum filiabus esset concubitus; aliud quod huc spectet, ex sacris Ebraeorum monumentis observari, puto, nequit, nisi illud de Juda & Thamar, quae, cum nurus ejus esset, ex Mosaica lege [x] plane fuisset ei ob filii cognationem interdicta, velis ad hanc rem attinere. Nam & hosce sunt apud Ebraeos qui matrimonio conjunctos fuisse volunt, idque divinitus, seu ex voce e coelo in honorem Messiae parentum delapsa, dum in judicio ipse in eam, veluti flagitii ream (qua de re plura ubi de poenis Noachidarum libro septimo agitur) sententiam erat laturus. Et quod habetur in scriptura [y], ולא יסף עוד לדעתה, quod ab interpretibus fere vertitur, & *non adjecit ultra cognoscere eam,* seu, quod idem est, *ultra non cognovit eam,* id accipi volunt aliqui pro eo quod contrarium est, *Non cessavit cognoscere eam,* id est, re detecta, *non abstinuit ab ejus concubitu.* Certe verbum id יסף, quod plerumque *adjicere* sonat, etiam *cessare* aut *abstinere* alibi interpretatur. Moses de LXX senioribus Mosi adscitis, unde consessus magnus natus est; *Et [z] factum est cum requiesceret spiritus super eos, prophetaverunt,* ולא יספו, quod in Vulgata est *nec ultra cessaverunt,* id est, ולא פסקין ut tam Onkelos quam Pseudouzielides ibi; tametsi & eo in loco Hellenistae habeant, καὶ οὐκ ἔτι προσέθεντο, *& non ultra adjecerunt,* quemadmodum etiam intelligunt [a] fere Ebraei. Quin ad verba illa de Juda Rabbi Bechai [b]; ולא יסף עוד לדעתה אחר שקיים המצוה אע״פי שהיתה מותרת לו כל ימיו וכונת האומר ולא יסף עוד לדעתה והוא פסק שמותרת היא לו ואשה הקנו לו מן השמים *Et non adjecit ultra cognoscere eam, scilicet postquam perimpleverat mandatum* de multiplicatione generis humani, *tametsi ipsa ei esset licita omnibus diebus suis. Etiam & qui locum illum sumit pro eo quod est, & non cessavit, sensus ejus est, eam fuisse ei licitam, utpote uxorem divinitus acquisitam.* Etiam in christianis sunt qui horum nuptiis hic adstipulantur. Paulus de Abbatia Pollicinii, Calmaldulensis, J. U. D. congregationis sacrae Eremi Abbas olim generalis, *In hoc mysterio,* inquit [c], *necesse erat ut Judas voluntarie corrigeret seu expelleret motum illum deformem, qui fuit per concupiscentiam carnis, cum altero motu honesto, hoc est per matrimonium sanctum, ut esset Thamar nurus Judae, pro solutio tristitiae suae quam habuit, mater honorificata in aevum.* Et paulo post, *Itaque persuasissimum nobis est quod eadem hora qua mulier accersita comparuit ad tribunal, desponsaverit eam sibi Judas, instigante Deo, perinde ac si torqueretur anxietate expellere pudorem.* Nuptias autem ejusmodi, legibus Mosaicis non consonas, licitas aiunt [d], eo quod initae sunt קודם מתן תורה *antequam lex traderetur.* Noachi uxor, tametsi in scriptura sacra minime nominatur, nec quemnam virum consanguinitate contingeret in ea compertum est, traditio tamen apud Ebraeos habetur, eam fuisse Noemam Lamechi Adae, in Caini posteris, trinepotis filiam [e], adeoque a Noacho, qui ab Ada in posteris Sethi nonus est, gradu nono, juxta calculum juris pon-

[k] Genes. xx. 12. [l] Stromat. 6. [m] Genes. xxix. 30. [n] Levit. xviii. 9 & 18. [o] Exod. vi. 16. & [illegible] [p] Ibid. xx [q] Levit. xviii. 14 [r] Ibid. xx. 20. [s] Gloss. ad Talmud. tit. *Sanhedrin,* cap 7 fol. 58. b. & ad Exod. vi. 20. [t] Genes. xxxviii. 8. [v] Ibid. xxxvi. 2. [x] Levit. xviii. 15. [y] Genes. xxxviii. 26 [z] Numer. xi. 25. [a] *Sepher Siphri* apud Sal. Jarch. ibid. [b] Ad Beresith fol. 51. b. col. 3. videsis de hoc loco, R. Isaac. Abarbanel ad *Beresith,* fol. 1[illegible] col. 4 [c] In Theoremat. Gestorum Thamar, pag. 145, 151. [d] Gloss. Talmudic. tit. *Sanhedrin,* fol. 58. b. R. Isaac Abarbinel ad *Vaicra,* fol. 255. col. 3, 4. [e] Genes. iv. 22.

tificii,

tificii, distitisse. R. Abba Bar Kohena [f], נעמה אשתו של נח היתה *Noema uxor erat Noachi.* De ea quam diximus diserte loquitur. Memoratur etiam [g] Barthenos pro Noachi uxore. Sed vero & nomen & cognationem aliam omnino ejus uxoris habet Saidus Batricides, aliquoties ante laudatus, patriarcha Alexandrinus, uti & conjugum trium ejus filiorum. Duxisse is scribit ex apocryphis orientalium monumentis, Noachum Hacalam filiam [?] Namusa, qui ei est filius Enochi, proavi Noachi, atque hanc ipsam fuisse quae cum eo in arcam est ingressa; filiam nempe patrui ejus magni, atque ita tertio, ab eo, gradu dissitam. Enoch hic is ipse est (quod obiter notari non displiceat) qui Arabibus ادريس *Aidris* nuncupatur, nec semel in Alcorano eo nomine memoratus, واذكر في الكتاب ادريس انه كان صديقا نبيا ورفعناه مكانا عليا *Memor* [h] *esto in hoc libro Aidrisii, quoniam erat propheta veridicus, & cum nos in locum excelsum elevavimus.* Alibi item [i], ut Azoara jam dicta, Ismael & Aidris conjunguntur. Atque ad verba illa Alcorani Mahumed Ben Achmed paraphrastes;

هو جد ابي نوح هو حي في السماء الرابعة وقيل السادسة او السابعة

Hic avus erat patris Noachi, seu Noachi proavus; *& vivit in coelo quarto, seu, ut volunt alii, in sexto aut septimo.* In Latinis codicibus editis alter Alcorani locus perperam habet *Hesoram,* alter *Hesdram.* Nec melius Italus ille Arrivabenius, qui Latinam Retinensis versionem quoties secutus non est, pejorem multo Italice substituit, nec Arabici codicis ope, contra quam jactat, usus esse videtur. Sed in manuscriptis Latinis locus uterque habet *Hesdram* pro *Aidrisio.* Scriptor item christianus ille Saidus Batricides;

في ثلثة عشر سنة من حياة لامخ اصطفى الله اخنوخ ورفعه اليه والعرب تسميه ادريس


Anno XIII *aetatis Lamechi selegit Deus Enochum, & eum sibi sursum sumpsit. Is Arabibus dicitur Aidris.* Unde etiam inter Jaredum & Methusalam, seu inter patrem Enochi & filium ejus, ponitur Adrisius, scilicet pro ipso Enocho, in monumento illo orientalium quod vulgavit Guilielmus Schikardus [k]. Sed, ut ad uxores Noachi & filiorum ejus revertamur; Saidus ille ex orientalium traditionibus, filiorum ejus, ait, singulos Methusalae filias, nempe amitas suas magnas, ut ex superiori stemmate (ab eo quod in Pseudophilone [l] habetur satis diverso) liquet, in uxores cepisse, Semum Talitham seu Talibam, Chamum Nachilatham seu Tachilatham (nam utroque modo scribuntur) Japhetum Arlisisiam, quae & Dalsisia exaratur. Verba ejus sunt, ubi de tempore diluvium proxime praecedente loquitur,

ولم يبق في الجبل المقدس الا نوح وحده وامراته اسمها هيكل ابنة ناموسا ابن اخنوخ وثلاثة اولاده سيم وحام ويافث وثلثة نسوة لهم وهم من بنات ماتوشالح واسم امراة سيم صليت واسم امراة حام نحلت [m] واسم امراة يافث ارليسيه فلما كثر الفسد في الارض اختلط اولاد شيث باولاد قاين اللعين وعملوا المعاصي واستعملوا الفسق وانعكفوا على الملاهي

Neque relicti sunt in monte sancto aliqui praeter Noachum solum & uxorem ejus, cui nomen erat Hacala filia Namusa filii Enochi, & tres filios ejus, Sem, Cham & Japhet, & tres eorum uxores, quae erant ex filiabus Methusalae. Nomen vero uxoris Sem erat Talitha; nomen uxoris Cham, Nachilatha; & demum Japhethi, Alisisia. Et postquam scelera crevere in terris, commiscebantur posteri Seth cum posteris Cain maledicti, impia facinora committentes; atque adeo libidini consuescebant ut ad eam explendam se totos devoverent. Ita ille octo personas tantum in arca salvas facit; quem numerum habet itidem sacra scriptura [n]. Sed sunt etiam inter christianos orientis qui numerum illum auxerunt, veluti Constantinus Manasses [o], cui non solum ipse Noachus, uxor, filii tres, totidemque nurus, verum etiam νυμφίοι θυγατέρων, *generi,* adeoque, puto, filiae, in arca navigarunt. Quin Mahumedanis nonnullis commentum est fuisse

في السفينة ثمانية وسبعون نفسا نصفهم رجال ونصفهم نساء

in arca personas LXXVIII, *quarum pars altera viri, altera foeminae,* ut legitur in Achmetidis paraphrasi in Alcoranum, qui etiam interdum [p] numero rotundo eos fuisse ait octoginta; atque



[f] In *Beresith Rabba* parash. 23. atque inde Sal. Jarchius ad Genes. iv. 22. [g] Apud Epiphan. haeres. 26. [h] Azoar. 19. Arab. 29. lat. [i] Azoar. 21. Arab. 31. lat. [k] Prooem. ad Tarik Regg. Pers. pag. 24. [l] I. Antiquitat. Biblicis & vide de uxorum harum nominibus addit. ad Petr. Comest. Hist. Schol. lib. 1. cap. 33. [m] Exemplari in vetustiori تحلت *Tachilatha* legitur, & pro Semi uxore صليب *Taliba,* uti & pro Japheti دلسيسة *Dalsisia.* [n] D. Petrus 1. epist. iii. 20. & Genes. vii. 7. & 13. & vide Syrum in loco D. Petri citato. [o] In Annalibus. [p] Ad Azoar. 11. Arabic.

eorum alii aliter. Sed adeo tenaces fuere in oriente ac ſibi certi de numero hic octonario, tam Mahumedani aliquot q quam chriſtiani, ut diſerte ſcribant Noachum ſociosque in arca inde egreſſos urbem exſtruxiſſe, eamque nominaſſe ثمانين علي عددهم *Tzhemanin* (quaſi dicas octonarium) *juxta ſui numerum*, ut ſcribit Saidus Batricides, qui rem ita explicat اسمي نحن ثمانية نفس *ac ſi dixiſſent* eo in nomine, *nos animae* ſeu *perſonae ſumus octo*. Quoniam vero τὸ ثمانين *octoginta* quidem in numerorum ordine etiam denotat, ideo puto Mahumedanos aliquot ex vocabulo quod nomen factum erat urbi proprium ut octonarium perſonarum numerum deſignaret (uti expreſſim Batricides, cui octo itidem numerantur) numerum octogenarium perperam conjeciſſe. Quod vero ut in callem redeamus, ad nefariam illius aevi libidinem attinet, de qua jam ante Batricides; ſane Ebraeorum aliqui illam ſignantius quam aliud aliquod flagitium denotari volunt a Moſe, ubi cauſas innuit ob quas diluvio genus fere humanum puniebatur, & tam ſpurciſſimam paederaſtiam [r], atque beſtiarum concubitus, quam illicitos foeminarum, in iis locum habuiſſe primarium. Et Rabbi Iſmael ad illud [s], *quoniam omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*, כל ניקום שנאמר השחתה אינו אלא דבר ערוה וע"ז דבר ערוה שנ' כי השחית כל בשר את דרכו ע"ז דכתיב פן תשחיתון ועשיתם וגו' *Ubi*, ait [t], *vocabulum* Haſhchatha *pro corruptela* hominum *uſurpatur*, *aut rem turpitudinis*, id eſt, nefarios concubitus, *aut cultum extraneum fere ſignificat. Rem turpitudinis, ubi dicitur, Quoniam omnis caro corruperat viam ſuam; cultum extraneum, ubi dicitur* [v], *Ne ipſos vos corrumpatis, & faciatis vobis ſculptile*, &c. Sed vero horrendum illud concubitus maſculi ſcelus initia habuiſſe aiunt Mahumedani poſt diluvium, ſeu Loti tempore; cujus, uti & Sodomae, notiſſima eſt e ſacris hiſtoria. Non ſemel memoratur in Alcorano, Lotum Sodomitas increpuiſſe, ſceleris hujus incuſaſſe, atque adjeciſſe,

ما سبقكم بها من احد من العالمين

Non [x] *praeceſſit vos in eo quiſquam e ſeculis*, quod interpretatur Achmetides per الانس والجن *neque ex hominibus neque ex diabolis*; unde in Latino codice dicitur *ſcelus a nemine*, & *nuſquam ante perpetratum*. Sed vero quid in moribus Mahumedanorum de hoc ſcelere reperiatur, docet Guilielmus Poſtellus [y]. Quod autem ad locum e Geneſi citatum attinet, praeter *carnis corruptionem*, qua illicitos ibi concubitus innui volunt, memoratur etiam magiſtris cauſa altera, quae חמס dicitur, id eſt, *rapina, concuſſiones, injuſtitia* (nam & ἀδικίαν vertunt Helleniſtae) particularis. *Repleta* [z] *eſt terra injuſtitia*; quod de judicum, atque eorum qui in judiciis rebus praeerant repetundarum criminis rei, pravitate maxime vult intelligi Salomon Jarchius. Explicat tantum per לא נחתם גזר דינם אלא על הגזל *Minime abſolvebatur decretum judicis niſi per concuſſionem*, ſive *extorto munere*. Sed aliis *, היותר נראה בפסוק כי להיוה סוגי העונות שנים מה שבין אדם לחבירו ומה שבין אדם למקום *potius locus ille* de corruptione terrae *intelligendus videtur de binis illis iniquitatum generibus ſummis, quorum alterum eſt inter hominem & proximum ſuum, alterum inter hominem & Deum.*


CAP. X.

Quomodo cognationis atque affinitatis radius, qua amplexibus conjugalibus, ſive a primis rerum initiis, ſive ex lege in Levitico tradita, fuerint impedimenta, ſimul intelligant Ebraei.

Poſtulat inſtituti ratio demum tam de primaevis illis interdictis ſex nomine גלוי עריות ſeu *revelationis turpitudinum*, id eſt, inceſtus, denotatis, quam de caeteris id genus in Levitico lege Moſaica adjectis, nec diverſo nomine a Talmudicis denotari ſolitis, qua cis legem illam ad Noachidas ſeu gentiles juxta magiſtrorum mentem ſpectarunt, porro videamus. Adeo ut ſatis explicetur tum quomodo illa poſt legem Moſaicam eis ſint intellecta, tum quali ad ea obſervanda obligatione Noachidae ad eorum mentem fuerint obſtricti. Quod ad primum attinet; utriuſque generis commiſtio, in qua etiam primaevorum inſtauratio habetur, ita ſupra [a] deſignatur, ut eorum ſimul numerus quemadmodum in titulo Talmudico *Cerithoth* ſimul & magiſtrorum explicationibus occurrit, fiat viginti ſex. Beſtiae vero, maſculi & menſibus laborantis concubitum, qui in recenſione illa locos occupat ſex, id eſt, IV, V, VI, XXIV, XXV, XXVI, libenter hic praetermittimus; uti etiam alienam uxorem. Nam & de ea quatenus ad Noachidas attinet, & non ſine concubitu conſenſum in vitae communionem, inſequente rite ex jam dicto Noachidarum ſeu gentium naturali jure conjungitur (etenim ex jure Iſraelitico ſeu Ebraeorum civili conſenſum ſeu ſponſalia tantum de praeſenti ſufficere volunt, quod alibi fuſius oſtendimus) antea ſatis locuti ſumus. Sororis item nomine tam germana quam uterina pariter intelligenda. Demptis igitur ſic octo, reſtant in ſuperiori deſignatione octodecim perſonae ſive ob cognationem ſive ob affinitatem diſertis verbis interdictae; ita tamen ut in numero ejuſce deſignationis ſeptimo, ubi matris & filiae concubitus generatim interdicitur, octo ſimul vetentur, partim ex ipſo legis ſermone, partim ex interpretatione ſermonis legis enata. Ex ipſo legis ſermone adjiciuntur ibi quinque, neptis ex filio, neptis ex filia, privigni filia, filia privignae, &

q Abu[illegible]far in Hiſt. Saracenic. apud Almacinum lib. 1 pag. 14. r Sal. Jarchius ad Geneſ. vi. 2. s Geneſ. vi. 12. t In Gem. Bab. tit. Sanhedrin cap. 7. fol. 57. a. adde Jarch. ad Geneſ. vi. 12. & Vaiicra Rabba paraſh. 22. & R Eliazer *Pirke* cap 22, 23. v Deut. iv. [illegible] x Azoar. 7. Arab 17. Lat. & 20. Arab. 39. Lat. y Lib. 2. de Orbis Concordia, pag. 179. z Geneſ vi. 13 * Iſaac Abarbinel in *Piruſh hatorah* fol. 43. col. 1. Adde R. Bechai in *Biur* fol. 18. col. 4 *Sepher Zohar.* ad Bereſith fol. 38 col 3. Cremonae. a Cap. 1. hujus libri.

focrus: Ex interpretatione tres, filia, & profocrus utraque, feu uxoris avia tam paterna quam materna. Univerfas fchemate exhibemus. Mofem hic Zipporae maritum octodecim foemi-



nae, quarum quindecim difertis verbis in lege memoratae literis majufculis denotantur, nominibus quibus five affinitatis five confanguinitatis eum contingunt defignatae refpiciunt: Filia, ex argumento קל וחומר feu *a minori ad majus*, adjecta; & utraque profocru, ex ipfa ratione qua privigni & privignae filiae, feu uxoris ex filio & filia neptes. Scilicet ut hae defcendendo non ducendae funt, ita nec afcendendo alterutra profocruum; quibus nimirum uxor neptis eft. Hafce omnes, & ex lege folas hafce, Mofi, verbi gratia, interdici volunt, aliis non paucis tamen, quas שניות feu *fecundarias* appellitant, ex majorum inftituto feu civili apud ipfos adjectis; de quibus fuo loco[b]. De hifce etiam pronunciata aliquot habent hic minime negligenda, eaque vi ac fenfu legis fubnixa. Nurum, fratriam, patrui uxorem (fcilicet patri fratris germani, non tantum uterini; nam ea in fecundariis recenfetur, ut videre eft in libris de nuptiis) nedum novercam & matrem, etiam repudiatas[c], interdici; etiam viris fuperftites; extra quam ubi frater demoritur liberis non relictis: Tunc enim jure fingulari fratri fuperftiti fratria apud eos ducebatur. Quod vero ad fratrem & fororem attinet, eandem aiunt effe rationem fratris ex ftupro feu adulterio ab alterutro[d] parente fufcepti, & ejus qui thoro natus eft legitimo; uti etiam fororis. Et quod de forore habent, ex verbis illis Mofis, *Quae[e] nata eft domi, aut genita eft foris*, eliciunt. Tantundem habent de amita, & matertera; diverfum non effe, five ex nuptiis five ex ftupro feu adulterio alterutrius parentis prognatae fuerint, modo eo naturalis fanguinis genere eum de cujus nuptiis quaeritur contingant. Idem aiunt de filia[f] five ex uxore ante nuptias five aliunde, ex ftupro aut adulterio, genita. Sex item uxoris confanguinearum aliquam, five focrum fcilicet feu uxoris matrem, five aviam ejus five paternam five maternam, id eft, alterutram in fchemate profocrum, privignam, aut hujus, aut privigni filiam, nec fuperinducere, nec uxore mortua, nedum repudiata, ducere fas effe volunt; nec demum feptimam, uxoris nempe fororem five uterinam five germanam, dum illa fuperftes; tametfi fuerit[g] repudiata. Nam de uxoris forore jam demortuae nunquam dubitarunt; cum verba legis de uxore[h] fint, *dum ipfa adhuc vivit*. De hifce autem feptem foeminis ita in fchemate Zipporae (quam innuptam nunc fingas) fanguine conjunctis; fimul receptiffimum eft, interdictum de revelatione earum turpitudinis, feu alicujus earum concubitu, qua matrimonio impedimentum effe poffit intelligi, ad tempus quod matrimonium praecedit non omnino attinere, fed ipfis legis utrobique verbis לא תקח[i] *non accipies*, haberi לשון קיחה *interpretationem ex captione* alterius earum in matrimonium; nimirum neque ex earum alicujus concubitu citra matrimonium Zipporae & viri concumbentis matrimonium impediri, neque ex Zipporae citra matrimonium concubitu earum aliquam atque concumbentis impediri matrimonium. Veruntamen ex majorum fancito, non ex ipfa lege, inoleviffe aiunt, ut illicitum effet adultero aut ftupratori ullam ftupratae aut adulterae fuperftitis confanguineam[k] dictis cognationis gradibus conjunctam in uxorem ducere, veluti publicae honeftatis juftitiae caufa: Ita tamen illicitum, ut verberum poenam fubiret qui contra faceret, non ut inde matrimonium initum dirimeretur. Sed rem hanc totam, praeter alia, ad veterum mentem, huc fpectantia, ex Maimonidis[l] verbis rectius intelliges. הבועל אשה דרך זנות לא נאסרו עליו קרובותיה שהן השבע נשים שאמרנו אבל חכמים אסרו על מי שנאף עם אשה לישא אחת מן השבע נשים קרובותיה כל זמן שהזונה קיימת׃ מפני שהזונה באה לקרובותיה לבקר אותן והוא מתייחד עמה ולבו גם בה ויבוא לידי עבירה שיבעול הערוה׃ ולא עוד אלא אפילו נטען על אשה הרי זה לא ישא אחת מקרובותיה עד שתמות זו שנטען

[b] Uxoris Ebraicae, feu de Nuptiis Ebraeorum, lib. 1. cap. 2. [c] Maimonid. Halach. *Ifuri Bia*, cap. 2. Gemar. Babylon ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7 fol. 54. . ad Mifn. tit. *Jabimoth*, cap. 3 in Talmud. Babyl. fol. 32 a. [d] Gemar. Babyl. ad tit. *Maccoth*, cap 1. fol. 5. b. & Maimonid. Hal. *Ifuri Bia*, cap. 2. [e] Levit. xviii. 9. [f] Mifn. & Gemar. Babyl. tit. *Sanhedrin*, cap 8. fol. 75 a Maimonid. Halach. *Ifuri Bia*, cap. 2. [g] Salomon Jarchi ad Levit. xviii. 18. & Maimonid. Halach. *Ifuri Bia*, cap. 2. [h] Levit. xviii. 18. [i] Levit. xviii. 17, 18. & ibi Jarchius. [k] Sic cap 5. cau. 35. q 2, 3. & extr. tit. De eo qui cognovit Confanguineam uxoris fuae vel fponfae. [l] Halach. *Ifuri Bia*, cap. 2. & Mifn. & Gemar. Bab. tit. *Jabimoth*, cap. 2. fol. 25, 26. & cap. 11. fol. 77. a.

עליה׃

עליה׳ ואם כנס הקרובה שזנה עם קרובותיה לא יוציא : מי שנטען על ערוה או שיצא לו שם רע עמה לא ידור עמה במבוי אחד ולא יראה באותה שכונה׳ ומעשה באחד שהיו מרננין אחריו עם חמותו והכו אותו חכמים מכת מרדות מפני שעבר על פתח ביתה : הבא על אשה ובתה דרך זנות או על אשה ואחותה וכיוצא בהן הרי זה כמי שבא על שתי נשים נכריות שאין נעשות ערוה זו עם זו אלא בנישואין לא בזנות׳ וכן אם אנס אביו או בנו או אחיו או אחי אביו אשה או פיתה אותה הרי זו מותרת לו וישאנה שלא נאמר אלא אשת ואין כאן אישות׳ אביו או בנו שנשא אשה הרי זה מותר לישא בתה או אמה כמו שבארנו ומותר לאדם לישא אשת בן אחיו׳ ונושא אדם אשה ובת אחותה או בת אחיה כאחת׳ ומצות חכמים שישא אדם בת אחותו והוא הדין לבת אחיו שנאמר ומבשרך לא תתעלם : *Si stupraverit quis foeminam, non adeo* ex lege *interdicitur ei aliqua foeminae illius consanguinea ex septem jam dictis: Caeterum ex sapientum statuto interdicitur stupratori seu adultero ducere in uxorem aliquam ita adulterae seu stupratae conjunctam, quamdiu ipsa adultera seu stuprata superstes fuerit. Ratio est, ne cum adultera aut stuprata consanguineam, ut fieri amat, inviserit, maritus ei congressus & amore denuo captus incestum committat. Quin & qui merito suspectus est, etiam ei consanguinearum ejus cujus nomine suspectus est jam dictarum quaelibet illicita est, quamdiu illa vixerit. Caeterum si quis duxerit stupratam cum consanguineis ejus, necesse non est ut eam repudiet. Ubi quis merito de incestu suspectus est, seu fama laborat publica, cavendum ei est ne cum ea cujus nomine est suspectus alicubi introeat, aut in eisdem aedibus visatur. Et de hac re decisio comperitur. Erat qui, cum nomine socrus passim in ore populi fama laborabat publica, juxta aedium illius ostium transiret. Ex sententia sapientum verberibus, quae in eos qui majorum institutis ultro adversabantur infligenda sunt, puniebatur. Ubi quis concumbit cum foemina, & filia ejus ut stuprator seu adulter, seu cum foemina & sorore sua, aut cum id genus caeteris, hoc non aliud est ac si quis concumberet cum binis quibuscunque foeminis invicem extraneis. Scilicet foeminae non faciunt invicem ut incestus sit nisi tantum ex alterius matrimonio, non ex stupro seu adulterio. Similiter si cujusquam pater, aut filius, aut frater, aut patruus foeminam sive vi sive illecebris compresserit, ei illa rite nihilominus in uxorem duci potest. Nimirum lex de earum uxoribus hic tantum loquitur. Si pater cujuspiam aut filius uxorem duxerit, ipsi sive matrem ejus sive filiam ducere fas est, ut ostendimus. Fas etiam est cuique ducere in uxorem eam quae fuerat uxor nepotis ex fratre; uti etiam foeminam simul cum nepte sive ex sorore ejus sive ex fratre. Et in monitis sapientum habetur, ut* [l] *in uxorem ducat quis ante alias neptem ex sorore seu* (nam idem est jus) *ex fratre neptem, juxta id quod dicitur* [m], "A carne tua ne te abscondas." Afferunt etiam interdictorum de conjunctionibus incestis rationes; alteram, ne, si libera forent erga foeminas interdictas; uti erga caeteras, vota conjugalia, ex futuri matrimonii sive spe sive obtentu, facilius explendae, in familiarum fraudem, libidinis ansa [n] prehenderetur; cum scilicet personae interdictae cum viro cui interdicuntur sive ob consanguinitatem sive ob affinitatem in eisdem simul aedibus plerumque soleant commorari. Cujus generis est etiam illa, ne frequenti tam propinquarum, ut fieri amat, aemulatione [o] lares inquietarentur. Alteram, משרש וענף *a radice & ramo* deductam. *Nefas est*, inquit Maimonides, על שרש וענף שיבעל אחד מהם את חבירו ואין הפרש בין שיבעיר השרש או הענף או שיתקבצו שרש וענף בבעילת גוף שלישי : *Ut radix ramum ducat, aut ramus radicem. Neque discrimen est, sive quis radicem sive ramum ducat, sive conjungantur radix & ramus, seu conveniant ex tertii alicujus connubio.* Et ad hanc attinet triplex [p] illa nonnullorum distinctio [s] קרובה seu *propinquitatis*. Aliam esse שלא היתה שם פרוד מעולם *ubi inter personas distantia* seu *divisio omnino pro nulla habita est:* aliam, שלא היתה שם קרובה מעולם *ubi propinquitas pro nulla omnino habita*; tertiam denique, *ubi sunt* קרובים בשאר בשר שהיו נפרדים כבר *propinqui sanguine conjuncti, sed non ita diu ante disjuncti.* Primum genus fuisse aiunt inter Adamum & filias ejus, atque hasce & ejusdem filios, velut inter radicem & germina pullulantia, atque inter ipsa invicem germina nondum in ramos diffusa. Hic licite conjunctiones matrimoniales qualescunque fieri, tum ob propagationis necessitatem, tum ob ipsam, velut in creatione, unionem. Atque hoc genus, pro diversitate proxime insequentium seculorum morum, ut ad conjunctiones etiam alias quam lege permittuntur Mosaica, eis in seculis habitas, secundum ingenium Rabbinicum attineat, necessum est. Secundi generis propinquitatem volunt haberi in iis qui a parentibus non aliter gradibus aliquot disjunguntur ac rami a trunco praecisi, & sive per insitionem sive per plantationem alio atque alio traducti. Et de horum conjunctionibus non dubitandum. Tertium denique genus in eis esse quorum conjunctiones in lege Mosaica prohibentur; velut in ramis qui satis diffusi nec in radicem retorquendi nec invicem implicandi sunt, sed alio, ut inserantur plantenturve, traducendi. Et in hujusmodi rationibus pronunciare interdum audent, esse טעם הפרשה באסור העריות *Causam periochae illius legis ubi concubitus incesti vetantur.* Sed de hisce non disputamus nos; nec an melius ii qui quatuor humores & quatuor elementa [q] adducunt ad quartum in conjugiis gradum adstruendum; aut, sex aetates [r] mundi, ad sextum. Alii graviori cum judicio [s] hanc rem tractant; quos consulat, si placet, lector. Sed de incesti interdictis diserte Rabbi Menahem Racanatensis; טעם איסור העריות לבעלי הקבלה דבר אין מקובל בו : *Quod ad rationem attinet interdictorum incesti, magistri traditionum de ea nihil certi acceperunt*; tametsi etiam eas quas jam memoravimus non intactas relinquat, velut magistrorum commenta eas interim subjiciens.

[l] Videsis Gemar. Babylon ad tit. *Jalimoth*, cap. 6 fol. 62. b, lin ult. [m] Isaiae lviii. 7. [n] Moses Maimonid. *More Nebochim*, lib. 3. cap. 49. Isaac Abarbinel in *Pirush Hathora*, fol. 355. col. 2, 3. [o] Iben Caspi, in citato Abarbinelis loco. [p] R. Bechai ad *Vaicra*, fol 148. col 3 [q] Concil. Lateran. sub Innoc. 3. extr. cap. 8. Non debet tit De consang & Affinitate. [r] Isidorus Etymol 9. cap 6. & caus. 34. q. 4 c. vir & sent. 4. dist. 40 [s] D. Augustinus de Civitate Dei, lib. 15. cap. 16. Alberic. Gentilis de Nuptiis, lib 5, cap. 7. & seqq Hugo Grotius de Jure Belli ac Pacis, lib. 2. cap. 5. §. 12, &c.

CAP. XI.

Quomodo & unde velint Ebraei gentiles, & quales, legibus de inceſtu in Levitico latis contineri. Obiter tum orientalium tum occidentalium veterum, chriſtianorum, Mahumedanorum, circa conſanguineorum conjugia mores & ſcita.

UT qua ratione tradunt Ebraei leges de inceſtu in Levitico latas ad gentiles ullatenus ſpectare rite intelligamus, animadvertenda ſunt inprimis verba tam quae praecedunt quam quae inſequuntur interdictorum ibi enumerationem. Praefatio ita ſe habet, *Loquere ad filios*[a] *Iſrael, & dices ad eos, Ego ſum Dominus Deus veſter*; כמעשה *juxta factum* (Helleniſtae κτ̀ τὰ ἐπιτηδεύματα, *ſecundum inſtituta*; & Vulgata, *juxta conſuetudinem) terrae AEgypti, in qua habitaſtis, non facietis; & juxta factum regionis Canaan, in quam ego vos introduco, non agetis, neque* חוקותיהם *in legitimis eorum ambulabitis. Judicia mea & legitima mea* (id eſt, *praecepta* ſeu *προςάγματα mea*, eodem vocabulo hic uſurpato quod ante pro *legitimis Cananaeorum) obſervabitis, & in eis ambulabitis. Ego ſum Dominus Deus veſter. Cuſtodietis igitur legitima mea & judicia mea, quae faciens homo vivet in eis. Ego Dominus,* איש איש אל כל שאר בשרו לא תקרבו ἄνθρωπος ἄνθρωπος, *Homo, homo.* id eſt, *unuſquiſque hominum, ad proximam* ſeu *propinquam carnis ſuae non accedat,* nimirum nemo hominum accedat, *ut revelet turpitudinem ejus.* Dein ſequuntur interdicta quae tam ad caeteros concubitus nefarios quam ad propinquarum inceſta & ad Molochi ſacrificia attinent. Quibus abſolutis ſubjungitur, *Nec polluamini in omnibus iſtis. Nam in omnibus iſtis pollutae ſunt gentes quas ego emittam a facie veſtra. Et polluta eſt terra, & viſitabo iniquitatem ejus ſuper eam, & evomet habitatores ſuos. Vos igitur cuſtodietis legitima mea & judicia mea, & non facietis* aliquam *ex omnibus abominationibus iſtis, nec indigena, nec peregrinus* ſeu proſelytus *qui peregrinatur inter vos. Quoniam omnes abominationes iſtas fecerunt homines terrae qui fuerunt ante vos, & polluta eſt terra. Et non evomet terra vos, ſi pollueritis eam, ſicut evomuit gentem quae fuit ante vos? Quoniam quicunque fecerit de omnibus abominationibus iſtis* aliquam, *excidentur* nimirum נכרתו *animae ſic facientes e medio populi ſui. Obſervabitis igitur quod obſervandum praecepi, ne faciatis* aliquod *ex legitimis illis abominabilibus quae facta ſunt ante vos, nec in eis polluamini. Ego Dominus Deus veſter.* Ex recepta a majoribus ſententia & illo locutionis genere איש איש לא וגו׳ *nemo omnino hominum,* &c. Volunt non ſolum ſe ipſos ſed etiam gentiles praeceptis ibi de inceſtu obſtringi. Magiſtri ſaepius[b]; תנו רבנן איש מה ת״ל איש איש לרבות את הגוים שמוזהרין על העריות כישראל׃ *Tradunt Rabbini,* Homo *ibi quid? Senſus eſt ejuſmodi, ut* homo homo *dicatur* (id eſt, *Nemo hominum non,* &c.) *ideo ut etiam gentiles*[c] *comprehendantur, qui tam de inceſtu praemonerentur quam Iſraelitae.* Et magiſtri Hieroſolymitani[d]; איש מה תלמוד לומר איש איש אלא להביא את הגוים שבאו על עריות האומות שידינו כדיני האומות ואם באו על עריות ישראל שידינו אותם כדיני ישראל׃ *Quid* homo? *Senſus eſt ejuſmodi ut* homo homo *dicatur ad gentiles etiam comprehendendos, ut ubi deliquerint in leges ſuas,* id eſt, Noachidarum, ſeu univerſim antea praeſcriptas; de quibus ſupra, *de inceſtu judicandi ſint juxta judicia gentilibus propria. Si vero in leges de inceſtu Iſraelitis proprias, judicandi ſint juxta Iſraelitarum judicia.* Quin Rabbi Bechai[e]; דרשו ר״זל במסכת סנהדרין איש איש אל כל שאר בשרו איש איש לרבות הגוים שמוזהרין על העריות כישראל וכן איש איש כי יקלל אלהיו ואיש איש אשר יתן מזרעו למולך לרבות הגוים שמוזהרין על ברכת השם ועל ע״ז׃ *Docent illud,* Homo homo ad aliquam propinquam ſuae carnis, &c. *Rabbini noſtri piae memoriae, in tractatu Sanhedrin* loco jam indicato, *ideo habere* τὸ homo *iteratum, ut includerentur etiam gentiles, qui de inceſtu tam praemoniti quam Iſraelitae. Eadem loquendi formula uſurpatur eodem ſenſu alibi:* Homo[f], homo, qui maledixerit, (quicunque maledixerit) Deo ſuo; portabit peccatum ſuum. *Et,* Homo[g], homo, qui dederit ex ſemine ſuo Moloch, &c. *Scilicet ut comprehenderentur item gentiles: Qui interdicto quidem tam de maledictione numinis quam de idololatria tenentur.* Certe aliis in Levitici locis איש איש ſeu *homo homo,* id eſt, omnis homo, aliquoties occurrit. Sed aut diſerta quae adjunguntur verba aut ipſa de qua agitur res ad Iſraelitas tantum illis in locis attinere ejuſmodi locutionem indicat. Jam vero id quod ſic habent de gentilibus legibus illis de inceſtu contentis non eodem modo ab omnibus video intellectum. Fuere enim qui omnimodum inceſtum ibi memoratum gentilibus, ſaltem qui ditionis Iſraeliticae, inde interdici voluerint. Gemara Babylonia[h]; תניא כדעתיה דר׳ יוחנן כל ערוה שב״ד ישראל ממיתין עליה בני נח מוזהר עליה אין בית דין של ישראל ממיתין עליה אין בן נח מוזהר עליה דברי ר׳ מאיר׃ והחכמים אומרים׃ הרבה עריות יש שאין בית דין של ישראל ממיתין עליהן ובן נח מוזהר עליהן׃ *Traditur ex mente Rabbi Jochanan* (quod & id ipſum alibi[i] τῷ Rabbi Joſe tribuitur) *de omni inceſtu ob quem mors in foro Iſraelitico irroganda eſt praemoneri gentiles,* in Levitico ſcilicet; *de inceſtu vero cui poena ejuſmodi ibi non irrogatur non praemoneri gentiles ſeu Noachidas. Sic retulit Rabbi Meir. Sed dixere ſapientes complura eſſe inceſtus genera de quibus, tametſi morte in foro Iſraelitico non puniantur, Noachidae nihilominus praemonentur.* Nimirum, praeter illa ſex antiquiora genera, morte puniri ex lege ſacra non pauca alia liquet[k]; ut concubitum nurus, lapidatione; privignae, & neptis uxoris ſive ex filio ſive ex filia,

[a] Levit. xviii. 2. [b] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 57 b. unde habetur in *Peſiktha Zotertha*, fol. 23. col. 3. *Sepher Siphri*, col. 173. alibi. [c] Chriſtianos hac de re vide; Alphonſum a vera cruce ſpec. Conjug. part. 2. artic. 25, &c. [d] Gemar. Hieroſolym. ad tit. *Kidoſchim*, cap. 1. fol. 58. col 2, 3. [e] In *Biur Vaicra*, fol. 148. col. 3. [f] Levitic. xxiv. 15. [g] Levitic. xx 2. & videſis ſupra lib. 2. cap. 12. pag. 268. [h] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 57. b. & vide ibi gloſſas. [i] Gemar. Hieroſolymitana ad tit. *Jabimoth*, cap. 11. fol. 12. col. 1. [k] Levitic. xx. Maimonid. Halach. *Iſuri Bia*, cap. 1. & Miſna tit. *Sanhedrin*, cap. 7, 8, 9.

ſocrus matris, matris ſoceri, filiae, neptiſque ſive ex filia ſive ex filio, vivicomburio. Caeteris excisionis poena, ut etiam omnibus, coelitus exſpectanda, non mortis, imminebat. Atqui, quicquid de gentilibus ita praemonitis hi tradunt, receptiſſima eſt, quantum video, penes Talmudicos ſententia; gentiles in legibus illis de inceſtu ſic tantum contineri ut, quoniam fuere ex jure naturali ſex inceſtus genera ipſis, id eſt univerſo generi humano, ante interdicta, ut oſtenſum eſt, quae ſimul cum aliis jam Iſraelitarum gratia introductis enumerantur, ideo continerentur quidem, ratione jam memorata, gentiles in legum prooemio, ſed non ut inde ad ſingulorum quae ſequuntur inceſtus interdictorum obſervationem tenerentur, ſed ad eorum tantum quae ex jure ſuo ſeu naturali etiam ante obſervanda: Adeo ut quemadmodum Iſraelita quilibet univerſis tenebatur, ita gentilem quemlibet ditionis Iſraeliticae ſeu proſelytum quemlibet domicilii ſex illis vetuſtioribus. Sic reddendo ſingula ſingulis rem capiunt. Unde & Maimonides [l] de jure quoad inceſtum Noachidarum, etiam poſt legem Moſaicam, juxta receptam a majoribus ſententiam; הגוים אין אסורים עליהם משום ערוה אלא אמו ואשת אביו ואחותו מאמו ואשת איש וזכור ובהמה כמו שיתבאר בהלכות מלכים ומלחמותיהם · אבל שאר עריות מותרין להן : *Gentilibus, nomine turpitudinis* ſeu *inceſtus, interdicuntur duntaxat mater, patris uxor, ſoror uterina, uxor aliena, maſculus, & beſtia, quemadmodum explicatum eſt in tractatu de regibus rebuſque eorum bellicis. Reliqua inceſtus nomine interdicta eis permiſſa ſunt*, ſeu *licita*. Atque hac de re vide plura libro ſeptimo, ubi de judiciis inceſtus & illiciti concubitus, quatenus jure gentium ea nitebantur, agitur. Quod vero legitur in poſteriori illius Levitici periochae parte, Cananaeos *pollutos eſſe in omnibus iſtis, & feciſſe omnes iſtas abominationes*, id non accipiunt (quod nec ferunt quae ſuperius oſtenſa ſunt) acſi omnia ibi prohibita adeo antea illicita fuiſſent ut nihil eorum non pollueret terram aut populum, aut non fuiſſet abominatio ante prohibitionem. Sed intelligunt [m] de aliquot antea illicitis, iiſque eorum quae ibi vetantur gravioribus, quibus ſe polluerant Cananaei etiam & illis quae licita antea, jam illicita Iſraelitis fiebant, conſueſcentes. Quoniam vero non ſolum his, ſed illis etiam, quae nec pauca erant, conſueſcebant, id eſt, omnibus ibi memoratis, ideo in omnibus faciendis, tam illis quam his, pollui dicebantur. Illicita quibus ſe antea polluerant fuere, ut ex ſacro liquet ſermone, idololatria, ſeu Molochi cultus, paederaſtia, beſtiarum concubitus, adulterium, matris, novercae, ac ſororis uterinae inceſtus. Nam haec nunquam non illicita, modo uterinam ſub ipſis rerum initiis ſororem, de qua ſupra, excipias. *Abominationes* autem, id eſt תועבות (quod & non nemo veterum [n] *aſpernamenta* alibi tranſtulit) vocantur non ſolum haec, ſed etiam caetera ibi interdicta: Sed haec, quia nunquam non abominationes erant; caetera, quia ex ſacro numinis interdicto jam nomen illud ſatis induebant; non aliter ac in legibus de piſcibus atque avibus aliquot & reptilibus, a quibus Ebraeis abſtinendum erat, non ſemel adjicitur [o], שקץ הוא βδέλυγμά ἐστιν, *abominatio eſt*, & in lege [p] de bove aut pecore in quo macula aut vitium non ſacrificando, כי תועבה הוא ὅτι βδέλυγμά ἐστι, *quia abominatio eſt*. Utrobique *abominationis* nomen non ex priſtina natura rei, ſed ex ſanctiſſimi legiſlatoris, eo in interdictorum ſuorum formulis utentis, placito induitur. Ab eadem ratione itidem omnia ſimul ſub finem capitis nuncupantur חוקות התועבות νόμιμα τὰ ἐβδελυγμένα, *ſtatuta, legitima*, ſeu *recepti mores abominandi* ſive *abominabiles*. Et certe non ſolum apud Cananaeos atque AEgyptios, (quorum moribus interdicuntur Ebraei) ex inſtitutis patriis in jura ipſa primaeva de inceſtu graviter peccatum eſt, ſed etiam, in conſanguineorum maxime commiſtionibus, apud alias tam occidentis (modo magis pudicos veteris in hac re Romae mores excipias) quam orientis gentes. Praetereo maſculam Venerem etiam philoſophis inclytis, ut Zenoni, Cleanthi, Chryſippo [q], probatam, & tam populos πολυάνδρους ſeu *plures uni uxori maritos permittentes*, quam uxorum communitatem, quorum meminit Ptolemaeus [r], Caeſar [s], Athenaeus [t], alii. Notiſſimum autem eſt illud [v], ut de inceſtu orientis videamus;

Nam magus ex matre & gnato naſcatur oportet.

Uti & docuit Xanthus in magicis [x]. Et horrendae Perſarum conjunctiones paſſim apud ſcriptores obviae; matrum, ſororum, filiarum, idque ex inſtituto cujus originem alii [y] Nino, qui Semiramidem matrem duxiſſe fertur, tribuunt, alii, qua magos ſpectat, Nimrodo, (qui item Ninus habetur) quemadmodum ex orientalium monumentis edoctus Saidus Batricides, patriarcha Alexandrinus. De Abraha locutus,

وفي عصره inquit, كان نمرود الجبار
ملك بابل ويقال انه اول ملك ملك ببابل
وابصر شبه الاكليل في السماء من
سحاب فدعى صايغا فصلح له اكليلا
ووضعه علي راسه ومن اجل هذا كانوا الناس
يقولون نزل له تاج من السما ويقال انه اول
من عبد النار لانه راي نارا بعيدة في
المشرق طالعة من الارض فنزل نمرود فابصرها
وسجد لها واقام رجلا هناك يخدم النار

[l] Halach. *Iſuri Bia*, cap. 14. [m] Iſaac. Abarbinel in *Piruſh Hathora*, fol 355 col. 3, 4. Adde nonnullorum opinionem ab Abenezra memoratam ad Levit. xviii. 18. [n] Apud Licinium Rufinum in collat. Leg. jud & Rom. tit. de Stupratoribus, ad Levit. xx. 13. [o] Levit. xi. 10, 12, 20, 41, 42. [p] Deuteron. xvii. 1. [q] Sext Empiric. Pyrrhon. Hypotypoſ. lib. 3. cap 24. & videſis Joſeph. adverſus Apionem, lib. 2. Petrum Guerram de Lorca in Catecheſibus Myſtagog pro advenis e ſecta Mahumedana, cap. 5. [r] Tetrabib. lib. 2. [s] De Bello Gallic. lib 6. [t] Dipnoſoph. lib. 13. & vide Lipſ. ad Taciti German. not. 39. [v] Catull. epig. 90. [x] Apud Clement. Alexan. Strom 3. [y] Chronic. Alexandrin. pag. 86. Conſtantin. Manaſſes, alii.

ويطرح

ويطرح فيها اللبان ومن ذلك الوقت بدا المجوس
يعبدون النار ويسجدون لها وكان اسم الرجل
الذي اقامه نمرود يخدم النار اندشان وكلمه
الشيطان من جوف النار وقال له ليس احد
يقدر يخدم النار ولا يتعلم ديني الا ان يجمع
امه واخته وبنته ففعل اندشان كما قال له
الشيطان فمنذ ذلك الوقت صاروا كهنة
المجوس يجمعون امهاتهم واخواتهم وبناتهم
واندشان هذا هو اول من ابتدا بهذا الراي

Coaevus ei fuit Nimrod gigas, rex Babyloniae. Et dicitur is primus rex qui Babyloniae regnavit. Et cum obſervaverat ſimilitudinem coronae in coelo a nubibus formatam, accerſitis qui conflarent, conflavit ſibi coronam, & capiti ſibi impoſuit. Unde apud vulgus inolevit fama eum diadema e coelo accepiſſe. Dicitur etiam is primus qui ignem coluit. Scilicet cum videret flammas e longinquo in oriente aſcendentes e terra illac ut penitius eas contueretur deſcendit, atque eas adoravit. Illic vero hominem conſtituit qui ſacra miniſtraret igni & in eum thura porrigeret. Atque ab eo tempore coeperunt magi ignem colere, atque adorare eum. Nomen autem hominis quem Nimrod conſtituit ſacrum ignis miniſtratorem, erat Andſhan, cui diabolus e medio ignis hiſce uſus eſt verbis, Nemo hominum potis eſt rite igni miniſtrare, nec mea ſacra callere, niſi commiſceatur cum matre ſua, & ſorore ſua, & filia ſua. Fecit itaque Andſhan juxta quod dixerat ei diabolus. Et ab eo tempore qui ſacerdotio apud magos functi ſunt, commiſceri ſolebant cum matribus, & ſororibus ſuis, & filiabus ſuis. Et Andſhan hic primus erat qui hunc morem incepit. Qui vero exemplari altero exaratur, ut hic, اندشان *Andſhan*, in altero, eoque vetuſtiori, ſcribitur ايدسان *Aidſan.* Neutrum vocalia habet quae opem pronunciationi ferant. Neque habetur apud Graecos aut Latinos nomen magi in quo hujus videantur ineſſe veſtigia, niſi aut *Oſthanem*, *Hoſthanem*, ſeu *Oſtanem* (nam ita variat ſcriptio) ex *Andſhan* aut *Aidſan*, aut hunc ex illo factum putes. Sexcenta ſunt nomina quae ex malo punctorum ſitu & vocalium abſentia non minus ab Europaeorum ſive ſcriptione ſive pronunciatione diſtant, cum ex orientalium characteribus exhibentur. Scio non deeſſe apud veteres [z] qui ſcribant Oſtanem Medum in AEgyptum a Perſidis principibus miſſum ut ſacris Memphi praeeſſet, Democritum Abderitem ibi initiaſſe. Certe quiſquis ille Oſtanes Medus [a] fuerit, ut mille ſupra quingentis, aut circiter, annis citra Nimrodum vixerit neceſſe eſt. Nam Hippocrati Democritum coaevum fuiſſe nemo neſcit, id eſt, circa centum a Perſarum monarchiae initio annos floruiſſe. Sororum autem conjugia Cambyſis tempore atque exemplo apud Perſas coepiſſe tradit Herodotus [b]. Utcunque autem initia inceſtus ejuſmodi apud Perſas ſe haberet, ſane illum in quamplures alias orientis regiones transfuſum eſſe legitur. *Et mos*, inquit Clemens Romanus [c], *apud Perſas matres accipere in conjugium, & ſorores, & filias; & ſub illo omni axe inceſta Perſae ineunt matrimonia. Ac ne forte liceat his qui matheſim ſequuntur uti illo perfugio quo dicant, certas eſſe quaſdam plagas coeli quibus propria quaedam habere conceditur, ex ipſa Perſarum gente aliquanti ad peregrina profecti ſunt, qui Maguſaei appellantur, ex quibus uſque ad hodiernum ſunt alii in Media, alii in Parthia, ſed & in AEgypto nonnulli, plures autem in Galatia & Phrygia, qui omnes inceſtae hujus traditionis formam indeclinabilem ſervant, ac poſteris cuſtodiendam tranſmittunt, etiam cum plagam coeli mutaverint.* Ptolemaeus item de incolis ſecundi quadrantis ſeu maxime auſtralioris Aſiae partis locutus, Τοῖς πλείστοις αὐτῶν, inquit [d], συνέπεσεν ἐκ τῶν μητέρων τέκνα, *Horum pleriſque accidit* (velut ex moribus a ſitu loci inditis) *liberos e matribus ſuſcipere.* Et de quadrantis quarti, in quo AEgyptus, incolis, *Sororibus*, ait, *commiſceri ſolent.* Et in amoribus Clitophontis & Leucippes [e] admittitur, ut moribus Phoeniciis plane conſonum, ſororem, ſaltem non uterinam, matrimonio quempiam jure ſibi conjunxiſſe. Quin & in AEgypto ſororum tam uterinarum quam germanarum, etiam & gemellarum, connubia licita habita, praeter alios [f], ſcribit Philo [g]. Atque decantata ſatis eſt hiſtoriola [h] de Antiocho Sotere, Syriae rege, qui novercam ſibi ut nec illicitam matrimonio copulavit. Ita fere oriens olim: Nec ſolum ſeculis in illis remotioribus ac vetuſtiſſimis: Nam & recentioribus, ſeu ſub annum Chriſti MCLXX, in deſuetudine plane non abierant hujuſmodi in oriente ſeu Aſia citeriore inceſtus. Hujus incolae nonnulli *Dogziin* Benjamino Tudelenſi [i], qui eo in aevo ſcripſit, nuncupati, & pro atheis habiti, הם שטופי זמה והוא לוקח את בתו *in inceſtus effuſi ſunt, & proprias filias ſibi matrimonio junxere.* Sed in occidentalium moribus parentum cum liberis conjugia nunquam non exſecranda, puto, habita ſunt. In ea aſpere Athenis Sophocles [k], Romae Seneca [l], ut immane quantum deteſtanda, in ſcena invehuntur. Et Papinius [m],

——Illum, illum ſacris adhibete nefaſtis,
Qui leto dedit enſe patrem, qui ſemet in ortus
Vertit, & indignae regerit ſua pignora matri.

Lucanus item [n],

——cui fas implere parentem,
Quid rear eſſe nefas?

[z] Abydenus in Euſeb. Chron. λογ. a. pag. 43. [a] Videſis ſupra lib 3. cap 19. [b] In Thalia. [c] Recognition. lib. 9. Adde D. Hieronymum lib. 2 contra Jovinianum. Sext. Empiric. Pyrrhon. Hypotypoſ. lib. 3. cap. 24. Bardeſanem apud Euſebium Praeparat Evangelic. lib. 6. cap. 10. Agathiam. hiſt. lib. 2. Joſeph. lib. 20. cap. 2. [d] Tetrabibli lib. 2. [e] Achilles Tatius lib 1. [f] Sext. Empiric. Pyrrhon. Hypotyp. lib. 3. cap. 24, &c. [g] Lib. de Specialibus Legibus, quae ad Adult. & Homicid. attinent, adde Senecam in Colocynthoſi emendatum a Jano Rutgerſio Var. Lect. 1. cap. 9. [h] Julian. in Miſopogone. [i] In Itinerario, pag. 36. edit. Aria. & 34. edit. Conſt. l'Empereur. [k] In OEdipo Tyranno. [l] in OEdipo & Thebaide. [m] Thebaidos 4. [n] Pharſal. 8.

Atque

Atque juxta occidentis veteris disciplinam oraculum illud in somnio accepit philosophus ille Romanus [o] ex eorum coetu qui in reditu e Perside cadaver in agro Persico insepultum comperientes terra humaniter contumulassent;

Μὴ θάψῃς τὸν ἄθαπτον, ἔα κυσὶ κύρμα γενέσθαι·
Γῆ πάντων μήτηρ μητροφθόρον οὐ δέχετ' ἄνδρα.

Ne tumules inhumatum: Relinquatur praeda canibus. Respuit terra omnium mater hominem qui matrem coitu, ut Persae, *vitiaverit.* Unde & insepultum denuo repertum est mane proximo. Numinum quidem suorum aliquot cum matribus suis & cum filiabus commista esse memoratur; ut Jovem cum deum matre & cum Libera, id est, Proserpina filia sua ex eadem prognata. *Neque illum sanctitas aut reverentia genitricis, horror etiam pignoris ex se sati, ab imagine potuit tam foedae cogitationis abducere?* Quod de eo ait Arnobius [p]. Atqui etiam ipsa fere occidentis numina ejusmodi ex oriente traducta sunt, ejusdem item moribus inquinata. Et

Sunt [q] *superis sua jura; quid ad coelestia ritus*
Exigere humanos, diversaque foedera tento?

Taceo mythologos physica potius ibi latere quam rem ipsam enarrari fere velle. Damnatur etiam, ut universis infanda, novercae commixtio, apud Senecam in Hippolyto. Nec obstat quod in sententiis Zenonis & Chrysippi habeatur μητρομιξία seu *matris concubitus* inter [r] licita. Nam e philosophorum aliquot, utcunque celeberrimorum, in scholis opinione mores sive seculi sive populi alicujus (& de moribus receptis jam loquimur) elicere a ratione absonum est. De fratribus ac sororibus aliisque e latere ingens est inter Graeciae veterisque Romae instituta discrimen. Nam ut dii

——— suas [s] *habuere sorores,*
Ut Saturnus Opim junctam sibi sanguine junxit,
Oceanus Tethyn, Junonem rector olympi;

sic & suas fere Graeci [t] veteres, deos imitati. Athenis germanas [v] ducebant, sed non uterinas, ex Solonis instituto; Spartae has, sed neutiquam illas, ex Lycurgi. Imo hujusmodi conjunctiones, id est, tam uterinarum quam germanarum sororum, in sanctiore, quam finxit, republica permisit [x] Plato, & unicuique fas fore, in uxorum quam ibi praescripsit communione, quibuscunque cognatis pro libitu commisceri, πλὴν θυγατρί, καὶ μητρί, καὶ ταῖς τῶν θυγατέρων παισί, καὶ ταῖς ἄνω μητρός, *exceptis filia, ac matre, & ex filiabus neptibus, & quae a matre ascendunt.* Foeminis vero, & commisceri suis pro libitu, πλὴν υἱεῖ, καὶ πατρί, καὶ τοῖς τῶν τούτων εἰς τὸ κάτω καὶ ἐπὶ τὸ ἄνω, *exceptis filio, ac patre, & tam qui ab his ascendunt quam qui descendunt.* Et Cimonem Miltiadis F. in matrimonio habuisse scimus sororem germanam suam Elpinicen dictam. Qua in re erat *non magis amore* (ut verba sunt AEmilii Probi) *quam patrio more ductus.* Nam *Atheniensibus licet*, ait ille, *eodem patre natas uxores ducere.* Eodem jure Mnasiptolemam sororem ὁμοπάτριον duxisse Archetolim Themistoclis F. scribit [y] Plutarchus. Sed interea sororum conjugia magnis in occidente viris, jurisque humani ac divini priscis illis seculis studiosissimis, non modo magnopere displicuere, sed etiam, si conjectare fas sit, adeo raro fiebant ut pro illicitis potius ex ipsis Graeciae moribus a nonnullis aestimarentur; maxime Pythagoreis. Nam ex illa schola, autor vetustissimus, Ocellus Lucanus, in monitis [z] de commoda sobolis propagatione, quam ἄνευ σωφροσύνης καὶ ὁσιότητος τῆς τῷ νόμῳ ἐπισυνεργούσης, *sine temperantia & pietate cum lege simul operante esse nolit:* Δεῖ δὲ καί, inquit, παιδεύειν τὰ τοιαῦτα τῶν νομίμων ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς πόλεσι, τὸ μήτε μητρὶ συγγίνεσθαι, μήτε θυγατρί, μήτε ἀδελφῇ, μήτε ἐν ἱερῷ μήτε ἐν φανερῷ τόπῳ. *Oportet etiam instituere hujusmodi mores qui in Graecis civitatibus legitimi ac recepti sunt, nimirum neutiquam cum matre, filia aut sorore concumbere, nec in templis, nec in propatulo.* Perperam vero ibi vertit Ludovicus Nogarola non sine insigni in veterem Graeciam contumelia, *Quin etiam hujusmodi institutorum disciplina in terrae Graeciae civitates inducenda est; ne cum matre*, &c. quasi aut hujusmodi flagitiorum in Graecia tunc usus fuisset, isque legitime firmatus, aut Ocellus, qui genus humanum ibi instituere nititur, de Graeciae seorsim moribus instaurandis cogitasset. In utroque manifestum est, Italum, Itali interpretem, mirifice hallucinatum esse. Atque ad hunc Ocelli locum spectat, seu potius est ipse quem attulimus Ocelli locus, id quod hac de re legitur apud Jamblichum [a], Ἐπαινεῖσθαι δὲ αὐτοῖς (Πυθαγορείοις) καὶ τὰ τοιάδε τῶν προϋπαρχόντων νομίμων ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς πόλεσι, τὸ μήτε μητράσι συγγίνεσθαι, μήτε θυγατρί, μήτε ἀδελφῇ, μήτ' ἐν ἱερῷ μήτε ἐν τῷ φανερῷ, *Laudibus a Pythagoreis celebrari hujusmodi qui antea obtinebant in Graeciae civitatibus mores legitimos, nempe ne quis cum matre, filia aut sorore concumbat, neque in templo, neque in propatulo.* Alia etiam aliquot quae ibi tum praecedunt, tum sequuntur, Ocelli sunt. In τοῖς νομίμοις seu *legitimis* Graecarum urbium moribus ponit abstinentiam a sororis conjugio; quod tamen ex instituto ibi licuisse, interdum etiam contrahi, palam est. Sed quia rarenter id adeo fiebat ut plerisque, velut inprimis fugiendum, displicere videretur, & tametsi pro licito habitum, propter metum tamen horreretur illiciti, ideo etiam aut ejus interdictum ex moribus (qui utentium consensu oriri solent) invaluisse opinabatur Ocellus, aut plerorumque abstinentiam pro interdicto libenter saltem obtendi, puto, volebat, dum institutioni suae exempla e Graecia petebat. Quod itidem de Euripide, ni fallor nimium, dicendum est, ubi Hermionem Menelai filiam inducit Phthiae (quod oppidum Thessaliae, quo natus Achilles) Andromachen Hectoris dicteriis insectantem, quod filium Molossum pepererat Neoptolemo Achillis, qui Hectorem interfecerat, filio, & subjicientem [b],

Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος.
Πατήρ τε θυγατρί, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,
Κόρη τ' ἀδελφῷ. διὰ φόνου δ' οἱ φίλτατοι
Χωροῦσι· καὶ τῶνδ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος.

Hujusmodi est omne barbaricum genus. Pater enim filiae, & filius matri miscetur; soror item

[o] Agathias hist. 2. [p] Adversus Gentes, lib. 5. [q] Ovid. Metamorph. 9. [r] Sext. Empiric. Pyrrhon. Hypotyp. lib. 3. cap. 24, 25. [s] Ovid. Metamorph. 9. Lactantius de Falsa Religione. cap. 10. [t] Joseph. contra Apionem, lib. 2. [v] Philo lib. de Special. Legib. ad Adult. & Homicid. spectantibus; & Minutius Felix in Octavio. [x] De Republica, lib. 5. [y] In Themistocle. [z] Lib. περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως, cap. 4. [a] De Vita Pythagorae, cap 31. pag. 118. [b] In Andromache.

fratri;

fratri; & per caedem chariſſimi vadunt. Neque horum quid prohibet lex. Sororis concubitum in nefariis barbarorum moribus cenſet, tametſi non ſolum ex inſtituto tum Solonis tum Lycurgi (ut dictum eſt) permiſſum eſſet ejus conjugium, ſed etiam ipſa tam Archetolis & Mnaſiptolemae quam Cimonis & Elpinices exempla jam memorata eſſent poetae coaeva. Atqui ad juris illam apud Athenienſes licentiam, qua tamen pauciſſimos uſos eſſe reor, attinere videtur illud Phaedrae Hippolytum generum depereuntis, precibuſque apud Senecam [c] tentantis. *Matris* eam nomine, inſignioris reverentiae cauſa, compellarat inter loquendum Hippolytus; cui illa,

Matris ſuperbum eſt nomen & nimium potens:
Noſtros humilius nomen affectus decet:
Me vel ſororem, Hippolyte, vel famulam voca.

Matris nomen vult, etiam & *novercae*, inter amantes nimis abhorreri; non item *ſororis*, quam ducere ex jure patrio non illicitum. Et conjugium plane Hippolyti, velut viduam, Theſeo nondum ab inferis regreſſo, eam primo ambire ibi ſatis liquet. Sed poſterioribus Graeciae ſeculis plane evanuit, idque ante chriſtianiſmum in ea ſatis receptum, fratrum & ſororum conjugii non uſus ſolum ſed & jus. Id conſtat ex Sexto Empirico, qui ſub Antonino Pio Plutarchi ex ſorore nepos diſerte ſcribit, [d] apud ſuos tam ſororis quam matris conjugium fuiſſe illicitum. Et cum in Clementis atque Appionis colloquio objicerentur a Clemente in Graecorum ſuperſtitiones Ganymedis raptus, Jovis etiam concubitus ſororii, atque adulteria, *Quid?* inquit Appion [e], *nonne* ϗ Ἕλληνες ϗ Ἑλλήνων νόμοι ἀπαγορεύουσι τὰ τοιαῦτα; καὶ τοὺς μοιχούς τε ϗ ἄλλως τὰ ἐναντία πράττοντας τιμωρεῖσθαι νομοθετοῦσι; *etiam & Graeci Graecorumque leges haec vetant? & adulteros, & eos qui alias contra faciant, ſuppliciis coercent?* Unde etiam Simplicius [f], *Jam cum lex & conſuetudo ſororis & fratris conſuetudine interdicat, appetitiones non ſecus ac ab ipſius naturae imperio ſuppreſſae, ita prorſus ſunt immobiles*; *niſi forte aliquos furoris intemperies & dirae ſcelerum ultrices agitarint.* Idem diſcimus ex Artemidoro [g]. Atque de Graecis hactenus; quorum moris hac in re juriſque mutationem Romanis, poſtquam in horum ſunt poteſtatem redacti, deberi eſt ſentiendum. Nam in Romano imperio veteri non ſolum vetita ſunt parentum, etiamſi adoptivorum, atque adeo omnium quotquot in linea ſtemmatis recta reperiuntur, conjugia, ſed etiam in tranſverſa, fratrum (quod ſatis liquet item ex Catullo [h], & Ovidio [i], apud quem amores ſuos erga Caunum fratrem inceſtos, ad mores Romanos, non ad Carum, exagitare puto Byblidem) amitae, materterae, neptis ſive ex ſorore ſive ex fratre, aliarum longius quam in ſchemate ſupra allato diſſitarum. Etiam & adfinium, veluti novercae, ſocrus, privignae, fratriae, uxoris prioris ſororis, nurus; quae non ſolum ex chriſtianorum imperatorum ſanctionibus [k], ſed ex celebrium ante chriſtianiſmum in imperium Romanum receptum juriſconſultorum ſcriptis, veluti Gaii [l], Pauli [m], Ulpiani [n], id genus aliorum ediſcimus. Et quam pudicae hujus diſciplinae Romani veteres tenaces eſſent, liquet ſane ex Agrippinae & Claudii principis patrui ſui matrimonio, cujus *ſolennia* primo *celebrare non audebant*, *nullo* (quod ait Tacitus [o]) *exemplo deducta in domum patrui fratris filia. Quin & inceſtum, ac ſi ſperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.* Vitellius autem, oratione in ſenatu eam in rem, ut auſpices eſſent patres ipſi, habita, objectionem, etiam in ſacerrimo illo adulationum atque ſervitudinis ſeculo, ob inſitas pudicitiae majorum reliquias, inevitabilem anticipans, *At enim*, inquit, *nova nobis in fratrum filias conjugia! Sed aliis gentibus ſolennia, nec lege ulla prohibita. Et ſobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebuiſſe: morem accommodari prout conducat, & fore hoc quoque in his quae mox uſurpentur.* Et tametſi in principum gratiam, ſummó adulandi ſtudio, ſenatus populique decreto *juſtae inter patruos* [p] *fratrumque filias nuptiae etiam in poſterum ſtatuebantur*, minime *tamen repertus eſt, niſi unus talis matrimonii* (ut Taciti verba ſunt) *cupitor, T. Alledius Severus, eques Romanus, quem plerique Agrippinae gratia impulſum ferebant*, praeter libertinum obſcurum, cujus Suetonius [q] meminit. Quod autem de ſobrinis habet Vitellius, de conſobrinis, patruelibus ſeu amitinis planiſſime, uti & annotavit Lipſius, intelligendum eſt. Et memorat Plutarchus plebiſcitum [r] quo decretum eſt, πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δ' ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι, *licere omnibus ducere uxores uſque ad conſobrinas, ſed quae in ſtemmate ſuperiores eſſent eas eſſe illicitas.* Sed in Roma veteri etiam patruelium, amitinorum, ſeu conſobrinorum nuptiae nunc vetitae fuere [s], nunc permiſſae [t]. Et notiſſima etiam eſt controverſia de negatione quam hac de re in verſione ſua Graeca Juſtiniano [v] adhibuit Theophilus; qua de, uti etiam de tota re patruelium & amitinorum conjugali, diſſertationem tum juridicam tum hiſtoricam doctrina & judicio refertam pridem editit Chriſtophorus [x] Riccius Dantiſcanus. Pontificii vero occidentis vetuſtis chriſtianiſmi ſeculis aliam omnino induxerunt hic rationem, eamque ſatis miram: Divinum de hac re praeceptum generale illud [y], *Nemo ad propinquam carnis ſuae accedat*, ſeu *ad conſanguineam ſuam*, ita accipi voluere ut omnigeni conſanguinei inde arcerentur inter ſe nuptiis. Ne tamen in eos objicias, nullos omnino reperiri qui non aliquo conſanguinitatis genere, utpote non ſolum in primis ſed in proprioribus parentibus convenientes, naturaliter conjungantur; ad civilia in jure Caeſareo cognationum nomina, quibus haereditates & tutelae deferuntur, ſe [z] contulere; ex-

[c] In Hippolyto, act. 2. [d] Pyrrhon. Hypotypoſ lib 3 cap 24. [e] Clement. Epiſt. ad Jacobum epiſc. Hieroſolymit. de geſtis D. Petri, pag. 29. [f] Comment. ad Epictet, cap 47. [g] Onirocritic. lib. 5. cap. 25. [h] Epigr. 89. [i] Metamorph. 9. [k] Inſtit. Juſtin. tit. De Nuptiis, & C. Theodoſ. lib 3. tit. 12. C. Juſt. tit. De Inceſt Nupt. l. 8. [l] Inſtit. tit. 4. [m] Sent. Recept. lib 2. tit. 19, & ff. de Rit. Nupt. l 14. & 68. [n] L. 12. ff. tit. de Ritu Nupt. Adde edictum Diocleſiani & Maxim. 6. tit. De Nuptiis, l. 17. quod habetur integrum in Cod Gregoriano, lib 5. tit. De Nuptiis & in collat Leg. Rom. & Judaic. Licinii Rufini. [o] Annal. 12. [p] Videſis Cujacium Obſervat. 13. cap. 16. ſed & obſerva quod legitur apud Ulpianum, tit. De his qui in poteſtate ſunt. [q] In Claudio cap. 26. [r] Problem. Rom. 6. [s] Gaius, Inſtit. tit. 4. Pomponius l 3. ff. tit. De Ritu. Nupt. [t] Auguſt. de Civitate Dei, lib. 15. cap. 16. l. 19. C. de Nuptiis, c. 20. c. 35. q. 2, 3. [v] Inſtit. de Nuptiis §. duorum autem, videſis Aurelium Victorem in Theodoſio, D. Ambroſ. epiſt. 66. [x] In Vindiciarum juris praemiſſ. cap 3. & vide Jac. Gothofred. ad Libanii Orat. περὶ ἀγγαρειῶν 6. & de hiſce vide Barnab. Briſſon. lib. de Jure connubiorum, &c. [y] Levit. xviii. 6. [z] Calixtus Papa c. 2. Cauſ. 25. q. 2, 3.

tra quorum limites quoniam ſpecialia conſanguinitatis vocabula juriſconſultis Romanis non habebantur, nec conſanguinitatem hic praepedientem agnoverunt. Civilia illa nomina ſeptem concluſa ſunt gradibus, ut videre eſt in Pandectis [a]. Et Paulus, *Succeſſionis*, inquit [b], *gradus ſeptem conſtituti ſunt, quia ulterius per rerum naturam nec nomina inveniri, nec vita ſuccedentibus prorogari poteſt.* Ubi [c] vetus interpres Anianus, *In his ſeptem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas inveniri, nec ſucceſſio poteſt amplius prorogari.* Hinc interdictae olim nuptiae in occidente uſque ad ſeptimum gradum incluſive (qui & pro ſexto [d], variante in perſonis calculo, interdum aeſtimatur) rationibus redditis, *Quoniam* [e] *haereditas rerum per legales diffinitiones ſancita uſque ad ſeptimum gradum protendit ſucceſſionem. Non enim ſuccederent, niſi eis de propagine cognationis deberetur, & quia* [f] *poſtea parentela cognoſci non poteſt.* Interdictae item, *uſque dum* [g] *generatio recordatur, cognoſcitur, aut memoria retinetur.* Perinde ac ſi poſt ſeptimum gradum omnimoda ſanguinis relatio propinquitatiſque, etiam ad ſenſum quo ipſi illa legis de nuptiis Moſaicae verba praevia ac generalia intelligerent, prorſus deleta fuiſſet. Cum interea certo ſciamus, non ſolum qui longius ſive recta ſive ex tranſverſo, etiam in infinitum, diſtarent, vetuſtis [h] juriſconſultis conſanguineos nuncupari, ſed etiam uſque ad decimum [i] gradum, jure Caeſareo, conſanguinitatis nomine, ſublata agnatorum & cognatorum differentia, ſuccedere, atque excludere fiſcum. Sed vero, quod & magis mirere, petita, ut diximus, e jure Caeſareo graduum, extra quos, velut ex eo edocti, conſanguinitatem non agnoſci volebant, enumeratione generali, ita aliam nihilominus, & juri Caeſareo plane incognitam, juriſconſultiſque nonnullis haud parum [k] inviſam, gradus ex tranſverſo ſupputandi inibant rationem, ut tametſi ſeptimi gradus nomen quidem retinerent, decimum quartum tamen, ad Caeſareorum calculum, non raro innuerent. Nam ubi jure Caeſareo generatio cujuſlibet perſonae ex tranſverſo gradum facit unicum, adeo ut frater & ſoror binis ita diſtent gradibus (nam in tranſverſa linea primus gradus [l] Caeſareis non habetur) & conſobrini quatuor, horum liberi ſex, atque horum denique liberi octo, ſcilicet pronepotes fratris & ſororis; pontificii illi quarto duntaxat gradu hoſce diſtare volunt, ita putatis conſanguineorum gradibus, ut quot a communi parente, in aequali inde diſtantia, alter diſtet, tot ſolum inter ſe diſtent; in inaequali, quot a communi parente diſtet remotior: Adeoque ut ipſas Caeſareorum proximitates, intra quas conſanguineorum nomen cohiberi putabant (unde & leges ſtabiliebant nuptiales) ipſi duplicando ita excederent. Et demum de gradibus ſeptem ita numeratis pronunciabant, *Ultra hos* [m] *nec conſanguinitas invenitur, nec nomina graduum reperiuntur, nec ſucceſſio poteſt amplius prorogari, nec memoriter ab aliquo generatio recordari*; cum interim decimus ad juris Caeſarei calculum (cujus etiam in ſucceſſionibus ratio habita) viceſimus ita eſſet ad pontificii. Et obtinuit [n] ſane hujuſmodi matrimonii prohibitio, nec multum in affinibus diſpar, uſque ad concilium Lateranenſe ſub Innocentio III anno ſalutis MCCXV celebratum, in quo ſancitum [o], *prohibitionem copulae conjugalis quartum conſanguinitatis & adfinitatis gradum non excedere*, (id eſt, octavum in juris Caeſarei calculo) *quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari.* Atque hoc, puto, jure in occidente, ubi autoritas pontificis Romani legibus abacta non eſt (velut in Anglia, ubi juris divini hic tantum ratio, ex lege [p] habetur) utuntur. Neque ſane ſine difficultate olim introducta ſunt in Britanniam noſtram pontificia de gradibus hiſce decreta, ut videre eſt ex eo quod quarto diſtantes gradu, ſub initiis apud Angloſaxonas chriſtianiſmi, invicem conjungi epiſtola Auguſtino Anglorum gentis epiſcopo data indulſerit [q] Gregorius Magnus, *Ne a bono quod coeperant metuendo auſteriora recederent.* Apud veteres autem Scotorum aliquos ne ipſa quidem divina hac de re praecepta ante ſexcentos aut circiter abhinc annos ſatis admiſſa ſunt, nedum pontificia. Vetuſtus autor [r] vitae Margaretae reginae Scotorum, Malcolmi III uxoris, quae in Divas relata, *Illicita*, inquit, *novercarum conjugia, ſimiliter & uxorem fratris defuncti fratrem ſuperſtitem ducere, quae ibi* in Scotia *antea fiebant, nimis oſtendit exſecranda & a fidelibus velut ipſam mortem devitanda. Multa quoque alia contra morem eccleſiae inoleverant, quae in eodem concilio damnans de regni finibus extirpavit.* In eccleſia orientali remiſſius hic ex tranſverſo quam in occidentali, non ſolum ſeculis anterioribus, ſed etiamnum, licet diverſimode [s], egerunt. Gradus enumerant ii, neque unquam aliter ſoliti, ad juris Caeſarei formulas. Qui ſurſum deorſum in recta ſtemmatis linea occurrunt, univerſos arceri invicem nuptiis volunt. Sed ex tranſverſo antiquitus gradum ſextum plane, (id eſt, ad pontificiorum in occidente calculum tertium) admitti nolebant, octavum indubitanter admittentes. Putatis vero ad perſonarum ſeu generationum numerum (quemadmodum in jure Caeſareo) gradibus, de ſeptima perſona, id eſt, gradu ſeptimo, pronunciare ſolebant, eum nec permitti expreſſe nec denegari [t] a lege, ideoque *τὸν τοιοῦτον γάμον πρὸ μὲν τοῦ προβῆναι μὴ ἐπιτρέπεσθαι, μετὰ δὲ τὸ γενέσθαι μὴ διασπᾶσθαι μέν, hujuſmodi nuptias, antequam inirentur, non permitti; initas vero minime ſane diſtrahi debere.* Poſtmodum vero, nempe anno ſalutis MLV, ſub Michaele patriarcha Conſtantinopolitano, deciſum eſt in ſynodo [v] ut perſona ſeu gradus ſeptimus etiam illicitus inpoſterum (quod & nunc ibi obtinet) haberetur, ſed ut octavus citra controverſiam licitus eſſet. Caeterum

[a] L. 10. ff. de gradibus & affinibus. [b] Sentent. recept. lib. 4. tit. 11. adde Modeſtin. l. 4. ff. tit. De Gradibus. [c] Hinc illud Iſidori Etymol. lib. 9. & c. 6. cauſ. 35. q. 5. [d] Gratian c. 21. C. 35. q. 2, 3. [e] C. 1. Cauſ. 35. q. 2, 3. & c. 15. & 20. ibid. Gregorius PP. 1. [f] Nicolaus PP. 2. c. 17. ibid. & apud Pet. Lombard. Sent. 4. dist. 40. [g] Concil. Wormat. c. 32. & Cauſ. 35. q. 2, 3. c. 18. [h] Ulpianus l. 2. tit. De ſuis & legit. haered. ff. c. 1. [i] Juſtin. Inſtitut. tit. De Succeſſione cognatorum §. hoc loco & Novell. 118. [k] Alberic. Gentilis de Nuptiis, lib. 5. cap. 6. alii ibi citati. [l] Gaius l. 1. ff. tit. de Gradibus. [m] Alexander PP. 2. c. 2. Cauſ. 35. q. 5. [n] C. 14. Cauſ. 35. q. 2, 3, &c. [o] C. 8. extr. de Conſang. & Affin. [p] Stat. 32 Henrici Regis 8. cap. 38. [q] Lib. 12. epiſt. 31. Beda Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 20. & c. 20. cauſ. 35. q. 2, 3. & 2. cauſ. 35. q. 5. [r] Nova Legenda Angliae, fol. 226. [s] Videſis S. Baſilium Canone 68. Synod. in Trullo can. 54. Harmenop. in Epit. Canonum ſect. 5. tit. 3. [t] Juris Graeco-Romani tom. 1. lib. 3. pag. 204. & lib. 4. pag. 266. [v] Ibidem lib. 3. p. 206. Adde Matthaeum Monachum, lib. 7. ibid. pag. 480.

qui

qui ita unica in conſanguinitatis gradibus perſona velut ex indulto differunt a pontificiis occidentis, ſtrictius ac ſubtilius in adfinitatibus agunt; quibus ſunt aliquae occidentalibus juriſconſultis plane ignotae, nimium involutae, nec breviter deſcribendae; ut omittam etiam cognationes eorum hic adoptivas ac ſpirituales, quarum rationem, uti etiam occidentales, habent ipſi. Pluribus oſtenſae ſunt Graecorum ſeu orientalium, quos diximus, hac de re ſententiae receptae ac deciſiones, in juris Graeco-Romani ab J. Leunclavio editi autoribus, Conſtantino Harmenopulo [x], Manuele Hierodiacono, apud Zachariam Chartophylacem, cognomento etiam Marapharam, in ſynopſi ejus περὶ τῆς συγγενείας βαθμῶν ſeu *de conſanguinitatis gradibus*, atque Petro Arcudio [y], qui omnes Graecae juriſprudentiae callentes eam tractarunt. Mahumedani hic jus ſuum habent ſingulare ita ex Ebraeorum, veterum Romanorum, gentium ante legem Moſaicam, & demum chriſtianorum moribus atque interpretamentis compilatum ut nihilominus quod etiam omnino ſuum ſit infarciant, ne totum aliis accepto ferrent. De conſanguinitate illi fere ut Romani veteres chriſtianiſmo, ante abjectum pontificium graduum calculum, firmati. Affinitatem nolunt privignarum aut ſocruum matrimonia impedire, citra praeeuntem uxoris concubitum. Nurum omnino ducere nefas eſſe volunt, uti & novercam & binas ſorores. Nutricibus autem & ſororibus collacteis, etiam & iis quae hiſce proximitate conjunguntur, quemque interdicunt. Alcorani verba ſunt [z];

ولا تنكحوا ما نكح اباوكم من النّسا
الّا ما قد سلف انه كان فاحشةً ومقتًا وساء
سبيلًا ۞ حرّمت عليكم امّهاتكم وبناتكم
واخواتكم وعمّاتكم وخالاتكم وبنات الاخ
وبنات الاخت وامّهاتكم الّلاتي ارضعنكم
واخوتكم من الرضاعة وامّهات نساتكم
وربايبكم الّلاتي فے حجوركم من نسايكم
الّلاتي دخلتم بهنّ وان لم تكونوا دخلتم
بهنّ فلا جناح عليكم وحلايل ابنايكم الّذين
من اصلابكم وان تجمعوا بين الاختين الّا
ما قد سلف ان اللّه كان غفورًا رحيمًا ۞

Ne matrimonio conjungamini foeminis quibus parentes veſtri conjuncti ſunt. Quod tamen olim permiſſum eſt: Sed turpitudo eſt, abominatio atque mos nefarius. Piaculum eſto vobis ducere matres veſtras (quae non ſemel, ob nefandos qui in oriente ingruerant, ut ſupra oſtenſum eſt, matrum concubitus, in Alcorano [a] expreſſim interdicuntur) *aut filias veſtras, aut ſorores, aut amitas veſtras* (tam librariorum quam typographi incuria habet hic codex Latinus *Amicas*, literula male mutata; unde & Arrivabenius [b] in Alcorano Italico *l'Amiche) aut materteras veſtras, aut neptes ex fratre, aut neptes ex ſorore, aut matres quae vos lactarunt*, nutrices, *aut collacteas ſorores, aut uxorum matres*, ſocrus, *aut uxorum filias*, privignas, *quae in tutela veſtra ſunt. De uxoribus veſtris intelligendum eſt ſcilicet quibuſcum concubueritis. Quod ſi cum eis nondum concubueritis*, ſi repudiaveritis ante coitum, aut ante coitum demortuae fuerint, *haſce ducere vobis nefas non eſt. Neque ducendae ſunt vobis uxores filiorum veſtrorum naturalium*, nurus, maritis ſuperſtites, ſeu repudiatae; *nec binae ſorores; quod tamen antiquitus permiſſum. Et Deus indulgens eſt & miſericors.* Quod explicans Mahumedes Ben Achmed, ad illud de matribus, ait,

وشملت الجدات من قبل الاب والام

idem eſſe jus de aviis, ſeu majoribus in recta linea foemineis, *ſive paternis ſive maternis*; de filiabus,

وشملت بنات الاولاد وان سفلــــن

jus idem eſſe de neptibus ex prole & de deſcendentibus; & de ſororibus, comprehendi quae ſunt

من جهــــة الاب او الامّ

ſive germanae ſive uterinae. Neque *amitarum* nomine patris tantum ſorores ſed & avorum venire; uti & *materterarum*, non ſolum matris ſed & aviarum maternarum ſorores. Nam interpretatur

خالاتكم اخوات امّهاتكم وجدّاتكم

Sorores matrum veſtrarum & aviarum veſtrarum. Conſona eſt Retinenſis verſio, ſed male ibi *patrueles* pro hiſce ſubſtituit Philippus Guadagnolus in reſponſione [c] ad Ahmed Ben Zin Perſam. *Neptes* autem etiam & filias ſuas ſeu proneptes hic denotare docet Achmetides. *Sororum* autem *collactearum* ejuſmodi rationem habendam, qua conſanguineas ſuas ſpectant, ut quemadmodum fratris ſeu ſororis ſanguine conjunctae propinquae, veluti amita, matertera, neptis ſive ex fratre ſive ex ſorore, interdicuntur, ita etiam & vetitas eſſe collacteae ſororis propinquas ejuſmodi non aliter ac ſi naturaliter ipſe lactenti fuiſſent conjunctae. Et regulam ſubdit;

يحرّم من الرّضاع ما يحرّم من النّسب

Interdicitur lactentis nomine quaecunque nomine ſanguinis interdicitur. Ita ille. Et celebris apud Mahumedanos juriſconſultus Abu Bircat Abdalla Ben Achmed [d] de vetitis nuptiis,

حرّم من تزوّج امه وبنته وان بعدتا واخته
وبنتها وبنت اخيه وعمّته وخالته وامّ امراته
وبنتها اذ دخل بها وامراة ابيه وابنه
وان بعدتا والكلّ رضاــــــــــع

[x] Prochir. lib. 4. tit. 5. [y] De Concordia Eccleſiae Orientalis & Occidentalis, lib. 7. cap. 30. [z] Azoar. 4. Codice Lat. 8. [a] Azoar. 33. Arab. 43. Lat. & 58. Arab. 68 Lat. [b] Lib. 2 cap 7. [c] In Apologia pro Chriſtiana Religione, lib. 1. cap. 5. ſect 3. [d] In Compendio Juris Canonici Mahumedanorum MS. lib. 5. cap. 1.

Inter-

Interdicuntur cuique nuptiae matris suae, & filiae suae, & earum quae sursum deorsum sequuntur, & sororis suae, & filiae ejus, & filiae fratris sui, & amitae suae, & materterae suae, & matris uxoris suae, & filiae ejus (si modo concubuerit cum uxore) & uxoris patris sui seu novercae, & filii sui seu nurus, & eorum qui sursum deorsum sequuntur, atque etiam foeminarum quae jure collacteo ei conjunguntur. Quoniam toties inculcari solet, rationem naturalem, seu naturalia jura in cognationibus, qua matrimonia seu coitum praepediunt, velut ante alia, adeo passim conspici, ideo & fusius aliorum praeter Ebraeorum scita, mores, ac leges ea de re visum est sic adnotare. Atque hactenus de concubitu illicito, ac re matrimoniali quatenus pependit sive ex jure naturali & universali juxta Ebraeorum placita, sive ex Levitico, qua gentiles spectavit.

CAP. XII.

De matrimonio & coitu, qua sive vetitus sive permissus inter Judaeos & servos ac ancillas exterae originis, sed in Judaismum citra libertatem cooptatos. Gentilium qui Judaismo nondum nomina dederant matrimonium & coitus Judaeis illicitus. Non unica tamen magistrorum de interdicti illius initio aut causa sententia. Quinam ex natalibus servi ac gentiles habiti.

CONsequens est ut videamus de matrimonio & coitu ex jure gentium apud Ebraeos sive admisso sive vetito, ratione aut conditionis servilis aut gentis exterae, aut exterae originis, etiam postquam quis in Judaismum esset cooptatus; atque hoc tam qua hominum hujusmodi matrimonia seu coitus sive originariis sive aliis in Judaismum adscitis sive permissus sive vetitus fuerit, quam qua in ditione Israelitica sive vetitus sive permissus ipsis hominibus ejusmodi inter se invicem. Quod ad conditionem servilem priori modo hic attinet; occurrit quidem nonnihil de servorum e gentilibus in servitutem redactorum (nam servorum Ebraeorum qui perpetui, ut nemo nescit, non fuere, sed tantum temporales, alia plane conditio) & ancillarum nuptiis Judaeis interdictis, supra [a] ubi e paraphraste Chaldaeo prohibitionem etiam sacram ea de re habes. Quod in universum & sine ulla exceptione (praeter eam quae, secundum aliquos, est de jure in bello captivae singulari, de quo infra) verum est, si de servis & ancillis nondum in Judaismum nomine servitutis seu servitute retenta, juxta superius [b] ostensa, adscitis rem capias. Nam servi ejusmodi plane ita exteri fuere ut ab aliis mere gentilibus, quorum matrimonia & coitus nunquam non Ebraeis vetitus, ut mox ostenditur, neutiquam distinguerentur. De servis autem in Judaismum servitutis nomine seu servitute retenta adscitis (juxta quod libro secundo explicatur) regulariter etiam prohibitio quidem ejusmodi & de id genus ancillis recepta est. Unde & Josephus [c] habet inter leges sibi Mosaicas, Δούλας μὴ γαμείτω τις ἐλευθέροις, *Ancillas ingenuis non matrimonio jungendas.* Caeterum accedunt exceptiones apud Talmudicos, quantum observavi, trinae. Prima est de Mamzere; secunda de ancilla partiaria, seu partim manumissa aut partim libertina; tertia de servo Ebraeo, seu Ebraeo in servitutem temporalem ex more gentis addicto. Mamzeri, etiam originario, permissum est ancillae conjugium, jure perquam singulari; de quo vide inferius capite decimosexto. Ancilla partiaria hic dicta ea erat quae e gentilibus in servitutem non sine Judaismo redacta, libertatis partem, non integram seu perfectam, domini indultu nancisceretur; quando scilicet pro libertatis pretio aliquanto soluto, aliquantum etiam libertatis, veluti dimidia seu tertia pars, a domino ei est indulta. Nam tam servus ejusmodi eis erat quam ancilla; atque hanc [d] חורין בת וחצייה שפחה הצייה *partim ancillam & partim libertinam*, uti & illum חורין בן וחצי עבר חצי *partim servum & partim libertinum*, vocitant. De ejusmodi aiunt ancilla Ebraei, cum ea sponsalia non irrita fuisse, nec tamen vim satis integram sortita antequam illa nacta esset libertinitatem integram. Atque de ea legem illam intelligunt, *Quicunque* [e] *dormierit cum muliere concubitu seminis quae est* שפחה נחרפת לאיש *ancilla addicta viro (nubilis* habet Vulgata; & διαπεφυλασμένη ἀνθρώπῳ, *viro asservata*, Hellenistae; Tertullianus [f], *quae homini esset reservata) non tamen redimendo redempta, nec libertate donata, ipsa vapulabit; non morientur, quia non fuit libera.* De partim tantum, juxta jam dicta, redempta [g] intelligunt. Quacum quoniam אין קדושיה גמורין *minime erant sponsalia perfecta*, seu matrimonium absolutum, antequam totam libertinitatem acquireret, ideo non ultimum supplicium, velut ob adulterium, sed verbera tamen, quia inchoata erant, licet necdum, ratione servilis conditionis partim adhuc retentae, perfecta sponsalia, irrogabantur. Quod vertitur hic *addicta*, pro *desponsata*, sumitur etiam in versionibus plerisque orientalibus. Et Judaei Hispanienses ibi, *sierva desposada a varon.* Sed de sponsaliis seu matrimonio quale diximus inito, nec satis perfecto, capiunt magistri. Exceptionem hic tertiam in superioribus [h] tetigimus. Neque alia est quam licuisse domino Ebraeo servo suo temporali, item Ebraeo ex sententia fori in servitutem addicto, non aliter, ancillam aliquam suam e gentilibus in Judaismum servitute retenta cooptatam conjungere, ut prole servili seu utriusque fructu familiam & bona sic augeret; qua de re plura inferius [i]. Atque ita de servis & ancillis e gentilibus in servitutem simul ac Judaismum redactis, qua sive matrimonium sive coitus originariis aliisque Judaeis cum illis sive permissus sive vetitus. Jam vero tam liberae quam servilis conditionis hominum universorum, gentilismo nondum exuto, coitus & matrimonium Ebraeis Judaeisque cunctis interdictus habebatur, admissa interea juxta aliquos exceptione illa de captiva

[a] Cap. 4. hujus libri. [b] Lib. 2. cap. 3. [c] Archaeolog. lib. 4. cap. 8. [d] Maimonid Hal. *Abdim*, cap. 7. [e] Levit. xix. 20. [f] De Pudicitia, cap. 20. [g] Gemar. Babylon. ad tit. Gittin, cap 7. fol. 43 a. [h] Cap. 4. hujus libri. [i] Lib. 6. cap. 7.

quam

quam capite proximo fusius dabimus. Ad gentes hic exteras universas spectare volunt aliqui [k] legem illam sacram, *Affinitatem non contrahes* [l] *cum eis*, (id est, לא תתחתן בם) *neque filiam ejus accipies filio tuo.* Sunt & ejusmodi [m] aliae. Qualis etiam ex more, ante legem Mosaicam post circumcisionis foedus, in filiabus eorum qui circumcisi sunt obtinuisse videtur. Nam filii Jacob Sichemo & patri ejus responderunt [n], *Non possumus facere rem istam, ut demus sororem nostram viro incircumciso,* כי חרפה הוא לנו *nam id opprobrio esset nobis*; seu, ut Vulgata, *quod illicitum & nefarium est apud nos.* Juxta quod Theodotus [o] Jacobum induxit loquentem,

Οὐ γὰρ δὴ θεμιτόν γε τόδ' Ἑβραίοισι τέτυκται,
Γαμβροὺς ἄλλοθεν εἰς γε νυοὺς ἀγέμεν ποτὶ δῶμα,
Ἀλλ' ὅστις γενεᾶς ἐξεύχεται εἶναι ὁμοίης.

Nefas est Ebraeis sive generos sive nurus (legendum enim opinor, γαμβροὺς ἄλλοθεν ἤ γε νυοὺς) *ab exteris in lares suos ducere*; *sed eos tantum qui sunt contribules.* Et illustre habetur hac de re judicium apud Ezram [p], ubi videtur quidem non ad septem populos paulo ante in loco Deuteronomii jam ante citato memoratos tantum legem illam atque caeteras congeneres attinere, sed pariter ad alias gentes, quotquot nondum in Judaismum adscitae. Alii vero leges illas ad septem populos ita tantummodo volunt [q] spectare ut alios in illis includi nolint. Sive autem ex legibus illis, sive simul ex adsidua singularis quam sibi haberent sanctitatis conservatione ac avita traditione res manarit, certum est tam a coitu (nisi unicam admittas jam ante memoratam exceptionem) quam a matrimonio gentilium circumcisos foeminasque sive ex origine sive ex cooptatione Judaeas abstinere debuisse, contractusque sponsalitios cum eis fuisse plane irritos, apud Talmudicos [r] esse receptissimum. Exterae autem nationes eis plane sunt tantum non in Judaismum cooptatae. Quid christiani de paganorum & christianorum conjugiis statuerint, ex ipsorum disputationibus obviis eliciendum. Diserte etiam Mahumedes prohibet [s] Musulmanorum suorum & المشركين *infidelium*, seu qui nondum Mahumedismo nomina dederint, conjugia حتى يومنوا *usquedum crediderint*, id est, Musulmani fierent. Sed vero Talmudici, qui ex ipsis legibus sacris ejusmodi cunctarum nationum exterarum (nec solum septem populorum) matrimonia putant [t] suis interdicta, adeoque & coitum דרך אישות *conjugalem*, ipsi nihilominus coitum earum דרך זנות *meretricium* seu *fornicationem* e traditione seu instituto avito tantum vetari volunt. Qua interea de re sententia non est apud magistros unica. Certe de zelotarum jure, quo veluti a Mose recepto Israelita cum gentili se coitu publice miscens impune occidi poterat, superius [v] monitum est. Simile facinus clam patratum verberibus luebatur ex majorum instituto, quod alii a seculis repetunt vetustissimis, sed alii ab Hasmonaeorum tempore. Scilicet legitur in corpore Talmudico [x], interdictum fuisse Ebraeis a בית דינו של חשמונאי, *consistorio* seu *consensu Hasmonaeorum*, coitum בצינעה *clandestinum* foeminae gentilis seu ethnicae משום נש"גז, id est, nomine *mensibus laborantis* seu *immundae* [y], *ancillae*, *ethnicae*, & *scorti*, perinde ac si cum ea coitus tot simul nominibus haberetur imposterum illicitus, adeoque verberum poena luendus. Quod nihilominus a nonnullis [z] ita intelligitur ut tot nominibus delinquat tantum Israelita qui velut uxorem seu concubinam legitimam sibi paganam conjunxerit; is vero qui meretriciis ejus obiter amplexibus uteretur, puniendus esset nomine duntaxat ethnicae & scorti. Hinc Moses Cotzensis [a]; קודם בית דינו של חשמונאי הייתה גויה מותרת בצנעא: *Ante consistorii Hasmonaeorum tempus ethnicae coitus clandestinus* Ebraeo *licitus erat.* Quod de innupta, aut ea cujus nuptiae civiliter solutae sunt, capiendum; & cum eo quod ante habetur [b] de stupri inter Israelitas ipsos interdicto sacro comparandum. Nam juxta hanc sententiam interdictum illud ad Judaeorum & Judaearum tantum, non ad Judaei & paganae coitum attinuit. Alii vero, qui ex origine vetustissima coitum ejusmodi illicitum apud ipsos faciunt, graviorem foeminae ethnicae quam Judaeo cum ea concumbenti poenam volunt ex judicio forensi [c] infligendam; nimirum ultimum supplicium; cum Judaeus duntaxat vapularet. Atque hujus originem poenae seu exemplum sumunt ex sacra [d] de Midianitibus quibuscum Ebraei coiverant historia. Ex hisce illud Taciti [e], *Projectissima ad libidinem gens alienarum concubitu abstinent.* Et gravissima habent magistri monita quibus gentem suam ab omnimodo exterarum nationum, ante Judaismum susceptum, coitu, ut plane illicito, deterrent. Quin nec prolem ex ethnica susceptam in liberorum numero habebant. Diserte Maimonides, ubi etiam ex incestu qualicunque genitos in liberis civiliter censendos juxta mores eorum docet, והבן מן הגויה אינו בנו *Sed*, inquit [f], *filius ex gentili susceptus ab Israelita pro filio non est habendus.* Sed ex Israelitide a pagano suscepta proles generis Israelitici fuit, ut infra ostenditur. Ex jam dictorum sensu etiam ad illud Eusebii, *Herodes Antipatri Ascalonitae & matris Cypridis Arabissae filius a Romanis Judaeorum suscepit principatum*, Josephus Scaliger [g]. *Matrem*, inquit, *quanquam Arabissam, tamen Judaeam fuisse dicimus, quia acceperat ritus Judaicos. Aliter homini Judaeo nubere non potuisset. Nam ante tempora Hasmunaeorum licebat rem habere cum pagana, cum tamen de Moabitidibus mulieribus districte interdictum fuisset a Mose & a Nehemia. Sed Judaei progressu temporis dete-*

[k] Maimonid. Hal. *Isuri Bia*, cap. 12. & vide Gemar Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap. 2. fol. 23 a & ad tit. *Kidoschim*, cap. 3. fol. 68. b. [l] Deut. vii. 3. [m] Exod. xxiii. 32. & xxxiv. 16. [n] Genes. xxxiv. 14. & vide ibi comma 7. [o] Apud Euseb. Praeparat. Evangelic. lib. 9. cap. 22. [p] Cap. ix, x. & vide Nehem. xiii. 25. [q] Gemarae jam ante citatae, & Mos. Mikotzi Praecept. Negat. 112, & 116. [r] Et videsis Joseph. lib. 11. cap 8. [s] Alcoran. Azoar. 3. Lat. Arab. 2. [t] Gem. Bab. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 2. fol. 36. b. Maimonid. Halach. *Isuri Bia*, cap. 12. [v] Lib. 4 cap. 4. [x] Gem. Bab. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 2. fol. 36. b. unde intelligendus est locus *Sepher Juchasin*, fol. 15. a. videsis Jo. Coch. in excerpt. e Gemara *Sanhed.* pag. 293. [y] Vide supra lib. 2. cap. 5. pag 204. [z] Maimonid. Hal. *Isuri Bia*, cap. 12. [a] Praecept. Affirmat. 122. quem & vide Praecept. Negat. 112. de Ethnicarum concubitu. [b] Cap. 4. [c] Maimonid. Hal *Isuri Bia*, cap. 12. [d] Num. xxxi. 16, 17. [e] Hist. lib. 5. & videsis Lib. de Successionibus in Bona, cap. 3. [f] Hal. *Isuri Bia*, cap. 12. [g] Animadvers. ad Euseb. pag. 149. seu ad num. 1983.

riores facti id sibi tacito consensu permiserant, donec temporibus Hasmunaeorum sancitum est ne cum pagana Judaeus rem haberet, ne clam quidem, בית דינו של חשמונאי גזרו על בעילת הגויה אפילו בצנעא כי קודם זה היה מותר כדאיתא במצוה קכב׃ (id est, ut habet ille) *Tribunal Hasmunaei sanxit super concubitu ethnicae, etiam clandestino, quod antea permissum erat, ut exstat in praeceptis.* Sic Scaliger. Quod vero dicit de praeceptis in versione hac, intelligendum est de Mosis Cotzensis, loco jam citato, praeceptis affirmativis. Nam & verbis illis Ebraicis a Scaligero plane ex Abraha Zacuthio [v] allatis, ipse numerus qui apud Cotzensem est, ut vides, adjicitur. Sed quod hic habet Scaliger de Herodis matre, id expendi debet ad trutinam quam infra de natalibus Israelitarum, proselytorum, paganorum, etiam & Herodis, exhibemus. Ut vero quinam ex natalibus sive servi sive gentiles, pagani, aut exteri censerentur, dignoscatur, regula est ex jure Ebraeorum civili [x], בן הבא מן העבד או מן הגוי או׳ מן השפחה או מן הגויה הרי הוא כאמו ואין משגיחין על האב׃ *Proles sive e servo sive e pagano sive ex ancilla sive e pagana nata, ejusdem est cum matre conditionis; nec patris ratio omnino* in ea discernenda *habetur:* Adeo ut ab Israelita proles suscepta ex ancilla seu pagana non minus conditionis esset servilis seu paganicae quam a servo aut pagano genita: Contra, tam Israelitica erat proles a pagano seu servo ex Israelitide suscepta quam ab Israelita; matris in illicitis hujusmodi commistionibus semper ratione duntaxat habita ex jure civili Ebraeorum. Et sic Maimonides juxta veteres [y] Talmudicos. Unde mendum insigne apud Mosem Cotzensem [z] in utraque ejusdem Venetiis editione (tertiam nondum novi) corrigendum est. Pro eo quod in jam citata regula est הרי היא כאמו, *ejusdem est cum matre conditionis*, legitur apud Cotzensem, prima editione הרי הוא כמהו, altera כמהוהו, utroque denotante *ejusdem est cum illo conditionis*, acsi de patre verba fierent; quo nihil magis est juri civili Ebraeorum aut Cotzensis ipsius sententiae adversum. Restituendum כאמו, seu *conditionis maternae*, quemadmodum habet in allatis Maimonides.

CAP. XIII.

De singulari jure, quo militi Ebraeo cum captiva gentili, praedae suae parte, semel ante nuptias nefas non fuisse aiunt concumbere; quacum tamen concubitum ei non fuisse citra nuptias iterandum.

JAM vero jus illud quod capite superiore memoravimus singulare (unde & exceptio in ante dictis de foeminae paganicae concubitu juxta nonnullos nata est) ex lege illa sacra pendet. [a] *Quando egressus fueris in proelium contra hostes tuos, tradideritque eos Dominus Deus tuus in manum tuam, & ceperis eos captivos, viderisque in captivitate mulierem pulchram,* (quam אשת יפת תואר nuncupant, seu *mulierem formae venustae) & concupiveris eam habere, & acceperis eam ut tibi uxor fiat; introduces eam in domum tuam; & radat caput suum, & faciat,* seu *crescere sinat, ungues suos* (ita illud ועשתה את צפרניה ibi sonat & magistris & Onkelo; ut ipsa utroque [b] devenustaretur. Vulgata ibi, *circumcidat ungues suos*; neque aliter Hellenistae) *& deponat vestem captivitatis suae,* splendidiores vestes, *a se, & sedeat in domo tua, deploretque patrem suum & matrem suam per mensem dierum. Et postea intrabis ad eam, & concumbes cum ea, eritque tibi in uxorem. Sin autem non dilexeris eam, dimittes eam sibi* (Vulgata & Hellenistae, *dimittes eam liberam) neque vendes eam pro pecunia, neque opera ejus servili uteris, eo quod humiliasti eam.* Dum de libertate loquuntur militari, qua nefas non habebatur milites in gentilium, adversus quos bellum gerebant, territorio, sive in itinere, sive in obsidione, alibive, cibos alias interdictos qualescunque, si liciti non adessent, comedere, adjiciunt [c], וכן חלוץ צבא בועל אשה בגויתה אם תקפו יצרו׃ *Neque dissimili modo miles*, cui in praeda obtigit puella gentilis, *concumbit cum ea dum adhuc gentilis est, si impellat eum concupiscentia ejus*; quod ad legem jam allatam omnino dicunt. Plerique scilicet id dicunt. Nam & sunt etiam [d] qui, nisi proselyta justitiae fieret & matrimonio conjungeretur, concubitum hic plane illicitum esse velint. Sententia vero quae plerumque obtinet hujusmodi [e] est; captivae gentilis unicae, quam Ebraeus quis in sua praedae sorte, bello ultroneo (nam de eo quod ex praecepto erat hoc non intelligunt; & distinctionem illam belli fusius tradimus libro proximo) feliciter gesto, acceptam statim deperiret, domumque duceret, concubitum unicum fuisse permissum, ita tamen ut sine nuptiis eundem non omnino iteraret, neque aliter postea ac in lege praescriptum est eam, tametsi jure belli ancilla fuisset, haberet. Idque ex recepta interpretatione habent verborum illorum, *Introduces eam in domum tuam*; ita tamen ut non tam ex ipsa lege id expressim permissum velint, quam non a majoribus, qui & hanc & alias de interdicto innuptarum nuptarumque concubitu interpretabantur, vetitum, כדי לפיים את יצרו *ut placaretur militis libido.* Unde etiam de uxore aliena capta locum intelligunt non minus ac de nupta. Nam, ut ostensum est supra, gentium matrimonia pro alterutrius conjugum libitu solvi volebant Ebraei. Unde etiam captiva seu ancilla quae in potestatem plane domini transierat, pro illius item libitu, pristino matrimonio ad eorum sententiam solvebatur. Hinc etiam Josephus [f] legem hanc de captiva suo more recitans, Ἂν ἢ αἰχμάλωτον, inquit, τις λάβῃ παρθένον, ἄν τε καὶ γεγαμημένην, &c. *Si quis captivam abduxerit, sive virginem sive marito ante conjunctam,* &c. At vero aliqui singulare hoc fuisse Israelitis jus ux-

[v] *Sepher Juchasin*, fol. 17 a. [x] Maimonid. Hal. *Isuri Bia*, cap. 15. [y] Misna tit. *Kidoschim*, cap. 3. & Gemara ibidem. [z] Praecept. Negat. 117. [a] Deuteron xxi. 10. [b] Gem Bab ad tit. *Jabimoth*, cap 4. fol. 48. a. & Maguiri, ad citatam legem, praeter Maimon. Hal. *Melakim*, cap. 8. [c] Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 8. ad mentem Gem. Babylon. ad tit. *Kidoschim*, cap. 1 fol. 21. a. *Sepher Siphra*, col 190. [d] R. Jochanan in Gem. Hierosolym. apud R. Isaac. Abarbinel in *Pirush*, fol 37?. col. 2. Adstipulatur Philo lib. περὶ φιλανθρωπίας, & Josephus lib. 4. Arch. cap. 8. [e] Praeter jam citatos, videtis R. Bechai in *Biur*, fol. 222. col. 4. & R. David. Kimchi ad 2 Samuel. xiii. 1. R. Moses Mikotzi Praecept. Affirm. 122. [f] Archaeolog. 4. cap 8.

oris

oris alienae ita in bello capiendae volunt, nec omnino gentilibus sive inter se sive adversus Ebraeos belligerantibus [g] permitti, sed eis furti nomine hoc, velut alieni contrectationem, interdici. Quod mirum videtur. Nam ex ipsorum ratione jam allata captiva ejusmodi gentilis, pro victoris cujuscunque arbitrio, aliena esse uxor definit. Post concubitum ejusmodi unicum, si in Judaismi professionem allici potuerit, baptismo statim suscipiebatur לשם גרות *nomine juris proselytae*, sive ut proselyta justa fieret, modo superius [h] indicato. Sive autem Judaismum aversaretur sive susciperet, luctus menstruus, juxta legis allatae verba, domi ei erat agendus. Nec ante binos alios elapsos in uxorem ducere domino fas erat, tametsi proselyta justa fieret. Tempus hoc adjectum להבחין בין זרע ראשון לזרע שני *ad distinguendum semen primum a semine secundo*, ut scilicet dignosceretur ex tempore trimestri utrum ex concubitu ante quam proselyta fieret, an post forte, gravidaretur. De cujus rei ratione mox. Si proselyta justa fieri nollet (qua de re, ut monita interim deliberaret, tempus a captivitate etiam annuum praestituebatur) ut proselyta domicilii fieret necesse erat, secundum ea quae etiam supra [i] dicta sunt, si in terra Israelitica seu Ebraeorum imperii finibus etiam vita gaudere vellet: Nam si hoc detrectaret, plane erat occidenda, ut alii idem detrectantes. Nisi autem proselyta fieret justa, nefas erat domino eam ducere, uti & Ebraeis universis gentilem. Neque fas ei, si proselyta maneret domicilii, ultra velut ancillam seu captivam eam sibi habere, utpote libertatem, ex eo quod primo ita amata concubitu unico, in futurae sponsae spem, dehonestaretur, lege adeptam. Ex primo illo ejusmodi captivae concubitu proles nata antequam mater baptismo initiaretur (nam nata post etiam omnimodo jure proselyti, sine baptismo [k], modo circumcideretur, ut Ebraeus, gaudebat) ex sententia forensi baptismo & circumcisione in Ebraeorum ecclesiam proselyti nomine cooptanda erat. Singulare juris hujus exemplum aiunt fuisse in bello a Davide rege adversus Tolmium Gesuris regem gesto. Nimirum Maacam (quam, posteaquam proselyta facta fuerat, in uxorem duxit David) יפת תואר *formae venustae foeminam* fuisse; quo nomine captivam, qualem diximus, semper denotant. Ex primo vero ejusce concubitu [l], dum adhuc gentilis esset & captiva, natam fuisse Thamarem, & dein ex eadem proselyta facta atque in uxorem ducta Absalonem. Ex hac autem lege de captivae concubitu rationem etiam reddunt quare nefas non haberetur Ammoni Davidis filio eam, utpote fratri sororem, matrimonio conjungi; quam in eis quae de proselytorum cognatione infra [m] sequuntur exhibebimus.

CAP. XIV.

Quatenus variatim interdicta haberentur sive originariorum & proselytorum justitiae, sive proselytorum & Israelitidum, originis exterae nomine, conjugia. De Nethinaeis ab Israeliticis conjugiis arcendis decreta. Proselytorum diversae invicem conditionis proles qualis.

ITA de servis atque exteris nondum libertinis aut proselytis justitiae factis, ut jam ostensum est, se res habuit. Proselytorum vero justitiae utriusque sexus jus hic varium erat. Nam tametsi proselytus justitiae integer pari in rebus plerisque erat ac censebatur cum originario conditione, & ipsam Judaeam velut patriam novam induerat; in re tamen matrimoniali, quae ad proselytos & Judaeos originarios attinuit, diversitas erat non exigua, nec unius generis. Cum gentium nonnullarum proselytis utriusque sexus vetita sunt perpetuo originariis conjugia; cum nonnullarum, sexus masculi tantum; cum aliarum, usque ad generationes aliquot; cum reliquarum, simul atque facti sunt proselyti, permissa sunt eorum cum originariis, nec sine temperamentis aliquot, conjugia. In primo genere ponunt nonnulli populos illos septem, Cananaeos, Amorrheos, Hivaeos, Perizzaeos, Hittaeos, Gergesaeos & Jebusaeos, adeo ut nec velint eorum utcunque in Judaismum cooptatorum cum originariis conjugia licita esse, idque ex ipsa lege sacra illa [n], *Non contrahes affinitatem cum eis*, &c. De qua superius etiam dictum est capite duodecimo. Et quanquam tum illam tum congeneres leges intelligunt aliqui (ut ibi monitum est) de universis gentilibus seu paganis ante Judaismum susceptum a connubiis originariorum arcendis, nihilominus, ubi ad septem populos disceptatio venit singularis, controversum est, utrum ex lege sacra proselyti a populis illis facti rite Israelitica inire potuerint conjugia. Negant igitur alii [o], eo quod adeo signanter interdictum de illis locum in legis corpore occupat. Alii affirmant [p] licita fuisse cum ipsis, non obstante lege illa, postquam Judaismum susceperant, conjugia, neque interdictum affinitatis contrahendae ad aliud tempus praeter id quo pagani manerent attinuisse; quod ex eo inprimis etiam eliciunt, quoniam postquam ex illis Gibeonitae, qui Hivaeorum pars, proselyti facti sint, & ministeriis aliquot sacris sed sordidioribus a Josua [q] addicti (unde נתינים *Nethinaei*, id est *dedititii*, seu hujusmodi ministeriis dati, vocantur) bina a majoribus lata de eis a conjugiis Israeliticis arcendis traduntur decreta: alterum Josuae, quod temporarium fuisse aiunt; alterum Davidis [r] regis, quo perpetuo arcebantur; quod & inde natum esse aiunt quia adeo crudeles se exhibuerant Gibeonitae [s], ut sine suspendio septem filiorum

[g] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 57. a. [h] Lib. 2. cap. 2. [i] Ibid. cap. 3. [k] Maimonid. Halach. *Isuri Bia*, cap. 13. [l] R. David. Kimchi ad 2 Samuel. iii 3. & xiii. 1. Maimonid. Halach. *Melakim*, cap 8. R. Bechai in Biur fol. 222. col. 4. Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap 2. fol. 21. a. Moses Mikotzi Praecept. Affirmat 122. [m] Cap. 18. [n] Deuter. vii. 3. [o] Rabba in Gemar. Babylon. tit. *Jabimoth*, cap. 8. fol. 76. a. R. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 112. & 116. [p] Moses Maimonides Hal. *Isuri Bia*, cap. 12. *Shulcan Aruch*. tit. *Aben Haezer*, cap. 4. *Magid Misna* ad citatum Maimonidis locum. Et vide R. David. Kimchi ad Jos. vi. ad 1 Regum iii 1. & xi. 1. [q] Jos. ix. 23. Ezra ii. 43. viii. 20 videsis Apocryph. Esther xiv. 15. [r] Rab. Chana in Gem. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap 8. fol. 78 b. [s] 2 Sam. xxi. 2, 6, & 9.

Saulis

Saulis regis nollent placari. Hujusmodi decretis opus non fuisse si ex ipsius legis sacrae vi nuptiis Israeliticis fuissent interdicti. Et mirum sane est interea quempiam existimasse [t], Josephum S. Mariae conjugem, & plane optimo jure Israelitam, ex ordine Nethinaeorum fuisse. Sunt etiam [v] in magistris qui proselytos septem populorum qualescunque primo factos tantum ex legis sacrae vi arceri hic velint, non autem posteros eorum in sanctitate, uti aiunt, id est, postquam parentes sunt facti proselyti, natos; atque hinc causam decretorum de Nethinaeis, velut de primorum posteris, petant. Utcunque vero Nethinaeorum, sive ex decreto majorum, sive ex ipsa lege sacra, vetita cum Israelitis in aeternum conjugia una agnoscunt, idque tam masculorum quam foeminarum. Quod itidem de maribus Ammonitarum & Moabitarum, secundo hic genere, dicendum. Lex sacra [x]; *Ammonites & Moabites* לא יבא בקהל יהוה *non intrabit in congregationem* seu *ecclesiam domini, etiam in generatione decima nullus ex ipsis veniet in ecclesiam domini, usque in seculum.* Quibus verbis cum Israelitidibus nuptias eorum perpetuo volunt interdictas. Scilicet *non veniet* aut *non ingredietur in ecclesiam* seu *congregationem Domini* passim interpretantur per לא ישא ישראלית *non ducet in uxorem Israelitidem.* Unde legi huic adjicitur in paraphrasi Chaldaea Jonathani tributa למיסב איתא מקהל עמא דיי' *Ut accipiat sibi uxorem de coetu populi Domini.* Quod etiam in caeteris similibus quae eodem in capite Deuteronomii habentur, paraphrasi in eadem occurrit. Et *decimam generationem* tempus infinitum denotare plerumque consentiunt. Certe in Nehemia, velut ex citato Deuteronomii loco, legitur [y] solum עד עולם *in seculum,* seu *perpetuo,* sine decimae generationis mentione. Et observant hic dici [z] עמוני ולא עמונית מואבי ולא מואבית: *Ammonitam, non Ammonitidem; & Moabitam, non Moabitidem;* adeo ut foeminarum ex hisce gentibus quae in Judaismum rite transirent nuptias nunquam statuerint originariis vetitas. Id quod etiam inter Sinaicas Mosis traditiones censent. Unde etiam Moabitidas illas Rutham & Orpham Mahaloni & Chilioni Ebraeis rite conjunctas [a], quantum ad nationem attinet, concludunt aliqui. Nam ut proselytae essent necesse erat antequam juris cum Ebraeo matrimonialis capaces juxta magistrorum sententiam fieri potuissent. Certe Rutha inter proselytas vetustissimas, unde recentiorum seculorum proselyti genus ducebant, apud Eusebium [b] ex tabulis Judaeorum genealogicis diligenter olim asservatis recensetur: Sed vero eam non proselytam factam esse ante prioris mariti obitum volunt nonnulli [c]. Idumaeorum autem atque AEgyptiorum connubia cum Ebraeis ex ipsa lege vetita sunt usque in generationem tertiam. Quod ad genus hic tertium spectat, sic capiunt illud [d], *Non abominaberis Idumaeum, quia frater tuus est; nec AEgyptium abominaberis, cum peregrinus fueris in terra ejus,* liberi seu בנים, *qui geniti fuerint eis, in tertia generatione venient* בקהל יי', id est, *in ecclesiam Domini.* Qua phrasi nuptias Israeliticas volunt indicari. Hinc cum proselytis ipsis sive [e] Idumaeis sive AEgyptiis, atque eorum liberis, Israelitis interdicta aiunt conjugia; cum nepotibus autem neptibusve ex liberis hisce permissa. Sic enim generationes enumerant, ut primam in ipso, qui primo fit, proselyto figant, utpote regenerato, ut libro secundo ostensum est; secundam in filio seu filia; tertiam, cujus conjugium hic licitum, in nepote nepteve sive ex filio sive ex filia. Nam sexus distinctionem hic habent traditiones eorum avitae juxta plerosque nullam; utcunque non desint qui vocabulo בנים non *liberos,* sed *filios* designari in lege hac sacra velint [f], adeoque filias harum gentium non esse omnino vetitas; unde etiam nuptias Salomonis regis & filiae Pharaonis regis AEgypti proselytae factae licitas esse [g] statuunt. Sed vero Maimonides de hisce, ad veterum mentem & sententiam receptiorem; מצרית מעוברת שנתגיירה בנה שני מצרי שני שנשא מצרית ראשונה או מצרי ראשון שנשא מצרית שנייה הולד שני שנאמר בנים אשר יולדו להם הכתוב תלאן בלידה: גר עמוני שנשא מצרית הולד עמוני׳ גר מצרי שנשא עמונית הולד מצרי׳ זה הכלל באומות הולד הלך אחר הזכר נתגיירו הלך אחר הפחות: *AEgyptiae gravidae, quae proselyta fit, proles generationis est secundae. AEgyptii generationis secundae qui AEgyptiam generationis primae duxerit, uti & AEgyptii primae generationis cui nupserit AEgyptia secundae, proles secundae* [h] *est generationis, juxta illud quod scriptum est,* Liberi qui geniti fuerint eis; *ubi rem pendere palam est ex generationum qualiumcunque numero. Si vero Ammonita duxerit AEgyptiam, proles eorum est Ammonitica: Sed si AEgyptius duxerit Ammonitidem, proles est AEgyptiaca. Regula quidem est inter gentiles seu paganos, prolem sequi masculum, seu patrem; at vero inter proselytos,* ubi diversarum gentium quarum par jus non est proselyti commiscentur, *sequi partem deteriorem,* seu, ut alias dixere veteres, הפגום שבשניהם *maculam, vitium,* seu *incommodum quod inter eos reperitur deterius.* Sensus est in exemplo de Ammonitarum & AEgyptiorum conjugiis; sed paucis explicandus etiam ultra ea quae Maimonides compendio ita scripsit [i]. Ubi ait AEgyptii & Ammonitidis proselytorum prolem esse AEgyptiacam, de prole capienda est foeminea: Nam ejus conditio est deterior quam si pro Ammonitica prole haberetur. Scilicet Ammonitis qualiscunque proselyta Israelitae rite poterat conjungi (ut ante ostensum est) non AEgyptia ante generationem tertiam. At si proles esset mascula, Ammonitica fuisset, quia tunc perpetuo illicitum fuisset ejus posterorumque cum Israelitidibus conjugium, cum AEgyptiacae interdictum esset interea temporarium. Eodem modo proles mascula Ammonitae & AEgyptiae proselytorum Ammonitica erat;

[t] Jac. Boulduc. de Eccles. ante legem lib. 1. cap. 5. [v] Vide *Magid Misna* ad citatum Maimonidis locum. [x] Deut. xxiii. 3. [y] Cap. xiii. 1. [z] Misna; & Gemara Babylon. tit. *Jabimoth,* cap. 8. fol. 77. a. Hierosolymit. fol. 9. a. & loci supra e Talmudicis citati, & Mikotzi Praecept. Negat. 114. [a] Ruth 1. 4. vide *Midrash* Ruth parash. 2. & Jo. Drus. in eundem Ruthae locum. Adde S. Ambros. ad D. Luc. lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 4. [b] Hist. Ecclesiast. lib. 1. cap. 7. [c] Sal. Jarchius ad Ruth 1. & Paraphras. Chaldaea ibidem diserte, & videsis lib. de Successionibus in Bona, cap. 14. [d] Deuter. xxiii. 7. [e] Misna & Gemar. Babyl. tit. *Jabimoth,* cap. 8. fol. 76, 77, 78. Maimonid. Hal. *Isuri Bia,* cap. 12. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 116. [f] Apud R. David. Kimchi in 1 Regum iii. com. 1. [g] Locis paulo ante e Talmude citatis. [h] Videsis *Shulcan Aruch* in *Aben Haaezer,* cap. 4. §. 5. *Ubi sunt qui sentiant etiam tertiae esse.* [i] *Magid Misna* ad Maimonid. Hal. *Isuri Bia,* cap. 12. & *Shulcan Aruch,* loco citato.

foeminea,
6

foeminea, AEgyptiaca; eandem ob ipsam, ut palam est videre, rationem. Quod autem hactenus dictum est de nationum exterarum proselytis aliis perpetuo, aliis ad generationes aliquot ab Israelitarum connubiis arcendis, id obtinuisse aiunt atque observatum (saltem observari debuisse) ante captivitatis Assyriacae & Babylonicae tempora, dum scilicet ita invicem ex tabulis genealogicis aliterque distingui poterant nationes jam dictae. Postmodum vero, eo quod invicem ita confusae sunt (aliis in aliarum terram migrantibus, & cum quam pluribus aliis, quibus proselytis factis interdictum conjugii Israelitici sacrum positum non est, commixtis) ut alia dignosci ab alia rite nequiret, nec a terra seu regione ipsa in qua quis natus sit, sed a genere unde originem duceret, nationis nomen juxta Ebraeos tribueretur, desiit apud eos tam legum sacrarum quam supervenientium decretorum de proselytorum nuptiis discriminandis interdicendisque observatio, adeo ut citra tempora illa, e quacunque gente sive proselytus sive proselyta adveniret, rite satis Israelitici conjugii capax fuerit, seu, quod idem est, illis מותרין לבא בקהל יהוה מיד *licitum fuerit eis ingredi in ecclesiam domini simulac facti fuerint.* Certe & Mahumedes noluit expressim sive foeminas sive viros exteros aliosve antequam Mahumedici fierent proselyti Musulmanis nuptiis conjungi. Verba sunt [k],

لا تنكحوا المشركات حتى يؤمن

Non ducatis in uxores incredulas, usquedum fiant Musulmani, seu *religionis Mahumedicae.* Nam uti apud Ebraeos, ita apud Mahumedanos peregrinitas primaria ex alia discernitur persuasione. Quemadmodum item de Persis legitur in illis Chosrois regis de se dictis, *Cum Syra christiana esset, & ego gentilis, &* lex nostra non permitteret nobis potestatem χριστιανὴν ἔχειν γαμετὴν *christianam habere uxorem*, ut memorat Evagrius [l]. Quod vero traditur de conjugiis originariorum & proselytorum sive quos jam diximus sive reliquorum (de quibus singulares in pentateucho non reperiuntur leges) simul atque facti sunt proselyti, permissis, id ita semper capiendum est ut temperamentum de sacerdotum nuptiis simul admittatur: Neque enim eis qui sacerdotali muneri nati sunt licuit proselytas omnino aliquas matrimonio sibi jungere. Et ob natalium inquinamentum ab altari arcebatur proles ex ejusmodi matrimonio seu coitu nata. Filiae vero sacerdotum pariter atque aliorum originariorum rite nubebant proselytis. Sed hac de re fusius alibi [m] egimus. Et quod de proselytis hic dictum de libertinis (qui parilis cum eis juris) intelligendum.

CAP. XV.

De Rahaba, Timnathaea puella, ac Dalila proselyta. Item de Salomonis uxoribus extraneis in sacra scriptura dictis. Et de liberis ex conjugio gentis nomine interdicto susceptis. Ex genere, non a loco, nationem Ebraeis semper denominari.

JUxta jam ante ostensa de conjugiis exterarum gentium Ebraeis ante Judaismum susceptum plane interdictis, & proselytorum permissis, sed non sine, quae memoravimus, temperamentis, explicant ipsi conjugia aliquot tum in sacris literis narrata, tum in avitis traditionibus de sacrarum literarum tempore reperta. In traditionibus habent, Rahabam nuptam [n] fuisse Josuae, proselytam scilicet factam. Et qui nolunt ne proselytarum quidem e septem populis conjugia Israelitis fuisse permissa (ut superius dictum est) ii etiam negant eam aut familiam suam fuisse de septem populis, sed plane in ipsis fuisse exteram, adeoque in lege de affinitate cum septem populis non contrahenda non contineri: Neque aliter Josuae rite potuisse, quod credunt, conjungi. Nimirum negant gentilem seu paganam esse בת קידושין *filiam sponsaliorum*, seu ejusmodi quacum Ebraeus potuit contractum inire nuptialem qui irritus non esset. Inde etiam de Timnathaea illa atque Dalila Palaestina puella aiunt, eas proselytas esse [o] factas, quia Sampsoni nuptae. Quin de Salomonis regis uxoribus, quae in sacris literis vocantur נכריות [p] seu *exterae*, dicunt aliqui, tametsi e tribunalium majorum atque ordinaria autoritate publica proselytorum admissio, alias solennis, rara satis erat, nec illius aut Davidis patris tempore in usu, ob rationes superius libro secundo [q] memoratas, nihilominus etiam tunc temporis quamplurimos aut privatorum autoritate, id est, triumvirorum ex compromisso constitutorum, aut jussu principali, qui extraordinarius erat (quo totidem hanc in rem praeficerentur) factos fuisse proselytos proselytasque [r], sed non sine vitio illo quod impense detestantur; nempe sive ob poenae timorem, sive ob praemii humani spem. Hos aiunt lavacro sacro caeterisque solennibus ita utcunque susceptos, a consessu LXXI virorum non quidem rejectos fuisse seu ex ecclesia Ebraica pulsos, nec tamen ita, sine diligenti exploratione morum & simplicis amoris erga Judaismum futuri, quo dignitatem proselyti mereri saltem viderentur, admissos fuisse inter caeteros optimi juris proselytos ut pari undiquaque fruerentur cum eis conditione nominisque celebritate; ideoque, veluti semiproselytos ante ejusmodi explorationem & citra amorem ejusmodi habitos, *exterorum* seu *paganorum* nomine, quod pristinum eis erat, fuisse nuncupatos. Unde adjiciunt evenisse Salomonis uxores *exteras* quidem dici, utpote aut ex jam dicto proselytorum numero selectas, aut simili modo in Judaismum cooptatas: Sed eatenus fuisse proselytas ut nuptiarum seu juris conjugalis Israelitici fierent, saltem, ut dici solet, in foro exteriori, capaces. Neque aliter intelligi volunt hi illud de Salomone, ויתחתן שלמה את פרעה *& affinitatem contraxit Salomon cum Pharaone* rege AEgypti, accepta ejus filia. Nisi proselyta

[k] Azoar. 2. [l] Hist. Ecclesiastic. 6. cap. 20. [m] Lib. 2. de Successione in Pontific. cap. 2. [n] Gedalia Ben Jechai in *Shalsheleth Hacabala*, fol. 14. a. *Sepher Juchasin*, fol. 10. a. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 112. R. David Kimchi ad Josuae vi. 23. & vide supra lib. 2. cap. 2. Cc. 180. [o] Gersomides ad Judicum xiv, & xvi. & Moses Mikotzi Praecept. Negat. 116. [p] 1 Reg. xi. 1. [q] Cap. 2. Cc. 182. [r] Maimonid. Halach. *Isuri Bia*, cap. 13. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 116. & vide David. Kimchi ad 1 Regum iii. 1. & xi. 1.

ipsa facta fuisset, negat affinitatem per leges sacras contrahi ita potuisse, ullumve cum ea conjugium. Sed vero detur, ut volunt hujus sententiae autores, proselytas factas qualescunque foeminas illas quae *exterae* in sacro sermone dictae Salomoni nupserunt; certe Pharaonis filia nondum ex singulari quae ad AEgyptios & Idumaeos attinuit lege [s] conjugali rite duci potuit, ut ex superiore liquet capite: AEgyptia enim erat primae generationis, adeo ut ante tertiam gentis nomine ab Israelitico arceretur conjugio; quod & monuere David Kimchius & Levi Ben Gersom[t]: Juxta receptiorem, dico, Talmudicorum sententiam; nam & sunt qui legem illam de AEgyptiorum filiis tantum, non filiabus, capiant, ut & superius monuimus. Et quicquid sane hic velint magistri aliquot de Salomonis uxoribus proselytis factis, id manifestum est ex historia sacra [v], eum in legem quae exterarum gentium nuptiis originariis interdixit, eas accipiendo commisisse; quod qua ratione bene intelligi possit non video, si Ammonitidibus & Moabitidibus (verbi gratia; nam eae expressim nominantur) proselytis factis se matrimonio conjunxerat. Etenim pronunciat sine controversia magistrorum coetus, cum hisce nuptias originariis, ut ante ostensum est, licitas semper fuisse. Et Salomonis exemplum etiam adducitur ubi ob exterarum gentium uxores increpantur apud Nehemiam [x] Judaei. Proselytas igitur eas factas esse, non ita rationi consonum videtur. Tam vero ex jure ejiciendi, ut plane alieni, fuere liberi ex uxore extera nec proselyta facta suscepti quam ipsa uxor. In Ezra legitur [y] de uxoribus illis extraneis, *Omnes hi acceperant uxores alienigenas*; *& fuerunt ex eis mulieres quae pepererant filios* seu *liberos*. In origine בנים pro *liberis* habetur. Atque in repetita eadem historia inter Apocrypha [z], secundum magistrorum traditiones de liberorum hic sive nomine sive agnitione, adjicitur, *In his ergo sit jusjurandum a Domino, expellere omnes uxores vestras quae ex alienigenis sunt cum filiis earum* (seu, ut in Graeco habetur, σὺν τοῖς τέκνοις αὐτῶν, *cum earum liberis) sicut tibi decretum est a majoribus secundum legem Domini, exsurgens explica.* Itaque non solum ex autoritate repetitae hujus Ezrae historiae, verum etiam ex ipsorum Talmudicorum disertis [a] testimoniis, paganae liberi tametsi ab Ebraeo suscepti plane pagani erant. Perpetuo erat proles כמותה, seu *ejusdem cum pagana conditionis*, quod sexcenties occurrit; בנה, *filius* seu *proles ejus*, non Israelitae, civiliter; uti & supra monitum est capite duodecimo. Quemadmodum & illud e contra, Israelitidis prolem sive a pagano sive a servo susceptam generis esse Israelitici. Atque obvium est apud Talmudicos [b], גוי ועבד הבא על בת ישראל הולד כשר בין בפנויה בין באשת איש *ubi, sive paganus sive servus concubuerit cum Israelitide, proles recta erat* (id est, Israelitico genere; quae pariter cum Israelitis universis, praeter sacerdotes, quibus eo quod profana erat [c] rite conjungi nequibat, jure fruebatur nuptiali) *idque tam ubi Israelitis innupta erat quam ubi nupta.* Et inprimis hic illud advertendum; nunquam civitatis, regionis, terrae seu loci in quo quis esset natus, sed tantummodo primi autoris generis e quo descenderet aut descendere existimaretur (juxta ea quae dicta sunt) rationem apud Ebraeos habitam, ut in seipsis ab aliis, ita in exteris & proselytis inter se invicem distinguendis; adeo ut AEgyptii, Idumaei, Ammonitae, Moabitae, id est, qui a Mezraim, Edomo, Ammone, Moabo descenderat, seu ab his, ubi de majoribus disquisitum est, descendere existimabatur, in Judaea, Arabia, Graecia, Romae, nata proles, AEgyptiaca, Idumaea, Ammonitica, Moabitica censeretur. Maxime ante captivitatis tempora, scilicet dum sive tabulis genealogicis sive aliter res discerni rite quibat. Qua de re capite superiore monuimus. Postea enim non tam proselyti ex hac vel illa natione quam simpliciter proselyti habiti undecunque admissi; evanescente, ut dictum est, diversitate proselytismi ex nomine gentium aliquot, quae ante ex legibus sacris in usu.

CAP. XVI.

De originariorum aliquot conjugiis proselytis justis & libertinis, etiam & ancillis, permissis, quae interim originariis caeteris vetita sunt: Scilicet Mamzerum, & eunuchorum.

EX allatis hactenus liquet quae conjugia originariis vetita sint sive nomine nationis seu originis exterae sive ob servitutis statum; quaenam item regulariter permissa: Sequitur ut & moneamus de conjugiis etiam originariorum aliquot non solum proselytis & libertinis sed ancillis permissis, at interea originariis caeteris vetitis. Generis fuere ea duplicis. Alterum erat conjugium Mamzerum etiamsi originariorum; alterum, castratorum seu eunuchorum, etiam originariorum. Quod ad genus primum attinet; observandum est, recenseri apud Talmudicos decem familiarum genera invicem distincta, ad hunc modum [d], עשרה יוחסין עלו מבבל כהני לויי ישראלי חללי גירי והרורי ממזירי נתיני שתוקי ואסופי: *Decem familiarum genera ascenderunt e Babylone*, Ezrae tempore; *sacerdotes, Levitae, Israelitae, profani, proselyti, & libertini, Mamzeres, Nithinaei, Sethukim, Asuphim.* Ex hisce bina posteriora, quorum in versione nomina retinemus Talmudica, fuere quidem Mamzerum genera, sed dubia. Scilicet, cum Mamzer in lege sacra memoratus [e] is esset qui e coitu aliquo turpitudinis seu incesti nomine (excepto duntaxat eo qui cum muliere immunda habebatur) interdicto nasceretur, non alium in lege innui volunt praeter eum qui esset Mamzer ודאי seu *manifestus*, id est, de quo liquido constaret eum esse ex ejusmodi coitu prognatum. Alios autem [f] Mamzeres in duplici

[s] Deut. xxiii. [t] Ad 1 Regum iii. 1. & Gersomides ad cap. 11. 1. [v] 1 Reg. xi 2. [x] Cap. xiii. 26. [y] Cap. x. ult. [z] 3 Esdrae viii. 95. [a] Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap. 2 fol. 23 a. & ad tit *Kidoschin*, cap. 3. fol. 68. b. & Glossas ibidem; unde etiam intelligendum est quod habet Jarchius ad Deuteron. vii. 2. [b] Gem. Bab. ad tit *Jabimoth*, cap. 4. fol. 45. b. Maimonid. Hal. *Isuri Bia*, cap. 15. Moses Mikotzi Praecept. Neg. 117. & videsis Act xvi. 1, &c. de Timotheo. [c] Vide lib. 2. de Successione in Pontific. cap. 2. [d] Misna tit *Kidoschin*, cap. 4. & Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap. 9. fol. 58. a. [e] Deut. xxiii. 2. [f] Maimonid. Hal. *Isuri Bia*, cap. 15. Talmudic. ad jam citatos e Misna & Gem. locos. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 117.

consti-

conſtituebant diſcrimine. Eorum quidam fuere dubii, veluti ubi ex ejuſmodi nuptiis nati ut in dubio reſtaret utrum mater ante viro alteri legitime nupta eſſet, an legitime divortio ſeparata, aut ubi ejuſmodi quid aliud eveniret. Nam in ſpecie jam dicta dubitabatur an ex adulterio (quod inceſtorum ſeu ה עריות unum eſt genus) eſſent nati. Prolem hujuſmodi vocitabant ממזר ספק *Mamzerem dubium*, ſed ita ut in enumeratione ſuperius allata generali Mamzerum nomine ſatis comprehendatur. Alii fuere Mamzeres מדברי סופרים *ex inſtitutis ſcribarum* ſeu *majorum*, quemadmodum ubi foemina quae virum ſuum alienis in terris demortuum eſſe audiens novo juncta fuerat marito, & priori redeunti prolem pepererat; quia ſine dolo ſecundae hic nuptiae factae ſunt, ideo non ex lege ſed ex inſtituto majorum Mamzerem prolem hanc habuere. Dubiis item annumerabantur ex innuptis nati quorum patres non manifeſti; qui ipſi ſunt *Sethukim* in enumeratione ſuperiori, ita dicti a שתק, quod eſt *tacere* ſeu *ſilere*; quia de patre paſſim, ut de ignoto, ſilentium. Item expoſiti, ſeu in foro, agris, alibive reperti liberi in dubiis erant Mamzeribus, quoniam utrum ex inceſtu eſſent geniti (quod itidem de *Sethukim* dicendum) erat in incerto. Hi autem ſunt qui *Aſuphim* dicti, id eſt, *collecti.* Nimirum *Sethukim* fuere quorum patres ignoti; *Aſuphim*, quorum nec pater nec mater cognita. Jam vero nemo non videt tum Mamzeres hoſce ex originariis genitos, ſi ſanguis ſpectetur ſolus, fuiſſe etiam originarios ſeu Iſraelitas, quemadmodum & ſacerdotes & Levitas plane originarios ſeu Iſraelitas fuiſſe optimi juris certiſſimum eſt, uti & profanos ex genere Iſraelitico, ſi ſanguinis ratio duntaxat habeatur. Sed animadvertendum eſt, Talmudicos, ut ſanctitatis cauſa diſtinguere ſolent *ſacerdotes & Levitas* [g] ab *Iſraelitis*, adeo ut hoc nomine, quod alioquin univerſos Judaeos originarios continet, ii ſoli non raro comprehendantur qui nec Levitae nec ſacerdotes ſint, ſic etiam ob Iſraelitarum non illicito coitu prognatorum dignitatem, nec profanis nec Mamzeribus quibuſcunque nomen *Iſraelitarum* plerumque tribuere; ne ſcilicet illiciti parentum coitus nota in eis deſignandis aboleretur. Sic etiam *Nethinaeos* vides a *proſelytis* hic diſtingui, utpote proſelytis caeteris indigniores. Mamzerum autem liberi, poſterique itidem, niſi e pagana aut ancilla ſuſcepti (qua de re etiam vide quod ſupra [h] adnotatur) Mamzeres fuere; neque ex aliorum nominum conjugiis eis permiſſis, de quibus ſtatim, in ea proles eorum tranſmigrabat. Ob natalium autem defectum, qualem diximus, interdicta ſunt Mamzeribus utriuſque ſexus conjugia Iſraelitica, ſeu Iſraeliticorum Iſraelitidumque, notione jam dicta, nedum ſacerdotum atque Levitarum. Lex ſacra eſt [i], *Non ingredietur Mamzer in congregationem Domini; etiam in generatione decima, qui eſt natus ex illo non intrabit in congregationem Domini. Non intrare* בקהל יהוה *in congregationem Domini* nuptiarum Iſraeliticarum interdictum magiſtris denotare ſaepius monitum eſt. Unde & Petrus Comeſtor ante ſecula aliquot; *Hebraeus*, inquit [k], *verius tradit, dicens, ingredi eccleſiam Dei eſſe de filiabus Iſrael ducere uxorem, & ſic in ſe & in genere ſuo fieri de populo Dei.* Ratio autem praecepti de Mamzeribus nuptiis Iſraelitidum interdictis redditur a Maimonide [l], להודיע הנואף והנואפת שאם יעשו יפסידו בזרעם הפסד שאין לו תקנה : *Ut inde adulteri adulteraeque, aliique inceſtum affectantes, videant ſe prolem ſuam irreparabili labe affecturos ſi rem perpetrent.* At vero proſelytorum juſtitiae nuptiis non arcebantur Mamzeres; quod idem dicendum de libertinorum etiam & Nethinaeorum. Nam & hic ה בקהל יהוה, *in congregationem Domini*, ſignantius Iſraeliticam univerſitatem, ſeu originariam, nec aliam, volunt innuere; uti & *generationem decimam* tempus quod perpetuum eſt. Sed de proſelytorum hic poſteris ſententiae ſunt aliquantum diverſae. Alii [m] conjugia inter eos ac Mamzeres rite iniri potuiſſe aiunt עד שישתקע שם ע"ז וגיות ממנהם *uſque dum memoria cultus extranei*, quo parentes ſe polluerant, *& gentiliſmi in eis, tempore deleretur*, ſeu עד שלא יודע שהיו גרים *uſque dum non ſatis conſtaret utrum proſelyti eſſent an Iſraelitae originarii.* Alii vero [n] hoc decem generationibus finiunt: Scilicet גר עד עשרה דורות מותר בממזרת *proſelyto uſque ad decem generationes fas eſt jungi Mamzerae.* Utrique adjiciunt, מכאן ואליך אסור *dein autem fas non eſt.* Ratio redditur, quoniam ita evaneſcente quaſi proſelyti nomine pro Iſraelitis originariis vulgo habebantur, ſeu, uti aiunt ipſi, נראין כישראל *videbantur eſſe Iſraelitae*; unde fiebat ut, ne Iſraelita in vetitis hujuſmodi nuptiis peccare videretur, etiam ei qui revera Iſraelita non eſſet, ſed vulgo interea habitus, neutiquam permitterentur. Etſi autem in lege ſacra Mamzerem manifeſtum tantum contineri ſtatuebant, nihilominus ex inſtituto majorum tam dubios quam manifeſtos aiunt originariorum caeterorum arceri conjugiis. Manifeſtos autem inter ſe rite contrahere, ſed non cum dubiis, neque hoſce invicem: Ne ſcilicet alter eorum forte Mamzer non eſſet, ſed Iſraelita, quocum ex lege Mamzera conjungi nequibat. Nec dubiis conjuges aliunde quam e proſelytis aut libertinis rite fuiſſe petendas. Hac tamen in re non comperio magiſtros [o] ſatis conſentire. Et de Mamzeris nuptiis plura ſtatim. Lex ſacra eſt [p]; *Non ingredietur* פצוע דכא, id eſt, *compreſſione laeſus*, ſeu *eunuchus attritis* vel *amputatis teſticulis*, ut Vulgata, ſeu θλαδίας, uti Helleniſtae, וכרות שפכה *nec cui exſectum eſt effuſionis membrum*, ſeu *eunuchus abſciſſo veretro*, ut Vulgata, ſeu ἀποκεκομμένος, ut habent Helleniſtae, *in eccleſiam Domini*; quod de nuptiis Iſraeliticis a magiſtris ſumi multoties diximus. Judaei Mauritanienſes hic habent مرسم الاخصية ومقطوع الاحليل *qui fuerit contritis teſticulis, & cujus membrum virile eſt abſciſſum.* Atque idem fere Saadias Gaon in verſione ſua Arabica. Neque adeo expreſſim aliae verſiones orientales, licet ejuſdem ſint mentis. Judaei Hiſpanienſes, *No venga lla-*

[g] Videſis etiam Pſalm. cxxxv. 19, 20. [h] Cap. xii. [i] Deut. xxiii. 2. [k] Hiſt. Scholaſtic. lib. 5. cap. 12. [l] *More Neb.* part. 3. cap. 49. [m] Gemar. Babylon. ad tit. *Kidoſchin*, cap. 4 fol. 75 a. & Maimonides Hal. *Iſuri Bia*, cap. 15. Moſes Mikotzi Praecept. Negat. 117. [n] Gemar. ad ibid. & *Shulcan Aruch* lib. *Aben Haaezer*, cap. 4. §. 22. [o] Praeter loca citata, conſulas Obadiam Bartenorium ad tit. *Kidoſchin*, cap. 4. & Gemar. Hieroſolymit. ad tit. *Jabimoth*, cap. 8. fol. 9. col. 2. [p] Deut. xxiii. 1.

gade

gado maiado y taiado de vertedero en congregation de A. Et Talmudici [q] primum capiunt pro eo cui testiculi ita collisi fuerint ut nec generationi par fuerit; secundum, pro eo cui virile membrum abscissum, aut adeo mutilatum ut itidem inde sit impar generationi. At vero hic distinctionem adhibent: Alios [r] esse סריסים חמה *eunuchos solis* (nam utrumque genus *eunuchi* nomine continetur) quos etiam סריסים בידי שמים *eunuchos a numine factos*, id est, natos, appellant: Alios esse סריסים אדם *eunuchos hominis*, qui scilicet integris membris nati ab homine castrantur, aut Veneri seu generationi impares redduntur: Quod tamen contra fas semper factum aiunt, ut libro ostenditur septimo [s]. De genere priori legem plerumque non capiunt, sed tantum de posteriori. Quemadmodum etiam Josephus [t], qui de *γάλλοις*, *gallis* seu *castratis*, legem intelligendam diserte docet; licet non tam de nuptiis eorum Israelitidibus tantum interdictis, ut Talmudistae, quam de consortio eorum qualicunque abhorrendo eam interea capiat. Atque ad bina, ut videtur, haec eunuchorum genera attinet illud in Evangelio [v]; *Sunt eunuchi qui de matris utero sic nati sunt; & sunt eunuchi qui facti sunt eunuchi ab hominibus; & sunt eunuchi qui εὐνούχισαν ἑαυτοὺς, eunuchaverunt seipsos, propter regnum coelorum.* Priora bina genera sunt ipsissima quae e magistris memoravimus: Tertium vero per similitudinem videtur dici, neque de eis qui revera castrantur intelligendum, sed de eis qui libidinis stimulo renunciantes sacrae legis studio toti incumberent, seu qui [x] עוסקים בתורה וטורדים בה *legis studium summo animi fervore amplexantes in eo adsiduo versarentur*, adeoque nec praecepto de multiplicatione humani generis (de quo supra [y] fusius) ad receptas magistrorum sententias, obligati erant. Etenim solenne verbum est, & regulariter apud eos verum, העוסק במצוה פטור מן המצוה *Qui praecepto incumbit*, seu *sedulo occupatus est, interim a praeceptis* caeteris, iisque affirmativis, *est immunis. Regnum coelorum* ipsum regnum Dei in citato evangelii loco denotat; id quod Talmudicis [z] est כתר התורה, seu *corona legis*. Exemplum habent in [a] Rabbi Jochanan Ben Uzai, quem hoc nomine scribunt praecepto de multiplicatione humani generis non obligatum. Ratio autem de eunuchorum nuptiis inter originarios interdictis datur a Maimonide [b], שהיא בעולה נפסדת ולבטלה והנשיאין מהם יהיו מכשול לה ולתובעיה וזה מבואר מאד: *Quia inutilis est coitus* seu *conjugium tale; quin & ejusmodi nuptiae offendiculo essent tum ipsi virgini, tum eis qui in amorem eam pellicerent.* At vero quemadmodum proselytis, libertinis ac Mamzeribus conjugia invicem rite potuisse iniri, nec obstitisse legem de Mamzeribus ab Israelitarum aliorum nuptiis arcendis, consentiunt magistri, ut jam ante monstratum est; ita etiam & castratos hos seu eunuchos proselytas justas & libertinas rite duxisse, uti etiam Nethinaeas & Mamzeras dubias, sed non manifestas, tradunt: Quoniam scilicet ex ipsa lege sacra hae originariis vetitae; dubiae vero, tantum ex majorum instituto. Atque sic demum statuunt de conjugiis originariorum aliquot proselytis & libertinis permissis, quae caeteris interim originariis vetita. Perquam autem singulare est jus hic de ejusmodi etiam conjugio alio permisso Mamzeri, quod & superius [c] tetigimus. Scilicet, Mamzeris proles posterique regulariter perpetuo *Mamzeris* nomen & infamiam retinebant, qualicunque conjugum commistione nati: Sequebantur nempe הפגום seu *vitium* parentis sic dicti. At vero quoniam nec deesse volebant Mamzeri posterisque ejus legitimum aliquem actum [d] seu remedium quo fieret תקנת הבנים *restitutio natalium & conditionis liberorum* seu labis contractae abolitio, adeo ut tandem evanesceret nomen illud *Mamzeris* satis odiosum, permissum est ei לישא שפחה *in uxorem ducere ancillam* (intellige lavacro susceptam, & in Judaismum, nomine servitutis, adscitam) ut prolem ex ea progenitam, quae non omnino pro Mamzere sed pro servo seu ancilla (nam ancillae proles nunquam non servilis plane erat conditionis) habebatur, ritu solenni in Judaismum integrum seu libertinitatem manumitteret; quo peracto, libertinus, id est, pari cum proselyto justitiae integro, jure censebatur filius ejus (quod itidem de filia dicendum) posterique sequentes, qui absque hoc fuisset *Mamzerum* nomen perpetuo retinuissent, ולא גזרו על השפחה לממזר מפני תקנת הבנים: *Non decernebant ne Mamzeri jungeretur ancilla*, *restitutionis* seu *emendationis posterorum gratia.* Quae emendatio fiebat modo jam indicato. Unde & exceptionem singularem nasci vides regulae illi de ancillae prole a successione arcenda, de qua alibi [e].

CAP. XVII.

Servorum atque ancillarum e gentilibus in servitutem redactarum cognationis nullam, ne quidem post Judaismum susceptum, ante manumissionem, apud Ebraeos, in re concubitus, rationem esse habitam. Et de eorum contuberniis.

QUAE capitibus proxime superioribus quinque absolvuntur, ad matrimonium & coitum sive vetitum sive permissum originariis cum servis, ancillis, exteris necdum in Judaismum cooptatis seu proselytis domicilii, proselytis justis, ac libertinis attinent. Postulat instituti ratio ut porro dispiciamus de matrimonio & coitu sive vetito sive permisso servis, ancillis, caeterisque, quos diximus, originis exterae, inter se invicem; in ditione scilicet Ebraica, atque ex jure gentium quo homines ejusmodi exterae originis inter se ibi uti aut debuerunt, aut licite potuere. Homines hi aut proselyti fuere domicilii seu eorum instar, adeoque plane Noachidae aut

[q] Misna Gemarae tit. *Jabimoth*, cap. 8. Babylon. fol. 75, 76. a. Hierosolymit. fol. 9. col 1. [r] Loc. citat & Maimonid. Halach. *Ishoth*, cap. 2. Halach. *Isuri Bia*, cap. 16. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 118. *Shulcan Aruch* lib. *Haben Haaezer*, cap. 5. adde Filesacum Select. lib. 1. cap. 11. [s] Cap. 3. [t] Originum lib. 4. cap. 8 [v] D. Matth. xx 12. [x] Maimonid. Halach. *Ishoth*, cap. 15. vide Epiphanium haeres. 58. & S. Hieronym. in Tradit. Hebraic. ad 2 Paralip. xxviii. [y] Cap. 3. hujus libri. [z] *Pirke Aboth*, cap. 4. [a] Maimonid. Halach. *Ishoth*, cap. 15. *Shulcan Aruch* lib. *Haben Haaezer*, cap 1. 5. 4. [b] *More Nebokim*, part. 3. cap. 49. [c] Cap. 12. [d] Misna & Gem. Bab. ad tit. *Kidoschim*, cap 3. fol. 69. a. Maimonid. Halach. *Isuri Bia*, cap. 15. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 117. [e] De Successionibus in Bona, cap. 3.

gentiles,

gentiles, aut in Judaiſmum cooptati, veluti ſervi & ancillae baptizatae, proſelyti juſti, libertini. De proſelytis domicilii, quantum ad hanc rem attinet, commodius loquemur libro poſtremo, ubi de judiciis & illiciti concubitus poenis, qua ad illos eae in ditione Ebraica ſpectarunt, agitur. Servi & ancillae in Judaiſmum, quantum ad ſacra & religionem attinuit, circumciſione & baptiſmo, ſervitute retenta, ut libro ſecundo docetur, cooptati, veluti proſelyti erant quidem partiarii. Sed ejuſdem conditionis parte altera eouſque carebant quamdiu non manumitterentur, ut non ſolum in civibus, aut juris civilis, extra ſacra, participes (quemadmodum fere olim ubique) non haberentur; ſed etiam nec cognationis ſeu jurium ſanguinis ulla omnino ratio aut veſtigium inter eos ſupereſſe exiſtimaretur. Unde, quod ſatis mirere, nec filiarum, nec ſororum, nec parentum quidem contubernia ſeu concubitus, cognationis nomine, eis interdicebantur. Rabbi Chaſda [f]; עבד מותר באמו ומותר בבתו יצא מכלל גוי ולכלל ישראל לא בא : *Servo fas eſt cum matre ſua & cum filia ſua commiſceri. Nam deſinit prorſus eſſe gentilis, & Iſraelitici juris* ſeu *pars eccleſiae Iſraeliticae non fit.* Hoc vult, cum omnes homines eſſent aut gentiles aut Ebraei, ſervum ejuſmodi ob Judaiſmum ſuſceptum plane deſiiſſe eſſe gentilem, ob ſervitutem vero retentam velut Judaeum aut juris Judaici eſſe nequiviſſe; jura autem cognationis aut ad gentiles, eoſque liberos, aut ad eos tantum qui Judaici eſſent juris ſpectaſſe; hunc, quia horum neuter erat, juribus ejuſmodi neutiquam teneri. In Gemara quidem Hieroſolymitana dubitationes hac de re, etiam & ſententiae adverſae, occurrunt. Sic enim ibi [g] legitur, רבי אידי אמר קומי רבי יוסי בשם רב הסדא עבד מותר באחותו אמר ליה שמעת אפילו מאם אמר ליה אין רבי פינחס אמר קומי רבי יוסי בשם רבי יוסי עבד שבא על אמה חייב חטאת ואמרת אלהם לרבות עבדים : *Rabbi Aidi dixit coram Rabbi Joſe, nomine Rab Chaſda, ſervo fas eſſe cum ſorore ſua miſceri; cui ille, Audivi etiam, cum matre ſua; quod hic negavit. Rabbi Phinees dixit coram Rabbi Joſe, ipſius nomine, ſeu ejuſce ſententiam proferens, ſervum qui cum matre ſua concubuerit, peccati reum eſſe; verbaque illa ſacra in praefatione interdicti inceſtus, ad eos dices, etiam ut ſervi continerentur, uſurpari.* Sed receptam demum hic ſententiam ita ex veteribus explicat Maimonides [h]; העבד מותר לישא אמו כשהוא עבד ואין צריך לומר בתו ואחותו׃ וכיוצא בהן שכבר יצא מכלל גוים׃ ואין העריות האסורות על הגוים אסורות עליו ולא בא לכלל ישראל כדי שיאסרו עליו עריות האסורות על הגרים: ויראה לי שאם בא העבד על הזכור ובהמה יהרגו׃ שאיסור שתי עריות אלו שוה בכל האדם: עבדים שנשתחררו הרי הן כגרים כל שאסור לגרים אסור להן וכל המותר לגרים מותר להן׃ נותן אדם שפחתו לעבדו או לעבד חבירו׃ ומוסר שפחה אחת לשני עבדים לכתחלה ואינן צריכין שום דבר אלא הרי הן כבהמות ושפחה שהיא מיוחדת לעבד או שאינה מיוחדת אחת היא לפי שאין אישות אלא לישראל או לגוים על הגוים אבל לא לעבדים על העבדים ולא לעבדים על ישראל: *Servo fas eſt in contubernium accipere matrem ſuam, quamdiu ſervus manet, nedum ſuam filiam aut ſororem, & quae ſunt id genus caeteras. Etenim jam deſiit eſſe prorſus gentilis, & inceſta gentilibus interdicta ideo ei non interdicuntur. Caeterum mihi videtur, ſervum qui cum maſculo aut beſtia concubuerit capite plectendum; quoniam illa duo inceſta aeque ad univerſum genus humanum attinent.* Quod itidem de adulterio [i] dicendum. Nam quoniam ſervilis cognatio pro nulla habita eſt, ideo tantum caetera inceſta non interdicta eſſe aiunt ſervis, alioquin, etiam dum proſelyti eſſent duntaxat domicilii, ad ſeptem Noachidarum juris capita, ut dictum eſt, obſervanda obſtrictis. *Servi vero manumiſſi ut proſelyti plane optimi juris habentur, & quicquid hiſce nefas, etiam illis nefas erat; & quod hiſce fas, fas etiam erat illis. Licuit etiam domino ancillam ſuam ſive ſervo ſuo ſive ſervo alterius dare; etiam & ancillam unicam binis ſervis tradere ſimili modo. Neque diſcrimen hic aliquod inter eos habebatur* [k] *& jumenta. Neque aliud eſt ancillae ſervo in contubernium conjunctae jus ab ejus quae nondum ita conjungitur. Quoniam verum & legitimum conjugium non habetur niſi inter Iſraelitas,* & qui eorum jurium civitatiſque ſunt participes, *aut inter gentiles ad invicem: Non vero inter ſervos & ancillas, neque inter hoſce & Iſraelitas.* Contubernia autem ſervorum ex domini arbitrio nata, quamdiu indiſſoluta manerent, eouſque legitimum conjugium imitabantur, ut inde cum ancilla ita conjuncta adulterium ab ipſo domino, antequam diſſolverentur, commiſſum pronunciarent capite luendum, ut ex ſuperius allatis [l] liquet. Sed ut contuberniorum ejuſmodi dominus ipſe ſolus autor erat, ita & pro libitu ſuo ea, modo etiam ſupra indicato, diſſolvebat. Nam ita conjunctorum voluntas, aſſenſus, diſſenſus in ſola poteſtate manebat domini. Et pro voluntate alterutrius etiam conjugum legitimorum, extra jus civile Iſraeliticum, cujus participes ſervos eſſe nolebant, diſſolvi ad eorum mentem conjugia, ante oſtenſum eſt. Atque hinc intelligendum illud ex Maimonide jam citatum, haud diſpar eſſe hic jus ancillae contubernio conjunctae & ejus quae nondum conjungitur; ſcilicet minime diſpar fore, quotieſcunque dominus contubernium ejuſmodi pro libitu diſſolverit, & dein cuicunque, ut in fructu prolem haberet, ſervo ancillam in concubitum tradiderit. Quod vero ad cognationis hic ſervilis negationem attinet, unde & paſſim illud habent, עבד אין לו יחס *ſervo non eſt proſapia* ſeu *cognatio*; advertendum etiam eſt, occurrere apud veteres juriſconſultos Romanos [m], *Ad leges ſerviles cognationes non pertinere*, nec facile [n] ullam ſervilem videri eſſe cognationem. Attamen ipſi, dum in tutelis, ſucceſſionibus, id genus jure tantum civili ſuo ſubnixis aliis, locum penitus ſervili cognationi olim (quod & poſtea [o] etiam aliquantulum mutatum eſt) negabant, in jure nihilominus matrimoniali libertinorum, ac contuberniis ſervorum, horum perinde ac ingenuorum cognationem obſervandam eſſe [p] vole-

[f] Gem. Bab. ad tit. *Sanhed.* cap. 4. fol. 58. b. videſis ſupra lib. 2. cap. 5. [g] Ad tit. *Jabimoth*, cap. 11. fol. 12. col. 1. [h] Hil. *Iſuri Bia*, cap. 14. [i] Animadverſ. ad citat. Maimonid locum. [k] Videſis Gemar. Bab. ad tit. *Kiddiſchim*, cap. 3. fol. 68. a. [l] Ex Maimonide, ſuperius cap. 7. [m] Paulus l. 10. ff. tit. De Gradibus §. 5. non parcimus. [n] Ulpianus l. 2. § 1. ff. tit. Unde Cognati. [o] Inſtit. tit. De ſervili cognatione. [p] Paulus l. 14. ff. tit. De Ritu Nupt. §. 2, 3. Pomponius ibid. l. 8. Juſtin. Inſtit. de Nuptiis, §. illud.

bant, utpote non magis in hisce quam in illis ex jure sanguinis naturalem. Quod itidem de eorum adfinitatibus definiebant. In contrahendis nempe matrimoniis naturale jus & pudorem inspiciendum esse. *Et quod attinet ad jus* [q] *civile*, inquit Ulpianus, *servi pro nullis habentur*; *non tamen jure naturali, quia quod ad jus naturale attinet omnes homines aequales sunt.* Verum autem seu legitimum connubium, ut Ebraei, ita & Romani veteres servis esse [r] negabant, *contubernium* eorum in vitae communionem conjunctionem nuncupantes, & ancillas ita conjunctas [s] *contubernales*. Sed vero ex Novellarum [t] & pontificum [v] jure satis legitimae etiam, quemadmodum inter ingenuos, nuptiae inter servos consistunt. Sed hoc obiter.

CAP. XVIII.

De proselytorum justitiae & libertinorum inter se invicem, aut cum gentilibus, conjugiis. Et qualisnam eorum cognationis dum gentiles erant, item posterorum in sanctitate, id est postquam proselyti facti sunt, natorum, in re matrimoniali, seu in coitus interdictis, habita sit ratio.

INter se invicem, sine exceptione ulla, omnimodi generis proselyti ac libertini, dum gentem unde venerant tantum spectas, conjugia rite contraxere. Neque leges sacras [x] de Ammonitis, Moabitis, Idumaeis, AEgyptiis, diversimode conjugio originariorum interdictis (ut ante traditum est [y]) ad proselytos aut libertinos attinuisse volunt [z]. Nimirum quicunque fieret ex gentibus hisce proselytus aut libertinus, rite satis inibat conjugium cum proselyta e gente qualicunque adscita: Uti & proselyti caeteri qualescunque tum inter se invicem, tum cum foeminis e gentibus illis in Judaismum cooptatis. Neque sexus hic discrimen, neque generationum, quales in Deuteronomio memoratae. Et leges illas ad originarios, seu קהל יהוה *ecclesiam Domini*, solummodo spectare docent. Proselytos autem & libertinos universos simul indigitantes קהל גרים *ecclesiam* seu *universitatem proselytorum*, sic ab *ecclesia Domini* eos discriminare solent. Sed vero hosce non minus atque originarios a gentilium seu exterorum qui nondum proselyti aut libertini facti sunt, uti & a servorum & ancillarum conjugiis ac coitu arcendos unanimes statuunt; modo exceptiones illas admittas quae supra capite duodecimo de servis, & capite proxime superiori de ancilla & Mamzere habentur. Scilicet jus parile de Mamzere in proselyti posteris; parile item de proselyto in servitutem addicto, & de ancilla partiaria proselyti. Jam vero quod ad cognationis proselytorum & libertinorum in re matrimoniali jura attinet; ea consideratur aut qua antequam proselyti facti sunt locum habuit, aut qua postmodum ex susceptione liberorum orta est. Cognationem pristinam omnimodam evanuisse docent per regenerationem, juxta ea quae libro secundo [a] fusius sunt tradita, uti & in libro de successionibus [b] in bona. Et Maimonides [c]; גוי שנתגייר ועבד שנתחרר. הרי הוא כקטן שנולד וכל שאר בשר שהיו לו כשהוא גוי או כשהוא עבד אינן שאר בשר ואם נתגייר הוא והם אינו חייב על אחת מהם משום ערוה כלל: *Quando gentilis proselytus fiebat, aut servus libertinus, uterque instar infantis recens nati habebatur* (quod & supra [d] explicatum est.) *Et proximitas sanguinis qualiscunque sive hujus dum gentilis erat, sive illius dum servus erat, jam plane desiit esse. Quin etsi sive hic sive ille in Judaismum esset cooptatus simul cum proximis suis de sanguine, illarum nomine, incestus nullius tenebatur.* Nam ubi consanguinitas seu cognatio nulla reperta est, incestum ejusce nomine ut reperiretur, ex qualicunque conjugio, fieri nequiisse palam est. Unde nec matrem nec sororem uterinam proselyto seu libertino recens facto interdictam ex hujusmodi legum morumque suorum interpretamentis voluere. Et tametsi mater simul, pater, filius ac filia, frater ac soror, gentiles, unico temporis momento in Judaismum integrum sive ut proselyti sive ut libertini cooptarentur; sic plane invicem זרים *ut alieni* erant, nullo cognationis pristinae vestigio remanente. Ante [e] autem monitum est de singulari jure, quo nec fraternitas ulla haberetur [f] inter proselytae jam factae filios, quorum alter בקדושה *in sanctitate*, seu postquam proselyta facta est, tam conceptus est quam natus, alter in sanctitate natus, sed extra eam, seu antequam proselyta est facta, conceptus; quod pariter intelligendum de filiabus, & de filio & filia; nullam nempe inter hujusmodi natos esse sanguinis relationem, nisi quodlibet par (quale de alio quovis numero pariter dicendum) tam conceptum esset quam natum in sanctitate. Quam ex regeneratione ortam advertendum est magistris esse solenne proselytis justitiae & libertinis, non omnino servis licet in Judaismum, retenta servitute, cooptatis, tribuere. Sed vero quod sic de discrimine e tempore sanctitatis & illo quod ante eam praecesserat, atque e conceptu & natalibus conflato tradunt, locum tantum habuit in liberis qua se invicem respiciebant, non qua respiciebant parentes. Nam tam proles quae extra sanctitatem concepta est, quam quae intra eam, pro filio seu filia parentibus [g] utrisque (modo utrique saltem proselyti) censebatur, quanquam inter hanc & quae intra sanctitatem nata est fraternitas haberetur nulla; ne quidem inter gemellos, nisi tam conciperentur quam nascerentur in sanctitate. Parentum ita & prolis ad invicem relationem, post novos illos proselytismi natales seu regenerationem, ex ipso nascendi tempore, quod insequeretur, pendere volebant (unde & proselytae dum gravida erat factae proles materni generis seu sanctitatis maternae particeps, nascebatur, ut superius [h] monuimus) fratrum vero ac sororum ex conceptu tantum. Unde interdum evenit

[q] L. 32. ff. de diverſ Reg. juris. [r] C. tit. De Inceſt. Nupt. l. 3. Ulpian. tit. De his qui in poteſtate ſunt. Plautus in Aſinariae prologo. Paul. Sentent. 2. tit. 19. [s] Ulpianus l. 12. §. 33. ff. tit. de Inſtructo. [t] Novel. 22. & 78. [v] Tit. De Conjugio ſervorum. [x] Deut. xxiii. [y] Cap. 14. [z] Maimonid. *Iſuri Bia*, cap. 12. [a] Cap. 4. 191, 196. [b] Cap 26. [c] Halach. *Iſuri Bia*, cap. 14. & Gloſſ. Talmud. Babylon. ad tit. *Sanhed.* cap. 4 fol. 58. a. [d] Lib. 2. [e] Lib. 2. c. 4. [f] Miſn. tit. *Jabimoth*, cap. 11. [g] Gem. Bab. ad tit. *Jabimoth*, cap. 11. fol. 97. b. [h] Lib 2. cap. 4. 196.

ut qui eidem parenti filii eſſent & filiae, ſibi invicem fratres aut ſorores neutiquam cenſerentur; adeoque cognatio inde fraterna haberetur nulla, nec cognationis ejuſmodi in re matrimoniali aut concubitus interdictis ratio ulla, cum interea paterna & materna plane agnoſceretur, adeoque hujuſmodi cognationis nomine matrimonium inter proſelytos & prolem ejuſmodi eſſet, non minus atque inter alios ſic ſanguine conjunctos, illicitum. Juxta jam dicta nimirum ſtatuunt, dum ſimpliciora legis morumque ac ſcitorum veterum ſuorum interpretamenta, ſine placitis ab eis qui rebus praefuere hac de re ſuperinductis, rotunde tradunt. At vero moderamina ſeu temperamenta ſuperinducta a majoribus aiunt, quae effectum in proſelyto illum regenerationis quo cognationem omnimodam priſtinam amitteret, publicae honeſtatis ſeu exiſtimationis cauſa, diverſimode hic cohiberent; ne ſcilicet ipſis gentilibus viderentur ipſi laxioribus hac in re quam par erat uti moribus. In temperamentis illis alia erat ratio interdictorum inceſti, quibus gentiles omnes ſeu univerſum genus humanum ex veteri Noachidarum jure obſtringuntur, alia eorum quae in lege Moſaica acceſſerunt, alia item concubitus ex matrimonio, alia ſine matrimonio, alia matrimonii ante regenerationem, alia ejuſce quod poſt inibatur, atque alia demum cognationis paternae, maternae alia. Statuebant igitur ipſi ut tam ſoror quae fuerat uterina quam mater etiam poſt regenerationem proſelyto atque libertino interdicerentur, idque etiamſi ante alterutra harum ducta fuiſſet. Maimonides [i]; דין תורה שמותר לגוי שישא אמו או אחותו מאמו שנתגיירו אבל חכמים אסורו דבר זה כדי שלא יאמרו באנו מקדושה חמורה לקדושה קלה · שאמש היתה לו זו אסורה והיום מותרת · וכן גר שבא על אמו או אחותו והיא בגיותה הרי זה כבא על הנכרית: כיצד דין הגרים בעריות של שאר בשר · אם היה נשוי כשהוא גוי לאמו או לאחותו ונתגיירו מפרישין אותן: *Ex nudis legis ſacrae interpretamentis eſt, quod fas fuerit proſelyto in uxorem ducere ſive matrem ſive ſororem uterinam in Judaiſmum cooptatas. Interdixere autem hoc ſapientes, ne forte muſſitando objiceret proſelytus, devenimus ex ſanctitate graviori ſeu ſtrictiori in ſanctitatem leviorem laxioremve; eo quod ita eam quae heri erat interdicta*, nempe ex veteri jure Noachidarum, *hodie ducere ei fas fuiſſet. Nihilominus proſelytus qui cum matre aut ſorore uterina, dum ipſae gentiles adhuc ſunt, concumbit, non aliud facit ac is qui cum foemina quacunque extera concumbit. Quod vero ad proſelytorum, de inceſtu, ſanguinis nomine jus hic inprimis ſpectat; ſi proſelytus, dum adhuc gentilis eſſet, ſive matrem ſive ſororem* uterinam *in uxorem duxiſſet, divortio ſeparabantur.* Nec contrahi nec conſtare ſinebant matrimonium proſelyti & matris ſuae ſeu ſororis uterinae. Cum hiſce vero concubitus extra matrimonium, antequam ipſae fierent proſelytae, pro inceſtu, ratione ſanguinis priſtini, non habebatur. At ſi, antequam proſelytus factus fuiſſet, aliam quamcunque ex lege Moſaica interdictam ſive nomine ſanguinis ſive affinitatis, proſelytam etiam cum eo factam, duxiſſet, conſtare ſinebant matrimonium. Sic idem, ex ſententia veterum, Maimonides; ואם היה נשוי לשאר עריות ונתגייר הוא ואשתו אין מפרישין אותן: *Si vero duxerit quamcunque aliam nomine inceſti interdictam, & poſtmodum tam ipſa quam ipſe proſelyti fiebant, divortio non ſeparabantur.* Uti neque ex ſententia forenſi ſeparabantur conjuges proſelyti, ubi duxerat quis poſt regenerationem ſive patrui ſive fratris germani uxorem, ſive novercam (tametſi etiam poſt regenerationem mariti copularentur) ſive amitam, ſive germanam ſororem (quarum omnium proximitas ex patris ſanguine pendebat) ſive materteram, quae avi materni, non aviae, filia, ſive filiam ſui; priſtino ſcilicet ſanguinis jure ſibi conjunctas. Nam earum quae ex conceptu ſimul ac natalibus poſt regenerationem ortae hiſce aliiſve nominibus quempiam contingerent, idem ipſum jus erat quod Ebraearum. Hinc eſt quod Thamarem Davidis filiam Amnoni fratri rite ſatis conjungi potuiſſe exiſtimant, idque ex eo quod ſacro ſermone occurrit ex hoc jure intellecto. *Quin potius*, inquit [k] ad fratrem libidine inſtantem Thamar, *loquere ad regem, & non negabit me tibi.* Erat, aiunt, Thamar filia Maacae ex Davidis concubitu, dum ipſa adhuc gentilis eſſet, neque, ob ſingulare captivae forma venuſta jus, ut ſupra oſtenſum eſt, interdicta. Proſelyta autem facta (nam nullam ſive Davidis, ſive Salomonis, aliorumve in veteri foedere Ebraeorum, uxorem non fuiſſe proſelytam admittunt, niſi ubi gentilem plane fuiſſe nuptiarum tempore diſerte affirmatur) nupſit Davidi, cui ex Ahinoama uxore ſuſceptus Amnon. Frater igitur, ſi naturale jus ſanguinis reſpicias, erat germanus Thamari. Quoniam vero & mater ejus & ipſa etiam, dum mater gentilis eſſet, concepta proſelytae factae eſſent, ideo deſiiſſe omnimodam ſanguinis volunt inter hoſce conjunctionem, adeoque eam conjugio ei potuiſſe jure copulari. Nec diſſimile jus erat earum quae proſelyti uxori, ab earum quae ſibi, conſanguineae fuere. At vero quae ſanguine ei materno conjunctae ſunt, aut quarum affinitas ex eo pendebat, earum adeo fuit jus diverſum (ſed ex temperamentis illis a majoribus, ut diximus, adjectis) ut, ſi poſt regenerationem harum quampiam duxiſſet, ex ſententia forenſi divortio eſſent ſeparandi. Unde aiunt [l], גר אסור בשאר האם אחר שנתגייר מדברי סופרים ומותר בשאר האב אע״ף שיודע בוראי שזה שארו מאביו · כגון תאומים שדבר ברור שאביו של זה הוא אביו של זה אע״ף כן לא גזרו על שאר אביו: *Interdictum eſt proſelyto poſtquam proſelytus fuerit factus, idque ex ſancitis ſcribarum, cognatis ac adfinibus ex materno ſanguine ſibi conjunctis, non paterno. Quin tametſi liquido conſtaret de paterno invicem ſanguine, veluti ubi gemelli naſcebantur, quorum patrem fuiſſe unicum certo ſcimus, paterni ſanguinis nomine matrimonium hic non interdictum eſt.* Sed tantum materni. Hanc igitur ex ejuſmodi ſancitis licuit proſelyto non ſolum ſororem ducere uterinam (quae etiam gentili vetita) ſed nec materteram, quae aviae maternae filia, nec

[i] Hal. *Iſuri Bia*, cap. 14. atque ita Gem. Babyl. ad tit. *Jabimoth*, cap. 2. fol. 22. a. & vide ad cap 11. fol. 97. b. [k] 2 Sam. xiii. 13. ubi haec R. David. Kimchi, & Maimonid. Halach. *Melacim*, cap. 8. R. Bechai in Biur. fol. 222. col. 4. R. Moſes Mikotzi Praecept. Affirm. 122. [l] Maimonides loco citato, & Gem. Bab ad tit. *Jabimoth*, cap. 2. fol. 22. a. & ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 58. a. Atque ita intelligenda Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Jabimoth*, cap. 11. fol. 12. col. 1.


fratris

fratris uterini uxorem; de qua tamen diſtinctio adhibetur: Interdictam illam eſſe ſi fratri uterino nupta eſſet, ipſi etiam proſelyto; non item, ſi gentilis moreretur. Qua de re deciſionem memorant in cauſa Naphtimi proſelyti [m], qui fratris uterini uxorem, nondum ſcilicet regenerati, duxerat. Qui etiam proſelytam [n] & filiam ejuſdem ſimul duxerat, aut binas ſorores uterinas, ei earum altera divortio erat ejicienda, altera pro libitu ſuo retenta. Sed obtinuit etiam apud nonnullos [o] opinio, eam tantum retinendam quacum concubitus antea habitus, ubi cum altera nondum vir concubuerat. At vero uxori proſelytae ſuperſtes ſive matrem ejuſdem ſive filiam (ſemper in hiſce conjunctionem ſanguinis ex natalibus ante regenerationem ortam intelligas oportet) ducere jure potuit, שלא גזרו אלא בחייהן *quoniam de his non decrevere ſcribae, niſi ubi utraeque ſuperſtites.* Nimirum ſimul eidem conjungi has nolebant. Quin binas ſorores proſelytas, non uterinas, conjugio ſimul habere permiſſum eſt, שלא גזרו בשאר האב *quoniam nec decrevere hic de ſanguinis conjunctione paterna.*

C A P. XIX.

Patrum & hiſtoricorum chriſtianorum veterum ſententia defenditur, ſcilicet Herodem Magnum regem, ab Antipatro Idumaeo dicto, adeoque (uti aiunt aliqui) Judaeo, e Cypro foemina gentili uxore ſua ſuſceptum, ex ipſis natalibus alienigenam, nec Judaeum fuiſſe.

EX ſuperius allatis difficile non eſt controverſiam illuſtrem, pridem apud viros eruditiſſimos ortam, de Herodis Magni regis ſtatu ac natalibus obiter finire; uti & illud quod in Ebraeorum commentariis occurrit de Agrippa rege, acclamatum ſcilicet fuiſſe ei publice veluti Iſraelitarum fratri ſeu Iſraelitae, rite intelligere. Satis enim proſpecto jure gentium quod obtinuit inter Ebraeos proſelytoſque atque alios exterae originis, juxta jam ante explicata, res erit perquam manifeſta. En tibi, quantum ad hanc rem, ſtemma ex Flavio Joſepho [p] quod utriuſque natales indicat,



Quod ad Herodem Magnum hic attinet, nemo neſcit apud patres & hiſtoricos veteres chriſtianos eum paſſim dici ἀλλόφυλον atque *alienigenam:* Id quod etiam in ſcholaſticorum [q] de Meſſiae adventu diſputationibus vetuſtis admitti ſolet velut quod dubio caret. In eo enim, illo nomine, collocant tranſlationem primam imperii Judaici ab originariis, qui juxta promiſſionem illam notiſſimam Judae factam regnarent, in alienigenam. Qua de re diſſerendi locus hic non eſt. Sed vero nec, puto, repertus eſt inter chriſtianos qui non aut alienigenam aut proſelytum aut ejuſmodi quid eum fuiſſe a primis chriſtianiſmi ſeculis ſemper aut affirmarunt aut non negarunt, uſque dum ante annos aliquot vir ſummus Joſephus Scaliger ita plane Judaeum ſeu originarium eſſe Herodem hunc voluit [r] ut neque alienigenam neque proſelytum exiſtimarit eum cenſendum. In hunc ſtatim inſurrexit Nicolaus Serrarius, vir quidem etiam doctiſſimus, qui libello *Herodes* inſcripto novitatem illam refellere conatus eſt. Habet autem Scaliger hic ſequaces ſuos [s] magni nominis, qui & ſententiam ejus ſtabilire pluribus contendunt: Suos item habet Serrarius veterum ſententiae libenter tenaces. Quae illi congeſſerunt neutiquam compilabo ego. Attamen de nonnullis quae vetuſtiſſimam patrum & hiſtoricorum veterum chriſtianorum ſententiam de Herodis peregrinitate firment, & univerſa in eam pridem adducta breviter refellant, monere hic viſum eſt, ſane a nemine quantum ſcio ſatis animadverſis. Controverſiae ſumma eſt, utrum Herodes hic Antipatri filius, ſive regnum Judaicum, ſive gentem Iſraeliticam ſeu Judaicam ex Abrahae ſemine propagatam ſpectes, ita civiliter aliquo modo Judaeis ſeu Iſraelitis eorumve reipublicae, coetui, eccleſiae insereretur, atque ita ſive ex Ebraico ſive ex interveniente gentili jure

[m] Gemar. Bab. ad tit. *Jabimoth*, cap. 11. fol. 98. a. [n] Maimonid. Halach. *Iſuri Bia*, cap. 14. & locis ſupra citatis aliis ex Gemara Babylonia. [o] Gemar. Hieroſolym. ad tit. *Jabimoth*, cap 11. fol. 12. a. col. 1 [p] Orig Judaic. lib. 18. cap. 7. & vide lib. 15. cap. 2, & 11. & lib. 16. cap. 2. & Haloſeos lib. 1. cap. 10, & 18. [q] Jo. Bachon. ad Sent. 3. diſt. 20. quaeſt 2. art. 1. & prolog. in Sent. 4. q. 1. art. 2. §. 2. [r] Animadverſ. in Euſeb. num. 1983. [s] Iſaac Caſaubon. Exercit. in Baron. 1. §. 3, 4.

civitate

civitate Israelitica donatus sit aut frueretur, ut *alienigenae* nomen aut statum ex eodem jure penitus sive exueret sive omnino non haberet. Scilicet ex semine Abrahae seu Judaeum naturaliter eum fuisse nemo, puto, veterum praeter Nicolaum Damascenum [t] assentatorem ejus satis foedum, hujusque sequacem Pseudogorionidem [v], qui a Judaeis captivitatis Babylonicae Antipatrum deduci fingunt, unquam ne somniavit quidem. Neque horum autoritas tanta est ut in partes eam, hoc sensu, trahi velit eorum qui veteres hic impugnant quisquam, ni fallor, praeter Augustinum Torniellum [x]. Et quod ex Strabone adfertur, Herodem ἐπιχώριον dictum, id est quidem *indigenam*, id plane ad locum natalium attinet, non ad statum quem quaerimus, ut ex ipso vocabulo liquet. Etiam scriptoris alioquin maximi autoritatem hac in re esse levem satis pronunciare non dubitemus. Et id quod est nasci in Judaea solum Judaeum fecisse nemo, puto, hactenus rerum Ebraicarum sciens existimavit. In quaestione autem, *Ex Ebraico sive ex interveniente gentium jure*, dixi. Nam a ratione nimis dissonum est de statu seu civilitate cujuscunque in aliqua republica aut gente disputare ex jure reipublicae seu genti illi alieno. D. Paulus civem se esse Romanum Hierosolymis professus est [y], ut legis Porciae beneficio liberaretur. Nemo rerum aestimator aequus exceptionem illam sive jure Ebraico seu loci ubi orta est, sive Tarsico seu Pauli natalium loci, seu alius cujuscunque reipublicae seu imperii praeter Romanum, definiendam fuisse non videt. Aut ex jure Romano seu Caesareo Romanus dicendus erat civis, aut, ad rem, nullo. Quod pariter dicendum ubi quaestio (ut apud haereticos aliquot) fiebat utrum fuerit etiam ille Ebraeus. Scilicet ut illud ex jure Caesareo, ita hoc ex jure Ebraeis in usu definiendum. Quo fidem ipsum Ebraeum seu Judaeum fuisse contra Ebionitas plurima ante secula [z] assertum habemus. Variant admodum actus civiles in civitatis passim donatione: Neque minus variant pro diversitate locorum seculorumque temperamenta quibus civitate donatorum jura ab originariorum ita disterminantur ut in horum numero nec civiliter quidem habeantur sive illi sive eorum posteri aliter atque jura loci civilia seu gentium jura ibi intervenientia permittunt. Obvium est quod dicimus in legibus & historiis veterum Graecorum, atque in jure Quiritum cum eo quod erat Latinitatis comparato. Hodieque, ut semper, Anglorum, Gallorum, Hispanorum, aliarum quae jam florent gentium jura hic invicem valde discrepant. Nec ubi de alicujus statu hujusmodi quaestio fit, ab alio finienda est jure quam gentis illius ad quam status ille attinet, sive civili sive sibi atque genti alteri interveniente; cujus eadem hic ratio: quod quidem adeo manifestum est ut de eo breviter monere tantum paulo cordatiori cuique satis sit superque. Alienigenam autem quenquam seu peregrinum esse aut censeri, atque interim non hostem, juxta varia gentium jura sive civilia sive intervenientia, in duplici constituitur genere: aut in eo quod est omnimodo exterum esse sine ulla civitatis participatione, praeter eam quae ex jure naturali seu omnium communi nascitur; qualem passim videmus in iis qui nondum civitate ullatenus donati alienis in terris degunt: aut in eo quod est, ob rationem originis exterae seu generis a populo in quem juxta jura illa cooptatus quis fuerit (sive illud natalibus qualibuscunque fiat, sive primaria civitatis donatione) alieni, ita in rebus nihilominus civilibus *advenae* seu *peregrini* nomine ab originariis distingui, atque ita non deletum peregrinitatis characterem retinere, ut eandem ipsam ob causam, neque ullatenus ob aliam, singularia aliquot sive plura sive pauciora quae originariis competant jura neutiquam sortiatur. Nam qui prioris sunt generis, habent cum civibus communia nonnulla, quemadmodum etiam proselyti domicilii apud Ebraeos; & qui secundi sunt generis, omnia non habent cum civibus communia. Adeo ut ubicunque defectus istiusmodi communitatis, nomine originis exterae, reperiatur, ibi necesse sit ut peregrinitatem agnoscamus. Jam vero Herodes spectandus est aut qua jure civitatis Israeliticae aliquo e natalibus frui potuisset, aut qua in Judaismum ipse, ut proselytus primo factus, postmodum potuisset cooptari. Quantum ad primum; detur quod volunt hic patrum sententiae oppugnatores, tam avum ejus quam patrem proselytum justitiae fuisse, etiam & proselyti prolem patris conditionem sequentem, id est proselytum natum, pro Judaeo originario habendum (de quo plura mox) certe nihil habetur in stemmate supra exhibito alibive apud veteres quo eum proselytum natum fuisse sit omnino existimandum. Qua in re certe oppugnatorum argumenti cardo versatur. Scilicet proselyti uti & Israelitae proles e gentili suscepta proselyti statum non habuit, sed plane gentilis erat, adeoque Israeliticae reipublicae undiquaque alienigena, ut capitibus duodecimo & decimoquinto supra docetur. Uxor autem Antipatri Herodis patris (quem proselytum fuisse hactenus admittimus) erat Cypros, quam fatentur omnes Arabissam [a] fuisse, id est, planissime gentilem: Omnes, inquam, quorum hic ratio habenda. Nam nihili est quod legitur apud Pseudogorionidem [b], eam fuisse Idumaeam. Neque alibi, puto, occurrit ejusmodi de ea commentum, aut a viris doctis omnino recipitur: tametsi si Idumaea ea fuisset, idque origine vetusta, plane proselyta fuisset, juxta ea quae mox dicuntur, atque ita Herodes ex ea natus proculdubio proselytus sive pater proselytus sive gentilis fuisset. Sed vero Arabissa erat Cypros, neque hactenus repertus est inter veteres cui eam proselytam factam esse unquam in mentem venit. Herodes igitur filius ejus gentilis erat, seu, quod idem est, maternae conditionis. Atque ita evanescit tota de Idumaeis seu Judaicis parentibus argumenti vis afferri solita. Quod vero existimavit Josephus Scaliger Cypron proselytam factam (ut ex ejus verbis aliam ad rem supra [c] adductis constat) ideo quia aliter ex jure Ebraico rite Antipatro conjungi nequibat, non tam afferre argumentum est quam temere fingere. Et quam leviculum est, ideo Herodem natum fuisse proselytum asserere quia praesumendum non sit Antipatrum contra jura Ebraica fuisse commissurum? Atque hoc modo nulla omnino civitatis

[t] Apud Josephum lib. 14. cap. 2.
[v] Lib. 4. cap. 37.
[x] In Annalibus ann. 4018.
[y] Act. Apost. xxii. 25
[z] Epiphanius lib. 2. haeres. 30.
[a] Joseph. lib. 14. cap. 12.
[b] Lib 4 cap 37.
[c] Cap. 12.

Israe-

Israeliticae participatio ex natalibus erat Herodi, utpote plane extero & gentili, seu peregrino prioris, quod diximus, generis. Sed vero missa matre, nullo modo probatum hactenus vidi sive patrem sive avum Herodis proselytum tempore ejus natalium fuisse. Postmodum quidem patrem proselytum factum scribit Epiphanius[d]: Sed hoc nihil ad Herodis natales. Neque evincit eum sic fuisse quia D. Hieronymo[e] *Antipatri proselyti filius* dicatur. Non ideo filii natalium tempore pater proselytus, quia proselytus. Et nisi fuisset, filius a patre jus proselyti derivare sibi non potuit, ut manifestum fit ex eis quae de proselytis superius observavimus.

CAP. XX.

Expenduntur quae in patrum de Herode Magno sententiam a viris doctissimis afferuntur, ex eo quod pater avusque ejus essent Idumaei, adeoque, ut aiunt, Judaei. Et de proselytorum eorumque posterorum qua universitate, ecclesia seu civitate Ebraica sive donabantur sive arcebantur, tum jure tum peregrinitate.

At vero Idumaeos insuper aiunt fuisse Herodis avum patremque; gentem autem illam sub Joanne Hyrcano rege, annis ante Herodem nonaginta, in ritus transiisse totam Judaicos, adeo ut dein omnes Judaei fierent & haberentur[f], id est proselyti justitiae: Quod nec semel memorat Josephus. Vide quae supra[g] ea de re afferuntur. Atque ipse alicubi ait Joannem Hyrcanum transmutasse τὴν πολιτείαν αὐτῶν εἰς τὰ Ἰουδαίων ἔθη καὶ νόμιμα, *vitam ac mores eorum in Judaeorum mores & ritus.* Unde & Zonaras de Hyrcano; ὑποτάξας τοὺς Ἰδουμαίους ἐπέτρεπεν αὐτοῖς τὴν ἐν τῇ χώρᾳ διατριβήν, εἰ περιτέμνοιντο καὶ χρῷντο ἔθεσιν Ἰουδαϊκοῖς· Οἱ δὲ διὰ τὰς πατρίδας, καὶ τὴν περιτομὴν καὶ τἄλλα ὑπήνεγκαν, *Subactis Idumaeis ea conditione in patria versari concessit, si circumciderentur & moribus Judaicis uterentur. Qui amore natalis soli & circumcisionem & reliqua tolerarunt.* Hinc evenisse ut avus Herodis saltem proselytus esset, pater vero, adeoque ipse, natalibus ac sanguine paterno Judaeus, atque, ut volunt, civiliter plane originarius. Caeterum si concedatur ex eo quod traditur de Idumaeis in ritus Judaicos transeuntibus universis, etiam & Herodis majores ita Judaeos factos, adeoque ipsum Judaeum ex Idumaeis Judaeis natum fuisse, certe inde nihil omnino consequitur eum neutiquam populo Israelitico seu Judaico originario peregrinum ac alienigenam civiliter aut censendum fuisse aut revera exstitisse. Et mira est hallucinatio, atque iis qui rebus versari videntur Ebraicis nimis indigna, proselytorum justitiae posteros sanguine Israelitico non commistos ob *Judaei* nomen natalibus acquisitum peregrinitatem non retinuisse existimare; quod faciunt hic viri magni. Id certissimum est, quamdiu manerent originis exterae probationes, quae[h], uti etiam originariorum Judaeorum stemmata, in tabulis genealogicis asservari solebant, tum τὸ גרים *proselytorum, peregrinorum, advenarum* nomen posteris eorum inhaesisse, idque nec originariorum malevolentia nec invidia, ut perperam aliqui autumarunt, sed ex ipso jure apud Ebraeos receptissimo; tum peregrinitatis seu originis exterae effectus omnimodos, qui ad eos qui primo facti sunt proselyti spectabant, perpetuo mansisse. Qua de re consulas quae libro secundo fusius[i] tradita sunt. Et de nomine quidem retento monet Serrarius[k], testimoniis aliquot adductis. Innumera adjici possent. Etiam quae superius attulimus de Ammonitis, Moabitis, AEgyptiis, Idumaeis proselytis (qui, ubi de proselytis generatim loquuntur magistri, quemadmodum etiam Nethinaei, excipi solent) satis evincunt, neque nudam ipsam proselyti factionem seu in Judaismum cooptationem, neque id quod est nasci e proselyto, delere originem exteram ejusve characterem civilem; cujus in prioribus jam dictarum duabus gentibus ratio semper ejusmodi habita est ut mares proselyti post quotcunque generationes nuptiis Israelitidum perpetuo, solo originis illius exterae nomine, arcerentur; in reliquis binis, ita ut in tertiam itidem generationem utriusque sexus proselytis Israeliticis esset abstinendum nuptiis. Quod ad Herodis seculi Idumaeos, seu qui captivitate Babylonica recentiores sunt, spectare nolle magistros monitum[l] est. Aliter sane etiam & ejusce juris Idumaeis pariter ac AEgyptiis singularis ratio aliqua hic habenda fuerat, saltem si Herodem non fuisse utcunque tertiae generationis proselytum admitteretur; qua de re plura in sequentibus. Peregrinitatis autem manifestae effectus in proselytis eorumque posteris primarii ac illustriores cernebantur tum in muneribus civilibus militaribusque, tum in jure nuptiali. Muneribus tam civilibus quam militaribus ita arcebantur ut originariis praeesse rite nequirent, nec judicia (saltem alia quam triumviralia) exercere, idque tantummodo exterae originis atque peregrinitatis retentae ac inhaerentis nomine. Maimonides[m] ad veterum[n] mentem;
אין מעמידין מלך מקהל גרים
אפילו אחר כמה דורות׃ עד שתהיה אמו מישראל׃
שנ׳ לא תוכל לתת עליך איש נכרי אשר לא אחיך
הוא׃ ולא למלכות בלבד׃ אלא לכל שררות
שבישראל׃ לא שר צבא לא שר חמשים או שר
עשרה׃ אפילו ממונה על אמת המים שמחלק ממנה
השדות׃ ואין צריך לומר דיין או נשיא שלא יהא
אלא מישראל׃ שנ׳ מקרב אחיך תשים עליך מלך
כל משימות שאתה משים לא יהו אלא מקרב אחיך׃
Non constituebatur, ex civili scilicet jure Ebraeorum, *rex e coetu proselytorum, ne quidem post quotcunque generationes, usque dum mater ejus esset ex Israele* (De patre Israelita verba non fecit; quoniam ab Israelita e proselyta, quacum nuptiae Israelitae non interdicebantur, susceptum, originarium atque adgnatione Israelitam fuisse, non in proselytis censitum, nemo rebus Ebraicis paulo versatior unquam dubitavit; sed ne ob patris proselyti sanguinem, cum paterno sanguine

[d] Haeres. 20. [e] In Isaiam xxii. [f] Orig. Judaic. 13. cap. 17. [g] Lib. 2. cap. 2. [h] Eusebius Hist. Ecclesiast. 1. cap. 7. [i] Cap. 4. 194. [k] Herode cap. 15. [l] Supra cap. 14. [m] Halach. *Melakim*, cap. 1. [n] Videsis Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap. 12. fol. 101, 102 & Gloss. ibid. & ad tit. *Baba bathra*, cap. 1. fol. 3. & ad tit. *Sota*, cap. 7. fol. 41. b.

guine apud Ebraeos familiae utrinque Israeliticae tantum distingui solerent, dubitaretur ubi proselytus ex Israelitide prolem genuerat quae pariter etiam juris erat Israelitici & revera Israelita natus, ideo de matre hic signantius monuit) *juxta id quod scriptum est* [n], "Non poteris dare super te "virum extraneum, qui non sit frater tuus." *Neque in regno tantum ita se res habuit, verum etiam in universis apud Israelitas praefecturis. Extraneus* seu *proselytus ejusmodi rite non fit dux exercitus, pentecontarcha, decanus*; *imo nec aquaeductuum praefectus. Opus non est dicere, eum non rite fieri judicem, aut consistorii principem.* (Poenalibus scilicet judiciis, idque ex jure Ebraeorum civili exercendis; nam judiciis ex jure Noachidarum simplici exercendis etiam proselytus domicilii rite praeficiebatur, nedum justitiae; qua de re vide librum septimum [o]) *Ratio est, quia non aliunde atque ex ipsis Israelitis hujusmodi petendi sunt, juxta illud,* "e "medio fratrum tuorum pones super te regem." *Simili modo caeterae quae apud te sunt praefecturae non sint aliunde quam e medio fratrum tuorum.* Et ad locum illum Deuteronomii Aben Ezra; מדרך האמת לא אחיך שאיננו ממשפחת ישראל ולא אדומי אף על פי שכתוב בו אחיך : *Revera hic frater tuus non est qui non fuerit de familia Israelitica. Ne quidem Idumaeus; tametsi in scriptura* [p] *vocetur ipse obiter frater tuus.* Quin nec desunt inter Cabalistas [p] qui hic velint מקרב אחיך *e medio fratrum tuorum* sonare, per numerorum aequalitatem, quam *gematriam* seu rationem geometricam vocitant, משבט יהודה *e tribu Judae* (nam ita tam ex horum quam illorum verborum elementis, qua numeralia sunt, conficitur numerus 381; qualis ratio explicandi apud homines inter Ebraeos otiosos & nugis hujusmodi satis ridicule deditos est non infrequens) acsi neminem praeter Judae posteros rite regno praefici Judaico existimarent. Alii etiam idem quod ex Maimonide citavimus de caeteris dignitatibus generatim affirmantes [r], regiam nullibi rite constare aiunt, nisi ubi e parentibus quorum filiae nuptiis sacerdotalibus fuerint idoneae (quales tantummodo in synedriis locum habere poterant [s]) rex ipse natus esset, id est, optimo atque puriori jure Israelitis originariis; non solum non e proselyto & proselyta, sed nec a profanis aut Mamzeribus. Et quod de rege sic aiunt, ad tempora attinet quibus, successione ex sanguine legitima non reperta, ad legem illam sacram esset convolandum: Velut tempore Maccabaeorum. Sed interea manifestius nihil est quam non modo proselytum primo factum a magistris hic accipi pro eo qui advena seu alienigena esset, verum & ejusdem posteros sanguine Israelitico non commistos etiam hoc nomine, id est exterae originis causa, a civilibus muneribus arceri. Quin & traditio est in corpore Talmudico [t], ideo Herodem hunc ipsum coetum magistrorum, excepto tantum Baba Ben Bota, interfecisse, quia locum illum de rege Judaico constituendo ita interpretabantur ut verba illa *fratres tui* illum plane excluderent: Quod idem est acsi alienigenam seu peregrinum vocassent. Quemadmodum vero muneribus civilibus rite fungi nequibant proselytorum, quales diximus, posteri, ita nec parilitate cum Israelitis fruebantur in jure nuptiali. Aliis jungi rite nequibant sive proselytae sive earum a proselytis susceptae filiae quibus Israelitides rite nubebant. Rite jungi quibant tam proselyti proselytaeque posteri utriusque sexus quam ipsi aliis quorum nuptiae Israelitis ex sacra lege interdictae. Prioris generis fuere sacerdotes, quibus, ut alibi [v] ostendimus, vetitae sunt τῆς זונה (quod vulgo vertitur *meretrix* seu *scortum)* nuptiae. Atque eo nomine comprehendi ex avita traditione, inter alia, volunt eam quae non esset בת ישראל *Israelitica foemina*, seu *Israelitis originaria*, eaque notione designari etiam proselytam sive factam sive natam, veluti nondum originariam sed peregrinam, dum cum originariis in juribus hisce singularibus discutiendis comparatur. Secundi generis, seu quorum conjugia proselytis permissa, Israelitis tamen originariis vetita fuere, sunt Mamzeres, aliique, de quibus ante [x] diximus; ubi etiam de decima proselytorum generatione, seu nomine illo tandem evanescente, sententia habetur hic inprimis advertenda. Cum igitur tam dispari essent ab originariis tum proselyti primo facti tum eorum posteri jure, idque solummodo exterae originis seu peregrinitatis nomine, aut inter alienigenas atque peregrinos (qua originarios spectamus) eos recte censendos esse necesse est ut fateamur, aut ut inter originarios eos censentes diversissimae invicem conditionis personas nulla cum ratione simul confundamus.

C A P. XXI.

Utrum, sive Herodem sive patrem ejus sive avum ita Idumaeum fuisse constet ut ex Idumaeis qui Judaei seu proselyti justitiae integri sub Joanne Hyrcano rege facti essent, eorum ullum fuisse sit credendum. Et de statu Herodis servili, ac de Semijudaeis seu proselytis imperfectis. De fraternitate Herodis Antipae & Philippi filiorum Herodis Magni.

SED vero nondum evincitur, nec, puto, potest evinci, Herodis sive patrem sive avum ex Idumaeis fuisse qui in ritus transierant Judaicos. Apud Josephum [y] quidem tum Herodes tum pater ejus Antipater *Idumaeus* dicitur: Quod tam de advenis apud Idumaeos degentibus quam de originariis Idumaeis, seu vetustis illis qui sub Joanne Hyrcano facti sunt proselyti, potest intelligi. Tametsi quidem magistris, quorum rationem raro satis imitatur Josephus, a genere non a loco exteri, uti & ipsi, soleant denominari. Quin patribus christianis diserte Antipater *Ascalonita* [z] vocatur, & ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ ληϊσθείς, *in Idu-*

[n] Deuteron. xvii. 15. [o] Cap. vi, vii. [p] Deuteron. ii. 4. [q] *Baal Haturim* ad Deuteron. xvii. [r] Moses Mikotzi Praecept Negat. 221. [s] Maimonid. tit. Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. [t] Gemar. & Gloss. Babylon. ad tit. *Baba Bathra*, cap. 1. fol 3. b. [v] Lib. 2. de Successione in Pontificatum, cap. 2. [x] Cap. 16. [y] Antigonus in Oratione, lib. 14. cap. 27. & lib. 1. Haloseos cap. 5. [z] Epiphanius haeres. 20. Euseb. in Chron. num. 1983. & Hist. Eccle., lib. 1. cap. 6. atque ibi Africanus. Vide D. Ambros. in D. Lucam b. 3. cap. 4.

maca degens seu *inquilinus*. Et Saidus Batricides patriarcha Alexandrinus juxta ait cum fuisse

من عسقلان *ex Ascalone*, وكان inquit,

خادمًا لبيت الاصنام وهو ابو هيرودس

وجنسه من قبرص

& fuit aedituus templi idolorum, ac pater Herodis; & genus ejus erat ex Cypro. Forte Cypridis Herodis matris (nam ita interdum *Cypros* vocatur) nomine deceptus hoc de Cypro addit. Josephi autem epitomator Ebraeus Romanum eum fuisse ait, ut ex verbis ejus infra citatis liquet. Sed interea haec adeo incerta eo recidunt ut originarium Idumaeum, seu ex vetustis illis qui tempore Joannis Hyrcani nomina dederant Judaismo, neque Antipatrum avum neque patrem fuisse potius innuant. Atqui error crassissimus est, autumare quemlibet Idumaeae incolam exterumve, sive ex Ascalone sive aliunde illuc sedes transferentem, post Idumaeos sub Hyrcano Judaeos factos, itidem Judaeum fuisse. Nam apud ipsos Israelitas locus erat etiam Hierosolymis tum proselytis domicilii (qui plane pagani erant, & in se tantum susceperant septem praeceptorum Noachidarum observationem, ut libris secundo & tertio ostendimus) tum iis qui etiamnum pagani quasi proselyti fuere ejusmodi, seu eorum instar. Quod vero sic Hierosolymis ac in terra sancta ipsis Israelitis licitum erat, id Idumaeis, etiam Judaeis factis, illicitum suo in territorio fuisse nullo pacto, nisi de contrario constaret, existimandum est. Scilicet credendum, inter Idumaeos qui Hyrcano obtemperantes ita Judaismo nomina dederant ut posteri eorum inde fierent cooptatione Judaei, alios postea habitasse uti inquilinos seu proselytos domicilii (Idumaeos interim a solo & domo, ut fieri amat, dictos) nec omnino Judaeos, quemadmodum & in terra sancta. Quid igitur obstat quo minus Antipatrum utrumque, tam avum quam patrem Herodis (si uterque in Idumaea degebat) fuisse domicilii duntaxat proselytum, seu quasi, in Idumaea, id est plane paganum, sentiamus? Nam ex Idumaea affertur, ideo fuisse eos proselytos justitiae quia Idumaei, seu Idumaeae incolae, quod non omnino sequitur, ob rationem jam adductam. Et nuda ita conjectura est, proselytos eos justitiae fuisse. Sed manifestum est, fieri non potuisse quin saltem domicilii proselyti aut quasi essent, dum aut inter Judaeos, penes quos erat aliquatenus libera rerum administratio, sedem habuerint, aut ipsi Judaeorum originariorum subfuerint principi. Adeo ut hoc modo non solum non inter originarios Judaeos civiliter fuerit Herodes ob natales censendus, verum etiam nec inter proselytos justitiae, sed tantum inter eos qui aut proselyti domicilii aut quasi fuere. Certe si proselytus justitiae non erat natus, ut volunt hic oppugnatores, corruit argumenti quod afferunt vis juxta ipsorum sensum: Nam idem non affirmant de proselyto facto, quantumvis de nato: Cum nihilominus revera eadem ipsa esset, ratione originariorum habita, conditio nati & facti proselyti, juxta mores ac scita jurisconsultorum Ebraeorum, ut ostensum est. Et simul ac factus quis erat proselytus, non magis ab originario distabat Judaeo quam proselytus natus. Atqui tum Antipatrum tum Herodem filium circumcisum ac factum proselytum, non natum, asserit Epiphanius. Quod tamen, si priorem utriusque statum rite consideremus, non evincit quidem alterutrum ejusmodi proselytum factum esse ut inde vulgaria proselytorum justitiae jura, de quibus quaestio fit, sequerentur. Cum enim proselytorum justitiae alii essent גמורים *perfecti* seu *integri*, alii imperfecti seu manci; & prioris generis fuerint qui aut e gentilibus liberae conditionis in ritus transibant Judaicos, aut servi qui in ipso transitu seu momento quo proselyti fiebant e lavacro suscipiebantur לשם בן חורין *nomine ingenui liberive*, adeoque manumissi, *libertini* nuncupabantur, pari omnimodo cum proselytis justitiae optimi juris conditione; juxta ea quae libro secundo ostendimus; posterioris vero generis, seu qui imperfecti seu Ἡμιϊουδαῖοι, id est, *Semijudaei*, fuere, essent servi e gentilibus seu paganis capti, aliterve acquisiti, qui לשם עבדות *nomine servitutis* suscipiebantur e lavacro, cum in Judaismum transibant, ולא תיגמר גרותהם, *nec perficiebatur eorum proselytismus* antequam libertini fierent; certe non consequitur, sive Herodem sive Antipatrum, quia circumcisus est aut proselytus factus, proselytum ideo factum esse perfectum seu integrum. Procurator Judaeae Antipater constitutus a Julio Caesare, transiisse in ritus dicitur Judaicos, seu circumcisus esse, cum Herode filio, qui postmodum regnum obtinuit. At vero qualisnam iis tunc temporis status? Si servilis, id est, si revera regum Hasmonaicorum erant servi, non ita difficile est conjicere nomine servitutis retentae proselytum utrumque factum solummodo imperfectum, seu Semijudaeum. Neque adeo vile erat, aut nunc est, servi revera sic dicti (ut vox ea statum seu conditionem denotat) apud orientales nomen ut non a viris maximis ornatis praefecturis interdum retineretur. Non ita difficile aio esse hoc conjectari, cum & ipsi Ebraei in commentariis suis expressim prodant Herodem perpetuo posterosque ejus, e paterno saltem sanguine, fuisse ejusmodi servos, nec minus Antipatri saltem majores. De Antipatro epitomator ille Ebraeus [a] Josephi, *Non fuit origo ejus* מבני ישראל כי אם מרומים שנפלו עבדים ביד ישראל והם גרים בלבד ולא בני חורים *ex Israelitis, sed ex illis Romanis qui ut servi ceciderunt in manus Israelitarum, exsistentes tantummodo proselyti, sed non liberi seu ingenui.* Nam ita vertendus est locus ille; nec *filii nobilium* pro eo quod est בני חורים, quod passim etiam *ingenuos* atque *libertinos* proselytos denotat, substituendum, ut apud doctissimum qui Epitomatorem illum edidit interpretem. Idem est acsi dixisset, ex iis erat Antipater qui proselyti imperfecti, id est, non libertini facti, adeoque (si ad majorum conditionem statum ejus exigas) nec ipse libertinus sed imperfectus erat proselytus. Et certe proselytus ejusmodi natus erat, si majorum ea esset conditio, non factus, ut habet Epiphanius; qua de re operae pretium non est solicitius disquirere, cum nil certius sit quam imperfectos hujusmodi proselytos, seu servos qui Judaismum susceperant, eorumque posteros, id est Semijudaeos sive factos

[a] Josippus de Bello Judaico, Edit. Basileae in 8. 1559.

sive

ſive natos, ante libertinitatem acquiſitam, nec inter originarios perfectoſve proſelytos jurium in republica Ebraica civilium, quae ſacra non erant, fuiſſe omnino participes, ſed multo magis quam proſelytos integros pro alienigenis ſemper habitos. Quod vero ad Herodem attinet; ubi de eo loquuntur Talmudici veteres, diſerte eum fuiſſe aſſerunt עבד בית חשמונאי *ſervum Haſmonaicae domus*, ſeu familiae principum Judaeae, qui ante Herodem proxime regnabant. Sic enim legitur in Gemara Babylonia [b], uti & illud de Agrippa rege ſive majore ſive juniore (uterque in Herodis fuit poſteris) a Romanis ſeu Caeſare dictum [c], עבדא בישא בתר דעבדין מתמלכין *ſervus es nequam, ſucceſſor ſervorum reges ſe facientium.* Et ſi conſulas tabulas proſapiae tuae genealogicas, quarum & penes nos exemplar eſt, reperies te nec revera regem nec filium regis eſſe, ſed prognatum ex הורודוס קלניא מיתעביד, quod interpretantur alii [d], *ex* Herode מנעשה בן חורין מאליו *qui factus eſt a ſeipſo libertinus*, ſeu qui e ſervili conditione in libertatem ſui tantum ex ſententia velut ſervus rebellis evaſit. Nam קלניא (quod & קלונייא ſcribitur) ſumunt ibi alibique illi [e] qui ſic interpretantur pro eo quod eſt *liber* ſeu *immunitate donatus.* Alii vertunt ad hunc modum [f], *ex Herode Aſcalonita poſſeſſo in ſervum*, perinde ac ſi קלניא ſeu קלוניא *Calonia* accepiſſent pro אסקלוניא *Aſcalonita.* Sed interea Herodem ſervum fuiſſe, nec rite manumiſſum ſeu libertinum aut proſelytum integrum factum, hic ſatis aſſeritur; unde nec poſteros ejus fuiſſe liberos, nedum proſelytos juſtitiae integros. Et in Hebraicis Joſippi [g] ſeu Joſephi de Salome ſorore Herodis dicitur שהיא מזרע עבדים *quod eſſet ex ſemine ſervorum*; item de ea ſimul & de Cypro matre Herodis, quod Mariamne (*Marimi* ibi dicta) מחרפת אותן בפניהם על שאינן מזרע ישראל ועל פסלותן *improperaret eis in faciem, quod non eſſent de ſemine Iſrael, ſed eſſent profanae & ignobiles.* Hinc aliquoties repetitur in corpore Talmudico [h] illud ad Herodem poſteroſque ejus attinens, כל דאמר מבית חשמונאי אתינא עבדא הוא *Quotquot dixerint ſe e domo Haſmonaeorum ortos eſſe, revera ſunt ſervi*, ſeu conditionis ſervilis. Senſus erat; qui poſt Haſmonaeos exſtinctos in regnum Judaicum Herodiadae, illorum ſive ſanguinem ſive jus obtendentes, ſucceſſerunt, ſervi fuere univerſi. Nam ſuſtulit eos, uti & Mariamnem Haſmonaeam uxorem ſuam, Herodes, e qua tametſi ſuſceperit prolem, ut in ſtemmate ſupra exhibito vides, nihilominus magiſtri nonnulli, illud non agnoſcentes, tum illum tum poſteros ejus omnes ſervos fuiſſe clamitant; aliis de poſteris ejus aliquot aliter, ut mox oſtendimus, ſentientibus. Nonne igitur primo cum patre (ut ſcribit Epiphanius) circumciſus eſt & lotus, forſan ab Hyrcano pontifice ſummo, cui uterque ſervus erat, לשם עבדות ſeu *nomine ſervitutis* tantum, adeoque factus proſelytus imperfectus ſeu conditionis duntaxat ſervilis, nec poſtquam in Caeſaris gratiam ſe velut ingenuus tranſtulerat, ſeu, ut magiſtri loquuntur, נעשה בן חורין מאליו *libertatem a ſe fictam nactus erat*, ſervitutem illam eluere curavit? id eſt, de ſolennibus quo Semijudaeus hujuſmodi perfectus redderetur proſelytus, atque hoc ſenſu Judaeus integer, ſollicitus non fuit? de libertate ſcilicet ac ſtatu, faventiae Caeſaris innixus, ſatis ſecurus. Nec certe, quod advertendum eſt, injuſſu ſive Hyrcani ſive Antigoni regis Haſmonaeorum poſtremi, quibus revera ſervus erat Herodes, ſi Talmudicis credas, libertinus ſeu proſelytus integer jure fieri potuit. Nam invito domino libertas ejuſmodi, quae libertinum ſeu proſelytum integrum ex jure faciebat Ebraico, ne a Caeſare quidem aut aliunde rite potuit adquiri. Atque de Haſmonaeis adeo male meritus eſt, ut nihil ſupra; & inteſtina utrinque odia. Neque obſtat quod Mariamnem Iſraelitidem aliaſve ejuſdem gentis haberet uxores. Verum quidem eſt per jus Ebraicum id non licuiſſe niſi aut proſelyto juſto qui integer erat, aut libertino. Sed per ſpurciſſimi tyranni libidinem ſcelera tunc temporis quamplurima adeo juſti faciem induerant, ut non omnino ſit cur ſive de legis ſacrae ſive de majorum inſtitutorum violatione in conjugiis aliiſve rebus ejus dubitemus. Nonne etiam ſervitutem ejus hujuſmodi tacite innuere voluit ipſe Antigonus rex ritus gentis ſuae callens, ubi in oratione ad Silonem ac milites Romanos de regno Herodi non tradendo eum ἰδιώτῃ [i], καὶ Ἰδουμαῖον, τοῦτ' ἐστιν Ἡμιουδαῖον, *virum generis obſcuri, & Idumaeum, id eſt Semijudaeum*, appellat? Scilicet proſelytum nondum integrum ſeu perfectum, ſeu non Judaeum integrum. Servum quidem non vocat, utpote ob praefecturarum ſplendorem, ut fit, inter ingenuos, juxta juris Caeſarei, cui jam ſubeſſe coeperat, ingenuitatem, vulgo cenſitum. Recolendum eſt hic illud Talmudicorum [k] de hujuſmodi imperfectis proſelytis, יצאו מכלל הגוים ולכלל ישראל לא באו *deſinebant omnino eſſe gentiles ſeu pagani, nec tamen in univerſitatem Iſraeliticam tranſibant.* Apprime hoc explicat id quod de Semijudaeo dicitur in Antigoni oratione. Servus erat ex Idumaeis, ſervitutis nomine circumciſus & baptizatus, juxta morem, unde jure Ebraico, ut proſelytus ſeu Judaeus integer, neutiquam fruebatur, utpote Semijudaeus tantum habendus. Quod vero ab Antigono praemittitur, *Idumaeum* eum fuiſſe, perinde acſi tantum gentilitatis retinuiſſet quantum ei Judaiſmi integri deerat, id ſane, ſi ad ſubtiliores apices rituum patriorum exigatur, non ita ſe revera habuiſſe ex jam citata regula Talmudicis receptiſſima liquet. Nam Idumaeus quidem eſſe ita deſierat ut exueretur patria, nec tamen Judaicam ſeu novam patriam induerat, libertatis defectu. Sed in apicibus hujuſmodi hoſtem iratum etiam libenter erraſſe, ut gravius ingereret convitium, mirum non eſt. Quin ſi non tam ſtatum ejus praeſentem quam originem (ut & fieri ſolitum) reſpexit Antigonus, rectiſſime & juxta etiam magiſtrorum ſubtilitates nemo non videt eum *Idumaeum* nuncupatum, ſi ſcilicet ex genere Idumaico. Tantum igitur abeſt Herodem Magnum inter Judaeos ſine exterae nationis diſcrimine cenſendum fuiſſe, ut nec inter proſelytos juſtitiae integros ſeu libertinos (quales tantum

[b] Ad tit. *Baba Bathra*, cap. 1 fol. 3. b. & R. Gedalia Jechiades in *Sepher Shalſhelet*, fo 25. b. *Seder Olam Zota*, &c. [c] Dicta Gem. fol. 4. a. [d] Gloſſa ibid. [e] Ad tit. *Aboda Zara* in Gem. Bab cap. .. fol 10 a Adde *Baal Aruch* in vo.. b. זיין & vocab. קלניא [f] Petrus Galatinus de Arcanis, lib. 4. cap. 6. [g] Wormatiae in 8° Edit a Munſtero 1520. [h] Gem. B.. ad *Baba Bathra*, fol. 70. b. & tit. *Kiduſchim*, cap 4. fol. 3. b. & ad Gloſſ. ibid. & videſis Petrum Galatinum, loco jam indicato. [i] J..... lib. 14. cap. 27. [k] Supra lib. 2. cap 5. pag ...

universitati Israeliticae, sed ut advenae, conjungebantur) locum hac ratione haberet. At vero in disquisitione hac libera de Herodis Magni statu seu conditione, nec praetereundum forsan videbitur quod habetur in evangeliis [l], Joannem Baptistam in carcerem conjectum ab Herode Antipa Herodis Magni filio, quia dixerat nefas ei fuisse Herodiadem Philippi fratris sui uxorem sibi sumere. Frater nempe erat Philippus Herodi huic, juxta hoc stemma.

Cleopatra ⚭ Herodes ⚭ Malthaca
Hierosolymitis | *Magnus* | *Samaritis*

Herodias ⚭ Philippus *Herodes Antipas.*

Sic Josephus [m]; tametsi diversam interim ab ea quae sacra est de Herodiade & Joanne Baptista tradat [n] historiam. Illicitum fuisse Herodiadis & Herodis conjugium dubitare non debemus, ideo quod sic Joannes Baptista vir sanctissimus pronunciaverat: Sed de ratione qua illicitum non consentiunt scriptores. Sunt quidem inter vetustissimos christianismi patres qui ad legem sacram [o] de fratria ducenda leviro, sed tantum ubi frater sine liberis mortuus esset, rem velint attinuisse. Tertullianus [p]; *Joannes retundens Herodem quod adversus legem uxorem fratris sui defuncti duxisset habentis filiam ex illa (non alias hoc permittente; imo & praecipiente, lege, quam si frater illiberis decesserit, ut a fratre ipsius & ex costa ipsius suppararetur semen illi) conjectus in carcerem fuerat ab eodem Herode postmodum & occisus.* Atque super hoc alia struit moribus ecclesiae christianae satis dissona. Verum quidem est, si Philippus mortuus fuisset, & satis constaret Herodiadis filiam, puellam illam saltatricem, fuisse ab eo susceptam (nam & sic admittit Tertullianus) illicitum fuisse Herodi huic ex lege illa (modo fratres ejusmodi ii essent ut ea continerentur) fratriae conjugium. Sed quidem aut Philippum mortuum tum fuisse, aut prolem ei saltatricem illam aliamve fuisse, non ita satis liquet. Imo sine prole decessisse Philippum [q] expressim ait, nec semel, Flavius Josephus; utcunque Pseudo-Gorionidi [r] illi dicatur de Herodiade, והיו לה בנים מאחיו & *fuerunt ei liberi ex fratre Herodis*; quod itidem Ebraeorum alii [s] affirmant, id quod habet Josephus de Salome, in historia sua de Herodiade [t] Philippi, Herodis ac Herodiadis nuptiis, commiscentes. Sed & hi etiam Philippum diserte superstitem fuisse aiunt cum Herodes uxorem ejus duxit. Pseudo-Gorionides; והוא לקח אשת פיליפוס אחיו בעודנו חי לאשה: *Et ille uxorem Philippi fratris sui etiamnum superstitis cepit in uxorem.* Sed vero & apud Fl. Josephum res se ita habet; Herodiadem Herodi Herodis Magni filio nuptam, scilicet patruo neptem ex fratre Aristobulo, *ἐπὶ συγχύσει φρονήσασαν τῶν πατρίων*, *in contemptum morum patriorum*, marito relicto, in conjugium transiisse Herodis, *τοῦ ἀνδρὸς τοῦ ὁμοπατρίου ἀδελφοῦ*, *qui marito suo erat frater germanus.* Ita uterque Herodes dictus, quos & aperte distinguit a Philippo, quem & ante mortuum esse narrare [v] videtur. Sed rarum non est & binomines haberi homines, maxime in oriente illo, & *Herodis* nomen tunc pluribus tribui, quibus alia etiam nomina singularia. Et viri docti id ipsum quod sic de Herodiade ac utroque *Herodis* nomine marito tradit Josephus, pro eo quod in evangeliis de Philippo, Herode & Herodiade legitur, sumunt: Et Salomen priorum nuptiarum filiam pro saltatricula quae ita in causa decollationis Joannis Baptistae. Atqui ita sane ad legem illam de fratria leviro ducenda res attinere nequibat, sed ad illam qua aliena uxore cuique interdicitur. Sed vero detur tandem mortuum fuisse tunc Philippum, idque illiberem, ut voluere aliqui, certe nisi Herodes Magnus, communis utrique pater, proselytus esset justitiae integer seu libertinus, (secundum ea quae supra de eo disputantur) id est, nisi τῇ קדושה seu *sanctitate* proselytismi integra frueretur tam cum Antipam quam cum Philippum progenuit, ii fratres ad quos lex sive haec de fratria leviro ducenda, sive illa de fratria ubi demoreretur frater, liberis relictis, interdicta attinere potuit, neutiquam erant ex Ebraeorum moribus censendi, sed plane ut invicem extranei, nulla ratione sanguinis habita. Fraternitatem maternam nullam eis fuisse palam est, sed tantum paternam, si ulla. Et tametsi Philippus e Cleopatra Hierosolymitide seu Israelitide genitus plane Israelites seu originarius ob sanguinem erat maternum (quod perpetuo obtinuit) Antipas tamen e Malthaca Samaritide, quae in universitatem Ebraicam non aliter ac Attica seu Romana, id est, non sine [x] solenni proselyti factione, quibat admitti, aut Samaritanus habendus erat, aut, si mater ejus proselyta fieret, proselytus. Si haec non proselyta esset, plane velut gentilis Ebraeis is erat, tametsi Herodes pater ejus fuisset proselytus. Israelitis autem cum gentilibus nulla in jure cognatio, adeoque nec cum Antipa ita Philippo fuisset. Sed concedatur Malthacam fuisse proselytam, adeoque natum fuisse ex ea Antipam proselytum; idque ita ut ex natalibus illis fraternitas legitima ei & Philippo ex Ebraeorum moribus interveniret: Certe ita necessario sequetur Herodem Magnum communem eorum patrem proselytum fuisse seu libertinum tempore quo utrumque genuit. Id plane evincitur ex eis quae superius traduntur de fratrum proselytorum [y] ex conceptu, nec quidem natalibus solis, cognatione. Nam si Herodes Antipas & Philippus non nascerentur proselyti, sed ipsi facti essent, tunc sibi invicem in re matrimoniali velut plane alieni nec cognati habendi, ut fusius ostensum est. Uno enim illud ore pronunciant [z]; גרים שנתגיירו ועבדים שנשתחררו אין להם אחוה כלל והרי הן כגרים זה לזה: *Inter proselytos seu libertinos recens factos nulla est fraternitas, sed sunt ad invicem velut alieni.* Fratribus quidem recens factis proselytis singulare praestituebant hic jus majores; neque ex lege sacra [a] de incestu eos a fratriis arcebant. At vero ex ejusmodi majorum institutis arcebatur [b] frater proselytus factus tantum a nuptiis uxoris fratris uterini, non a germani: Philippus autem & Antipas uterini

[l] D. Matth. xiv. Marc. vi, &c. [m] Halofeos 1. cap. 18. [n] Originum lib. 18 cap. 7. [o] Deut. xxv. 5. [p] Adversus Marcionem lib. 4. cap. 34. & videsis Baronium tom. 1. ann. Christi 31. [q] Lib. 18 cap. 6, 7 [r] Lib 6. cap 63. [s] Chron. Tem. secundi apud J. Drus. ad D. Matthaeum xiv. [t] Lib. 18. c. 7. [v] Origin. 18 cap 6. [x] Epiphanius lib. de Mensuris & ponderibus, & vide sup. lib. 2. cap. 2. [y] Lib 2. cap 4. pag. 196, 197. & cap. 18. hujus libri. [z] Maimonid. Halach. *Jebom Wechalitsa*, cap. 1. [a] Levitic. viii. 16. [b] Supra cap. 18.


plane

plane non erant: Adeo ut nisi proselyti fuerint utrique nati, neque ad legem illam de incestu potuerit res, si Philippus scilicet demortuus erat, spectare. Rem subtilioribus relinquo.

CAP. XXII.

Qua ratione id verum fuerit, Agrippam regem fratrem Israelitis fuisse, adeoque non alienigenam, quemadmodum ab eis ipsi publice est acclamatum; tametsi esset ex Herodis alienigenae nepotibus.

JAM vero quod ad Agrippam attinet, qui ex Herodis Magni nepotibus, acclamationemque ei factam, eum fuisse *Israelitarum fratrem*; certe nisi ex jure sive nuptiali, sive eo quod aliter ad sexuum conjunctionem atque natales inde sequentes apud Ebraeos obtinuit, res expendatur, argumentum ex ea sumi non leve potest quo etiam Herodem Magnum, utpote pari (quantum absque juris ejusce ratione scimus) cum nepotibus jure, *fratrem*, ex Ebraeorum sententia publica, sibi fuisse, id est nec alienigenam, nedum servum, evincatur. Acclamatio illa in Misna [c] memoratur, in *Sepher Siphri* [d], alibique in vetustis eorum commentariis ubi de solenni regis eorum repetitae legis lectione verba fiunt. Agrippa rex cum ad sacra de rege constituendo verba in Deuteronomio [e] inter legendum devenerat, adeoque ad illud, *Non poteris constituere super te virum* נכרי, id est *extraneum, sed eum qui sit ex fratribus tuis*, זלגו עיניו דמעות אמרו לו לא תתיירא אגריפס אחינו אתה אחינו אתה *lacrymas effudit*, veluti qui existimaret, saltem dubitare simularet, se extraneum esse, nec eorum ad legis mentem *fratrem*; *cui statim acclamavit* Ebraeorum coetus, *Ne timeas, Agrippa; frater noster es tu, tu frater noster es.* Agrippam igitur hunc (quinam intelligendus sit mox monemus) Herodiadem, *fratrem* sibi vocarunt Ebraei, nec regno imparem agnoscebant, adeoque velut Israelitam seu Judaeum admittebant originarium, juxta ea quae capite vicesimo de jure eorum regio e magistris attulimus. Quod ut rite capiatur, advertendum est binas apud Talmudicos de lege illa sacra reperiri sententias, ut ante etiam tetigimus. Altera est, *fratrem tuum* ibi denotare qualemcunque materno sanguine Israelitam, uti etiam quemcunque ab Israelita e proselyta, libertina, aut profana, quibuscum scilicet Israelitae non sacerdoti conjugia licita erant, susceptum. Et sanguinem solum maternum Israelitam fecisse supra alibique non semel est monitum. Altera autem sententia (quae pariter admittit Israelitam materno solo sanguine fieri) *frater tuus* in allata lege significat fratrem ex utroque parente, & cujus filia sacerdoti conjungi rite potuisset; ut scilicet excluderentur potissimum profani, juxta ea quae alibi [f] de sacerdotum nuptiis diximus. Et qui hujus sententiae tenaces fuere, coetum Ebraeorum, ut memoratum est, acclamantium adulationis graviter incusarunt, nec Agrippam *fratrem* ibi revera fuisse admisere, ut videre est in Gemara [g] utraque. At vero juxta sententiam priorem, quam etiam Maimonides [h] aliique non pauci amplectuntur, rectissime acclamarunt Ebraei Agrippae, *frater noster tu es*, adeoque regno ex hoc jure non impar. Quod interim nihil omnino meliorem facit Herodis, juxta eorum sententiam, statum. Agrippa scilicet hic erat junior, seu majoris filius. Glossa ad Misnam in qua acclamatio illa narratur; אגריפס המלך מלך ישראל היה מזרע של הורודוס והוא שחרב בית המקדש בימיו : *Agrippa rex hic rex erat Israelis e posteris Herodis; atque is erat cui templi excidium coaevum.* Agrippa junior manifesto innuitur; tametsi sint qui [i] de patre ejus locum illum perperam sumant. Illud autem, *frater noster tu es*, explicat eadem Glossa, Obadias Birtenorius, alii, per שאמו מישראל *quia mater ejus erat Israelitica.*



Qua ratione id fuerit ex stemmate ejus satis liquet, unde certum est, tum Aristobulum Herodis filium atque Agrippam hunc juniorem Israelitas fuisse natos, tum Agrippam majorem fuisse plane ex natalibus paganum seu gentilem, nisi Bernice mater ejus proselyta integra seu libertina fuisset. Nam Israelitidem eam non fuisse palam est, utpote a Costobaro, qui Idumaeus fuerat nominis

[c] Tit. *Sota*, cap. 7. Talm. Bab. fol. 41. [d] Ad parash. *Sophtim*, fol. 45. a. [e] Cap. xvii. 15. [f] De Success. in Pontific. lib. 2. cap. 2. [g] Rabbi Chananiah Ben Gamaliel in Gem. Hierosol. ad tit. *Sota*, cap. 7. fol. 22. col. 1. hal. 7. & Bab. ib. fol. 41. b. & vide *Thosiphta* ibidem. [h] Halach. *Melachim*, cap. 1. [i] Petrus Galatinus de Arcanis, lib. 4. cap. 6.

cele-

celebris[k], etiam tunc cum gens ea in ritus transibat Judaicos, adeoque, ut credere par est, proselytus, e Salome susceptam: Salome autem Antipatri filia e Cypro, foemina gentili; quae nisi proselyta aut libertina facta esset, non aliam praeter gentilem marito proselyto parere potuit, juxta ante ostensa. Atque sic & Agrippa ille gentilis filius foret, id est plane gentilis. At vero natus est Herodi ex Mariamne Israelitide nobilissima Aristobulus. Quocunque igitur fuerit Herodes statu, Aristobulus ex sanguine materno Israelita fiebat. Quod de filio ejus Agrippa majore dici nequit citra exceptionem jam dictam. Quin & Cypros Agrippae majoris uxor, & junioris mater, neptis erat Mariamnae e filia Salampsione itidem originaria. Sequitur igitur Cypron hanc etiam ipsam plane originariam fuisse, licet a Phasaelo sive proselyto sive Israelita sive pagano susciperetur: Nam mater originaria erat: Proles igitur ejus, id est Agrippa rex junior (qualicunque esset statu Agrippa major) etiam Israelita, atque ideo ut originarius, Israelitarum coetui *frater*, nec proselytus aut servus, dicendus; tametsi nomina illa majoribus e suis aliquot quomodolibetcunque inhaesissent. Quae omnia ex iis quae supra e Talmudicis adducuntur adeo sunt manifesta ut nihil supra. Et recte in libello ad Caium Caesarem supplici[l] Agrippa non solum se Judaeum natum ait, sed etiam & majores suos fuisse ait reges atque summos pontifices apud Judaeos, non ignorans ex sanguine originario deducendum natalium hic jus. Quod vero patri eximio[m] excidit de Herode Magno, *eum ex matre fuisse Judaea, sed ex patre alienigena*, id si verum fuisset, plane alienigena is non omnino civiliter fuisset. Id quod ita acclamatum est Agrippae juniori cum ratione acclamationis a jurisconsultis Ebraeorum reddita, haud parum firmat ea quae apud patres veteres toties habentur de vero Herodis Magni statu. Sine legitima originarii sanguinis commistione fratrem non agnoscebant Agrippam: Ex ea tantum Israelitam ac fratrem agnoscunt. Jam vero majores ejus aut proselyti justitiae fuere seu libertini, aut minime. Si non fuerint, cadit omnino quicquid de patrum veterum sententia pridem novatum est. Si fuere, atque ideo *alienigenae* nomen eis non tribuendum quis contendat, nae is a receptissima Ebraeorum in jure suo civili gentiumque discernendo sententia recedit. Nam illi, ut vides, nulla proselyti juris habita ratione, ad sanguinem tantum Israeliticum seu originarium, quo *alienigenae* nomen dilueretur, in quaestione de Agrippa confugerunt. Unde etiam factum est ut in principibus & patribus synedrii magni habeant jugum unicum (uti vocant) eorum qui patre proselyto, matre vero Israelitica nati; Semaiah scilicet & Abtalionem. E posteris fuisse eos aiunt Senacheribi, quem proselytum factum scribunt. Sed vero adjiciunt[n], היה להם רשות לשפוט את ישראל להיות אמם ישראלית *Potestatem eis* seu *jus fuisse judicandi Israelitas, quoniam mater eorum erat Israelitica*. Posterioribus Hasmonaeorum temporibus simul floruere decantatissimi illi Hilleli & Samaeo praeceptores.

[k] Joseph. Archaeolog. lib. 15. cap. 11. [l] Philo lib. de Legatione ad Caium, & vide Orat. Herodis apud Josephum Halos. lib. 1. cap. 18. [m] D. Cyrill. adversus Julianum, lib. 8. [n] R Gedalia in *Shalsheleth*, fol. 25. b. *Jachasin*, fol. 18. a. & 50. a. 67. a. & Gem. Babylon. ad tit. *Sanhed* cap. 11.



DE JURE NATURALI ET GENTIUM,

Juxta Disciplinam

EBRAEORUM,

LIBER SEXTUS:

Quintum juris Noachidarum seu naturalis, quod illustrius est, caput, seu furti interdictum, complectitur; qua originarios, qua proselytos sive justitiae sive domicilii, aliosque spectat. Et de adquisitione & translatione dominii tum personarum tum rerum, cum modis suis ac temperamentis, tum ex jure pacis tum ex jure belli nasci solitis, Talmudicorum scita sententiasque aperit. De rerum occupatione; alienationum item & contractuum formulis atque vi: De jure egenorum seu mendicorum; servitute, usuris, bonis alea lucrifactis; aliis selectis quae ad dominium & obligationem permissionemque circa illud ex jure pacis versantem attinent. De jure bellico, victoria, deditione, foederibus, tributis; numismate census, & didrachmi pensitatione, in evangelio; captivis.

CAP. I.

Quid furti nomine hic contineatur. De hominum consensu & interposita circa rerum personarumque dominium, ejusque temperamenta & modos, fide servanda praeceptum interdicto hoc, ut praevium, includi. Consensus ejusmodi usus. Supremum numinis interea dominium, unde sine intermedio interdum, cis universalem in rerum initiis donationem, homines domini facti.

JUris naturalis seu Noachidarum caput, juxta instituti rationem, quintum est על הגזל *de furto* ac *rapina*; Quod scilicet, juxta magistros hic, est contrectatio, surreptio, detentio rei alienae, uti & damni qualiscunque, citra caedem, alteri illatio, contra quam jura pro varietate seculorum locorumque introducta praestituunt sinuntve: Jura nimirum quae ut necessario praevia supponit & includit interdictum furti. Nam dum rem dicimus alienam, fieri nequit quin & praece-

dere simul innuamus jura quibus introductum fuerit & firmatum dominium quo alteri ita addicatur illa res ut alterius non sit: non aliter atque, ubi (ut libro proxime superiore) alienae uxoris, viro superstite, uti & patris demortui uxoris, concubitus in capite Juris Naturalis quarto vetitus est, necessario sequitur jura contractuum nuptialium, quibus conjuges legitimi fiant, in eodem capite pariter ut praevia includi supponique; adeoque etiam inde fidem conjugalem in contractu interpositam ab uxore neutiquam violandam; sed ita servandam ut sui corporis potestatem alicui praeter maritum superstitem non permitteret citra divortium, seu contractus nuptialis renunciationem seu ἀπόλειψιν suam aut illius ἀποπομπὴν, qui termini etiam seu modi ac temperamenta, ut docent ibi magistri, ex jure simpliciter naturali, erant fidei hujusmodi interpositioni. Jura autem illa dominii, sive rerum sive personarum, seu ejusdem adquisitionis praevia, aut a numine ipso praestituta sunt instaurataque, aut ab hominibus inventa & constituta. Originarium dominii adquisitionis jus visitur in numinis omnium rerum personarumque domini supremi & universalis indultu, quo tellus rerumque in corpore illo universitas humano generi primo [a] concessa est & permissa. Ejusdem item instauratio totidem quasi verbis habetur Noacho [b] posterisque ejus. Quo & spectare volunt Ebraei illud in Mosis cantico [c], *Quando dividebat altissimus gentes, quando separabat filios Adae, constituit terminos populorum, &c.* Sed & pro solo totius orbis terrarum haerede a numine constituto a christianis nonnullis [d] sumitur Noachus; quem, ut ejusdem dominum, filiis partes eorum distribuisse volunt. Indulta etiam a numine & permissa hominibus ipsis inter se libertas illa quam naturalem nuncupare solemus; cui pro vario ab ipsis jure superinducto diversimode est postea derogatum. Jam vero de populorum, regionum ac insularum divisione paulo post diluvium ex hominum dispositione ac invento tum sacra historia, tum Josephus, Eusebius, Epiphanius, Eustathius Antiochenus, Chronici Alexandrini autor, Cedrenus, alii tum Graecorum, tum Latinorum, etiam & Talmudici [e] affatim testantur. Et in seculis insequentibus passim id genus alia ex imperiorum ac dominii translationibus orta conspicimus. Quicquid enim sive ante sive post diluvium sic a numine de dominio indultum est, modo singularia quaedam ita a numine ipso sine intermedio praestituta ut aliter atque praestituta sunt se habere non deberent, excipias, de quibus statim etiam monemus, quicquid, inquam, sic indultum est, ita accipiendum & nunquam non ita a magistris acceptum est, ut humano generi, pro morum juriumque sive civilium sive gentium superinductorum, ac contractuum, aliarumque rerum quae vitae & actibus humanis accedere solent, diversitate, ex eodem permitteretur indultu; singulares insuper adquisitionum & translationum dominii inter se formulas, & tam universitatum seu corporum communionem & societatem quam singulorum dominium individuum qualecunque introducere, adeoque per contractum, occupationem, cessionem, donationem, successionem, emptionem, venditionem, deditionem, adquirere, mutare, transferre, propagare; cujus rei etiam exempla aliquot vetustissima habentur in sacra Abrahae historia [f]; atque ita dein accipiendum ut tunc demum furtum fieret quoties quis alteri citra caedem damnum inferret, aut id quod alienum inter singulos ita factum est surriperet, auferret, detineret, aut (quod idem potius est) sive in societate aut communione, qualis etiam in aureo seculo fingitur, socium suum seu qui pro indiviso secum possidebat, sive alium jure suo uti frui praepediret; id est, praeter ipsam damni illationem, tum indultui quem diximus ac permissioni divinae actu reniteretur, tum fidem suam violaret & consensum, quo sive ex contractu seorsim suo, sive ex moribus legibusque aut ab universitate seu parte aliqua humani generis cujus ipse pars esset & propago, aut a gente seu civitate sua qua involveretur, superinductis, ipse obligaretur. Nimirum ubi de humana hic dispositione simpliciter ac solum videmus, aliter fieri nequit quin hominum consensum ac fidem interpositam (qua sive ex contractu res aut personae hujus, illius, alterius fierent, sive ex decreto aut usu jura ac mores, juxta quos adquireretur transferreturque dominium, introducerentur) interdicti hujus fundamentum esse primarium fateamur, seu, quod in idem recidit, dominii atque obligationis permissionisque quae circa dominium versatur causam esse fidem illam ac consensum diffusissimam. In pacis rebus, seu adquisitione & translatione dominii tempore pacis, res satis est cuique, puto, manifesta. Pacis enim tam jura quam contractus ex consensu, cui fides adjungitur, sive expresso & naturali, sive tacito & civili pendent. De contractibus res est apertissima. Jura autem seu sanctiones civiles consensu nituntur expresso & naturali eorum qui praesentes agentesque ipsi legibus ferendis ac moribus in usum admittendis interfuerint; tacito & civili, eorum qui suffragia sua suique potestatem ita ante alios, juxta varios rerumpublicarum ortus & constitutiones, sive ex deditione sui posterorumque sive aliter permiserint, ut quicquid illi decreverint, eo se hi posterosque suos, absque consensu in rem singularem expresso ac naturali, obligari voluerint. Quem quidem consensum, sic civilem & tacitum dictum, ex praeeunte naturali seu expresso, tametsi non in res quae sequuntur singulares, nasci, adeoque etiam naturalem seu expressum ex origine dici posse, nemo non videt. Non aliter ferme atque minoris universitatis seu corporis partis etiam dissensus non solum civiliter in partis majoris consensum plerumque transit, atque ita consensus fit civilis & tacitus, verum etiam & naturalis & expressus dici pariter potest, quatenus scilicet expressim universitas tota, tam scilicet minor quae jam dissentiat, quam major pars (idque tam posterorum quam sui nomine) ante consenserat in perpetuam majoris partis suffragiorum in rebus definiendis praeponderationem. Quale similiter dicendum ubi in principibus aliquot solis legum de dominio ferendarum qualiumcunque potestas legitima reperta fuerit. Nam tacitus & civilis ibi subditorum, sive ex contractu sive ex deditione aliterve ex usu legitimo, consensus est praevius, qui ex origine item natu-

[a] Genes. i. 28. [b] Ibid. ix. 2. [c] Deut. xxxii. 8. [d] Epiphan. in Ancorato. [e] Gem. Hierosolymit. ad tit. *Megilla*, cap. 1, fol. 71. col. 2. §. 11. [f] Genes. xiv. 20. xxiii. 11, & 16. xxv. 5, 6, & 9.

ralis & expreſſus non immerito nuncupandus. Quod vero ad tempora belli attinet; tametſi vi geritur res, nihilominus ex moribus etiam hominum conſenſu introductis admitti videmus utrinque jus victoriae, ſervitutis, captivitatis, & quae belli aleam ſequuntur reliquorum. Etiam ex moribus conſenſu utentium firmatis introductum eſt illud, ut cives reipublicae alterius in altera ſive degentes ſive obiter agentes, id eſt, civitate non donati, legibus moribuſque ſubſint loci ubi ſive degunt ſive agunt ipſi, utcunque legibus eis quibus loci cives utantur variatim diſparibus. Id quod paſſim obtinet ex gentium ſcilicet quamplurium conſenſu, quo uniuſcujuſque, in gentibus illis, civis conſenſus civiliter ſaltem includitur, introductum Quod pariter de legationum, id genus aliorum juribus aſſerendum. Hinc eſt quod primarium jam ante dixerim conſenſum fidemque interpoſitam dominii atque obligationis permiſſioniſque quae circa illud verſatur eſſe fundamentum, dum ſolum & ſimpliciter hominum hic diſpoſitionem intuemur. Sed vero altius eſt plane repetenda cauſa prima, primumque omnium, quo etiam jam dictum nitatur, fundamentum dominii atque obligationis; id eſt, ab ipſius numinis praecepto de contractu, fide, conſenſu ſervandis; quod palam viſitur in hoc furti interdicto, eoque neceſſario includitur, dum quod ex contractu, aliove adquiſitionis ſeu alienationis genere e fide interpoſita ac conſenſu juxta jam dicta introducto, eſt alienum, id auferre, contra quam jura ex fide itidem ac conſenſu interpoſito nata ſinunt, vetatur. Nam ut ejus qui nomine ſuperior fuerit autoritas obligationem revera inducat, id eſt autoritas ac imperium ipſius numinis, pluribus eſt libro primo [g] oſtenſum. Et quod ſic diximus de juribus ac contractibus ipſis hominibus in uſu, idem dicendum de modis ac temperamentis atque id genus reliquis eiſdem pro ſeculorum, locorum, populorum varietate adjici ſolitis; unde & modi & temperamenta atque id genus alia accedunt dominio & obligationi permiſſionique quae circa illud verſatur, perquam varia; juxta quae ſemper, ut juxta amuſſes ſingulares, obſervatio ac violatio interdicti hujus intelligenda. Nam & contractuum & jurium vim habent & ipſa, utpote eorundem partes. Neque ſine eis rite perſpectis quid alienum fuerit, aut in quantum alienum, dignoſci poſſe, luce clarius eſt; qua de re plura mox. Sed vero quemadmodum ſupremum numinis imperium in praecepto de conſenſu ac fide ſervanda interdicto furti incluſo obligationem juxta ea in quae ab hominibus rite conſenſum eſt inducit, ita etiam numen ipſum, ut ſupremus ſemper omnium rerum perſonarumque obligationiſque ac permiſſionis qualiſcunque dominus, pro libitu ſuo non ſolum dominium humano conſenſu qualicunque rite adquiſitum, invitis dominis, interdum alio juſſu ſuo tranſtulit (ut in terrae ſanctae donatione, qua ſeptem populis ablata ditavit Ebraeos) ſed etiam, uti volunt magiſtri, ipſis Ebraeis ex indultu ſingulari permiſit alienas ſubinde alias invadere regiones, unde nec contra jus fieri quibat (quod alias interdicti hujus fuiſſet violatio manifeſta) quippe ab omnimodi juris domino expreſſim permiſſum, nec ſine juſſu ſupremo, ut fierent victores atque rerum & perſonarum ſubactarum domini legitimi. Qua de re plura in ſequentibus [h]. Huc ſpectant & ſingularia aliquot in corpore legis Moſaicae, veluti decimarum aliarumque rerum ſacerdotibus, Levitis, pauperibus aſſignatio divina, compenſationes, & reſtitutiones quaedam ita a numine tantum praeſtitutae ut nec hominum conſenſui relictae fuerint, id genus plura ibi notiſſima, quibus accedant ſi quae ſunt alia a numine dominis cujuſcunque generis non permiſſa ſolum ſed ſic aſſignata ut arbitrio humano non ſubjaceant.

CAP. II.

Quomodo Noachidas ſeu gentiles interdicto furti teneri ſtatuant Talmudici. Actus eorum in ditione Ebraica aliquot furta fuiſſe, quales in Judaeis liciti. Undenam id. E diligenti temperamentorum & modorum dominii (quorum exempla e vetuſtiſſimis apud Ebraeos ſanctionibus ſingularia aliquot afferuntur) conſideratione furta dignoſci.

DE interdicto furti, qua genus humanum illo teneri volunt, Talmudici ad hunc modum docent [a]; בן נח חייב על הגזל בין שגזל גוי בין שגזל ישראל ואחד הגוזל או הגונב ממון או גונב נפש או כובש שכר שכיר וכיוצא בו אפילו פועל שאכל שלא בשעת מלאכה על הכל הוא חייב והרי הוא בכלל גזלן מה שאין כן בישראל וכן חייב על פחות משוה פרוטה: *Noachides furtis tenebatur ſive res gentilis ſive Iſraelitae furatus eſſet. Neque diſcrimen erat ſive palam ſive clam ſurripuerat, ſive bona, ſive perſonam, aut mercenario mercedem detinuerat, aut quid ejuſmodi aliud fecerat. Quin ſi dum operarius eſſet comederat* fructus, veluti uvas, olivas, *alio tempore quam quo ipſe operabatur, reus item erat furti. Et in omnibus hiſce pro fure habetur. Quod non ita obtinet in Iſraelita. Quin reus erat ſi tantillum furatus fuerat ut nec pruta*, ſeu nummulo quo minor nullus, *id valeret* Adjiciunt etiam, בן נח שגזל פחות משוה פרוטה ובא אחר וגזלה שניהן נהרגין עליה: *Si Noachides tantillum furatus eſſet, aliuſque ab eo idem,* Noachides alius, *eripuiſſet, uterque gladio etiam ob tantillum plectendus.* Quod ſic dictum habet in ſe jus naturale de furto & juris gentium Ebraeis aliiſque gentilibus intervenientis aliquid commixtum. Nimirum ex interdicti naturalis vi uterque ea in ſpecie fur habitus. Poena vero capitalis, quae fere gentilibus in ditione Ebraica quomodocunque reis praeſtituta, ex jure illo gentium orta eſt. In verbis autem Talmudicorum prioribus tria ſunt inprimis animadvertenda; primum, quaenam in furtivam cauſam hic cadant; ſecundum, quam late furti nomen in naturali hoc interdicto ſe extendat; tertium, quodnam & unde inter Ebraeos & gentiles ſeu Noachidas diſcrimen quod ibi innuitur. In furtivam cadere cauſam videmus tam perſonas

[g] Cap. 6. [h] Cap. 12. [a] Gem. Bab. ad tit. *Sanhedrin*, cap 7. fol. 57. a. Maimon. Hal. *Melachim*, cap. 9.

quam

quam res: atque ut ex jure Caesareo [b], ita & ex hoc Noachidarum, & ex Ebraeorum itidem civili [c], ut rerum ita hominum furtum interdicitur, tum servorum tum liberorum. Furti autem nomen & quod clam & quod palam, nec inscio domino, fit hic continet. Quod clam fit, peculiari magis vocabulo גניבה vocitant; quod palam, גזל & גזלה. Sed quoties de Noachidarum furto seu rapina loquuntur, aliud quam גזל גוי seu גזלה haud fere usurpant. Cum vero damnum cuiquam illatum, aut sit in bona ejus, quod נזיק ממונו, aut in personam, quod נזיק גופו appellitant, atque utrumque aut a personis ipsis quomodocunque inferatur, aut a quadrupedibus aliisve brutis quae cuipiam in bonis, juxta ea quae in jure Caesareo habentur in eo quod est, *Si quadrupes pauperiem fecerit*, &c. Quoties damnum a personis ipsis sive rapiendo sive detinendo sive subtrahendo sive clam sive palam id quod alienum est, seu quod alteri ex contractu, deposito, aliterve debetur, contra quam jura superinducta, sinunt, a Noachide seu gentili illatum fuerit, furtum ab eo committi volunt, atque interdictum hoc naturale violari. Unde & sub nomine גניבה seu *furti non manifesti* complectuntur dolum malum, qualis in ponderibus & mensuris falsis adhibendis, agrorum terminis dimovendis, id genus aliis; & dum jus Noachidarum docent, etiam ejusmodi dolum unico illo גזל *rapinae* seu *furti* nomine comprehendunt. At vero damni illati illam speciem alteram, quae *pauperies* dici solet, a bestiis quae alicujus in bonis inferri solita, in Noachidarum seu naturali hoc interdicto contineri nolunt. Scilicet leges sibi habuisse aiunt civiles de bove cornupeta [d], quas, nec modo dispari, intelligunt de bestiis aliis nocivis, ut & jurisconsulti Caesarei suas de quadrupedis pauperie. Et quamplurimas habent in eis explicandis subtilitates, quas & partim habes in titulo Talmudico *Baba Kama*, pridem latinitate donato & commentariis doctissimis explicato a v. cl. Constantino l'Empereur. Atqui inquiunt [e], שור של ישראל שנגח שור של גוי בין תם בין מועד פטור לפי שאין הגוים מחייבין את האדם על בהמתו שהזיקה׃ *Si Israelitae bos cornu feriret bovem gentilis, (sive bos ille sic facere consuesceret, sive non) lege non continebatur. Quoniam scilicet gentiles haud reum habent hominum quempiam ex eo quod bestia ejus damnum intulerit*, id est, jure Noachidarum seu naturali ex pauperie sic illata nemo tenetur aut reus sit. Accedit & rationis explicatio, והרי דנין להם כדיניהם *nam & nos* hac in re *judicamus eos juxta ipsorum leges* seu *judicia.* Nimirum, cum ex legibus illis quibus ipsi, quatenus gentiles sunt, nec nostro corpore Israelitico comprehensi, utuntur, pauperiei ejusmodi ratio non habeatur, nec alias praeter naturales seu Noachidarum leges sibi ditione in nostra, aliter atque nos permittimus, superinducere queant, neque jure nostro ea de re civili primitus instituto omnino contineantur, noluimus ita eis indulgere ut commodum ex Israelitae alicujus damno sic perciperent. Caeterum si inverteretur species, ita ut gentilis bos feriret bovem Israelitae, ex pauperie sic illata compensatio ex sententia forensi sequebatur; id est, damnum Israelitae a gentili resarciri volebant. Quod, ut jus gentilibus ipsisque interveniens, ab ipsis in sui commodum introductum est. Aiunt enim, שור של גוי שנגח שור של ישראל משלם נזק שלם׃ קנס זה הוא לגוים לפי שאינן זהירין במצות ואינן מסלקין הזיק׃ ואם לא תחייב אותן על נזקי בהמתן אין משמרין אותה ומפסידין ממון הבריות׃ *Si gentilis bos feriat bovem Israelitae, compensatio damni ei praestanda. Quod in hac specie de gentilibus introductum, quoniam nec praecepta* nostra, seu jura nostra civilia, *ad eos spectant, & frequentius damna inferunt. Et nisi reos hic facias eos ob damna a bestiis eorum illata, non coercebunt illas, & hominum bonis plurimum nocebunt.* Et diversa esse indigenarum jura ab alienigenarum, novum non est, nec infrequens. Et tum ex superinducto sic jure de compensatione a gentili pauperiei nomine praestanda, justum erat ut compensatio ejusmodi Israelitae petenti addiceretur, tum pariter justum ut gentili, qui eo jure non inclusus est, eadem, utpote nec debita, negaretur. Unde atque ex similibus quamplurimis de tertio, quod hic animadvertendum, constabit, scilicet de eo quod est, quodnam & unde inter Ebraeos & gentiles discrimen illud, quod in verbis Talmudicis jam ante adfertur, de furti interdicti violatione. Scilicet exceptio ibi duplex est qua hac in re Ebraei a gentilibus discrepant: In altera habetur temperatum ex jure civili Ebraeorum, eoque in Mosaico diserte tradito, dominium, quo id fieri permittitur quod ex jure simpliciter naturali seu Noachidarum plane furtum esset: In altera, aliud ex majorum traditionibus temperamentum itidem dominii (quod semper, ut capite superiori diximus, vario hominum consensui rite inito subjacet, atque ex eorum arbitratu modos recipit) in causa erat ut id furtum Ebraeis non esset quod ex jure simpliciter naturali tamen esset furtum. Et utriusque exceptionis exempla adducuntur ad discrimina id genus alia, quae innumera esse possent, innuenda. Prior est de operario fructus comedente, verbi gratia, in vineto, oliveto. Ubi simpliciter dominia sunt distincta, operario comedere extra ipsum operae tempus esse volunt idem quod furari; scilicet alienum jus sibi contra fas arrogare: Ipso autem operae tempore fas esse ex effectu conductionis; qua dominum quemlibet in tantum juri suo renunciasse, velut in mercedis operarii partem, praesumebatur, nisi de contrario constaret. Ubi vero sic sunt distincta dominia ut temperamentum hoc seu modus eis insuper adjiceretur ex jure loci civili, licere nimirum non solum in operae suae tempore, sed etiam dum ipsa vindemia durat, uvas comedere, quis non videt tam ipsarum, quas ita carpserit operarius, ipsum etiam esse dominum, adeoque eatenus velut partiarium usufructuarium ipsius vineae; quam ejusce quod his demptis reliquum est dominum esse vinitorem? Eadem ipsa est aristarum in coloni agro ratio. Nam ad operarios, videlicet cultores sive vineae sive agri, conductos tantum, & ad vindemiae seu messis tempora, attinere volunt legem illam unde totum quod prae manibus est de operarii jure discrimen oritur: *Ingressus* [f] *vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit: Foras autem ne efferas tecum*, ut Vulgata; si verbum verbo red-

[b] L. 37. & 60. ff. de furtis. [c] Exod xxi. 16. Deuter. xxiv. 7 ad quos locos Maimonides Halach *Ganiba*, cap. 6. [d] Exod. xxi. 28. [e] Maimonid. Halach. *Naziki Mammon*, cap. 8. [f] Deut. xxiii. 24. sed & videsis D. Matthaei cap. xii. com. 1, &c.

dideris,

dideris, *in vas tuum non repones. Et ſi intraveris in ſegetem proximi tui, decerpes ſpicas manu tua: falcem autem non levabis in ſegetem proximi tui*, ſeu, ut Vulgata, *falce non metes.* Ita igitur ex hac lege temperabatur tum vinitoris tum coloni dominium ut etiam toto vindemiae ſeu meſſis tempore uvas aut ſpicas legere ad ſtatim comedendum operariis, juxta magiſtrorum ſententiam, liceret inter Iſraelitas; non item Noachidis ſeu proſelytis domicilii, aut inter eos, niſi tantum ipſis operae momentis. Neque licentiae furandi, ſed modorum dominii hic diſcrimen. Legem autem jam dictam ſacram ita explicat Joſephus [g] ut τὰς ὁδῷ βαδίζοντας *viatores* ea contineri velit, nec ἠγχωρίας *indigenas* ſolum, ſed etiam ξένας *exteros.* Adde quod occurrit in foedere novo de diſcipulis Chriſti ariſtas in via carpentibus, & perpende. Poſterior exceptio eſt de valore rei ſurreptae, qui ſacris literis non omnino taxatur. Interdicitur quidem ſimpliciter furtum, nec ſemel; de quo cum ex ratione dominii ejuſque modorum & temperamentorum varia ſit decernendum, apud Ebraeos ipſos dominium privatum rerum leviuſcularum ſic temperatum eſt, atque veluti in communionem remigravit, ut ex veterum inſtituto ſi eorum quis פחות משוה פרוטה *id quod minoris minimo nummulo* ſeu *prota valeret* [h] alteri ſurriperet, furti nullo modo teneretur. Nummulus ille פרוטה dictus erat אחד משמנה באיסר האיטלקי *octava pars Aiſarae Italicae*, quod legitur in Miſna [i]. *Aiſara* hic *Italica* idem puto, eſt nummi minutuli genus quod in paſſerculorum pretio memoratur apud evangeliſtas [k] ἀσσαρίε nomine. Et apud magiſtros legitur e veterum eſſe receptum traditione [l] שהפרוטה משקל חצי שעורה על כסף נקי *Nummulum hunc prota dictum ponderare dimidium grani argenti puri.* Ex tantillo ſeu quantulocunque ſurrepto jure naturali ſeu Noachidarum furtum commiſſum ſtatuebant, ſed non ex ſuo ſeu ſibi civili. Non omnino quod ſibi furari indulgentius quam Noachidis licere velint: ſed quia tantilli ſingularis eſſet ipſis, ex majorum inſtitutis, dominii, ut diximus, atque alia ratio & temperamentum. Id quod ſi abfuiſſet, furtum in tantillo ſurripiendo aeque commiſſum fuiſſe ab Ebraeo cenſuiſſent, atque inde tam numinis placationem quam proximi, ſeu ejus cui damnum illatum eſt, compenſationem inſequi debuiſſe: ſed neutri ob tantillum ſurreptum apud ſe locum eſſe voluere; neque eſſe potuiſſe palam eſt, cum nihil omnino ſic committeretur adverſus dominii ſeu juris privati modum quem ipſi ſibi, nec interea gentilibus in eorum ditione agentibus, praeſcripſiſſent, adeoque nihil ita ſurriperetur contra jura dominii quorum ibi uſus. Nam extra ditionem Iſraeliticam manifeſtum eſt ab Ebraeo etiam furti interdictum ſurreptione quantulicunque violatum, niſi & ii quorum ditio eſſet ſingularia, quemadmodum Ebraei, de quantitate jura ſuperinduxiſſent. Quod ſane dicendum de Lacedaemoniis & AEgyptiis, apud quos furta quaedam licita fuiſſe traditur [m]. Nimirum quandam rerum, juxta eorum quibus legum ferendarum poteſtas placita, ſurreptionem licitam fuiſſe palam eſt. Sed in eo quod licitam eam eſſe voluere, plane dominio rerum apud ſuos temperamenta tantum adjecere, unde velut in communionem quandam eouſque redigeretur: adeo ut ex ſingulari jure dominii id juſte apud ipſos (non interea alibi, prout dictum eſt) fieret quod furti ſpeciem quadamtenus imitaretur, furtum autem non omnino eſſet. De quo quatenus crimen eſt, ſine modorum ac temperamentorum, quae dominio adjici ſolent, velut Lydio hic lapide, fruſtra nimis ſaepe decernunt qui de caſibus conſcientiae ſolicitius diſquirunt. Inde etiam erat quod florentibus Ebraeorum rebus, cum ii quibus erat juxta conſtitutionem reipublicae illius legum ferendarum morumque introducendorum poteſtas, privata in rebus nonnullis dominia, utcunque non ſine juſſu numinis primo adquiſita, diverſimode temperarant, furta dein eſſe actus aliquot deſinebant qui alias interdicto hoc plane vetarentur. Illuſtria ſunt exempla in decretis illis decem Joſuae ובית דינו בשעה שחלק את הארץ & *ſynedrii ejus* [n] (ſeu eorum penes quos ſummum ſub introitum in terram ſanctam erat imperium) *tempore quo terram diviſit.* I. שמרעין בהמה דקה ביערים שאילניהן גסין אבל אין מרעין שם בהמה גסה וביער שאילניהי דקים אין מרעים בו לא גסה ולא דקה אלא מדעת בעליו: *Ut minuta pecora* [p] *in ſylvis paſcerent ubi craſſiores eſſent arbores; non item pecora grandiora: ſylva autem cujus tenuiores arbores non paſcerent nec grandiora nec minuta citra domini conſenſum.* Conſenſum domini aut in locatione ſylvae, aut in ejuſdem poſtmodum novatione ſeu mutatione, expreſſis verbis conductori indultum. II. שיהיה כל אדם מותר ללקט עצים משדה חבירו והוא שיהיו עצים פחותים וקרובים להיות קוצים כגון הזמי והיגי והוא שיהיו לחים ומחוברין ובלבד שלא ישרש אבל שאר עצים אסור: *Unicuique hominum* (Ebraeorum, in ditione Iſraelitica) *fas eſſe colligere ſibi frutices* ſeu *arbuſcula in agro alieno, minora ſcilicet & quae pro ſpinis habita, veluti rubos & vepres adhuc virides atque creſcentes, modo illa non ſuccidat. Arbuſcula vero ibi & arbores caeterae ei vetantur.* III. שיהיה כל אדם מותר ללקט עשבים העולין מאיליהן בכל מקום חוץ משדה תלתן שזרעה לבהמה: *Unicuique hominum fas eſſe colligere ſibi herbas ſponte naſcentes quocunque locorum, praeter agrum foeno graeco in jumentorum depaſtionem ſatum.* IV. שיהיה אדם קוטם נטיעה בכל מקום חוץ מגרופיות של זית ואינו קוטם מן האילנות אלא בזית בביצה ובקנים ובגפנים מן הפקק ולמעלה ובשאר האילן מתוכו של אילן לא מהודוי וכשהתיר לקטום לא התיר אלא מהדש שאינו עושה פירות אבל לא מישן שעושה פירות ואינו קוטם אלא ממקום שאינו רואה פני חמה: *Fas eſſe cuilibet plantarium quocunque locorum putare, exceptis olivarum termetibus: Ita ut non amplius amputet ex arboribus quam quod olivae aut ovo par fuerit, nec ramos alibi putet quam ſurſum ab ea parte qua diffundi coepit; nec vites aliaſve arbores in loco ubi rami pauci, ſed tantum ubi denſi; nec exſcindat quid ex veteri arboris parte quae fructum ferat, ſed*

[g] Archaeolog lib. 4. cap. 8. [h] Moſ. Mikotzi Praecept. affirm. 122, &c. [i] Tit. *Kidoſchim* cap 1. fol. 2. a. & videſis Baal Aruch in איטלקי & Iſaac Satiin ad Moſ. Mikotzi fol. 296. col. 1. [k] D. Matth. x. 29. Luc. xii. 6. [l] Moſ. Mikotzi praecept. aff. 48. quem & vide praecept. affir. 45. Adde hiſce *Machzor* Jud. Germ. part. 1. fol. 111. b. [m] Ageilius, lib. 11. cap. 18. Plut. in Lycurgo. [n] Gem. Bab. ad tit. *Baba Kama*, cap. 7. fol. 80, 81. Maimonid. Halach. *Nazike Mammon*, cap. 5. [o] Vide tit. *Baba Kama* cap. 7. § ult. & ibi Conſtant. L' Empereur pag 165.

tantum ex nova quae nondum ferat fructum ; neque demum omnino ejuſmodi quid faciat niſi ubi ſolis radii non admittuntur. V. שהמעיין היוצא בתחילה בני אותה העיר שיצא בגבולם מסתפקין ממנו אע״פ שאין עקרו בחלקם ואין לאחרים להסתפק עמהם ממנו׃ *Ubi fons fuerit e quo fluvius intra terminos alicujus urbis ſeu provinciae labitur, ita utantur, fruantur illius urbis ſeu provinciae incolae fluvio illo (tametſi fons ejus non fuerit in parte ipſis aſſignata) ut nec alii cum illis eo utantur, fruantur.* VI. שיהיה כל אדם מותר לצוד דגים מים טבריה והוא שיצוד בחכה בלבד׃ אבל לא יפרוש קלע ויעמיד ספינה שם אלא בני השבט שהגיע אותו הים בחלקם׃ *Fas fore hominum cuilibet* (ſemper de Ebraeis intellige) *piſces captare e mari Tiberiadis, modo ſcilicet hamis ſolummodo piſcatus fuerit. Neque enim ſepimentum* qualecunque piſcibus capiendis plicatum paxillis figendo ibi *expandet* (ita ſcilicet קלע explicat gloſſa Talmudica ; nec aliud, puto, eſt ab ephocis illis, tranis, ſeu remoris piſcatoriis, quales in Leonis conſtitutione [p] memorantur) *aut navi piſcatoria utetur alius praeter tribuum incolas quarum partem aſſignatam mare illud alluit.* Sic ex Gemara Maimonides. Verba autem Gemarae [q] ſunt, מהכין בימיה של טבריה ובלבד שלא יפרוס קלע ויעמיד את הספינה *Hamis piſcantur* (cuilibet piſcari ſic licet) *in mari Tiberiadis ; ſed ita ſolum ut ſepimentum*, quale diximus, *non expandat, nec navi piſcatoria utatur.* Adeo ut Maimonidi locus ille ſic intelligatur ut exceptio de ſepimento & navi ad eos qui Tiberiadi confines non eſſent ſolum ſpectaret ; hamorum autem & retium, quae injici ut ἀμφίβληστρα ſolent, parilis [r] haberetur ratio. At vero exiſtimant alii hoc Gemaram innuiſſe, omnino nemini quidem fas fuiſſe ex veteri illa conſtitutione ſive navicula piſcatoria ſive ſepimento, quale memoratur, uti ; ſed tribui quae allueretur fas fuiſſe לצוד ברשתות ומכמרות והשאר בחכה בלבד *piſcari retibus & hamis ; reliquis vero, tantummodo hamis.* Vide, ſi placet, de piſcationibus apoſtolorum in hoc mari apud evangeliſtas. Certe Petrus, Andreas & Philippus ex urbe Bethſaida [s] fuere, quae mari illi vicina. Sed ad decreta Joſuae redimus. VII. שכל אדם שצריך לנקביו מסתלק מן הדרך ונכנס אחורי הגדר שפגע בו ונפנה שם ואפילו בשדה מליאה כרכום ונוטל משם צרור ומקנח׃ *Cuilibet fas fore, quoties neceſſe ei fuerit ventrem exonerare, e via diverti, & pone ſepem quae proximat illud facere, idque etiamſi locus fuerit croco* (aliiſve quantivis pretii ſationibus) *plenus, & faſciculum ad abſtergendum ibi ſumere.* VIII. שכל התועה בין הכרמים וכיוצא בהן מפסג ועולה מפסג ויורד עד שיצא לדרכו׃ *Cuilibet per vineam aliumve ejuſmodi locum erranti hinc inde pervagari licebit uſque dum in viam ſuam redierit.* IX. שבזמן שירבה הטיט בדרכי הרבים או נקיעים מים יש לעוברי דרכים להסתלק לצדדי הדרכים ומהלכין שם אע״פ שהן מהלכין בדרך שיש לה בעלים׃ *Tempore quo coenoſae nimis fuerint viae publicae aut aquis impeditae, fas erit viatoribus, viis ipſis relictis, in vicina quae adjacent loca ſe conferre, atque ibi tranſire : tametſi tranſiret in via quae ſuos habuerit dominos.* X. שמרת מצוה קונה מקומו ונקבר במקום שימצא בו׃ והוא שלא יהא מוטל על המצר ולא בתוך תחום המדינה אבל אם נמצא על המצר או שהיה בתוך התחום מביאו לבית הקברות׃ *Qui forte mortuus repertus fuerit, locum ſuum ſibi adquiret, & ſepeliendus erit loco in ipſo quo fuerit repertus, modo is non fuerit angiportus, nec intra limites urbis. Tunc enim in locum mortuorum ſepulturae deſtinatum avehendus erit.* Accedit hiſce illud Salomonis ; שיהיו עוברי דרכים מותפן בימות החמה להלך בשבילין שבשדות שיש להן בעלים עד שתרד רביעה שנייה׃ *Viatoribus fas eſſe tempore aeſtivo tranſire per ſemitas quae in agris aliorum uſque dum deſcenderit pluvia ſecunda.* Id eſt quaſi initium menſis Octobris noſtri, qui fere τῷ Marcheſuan eorum reſpondet. In annis ſcilicet quibus citius evenit : Serotinam autem ſub initium menſis inſequentis [t] ſeu Kiſleu ponunt. Accedat & illud Ezrae [v] ; *Et omnis qui non venerit in tribus diebus juxta conſilium principum & ſeniorum, auferetur univerſa ſubſtantia ejus, & ipſe abjicietur de coetu tranſmigrationis.* Variatim hic modi & temperamenta dominio praeſcripta. Alia ſunt ejuſmodi non pauca moribus Ebraeorum reperta, eaque ſatis obvia ; cujus generis quidem nulla forſan in republica ſanctiones deſunt. Ideo autem libentius ea hic memoravimus ut inde praemitteretur ſpecimen modorum ac temperamentorum penes Ebraeos dominio privato publicis ſanctionibus adjiciendorum, ſine quorum conſideratione diligentius habita obſervatio aliqua aut violatio interdicti de furto aut damno cum injuria illato omnino in obſcuro erat, nec ullo intelligi quibat pacto. Sed & ea de re plura in mox ſequentibus.

CAP. III.

Dominium ex diverſitate perſuaſionis circa ſacra apud Ebraeos regulariter non omnino pependiſſe. Furtum etiam ab ipſis tam in gentilis bonis contrectandis quam in bonis Judaei commiſſum ſtatuebant. De fraude & mendacio tum circa damnum quod interdicto furti innuitur, tum ſimplici, citra ejuſmodi damnum. Quod de bonis gentilis non invadendis tradunt, ad jura pacis tantum attinere, non ad jura belli. De terminis confiniorum non dimovendis.

NON ex aliqua perſuaſionis circa ſacra diſcrepantia, aut nudo religionis diſcrimine, pendere volebant Ebraei ſive rerum ſive perſonarum dominium, ſeu damni alicujus (citra capitale ſupplicium, atque ea quae illuc neceſſario conducerent, & cauſam urbis apoſtaſiae reae) illati rationem. Capitale ſupplicium & quae illuc neceſſario conducerent ideo excepi, quia ſpeciebus aliquot in ſingularibus, veluti ubi gentilis

[p] Novell. 56.
[q] Ad tit. Baba Kama, cap. 7. fol. 81. a.
[illegible] 21.
[t] Maimonid. Halach. *Mithnoth Ainiim*, cap. 1.
[r] *Magid Miſna* fol. 540 a.
[s] D. Joann. i. 44. &
[v] Cap. x. 8.

ſuſcipere

suscipere in se praeceptorum Noachidarum septem in ditione Israelitica observationem detrectaret, juxta libro secundo ostensa, & ubi apostasiae quiquam ex Judaeis seu proselytis justitiae rei essent, religionis quidem nomine ultimum [a], idque diversimode, irrogandum erat supplicium. Sed vero nec comitabatur supplicium ejusmodi bonorum ablatio aut fisci aut aerarii successio: sed ad haeredes semper pertinuere, extra quam ubi universitas urbis apostasiae rea; ibi enim cum urbe etiam civium bona comburenda; qua de re alibi [b]. Sed vero eo simpliciter nomine quod gentilis qualiscunque quis esset, etiam idololatra, aut Judaeus apostata, aut haereticus, bonis non omnino juxta eos exuendus erat, aut dominium ei inde minuendum. Unde & statuebant furtum, contra sensum interdicti quod jam tractamus, ab ipsis committi non minus in gentilis bonis quam in Judaei contrectandis; quod & superius tetigimus. Talmudici [c] de furto clam commisso verba facientes; כל הגונב ממון משוה פרוטה ולמעלה עובר על לא תעשה שנ׳ לא תגנובו׳ ואין לוקין על לאו זה שהרי ניתן לתשלמין שהגנב חייבתו תורה לשלם׳ ואחד הגונב ממון ישראל או הגונב ממון גוי עובד עבודה זרה ואחד הגונב את הגדול או את הקטן: אסור לגנוב כל שהוא דין תורה ואסור לגנוב דרך שחוק או לגנוב על מנת להחזיר או על לשלם הכל אסור שלא ירגיל עצמו בכך: *Quisquis* Judaeorum *clam surripuerit bona quae nummulo minimo prota dicto aut pluris valent, interdictum de furto violat. Nam & scriptum est,* Non furaberis. *At vero non vapulabit hujus interdicti violati nomine: quoniam scilicet quod ablatum est restituere debet: & restitutio ei a lege expressim praescribitur. Neque is qui Israelitae bona furatur, differt ab eo qui bona furatur gentilis, etiamsi idololatra fuerit. Par item jus, sive quis hominem majorem sive minorem furetur. Furtum nempe omnimodum prohibetur a lege. Nec fas est joco furari, aut animo in integrum restituendi, ne se sic furto quis assuescat.* Tantundem etiam aiunt [d] de dolo malo in ponderum & mensurarum usu. אחד הנושא והנותן עם ישראל או עם עובד עבודה זרה אם מדד או שקל בחסר עובר על לא תעשה וחייב להחזיר׳ וכן אסור להטעות את הגוים בחשבון אלא ידקדק עמו: *Dispar jus non est sive negotietur quis cum Israelita sive cum idololatra, si aut pondere aut mensura minore quam par est utatur. Violat enim interdictum, & ad restituendum tenetur. Similiter nec fas est gentiles calculis subducendis fallere, sed plane sunt pariandae cum eo rationes.* Quo adducunt & illud de proselyto domicilii qui se redemerit, *computumque* [e] *faciet cum emptore suo*, &c. & demum adjiciunt, אע״ף שהוא כבוש תחת ידיך קל והומר לגוי שאינו כבוש תחת ידיך: Rationes ex illa lege pariandae sunt, *tametsi gentilis fuerit in potestatem tuam redactus*, id est ditionis Israeliticae; *multo magis ubi non fuerit in potestatem tuam redactus*, seu nondum ditionis Israeliticae. Hoc scilicet velut singulare legis sacrae exemplum affertur, quo supponitur in negotiationibus ac contractibus gentiles neutiquam fuisse defraudandos, aut dolo fallendos. Cujus tamen causam in naturali furti interdicto haberi volunt. Consona habent ubi de furto palam commisso loquuntur [f]; אפילו גוי עובד עבודה זרה אסור לגזלו או לעשקו׳ ואם גזלו או עשקו יחזיר: *Etiam & nefas est bona gentilis palam eripere, tametsi ipse idololatra fuerit; uti & bona ejus, tametsi sponte ab eo penes te relicta, detinere cum restitui postulaverit*, veluti commodatum, mutuum, mercedem, depositum, creditum. Nam qui sic fecerit העושק vocitant, id est, qui violata fide rem palam restituendam deneget. Ita fidem fallere sui ipsorum cuique illicitum ducebant, contractibus scilicet etiam cum gentilibus, nedum Judaeis, initis rite interpositam; utpote ex interdicti quod tractamus vi naturali servandam. Adeoque in alterius sive Ebraei sive gentilis damnum (quod scilicet interdicti hujus sensu juxta jam dicta contineretur) mentiri illis nefas inde habitum. Dico, in damnum quod interdicti hujus sensu contineretur; id est, sive in bona sive in personam, contra quam jura praestituerent illatum. Quo spectat inprimis illud quod habent de verborum fraude in contractibus non adhibenda, nec emptore in emptionem sive mercium laude sive alio quocunque dolo pelliciendo. Tam de seipsis quam de gentilibus pronunciant [g], אסור לרמות את בני אדם במקח וממכר או לגנוב את דעתם ואחד גוים ואחד ישראל שוים בדבר זה *Nefas est decipere quemquam in emptione & venditione, uti & in consensum arte pellicere. Quod pariter obtinet in gentilibus atque in Israelitis.* Ita scilicet de fide circa contractus & obligationibus ubi *συναλλάγματα* intervenirent. Sed vero, quantum video, nudam verborum cum fallendi ac mentiendi animo prolationem, ac promissa dolosa, citra obligationem ex re contractam aut inde contrahendam illicita non existimabant, etiamsi actu, circa quem versarentur, damnum quidem alteri inferretur, sed non cum injuria, nedum ubi nullum ejusmodi damnum. Neque aliter legem illam suam [h] intellexere, *Neque mentiemini, neque fallaciter agetis, quisquam cum proximo suo.* Qualem gentilem esse non sumunt. De mendacii autem apud eos usu ejusmodi licito, adeoque fidei sic fallendae exemplo, consulas caput tertium libri quarti, ubi circumventio dolosa nec sine mendacio manifesto in exitium Ebraei apostatae qui in puteum decideret, ejusmodi alia, permittuntur. Animadvertendum autem inprimis hic est, id quod de gentilium pariter atque Israelitarum bonis ab ipsis non invadendis ex hoc interdicto naturali tradunt, sic ab ipsis intelligi tantum, ut Israelitarum nemini ex jure aliquo pacis, aut citra belli publica autoritate indicti rationem gentilis bona surripere liceret, sive damnum contra vulgarem justitiae, quam vocamus commutativam, amussim inferre. Non item ex jure belli. Hoc enim ejusmodi sibi, idque ex praestituto [i] numinis, fuisse tradunt, ut ex supremo ipsius omnimodo rerum personarumque dominio, ipsis non solum juberetur septem populos & Amalekitas subigere ac delere, verum etiam permitteretur, ad augendam citra causam aliquam aliam intervenientem

[a] Deut. xiii. & vide lib. 4. cap 3. [b] De Success. in bona cap. 25. [c] Maimonid. Halach. *Ganiba* cap. 1 sed & videsis Constant. L'Empereur ad tit. *Baba Kama*, cap. 4. §. 3. pag. 67. [d] Idem ib. cap. 7. [e] Levit. xxv. 50. [f] Maimonid. Halach. *Gizila Wabda*, cap. 1. [g] Tit. *Baba Metzia*, cap. 4 & Maimonid. Halach. *Macira* cap. 18. [h] Levit. xix. 11. [i] Deut. xx. 10.

majestatis

majestatis Israeliticae amplitudinem, alienas quascunque terras, bello rite atque ex sententia synedrii septuaginta unius virum indicto, invadere, adeoque res ac personas alieni juris in suum redigere. Quod plane, juxta illorum scita, temperamentum erat atque modus insignis aliorum dominio, (quatenus arma Ebraeorum respiciebat) ab eo qui supremus omnium dominus est superinductus. Unde nec furti interdictum, nec id quod in decalogo habetur de alienis bonis non concupiscendis, bello ejusmodi violari existimabant; idque consequenter satis, dum ex permissione ejusmodi numinis (qua & inclusum satis est de jure victoriae mandatum, devictorum jura perimens) statuebant non minus ipsis jus fuisse, ab interdicti autore etiam praescriptum, invadendi atque sic bello adquirendi, quam eis quos invaderent citra victoriam aut deditionem possidendi retinendique. Sed hac de re, uti & de sententia Ebraeorum de belli jure, quatenus illo alii sive in ipsos sive in alios usi sunt, vide infra capita duodecimum, decimum sextum, & quae sequuntur. *Furti* nomine contineri etiam volunt, si quis vicini agri terminum seu metas intra confinii lineam aut angulum summoveret, qua de re expressim lex sacra[k]; quam tamen, qua de terminis simpliciter non summovendis loquitur, ad terram sanctam signanter in lege memoratam terminosque in ea, cum tellus distribueretur, positos attinere aiunt, atque eum qui ibi summoveret[l], tum interdictum furti generale, tum hoc de terminis singulare simul violasse, duplicisque ita violationis fuisse reum, poenamque flagrorum duplicem subiisse: Rem autem ipsam etiam simpliciter furtum fuisse. At vero Flavio Josepho legis ipsius sensus videtur esse perinde acsi ad jura etiam gentium vicinarum plane spectaret. Verba ejus sunt [m] Mosis personam induentis, Ὅρους γῆς μὴ ἐξέστω κινεῖν, μήτε οἰκείας μήτ' ἀλλοτρίας, πρὸς οὓς ἐστιν ἡμῖν εἰρήνη· φυλαττέσθω δ' ὥσπερ Θεοῦ ψῆφον βέβαιον εἰς αἰῶνα κειμένην ἀναιρεῖν· ὡς πολέμων ἐντεῦθεν καὶ στάσεως γινομένων, ἐκ τοῦ πλεονεκτοῦντας προσωτέρω χωρεῖν βούλεσθαι τῶν ὅρων. μὴ γὰρ μακρὰν εἶναι τοῦ καὶ τοὺς νόμους ὑπερβαίνειν τοὺς τὸν ὅρον μετακινοῦντας. *Terminos terrae movere nemini liceat, nec propriae, nec alienae, quibuscum scilicet nobis pax est. Sed cavendum ne quod ita velut Dei decreto* seu *calculo figitur auferatur. Nam causa est bellorum & seditionum, ex eo quod homines avari volunt terminos ulterius figere. Neque procul a legibus* caeteris *transiliendis abest quisquis terminos summoveat.* Dum ait, *quibuscum nobis pax est*, gentes innuit, nisi fallor nimium, vicinas aliasque. Quod tamen interpretationi Talmudicae non satis est consonum, nisi si interdictum furti naturale, quatenus in terminis summovendis violatur, atque singulare hoc de terminis simul conjungas. Tunc enim ipsam sane Talmudicorum sententiam (extra belli causam rite a Judaeis suscepti, juxta inferius ostensa) compendio aperit.

CAP. IV.

Selecta quaedam de dominii adquisitione & translatione, atque obligatione & permissione quae circa illud versatur. Quorum primum est de dominio ex simplici rerum occupatione adquirendo. De rebus nondum occupatis; rebus derelictis, & deperditis. De proselytorum justitiae qui sine haerede morerentur bonis, & de restitutione rei ab eo ablatae sacerdoti ephemeriae tunc munus obeunti praestanda. De agro a gentili sine syngrapha Israelitae vendito. Occupationis tituli ortus.

JAM vero, ut magis perspectos habeamus Ebraeorum mores, & explicatiorem Talmudicorum sententiam circa dominium rerum & personarum, ejusque modos & temperamenta, unde sensus interdicti de furto penes ipsos eliciendus, idque qua ipsos qua gentiles interdictum illud spectare voluere, intuenda exhibere visum est tum selecta quaedam de dominii adquisitione & translatione, & de obligatione & permissione quae circa illud apud eos diversimode versabatur ex juribus pacis, tum omnimoda fere quae jure belli apud eos nitebantur; nimirum qua gentes alias spectavit. Sic enim jus illud totum, & ea quae inde pendent, veluti indictio, foedera, deditio, captivitas, ad gentium hic jus sive imperativum sive interveniens attinet. Cujus quidem partes etiam nonnullae, nec contemnendae, reperiuntur in selectis illis e jure pacis capitibus. Sed in utroque genere Talmudicorum sententiae de quaestionibus aliquot circa dominium, furtum, obligationem, permissionem (qua comites hic sunt assidui) illustrioribus apud patres Christianos acrius disputari solitis visuntur. Selecta hic ex jure pacis Ebraeis in usu, generis sunt septemplicis.

I. De rerum, ex occupatione simplici, dominio acquirendo.
II. De alienationum & contractuum formulis atque vi.
III. De jure egenorum.
IV. De personarum in pace acquisitione.
V. De usuris.
VI. De bonis alea seu certamine alio ludicro lucrifactis.
VII. De bestiis & volucribus sic nutritis institutisque ut comitatiores redirent, ac de columbis capiendis, & columbariis.

Occupatione simplici dominium juxta Talmudicos plurifariam adquirebatur. Ejus autem jura maxime visuntur in bonis nondum occupatis, in rebus deperditis seu derelictis, in proselytorum qui sine haeredibus obierant bonis, in agro a gentili Israelitae sine syngrapha vendito, & in re-

[k] Deut. xix. 14. xxvii. 17. [l] *Sepher Siphri*, col. 184. Maimonid Halach. *Gainaba*, cap. 7. Mos. Mikot Praecept. Negat. 123. Vide Gloss. Jarchii & Paul. Fagium ad Deuteron. xix. 14. [m] Archaeolog. 4. cap. 8.

liquiis

liquiis eorum quae ex lege ſacra in agrorum proventu & frugibus egenis relicta ſunt. Quod ad horum genus primum attinet, ſeu bona nondum omnino occupata, ea occupantis fieri volunt. Juxta mentem veterum Maimonides[a]; ההפקר כל המחזיק בו זכה׃ וכן המדברות והנהרות והנחלים כל שבהן הפקר וכל הקודם בהן זכה׃ כגון העשבים והעצים והפירות של אילנות של יער וכיוצא בהן׃ הצד דגים מן הימים ומן הנהרות או שצד עופות או מיני חיות הואיל ואין להם בעלים זכה ובלבד שלא יצוד בשדה חברו׃ ואם צד שם קנה ואם היו הדגים בביברים של בעלים וכן חיה ועוף שבביברים אף על פי שהוא ביבר גדול והוא מחוסר צידה הרי זה של בעל ביברים והצד משם הרי זה גזלן׃ אבל הלוקח דגים מתוך מצודתו של חבירו כשהוא בתוך הים׃ או שלקח חיה ממצודתו כשהיא פרוסה במדבר הרי זה אסור מדברי סופרים ואם היה המצודה כלי ולקח מתוך המצודה הרי זה גזלן׃ הפורס מצודה בשדה חבירו וצד בה חיה או עוף אע״פי שאין לו רשות לעשות דבר זה קנה ואם היה עומד בעל השדה בתוך שדהו ואמר זכתה לי שדה קנה בעל השדה ואין לבעל המצודה כלום׃ דגים שקפצו לתוך הספינה קנה בעל הספינה׃ שזו כחצר המשתמרת היא ואינה חצר המהלכת׃ שהמים הן שמוליכין אותה ואינה הולכת מחמת עצמה׃ *Quod nemini occupatum eſt, occupanti conceditur. Ita quicquid in locis habetur deſertis, fluminibus ac torrentibus, nemini occupatum eſt: Et qui primo occupaverit, is ejuſce fit dominus; veluti graminis, lignorum, fructuum arborum ſylvae, & ſimilium. Qui piſces capit ex maribus aut ex fluminibus, uti & qui volucres aut feras capit, quandoquidem dominum antea non habebant, capientis fiunt. Excipiendum tamen eſt, ne venetur quis aut aucupio utatur in agro alieno; ubi nihilominus, ſi aut venetur aut aucupetur, id quod capit ſuum fit.* Et de piſcandi jure in Tiberiade vide quod ſupra occurrit capite ſecundo. Pergit Maimonides. *At vero ſi aut piſces aut volucres aut ferae vivariis ſerventur quantiſlibet, modo liberam venationem, piſcationem, ſeu aucupium praepediant, vivariorum domini ſunt; & qui inde capit, furtum committit. Quin ſi quis piſces ex alieno rete, dum in mari eſt, capit, aut feram ex alieno rete quod in loco deſerto expanſum eſt, hoc quidem illicitum habetur ex ſcitis ſcribarum.* (Neque aliter; quoniam[b] nondum ab expandente actu occupantur) *Et ſi rete clauſum fuerit*, quo ſive piſces ſive ferae includantur, *qui ex eo capit, fur eſt. Si quis rete expanait in agro alieno, & eo ibi ceperit ſive feram ſive volucrem, tametſi non licuit ei hoc facere, attamen capti dominus fit, niſi intervenerit antea agri dominus, & jus ſuum ex agri proprietate fuerit profeſſus: Tunc enim ei, ſive venator fuerit ſive auceps, non conceditur. Piſces qui in navem ſubſilierint, navis domini fiunt, quoniam navis habetur pro cuſtodia ſatis firma atque occluſa, non pro ea quae mobilis aut hinc inde tranſiens dicitur. Nam ab aquis eſt quod moveatur aut hinc inde tranſeat navis, non ex ſui natura.* Non ita diſſimile jus obtinuiſſe aiunt, ubi res derelictae ſeu deperditae in cuſtodiae locum aliquem ſtabilem & occluſum, veluti aedes, horrea, atria, antequam quis eas denuo occupaverat, devenerant: Tunc enim ſtatim illius factas fuiſſe cujus locus[c] ipſe erat. Quod ſi locus non eſſet occluſus, nec ſtabilis ſed tranſiens, veluti jumenti in via dorſum, aut rerum cuſtodiae non deſtinatus, veluti agri ſeu horti aperti, tunc ita demum domini loci fiebant res ejuſmodi, ſi diſertis verbis eas nomine agri hortive praeſens vendicaret. Aliter nondum haberi pro occupatis. Sed כל הקודם זכה *quicunque prius occupaverat, dominum factum eſſe.* Sic receptiſſima eſt Talmudicorum ſententia. Ex occupatione autem fundi qui antea nullius in bonis non ſecutum volunt dominium occupantis[d], עד שיעשה מעשה בגוף הארץ או יעבור עגודה באילן *uſque dum fundum ipſum opere aliquo coleret* ut dominus, *aut arboribus ejuſmodi quid faceret*, veluti paſtinando, abnodando, putando. Nam tametſi per plures annos fructus ſponte naſcentes ſibi carpſerat, inde citra culturam, qualem diximus, dominum occupantem fieri nolunt. Haec quidem ſic tradita de bonis nondum omnino occupatis ad jus ſecundum ipſos tam gentium aliarum quam ſuum pariter attinere palam eſt. Neque aliter dicendum de rebus plane derelictis, ſeu quarum dominio domini renunciaverant, ſive inter Ebraeos ſive inter gentiles. Quod vero de rebus deperditis ſeu caſu amiſſis affertur, quatenus illud gentilium bona ſpectat, &, quantum video, inter gentiles ſeu proſelytos domicilii invicem ipſos, obtinuiſſe volunt quidem non aliter atque idem quod dictum eſt de bonis nondum omnino occupatis: Nimirum ſimulac bona gentilis deperdita quis in ſui poteſtatem, ut dictum eſt, occupatione redegerat, ea occupantis facta eſſe. Nam dum tam bona gentilium quam Iſraelitarum contra recepta dominii jura contrectare nefas fuiſſe, ut oſtenſum eſt, docent[e], fas tamen fuiſſe tradunt rem[f] gentilem deperditam repertori plane ut ſuam detinere. אבידה הגוי מותרת *Rem a gentili deperditam fas eſt retinere.* Quin licet non magis gentilem calculo fallere quam Iſraelitam fas ducerent, ut & monitum eſt ſupra, nihilominus ſi in calculis negotiationis ſubducendis hallucinaretur ipſe gentilis, adeoque nummos ab Iſraelita ſibi debitos putando praetermitteret, fas aiunt hoſce Iſraelitam retinere, nec pro reliquatore, ſeu qui aeris aliquod alieni dein retineret, habendum. Talmudici; טעות הגוי כאבידתו ומותרת והוא שטעה מעצמו אבל להטעותו אסור *De eo quod ex errore gentilis in rationibus putandis praetermiſſum eſt, idem jus obtinuit quod de re ab illo deperdita: Adeoque retinere illud fas eſt. Sed nefas in cauſa eſſe ut ſic erret*, ſeu *fallere eum.* Neque haec ex alia ratione pendere, quantum didici, volunt, praeter eam quae eſt, ex jure naturali, tum rei deperditae dominium repertori patere, tum obligationem priſtinam deſinere, in quantum creditor aut ſocius in rationibus putandis ipſe ſe, non debitor aut ſocius alter, fefellerit. Ipſis autem ſibi jus hic aiunt fuiſſe ſingulare ſeu civile, ad gentiles non attinens; videlicet hoc

[a] Halach. *Zachia Wemithna*, cap. 1. Et Miſna & Gemara utraque tit. *Baba Metzia*, cap 1. & tit. *Gittin*, cap 5. Gemar Babylon. fol. 59. a. & tit. *Bitza*. cap. 2. fol 25. huc ſpectat *Shulcan Aruch*, lib. *Choſchen Hamiſpat*, c. 273. [b] Maimonid. Halach. *Gazila Wabida*, cap. 6. [c] Miſna & Gemara utraque tit. *Baba Metzia*, cap. 1, 2. Maimonid Halach *Gazela Wabida*, cap. 17. & Halach. *Macira*, cap. 3. [d] Maimonid. Halach. *Zacia Wemithna*, cap 2. [e] Exod. xxii 21. verſ. Munſteri. [f] Maimonid. Halach. *Gazila Wabida*, cap 11. & vide Mikot. praecept. affirm. 74. & *Shulcan Aruch*, lib. *Choſchen Hamiſpat*, cap. 259.

quod in lege ſacra [g] praeſcribitur; *Fratris tui bovem aut pecus,* &c. *reduces eos ad fratrem tuum,* &c. *reſtituesque illi,* &c. *ſic quoque facies de aſino ejus, & ſic ages cum veſtimento ejus, & ſimiliter facies* לכל אבידה אחיך *cum omni re perdita fratris tui, quam ille perdidit, & tu inveniſti eam; non enim poteris occultare eam.* Hinc tradunt nefas fuiſſe Iſraelitae retinere ut ſuum quicquid Iſraelita alter perdiderat. Quod tamen ſic etiam temperant, ut ſi palam deſperaret dominus ipſe rem ſic amiſſam ullibi reperire, pro derelicto res ea haberetur, neque ex lege reſtituenda. Diſtinguunt etiam inter res ita ſignatas ut per ſigna ſibi ſingularia eas ſuas eſſe dominus probare poſſet (poſt praeconium tertium, & ſubinde quartum; nam ut etiam id fieret mos ſuperinductus eſt) atque eas quibus nulla ejuſmodi ſigna. De poſterioris generis omnibus praeſumebatur dominum deſperaſſe, non item de priori, niſi palam id profiteretur dominus; illas igitur ſine praeconio retinuiſſe, non obſtante lege illa ſacra, nefas; non item has. Talmudici [h]; כל דבר שיש לו סימנים הרי הוא בחזקת שיש לו תובעין׃ וחייב להחזיר׃ אבל דבר שאין לו תובעין אלא נתייאשו ממנו הבעלים הרי היא של מוצאו אע״ף שיש בו סימנים׃ זה הכלל באבדה כל דבר שאין בו סימן כיון שאבד וידעו הבעלים שאבד הרי זה בחזקת שנתייאשו בעליו ממנו כגון מסמר אחת או מחט אחד או מטבע אחד שהרי אינן יכולים ליתן סימן להחזירו להן ולפיכך הרי הוא לזה שמצאו׃ וכל דבר שיש בו סימן כגון שמלה ובהמה הרי זה בחזקת שלא נתייאשו ממנו׃ בדליו שהרי דעתן תלוי ליתן סימנין שיש בו ויחזור להן׃ לפיכך המוצאו חייב להכריז אלא אם כן ידע שנתייאשו הבעלים׃ כגון ששמע אותם אומרים ווי לחסרון כים וכיוצא בדברים אלו שמראין שנתייאשו הרי אותה האבידה של מוצאה׃ *Quoties in re deperdita reperta fuerint ſigna, praeſumendum erat non defore qui eam repeterent, & reddenda erat. Quod ſingulariter dictum ſic intelligendum, ut etiam, ubi res haberet quidem ſigna, ſi domini deſperarent de ea,* ita ut plane ipſis pro derelicto haberetur, *reperientis fieret. Regula haec eſt univerſalis de re deperdita. Quoties res non ſignata deperdita fuerit, eamque deperditam eſſe cognoverint domini, praeſumendum erat de ea illos deſperaſſe; veluti clavus unicus, acus ſartoria unica, nummus unicus: Nam ſigna indicare nequibant unde ſic dignoſcerentur ut reddi deberent: Unde evenit rem ejuſmodi reperientis fuiſſe. Quoties autem rei deperditae eſſet ſignum, veluti tunicae, aut jumento, praeſumendum erat de ea dominos non deſperaſſe. Nam palam eſt illos potuiſſe ſigna indicare, ut ſic ſibi reſtituerentur. Unde praeconium facere tenebatur qui repererat, niſi certo ſciret dominos de ea deſperaſſe; veluti ſi audiret eos dixiſſe, Vae mihi ob marſupium deperditum* nunquam denuo reperiendum, *aut ſimilia, quae manifeſtum facerent eos deſperaſſe: Nam tunc res illa deperdita etiam reperientis fiebat.* Saxum in ſuburbio Hieroſolymitano excelſum ſuggeſtus erat praeconi, qui hac formula utebatur, מי שאבד לו בהמה *Quisnam eſt qui jumentum aut pecus perdidit?* Et ſic de caeteris. Subtilitates habent hac de re plures quas praetereo. De praecone quidem etiam loquitur hic Joſephus [i], ſed aliter multo atque Talmudici. Quorum interea neque omittenda haec exceptio; praevaricatorum [k], quos מינין nuncupant, ſeu Iſraelitarum qui in contemptum plane numinis legem violarent, & eorum ex eis qui legem & prophetias abnegarent, res deperditas non omnino fuiſſe ex jure ſibi Ebraeorum civili reſtituendas. Neque enim illis relictum ſatis nomen fratris, quod in lege [l] ſacra uſurpatur, adeoque non illis inde ſublevamen. Ita demum non ex jure naturali ſeu univerſali, ſed ex ſuo ſibi civili rerum deperditarum reſtitutionem pendere volebant. Quam quidem & locum habere debuiſſe interdum aiunt in rebus gentilium deperditis, & ab ipſo Iſraelita repertis: ſed non ex jure quo obligarentur ipſi, ſed ideo tantum ut per ejuſmodi reſtitutionem inter gentiles, quibus ullatenus ſubeſſent, humanius ipſi exciperentur. Aliter ne quidem licitam eſſe volebant ejuſmodi reſtitutionem gentili idololatrae, ne ſcilicet liberalitate ejuſmodi idololatriae opem ipſi ſubminiſtrare viderentur. Summa eſt, ſtatuiſſe Talmudicos, in jure ſimpliciter naturali de furto nihil haberi quo minus res deperditae pro derelictis plane haberentur, atque primo dein occupantis fierent, adeo ut dominii earum jus ſimul cum ipſis pariter evaneſceret. Cur vero proſelyti juſtitiae ſine haeredibus obeuntis bona occupanti eſſe conceſſa tam ſignanter tradant, evenit ex ratione ſuperius oſtenſa, ubi [m] de cognationis proſelyti recens facti priſtinae abolitione agitur. Nam inde ſequebatur, ei nullos fuiſſe ex priſtina illa cognatione haeredes; ita ut bonorum ejus dominus eſſet, poſt mortem ejus poſterorumve, nullus niſi qui poſtmodum natus; unde rarum forte non erat proſelytos ſine haerede mori. Sed ea de re nos alibi [n] fuſius: Neque actum hic agemus. Hoc interea monere liceat, ubi ex lege ſacra [o] praeſtituitur, reſtituendam eſſe in ſpeciebus aliquot damni ſortem atque inſuper partem quintam, (quod intelligunt de haeredibus ejus cui illatum eſt damnum, ſi is mortuus fuerit) & dein adjicitur, ואם אין לאיש גואל להשיב וגו׳ *Et ſi non fuerit ei propinquus cui reſtituatur delictum, reddatur delictum domino, eritque ſacerdotis,* &c. Verba haec, quae in Vulgata, *Sin autem non fuerit qui recipiat,* &c. capiunt Talmudici de proſelyto qualem diximus. Neque enim Iſraelitae deeſſe poterat propinquus ſeu conſanguineus, qui ut haeres hic ſuccederet. Moſes Cotzenſis [p], על פי הקבלה דרשו רבו׳ על מה שנאמר בתורה אם אין לאיש גואל בגר שמת ואין לו יורשין הכתוב מדבר׃ *Ex majorum traditionibus explicant Rabbini noſtri id quod in lege ſacra habetur,* Si non fuerit homini propinquus, *de proſelyto cui deeſſent haeredes, eumque volunt a ſcriptura innui.* Sic alii [q], unde fiebat ut quod a proſelyto ſurreptum contra legem hanc ſic detinuiſſet quiſquam, non fieret, eo mortuo, occupantis, niſi rem ipſam aut pretium & quintam inſuper partem ſacerdotibus של אותו המשמר *ejuſdem quae tunc munus obibat vicis* ſeu ἐφη-

[g] Deut. xxii. 1. [h] Maimonid. Halach. *Gazila Waibda,* cap. 14. [i] Archaeolog. lib. 4. cap. 8. [k] Videſis lib. 4. cap. 3. & Gem. Bab. ad tit. *Aboda Zara,* cap. 2. fol. 27. b. [l] Deut. xxii. 2. [m] Lib. 2. cap. 2. & lib. 5. cap. 18. [n] Lib. de Succeſſ. in Bona, cap. 26. Adde *Shulchan Aruch,* lib. *Choſchen Hamiſpat.* cap. 275. [o] Numer. v. 8. [p] Praecept. Aff. 73. fol. 152. col. 2. [q] Maimonid. Halach. *Gazela Wabida,* cap. 8.

μερίας

μερίας (sic enim intelligunt legem) tribueret, inter eos aequaliter distribuendam. Qua de re plura magistri. Quod demum ad agrum a gentili emptum attinet, idque sine syngrapha, quam שטר vocant, in ditione scilicet Israelitica; pro jure habent receptissimo, nec Israelitam ad gentilem neque hunc sive ad Israelitam sive ad gentilem fundum, utcunque ex contractu pretium solveretur, rite transtulisse, nisi etiam syngrapha interveniret: neque igitur aut hic aut ille ex ejusmodi contractu fiebat [r] dominus. Israelitae sic vendenti manere volebant dominium usque dum fieret syngrapha: gentilis autem vendentis dominium post acceptum pretium plane desiisse; sed ementis, quia syngrapha deerat, non incepisse: patuisse igitur fundum hujusmodi, utpote domino jam carentem, Israelitae occupanti, a quo tamen pretium ei qui gentili solverat refundendum erat. Adeoque jam velut ex contractu inter Israelitas binos absque syngrapha inito (qualis inter Israelitas legitimus; ut capite dicemus proximo) adquirebatur. De reliquiis autem eorum quae in agris ex lege sacra egenis relicta sunt, qua huc spectant, vide inferius capite sexto. Occupationis hic titulus, quo secluduntur caeteri universi ab eo quod pariter universis ante occupationem competebat, jus scilicet occupationis ejusmodi in universis aequale, ortum sub initiis aut instauratione rerum sub Noachidis primis, ut videtur, habuit. Nec sine consensu & interposita fide, quae ad posteros propagata est, de eo admittendo quoties res aut nondum fuerint possessae, aut nullius in bonis esse coeperint. Vide gentium divisionem in Genesi, & testamentum quod Noacho tribuitur apud Eusebium, alios. Et de Noachidis illis primaevis Eustathius Alexandrinus [s], Ἕκαςος, inquit, τὴν προσυγχάνουσαν γῆν κατελάμβανεν, *unusquisque terram sibi primo obviam occupavit*; quemadmodum & Josephus, ubi de Japetidis loquitur & de Europa. Ἣν ἔτυχον, ait [t], καταλαμβάνοντες, καὶ μηδενὸς προκατοικήσαντος, *quam occuparunt etiam nemine ante ibi sedes habente*. Sed nisi supponatur de occupationis titulo in posterum admittendo pactum ac consensus per genus humanum ex vetustis illis seculis propagatus ac retentus, qua ratione occupatio simplex alios, quibus pariter occupandi jus competiit, excluderet, non video. Et de pacto & consensu ejusmodi nos pridem alibi [v]. Qua ratione autem illud Josephi [x], velut apud suos receptum, si quis ὃ μὴ κατέθηκεν ἀνέληται, *quod non posuerit ipse abstulerit*, eum graviter puniendum, jam dictis de rerum deperditarum derelictarumque per occupationem dominio adquirendo fuerit consonum, viderint quorum interest.

CAP. V.

De alienationum & contractuum formulis, atque obligationis vi ex earum apicibus pendente. De pretio rei mobilis venditae vero valori sexta parte, aut majore, impari. Proselyti justitiae testamentum, donatio.

SEcundum ex superius selectis caput est de alienationum & contractuum formulis, atque vi. Horum vim atque obligationem ita ex formularum apicibus pependisse volunt Talmudici ut his praetermissis illa plane nihili aut irrita esset. Vetustissima est cessionis formula illa in historia sacra; *Obtinuit* [a] *olim in Israel in redemptione, & in permutatione, ut firmaretur negotium; extrahebat homo calceum suum, & dabat proximo suo; eratque hoc testimonium in Israel.* Quae verba statim sequitur, *Dixit igitur propinquus seu redemptor ad Boaz, posside tu; & extraxit calceum. Et ait Boaz ad seniores & ad cunctum populum, testes vos estis hodie quod possederim omnia quae fuerunt Elimelech, &c.* Neque vero mos ille ad legem sacram [b] de fratria renuncianda omnino attinet, ut alibi [c] ostendimus. Et mirum est quod habet Josephus [d] hac de re, quasi ex lege illa de fratria foemina hic ipsa calceum exuisset. Ad locum hunc de calceo, Jarchius; זהו קניין כמו שאנו קונין בסודר במקום בעל׳ *Inde adquisitio, quemadmodum & nos adquirimus* seu *emimus sudario* seu *velo, vice calcei.* Recentior enim est in contractibus sudarii usus; de quo videsis in סודר Eliam Thisbitem. Sed discrepant Rabbini [e] de calcei hic exeundi more. Alii enim volunt eum qui cederet, calceum adquirenti dedisse; alii, adquirentem cedenti. Neque satis ex sacro sermone habetur quod litem dirimat. Certe in Vulgata legitur, *Dixit ergo propinquo suo Boaz, tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo. At ille majoribus natu & universo populo, &c.* Et consulas [f] Joannem Drusium, alios qui obiter rem tractant. Paraphrastes autem ibi Chaldaeus substituit, שלע גבר נרתק יד ימיניה ואושט ביה קנין לחבריה *Exuebat homo chirothecam manus suae dexterae, & emptionis causa proximo suo porrigebat*; id est, emptor: Nam de Boazo ibi emptore statim idem paraphrastes, *Et dixit redemptor ad Boaz*, אושיט ידך לקנינא וקני לך ושלע בועז ית נרתק יד ימיניה וקני ליה׃ *extende manum tuam emptionis causa, & eme tibi. Et exuit Boaz chirothecam dexterae suae, & emit sibi.* Sic exemplaria aliquot. Alia, ut in bibliis regis, habent נרתקה *chirothecam suam*, seu, ut Arias vertit, *vaginam suam*. Seculis autem sequentibus formularum aliarum etiam apicum, in dominii, ex jure suo civili, adquisitione seu translatione erant tenacissimi Ebraei. Ex nudo verborum contractu nihil omnino transferebatur. Praedia seu קרקעות emptoris ita demum fiebant [g], si aut בכסף *nummis* datis, minimum argenteo seu siclo, aut בשטר *syngraphae testimonio*, aut בחזקה *corporali* post contractum aut sub ipso *possessione* ea adquisivisset. Ubi horum nullum, irrita plane ibi venditio. Res mobiles, quas מטלטלין nuncupant, alienabantur fere aut venditione, aut permutatione, aut donatione. Constituto, etiam

[r] *Shulchan Aruch*, lib. jam dicto cap. 194. & 274. [s] In Hexaemero pag. 51. [t] Archaeolog. cap 7. [v] In Mari clauso, lib. 1. cap. 4. [x] Advers. Apionem lib. 2. & vide Sam. Petit. ad leges Atticas, pag. 534. seu lib. 7. tit. 5. [a] Ruth iv. 7. [b] Deut. xxv. [c] Lib. de Successionibus in bona, cap. 15. [d] Origin 5 cap. 11. [e] Jarchius ad Ruth iv. [f] Quaest. & Resp. Ebraic. 46. & in Ruth xlviii. [g] Misna tit. *Baba Metzia*, cap 4. ibidem Gemara utraque, Maimonid. Halach. *Macira*, cap. 1, 2. & seq. Misna tit. *Kidduschim*, cap 1. Moses Mikotzi Praecept. Affirm. 82.

soluto

ſoluto, pretio in emptoris dominium res ejuſmodi (niſi cum praedio ruta caeſa aut ejuſmodi alia venderentur, quae praedii jus ſequebantur) non tranſibat, niſi aut בהגבהה *prehenſione* qua ſuſtolleretur geſtareturve, aut במשיכה *tractu*, *abactu*, aut *ductu*, ubi res commode geſtari aut ſuſtolli nequiret, aut במסורה *traditione*, ubi ejuſmodi eſſet ut ita nec trahi poſſet, abigi, nec duci, in illius poſſeſſionem, idque ex ſententia venditoris, deveniret. Nam & antequam ex hiſce aliquod fieret יכול הלודק לחזור בו וכן יכול המוכר לחזור בו *integrum erat & venditori & emptori a contractu recedere.* Et redhibitoria cogebatur venditor, ſi alteruter recederet, pretium reſtituere. Atque hoc obtinebat, ſive pretium ex nummis publica fide ſignatis, quos מטבע & מעות appellitant, conſtitueretur, ſive ex argento aliove metallo non ſignato ſed ſignari ſolito, quod פירות nuncupant. Permutatio vero erat tum metallorum ejuſmodi ſive ſignatorum ſive non ſignatorum, tum aliarum rerum. Ubi in metallorum invicem non ſignatorum verbi gratia permutationem conventum erat, ſi alterutrinque poſſeſſio corporalis qualem memoravimus, ſequeretur, uterque contractu, ſed non aliter, obligabatur. Ita etiam, ubi in aliarum rerum ſive mobilium ſive praediorum [h] invicem permutationem eſt conventum. Nec aliud voluere in donationibus ac in venditionibus jus locum habere. Irrita ſcilicet erat donatio, ſaltem donator haud obligabatur, ante qualem diximus poſſeſſionem donatario habitam. Haec nimirum ſtricti juris erant, & a majoribus introducta, ne alterutri contrahentium ſine corporali, idque ex alienantis ſententia, poſſeſſione, ex nuda & temeraria, ut fieri amat, verborum emiſſione, fraus eſſet. Nam nihil obeſſe aiunt ex ipſa lege ſacra quin uterque contrahentium vi, quae interveniunt, verborum ſola obligaretur. Etiam & tantum non ex ſententia fori, ſeu jure ſtricto, utrumque obligari, ſed interea non obligari. Unde, ubi emptor redhibitoria actione, ut pretium, ante rem ſibi poſſeſſam, a venditore refunderetur, uſus eſt, ſecundum eum quidem judicabatur, ſed non ſine hujuſmodi (quod ſane inprimis animadvertendum eſt) dirarum, quibus מוסרין אותו למי שפרע *tradebant eum ei qui vindictam ſumeret*, formula [i], מי שפרע מדור המבול ומדור הפלגה ומאנשי סדום ועמורה וכן המצריים ששטפו בים הוא עתיד ליפרע ממי שאינו עומד בדיבורו *Qui vindictam ſumpſit ex ſeculo diluvii, & ex ſeculo diviſionis linguarum, & ex hominibus Sodomae & Gomorrae, & ex AEgyptiis qui immerſi ſunt in mari, is ſumet olim vindictam ab eo qui conventis ſuis non ſtat.* Id quod etiam alibi [k] obiter notavimus. At vero cautum eſt ut [l], ubi in permutationem metallorum ſignatorum ſeu nummorum conventum eſſet, tum demum utrinque obligarentur contrahentes, ſi id quod ex ſui natura vilius erat ex ſententia alienantis in alterius poſſeſſionem corporalem tranſierat; non item, ſi id tantum quod carius. Hoc enim nummi ſignati adeoque pretii tantum (juxta antedicta) vicem hic praeſtabat. Hinc regulam habebant, כל הירוד מחבירו קונה את חבירו *Quicquid ex binis vilius eſt*, corporaliter poſſeſſum, *carioris dominium etiam transfert.* Sed diſcrimen hac de re eſt inter Miſnam Hieroſolymitani Talmudis & eam quae Babylonii [m] eſt; de quo non eſt hic diſceptandi locus. In alienationibus autem & contractibus id inprimis advertendum eſt, qualem ſenſum faciant inter ſe legis hujus [n] ſacrae, *Si venditione vendideris proximo tuo*, (לעמיתך, *civi tuo in* Vulgata) *aut emeris de manu proximi tui*, אל תונו איש את אחיו *non decipietis* aut *damnum inferetis quiſquam fratri ſuo.* Nimirum [o] verbum ינה accipiunt vi vel fraude alium laedere ſive in bonis ſive in fama: Hic autem capiunt de eo quod eſt pretio majori vendere, aut minori quam par eſt emere, id eſt, ipſo ſimpliciter pretio impari damnum inferre. Hinc aiunt ex more majorum atque legis interpretatione receptiſſima regulariter inoleviſſe ut ſi quis Judaeus Judaeo מטלטלין ſeu *bona mobilia* (nam agri & aedes & leges redemptionis ſacras attinuere) utrinque bona fide vendiderat pretio vero rei valore ſexta parte majori, ſeu pretio tanto minori emerat, pars illa ſexta ei [p] cui inde damnum ſic illatum eſſet refundenda: Non vero quidquam omnino ſi ſexta parte minus diſcrimen eſſet: Atqui ſi ſexta diſcrimen majus eſſet, licuiſſe emptori ſtatim, ſeu quamdiu nondum finita eſſet negotiatio, contractum reſcindere, & redhibitoria pretium ſibi integrum vindicare; venditori autem, ſi in illius fuiſſet damnum, nunquam non licuiſſe rem ſuam poſtea repetere. Quod non ſolum de emptione & venditione ubi pretium eſſet nummi, ſed etiam de permutatione rerum fungibilium, veluti fructuum, granorum, ſeminum, id genus aliorum quae uſu conſumuntur, intelligendum: non item, ubi permutarentur inſtrumenta, vaſa, pecora, jumenta, quoniam ibi non tam valoris rerum quam contrahentium rei alterius prae altera electionis ratio habita. Id quod ſic reſtituendum erat, ſeu ſextam partem, הוניה *damnum ex impari pretio illatum* vocitant. Et hac de re ſubtilitates adjiciunt non paucas. Ita ſane obligationis atque contractuum vis mira hinc, ut vides, recepit temperamenta ac modos: Sed inter Judaeos ipſos tantum, & ex jure ad proſelytorum domicilii regimen ſuperinducto inter Judaeum & proſelytum, quoties contractu hujuſmodi illi hic damnum intulerat: Non item, ſi huic ille. Talmudici, הגוי אין לו הוניה שנאמר איש את אחיו וגוי שהונה את ישראל מחזיר הוניה בדינין שלנו · *Jus de damno ex impari pretio illato ad gentilem non attinet: Nam & ſcriptum eſt* [q] *ea de re*, Quiſque fratri ſuo. *At ſi impari ſic pretio damnum intulerat Iſraelitae gentilis, refundendum erat ex decretis forenſibus noſtris.* Ita in obligatione ac contractu hic jus perquam impar Judaei tam adſciti ſeu proſelyti juſtitiae quam originarii & gentilis ſeu proſelyti domicilii. Quamvis enim legem illam alteram [r], גר לא תונה *proſelytum non moleſtabis, vexabis* ſeu *laedes*, (eodem vocabulo quod habetur in lege hac de emptione & venditione ibi uſurpato) juxta id quod

[h] Maimonid. Halach. *Zacia Wemithna*, cap 3. & Tal. locis citatis. [i] Miſna & Gem. tit. *Baba Metzia*, cap. 4. ubi vide R. Obadiam Bartenorium. [k] In Prolegom. ad lib. de Succeſſionibus in bona. [l] Miſna Talmudis Hieroſolymitani tit. *Baba Metzia*, cap 4. & Gemara ibi fol. 9. col. 3. [m] Vide Talm. Bab. tit. *Baba Metzia*, fol. 44. a. [n] Levitic. xxv. 14. [o] Vide Paul. Fag. ad Exod. xxii. 20. [p] Miſna tit. *Baba Metzia*, cap. 4. Maimonid. Halach. *Macira*, cap. 12, &c. Moſ. Mikot. Praec. Negat. 170. & vide Moſem Bar. Nachman in *Piruſh Tora*, fol. 216. a. [q] Levitic. xxv. 14. [r] Exod. xxii. 20. & vide Levit. xix. 33.

libro monuimus secundo [s], ad utriusque generis proselytos quoad opprobria de pristino vitae genere eis non inferenda (quod הוניה דברים seu *damnum* aut *molestiam per ejusmodi opprobria illatam* nuncupant) quantum video, attinere volunt, nihilominus dum pluribus legem hanc de impari simpliciter pretio simul cum illo quod in altera illa sequitur ולא תחלצנו [t] *neque expilabis eum* (quod de pretio impari etiam sumunt) fusius explicatum eunt, proselytum alium praeter justum in ea, quoad hanc rem, contineri nolunt. Quomodo transferretur apud Ebraeos ex successione dominium, explicavimus abunde libro singulari de Successionibus in bona: ubi etiam de alienatione per testamentum, & qua exhaeredatio fiebat liberorum, diximus, & de aliis ejusmodi. Recole hic, si placet, quod capite superiore traditur de gentilis alienatione fundi in ditione Israelitica irrita, ubi syngrapha non interveniret. Et alia alienationibus singularia fuere qua proselytos justitiae spectabant, nec parum ab originariorum alienationibus discrepantia. E quibus id inprimis & solum hic adjiciendum duximus, proselytum justitiae moribundum seu per testamentum bona sua distribuentem aut dantem proli suae, antequam proselytus fieret ipse sive natae sive conceptae, in cassum plane fecisse, neque testamentum aut donationem ejusmodi omnino vim obtinuisse: Ex moribus scilicet superinductis, ne videretur proles illa pro haerede inter Ebraeos admitti. Aliqui etiam inde nec cuiquam quid ab eo rite donatum volunt moribundo, quod שכב מרע vocant, aut mortis causa; nedum per testamentum; cui tamen locus ubi aegrotaret quisquam ex originariis, etiam sine solennibus alienationum superius traditis; quod ex eis etiam quae alibi [v] diximus satis dignoscitur. De his autem ante alios consulas, si placet, Josephum Caro in *Shulcan Aruch* [x]. Ex apicum autem & formularum ejusmodi observatione palam est sic disciplinam Ebraeorum de furti interdicto obtinuisse, ut nec dominum esse ibi agnoscerent ubi apices aut formulae illae multiplices, quarum specimen tantum hic indicavimus, deerant.

CAP. VI.

De jure apud Ebraeos egenorum singulari; Angulo segetis, spicilegio, racematione, uvis deciduis, frugibus per oblivionem in agro relictis, decima pauperis, eleemosynis, etiam sententia forensi exigendis. Mira in erogandis his, atque tum pristina tum praesenti pauperum conditione consideranda, ratio. E gentilibus pauperes, nisi proselyti domicilii essent, juris egenorum apud Ebraeos non omnino participes. Proselyti domicilii, participes eleemosynarum; non alicujus reliquorum quae sunt pauperibus debita. Utrum extremae pauperis necessitati dominium privatum ex jure naturali, juxta Talmudicos, cederet.

QUOD ad superius selectorum tertium, seu jus egenorum, spectat; celebris est apud scriptores [a] quaestio, utrum extremae indigentium necessitati cedat ex jure naturali dominium privatum, adeoque utrum inde simpliciter dominium seu furti interdictum sic temperetur ut surripienti eo nomine scelus ex jure naturali non fuerit tribuendum; seu, ut breviter quaestio haec concipi solet, *Utrum furari liceat propter necessitatem.* Quid ea de re senserint Talmudici manifestum satis fiet, si primo generatim ostenderimus qualia penes ipsos egenorum seu pauperum jura hic fuerint, & dein adjecerimus quid tradiderint de gentilium penes itidem ipsos tum indigentia tum eleemosynae sive erogatione sive receptione. Eorum quae pauperibus ex lege sacra seu Ebraeis civili debebantur, genus [b] faciunt septemplex: Primum est פאה *angulus*; II לקט *spicilegium*; III עוללות *racematio*; IV פרט *acini decidui*; V שכחה *quod per oblivionem relinquitur*; VI מעשר עני *decima pauperis*; VII צדקה *eleemosyna:* Quae cuncta nomine מתנות עניים *munera quae pauperibus danda* veniunt. Primum habetur in lege illa [c], *Cum messueritis messem terrae vestrae*, לא תכלה פאת שדך לקצר *non consummabis metendo angulum agri tui.* Redditur in Vulgata, *Non tondebis usque ad solum superficiem terrae.* Uti & alibi [d], *Non secabitis eam usque ad solum.* Sed Ebraea quae attulimus sunt loci utriusque. Graeci ibi, ού συντελέσετε τ̀ θερισμὸν ὑμῶν τȣ̃ ἀγρȣ̃ σȣ ἐκθερίσαι, *non perficietis messem vestram agri tui metendo.* Quae velut dicta non minus de agro frugibus consito quam de arboribus frugiferis, adeoque de proventu telluris omnimodo annuo, capiunt magistri. Quantitas anguli seu partis frugum sic relinquendae nullibi in lege sacra praestituitur: sed ex scitis scribarum, seu eorum quibus permissa est sanctionum superinducendarum potestas, pars erat minimum sexagesima. Talmudici*; כמה הוא שיעור הפאה · מן התורה אין לה שיעור אפילו הניח שבולת אחת יצא ידי חובתו · אבל מדבריהם אין פחות מאחד מששים בין בארץ בין בחוצה לארץ · ומוסיף על האחד מששים לפי גודל השדה ולפי רוב העניים ולפו ברכת הזרע: *Quantitas anguli a lege sacra determinata non est, unde qui reliquerit spicam unicam, etiam is praestabat id ad quod sic obligabatur. Sed vero ex scribarum scitis ita praestituta est pars sexagesima ut minor non sufficeret; idque tum intra terram sanctam tum extra:* nam & extra ex eorum scitis obtinuit mos hic. *Et quidem inolevit ut adjicerent aliquid coloni, vinitores, & frugum collectores reliqui, parti sexagesimae, pro varia sive agri, sive areae, sive pauperum multitudinis, sive proventus ubertatis quantitate.* Se-

[s] Cap. 4. [t] Exod. xxii. 20. [v] Lib. de Success. in bona, cap. 24. [x] Lib. *Choschen Hamispat*, cap. 256. [a] Dominicus Soto de Justitia & Jure, lib. 5. quaest. 3 art. 4. S. Thom. 2. secundae quaest. 66 art. 7. aliı. [b] Maimonid. Halach. *Mithnoth Ainim*, cap. 1, 2, &c. Mos. Mikot. Praecept. Neg Affirm. 161, &c. 284, &c. Misna tit. *Pea* & tit. *Maigsher Sheni.* [c] Levit. xix. 9. [d] Ibid. xxiii. 22. * Maimon. Halach. *Mithnoth Ainim*, cap. 1.

cundum genus, ſeu לקט, id eſt *ſpicilegium*, ſacris illis quae ſequuntur nititur verbis, ולקט קצירך לא תלקט, & *collectionem* ſpicarum, ſeu frugum remanentium, ſeu *ſpicilegium, non colliges*. Vulgata, *nec remanentes ſpicas colliges*. Quod ad fruges ſeu proventus manipulatim falce ſuccidi aut evelli ſolitos attinere volunt. Si ſpica unica aut duae, inter ſuccidendum, evellendum, aut colligendum, extra manipulos aut ſub falce deciderent, hac lege continebantur, idque quotcunque & quotieſcunque ſic deciderent: Non item, ſi tres ſimul, nedum plures. Talmudici, אם נפלו שלש כאחת הרי שלשתן לבעל השדה *Si tres ſimul deciderent, ad dominum agri attinebant.* Genus tertium, עוללת, ſeu *racematio*, in lege ſacra ſequitur, וכרמך לא תועלל, & *vineam tuam non racemabis*. Hoc de racemulis dictum volunt, quotquot ſcilicet nec כתף haberent, nec נטף, id eſt, nec ſcapulos denſiores, nec uvas conjunctiores, ſed tam has quam illos ita invicem diſperſas & diſtantes ut reliquorum ubertatem denſiorem haud imitarentur. Quartum item in ſacra lege ſubjungitur genus, ופרט כרמך לא תלקט, *neque grana decidentia*, acinos deciduos, *colliges*: Qui ſcilicet in vindemia inter colligendum e racemis deciderent. De quibus, ut de ſpicis, aiunt magiſtri, ſi unus ſeu bini deciderent, eos hac lege contineri, quotcunque ſic deciderent; non item, ſi tres ſimul conjuncti, nedum plures. Lex ſacra [e] quae ad genus hic quintum, ſeu rem per oblivionem in agro relictam, ſpectat, haec eſt, *Cum meſſueris meſſem tuam in agro tuo*, ושכחת עומר בשדה לא תשוב לקחתו, & *oblitus fueris manipulum in agro, non reverteris ut tollas illum.* Qua de re Talmudici [f], העומר ששכחוהו פועלים ולא שכחו בעל השדה שכחו בעל השדה ולא שכחוהו פועלים · שכחוהו אלו ואלו והיו שם אחרים עוברים ורואין אותן בערת ששכחוהו אינה שכחה עד שישכחוהו כל אדם · ואפילו עומר הטמון אם נשכח חרי זה הכחה · *Si manipuli obliviſcerentur operarii, cujus tamen non oblitus eſſet paterfamilias; aut ſi oblitus eſſet paterfamilias, nec tamen operarii; imo ſi tam hi quam ille obliti eſſent, alii tamen ibi tranſeuntes ipſo quo obliti eſſent illi tempore viderent*, & indicarent, *pro derelicto per oblivionem cenſendus non erat. Quod nec obtinuit niſi quilibet hominum* ad quos alias pertinere poterat, *obliviſceretur. Etiam ſi reconditus eſſet manipulus, & per oblivionem derelictus, pro derelicto in hac lege habebatur.* Neque ſolum ad manipulos agri ſeu meſſem ſed pariter ad vindemiam & arborum qualiumcunque fructus ſpectaſſe docent hanc legem. Quod ſextum hic eſt, ſeu decimam pauperis, habent ex illo [g], מקצה שלש שנים *a fine trium annorum*, ſeu *anni tertii, proferes omnem decimam frugum tuarum pro illo anno, & repones intra portas tuas. Venietque Levites, &c. & peregrinus, pupillus, atque vidua, qui ſunt intra portas tuas, & comedent & ſaturabuntur.* Spectare volunt hoc ad tertium & ſextum (qui tertius eſt iteratus) cujuſlibet hebdomadis, juxta annorum remiſſionis computum, revertentis: ita ut decima prima & ſecunda annis 1, 2, 4, & 5 ſolverentur, tertio vero & ſexto nulla decima ſecunda, ſed haec velut vice ejus, idque domi, non Hieroſolymis, ſic ſolveretur. Ad ſeptimum hic genus ſpectat lex illa [h], *Si fuerit in te pauper unus ex fratribus tuis intra aliquam portarum tuarum in terra tua quam Dominus Deus tuus dat tibi, non obfirmabis cor tuum, neque contrahes manum tuam a fratre tuo paupere. Sed aperiendo aperies illi manum tuam, & mutuum dabis illi quod ſufficiat pro penuria ejus qua ille laborat*, id eſt די מחסורו אשר יחסר לו, quod vertit Vulgata, *quo eum indigere perſpexeris*. Et quae ſequuntur de anno remiſſionis faciunt ut non mutuum ſed donatum habendum eſſet quod indigenti ſic ſubminiſtrandum, juxta magiſtros. Paulo item poſt, *Non deficiet pauper*, ſeu *non deerit pauper, de medio terrae. Ideo praecipio tibi, dicens, Aperiendo aperies manum tuam fratri tuo, pauperi tuo, atque inopi tuo in terra tua.* Accedit & illa [i], *Si attenuatus fuerit frater tuus, & mutaverit manus ejus juxta te* (ſeu *infirmus factus fuerit*) והחזקת בו גר ותושב וחי עמך, *etiam ſublevabis* ſeu *ſuſtentabis eum: peregrinus item & inquilinus etiam vivat tecum.* Ita intelligunt magiſtri. Sed Vulgata, *Et ſuſceperis eum quaſi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias uſuras ab eo*, &c. & proximum ita comma, ut ex duabus unica lex fiat, adjicit. Sed de uſuris mox, capite nono. Poſteriora autem jam citatae legis verba ſic capiunt magiſtri, ut non ſolum proſelytis tam domicilii quam juſtitiae incolatus permiſſio in terra ſancta ſic praeſtituatur (nam qui ibi תושב dicitur pro proſelyto domicilii ſumunt [k]) verum ut etiam utrorumque inopiae ſublevamen ex eleemoſynis fuerit erogandum. Quod ſic de gentilibus aliis, ſeu qui idololatriae nondum renunciaverant, ſumi nolunt, ut infra dicemus. Verba autem illa in codice Samaritano ſic ſe habent, וחזקת בו גר ותושב וחי אחיך עמך, quae verti poſſunt, *Et ſi vis* ſeu *robur peregrini & inquilini in eum* invaluerit, *etiam vivat frater tuus tecum.* Quae poſtrema in fine proximi commatis etiam in codicibus tam Judaicis quam Samaritanis occurrunt. Legitur item [l] Hyrcanum *inſtituiſſe primum Xenodochia quibus adventum ſuſciperet pauperum peregrinorum.* De eo quidem Joſephus [m], Πρῶτος Ἰουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο, quod vertitur Gelenio, *primus omnium coepit militem externum alere*; Ruffino autem, *peregrinos alere.* Sed ex jam ante allatis legibus quemlibet aiunt magiſtri [n] Judaeum obligari ליתן צדקה לעניי *eleemoſynam dare pauperibus.* Unde & inquiunt, כל הרואה עני מבקש והעלי' עניו ממנו ולא נתן לו צדקה עבר בלא תעשה *Quiſquis viderit egenum rogantem, & oculos ab eo divertens ei eleemoſynam non dederit, violat praeceptum negativum:* Opulentiae alterius atque alterius indigentiae ratione ſemper habita. Sed mirum eſt quod tradunt de eleemoſynae hic tum qualitate tum quantitate. Neque enim ſuffeciſſe volunt ut quis opulentus inopibus rogantibus vitae ſimpliciter neceſſaria donaret, compararetve, veluti veſtitum & alimenta. Etiam utenſilia domeſtica, uxorem item & maritum (coelibibus, qui indigerent, *pauperum* nomine hic venientes) quin & ea inſuper

[e] Deut. xxiv. 19. [f] Maimon. Halach. *Mitnoſh Ainim*, cap. 5. [g] Deut. xiv. 28. [h] Deut. xv. 7. [i] Levitic. xxv. 35. [k] Jarchius ibi; Abarbinel in *Piruſh Tora*, fol. 270 col. 3. alii. [l] Egeſippus lib. 1. cap. 1. [m] Lib. 15. cap. 16. [n] Maimonid. Halach. *Mithnoth Ainim*, cap. 7. Moſes Mikot Praecept. Affirm. 162.

quae

quae ad pristinae unde deciderant vitae sortisque splendorem spectarent, ex legibus hisce sacris docent fuisse subministranda. Talmudicorum verba sunt[o]; אפילו היה דרכו של זה העני לרכוב על הסוס ועבד רץ לפניו והעני ירד מנכסיו קונין לו סוס לרכוב עליו ועבד לרוץ לפניו׃ *Etiam si pro dignitate pauperis, unde jam deciderat, pristina, mos ei esset equo vehi, nec sine servo praecurrente, comparandus erat ei equus quo veheretur, & servus qui praecurreret.* Et si vestitum rogaret indigus, מכסין אותו לפי כבודו מיד, *vestiendus erat juxta dignitatem suam propediem.* Si nempe inopia ejus satis nota; aliter, ea de re inquisitum prius ibant. Quod tamen, ubi inops alimenta poscebat, non faciendum, sed statim ea subministranda. De dignitate autem & splendore pristino rationem subjungunt ex eo quod in lege habetur, *quod sufficiat pro penuria seu indigentia ejus qua ille laborat.* ומצווה אתה להשלים חסרונו ואין אתה מצווה לעשרו *unde ex praecepto obligaris supplere quibus indiget, minime vero eum ditare.* Atque etiam quemlibet rogatum כפי משגת ידו *juxta facultatum suarum amplitudinem*, obligatum aiunt ita quibus indiguerat supplevisse. Quantitatem item eleemosynae singulorum sic taxant, ut qui largius & maxima cum laude daret, quintam opum suarum partem, si res posceret, subministraret; qui mediocrius, minorem, usque ad decimam; qua si minorem quis, ubi scilicet majorem res poscebat, daret; donum עין רעה *oculi mali*, seu ejus qui tenacioris nomen mereretur, vocabant. Addunt[p]; ואסור להחזיר את העני ששאל ריקם ואפילו אתה נותן לו גרוגרת אחת *Nefas esse dimittere inopem qui rogaverit omnino vacuum, & unicum potius granulum ei donandum.* Si scilicet rogatus haberet. Si quis autem eleemosynam erogare juxta quod oportuit detrectaret, sententia forensi coercendus erat in id praestandum quod foro placeret, idque non sine plagarum poena, nisi pareret. Quod si demum non faceret, e bonis suis id quod erat praestandum in pignus sustulere judices. Maimonides[q]; מי שאינו רוצה ליתן צדקה או שיתן מעט ממה שראוי לו ב״ד כופין אותו מכת מרדות עד שיתן מה שאמדוהו ליתן׃ ויורדין לנכסיו בפניו ולוקחין ממנו מה שראוי לו ליתן׃ וממשכנין על הצדקה׃ *Qui non voluit eleemosynam dare, aut minorem dederat quam erat ei par, cogebant eum judices fori seu synedrium, irrogata etiam poena verberum quae contumacibus debita, usque dum id praestaret quod ipsi aestimarent. Quin & irruebant in bona ejus, eoque praesente quantum oportuit eum erogare, ut in pignus eleemosynae, eripiebant.* Quamvis autem sic ex lege sacra primitus obligatos volunt singulos singulis, pro horum inopia ac illorum opulentia, eleemosynam obiter praestare, nihilominus res eo tandem ex majorum institutis rediit ut, quemadmodum non raro videmus apud Christianos, instituerentur qualibet in urbe ac oppido גבאי צדקה *exactores eleemosynae*, seu ejus quod in pauperum sublevamen erogandum, qui hebdomadatim, seu a vespera sabbati in vesperam, eo nomine diligentius colligerent erogarentque nummos, alimenta, id genus alia. Locus in quo reponebantur nummi קופה *arca* vocabatur; in quo alimenta, תמחוי *scutella.*

Unde evenit ut dein obligatio non tam pauperes ipsos quam exactores hosce immediate spectaret; extra quam ubi quis exactorum munus rite erogando juxta facultates suas anteverteret. Nam id nunquam non illicitum. Scilicet עני שהוא קרובו קודם לכל אדם׃ עניי ביתו קודמין לעניי עירו׃ עניי עירו קודמין לעניי עיר אחרת שנ׳ לאחיך לעניך ולאביונך בארצך׃ *Inops qui fuerit cuiquam propinquus praeferendus aliis quibuscunque; inopes domestici, inopibus urbis; urbis suae, inopibus urbis alienae; juxta quod in lege scriptum est[r], fratri tuo, pauperi tuo, inopi tuo in terra tua.* Exceptio autem intervenit de captivis redimendis, quam inferius dabimus. Collectam eleemosynam erogabant exactores illi, etiam & de aliorum inopia atque erogationis modo, juxta mores superinductos, decernentes. Verbi gratia[s]; מי שיש לו מזון שני סעודות אסור לו ליטול מן התמחוי׃ היו לו מזון ארבעה עשר סעודות לא יטול מן הקופה׃ *Qui haberet* vespera sabbati *duo prandia, ei non licuit ex scutella erogari. Qui haberet quatuordecim, ei non licuit erogari ex arca*, non scilicet in alimenta. Id genus alia ad hunc modum occurrunt; unde haud parum dignoscas quinam apud eos *pauperum* nomine (quantum ad facultatum quantitatem attinet) hic venirent. היו לו מאתים זוז אע״פ שאינו נושא ונותן בהם או שיש לו המשים זוז ונושא ונותן בהם׃ הרי זה לא יטול לקט שכחה ופאה ומעשר עני׃ היו לו מאתים חסר דינר אפילו אלף נותנין לו כאחד הרי זו מותר ליקח׃ היו בידו מעות והרי הן עליו חוב או שהיו ממשכנים לכתובת אשתו הרי זה מותר ליקח׃ עני שצריך ויש לו חצר וכלי בית אפילו היו לו כלי כסף וכלי זהב אין מחייבין אותו למכור את ביתו ואת כלי תשמישו אלא מותר ליקח׃ ומצוה ליתן לו בד״א בכליי אכילה ושתיה ומלבוש ומצעות וכיוצא בהן׃ אבל אם היו כלי כסף וכלי זהב כגון מגרדה או עלי וכיוצא בהן מוכרין ולוקח פחות מהן׃ בד״א קודם שיגיע לגבות מן העם׃ אבל אחר שגבה הצדקה מחייבים אותו למכור כליו וליקח אחרים פחותין מהם ואחר כך יטול׃ בעל הבית שהיה מהלך מעיר לעיר ותמו לו המעות בדרך ואין לו עתה מה יאכל הרי זה מותר ליקח לקט שכחה ופאה ומעשר עני וליהנות מן הצדקה׃ ולכשיגיע לביתו אינו חייב לשלם שהרי עני היה באותה שעה׃ *Qui haberet in bonis ducentos zuzos*; id est, quinquaginta siclos sacros, *licet cum eis non negotiaretur, aut qui haberet quinquaginta & cum eis negotiaretur, is in eis non erat habendus quibus licuit spicilegio, frugibus per oblivionem in agro relictis, angulo, & decima pauperis gaudere. Si cui pauciores quam ducenti essent*, nec in negotiationibus eis uteretur, *tametsi mille homines simul ei dona praeberent, nihilominus ei jam dictis gaudere fas erat. Si pecuniam* seu *opes quidem haberet, quae tamen aeri alieno aut doti uxoriae essent obnoxiae, fas erat ei sibi ea etiam sumere. Si egenus esset qui villulam, & aedes instructas haberet etiam rebus argenteis & aureis, mos non erat ut is cogendus esset vendere aedes suas & res ei inservientes*, ut scilicet inde viveret, & a jam dictis arceretur, sed *ea accipiebat, & ex praecepto eis gaudere debuit. Quod intelligendum de utensilibus ejus esui & potui necessariis, & de vilioris pretii vestimentis, & similibus. At vero si ei essent utensilia aurea vel argentea,*

o Maimonid. Halach. *Mithnoth Ainim*, cap. 7.

p Maimon. loc. cit.

q Loc. cit.

r Deut. xv. 11

s Maimon. Halach. citat. cap. 9.

z

qualia

qualia ſtrigilis, aut piſtillum, & quae ſunt ſimilia, lautioris & ſplendidioris vitae inſtrumenta, *vendenda ea erant, atque id genus minoris pretii alia ei inde ſupplenda. Quae tamen exceptio locum tantum habuit antequam ex eleemoſynis publicis*, ſeu *eleemoſynarum aerario, ali inciperet. Simulac enim incipiebat inde ali*, ſeu alimenta inde petebat, *cogendus erat vendere res illas pretioſas, & viliores accipere: & dein fortuna anguſtiori contentus eſſe debuit. Si patrifamilias per urbes aliquot & oppida proficiſcenti commeatus primo ſuffecerat, & dein* ante reditum *indiguerat ille quod comederet, ei competebat ſumere ſpicilegium, fruges per oblivionem relictas, angulum, & decimam pauperis, atque etiam ex aerario eleemoſynarum ali: neque poſtquam domum redierat, obligatus erat ad reſtituendum: nam tunc temporis* quo acciperet *pauper*, ſeu *pauperum numero, cenſendus erat.* Caeterum tametſi priſtini ſplendoris & anteactae vitae, unde inops deciderat, ratio erat, ut paulo ante dictum eſt, habenda, & juxta eam eleemoſynae ſubminiſtrandae, attamen in mandatis dederunt ſapientes ut, qualiſcunque fuiſſet ante dignitatis inops, artificio alicui jam ſedulo incumberet, ut inde minus eſſet aliis ſeu eleemoſynarum aerario oneri; quod & ita feciſſe aliquot viros aiunt inſigniores ad paupertatem alias ſummam redactos, ut לא שאלו מן הציבור ולא קיבלו מהם כשנתנו להם *nec rogarent ab univerſitate* ſeu *populo*, id eſt, ab exactoribus illis qui populi eleemoſynam corrogarent erogarentque, *nec acciperent ab eo quando ipſis donare volebant.* Quod vero dicitur de arca & ſcutella ſic capiendum eſt ut haec pro vario locorum more aut haberetur aut omitteretur, illa vero nullibi deeſſet. Maimonides; לא ראינו ולא שמענו בקהל מישראל שאין להם קופה של צדקה אבל תמחוי יש מקומות שנהגו בו ויש מקומות שאין נהגו בו. *Neque vidimus neque audivimus in eccleſia aliqua* ſeu *univerſitate Iſraelitarum defuiſſe arcam eleemoſynae: ſed ſcutellam quidem loci alii habent, alii non habent, pro moris diverſitate.* Atque arcam hujuſmodi ſeu inopum aerarium publicum reſpicit, puto, illud in evangeliis [t], *Vende*, &c. *& da pauperibus*; &, *dimidium bonorum meorum do pauperibus*, & ſimilia. Et facile hinc intelligitur, puto, unde viverent liberi quorum aliquibus tantum pro varia patris opum quantitate, ex ipſo jure, oſtiatim erat mendicandum; qua de re nos alibi [v]. Prioribus jam dictorum quinque adjicitur in lege ſacra, [x] *Pauperi & peregrino ea relinques:* nam & quod de manipulo per oblivionem derelicto dicitur, [y] *Non reverteris ut tollas illum, ſed peregrini, pupilli & viduae erit*, velut pauperum paraphraſis habetur, quemadmodum & ſimile illud in lege de pauperum decima. Eleemoſyna autem, qualem oſtendimus, exigenda ex ſui natura pauperibus erat debita. Et cuncta ſane ita debita, ex magiſtrorum ſententia, ut non omnino eorum aliqua e charitatis ſive fervore ſive arbitrio, ſed ex juris ſtricti ejuſque a numine praeſtituti obligatione, penderent. Eleemoſyna, dico, nolenti exigenda, juxta jam praemiſſa. Nam & alias, quae ex abundantia charitatis jure exigendam excedunt, tum ſummopere laudant [z], tum apud viros pietate inſigniores in uſu fuiſſe non infrequenti tradunt. Sed eae huc non ſpectant. De prioribus item quinque docent [a], כל מתנות עניים אלו אין בהן טובת הנייה לבעלים אלא העניים באין ונוטלין אותן על כרחן של בעלים ואפילו עני שבישראל מוציאין אותן מידו: *Nullum ex hiſce pauperum donis in dominorum* agrorum, arborum, vinearum *commodum percipiendum*, aliter ac jam ſtatim dicitur; *ſed mos erat ut advenientes pauperes ea tollerent, etiam invitis dominis; quin etiam ſi dominus eſſet ipſe pauper ex Iſraelitis, eripere ea fas erat eis e poteſtate ejus.* Quod ut commodius facerent, ab agri domino eis velut horum dominis relinquenda erant. Temperamenta autem hic bina adjecta: alterum, ubi partem hujuſmodi donorum auferrent pauperes, quod reliquum erant negligentes: alterum, ubi agri, vineae, arboris (in quibus eorum hujuſmodi jus) alicujus derelicta ſic dona plane negligerent, nec omnino peterent intra tempus quo ex more loci fruges ejuſmodi colligendae. Priori in ſpecie quod ſic pauperes relinquebant, nemini hominum non dein patebat: adeoque occupatione adquirebatur. Talmudici; פסקו העניים לבקש ולחזור עליהן הרי הנשאר מהן מותר לכל אדם ואינו חייב ליתן להם דמיהן שלא נאמר בהן ונתת לעני אלא תעזוב אותם ואינו מצוה לעזוב אותן לחיה ולעופות אלא לעניים והרי אין עניים: *Quoties deſinerent pauperes petere, & redire ut peterent, id quod reliquum erat occupanti conceſſum eſt. Nec qui occuparet, obligatus eſt pretium eis ſolvere. Nam neque ex lege quidem inſtitutum eſt ut donaret colonus, ſed ut relinqueret ea* (utcunque *donorum pauperum* nomine inſignita fuerint haec omnia) *Neque praeceptum eſt relinquere ea beſtiis & volucribus, ſed pauperibus; qui jam quidem eſſe deſiere:* Cum ſcilicet repetere deſinerent. Tunc autem ſpicilegii partem ſic neglexiſſe pauperes, ut dein occupanti pateret, cenſebatur ſimulac alii poſt alios pauperes ſpicas legerant, ſeu legerant pauperes iterato: acinos autem ſeu uvas deciduas & racemationem, ſimulac ſemel in vineam ad colligendum venerant pauperes, ac redierant: quod reliquum erat olivarum per oblivionem in arbore relictarum, ſi non ſumerent pauperes ante novilunium menſis Kiſleu, qui fere Novembri noſtro reſpondet: ſub arbore ſeu in terra relictas, ſimulac deſierant pauperes eas petere; quod puto ſic intelligendum ut quod de ſpicis jam dictum. Et ſua caetera habuere hic tempora. Ubi autem omnino negligerent, nec intra tempus fruges ex more colligendi eorum quae ſic eis derelicta ſunt aliquid ſumerent, הרי הן של בעל השדה *eadem ad agri dominum attinebant* Accedant hiſce tria inprimis animadvertenda: I. Quemnam nomine גר ſeu *peregrini*, in legibus jam dictis ſacris pauperi conjungi ſoliti, venire velint Talmudici; II. Utrum in pauperum hiſce donis juris aliquod eſſe pauperi gentili admitterent; III. Utrum a gentilibus donorum, quae diximus, aliqua, juxta eos praeſtanda. Ex vi ac ſenſu legum, quae huc attinent, ſacrarum haud alium nomine גר *peregrini* ſeu *proſelyti* contineri volunt praeter proſelytum juſtitiae ac libertinum, qui juris parilis.

[t] Matth. xix. 21. Marc. x. 21. Luc. xviii. 22. xix. 8. [v] De Succeſs. in bona. cap. 9. [x] Levit. xix. 9. xxiii. 22. [y] Deut. xxiv. 19. [z] Maimonid. Halach. *Mithnoth Ainim*, cap. 10. [a] Idem ibid. cap. 1.

Verba

Verba ſunt [b], כל גר האמור במתנות עניים אינו אלא גר צדק׳ שהרי הוא אומר במעשר שני׳ ובא הלוי והגר מה הלוי בן ברית אף הגר בן ברית: *Peregrinus cujus mentio in legibus de pauperum donis haud alius eſt quam proſelytus juſtitiae. Nam & in lege [c] de decima ſecunda memorantur ſimul Levita & peregrinus: Levita autem ibi plane filius eſt foederis; talis igitur & peregrinus cum eo conjunctus.* Ex lege itaque ſacra proſelyto domicilii, quantumlibet pauperi, nomine גר *proſelyti* ſeu *peregrini*, in hiſce ſortem voluere eſſe nullam, nedum gentili alicui qui nondum idololatriae renunciaverat. Sed vero nomine תושב ſeu *inquilini* in lege illa ſuperius ex Levitico citata, eleemoſynas tantum ex illius legis vi ſumebat proſelytus domicilii, non item reliquorum donorum pauperum quidquam. At vero tum proſelytis domicilii tum aliis gentilibus ex jure ſuperinducto permiſerunt (quod ſecundo hic animadvertendum) in omnibus jam dictis ſortem, ſi pauperum, qui e Judaeis, turbae ſe commiſcerent. Temperamentum jam proxime ante dictis ſubjungunt; אע״פ כן מונעין עניי גוים במתנות אלו׳ אלא באין בכלל עניי ישראל ונוטלין אותן: *Caeterum tametſi ex ipſa lege ſe res ita habebat, nihilominus non arcebant pauperes gentilium a donis jam dictis*, ex illis ſcilicet prioribus. *Sed ii commiſti turbae pauperum ex Iſraelitis ea acceperunt.* Cauſa redditur, מפני דרכי שלום *ob vias pacis*, id eſt, *officioſae humanitatis* ſeu *charitatis* cauſa. Ita jus plane pauperibus, qui non Judaei, in omnibus denegant; excepto quod dicitur de eleemoſynis proſelyto domicilii erogandis: rem autem gentilibus omnimodis qui Judaeorum pauperibus in rogando, ſumendo, ſe commiſcerent, concedunt. Quod ad tertium demum hic attinet; neque dona illa pauperum priora ſex aut eorum aliquod quidem permittebantur gentiles in ditione Iſraelitica praeſtare, nedum obligabantur. De gentilibus non permiſſis ejuſmodi quid ibi praeſtare ſatis dictum eſt libro tertio [d]. Quin de proſelyto juſtitiae recens facto ſcribunt [e], נכרי שקצר שדהו ואחר כך נתגייר הרי זו פטור מן הפאה ומן הלקט ומן השכחה אע״פ שאין השכחה אלא בשעת העימור: *Si gentilis* in ditione Iſraelitica *poſtquam ſegetem meſſuerat proſelytus juſtitiae factus fuiſſet, ex ſegete illa neque angulus, neque ſpicilegium, neque manipulus per oblivionem derelictus, pauperibus relinquendus; tametſi manipulis jus non inciperet ante tempus quo manipuli avehi ſoliti:* Id eſt, etiam poſtquam proſelytus eſſet factus. Item [f], ישראל וגר שהיו שותפים בכרם חלקו של ישראל חייב ושל גוי פטור: *Ubi Iſraelita & gentilis ſocii erant vineae, in parte Iſraelitae* diviſa *relinquendi erant acini decidui & racematio: Sed pars gentilis immunis erat.* Quale pariter de reliquis jam dictorum ſex dicendum. Quod vero ad eleemoſynas attinet, cum eae fuerint aut ex juſtitia ſeu ſtricto jure debitae, adeoque pro arbitrio forenſi exigendae, ut eſt oſtenſum, aut ex charitatis abundantia inſuper acceſſerint (quale quidem diſcrimen eleemoſynarum, dum eo nomine ea quae pauperibus praebentur innuitur, nullibi locorum forſan abeſt) tantum abfuit ut a gentilibus exigerentur aliquae omnino, ut nec palam ab eis libenter offerentibus, ex more majorum, deberet Judaeus eleemoſynam aliquam accipere, niſi ita eveniret ut neque neceſſitati ſuae extremae ſubvenire quirent eleemoſynae a ſuis ſubminiſtratae, neque clam poſſet a gentili accipere. Talmudici [g]; אסור לישראל ליטול צדקה מן הגוים בפרהסיא׳ ואם אינו יכול לחיות בצדקה של ישראל ואינו יכול ליטלה מן הגוים בצנעה הרי זה מותר׳ ומלך או שר מן הגוים ששלח ממון לישראל לצדקה אין מחזירין אותו לו משום שלום מלכות׳ אלא נוטלין ממנו וינתן לעניי גוים בסתר כדי שלא ישמע המלך: *Fas non erat Iſraelitae accipere eleemoſynam a gentilibus palam ac in aperto: adjecta tamen exceptione hac, Si eleemoſynae ſuorum vitae ſuae neceſſariis non ſufficerent, nec gentilium eleemoſynam clam accipere poſſet; tunc quidem licuiſſe. Quin ſi rex aut princeps e gentilibus pecuniam in eleemoſynam ad Iſraelitas mitteret, eam ſane rejicere mos non fuit, propter regiae dignitatis obſervantiam. Recipiebant ergo, ſed clanculum erogabant pauperibus gentilium, adeoque ut rex neſciret.* Atque hinc rite intelligendum videtur quod de mendicantibus Judaeis controverti ſolet. Joſephus Scaliger [h]; *Veri Judaei non mendicabant, neque mendicant hodie, propter τὸ φιλάλληλον eorum, quod divites non patiuntur tenuiores mendicare aut eſurire; & multa praecepta de eleemoſynis etiam antiquiſſima habent.* Qua de re plura apud Nicolaum Serrarium [i], Joannem Druſium, id genus alios. Non quidem mendicabant inſtar aliorum, aut tam miſere efflagitando victum quaerebant, quoniam ex diſciplina avita a lautioribus pauperes, etiam ſubinde lautius, erant ſuſtinendi: ſed interea mendicabant. Nec mendicabant, aut hodie ex diſciplina mendicant, ab aliis quam a contribulibus rogando, niſi ubi contribulium eleemoſynae non ſufficerent: aliter, vides, ab aliis rogari licite potuiſſe. Quod & factum ab illis fuiſſe ſcimus tum ex Juvenale [k], tum ex Martiale [l], ubi ad Sparſum inter urbis incommoda recenſet frequentiam Judaeorum mendicantium;

Nec turba ceſſat entheata Bellonae,
Nec faſciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judaeus.

Ex hiſce demum animadverſis haud ita difficile videtur elicere quid ſenſerint Talmudici de quaeſtione illa, utrum dominium privatum extremae alterius neceſſitati ex jure naturali cederet. Certe penes Ebraeos ab ipſo juris naturalis autore ita jura pauperum praeſtitui ſingularia ſeu civilia volunt Talmudici ut ea neutiquam omnino ad pauperes e gentilibus idololatris ſpectaſſe ſtatuant: nec quidem ad proſelytos domicilii, excepto quod is eleemoſynis ſuſtentandus, ut dictum eſt. Utcunque omnia dona pauperum jam memorata aeque ſpectaſſe ſcribat, idque ex praecepto, Joſephus [m] ad peregrinos e gentibus quoſcunque, unde & ea ξένια ſeu *munera hoſpitalia* nuncupat. Nam quod adjiciunt, inter Iſraeliticam pauperum turbam admiſſos etiam pauperes e gentilibus, id plane aiunt tantum factum מפני דרכי שלום *humanitatis cauſa* ſeu charitatis ſuae non omnino ex ſacra lege; qua pauperes ejuſ-

[b] Maimonid. Halach. *Mithnoth Aniim*, cap. 1. [c] Deut. xiv. ult. [d] Cap. 4. [e] Maimonid. Halach. *Mithnoth Aniim*, cap. 2. [f] Idem ibid. cap. 4. [g] Idem ibid. cap. 8. [h] In Elencho Trihaeref. cap. 28. [i] De Rabbinis, lib. 2. ſcrup. 38, 39. & vide lib. noſt. de ſucceſſionibus, cap. 9. [k] Satyr. 6. [l] Lib. 12. Epigr. 57. [m] Archaeolog. lib. 4. cap. 8. & videſis Philonem apud Euſeb. praeparat. evangelic. lib. 8. cap. 7.

vencula, & poſtmodum בוגרת ſeu *puella plenae pubertatis*, qua finiebatur patria apud eos poteſtas. Legem jam allatam de filia tantum minori a patre in ſummam, adeo ut nihil in bonis ei omnino ſupereſſet, paupertatem redacto in ſervitutem Ebraeo duntaxat vendita intelligunt *. Si vero pater in ejuſmodi paupertatem non redactus filiam vendidiſſet, redimere eam, ne familiam ſuam ſervitute dehoneſtaret, a foro cogendus erat. Neque venditio haec fiebat niſi per leges patrias ancillae ſpes ſaltem dubia eſſet nubendi aut emptori aut filio ſuo. Verbi gratia, filio ſuo filiam ſic quenquam addicere contra fas erat: Nam neque emptor ipſe utpote ſororem, neque ejus filius utpote amitam, ducere potuit. Praeſumebatur enim emptionem hujuſmodi in nuptias fieri; adeoque patris venditioni ejuſmodi in eas praevius inerat conſenſus ut, ſi poſtea deſponderet eam emptor ſive ſibi, ſive filio ſuo, rite ſatis ſponſalia cum minore, quae in patria erat poteſtate, (modo & ipſa aſſentiret) inirentur. Et ſponſalibus ejuſmodi initis, e ſervitute in uxoris dignitatem plane abibat. Quae ſpecies eſt ſingularis ſponſaliorum, quae apud Ebraeos, inter ſubditos, ſine dote ac ſolennibus aliis, ut rite ſatis inita admittebantur. Qua de re fuſius in uxore Ebraica. Quod ſi ſponſalia detrectaret emptor, minor ejuſmodi pro ancilla per ſexennium habebatur, ſi in tot annos vendita fuiſſet, niſi interceſſiſſet aut redemptio, aut ultroneae manumiſſionis ſyngrapha, aut jubilaeus, aut mors domini (nam ad haeredem nunquam tranſibat hujuſmodi ancilla) aut demum (quod ſingulare hic eſt, nec pro more aliorum ſervorum qui egrediuntur) pubertatis ſigna, quibus e minoribus eximeretur. Nam hiſce omnibus perimebatur haec ſervitus, tametſi patria poteſtas uſque ad pubertatis plenae aetatem, ſeu duodecimum praeter tempus ſemeſtre annum, ex jure receptiſſimo prorogaretur. Et verba illa legis poſtrema, *Si tria haec non fecerit ei, egredietur illa gratis abſque pecunia*, interpretantur per, אם שלש אלה לא יעשה להי׳ לא יעדה לו ולא יעדה לבנו ולא נפדת בגרעון כסף ויצאה חנם בהבארת סימנין *Si tria haec non fecerit ei, nec ſibi ipſam deſpondeat, nec deſpondeat eam filio ſuo, nec deducto praeteritae ſervitutis pretio, ut minori redimatur permittat, ſed egrediatur, ſeu nanciſcatur libertatem gratis, quamprimum nempe pubertatis ſigna comparuerint*. Etiam lex † de muneribus cum libertate donandis ad hanc ſpectat. Quod vero ſubjungitur legi illi de muneribus cum libertate donandis, & de aure, ubi ſuam velit ſervus prorogari ſervitutem, perforanda, ואף לאמתך תעשה כן *Etiam* ‡ *& ancillae tuae ſic facias*, id non omnino de peforanda ancillae aure capiunt, nec perforari ejuſce aurem, aut ſervitutem ejus prorogari, ut ſervi, volunt: Verbis autem illis innui munerum dationem antea ibi memoratam, ac caetera quae ſunt perforato beneficia (veluti morte domini atque jubilaeo libertatem nanciſci) ad ancillas Ebraeas itidem ſpectare volunt; neutiquam autem ſervitutis prorogationem.

CAP. VIII.

De ſervis e gentilibus in pace apud Ebraeos adquiſitis; eorum diſcrimine, miniſterii natura, manumiſſione, poſteris, bonis. Obiter de munere ſingulari calceum domini ſolvendi ſeu exuendi.

SErvorum Cananaeorum, aliorumve qui ex aliis gentibus in ſervitutem redacti ſunt, dominium in pace acquirebatur venditione [a] (idque ſive dominus ſervum, ſive gentilis liber ſeipſum in ſervitutem vendiderat, ſive ſuam alterutrius ſexus prolem) permutatione ſyngrapha, ut fere praediorum, adeo ut quemadmodum in aliarum rerum alienationibus corporalis poſſeſſio plerumque, ſecundum ea quae ſuperius dicta ſunt, erat neceſſaria ad contractum firmandum, ita & in horum, ex jure eorum civili, alienatione. Apud gentiles autem regiam (pro more fere vicini eis orientis) ejuſmodi fuiſſe poteſtatem aiunt, ut ſi quis ſubditorum tributum denegaret, aliudve a rege juſſum facere detrectaret (ubi in edicto poena venditionis in ſervitutem adjiceretur) libertas ei plane ex ejuſmodi venditione [b] adimeretur, adeoque emptoris ſervus fieret. Corporaliter autem in ditione Iſraelitica poſſideri ſervum maxime volebant ſi emptori ex venditoris ſententia ſervilia aliqua praeſtitiſſet opera; in quibus id inprimis memorant quod eſt שהתיר מנעל לרבו או הנעילו *ut ſolvat domino calceamentum ſuum, aut illud induat*. A quo more manaſſe videtur loquendi illa, ad ſummam diſcipuli loquentis humilitatem magiſtrique dignitatem exprimendam, formula, *Cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti*, qua in evangeliis [c] D. Joannes aliique uſi ſunt. Id quod ex eo item firmatur quod aiunt [d], כל מלאכות שהעבד עושה לרבו תלמיד עושה לרבו חוץ מהתרת לו מנעל אלא במקום שאין מכרין אותו אבל במקום שמכרין אותו לית לן בה: *Omne genus operis* perſonalis *quod a ſervo domino ſuo praeſtandum eſt, id etiam a diſcipulo magiſtro ſuo eſt praeſtandum, praeter ſolutionem calcei ejus. Quae tamen exceptio obtinet tantum ubi diſcipuli conditio non ſatis dignoſcitur. Nam ſi ea ſatis dignoſcatur, etiam & munus illud praeſtandum.* Diſtinctio illa de diſcipuli notitia adhibetur, ne alias ſervus eſſe, ex ipſo opere, diſcipulus exiſtimaretur. Et quod de ſolutione calcei hic dicitur, intelligitur [e] itidem de calceo ſive exuendo ſive induendo. De ſervis Cananaeis (quo nomine caeteros id genus denotant) diſerte lex [f], *Servus tuus & ancilla tua ſint tibi de nationibus quae in circuitu veſtro ſunt. Ex his acquiretis ſervum & ancillam, & de advenis qui peregrinantur apud vos, & de familia eorum qui vobiſcum ſunt, vel qui ex his nati ſunt in terra veſtra. Hos habebitis in poſſeſſionem, & haereditario jure tranſ-*

* Gemar. Hieroſolymitana ad tit. *Kidoſchim*, cap. 1. fol. 59. col 3. Babylon. ad eund. tit. fol 18 b. & 19 Maimonid. Halach. *Abdim*, cap. 4. & 3. Moſes Kotzenſis Praecept. Affirm. 85. † Deuteron. xv. 14. ‡ Ibid. comm. 17. [a] Miſna & Gemar. tit. *Kidoſchim*, cap. 1. Maimonid. Halach. *Macira*, cap 2. & Halach. *Aibdim*, cap. 5, & 9. [b] Rab. Seſeth in Gem. Bab. ad tit. *Jabimoth*, cap. 3. fol. 46. a. Maimonid. Halach. *Aibdim*, cap. 1, & 9. & Hal. *Melowa Welowa*, cap. 5. ad finem. Moſ. Mikotz. Praecept. Aff. 3. [c] D. Joann. cap. i. 27. D. Marc. i. 7. D. Luc. iii. 16. Act. Apoſt. xiii. 25. [d] Gem Bab. ad tit. *Cethuboth*, cap. 11. fol. 96. a. & vide Maimonidem Halach. *Macira*, cap. 2. ſub initium. [e] Maimonid. Halach. *Thalmud. Thora*, cap. 5. [f] Levit. xxv. 44.

mittetis

mittetis ad posteros, ut succedant in possessionem; In perpetuum veluti servos eos habebitis. Ex hisce scilicet, non ex servis Ebraeis, exigenda erant opera mere servilia, ut supra est etiam ostensum. Horum alii erant שמלו וטבלו *qui circumcisi erant & baptizati*, id est, Judaismum in se susceperant, alii שהיו בגויתו *qui gentilismum nondum exuerant*, seu velut proselyti domicilii tantum erant; de quo discrimine, qua tam ad liberos etiam quam ad servos attinebat, satis libro secundo[g], ubi de proselytorum distinctione, baptismo, & capitibus juris Noachidarum nomine dando agitur. Ex hisce qui primi erant generis, causa [h] triplici יצאין בחירות *libertatem* seu *dominium sui plerumque nanciscebantur*. Pretio domino dato, sive ab ipso qui manumittendus erat, sive ab alio aliquo, ita ut argenteus illud seu siclus minimum esset: syngrapha ultro ei tradita a domino, quam גט שחרור *libellum manumissionis* vocabant, verbis ad hunc sensum inscriptis, הרי את בן חורין *Ecce libertus* seu *ingenuus sis*, הרי את של עצמך *Ecce tuae sis potestatis*, tui dominus: Sed verbis ejusmodi sine pretio accepto, aut sine syngrapha tradita, manumissio non fiebat. Tertia hic causa erat ex lege sacra[i], *Si quisquam percusserit oculum servi sui, vel oculum ancillae suae*, ושחתה *& corrumpat eum*, (Vulgata, *& luscos eos fecerit*, Hellenistae, καὶ ἐκτυφλώσῃ, *& caecos reddiderit) dimittet eum liberum pro oculo suo. Et si dentem servo suo seu dentem ancillae suae excusserit, liberum dimittet illum pro dente suo.* Duobus hisce ita expressis, quorum alterum exemplum habent partis quacum nascimur, alterum partis sine qua nascimur, innui etiam volunt caetera membra praecipua exteriora quae nec, si mutilata sint, redintegrari queunt. Haec numero viginti quatuor [k] denotant. Manuum & pedum digiti viginti sunt. Auris utraque locum occupat hic unicum, uti & alterum ancillae papilla utraque. Ut numerus compleatur, adjiciunt nasum & veretrum. Dominus qui servo aut ancillae horum viginti quatuor aliquod sponte mutilaret, cogebatur ex sententia fori manumissionis libello (nam neque hic sine libello fieri quibat) libertatem ei donare, quae adquiri dicebatur בראשי אברים *ob praecipua membrorum.* Servi vero secundi generis, seu qui gentilismum nondum exuerant, ex hac causa libertatem minime adipiscebantur, sed ex duabus prioribus; adjectis aliquot aliis praeter eam quae superius ostenditur[l], ubi libertatis nomine servus ejusmodi Judaismi lavacro susceptus est; unde & quoties sponte nollet libellum manumissionis (qui semper necessarius) dare dominus, ex sententia forensi cogendus erat. Si gentili qualicunque vendiderat Ebraeus servum gentilem, ex sententia forensi [m] redimendus domino erat, adjecta decima pretii parte, & libertate donandus; si nempe gentilis redhibere velit: Nam cum hic, tametsi jurisdictioni Israeliticae subesset, non cogebant. At si Israelitae extra terram sanctam degenti vendiderat quis servum, emptor, quatenus foro patrio suberat, libertate eum donare, etiam cum pretii damno, cogendus erat. Poenae ratio erat, ne servi alienas migrarent in terras. Unde item si sedes in alienas terras transferret dominus, exuto in terram sanctam revertendi animo, libertatem inde in foro Israelitico nanciscebatur servus quem sibi habitandi comitem esse volebat dominus. Servus etiam qui illuc redire voluit, id invito domino, etiamsi redituro, rite faciebat. Neque licuit domino servum invitum in alienas terras comitem sibi adhibere, nec fugitivum inde, e terra sancta, si Judaismum susceperat, reducere. Sic intelligunt illud legis[n], *Non trades servum domino suo qui apud te eripi cupit a domino suo. Tecum manebit in medio tui, ubicunque elegerit locum, in una civitatum tuarum, ut sibi placuerit; nec contristabis eum.* Qui locus etiam de servo qui a domino gentili in terram Israeliticam fugerat capitur[o]. Tutum nempe erat servo ejusmodi terra illa perfugium. Unde Onkelos ibi, *Non trades servum gentium in manum domini sui.* Ex hisce pendere videtur quod apud Josephum[p] notatur; Herodis magni tempore, sub Hasmonaeorum finem, legem fuisse apud Judaeos latam qua licuit murorum perfossores in servitutem vendere ἐπ' ἐξαγωγῇ τῆς βασιλείας, *extra regni terminos:* quod quidem ait ille non solum factum est in graviorem facinorosorum poenam, sed etiam εἰς τὴν κατάλυσιν τῶν πατρῴων ἐθῶν, *in dissolutionem consuetudinum patriarum*, seu morum majorum. Si autem dominus puellam ingenuam servo [q] in uxorem duxisset או שאמר לו רבו לקרוא שלש פסוקין בספר תורה בפני צבור׳ וכן כל כיוצא באלו הדברים שאינו חייב בהן אלא בן חורין יצא לחירות וכופין את רבו לכתוב לו גט שחרור׃ *aut eum jussisset tres versus Pentateuchi in Synagoga legere, aut aliorum id genus quid facere, ad quae praestanda duntaxat, liberi & ingenui obstringebantur, libertate donandus erat, adeoque dominum manumissionis cogebant libellum ei scribere.* Ancillam etiam libidini se palam prostituentem nisi castigaret satis dominus, ea ex fori sententia sic manumittenda[r] erat, ut scilicet nuptiarum capax ad castiorem libentius mentem rediret, nec amplius stuprandi Israelitis esset in causa. Hujusmodi servorum ancillarumque proles posterique etiam servi erant: Ita tamen ut, licet ancillae proles undecunque prognata matris sequeretur conditionem, servi nihilominus libera esset nisi ex ancilla suscepta fuisset. Nam si ex Israelitide filium forte susceperat, ob gentis dignitatem liber, utpote plane Ebraeus, is erat. Si ex gentili quae libera erat, etiam & filius liber; nec patris conditionem sequebatur, quoniam עבד אין לו יחס *servo non erat agnationis jus*, seu per virilem sexum conjunctio. Attamen regulam habent, quod proles[s] באומות הלך אחר הזכר *apud gentiles sequitur marem.* Sed eam jurisconsulti praestantiores [t] intelligunt de gentilibus matrimonio conjunctis,

[g] Cap. 3, &c. [h] Misna, & Gem. Bab. & Hierosolymit. tit. *Kidoschim*, cap. 1. Maimonid. Halach. *Aibdim*, cap. 5. & seqq. Moses Mikot. Praecept. Aff 87. [i] Exod. xxi. 26. [k] Praeter citatos locos videsis R. Salom. Jarchium ad Exod. xxi. 7, & 26. R. Alphesium, tom. 2. fol. 529. a. & ibi. Rabbenu Nissim. [l] Lib 2. c. 3. [m] Misna & Gem. Bab. tit. *Gittin*, cap. 4. fol. 44, 45. Maimon. Halach *Aibdim*, cap. 8. Gem. Hierosolymit. tit. *Gittin*, fol. 46. a. col. 1. §. 6. [n] Deuteron. xxiii. 15. ad quem locum, praeter jam citatos, vide R. Mosem Mikotzi, Praecept. Neg. 109. [o] Jarch. ad Deut. xxiii. 15. [p] Lib. 16. cap. 1. [q] Maimonid. Hal. *Aibdim* cap. 8. [r] Maimonid. ibid. cap. 9. [s] Gem. Bab ad tit. *Jabimoth*, cap. 8. fol. 78. b. [t] Videsis adnotationes R. Abrahae Ben David. & Jom. Tob. ad Maimonid. Hal. *Aibdim*, cap. 9.

ſaltem qui conjungi poſſent; non de eis quorum altera pars non conjugii, ſed, ut in Romano etiam jure veteri, contubernii tantum, veluti ſervus, capax erat. In monitis habuere, foeminis ancillas, non ſervos poſſidendos, מפני החשד *ſuſpicionis* ſeu *infamiae cauſa*. At ſi etiam ipſae adquirerent ſervos, dominium in eos ſatis transferebatur. Nec ſane manumiſſionem ſine peccato fieri, monebant aliqui, extra quam ubi exigerent rationes quas memoravimus, tametſi factae, ex majorum inſtituto, ſatis valerent. Monitum autem hoc ex verbis illis legis [v], *In perpetuum veluti ſervos illos habebitis*, ſeu *operis eorum perpetuo utemini*, ſumebant; quod ſane idem videtur cum eo quod eſt, pro libitu veſtro ſervi ſunt in perpetuum homines illi, ita tamen ut pro libitu etiam manumittat dominus, ut ſolent ſervorum domini; quemadmodum certe in foro etiam intellectum eſt. Veſtitum victumve eis minime praeſtare cogebatur dominus; tametſi operas omnigena ſaevitia, modo a praecipuis, quae diximus, membrorum abſtineret, exigere nefas non haberetur. Sive aufugerent ſive morerentur frigore fameve, ſuſque deque rem habebant in foro; quod tamen de ſervis majorum natu capiendum eſt. Nam minorum fuere, ut bona alia, ita & ſervi in fori tutela, qua cautum eſt ut publicis eleemoſynis ad id deſtinatis alerentur uſque ad plenam dominorum pubertatem, ſeu annum aetatis decimum tertium, adjecto inſuper die unico. Sed vero manſuetos hic majorum ſuorum mores laudant & clementiam ejuſmodi in ſervos, ut non ſolum benignius victum praeberent ſed & libere in qualeſcunque diſceptationes ac colloquia eos admitterent audirentque. Atque ad ejuſmodi etiam manſuetudinis morem attinere volunt illud Jobi [x]. *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me.* Praetermitti autem non debet, tametſi pretio etiam a ſe dato libertatem adquirere potuit ſervus, (ut ſupra dictum eſt) adeo ut bona ei ſeu ipſum bonorum dominium fuiſſe inde videatur; id nihilominus ſic intelligendum, ut ex clementiori tantum domini ejus admiſſione pretii illa datio acceptioque penderet; quae ſcilicet manumiſſioni ex more ſufficeret. Regulariter enim, ut in jure Caeſareo, ſervus poſſidebatur: nihil ex ſuo poſſidebat, ſed jure domini. Maimonides [y], הרב שלוה מעבדו ואחר כך שחררו או לוה מאשתו ואחר כך גרשה׃ אין להן עליו כלום שכל מה שקנה עבד קנה רבו׃ *Si dominus mutuo quid acceperit a ſervo, quem poſtea manumiſerit, nil omnino huic debetur. Nam quicquid ſervus poſſidet aut acquirit, acquiritur domino.*

CAP. IX.

Leges ſacrae de uſuris. Talmudicorum de eis ſententiae. Uſura praeſtituta ſeu proprie dicta. Pulvis uſurae. Quaſi uſura. Uſura praecedens, ſubſequens. Qualiſnam uſura ex ſententia fori reſtituenda; qualis non. Actus aliqui ex jure ſuperinducto vetiti, ne ſubdole foenus diſſimularent. Alii permiſſi, qui foenoris accepti inſtar. Exceptio de bonis orphanorum, pauperum, id genus aliis. Uſura incerta.

QUOD ad uſuras, ſeu quintum ſupra ſelectorum caput, attinet; juxta Talmudicos, leges ſunt ſacrae ſex negativae quarum violatio mutuum foenore dantem comitabatur. I. *Si pecuniam commodato dederis* [a] *populo meo qui eſt tecum*, לא תהיה לו כנשה *non eris illi quaſi exactor.* II. את כספך לא תתן לו בנשך *Pecuniam* [b] *tuam non dabis illi ad uſuram.* III. ובמרבית לא תתן אכלך *Neque* [c] *pro incremento dabis illi frumentum tuum*, ſeu *cibum* aut *annonam tuam.* Vulgata; & *frugum ſuperabundantiam non exiges.* IV. *Non* [d] *accipies ab illo* נשך ותרביה *uſuram vel incrementum.* Cujus paraphraſis eſt illa altera [e], *Non inferes morſum fratri tuo per uſuram pecuniae, & per uſuram frumenti, & per uſuram cujuſcunque rei quae mordere poteſt.* V. לא תשימון עליו נשך *Neque* [f] *impones illi uſuram.* Ubi codex Samaritanus habet לא תשמנו *Non imponetis.* VI. לפני עור לא תתן מכשל *Nec* [g] *coram caeco pones offendiculum.* Binas etiam aiunt eſſe leges in quas qui mutuum foenore accipit committit; alteram ex jam dictis ſextam; alteram illam לא תשיך לאחיך, quae [h] vulgo vertitur, *Non foenerabis fratri tuo, uti & non morſum inferes fratri tuo*, aut *non mordebis fratrem tuum per uſuram*, &c. Sed ita eam accipiunt magiſtri [i] perinde acſi paſſive etiam dictum eſſet, *Non mordeberis a fratre tuo per uſuram:* Unde & Gloſſa ibi ordinaria, אזהרה ללוה שלא יתן רבית למלוה *Interdictum eſt quo cavetur ne is qui mutuo accipit uſuram ſeu incrementum det mutuo danti.* Quo ſpectat illud de Rabbinis aliquot Romanenſibus apud Sixtum Medicem, *Annis*, inquit ille [k], *proximis ab eruditiſſimo antiſtite Philippo Archinto tum Romae vicario, nonnulli Hebraeorum Rabbini periti ſſimi ſub juramento requiſiti declaraverunt verbum ipſum* נשך *paſſivum eſſe & tranſitivum, atque ita interpretandum*, " Non foeneraberis " a fratre tuo. Actuarios ac ſcribas etiam, & teſtes contractus quo de uſura convenitur, teneri volunt Talmudici lege quinta: Et demum proxenetas in ſextam committere. Vocabula illa נשך *morſus*, תרבות & מרבית, quae *incrementum* ſeu *multiplicationem* denotant, non volunt ſic diſcriminari quin idem ipſum pariter denotent: id eſt, foenus ſeu uſuram ex contractu natam, quae inter ſolvendum, utpote plus quam mutuo acceptum eſt, mordet ſeu cruciat mutuo accipientem: Idem, inquam, quantum ad quantitatem; tametſi ſubinde *morſum* ſignantius de uſura pecuniaria, *multiplicationem* de frumentaria aut id genus alia ſumant. Bina autem foenoris genera faciunt. Alterum eſt רבית קצוצה, *uſura determinata, praeſtituta*, ſeu שקצץ בשעה הלואה

[v] Levitic. xxv. 46. [x] Cap. xxxi. 13. [y] Halach. *Melowa Welowa*, cap 2. [a] Exod. xxii. 24. [b] Levitic. xxv. 37. [c] Ibidem. [d] Ibidem 36. [e] Deut. xxiii. 19. [f] Exod. xxii. 24. [g] Levitic. xix. 14. [h] Deuteron. xxiii. 20. [i] Maimonid. Halach. *Melowa Welowa*, cap. 4, &c. Moſ. Mikot. Praecept. Negat. 153. Miſna & Gemara tit. *Baba Metzia*, cap. 5. *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea.* cap. 159, 160, &c. [k] De foenore Judaeorum, lib. 2. cap. 3.

quae

quae sive accepta sive constituta est tempore contractus mutui, aut dum agitatur ac pendet contractus. *Alterum* אבק רבית, quod verbotenus reddas *pulvis usurae*. Sensus autem magistrorum est, hoc genus ita a priori distare ut, cum illud sit palam constitutum & proprie foenus, hoc sit potius foenus simulatum seu quasi foenus; quo nomine illud deinceps nuncupabimus. Genus prius usuram in lege sacra prohibitam continere volunt; secundum, eam quae ex scitis majorum superinductis tantum interdicta est. Prioris exempla dant & regulam [l]; המלוה את חברו סלע בחמשה דינרים או סאתים חטים בשלש׳ או סלע בסלע וסאה או שלש סאין בשלשה סאין ודינר׳ כללו של דבר כל הלואה בתוספת כל שהו הרי זו רבית של תורה ויוצאה בדיינין׳ וכן המלוה את חברו והתנה עמו שידור בחצרו חנם עד שיחזיר לו הלואתו׳ או ששכר ממנו בפחות וקצב הדבר שפוחת לו מן השכר עד שיחזיר לו הלואתו׳ או שמשכן בידו מקום שפירותיו מצוין בעת ההלואה׳ כגון שמשכן חצרו על מנת שידור בו בחנם׳ הרי זו רבית של תורה ויוצאה בדיינין וכן המוכר שדה או חצר באסמכתא הואיל ולא קנה הגוף הרי כל הפירות שאכל רבית ומחזיר אותן׳ והוא הדין לכל מי שלא קנה קניין גמור מתחלה שהוא מחזיר את הפירות מפני שאם אכל את הפירות הרי זו רבית של תורה: *Ubi quis mutuo dat proximo suo siclum ut redeat cum quinque denariis, aut duo frumenti sata ut redeant cum tribus, aut siclum ut reddatur simul cum sato, aut tria sata ut rependatur cum ipsis denarius, seu, ut in universum dicam, quoties aliquid mutuo datur ut redeat cum quantulocunque incremento, usura hic erat, ex lege, & cognitio ejus ad forum attinebat.* Qua de re plura statim. *Ita si quis mutuo conditionem adjecerit, ut habitet in accipientis villa gratis usque dum refundatur mutuum, aut ut conducat eam minori quam valet villa pretio (valoris discrimine tunc indicato) atque retineat usque dum mutuum refundat, aut ut in pignus accipiat locum e quo, tempore contractus, commodum percipi posset, veluti ut oppigneret sibi villam suam ut eo nomine in ea gratis habitet, usura hic ex lege erat, adeoque cognitio ejus ad forum spectabat. Sic etiam si quis agrum emerit, nec tamen per defectum apicum aliquot juris, qui alienationibus necessarii, contractus absolutus fuerit ac integer, quoniam ipsum agrum nondum rite adquisivit, quicquid ex ejusdem usufructu commodi ei cesserit usura erat, atque restituenda. Quale jus obtinuit ubicunque emptori integrum dominium non transferebatur* (ususfructus enim ejusmodi, foenus habebatur pecuniae pretii nomine solvendae) *ut scilicet restituendum esset quod perceperat commodum, quoniam ususfructus ejusmodi usura erat ex lege.* Nimirum nemo usurae nomine vapulabat, seu plagarum poenas violationi legis sacrae saepissime ex more gentis alias debitas luebat, quoniam ex judicum seu fori sententia foenerator usuram, veluti rem furto surreptam, reddere cogebatur. Qualis ratio in aliis id genus judiciis obtinuit. Talmudici [m]; אף על פי שהמלוה והלוה עוברין על כל אלו הלאוין אין לוקין עליו מפני שניתן להשבון׳ שכל המלוה בריבית אם היתה ריבית קצוצה שהיא אסורה מן התורה׳ הרי זו יוצאה בדיינין ומוציאין אותה מן המלוה ומחזירין ללוה: *Tametsi tum mutuo dans tum accipiens foenore violabat tot leges negativas*, ut in paulo ante dictis, *nihilominus plagarum poena eis minime irroganda erat: Quoniam restitutio facienda erat. Etenim si quis mutuo dederat, foenore in ipso contractu constituto, quale scilicet a lege sacra vetitum est, ad cognitionem forensem res attinuit, & judices, ablato foenere a creditore qui acceperat, restituebant debitori qui dederat.* Ita generatim de restitutione statuunt quoties foenus ipsum non esset בפחות משוה פרוטה *minus* [n] *nummuli minimi*, seu *protae, valore* [o], nec aliter, & quamdiu foenerator ipse superstes. Si is mortuus esset, אין מוציאין מיד הבנים *non auferebat forum usuram a prole* seu haeredibus: Quod sic generatim dictum temperamenta habet; nimirum haeredes pecuniam foenore lucrifactam restituere neutiquam cogendos; quod & de rebus fungibilibus, puto, intelligunt; cogendum vero liberos restituere vasa, vestes, instrumenta, animalia, quae restarent ipsa a patre foenore accepta, idque מפני כבוד אביהן *propter patris honorem.* Quod tamen & ad hunc modum temperant, במה דברים אמורים בשעשה תשובה׳ ולא הספיק להחזיר עד שמת׳ אבל אם לא עשה תשובה אין חוששין לכבודו: *Id de ratione honoris paterni sic dictum ita sumendum ut tunc duntaxat locum haberet quando pater rite poenituerat, adeoque nec dubitaret restituere ante mortem. Caeterum si non rite poenituerat, nulla honoris ejus ratio hic habita*, qualecunque lucrum ex foenore in bonis ejus reperiretur. Etiam de personis inter suos exceptionem subjungunt: Omne scilicet incrementum a mutuo dante, sive tempore contractus qualitercunque, sive postmodum ex constitutione tempore contractus, acceptum nomine foenoris, inter vulgus hominum, seu qui singulari jurisprudentiae dignitate non eminerent, lege interdicti contineri; non item munusculum quod, ubi חכמים *sapientes* seu jurisprudentiae dignitate eminentes mutuo darent & acciperent, forte interveniret. Id enim pro munusculo simplici sumendum, non omnino pro foenore seu mutui causa; idque ex praesumptione, eos qui sic jurisprudentia eminerent interdictum neutiquam inde violare voluisse. Talmudici [p]; חכמים שהלוו זה את זה ונתן לו יתר על מה שלוה ממנו׳ הרי זה מותר׳ שהדבר ידוע שלא נתן לו אלא מתנה שהרי הן יודעין חומר אסור הרבית: *Si e sapientibus invicem mutuo dantibus accipientibus quis alteri plus dederat quam acceperat, illicitum non erat. Nam pro manifesto habebatur hoc non aliter ibi datum quam nomine muneris, cum & ipsi tam bene scirent quam grave peccatum esset usuram exercere.* Et de usura ex lege sacra juxta illos interdicta, seu ea quam קצוצה nuncupant, sic statuunt. Nam quisquilias quas & habent subtiliores, circa etiam genus hoc, non paucas praetermittimus. Genus autem illud alterum אבק רבית dictum, id est *foenoris pulvis*, quem quasi-foenus appellamus, non ex lege vetitum aiunt, sed tantum, ut quamplurima alia, מדברי סופרים *ex scitis scribarum*, seu eorum qui rebus praeessent, nec juris superinducendi potestate carerent. Hoc nomine vetitum est omnimodum ferme non solum commodum, sed & beneficii agnitio quaecunque

[l] Maimon. Halach. *Melowa Welowa*, cap. 6. [m] Maimon. Halach. *Melowa Welowa*, cap. 4. [n] *Shulcan Aruch* lib. *Jore Dea*, cap. 161. [o] Vide supra cap. 2. [p] Maimon. loc. citat.

extra

extra mutui contractum, ſeu tempus ejuſdem, qualicunque mutui reſpectu, creditori poſſet praeter ſortem, intra diem ſolvendi, evenire; licet foenus illud ex ſacrorum verborum vi, juxta Talmudicos, non fuerit. Duplex fere faciunt hujus genus; alterum, quod ad temporis quo incrementi aut commodi nomine a debitore praeſtatur, diſcrimen attinet, alterum, quod ad contractus diverſitatem: prioris generis etiam ſpecies binas; alteram [q] ריבת מוקדמת *uſuram praecedentem* ſeu *antevertentem*; alteram רבית מאוחרת *uſuram ſubſequentem.* Priore ſpecie continetur quicquid ab eo cui in animo erat mutuum petere, ei a quo poſt petierit, ſpe facilius in mutui dationem eum conciliandi donatum: ſpecie poſteriore, quicquid poſteaquam acceperit debitor muneris nomine miſerit aut donaverit creditori ut dies ei ſolvendi ante praeſtitutus omnino comperendinaretur. Breviter aiunt, אסור להקדים הרבית או לאחר מותו *Vetitum eſt tum praecedentem tum ſubſequentem uſuram exercere.* Nec de muneribus ſolum hic loquuntur. Nec quidem humanitatis ex more inter homines uſurpari ſolita officia aliqua voluere creditori poſtmodum a debitore praeſtanda, niſi ante mutui dationem fuiſſent inter eos in uſu. Verba ſunt [r], מי שלוה מחברו ולא היה רגיל מקודם להקדים לו שלום אסור להקדים לו שלום: ואין צריך לומר שיקלסו בדברים או ישכים לפתחו: *Qui a proximo ſuo mutuum acceperit, neque ex more antea cum ſalutatione antevertere ſolitus fuerit, illi creditorem ſalutatione jam antevertere vetitum, nedum eum laudare aut adulari.* Quod tametſi ex ſcribarum ſcitis manaverit, nihilominus non ſine legis ſacrae verborum alluſione firmari volunt. Huc igitur illud trahunt, [s] *Non morſum inferes fratri tuo per uſuram pecuniae, aut per uſuram frumenti,* נשך כל דבר אשר ישך *aut per uſuram cujuſcunque rei quae momorderit.* Vocabulum autem דבר tam *verbum* ſignificans quam *rem* in cauſa eſt ut ludentes hic aiant אפילו דברים אסורים *etiam ipſa verba* ſalutationis, gratiamque conciliandi, niſi in uſu inter debitorem & creditorem antea fuiſſent, *vetita eſſe.* Quo modo tamen ipſam non interpretantur legem: ſed vocabuli homonymia libenter ad ſcita ſcribarum firmanda, ut diximus, utuntur. Unde & pariter vetitum volunt debitorem creditori, כל זמן שמעותיו בידו *quamdiu pecuniam mutuo acceptam retinuerit,* docendi munus praeſtare aliquod, niſi id etiam antea inter eos in more. Sub hac ſpecie collocant pecuniae ob mercedem locationem, quae a mutui datione ſic diſcrepat, ut eadem ipſa quae locatur ac conducitur pecunia, non ſimilis ut in mutuo, quantitas reddatur. Quaſi autem uſurae hujuſmodi genus alterum, ſeu quod in diverſitate contractus habetur, viſitur, ubi venditor dixerit, Si hodie emeris, vendam tibi nonaginta ſiclis; ſin nolis ante diem craſtinum emere, minori centum non vendam. In contractu enim hujuſmodi adjectio morae ſimul cum pretii incremento viſa eſt quaſi innuere decem velut foenoris nomine ſolvendos. Similiter de ejuſmodi aliis. Accedat, actus aliquot uſurae cognatos ex jure item ſuperinducto vetitos eſſe (quos tamen nec ſub jam explicato genere collocant) idque מפני הערמת הרבית *propter aſtutiam incrementi,* ſeu ne tum legis ſacrae tum ſcribarum ſenſus ſubdole hic deluderetur. Exempla ponunt; petit mutuo Simeon a Rubene ſiclos centum: negat hic ſibi centum eſſe, ſed frumentum quod tanti valet: id Simeoni mutuo dat: is autem poſtmodum pro frumento hoc nonaginta rependit. Nihil hic aiunt in legem ſacram commiſſum, nec quidem uſuram aut אבק רבית *pulverem uſurae,* quam quaſi-uſuram nuncupamus, ibi reperiri. Cauſa autem jam dicta, Simeonis obligationem ex nonaginta repenſis non ſolvi ſtatuere: ſed ad decem ultra ſolvendos, ut ita centum redderentur, ex ſententia forenſi etiam cogendus erat. Quale tamen in iis quae quaſi-uſurae nomine veniunt nolunt obtinuiſſe. Reſtituendum erat, idque ex ſententia forenſi, ut oſtenſum eſt, foenus contra legem ſacram acceptum; non item quod foeneris pulverem vocant. Nimirum nec actione, qua pulvis ille rite peti poſſet, uti licuit creditori; nec, ſi ſponte ſolveretur, redhibitoriae locus. Talmudici; אבק רבית שהוא מדבריהם אינו גובה מן הלוה למלוה ואין מחזירין אותו מן המלוה ללוה *Pulverem foeneris, cujus jus ex majorum more ſuperinducto pendet, a debitore exigere nequibat creditor. Nec tamen creditorem eum debitori rependere cogebat forum.* Contractus interea erat illicitus, atque, ut id quod contra majorum inſtituta fieret, plagis aliterve puniendus. Ad jam dictorum rationem attinet etiam, quod nec ex jure ſuperinducto permiſerint ei qui fundum pignore acceperat illum domino ſub cenſu locare, quoniam cenſus ille foenus pro debito, cujus cauſa pignus acceptum, nimis imitaretur forte, & locum ejus ſuppleret. At vero fuere actus aliqui שהן כמו רבית *qui fuere foeneris inſtar,* nec tamen ſive ex lege ſive ex moribus ſuperinductis illiciti: veluti, ſi quis ſyngraphas alterius minori quam ex eis deberetur emeret. Quin & fas eſſe duxere Rubeno nummos Simeoni dare ut is mutuo daret alios Judae. Rationem ſubjungunt, שלא אסרה תורה אלא ריבית הבאה מן הלוה למלוה: *Quia non vetuit lex ſacra aliud foeneris aut incrementi genus praeter id quod tranſit a mutuo accipiente ad dantem.* Exceptionem demum habent de orphanorum bonis, quae mutuo a tutoribus dari licite potuiſſe volunt, nec jus de quaſi-uſura ſuperinductum ad ea attinuiſſe. Verba ſunt Maimonidis; נכסי יתומים מותר ליתן אותם לאדם נאמן שיש לו נכסים טובים קרוב לשכר ורחוק מהפסד כיצד אומר לו תהיה נושא ונותן בהן אם יש שם ריוח תן להם חלקן מן הריוח ואם יש שם הפסד תפסיד אתה לבדך שזה אבק רבית הוא וכל אבק רבית אינה אסורה אלא מדבריהם ובנכסי יתומים לא גזרו: *Fas erat orphanorum bona mutuo tradere viro probo & fideli & opulento,* de cujus bonis ſpes aperta eſſet ex eis lucrum potius multo quam damnum eventurum; *ad hunc ſcilicet modum. Bonis hiſce negotiator tu. Si inde lucrum eveniat, reddes orphanis partem ſuam etiam e lucro: ſin vero damnum, tibi illud ſit totum. Nam hoc etiam pulvis eſt uſurae. Et pulvis non prohibetur niſi ex jure ſuperinducto, in quo de orphanorum bonis nihil praeſtitutum eſt.* Unde conſtat etiam ſub incerto hujuſmodi, nihilo ſcilicet de quantitate uſurae conſtituto, neque utrum quid omnino eo nomine rependeretur convento, fas fuiſſe ex legis ſacrae, juxta illos, permiſſione, foenori tradere mutu-

[q] Praeter citatos vide *Sepher Siphri* fol 51. col. 1.

[r] Maimon. Halach. citat. cap. 5.

[s] Deut. xxiii. 19.

um;

3

um; modo id quod ſic rependendum eſſet, ſed non pro certo conſtitutum, e mutuo ut lucrum oriretur. Nam quicquid nomine pulveris venit, citra ſcita ſeu mores ſuperinductos, licitum habebatur. Superinducto autem jure quod pulverem vetuit orphanorum bona non continebantur; uti nec ea [t] quae aut pauperum ſuſtentationi, aut ſynagogarum uſui, aut diſciplinae legis ediſcendae ſeponebantur. Scilicet haec omnia pro poſſidentium ſeu curatorum arbitrio foenori quod pulvis dictum dari accipique rite potuere.

CAP. X.

De uſurarum jure apud Ebraeos qua proſelytos domicilii alioſque gentiles reſpexit; etiam & Judaeos apoſtatas. De gentili proſelyto juſtitiae facto poſtquam foenori ſive dederat ſive acceperat ab Iſraelita mutuum nondum redditum. Quid Mahumedes de uſura.

QUAE vero capite ſuperiore de uſurarum interdictis ſive ſacris ſive ſuperinductis occurrunt, ſpectant tantum, juxta Talmudicos, ad Ebraeos ipſos, id eſt Judaeos, ſive originarios ſive adſcititios, ſeu proſelytos juſtitiae, & qui parili cum eis hic jure, id eſt, qui ullo modo nomen *fratris tui* ſive retinerent ſatis ſive ad hanc rem induerent. Lex ſacra [a], *Non morſum inferes fratri tuo per uſuram*, &c. Ebraica ſunt, לא תשיך לאחיך, quibus commate proximo ut antitheſi reſpondent, לנכרי תשיך ולאחיך לא תשיך וגו׳ *alienum* ſeu *peregrinum* aut *exterum uſura mordebis, fratrem autem tuum non mordebis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni*, &c. Vulgata ibi; *Non foenerabis* (ἐκτοκιεῖς) *fratri tuo*, &c. *Sed alieno. Fratri autem tuo abſque uſura id quo indiget commodabis*, &c. Joſephus [b] item, Δανείζειν, inquit, Ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξέστω μηδενὶ, *Mutuum dare ad uſuram Ebraeorum nemini liceat.* Ebraeos addit, ut caeteris non interdici ſe velle oſtendat. Sed etiam Philo [c], Ἀπαγορεύει ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ἀστὸς ἢ ὁμόφυλος ᾖ, *Vetat fratri foenerari; fratrem nominans non ſolum ex iiſdem natum parentibus, verum & quemcunque civem tribulemve*, non item alios ſeu gentiles. Jam vero a magiſtris legis allatae verba non ut permiſſiva ſimpliciter ſed ut obligativa etiam ſumuntur, adeo ut velint, aliqui ſaltem, tam praecipi quam permitti ut quoties mutuo quid darent Judaei ſive gentilibus qui nondum idololatriae renunciarint, ſive proſelytis domicilii, id foenori daretur. Legitur quidem in Miſna [d]; אין מקבלין צאן ברזל מישראל מפני שהוא רבית אבל מקבלין צאן ברזל מן הגוים ולווין מהן ומלוין אותן ברבית וכן בגר תושב: *Haud conducendum erat pecus ferreum* (ſic nomine ſolenni vocant gregem ſic conductum ut locatori a conductore, qui periculum omne in ſe ſuſceperat, integer denuo praeſtaretur) *ab Iſraelita, quoniam inde naſcitur foenus.* De pulvere foenoris, juxta ſuperiore capite oſtenſa, puto, loquuntur. *At vero a gentilibus conducere licuit*, ſeu *mutuo accipere, pecus ferreum. Etiam & mutuo dare illis & ab illis accipere foenori; quod pariter dicendum de proſelyto domicilii.* Maimonides [e] autem, הגוי וגר תושב לוין מהן ומלוין אותן ברבית שנאמר לא תשיך לאחיך אסור ולשאר העולם מותר ומצות עשה להשיך לנכרי שנאמר לנכרי תשיך מפי השמועה למדו שזו מצות עשה וזהו דין תורה: *Fas erat tum mutuo dare tum accipere foenore a gentili aut proſelyto domicilii. Nam & ſcriptum eſt*, Non mordebis fratrem tuum, *Illicitum eſt fratrem tuum mordere; quod tamen fas, quantum ad reliquum genus humanum. Quin & accedit praeceptum affirmativum de mordendo extero ſeu gentili. Nam & ſcriptum eſt*, Exterum *ſeu gentilem* mordebis, *ſeu ei mutuum foenori dabis. Unde obſervandum eſt, praeceptum ea de re ibi reperiri affirmativum. Atque ita ſe habet hic lex ſacra.* Sic quidem ille; uti & alii paſſim, excepto quod ſubinde nolint verba illa ſacra de gentili eſſe praeceptum affirmativum ſeu ſingulare, ſed explicativum tantum [f] prioris interdicti quo foenus inter Iſraelitas vetitum, adeoque velint permiſſum tantum, non praeceptum, foenus cum gentilibus. Et erraſſe aiunt Maimonidem non ſine autore vetuſto. Nam in *Sepher Siphri* [g] legitur etiam, לנכרי תשיך מצות עשה ולאחיך לא תשיך מצות לא תעשה: Foenori mutuum dabis gentili, *praeceptum eſt affirmativum; ut*, Non dabis fratri tuo, *eſt negativum.* Etiam rationem reddunt quare ſignantius haec permiſſio adjecta ſit legi ſacrae de foenore, non item legibus de rapina & furto; Quoniam ſcilicet furtum & rapina nunquam & nullibi, juxta ſuperius dicta, non illicita. Nec minus vetitum gentilis bona furari aut ſurripere quam Iſraelitae: ſcilicet ex jure univerſali & omnium communi, cui derogari noluit hic numen. Sed vero foenus contrahitur tam ex conſenſu pariter accipientis quam dantis, adeoque ita contractu hominum nititur libero, ut ex jure univerſali ſeu naturali nihil omnino ei obſtare velint. Moſes Bar Nachman [h] de eo quod eſt, fas eſſe mutuum foenori dare gentili, verba faciens; לא הזכיר כן בגזל ובגניבה כמו שאמרו גזל גוי אסור אבל הרבית שהוא נעשה לדעת שניהם וברצונם לא נאסר אלא מצד אחוה *Non ita dicitur de furto & rapina; de quibus receptum eſt illud, bona gentilis ſurripere nefas eſſe. Sed vero uſura, cujus contractus ex utriuſque tam accipientis quam dantis conſenſu & arbitrio naſcitur, minime vetita eſt alibi quam inter fratres*, ſeu nos, qui fratres invicem ſumus, id eſt Judaeos. Quo etiam tradunt pleraque in ſacra lege occurrentia de officiis humanioribus. Atque extra juris ſtricti obligationem paſſim ferme admittunt illud [i] ut monitum generale, את הנכרי תגש *A peregrino*, ſeu *gentili, exiges.* Quantumvis autem ex lege ſacra ſic permiſſum volunt foenori gentilibus mutuum dare atque ab eis accipere, ex jure tamen ſuperinducto ſeu ta-

[t] *Shulchan Aruch* lib. *Jore Dea*, cap. 160. §. 18. [a] Deut. xxiii. 19. [b] Archaeolog. 4. cap. 8. [c] Lib. de Charitate. [d] Tit. *Baba Metzia*, cap. 5. [e] Halach. *Malve u Weloeh* cap. 5. & praecept. negat. Mitzotz 153. [f] Vide comment. in Maimonid. loc. citat. & Nachmanid. *Piruſh Tora*, fol. 323. a. alios ad Deut. xxiii. 19. [g] Fol. 51. col. 1. [h] *Piruſh Tora*, fol. 323. a. [i] Deut. xv. 4. & videſis ſupra lib. 4. cap. 3.

pientum decretis illicitum habitum eſt Judaeo mutuum quid dare gentili ברבית קצוצה *foenori proprie dicto*, ac ſic conſtituto ut ſimile inter Judaeos ipſos eſſet illicitum, אלא כדי חייו *niſi tantum vitae ſuae proſpiciendo*, id eſt, niſi ideo id fieret ut tutius vita ſua inter gentiles gauderet. Ratio adjungitur; גזרו שמא ילמוד ממעשיו ברוב ישיבתו עמו: *Id decreverunt ne Judaeus ex moribus gentilis & frequentiori ejus inde conſuetudine male doctus evaderet.* Exiſtimabant nempe tum ex ſacri ſpe lucri, tum e crebris, quae fieri ſolent, mutui efflagitationibus, Judaeum gentilis familiaritate nimis ſic uſurum. At vero ſic non vetari volebant omnino quicquid pulveris uſurae nomine, quod capite explicatur ſuperiori, venerit; uti nec mutuum foenori quomodolibetcunque a gentili accipere. Subjiciunt & hujus rationem; שהרי הוא בורח מלפניו ואינו רגיל אצלו *Quoniam Judaeus* ſic debitor *fugiet praeſentiam gentilis, nec conſuetudine ejus utetur.* Caeterum excipiunt תלמיד חכם *diſcipulum ſapientis* ſeu ſapientem aut juriſconſultum, qui legis Judaicae ſtudioſior gentilium palam aſpernator eſſet. Ei enim, quoniam nihil mali ex gentilium conſuetudine viro ſcientiori imminere cenſebant, מותר להלות לגוי ברבית אפילו להרויח *fas erat mutuum gentili foenori dare, etiam ideo tantum ut lucrifaceret.* Nec vero gentili tantum ſtatuunt fas fuiſſe ſibi ipſis foenori pecunias tradere, verum & Judaeo [k] apoſtatae, quia *fratris* nomen exuerat. Ita ſcilicet occurrit opinio velut receptiſſima; in quam tamen aliqui non conſentiunt, ne qui ſic foeneraretur ſextam interea legem de offendiculo coram caeco non ponendo violaret, cum ſcilicet in cauſa eſſet ut apoſtata foenori acciperet, quod nefas item eſſe Judaeo ex lege ſacra volunt. De proſelyto demum juſtitiae qui ſive dederat ſive acceperat foenori ab Iſraelita, dum gentilis adhuc erat, ad hunc modum tradunt [l]. Si accepiſſet a gentili pecunias Judaeus foenori, וזקפן עליו במלוה & *novatione contractus tam foenus quam ſortem in corpus mutuum unicum conjeciſſet* gentilis, & poſtmodum Judaiſmo, ut proſelytus juſtitiae, dediſſet nomen, גובה את הקרן והרבית *actio ei competierat tam pro foenore quam pro ſorte*, ſic conjunctis. Nam citra novationem ejuſmodi, foenus ſuo nomine ſeu ſolum hic peti nolebant. Adeoque ſi contractus illa novatio poſt Judaiſmi ſuſceptionem facta fuiſſet גובה את הקרן ולא הרבית *actione pro ſorte, non pro foenere, uti potuiſſet.* Si vero gentilis a Judaeo mutuum foenori accepiſſet, etiamſi poſt proſelytus factus eſſet quam novatio ejuſmodi acceſſiſſet, tam in foenus quam in ſortem actione uti potuit Judaeus. Id eſt, quicquid foenoris in creditoris gentiliſmo Judaeo debebatur ſive in mutui corpus ſic conjectum, ſive minime, ei ſolvendum erat. Poſt exutum autem gentiliſmum tam proſelytos juſtitiae quam originarios, utpote *fratrum* nomine rebus in hujuſmodi ſatis comprehenſos, legibus ſacris de uſura teneri volunt. Sed manifeſtum ex his eſt, Talmudicos cenſere nihil omnino in jure naturali, ſeu quod omnes obliget, reniti quo minus quis mutuum foenori tradat, neque inde ſimpliciter furtum committi. Neque rationem video in eo quod memorat Sixtus Medices de Rabbinorum Romanenſium aliquot ſententia, non licuiſſe ex lege ſacra ipſis omnino foenerari. *Subinde concluſerunt* (ſic ille poſt verba illa de נשך capite proxime ſuperiori ex eo citata) *nullo modo licere Hebraeis neque in ſuos neque in alienos exercere uſuras. Id quod ab eodem antiſtite*, Archinto tunc Romae vicario, *per ſententiam ſolennem confirmatum eſt.* Chriſtianorum hac de re ſcita in ſcriptis eorum obvia ſunt. Sed ante alios conſulas opus incomparabile Claudii Salmaſii de uſuris pridem editum. Mahumedes autem [m],

الذين ياكلون الربوا لا يقومون الا
كما يقوم الذي يتخبطه الشيطان
من المس ذلك بانهم قالوا انما البيع مثل
الربوا واحل الله البيع

Quod recte ſatis vertit Retinenſis, *De foenore viventes non niſi quaſi daemoniaci reſurgent: cum ipſi foenerari, quod Deus nefas & illicitum ſtatuit, licitis annectant, dicentes foenus eſſe qualis eſt mercatura.* Sed inter ſuos, non alienos [n], hoc habent illicitum Mahumedani.

CAP. XI.

De bonis alea aliove quovis certaminis genere lucrifactis; ac de luſibus ejuſmodi. De avibus aliiſve animalibus ſic inſtituendis ut exeuntia redirent in domini commodum, illicum more, comitatiora. De retibus columbarum capturae tendendis, & columbariis exſtruendis.

SExtum demum & ſeptimum eorum quae ad Talmudicorum ſententiam de dominio, atque obligatione circa illud verſante, adeoque de furto oſtendendam ſupra ſelegimus, capita ſunt de bonis alea ſeu certamine alio ludicro lucrifactis, & beſtiis & volucribus ſic nutritis inſtitutiſque ut comitatiores redirent, & de columbis capiendis, atque columbariis. De hiſce, uti & de aliis conſimilibus [a], aiunt, דברים הרבה אסרו חכמים משום גזל והעובר עליהן גזלן *Sunt res non paucae quas vetuere ſapientes nomine furti. Et qui interdictum illorum in eis violaret fur erat.* Bina quae diximus afferunt exempla, veluti reliquis multum inſigniora. De priori aiunt; eum qui alea, talis, id genus aliis, lucri quid ſibi feciſſet, reum fuiſſe גזל מדבריהם *furti* ſeu *rapinae*, quae quidem non ex lege ſacra, ſeu jure civili ſuo a numine ipſis praeſtituto, nedum ex jure naturali, ſed *ex ſcitis majorum*, ſeu qui rebus cum imperio ac poteſtate juris ſuperinducendi praeerant, ſic dicenda. Scilicet tametſi certaminibus ejuſmodi non deerat tam victi quam

[k] Gem. Hieroſolymitana ad tit. *Aboda Zara*, cap. 5. fol. 44. col. 4. *Shulcan Aruch*, lib. *Jore Dea*, cap. 159. Reſponſa ad Maimonidis lib. *Miſpatim* dictum 36. [l] Maimonid. Hal. *Melowa Welowa*, cap. 5. *Shulcan Aruch*, lib. citat. cap. 171. [m] Alcoran Azoar 2. Arab. 4 lat. [n] Vide Cl. Salmaſium de uſuris, cap. 21. p. 666. [a] Maimonid. Halach. *Gazila Waibda*, cap. 6. Moſes Mikotzi praecept. aff. 73. fol. 151. col. 3.

victoris assensus praevius, adeoque invicem contractus interveniebat, unde, quantum ad jus sive naturale sive eorum in corpore Mosaico civile spectat, ex victoria licite, ut in alienationibus cessionibusque juris naturalis permissivi aliis, lucrum adquirebatur; ita nihilominus certaminum ludicrorum mos ille displicuit eorum majoribus (qui rebus praeessent, & quorum suffragiis & consensu involuta sunt totius populi, juxta modum & rationem illius reipublicae, adeoque Ebraeorum omnium qui certarent pariter, suffragia & consensus) ut ex victoria ejusmodi ludicra nihil postmodum adquirere fas esset, furtumque ab adquirente committeretur. Nam ex domini obligationisque temperamento civili sic adjecto id furtum fiebat quod citra ejusmodi temperamentum omnino licitum. Binas autem ob rationes hoc superinductum; tum ut doli mali, quo certamina ejusmodi minime carere solent, ausa praeriperetur; tum ut artibus bonis, & quae societati humanae conducibiliores essent, non ludicris, homines se exercerent: qua de re consulas jam dicta libro [b] quarto. Addunt [c] וכן המשחקים בבהמה או בחיה או בעופות׳ ועושים תנאי שכל שתנצח בהמתו או תרוץ יותר יקח מחבירו כך וכך וכל כיוצא בדברים אלו הכל אסור וגזל מדבריהם הוא׳ *Similiter si qui instituerant pecorum, ferarum, aut volucrum certamina ludicra, adjecta conditione, verbi gratia, ut cujus pecus sive pugna sive cursu vinceret is summam aliquam ab altero acciperet, & si quid aliud ejusmodi fieret, id illicitum; & furtum, ex majorum scitis, inde committebatur.* Nec quidem contractum illum seu stipulationem, quae inter certantes haberi solet, consonam satis fuisse statuunt contractuum seu cessionum formulis quibus penes ipsos dominium rite transferebatur: de quibus supra capite quinto. Atque inde intelligendum Talmudicum [d] illud de alcae lusu; אסמכתא הוא ואסמכתא לא קניא *Contractus imperfectus est, & qui ex fortuna pendet, quali res non rite adquiritur.* Quod sumendum semper de Ebraeis solum ipsis, & eis qui in eorum transierant ritus. Nam non solum gentilibus in ditione Israelitica, nedum alibi, fas fuisse ludicris ejusmodi certaminibus (nisi etiam superinduceretur, quod vetaret, jus aliquod civile) uti volunt, atque inde, juxta pignora quibus certarent, sine furto lucrifacere, verum etiam nec furtum fuisse si Judaeus cum gentili certans pignus lucrifaceret, licet interea alio nomine certamina ei haec etiam sine pignore pro interdictis haberentur; quoniam nimirum inter ea quae societati humanae plane inutilia haberentur censita sunt. Talmudici; המשחק בקוביא עם הגוי אין בו איסור גזל׳ אבל יש בו איסור עוסק בדברים בטלים שאין ראוי לאדם שיעסוק כל ימיו אלא בדברי חכמה ובישובו של עולם: *Qui vero alea luserat cum gentili, non violarat interdictum* hoc a majoribus superinductum *de furto* (cujus tamen interdictum naturale tam ad gentiles quam Ebraeos, atque ad utrosque pariter invicem, attinuisse docent, ut in superioribus non semel est ostensum) *sed aliud interdictum de rebus inanibus non incumbendo. Neque enim hominem decet ullo vitae suae tempore rebus aliis incumbere praeter eas quae aut sapientiae studium spectant aut commodum publicum.* Certe & alea atque id genus ludi interdicuntur, nec semel, in Mahumedis [e] Alcorano. Claudat hic agmen illud de bestiis ac volucribus sic instituendis ut exeuntes comitatiores in domini commodum redirent, ac de columbis capiendis nutriendisque. Capite quinto libri quarti quidem diximus de eis qui nutrirent columbas & animalia alia in certamina, jura superinducta, ut jam ostensum est, violantes. מפריחי יונים nuncupantur, quod denotat tum *qui columbas volare docerent* in certamen, tum qui sic instituerent ut evolando comitatiores domum redirent, aliisque ita columbis dominos ditarent; sub quo nomine signantius usurpato eos pariter indicari volunt qui in similes artes alia quaecunque instituerent animalia. Hoc igitur facere ex majorum scitis vetitum est, furtumque sic committi constitutum [f]. Maimonides; מפריחי יונים כיצד׳ לא יפריח אדם בתוך הישוב שהרי לוחק כמין אחרים שלא כדין׳ מפני שמשלח זכר ויביא נקבה משובך אחר או נקבה והביא זכר׳ ולא יונים בלבד אלא כל העושה כזה בשאר עופות או חיה ובהמה הרי זה גזלן מדבריהם׳ וכן אסרו חכמים לצוד יונים בתוך הישוב מפני שהן של אחרים: *Quod de eis qui columbas volare docebant, aut volatum emittebant, superinductum est, sic intelligendum ut non liceret quis columbas volare docere in loco habitato,* ubi scilicet incolae circum sive columbaria sive alia loca haberent quibus juxta morem (de quo statim) columbas in sui simpliciter commodum domesticum nutrirent. *Nempe bona aliorum, contra quam debuit, surripiebat. Quoniam scilicet emittebat masculum qui secum adduceret foeminam, uti & foeminam quae secum redeunte masculum adduceret ex columbario alterius. Neque jus hujusmodi solum in columbis obtinuit. Nam si quis alias sive aves sive feras & pecora sic institueret, pariter & is fur erat ex majorum scitis,* non ex lege sacra ipsis civili aut naturali. *Quin & vetarent sapientis aucupio sectari columbas in loco habitato, quoniam in bonis fuere alienis.* Nimirum citra jus hujusmodi superinductum neutiquam censebant furtum committi in animalibus quae illices redeuntes sic comitarentur; sed per occupationem illa, aut ut ferae naturae, aut ut res sive deperditas nec lege de rebus ejusmodi sacra (de qua supra) comprehensas, aut derelictas, rite satis ei ad quem advenirent adquiri. Cui libertati derogatum, ut ostensum est, ibant qui rebus praeerant, idque inprimis מפני דרכי שלום *charitatis* seu *humanioris invicem officii causa.* Inde etiam est quod de retibus laqueisve aliis columbis capiendis adjiciunt. Misna [g] אין פורסין נשבים ליונים אלא אם כן רחוק מן הישוב שלשים ריס *Retia columbis capiendis non sunt expandenda intra triginta stadia a loco habitato.* Triginta stadia sunt magistris hic quatuor milliaria. Alia tradunt de retibus columbarum capturae non tendendis intra spatia multo ampliora, ubi [h] sive vineta essent sive columbaria; idque sive columbaria illa Ebraei alicujus essent, etiam ipsius qui tenderet, sive gentilis sive publica. Nimirum nefas erat, ex jure quod diximus superinducto, retibus seu la-

[b] Cap 5. [c] Maimon. Halach. Gzelah cap. 6. [d] Gemar Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 3. fol. 24. b. & videsis J. Cochium in tit. Talmud. *Sanhedrin*, pag 27. [e] Azoar. 3. lat. 2. Arab. & 13. lat. 5. Arab. [f] Hala *Gazila wabida*, cap 6. Moses Mikotzi Praec. Aff. 73. Vide Gloss. Talmud. Babylon. tit. *Sanhedrin.* fol. 25. a. [g] Tit. *Baba*, cap. 7. §. ult. [h] Videsis Constant. L'Empereur ad tit. *Baba Kama*, cap. 7. pag 183, &c.

queis

quis capi columbas quae sive in sacrificia sive in vi[illegible]um aut villis aut aedibus aut columbariis sive privatim sive publice nutrirentur, ne quis sic captum lo in commodum sui singulare eas alios atque aliorum in usus, utcunque naturae ferae, ita destinatas interverteret. Quod vero adjiciunt, juxta columbaria ne quidem sua cuiquam retia tetendisse licitum; id ex eo pendebat, ne alienorum columbariorum columbas ad sua, ut fieri solet, advolantes forte caperet. Horum tamen nihil absque ejusmodi jure superinducto illicitum habebant. Columbaria autem exstruere nemini habebant illicitum, neque ex jure naturali, neque ex eo quod ipsis erat civile ac sacrum seu a numine datum. Scilicet inter volucres naturae ferae eas ita censebant, ut nihil inde existimarent contra dominii alicujus privati committi jus ex eo quod circumvolitando agros in vicinia satos expilarent. Nec leges de pauperie per animalia illata huc attinere volebant. Scilicet eas tum sibi tantum civiles fuisse nec ad gentiles inter se ex jure suo naturali seu Noachidarum spectasse (ut capite supra secundo ostensum est) tum animalia undiquaque in domini potestatem ac proprietatem redacta, nec ita circumvagantia dominosque (quadantenus tantum ita dicendos) ex soli aediumque mutatione toties mutantia, duntaxat in se continuisse. Praescripta nihilominus ex jure illo superinducto habebant spatia intra quae nec columbaria exstruere licuit, nempe columbis nutriendis. Talmudici[h]; מרחיקין את השובך מן העיר חמשים אמה׳ ולא יעשה אדם שובך בתוך שדהו אלא אם כן יש לו חמשים אמה לכל רוח כדי שלא ישבו היונות ויפסידו בשדות ויאכלו מזרעי אחרים: *Cubitorum quinquaginta spatio distare debuit ab urbe columbarium. Nec exstruendum cuiquam erat columbarium in agro suo nisi in quamlibet plagam solum haberet circumjacens cubitorum totidem. Ne scilicet pulli columbini exeuntes agro alieno, qui propior esset, comedendo aliterve damnum inferrent,* Sic de columbario exstruendo statuere. At vero אם לקחו מאחר אפי׳ היה בינו ובין תחילת שדה חברו רובע בית רובע בלבד הרי הוא בחזקתו׳ ואין מחייבין אותו להרחיק: *Si quis columbarium emeret ab alio, etiamsi esset spatium inter columbarium illud & terminum agri vicini non majus quam cubitorum dictorum pars quarta, ita illud sufficiebat ut cogendus non esset ulterius illud movere.* Quae sic tradita committas jam licet cum obiter disputatis tum apud theologos tum jurisconsultos christianos, de columbariis atque jure ea construendi: uti & reliqua superius ostensa cum eis quae de rebus non dissimilibus apud scriptores christianos passim occurrunt. Ex hisce demum cunctis, quae sic selegimus ut specimina singularia de dominio, atque obligatione permissioneque circa illud ex jure pacis versante, non obscure patet quomodo atque unde Talmudici quaestiones de furto ex illo jure discerni voluerint. Interdictum quidem ejus naturale esse non dubitarunt: sed objectum ejus ac materiem, id est dominium, atque obligationem permissionemque circa illud versantem, aliter atque aliter tum pro civilis sui, quod sacrum erat, tum pro superinducti juris discrimine vario se semper habuisse statuerunt: nec citra horum, quae pro ingenti personarum, locorum, temporum, rerumpublicarum varietate adeo diversa sunt, apices diligentius exploratos, posse interdicti violationem observationemve satis omnino dignosci. Et de selectis ex jure pacis hactenus.

CAP. XII.

De rerum & personarum ex jure belli dominio adquirendo. Et primo de justis tum juxta Ebraeos tum alios orientis populos belli causis.

BEllum, cujus jure Ebraei sibi dominium adquisitum decernebant (nam quid ipsi senserint de aliorum ejusmodi jure seorsim mox) duplicis erat generis; alterum [illegible] seu *Bellum ad quod ex praecepto divino ipsi obstringerentur,* מלחמת א״י item dictum id est, *Bellum terrae Israelis*; alterum, quod מלחמת הרשות *Bellum ultroneum*, seu pro eorum qui rebus praeessent arbitratu sive gerendum sive praetermittendum finiendumve, vocitant. Primum genus erat maxime adversus septem illos populos[b], Hitthaeos, Gergesaeos, Amorraeos, Cananaeos, Pherizaeos, Hivaeos & Jebusaeos, praeter Amalekitas[c], terrae utpote sanctae pristinos dominos. Secundum, adversus finitimos, pro re nata, alios; id quod suscipiendum fuisse aut gerendum nolunt citra[d] decretum synedrii magni seu septuaginta unius viralis. Et utriusque etiam generis alia illatas antea injurias ulciscendi animo gesta, alia tantum ad adquirendum, firmandum, augendum sibi dominium & imperium. Ubi in ultionem, veluti in poenam injustitiae, gesta sunt, non solum subactorum hostium res in victorum dominium transibant, sed etiam capti pro libitu, idque sine sexus aetatisve discrimine, caedi soliti. Neque ita rara sunt ea de re in foedere veteri[e] exempla. Ad utrumque vero genus quod diximus (sed tantum quoties sine ultionis causa bellum susceptum est) attinere volunt leges illas de militia sacras; *Si*[f] *quando accesseris ad expugnandam civitatem, primo offeres ei pacem: quam si acceperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est* יהיו לך למס ועבדוך *sint tibi sub tributo, & serviant tibi. Sin autem foedus inire noluerit, & fecerit contra te bellum, oppugnabis eam. Et cum Dominus Deus tuus tradiderit eam in manum tuam, percuties in ea omnem masculum acie gladii. Mulieres tantum & parvulos, jumenta, & quicquid fuerit in civitate, & omnem praedam tibi diripies* (ubi male Vulgata, *exercitui divides*) *& comedes de spoliis inimicorum tuorum, quos tradidit Dominus Deus tuus tibi. Sic nimirum facies cunctis civitatibus quae a te longius dissitae fuerint, quae non sunt de urbibus istarum gentium. Sed de civitatibus populorum istorum quos dederit Dominus Deus tuus tibi in possessionem,* seu *haereditatem*, *non permittes vivere ullum qui spirat. Quin exterminando*

[h] Maimon. loc. citato. [a] M[illegible] tit. *Sota*, cap. 8. & Gemarae & commentarii ibidem, & videsis Petrum Cunaeum de Repub. Hae[illegible], lib. [illegible] cap. 19. & Guil. Schikard. lib. de jure regio, c. 5. [b] Deut. vii. 1. & xx. 17. [c] Ibid. xx[illegible]. [d] Misna et Gem. tit. *Sanhed.* cap. 1. & 2. Babylon. fol. 16. a. Hierosolymit. fol. 19. col. 2. & 20. col. 2. [e] Deut. ii. 34. Numer. xxx[illegible]. 7. 1 Sam. xxx 17. [f] Deut. xx. 10.

exter-

exterminabis eos, nempe Hitthaeum, Amorraeum, Cananaeum, Pherizaeum, Hivaeum, & Jebusaeum (Gergesaeus adjicitur apud Hellenistas, uti etiam in codice Samaritano) *sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus. Ne scilicet doceant vos facere cunctas abominationes quas ipsi fecerunt diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum. Cum obsederis civitatem multis diebus, & pugnaveris contra eam, ut capias eam,* לא תשחית את עצה *non perdes arbores ejus, ut impellas securim in eas, sed comedes de eis, & non succides. An lignum agri homo est, ut abeat a facie tua in obsidione?* (quod proximat veritati Ebraicae; satis adstipulantibus etiam Vulgatae, Graecae, Arabicarum & Chaldaicarum paraphrasium autoribus, quorum plerisque negatio etiam hic adjicitur, *lignum* seu *arborem esse non hominem, ut abeat,* &c. [g] eodem sensu.) *Tantum illam arborem quam agnoveris esse arborem infructuosam,* (Vulgata, *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in caeteros apta usus) illam perdes & succides, ut obsidionis machinas exstruas in civitatem illam quae contra te dimicat.* Ut rite dignoscatur qui fuerit Ebraeis sensus harum legum militarium, & quomodo ex jure belli tum res tum personae in eorum transirent sive dominium sive potestatem, videndum est primo de belli hic eis intellecti causis, secundo de eo indicendo, tertio de foedere & deditione, quarto de foederis & deditionis aversatione, belloque inde inferendo, quinto de urbibus, regionibus ac personis subactis, & praeda. Alia erat causa belli in septem, quos diximus, populos, & Amalekitas, ex praecepto gerendi; alia, ultronei in alios. Quod ex praecepto gerebatur, ex oraculo supremi omnium rerum & personarum domini, de quo dubitare nefas, pendebat. Et ad hanc rem D. Augustinus, *Hoc genus belli,* inquit [h], *sine dubitatione justum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & qui novit quid cuique fieri debeat: in quo bello ductor exercitus, vel ipse populus, non tam auctor belli quam minister judicandus.* Ultronei in alias gentes belli causam necessariam non comperio obtendi apud magistros aliam quam להרחיב גבול ישראל ולהרבות גדולתו *ut* [i] *dilatarentur fines imperii Israelitici, & ut ampliaretur majestas ejus.* Nec injuriam, seu qualecunque vindictae meritum, aut tutelae suae rationem necessario praecedere debuisse (ut fere scriptores Christiani) statuunt. Adeo ut nulla gens esset, terrae nullae, in quas injustum censerent bellum, decretum nempe a synedrio magno LXXI virorum (quod hic semper fundum fieri volebant) neque ut ipsum decerneret alia praeter prolationem imperii causa haberetur necessaria. Quin tametsi toties interdiceretur [k] alias in AEgyptum reditus, nihilominus fas habebant [l] etiam illuc ad bellum inferendum & subigendam sibi terram populumque reverti. Certe & in concione ad milites Phineesus apud Philonem [m] Midianitas aggressurus, περὶ τοῦ κτήσασθαι τὰ ἑτέρων, inquit, ἢ μόνον ἢ μάλιστά εἰσιν οἱ πόλεμοι, *ut occupentur aliena est sola causa belli aut praecipua.* Atque ex lege sacra paulo ante allata jus sibi hoc eliciunt, *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem,* &c. Perinde ac si illa satis innueretur civitatem aliquam atque gentes alias quascunque expugnare eis, tum rite decreto tum indicto, ut ibi praestituitur, bello, fas esse. Qua de re videsis etiam quae sub finem capitis superius tertii occurrunt. Sed modestius multo de gentis hujus suae armis Flavius Josephus [n], Οὐδὲ τὴν ἀνδρείαν ἠσκήσαμεν ἐπὶ τῷ πολέμους ἀράσθαι χάριν πλεονεξίας, ἀλλ' ἐπὶ τῷ τοὺς νόμους διαφυλάττειν, *Nec fortitudinem exercuimus ut bella avaritiae causa susciperemus, sed ut leges servaremus.* Quibus verbis tamen non omnino negatur jus eis fuisse alienas, extra causam ejusmodi, armis invadendi terras. Nec sane desunt obtensi illius juris ut aviti forte vestigia in eo quod legimus de Judaeis Europaeis monarchiam universalem sub annis abhinc quadringentis summopere affectantibus. Matthaeus Parisiensis anno salutis 1241. *Labentibus illorum dierum curriculis, multi Judaeorum de partibus transmarinis, praecipue autem de imperio, credentes quod plebs Tartarorum & Cumanorum essent de genere eorum quos Deus in montibus Caspiis precibus magni Alexandri quondam inclusit, convenerunt in loco secretissimo, ex communi condicto. Quos, qui sapientissimus eorum & potentissimus videbatur, sic alloquitur; Fratres qui estis semen Abrahae praeclari, vinea Domini Sabaoth, Deus noster Adonai nos diu sub potestate Christianorum permisit affligi. Sed nunc venit tempus quo liberamur, ut ipsos vice versa Dei judicio opprimamus, ut salvi fiant reliquiae Israel. Exierunt namque fratres nostri, tribus scilicet Israel, quondam inclusae, ut subdant sibi & nobis mundum universum.* Alia ibi sequuntur quae illuc tendunt. Neque vero apud Judaeos solum hujusmodi de bello sententia obtinuit, sed etiam apud alias in oriente gentes *una ea & vetus causa bellandi, profunda libido imperii & divitiarum* (quae verba sunt Sallustii [o]) maxime *semper obtinuit,* idque aperte, sine aliarum praetextu, perinde ac si eorum sensa de jure belli inferendi ad amussim explicasset Tiridates Armenia pulsus, cum Vologesem Parthorum regem in arma adversus Romanos excitans, *non ignavia,* monuit [p], *magna imperia contineri; virorum armorumque faciendum certamen. Id in summa fortuna aequius quod validius. Et sua retinere, privatae domus; de alienis certare, regiam laudem esse.* Et de Nino Assyriorum rege Justinus [q], *Domitis proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esset, totius orientis populos subegit.* Et de Syris & Medis Athenaeus [r]; hos scribit illorum regnum armis ademisse, ut & horum Persas, οὐκ ἄλλου τινὸς ἕνεκα ἢ τοῦ κυριεῦσαι τῆς αὐτῶν ἐξουσίας, *non aliam ob causam nisi sola dominandi cupidine.* Et plura legas apud Platonem in Gorgia de sententia illa orientalium qua ex superiorum solummodo viribus justitia inter principes aliosve bellum gerentes decernitur. Id genus alia satis sunt obvia. Atque Mahumedes, cui tot orientis austrique populi no-

[g] Et vide Josephum Archaeolog lib. 4. cap. 8. [h] In Josuam, quaest. 10. & videsis Petr. Abaelard. in Heloissae Problemate 8. [i] Maimonid. Halach. *Melakim,* cap. 5. Adde Gemar. & R. Obadiam Bartenor. ad finem cap. 8. Misna tit *Sota.* Mos. Mikotzi, Praecept. Aff. 116. [k] Exod. xiv. 13. Deut. xvii. 16. & xxviii. 68. [l] R. Eliaezer apud R. Alphesium in extremo capitis ult. tit. *Sanhedrin,* & Maimonid. Halach. *Melakim,* cap. 5. [m] De vita Mosis, lib. 1. [n] Lib. 2 advers Apionem. [o] In Catilina. [p] Tacit, Annal. 15. [q] Hist. 1. [r] Dipnosoph. lib. 12.

mina dederunt, de bello aliis inferendo, ac ſubjugatis tributo imponendo, ut demum nullum eſſet praeter Mahumedanum omnino imperium, ad hunc modum in [s] Alcorano praecepit,

قاتلوا الذين لا يومنون بالله ولا باليوم

الاخر ولا يحرّمون ما حرّم الله ورسوله ولا

يدينون دين الحق الذين اوتوا الكتاب حتي

يعطوا الجزية عن يد وهم صاغرون

Bellum inferte in eos qui non credunt in Deum atque in diem futurum, aut non pro interdicto habent quicquid interdixit Deus & legatus ejus, aut non recto judicio judicant eos qui acceperunt ſcripta, ſeu inſtrumenta *foederis, adeo ut tributum praeſto pendant & ſubjugentur.* Judaeos innuit & Chriſtianos, per *eos qui acceperunt inſtrumenta foederis,* ſeu foederatos, ut diſerte explicat ibi Mahumedes Ben Achmed. Et de foedere illo luculentum eſt, quod locum hunc aperiat, & τὸ الكتاب *inſtrumenta foederis* ibi denotare probet, teſtimonium, tum apud Mahumedem Abugiafarem ſeu Georgium Elmacinum, ſub initio hiſtoriae Saracenicae, ubi de Judaeis, Chriſtianis, aliiſque in fidem receptis verba fiunt, adjecto illo وكتب لهم كتب *& ſcripſit eis inſtrumentum,* quod de foedere plane intelligendum, tum ex ipſo foederis a Mahumede cum chriſtianis initi inſtrumento, pridem ex oriente allato, & Pariſiis publici juris facto; quo tutelam foederatis pollicetur. Miſere locum illum vertit, uti & alios non paucos, Robertus Retinenſis: *Non credentes,* inquit, *in Deum, dieique futurae, & non facientes Haram qui ſuo legato Deus Haram conſtituit, & non recte litigantes velut caeterarum legum homines, uſque quo veſtri tributarii ſubjectique fiant, expugnate.* Impoſtor Italus [t], qui ex Arabico tranſtuliſſe ſe ſimulat, Retinenſem hic, ut fere alibi, ſequitur, excepto quod portenta illa verborum, *& non facientes Haram qui ſuo legato Deus Haram conſtituit,* cum ne ariolari quis poſſet ſine Arabici exemplaris aut ſermonis ope quid ibi foret ſubſtituendum, prudenter quidem ac omnino praetermiſit. *Haram* vero ipſum eſt حرّم vocabulum ſcilicet Arabicum inter Latina, admodum etiam ipſa invicem incongrua, hic retentum, & *quod interdictum eſt,* ſeu *illicitum,* atque *interdicere,* tum ibi tum ſexcenties alibi in Alcorano ſignificat. Unde & Achmetides exponit illud

ما حرّم الله ورسوله *quicquid interdixerit Deus & propheta ejus,* per كالخمر *quemadmodum vinum* atque id genus alia in Alcorano [v] interdicta. Praeceptum autem illud Mahumedis de bello aliis inferendo ne quis forte autumet non tam ad dilatandos, nudo jure belli, imperii fines attinere, quam ad aliarum religionum libertatem adimendam ad Mahumedicae propagandam; animadvertendum eſt, tum bellum, ex praecepto illo, ut ſimpliciter ſubjugentur ii in quos geritur, & ſub tributo libertatem retineant, inferendum eſſe [x], tum alibi ipſum Mahumedem tanti caetera qualiumcunque religionum genera & tam indiſcriminatim habuiſſe, ut, ſive Judaeus, ſive Chriſtianus, ſive neuter quis eſſet, modo in Deum ut creatorem & remuneratorem & in magnum futuri judicii diem vitae integer crederet, eum amplam juſtitiae & pietatis mercedem admitteret adſecuturum. Verba ejus ſunt [y];

ان الذين امنوا والذين هادوا والنصاري

والصابين من امن بالله واليوم الاخر وعمل

صالحا فلهم اجرهم عند ربهم ولا خوف

عليهم ولا هم يحزنون

Recte credentes, ſeu Elmumnim, *Judaei item, & Chriſtiani, qualeſcunque demum ſectarii, modo credant in Deum & diem futurum, & faciant quod juſtum eſt, mercedem ſuam nanciſcentur apud dominum ſuum, nec timore nec moerore afficientur.* Quod *ſectarios* vertimus, in Arabico ſcilicet الصّابين id Retinenſi *lege ſua relicta in aliam tendentes* ibi ſignificat. Sed Mahumedes Ben Achmed hoc interpretatur per طايفة من اليهود او النصاري *ſectam ſive ex Judaeis ſive ex Chriſtianis,* atque illud باليوم الاخر *in diem futurum* per في زمن نبينا *in tempus praeſtitutum a propheta noſtro,* quod aliud a die reſurrectionis ultimique judicii Muſulmanis denotare nondum didici. Mercedem autem ibi memoratam nuncupat ille ثواب اعمالهم *compenſationes operum ſuorum.* Ne autem quis a Mahumediſmo ad aliam tranſeat religionem, non ſine comminatione graviſſima in eadem Azoara interdicitur. Sed de bello ob imperii tantum cupidinem ita illato D. Auguſtinus [z], quem ſcriptores chriſtiani plerumque hic ſequuntur, *Inferre,* inquit, *bella finitimis, & inde in caetera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt?* Et vetus ſane eſt apud ſcriptores chriſtianos * traditio, ex oriente recepta, Noachum, cum orbem terrarum filiis ac nepotibus diſtribueret, eos jurejurando adegiſſe ne quis eorum alterius terminos tranſgrederetur, τὸν δὲ ὑπερβαίνοντα τὴν τῶν ὅρκων διαταγὴν ἐξολοθρευθήσεσθαι ἐν τῷ ὅρκῳ καὶ πᾶν τὸ σπέρμα αὐτοῦ, *qui vero jusjurandum praeſcriptum violaret, ipſum ac univerſum ſemen ejus ex conceptis jurisjurandi verbis iri funditus diſperditum.*

[s] Azoar. 9. lat. 19. cap 21. pag 666. ſeb. alii.

[t] Arrivaben. Alcor. lib. 2. pag. 48. b.

[v] Azoar. 2.

[x] Vide Claud. Salmaſ. lib. de Uſur s,

[y] Alcoran. in Azoar. 2.

[z] De Civitate Dei, lib. 4. cap. 6.

* Epiphanius in Ancorato Eu-

Quod sane orientalium de bello imperii tantum cupidinis causa rite nec contra fas inferendo sententiae est satis dissonum.

CAP. XIII.

De belli ex jure Ebraeis aliisque gentibus interveniente indictione.

CUM igitur nec injuria praecedens nec tutela sui necessaria hic esset, sed augendae imperii amplitudinis ratio tantum, ex magistrorum (quibus & orientis vicini assenserunt) recepta sententia, justa belli suscipiendi causa haberetur, ad ejusce denunciationem seu indicendi formulam, rerum repetendarum seu clarigationis jus, quod fere in occidente, saltem olim, obtinuit, semper attinere non potuisse nemo non videt. At vero nisi nunciatum, nisi indictum, geri nolebant, disertis etiam legis supra allatae verbis satis moniti. Bellum autem indicere eis erat, deditionem ac foedus solum, ab hostibus (nam illud nomen satis attinebat ad eos in quos bellum decernebatur, modo superius memorato) deposcere, quod לקרוא להם שלום *offerre eis* seu *invitare eos ad pacem* nuncupant. Maimonides [a]; אין עושין מלחמה עם אדם בעולם עד שקוראין לו שלום • אחד מלחמת הרשות ואחד מלחמת מצוה • *Minime inferre licuit bellum adversus quemcunque omnino antequam ad pacem invitassent; idque tam in bello quod ex praecepto gerebatur, quam quod erat ultroneum, obtinuit.* Hunc sequitur etiam Moses Kotzensis [b], de utroque belli genere hic indiscriminatim sumpto: Ita tamen ut singulare ad vicinos Ammonitas & Moabitas jus attineret, idque ex sacrae legis verbis, לא תדרוש שלומם וטובתם כל ימיך *non quaeres* [c], *non rogabis pacem eorum aut bonum eorum cunctis diebus tuis.* Hellenistae ibi, Οὐ προσαγορεύσεις εἰρηνικὰ αὐτοῖς, *Non salutabis eos pace*; & Vulgatae autor, *Non facies cum eis pacem, nec quaeras eis bona.* Sed intelligunt Ebraei [d] tantum non ultro invitandos hosce, ut alios, ad pacem; at si anticiparent ipsi, pacem poscentes, aut merentes gratiam, libenter amplexandos: Qua de re etiam exemplum afferunt Davidis regis & Hanunis Ammonitarum principis. Sed de septem populis atque Amalekitis hic alii aliter. Neque denunciationem hujusmodi necessariam aut locum ex jure habuisse volunt in bellis adversus eos ex praecepto scilicet gerendis, sed in eis tantum quae ultronea erant. Ita Salomon Jarchius [f], ita tributa Uzielidi [g] paraphrasis. Et *Sepher Siphri*, ad leges illas militares [h], כי תקרב אל עיר במלחמה הרשות הכתוב מדבר אל עיר ולא לכרך לעיר ולא לכפר להלחם עליה ולא להרעיבה ולא להצמיאה ולא להמיתה מיתה תחלואים : *Si quando accesseris ad civitatem, &c. De bello ultroneo hoc dictum est.* Ad civitatem *etiam dicitur*, *seu* ad urbem, *non ad oppidum seu vicum. Etiam dicitur* ad expugnandam eam, *seu ad bellum ei inferendum, non ad eam fame aut siti subigendam, aut aegritudinibus interimendam.* Quin denunciationem belli ad illud quod ultroneum erat duntaxat attinere ideo etiam volunt quia in lege dicitur, *Sic facies cunctis civitatibus quae a te longius dissitae fuerint, & quae non sunt de urbibus istarum gentium:* Quibus verbis excludi aiunt nonnulli eas quae in ipsa terra Israelitica, ubi bellum ex praecepto omne, post Josuae initia, gerendum. Cum interea in vetustis eorum commentariis memoretur, Josuam bellum ex praecepto susceptūrum, antequam populorum septem ullum armis invaderet, etiam denunciatione triplici bellum illis indixisse. Rabbi Samuel Ben Nachman [i], שלש פרסטיגמות שלח יהושע לארץ ישראל עד שלא יכנסו לארץ כי שהוא רוצה להפנות יפנה להשלים ישלים לעשות מלחמה יעשה גרגשי פינה והאמין לו להקב"ה והלך לו לאפריקי עד בואי ולקחתי אתכם אל ארץ כארצכם זו אפריקי גבעונים השלימו וכי השלימו יושבי גבעון את ישראל שלשים ואחד מלכים עשו מלחמה ונפלו : *Trinas praemisit Josua epistolas in terram Israeliticam, antequam eam invaderent Israelitae,* seu *potius literis tria proposuit; qui fugam mallent, aufugerent; qui pacem, in foedus venirent; qui bellum, arma susciperent. Unde Gergesaei credentes in Deum O. M. aufugerunt, in Africam se conferentes, ac si eis dictum etiam fuisset, donec* [k] *ipse venero, & vos duxero in terram terrae vestrae simillimam: Nam ejusmodi est Africa. Gibeonitae in foedus* [l] *veniebant, adeoque terrae Israeliticae incolae manebant. Reges triginta* [m] *ac unus bellum susceperunt, & cecidere.* Et mire sane convenit quod hic de fuga in Africam habetur non modo cum historiola Talmudica, qua Africani apud Alexandrum Magnum hoc nomine possessiones suas avitas velut [n] actione repeterent (qua de re etiam infra fusius) sed etiam cum veteri illa apud Procopium [o] inscriptione in Mauritania Tingitana reperta, qua indicatum est incolas priscos illuc a facie Josuae F. Nun aufugisse. Quod tamen de Gergesaeis universis minime intelligendum, cum etiam & eorum nomen non solum in caeteris qui bello capti populis in sacro sermone [p] reperiatur, sed etiam in evangelio [q], ut nondum in terra Israelitica deletum, occurrat. Qui vero tam bello quod ex praecepto gerebatur, quam ei quod ultroneum erat, denunciationem necessariam fuisse volunt, praeceptum illud de excidendis populis septem singulare ita obtinuisse etiam volunt, si in foedus, quale statim dicetur, venire aversarentur; aliter aeque ac alios foederis beneficio gaudere debuisse itidem ipsos: ad quod facit Gibeonitarum exemplum. Atque ita intelligi interdicta [r] de foedere cum eis, scilicet foedere non ineundo aliusmodi quam quod in Ebraeorum eos redigeret potestatem, nec cultui sacro detrimento esset. Sed de omnibus praeter Gibeonitas, &, quos memoravimus, si eos excipi velis, Gergesaeos, Domini sententia [s] erat *ut indurarentur corda eorum, &*

[a] Halach. *Melakim*, cap. 6. Consonum satis est quod habet de bello ab Ebraeis indicendo Philo lib [illegible]. [b] Praecept Aff. 118. [c] Deut. xxiii. 6. & vide R. David. Kimchi Josuae cap. ix. [d] *Sepher Siphri*, col. 190. Maimonid. loco citato, Moses Mikotzi Praecept. Neg. 228. [e] 2 Samuel. x. 3. [f] Ad Deut. xx. 10. [g] Chald. Paraphras. ibidem. [h] *Siphri* col. 187. Adde R. Jom. Tob Bar Abraham in *Migdol Oz*, fol. 761 a. videsis Fl. Josephum, Archaeolog lib. 4. cap 8. [i] Gem. Hierosolymit. ad tit. *Shebiith* seu *de Juribus anni septimi*, cap 6 fol. 35. col. 3. [k] Isaiae xxxvi. 17. [l] Josuae ix. 3. [m] Ibid. xii. 8. [n] Gem. Bab. tit. *Sanhed.* cap 11. fol 91. a. [o] Lib 2. de Rebus Vandelicis, & vide hic lib. 7. cap. 8. [p] Josuae xxiv. 11. [q] D. Matth. viii 20 *[illegible]* in Graeco, *Geraseni* in Latino codice. [r] Exod. xxxiv. 12. & seqq Deut. vii. 2. Josuae xi. 15. videsis Alberic. Gentilem de Jure Belli, lib. 3. cap. 19. [s] Josuae

pugnarent

pugnarent contra Israel; & illi delerent eos, & nullam eis exhiberent misericordiam, sed eos disperderent, sicut praeceperat dominus Mosi. Et hac de re alia mox.

CAP. XIV.

De foederis ineundi ratione & capitibus, ubi hostes se dederent.

FOEderis capita seu conditiones quae deposcebantur, & sine quibus pacem non inibant Ebraei, cum ad eam hostes invitarentur, trinae fere[a] erant. I. לקבול שבע מצות שנצטוו בני נח עליהן *ut septem praeceptorum quibus obstricti sunt Noachidae professione se obligarent,* quoties scilicet Judaismo nomina, uti sub Joanne Hyrcano Idumaei, non darent. II. לקבול עליהן המס *ut ad tributum praestandum se obstringerent.* III. לקבול עליהן העבדות *ut servilem in se susciperent, erga imperium Israeliticum, cultum.* Neque enim τὸ עבדות per *servitutem* (quod etiam plane significat) hic transferendum, nisi eo nomine ejusmodi servitutem intelligas qua homines, si statum respicias, etiam liberi, eos in quorum potestatem, ut subditi, redacti sunt, pro vario populorum more solent observare, ut clarius statim liquebit. Primi capitis sensus ex eis satis dignoscitur quae libro secundo de proselyti domicilii professione ostenduntur. Cum enim jam ditionis essent foederati Israeliticae, uti & ipsum territorium, non magis sine hac professione sive sedibus sive vita ibi ulterius frui permittebantur illi ac gentiles, sive liberi sive servi, qui florente Ebraeorum imperio domicilio apud eos gaudere vellent. Secundum & tertium foederis caput subnititur sacris illis verbis in legibus militaribus ante[b] allatis, *Sint tibi sub tributo, & serviant tibi.* Servitus autem illa, seu cultus servilis, non solum ejusmodi erat ut imperii Israelitici majestatem perpetuo comiter atque cum obsequio observarent, sed etiam ut se plane dederent, & sub illius ditione se degere agnoscerent, & שיהין נבזים ושפלים למטה ולא ירימו ראש בישראל אלא יהיו כבושים תחת ידם ולא יתמנו על ישראל לשום דבר שבעולם: quae verba sunt Maimonidis[c], id est, *ut humiliter se gererent, nec caput levarent inter Israelitas, sed eorum potestati subjecti nullam ob causam omnino in praefecturam aliquam, qua coercerentur Israelitae, eveherentur.* Tributi autem nomine non solum pecuniarum summae quotannis pendendae, sed obligatio tum ad pecunias tum ad operas (quod עבודה בגופם ובממונם *ministerium corporale & opum subsidium* nuncupant) in publicum commodum, principis jussu praestandas, continebatur: Veluti in exstruendo reficiendove sive templo, sive palatio regis, civitatibus, earumve muris, id genus aliis. Et de hisce *Sepher Siphri*[d]; אמרו מקבלים עלינו מסים ולא שיעבוד שיעבוד ולא מסים אין שומעין להם עד שיקבלו עליהם זו וזו: *Si consentirent in tributum, non vero in obsequium illud servile, aut in hoc, non vero in illud, in foedus non recipiebantur; nisi scilicet in utrumque se obligarent.* Scimus quidem להיות למס *esse*[e] *in tributum*, ita in foedere veteri usurpari, aliasque ejusmodi locutiones, quibus τὸ מס, id est *tributum*, denotatur, ita verti solere ut vulgatam tributi, id est, census, pendendi tantum significationem retinere, non operae personalis praestationem includere videatur, unde ὁ φόρος, *tributum, tributarii*, & *vectigales* vetustis interpretibus, ubi מס occurrit, plerumque substituuntur: Sed vero non modo tributum vulgo ita dictum sed etiam ministeria corporalia eo nomine innui tum probant receptae hac de re magistrorum sententiae, tum firmant etiam versiones aliquot priscae ipsius vocabuli. Nam להיות למס עובד *esse*[f] *in tributum* seu *ut tributarius serviens* vertitur nunc fieri ἀνὴρ γεωργὸς *homo agricola*, nunc γεωργὸς ὑπηρετεῖν *agricola qui ministeria praestet.* Atque alibi ὑπόφοροι δοῦλοι *servi*[g] *tributarii*, atque ὑπήκοοι *subjugati*[h], (quibus vocibus personale etiam obsequium, nec solum tributum ita vulgo dictum indicatur) pro eis usurpantur qui ex vi vocabuli מס *tributarii* in versionibus Latinis appellitantur. Et demum expresse מס שלשים אלף איש *tributum triginta millium virorum*, quod φόρος & *indictio* vertitur, in libris Regum[i] occurrit; unde manifestius nihil est quam ministeria corporalia seu personalia eo nomine recte satis designari, uti ex aliis etiam quae mox insequentur. Exactionem ab hujusmodi foederatis tam personalis, quale diximus, quam pecuniarii tributi intelligi volunt, ubi David rex praecepit[k] *ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad caedendos lapides & poliendos, ut aedificaretur domus Dei*; proselyti qui in ejusmodi foedus temporibus retroactis subinde venerant. Simile, sed quod illustrius est, exemplum habent in magnifico illo apparatu Salomonis regis templum civitatesque aliquot condituri. In historia sacra de illo apparatu dicitur primo[l] וזה דבר המס אשר העלה וגו' quod Vulgato est, *Haec est summa expensarum quam obtulit rex Salomon ad aedificandam domum Domini, &c.* Dein sequuntur urbes aedificandae reficiendaeve. Et statim subjungitur; *Omnem populum*[m] *relictum ex Hitthaeis, Amorrhaeis, Pherizaeis, Hivaeis, & Jebusaeis, qui scilicet non fuere ex filiis Israel, filios nempe eorum qui residui manserunt post eos in terra, & quos filii Israel non potuerunt delere,* ויעלם שלמה למס עובד עד היום הזה *fecit Salomon tributarios ad operas praestandas usque in diem hunc. De filiis autem Israel* לא נתן שלמה עבד *in ministerium* hujusmodi *neminem sumpsit, quoniam ii erant viri militares, ministri ejus, principes ejus, duces ejus, & principes curruum atque equitum ejus.* Proselytos illos seu reliquias septem gentium ex illo de publicis ministeriis obeundis foederis solennis capite hic accitas fuisse volunt[n] ad opera quae prae manibus erant. Et

[a] *Sepher Siphri*, col. 187. Maimonid. Halach. *Melakim*, cap 6. Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 118. videsis R David Kimchi, ad Josuae cap. ix. [b] Cap. xii. [c] Halach. *Melachim*, cap. 6. [d] Col. 187. [e] Judic. i. 30 adde Comm. 29. 33. 35. Threr. i. 1. [f] Gen. xlix. 15. [g] Jos. xvi. 10. [h] Jos. xvii. 13. [i] 1 Regum v. 13. & Josephus Archaeolog. lib. 8. cap. 2. [k] 1 Paralipom. xxii 2. [l] 1 Regum ix. 15. [m] Sic etiam 2. Paralip. viii. 7. [n] R Levi Ben Gersom ad 1 Regum v. 15. K. David Kimchi ad 1 Regum ix. 20. & 2 Paralip. ii. 17. Maimonides Halach. *Melakim*, cap. 6. Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 118.

praece-

praecedentia illa vocabula זה דבר המס וגו' quae Vulgato sunt, *Haec est summa expensarum*, &c. interpretanda volunt, *Haec est ratio tributi* (eo sensu quo diximus intellecti) *quod exegit Salomon rex ad aedificandum templum*, &c. eamque, post interjecta, quorum apparatus erat, opera, id est, templum & civitates ibi memoratas, denotari per illos qui ex foederis, in quod venissent, jure ad tributum hujusmodi obstringerentur. Atque ex jam dictis intelligenda, ad mentem Ebraeorum, loca quibus memoratur sive sub Josua [o], sive sub Juda [p], sive sub Davide [q] devictos populos tributarios factos. Nam & quos devicit hic, ac vivere permisit, πάντας φόρῳ ὑποτελεῖς ἐποίησεν, [r] *omnes tributo subjectos fecit.* Quod vero adjicitur supra de Israelitis in ejusmodi ministerium non sumptis, id (quod obiter est animadvertendum) non ita accipiendum ac si plane ipsi tributo immunes, seu ministeriis publicis liberi. Placuit ut assidua proselytorum ac deditidiorum, veluti Nethinaeorum sic signantius dictorum, in exstruendo templo urbibusque ibi memoratis opera adhiberetur; qualis indigenas non gravaret, causa ibi adjecta. At vero & φόρον ἐργάτας τρισμυρίους, *tributum quod erat operariorum triginta millium*, ut ait Josephus [s], idem rex ab Israelitis etiam exegit, ut legitur etiam in libris [t] Regum; non vero qui assiduis assuescerent in Libano monte (nam ad materiandum ibi selecti sunt) laboribus, sed ita vacationibus gauderent, ut viginti millia binis semper mensibus otio uterentur, ac decem millia quolibet mense tantum adessent. Vicium autem & vacationum inde ratio orta, ne gravius, aut quale proselytorum ac deditidiorum, onus Israelitis imponeretur. Ita sane Gersomides [v], הבאתם באופן שלא יכבד כאר עליהם *Ideo per vices redibant, ne grave nimis onus eis imponeretur.* Atque alia sunt in sacra historia [x] unde de tributo cui populus Israeliticus subjacebat satis liquet. Hinc est etiam forte quod legitur Israelitas uno fere ore dixisse de Golia, *Virum* [y] *qui percusserit eum ditabit rex divitiis magnis, & filiam suam dabit* ואת בית אביו יעשה חפשי בישראל *ei, & familiam patris ejus faciet* ἐλεύθερον seu *liberam* (ut Hellenistae) in Israel; ubi Vulgatus, *& domum patris ejus faciet absque tributo in Israel*, & Chaldaeus, חורין רברבין *liberos principes in Israel.* Et de tributo hujusmodi magistri [z] fusius, quos consulat, si volet, lector. Quod vero ad caput hoc de tributo in foedere subeundo attinet; ita pro principis arbitratu variatim concipi potuit, ut, pro conventionis ac modi adjectione, sive fundi tantum, sive bona tantum mobilia, sive horum sive illorum pars aliqua tributo subjaceret; & quod reliquum esset eo omnino foret liberum. Maimonides [a], ויש למלך להתנות עמהם שיקח חצי ממונם או הקרקעות ויניח כל המטלטלין או המטלטלין ויניח הקרקעות כפי מה שירצה׃ *Et rex pro libitu suo ita cum receptis in foedus convenire potuit, ut rerum eorum partem caperet, veluti fundos, & abstineret omnino a bonis mobilibus, aut haec, & ab illis abstineret, secundum id in quod fuerit conventum.* Inito demum foedere, nefas ait fuisse fidem eo datam fallere, aut pactis religiose non stare, modo nempe statim קבלו שבע מצות *susciperent in se praeceptorum septem observationem*, id est eorum quae Noachidarum nomine toties indigitavimus, seu juris omnium hominum communis ac naturalis capita septem. Nec defuerunt qui tridui inducias, seu tempus ejusmodi deliberandi, sive post bellum indictum, sive post castra in bellum posita, hostibus concedendum voluere; quo de invitatione in foedus seu deditionem libere consulerent: Neque ante id elapsum, bellum fuisse inferendum. Ad illud legum militarium, *Cum* [b] *obsederis civitatem multis diebus, & pugnaveris contra eam*, autor [c] *Siphri*, מגיד שתובע שלום שנים שלשה ימים עד שלא נלחם בה׃ *Verba illa indicant hostes ad pacem seu in foedus biduo, etiam triduo, invitandos, antequam bellum in eos inferatur.* Quo etiam spectare aiunt illud de Davide rege, *Et* [d] *mansit*, seu *exspectavit*, *in Ziklag per biduum.* Sed hoc etiam ad belli ultronei jura, non ejus quod ex praecepto gerendum erat, attinuisse vult Salomon [e] Jarchius.

CAP. XV.

De foederis & deditionis aversatione, belloque inde inferendo. Disciplina militaris de arboribus frugiferis in hostico non succidendis. Temperamentum dominii, ne quis rem suam plane destrueret. Et de loco fugae in obsidione hosti relinquendo.

SI foedus ad deditionem, qualis ostensa est, renuerent hostes, bellum inferebatur: Ubi nempe victoriae spes alliceret. Nam alioquin foedus tum omnino aequale, tum quo ipsi inferiores fierent, cum populis quibuscunque (exceptis septem quos diximus, atque Amalekitis) inire & fas eis, & pro re nata, quemadmodum aliis nationibus, mos erat; quod in Salomonis & Hirami Tyriorum regis, Romanorum atque aliorum quorum amicitiam amplexi sunt, foederibus videmus. In belli autem ita illati disciplina (quantum ad legitimam dominii, ex jure belli eis recepto, acquisitionem pertinet) animadvertendum inprimis est, quaenam in obsidione ac locis in castrorum vicinia res eis interdictae, & quaenam ita permissae ut libere uterentur, fruerentur. In obsidione & castrametatione tum singularis arborum, quae circum crescebant, habenda erat ratio, tum loci fugae hostibus (ita sane inolevit opinio) relinquendi. Arborum nempe tum infructuosarum (quibus pro libitu militi uti frui licuit) tum fructiferarum. Has a milite succidi aliterve disperdi, contra fas fuisse ex sacro sermone superius allato * constat, *si fructus esui esset idoneus*, seu עץ מאכל

[o] Josu. ix.23. [p] Judic. i. 28. & seqq. [q] 2 Samuel. viii. [r] Epist. Salomonis ad Hieremum R. ex Annal. & Archivis apud Josephum Archaeolog. lib. 8. cap. 2. [s] Archaeolog. lib. 8. cap. 2. [t] 1 Reg. v. 13. [v] Ad 1 Regum v. 13. [x] 1 Regum iv. 7. & seqq. & cap. xi. 28. [y] 1 Samuel. xvii. 25. [z] Maimonides Halach. *Melakim*, cap. 4. & Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 115. Item Maimonides Halach. *Gazela Wabda*, cap 5. & vide Guil. Schickard. de Jure Regio, cap. 4. theor. 15. Baal Aruch. in verb. אפסניא Exechiel. xlv. 7. & 9. & ibi R. David. Kimchi. [a] Halach. *Melakim*, cap. 6. [b] Deut. xx. 19. [c] Col. 187. [d] 2 Samuel. i. 1. [e] Ad Deut. xx. 19. * Cap. 12.

arbor quae esculenta tulerit, quo nomine arborem fructiferam ibi denotat Moses; velut olivam, palmam, pomum. Fructus licite comedebatur; arbore, ut in humanos usus fructum postea itidem ferret, servanda. At si arbor esset omnino sterilis, aut si fructum ferret plerumque nocivum aut inutilem, aut adeo intempestivum [b] seu inopem ut culturae labores neutiquam compensaret, aut arboribus vicinis, agrove in quo sata est, esset detrimento, aut pretio eximio venundari posset ejus materies, ex majorum dictae legis interpretatione, etiam in qualescunque usus bellicos excidere seu radicitus evellere licuit. Addit inde Josephus [c] nec in hosticum ignem qui vastaret injiciendum, ex lege Mosaica, alia item, Οὐ γὰρ ἐᾷ (inquit, Moses) τὴν γῆν αὐτῶν πυρπολεῖν, οὐδὲ κόπτειν ἥμερα δένδρα συγκεχώρηκεν· ἀλλὰ καὶ σκυλεύειν, ἀπείρηκε τοὺς ἐν μάχῃ πεσόντας, καὶ τῶν αἰχμαλώτων προυνόησεν, ὅπως αὐτῶν ὕβρις ἀπῇ μάλιστα ἡ γυναικῶν, *Neque permisit terram eorum* (hostium) *igne devastari, neque arbores fertiles incidi. Etiam spoliari eos qui in bello cecidere interdixit: Et captivis prospexit, quatenus nec eis inferretur injuria, maxime foeminis.* Libentius forsan quam par erat suorum mores, ut humaniores erga gentiles, exhibere contendit ibi Josephus. De captivis Talmudica doctrina est, qualem diximus. Et de foeminis, quarum sors non dispar, praeter ea quae hoc capite occurrunt, consulas libri quinti caput decimum tertium, ubi singulare de foemina bello capta ducique adamata jus aperitur. Atque ut ex lege sacra interdicebatur, ut dictum est, militi in obsidione arboribus frugiferis, ita ex majorum interpretatione civibus etiam caeteris ubicunque in imperio Israelitico degentibus similis interdictio: Adeo ut nemini impune liceret arborem frugiferam caedere דרך השחתה *ita ut inde corrumperetur* aut *periret*. Nonnullas autem mensuras adhibitas video quibus frugiferae hic arbores an infructuosae fuerint dignosceretur. Olivam quae quartam redderet olivarum cabi partem, aut palmam quae dactylorum cabum, ne domino quidem succidere permissum est: Si minor fuisset annuus proventus, permissum. Et interdictum de non succidendo aeque ad eos spectabat qui aquas inhibendo arbores frugiferas arefacerent, aliove modo infoecundas ultro redderent. Atque ex notissimo hoc apud Ebraeos in ipsis juris sui capitibus arborum frugiferarum, earumque fructus salubres ferentium, & earum quae aut steriles essent aut insalubres aut inutiles, discrimine, ortum forte est quod in evangeliis [d] de hujusmodi arboribus atque earum fructu, eisque quae bonum non ferrent succidendis, veluti paroemia maxime obvia, toties occurrit. Nec minus, ex decretis majorum divini de arboribus frugiferis praecepti bellici ratione nixis, illicitum erat vasa diffringere, vestes dilacerare, demoliri aedes, fontes occludere, aut aliud quid ejusmodi facere דרך השחתה *ita ut inde res periret*, usibusve prorsus eximeretur humanis; aliter atque aut militiae in praelio atque hostibus adoriendis subjugandisque [e], aut futuri in pace commodi ratio ac prudentia exigeret. Intererat nempe reipublicae ne quis re sua sic male uteretur. Adeoque dominium & facultas alias ejusdem libera sic temperabatur modumque recepit. Qui contra hic quid committerent verberibus plectebantur; arbores frugiferas succidentes, veluti ex lege sacra rei; caeteri, ex decretis majorum. De loco autem fugae relinquendo ita ex veterum traditione plerumque statuunt, ut urbis obsessae plaga e quatuor unica ita sine milite relinqueretur ut libera illac hostibus fuga maneret, atque integrum esset unicuique להמלט על נפשו *vitae suae consulere.* Maimonides [f], כשצרין על עיר לתפשה אין מקפין אותה מד׳ רוחותיה אלא משלש רוחותיה ומניחין מקום לבורח ולכל מי שירצה להמלט על נפשו שנאמר ויצבאו על מדין כאשר צוה ה׳ את משה מפי השמועה למדו שבכך צוהו: *Quando oppugnabant seu obsidebant urbem ut eam caperent, minime eam a quatuor plagis circumcingebant, sed tantum a tribus, loco fugae relicto, ut qui vellet vitae suae consuleret; secundnm id quod dictum est* [g], Et castrametati sunt (seu παρέταξαντο, *aciem instruebant*, ut Hellenistae locum illum) adversus Midian, secundum id quod Dominus praeceperat Mosi. *Unde discimus rem ita fieri ex praecepto.* Id quod vult est, innui ibi, ex praecepto singularem quam diximus aciei in obsidione instructionem praescriptam fuisse; maxime in bello ultroneo: Nam in eo quod ex praecepto adversus septem populos gerebatur, aliter se rem, saltem interdum, idque ex divino praecepto, habuisse videtur ex Hiericuntis [h] historia. Modo autem, quo diximus, castra adversus [i] Midianitas posita fuisse antiquitus receptum est, unde jus ejusmodi castrametandi voluere emanasse. Moses Mikotzi [k] ad locum illum Numerorum, תניא בספרי כשצרין על העיר לתפשה נצטוו שלא יקיפו אותה מארבע רוחותיה אלא משלשה רוחות ומניחין מקום לברוח: *Traditio est ex libro Siphri, imperatum esse iis qui in urbem castra, ut eam caperent, locarent, eam a quatuor plagis minime circumcingere, sed a tribus tantum, ut locus fugae relinqueretur.* Ita ille. Sed in *Sepher Siphri* [l] quo utor hoc tantum de hac re lego, ויצבאו על מדין הקיפוה מארבעה רוחותיה רבי נתן אומר נתן להם רוח רביעית כדי שיברחו: *Et castrametati sunt adversus Midian. Circumcingebant eam a quatuor plagis. Sed tradit Rabbi Nathan plagam quartam liberam fuisse relictam, fugae causa.* In Vulgata autem, *secundum id quod Dominus praeceperat Mosi*, hic praetermittitur. Sed & observandum est in paraphrasi Uzielidi tributa ita reddi verba illa de castrametatione in Midian, ואתייחלון מדין אקפוה מתלת טריגונהא היכמא דפקיד יהוה ית משה וקטלו כל דכורא: *Et castrametati sunt in Midian, circumcingendo eam a plagis trinis, juxta id quod praeceperat Dominus Mosi; & occiderunt omnes masculos.*

[b] Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 6. Gem. Bab. ad tit. *Baba Kama*, cap. 8. fol. 71, 72. *Sepher Siphri*, col. 187. [c] Lib. 2. advers. Apionem. Vide & Archaeolog. lib. 4. cap. 8. [d] Matth. iii. 10. & vii. 17. & xii. 33. D. Luc. iii. 9. [e] Ut Numer. xxxi. 10. [f] Halach. *Melakim*, cap. 6. [g] Numer. xxxi. 7. [h] Josu. vi. 3. & 7. [i] Num. xxxi. [k] Praecept. Aff. 118. [l] Col. 106.

CAP. XVI.

De urbibus, regionibus, personis subactis, captivis, hostibus caesis sepeliendis, praeda, hujusque distributione, ex jure belli Ebraeis in usu. Quid nomine terrae Israel revera venerit.

PArta victoria, alia erat ratio septem populorum seu Amalekitarum, id est, belli ex praecepto gesti, alia ejusce quod ultroneum erat. Septem populos (quibus pari censent jure Amalekitas ex eo quod delendam esse legimus [a] eorum memoriam) post victoriam ad internecionem universos caedi vult lex sacra superius [b] allata. Ratio adjicitur [c], *Ne doceant vos facere cunctas illas abominationes quas ipsi fecerunt diis suis.* Quod sic interpretantur veteres aliqui, ut fas quidem esset ex praescripta lege militari universos, sine sexus aut aetatis discrimine, interficere, sed tamen pro libitu eos servare qui poenitentia ducti proselytos sive justos sive (pro eorum quorum in potestate essent arbitratu) domicilii se fieri volebant, perinde ac si non tam praeceptum caedis, quam permissio aut licentia lege comprehenderetur; qua de re nonnihil supra [d]. Autor *Siphri* ad illud, *Ne doceant vos*, מלמד שאם עושים תשובה אין נהרגים *illinc* [e] *observandum est, si poeniteant, a caede posse abstineri.* Et Salomon Jarchius ibi, הא אם עשו תשובה ומתגיירין אתה רשאי לקבלם *Intelligendum, si poenitentiam fecerint & proselyti fiant, fas esse etiam eos recipere.* Alii vero ex ipsa praecepti vi ad unum omnes illorum qui antea se in deditionem ac foedus non obtulissent perimendos fuisse [f] statuunt. Sed prior, ut videtur, sententia magis etiam antiquitus invaluit; Quod ex septem populorum reliquiis toties in sacris literis memoratis nemini non eliciendum. Atqui de Amalekitis hoc singulare memorant aliqui; [g] nullo pacto scilicet eos in societatem, quae aliis gentibus universis ut proselytis sive justitiae sive domicilii non est negata, admittendos; ejusque rationem itidem habuisse Davidem cum juvenem qui Saulem occiderat, utpote ex Amalekitis proselytum [h], interfici jussit. Caeterorum vero hostium ex bello ultroneo devictorum in caede excipi vides [i] mulieres & parvulos; quod sic capiunt ut *mulierum* nomine universus ille sexus, *parvulorum* etiam & masculi qui minores essent comprehenderentur, adeo ut praecedentia [k] de *masculis cunctis caedendis* verba de majoribus aetate solum interpretentur. Sed vero ut ex interpretatione legis de septem populis omnino necandis obtinuit opinio, potestatem universos necandi expresse a numine potius indultam esse, quam, ex praecepti vi aut sententia, ipsos necessario fuisse necandos, adeo ut integrum esset etiam servare eorum quotquot proselyti, ut dictum est, fieri vellent; ita videtur quidem simili modo fas fuisse captis quibuscunque in bello ultroneo parcere, usque dum saltem victori satis constaret (secundum ea quae superius dicta sunt) eos fieri proselytos saltem domicilii nolle. Cum Syros aliquot in Samaria haberet captivos miraculo illuc ductos, Jehoramus rex Israelis rogavit [l] Elisaeum prophetam an eos percuteret seu interimeret; cui propheta, לא תכה האשר שבית בחרבך ובקשתך אתה מכה *Non percuties*, inquit, *quos cepisti gladio tuo & arcu tuo, tu percutis.* Quae verba posteriora cum interrogatione nonnullis leguntur, acsi respondisset, *Hisce parcendum. Nam & captos bello parcere soles, etiam & interdum debes. Captivi hi fiunt tibi ex numinis beneficio. Si quosquam ideo tantum occideres quod bello capti essent,* אין זה ראוי וכל שכן שאין ראוי זה במי ששבה אותם הש״י *sane indigna res esset & multo magis indigna, si ejusmodi quid committeretur in eos qui a numine benedicto tibi fiunt captivi;* Quae verba sunt Gersomidis. Neque sensu alio Jarchius. Sed Vulgata ibi, *Non percuties, neque enim cepisti eos gladio & arcu tuo, ut percutias.* Et versio apud D. Ambrosium [m], *Non percuties, quos non captivasti in lancea & in gladio tuo.* Locum vero ita explicat Josephus [n], ut vetaret, hosce occidi propheta, τοὺς δὲ νόμῳ ληφθέντας πολέμου ἀποκτείνειν δίκαιον, *captos vero jure belli injustum non esse occidere*, verbis illis innueret. Caeterum idem Josephus, ubi sensa legum sacrarum de militia tradit [o], Κρατήσαντες τῇ μάχῃ τοὺς ἀντιταξαμένους κτείνατε, τοὺς δ' ἄλλους εἰς τὸ τελεῖν ὑμῖν φόρους σώζετε, πλὴν τοῦ Χαναναίου ἔθνους· τοῦτο γὰρ πανοικὶ χρῆναι ἀφανίσαι. *Victores in proelio facti eos qui in adversa acie steterunt* (qui se dedere noluerunt) *caedite: Caeteros, ut tributa vobis solvant, servate; excepta Cananaeorum* (id est septem populorum cum Amalekitis) *gente. Hi enim cum totis familiis sunt delendi.* Inter leges etiam Mosaicas habet is [p] illam de hostibus sepeliendis, Θαπτέσθωσαν δὲ καὶ οἱ πολέμιοι, καὶ νεκρὸς εἰς μηδὲ γῆς ἄμοιρος κείσθω περαιτέρω τοῦ δικαίου τιμωρίαν τιννύων, *Quin & hostes sepeliantur; nec mortuus quisquam expers terrae jaceat, ultra quam justum est poenas exsolvens.* Quo spectat ejusdem illud [q] ἄταφον μὴ περιορᾶν, *insepultum non spernere*, velut Mosaicum. Quod unde hauserit, nisi ex interpretatione sua prioris partis capitis vigesimi primi Deuteronomii, plane nescio. Postquam vero in devictos sive proelio sive obsidione hostes esset saevitum, personae, quibus parcitum est, ut captivi, in servitutem [r] (non qualis ex foedere ac deditione juxta superius dicta nascebatur, sed quae statum liberum in servilem plane conditionem mutaret) redacti pars praedae erant, quae tota in victorum dominium ita jure belli transibat. Atque ut pace empti, sic bello capti, servi fiebant, & pro dominantium libitu vitae genere in posterum gaudebant. Et passim tam in oriente quam in occidente invaluit mos ille, bello, non civili, captos, quibus parcitum est, in servitutem abducere. Sed inter christianos diu est quod, charitatis causa, desiit; pretio tamen

[a] Exod. xvii. 16. Deut. xxv. 17. [b] Cap. xii. [c] Deut. xx. 18. [d] Cap. 13. [e] Col. 187. [f] Maimonid. Hal. *Melakim*, cap. 5. Moses Mikotzi praecept. negativ. 225. & videsis 1 Sam. xxvii. 9. [g] *Mechilta*, fol. 21. col. 4. [h] 2 Sam. i. 13. [i] De captorum caede videsis Alb. Gentilem de Jure Belli, lib. 2. cap. 16. & Hug. Grotium de Jure Belli ac Pacis, lib. 3. cap. 7. & 11. [k] *Sepher Siphri* loco indicato, Maimon. Hal. *Melakim*, cap. 6. Jarchius ad Deut. xx. 14. [l] 2 Regum vi. 21. [m] De Officiis, lib. 1. cap. 29. [n] Archaeolog. lib. 9. cap. 2. [o] Ibid. lib 4. cap 8. [p] Ibidem. [q] Lib. 2. advers. Apionem. [r] Deut. xxi. 10. Numer. xxxi. 26. videsis Josephum Archaeolog. lib. 4. cap. 7.

redemp-

redemptionis praeſtitui ſolito, uti etiam apud Mahumedanos, ubi Mahumedanum ceperint. In praeda autem alia erant bona quae אוצרות המלכים *theſauri regum*, nempe devictorum, dicti (quo nomine contineri puto quicquid regio faſtui & ſplendori proprium eſſet) alia quae reliquorum in opibus. Primi generis regis omnia, ex recepto jure, fuere. Secundi, univerſis bipartito diviſis, alteram etiam ſibi totam eligebat rex partem: altera vero partitione aequali diſtribuenda erat ſingulis qui militarant; quorum in numero non minus habebantur impedimenta ac ſarcinas curantes quam proelio dimicantes. Gemara Babylonia [s], תנו רבנן אוצרות מלכים למלך ושאר ביזה שבוזין מחצה למלך ומחצה לעם: *Tradunt Rabbini noſtri, theſauros regios* in bello captos *ad regem ſpectare*; *praedae vero reliquae partem dimidiam etiam regis eſſe, dimidiam populi. Populi* nomine hic deſignantur tantum [t] qui aut proelio dimicarant aut impedimenta curarant. Diverſa autem praedae a Midianitis captae diſtributio [v] ex ſingulari Dei juſſu, cui omnia cedunt jura, pendet. Atque ad hunc modum interpretati ſunt illud, *AEqua pars erit deſcendentis ad praelium, & remanentis ad ſarcinas*; *& ſimiliter divident*: parte nempe totius praedae dimidia tantum eis diſtributa, ut dictum eſt. Quod vero ibi ſequitur, *Factumque eſt a die illa* ומעלה (quod plerumque *& deinceps* vertitur) *ut & iſtud poneretur ſtatutum* [x] *& jus in Iſrael, uſque in hunc diem*, etiam ad anteriorum ſeculorum uſum reſpicere aiunt, ita ut מעלה ibi non *deinceps*, ſeu tempus futurum denotet (quod nec denotare ſolet) ſed *ab olim*, & aevi mores praeteriti ejuſque vetuſtiſſimi. Hinc ad illud Abrahae, ubi praedae ſuae partem Berae regi Sodomae munifice reddit, nec quid ſe retenturum profitetur, *exceptis* [y] *tantum his quae comederunt juvenes, & parte eorum qui mecum ierunt*; *Aner, Eſcol & Mamre, etiam & ipſi accipient partem ſuam*, morem hunc praedae diſtribuendae tunc in uſu fuiſſe obſervant. Senſus autem verborum illis eſt qualem hic reddidimus, & diverſus ab eo qui in verſionibus occidentalium habetur. *Juvenes* & *qui cum eo ierant* ſumunt pro eis qui praelio dimicarant, & hoſtes uſque ad Dan [z] fuerant inſecuti: Aner autem, Eſcol & Mamre apud impedimenta manſiſſe aiunt. Unde Salomon Jarchius [a], ממנו למד דוד שאמר כחלק היורד למלחמה וכחלק היושב על הכלים יחדיו יחלוקו ולכך נאמר ויהי מהיום ההוא ומעלה וישימה לחוק ולמשפט ולא נאמר והלאה לפי שכבר נתן החוק בימי אברהם: *Ab eo didicit David id quod dixit, partem deſcendentis ad proelium, & ejus qui apud impedimenta manſerit, ſimilem fore, & utriſque aequam diſtributionem faciendam. Ideo etiam dicitur, Et factum eſt ab eo die & ab olim ut poneretur in ſtatutum & jus. Neque vero dicitur* & deinceps, *ideo quod olim traditum eſt ſtatutum in diebus Abrahae.* Quod ipſum etiam monuit Rabbi Jodan in Bereſith [b] Rabba. Sed Joſephus, Ἐξ ἐκείνου, inquit [c], νόμος οὗτος ἐκράτησε παρ' αὐτοῖς, *Ab eo tempore* (Davidis) *lex illa obtinuit apud eos*, de praedae ſcilicet ejuſmodi diſtributione. De agris demum, urbibus atque regionibus ſubactis Maimonides agens, decimam tertiam eorum partem regis fieri ait. Verba ſunt [d], המלך המשיח נוטל מכל הארצות שכובשין ישראל חלק אחד מי"ג ודבר זה חק לו ולבניו עד עולם *Rex unctus ſibi habere debet decimam tertiam partem ex omnibus terris quas ſubegerint Iſraelitae. Hoc quidem ſtatutum eſt ei & poſteris ejus in perpetuum*; quod a viris doctis [e] accipi video pro jure, quod in uſu erat, regio. Sed vero illud de *rege uncto* ſignantius a Maimonide dictum ad Meſſiam (quem *regem unctum* recte ſemper appellant) attinere puto, atque ex diſtributione in Ezechielis [f] prophetia deſcripta plane ſumi. Nam ibi cuilibet tribui ſua portio, & ſua principi tribuitur, portioni tribus aequalis. Et R. David Kimchi diſerte ad eum locum, לישראל יהיו שנים עשר חלקים ולנשיא החלק השלשה עשר חלק הנשיא כחלק אחד משבטי ישראל בארך וברחב אלא שבתוך נחלת הנשיא תהיה תרומה *Iſraelitis* XII *erunt portiones*; *principi* (quem expreſſe pro מלך משיח *rege Meſſia*, ſeu Chriſto, quem expectant, ibi capit) *portio decima tertia. Scilicet portio ejus aequalis erit portioni unius tribus, tam longitudine quam latitudine. Excepto quod in principis portione erit etiam oblatio ſeu tributum*, quod ibi [g] etiam in ſacros uſus praeſtituitur. Terras vero bello ultroneo a rege tantum, ſine ſynedrii magni decreto, ſuſcepto (quale tamen rite ſuſcipi [h] negabant) ſubactas, totas ex jure regis, dum floruit imperium Iſraeliticum, ipſi ceſſiſſe, ni fallor, indicat paulo poſt ipſe Maimonides. Verbis ſic ille [i] diſertis, כל הארץ שכובש הרי היא שלו ונותן לעבדיו ולאנשי המלחמה כפי מה שיראה ומניח לעצמו כפי מה שירצה: *Totam terram quam ſubjugaverit* (de rege hic manifeſto loquitur ſine Meſſiae adjectione) *ipſe ſibi habet. Miniſtris ſuis & militibus pro arbitratu ſuo eam donat, quantum ſibi viſum fuerit retinens.* Idem dein, ex autoritate veterum, ſubactas bello ultroneo, a ſynedrio magno decreto, ſed a rege geſto, terras eodem omnino titulo, eadem ratione poſſideri ait, qua ipſa terra promiſſa quam ſubjugavit atque Iſraelitis diſtribuit Joſua. Sic enim ſequitur [k], כל הארצות שכובשין ישראל במלך על פי בית דין הרי זו כבוש רבים והרי היא כארץ ישראל שכבש יהושע לכל דבר. *Quaſcunque terras ſubjugaverint Iſraelitae, imperatore rege, idque ex decreto ſynedrii, victoria & adquiſitio publica eſt. Neque ullatenus diſcrepat terra ita ſubacta ab Iſraelitica terra quam ſubjugavit Joſua.* Quod tamen ſic rotunde dictum rite intelligendum eſt ex diſtinctione. Nimirum ſtatuebant juriſconſulti Talmudici terram qualemcunque ſic adquiſitam, poſt terram Canaan totam ſubactam, non aliter habendam fuiſſe atque ipſam terram tribubus primo diſtributam. At vero etiam quae ſic adquiſita eſt, ante terram Canaan ſubactam totam, non uſquequaque ſeu

[s] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 21. a. & videſis Salom. Jarch. ad 1. Paralip. xxix. 22. [t] Maimonid. Hal. *Melakim*, cap. 4. [v] Numeror. xxxi. 27, & ſeqq. & Joſeph. Archaeolog. lib. 4. cap. 7. [x] 1 Sam. xxx. 24, 25. [y] Geneſ. xiv. 24. [z] Ibid. comm. 14. [a] Ad Geneſ. xiv. 24. & 1 Sam. xxx. 25. *Atque hoc eſt quod de hac re obiter meminit* R. Moſes Alſhich in *Sepher Meraoth hatzobaoth* fol. 39. col 1. [b] Paraſh. 22 in extremo. [c] Archaeolog. lib. 6. cap. 15. de praedae jure, ubi mos aut lex ſingularis non intervenit, vide Hugonem Grotium de jure pacis & belli, lib. 3. cap. 6 [d] Hal. *Melakim*, cap. 4. [e] Guil. Schickart. de jure regio, cap 4. theor. 14. [f] Cap. xlv. 6, 7. [g] Comm. 13. [h] Miſna & Gemar. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [i] Hal. *Melakim*, cap. 4. [k] Ibid. cap. 5.

לכל דבר instar terrae Israeliticae seu tribubus distributae habitam esse, sed nec interim pro ea quae usquequaque extra ejusdem limites esset, aut plane exterae nomine nuncupandam, sed mediam quandam ex majorum placitis induisse naturam. Quam ad rem egregius est locus alius Maimonidis, cui praeiverant veteres, & secuti sunt recentiores. De oblationibus & decimis agens ille [l] התרומות inquit, ומעשרות אינן נוהגין מן התורה אלא בארץ ישראל׃ בין בפני הבית בין שלא בפני הבית׃ ונביאים התקינו שיהו נוהגות אפילו בארץ שנער מפני שהיא סמוכה לארץ ישראל ורוב ישראל הולכין ושבין שם׃ והחכמים הראשונים התקינו שיהיו נוהגות אף בארץ מצרים ובארץ עמון ומואב מפני שהם סביבות לארץ ישראל: ארץ ישראל האמורה בכל מקום היא בארצות שכיבשן מלך ישראל או נביא מדעת רוב ישראל וזהו הנקרא כבוש רבים׃ אבל יחיד מישראל או משפחה או שבט שהלכו וכבשו לעצמן מקום אפילו מן הארץ שניתנה לאברהם אינו נקרא ארץ ישראל כדי שינהגו בו כל המצות׃ ומפני זה חלק יהושע ובית דינו כל ארץ ישראל לשבטים אף על פי שלא נכבשה כדי שלא יהיה כיבוש יחיד כשיעלה כל שבט ושבט ויכבש הלקו: הארצות שכבש דוד חוץ לארץ כנען כגון ארם נהרים וארם צובה ואחלב וכיוצא בהן אע״פ שמלך ישראל הוא ועל פי בית דין הגדול הוא עושה אינו כארץ ישראל לכל דברי ולא כחוצה לארץ לכל דבר כגון בבל ומצרים׃ אלא יצאו מכלל חוצה לארץ ולהיותן כארץ ישראל לא הגיעו׃ ומפני מה ירדו ממעלת ארץ ישראל מפני שכבש אותם קודם שיכבוש כל ארץ ישראל אלא נשאר משבעה עממים׃ ואילו תפס כל ארץ כנען לגבולותיה ואחר כך כבש ארצות אחרות היה כבושו כולו כארץ ישראל לכל דברי והארצות שכבש דוד הן הנקראין סוריא: סוריא יש דברים שהיא בהן כארץ ישראל׃ ויש דברים שהיא בהן כחוצה לארץ׃ והקונה בה קרקע כקונה בארץ ישראל לענין תרומות ומעשרות ושביעית והכל בסוריא מדברי סופרים: *Ex ipsa lege sacra solvi non solent oblationes & decimae alibi quam in terra Israel, nec stante templo, nec post ejus excidium. Sed prophetae ordinarunt ut praestarentur in terra Senaar, utpote quae terrae Israel vicina fuit, & quia Israelitae plurimi illuc ibant redibantque. Quin & sapientes veteres ordinarunt ut praestarentur etiam in AEgypto, & in Ammonitarum & Moabitarum regionibus, quippe quae terrae Israel circumjacent. Jam vero terrae Israel nomine, ubicunque occurrit, veniunt terrae seu regiones quas subjugat rex Israel seu propheta ex sententia* seu *assensu universitatis Israel*, quam suppleri ab assensu seu decreto synedrii magni velle videtur; *atque hujusmodi adquisitio seu victoria dicitur adquisitio seu victoria publica. At vero si privatus quispiam ex Israelitis, seu familia aliqua, aut judex* (forte legendum potius שבט non שופט, id est, *tribus*) *locum aliquem sibi armis subegerit, etiamsi fuerit ex ipsis terris Abrahae datis, locus ille terrae Israelis nomen neutiquam eousque induit ut inde universa praecepta sacra in eo observari debeant. Unde factum est ut Josua & synedrium ejus totam terram Israel tribubus distribuerent etiam cum nondum subacta esset, ne scilicet aliter adquisitio seu victoria privata fuisset, si ascenderat sigillatim quaelibet tribus, & suam sibi partem subjugaverat. Terrae quas subjugavit David extra terram Canaan, velut Aram Nahorim, & Aram Zoba, & quae fuere id genus aliae, tametsi tum is rex Israel esset, tum id faceret ex decreto synedrii magni, nihilominus usquequaque non fuere ut terra Israel, nec sane usquequaque ut terra extera, sicuti Babylon aut AEgyptus: sed vero desiere esse ex universitate terrarum exterarum, nec tamen nomen aut naturam terrae Israelis induere. Ratio autem quare tantam non adeptae sunt dignitatem inde pendet, quod subjugavit eas antequam subjugarat totam terram Israel. Nam reliquiae tunc erant in ea septem populorum. Si vero possedisset totam terram Canaan usque ad limites ejus, & postea subjugasset terras alias, terrae sic subjugatae universae fuissent usquequaque ac omnimode instar terrae Israel. Terrae autem a Davide sic subjugatae Suriae nomine dictae sunt. Atque alia fuere in eis observanda perinde atque in terra Israel; alia autem non aliter atque in terris plane exteris. Qui praedium in in iis adquisivit, quantum ad oblationes, decimas, & septimi anni observationem, non minus tenebatur quam si acquisiverat in terra Israel. Quicquid vero sic observandum in Suria, ex sancitis scribarum manavit.* Sic ille. De urbibus autem Galilaeae viginti, partim subactis, partim aliter adquisitis, quas Salomon rex Hiramo Tyriorum regi [m] donavit, disputant viri magni, christiani, tam jurisconsulti [n] quam theologi; quos videsis, uti & Davidem Kimchium apud Paralipomena [o].

CAP. XVII.

Ebraeorum de aliarum gentium jure bellico sententia. Gentilium commilitio se ex contractu publico, seu foedere atque alias, immiscebant. Ad tributorum ex jure victoriae, deditionis, foederis praestationem se obligatos professi sunt; refragantibus subinde eorum nonnullis. De numismate census in evangeliis. Quid Caesaris & Augusti nomina denotarent lingua Hierosolymitana.

DE belli atque dominii inde adquirendi jure quo erga gentes alias usi sunt Ebraei hactenus dictum est. Restat ut etiam quid ipsi de aliarum gentium jure in ipsos, adeoque alios, bellico senserint, paucis videamus. Non ita obscure id quidem cernitur in Babyloniorum, Persarum, Graecorum, Romanorum imperio, cui ipsi subinde ex victoria, foedere, seu deditione subditi. De Babyloniis & Persis eorumque potestate agnita [a], post victorias & deditiones, retentis interea sive ex indultu sive ex foedere riti-

[l] Hal. *Therumoth*, cap. 1. Mos. Mikot. praec. affirm. 133. *Shulcan Aruch.* lib. *Jore Dea*, cap. 331. [m] 1 Regum ix. 11. [n] Francisc. Hotoman. Quaest. illustr. 1. Hugo. Grot. de jure belli ac pacis, lib. 1. c. 3. §. 12. [o] 2 Paralip. viii. 2. & vide Joseph. lib. 8. cap. 8. & contra Apionem, lib. 1. [a] Videsis Ezram vii. 24. & Nehemiam v. 4, &c.

[illegible] patriis, Lectae literae affatim. De Graecis, id est, de Alexandri Magni postquam Darium vicerat, orientis adeoque ditionis Judaicae imperium nacti, jure, aperte Josephus: Τοῦ δ' ἀρχιερέως, inquit ille [b], αἰτησαμένου χρήσασθαι τοῖς πατρῴοις νόμοις, ἢ τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι, συνεχώρησε πάντα, *Pontifice* Jaddo *petente ut patriis legibus uti eis liceret, & septimo quoque anno tributorum immunitate gaudere, omnia concessit.* Reliquis igitur sex annis tributa ex foedere illo seu deditionis formula pendenda. Quin & cum indulserat ut quotquot vellent, salvis sibi ritibus suis patriis pristinoque vivendi genere, ejus militiam sequerentur, πολλοὶ τὴν σὺν αὐτῷ στρατείαν ἠγάπησαν, *multi in eam expeditionem dederunt nomina.* Quod non est cur autumemus factum absque eorum qui rebus tunc praeessent jura avita interpretantes permissu, si non hortatu; seu non ut id quod Israeliticae disciplinae omnino tunc refragaretur. Ita non solum armis Alexandri se, ex jure quod ei competiit bellico, subdidere, sed imperio ejus dilatando stipendiarios se libenter tunc praebuere: nec interea de belli causa aut religione dispari soliciti. Qua de re etiam sunt exempla postmodum illustriora, ut videre est maxime in foedere illo inter Judam Maccabaeum seu Judaeos & Romanos icto [c] (quo συμμαχία invicem contrahitur, adeo ut quoties armis lacesserentur Romani, Judaei e seipsis copias subministrarent auxiliares, uti & Romani pariter, quoties Judaei ab hoste aliquo petiti) tum in Hyrcano Alexandri filio pontifice [d], qui copiis militaribus insignem Julio Caesari in Syria & AEgypto agenti opem tulit. Nam de Romanorum juris in gentem hanc bellici seu armis parti agnitione publica, ex foederibus ac principum indultis, quae tum Josephus tum Philo in libro de legatione exhibent, liquido constat. Cum autem sive victoriae sive deditionis jura circa res versarentur & circa personas, atque ad utrasque tum libertatis personalis diminutio, seu qualiscunque servitus, tum tributorum praestatio inde pertinere soleret; si, quid senserint tum de servitute illa, tum de tributis sibi, sive capitationis sive agri, impositis, diligentius advertamus, difficile minus erit sententiam eorum de aliarum gentium jure belli etiam in reliquis inde elicere. Quod ad tributa attinet, manifestum quidem est Judaeos tum Alexandri Magni successoribus [e] variatim tum Romanis ea pependisse. Pompeius horum primus Hierosolymis ἐπιτάττει φόρον, *indicit tributum*, seu τὰ Ἱεροσόλυμα ὑποτελῆ φόρου Ῥωμαίοις ἐποίησε, *Hierosolymam Romanis fecit tributariam*, ut scribit Josephus [f], atque ex eo Eusebius, qui tamen de Judaea tota rem alibi capit, uti & alii. Quemadmodum etiam apud Josephum alibi de tributo a [g] Julio Caesare imposito civitas Hierosolymitana pro Judaica ditione tota accipitur. *Caius Caesar imperator*, inquit, ἔστησε κατ' ἐνιαυτὸν ὅπως τελῶσι ὑπὲρ τῆς Ἱεροσολυμιτῶν πόλεως, Ἰόππης ὑπεξαιρουμένης, χωρὶς τοῦ ἑβδόμου ἔτους, *statuit ut quotannis tributa penderent ob civitatem Hierosolymitanorum, excepta Joppe, absque anno septimo.* Quid est exceptio Joppes nisi & sine illa exceptione ipsa Joppe, ut ditionis Israeliticae urbs, in civitatis Hierosolymitanae, id est, hic imperii Israelitici, nomine venisset? Tributa autem Joppes assignata sunt Hyrcano Alexandri filio; ut ibi videre est. Qua vero ratione inde ad Augusti descriptionum tempora tributum a Judaeis aut solutum fuerit aut agnitum, non satis liquet. Res perquam turbidae inde ibi mansere. Herodem autem Magnum regem eis a Romanis impositum [h] nemo nescit; quem utcunque primo immane quantum plerique respuerent ut alienigenam, postmodum tamen ut victoriae jure impositum admisere; quod tributorum praestatione majus multo erat. De vectigalibus autem & tributis ibi tunc temporis consulas v. cl. Samuelem Petitum [i]. Postmodum sub Augusto in tabulas censuales Judaeam redactam expressim scimus, & tributo etiam onustam; qua de re affatim annalium ecclesiasticorum conditores, & qui in eos exercitationes conscripsere. Etiam & tributa Romanis soluta a Judaeis esse velut ex jure gentium & victoriae a se agnito liquet. Interea nihilominus id verum est, non defuisse inter eos qui gentem suam utcunque a Romanis sic devictam, seu deditione aut foedere inaequali (nam ejusmodi foedus jam, si aliquod, intelligendum) receptam & demum tributo onustam, ab illo nihilominus eam liberam esse debere, armisque etiam privatorum liberandam, acriter inclamarent. Egregium est ad hanc rem illud de Juda Gaulanite (Galilaeo in Actis apostolorum dicto) & Sadoco, qui, cum missus esset Quirinus ad Judaeam in censum describendam, solicitabant ad defectionem populum, [k] Τὴν ἀποτίμησιν οὐδὲν ἄλλο ἢ ἄντικρυς δουλείαν ἐπιφέρειν λέγοντες, καὶ τῆς ἐλευθερίας ἐπ' ἀντιλήψει παρακαλοῦντες τὸ ἔθνος, *Censum dictitantes nil aliud quam apertam servitutem inferre, & gentem ad tuendam libertatem adhortantes.* Nec omnino frustra: Mirae enim inde seditiones, caedes, calamitates aliae. At vero quid de hisce senserit celeberrimus ille jurisconsultus Gamaliel, ostenditur in Actis apostolorum. Synedrio de apostolis eorumque doctrina habito, in quo eos morti tradendos voluere plerique, is ad hunc modum, *Viri* [l] *Israelitae, attendite vobis hominibus istis quid acturi sitis. Ante hos enim dies exstitit Theudas dicens se esse aliquem, &c. & omnes qui credebant ei dissipati sunt & redacti ad nihilum. Post hunc exstitit Judas Galilaeus* (is ipse quem Gaulanitem nominat Josephus) *in diebus descriptionis*, seu *professionis* (ut Vulgata) id est census, *& avertit populum post se, & ipse periit, & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos. Quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere, &c.* Atque in hujus sententiam ibant reliqui omnes. Palam autem est seditionem Judae illius, tributi nomine ab Augusto ex jure victoriae & deditionis impositi, eos interim damnasse, velut ex hominis turbulentioris commento, non ex Deo, id est, ex jure quod genti a numine da-

[b] Archaeolog. 11. cap. 8. [c] 1 Maccab. viii. 25 Joseph. lib. 12. cap. 17. [d] Joseph. lib. 14. cap. 14. 15, 16, 17. Vide etiam lib. 12. cap. 3. [e] Vide Maccab. x. 29. & xi. 34. & Joseph. lib. 12. cap. 3. & lib 3. cap. 5, &c. [f] Haloseos lib. 1. cap. 5. & Archaeolog. lib. 14. cap. 8. & vide S. Hieronymum in Chronic. Eusebii & ad D. Matt. cap. xxii. [g] Lib. 14. cap. 17. [h] Joseph lib 14. cap. 26. & lib. 15. cap. 1. & Halos. lib. 1. cap. 13. [i] Var. lect. lib. 2. cap. 1. [k] Joseph. lib. 18. cap. 1. quem & videsis lib. 2 de bello Judaico cap. 7. [l] Act. v. 35.

tum

5

tum est, omnino ortum. Nam quod ex jure illo etiam est permissum אורחא דאלהא τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ, *viam Dei* nuncupabant [m]. Id genus quidem alia apud Josephum etiam occurrunt, quibus scilicet libertatem seditiosorum apud ipsos hominum, in aliorum belli seu deditionis jura effraenem, plane illicitam fuisse decernunt. Veruntamen, ut fieri assolet, subinde alias orti sunt qui libertatis avitae vindictam adamantes, nunc arma [n] hoc nomine sumerent, nunc de tributis, quae Romanis victoribus pendi solita, controversiam moverent; nec solum an ad illud pendendum obligarentur, verum etiam an Caesari, regi scilicet non ex eorum fratribus aut sanguine [o], pendere eis esset licitum. Notissimum est illud in evangeliis [p], *Abeuntes Pharisaei consilium inierunt ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes, magister, scimus te veracem esse, & viam Dei in veritate docere, & non esse tibi curam de aliquo: Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, Quid tibi videtur? Licet censum dare,* ἔξεστι δοῦναι κῆνσον, *Caesari an non? Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait, Quid me tentatis, hypocritae? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus, cujus est imago haec & superscriptio? Dicunt ei, Caesaris. Tunc ait illis, Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; & quae sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, &, relicto eo, abierunt.* Sic D. Matthaeus. Additur apud Marcum, δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν; *dabimusne, an non?* Lucas, *Licetne* φόρον *Caesari dare, an non?* id est *tributum.* Atque horum uterque pro eo quod est apud Matthaeum *numisma census,* quae vocabula bina ibi etiam Graece usurpantur, habet *denarium,* vocabulum item in Graecismum seu linguam Hellenisticam, uti in Syrismum, Rabbinismum & linguam Talmudicam etiam, receptum. Et D. Marcus, *Afferte mihi denarium, ut videam, &c.* Lucas autem, *Ostendite mihi denarium.* Τίνος ἔχει, *Cujus habet imaginem & inscriptionem?* Captiosam nemo non videt tam blande loquentium Pharisaeorum quaestionem fuisse, cujus in utramvis partem responso illaqueandum, ut alias saepenumero, sperabant Jesum Christum. Cui sic aut Caesarem & praesidem Romanum, si negaret; aut eam populi partem qui libertati suae ex titulo belli aut deditionis nondum revera aut jure derogatum existimarent, si affirmaret, infensiorem reddere non dubitabant. Huc inprimis spectat illa Baronii cardinalis disquisitio de ratione qua nixus Judaeus Galilaeus aliive contribules assererent Judaeos non debere pendere tributum alienigenis: *An ea nimirum,* inquit [q], *ex causa quod scriptum esset in Deuteronomio* [r], Non erit vectigal pendens ex filiis Israel; *quae verba in vulgata editione desiderari valde miramur, cum apud septuaginta interpretes eadem verba legantur; ex quibus Tertullianus* [s] *citat dictum locum, nec non ex eodem autore Hieronymus* [t] *scribens ad Damasum. Vel quod scriptum esset* [v], Dominum Deum adorabis, & illi soli servies; *Ea ratione Deum tantum dominum, & non Herodem vel Caesarem, esse dicendum Judas Galilaeus in populo praedicabat, avertere eum studens ne censu Caesaris describeretur, quo se illi esse subditos declararent.* Hic ita subdubitando. Sed fidentius alibi, dum de publicanis, inter infames alios, a judicandi functione ex doctrina Talmudica, quam Caininio ita debet, arcendis agit: *Cur eo nomine,* ait [x], *notati essent, nulla alia subest causa, nisi quod Judaei genus Abraham, ex libera liberos, se esse profiterentur, nec quicquam aliis debere, nisi decimas Deo; legeque statutum esse ne esset vectigal pendens ex filiis Israel.* Sed illud quod velut ex Mosis Deuteronomio affertur [y], de vectigal pendente, non omnino habetur in veritate Ebraica: Nec apud Ebraeos, puto, huc attinere potuit; quod & recte animadvertunt in Baronium viri docti [z]. Jam vero quaestionis illius de tributo Caesari solvendo sensus pulchre a v. c. Marquardo Frehero J.C. (nam theologorum hic, extra rem historicam & juridicam, doctrinam omnino tangere nolo) a Frehero [a], inquam, qui, ut historicus simul & jurisconsultus, rem penitius introspiciendam opusculo singulari explicare conatus est, hujusmodi paraphrasi exhibetur: *Qui ergo tot alia docuisti, dic etiam hoc, quid tibi videtur? Ex animi tui sententia, fasne est dare censum Caesari, an non? Nobis nimirum, qui liberi sumus, soboles & posteritas Abrahae, non ex Agare ancilla, sed Sara matrefamilias, qui liberi fuerunt, nec ullum unquam tributum dederunt regibus terrae, sed ipsi potius ab illis donati sunt eximiis muneribus, non sponte, sed impulsu Dei nostri: Nobis, qui populus Dei sacer sumus, divinae & unicae religioni deditus, quique promissiones habemus perpetuae libertatis, &, si quando premamur ad tempus ab infidelibus, venturi Messiae, qui jugum oneris & virgam exactoris confracturus, & regnum suum a mari ad mare propagaturus sit, sub quo laeta pace securi fruamur: Nobis ergo an fas sit, per legem potissimum Dei, qua decimas, primitias, obligationes, didrachmum annuum templo & sacerdotio conferre jubemur, dare Caesari, homini profano & peregrino, qualem nullum agnoscere, sed eligere regem e nostro populo* [b], *nostrae nationis, nostri sanguinis, nostrae religionis jubemur; Caesari autem, magistratui nostro non ordinario & legitimo, sed violento, qui jure belli (si jus dicendum) nos tenet, libertate nostra armis oppressa, & a nobis extorquet quae vult, & forte plura & graviora deinceps extorquebit; nec tam extorquet ipse, quam extorquenda locat publicanis & mancipibus suis, generi hominum, vel tuopte judicio, pessimo & iniquissimo: Huic ergo an dare liceat censum, id est capitis redemptionem annuam, ipsissimam servitutis confessionem?* Et paulo post; *Neque elabi illum posse putabant quin ex proposito bivio alteram partem eligeret; ut sive affirmaret dandum, tanquam principibus impiis adulatus, & cum eis colludens, populi circumfusi & patulis auribus responsum exspectantis odium incurreret, nec tantum redemptoris & Messiae opinionem tot concionibus & miraculis collectam uno momento amitteret, sed forte etiam tumultu po-*

[m] D. Matth. xxii. 16. Marc. xii. 14. Luc. xx. 21. [n] Appian. in Syriacis. [o] Deut. xvii. 15. [p] Ibidem. [q] Annal. tom. 1. ann. 1. Chri. 1. [r] Cap. 23. [s] Lib. de Pudicitia. [t] Epist. 146. [v] Deut. vi, &c. [x] Annal. tom. eod. ann. Christ. 31. [y] Vide supra lib. 2. cap. 5. pag. 183. [z] Isaac. Casaubon. exercit. 2. §. 19. [a] Libello de Numismate census, Heidelbergae 1599. [b] Deut. xvii.

pulari

[illegible]lori aliquando opprimi posset: sive negaret, ut hostis Caesaris motorque seditionis praesenti crimine teneretur, daturus poenas quas ante Theudas & Judas dedissent; & tamen ipsis voto potitis, interea vindictae invidia in Caesarem ejusque praefectos & Herodem derivaretur, causa nihil ad Pharisaeos attinente. Et sperabant utique ipsi magis fore, ut Christus more suo religioni favens potius quam Caesari profano aut Herodi inviso, solita libertate pronunciaret adversus Herodianos (qui ut exactores tributi simul, sic ille, inhiarent) *pro patria & gente sua, atque ita paratam perniciem non effugeret.* Sic ille de quaestione Pharisaeorum. De Christi etiam responsione idem; *Neque praecipitanter respondit, neque in alteram partem simpliciter, neque sine causa, neque denique ad id tantum quod quaerebant. Itaque nec Dominus simplici affirmativo aut abnutivo se absolvit. Sed ut ante omnia ostendat se non fallere illorum insidiosam blandiloquentiam, & quo res tendat, cognita penitus nequitia eorum, inquit evangelista, consultores suos primum intentionis suae coarguit:* Quid me tentatis, *inquit,* hypocritae? *Illi enim texuerant prooemium alicujus quaestionis ad pietatem & religionem pertinentis, dicendo,* Viam Dei in veritate doces; *& tamen quaestio ipsa non pertinebat ex divino instituto ad viam Dei. Ideo vocat eos hypocritas; & mox e re ipsa ostendit illos confundere rationes divinas cum humanis, quando de censu solvendo tanquam de praecepti alicujus divini violatione agunt: cum tamen allatus nummus de quo agitur nil plane sacrum aut religiosum redoleat, atque adeo illius solutio non tangat aut offendat Deum, nec pietatem laedat; imo debeatur Caesari tanquam victori, legum & monetae conditori, & qui non petat violari religionem, sacra deseri, idola adorari, sed ex communi moneta reddi sibi numisma, in usus promiscuos cusum & mere Romanum. Damnum autem in ejusmodi rebus non tangere animum, & pauperiorem reddere, non impium. Si quid peteret Caesar contra viam Dei, id esse negandum, quod jam non Caesaris tributum sit, sed diaboli. Illum petere quod principes omnes* (pro vario victoriae, foederum inaequalium & deditionis jure, atque rerumpublicarum constitutionis discrimine multiplici) *petunt; quod ante AEgyptii, quod Seleucus ab eis petierat, quod Pompeius: imo quod vicissim David aliquando victor a gentibus Moabiticis accepisset; quodque adeo semper ei in cujus manum Deus victoriam dederit, vel ex ipsa Dei* [b] *ordinatione & lege expressa debeatur, nimirum tributum ad reipublicae ordinationem. Reddi igitur debere tributum, quod ex ipsa materia & forma manifeste ostendit nihil pertinere ad religionem violandam: & posse sine damno pietatis etiam Deo dicatum hominem dare tributum profano principi, etiam non debitum, malentem obsequi quam provocare. At vero pietatem, invocationem, animi fiduciam, vota, oblationesque sacras Deo soli reddi oportere; ut & ipse Dominus Deo dedit quae Dei sunt, faciendo voluntatem patris mittentis.* Hoc summam esse ait ille & medullam responsi. Singula dein ejusdem excutere aggreditur. Atque illud, *Ostendite mihi numisma census,* sic explicatum it. *Antequam sententiam dicam, eamus in rem praesentem; videamus quid sit de quo agitur. Captiosa est quaestio quaevis ni termini probe discernantur. Quis scit,* quantum ex verbis vestris liquet, *an de tributo illo agatur quod pater meus lege sua a populo suo in templum suum quotannis deferri voluit, quodque vos integra conscientia inde avertere non potestis? Facile primo intuitu id viderimus.* Quasi ex ipsa dimidii sicli inspectione (is enim erat tributi illius sacri modus; de quo ante [c] etiam obiter dictum est, & posthac [d] nonnihil) dignosci potuit an Caesari reddendum fuisset tributum. Quod, pace viri tanti, rationi nimis est dissonum. Nam siclorum dimidiorum, uti & integrorum, inscriptiones & figurae fuere quales libro secundo [e] exhibemus. Nec quid inde de tributi sive debitione sive immunitate dignosci poterat, nedum quid de annuae templo praestationis aversione. Et quidnam omnino vetasset, quantum ad nummi speciem, quo minus tam siclis seu dimidiis siclis, id est nummis Ebraicis, pendendum, pro dominantium libitu, fuisset tributum quam moneta Romana. Cum igitur quod *numisma census* D. Matthaeo hic vocatur, simpliciter atque eadem ipsa notione *denarius* nuncupetur Marco & Lucae, adeo ut *ostendite mihi numisma census,* & *ostendite mihi denarium,* idem ipsum plane significent, nec דינרא *denarius* lingua Syriaca aut Hellenistica aut Talmudica solum certam nummi, ut interdum, speciem (id est quartam Rabbinis [f] sicli partem, seu drachmam Atticam) denotet, sed pro pecuniae seu monetae qualicunque genere, ut & nummi Latinis, non raro Ebraeis usurpetur (unde דינרא ערבא pro *denario* seu *nummo Arabico,* & דינרא הדריינא pro *nummo* seu *moneta Hadriani,* דינרא טריינא pro *nummo* seu *moneta Trajani* in Talmude Babylonio [g] occurrit, & illud [h] רב דינרי הוי ליה pro eo quod est *multum pecuniae ei erat,* atque id genus alia plurima) cum, inquam, haec se ita habeant, non videtur dubitandum quin id quod ostendi sibi rogavit Dominus de solvendo tributo interrogatus, non aliud omnino significaret praeter ipsum monetae genus, quodcunque illud esset, quo tunc tributum Romanis solvi soleret. Nam & diu ante, post Pompeii victoriam, & tunc solutum Romanis a Judaeis tributum, idque diversimode, non est cur ambigamus. Perinde ac si fuisset dictum, ex eo quod vobismet etiam ipsis, captiose interrogantibus, ex ipso numismate census, seu, quod idem est, ex denariorum genere quod tributo, de quo quaeritis, Caesari solvendo adhiberi solet, satis manifestum esse possit, respondebo. Ostendite igitur mihi numisma ejusmodi aliquod seu denarium: Nam inde quaestioni vestrae satisfiet. Numismate igitur ostenso, *Cujus est,* inquit, *imago haec atque inscriptio?* Cum respondissent illi, Caesaris, *Date igitur,* inquit, *Caesari quae sunt Caesaris, &c.* Qualisnam autem fuerit imago ac inscriptio illa, e quarum forma verbisque sequeretur quidquam Caesaris hic sic fuisse ut ei esset dandum, saltem non illicitum esset ei dare, a vi-

[b] Deut. xx. [c] Lib. 4. cap. 5. [d] Cap. 18. [e] Cap. 6. [f] Videsis Maimonid. Hal. *Siklim,* cap. 1. §. 3.
[g] Gem. Bab. ad tit. *Bechoroth,* cap. 8. fol. 49, 50. [h] Gem. Bab. ad tit. *Baba Metzia,* cap. 4. fol. 44. b.

ris
5

ris doctis diversimode est disputatum. Atque inde sane haud parum pendet responsionis hujus & quaestionis connexio genuina. Praeivit, ni fallor, hic inter doctiores seculi nuperi Caesar Baronius cardinalis; qui numisma census hic peculiare vult fuisse monetae genus, non tantum quo tributa rite solvi quibant, sed quo tantum ita solvi debebant ut in tributi solutionem, nec alios usus, duxtaxat esset cusum. Verba ejus sunt, dum in annalibus [i] evangelii locum allatum explicat, *Moris fuit apud Romanos ut numismata pro ratione tributi vel census ab imperatoribus cuderentur, nec uno semper modo eadem permanerent. Sed numismata tributorum a caeteris usualis pecuniae nummis in eo differrent, quod istorum pretium semper idem esset, numismata vero census vel tributi, cum mutaretur tributi quantitas, eadem ad rationem tributi noviter formarentur.* Unde & nonnulli [k] ejus sequaces denarium fuisse ipsum tributi capitationis Judaici tunc modum colligunt. Commentum autem illud suum ex instituto Alexandri Severi, id est aevi multo recentioris, quod legitur apud Lampridium de vectigalibus contrahendis, uti etiam ex tributorum solvendorum ratione sub Nicephoro Phoca [l], apud Cedrenum & Curopalatem, elicuit. Certe & in nummis Britannorum reperiuntur qui τῷ Tascia insigniti, eo nomine censui seu tributo se cusos esse ostendere a nonnullis creduntur. De eis & Britannorum tributis Caesaribus pensitatis vir doctissimus Guilielmus Camdenus [m], *Ad hoc olim*, inquit, *percussum certum genus nummi putavi, cum in sacris literis numisma census diserte appellatur, & Hesychius* Κῆνσος εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλαίου *interpretetur. Firmiusque hoc credo quod in nonnullis monetarius pecuniam signans exprimitur cum Tascia, quod apud Britannos denarium tributi significat. Et* Tasgu *taxare & censere*, uti & Tasg & Tasgiad (unde facile factum *Tascia*) pro *censu* & taxatione habetur in Lexico Cambro-Latino Joannis Davisii S. Theologiae doctoris, linguae illius, utpote patriae, vetustatis callentissimi. Etiam & affert in rem suam Camdenus illud Baronii jam citatum. Quod sane aliis viris summis plane displicuit, justo Lipsio [n], Marquardo Frehero [o], Isaaco Casaubono [p], Claudio Salmasio [r], aliis. Et, *Quod si quis pertendit*, inquit Lipsius, *nummos pro modo tributi ita cusos, ubi igitur illi sunt? Cur praegrandes aliqui non exstant? Denique statim infinitos cusos oportuit ad pensiones totius orbis. Nihil est; & Hesychii aut Christi verba hoc modo volunt, ipsum illud quod ex censu in tributum darent, censum appellatum, atque adeo pecuniam, sive grandis ea sive pauca esset.* Et Claudius Salmasius, *Quod ad certum nummi genus attinet praestationi tributorum destinatum, ut voluit vir summus, haud scio quo pacto possit fidem mereri.* Dein ea de re pluribus disputat ad locum illum quo semisses & tremisses, cum vectigalia contraheret Alexander, cusos scribit Lampridius. Nec aliud vult Salmasius *numisma census* denotare quam id nummi genus quo capitationis exactio celebraretur; non certum & tributi solutionibus singulare, sed omne quod tributi nomine, id est, Romanum qualecunque, rite solvi posset. Nec aliter inquit, *as publicus & as tributarius* usurpatur apud Cassiodorum [r] pro tributo assibus soluto; quorum tamen usus tributorum solutioni non solus, sed alias promiscuus, ut hodieque in functionibus censualibus monetae genus omne quod ex moribus & sanctionibus loci ab exactoribus fiscalibus recipi debet, *census numisma* vocari possit. Sic Isaacus Casaubonus, *Quod igitur Domino petenti*, inquit, *sibi ostendi numisma census, exhibetur denarius, non ita accipiendum ut factum est a Baronio. Nam cum vario & multiplici genere nummorum Judaei tum uterentur, propriorum gentis suae, vicinarum regionum, & Romanorum; nullum est dubium quin tributum quod Caesari pendebatur, in pecunia Romana exigeretur, non Judaica, aut quavis alia. Dominus igitur numisma census appellat, non certum genus numismatis, quo solo tributa solverentur, sed pecuniam Romanam, quae sola ab exactoribus ejus tributi accipiebatur. Denarius autem Christo ostenditur velut in exemplum pecuniae Romanae: Neque id fuit peculiare aliquod monetae genus ad tributi solutionem cusae: verum omnes denarii erant pecunia Romana, & tam denarii quam alii nummi Romani dici poterant numisma census.* Tametsi & ipse antea ad locum illum Lampridii notasset, inde posse colligi, *vectigalis non modum solum lege definitum fuisse, sed etiam certum pecuniae genus praestationi vectigalis destinatum.* Freherus autem; *Certe peculiare pro modo indictionum nummi genus, modo gravius, modo levius, subinde fabricatum nusquam adhuc legi: & hoc ipso nostro loco dicitur prolatus denarius pro numismate census, vulgatum & tritum nummi genus, quod drachmam Atticam pondere aequaret. ——Non igitur ratione ponderis & valoris, sed formae potius, certum quendam nummum Caesar in tributo exigebat, nimirum, ut rem tandem aperiam, vultu & nomine suo insignitum.* Atque dein existimat formam altera parte fuisse hanc ipsam quae superius [s], ubi de imaginum apud Judaeos usu egimus, exhibetur. *Jam aversa parte nummi*, inquit, *quid? Forte illud ipsum quod in aureis argenteisque frequens conspicimus*, PONTIFEX MAXIMUS, *vel aliud quidpiam elogii*, CLEMENTIAE, MODERATIONI, PROVIDENTIAE AUG. *item* PERRPETUAE PACI AUG. *aut tale quid adulatorium*, &c. Quae plane transcribit etiam & approbat Gaspar Waserus [q], de nummis Ebraeis in in usu, scriptor diligentissimus doctissimusque. Ex vultu ergo & nomine Caesaris in numismate viso, atque a Pharisaeis agnito, responsi sensum ad hunc modum se habuisse volunt hi; Quae Caesaris sunt, ita ut Dei jus nihil attingant, danda sunt Caesari, ut generaliter suum cuique Hujusmodi est census seu tributum ab eo jure victoriae ac gentium victis impositum, ut ex num-



[i] Tom. 1. ann. Christ. 34. [k] Lucas Burgensis ad D. Matth. xxii. [l] Baron. tom. 10. ann. 964. [m] In Britannia, pag. 72. [n] De Magnitud. Romana, lib. 2. cap. 3. [o] Lib. de Numism. census. [p] Exercit. 16 §. 6. [q] Ad Lampridium, pag 216. [r] Variar. lib. 12. [s] Lib. 2. cap. 8. [q] De Antiquis Nummis Hebraeorum. lib. 2. cap 20.

mo hoc ſignato ejuſdem ſcilicet vultu atque inſcriptione liquet: Juxta quam ſolum rationem etiam nonnulli neceſſario ex nummo illo oſtenſo concluſum aiunt, Aliquid [r] deberi Caeſari, utpote qui nummos ex ſingulari, quod jam nactus ibi eſſet, jure majeſtatis, idque ex deditione libenter permittentibus Judaeis, percuſſerat, adeoque inde ſatis tum princeps eorum tum victor agnoſceretur. Certe ſive tributi nomine ſingulari cuſum eſſet, ut voluit Baronius ejuſque ſequaces, numiſmatis hoc genus, adeo ut alius non eſſet ejuſdem uſus praeter ipſam tributi praeſtationem, ſive forte in faciliorem, ſed non ſolam, tributi praeſtationem (ut interpretatur vir praeſtantiſſimus illud Alexandri Severi apud Lampridium) idque in Judaea atque Judaicae ditionis ſeu territorii reſpectu ac nota ſingulari cuderetur, ſive nummus eſſet tantummodo Romanus qualiſcunque promiſcuus, quo ſolo nec alio genere tributa ſolvenda, ut plerique autumant; palam interea eſt, ex imagine ſimul & inſcriptione inſpecta argumentum ſuum ſumere voluiſſe Dominum. Quatenus ſcilicet ab interrogantibus utraque Caeſaris eſſe agnoſcitur. Imago autem Caeſaris, quantum video, tam Auguſti aut Julii eſſe potuit quam Tiberii: Nam *Caeſaris* nomen hiſce omnibus, ut ſucceſſoribus, pariter tributum: Nec quid obſtat quo minus, qualecunque interea genus admiſeris, tam ab illis, quibus etiam ſuberat Judaea, quam a Tiberio, cujus tempore hoc factum eſt, numiſma illud percuti potuiſſet; id eſt, a Caeſarum ſeu imperatorum Romanorum, qui tunc regnaverant, ſive primo ſive ſecundo. Nam Tiberii & deceſſorum idem jus; & in horum jus ille ſucceſſerat. Adeo nec quaeſtio tam de Tiberio quam de Caeſare ſeu imperatore orbis Romani, quiſquis ille fuerit, facta eſt, tametſi temporis ratio rem ad Tiberium plane trahat, cujus quidem diffiteri nequeo (maxime cum octodecim jam imperaſſet is annis) quin numiſma oſtenſum fuiſſe ſit probabilius. Inſcriptionem autem ſeu epigraphen nummorum duplicem eſſe nemo neſcit, obverſam, & averſam. Obverſa in nummis Caeſareis principis iconi plerumque circumdatur. Averſa nunc figuram aliam, parte altera poſitam, explicat, nunc aliud quid officii, pro eorum qui rei monetariae praeerant, praeſtat. Si Julii fuit hoc numiſma, inſcriptionem obverſam aequum eſt ut exiſtimemus fuiſſe aut CAESAR IMPERATOR, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, aut ejuſmodi quid, ut in illius nummis: Si Auguſti, CAESAR AUGUSTUS, aut CAESAR IMPERATOR, aut quid ſimile, juxta hujus numiſmatum, quae paſſim viſuntur, inſcriptionum obverſarum diſcrimen: Si demum Tiberii, ut libentius crediderim, inſcriptio obverſa forte fuit, ut in illo ſuperius depicto; id eſt, TIBERIUS CAESAR AUGUSTI F. PONTIFEX MAXIMUS, IMPERATOR; aut TI. CAESAR, DIVI AUG. F. AUGUSTUS (qua inſcriptione uſus eſt ſub idipſum tempus quo nummus hic a Phariſaeis oſtenſus eſt) aut ejuſmodi quid nomina dignitatis ac imperii continens. Ut temporum characteres, ſeu conſulatuum & tribunitiae poteſtatis adjectionem, atque alia Romanae reip. magis peculiaria praetermittam. Averſae autem inſcriptiones perquam diverſimode ſe habuere. Sed non ita raro regiones ac provinciae captae aut receptae in eis memorantur. Ut, ARMENIA CAPTA, AEGYPTO CAPTA, PARTHIS RECEPTIS, id genus alia habentur in nummis Auguſti. Etiam captis a Soſio ſub annum ante Chriſtum XXXV, Hieroſolymis, ab Auguſto nummus (ſi Adolpho Occoni [s] fides) ad hunc modum eſt cuſus;

ΚΑΙCΑΡ ΑΥΓΟΥCΤ. *caput Auguſti.*

ΙΟΥΔΑΙΑC ΕΑΛΩΚΥΙΑC. *Victoria palmae innitens cernua in clypeo haec ſcribens.*

Ita pars averſa oſtendit Judaeam captam, ſeu Romanis ſubactam, receptam; quemadmodum & poſtmodum in nummis Veſpaſiani [t] non raro occurrit JUDAEA, & JUDAEA CAPTA, JUDAEA DEVICTA, cum captivae interdum typo humi ad trophaeum ſeu ad palmam deſidentis, interdum captivi. Sed Auguſti quale deſcribit Occo numiſma nullibi hactenus mihi viſum, nec apud alios, qui ectypa chartis diligentius exhibent, repertum. Veſpaſiani autem compluria vidi, quae & paſſim occurrunt [v]. Jam vero, ſi inſcriptio aliqua inerat averſa (nam tam averſam quam obverſam ſimplicis inſcriptionis nomine contineri poſſe palam eſt) ejuſmodi quid de Judaea capta, ſubacta, recepta, continens unde imperium Caeſarianum atque victoriae Romanae jus neceſſario agnoſcendum fuiſſet, nil apertius foret quam ex ipſo quod interrogantes exhiberent agnoſcerentque numiſmate, devictos, captos, ſubactos a Romano ſe ſatis affirmarent, adeoque ei obedientiae & ſubjectionis praeſtationes debitas. Nam ex jure victoriae & gentium ejuſdem uſu tributa [x] deberi paſſim agnitum eſt. Quid quod etiam dum *tributum, numiſma cenſus* & *denarius* modo jam dicto intellectus ita ſimul memorantur, liquido admittitur inoleviſſe jam morem ſolvendi, id eſt, tum deditionem praeceſſiſſe, tum ſolutionem ex victoris juſſu non ſolum imperatam ſed & velut jure a ſolventibus admiſſam? Unde enim alias nomen illud *numiſmatis cenſus*, niſi ex eo quod quocunque vis modo cenſus ſeu tributum ejuſmodi numiſmate ante ibi ſolvi conſuetum? quod & diſcimus ex hiſtoriis aliis. Sed hic ſacram evangelii hac de re tantum conſideramus. Oſtenſo igitur numiſmate, ſimulatque agnoverunt imaginem & inſcriptionem fuiſſe Caeſaris, atque numiſmata hujuſmodi imagine & inſcriptione ſignata cenſus numiſmata eſſe (cujus ſolutio licitane eſſet, non utrum ad eam obligarentur, quaeſiere) tum ipſum Caeſarem ſibi principem, regem, imperatorem utcunque eſſe, ut ex ore ſuo pariter agnoſcerent neceſſe eſt, tum ſive ex victoria, ſive ex foedere inaequali, ſive ex deditione, aliterve, tributa ei pendi ſolere. Perinde ac ſi dixiſſent, En tibi numiſma cenſus quale praeſtare ſolemus Caeſari Auguſto, imperatori orbis Romani, cujus pars nos ſumus. Principis ejus, cui praeſtare ſoliti ſumus, eſt haec imago atque haec inſcriptio. Licetne namen hoc facere nobis qui libertati nati, nec regem alium nobis adſciſcere debemus niſi ex fratribus [y] noſtris? Nam & animadvertendum eſt, non ſolum Principem Romani orbis, Caeſarem, Auguſtum, Imperatorem in ipſa inſcriptione

[r] Toſtatus ad D. Matth. xxii. [s] Pag. 52. [t] Idem, pag. 140, &c. [v] Vide Baron. tom. 1. ad an. Chriſti 73. & Franciſc. Quareſmium in ſimulac. Terrae Sanctae elucidatione, pag. 15. [x] Vide Alberic Gentil. de Jure Bell. lib. 3. cap. 4. [y] Deut. xvii. 15.

(quae

(quae Caesaris quidem erat ipsius, non Judaeorum) dici & agnosci, sed etiam a Judaeis ipsis eum satis sic ac saepissime civiliter salutari, dum toties praestito ante tributo (cujus in nummis toties imago & inscriptio ejusmodi) tum imperium ejus tum obedientiam suam ac deditionem, ut devicti, profitebantur. Id verum quidem est, Romae eo in aevo *Caesaris*, *Augusti*, *Imperatoris* nomina ex vi simpliciter sua principem seu regem neutiquam omnino denotasse: Eorum origines & notiones pueri sciunt. Atqui in linguam Hierosolymitanam etiam tunc priora duo ex Romanorum consuetudine recepta, nil aliud, velut ex vi simpliciter sua, significabant praeter τ̀ βασιλέα seu *regem* aut *principem* per excellentiam, & signantius de eo qui orbi Romano praeesset, dictum. Nam *Basileus*, *Caesar*, *Augustus* pro eodem ipso, ut tria mere synonima, Hierosolymitanis sub id aevi sumuntur. Legitur in Gemara Hierosolymitana[z], המינין שאלו את רבי שמלאי מה הדין דכתיב. אל אלהים ה׳ אל אלהים ה׳ הוא יודע אמר להן הם יודעים. אין כתיב כאן אלא הוא יודע כתיב אמרו לו תלמידיו רבי לאלו דחיר בקנה לנו מה אתה משיב אמר להן שלשתן שם אחד כאינש דאמר בסילייוס קיסר אגושתוס *Haeretici quidem rogarunt Rabbi Semlai quid illud esset quod scriptum est*[a], *El*, *Elohim*, *Jehova*, *Deus*, *Dii*, *Dominus*, *Deus*, *Dii*, *Dominus*, *ipse novit*. *Respondit ille*, *Non scriptum est ibi*, *Ipsi noverunt: sed*, *Ipse novit*; *quod rem explicat*. *Cui discipuli ejus*, *Eos calamo refutasti*. *Sed quid nobis*, *ut recte locum illum intelligamus*, *respondes? Respondet ille*, *Tria illa simul sunt nomen unum*, *aut si quis dicat*, Βασιλεύς, *Caesar*, *Augustus*. Unde plane corrigendus est codex *Beresith Rabba*[b], ubi de nomine illo triplici ac velut ex hoc Gemarae loco, habetur, כאיניש דאמר בסיליגוס קיסר אוגוסטוס קיסר *ut si quis dicat*, *Basilicus Caesar*, *Augustus Caesar*. Manifesto tum legendum בסילייוס Βασιλεύς, tum קיסר quod postremum est delendum, ut sic synonymum, quod triplex, remaneat. Et de eisdem vocabulis paulo post in citata Gemara R. Semlai, שלשתן שם אחד כאינש דאמר אומנון בניין ארכטקטנן *Tria illa simul sunt nomen unum*, *ut opifices*, *aedificatores*, *architectones*. Plane τῷ Βασιλεῖ seu τῷ מלך, id est, *Regi*, *Caesarem* & *Augustum* synonyma, ex vi sua simplici & notione Ebraeis receptissima, etiam & ipsis velut originaria, fuisse aperte indicat hic Rabbi Semlai. Nemo enim nescit rem se non ita usque adeo habere ex origine aut usu Latino. Hinc & apud magistros Babylonios[c] קיסר ופלגי קיסר aut קיסר ופלינ pro *Rege*, *& qui Regi secundus est*, occurrit. Et in Novo Foedere simplex *Caesaris* nomen, ut & subinde *Augusti*, velut appellativum pro *principe*, cui utcunque tunc suberant, aliquoties alias usurpatur[d]. Unde & clamarunt Judaei se non habere regem[e] praeter regem illum quem signantius *Caesarem* vocabant, id est, principem seu regem orbis Romani, cujus & Judaea ipsique pars. Et lexicographus[f] nuperus, באסילאוס אדון וקיסר, Βασιλεύς, seu *Rex*, *idem est ipsum quod Dominus & Caesar*. Ex scriptis Ebraeorum scilicet loquitur. Cum igitur ex tributo numismatis ejusmodi inscriptione signati ad morem, qui diu etiam tunc obtinuerat, praestito palam professi essent Pharisaei principem Romanum Caesarem esse atque Augustum, id est ipsis, ut vides, plane regem, adeoque deditionis suae ejusque imperii ac victoriae testes essent jam tum luculentissimi ipsi, tum qui ante tributum illud numismate ejusmodi toties praestitissent, statim appositissime evictum est, ex victoriae, gentium, armorum, deditionis, obedientiae sive inde sive ex foedere praestari solitae jure, id ab eis Caesari seu regi suo, quem sic agnoscerent, praestandum, quicquid ex ejusmodi juris ratione ei deberi sic fuisset agnitum; non iconem aut inscriptionem illam ipsissimam numismatis ostensi, aut ipsum necessario illud numisma seu denarium ostensum: Nam ita nullum ejusmodi numisma tributi nomine solvi non debuisset. Et quis non crediderit ipsum denarium ostensum omnium eorum qui adstantes rogarent, & quibus responsum est, capitationi (nam sic, puto, locus capiendus; atque ea de re plura mox) tum valde fuisse imparem, tum nec plurium fuisse, sed unius alicujus qui e sacculo aut zona praesto exhiberet? Ideo nec ab omnibus illis quibus responsum est tunc solvi aut debuit aut rite quibat ille denarius sic inscriptus. Sed ex inscriptione & imagine argumentum sumitur irrefragabile; quaecunque juxta victoriae, deditionis, foederis, subjectionis, agnitionis apices sunt Caesaris (tametsi principis alieni, & cui armis imperium Israeliticum adquisitum) ea ei rite deberi & jure sic praestanda, ut nihil ex jure divino seu civili Ebraeorum praestationi ejusmodi obstaret: Ita nihilominus ut quae interea Dei essent, Deo tribuerentur. Atque hic sensus est plane Nicolaii Oresmii episcopi ante annos circiter CCCXL Lexoviensis; *Inspicienti*, inquit[g], *seriem evangelii patet facile*, *quod non ideo dicitur Caesari deberi denarius quia erat Caesaris imagine superscriptus*, *sed quoniam erat tributum*. *Nam*, *ut ait apostolus*[h], "cui tributum, tributum; & cui vectigal, vectigal," &c. Non simpliciter quia Caesaris imagine superscriptus; sed quia tributum inde debitum esse atque ejusmodi numismatis genere solvendum, ex ipsa icone, inscriptione, & interrogantium agnitione liquebat.

[z] Ad tit. *Beracoth*, cap. 9. fol. 11. col. 4. & *Baal Aruch* in בסיליאום. [a] Josuae cap. xxii. 22. [b] Parash. 8. [c] Ad tit. *Sanhed.* cap. 11. fol 98. b. [d] D. Joann. xix. 12. Act. xvii. 7. & xxv. 8, 10, 11, 12, 21. [e] D. Joann. xix. 15. [f] Philippus Aquinas. [g] Lib. de Monetae mutatione, cap. 6. [h] Ad Romanos; cap. xiii. 7. & vide M. Freher. lib. de numismate census, pag. 26, & 28.

CAP.

CAP. XVIII.

De didrachmi pensitatione in evangelio. Illud fuisse tributum Caesarianum. Reges terrae quinam ibi. Universi Israelitae filii regum diverbio solenni dicti. Quid ibi filii seu liberi regum. Semisicli seu didrachmi sacri pensitatio annua usque ad Vespasianum Hierosolymis in sacros usus praestita. Objectiones diluuntur.

AD tributum de quo dictum est attinet illud Flavii Josephi in oratione sua ad Hierosolymitanos[a], Ῥωμαῖοι τὸν συνήθη δασμὸν αἰτοῦσιν, ὃν οἱ πατέρες ἡμῶν τοῖς ἐκείνων πατράσι παρέσχον· καὶ τούτου τυχόντες οὔτε πορθοῦσι τὴν πόλιν, οὔτε ψαύουσι τῶν ἁγίων, *Poscunt Romani solenne tributum, quod patribus eorum patres nostri praestiterunt; quod si receperint, nec civitatem populantur, nec sancta omnino tangunt.* Ita solvi consuevit, & a cordatioribus ut debitum ex jure agnosci; utcunque intervenirent non raro qui seditione liberandos se vellent. Quin & ob responsum proculdubio sic ex inscriptionis & imaginis ostensae argumento (qua de re capite superiori) nec verbis disertioribus a Christo Pharisaeis de tributo interrogantibus datum, falso eum etiam accusarunt seniores plebis, principes sacerdotum & scribae, *dicentes*[b], *Hunc invenimus subvertentem gentem* nostram, *& prohibentem* Καίσαρι φόρους διδόναι, *Caesari dari tributa.* Cum interim eum non prohibuisse palam sit tum ex responso illo Pharisaeis dato, tum etiam ex eo quod ipse simul & Petrus, ni fallor, idem solverit. Legitur apud D. Matthaeum[c], *Et cum venissent Capernaum, accesserunt* οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες, *ii qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magister vester non solvit didrachma? Ait, Etiam. Et cum intrasset in domum, praevenit eum Jesus, dicens, Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae a quibus* λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον; ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων; *accipiunt tributum aut censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Jesus, Ergo,* ἐλεύθεροι *liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore ejus invenies staterem. Illum sumens da eis pro me & te.* Palam est Christum ipsum hic tributum solvisse. Sed verum quidem est, viros summos existimare ac contendere locum hunc nihil ad tributum Caesarianum pertinere, sed ad capitationem illam sacram juxta quam semisiclus quotannis ex lege Mosaica[d] templo pendendus erat, secundum illud quod superius[e] diximus. Sic cardinalis Baronius, Justus Lipsius[f], Theodorus Beza, Franciscus Hotomanus[g], J. Baptista Villalpandus[h], Isaacus Casaubonus, Johannes Cameron, alii; quemadmodum & inter veteres S. Hilarius. Et tam ex eo de quo quaestio hic ab exactoribus instituitur, quam ex eo quod Christus fieri solvique vult, ipsum, quoad quantitatem seu valorem, tributum penditur idem quod sic ex origine sacrum erat, id est, pro capite tam suo quam Petri semisiclus; pro utroque scilicet stater, id est, quatuor drachmae, seu bini semisicli, quos ex qualibet regione Judaei dispersi Hierosolymam capitatim quotannis mittebant, τῶν ἱερῶν χρημάτων seu *pecuniae sacrae* nomine non semel[i] Josepho dictos. At vero libentius ego assensum illis praebeo qui non didrachmum sacrum seu semisiclum ibi innui volunt, sed ipsum tributum Caesarianum, cujus tunc modus erat didrachmum, nec tributo sacro omnino dispar. Ab hac parte in veteribus S. Hieronymus[k], aliique sequaces; in recentioribus, tum scriptores in commentariis perpetuis obvii, tum alii[l]. Quae afferuntur pro parte priore argumentis praecipuis statim respondebimus. Sed primo de eo quod historicum est, & verbis Domini ibi adhibitis, paucis videamus. Rogarant Petrum exactores seu qui didrachma acciperent, annon magister ejus illa penderet? Is cum annuerat, & domum intraverat, Dominus ibi eum praeveniens, *Quid tibi*, inquit, *videtur, Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum?* Qui de tributo sacro locum capiunt, *regum* hic nomine etiam Deum O.M. ita contineri volunt, perinde ac si dictum fuisset, *Rex coeli, reges terrae, a quibus tributum accipiunt vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* adeoque id quod sequitur, *Ergo liberi sunt filii*, ad ipsum Christum attinere volunt, ut regis aeterni filium ibi indicatum. At vero cum οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς *reges terrae* signanter ibi dicti sint, & quaestio proculdubio adhibeatur juxta vulgarem verborum usum, non omnino video qua ratione de rege aeterno, qui מלך העולם *rex mundi* & מלך השמים *rex coelorum* passim nuncupari ab Ebraeis, nec angustiis terrae sic includi solet, locus omnino capiatur. Plerumque quidem, cum regem aeternum a rege mortali in locutionibus Talmudicis (ut saepe) distinguunt, id est regem coeli, adeoque totius universi, a rege aliquo terrae, hunc מלך בשר ודם[m] *regem carnis & sanguinis* appellitant, illum sive הקב"ה *sanctum, benedictum illum*, sive מלך השמים seu העולם *regem coeli* aut *mundi*. Adeo ut par sit admittere de regibus tantum mortalibus quaestionem illam institutam. At vero de quibus? an de regibus universim terrae? an de regibus terrae Israeliticae? Certe locutione illa *reges terrae* reges per orbem terrarum regnantes multoties designari a psalmographo verum est. Atqui & sexcenties occurrere sciunt qui Talmudica scripta salutarunt, nomen simpliciter הארץ *terrae* pro *terra Israelitica*, unde חוצה לארץ (cujus abbreviatura ח"ל est frequentissima) *extra terram* pro eo quod est *extra terram Israeliticam*, quemadmodum בארץ *intra terram*, pro eo quod est *intra terram Israeliticam*. Etiam in lingua evangelistarum alias palam haec *terrae* notio. D. Marcus[n], *Tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam*; & D.

[a] Halofeos, lib 9. cap. 26. Gr. 11. Lat. [b] D. Luc. xxiii. 2. [c] Cap. xvii. 24. [d] Exod. xxx. [e] Lib 4. c. 5. [f] De Magnitudine Romana, lib. 2. cap. 3. [g] Lib. de Re Nummaria. [h] Tom. 2 Explan. in Ezechiel. part 2. lib. 5. disp. 3. cap. 57. [i] Archaeolog 16. cap. 10. Vide item ibi cap. 4. [k] Ad D. Matth. cap. xvii. [l] Vide Samuelem Petitum Variar. Lect. lib. 2. cap. 1. [m] Gemar. Hierosolymitan. tit. *Beracoth*, cap 9 p 1[illegible]. col. 2. & alibi. [n] Cap. xv 33.

Lucas,

Lucas[o], *Cum facta est fames magna in omni terra.* Nec ſane ita ad rem attinuiſſe videatur de aliarum terrarum more interrogare, ut de tributo ibi ſolvendo quid omnino conſequeretur. Neque enim regni aut reipublicae Iſraeliticae jura ad aliorum [p] regnorum neque horum ad illius amuſſim omnino videntur fuiſſe exigenda; ſed ad eam quae tunc temporis ſibi, qualis ſcilicet per victoriam & deditionem tunc reliqua fuit, erat propria; cum avito interea jure comparanda. Jam vero ſic quaeſtione de tributo ſeu cenſu, id eſt, didrachmorum capitatione, inſtituta, (& undenam, quaeſo, *cenſus* vocabulum Ebraeis exoticum, & Romanos mores plane redolens, ita ſignanter adhibetur, ſi de tributo ſacro facta fuiſſet?) ut quaereretur *an a filiis*, ἀπὸ τῶν υἱῶν ſeu *a liberis, ſuis, an ab alienis, acciperent reges terrae tributum vel cenſum*, reſponſoque dato a Simone, *Ab alienis*, unde ſequitur illud, Ἄραγε *Ergo filii*, ſeu *liberi*, *immunes ſunt*, id eſt, ἐλεύθεροι. Quid illud de *filiis*, & *alienis?* Quinam illic *filii*, quinam *alieni?* Viderint perſpicaciores utrumne quaeſtio ſit capienda de regno Iſraelitico ejuſque more ante integro & veteri, utcunque nunc acciſae ejuſdem res Romanorum dominatui ſervirent. Nihil ſolennius eſt in ſcriptis Talmudicis, adeoque lingua etiam Chriſti ſeculi in uſu, quam de ſeculis vetuſtiſſimis ita praeſenti tempore loqui & diſputare perinde ac ſi ipſa res de qua loquuntur jam ageretur, tametſi ad priora multo ſecula attineat. Inde eſt quod millies occurrit עושין מוסיפין מוציאין מקבלין דנין *faciunt, adjiciunt, exeunt, accipiunt, judicant* (participio verbi locum ſortiente) in ſcriptis dictiſque diu poſtquam ejuſmodi quid, de quo verba fiunt, natis, pro eo quod eſt, *facere, adjicere, accipere, judicare* aut *exire moris erat*, aut *facultas*; non aliter ſane atque hodie non pauci viri doctiſſimi, veterum ſive Romanorum ſive Graecorum leges, etiam quae in deſuetudinem multis retro ſeculis abiere, diligentius & polite enarrantes, de iis ex praeſenti tempore loquuntur, perinde ac ſi jam nunc tum ipſae obtinerent, tum reſpublicae ad quas olim ſpectarunt etiamnum florerent. Quod neminem fallit, cum res ipſa ex uſu loquendi ſatis aperte intelligatur. Verbi gratia, Talmudici, qui diu poſt exciſas Ebraeorum res ſcripſere, aiunt [q] אין דנין לא את השבט ולא את נביא השקר ולא את כהן גדול אלא ב"ד של ע"א׳ ואין מוציאין למלחמת הרשות אלא על פי ב'ד של ע"א׳ ואין מוספין על העיר ועל העזרות אלא על פי בית דין של ע"א: *Non judicant tribum, nec pſeudo-prophetam, nec pontificem maximum, niſi ex ſententia ſynedrii ſeptuaginta unius-viralis. Neque exeunt ad bellum ultroneum niſi ex decreto ſynedrii* LXXI-*viralis. Neque adjiciunt quid urbi aut atriis* templi, *niſi ex decreto ejuſdem ſynedrii.* Ubi quod praeſenti tempore profertur, ex uſu locutionis receptiſſimo, ad morem ſeculorum multo ſuperiorum, ſeu quibus florebant res Ebraeorum, attinere nemo non videt. Et ejuſmodi occurrunt non pauca in eis quae hoc opere e Talmudicis ante citavimus. Ita *judicant* & *non judicant*, *adjiciunt* & *non adjiciunt*, pro eo quod eſt *judicare ſoliti ſunt*, *adjicere ſoliti ſunt*, aut *non ſunt* ſumenda. Quale pariter de caeteris dicendum. Et cum de penſitatione ſemiſicli loquuntur [r], aiunt de menſariis, תובעין בנחת כל מי שיתן להם יקבלו ממנו *Cum vaſculo flagitant, & ab omnibus qui dant accipiunt*, ſeu *accipient*, quod tamen, uti & alia [s] ejuſmodi non raro, nos in tempora praeterita, quo plane ſpectant, vertimus. Haec cum ita ſint, anne admittendum hic, verba illa, *A quibus accipiunt reges terrae*, quod a Syro vertitur, מן מן נסבין *A quo accipiunt*, & מן מי מקבלין *A quo* ſeu *a quibus accipiunt*, ſic intelligi poſſe ut de more regum veterum ditionis Judaicae quaeſtio fieret? Qui ſcilicet alienis in ſuam ditionem redactis tributa pro libitu, juxta ſuperius [t] oſtenſa, ſemper impoſuere; non item, niſi extra ordinem [v], ſubditis ſuis originariis. Nec fiebat quaeſtio ut dubitantis, ſed ut reſponſum elicientis; *A quibus* ex more *accipere* ſoliti olim *reges terrae* hujus *tributum aut cenſum*, qualis hic eſt, ſcilicet annuum ſeu perpetuum & pro libitu impoſitum? *a filiis ſuis, an ab alienis?* At objectio obvia eſt; Si hoc admittatur, Iſraelitici regni vetuſti, ſeu ſimpliciter ſine Romanorum dominatu ſumpti, cives ſeu ſubditi omnes *filii* ſeu *liberi regum* nuncupabuntur. Qua illud ratione tolerandum? Certe non ita abſonum eſt credere, eos fuiſſe velut diverbio ſeu gentis idiotiſmo ob ſingularem generis & reipublicae ſanctioris dignitatem nobilitatemque ab Ebraeis ipſis ſic dictos. Neque enim ſemel occurrit in Talmudibus illud R. Simeonis, velut vulgari uſu atque exiſtimatione notiſſimum, כל ישראל בני מלכים הם *Univerſi Iſraelitae ſunt filii* ſeu *liberi regum.* Sic in Miſna [x], ſic in Gemara Babylonia [y]. Ratio aut anſa hujus diverbii hujuſmodi eſt. Ubi diſputatur de obſervatione ſabbati, quaeſtio intervenit, Utrumne Judaeo liceat eo die liquoribus aut oleo ſe perfundere ſeu tingere? Scilicet utrum inde quietis praeceptum violaretur? Ea de re Miſna jam memorata, החושש במתניו לא יסוך יין וחומץ אבל סך הוא את השמן ולא שמן ורד בני מלכים סכין שמן ורד על מכתיהין שכן דרכם לסוך בחול רבי שמעון אומר כל ישראל בני מלכים הם: *Cui dolent lumbi, ei nec infundere licet* ſabbato *vinum aut acetum, at vero oleum licet. Modo nempe minime oleum illud ſit roſaceum. Filii ſeu liberi regum in vulneribus* ſeu *plagis ſuis infundere ſolent etiam oleum roſaceum* in ſabbato, *quoniam ſimiliter* deliciarum ſeu voluptatis cauſa *ſe oleo illo diebus profeſtis imbuere ſolent. At vero reſpondit R. Simeon, Univerſos Iſraelitas eſſe filios* ſeu *liberos regum*; ita ſcilicet haberi, nuncupari. Quod & admittitur omnino in Gemaris; tametſi de olei roſacei in ſabbato uſu omnes cum R. Simeone non conveniant. Sed ut ut ſe res de diverbio hoc habuerit, palam eſt, *liberorum* ſeu *filiorum* nomine ipſum populum, cives, ſubditos regni Judaici veniſſe. Nam licet primario dicti ſint univerſi *filii* ſeu *liberi Iſrael*, id eſt, בני ישראל, ex natalibus, adeoque parentis & poſterorum in locutione illa ratio ex ipſa origine habeatur; nihilominus ex uſu qui ſequentibus ſeculis inolevit dicendi *filii* ſeu *liberi Iſrael*, ut *filii* ſeu *liberi Ammon*, id genus alia, non tam natalium origi-

[o] Cap. iv. 25. [p] Videſis S. Auguſtin. Quaeſt. Evangelic. 23. & Sixt. Senenſ. Biblioth. Sanct. lib. 6. annot. 76. [q] Miſn. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. & poſteriores paſſim. [r] Maimonid Hal. *Siklim*, cap. 1. §. 8. [s] Vide ſupra lib. 4. cap 5. [t] Cap. 14. [v] Vide Guil. Schickart. de Jure Regio c 4. theorem. 15. [x] Tit. *Sabbath*, cap. 14. §. ult. [y] Ad tit. *Baba Metzia*, cap. 9. fol. 113. b. & ad tit. *Sabbath*, cap. 18. fol. 128. a. & videſis Maimonid. Halach. *Sabbath*, cap. 21. fol. 115 a.

nem quam ipſum populum Iſraeliticum, Ammoniticum, ſeu populi, qua populi ſimpliciter, univerſitatem, denotarunt. Et ſane apud Helleniſtas בני ישראל, quod *filios & liberos Iſrael* plerumque ſonat, nunc etiam vertitur οἶκος Ἰσραὴλ *domus* [z] *Iſrael*, nunc ἄνδρες Ἰσραὴλ [a] *homines* ſeu *populus Iſrael*. Et pro eo quod eſt [b] *Excelluit ſapientia Salomonis ſapientiam* כל בני קדם *omnium filiorum orientis*, habent illi πάντων ἀρχαίων ἀνθρώπων *omnium antiquorum hominum*; τῷ קדם notione illa ſumpto qua item ſignificat *antiquum*. Quin etiam pro τῷ בני ſingulariter, id eſt *filius meus*, occurrit [c] apud eos λαός μου *populus meus*. Accedit, locutiones illas, בני ברית *filios foederis*, בני קדושים *filios ſponſaliorum*, id genus alia, paſſim uſurpari pro *hominibus*, nulla natalium ratione habita, *foedere Judaico comprehenſis*, ſeu in Judaiſmum qualitercunque cooptatis, & *hominibus qui rite ſponſalia inire poſſent*. Quae cum ita ſint, quid vetat quo minus illud *a filiis ſuis*, etiam hic ſumatur pro eo quod eſt *a populo ſuo* ſeu *hominibus ſuis*, id eſt Judaeis; quemadmodum & *an ab alienis* pro *populis alienis* & in Judaeorum poteſtatem victoria ſeu deditione redactis? Quin & cum reges *patres patriae* dicantur, facile evenit ut populus *filiorum* ſeu *liberorum* nomen indueret. Reſponſum eſt igitur, Si hoc admittatur, *Ergo immunes ſunt filii*, immunes ſcilicet Judaei, ſeu populus Judaicus, avito & ſingulari privilegio gaudentes: Si morem ſcilicet qui hac in terra obtinuit avitum reſpiciamus, immunes ſunt: Nunc vero, *ne offendiculo nos ſimus hiſce* qui novo apud nos jure, victoriae ſcilicet, deditionis, aut quocunque alio ſuperinducto, tributum vel cenſum perpetuum exigunt, utcunque more avito, & qui olim in uſu, liberi ſeu immunes Iſraelitae cuncti fuerimus, miſſa de jure aut more nunc quaeſtione, ſolvamus: Ideoque *ſtaterem*, id eſt bina didrachma, *pro te & pro me ſolve tu*. Nec puto paraphraſtum Syrum aliud omnino praeter tributum Caeſarianum hic intellexiſſe. Nam eodem ipſo nomine quo tributum ſeu cenſum tum in Gamalielis oratione, ubi Judas Galilaeus memoratur, tum in altero illo evangeliorum loco de numiſmate cenſus indigitat, etiam didrachma haec vocat, ſcilicet כסף רישא *argentum capitationis*. Quae alii hic habent obvia ſunt. Et quod nos jam afferimus potius in diſquiſitionem quam aſſertionem congeſſimus. Quod ſi *reges terrae* de regibus per orbem terrarum regnantibus ibi capiatur, adeoque morem innuatur fuiſſe a filiis regum generatim tributa non accipi, concluſio de filiorum ex jure avito libertate ad Chriſtum ſolum ſpectabit, utpote Davidicae ſtirpis regum filium. Nam de Petri libertate ibi nil dictum, niſi modo jam ex locutionis formula qua omnes Iſraelitae *filii* ſeu liberi adeoque populus *regum* dicti admiſſo: Neque enim aliter Petrus *regum filiorum* nomine contineri quibat. Sed vero objiciunt qui de ſacra ſemiſicli penſitatione annua locum capi volunt; Tributum illud Judaeis impoſitum fuiſſe centeſimam partem bonorum uniuſcujuſque patrisfamilias; non ergo fuiſſe dimidium ſicli ſeu didrachmum, ſed varium pro rata cujuſque bonorum parte: Et pro centeſima citant Appianum. Item tributum didrachmi hic fuiſſe voluntarium, nec ad cujus ſolutionem quis cogendus eſſet: Quod dici nequit de tributo Caeſariano. Alia afferuntur, ſed quae, hiſce dilutis, plane nihili ſunt, aut rationi ſatis diſſona. Quod ad priorem objectionem attinet, ea nata eſt ex Appiano perperam intellecto. Ἔστιν, inquit ille [d], Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας· ἔστι καὶ Σύροις καὶ Κίλιξιν ἐτήσιος ἑκατοστὴ τοῦ τιμήματος ἑκάστῳ, *Judaeis cunctis tributum capitis gravius eſt quam reliquarum facultatum. Eſt etiam Syris & Cilicibus annuum centeſimum pro modo cujuſque cenſus.* Allatis his Juſtus Lipſius [e], dubitanter ſubjicit, *Efficiatur ex ſermonis nexu Judaeos centeſimam dare, ſicut & Syros & Cilices, pro capitis tributo. Quo ſenſu? inquies. Ut magis capias: ſolvere quidem illos & pro agris & pro opibus; ſed aeſtimatione omnium facta, etiam centeſimam pro ipſo capite dare. Hoc tale eſt, ut ſi decem millia aureorum in cenſu habeam, ſolvam ex eis annua centena.* Atque hinc alii viri docti centeſimam eliciunt tributum Judaeis impoſitum. Sed vero nihil ejuſmodi ait Appianus. Capitationem Judaeorum ut ſingularem & graviſſimam memorat: Centeſimum ad Cilices & Syros tantum ſpectat. Nec quomodo trahi poſſint ad centeſimum Judaei ibi omnino video. Et graviſſimam illam capitationem exiſtimo fuiſſe ipſam didrachmi Caeſariani praeſtationem per capita annuam: Quam ſcilicet ex imitatione parilis penſitationis ſemiſicli ſeu didrachmi ſacri inductam, iniquum non eſt ut autumemus. Nempe cum in Judaicis rationibus ac inſtitutis viderant Romani didrachmi capitationem ſacram non ſolum in ditione Iſraelitica, ſed paſſim per orbem terrarum inter Judaeos obtinere, inde, puto, menſuram tributi Caeſariani, utpote aequalis, imponendi ſumpſere; non dubitantes quin nemo magis imparem, ob cenſus ſeu opulentiae inopiaeve diſcrimen, ſolutionem ejuſdem quam ſacri didrachmi cauſaretur, utcunque cuilibet praeſtatio annua jam dupla eſſet; tam Caeſari, quam in ſacros uſus. Nam nec illud praetereundum, didrachmi ſacri ſolutionem ſeorſim manſiſſe uſque in Veſpaſiani tempora, cum item ad Romanos etiam ipſum transferebatur. Joſephus [f] de eo, Φόρον δὲ τοῖς ὁπουδήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν, *Tributum, ubicunque degerent, Judaeis indixit, binas drachmas jubens quotannis deferre eos in Capitolium, quemadmodum ante in templum contulerant Hieroſolymitanum.* Hinc tantundem Zonaras & Xiphilinus. Quod & inprimis advertendum, quoniam doctorum aliquot hallucinatio habetur ingens, dum didrachma illa in evangelio ipſiſſimos quidem fuiſſe ſemiſiclos ſacros volunt, ſed a Romanis in tributum Caeſarianum ſub Tiberio interverſos: Cum manifeſtum ſit ante hoc Veſpaſiani edictum ſemiſiclos illos templo Hieroſolymitano pendi ex lege ſacra ſolitos; quod & ex Joſepho alibi non ſemel licet elicere. Objectio vero altera de eo quod eſt didrachmi ſolutionem fuiſſe voluntariam, non item tributi Caeſariani, error eſt ma-

[z] 1 Paralip. ii. 10. Jerem. xvi. 14. & xxiii. 7 Ezech. ii. 3 &c. [a] 1 Sam. xvii. 53. [b] 1 Reg. iv. 30. [c] Exod. iv. 23. [d] In Syriacis. [e] De Magnitud. Romana, lib. 2. cap 3. [f] Haloſeos, lib. 7. cap. 27. Videſis J. Baptiſt. Villalpand. tom. 2. Explan. in Ezech par 2. lib. 5. diſp 3. cap. 57.

nifeſtus,

4

nifeſtus, & inſtitutorum morumque Ebraeorum inſcitia inſignis. Certe nihil video in verbis evangelii unde voluntariam fuiſſe quis eam omnino autumet. Neque certe λαμβάνοντες *accipientes* aliud ibi denotat quam qui ſolvere detrectantes tandem cogere poſſent. Nam & idem vocabulum uſurpatur de regibus terrae, *A quibus reges terrae accipiunt*, &c. Dubitandumne de regibus tam cogentibus quam accipientibus illud dictum? Ergo pariter ſane utrobique. Sed revera palam eſt, ex inſtitutis ac more Ebraeorum in didrachmi ſacri ſeu penſitationem ſemiſicli annuam in ſacros uſus, poſt viceſimum quintum menſis Adar neminem invitum non, pignore capto aliterve, fuiſſe quotannis adigendum. Quod videre eſt tum in eis quae ſupra [g] de ſemiſiclis his obiter e Talmudicis attulimus, tum apud Samuelem Petitum [h], qui cum primis hac de re conſulendus. Ita evaneſcit plane objectionis illius vis. Atque caetera quae impugnare ſolent ſententiam hanc de tributo Caeſariano illic intelligendo, ex eis quae ſupra memoravimus ſatis, puto, dilui poſſunt.

C A P. XIX.

De ſervitute perſonali ſeu libertatis naturalis diminutione, quatenus ex jure gentium aliarum bellico, juxta Ebraeorum diſciplinam, ea ſequeretur. Diſcrimen inter ſervitutem perſonae inhaerentem, ſeu intrinſecam, & eam quae in miniſteriis tantum ſervilibus cernitur, ſeu extrinſecam. De illo Judaeorum in evangelio, nemini ſervivimus unquam. De captivis & more eorum apud Ebraeos redimendorum.

DE tributis ex belli, victoriae, deditionis, foederis jure ab Ebraeis, aliarum gentium principibus, agnitis praeſtitiſque hactenus actum eſt. Sequitur ex inſtituto ut de libertatis perſonalis diminutione, ſeu ſervitute perſonali, quatenus ex ejuſmodi jure eam ipſi in captivis alienis in bello ab aliis captis admiſerint, videamus. De perſonis ſive ex aliis ſive ex ipſis bello captis teſtimonia habent luculenta. Maimonides [a] ad mentem veterum; מלך גוי שעשה מלחמה והביא שביה ומכרה • וכן אם הרשה לכל מי שירצה שילך ויגנוב מאומה שהוא עושה עמו מלחמה שיביא וימכור לעצמו• וכן אם היו דיניו שכל מי שלא יתן המס ימכר• או מי שעשה כך וכך או לא יעשה ימכר• הרי דיניו דין ועבד הנלקח בדינין אלו הרי הוא כעבד כנעני לכל דבר: גוי שקנה גוי לעבדות• לא קנה גופו ואין לו בו אלא מעשה ידיו : אע"ף כן אם מכרו לישראל הרי גופו קנוי לישראל: *Ubi rex quiſpiam gentilis captam bello abduxerit, eamque vendiderit, aut cuilibet qui voluerit edicto indulſerit, ut ſi quem ex hoſtibus captum adducat, eum ei venditum fore, atque ita ſi decreverit rex gentilis, quemlibet tributi* pro jure ac moribus variis *praeſtationem detrectantem, vendendum, aut quid aliud facientem aut non facientem,* id eſt juſſis regiis non parentem, *vendendum; quod ſic decreverit vim habet. Et ſervi empti ex hujuſmodi decretis & ſervi Cananaei par omnino eſt ratio; ita tamen ut ubi gentilis acquiritur gentili ſervus, perſonae ejus non fiat dominus, ſed tantum operae manuum, ſeu miniſterii ejus: cum nihilominus, ſi vendiderit eum Iſraelitae, etiam perſona ejus tunc fiat emptoris.* Diſtinctionis de opera & perſona ſenſus eſt; ſingulare hic jus fuiſſe Ebraeorum, quo ſervitus ſeu ſtatus ſervilis perſonae etiam ſervi inhaeſiſſe cenſebatur, adeo etiam ut ſine libello manumiſſionis (de quo ſatis ſupra [b]) perſonae veluti naturam mutante, libertatem nanciſci nequiret, id eſt, ut ſervitus neutiquam deleri poſſet ulla formula ſimplici ſive verborum ſive actuum ſine libello manumiſſionis; quem dare cogebatur a foro dominus, quoties cauſa eſſet manumiſſionis legitima. Ejuſmodi vero fuiſſe ſervitutis [c] apud gentes alias jus, ut perſonae ipſi non inhaereret, ſed ut citra libellum manumiſſionis libertatem rite poſſet ſervus earum adipiſci, idque interdum ex actu nudo, quocum ſervitutem ipſi conſtare Ebraei non agnoſcerent; idque domino invito. Veluti ſi ſervus ejuſmodi, nondum ab Iſraelita acquiſitus, nomine libertatis fieret proſelytus: nam dein pro ingenuo habebant Ebraei. Et ſcimus ſatis ex jure Caeſareo, idque vetuſtiſſimo, leviculis ex cauſis, ſine libello, libertatem rite acquiri, veluti ex vindicta qua una Quiritem [d] vertigo faciebat. Et ſi ſervi domini funus apud Romanos anteceſſiſſent pileati [e], vel ipſo lectulo ſtantes cadaver ventilare viderentur, atque hoc ex voluntate fieret vel teſtatoris vel haeredis, fiebant illico cives Romani. Alia fuere ejuſmodi non pauca, tum Romae tum alibi, unde ſervitus deſinebat. Cujus rei apud Ebraeos ratio eſt, quoniam, ut aiunt [f], לא דם קונים זה מזה לגופו *gentilium alter alterius non acquirit perſonam ipſam,* ſed למעשה ידיו *in quantum miniſterium & opera ejus ei poſſit eſſe uſui.* Summa eſt, ſervitutem Ebraeos admiſiſſe ex jure captivitatis, tam inter gentes alias quam apud ſeipſos, ita tamen ut rem ſic diſtinctione interpretarentur; nullibi haberi ſervitutem mere perſonalem, ſeu ſtatum perſonae inhaerentem ſervilem, apud gentiles; ſed tantummodo velut liberorum hominum captorum ſeu poſſeſſorum operam & miniſteria eſſe id quod nomine ſervitutis apud illos veniret: quemadmodum & inter deditione a ſe ſeu foedere inaequali receptos, juxta ſuperius [g] oſtenſa. Apud ſeipſos autem ſervitutem etiam (velut ex jure atque praerogativa ſingulari) fuiſſe tum in bello captis tum ſervis gentilibus emptis, mere perſonalem, ſeu perſonae ipſi, ut characterem libertatis omnimodae amiſſae naturalis, inhaerentem. Nimirum intrinſecam illam ſervitutem (quam tum ipſi tum Romani dicere ſolent cognatione omnimoda ſeu jure omnimodo ſanguinis carere, cujuſque effectum primarium faciunt ut poſſideretur ipſe potius velut jumentum quam quid poſſideret ſervus, nec jure nuptiali ſed contubernio

[g] Lib. 4. cap. 5. [h] Var. Lect. lib. 2. cap. 1. [a] Hal. *Aibdim*, cap. 9. [b] Cap. 8. [c] Gemar. Bab. & Gloſs. ad tit. *Gittin*, cap. 4. fol. 38. a. & vide ad tit. *Jabimoth*, cap. 4. fol. 45, 46. [d] Perſius ſatyr. 5. [e] C. de Latina libertate tollenda, l. 1. [f] Gem. Bab. ad tit. *Gittin*, cap. 4. fol. 38. a. [g] Cap. 14.

tantum

tantum frueretur) non omnino voluere obtinuisse alibi quam in servis gentilibus a seipsis acquisitis. Aliarum autem gentium servos qualescunque, adeoque seipsos ab aliis gentibus captos emptosve (& sui tantum, puto, gratia discrimen hoc commenti sunt) extrinsecam tantum serviisse servitutem, seu eam quae libertatis cum civili interim obedientia conjunctae dignitati (quacum & jura sanguinis & dominii & nuptiarum, alia, quae hominum sunt undiquaque liberorum, manent) non omnino opponitur. Quod quidem satis mirum. Sed ea de re non disputo. Sic igitur intellexere illud de Ebraeis ipsis captis apud Ezram; *Servi sumus*, inquit [h], *& in servitute nostra nos non dereliquit Deus noster*, sic alia id genus non pauca in foedere veteri. Etiam in Maccabaicis [i], *Congrega dispersionem nostram, libera eos qui serviunt gentibus.* Josephus item [k] de Pompeii victoria, qua in ditionem Romanam primo redacti Judaei; τὴν ἐλευθερίαν ἀπεβάλλομεν, καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν, *Libertatem amisimus, facti jam ditionis Romanae.* Et de libertate & servitute Judaeorum plura ille [l] in oratione subinde illa sua prolixa ad Hierosolymitanos. Et censum in tributorum solutionem *apertam servitutem* vocabat [m] Judas Gaulonites. Sed in hisce juxta mentem Talmudicorum libertas & servitus non opponuntur, qua servitus & libertas personalis in statu seu conditione intrinseca hominis, seu בגופו juxta disciplinam eorum, considerantur, id est respectu domini qui jure, Ebraeorum moribus non dissimili, sive possideret sive manumitteret ipsam servi personam seu corpus; sed qua relatio sic innuitur inter ipsos & principes qui jure belli eos ad tributa & ministeria, quae מעשה ידיהם *operam manuum eorum*, ut olim in AEgypto etiam, nuncupant, seu servitutem extrinsecam adegerant, non intrinsecam seu personae inhaerentem; quam nullibi revera nisi in gentilibus, quos in servitutem ejusmodi sive ceperant sive emerant ipsi, locum habere, ut ostensum est, volebant. Singularem hujusmodi gentis suae hac in re praerogativam ostentant. Ita ut nec alii, nedum ipsi (utcunque Ciceroni [n] natio ipsa *servituti nata* dicatur) in qualemcunque servitutis modum a principe aliquo gentili quomodocunque redacti, aliusmodi revera fierent servi, quam quales simpliciter sunt subditi, seu in deditionem munerumque ac ministeriorum praestationem civilem, pro morum & locorum discrimine, recepti; quemadmodum & scimus τοὺς ἐλευθέρους [o] seu *liberos* simpliciter in evangelio dici qui praestationibus ejusmodi immunes. Quae cum ita fuerint, annon lux hinc exceptioni illi Judaeorum, qua mirati sunt se a D. N. Jesu Christo in libertatem ex disciplina invitatos, quasi ante illa ipsi carerent: *Dicebat* [p] *Jesus ad eos qui crediderunt ei Judaeos, Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, scilicet ἐλευθερώσει ὑμᾶς. Ii vero aequo animo non sustinentes vocabulum illud *liberabit*, utpote quod servitutem illam intrinsecam praeeuntem in ipsis innuere suspicabantur; *Responderunt ei, Semen Abrahae sumus*, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε, *& nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis* ὅτι ἐλεύθεροι γενήσεσθε, *liberi eritis? Respondit eis Jesus, Amen amen dico vobis, Quia omnis qui facit peccatum servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeternum: Filius autem manet in aeternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Patres aliquot vetusti dictum illud Judaeorum velut hominis inflati ac arrogantis characterem esse judicant, etiam & mendacium manifestum: cum toties Judaei servitutem serviissent, AEgyptiis, Babyloniis, Romanis, quibus & tunc serviebant. At vir summus [q] in exercitationibus nuperis, *Mihi vero non videtur*, inquit, *dubitandum eos qui haec dicerent ad foedus respexisse ac legem, cui qui haererent usitato paradoxo liberos dicebant, qualis* בן חורין *filius nobilium, seu liberorum, hoc est liber, dicebatur. Unde illud in capitulis quae vulgo patrum dicunt, Nullus nisi qui in legis se exercet studio pro libero habetur. Tales autem minime esse poterant qui extra foedus essent, qui* ἀλλόφυτον δουλείαν, *quae ab illis vulgo* עבודה זרה *dicitur, amplectebantur, &c. Non ut serviisse unquam se negent, sed ut ex praerogativa, quod jam dixi, foederis ac legis liberos se esse ostendant. Plane ut in Stoicorum scriptis, sapientem esse liberum, Epictetum item nunquam serviisse, ad electionem sive* τὴν προαίρεσιν *refertur; sicut sapientem, etiam cum servit, servire negant Stoici.* Perpulchre sane. Sed vero, cum manifestum sit servitutis negationem in Judaeorum illo dicto tam ad gentem ipsam attinere totam, seu Abrahae semen (quo nomine solos Israelitas, non Ismaelitas aut Edomitas, contineri ex veteri traditione volunt [r]; utcunque tam hi quam illi revera ex Abrahae posteris) quam ad ipsos qui illo uterentur, nec eos gentis suae partem aliquam, servitutem illam intrinsecam, seu quae statum hominis personalem mutat, unquam serviisse ex disciplina sua admitterent, nec gentilibus sive AEgyptiis sive Babyloniis sive Romanis servos omnino aliquos, nedum seipsos, fuisse qui hujusmodi servitutem servirent, (ut dictum est) nec aliam demum servitutem serviisse se unquam decernerent, praeter illam quae libertati intrinsecae seu personae inhaerenti non opponi solet, sed in operis & munerum praestationibus ac obedientia civili tantum consistit: nonne illam solum servitutem intrinsecam serviisse se unquam hic negant, ex disciplina avita edocti, non alteram illam seu extrinsecam, quae in populo sive devicto sive in deditionem recepto nullibi non agnovere? Et quod sequitur in eo quod monet Christus, *Qui facit peccatum servum esse peccati*, ostendit etiam, ni fallor, servitutem & libertatem ibi memoratam non aliam esse quam mere intrinsecam illam seu personae inhaerentem. Conjecturae venia detur. Jam vero de captivis, ut jure apud suos fruerentur postliminii, redimendis ita statuebant [s]; אין פודין את השבויין יותר על כדי דמיהן מפני תקון העולם ואין מבריחין את השבויין מפני תקון העולם: *Non redimendos esse captivos pretio majori quam valerent, nec in fugam pelliciendos; utrumque, ob commodum publicum.* Hoc, ne alicujus fuga ir-


[h] E[illegible] ix. 9. [i] 2 Maccab. i. 27. [k] Archaeolog. lib. 14. cap. 8. [l] Halos. lib. 6. cap. 26. gr. 11. lat. [m] [illegible]dem lib. 18. cap. 1. [n] Orat. de provinciis consularibus. [o] Matth. xvii. 26. [p] D. Joann. viii. 31. [q] Daniel Heinsius in Aristarcho sacro pag. 903. edit. 1639. [r] Maimonid. Halach. *Nidarim*, cap. 9. [s] Misna tit. *Gittin*, cap. 4.

ritati custodes in caeteros inde nimium saevirent; illud, ne ob grandioris pretii spem hostes frequentius capturae assuescerent. Sed captivitatis jus, seu servitutis, qualem diximus, insequentis, satis ita agnoscebant. In decretis autem ac monitis suis de charitatis ac munificentiae officiis sive erga pauperes sive opera publica, veluti urbium muros, synagogas, aut alia ejusmodi sive extruenda sive reficienda, locum principem obtinebat captivorum redemptio (quod obiter advertere liceat) aliis quibuscunque ejusmodi officiis longe anteponenda. Unde inquiunt [t], פדיון שבויין קודם לפרנסת עניים ולכסותן ואין לך מצוה גדולה כפדיון שבויים: *Redemptio captivorum anteponenda est officio pauperes sive victu sive vestitu sublevandi. Neque* in rebus ejusmodi *habetur praeceptum aequale ei quod de redimendis est captivis.* Quin ad hosce inprimis attinere volunt praecepta [v] de munificentia, clementia, charitate erga inopes fratres tradita. Quorum in numero primarium hos habere aiunt locum, quoniam non modo victu egebant & vestitu, sed in horas ex dominantium arbitrio & vitae & honestatis periculum subibant. Etiam & servum qui Judaismum susceperat, captum pariter redimi volebant, nisi quid contra legem (pro sui conditione) commisisset: tunc enim etiam אסור לפדותו *vetita est ejus redemptio.* Pro sexus item, dignitatis, natalium, qualitatum aliarum discrimine, alii ante alios, si omnes simul commode redimi nequirent, erant redimendi. Anteponebatur plerumque foemina viro; quod etiam in eleemosynis utcunque erogandis obtinuit. Ratio redditur de redemptione, מפני שהאיש דרכו לחזר אבל לא האשה ובושתה מרובה׃ *Quoniam viro facilius est multo redire quam foeminae, cujus etiam pudor major.* At verba Misnae [x] sunt, בזמן ששניהן עומדין בקלקלה האיש קודם לאשה׃ *Ubi utrique ne scelere inquinarentur justus adesset metus, vir foeminae anteponendus.* Id est, ubi pariter uterque concubitus periculo apud hostes tentaretur: Quoniam gravius foret in masculo scelus [y], ideo ipse potius, si uterque eodem tempore nequiret, redimendus. Et de dignitatis hic atque natalium discrimine Maimonides; היו לפנינו עניים הרבה או שבויים הרבה ואין בכיס כדי לפרנס או כדי לכסות או כדי לפדות את כולן׃ מקדימין את הכהן ללוי׃ ולוי לישראל׃ וישראל לחלל׃ וחלל לשתוקי׃ ושתוקי לאסופי׃ ואסופי לממזר׃ וממזר לנתין׃ ונתין לגר׃ שהנתין גדול עמנו בקדושה׃ וגר קודם לעבד משוחרר׃ לפי שהיה בכלל ארור: בד"א בזמן ששניהן שוין בחכמה׃ אבל אם היה כהן גדול עם הארץ וממזר תלמיד חכם תלמיד חכם קודם׃ וכל הגדול בחכמה קודם את חברו׃ ואם היה אחד מהן רבו או אביו אע"פ שיש שם גדול ממנו בחכמה רבו או אביו שהוא תלמיד חכם קודם למי שהוא גדול מהם בחכמה: *Si plurimorum sive pauperum sive captivorum habeamus simul rationem, nec sufficiat sacculus sive ut victu & vestitu pauperes sive ut redemptionis pretio captivi subleventur pariter universi, sacerdos Levitae est praeferendus, Levita Israelitae* (qualem Laicum dicimus) *Israelita profano* (nato ex coitu singulari sacerdotibus jure [z] interdicto; nam *Israelitae* nomine eos quibus optimi juris natales sine ullo defectu essent, quoties ad hunc modum loquuntur, denotant) *profanus ei qui patre incerto sed certa matre natus, hic vero ei qui, velut expositus, casu reperiretur* (modo Ebraeum esse satis constaret, tametsi parentum neuter dignosceretur) *ita repertus Mamzeri* (ex damnato nomine ערוה seu *turpitudinis* coitu, excepto mulieris mensibus laborantis coitu progenito) *mamzer nathinaeo* [a], *nathinaeus proselyto: nam nathinaeus magni apud nos habitus est ob sanctitatem singularem.* (Ob ministeria scilicet circa templum, unde caeteris proselytis anteponebatur.) *Proselytus autem libertino* seu servo manumisso, *quoniam hic fuerat* servi nomine *omnino* [b] *maledictus. Quae autem diximus locum habent ubi sapientia non fuerint impares. Nam si pontifex etiam maximus sapientiae esset ignarus, mamzer vero sapientis discipulus,* id est, hic legis gnarus, ille nescius esset, *discipulus sapientis praeferendus erat. Et quisque alteri pro sapientiae dignitate praeferendus; ita tamen ut, si inter eos reperiret quis patrem suum aut magistrum sapientis itidem discipulum, eorum uterque aliis quibuscunque sapientia etiam praecellentibus anteponi deberet.* Et totidem fere verbis idem (atque in genus plura, quae statim damus) habes apud autorem [c] Misnae, & in Gemaris. Babylonii [d] vero; תנו רבנן היה הוא ואביו ורבו בשבי הוא קודם לרבו ורבו קודם לאביו. אמו קדמת לכלם: *Tradunt Rabbini nostri, si quis cum patre suo & magistro suo captivus teneretur, ipse magistro praeferendus, & magister patri. Mater vero utrique anteponenda erat.* Tantundem etiam Hierosolymitani [e]; quibus ratio item adjicitur magistri hic praerogativae, שאביו הביאו לחיי העולם הזה ורבו שלימדו חכמה הביאו לחיי העולם הבא: *Quoniam pater ejus vitam ei dedit in hoc seculo, sed magister, qui docet eum sapientiam, ducit eum in vitam seculi futuri.* De magistro loquuntur qui misnas seu δευτερώσεις atque veterum traditiones doceret, non qui scripturas tantum. Diserte ibi, ורבו שלימדו משנה לא רבו שלימדו מקרא: *De magistro autem capiendum est qui docuit eum misnam seu traditiones, non de eo qui scripturas tantum docuit.* Si vero pari usus fuerat tam patris quam magistri, in discendo, beneficio, pater magistro praeferendus. Quod de matre adjungitur, vertimus *eam utrique*, patri nempe & magistro, praeferendam, tametsi לכלם, quod *utrique* hic respondet, *eorum omnibus* potius sonet; quasi & ipsam quisque sibi deberet in hisce anteponere. Ideo vero vocabulo illo tantum patrem & magistrum denotari [f] sentiebamus, quia expresse ita Hierosolymitani; הוא ואמו ורבו ואביו עומדין בשבי הוא קודם לאמו ואמו לרבו ורבו לאביו: *Si quis cum matre & magistro & patre captivitate teneatur, ipse matri se anteponat, hanc vero magistro & magistrum patri.* De redemptione, & aliis quae ad captivos attinent charitatis officiis, hic semper loquuntur. Ex utraque autem Gemara fusiorem

[t] Gem. Bab. ad tit. *Baba Bathra*, cap. 1. fol. 8. & Maimonid. Halach. *Mathnoth Aniim*, cap 8. [v] Deuteron. xv. 7. &c. Levitic. xix. 16. & xxv. 53. [x] Tit. *Horaioth*, cap 3. [y] Maimonid. Halach. *Mathnoth Aniim*, cap. 8. & Gloss. Gemar. Babylon. ad tit. *Horaioth*, cap. 3. fol. 13. a. atque Maimonides in *Piru/h* ad eund. tit. fol 16 a. [z] Levitic. xxi. 7. De Profanis nos fusius lib. 1. de Successione in Pontificatum Ebraeorum. [a] Ezra ii. 70. & vii. 7. [b] Gen. ix. 25. [c] Tit. *Horaioth*, cap. 3. ubi videsis R. Obadiam Bartenorium. [d] Gemar. Babylon. ad eid. tit cap 3. fol. 13. a. [e] Gemar. ad tit. *Horaioth*, cap. 3. fol. 48. col 2. [f] Loco jam citato, & videsis Maimonid. tit. *Talmud. Thora*, cap. 5.

dignitatum hac in re, uti & in aliis quibus praescripta loci praerogativa ob dignitatis varietatem, ut fieri amat, maxime erat necessaria, distinctionem exhibere liceat. In Hierosolymitana legimus, חכם קודם למלך מלך קודם לכהן גדול כהן גדול קודם לנביא נביא קודם למשוח מלחמה משוח מלחמה קודם לראש משמר ראש משמר קודם לבית אב בית אב קודם לאמרכל והאמרכל קודם לגיזבר גיזבר קודם לכהן הדיוט כהן הדיוט קודם ללוי לוי לישראל ישראל לממזר ממזר לנתין נתין לגר וגר לעבד משוחרר אימתי בזמן שכולן שוין אבל אם היה ממזר תלמיד חכם וכהן גדול עם הארץ ממזר תלמיד חכם קודם לכהן גדול עם הארץ *Sapiens* (id est, juris eorum divini atque humani peritus) *praefertur regi, rex pontifici maximo, pontifex maximus prophetae*, (in Babylonia autem hic Gemara etiam pontifex sacro unctus oleo praefertur ei qui vestibus tantum sacerdotalibus insignitus est, מרובה בגדים, quod idem sonat, dictus; ita tamen ut qui unctus oleo pontifex ob seminis pollutionem a functione semotus esset, id est משיח שעבר מחמת קריו ei postponeretur, antehabitus interea pontifici uncto ubi עבר מחמת מומו *Semotus esset a functione ob membrorum aliquem defectum*, qui tamen ipse sacerdoti[g] in bellum uncto praeferendus) *propheta sacerdoti in bellum uncto*, (sic Hierosolymitani, ad quorum versionem jam redimus; Babylonii vero hic interponunt, ut loco proximum sacerdoti hujusmodi uncto, סגן id est *pontificis maximi vicarium*[h], qualis fere est in ecclesia orientali syncellus) *sacerdos in bellum unctus, classis seu* ἐφημερίας *sacrae praefecto, praefectus ejusmodi patri seu principi cognationis* seu *familiae alicujus, pater hujusmodi* seu *princeps marcali*, (marcales erant septem, qui sacri praefectis [i] aerarii tribus, quos nuncupabant גיזברין, praeerant, rationesque ab eis exigebant) *marcalis praefecto aerarii sacri*, (ita scilicet Hierosolymitani; sed Babylonii praefecto hujusmodi postponunt tam praefectum ἐφημερίας sacrae quam patrem familiae) *sacri aerarii praefectus sacerdoti gregario, sacerdos gregarius Levitae, Levita Israelitae, Israelita mamzeri, mamzer nathinaeo, nathinaeus proselyto, proselytus libertino; id quod intelligendum est ubi alioquin non sint impares. Etenim si mamzer fuerit sapientis discipulus, & pontifex maximus cum vulgo ignarus, etiam mamzer hujusmodi pontifici illiusmodi praeferendus.* Sic autem sapientem, seu juris divini humanique callentem aestimabant (eum etiam *sapientis discipulum* non raro, ut in allatis appellitant, quemadmodum Graeci ac Latini philosophum seu sapientiae studiosum σοφὸν ac *sapientem* nominant) ut in caeteris dignitatibus קדימה במעשה *praecellentiam in facto*, usu, autoritate, id est civilem, agnoscerent, in hac vero קדימה באמונה *praecellentiam ex ipsa veritate*, seu *moralem*. Nam ita hic de dignitatis praerogativa distinguunt. Certe in veteris Romae moribus gradus fuere, idque ex disciplina, & ordo hujusmodi officiorum; veluti parentibus primo, fidei tutelaeque nostrae creditis secundo, dein hospitibus, clientibus, cognatis, affinibus praestandorum, uti ex M. Catone, Massurio Sabino, aliis, monet Agellius[k]. Sed haec obiter. Et ita demum ea quae ad interdictum de furto, dominium, & obligationem, permissionemque, atque alia id genus circa illud (sine cujus modorum & temperamentorum diligentiori animadversione temere nimis & frustra de violatione seu observatione interdicti hujus pronunciatur) versantia, juxta doctrinam Talmudicorum attinent, idque tum ex jure naturali, tum ex jure gentium secundum eos, absolvimus.

[g] Deut. xx. 2. de quo plura in Misna, tit. *Sota*, cap. 7, & 8. & tit *Semicoth*, c. 4. [h] Vide de Segene, lib. 1. de Successione in Pontificat. Ebraeorum. [i] Misna tit. *Siklim*, cap. 5. & videsis Rabbi Jehudam in Gemar. Hierosolym. tit. *Sabbath*, cap. 10 fol. 12. Halach 3. col. 3. [k] Noct. Attic. cap. 13.



DE

3

DE JURE NATURALI ET GENTIUM,

Juxta Diſciplinam

EBRAEORUM,

LIBER SEPTIMUS:

Agit de Noachidarum juris illuſtrioris capite ſeptimo, quod eſt de membro animalis viventis; item de carnis & ſanguinis eſu. De minoribus inſuper ſeu obſcurioribus juris naturalis juxta Ebraeos capitibus. De honore parentum. De capite juris naturalis illuſtrioris ſexto, ſeu de judiciis; tum qua ex jure ſimpliciter naturali illud intelligendum, tum qua judicia in proſelytorum domicilii regimine apud Ebraeos erant exercenda. Accedit de judicio divino, qua ex illo ſive poena ſive proemium coelitus ex Ebraeorum ſententia exſpectanda fuerit, diſſertatio, Et demum de ſententia eorum qui volunt non ſolum veſtigia praeceptorum ſeptem, quae tractavimus, ineſſe in ſacra Jobi hiſtoria, verum etiam in ſynodo apoſtolorum Hieroſolymitana.

CAP. I.

De capite juris Noachidarum ſeu naturalis ſeptimo, ſeu membri animalis viventis eſu. Et de eſu ſanguinis. Diſcrimen inter pecorum, ferarum, volucrum ſanguinem, atque piſcium, locuſtarum, id genus aliorum; item humanum. Mahumedanorum de ſanguinis eſu ſcita.

SExtum juris Noachidarum caput illuſtrius, quod de judiciis eſt, atque, juxta enumerationem ex Talmudicis aliquot ſub libri primi extremum allatam, proximum interdicto de furto deberet locum ordinis habere, ſeptimum in tractatione noſtra fore maluimus, id eſt ultimum loco, ſed dignitate civili ſupremum, & ſeorſim poſt omnia non ſolum quae itidem ſunt illuſtriora, ſed etiam quae ſunt minora atque obſcuriora, pro diviſione ibi etiam memorata, exhibendum. Quippe quae omnia veluti materies ſunt in quam hujuſce exercendum imperium; unde etiam primum locum, idque meritiſſimo pro dignitate civili, habet in Gemara [a] Babylonia.

[a] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. a.

Quod

Quod igitur in enumeratione illa ſeptimum eſt, hic ſextum locum occupet, nempe אל אבר מן החי *interdictum de membro animalis viventis*, quo crudelitas immanis in animalia caetera vetatur. Hoc vero ita ſcriptis memorat Moſes; *Omne*[b] *quod ſe movet & vivit erit vobis in eſcam; quaſi virentem herbam dedi vobis omnia,* אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו *at carnem in* ſeu *cum anima ſua* (ſic verbum verbo reddendum) *ſanguine ſuo non comedetis.* Helleniſtae ibi, Πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς ὐ φάγεσθε, *At carnem in ſanguine animae non comedetis.* Aquila, Πλὴν κρέας ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ, *Sed carnem in anima ſua ſanguinem ejus* non comedetis. Symmachus, Πλὴν κρέας ὗ σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτοῦ, *Sed carnem, cujus ſanguis cum vita eſt,* non comedetis. Vulgata, *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Onkelos & Judaei Mauritanienſes premunt veſtigia ſermonis Ebraici, uti alii fere ex recentioribus. Sed R. Saadias Gaon, *Carnem non comedes in ſanguine ſuo,* فانه نفسه *cum is ſit anima* ſeu *vita ejus.* Apud Joſephum autem verborum de carnis omnimodae eſu Noachidis permiſſo ſacrorum paraphraſis ejuſmodi eſt [c] ut eos δεσπότας ἁπάντων *dominos omnium animalium feciſſe* aiat numen, adjiciatque, χωρὶς αἵματος· ἐν τούτῳ γὰρ ἐστιν ἡ ψυχή, *abſque ſanguine: Nam in hoc ineſt anima,* ſeu *vita.* Nam & animam pro vita accipi non raro nemo neſcit; ut cum juriſconſulti Caeſarei ſubinde vocant ultimum ſupplicium *animae amiſſionem.* Et ſimilia de ſanguine non ſemel in ſacris, quae Ebraeis propriae, legibus [c] occurrunt, quibus eis in mactationibus omnimodis (praeter piſcium, locuſtarum, id genus aliorum, quae lege de ſanguinis effuſione contineri nolunt, ut ſtatim oſtendetur) effuſio ſanguinis praecipitur, ejuſque eſus ita interdicitur, ut obſervent eiſdem verbis firmari praeceptum quo ſceleſtiſſimum illud idololatriae genus Molocho filios immolandi atque illud quo eſus ſanguinis vetatur, nec in tertio aliquo praecepto ea verba reperiri. De comedente ſanguinem inquit Maimonides [e], *Dixit Deus, ponam faciem meam in comedentem ſanguinem, eodem modo quo de illo qui filium ſuum Molocho immolat, ponam faciem meam in virum illum. Neque occurrit haec ratio loquendi in tertio aliquo praecepto praeter iſta duo de idololatria & comeſtione ſanguinis, quia illius comeſtio ad ſpeciem aliquam idololatriae, daemonum videlicet cultum, anſam & occaſionem praebebat.* Et qualis ejuſce olim in Zabiorum, id eſt, idolorum cultui deditorum, ritibus uſus eſſet, ipſe ibidem fuſius, ex orientalium libris explicat; unde & interdicti rationem petit. Jam vero de animalium ſanguine diſtinguunt Ebraei, mores ſuos avitos explicantes. Ejus genus hic triplex; pecorum, ferarum, & volucrum mundorum primum eſt; nam immundorum ſanguis, ut caro, erat illicitus. Piſcium mundorum, locuſtarum, id genus aliorum, ſecundum; hominis demum, tertium. Poena item in ſacris literis exciſionis, id eſt, כרת [f], eſui ſanguinis ſpontaneo praeſtituitur; ſed ita ut alias [g], ſine illa poena, eſus ejuſdem generatim interdicatur. Unde & de poena hic etiam diſtinguunt. Primi generis ſanguinem ex lege ſacra omnino vetitum volunt: Sed ita ut poena exciſionis non ſequeretur, niſi aut tunc comederet aut deglutiret quis ſanguinem dum effunderetur aut fuſius exſiliret, aut ſanguinem alium שהנפש יוצאה בו *quocum exiret anima* aut *vita.* Verba ſunt [h], אין חייבין כרת אלא על דם היוצא בשעת שחיטה ונחירה או התזת הראש כל זמן שיש בו אדמומית׃ ועל הדם הכנוס בתוך הלב׃ ועל דם הקזה כל זמן שהוא מקלח ויוצא׃ אבל הדם השותת בתחלת הקזה קודם שיתחיל לקלח׃ ודם השותת בסוף הקזה כשיתחיל הדם לפסוק אין חייבין עליו והרי הוא כדם האיברים שדם הקלוח הוא הדם שהנפש יוצאה בו׃ *Poena exciſionis locum tantum habuit ubi quis deglutiret ſanguinem exſilientem in ipſo mactationis tempore, & ſanguinem narium & capitis amputati quamdiu rubedinem ſuam retineret, aut ſanguinem qui interiora cordis occuparet, aut ſanguinem emiſſum dum effuſus eſt & uberius exibat. At vero ſi quis biberet in ipſo initio emiſſionis aut deſtillationis, antequam incipiat fuſius exſilire, aut in emiſſionis fine, tametſi priuſquam effuſio plane deſineret, poena exciſionis non ſecuta eſt. Nam ſanguis hujuſmodi velut membrorum ſanguis eſt. Sanguis autem in lege illa,* qua exciſionis poena continetur, *non alias intelligitur praeter illum quocum ipſa anima* ſeu *vita exiret.* At vero inquiunt, דם התמצית ודם האיברין כגון דם הטחול ודם הכליות ודם ביצים ודם המתכנס ללב בשעת שחיטה ודם הנמצא בכבד אין חייבין עליו כרת׃ אבל האוכל ממנו כזית לוקה שנאמר וכל דם לא תאכלו׃ ובחיוב כרת הוא אומר כי נפש הבשר בדם הוא אינו חייב כרת אלא על הדם שהנפש יוצאה בה׃ *Ob ſanguinem exſuctum, aut ſanguinem membrorum, qualia lien, renes, teſticuli, aut ſanguinem qui tempore ipſo mactationis recurriſſet ad cor, aut ſanguinem in jecore repertum, exciſionis poena non imminebat. At interea quiſquis ex hujuſmodi ſanguine quanta oliva eſt comederet, vapulabat; idque ex lege ſacra. Nam & ſcriptum eſt ſimpliciter*[i], "nullum ſanguinem comedetis." Nullum ſcilicet ejuſmodi animalium. *At ubi*[k] *poena exciſionis, adjicitur,* Quoniam vita carnis in ſanguine eſt. *Unde fit ut non ob alium ſanguinem praeter eum quocum exiit anima,* ſeu *vita, poena exciſionis debita.* Illud כזית, ſeu *quanta oliva eſt,* velut menſura ſolennis adhiberi ſolet ubi de poena ob comeſtionem illicitam (quae apud Ebraeos ipſos perquam multiplex) verba fiunt: Uti & שוה פרוטה nummuli ſeu *protae* valor, ubi de furto; quod & libro ſuperiori oſtenditur. Quorum neutrum ad Noachidas ſeu gentiles attinere volunt: Unde & aiunt, לא נתנו השיעורין אלא לישראל *menſurae*[l] *hujuſmodi non dantur niſi Iſraelitis.* Genus ſanguinis hic ſecundum, ſeu piſcium mundorum, locuſtarum, id genus aliorum, bibere aut comedere quacunque ratione ex lege ipſa fas habuere: Uti etiam & humanum; quem tamen prohibuere ſapientes ſeu ſcribae, id eſt, quibus juris ſuperinducendi permiſſa poteſtas. Sic enim aiunt; דם האדם אסור מדברי סופרים אם פירש

[b] Geneſ. ix. 3, 4. [c] Archaeol. I. cap. 4. [d] Levit. xvii 13, 14. Deuteron. xii. 23. [e] *More Nebochim,* lib. 3. cap. 46. [f] Levit. xvii. 14. [g] Ibid iii. ult. Deut. xii. 23. [h] Maimonid. Halach. *Macaloth Aſuroth,* cap. 6. Moſes Mikotz. Praec. Negat. 137. Talm. tit. *Cerithoth,* cap. 5. [i] Levit. c. iii. ult. [k] Ibid. xvii. 14. [l] Maimonid. Halach. *Melachim,* cap. 9.

ומכין

ומכין עליו מכת מרדות אבל דם השינים בולע ואינו נמנע : *Ex ſcribarum ſcitis vetitus eſt ſanguis humanus, a corpore ſcilicet ſeparatus; & ob violationem hujus ſcribarum interdicti irroganda erat verberum contumaciae debitorum poena. At vero ſanguinem dentium* e gingivis deſtillare ſolitum *deglutire omnino fas.* Nondum enim pro ſeparato ab homine habitus. Ritus etiam שחיטה *mactationis* in eſum & epulas, eorumque apices ſubtiliores, a [m] Moſe deductos tradunt, juxta quos animalia illa quorum ſanguis illicitus, in eſum mactanda, ſanguiſque eorum emittendus, idque ſecundum praeceptum [n] ſacrum generatim de mactatione traditum. Eandem autem eſſe carnis morticinae, ſuffocati animalis, id genus aliorum, cum carne unde ſanguis nondum eſt omnino emiſſus, rationem nemo non videt. Ita ſcilicet de ipſis Ebraeis obtinuit. Caeterum quod ad Noachidas hic ſeu gentes caeteras attinet, quibus proprium illud e Geneſi jam allatum eſt interdictum, binae fuere apud Ebraeos [o] ſententiae. Altera, interdicto eo illis vetitum fuiſſe tantummodo ſive membrum ſive carnem ab animali vivente diſcerptam exſectamve, veluti agnorum, vitulorum teſticulos exſectos, aliaque id genus qualiacunque: Atque membrorum hujuſmodi eſum בכל שהוא, *quantulumcunque fuerit,* Noachidis interdictum. Neque enim olivae aut alius cujuſquam menſurae temperamentum eis hic aſſignatur, ut Iſraelitis; quemadmodum dictum eſt. Atque haec ſane ſententia, qua ſanguinis eſus Noachidis ſatis permiſſus, ſeu qua מותר הוא הדם מן החי *fas eſſe decernitur eis eſum ſanguinis etiam animalis viventis,* plerumque praevaluit & receptiſſima eſt [p]. Interdicti autem ſic intellecti rationem affert Maimonides [q] ex orientalium libris, eamque ait fuiſſe (praeter eam quae de crudelitate nemini non obvia eſt; niſi ubi exſecantur quorum exſectio animalibus alendis proſit) שכן היו עושים אז מלכי הגוים וגם לעבודות זרה היו עושים כן רוצה לומר שהיו חותכין מן הבהמה אבר ידוע ואוכלים אותו : *Quoniam ita eo ſeculo facere ſolebant reges gentium; etiam idololatriae cauſa ita faciebant: Scilicet animali abſcindebant membrum aliquod, atque illud comedebant.* Certe in Europaeorum omophagiis ſeu feſtis crudivoris ejuſmodi quid adhibitum eſſe, ni fallor, memoratur. *Bacchanalia,* inquit Arnobius [r], *praetermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Graecum eſt. In quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque, ut vos plenos Dei numine ac majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Qua de re vide etiam Clementem Alexandrinum in Protreptico, Sextum Empiricum in Pyrrhoniis Hypotypoſibus [s], alios. Altera vero ſententia etiam ſanguinis (qualem jam diximus Iſraelitis ex lege ſacra illicitum, non alius) eſus cunctis hominibus interdictus habebatur: Ita Rabbi Chanania [t] Ben Gamaliel, ſeu Gamla, ita aliquot alii. Et tum de membro ſeu parte animalis viventis, tum de ſanguine, qua eorum interdicta Noachidas ſeu univerſum genus humanum attinent, conſulas caput integrum de אבר מן החי *membro animalis viventis* in *Halacoth Gedaloth* [v]. Praetereundum autem non eſt, haberi in lege ſacra quod haud parum ſtare videtur pro ſententia priori. Lex eſt [x]; *Non comedetis* כל נבלה *morticinum ullum; ſed* לגר *peregrino,* ſeu *proſelyto, qui intra portas tuas eſt, dabis illud ut comedat ipſum,* ſeu *& comedet ipſum; aut vendas ipſum alieno: quia tu populus es ſanctus Domino Deo tuo.* Quod intelligitur tum apud magiſtros tum ab Onkelo in paraphraſi Chaldaica de proſelyto domicilii ſeu incircumciſo: Quem & inde ואכל נבילות *morticinia comedentem,* ſeu *eum cui nefas non eſſet morticinia comedere,* nuncupabant [y], uti ante etiam monuimus. Sanguinem igitur morticinii ſeu ſuffocati, id eſt non effuſum, ex Noachidarum jure permiſſum agnoſcere videntur; niſi velis eos ſenſiſſe ipſum ex ſuffocato etiam ſeu morticinio ſanguinem prius exprimendum fuiſſe quam ſic comederetur. Certe & Mahumedes prohibuit [z] eſum الدم والميتة ولحم الخنزير & *ſanguinis & morticinii, uti & carnem porcinam.* Uti etiam المنخنقة والموقوذة والمتردية والنطيحة وما اكل السبع *Suffocati, verberibus occiſi* (ita interpretatur Mahumedes Ben Achmed paraphraſtes, quod alii *combuſtum* vertunt) *item occiſi caſu ſeu cornu, & ejus cujus partem aliquam devoraverat fera.* Extra ſcilicet cauſam neceſſitatis, qua haec comedere permiſit; quemadmodum etiam ex receptis apud Ebraeos [a] moribus cibi hujuſmodi alias interdicti permittebantur militibus ubi licitos locus non ſuppeditaret. Et Jacobus Bleda de Mahumedanis qui olim in Hiſpania; *Moriſchi hujus regni,* inquit [b], nimirum Valentiae, *& reliqui Hiſpaniae, non comedunt ſanguinem, carnes ſuffocatas, morticinas, nec morſas ab aliquo animali, putantes id peccatum eſſe ob reverentiam ſuae ſectae peſſimae, quae id vetat in Alcorano; & vocant eas carnes Arabice Halgharaham* (الحرم) id eſt, *maledictas & prohibitas.* Avicenna [c] autem medicus, ſuperſtitionis Mahumedicae alias tenaciſſimus, haud pauca habet de ſanguinis ſive eſu ſive potu, morbis ſcilicet aliquot curandis; ubi nec prophetae ſui interdictum omnino memorat. Forſan in medicinae ratione vim ſuam interdictum non habere voluit. Advertendum autem, Talmudicos dum interdictum hoc de membro animalis viventis (ſeu, ut volunt aliqui, de ſanguine) Noachidis ipſis velut primo datum memorant, Ada recentius interea non omnino, ſi rem ſpectes, facere. Sed exceptionem tantum faciunt adjectam indultui ejus quod nec Adae [d] nec poſteris ante Noachum permiſſum eſt: Id eſt, eſus carnium. Nam ex eo quod habetur in Geneſis initio, *Et dixit Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminantem ſe-*

[m] Maimonides Halach. *Shecita,* cap. 1. Moſ. Mikotzi Praec. Affirm. 63, & Gemar. tit. *Zebachim,* cap. 14. fol. 116. a. [n] Deut. xii. 21. [o] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin,* cap. 7. fol. 59. a. [p] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin,* cap. 7. fol. 57. a. ad tit. *Cholin,* cap. 7. fol. 101. & 102. Maimonides Halach. *Melakim,* cap. 9. & Mikot. Praecept. Affir. 122. [q] *More Nebochim,* part. 3. cap. 48. [r] Adverſus Gentes, lib. 5. [s] Lib. 3. cap. 25. [t] Gem. Babylon. ad tit. *Sahedrin,* cap. 7. fol. 56. a. & 59. a. [v] Fol. 135. b. [x] Deut. xiv. 21. [y] Gloſſ. Talm. ad tit. *Erakin,* cap. 7. fol. 29. a. [z] Alcoran. Azoar. 2. 5. & 6. Lat. Cod. 6. 12. & 16. & Abugiafar Hiſtoria Saracenic. lib. 1. cap. 1. [a] Maimonid. Halach. *Melakim,* cap. 8. [b] Defenſio Fidei in cauſa Moriſchorum, cap. 8. [c] Canon. lib. 2. tract. 2. cap. 602. [d] Vide *Aun Iſrael,* part 2. fol. 3. col 4. & *Bereſith Rabba,* paraſh. 38. fol. 38. col. 2.

men, quae est in superficie universae terrae, & omnem arborem in qua est fructus arboris, & quae semen seminet, in escam, & ex illo quod de Noachidis postea [a] legitur, *Omne quod se movet, & vivit, erit vobis in escam*, &c. Excepto, ut ante dictum est, sanguine; ex his, inquam, ut & christiani scriptores non pauci, docent carnium esum Adae non permissum, nedum membri animalis viventis: Noachidis vero indultum seu permissum, ut ostensum est, esum carnium, excepto membro animalis viventis (seu, juxta sententiam illam alteram, sanguine) quod comedere, inquiunt, nunquam non illicitum. Josephus Albo [b] ad veterum Talmudicorum mentem; בתחילה נצטווה אדם הראשון בקצת מצוות שנהגו בהן האנשים לפי קבלת רז״ל עד נח ולנח התיר אכילת בעלי חיים שהיה אסור לאדם הראשון כי בתחילה לא התיר להם אכילת בעלי חיים אלא אכילת הצמחים בלבד וגו׳ ואחר כך התיר אכילת הבעלי חיים לנח׃ *In principio praecepta quaedam data sunt primis parentibus, quibus usi sunt homines usque ad Noachum, juxta traditionem Rabbinorum nostrorum piae memoriae. Noacho vero permissus est usus animalium, qui Adae interdictus est. Nam in initiis non permissus est homini esus animalium, sed tantum esus eorum quae e terra germinant, seu fructuum e terra nascentium tantum*, &c. *& postea Noacho permissus est esus animalium*, adeoque (sic, puto, volunt) eorum quae animalium sunt fructus, veluti ovorum & lactis. Nam nec illa ante video, juxta ipsos, permissa, utpote quae animalium propagationi inservirent. Nec sane sanguinem piscis ullius immundi comedere sibi fas fuisse docent [c], quoniam inter sanguinem eorum ac carnem, quoad interdictum de immunditie, discrimen nullum. Rationes autem addunt illius Noachidis permissionis: quoniam aiunt alii [d], in rerum initiis fructus arborum, agrorum, satorum, aliarumque rerum e terra crescentium ex ipsa creatione uberes fuere, unde commodissime nutriri possent homines: nec aliter se res usque ad diluvium habuit: statim autem post diluvium, ob rerum ejusmodi inde inopiam, necessarium fuisse hoc indultum, ne fame aliter homines tunc periissent. Alii rationem petunt ex eo quod fructus terrae post diluvium pejores multo quam ante. Alii aliter. Qua de re consulas commentarios Rabbinicos ad Genesin. Et consona jam dictis sunt ea quae de abstinentia animalium in seculis vetustissimis in scriptis occurrunt gentilium. Quale est illud Pythagorae apud Ovidium [e],

At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Foetibus arboreis & quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Consulas quae habentur apud Porphyrium libris περὶ ἀποχῆς, & Plutarchum in orationibus περὶ σαρκοφαγίας, praeter Petri Castellani opusculum de esu carnium, & theologos ad Genesim obvios. Sed vero quantum ad membri animalis viventis attinet, non pariter omnimodo se hic volunt Ebraei obstrictos ut Noachidas seu gentiles. In universum quidem pronunciant [f], כל שאסר על ישראל משום אבר מן החי אסור על בני נח *Quicquid nomine membri animalis viventis vetitum est seu illicitum Israelitae, id pariter Noachidi illicitum.* Sed non e contra. Nam ex ritibus illis mactationis, atque הלכות שחיטה *traditionibus de modo mactandi* in esum promiscuum & convivia (non enim de mactatione sacra hic loquimur) a Mose deductis, docent, aliquantulum sic a numine, omnimodi semper juris Domino supremo, relaxatum fuisse ipsis interdictum hoc ut carnem seu membrum animalis rite jugulati, sed adhuc ita motitantis ut in vivis moribundum censeretur, dissectum, nefas interdum non esset antequam motitare desineret comedere. Moses Mikotzi [g]; ויש שבני נח חייבין עליו ולא ישראל כגון אבר מן החי מן הטמאה וכגון בהמה שחוטה ומפרכסת אבר ובשר הפורשים ממנה אסורים לבני נח ולא לישראל מפני שאין השחיטה מתרת לבני נח כמו לישראל *At vero sunt nonnulla quibus violat hoc interdictum Noachides, non item Israelita, veluti in membro animalis viventis quod immundum est* (nempe immunditiei nomine, non membri animalis viventis reum ibi volunt Israelitam) *& ubi pecoris jugulati, sed adhuc motitantis, caro seu membrum aliquod separatum comeditur. Nam Noachidi illud illicitum, non item Israelitae: quoniam scilicet indultus ex ritu mactationis seu jugulationis ad Noachidas non attinet, quemadmodum ad Israelitas.* Hoc vero necessario monendum, de membro & carne pecorum, ferarum, volucrum duntaxat, id est, animalium quorum tantum sanguinem ex lege sacra illicitum habuere, non de piscium, locustarum, aliorumve id genus animalium, interdictum hoc eos capere. Nam & sibi ipsis pariter atque humano generi reliquo horum (modo non immunda, quantum ad Israelitas, intelligas) esum sine mactationis alicujus ritu aut effusione, etiam plane vivorum, licitum fuisse volunt. Verba sunt [h]; דגים וחגבים אינן צריכים שחיטה אלא אסיפתן היא המתרת אותן׃ הרי הוא אומר הצאן ובקר ישחט להם ומצא להם אם את כל דגי הים יאסף להם אסיפת דגים כשחיטת בקר וצאן׃ והחגבים נאמר אתם הותר באסיפה לבדה׃ לפיכך אם מתו מאיליהן בתוך המים מותרין ומותר לאכלן חיים׃ *Non opus est ut adhibeantur ritus mactationis piscibus & locustis. Caeterum collectio eorum tantum licitos eos facit. Nam & dixit Moses*, Nunquid [i] oves & boves mactabuntur pro eis, qui sufficiant eis? Vel omnes pisces maris colligentur pro eis? *Collectio* seu *congregatio*, ipsa captura, *piscium, velut mactatio* (ad quam ritus attinuere, ut dictum est, perquam singulares) *boum & pecorum. Aliis item collectio locustarum memorat[illegible] in pr[illegible], ut quae sola sufficeret. Vide etiam tametsi ex se morerentur in aquis*, [illegible] pisces; *quos etiam vivos comedere*, ut ostrea solemus, *licuit*. Parilem autem hic volucrum & pecorum rationem fuisse ex ipsis legis sacrae [l] verbis eliciunt.

[a] Genes. ix. 3. [b] *Sepher Ikarim*, part. 3. cap. 14. [c] Maimon[illegible]h. *Macaloth Isuroth*, cap. 6. [d] Abarbinel in *Pirush Tora*, fol. 46 col. 2, 3. [e] Metamorph. 15. [f] [illegible]monid Halach *Melakim*, cap. 9 Mos. Mikotzi praec. aff. 122. [g] Loco citato. Sed & vide Maimonid. Hal. *Shecit*[illegible] cap. 1. [h] Maimonid. Hal. *Shecita*, cap. 1. [i] Num. xi. 22. [k] Isa. xxxiii. 4. [l] Levit. xvii. 13.

CAP.

CAP. II.

De minoribus seu obscurioribus juris naturalis juxta Ebraeos capitibus. Et de parentum honore, atque ejusce interpretamentis quibus ei derogatum ibant. De loco illo evangelii illustri, Corban (quod est donum) quodcunque ex me tibi profuerit. Mira de votis disciplina.

MInorum seu obscuriorum juris Noachidarum seu gentium capitum (quae antequam ad judiciorum caput deveniamus exhibere non immerito visum est) neque numerus certus est, neque adeo certae semper de eis receptae sententiae. Horum autem genus est duplex; alterum eorum quae majoribus atque illustrioribus, veluti sive praevia atque antecedentia sive necessario consequentia, commiscentur, quemadmodum multiplicationis generis humani & contractus matrimonialis jura cum praecepto de revelatione turpitudinum, dominii atque obligationis permissionisque circa illud versantis jus in furti interdicto, poenarum modus in judiciis (de quibus mox) & quae sunt ejusmodi caetera superius plerumque suis locis explicata, & Talmudicis uno nomine אבזרייהו [a] *appendices eorum*, id est, septem illustriorum, seu כל מידי דשייך לאותן ז' מצות *quicquid necessario septem illis praeceptis insuper continetur*, quod Gallice, pro suo more, exprimit Salomon Jarchius per לור אפרטננמנט *leur appertenement*. Accedat etiam illud de cultu a Noachide numini exhibendo, secundum ea quae de eo diximus libro tertio, uti & consequens de judicio divino persuasio, juxta ea quae mox capite dicemus quarto. Nam tametsi nihil quidem praeceptis seu obligationibus illis illustrius, qua sive objectum sive finem respicis; nihilominus, quoniam neque in ipsa proselytorum domicilii professione exigebantur, neque in judiciis quibus in ditione Israelitica coercebantur gentiles eorum usus erat, inter obscuriora locum non immerito sortiuntur. Alterum genus eorum est quae universis quidem observari volebant aliqui. In hisce est illud de parentibus honorandis, quod cum pars decalogi sit, inter jura naturalia enumeratur a Philone [b] Judaeo. Et inter homines qui humanitate exuta in ferinam migrarunt naturam, ferre, ait ille, Τὰ τῆς ἀγριότητος πρωτεῖα τοὺς γονέων ἀλογοῦντας, *primas ejusmodi feritatis, eos qui parentes negligant*, atque ob inhumanitatem impietatemque tam Deo quam hominibus esse genus invisissimum. Atque inter ea quae נתפרסמו בכל אומות *publicata sunt inter omnes gentes*, seu quae jura sunt totius generis humani, diserte enumerat parentum honorem Rabbi Aben [c] Tybbon. Quin ante decalogum divinitus in tabulis acceptum hoc de parentibus honorandis, cum aliis aliquot, praeter septenarium juris Noachidarum capitum numerum accepisse Ebraeos, ex eorum commentariis supra [d] memoratur; sibi nempe inprimis & modo tunc praescripto observandum. Nam ut observarent alii, non poena civili omnino adigebant, sed tantum suadebant. Ex civili autem sibi seu sacra lege monent tum de כבוד *honore* tum de מורא *timore* seu *reverentia* [e] parentum. Et de utroque ad hunc modum [f]; איזהו מורא ואיזהו כבוד מורא לא עומד במקומו ולא יושב במקומו ולא סותר את דבריו ולא מכריע את דבריו ולא יקרא בשמו לא בחייו לא במותו אלא אומר אבא מרי : *Discrimen inter honorem & timorem* seu *reverentiam patris hujusmodi est, ut ex reverentia filius non stet in loco ejus*, seu *locum ei assuetum stando occupet, nec in loco ei assueto sedeat, nec sententiae ejus refragetur, nec eam refutet, nec eum nomine suo appellet, sive superstitem sive mortuum* [g], *sed ad hunc modum loquatur, Abba* seu *pater dominus meus*. De honore vero sic; איזהו כבוד מאכיל ומשקה מלביש ומכסה משל האב ואם אין ממון לאב ויש ממון לבן כופין אותו וזן אביו ואמו כפי מה שהוא יכול : *Honor in eo consistit, ut cibum & potum ei subministret filius, uti & vestitum, ex eo scilicet quod patris est, seu ex bonis paternis; quibus si careret, cogendus erat filius, si ipsi bona essent, ut utrumque aleret parentem in quantum posset*. Nec fas habebant filio dicere patri illum praeceptum aliquod violasse, tametsi palam violaret; sed modestius tantum de lege quam violarat interrogare. לא יאמר לו אבא עברת על דברי תורה אלא יאמר לו אבא כתוב בתורה כך וכך כאילו הוא שואל ממנו ולא כמזהירו : *Non dicendum ei erat, Abba* seu *pater, transgrederis verba legis : sed dicendum erat ei, Scriptum est in lege sic vel sic; idque perinde ac si ea de re eum consuleret seu interrogaret, non ac si commoneret*. In honore autem exhibendo praeferendus erat matri pater; in timore seu reverentia, patri mater : ratio additur, ללמד ששניהם שוים בין למורא בין לכבוד *Ut inde parilis utriusque dignitas cognosceretur, dum tam reverentiam quam honorem intuemur*. At vero insignes fuere derogationes quibus vim seu effectum praecepti hujus ita minuebant Ebraeorum magistri ut mirum sit eorum aliquos inter naturalia jura id nihilominus sic posuisse. Derogationes eae fuere binae. Altera, qua magistrum seu praeceptorem, a quo legem ejusque Misnam δευτέρωσιν seu *explicationem* quis didicisset, parentibus in honore exhibendo praeferebant. Cujus rei specimen non obscurum habetur ubi de captivis redimendis superius agitur. Et occurrunt ejusmodi alia, ubi [h] de magistro honorando, sublevando, observando prae patre disciplina ab eis traditur. Altera hic derogatio est illa a Domino servatore in evangeliis damnata; *Vos autem dicitis* [i], *Si dixerit homo patri aut matri*, Κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Korban, quod est donum, quodcunque ex me tibi profuerit: & ultra non permittitis eum quicquam facere patri suo aut matri suae, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis*. Quod quidem a doctissimis viris quamplurimis tactum, a paucissimis satis explicatum aut intel-

[a] Rabba in Gem. Bab. ad tit. *Sanhedrin* cap 8. fol. 74. b. Salom. Jarch. ibi. & *Baal Aruch* in אבזר. [b] Lib. de Decalogo. [c] In *Ruach hachen*, cap. 3. 6. [d] Lib. 1. cap. ult. [e] Levit. xix. 3. [f] Maimonid. Hal. *Memarim*, cap. 6. Mikot. praec. aff. 113. Ita Gem. Bab. ad tit. *Kiduschim*, cap. 1. fol. 31. b. Gem. Hierosolymit. ad tit. *Pea*, cap. 1. fol. 15. col. 3. [g] Vide supra lib. 6. cap. 9. [h] Gem. Hierosolym. ad tit. *Horaioth*, cap. 3. fol 48. col. 2. Maimonid. Halach. *Talmud Thora*, cap. 5. [i] Marc. vii. 11. & Matth. xv. 5.

lectum

lectum satis videtur. Ad vovendi ritus rem pertinere dubitandum non est: ea autem ita se habuit. De votis ad hunc modum lex sacra [k]; *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: alioquin requirendo requiret illud Dominus Deus tuus a te, & erit in peccatum. Quod egressum est de labiis tuis observabis & facies, sicut vovisti Domino Deo tuo voluntarie, & sicut locutus es ore tuo.* Atque aliae sunt ea de re leges [l]. Vota autem aut in oblationibus numini dicandis, sive victimarum, sive frugum, sive opum qualiumcunque, aut in abstinentia seu actu aliquo alio futuro versabatur: adeo ut ei qui se alterutro genere obstrinxerat, id quod voverat cum religione esset praestandum usque dum rite voto solveretur: quod ex lege interdum, ubi filia aut uxor voverat, a patre aut a marito fiebat; atque a magistris, quibuscum [m] de re ardua nimis temeraria seu infelici, quae in votum venerat, interdum consulebatur, simile fieri aliis ex more fas erat. Alioquin, etiamsi quis voto ipsis legis sacrae praescriptis, velut phylacteriorum usu, scenopegiorum ritibus, id genus aliis, sibi interdixerat, ab eis omnino abstinendum fuisse volunt; poena insuper verberum violationi voti adjecta. Quod tamen in juramentis non obtinuit. Atque hoc docent inter votum & juramentum discrimen: irritum fuisse juramentum, si quis jurasset se non usurum phylacteriis, aut scenopegia, id genus alia non observaturum; quod si quis voto hisce renunciasset, tantum abfuisse ut irritum esset votum, ut etiam non impune violandum. Discriminis ratio redditur [n], שהנשבע אוסר עצמו על דבר שנשבע עליו, והנודר אוסר הדבר הנדור על עצמו: *Quoniam juramento obstrictus ipse sibi interdixit re uti de qua juravit, voti autem damnas ipsam rem de qua votum concepit sibi fecit illicitam.* Sensus est, juramento ejusmodi jurantem se obstringere quidem ipsum, quantum in se est, ne id faciat quod in praeceptis accepit; id quod ipsum obligare merito nolunt: voventem autem rei ipsius quae in votum venit naturam ita commutare, ut ea imposterum pro voti ratione sit plane abstinendum, ne contra legem committatur qua vota cum religione solvenda praestandaque. Verbi gratia, qui jurarat se nec tabernaculum exstructurum in scenopegiis, nec frondes palmarum tunc adhibiturum, id quod ex praecepto [o] faciendum erat plane jurarat se non facturum. Voti autem de ipsis rebus, ut diximus, expressim in votum venientibus ratio ita se habuit, ut ipsae ex ipsa voti vi interdictae, utpote res omnino consecratae, aliosque in usus, juxta sui aestimationem, essent convertendae. Etenim formula fere erat, קרבן סוכה שאני עושה לולב שאני נוטל *Corban*, seu *oblatio*, *seu res consecrata*, *sit tabernaculum quod ego fecero*, *item ramus palmae quem ego sustulero.* Atque inde res ipsa, seu ejusce atque operae circa illam impendendae pretium, si nondum a vovente possideretur conficereturve, in naturam נדבה seu *voluntarii sacrificii* seu *oblationis* transiens, praecepto, ex eorum sententia, velut exuebatur, voti rationi jam tantummodo obnoxia, quo nec exsolvere se fas voventi ipsi habebatur; seu אינו יכול להפר quod dicere solent, idem denotans. Quodcunque aliud sive frugum, sive fundi, sive operae, simili formula devovebatur, ita numini sacrum ex voto postea habitum est ut ex voti duntaxat legibus, non omnino ex aliqua alia, quantum ad voventem attineret, illud pendere existimarent. Unde de tabernaculo, in exemplo allato, aiunt [p], כן אדם מקדיש סוכתו לשמים *Sic tabernaculum suum sacrum quis numini facit.* Et similiter de aliis. Jam vero, si quid honoris parentum nomine intelligant observemus, res fiet manifesta. Ex lege [q], de כבוד seu *honore* loquuntur & de מורא seu *timore* aut *reverentia*, ut dictum est. Et utrumque ita explicat etiam ex veterum mente Salomon Jarchius [r], איזהו מורא לא ישב במקומו ולא ידבר במקומו ולא וסתר את דבריו ואיזהו כבוד מאכיל ומשקה מלביש ומנעיל מכניס ומוציא: *Quinam est timor seu reverentia hic filii? Non sedeat in loco patris, non loquatur in loco ejus, nec verbis ejus contradicat. Et qualisnam hic honor exhibendus? Praebeat parentibus cibos ac potum & vestimenta, calceos induat, introducat atque educat.* De assidua observantia loquitur. Qui igitur ad formulam jam dictam voverat de rebus quibus parentibus honor exhibendus erat, nimirum cibo, potu caeterisque praestandis, eas a se *Corban* fieri, id est oblationem sacram, ita eum obstrictum volebant esse voto ut non solum praecepto parentes honorandi solveretur, ratione superius allata, verum etiam ut illud observare imposterum fas ei, voto necdum soluto, non esset. Scilicet quicquid ante votum parentibus ex praecepto praestandum fuisset, id universum post votum numini sacrum habebatur, eique tantum, sive in opera ac ministeriis sive in oblationibus, quae honoris parentis, de quo votum conceptum est, aestimationem aequaret, praestandum: si nempe expressim sic voto dicaretur. Aliter, si votum tantum esset se nolle deinceps parentem omnino honorare, neque id licuit ex simplici ipsius abstinentiae futurae voto, priusquam solveretur. Unde & Syrus evangeliorum interpres, magistrorum sententiae formularumque non ignarus, pro verbis illis in Graeco sermone non ita perspicuis substituit, קורבני מדם דתתהנא מני & קורבני מדם דמי תאתר. Utrumque significat, *Corban meum*, seu *oblatio mea sit*, *quodcunque ex me tibi utile possit esse*, aut *possit prodesse*. Quod itidem Talmudicorum phrasi maxime consonum. Atque hunc esse sensum loci illius tam veteres patres [s] Christiani quam recentiorum doctissimi [t] clarissimique satis adstipulantur. Fusiorem ea de re doctissimamque pridem edidit diatribam Ludovicus Capellus; quam in primis consule. Atque advertas etiam, voto ejusmodi simplici quo filius a patre interdiceretur bonis in quae alias ipse ex lege succedere debuisset, exhaeredationem adeo legitimam factam esse ut successionis jure omnino inde filius caderet, atque ad nepotes sive ad fratres (ut facti

[k] Deut. xxiii. 21. [l] Numeror. xxx. 2. Videsis Mosem Mikotzi praecept. aff 124. [m] Maimonid. Halach. *Nidarim* cap. 4. [n] Misna & Gem. Bab. & Gloss. ad tit. *Nidarim*, cap. 2. fol. 16. a. & Maimonid. Hal. *Nidarim*, cap. 3. Gem. Hierosolymitan. ibid. fol. 37. [o] Levit. xxiii. 40, 42. [p] Gem. Hierosolymit. ad tit. *Nidarim*, cap. 2. fol. 37. col 2. hal. 2. vide etiam Misnam. ib. eod. tit. cap. 6. in aliis codicibus, cap 5. [q] Decalog. & Levitic. xix. 3. [r] Ad Levit. xix. 3. & videsis Drus. ad Levit. loca, cap. 63. [s] D. Hieronym. in D. Matth. c. 15. & Theophylact. ibid. [t] Videsis Hugonem Grotium de Jure belli ac pacis lib. 2. cap. 13. §. 7. Jo. Cocium in excerpt. ex Gemar. *Sanhedrin*, pag. 273.

species

ſpecies exegit) bona, praetermiſſo filio ita voto damnato, tranſmitterentur. Sic diſerte Talmudici[v]. Jam dictis perquam ſunt conſona illa Philonis in legum Moſaicarum recenſione[x], *Quemlibet rerum ſuarum eſſe dominum, niſi ſi eas Deo vel dicatas utcunque vel omnino ſacras eſſe voluerit.* Εἰ δὲ λόγῳ μόνον ὑποσχέσθαι προσπέσοι, ψαῦσαι καὶ θίγειν αὐτῶν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' εὐθὺς ἁπάντων ἀποκεκλεῖσθαι, *Nam ſi vel ore tenus ſponſionem ejuſmodi aliquam nuncuparit, nihil eorum uti ſeu attingere poterit, ſed omnibus ei continuo interdictum erit.* Item, Ἐὰν ἐπιφημίσῃ τροφὴν γυναικὸς ἀνὴρ ἱερὰν εἶναι, *Si vir uxoris ſuae alimenta Deo ſacra eſſe voluerit, alimentis ei ſuis eſſe abſtinendum.* Scilicet conſecrare volentem, ἁπάντων στέρεσθαι, *ex ipſa verborum ſuorum vi dominio omnium* quae in conſecrationem venerint *ſpoliari.* Et rem ſane ipſam palam didicerat ex Ebraeorum diſciplina S. Hieronymus, cui[y] dicitur illud in evangelio *inopiam parentum caſſa adulatione fruſtrari. Et corban,* inquit, *hoc eſt donum quod altari pollicitus ſum, & in templi dona promiſi, ſi tu a me acceperis cibos, vertetur in tuum refrigerium. Atque ita fiebat ut, egentibus patre & matre, ſacrificium offerrent filii quod ſacerdotes ſcribaeque conſumerent.* Alibique plura ille[z] eundem in ſenſum. Allata vero jam ante notione τοῦ *corban,* eos qui ex voto ad ſacra miniſteria ſe obligarant, ita Joſepho[a] dictos nullus dubito; ex voto ſcilicet numini ſacratos. Quoniam autem tanta vis erat formulae, cui vocabulum illud adhiberi, uti & interdum alia quae huc non ſpectant, ſolebat, ut obligatio quae reſcindi nequiret plerumque inde oriretur, ideo etiam videtur τὸ κορβᾶν in Tyriorum legibus pro Judaeorum ſacramento ſumi; qua de re ex Theophraſto idem Joſephus[b]. Et magnam voti ac ſacramenti eſſe cognationem nemini non manifeſtum eſt. Quod vero aliter, idque ex Joſephi, de obligatis ad ſacra miniſteria *korban* dictis, loco duntaxat, atque ex eorum occupationibus vacationibuſque, traditionem de honore parentibus minuendo a Chriſto damnatam interpretatur vir ſane eruditiſſimus[c], nec aſſenſum praebere omnino queo, nec rationem quam adfert hic admittere. Interpretationes illas quibus κορβᾶν de iis quae parentibus alendis impendi poſſent ſumitur, repugnare vult legibus πατροπαραδότοις Judaeorum. *Quoniam nulla,* ut ait ipſe, *ſe poterant exceptione tueri, quin alendi eſſent parentes. Cogebantur enim inviti. Haec enim eſt regula juris Judaeorum,* כופין את הבן לזון את האב *Cogitur filius alere parentem.* At vero ad ſcenopegiorum obſervationem, phylacteriorum, aliorum, cogebatur itidem qui praecepto eſſet inobſequens; quod tamen intelligendum, juxta ea quae ſuperius afferuntur, ubi ex voto praecedente res ipſa non haberetur voventi illicita. Nam tantum tunc aberat ut cogerent, ut nec contra votum quid praeſtari permitterent. Unde & illud apud D. Marcum[d], Καὶ οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, *Et ultra non permittitis eum quicquam facere patri ſuo aut matri ſuae.* Perpetuo nempe voto (ſic volebant) obſtrictum uſque dum ejus nexu, ex moribus receptis atque circumſtantiis inſequentibus, interpretatione a magiſtro aliquo ſeu legis perito adhibita, ſolveretur. Quae verba etiam D. Marci argumento ſunt, locum hic habere nequiiſſe ſive vacationes ſive occupationes illas τῆς λειτουργίας ſeu *ſacri miniſterii.* Nam ita obſtrictus pro ſuo libitu, miniſterio ſaltem non occupatus, id parentibus praeſtare honoris nomine potuiſſet, quod nec impune praeſtari permittere, ob voti vim, volebant qui ſic traditione ſua ſimplicem praecepti divini ſenſum perperam commutarant. Sed ad Noachidarum praecepta minora ſeu obſcuriora caetera redimus.

CAP. III.

De heterogeneorum uſu; fratriae, ubi frater ſine prole obierat, connubio; caſtratione; aliis obſcurioribus, qua, juxta nonnullos Ebraeorum, ad Noachidas attinerent.

QUod habet Philo contra rerum diverſarum ſpecierum commixtionem, veluti naturae adverſam, adeoque a nemine non evitandam, a Talmudicis, diſtinctione adhibita, forte firmari videatur. Verba ejus ſunt[a]: Τὰ μὲν ὁμογενῆ πέφυκεν εἰς κοινωνίαν· ἐπεὶ καὶ ὅσα ἑτερογενῆ κατὰ τοὐναντίον ἄμικτα καὶ ἀκοινώνητα· εἰς μηχανώμενος ἐκθέσμους ὁμιλίας, ἄδικος, νόμον φύσεως ἀναιρεῖ. *Quae ſub eandem cadunt ſpeciem, in conſociationem nata ſunt: cum interea quae diverſae invicem ſunt ſpeciei, e contra non miſta ſint nec communione conjuncta; quae ſi quis conjunctione nefaria commiſceat, is ſane naturae jus contra juſtitiam* quantum in ſe eſt *e medio tollit.* Et Joſephus[b] dum legem de heterogeneis ſacram ſuo more tradit, rationem adjicit, οὐ γὰρ τῇ τῶν ἀνομοίων κοινωνίᾳ χαίρειν τὴν φύσιν, *Naturam enim communionem diſſimilium abhorrere.* Heterogenea hujuſmodi uno nomine כלאים dicuntur, ubi interdictum de eis ſacrum[c] occurrit: Eo autem quadruplicem heterogeneorum commixtionem vetari aiunt Talmudici, lanae & lini in veſtibus, ſeminum diverſi generis in eadem agri parte, animalium generis diverſi ad coitum admiſſionem, & demum arborum generis diverſi inſitionem. Poſteriores interim binas a prioribus ita diſtinguunt, ut has Noachidis licitas eſſe aiant[d], illas ſeu poſteriores binas non item; idque ex vetuſtiſſima majorum traditione eſſe acceptum. Unde & Maimonides[e], כפי הקבלה שבני נח אסורין בהרבעת בהמה ובהרכבת אילן בלבד: *Ex traditione eſt quod Noachidis interdicatur admiſſione animalium generis diverſi, atque arborum diverſi generis inſitione tantum.* Sed utramque is alibi[f] ita cum cultu extraneo, veluti ſolennem olim ejuſce ſive partem ſive appendicem, ex orientalium libris e-

[v] Miſna tit. *Baba Kama,* cap. 9. Talm. Babylon. fol. 109. a Maimonid. Hal. *Nidarim,* c. 5. & vide Conſtantin. L.Empereur ad tit. *Baba Kama,* cap. 9. § 10 pag. 257. [x] Apud Euſeb. Praeparat. Evangelic. lib. 8. cap. 7. [y] Epiſt. 11. ad Ageruchiam. [z] Ad D. Matth. cap. xv. [a] Archaeolog. lib. 4. cap. 4. de quibus Levitic. xxvii. 2, & 3. [b] Contra Apionem. lib. 1. [c] Samuel Petitus, Variar. lection. lib. 1. cap. 4. [d] Cap. vii. 12.

[a] Lib. de creatione principis. [b] Archaeolog. 4. cap. 4. [c] Lev. xix. 19 [d] R. Eliezer in Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin,* cap. 7. fol. 56. b. [e] Hal. Melakim. cap. 10. Videſis R. Bechai in *Biur,* fol. 37. col. 4. Adde Conſtant. L'Empereur, tit. *Baba Kama,* cap. 4. §. 3. pag 67. [f] *More Nebochim,* lib. 3. cap. 37.

doctus conjungit, ut eo nomine potius, idque, puto, in ditione tantum Iſraelitica, metu ne in cultum remigraret extraneum, illicita haberetur. Quod ſi ſic intelligas, non de heterogeneis univerſo humano generi, ſed Noachidis tantum in ditione Iſraelitica, ſeu proſelytis domicilii, ex jure ſuperinducto interdictis res capienda. Quin uxoris fratris ſine liberis defuncti ducendae jus apud Noachidas, ante legem ſcriptis mandatam, interdum obtinuiſſe, obſervant [g] ex illo de Onano Judae filio [h], *Ingredere ad uxorem fratris tui, & leviri jure duces eam, ut ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille autem ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui ſemen fundebat in terram, ne daret ſemen fratri ſuo*, ſeu, ut Vulgata ibi appoſitiſſime ad mentem Ebraeorum, *ne liberi fratris nomine naſcerentur.* Sed in praeceptorum ſive majorum ſive minorum numerum hoc non admittunt, neque aliud quam [i] juris civilis ſeu Noachidarum juri caput pro gubernantium placito adjectum, hoc in exemplo illo Onani ſumunt, ut diſerte Abarbinel. Adjicit etiam Rabbi Chidka [k], חסירום, id eſt, *caſtrationem* Noachidis vetitam. Certe Iſraelitis uno ore pronunciant nullum animal ex lege caſtrare licuiſſe [l], aut qualiacunque איברי זרע *membra ſeminis*, id eſt, generationis, praecidere, aut infoecunda reddere. Verba legis ſunt [m], *Quod eſt compreſſum aut contuſum, aut enervatum aut exſectum* (quae omnia vim generandi ſpectare volunt; uti & Vulgatus & Helleniſtae) *non offeretis Domino.* Quibus proxime ſubjungitur, ובארצכם לא תעשו. *In terra veſtra non facietis*, ſeu, ut Vulgata, *Et in terra veſtra non omnino facietis*, atque Helleniſtae, Καὶ ἐν τῇ γῇ ὑμῶν οὐ ποιηθήσεται, *Etiam in terra veſtra non fiet.* Ubi τὸ *terra veſtra* minime volunt praeceptum ſibi terraeve ſuae proprium reddere, ſed ita intelligunt ac ſi dictum fuiſſet, *Non facietis omnino compreſſum, contuſum, enervatum, exſectum*; *quin nec in terra veſtra ejuſmodi quid patrabitis*, ſive in corpora veſtra, ſive in aliorum quorumcunque hominum ſeu animalium caeterorum corpora. Nam de omnibus animalibus aeque interdictum capiunt. Quod & diſerte habetur apud Fl. Joſephum [n]. Atque praeceptum hoc de caſtratione, uti & alterum illud de heterogeneis, ita ad Noachidas ſpectaſſe volebant juriſconſulti ex familia Manaſſis, ut, ne in ſeptenarium praeceptorum illuſtriorum numerum non admitterentur, bina illa de judiciis & exſecratione numinis divini ex illo numero in recenſione eximerent, atque haec [o] loco eorum (quae aliunde ſatis nota eſſe, puto, exiſtimabant) ſubſtituerent. Eouſque Valeſiorum haereſi, quae [p] omnes caſtrari voluit, adverſabantur Ebraei, idque lege ſacra ſubnixi. Tantum abeſt, Ebraeis ἐκτομὰς *exſectiones* pariter atque περιτομὰς *circumciſiones* fuiſſe in uſu, ut falſo tradit Strabo [q]. Sequitur in Gemara Babylonia [r], רבי שמעון אומר אף על הכישוף רבי יוסי אומר כל האמור בפרשת כישוף בן נח מוזהר עליו לא ימצא בך מעביר בנו ובתו באש קסם קסמים מעונן ומנחש ומכשף וחובר חבר ושואל אוב וידעוני ודורש אל המתים כי תועבת יי׳ כל עושה אלה ובגלל התועבות האלה יי׳ אלהיך מוריש אותם מפניך וגו׳ ולא ענש אלא אם כן הזהיר *Noachidarum in interdictis etiam illud locum habere vult R. Simeon quod de praeſtigiis ſeu magia eſt. Quin ex ſententia Rabbi Joſe, quicquid in periocha illa de praeſtigiis* ſeu *magia continetur, id totum Noachidis interdictum erat. Non* [s] *reperietur inter vos qui traduxerit filium ſuum aut filiam ſuam per ignem*, de Molochi ſacrificiis verba fiunt, *qui ſortilegia exercet, qui tempora divinando obſervat, augur, aut magus, aut exercens incantationes, aut qui conſulat Ob aut Jjideoni, aut qui mortuos ſciſcitatur. Nam abominatur Dominus omnem qui iſta fecerit. Et propter abominationes iſtas exſtirpat eos Dominus Deus tuus a facie tua. Nec vero poena irrogatur ſine interdicto.* Sed horum pleraque, ſi non omnia, ad caput primum, quod de Idololatria eſt, attinent; uti & libro ſecundo ſatis monitum eſt. Hiſce, ſi placet, accedant quorum meminit Ula, ubi loquitur [t] de שלשים מצות שקבלו עליהם בני נח ואין מקיימין אלא שלשה אחת שאין כותבין כתובה לזכרים ואחת שאין שוקלין בשר המת במקולין ואחת שמכבדין את התורה *Triginta praeceptis quae Noachidae in ſe ſuſceperunt, quorum tantum tria obſervarunt: Primum, quod pactis dotalibus ſibi maſculos non conjungerent*; *ſecundum, quod non afferrent in macellum, mortui* hominis *carnem*; *tertium, quod legi ipſi honorem exhiberent.* Quae ex Gemara Babylonia etiam citat R. Abraham Zacuthius [v]. Quid ſibi velit *triginta praeceptorum* hic nomine nondum didici. Sed veri eſt ſimillimum caetera viginti ſeptem ibi praetermiſſa ejuſdem fuiſſe farinae cum hiſce tribus. Quod ſi ita fuerit, certe non tam praecepta ibi memorata eſſe recte dixerit quis, quam gentium ſeu Noachidarum aliquot opprobria eo nomine deſignata. Quod de maſculis habet manifeſtum eſt eo ſpectare ut paederaſtiae eos incuſet, ita tamen ut eo impudentiae nondum deveniſſe eos innueret ut palam ſeu pactis dotalibus, id eſt, non ſine *flammeo, auſpicibus, geniali toro, facibus nuptialibus*, maſculis (quemadmodum Pythagorae illi flagitio [x] ſceleſtiſſimus Nero) denuberent. Neque aliter gloſſa adjecta interpretatur. De mortui hominis carne (nam ita *mortuum* explicat etiam ibi gloſſa) quod ſequitur, ad homicidiorum frequentiam, ni fallor, attinet. Ea adeo ſive vi ſive dolo in uſu fuiſſe, ut tantum non macellis venditioni exponerent occiſorum carnes homicidae. Hyperbole pro gentis indole haud ita inſolens. Atque demum, ut graviora quae praemiſerat redderentur ſcelera, ſubnectit hoſce nihilominus homines impuriſſimos legem, quae haec vetuerat, ejuſque dignitatem agnoſcere, eique honorem, ut fieri amat, exhibere. Et de obſcurioribus ſeu minoribus juris Noachidarum ſeu naturalis juxta Ebraeos capitibus hactenus. De quibus hoc ſummatim monendum; prioris (juxta capitis ſuperius ſecundi diviſionem) generis eorum capita in ipſo illuſtriorum numero ſeptenario ſatis, juxta ea quae

[g] Abarbinel in *Piruſh*, fol. 104. col 2, & 3. & vide R. Menahem Recanat. in *Paraſh.* וישב יעקב [h] Geneſ xxxviii 8. de qua re, lex poſtea lata, Deut. xxv. 5. Adde Maimonid. in *More Neboch.* lib. 3. cap. 3. c. 49. [i] Abarbinel in *Piruſh*, fol. 104. col 3, & 4 [k] Gem. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, c. 7. fol. 56. b. [l] Gemar. Babylon. ad tit. *Chagiga*, cap. 2. fol. 14. b. Moſes Mikotzi Praecept. Negativ. 120 Maimonid. Hal. *Iſuri Bia*, cap. 16. [m] Levitic. xxii. 24. [n] Lib. 2. adverſ. Apionem. [o] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 56. b. [p] D. Auguſt. de Haereſ. cap. 37. [q] Geogr. lib. 16. [r] Gemar. jam citata. [s] Deuteron. xviii. 10. [t] Gemar. Babylon. ad tit. *Cholin*, c. 7. fol. 92. a. [v] *Sepher Juchaſin*, fol. 8. a. [x] Tacitus Annal. 15.

expli-

explicata sunt, ut eorum scilicet appendices, contineri; capita autem posterioris generis sententiarum incerto tantundem niti; neutrius autem rationem juxta magistros in regimine proselytorum domicilii habitam. Qua de re mox capite sexto.

CAP. IV.

De judiciis, seu capite juris Noachidarum seu naturalis sexto. Quidnam judiciorum nomine Talmudicis veniat. Domus judicii seu forum superius, divinum aut coeleste; inferius item, seu humanum & terrestre. Periocha Chaldaica de Caini & Abelis circa judicia seculi futuri altercatione. De judicio divino. Sensus capitis hujus sexti generatim indicatur. Insequentium ordo.

JAM tandem ad caput illud juris naturalis illustrioris quod in enumeratione nostra sextum est, seu על הדינים *de judiciis*, devenimus: Cujus velut messis & materies sane sunt reliqua sex. Et quis non videt frustra omnino & incassum praecepta & interdicta fieri, nisi judicia, quibus violatio coerceatur poenaeque irrogentur, accedant. Qua de re satis libro primo diximus. Generali nomine דינין seu *judiciorum* continentur quidem apud Talmudicos tam sanctiones, constitutiones & mores qualescunque rite superinducti, quam actiones, litium decisiones, ac sententiae forenses quae in legum seu morum violationis vindicta versantur. Unde & בית דין *domus judicii* nunc pro tribunali aut foro, qua lites atque actiones, juxta jus jam ante obtinens, id cognoscit dirimitque, sumitur; nunc pro loco aut coetu quo sanciuntur constituunturque novae leges, quae in posterum adhibendae. Ut cum dicunt, Moses ובית דינו *& domus ejus judicii* seu consistorium ejus, id est septuaginta-uniusvirale, Josua ובית דינו *& domus judicii ejus*, alius quisquam insequentium (qui synedrii seu consistorii princeps) & domus judicii ejus, hoc vel illud constituerunt seu observandum superinduxerunt. Quale infrequens in eorum scriptis non est. Neque solum de judiciis humanis, sed de divinis etiam vocabulo pariter hoc utuntur. Unde est quod habent בית דין של מעלן seu העליון *domum judicii superiorem, coelestem*, seu *divinam*; Quam hoc nomine distinguunt *a domo judicii* של מטן seu התחתון *inferiori, terrestri* seu *humana*. Ut cum tradunt[a]; שלשה דברים גזרו בית דין של מטן והסכים בית דין שלמעלן עמהן ואילו הן הרמח של יריחו ומגילת אסתר ושאילה שלום בשם *Tria decrevit domus judicii inferior, quibus etiam consensum praebuit domus judicii superior seu coelestis: Quae fuere devotio Hierichuntis, lectio voluminis Esther, & salutatio in nomine Domini.* Id quod de devotione Hierichuntis hic habetur, ad Josuae attinet historiam; ubi non solum ex sententia Josuae, sed ex Dei nutu, id est tam ex superioris quam inferioris curiae, consistorii, seu domus judicii autoritate, Hierichuntem devotam esse [b] observant. Tantundem aiunt de lectione voluminis Esther [c] & celebratione festi Purim in eodem memorata. Et salutationem in nomine Domini utriusque fori decreto subnixam a tempore quo Boaz messores ita salutavit; *Et ecce Boaz veniens de Bethlehem dixit ad messores, Dominus vobiscum* יהוה עמכם *Et responderunt ei, Benedicat tibi Dominus.* Hinc etiam tribunal illud seu domum judicii superiorem denotari saepius volunt ubi ipsum sanctissimi numinis nomen in sacro sermone occurrit; perinde ac si diceretur[e], הוא ובית דינו *Ipse & domus judicii*, seu *consistorium, ejus.* Quo spectat etiam vetustissima illa Caini & Abelis altercatio de judicio coelesti & seculo futuro, ואמר קין להבל אחוהי לית דין ולית דיין ולית עולם אוחרן ולית אגר טב לצדיקיא ולית פורענות לרשיעיא ואמר לקין אחוהי אית דין ואית דיין ואית עולם אוחרן אית אגר טב לצדקיא ואית פורענות לרשיעיא וחווא במהויהון בחקלא וקם קין על הבל אחוהי וקטליה *Et dixit Cain Abeli fratri suo, Neque judicium est, neque judex; neque seculum alterum, neque praemium bonum justis, neque vindicta seu poena impiis. Respondit autem Abel atque dixit Caino fratri suo, Etiam est judicium, & judex, atque seculum alterum; est insuper praemium bonum justis, atque vindicta seu poena impiis. Atque evenit ut, dum erant simul in agro, involaret Cain in Abelem fratrem suum, & occideret eum.* Altercatio haec in nonnullis Pentateuchi editionibus, veluti in Constantinopolitana illa anno MDLI impressa, sedem obtinet inter additiones seu complementa illa quibus ex veterum traditione loca nonnulla insigniora Ebraici codicis Chaldaice [f] explicantur. Unde & expresse ibi nuncupatur תוספתא של פסוק ויאמר קין אל הבל אחיו *Additio seu complementum versus* seu *commatis, Et dixit Cain Abeli fratri suo.* Indicatur scilicet comma 8 quarti Geneseos capitis, ubi in codicibus Ebraicis qui correctius exarantur, veluti Bombergianis, Buxtorfianis, Garaianis, ad hunc modum & legitur & scribitur,

ויאמר קין אל הבל אחיו
ויהי בהיותם בשדה ויקם קין אל הבל אחיו ויהרגו

Et dixit Cain ad Abelem fratrem suum
Et cum essent in agro, surrexit Cain adversus suum fratrem Abel, & interfecit eum. Dixisse seu locutum fuisse Cainum Abeli diserte innuitur; nec tamen quid omnino dixerit adjectum est, sed intervallum scripto vacuum in medio commatis relinquitur. Unde etiam ex veterum monitu in codicum nonnullorum, veluti Garaiani, margine adnotatur ad intervallum illud, כ״ח פסוקים פסקי׳ במצעות פסוק XXVIII *sunt versus qui desunt in medio* [g] *versus.* Nec solum ex additione illa quam ex editione Constantinopolitana jam exhibuimus, ad Ebraeorum mentem, sensus eorum quae intervallum illud volunt occupasse dignoscitur, verum etiam ex ipso vetustissimo Targum Hierosolymitano, ubi ad idem comma paulo fusius eadem ipsa fratrum altercatio reperitur, unde etiam paraphrasis Uzielidi tributae au-

[a] Gem. Hierosolymit. ad tit. *Beracoth*, cap. 9. fol. 13 col. 3. [b] Videsis Josuae cap. vi. 17. vii. 11. [c] Esther ix. 26, & 27. [d] Ruth ii. 4. [e] *Midbar Rabba* parash. 3. Gem. Hierosolymit. ad tit. *Sanhed.* cap. 1. fol. 18. col. 1. & vide R. Nehemiam in *Sepher Ashre Mamroth*, part. 2. §. 1. [f] Videsis Sixtum Senensem Bibliothec. Sanct. lib. 5. annot. 66. [g] Videsis R. Nepthali Aschenazi in *Sepher* אמרי שפר fol. 45. b, &c.

tor hausit. Certe si Chaldaicam Onkeli paraphrasin observamus, vetustam illam & magni semper habitam, difficile non erit forsan ansam elicere unde primo nata sit sententia altercationem ejusmodi ad locum illum ita attinuisse. Nam pro eo quod in praecedenti commate codicum Ebraeorum habetur, paraphrastes ille substituit, הלא אם תוטיב ונו' *nonne, si emendaveris cultum tuum, remittetur tibi?* loquitur numen ad Cainum. *Quod si non emendaveris cultum tuum,* ליום דינא *ad diem judicii peccatum tuum conservatur, quo futurum est ut poena sumatur a te si non poenitentiam egeris. Quod si poenitentiam egeris, remittetur tibi.* Et dein sequitur nuda illa adlocutionis mentio, & Abelis caedes. Atque idem sane sensus, ferme eadem verba etiam praeeunt tum in Hierosolymitana tum in Uzielidis dicta paraphrasi; unde nemo non videt satis accommode pendere altercationem illam de judicio ac poenis qua numen & seculum futurum spectant. Quam sane & innuisse videtur in Alcorano [h] Mahumedes. Nonnulli autem codices, veluti Samaritanus (quod & notavit olim S. Hieronymus) editio Vulgata, Hellenistarum, etiam vetustus bibliorum codex Syrus MS. Gabrielis Sionitae [i], in intervallo illo, seu proxime post adlocutionis mentionem, habent, *transeamus in campum,* seu *egrediamur foras,* quasi illa fuissent verba quibus adloquendo usus esset Cainus. Et verba ea capite singulari explicat S. Ambrosius [k]. Sed hoc obiter. Jam vero cum *judiciorum* nomine sic Talmudicis veniant tam judicia divina seu tribunalis coelestis quam humana; atque *humanorum* nomine contineantur tam decreta ex potestate deliberativa atque constitutiva nata quam ex ea quae judiciaria dici solet & decisiva; judicia illa divina in capite hoc juris naturalis de judiciis neutiquam comprehenduntur, sed tantum humana, seu quae ad obedientiam & regimen civile attinent, eaque tam ex constitutiva quam ex judiciaria potestate orientia. Id est, in praecepto Noachidarum seu naturali de judiciis hoc tantum contineri volunt, ut qui societates publicas inirent seu respublicas qualescunque constituerent rebusque praeessent, tribunalia, consistoria, seu domos judicii ordinarent, quibus tum ea quae pro vario locorum, temporum, personarum discrimine juris Noachidarum capitum observationi essent necessaria seu conducibilia sancirentur superinducerenturque, tum judicia de ipsis juris naturalis capitibus, simul & de sancitis ejusmodi in litium & actionum decisionem exercerentur; & demum ut hujusmodi sancitis & decisionibus parerent illi qui pro multiplici imperii diversitate ac variantibus jurisdictionis praestitutae modis subessent, poenisque coercerentur contumaces & rebelles. Ita tamen ut de divino etiam judicio praemioque ac poena in eo exspectando, seu de eo quod est Deum remuneratorem esse, persuasionem universis hominibus necessariam esse, quantum video, interea existimarent Ebraei. Quam nihilominus in praeceptis septem non expressim memorant; uti nec illud de cultu numini exhibendo. Sed vero quemadmodum ad cultum ejusmodi obligari genus humanum palam autumabant, ut libro tertio fusius demonstravimus, ita proculdubio ad persuasionem quam diximus hominum neminem non volebant obstrictum. Quorsum enim cultus ille & expiationes (de quibus ibi egimus) nisi tam obligatio ad remuneratorem & judicia divina agnoscenda accederet, quam ea quae est ad cultum exhibendum & sacrificia, alia, in expiationem offerenda? Sed vero quemadmodum poena forensi neminem ad cultum ejusmodi seu sacrificia cogebant, ut & ibi ostensum est, ita nec ad persuasionem seu professionem aliquam de judicio divino. Quicquid scilicet in praeceptis quae tractamus septem expressim continetur, ad id tantum, juris naturalis seu Noachidarum nempe nomine, proselytos domicilii in ditione Ebraica poena forensi adigi voluere: caeteris vindictae solum numinis relictis. Adeo ut revera gentilium de divino judicio persuasio in illa de cultu, sacrificio, aliis ejusmodi, non sub poena apud illos forensi, exhibendis simul contineretur, nec omnino ad caput hoc de judiciis, qua in numero praeceptorum naturalium septenario locum sortitur, spectaret. Nihilominus quoniam Talmudici expressius de poena ac praemio gentilium divino, adeoque de divino qua ad eos attinet judicio subinde loquuntur, etiam in hunc librum, ob similitudinem, qualiscunque reperiatur, inter judicia divina & humana, genus utrumque conjicere visum est. Primo igitur de humanis judiciis, quatenus in praecepto hoc naturali simpliciter innuuntur, agetur; dein de eis quatenus etiam ex jure gentium seu more Ebraeorum ordinario quo apud ipsos proselyti domicilii regerentur forensi, videbimus; adjectis etiam extraordinariis aliquot, & quae ipsos gentesque alias (si Talmudicis fides) integras intervenerunt, judiciis. Et demum quod habent de judicio qua gentiles spectet divino accedat.

CAP. V.

Talmudicorum de judiciis, qua simpliciter Noachidis imperantur, traditio. Eorum de poenis praestituendis sententia. De Thamaris, nurus Judae, delicto ac judicio; ac de Dina a Sichemo violata.

UBI docent Talmudici quisnam fuerit sensus praecepti naturalis de judiciis, ad hunc modum rem explicant [a]; התניא כשם שנצטוו ישראל להושיב בתי דינין בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר כך נצטוו בני נח להושיב בתי דינין בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר: *Traditio est, quemadmodum in praeceptis accepere Ebraei constituere tribunalia per omnes pagos, & urbes* (quo referunt illud [b], *Judices & magistros constitues in omnibus portis tuis*) *ita praeceptum est Noachidis constituere tribunalia per omnes pagos & urbes.* Et Maimonides [c], כיצד מצווין הן על הדינין חייבין להושיב דיינים ושופטים בכל פלך ופלך · לדון בשש מצות אלו · ולהזהיר את העם: *Quomodo intelligendum est praeceptum Noachidarum de judiciis?*

[h] Azoar. 5. Arabice 12. Latine. [i] Jo. Morinus in Pentateuchum Samaritan. exercit. 3, 4. [k] De Abel & Cain, lib. 2. cap. 8. [a] Gem. Bab. ad tit. *Sanhed.* cap. 7. fol. 56. [b] Deuter. xvi. 18. [c] Hal Melakim, cap. 9.

ciis?

ciis? *Ex eo debent conſtituere judices & praefectos pagatim, qui tum judicent de ſex illis praeceptis caeteris, tum populum* de eorum obſervatione *commoneant.* Sic alii[d]. Quod dum ſic pronunciant, tum obedientiam civilem, tum imperium juxta capite ſuperiori dicta, ſimul innui volunt. Exerceri autem hujuſmodi judicia, aut facinora flagitioſa, ſive ex ſententia fori ſive ex conſtitutione, coerceri nequire ſine poenis manifeſtum eſt. Quemadmodum vero, tametſi tribunalium conſtitutio generatim praecipiatur, formulae nihilominus, tempora agendi, & quae ſunt caetera id genus ad rem forenſem ſingularius attinentia, pro morum populorumque indole atque ratione diverſa & libitu, plurimum, ſive loca ſive tempora ſpectes, ſemper variarunt; ita etiam, tametſi velut neceſſariam ſemper poenarum in judiciis rationem in ipſo praecepto de judiciis contineri (quod aliter fieri nequit) velint Ebraei, non tamen nolunt poenas pro eorum qui rebus cum ſumma poteſtate praefuerint, pro varia ſive ex loco ſive ex tempore ſive ex perſonis ratione, itidem varias, eaſque ſive graviores ſive leviores, rite praeſtitui. Ipſi quidem, ut capite proximo fuſius oſtenditur, ultimo ſupplicio ſeu gladio regulariter univerſa in juris naturalis quod illuſtrius eſt, ſeu ſeptem praeceptorum caput aliquod, a proſelyto domicilii ſeu Noachide in ditione Iſraelitica commiſſa puniebant. Caeteris interea ſui juris gentibus fas agnoſcebant ſive ultimum ſupplicium ſive poenas qualeſcunque leviores pro diverſa regiminis atque imperii qualitate ſancire, idque non ſolum ubi in capitum quae memorata ſunt ſeptem aliquod, ſeu praecepta majora, quid committeretur, verum etiam ubi ſive in minorum aliquod, ſive aliter, quis contra reipublicae aut imperii cui ſubeſſet jura ſingularia deliquiſſet. Neque ſane doctrinae Talmudicae omnino conſonum eſſe comperio id quod tradit vir praeſtantiſſimus[e], *Inter ea quae Noae liberis Deus edixit hoc quoque* docere Judaeos *fuiſſe, ut non homicidia tantum, ſed & adulteria, & concubitus inceſti, item violentae rapinae morte punirentur.* Non enim neceſſario poenae illud genus a Noachidis velut ex praecepto adhibendum volunt. Quam rem dum diſpicimus, id quod habent ipſi de poena qua Thamar nurum ſuam velut ſtupri ream Juda ante legem Moſaicam (ſeu vigente tantum Noachidarum jure, cum eo quod pro vario hominum imperio, velut jus civile, acceſſiſſet) dignam cenſuerat, praetermittere viſum non eſt. Thamar, ut ex ſacra hiſtoria[f] liquet, erat שׁוֹמֶרֶת יָבָם, id eſt, ea quae ex jure in Judae ſaltem familia ac regimine recepto, etiam ante legem Moſaicam, poſt mortem mariti, tum Eri tum Onani filiorum, ſervata erat, ſeu velut repoſita, ut Selae demortui mariti fratri, hactenus impuberi, poſtea, ad ſemen marito priſtino ſuſcitandum, matrimonio conjungeretur. Cum vero Selam virilem attigiſſe aetatem, nec ſibi a Juda ſocero conjungi animadverteret, meretricem habitu ſimulans, atque in bivio quo tranſiret Juda ſedens, in coitum ab ipſo pellicitur. *Factumque eſt* (ut ſunt verba ſacra[g]) *quaſi poſt tres menſes, & nunciatum eſt Judae a dicente, fornicata eſt Thamar nurus tua, & concepit per fornicationes. Et ait Juda, educite eam, ut comburatur.* Undenam evenerit ut poena hujuſmodi Thamarae deberetur, non ſatis conſentiunt magiſtri. Commentum habent nonnulli eam ſacerdotis[h] fuiſſe filiam (quemadmodum diſerte a Pſeudozielide paraphraſte nuncupatur) cui adulterii reae in lege Moſaica[i] combuſtionis poena praeſtituitur: Nam de adulterio, minime de ſtupro, legem illam intelligunt[k] magiſtri. Et vocabulum in origine tam de hoc quam illo non raro uſurpatur. Sed quid legi illi ſeculis aliquot poſtea latae cum Thamare per ſecula illa eam antevertente? Caeterum etiam adulteram eam interea habebant qui hanc ſententiam amplexabantur, cum nuptiae nullae nec ſponſalia (quae tamen ſine nuptiis ſeu concubitu hic ſufficere ex jure Noachidarum nolunt) anteceſſiſſent; utcunque leviri nuptias exſpectaret ipſa. Rationi[l] magis conſonum eſt quod ſcribunt alii, quibus ex adjecto ſive a Juda principe, ſive aliter ſecundum imperii ſub quo vivebatur modum, jure, tum delicti hic tum poenae qualitatem pendere viſum eſt. Quod ad delictum ipſum attinet; ex iis quae ſupra libro quinto occurrunt, ſatis liquet innuptae coitum (modo inceſtuoſus ob ſanguinis proximitatem abeſſet) ante legem Moſaicam Ebraeis in delictis non cenſeri. Quam ad rem inprimis attinet illud Maimonidis de Juda ac Thamara, atque pignore, nimirum annulo, pallio ac baculo, quae mercedis vice ipſa acceperat. Sic enim Maimonides[m], ואפשר ללמוד ממעשה יהודה מדה תשובה ויושר משפט וזה מאמרו תקח לה פן נהיה לבוז הנה שלחתי הגדי הזה ובאור זה שבעילת קדשה קודם מתן תורה היה כבעולת האדם אשתו אחר מתן תורה ר"ל שהיה מעשה מותר לא היה אדם מרחיק אותו סל"ל זנתינת שכר חמותנה עליו לקדשה אז כנתינת כתובת אשה לה עתה בעת הגרושין ר"ל שהוא דין מדיני האשה שחייב עליו לתתו ומאמר יהודה תקח לה פן נהיה לבוז מלמד אותנו שעניני המשגל כולם ואפילו המותר מהם הוא בשת עלינו לדבר בו וראוי לשתוק ממנו׳ ולהסתרו זאפילו אם יגרום הפסד ממון כמו שתראה יהודה עשה באמרו טוב שנפסד וישאר לה מה בידה משנתפרסם לבקש ונוסף בושת זאת היא מדה אשר למדנו מהעניין ההוא ואמנם היושר אשר למדנו ממנו הוא אמרו לנקות עצמו מגזלתה ושוא לא שנה ולא בטל מה שהסכים עמה עליו הנה שלחתי הגדי הזה אין ספק שהגדי ההוא היה טוב במינו מאד ומפני זה רמז עליו: *Quin diſcere licet ex Judae hiſtoria tum exactiorem in moribus virtutem, tum juris rectitudinem; in eo quod dicit,* Accipiat[n] ſibi, (de pignoribus apud Thamaram relictis verba fiunt) ne forte ſimus in contemptum. Ecce miſi hoedum hunc. *Quorum verborum declaratio eſt, Quod coitus cum ſcorto ante datam legem fuerit ſicut coitus hominis cum uxore ſua; hoc eſt, quod fuerit licitus, nec homini* velut delictum *fugiendus; & quod merces quae ſcorto dabatur fuerit ſicut dos quae hodie datur uxori cum repudio dimittitur; nimirum, fuiſſe veluti jus uxorium, ad quod reddendum obligabatur is qui coiverat. Quod autem ait,* Accipiat ſibi, ne

[d] Moſes Mikotzi Praecept. Aff. 122. & videſis *Aiin Iſrael*, part. 2. fol 111. col. 2. [e] De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 2. §. 5 [f] Geneſ. xxxviii. 11. [g] Ibid. comm 24. [h] Rabbi Meis in *Bereſith Rabba*, paraſh. 85. fol. 96 col 2. & apud Sal. Jarchium Geneſ. xxxviii. 24. adde R. Bechai ad *Bereſith*, fol. 51. col 3. [i] Levit xxi. 9. [k] Apud Sal. Jarch ad Levit. xxi 9. [l] Abarbinel in *Piruſh*, fol. 104. col 30 4. vide etiam *Baal Haturim* ad Geneſ. xxxviii. & R. Bechai in *Biur ad Bereſith*, fol. 51. col. 2. [m] *More Nebochim*, part. 3. [n] Geneſ xxxviii. 23.

forte ſimus in contemptum; *id docet nos, de rebus copulationis carnalis, etiamſi licita ea fuerit, non ſine pudore loquendum; quin & conſonum eſſe ut illam etiam cum facultatum noſtrarum jactura reticeamus, ſicut Judam hic feciſſe vides; dum cenſet melius eſſe ut ipſe amitteret & ipſa ſibi retineret quod in ejus erat poteſtate, quam ut ipſe illud repetendo negotium divulgaret, atque pudorem augeret. Haec eſt virtus moralis quam ex hac re ediſcere poſſumus. AEquitas autem ſeu juris rectitudo quae inde addiſcenda nobis eſt, conſpicitur in eo quod, ut procul abeſſet ab inferendo ei damno, id eſt, a rebus pignoris nomine relictis ei auferendis, atque ſe nihil mutare vel demere de eo quod cum ipſa pactus erat velle oſtenderet, ſubjicit,* Ecce miſi iſtum hoedum. *Nam dubium non eſt quin hoedus ille ex grege ſuo fuerit optimus; qua de cauſa illum ita ſignantius indicat.* Cum igitur in delictis juxta Ebraeos non haberetur, ex jure ſolo, quod diximus, Noachidarum, ſeu naturali, innuptae coitus non ex proximitate ſanguinis inceſtuoſus (neque enim nurus in eis habetur quae jure Noachidarum vetitae) manifeſtum eſt, ex eo jure, ad eorum placita, Thamaram hic minime pro rea habitam. Neceſſario ideo ſequitur, ex jure civili ſive a Juda principe ſive aliter ſuperinducto coitum ſive ejuſmodi innuptae, ſive futuris nuptiis deſtinatae, ſive foeminae ejuſmodi dignitatis innuptae, (ad eorum placita ſemper loquimur) ante ibi interdictum fuiſſe: Adeoque poenam adjectam [o], להיות כל אשה מנאפה לשרפה *ut foemina quaelibet illiciti coitus rea combureretur.* Cum ſcilicet neque delicti ibi nomini, neque poenae, ad ſolam Noachidarum, ut jam tradita ſunt, jurium mentem, locus omnino reperiatur. Quin diſerte ad ſingulare aevi illius vetuſti ſeu בית דינו של שם *conſiſtorii Semi* ſeu poſterorum ejus decretum rem illam referunt aliqui [p]. Nec vero deſunt qui ultimum ſupplicium combuſtione ibi nolint intelligi, ſed [q] quod frons inureretur לסימן שהיא זונה *ſigno quo eam ſcortum eſſe indicaretur.* De abſolutione autem Thamarae ex voce coeleſti, quam בת קול ſeu *filiam vocis* appellitant, alia habet ad judicium hoc ſpectantia paraphraſis. Hieroſolymitana atque ea quae Uzielidi tribuitur, uti etiam additiones editioni Geneſeos Conſtantinopolitanae ſubjunctae. Vox autem illa erat, תרויכון אתון זכיאין מני הוא פתגמא *uterque veſtrum, quantum ad hanc rem attinet, culpa vacat.* Vide quae ſuperius libro quinto de Thamaris hoc concubitu ex Ebraeorum commentariis habemus. Rem totam, ſed ut juriſconſultus Caeſareus tantum & pontificius, exſequitur atque perpendit Paulus de abbatia Pollicinii Eremita Camaldolenſis in libello ante annos aliquot Florentiae edito, quem *Theorema geſtorum Thamar* inſcripſit. Certe huc etiam ſpectat hiſtoriola ſacra de Dina Jacobi filia a Sichemo Hivitarum juventutis principe violata [r]. Rem vi patratam eſſe intelligunt magiſtri [s], adeoque quoniam Dina velut proſtibulum Hivitis habebatur, cum tamen ſe non omnino ſponte Sichemo permiſiſſet, ideo jure fratres ejus Simeonem & Levi tum Sichemum patremque ejus tum cunctos civitatis quam incolebant maſculos in vindictam interfeciſſe, atque caetera quae in hiſtoria ſequuntur perpetraſſe. Bello ſcilicet res geſta eſt, non in foro acta: Sed tamen ad poenam facinoris bello geſta; quoniam in principes, ut hic, ſupremos foro locus non erat. Jacobo autem filii; *Nunquid* [t] *uti debuit ſorore noſtra* כזונה, *ut zona*, ſeu *ut proſtibulo?* ubi rationem reddunt caedis Sichemi ac caeterorum, quoniam ſic habuerat ſororem noſtram perinde ac ſi ipſa ſe proſtituiſſet, aut ſe ipſi permiſiſſet. Nam ſi ita ipſa feciſſet, contra jus Noachidarum minime, juxta magiſtrorum mentem, quid perpetraſſet Hivites; cum innuptae concubitum ſpontaneum Noachidae licitum admittant, niſi ubi jus aliquod civile adverſaretur. At vero ea neutiquam hic proſtibulum ſe fecerat, aut ſponte ſe Sichemo permiſerat, ſed vi oppreſſa velut proſtibulum tamen falſo habebatur: Quod minime ferendum. Etenim vis univerſa inter praecepta Noachidarum de homicidio ac furto ſatis interdicebatur. Vi autem oppreſſam Dinam non ſolum ex hac magiſtrorum interpretatione, verum etiam e ſacris verbis ſatis elicitur. Ea ſunt [v], יקח אותה וישכב אותה ויענה *cepit eam, & concubuit cum ea, & oppreſſit eam,* Vulgata ibi, *adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum ea, vi opprimens virginem.* Conſonus ſatis eſt Onkelus. Sed expreſſius multo altera illa Uzielidi tributa paraphraſis, ודבר יתה באונסא ושכיב עמה וסגפה *& cepit eam violentia, & concubuit cum ea, & afflixit eam.* Et Judaei Hiſpanienſes, *tomo aella, y yazio con ella, y afligiola.* Arabs item Expenianus pro יענה ſubſtituit

عذبها *afflixit, cruciavit eam.* Joſephus autem diſerte [x], φθείρει δι' ἁρπαγῆς, *raptu violavit.* Male autem Graeci aliquot codices, *cepit eam, & dormivit cum ea,* καὶ ἔτεκε, ϗ ἐταπείνωσεν αὐτὴν, *& peperit, & humiliavit eam.* Ad illud vero quod legitur in hiſtoria ſacra, *rem* [y] *foedam* Sichemum *patraſſe in Iſrael,* וכן לא יעשה *& ita non fiet,* aut *ita non fieri ſolet,* ſeu *debet,* pro quo habet Vulgata, *violata filia Jacob rem illicitam perpetravit,* Salomon Jarchius, לענות את הבתולות שהאומות גדרו עצמן מן העריות לע ידי המבול; *Scilicet fieri non debuit, nec in more receptum erat ut impune quis virgines ita violaret. Nam & ipſi ethnici velut ſepem ſibi praeſtituunt ne inceſta patrentur, idque ob diluvium.* De hoc enim cavere, eſt etiam inceſti interdictorum obſervationi ſolicitius proſpicere.

[o] R. Bechai in *Biur Bereſith*, fol. 51. col. 2. [p] R. Simeon Ben Jochai in Gem. Babylon. ad tit. *Abda Zara*, cap. 2. fol. 36. b. [q] R. Jehuda Hachaſid apud *Baal Haturim*, ad Geneſ. xxxviii. [r] Geneſ. xxxiv. [s] Gloſſ. ibid. & vide Abarbinel in *Pirqah*, fol. 99. col. 2. [t] Ibid. comm. ult. [v] Geneſ. xxxiv. 2 [x] Orig. lib. 1. cap. 19. [y] Comm. 7.

CAP.

CAP. VI.

Judicia circa juris naturalis capita illustriora in gentium ditionis Israeliticae regimine tantum exerceri solita. Judices qui eis praeessent seorsim constituti: etiam proselyti domicilii rite constitui potuere. Sexus discrimen. Poena gladii furto gentilis irrogata, aliis item delictis, quae mitius in Judaeis punita. Nullam poenam obscurioris juris Noachidarum capitis alicujus violationi imminuisse.

SEquitur ut de judiciis videamus quatenus in proselytorum domicilii, seu gentilium ditionis Israeliticae, regimine locum haberent. Eorum consideratio duplex: altera, qua circa jura simpliciter naturalia versabantur; altera, qua circa jura gentium ibi sive imperativa sive intervenientia. Quod ad priorem attinet; Ebraeis ipsis & eis qui in eorum ritus transierant tribunalia fuere ordinaria triumvirorum & XXIII-virorum quamplurima per urbes, oppida ac pagatim disposita, praeter magnum illum LXXI-virorum Hierosolymis synedrium, in quibus jus secundum praecepta Mosaica atque ea quae ex majorum institutis moribusque adjecta essent tum originariis tum proselytis justitiae ac libertinis dicebatur. Neque sine התראה seu *praemonitione*, nec sine binis minimum testibus, sententia ex eo jure in reum regulariter ferri solita. Poenarum item genera quatuor (praeter verbera, atque alia aliquot pro eorum qui rebus praeessent autoritate introducta) combustio scilicet, lapidatio, strangulatio, & ea quae gladii dicitur, in eorum commentariis, quippe quorum usus ex civili jure apud ipsos obtinuit, passim occurrunt. Sed haec ad proselytos domicilii seu Noachidas ditionis Israeliticae ex solo juris naturalis respectu, seu ut ex eo solo res agitaretur decidereturque, neutiquam attinuere. Neque in tribunalia Israelitica, neque ad Israeliticas formulas, proselyti domicilii seu Noachidae ejusmodi, ex suo tantum jure rei, in jus vocabantur. Sed sua erant hisce singularia jura forensia, adeoque tribunalia singularia; quemadmodum in Anglia nostra olim *justitiarii ad custodiam Judaeorum assignati*. Sic enim & in ditione Israelitica tribunalia judiciis proselytorum domicilii seorsim sunt posita. Singulare enim apud veteres erat illud judicandi genus quod ξενικὸν appellarunt, ut scimus ex Aristotele [a]; id est, *ad peregrinos attinens*. Unde & apud Ebraeos singulares qui rite ex Noachidarum jure cognoscerent judices, ut res postulabat, praeficiebant ii qui tribunalibus, quae diximus, Israeliticis cum imperio praeessent, eosque sive Ebraeos sive proselytos domicilii aut foedere receptos quales diximus: nisi hi eousque sui juris post deditionem victoriamve ex foedere remanserant ut, professione in jura Noachidarum facta, integrum ipsis esset suo quod retinerent territorio judices praeficere. Nam ejusmodi dedititii non minus ad judices praeficiendos constituendaque tribunalia, quae de juris Noachidarum capitibus rite cognoscerent, obligabantur, quam ipsi in sancto imperii sui territorio Ebraei. Nec contra caput hoc de judiciis committere tantum eos existimabant qui tribunalium seu judicum constitutioni adversarentur, verum etiam quicunque ita favendo aliorum flagitia in caetera juris hujus capita perpetrata reticerent ac celarent, ut, cum commode satis possent, in judicium ea non deducerent. Atque hos בעלי שכם seu *Sichemitas* [b], non leviori quam ipsum flagitii in Dina autorem poena dignos censuere [c]. De tribunalium autem huic juri singularium apud Ebraeos ipsos constitutione ita ad veterum mentem Maimonides [d], חייבין בית דין שלישראל לעשות שופטים לאלו הגרים התושבים׃ לדון להן על פי המשפטים אלו׳ כדי שלא ישחת העולם׃ אם ראו בית דין שיעמידו שופטיהם מהן מעמידין׃ ואם ראו שיעמידו להן מישראל מעמידין׃ *Debent ii qui tribunalibus Israeliticis praesunt praeficere judices proselytis illis domicilii, ut secundum jura illa Noachidarum jus eis dicatur, ne quid detrimenti capiat humana societas. Pro eorum vero arbitrio idem est, sive judices hosce constituant ex ipsis ejusmodi proselytis, sive ex Ebraeis.* Sexus autem ita ratio hic habenda erat, ut foemina in judicem eis rite apud Ebraeos praefici nequiret; quod neque ex jure Ebraeis civili regulariter [e] admissum. Idem Maimonides diserte, ולא תדון אשה להם *foeminae eis jus dicere non licuit* [f]. Cum vero ex Ebraeorum jure civili tres minimum judices fere semper de causis cognoscerent civilibus seu pecuniariis, de capitalibus vero nunquam pauciores viginti tribus, (quod ex titulo *Sanhedrin* liquet) cumque omnia, ut statim ostenditur, judicia poenalia ob violatum a Noachide jus naturale Ebraeis in usu capitalia essent; pro libitu nihilominus praeficientium, ita judicum hic numerus variabat, atque ab eo qui ex jure Ebraeorum civili exigebatur diversus erat, ut etiam unicus sufficeret. Quod itidem de testibus dicendum; quorum tamen in admissione sexus etiam ratio ita habita ut foemina, quemadmodum ex jure Israelitico, excluderetur. Maimonides [g], ובן נח נהרג בע״ד אחד ובדיין אחד בלא התראה וע״פ קרובים אבל לא בעדות אשת׃ *Noachides ultimo afficitur supplicio ex sententia judicis unici, atque ex unici testis testimonio, idque sine praemonitione atque testimonio propinquorum* (quod in judiciis Israeliticis seu mere civilibus [h] non est admissum) *minime vero ex testimonio foeminae.* Atque ex hoc judiciorum juxta jus Noachidarum atque illud quod Ebraeorum civile est discrimine interpretantur illud quod ex Gemara Babylonia superius [i] affertur de praecepto de judiciis adjecto in Mara praeter illud Noachidarum. Scilicet נצטוו [k] ישראל במרה להיות דנין בסנהדרין של עשרים ושלשה *praeceptum fuisse Israelitis in Mara ut judicia* capitalia *exercerent in tribunalibus*

[a] Politic. 4. cap. 17. [b] Maimonid. Hal. *Melakim*, cap. 9. Josephus Albo *Sepher Ikarim*, lib. 3. cap. 14. [c] Videsis Hugonem Grotium de jure belli ac pacis lib. 2. cap. 20 §. 40, &c [d] Ibid cap. 10 [e] Videsis *Sepher Shalsheleth*, fol. 14. a. & Petr. Fabrum Semestr. lib. 3. cap. 14. [f] Gemara Bab. ad tit *Sanhedrin*, cap. 7 fol 57. b. [g] Hal. *Melakim*, cap. 9 Adde Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Kiduschim*. cap. 1. fol 58. col. 3. [h] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 3. [i] Capite ultimo libri primi. [k] Gloss. Talm. ad tit. *Sanhedrin*, cap 7 fol 56 b.

XXIII-

xxiii-*virorum*, &c. quod legitur in gloſſa Talmudica: ubi etiam adjicitur, pluralitatem teſtium atque praemonitionem tunc temporis, velut jura Iſraelitis ſingularia, acceſſiſſe; adeoque aliam judiciorum formulam, aliaque judicia praeceptis anterioribus tunc, in Ebraeorum tantum uſus, adjecta. Ut vero in judicum & teſtium ratione hujuſmodi habebatur inter Noachidarum & Ebraeorum jus diſcrimen, ita etiam in poenis diverſitas. Nam capitalem quae gladio infligebatur ad Noachidas ex ſuo jure hic reos [l] attinere volunt. Neque quid a Noachide contra jus ſuum naturale commiſſum non ultimo id genus ſupplicio, ex more, qui ibi receptus, puniendum. Sed quae de judiciis ac poena hic dicta ſunt intelligenda tantum de ſeptem praeceptorum ſeu juris naturalis illuſtrioris, non de minorum ſeu obſcuriorum capitis alicujus violatione. Neque enim de hiſce cognoſcebat tribunalium aliquod. Sex igitur illa inceſtus genera cunctis hominibus a rerum initiis (ut ſupra traditum eſt) interdicta, uti etiam cultus extraneus, maledictio numinis, homicidium, furtum, eſus membri animalis viventis (nec diſparis juris voluere eſſe aliqui, ut oſtenſum eſt, eſum ſanguinis) & praeceptum hoc de judiciis (qua ſive obedientia civilis, ſive,ubi ex foedere ſeu indultu liceret, judicum ſeu magiſtratuum conſtitutio eo innueretur) poenam habebant mortis ex recepto apud Ebraeos juris gentium uſu adjectam: quae etiam ex tribunalium quae diximus ſeorſim & proſelytorum judiciis per ſe praeſtitutorum ſententia gladio irroganda; qualis poena ex jure Ebraeorum ſibi civili atque ordinario non cuiquam, praeter homicidam, ob horum aliquod commiſſum infligebatur; ſed aut vivicrematio, aut ſtrangulatio, aut lapidatio; idque tantum in prioribus quatuor generibus. Sed proſelytorum domicilii ſupplicium hic in cunctis parile, id eſt ultimum: adeoque tria etiam poſteriora, furtum ſcilicet, eſus membri animalis viventis, atque id quod contra praeceptum de judiciis committeretur, in proſelyto domicilii ſic puniebantur. Quae interea ex jure Iſraelitico & uſu ipſis civili aut compenſatione damni, dupli, quadrupli aut quintupli, aut verberibus tantum plecti ſolita. Proprium ſcilicet ſibi & proſelytis juſtitiae jus illud erat, etiam a numine praeſcriptum. Juris autem Noachidarum capitum numen pariter autorem, ut ſupra oſtenſum eſt, eſſe voluere; qua ſcilicet in ipſis interdicta praeceptave habentur: poenarum vero genera, quibus coercerentur homines contra committentes ſive graviora ſive leviora, tum pro eorum qui jure illo uterentur conſenſu & indole, tum pro variis perſonarum, loci, temporis circumſtantiis praeſtitui potuiſſe; idque ex mente praecepti hujus univerſalis de judiciis. Unde & ipſi ultimum adjecere ſupplicium tribus illis Noachidarum juris capitibus, ob quae tamen violata ex jure ipſorum civili ſeu Iſraelitis proprio nemo morte puniendus. Nimirum ne ſalutare ſatis reipublicae ſeu humanae apud ipſos ſocietati medicamen deeſſet, pro eorum arbitrio quibus ſuprema in legibus ſuperinducendis poteſtas erat, ſive gravius quomodolibetcunque ſive levius, ut rerum diverſitas exigebat, poenae genus ſceleribus & delictis conſtitui fas exiſtimabant. Quale quidem receptiſſimi orbis chriſtiani etiam mores luculenter docent: tametſi nec defuerint in ſcholis noſtris viri ſubtiliſſimi [m] qui ne furtum quidem ſimplex morte punire fas eſſe contenderint: quorum ſententiam tam Ebraicae in judiciis ex jure gentium exercendis reipublicae quam chriſtiani orbis conſenſus palam impugnat. Ideo autem mortem proſelytis domicilii reis gladio inferri volebant, puto, Ebraei, quia prae caeteris ultimi ſupplicii generibus illud turpius exiſtimarent. Id colligo ex his Miſnae [n] verbis, מצות הנהרגין היו מתיזין את ראשו בסייף כדרך שהמלכות עושה ר׳ יהודה אומר ניוול הוא זה אלא מניחין את ראשו על הסדן וקוצין בקופיץ אומר לו אין מיתה מנוולת מזו: *Ex inſtituto de ultimo ſupplicio afficiendis* (nec tamen lapidatione, vivicrematione, aut ſtrangulatione) *caput damnati amputabatur gladio; quemadmodum juſſu regio fieri ſolet. Sed turpe hoc eſſe aiebat R. Jehuda, qui voluit potius ut caput ſtipiti impoſitum ſecuri praeſecaretur: cui reſponſum eſt, turpius hoc genere mortis eſſe nullum.* Atque ita demum ſe habuit uſus ex jure gentium forenſis, quoties in jus vocaretur proſelytus domicilii aut Noachides in ditione Iſraelitica ob juris aliquod naturalis caput ſimpliciter violatum; nulla juris civilis, ſeu quod Iſraelitis proprium eſſet, ratione commiſta. Id interea verum eſt, non defuiſſe qui ſtrangulationem poenam gentilium [o] in ditione Iſraelitica capitalem fuiſſe traderent. Sed refragatur Talmudicorum turba, niſi de poena coitus ex jure ut volunt illi ſingulari Iſraelitarum adeo illiciti ut in adulterium juxta jus Iſraeliticum, non, ut illi docent, juxta naturale ſeu Noachidarum, ibi migraret, dictum capias; qua de re capite proximo. De nefandi autem beſtiae coitus Noachide reo aiunt, eum tantum morte fuiſſe puniendum, non item beſtiam, tametſi jus Ebraeis ipſis civile aliud eſſet; qua de re ſupra [p] etiam monuimus, uti item de Noachide [q] in tranſgreſſionem ſui juris vi adacti. Alia ſubinde in ſuperioribus libris occurrunt quae huc ſpectare meminerit lector.

[l] Vide Gem. Babyl ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 57. b. & Maimonid. Hal. *Melakim*, cap 9. [m] Scot. in ſent. 4. diſt. 15. quaeſt. 3. & videſis Alex Alenſ part 3 quaeſt. 47. membr. 4. [n] Tit. *Sanhedrin*, cap. 7. [o] R. Manaſſe in Gem. Bab. ad tit. *Sanhedrin*, cap 7. fol. 56. b & cap 8. fol. 71. b. & vide ibi gloſſas. [p] Lib. 1. cap. 4. [q] Lib 2. cap. 11.

CAP.

CAP. VII.

De judiciis quibus in ditione Israelitica suberant proselyti domicilii ob jus ibi gentium, seu quod naturale non habebatur, violatum. Poenae singulares proselyto ejusmodi ob sponsae Ebraicae (qualis in jure Noachidarum non agnita) coitum irrogandae. Proselytus domicilii reus, & dein justitiae proselytus factus. Minor, surdus, mentis inops. Proselytus justitiae judiciis poenalibus ex jure Israelitico exercendis praeesse rite nequibat; nedum proselytus domicilii.

CONsideratio hic altera est, de judiciis quibus suberat proselytus domicilii aut Noachides in ditione Israelitica ob juris alicujus gentium ibi, sive imperativi sive intervenientis, capitis violationem. Ex eis quae libro secundo & sequentibus occurrunt palam fit, proselyti domicilii conditionem fuisse ejusmodi ut quamplurima ei non permissum sit facere quae tamen Israelitis imperata; nec quidem ultro ritus aliquos, velut jure sibi extra sui seu naturalis corpus ejusve appendices superinducto, observare. Sic nihilominus ut obligaretur interea jure gentium tum imperativo tum interveniente, id est, tum sacro quodcunque ad proselytorum domicilii regimen attineret, tum eo quod ab Ebraeis ipsis ejusmodi regimini superinductum est. Quoties autem in eorum quempiam ob juris aliquod, quale diximus, gentium caput violatum agi oportuit, etiam, pro libitu eorum, qui rebus praeessent, sive in tribunal proselytorum domicilii regimini seorsim positum, sive in Israeliticum aliquod ordinarium evocandus erat, ibique sive absolvendus sive damnandus poena Israelitica, seu ex jure solummodo Ebraeorum seu civili (nisi dicas hoc ita in jus gentium migrasse) instituta. Sic tamen ut judex etiam hic unicus, unicus item testis sufficeret, nec praemonitionis ratio (ut in judiciis mere Israeliticis) omnino haberetur. Quae de proselyto domicilii imaginem faciente, lucum plantante, sabbatum observante, id genus reliquis, libris in superioribus dicta sunt, hic recolantur, utpote quae modo jam memorato in judicium deducenda. Sed insigne prae aliis est ad hanc rem id quod habent Talmudici de singulari ob illicitum concubitus unicum genus proselyti domicilii poena, quae ex juris Israelitici & Noachidarum discrimine orta est. Nimirum ex ostensis libro quinto liquet, alienae uxoris, post domum deductionem scilicet ac matrimonium coitu incoeptum firmatumque, concubitum plane adulterium fuisse tam ex jure Noachidarum quam ex jure Israelitico. Unde evenit ut adulterii ejusmodi reus, sive in foemina gentili sive in Israelitica, proselytus domicilii poenam subiret gladii ex sententia fori id genus hominibus constituti, ut capite dictum est superiori. Talmudici[a], אם בא על אשת ישראל אחר שנבעלה הרי זה כמי שבא על אשת גוי חבירו ויהרג בסייף: *Si Noachides concubuerat cum uxore Israelitae postquam coitus matrimonium secutus esset, idem*, quantum ad adulterii interdictum spectat, *fecerat perinde ac si cum gentilis uxore coiverat, & gladio puniendus erat.* Nempe in jus simpliciter Noachidarum sic commiserat: Non item, si id fecerat antequam maritus cum sponsa coiverat. Nam ex jure Noachidarum seu naturali citra coitum ne quidem uxor juxta Talmudicos habebatur ea quacum quis matrimonium contraxerat, ut fusius libro ostenditur quinto. Jure autem Israelitico etiam ex sponsalibus citra diductionem, citra coitum, uxor fiebat[b]; qua de re plura nos in Uxore Ebraica. Et si quis cum sponsa ejusmodi aliena concubuisset, utrique ex jure Israelitarum civili lapidatione puniebantur[c], ante scilicet tam deductionem quam coitum mariti; post deductionem vero & citra coitum, strangulatione, ut adulteri alii; excepto ubi sponsa esset filia sacerdotis, quae ex disertis legis[d] sacrae verbis comburenda. Unde & sponsam qualem diximus, scilicet מאורסה שאין נכנסה לחופה uti vocant, id est, *sponsam quae nondum in thalamum deducta est,* volunt Christiani scriptores aliqui fuisse adulteram illam ad quam attinere legem de lapidatione innuunt Scribae & Pharisaei in evangelio[e]. Si igitur Noachides seu proselytus domicilii id quod adulterium ex jure tantum Israelitico, non Noachidarum, censeretur, in sponsa qualem diximus commisisset, ex jure simpliciter suo in jus vocari nequibat. At vero ex jure cui ratione domicilii, pro arbitrio eorum qui ibi rebus praeerant, suberat, juxta exitum judiciorum Israeliticorum puniebatur, non gladio; sed si reus ante tam deductionem quam coitum mariti, lapidatione; si post deductionem & ante coitum, strangulatione. Nec raro aiunt, מיתה האמורה בתורה סתם הוא חנק *Simplex mortis* seu *ultimi supplicii poena in lege*[f] *strangulationem denotat.* Gemara Babylonia[g]; בן נח בא על עריות ישראל נידון בדיני ישראל בא על עריות בן נח נידון בדיני בן נח ואנו אין לנו אלא נערה המאורסה ונהשב נמי נכנסה לחופה ולא נבעלה *Noachides,* seu *proselytus domicilii, reus turpitudinis,* seu *concubitus ex jure Israelitico damnati, judicatur judicio Israelitico; concubitus ex jure Noachidarum, judicio Noachidis seorsim praestituto. Nec quidem hic nobis proprium est quidquam praeter speciem illam de virgine desponsata, idque tametsi ea in thalamum deducta fuerit, nondum cum sponso coiverit.* Huc spectat locus egregius in Gemara Hierosolymitana[h], ubi Rabbi Jona; איש מה ת"ל איש איש אלא להביא את הגוים שבאו על עריות האומות שידונו בדיני האומות ואם באו על עריות ישראל שידונו אותם בדיני ישראל אמר ר' אליעזר מכולם אין לך אלא ארוסה ישראל בלבד שאם בא על ארוסת גוים פטור אם בא על ארוסת ישראל חייבין במה הוא מתחייב בדיניהם בדיני ישראל אין תימר בדיני ישראל בשני עדים ובהתראה ושלשה דיינים וז בהתראה ובסקילה ואין תימר בדיניהן בעד אחד ובדיין אחד ושלא בהתראה ובסייף *Quid Hominis nomine denotatur?* (Verba fiunt de loco illo sacro ubi in-

[a] Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 9. Maimonides in l. *Issuri Bia*, cap 1
[b] Deut. xxii. 22, &c.
[c] Gemar. Bab. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 57. b.
[d] Levitic. xxi. 9.
[e] D. Joann. cap. viii. 5.
[f] Vide Levit. xx. 10.
[g] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 57. b.
[h] Ad tit. *Kidoschin*, cap. 1. fol. 58. col. 2, & 3.

terdictorum de illicito concubitu [i] habetur exordium.) *Sensus est ut iteratione vocabuli Hominis etiam ipsi gentiles innuerentur; ita scilicet ut quotquot eorum commiserint in interdicta de illicito concubitu quo generi humano interdictum est, judicia subeant quae ad gentes* seu *Noachidas seorsim attinent. Si vero commiserint in interdicta de concubitu Israelitis illicito, judicia subeant quae attinent ad Israelitas, quorum in numero monuit Rabbi Eliezer esse illud tantum quod est de sponsa Israelitae nondum nupta,* (qualis illa fuerit jam diximus) *Adeo ut si quis concumbat cum ejusmodi sponsa, judicii sit reus; si vero cum sponsa gentilis* (id est, ut ante ostenditur, ea quacum nondum concubitus perfecit sed consensus tantum inchoavit matrimonium, juxta jura Noachidarum seu simpliciter, ut volunt, naturalia) *reus non omnino sit. Verum quidem est ob coitum sponsae Israelitae damnandum esse. Caeterum an judicio Israelitico an judicio Noachidis proprio? Si dicas, judicio Israelitico, binis opus est testibus, &* XXIII *viris qui judicent, etiam & praemonitione; & poena est lapidatio. Si vero dixeris, judicio Noachidis proprio, unicus tantummodo sufficit testis, unicus judex, idque absque praemonitione; & poena est gladio irroganda.* Quin & Maimonides [k]; אין בן גח חייב על אשת חבירו עד שיבא עליה כדרכה אחר שנבעלה לבעלה · אבל מאורסה או שנכנסה לחופה ולא נבעלה אין חייבין עליה · שנאמר והיא בעולת בעל · במה דברים אמורים בבן נח שבא על בת נח · אבל גוי הבא על הישראלית בין כדרכה בין שלא כדרכה חייב · ואם היתה נערה מאורסה נסקל עליה כדיני ישראל · בא עליה אחר שנכנסה להופה ולא נבעלה הרי זה בחנק כדיני ישראל · *Noachides alterius Noachidae uxoris concubitus nomine reus non erat, nisi more consueto cum ea concubuisset, idque etiam post sponsi coitum. At vero ob sponsae aut domum* seu *in thalamum deductae, quacum nondum sponsus coiverat, coitum rei non habiti sunt Noachidae. Juxta illud quod dictum est* [l] de Sara Abrahae uxore, *Et cum ipsa maritus concubuit.* Ubi uxorem ejus esse, Abimelecho coelitus sic innuitur. *Quae sic dicta interim intelligenda sunt ut de Noachide cum foemina gentili seu sui generis coeunte rem capias. Si vero cum Israelitide coiverat, sive more consueto sive praepostero, reus habebatur. Et si ea esset virgo desponsata,* necdum in thalamum deducta, *lapidabatur ille, juxta judicii Israelitici exitum. Si in thalamum deducta, nec dum amplexibus venereis excepta, strangulatione puniebatur, juxta etiam judicii Israelitici exitum.* Ita ut inter se Noachidae in ditione Israelitica sui plane seu juxta Ebraeos naturalis juris fruerentur circa contractus conjugales libertate; unde nec uxor ipsis erat quaepiam ante coitum. Qua de re consulas librum quintum. De proselytis autem domicilii reis ac postmodum in ritus Judaicos transeuntibus ad hunc modum statuunt [m]; בן נח שבירך את השם או שעבד עבודה זרה · או שבא על אשת חבירו · או שהרג חבירו ונתגייר פטור · הרג בן ישראל או שבא על אשת ישראל ונתגייר חייב והורגין אותו על בן ישראל · וחונקין אותו על אשת ישראל שבעל · שהרי נשתנה דינו: *Noachides qui nomen Domini sanctissimum blasphemasset, aut idolum coluisset, aut in Noachidae alterius uxore adulter fuisset, & dein proselytus justitiae fuisset factus, in judicium vocandus non erat, seu liber.* (Nam ob haec crimina in gentilismo commissa puniendus erat solum juxta ordinem & exitum judiciorum quae proselytis domicilii seorsim propriae fuere, nec in proselytos justitiae magis atque in originarios exercenda.) *At vero si Israelitam occiderat, aut cum Israelitae uxore concubuerat, dein proselytus justitiae factus, gladio quidem plectendus erat ob homicidium* (ut ante; nam & ea poena homicidii ex jure Ebraeis civili) *sed strangulatione ob adulterium.* Scilicet non jam gladio, quo ob adulterium jure Noachidarum interdictum erat puniendus dum proselytus erat domicilii, sed poena Israelitarum civili. Ita proselytorum justitiae crimina ejusmodi ante proselytismum, sive in compares seu Noachidas sive in numen ipsum commissa, ex ipsa in ritus Judaicos transitione dilui voluere: Non item quae in Israelitas, tametsi velut denuo natos nec ante in lucem editos eos alias haberent, ut ostensum est libro secundo [n]. Aiunt [o] etiam gentilem qui percusserat Israelitam morte fuisse merito puniendum, nec tamen ita punitum. Adjiciunt item [p], ענשין מהן לא קטן ולא חרש ולא שוטה שאינן בני מצות *Non puniebatur ex gentilibus quisquam minor, surdus, aut mentis inops; quoniam hi minime fuere filii praeceptorum*, id est, ad quos praecepta satis attinerent. Praetereundum autem non est, tametsi proselytis domicilii, ut capite superiori dictum est, rite potuere fieri judices qui sibi congeneres, ex jure Noachidarum solum, judicare possent, adeoque tam proselyti justitiae quam Ebraei, nihilominus judiciis poenalibus ex jure Israelitico seu Ebraeorum civili exercendis rite praefici ne proselytos quidem justitiae, nedum domicilii, potuisse; qua de re item dictum est libro quinto [q].

CAP. VIII.

De judiciis extraordinariis, sive ubi Ebraeus aut gentilibus binis aut Ebraeo & gentili arbiter receptus esset, sive ubi Ebraeis orirentur cum aliis gentibus actoribus, veluti Africanis, AEgyptiis, Arabibus, sive de territoriis sive de bonis aliis controversiae.

QUae vero hactenus de judiciis forensibus apud Ebraeos explicata sunt, ad judicia attinent, sive juxta jura Noachidarum sive in proselytorum domicilii regimine exercenda, ordinaria. De aliis etiam quae extraordinaria voco, leguntur nonnulla in Ebraeorum commentariis, quae, quoniam eorum sententiam de jure cum gentilibus etiam nondum in proselytorum domicilii numerum nec in suam potestatem receptis agendi aliquantulum aperit, praeter-

[i] Levit. xviii 6. [k] Hal. *Melakim*, cap 9, 10. & vide Mos. Mikot. Praecept. Aff. 122. [l] Genes xx 3. [m] Maimonid. Hal *Melakim*, cap 10. & Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhed.* cap. 7. & Hierosolymitan. ad tit. *Kiddjchin*, cap. 1. fol. 58. col. 3. [n] Cap. 5. [o] Maimonid. Hal. *Chobal Wemazik*, cap. 5. & Hal. *Melakim*, c. 10. [p] Ibidem. [q] Cap. XX.

mittere

6

mittere hic visum non est. Horum alia sunt de judiciis ubi ex gentilium litigantium compromisso Ebraeus arbiter seu judex fieret; alia de aliarum cum Ebraeis gentium litibus sub judice cui in utrosque potestas agitatis. Ubi ex compromisso Ebraeus arbiter fiebat, tam actore quam reo gentilibus, ex jure Noachidarum omnino controversiam fuisse aiunt dirimendam: At si pars altera esset Ebraeus; ita ab arbitro ferendam sententiam ut secundum illud jus sive Israeliticum sive Noachidarum quod in causa Ebraeo utilius esset, pronunciaret. Maimonides[a], ישראל וגוי שבאו לפניך לדון אם יש זכות ישראל בדיניהם דנין לו בדיניהם ואומרים לו כך דיניכם ואם יש זכות לישראל בדינינו דנין לו דין תורה ואומרים לו כך דינינו ויראה לי שאין עושין כן לגר תושב אלא לעולם דנין לו בדיניהם׃ *Si Ebraeus & gentilis in te velut arbitrum compromittant, & commodius fuerit Ebraeo ut causa ex Noachidarum jure decidatur, eo jure utendum est, ac gentili dicendum; sic exigit jus vestrum. Si commodius fuerit Ebraeo ut causa ex jure decidatur Israelitico, eo utendum est jure, atque gentili itidem dicendum; ita exigit nostrum jus. Quod tamen, ut mihi videtur, minime faciendum ubi gentilis ille fuerit proselytus domicilii, qui perpetuo* (nisi ubi in juris Israelitici capita illa aliquot quae superius memorantur commiserit) *secundum jus Noachidarum judicandus est.* Litium autem sub judice cui tum in Ebraeos tum in alias, quae actione uterentur, gentes potestas erat agitatarum historiolae occurrunt in Talmude Babylonio quarum ne vestigium, ni fallor, in vetustis scriptoribus sive Graecis sive Latinis repertum. Reverentiam atque munificentiam singularem qua erga Jaddum pontificem, omnesque Hierosolymis Ebraeos, etiam & totam ubique gentem, usus est Alexander Magnus Ebraeos in suam potestatem recipiens, enarrat [b] Flavius Josephus, uti & eum secuti non pauci: sed de judiciis ejus, seu litibus coram eo institutis, actoribus aliis gentibus, Ebraeis vero reis, nihil memorant. Triplicem tamen in Ebraeos, illo judice, litem institutam scribunt Talmudici atque disceptatione agitatam fuisse, primam ab Africanis, secundam ab AEgyptiis, tertiam ab Ismaelitis seu Arabibus atque posteris Keturae. Africani, ut posteri Cananaeorum, qui sub Josuae tempora e terra Canaan bello pulsi in Africam migrarant (& ea de re certe expressum fuisse in veteri apud Africanos in provincia Tingitana inscriptione testimonium tradit Procopius [c]; & recole hic quod supra [d] de Josuae belli in eos denunciatione memoratur) haereditatem avitam repetebant. Ex jure successionis in Abrahae bona seu familiae erciscundae agebant Ismaelitae & Keturae posteri. Et demum AEgyptii velut certi condictione petebant restitui sibi aurum & argentum quod Ebraeis ex AEgypto profecturis [e] ipsorum majores mutuo dederant. Advocati Ebraeis munus praestitisse aiunt Gibeah Ben Pesisa, dictum item Ben Kosam [f], jurisconsultum celeberrimum, atque ejusmodi exceptionibus, sedente pro tribunali Alexandro, usum esse, ut actores replicationes quibus exceptionum vim refellerent frustra quaerentes causis plane caderent, & praedia atque vineas, quas ex certa evictionis spe vi occupaverant, derelinquentes, pudefactique recederent. Verba Gemarae Babyloniae subjungo [g], כשבאו בני אפריקא לדון עם ישראל לפני אלכסנדרוס מוקדון אמרו לו ארץ כנען שלנו היא דכתיב ארץ כנען לגבולותיה וכנען אבוהן דהנהו אינשי הוה אמר להו גביהא בן פסיסא להכמים תנו לי רשות ואלך ואדון עמהן לפני אלכסנדר מוקדון אם ינצחוני אמרו הדיוט שבנו נצחתם ואם אני אנצח אותם אמרו להם תורת משה נצחתכם נתנו לו רשות הלך ודן עמהם אמר להם אתם מביאין ראיה אמרו לו מן התורה אמר להן אף אני לא אביא לכם ראיה אלא מן התורה שנאמר ויאמר ארור כנען עבד עבדים יהיה לאחיו עבד שקנה נכסים עבד למי ונכסים למי ולא עוד אלא שהרי כמה שנים שלא עבדתונו אמר להם אלכסנדרוס מלכא החזירו לו תשובה אמרו לו תנה לנו זמן שלשה ימים נתן להם זמן בדקו ולא מצאו תשובה מיד ברחו והניחו שדותיהן זרועות וכרמיהן נטועות ואותה שנה שביעית היתה שוב פעם אחרת באו מצרים לדון עם ישראל לפני אלכסנדרוס מוקדון אמרו לו הרי הוא אומר וה׳ נתן את חן העם בעיני מצרים וישאילום תנו לנו כסף וזהב שנטלתם כמנו אמר גביהא בן פסיסא להכמים תנו לי רשות ואלך ואדון עמהן לפני אלכסנדרוס אם ינצחוני אמרו להם הדיוט שבנו נצחתם ואם אני אנצח אותם מרו להם תורת משה רבינו נצחתכם נתנו לו רשות והלך ואמר להן מהיכן אתם מביאין ראיה אמרו לו מן התורה אמר להן אף אני לא אביא לכם ראייה אלא מן התורה שנאמר ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה תנו לנו שכר עבודה של ששים ריבוא ששיעבדתם במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה אמר להן אלכסנדרוס מוקדון החזירו לו תשובה אמרו לו תנו לנו זמן שלשה ימים נתן להם זמן בדקו ולא מצאו תשובה מיד הניחו שדותיהן כשהן זרועות וכרמיהן כשהן נטועות וברחו ואותה שביעית היתה ושוב פעם אחרת באו בני ישמעאל ובני קטורה לדון עם ישראל לפני אלכסנדרוס מוקדון אמרו לו ארץ כנען שלנו ושלכם וכתיב אלה׃ תולדות ישמעאל בן׳ אברהם וכתיב אלה תולדות יצחק׳ בן אברהם אמר להן גביהא בן פסיסא לחכמים תנו לי רשות ואלך ואדון עמהן לפני אלכסנד׳ מוקדון אם יגצחוני אמרו הדיוט שבנו נצחתם ואם אני אנצח איתם אמרו לו תורת משה רבינו נצחתכם נתנו לו רשות הלך ודן עמהן אמר להם מהיכן מביאין ראייה אמרו לו מן התורה אמר להן אף אני לא אביא ראייה אלא מן התורה שנא׳ ויתן אברהם את כל אשר לו ליצחק ולבני הפלגשים אשר לאברהם נתן אברהם מתנות אב שנתן אגטין לבניו בחייו ושיר זה מעל זה כלום יש לזה כלום על זה׃ *Cum adessent Africani ut litigarent cum Israelitis coram Alexandro Macedone, asserentes terram Canaan suam esse eo quod etiam scriptum reperiatur* [h] *terram eam ac terminos ejus* Canaan *dici, qui fuerat eorum pater, rogavit Gibeah Ben Pesisa potestatem a sapientibus ut advocati munus patriae praestaret coram Alexandro Macedone. Quod si, inquit, ipsi vicerint, integrum erit vobis respondere, illos privatum ex Israelitis tantum vicisse. Si vero ego vicero, respondendum erit, legem Mosis eos vicisse. Data ei potestate, abiit, & litigavit cum eis. Rogavit eos undenam peterent argumentum. Responderunt, ex lege. Quibus ille, Etiam ego neutiquam argumentum afferam contra vos aliunde quam ex lege petitum. Scriptum illic est, inquit,* Maledictus [i] Canaan; servus servorum erit ille fra-

[a] Halach. *Melakim*, cap. 10. [b] Archaeolog lib. 11. cap. ult. & περὶ ἁλώσεως, lib. 2. cap. 21. [c] De rebus Vandalicis, lib. 2. [d] Lib. 5. cap. 13. [e] Exod. xi. 2. & xii. 36. [f] Abraham Zacuth in *Sepher Juchasin*, fol. 13. b. [g] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 91. a. [h] Numer. xxxiv. 2. [i] Genes. ix. 25.

tribus

tribus suis. *Ubi servus res acquisiverit, cujusnam est ipse servus? cujusnam res ejus? Quin vos insuper quot annis jam nobis minime servi-istis? Alexander rex jubet eos responsum dare. Cui illi, da, quaeso, nobis moram tridui. Qua indulta, frustra responsum quaerebant. Unde aufugere relinquentes agros suos seminatos & vineas plantatas. Id quod anno contigit sabbatico. Rursus aliquando venerunt AEgyptii ut litigarent cum Israelitis coram Alexandro Macedone; cui ostenderunt a Mose dictum, Deum dedisse*[k] *gratiam populo in oculis AEgyptiorum, ut postulata concederent eis, seu mutuo darent quae ipsi peterent. Reddite igitur, inquiunt, argentum & aurum quod a nobis abstulistis. Petit a sapientibus potestatem Gibeah Ben Pesisa ut ipse advocati munus in hoc itidem judicio patriae praestaret coram Alexandro. Et inquit, si vicerint ipsi, integrum erit vobis respondere, hominem e vobis privatum ab eis victum duntaxat esse. Si vero ego vicero, respondendum erit, ipsos a lege Mosis magistri nostri victos. Potestate ei data, abiit, & cum eis in judicio egit. Rogavit igitur eos unde peterent argumentum. Responderunt, ex lege. Subjungit ille, Etiam ego ex lege tantum argumentum contra vos petam. Illic scriptum reperitur*[l], Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in AEgypto triginta fuerunt anni supra quadringentos annos. *Reddite igitur nobis mercedem operae sexaginta*[m] *myriadum qui per annos* ccccxxx *in AEgypto vobis serviebant.* (Scimus hunc annorum numerum non ab ingressu in AEgyptum sed a peregrinatione Abrahae praedicta[n] tum chronologis[o] Ebraeorum, tum aliis, putari; qua de re hic non est locus disputandi.) *Jussit AEgyptios Alexander responsum huic argumento dare. Illi vero, tridui mora impetrata, frustra quaerebant responsum. Unde relictis agris seminatis atque vineis consitis aufugerunt. Rursus aliquando venerunt filii Ismael* seu *Ismaelitae & Keturae posteri ut in judicio experirentur cum Israelitis coram Alexandro Macedone. Asserebant ei, terram Canaan esse tam ipsorum quam Israelitarum, velut cohaeredum; Etenim tam scriptum reperiri*[p], Hae sunt generationes Ismael filii Abrahae, *quam*[q], Hae sunt generationes Isaac filii Abrahae. *Petiit igitur a sapientibus potestatem sibi dari Gibeah Ben Pesisa ut advocati munus patriae hic etiam praestaret. Adjectis quae in caussis binis prioribus subjunxerat, potestas ei data est. Abiit, & cum eis egit in judicio. Rogat igitur unde sumerent argumentum. Dicentibus illis, e lege, etiam & ego, inquit, e lege tantum argumentum afferam. In ea autem dictum est*, Et dedit Abraham omne quod habuit Isaaco, & filiis concubinarum quae fuere Abrahae dedit Abraham munera. *Ubi pater, dum vixerit, instrumenta filiis dederit, quibus nolle se testatur ut bona sua inter se dividant, & alterum emiserit altero ditiorem, praerogativam alterius alter jure minuere nequit.* Quin in *Beresith Rabba*[s] actiones totidem a populis illis coram Alexandro adversus Ebraeos institutae, sed diversimode, narrantur. Verba sunt; בימי אלכסנדר מקדון באו בני ישמעאל לעירר על ישראל על הבכורה ובאו עמהם שתי משפחות רעות כנעוים ומצרים אמרו מי הולך ודן עמהן אמר גביעה בן קוסם אני הולך ידן עמהם אמרו לו הזהר שלא תהליט להם את הארץ אמר אני הולך ודן עמהם אם נצחתי אותם הרי מוטב ואם לאו אתם אומרים מה הגרוע הזה שיער עלינו הלך ודן עמהם אמר להם אלכסנדרוס מקדון מי תובע מיד מי אמרו ישמעאלים אנו תובעים מידן ומתורתן אנו באים עליהם כתיב כי את הבכור בן השנואה יכיר וישמעאל בדין שיטול פי שנים א"ל גביעה בן קוסם אדוני המלך אין אדם עושה מה שהוא רוצה לבניו אמר לו הין וא"לי והכתיב ויתן אברהם את כל אשר לו ליצחק אמרו לו והיכן שטר שילוח שחילק בין בניו א"ל ולבני הפילגשים אשר לאברהם נתן אברהם מתנות ונסתלקו משם בבושת פנים אמרו כנענים מתורתן אנו באים עליהם בכל מקום כתיב ארץ כנען יתנו לנו את ארצינו א"ל גביעה בן קוסם אדוני המלך אין אדם עושה לעבדו כל מה שהוא רוצה א"ל הין אמר מהכתיב ארור כנען עבד עבדים וגו׳ הרי הארץ שלנו והם עבדים לאדוני המלך ונסתלקו משם בבושת פנים אמרו מצרים מתורתן אנו באו עליהם ששים ריבוא יצאו מאצלינו טעונים כלי כסף וכלי זהב וכתיב וינצלו את מצרים יתנו לנו את כספינו ואת זהבינו אמר לו גביעה בן קוסם אדוני המלך ס׳ ריבוא בני אדם עשו אצלם [t] רד"ו שנים מהם כספי ומהם זהבים שנוטלים כשכרן דינר ליום ישבו פילוספים וחשבו ולא הגיעה לקן שנים עד שנתבצרת ארץ מצרים לטיבון ונסתלקו משם בבושת פנים: *Tempore Alexandri Macedonis venerunt Ismaelitae ut cum Israelitis litigarent de primogenitura. Cum illis veniebant item binae familiae improbae, Cananaei, & AEgyptii. Consilio inito quisnam advocati munus illis litibus praestaret, dixit Gibeah Ben-Kosam, Ego ibo, & in judicio agam cum illis. Ei responsum est, cave ne terra eis velut evicta cedat. Ille vero, ibo, & in judicio agam: Si ipse vicero, bene se res habebit. Sin vero, integrum erit vobis dicere, Quid nobis cum homuncione illo? Abiit, & in judicio egit cum illis. Interrogante Alexandro, undenam actores hi? illi undenam rei? Nos, inquiunt Ismaelitae, petimus quod possident ipsi, idque juxta ipsorum legem Proferimus in eos id quod scriptum est*, [v] Sed filium odiosae agnoscet pro primogenito. *Unde Ismaeli jus erat ut duplicem sortiretur haereditatis partem. Ad haec Gibeah Ben Kosam, Domine mi rex, inquit, nonne fas est cuique pro libitu suo cum filiis seu liberis suis agere? Annuenti regi, at scriptum est*[x], *inquit*, Et dedit Abraham totam substantiam suam Isaaco. *Illi vero, at ubi, inquiunt, est instrumentum editum quo divisa est haereditas filiis ejus? Respondit ille*, Et filiis concubinarum quae fuere Abrahae dedit Abraham munera. *Et pudoris caussa ulterius litigare nolebant. Cananaei vero; Ex ipsorum lege contra eos ostendimus terram ipsam passim nuncupari* terram Canaan; *unde terram quae nostra est nobis reddi petimus. Atqui iterum Gibeah Ben Kosam, domine*

[k] Exod. xii. 36. [l] Exod. xii. 40. [m] Ibid. comm. 37. [n] Genes. xv. 13. & vide Act. Apost. vii. 6. & Epist. ad Galat. iii. 17. [o] *Seder Olam Rabba* & Abraham Ben David in *Kabala*. Vide Rabbi Eliezer in *Pirke*, cap. 48. [p] Genes. xxv. 12. [q] Ibid. comm. 19. [r] Genes. xxv. 5. [s] Parash. 61. fol. 68. col. 2. [t] Ita exemplar meum Cracoviae editum. Sed lego [illegible], tum ob similitudinem literarum ד & ר (ubi hujus pars superior manca fuerit) tum quod רד"ו in Numerorum designatione [illegible] plane, extra mendum, haberi potest. [v] Deuteron. xxi. 17. [x] Genes. xxv. 5, 6. Adiis lib. de Successionibus ad leges Ebraeorum, cap. 37.

mi rex, inquit, nonne fas eſt cuique pro libitu ſuo cum filiis ſeu liberis ſuis agere? Annuenti regi, at ſcriptum eſt[y], *inquit,* Maledictus Canaan; ſervus ſervorum erit ille fratribus ſuis. *Ecce tibi, terra ipſa noſtra eſt; atque illi ſunt ſervi domino meo regi. Unde etiam & hi ob pudorem ulterius litigare nolebant. AEgyptii demum ita agunt. Debent nobis* LX *myriadas. Egreſſi enim ſunt e regionibus noſtris vaſis argenteis & aureis onuſti, juxta quod ſcriptum eſt*[z], Et ſpoliaverunt AEgyptios. *Reddant igitur nobis argentum noſtrum & aurum noſtrum. Reſpondit Gibeah Ben Koſam, domine mi rex, ſexaginta myriades hominum* ex Ebraeis *operas eis* CCXXXVI *annos praeſtabant, partim in auro partim in argento artificium exercendo. Pro operarum igitur mercede abſtulerunt nummum ſive denarium* ſeu ejuſce valorem *in diem. Inito autem a peritis qui adeſſent computo, conſtitit ne centum quidem annos praeteriiſſe a tempore quo primum aerarii uſus in AEgypto comperiretur. Ob pudorem igitur ulterius nec hi litigare volebant.* Vocabulum טימון ſeu טמיון (quod planiſſime e Graeco ſermone, quo ταμιεῖον *aerarium* denotat, in orientem, ut fieri amat, [a] migravit) interpretatur hic Iſſachar Ben Nephtali [b] אוצר שכר העבדות *theſaurum mercedis ſervitii, ſervitutis,* ſeu *operarum.* Senſus videtur; pluſquam mille ac centum annos ab exitu ex AEgypto tunc praeteriiſſe, nec tamen centum annos a tempore quo AEgyptiis uſum fuiſſe conſtaret aerarii, unde operarum merces praeſtaretur; adeoque nihil illis probationis manſiſſe unde ſe Ebraeis mercedem aliter ſolviſſe aſſerere poſſent. Mirae ſunt hae diſceptationes forenſes, ubi omiſſa utrinque omnino tot annorum praeſcriptionis ratione, ad argumenta tantum ex lege, hiſtoria ſacra, ejuſque interpretamentis petita convolant. An vero res ipſae fuerint Alexandro judice ita geſtae, an ingenii Rabbinici figmenta, (quemadmodum fere rhetorum atque ſophiſtarum apud Graecos & Latinos controverſiae fictae) neutiquam decerno. Certe Tertullianus adverſus Marcionem juſtitiam nullam defuiſſe in vaſis, ex numinis mandato AEgyptiorum aſportandis adſtruens, *Age,* inquit [c], *infeliciſſime haeretice; teipſum expoſtulo arbitrum; cognoſce in utramque gentem prius, & ita de auctore praecepti judicabis. Repoſcunt AEgyptii de Hebraeis vaſa aurea & argentea; contra Hebraei mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi quoque eorundem patrum nomine ex eodem ſcripturae inſtrumento mercedes reſtitui oportere illius operariae ſervitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus & villis aedificatis. Quid judicabis, optimi dei elector? Hebraeos fraudem agnoſcere debere, an AEgyptios compenſationem? Nam & aiunt ita actum per legatos utrinque, AEgyptiorum quidem repetentium vaſa, Judaeorum vero repoſcentium operas ſuas. Et tamen has juſtitia renunciaverunt ſibi AEgyptii. Hodie adverſus Marcionitas amplius allegant Hebraei, negantes compenſationi ſatis eſſe quantumvis illud auri & argenti, ſi ſexcentorum millium operae per tot annos vel ſingulis nummis diurnis aeſtimentur. Quae autem pars major? repetentium vaſa, an incolentium villas & urbes? Querela ergo major AEgyptiorum, an gratia Hebraeorum? ut ſolo injuriarum judicio Hebraei AEgyptios repercuterent, liberi homines in ergaſtulum ſubacti: ut ſolas ſcapulas ſuas ſcribae eorum apud ſubſellia ſua oſtenderent flagellorum contumelioſa atrocitate laceratas: non paucis lancibus & ſcyphis pauciorum utique divitum ubique ſed totis & ipſorum facultatibus & popularium omnium collationibus ſatisfaciendum Hebraeis pronunciaſſet. Igitur ſi bona Hebraeorum cauſa, bona jam & cauſa, id eſt mandatum creatoris, qui & AEgyptios gratos fecit; neſcientes & ſuum populum in tempore expeditionis anguſto aliquo ſolatio tacitae compenſationis expungit. Plane minus exigi juſſit. Hebraeis enim etiam filios AEgyptii reſtituere debuerant.* Ita tam pater hic quam Talmudici judicium ejuſmodi memorant.

CAP. IX.

De judicio divino, & poena praemioque coelitus, juxta Ebraeos, exſpectando. Exciſionis poena, juxta nonnullos, triplex; adeoque de immortalitate animae Talmudicorum aliquot ſententiae.

SUpereſt ut de judicio divino, ſeu fori ſuperioris, quod בית דין שלמעלן nuncupant, juxta inſtitutum tandem agatur. Qualenam ſive poenae ſive praemii genus Noachidae, dum remuneratorem numen agnoſcerent, timere, exſpectare, ſperare obligarentur, nullibi, quantum didici, docent Talmudici. At interea praemium ſperandum, & poenam, qualiſcunque ea fuerit, ex divino judicio ſeu coelitus eis timendam, exſpectandam, in eo ſatis tradunt quod ad obſervanda quae diximus ſeptem praecepta ſic eos velint obligari, ſic item violatione teneri, ut ſacrificia expiatoria eos adhibere etiam oporteret; qua de re ſatis libro tertio. Caeterum qualenam genus tum praemii tum poenae ipſi ſentirent ad Noachidas ex judicio divino attinere, eliciendum forte fuerit tum ex eo quod de ejuſmodi poena ac praemio, qua ſeipſos ſpectat, tradidere, tum ex eo quod expreſſim habent de Noachidarum item poena & praemio. Ex ſententia fori ſeu tribunalis ſuperioris in univerſum aiunt eſſe [a] טובה צפונה לצדקים *bonum juſtis repoſitum,* id eſt שכר הצדקים *praemium juſtorum,* quod nuncupant חיי העולם הבא *vitam futuri ſeculi:* eamque agnoſcunt fore aeternam ſemperque beatam. Hanc item nominibus priſcis גן עדן *horti deliciarum, paradiſi, montis Domini, templi Domini, domus Domini, portae Domini,* ſaepius ſignificari. Juſtum autem definiunt eſſe eum cujus iniquitati praeponderent juſtitiae ſeu obſervatio-

[y] Gen. ix. 25. [z] Exod. xii. 36. [a] Videſis *Baal Aruch*, in טמיון. [b] In Commentariis ad citatum locum τῶ *Bereſith Rabba.* [c] Adverſus Marcionem lib. 2 cap. 20. de ratione etiam judicii hujus vide Epiphanium in Ancorato; ejuſque de juſtitia, Clementem Alexandr. ſtrom. α. Iſidor. Peluſiot. lib. 4. epiſt. 87. Scot. in ſent. 3. diſt. 37. quaeſt. unica. [a] Gem. Bab. ad tit. *Chagiga*, cap. 1. Maimonid. Halach. *Theſuba*, cap. 8.

nis merita. Sic enim aiunt[b], כל אחד ואחד מבני אדם יש לו זכיות ועונות מי שזכיותיו יתירות על עונותיו צדיק ומי שעונותיו יתירות על זכיותיו רשע מחצה על מחצה בינוני *Unicuique hominum ex Adae poſteris ſunt juſtitiae* ſeu *innocentiae* aut *obſervationis merita, ſunt item peccata. Is vero cujus merita peccatis ſuis praeponderent, juſtus eſt; uti & is cujus peccata juſtitiae meritis praeponderent, malus ſeu impius dicendus. Quod ſi quis utrorumque aequaliter fuerit particeps, is intermedius eſt.* Primi generis vocant צדקים גמורים [c] *juſtitia conſummatos*, ſecundi רשעים גמורים *conſummatos impietate*, id eſt juſtiſſimos & ſceleſtiſſimos, caeteris, ut hic, *intermediorum* nomine tributo. Quemadmodum autem juſtis ejuſmodi praemium ſtatuere vitam aeternam beatamque, ſic malis ſeu impiis atque intermediis, quales verbis jam allatis memorant, ſive poenam *excisionis* כרת dictam (*exſtinctionem* dixiſſet Cicero) ſive Gehennam [d] pro mercede manere aiunt, ita ut pro peccatorum pondere damnentur. Nam velut in ſtatera in foro ſuperiori peccata ac merita cujuſque appendi ſemper volunt, ut fere Jovem aurea lance fata Graecorum & Trojanorum libraſſe ait Homerus [e]. Vitam autem aeternam חלק בעולם הבא *partem* ſeu *ſortem in futuro ſeculo* appellitant, & pro eorum qui eo gaudeant, qualitate ac meritis variam[f] eſſe aiunt. Juſtorum etiam dum vitam agunt praemia, uti & impiorum poenas, coelitus accepta agnoſcunt, ac utriſque pro multiplici numinis ſive gratia ſive vindicta diverſitatem eſſe non exiguam. Deleri autem confeſſione ac perfecta poenitentia, quam pluribus deſcribunt, omnimoda peccata; quorum alia חמורות ſeu *graviora*, id eſt quae ex inſtituto divino tam exciſione quam morte ex ſententia forenſi plectuntur, praeter perjurium, alia קלות ſeu *leviora*, quibus nempe non adjicitur exciſionis poena, nominant. Ex ſacro autem ſermone triginta ſex enumerant [g], quorum ſcienter & ultro commiſſorum nullum eſſe quod non exciſione, niſi remiſſum fuerit, ſeorſim & per ſe ſit puniendum; ita tamen ut, ubi eorum nullum reperiatur, peccata etiam alia ſint in trutina non raro adeo ſimul gravia ut non minus meritis juſtitiae quam illa praeponderent, nec leviori exciſione itidem poena punienda. Exciſionis autem poena, ἐξολόθρευσις Helleniſtis, id eſt *perditio* dicta quae lege occurrit, ſtatuitur nonnullis triplex. Neque enim ſatis de hac poena conſentiunt magiſtri. Legitur apud R. Bechai[h], הכריתות שבתורה מצאנום על ג׳ חלקים יש כרת לגוף לבדו ויש כרת לנפש לבדה ויש כרת לשניהם לגוף ולנפש: *Exciſiones quae in lege occurrunt tripartito diſtribuuntur. Eſt genus exciſionis qua exciditur corpus tantum. Eſt itidem exciſionis genus qua ſola anima exciditur.* Et in Platonica philoſophia memorantur [i] ψυχαὶ καθαιρέμεναι *animae ſublatae* ſeu *exſtinctae*. Et demum (ſic R. Bechai) *eſt genus exciſionis qua tam anima quam corpus exciditur.* Quemadmodum in Valentinianorum dogmatis dicitur [k] τὸ τῶν ἀνθρώπων τάγμα ὑλικὸν, ſeu *ordinem hominum materialem* ſeu *terreſtrem*, ἀπόλλυσθαι ἅμα σὺν ψυχῇ καὶ σώματι, *ſimul cum anima & corpore perire.* Primi generis aiunt poenam eſſe *praematurae mortis*, ſeu quae בחצי ימיו *antequam dies*, ſeu *tempus vitae alias exſpectandum*, abſolvatur, accidit. Certe & in Pſalmis [l] legitur, *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Hanc autem poenam volunt deſignari in ſacris literis ubi dicitur נכרת האיש ההוא מקרב עמו *Excidetur homo ille e medio populi ſui*, aut phraſis de exciſione ſimilis uſurpatur; qualis ſexies in lege occurrit. Nam ii quibus hujuſmodi ſignantius praeſcribitur poena ſex ſunt:

I. בעל אוב *Qui conſuluerit Ob & Iideoni*, Lev. xx. 6.

II. השוחט בחוץ *Qui mactaverit extra*, Lev. xvii. 3.

III. המעלה בחוץ *Qui obtulerit extra*, Levit. xvii. 8.

IV. המפטם את השמן *Qui oleum confecerit* contra legem, Exod. xxx. 32.

V. המפטם את הקטרות *Qui confecerit ſuffimentum* contra legem, Ib. 37.

VI. הסך השמן המשחה *Qui oleum unctionis effuderit* contra legem, ib. 33.

Generis ſecundi exciſionis poenam vigeſies ſepties (ad ſcelerum, quibus diſerte praeſcribitur, numerum) haberi in lege obſervant: quindecies, ubi concubitus inceſti prohibentur, adjecto ונכרתו הנפשות העשות מקרב עמם [m] *excidentur animae ſic facientes de medio populi ſui.* Ubi *populum ſuum* pro caeteris, quae futuro non exciſae gaudent ſeculo, animabus ſumunt. Quales illi concubitus fuerint libro quinto [n] fuſius enarratur. Ideo autem in eis quindecim *Cerithoth* ſeu exciſiones ponunt, non XXVI juxta concubituum ibi deſignatorum numerum, qua undecim in ipſa enumeratione veluti plane redundant. Nam quindecim, id eſt, priores ſeptem, & decimus ſextus cum ſequentibus (demptis XVIII, XXV & XXVI) omnes ſatis continent, ut ante monitum, eſt. Qui reſtant duodecim huic poenae ex diſertis legis verbis obnoxii eis ſunt;

I. המחלל את השבת *Qui profanat ſabbatum*[o].

II. הטמא שאכלאת הקודש *Immundus qui ſanctum comederit*[p].

III. הבא למקדש טמא *Qui in templum ingreditur immundus*[q].

IV. האוכל חלב *Qui comedit adipem*[r].

V. האוכל דם *Qui comederit ſanguinem*[s].

VI. האוכל נותר *Qui comederit ſacrificii reſiduum die tertio*[t].

VII. האוכל פגול *Qui comederit reſiduum ſacrificii extra locum ſuum*[v].

[b] Gemar. Bab. ad tit. *Roſh haſhena*, cap. 1 fol. 16. b Maimonid Hal. *Theſuba*, cap. 3. [c] Gem. Bab. ad tit. *Roſh haſhein* cap ... 16 b. [d] De *Gehenna* videſis Targum Hieroſolymitanum (praeter ea quae magis obvia ſunt) Geneſ. iii. 24 uti e ... de ſynonymis ſive Geheunae, ſive aliis quae hic memorantur poenis, Petrum Galatinum de Arcanis catholicae veritatis lib 6. c. 7, &c & Gem. Bab. ad tit. *Erubin*, cap. 2. fol. 18. b. 19. a. Manaſſeh Ben. Iſrael. lib. de creatione problem. 19. ex Zohar, Miſna & Gemar. utraque tit. *Sanhedrin*, cap. 11. Maimonid. Hal. *Theſuba*, cap. 8, &c. R. Samuel. de Ozida in praefat. ad comm. in *Pirke Aboth*, &c. [e] Iliad. Θ. [f] Videſis R. Jehudam Ben. Samuel. in *Sepher Cozri* part. 3. §. 1, 2, &c. [g] Miſn. tit. *Cerithoth*, cap. 1. [h] In *Biur hathorah*, fol. 149 col. 1. videſis quae habet Maimonides Hal. *Theſhuba*, cap. 8, &c. Moſ. Mikot. praecept. neg. 105. Nachmanid. in *Piruſh Tora* fol. 200, 201. Abarbinel in *Piruſh Tora*, fol. 297. col. 2. [i] Proclus in theolog. Platonic. lib. 6. cap. 10. [k] Epiphanius haereſ. 31. [l] Pſalm. lv. comm. ult. [m] Levit. xviii. 29 [n] Cap. 1. & 10. [o] Exod xxxi. 4. [p] Levit. vii. 20. [q] Num. xix. 13. [r] Levit. vii. 25. [s] Ibid. 27. & xvii. 10. & 14. [t] Ibid. xix. 8. [v] Ibid. vii. & videſis Obadiam Bartenor. ad tit. *Cerithoth*, cap. 1.

VIII. האוכל

VIII. האוכל חמץ בפסח *Qui comederit fermentum in paschate.*

IX. האוכל ביום הכיפורים *Qui comederit quid in die expiationum* [x].

X. העושה מלאכה ביום הכיפורים *Qui opus aliquod fecerit die expiationum* [y].

XI. *Qui pascha non observarit* [z].

XII. *Masculus qui minime fuerit circumcisus* [a].

Tres caeteri, quibus triginta sex conficiuntur, & ad genus attinent tertium, sunt,

I. המגדף *Blasphemus* [b].

II. העובד עבודה זרה *Cultus extranei reus seu idololatriae* [c].

III. הנתן מזרעו למולך *Qui ex semine suo dederit Molocho* [d].

Altero enim hic in loco anima, altero ipse qui Molocho semen dederit, excidendus. Quomodo vero blasphemia & cultus extraneus locis ad hoc tertium genus jam indicatis Ebraeis intelligantur, supra ostensum est libro secundo. Id autem quod habetur memorati Numerorum capitis commate 31. הכרת תכרת הנפש ההיא עונה בה *Excidendo excidetur anima illa, iniquitas ejus super eam,* & tam ad blasphemum quam ad extranei cultus reum juxta magistrorum scita attinet, de כרת חמור seu *excisione graviori,* quae tum animae est tum corporis, sumunt, quam itidem כרת כפול *excisionem duplicem* nuncupant: adeo ut ex secundo excisionis poenae genere ipsam plane velint esse definere animam, corpore ante tempus suum moriendi alias naturale minime sublato; ex genere vero tertio, tam vitam ante tempus alias naturale coelitus praeripi, quam animam amplius non omnino esse: atque inde pro justitiae seu iniquitatis modo sive immortalem sive mortalem animam esse pronuncient. Sed poenas etiam qualescunque cum immortalitate leviores quam animae excisionem decernunt: adeo ut interea etiam ipsas animas interdum mortales esse existiment & perire. Et diserte magistris celeberrimis [e] aliis excisio animae generatim dicitur poena esse qua impius נכרת ברשעו ואבד כבהמה *exciditur ob impietatem suam, & destruitur veluti brutum.* At vero in festo expiationum universa peccata, tam graviora, qualia diximus, quam leviora (modo praeter confessionem ac poenitentiam perfectam damni illati fieret compensatio, ubi id intervenerat) quotannis per caprum apopompaeum sibi expiata fuisse [f] docent. Certe excisionis apud eos ejusmodi poena Tacito olim videtur suboluisse. *Augendae,* inquit ille [g] de Ebraeis, *multitudini consulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis* (*gnatis* legit Lipsius; & de liberis neci non exponendis intelligit, ut ante monuimus) *nefas. Animasque proelio aut suppliciis peremptorum aeternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus.* Edidicerat igitur forsan eos existimasse (nonnullos saltem eorum nec obscuri nominis) animas alias aeternas, alias non item. Sed advertendum est imprimis hic quod habet D. Paulus de Pharisaeorum, id est sectae quam ipse amplexus fuerat, aliorumque sui temporis Ebraeorum sententia; *Confiteor* [h], &c. *spem habens in Deum, quam & hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram justorum & iniquorum.* Nec sane ita rarum est omnium, sive justorum sive injustorum, resurrectionem & judicium apud magistros supponi, juxta illud R. Eliezeris Kapernaitae [i], הילודים למות והמתים להחיות והחיים לדון *Qui nati sunt morientur, qui mortui sunt reviviscent, qui reviviscent judicabuntur.* Alia sunt id genus perplurima; ut praetermittam quae habet non semel Josephus, Philo, Eusebius in Praeparatione Evangelica, alii de animarum immortalitate ex disciplina Ebraeorum, uti etiam quae nonnullis eorum de metempsychosi tribuuntur [k]. Quod vero de poenis hactenus dictum, ita semper juxta eos est intelligendum ut peccata fere omnimoda errore seu ignorantia commissa sacrificiis expiatoriis in lege praestitutis plane delerentur. Non defuit qui כרת, quod *excisio* nobis est, plane Talmudicis poena coelitus infligenda, vertit pridem nec semel *excommunicatio,* ut videre est in versione canonum de poenitentia [l] ex Maimonidis juris corpore. Sed alienissima est illa vocabuli significatio ab ea quam omnino admittunt magistri. De resurrectione autem mortuorum juxta Ebraeos consulas Manasseh Ben Israel in libro ea de re nuperrime edito [m].

CAP. X.

De poenis & praemiis fori superioris, coelestis, seu divini, qua ex Ebraeorum sententia ad Noachidas seu universum genus humanum attinerent.

BReviter ostensis hactenus quae de praemiis ac poenis ex judicio divino sibi debitis tradunt Ebraei, sequitur ut quomodo etiam & in quantum ea ad genus humanum seu alias gentes attinere velint itidem dispiciamus. Tertio excisionis genere, quod tam animae quam corporis appellant, ut jam dictum est, ex aliquorum sententia, puniri cultum extraneum, cujus species etiam est Molochi sacrificium, atque blasphemiam seu maledictionem numinis sanctissimi, palam est. Cum igitur horum interdicta naturalia etiam velint fuisse, atque ad genus humanum universum nunquam non attinuisse, iniquum non est existimare ipsos poenam, quam coelitus sibi horum violationis nomine irrogandam existimarent, voluisse pariter ad alios spectasse. Secundo autem excisionis genere, quod appellant illi solius animae, universos illos concubitus incestos *revelationis turpitudinum* nomine in Levitico denotatos puniri volunt. Unde & saltem sex illos ex jure naturali ab initiis rerum, juxta ostensa, interdictos excisione etiam in Noachidis puniri eos statuisse vix est quod dubitemus; cum toties item

[x] Levitic. xxiii. 29. [y] Ibid. 30. [z] Num. ix. 13. [a] Genes. xvii. 14. [b] Num. xv. 30, 31. [c] Ibid. [d] Levit. xviii. 21. & xx. 3, 5. [e] Maimonid. Hal. *Thesuba,* cap. 8. vide Constantin. L'Empereur in Jachiadem in Dan. pag. 157. [f] Ibid. cap. 1. & 1 Misna tit. *Joma,* cap. 8. [g] Historiar. 5. [h] Act Apost. xxiv. 15. [i] *Pirke Aboth,* cap. 4. [k] Sixt. Senens. Biblioth. Sanct. lib. 2. tit. T. Lips. Physiolog. Stoic. lib 3 differt. 12. [l] Cantabrigiae, 1631. [m] Amstelodami, 1636.

animadvertant etiam gentiles apud ſeipſos in legum Moſaicarum prooemio (ex vi vocabulorum illorum איש איש *homo homo*) contineri, ſaltem ratione ſex illorum, univerſis pariter vetitorum, ut libro quinto fuſius eſt narratum. Sed & diſertis verbis negant gentilibus aliquot ſeculi futuri praemium; quo carere poena eſt. Nam de eis qui diluvio periere aiunt [a], דור המבול אין להן חלק לעולם הבא ואין עומדין בדין *Qui diluvio periere vitae futurae exſortes ſunt, neque ſiſtentur judicio:* Ultimo ſcilicet. De Sodomitis item pronunciant futuri ſeculi exſortes eos fore, attamen in judicio ultimo ſiſtendos, quaſi poenas pro peccatis luerent uſque ad יומא דדונא רבא *diem judicii magnum,* & tunc plane exſcinderentur. Alia habent ejuſmodi, quae vide in capite undecimo tituli *Sanhedrin,* & in Maimonidis [b] tractatu de Poenitentia, atque commentariis adjectis. De praemio autem quo dignantur qui ex gentibus ſeptem quae tractamus praecepta rite obſervarint, Maimonides [c]; חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא *Piis ex gentibus mundi pars* ſeu *ſors eſt in futuro ſeculo.* Quod in annotationibus adjectis de eis qui praecepta Noachidarum obſervarint explicatur. Atque ipſe alibi [d]; כל המקבל שבע מצות ונזהר לעשותן הרי זה מחסידי אומות העולם ׳ ויש לו חלק לעולם הבא׳ והוא שיקבל אותן ויעשה אותן מפני שצוה בהן הק״בה בתורה ׳ והודיענו על ידי משה רבינו שבני נח מקודם נצטוו בהן׳ אבל אם עשאן מפני הכרע הדעת אין זה גר תושב ׳ ואינו מחסידי אומות העולם ולא מחכמיהם; *Quicunque ſuſceperit in ſe ſeptem praecepta, atque monitus ea cautius obſervaverit* (de proſelytis domicilii recens factis loquitur) *ipſe eſt ex eis qui vocantur pii ex gentibus mundi, atque ei ſors eſt in ſeculo futuro. Eum vero intelligimus qui ea obſervaverit ideo quod praeceperit Deus O. M. ut legiſlator. Nam & per Moſem magiſtrum noſtrum nobis notum fecit, imperatam fuiſſe antiquitus Noachidis eorum obſervationem. Caeterum ſi ſponte ſolum,* ſeu *ex ſuo potius arbitratu* (non habita imperantis numinis ſanctiſſimi ratione) *ea obſervaverit, nec pro proſelyto domicilii, nec pro aliquo ex piis ex gentilibus mundi habetur, neque in numero ſapientum eorum cenſendus eſt.* Atque ubi occurrit in corpore Talmudico [e], שאפילו גוי ועוסק בתורה הרי הוא ככהן גדול: *Etiam paganum qui diligenter legem obſervaverit veluti pontificem maximum habendum,* id eſt, inter primarios Ebraeorum quantum ad praemium attinet, cenſendum; adjicitur in gloſſa, פירוש בשבע מצות שלהם דאלו בשאר מצות אמרינן בסנהדרין פרק ד׳ מיתות גוי העוסק בתורה חייב מיתה *Intelligendum eſt de ſeptem praeceptis paganis propriis. Nam quod ad caetera attinet, docetur in titulo Sanhedrin, capite de quatuor poenarum capitalium generibus* [f], *paganum qui obſervaverit legem* (qua Iſraeliticam, atque in ditione Iſraelitica) *mortis eſſe reum.* Qua de re etiam alibi diximus [g]. Tantum abeſt ut de lege ſua Talmudici admitterent id quod Tryphon [h] olim, & Chriſtiani aliquot, maxime Fortunatus Scacchus [i] apoſtolici ſacrarii praefectus, ſcilicet legem Moſaicam neceſſario etiam gentilibus obſervandam univerſis, *qui unius veri Dei notitiam habentes, Deum etiam Hebraeorum verum eſſe Deum cognoviſſent, vel ſaltem id probabiliter ſuſpicari potuiſſent;* quae Scacchi verba ſunt. Sed vero de poenarum & praemiorum ex judicio divino, qua ſpiritualium qua corporalium, aliter item, qualitate ſatis inter ſe diſcrepant magiſtri veteres, ut inprimis eſt elicere ex doctiſſimis Joſephi Albo [k] commentariis.

CAP. XI.

Capitum illuſtriorum juris naturalis ſeu Noachidarum veſtigia expreſſiſſima in Jobi hiſtoria, ante legem Moſaicam, ſaltem non ubi Moſaica lex, qua Moſaica ſeu Ebraica, obtinuit, conſcripta.

PRaeter ea quae ex ſacra Moſis hiſtoria atque e Talmudicis de capitibus illis juris naturalis gentium ſeu Noachidarum ſeptem hactenus tradidimus, advertendum eſt etiam alibi in utroque foedere ſupereſſe quidem quae pro expreſſiſſimis horum, qua Noachidarum ſunt, veſtigiis a viris doctis ſumuntur. Qua de re corollarium adjicere viſum eſt. In foedere veteri Jobus, homo ſimplex ac rectus, timens Deum & abſtinens a malo, praeter plurima pietatis atque humanitatis officia, de cultu extraneo, de blaſphemia ſeu maledictione numinis, de homicidio, de adulterio, ac de furto, ut ſuo aevo interdictis, nec non de judiciis, aperte agit. De cultu extraneo ita [a], *Si aſpexi lucem* (aut *ſolem) cum ſplendeſceret, aut lunam nobiliter incedentem, & seductum eſt in abſcondito cor meum, & applicata eſt manus mea ori meo,* &c. *Etiam ſic denegaſſem Deum qui eſt deſuper;* ſeu, ut Vulgata, *Quae eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Ubi Helleniſtis ſubſtituitur pro eo quod de ſole & luna ex Ebraeo attulimus, Ἢ οὐχ ὁρῶμεν ἥλιον τὸν ἐπιφαύσκοντα [καὶ [b]] ἐκλείποντα, σελήνην δὲ φθίνουσαν; Οὐ γὰρ ἐπ' αὐτοῖς ἐστί. Id eſt, *Nonne videmus ſolem qui lucebat, eclipſin pati, & lunam decreſcentem? Non enim in eis eſt.* Scilicet agnoſcunt etiam ipſi creatorem, adeoque non in eis quid habetur adorandum. Quod ad maledictionem numinis ſeu blaſphemiam attinet; abſoluta ſemper quam ſervabant filii ejus convivandi periodo, *Mittebat Jobus, &* [c] *ſanctificabat eos, conſurgenſque mane obtulit holocauſta juxta numerum omnium ipſorum. Dicebat enim Job, Ne forte peccaverint filii mei,* וברכו האלהים בלבבם *& benedixerint Deo* (ut legitur in Vulgata) *in cordibus ſuis. Sic faciebat Jobus ſingulis diebus.* Quomodo vero verbum τὸ ברך tam *male-*

[a] Miſn. tit. *Sanhed.* cap. 11. Videſis Manaſſeh Ben Iſrael de Reſurrectione lib. 2. cap. 8, 9. [b] Cap. 3, & 8. [c] Ibid. cap. 3. Vide Manaſſ. Ben Iſrael loco jam ante citato, & ad Deut. quaeſt. 163. Hiſpanice, 2. Latine. [d] Halach. *Melakim,* c. 8. vide eundem Halach. *Iſure Bia,* cap. 14. [e] Gemara Babylon. ad tit. *Aboda Zara,* c. 1. fol. 3. a. [f] Talmud. Bab. eod. tit. fol. 59. [g] Vide lib. 3. cap. 5. [h] Apud Juſtin. Martyr. in dialogo. Et videſis Hugonem Grotium De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. §. 16. [i] Sacror. Elaeochriſmatum Myrothec. 2. cap. 18. [k] *Sepher Ikarim,* lib. 4. cap. 29, &c.
[a] Job. xxxi. 26. Ad dictum caput videſis Jacob. Bolducium, & ad cap. xxiii. 12. [b] Ita in MS. bibliothecae regiae ad divi Jacobi. [c] Cap. i. 5.

dicere

dicere quam *benedicere* ſignificet antea oſtendimus[d]. De homicidio alibi; *Si gaviſus ſum,* inquit[e], *ad ruinam ejus qui me oderat, & exſultavi quod illum inveniſſet malum! Non permiſi ut peccaret guttur meum, ut ſcilicet precarer animae illius maledictionem. An non dixere viri tabernaculi mei, Quis det de carne ejus? non ſaturamur.* Alia item occurrunt in eodem libro de ea re. Et de adulterio; *Si ſeductum eſt cor meum,* ait[f], *ſuper muliere,* (γυναικὶ ἀνδρὸς ἑτέρου habent Helleniſtae, id eſt, *uxore viri alterius*; & paulo poſt ibi, Θυμὸς γὰρ ὀργῆς ἀκατάσχετος τὸ μιᾶναι ἀνδρὸς γυναῖκα, *Furor enim irae indomitus commaculare viri uxorem*; quae in Ebraeo deſunt) *& ad oſtium proximi mei inſidias poſui,* תטחן לאחר אשתי *molat alteri uxor mea, & ſuper ea incurvent ſe alii.* Ubi Ebraeorum aliqui *molendi* verbum ita adhibitum volunt, quoniam ſervitium in molitrina ſeu piſtrino tunc temporis erat מהעבדה המיוחדות אשר תעבד בהם האשה את בעלה[g] *ex miniſteriis ſingularibus quibus marito ſerviebat uxor:* Adeoque imprecatum Jobum ut, ſi libidinoſe pudicitiam uxoris vicini ambierat, nedum adulterii reus eſſet, ſui ipſius alteri ſerviret uxor, idque etiam in concubitum. Nam & Chaldaeus ibi diſerte[h] תשמיש עם חורן אנתתי *Coeat cum alio uxor mea.* Cui conſonum eſt illud Vulgatae, *Scortum alterius ſit uxor mea.* Quin Helleniſtae eo in loco, Ἀρέσαι ἄρα καὶ ἡ γυνή μου ἑτέρῳ, *Placeat quoque uxor mea alteri:* Ubi Scholion vetus, ac ſi vocabulum ἀρέσαι, id eſt *placeat*, ex ſono alterius Graeci ſimili illuc migraſſet, Ἑβραῖος, inquit, ἀλέσαι, *Ebraeus ibi habet, Molat.* Id etiam quod initio capitis XXXI legitur, *Foedus pepigi cum oculis meis* ומה אתבונן על בתולה, id eſt, *& quid cogitarem* aut *adverterem in virgine?* ſive, ut Helleniſtae, *non cogitabo de virgine,* ſeu, ut Vulgata, *ut ne cogitarem quidem de virgine,* interpretantur Ebraei[i], acſi dixiſſet Jobus adeo ſe alieni conjugii jus violare nolle, ut nec virginem quidem libidine intueretur, ne ſcilicet ejuſce poſtea alteri nuptae amore ductus adulterium forſan in ea committeret. Neque enim innuptae concubitus ex jure Noachidarum illicitus ante legem Moſaicam habebatur Ebraeis, ut ante oſtenſum eſt. Furtum autem, rapinam, dolum, atque omnimodam rerum alienarum illicitam contrectationem, quae ad furti caput in Noachidarum jure attinet, pluribus inſectatur capite vigeſimo quarto. Et poſtea[k], *Si in manibus meis haeſit macula* (ſeu manibus meis ἥψάμην δώρων *munera tetigi,* ut Helleniſtae) *ſeminabo ego ut alius comedat, & progenies mea eradicetur.* Judiciorum demum reis praeſtitutorum manifeſta mentio, tam ubi de adulterio quam de cultu extraneo verba facit. De illo ait, כי הוא זמה והיא עון פלילים, quod in Vulgata vertitur, *Hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima*; de hoc, גם הוא עון פלילים *Etiam haec eſt iniquitas maxima,* uti etiam Vulgata; ſeu, Καὶ τοῦτό μοι ἄρα ἀνομία ἡ μεγίστη λογισθείη, ut Helleniſtae (quibus comma illud prius de adulterio jam dictum non reperitur) id eſt, *Etiam & hoc ut iniquitas maxima mihi eſſet imputanda.* Neque aliter ſane paraphraſtes ibi Chaldaeus. Caeterum Ebraeis עון פלילים ſonat *crimen judicum*, id eſt, *judiciale, forenſe,* ſeu apud judices in foro puniendum, ſeu[l] עון שמשפט יכורין ראוין לבא על ידו *crimen judiciale, idoneo poenarum genere caſtigandum.* Nam & apud Moſem τὸ פלילים uſurpatur[m] pro *judicibus*, atque ita ab Onkelo transfertur, uti etiam in Vulgata tametſi id non omnino agnoſcant Helleniſtae, quibus pro eo quod eſt in Cantico Moſis איבינו פלילים *inimici noſtri ſunt judices,* ſubſtituitur, οἱ ἐχθροὶ ἡμῶν ἀνόητοι *inimici noſtri ſunt ſtulti.* Alia non ſolum de judicio forenſi apud homines, verum etiam de coeleſti illa ſeu ſuperiori judicii domo (de qua ante) occurrunt[n] apud ſanctum illum autorem. Quin & ipſum ſe judiciis praefuiſſe aperte[o] memorat. Jobum autem ſive ad ſecula legis Moſaicae promulgatione anteriora, ſive ad gentem ſaltem Moſaicis legibus, qua Moſaicis neutiquam obſtrictam attinuiſſe, veteribus eſt ſatis in confeſſo. Obtinet ſane apud Ebraeos fere ſententia, eum[p] floruiſſe ſub Iſaaci ac Jacobi tempora, id eſt diu ante legem in Sinai promulgatam, atque ex Nachoris Abrahae fratris nepotibus fuiſſe; tametſi non deſint etiam inter eos qui eum ne extitiſſe quidem velint, ſed hiſtoriam ejus fuiſſe parabolam[q], eamque a Moſe conſcriptam. Quam opinionem ex Ezechiele, ubi Noachus, Daniel & Jobus ſimul recenſentur[r], alii refellunt. Ex libro autem Syriaco ad calcem verſionis Helleniſticae dicitur eum habitaſſe in terra Huſitidi in finibus Idumaeae & Arabiae, nomenque ei fuiſſe Jobab, patrem Zarachum[s] ex filiis Eſau, adeoque eum quintum ab Abraha fuiſſe, atque ſecundum Idumaeae regem. Joſephi aevo tribuitur a Saido Batricide patriarcha Alexandrino, qui nec Zarachum ſed neſcio quem Amozum Zarachi filium ei patrem facit. Rebus Joſephi explicatis, ſubjungit ille Batricides,

وفي ايامه كان ايوب الصديق وهو ايوب ابن
عاموص ابن زارح ابن راعويل ابن العيص
ابن اسحق ابن ابراهيم

Et in diebus ejus floruit Jobus ille juſtus, qui fuit filius Amozi filii Zarachi filii[t] Revelis filii Eſau filii Iſaac filii Abraham. Quae Chriſtiani ſcriptores habent de Jobi aevo ac parentibus plurima, ut ſatis obvia[v], miſſa facimus. Verum ante legem datam floruiſſe ſatis inde videtur conſtare quod vir ob juſtitiam atque pietatem incomparabilem celeberrimus victimas filiorum nomine toties[x] obtulerit, nec omnino ſecundum legem Moſaicam[y] de ſacrificiis, quae ad oſtium tabernaculi ſemper & mactanda & offerenda erant: Atque legis ejuſce violatio poena exciſionis plecte-

[d] Lib. I. cap. 10. lib 2. cap. 11. [e] Cap. xxxi. 29. Vide etiam cap. xxiv. 14. [f] Cap. xxxi. 9. Adde cap. xxiv. 15. [g] Levi Ben Gerſom ad Job. cap. xxxi 9. & Sal. Jarch. ibidem. [h] Videſis etiam R. Moſem Alſheich. in Biur Job. fol. 74. b. Etiam de טחן ſeu *molendi* vocabulo ad coitum (ut *alienas permolere uxores* fere Horatio) deſignandum adhibito. Vide Vulgat. verſ. Thren. c. v. 13. & compara cum Ebraeo. [i] Idem ibid. a; & Salom. Jarch. ad Jobi cap. xxxi 1. [k] Cap. xxxi. 7. [l] Salomon Jarchi. ad Job. xxxi. & Moſes Alſheich ibid. fol. 75. a. alii. [m] Exod. xxi. 22. Deut. xxxii. 31. [n] Cap. v. 4. cap xv. 26. & ſeqq. cap. xix. 29. [o] Cap. xxix. 7. & ſeqq. [p] *Bereſith Rabba* paraſh. 57. Aben Ezra ad Job. i. Gemar. Bibyl. ad tit. *Baba Bathra,* cap. I. fol. 14. *Sepher Juchaſin,* fol 9 b. [q] Videſis Maimonid. *More Nebochim,* part. 3. cap. 22. & commentar. R. Sem. tom. ib. [r] Ezechiel. xiv. 14, & 20. [s] Geneſ. xxxvi. 33. [t] Geneſ. xxxvi. 17. [v] Addiſis commentarium Pinedae in Jobi caput i. [x] Job. I. 5. [y] Levit. xvii. 4, & 9.

batur, ut ante monitum est. De gente vero ejus Mosaicis legibus neutiquam obstricta ita diserte, & apprime ad firmanda ex eo juris Noachidarum capita, D. Augustinus, *Homines*, inquit[z], *quosdam non terrena sed coelesti societate ad veros Israelitas, supernae cives patriae, pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt* Ebraei: *quia, si negant, facillime convincuntur de sancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, id est advena, populi Israel fuit: sed ex gente Idumaea genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est. Qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam pietatemque attinet nullus ei homo suorum temporum coaequetur. Quae tempora ejus quamvis non inveniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israelitae in autoritatem canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse quam Israel. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem.* Hactenus ille.

CAP. XII.

Praeceptorum seu interdictorum Noachidarum, seu universalium, quae illustriora hactenus ex Ebraeis ostensa sunt, vestigia in canone synodi Hierosolymitanae ab apostolis celebratae, juxta nonnullos, reperiri. Qua de re disquiritur.

IN novo demum foedere insitam Ebraeis de Noachidarum seu gentium jure nemini non observando sententiam spectasse volunt aliqui sacrosanctam synodum illam Hierosolymitanam sub Christianae ecclesiae initiis habitam; ubi agitata quaestione, Utrum etiam gentes quae Christianismo nomina dederant, servare deberent leges Mosaicas, adeoque circumcidi, an ex libertate Christiana eis forent soluti? responsum miserunt apostoli & seniores fratres in epistola synodica ad eos qui fuere tunc in Antiochia, Syria, & Cilicia fratres ex gentibus ea de re dubitantes, qua, *Visum est*, inquiunt[a], *Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; a quibus custodientes vos bene agetis. Valete.* Atque D. Jacobus de circumcisione aliisque aliquot legis Mosaicae ceremoniis postmodum agens, *De his autem*, ait[b], *qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Ita Vulgata. Graeca epistolae synodicae sunt, Μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων· ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ καὶ πορνείας, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. Ἔρρωσθε. *Nihil ultra vobis imponere oneris praeter haec necessaria; ut abstineatis ab idolothytis & a sanguine & suffocato & a fornicatione: A quibus si vos ipsos contineatis, bene agetis. Valete.* Ita exemplaria, puto, omnia edita, praeter Complutense, Montani regium, & horum aliquot sequentia. In his vero, uti etiam in vetustis[c] aliquot MSS. post καὶ πορνείας, *a fornicatione*, sequitur, καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν· ἐξ ὧν, &c. Id quod primum codices Complutenses typis exhibuere. Adeo ut sermonis contextus ita sit, *a fornicatione; & quae non vultis vobis fieri, aliis nec vos ea faciatis: A quibus si vos ipsos contineatis*, &c. Nec sine celeberrima hac aequitatis regula atque ingenti humanae societatis firmamento D. Jacobi verba in synodo habita in nonnullis autoritatis magnae exemplaribus concluduntur; nec sine ea synodicae epistolae locum illum legebant patres antiquissimi, Irenaeus & Cyprianus, quorum verba ubi epistolam citant, alias etiam a recepta lectione discrepant. Hic ad hunc modum[d], *Item in Actibus*, inquit, *Apostolorum, Visum est Sancto Spiritui & nobis nullam vobis imponere sarcinam, quam istam quae ex necessitate est, abstinere vos ab idololatriis & sanguinis effusione & fornicatione: Et quaecunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis.* Irenaeus[e] vero, *Placuit enim Spiritui Sancto & nobis nullum amplius vobis pondus imponere quam haec quae sunt necessaria; ut abstineatis ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione: Et quaecunque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis: A quibus custodientes vos ipsos bene agitis, ambulantes in Spiritu Sancto.* Utrique, vides, regulam illam veluti partem haberi synodicae epistolae; ut etiam interpreti AEthiopico; quod adnotavit v. cl. Ludovicus de Dieu. Certe & in epistola illa velut ex novo foedere exscripta in praefationem legum Aluredi regis Angliae, ante annos DCCXL aut circiter, habetur haec regula, ⁊ þ ᵹe ƿillen þ oðre men eoƿe ne ðon ne ðoþ ᵹe þ oðrum monnum, quod idem sonat Saxonice. Certe & regula illa apud ipsos Judaeos extra novum testamentum occurrit. Legitur in Tobiae monitis[f] ad filium; Ὃ μισεῖς μηδενὶ ποιήσῃς, quod vertitur in Vulgata, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Et Philo[g], Ἅ τις παθεῖν ἐχθαίρει, μὴ ποιεῖν αὐτόν, *Quae quis moleste graviterque ipse fert, ea ne facito*, Quod inter ea recenset quae suae genti receptiora fuere. Ex hisce & illud apud AElium Lampridium de Alexandro Severo, *Si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi; aut, si haec omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis, cum diceret, Visne hoc in agro tuo fieri quod alteri facis? Clamabatque saepius, quod a quibusdam sive Judaeis sive Christianis audierat & tenebat; idque per praeconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat,* QUOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. *Quam sententiam usque adeo dilexit, ut & in palatio & in publicis operibus praescribi juberet.* Patrum vero quos ante diximus neuter suffocati

[z] De Civitate Dei, lib. 18. cap. 47. [a] Act. Apost. xv. 28. [b] Ibid. cap. xxi 25. [c] Robert. Stephan. in margine editionis suae. Theodorus Beza, Francisc. Junius, &c. [d] Lib. 3. ad Quirinum ad calcem. [e] Adversus Haereses, lib. 3. cap. 12. [f] Tobit. iv. 16. [g] Apud Euseb. Praeparat. Evangelic. lib. 8. cap. 7.

meminit.

3

meminit. Quod tamen legitur in omnibus quotquot utimur sive Graecis sive Latinis codicibus, uti etiam apud Syrum, Arabem, & AEthiopem. Sed hac in re variasse etiam olim codices scimus ex SS. Hieronymo [h], & Ambrosio [i], & Tertulliano [k]. Neque hic omnino suffocatum in commate illo agnoscebat. Neque Ambrosius genuinam illud sed adjectitiam fuisse sacri sermonis partem autumat. Vetustissimo autem bibliothecae serenissimi regis nostri, ad D. Jacobi, exemplari MS. ex oriente nuper allato deest τούτων post τῶν ἐπάναγκες, adeo ut ita non *praeter haec necessaria* sed *praeter necessaria* simpliciter vertendum sit. Jam vero non defuere aevi nostri viri perdocti qui in epistolae jam dictae canone ipsissima juris Noachidarum, quae tractavimus, capita septem contineri voluerint. Guilielmus Schickardus, enumeratis illis septem, subjicit [l], *Quae eadem praecepta*, Act. xv. *Gentibus conversis loco Mosaicorum imponebantur.* Alibi [m] item de eisdem, *Quae in primitiva etiam ecclesia christianorum gentibus conversis loco Mosaicae legis rigidissimae ex decreto apostolorum & synodi Hierosolymitanae imposita fuerunt, Act.* xv. 29. Alii tantundem. Atque ipse, fateor, propensior olim fui eam in sententiam. Sed vero ut res penitius dispiciatur, paulo altius est repetenda. Ex iis quae libro secundo supra ostensa sunt liquet Judaeos sine baptismo, circumcisione atque oblatione neminem admisisse ut proselyti justitiae nomine in eorum ecclesiam cooptaretur; nec cooptatum quempiam qui futuram legis Mosaicae observationem in se non reciperet, modo itidem ibi indicato; quin nec in foedus seu amicitiam, id est in societatem humanam, quempiam nomine proselyti domicilii apud eos, dum plane sui juris fuere, acceptum, nisi is, modo etiam ibi indicato, juris Noachidarum seu naturalis, quod prae manibus est, capitum observationi nomen daret. Quod itidem ferme cernitur in eis quos proselytorum domicilii instar diximus. Cum igitur sub initiis christianismi Judaei aliquot ex Pharisaeorum secta, rituum suorum ac Mosaicae legis tenaciores, Christo nomina dederant, atque interea animadverterant gentes non sine baptismo quidem, at sine circumcisione atque oblatione, in christianismi secum societatem seu ecclesiam sibi communem adsciscí, adeoque veluti proselytos justitiae (qua Judaeis conjungerentur, aut in religionis unionem ab illis admitterentur) ex regeneratione haberi; ne patrii atque vetustioris in proselytorum ejusmodi justitiae admissione ritus, nunquam antea sibi & majoribus suis non diligentissime observati, negligentiores in gentium societatem hanc convenirent, etiam eas circumcidi [n], atque leges quae fuere caeterae Mosaicas observare, volebant. Sed de circumcisione maxime instabant; quippe sine qua nec sanctam illam societatem omnino contrahi potuisse, morem semper majorum spectantes, existimabant. Unde illud, *Et quidam descendentes de Judaea docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis salvari.* Ita tam Vulgatus interpres quam codices quibus utimur Graeci, quos & sequitur Syrus, & Arabs. Sed vetustis nonnullis [o] MSS. legitur etiam, *Et quidam descendentes de Judaea* τῶν πεπιστευκότων ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων, *eorum scilicet qui crediderant ex secta Pharisaeorum*; Et dein, *Nisi circumcidamini*, καὶ τῷ ἔθει Μωϋσέως περιπατῆτε, & *in Mosis instituto ambulaveritis, non potestis salvari.* Et certe ex eis quae in eodem capite sequuntur satis constat, tam Pharisaeos fuisse qui tunc pacem ecclesiae hac doctrina turbarent, quam non solum circumcisionem sed etiam caeteras quae fuere leges Mosaicas observari a gentibus baptismo susceptis eos voluisse. Hac de re autem Antiochiae disputatione habita, Paulus & Barnabas (qui argumentis plurimis in Pharisaicam illam sententiam usi, controversiam tamen finire nequibant) cum aliis aliquot Hierosolymam ablegantur, ut ibi ab apostolis & presbyteris res definiretur. In synodo, ea agitatur. Apostolis & presbyteris in ea definitum est, lege quidem Mosaica seu Ebraeorum, qua Mosaica atque ecclesiae seu reipublicae Judaicae praescripta, gentes quae Christo nomina dederant neutiquam teneri, sed christiana frui debere libertate. Unde nec ritus quibus proselyti justitiae fieri solerent, jam aut vim aut locum habere. Nam proselyti justitiae, ad morem majorum sic dicti, ad ecclesiam Judaicam, qua Judaica esset, qua singularis, & a caeteris hominum quibuscunque coetibus discreparet, tantum attinebant. At vero advertendum est, minime quaestionem agitari de juris quo simpliciter tenerentur gentiles capitibus, qualia sunt illa Noachidarum septem quae tractavimus, sed de jure Mosaico, seu eo quod in foedere veteri Judaeis praescriptum est, e quo desumuntur illa de idolothytis, sanguine, suffocato, fornicatione; ut quae necessario observanda, ex autoritate synodi, ab eis qui christianismo nomina dantes, cum Judaeis sua pariter christianismo dantibus nomina viverent, adeoque societatem religionis cum eis inirent. Nec quidem de proselytorum domicilii jure (quorum nec admissionis formula tunc temporis nec diu ante, in usu) sed plane de eo quod proselytorum justitiae admissionem haud parum imitaretur actum est; scilicet de gentilium in societatem Judaeorum christianismo, ex disciplina in Judaea orta, imbutorum cooptatione. Neque enim de homicidii, furti, aut blasphemiae interdictis, aut de judiciis civilibus (quae ex septem Noachidarum juris capitibus sunt quatuor) omnino in synodo monetur. Nec in canone vocabulum occurrit quod ad horum aliquod spectare videatur, nisi sanguinem de homicidio seu ejusdem effusione ibi dictum cum veterum nonnullis [p] manifesto hallucinatis admiseris. Nec sane opus erat ut de eis ibi moneretur, uti nec de ipsa idololatria, quatenus simpliciter actus est idola colendi; utpote quae universa ex evangelica disciplina, quam amplecterentur tam gentiles quam Judaei sic in societatem christianismi simul ac vitae cooptati, satis cognita. Annis enim aliquot ante non solum praedicatum est evangelium & doctrina evangelica disseminata, verum etiam edita

[h] Comment. ad Epist. ad Galat. cap. v. [i] Ad Epist. ad Galatas, c. ii. & videsis Baron. in Annal. Ecclesiast. Ann. 51. num. 17. & seqq. & Franc. Suarez de legibus, lib. 9. cap. 20. §. 8, 9. [k] Lib. de Monogamia, c. 5 & de Pudicitia, cap. 12. [l] In *Bechinath Happeruschim*, pag 84. [m] De jure Regio, cap 5. theor. 17. pag. 129. vide item Valent. Schindler. in Lexic. Pentaglot. 1530. [n] Act. Apost. xv. 1, & 5. & videsis Epiphan. haeres. 28. in Cerinthianis. [o] Rob. Stephan. in marg. Fr. Junius, &c. [p] Tertul. de Pudicitia, cap. 12. Cyprian. lib. 3. advers. Quirinum, sub extremum, alii aliquot.

sunt,

ſunt, ſaltem conſcripta, evangelia aliquot chriſtianis legenda, ac proculdubio lecta. Synodus enim illa ſub annum L Chriſti, ſeu Claudii Caeſaris IX habita eſt. Jam vero D. Marcum ſuum conſcripſiſſe circa quadriennium aut quinquennium ante docemur, tum ex recepta apud chronologos vulgares ſententia, tum ex orientalium traditionibus ea de re in ſcriptis aliquot Arabicis vetuſtis. In vitis evangeliſtarum a Petro Kirſtenio editis [q] expreſſim legitur divum Marcum ſcripſiſſe evangelium ſuum

في السنة الرابعة من ملك اقلوديس قيصر

Anno quarto Claudii Caeſaris, quemadmodum item in ſubjunctis evangelio ejuſdem in editione Erpeniana [r]. De tempore autem D. Matthaei ſcriptionis non ita conſentiunt autores. Sunt quidem qui Claudii Caeſaris anno tertio eum ſcripſiſſe velint [s], aliis [t] in tempora etiam Claudio poſteriora ſcriptionem ejus rejicientibus. Sed ſententia prior, aut alia quae ei ſatis proximat [u], eſt & veriſimilior & receptior. Atque ita annis compluribus ante ſynodum etiam conſcripſit ille. Certe & in evangelio ejus Arabico editionis Erpenianae ſubjungitur ex codice vetuſto

كمل نسخ بشارة متي الرسول وكان كتبها في

اول سنة من ملك اقلوديوس قيصر ملك الروم

Abſolutum eſt exemplar Matthaei Apoſtoli, quod ſcripſit, &c. primo anno regni Claudii Caeſaris imperatoris Romani. Qua de re videſis plura in vitis evangeliſtarum Arabicis editionis Kirſtenianae. Saidus vero Batricides

في عصر قلوديوس قيصر كتب متاوس

انجيله بالعبرانية في بيت المقدس

Tempore Claudii Caeſaris ſcripſit evangelium ſuum Matthaeus Ebraice in templo, ſeu *civitate ſancta.* Nam ſic potius exiſtimo بيت المقدس ibi ſignificare. Ita capita illa juris univerſalis, cum aliis evangelicis, erant ſatis nota tum ex praedicatione tum ex ſcriptis quae ſynodum ac quaeſtionem anteceſſerant. Unde etiam non eſt quin credamus, ad chriſtianos jam ſive ex Judaeis ſive ex gentilibus factos idem attinuiſſe quod de proximi temporis chriſtianis memorat Plinius [x] ad Trajanum Auguſtum; eos ſcilicet ſacramento ſolenni ſe obſtringere ſolere *ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.* Quae cum ita ſint, ſuaderi nequeo ut jura Noachidarum ſimplicia aliqua in ſynodo illa doceri aut imperari exiſtimem. Id quod ſane apertius fiet ſi ſingula perpendamus. Primum, in ſynodo inter neceſſaria illa ponuntur *idolothyta* ſeu *idolis immolata*, quae ipſa etiam ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων nuncupantur, ſeu *inquinamenta idolorum.* Pro eodem a patribus nonnullis [y] ſubſtituitur *ſacrificia, & idololatriae*, perinde ac ſi ipſe idola colendi actus ſimplex ſeu cultus extraneus ſimpliciter ſic prohibitus ibi eſſet. Et verum quidem eſt, res ipſas omnimodas quae ex eo quod idolis ſacratae ſunt pro interdictis habebantur Judaeis, ut libro ſecundo eſt oſtenſum, nomine עבודה זרה *cultus extranei* ſeu *idololatriae* indigitari ſolitas, uti ibi etiam liquet: ubi inſuper manifeſtum fit, nefas fuiſſe immolata idolis ex diſciplina Judaeorum comedere, aliave eis ſacrata in uſus promiſcuos adhibere. Nemo autem hominum autumabit, puto, opus fuiſſe ut ipſo idololatriae actu magis interdiceretur gentilibus qui Chriſto nomina rite dederant quam Judaeis ipſis: Sed ut eſu uſuve promiſcuo rerum idolis ſacratarum abſtinerent gentiles, quemadmodum aſſolebant Judaei; rerum ſcilicet eſu, quas, utcunque per ſe ipſas ſimpliciter illicitae non eſſent, ideo interim illicitas eſſe voluit ſynodus ne *licentia* earum eſus *offendiculum fieret* [z] *infirmis*; qua de re fuſius D. Paulus, & theologi paſſim. Ita circumſtantia quaedam ſeu appendix idololatriae, per ſe ac ſimpliciter non illicita, prohibetur; non ipſe idola colendi ſeu cultus extranei actus, quem tam gentiles chriſtianiſmo rite imbutos quam Judaeos abhorruiſſe certum eſt. Adeo ut caput de idololatria, quod juris eſt Noachidarum & citra legem Moſaicam obſervandum, hic neutiquam omnino reperiamus. Quod vero ad bina illa, *ſuffocatum* & *ſanguinem*, attinet; ex eis quae ſupra oſtenſa ſunt conſtat nec ſanguinem juxta receptiſſimam magiſtrorum ſententiam, nec ſuffocatum, Noachidis ex jure ſuo interdictum; ſed tantum אבר מן החי *membrum ab animali vivo diſcerptum.* Nam ad gentiles ſeu proſelytos domicilii aut Noachidas attinet lex Moſaica [a], qua expreſſim permittitur eis כל נבלה *omnimodi morticinii* eſus, etiam inter Judaeos. Morticinium ibi genus eſt, quo, quantum ad hanc rem, continetur plane ſuffocatum, id eſt, cadaver ſeu corpus animalis cujus ſanguis non effuſus, ſive vi ſive ultro ſpiritum exhalaverit. Abſtinentia igitur a ſuffocato ex lege Moſaica Judaeis data ſolum pependit, nec in Noachidarum jure omnino reperta eſt. Et ſi quis contendat *ſanguinem* forte ſumendum in ſynodo, atque etiam in Geneſi, ubi [b] interdicitur, pro ipſo revera ſanguine ſeorſim ſumpto, nec tantum pro membro animalis viventis, nae id temere is admittit quod receptiſſimae doctrinae Talmudicae de Geneſis loco palam adverſatur; modo ſingularem ꝗ R. Chanina Ben Gamaliel ſententiam ſupra memoratam excipias. Quod denique quartum occupat in canone ſynodi locum, ſeu πορνεία aut *fornicatio*, ut vulgo redditur, & a nonnullis etiam pro fornicatione, quam ſic vocant, ſimplici [c] ibi ſumitur, quaſi gentiles citra Judaeorum diſciplinam ſimplicem fornicationem inter licita ante habuiſſent; certe ita plane caput juris Noachidarum quod eſt de revelatione turpitudinis ſeu inceſtu aut illicito concubitu (juxta quod libro quinto explicatur) non continebit. Et viris doctis merito diſplicuit illa interpretatio, uti & alia illa qua pro idololatria accipitur. Nuperrime autem vir doctrina & ingenio praecellens πορνείαν ibi non pro ipſa ſive fornicatione ſive quacunque ſcortatione ejuſve actu ſumi vult, ſed pro meretricia oblatione; ita ſcilicet ut, quemadmo-

[q] Breilae 1608. [r] Et vide v. c. Ludovic. de Dieu in notis ad quatuor Evangel. pag. 240 & 151. [s] Euſeb. in Chron. [t] Irenaeus lib. 3. cap. 1. [v] Baron. Annal. ann. Chriſti 41. [x] Lib. 10. Epiſt. 97. & Tertull. Apologetic. cap 2. [y] S. Cyprian. & Tertullian. locis citatis & Tertull. de Idololatria, cap. 24. [z] Epiſt. 1. ad Corinth. viii. 9. & cap. x. [a] Deuter. xiv. 21. citata ante pag. 709. [b] Cap. 9. [c] S. Thomas 2. ſecundae quaeſt. 154. ad primum, alii.

dum

dum ἀλισγήματα εἰδωλοθύτων *inquinamenta immolatitiorum* intelliguntur *idolothytorum* nomine, ita etiam ἀλισγήματα πορνείας *inquinamenta scortationis*, id est, *oblationes meretriciae*, τῇ πορνείᾳ designentur. Quod loco ex S. Athanasio allato probare contendit. Ut vetetur scilicet, ne gentes cibis qui idolis essent a meretricibus oblati, vel mercede empti meretricia, se polluant. Quae habent alii obvia praeterimus. Sed vero (si conjecturae nostrae, non tam asserendo quam disquirendo, locus admittatur) cum in lingua Hellenistica illius aevi πορνεία significaret omnimodum incestum seu illicitum concubitum, primum libentius propendeo in illorum sententiam qui de ipso illicito concubitu locum capiunt. Scilicet tum adulterium tum in cognatis ac affinibus incestum vocabulo eo denotari ex foedere novo manifestum est; id est, idem ipsum quod nomine ערוה *turpitudinis*, juxta ea quae libro differuntur quinto, apud Talmudicos contineri solet; quemadmodum etiam notione generaliori ipsum *fornicationis* nomen patribus Latinis solet significare. Legitur in foedere novo, *Omnis qui dimiserit uxorem suam* παρεκτὸς λόγου πορνείας, *extra* [d] *causam fornicationis, facit eam moechari*; & alibi [e]; μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *nisi ob fornicationem*. Liquidius nihil est quam in vocabuli vi adulterium ibi contineri; unde & *praeter causam adulterii* & *praeter ex causa adulterii* patribus vetustissimis [f] illa recte ibi vertuntur. Sed de locutione illa plura in Uxore Ebraica. Et demum incestum omnimodum apostolorum lingua hoc nomine, velut genere, denotatum, non aliter atque τῇ ערוה Talmudicis, manifestum fit ex increpatione illa qua ad Corinthios usus est D. Paulus de impio illo patris de matrimonio haerede ac *fornicatore* seu *incesto fornicatore*, uti eum vocat Tertullianus [g]. *Omnino*, inquit apostolus [h], *auditur inter vos* πορνεία, καὶ τοιαύτη πορνεία, *fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes nominatur, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Incestus cum noverca *fornicatio* hic seu πορνεία nuncupatur, quemadmodum etiam omnimoda ex coitu multiplici spurcities [i] Nicolaitarum. Unde etiam Gratianus [k], *Videtur fornicatio esse genus cujuslibet illiciti coitus*, inquit, *qui fit extra uxorem legitimam*; uti & de adulterio S. Ambrosius [l], *Quicquid in eam quae non sit legitima uxor commissum fuerit, adulterii damnatur crimine.* Dein vero, cum fornicationis seu πορνείας, id est ערוה, genera fuerint ex Ebraeorum disciplina, alia gentilibus seu omni generi humano, ut supra ostensum est libro quinto, ab ipsis rerum initiis interdicta (nec tamen ex recepto gentilium more ab eis satis ubique abstineretur) alia lege Mosaica seu in Levitico vetita, in quibus etiam continentur ipsa quae universo humano generi ab Adae tempore, seu Noachidis, illicita statuebant; cum item de legis Mosaicae sive observatione sive cessatione quaestio agitata sit, adeoque decisio in rem praesentem facta, quidni existimemus omnigenis ערוה *turpitudinibus* atque concubitibus ex lege Mosaica illicitis, id est tam ex jure Noachidarum illicitis quam ex Levitico, abstinendum voluisse synodum; abstinendum scilicet gentilibus in christianismum cum Judaeis cooptatis? Etiam forsan & illud simul complecti canonem voluit synodus; jam nempe, cooptationis in christianismum, quae proselytismi justitiae apud Judaeos fere instar haberetur, rationem dissimilem omnimoda esse rationi proselytismi antiquitus receptae, qua, juxta legis Mosaicae & rituum Judaicorum interpretationem avitam, pristina desinebat cognatio atque omnimoda sanguinis conjunctio inter proselytum primo factum & qui ante ei sanguine conjuncti sunt; ut & libro secundo & quinto fusius est ostensum. Neque consanguinitatis abolitionem ejusmodi deinceps apud Judaeos christianos factos & gentiles, qui christiani inter ipsos proselyti fuere, admittendam. Unde & abstinendum a concubitu alias ratione proselytismi inter conjunctissimos ante apud Judaeos permisso, juxta locis indicatis itidem dicta. Quae res quidem ad conjugia christianorum, sive ex Judaeis proselytis sive ex gentilibus invicem, futura haud parum attinuit. Et sane, cum mutua conjugiorum necessitudo & communio epularis ac cibi simul capiendi mos vulgaris ingentem & perinsignem adeoque singularem in conversatione humana locum occupent; cum item ex suffocati adeoque sanguinis esu inprimis discriminaretur tunc palam gentilis a Judaeo, ut in supra ostensis videre est; cum item ex more avito Judaeis ferme inolevisset illud quod per hyperbolen de eis dixit Juvenalis [m],

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos;

cum demum caetera jura Mosaica, qua Mosaica, nollet jam synodus sacra gentilibus conversis imponi; mirum non omnino est de capitibus illis ita tunc eam constituisse; ne scilicet absque ejusmodi abstinentia ibi sancita, quae circa primarias & maxime quotidianas conversationis mutuae causas versabatur, societas christiana inter Judaeos & gentiles pariter in christianismum cooptatos cooptandosque contrahenda, in ipsis ecclesiae velut incunabulis, difficilius iniretur. Sed ex jam dictis, ni fallor, non obscure liquet, in synodo illa jura Noachidarum neutiquam innui. Neque omnino regula illa aequitatis in exemplaribus nonnullis subjuncta facit ad sententiam eorum qui aliter velint firmandam. Qua autem ratione id quod de idolothytis ac sanguine ac suffocato ibi habetur, temporale nec perpetuum (maxime in ecclesia occidentali) fuerit censitum, & ab eo quod de πορνείᾳ *fornicatione* seu scortatione ac omnimodo incestus genere adjicitur, sit ibi, quatenus hoc ad legem attineat moralem, distinguendum, & quomodo τὰ ἐπάναγκες [n] seu *necessaria* ibi sit sumendum, seu in quantum remissibilia seu non remissibilia, ut dixit Tertullianus [o], canonis ejusdem interdicta fuerint, locus hic non est disceptandi. Nam ad aliud scribendi disquirendique genus attinet.

[d] D. Matth. v. 32. [e] Idem xix. 9. [f] Tertullian. advers. Marcionem, lib. 4. cap. 34. [g] De Pudicitia cap. 13, 14, 15. [h] Ad 1 Corinth. v. 1. [i] Apocalyps. ii. 14, 15. ad quem locum videsis S. August. de Heresibus. Epiph. in haeres. 25. Tertullianum Praescript. advers. haeretic. cap. 46. [k] Caus. 36. quaest. 1. c. 2. [l] Lib. 1. de Abraham, cap. 4. [m] Satyr. 14. [n] Praeter commentarios obvios, videsis J. Cloppenburgium in Schola Sacrificiorum problem. 5. p. 182. [o] Libro de Pudicitia, cap. 5. & vide eum lib. de Monogamia, cap. 5.

JOANNIS SELDENI
JURISCONSULTI
OPERA OMNIA,
Tam Edita quam Inedita.

VOL. I. TOM. II.

DE

SYNEDRIIS

ET

Praefecturis Juridicis

VETERUM EBRAEORUM

LIBER PRIMUS.

Parvorum ſpeculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quaerere verum. Prudentius.

PRAEFATIO;

SEU

Breviusculum operis Rationarium.

DUodecimus jam amplius agitur annus quum primo absolveram libros, unum & alterum, De Synedrio seu Consessu magno Ebraeorum, a parte nobiliori ita tunc denominatos; quos etiam typis, sed non illibenter interim cunctando diu est quod sum pollicitus. In priore non modo senatus ac tribunalis illius celeberrimi illustrissimique institutio, principes, collegae, sedes, migratio, duratio, id genus reliqua explicabantur, sed praeterea etiam synedria ac praefecturae juridicae quae apud eos fuere sive ante sive post legem in Sinai datam aliae. Harum enim cognitio, sicut ad regiminis totius publici tam circa sacra quam profana in Judaismo veteri (cujus, ut parentis divini, christianismus, maxime primitivus, legitima & prophetica proles est ac propago unica, nec in paucis imitator) rationem rite capiendam perquam egregie conducit, ita ad synedrii illius magni naturam & amplitudinem perspicacius intelligendam apprime est & accommodissime praevia. Posterior singulare consessus illius magni imperium summamque jurisdictionis praerogativam duntaxat complexus est. Schedas autem prioris ex adversariis, & cogitationibus, ut in scriptis hujusmodi fieri assolet, secundis iteratisque saepius inter recensendum auctas indeque plus justo tumescentes dum revolvimus, merito visum est illum, utpote posteriorem sic mole nimis superantem, in binos dissecare, atque adjecto dein, ut ante, posteriore illo, tres, sub titulo etiam sic immutato, de Synedriis & Praefecturis Juridicis veterum Ebraeorum, in lucem emittere. Horum primus jam seorsim prodiens (secundo & tertio, si Deus volet, propediem simul secuturis) ex instituto primario, juxta capite designata primo, intervallum temporis occupat quod legis dationem anteverterit. Atque ex eo etiam, opinor, haudquaquam difficile fuerit elicere dijudicareque, qualisnam in universum obtinuerit tam circa sacra quam profana, imperii ac jurisdictionis forensis ratio per bis mille quingentos, paulo minus magisve, a rerum conditu annos (totidem enim ad legis dationem a creatione effluunt) adeoque tam apud alios Ebraeorum nomine antiquiores Dei populos ecclesiasve, quam apud Ebraeos ipsos. Caeterum interseruntur hic itidem quandoque accessiones aliquot disquisitionesque rei, quae primario tractatur, satis e natura sui cognatae connexaeque, licet tempore aliasque haud parum disjunctae, eaeque ex seculis recentioribus, etiam ex eis interdum quae in nostra excurrunt, desumptae; nec ferme aliter ac si quis de epochis sive astronomicis sive chronologicis vetustissimis ex instituto primario differens, earum insuper sive usum sive abusum insequentem, seu quomodo mutatae fuerint perperamve postmodum intellectae, simul, nec intempestive, commonstraret; aut de aquarum fontibus sive veris sive creditis disquirens, de amnium etiam fluentis, rivulis, ripis etiam eorum & alveis, ut de rebus admodum congeneribus verba itidem faceret. Quale sane apud scriptores nec infrequens nec inutile, praesertim apud eos qui hexaemeron primum aut rerum principia ex instituto tractantes in citeriora saepius & recentissima inde pendentia se satis apposite diffundunt, tum philosophi, tum theologi. Ejusmodi quid maxime hic cernitur, ubi de jurisdictionis omnimodae ac judiciorum forensium tam circa sacra quam profana per intervallum jam dictum effectibus agentes, usitatissimam illam excommunicationis forensis seu consistorianae ac interdictionis sacrorum apud ecclesiasticos poenam fusius tractatum imus, velut

eam

*eam cujus origo ex eodem item intervallo, quasi ab juris sive naturalis sive etiam tunc divini praecepto aut instituto aliquo singulari, tam a Romanensibus aliquot quam a reformatorum nonnullis enixissime peti solet, perinde ferme ac si originem illam in primorum parentum creationi velut coaequaevis recensendam velint. Nimirum ejus historiam, jus, species, originem veram, effectus tum veros tum creditos; caeterasque appendices ex antiquitate intima etiam in tempora nostra ita ampliter ex re nata contexuimus, ut e sedecim quae sunt libri hujus capitibus septem integra, eaque reliquis prolixiora, etiam & paginarum bessem implentia, in eam solummodo insumantur. Id quod potissimum ideo hic praestitum est ut anteriorum seculorum scita, sententiae, ac vera rationum momenta circa eam diversimode recepta adhiberique solita, diligentius ac modo hactenus, opinor, intentato, unico quasi in schemate, aut ut tabula simul in unica exhiberentur, adeoque lux inde genuina, defaecatior clariorque affulgeret quaestioni illi illustri gravissimaeque de jure ipso quo fundetur excommunicandi potestas illa ac interdictio forensis seu consistoriana, cum solennibus illis, in satisfactionem, pegmatis, scenis aliisque pro libitu admodum variantibus spectaculis publicae poenitentiae, quae interim num vera fuerit an prorsus simulata mortalium nemo potis est magis dignoscere quam cordis penetralia scire. Alii jure divino etiamnum olimque obtinente, id est, juris illius praeceptis seu institutis aliquibus singularibus, potestatem illam fundari pluribus contendunt, munusque esse singulare, in gubernandis eis quae sunt in ordine ad sacra & spiritualia, coelitus ordini ecclesiastico ejusve partibus aliquot tributum. Regni scilicet Christi, coelorum, Dei in terris eam esse gladium spiritualem sic forensem seu summum coercendi instrumentum volunt, ordinique illi sic vicariam competere, sed a Deo ipso derivatam, potestatem eodem, in foro seu consistorio suo, pro libitu utendi; tametsi interim regni illius in foedere novo toties memorati notiones aliae omnino sint & a forensis potestatis seu gladii ejusmodi usu longissime dissitae; idque ex testimoniis expressissimis omnique exceptione majoribus, tam S. ipsius Lucae * in oratione dominica (juxta exemplaria ejus quae circa annos abhinc mille trecentos in ecclesia reciperentur; utcunque postmodum ex Matthaeo mutata fuerint) quam patrum vetustissimorum qui primarii sunt & maximi christianae excommunicandi potestatis & testes & assertores †, ut alios praeteream. Sententia vero jam dicta de jure divino autores habet non paucos tum Romanensium & episcopalium nec Romanensium, tum presbyteralium, qui prae reliquis multo adseverantius acriusque in rem suam hic pertendere solent, in potestatem hac de re papalem episcopalemque in usu variatim, ut plurimum, receptam arrogatamque pariter pro more invecti, sed interim utramque tum quasi frustulatim sibi suisve erciscundam provide concidentes, tum immane quantum, juxta ea quae ordini suo fidentius sic attribuunt, plane exsuperantes. Neque illud nescire potest quisquam nisi cui potestas ista utraque horumque scita ignorantur. Ita isti, ex quolibet dictorum genere, circa alia plerumque impensius invicem dissidentes, pro ordinis quique sui veluti Diana seu quasi lapide, instar toties pertentati philosophici, theologico, eadem ipsa sermonis sacri vocabula pariter in rem suam torquentes concertant, & dum regnum seculi futuri, quod speramus omnes, tam aliis quam sibi indulgentius spondent, praesentis interea seculi regnum consistorianum, veluti διοπετὲς seu* divinitus *sibi suisve solum* elapsum, *in antecessum satagendo praestruunt; ne scilicet ullibi, aut saltem in terris, regno careant ipsi suive. Alii autem ex adverso sunt, in quolibet dictorum genere, qui licet summa cum reverentia functionem ordinis illius simplicem, seu quae jurisdictione careat, ut sacram, tuendam venerandamque existiment, poenam nihilominus illam forensem, interdictionemque quae cum imperio ac jurisdictione sic exerceri solita est, non jure sic divino, sed invento tantum humano subniti, nec origine alia, existimant; id est, revera non aliter primo introductam esse, atque exilium, aquae & ignis interdictionem, deportationem,*

* Vide Luc. xi. 2. apud Gregor. Nyssen. in Orat. Dominic. Luc. xvii. 21. Euthymium in Panoplia tit. 2. & 12. † Tertullian de Oratione, cap. 5. Cyprian. Serm. de Oratione; Chrysostom. Theophylact. &c. ad Matth. vi.

carcerem,

carcerem, flagella, aliasve poenas ejusmodi forenses aut quae forensium sint imitatrices, quas pro arbitrio undiquaque humano praestitui, retineri, aboleri, revocari, temperari, augeri, minuive, in more est semperque fuit eritque; usum interea ejusdem saepius in regimine christiano variatim persalubrem esse utilemque neutiquam denegantes. Jam vero gladius ille, ut orbis seu circulus maximus minores, censuras universas ecclesiasticas dici solitas reliquas ordinisque illius imperii rationem integram intra sui vim continet, quemadmodum item gladius temporalis, sic dici solitus, universa ad principes potestatesque summas alias spectantia coercendi genera, intra vim sui. Inermis enim & evanida est jurisdictio quaelibet sine gladio aliove aliquo imperii instrumento illum supplente, quo juri inobsequentes coerceantur. Si igitur sententia prior hic sit amplexanda, plane citra controversiam, ordinis ecclesiastici, quale dictum est, regnum vicarium circa sacra seu in ordine ad spiritualia (cujus immensitatis artificiosae terminus forte nullibi cernitur) ubicunque viget christianismus, ultro subeundum est; idque tam a principibus summisque aliis potestatibus quam subditis. Adeoque duplex sic erit seu bifurcatum ubilibet in christianismo regnum seu imperium agnoscendum, politicum seu magistratuum, ut appellitari amat, & ecclesiasticum ab illo prorsus sic distinctum, quasi binos quis fingeret soles, quorum alter dierum luci, calori, & umbrae, alter horis & minutiis praeesset; aut plures in eodem corpore humano admitteret animas, quod ab aliquibus receptum, ab aliis pro haeresi fugienda habitum. Sed & imperii illius duplicis caput seu cornu alterum ut alteri haud parum antistet necesse est; non aliter atque alia quae ex jure sic nasci divino creduntur, potiora, nec immerito, habentur eis quae ex humano, cui nefas est divino ullatenus reluctari. Unde etiam summum esse desinet quod sic fiet inferius. Nam etiam sunt qui ecclesiasticum hic soli, politicum lunae comparandum inculcant. Et sane habebitur ita imperium seu jus majestatis (ut suum hic vocari volunt aliqui) alterum, cui ii qui in divinum se sic evectos praedicant insistentes, alterum illud seu politicum facilius concutere & loco pro re nata dimovere queant; quale, in Archimedeo illo, dictum olim de tellure. Caeterum si sententia posterior ut vera obtinere debeat, quae certe vetustissima est atque in christianis rebuspublicis regundis haud parum recepta (ut inferius ostenditur) nec sine temeritate & ignorantia summa, aut saltem dissimulatione nimia, ne quid gravius dicam, v. cl. doctissimoque Thomae Erasto velut autori ejus primo atque ut novitia a nonnullis tribuitur; certe manifesto satis inde consecuturum videtur, tum perquam impium esse prioris obtentum (nam velut majestatis divinae laesae crimen est, Deo ut legislatori ea quae excogitantur ab hominibus sic assignare) tum unicum aut esse aut jure optimo, nec obstante divino, esse posse ubique in christianismo imperii & jurisdictionis tam circa sacra quam profana genus, quod velut ab unico fonte, angulo, origine, id est humano, eorum qui in regimine publico diversimode rebus praefuerint, instituto manarit, adeoque gladium unicum (qui tam capulo etiam & vagina quam acie & mucrone coercere in causis possit omnimodis) nec cum ecclesiastico aliove aliter implicandum quam principibus summisque potestatibus ex jure quo gubernant humano in ordine ad pacem christianismi sui publicam, & sicut in rebus civilibus, militaribus, nauticis, mercatoriis, ita in ecclesiasticis sic dictis, quantum ad jurisdictionem a se derivandam, visum fuerit. Dempto enim aut non admisso jure illo gladii spiritualis forensis divino, universa imperii ac jurisdictionis inde obtensae vis ut simul corruat necessum est,

Ut * medium si quis vellat de fornice saxum,
Incumbunt cui cuncta simul, devexa sequentur
Caetera, communemque trahent a vertice lapsum,

seu ut vara sequitur vibiam. E monimentis igitur, scitis, disciplina, usu, veterum recentiorumque, id est, praeter sacrum sermonem ipsum, tam Karaeorum quam Tal-

* Ausonius de ratione Librae.

nudicorum (quae item dijudicari facile possit de excommunicationis in synedriis, quae libris in sequentibus tractantur, Judaicis aliterque in Judaismo adhibitae, usu ac jure, a quo in christianismum illa primo recepta est) uti & per omnia secula christianorum, maxime ex eorum professione in rebus ecclesiasticis gerundis publica, ea quae ad rem tanti in christianismi regimine momenti dilucidandam definiendamque sunt apprime conducibilia, operosius hic, nec plane extra suum locum, congessimus. Consequentia ac concomitantia aliquot non contemnenda haud ita dissimiliter, licet multo brevius, subinde intersperssa sunt, quae intuenti obvia satis habentur in capitum lemmatis satis etiam indicis hic vicem supplentibus. Omnia liberrime praestitimus, haud omnino partium, nedum novandi, studiis ducti, sed ex amore sincero vetustatem, quae huc spectet, simpliciorem ac veritatem de hisce originariam & genuinam solicitius indagandi, faciesque earum saepe nimis fucatas hallucinationibusque foede inquinatas nudandi detergendique. Christianis, quotquot exsecranda hypocrisis larva, perniciosos ambitionis suae & procacis fastuosique aliorum magisterii fascino, ac demum segni oscitantium stupore felicius cordatiusque vacaverint, judicio suo libere utentes, operam integram satis gratam fore, non sperare nequimus. De reliquis aut nihil morandum, aut ab illis ad istos erit jure semper appellandum.

Ex aedibus Carmeliticis,
Londini, Octobris Juliani 16. 1650.



DE

DE SYNEDRIIS ET Praefecturis Juridicis VETERUM EBRAEORUM

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Summaria operis designatio. De synedriis seu praefecturis juridicis veterum Ebraeorum, quoties sui satis essent juris, ante legis in Sinai dationem, consideratio generalis.

TRibunalia veterum Ebraeorum, & quae fuere ipsis praefecturae juridicae, causis rebusque tam publicis quam privatis, tam sacris quam profanis, id est, omnimodis, discutiendis definiendisque praestitutae (quae universae, sive ex collegarum sive ex consiliariorum ministrorumve aliorum adsessura aut conventu, Synedriorum seu Consessuum ac Consistoriorum nomine aut indigitari solent aut rite satis significantur) intervallo considerantur in duplici: Alterum est quod legis sacrae in Sinai dationem antevertit; alterum, quod eam subsequitur. Populus item ipse bifariam considerandus; aut qua sui juris interdum ita fuit mansitque, ut aliud praeter Ebraicum suique generis ac persuasionis hominum non agnosceret sibi imperium, aut qua imperio ejusmodi subinde etiam suberat. Prioris hic populi notionis intervallo in priori (quo de primo agendum) exempla habentur in Abrahae & Loti regnis[a], & quae fuerint ejusmodi Ebraeorum aliis ante migrationem in AEgyptum, uti etiam in tempore illo quinquaginta dierum post egressum seu exutam Pharaonis tyrannidem: Nam sub id tempus [b] lex data est in Sinai. Notionis populi posterioris sunt exempla hoc itidem per intervallum in peregrinationibus eorum AEgyptiacis aliisque aliquot in alienas terras migrationibus praeeuntibus. Dum sui tunc juris ita erant, paucissima sane in sacris literis expressim habentur unde particularis aliqua judiciorum, tribunalium, synedriorum eorum ratio aut formula satis elici possit: Nonnulla tamen illuc facientia inibi supersunt. Judae sententia vivicomburii[c] in Thamarem huc spectat. Et juridica Mosis praefectura post egressum ex AEgypto, atque ante legem datam in Sinai, manifesto satis intelligitur ex ejusdem imperio forensi aliquandiu singulari soloque continuato post legis dationem. Qua de re, uti de aliis huc particulatim attinentibus, plura inferius. Utrum autem praefecturae fuerint illis tunc temporis juridicae, tametsi nulla omnino restarent earundem in sacris literis alibive vestigia, non magis esset dubitandum, quam utrum in societatem vitae civilem coalescerent tunc ipsi, atque animalia, ut genus humanum reliquum, essent politica, recteque ac honeste, pro seculi persuasione, vivendi rationem omnino inirent, atque ut dubia, lites, controversiae cum effectu civili, id est, judiciorum exsecutione, dirimerentur, scelera ac delicta cohiberentur, adeoque in officiis contineretur quisque suis curarent. Et frustra plane ratio ejusmodi ubique in politiis habetur, frustra jam dicta curatum itur, nisi praefecturae instituantur juridicae, sive plures sive unica, e quarum tum judicio ac decisione, tum imperio ac regimine controversia quaelibet, lis, & actio ita pendeat, ut vocatione in jus adhibita, sententia lata, suo cuique tributo, aut saltem distributione atque assignatione ejusmodi per injustitiam juris facie, ut fieri nimis amat, indutam obtensa, inobedientes coerceantur. Nec coercitio ejusmodi legitime adhibita aliud ferme est quam suprema ac potentissima velut animae regiminis tum in pace tum in bello facultatis operatio, citra quam nihil extra singularum conscientiarum utcunque depravatarum scrinia habetur, unde ad officia praestanda adeoque societatem initam tuendam invicem homines inter se adigantur. Et frustra plane in ratione civili adhiberetur numerus, mensura, pondus (quae jura ipsa in con-

[a] Genes. xiii, xiv.

[b] Exod. xix 1. *Seder Olam Rabba*, cap 5. Hieron. epist. 127. ad Fabiolam mansione 12. Augustin. lib. 2. super Exod. quaest. 70.

[c] Genes. xxxviii. 24.

tractibus imitantur) nisi etiam praestituerentur qui de controversiis, litibus, dubiis circa ea oriri solitis cum imperio cognoscerent. Eousque quidem interdum sive praetermitti omnino sive interturbari officia regimenque scimus, ut nec rex habeatur nec magistratus qui coerceat aut cum imperio judicet, adeoque illud quisque faciat quod sibi [d] oculisve suis seorsim rectum videatur. Sed hoc calamitas est ingens societatis legitimae sive plane neglectae sive misere nimis solutae. Atque extra ejusmodi infortunium per omnia secula, omnes per gentes, praefecturae adhibitae sunt juridicae seu personae aliquot constitutae admissaeque, a quibus id quod pro jure receptum fuerit rite administraretur. Accedit etiam, juxta avitas Ebraeorum ipsorum sententias, easque receptissimas, inter juris naturalis seu divini (quod ut [e] primordiale primis parentibus inditum ad eorum posteros naturaliter, id est, ab summo ipso naturae autore, transmissum est cordibusque eorum inscriptum) capitula haberi unum de regimine publico [f] seu על הדינים *de judiciis*, id est, de judicibus praefecturisve forensibus, ubicunque societas hominum sui satis juris coaluerit, constituendis, quae de reliquis juris ejusdem ejusque ex humano appendicibus sententiam etiam cum imperio exsequendam quoties opus esset pronunciarent. De capitulis illis juris naturalis nos fuse ex Ebraeorum commentariis egimus in libris de Jure Naturali ac Gentium. Alii non pauci item obiter. Et de eis qua huc summatim spectant statim plura dicemus. Ebraeis autem suis hic plane consonus est Paulus in notissimo illo effato, [g] *Non est* ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν, *potestas nisi a Deo: Quae autem sunt potestates, a Deo ordinatae sunt.* Unde ipsam potestatem τῶν ἀρχόντων seu *principum, praefectorum* ac *magistratuum* adeoque judicum expressim appellat τὴν τοῦ Θεοῦ διαταγὴν, *Dei ordinationem* seu *constitutionem*, ipsosque διακόνους καὶ λειτουργοὺς τοῦ Θεοῦ, *diaconos & ministros Dei.* Quae omnia, & de jure gladii seu potestate suprema regendi ibi reliqua, tam ad generis humani seu gentium (nam ad Romanos scribit) quam Ebraeorum regimen attinentia, indicant mentem apostoli fuisse etiam ex praecepto universali seu naturali generique humano communi a numine dato τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, *principatus, potestates*, praefecturas juridicas constituendas, eisque obedientiam deberi; nec interim personas ipsas quae praeficiebantur, ut undiquaque legitimas ac justas, semper a numine seu divinitus esse praefectas. Quis enim tantundem de Claudio aut Nerone sub id tempus Romanos, ad quos scribit Paulus, gubernantibus, numerosaque magistratuum congenerum sub eis cohorte, ut alios [h] praeteream, asserendum putaverit? Ipsa autem in eis potestas, qua ex ea subditorum regimen secundum jura naturalia ac divina aliaque his neutiquam adversantia, utcunque invicem non raro diversa, pependit, ex divini, naturalis, adeoque universalis praecepti de judiciis, judicibus, praefectis sive uno sive pluribus (nam de numero hoc vel illo non praecipitur) constituendis vi manavit. Adeoque illinc etiam ipsi regentes seu tutores status publici, qua regimine ejusmodi fuerint usi, a Deo subinde electi ac constituti [i] dicuntur. Huc spectat & illud, [k] *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*, seu, ut Chaldaeus, אנא משחא בצדקותא *Ego ungo eos justitia: Per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam*, ut Vulgata. Ubi Ebraica sunt ונדיבים כל שופטי ארץ *& principes sunt universi judices terrae*, seu *munifici sunt*, &c. aut *benefactores*, id est, εὐεργέται, quo nomine reges praefectosque gentium signantius designari solitos tam ex [l] sacris quam [m] profanis scriptoribus sacris etiam coaevis scimus. Graeci ibidem, καὶ τύραννοι δι' ἐμοῦ κρατοῦσι τῆς γῆς, *& tyranni per me tenent terram.* Aquila & Theodotio ἑκουσιαζόμενοι substituere pro נדיבים id est, *sponte munifici*, qui suum cuique sive poenam sive praemium seu jus in praefecturis tribuentes verum τῶν εὐεργετῶν nomen merentur. Ex causa ante dicta etiam divini nominis prae aliis participes fiunt principes [n] ejusmodi, praefecti ac judices, utpote quorum officium inter homines ad regimen publicum ex singulari numinis in juris naturalis divinique capitibus jussu est semperque fuit necessario adhibendum. Et obvia passim sunt innumera quae haec firment explicentque tum in sacris tum profanis veterum monumentis. Ne vero expressior etiam ex illo quod jam tractamus intervallo de praefecturis juridicis desit hic mentio, advertendum inprimis illud de Abraha in convalle Mamre regente a numine ipso dictum, [o] *Scio quod praecepturus sit filiis suis & domui suae post se, ut custodiant* (seu potius *& custodient*; & Graeci, καὶ φυλάξουσι) *viam Domini, & faciant justitiam & judicium.* Eum ipsum sic item qua potuit fecisse non est dubitandum; id est, juris naturalis divinique quod tunc receptum fuerat observantissimum [p] fuisse, & justitiam & judicium fecisse. Quod dum sui erant ipse suique (quantum ad alienum spectat imperium) juris sine praefecturis juridicis aut pluribus aut unica saltem, juxta praeceptum illud de judiciis, constitutis fieri quivisse ne quidem est concipiendum. Opus autem quod prae manibus est tres in libros tribuendos duximus. Primus erit de synedriis & praefecturis juridicis veterum Ebraeorum ante legis in Sinai dationem; aliorum item ab ipso rerum conditu populorum Dei, quorum hic cum Ebraeis parilis satis ratio. Secundus, de synedriis ac praefecturis juridicis atque institutis moribusque forensibus ex lege in Sinai data introductis ac post receptissimis; excepta singulari illa atque amplissima synedrii magni jurisdictione, quae libro destinatur tertio. Reliqua fere ejusdem, veluti institutio, collegarum qualitas, sedes, alia aliquot, libro hic secundo, cum synedriorum ac praefecturarum minorum jurisdictione, tam circa sacra quam profana, tradentur.

[d] Judic. xvii. 6. & xviii. 1. & xxi. 25. [e] Tertullian. advers. Judaeos, cap. 2. [f] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 56. a. Maimonid. tit. *Malakin*, cap. 9. & videsis lib. 1. cap. 10. & lib. 7. de Jure Nat. & Gent. juxta disciplinam Ebraeorum. [g] Rom. xiii. 1, &c. adde 1 Tim. ii. 1, &c. 1 Pet. ii. 13. Joan. xix. 11. Vide praeter scriptores obvios ad Rom. xiii. Hugonem Grotium ibid. & lib. 1. de Jure Belli, cap. 1. § 7. [h] Vide Hoseam, [illegible] viii. 4. [i] Tertull. Apolog. c. 33. Irenaeus, lib. 5. cap. 24. [k] Prov. viii. 15. [l] Luc. xxii. 25. [m] [illegible] seu Rhodia [illegible] & 47. Adde[illegible] Hugonis Grotii not. in Matth. xx. 25. & Luc. xxii. 25. [n] [illegible] Psal. lxxxii. 1 & 6. [o] Genes. xviii. 19. [p] Vide Philon. lib. de Abraha.

CAP.

3

CAP. II.

De jure, ejusque capitibus secundum quae praefecturae tum veterum, in seculis jam dictis, Ebraeorum, tum aliorum jus naturale servantium, sive coaevorum sive vetustiorum, judicarent, aut judicare saltem deberent.

UT qualesnam fuerint praefecturae illae juridicae prioris intervalli, seu ante legis in Sinai dationem, dum scilicet & quoties sui ita erant juris Ebraei, quales item aliorum populorum Dei, etiam ab ipso rerum conditu primaevorum (quorum non adeo dispar hic causa est) rectius dignoscatur; septem maxime sunt ineundae disquisitiones: Prima est, de jure ipso in ipsis praefecturis tunc adhibendo, seu juxta quod judicabatur; secunda, de personarum, quae juri ejusmodi praefecturisque subditae, discrimine; tertia, de agendi in eis, excipiendi & judicandi ratione modoque generali; quarta, de effectu actionum & judiciorum quae in eis habita; quinta, de judicum, seu qui jurisdictioni in eis praeessent, qualitate & dignitatis titulo singulari; sexta, de judicum numero; & demum septima, de eorum constitutione & potestate inde pendente. Ex hisce enim eorumque appendicibus non ita obscure liquebit qualesnam praefecturae illae, & qualis illarum jurisdictionis, tam circa sacra quam profana, natura, vis & amplitudo. Intervallo autem hoc in primo contineri hic voluimus etiam praefecturas illas a Mose ex Jethronis soceri, Midianitarum principis, consilio [a] post migrationem ex AEgypto constitutas; tum quia in sacris literis uti etiam apud Josephum [b] locum expressius habent illae ante legis in Sinai dationem, tum quia sic locum obtinere eas revera debere etiam contendunt viri doctissimi aliquot; utcunque alii, nec sine rationibus sane gravissimis, ad tempus legis dationem aliquantulo subsequens eas spectare voluerint, & per anticipationem locum illum in historia sacra sortitas esse. Ea autem de re, qua chronologica est, plura dicentur sub initium libri secundi. Et tametsi intra intervallum hoc primum revera non constituerentur illae, nihilominus etiam quoniam in ipsis, juxta opinionem quam diximus, proximi intervalli initiis seu anno ejusdem sive primo sive secundo, atque ex consilio principis vicini ac affinis tunc dato, moribusque ac usu proculdubio per intervallum quod jam tractamus seu alibi ante recepto, sic ortae fuerint, ideo non ita incommode velut ad intervallum hoc spectantes seu lucem ei praebentes hic eas admittimus. Integra autem earum historia inferius seorsim traditur ubi de numero judicum agitur, cum interim ex earum constitutione nonnulla subinde in reliquis juxta institutum praesens considerationibus necessario interserere visum fuerit. Quod ad disquisitionem primam attinet, receptissimum est Ebraeis [c] illud de juris naturalis capitibus sex primis parentibus a numine datis & per universum genus humanum propagatis;

על עבודה זרה 1 *De cultu extraneo.*
על ברכת השם 2 *De blasphemia in Deum.*
על שפיכות דמים 3 *De sanguinis effusione.*
על גילוי עריות 4 *De incestu* seu *turpitudinum revelatione.*
על הגזל 5 *De raptu* seu *furto.*
על הדינים 6 *De judiciis.*

Horum primo tum idololatria interdicitur, tum numinis veri cultus imperari intelligitur, ut in decalogo, per illud *Non habebis deos alios praeter me* [d]. Pro עבודה זרה *cultu extraneo* in Maimonidis editis aliquot libris aliorumque saepius occurrit עכו"ם id est עבודת כוכבים ומזלות *cultus astrorum & planetarum.* Cujus interdictionis sic expressae vi superioris seu ipsorum creatoris cultum satis praecipi intelligunt. Secundo jubetur nec maledicendum nomini numinis sanctissimi seu blasphemandum, sed benedicendum. Tertio homicidium vetatur, cujus patrati nomine timebat Cain fratricida [e] ne quis ipsum talione ut merentem puniret. Et eleganter ad illud Ambrosius [f] ut de praecepto hoc seu jure tunc obtinente; *Sed a quo timebat occidi, qui solos parentes haberet in terris? Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis divinae jura violaverat; nec praesumere de subjectis animalibus caeteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & parentes de filio discere quod didicerunt posteri de parente.* Temperamentum autem hujus praecepti simul habetur receptissimum; scilicet, sub ratione poenae, aut quasi veluti in bello justo ac sui tutela inculpata, caedem humanam permissam esse [g]. Ita autem innocentis vetitam, atque ei cui poenam capitalem aut quasi inferendi potestas non fuerit legitima. Quarto dictorum interdicitur adulterium & incestus. Qualia vero incestus genera eo sint prohibita, juxta eorum disciplinam, alibi [h] ostendimus. Quinto non furtum solum sic vulgo dictum, sed etiam omnimoda rei alienae contrectatio non legitima, omnigena alieni juris usurpatio, adeoque fidei rite interpositae ac pactorum violatio, & quae ex hisce pendent aut comitantur, ut fraudes, doli mali, interdicuntur; quae omnia manifesto furti nomine rite intellecti veniunt. Et sexto demum, quod de judiciis est, jubetur judices seu praefecturas juridicas in qualibet urbe, oppido, pago, id est, prout distinctarum hominum societatum civilium ratio varia exegerit seu postulaverit, variatim constitui, quarum autoritate ac imperio de prioribus quinque ita judicari possit, ut homines ad ea servanda commode adigantur poenisque coerceantur inviti. Nam poenarum rationem in praecepto de judiciis cunctasque & imperii & obedientiae civilis appendices & circumstantias contineri merito

[a] Exod. xviii. [b] Lib. 3. cap. 3. [c] *Beresith Rabba* parasch. 34. fol. 37. col. 3 Gemara Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap 7. fol. 56 a. ad tit. *Ioma*, cap. 6. fol. 67. b. *Seder Olam Rabba*, cap 5. Salom. Iarch. ad Exod. xxiv. 3. Maimonides tit. *Melakim*, cap. 9. Moses Mikotzi Praecept. affirm. 122. *Sepher Juchasin*, fol. 8. a. *Sepher Hacozri*, part. 3. § 73. fol. 193. a. R. Bechai in *Biur Hatorah*, f. 137. col 4. Abarbinel in *Pirush Hatorah*, fol. 167. col. 3. Salomon Ben Virga in *Shebet Jehuda*, fol. 14. a. Vide lib. 1 de Jure Nat. & Gent. cap. 10. [d] Exod xx. 3. [e] Genes. iv. 14. [f] De Abel & Cain, lib. 2. cap. 9. [g] Augustin. de Civit. Dei, lib. 1. cap 21. Hugo Grotius de Jure Belli, lib. 1. cap 2. § 5. & lib. 2. cap 20 & Not. in Matth. v. pag 121. Nos de Jure Nat. & Gent. lib. 4. cap. 1, &c. [h] De Jure Nat. & Gent. lib. 5. & de caeteris vide praecedentes & subsequentes ibi libros.

passim

passim agnoscitur, id est, totam servandi jus publicum rationem [i]. Qua de re item plura mox. Hisce post diluvium accessisse docent magistri septimum de membro animalis viventis non comedendo, quod in mandato seu interdicto divino [k] de sanguine non comedendo intelligunt, dato scilicet Noachidis seu לבני נח *filiis Noachi*; quo nomine passim genus universum humanum per intervalla citra diluvium denotare solent. Et כן היה הדבר בכל העולם עד אברהם inquit Maimonides [l], *ita se habuit res per universum mundum*, seu *apud genus humanum universum, usque ad Abrahamum.* Subdit dein, בא אברהם נצטוה יתר על אלו במילה והוא התפלל שחרית ויצחק הפריש מעשר והוסיף תפלה אחרת [m] לפנות היום ויעקב הוסיף גיד הנשה והתפלל ערבית: *Abrahae datum est insuper praeceptum circumcisionis* [n]. *Introduxit etiam ille orationem matutinam. Et Isaac, decimae partis divisionem; qui adjecit etiam aliam orationem pro tempore pomeridiano* (quae dicitur תפלה מנחה *oratio mincha*) *uti & Jacob adjecit illud de non comedendo* [o] *nervo dissipato* seu *contuso*, *& orationem vespertinam.* Quod vero Isaacum hic facit Maimonides, idque ex mente plane veterum, decimarum seu legis decimandi primum autorem; in animadversionibus ad eum Abraham Ben David, qui saepius ei quam par est iniquiorem se praebet, potius dicendum esse inquit & scribentium puto innuit, והוא התפלל שחרית והפריש מעשר ויצחק הוסיף תפלה אחרת וגו׳ *Introduxit etiam ille* (Abraham) *orationem matutinam & decimarum divisionem, & Isaac adjecit orationem aliam, &c.* Sed tum codices Maimonidis impressi tum optimus penes me & vetustus ejusdem manuscriptus reclamant, & decimas veluti institutori, ut in allatis, Isaaco tribuunt. Neque aliter locum e Maimonide citat Abraham Zacuthius in *Juchasin*. Obvia est Abrahae Davididis hic ratio; quoniam scilicet Abraham decimas dedit [p] Melchisedeco. Quod tamen non ita intelligunt Rabbini quasi ex debito, lege, aut institutione tunc factum; sed ex eo quod sponte tantum & pro re nata munere ejusmodi honorari voluit Abraham Dei altissimi sacerdotem etiam לפי כהן היה *quoniam* (ut ait Jarchius) *sacerdos erat* a quo munera ipse ante gratissima praeter benedictionem acceperat. Et R. Josua Ben Charcha, *Abraham*, inquit [r], התחיל ראשון לעשר בעולם לקח את כל מעשר סדום ועמורה וכל מעשר לוט בן אחיו ונתן לשם בן נח ש״נ ויתן לו מעשר מכל *primus incepit decimare in mundo. Accepit omnes decimas Sodomae & Gomorrhae atque Loti ex fratre nepotis, & dedit Semo filio Noachi, secundum illud,* "Et dedit ei decimam ex omnibus. Sic ille. Quod vero Isaaco de decimis hic tribuitur haberi volunt, idque e Maimonidis aliorumque mente, ex illo de Isaaco in Palaestina, *Seminavit* [s] *Isaac in terra illa, & invenit in illo anno* מאה שערים ויברכהו יהוה *centum modios*, seu *centuplum juxta mensuram, & benedixit ei Dominus:* Causam cur ita mensura adhibita fuisse aiunt ut pars decima ita in sacros aliquot erogaretur usus, idque juxta institutum tunc primum Isaaco autore ea de re natum. Glossa ibi ordinaria רבותינו אמרו אומד זה למעשרות היה *Rabbini nostri dicunt mensuram hanc adhibitam ut decimae cognoscerentur.* Et Joseph Karo in *Ceseph Misna*, *Abraham*, inquit, *dedit decimas* לא בתורת מעשר אלא לפי שכבדו מלכי צדק בהוצאת לחם ויין וברכו רצה להת לו מעשר השלל אבל יצחק הוא הראשון שעישר ממנו לשם מעשר כפי דרשת חכמים ז״ל בויזרע יצחק בארץ וגו׳ *non velut ex instituto aliquo decimandi, sed quoniam honorarat eum Melchisedek proferendo ei panem & vinum & ei benedicendo, ideo voluit ei dare decimas spoliorum* seu *praedae. Sed Isaac primus erat qui decimavit*, seu *decimas solvit, nomine decimarum* (seu velut ex instituto, seu exemplo a suis sequendo; quod ipsius esse volunt) *juxta interpretationem sapientum piae memoriae ad textum illum,* " Seminavit Isaac in terra, &c. Sequitur apud Maimonidem in editis ובמצרים נצטוה עמרם במצות יתירות עד שבא משה רבינו ונשלמה תורה על ידו *Atque in AEgypto alia insuper praecepta data sunt Amramo, usque dum venit Moses per quem lex absoluta est.* De Amramo Mosis patre intelligitur hic locus Abrahae Zacuthio [t] Maimonidis verbis utenti & sic עמרם legenti; quod & in editionibus Maimonidis impressis habetur. At vero in codice ejusdem meo MS. non עמרם *Amram* sed נצטוו עמרם legitur, quasi dixisset, *& cum his alia sunt in AEgypto plura imperata*, &c. quod forsan rationi magis consonum. In AEgypto certe nemo nescit pascha institutum [v] ac azymorum festum. Accessit etiam post egressum & ante ipsam legis dationem ex instituto divino baptismus, ut legis receptioni praevius, secundum receptissimam magistrorum disciplinam; qua de re nos olim alibi & mox fusius expressiusque. Plura aliquot sive primi sive secundi generis, ut minorum saepius gentium praecepta, pro varia hominum opinione seculis illis legem in Sinai antevertentibus tribuuntur; de quibus etiam nos in libris de Jure Naturali affatim egimus. Scilicet bina esse eorum quae jam memoravimus genera nemo non videt; alterum juris divini, seu quod a numine expressim praestitutum interdictumve; humani alterum, seu ab hominibus introductum. Divinum item duplex tunc erat; aut quod naturale ac universale nec rerum conditu recentius, aut postea a numine adjectum, ut de membri animalis viventis seu sanguinis esu, circumcisione, paschate, azymis, sabbato, aliis aliquot in statione Mara, juxta magistros [x], divinitus datis, uti etiam, ut dictum est, de baptismo. Unde ad illud de Mose statim post legis dationem in Sinai [y] ויקח ספר הברית וגו׳ *Et cepit librum foederis*, seu *volumen foederis, & legit audiente populo, &c.* Magistri veteres [z] ibi innui volunt מצוות שנצטווה אדם הראשון ומצוות שנצטוו בני נח ומצוות שנצטוו במצרים ובמרה ושאר כל המצוות כלן *praecepta data Adae parenti primo, & praecepta data Noachidis, & praecepta data in AEgypto & in Mara, & reliqua omnia praecepta*; in quibus etiam illud de primogenitis [a] sanctificandis redimendisque, jus item

[i] Vide Munster. ad Levit. xxii. Genebrard. Chronolog. lib. I. A. M. 1656. Boilduc. in Job xxiii. 12. & lib. de Ecclesia post legem cap 8. [k] Gen. ix 4. [l] Tit. *Melakim*, cap. 9. & vide *Sepher Juchasin*, fol 8. a. & b. [m] MS. לפנות ערב. [n] Gen xvii. 10. [o] Ibid. xxxii. 32. [p] Genes. xiv. 20. [q] Videtis Nachmanidem in *Pirush Tora*, fol. 15 b. [r] *Pirki* R. Eliezer cap. 27. [s] Genes. xxvi. 12. [t] *Juchasin*, fol. 8. a. [v] Exod. xii. [x] Vide Sal Jar. ad Exod. xv. 25. & xxiv. 4. [y] Exod. xxiv. 7. [z] In *Mechilta*, fol. 24. col. 2. & vide Salom. Jarch. ad Exod. xxiv. 7. [a] Exod. xiii. 2. 12, 13.

belli

3

belli ſingulare [b] contra Amalekitas. Humanum jus tunc obtinens cernitur in eo quod habetur de decimis, nervo diſſipato ſeu contuſo, precum tempore; quibus pro re nata alia acceſſerunt. Et ſtupri poenam vivicomburii, quam irrogaturus erat Juda Thamarae, aiunt magiſtrorum aliqui [c], iique pervetuſti, in poſteros manaſſe a בית דינו של שם *praefectura juridica Semi* patriarchae qua de re item nos [d] alibi. Hiſce connumeranda eſt juramenti formula [e] qua Abrahae juravit ſervus ſeu domus ſuae praefectus manum ſub femore ponendo, quod משפט בימים ההם *morem* qui inoleverat ut juris humani pars *in diebus illis* recte nuncupat Abenezra. Ita etiam Jacobo [f] Joſephus juravit. Et ſolennem circumciſionis foederis memoriam ſic habitam ſeu indicatam, locum qui poſtea datus eſt ſcriptae legi in jurando tunc praeſtitiſſe aiunt Ebraei; cum chriſtiani patres [g] juramentum ſic praeſtitum aiunt in ſemine Abrahae, id eſt, Chriſto qui ex illo femore tandem naſciturus erat. Cum hiſce cenſeas licet etiam jus illud fratri defuncto ſemen ex [h] fratria ſuſcitandi. Jus item primogeniturae, qua, ante praeceptum aliquod divinitus expreſſim de eo datum, tum dignitatis patriarchalis [i] tum ſacerdotii in familia primarii (de quo plura inferius) praerogativa, praeter eam quae eſt in ſedendo, diſcumbendo, eundo loci [k] ex ea pependerit. Nec pacis ſolum tunc ſic ab hominibus jura introducta, verum etiam belli, ut juſtae inde acquiſitionis jura, atque alia quorum expreſſiſſima teſtimonia in ſacro [l] ſermone. Alia compluria circa contrahendi, conducendi, locandi, emendi, vendendi, ſuccedendi rationem etiam tunc pro re nata admiſſa inſtitutaque eſſe nemo puto dubitat. Atque id genus aliquot ſatis diſerte in ſacris literis memorantur [m]. Adde hic etiam in Jobi hiſtoria [n], quae huic intervallo tribuitur, tum dicti juris naturalis capitum tum ejus ex humano adjecto appendicum teſtimonia haberi manifeſtiſſima; de quibus alibi etiam nos [o] expreſſius. De Noachi item teſtamento, quo diſtributus eſt orbis terrarum tunc cognitus hiſtoria apud orientales [p] recepta eſt. Et jura de agrorum terminis, ponderibus, menſuris etiam a primaevis mundi ſeculis [q] praeſtituta & ad poſteros tranſmiſſa memorat Joſephus. Traditur item apud orientales quod Sethus patriarcha, qui ſedes ſibi ſuiſque in monte ſancto fixerat paulo ante obitum,

استحلف اولاده بدم هابيل ان لا ينزل احد
منهم من هذا الجبل المقدس ولا يتركون
احد من اولادهم ينزل الي اولاد قاين اللعين

adjuravit liberos ſuos per ſanguinem Abelis (formulam illam tunc aiunt apud Sethianos jurandi fuiſſe perquam ſolennem) *neminem eorum deſcenſurum e monte hoc ſancto, nec permiſſurum quenquam ex eorum liberis poſteriſve deſcendere ad Caini maledicti liberos poſteroſve.* Sic Eutychius patriarcha Alexandrinus ex veterum in oriente monumentis. Alia habet ille ſatis in hanc rem ſingularia. Jam vero quod attinet ad magiſtrorum receptiſſimum effatum tam de primorum ſeculorum ſeu ante diluvium genere humano, cui divinitus ſex jam dicta praecepta imperata eſſe volunt, quam de Noachi poſteris, id eſt, genere univerſo humano poſt diluvium (quibus eadem ipſa erat juris ac praeceptorum divinorum ratio quae ante; adjecto quod de ſanguine tunc acceſſit) obligatos ſcilicet eos fuiſſe praecepto illo ſeptimo להושיב דיינים ושופטים בכל פלך ופלך לדון בשש מצות אלו ולהזהיר את העם *ad conſtituendos judices & praefectos juridicos per oppida, urbes, pagos* (ſive unicum ſive plures pro varia ſocietatis publicae initae ratione) *qui judicia ferrent de ſex illis reliquis, populumque de illis monerent*, quod univerſim dictum ad gentes ita omnimodas quae ſui ſatis eſſent juris tam ante quam poſt diluvium, adeoque ad ipſos Ebraeos in intervallo quod jam tractamus, ſpectat; id ita plane capiendum eſt ut judices ejuſmodi, ex ipſo de judiciis conſtituendis praecepto primario, de cauſis quibuſcunque ſive ſacris ſive profanis poſt rerum conditum, cui coaeva faciunt ſex illa prima quorum hoc unum eſt, legitime exorientibus pariter cognoſcerent. Etenim in binis prioribus, quae maxime ad cultum ſpectant (maxime inquam; nam & cujuſlibet obſervationi debitae etiam cultus aliquis ineſt) plene continetur non ſolum quicquid ab ipſo rerum primordio, uſque ad aucta a numine de ſacris jura, in examen forenſe ſacri nomine venire quiret, verum etiam quicquid de cultu ante legem poſtmodum in Sinai datam adjecerit numen, ut de circumciſione, paſchate, azymis, ſabbato, baptiſmo, ut introducta ab hominibus de cultu, quorum ante mentio, hic praeteream. Et in praecepto quarto, quod eſt de raptu ſeu omnimoda illegitima rei alienae contrectatione ſeu uſurpatione, alienive juris violatione, continentur pariter jura quaecunque humana reliqua ad rerum perſonarumque dominium, adeoque donationes, contractus, pacta, & quae ſunt id genus caetera, adeoque ad fidem ſervandam (cujus rite datae violatione alienum jus etiam violari regulariter certum eſt) ſpectantia, & poſtmodum pro vario hominum uſu e conſenſu diverſimode ſive in pace ſive in bello accedentia. Cum enim objectum praecepti de raptu ſit omne quod eſt alienum, ſenſus eſt ejuſdem, tum ut ſuum cuique tribuatur, tum ut alienum non auferatur, & ut fides data ſervetur, qua de re nos etiam alibi [r] fuſius. Atque ut de inceſtu, homicidio, & poſt diluvium de membri animalis viventis eſu praefecturae illae juridicae ſeu ſynedria per hoc intervallum cognoſcebant, ita pariter de reliquis in judicium poſtmodum ex jure ſive divino ſive humano deducendis. Adeoque tum jus divinum quod a primo rerum conditu naturale eſt, tum divinum quod adjectitium ante legem in Sinai datam habebatur, atque inſuper humanum ſeu quod ex vario hominum conſenſu, juxta ante dicta, acceſſit, id eſt omnimodum (neque enim juris ge-

[b] Exod. xvii. 4. [c] Simeon. Ben. Jochai in Gem. Babylon. ad tit. *Aboda Zara* cap 2. fol 36. b. *Sepher Juchaſin*, fol. 8. a. [d] De Jure Nat. & Gent. lib. 7. cap 5. [e] Gen. xxiv. 2. [f] Geneſ xlvii. 29, 31. [g] Auguſtinus quaeſt. in Geneſ. lxii. Eucherius, alii. [h] Geneſ. xxxviii. 8. Vide ibi R. Menahem Recanatenſ. [i] Geneſ. xxv. 31. & xlviii. 14. & 18. vide Iſidor. Peluſiotam lib. 2. epiſt. 47. [k] Geneſ. xliii. 33. Philo lib. de Joſeph. [l] Geneſ. xiv. 16 & xlviii. 22. [m] Geneſ. xxiii. 9. cap. xlvii. &c. [n] Cap. xxxi. [o] De Jure Nat. & Gent. lib. 7. cap. 11. [p] Euſeb. Gr. in Theſ. Temp. pag. 10. Cedrenus, Cigalas, alii. [q] Joſeph. orig. 1. cap. 3. [r] De Jure Nat. & Gent. lib. 6. cap. 1, &c.

nera summa alia reperiuntur) erant illa jura secundum quae cognoscebant dirimebantque controversias synedria illa qualiacunque seu praefecturae juridicae veterum Ebraeorum per intervallum de quo loquimur. Unde itidem manifesto liquet qualia jura essent illa secundum quae synedria seu praefecturae juridicae etiam in primis societatibus hominum civilibus seu primis civitatibus reliquisque ante diluvium & Ebraeorum nomen natum, & si qui fuerint populi alii jus naturale utcunque servantes in seculis quae jam tractamus, judicarent aut saltem judicare deberent. Id est, qualesnam illi πατρῷοι ἐθισμοὶ *patria instituta* seu *consuetudines* a quibus degenerabant plerique paulo ante diluvium, μήτε τὰς νενομισμένας τιμὰς ἔτι τῷ Θεῷ παρέχοντες, μήτε τοῦ πρὸς ἀνθρώπους δικαίου ποιούμενοι λόγον, *neque cultum numini debitum exhibentes, neque juris quod erga homines erat servandum rationem habentes*, ut ait Flavius Josephus [r]. Adde hic quae de legibus naturae seu intervalli quod jam primario tractatur simul atque ejus quod a rerum conditu effluit habet Philo [s] perquam consona aliique [t]. Et sane quicquid ferme in decalogo habetur etiam in jam dictis universalibus humani generis juribus contineri videmus. Atque haec quae diximus jura ad praefecturas illas juridicas attinuere quae patriarcharum, inter rerum conditum & legis in Sinai dationem, nomine, magistris non raro memorantur, velut eae quae, ubi societas esset civilis & principatus, nequaquam esse nequirent. Scilicet ejusmodi fuere בית דינו של עבר בית דינו של מתושלח *Domus* [v] *judicii*, seu *praefectura juridica, Eber, domus judicii Methusalae*, id genus aliae, ut ante mentio fit בית דינו של שם *Domus judicii Semi*. Quoniam autem quicquid divino humani juris rite accesserit, ex eo vim id sortitum est, quod nec divino adversum esset nec praecepti de fide servanda in illo de furto interdicto satis comprehensi vi careret, indeque homines sive expressim per se sive tacite per alios, quorum arbitrio se permiserint, consentientes obligaret; ideo etiam *juris divini*, quo sic fundantur jura omnimoda humana, nomine tam humanum quam divinum ex participationis ratione recte interdum veniebat. Hinc ubi in Jethronis Midianitae consilio Mosi de judiciis [x] dato (quod de jure naturali ac divino simul cum humano rite fundato ante legis in Sinai dationem sumendum est eis qui non per anticipationem historiolam illam ibi collocatam volunt; qua de re infra) dicitur Mosem ostensurum populo את החוקים ואת התורה (quod vertit Vulgata *ceremonias & ritum colendi*; sed plane sonat *statuta & legem*; scilicet quicquid *legis* seu *juris* cujuscunque generis nomine revera tunc contineretur) Graeci habent τὰ προστάγματα τοῦ Θεοῦ καὶ τὸν νόμον αὐτοῦ, *praecepta Dei & legem ejus*, quemadmodum paulo ante [y] expressim Moses ipse loquitur, ubi ait e populo litigantes aut disceptantes ad eum venisse ut ostenderet את חוקי האלהים ואת תורתיו *praecepta Dei & leges ejus*, ut recte ibi etiam Vulgata. Inde etiam paganis [z] πᾶς νόμος εὕρημα καὶ δῶρον Θεοῦ *omnis lex inventum & donum Dei nuncupatur*. Obligationis scilicet quae in humana agnoscitur origo & fundamentum in praecepto divino de suo cuique tribuendo nec fidem fallendo habetur.

CAP. III.

De personarum quae secundum jura jam dicta per intervallum hic tractatum regerentur discrimine; Ebraeorum originariorum, proselytorum domicilii, ac proselytorum justitiae. Et tam de baptismo quam circumcisione tum ad originarios tum ad peregrinos seu proselytos in foedus receptos, ut initiationis juribus seu sacramentis, tunc attinentibus. Quomodo item binis hisce accesserit demum tertium, velut confirmationis. Et de baptismo in nube & mari apud apostolum ad Corinthios.

QUOD ad personarum hic attinet discrimen, nemo non videt, postquam, sicut dictum est, accesserant juris divini capita aliqua Ebraeis aliisque in eorum foedus receptis recipiendisque peculiaria, veluti de circumcisione, paschate, azymis, sabbato, ac de baptismo etiam, ut statim ex magistrorum placitis exhibebitur, necesse, fuisse ut juris hinc in decisionibus forensibus adhibendi ratio alia esset qua peregrinum nondum in foedus receptum, seu גר תושב *proselytum domicilii*, necdum scilicet circumcisum nec nisi sponte circumcidendum (qualis erat unusquisque e gentibus aliis, exceptis servis [a] circumcisorum) intra praefecturarum ditionem spectavit, alia qua sive originarium Ebraeum, sive in foedus receptum e gentibus aliis, quem גר הצדק *proselytum justitiae* seu *justum* nuncupant. Veteri enim seu primario illo Noachidarum jure divino utebantur proselyti illi domicilii, & secundum illud ab eis & in eos agendum erat, juxta ea quae capite exhibentur proximo. Et sane expressa satis civium Ebraeorum & proselytorum seu peregrinorum ejusmodi hac in re habetur distinctio apud Mosem ubi de praefecturis illis ex Jethronis consilio juxta seculorum illorum morem institutis verba faciens, *Praecepique*, inquit [b], *judicibus vestris in tempore illo, dicens, audite causas fratrum vestrorum, & judicate justum inter virum & fratrem ejus*, ובין גרו & inter *proselytum*, seu *peregrinum*, ejus. Atque discriminis hujus rationem in actionibus ac judiciis etiam hujus intervalli nunquam non obtinuisse ex ipsa rei natura satis palam est. Simile etiam post legem datam in usu; quo de suo in loco. Et de peregrinis, seu qui in Israelitarum ritus nondum transierant, non paucis inter Israelitas cum ex AEgypto migrarent, expressa est in sacro sermone mentio. In ipso egressu [c], Ebraeorum numero seorsim memorato adjicitur

[r] Lib. 1. cap. 4. [s] Lib. de Abrahamo. [t] Athanas. in epist. de Synod. Nicaenae decretis tom. 1. pag. 252. Augustin. in Exod. quaest. 67. Scot. in sent. 3. dist. 37. quaest. unic. alii ibidem citat. [v] Abarbinel in *Perush hatorah*, fol. 167 col. 1. alii obiter. [x] Exod. xviii. 20. [y] Comm. 16. [z] Demosthen. orat. in Aristogit. Marcianus l. 2. D. tit de Legibus. [a] Gen. xvii. 12. & 23. [b] Deut. i. 16. [c] Exod. xii. 38.

וגם ערב רב עלה אתם *promiscuum vulgus plurimum ascendit cum illis*, adeoque inter eos per aliquot menses in deserto habebatur dum sui juris erant ante legis in Sinai dationem seu hoc per intervallum. Nec vero satis rationi consonum videtur ut cum doctissimis aliquot viris [d] de proselytis justitiae tantum, seu eis qui in Judaismi foedus ex aliis gentibus recepti fuissent, *promiscuum vulgus* ibi capiamus, sed de peregrinis etiam nondum circumcisis nec invito circumcidendis. Chaldaei habent ibi נוכראין סגיאין *extraneos*, seu *peregrinos, plurimos*, & paraphrasis Hierosolymitana ערבונין לחוד *seorsim mixtos*, quasi inter se non cum ipsis Israelitis. Glossa ordinaria תערובת אימות של גרים *mixtura populorum ex peregrinis*. Atque in his Philo alios ait fuisse ab Ebraeis e foeminis AEgyptiacis susceptos καὶ τῷ πατρῴῳ γένει προσνεμηθέντας, *& generi patrio ita adjectos*, (qui tamen quantum video revera Ebraei originarii tunc erant ratione sanguinis paterni, juxta jura tunc obtinentia) alios τὸ θεοφιλὲς ἀγασθέντας, *pietatis gentis admirantes*, factos fuisse ἐπηλύτας, *advenas*, seu se adjunxisse ac commiscuisse, quos sane pro proselytis aut epelytis necdum circumcisis sed interim jura jam dicta naturalia amplexantibus existimo sumendos. *Promiscui* autem hujus *vulgi* quotquot circumcisi adeoque in foedus recepti fuerint, & paschatis & azymorum & quae accesserant peculiaria ejusmodi Ebraeis praeceptorum jure utebantur; id est, quantum ad forense in eos regimen, velut Ebraei habebantur. Reliquis vero juris ejusmodi usus, ut in exemplo [f] paschatis, interdictus. Atque ita תורה אחת *una lex eademque* erat (ut numinis verba sunt) *peregrino* seu proselyto *& indigenae*; peregrino scilicet in foedus recepto seu proselyto justitiae, non proselyto tantum domicilii, seu peregrino qui nondum civis factus aut rite initiatus, peregrinitatis jure ut Noachides, non foederis, quasi Abrahamides, utebatur. Ita (praeter liberorum & servorum discrimen) tria erant personarum genera quorum cujusque singularis erat in judiciis ita ratio habenda ut legitime invicem distingui dignoscique quirent; originarii Ebraei seu ex origine Abrahamidae, proselyti justitiae seu in Ebraismum Abrahaeve foedus adscititii ac recepti, & proselyti domicilii seu incircumcisi nec invito circumcidendi. De genere primo palam constat. De tertio alibi [g] satis diximus. Neque hic operae foret pretium de eo utpote cuilibet etiam opinor satis ad hanc rem noto plura adjicere. De secundo etiam non pauca olim [h] tradidimus. Sed vero, quoniam hic illud intuemur qua de proselytorum justitiae simul ac originariorum jure ab eo quod erat proselytorum domicilii prorsus discriminato cognoscerent praefecturae tunc juridicae, adeoque de personarum qualitate decernerent, & tam utrum e simplici Noachidarum statu in Ebraismum seu Abrahae foedus legitime transiisset quisquam pro justitiae proselyto se gerens, an revera in statu illo ut proselytus tantum domicilii maneret, quam utrum rite satis observarent tam originarii quam proselyti ejusmodi singularia ad eorum ab aliis personis discriminandi rationem jura divinitus aliterve introducta, ex officio dijudicarent; ideo disciplinam de proselytis justitiae adeoq; de singularibus aliquot originariorum juribus, juxta quae proselyti ejusmodi fierent, paulo altius fusiusque & expressius duximus hic repetendam explicandamque. Tempora hic animadvertenda sunt bina: Illud quod ab inito divinitus cum Abraha circumcisionis foedere excurrit usque ad tempus triduo aut circiter legis dationem in Sinai antevertens; atque illud quod dein sequitur. Ex foedere cum Abraha inito [i] circumcisio masculorum sola ut jus singulare seu sacramentum tam originarios seu ejusdem posteros quam adscititios ex aliis gentibus, id est proselytos justitiae, ab incircumcisis discriminabat [k]. Qualis autem jurisdictio in praefecturis quas tractamus circa sacramentum hoc tunc exerceretur aut exerceri deberet, cum aliis aliquot ad idem pertinentibus, infra ostendimus ubi de poena כרת seu *excisionis* incircumciso tunc praestituta agitur. Et circumcisos universos qui ex AEgypto exierant testatur Josua [l]. Jam vero triduo aut circiter ante legis in Sinai dationem aiunt magistri divinitus institutum jus seu sacramentum aliud, quod baptismi erat; id est, ut universus populus adeoque sexus uterque tum originariorum tum proselytorum justitiae antea admissorum se sanctificaret atque aqua seu baptismo mundaret. Adeoque volunt circumcisionis sacramento ante instituto ita jus alterum seu sacramentum aliud baptismi tunc accessisse, ut tam hoc utpote divinitus acceptum quam illud ante omnino necessarium dein fuisse decernant; scilicet illis ipsis necessarium qui in receptionem legis sacrae futuram ita tunc sanctificandi erant, sed non (ut sacramentum alterum illud seu circumcisionis) posteris eorum; quos universos בקדושה *in sanctitate*, ob parentum scilicet sanctitatem, natos docere solent: Nempe baptismum unicum illum & baptizatis & eorum utriusque sexus posteris in perpetuum suffecisse. Etenim ut sacramentum initiationis foederi Abrahae circumcisio erat, ita intelligunt sacramentum initiationis לקבול תורה *receptioni legis* sacrae in Sinai pariter fuisse baptismum. Sed ut priore foederi Abrahae initiabatur quisque masculus atque ita etiam initiandus erat quisque e posteris circumcisorum, ex aperta sacri ipsius sermonis vi, sic item receptioni legis sacrae (quae foedus Abrahae in se etiam continet) utriusque sexus quemque baptismo quidem initiatum aiunt atque initiandum idque ex instituto (quod statim, juxta receptissimam illis opinionem, ostenditur) divino, sed ita ut ex parentum baptismo rite peracto posteri universi pro initiatis, quantum ad baptismum solum, satis haberentur, nec baptismus, ut circumcisio, esset in posteris repetendus. Neque enim quid de posterorum baptismo, ut de eorum circumcisione, habetur in lege huc juxta eorum disciplinam attinente. Circa triduum scilicet ante legis in Sinai dationem ad montis radices enarratur a numine privilegium illud Ebraeis singulare, Mose internuncio [m]; custodiendum scilicet pactum ejus a populo, illumque fore ei סגולה מכל העמים *peculium dilectum prae cunctis populis*, seu λαὸν περιούσιον ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν, *populum peculiarem ex om-*

[d] Lyranus, Munsterus, alii. [e] De Vita Mosis, lib. 1. [f] Exod. xii. 48. [g] De Jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 3. & lib. 7. cap. 6. [h] Ibid. lib. 2. cap. 2, &c. & lib. de Successionibus in Bona Defuncti cap. 26. Videsis Jo. Buxtorf. in Lexico Chaldaico, pag. 407. [i] Genes. xvii. [k] Genes. xxxiv. 14. xv. 22. [l] Cap. v. 5. & videsis Gemar. Babylon. ad tit. *Cerithoth*, cap. 2. fol. 9 a. & *Pirki*, R. Eliezer, cap. 29. [m] Exod. xix. 5, &c.

nibus

nibus gentibus, seu, ut Judaei Hispanienses, *thesoro mas que todos los pueblos*, etiam ממלכת כהנים וגוי קדוש *regnum sacerdotum*, seu *regnum sacerdotale*, ut Vulgata, aut βασίλειον ἱεράτευμα, *regale sacerdotium* (ut Graeci ibi & illinc [n] Petrus apostolus) *& gens sancta*; ubi paraphrasis Hierosolymitana habet מלכין וכהנין *reges & sacerdotes*, uti & versio Syrica מלכותא וכהנא tantundem denotans seu *regnum & sacerdotium*; Jonathanis paraphrasis sic dicta מלכן קטירי כלילא וכהנין משמשין *reges diademate*, seu *corona*, *redimiti*, *& sacerdotes ministrantes*; Onkelos in plerisque editionibus substituit מלכין כהנין *reges sacerdotes*, seu *& sacerdotes* [o]; Gariana autem editione legitur מלכות כהנין *regnum sacerdotum*; sed in codice veteri penes me MS. מלכין כהניא quod allatis pariter consonum: Quae omnia singularem gentis simul totius & dignitatem & sanctitatem tunc ipsi publicandam denotant. Auditis autem quae Moses sic dixerat, respondent cuncti *se facturos quicquid Deus praeceperat*. Statim vero *ait Dominus ad Mosem*, *Vade* אל העם *ad populum*, *& sanctifica eos hodie & cras*, וכבסו שמלותם *& lavent vestimenta sua*. Et statim post ibidem, *Descendit itaque Moses de monte ad populum*, *& sanctificavit populum*; *laveruntque vestimenta sua*. Ablutione seu baptismo vestimentorum recipitur illis designari hic [p] ipsius corporis totius baptismum, qui sic in receptionem privilegii singularis illius legisque ab universis adhibitus. Certe ex ipsa lege postmodum erant baptismi iique notissimi alii; baptismi scilicet lustrationis seu in immunditiem contractam eluendam; qui, quantum ad finem ac vim, generis fuere perquam diversi ab hoc quem jam tractamus. Illi enim lustrationis seu purificationis erant tantum temporalis saepeque pro re nata repetendi: Hic vero initiationis sacrae ejusque tam baptizato quam posteris perpetuae ac unicae baptismus habitus est. Initiationis ejusmodi baptismus erat Aharoni [q] & filiis suis sacerdotii receptioni praevius, nec eo nomine iterandus; licet illi non aliter atque alii pro re nata postmodum essent aliis baptismis lustrandi. Etiam talis quidem baptismorum seu ablutionum solennium distinctio in paganorum sacris perquam est obvia. Jam vero quantum ad corporis ablutionem pro ea quae est vestium intelligendam hic attinet, advertere oportet verba quibus baptismi etiam lustrationis aliqui instituti. Qui reptilium cadaver portaverit [r] יכבס בגדיו *lavabit vestimenta sua*, *& immundus erit usque ad vesperam*. Paulo post [s] tantundem eisdem verbis ipsissimis aliquoties iteratur de immunditie parili aliunde contracta. De leproso item emundando [t], וכבס בגדיו *& lavabit vestimenta sua*. Et de eo [v] qui in leprosi aedibus dormierat וכבס את בגדיו *lavabit vestimenta sua*. In sacrificio item vaccae rufae [x], qui cineres colligeret יכבס בגדיו *lavabit vestimenta sua*; quod itidem dictum de eo qui aspergeret aquam separationis inde factum. Atque huc spectat illud Eleazaris pontificis summi ad milites [y] כבסתם בגדיכם *lavate vestimenta vestra in die septimo*, *& eritis mundi*. De mundandis Levitis [z] tantundem legitur. Nec in his de corporis ipsius baptismo aliter mentio fit, cum interim in horum unoquoque ipsum corpus integrum ablui, id est corporis totius baptismum in lustrationem seu emundationem adhiberi, debuisse consentiant magistri. Id quidem verum est, in lustrationibus immundorum aliquot expressam haberi tam corporis seu sui ipsius immundi quam vestimentorum baptismi mentionem. Sic de immundo facto ab eo qui fluxum seminis pateretur [a] יכבס בגדיו ורחץ במים *lavet vestimenta sua*, *& lotus sit aqua*. Atque similia sunt alia * nonnulla. Interdum tantum [b] ירחץ במים *lavet aqua*. Sed vero hujusmodi locos universos in lege pariter capiunt magistri maximi pro eo quod est corporis ipsius seu carnis cutisve integrae lavacrum seu baptismus. Nec sane volunt id de corpore aut immundo ipso seu carne vestimentorum (de quorum item nitore & albedine in ipso baptismo initiationis לקבל פני שכינה *ad recipiendam divinae majestatis praesentiam* loquuntur [c]) ablutioni subinde adjectum diversum quid denotare a sensu praecepti de simplici vestium ablutione dati, sed tantum illud sic explicare, ut loca universa jam indicata, quantum ad baptismi seu ablutionis actum & formulam, idem satis significent. Neque enim nudos solum sed & vestitos rite baptizari potuisse admittunt. De vestitis aiunt [d], כל הטמאין שנטבלו בבגדיהן עלתה להן טבילה מפני שהמים באין בהן ואינן חוצצין *Immundis universis qui vestiti lavantur prodest satis baptismus*, *quoniam scilicet & quoties per vestes transeunt aquae*, *nec inter eas ac cutem corporis quid obstruens baptismum intercedat*. Id enim in omnigenis baptismis accuratius observandum volunt, ne aliter ipse baptismi actus irritus inde redderetur. Atque e corporis Talmudici *Seder* seu ordine sexto qui de טהרות *purificationibus* est, in universum pronunciant magistri [e] כל מקום שנאמר בתורה רחיצת בשר וכיבום בגדים מן הטומאה אינו אלא טבילה כל הגוף במקוה וזה שנאמר בזב וידיו לא שטף במים כלומר שיטבול כל גופו והוא הדין לשאר הטמאין ואם טבל כולו חוץ מראש אצבע הקטנה עדיין הוא בטומאתו: *Ubicunque occurrit in lege baptismus*, seu *ablutio carnis & ablutio vestimentorum* (scilicet sive haec sive illa) *ob immunditiem*, *nihil aliud innuitur praeter ablutionem*, seu *baptismum*, *totius corporis in aquarum conceptaculo*. *Atque illud quod dicitur de fluxum seminis patiente*, Et manus [f] non immersit in aquas, *intelligitur quasi dictum fuisset se ita totum corpus lavare debuisse*, seu, & ipsum se in aquas non immersit. *Atque ejusmodi erat judicium de reliquis immundis*; *ut*, *si quis eorum se totum lavaret excepta digiti minimi extremitate*, *immundities ejus ut ante nihilominus maneret*. Etiam & afferunt illud [g] de vase immundo במים יובא וטמא עד הערב וטהר *traduci debet per aquam*, εἰς ὕδωρ

[n] Epist. 1. cap. ii. 9. *Philo lib.* περὶ τῶ ἱερῶν Νῶ: *habet etiam* βασίλειον καὶ ἱεράτευμα, Regnum & sacerdotium. [o] Vide Apocal. 1. 6. & v. 10. [p] *Mechilta*, fol. 24. col. 3. Nachmanid. in *Piruſh Tora*, fol. 123. a. Bechai, fol. 92. col. 3. Maimonides tit. *Isuri Bia*, cap. 13. tit. *Mikwaoth*, cap. 1. Moses Mikotzi Praecept. Negativ. 116. fol. 40. col. 2. [q] Exod. xxix. 4. & xl. 12. [r] Levit. xi. 25. [s] Ibid. comm. xxviii. 40. [t] Levit. xiv. 8. [v] Ibid. xlvii. [x] Num. xix. 10, & 21. [y] Num. xxxi. 24. [z] Num. viii. 7. & 21. [a] Levit. xv. 5, 6, 7, &c. * Levitic. xvi. 26, & 28. xvii. 15. xxii. 6. Numer. xix. 7, 8. & 19. [b] Deut. xxiii. 11. [c] Vide Gloss. ad Gemar. Babylon. tit. *Jabimoth*, cap. 4. fol. 46. b. [d] Maimonid. tit. *Mikwaoth*, cap. 1. Moses Mikotzi Praec. Affirm. 248. Levi Barcinonensis in *Sepher Hakinuch*, Praec. 175. *Sepher Colbo*, cap. 86. [e] Vide Gemar. Babylon. tit. *Jabimoth*, cap. 4. fol. 46. b. & Maimonid. *More Nebochim*, part. 3. cap. 33. [f] Levitic. xv. 11. [g] Ibid. xi. 32.

βαφῆσεται,

4

βαϕήσεται, *tingetur* ſeu *immittetur in aquas, eritque immundum uſque ad veſperam, & tunc mundum erit*, velut id quod volunt haberi בניין אב לכל הטמאין שבואו בסים *indicationem univerſalem pro immundis omnibus quibus aqua ineunda eſt.* De aqua item qua mundities reſtituenda eſt aiunt, כל הטמאין בין אדם בין כלים בין שנטמאו טומאה חמורה של תורה בין שנטמאו בטומאה של דבריהן אין להן טהרה אלא בטבילה במים הנקוין בקרקע: *Quicquid immundum fuerit, ſive homo illud fuerit ſive vas, ſive per immunditiem graviorem in lege ſacra memoratam, ſive per immunditiem a ſcitis ſcribarum* ſeu *majorum introductam, mundum non fit niſi baptiſmo in aquis in fundo* ſeu *tellure congregatis*; ſcilicet in fonte, puteo, ſtagno, lacu: Quod pariter de initiationis baptiſmo praedicant. Congregationem item ejuſmodi ſeu conceptaculum aquarum in quo baptiſmus legitime fieret haud minus eſſe ſtatuebant quam quadraginta ſatorum [h], ſeu modiorum, aut circiter ſexaginta, menſuram. Unde pro eo quod eſt ורחצת אותם במים & *lavabis eos aqua* ſeu *aquis* [i], paraphraſis Chaldaica Jonathanis dicta habet ותטבול יתהון בארבעין סאוין דמיין חיין & *ablues illos in quadraginta ſatis aquae vivae.* Tantundem aliquoties alibi [k] in eadem paraphraſi velut ex receptiſſimo circa baptiſmi aquarum conceptaculum more traductum. Hujus menſuram item fuiſſe aliter aiunt ut minus non legitime adhiberetur quam id [l] quod haberet cubitorum ſaltem trium altitudinem, & unius tum longitudinem tum latitudinem, aut quantitatem alias parilem. Quod vero habent viri alioquin doctiſſimi aſperſione aquae ſeparationis [m] ex vaccae rufae ſacrificio factae munditiem legitime reſtitutam fuiſſe, eamque etiam innui per veſtium ablutionem, id theologiae & juriſprudentiae Ebraeorum omnino refragatur. Etenim aquae illius [n] ſeparationis aſperſae uſus ejuſmodi erat ut ſacrificiis expiatoriis atque comeſſationibus ſacris idonei redderentur, etiam alias non immundi; qualis in eccleſia Romana aquae ſanctae ſeu benedictae uſus. Expreſſim verba ſacra חטאת הוא *in expiationem eſt peccati.* Summa eſt, veſtimentorum ablutionem pro corporis baptiſmo, ita ut dictum eſt, ſumptam eſſe, idque ut in luſtrationis baptiſmis quales memoravimus ita in initiationis illius baptiſmo quem diximus; quo ſcilicet privilegii jam dicti ac legis ſacrae in Sinai receptioni adeoque iterato foederi cum Abraha inito, univerſum tunc populum Ebraeum, tam adſcititios quam originarios, atque in eis ſimul etiam eorum poſteros, ut ſacramento initiatos fuiſſe tradunt creduntque magiſtri, ita tamen ut poſterorum maſculis circumciſio ſemper repetenda eſſet, baptiſmus vero initiationis ejuſmodi ſexui poſterorum neutri. Atque non magis circumciſionem quam baptiſmum minoribus etiam ſeu parvulis tunc debitam praeſtitamque volunt, ut ex mox dicendis de proſelytis manifeſtum fit. Certe & gloſſa vetus Chriſtianorum ad illud *veſtimenta lavent* in Exodo, ſeu locum ubi baptiſmi ſedes eſt, habet, *Corpora quibus animae veſtiuntur*; quo plane baptiſmus corporis ibi etiam intelligitur. Alii etiam ipſos tunc biduo lotos eſſe intelligunt expreſſimque dicunt [o] dum Hieronymi verba de veſtimentorum ablutione ſummatim tradunt. Et Origenes [p]; *Lota ſunt ſemel veſtimenta tua, cum veniſti ad gratiam baptiſmatis, purificatus es corpore, mundatus es ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.* Etiam in vetuſtioribus Chriſtianiſmi ſeculis primarius & ſolennis habebatur veſtium lotarum ac candidarum ſimul cum baptiſmo uſus, de quibus ampliſſime Joſephus Vicecomes [q]. Quinimo in paganorum lingua, ni fallor, ſimplici munditiei veſtium circa ſacra mentione innui ſolebat ipſa etiam totius corporis ex ablutione mundities velut neceſſario concomitans. Etenim deos adprecaturos ſacrificaturoſque cutem corporaque integra lavare eos ſolitos, idque ex ritu theologico, palam eſt. Arnobius [r]; *Deorum templa cum adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lautos, caſtiſſimoſque praeſtatis.* Et Lactantius [s]; *Flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & ſe pie ſacrificaſſe opinantur ſi cutem laverint, tanquam libidines intra pectus incluſas, ulla amnis abluat aut ulla maria purificent.* Tertullianus item de ſpiritualibus munditiis [t]; *Hae ſunt verae munditiae, non quas plerique ſuperſtitione curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam ſumentes.* Alia huc faciunt apud ſcriptores paganos [v] ſatis obvia. Jam vero ita lotos eſſe ipſos & mundatos ſatis deſcribi intellexiſſe priſci videntur purae in eis Veſtis nomine, id eſt, emaculati nec ſordibus aliiſve illegitimis omnino inquinati amictus; qualis eſſe puto non admittebatur niſi & is qui induerat integer lotus fuiſſet, aliter veſtem, quae adeo pura eſſet atque lota, ſordibus cutis illotae inquinaturus. Ut enim veſtis non pura corpus purum, ita corpus impurum veſtem puram maculaſſe exiſtimabatur. Et pars munditiei ſic memorata totam ſeu reliquam neceſſario (ſi omnia rite fierent) concomitantem ſatis deſignabat. Virgilius [x];

——Puraque in veſte ſacerdos
Setigerae foetum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit——

Tibullus etiam in frugum luſtrationem vicinos accerſens,

——Pura, inquit [y], *cum veſte venite,*
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Alibique ipſe [z],

Hanc pura cum veſte ſequar——

de ſacrificiis verba faciens. *Impolluta autem & pura dicitur veſtis* (ſic Servius [a]) *quae feſtis diebus uti conſueverant ſacra celebraturi; ut neque funeſta ſit, neque fulgurita, neque maculam habeat.* Et Feſtus [b]; *Pura veſtimenta ſacerdotes populi Romani, cum ſacrificabant, habere*

[h] De ſati menſura vide Joſeph. Origin. lib 9. cap. 2. Waſer de Menſuris Ebr. lib. 2. cap 4. Georg. Agric. de externis menſuris lib. 1, &c. [i] Exod. xxix. iv. [k] Levit. xi. 32 cap xv. 5, 6, 7 & cap. xvi. 28, &c & vide *Sepher Colbo*, fol. 150. col. 3. [l] Teſoro de praeceptos, part. 1. 109. [m] Numer. xix. 9, & 21. [n] Maimonid tit. *Pera adoma*, cap. 11, 12, &c. & *More Nebochim*, part. 3. cap. 47. [o] Genebrard. A. M. 2670 [p] Homi. 11. in Exodum. [q] Obſervat. Eccleſiaſt lib 5. cap. 6. [r] Adverſ. gent. lib 7. [s] De Juſtitia, lib. 5. cap 19. [t] Lib. de oratione, cap. 11. & vide lib. de baptiſmo, cap. 5. [v] Apul. Metamorph. lib. 11, &c. [x] AEneid 12. [y] Lib. 2. Eleg. 1. [z] Lib. 1. Eleg ult. [a] In AEneid. 12. [b] In *Pura*

soliti erant, id est, non obsita, (eis qui legendum volunt *obstita* nondum adsentio) *non fulgurita, non funesta, non maculata*, id est, plane diligentissime lota. At interim, causa jam dicta, etiam sic pure vestitos ipsos pariter lotos esse & corpore, ut ritus exigebat, inde puros factos praesumebant & Virgilius & Tibullus & si qui alii sic scripsere; per synecdochen, ita parte munditiei expressim memorata, integram, quae similiter necessaria erat, ut sane ex sacro de lavandis vestibus sermone hic magistri, innuentes. Non ita dispari modo capitis immersio pro totius corporis ablutione sumitur.

Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Sic Persius[c]; ubi corporis denotatur lavacrum; quemadmodum etiam non raro ubi mentio *purarum manuum*, quae, nisi corpore ipso abluto, non habitae satis purae. Sed hoc obiter ad locutionis illius de vestimentis abluendis sensum forte explicandum. Tertium vero adjiciunt Ebraei veluti legis sacrae receptioni statim subsequens sacramentum, idque ut confirmationis seu plenariae initiationis testimonium (quod hic memorare liceat tametsi legis datione sit paulo posterius; quoniam nempe sic tota initiationis materies, juxta magistros, simul comparebit, & quod jam adjicimus ex ipso est confinio intervallorum quae tractamus, seu intra paucos, post ipsum initium posterioris, dies) nimirum קרבן *oblationem* seu הרצאת דמים *inspersionem sanguinum* sacrificii. Id autem ex eo habent quod legis dationem proxime sequitur[d]; *Venit Moses & narravit populo omnia verba Domini, & omnia judicia. Respondítque cunctus populus* (ante & circumcisione & baptismo, juxta jam dicta, rite initiatus) *una voce, & dixerunt, Omnia verba quae locutus est Dominus faciemus. Et scripsit Moses omnia verba Domini; surgensque mane aedificavit altare sub monte, & duodecim titulos secundum duodecim tribus Israel. Misitque juvenes de filiis Israel, qui adduxerunt holocausta, & sacrificaverunt sacrificia pacifica Domino, nempe boves. Et accepit Moses partem sanguinis, & posuit in crateris, & partem super altare: Et accipiens librum foederis, legit in auribus populi; qui dixerunt, Cuncta quae loquutus est Dominus faciemus, & obediemus. Tulit quoque Moses sanguinem, & sparsit super populum, dicens, En sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis hisce verbis.* Uniuscujusque hic nomine sacrificatum volunt & sanguinem inspersum, unde plenaria fieret initiationis tam originariorum quam proselytorum justitiae confirmatio. Nec defuere sane qui sanguinis aspersioni[e] huic baptismi initiationis originem tribuerint. Sed obtinuit sententia quam ante tradidimus. Et certe, quod ad personarum hoc per intervallum discrimen attinet, tam e gentilibus in foedus tunc receptos fuisse proselytos quam postea, satis cernitur in historia Sichemitarum[f], & tum Christianis scriptoribus tum Ebraeis agnoscitur; Christianis, qui commixtum in ipso egressu ex AEgypto populum pro ejusmodi sumi volunt[g] proselytis; Ebraeis autem, maxime in Jethronis Mosis soceri sub haec tempora suorumque proselytismo justitiae[h], quem tamen Christiani aliqui non[i] admittunt. Etenim glossa ad illud, *Et Moses dimisit*[k] *socerum suum, & abiit in terram suam*, adnotat לגייר בני משפחתו *ut proselytos faceret* etiam *filios familiae suae* seu *familiares*. Sed interim utrique sic tam Christiani quam Ebraei proselytos justitiae tunc factos aliquot consentiunt. Atque nemo non videt juxta scita jam dicta, proselytis ante legis receptionem circumcisis, quotquot non etiam baptismo a Mose ex jussu numinis praestituto in tempore illo initiati fuissent, uti etiam foeminis, tam ex originariis quam proselytis circumcisis, si quae nondum essent baptizatae, necessarium fuisse ut pariter atque ipsi tunc baptizati in legis receptionem baptizarentur. Nam sine ejusmodi baptismo haud nactos illos aiunt locum תחת כנפי שכינה *sub alis divinae majestatis*, nec juris Israelitici satis participes factos. Atque ex hisce ita in majorum suorum aliorumque jam dicti temporis initiatione rite peractis eliciunt, quemadmodum ante sola circumcisione in foedus recipiebantur & gentiles & originarii mares (unde etiam simul per consequens recepta tunc sequioris sexus posteritas) & nunc in legis receptionem universis etiam baptismus accedebat tam foeminis quam maribus, praeter sacramentum quod diximus confirmationis, ita postmodum universos e gentilibus recipiendos parili modo fuisse initiandos nomine proselytorum justitiae; nimirum masculos ritu seu sacramento triplici, circumcisione, baptismo, & sacrificio seu oblatione cruenta quamdiu sacrificiorum ejusmodi usus; foeminas, posterioribus binis tantum: templo autem diruto, ut unico tantum eorum, seu baptismo, foeminae, sic binis prioribus mares fieri soliti. Ita tamen ut quamvis nec circumcisio sine baptismo neque hic sine illa proselytum ejusmodi marem faciebat (ea enim de re satis unanimes consentiunt) nihilominus sine sacrificio, etiam dum legitimus ejusdem erat usus, proselytum quidem prioribus binis omnino factum esse velint, uti & baptismo proselytam: Confirmationis autem tertium illud hoc tantum effecisse, ut proselytus ejusmodi sacris ex lege comessationibus aliquot dein, nec ante, haberetur idoneus. Quemadmodum autem baptismo illi ad montis radices seu primo praevia erat, ut in citatis ante ex Exodo liquet, professio populi de pacti adeoque legis recipiendae observatione, ita etiam quoties postea proselytus justitiae factus est, solennis erat ab eo professio ejusmodi inter baptizandum praestanda. Scilicet ipse baptismus actus in seculis legis dationem sequentibus habebatur forensis seu consistorii triumvirorum sive publice sive ex eorum quorum intererat arbitrio pro more constitutorum. Adeoque par est ut existimetur fuisse etiam in deserto atque intervallo quod tractamus, actus forensis, id est, a praefecturis praestandus juridicis quae fuerint, sive Mosis ipsius sive aliorum ex Jethronis consilio constitutae; modo eas legis dationem antevertisse admiseris. Nam triumvirorum forum (quod postmodum in usu, & de quo plura libro secundo) ex compromisso seu

[c] Satyr. 2. [d] Exod. xxiv. 3, &c. [e] Gemar. Babylon. tit. *Cerithoth*, cap. 1. fol. 9. a. [f] Genes. xxxiv. 14, 15, 22. [g] Ad Exod. xii. 38. & vide Lyran. ad Jos. v. 4. & Euseb. Hist. Eccles. 1. cap. 7. [h] Gemar. Babylon. tit. *Zedachim*, cap. 14. fol. 116. a. *Shemoth Rabba*, parash. 27. fol. 143. col. 3. *Tanchuma*, fol. 31. col. 1. Jarch. ad Exod. xviii. 1. Bechai in *Biur*, fol. 91. col. 4. alii. [i] Abulens. in Exod. xviii. quaest. 4, &c. [k] Exod. xviii. 27.

eorum

eorum quorum intererat arbitrio selectorum locum tunc habuisse ullum non liquet: Potius nullum habuisse, qua tale, statuendum est ex eo quod praeter Mosem ipsum & ab eo ex Jethronis consilio constitutos judices sub id tempus reperiantur omnino nulli. Sed vero בית דין *domum judicii*, quod utriusque intervalli praefecturas qualescunque satis denotat, baptismo praefuisse aiunt. Praefecturae igitur juridicae quae baptismo praeerat profitebatur proselytus ipse majorennis (masculus qui annum decimum tertium, foemina quae duodecimum superaverat) legem Mosaicam se servaturum. Minorum vero nomine idem ipsum profitebatur praefectura ipsa, uti in Christianismo susceptores minorennium seu parvulorum, saltem si nec parentes adessent qui idem praestare possent. Etiam regeneratum dixere[l] & renatum quemque proselytum sic factum כקטן שנולד דמי *velut infantem recens natum*, omnemque ejus cognationem pristinam in ipso baptismo evanuisse seu desiisse: Gravidae item rite baptizatae proli baptismo opus non fuisse. Ut vero haec quae ex origine hac baptismi propagata docent magistri adeoque ipsam juxta illos originem apertius intelligamus, testimonia aliquot eorum ipsa ea de re illustriora exhibere visum est. Gemara Babylonia[m] ad illud[n] ככם כגר יהיה *Ut vobis sic & proselyto sit*, ככם כאבותיכם מה אבותיכם לא יכנסו לברית אלא במילה וטבילה והרצאת דם אף הם לא יכנסו לברית אלא במילה וטבילה והרצאת דמים *UT VOBIS idem denotat quod Ut patribus vestris*, seu *Ut majoribus vestris. Quid vero patres* seu *majores vestri? Certe illi non intrarunt in foedus sine circumcisione, baptismo & aspersione sanguinis, ideoque nec proselyti intrant in foedus sine circumcisione, baptismo & aspersione sanguinum.* Gemara eadem alibi[o] de gentili; לעולם אין גר עד שימול ויטבול וכיון דלא טביל גוי הוא *Perpetuo proselyti jure caret nisi tam baptizatus sit quam circumcisus. Et si baptizatus non sit, gentilis* seu *paganus manet.* Paulo item post; ת"ר גר שמל ולא טבל רבי אליעזר אומר הרי הוה גר שכן מצינו באבותינו שמלו ולא טבלו טבל ולא מל רבי יהושע אומר הרי זה גר שכן מצינו באימהות שטבלו ולא מלו והכמים אומ' טבל ולא מל מל ולא טבל אין גר עד שימול ויטבול *Tradunt Rabbini, de eo qui circumcisus fuerit nec baptizatus, dixisse Rabbi Eliezer eum proselytum fuisse, quoniam invenimus sic de patribus nostris, eos scilicet circumcisos esse nec baptizatos; de baptizato autem nec circumciso dixisse Rabbi Josuam, proselytum eum fuisse, quia sic invenimus de matribus* (nostris) *quae baptizatae sunt nec circumcisae. Sed sapientes pronunciarunt, Si quis baptizatus fuerit nec circumcisus, aut circumcisus nec baptizatus, eum proselytum non esse usque dum fuerit tam baptizatus quam circumcisus.* Et conciliantur Rabbini Eliezer & Jehosua per temporum & sexuum distinctionem: scilicet nec foeminas seu matres eorum, nec mares seu patres sine baptismo post ejusdem jam dictam originem satis initiatos; ante vero circumcisione solum mares eosque solos, foeminas autem postea solo baptismo. Unde etiam legem illam Mosaicam[p] de captiva gentili (qua de nos alibi[q]) a milite ducenda ita interpretantur ut ducenda non fuerit nisi proselyta facta fuisset & baptizata. Maimonides[r]; אחרי שיבעלנה ביאה ראשונה והיא בגיותה אם קבל עליה להכנס תחת כנפי השכינה מטבילה לשם גיורת מיד ואם לא קבלה תשב בביתו שלשים יום וגו׳: *Post primum concubitum* (de cujus jure vide quod loco citato ex magistris diximus) *dum ipsa gentilis manebat, si vellet illa intrare sub alas divinae majestatis* (id est, Judaismo nomen, juxta eos, dare) *baptizanda erat statim in nomen proselytae. Sed si nollet, manebat in domo per dies triginta*, &c. Sed mirum est quod habet Petrus Galatinus[s] ex illorum Rabbi Jehosuae verborum perperam interim ab illo allatorum sensu: *Qui baptizatur & non circumciditur* (ita nomine Jehosuae hujus loquitur) *ecce ipse est* gher, *id est, conversus de gentilitate ad veram fidem. Sic enim invenimus in matribus, scilicet in Sara & Rebecca, in Rachele & Lia, quae fuerunt baptizatae & non circumcisae.* Et *summopere notandum est hoc dictum*, inquit, *ad sciendum quod baptismus circumcisionem evacuare debebat.* Tantundem etiam Victoria Porchetus[t]; *Sic etiam*, inquit, *invenimus in matribus*, i. e. *in Sara & Rebecca & caeteris, quae baptizabantur & non circumcidebantur.* Sed vero in argumento hujusmodi egregie aut fallitur uterque aut fallit. Nec enim in dicto illo Rabbi Jehosuae quid de Sara aut Rebecca continetur, nec aliud praeter id quod est, matres seu foeminas post originem jam dictam baptismi sine circumcisione eo initiatas esse; quod ad Saram, Rebeccam, reliquasque ibi diu ante mortuas attinere nequibat. Neque enim illae in matribus quas Gemara memorat, sed tantum eae quae tempore originis jam dictae baptismi & postea vixerunt. Et de baptismate hoc initiandis foeminis seu sexus illius proselytis faciendis ac in pactum Abrahae sic recipiendis expressim etiam mentio habetur apud Gulielmum Parisiensem[v]. Quod vero ad parvulorum baptismum attinet, legitur etiam in Misna Babylonia[x]; הגיורת והשבויה והשפחה שנפדו ושנתגיירו ושנשתחררו פחותות מבנות ג שנים ויום אחד כתובתן מאתים ויש להן טענת בתולים *Proselytae, captivae, ancillae quae proselyta facta est, redempta, manumissa ante trimatum, adjecto etiam die aetatis unico, dos ducenti zuzi*[y]; *& adversus eas agi potuit de virginitate praerepta.* Hierosolymitana autem ibi Misna, quam hic sequitur editio nupera Amstelodamensis, habet יתירות על שלש שנים ויום אחד כתובתן מנה ואין להן טענת בתולים *Post trimatum, adjecto etiam die unico, dos est mina* seu *centum zuzi, nec in eis agitur de praerepta virginitate.* Scilicet quae post trimatum & diem insuper unicum e gentilismo, servitute, captivitate reciperentur, eas praesumebatur virgines inter eos quibuscum ante vixerant esse desiisse: adeoque virginum jura eis non competebant. Qui sensus est Misnae hic Hierosolymitanae. Contrarium vero erat, ubi ante trimatum, quod vult Babylonia. In utraque autem plane admittitur proselytam mino-

[l] R. Iose Gemar. Babylon tit. *Iabimoth*, cap. 4. fol. 48. b. [m] Ad tit. *Cerithoth*, cap. 2. fol. 9. a. [n] Numer. xv. 15. [o] Tit. *Jabimoth*, cap. 4. fol. 46 a. [p] Deut. xxi. 10. [q] De jure Nat. & Gent. lib. 15. cap. 13. [r] Tit. *Melakim*, cap. 8. Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 122. [s] De Arcanis Catholicae verit. lib. 10. cap. 2. [t] Advers. Hebraeos, part 2. cap. 15. [v] Lib. de Legibus, cap. 3. [x] Tit. *Cethuboth*, cap. 1. fol. 11. a. [y] Videsis Uxorem Ebraicam, lib. 2. cap 9. & lib. 3. cap. 1, 2.

rennem

rennem qualemcunque rite factam, id eſt, baptiſmo initiatam. Gemara Babylonia ibi; גר קטן מטבילין אותו על דעת בד״ מאי קמ״ל דזכות הוא ליו *Proſelytum minorennem baptizare ſolent ex ſententia* ſeu *profeſſione domus judicii. Itane? Etiam. Nam hoc ei ſatis proficit* ſeu *in commodum ejus cedit.* Ubi gloſſa exceptionem addit de parentibus ſi praeſentes eſſent. Et dein; מטבילין דאין לך גר בלא מילה וטבילה על דעת בד׳ שלשה יהא בטבילתו כדין כל טבילות גר שצריכים שלשה והן נעשין לו אב והרי הוא גר על ידיהן וגו *Baptizare ſolent; quia non fit proſelytus ſine circumciſione & baptiſmo; ex ſententia domus judicii* ſeu *fori. Scilicet triumviri baptiſmo ejus praeſunt, ſecundum jus ad omnimodum proſelytorum baptiſmum attinens, cui neceſſarii habiti ſunt triumviri; quia ita fiunt ei pater, atque is per eos fit proſelytus, &c.* Ex mente ita veterum Moſes Maimonides [z], בשלשה דברים נכנסו ישראל לברית במילה וטבילה ובקרבן: מילה היתה במצרים שנאמר וכל ערל לא יאכל בו׳ מל אותם משה רבנו שכולם בטולו ברית מילה במצרים חוץ משבט לוי ועל זה נאמר ובריתך ינצורו: וטבילה היתה במדבר קודם מתן תורה שנ׳ וקדשתם היום ומחר וכבסו שמלותם׳ וקרבן שנאמר וישלח את נערי בני ישראל ויעלו עולות על ידי כל ישראל הקריבום: וכן לדורות כשירצה הגוי ליכנס לברית ולהסתופף תחת כנפי השכינה ויקבל עליו עול תורה צריך מילה וטבילה והרצאת קרבן׳ ואם נקבה היא טבילה וקרבן שנאמר ככם כגר׳ מה אתם במילה וטבילה והרצאת קרבן אף הגר לדורות במילה וטבילה והרצאת קרבן: ומהו קרבן הגר עולת בהמה או שתי תורים או שני בני יונה ושניהם עולה ובזמן הזה שאין שם קרבן צריך מילה וטבילה וכשיבנה בית המקדש יביא קרבן: גר שמל ולא טבל או טבל ולא מל אינו גר עד שימול ויטבול׳ וצריך לטבול בפני שלשה והואיל והדבר צריך בית דין אין מטבילין אותו בשבת ולא ביום טוב ולא בלילה ואם הטבילוהו הרי זה גר: גר קטן מטבילין אותו על דעת בית דין שזכות היא לו׳ מעוברת שנתגיירה וטבלה אין בנה צריך טבילה׳ שבא בינו לבין עצמו ונתגייר בינו לבין עצמו ואפילו בפני שנים אינו גר׳ בא ואמר נתגיירתי בבית דינו של פלוני והטבילוני אינו נאמן לבא בקהל׳ עד שיביא עדים: היה נשוי לישראלית או לגיורת ויש לו בנים ואמר נתגיירתי ביני לבין עצמי נאמן לפסול את עצמו ואינו נאמן לפסול את הבנים וחוזר וטובל בבית דין: *Triplici ritu intrarunt in foedus Iſraelitae; circumciſione, baptiſmo, & oblatione* (male in editorum nonnullis legitur קרבן pro ובקרבן quod etiam habetur in MS. meo) *circumciſionis uſus erat in AEgypto, juxta quod dicitur* [a], Nemo incircumciſus de eo comedet. *Circumcidit eos omnes Moſes magiſter noſter. Nam neglexerant univerſi* aut *praetermiſerant foedus circumciſionis in AEgypto, excepta tribu Levi. Ideoque dicitur* [b] *de eis*, & obſervabant foedus tuum. *Baptiſmus autem erat in deſerto ante legis dationem, de quo* ſeu *de cujus origine dicitur* [c], Sanctificabis eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua *Oblatio autem* ſeu *ſacrificium huc ex illo* [d] *ſpectat*, Et miſit *(Moſes)* juvenes de filiis Iſrael, qui obtulerunt holocauſta. *Pro univerſo ſcilicet Iſraelitarum coetu, republica* ſeu *eccleſia, offerebant illa. Atque ſimili modo per omnia poſtmodum ſecula, quoties gentilis* ſeu *ethnicus voluerit intrare in foedus*, ſeu *in foedus illud recipi, atque ſub alis majeſtatis divinae colligi jugumque legis in ſe ſuſcipere, neceſſe fuit ut ei circumciſio & baptiſmus adhiberetur praeter ſparſionem ſacrificii* (הרצאת דמים pro eadem re interpretatur gloſſa Talmudica [e]; זריקת דמים לע חמזבח *ſparſionem ſanguinum ſuper altare) & ſi foemina fuerit, baptiſmus & ſacrificium. Nam & dicitur* [f], ut vobis, ſic & proſelyto. *Quid vobis factum? In foedus intraveritis circumciſione, baptiſmo & ſparſione ſacrificii; ideo etiam proſelytus pariter circumciſione, baptiſmo & ſparſione ſacrificii per omnia ſecula ſequentia. Quid vero ſacrificium proſelyti? Holocauſtum ex pecore, aut bini turtures, aut bini columbarum pulli, utrique in holocauſtum. Atque ſeculis in hiſce quibus ſacrificium non habetur, neceſſe eſt ut juxta jam dicta adhibeantur circumciſio & baptiſmus. Et quando inſtaurabitur templum Hieroſolymitanum, ſacrificium erit hoc nomine offerendum. Proſelytus circumciſus nec baptizatus, baptizatus nec circumciſus, revera proſelytus non fit uſquedum tum baptizatus fuerit tum circumciſus. Baptizari autem debet coram triumviris. Et cum ſic res forenſis ſit* ſeu *ad domum judicii ſpectet, non ſolent baptizare quenquam in ſabbato nec die feſto, neque nocte; licet, ſi quis temporibus illis baptizatus fuerit, proſelytiſmum ipſe interim nactus fuerit. Proſelytum minorennem baptizare ſolent ex ſententia* ſeu *profeſſione domus judicii* ſeu *fori; quod ita ſatis ipſi proficit. Gravidae, ſi facta ſit proſelyta, proli baptiſmo opus non eſt. Si quis clam baptizatus fuerit & proſelytus ſic clam fuerit factus, etiam ſi coram duobus, pro proſelyto tamen revera non cenſetur. Si dixerit ſe proſelytum factum eſſe in domo judicii* ſeu *foro N. ab eoque ſe baptizatum, fides ei non ita habetur ut inde in congregationem* ſeu *civitatem, rempublicam* aut *eccleſiam* Iſraelitarum *admittatur antequam attulerit ea de re teſtes. Si connubio ſive Iſraelitidi junctus fuerit ſive proſelytae, unde liberos habet, & dixerit ſe clam* ſeu *ſecreto per ſe proſelytum eſſe factum, eouſque fides ei habetur ut inde ipſe pro non legitimo proſelyto cenſeatur, unde tamen liberorum juri nihil derogatur. Ipſe vero ablegatur ad forum, quo rite eſt baptizandus.* Haec aliaque ejuſmodi huc ſpectantia habet idem autor aliique [g] magiſtrorum, quos praeterimus. Sed nec defuere ex Judaeis Chriſtiani [h] aliquot qui baptiſmum hunc toties a magiſtris memoratum non a Moſaico inſtituto manaſſe nec adeo fuiſſe vetuſtum aſſeruerint, ſed Chriſti exemplo etiam inter eos introductum, nec ante fuiſſe in uſu. Sed ſi ita res habuiſſet, proculdubio de ea non reticuiſſent primitivi temporis patres Chriſtiani. In Chriſtianiſmum ita baptiſmus Judaicus fuiſſet velut tranſitio quaedam ſeu tranſitionis umbra non ſilenda. Nec ſane Judaeos in re adeo inſigni ac publica, atque in ipſo initiationis ritu, mores eorum quos tanto ſemper odio proſecuti ſunt imitatos eſſe, nec a majoribus ante Chriſtum, ut oſtenſum eſt, baptiſmum accepiſſe, mihi omnino eſt veriſimile. Et mecum ſenſiſſe videntur tum

[z] Tit *Iſuri Bia*, cap. 13. [a] Exod. xii. 48. [b] Deut. xxxiii 9. [c] Exod. xix. 10 [d] Exod. xxiv. 5. [e] Ad tit *Cerithuth*, cap. 1. fol 9. a. [f] Numer. xv. 15. [g] Moſes Mikotzi Praecept Negat. 116. Jacob Ben Aſher in *Arba Turim* tit *Jore Dea*, cap. 268. ubi titulus integer de גרים ſeu proſelytis, uti etiam apud Joſeph. Karo in *Shulcan Aruch* eiſdem capite & titulo. [h] Pet. Alfonſus Dialog. tit. 12.

ex Judaeis christiani alii, tum christiani originarii iique viri hujus seculi doctissimi, qui baptismum ejusmodi Judaismo proprium memorarunt, nec interim de eo dubitantes aut antiquitati ejus obtenlae omnino reclamantes. Atque ut sic ipsorum posteris non omnino repetendum voluere baptismum, ita nec proselytorum, quorum, simulac facti fuerint, liberos *in sanctitate*, ut diximus, natos aiunt, masculosque, uti & originariorum, circumcidendos; sexum autem utrumque ex parentis qui primo proselytus factus est baptismo sanctificatum. Ita circumcisione & baptismo receptus e gentium populis seu proselytis domicilii יצא מכלל הגוים *e gentium universitate inde eximebatur* & civitate donabatur sic Israelitica: item velut infans recens natus seu regeneratus, ut ante dictum est, habebatur; unde & cognatio ei pristina omnis exuta, quod etiam alibi ex Talmude & Zohar aliisque Ebraeorum commentariis uberius ostendimus [i]. Quod vero habet vir doctissimus Willielmus Schickardus [k], ubi de proselytorum per circumcisionem admissione loquitur; Judaeos scilicet, *ad differentiam Samaritanorum, addidisse baptismum quendam, de quo Raf Alphes*, cujus verba ibi affert; quasi baptismus eorum hic non ex origine ante ostensa manasset sed ex nescio qua obscura, atque ad proselytos suos ab eis qui in Samaritanorum sectam transirent discriminandos recentius inventus fuisset; fateor me nondum illud aut ea de re quidquam alibi legisse. Nec quod ex Alphesio (qui Talmudis Babylonii hic ut in aliis pertinaciter sequax est) affert ejusmodi quid omnino sapit. Et sane apud Alphesium [l] ipsum & in commentariis ei adjectis complura sunt jam ante ostensis undiquaque consona. At vero ex hisce nemo non videt multiplices fuisse personarum hic discriminum rationes; alias a circumcisione, a baptismo & regeneratione alias, ab utriusque ritu sive legitime sive non peracto aliterque alias ad distinctionis supra dictae triplicis jus conservandum deducendas; de quibus necesse erat ut praefecturae juridicae omnino cognoscerent, idque tam ante quam post legis dationem. Jam vero, cum adeo recepta fuerit apud Ebraeos veteres de initiationis baptismo patrum seu majorum suorum ante legis in Sinai dationem, juxta superius ostensa, sententia; viderint perspicaciores utrum ejusmodi quid denotatum fuerit a Paulo apostolo ubi de baptismo patrum eorum diserte sane loquitur *Nolo autem vos* (ad Corinthios scribit) *ignorare, fratres* [m], ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες, &c. *quod patres nostri omnes sub nube fuerunt*, καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον, καὶ πάντες εἰς τὸν Μωϋσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ, *& omnes per mare transierunt, & omnes in Mosem* (Syrus ביד מושא *per manum Mosis*, seu *per Mosem*; Arabs item Erpenianus على يدي موسي tantundem significans, & editionis nuperae Parisiensis بموسي idem ut *in Mose* denotans) *baptizati sunt in nube & in mari*. Id quidem verum est locum de columna nubis & mari rubro adeoque de figura baptismi sumi [n] solere, & *quasi baptizatos* pro baptizatis hic intelligi. Illinc etiam substituunt aliqui הלכו ביבשה בתוך הים *transierunt in arida per mare*, juxta Mosis in Exodo [o] verba, nonnullis item vertentibus [p], *sub illa nube & illud mare & illo mari*, velut ex articulorum in Graeco vi mare rubrum quod transirent Israelitae, ut interdum [q] quidem, indicante. Unde & in versione superioris seculi Anglicana illinc desumpta, **under that cloud, and all passed through that sea, and were all baptized unto Moses in that cloud and in that sea.** Sed versiones nostrae & priores & qua nunc utimur, uti & aliorum tam veterum quam recentiorum, articuli ibi vim ejusmodi non agnoscunt, sed *in nube & in mari* habent, quod **in the cloud and in the sea**, seu **in a cloud and in a sea**, sonat. Jam vero si Apostolus dixisset ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῷ ὕδατι, *in nube & in aqua*, eosque *sub nube* fuisse & transiisse *per aquam* seu *aquas*, non adeo iniquum forsan fuisset existimare etiam baptismum initiationis ab Ebraeis veteribus sic in deserto אבותינו *patribus nostris*, quemadmodum & loquitur Paulus, etiam ex instituto divino tributum, ibi intelligendum. Nam qui sic in conceptaculis, ut diximus, aquarum, baptizatus est, juxta eos plane transibat per, seu totum corpus ejus διῆλθε *transibat* per, aquas. Certe לבוא במים [r] *ingredi* seu *traduci per aquas*, seu *aquis immergi*, quod primariam in se habere & maxime universalem in personarum rerumque ex lege sacra baptismis, ut monitum est, significationis indicationem volunt, redditur *aquis tingi & babtizari*. Et certe quicquid immergitur in aquas atque lotum eximitur, recte satis dicitur eas *pertransire* [s], tametsi a ripa aut litore ad ripam aut litus non transeat. Nonne vero θαλάσσης nomen seu ים, quod plerumque quidem totum mare aliquod, ut *terrae* nomen orbem terrarum denotat, sumitur etiam maxime in sacris literis pro eodem ipso quod est ὕδωρ מים seu *aqua* atque aliis & minoribus ac ab ipso mari vulgo accepto plurimum discrepantibus aquarum conceptaculis, quemadmodum & *terra* pro provinciola etiam & glebula? Notissimum est illud de הים המוצק *mari fusili* [t] in templo pro eo quod erat conceptaculum aquarum, cui peripheria cubitorum triginta. Etiam illud de bobus aeneis subter isthoc mare [v], מקיפים את הים quod sonat *circumscribebant mare illud*, in Graecis exemplaribus plerisque redditur *circumscribebant* τὸν λουτῆρα, seu *labrum*, *lavacrum*, *pelvim*, aut vas ablutioni praeparatum; quasi λουτὴρ *labrum*, *pelvis*, *lavacrum*, *mare*, הים, θάλασσα (quae vox in exemplaribus nonnullis ibi habetur) in synonymis fuissent censita. Quinetiam באתי במעמקי [x] מים quod *ingressus sum profunditates aquarum* sonat, in exemplaribus omnibus vertitur etiam ἦλθον εἰς τὰ βάθη τῆς θαλάσσης, *profunda maris ingressus sum*, seu, ut Vulgata item, *in profunditatem maris*. Illud etiam de Tyro [y], *& pulverem tuum ponent* בתוך המים *in medio aquarum*.

[i] De Jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 4 & de Successione in bona defuncti, cap. 26. [k] In Jure Regio Hebraeorum cap. 5. Theorem. 17. p. 127. [l] Tom 2. pag. 419, &c. [m] Ad 1 Cor. x. 1. [n] Cyprian epist. 70. ad Magnum. Augustin. tract. 11. in Joannem. Hieronym. epist 127. ad Fabiolam, alii obvii. [o] Cap. xiv. 16. 29. [p] Beza. [q] Psal. lxvi. 5. [r] Vide Levit. xi. 32. adde Psal. lxvi. 12. [s] Vide Numer. xxxi. 23. [t] 1 Reg. vii 23. [v] 2 Paralip iv. 3. [x] Psal. lxix. 3. [y] Ezek. xxvi. 12.

rum, Graeci vertunt *εἰς μέσον τῆς θαλάσσης*, *in medium maris.* Atque ut מים quod *aqua* est per *mare* vertitur, ita etiam subinde ים quod est *mare* per *ὕδωρ* seu *aquam* [z], quasi indiscriminatim vocabula in ratione significandi converterentur. Etiam in eodem interdum commate & mare simul & aqua redditur τὸ ים. Et binorum satorum capax rivulus seu aquaeductus תעלה dictus, a Graecis [a] *θάλασσα χωροῦσα δύο μετρητὰς σπέρματος* *mare continens duas mensuras spermatis* redditur; licet existiment aliqui corruptam esse vocem a *θααλὰ*, quae ipsa Ebraea est. Porro in evangeliis, Tiberiadis *lacus* ut veteribus sic Lucae dictus, caeteris evangelistis nuncupatur *mare*. Summa hic est, nomina illa *mare*, *θάλασσαν*, *fluvium*, *stagnum*, *lacum*, *aquarum congregationes*, *congeries* ac *συστήματα* qualiacunque ita pro synonymis non raro sumi ut non adeo mirum videatur si etiam apud apostolum ad Corinthios scribentem baptismus *ἐν τῇ θαλάσσῃ* pro baptismo *in aquis* simpliciter seu in conceptaculis qualia diximus intelligatur. Et de promiscuo nominum jam dictorum usu nos etiam aliam in rem [b] alibi fusius. At vero quid ita de nubis mentione hic sentiendum erit? Sub nubis columnae in deserto protectione diurna ut sub columnae ignis nocturna fuisse Israelitas scimus [c]. Etiam Ebraei signantius de nubibus divinae majestatis & expressius loquuntur ubi locum baptismi hujus seu stationem illam in deserto Sinai memorant. Seder Olam Rabba [d], *progressi sunt ad desertum Sinai* ומצאו עליו ענני כבוד & *repererunt in eo nubes gloriae* seu *divinae majestatis.* Caeterum ad nubem [e] in qua locutus est Mosi Dominus spectare potius hoc videtur. Sed dein ait Paulus *in nube & mari* seu aquis *baptizatos eos esse in Mosem*, seu in Mosaicam legem, ut viri docti hic; quod apprime consonum est notioni Ebraeorum qua in receptionem legis baptismum illum adhibitum, ut ostensum est, tradidere. Et certe singularem fuisse etiam in baptismis eorum illis in seculis columnae nubis rationem (idque quatenus a columna ignis hic non memorata, qua nocte ducebantur, discrepat) testimonium habetur apud veteres expressissimum. Rabbi Zachariah [f] עמוד הענן סובב את מחנה ישראל כעיר מוקפת חומה ולא היה יכול צר ואויב ליגע בהם אלא כל מי שהיה צריך טבילה היה הענן מטבילה חוץ מהמחנה שיהיה קדוש שנ׳ והיה מחניך קדוש׃ *Columna nubis circumambiebat castra Israelitarum, ut murus urbem cingit. Neque potuit hostis* seu *inimicus ad eos pervenire. Sed vero cuicunque opus erat baptismo, eum nubes conservabat etiam extra castra, quae sancta erant, juxta id quod dicitur* [g], "Castra tua sancta erunt." Vir doctissimus ibi sumit baptismum hic pro eo quod pollutionibus legalibus inserviebat; *Unde patet*, inquit, *quomodo apostolus dicat* I Cor. x. 2. *Israelitas in nube baptizatos esse, ut nimirum baptismo purgaturi beneficio nubis tuti essent ab insidiis atque incursionibus hostium.* Caeterum, juxta disciplinam ab Ebraeis de baptismo initiationis eorum in legis dationem adhibito, etiam de eo satis apposite sumi hic baptismum a R. Zacharia memoratum posse nemo puto non videt. Certe si de mari rubro locus, ut vulgo, capiendus esset, mirum est Paulum dixisse se nolle eos *ἀγνοεῖν ignorare* illud. Locutio est non quasi de re expressim, nec semel, in sacris literis (quas proculdubio legebant aut lectas audiebant frequenter Corinthii) aperte memorata, sed quasi de eo quod recepta interpretatione majorum tantum, compluribus tamen ignoratum, niteretur. Quale prorsus est quod de patrum baptismo ostensum. Vir maximus ibi *ἀγνοεῖν* pro *immemores esse* capi vult. Sed nec definio, nec contendam; nec theologum hic ago sed historicum. Hoc interim advertere etiam liceat, baptismi, in christianismi seu legis evangelicae initiis, ritum seu sacramentum, sive ab Joanne [i] sive ab apostolis adhibitum, non ut actum novum ac antea, qua actus etiam erat religionis, inauditum, esse introductum, sed ut Ebraeis satis etiam, quatenus erat initiationis ritus, ex majorum seu patrum usu ac disciplina cognitum ac cum circumcisione, ita ut ostensum est, conjunctum. Unde item regenerationis per aquas etiam in baptismo illo Ebraeorum veteri, juxta ante dicta, intellectae ignorantiam merito exprobrat Christus Nicodemo [k], quod, cum is princeps & doctor esset inter Judaeos, mirabatur, velut ante inauditum, quid regeneratio ejusmodi seu novi natales significare quirent. Certe etiam baptismum initiationis ut sibi anterioribusque in ecclesia seu republica illa satis notum plane admisisse videntur veteres illi [l] qui tum circumcisionem tum baptismum proselytis e gentibus in christianismum adscitis adhibendum vellent; uti etiam & Cerinthiani [m] postmodum & Ebionitae, [n] aliique [o] itidem seculorum recentiorum. Scilicet uterque, juxta ante dicta, in gentilibus Judaismo (unde Christianismus, cui universi Judaei baptismo novo initiari debuissent, natus est) admittendis in usu. Etiam de circumcisione sine manibus suppleta cum baptismo loquitur Paulus [p], qui insuper tunc (necdum nimirum legalium apud Judaeos ipsos usu prorsus cessante) Timotheum matre Ebraea genitum tam circumcisione [q] quam baptismo in christianismum, qui plane Judaismus erat vere reformatus, recipi voluit, ne rei aliter novitate Judaeos suos offenderet, licet Titum [r], utpote gentilem, tantum baptismo. Veruntamen patribus christianis, tum priscis tum recentioribus, passim est receptissimum, baptismum Christianismi in circumcisionis locum successisse adeoque instar ejusdem in posteris repeti debere, cui est adquiescendum. Sed haec obiter. Et de personarum hic discrimine seu originariis simul & genere proselytorum duplici per intervallum quod tractamus, hactenus; quibus praeterea notissimam etiam tunc temporis liberorum & servorum distinctionem sic breviter adjicimus, ut etiam ea in memoriam in sequentibus pro re nata subinde, ut oportebit, revocetur.

[z] Genes. [illegible] Exod. xiv. 27. Ezek. xlvii. 9. Nahum iii. 8. [a] 3 Reg. xviii. 32, 33, 38. [b] In Mari Clauso lib. 1. c. 21. [c] Exod. xiii. 21. [d] Cap. 5. [e] Exod. xix. 9. & 16. [f] In Pirke R. Eliezer cap. 44. fol. 4. col. 2. [g] Deut. xxiii. 14. [h] Guil. Vorstius ad Pirke Eliezer pag. 240. [i] Videsis Eulogium apud Photium cod. 230. Cyrill. Hierosolymit. Catechef. 3. [k] Joan. iii. 4. & 10. [l] Act. Apost. xv. 1. & 24. ad Galat. v. 2. [m] August. de Haeres. cap. 8. [n] Epiphan. Haeres. 30. 2. [o] Vide Fortalit. Fidei lib. 2. cap. *Quot Christiani qui utuntur* [illegible] [p] Ad Coloss. ii, 11. [q] Act. Apost. xvi. 3. [r] Ad Galat. ii. 3.

CAP.

CAP. IV.

De ratione & modo agendi, excipiendi, judicandi in praefecturis hujus intervalli generali; maxime qua tum divini tum humani juris tum personarum discriminis scientiae in negotio quolibet forensi usus esset necessarius.

JUris simul & personarum, praecipue originariorum & proselytorum, qualitate ac discrimine in superioribus ita hactenus ostenso, sequitur, ex instituto, ut de ratione modoque agendi, excipiendi, judicandi, in synedriis seu praefecturis hujus intervalli juridicis generali videamus. *Agendi* voce hic ita utor ut non solum omnimodae condictiones & vendicationes seu quae in personam & in rem inter privatos *actiones* dici solent earumque ex parte actoris appendices, verum etiam universae persecutiones, accusationes, inquisitiones & qui publicis itidem judiciis circa sive sacra sive profana ferendis praevii fuerint actus legitimi, ea, ut plane etiam verbum ipsum fert, innuantur. *Excipiendi* autem & *judicandi* vocibus innuo actus in jus quomodolibetcunque vocatorum in sui defensionem forenses & judicia tandem & sententias, causis probe ventilatis, discussis & rite cognitis, ferendas. *Rationem* intelligo eam quae erat acturorum seu agentium, excipientium, judicantium, id est, principia seu fundamenta quibus ipsi in deliberando niterentur. *Modum* voco formulam juxta quam principia ac fundamenta ejusmodi in foro adhibita, judiciumque secundum tum juris tum personarum discrimen ostensum peractum. At vero & rationem & modum dixi *generalem*. Nam particulares formulas actionum, quales apud pontificum collegium aut Cneium Flavium in veteri Roma olim repertae sunt, aut in formulariis forensibus recentiorum nomine *libellorum*, *articulorum*, *positionum* habentur, aliave inde sequentia ut foro ac judiciis particulatim solennia, per hoc intervallum nemo opinor exspectabit, cum nec ullibi omnino compareant, nec rudioribus illis in seculis forsan essent in usu. Caeterum de ratione ac modo generali, seu de actionum, exceptionum actuumque has consequi solitorum adeoque judiciorum principiis ac fundamentis generalibus, difficilius non est ex ante allatis definire, quam de effectu generali aut consequenti ex causis adeo sufficientibus ut illum non producere illae nequeant, statuere. Scilicet in neminem plane actio qualiscunque aut persecutio legitime institui potest, nec quis in jus sine injuria vocari, aut judicio cogi, nisi obligatio aliqua seu vinculum alicujus juris praeeat quo reus ad hoc vel illud dandum, faciendum, praestandum, exhibendum, evitandum, subeundum teneatur. Contrarium non magis concipitur, quam prolem legitimam nasci sine parente. Neque obstat quod ex dominio seu quasi aut possessione nasci dicantur [a] actiones in rem, sed ex obligatione in personam: Nam manifestum est, ex dominio ac possessione item obligationem seu juris vinculum etiam personale nasci quo pariter vocandi in jus facultas subnititur. Nec sensus esse potest alius jurisconsultorum ad titulos de actionibus & obligationibus. In obligationis autem hujusmodi vi ratio, principia ac fundamenta jam dicta sedes suas habuere habentque. Dein vero quod ad modum persequendi judicandique attinet; quemadmodum ex lege hac vel illa, edicto, senatusconsulto, constitutione, canone, more, aliove juris praeeuntis capite aut expresso aut tacite admisso agunt, persequuntur, excipiunt, judicant nunc universi, ita seculis in illis ut ex jure quod tunc obtinuit receptumque est tantundem fieret, res ipsa ex sui natura aperte postulat. Nam necesse est ut actio ac persecutio omnimoda forensis in se contineat vim syllogismi, cujus in majori propositione aut expressim aut tacita admissione jus hoc vel illud ita obtinere asseratur ut quisquis (admisso semper personarum, ut res variatim exegerit discrimine; qua de re etiam plura mox) illud violaverit, in jus legitime possit eo nomine vocari atque ad officium aut poenam cogi; in assumptione autem seu minore, Titium aut Seium, Simeonem aut Reubenum jus illud violasse, ideoque ita cogi debere: sicut etiam exceptio quaelibet perpetua & peremptoria (nam de dilatoriis hic non loquimur) & quae ad rei ex jure illo defensionem spectant reliqua, aut majorem, seu jus se ita habere, aut minorem, seu in jus vocatum illud violasse, negat, aut demum violationem qualemcunque etiam aut ex jure illo ejusve appendice aliqua aut ex causa aliqua subsequenti esse dilutam affirmat. Et secundum haec sic in judicium deducta & rite discussa sententiam fert quisquis judicio praeficitur. Neque aliter se rem habere unquam potuisse est excogitandum. His ita praelibatis, quantum ad juris usum hic attinet, statuendum est, ita apud veteres Ebraeos aliosque hujus intervalli populos Dei, in praefecturis juridicis, instituendas tractandasque actiones omnimodas, sive res sacras sive profanas spectarent, atque modum talem generalem esse adhibitum, ut jure fundarentur aut fundari intelligerentur semper tam divino quam humano, licet diversimode, ut statim dicetur. Etenim jus universum, quo usi sunt homines, est semperque fuit aut divinum aut humanum. Neque enim naturale, quod hominibus inditum est, aliud habendum plane quam divinum seu a numine datum, ut alibi ostensum. Et quicquid postea accesserit ex numinis jussu, divini item nomine venire nemo dubitat. Cum autem divinum jus sit semperque fuerit duplex, aut praeceptivum (ut in jussis atque interdictis) aut permissivum, ut quod circa res actusque humano arbitrio relictos versatur (id est, aut illud quo jubet expressim vetatve quid fieri numen, aut illud quo hominibus aut nondum aut ante [b] vetita permittuntur) adeoque eis penes quos legumlationis ex humana constitutione potestas est jura insuper alia pro libitu (modo praeceptivi juris divini capitibus non adversentur) permittatur a numine introducendi statuendique facultas libera; inde ex permissivo illo jure divino, seu libertate a numine sic hominibus concessa seu relicta, facultas,

[a] L. Unic. C. tit. de Alienatione judicii mutandi causa facta, Myrsinger, ad rubric. Instit, tit. de actionibus, num. 7. alii
[b] Vide Genes. ix. 3. & Josephum Albo in *Sepher ikarim*, lib. 3. cap. 14, 15.

7

tas, per intervallum jam tractatum, ut ſemper, habebatur humana jura, uti ante dictum eſt, ſuperinducendi; nempe pro multiplici ſocietatum ſeu corporum civilium in quae rite coaluerint homines diſcrimine ac uſu. Id genus jura nullibi non reperiuntur. Atque hinc actus humani univerſi qui circa jus verſantur aut illud quod magiſtri paſſim vocant אסור *ligatum* ſeu *obligatum*, ſeu praecepti obligatione ſtabilitum, aut quod pariter התר *ſolutum* ſeu *liberum* ac *permiſſum* appellitant, adeoque aut obligationem aliquam aut abſolutionem & libertatem reſpiciunt. Et de vocabulis illis binis, ſeu *ligato* & *ſoluto* atque eo quod erat *ligare* & *ſolvere* in eccleſia ſeu republica Ebraica, inferius & libro proximo. Jam vero obligationis vis quae juribus ejuſmodi humanis quomodocunque introductis ineſt, jure divino praeceptivo (uti & ante monitum eſt) fundatur atque primario eo nititur; quo ſcilicet fides, pacta, conventiones reliquaque omnia, cum conditionibus ac temperamentis ſuis legitimis, ſunt ſervanda, quibus meum, tuum, ſuum, alienum, ſive res ſive jura intelligas, ab hominibus rite diſtribuuntur, atque ut plurimum ſemper diſtributa ſunt. Ut plurimum, inquam: Nam etiam ex jure naturali primituſve divino fuere jura hominibus ſingulis ut ſua, citra conſenſum humanum praevium, permiſſa; veluti poteſtas ſui ac libertas, ſui tutela, victus ratio ac veſtitus libera (quam tamen haud pauci tam Ebraei quam chriſtiani ſcriptores liberam, quantum ad carnis eſum, fuiſſe nolunt ante diluvium) alia aliquot non minus atque ſpirandi jus; quorum tamen cuncta tum ex inſecuto in adverſum conſenſu tum ex judiciorum ratione (ut mox oſtenditur) legitime & minui & mutari, ex permiſſu parili, potuiſſe atque etiam minuta eſſe mutataque, palam eſt. Quaelibet autem lex humana novum introducens circa res aut perſonas qualecunque jus, aut dat aut adimit aut temperat ſive libertatem ſive jura alia priſtina quibus fruebantur ii, in quos illud introducitur. Atque ad legem ejuſmodi rite introductam admittendam obſervandamque ii, in quos introducitur, ob conſenſum ſive expreſſim ſive tacite aut civiliter in eam datum, obligantur, idque tum ex divino de furto ſeu alieni raptu interdicto (quo item fidei datae ſervandae continetur praeceptum) tum ex eo quod de judiciis eſt quo poenas ac perſecutiones forenſes praeſtitui etiam ad invitos coercendos juberi intelligitur; qua de re ſtatim plura. Et manifeſtum eſt, poſt legem ſic latam novumque jus, ad modum quo oportet, introductum, adeo tum reipublicae ſeu civilis in quam introducitur ſocietatis tum in ea ſingulorum intereſſe ut admittatur obſerveturque, ut quiſquis violaverit, is aut jus alienum plane invaſerit aut, quod in idem recidit, alios ſuo frui omnino impediverit; quod divino illi de raptu ſeu furto interdicto reluctatur. Nec ſolum in juribus ſic publice introductis obligatio habetur ex jure divino illo praeceptivo, verum etiam in pactis ac conventionibus ſingulorum contractibuſque omnigenis aliiſque negotiis quibus, ex jure numinis permiſſivo, ſe mutuo per commercia homines commiſcent aut obligationes contrahere dicuntur: Ideo ſcilicet, quia per conſenſum ſive perſonalem ſeu naturalem ſive civilem data fides ſervanda eſt ex eo quod in interdicto toties memorato ea de re ſupponitur; uti & rurſus liberanda, aut pro liberata habenda (juxta temperamenta ac conditiones in ejuſdem datione ſive expreſſas ſive tacitas) ne alienum injuſte uſurpetur. Et revera, quemadmodum veritatis concluſionis cujuſque vis ex praemiſſis ſyllogiſmi habetur eiſque omnino fundatur, ſeu ut numerus ex unitatibus, ita juris humani obligatio ex praemiſſis illis juris divini de fide ſervanda nec alieno temerando naſcitur; temperamentis ſemper admiſſis, quibus juris mei, tui, ſui, alieni mutationes tranſlationeſque legitime ſeu ex jure divino permiſſivo, non furti aut injuriae nomine, fieri inde aſſolent. Atque de obligatione illa ex jure divino ſic in humana jura neceſſario deſumenda, nos plura alibi[c]. Haec cum ita ſe habeant, nemo non videt, actiones ſeu accuſationes de idololatria, blaſphemia, homicidio, inceſtu, adulterio, membri animalis viventis eſu, circumciſione aut paſchate indebite praetermiſſo, incircumciſo aut fermento in paſchalem celebrationem admiſſo, in praefecturis illis criminaliter inſtitutas, uti etiam actiones furti ob libertatem aliquam ex jure naturali primituſque divino cuiquam ut ſuam permiſſam necdum ex ſuperinducto jure aliquo ea de re humano ademptam aut minutam, ſive civiliter ſive criminaliter editas, omnino, quantum ad obligationem qua reus teneretur, jure ſive expreſſim ſive tacite fundatas eſſe divino, quemadmodum & praefecturas ipſas; id eſt, praeceptis divinis ſive שבין אדם למקום *quae hominem & Deum* primario *reſpiciunt*, ſive שבין אדם לחבירו *quae homines inter ſeipſos* primario *ſpectant*, ut magiſtrorum[d] diſtinctio eſt. Nam ex humano ſimpliciter aliquo jure, citra obligationem ex divino, ut dictum eſt, praevio, reatus ipſe circa haec primarius nullatenus pendere potuit. At vero, qua haec vel illa in jus vocandi, agendi, excipiendi, judicandi formula particularis adhiberetur, aut qua haec vel illa ſive poena ſive coercitio forenſis reo eſſet ſubeunda, humano ſemper jure (exceptis hic poenis apud homines forenſibus aliquot quae fuerint a numine expreſſim praeſtitutae; qua de re plura capite proximo) totum judicium ejuſque appendices ut fundarentur neceſſum eſt. Particulares enim poenae, praeter ſic exceptas, reliquae ex humano jure ſunt introductae; licet interea ex praecepto על הדינין *de judiciis* ſeu praefecturis juridicis divino, tum poenas generatim ſceleribus irrogandas, tum invitos ad juris officia perimplenda coercendos eſſe intelligeretur. Ita de jam dictis tam ex divino quam ex humano jure, id eſt utroque, agi judicarique oportuit & proculdubio agebatur judicabaturque. Quod pariter aſſerendum de actionibus judiciiſque aliis, furti, injuriarum, condictionibus, vendicationibus & quae fuere neceſſario reliqua ad multiplicia rerum & perſonarum jura variatim ex humano primitus conſenſu attinentia. Materies enim in illis obligationis ex humano, ipſa autem forma ac vis obligationis ex divino jure ſemper nata eſt, ut oſtenſum: Ideoque ex utroque neceſſario erat agendum, aut ſcilicet expreſſim aut tacite. Etenim qui jam nunc in foro ſolent agere ex edicto, ex canone, ex conſtitutione, ex ſenatuſconſulto, ex hac vel illa lege ſingulari, expreſſim quidem

c De Jure Nat. & Gent. lib. 1. cap 8.

d Maimonid. in *More Nebochim*, part. 3 cap. 35.

6

ſic

ſic agunt ex jure humano: Sed tacite inſuper ex divino etiam & naturali, quod, apud eos quibus recipitur, perpetuo in omnimodis actionibus juribuſque ac judiciis fori legitimis neceſſe eſt ut praevium ſupponatur, non aliter fere atque eis quibus radiorum ſolarium eorundemve reflexionis aut refractionis conſideratio initur proxima ac immediata, aut conſideratur item aut ſupponitur ipſe ſol, unde ut ab origine ac fonte illi manant: aut ſane quemadmodum mathematum poſtulata & petitiones in theorematum, problematum & propoſitionum demonſtrationibus intrinſecus habentur, in quibus tamen illa raro exprimuntur, ſed tacite ſupponuntur admittunturque pro expreſſis. Quale non minus dicendum, quoties nec humanum jus nec divinum (ut ſaepiſſime in libellis tam priſcis quam recentioribus iiſque & paganorum & Judaeorum & Chriſtianorum) aliter memoratur atque ex ipſo cujus nomine reus in jus vocatur facto poſſit a juriſconſulto ſeu judice elici. Praeſumitur enim, eis qui juriſdictioni praeſunt neutrum jus eatenus ignoratum. Et interdum jus utrumque ſatis expreſſim innuitur; ut in libellis aliquot apud nos accuſatoriis, nunc de crimine laeſae majeſtatis nunc de atrociori homicidio aliiſque aliquot ejuſmodi, dicitur reum, *Deum prae oculis ſuis non habentem ſed inſtigatione diabolica ſeductum* (quod jus divinum plane innuit) crimen perpetraſſe *contra pacem domini regis, coronam & dignitatem ſuam, necnon* (ut ſubinde) *contra formam diverſorum ſtatutorum in hujuſmodi caſu editorum & proviſorum.* At ſane quoties *injuſte* aut *nequiter* aut quod aequivalet in actionibus accuſationibuſve adhibetur, utriuſque juris vis rite perpendenti eſt inde intelligenda, velut ea quae ſic breviſſime denotatur. Hiſce ſane conſonum eſt & appoſitiſſimum illud Auguſtini de judiciis & modo agendi per intervallum quod tractamus: *Moſes*, inquit[e], *ſocero ſuo dixit*; *quia venit ad me populus inquirere judicium a Deo cum eis contigerit diſceptatio, & cum venerint ad me, judico unumquemque, & moneo eos praecepta Dei & legem ejus. Quaeri poteſt quomodo iſta Moyſes dixerit, cum lex Dei adhuc nulla conſcripta eſſet, niſi quia lex Dei ſempiterna eſt, quam conſulunt omnes piae mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, ſecundum quod illa incommutabili veritate perceperint. Nunquid enim Moyſes, quamvis cum illo Deus loqueretur, per ſingula credendum eſt quod conſulere ſoleret Deum ſi quid eſſet in diſceptationibus tantae multitudinis quae illum in hoc judicandi negotio a mane uſque ad veſperam detinebat? Et tamen niſi ſuae menti praeſidentem Dominum conſuleret, legemque ejus aeternam ſapienter attenderet, quid juſtiſſimum judicare inter diſceptantes poſſet non inveniret.* Tantundem aſſerunt ſexcenties philoſophi. Et egregium eſt illud apud Ciceronem[f]; *A pueris didicimus*, Si in jus vocet, atque eat, *ejuſmodi alias leges nominare. Sed vero intelligi ſic oportet & haec & alia juſſa ac vetita populorum vim habere ad recte facta vocandi & a peccatis avocandi*; *quae vis non modo ſenior eſt quam aetas populorum & civitatum, ſed aequalis illius coelum atque terras tuentis & regentis Dei.* Obvia ſunt apud ſcriptores de legibus veteres recentioreſque ejuſmodi quamplurima. Atque hinc ſane definita olim eſt juriſprudentia (unde norma agendi ac judicandi omnimoda) *divinarum*[g] *atque humanarum rerum notitia, juſti ac injuſti ſcientia.* Ideoque conjuncta[h] antiquitus divini juris ac humani, quantum ad uſum forenſem, cognitio. Nam principia quibus humani obligationis vis niteretur etiam gentes univerſae, quarum philoſophi aut theologi ſecundum naturam, id eſt ſecundum Deum ejuſdem autorem, hujuſque praecepta vivendum docerent (nec paucae fuere illae) ex divino, juxta illud jam e Cicerone allatum, aut petebant aut velut populariter inde admiſſa ſupponebant. Qualis quidem petitionis, admiſſionis ac ſuppoſitionis uſus in hujus intervalli judiciis forenſibus omnimodis. Unde etiam, quod inprimis hanc in rem obſervandum, populus, id eſt tam rei quam actores, ad ipſum Moſem judicem acceſſiſſe dicuntur לדרוש אלהים *ad quaerendum Deum*[i] ſeu *ſententiam Dei* (qua de locutionis formula vide quae infra, ubi de Jethronis conſilio & praefecturis inde conſtitutis agitur, e verſionibus aliquot afferuntur; nam etiam ſcimus *quaerere Deum* aliud itidem in ſacro ſermone[k] ſubinde denotare) & judicium ſeu ſententia a praefecturis ſic inſtitutis lata משפט לאלהים *judicium Dei* vocatur[l]. Idque ſive ex capite aliquo juris divini ageretur, ſive ex humani, quippe quod univerſa etiam humani obligationis vis aut divino niteretur fundamento, aut, quantum ſcilicet ad intrinſecam juſtitiae ſeu boni & iniqui rationem attinet, plane nullo. Nam de utilis & inutilis, commodi & incommodi, damni aut indemnitatis, qua ſimpliciter talia ſunt, ratione non omnino hic loquimur, utpote ab inſtituto & ratione juſti & injuſti prorſus aliena. Huc ſpectat etiam quod leges ſuas priſci numini huic vel illi acceptas, utcunque per legiſlatorum manus traditas, ferebant; quo apud ſcriptores tralatitium magis nihil eſt. Et Ebraei veteres omnimodum jus, cujus in regimine humano uſus, in primariis illis praeceptis ſeptem, quae diximus, divinis contineri ac fundari aiunt ante juris ipſis peculiaris acceſſionem; quod liquet tum ex ante citatis tum ex illo in commentario eorum celeberrimo ac vetuſtiſſimo *Zohar* dicto, ad locum Geneſis[m] ubi Noacho & filiis ſeu humano tunc generi renovatur imperium in terris; והכא יהיב לון קב"ה שבע פקודי אוריתא לון ולכל דאתו אבתרייהו עד דקיימו ישראל בתורא דסיני אתיהיבו לון כל פקודי אוריתא כחדא׃ *Atque hic dedit*[n] *illis ſanctus benedictus ille*, ſeu *Deus Opt. Max. ſeptem praecepta legis tum ipſis tum univerſis eorum poſteris. Et poſtmodum Iſraelitis in monte Sinai data ſunt univerſa legis praecepta ſimul.* Atque ex hiſce variatim pependit obligationis vis omnimoda originaria & intrinſeca. Cauſis igitur jam dictis, tam divino, eoque primario, quam humano revera ac neceſſario fundatas per hoc intervallum actiones cunctas fuiſſe liquet, atque ex utroque quanquam diverſimode, tractatas, diſcuſſas, diremptas. Ex eiſdem vero hic juris generibus

[e] Quaeſt. in Exod. 67. videſis Theodoret. ad Geneſ. quaeſt. 57. [f] De legibus lib. 2. videſis Dionem Chryſoſtom. orat. 76. [g] L. 10. D. tit. de Juſt. & Jure & Inſtit. eod. [h] Di. Gothofred. ibid. & Briſſon. Select. ex Jure Civili, lib. 4. cap. 1. [i] Exod. xviii. 15. [k] Deut. iv. 29. Jer. xxix. 13. [l] Deut. i. 17. [m] Cap. ix. 2. [n] Zohar. in Bereſith, fol. 71. b. edit. Mantuan.

quibus actiones fundatae sunt, exceptiones, replicationes & quae sequuntur usque in sententiam judiciariam reliqua, non manare ac pendere debuisse haud magis est concipiendum quam ex alio scientiae aut artis genere objectionem, ex alio responsionem ac solutionem rite fieri. Atque hisce quidem consonum est illud de patriarchis vetustioribus qui Mosem praecesserunt [o]; החכמים אומרים במי שקדמוהו מן הנביאים בית דינו של עבר בית דינו של מתושלח מדרשו של מתושלח כלם ע"ה אמנם היו נביאים ולמדו בני אדם על תכונת דורשים ומלמדים ומיישרים לא שיאמרו ואמר יהוה אלי דבר אל פלוני כן היה העניין קודם משה רבינו ע"ה : *Dicunt sapientes de prophetis qui antecesserunt illum; domus judicii,* seu *praefectura juridica, Eberi, domus judicii Methusalae, schola Methusalae, licet omnes piae memoriae prophetae essent, docebant homines ad morem concionatorum, doctorum, & praeceptorum. Nec tamen dixerunt, Et dominus Deus dixit ad me, loquere ad N. Atque ita se res habuit ante Mosem.* Nimirum non, ut Moses, legis alicujus novae divinae nuncios se exhibuere, sed ut naturalis ac divini juris ante recepti uti & humani interpretes, monitores & praeceptores. Quale pariter dicendum de Abraha, Isaaco, Jacobo, reliquis a Maimonide loco citato memoratis; modo excipias circumcisionis jus Abrahae suisque divinitus praescriptum, quod ut eis ad quos illud pertineret, quatenus divinitus acceptum, ostenderetur promulgareturque puto necessum erat: Tametsi, quantum video, Maimonides, qui & hic habet ex suis sequaces, ipsum Abrahamum filios & servos ex jussu divino tantum, ut patrem & dominum, circumcidisse, nec interea jus ipsum, velut a numine sibi datum, promulgasse; posterosque ejus ea in re eum esse imitatos, quod fateor me satis intelligere nequire. Quemadmodum vero de jure utroque ejusque in foro usu sic vidimus, ita de personarum ad quas jura illa attinerent, quantum ad actiones & judicia, discrimine advertendum: Servorum, utpote qui in aliena potestate, conditionem circa actiones & judicia aliam necessario tunc fuisse, aliam liberorum, quam distinctionem ejusque sensum nemo puto non agnoscit satisque hic intelligit. Proselytorum item domicilii atque originariorum proselytorumque justitiae, seu qui in Ebraismum e gentibus rite transierant, ejusmodi erat circa haec discrimen ut ex nullo juris simpliciter divini capite in proselytum domicilii (modo servus non esset) agi circa sive sacra sive profana potuisset praeter capita quae naturalia aut Noachidarum ante dicta: Caeteris enim is non obligabatur. At vero si servus esset, circumcisionis nomine in invitum potuisse agi dubitari nequit, secundum quod inferius dicetur. Proselytos item ejusmodi ex jure suo, id est naturali seu Noachidarum, agere pariter tam circa sacra, veluti in blasphemum, quam profana potuisse, non minus in originarios proselytosque justitiae quam in sui generis homines, non est quod ambigamus. At vero quicquid humani juris apud populum Ebraicum tunc introductum est, utrumque pariter proselytorum genus obligabat, nisi aut expressim aut ex natura rei tacite exciperentur; unde in utrumque genus actiones rite potuere, pariter atque in originarios, institui. Et de judiciis qua proselytos domicilii, post legem datam, seorsim spectarunt, nos fusius alibi [p]; unde quidem de eis quae per hoc intervallum in usu haud difficile est conjectare. Inter originarios autem atque proselytos justitiae (qui simul קהל seu ערת ישראל id est *synagogam, congregationem, ecclesiam, rempublicam, populum Israeliticum* faciebant; nam hi, ut in Vulgata alicubi dicitur [q], in Ebraeorum *coloniam transierant,* seu civitate fuerant donati) parilis invicem tunc omnimodarum ex jure naturali ac primitus divino, uti & ex eo quod accesserat sive divino sive humano, actionum usus. Cum vero per hoc intervallum nullibi praefecturas juridicas ex personarum qualitate omnino discriminatas reperiamus, etiam & Mosem aliquamdiu unicum fuisse & solum universis judicem liqueat, par omnino est ut credamus easdem ipsas praefecturas, tam post eas ex Jethronis consilio institutas quam ante, proselytorum domicilii causas sive inter se suique generis homines sive inter se atque originarios proselytosve justitiae ortas cognovisse ac diremisse, nec, ut post legem datam (quod loco citato ostendimus) singulares fuisse proselytis domicilii praefecturas, non ita dissimiles praefecturae praetoris peregrini in veteri Roma qui peregrinis [r] & inter peregrinos & cives jus dicebat, ut urbanus praetor civibus. Atque ex jam dictis satis est etiam apertum, non modo de juris naturalis ac divini humanique, juxta ante tradita, violatione actiones tunc institutas, verum etiam necessario actiones de personarum qualitate & statu reliquis illis praevias seu praejudiciales (ut in jure vocantur Caesareo [s]) quales sunt per quas quaerebatur utrum quis servus an liber, proselytus domicilii seu gentilis an proselytus justitiae seu in Ebraismum rite sive ex circumcisione, sive natalibus, sive baptismo adscitus.

CAP. V.

De actionum & judiciorum in praefecturis intervalli jam dicti juridicis effectu, adeoque de poenis forensibus ad facinorosos atque inobedientes coercendos, tam divinitus praestitutis quam ab hominibus introductis. Et de jure gladii.

QUod ad actionum & judiciorum effectum attinet; Quemadmodum interdicta illa divina ac naturalia de idololatria & blasphemia supponunt verum amplexandum exercendumque esse cultum, uti & illud de incestu & adulterio cognationis legitimae & connubiorum jura, atque illud de raptu & furto dominium supponit singulare ejusque & acquisitionis & alienationis jura varia, fidemque datam, secundum quod data est, innuit servandam, qua quidem immediate ex vi hujus praecepti divini ut praevii jura omnimoda tam publica quam privata circa res sive sacras sive profanas ab hominibus rite in-

[o] Maimonides in *More Nebochim,* part 2 cap. 30. & videsis Abarbinel in *Pirush Torah,* fol. 167. col. 3, 4. [p] Lib. 7. de Jure Nat. & Gent. cap. 6. [q] Exod xii. 48. [r] L. 2. §. 27. D. tit. de Orig. juris. Et videsis Marquard. Freher. Parerg. lib 2. cap 17. [s] §. Praejudiciales Instit. tit de Actionibus.

troducta,

3

troducta, id est, *πᾶσαι ἀνθρώπιναι κτίσεις universae humanae in politia disponenda ordinationes* (quibus subjecti esse, ex Petri [a] apostoli mente, debemus) adeoque universa etiam gentibus diversis jura intervenientia nituntur; ita illud על הדינים seu *de judiciis* plane supponit & ex sua vi admittit latae sententiae exsecutionem adhibendam, qua sive cuique suum tribuatur reddaturque etiam ab invitis, ut in actionibus civilibus, sive scelesti puniantur, ut in criminalibus, & demum inobsequentes in utrisque eousque coerceantur ut aut officium debitumque praestent aut, pro causae discrimine, poenas, adeoque sententiae vim, idque etiam ut ex exemplo emendentur aut moneantur alii, subeant. Atque ejusmodi ut effectus esset actionum & judiciorum per intervallum quod tractamus, fuisse necessarium, neminem puto non agniturum. Is nempe aut in forensi sui cuique distributione aut in animadversione in facinorosos & inobedientes cernebatur. Nam sententiam ferri, judicari, aut jurisdictionem exerceri citra imperii meri mistive vim alicubi collocatam, qua exsecutio subsequatur, in regiminis ratione res est plane frustranea & nihili. Atque ut ex animadversionibus retributio fiebat reo aliqua, ita & medela & emendatio saepe ipsi, uti semper forsan aliquot saltem aliis. Sicut autem jus omnimodum aut divinum erat, uti semper est, aut humanum; ita omnimoda poena legitima (quae scilicet est malum passionis ob malum actionis) erat, uti & est, aut divinitus seu a numine ipso velut juri suo appendix adjecta, aut ab hominibus parili modo, ne scelera ac delicta non punirentur, introducta. Prioris generis poenarum species sunt binae: Altera, quae non solum a numine solo praestituta est verum etiam ab ipso solum sive hac in vita sive in futura irrogatur, nec quid habet cum negotiis hominum forensibus commune; altera, quae ab humano foro ex eo quod a numine praestitueretur irroganda. Species prior, qua talis, ad juridicas hic praefecturas nostras seu בית דין שלמטה *domum judicii inferiorem* seu *terrestrem* non omnino spectat, sed ad בית דין שלמעלה seu *superius forum*, aut forum poli, ut vocant, seu coeleste. Caeterum de speciei illius unica quam perperam, nec sine magno errore, nonnulli ad forum humanum attinere volunt, seorsim inferius agetur. De secunda autem specie primo videbimus, & dein etiam breviter de poenis ex humano tunc jure praestitutis infligendisque. Bis occurrit poena mortis in numinis edictis ante legis dationem in Sinai. Atque ea inde, juxta inferius dicenda, a praefecturis quas tractamus erat irroganda: Primo, ubi de homicidii poena agitur; dein, ubi morte plectendus quisquis e populo transgressus terminos montem Sinai, ante tubae clangorem, cum lex recipienda erat, tetigisset. Quod ad priorem locum attinet; *Sanguinem vestrum* לנפשותיכם (inquit [b] numen ad Noachidas statim post diluvium) *animarum vestrarum*, seu *vitarum vestrarum*, *requiram*; *de manu cuncti animalis requiram eum, & de manu hominis, de manu viri fratris sui*, seu *cujuslibet homicidae, requiram animam hominis*, seu *hominem* שפך דם האדם באדם דמו ישפך *Qui effuderit sanguinem hominis, in homine*, seu *per hominem*, *sanguis ejus effundetur. Quoniam in imagine Dei fecit hominem.* Atque jam allata sic interpretari solent magistri ut priora verba, quibus se requisiturum ait numen sanguinem, intelligant de vindicta divina seu poena divinitus tantum ob homicidium exspectanda, posteriora vero de homicidio [c] etiam in juridica apud homines praefectura morte puniendo; quod tamen non de homicidio capiunt omnimodo, seu casu aut errore aut non בעצמו seu *sua ipsius manu* aut non dolo aut data opera aut non ex animo perpetrato, nedum de eo quod sub ratione poenae, juris belli, aut inculpatae tutelae fit, sed quod *σὺν ἀδικίᾳ injuria* [d] seu sub ratione indebiti, uti & Christiani patres [e] passim. Et qui vocabulum illud באדם *in homine* aut *per hominem* ad priora hujus periochae retrahunt (quemadmodum retrahitur tum in versionibus Latinis Syriacae & Arabicae versionum in bibliis Jaianis tum in Gallicanis aliisque aliquot) legunt atque interpungunt quasi dictum fuisset, *Qui effuderit sanguinem humanum in homine* seu *qui est in homine* [f] seu *per hominem*, *sanguis ejus effundetur.* Et inter Ebraeos viri maximi ibi באדם intelligunt [g] pro *per hominem* בעצמו seu *sui ipsius hominis manu*, alia necis causa non interveniente. Qui vero ita verba distinguunt ut באדם *per hominem* ad posteriora referant, intelligunt quasi fuisset dictum aut *Qui effuderit sanguinem hominis, pro homine sanguis ejus effundetur*, ut Latina versio est Samaritanae, aut *Qui effuderit sanguinem humanum* seu *reus fuerit homicidii, ejus per hominem sanguis effundetur*, seu supplicio ultimo morteve punietur apud homines, seu judicio hominum forensi. Et Josephus [h] ea de re velut ex Dei voce Noacho ejusque filiis tum data; *Παραινῶ μέντοι σφαγῆς ἀνθρωπίνης ἀπέχεσθαι, καὶ καθαρεύειν φόνου, τοὺς* (sic pro καὶ, quod in impressis male habetur, legendum didici ex Isaaci Casauboni e MS. in Josephum suum annotatis) *δράσαντάς τι τοιοῦτον κολάζοντας*, *Moneo*, seu *edico, ut a caede humana abstineatis, & ad homicidio puri sitis, & tale quid committentes puniatis*; ubi Ruffinus vertit, *facientes quippe tale aliquid puniturus sum*, quod Graecis non omnino respondet. Et glossema puto est exscriptoris qui in MS. legerat quod emendare voluit. Nam in codice MS. bibliothecae ad S. Jacobi regiae legitur *facientes quippe tale aliquid perituros.* Postremum vocabulum in *puniturus sum* forte sed infeliciter nimis transiit. Scilicet de poena homicidii, eaque apud homines forensi, sumendus locus ille. Jarchius in glossa באדם דמו ישפך אם יש עדים המיתוהו אתם "Per hominem sanguis ejus effundetur," *innuit, si testes sint caedis ab ipsis Noachidis morte eum plectendum. Et Chiskuni* ibi הורג בגלוי ב"ד יפרעו ממנו *Homicida aperte reus a domo judicii, synedrio* seu *foro, puniendus.* Atque huic sensui sunt expressim consonae versiones aliquot tum Judaeorum tum aliorum & veterum & recentiorum. Vulgata se hic quidem habet (uti & adnotarunt viri docti [i]) quasi illud באדם *per homi-*

[a] 1 Pet. ii. 13. [b] Genes. ix. 5, 6. [c] Hac de re plura lib. 4. de Jure Nat. & Gent. cap. 1. [d] Philo lib. de spec. legibus; praec. 6, 7. & lib. 1. de vita Mosis. [e] Augustin. lib. 1. de libero arbitrio. & epist. 154. ad Publicolam. De Civitate Dei, lib. 1. cap. 17, &c. [f] Vide Hugon. Grot. de Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 2. §. 5. [g] Maimonid. tit. Rotseach, cap. 2. Moses Mikotzi Praecept. Negativ. 163. [h] Archaeolog. 1. cap. 4. [i] Sixtinus ab Amama in Censura Vulgatae, &c.

nem

nem non omnino legiſſet ejuſdem autor, *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Sic ille. Et ſequax hic aut conſonus eſt verſionis Arabicae autor Romae nuper editae. Hiſpanienſes Judaei ſine interpunctione legunt vertuntque, *Sangre del hombre en el hombre ſu ſangre ſera vertido.* Germanienſes autem, **En des zelwigen menſchen ziin blut ſol wurden vorgoſſen.** Hiſpanicis vero jam allatis conſonant Judaei Graecienſes ſeu verſio illa Pentateuchi Graecobarbara ſimul cum Onkeliana paraphraſi, Jarchii gloſſa, & verſione item illa Hiſpanica, Conſtantinopoli anno ז"הש ſeu 5307, id eſt Chriſti 1547, typis Ebraicis mandata. Nam quod Theodorus Zygomalas eccleſiae Conſtantinopolitanae protonotarius ad Martinum Cruſium[k] ſcribit anno 1575, libros linguae vulgaris ſeu Graecobarbarae ibi exſtitiſſe nullos nedum alterutrius Teſtamenti in lingua illa partem aliquam, intelligendum eſt de verſione Graecis literis typiſve atque inter Chriſtianos eorumve in uſum reperta nulla; non de verſione plane nulla, cum manifeſtum hinc ſit annis circa triginta ante in linguam Graecobarbaram ab Judaeis & in ſuorum qui orientem illum incolunt uſum Pentateuchum tranſlatum eſſe editumque, licet Ebraicis tantum typis mandatum; quemadmodum etiam ibi editae ſunt Arabica & Perſica, praeter Hiſpanicam, verſiones. Graeci vero veteres tum apud Chryſoſtomum[l] tum in editione Complutenſi, cujus ſequaces ſunt aliae aliquot; Ἀντὶ τοῦ αἵματος ἀνθρώπου, τὸ αὐτοῦ ἐκχυθήσεται *Pro ſanguine hominis, ejus* (homicidae) *ſanguis effundetur*; unde Hieronymus[m] ex Latina veteri, *Qui effuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine ejus effundetur ſanguis illius*; uti & Ambroſius[n], *Qui effuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine hominis, ejus effundetur.* Sed Graeca Biblia[o] alia habent tantum ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται *pro ſanguine ejus effundetur*, quibus ſunt conſoni codices MSS. bibliothecae ad S. Jacobi regiae, Oxonienſis publicae, & Cottonianae. At vero expreſſim de judicio ſeu ſententia in homicidam forenſi locus capitur a paraphraſtibus Chaldaeis. Onkelos, *Qui effuderit ſanguinem humanum* בסהדין על מימר דיניא דמיה יתישוד *cum teſtibus*, ſeu *per teſtes, juxta ſententiam judicum, ſanguis ejus effundetur.* Recentior autem ille alter Uzielides vulgo dictus; דישוד דמא דאנשא בסהדין דייניא מחייבין ליה קטול ידישוד בלא סהדין מרי עלמא עתיד לאתפרעא מניה ליום דינא רבא׃ *Qui effuderit ſanguinem hominis cum teſtibus*, ſeu *quoties ſceleris ejuſmodi teſtes fuerint, judicibus* ſeu *praefectis juridicis ex officio incumbit ut & ipſe vita privetur. Caeterum ſi deſint teſtes* (quo nomine reliquae probationes hic veniunt) *Dominus mundi vindictam ab eo ſumet in die judicii magni.* Onkelo conſentiunt hic Judaei Mauritanienſes; في قول الانسان دمه يسفك *ex ſententia* ſeu *voce hominis ſanguis ejus fundetur.* Saadiae item verſio بانسان مثله دمه يسفك *per hominem ſimiliter fundetur ejus ſanguis*; quibus conſonat Tawaſii Perſica. Arabs etiam vetuſtus penes me MS. ومن اهرق دم الانسان فالانسان عوضه يهرق دمه *Qui effuderit ſanguinem hominis etiam homo velut vicem rependens* ſeu *viciſſim effundet ſanguinem ejus.* Alter item MS. cum Pentateucho, ſed mutilo, Samaritano, literis Samaritanis من الانسان دمه يسفك *ab homine ſanguis ejus effundetur.* Nec aliter ferme verſiones Germanica, Belgica, Italica, Anglica; aliae aliquot. Et recte vir ſummus in annotatis nuperis, Ebraeorum interpretationem hic eſſe ejuſmodi ait, *Ut ſenſus ſit ex teſtium teſtimonio, judicum pronunciato, mortem homicidae inferendam.* ut in commentariis eorum obviis eſt videre. Quod vero adjicit, *At cum lex haec lata eſt, nondum conſtituta erant judicia*; nondum quidem ſingularia conſtituta fuiſſe poſt diluvium hactenus tribunalia ſeu praefecturas aliquas juridicas, cum tantillus erat hominum numerus, facile concedi poteſt. Caeterum ad praeceptum illud univerſale de judiciis adeoque praefecturis ejuſmodi in ſocietatibus civilibus conſtituendis, quod tam ante quam poſt diluvium juxta ante dicta obtinuit, hoc itidem de poena homicidii in praefecturis illis poſtmodum adhibenda expreſſius attinuiſſe, haud difficilius concipitur. Alii[p] hic; *Hebraei addunt* in homine — humanum ſanguinem in homine fundetur ſanguis illius, *id eſt, in conſpectu omnium & publice*; *aut* in homine, *pro, ſi adfuerint teſtes, teſtificantibus hominibus. Ita Chaldaeus Paraphraſtes* (quod ex ante citatis liquet) *ac tum ſingulare pro plurali ſumetur more Hebraico. Quidam referunt ad ſequentia,* in homine fundetur ſanguis ejus. *Quaſi dicat, propterea quod hominem occiderit, fundetur ſanguis illius, juſſu ſcilicet & mandato ipſius magiſtratus. Ita videtur innuere poteſtatem magiſtratus. Non deſunt qui vertunt,* "per " hominem fundetur ſanguis illius," ut ante etiam oſtenſum. Nec praeterire hic viſum eſt quod hac de re occurrit in Arabis anonymi, ſed Chriſtiani, commentario in locum jam tractatum MS. quem mecum, ut aſſolet alia, pro ſumma ſua humanitate communicavit praeſtantiſſimus vir, Jacobus Uſſerius praeſul Armachanus. Locum integrum primo capit Arabs ille de homicidio بمعرفة ſeu *voluntario*, non de eo quod eſſet بغير معرفة *involuntarium* aut caſu aut ſub ratione indebiti. Dein autem ſic pergit

وفي هذا الموضع اوضح ايضًا العذاب
الخالد بعد الموت الذي هو عدم الحياة
المؤبدة لانه قال ان كل من اهرق دم
الانسان دمه يهرق عوضه

[k] Turcograec. pag. 431. [l] In Geneſ ſerm. 2. [m] Comment. in Sophoniam, cap. 1. [n] Lib. de Noe & Arca, cap. 26. [o] Edit. Baſil. Rom. Francofurt. Pariſ. 1628. [p] Rob. Stephan. Annot. in Geneſ. ix. ubi vide etiam Vatablum.

Atque hoc in loco ostenditur etiam poena post mortem aeterna, quae nempe est privatio vitae aeternae. Idcirco dicit scriptura, " Quisquis " effuderit sanguinem hominis, sanguis ejus " vicissim effundetur; quod sane ab Arabicis ante allatis aliquantulo dissonat. Tum subdit

وقد يرى كثيرين يقتلوا الناس ولا يهرق
لهم دم اعلمنا الرب بهذا ان لهم بعد
الموت عذاب يعدموا به حيات تلك الدار
كما يعدم حياة هذا الدار من يهرق دمه فيها

Sed vero quamplurimi principes & potestates homicidii rei sunt, nec tamen sanguis eorum effunditur. Atqui docet nos hic Dominus, poenam debere eis post mortem, nimirum privari eos vita seculi futuri, quemadmodum hujus seculi vita privabatur is cujus sanguis in eo est effusus. Ita Arabs hic; qui sic vocabula posteriora illa etiam ad futuri seculi poenas trahit, & *effusionem sanguinis* pro vitae aeternae in eo privatione sumit. Sed vero tametsi ex ante dictis liqueat, edictum illud de poena capitali homicidii divinum sic intellectum esse ut ad forum humanum etiam spectaret, quasi persecutio ejusdem ibi atque exsecutio inde perpetua imperaretur, nihilominus ita illud interpretatae sunt respublicae ac ecclesiae christianae quasi non velut ex praecepto stricte ac semper, ne quidem in atrocioribus homicidiis, observando poenam illam talionis praestitutam a numine ibi accepissent: sed pro ejusmodi potius permissu ac monito divino, cujus autoritate, poenae illius irrogatae, quoties irrogaretur, justitia apertior & clarior tantum redderetur: atque ita, ut pro personarum reatusque, utcunque atrocissimi, discrimine vario, homines, qui summae rerum praesint, ex sui arbitrio, velut loco ex illo divinitus permisso, nunc severius capite plectant reos, nunc autem non solum mitigent poenam illam inque alias mutent, verum etiam crimen ipsum ejusque persecutionem aboleant condonentque. Aquinas ibi; " Fun" detur sanguis illius, *id est, morte punietur; scilicet vel in hac vita vel in altera, nisi, supple, per mortem poenitentiae satisfecerit.* Illic sane mitigatio etiam & abolitio poenitenti permittitur. Et Marcianus in Justinianum receptus[a]; *Legis Corneliae de sicariis & veneficis poena, insulae deportatio est & omnium bonorum ademptio. Sed solent hodie capite puniri, nisi honestiori loco positi fuerint, ut poenam legis sustineant. Humiliores enim solent vel bestiis subjici; altiores vero deportantur in insulam.* Inde in basilicis seu imperatorum orientalium recentiorum juris corpore[b], *Poena in sicarios honestiores est deportatio; in humiliores, gladio & bestiis subjici.* Et tum mitigatio tum conversio capitalis supplicii, in hoc scelere puniendo, in aliud apud christianos cernitur passim in poena pecuniaria seu mulcta quam **Weregild** seu *capitis aestimationem* vocant, homicidio antiquitus variatim praescripta, secundum illud quod in Germanorum etiam aliquot moribus habet Tacitus, *Lui homicidium certo armentorum & pecudum numero; recipereque sic satisfactionem universam domum.* Obvia est ejusmodi poenae pecuniariae, qua homicidium spectat, in legibus vetustis mentio: Saliorum, Alemanorum, Boiorum, Ripuariorum, Anglosaxonum etiam apud nos, Gothorum & Suecorum, aliorumque. Quin & in canones pontificios admissa est[c] nomine *interfecti compositionis* uti & **Weregildi**. Et de poena ejusmodi homicidii consulas doctissimum Covaruviam[d], ut alios praeteream. Omittimus hic asyli jus, quo sacrae aedes diu ut plurimum ita gavisae sunt ut etiam atrocissimi homicidii, non tantum casualis, rei inde in poenam mortis eripi nequirent[e]. Ea de re obiter, qui ad titulos *de immunitate ecclesiarum* & *de his qui confugiunt ad ecclesiam* scribunt. Atque ejusmodi jus olim apud nos etiam religiosissime plerumque observabatur, quod Henrico octavo regnante, lege in ordinum comitiis lata, est abrogatum. Ecclesiastici etiam seu ordinis hieratici homines caedis humanae rei e cognitorum capitalium potestate eripi in poenam leviorem solebant. Imo etiam apud Gratianum (qui in hanc rem compluria congerit) legitur[f], velut ex Gregorio papa nescio quo, *Reos sanguinis defendat ecclesia, ne effusionis sanguinis particeps fiat.* Atque ita recipitur & intelligitur ab jurisconsultis decreto Gratianeo utentibus. Caeterum tum Burchardus[g] tum Ivo[h], velut ex Augustini dictis, totidem afferunt verba, sed interjecta negatione, *reos sanguinis non defendat ecclesia, ne effusionis sanguinis particeps fiat.* Quod sane adversum est omnino juri asylorum apud christianos olim receptissimo. Sed vero & illud ita temperavit constitutione sua Gregorius decimus quartus[i], ut atrocioris homicidii rei in ecclesiis non ita protegi debere voluerit. Et remissio etiam criminis hujus seu condonatio & abolitio apud principes christianos adeo rara[k] non est; unde item de sensu sacri in Genesi sermonis quo mors homicidae praescribitur (nam quicquid ibi sic praescribitur Noachidis ad totum genus humanum spectat) christianis publice recepto est dijudicandum. Atque theologi & jurisconsulti hac de re passim; ut praeteream canones poenitentiales, in quibus annorum aliquot poenitentia ejusque circumstantiae humanum circa hanc poenam arbitrium aperte ostendunt. Distinctio quidem habetur de jure pontificio hic & Caesareo; hoc nimirum revera κολάζειν[l] seu *punire*, nunc deportatione, nunc gladio; illius autem ἐπιτίμια οὐκ εἶναι κολαστικά, ἀλλὰ ἁγιαστικὰ καὶ ἰατρευτικά, *correctiones non revera punire, sed sanctificare & mederi.* Atqui interea in neutro admittitur mortis poenam

[a] L. 3 § 5. D. tit. ad legem Corneliam de Sicariis. [b] Lib. 60. tit. 39. & videsis Harmenopulum Prochir lib. 6. tit. 6. & Theod. Balsamon. in S. Basilii Canonem 8. & in Photii Nomocan. tit 9. cap. 6. [c] Conci. Triburiens. anno 895. cap. 3, 4. caus. 17. quaest. 4. cap. 26. *Omnes presbyteri*, editionis Gregorianae. extr. tit. de poenis cap. 2. Burchard. Decret. lib. 6. cap. 11. Ivo part. 10 cap. 14. Adde Anton. August. in Poenitent. Roman. tit 4. cap. 17. [d] Variar. Resolut. lib. 2. cap 9. [e] C 17. quaest. 4 cap. 9. *Reum.* extr. tit. de Immunitate Ecclesiarum. [f] Caus. 23. quaest. 5 cap. 7. [g] Decret. lib 19. cap 109. [h] Decret part. 15. cap. 121. [i] Anno 1591. constit 7. in Bullarii tom. 2. in quam videsis Petrum Gamba carta de Immunitate eccles. lib. 5. cap 4. § 16. & Antonin. Dianam tract. ejusdem tituli resol. 4. adde Ludovicum a Peguera decis. 54. [k] Videsis Gul. Bossell. de publicis judiciis disquisit. 6. § 1, &c. [l] Theod. Balsamon in S. Basil. canon. 43.

ex effato hoc divino, velut ex ſimplici praecepto, homicidio neceſſario deberi. Etiam apud gentiles vetuſtiſſimos jure naturali utentes & heroum tempore, nunc morte nunc exſilio aliiſve citra mortem poenis homicidium luebatur, ut videre eſt in legibus Graecorum [m], & Romanorum, aliorumque ante memoratorum, & Celtarum [n], atque apud Apollodorum [o]. Et de poena humano in foro homicidio ſive ex edicto & juſſu ſive ex permiſſu expreſſo & monito ante legem in Sinai datam divino, velut talionis, irroganda, hactenus. Altera poena mortis tunc divinitus praeſtituta temporaria tantum erat & localis. Deus ad Moſem diebus aliquot ante legis in Sinai monte dationem; *Conſtitues* [p] *terminos populo per circuitum, & dices ad eos, Cavete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem morte morietur.* לֹא תגע בו יד כי סקול יסקל או ירה יירה אם בהמה אם איש לֹא יחיה quod quidem ad magiſtrorum maximorum juriſconſultos agentium mentem verſum ſic ſonaret, *Non tanget eum manus. Sed lapidando lapidabitur*, ſeu *lapidibus obruetur, aut projiciendo projicietur*, ſeu *jaciendo jacietur*, aut *dejiciendo dejicietur, ſive beſtia fuerit ſive homo, non vivet*. De horum hic ſenſu plura ſtatim. Sed vero Vulgata, *lapidibus obruetur, aut confodietur jaculis*. Graeci, ἐν γὰρ λίθοις λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται, *lapidibus enim obruetur, aut jaculo ſeu ſagitta ex arcu emiſſa transfigetur* [q]. Conſona eſt Arabs cum Vulgata editus. Hieroſolymitana paraphraſis, או גירי דאשא יתקשטון ביה *aut ſagittas ignitas jaculabuntur in eum.* Jonathanis item dicta, או גירין דאישא ידרקון ביה *aut jacula ignita projicient in eum.* Onkelos, או אשתדאה ישתדו *aut jaculis confodietur*, ut vertitur. Syrus ibi, ܐܘ ܒܫܐܛܐ ܢܫܬܕܐ quod & *jaculis petetur* redditur. Samaritani, או חוז יחזי aut *projiciendo projicietur*, aut *injiciendo injicietur*. Nam verbo חוז pro ירה *projicere* utuntur illi. Judaei Mauritanienſes, او نشبا ينشب; & Saadias, او ينشب فيه نشبا vel *jaculo confodietur*. Hiſpanienſes Judaei; *apedrear ſera apedreado, o aſſaetear ſera aſſaeteado*; id eſt, *lapidando lapidabitur, aut ſagittando ſagittabitur.* Nec differunt Judaei Germanienſes, —**oder der Werpen zul werden der Werpen.** Atque illud *aut confodietur* ſeu *transfigetur*, aut *ferietur jaculis* aut *ſagittis*, recipitur in verſionibus nuperis. Lutherus habet, **oder mit geſchoſs erſchoſſen werden:** Belgae, **ofte ſekerlick dooꝛſchoten werden.** Galli, *ou tiré des fleſches.* Itali, *o ſaettato.* Angli olim, **oꝛ ſtricken thꝛough with darts**; nunc, **oꝛ ſhot thꝛough.** Ainſworthius, **oꝛ ſhot thꝛough with a ſhot.** Arias & Vatablus, *aut jaculando jaculabitur.* Tremellius, *aut jaculando conficitor.* Sed in margine libri, *Hebr. jaculando jaculantor.* Etiam in Graecis epiſtolae ad Ebraeos exemplaribus aliquot, ipſa hic ex verſione Graeca veteri verba de hac poena adducuntur; *Non enim* [r] *ſuſtinebant quod edicebatur, Etiamſi beſtia tetigerit montem lapidibus obruetur* ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται, *aut jaculo*, ſeu *ſagitta, ex arcu emiſſo transfigetur*; quod quidem Angli, Galli, Belgae, Germani, alii in verſionibus ſuis ejuſdem epiſtolae e Graeco admittunt. Atque ita legitur in editionibus Eraſmiana, Baſilienſi, Roberti Stephani, quarum nec paucae ſequaces. Sed vero nec Vulgatae autor Graeca illa de *jaculo* aut *ſagitta* ibi legebat, nec in ea quid illis reſpondet. Quale itidem de verſionibus Syriaca & Arabica dicendum. Carent etiam verbis illis editiones aliquot Graecae, ut Fabriciana, uti etiam quae cum Chryſoſtomi, Theodoreti & Theophylacti commentariis prodiere, atque Pariſienſis nupera ſeu Jaiana. Quoſdam tantum codices Graecos illa habere notarat Eraſmus, unde in ſuos inſeruit. In Claromontano codice non exſtare monet Beza. Nec ſane habetur in codice MS. bibliothecae ad D. Jacobi apud nos regiae. Jam vero locum ita capiunt etiam Ebraeorum aliqui perinde ac ſi de jaculis aut ſagittis in reum immittendis juxta verſionem illam Graecorum eſſet intelligendus. Aben Ezra ibi, lapidandum fuiſſe ait ſi propior eſſet ואם רחוק יורוהו בחצים *e longinquo autem* (ſi fugeret, aut commode per diſtantiam lapidari nequiret, aut ita temere montem ipſum teneret ut inde in poenam eum nemo [s] impune eripere quiret) *injiciant in eum jacula* aut *ſagittas*. Atque aliis aliquot non diſplicet haec ſententia. Etiam Lyranus ad illud Vulgatae hic, *Confodietur jaculis. In Hebraeo*, inquit, *habetur ſagittis* (quod tamen ibi non eſt; nec nomen aliquod omnino ſed verbum tantum illic uſurpatur) *taliter enim interficitur homo a longe, & per talem mortem deſignatur, quod non debuerant appropinquare ſed de longe ſe tenere.* Sic ille. Hinc hallucinatus Abulenſis, *In Ebraeo*, inquit, *dicitur*, "Confodietur ſagittis. Sed alia omnino loci mens juxta Talmudicos & juriſperitos maximos Ebraeorum, quibus non admittitur quid de ſagittis aut jaculis in eo contineri nec aliud quam quod forenſem lapidationis poenam deſignaret. Quemadmodum enim in conſtituta poſt legem in Sinai datam republica Ebraica, lapidationis poena forenſis duplex habebatur, aut ſaltem dupliciter irrogari ſolebat; altera, qua reus [t] מבית הסקילה שהיה גבוה שתי קומות *ex domo* ſeu *loco lapidationis, qui altus erat binas hominis ſtaturas* ſeu circa pedes duodecim, ita pronus in terram lapidibus ſtratam praecipitabatur, ut mors ejus inde exſpectaretur: Hanc דחייה appellabant ſeu *impulſionem*. Altera סקילה magis proprie ſeu *lapidatio* dicta, qua lapidum jactu, teſtibus praeeuntibus, obrueretur: Quod etiam factum quoties ex praecipitatione aut impulſione illiuſmodi non moreretur. Sic etiam volunt magiſtri maximi Moſem haec de lapidationis ante legem in Sinai datam poena ſcribentem ita ſecundum morem etiam poſt uſitatum, & ex eo qui ante in lapidatione obtinuerat aut obtinere debuerat manantem, rem expreſſiſſe, atque intellexiſſe perinde ac ſi dictum fuiſſet, *aut lapidibus petitis obruatur* (ex ſententia forenſi; nam id adjiciunt) *aut ita praeceps in terram e ſublimi detur, detrudatur, projiciatur, ut ſic vita privetur.*

[m] Vide Sam. Petit. Leg. Attic. lib. 7. tit. 1. [n] Nicolaus apud Stobaeum ſerm. 165. [o] Bibliothec. lib. 2. & videſis Hugon. Grot. in Sparſione Flor. pag. 202. [p] Exod. xix. 12, 13. [q] Vide Notas Nobilii in Exod. 19. h. [r] Ad Ebraeos cap. xii 20. [s] Videſis Abarbinel in *Piruſh hatora* fol. 169. col. 4. *Chiſkuni*, fol. 101. a. [t] Miſna tit. *Sanhedrin*, cap. 6. Talm. Babylon. fol. 45. a.

Adeoque manu non tangendus erat, aut ut ex judicio aut poena eriperetur, aut ut illato manu vulnere occideretur (licet aliqui etiam illud de *manus tactu* non ad reum ſed ad montem referant) ſed aut *lapidando lapidandus*, id eſt, *lapidibus obruendus* או ירה יירה *aut projiciendo projiciendus*, ſeu *praecipitando praecipitandus*, ſenſu jam dicto. Inde Jarchii ibi gloſſa מכאן לנסקלין שהם נדחין למטה מבית הסקילה שהיה גבוה שתי קומות: *Hinc innuitur quod ad lapidandos attinet. Nam illi deorſum detrudebantur ex domo* ſeu *loco lapidationis, qui altus erat binas hominis ſtaturas.* Et יירה interpretatur per יושלך למטה לארץ *deorſum mittatur in terram*; ſimili ſenſu quo adhibetur paulo ante in Exodo [v], *Currus Pharaonis & exercitum ejus* ירה בים *projecit in mare.* Atque ita verbum illud ſignificare, id eſt ῥίπτειν, *jacere, projicere, ejaculari, praecipitare*, nemo dubitat. Adeoque *projiciendo* ſeu *praecipitando projiciatur* ſeu *praecipitetur* aut *e ſublimi detrudatur*, ſic recte locum reddit. Ita etiam Jarchius in gloſſa Talmudica, ubi in Gemara [x] de lapidatione quam diximus duplici verba ſic fiunt; תנו רבנן מנין שבדחייה ת"ל ירה ומנין, ſic ibi, שבסקילה ת"ל סקל ומנין שבסקילה ובדחייה ת"ל או סקל יסקל או ירה יירה ומנין שאקם מת בדחייה יצא ת"ל או ירה יירה ומנין שאף לדורות כן ת"ל סקל יסקל: *Tradunt Rabbini noſtri, id quod de impulſione* ſeu *praecipitatione* (in Miſna) *habetur deſignari in illo apud Moſem de projiciendo; & quod de lapidatione, in eo quod dicitur lapidando, & quod de lapidatione & de impulſione in eo quod dicitur*, aut lapidando lapidabitur, aut projiciendo projicietur; *illud autem* (itidem in Miſna) *Si mortuus ſic fuerit reus ex impulſione ejuſmodi, ſatisfactum eſſe legi, pendere ex illo disjunctivo* aut projiciendo projicietur. *Etiam per omnia ſecula morem illum obtinuiſſe, ex eo quod dicitur* "lapidando lapidabitur," quo fundatur jus illud projectionis ſeu impulſionis. Affertur etiam in pervetuſto illo ad Exodum commentario *Mechilta* dicto locus hic e Gemara Babylonia, ubi item adjicitur ומנין לכל הנסקלים כן ת"ל או סקול יסקל או ירה יירה: *Et ratio quod in omnibus lapidationis poenis jus ejuſmodi obtinet in eo habetur*, "aut lapidando (ſcilicet in hoc quem tractamus loco) "lapidabitur, aut projiciendo "projicietur." In Gemara item Hieroſolymitana [y], מניין שטעון סקילה שן סקול יסקל ומניין שטעון דחייה שנאמר ירה יירה: *Undenam in poena lapidationis ipſa lapidum projectio? ex eo deſumpta eſt quod dicitur*, lapidando lapidabitur; *& undenam impulſio illa* ſeu *lapidandi dejectio* aut *projectio? ex eo deſumpta eſt quod dicitur*, "projiciendo projicietur," in loco ſcilicet hoc Exodi. Accedat hic Levi Ben Gerſom [z], כי שלא ישמר מזה יהיה נסקל על יד בית דין או יהיה מושלך ממקום גבוה: *Qui non obſervaverit interdictum de montis tactu lapidandus erat ex juſſu* ſeu *ſententia domus judicii* ſeu *praefecturae juridicae, aut ex loco ſublimi praecipitandus.* Atque illud *non vivet*, quod hic in ſacro ſermone tam de homine quam beſtia dictum, interpretatur ille per אבל יהיה נסקל על יד בית דין *ſed lapidabitur ex ſententia domus judicii* ſeu *praefecturae juridicae.* Etiam locum hunc primam facit ſedem diſtinctionis illius ſeu duplicis lapidationis quam diximus, שני פנים illi, ſeu *modum duplicem*, uti aliis, vocatam. Nempe אם שיעתיקו האבנים וישליכום על המוכה או שישליכו אותו עליהם או על מה שינהג מנהגם: *Sive projiciant & immittant lapides in ipſum qui ſic percutiendus eſt, ſive ipſum projiciant* ſeu *detrudant in lapides, aut aliud quid eis ſatis reſpondens.* Ita etiam Maimonides [a], alii. Et certe verſiones aliquot orientales ſupra allatae, quae ita Latine ab editoribus vertuntur ut *jaculorum* expreſſim in ſe nomen habeant, commode ſatis poſſunt juxta Talmudicos jam dictos intelligi & per *projiciendo* itidem *projicietur* reddi, ut intuenti palam eſt. Praecipitationis hujuſmodi poena,

—— ſcelerisque luela
Carcer, & horribilis de ſaxo jactu' deorſum,

qualem etiam inter inferorum poenas fingi facit Lucretius [b], apud veteres Romanos (ut de ſaxo Tarpeio ac de robore) in uſu fuit antiquitus frequentiſſimo, quod ſcimus ex Livio, Plutarcho, Halicarnaſſenſi, Tacito, Feſto, Gellio, aliis rerum Romanarum ſcriptoribus. Gentibus item aliis ſubinde adhibitam, adnotarunt viri docti ad illud Modeſtini in juris Caeſarei pandectas [c] receptum; *Non poteſt quis ſic damnari ut de ſaxo praecipitetur.* Unde inter poenas ejuſdem juris ſatis multiplices hanc locum habere deſiiſſe olim, docemur, adeoque diu ante S. Auguſtinum in deſuetudinem abiiſſe. Is autem aliquoties in Donatiſtas de Marculi & Donati praecipitatione, ut exiſtimatum eſt, ſpontanea verba faciens *inſolitum* illud *Romanis ſupplicium* vocat [d], & *Romanis legibus nimis inſolitum* [e], etiam & *poteſtates Romanas nunquam talibus ſuppliciis uſas eſſe ait* [f]; quae plane ita intelligenda, ut inſolitum fuiſſe, nec a poteſtatibus Romanis illo in ſeculo aut ſuperiorum proximioribus, ſontibus irrogatum hoc poenae genus, utpote cujus uſus diu ante evanuerat, eum tantum aſſerere admittas, non quaſi Romanos poena hujuſmodi nunquam uſos fuiſſe innuiſſet. Contrario enim ex ſcriptoribus priſcis certius nihil eſt. Atque illud Modeſtini de poenae hujus uſu ſublato ſcriptum eſt circa centum quinquaginta ante Auguſtinum annos, ſeu ſub Alexandro Severo aut ſucceſſore aliquo ejus proximiori: Adeoque diu ante chriſtianiſmum a Caeſaribus Romanis receptum abrogata eſt. Etiam de republica & principibus Romanorum vetuſtioribus, quantum ad hoc ſupplicii genus, bene Lipſius [g]; *Veteri magis republica quam principum imperio receptum. Tamen neque tunc omnino deſitum Tacitus docet in P. Pituanio* [h] *mathematico & ſexto Mario inceſti damnato; quorum uterque ſaxo dejectus.* Sed hoc obiter. Porro ſub Amazia rege Judae Sehiritas captivos hujuſmodi affectos eſſe ſupplicio liquet [i]. Nempe captos eos Judaei duxerunt לראש הסלע וישליכום מראש הסלע וכולם נבקעו *in verticem*

[v] Cap. xv. 4. [x] Tit. *Sanhedrin*, cap. 6. fol. 45. a. [y] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 6. hal 7. fol. 23. col. 3. [z] In *Piruſh ail Hatorah*, fol. 74. col. 3. [a] Ad Miſn. tit. *Sanhedrin*, cap. 6. §. 4. adde *Sepher Siphri*, col. 162. [b] Lib. 3. [c] L. 25. §. ult. D. tit. de Poenis, ubi vide Dionyſ. Gothofredum & Sigon de Judiciis, lib. 3. cap. 16. & Pet. Fabrum Semeſt. 2. cap. 18. pag. 177. [d] Contra Petilianum, lib. 2. cap. 20. [e] Contra Creſconium, lib 3. cap 49. [f] Tract. 11. in Ioann. cap. 3. [g] Ad Senec. de Ira, lib. 1 cap. 16. §. 138. [h] Annal. 2. [i] 2 Paralip. xxv. 12.

rupis.

rupis, & projecerunt eos e vertice rupis, unde omnes disrumpebantur. Et illustre faciunt magistri hujus generis supplicii exemplum in Jezabela regina e fenestra jussu[i] Jehu regis dejecta. Levi Gersomides, intelligendum est, inquit, corpus ejus ita dejectum esse, כדי שיפילוהו לארץ וזהו סקילה כמו שסוקל נבות · כי הסקילה היא אם בשליכת אבנים על הנסקל או בירית הנסקל על האבן כאמרו כי סקול יסקל או ירה יירה והנה היה זה מדה כנגד מדה : *Ut in terram dejiceretur. Atque haec lapidatio erat, quemadmodum etiam lapidatus est Naboth*[k]. *Nam lapidatio erat aut per immissionem* seu *projectionem lapidum in lapidandum, aut per projectionem* seu *detrusionem ipsius lapidandi in saxum* (aut quod aequivaleret) *juxta illud quod dicitur* (loco Exodi jam citato) Quoniam lapidando lapidabitur aut projiciendo projicietur. *Atque hic plane talio erat.* Sic ille. Et David Kimchius, *Scriptura hic respicit Nabothum* שצותה לשמוט אותו ולסקלו כן צוה הוא לשמטה כי דין סקילה היה לה כי מתה בנפלה ורמסוה · *Quem illa dejici praeceperat & lapidari. Sic jam ille* (rex) *praecepit eam dejici, quoniam judicium lapidationis in eam exsequendum erat, ut nempe ex casu moreretur & sic eam occiderent.* Et de poenis apud homines forensibus divinitus tunc expressim, ut ante dictum est, praestitutis hactenus. Necesse autem erat ut ex humano jure variatim itidem poenae introducerentur. Etiam introductas tunc esse palam est. Inde vivicomburii poena ab Juda[l] principe, aut aliter pro more seculi populique, etiam innuptarum coitui praescripta. In poenis autem sic tunc praestituendis receptissima binorum illorum de homicidio & alieni raptu interdictorum interpretatio, eaque velut divinitus tradita, singularis aperte cernitur: Horum scilicet utrumque ita ex ipso eorum conditu temperari ut sub ratione nihilominus poenae seu quasi (ut in justo bello aliterque) rite ex jure humano introductae[m] tum bona aliena tum vita adimi quiret, atque alia sic delinquentibus inferri incommoda quae citra poenae seu quasi rationem sive injuria inferri nequirent. Atque inde est quod Ebraei, dum de poenis Noachidarum seu quae ante legis Mosaicae dationem in usu fuere agunt, etiam jus seu potestatem gladii ita admittant ut בסייף id est *gladio* seu morte omnimodam praeceptorum quae diximus naturalium ac generis humani communium violationem puniri (pro arbitrio eorum penes quos legislationis & judiciorum summa potestas esset) jure potuisse velint: Potuisse, inquam; neque enim velle eos eam sic puniri ex praecepto aliquo Noachidis divinitus accepto debere comperio, licet ab viro maximo id, saltem de idololatria, incestu & adulterio & furto, asseri videatur. Certe & furtum scimus mulcta, non poena capitali, ex lege Mosaica luendum. Et non satis commode videtur admittendum ut quidquam de poenis universo generi humano in mandatis ita ante acceptum, apud Ebraeos, qui generis illius pars, ita mutaretur laxareturve in leviores quam ex universali ejusmodi praecepto primitus esse debuissent. Et expressim[n] Maimonides de cultu extraneo; כל ע"ז שבית דין של ישראל ממיתין עליה בן נח נהרג עליה · וכל שאין בית דין של ישראל ממיתין עליה · אין בן נח נהרג עליה · ואע"פ שאנו נהרג אסור בכל: *Ubicunque cultus extranei nomine tribunal Israeliticum poenam mortis irrogat, punitur etiam Noachides gladio. Ubi vero non punitur in foro Israelitico cultus extraneus* (quibus vocabulis tam appendices solum aliquae quam ipse cultus continentur) *morte, ibi nec gladio punitur Noachides. Licet autem sic morte non puniatur, tamen omnimodus cultus extraneus ei interdicitur*; ideoque aliter ex jure in eo est puniendus. Atque in Gemara Babylonia[o] sic legitur de Noachide, על שבע מצות בני נח נהרג גלי רחמנא בחדא והוא הדין לכולהי · *Morte plectitur ob violationem alicujus septem praeceptorum ad Noachidas attinentium. De unico aperte effatus est Deus ipse: atque parile jus est de cunctis.* Id est, de homicidii poena, ut superius ostensum, capitali effatus est Deus; unde parile jus poenale ad reliqua spectat. Sed hinc nihil aliud innuitur praeter poenas capitales infligendi jus permissivum, & morem ab ipsis regulariter receptum Noachidas inde gladio puniendi; non omnino in praeceptis divinis traditum esse ut necessario sic punirentur Noachidae. Verba etiam insequentia apud Maimonidem sunt בן נח שעבר על אחת משבע מצות אלו יהרג בסייף · *Noachides qui praeceptorum jam dictorum septem aliquod* (sed in MS. meo legitur אחת מן מצות אלו *praeceptorum jam dictorum aliquod) violat, gladio occiditur.* Vult scilicet, juxta mores receptissimos seu disciplinam Ebraeorum veterem, Noachidem violationis ejusmodi reum tam post legem Mosaicam acceptam quam ante ultimo supplicio puniri. Quod quidem supplicium Noachidis seu proselytis domicilii qui necdum in Judaismum transierant, ob delicta quaecunque quibus in ditione Israelitica interdicerentur, ex more erat plerumque irrogandum; qua de re item alibi. Sed illud ita intelligendum, ut tum pro Ebraeorum qui summae rerum praeessent libitu poenae etiam hic leviores post legem Mosaicam datam Noachidarum esse potuerint, tum etiam ante, seu in hoc juris naturalis intervallo, in pecuniarias aut citra mortem corporales (modo praecepto alicui divino non refragarentur) rite potuissent mutari; nisi atrocioris homicidii poenam juxta aliquorum sententiam (qua de re supra) excipias. Sed vero jam dictis adjicitur a Maimonide ומפני זה נתחייבו כל בעלי שכם הריגה שהרי שכם גזל והם ראו וידעו ולא דנוהו : *Atque ideo universi Sichemitae mortem meruere, quoniam scilicet Sichem ipse*[p] *raptus* (Dinae Jacobi filiae) *reus erat; quod & viderant isti & cognoverant, nec tamen de eo judicium ferebant*, seu in jus ob raptum ita patratum vocabant; quasi etiam obligatus fuisset Noachides unusquisque seu jure tantum naturali utens, ut de Simeone & Levi hic supponitur, poenam adeoque mortem inferre eis qui praeceptorum illorum septem aliquod violarent. Adstipulari hic videtur Josephus Albo[q]. Sed alii[r] hic aliter, atque rem totam ad belli referunt jus ultionemque

[i] 2 Regum ix. 33. [k] 1 Regum xxi. 13. [l] Genes. xxxviii. 24. & vide lib. 7. de Jure Nat. & Gent. cap. 5, 6. [m] Vide Hugon. Grot. de Jure Belli, lib. 1, cap. 2 § 5. [n] Tit *Melakim*, cap. 9. [o] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol 57. a. [p] Genes. xxxiv. 1, & 25. Vide librum de Jure Nat.& Gent. pag. 729. [q] *Sepher Ikarim*, lib 3, cap 14. [r] Vide Abarbinelem in *Pirush*, fol. 99. col. 2. Nachmanidem in *Pirush*, fol. 61. a.

eorum,

injuriae vi in Dinam illatae. Alii etiam non omnino admittunt praecepti de judiciis sensum ejusmodi esse ut qui non judicarent aut praefecturas juridicas non constituerent a quovis alio, ut Sichemitae a Simeone & Levi, plecterentur, sed ut ex eo numinis jussu obligarentur quique in civilem societatem coalescentes, nec alieno juri subditi sed suo potientes, praefecturas ejusmodi constituere quarum jurisdictione ac imperio ad reliquorum praeceptorum observationem homines adigerentur. Quod si non facerent, praecepti divini violati quidem reos esse, nec interim a quovis alio hoc nomine plectendos. Sed huc spectant disputationes virorum magnorum [s] de eo quod est utrum ob violationem juris naturalis bellum etiam in quemcunque inferre fas sit. Non omnino autem volunt Ebraei praeceptum hoc de judiciis (quo omnimoda administrationis civilis ac publicae ratio continetur) ad alios (quantum ad praefecturarum constitutionem) attinere quam qui sui juris & ditionis suae essent nec alieno eatenus imperio subditi. Etenim quotcunque proselyti domicilii in territorio haberentur Israelitico, id est, quotcunque Noachidae necdum in Judaismum recepti, sed utcunque praeceptis illis naturalibus septem obstricti; ad ipsos non omnino attinuit sibi judices aut praefecturas juridicas ibi constituere, sed constitutis ex autoritate publica eorum qui rerum summae in republica Israelitica praeerant subesse & parere; qua de re loco paulo ante citato etiam nos fusius.

CAP. IV.

Poenam Cerith seu excisionem aut exterminium **cutting off** *nobis vulgo appellatam, quae in edictis divinis de circumcisione & de fermento intra hebdomadem paschalem non comedendo, in hoc quod tractatur intervallo, praescripta est, forensem apud homines non fuisse nec in judiciorum humanorum effectu obtinuisse locum, unanimes tradunt Ebraei, eamque solummodo divinitus fuisse exspectandam. Obiter de jurisdictione praefecturarum juridicarum circa circumcisionem aliaque tunc sacra.*

CUM de poenis hujus quod tractamus intervalli capite superiore egerimus (in quibus sane effectus actionum & judiciorum forensis maximus cernitur) haud intempestivum fore duximus si, priusquam juxta institutum ad reliqua progrediamur, de binis poenarum generibus viderimus; quorum alterum in sacro hujus intervalli sermone expressim a numine praescribitur, & a nonnullis, neque paucis iis, pro ea quae erat apud homines forensis sumitur; alterum autem etiam huic intervallo, argumentis etiam e sacro sermone utcunque petitis, a viris magnis tribuitur. Prius hic poenae genus est illud quod כרת *excisio* seu *exterminium* dictum, tum in praecepto de circumcisione Abrahae [t] dato tum in illo de fermento intra hebdomadem paschalem [u] non comedendo continetur, uti etiam in compluribus post legis in Sinai dationem interdictis, quae ad intervallum hoc, qua talia, non spectant. Haec autem praecepta bina, quibus adnectitur illa poena, legis dationem in Sinai antevertunt. Alterum poenae hic genus est *excommunicatio*, de qua inferius. Praeceptum accepit Abraham familiae suae posterisque observandum de masculo quolibet octo dierum circumcidendo, sive filius esset sive servus vernaculus aut emptitius. Adjicitur וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו ונכרתה הנפש ההוא מעמיה את בריתי הפר׳ *Et praeputiatus masculus qui non circumciderit carnem praeputii sui* (juxta Graecos & Vulgatae autorem verti solet, *cui praeputium carnis non circumcisum fuerit*; qua de re statim plura) *excidetur*, *delebitur* (ut Vulgata) ἐξολοθρευθήσεται καὶ ἀφανισθήσεται, *destruetur*, *auferetur*, *exscindetur* seu *exterminabitur*, *anima illa* (Onkelos אנשא ההוא *homo* seu *vir ille*, & Saadias ذلك الرجل quod idem sonat) *de populis suis*. *Pactum meum dissolvit* seu *violavit*. Et de fermento in hebdomade paschali non comedendo; כל אכל חמץ ונכרתה הנפש ההוא מישראל׃ *Qui comederit fermentum*, *eradicabitur*, seu *excidetur*, seu *peribit* (ut Vulgata) *anima illa*, *persona illa*, *ex Israel*, seu *ex coetu Israel*, *tam de advenis quam de indigenis terrae*, id est, tam de originariis quam de proselytis justitiae. Judaei Hispanienses, utroque in loco, uti & alibi in sequentibus Pentateuchi legibus quibus ejusmodi adjecta poena, *sera taiado da la alma essa*, quod *scindetur* sonat, uti & تنقطع ibi Judaeis Mauritaniensibus & Saadiae. Germanienses item Judaei **er zul worden vorschniten der leiba der zelbig**, *ipsius vita exscindetur*. Graecienses ibi γλωθρευτῆται ἡ ψυχὴ ἐκείνη, גלותרפטי quod nondum satis intelligo. Et secundum versiones jam dictas quibus *anima illa* erat *exscindenda*, suas fecere Galli qui *sera retranché* substituunt. Sic item Itali *sara recisa* (pro quo vetustiores habuere *esterminata*, etiam & *scanzellata*) & Angli recentiores, **that person**, aut **that soul, shall be cut off.** Alii hic *eradicabitur* vertunt, ut Lutherus **des seele sol ausgerottet werden aus seinem volck**, cui consonae satis sunt versiones Belgicae, & nupera & vetustior, uti & Anglicanae vetustiores. Olim enim seu ante Elizabethae reginae tempora (quibus ad Ebraicam veritatem interpretes primo apud nos suam accuratius exigi volebant) substituebatur, ut e Vulgata, **that soul shall perish from his people**, & **that soul shall be plucked out from Israel.** Et Syrus ܬܐܒܕ & ܬܬܚܒܠ ܢܦܫܐ ܗܝ *perdetur*, *destruetur anima illa*. Et tempore sic futuro, ut oportet, seu ut a numine comminatorie dictum, reddi plerumque solet; non modo imperativo (quem tamen non desunt qui hic adhibent) seu quasi ad alios praeter numen ipsum, seu ad tribunalia aliqua humana, irrogatio poenae hujusmodi spectaret; qua de re statim plura. Quod ad priorem, seu

[s] Hugo Grotius de Jure Belli, lib. 2. cap. 20. §. 40. alii ibi citati.
[t] Gen. xvii. 14.
[u] Exod. xii 15, 19.

seu quae de circumcisione est, locum attinet; codex ibi Samaritanus habet אשר לא ימול את בשר ערלתו ביום השמיני *cui non fuerit circumcisa* (nam verum est ita posse etiam reddi ימול, & cum adjicitur dies ipsi actui octavus, necesse est ut sic reddatur) *caro praeputii sui in die octavo, &c.* quemadmodum etiam Septuaginta atque versio Samaritana uti & Arabica MS. ex Samaritano-Ebraea. Chrysostomus; *Qui non fuerit circumcisus* τῇ ἡμέρᾳ τῇ διατεταγμένῃ ἐξολοθρευθήσεται, *die constituto*, seu octavo, *peribit*, seu *exterminabitur*. Atque Augustinus [x], *Ad hoc responde, si potes, cur ipse Isaac nisi baptismatis Christi signo circumcisus die octavo fuisset, perisset anima ejus de populo suo. Explica, si potes, tanta poena quo merito plecteretur, nisi ab hac illo sacramento liberaretur.* Alibi [y] ipse tantundem. Et Graeca sic interdum vertuntur interpunguntur que ut dies octavus sit ipsum excisionis tempus, perinde ac si fuisset dictum, *Incircumcisus die octavo peribit*, seu *octavo die interibit, anima illa* [z], ut versio Graecorum Latina Sixti Quinti auspiciis edita. Cum autem *anima* hic *illa*, seu *homo* aut *vir ille*, de eo cujus praeputium non est circumcisum, omnino ab Ebraeis aliisque intelligatur, locum, in hac de incircumciso ipso periocha, habere non debuit illud de die octavo, quod forsan a Dositheo [a] aliove Samaritani codicis interpolatore e Graecis est transumptum. Neque enim ut infanti octiduano se non circumcidenti poena eo nomine qualiscunque in edicto de circumcisione Abrahae dato praescriberetur, sensum fuisse omnino admittunt Ebraei. Et mirum etiam, poenam, velut ordinariam, ei irrogandam ex eo tantum quod pater aut dominus non circumciderit, aut quod non circumcideretur ab alio, cum nec ipse quiret. Quod theologi hic habent de peccato originali obvium cuique est, neque tangimus nos. Sed Aben Ezra etiam hic aliique Ebraeorum expressim ימול active sumendum seu pro futuro in *Kal* monent, seu pro eo quod est *qui non praeputium suum circumciderit*, quod de puerulo octiduano non intelligitur, nedum de parentibus aut curatoribus (quod nonnullis [b] placet) sed de incircumciso cum adultus esset, ut statim dicetur. Onkelos item דלא יגזר *qui non circumciderit*. Et Diodorus Tarsensis [c]; *Quid infans incircumcisus peribit? Est enim parentum ut octavo die circumsecetur. Codex igitur apud Syros ita se habet*, "Quicun- "que non circumcidit, peribit." Et Procopius Gazaeus; *Quid peccat vel deliquit octo dierum infans, si non circumcisioni admoveatur? Aut relatio itaque ad parentes facienda est qui sic puniuntur ubi neglexerint circumcisionem, aut hyperbolicῶs de infante haec dicta sunt* (sed neutrum horum admittunt Ebraei) *ut appareat quam indigne ferat si infantes non circumcidantur, vel ut cognoscamus eum inexorabilem fore adultis si circumcisionem aspernati fuerint. Syrus non habet passive* circumcidetur, *sed sic legit*, Omnis qui non circumcidit. *Hebraeus sic habet*, "Omnis non circumcidens." Ita ille Diodoro consonus. Et certe in codice prisco versionis Syrae MS. reverendissimi antistitis Jacobi Usserii, primatis Hyberniae, uti etiam nunc in editione Syra Parisiensi, legitur ܘܥܘܪܠܐ ܕܟܪܐ ܕܠܐ ܓܙܪ ܒܣܪܐ ܕܥܘܪܠܘܬܗ ועירלא דכרא דלא יגזר בשרא דערלותיה׃ *Et praeputiatus masculus qui non circumciderit carnem praeputii sui, &c.* licet in versione ibi legatur, *cui praeputii caro minime circumcideretur.* Res igitur juxta magistros ita se habuit. Ex ipso de circumcisione praecepto tunc dato Abrahamus posterique ejus servique circumcidendi quidem erant, uti & circumcidebatur ipse totaque ejus familia mascula; & masculus quilibet octavo a partu die pariter erat circumcidendus sive a patre sive a domino eorumve procuratione, quorum utrumque aiunt Ebraei praecepto quidem teneri, nec tamen omnino poenae excisionis (quam כרת *Cerith* vocant) hic singulari subjici, quod tamen perperam volunt aut oscitanter admittunt viri aliqui docti etiam disciplinae rabbinicae perquam sane assueti. Poenam hanc scilicet docent Ebraei ad ipsum masculum incircumcisum duntaxat attinere, uti & ipse sacer satis indicat sermo. Et magistri hic אין הכרת תלוי אלא בערל עצמו *Poena excisionis hic spectat tantum ad ipsum incircumcisum.* Scilicet aut intra octiduum a partu aut statim postea circumcidere filios servosque debuit pater & dominus, aut simulac utcunque potuerint, quoties in ipso die octavo aut statim postea res peragi nequiret. Ipsum Abrahae familiaeque ejus circumcisionis exemplum plane ostendit ita se rem habuisse, ubi diu ante variatim praeterierat partus octiduum. Alia tantundem in sacris literis [d] sequentia. Et pater dominusve circumcisionem sic praetermittens ביטל מצות עשה ואינו חייב כרת׃ *reus erat praecepti affirmativi violationis, neutiquam vero excisionis poenae subjiciebatur* [e]. Neque obstat quod legitur de Mose (saltem si de Mose ipso res capienda fuerit) *Factum est* [f] *in ipso itinere, in ipso hospitio, ut occurreret ei Dominus* (LXX hic ἄγγελος habent, quasi angelus mortis, & Targum Hierosolymitanum מחבלא *perdentem* seu angelum perdentem, id est שטן seu *Satan) & quaereret occidere eum. Et tulit Zippora petram, & amputavit praeputium filii sui, applicuitque, &c. Tunc ille dimisit eum, &c.* quasi hic excisionis poenam ob circumcisionem sive Gersomi sive Eleazari (sed de hoc potius capiunt magistri) praetermissam patri irrogaturus fuisset hic angelus mortis seu devastator, idque juxta praescriptae circa circumcisionem poenae rationem: Etenim res plane erat extraordinaria, neque ex circumcisionis lege ante data sic intelligenda, sed ex divino tunc placito. Nec sane ab omnibus intelligitur comminatio illa velut ob circumcisionem praetermissam facta. Videsis ibi Abrahamum Hispanum, uti & Munsterum & in Chaldaicam loci paraphrasin Fagium. Quid, quod etiam in Arabica Saadiae versione & quae in Jaianis bibliis habetur, locus ipse non de Mose sed de filio ejus, utpote Eleazaro, diserte capitur? Sic enim ibi, *Cumque esset in itinere in diver-*

[x] Contra Julian. Pelag. lib 3. cap. 18. [y] De Civit Dei, lib. 16. cap 27. lib. 2 contra Pelagium & Coelestium, cap. 30. de Nuptiis & Concupiscentia, lib 2. cap. 11. [z] Vide Bedam ad Genes. xvii. [a] Vide Eulogium apud Photium Biblioth. cod. 230 sub finem. Et Hugonem Grotium in Levit. xvii. 4. [b] Bened. Perer. in Genes. xvii quaest. 6. Lyranus, Dionysius Carthusianus, alii. [c] In Catena in Genesin, Colon. 1572. [d] Josue cap. v. 3. [e] Maimonides tract. *Mila*, cap. 1. Moses Mikotz. in Praecept. Affirm. 29. *Arba Turim* in *Jore Deah*, cap. 260, & 261. Vide Hugonem Grotium in annotatis ad Genes. xvii. [f] Exod. iv. 24.

sorio فاجا ولده ملاك الله *irruit in filium ejus angelus Dei, voluitque occidere illum.* Et Judaeus proselytus apud Tertullianum[g], *Filius Mosi tum ab angelo praefocatus fuisset, si non Seffora mater ejus calculo praeputium infantis circumcidisset*; quod & satis admittit Augustinus[h], uti ante e Judaeorum disciplina Origenes[i]. Et Rabbi Simeon Ben Gamaliel[k], לא למשה רבינו בקש שטן להרוג אלא לאותו התינוק *Non Mosem magistrum nostrum quaesivit Satan* (angelus mortis) *occidere, sed ipsum puerulum.* Atque res ipsa, quae ita plane etiam extraordinaria erat, ad incircumcisum sic ipsum non ad patrem attinuit. Sed consulas ea de re recentiores passim obvios. Et mirum sane est quod habet hic Lyranus[l] ex Judaeo Christianus, nempe *patrem pueri, vel ejus tutorem, si pater esset mortuus* (si ultra octo a partu dies omitteretur circumcisio) *morte debuisse puniri*, idque velut ex lege hac sacra. Reclamat schola integra unde prodiit ille. Nec in sacro sermone quid ejusmodi repertum. Nec vero legem illam de excisione ad incircumcisum ipsum attinere volunt, antequam adolevisset, seu aetatem attigisset qua ipse satis sciens rem potuisset peragere; quod tempus regulariter de anno aetatis decimo tertio completo praeter diem insuper unicum, capiunt. Maimonides de annis ita majore, הוא חייב למול את עצמו וכל יום ויום שיעבור עליו משיגדל ולא ימול את עצמו הרי הוא מבטל מצות עשה *Ipse tenebatur circumcidere seipsum; & quolibet die vitae suae postquam adolevisset* seu *major esset, quamdiu se non circumcidisset, violabat praeceptum de circumcisione affirmativum.* Quod vero ad poenam excisionis etiam hic spectat, statim subjicit אבל אינו חייב כרת עד שימות והוא ערל במזיד *Caeterum nec ipse incircumcisus reus erat excisionis usque dum moreretur, atque esset sponte* seu *ex animi sententia incircumcisus*, id est, non ex ignorantia, casu, vi, errore. Unde nec במזיד seu *sponte reus* habebatur absque התראה seu *praemonitione*, id est, nisi ex eorum qui scirent disciplina legem ipsam ad circumcisionem attinentem didicisset; quemadmodum de reliquis in sacro sermone excisione puniendis docent passim magistri: Ita enim de circumcisione poenisque ad illius aliorumque praeceptorum jus spectantibus, quae ad Abrahae familiam posterosque sic attinuere, statuebant. Caeterum de Noachidis, id est, genere humano universo reliquo quod praeceptis tantum naturalibus divinisque primariis teneretur (ut supra ostenditur) aliter se res juxta eos habuit. Nimirum ad praeceptorum illorum interdictorumque observationem obligatos fuisse Noachidas alios cunctos, adeoque poenis tam coelitus infligendis quam humanis בלא התראה *sine praemonitione* juste subjiciendos: id est, non ex juris ignorantia, utpote cuique ex genere humano pariter dato inditoque ullatenus excusandos. Jam vero ex illo ipso quod de tempore seu momento mortis e Maimonide ante affertur, palam satis fit (si alia non exstarent testimonia) juxta Ebraeorum sententiam quam tradit ille, excisionem hic poenam non omnino fuisse apud homines forensem, seu ex judicio humano aliquo pependisse, sed tantummodo coelitus seu divinitus, seu, ut ipsi loquuntur בידי שמים *manu Dei* atque ex ejusdem solius placito infligendam, quemadmodum plane in primo verbi כרת in Genesi[m] usu etiam intelligitur: *Statuam*, inquit numen, *pactum meum vobiscum* ולא יכרת כל בשר עוד ממי המבול *& nequaquam posthac excidetur omnis caro per aquas diluvii*; quae poena erat divinitus hominibus irrogata. Et cum in legibus Mosaicis non raro excisionis sub nomine כרת poena occurrat, integerque sit in corpore Talmudico titulus כריתות seu *de Excisionibus*, receptissimum est magistris poena illa nullam omnino apud homines forensem significari, sed tantummodo divinam; qua de re nos etiam alibi[n]. Atque ex triplici illa ibi ostensa, juxta magistrorum saltem aliquorum mentem, excisionum triginta sex (toties enim in Pentateucho praestituitur haec poena) distinctione, scilicet corporis ob peccata aliqua solummodo, solummodo item ob aliqua animae, & demum ob alia tam corporis quam animae, haud difficile fuerit intelligere quod hic tradit Maimonides de excisionis poena in ipso mortis momento irroganda. Nam in excisionum triginta sex quae habetur ex sacris literis recensione duodecim occurrunt quibus anima solum, non corpus, exciditur juxta aliquorum disciplinam. Atque duodecima illarum est excisio masculi incircumcisi. Sensus igitur Maimonidis aliorumque ejusdem aut congeneris sententiae necesse videtur ut sit, in ipso mortis momento nec ante reum illum fieri excisionis quae tam ad animam quam ad corpus pertinere sic potuit. Et diserte Maimonides alibi[o] loquitur de excisione ut poena qua נכרת מחיי העולם הבא *vita futuri seculi praeripitur* seu *exciditur*. Et perire ait eum cui irrogatur haec poena כבהמה *velut bestiam.* Etiam de ψυχαῖς μετὰ τὴν γένεσιν καθαιρεμέναις seu *animabus post generationem sublatis* seu *excisis* mentionem fieri apud philosophos[p] interdum videmus; quorum placita saepe imbiberant magistri. Intellexere igitur quasi dictum fuisset, masculus qui adoleverit quisque circumcidere se tenetur; quod si adeo sponte neglexerit ut ante mortem neutiquam circumcidatur, tunc a numine excidetur. Nam octidui terminus & aetas minorennis incircumcisi ad patres dominosque spectat, non omnino ad eum (juxta hanc sententiam) qui se circumcidere major debuit. Sed in statuendo qualisnam fuerit poena illa excisionis unanimes non sunt magistri. Discrepat hic Salomon Jarchius, qui verba illa, *excidetur anima illa* seu *vir ille* seu *persona*, interpretatur הולך ערירי ומת קודם זמנו *e vita excedet improles & immature morietur*, aut *non dimidiabit dies suos.* Quale dictum in Psalmis de viris dolosis & sanguinum; deducendos eos a numine in puteum[q] interitus, nec dies suos sibi fore dimidiatos; ubi R. David Kimchius, כלומר לגהנם שתאבד נפשם במות גופם וגם מיתת גופם תהיה כרת שלא יגיעו לחצי ימיהם inquit, *quasi dictum fuisset deducendos eos in gehennam, unde periret anima eorum in morte corporum*

[g] Adversus Judaeos, cap. 3. [h] In Exod. lib. 2. quaest. 11. [i] In Cels. lib. 9. pag. 171. [k] Gemar. Babylon. ad tit. *Nidarim*, cap 3. fol. 32. a. Videsis Bened. Perer. in Exod. iv. disp 5. [l] Ad Genes. xvii. [m] Cap. ix 11. [n] De Jure Nat. & Gent. lib 7 cap 9. [o] Tract. *Theschuba*, cap. 8. [p] Proclus in Theolog. Plat. lib. 6. cap 10. & vide Lips. Stoic. Physiolog. lib 3. cap 11. [q] Psal. lv. 23. & de animabus etiam videsis Kimchium ad Psal. cxv. 17.

eorum

eorum, atque etiam mors corporum ejusmodi esset excisio, seu *Cerith*, *ut non attingerent dimidium dierum suorum*[r]. Quinetiam Aben Ezra de re tota hic expressim אם היה בר מצוה ולא ימול את בשר ערלתו יש עליו כרת כי מצו׳ הנער הקטן על האב ואם אביו לא מלהו מול עצמו ברשותו וכרת בידי שמים וגו׳ *Quando est filius praecepti* (seu majorennis) *si non circumciderit carnem praeputii sui, impendet ei excisio; quoniam praeceptum quidem de parvulo datur patri: Sed si pater eum non circumciderit, ipse se circumcidet. Et excisionis poena est ab ipso Deo. Atque in errore versantur illi qui existimant adolescentem qui mortuus fuerit nec circumcisus neutiquam habere* הלק לעולם הבא *partem* seu *sortem suam in seculo futuro* seu *vitae aeternae*. Neque enim admittit ille opinionem de animabus excidendis. *Et vox* נפש *hic* (sic pergit Aben Ezra) *non significat quod illi volunt* (seu Animam a corpore distinctam) *sed pro* איש seu *Homine adhibetur & significat corpus in quo est anima, ut in illo*[s], anima cum peccaverit. *Et sunt qui dicant per excisionem hic intelligi cum quis moritur ante annum quinquagesimum secundum*; *alii, cum exciditur nomen ejus per mortem seminis seu posteritatis ejus. Ideo dicit scriptura hic* de populis suis: *Nam is cui liberi sunt* seu *nepotes, est quasi in vivis, & nomen ejus non exciditur.* Alii de morte ante sexagesimum seu inter quinquagesimum & sexagesimum sumunt, aliique[t] aliter. Attamen consentiunt interim universi ex numinis solius placito infligendam esse hanc poenam seu ביד שמים *manu Dei*, quae locutio est generalis de poenis inde hominibus irrogandis, etiam excisione, nec tamen citra mortem, levioribus. Unde Maimonides[v], המיתה בידי שמים הוא פחות מן הכרת לפי שהמחוייב כרת ישאר העונש עליו אחר המיתה׃ *Mors simpliciter a manu Dei inflicta levior est*, seu *poena minor, quam excisio, quoniam reus excisionis etiam post mortem punitur.* Atque adjicit, ומחוייב מיתה בידי שמים נתכפר לו כתמיתה׃ *Reus autem mortis tantum corporalis a manu Dei infligendae, ex ipsa morte sic illata expiatur.* Qui plura velit de excisionis poena juxta Talmudicos, consulat cum primis Isaacum Abarbinelem[x] in Numeros, qui octo quidem tradit inter eos discrepantes circa apices aliquot ea in re sententias. Neque vero apud Talmudicos solum seu traditionalium sectam (quam plerumque sequuntur qui rabbinica seu veterem Ebraeorum mores suam in rem trahere solent) sed etiam apud Karaeos seu scripturarios Judaeos, qui Talmudicis saepius libentissime adversantur, receptissima est atque ut juris exploratissimi indubitatique sententia illa, poenam *Cerith* seu excisionem בידי שמים *divinitus* solum seu *a manibus Dei*, non hominis omnino aut a potestate fori humani, infligendam. Rabbi Eliah Ben Moseh, Karaeus, scriptor MS. sane doctissimus gravissimusque, quo etiam alibi[y] usi sumus, in tractatu de sabbato (cujus violationi in sacro sermone[z] excisio in poenam praestituitur) caput[a] habet במשפט מחלל השבת *De jure quod attinet ad eum qui sabbatum profanaverit*, ubi ad hunc modum & appositissime ad rem quae prae manibus hic ille. Et locus integer etiam non causam ob unicam advertendus. Ita autem se habet; העובר במצוה אחת ממצות לאוין שבתורה׃ הוא על שני חלקים בנסתר׃ וזהו על הרוב ובנגלה וזה על המעט אלא אם יהיה רשע מרשעי ישראל׃ והוא הנקרא משומד להכעים׃ והנה על העובר בנסתר ייעד לו הכת׳ כרת והוא כרת בידי שמים בכת׳ כי כל העושה בה מלאכה ונכרתה׃ וכן כל כרת שבתורה הוא כרת בידי שמים בין בגופו בין בנפשו וכן בעריות חייב הכת׳ כרת בעבור שהבא על האשה הוא בסתר כמו שביארנו׃ וטעם הכרת הוא כדמות הסעיף הנכרת מן האילן כי יכרת בזה העולם זולת זמנו הטבעי׃ ותכרת נפשו ג״כ בעולם הבא׃ כי אז היא נפרדת ממקומה׃ ולכן מצות לא תעשה רובן בכרת מפני שהן יותר חמורות ממצות עשה׃ אמנם העושה מלאכה בגלוי ע״י עדים והתראה חייב סקילה על פי בית דין׃ כאשר נאמ׳ במוקש עצים ויגרמו אותו אבן׃ ואם עשה מלאכה בשגגה בין בסתר בין בגלוי חייב חטאת׃ אמנם העובר על דברי החכמים במצות שבת אשר הוציאו מכח דברי תורה חייב מכת מרדות על פי גזרת בית דין׃ אמנם במקום שאין בית דין ישראל עומד בדיני נפשות׃ וזה בזמן הגלות׃ כל העובר ומחלל שבת חייב מידי שמים בין בסתר בין בגלוי׃ *Quisquis praeceptum aliquod negativum ex eis quae in lege reperiuntur violaverit, is aut clam peccat, quod frequentius fit, aut in aperto, quod fieri solet rarius, nisi ubi quis ex hominum genere fuerit profligatissimo, quos apostatas vocitant. Jam vero clam violanti sabbatum praestituit scriptura* Cerith, *seu excisionem, quae est poena manibus Dei*, seu *per Deum, infligenda, secundum id quod scriptum est*[b], Quicunque in eo opus aliquod fecerit, excidetur. *Atque similiter omnis excisio in lege memorata est per manus Dei infligenda, aut in poenam corporis aut in poenam animae. Atque ita in legibus de incestu & illicito concubitu praestituitur excisionis poena, quoniam concubitus cum foemina clam fieri solet, quemadmodum alibi explicamus.* (Nam etiam scripsit ille tractatum בעריות *De incestu & coitu illicito*, unde nos nonnulla in Uxore Ebraica decerpsimus.) *Ratio autem ac sensus excisionis hujusmodi est*; *ut ramus ab arbore exciditur in hoc mundo antequam perficitur ei tempus suum crescendi naturale, ita etiam anima peccatoris jam dicti exciditur in mundo*, seu *seculo, futuro, quoniam separatur ab*, aut *non fruetur*, *loco suo. Atque ideo praecepta compluria negativa conjunctam habent poenam excisionis, quoniam gravioris sunt momenti, quam affirmativa. Caeterum qui opus fecerit in sabbato aperte, adeoque ut nec testes defuerint nec praemonitio*, (ita de praemonitione, de qua paulo ante e Talmudicis diximus, consentiunt etiam Karaei) *lapidationis poena ei subeunda est ex sententia synedrii*, seu *praefecturae juridicae, juxta id quod dicitur de eo qui ligna in sabbato collegit*, & lapidabunt[d] eum lapidibus. *Si autem ex errore opus fecerit, sive id clam factum fuerit sive in aperto, sacrificium ob peccatum adducere debet. Atqui si peccaverit contra verba*, seu *dictata, sapientum circa sabbatum, veluti praecepta quae argumentando ex ipso sacro sermone eliciunt illi*,

[r] Videsis Isa. xxxviii. 10. [s] Levit. iv. 2. [t] Videsis Gemar. Babylon. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 28. a. Adde Joann. Drus. ad difficiliora loca Genes. cap. xxiv. Sixtin. ab Amama in Antibarbaro, lib. 3. pag. 954, &c. Constant. l'Empereur in Notis ad Bertram. pag. 351. J. Buxtorf in Lexico Chald. verb. כרת. [v] Ad Misnam tit. *Sanhedrin*, cap. 9. §. 6. [x] Ad Num. xv. 30. in *Pirush Tora*, fol. 297. col. 2. [y] Tract. de Anno Civili Judaeorum, cap. 2. Uxore Ebraica, lib. 1. cap. 36. [z] Exod. xxxi. 14. [a] Cap. xii. [b] Exod. xxxi. 14. [c] Lev. xviii. 29. [d] Num. xv. 35.

verbe-

erberibus, *ut contumax, est plectendus, idque* *x sententia forensi* seu *synedrii. Si vero locus* *t in quo nullum Israelitarum synedrium cui po-* *estas sit judiciorum capitalium constituitur* *quemadmodum in captivitatis tempore) tunc* *ransgressor ejusmodi quisque & violator sab-* *ati manibus Dei*, seu *a numine*, *puniendus est*, *ve clam peccaverit sive aperte.* Sic Karaeus le. Adeoque demum, quicquid de singulari oenae excisionis qualitate aut sensu, qua sive eculum praesens sive futurum sive corpus sive nimam spectat, ex discrepantibus, ut ante, sen-entiis statuendum fuerit; manifestius interim ertiusve nihil est quam eam nec ab Talmudicis ec a Karaeis inter humanas aut apud homines orenses poenas omnino censeri, sed pro divina eu divinitus tantum infligenda utcunque diversi-node, ut jam dictum est, accipi. Unde revera d praefecturae juridicae potestatem aut jurisdi-tionem quam jam tractamus non omnino atti-uit. Ut vero quod ad circumcisionem contra is praetermissam ejusque in foro humano sub A-raha posterisque ejus, quoties sui essent nec ali-ni juris, cognitionem attinet, rite etiam intelli-atur, advertendus est praefecturarum apud E-raeos juridicarum post legis in Sinai dationem irca eandem usus, unde difficile non fuerit de o qui ante obtinuit (cum idem jus ipsum circa am ante obtinuerit quod post) dijudicare. Ni-mirum si pater aut dominus juxta praeceptum on circumcideret, synedrium seu praefectura ui suberat incircumcisus juridica (quando nempe c quoties ita sui juris essent ad quos circumci-ionis praeceptum attinuit ut praefecturas juridi-as sibi potuerint constituere) eum circumcidere x officio tenebatur, adeoque cogendi ad circum-isionem fruebatur jurisdictione. Ita scilicet si Talmudicis fides. Gemara Babylonia [e] de cir-umcisione ex primario instituto verba faciens; והיכא דלא מהליה אבוה מחייבי בית דינא למימליד דכתיב המול לכם כל זכר והיכא דלא מהליה בי דינ מחייב איהו למימהל נפשיה דכתיב • וערל זכר אש לא וג *Si modo filium non circumcidisset pater*, *enebatur illud facere domus judicii*, *praefectu-a juridica*, seu *synedrium*, *secundum quod criptum est* [f], "Circumcidatur vobis omnis mas-culus" (scilicet quod ita fieri generatim ex pa-to divino tunc inter numen sanctissimum atque Abrahamum posterosque ejus icto praestituebatur, d, quoties praetermitteretur ab eis a quibus juxta raeceptum erat praestandum, ut rite praestaretur rospicere debebant, idque ex praecepti sensu, udices seu praefecturae juridicae intra pacti illius im comprehensae, quarum potestati suberant ii quibus erat praestandum; quemadmodum chri-tianis principibus incubuisse volunt nonnulli [g] udaeorum parvulos intra ditionem suam baptis-no, ex imperio, donare:) *At vero licet syne-rium non circumcideret eum, ipse tamen* (modo dultus esset seu annorum tredecim praeter diem nicum) *seipsum tenebatur circumcidere*; *quo-iam scriptum est*, "Et incircumcisus, qui non circumciderit carnis suae praeputium suum, ani-ma illa excidetur e populis suis." Hinc magi-tri celeberrimi [h]; בית דין מצווין למול אותו הבן או העבד בזמנו ולא יניחו ערל בישראל ולא בעבדיהן • *Synedrium* seu *domus judicii jubetur circumci-dere filium seu servum ejusmodi tempore suo, ne relinquant incircumcisum in Israelitica republica aut in servis ejusdem.* Adjiciunt, אין מלון בנו של אדם שלא מדעתו אלא אם כן עבר ונמנע למולו שבית דין מלין אותו בעל כרחו • נתעלם מבית דין ולא מלו אותו כשיגדל הוא חייב וגו' *Filium alterius nemo circumcidere debebat nisi ex animi ejus sententia* seu *consensu*, *excepto tantum si transgressus esset, atque ita praeter-mitteretur circumcisio ut praefectura juridica eam fieri cogeret. Si vero res ignota esset prae-fecturae juridicae, adeoque ea neutiquam eum cir-cumcideret, ipse simul ac majorennis esset teneba-tur*, juxta superius ea de re dicta. Alia habent ma-gistri [i] de benedictionibus circumcisionis actui so-lennibus a patre si adesset & a praefectura juri-dica aut publica aut privatim eam in rem e trium-viris constituenda adhibendis. Atque ita post incircumcisi octiduum primo incepit synedrii of-ficium hic exsequendum, quoties pater aut domi-nus suum negligerent, & quantum video usque ad mortem incircumcisi duravit. Nam ex eo quod ipse majorennis tenebatur, non omnino se-quitur desiisse synedrii seu praefecturae juridicae officium, si ipse suum non praestitisset. Atque sicut ex Talmudico praecepti de circumcisione sen-su liquet, praefecturis quas tractamus jurisdictio-nem ejusmodi fuisse ut incircumcisum circumci-derent invitum, adeoque poenam renitenti irro-garent, ideo scilicet quia jussu divino praescrip-tum erat ut circumcideretur quilibet masculus (sic enim ratio in Gemara Babylonia redditur) ita de reliquis praeceptis judicandum; parilem scilicet eis fuisse jurisdictionem cum imperio conjunctam qua in eorum observationem homines suae ditio-nis legitime cogere potuerint, adeoque prospicere ne numinis mandata violarentur. Unde etiam effectus actionum, judiciorum ac jurisdictionis quae tunc exercenda haud parum dignoscitur tam circa sacra quam profana. De profanis ne-mo dubitat. Et quin praefecturae (quibus non modo jurisdictio cum imperio conjuncta exerce-batur in incircumcisos quotquot praecepto tene-bantur, idque quatenus tales, verum etiam au-toritas & potestas inerat circumcidendi, id est, sacramentum circumcisionis etiam invitis admini-strandi) tam de aliis sacris, veluti postea de pa-schate ac azymis, quam sic de sacramento circum-cisionis cognoscere & statuere rite ac legitime potuerint, ambiget puto nullus. Ita enim judi-cibus praefecturarum illarum incubuit *custodire viam* [k] *Domini & facere justitiam & judicium* tam de sacris, veluti cultu ejusque appendicibus, quam de profanis, ne scilicet jussa divina ac na-turalia non servarentur, aut violarentur ejusmodi interdicta. Sed ea de re plura inferius. Et de poena illa excisionis quae circumcisionis praeter-missae appendix erat nec apud homines omnino forensis, uti etiam obiter de jurisdictione apud homines circa circumcisionem forensi, hactenus. Idem ipsum de poena כרת seu *excisionis* ei qui in paschali hebdomade per hoc intervallum fer-mentum comederat praescripta dicendum. Fo-

[e] Ad tit. *Kidoschim*, cap. 1. fol. 29. a. [f] Genes. xvii. 11. [g] Scot. ad sent. 4 dist. 4. quaest. 9. alii ibid. Fortalit. Fidei, lib 3 cap. *Utrum liceat Judaeos ad baptismum compellere*. Ferdinand. de Loazes tractat. super Nova paganorum regni Valen-tiae conversione ibi. [h] Maimonides tit. *Milla*, cap. 1, &c. reliqui superius citati. [i] Maimonides tit. *Milla*, cap. 3. [k] Perez apud autorem *Sepher Colbo*, col. 84. col 4. alii. [k] Genes. xviii. 19.

renſis ea apud homines nullatenus erat, utcunque a praefecturis juridicis ſic reus ſive mulctis ſive verberibus, ut mos Ebraeis uſitatiſſimus, aliterve puniri potuiſſet. Unde etiam ad Pauli [l] illud, *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini: ideo inter vos multi infirmi & imbecilles*, καὶ κοιμῶνται ἱκανοί, *& multi dormiunt*, vir ſummi judicii Hugo Grotius, *Morte*, inquit, dormiunt *immatura, quae in lege ſignificatur per* כרת *ἐξολοθρευθήσεται), quod habes Exodi* XII. 15, 19. *de his qui paſcha celebrant cum fermento. Cum dicit* κοιμῶνται), *oſtendit ſe loqui de iis qui poenitentia tacti moriebantur. Nimirum Deus jus habet etiam poenitentes afficiendi hujus vitae damno.* Atque ſimili in ſenſu ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ [m], *excidetur de populo*, ſeu *exterminabitur de plebe*, uſurpatur in Novo Teſtamento, ubi reſpondet verbis illis Dei in Veteri [n], אדרש מעמו *requiram ab eo*, ſeu ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ, id eſt, *ego ultor exiſtam*, ut Vulgata. Inde etiam ὀλοθρευτὴς [o] & ὀλοθρεύων [p] pro *angelo mortis* ſeu *exterminatore*, per quem judicia ſua exequitur Deus, occurrit in epiſtolis, quarum ad locum priorem conſule Hugonem Grotium. Scio non paucos inter ſcriptores chriſtianos eſſe qui forenſe apud homines judicium idque capitale ſeu ejuſmodi aliud per כרת ſeu *exciſionem* locis in hiſce aliiſque in legis Moſaicae ſimilibus intelligi velint, uti etiam qui de aeterna damnatione rem [q] cepere. Et Abulenſis quidem ad illud de circumciſione; *Doctores ſancti & omnes catholici dicunt quod accipitur anima proprie ut ſignificat partem; & eſt ſenſus, Quod illa anima peribit de populo ſuo, id eſt, poſt mortem non aggregabitur ad populos ſuos, id eſt, populos ſanctorum; ſic enim dicitur de quolibet viro juſto quando moritur*, congregatus ad populum ſuum. *Et ſi arguas de Iſmaele quod dicitur de eo infra* c. XXV. aggregatus eſt ad populum ſuum; *Reſpondetur quod Iſmael ſecundum Hebraeos in fine vitae ſuae poenitentiam egit de peccatis; ideo inter ſanctos computatus eſt.* Qui tamen ad locum alterum de fermento in paſchali hebdomade non comedendo, " Peribit anima illa de " Iſrael, *id eſt*, inquit, *occidetur mandato judicis, ſi conſtiterit; ſicut de illo qui ſanguinem comederet, ut habetur* Levit XVII. & Deut. I. & Levit. VII. *Cum autem non conſtaret, Deus exterminabit animam illam vel occidendo illum virum, aut infligendo magnas poenas, niſi de commiſſo doleret, preponens talia deinceps non committere.* Perquam obvii ſunt interpretes alii tam pontificii quam ex reformatis qui ita rem explicandam volunt. Etiam Lyranus ipſe, ex Judaeis, *Ipſe puer veniens ad aetatem adultam, ſi negligeret circumciſionem accipere, puniendus erat morte*, quod de judicio apud homines forenſi accipitur [r]. Quin vero de excommunicatione forenſi capiendam volunt non pauci; qua de re inferius plura. Sed inauditum eſt apud Ebraeos, morte aliove judicio apud homines forenſi plexum eſſe aliquem ſive ob circumciſionem praetermiſſam ſive ob fermentum in paſchate comeſtum, ſive ob aliud facinus eo nomine tantum quod poena כרת ſeu *exciſio* patranti praeſtitueretur. Interdicta ejuſmodi divina violata (ſi mortis poena non adjiceretur, quae aliquoties in lege Moſaica poſtmodum exciſioni etiam adjuncta eſt) verberibus, mulctis, aliterve ex judicio forenſi luenda voluere, nunquam ſupplicio aliquo capitali; neque exciſionem aliunde quam divinitus exſpectandam admitti. Et ad illud Lyrani jam adductum recte Paulus Burgenſis [s] (quem Rabbi Paulum appellat Dionyſius Carthuſianus Lyrani ſententiam perperam amplectens) *Omittens circumciſionem* (quod de reliquis reis qua ſolum exciſioni obnoxii fuerint pariter capiendum) *non erat morte corporali puniendus, etiam ſecundum Hebraeos. Non enim dicitur hic*, morte moriatur, *ſicut in aliis criminibus in quibus lex vetus mandabat puniri morte corporali: ſed dicitur hic*, delebitur anima ipſius, *id eſt, non computabitur inter ſanctos, ſecundum gloſſam. Cujus ratio eſt; quia talis anima remanebat obligata originali peccato, in cujus remedium circumciſio fuit data, ut in* 4 *diſt.* I. De ratione conſulas ſcholaſticos ad citatum ſententiarum locum. Sed vero accedat hic etiam, poenam hanc aliquoties a numine ſic perſona prima (veluti, *ponam faciem meam in eum* הכרתי *excidam ego* [t], *ſuccidam, interficiam de medio populi ſui, diſperdam*, ἀπολῶ) praeſcribi ut etiam inde ex divino non humano aliquo judicio merito pependiſſe credendum ſit. Advertendum inſuper, facinora & delicta alia ex lege in Sinai data tum exciſione (quoties ſponte commiſſa eſſent) tum morte forenſi expreſſim luenda (ſemper adjicias de exciſione, niſi poenitentiam egerit & numini ſe reconciliarit, adeoque ſe poena ſic liberarit reus, quod tum chriſtiani hic tum Ebraei adjiciendum admittendumve volunt) alia exciſione, ſine mortis ejuſmodi adjectione; etiam & alia, morte, quae forenſis erat, nec tamen exciſione expreſſa. Primi generis ſunt, ſabbati profanatio [v], adulterium, & inceſtus aliquot genera, blaſphemia, idololatria. Secundi generis, tum circumciſionis praetermiſſio, tum fermenti in paſchate & ſanguinis & adipis comeſtio, aliaque aliquot maxime circa ſacra in Levitico & Numeris obvia. Generis tertii, filii in parentes contumacia [x] atrocior, & furtum ſimul & venditio Iſraelitae [y], etiam homicidium, alia aliquot. Nam quod poſt leges ſacras de errore & ignorantia praeſcriptas legitur in Numeris [z], *Anima quae per ſuperbiam aliquid commiſerit, ſive civis ſit ille ſive peregrinus, (quoniam adverſus Dominum rebellis fuit) peribit de populo ſuo; verbum enim Domini contempſit, & praeceptum illius fecit irritum; idcirco delebitur, & portabit iniquitatem ſuam*, ut Vulgata ibi habet, ſecundum quod etiam alii locum illum verterunt, retinentes τὸ *aliquid*, quaſi in Ebraeo eſſet; aliis charactere in typis alio id illic non haberi recte monentibus (nam Ebraea ſonant *qui elata manu fecerit, ſive civis, &c.*) id ſumunt Ebraei ut dictum ſolum de blaſphemo & idololatra; ſcilicet de eo qui adeo elata manu per ſuperbiam aut contemptum numinis ei rebellis fuerit ut aut negaverit poteſtatem ejus & jubend

[l] 1 Cor. XI. 29, 30. [m] Act. Apoſt III. 23. [n] Deut. XVIII. 19. [o] 1 Cor. X. 10. [p] Ad Ebraeos XI. 28. [q] Auguſtin. lib. 2. contra Pelagium & Celeſtium, cap. 30. [r] Vide Dionyſ. Carthuſian. ad Geneſ. XVII. [s] In additionibus ad Lyranum. [t] Levit. XVII. 10. & XX. 5, 6. & XXIII. 30. [v] Exod. XXXI. 14. Num. XV. 35. [x] Deut. XXI. 21. Exod. XXI. 16. [y] Deut. XXIV. 7. [z] Cap. XV. 30, 31.

ju:

jus, atque praecepti quod violaret vim (quod in blasphemiam recidit) aut aliud quid pro numine ut idololatra coleret; quasi dictum fuisset, Qui adeo elata manu facit ut etiam probris ipsum numen faciendo afficiat, maledicat seu blasphemet, aut majestatem neget, is excidetur. Neque illis in verbis aliud contineri volunt praeter blasphemi & idololatrae descriptionem, poenamque excisionis utrique adjectam; non autem omnigenos aut aliquos alios, concupiscentiae suae causa, aut propter malitiam suam etiam sponte in aliis reos illic denotari, sed tantum hosce qui manu elata seu contradicendi legi ac creatori adeoque eum velut abnegandi studio, ut plane כופרים seu *apostatae*, quid perpetrarent; qua de re etiam nos fusius [a] alibi. Hugo Grotius ibi; Manu elata, *Intellige de eo qui praefracte negat esse Deum, aut legem a Deo datam. Eodem nomine*, etiam inquit, *appellatur qui monitus in legem committere pergit.* Mors autem ex forensi apud homines judicio etiam ad hujusmodi reum attinuit si probationibus legitimis causa non careret, sed non legis hujus de excisione vi sed ex aliis [b] ea de re expressim latis. Et Lyranus ibi ejusque sequaces, qui judicium apud homines capitale ex illo loco deducunt, scholae Ebraeorum plane refragantur. Quoties autem mors sic nullibi non adjiceretur, delictum excisione expressim in sacris literis puniendum verberibus plerumque apud homines luebatur. Unde R. Ephodaeus [c], כל עובר על כרת חייב מלקות זולת עונש כרת שיש עליו *Quisquis in legem aliquam commiserit quae excisionis poenam in se continuerit, verberibus etiam plectendus praeter poenam excisionis illi impendentem.* Alii idem obiter. Et passim occurrunt apud Talmudicos distinctiones reatuum [d], שאין בהם כרת ולא מיתת בד״ *ad quos nec excisio expressa spectat nec mors forensis*, & שבהם כרת ומיתת בית דין *ad quos & excisio & mors forensis spectat*, & ad quos neque haec neque ex sacri sermonis verbis expressis illa. Nam etiam praeter illa peccata graviora quibus excisio expressim adjuncta est, aliis pariter gravioribus aiunt impendere poenas ביד שמים *manu numinis infligendas.* Summa demum est, ad judicium inter homines forense poenam illam excisionis neutiquam omnino attinuisse nec inter eorum actus fuisse, sed ex numinis voluntate ac arbitrio perpetuo pependisse, adeoque in judiciorum hic effectu locum obtinuisse nullum, si Talmudicis & Karaeis, id est, sectarum Ebraeorum pari illustrissimo fides; quibus hic refragari idem videtur quod in jure Caesareo tam Sabinianis Cassianisque quam Proculianis, etiam Ulpianis, Paulis, Papinianis, ejusmodi reliquis interpretando, ex novis ingenii commentis, novo verborum sensu, audacius adversari; utcunque tot tam pontificii quam reformati, iique sane viri alioquin doctissimi, contrarium atque quod est omnino tum Talmudicis tum Karaeis dissonum, sed sane velut temere nimis aut nimis oscitanter, tradiderint. Ideo autem toties de judicio apud homines forensi, ut per distinctionem, loquimur, quoniam etiam judicia & placita numinis seu apud Deum forensia Ebraei nuncupare solent: unde saepius tam בית דין שלמעלה seu העליון *Domum judicii superiorem* seu *coelestem* & דיני שמים *judicia divina* seu *coeli* memorant quam בית דין שלמטה & התחתון *domum judicii* seu *praefecturam juridicam inferiorem* seu *terrestrem*, id est hominum. Unde etiam Philo de Mose numen sanctissimum consulente de poena ejus qui lignatione sabbatum violarat, Ἀφικνεῖται, inquit [e], πρὸς τὸ ἀόρατον ἀοράτῳ ψυχῇ δικαστήριον, &c. *invisibili animo ad invisibile tribunal* seu *forum se contulit.* Et ejusmodi sunt non pauca obvia. Sed de excisionis poena hactenus.

CAP. VII.

Ut excommunicationis poena, quatenus ejusdem origo etiam ab hujus intervalli jure a nonnullis peti solet, rite satis dignoscatur; praemittitur de ejusdem, apud Ebraeos veteres, effectibus, formulis, speciebus, seu gradibus, jure, usu, ac absolutione synopsis historica, nec solum e Talmudicis sed & partim e Karaeis desumpta. De excommunicatione apud eos per insomnium. Item de vocibus **excommunicat** *&* **excommunicat thing** *in versionibus superioris seculi apud nos publicis utriusque Testamenti usurpatis, aliisque congeneribus. Et utrum juxta Ebraeorum morem excommunicato templi ingressu & sacrificiorum usu interdiceretur.*

SEquitur ut poenae illud genus perpendamus alterum sub capitis superioris frontem memoratum, cujus origo huic quod tractamus intervallo ac tempori legis naturae, quasi apud homines tunc etiam forense fuisset ac judiciale, a nonnullis iisque magni nominis viris ita tribuitur ut etiam a praecepto aliquo seu instituto tunc divino, aut saltem ab exemplis juxta rectam aevi illius rationem, iisque itidem divinis & nunquam non necessario sequendis, derivatum velint. Vocitatur hoc genus poenae *excommunicatio.* Ea autem est juris alicujus quod in communione seu communicatione aliqua personali &, qua apud homines usurpatur, visibili, sive circa sacra solum sive circa profana sive circa utraque simul consistit, per peccantis aut pro peccante habiti, qui ejusmodi jure frueretur ex decreto seu sententia humana, velut eo nomine exsecrandi detestandique separationem aliquam privatio, adeoque capitis quaedam ejusdem apud suos diminutio, sed cum exspectatione reditus ad mentem meliorem atque absolutionem, & citra ultimi quod mortis est aliusve corporalis supplicii, veluti deportationis, exsilii, carceris, aut alterius alicujus reis infligi soliti (nisi diras concomitari

[a] Lib. 2. de Jure Nat. & Gent. cap. 11. [b] Deut. xiii. 13. & vide ib. xvii. 12. [c] Ad *More Nebochim*, part. 3. cap. 41. [d] Maimonides ibid. & tit. *Thesuba*, cap. 1. tit. *Sanhedrin* passim, tit. *Issuri bia*, cap. 1. [e] De vita Mosis lib. 3.

solitas,

solitas, quarum per se vim satis nescimus homines, exceptas velis) ex solo sententiae excommunicationis ejusmodi pronunciatae sensu, secundum inferius dicenda, irrogationem; utcunque ex accidenti aliquid praeter eam, velut in graviorem poenam eamque sive corporalem sive pecuniariam, subinde forsan accederet. Generalem hujusmodi descriptionem ideo adhibendam voluimus, ut tum Ebraeorum tum christianorum excommunicationis & jura & species seu gradus, adeoque quod est *extra synagogam fieri*, anathema, qua huc spectat, & sacrorum & commercii interdictionem, id genus reliqua, ita satis complecteremur. Etenim suus fuit utrisque, tam Ebraeis quam christianis, excommunicationis hujusmodi usus, isque antiquissimus. Atque ab illis hos usum suum in christianismi seculis primitivis, ut ab eis e quibus & a quorum disciplina orti sunt & propagati, accepisse par est ut sentiamus, utcunque nec modus nec effectus ejusmodi usus utrisque idem haberetur, ut infra liquebit. Ex simplici quidem vocabuli vi dici non immerito posset omnimodam & vitae societatis & indemnitatis amissionem, adeoque etiam ipsum ultimum supplicium, deportationem, carcerem, id genus alia, esse communionis pristinae privationem atque ita excommunicationem. Sed non ex ipsa vocis vi grammatica hic, sed ex usu tum apud Judaeos tum apud christianos singulari intelligitur tractaturque. Atque ex descriptione jam allata, qua poena est singularis & proprie sumitur, palam discriminatur primo a maledictione simplici seu ritu simplici exsecrandi detestandique, qualis ille in monte Ebal [a], iterato saepius ארור seu *maledictus* qui hoc vel illud patraverit. Secundo a praeclusione seu admissionis in jus seu communionem nondum adquisitam negatione; ut cum incircumcisus in paschatis [b] celebrationem non admittebatur, aut nunc nondum baptizato negatur sacrae interesse synaxi. Hic enim nullum est jus pristinum, communio nulla qua privatur qui sic excluditur, adeoque excommunicari non dicitur nec omnino puniri. Neque ex maledictione simplici aut praeclusione ejusmodi ulla sequitur status seu capitis maledicti seu praeclusi inter suos mutatio. Eandem ob causam tertio sic distinguitur ab admonitione qua consilium praebetur ut quisquis hujus vel illius criminis reus fuerit communione qualicunque pristina se abstineat. Neque enim ex admonitione ejusmodi, sive generali sive particulari, ulla capitis seu personae sic admonitae inter suos oritur mutatio aut nova conditio, qualem ex sententiae excommunicationis legitime pronunciatae aut vi aut sensu menteque nasci credi solet. Quarto, ex eo quod dicitur in descriptione *ex decreto seu sententia humana*, distinguitur, ut oportet, a communionis alicujus privatione ex decreto seu sententia divina irrogata; velut in ea quae *Cerith* est seu excisio, in capite proxime superiori tractata, aliis בידי שמים *per manus Dei* inflictis. Nimirum de excommunicatione apud homines, qua humanus est sive in foro aut consistorio alibive actus, non omnino de ea quae ex beneplacito divino solum pendet, hic disquiritur. Neque igitur habetur omnino excommunicatio, juxta receptam suam notionem, in aliquorum immunditiei corporalis nomine, ex instituto numinis in lege sacra [c] expresso, separatione temporaria, aut in id genus aliis divinis sententiis jam aperte latis: ibi enim singularis a Deo in lege lata de ejusmodi privatione communionis pristinae ab hominibus quidem per sententiam forensem (si ita res postularet) erat exequenda. Atqui privatio ipsa seu status mutatio ex lege solum eaque singulari divina orta est, & diris omnimodis, quae in excommunicatione vulgari semper solennes fuere, caruit. Etiam ejusmodi separati per ablutiones & sacrificia Deo soli reconciliabantur, quae in absolutionibus ab excommunicatione apud homines nunquam in usu. Qua de re etiam ideo hic praemonetur, quoniam separationes illae corpore immundorum Mosaicae toties afferri solent ad peccatorum excommunicationis forensis seu consistorianae jus divinum adstruendum, tametsi revera nullum esset peccatum morale cujus nomine quis ex lege sacra erat ita separandus. Jam vero, cum poenae omnimodae forenses & quae legitime irrogari solent apud christianos reliquae (sive personales illae sive pecuniariae fuerit; ni forsan atrocioris homicidii, ob rationes aliquorum ante indicatas, unicam, velut talionis, excipi velis) jure & arbitrio, qua hae vel illae sunt, ita subnitantur fundenturque humano ut pro vario hujusmodi, penes eos qui rerum summae cum legumlationis autoritate praesint, arbitrio immutari, praetermitti, abrogari, rejici legitime eas posse a nemine ut opinor non concedatur, id est earum, qua singulariter tales sunt, rationem ac vim non ex instituto aliquo divino seu jure divino praeceptivo sed ex humano tantum juxta superius ostensa pendere; & cum excommunicationis ejusque appendicum juris, qua in poenam ejusmodi adhiberi solita est, origo non solum intervallo huic quod tractamus atque ipsis ferme primorum hominum initiis, sed etiam instituto divino (qua de re mox particularius) velut immutabili ita ut diximus tribuatur, atque aequum demum sit & sane necessarium ut res ipsa quae hoc nomine venit, & de qua & hic agitur & in libro proximo iterum pro re nata agetur, satis exhibeatur lectori, pleniusque intelligatur; ideo visum est: Primo de Ebraeorum excommunicationis formulis, speciebus seu gradibus, effectibus, jure, usu, ac absolutione synopsin historicam praemittere; secundo, tantundem de ea quae christianorum fuit atque est; tertio, rationes atque argumenta eorum qui ex hoc intervallo, seu jure divino ac naturali quod tunc obtinuit, ejusdem jus ac originem deductam velint, exhibere; & quarto demum, de rationum & argumentorum illorum atque sententiae illiusmodi tum vi ac pondere tum per anteriora secula tam inter christianos quam in synagoga Judaica existimatione accuratius dispicere, ut ita satis omnia simul perpendenti commode dignoscatur utrum origini ejusmodi tribui aut ab instituto quale sic obtenditur deduci, adeoque in judiciorum hujus intervalli effectibus locum habere excommunicationis poenae irrogatio mereatur. Quod ad primum attinet; olim quidem haud pauca de Ebraeorum excommunicatione ex eorum commentariis, sed aliam in rem, in libris de Jure Naturali & Gentium tradidimus.

[a] Deut. xxvii. 15. [b] Exod. xii. 43. [c] Num. v. 2. xii. 14. Levit. xiii. 3. xv. 2. xxi. 1.

ea consulat qui volet. Hic autem ex illis aliqua unt necessario iteranda. Sed summatim id fiet. Alia in hanc rem scitu forsan dignissima, nec ibi reperta, fusius hic subjungimus. Distinctio illa receptissima in minorem & majorem seu leviorem & graviorem, aut eundem in sensum, apud Ebraeos quidem olim satis obtinuit. Minor aut בסתם *simpliciter* seu generaliter pronunciabatur, id est לכל אדם (ut dici solebat) *respectu omnium hominum* coetus, universitatis, ecclesiae, synagogae, reipublicae cujus pars esset is in quem sententia lata est, aut expressim לחצאין *ex parte* seu respectu aliquot tantum hominum jam dictae conditionis. Ejusmodi autem erat status ejus in quem simpliciter seu generaliter sic pronunciabatur mutatio, ut regulariter intra cubitorum quatuor spatium [d] alteri ex ecclesia seu synagoga sua praeter uxorem ac liberos adsidere ei non licuerit. Adeoque ἀτιμίας ejusmodi seu infamiae ob facinus aliquod commissum nota laborabat, usque dum poenitentia ab bonam mentem rediens absolveretur, pristinoque restitueretur juri. Neque pars interim habebatur is solennioris numeri hominum denarii qui apud Ebraeos in rebus agendis varius erat, sed in eo pro nemine censebatur. Neque convivii aut cibi potusve cum aliis particeps esse legitime quibat. Alia ejusmodi aliquot neque ita graviora incommoda apud homines seu externe poenam hanc variatim comitabantur; de quibus mox. Causae fuere quamplurimae ob quas rite quis hac poena irretitus. Viginti quatuor vulgo recensentur; in quibus unica erat, si quis immerito alium excommunicasset. Accesserunt etiam plures. Cunctae fuere delicta graviora aut in legem sacram aut in bonos receptosque mores. De universis v. cl. Joannes Cochius [e] & Buxtorfius filius [f], uti & nos loco indicato. Sententia breviuscula erat, פלוני יהיה בנדוי *sit N. in Niddui*, *sit N.* בשמתא *in Shamatha*, quorum utrumque idem denotat atque *in ἀφορισμῷ*, *separatione*, & *in excommunicatione* significat. Tantundem, פלוני יהיה מנודה *N. sit excommunicatus*, *separatus*, אנו משמתין פלוני & אנו מנדין פלוני *nos in Niddui ponimus N.* &, *nos in Shamatha ponimus N.* Id genus aliae fuere formulae pro loquentium in eundem sensum arbitrio. Sententia autem excommunicationis qualem diximus aut a vigilantibus, ut plerumque, ferebatur, aut per insomnium. Sententiae genus prius aut forense erat seu consistorianum adeoque publice judiciale, aut personarum qualiumcunque extra forum singularium. Temere autem nolebant sententiam a quopiam in quemquam ferri. Ideoque praecedere volebant נזיפה *increpationem* seu *objurgationem* (quando commode fieri potuit) unde si, qui poenam hanc alias satis forsan mereretur, sic monitus humilem se & pudore suffusum velut resipiscentem per septiduum inter suos se exhiberet, excommunicatione erat increpanti abstinendum. Hujus sententia quae in foro ferebatur ad reos ibi, ut poenae aliae, attinuit, facillimeque intelligitur cuique jurisdictionis forensis non omnino ignaro. Quae personarum extra forum singularium fuit, aut ab alio in alium, ut a Simeone in Rubenum, aut a quopiam etiam in seipsum ferebatur. Quilibet enim alium in quotidianis confabulationibus, conviviis aliisve societatis humanae negotiis rite, si causa juxta receptam apud eos disciplinam subesset, sententiam pronunciando in excommunicati statum redigebat. Et parili modo si in seipsum quis sententiam similem ferret. Excommunicationis apud eos sententia בחלום seu *per insomnium* locum habuit quoties quis per insomnium viderat se sententia sive forensi sive personae alicujus singularis extra forum excommunicari; quod satis mirum videatur. Sed vero insomniorum autoritatem Ebraeis fuisse maximam tum ex lege [g] scimus tum ex prophetis [h] & evangelio [i]; utcunque habeant interim ipsi [k] quo somnia veluti proverbio parvi aut potius nihili facere videantur, ut דברי חלמות לא מעלין ולא מורידין *Verba* seu *res somniorum neque prosunt neque nocent*. Caeterum horum rationem apud eos magnam fuisse palam est, nec duntaxat in re, ut plerumque, prophetica, verum etiam in aliis actibus subinde dijudicandis quibus & somnians se viderat obligari. Testimonia de excommunicatione ejusmodi aliaque ad eam attinentia mox dabimus ubi de absolutione agitur. Ideo autem vim suam habere in somniantem excommunicationem ejusmodi voluere, idque sive somnians excommunicantem cognovisset sive ignorasset, לפי שאפשר שבשליחות המקום נתנדה *quoniam* [l] *fieri potuit ut ex mandato numinis* aut *per internuncium a numine missum excommunicaretur*, id est, ut insomnium ipsum θεόπεμπτον, seu *a Deo immissum esset*, adeoque ex autoritate penderet divina actus ipse qui ita visus est humanus. Neque rarum est aut solum Judaicum, insomnia pro divinitus acceptis haberi; quod satis liquet tum ex Josephi in AEgypto patriarchae apud Mosem historia, tum ex Hippocrate, Aristotele (licet sententia haec ipsi displiceat) Synesio, Artemidoro, aliis priscorum, ut Nicephorum Gregoram, Cardanum, Peucerum, reliquosque recentiores de insomniis scribentes mittamus. Et Philo Judaeus in Josepho suo, uti & in tractatu περὶ τοῦ θεοπέμπτους εἶναι ὀνείρους, *de eo quod a Deo mittantur somnia*, habet quae huc spectant singularia. Atque ab Ebraeis ὀνειροκριτικὴν seu *artem de insomniis judiciariam* didicisse Pythagoram testatur Porphyrius. Simulac autem quis sic ex sententia sive forensi sive personae alicujus singularis extra insomnium sive per insomnium, ut dictum est, excommunicatus erat, status ac capitis ejus conditio externa & inter suos ita mutabatur ut pristina secundum ea quae jam memorantur libertate inde usque ad absolutionem apud suos careret, aut pro eo qui careret censeretur. Neque excommunicationis per insomnium effectus alius erat, quantum ad simplicem status excommunicati mutationem, ab effectu ejus quae sive forensis esset sive singularis alicujus extra insomnium personae; tametsi quantum ad absolutionem haud exiguum haberetur discrimen, ut mox ostenditur. Dubitanter quidem

[d] Maimonides tract. *Talmud Tora*, cap. 6, 7. Moses Mikotzi Praecept. Negat. 238. *Arba Turim* in *Jore Dea*, cap 334. *Shulcan Aruch*, eod. tit. & capite, *Hilcoth Gedaloth* fol. 104. col. 4. Gemar. Hierosolym. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 81. col. 4. Gemar. Babylon. ibid. fol. 16, &c. quibus adjicias locos alios ad cap. 8. lib 4 de Jure Nat. & Gent. citatos. [e] In excerpt. ad Gemar. tit. *Sanhedrin*, pag. 147. [f] In Lexic. Chaldaico, pag. 1304. [g] Numer. xii. 6. [h] Jerem. xxiii. 26, &c. & vide *More Nebochim*, part 2. cap. 36. [i] Matth. i. 20. [k] Gemara Babylon. ad tit. *Gittin*, cap. 5. fol. 52. a. [l] Gl. T. Talmud. tit. *Nidarim*, cap. 1. fol. 8. a.

ſubinde loquuntur Talmudici de effectibus excommunicationis ſuae ita oſtenſae aliis aliquot quam memoravimus. Atque eos alii plures, alii pauciores eſſe voluere. Nec quidem ſalutandum excommunicatum voluere aliqui. Et ſane pro arbitrio fori communionis privatio nunc latior nunc anguſtior erat, idque pro cauſae excommunicationis diſcrimine. Quod vero ad excommunicationem partiariam, ſeu לחצאין *ex parte* tantum, id eſt, ita ut quis aliis pro excommunicato habendus eſſet ſed non itidem aliis, idque pro ſententiae pronunciatae diſcrimine, attinet; Gemara Babylonia[m], מנודה לרב מנודה לתלמיד מנודה לתלמיד אינו מנודה לרב מנודה לעירו מנודה לעיר אחרת מנודה לעיר אחרת אינו מנודה לעירו מנודה לנשיא מנודה לכל ישראל מנודה לכל ישראל אינו מנודה לנשיא: *Qui excommunicatus eſt a magiſtro* (ita ſcilicet ut ab illius convictu priſtino, non omnium, ſententia ſeparetur) *excommunicatus etiam eſt diſcipulo: Sed excommunicatus ſic a diſcipulo, non ut excommunicatus ideo habetur magiſtro. Qui urbi ſuae ſic excommunicatus eſt, etiam alia in urbe eſt pro excommunicato habendus: Non item urbi ſuae, qui excommunicatus eſt urbi alienae. Principi excommunicatus, eccleſiae* ſeu *reipublicae Iſrael pro excommunicato habendus: Non item principi, is qui excommunicatus eſt toti eccleſiae* ſeu *reipublicae Iſraeliticae.* Haec itidem atque id genus alia aliquot habes in Gemara Hieroſolymitana[n]. Et de eo qui ſic *ex parte* tantum excommunicatus eſt & non לכל אדם *omni homini* ſeu סתם *ſimpliciter*, aiunt כיון שאינו מנודה לכל אינו אסור בכל דין המנודה אלא שבני אדם מרחיקין אותו כדי לביישו: *Quoniam univerſis non eſt excommunicatus, ideo omnia excommunicationis incommoda ad eum non attinent, licet interea mos ſit ut homines eum a ſe arceant, ut ſcilicet pudore eum ſuffundant.* Jam vero ſi quis ſic, ut praefertur, excommunicatus adeo bonis & receptis moribus inobſequens perſtitiſſet ut abſolutionem ſeu reſtitutionem atque ſolennem ejuſdem nanciſcendae formulam per triginta dies ſeu menſem integrum negligeret, iterata interdum excommunicationis ipſius qualem hactenus diximus ſeu minoris ſententia, aliorum triginta dierum exſpectatio ſequebatur, intra quorum terminum niſi abſolutionem impetraret, majoris excommunicationis חרם *cherem* plerumque dici ſolitae ſententia a foro ſeu eis qui inſtar fori rebus praeeſſent in eum ferebatur. Ita ſcilicet plerumque factum. Sed ex fori hic arbitrio mitius ſubinde agebatur. Atque haec ſententia majoris excommunicationis proprie, & quoties non ſine exſecutione legitima proferebatur, forenſis erat, tametſi etiam in ſingularium perſonarum forenſes formulas pro libitu imitantium diris & devotamentis (juxta inferius dicenda) ſubinde pariter reperiretur. Ea ſcilicet diris horrendis refertiſſima erat, atque ad hunc modum aut in hujuſmodi ſenſum concipi ſolita פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נדוי: *N. damnatus* ſeu *devotus ſit, ac anathema, atque exſecrandus habeatur; dirae ac imprecationes in eum; juramentum* (ſeu perjurii poenae) *in eum; atque ſic remaneat excommunicatus* ſeu *ſeparatus*, ſeu *excommunicatio Niddui*, qua ante innodatus eſt, *in majorem hanc tranſeat.* Hinc non intra diſtantiam ſolum quatuor cubitorum adſeſſura ejus eſt admiſſa, atque ipſe, ut ante, conſortii quo prius frueretur familiari ſemotus eſt, incommodiſque aliquot in convictu circa ablutionem & tonſionem manſit punitus, ſed etiam commercio aliorum omnimodo interdictus eſt, niſi in quantum duntaxat ut alimenta ab aliquibus ei praeſtarentur. Etiam qui aliter cum eo commercium ante abſolutionem habere auderet, eadem ſeu ſimili ſententia, ſed pro arbitrio & poteſtate fori, implicandus erat. Acceſſit item interdum τῷ *cherem* bonorum ſeu ſubſtantiae ſic excommunicati in ſacros uſus ablatio, juxta ea quae inferius oſtenduntur. Atque ſine minore ut praevia, ob facinoris gravitatem, interdum ab majori in foro coeptum; idque tam in reos ſingulares judicialiter quam in eos qui hoc vel illud in poſterum facerent aut praetermitterent comminatorie & generaliter; qualem uſum etiam excommunicationis apud chriſtianos receptum nemo neſcit. Etiam ut apud hos campanarum ſonitus in uſu, ſic apud Ebraeos tubarum clangor. Si autem citra abſolutionem contumax diem obiiſſet excommunicatus ſive majoris ſive minoris ſententia, luctu plangendus non erat. In ignominiam autem & poenae figuram tumulus ejus erat aut lapidum acervo aut ſaxo grandi, idque ex ſententia forenſi, notandus. Atque ob priſtini juris ſeu communionis ejuſmodi privationem dicebatur tam qui minori quam qui majori feriretur מובדל מן הצבור ſeu מן הקהל id eſt, *ſeparatus* ſeu *diviſus* a *coetu, ſynagoga, eccleſia, univerſitate* ſeu *republica* ſuorum, id eſt ἀποσυνάγωγος, ſeu *extra ſynagogam factus*, licet ſeparatio ipſa ac diviſio majoris multo gravior eſſet & diſſimilis ab ea quae fuit minoris. Ut ſcilicet in lege ſacra לבוא לקהל יהוה *ingredi* [o] *in eccleſiam* ſeu *rempublicam* aut *univerſitatem Domini* ſingularem habet ſignificationem ejus quod eſt Ebraeam originariam ſeu Iſraelitidem quae ex peculiari Deo populo fuerit in uxorem ducere (quod ex Talmudicis alibi oſtendimus,) ita ſingularis eſt hic ſignificatio ejus quod eſt *dividi, ſeparari* a קהל *eccleſia* ſeu *univerſitate*, id eſt, non perſonaliter ex populi habitationis loco, velut exſilio aut deportatione, ejici, ſed ita ut praefertur libertate ſocietatis priſtinae privari. Qui enim majoris ſententia feriebatur, ſtatum ſubibat qualem ferme in veteri Roma aqua & igni inter ſuos interdictus. Et ſane tam is qui minore excommunicatione per quatuor cubitorum in conſortio & convictu ſuorum diſtantiam atque alia aliquot incommoda jam dicta, quae in priſtinae communionis privatione conſtitere, ſemovebatur quam qui majore, conſortio ita interdicebatur tantum non omnimodo, pro ſeparato revera habendus erat ſeu diviſo a coetu, ſynagoga, univerſitate, eccleſia ſuorum, quoniam ita priſtina qua cum ſuis juris libertate frueretur, ita privabatur, tametſi inter eos & degeret & alia ſeu pro expreſſim interdictis non habita, quae diſtantia ejuſmodi & ſeparatio permitteret, pro arbitrio exercere ei fas eſſet. Nam etiam ita diſtans & tradere alteri & ab altero recipere idque manu utriuſque juncta ſatis potuit. Sic *penitus toto diviſos orbe Britannos* vocat Virgilius

[m] Ad tit. *Moed. Katon*, cap. 3. fol. 16. a. Jacob Ben Aſher in *Jore Dea*, cap. 334. [n] Ad dict. tit. fol. 81. col. 4. [o] Deut. xxiii. 2, &c.

gilius ob ſitum in oceano ſingularem, & a continenti diſtantiam, licet & orbis partem ſemper eos manere nemo interim dubitaverit. Binas autem tantum ſpecies ſeu gradus apud Ebraeos excommunicationis facio, uti & olim feci: Quantum ſcilicet ad naturam ipſius dico attinet; non quantum ad perſonas nunc plures nunc pauciores quibus quis pro excommunicato eſſet habendus; nam ita plures ſunt gradus quam bini. Necdum omnino mihi perſuaſum eſt *Shamatha* tertiam excommunicationis ſpeciem ſeu gradum (quatenus ea apud homines in uſu) conſtituere atque τῷ חרם graviorem, utcunque a viris aliquot doctiſſimis [p] iiſque literis Ebraicis ac Talmudicis perquam adſuetis illud affirmetur, adeo etiam ut in tertio hoc gradu ipſam mortis poenam ſimul contineri velint nonnulli. Id quidem verum eſt, τὸ שמתא interdum in locis aliquot [q] paraphraſis Pentateuchi Chaldaicae Uzielidi tribui ſolitae occurrere pro eo plane quod eſt mortis poena, aut cum ea quatenus ſententia ſeu decretum mortis divinum ſignificet conjungi: Ut in locorum deſignatorum poſteriori pro eo quod eſt ויכהו ישראל לפי חרב & *percuſſerunt eum* (Sihon) *Iſrael in ore gladii* ומחוהי ישראל בשמתא דיי דקטלא בפתגם דחרב & *percuſſit eum Iſrael in Shamatha Domini, qui occidit eum in ore gladii.* Alibi item in eadem paraphraſi [r] legitur, *Inierunt proelium contra Amalek* ותברו יתיה וית עמיה בשמתא דיי וקטלא ותבירא בפתגם החרב׃ *Et confregerunt illum & populum ejus in Shamatha Domini, qui occidit & contrivit eos in ore gladii*, ubi male in bibliis regiis vertitur *in nomine Domini.* Nec melius David de Pomis [s], qui loco illo citato per *excommunicationem* τὸ *Shamatha* reddit; niſi *excommunicationem* dici vellet omnimodam poenam quae communione aliqua quenquam privaverit. Nam & ita quidem mortis genus quodlibet eſt excommunicatio: Atque ita tam poena mortis divinitus irrogata aut decreta quam humanitus idem merebitur nomen. Sed certiſſimum eſt, *Shamatha* locis in hiſce uſurpari non omnino pro excommunicatione, qua illa poena ſingularis apud homines eſt habita, ſed pro eo quod eſt ipſum deperditionis aut mortis decretum, quemadmodum ſcimus etiam τὸ *Cherem* (qua voce altera ſpecies ſeu gradus excommunicationis etiam deſignari ſolet) ejuſque verbum, uti & *anathema* & *anathema fieri* (quibus verti ſolent illa) ſignificari interdum donaria ſacra fieri anathemata [t], interdum tam perſonas quam res deſtructioni omnino ut exſecrandas devoveri & deſtrui [v], interdum etiam res in ſacros maxime uſus confiſcari [x]; qua de re plura mox. Notionum autem harum nulla excommunicationem quam tractamus, ſeu quae ut poena ſingularis ſolet a reliquis diſtingui, deſignat, uti nec illa τοῦ *Shamatha* (quod interdum etiam pro ipſo חרם *Cherem* notionum jam dictarum ſecunda uſurpatur [y]) quoties mortis irrogationem denotat. Atque ut *anathema*, *interdictum*, *ſuſpenſio* ex ſua vi generali aliter atque aliter apud Latinos ſignificant, & nihilominus reſtrictas habent certaſque notiſſimaſque in ipſa excommunicationis re & praxi forenſi ſignificationes (quale dicendum alias circa res de vocibus compluribus aliis, ut de *poena capitali*, *capitis diminutione*, id genus reliquis, quae jure Caeſareo adeo varios habent gradus & ſignificationes) ita & *Shamatha* & *Cherem* aliter atque aliter quidem uſurpata reperimus. Sed quatenus excommunicationis a reliquis poenis ſignantius diſtinctae inter homines poenam utraeque voces denotant, ſpecies ejuſdem vel gradus binos, ut ſupra exhibetur, faciunt, ita tamen interim ut *Niddui* idem cum *Shamatha* maneat, & interdum etiam *Cherem* tam has ſeu minorem excommunicationem quam majorem ſeu generaliter excommunicationem denotet, adeoque etiam velut τῷ *Shamatha* pro locorum diſcrimine ſynonymum [z] habeatur; quod tum ex alibi a nobis oſtenſis tum ex ſtatim afferendis liquet. Neque ita obſtat quod in epiſtolarum Ebraeorum ſuperſcriptionibus (juxta τὸ Rabbi Gerſomi principis in Gallia ſub anno Chriſti 1070 captivitatis inſtitutum) legitur [a] interdum הרם לזר בנח״ש דרג״ quae abbreviaturae ſunt pro בנדוי חרם שמתא דרבי גרשום *In anathema devoveatur* ſeu *excommunicati ſtatum ſubeat alienus* (id eſt alius quicunque praeter ipſum ad quem ſcribitur epiſtola, eam reſignans) *per Niddui*, *per Cherem*, *Shamatha: Rabbi Gerſom.* Sumuntur hic quidem a nonnullis voces hae pro tribus excommunicationis ſpeciebus. Sed frequentius ſuperſcribitur ſolum וזולתו אסור בחרם דרג״ וגו׳ *Nemo alius reſignet ſub poena excommunicationis: Rabbi Gerſom, &c.* ubi nec *Niddui* nec *Shamatha* memoratur ſed ſolum *Cherem.* Atque videtur ſane, ea vocabula, tametſi ſynonyma ſint, interdum per ſiglas ſuas ſic, ut dictum eſt, inſeri, tum ut horrore pleniorem induat ſententia, in reſignantem, ſenſum (nec rarum eſt multiplici verborum etiam ſynonymorum cumulo [b] ejuſmodi quid fieri) tum forte ut literae נחש non ſolum idem ſic ſeorſim indicarent, ut ſiglae, verum etiam parili modo denotarent vocabulum quod ſimul faciunt in illo Eccleſiaſti [c], *Qui diruit ſepem* ישכנו נחש *eum mordebit ſerpens*, quod velut pro paraeneſi accommoda ad alium epiſtolam reſignaturum ibi ſic innui exiſtimarunt aliqui. Sed ea de re videſis doctiſſimum [d] Buxtorfium patrem. Neque magis adverſatur quod ex Salomonis [e] Jarchii in Gemaram Babyloniam Gloſſa affertur, כולה לכל כאן דמשמתינן ליה דלא נפקא מיניה לעולם *In totum conſumitur is quem per Shamatha excommunicant*; *quia non evadet in aeternum*; quaſi exiſtimaſſet Jarchius a *Shamatha* ejuſmodi neminem potuiſſe abſolvi, cum a *Niddui* & *Cherem* abſolutio habeatur in receptiſſimis paſſimque obviis. Verba ejus plane nihil aliud denotant quam excommunicatum per *Niddui* aut *Shamatha* aut *Cherem* nunquam ex ſententiae illius vi evadere poſſe ſed tandem conſumptum iri ac periturum niſi abſolutionem adſe-

[p] Vide Bertram. in Polit. Jud. cap. 7. & ibi Conſtantin. l'Empereur pag. 372. Schindler in Lexic. verb. שמת Buxtorf. pat. in epiſt. inſtit. cap. 6. & abbrev. in יח״ש Filium in Lexic. Chald. pag 2463, &c. Georg. Gentium in verſione Can. Ethic. Maimonidis cap. 2. §. 3. Bezam ad Joan. ix. 22. Ibi Ludovic. Capell. & in diatriba de voto Jephthae, pag. 174. Druſ. ad loc. citat. & in quaeſt. & reſp. lib. 1. q. 9. Aloyſ. Novarin. Schediaſm. Sacro profana, [illegible] 7. cap. 10 alios. [q] Geneſ. xlii. 37. Numer. xxi. 24. & vide Buxtorf. Lexic. Chaldaic. col. 2467. [r] Cantic. ii. 12. [s] Lexic. pag. 226. col. 2. [t] Exod. xxii. 20. Levit. xxvii. 21. & xxviii. 29. Num. xviii. 14. [v] Numb. xxi. 2, 3. Deut. ii. 34, &c. xiii. 16. & vii. 26. Joſua vi, vii, &c. [x] Ezra x. 8. [y] Paraphr. Chal. Jonath. dicta Deut. vii. 2. [z] Vide Philipp. Aquin. in שמתא & Eliam in Thiſbite. [a] Apud J. Buxtorf. Epiſt. Inſt. cap. 6. pag. [illegible] [b] Vide *Sepher Colbo*, fol. 144 & de Jure Natur. & Gent. lib. 4. pag. 572. [c] Cap. x. 8. [d] In Abbreviat. בנח״ש & ח״ל & in Epiſt. Inſtit. cap. 6. [e] Ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 17. a.

cujus

cutus fuerit, juxta mox dicenda. Nam inauditum est puto apud Ebraeos excommunicationis speciem aut gradum aliquem inter homines forensem usitatum fuisse a quo nulla fieri posset absolutio. Opinio autem illa de triplici specie seu gradu excommunicationis, & de eo quod est *Shamatha* per se fuisse gravissimam nec sine mortis adjectione, nata est apud scriptores maxime ex illo Eliae Levitae in Thisbite, ubi tres species expressim facit חרמות *Chermoth* seu *excommunicationum*, adeoque τὸ *Cherem* pro excommunicatione generatim usurpat, שלשה, inquit, מיני חרמות הן נדוי וחרם ושמתא ונדוי הוא הרחוק ע״ן בשרשו ואם לא הודה שב מחרימין אותו ונקרא חרם שנכנס ברמ״ח אבריו ואם לא הודה שב היו משמתין אותו ופי׳ שמתא שם מיתה בר מנן : quod vertit Paulus Fagius, *Tres sunt species anathematum sive excommunicationum, Niddui, Cherem & Shamata. Niddui profligationem significat, vide in radice sua. Ubi vero quis non resipiscit, hunc anathematizant; quod vocatur Cherem, ab eo quod penetrat in 248 membra ejus. Quod si adhuc non poenitentiam agit, reum mortis judicant; ut sit sensus* שמתא, *id est, Ibi mors est, quae absit a nobis.* At vero scholam Talmudicam species has trinas sic agnoscere nullibi reperio. Etiam in secunda editione Thisbitis, quae Ebraeo-Latina est, nescio quare praetermissa est vox haec in ordine suo atque in calcem libri rejecta, quasi non satis legitime ante tractata & seorsim ibi recognoscenda fuisset. Id quidem verum est, iterari saepius solitam (ut supra monitum) excommunicationem primam post mensem elapsum, nec ante mensem elapsum secundum majorem saepius accessisse, atque ita quodammodo dici posse tres fuisse excommunicationes. Sed binae tantum revera fuere & species & gradus, quoniam prima & secunda ejusdem ipsius speciei & gradus. Et si de iterata sic prima locutus fuisset Elias, atque ita tres fecisset, satis Talmudice dixerat. Sed plane distinctam facit secundam a prima, adeoque manifesto tres. Quod vero adjicitur de *Shamatha* & morte bene satis potest intelligi, quatenus facinoroso non resipiscenti mors imminet aut aeterna aut coelitus hic infligenda. Nec quidem aliud sonant verba Eliae quam ubi per *Shamatha* excommunicatur quis, ibi mortem sic imminere. Sed non omnino (ut vertit Fagius) eum *reum mortis esse judicandum*, quasi ipsa excommunicationis hujus sententia forensis etiam mortis in se continuisset: Nihil ejusmodi in usu eis erat. Nemo etiam nescit complures fuisse excommunicandi causas ad quas poena mortis non omnino attinuit. Neque autem novum est, sed Talmudicum illud de שם מיתה [f] Shem Mitha, *ibi mors*, velut pro τοῦ *Shamatha* explicatione etymologica. Sed ea plane ex syllabarum nata est allusione (uti & ejusdem vocis aliae) nec omnino indicat forensem aliquam apud homines poenam, sed tantum aut divinitus citra absolutionem mortem infligendam, aut pro mortuis habendos ejusmodi peccatores contumaces, non ita dissimili sensu ab eo quo Pythagoraeorum schola eos quos ἐκ τοῦ ὁμακοΐου *ex publico suo auditorio* merito ejiciendos existimaret, pro mortuis [g] adeo habebat ut etiam monumenta seu κενοτάφια ut mortuis eis erigeret. Et quod habet Elias hic de membris 248 (tot enim homini assignant) in quae penetrat *Cherem*, Talmudicum item est ex numerandi apud eos ratione artificiosa quam *gematriam* nuncupant ortum. Scilicet חרם *Cherem* in numeris (nam numerant illi literis, ut Graeci) facit 248, unde penetrare dixerunt, ut hic aliqui, membra illa cuncta vim τοῦ *Cherem*, uti etiam per absolutionem seu רחם Rachem *misericordiam* (quae vox easdem habet literas adeoque eundem facit numerum) eadem membra liberari. Ita Rish Lakish loco indicato. Atque ejusmodi nugae apud eorum aliquos infrequentes non sunt. Caeterum licet ex Elia, ut opinor, maxime error ille de speciebus tribus ortus fuerit, haud tamen solus ille inter Ebraeos tres gradus seu species fecit. Nam & totidem, licet ordine diverso, R. Abraham Ben David esse voluit, qui Maimonidem, ut solet, reprehendit, quod excommunicationem primam fieri scripserit hac formula פלוני יהיה בשמתא *N. sit in Shamatha*, atque eandem esse ipsam cum *Niddui*, & facit *Shamatha* gradum seu speciem secundam, non, ut Elias, tertiam; אין, inquit [h], אומרים בשמתא יהא שהוא חמור יותר מן נדוי אלא אומר בנדוי יהא ואם נראה לבית דין להחמיר עליו מפני גודל חטאו אומרים ארור הוא והייבוהו שמתא שיש בו נדוי וקללה : *Non dicunt* aut *dicere debent, Si in Shamatha* (cum scilicet prima excommunicationis fertur sententia) *quoniam haec gravior multo est quam Niddui. Sed dicendum, In Niddui sit. Et si visum fuerit Synedrio* seu *praefecturae juridicae ob peccati ejus magnitudinem graviorem inferre sententiam, dicunt tunc, Maledictus sit; & faciunt eum reum Shamatha, in qua habetur & Niddui & Maledictio.* Ita ille *Shamatha* secundam facit speciem, quoniam accedit maledictio. Sed vero aut expressim aut tacite in omnimoda excommunicatione maledictio seu dirae aliquae habebantur, licet in majori graviores multo praeter status inter suos mutationem etiam graviorem. Adeoque simplex maledictio adjecta nec speciem nec gradum revera mutavit; quod sane non solum ex Maimonide, Mose Cotzense, Jacobo Ben Asher, aliis ante citatis id genus, sed etiam ex ipsis Gemarae verbis, quorum nonnulla etiam in hanc rem mox dabimus, manifestum satis videtur. Sed vero quicquid demum de speciebus gradibusve excommunicationis jam tractatae statuendum fuerit, id interea manifestum est, jus ipsius neque ex poenis in lege sacra seu a numine praestitutis, neque ex moribus ante legis dationem in Sinai usitatis, apud Ebraeos peti aut derivari, sed tantum ex sibi postmodum pro arbitrio superinductis. Adeoque morem hunc ex humani juris seu majorum institutorum capitum numero non omnino ex praeceptis divinis seu coelitus acceptis esse volunt. Et ubi poenarum ex ipsa lege sacra מעלות seu *gradus* faciunt [i] quatuor, nimirum ultimum supplicium ex sententia apud homines forensi, excisionem seu *Cerith* (de qua supra) divinitus tantum infligendam (cui conjungas reliquas בידי שמים *per manus Dei* irrogandas) verbera & denique poenam sine verberibus ex lege praescriptis לכל לאו שאין בו מעשה *ad praeceptum negativum quodlibet* (excepto uno & altero) *in*

f Gemar. Babylon. ad tit. *Moed Katon*, cap 3. fol. 17. a. & *Baal Aruch* in שמת. g Jamblich. in Vita Pythagorae, cap. 17. h Apud Jacob. Ben Asher in *Jore Dea*, cap. 334. i Maimonides in *More Nebochim*, part. 3. cap. 41.

cujus violatione nulla continebatur actio ſpectantem; non omnino obtenditur excommunicationis eorum poenam in illis quae in lege ſacra praeſtituuntur aut locum habuiſſe ullum aut originem, nedum in recepto apud eos jure ante legis in Sinai dationem; quod etiam videre eſt in juris tunc obtinentis capitibus [k] ab eorum nonnullis ſeorſim ac per ſe nec inter ea quae ſecuta ſunt recenſitis. Frequentiſſimum autem eſſe apud Talmudicos morum ſuorum ſuperinductorum atque in legis ſacrae, ut aiunt, ſepem ſeu munimentum humanitus receptorum rationes e ſacri ſermonis contextu aliquo verbiſque, non velut ex inſtituto ſed exemplo aut analogia aliqua, petere, nemo eis paulo aſſuetior ignorat. Idque ſaepe ita fit ut audacius multo quam par eſt verba ipſa in ejuſmodi morum confirmationem in longe alium praeter genuinum periochae ſacrae ſenſum diſtorqueantur. Quale utinam quidem Chriſtiani ſaepe nimis non faceremus. Jam vero excommunicationum ſuarum rationem ac jus maxime petunt ex maledictionis formula qua uſi ſunt in Meroz Debora & Barakus in cantico illo euchariſtico [l] poſtquam Siſera devictus eſt & caeſus. Cum enim in excommunicatione unaquaque aut expreſſim aut tacite tum maledictiones aliquot ſeu dirae velut in perſonam ob facinus perpetratum perpetrandumve exſecrandam ac deteſtandam contineantur, tum communionis inter ſuos priſtinae pars inſignis etiam & interdum fere omnimoda (ut in ante dictis liquet) denegetur, non ex maledictionibus ſimplicibus in monte Ebal aut id genus aliis morem hunc ſuum firmari voluere, ſed ex dirarum illa formula in Meroz. Atque rationem hic ita derivant, ut diſertis verbis docere conentur ſingularia quae habentur in excommunicationibus ſuis in maledictionis illius formula velut deſignari. Verba ſacra ſunt; אורו מרוז אמר מלאך יהוה ארו ארור ישביה כי לא באו לעזרת יהוה לעזרת יהוה בגבורים׃ *Maledicite Meroz, dicit angelus Domini, maledicendo maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in auxilium Domini cum fortibus.* Sic quidem locus bene vertitur. Et Judaei Hiſpanienſes, *Maledizid Meroz, dixo Angel de A. maledizid maldiziendo ſus moradores: que no vinieron ayuda de A. ayuda de A. con barraganes.* Accipitur hic plerumque *Meroz* (quod Syro eſt ܡܪܘܙ uti & Arabi مرود id eſt *Merod* & in Graecis aliquot codicibus Μαζὼρ) pro urbe aut territorio loco belli tunc geſti proxime adjacente, idque tam ab Ebraeis quam Chriſtianis. Vulgata expreſſim, *Maledicite terrae Meroz.* Et pro civitate ſeu territorio accipi Graecis, Syro & Arabi interpretibus palam eſt. Etiam יושביה κατοικοῦντες αὐτήν, ſeu ἔνοικοι αὐτῆς, *habitatores ejus* foeminine, urbem ſeu terram ſatis indicare videtur. Nec deſunt qui pro angelo Cananaeorum ſumant, etiam & pro ſidere quod Barakum e coelo adjuvaret. Sed vero intelligit Jarchius ſeu gloſſator ordinarius de viro ibi potius potente aliquo שסמוך למקום המלחמה ולא בא *qui vicinus erat loco belli geſti, nec venit* in auxilium, quaſi ſic ipſe per territorium ſeu urbem ſibi cognominem denotaretur. Et dein ſic locum explicat; אמר מלאך ה׳ אמר ברק בשליחותו של הק״בה יושביה היושבים בארבע אמות שלו בארבע מאה שיפוריה שמתיה ברק למרוז׃ *Dicit angelus Domini, id eſt, dicit Barak velut nuncius miſſus a Domino ſancto & benedicto. Per illud autem* יושביה (quod tametſi *habitatoribus* & ἐνοίκοις *ejus* foeminine ſonet, nihilominus *qui ſedes habent prope eam* aut *adſeſſores* ſeu *conſeſſores ejus* aut *ſedentes cum ea* ex ipſa ſui vi ſatis potuerit denotare; urbis interim ſeu territorii nomine ipſomet, juxta Jarchii hic ſenſum, per Meroz ejuſdem principem indicato) *intelligendi ii qui ſedent intra quatuor cubitos ab eo. Et in Shamatha poſuit*, ſeu *excommunicavit, Meroz Barak cum quadringentarum tubarum clangore.* Sic Jarchius, qui Meroz ita perſonam fuiſſe tunc excommunicatam plane intelligit, idque ſatis Talmudice. Sic enim in Gemara Babylonia [m] legitur; מנלן דמשמתינן דכתיב אורו מרוז דהכי סברה דגברא רבה דכתיב אמר מלאך ה׳ ומנלן דמחרמינן דכתיב אורו ארור דאכיל ושתי בהדיה וקאי בארבע אמות דידיה דכתיב יושביה ומנלן דפרטינן חטאיה בציבורא דכתיב כי לא באו לעזרת ה׳ ואמר עולה בארבע מאה שיפורי שמתיה ברק למרוז איכא דאמרי גברא רבא הוה ואיכא דאמרי כוכבא הוה שנאמר מן השמים נלחמו הכוכבים וגו׳׃ *Undenam eſt quod in Shamatha quenquam ponimus*, aut *excommunicamus? Ex eo quod ſcribitur*, Maledicite Meroz. *Nam & obtinet opinio illum fuiſſe virum potentem, de quo, ut ſcriptum eſt*, dixit angelus Domini. *At undenam in Cherem quenquam ponimus? Ex eo quod ibi etiam ſcriptum habetur*, Maledicendo maledicite. *Nec cum ejuſmodi homine cibus aut potus ſumendus. Et quod habemus de quatuor cubitorum diſtantia, in illo indicatur*, Conſeſſores ejus. *Undenam vero eſt quod in excommunicando recenſemus peccata excommunicati in publico? Ex eo quod adjicitur*, quoniam non venerunt in auxilium Domini. *Et dicitur Barakum publicaſſe excommunicationem Meroz cum buccinis quadringentis. Eum autem alii exiſtimant fuiſſe virum potentem: Alii fuiſſe ſidus, quoniam etiam dicitur* [n], "de coelo dimicatum eſt. Stellae manentes in ordine & curſu ſuo adverſus Siſeram pugnaverunt." Hic idem habes e Gemara quod adnotat in gloſſa Jarchius. Et conſoni plane ſunt inde idem deſumentes Talmudici alii [o]. Etiam & Lyranus; "Maledicite habitatoribus," *id eſt, exercitui Domini, qui erat exercitus Iſrael; ſed magis venerunt ad nocendum. Sic ergo exponunt communiter doctores catholici. Hebraei autem aliter exponunt, dicentes, quod angelus Domini hic intelligitur ipſe Barac miſſus a Deo ad pugnam praedictam, &c.* Meroz *autem nomen hominis potentis qui habitabat prope locum ubi fuit bellum, & ideo magis fuit reprehenſibilis eo quod noluit venire quo alii qui erant longe. Propter quod Barac dixit ei maledicendum & hominibus ſub ejus poteſtate conſtitutis. Et haec expoſitio magis videtur concordare literae.* Ita pro perſona maledicta *Meroz* hic ſumit etiam ille. Atque ad hunc modum ſe habet commentum de excommunicationis apud Ebraeos juris ſive origine ſive adprobatione juxta

[k] R. Levi Barcinonenſis in Sepher *Hachinuch* & in Sepher *Abodeth* hal. *Levi*. [l] Judicum v. 23. [m] Ad tit. *Moed. Katon*, cap. 3. fol. 16. a. [n] Judic. v. 20. [o] Moſes Mikotzi Praecept. Negat. 208. Jacob Ben Aſher in *Arba Turim*, tit. *Jore Deah*, cap. 334. *Hilcoth Gedaloth*, fol. 104. col. 4. Alpheſius Par. 1. tit. *Moed Katon*, fol. 388. b.

Talmudicos. Memini etiam alicubi illud huc per allusionem duci quod de Corah, Dathan & Abiram sociisque eorum coelitus devotis occurrit [p], *Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam.* Et, *Praecipe universo populo ut separetur a tabernaculis Corah & Dathan & Abiram.* Et, *Recedite, quaeso, a tabernaculis virorum impiorum istorum, & nolite tangere quicquam quod eorum est, ne forte consumamini in omni peccato illorum.* Quod inde factum est. Sed quicquid sic actum reperimus ad excommunicationis proprie sumptum jus seu morem, quo nemo caesus, nemo telluris ore absorptus (ut illi) aliterve e medio sublatus est, non magis attinet quam poena aliqua alia sive divinitus sive humanitus irrogata quae capitalis est: adeoque revera huc non omnino spectat. At vero in Baraki illo pronunciato de diris seu maledictione res manifesta est. Aliquid item de adsidentibus seu confessoribus ibi (quorum singularis in excommunicatione ratio habita) ibi repertum volunt dum יושביה *confessoribus ejus* foeminine sumunt ibi pro יושבי masculine, & velut respectu viri illius potentis quem *Meroz* dictum faciunt urbi cognominem. Confessores autem inde fecere intra distantiam cubitorum quatuor, quae staturam aequat, ut vulgo ipsis admittitur, humanam, adsidentes; quasi confessor aut adsessor non esset habendus spatio ejusmodi separatus. Et verum quidem est, etiam adsessores intra spatium illud interdum, non semper, pariter apud eos eo nomine excommunicationem subiisse. Atque ita quidem tam *Shamatha* seu *Niddui* quam *Cherem* ex Baraki actu illo in Meroz derivari aut potius per similitudinem aliquam aut allusionem, quae saepe nimis originationis velut locum obtinet, peti volunt. Neque enim nomen *Shamatha* aut verbum unde fit in bibliis habetur Ebraicis. E sermone Chaldaeo, ut ex ostensis liquet, desumptum est; licet interea per syllabarum & sonorum, ut apud eos fieri amat, lusus ex Ebraico suo libentius deducere aut conentur aut simulent. Unde ex שם מיתה Shem Mitha, *ibi mors*, vocem, ut dictum est, componunt alii [q], aliis inde facientibus quod שממה היה *Shemama* seu *desolatio fuerit* [r]. Atque hoc forsan facilius admissum ex sacri sermonis sono in illo Jeremiae [s], והחרמתים ושמתים לשמה *Wehacheremthim weshamathem leshamma*, id est, *& depopulabor* seu *destruam eas, & ponam eos in desolationem.* Ubi ut expressus verbi *Cherem* usus, ita etiam quasi ꝫ *Shamatha* subjunctus significatione jam dicta sonus; tametsi certum sit nec *Cherem* ibi alibive in veteri foedere (qua de re plura statim) nec verba illa quibus ita quasi resonat *Shamatha* ad excommunicationis eorum actum omnino attinere. Aliis autem שמתא *Shamatha* fit saltem per allusionem ex שם אתא *Dominus venit* [t]; qua de re capite proximo, ubi de *Maranatha* agitur. Certe poenam coelitus seu divinitus seu a Domino exspectandam sive mortem sive aliam dum in excommunicatione usurpabatur significasse certum est. Sed vero *Niddui* palam a verbo נדה fit, quod saepius in veteri foedere pro *separare* ac *amovere* occurrit. Et quamvis inter ea quae sacra habet scriptura, tum diu ante tum post illud de Baraki in Meroz actu allatum, non raro comperitur & verbum & nomen חרם *Cherem*, nihilominus ex ejus ibi usu actusque eo significati exemplo excommunicationis suae actum ipsum nec derivant nec derivare quivere. Sed tametsi actus ipse sic derivari, ut statim ostendetur, nequeat, dubitandum nihilominus non est quin nomen illud gravioris excommunicationis *Cherem*, uti & verbum a quo fit, ex scripturae ejusce usu per translationem quandam seu significationis partiariae atque angustioris assumptionem, eamque rationi satis consonam, ortum suum nactum fuerit. Nimirum ꝫ *Cherem* significationem in sacris literis ejusmodi esse palam est (quod & ante obiter monitum) ut praeter sacrorum donariorum devotionem [v] atque bonorum ablationem & in sacros usus confiscationem [x], tum devotio seu destinatio, nec sine diris & maledictione, internecioni, deperditioni, exterminio, destructioni tam personarum quam rerum urbiumque, etiam exsecutioni nunc ab hominibus, nunc a numine ipso, nunc jure belli, nunc pacis mandandae, uti etiam & ipse internecionis destructionisque actus eo denotetur. Loca ea de re sunt perspicua in Exodo, Levitico, Numeris, Duteronomio, Josua, aliis prophetarum insequentium: Adeoque destructionem seu funditus delendi, disperdendi, auferendi actum cum devotatione praevia nec sine exsecratione indicabat *Cherem.* Inde Hellenistis ἐξολοθρεύειν, ἀφανίζειν, φονεύειν, ἀναθεματίζειν, *destruere, delere, occidere, anathematizare*, alia ejusmodi pro verbo חרם & nomina cognata pro nomine inde substituuntur, ut ἐξολόθρευσις, ἀφανισμὸς, ἀνάθεμα, id genus alia. Atque *anathema* in bibliorum Latina veteri etiam subinde retinetur. Primus vocabuli usus est in Exodo [y]: *Qui immolat diis, praeterquam Domino soli,* יחרם (seu, ut Samaritani elegantius, *sacrificans diis* אחרום

יחרם) ἐξολοθρευθήσεται) יתקטול ܢܬܩܛܠ فليقتل فلا

& يعقل *e medio auferetur, morte plectetur, occidetur*, ut Vulgata, ubi editio Romana habet θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται), *morte destruetur*, & scholiastes ἀναθεματισθήσεται) *anathematizabitur*, quod de judicio forensi capitali sic usurpatur. Paraphrasis Uzielidis dicta, יתקטל בסייפא ונכסוי יתגמרון *occidetur gladio, & destruentur* seu *confiscabuntur bona ejus.* Judaei Hispanienses, *sera destruido*; quibus consoni eorum alii, uti & Angli, **he shall be utterly destroyed.** Sed Germani, **der sey verbannet**, & Belgae, **die sal verbannen worden**, quae potius exsilium indicant. Et Galli ibi, *sera destruit à la façon de l' interdit*, cum plane de mortis poena etiam ex judicio forensi locus capiendus sit. Ejusdem in Levitico [z] vocis usus est singularis; quo de nos olim [a] fusius. Atque in Numeris [b] legitur, כל חרם וגו' *Omne Cherem Israel tuum erit*, Πᾶν ἀνατεθεματισμένον, *Omne quod ex voto reddiderint filii Israel*, ut Vulgata; ubi alibique Syrus & Onkelos כל חרמא habent; sed Chaldaeus alter, כל דמגמר *quicquid destructum fuerit* seu *destructio-*

[p] Num xvi. 21, 24, 26, 27. [q] Vide Gemar. Babylon. ad tit. *Nidarim*, cap. 1. fol. 7. b. [r] Gemar. Babylon ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 17. a. [s] Cap. xxv. 9. [t] Drus. Quaest. & Resp. lib. 1. cap 9. alii. [v] Exod. xxii. 20. Levit. xxvii. 21, &c. [x] Ezra x. 8. [y] Cap. xxii. 20. [z] Levit. xxvii. 28. &c. [a] De Jure Nat. & Gent. lib. 4. c. 10, 11. [b] Cap. xviii. 14.

ni
1

ni damnatum; Saadias, كل صوافي *omnis oblatio ſpontanea*; Judaei Mauritanienſes, كل تليفة *omne anathema communi uſu exemptum*, atque ita reſpectu aliorum bonorum hominibus deperditum ſeu abdicatum; Germanienſes, **Al Bann**, *omne abdicatum*; Hiſpanienſes, *Toda apartadura, omnis res ſeparata.* Atque in verſionibus hic alibique aliis ſubſtituitur *interdit, coſa interdetta,* **verbannette, verbannene, thing ſeparate from common uſe, devoted, damned, dedicated, conſecrated,** ſeu *ſeparatum, devotum, damnatum, dedicatum, conſecratum*, id genus alia, pro *Cherem* & *Anathemate.* Hugo Grotius hic pro eo *quod in bello fit* ſumit [c] *Cherem*, id eſt, pro ſpoliis devictorum, hoſtibus ipſis, militiae deſertoribus. Alio autem Numerorum loco [d] adhibetur plane pro eo quod eſt ex voto funditus deſtruere res, perſonas, urbes. Verba ſunt, *Et vovit Iſrael votum Domino, dicens, Si tradendo tradideris populum iſtum in manum meam* והחרמתי את עריהם *etiam deſtruam, delebo urbes ejus. Et exaudiens Dominus Iſrael tradidit ei Chananaeum* ויחרם אותם ואת עריהם ויקרא שם המקום חרמה ſeu *qui deſtruxit, delevit eos & urbes eorum, & vocavit nomen loci Chorma*, a *Cherem*, id eſt, *deſtructio*; ubi LXX, ἀναθεματιῶ αὐτὸν ϗ τὰς πόλεις αὐτȣ̃, *anathematizabo eum & urbes ejus.* Et, ἀναθεμάτισεν αὐτὸν ϗ τὰς πόλεις αὐτȣ̃, ϗ ἐπεκάλεσαν τὸ ὄνομα τȣ̃ τόπȣ ἐκείνȣ Ἀνάθεμα, *Anathematizavit eum & urbes ejus, & vocarunt nomen ejus loci Anathema.* Ubi Vulgata, *delebo urbes ejus*; & dein, *Quem ille interfecit, ſubverſis urbibus ejus, & vocavit nomen loci illius Horma, id eſt, Anathema* [e]. Ita pro *devovere* & ſimul *deſtruere* adhibetur verbum חרם. *Horma* autem & *Chorma* idem ſunt pro diſcrimine pronunciationis τȣ̃ ח notiſſimo. Atque ita verbum illud *deſtruere* ſive caede ſive obſidione ſive incendio, id eſt funditus diſperdere, ſignificat etiam Chaldaeis paraphraſtibus, qui verbo גמר ibi utuntur pro eo quod eſt *conſumere*, uti & Judaeis Hiſpanienſibus, Germanienſibus, aliiſque recentiorum. Parili item in ſenſu ſumitur Judaeis Mauritanienſibus, qui habent واتلف بلادهم & *perdam civitates eorum*, وتلفهم & *perdidit* ſeu *deſtruxit illos.* Saadias autem Gaon جعلت قراهم صوافي *faciem urbes eorum vota ſpontanea* [f], & جعلوهم وقراهم صوافي *fecerunt eos & urbes eorum* vota *ſpontanea*, ſeu devovebantur arbitrio victoris ſeu expugnatoris. Talis ejuſdem notio in Deuteronomio ubi legitur [g], *cepimus omnes civitates ejus in tempore illo* ונחרם ϗ ἐξωλοθρεύσαμεν *deſtruximus civitates omnes virorum*, &c. Et de urbe in idololatriam lapſa [h], *Percutiendo percuties habitatores civitatis illius in ore gladii, & omnia quae in eo ſunt* החרם אותה וגו' ἀναθέματι ἀναθεματιεῖτε αὐτὴν, *anathemate anathematizabitis eam*; ubi Vulgata, *delebis eam*; quod conſonum eſt notioni vocis ibi adhibitae. Atque *Anathematis* nomine ſeu τȣ̃ *Cherem* expreſſim venit ibi quicquid ſic deſtructioni deſtinatur. Alii in eundem ſenſum ſunt loci obvii. Sed prae reliquis inſignis eſt ille de Hierichunte urbe, quam cum in poteſtatem Iſraelitarum tradidiſſe Dominus, והיתה, inquit Joſua [i], העיר חרם & *ſit urbs Cherem, anathema,* היא וכל אשר בה ליהוה *ipſa & omnia in illa Domino* (exceptis quae ibi excipiuntur) ורק אתם שמרו מן החרם פן תחרימו ולקחתם מן החרם ושמתם את מחנה ישראל לחרם ועכרתם אותו : *ſed vos cavete* ἀπὸ τȣ̃ ἀναθέματ☉ (ſic LXX, *ab anathemate) ne forte cogitantes vos accipiatis* ἀπὸ τȣ̃ ἀναθέματ☉, *de anathemate, & faciatis caſtra filiorum Iſrael anathema, & turbetis ea*; ubi Vulgata, *ſitque civitas haec anathema, & omnia quae in ea ſunt*, &c. Sed dein, *Vos autem cavete ne de his quae praecepta ſunt quippiam contingatis, & ſitis praevaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint atque turbentur.* Sequitur paulo poſt [k], ויחרימו את כל וגו' & *poſuerunt in Cherem* id eſt, ἀναθεμάτισαν *anathematizaverunt, deſtruxerunt, omnia quae erant in civitate, a viro uſque ad mulierem, a puero uſque ad ſenem, & uſque ad bovem, pecus & aſinum, in ore gladii.* Et איש חרמי *homo anathematis mei* uſurpatur [l] pro *neci deſtinato.* Atque de deſtructione maxime ex voto aut praecepto exſecutioni mandanda ſic capienda eſt vox *Cherem* illic [m] alibique in Joſua, aliiſque ſacrae ſcripturae locis ſequentibus, tametſi etiam iſtic altera illa *conſecrandi* aut *in ſacros uſus ſeparandi* notio ſimul concurrat, ex eo quod omne argentum atque aurum, vaſa aenea atque ferrea in ſpoliis Domino conſecrabantur, cum nihilominus etiam ut reliqua nomine *Cherem* deſignarentur. Sed prior notio multo frequentior eſt apud prophetas inſequentes & ferme ſola; juxta illud Zachariae [n], *Et habitabunt in ea,* וחרם לא יהיה עוד & *Cherem* ſeu *Anathema* (ſic Graeca & Latina vetus; atque aliquot recentiorum *Anathema* tam in Latinis quam vernaculis ibi retinent) id eſt, *deſtructio* aut *everſio totalis, amplius non erit*, ſeu קטלא *occiſio*, ut Chaldaeus ibi. De occiſione ejuſmodi atque everſione intelligunt Rabbini aliique in commentariis doctiſſimi. Judaei Hiſpanienſes ibi, *y deſtruction no ſera mas*; quibus alii aliquot conſoni, ut Angli nuperi, qui **utter deſtruction** habent; licet ſint qui *l' enterdit*, uti & **ban** & **verbannette**, perperam nimis ſubſtituerint, uti & Angli aevi ſuperioris, qui **and there ſhall be no more curſing** vertunt, nec ſine patrum veterum quidem autoritate. Nam Hieronymus ibi per *maledictionem* & *abominationem Anathema* interpretatur, quemadmodum etiam alii aliquot. Sed ſenſus prior hic locum habet, uti etiam in illo Malachiae, ubi Deus ipſe, *ne forte veniam*, inquit [o], והכיתי את הארץ חרם & *percutiam terram anathemate*, id eſt *funditus deſtruam*, ſeu, ut Graeci, μὴ ἐλθὼν πατάξω τὴν γῆν ἄρδην, *veniam & percutiam terram penitus*, quale pariter ſignificat ἀναθεματίζω cum in locis

[c] Et vide eum ad Levit. xxvii. 21. & 29. & ad Joſ. xi 14. [d] Cap xxi 2, 3. [e] Videſis Judic. i. 17. [f] Vide eum Levit. xxvii. 29. [g] Cap. ii. 34. vide cap. vii. 2. & 26. [h] Deut. xiii. 6. [i] Cap. vi. 17. [k] Comm 21. [l] 3 Reg. xx. 42. [m] Comm. 19. [n] Cap. xiv. 11. [o] Malach. iv. 6.

ſcripturae

ſcripturae vetuſtioribus tum in illo de filiis Bean a Juda Maccabaeo anathematizatis, *Concluſi ſunt* [p] *ab eo in turribus, & applicuit ad eos,* ϗ ἀναθεμάτισεν αὐτὰς, *anathematizavit eos*, id eſt, החרימם *internecione delevit illos, & incendit turres eorum igni cum omnibus qui in eis erant*; ubi Syrus habet ܘܚܪܡ a *Cherem*, ſenſu jam oſtenſo. Angli autem Duacenſes ibi, and anathematized them, quod de anathemate, quod deſtructionem ſignificat, plane capiendum. Sed de *anathematis* & חרם *Cherem* ſignificatione & uſu veteri juxta jam memorata & quae hiſce cognata prorſus ſunt, praeter ſcriptores tum veteres tum recentiores aut ex librorum titulis aut ex locis utriuſque teſtamenti ad quae notas adjiciunt ſatis cuique obvios, conſulas, ſi placet, quae viris aliquot doctiſſimis [q] nuper ea de re obiter & velut aliud agendo conſcripta ſunt, uti etiam quae nos loco ante indicato de variis anathematis generibus congeſſimus. Jam vero cum ex oſtenſis palam liqueat voce *Cherem* atque *anathematis* (diſtinguunt aliqui inter ἀνάθημα & ἀνάθεμα, quam bene viderint ipſi; neque locus hic eſt ea de re plura dicendi) compluria deſignari ac contineri, veluti conſecrationem, ſeparationem, maledictionem, dirarum imprecationem, devotationem, poenae deſtinationem, abdicationem ſeu ablationem, in ſacros uſus confiſcationem, interdictionem, caedem, incendium, exitium atque deſtructionem, arbitrariam corporis laeſionem, eamque ſive a numine ipſo pro libitu coelitus ac per angelos ſeu miniſtros poenarum ſive ab hominibus ex jure ſive pacis ſive belli, eoque ſive praeceptivo ſive permiſſivo, tum in perſonas tum in res variatim exſequendam, ſed ita demum ut binae illae conſecrationis & deſtructionis in eamque devotationis ſeu maledictionis notiones pro locorum quibus vox ipſa uſurpatur diſcrimine reliquas ſatis complectantur (quod etiam ab Ebraeorum doctiſſimis aliiſque agnoſci ſolet) nec ullibi apud prophetas veteres pro ipſo excommunicationis (qua poena ea habebatur ſingularis, ac forenſis ſeu conſiſtoriana, aut ſaltem forenſis inſtar, ſeu a poenis reliquis erat ſignantius diſcriminata) actu adhibeatur; manifeſtum inde ſatis fit, ipſum, ut diximus, excommunicationis *Cherem* nuncupatae actum neutiquam ex vocis hujus in foedere veteri uſu actuſque ea ſignificati exemplo derivari poſſe, quippe qui nullibi ſub eo nomine aut ſenſu in illo reperitur. Nam licet & ſeparatio & maledictio & devotatio dirarumque ſeu vindictae divinae imprecatio voce illa ut praeviae innuerentur (quae quidem habentur etiam in excommunicationis Ebraeorum actu) nihilominus ipſe actus praecipuus ea denotatus, quatenus poenam aut perſonarum rerumve laeſionem in ſcriptura ſignificat, eſt exterminium & deſtructio & ablatio ejuſmodi quae effectui excommunicationis eo nomine dictae prorſus eſt diſſona & diſſimilis. Aliud eſt ſeparari tantum aut diris onerari, aliud tum haec pati tum occidi ac deſtrui. Et ſaepenumero nimis ſane anguſtae nec ſatis explicativae ſunt verſiones & Latinae & vernaculae vocis hujus uti & *anathematis*, qua pro poenae & deſtinatione & executione in veteri inſtrumento uſurpantur. Nam *exſecrationem* ſolum illae nunc ſubſtituunt, nunc ſolum *ſeparationem*, nunc *damnationem*, nunc *interdictum*, nunc *abominationem*, id genus alia, quae ſunt citra caedem ſeu deſtructionem (quam tamen interdum, ut debent, exprimunt) id eſt citra actum praecipuum & maximum voce ipſa ſignificatum. Sed aeque impropria ac infelix hic nulla cum ſuperioris ſeculi verſione [r] Anglicana etiam publica autoritate paſſim uſurpanda, qua in loco illo de *Cherem* apud Joſuam illuſtriori, ſeu Hierichuntis excidio, ipſum vocabulum excommunicate & excommunicate thing adhibetur quaſi revera tunc *Cherem* ibi excommunicationem ſignificaſſet, qua poena ſive apud Ebraeos ſive apud chriſtianos ſingularis eo nomine ſolet denotari. Illa ſcilicet Joſuae ſupra citata in urbem ſententia ſic ibi [s] ex Ebraeo & Graeco (nam Vulgatae non omnino reſpondet) vertitur, The city ſhall be damned, both it and all that are therein, to the Lord, &c. And in any wiſe be ye ware of the excommunicate things, leſt you make your ſelves excommunicate, and take of the excommunicate things, and make the hoſt of Iſrael excommunicate, and trouble it. Et poſtea [t] pro eo quod eſt *praevaricati autem ſunt filii Iſrael praevaricatione* בחרם *Cherem* ſeu *anathemate, & accepit Achan*, &c. מן החרם *de Cherem* ſeu *de anathemate*, in verſione illa legitur, in the excommunicate things & of the excommunicate things, *in* & *de rebus excommunicatis*. Item [v]—for they have taken of the excommunicate things. Et in illo, *terga vertent in conſpectu inimicorum ſuorum,* כי היו לחרם ὅτι ἐγενήθησαν ἀνάθεμα *quoniam facti ſunt anathema, nec ego addam ut ſim amplius vobiſcum ſi non extirpaveritis* הכרם *anathema de medio veſtri*, ſubſtituere verſionis illius autores illi, becauſe they be excommunicate, & except you root out the excommunicate from among you: Et pro eo quod eſt והיה הנלכד בחרם ישרף באש *& qui* [x] *deprehenſus fuerit in anathemate, igne comburetur*, habent illi, and he that is found in the excommunication ſhall bee burnt with fire. Sed interea quod hic pro *excommunicato* ſic capiunt alibi tantum accurſed, & execrable (uti etiam & hoc in capite) & utterly deſtroyed, atque [y] id genus alia, ex vi verbi חרם & ἀναθεματίζειν, cum aliis vertunt. In Wiclefiana, quae compluribus annis praeceſſit, utcunque in uſum publicum non recepta, corſe ſeu curſe & curſed & accurſed, alia ſimilia, pro eodem ſubſtitui ſolent. In recognita autem ſub Elizabetha regina atque emendata illa epiſcoporum dicta, locus ille de Hierichunte devovenda in capite Joſuae ſexto ita mutatur ut pro excommunicate legatur execrable, tametſi in capite ſeptimo vox excommunicate aliquoties retineatur ut in verſione illa vetuſtiori. Atque ante citata paulo mutant, ut, Neither will I be with you any more, except ye deſtroy the excommunicate from among you; &, And he that is taken with the excommunicate thing ſhall be burnt, &c. adeoque pro excommunication ibi excommunicate thing ſubſtituitur. Atque haec

[p] Maccab. v. 5. [q] Claud. Salmaſius in exercit. Plinianis pag. 1080. Ludovicus Cappellus in tract. de Voto Jephthae. Dionys. Petavius. M[illegible]ell. Exercitat. cap. 14, 15. [r] Edit. Ann. 1540, 1541. 1564. Londini. [s] Joſ. vi. 17. [t] Cap. vii. 1. [v] Ibid. vii. 12. & 15. [x] Cap. vii. 15. [y] 1 Sam. xv. 3; &c. 1 Maccab. v. 7.

uſque ad bibliorum interpretationis recognitionem ſub Jacobo rege (ſeu ſub annum Chriſti 1612.) nuperam, quae inde obtinuit & jamnunc apud nos in uſu publico, retinebantur. In hac autem expuncto apud Joſuam τῷ **excommunicate** ponitur **accursed.** Sed vero compluribus ante annis Cambrobritanni auſpiciis parliamentariis ſub Elizabetha regina [z] ſuam in linguam biblia uſum in publicum vertentes, retineri hic noluere quid quod *excommunicati* in Anglicanis vocabulo tunc reſponderet, **diofrydd** & **diofrydd-beth** *abdicatum* & *rem abdicatam* ſubſtituentes, nec Anglicanam, quae tunc obtinuit, ſequentes, quos certe illius veſtigia premere & debuiſſe & voluiſſe ambigendum non eſt, niſi ubi optima diverſum ratio exegiſſet. Nec ipſam quidem *excommunicati* aut *excommunicationis* vocem, aut quae in linguis ſive provincialibus ſive aliis ab origine illa Latina ſit, in verſionibus uſquam extra biblia illa Anglicana comperio ita uſurpatam. Neque ſane alicubi in ſacris literis actum ejuſdem innuit *Cherem*, nec omnino intra cancellos maledictionis aut interdicti (quae voces ſaepius pro eo ſubſtituuntur) continebatur, utpote exitium & deſtructionem totalem, quoties de poena perſonali uſurpatur, denotans. Atque ita puto ſatis cuique conſtabit, ipſum excommunicationis actum, qua ut poena ſingularis erat apud Ebraeos in uſu, nullibi in veteri foedere τῷ *Cherem* reſpondere; cum interim pariter ſit fatendum, ex ſignificationibus ibi ejuſdem, ſeu earum circumſtantiis ac appendicibus aliquot, natum fuiſſe ac adſumptum nomen quo tum ſingularis illa excommunicationis gravioris ſpecies tum ipſum excommunicationis, juxta ante dicta, genus intelligeretur; nimirum maledictio, ſeu devotatio, dirarumque imprecatio ejuſmodi ut exitium a vindicta divina poenarumque coelitus ſeu a numine peccatoribus inflictarum miniſtris inde exoptaretur exſpectareturque (qualis tum maledictio tum poena in ipſo actu τȣ̃ *Cherem* ſeu *anathematis* ſeu in deſtruendae ſive perſonae ſive rei devotatione veteri in foedere expreſſim, ut ante liquet, reperitur) cum priſtinae libertatis, juxta ſuperius oſtenſa, per ſeparationem diminutione, ipſum excommunicationis actum qua legitimus ſeu forenſis habebatur complebat. Atque actus hic ideo nomen *Cherem* induit, quia ut in *Cherem*, qua in ſcriptura pro poena uſurpatur, & maledictio & exitium ipſum continetur, ita in altero ejuſdem hoc uſu & maledictio ſeu cum diris imprecatio exitii ejuſque a vindicta divina inferendi, praeter ſeparationem hujuſmodi, velut in exitium habebatur, licet citra exitii ſeu deſtructionis perſonalis actum aliquem humanum, qui in vetuſtiori illo vocabuli uſu frequens, res tota perageretur. Atque denum ut praeter vetuſtiorem illam ſeu ſcripturarium ſignificationem amplioremque, anguſtiorem, quam diximus, ſeu partiariam ex uſu jam indicato etiam induit vox illa *Cherem*, priſtina nihilominus ſimul retenta (& ejuſmodi vocum aliarum ſive degenerationes, ſive mutationes, ſive ſignificationes novas, pro ſeculorum & perſuaſionum diſcrimine, non raro in omni ſcientiarum, artium, rerum uſu fieri quis neſcit?) ita etiam ex ipſa rei natura exigebatur, ſaltem neceſſario evenire videtur, ut ſignificatio quam ita per ejuſmodi uſum ſeu mutationem nacta eſt vox illa vetuſtiori anguſtior, etiam in ſua, quatenus totum excommunicationis actum denotaret, rurſus anguſtiorem ſubinde tranſmigraret. Quoties ſcilicet ipſe ejuſdem actus, qua tam maledicendo diraſque imprecando quam ſeparando ſeu ſecludendo legitime exerceri potuit, id eſt, qua actus excommunicationis integer, juxta ſuperius memorata, quibat exerceri, ſuique ita juris aut manerent aut permitterentur Judaei ut libere ſaltem hoc poenae genus, quicquid de aliis pro vario eorum ſtatus diſcrimine dicendum fuerit, adhibere poſſent, actus ille totus *Cherem* dictus eſt, & recte, juxta jam aperta. At vero quoties Judaei, quibus, ut cuilibet mortalium, liberum erat diris imprecari, deteſtari, abominari, ac vindictam divinam quam exſpectabant invocare, nec tamen actum aliquem forenſem ſeu humanum exercere quo perſonam cui maledicendo imprecabantur ipſi legitime punirent (qua de re plura ſtatim) etiam ipſa ſimplex maledictio, abominatio, deteſtatio *Cherem* dicebatur, idque ex ratione ac origine jam ante tradita. Tantundem de *anathemate* dicendum. Id pariter atque *Cherem*, quod per *anathema* Helleniſtis & per *anathematizare* (ſenſu jam dicto) redditur, ſignificatum ſuum mutavit. Atque inde factum eſt quod patres chriſtiani primitivi [a] *anathema*, & *anathemare*, & *anathematizare*, & *anathematiſmum* ita intelligant de maledictione, exſecratione, deteſtatione, abominatione, idque ex Judaico, ſeu recentiori, uſu (cujus verbum eſſe anathema proprium ait Hieronymus) quatenus nimirum aut praeviae excommunicationi, quae nomen *Cherem* & apud Helleniſtas *anathema* ſic induerat, fuerint dirae, quoties ipſa excommunicatio integra legitime exerceri potuerit, & ſubſequens deſtructionis ſeu libertatis amiſſionis gradus acceſſerit, aut quatenus ſimpliciter etiam ſine coercendi ſeu aliam per ſeparationem aliterve poenam infligendi poteſtate dirae (quarum ſimplex etiam uſus apud Graecos & Romanos veteres, inſtar cumuli earum apud Ovidium in Ibin notiſſimi, idque genus aliarum, perquam frequens) ſeu vindictae divinae imprecatio nominibus illis innueretur. Inde etiam pro *anathemate maledictum* abſque alia adjectione in foederis novi Vulgata [b], ut ſaepenumero alias, reperitur. Atque inde ſane, nec ſatis bene, in verſionibus recentioribus, **accursed, execrable,** &c. & **excommunicate**, ut ante dictum eſt, ſubſtituuntur in veteri inſtrumento pro *Cherem*, ſeu eo quod plane aut funditus deſtructum, aut ſaltem deſtruendum, idque ab hominibus, ſine vindictae divinae exſpectatione, ſignificat. Anguſtior nempe ſenſus tranſlatione redditur, idque ex recentiori jam dicto ſenſu, quam in origine erat revera. Summa eſt, rectiſſime dixiſſe Heſychium ἀνάθεμα ſignificare tum ἐπάρατον tum ἀκοινώνητον, id eſt, & *maledictum* & *communione privatum*; hoc, quoties excommunicationis poena integra adhiberetur; illud, quoties ſine ſeparatione aut excluſione, id eſt juriſdictionis actu in perſonam legitimo, exoptando ſeu imprecando pronunciaretur. Atque illud Heſychii de perſona anathematis nomine denotata capiendum, non de rei;

[z] In Archivis Parliamentariis anni 5 Elizabethae.

[a] Auguſtin. ſuper Numer. lib. 4. cap. 40, 41. Hieronym. in Epiſt. ad Galat. cap. i, &c.

[b] Apoc. xxii. 3.

atque de recentiori significatu, non illo vetustiori. Reddere quidem amant viri docti nonnulli *Cherem*, qua excommunicationem Judaeis significat, per *exterminium*; quod plane vitio non caret sane animadvertendo, si modo *exterminium* intelligunt pro eo quod est ἐξολόθρευσις aut ἀφανισμὸς seu *destructio* totalis aut *perditio*, juxta quod simul cum verbo *exterminare* multoties usurpatur in Vulgata. Et in glossario veteri per ἀφανισμὸν recte redditur. Verum esse agnoscere interim oportet ipsam vocem *exterminare*, unde *exterminium* fit, ex compositionis seu partium forma denotare communionis seu terminorum antea possessorum privationem, seu exsilium, uti etiam alia vocabula analoga. Sic Cicero [c], *ex urbe aliquem, ac autoritatem aliquorum e civitate & ex hominum communitate exterminare*, id genus alia, usurpat. Sed vero *exterminare*, *exterminator*, *exterminium* in Vulgata pro eo adhibetur quod est aut idem cum כרת seu *excisione*, aut ex manu Dei personalis destructio seu perditio, juxta capite superiori dicta, aut pro eo quod est *Cherem* in sensu illo vetustiori superius ostenso, quorum neutrius actus ipse, praeter maledictionem, quid proprie habet cum excommunicatione Ebraeorum commune. Etiam apud veteres [d] aries vocabatur *instrumentum exterminatorium*, quia signum perdendae, destruendae urbis. Atque in sensu illo *exterminandi* quo summoveri quempiam innuitur juris sui seu communionis pristinae terminis, nec tamen necessario destrui, vox ἀφορίζειν, ἀφορισμὸς & similia (parili compositione) Judaeorum Hellenistis, adeoque postea Christianis, in usu; de quibus etiam proprie satis intra terminos certos contineri nec omnibus privari significantibus (quod excommunicationem sic probe denotat) plura inferius. Atque ut *Shamatha* ex usu Chaldaico mortem seu exitium denotans, excommunicationis citra mortem, ut ante ostensum est, significationem induit, ita plane in captivitatis temporibus (ut mox docebitur) *Cherem & anathema*, quando de personis dicebantur. Nam ubi de rebus, confiscationem aut ablationem, id est, dominii jus reo peremptum, significabant. Atque haec omnia ex usu excommunicationis apud Judaeos manifestiora fiunt. Quod ad usum ejusdem apud eos attinet; quanquam rationem qua eam niti volunt velut originaria, petunt, juxta ante memorata, ex illo Baraki in Meroz pronunciato, in quo etiam ipsam excommunicationis poenam contineri expressim volunt, attamen illo recentiorem multo non dubitandum videtur fuisse originem ipsius usus, ut recepti, excommunicationis legitimae ac forensis seu instar forensis habitae, qualis supra ostensa est. Nec sane captivitatis, post institutam divinitus eorum rempublicam, primae temporibus vetustiorem ipsos eam sic agnoscere mihi satis compertum est. Nam tametsi tum maledictionem simplicem seu dirarum usum solennem ac frequentem in peccatores vetustissimum fuisse palam sit, tum etiam in convictu ac consuetudine familiari ac privato delectum ejusmodi, ut apud alios passim, ita & apud Ebraeos veteres viguisse (qua de re in prophetis testimonia [e] sunt expressissima) ut alii alios in communi vitae ration adeo saepius odio haberent ac detestarentur u semotos a se vellent, nec in convictum aut so cietatem libenter admitti, nihilominus inde nihi omnino ad legitimae ac forensis, seu inter eos qu instar fori (juxta infra ostensa) se gererent, ex communicationis formulam, seu personae sic se motae status inter suos mutationem aliquam le gitimam, quae hic semper necessaria, attinens eli ciendum. Et post tempora jam dicta natum fu isse inter Judaeos & Samaritanos odium illud in testinum notissimumque certissimum est; quo sci licet invicem alteri alteros velut pro perpetuo ex communicatis [f], seu a commercio omnimodo se motos, habebant; juxta illud mulieris Samaritanae [g], *Quomodo tu, Judaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana?* οὐ γὰρ (συγχρῶνται) Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, *non enim co-utuntur Judaei Samaritanis.* De aversatione autem illa inter eos mutua, quae excommunicatio dici potuerit, licet diversa esset ab Ebraeorum quam ostendimus forensi, seu ea quam inter suos ipsi exercere solebant, commentum est Mahumedanum quod fas sit hic memorare, originem eam habuisse ab ipso Mose. Legitur in Alcorano versionis Retinensis; ubi de Ascemeli (falso sic ibi etiam juxta vetustissimos codices [h] versionis ejusdem manuscriptos vocatur) ut aurei vituli artifice agitur, *injunxisse Moysem ut quamdiu viveret Ascemeli peregrinaretur, nec cujusquam communione potiretur.* Exsilium quidem hic atque excommunicatio. Legendum autem pro *Ascemeli*, *Alsameri*, seu السامري (ut in Arabico [i]) cui peregrinationem ibi Moses injunxisse dicitur, atque ita pristina hominum communione privasse ut quemcunque videret ei diceret لامساس *Tactus sit nullus, noli me tangere*; ubi Mahumed Ben Achmed

وكان يهيم في البرية واذا مس احدا او مسه احد حما جميعا

Et peregrinabatur in deserto; & quoties tangeret is quempiam, aut quispiam illum tangeret, totum se abluebat. Atque ab hoc Sameri descendisse gentem Judaeorum Samaritanam quae insulam Maris Rubri cognominem incolit, adeoque etiam ipsam aliorum hominum aversationem jam dictam, tradit Aldrisius autor Geographiae Nubiensis: Inquit [k], وفيها جزيره السامري يسكنها قوم يهود ومنها سامرية وعلامتهم ان يقول احدهم اذا لقي انسانا لا مساس وبهذه اللفظة يعرف اسهم من اليهود المنسوبين الي السامري صاحب العجل في زمن موسي عليه السلم *Inter has* (Maris Rubri insulas) *est insula Same*

[c] In Catilin. Orat. 3. Orat. pro Corn. Balbo. Orat. pro Provinciis Consular. de Officiis lib. 3. Philippic. 13. &c. [d] Paul Diacon. lib 17. [e] Psal. i. 1. xxvi. 4. Isa. lxvi. 5, &c. [f] Vide *Pirki* R. Eliezer, cap. 38. Sepher *Tanchuma*, fol 1(col. 1. Buxtorf. Lexic. Chald. col. 2464. J. Drus. de tribus sectis cap. 2. & lib. nost. 2, de Jure Nat. pag. 265. [g] Joann. iv. 9 & vide Luc. ix. 53. [h] Azoar. 30. [i] Surata 20. [k] Part. 5. Clim. 2.

ri, cujus incolae gens Judaica Samaritana; *qui inde dignoſcuntur, quod ſi quis eorum hominem* (non ſui generis) *obvium habuerit, ei dicat, Ne attingas. Atque ex hac dictione deprehenduntur eſſe ex Judaeis qui deſcendunt ex Sameri autore vituli tempore Moſis*; *cui ſit pax.* Ita ille, locum Alcorani memoratum plane reſpiciens, de quo etiam nos alibi[l]. Sed nugis his aliiſque ſi quae ſunt ejuſmodi de tam vetuſto excommunicationis apud Judaeos ſolennis ac forenſis uſu miſſis, ad hunc modum, ſi quid video, de uſus ejuſdem apud eos publice recepti origine ſtatuendum; in lege ipſa aut in hiſtoria ſacra ante captivitatis primae jam dictae tempora uſum hunc nullibi comparere. Neque neceſſarium eis viſum eſt ut adhiberetur excommunicatio, quamdiu ſui erant juris, ac penes ſynedria & praefecturas juridicas ſuas poteſtas manebat, ut ante captivitatem, legitima liberaque omnimoda delicta juxta leges ſacras ac mores ſuperinductos alias coercendi, idque ſive morte ſive plagis ſive mulctis, pro multiplici facinoroſorum diſcrimine. Adeoque nec in legis praeceptis, nec ſub templo primo aut ante captivitatis tempora, uſus ipſe reperitur, nec ſane verba aut nomina illa notiſſima tria quibus deſignari ſolet (juxta ante oſtenſa) pro ea ullibi in ſacris Judaeorum literis uſurpantur, aut ante captivitatem ita ſignificabant. In captivitate autem poteſtas eorum in ſuos publica nunc plane adeo diminuebatur, ut in nihilum omnino redigeretur, ut devictorum ſolet, nunc ex indultu principum quibus captivi erant ad gradus aliquot, citra capitalia judicia, eadem permiſſa. Etiam & quandoque ut poenas omnimodas, adeoque capitis, in ſuos exercere poſſent, impetrarunt ethnarchae & principes captivitatis, ut videre eſt in hiſtoria ſacra, apud Joſephum, alibique. Ipſi autem legum ſacrarum ſibique peculiarium & morum avitorum libentiſſime, etiam avidiſſime, tenaces, quamvis poenarum forenſium exſecutione, qua gaviſi antea fuerant, alienis in terris plerumque carebant, ſummopere tamen inter ſe ad ſingularem exiſtimationem ſuam inter gentes ſuſtinendam patrioſque ritus moreſque conſervandos agebant, adeoque ex pacto inter ſe convento ſeu compromiſſo facinoroſos ac contumaces ex ſuis, quos nec capitalibus nec pecuniariis aliiſve vulgo uſitatis perſonalibus ſeu apud ſe forenſibus poenis jam coercere ob poteſtatis defectum quirent, maledictione atque vindictae divinae imprecatione cum ſeparationis ſeu priſtinae in convictu ac conſortio libertatis diminutionis, qualem diximus, ignominia puniri volebant, id eſt, excommunicatione, ut ita puniti vindictae divinae metuentes & pudore inter ſuos ſuffuſi in bonam redirent mentem & per abſolutionem ſeu reſtitutionem velut purgati reciperentur. Atque ita ea utebantur tum homines ſingulares (ut oſtenſum eſt) tum captivitatis coetus ſeu principes, inſtar fori inter ſuos ex ejuſmodi pacto ſaepius ſe gerentes. Inſtar fori, dico: Nam ubi alienis in terris atque alienae omnino poteſtati ſubditi ac ſui juris libertate prorſus carentes degebant, ne concipi quidem cum ratione poteſt, ex pacto aliquo ſolum inter ſe inito, neque a principibus cui ſuberant firmato aut legitime permiſſo, revera forum circa hanc rem eos habuiſſe, aut juriſdictionem aliquam propriam, ſed actum tantum juriſdictionem ex convento & reverentia comitante imitantem aut ſimulantem exercuiſſe. Nec privatorum conſenſus judicem legitimum facit eum qui nulli praeeſt [m] juriſdictioni, tametſi interim per omnia ſecula certiſſimum fuerit, privatos, etiam in ſodalitia pacto contractos & per compromiſſa conjunctos, ex mutua ſui reverentia ſponte ſaepius obſecundare perinde ac ſi legitima in eos exerceretur cum imperio juriſdictio. At vero ſi ſeparationi illi ſolenni perſonali adverſata fuiſſet poteſtas aliqua publica loci illius in quo ſic quis excommunicatus eſt, aut eam impediiſſet, plane pro nihilo ea ex jure ibi habenda, quoniam actus erat contra ejuſmodi poteſtatis libitum ſuo in territorio ſuoſque in ſubditos (qualis in captivitate ipſi Judaei) non exercendus. Unde etiam evenire potuit ut maledictio ſola ſeu divinae vindictae imprecatio, qui actus eſt non minus ubique liber quam ipſe fandi, nec impediri ſolitus, effectum per ſe aliquem hic in excommunicatum haberet, utcunque cum ſeparationis aliunde forſan impeditae aut vetitae pronunciato conjungeretur. Atque hujus rei ratio ſingularis hic ſemper habenda eſt, quoties loquimur de excommunicatione ab Ebraeis quibus juriſdictio proprie dicta, alienis in terris, eam in rem non permittebatur, pronunciata; quemadmodum in epiſtolari illa ac ſolenni Gerſomi nomen prae ſe ferre ſolita, de qua ante dictum eſt, & ſimilibus. Et effectu illo ſeparationis perſonalis ut careret excommunicatio neceſſe erat, quoties eorum quis in captivitate excommunicatus adeo contumax eſſet ut ſententiam in ſe qualitercunque latam ſpernens, libertatem in convictu priſtinam nihilominus retinere vellet, niſi ſummarum poteſtatum indultus aut permiſſio acceſſiſſet; cujus rei exemplum habetur in tabulis hujus regni publicis, ubi ſub Henrico noſtro rege tertio impetrarunt ab eo Judaei Londonienſes licentiam, *quod* [n] *magiſtri legis eorundem in civitate London promulgare poſſint ſententiam excommunicationis in omnes illos Judaeos, qui ſubſidium aliquod promiſerint ad coemeterium ſuum London. ſuſtinendum, & illud non ſolverint.* Id genus alia ſeculorum vetuſtiorum mox dabuntur. Sed proculdubio boni mores, pudor, atque inter ſuos exiſtimationis integrae conſervationis deſiderium ſaepe ſatis in cauſa erant ut recepto excommunicandi uſui ſponte alienis in terris ſe ſubmitterent. Illud autem ſic, ut dictum eſt, in captivitate coeptum ita poſtmodum variatim duravit ac retentum eſt ut non modo ubi juriſdictionem etiam peramplam inter ſuos, citra capitalem, exercere alienis in terris atque in diſperſionibus ex indultu principum [o] eis licuerit, verum etiam ubi capitalia cum reliquis judicia eis permitterentur atque eſſent in uſu ſive alienis in terris ſive in ipſa terra ſancta ac Hieroſolymis, excommunicatione jam oſtenſa uterentur, adhibitis etiam quandoque, prout potuerint ſimul ac voluerint, poenis praeter eam inſuper aliis atque ſatis heterogeneis. Sed ab exemplis & teſtimoniis ſequentibus manifeſtiora haec fient. Prae aliis excommunicationis etiam forenſis uſus apud eos teſtimonia illuſtriora ſunt, & quantum video

[l] De Diis Syris Synt. 1. cap. 4. [m] L. 3. C. tit. de Juriſdict. omnium Judicum. [n] Rot. Pat. 34. Hen. 3. membr. 3. ſeu anno Chriſti 1251. [o] Videſis Joſeph. Archaeolog. lib. 14. & Ruffin. ibi. & David de Pomis. de Medico Hebraeo.

revera

revera in sacris literis prima, sub Ezrae ethnarchae & Nehemiae tempora. Ita scilicet in edicto illo comminatorio Ezrae [p] cum suis e captivitate reducis legitur, *Quicunque non adfuerit intra triduum, juxta decretum principum & presbyterorum,* יחרם כל רכושו והוא יבדל מקהל הגולה ἀναθεματισθήσεται πᾶσα ὕπαρξις αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς διασταλήσεται ἀπὸ ἐκκλησίας τῆς ἀποικίας, *auferetur, anathema fiet* seu *anathematizabitur*, (secundum vetustiorem *anathematis* & τοῦ *Cherem*, ut ante dictum est, quantum ad res, non personas ipsas, significationem; seu *destruetur ei perimeturque dominium ejus in rebus suis*; sed aliqui etiam capiunt de bonorum per incendium, ut in Josuae historia Hierichuntina, destructione) & *ipse abjicietur* seu *separabitur a coetu* seu *ecclesia transmigrationis* seu *captivitatis*. Syrus ibi, ܘܗܘ ܢܬܦܪܫ ܡܢ ܥܡܐ ܕܐܝܣܪܝܠ והו יתברי מן עמא דישראל & *ipse separabitur a populo Israel.* Arabs autem, فليلعن وجميع ماله يفرز من كنيسة السبي *anathema esto*, id est, *maledictus, & omnes facultates ejus separantor ab ecclesia captivitatis*, seu usibus communibus eximuntor. Judaei Hispanienses, *Fuesse destruyda toda su ganancia; y el fuesse apartado de congregacion del captiverio.* In Apocryphis autem Ezrae [q] legitur, κατὰ τὸ κρίμα τῶν προκαθημένων πρεσβυτέρων ἀνιερωθήσονται τὰ κτήνη αὐτῶν, καὶ αὐτὸς ἀλλοτριωθήσεται ἀπὸ τοῦ πλήθους τῆς αἰχμαλωσίας, *secundum judicium assidentium seniorum tollentur in sacros usus facultates eorum, atque eorum quilibet alienus judicabitur a multitudine captivitatis*, seu legitime separatus. Josephus [r] pariter recitans edictum, ὡς τῶν ἐν δυσὶν ἢ τρισὶν ἡμέραις οὐκ ἀπαντησάντων, ἀπαλλοτριωθησομένων τοῦ πλήθους, καὶ τῆς οὐσίας αὐτῶν κατὰ τὴν τῶν πρεσβυτέρων κρίσιν ἀφιερωθησομένης, & *hos qui ante biduum aut tres dies non occurrissent alienari a multitudine, & substantias eorum auferri* (in sacros usus) *decernens secundum judicium seniorum*, ut Ruffinus. Sed Gelenius ibi bene, & *quisquis per contemptum non adfuerit intra praescriptum tempus, ut excommunicetur, bonaque ejus sacro aerario addicantur.* Adeoque expressim pro excommunicatione alienationem illam seu separationem sumit, uti etiam Ebraei ipsi dum eandem ipsam locutionis formulam quae hic pro separatione a coetu seu ecclesia, ut ante liquet, usurpatur, pro excommunicatione adhibent. Et Christiani hic patres aliquot [s], *Ecce excommunicationis forma*; licet vir praestantissimus Hugo Grotius de exsilio potius, quatenus illud ab excommunicatione disterminatur, sumere videatur. Hic enim ille, *Exsilium non erat inter poenas legis: sed licebat senatui novis decretis novas poenas addere.* Et verum quidem est, tunc legitimam fuisse penes Ezram reliquosque Judaeorum praefectos jurisdictionem circa poenas omnimodas, adeoque excommunicationem, pro libitu, mulctasque infligendas. Nam ab Artaxerxe Persarum rege, cui captivi manserant, expressim indulta est Ezrae potestas judices constituendi, idque eo usque ut *qui* [t] *non fecerit legem Dei ejus & legem regis diligenter, judicium faciendum de eo esset, sive in mortem,* הן לשרש הן לענש נכסין ולאסורין *sive in eradicationem* seu *exsilium, sive in condemnationem substantiae ejus, vel etiam in carcerem.* Hinc potestatem & jurisdictionem legitimam nactus Ezra caeterique tunc Ebraeorum praefecti poenas omnimodas, adeoque has hoc loco memoratas, ex jure in suos exercere quibant plenissimo. Huc spectat etiam illud Nehemiae [v], ובאים באלה ובשבועה וגו׳ & *veniebant* seu *associabant se per diras & juramentum, ut ambularent in lege Dei*, id est, comminatoriam excommunicationis sententiam in facinorosos pronuntiabant. Et Nehemias [x] ipse, de Judaeis qui uxores alienigenas per nefas acceperant, ואריב עמם ואקללם ואכה מהם אנשים ואמרטם וגו׳ & *objurgavi eos, & execratus sum eos, & percussi viros quosdam ex eis, depilavique eos, &c.* ubi excommunicatio cum poenis aliis; ut paulo post sola excommunicatio. Scilicet, *De filiis*, inquit [y], *Joiadae filii Eliazib sacerdotis magni quidam erat gener Sanballat Horonitae*, ואבריחהו מעלי & *fugavi eum a me*, juxta decretum ea de re in Ezrae edicto. Et singularis habetur in utroque Talmude [z] edicti illius usus ubi excommunicatio ejusque appendices describuntur. Etiam Abenezra illud Nehemiae אקללם *execratus sum eos* expressim interpretatur pro binis excommunicationis generibus illis *Cherem* & *Niddui* ante ostensis. *Sed ea crediderim*, inquit Hugo Grotius, *in exsilio* seu tempore captivitatis *usurpata, cum jus vitae necisque penes Persas esset, atque iterum cum capitalia judicia ad Romanos devenissent: Nam in lege nulla earum poenarum mentio, neque in veteri historia populi illius. Verius ergo est, Nehemiam gravibus verbis, etiam cum irae divinae comminatione, usum in istos legirupas.* Sic ille; ubi natum excommunicationis usum in captivitatis seculis optime admittit, quam etiam jam inde reduces, suppliciis capitalibus uti (licet ex permissu regio potuissent) nolentes, adhiberi hic voluere. Apud Danielem [a] item sumit Grotius illud, *Multi, &c. evigilabunt, hi ad vitam aeternam* ואלה לחרפות ולדראון עולם *illi ad opprobria & abjectionem perpetuam*, pro eo quod est, *Erunt alii in Niddui, alii in Cherem.* Neque solum apud Talmudicos seu traditionales Judaeos usus, quem diximus, receptior ac forensis (quicquid de Baraki actu illo interea loquantur) in captivitatis temporibus illis vetustis aliisque sequentibus, velut primus, sicut praefertur, agnoscitur, verum etiam ab altera illa secta quam *Karaeos* seu *Scripturarios* vocant, qui sane ipsam usus ejusdem originem temporibus jam dictis expressius etiam assignant. In allatis capite superiori [b] ex Eliae Ben Mose Karaeo liquet poenam a manu Dei seu Numinis angelum exterminatorem aliasve vindictam in facinora ex lege graviora, idque ex professo inter eos ita exspectari solere ut aliunde non expectaretur vindicta, quoties scilicet judiciorum capitalium aliorumque, quibus facinorosi inter homines coerceri solent, exercitio, id est, jurisdictio cum imperio eis deesset, aut, ut ibi exponitur, tempore captivitatis seu juris sui ejusmodi diminutionis, sive extra terram sanctam sive in-

[p] Cap. x. viii. [q] Lib. 3. cap. 9. [r] Archaeolog. lib. 11. cap. 5. [s] Jo. Mariana, alii. [t] Ezra vii. 26. [v] Cap. x. 30. [x] Cap. xiii. 25. [y] Ibid. 28. [z] Hierosolymit. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 81. col. 4. Babylon. ad eundem tit. fol. 16. a. [a] Dan. xii. 2. & videsis H. Grotium Not. in Luc. vi. 22. [b] Pag. 820

tra

t

tra, ut eo libere in justitia juxta leges suas administranda uti nequirent. Inde ad vindictam divinam invocandam se accingebant maledicendo peccantibus, atque ita separando eos ut convictus familiaris, ut ante est ostensum, libertate pristina carerent. Proxime post verba illa Eliae Ben Moseh sequitur apud ipsum ואמר ר׳ בנימין בן משה כי מי שנרשע במשפטי מומים או בשאר דינים שלא דנים בגלות ישוב ויפים ויקבל עליו ואם לא יקבל עליו משפטי שדי נדוים אותו ונבדיל אותו ממנו שכת׳ יחרם כל רכושו והוא יבדל מקהל הגולה *Et tradit Rabbi Benjamin Ben Moseh, quod si quis vitiis inquinatus fuerit gravioribus, circa quae in captivitatis tempore judicia nobis exerceri nequeunt, oportet ut ad bonam mentem poenitentia redeat, se reconciliet, & melius vitae institutum futurum in se recipiat. Quod si non fecerit leges divinas observando, ponimus eum in Cherem, & separamus eum a nobis, secundum quod scriptum est* [c], Auferetur, aut *ei destruetur* tota ejus substantia, & ipse separabitur ab universitate seu *ecclesia* captivitatis. Quibus ipse Elias Ben Moseh statim subjungit, וכן הוא הראוי בזמן הגלות שכל מי שלא יקבל דברי תורה ודברי החכמים היוצאים מכח התורה להחרימו ולנדותו והבדילו מעדת ישראל על פי החכמים אשר בבית דין הנמצאים בזמן ההוא וכל הקהל ימשכו אחרי גזרת החכמים הנמצאים בזמן ההוא דור דור *Atque ita conveniens erat ac necessarium in tempore captivitatis ut si quis in se non reciperet verba legis, aut verba sapientum quae eliciuntur ex ipsa legis vi, eum ponere in Cherem & in Niddui, & separare eum ab ecclesia* seu *universitate Israel, ex decreto sapientum qui praefecturae qualicunque juridicae tunc praefuere. Et ecclesia* seu *coetus universus sequebantur* seu *libenter recipiebant decretum sapientum in tempore ejusmodi per omnia secula.* Adeoque introducti excommunicationis apud eos usus sive forensis ac consistoriani, sive ejus qui talem simulabat, aut (quantum ex convento ac reverentia sapientibus, seu qui vice praefectorum inter ipsos, quoties sui juris non essent, admissi sunt, praestita fieri potuit) imitabatur, causa praecipua & velut sola agnoscitur publicae judiciorum exercendorum ac jurisdictionis verae, qua toties carebant, potestatis defectus; tametsi postquam introductus est, tam in praefecturis quibus jurisdictio revera habita quam aliter locum illum habere voluerint. Et licet causae usus hujus legitimae maxime viginti quatuor memorentur in utroque Talmude alibique apud Rabbinos, nihilominus variabant illae & in plures paucioresve, pro eorum penes quos exercebatur haec poena, saepius mutabant. Multiplicem autem ac portentosum dirarum cumulum, quo solenni sibi ritu onerabant facinorosos ac in legem contumaces, excommunicatos eos pronunciando, videre est in נוסח חרם *formula anathematis* alibi [d] a nobis ex *Sepher Colbo* exhibita; ubi אנו מחרמין ומשביעין ומנדין ומשמתין ומקללין ומארדין: *Nos in Cherem ponimus, & adjuramus, & ponimus in Niddui, & in Shamatha, & maledicimus, &c.* usurpantur, id est, unica in denunciatione omnia illa simul vocabula, adeoque *Shamatha* seu *Niddui* ac *Cherem* simul adhibentur. Adeo item varius habitus est & variatim temperatus poenae hujus usus, ut non deessent qui, quoties sententiam in alium ferrent ipsi se prius (quod mirum) excommunicarent, id est, vindictam in se etiam divinam imprecarentur, statumque suum parili sententia apud suos minuerent, sed ita ut restitutionis seu absolutionis sui potestas penes ipsos pro libitu maneret. Interdum etiam pro vario locorum & seculorum discrimine, verberibus aliisque poenis (quando scilicet vera jurisdictio eis competebat) viros studio legis illustriores coerceri volebant, non excommunicatione, qua tamen tunc in obscuriores utebantur. De eo quod est excommunicantem prius ipsum se excommunicasse, testimonium habetur in Gemara Babylonia [e], ubi de Mar Zutra seipsum primo semper excommunicante agitur; מר זוטרא חסידא כי מחייב צורבא מרבנן שמתא ברישא משמית נפשיה והדר משמית לדידיה כי הוה עייל באושפיזיה שרי ליה לדידיה אמר ר׳ גידל אמר רב תלמיד חכם מנדה לעצמו ומיפר לעצמו: *Mar Zutra Sanctus, quoties insignior quisquam e sapientibus in Shamatha ex peccati merito ponendus erat, ipsum se primo in Shamatha posuit, & postmodum illum. Revertens dein in aedes suas absolvit seipsum, & dein illum absolvit. Nam & R. Gidel dixit, Discipulus sapientis seu juris publice studiosus excommunicare potest seipsum, & seipsum etiam absolvere.* De Mar Zutra idem ut singulare inde notat item Abraham Zacuthius [f]. Floruit quidem Mar Zutra hic in centuria ab excidio templi secundi quinta [g]. Mores autem quibus tunc ille usus est ex vetustiorum disciplina manasse dubitari nequit. Scilicet AEchmalotarcha erat in captivitate seu dispersione tunc Babylonica & jurisconsultus perillustris. De discrimine autem illustriorum ejusmodi seu legis studio eminentiorum atque obscuriorum eo nomine (licet alias forte illustriores essent) testatur etiam eadem Gemara; scilicet Rab Papa dixisse תיתי לי דלא שמיתי צורבא מרבנן מעולם אלא כי קא מחייב צורבא מרבנן שמתא היכי עביד כי הא דמערבא מימנו אנגדא דצורבא דרבנן ולא מימנו אשמתא *Utinam mihi nunquam contingeret excommunicare,* seu *in Shamatha ponere, sapientem illustriorem. At vero si objiciatur, Quid fiet cum Shamatha promeruerit sapiens ejusmodi? Certe bene factum foret, si idem quod faciunt in occidente* (Palaestina seu terra sancta, quae sedibus Judaeorum Babylonicis occidentalis) *ubi flagris adjudicantur ejusmodi sapientes rei, & non damnantur excommunicationi.* Tantundem alibi Gemara eadem [h]. Nimirum diversimode minuta, interdum etiam prorsus sublata, tum intra terram sanctam tum extra, Ebraeorum libertate judicia forensia exercendi, quae tamen pro vario principum indultu aliter atque aliter saepius intermortua revixit, in Babylonia seu oriente, maxime cum poenas reis ex lege infligere per defectum jurisdictionis nequirent, tam illustriores quam obscuriores juxta ante dicta excommunicare solebant. Sic praestabant scilicet quantum inter se potuere ad continendos omnigenos suos in officio, cum aliter punire nequirent. At vero in occidente seu Palaestina, quando Caesa-

[c] Ezra x. 8. [d] De Jure Nat. & Gent. lib 4 cap. 7. [e] Ad tit. *Moed Katon*, cap 3. fol. 17 a & tit. *Nidarim*, cap. 1. fol 7. b. [f] *Sepher Juchasin*, fol. 90. b. [g] Vide *Seder Olam Zota* sub finem & *Sepher Juchasin*, fol. 117. b. [h] Ad tit. *Pesachim*, cap. 4 fol. 52. a.

rum indultu juriſdictio cum imperio eis competebat, adeoque flagellationis poenam apud eos (ut apud orientalium alios) legitimam uſitatiſſimamque infligere liberum erat, malebant flagellatione quam excommunicatione in illuſtriores, quales diximus, ſeu ſtudiis eminentiores animadvertere; cujus ignominia multo minor apud eos habebatur quam excommunicationis [i] adeo diratum plenae & tum vindictae divinae tum ſeparationi & poenitentiae reliquiſque abſolutionis incommodis reum exponentis; maxime cum clam, nec in publico, flagellandi eſſent. Certe Maimonides [k] hac de re loquitur quaſi nullibi extra idololatriae, illiuſque apertiſſimae ac inſtar Jeroboamianae, cauſam publice excommunicandus fuiſſet aut princeps, aut pater ſynedrii, aut quales diximus illuſtriorum quiſquam, ſed flagris potius ſic puniendus, ubi fieri id quibat. Alios item habet ſequaces. Sed de terra ſancta videtur id maxime capiendum juxta jam memorata, uti & recte monet praeſtantiſſimus vir Buxtorfius [l] filius, qui intelligit illud de occidente, quaſi dictum fuiſſet, inſolitum fuiſſe Hieroſolymis & in terra ſancta perſonas ejuſmodi excommunicare. Ibi tamen tum flagellationis tum excommunicationis omnimodorum, pro libitu eorum qui rebus praeerant, uſus erat. Et pro vario temporum, locorum, ac ſectarum etiam diſcrimine, nunc pariter univerſis, tam illuſtrioribus quam aliis, etiam Hieroſolymis infligebatur excommunicatio (quod ſatis eſt elicere ex inferius de Eſſenis dicendis) nunc illuſtrioribus potius, ut dictum eſt, flagellatio. Et Chriſtus ibi ad diſcipulos ſuos, *Tradent* [m] *vos in ſynedria, & in conventibus* ſeu *ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Atque de flagellationis ejuſmodi poena obvia ſunt in foedere novo [n] alia. Et licet nec Chriſtum ipſum nec diſcipulorum quemquam ibi expreſſim excommunicatum reperiamus, tamen expreſſiſſimum habetur ibi teſtimonium de συνθήκη *conventione* ſeu *pacto* inter Judaeos inito de quolibet Jeſum Chriſtum eſſe confitente excommunicando; ἤδη [o] γὰρ συνετέθειντο οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριστὸν ἀποσυνάγωγος γένηται, *Jam enim conſpiraverant* ſeu *convenerant Judaei ut, ſi quis eum confiteretur Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* Inde caeci oculis reſtituti parentes pactum hoc adeo timuiſſe liquet ut reſponſum de filii caecitate dare detrectarent, ne forte pro Chriſtum agnoſcentibus ſic inde deprehenſi excommunicarentur ipſi, ut poſtmodum filius. Atque *extra ſynagogam facere* hic idem ipſum eſt quod *excommunicare* ſeu לבדול מן הקהל *ſeparare ab eccleſia* ſeu *coetu*, juxta ſuperius dicta. Idem ipſum ibi dicitur ἐκβάλλειν ἔξω, *ejicere foras.* De caeco illo, καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω [p], & *ejecerunt eum foras*; & audivit Jeſus quod ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω, *ejecerunt eum foras.* Et quicquid plerumque atque ut ſolitum hac de re ibi fuerit in uſu, pro libitu proculdubio eorum qui rebus praeeſſent, tam flagellatio quam excommunicatio ibi adhibebatur, etiam in omnigenos, utcunque pro variis rationum contingentium ac temporum momentis alios hac potius, alios illa poena juxta jam dicta coerceri voluerint. Dominus ipſe poſt pactum illud de excommunicando initum, ad diſcipulos [q], ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, *extra ſynagogam facient* ſeu *ponent vos.* Nec bene Vulgata ibi, *abſque ſynagogis*, ſi de ſynagogis quae proſeuchae erant locus ſic capiatur, ſeu de ſynagogarum illarum interdictione. *Synagoga* in compoſito illo pro ipſa eccleſia ſeu univerſitate & familiaris eorum convictus coetibus ſumenda; qua de re etiam alibi plura. Etiam & poſt pactum illud ſeu decretum *multi* ἐκ τῶν ἀρχόντων [r], *ex principibus, crediderunt in eum, ſed propter Phariſaeos non confitebantur*, ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται, *ne extra ſynagogam fierent*, ſeu ne de ſynagoga ejicerentur. Alibi item ad diſcipulos Dominus [s], *Beati eritis cum vos oderint homines*, καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσι, καὶ ἐκβάλωσι, &c. *cum ſeparaverint vos, atque exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis*; qui locus de excommunicatione eorum pariter capiendus. Atque quod hic ἀφορίζειν eſt ſeu *ſeparare*, idem eſt quod *extra ſynagogam facere* atque ἐκβάλλειν ἔξω ſeu *ejicere foras.* Hugo Grotius ad illud de Judaeorum decreto, *Excluderetur a ſynagogis & familiari convictu. Nempe per* נדוי *Niddui; quod proprie vertitur* ἀφορισμὸς *Luc.* vi. 22. *Nam* חרם *Cherem, anathema, qui ſecundus eſt gradus, in Jeſu ſectatores decerni demum coepit poſt reſurrectionem.* Sic ille; quem & vide prae aliis ad loca reliqua citata; in quorum aliquot tam bene interpretes ſuperioris ſeculi Anglicani vocem **excommunicat** ſubſtituere quam male in hiſtoria illa Hierichuntina de qua ſupra: Satis enim recte pro *extra ſynagogam facere* & pro *ejicere extra* apud Joannem **to excommunicat** adhibebant. *Si quis confiteretur eum Chriſtum*, **he should be excommunicat out of the Synagogue**, *excommunicaretur e ſynagoga*; &, **lest they should bee excommunicat**; &, **they shall excommunicat you**; &, **Jesus heard that they had excommunicat him**, ſcilicet caecum illum. Neque ſane cum ratione impugnarunt verſionem hanc (quam etiam amplexi ſunt Cambrobritanni hic merito; licet *excommunicationis* vox in Joſua, ut ante oſtenſum, illis merito pariter diſplicuerit) Rhemenſes Angli aliique Romanenſes; quaſi recepto excommunicationis in chriſtianiſmo juri officeret. Nam ut ſuam habent Chriſtiani, ſic item ſuam tunc habuere Judaei, eamque proprie ſatis eadem voce denotandam, utcunque pro vario perſuaſionis morumque receptorum etiam diſcrimine ſatis diverſam. Sed vero in editionibus aliquot Anglicanis vox illa alio charactere, quaſi in ſacro ſermone non eſſet, pingitur, in aliis etiam in oram libri ut varia lectio rejicitur. Atque recentiores apud nos ſub Jacobo rege interpretes vocem illam prorſus expunxerunt, & **he cast out**, & **he put out of the Synagogue**, atque ſimilia, ut in verſionibus recentioribus, uti etiam alii, ſubſtituentes, nec in veteri nec in novo teſtamento, juxta ſuperioris aevi verſionem, τὸ **excommunicat** omnino retinentes. Neque hactenus obſervavi in verſione aliqua nupera, praeter Anglicanam vetuſtiorem & Cambrobritannicam,

[i] Vide *Baal Aruch* in נגר 2. [k] Tit. *Talmud Tora*, cap. 6. [l] In Lexic. Chal. p. 2465. [m] Mat. x. 17. [n] 2 Cor. vi. 5. & xi. 23, 24. [o] Joann. ix. 22. [p] Ibid 34, 35. [q] Joan. xvi. 2. [r] Joan. xii. 42. [s] Luc. vi. 22.

ipſum

ipſum *excommunicationis* verbum, aliudve juxta nunc vulgi ſenſum tantundem denotans, in locis jam indicatis teſtamenti novi eſſe adhibitum. Atqui ut cauſa erat multiplex curnam in veteri, juxta ante oſtenſa, expungeretur, ita ſane cur hic in novo, non ſatis video, cum plane vox illa rem revera apud Judaeos ſignificatam denotet. Nec vero ex autoritate publica ſolum ſeu decreto populi Judaici aut eorum qui rerum ſummae praeeſſent, verum etiam ex privatorum ac ſingularium ſectarum conſenſu inter ſe excommunicatio ſubinde exercebatur; cujus jus proculdubio nitebatur eo quod erat, etiam ſingulares homines tum ſe tum alios potuiſſe excommunicare (ut ante memoratur) nec juriſdictionem forenſem aut praeſidum ſemper huic rei fuiſſe neceſſariam. Atque ita ex conventione & mutua reverentia tam τοῦ *Cherem* interdum effectus quam *Niddui* locum habebat inter privatos; utcunque ex jure ſtricto, ni fallor, τὸ *Cherem*, ut a *Niddui* diſtinctum erat, proprie ad juriſdictionem publicam ſeu forenſem, non ad privatorum compromiſſa aliqua, ſpectaret. Teſtimonia hac de re habentur tum in foedere novo tum apud Joſephum. [t] Ποιήσαντές τινες τῶν Ἰουδαίων συστροφὴν ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς, λέγοντες μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀποκτείνωσι τὸν Παῦλον, *Collegerunt ſe quidam ex Judaeis*, ſeu *conjurarunt*, & *anathematizarunt ſe, dicentes neque manducaturos neque bibituros donec occiderent Paulum.* Hi pluſquam quadraginta erant. Atque ita hic excommunicatio habetur comminatoria, quae ex maledictione ſeu imprecatione vindictae divinae ac ſeparatione futura ſolenni conſtabat, juxta recentiorem & tunc ante receptam anguſtiorem, ſeu citra, apud homines ſeu ex actu aliquo humano, deſtructionem, anathematiſmi ſeu τοῦ *Cherem*, ſecundum quae paulo ante diximus, ſignificationem. Unde ſi quis eorum anathematis hujus vim violaſſet, pro excommunicato ſaltem apud conjurationis hujuſmodi ſocios habendus erat. Expreſſim etiam Grotius ibi de *Cherem* locum capit. Nam quod inde aiunt [v], ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτοὺς, *anathemate anathematizavimus nos*, vertit ille בחרם התחרמנו *per Cherem noſmet devovimus*; juxta quod etiam Syrus ibi אחרמו עליהן *anathemate* τῷ *Cherem devoverunt ſe*, & דחרמא אחרמן עלין *devotione* ſeu *anathematiſmo, Cherem dicto, devovimus nos.* Non male ibi Galli, *ſerment & vocu avec execration*; & bene Angli, **bound themſelves with a curſe**; quod ipſa eſt excommunicatio comminatoria in fidem ſeu pactum violantes; id eſt, *exſecratione* ſeu *anathemate ſe obligarunt*, quod ſi quis eorum violaret, vindictae divinae relinquendus erat, atque e ſuis juxta ante dicta ſemovendus. Sed expreſſius multo eſt in Eſſenorum ſecta ſeu ſodalitio Judaico illo celeberrimo hac de re teſtimonium. Apud illos mos erat ut in ſuos admitterentur ſoli qui vitae puritate, religione, juriſque tum divini tum humani apicum obſervatione ſe conſpicuos, idque accuratius, exhiberent, & ſodalitii rituum ac morum tandem ſe tenaciſſimos fore profiterentur, ſed interim non ſine juramentis ſeu exſecrationibus ab admittendis praeſtitis (ὅρκους φρικώδεις, *juramenta horrenda*, nuncupat Joſephus) id eſt vindictae divinae imprecationibus ſolennibus una cum ſeparationis comminatione, id eſt, excommunicatione comminatoria, ſi in praemiſſa committerent. Inde inquit ille [x], Τοὺς ἐπ' ἀξιοχρέοις ἁμαρτήμασιν ἁλόντας ἐκβάλλουσι τοῦ τάγματος, *Qui deprehenſi fuerint peccatis gravioribus* (nec enim de peccatis omnimodis ſeu ſimpliciter, ut Ruffinus qui *in peccatis* vertit, loquitur Joſephus) *eos ex ordine ſuo* ſeu *congregatione ejiciunt.* Quod ipſa erat apud Judaeos, ut oſtenſum eſt, excommunicatio. Pergit Joſephus; Ὁ δ' ἐκκριθεὶς οἰκτίστῳ πολλάκις μόρῳ διαφθείρεται. Τοῖς γὰρ ὅρκοις καὶ τοῖς ἔθεσι ἐνδεδεμένος, οὐδὲ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις τροφῆς δύναται μεταλαμβάνειν· ποηφαγῶν δὲ καὶ λιμῷ τὸ σῶμα τηκόμενος διαφθείρεται. Διὸ δὴ πολλοὺς ἐλεήσαντες ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἀνέλαβον, ἱκανὴν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν τὴν μέχρι θανάτου βάσανον ἡγούμενοι. Περὶ δὲ τὰς κρίσεις ἀκριβέστατοι καὶ δίκαιοι· καὶ δικάζουσι μὲν οὐκ ἐλάττους τῶν ἑκατὸν συνελθόντες. Τὸ δ' ὁρισθὲν ὑπ' αὐτῶν ἀκίνητον. Σέβας δὲ μέγιστον παρ' αὐτοῖς μετὰ τὸν Θεὸν τὸ ὄνομα τοῦ νομοθέτου· κἂν βλασφημήσῃ τὶς εἰς τοῦτον, κολάζεσθαι θανάτῳ, id eſt, interprete Ruffino, *Et qui taliter fuerit condemnatus miſerabili plerumque morte conſumitur. Illis quidem ſacramentis ac ritibus obligatus neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt; herbas vero pecudum more decerpens & fame exeſus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miſerati extremum agentes ſpiritum receperunt, ſufficientem pro peccatis eorum quae uſque ad mortem adduxerit poenam fuiſſe cenſentes. In judiciis vero ſunt diligentiſſimi atque juſtiſſimi. Diſceptant autem* (id eſt *dijudicant*) *non minus quam centum in unum coacti. Quod autem his decretum fuerit, immobile manet. Veneratio quoque apud eos poſt Deum magna legiſlatoris eſt, ita ut ſi quis eum blaſphemaverit morte damnetur.* Locum exſcribere integrum viſum eſt, ut excommunicationis Eſſenorum & naturae & circumſtantiae commodius lectori inde dignoſcerentur. Eadem ferme verba, idem prorſus ſenſus de eis habetur apud Porphyrium [y]; unde ſua de eis deſumpſit Euſebius [z]. Porphyrius quidem hic, οἱ ἐκβληθέντες κακῷ μόρῳ φθείρονται, *ejecti* ſeu *excommunicati malo fato pereunt*; quod apud Joſephum ita temperatur ut πολλάκις tantum ſeu *ſaepe* id factum eſſe, at non ſimpliciter, aut ſemper, aut *plerumque*, ut vertit Ruffinus. Idem habet cum Joſepho Porphyrius de cibo ab eis non capiendo, & herbarum eſu: Καὶ λιμῷ, inquit, τὸ σῶμα διαφθειρόμενοι ἀπόλλυνται, *Et ſic fame corpora eorum confecta pereunt.* Abraham item Zacuthius [a] de eis, בבואם לשפוט ביניהם מתקבצים מאה אנשים ואשר ימצאו ביניהם אשמים ורשעים מגרשים אותם מביניהם ומי שיעבור על מנהגם מאכלים אותם עשבים רעים עד יתרקרק גופו ימות ברעב ולפעמים כאשר רואים אותם קרובים אל המות מכפרים להם וכל אשר יכנס במנהג הזה אינו רשאי לאכול מידי זולת מעקרי מנהגם שאחר כביד האל יתברך מחשבים אל משה רבינו ע"ה עד שאם ידבר אחד מהם דברים הקל נגד משה יענש למיתה ואין לו כפרה: *Quoties ad judicia inter ſe congregabantur, conveniebant centumviri. Et qui inter eos rei ac improbi reperti ſunt, eos ejiciebant a coetu* ſeu *ſodalitio ſuo. Et qui ritus eorum* ſeu *mores*

[t] Act. xxiii. 12. [v] Comm. 14. [x] Haloſeos lib. 2. cap. 12. Gr. 7. Lat. [y] De Abſtinentia Animal. lib. 4. [z] Praeparat. Evangelic. lib. 9. cap. 3. [a] *Sepher Juchaſin*, fol. 139. b.

receptos violarent, eos malis herbis cibabant, donec attenuaretur corpus eorum & fame morerentur. Sed interdum quando videbant eos moribundos seu *morti vicinos, absolvebant eos* seu *in gratiam recipiebant. Nefas autem erat ei, qui sectae huic se addixerat, cibum ex aliorum manu capere*; quod satis etiam ex Josepho & Philone liquet. *In capitibus vero rituum* seu *morum habebatur, post honorem Deo O. M. tribuendum, tribui debere etiam Mosi magistro nostro, cui sit pax*; *adeo ut si quis eorum verbum in Mosem contumeliosum protulisset, puniendus esset etiam morte, nec in gratiam omnino recipiendus.* Jam vero aequum est ut existimemus tam apud Essenos quam reliquos Judaeorum usum fuisse receptum duplicis excommunicationis speciei ante ostensae, seu τῦ *Shamatha* seu *Niddui* & *Cherem.* Hac autem specie, seu anathemate graviori, graviora inter suos peccata puniri volebant, idque ex sententia centumvirali. Neque enim apud ipsos paucioribus judicia omnino ulla forensia exercere licuit, ut expressim Josephus, atque ex eo alii. Quae vero jam dicta sunt de excommunicato sic fame confecto indeque moribundo aut moriente satis sunt similia eis quae supra e Talmudicis memorantur, tum de persuasione eorum qui vim τῦ *Cherem* singula membra excommunicati penetrare dixerunt, uti & τὸ *Shamatha* quasi שם מיתה Shem Mitha, *Ibi mortem esse*, dictum alludendo voluere. Sed opinor non alia hic mors intelligenda quam plane voluntaria atque ex inedia spontanea, sive excommunicationem sive judicia centumvirorum spectes. Nimirum ob horrendas illas vindictae divinae imprecationes quibus adeo territi sunt qui sectae hujus fiebant participes, atque ex superstitiosissima inde morum rituumque receptorum quibus pariter obligabantur observatione promissa, ab aliis cibum capere contra mores ritusque illos, quibus ita se implicuerat excommunicatus, noluit ipse. Illi herbae tantum, quas praebebant ex sectariis aliqui, comedendae; unde necesse erat ut mors, tabes, macies (quae in idem hic recidunt) citra restitutionem in gratiam seu absolutionem sequeretur. Id scilicet est quod habet Josephus, uti & Porphyrius, τοῖς γ' ὅρκοις κ. τοῖς ἔθεσι, &c. *Illis quidem sacramentis ac ritibus* (MS. Ruffini vetus [b] *juramentis acribus*) *obligatus capere ab aliis cibum oblatum non potest.* Obligatio nempe, ex promisso & juramentis atque morum rituumque sectae observationis futurae professione orta, in causa erat ut ab aliis capere juris tum divini tum inter suos humani observantissimus rite nequiret adeoque nollet. Nec ὁ δυνάμενος μεταλαμβάνειν, *capere non potest*, aliud hic indicat. Nam vindictam aut poenam divinam illi sic irrogatam esse ut plane etiam si voluisset capere non potuisset, haud puto cuiquam credibile videtur. Neque sane mortis poena in judicio illo centumvirali pro alia, si quid video, accipienda quam pro eodem ipso mortis genere quod in voluntaria illa excommunicationis appendice jam dicta habebatur. Scilicet ita reus, & sententia centumvirali ejectus, ut ante dictum est, mortis illius voluntariae aut apparatus in eam ex inedia praevii poenam non tam ex imperio centumvirorum exequendam quam ex ipsius conscientiae ac principiorum in vita instituenda receptorum ratione ultro subibat. Ex mutua nimirum inter eos reverentia & fidei interpositae non sine juramentis cum appendicibus horrendis praestitis religione, bonorum inter se communionem, abstinentiam usque ad summam inediam, seu mortem, silentium inter se mirum, alia apud jam citatos quamplurima (de quibus consulas etiam Nicolaum Serrarium, Joannem Drusium & Josephum Scaligerum) quisque observabat. Atque illud hic maxime; ut ab alia quam suorum alicujus manu cibum capere nollet damnatus, antequam in gratiam reciperetur. Atque inde sensus ille eliciendus proculdubio vocum illarum, ὅρκοις καὶ ἔθεσιν ἐνδεδεμένος, quae sonant *juramentis & moribus* seu *ritibus* seu *consuetudinibus obligatus*, seu & *jurejurando moribusque constrictus*, ut in Eusebii versione Latine loquitur Porphyrius; aut, ut apud Bernardum Felicianum, optimum Porphyrii interpretem, *juramentis & consuetudinibus obnoxius.* Nupera enim versio, *nam qui in statutis de moribus vinciuntur*, &c. frivola nimis est nec rem satis explicat, sed interim satis quamplurimus aliis in versione illa similis. In Trapezuntii autem Porphyrii apud Eusebium loci versione habetur, juramentum solenne violantes *illico expelli, & omnes fere cum ad aliam diaetam & vitam veniunt mori*; quae Graecis satis dissona sunt, in eo etiam manca quod nihil in eis respondet verbis illis de juramentorum & rituum obligatione. Adeoque excommunicationis hic Essenianae actus ex compromisso inter ipsos & consensu privato, qui sic juramentis moribusque receptis firmabatur, nixus est; atque inde solum obedientia, inde etiam id quod jurisdictionem & imperium hic imitabatur; uti aliis in locis ac seculis vidimus philosophorum (quales hi apud Judaeos) sectas ac sodalitia simili modo sponte coeuntia, uti & passim hodieque non pauca, strictius inter se observare quae solummodo consensu suo privato pactisque citra autoritatem publicam seu summarum potestatum aut eorum qui regimini praesunt initis subnituntur. At si forte in civitatibus ullis (nam in compluribus vixere, testibus tum Philone [c] tum Josepho) aut indultu summarum potestatum gauderent aut permissu publico (qua de re testimonia satis expressa non habemus) tunc ibi etiam singulare hic judiciorum centumviralium exercitium, adeoque ipsius anathematis, quale ostensum est, sententia eorum solennis, nec jurisdictione nec imperio legitimo carebat. Etenim absque ejusmodi indultu aut permissu revera jurisdictio cum imperio legitime nullibi exercetur. Nec quisquam puto Josephum loqui vult de ordinaria potestate vitae ac necis, ubi centumviros memorat, quasi liberum eis fuisset aut receptum poenam mortis inter se pro libitu invitis irrogare, nisi etiam indultus aut permissus ejusmodi accessisset. Et Judaeorum plane & Romanorum leges ac jus publicum (quod etiam ipsos superstitiosius passim observasse scimus ex eo quod principibus obsequentissimos se exhiberent) sic nimirum violassent. Nec sane Judaeis, adeoque nec hisce, tunc temporis capitalia judicia permissa esse ulla, plerumque admittitur. Et si mores eorum rite capio, etiam a suorum nece aliter atque dictum est, in judiciis, licet

[b] In Biblioth. Regia ad D. Jacobi.

[c] Lib. Quod omnis probus liber.

capi-

3

capitalia eis permissa fuissent, abstinendum volebant. In Syria & Palaestina aevo in illo circa quatuor eorum millia fuere, ut Philo. Atque, ut ille in Apologia pro Judaeis apud Eusebium[d], οὐκ ἰδιῶται μόνοι, ἀλλὰ καὶ μεγάλοι βασιλεῖς ἀγάμενοι τοὺς ἄνδρας τεθήπασι καὶ τὸ σεμνὸν αὐτῶν ἀποδοχαῖς καὶ τιμαῖς ἔτι μᾶλλον σεμνοποιοῦσι, *non privati modo, sed maximi quoque reges id hominum genus vehementer admirati sunt, & ad reverendam instituti dignitatem tum eos excipiendo tum honorando amplius evexerunt.* Forsan igitur eis respublica seu regimen singulare a principibus alicubi indultum seu publice permissum est. Ubicunque autem id non fieret, manifestum est, nec quid manifestius esse potest, in leges de vi publica & privata eos commisisse, earumque fuisse poenis obnoxios, si invitos ex sententia aliqua, forensem utcunque imitante, sive ad poenam mortis sive ad inediam aliterve coegissent. Et sane de eis expressim loquitur apud Eusebium Philo quasi solum in vita moribusque sic instituendis ἑκούσιοι plane invicem *spontanei*, διὰ ζῆλον ἀρετῆς καὶ φιλανθρωπίας ἵμερον, *ob virtutis amorem singularem & humanitatis studium*, convenissent, adeoque jurisdictionem ex pacto & compromisso, in quantum permittebant aut non adversabantur principes quorum in ditione vivebant, imitati fuissent, nec eam imperio legitimo in invitos exercuissent. Ex singulari cujusque conscientia, ab obligatione ita juramentis contracta neutiquam recedentis, pendebat illa etiam usque ad mortem per inediam ultroneam obedientia. Et mirum tandem non est, apud sectam adeo singularem, etiam in moribus ac appendicibus excommunicationis, singulares atque ab aliorum diversas fuisse formulas, in idem tamen aut tantundem (ut aliis in rebus fieri solet) satis recidentes. Et proculdubio temporum, sectarum, locorum varietas in causa erat ut aliter atque aliter saepius se haberent excommunicationis formulae, appendices & effectus aliqui, licet generatim seu velut ex communi jure ita se haberent, ut est superius e Talmudicis ostensum. Ejusdem usus in sequentibus, sed item vetustioribus, seculis habentur manifesta itidem in Judaicis rebus vestigia jam dictis undiquaque consona. Nimirum seculis Christianismi primitivis, pro vario principum sive indultu sive permissu, ipsorumque inter se compromisso, extra synagogam suos ejiciebant in dispersionibus suis Judaei, & anathematismis seu maledictionibus cum separatione aut legitima aut in morem, idque per obedientiam ex mutua reverentia ortam praestitamque, recepta conjunctis coercebant. Athanasius[e] de Judaeo Berytiensi, cujus in aedibus reperta est D. N. Christi imago, ait, ἀποσυνάγωγον ἤλασαν, *extra synagogam facientes expulerunt* seu *ejecerunt*; quod ibi generatim de ἀρχιερεῦσι καὶ πρεσβυτέροις *summis sacerdotibus & presbyteris* Judaeorum Berytiensibus dictum. Versio[f] Latina vetus habet, *irruerunt in eum, multisque contumeliis ac variis cruciatibus affectum extra synagogam semivivum projecerunt.* Nimirum excommunicationi aliae, pro eorum qui rebus praeessent libitu simul ac jure vario, adjectae subinde sunt poenae, uti & solennis librae mulcta quoties quis a consistorio excommunicaretur ob contumeliam presbytero seu sapientis discipulo, id est, jurisconsulto simul ac theologo, apud eos illatam, qua de re Maimonides[g], aliique. Postmodum item sub Justiniano de archipherecitarum, presbyterorum & magistrorum inter Judaeos excommunicationum, nomine anathematismorum & perinoiarum, usu testimonia occurrunt expressa. In authenticis[h] scilicet ejus, ubi licentia Ebraeis scripturam suam Graece vel alia lingua publice legendi indulgetur, adjectum est, Οὐδὲ ἄδειαν ἕξουσιν οἱ παρ' αὐτοῖς ἀρχιφερεκῖται ἢ πρεσβύτεροι τυχὸν ἢ διδάσκαλοι προσαγορευόμενοι περινοίαις τισὶν ἢ ἀναθεματισμοῖς τοῦτο κωλύειν, ubi versio vetustior, *Neque licentiam habebunt hi qui ab eis majores omnibus archipherecitae aut presbyteri forsan vel magistri appellantur perinoeis aliquibus aut anathematismis hoc prohibere*, poenis & corporis & facultatum adjectis. Adnotavit de interprete Ludovicus Charondas, ad τὸ *perinoeis*, *Retinuit verbum Graecum, i. e. animadversionibus, censuris.* Haloander autem, *Neque qui archipherecitae aut seniores interim aut etiam magistri appellantur licentiam habebunt, ut vafris quibusdam commentis aut anathematismis id prohibeant.* Certe περινοίαις ibi significari animadversiones ac censuras seu poenas qualescunque tunc Judaeis inter se ex permissu Caesareo in usu, mihi satis est persuasum: sed quomodo ex Graeco sermone, si inde significatio ejusmodi petatur, illud denotet, mihi compertum non est. *Intelligentia singularis, plena mentis comprehensio*, adeoque etiam, in pejorem partem, *vafrum commentum*, seu, ut in glossario veteri, tam *cogitatio* quam *superbia*, atque, ut apud Hesychium, μηχανὴ & τέχνη, περινοία quidem significantur: Sed vero undenam pro *censura* aliqua aut *animadversione* proprie sumenda fuerit haec vox, nondum didici. Inde sane suspicio me olim invasit, etiam originem vocabuli esse Ebraicam seu Rabbinicam. Nam quemadmodum in *archipericitarum* seu *archiphericitarum* nomine hic habetur Rabbinismi seu Ebraicae locutionis pars dimidia, dum --*pherecitae* ex eo quod est פרק *Pherek* formatur, quod τῷ ἀρχι- e Graeco desumpto sic conjungitur (non aliter atque τὸ ארכי ἀρχὴ atque ἀρχι pro *principe* tum simpliciter tum in compositione & constructione apud Rabbinos adhibetur, nec solum in vocabulis mere Graecis, velut in *archistrategus*, *architecton*, *archilestes*, aliis quae in linguam suam & characteres a Graecis mutuo accipiunt, verum etiam in semigraecis, ut in ארכי הדיינים[i] *archi hadiinim* pro *principe Judicum*, quem & ארכי יודקן[k] *archijudicem*, secunda voce e Latinis sumpta, nuncupant, quemadmodum etiam *archigubernus*[l] Latinis veteribus, *archidux* recentioribus, ut voces plane hybrides aliae ejusmodi usurpantur) atque ut, in *anathematismi* hic usu, propriae Rabbinorum, qua Hellenistae fuerint, locutionis vestigium plane comparet, ita sane id quod περινοίαις hic scribitur & caute satis ab interprete vetere inter Latina sua retinetur, forsan depravatum est ex Judaeorum ipsorum פרעות[m] *perinoiot* (nam ita sonare potuit pro varia ע Ajin pronunciatione) quod *vindictas* seu *ultiones*, id est,

[d] Lib. 9. de Praeparat. Evangelic. cap. 11.
[e] Tom 2. pag 628. Edit. Parif. 1628. & in Synod Nicaen 2. act. 4. in Tom. Concil. 3. part. 3. sect 1. pag. 549. Edit. 1618.
[f] Tom. eod. pag 634
[g] Tit. *Talmud Tora*, cap. 6.
[h] Constit 146.
[i] *Beresith Rabba* parash. 50. fol. 56. col. 1.
[k] *Baal Aruch* in ירקן.
[l] Javolenus L. Seius 46. tit. ad S. C. Trebellianum.
[m] Deut. xxxii. 42. Judic. v. 2.

poenas ſeu cenſuras forenſes aliaſque, ſignificans in περγνοίαις τισι Graece ſic exprimenti, id eſt, in tam vocem quam ſonum Graecum, facile ſic mutari potuit. Conjectura eſt ſeu dubium cujus nomine non contendo. Sed viderint doctiores. Fateor in eadem conſtitutione paulo ante haberi εὕρεσιν, *commentum* ſeu *inventum*, pro eo quod eſt traditionum Talmudicarum inter ſuos Rabbinorum obtruſio. Forte etiam hic περγνοια tantundem, ut plane Graecum & ſatis εὑρέσει ſynonymum, interpretatur: Unde etiam *commentis quibuſdam* vertunt viri doctiſſimi. Sed obviae ſunt conjecturae aliorum noſtra hic non probabiliores. *Archipherecitarum* autem voce primates eorum in ſynagogis atque lectionibus publicis, ſive ſacrae ipſius ſcripturae ſive corporis Talmudici, plerumque viris magnis [m] intelliguntur. פרקים ſcilicet *Pherekim*, unde ſecunda ſoni pars habetur, *capita* ejuſmodi denotant ſeu *ſectiones*; qua de re conſulas quos in paginae ora citamus. Alii autem *archipherecitam* non aliud eſſe volunt quam ריש פרקיה in illo de Mar Zutra ſub finem *Seder olam Zota*; *Mar Zutra Aichmalotarcha profectus eſt in terram Iſraelis* ועיילוה בריש פירקיה *& evectus eſt in dignitatem capitis* ſeu *principis*, ut vertebat primo Genebrardus, *concionatorum*, poſtea vero *archididaſcalum*; ubi mavult Samuel Petitus [o] plane *archiſynagogum* intelligi, adeoque archiſynagogos in illo Juſtiniani. Et ſane *archiſynagogi* nunc proſeucharum praeſides, nunc ſynedriorum ſeu praefecturarum juridicarum, ſignificant. Et Mar Zutra Juſtiniani ſeculo ſatis eſt coaevus. Certe primates, hieri, patres ſynagogarum, archiſynagogi, majores, patriarchae, qui & nunc illuſtrium nunc ſpectabilium adjectione honeſtantur, presbyteri, apoſtoli Judaeorum etiam, & ſynedria eorum, tum in Palaeſtina, tum alibi, occurrunt in titulis *De Judaeis*, &c. utriuſque codicis atque in ipſorum commentariis. Etiam inde ſane, atque ex obſervatione accuratiori eorum per varia ſecula & loca tam in alienis quam ſuis terris ſtatus aliter atque aliter ſe habentis, haud difficile fuerit decernere qualiſnam eſſet & quouſque ſe extenderit aut extendi potuerit olim excommunicationis Judaicae vis, ſive legitima jure publico ſubnixa, ſive ea quae legitimam ex mutuo inter ipſos pacto ſeu reverentia mutua naſceretur. Nec enim dubitandum eſt quin quoties & quouſque ſui eſſent aut permitterentur eſſe juris poſt captivitatem Babylonicam, in qua uſus hujus publici revera habetur origo, in cauſis quarum cognitionem libere haberent, ſive ad ſacra pertinentibus ſive ad profana, pro libitu poenam hanc aut adhiberent aut omitterent. Legitur verbi gratia, ex Strabone apud Joſephum[p], per AEgyptum & Cyrenem aliaſque regiones, nec paucas eas, etiam diu ante templi ſecundi excidium, συςήματα fuiſſe ſeu *ſodalitia* aut *univerſitates* Judaeorum χρώμενα τοῖς πατρίοις νόμοις, *utentes patriis legibus*. Et de AEgyptienſibus, maxime Alexandrinis, Judaeis, Καθίςαται δὲ καὶ, inquit Strabo, ἐθνάρχης αὐτῶν, ὃς διοικεῖ τε τὸ ἔθνος, καὶ διαιτᾷ κρίσεις, καὶ συμβολαίων ἐπιμελεῖται καὶ προςαγμάτων, ὡσὰν πολιτείας ἄρχων αὐτοτελοῦς, *Ordinatur* ſeu *conſtituitur ethnarcha eorum* ſeu *magiſtratus* aut *princeps proprius*, *qui gentis ſuae res adminiſtret*, *& controverſias ex jure dirimat*, *& contractus atque imperata inter eos curet*, *non aliter atque liberae* ſeu *ſui juris reipublicae princeps*. Neque ibi ſolum ſed & alibi ſeculis illis priſcis ex amicitia ac indultu principum, tam alienis in terris quam ſuis, principatu ejuſmodi ac imperio juxta mores rituſque ſuos gaudebant; quod ſatis ſcimus tum ex Joſephi aliis ibi [q] in hanc rem, etiam e tabulis gentium aliquot publicis, memoratis, tum ex eis quae de ראשי ישיבות *capitibus* ſeu *principibus conſeſſuum* ac סנהדריות *ſynedriorum*, & ראשי כלות *principibus communitatis* & גלות *captivitatis*, & praeſidibus Surianis, Pombodithanis, Neherdianis, id genus aliis, tum in corpore Talmudico tum apud Benjaminum Tudelenſem in Itinerario, Abrahamum Zacuthium [r], Salomonem Ben Wirga[s], alibi occurrunt. Et conſulas virum doctiſſimum Conſtantinum l'Empereur ad Benjaminum[t]. Jam vero, cum in notiſſimis cauſis illis viginti quatuor excommunicationis Judaicae primariae fuerint ex contumelia [v] aut contumacia in praeſides, presbyteros, ſynedria ſeu praefecturas juridicas earumque miniſtros, veluti cum quis in jus circa ſive ſacra ſive profana vocatus ſe neutiquam rite ſiſteret, miniſtrum forenſem contumelia afficeret, aut ſententiae forenſi parere recuſaret, nemo inde non videt, pro amplitudine juriſdictionis aut imperii eis ſic indulti aut permiſſi, id eſt, pro cauſarum, quarum cognitio erat eis legitima, numero, pariter amplam fuiſſe excommunicationis, quae ita judiciis forenſibus apud eos inſerviret, exercendae poteſtatem, eamque adeo legitimam ut etiam ſine pacis alienis in terris ſeu imperio ſub alieno publicae violatione, pro eorum arbitrio, etiam uſque ad perſonalem ſeparationem & coercitionem inde, juxta ſuperius dicta, ſequentem, omnino adhiberi poſſet. Temperata autem ſeu diminuta ejuſmodi juriſdictionis, imperii ac cognitionis amplitudine, pro vario locorum, ſive in terra ſancta ſive alibi, ac ſeculorum diſcrimine, ut temperaretur itidem & diminueretur excommunicandi ejuſmodi eorum poteſtas, neceſſum erat. Neque plane ultra ejuſmodi temperamenta & diminutiones, aut extra harum cancellos exerceri quibat legitime, aut citra pacis publicae violationem aut ſine vi publica aut privata, in eos ſcilicet qui non ſponte obſecundarent; quos tuebantur, quantum ad ſeparationem ſeu perſonalis ſtatus mutationem aliquam, leges locorum publicae, quibus refragari Judaei ſic variatim coerciti nequibant. Etenim qui ex ſententia excommunicationis ſeparatum ſeu ejectum in cauſa cujus cognitio legitima Judaeorum foro moribuſve non permitteretur, pulſaſſet, aut invitum inde coercere ſub Caeſaribus auſus fuiſſet, in legem Juliam de vi ſive publica ſive privata commiſiſſet, adeoque aut aquae & ignis interdictione [x] ſeu deportatione puniendus, aut tertia bonorum parte fuiſſet multandus. Et certe quoties & in quantum forenſis ſeu conſiſtoriana ſeu praeſidum apud eos excommunicandi poteſtas variatim coercebatur, toties

[m] Hugo Grotius in Sparſione Florum, pag. 339. Jo Gerard. Voſſius de Vitiis Serm. lib 1. cap. 16. pag. 66. Nic. Serrarius in Rabbino Priore cap 17. Dionyſ. Gothofred. ad Nov. 146. [o] Variarum Lect. lib 2. cap. 10 [p] Lib. 14 12. [q] Et vide eum, lib. 19. cap. 4. & initium capitis infra octavi. [r] *Sepher Juchaſin*, fol. 120, &c. [s] In Shebat *Jehuda*, fol 3[illegible] unde hic de eo nonnihil. J Buxtorfius ad finem Theſ. Gram. pag. 341. [t] In Praefat. & in Notis, pag 192, &c. [v] Videſis lib. 4 de Jure Nat. & Gent. cap. 8. [x] L. 10. D. ad Leg. Jul. de vi public. & l. 1. tit. de vi privata.

nec

3

nec minus ipsum effectum excommunicationis singularium personarum per *Shamatha* (qua de supra) ejusque usum satis coerceri palam est. Nam nec credibile videtur singulares personas potestatem sibi arrogare voluisse aut tuto potuisse qualis praesidibus suis seu consistoriis publicis esset negata; maxime etiam cum excommunicationem mereretur ipse qui alium immerito in *Shamatha* poneret. Nec ejusmodi excommunicatio in invitum effectum per separationem personalem habere quibat, quoties deesset in foro seu apud praesides gravioris excommunicationis seu τȣ *Cherem* poenae in invitum ejusmodi, juxta ante dicta, cum effectu pronunciandae potestas. Expressissimum ejusce rei est in jam allatis e Justiniano exemplum. Anathematismos eorum tunc uti & ante in usu fuisse palam est; sed ita solum in usu, inde liquet, ut pro indultu principum sub quibus degerent adhiberi possent, neque aliter atque constitutiones principales permitterent. Ante scilicet (dum hanc solum intuemur) cohibere anathematismis potuere eos qui vetus instrumentum Graece in synagogis legerent: Hoc vero jam prohibitum. Et perquam singularis est hujusce rei explicatio e constitutione illa Arcadii & Honorii [y], quae licet ad annum Christi 398 attineat, adeoque ad secula excidio urbis templique secundi ita recentiora, nihilominus eousque Judaici ex avitis & vetustissimis moribus usus circa hanc rem recepti specimen est egregium, ut inde sane tam de vetustioribus & Babylonicae captivitatis temporibus quam de recentioribus dijudicare non fuerit difficile. Verba sunt; *Judaei Romano & communi jure* [z] *viventes, de* [a] *his causis quae non tam ad superstitionem eorum quam ad forum & leges ac jura pertinent, adeant solenni jure* [b] *judicia, omnesque Romanis legibus inferant & excipiant actiones. Postremo sub legibus nostris sint. Sane si qui per compromissum, ad similitudinem arbitrorum apud Judaeos* [c] *vel patriarchas, ex consensu partium, in civili duntaxat negotio putaverint litigandum, sortiri eorum judicium jure publico non vetentur, eorum etiam sententias provinciarum judices exsequantur, tanquam ex sententia cognitoris arbitri fuerint attributi.* Ubi MS. *tanquam ex sententia cognitoris arbitrio fuerint attributae.* Sensus erat; Judaeos per imperium Romanum quantum ad religionem & ritus suos inter se servandos, apud religionis suae majores agere potuisse, *ita ut inter se* (ut expressim vetus in codicem Theodosianum ibi glossa) *quae sunt Hebraeis legibus statuta custodiant.* Quantum autem ad alia negotia seu quae ad religionem eorum ritusve sacros non attinerent, ut alii imperio Romano subditi, agere & coerceri, id est juxta leges tantum Caesareas, inde debuere; excepto quod si compromissarios sibi in negotiis civilibus tantum, non criminalibus, judices ex suis facerent (juxta morem scilicet triumvirorum ad דיני ממונות *causas pecuniarias* seu *civiles* terminandas ex jure Talmudico [d] constituendorum) eorum sententia perinde valeret ac si a provinciarum judicibus, id est Caesareis, lata fuisset. Certe & in commentariis [e] eorum legitur קומפרומיסין *compromissi* seu *compromissarii* & קומפרומיסאות *compromissaoth* [f] pro ipsis compromissis ejusmodi. Atque ut hic indultus est a Caesaribus judiciorum singularium hujusmodi inter Judaeos usus liber, ita subinde, ut sub centum ante annos (seu Christi 293) a Diocletiano & Maximiano [g] eis denegata videtur. Suadet Augustorum horum edicti titulus, qui est *iidem AA. Judaeae*; ubi judicum privato consensu constitutorum, quibus ante nulla ex jure publico jurisdictio, autoritas pro nihilo habetur. Et ad praesidem Judaeae missum esse, adeoque Judaicum circa compromissarios, quos diximus, morem respexisse edictum illud dubitari puto nequit. Sed interim qualiscunque esset Judaeis circa causas inter se sive profanas sive sacras in seculis vetustioribus atque ante Honorium & Arcadium variatim sive denegata sive permissa sive ampliata pro variis principum placitis jurisdictio; satis quidem constat ex Augustorum horum constitutione hac jurisdictionem illam ita jam per imperium Romanum temperatam fuisse ut praesides, primates, archisynagogi ac synedria eorum de causis nullis praeter eas tantum quae ad superstitionem eorum seu religionem Judaicam attinuerint, id est, mere sacras, seu quae ex errore theologico aut cultus divini vitio (uti in exemplo illo Judaeorum Berytiensium ante ex Athanasio, seu Constantini seculo, allato) nascerentur, legitime cognoscere quirent, adeoque nec e suis quenquam nomine reatus alicujus ex legibus Caesareis puniendi, veluti furti, homicidii, adulterii, raptus, id genus reliquorum, in jus vocare, nedum nomine ejusmodi excommunicare. Nam frustra a foro seu consistorio aut praeside aliquo excommunicatus fuisset quis ob causam cujus ad consistorium, forum seu praesidem eundem cognitio neutiquam omnino (ut hic nullae praeter mere sacras) attinuisset. Et necesse est ut, jurisdictione seu cognitione legitima sic denegata seu temperata, denegaretur seu temperaretur pariter & simili modo ipsa excommunicandi potestas forensis, quae adeo ipsius cognitionis pars esset, seu eidem, more Judaico, inserviret. Atque observandum, ut Judaeorum cognitiones ab Augustis jam dictis anno illo 398, seu Honorio Aug. 4. & Eutychiano consulibus, intra cancellos causarum mere sibi sacrarum restrictae sunt, ita etiam ab eisdem anno proximo seu 399, Manlio Theodoro & Eutropio consulibus, tantundem de episcoporum Christianorum cognitionibus [h] expressim decretum esse; qua de re in sequentibus mox plura. Recipitur quidem constitutio illa Honoriana de Judaeorum jurisdictione in codicem Justiniani [i]; sed non sine singulari sensus mutatione. Nam ibi in omnimodis causis *quae tam ad superstitionem eorum* (ita vox negativa rejicitur, quae in codice Theodosiano causarum tantum sacrarum cognitionem eis permissam innuebat) *quam ad forum & leges ac jura pertinent, jure communi Romano* eis agendum excipiendumque est, licet Arcadii & Honorii nominibus constitutio ipsa, quasi etiam ipsi sic edixissent, ibi inseratur. Nec aliter interpretes legem illam capiunt. Atque ita in Basilica [k] sine causarum di-

[y] Theodos. lib. 2. tit. 1. l. 10. [z] MS. *more.* [a] MS. *in.* [b] MS. *more.* [c] MS. *judices.* [d] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [e] Rabbi Jochanan in Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 82. col. 1. hal. 3. [f] *Vaicra Rabba*, parash. 6. [g] L. 3. C. de Jurisdict. omnium Judicum. [h] Cod. Theodos. lib. 16. tit. 11. [i] Tit. de Judaeis, l. 8. [k] Eclog. Basilic. l. 2. tit. de Judaeis, & Basilic. l. 1. §. 3.

stinctione

ſtinctione illa recepta eſt. Sed fides hic codici plane habenda eſt Theodoſiano, qui ante Juſtinianum tam per orientem quam occidentem obtinuit, uti & poſt eum per ſecula multa in occidente. Atque per annos ſaltem 130 aut circiter conſtitutionis Honorianae ſenſus erat qualem e codice Theodoſiano exhibuimus, ac ita paſſim receptus; quo rite, juxta ante oſtenſa, cum illa Juſtiniani, ut ſpecimine perquam egregio, intellecto, ſatis etiam intelligitur qualiſnam tum in ſeculis anterioribus, etiam & ſtante templo ſecundo, tum in ſequentibus apud Judaeos, in terris ſive ſuis ſive alienis, legitimus excommunicationis, ſeu quae effectu legitimo non careret, uſus ſive haberetur ſive potuerit haberi. Nec praetermittendum, ad utrumque pariter ſexum excommunicationis poenam rite attinuiſſe, ut expreſſim Talmudici [l]. Quod ad Judaicae excommunicationis *abſolutionem*, quam הפרה nuncupant, attinet, de qua proxime juxta inſtitutum eſt dicendum; ejuſdem jura erant aut communia aut ſingularia, quemadmodum etiam, pro vario conſiſtoriorum, ſodalitiorum, praeſidum, cauſarum ac juriſdictionis diſcrimine, excommunicationis itidem jura fuiſſe ex ante oſtenſis liquet. Atque uſque ad abſolutionem ſeu ſolennem reſtitutionem ſtatus perſonalis in integrum, pro excommunicato habebatur quilibet ſententia ejuſdem percuſſus, juxta ante dicta. Sed quidem de abſolutione hac mentio expreſſa nullibi quantum video in ſacra ſcriptura occurrit, quae tamen excommunicationis veſtigia, ut oſtenſum eſt, clariſſima exhibet. Formula ejuſdem, uti & excommunicationis ante memorata, breviuſcula erat: Praeſenti, שרוי לך ומחול לך *abſolutio tibi eſt, & res remittitur:* Abſenti פלוני שרוי לו ומחול לו *abſolvitur N. & res ei remittitur*, aut verba alia tantundem ſonantia. Abſolutionis autem jus ſuas habuit, ut jura alia, regulas, temperamenta ſua atque exceptiones, quas breviter exhibemus. Primo, quicunque, ſive unus ſeu ut perſona ſingularis, ſive plures, iique ſive in hominum vulgo ſeu conſuetudine familiari ſive in ſynedrio ſeu praefectura juridica, alium quenquam alterutra ſententiae ſpecie (non per inſomnium, nec honoris diſcipuli ſapientis laeſi nomine) excommunicaſſent, iidem ipſi rite [m] abſolvere eum potuere, ſeu in priſtinum reſtituere ſtatum inter ſuos perſonalem; quod non rite fiebat עד שיחזור בתשובה מדבר שנידוהו בשבילו *Uſque dum poenitentia ductus in bonam rediret mentem circa cauſam cujus nomine excommunicatus fuiſſet*, id eſt, in fugiendis & vitandis profiteretur ex animo praeteriti ſe poenitere, nec in poſterum ſimiliter peccaturum; in praeſtandis, rem ipſam praeſtaret, inque poſterum praeſtiturum ſe promitteret. Et poenitentia talis atque profeſſio praevia erat abſolutioni cuilibet. Atque huc ſpectat illud Talmudicorum, כל מי שמנדה בידו להתיר *Qui excommunicat, ei licet abſolvere*. Secundo, eodem ipſo temporis momento ſatis legitimum erat, in cauſis civilibus, non in peccatis gravioribus, & excommunicare & abſolvere, accedente qualis dicta eſt poenitentia & profeſſione. Unde & illud R. Samuelis [n], תוקע אסר ותוקע שרי *Flatus cornu ligat, & flatus cornu ſolvit*; eodem ſcilicet flatu utrumque fieri potuit. Nam quemadmodum ante adnotatur, ut buccinarum ſeu cornuum uſus erat in excommunicatione, ita etiam in abſolutione. Et Maimonides, מנדין ומתירין ברגע אחד כשיחזור המנודה למוטב *Excommunicant & abſolvunt eodem temporis momento, quoties ſic ad bonam mentem redit excommunicatus*; qui ſi contumax perſiſteret, abſolutio denegande, uti etiam in peccatis gravioribus, uſque ad diem triceſimum. Sed vero abſolutionis, poenitentiae ac profeſſionis jam dictae ratio ejuſmodi erat proculdubio ſemper habenda, ut ſi innocentem ſe eis qui abſolutionis actui praeeſſent, id eſt non omnino facinoris cujus nomine excommunicatus eſſet reum, exhiberet, abſolvendus eſſet. Nam & tunc excommunicandus erat qui immerentem ſic excommunicaſſet. Tertio, מי שנידוהו בפניו אין מתירין לו אלא בפניו. נידוהו שלא בפניו מתירין לו בפניו ושלא בפניו *Qui praeſens excommunicatus fuiſſet, oportuit ut is etiam abſolveretur praeſens; ſed qui abſens, tam abſens quam praeſens potuit abſolvi.* Quarto, excommunicatus ſive a perſona ſingulari (ſed non a ſeipſo) ſive a ſynedrio aut praefectura juridica aliqua (ubi cauſa non eſſet ob contumeliam in תלמיד חכם *diſcipulum ſapientis* ſeu juris ac theologiae ſtudioſum illatam) abſolvi potuit tum a triumviris in hanc rem ab eo judicum vice ſelectis, quibus de poenitentia & profeſſione qualem diximus ſatis conſtaret, tum ab aliquo alio judice unico, qui publice triumvirorum poteſtatem (ut in cauſis civilibus, id eſt non criminalibus) ſaepius ſuſtineret, cui itidem tantundem conſtaret; idque in utraque excommunicationis ſpecie. Maimonides; בכמה מתירין הנדוי או החרם בשלשה אפילו הדיוטות. ויחיד מומחה מתיר הנידוי או החרם לבדו: *Qualis eſt numerus eorum qui abſolvere poſſunt Niddui aut Cherem? Tres-viri, etiam privati ſeu e vulgo. Etiam & unicus publice judiciis conſtitutus tam hanc quam illam excommunicationis ſpeciem rite abſolvit ſolus.* Quinto, מי שאינו תלמיד חכם אינו יוכל להתיר לעצמו *Qui non erat diſcipulus ſapientis ſeu eminentior in theologiae ac juriſprudentiae ſtudiis, non potuit abſolvere ſeipſum* (a ſeipſo excommunicatum) ſed oportuit, ſaltem juxta aliquorum ſententiam, ut denarius hominum numerus loco triumvirorum accederet; ut in abſolutione excommunicationis per inſomnium, de qua ſtatim. Sed ratio hic non habita aliorum quam e vulgo; quae res ſe aliter habuit in ſomniante. Sexto, ſapientis diſcipulum ſeu publice legis ſtudioſum, uti & Rabbinum quemque ſeu doctorem, ſe excommunicantem (ſine juramento quo ſe ita manſurum obligaſſet, דרך שבועה ſeu *per viam juramenti*, ut vocant) etiam ſe abſolvere potuiſſe aiunt; etiam & diſcipulum vicem magiſtri ſui hac in re, quoties ad magiſtrum ſingulare aliquod munus abſolvendi attineret, ſupplere; quod tunc maxime obtinuit cum juriſconſultus ejuſmodi לכבודו *honoris ſui contumelia laeſi cauſa* ולא לשם שמים *& non in nomine Domini*, ſeu ob praecepti alicujus violationem, quemquam excommunicaſſet. Atque id genus excommunicatio erat quam partiariam ſupra [p] diximus. Neque ibi dicta de excommunicatione alia quam quae honoris laeſi cauſa ſic

[l] Maimonid. tit. *Talmud Tora*, cap 6. §. 14. [m] Gemar Babylon. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 16, 17. Maimonid. tit. *Talmud Tora*, cap 6, 7. Moſ. Mikotzi Praecept. Neg. 208. *Arba Turim*, tit. *Jore Dea*, cap. 831, &c. [n] Gemara citata. [o] Gemar. Babylon. ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 17. a. [p] Pag. 112.

fiebat

3

fiebat ſumenda. Eam autem rarius cautiuſque adhibendam monent, nec niſi publice in magiſtrum aut diſcipulum hujuſmodi contumelia fieret. Septimo, qui honoris cauſa ſic laeſi nomine ſive ab ipſo quem offenderat ſive a ſynedrio aliquo excommunicatus eſt, abſolvendus non omnino erat, niſi etiam illum quem ſic laeſerat poenitentia ſibi reconciliaſſet, id eſt non illo invito. Neque ibi triumvirorum aut ſynedriorum aliorum jus ordinarium. Illo tamen mortuo, triumviris aliiſque quibus jus abſolvendi competeret, ut ſynedrii principi etiam & judici publice conſtituto unico, reum abſolvere licuit. Octavo, נידוי על תנאי אפילו על פי עצמו צריך הפרה *Excommunicationi conditionali, etiamſi item latae ab aliquo in ſeipſum, abſolutio erat neceſſaria.* Nono, excommunicatus, non per inſomnium, ab ignoto, a principe ſynedrii, ex jure communi, abſolvendus erat. Decimo, per inſomnium excommunicato (de quo ante [q] fit mentio) ſive ab ignoto ſive a noto, jus erat abſolutionis perquam ſingulare. Neque enim a ſynedrio aliquo aut praefectura juridica aut principe aut triumviris (qua tales erant) extra temperamentum ſtatim oſtenſum is abſolvi potuit. Sed ſingularis hic decemvirorum uſus, nec quorumlibet, ſed eorum qui in legis ac doctrinae Talmudicae ſtudio praecellerent, ſi commode haberi potuiſſent. Gemara Babylonia [r], נדוהו בחלם וגו' צריך עשרה בני אדם להתר לו *Si quis per inſomnium poſitus ſit in Niddui, &c. oportet is abſolvatur a decemviris*, quorum qualitas ibi deſignatur. Atque inde a Maimonide [s] ſic explicatur res integra, מי שנידוהו בחלום אפילו ידע מי שנידהו צריך עשרה בני אדם ששונין הלכות להתירו מנדויו ואם לא מצא טורח אחריהם עד פרסה לא מצא מתירים שיודעים לקרות בתורה לא מצא מתירין לו אפילו עשרה שאינן יודעין לקרות לא מצא במקומו עשרה מתירין לו אפילו ג׳ *Quando per inſomnium quis excommunicatur, etiamſi notus ei eſſet qui excommunicare viſus eſſet, oportet ut decemviri aliqui Talmudicae doctrinae periti eum abſolvant: Quos ſi non facile repererit, laborandum eſt ei ut reperiat decemviros ejuſmodi per ſpatium aut circuitum* Paraſhae, *id eſt* 4000 *paſſus: Quos ſi nec ſic repererit, abſolvi poterit a totidem in pentateucho legendi peritis: Quos ſi nec repererit, abſolvi poterit a quibuſvis aliis decem, etiamſi legendi fuerint ignari. At demum ſi ita nec decem potuerit nanciſci, legitime a triumviris*, juxta ante dicta, *abſolvitur.* Nimirum ob inſomnii, quod a Deo miſſum eſſe ſeu θεόπεμπτον aut credebant aut ſuſpicabantur, atque ob divinae majeſtatis reverentiam, abſolutionem hic ordinariam admitti noluere, nec, ſi fieri potuiſſet, juxta jam oſtenſa, ſine coetu decemvirali; quem numerum hominum cenſebant, prae aliis minoribus, pro eo cui יש שכינה *majeſtas divina adeſſet*, adeoque pro eo qui maxime par erat abſolutioni ejus quem per nuncium ſic, ut praefertur juxta eorum ſententiam, excommunicaſſet ipſa eadem majeſtas. Hic autem numerus ſi commode haberi nequiret, recurrebatur ad jus triumvirorum ordinarium. Ad hunc modum obtinuit apud eos dogma; e quo, ut in Gemara Babylonia traditur, hoc (ut ante promiſimus) non praetereundum, de nomine *Niddui* & *Shamatha*; nimirum ex ſententia ibi perquam manifeſta idem ipſum utrumque ſignificare, nec duas excommunicationis ſpecies facere. Incipit enim hanc in rem Gemara ab jam dictis de decemviris, quibus aperte idem quod *Niddui* eſt ſolum innui vides. Et de *Cherem* ſolo, quod forenſe erat, res ipſa per inſomnium cum ratione ulla capi nequit, cum etiam de ſingulari aliqua perſona ſive nota ſive ignota per inſomnium excommunicante, ut palam eſt, agatur. Jam vero eadem Gemarae periocha quaſi non omnino dubitatum fuiſſet quin *Shamatha* & *Niddui* idem ipſum regulariter & juxta receptam ſatis ſententiam ſignificaſſent, poſtquam de *Niddui* ſic dictum eſt, ſequitur ex ore Rabbini ad Rab Aſhi, ידע מאן שמתיה מהו דלישרויה ליה *cognoſcit is qui eum in Shamatha poſuit* (id eſt שליח השמים *nuncius a numine miſſus) quomodo ſit abſolvendus*; cui reſpondet Rab Aſhi, לשמתיה שויה שליח למשרי ליה לא שויה שליח *Qui miſſus eſt* (per inſomnium, ſeu excommunicare, ut nuncius Dei, viſus eſt) *poteſtatem habuit excommunicandi eum per* Shamatha, *non item ille* (ſed decemviri tantum, quales diximus, aliive) *abſolvendi.* Atque in aliis ibi expreſſim, praeter gloſſas & interpretamenta Talmudica ibi alibique, vocibus iiſdem ſignificatio tribuitur eadem ipſiſſima. Quinetiam ut excommunicationis per inſomnium ratio apud eos ſic habita eſt, ita etiam, ſed non tam unanimi conſenſu, votorum per inſomnium; qua de re videſis Gemaram citatam & gloſſam adjectam. Atque inde forſan eſt (fas ſit ſuſpicari) quod piſcator apud Theocritum [t] AEgyptius (& AEgyptios mores Judaicos imbibiſſe eiſque adſuetiores fuiſſe nemo neſcit; etiam & pro Judaeis AEgyptios veteres ſubinde ſumunt viri docti [v]) ex eo quod per inſomnium viſus ſibi eſt aureum piſcem hamo cepiſſe, ideoque ita ditatum, votum etiam in ſomnis nuncupaſſe ſeu juraſſe ſe nunquam mari amplius uſurum, voto hujuſmodi adeo ſe obligatum exiſtimaret ut piſcatui operam dein dare timeret; unde inquit,

—— ὅρκον γὰρ ἐγὼ τὸν ἐπώμοσα ταρβῶ,

Juramentum quod ſic juravi timeo. Qualis etiam Judaeis timor diſciplinam jam dictam amplexantibus. Sed hoſpes quocum piſcator ibi loquitur, eum merito ludens, nec piſcem aureum ait alicubi eſſe, adeoque nec votum ſeu juramentum ejuſmodi inde natum ſupra nihilum habendum, etiam & ἴσας ψεύδεσιν ὄψεις eſſe monet *viſiones ejuſmodi mendaciis* ſeu *fallaciis eſſe aequales*, nec meliores, quod plane abſolutionis vicem conſulenti praeſtitiſſe videtur. Undecimo ſingulare Eſſenorum (uti & ſodalitiorum forte aliorum) jus aut morem hac in re fuiſſe videtur. Nam licet Eſſenorum pauciores quam centum non judicarent (quod de τῷ *Cherem* juxta ſuperius notata ſumimus) attamen ejuſmodi erat apud eos, ni fallor, manſuetudo, humanitas & miſericordia ut nemini non liceret, qui inter eos excommunicatum merito abſolvendum cenſeret, eum abſolvere. Scilicet Joſephus [x], ubi de communione & ritibus eorum accuratius agit, Τῶν μὲν οὖν ἄλλων, inquit, οὐκ ἔστιν ὅ,τι μὴ τῶν ἐπιμελητῶν προσ-

[q] Pag. 830. [r] Ad tit. *Nidarim*, cap. 1. fol. 8. a. [s] Tit. *Talmud Tora*, cap. 7. ubi vide *Ceſeph Miſna*, de lectione varia. [t] Idyll. 21. [v] Vide Alberic. Gentil. de Nuptiis lib. 4. cap. 9. de l. 8. C. tit. de Inceſtis, & ibi Cujacium. [x] Halofeos lib. 2. cap. 12. Gr. 7. Lat.

ταξάντων ἐνεργοῦσι. Δύο δὲ ταῦτα παρ' αὐτοῖς αὐτεξούσια, Ἐπικουρία καὶ Ἔλεος. Βοηθεῖν τε γὰρ τοῖς ἀξίοις, ὁπόταν δέωνται, καὶ κατ' αὐτοὺς ἀφίεται, καὶ τροφὰς ἀπορουμένοις ὀρέγειν, *Quamvis aliarum rerum nihil sine praecepto faciunt curatorum* (seu eorum qui a sodalitio ipsis praeficerentur) *tamen in his duobus, hoc est juvando & miserendo, sui juris sunt. Nam & subvenire dignis, cum opus est, suo arbitrio cuique licet, & indigentibus alimenta porrigere.* Ni conjectura me fallat, hinc colligere est cuique apud eos potestatem fuisse absolvendi. Nam quae hic memorantur, ut actus singularium semper liberi, satis innuere videntur excommunicatum inter eos quemlibet a quolibet potuisse absolvi. *Juvare* enim & *misereri* idem erat quod absolvere. Et si quis indignum absolvisset, etiam ipse excommunicatione puniendus erat. Sed viderint hic acutiores. At vero de peccante in Mosis seu legislatoris honorem loquitur Zacuthius quasi nulla illius fuisset absolutio. Quod inde manasse puto quoniam Josephus (unde ille sua habuit) morti addicendum peccatorem ejusmodi dixerat. Sed mortem illam haud aliam fuisse existimandum videtur, ut monuimus, quam quae per sententiam excommunicationis, & summam erga eam, ut ante dictum est, inter eos reverentiam, indeque cibi abstinentiam seu inediam, eveniret aut evenire posset; unde rite liberandus per absolutionem ab eorum quolibet erat quilibet inter eos excommunicatus. Summa est, tum absolutionis tum excommunicationis Judaicae pro vario seculorum, locorum, persuasionum discrimine jura aliter atque aliter se habuisse. Subtilitates alias habent de absolutione magistri. Praecipuas autem & maxime advertendas sic dedimus. Atque ex illis de rei natura apud eos satis est dijudicandum. Cum autem tam vindictae ob peccatum divinae ex imprecatione excommunicationi semper aut expressim aut tacite praevia exspectatio esset, quam in convictu familiari separatio seu pristinae libertatis quaedam, juxta ante ostensa, deminutio, nondum intelligere potui quin quotannis, stante templo secundo (sub quo in usu erat) per solennem in *die expiationum*, quem יום הכפורים nuncupant, & sacrae literae diei decimo Tisri [y] assignant, peccatorum poenitentiam universorum quicquid vindictam divinam hinc respiceret plane dilueretur, adeoque inde, quantum ad eam seorsim rem, absolutio haberetur, excepto tantum eo qui nomen [z] Dei profanaverat. Etenim per hirci apopompaei ritum tradunt peccatores ejusmodi alios tunc universos purgatos esse, respectu numinis, ab omnimoda labe peccati sive gravioris sive levioris praeteriti [a], unde & effectum qualemcunque vindictae divinae ex imprecatione per excommunicationem pristina exspectatae evanuisse etiam puto creditum esse. Neque enim sacris illius diei aliorumve, aut sacrorum aliorum beneficio, interdicebatur excommunicato, qua talis erat, utcunque sic in convictu familiari separatus esset. Sacra enim Judaeorum quantum ad hanc rem dupliciter consideranda: alia fuere quae stante templo ibi peragenda; alia quae extra templum sive in terra sancta sive alibi, ut in proseuchis, synagogis, aliterve, pro vario seculorum, locorum, personarum more. Quae in templo peragenda, alia imperativa [b] fuere, atque statis temporibus necessario servanda, ut praeter ea quae fuere paschatis, pentecostes, seu primitiarum scenopegiarum, expiationum, alia non pauca tum publica tum hominum privatorum, in pentateucho obvia: Alia spontanea erant ibi, quorum dies ab offerentibus aut peragentibus pro arbitrio seligendi. In proseuchis autem & synagogis spontanea dici possunt cuncta, quae in precibus, hymnis, lectionibus sacris, concionibus consistebant. Jam vero neque ab his neque ab illis eo nomine omnino arceri excommunicatum (quatenus solum excommunicatus est) comperio, sed libertatis pristinae usum, quo, sicut ostendimus, interdictus est, convictum familiarem seu vulgarem suorum societatem duntaxat respexisse. De synagogae hic notione in ἀποσυνάγωγον seu *extra synagogam* fieri, ante alibique satis monuimus. Nimirum vocem illam non proseucham seu ad sacra peragenda conventum aliquem singularem aut localem illic denotare, sed proprie τὸ קהל seu *populi* Israelitici *universitatem*, cujus respectu sic ab ea separatus erat seu divisus. Et quicquid in proseuchis illis seu synagogis singularibus, in sacrorum observationem praestitutis, obtinuerit, par est ut interim credamus talia ibi esse permissa ex ratione sacrorum (quorum synagogae illae capaces) qualia in templo ipso, cujus hac in re proculdubio synagogae illae, qua potuerint & res ipsa tulerit, imitatrices fuere. Quod vero ad templi ipsius sacra, quae diximus, attinet, expressiora habemus testimonia tum de eis qui imperativis interesse obligabantur, tum de eis qui spontanea pro arbitrio adhibebant, etiam tam de non obligatis quam de arcendis; unde facile est elicere, solo excommunicati nomine, apud Ebraeos veteres, neminem sacris ullis publicis (nam de eis solum hic loquimur; atque hoc nomine complector publice peragenda omnia) interdictum esse. Discrimen quidem erat multiplex: exempla sunt varia. Unum & alterum memorabimus. Paschatis praeceptum & statum tempus est notissimum. Obligabatur quisque illud quotannis observare והוא לא טמא ולא בדרך רחוקה *qui non* [c] *esset immundus* (immunditie aliqua corporali illarum ad quas excommunicationis causae ne relationem quidem habuere ullam) *aut itinere longinquo impeditus*; idque si בזדון *sponte* violatio fuerit, sub poena *Cerith* seu *excisionis*; qua de capite superiori. Excommunicatus, eo nomine, hic non excusabatur, nedum arcebatur. Adeoque aut per se aut per alium, ut procuratorem, sacrorum festi illius pro more particeps esse cum caeteris debebat. Nec quidem peccata, qua peccata, sive quae in singularibus excommunicationis causis continerentur, sive alia utcunque atrocissima, in causa satis fuere ut quisquam paschali ab alio quopiam, ut indignus, interdiceretur communione; quod manifestum est ex Judae Iscariotae exemplo, qui tametsi κλέπτης seu *fur* palam [d] apud homines, etiam inter discipulos ipsos, agnosceretur, & scelestissimum fuisse eum Christus, id est, proditionem sui machinantem, certo (ut

[y] Lev. xvi. 29.
[z] Ea de re vide lib. 2. de Jure Nat. & Gent. cap. 10, 11.
[a] Maimonides tit. *Thesuba* cap. 1.
[b] Numer. xxviii. & xxix.
[c] Maimonid. tit. *Korban Pesach* cap. 1. Numer. ix. 13. & Misna tit. *Pesachim*.
[d] Joann. xii. 6.

omnia)
3

omnia) ſciret, etiam & diabolum eum eſſe (ſed tacito quidem nomine) ante celebrationem aperte aſſereret [e], nihilominus a diſcipulis ipſoque Chriſto [f] in communionem illam ſanctiſſimam, utpote qui legitime ejuſdem, ſicut alii, particeps haberetur, admiſſus eſt. Et nemo puto de ejuſmodi admiſſionis aut participationis jure dubitabit. Imo diſcipuli feſtum celebraturi, licet ex eis quae expreſſim a Domino acceperant, eſſe inter ipſos unum qui diaboli nomen mereretur, certo ſcirent, attamen inde non omnino ſoliciti erant ut patefieret ipſis quiſnam is eſſet, quod proculdubio feciſſent ſi hominem ejuſmodi a communione paſchali jure aliquo arcendum exiſtimaſſent. Quinetiam ex illo quod adjicitur in lege ſacra [g] de illuſtriori illa feſtorum triga, azymorum, primitiarum & ſcenopegiarum, *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo*, generatim ſcribunt, quemlibet marem regulariter fuiſſe חייב בראייה *obligatum ad comparendum* in feſtorum illorum quolibet, quae comparitio ejuſmodi erat שנראה פניו בעזרה ביום טוב הראשון של חג *ut perſonam ſuam* ſeu *faciem quiſque exhiberet in atrio templi die primo feſti*, ac ſecum afferret quae, juxta ſermonem ſacrum & magiſtrorum placita, offerenda. At vero exceptiones hic habent. Ut foeminae in praecepto plane non continentur, ita nec volunt hermaphroditum aut genitalibus obſtructum, quem טומטום nuncupant, contineri. Servos item parili hic cum foeminis conditione cenſent. Ideoque ipſa Miſna [h], tum de his tum de aliis excipiendis, הכל חייבין בראיה חוץ מחרש שוטה וקטן וטומטום ואנדרוגינוס ונשים ועבדים שאינם משוחררים החיגר והסומא והחולה והזקן ומי שאינו יכול לעלות ברגליו׃ *Omnes ad apparitionem obligantur, exceptis ſurdis, fatuis, minorennibus, genitalibus obſtructis, hermaphroditis, foeminis, ſervis qui nondum manumiſſi, claudis, caecis, aegrotis, ſenio confectis, & qui ſe non poſſunt ad pedibus incedendum erigere.* In Gemara & magiſtris adjiciuntur alii. Maimonides [i] inde, נשים ועבדים פטורין מן הראייה וכל האנשים חייבים בראייה חוץ מחרש ואלם ושוטה וקטן וסומא והגר וטמא וערל וכן הזקן והחולה והרך והענוג מאד שאינן יכולים לעלות על רגליהן כל אלו האחד עשר פטורין ושאר כל האנשים חייבין בראייה׃ *Foeminae & ſervi immunes ſunt ab apparitione. Sed viri univerſi ad eam ſervandam obligantur, excepto ſurdo, & muto, & fatuo, & minorenni, & caeco, & claudo, & immundo, & incircumciſo, & ſenio confecto, & aegroto, & valetudinario, & qui in pedes ſe erigere nequit. Omnes hi undecim immunes ſunt*, ſeu *in praecepto non continentur. Reliqui virorum univerſi* (quorum in numero hermaphroditos & genitalibus obſtructos, ob ſexus incertum, non recenſet) *ad comparendum obligantur.* Inter eos qui etiam obligati ad comparendum excommunicati plane manent: Adeoque ſacrorum participes cum reliquis, etiam ex officio non praetermittendo, fuere. Lex inſuper eſt ſacra de anno remiſſionis ſeu ſeptimo, ejuſque tabernaculorum ſolennitate, *convenientibus* [k] *cunctis ex Iſrael ut appareant in conſpectu Domini*, &c. *tam viris quam mulieribus, parvulis, & advenis, qui ſunt intra portas tuas, ut audientes diſcant*, &c. Aliud hic apparitionis genus, de quo docent [l], כל הפטורין מן הראייה פטור ממצות הקהל חוץ הנשים והטף והערל *Univerſi illi qui ab apparitionis* (ante memoratae) *jure immunes ſunt, immunes etiam ſunt ab hujus praecepti, de populi univerſitate, obligatione, exceptis tantum foeminis, parvulis, & incircumciſis*; quod de incircumciſis, ſi qui forte eſſent, ex ipſo Iſraelitarum aut proſelytorum juſtitiae genere, nec aliis, intelligo. Sed nihil hic de excommunicato. Tantundem dici poteſt de ſanctitatis [m] urbis, montis templi, atriorum, diſcrimine; quod in hoc maxime cernebatur, quod in urbe ſedes habere compluribus fas erat quibus nefas pedem in monte templi ponere, etiam montem templi aſcendere fas itidem eis quibus הַ חיל ſeu *antemurale* vetitum; huic admiſſis aliquot, in atria tamen ingredi nefas. Nec atriorum idem circa haec jus. At vero nec in his nec in aliis id genus diſtinctionibus (quarum quidem circa ſacra eorumque appendices meſſis eſt uberrima apud Talmudicos in titulis cuique ſatis obviis qui cultum ſacrum ſpectant) repertum mihi eſt unquam excommunicationis nomine quemquam aut arceri aut excuſari. Adeoque poena illa in ſe ſacrorum publicorum uſus interdictionem non omnino continuit, unde nec ſacrorum ejuſmodi convivalium aut epularium; tametſi accederet communis cibi & potus interdictio illa, qua minuebatur in convictu familiari, non in templo alibive, ubi ſacra id genus convivalia, libertas priſtina. Nec quid in adverſum hactenus legi. Expreſſim autem locus ille tituli Talmudici *Middoth* [n] docet excommunicatis pariter atque aliis templi ingreſſum, tametſi non eodem undiquaque modo, licitum. Scilicet alii, נכנסין דרך ימין ומקיפין ויוצאים דרך שמאל *Intrabant via dextra, & inde circumeuntes via exibant ſiniſtra.* At vero lugentes & excommunicati via ſiniſtra intrabant, & ſic circumeuntes exibant via dextra; qua de re vide doctiſſimum virum ad citatum titulum, Conſtantinum l'Empereur. Hinc, ſi ita introeunti dixerat quis, מה לך מקיף לשמאל *Curnam in ſiniſtram te vertis?* atque is reſpondiſſet, שאני מנודה *Quoniam ego excommunicatus ſum* ſeu *in* Niddui *poſitus*, ex ſententia Rabbi Meir reſpondendum erat, השוכן בבית הזה יתן בלבך ויקרבוך *Is qui aedem hanc inhabitat ſoletur te*, ſeu *cordi tuo indet quod eſt neceſſarium, & recipiant te.* Sed Rabbi Joſe ad eum, עשיתן כאילו עברו עליו את הדין אלא השוכן בבית הזה יתן בלבך ותשמע לדברי חביריך ויקרבוך *De eis loqueris ac ſi tranſgreſſi fuerint ſuper eum jus*, ſeu *non legitime excommunicaſſent. Reſpondendum autem, Qui hanc aedem inhabitat indet cordi tuo ut auſcultes verbis ſociorum tuorum, & recipiant te.* Et utinam doctiſſimus interpres ibi non vertiſſet שאני מנודה *quia ego contaminatus rejicior*, quaſi de immundo aliquo, cui ingreſſus in templum negatus, verba fierent. Nam planiſſime non aliud ſonant quam *quia ego excommunicatus*, uti & magiſtri ibi ſumunt. Et Obadias Bartenorius ibi, הלכה כר' יוסי *Halacha* ſeu *recepta ſententia hic eſt juxta R. Joſe.* Memoratur item porta lu-

[e] Ibid. vi. 70, 71. [f] Matth. xxvi. 23, &c. [g] Exod. xxiii. 17. [h] Tit. *Chagiga*, cap. 1. in Talm. Babylon. [i] Eod. tit. cap. 2. [k] Deut. xxxi. 11. [l] Maimonid. tit. *Chagiga.* cap. 3. [m] Idem tit. *Bith habechira*, cap. 7. [n] Cap. 2. ſect. 2. & videſis Buxtorf. Lexic. Chaldaic. col. 1306.

gentium

gentium in Pirke R. Eliaezer, ubi legitur, הכנס בשער האבלים ולא היה שפמו מכוסה אז היו יודעים שהיה מנודה *Si quis ingressus fuerit per portam lugentium non obvelato mystace* seu *labro superiore* (nam obvelare solebant lugentes[o]) *inde cognoscebant eum esse excommunicatum*, & verbis illis ante e Talmude allatis ad eum utebantur Idem habet inde R. Jehuda Ben Celetz[q]. Atque tum apud eum tum in Pirke R. Eliaezer habetur, Salomonem in templo fecisse portam hanc lugentibus & למנודים *excommunicatis* propriam, quasi etiam Salomonis aevo hujus poenae usus inolevisset. Sed hoc ut de Salomonis tempore dictum pro hyperbola aut commento Judaico sumendum opinor. Utcunque autem, sufficiunt haec ad rem quam tractamus probandam. Afferunt quidam viri magni illud de immundis[q] paschati non admissis sub Ezechia quasi inde excommunicatis sacrorum usus denegandus. Sed illud planissime adeo non ad excommunicationis apud eos ritum attinet ut nihil minus. Spectat enim historia illa ad immunditiem illam legalem quae corporalis erat, cujus nomine templo sacrisque complures arcendi. Sed ut nemo excommunicabatur (eo sensu qui Judaeis in usu) ob immunditiem ejusmodi aliquam, ita nemo velut immundus censitus est quia excommunicatus. Summa est, non solum sacrorum publicorum pariter fuisse excommunicatum cum aliis capacem, id est, a templo non omnino, nedum a proseuchis seu synagogis publicis eo nomine sic arcendum ut sacrorum beneficio illic careret, verum etiam ad imperativa servanda non minus aliis obligatum. Atque perperam hic nimis viri aliquot docti[r] celebresque asserunt *Judaeis in observatione fuisse ut cum quis immane aliquod perpetrasset scelus, non a templo tantum sed a synagogis dimoveretur*; secundum quod etiam ἀποσυνάγωγον apud Joannem interpretantur. Seorsim quidem nec cum vulgo reliquo apud templum sacrificabant nonnulli, quibus nempe singulares & sanctiores habebantur aliquot ritus, ut Esseni[s], qui δι' αὐτὸ εἰργόμενοι τοῦ κοινοῦ τεμενίσματος ἐφ' αὐτῶν τὰς θυσίας ἐπιτελοῦσι, *ideo exclusi a communi fano seorsim sacrificant*, ut Gelenius; sed Ruffinus, *& merito se a communi congregatione discernunt, remotim sacrificia facientes.* At vero nec eorum aliquis, aut alius quisquam, quod excommunicatus esset, sacris ibi, quasi inde eorum legitime capax non fuisset, arcebatur ullis. Et quod alibi[t] diximus Tertulliani[v] de excommunicatis in Christianismo primitivo verbis utentes, per *Cherem* apud Judaeos devotum *a communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegatum esse*, id ita capiendum, quantum ad Judaismi mores, ut non ad sacra spectet publica (utcunque a sciolis aliquot, in scriptis suis de jurisdictione sibi circa sacra ex jure divino asserenda Anglicanis, aliorsum trahatur) sed privata tantum & graviorem convictus familiaris privationem dirasque graviores, juxta supra locoque citato allata. In eundem enim sensum magistri[x], dum aiunt, אין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו *Non commercium cum eo nec negotium aliquod habent*, quod tamen rite ad distantiam toties memoratam habebatur cum eo qui priori specie seu gradu, id est, *Niddui*, puniebatur. Sic igitur statuendum; ex sententia *Cherem* simplici post diem sexagesimum in contumacem lata non omnino minus ex qualitate sui capacem sacrorum publicorum usus fuisse sic excommunicatum quam ante, utcunque ignominia inter suos majori laboraret, & pristina familiaris convictus libertate magis jam careret. Nam praeter horrendas illas imprecationes in eum toties iteratas, nec docere ei licuit, ut magistro; nec discere ab alio, ut discipulo; nec conducere, nec conduci, aliudve commercium cum aliis, ut dictum est, habere: quae tamen non magis eum quam excommunicatum per *Niddui* a sacris publicis arcebant, sed ad communem inter suos vitae rationem duntaxat attinebant. Custodia autem illa in tuguriolo, cui interdum ob contumaciam etiam mancipabatur, non magis in causa erat ut sacrorum ejusmodi capax esse desineret quam carcer simplex, cujus nomine nemo noxium ei traditum sacrorum usus haud legitime capacem esse puto dixerit. Et revera *Cherem* ejusdem erat, licet intensioris naturae cum *Niddui* seu *Shamatha*; unde & generali nomine apud Ebraeorum doctissimos tam haec quam illa excommunicatio sic pariter appellari solet; licet ob gradum, juxta jam dicta, intensiorem speciei nomen illa etiam induerit: sed non magis sacrorum, ex sui natura, publicorum interdictionem spectabat quam *Niddui* aut *Shamatha*; quod puto etiam tam de Essenorum quam de aliorum excommunicatis intelligendum. Et traditio illa in custodiam seu tuguriolum ubi seorsim aleretur (quod pro arbitrio fori aut fiebat aut praetermittebatur) sicut mulcta aliave praeter excommunicationem iteratam poena atque ut diversa accessit potius quam ut ipsius pars excommunicationis Atque ex jam dictis demum liquet, nec ad sacra publica nec ad sacerdotum (quorum in hisce ratio singularis nulla erat) jurisdictionem poenam quam hactenus tractavimus Judaicam excommunicationis magis attinuisse quam aliam qualemcunque sive pecuniariam sive capitalem sive corporalem: Etiam tam a singularibus seu privatis quomodocunque convenientibus, atque a singulari quopiam irrogari solitam, juxta ante dicta, quam a coetu consistoriano (qui jure ordinario erat aut triumvirale forum aut vigintitriumvirale aut septuagintaunius virale, juxta ostendenda libro proximo, atque extraordinario jure aliter atque aliter se saepius habebat) idque tam in causis sacris quam profanis ab eisdem praesidibus ac judicibus iisdemque consistoriis, quae pariter utrisque, pro potestatis amplitudinis discrimine, praeerant. Neque enim aliud apud illos unquam consistorium seu forum ad sacra attinens, aliud ad profana; ut aut falsi aut fallentes non admittunt solum sed & adseverantius obtrudunt viri aliquot doctissimi, aliis[y] interim summo cum judicio parilique doctrina merito refragantibus. Atque ea de re etiam plura libro

[o] Targum Onkelos, Levitic. xiii. 45. &c. [p] In *Sepher Musar.* cap. 9. pag 95. a. unde & Drusius ad Joann. ix. 22. [q] 2 Paralip. xxx. 17. [r] Baronius, tom 1 an 57. §. 12 Henric. Spondanus in coemeteriis sacris, lib. 4 part. 1. cap 2. §. 6. Anastasius Germonius de Sacrorum Immunitatibus, lib. 3 cap. 14. Simonius, alii. Et videsis Bezam de excom. & presbyterio, scriptores ad Joann. ix 22 alios satis obvios [s] Joseph lib. 18. cap. 2 [t] Lib. 4 de Jure Nat. cap. 9 [v] Apologetic. cap. 39 [x] Maimonid. tit. *Talmud Tora*, cap. 7 [y] Vid. Hug. Grotium ad Matth. v. 22 & lib de Summarum potestatum Imperio circa sacra: cui consoni hic passim Talmudici.

proximo.

proximo. Et maxime hic id tandem advertendum, qualiscunque fuerit hujus poenae apud Judaeos origo, ex jure aliquo divino praeceptivo non omnino, sed traditione seu invento tantum humano in eorum politia pependisse. Neque velut excommunicatum aut separatum a Deo quemquam inter se sic excommunicatum censebant, sed ab hominum consortio, utcunque in eum vindictae divinae, cujus beneplacitum exspectabant, imprecationibus uterentur. Et singularia aliquot suo more enumerant quorum ob causam homines aliquot pro מנודים לשמים *excommunicatis apud Deum* seu *coelitus* ac *divinitus* sumunt. Gemara Babylonia[z]; שבעה כמנודין לשמים אלו הן מי שאין לו אשה ומי שיש לו אשה ולא בנים ומי שיש לו בנים ואין מגדלן לתלמוד תורה ומי שאין לו תפילין בראשו ותפילין בזרועו וציצית בבגדו ומזוזה בפתחו והמונע מנעלים מרגליו ויש אומרים אף מי שאין מיסב בחבורה של מצוה *Septem sunt quasi excommunicati* aut *separati a Deo*, *qui nempe uxorem non habet*, *qui habet uxorem nec vero liberos*, *qui liberos habet quos non educat in legis disciplina*, *qui non habet phylacteria*[a] *in capite & brachio*, *& peniculamentum in veste sua*[b], *& postes ostio suo*[c], *& qui calciamentis pedes suos munitos non vult: Sunt etiam qui dicant, quisquis non legitimo conjugio copulatus est.* Quam bene haec dicta non disputo: Sed ideo attuli ut inde sciatur excommunicationis genus quo a Deo quisquam apud eos separari existimabatur, aliud omnino esse ab eo quo inter se poena illa variatim, juxta ante dicta, adhibebetur. Atque ut nec sacerdotalis hominum generis ejusve partis alicujus prae aliis potestas aliqua singularis, nec sacrorum publicorum interdictio in excommunicationis illius Judaicae vi ac effectu locum habuit, juxta jam ostensa, omnino nullum, ita nec poenitentia hic futurive praestandi officii (cujus ante violati nomine quis excommunicabatur) professio, nec reliquorum ad absolutionem excommunicati superius memoratam attinentium quidquam, nedum absolutionis hujus actus ipse, ad sacerdotale genus illud ejusve partem aliquam prae aliis, aut ad sacrorum publicorum sive rationem sive effectum, aut ad poenitentiam aut absolutionem illorum aliqua comitari solitam, ullatenus spectavit; quod hic maxime animadvertendum. Etenim poenitentia, quantum ad hanc rem, apud eos habebatur duplex: Alia sacramentalis seu sacramentaliter expiationibus praevia, quae sanctissimo numini ad peccatorum remissionem seu absolutionem ab eo impetrandam, in sacris expiatoriis peragendis, ex lege necessario cum confessione rite[d] & tam corde quam ore tenus praestanda. Alia civiliter tantum seu populariter poenalis; cujus generis dicendum fuisse tum quae excommunicationis absolutioni, juxta superius ostensa, praevia fuit, tum quae variatim, ut mox dicetur, a facinorosis citra sive excommunicationis jam dictae sive sacrorum rationem aliquam & exigi & in emendationis vitae futurae testimonium publice inter eos praestari solita. Ex genere priori, confessione a poenitente variatim cum sacris solennibus ipso, maxime in festo *Cippurim* seu expiationum annuo (quo item populi totius nomine confitebatur Pontifex summus[e] super hircum apopompaeum) ut decuit ac rite praestita, numini reconciliabatur, juxta legis sacrae sensum, poenitens expiabaturque, ita tamen ut necessarium haberetur spontaneam peccati in proximum compensationem prius fieri: Neque aliter absolutionem inde apud Deum impetratam esse credebatur. Confessio autem illa quae poenitentiam illam sacramentalem sic comitari solebat, seu potius pars ejus primaria erat, a peccatore fiebat aut soli numini, aut hominibus etiam aliquot, seu ברבים *coram plurali aliquo hominum numero.* Peccata שבין אדם להבירו *in proximum* etiam ברבים seu *coram pluribus* (non hoc vel illo coetu certo, sed coram pluribus cujuscunque ex populo illo generis) a poenitentiam rite satis praestante erant confitenda. Saltem שבח גדול לשב *perquam laudabile fuisse poenitenti* aiunt, si id genus peccata sic confiteretur. Peccata autem שבין אדם למקום *in Deum*, veluti tabulae primae violationes, אינו צריך, inquit, juxta veteres[f], Maimonides[g], לפרסם עצמו ועזות פנים היא לו אם גילם אלא שב לפני האל ברוך הוא ופורט חטאיו לפניו ומתודה עליהם לפני רבים סתם: *Necesse non erat ut peccator* ea (nondum aliis cognita) *ipse propalaret: Etiam impudentia quaedam in eo fuisset si ea revelasset. Sed poenitendum erat coram Deo benedicto, & coram eo singula sua recensenda ejusmodi peccata*; *coram pluribus autem confitenda ea verbis generalibus*[h]. Atque poenitentiae hujus maxime solennis ac continuus usus erat per י׳ ימי התשובה *decem dies illos poenitentiales* qui expiationem illam annuam per hircum apopompaeum factam praecedebant. Sed vero quemadmodum per dies illos, nonnullis saltem in locis, אין נוהגין חרם *excommunicationem aliquam adhiberi in more non erat*[i] (utpote sacris ejusmodi, ad quae uti nec ad alia publica spectaret, non omnino intermiscendam) ita nec poenitentia tunc aliove quovis tempore sacramentalis ejusmodi erat ut excommunicationis sententiae ante latae vim, aut notam inde contractam inter homines, omnino aboleret. Nam & mulctae scilicet & flagellationes aliaque suppliciorum genera ejusmodi inter homines ibi usitata subibantur, & manebant, idque undiquaque legitima, adeoque etiam excommunicatio, non obstante poenitentia ejusmodi sacramentali, quae in numinis reconciliationem praestabatur, non in poenarum apud homines seu civiliter debitarum abolitionem. Accedere etiam hujusmodi poenitentiae sacramentali volebant יסורין seu *castigationes* sui ultro subeundae; unde, exempli gratia, in solenni annuae populi expiationis festo illo, ad veteris disciplinae Judaicae sensum, ait Rabbi Jacob Ben Asher[k], נוהגין באשכנז שכל הקהל לוקין מלקות ארבעים בבית הכנסת אחר תפלת המנחה שמתוך כך יתן אל לבו לשוב מעבירות שבידו: *Mos est* (aut olim fuit) *in Germania*, seu *apud Judaeos Germanienses*, *universum populum* seu *coetum plagis quadraginta flagellari in synagoga post orationem vespertinam*; *ut inde atque ita demum ca-*

[z] Ad tit. *Pesachim*, cap. 10 fol. 113. b. [a] Deut. vi 8. [b] Num xv. 38. Deut. xxii. 12. [c] Deut. xi. 20. [d] Levit. xxvi. 40. Num. v. 6, &c. [e] Levitic. xvi. 21. Vide Misn. & Gemar. tit. *Joma*, cap 8. [f] Tract Thesuba, cap. 2. Vide *Arba Turim*, tit. *Orach Chaijim.* §. 607. [g] Misna & Gemar. tit. *Joma*, cap 8. Babylon. fol. 87. a. tit. *Beracoth*, cap. 5. fol. 31. a. [h] Vide Misnam tit. *Sanhedrin*, cap. 6 § 2 [i] In notatis ad *Shulcan Aruch*, tit. *Orach Chaijim*, § 602. & videsis J. Buxtorf. in Synagoga, cap. 20. [k] Tract. *Orach Chaijim*, §. 607.

stigatus etiam corde tenus resipisceret, & a peccatis suis recederet. Et castigationes ejusmodi pariter sacramentales, utpote quae in absolutionem a numine impetrandam subirentur, dicendae; quemadmodum etiam in christianismi poenitentia solenni subinde non ita dissimiles habentur. Quod autem ad poenitentiae apud Ebraeos genus illud alterum, seu eam quae civiliter ac populariter erat poenalis, attinet, species ejusdem prior, seu quae excommunicationis absolutioni necessario praevia fuit, aut triumviris aut judici alicui publice constituto atque in absolutionis ritum adhibito, quem [illegible] vocitant, aut decemviris, aut consistorio alicui seu synedrio, juxta superius memorata, non autem soli numini ipsi, aut generatim ברבים *pluribus*, ut sacramentalis proximum spectans, nedum sacerdotalis generis prae aliis cuipiam, erat praestanda. Nec actus ipse inde absolvendi circa peccata alia praeter ea sola quorum nomine sententia illata fuerat omnino versabatur. Neque sane quid ita commune erat cum poenitentia ac absolutione civili ac populari huc spectante cum illa quae sacramentalis erat ut ex reconciliatione erga Deum per hanc impetrata excommunicatus quisquam apud homines inde citra poenitentiam modo quo dictum est civiliter praestandam absolveretur. Manebat is in excommunicati apud homines statu, etiamsi universa per sacra expiatoria eorumque appendices apud Deum diluerentur ejus peccata, donec etiam per poenitentiam quam diximus civilem absolutionem etiam excommunicationi singularem apud homines nancisceretur. Quod itidem plane pronunciandum de poenis aliis quibus inter homines quis ex sacramentali poenitentia apud Deum absolutus legitime suberat. Uti & vice versa, excommunicatione rite absolutus per absolutionem ejusmodi aut poenitentiam civilem ei praeviam, nec a sacris expiatoriis nec a poenitentia criminis, cujus nomine sententia in eum lata, sacramentali, quae Deum respexit, liberabatur. Et tantundem plane dicendum de altera generis hujus secundi specie quae civiliter tantum seu populariter, & citra sive excommunicationis sive sacrorum rationem, pro more & arbitrio synagogarum ac seculorum variantium diverso, poenalis erat atque etiamnum inter eos, ex disciplina veteri, est in usu. Ea nimirum cernitur in ultro ac palam subeundo castigationes civiles popularesque, easque gravissimas atque diutinas, quae, ob capitalium aliorumve poenalium judiciorum potestatem adeo variatim eis aut negatam aut minutam, facinorosis, citra excommunicationis aut sacrorum rationem, civiliter & populariter irrogari, sed & ultro subiri, solitae; tametsi interim dubitandum non fuerit, excommunicationem subinde & pro hominum libitu sive praecessisse eas sive esse secutam. Atqui neque tunc castigationes illae ab ejusdem ratione aliqua pependere. Sed a[illegible] tantum fuere poenae illae; qualis illa bonorum ablatio in exemplo illo Esrae superius memorato, excommunicationi ejus comminatoriae adjuncta, uti & mulcta, flagellatio, similes aliae. In castigationibus hisce recensenda, tempore hyberno in aqua frigida nudum aliquamdiu sedere, aestivo itidem in acervo formicarum, per apum examina praedensa aliquoties percurrere, diutina jejunia, &c, pro criminis atrocitate, per annos complures frequentius iterata, aliaque vitae ejusmodi incommoda scelestis in resipiscentiae apud homines & futurae vitae emendationis testimonium subeunda. Atque huc etiam spectat confessio illa atque poenitentia generalis capitale judicium subiturorum, ad exemplum Acharis [m] ab Josua ea de re moniti. Reo scilicet, quando decem cubita aberat a loco in quo neci tradendus esset, publice dicendum erat[n]; תהא מיתתי כפרה על כל עונותי *Sit mors mea expiatio pro omnibus peccatis meis*, aut in eundem sensum. Cum sacramentali autem neque haec secundi generis species commune quid ita habuit ut altera alterius effectum omnino sortiretur. Deo sanctissimo ac corde tenus, quod cognoscere aut introspicere is, utpote καρδιογνώστης, solus potest, atque ex lege ejus sacra in ejusdem reconciliationem sacramentalis peragebatur. In civilem autem poenam ac pudorem tantum praestituta est species haec secundi generis altera, quae, ut poenae ejusmodi aliae civiles, placita spectabat hominum, quibus nota tantum oris, non omnino cordis, professio poenitentialis. Adeoque etiam post solennem per diem *Cippurim* apud Deum expiationem qualemcunque peccatorum omnimodorum, castigationibus jam dictis civilibus & poenitentiae per eas apud homines civili, pro re nata, & per annos interdum complures, locus mansit, ut ante, integer. Quod & satis consonum est eis quae in christianismo alibique pro morum discrimine in rebus hujusmodi obtinent. Atque hinc rite intelligendum quod habent Talmudici de excommunicatione ejusque vi ac effectu apud homines omnimodo per complures annos, pro arbitrio scilicet fori seu consistorii cui suberat excommunicatus, durante. Maimonides [o], אם ראו בית דין להניח זה בנידויו כמה שנים מניחין כפי רשעו *Si visum fuerit consistorio* seu *synedrio in excommunicatione quempiam relinquere per complures annos, relinquunt sic eum secundum malitiam ejus*, seu prout criminis aut contumaciae atrocitas meruerit. Ita etiam Gemara Babylonia [p], alii. Nimirum qualiscunque apud Deum fieret quotannis ex sacris diei expiationum solennibus reconciliatio ac absolutio sacramentalis, civilem nihilominus, seu quae excommunicationis atque apud homines erat, nemo excommunicatus aut eodem, aut primo, aut secundo inde aliove anno, nedum per sacrificia alia expiatoria nactus est, antequam juxta ritus excommunicati absolvendi supra memoratos eam legitime adquisivisset. Atque tempore illo toto, aut iterata in eum imprecatione vindictae divinae aut eadem vindicta exspectata, erat ut capite quadamtenus deminutus, id est, pristina convictus familiaris libertate inter suos privatus, separatus, ac infamiae notis aliquot onustus, ut ante ostensum; sed non ut e קהל *republica, ecclesia* seu *synagoga*, cujus pars erat, expulsus seu exsul aut deportandi instar; tametsi viri doctissimi [q] subinde excommunicationem Ebraeorum per *expulsionem* & *ejectionem e republica* seu *ecclesia* ac *abscissionem*

[l] R. Samuel in *Sepher Chasidim*. §. 167. *Reshith Chocma* minor in *Shaar Hateschuba*, cap. 7. Buxtorf. in Synagoga, cap. 34. [m] Josue vii. 19. [n] [illegible] cap. 6. [o] Tit. *Talmud Tora*, cap. 7. [p] Ad tit. *Moed Katon*, cap. 3. fol. 17. a. [q] Vide Joseph. Scaliger. de Emendat. Temporum, lib. 5. p. 552. Ludovic. Capell. ad Johann. ix. 22. alios ib alibi [illegible].

nem

nem generatim, quasi exsilium & maximam capitis deminutionem sonaret, denotent. Neque quidem id omnino admittit ejusdem sacrorum publicorum participatio, nec reliqua de excommunicati statu quae ante ostendimus. Sed immane quantum (quod & adnotare fas sit) a receptissimis scholae Talmudicae sententiis discrepat viri doctissimi in praelectionibus de ecclesia opinio nupera, qua Niddui *fit separatio quae convenit leprosis & contaminatis secundum legem ceremonialem Mosis*; Herem *vero* (idem quod nos *Cherem* diximus) *eorum est qui sunt obnoxii morti juxta Mosis legem politicam*, seu *eorum qui eam culpam contraxerunt quae non nisi morte lui possit*; & demum *Shammatha* seu *Maranatha* (de quo item capite proximo) *segregatio a coetu piorum in vita futura*, quod ultimum quidem dubitanter ab eo dictum. Atqui certissimum est nihil ad vitam futuram in Judaeorum *Shammatha* aliave aliqua inter eos excommunicatione attinuisse, nedum ceremonialia de immundis interdicta τȣ̃ *Niddui* fuisse omnino objecta, nec τȣ̃ *Cherem* peccata tantum capite luenda, quae perquam opinor ex ante traditis manifesta fiunt. Quod vero ad sacra privata attinet seu domestica; tam excommunicati, opinor, quam alii, sed non minus hi quam illi, pro arbitrio eorum quorum ea privatim seu domesticatim celebrare intererat, uti in privatis aliis seu domesticis fieri solitum, aut admittendi erant aut arcendi; ratione, quoties admissio ejusmodi fieret, quatuor cubitorum distantiae illius solennis, uti & interdictionum extraordinariarum & adjectitiarum quae pro vario synedriorum placito subinde, ut ante hic alibique [r] ostensum est, accederent, semper habita. Ita enim res ipsa ex natura sui necessario postulabat. Nam sicut privatis quibuslibet, ex varia eorum regiminis ratione, sua sunt, citra interdictionem publicam, jura certa ac domestica, ita ex interdictionum illiusmodi interventu, ut juris omnimodi privati vis & effectus, adeoque etiam admissionis jam memoratae, aut cessaret aut temperaretur necesse est. Quae vero de sacris hic publicis supra dicta sunt, ex eo satis etiam firmantur, (quod, quanquam statuerant Judaei quemlibet qui Jesum esse Christum seu Messiam verum confiteretur excommunicandum [s] fore, quod decretum etiam viri ibi principes [t] non pauci adeo timebant ut, tametsi crederent in eum, fidem tamen profiteri, ne excommunicarentur, non auderent; unde, uti etiam ex Christi ipsius hac de re monito [v], quemadmodum caeco illi oculis restituto [x], ita aliis evangelio nomina dantibus saltem non paucis, si non universis, aequum est ut existimemus poenam hanc seu infamiae notam pro re nata aut a personis singularibus, juxta morem, aut a praefecturis juridicis irrogatam) nihilominus expressissima habentur in apostolorum Actis [y] testimonia de libero templi ac synagogarum, quantum ad sacra publica, usu tam Christi discipulis ac credentibus qui fidem palam profiterentur etiam simul universis, quam Judaeis reliquis seu non credentibus permisso. Neque ea de re accusatio, lis, aut controversia ab eis qui alioquin undiquaque credentibus atque pervicacissime adversarentur, omnino intenditur in quempiam ulla. Quod factum non fuisse perquam mirum videtur nec ex natura sui credibile, si, ex jure tunc in usu ac recepto, a templo aut synagogis (de cujus vocabuli notionibus hic advertendis supra) sacrisve ibi peragendis publicis arcendus fuisset excommunicatus. Hallucinati igitur nimis (quod obiter adnotare etiam liceat) patres qui caeci illius excommunicationem sic exprimunt ut e templo ejectum sine dubio admittant; Ἐξέβαλον, inquit [z] Chrysostomus, αὐτὸν ἐκ τȣ̃ ἱερȣ̃ οἱ Ἰȣδαῖοι, καὶ εὗρεν αὐτὸν ὁ δεσπότης τȣ̃ ἱερȣ̃, *Ejiciebant eum e templo Judaei, & invenit eum templi Dominus.* Sic item Theophylactus. Et consonus est Nonnus Panopolita in Joannis paraphrasi, qui pro eo quod est ἀποσυνάγωγον seu *extra synagogam* fieri ea substituit quibus intelligi vult e templo aut synagogis in publica sacra constitutis ejici. In decreto jam dicto Judaeorum ille,

Μὴ ζαθέȣ ψαύσειε θεοκλήτοιο μελάθρȣ,

Non divinam attingat in qua Deus invocatur domum. Et de caeco illo ejecto,

—— ἀπήλασαν ἐκτοθι νηȣ̃,

Expulerunt eum e templo. Atque illud Christi, *Extra synagogam vos facient*, reddit ille,

Ὑμέας ἐξελάσȣσι θεοκλήτοιο μελάθρȣ,

Vos expellent divina e domo. Quasi apud Judaeos excommunicatio fuisset expulsio e sacris aedibus; cujus contrarium ex ante ostensis satis opinor manifestum. Sed vero de his satis superque. Et de Judaica seu veterum Ebraeorum excommunicatione, ut scilicet de judiciorum per hoc quod tractamus ante legem intervallum effectibus, in quibus locum habuisse volunt aliqui etiam viri magni excommunicationem, commodius & plenius mox dijudicari possit, hactenus.

[r] Ex Maimonid. tit. *Talmud Tora*, cap. 7 [illegible] lib. 4. de Jure Natur. & Gent. [illegible] [s] Joann. ix. 22. [t] [illegible] [v] [illegible] [x] [illegible] [y] Cap. [illegible] [illegible] [z] Homil. in Joann. [illegible]

CAP.

CAP. VIII.

De excommunicationis (cujus origo intervallo huic legis in Sinai dationem antevertenti, ut dictum est, tribuitur) usu, jure, effectu, reliquisque appendicibus, in christianismo primitivo per apostolorum tempora. Illam haud omnino diversam videri ab ea quae Judaeis tunc aliis atque ante (juxta superiori in capite descripta) in usu; ratione causarum, pro persuasionum discrimine, singulari semper habita. Tam ex jure Caesareo, subinde saltem, quam Judaico fuisse tunc publice legitimam. Tum juris tum nominis Judaeorum & christianorum per tempus illud communio. De Christiani nominis ortu. Claudii Augusti edictum apostolis coaevum, quo utrisque, sub nomine Judaeorum, moribus Judaicis, adeoque excommunicatione, per orbem Romanum uti indultum est. De christianorum tunc confoederata inter se disciplina, tempore persecutionum. Anathema, maranatha, traditio Satanae; alia in epistolis canonicis de excommunicatione sumi solita. Num a sacris christianis excommunicatus tunc arcendus. Judas proditor, in ipsa coenae dominicae institutione, ejusdem particeps; saltem communione non interdictus.

JUdaismi veteris excommunicatione atque ejusdem speciebus seu gradibus, usu, jure, effectu, absolutione, etiam & poenitentia civili ac populari, qua a sacramentali discrepat, reliquisque ejus appendicibus superiori in capite explicatis (de quibus etiam consule Claudii Augusti, de juris morumque Judaicorum usu libero per orbem Romanum permisso, edictum, quod mox hic cum aliis aliquot etiam illuc spectantibus, sed aliam in rem, affertur;) de ea quae variatim in christianismo obtinuit pariter est, juxta institutum, videndum, ut inde etiam commodius tandem & facilius dijudicari possit de quaestione, an poenae hujus origo intervallo legis in Sinai dationem antevertenti fuerit, ut volunt aliqui iique doctissimi & percelebres viri, tribuenda, adeoque inter effectus judiciorum per intervallum illud locum habuerit. Christianismi excommunicatio tempore hic in triplici consideranda. Primo, per apostolorum tempora, seu usque in annum a verbo incarnato centesimum aut circiter. Secundo, per tempora quae sequuntur primitiva, usque in Constantinum Magnum Augustum, id est, quamdiu christianismus cum imperio seu potestate in regimine summa non omnino est conjunctus, seu usque in annum a verbo incarnato trecentesimum vicesimum aut circiter. Tertio, a christianismi Constantini initiis etiam in tempora nostra. Ultro quidem ab viris eruditis, iisque tam e pontificiis [a] quam reformatis [b], admittitur, christianismi excommunicationem fuisse ejus quae in Judaismo erat propaginem seu imitatricem, licet interim de origine, usu ac effectibus ejus in Judaismo non satis sint ipsi inter se concordes. Sed discordia illa inde maxime evenit quod aut Talmudicam hac de re doctrinam seu veros Judaeorum mores ac ritus inde edíscendos non satis habuerint eorum aliqui perspectos, aut ipsos dissimularint. Ad firmandam autem sententiam illam etiam, inter caetera, palam conducit usus in primitivis christianismi seculis eorundem vocabulorum pro excommunicandi apud christianos actu quibus usi fuerant ante Judaei Graecienses pro excommunicationis actu apud suos. Scilicet non solum ἐκβάλλειν [c] *ejicere*, ἀφορίζειν [d] *separare*, ac *anathema* [e] quenquam *pronunciare* (quod idem est cum חרם *Cherem*) atque ἀναθεματίζειν, verum etiam ἀποσυνάγωγον seu *extra synagogam facere*, christianis tunc pro excommunicandi actu apud suos adhibebantur; quae nemo nescit, Judaeis suam pariter denotasse ante excommunicationem, uti etiam ex capite superiori manifestum est. Rarius quidem ἀποσυνάγωγος in patrum christianorum scriptis sic occurrit, sed vero a seculorum primitivorum christianis videmus adhibitum illud (cujus sensus initia nemo dubitat quin sint mere Judaica) nunc pro excommunicato ab Judaeis ipsis nunc pariter pro excommunicato inter christianos. Priori sensu, in illo Athanasii capite in superiori allato de Judaeo Berytiensi alibique. Posteriori, in ipsis synodi Nicaenae primae canonibus [f], ubi de excommunicatis in ecclesiis christianis dicitur inquirendum esse an simultate, contentione, aut aliquo alio episcopi vitio ἀποσυνάγωγοι γεγένηνται, *aposynagogi* seu *extra synagogam fierent*, seu, ut Dionysius Exiguus, *a congregatione seclusi*; pro quo bene substituunt alii *excommunicati sint*. Et nemo nescit τὸ קהל Ebraeorum tam *synagogam* [g] (unde ἀποσυνάγωγος) quam *ecclesiam*, nec minus hanc quam illam, in Hellenistarum bibliis denotare. Atque apposite quidem hac de re Hugo Grotius [h], *Apparet*, inquit de excommunicationis Judaeorum speciebus agens, *ex his quae diximus, in disciplinae custodia secutos christianos exemplum Judaeorum, sed Essenorum praesertim*, (quorum excommunicationem ac absolutionem capite in superiori tradidimus) *ut qui essent mere privati, sine ullo imperio, quemadmodum & christiani.* Consule quae ibi apud eum sequuntur. Atque verum proculdubio est, Christianos primitivos suam voluisse adhibere excommunicationem ad facinorosos, & qui christianismi jura turbarent, qua potuerint, coercendos, ut Judaei seu nondum creden-

[a] Baron. Tom. 1. an. 57. §. 12. Iansenius in Harmonia cap. 78. Henric. Spondan. in coemeteriis sacris lib. 4. part. 1. cap. 2. §. 6. Anastasius Germonius de sacrorum immunitatibus lib. 3. cap. 14. alii. [b] Bertram. de Politia Judaica cap. 7. Beza, Drusius, Grotius, alii ad loca N. T. quae hac spectant obvia. Vide Buxtorf. in Lexic. Chaldaic. col. 828. [c] Epist. Joann. iii. 10. [d] Canon. Apostol. 6. 11, &c. [e] 1 Cor. xvi. 22. Gal. i. 8, 9. & in patrum canonibus passim. [f] Can. 5. [g] Vide Casaubon. Exercit. 16. cap. 42. sed & Jo. Cameron. in epist. Jacob. cap. ii. 2. [h] Ad Luc. vi. 22.

tes ex Judaeis ad ſuos coercendos habebant ſuam. Sed ita diſtinguenda ſunt tempora illa primitiva ut non admittamus excommunicationis chriſtianae uſum per apoſtolorum tempora ſimilem omnino fuiſſe ei qui poſtmodum in ſeculis etiam proxime ſequentibus apud chriſtianos inolevit. Ab Judaica enim haud parum diſpar haec erat. Sed ita ſane rivuli, ſcaturigines, propagines non raro aliter ac aliter ab originibus ſuis ac fontibus, atque a cauſarum primariarum ſatiſque indubitatarum ratione pariter evadunt diverſae & degenerant, qualitatibus nihilominus & naturae primariae reliquiis aliquot ac veſtigiis ſemper ſervatis. Qua de re plura capite proximo. Quod vero ad apoſtolorum tempora attinet, quae primo hic tractanda, profecto credendum non omnino videtur in chriſtianiſmo tunc alias fuiſſe excommunicationis ſpecies ſeu gradus quam qualis ipſius Judaiſmi tunc temporis atque ante; id eſt, *Niddui & Cherem*, ſeu *ſeparationem* & *anathema*, quo nomine utraque ſpecies ſeu gradus interdum deſignatur, juxta ſuperius oſtenſa. Apoſtolos enim ipſos, reliquoſque diſcipulos qui aut dum Chriſtus in terris, aut per aliquot annos poſt aſcenſionem ejus, acceſſere, ex Judaeis fuiſſe omnes, adeoque Judaeos, palam eſt, ritibuſque Judaicis ſeu avitis innutritos adſuetoſque. Atque in eo quod habet Joſephus [i] de Chriſto, Πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ Ἑλληνικοὺς, ſeu, ut Euſebio [k] lectum eſt, uti & Ruffino, Πολλοὺς μὲν τῶν Ἰουδαίων, πολλοὺς δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ Ἑλληνικοῦ, ἐπηγάγετο, *Multos Judaeorum, ac multos etiam ex gentibus* ſeu *genere Graecanico, ſectatores habuit* ſeu *ſibi adjunxit*, ſi de Chriſti ipſius in terris tempore capiatur, aut de tradita ejuſdem per annos aliquot poſt aſcenſionem diſciplina ac numeroſa diſcipulorum tunc acceſſione, *Graecanici generis* nomen ſeu *gentium* eos ſolos ſignificare potuit, qui ex gentibus Judaiſmum plene, ut proſelyti juſtitiae, tunc induerant, & quales *Helleniſtarum* (qui Judaei religione) nomine in Actis [l] ſimul cum origine Ebraeis memorantur, non omnino gentiles baptiſmo ſolo in Chriſti diſciplinam citra circumciſionem tranſeuntes; quales quidem nec admittendos in Chriſti diſciplinam ſeu evangelii beneficium per annos aliquot poſt aſcenſionem vulgo exiſtimatum eſt [m]. Nec ejuſmodi aliqui tunc habebantur. Adeoque diſcipuli tunc univerſi revera & plene Judaei. Et qui annis proximis ſequentibus e gentilibus, ſine Judaiſmi proſelytiſmo, Chriſti diſciplinam amplexati ſunt, Judaeorum nihilominus nomine ita ſimul cum reliquis Judaeis pariter veniebant, eorumque diu juribus aliis non paucis ita utebantur, ut non videatur omnino dubitandum quin, inter jura illa, etiam hoc de excommunicatione Judaica, quantum ad ſpecies ejus ſeu gradus (nam quantum ad cauſas, neceſſum erat ut aliter ſe res haberet, quod nemo non videt) pariter a cunctis ut ante pro re nata adhiberetur. Sed de nominis juriſque Judaici ejuſmodi tunc communione inter Judaeos credentes (ſeu qui Judaiſmum reformatum ſeu verum, quem induere debebant Judaei univerſi, id eſt, chriſtianos) & non credentes, plura mox. Expreſſa autem ſunt excommunicationis ejuſmodi uſus veſtigia in epiſtolis apoſtolorum canonicis, maxime Pauli. Comminatorium vibrat ille anathema tum in chriſtianos, ſeu evangelizandi in ſe officium recipientes, qui evangelium aliud praeter id quod acceptum fuerat obtenderent [n], tum in Judaeos qualeſcunque Jeſum Chriſtum [o] non admittentes ut Meſſiam verum; quemadmodum fieri ſolitum apud Judaeos non credentes, in eos qui inſtitutis Moſaicis majorumque ſcitis atque autoritati moroſius ac contumacius refragarentur. *Licet nos*, inquit, *aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis*, ἀνάθεμα ἔστω, *Anathema ſit*. Et, *ſicut praediximus*, & *nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepiſtis*, ἀνάθεμα ἔστω, *Anathema ſit*. Syrus ibi, ܢܗܘܐ ܚܪܡܐ נהוא חרם *ſit Cherem*, Ebraice יהי חרם ſeu הוא חרם *habeatur in ſtatu ejus in quem ſententia Cherem, ſeu excommunicatio ſic dicta, lata eſt*. Conſonus eſt Arabs Erpenianus, فليكن محروما *ſit per Cherem excommunicatus*, quemadmodum habet codex penes me MS. In bibliis autem Jaianis Arabs, فليكن مفروزا *ſit ſegregatus* ſeu *ſeparatus*, id eſt, ſimpliciter excommunicatus. Priori quidem in periocha etiam *angelus de coelo* per hyperbolen continetur; quaſi, in ſummam evangelizantium ejuſmodi deteſtationem, dixiſſet etiam in angelum de coelo ſic peccantem, ſi fieri poſſet, vindictam divinam imprecandam; quae pars altera eſt excommunicationis. Poſteriori autem in periocha nomen angeli praetermittitur, quaſi iteratio illa ad homines tantum ſpectaret, etiam ad ſeipſum, ſi ita peccaret. Quod & ritibus tunc Judaicis, juxta quos ſeipſum cuique excommunicare, ut ſupra oſtenſum, licuit, eſt conſonum. Latini interpretes, tum veteres tum recentiores, uti in vernaculis ſuis Itali aliqui & Hiſpani atque Angli Duacenſes, ipſam vocem *anathema* hic, ut alibi apud Paulum, retinent, quae, ut dictum eſt, tam exſecrationem ſeu vindictae divinae imprecationem quam ſeparationem (nunc etiam in minori nunc in majori excommunicationis genere) apud homines ſignificabat. Hujus autem ſignificationis partem priorem tantum alii aliquot hic vernaculis ſuis ſubſtituunt; ut Germani, **der ſey verflucht**, *exſecrandus habeatur*, quibus conſoni Belgae. Et Galli, *qu' il ſoit execration.* Angli reformati, **let him be accurſed**, & Wiclefius, **be he accurſed**. Ita etiam Hieronymus aliique interpretantur per *abominabilis vobis ſit*. Sed vero, ut in ſeculis Chriſtianiſmi proxime ſequentibus, & apud Judaeos tum ante tum hoc ipſo quo ſcripſit Paulus tempore, excommunicationem integram apud homines illud ſignificabat, ita dubitandum non videtur quin praeter abominationem cum exſecratione etiam ſeparationem tunc ſolennem hic innueret, id eſt, ut tam ἀποσυνάγωγος & ἀκοινώνητος ſeu *priſtina communionis vitae* (ſed juxta ſuperius oſtenſa tantum) *libertate privatus* quam ἐπάρατος ſeu *exſecrabilis*, ut apud Heſychium, eo denotaretur. Recte igitur Gallicana hic vetus [p], *Il ſoit eſcommeniez*, ſit excommunicatus. Et ad locum hunc Hugo Gro-

[i] Lib. 18. cap. 4. [k] Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 10. [l] Act. vi. 1. & ix. 29. & xi. 20. [m] Vide Act. xi. 1.
[n] Ad Galat. i. 8, 9. [o] 1 Corinth. xvi. 22. [p] MS.

tius; *ἀνάθεμα ἔςω* יהי חרם, *id est, Cum eo nihil nobis sit commercii, non magis quam cum iis quos synagoga aut ecclesia penitus abscidit*, id est, plane excommunicavit. Neque enim ita penitus per anathema abscindebat synagoga excommunicatum ut pars suorum omnino esse desineret, sed, ut juxta temperamenta superius memorata, pristina convictus inter suos libertate tantum privaretur. Atque eandem ipsam formulam pro excommunicatione comminatoria in christianismo primitivo receptam esse nemo nescit. Idem etiam apostolus[q], *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum*, ἔςω seu ἤτω ἀνάθεμα μαρὰν ἀθὰ, *sit anathema maran atha.* Ita in editionibus receptioribus: sed in nonnullis scribitur μαρανα-θὰ, ut vox unica, quemadmodum in Vulgata aliisque non paucis[r]. Hinc anathemate apud Corinthios percutiendos seu excommunicandos voluit Paulus tam Judaeos quam Christianos suos πάντας ἁπλῶς τοὺς παρ' αὐτοῖς ἔξω τῆ αὐτῆ διδασκαλίας ἢ παραδόσεως διάγοντας, *omnimodos simpliciter qui apud eos extra ipsius institutionem & traditionem agebant*, ut Theophylactus ibi. Nam ad gentiles nondum credentes anathema aut excommunicationem sive Christianam sive Judaicam attinuisse, admittendum non est. Syrus ibi, ܢܗܘܐ ܚܪܡܐ ܡܪܢ ܐܬܐ נהוא חרם מרן אתא *sit Cherem* seu *devotus aut excommunicatus, Dominus venit.* Arabs Erpenianus,

فليكن محروما من رجا الـــــرب

sit in Cherem seu *devotus a spe Domini.* Nec quid aliud τῷ *maran atha* ibi respondet. Atqui in Jaianis

فليكن مفروزا . مارن اثا اي الرب قد جا

sit separatus seu *segregatus*; *maranatha*; *hoc est, Dominus jam venit*, seu *adventus ejus praeteriit.* MS. penes me non ita recens, sed versionis, non dubito, antiquae فليكن

محروما * سيدنا قد جا *sit in Cherem* seu *devotus, jam venit Dominus noster.* Versionibus linguarum provincialium plerumque *anathema, maranatha* retinetur, uti etiam tam in Anglicana qua nunc utimur quam in eis quae sub Henrico octavo primo prodierunt. Wiclefiana autem mea, Be he cursed, Maranatha, adjecto in ora libri, Maranatha, that is, in the coming of the Lord. Sed Gallicana vetus, *Il soit escommeines & disseures des autres.* Et versio quae sub Elizabetha regina obtinuit, quam episcoporum nuncupant, nunc habet, let him be had in execration, yea, excommunicated to death, nunc tantum, let him be had in execration to death, *exsecrandus habeatur, etiam excommunicatus usque ad mortem.* Sed ut mors in hac poena in invitum locum nullibi apud homines habuit, nec ejusdem habebatur in vulgari excommunicatione ratio ulla, aliter atque in vindicta divina, quam imprecabantur excommunicantes, contineretur, ita illud de morte hic adjectum prodiit ex lectione diversa Lutheriana, quae sequaces sibi nacta est. In ea enim non *Maranatha*, sed *Moharam motha* (quasi apostolus dixisset מחרם מותה) ubi legitur, quod pro eo quod est *excommunicatus ad mortem*, sed infelicissime illuc, depulso *Maran atha*, quae vera est lectio, adductum est. Ita pariter versio Danica. Belgae vero, die zy een vervloeckinge, Maranatha, *in exsecratione*, seu *pro exsecrando, habeatur*, &c. quemadmodum etiam *anathema* alibi vertunt. *Anathema* autem excommunicationem hic, ut alibi in ante allatis ex epistola ad Galatas, denotare satis nunc, ut olim[s] etiam, viris doctissimis recipitur, tametsi veterum aliquot id non adeo aperte agnoscere videantur, dum tantum *condemnatum & abominandum* intelligere videntur, & *a Christo abominandum*, & similia, tam hoc in loco quam alibi ad foedus novum; nisi dicendum etiam, ut hodie, atque antiquitus apud alios, nomine *maledictionis* seu *exsecrationis* atque *abominationis* simplici, sine eo quod separationem expressius innueret, excommunicationem revera integram, velut per synecdochen intelligi eos voluisse. Et quidem videmus veterum alios, ut maxime Arabem ex editione Jaiana, separationem expressim tantum in versione indicasse, quemadmodum alios etiam recentiorum tantum maledictionem seu exsecrationem; dum tamen utrique puto cum diris excommunicationem, id est, utramque, seu singularem incommodorum in ea bigam, volebant intelligi. Et Chrysostomus[t], *Anathema sit*, hic interpretatur per κεχωρίσθω πάντων, ἀλλότριος ἔςω πάντων, *separatus sit ab omnibus, alienus sit ab omnibus:* ubi Theodoretus[u], ἀλλότριος ἔςω κοινῆ σώματος τῆ ἐκκλησίας, *alienus sit a communi corpore congregationis* seu *ecclesiae.* Sic item alii patrum veterum, quibus plane pro excommunicato *anathema* ibi sumitur; licet non tam in sensu Judaico, quo usus est Paulus, quam in illo qui post apostolorum tempora in christianismo inolevit; ut capite videbitur proximo. Atque de anathemate hic sic statuendum. Quod vero ad *maran atha* huic a Paulo adjectum attinet, variae quidem sunt tum veterum tum recentiorum de vocibus illis sententiae. Hieronymus, Ambrosius, alii interpretantur, *Dominus noster venit*, uti & Chrysostomus, ὁ κύριος ἡμῶν ἦλθε. Alii, ὁ κύριος ἦλθε, *Dominus venit*, ut Theodoretus, Theophylactus, Graecorum alii, & bene. Sic enim Syriace sonat מרן אתא. Augustinus[v], *donec Dominus redeat.* Hieronymo[x] autem sensus est, *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit; & illo completo, deinceps inferatur, Dominus noster venit; quod superfluum sit adversum eum odiis contendere quem venisse jam constet.* Sedulius; *Maranatha Syrum est, & interpretatur, Deus noster venit; quasi ergo aperte apostolus diceret; Qui non amat Dominum sit perditio, id est, pereat in adventu Domini.* Alii ad locutionem illam *Dominus venit*, &c. veluti proverbialem in epistola Judae[y] referunt. Atque aliter alii[z]. E plerumque accipitur pro eo quod ita ibi disjungitur (uti etiam in interpunctione) ab anathemat ut aut epiphonematis[a] aut admonitionis commi nationi huic anathematismi subjunctae vicem sup pleat, nec ut synonymum aut anathematis natu

[q] 1 Corinth. xvi. 22. [r] Tertull. de Pudicitia, cap. 14, &c. [s] Augustin. Epist. 178. Hieronym. hic & epist. 13 Ambrosius hic, &c. [t] Homil. 16. in Epist. ad Rom. cap. ix. 3. [v] Epist. 178. [x] Epist. 137. [y] Comr 14. [z] Vide Baron. tom. 1. ann. 57. num. 171. & scriptores hic obvios. [a] Vide Daniel. Heins. Exercit. sacr. ad Joan xxi. & 1 Cor. xvi.

rai

ram ibi designans locum habeat. Sed vero sunt viri doctissimi qui etiam anathemati volunt id esse ibi synonymum, uti alii qui pro explicativo sumunt. Joannes Mariana [b], *Utraque vox*, inquit, *excommunicatum significat: prior, anathema, lingua Graeca; posterior, Chaldaica. Ex maranatha facta est vox marranus.* Atque alibi [c] ipse, de diplomate Valpuestae aedi D. Mariae anno primo Silonis regis, seu 774 Christi, concesso (quo nullum ait exstare in tabulariis Hispaniae antiquius) *Est*, inquit, *ad memoriam insignis iis in literis contenta exsecratio, qua ejus donationum violator jubetur esse anathema, Marrano* (seu Marranus) *& excommunicatus; unde intelligitur Marrani vocem vulgarem, non a Mauris, quasi Maurani, ut quidam suspicantur, factam in Italica Frederici Aenobarbi tempore, quo Mauri plurimi fidem Christo datam in baptismo passim ejuratam, quam susceperant, religione violarunt, sed potius ex Syriaca voce* Maranatha *deductam, qua anathematis ignominia exsecratioque in divinis literis continetur.* Sic ille velut synonymum faciens *maranatha anathemati.* Sic item alii [d]. Sunt autem viri doctissimi qui non solum *anathematis* nomine excommunicationem eo in loco designari pariter admittunt, verum etiam adjectum *maranatha* intelligunt quasi quanam *anathema* notione ibi capiendum esset inde explicaretur. Cum enim ut *Cherem*, sic *anathema* ei respondens, interdum pro genere (juxta superiori capite ostensa) adeoque tam pro *Nidduï* seu *Shammatha*, seu specie aut gradu primo, quam pro specie seu gradu secundo, *Cherem* itidem signantius dicto, interdum etiam solum pro specie illa seu gradu secundo hoc nomine sic seorsim denotato accipiatur; ita adjectum existimant illi ut *Maranatha* ipsum *Shammatha* (quod itidem subinde pro *Cherem* vicissim usurpatur) eo ibi designetur, quasi apostolus dixisset, Ea percutiatur anathematis specie seu gradu qui *Shammatha* dicitur, &, uti Judaeis mos erat (quod ex ante traditis liquet) per allusionem ad vocis sonum simul & significationem, admisisset *Shammatha* fieri a שם אתא *Shem atha*, *Dominus venit*, adeoque idem ipsum sic per *Maran atha* satis indicari. Ita sane Beza, Drusius [e], alii. Quin vero Drusius ipsum Mosem Mikotzium [f] citat, quasi is ex Judaeorum usu vocem *Maran atha* in excommunicationis speciebus designandis adhibuisset. Atque pro eo quod est שמתא *Shamatha* in Mikotzio expressim *Maranatha* substituit [g], quasi scripsisset etiam ille מרן אתא. Sed nondum vocabulum illud Ebraeorum scriptoribus usurpatum comperi, nisi exceptionem hic admitti velis ex eo quod habet Nicolaus ille Flamelius [h] circa annos ab hinc 150, de libro, nescio quo, chymico ab Abraha Judaeo in Galliis ad gentem suam ibi conscripto, cui praefixam esse ait exsecrationum & maledictionum farraginem in universos qui introspicerent, praeter sacerdotes ac scribas; adjecta, ut carmen satis videretur horrendum, voce *Maranatha*, quam etiam ait saepius esse ibi repetitam. Grotius [i] etiam de graviori anathematis genere verba faciens, *Id*, inquit, *Hebraei vocant*, שם אתא *Shammatha*, Deus venit. *Nam* שם, *id est*, nomen, *pro* Deo *dicunt. Paulus dicit* ἀνάθεμα μαραναθά מרן אתא *eodem significatu. Nam* מרן *est* Dominus. *Ea voce oratur Deus ut quamprimum talem maleficum & seductorem tollat ex hominum numero.* Atque idem hic, *Anathema Maranatha est gravissimum* חרם *Cherem, addita precatione ut Deus quamprimum in eum vindicet.* Ad hunc modum item *anathema* apud Paulum ad Romanos post Drusium interpretatur ille. *Optabam* [k] *ego ipse* ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ *Anathema* (Syrus ܚܪܡܐ seu *Cherem*; uti & Arabs Erpenianus محرومًا eodem sensu; sed editionis Jaianae مفروزًا *separatus*, uti & Galli *separé*, Nostri vero **accursed**, uti & alii) *esse a Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mihi secundum carnem*, id est, Judaeis, seu gente Israelitica. Alii de aeterno exitio, de morte sibi optata alii, locum sumunt. Et veterum sunt aliqui & recentiorum qui sic explicant. Sed Drusius, *anathema esse, hoc est, excommunicatus esse.* Et recte ibi Grotius; *Hoc dicit, velim non modo carere honore apostolatus, verum etiam contemptissimus esse inter christianos, quales sunt qui excommunicati sunt.* Quasi Paulus dixisset, Cum fratres illi mei universi christianismum induere debeant, & a christianis eorumque ecclesiis, eo quod Christum non, ut debent, amplectantur, aut excommunicentur, aut poenam illam, juxta morem, satis mereantur, adeoque vindictae divinae imprecationibus ac ignominiae per eas simul atque personalem separationem (secundum capite superiori ostensa) perquam gravi sint obnoxii, atque ante absolutionem, poenitentiam & bonae mentis professionem solennem subire debeant, utinam ego ipse haec pro illis omnibus seu eorum vice incommoda paterer, si modo sic redimi & christiani fieri possent. Atque *anathema a Christo* sic sumendum, seu pro *excommunicato*, seu more solenni (id est, juxta ante dictum Judaicum tunc usum singularem) *separato ab ecclesia Christi*, quae scilicet *Christi* nomine sic alias [l] subinde intelligitur, id est, pristina commercii inter suos libertate, non omnimoda, sed quadamtenus, ut dictum est, privato. Inde etiam ad illud [m], *Nemo in Spiritu Dei loquens* λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν (seu, ut in MSS. aliquibus, Ἰησοῦς) *dicit Jesum esse anathema* (ubi Syrus vocem ܚܪܡܐ *Cherem* habet; Arabes autem مفروزًا *separatum*, Galli *malediction*, nostri olim **defiėth Jesus**, postea **calleth Jesus execrable**, nunc **accursed**, quibus & alii consoni) adnotat Drusius, sibi aliisque hic Rabbinice & rite intuentibus concors; *Ut Pharisaei, qui eos qui Jesum dicebant esse Messiam excommunicabant per genus quoddam excommunicationis, ut quidam volunt, quod peculiariter* anathema *vocant. Si ergo illi erant anathema qui Jesum esse Christum dicebant, quanto magis ipse Jesus?* (adeoque ipsius ec-

[b] Ad 1 Corinth. xvi. [c] De rebus Hispaniae lib. 7. cap. 6. [d] Jacobus Simanca de Catholic. Instit. tit. 27. §. 8. [e] Quem vide item ad Joann ix. 22. Quaest. & Resp. lib. 1. cap. 9 ad Rom. ix. 3. & ad voces Ebraic. N. T. vero. *Maranatha*; & vide Jo. Cameronem in Praelect. de Ecclesia pag. 385. & ad Matth. xviii. 17. [f] Praecept. Negat. 219. fol. 67. col. 4. Vide lib. 4. de Jure Nat. & Gent. c. 9. p. 488. [g] Ad Joann. ix. 22 [h] In Figuris Hieroglyphicis, pag. 51. Parisiis 1612. in 4°. [i] Ad Luc. vi. 22. [k] Rom. ix. 3. [l] 1 Corinth. xii. 12. Ad Galat. iii. 27. [m] 1 Corinth. xii. 3

clesia

clesia & sectatores ex ejusdem nomine designati) *Tales non loquebantur per Spiritum Dei, sed per spiritum Diaboli.* Aliae sunt de periocha hac sententiae satis obviae, sed hoc reliquis de anathemate jam dictis omnino consonum. Adjicit Grotius in notis [n] ad evangelia, etiam in epistola ad Galatas exemplum haberi excommunicationis quam diximus ita comminatoriae, Ὄφελον καὶ, inquit apostolus [o], ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς, *Utinam & abscindantur qui vos conturbant.* Quod etiam de excommunicatione intelligi posse voluit Beza. Atque alii aliquot tum in commentariis tum in versionibus idem admittunt. Sed ut patres veteres [p] locum de totius membri pudendi excisione, velut circumcisioni, de qua loquitur ibi apostolus, in poenam tunc merito adjiciendа sumunt, ita etiam Grotius ipse in annotationibus ad epistolas. Sed de exscisionis ejusmodi jure, seu recepta de ea apud Ebraeos sententia, vide quae nos alibi [q]. Illud autem de incestuoso Corinthio [r], seu qui novercam sibi in uxorem sumpserat, ita intelligit Grotius, ut, cum eo nomine ex lege Mosaica [s] morte, id est, ut statuunt hic Talmudici [t], lapidatione, esset plectendus, capitalibus interim judiciis nec christianis nec Judaeis libere permissis, excommunicandus saltem is esset (ut in aliis libertatis minutae seculis) quod quia non factum corripiens Corinthios Paulus, *Et vos*, inquit, *inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri qui hoc opus fecit.* Ubi, *Inflati estis*, annotat ille, *majoris cujusdam sapientiae opinione, quae talia censet* ἀδιάφορα. *Ita enim censebant & Cynici & Stoici*, &c. Et non magis luctum habuistis, *Est metonymia adjuncti. Nam quia ecclesia, cum aliquem esset a suo consortio exclusura, lugentium sumebat habitum, eo factum ut lugere dicatur pro excommunicare*, &c. Ut tollatur de medio vestri qui hoc opus fecit, *Non per mortem, ut videtur intellexisse Tertullianus* [v], *sed per* נדוי *Niddui. Nam omnia laudabilia synagogae instituta retinuere apostoli. Et si quis quae Hebraei de ea re scripsere cum moribus antiquae ecclesiae comparet, miram inveniet congruentiam.* Ἐξαίρειν ἐκ μέσου *est* ex ecclesia excludere, *quomodo loquitur Cyprianus. Orasse debueratis Deum ut tota ecclesia consentiens tales excommunicaret.* Sic ille. Qui etiam ad illud [x], μὴ συναναμίγνυσθαι, *non commisceri*, ac, μὴ συνεσθίειν, *non comedere*, seu *communes non habere epulas*, aut *cibum non sumere* cum peccatoribus ibi memoratis, adnotat, *Hebraeis morem fuisse cibum communem non sumere cum eo qui erat in* נדוי, seu *excommunicato* etiam minore apud Ebraeos sententia (juxta superius ostensa) quasi etiam monitum illud ad excommunicationem attinuisset. Sed *cibum cum ejusmodi non capere*, *non commisceri*, uti & *haereticum vitare* [y], & id genus alia in novo testamento monita non magis mihi videntur excommunicationem, quo trahi saepius solent, innuere aut spectare quam in veteri, *Beatus vir* [z] *qui non abiit in consilio impiorum*, &c. aut, *Non sedi* [a] *cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo*, id genus compluria. Neque enim in his nec in illis quid continetur quo status personae alicujus, ut in excommunicatione per separationem, mutandus, sed tantum peculiaris vitae institutio seu consilium illi qui sic non commisceretur, cibum non sumeret, haereticum vitaret, in concilio ejusmodi non sederet, nec sic introiret. Sed vero postrema capitis verba, καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, *Auferte malum*, seu *malum illum*, *e vobis*, ad excommunicandum illum incestuosum spectare quidem possunt; si ita interim legendum. Nam codices prisci [b] optimique habent τὸ πονηρὸν, seu neutrum, quod personam non denotat; quemadmodum & a patribus vetustis, obiterque ab aliis, observatum. Et verba ipsa, quasi formula solennis, sunt in Pentateucho [c] saepius iterata, sed ita ut interdum masculinum interdum neutrum Graece in ea adhibeatur, pro eo quod est ובערת הרע מקרבך *& eliminabis* aut *elimina malum e medio vestri*; quod in codicibus Graecis etiam nunc pluraliter nunc singulariter prolatum, a capitalibus judiciis in poenam excommunicationis, quae ita ex humano in eorum locum invento juxta ante dicta successit, transferri potuit. Volunt item non pauci tam veterum quam recentiorum, id quod est ibi παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ, *tradere Satanae*, ipsum excommunicationis actum ibi significare. Certe in Graeco [d] dicit Paulus se statuisse eum *in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere Satanae in interitum carnis*, &c. quasi traditionis actus hic Pauli solius fuisset; uti & in illo [e], *Ex quibus est Hymenaeus & Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare.* Syrus autem & Arabes istic habent *ut tradatis*, quasi saltem consortes in ipsa traditione Corinthios fore indicasset apostolus. Et quidem si *tradere Satanae* intelligatur pro vindictae divinae imprecatione, qua excommunicans precatur Deum ut reum tradat in potestatem Satanae seu [f] τοῦ ὀλοθρευτοῦ, id est, ut per eum, velut *summum poenarum ministrum*, morbis aliisve incommodis vexetur [g], tunc traditio hujusmodi sic dicta est tantum pars illa excommunicationis altera cum separatione conjuncta; seorsim autem facta, tantum maledictio simplex seu vindictae per Satanae ministerium divinae imprecatio. De singulari potestate divina seu virga apostolica, qua tum morbos tum mortem impiis inferre potuerint apostoli ipsi (ut Petrus Ananiae & Sapphirae [h], & Paulus Elymae [i]) merito sumunt alii tam veterum [k] quam recentiorum. Alii etiam eadem notione cum excommunicatione conjungunt. Franciscus de Mayronis [l]; *Nota quod in primitiva ecclesia secundum aliquos, ut ostenderet quam timenda esset poena illa excommunicationis, statim excommunicatus accipiebatur & rapiebatur a daemone.* Atque obvia sunt quae hac de re scriptores; de qua ante alios consulendus est vir doctissimus Petrus Molinaeus [m], qui

[n] Ad Luc. vi. 22. [o] Ad Gal v. 12. [p] Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, &c. [q] De Jure Nat. & Gent. lib. 7. cap. 3. [r] 1 Cor. v. [s] Levit xx. 11. [t] Maimonid. tit. *Isuri bia*, cap. 1. [v] De Pudicitia, cap. 14. [x] 1 Cor. v. 11. [y] Ad Titum iii. 10. & vide 2 Joann. 10. [z] Psal. i. 1. [a] Ibid. xxvi 4. [b] Theodoret. ibi, Theophylactus, alii. [c] Deut. xvii. 7. xix. 19. xxi. 21. xxii. 21, 24 xxiv. 7. [d] 1 Cor. v. 5. [e] 1 Tim. i. 20. [f] Vide hic H. Grotium & ad Luc. vi. 22. [g] Vid. 2 Cor. xii. 7. [h] Act. v. 5, 10. [i] Act. xiii. 11. [k] Vide Tertul. de Pudicitia cap. 14. [l] Ad Sent. 4. dist. 19. quaest. 3 [m] In Vate seu de praecognitione futurorum lib. 1 cap. 11.

ad

3

ad excommunicationem traditionem illam Satanae non omnino illic ſpectaſſe feliciter ſane adſtruit. Et recte Ludovicus Cappellus [n] de *Niddui & Cherem* verba faciens, *Traditio*, inquit, *Satanae (de qua apoſtolus) longe aliud fuit, & veteribus Judaeis omnino ignota.* Scilicet ex ſingulari apoſtolis conceſſa divinitus poteſtate pependit. Jam dictis autem de Paulino excommunicationis Judaicae uſu accedat quod in eruditiſſimi viri Joannis Croii ſacrarum & hiſtoricarum obſervationum libro nondum puto typis mandato occurrit de anathematis uſu in illo ante memorato [o], "Optabam ego ipſe anathema eſſe "a Chriſto;" *A ritu & formula*, inquit, *excommunicationis tracta eſt haec loquendi formula. Duo autem excommunicationis genera apud Judaeos erant*, Niddui *ſeu* Schammatha *quo quis per triginta dies ligabatur, &* Herem *cum maledictionis & dirarum obnunciatione. Graeci utramque hanc excommunicationem vocarunt* anathema. *Ita enim exponenda ſunt haec Heſychii grammaticorum doctiſſimi*, ἀνάθεμα, ἐπάρατος, ἀκοινώνητος. *Utraque excommunicationis formula utitur D. Paulus variis in locis. Cum optat fieri* ἀνάθεμα *a Chriſto, ſpectat ad priorem excommunicationis formulam: Et* anathema *hoc in loco nihil aliud eſt quam* Niddui. *Hujus quoque ſpeciei meminit.* 1 Cor. xvi. 22. *Ad alteram vero excommunicationis ſpeciem ſpectat*, 1 Cor. v. *cum eum qui inceſto flagitio Chriſti fidem & religionem polluerat chriſtianam, excommunicat his verbis*, Ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, &c. Sic ille. Locum deſcripſit mihi vir eximius Patricius Junius. Alia ſunt in epiſtolis canonicis atque Actis quae ad excommunicationem ex diſciplina ejuſmodi apoſtolica attinere pariter volunt alii. Quinetiam ſub apoſtolicorum temporum finem ſeu ab Joanne apoſtolo [p] memoratur Diotrephes *qui nec ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſcipiunt prohibet*, ἢ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει, *& ex eccleſia ejicit*, eoque nomine ibi reprehenditur. Ἐκβάλλειν autem ſeu *ejicere* vocem fuiſſe notiſſimam tunc temporis pro *excommunicare* ſeu *extra ſynagogam facere*, juxta ante dicta, liquet ex Joannis evangelio, ut capite ſuperiori fuſius oſtenditur. Et mirum ſatis eſt eos interim ipſos qui in evangelio τὸ ἐκβάλλειν de Judaeis dictam *excommunicare* (ut Angli noſtri ſeculi ſuperioris expreſſim verterant) non eadem etiam hic verſione eſſe uſos, ſed tantum, **thruſteth them out of the congregation**, ſubſtituiſſe, id eſt, *e congregatione extrudit*; niſi plane ſynonyma haec eſſe exiſtimaſſent. Obvia etiam ſunt in canonibus apoſtolorum ac conſtitutionibus apoſtolicis ſic dictis, ſeu Clementinis, paſſim proſtantibus, quae excommunicationis, velut illo in aevo, uſum aſſerunt ampliſſimum. Quibus adjicere liceat tum Arabicam quae Petro apoſtolo tribuitur in Simoniacos comminatoriam, tum apoſtolicam traditionem de praeſide qui immerentem excommunicaret, excommunicando; quae item comminatoria eſt; atque inſuper in Aquilam, priſcum illum veteris teſtamenti interpretem, judiciariam

ſeu perſonalem tunc excommunicationem memoratam. Comperio in codicibus canonum veterum Arabicis MSS. [q], Clementem Papam primum teſtari ſe accepiſſe a Petro apoſtolo in mandatis ne quis mercedis aut pacti cauſa ad ſacrum lavacrum aut miniſterium ſacrum admitteretur: ſi quis autem ſic admiſſus fuerit,

وهو محروم وملعون من فمي انا بطرس التلميذ الصغير وحظه يكون مع سيمون الساحر ويهودا المارق *ponatur in Cherem* ſeu *excommunicetur, & maledicatur ex ore meo, qui ſum Petrus parvus diſcipulus; & portio ejus ſit cum Simone Mago & Juda apoſtata*; & qui acceperit illo nomine mercedem

ولا كهنوت له وهو محروم مني انا بطرس بالحرم الذي احرمت به سيمن الساحر وحظه يكون مع يهودا المارق الخانق نفسه *haud ſacerdotio* ſeu *miniſterio ſacro fruatur ipſe, & ſit excommunicatus per* Cherem *eodem modo quo excommunicabam ego Petrus Simonem Magum* [r]; *& portio ejus ſit cum Juda apoſtata, qui ſuſpendebat ſeipſum.* Ita codex ille MS. cui ſatis conſonus hic canon trigeſimus illorum qui apoſtolis tribuuntur. Sed ibi pro هو محروم *ſit poſitus in Cherem*, Graeca ſunt ἐκκοπτέσθω τῆς κοινωνίας παντάπασιν, ὡς Σίμων ὁ Μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου, *Exſcindatur penitus a communione, ut Simon Magus a me Petro*; quae formula in excommunicatione deſignanda recentioris eſt commatis, nec apoſtolis coaeva, utcunque ſic illis tributa. Sed de canonum illorum vetuſtate, autoritate, interpolatione, uti & conſtitutionum cognominum, etiam de hoc ipſo in illis de Petro loco, conſulas prae aliis virum eximium Jacobum Uſſerium Armachanum in Prolegomenis [s] ad Polycarpi & Ignatii epiſtolas. In Arabica autem canonum apoſtolorum paraphraſi [t] habetur, ſi quis circa hanc rem contra pertenderet,

وهو مقطوع محروم ملعون ويجتنب كلامه وخلطته كما اجتنبت انا بطرس خلطة سيمن الساحر ونفيته من كنيسة الله بامر من الروح القدس *abſcindatur, ponatur in* Cherem, *excommunicetur, exſecrandus habeatur, & effugiatur colloquium ejus & commercium; ſicut ego Petrus effugi commercium Simonis Magi, & expuli eum congregatione Dei juxta decretum Spiritus Sancti.* Atque in eodem volumine quo paraphraſis illa habetur ſimul cum canonibus ſynodorum Arabice vetuſtiſſimarum, idque ex verſione priſca inprimis eccleſiae Alexandri-

[n] Ad Joann. ix. 22. [o] Rom. ix. 3. [p] Epiſt. 3. [q] In reverend. Jacobi Uſſerii Armachani bibliotheca & in Conciliorum Syntagmate Arabico in publica Oxonienſi fol. 273. a. [r] Act. viii. 20. [s] Cap. 6. [t] In Syntagmate jam citato fol. 57. a.

nae in AEgypto inserviente, occurrit titulus [v], هذه السنن التي علموهم الرسل القديسين *Hae sunt traditiones acceptae ab apostolis sanctis.* Praemissis ibi compluribus de diebus festis, jejuniis aliisque christianorum ritibus, quorum pleraque etiam habemus in constitutionibus apostolicis dictis, interseritur [x] قانون الحرم *Canon* singularis *de Cherem* seu *excommunicatione* a praeside in regimine qualicunque tunc christiano illata, ejusque usu temperando; ubi praecipitur ولا يحرم من غير حق يوجب الحرم به *ne quempiam immerentem excommunicaret*; quod si faceret, وليكن هو المربوط المحروم *ipse ligandus erat per Cherem, & excommunicatione* seu *anathemate feriendus.* De Aquila vero illo traditur ex Syriaco codice [y] Jesudadi episcopi Hadtensis Mesopotamaei, sexcentis abhinc ferme annis conscripto, eum fidem christianam amplexatum esse, & ab apostolis baptizatum. *Quoniam vero gentilium superstitionibus adhuc inhaereret, astronomiae scilicet, astrologiae & sortibus deditus, plurimi eum ex apostolis monuerunt, qui, cum non resipuisset, excommunicatus est.* Sed vero ut de Aquila hoc recentioris multo aevi commentum esse videtur, ita etiam Arabica jam allata, aliaque in canonibus & constitutionibus apostolicis dictis quae Graece & Latine exstant, sive ad hanc rem sive ad alias attinentia, seculorum apostolis recentiorum esse, utcunque sane antiquorum etiam & primitivorum, proculdubio existimandum est. De certo autem excommunicationis per apostolorum tempora usu ex aliis ante memoratis satis liquet. Nam etiam ex praescripto de anathemate apostolico, illud pro re nata in merentes adhibitum esse, ambigendum non videtur. Jus autem, quod ad excommunicationis tunc actum atque obedientiam ei praestandam attinet, duplex erat; aut Judaicum, aut Caesareum. Exspectat forsan hic lector, ut jus etiam adjicerem evangelicum, quo fundari volunt, velut praeceptivo, non pauci excommunicationem christianismi. Illuc enim spectare contendunt verba Christi in evangelio [z], *Sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, & quae sequuntur de *ligando* & *solvendo*, uti & *claves regni coelorum.* Sed quoniam in seculis sequentibus verba illa in ejusmodi sensum ab eis qui excommunicandi in christianismo jurisdictionem sibi ut divinitus datam adstruere perquam enixe studuerunt primo tracta esse, nec revera excommunicationis sive actum sive praeceptum aliquod in se continere, ab aliis iisque viris magnis existimatum est, ideo etiam in secula illa (de quibus mox) ea simul cum breviusculo juris ejusmodi inde obtensi examine referre visum est. Quod ad Judaicum hic jus illorum temporum attinet; de eo quidem non ita obscure liquet in ante adductis de excommunicationis tunc usu, maxime cum a viris doctissimis tam *Niddui* quam *Cherem* Judaeorum in anathemate & excommunicatione primitivi illius christianismi, seu apostolica, eousque ut est ostensum, agnoscatur. Qualenam illud fuerit capite superiori demonstratur. Atque eodem ipso jure subnixam esse & ad ejusdem ritus & formulas apostolorum tempore excommunicationem adhibitam, firmat etiam tum nominis tum juris Judaici tunc communio inter Judaeos reliquos atque eos qui Christi disciplinam amplexati essent, seu apostolos & discipulos. Neque enim eorum quisquam erat per annos aliquot ab ascensu Domini, uti & ante tetigimus, qui non aut origine atque undiquaque Judaeus, seu Ebraeus ex Ebraeis, aut e gentibus, ut proselytus justitiae, ita adscitus ut inde pro Judaeo etiam omnino censeretur, adeoque pars undiquaque esset synagogae seu ecclesiae universalis primo Judaicae, atque eo nomine christianismum induens, ejusdem nihilominus synagogae seu ecclesiae juribus, atque inter ea hoc quod tractamus, ut ante uteretur: Non aliter atque is qui civis Romani aliusve reipublicae seu sodalitii alicujus socius jura pristina retinet, utcunque in persuasionem aliquam inter suos singularem pro libitu transeat. De Paulo ipso, Ebraeo ex Ebraeis, adeoque moribus Judaicis accuratius innutrito [a], cui in epistolis singularis ille anathematis usus, res palam est. Neque enim quasi quidquam circa illud innovandum vellet vocem adhibet, sed ut in ante recepto suorum sensu. Tantundem cum ratione parili plane dicendum de reliquis tunc credentibus, id est antequam inter discipulos apertius admitterentur ut gentiles, necdum proselyti justitiae in Judaismo facti, seu sine circumcisione evangelii beneficio fruerentur. Neque enim ob Christi disciplinam acceptam exuebant eorum quiquam Judaeorum sive nomen sive jus, quod ante sic possidebant. Nec disciplina illa apud eos alia quam Judaismus vere reformatus, seu cum fide in Messiam seu Christum rite conjunctus. Unde Judaei omnimodi, quantum ad hanc rem, in πιστεύοντας seu τῇ πίστει ὑπακούοντας *credentes* & μὴ πιστεύοντας *non credentes* tribui solebant; idque tam ante [b] christiani nominis ortum quam post [c]: Et tam credentes ex eis quam non credentes Judaei tunc sic merito dicti [d], utpote originem, statum ac jus Judaicum, ut ante, retinentes. Hinc Myriades complures Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων *Judaeorum credentium* memorantur [e], de quibus item adjicitur, quod πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου, *omnes aemulatores legis* seu *legi addictissimi*, essent, tametsi crederent. Quo nomine se illis praedicat etiam Paulus in Vulgata, *Ego aemulator legis, sicut vos omnes estis hodie*, ubi Graece legitur, ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ, *zelotes Dei* [f]. Et sane addictos adeo legi, etiam placitis moribusque avitis לסיג התורה *in legis sepem*, ut dicere ipsi solebant, introductis (in quibus excommunicationem eorum fuisse certum est) non fuisse pariter addictos cum ratione haud est sentiendum. Quonam autem primum tempore evangelium seu credentium disciplina gentilium alicui necdum in Judaismum integrum ante recepto communicata fuerit (quod nec fieri debuisse per annos aliquot a Judaeis vulgo [g] existimatum est) non unanimes statuunt scriptores.

[v] Fol. 49. a. [x] Fol. 51. a. [y] Apud Guidonem Michaelem le Jaye, in praefatione ad Biblia sua heptaglotta [z] Matth. xviii. 17, 18. xvi. 19. [a] Act. xxiii. 6. xxvi. 5. [b] Act. ii. 44. iv. 32. v. 14. vi. 7. Videsis Athanas. Quaest. ad Antiochum 45. [c] Act. xv. 5 xvi 1. xxi. 20. Rom. i. 16. iii. 3, &c. [d] Act. xvi. 20. xxi. 20. Galat ii. 15, &c. [e] Act. xxi. 20. [f] Ibid. xxii. 3. [g] Vide Act xi. 1.

Ali

Alii tam veterum quam recentiorum in Candaces AEthiopum reginae eunucho [h] a Philippo baptizato id haberi volunt [i], aliis eunuchum illum pro proselyto justitiae adeoque Judaeo circumcifo, idque & recte puto, fumentibus [k], & Cornelium centurionem [l], qui cum fuis a Petro baptizatus eft, primitias gentilium citra circumcifionem in Chrifti difciplinam receptorum facientibus. Eunuchi illius baptifmus ad biennium aut circiter ab afcenfu feu Chrifti 35 fpectat; Cornelii, ad feptennium inde aut circiter feu Chrifti 41 juxta chronologiam Baronii, quam hic fequimur, difcrepantes de ipfis annis fcriptorum opiniones libenter praetereuntes. Biennio poft aut circiter, feu fub initia Claudii Augufti, collocat ille [m] chriftiani nominis inter difcipulos Antiochiae [n] ortum in Actis memoratum; qui a Suida [o] tribuitur ipfi tempori quo Euodius Antiochiae creatus eft a Petro epifcopus, id eft, juxta Hieronymum, anno tertio Claudii Augufti, & aerae Chrifti vulgari 44, aliis aliter de tempore illo [p] fentientibus. Certe ut Suidas, ita Joannes Antiochenus [q] in chronologicis fuis nondum editis cum Euodii illic epifcopatu chriftiani nominis Antiochiae ortum conjungit, quem poft decennium ab afcenfu Domini eveniffe fcribit, feu fub Claudii initia. Etiam & nominis autorem ibi Euodium illum facit. Verba funt, Ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ Κλαυδίου Καίσαρος, μετὰ τὸ ἀναληφθῆναι τὸν Κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, μετὰ ἔτη δέκα, πρῶτος μετὰ τὸν ἅγιον Πέτρον τὸν ἀπόστολον τὴν χειροτονίαν τῆς ἐπισκοπῆς τῆς Ἀντιοχέων μεγάλης πόλεως τῆς Συρίας ἔλαβεν Εὐόδιος, γενόμενος πατριάρχης. Καὶ ἐπὶ αὐτοῦ χριστιανοὶ ὠνομάσθησαν, τοῦ αὐτοῦ ἐπισκόπου Εὐοδίου προσομιλήσαντος αὐτοῖς, καὶ ἐπιθήσαντος αὐτοῖς τὸ ὄνομα τοῦτο. Πρώην γὰρ Ναζωραῖοι ἐκαλοῦντο καὶ Γαλιλαῖοι ἐκαλοῦντο οἱ χριστιανοὶ, *Sub initia imperii Claudii Caefaris, poft afcenfum Domini noftri ac Dei Jefu Chrifti, decennio tranfacto, primus poft S. Petrum apoftolum creatus eft Antiochiae magnae Syriae urbis epifcopus Euodius, factus item patriarcha. Et tempore ejus nominabantur chriftiani, converfante cum eis epifcopo Euodio, & nomen illud eis imponente. Prius enim Nazaraei vocabantur & Galilaei, chriftiani.* Atque hinc puto fuum haufit hac de re Suidas. Alii de anno aliter [r] ftatuunt. Sed plane prolepfis eft patrum aliquot qui de nomine ipfo loquuntur [s] quafi Tiberii Augufti tempore in ufu aliquo fuiffet. Certe fub Claudii initia natum ex ipfis actorum [t] de Claudio verbis ftatim fequentibus elicere fas eft. Sed ita demum qui antea *Galilaei & Nazaraei*, uti & πιστεύοντες εἰς τὸν Χριστὸν *credentes in Chriftum*, five ex Judaeis ac circumcifione effent five incircumcifis, *chriftiani* jam nuncupari coepere, ut folent alii ab eo cujus difciplinae fequaces fuerint. Quod quidem nomen fic inditum a nonnullis tam veterum quam recentiorum fumitur pro eo quod eft *nomen novum* [v] quo apud prophetas vocandi erant Judaei. Sed vero tametfi ita ibi coeptum hoc nomen, ufus nihilominus ejufdem non ita frequens videtur inter apoftolos ipfos aut in eorum lingua per annos aliquot fequentes. Nam praeter locum illum quo memoratur in Actis *primum tunc vocatos Antiochiae difcipulos Chriftianos*, bis tantum in N. T. occurrit Agrippa rex ad Paulum [x], *Fere me fuades chriftianum fieri.* Et Petrus [y] ad difperfiones Judaeorum, *Si autem ut chriftianus patiatur, non erubefcat, &c.* Sed nec ulla epiftola apoftolica alia *chriftiani* expreffim nominis memor eft, nedum eos quibus dirigitur *chriftianos* expreffius univerfos nuncupat; fed ferme aut *fanctos*, aut *fideles*, aut *ecclefias*, adjectis five loci five *Jefu Chrifti* five *Dei* nomine, aut ejufmodi quid, aut plane *Judaeos*, ut Jacobi & Petri, quaelibet alloquitur. Per feptennium igitur ab afcenfu Chrifti aut circiter, ut ante, nemo in credentibus, qui poftea *chriftiani* dicti, praeter Judaeos five originarios five profelytifmi jure integro adfcitos. Nec proculdubio ante id tempus elapfum, illud Chrifti [z] ad apoftolos, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* de aliis gentibus aliter omnino, difcipulorum faltem vulgo, intellectum eft quam de profelytis qui Judaifmum plenum induerent in difciplinam evangelicam per baptifmum adfcifcendis [a]. Etiam poft referatum, ut jam oftenfum eft, gentibus fine Judaifmo ejufmodi pleno evangelium, non pauci Judaeorum credentium exiftimabant [b] legis Mofaicae obfervationem integram gentilium baptifmo accedere debuiffe; qua de re habetur decifio apoftolica [c], qua neceffariam illam gentibus non effe decernitur. Atque manebant interim Judaei originarii eorumque profelyti, quotquot crederent, etiam ufque in excidium templi, zelotae legis Mofaicae [d], adeoque Judaifmum fuum fimul cum chriftianifmo retinebant; qua de re affatim fcriptores qui de ceffatione legalium agunt & de eo quod eft, legem mortuam revera fuiffe tunc fed non mortiferam. Chriftus etiam ipfe pronunciaverat [e] *falutem effe ex Judaeis.* Huc fpectat item Timothei circumcifio [f] Paulina, atque alia ejufmodi obvia. Nec dubitandum quin quamplurimi tunc temporis ex gentilibus Chrifto nomina dantes fimul profelyti juftitiae feu pleno jure Judaei itidem fieri vellent factique effent tam poft Cornelii baptifmum quam ante. Neque enim id tunc prohibitum, fed non habitum neceffarium. Chriftianis etiam Chriftianifmum & Judaifmum velut corporis unius bina membra conjuncta videmus in haerefibus [g] Cerinthiorum, Nazaraeorum, Ebionaeorum. Atque ut in Judaicam difciplinam veterem per baptifmum, circumcifionem, & oblationem, ut ante oftenditur, cooptabantur profelyti juftitiae, ita in chriftianifmum per baptifmum & euchariftiam [h]. Ex miftura autem ejufmodi Judaifmi ac chriftianifmi tunc non folum in Judaeis originariis fed etiam in eis qui e gentibus ecclefiis chriftianis accederent, atque ex eo

[h] Act viii. 38. [i] Eufeb. Hift. Ecclef lib. 2. cap. 1. (fed & vide eum cap 2) alii a Lorino in Act. viii. 27. citati. [k] Lyranus ibi, Baron. tom 1. ann. 35. §. 27. & 41. §. 2. Bellarmin. de Romano Pontifice, lib. 1. cap. 22. Grotius ad Act. viii. 27. Vide Origen. contra Celf. lib. 2. [l] Act. x. 48 & vide Bezam ad Act viii. 4. Cameron. in Myrothec. Evangel. ad Matth. xvi. 18, &c. [m] Tom. 1. ann. 43. §. 10. [n] Act. xi 26 Vide Nicephorum Callift. lib. 2. cap. 7. [o] In χριστιανοί. [p] Vide Baron. tom. 1. ann. 39. §. 8, &c. [q] In Bibliotheca publica Oxonienfi, lib. 10. pag. 149. [r] Vide Genebrard. Chron. part. 1. anno Chrifti 49. [s] Tertullian. Apologetic. cap. 5 Hieronymus in Chronico num. 2051. [t] Cap. xi. 26, & 28. [v] Ifa. lxii. 2. lxv. 15. ubi confulas Ignatium ad Magnefios, & comm. Leonis Caftri. [x] Act xxvi. 28. [y] 1 Epift. iv. 16. [z] Matth. xxviii. 19. [a] Vide Act. xi. [b] Act xv. 1. [c] Ibid. xxviii. [d] Act. xxi. 20. [e] Joann. iv. 22. [f] Act. xvi. 3. & vide Grot. ad Act. x. 48. [g] Epiphan. haeref. 28, 29, 30. [h] Juftin. pro Chriftianis Apolog. 2.

quod ipse christianismus ex Judaica disciplina ortus erat eaque omnino fundatus, & revera Judaismus erat reformatus, in quem per baptismum, qui etiam ritus fuerat ante Judaicus, reciperentur credentes qualescunque, ut proselyti, evenit ut christiani universi tunc temporis etiam nomine Judaeorum venirent, atque ut Judaeorum secta, non minus quam Pharisaei, Sadducaei, Esseni, & si qui fuerint ejusmodi alii, haberentur: tametsi annis proximius sequentibus, seu post graviores, ex tumultibus ac factionibus Judaeorum non credentium impellentibus, christianorum persecutiones obortas, velut invicem opposita apud scriptores [i] adhiberentur nomina saepius Judaismi, ut veterem scilicet solum significantis, & christianismi, in quo ita Judaismus novus seu reformatus. Templum item Hierosolymitanum [k] tam credentibus quam non credentibus commune tunc erat, uti & cultus jurisque Judaici reliqua non pauca, etiam & synagogae [l] & proseuchae, idque ut Judaeorum coetui, licet persuasione de Messia adeo partes in diversas distraherentur. Etiam & Judaeis non credentibus, aliisque tum seculorum veterum [m] tum recentiorum, christianus quilibet, sive ex Judaeis originariis sive gentibus adscitus, נוצרי uti & ab Arabibus نصراني seu *Nazaraeus* aut *Nazarenus* vocitatus, quemadmodum & Christus ipse in evangeliis & Actis saepius, & christiani primi; quo plane non Judaica solum origo, sed ipsum *Judaei* nomen diffusius in denominationem a *Nazareth* urbe Galilaeae in tribu Zabulon contractum christianis, ex more illo vetusto, tribuitur. Et Hieronymus [n] de Judaeis sui temporis majorum lingua utentibus; *Usque hodie perseverant in blasphemiis, & ter per singulos dies in omnibus synagogis sub nomine Nazarenorum anathematizant vocabulum christianum.* Sed vero quod ad tempora ipsa quae tractamus hic spectat, satis consentiunt viri non pauci doctissimi tum in Actis Apostolorum tum apud Suetonium *Judaeorum* nomine ita christianos qualiscunque generis esse comprehensos ut non minus hi quam illi eo nomine tunc innuerentur. Legitur in Actis [o] Paulum Corinthi *invenisse quendam Judaeum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus*; διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον, *eo quod praecepisset Claudius Augustus, discedere* πάντας τοὺς Ἰουδαίους, *omnes Judaeos, a Roma.* Hoc itidem edictum memorat Suetonius in Claudio [p]; *Judaeos impulsore Chresto* (pro *Christo*) *assidue tumultuantes Roma expulit.* Josepho etiam idem traditum scribunt veterum nonnulli, cum ejusmodi quid apud eum non omnino reperiatur. Sed Claudii in anno nono, seu Christi aerae vulgatae 49, a chronologis plerumque collocatur [q] expulsio haec, Onuphrio [r] eam anno Claudii sexto perperam & septimo tribuente. Utcunque autem, annis ita aliquot post christiani nominis ortum emissum esse edictum illud liquet. Attamen *Judaeorum* nomine illic christianos pariter contineri merito sentiunt eruditi. Dubitanter quidem Orosius ad illud Suetonii, *Utrum contra Christum tumultuantes Judaeos coerceri & comprimi jusserit, an etiam christianos simul, velut cognatae religionis homines, voluerit expelli.* At vero clarius de re ipsa ex Actorum verbis constat; Aquilam scilicet & Priscillam ideo Romam reliquisse inde docemur quia Judaeos Claudius universos discedere jusserat. Sed pro christianis accipiuntur illi, qui & inter alios tunc credentes a Paulo eo nomine salutantur [s]. Nec edictum eos attigerat, nisi etiam *Judaeorum* nomine generali, ad seculi morem, contenti fuissent tunc christiani. Et Eusebius [t], *Claudius Judaeos Roma prorsus ejecit*; *quo quidem tempore Aquila & Priscilla cum aliis Judaeis Roma decedentes in Asiam navigarunt. Illic autem cum apostolo fundamenta ecclesiarum paulo ante ibidem jacta constabiliente commorati sunt.* Cum reliquis Judaeis utrumque, licet christiani essent, expressim censet ille. Atque ad hunc modum locum illum interpretantur complures tum in Acta scribentes tum alias edictum illud Claudianum [v] memorantes, quorum nonnulli etiam Petrum ex edicti illius vi Roma tunc pulsum volunt. Recte Mariana [x] ad illud Suetonii, *quod tumultus concitarent Judaei, nempe de Christo cum christianis disputantes, quos Judaeorum nomine comprehensos & una cum illis pulsos Aquila & Priscilla monstrant.* Onuphrius [y] item, *Nullus adhuc inter Judaeos & Christianos discrimen noscebatur.* Et Alphonsus Ciaconius [z], *Claudius publico edicto non solum Judaeos omnes sed & Christianos pariter, qui congeneres & comprofessores ejusdem religionis gentilibus censebantur, urbe expulit ob frequentes tumultus & dissidia quae Judaei adversus Christianos quotidie concitabant.* Tantundem alii satis obvii. Etiam tunc temporis, & postea etiam aliquamdiu, christianas ecclesias ob cognatam Judaeorum veterum religionem, unde natae sunt primo universae, *judaizasse*, id est, Judaicos ritus ac jura retinuisse, eliciendum est tum ex eis quae de Paschatis observatione christiana obvia sunt, tum ex illo apud Hieronymum [a] de Philone Judaeo, qui *videns Alexandriae primam ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suae, librum super eorum conversatione scripsit.* Inde etiam Celsus Epicuraeus in Judaeos simul atque Christianos invectivam suam etiam sub Hadriano, seu sub initia seculorum quae hic proxime tractamus, componens, utrosque ut congeneres conjungit, & christianismi βάρβαρον aiebat [b] ἄνωθεν εἶναι τὸ δόγμα, δηλονότι τὸν Ἰουδαϊσμόν, οὗ Χριστιανισμὸς ἤρτηται, *Sectam seu opinionem barbaram ex origine esse, id est, Judaismum, quocum Christianismus conjunctus est.* Etiam eosdem facit Celsus seu ex eodem sodalitio utrosque quasi de umbra asini (sic impius ille [c]) circa Messiae sui adventum tan-

[i] Vide Ignatium in epist. ad Magnesios, &c. [k] Act. ii. 46. iii. 1. v. 20. xxi. 26. [l] Act. ix. 20. xiii. 5, 14. xv. 21. xvii. 10. [m] Act. xxiv. 5. [n] In Isai. in cap. 5. comm. 18. [o] Cap. xviii. 2. [p] Cap. xxv. [q] Orosius lib. 7. cap. 6. Beda de sex aetatibus mundi. Ordericus Vitalis, lib. 1. Frisingensis, lib. 2. cap. 15. Hermannus Contractus. Ado, Marianus Scotus. Baron. tom. 1. ann. 51. §. 1. Lorinus ad Act. xviii. 2. alii ibi, Alphons. Ciaconius in Petri vita anno Christi 46. [r] In Fastis & ad Petrum [illegible] [s] Rom. xvi. 3. [t] Hist. Eccles. 2. cap. 17. [v] Baron. tom. 1. ann. 51. §. 1, 2. & ann. 58. § 51. Genebrard. Chron. lib. 2. ann. Christi 49. & lib. 3. A. M. [illegible]121. Dionys. Petavius de Doctrina Temp. lib. 13. A. M. 4032. Adolph. Occo de Nummis, pag. 108. alii. [x] Ad Act. xviii. 2. [y] In Annot. in Platinae Petrum. [z] In vita Petri. [a] De Scriptoribus, in Marco. [b] Apud Orig. advers. Cels. lib. 1. & videsis Baron. tom. 2. ann. 132. §. 17. [c] Apud Origen. contra Cels. lib. 3.

tum discrepantes. Accedat etiam hinc usque in Origenis tempora seu annum Christi 200 aut circiter creditum esse Judaeos originarios qui Christo nomina dederant non omnino descivisse a patriis legibus moribusve, sed eis ut in Judaismo simplici adhiberi solebant esse simul usos. Scilicet Origenes [d] Celsum illum coarguit quod non animadverteret ὅτι ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς τὸν Ἰησοῦν πιστεύοντες οὐ καταλελοίπασι τὸν πάτριον νόμον, βιοῦσι γὰρ κατὰ αὐτὸν, &c. *quod Judaei qui in Jesum crediderunt non desciverunt a patriis legibus; vivunt enim juxta eas*, &c. Alia huc spectantia habet ibi ille. Hinc etiam rationi consonum fit ut sentiamus legem illam Antonini Pii sub initia temporis apostolorum temporum finem insequentis, qua Judaeis permissum filios suos tantum circumcidere, tam christianos (quorum non pauci tunc etiam circumcisi) quam Judaeos non credentes complecti. Consulas de ea lege Modestinum [e], Paulum Jurisconsultum [f] & Origenem [g]. Quinetiam viris sane doctissimis [h] admittitur, idque merito, non solum per christiani nominis haec initia, sed diu postea, usurpari simplex *Judaeorum* nomen pro eo quod tam christianos seu credentes omnimodos quam Judaeos non credentes, ut genus species suas, contineret. Quid quod etiam non defuerint jurisconsulti magni qui *Judaicam* apud Ulpianum [i] *superstitionem* pro religione christiana ut a Judaismo tunc distincta sumerent? Ea de re consulas Alciatum [k], (qui etiam compluria habet de nominis Judaici & christiani tunc communione) sed & dein Antoninum Augustinum [l], uti & Samuelem Petitum [m], praeter eos qui ad legem citatam obiter scripserint. Certe etiamnum *Mahumedanorum* nomine & *Christianorum* generali venire complures qui in persuasionum inter sibi cognomines diversissimarum sectas multiplices distrahuntur, nemo non videt. Jam vero, cum adeo manifesta fuerit tunc temporis, maxime sub apostolorum actorum initia, Judaeorum credentium & non credentium (quae primaria erat eorum distinctio) non modo in nomine generaliori, ac religionis cultusque & sacrorum tum ortu tum usu communio, verum etiam in regimine ac receptis ex utrorumque majorum scitis ac moribus (de quibus etiam diligentius in republica seu ecclesia illa servandis tam ipsos discipulos seu apostolos quam populum reliquum expressius monuit [n] Christus ipse) haud concipiendum videtur, apostolos, utpote ipsos undiquaque Judaeos, aliosve ab eis tunc Judaismo vero ac reformato, id est, Christianismo, imbutos, & per baptismum in Judaismum illum verum, quem universi amplecti debebant, admissos, inter se non jure Judaico in excommunicationis suae poenis exercendis, uti in rebus ad consortium vitae spectantibus inter se ejusmodi aliis, usos esse, idque omnimodo ut Judaei tunc faciebant reliqui. Loquitur ad Corinthios & Galatas Paulus de *Cherem* & *Anathemate*, & Corinthiis sic de *Maranatha*, ut de vocibus ac rebus ex disciplina Judaeis, adeoque inde ipsis, satis cognitis, atque in terris exteris ex more Judaico libere usurpandis, utcunque causae, de quibus monet, singulares fuerint atque christianismo propriae. Sic variatim reformati inter christianos, quorum plerique excommunicationem licet diversimode adhibent, veteres plerumque ejusdem (quantum ad sui ipsius naturam) formulas ac jus ab eis scilicet a quibus defecere, seu Romanensibus, acceptum, aut juxta eorum exemplum rationibus qualibuscunque assertum, retinent, utcunque & causarum & objectorum etiam & rituum aliquot discrimen pro persuasionum diversitate aliud atque aliud inter ipsos fuerit. Neque puto quis dixerit ex gentilismo sive *anathematis* sive τοῦ *maranatha* sensum notum omnino fuisse iis ad quos Paulus sic scripsit, sed ex Judaismi disciplina, cui cum Christianismo junctae adeo adsueti fuissent. Atque juxta ante dicta, tam illi, quamquam a Corintho & Galatia, ob sedes quas ibi habebant, denominantur, quam Romani, Ephesii, reliquique ejusmodi, ad quos uti ad christianas tunc temporis ecclesias alias scripsit apostolus, pariter denominati, revera dici poterant & proculdubio dicebantur *Judaei credentes*. De origine Judaeis, aut vulgaris tunc Judaismi, & dein Christianismi, proselytis, qui inter illos, nemo dubitare potest. Nec de reliquis qui ut proselyti per Judaismi veri disciplinam Christianismo e gentilismo accesserant, minus clara res videtur. Quod ideo libentius sic atque instantius fateor animadversum ut quod de jure Caesareo hic diximus explicatius inde redditum rite intelligatur. Nimirum, tametsi sub initia Claudii Caesaris Judaeorum (tam credentium quam non credentium) conventus Romae (soli scilicet conventus, nec mores alii ritusve) interdicerentur [o], etiam & ipsi postmodum, ut ante dictum, fuerint inde pulsi, idem tamen Caesar Paulo apostolo epistolisque ad Corinthios & Galatas scriptis coaevus tum Alexandrinis Judaeis tum reliquis (id est, universis eo nomine tunc significatis, tam credentibus quam non credentibus) impetrantibus Agrippa & Herode regibus, morum suorum seu patriorum usum, in quibus plane, ut ostendimus, excommunicatio, liberius indulsit. Alexandrinis [p] etiam ante concesserat Octavius ethnarchae suo subesse, ἑκάστους ἐμμένοντας τοῖς ἰδίοις ἔθεσι, καὶ μὴ παραβαίνειν ἀναγκαζομένους τὴν πάτριον θρησκείαν, *ac suis in moribus* seu *disciplina manere eorum quemque, nec cogi patriam religionem transgredi*. Sed Claudius jam imperator simul ac pontifex maximus, id est, religionis omnimodae, quatenus permissio ejusdem in orbe Romano publica admitteretur, arbiter summus [q], post jura eorum ibi & libertatem a Caligula insigniter minutam, sub imperii sui initiis, seu consulatu secundo, id est, Christi aerae vulgatae 41, eos in integrum restituit, jubens ut τὰ πρότερον δικαιώματα *pristina jura illa* dein haberent, & τοῖς Ἰουδαίων ἔθεσι *Judaeorum* seu suis *moribus* & disciplina fruerentur. Quod ad reliquos autem per τὴν ἄλλην οἰκουμένην *reliquum orbem* Romanum Judaeos attinet, edictum etiam tunc hujusmodi [r] emisit ille,

[d] Contra Celsum lib. 2. & vide illum, lib. 5. [e] L. 11. Circumcidere D. tit. ad legem Corneliam de Sicariis. [f] Sent. lib. 5. tit. 3. [g] In Celsum lib. 2. [h] Petr. Pithaeus Animadvers. 2. cap. 3. Lips. ad Tacit. Annal. 15. 83. Dionys. Petavius ad Themist. Orat. 12. & ad Epiphanii haeres. 29. num. 5. Barthius ad Rutilii Itinerarium 395. Jo. Drus. ad Sulpitium Severum, lib. 2, &c. [i] L. 3. §. 3. D. tit. de Decurionibus. [k] Dispunct. lib 3. cap. 8. & ad l. Quidam ignaviae C. tit. de Decurionibus. [l] Ad Modestinum, pag 336. [m] Diatrib. de Jure, Principum edictis, Ecclesiae quaesito, cap. 6 & vide Modestinum l. 15. D. tit. de Excusationibus, §. 6. [n] Matth. xxiii. 3. [o] Dio lib. 60. [p] Joseph lib. 19. cap. 4. Baron. tom. 1. ann. 43. §. 4, 5. [q] Vide Joseph. lib. 20. cap 1. [r] Joseph. lib. 19. cap 4.

Τιβέριος, Κλαύδιος, Καῖσαρ, Σεβαστὸς, Γερμανικὸς, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας, ὕπατος χειροτονηθεὶς τὸ δεύτερον, λέγει· Αἰτησαμένων με βασιλέως Ἀγρίππου καὶ Ἡρώδου τῶν φιλτάτων μοι ὅπως συγχωρήσαιμι τὰ αὐτὰ δίκαια καὶ τοῖς ἐν πάσῃ τῇ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἡγεμονίᾳ Ἰουδαίοις φυλάσσεσθαι καθὰ καὶ τοῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἥδιστα συνεχώρησα οὐ μόνον τοῦτο τοῖς αἰτησαμένοις με χαριζόμενος ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ὧν παρεκλήθην ἀξίους κρίνας διὰ τὴν πρὸς Ῥωμαίους πίστιν καὶ φιλίαν· μάλιστα δὲ δίκαιον κρίνων μηδεμίαν μηδὲ Ἑλληνίδα πόλιν τῶν δικαίων τούτων ἀποτυγχάνειν, ἐπειδὴ καὶ ἐπὶ τοῦ θείου Σεβαστοῦ αὐταῖς ἦν τετηρημένα. Καλῶς οὖν ἔχειν καὶ Ἰουδαίους τοὺς ἐν παντὶ τῷ ἐφ' ἡμᾶς κόσμῳ τὰ πάτρια ἔθη ἀνεπικωλύτως φυλάσσειν, οἷς καὶ αὐτοῖς ἤδη νῦν παραγγέλλω μου ταύτῃ τῇ φιλανθρωπίᾳ ἐπιεικέστερον χρῆσθαι, καὶ μὴ τὰς τῶν ἄλλων ἐθνῶν δεισιδαιμονίας ἐξουθενίζειν, τοὺς ἰδίους δὲ νόμους φυλάσσειν. Τοῦτό μου τὸ διάταγμα τοὺς ἄρχοντας τῶν πόλεων καὶ τῶν κολωνειῶν καὶ μουνικιπίων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ τῶν ἐκτὸς, βασιλεῖς τε καὶ δυνάστας διὰ τῶν ἰδίων πρεσβευτῶν ἐγγράψασθαι βούλομαι, ἐκκείμενόν τε ἔχειν, οὐκ ἔλαττον ἡμερῶν τριάκοντα ὅθεν ἐξ ἐπιπέδου καλῶς ἀναγνωσθῆναι δύναται. Quae ita sonant,

Tiberius, *Claudius*, *Caesar*, *Augustus*, *Germanicus*, *pontifex maximus*, *tribunitiae potestatis*, *consul creatus* (Ruffinus, *ordinarius*) *secundo*, *edicit*; *petentibus a me Agrippa & Herode regibus mihi amicissimis ut permitterem etiam Judaeis in imperio Romano toto degentibus jura eadem servare & habere quae Alexandrinis concessa, libenter precibus eorum annui, nec solum iis qui a me rogarunt hoc indulsi, verum etiam ipsos pro quibus rogatus sum dignos judicavi propter fidem & amicitiam Romanis praestitam*; *justissimum vero censens, nullam ne Graecarum quidem urbem privandam juribus illis, quandoquidem & sub divo Augusto eis erant servata* (ubi male Ruffinus, *ut neque Graecorum ulla civitas eorum jure privetur, quoniam ad Dei culturam haec facere* seu, ut melius in MS. *servare*, uti & citat David de Pomis [s], *noscuntur*, quae Graecis Josephi omnino dissona depravatissimaque; quasi θεῖος σεβαστὸς, quod *Divus Augustus* est, pro Deo vero seu a Judaeis culto ibi sumendum fuisset, aut ἐπὶ θεοῦ σεβασμοῦ apud Josephum legisset ille:) *Optimum igitur decerno etiam Judaeos per universum nostrum imperium patrios mores sine impedimento aliquo servare* (Ruffinus, *paternas solennitates sine prohibitione celebrare*) *quos etiam nunc moneo ut hac nostra gratia contenti modestius se gerant, nec religiones* seu *superstitiones aliarum gentium vilipendant* (Ruffinus, *adnihilare pertentent*) *proprias autem sibi leges servent* (Ruffinus, *sed suas leges observent*; Gelenius, *suis autem suo arbitratu vivant legibus.*) *Atque hoc meum edictum ut judices* seu *gubernatores civitatum atque coloniarum & municipiorum tam intra Italiam quam extra* (seu provincialium) *uti etiam reges & principes per ministros suos transcribant volo*, *atque non minus quam per triginta dies ita publice illud exhibere*, *ut ab omnibus humi stantibus possit perlegi* (ut Gelenius) seu, ut Ruffinus, *unde ex humili ab omnibus legi possit*. Sed plane vertendum *Unde de plano recte legi possit*. Quae formula Romano in imperio, ut notissima, edictis ejusmodi subscribi solebat literis suis tantum initialibus ad hunc modum, U. D. P. R. L. P. Summatim autem ita se res hic habet. Judaeis omnimodis, qualiscunque essent sectae, seu quocunque alio noti nomine, tam ex Julii [t] quam Augusti [v] Caesarum, ut alios & vetustiorum & coaevorum praeteream, indultu, non solum in Judaea sua seu Palaestina, sed in alienis per orbem Romanum terris, suo in cultu servando moribusque convictus sibi singularibus seu νόμοις τοῖς πατρίοις retinendis (de capitalibus judiciis non loquimur; de quibus tamen discrimen erat inter Palaestinam aliasque regiones [x] in quibus degerent) permissa est libertas amplissima; qua itidem saepius fruebantur, utcunque saepius item per tumultus & adversantes, etiam non raro per obortas inter se, factiones haud parum turbarentur [y]. Et singularis ita erat eis passim dignitas & singulare persaepe, saltem inter suos, ubicunque sedes haberent, imperium, adeo etiam ut singularitas illa a seculorum de quibus jam loquimur scriptoribus gravissimis [z] velut mirandum quid signantius praedicetur. Libertas hujusmodi, a Caio Caligula Augusto interturbata, in integrum Judaeis per orbem Romanum omnimodis restituitur, ut ex edicto ostenso liquet, a Claudio, eousque etiam ut non solum ἰδίοις ἔθεσι χρῆσθαι *propriis moribus uti* eis inde permitteretur, verum etiam συμπολιτεύεσθαι *parile obtinere civitatis jus cum Graecis cohabitantibus*, ut explicat edictum illud in literis ad Doritas, qui illud violaverant, Petronius Syriae praeses [a]. Quod quidem intelligendum tam de Judaeis credentibus, seu qui Christo nomina dederant, nec *Christianorum* nomen, uti id quod *Judaeorum* erat oppositum aut velut cum eo non satis tunc consistens, hactenus induerant, quam non credentibus, quorum sectae variae, ut Pharisaei, Sadducaei, Esseni, qui eadem ipsa nec majori omnino ratione in edicto continebantur quam credentes, seu Judaei veri ac ita reformati ut alia Judaeorum secta revera esse tunc non debuisset, id est, christiani. Et de Judaico nomine christianis pariter tunc etiam necessario communicato satis ante dictum. Quin & Essenos, *Judaeos* passim dictos, christianos fuisse contendunt viri aliquot doctissimi de Trihaeresio scribentes. Etiam tempore hujus edicti inter discipulos perpaucos, & certe nuperrime ante inter eorum nullos, palam admissum est, quemquam Christi disciplinae seu evangelicae adsciscendum praeter Judaeos sive origine ipsos sive integro proselytismo, seu tam circumcisione quam baptismo, cooptatos, ut ex ante memoratis liquet. Atque maxime advertendum hic tempus ante adnotatum de Judaeorum Roma expulsione per edictum Claudii. Satis recipitur, emissum illud anno ejusdem nono. Saltem annis ab initio Claudii compluribus emissum esse, adeo est in confesso ut nihil magis. Et sententia quae neutiquam nono collocat rejicitur. Privilegia vero in edicto jam allato concessa sunt generatim Judaeis anno ejusdem Augusti,

[s] In Medico Hebraeo, 62. [t] Joseph. lib. 14. cap. 17. [v] Idem, lib. 16. cap. 10. [x] Videsis Petrum Cunaeum de Rep. Hebraeorum, lib. 1. cap 9. [y] Joseph. lib. 16. cap. 4. lib. 18. cap. 12 de Bello Judaico, lib. 2. cap 34. Act. Apost. saepius. 2 ad Corinth xi. 24, Euseb. Hist. 2. cap. 8, 9. [z] Strabo apud Joseph. lib. 14. cap. 12. Seneca apud Augustinum de Civitate Dei, lib. 6. cap. 11. [a] Joseph. lib. 19. cap. 6.

guſti primo, ſcilicet Claudio ſecundum conſule. De conſulatu ejus, adeoque de anno, liquet ex edicti ipſius verbis. Jam vero anni noni edicto *Judaeorum* nomine pariter chriſtianos contineri (utcunque ſingulare *chriſtianorum* nomen per annos aliquot ante in uſu tunc fuiſſet) fatentur ſcriptores eximii iique non pauci, etiam ex ipſis Actorum [b] de Aquila & Priſcilla verbis perſuaſi, ut ante monſtratum. Quanam igitur ratione admitti omnino poteſt ut in edicto hoc anni primi, quo tempore aut nondum natum aut ſaltem noviſſimum erat *chriſtianorum* nomen, vocabulum *Judaeorum* chriſtianos haud pariter complecteretur, idque ex ipſa Auguſti ac juriſconſultorum qui tunc floruere mente? Neque enim de *credentium* & *non credentium* Judaeorum nominibus, ut ipſos diſcriminantibus, ſoliciti procul dubio erant Romani, quibus ob credulitatem expreſſim Judaeos univerſos prae aliis tunc notatos fuiſſe, eliciendum eſt ex eo quod etiam paulo ante Chriſti natales [c] Horatio, de eo qui *perſuadere cupiebat ſine flamma limine ſacro thura liqueſcere*, inſtar proverbii uſitatioris excidit,

———Credat Judaeus Apella,
Non ego——

Quaſi pro nimium credentibus univerſa gens ejuſque ſecta quaelibet pariter vulgari locutione tunc haberetur. AEquanimum illis erat ſive hoc ſive illud credulitatis objectum apud Judaeos eſſet. Quis dubitat quin cum Mahumedes per generale nomen النصارى *Nazarenorum* univerſos chriſtianos in fidem ſuam & amicitiam acciperet [d], tam ſectarios quoſcunque بدين النصرانية *in chriſtianiſmo* quam orthodoxos, id eſt, univerſos quomodolibetcunque eo nomine venientes, contineret? Si princeps aut reſpublica jam aliqua Mahumedanis, aut philoſophis, medicis, mathematicis, aut demum chriſtianis, indiſcriminatim & ſine perſuaſionum diſtinctione, morum ſuorum & diſciplinae libertatem intra ditiones ſuas concederet, nonne ſectae pariter variae Mahumedanorum reliquorum, uti & chriſtianorum, qualeſcunque conceſſionis ejuſmodi beneficio, idque jure optimo, frui deberent? donec ſcilicet jus ita conceſſum poſteriori ſuperinducto aliquo mutaretur temperareturve, utcunque ipſi quibus ſic conceſſum fuerit diverſimode inter ſe diſſiderent. Quale dicendum tum de indultis tum de interdictis ad Judaeos generatim attinentibus in titulis *de Judaeis & coelicolis* in codice utroque. Tam Karaei quam Talmudici & ſi quae fuerint eorum ſectae aliae eis continebantur, quemadmodum etiam in recentioribus de eis principum ac rerumpublicarum edictis; atque ita ſane Claudii Auguſti edicto illo tam chriſtiani illorum temporum quam Judaei reliqui. Ex hiſce igitur ſequitur tandem, idque neceſſario, ἔθη καὶ δίκαια τὰ πάτρια, *mores ac jura patria* Judaeis tunc a Claudio Auguſto ita reſtituta ac conceſſa pariter ad chriſtianos tunc attinuiſſe. Et cum in moribus ac juribus illis excommunicationis Judaicae uſus locum ad diſciplinam inter ſe tuendam haberet, ut ſuperius oſtenſum, perquam eximium, ſequitur itidem eandem ejuſque uſum inter chriſtianos non minus atque inter Judaeos reliquos tam jure tunc (nimirum ſub Claudio Auguſto, ſeu eodem tempore quo ad Corinthios & Galatas de anathemate ſcripſit Paulus) Caeſareo quam Judaico ſubnixum eſſe, indeque fuiſſe legitimum, uti & ante pariter inter Judaeos reliquos, poſtquam a Caeſaribus qui praeceſſerant ejuſmodi eis jura indulta fuerant. Atque inde ſane in Hieroſolymitana, Alexandrina, Antiochena, Caeſarenſi, Romana, reliquis quae tunc inceptae in orbe Romano chriſtianorum eccleſiis ſeu coetibus, inque praefecturis illarum (ſive presbyteria vocaveris ſive alio quocunque ad Judaiſmi tunc obtinentis ritum nomine) uſus excommunicationis, juxta ſuperius tradita, undiquaque in ſe legitimus effectum ſuum ex utroque jure obtinere potuit. Et Claudii tempore toto, etiam & uſque in perſecutionem chriſtianorum Neronianam, ſeu per annos 24, aut circiter, ita duraviſſe videtur jus hoc Caeſareum tam credentibus ſeu chriſtianis quam non credentibus Judaeis, ut, quantum ad ipſum attinuit, pariter utriſque revera competeret; tametſi tum inter credentes & non credentes ipſos tumultus quandoque ſuborti, tum ſeditiones aliquot in Romanos Judaicae, in cauſa interim ſubinde eſſent ut libertas jure ejuſmodi potiundi inter utriuſque generis aliquos plurimum impediretur; quemadmodum fieri in ſimilibus paſſim videmus. Atque hinc ſane ſeparatio in excommunicatione ſolennis tam chriſtianorum tunc quam reliquorum *Judaeorum* nomine ſic venientium, uti & reliqua illuc, juxta ſuperius oſtenſa, ſpectantia, adeo in tunc legitimis ex jure Caeſareo habenda ut nihil in eis contra leges Julias de vi publica aut privata aliaſve (modo Judaice ſatis fierent) committi potuiſſe ſit exiſtimandum. Ex Neronis autem aliorumque dein tunc Caeſarum, ut Domitiani ac Trajani, in chriſtianos ex profeſſo ſaevitia (unde magis diſcriminari idque vulgo apud Romanos coepit *Judaeorum* reliquorum & *chriſtianorum* & nomen & profeſſio; quod etiam ex Tacito [e], Plinio [f], Luciano [g] coaevis, aliiſque ſatis ſcimus; ſed diſcriminari ſane ut genus & ſpeciem) haud parum mutatum minutumque fuiſſe, quantum ad chriſtianos, jus illud Claudianum, nemo non videt. Nam & chriſtianiſmus, quatenus ipſe & ſpecies tunc Judaiſmi erat, ſed ſola quae vera, jam nuncupabatur (Judaeis reliquis infamiam nomini ſanctiſſimo cumulantibus) *nova generi humano ſuperſtitio inculcata*, ut in marmore Neroni eo nomine dicato quod latronibus ſimul atque illis qui eam inculcaſſent provinciam purgaſſet (ita nempe ſi fides inſcriptioni veteri apud Luſitanos [h] alibive nunc in Hiſpaniis tempori illi tributae habenda ſit) atque *ſuperſtitio exitiabilis*, ut Tacito, qui etiam *per flagitia inviſos*, ut proculdubio illius ſeculi gentiles alii, ejuſdem ſequaces appellat. Et conviciis ejuſmodi paſſim in orbe Romano, pro perſuaſionum diſcrimine, chriſtianos tunc impetitos eſſe, adeoque jus eis ante conceſſum inde eſſe mutatum, dubitari nequit. Sed vero ex juris jam dicta mutatione profeſſio tantum chriſtiana interdicta poeniſque

[b] Act. xviii. 2. [c] Serm. 1. ſatyr. 5. [d] Georg. Elmacin lib. 1. & Teſtamentum & Pact. inter Mahumedem & chriſtianos, Pariſ. 1630. [e] Annal. 15. [f] Lib. 10 epiſt. 97, 98. [g] Lib. de Morte Peregrini [h] Adolph. Occo in inſcript. Hiſpan. pag 26. 8. & Gruter. in Theſauro pag. 238, 9. & vide Joſeph. Scalig. de Emendat. Temp. lib 5 p 442

atro-

atrocissimis subdita est, intactis interea inde juribus quibuslibet aliis, seu quae Judaeis reliquis ac christianis sub nomine uno tunc communia erant; adeo ut non minus his quam illis inter suos eisdem, etiam in persecutionis temporibus illis, frui liceret. Atque inter jura illa tunc excommunicationis, secundum morem Judaicum, usum fuisse non est quod dubitemus: unde item sequitur, extra christianae ipsius professionis simplicis causas, a christianis tunc etiam jure Caesareo, ubicunque inde Judaeis conservata sua jura, legitime adhiberi eam potuisse. A Nerone quidem usque in apostolicorum temporum finem, uti & postea diu, christianos ut Judaeorum sectam non tolerandam persequebantur plerumque quidem Caesares Romani; ita tamen ut extra ipsius professionis eorum limites reliqua cum Judaeis reliquis haberent ex jure tunc Caesareo communia. Quantum vero ex jure Caesareo seu publico eis sic negatum aut non concessum, non dubito quin inter se supplerent ipsi ex jure privato, seu pactis ac conventis etiam juramento firmatis, quae ad disciplinam suam singularem tuendam inirent; quemadmodum vetustiores item alibi Judaei, juxta capite superiori ostensa. Certe vestigia pactorum ejusmodi inter se sub eadem ipsa tempora habemus non ita obscura in Plinii secundi [i] epistola ad Trajanum, sub quo item persecutio erat gravissima. *Se sacramento* tunc *obstringere* solere inde liquet christianos conviventes, *ne furta*, *ne latrocinia*, *ne adulteria committerent*, *ne fidem fallerent*, *ne depositum appellati abnegarent*. Sic, ab illis ipsis edoctus, Plinius. Sed ambigere nequeo quin & reliqua inter se ex disciplina quam amplexabantur observanda, in parili seu eodem sacramenti vinculo atque in mutua inter ipsos reverentia bonorumque sibi morum studio; uti & apud Essenos (de quibus ante) continerentur. Adeoque, ut a vitiis abstinendi, ita etiam convivendi, parendi, poenasque inter se usitatas, atque inter eas excommunicationis, ultro subeundi jura eodem aut parili sacramento firmabantur. Et sane caput illud sacramenti eorum de *fidem non fallendo* ea in quorum observationem quis in christianismum tunc admissus circa sui inter ipsos regimen promiserat palam complectitur universa; qui quidem erant Judaismi in regimine sui mores, ut dictum est, receptissimi cum christianismo conjuncti. Etiam christiani hac de re ex Plinio scriptores veteres criminibus ac delictis ab eo memoratis reliqua ita adjiciunt ut plane de disciplina ad vivendum inter se juxta jura ad se spectantia omnimoda confoederata locum intelligant. Sic primo Tertullianus [k] Plinium ait Trajano allegasse, *praeter obstinationem sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis* (ita enim ex MS. olim emendavit vir clarissimus Desiderius Heraldus, & nunc ita legitur in Rigaltianis; aliis codicibus ibi *sacris* male habentibus) *eorum comperisse quam coetus antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad confoederandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam & caetera scelera prohibentes.* Tantundem inde habent Eusebius [l] & Hieronymus [m]. Atque juxta ejusmodi *συνθήκας pacta* ac inter se *conventa*, eorumque itidem jura, degebant christiani postea ac ante Constantinum; qua de re item capite proximo. Haec si ita se haberent (nec aliter sane se habuisse videtur mihi concipiendum) adeoque tam jure Caesareo quam Judaico excommunicatio christianismi illius primitivi, praeter mutuam invicem reverentiam, pacta inter se inita, ac disciplinam confoederatam, sic subniteretur fundareturque, difficile non erit de ejusdem tunc effectu statuere. Ut idem fuerit sic necesse est qui Judaismi in more ac ritibus ante ostensis repertus. In vindictae igitur divinae per imprecationem exspectatione, separatione ad distantiam notissimam quatuor cubitorum, ignominia seu infamiae nota inter congeneres inde contracta ita cernitur. Qui quidem effectus sic erat tam ex singularis alicujus personae sententia in merentem pronunciata quam ex judicio consistoriano seu forensi aliquo. Ex forensi autem hac in re judicio gravior illa excommunicatio seu major, juxta capite superiori item ostensa, accedere jure parili, id est tam Judaico, ac sic hinc simul christiano, quam Caesareo, potuit. Atque fora sane, praefecturae, consistoria seu presbyteria tam christianis illis, ubicunque *Judaeorum* nomine, maxime tempore Claudii Augusti adeoque Petri ac Pauli apostolorum, numerosiores simul degerent, nec a factione aliqua adversa impedirentur, quam Judaeis tunc reliquis ex utroque jure erant aut esse potuerunt. Atque etiam fuisse non ita infrequentia ultro conceditur a viris doctis qui toties episcopatus ac presbyteria christiana temporis illius memorare amant. Si vero effectus sic idem cum Judaico tunc erat, quisnam dubitabit quin absolutionis itidem jus tunc idem fuerit quod in Judaismo reliquo, ut ante ostensum? Ita a synedriis majoribus, aut triumviratu electo, aut judice publice constituto unico, praceunte poenitentia illa, quam diximus, civili, rite absolvendus erat [n] excommunicatus. Caeterum quid hic de sacrorum conventuum & sacramentorum interdictione statuendum? Nihil ejusmodi quid in Judaeorum supra ostensae excommunicationis effectibus. Neque igitur, si idem esset ejusdem jus in christianismo hoc primitivo, apud christianos tunc interdictio aliqua ejusmodi locum habuit. Nec omnino ementes & vendentes e templo [o] a Domino ejecti huc spectant, utpote ex zelotarum jure [p] inter Judaeos admisso legitime sic puniti. Certe, quod ad sacros christianorum conventus tunc attinet, eorumque interdictionem, Paulus [q] ubi monet ne quis dein coenam Domini caperet *ἀναξίως indigne*, (seu, ut Syrus ܘܠܐ ܫܘܐ ܠܗ *non existens ea dignus*, ac ܟܕ ܠܐ ܫܘܐ ܗܘ *quando non est dignus*, ubi Arabs Erpenianus & MS. apud me codex vetus وليس باهل له *non existens dignus ea*, & وهو لا يستاهلها *existens non dignus* illis,

[i] Lib. 10. epist. 97. [k] Apologetic. cap. 2. [l] Hist. Eccl. lib. 3. cap. 33. [m] In Chronico num. 2123. [n] Vide 2 Cor. ii. 6. atque ibi Grotium. [o] Matt. xxi. 12, &c. [p] V.desis lib. 4. de Jure Nat. & Gent. cap. 5. [q] 1 Cor. xi. 27, 29.

illis, scilicet pane & calice; Jaiana autem editio بلا استحقاق & بغير استحقاق (*sine merito*) neminem reprehendit quod non arcuisset a coena quenquam sic reum, sed tantum, Δοκιμαζέτω δὲ, inquit, ἄνθρωπος ἑαυτὸν, καὶ οὕτως, &c. *probet autem homo* quilibet *seipsum, atque ita* (seu secundum probationem illam atque conscientiae examen, cujus testis sufficiens esse potest solum Deus) *de pane illo comedat & de calice illo bibat.* Et graviter quidem ante [r] increpat ipsos qui indigne aut ut non decuit ad coenam accederent, nihil omnino interim de excommunicandis ejusmodi hominibus, aut de jurisdictione seu potestate ulla humana in ipsos, unde personae aliqua status mutatio sequeretur, ideo exercenda adjiciens. De poenis quidem divinitus ideo illatis expressim, sed de eis tantum, loquitur. Διὰ τοῦτο, inquit, *propter hoc*, seu eo quod indigne coenam saepius sumitis, *inter vos multi infirmi & imbecilles*, & κοιμῶνται ἱκανοί, *dormiunt multi*, seu per *Cerith*, quae excisio est divinitus illata, morte abripiuntur. Accedat hic etiam & serio perpendatur, Judam ipsum, furem, proditorem, sceleftissimum, hisque nominibus satis notum & publice peccantem, in ipsa institutione cum reliquis undecim sacramenti Eucharistiae, juxta plerosque & veterum & recentiorum, participem fuisse, nec omnino ea interdictum. Sacrificii paschalis celebrationi eum pariter cum reliquis interfuisse, in sententiis est receptissimis, atque in evangeliis satis manifestum; licet non defuerint qui etiam illud temere nimis ausi sint in controversiam vocare. Sed de jure ejusdem admissionis res palam est, uti etiam capite superiori monitum. Certe ut in coenae paschalis ita etiam in eucharistiae sacramenti communionem admissum Judam fuisse satis testari videtur evangelistarum etiam quisque rite intellectus, tametsi non omnes aeque aperte ac clare. Matthaeus expressim facit Judam & Christum simul cum reliquis discumbentes & colloquentes [t] in verbis proxime antecedentibus ipsam eucharistiae institutionem. Etiam proxime postquam Judae dixerat illum esse sui proditorem: Et diserte ait ibi Christus, *Bibite de eo omnes.* Ita Marcus [v], *Accepto*, inquit, *calice, gratias agens, dedit eis; & biberunt ex illo omnes.* Et Lucas [x] institutionem enarrans ex ore ipsius Domini verba haec facit continua, *Hic calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur. Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Si quidem ex trium horum testimoniis perpensis res definienda esset, nemo puto ullatenus dubitaret quin non minus Judas quam aliquis alius apostolorum praesens in ipsa institutione & particeps esset. Nihil in hisce de absentia aut exitu ejus, nedum de interdictione. Sed vero Joannes, qui institutionis historiae particularia, utpote a tribus qui ante scripserant enarrata, praetermittit, subobscurius tamen ac breviuscule eam tangit, dum de Christo post pedum lotionem iterum discumbente [y] (id est, ad eucharistiam instituendam se accingente, peracta ante coena paschali) atque etiam de eo qui tunc manducaret cum eo panem [z], id est Juda, loquitur, is inquam adjicit, Christum rogatum quisnam ex illis esset qui eum traderet respondisse, *Ille est cui ego* βάψας τὸ ψωμίον ἐπιδώσω *intinctum panem porrexero* [a]. *Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simonis Iscariotae. Et post buccellam tunc introivit in eum Satanas*, &c. Λαβὼν οὖν τὸ ψωμίον ἐκεῖνος εὐθέως ἐξῆλθε, *Cum ergo accepisset ille buccellam* seu *offam, exivit continuo.* Interpretantur aliqui ejus hic exitum quasi ante eucharistiae institutionem exivisset; qua de re nihil omnino in evangelio expressum. Imo potius innui palam ibi videtur post coenam dominicam prorsus finitam, adeoque post eucharistiae institutionem, eum exiisse, atque ita praesentem ante cum reliquis & participem fuisse, idque sive unicam, ut alii, in patres divisam, sive duplicem, ut alii, tunc coenam, sive triplicem, ut item alii, facias. Et ita viguit haec sententia antiquitus tam in oriente quam occidente ut pro maxime admissa habita fuerit. Eam ut sic receptam per orientem tradunt partes ejusdem celeberrimi ac primarii, Origenes [b], Victor Antiochenus [c], Cyrillus Hierosolymitanus [d], item Alexandrinus [e], Chrysostomus [f], Theodoretus [g]. Velut indubitata & receptissima ab eis expressim interseritur. Neque ut opinionem adversus alios disputantes id afferunt, sed plane ut neutiquam dubitantes. Et quantam autoritatem, idque velut universim seculis in priscis per orientem tunc obtinens sententia illa sortiretur, elicere inprimis est ex illo Justiniani in edicto de fide christiana; quod ut Joanni papae secundo missum habetur in editionibus aliquot [h] conciliorum, unde & ita citari solet, sed ad Vigilii papae tempora [i] revera spectat. *Judas*, inquit ibi Justinianus, *cum putasset latere eum qui occulta hominum cognoscit, sacramentis communicavit cum apostolis. Sed tamen nihil ei profuit, quod cum dolo communicavit.* Quin id, quod sic in edicto ejusmodi Caesariano velut indubitatum inseritur, in sententiis seculorum illorum receptissimis fuerit, haud ambigendum. Et ut receptam in oriente hanc sententiam etiam postmodum memorat Nicephorus Callistus [k]. Atque Cyrus Theodorus Prodromus in tetrastichis in Matthaeum, Christum alloquens, ut sacrificium & coenam,

Ὁ δὲ, inquit, σὲ προδώσων ἐσθίει σε μὴ τρέμων,

Qui autem te traditurus est sine timore te comedit. Mitto Nonnum Panopolitam, qui in paraphrasi in Joannem ipsam offam Judae porrectam θέσκελον ἄρτον *divinum panem* nuncupat. Nam etiam offam ipsam existimabant non pauci veterum fuisse sacramenti eucharistici partem. Apud veteres in occidente itidem jam dictam sententiam obtinuisse liquet ex Cypriano [l], Augustino [m], Hieronymo [n], Leone Magno [o], Petro Abelardo [p], Petro Lombardo [q] & Scholasticis [r], Lyrano [s], aliis

[r] Comm. 21, &c. [s] Vide H. Grotium ibidem. [t] Cap. xxvi. 23, 24, 25, 27. [v] Marc. xiv. 18. usque in 23. [x] Cap. xxii. 20, 21. [y] Cap. xiii. 12. [z] Ibid. 18. [a] Ibid. 26, &c. [b] Homil. 35. in Matth. [c] In Marc. xiv. [d] Catechef. 13. [e] Ad Joann. cap. 13. lib. 9. [f] Homil. 83. in Matth. [g] Ad 1 Cor. xi. 23. [h] Edit. Crabbiana pag. 576. b. [i] Vide Baronium tom. 7. ann. 534. §. 21. & ann. 546. §. 10. [k] Hist. Eccles. lib. 1. cap. 14. [l] Tract. de Coena Domini. [m] Tract. 62. in Joann. lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 22. lib. 5. de Baptismo cap. 8. epist. 163. [n] Lib. 2. contra Jovin. cap. 14. [o] Serm. 3. de Passione Domini. [p] Sermone de Passione Domini pag. 832. [q] Lib. 4. sent. dist. 11. [r] Alensis part. 4. quaest. 11. Thom. sent. 4. dist. 11 art. 2 Summ. part. 3. quaest. 81. art. 2. Dominicus Soto ad sent. 4. dist. 12. q. 2. art. 2. alii. [s] Ad Joann. xiii.

 item

item satis obviis; sed maxime, quantum ad receptissimae olim per occidentem hujus sententiae testimonium attinet, ex hymnis in ritualibus publicis repertis. In altero de Christo canitur,

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Turbae duodenae Judas plane pars erat. In altero

Post agnum typicum expletis epulis
Corpus dominicum datum discipulis
(Sic totum omnibus quod totum singulis)
Ejus fatemur manibus.

Ubi explicat Judocus Clichtoveus, *quoniam singuli duodecim discipulorum acceperunt totum Christi & integrum corpus, &c.* Hymnos hosce autorem habuisse aiunt Thomam Aquinatem, *qui* [t] *ad petitionem Vrbani quarti summi pontificis totum officium ecclesiasticum de sanctissimo corporis Christi sacramento eleganter & luculenter composuit, in quo & hic hymnus.* Et *communius tunc tentam* hanc sententiam ait ipse Thomas [v]. Eandem amplexati sunt seculorum recentiorum scriptores non pauci, velut communem, quo nomine eam item appellitant. Unde etiam de ea *dubitare non licere* ait Dominicus Soto [x], *nec solum tanquam doctorum sed etiam tanquam evangelii eam esse suscipiendam.* Atque ad tuendam eam complurima afferunt Baronius [y], Suarezius [z], Fabritius Paulutius [a], alii. Etiam in Christi vita Alphonsus Ciaconius Romae pridem editus, *Cum duodecim apostolis suis*, inquit, *tum coena legali quoad esum agni paschalis celebrata, tum usuali in qua sanctissimum corporis & sanguinis sui sacramentum instituit, & apostolos omnes, etiam Judam proditorem, in eorum communionem impertiit, sacerdotes etiam consecravit, &c.* De re velut indubitabili ac omnino recipienda loquitur ille. Qui hujus fuere olim sententiae alii tam Graeci quam Latini ipsam offam Judae porrectam sacramenti eucharistici partem fuisse opinabantur; qua de re etiam in canonibus ecclesiasticis [b] legitur, ubi de intincta pro complemento eucharistiae usitato agitur. Et de intinctae etiam per orientis regiones plerasque, velut sacramenti partis, usu videsis quae tradidit nuper Leo Allatius [c], & ante eum Petrus Arcudius [d]. Sed opinio illa, quam etiam plerisque placuisse scribit Abelardus [e], in occidente explosa est, & plerumque receptum quod scribit Petrus Lombardus [f], *Tunc non accepit Judas corpus Christi, sed tantum panem; corpus vero & sanguinem Christi ante cum aliis discipulis perceperat.* Atque hoc apud pontificios plerumque admissum. Et Salmeron [g], *Longum esset percensere omnes qui hos priores patres sequuntur. Nam constanter ac dense hoc Judae tribuunt.* Etiam reformatorum non pauci, maxime Lutherani [h], idem sensere. Quin & fuerunt [i] qui *Iscariotarum* nomine in haereticis censuere eos qui sententiam adversam tuerentur. Nec sane aliam recipiendam voluisse videtur ecclesia Anglicana; cujus in libro rituali seu communium precum, autoritate parliamentaria stabilito, monitum ad facinorosos mensae dominicae se indigne ingerentes legitur, *ut ad sacram mensam non veniant, ne post sumptum illud sanctum sacramentum diabolus introiret in eos, ut intravit in Judam*; quasi non dubitasset ecclesia tunc illa quin Judas etiam, utcunque indignissimus, sacramenti illius particeps fuisset. Confessio item Belgica [k], *Judas & Simon Magus acceperunt quidem uterque sacramentum, &c.* At vero adversa etiam sententia vetusta est, & reperitur in constitutionibus [l] apostolicis dictis. Et eandem aliquos in oriente amplexos esse tempore Victoris Antiocheni [m], uti & Theophylacti [n], ex ipsis liquet. In occidente item sectatores habuit Hilarium [o], Rupertum Tuitiensem [p], Innocentium Papam tertium [q] qui annos circa sexaginta scripsit ante hymnos illos Thomae Aquinatis jussu Urbani quarti compositos in usum ecclesiae publicum. De quibus obiter monere hic liceat, in eorum priori in ritualem librum hymnorum juxta usum Sarisburiensem apud Anglos olim recepto [r] hexastichon ante allatum omnino praetermissum, licet tetrastichon alterius hymni idem satis diserte innuens etiam in libro illo cum ejusdem reliquis retineatur. Atque tempore ipso hymnorum illorum scriptionis ita invaluerat, ut ante, sententia illa prior ut *a plerisque concederetur*, adeoque pro communi haberetur; quod scimus ex Durando [s] Thomae Aquinati coaevo. Afferri solent ad sententiam illam qua negatur Judae communio apud veteres adstruendam Dionysius Areopagita [t], & Maximus & Pachymeres, qui in eum scribunt: Item Tatianus Alexandrinus, Ammonius, Zacharias Chrysopolitanus, ejusmodi alii, qui coenam eucharisticam post exitum Judae in harmoniis suis collocant. Sed vero olim intellectus [v] est ibi & versus Dionysius quasi prioris sententiae fuisset ipse antesignanus: Et obscura nimis sunt tum ejus ea de re vocabula, tum quae afferunt Maximus ibi & Pachymeres de mystici panis & calicis (cujus participem fuisse Judam admittunt) & mysteriorum sumptionis discrimine [x]. Et quod ad harmoniarum scriptores illos hic attinet, certe illi non tam rerum gestarum tempora ubique designant quam res congeneres in capita conjiciunt. Neque mihi hic omnino pro hac sententia faciunt. Atque eam ex recentioribus tuentur, in pontificiis, Franciscus Turrianus [y], Salmeron [z], Sebastianus Barradius [a], J. Walterius Viringus [b], alii aliquot; in reformatis olim Willielmus Klebitius [c] in *demonstratione* (sic vocat) *erroris Heshusiani de praesentia Ju-*

[t] Jodochus Clichtoveus in Elucidatorio, lib 1. fol. 44. b. [v] Ad sent. 4. dist. 11. art. 2. [x] Ad sent. 4. dist. 12. q. 2. art 2. [y] Tom. 1. ann. Christi 34. §. 62. [z] Disp. in 3. part. Thom. tom. 3. quaest. 73. disp. 41. sect. 3. [a] In Comment in Evangel. cap. 140 Romae 1619. vide Tolet. in Joann. 13. annot. 28. [b] Concil. Bracarens. 3. cap. 1, 2. Julius Papa in Epistola ad Episcopos per AEgyptum dist 2 de Consecratione, cap. 7. cum omne, Burchard. Decret. 5. cap. 1. Ivo part 2. cap. 11. [c] In dissert. 1 de libris Graecorum Ecclesiasticis, &c. [d] De Concordia Eccles. Occid. & Oriental. lib. 3 cap. 56. [e] Serm. de Passione, pag 832. [f] Sent. 4. dist. 11. & vide Lyran. ad Joann. xiii. [g] Tom. 9. Tract. 11. & vide Bellarmin. de Eucharistiae Sacramento, lib. 1. cap. 13, &c. [h] Vide Jo. Gerhard. loc. Theolog. tom. 5. tract. de sacra coena, cap. 22. 2. [i] Vide Gabriel Prateol. in Elench. Haeres. lib. 9. §. num. 30. [k] Art. 35. [l] Lib. 5. cap 13. [m] Ad Marc. xiv. [n] Ad Matth xxvi. [o] Can. 30. in Matth. [p] In Joann. lib. xi. & in Matth. lib x. [q] De sacro altaris mysterio, lib. 4. cap. 13. [r] Impress. cum Badii Ascensii Explanat. Parisiis 1502. [s] In Rationali lib. 4. cap. 41. §. 37. [t] De Eccles. Hierarch. cap. 3. [v] Thom. in sent. 4. dist. 11. art. 2. & summ. part. 3. quaest. 81. art. 2. [x] Videsis J. Caesar. Bullinger. in Exercit. Casaub. Diatrib. 3. ad cap. 32. exercit. 16. [y] Ad Constit. Apostolic. lib. 5. cap. 13. [z] Tom. 9. tract. 11. [a] Concord Evangelist. tom. 4. lib. 3. cap 3. [b] De Triplici coena Christi, coena 3. cap. 8, 9. [c] Losannae 1565.

dae

dae in coena Domini, juxta decisionem sanctae Romanae ecclesiae, Musculus[d], Zanchius[e], Beza[f], praeter Anglicanos[g] aliquot scriptores, qui enixissime nuper hac de re contenderunt. Et quantum ad illud quod ex rituali Anglicano ante citatur (unde sane ecclesiae Anglicanae opinio satis elicienda) Keblitius ille pro responso affert, *Reverendissimus archiepiscopus Cantuariensis D. Matthaeus* (Parkerus scilicet) *hanc partem libri correxit. Nam ipsius dignitatis consilio & consensu in linguam Anglicanam translati sunt loci communes Musculi, in quibus destruitur praesentia Judae. Et illi loci consensu reginae majestatis excusi sunt Londini ab ornatissimo viro Reynoldo Wolfio anno* —62. Quasi ideo liber ille ritualis inde tunc corrigi dicendus quoniam loci illi communes, in quibus autor Judae praesentiae refragatur, hic non sine autoritate publica excusi. Nihil ejusmodi omnino sequitur. Nec unquam locus huc spectans in rituali illo correctus est. Sed res in dubio relinquere malunt etiam aliqui[h] quam alterutram opinionem amplecti. Distinctiones quas habent & veteres & recentiores de Juda sumente coenam *corporaliter* aut etiam *sacramentaliter* sed non *spiritualiter*, aut *panem domini* sed non *panem dominum*, uti distinguit Augustinus, aut *sacramentum* non *virtutem sacramenti*, atque id genus reliqua, huc non spectant: Eae enim ad effectum sacramenti non ad ipsam ejusdem communionem corporalem, de qua tantum loquimur, attinent. Indigne sumpsisse, si sumpsit, nemo puto dubitavit. Sed quaestio solum est utrum omnino sumpserit, id est sacrorum communioni illi utcunque interfuerit. Certe mirum mihi est, exitum ejus ab Joanne indicatum pro tam cogente argumento hic sumi solere tametsi exitus ille ante coenae eucharisticae institutionem fuisset. Anne ex egressu alicujus necessario sequitur eum postea non regressum? De regressu quidem nihil reperimus; sed nec quid quod contrarium satis probet. At de praesentia evangelistae tres alii affatim dixisse videntur. Nec quartus negat. Sed verba ejus cum reliquorum periochis hac de re comparata a veterum paucis, nec a recentiorum multis, in sensum ejusmodi distorquentur ut absentia ejus inde inferatur; praesentia interim ejus tum a veteribus tum recentioribus plerisque ampliter afferta. Sed demum concedatur, absentem eum fuisse, aut ita exiisse ut mysteriorum communionis institutioni non interesset. Certe ipsi laudi fuisset si ultro ideo exiisset quod adeo indignus esset. Sed anne arcebatur, aut velut ex jurisdictionis alicujus actu aut formula interdicebatur sacris illis? Minime omnino. Nec quid ejusmodi in verbis sive Christi sive discipulorum reliquorum, dum de eo variatim loquuntur, repertum. Offa quidem porrecta pro proditore palam est designatus; unde etiam veteres[i] (ut & adnotat vir summus Daniel Heinsius in Aristarcho sacro) dixere Dominum eum ἀποσχίσαι, ἀφορίσαι, ἀπομερίσαι τοῦ ἁγίου χοροῦ, καὶ παραδειγματίσαι, *abscidisse, separasse, divisisse a sacro choro, traduxisse* denique, & in potestatem diaboli dedisse Judam proditorem suum; quibus vocabulis quidem simpliciter usurpatis etiam excommunicatio aut actus ejusmodi aliquis ab eis qui ea hic adhibent solet indicari. Sed vero qui *abscissum* eum sic dixerint aut *separatum* per offam porrectam post eucharistiae communionem, admittunt interim eum prius communicasse. Et si separationem illam seu abscissionem pro excommunicatione Judaica sumpserint qualis tunc, ut ante ostensum, ibi in usu, advertendum est cum sacrorum communionis interdictione, eam nihil habere potuisse commune. Si vero qui separationem hanc eucharisticum sacramentum praecessisse volunt, per separationem ejusmodi excommunicationem tunc in usu intelligant, neque ipsi quid ad sacrae communionis interdictionem attinens sic afferunt, quoniam scilicet in ipso excommunicationis tunc actu nulla ejusmodi interdictio continebatur. Sed tandem quicquid aut quomodocunque intelligunt sive hi sive illi hic separationem aut abscissionem ejus, ea revera nihil aliud erat praeter apertam personae a qua prodendus esset Dominus designationem, unde etiam separatio ultronea sequeretur. Neque enim verba quibus excommunicatio peragi tunc solita adhibentur aliqua, nec quidquam a Domino de separatione, qualis inter homines status personae, ut per excommunicationem, mutaretur, est pronunciatum. Tantum ait ille, *Quod facis fac cito.* Et statim exiit Judas. Ultro exiit, non ex praecepto separatus aut interdictus. Et de tempore apostolorum haec sufficiant.

CAP. IX.

Excommunicationis, post apostolorum tempora, in christianismo nondum cum summo in regimine imperio conjuncto, seu ante Constantinum Magnum, per orientem & occidentem, usus, effectus, jus. Quomodo & quando tum effectus tum usus ab eo qui Judaicae erat discrepare atque variatim alius esse inciperet. Gladius spiritualis unde dictus. Poenitentia & absolutio. Vestigia, per Tertulliani & Cypriani tempora, usus Judaici, quo cuilibet alium excommunicare fas erat, & triumviris quibuscunque adscitis, absolvere. Martyrum pax excommunicatis data. Claves regni coelorum, dic ecclesiae, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus, ligandi & solvendi potestas ad excommunicandi jus firmandum jam trahi coeperunt. De eis consideratio breviuscula. Confoederata etiam per illa tempora christianorum disciplina qua excommunicandi jus subnixum. An excommunicatio tunc esset actus imperii seu jurisdictionis.

QUalis ac quanta fuerit per apostolorum tempora, maxime priora, seu sub Claudio Augusto, & ante persecutionem christi-

[d] Loc. commun. tit. de Coena Domini. [e] Tom. 2. in praecept. 4. lib. 1. pag 762. [f] In Joann. xiii 30. [g] Edward. Kelletus in Tricoenio pag 336. Lond. 1641. Georg. Gillespius in Virga Aaronis, lib. 3. cap. 8, &c. [h] Mariana in Diario Vitae Christi anno 34. num. 8, &c. [i] Chrysostom. Theophylact. alii ad Joann. xiii.

anorum

anorum primam seu Neronianam, tum nominis tum jurium, adeoque ejus inter alia quod excommunicationis erat, inter Judaeos non credentes ac credentes Judaeos sic tunc dictos, seu christianos, communio & parilitas, capite ostensum est priori. Unde utrorumque parilem invicem fuisse, nec quantum ad effectum diversam, tunc excommunicationem, juxta ante dicta, eliciendum; utcunque causas, ut annotatum est, perquam dispares fuisse necesse fuerit. Sed vero qualiscunque ea esset temporibus illis prioribus communio hic seu parilitas, grassante atrociter dein persecutione illa, exciso paulo post templo Hierosolymitano, ubi velut unico religionis, licet secundum notiones de Messia adversas, vinculo constricti convenire soliti tam christiani quam Judaei reliqui, & tum nominis Christiani & Judaici discrimine tum Judaeorum in Christianos odio horumque in illos detestatione admodum gliscente, aliisque demum obortis, ut sub Domitiano & Trajano, persecutionibus, ac non minus permissa Judaeis quam denegata christianis jurium suorum morumque libertate pristina, calumniis etiam eisque gravissimis de infanticidio [a], spurcitie incestuosissima, id genus aliis in christianismum a Judaeis malitiosissime coacervatis; facile inde evenit, idque necessario, tum ut communio illa parilitasque jurium pristina haud parum minueretur, tum ut regiminis ac disciplinae formulas pars inter se utraque pro re nata inque rem suam variatim, ut fieri assolet, retineret, immutaret, augeret, temperaret. Inde usus quidem excommunicationis inter christianos ad facinorosos & contumaces, qua fieri potuit, coercendos duravit & propagatus est. Effectus autem ejus ab Judaicae effectu perquam diversus jam erat (saltem apud eos qui jam christianismum ita amplexabantur ut Judaismum pristinum rejicerent, nec, velut Cerinthiani, Nazaraei, Ebionaei, utrumque, adeoque ipsissimos undiquaque Judaismi hac in re mores, retineri vellent) licet etiam in effectu illo & usu Judaicae vestigia aliquot semper remanerent. Quale itidem tum de personis quibus jam excommunicandi in christianismo potestas, tum de absolutione dicendum. Jure etiam divino eoque praeceptivo eam niti existimatum jam est. De singulis hisce per tempora christianismi & summae in regimine potestatis conjunctionem, seu Constantinum Magnum antevertentia, juxta institutum hic breviter videndum. Tempora illa ducenti aut circiter sunt anni ab apostolorum temporum, quae ante tractata, fine. Usus excommunicationis christianae tunc reperitur tum in oriente tum in occidente, isque non infrequens. Per orientem testimonia sunt obvia ex vocibus illis quibus in patribus & canonibus illorum seculorum, id quod est *excommunicari* denotari solet, veluti ἐκβάλλεσθαι, ἀφορίζεσθαι, ἀποκηρύττεσθαι, ἀποκόπτεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἀκοινώνητον γίνεσθαι, ἔξω ἀποβληθῆναι, ἀπελαύνεσθαι τῆς κοινῆς, ἀνάθεμα εἶναι, *Ejici, separari, abdicari, abscindi ab ecclesia, communione privari, extra projici, a communi abigi, anathema esse* seu *anathematizari*, atque id genus aliis, quibus addas etiam ἀποσυνάγωγον γίνεσθαι seu ποιεῖσθαι, *extra synagogam fieri*, quo, ut superius e synodo Nicaena prima monitum, atque item e constitutionibus [b] apostolicis dictis liquet, ex seculorum illorum & Judaismi veteris usu *excommunicari* etiam christianis significabatur. Sed magis obvia sunt vocabula illa alia, quorum aliqua in novo foedere excommunicationem Judaicam, ut ostensum est, denotant. Occurrunt illa in canonibus & constitutionibus apostolicis [c] sic dictis, quae seculis his tribui solent, uti etiam in Nicaena prima, Gangrensi, Antiochena synodis, aliisque circa aut prope finem seculorum horum habitis ac loquendi formulis ante receptissimis utentibus; quibus, e patribus coaevis, adjungas Origenem [d], Gregorium Neocaesariensem [e], Dionysium [f] & Petrum [g] Alexandrinos. Accedat hic quod habet autor anonymus libelli cui titulus *Praedestinatus*, ante annos 1200 conscriptus, de Euphranone episcopo Rhodio Severianos per haec tempora communione privante, id genus etiam ibi aliis. Arabes autem christiani in oriente, quibus in vernaculam suam versi sunt synodorum jam dictarum aliarumque veterum canones, habent quidem pro excommunicationis actu designando vocabula quae *expulsionem ex ecclesia* ut نفي من الكنيسة item quae *exsecrationem* ut لعن atque id genus alia Graecorum unde sua transtulere vocibus circa hanc rem usitatis respondentia. Sed advertendum est, ut apud Syros christianos ita etiam apud Arabas illos vocem חרם *Cherem* ex Judaico usu (qua de re nonnihil etiam capite in superiori) pro excommunicatione in formas suas, idque frequentissime & per omnia inde hucusque secula, receptam retentamque: Quod sane non obscure, si argumenta alia deessent, ostendit, Judaicam excommunicationem ea ita denotari solitam pro origine seu fonte christianae ab eis palam agnosci. Sed vero etiam sexcenties in canonum veterum versionibus احرم حرم ومحروم pro *excommunicatione, excommunicare, & excommunicato* inde occurrunt. Unde & in Gangrensi synodo, cujus viginti canonum singuli habent subjunctum ἀνάθεμα ἔστω, *Sit anathema*, versio Arabica [h] substituit وليكن محروم *Sit in Cherem*, quod ex Judaismi veteri usu anathemati atque excommunicationi sic respondet. Tantundem ex *aposynagogi* vocis per haec quae tractamus hanc in rem tempora, ut monitum est, aliarumque ejusmodi apostolorum aevo ab Judaeis adhibitarum, in oriente usu observandum. In occidente itidem per secula haec, christianismi & summae in regimine potestatis conjunctionem antevertentia, perquam obvia & numerosa sunt excommunicationis usus testimonia tum in patribus tum in conciliis coaevis. Sexagesimo aut circiter anno ab apostolorum temporum fine, seu sub Eleutherio pontifice Romano, annum circa 180 Christi, Marcion & Valentinus haeretici *semel & iterum* sunt [i] *ejecti*. Et paulo post Victor ejus successor totius Asiae ecclesias integras excommunicandas censuit [k] eo quod paschatis in luna decima-

[a] Origen. in Celsum, lib. 6. [b] Lib 2. cap. 43. [c] Can. 5, 8, 9, 10, 12. & Constit. lib 2. cap. 9, &c. [d] Homil. 7. in Josuam & 2. in Judices & advers. Celsum lib. 3. Philocalia cap. 18. [e] In duodecim Anathematismis. [f] In Canonibus. [g] Parisiis 1643. Haeres. 24, &c. [h] MS. in Bibliotheca publica Oxoniensi, fol. 139, &c. [i] Tertullian. praescript. advers. haeretic. cap 30. [k] Euseb. hist. Eccles 5. cap. 25. Baron. tom 2. ann. 198.

quarta cum Judaeis celebrationem retinendam voluere; Quae quidem causa non paucis etiam episcoporum displicuit. Et Irenaeus tunc praeses Lugdunensis aliique Victorem adhortabantur ne ob causas ejusmodi dissidia sic in Christianismo faceret. Etiam expressim inquiunt, Οὐδέποτε διὰ τὸ εἶδος τοῦτο ἀπεβλήθησάν τινες, *Ad hunc modum non ejecti sunt unquam aliqui*, utcunque circa celebrationis tempus aut id genus alia dissidentes. Sed interim excommunicationis usus qualiscunque ut ab anterioribus seculis illuc propagatus utrinque pariter tunc admittitur. Postmodum item per haec tempora apud Tertullianum [l] & Cyprianum [m] Africanos luculentissima sunt per occidentem poenae hujus usus testimonia in vocibus illis eam apud eos obiter denotantibus, *arceri* seu *ejici ab ecclesia* aut *a fraternitatis communione*, *relegari*, *submoveri a limine & omni tecto ecclesiae*, *sacramento benedictionis exauctorari communione interdici*, *abstineri*, *depelli*, aliis ejusmodi tum in commentariis ad eos tum alibi [n] simul etiam congeri solitis. Amplissima item sunt & expressissima usus hujusmodi tunc per occidentem testimonia in concilio Eliberitano, quod, juxta aliquos [o], eosque viros magni nominis, ad tempora Constantii & Galerii spectat, adeoque Constantinum praecedit; aliis [p] interim sub Constantino, etiam postquam Christo nomen dederat, illud collocantibus; quod quidem mihi verisimilius videtur, ex canone ejusdem concilii apud Burchardum [q] & Ivonem [r] in ejusdem corpore non reperto, ubi episcopis libera *colonos flagellandi* potestas admissa; quae quamdiu Christianismus cum summa in regimine potestate conjunctus non erat, locum puto cum ratione habere non potuit ullum. Sed sive sub Constantio sive sub Constantino habitum fuerit, luculenter satis usum tunc testatur, utpote ante receptas christianismi formulas ac ritus in canonibus adhibens. Sunt item canones Pio primo [s], Soteri [t], Calixto [v], & Urbano [x] primis, & Fabiano [y], pontificibus hisce in seculis Romanis tributi qui usum hunc satis testantur eis qui suppositítios illos esse non crediderint. Et de simplici per haec tempora usu satis superque. Quod autem ad effectum excommunicationis illis in seculis attinet, cernitur is partim in eis quae tunc retenta sunt velut reliquiae Judaicae quae praecesserat excommunicationis, partim in additionibus seu poenis ei adjectitiis, quae, ut congeneres, excommunicationis seu vocis alicujus alius tunc idem denotantis ejusve partium in christianismo nomen induebant. Quae prioris sunt generis habentur in separatione ejusmodi, ut inde excommunicato consortium [z] apud suos in convictu familiari omnimodum, nec solum intra quatuor cubitorum, ut in Judaismo, distantiam, subinde esset interdictum; in excommunicatione ejus qui excommunicatum reciperet [a], (id enim quandoque etiam in Judaismi veteris moribus, pro praefectorum juridicorum arbitrio, juxta superius ostensa;) in diris seu anathematismis; in poena hac etiam in alias urbes ac loca [b] extendenda praeter ea quibus aut praeessent ii qui excommunicarent aut quorum incola excommunicatus; in eo quod erat ἐπιτείνεσθαι τὸν ἀφορισμὸν [c], *intendi excommunicationem*, quod Arabes [d] vocant ليطول النّفي *continuari* seu *prolongari separationem*, ex nova scilicet sententia, aucto etiam poenae tempore, etiam & ipsa interdum poena, quemadmodum item apud Judaeos in usu; in aliis item aliquot ex eis quae capite septimo traduntur obiter advertendis. Quae posterioris generis in effectu hic locum habent, cernuntur potissimum in expressa eucharistiae ac conventuum sacrorum interdictione. Atque ut Judaeis, adeoque per apostolorum tempora christianis, erat major & minor excommunicatio, secundum ea quae de *Cherem* & *Shammatha* seu *Niddui* superius traduntur, ita etiam christianis temporum horum proxime sequentium; sed adeo interim diversimode, ut minor eis jam esset sola sacrarum aedium aut eucharistiae communionis interdictio, quae sic subinde item temperata ut quoad loca aut sodalitia sanctiora aliquot tantum [e] vim obtineret. In majori autem tum haec tum consortii christiani interdictio continebatur; quae ut plurimum etiam *anathema* dictum. Synopsis tum usus tum effectus hujusmodi in christianismo illorum temporum egregia exhibetur in illa Tertulliani [f] de sacris tunc conventibus loquentis, *Ibidem exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii praejudicium est, si quis ita deliquerit ut a communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegetur. Praesident privati quique seniores*, &c. In eandem aut satis consonam sententiam Origenes ac Cyprianus locis superius indicatis. Quandonam primo discrepantia ejusmodi inter christianae & Judaicae seu vetustioris excommunicationis effectus inciperet, non quidem satis liquet. Sed ante Origenis ac Tertulliani etiam & Irenaei tempora, juxta jam dicta, effectum quoad sacrorum communionis negationem inolevisse non dubitandum. Ignatiana quae exstant, & reliqua Irenaeo (qui sub annum Christi 170 floruit) vetustiora, aut pro vetustioribus credita, non habent unde satis hic doceamur. Occurrit quidem apud Justinum Martyrem Irenaeo paulo antiquiorem in apologia ejus secunda locus, quo dicitur, ut tunc receptissimum, alios quam qui juxta Christi disciplinam crederent ac viverent participes fieri non debere eucharistiae. Verba sunt, ubi de sacra synaxi agit, Ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν Εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτω βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν, *Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia. Quod nulli alii participare licet quam*

[l] De Idololatria cap. 11. lib. 2. ad Uxorem, cap 3. De Pudicitia, cap. 4. Apologetic. cap. 39, &c. [m] Epist. 38, 30, 44, 61, &c. [n] Baron. tom. 1. ann. 57. §. 14. Henric. Spondan. in Coemeteriis sacris, lib. 4 part. 1. cap. 2. [o] Baron. tom. 3. anno 305. §. 40. & 43. Bellarmin. de Reliquiis & Imag Sanct. lib. 2. cap. 9. Binius, Longus a Coriolano, &c. [p] Edit. vet. Garsias, Christophorus Rosinacus de re sacerdotali, lib. 2. cap. 3. alii. [q] Lib. 11. cap. 67. [r] Part. 14. cap. 115. [s] Caus. 22. q. 1. c. 9. & caus. 33. q. 2. c. 7. [t] Binius, tom. 1. pag. 7. [v] Epist 2. caus. 11. q. 3. c. 17. [x] Epist. cap. 5. caus. 11. q. 3. c. 27. [y] Caus. 11. quaest. 3. c. 10. [z] Videsis Gabriel. Albaspin. Observat. lib. 1. cap. 1, 2, &c. [a] Canon. Apostol 12. Cyprian. Epist. 28. [b] Synod. Antioch. 6. Nicaen. 1. 5. [c] Canon. Apost. 13. [d] In paphras. Arabic. Canon. Apost. MS. in Biblioth. Oxon. fol. 56. a. [e] Vide Gabr. Albaspin. Observat. lib. 1. cap. 3. [f] Apologetic. 39.

veram eſſe noſtram doctrinam credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Chriſtus tradidit vivanti. Poſſunt haec ſane intelligi de ſacrae ſynaxis interdictione qualis in excommunicatione poſtmodum plane reperta, ſeu quae juriſdictionem cum imperio imitaretur. Sed vero & cum ratione intelligi queunt ut haud aliud innuentia, quam impium eſſe, neque ex diſciplina chriſtiana de indigne ſumentibus, juxta Paulum, quemquam alium participare debere; quod ſic facile conceptu ut monitum graviſſimum, ſine aliquo excommunicandi juriſdictionis, ſeu poteſtatis alicujus juriſdictionis imitatricis, actu in aliquem tunc exercendo. Et quamplurima illicita ſunt quorum tamen interdictionis poteſtas ejuſmodi nemini mortalium licita. Certe Juſtinus ibi expreſſim loquitur non ſolum de baptizatis verum pariter de non baptizatis, ad quos excommunicatio revera apud chriſtianos non magis attinuit quam apud Judaeos ad gentiles necdum circumciſos. Et quod ſequitur apud eum de diaconis unicuique praeſentium diſtribuentibus, & ad abſentes perferentibus, haud ſonare videtur quaſi de ſacrorum per excommunicationem interdictione omnino ibi locutus fuiſſet. Patres autem jam ante dicti illi, alii etiam, *traditos Satanae* (de quibus & dictum capite ſuperiori) ſic ex eccleſia projectos ſeu excommunicatos nuncupabant; Quo nomine ſi intelligas per diras & vindictae divinae imprecationes in excommunicatione ſolennes angelo poenarum miniſtro relictos, locutio illa non erit uſui Judaico diſſona. Sed tradere Satanae, ut Paulus inceſtuoſum Corinthium & Hymenaeum & Alexandrum tradidit in interitum carnis, ſeu virga apoſtolica juxta facultatem divinitus ei conceſſam cruciavit, nemo puto admittet potuiſſe praeſidentes temporis de quo loquimur, alioſve citra privilegium itidem, quale Paulus habuit, coelitus conceſſum. Poena hac ſive in majori ſpecie extenſa ſive in minori temperata ſeu contracta coercebantur, ut ſtatus rerum tunc tulit, inter chriſtianos non modo graviorum facinorum rei, velut maxime idololatrae, homicidae, adulteri, haeretici, verum etiam contumaces in eorum qui rebus inter eos praeeſſent imperata omnimodi. Unde tametſi eſſent ex diſciplina confoederata poenae inter eos citra pacis publicae violationem aliae, veluti, quoad miniſtros ſacrorum, gradus ſive privatio ſive ſuſpenſio, atque id genus aliquot in alios aliae, nihilominus excommunicatio major inſtrumentum erat in omnimoda coercitione adhibenda, quoties opus eſſet, ſupplicii apud eos inſtar ultimi; ita ut qui minori, gradus privationi aut ſuſpenſioni idque genus decretis aliis, non obtemperaret, aut refragaretur, hoc, veluti gladio jam perimente, coerceretur. Et quemadmodum in civilis adminiſtrationis poteſtate ſuprema deſignanda *gladii* nomen adhiberi eſt ſolitum, velut inſtrumenti coercitionis maximi atque eminentiſſimi, adeoque jus vitae neciſque & ſummum imperium ſatis ſignificantis, ita etiam in regimine qualicunque hujus quod tractamus temporis chriſtianorum inter ſe *gladii* nomen induit eorum excommunicatio; Qui, ut ab eo qui in adminiſtratione civili in uſu erat diſtingueretur, *gladius* dici coepit ſub Cypriani tempora (floruit ille ſub annum Chriſti 250) *ſpiritalis*, qui etiam poſtea *ſpiritualis*, quemadmodum etiam in tempora noſtra, dictus. Occurrit quidem apud Paulum[g] *μάχαιρα τοῦ πνεύματος gladius ſpiritus*, ſed alio omnino in ſenſu. Singularis eſt hac de re apud Cyprianum in epiſtola[h] ad Pomponium de virginibus locus, ubi de abſtentis aliquot & ejectis agens, *Nec putent*, inquit, *ſibi vitae aut ſalutis conſtare rationem ſi epiſcopis & ſacerdotibus obtemperare noluerint, cum in Deuteronomio*[i] *Dominus Deus dicat*, Et homo quicunque fecerit in ſuperbia, ut non exaudiat ſacerdotem aut judicem, quicunque fuerit, in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus, cum audierit, timebit, & non agent impie etiam nunc. *Interfici Deus juſſit ſacerdotibus ſuis non obtemperantes; judicibus a ſe ad tempus conſtitutis non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio carnalis manebat. Nunc autem, quia circumciſio ſpiritalis eſſe ad fideles ſervos Dei coepit, ſpiritali gladio ſuperbi & contumaces necantur, dum de eccleſia ejiciuntur. Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe niſi in eccleſia poſſit. Indiſciplinatos autem perire, dum non audiant nec obtemperant ſalubribus praeceptis, teſtatur ſcriptura divina, quae dicit*[k], "Non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe: Qui autem oderunt correptiones "conſumentur turpiter." Ita ille; & de effectu excommunicationis chriſtianae tunc in uſu hactenus. Quemadmodum autem effectus ejus ita diverſus erat a Judaicae unde nata eſt, ita etiam non eiſdem demum, ut ante in Judaiſmo, perſonis permiſſa eſt excommunicandi poteſtas. In Judaiſmo, ut oſtenſum eſt, quilibet etiam a vulgo alium rite excommunicabat; nec ſolum praefecturae juridicae. Quo tempore ceſſaverit mos hic in chriſtianiſmo, quatenus ei cum Judaiſmo per apoſtolorum tempora & aliquamdiu poſt in juris morumque uſu tanta erat communio, compertum mihi ſatis non eſt. Sed ſub Irenaei & dein Tertulliani & Origenis tempora, ſeu in poſteriore ſecundae centuriae parte, in uſu fuiſſe, ut plurimum ſaltem receptum, liquet, ut eccleſiarum praeſides ex eis qui ſacrorum eſſent miniſtri, veluti epiſcopi, presbyteri, ſeniores, aut coetus cum his conſidentes, nec alii quemquam apud chriſtianos rite excommunicarent. Atque ſingulorum, qualis apud Judaeos primoſque inter eos chriſtianos erat, hac in re poteſtas tandem evanuit. Et quemadmodum itidem apud Judaeos a praefecturis juridicis atque ab eorum praeſidibus irrogari ſolita haec poena, ita apud ſe voluere nunc chriſtiani ut a coetibus ſuis praefecturarum ejuſmodi figuram ſaltem induentibus, aut ab eis qui eiſdem praeſiderent, nec aliter, irrogaretur: Ut plurimum ſaltem dixi hoc receptum; quod ex patrum jam dictorum locis ante citatis eſt ſatis manifeſtum. Sed videtur ſane haud defuiſſe viros tunc etiam & per annos aliquot poſt in ſanctiſſimis cenſitos, qui priſtinum Judaiſmi in extrajudicialiter excommunicando morem retinendum voluerint; Quod ex eis quae mox dicemus de abſolutione videtur eliciendum. Quod ad abſolutionem ſeu excommunicati hiſce quae tractamus ſeculis in integrum reſtitutionem attinet, certe mira

[g] Ad Ephes. vi. 17.
[h] Epiſt. 62. & videſis Epiſt. 40, 55, & 65.
[i] Deut. xvii. 12.
[k] Proverb. xv. 10.

erat

erat tunc & perquam varia circa eam severitas. Ita negabatur interdum postliminium seu pax haec (nam ita etiam vocabatur) ut atrocioribus quibusdam sceleribus [l], veluti idololatria, homicidio, adulterio, non omnino admitteretur. Quoties autem concessa esset sive his sive aliis peccatis pax quaesita, inoleverat ut non solum εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν ἢ προστασίαν *in nullam dignitatem* seu *praefecturam* ecclesiae dein allegerentur rei [m], verum etiam ut absolutionem longa, praeter confessionem solennem, poenitentiae publicae tempora, complures saepe anni, necessario praecederent, loca item varia assignarentur per quae gradatim poenitens resipiscentiam suam testandi causa tandem in communionem reciperetur. Πρόσκλαυσις [n] seu *fletus* ejus erat extra portam oratorii, ubi poenitens ingredientes exorabat ut pro se precarentur. Ἀκρόασις seu *auditio*, intra portam, sed post catechumenos. Ὑπόπτωσις, inter eos *substratio*, unde pari velut jure ibi cum catechumenis manendo, exeundo, frueretur. Σύστασις seu *consistentia* aut *consortium* inter fideles seu coetum christianum, adeo ut cum catechumenis exeundum ei non esset. Hisce & reliquis ad poenitentiam plenam & solennem tunc diversimode attinentibus peractis, sequebatur ἡ μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων *participatio sacramentorum*, in qua sita est ipsa reconciliatio seu postliminium ecclesiae jam dictum. Obvia sunt id genus alia in canonibus priscis. Atque de eis ante alios consulas Dionysii Petavii diatribam [o] de poenitentiae vetere in ecclesia ratione, & Gabrielem Albaspinum in observationibus [p]. Adeoque jam mirum erat inter absolutionem Judaismi veteris & eam quae apud christianos ita inoleverat discrimen, idque sive personas quibus absolvendi potestas competeret, sive poenitentiae solennia spectes. Triumviri scilicet ab excommunicato ipso, etiam e vulgo, electi, aut judex unicus publice constitutus, atque id genus alii aliquot, juxta superius ostensa, rite absolvebant in Judaismo. At vero in christianismi hoc more nemo praeter eos penes quos, ut praesides ac praefectos, secundum ante dicta, excommunicandi potestas, aut quibus, ut vicariis, ab illis absolvendi permissa. Ex simplici item brevissimaque confessione ac poenitentiae professione rite statim adquirebatur plerumque in Judaismo absolutio, quae non sine ingenti saepius severitate, id est, incommodis poenisque, & tum perquam diuturnis tum, praeter confessionem & contritionem, gravissimis publice subeundis jam in christianismo impetrabatur; qua de re apud veteres passim liquet. Sed vero absolutionis illius Judaicae ac pristinae, quantum sive ad personarum qui absolverent qualitatem sive ad breviusculum nec ita publicum poenitendi modum spectat, vestigia seculis in his, maxime sub Tertulliani & Cypriani tempora, ita apud aliquos sanctitatis nomine etiam tunc celebres supererant, ut inde sane jure existimandum videatur etiam excommunicationis pristinae, seu quae in Judaismo & apostolorum temporum christianismo adhiberi solita, quoad personas (excommunicandi facultatem habentes) usum illos retinendum voluisse. Nam qui absolutionis morem pristinum sic retinere volebant; non est quod non existimemus quin excommunicationis itidem pristinum voluerint sic retinendum; utcunque episcopis, praesidibus, aliisque tunc novam & a pristina adeo diversam regiminis inter se suosque formam introducentibus aliter placuerit. Vestigia quae diximus habentur tam apud Tertullianum quam Cyprianum, testes exceptione omni majores atque horum temporum in occidente maximos. Lapsis in idololatriam aliterve, qui ideo communione ab episcopo pulsi sunt, pacem seu postliminium, id est absolutionem, dederunt presbyteri & diaconi quibus satis poenitentes visi sunt ejusmodi lapsi, & cum illis communicabant eucharistiam, non exspectatis poenitentiae gravioris solennibus aut episcopi sententia ac manuum (quae in usu item nunc erat quoties absolutio ab eo praestaretur) impositione. Martyres item designati & confessores communione sic pulsorum absolutioni, si poeniterent, se impares tunc non credidere. Pacem & postliminium ipsi soli eis reddebant, libellisque ea de re ad episcopos cum fiducia datis eos in communionem admittendos judicabant quos sic absolverant. Libellis autem nunc nomina absolutorum singula inserebant; nunc totas familias, patrum tantum familiarum nominibus adjectis: Ut *communicet talis cum suis* [q]; quasi non omnino dubitassent quin absolvendi ipsis jus jam competeret, quale triumviris illis aliisve coetibus, aut judici publice constituto alicui unico, in Judaismo & vetustiore inter christianos absolvendi more; de quo ante toties dictum est. Luculentissima sunt apud Cyprianum & compluria hac de re testimonia [r], in quibus eminet illud de familiarum integrarum absolutione, uti & hoc universorum confessorum ad Cyprianum aliosque episcopos, *Scias nos universis de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem; & hanc formam per te & aliis episcopis innotescere volumus.* Verum quidem est hoc Cypriano aliisque disciplinam, ut vocarunt, tunc in hierarchia usitatiorem enixe sibi tuentibus mirum in modum displicuisse; quod ex integris epistolis ab eo ea de re scriptis satis constat. At vero tempore illo novum hoc non erat. Nam etiam apud Tertullianum, seu sub annum Christi 200, reperitur velut in morem haud parum etiam ex antiquitate tunc pristina receptum. Postquam pacem a martyribus impetrarant facinorosi qualescunque, *inde communicatores*, inquit ille [s], *revertuntur.* Et alibi [t] *pacem quidam in ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt.* Ita in consuetudinem etiam tunc abiverat. Et consulas quae hac de re Baronius [v] habet & Gabriel Albaspinus [x], praeter eos qui ad Tertullianum & Cyprianum. Sed invaluit tandem episcoporum hic, presbyterorum, praesidumque atque id genus aliorum in consistoriis suis singularis ac sola potestas & jurisdictio, seu facultas jurisdictionis imitatrix, ut excommunicandi sic etiam absolvendi, exolescente illa nec ulterius admissa quae penes martyres aliosque jam dictos, velut moris tum Judaici tum christiani vetustio-

[l] Vide Tertull. de Pudicitia, cap 5, & 12. & Epiphan. in Haeresi 59. seu Novatianorum. [m] Origen. contra Cels. lib. 3. & in Philocalia, cap. 18. [n] Gregor. Neocaesar. Epist. Canonic. can. 11. [o] Ad Epiphan. Haeres. 59 [p] Lib 2. [q] Cyprian. Epist. 11. [r] Idem Epist. 10, 11, 12, 13, 14, 15, 17, 27, 28, 29, 38, &c. [s] De Pudicitia, cap. 22. [t] Lib. ad Martyras, cap. 1. [v] Tom. 2. ann. 253. §. 58, &c. & 262. 30. [x] Lib. 2. Observat. 19.

ris reliquiarum pars, reperta. Jus autem ejusmodi potestatis singularis ab illis, ita, nec aliis, exercendae ex utroque foedere a scriptoribus coaevis, eisque percelebribus, jam peti coepit. E foedere veteri huc adductum est quod e Deuteronomii verbis de judiciis capitalibus in gladium spiritalem jam conversum, ex Cypriano paulo ante memoratur. *Gladium* sic jam dictum *spiritalem* in corporalis seu, ut postea vocatus est, temporalis locum jure successisse jam voluere in christianis aliqui; quorum sententiae sequax etiam haud exigua posteritatis pars. Certe etiam excommunicationem suam Judaei, tam Karaei quam Talmudici, in capitalium judiciorum, quorum eis aut adempta aut nimis minuta potestas, locum successisse, juxta superius ostensa, voluere. Et pariter christianis jam nec capitalium judiciorum nec aliorum inter se publice permissa potestas. Imo nec ipsi, ut videtur [y], capitalia exercere sibi licuisse existimarunt, ideoque spiritalem tunc, ut vocabant, gladium adhibendum censuere. E novo autem foedere, praeter obvia ex epistolis canonicis testimonia huc trahi solita, de quibus capite superiori egimus, illud ex evangelio de *clavibus regni coelorum* Petro datis [z], uti & *tanquam ethnicum & publicanum* habendum fratrem [a] qui peccasset, nec rite commonitus *ecclesiam* audisset, *potestas* item *ligandi & solvendi* Petro apostolisque reliquis concessa velut juris hic fundamenta jam afferebantur [b]. Quid de fundamentis illis huc sic tunc adsumptis ac ratione eis subnixa, per secula insequentia usque in nostrum, & quomodo senserint, admiserint, rejecerint, impugnaverint, defenderint posteri, ex eis quae in capitibus sequentibus indicabuntur dignoscendum. Sed vero etiam hic in transitu nobis liceat, priusquam ulterius historice progrediamur, obiter fundamenta illa, seu velut nova tunc principia, quae ad excommunicationis christianae jus firmandum a viris tunc aliquot magnis ita adsumi coeperunt, perpendere; non dissertationem expansiorem adhibendo, aut illa omnia discutiendo quae apud recentiores variatim ex eis crevere & congesta sunt, sed ex Judaicis qui paulo ante in usu ritibus ac simpliciore, vetere, genuinoque vocum in fundamentis illis repertarum sensu considerationem breviusculam maxime ineundo; pauculis nihilominus, ut necesse erit, etiam ex recentiori aevo subinde in eandem rem interjectis. Quod ad illud e Deuteronomio de judiciis capitalibus ita assumptum attinet; certe mortis poenam ibi excommunicationem ipsam forensem, quatenus ab aliis poenis distinguitur, revera unquam spectasse aut ullatenus innuisse, nemo puto mortalium unquam opinatus est. Et gladium spiritalem per temporum christianorum, quae jam tractamus, allusionem tantum inde haustum esse adeo palam est ut nihil manifestius. Adeoque argumenti, quo firmari possit jus excommunicationis, vis nulla omnino ibi reperta. Neque ex allusionibus jura haurienda. Quod autem ad *claves regni coelorum* apud Matthaeum [c] spectat; certe qualiscunque fuerit sive docendi, sive in christianismi coetum ac regnum coelorum admittendi, id est scientiae, doctrinae, admissionis, aliave ejusmodi potestas per vocabula illa designata, permirum interim videtur *claves* ibi sumi pro excommunicandi facultate. Neque enim per excommunicationem tunc temporis regno coelorum quis ejiciebatur, aut sacrorum interdicebatur usu, ut ostensum est. Nec quis e vulgo Judaico erat cui non facultas pro more, qui tunc obtinuit, Judaico alium excommunicandi, ut e Talmudicis superius liquet. Qualisnam igitur sic Petro inde praerogativa? Quale donum sic singulare, cujus tum ipse tum quilibet alius & ante & post, juxta illum sensum, aeque particeps esset? Christianismi excommunicationem Judaicae propaginem esse, utcunque tandem adeo discrepantem, ante satis demonstratur. Si igitur excommunicationis potestatem denotent ibi *claves*, Judaicam, quae tunc & diu post apud christianos in usu, ut denotarent necesse videtur, nec illam quae postmodum in christianismum introducta nondum tunc nata esset. Sed ut Judaica innueretur rationes jam dictae mihi non omnino pati videntur. Et sane ex metaphoris ejusmodi jura nequaquam perspicue expressius ac aperte in eis, idque ex sui natura, comprehensa elicere, res incerta est, lubrica, & saepe nimis periculosa. De *clavibus* hisce ubique habentur virorum doctorum compluriumi, tam ex reformatis quam pontificiis, commentarii obvii, qui capite proximo etiam breviter indicati, in quibus excommunicationis christianae potestatem seu jurisdictionem circa eam forensem earum metaphora hic designari contenditur; aliis interim etiam renitentibus. Certe *clavium* nomine (uti etiam ex veteri Indorum, Persarum, AEgyptiorum, aliorum disciplina, annulorum [d], quibus etiam claves saepius in usum commodiorem conjungi solitae) potestatem peramplam innui in sacris literis liquet ex illo de *clave domus David* apud Isaiam [e], ubi Graeci habet *δόξαν* *gloriam*, unde & Arabes مجد idem significans, & Chaldaeus מפתח בית מקדשא ושלטן בית דויד *clavem templi & dominium* seu *imperium domus David*; de qua item in Apocalypsi [f], ubi memorantur etiam *claves inferni & mortis* [g], & *claves abyssi* [h], uti & apud Lucam [i] *clavis scientiae*. Et in clavium harum qualibet potestas plane & expressim denotatur tum aperiendi (quemadmodum in ipsa voce Ebraica מפתח, quae in eundem sensum in formas suas a Chaldaeis & Arabibus sumpta *aperiendi instrumentum* ex origine sua plane significat) tum claudendi, ut in voce Graeca *κλεὶς* (unde & Syri & Talmudici suum habent קלידא) & Latina *clavis*, a *κλείειν* & *claudere*. Atque illinc occurrunt apud Talmudicos quatuor claves Deo soli reservatae [k]; clavis pluviae, clavis sustentationis seu vitae, clavis sepulcri, & clavis sterilitatis. Et vox quidem sic per metaphoram ubique adhibita ita claudendi &

[y] Vide Tertullian. de idololatria cap. 17. & 19. Origen. in Cels. lib. 8. prope finem, Minutii Felicis Octavium & Paganin. Gaudentium in Salebris Tertullianeis cap. 36, 37. & de Vita Christianorum ante Constantin. cap. 56. [z] Mat. xvi. 19. [a] Ibid. xviii. 17, 18. [b] Origen. in Jos. hom. 7. & in Judic. hom. 2. Tertullian. de Pudicitia, cap. 13, 14, 15. lib. 2. ad Uxorem cap. 2. Constit. Apostolic. lib. 2. cap. 16. 34. 39. Cyprian. epist. 27. 54, 55. 73. 75. & lib. de Unitate Ecclesiae Catholicae. [c] Cap. xvi. 19. [d] Achmet in Onirocritic. cap. 259, 260. [e] Cap. xxii. 22. [f] Cap. iii. 7. [g] Cap. i. 18. [h] Cap. ix. 1. [i] Cap. xi. 52. [k] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 113. a. *Beresith Rabba* parash. 73. fol. 82. col. 1. Targum Hierosolymit. Genes. xxx 22.

aperiendi potestatem ex natura sua induit ut etiam in amplissimam, pro vario ejusdem usu, expandi possit & expandatur. Etiam in *clavibus regni coelorum*, ut aperiendi per doctrinam, scientiam, sacramenta, adeoque in ecclesiam ejusque ministeria singularia admittendi nondum admissos, ita & claudendi seu praecludendi eis, ut nondum idoneis, atque ut τοῖς ἔξω [l] *qui extra sunt*, aditum, etiam & admissos seu τοὺς ἔσω *qui intra sunt* retinendi, potestas indicari videtur apertissime; quam in eis quae nunc ordinis seu functionis sacrae dicuntur consistere volunt theologi; unde clavem habent ordinis notissimam. Sed vero cum, quantum ad ea quae jurisdictionis ac imperii sunt, non id genus omnimoda hic dari omnino praetendatur, sed illud tantum singulare quod intra excommunicationis cancellos aream, naturam ac appendices continetur, quasi ex simpliciori ac angustiori clavium seu aperiendi ac claudendi hic sensu illud tantum esset eliciendum quod clavis jurisdictionis nomine induitur; serio ab eis qui libere disquirunt perpendatur utrum ex simpliciori ejusmodi atque angustiori sensu potestas ante admissos extra pellendi, abigendi seu extra trudendi, qualis est actus ipse excommunicandi, significari hic cum ratione potuerit ulla. Neque enim clavis est extra pellendi instrumentum ex usus sui natura magis atque furca aut flagellum, quo abigimus, est ultro admittendi. Inde etiam apud veteres in Onirocriticis [m] clavis habebatur ἀποκλεισμοῦ καὶ κατοχῆς σημαντική *exclusionis* eorum qui extra sunt, & *retentionis* eorum qui intus, sed non omnino horum expulsionis, *significativa*. Quantum autem ad illud de correptioni amicabiliori non obtemperante, ubi tunc, inquit Dominus, Εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ· ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, *Dic ecclesiae*; *si autem ecclesiam non audierit*, seu *ecclesiae non obtemperaverit*, *sit tibi velut ethnicus & publicanus*; si ad excommunicationem omnino attinuerint verba illa, quanam admittendum ratione ut non etiam ad eam solam attinerent quae tunc temporis & diu post apud christianos, juxta ante dicta, in usu, seu Judaicam, sed ad aliam illam quae diu postmodum introducta? Atque si ita ea quae tunc in usu intelligatur, nihil novi aut singulare apostolis, eisve qui in locum illorum se successisse volunt, datur, cum facultas tunc excommunicandi omnibus Judaeis communis & par esset, ut ex ante etiam allatis constat. Disputatur a viris doctis quidnam *ecclesiae* nomine ibi significetur. Alii synedrium seu presbyterium aliquod ecclesiasticum innui volunt, quasi ejusmodi quid apud Judaeos in eorum politia fuisset; alii utcunque synedrium aut presbyterium Judaeorum aliquod; alii presbyterium christianorum tunc nondum natum, sed per prolepsin hic indicatum; alii etiam principem ecclesiae (ut vocant) seu pontificem summum; alii רבים seu *plures* tantum, id est, coetum seu conventum aliquem in publico, sine judicii alicujus figura; alii aliter. Dixerat quidem ante Jesus [n] *se aedificaturum suam ecclesiam super petram illam*; ubi primus est in foedere novo *ecclesiae* nominis usus. Nec pro alia ibi sumendam esse quam christiana seu credentium, ex verbis illis μου τὴν ἐκκλησίαν, *meam ecclesiam*, palam fit. Hic autem simpliciter ἡ ἐκκλησία nominatur, nec alibi in evangeliis vox occurrit. Et locutio est de praesenti. Syrus utroque in loco habet ܥܕܬܐ עדתא ab Ebraico עדה quod Hellenistis est *synagoga* seu *coetus* ac *congregatio hominum*. Et Christum Syriace locutum creditur. Sed magistris in veteri instrumento tum עדה tum קהל, quod Hellenistis est saepissime etiam *ecclesia*, pro synedrio [o] sive magno sive minori aliquo interdum sumuntur, juxta locorum in quibus usurpantur discrimen. Sic item *ecclesiae* nomen Graecis veteribus [p] pro comitiis aliisque curiis legitimis saepius adhibetur. עדה etiam, adeoque *ecclesia*, magistris est aliquando certus hominum, extra judicii figuram, numerus aliquis, veluti denarius [q]. Arabum hic alii habent الجماعة alii المجمع *coetum, conventum hominum* pariter denotantia; licet posterius potius de fidelium conventu intelligendum. In Matthaei Ebraico legimus hic מקהל id est, *coetum* seu *commune hominum*, adeoque *ecclesiam* in significatu veteri, quemadmodum item vertit Munsterus. Sed versio vetustior [r] habet ibi, *Quod si non audierit eos, in coetu dic ei: si autem renuat ecclesiam audire*, &c. Ut Vulgata, sic Latinorum nuperorum ferme omnes *ecclesiae* vocem ibi retinent. Provincialium linguarum tralationes vocem eandem in eas deformatam, veluti *eglise*, *chiesa*, *yglesa* usurpant. Germani autem Gemeine & Belgae Gemeinte substituunt, quae *hominum commune*, *coetum populi* aut *congregationem* publicam sonant; uti etiam Angli reformati olim, ante versionem Episcopalem dictam, priori in Matthaei loco, I will build my congregation; & hic, Tell it unto the congregation. If he hear not the congregation, &c. Quae vox pro *ecclesia* Anglis alibi etiam in novo foedere saepius usurpata. Tandem etiam vocabulum Chirch & Church pro *ecclesia* adhibitum; quod Scotis & septentrionalibus nostris atque in idiomate nostro vetustiori est Kirk, uti & Germanis & Belgis Kercke, & Anglosaxonibus Cyric & Cyricean, parili ex usu, significatione licet diversa ab primario *ecclesiae* sensu & origine. Sensu enim primario illam *concionem*, hominum *conventum* seu *congregationem* solum significasse nemo dubitat, nec quid aliud; unde ut *ecclesia Domini*, *ecclesia Israel*, id genus alia in veteri foedere, ita etiam *ecclesia malignantium* [s], & similia, uti etiam passim apud scriptores in paganismo Graecos, & in foedere novo [t]. Et Justinus Martyr [v] multos esse ait, de veteribus verba faciens, quibus δῆμος *populus* & ἐκκλησία pro eodem ipso sumuntur. Nec defuit qui *dic reipublicae* verterit [x] inter christianos. Caeterum tandem alias atque alias per temporis decursum induit significationes, sibi soli & sine adjectione peculiares; ut, fidelium coetus, nunc universalis,

[l] 1 Cor. v. 12. Apocal. xxii. 15. [m] Artemidor. lib. 3 cap. 54. [n] Matth. xvi. 18. [o] Levit. iv. 13, 14, 15. Numer. xxxv. 24. 25. Misna & Gemara tit. *Horaioth* cap 1, 2. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. Maimonides tit. *Shagaoth* cap. 12, 13. & *Maaseh Korbanoth*, cap. 1. Moses Mikotzi praec. affirm. cap. 217, &c. [p] Aristophan. in Acharnensibus, Thucydides, alii. [q] Vide Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [r] Parisiis, 1555. [s] Psal xxvi. 5. [t] Act. xix. 32. & 39. [v] Dialogo cum Tryphone. [x] Castalio.

nunc particularis; eorum qui variatim coetibus ejuſmodi praeeſſent, velut horum perſonas ſuſtinentes; clericalis hominum per ſe generis, unde etiam nunc inoleverat *ordinis* [y] *eccleſiaſtici* nomen ut a plebe diſtinctum: AEdium item ſacrarum: Quod pariter dicendum de vocibus in linguis provincialibus ab ea factis. **Kirke** autem **Kerk** & **Church** ſenſu primario ſeu ex ipſa origine ſignificant *Cyriacam* ſeu *Dominicam* domum; juxta illud Walafridi Strabonis [z], *Sicut domus Dei Baſilica, id eſt, regia a rege, ſic etiam Kyriaca* (Κυριακή) *id eſt dominica a Domino nuncupatur, quia Domino dominantium & regi regum in illa ſervitur.* Atque ex hujuſmodi origine primo ſumpta eaſdem nihilominus, maxime apud Anglos & Scotos, nacta ſunt ſignificationes quas per decurſum inter chriſtianos temporis *eccleſiae* vocem obtinuiſſe diximus. Sed interim adeo contractior & anguſtior eſt tum ex origine hac tum ex uſu eorum ſignificatio ut alium praeter fidelium ſeu chriſtianorum coetum, concionem aut conſiſtorium, quoties de perſonis intelliguntur, denotare nequeant. Unde dum vertitur **tel it to the Church**, ſeu **tel the Church** (ut Angli Rhemenſes) veluti citra controverſiam admittitur, coetum aliquem ſive juridicum ſive alium chriſtianorum ibi innui, cum *eccleſiae* nomine ejuſque derivativis retentis, atque originario vocis ſenſu ſimul introſpecto, integrum ſit ſive chriſtianum ſive Judaicum coetum de tempore quo locutus eſt Chriſtus intelligere. Wiclefius noſtras utroque Matthaei loco **Chirche** habet. Sed Angloſaxonica verſio in priori, ofer þyrne ſtan ic getimbrige mine Cyricean, *ſuper hanc petram aedificabo Cyriacam meam,* in poſteriori vero, ſæge hyt geferrædene, *dic hominum coetui* ſeu *concilio*, quaſi utroque in loco eadem vocis notio non fuiſſet admittenda. Certe etiam Anglicanae ſuperioris aevi aliquot priori in loco **Congregation** habent, poſteriori **Church**. Jam vero, quod ad *eccleſiae* ſignificationes in *dic eccleſiae* illas ante memoratas attinet; eccleſiaſticum, ſeu ad ſacra aut ſacrorum cognitionem ſeorſim tunc attinens, ſynedrium, quod, velut apud Judaeos tunc in uſu, ab nonnullis pro *eccleſiae* ibi ſignificatu ſic obtenditur, nullibi plane apud illos unquam exſtitit; quod libris palam fiet ſequentibus, & a viris doctiſſimis [a] pridem optime etiam apertum. Et quod ad ſynedria ſeu presbyteria Judaeorum tunc in uſu attinet alia; verum quidem eſt, eorum cuilibet poteſtatem fuiſſe, ad morem Judaicum ſupra oſtenſum, excommunicandi inter alios etiam eos qui in ſynedros contumaces eſſent, ſeu eos, ut decuit, non audirent. Sed interea de ſynedrii aut presbyterii (ſi concederetur ejuſmodi quid hic per *eccleſiam* omnino denotari) poteſtate plane nihil adjicitur. Tantum poſt admonitionem & correptionem fraternam, & coram duobus aut tribus amicabiliorem, ſi nec officium praeſtaret, nec dein eccleſiae, cui res ſic dicenda eſſet, obtemperaret, in fratrem hic reus ab ipſo in quem peccatum eſt habendus erat tanquam ethnicus & publicanus. Ne γὰρ quidem hic de juriſdictione aliqua forenſi in eum exercenda. Scilicet juriſdictio illa alias notiſſima erat. Monet tantum Dominus eximie, charitatis ſimul & in vita inſtituenda prudentiae ſive praecepta ſive conſilia tradens, quomodo ſe gereret actor in reum qui ſynedris non obediret; admiſſo nempe, ut dictum, ſynedrium ſeu presbyterium aliquod ibi ſignificari. Qui vero prolepſi ſeu ſignificationis anticipatione ita ibi uſum eſſe Dominum volunt ut res nondum tunc nata aut audita, id eſt, presbyterium ſeu conſiſtorium qualecunque poſtmodum in chriſtianiſmum introductum, fuerit per *eccleſiam* hic ita, id eſt, ſimpliciter ſemel tantum nec omnino a caeteris evangeliſtis memoratam, intelligendum, viderint ipſi quacum ratione id aſſerant. Quaſi Dominus apoſtolos de re adeo familiari & ad vitae ſolum ſocietatem & mutua officia attinente alloquens verbo ejuſmodi uteretur ea notione quam nemo mortalium tunc ſciret, nedum quis an poſtea notionem aliquam talem nanciſceretur omnino didiciſſet. Nec ſane in novo teſtamento ullibi ſatis conſtat, ipſam *presbyterii* vocem, ſemel etiam tantum [b], ut chriſtianorum erat, ibi, idque a Paulo, nec tempore Chriſti in terris, memoratam, chriſtianiſmi aliquod conſiſtorium innuiſſe: Qua de re plura inferius hic, & libro proximo, ubi de ſolenni presbyterorum apud Judaeos, unde etiam in chriſtianiſmum recepti ſunt, creatione agitur. Atqui ſi daretur ejuſmodi presbyterium ibi innui, non magis excommunicandi jus inde ejuſdem presbyteris petendum eſſet quam ſynedris Judaicis ſi de ſynedrio ſeu presbyterio Judaico, tempore ipſo locutionis illius in uſu, intelligeretur; de quo jam dictum eſt. Nihil enim de imperio aut juriſdictione eccleſiae qualicunque notione ſumptae ullatenus adjicitur, ſed id tantum quod actorem ipſum in reum ex officio deceat. Si imperatorium haberetur reſcriptum; actionem apud praetorem aut provinciae praeſidem inſtitue, cujus ſententiae ſi non obtemperaverit reus, habeatur is tibi velut alienigena, ſocietatis & amicitiae tuae exſors ac vilis; anne ex reſcripto ejuſmodi quid praetoris aut praeſidis juriſdictioni novum accederet? Eandem quae ante illam ſine augmento aliquo manere, puto manifeſtum eſt. Idem praetori ac praeſidi coercitionis quod ante jus, nec omnino aliud. Cum autem τῇ ἐκκλησίᾳ tum ex Judaeorum Helleniſtarum etiam & paganorum chriſtianiſmi initiis vetuſtiorum, tum initiis illis ſatis coaevorum, veluti Plutarchi, Luciani, Dionis Chryſoſtomi, aliorum uſu, etiam & perquam expreſſim in hiſtoria Actorum [c] de fabro illo Epheſi argentario Demetrio, coetum hominum qualemcunque ſive evocatum ſive utcumque congregatum, ſed pro vario locorum in quibus adhibetur diſcrimine aliter atque aliter ſumptum, denotari ſit certiſſimum, nec tempore quo Chriſtus haec loquebatur *eccleſia* ſimpliciter dicta omnino chriſtianum aliquem coetum ſatis ſignificaret, par ſane videtur ut exiſtimemus in notione aliqua tunc vulgo cognita eam ibi accipiendam; quam certe non illibenter admitterem eſſe illam de רבים ſeu *pluribus* ſeu *in publico* aut *publice*. Diſciplina nempe erat tunc veterum Judaeorum lege illa ſacra [d], הוכח תוכיח את עמיתך וגו' *Corripiendo corripies* aut *arguendo argues proximum tuum* peccantem, fundata, qua in communis vitae ratione

[y] Tertull. in exhortat. Caſtit. cap. 7. [z] De Rebus Eccleſiaſticis, cap. vii. [a] Hugo Grotius ad Matthaei v. 22. & in libello de ſummarum poteſtatum Imperio circa Sacra. [b] 1 Tim. iv. 14. [c] Cap. xix. 32, 39, 40. [d] Lev. xix. 17.

tione ſi quis בדברים שבין אדם לחבירו *In rebus quae inter hominem & proximum ſuum* ſeu circa conſortium humanum peccaret, corripiendus a proximo ſuo erat ſemel, bis[e], ac vice, ſi res poſtularet, tertia, ſed citra acerbitatem, nec ita ut ברבים *publice* pudefieret. Caeterum ſi peccatum fuiſſet בדברים שמים *in rebus divinis* ſeu circa religionem, privatas, ut in evangelio hic, voluerunt adhiberi primum correptiones[f], quae ſi nihil proficerent, *publice* ſeu ברבים faciendae erant, ut ita ſcilicet ad bonam mentem is pudore ductus rediret. Neque aliter[g] per correptiones pudefieri aut publice coargui a proximo peccatorem aliquem deberi ſtatuerunt; quo trahunt magiſtri illud legi jam allatae ſubjunctum ולא תשא עליו חטא *& non feras ſuper eum peccatum*, ubi gloſſa ordinaria, לא תלבין את פניו ברבים *Non pudefacies vultum ejus publice.* Unde etiam habent Talmudici[h], המלבין פני חבירו ברבים אין לו חלק בעולם הבא *Pudefacienti proximum ſuum publice deerit ſors in ſeculo futuro.* Id genus apud eos occurrunt alia[i]. Quin & illud inter eos reperitur, לא חרב ירושלם אלא בשביל שלא הוכיחו זה את זה *Non exciſa fuiſſent Hieroſolyma niſi quoniam alter alterum non coarguebat.* Ita ſcilicet Rabbi Chanina[k] rationem urbis excidendae ſuam affert, ut alii aliter ſuas. Atque ex hiſce forſan non ſine ratione conjiciendum, ad morem illum corripiendi peccatores lege illa ſacra fundatum, ac tunc aut nimis praetermiſſum aut non recte ſatis adhibitum, tum hic tum alibi reſpexiſſe Dominum; quod etiam in annotationibus admitti ſolet. Et ſi ita ſe res habuerit, certe procul omnino illinc aberit quod de imperio eccleſiaſtico ac conſiſtoriana circa excommunicationem juriſdictione inde peti ſolitum. Vulgata quidem in illo Levitici habet *publice argue eum.* Sed nec in origine nec in verſione aliqua alia vetuſtiori quid reſpondet ibi τῷ *publice.* Nec vocis ejuſdem ſenſus Talmudicae concors eſt ibi doctrinae. Saltem ſi aut de correptione circa humanum commercium ulla, aut de prima circa res divinas ſumatur, juxta ea quae jam diximus. *Arguendo argues* plane & ſolum ſonat origo, uti & verſiones illae omnes. Et irrepſiſſe dubito hic *publice* ex eo quod ante tempus Vulgatae verſionis opinio (ut mox conſtabit) inoleverat de juriſdictione quam eccleſiaſticam nuncupant legitima, eaque ut jure evangelico fundata, qua publice in jus vocando peccatores, citra commonitionum temperamenta praeſcripta, eos pudore ſuffundentes coarguebant. Et locum illum Levitici Matthaei jam dicto congenerem eſſe merito agnoſcunt ſcriptores. Ex Vulgata Wiclefius, openliche undernyme hym. Anglicanae quae apud reformatos ſecutae ſunt aliquae, in quibus etiam & ea quae jam obtinet, thou ſhalt in any wiſe rebuke thy neighbour, *quoquo modo argues proximum tuum.* Sed epiſcopalis dicta melius, thou ſhalt plainly rebuke thy neighbour, *plane* ſeu *expreſſa voce* (ut *publice* etiam in Vulgata interpretatur Lyranus) *coargues proximum tuum.* Angli Duacenſes, controule him openly. Galli, *Tu redargueras ſoigneuſement ton prochain.* Alii melius tantum id quod correptionem ſimplicem denotat ſubſtituunt. Hac autem notione *eccleſia* ibi ſumpta tam Judaeos tunc nondum credentes, qui *fratrum* nomine plane veniebant, quam credentes aut ex eccleſia Chriſti, rite complectebatur; quemadmodum etiam agnoſcant illi neceſſe eſt qui de ſynedrio aut presbyterio aliquo tunc Judaico locum capi voluerint. Atque idem dicendum de *duobus aut tribus teſtibus advocandis* ubi prior correptio inter ſolos nihil proficeret. Neque enim tunc puto credentes neceſſario fuiſſe illos quis dixerit, ſed ex Judaeis qualibuſcunque. Et de *eccleſiae* nomine apud Matthaeum hic, hactenus. Sed vero quacunque in notione illa ibi accipiatur, quid in vocibus illis *ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus* quod omnino excommunicationem ſapiat? Certe ſi in eis excommunicati ſtatus reperiretur, tunc ſatis ſequeretur voluiſſe Dominum ut actor ipſe ſic reum ob contumaciam excommunicaret, quemadmodum mos erat etiam tunc Judaicus ut alter alterum indiſcriminatim ob cauſas ejuſmodi tam excommunicaret quam coargueret. Atque ita ſane nihil novi praeſcriptum fuiſſet praeter moris ante receptiſſimi obſervationem. Sed vero neque ethnicus omnino neque publicanus, qua tales, unquam in excommunicati ſtatu, unde neque verba haec excommunicationis poenam ſpectare poſſe videntur. Syrus ibi habet, *ſit tibi* ܐܝܟ ܡܟܣܐ ܘܐܝܟ ܚܢܦܐ איך מכסא ואיך חנפא *ſicut publicanus & ſicut ethnicus.* Arabes

فيكون عندك كوثني وعشّار

& ſit tibi velut ethnicus & decimator (ita illi τελώνην paſſim vertunt) id eſt qui decimam nomine vectigalis (uti in more erat maxime apud orientales) extorſerit ſeu acceperit, ut publicani faciebant. Ebraica Matthaei יהי לך כמו גוי ובעל עברה *ſit tibi tanquam ethnicus & tranſgreſſor* (ſeu *peccator*, ut recte verſio vetuſtior *) ubi Munſterus ſubſtituit *publicanus.* Certe ita etiam tralatio Anglo-ſaxonica, ſy he þe ſpa hæþen ⁊ manſull; Lutherus, als einen Heiden und Zolleuer; Belgae, als de Heiden ende de Tollenaer; Galli, *qu'il te ſoit come les payens & peagers*; Italorum alii, *come pagano e publicano*; alii, *come il pagano o'l publicano.* Wiclefius; Bee hee as an heathen man and puplican to thee. Sub reformationis Anglicanae initiis, verſio altera[l], if hee heare not the congregation, take him as a heathen man, and as a publican; altera[m], if he hear not the congregation, let him be unto thee as an heathen man and as a publican, quae publice ante epiſcopalem dictam obtinuit: In ea autem, If he refuſe to hear the church alſo, let him be unto thee as an heathen man and a publican; atque in nupera quae jam in uſu publico, If he neglect to hear the church, let him, &c. Angli Rhemenſes, If he will not hear the church, let him bee to thee as the heathen and the publican. Beza; *Sit tibi velut ethnicus & publicanus quiſpiam.* Etiam in Clementinis, quae apoſtolicae dictae[n], atque ad haec

[e] Et vide Ep. ad Tit. iii. 10. [f] Gemar. Babylon. ad tit *Erakin*, cap. 3. fol. 16. b. Maimonides tit. *Daioth*, cap. 6. Moſes Mikotzi Praecept. Affirm. 11. & videſis Jo. Buxtorf. in Florileg. Hebraico, pag. 297. [g] Gemara Babylon. ad tit *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 107. a. [h] Gemara Babylon. ad tit. *Berachoth*, cap. 6. fol. 43. b. & tit. *Cethuboth*, cap. 6. fol. 67. b. [i] In Gemara Babylon. ad tit. *Shabbath*, cap. 16. fol. 119. b. [k] Luc. xvii. 3. * Pariſiis 1555. [l] Londini 1539. [m] Ibidem 1541. [n] Lib. 2. cap. 39.

quae jam tractantur christianorum secula spectant, velut ex ore Matthaei, apud quem solum habentur verba Domini jam allata, reperitur poenitentiae quaedam formula tanquam excommunicationis juri inserviens, qua ipse cum publicanus esset usus fuisset: Nec ethnicorum salutem inde desperatam ait, si poenituerint & incredulitatem abjecerint: Ὡς τελώνην οὖν, inquit, ἢ ἐθνικὸν ἔχε τὸν ἐπὶ κακῷ ἔργῳ ἐλεγχθέντα, καὶ μὴ μεταγινώσκοντα, *Velut publicanum igitur aut ethnicum habe qui convictus est in maleficio, nec poenituerit.* Veruntamen si serio advertantur nominum illorum binorum vis & significatio tempore ac loco quo & apud personas quibus ita eis usus est Dominus, nihil ibi omnino, ut diximus, ad excommunicationem attinere posse videbitur. Quantum ad ethnicum; nemo nescit τὰ ἔθνη *gentes* seu *nationes*, id est הגוים, saepissime in foedere utroque usurpatum, pro gentibus sumi qui Judaei non essent. Loca sunt adeo obvia ut adnotare esset supervacaneum. Nam tametsi Judaei ipsi etiam ἔθνος seu *gens* per se erant, nihilominus quemadmodum Romani, quos itidem gentem fuisse per se nemo dubitat, nomine *gentium* indigitabant exteros seu cives non Romanos, id est, hoc nomine eos appellabant quo quidem ipsi, qua ex humano essent genere, etiam continebantur (ut in notissima illa locutionis formula de *jure gentium)* sed non qua cives Romani, ita Judaei nomine illo denotabant universos qui nec ex origine Judaei, nec proselyti justitiae facti, seu in Judaismum suum, id est, in peculiarem tunc Dei populum, cooptati; unde ut *gentilis* a *gente* in Latio, ita in Graecismo illorum ab ἔθνει ἐθνικὸς factum idem significans. Ἕλλην item seu Graecus in foedere novo usurpatur pro eodem ipso, adeo ut *Ethnicus*, *Gentilis*, *Hellen*, *Graecus* tunc temporis apud Judaeos sumeretur pro Non-Judaeo, seu pro eo qui per circumcisionem & baptismum in Judaismum nondum rite receptus esset. Inde ζῆν ἐθνικῶς [o] *vivere more gentilium* erat vivere non juxta mores ritusque Judaicos seu Judaice circumcisorum. Ethnicorum autem seu gentilium ejusmodi Judaeis genera erant bina: Alterum, ex eis qui idola colerent, nec verum Deum unicumque, ac juris naturalis seu Noachidarum capita septem, quae supra memoravimus, agnoscerent: Alterum, ex eis qui capita illa eorumque observationem in se aut receperant aut recepisse crederentur, adeoque idololatriae renunciarant, & *proselyti domicilii* seu גרים התושבים, si inter Judaeos viverent, dicerentur. De utrisque fusius egimus in libris secundo & tertio de Jure Naturali & Gentium. Tantum autem aberat ut posteriori notione ethnicus instar excommunicati tunc esset, aut excommunicatus velut ethnicus, ut cum infamia quadam sub invocatione ob peccatum singulare vindictae divinae, praeter distantiae certae separationem a suis, laboraret, ut supra ostensum est, excommunicatus, huic praeter sedes & habitationem, si proselytus esset domicilii in terra sancta permissam fama maneret integra, atque ejusmodi existimatio ut in חסידי האומות *piis ex gentibus*, & tantum non Judaeus, sed sine omnimoda ignominia, censeretur. Etiam cultus Hierosolymis in montis templi parte singulari, seu atrio gentium, ethnico ejusmodi permissus: Precibus, adorationibus, gratiarum actionibus, holocaustis, aliisque oblationibus plane spontaneis ac votis, citra juris ac rituum Ebraicorum, seu qui populo Judaico peculiaria essent, commistionem, ibi uti ei licuit; quod tum ex utroque testamento tum e Talmudicis aliisque affatim alibi demonstravimus [p]. Familiariori quidem & conjunctiori convictu ac conversatione cum eo a Judaeis, ob morum discrimen multiplex, abstinebatur [q]; nedum in templi atria interiora [r] ingressus ei rite permissus est. Sed interim legitima illis cum eo conversatio quae Judaismo non officeret [s], utcunque non qualis cum Judaeo fratris nomine ita conjuncto; uti & legitimus, ut diximus, suo in loco, etiam Hierosolymis, sacrorum usus. Alterum autem genus, seu ethnicus notionis prioris, id est, idololatra, eo quidem nomine odio habebatur, & pro recepto belli pacisque, dum sua satis libertate regiminis gaudebant Judaei, jure aliter aliterque puniendus erat. Sed convictu & conversatione ejus abstinebatur, ex eo quod in peccatorum facinorosiorum censebatur numero, cujus consortio familiariori si quis eorum usus fuisset, vitio ei vertebatur: Quod ex evangelii locis liquet ubi reprehenditur a Pharisaeis Christus [t] cum peccatoribus ejusmodi comedens, eosve in amicitiam recipiens. Atque hoc nomine impiorum alii tam Judaei quam ethnici qualescunque censebantur pro eis quorum consortium in consuetudine familiariori fugiendum esset; qua de re etiam in foedere veteri occurrunt testimonia ante memorata. Signantius autem alterum illud nomen *publicani*, seu qui vectigalibus publicis sive ut conductor sive ut exactor praeesset, velut pro eo quod *peccatori* synonymum esset, usurpatum liquet ex locis evangelii jam adnotatis. Scilicet *publicanorum*, sive ex gentilibus essent sive ex Judaeis (nimirum quod voluit Tertullianus [v], publicanos ibi omnes fuisse gentiles seu ethnicos, ab Hieronymo [x] primum, & a recentioribus etiam scriptoribus [y], ut error non omnino admittendus, merito rejicitur; Nam & Matthaeum & Zacchaeum Judaeos publicanos fuisse nemo nescit) *publicanorum* inquam nomen Judaeis erat perquam invisum, etiam & infame, non solum quoniam vectigalia exigendo libertatis ibi avitae minuendae instrumenta se inde apertius profitebantur, verum etiam quia munus illud non sine fraudibus, raptu ac concussione plerumque praestabant [z]. Inde toties cum *peccatoribus*, velut ex proverbio, conjuncti. Etiam velut ethnici, quantum ad familiarem itidem conversationem, habiti; quod proculdubio existimatum est Vulgatae authori, qui pro τελῶναι apud Matthaeum [a] unico in loco Latine *ethnici* substituit. Haec cum ita se plane habeant, anne pars aliqua, num aliquod vestigium, similitudo aut umbra excommunicationis reperiri potest in eo quod est *haberi velut ethnicum & publicanum?* Si Judaicam hic, ut inprimis oportet, consideremus, certe neque ethnicus, nondum Judaeus per circumcisionem tunc factus, nec pub-

[o] Ep. ad Galat. ii. 14. [p] Lib. 3. de Jure Nat. & Gent. cap. 3, 4, 5, &c. [q] Vide Ep. ad Galat. ii. 12. [r] Act. xxi. 29. [s] Vide Marc. vii 26. [t] Matth. ix. 11. xi. 19 Marc ii. 16. Luc. v. 30. vii. 34 xv. 2. xix 7. [v] De Pudicitia cap. 9. [x] Epist. 146. ad Damasum. [z] Baron. tom. 1. ann. 31. § 71. Is. Casaubon. Exercitat. 13. cap. 36. alii. [z] Vide Luc. iii. 12. Suid. in τελώνης. Maimonid. tract. *Aidoth*, cap. 10. Buxtorf. in Lexic. Talmudic. verb. מוכס Hugon. Grot. ad Matth. v. 46. [a] Cap. v. 47.

licanus,

r

licanus, qui etiam sic ethnicus esset, unquam excommunicabatur, aut velut excommunicatus habebatur, utpote cui nulla cum Judaeis ejusmodi communio pristina aut conjunctio ut inde per solennem inter se poenam illam ex sententia aliqua separari potuisset. Excommunicatio enim illa plane inter se solos obtinuit, non omnino ad ethnicos spectavit, qui in communionem illam qua quis per excommunicationem privaretur nunquam admissi: Ideoque excommunicari nequibant. Sonabant igitur ita de *ethnico* verba; *Sit tibi, qui Judaeus es, tanquam incircumcisus*, seu *non ex circumcisis*; *Sit tibi is perinde ac si Judaeus*, seu *religionis Judaicae, non esset*, quantum scilicet ad consuetudinem & conversationem familiariorem amicitiamque conjunctiorem ac fraternam, atque in eum non minus libere age quam in ethnicum aut publicanum ejusmodi qui te offendisset agere voluisses; ejusmodi scilicet apud te postea fruatur nec alia existimatione; seu, *Esto tibi socius vilis*, ut ex Ebraeis etiam notatur viris doctis. Nulla hic personae conditionis ex sententia aliqua forensi mutatio praescribitur. Nihil omnino quod poenam excommunicationis tunc in usu, seu pristinae libertatis, juxta superius dicta, per excommunicationem diminutionem ullatenus redoleat. Quale pariter dicendum de *publicani* notione qua Judaeum etiam aliquem ibi denotaret; *Sit tanquam peccator, sit tanquam ex genere illo peccatorum insigni, seu publicanis qui Judaei sunt.* Nec publicanus nec peccator alius eo nomine velut excommunicatus habebatur quia publicanus aut peccator, nisi etiam sententia excommunicationis solennis ob peccatum, cujus nomine sententia ferri solebat, accederet. Viliores proculdubio atque existimationis inquinatae habebantur peccatores insigniores & publicani; quod ex evangelii locis ante adnotatis constat: sed nec ut excommunicatos eos habitos, aut quorum conversatio non legitima, utcunque ex more ac vulgo reprehensibilis, manifesto liquet ex eisdem locis. Nec absolutionis solennia, eorumve pars aliqua seu vestigium magis quam excommunicationis Judaicae ad ethnicos aut publicanos ullatenus attinuit. Summa est; ad locum, gentem, & tempus quo verba illa a Domino prolata sunt rem ita omnino spectare ut nemo praeter Non-judaeum (sensu quo tunc *Judaeus* pro Judaice circumciso aut eo qui ex circumcisis esset tantum sumebatur) *ethnici* voce, nec *publicani* nomine quisquam praeter hominum tunc & ibi ex ita prava muneris illius obeundi ratione genus invisissimum contineretur. Neque enim simpliciter publicanus ubique invisus aut cum facinorosis conjunctus; quod satis scimus ex Cicerone[b], cui publicani inter Romanos munus, quatenus ipsum, toties laudatur ac singulari afficitur honore. Nec quis hodie puto publicani, qua talis est, munus infame aut inhonestum existimat esse, utpote in regimine tam christiano quam quocunque alio adeo necessarium, fideque publica ac legitimo hominum consensu undiquaque fundatum. Atque hinc demum perpende quanam cum ratione ad excommunicationis christianae, quae, ut praefertur, Judaicae propago, jus firmandum dictum hoc Domini rite trahi potuerit. Quicquid enim illud tunc cum prolatum est significabat, idem ipsum etiamnum revera significat. Certe christiani ipsi universi qui ex gentilibus citra circumcisionem eo in seculo Christo nomina dabant, *ethnici*, juxta vocis tunc usum, seu *gentiles* plane ac reapse erant, id est, non ex circumcisis Judaei, utcunque, ex eo quod christianismus ex Judaismo ortus est, nomen *Judaeorum*, juxta superius allata, ut Judaeis circumcisis ita illis velut commune primum tribueretur. Ipsi autem, Judaeos partim imitantes, tandem incipiebant universos qui nec Judaei circumcisi nec christiani *ethnicos* seu *gentiles* & *paganos* vocare (ut ex patribus & jure Caesareo passim liquet) quemadmodum etiamnum vocitantur; ubi *ethnici* notio nova & in aliam mutata ab ea qua solum Nonjudaeum ex circumcisis, ut in verbis Domini, significabat. Anne vero rationi omnino consonum ut secundum notionem hanc novam nec locutionis Dominicae tempore ullibi cognitam vocabulum illud in locutionis illius formula explicanda sumeretur? Sed admittatur ita ibi sumi posse, quid inde ad excommunicandi jus, velut divinitus praescriptum, magis in christianismo quam in Judaismo (de quo dictum est) stabiliendum? Si ad Judaismi excommunicationem, quae sola tunc in usu, non attinerent verba illa, curnam ad eam quae in christianismum ex illa emanasse adeo agnoscitur firmandam ita petita sunt? Accessit autem tandem christianismi excommunicationi eucharistiae aliorumque sacrorum interdictio ejusmodi ut nec sacrorum satis capax haberetur ante absolutionem excommunicatus. Verum ethnicis in Judaismo liber & tempore quo locutus est haec Dominus & semper erat in monte templi seu atrio gentium, ut ante memoratur, sacrorum suorum usus. Quale pariter de publicanis dicendum, quos non templo adeoque nec sacris interdictos esse liquet ex evangelio[c]. Ubinam igitur inter ethnicum & publicanum atque in christianismo tunc uti & postea excommunicatum similitudo aliqua? Sed vero, ut quod res ipsa erat dicamus, minus sane mirum videbitur Cyprianum aliosque aliquot tum Poenos tum ex oriente jurisdictionis tunc circa excommunicationem exercendae assertores studiosissimos vocabula illa de *ethnico* huc traxisse, si satis animadvertatur sententia quae tunc haud parum inter eos, sed variatim, obtinuerat, de lapsis non recipiendis & poenitentia omnino deneganda; qua de re haud pauca apud Tertullianum maxime & Cyprianum ac scriptores ad eos obvios. Nam qui nullo pacto recipiendus, sed pro eo qui christianismo ac baptismi effectu per lapsum juxta sententiam illam exciderat, in ethnici seu non-christiani (ut notio tunc vocis hujus erat) statum redactus censebatur. Adeoque is excommunicatus ut ethnicus eis, juxta ipsorum principia & sententiam receptam, commode satis est existimatus. Sed quantum ad *publicani* interea nomen sic attinet, alia jam existimatio, alia caussa publicanorum (uti hodieque est) ab ea quae tempore & loco quo sic locutus est de eis Dominus. Genti Judaicae in terra sancta, quam sibi liberam manere debere nec alieno imperio subjiciendam existimavit, invisissimum erat nomen illud, utpote imperii ibi alieni quotidianorum instrumentorum, atque inde etiam pro injustis exactoribus habitorum. Caeterum apud chri-

[b] Epist. Famil. lib. 13. ep. 10. Epist. ad Quint. fratrem, lib. 1. ep. 1. Oratione pro Cn. Plancio.

[c] Luc. xviii. 10.

ſtianos poſtmodum in Africa alibive extra terram ſanctam ſive in oriente ſive in occidente ſub gentilium imperio degentes *publicanorum* ſimpliciter dictorum, ut hodie *gabellariorum*, *datiariorum*, *cuſtumariorum*, id genus aliorum, nomen nihil in ſe infamiae aut ignominiae continebat; adeoque uſus ejuſdem, quemadmodum & *ethnici*, in dicto illo Domini temporis & loci quo ſic adhibebatur cancellis eſt coercendum. Atque ut *ethnici* & *publicani* nomen ſeu ſimilitudinem ibi non ad excommunicationem ſive Judaicam ſive chriſtianam ſpectare ex ante dictis puto non obſcure conſtat, ita ſane nec illud de *ligando* & *ſolvendo*, quod proxime ibi ſequitur, magis illuc attinuiſſe videtur. Verba ſunt [d] ad diſcipulos, qui tunc apoſtoli, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσαι δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσαι λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ, *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in coelo; & quaecunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in coelo.* Tantundem etiam Petro [e] ante dictum. In quantum haec ſic dicta, quicquid omnino ſignificaverint, ad alios praeter apoſtolos ipſos revera ſpectaverint, non erit hic diſquirendi locus: ſed tantum, an excommunicandi poteſtas ſic omnino tradita fuerit aut firmata. Dupliciter hic conſideramus voces illas δεῖν καὶ λύειν *ligare & ſolvere:* aut qua Graecis & Latinis tum ex origine ſui tum ex tralatione (ſicut etiam voces aliae, hiſce in linguis, illis aliiſque reſpondentes) in uſu multiplici habitae fuerint, aut qua diverſum ac ſingulare quid hic ex Ebraica diſciplina moribuſque denotarint. Originarius vocum uſus eſt in eo quod corporum qualiumcunque invicem ligationem per faſces, catenas, funiculos, carceres, id genus alia ſic ligandi inſtrumenta, atque inde ſolutionem ſignificat. Illinc tralatio variatim facta eſt. In jure quidem ita transfertur etiam ad actus hominum univerſos qui aut praeſtari aut obſervari, ſive faciendo ſive abſtinendo, aut ſubiri debeant, atque etiam ad univerſa juris ſive divini ſive humani capita, ut quicquid inter homines ſive in debitione qualicunque officii continetur ſive in rite imperantis vetantiſve praecepto, aut *alligatio* ſeu *ligatio* & *obligatio*, quae plane ſatis ſynonyma, vocitetur, aut ex obligatione aliqua pendere recte dicatur, adeoque vocabulis *teneri*, *ligari*, *alligari*, *obligari*, *vinciri* lege, pacto, voto, juramento, nexu, naturaliter, civiliter, id genus aliis denotetur. Etiam tam res quam perſonae ligari ſeu obligari, ut pignora ac hypothecae, dicuntur. Hinc *vinculum juris*, *vinculum conjugii*, id genus reliqua. Et obligationes fiunt aut ex contractu aut quaſi ex contractu, aut ex maleficio aut quaſi ex maleficio; modique obligandi ex hiſce multiplices, qui obvii ſunt in libris juris Caeſarei ſub titulis de obligationibus, & congeneribus non paucis. Et μητέρες τῶν ἀγωγῶν αἱ ἐνοχαὶ [f], *Matres ſunt actionum* (revera in foro omnimodarum) *obligationes.* Et jam dicta apud juriſconſultos veteres alioſque ſcriptores perquam ſunt obvia. In eundem ſenſum habemus etiam apud Matthaeum in verbis Domini [g], Talis ac talis ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει *reus erit judicio*, id eſt, judicio ſeu ſententia judiciaria obligatus ſeu alligatus, & ἔνοχος τῷ συνεδρίῳ *reus erit concilio* ſeu ad ſubeundam concilii ſeu ſynedrii ſententiam obligatus; quod itidem de *gehenna ignis* ibi uſurpatur. Quin & *interdicere* & *prohibere* (ut apud Homerum [h]) atque etiam *legem ferre* δεῖν ſeu *ligare* ſignificat; ut in veteri inſcriptione Iſidi Nyſae in Arabia olim dicata, quae reperitur apud Diodorum Siculum [i], Ὅσα ἐγὼ δήσω, οὐδεὶς δύναται λῦσαι, *Quaecunque ego ligavero, nemo poterit ſolvere*; ubi exemplaria aliquot habent pro δήσω *ligavero* ἐνομοθέτησα *lege lata praecepero.* Ex adverſo autem obligationibus reſpondent aeque multiplices *ſolutiones* & *liberationes*, de quibus etiam notiſſimus eſt in Pandectis titulus *Et liberationis* [k] *verbum eandem vim habet quam ſolutionis.* Et ſolutiones & liberationes matres pariter ſunt exceptionum, quibus perimuntur actiones univerſae. Tranſlatus eſt etiam vocum harum uſus in aſtrologiam judiciariam; unde habent συνδέσμους *ligamina*, *colligationes* ſeu nodos (alios omnino ab notiſſimis illis binis qui in motu lunari) atque earum λύσεις *ſolutiones*, & τοὺς συνδέσμους λύειν *ſolvere colligationes* ſiderum, ut videre eſt in Paulo Alexandrino [l], Vettio Valente [m], Albumazare [n], aliis. Parili item tralatione recipitur earundem vocum uſus etiam in medicinam; uti, ex hoc loco aliiſque in novo foedere obviis, alios in ſenſus in theologiam. Et apud ſubtiliores ſuperiorum ſeculorum dialecticos *ars obligatoria* vocitabatur modus diſputandi quo incaute reſpondentem velut captum teneret opponens, unde habemus *Obligationes Strodi* [o], acutiſſimi ſcilicet ac celeberrimi philoſophi illius Radulphi Strodi in Oxonio Mertonenſis ſub Edwardo tertio libellum ſatis ſubtilem ſic dictum. Alii habentur vocum illarum ex tralationibus ejuſmodi in ſcientiis aliis alibique perquam variatim uſus. Diverſa autem & ſingularis eſt in diſciplina moribuſque Ebraeorum illarum ſignificatio, qua ipſa doctrina ſecundum quam quid אסור *interdictum* ſeu ex lege *ligatum* aut *vetitum*, & quid התיר *permiſſum*, *liberum* ſeu ex lege *ſolutum* eſſet a legis ſtudioſis & profeſſoribus docebatur. Haec a viris doctiſſimis [p] quidem tangitur in commentariis ad Matthaeum. Et libro proximo, ubi de presbyterorum Judaicorum creatione, uberius de ea agemus nos. Hac in notione τοῦ *ligare* & *ſolvere* & vocum eis cognatarum frequens apud Ebraeos tunc uſus. Nec alius earum forſan ſenſus Joſepho, ubi de ampliſſima Phariſaeorum, tempore Alexandrae principis, in rebus digerendis poteſtate loquens [q], Διοικηταὶ τῶν ὅλων, inquit, ἐγίνοντο, διώκειν τε καὶ κατάγειν οὓς ἐθέλοιεν, λύειν τε καὶ δεῖν, *Rebus omnibus praeerant ut adminiſtratores, ſummovendo & deponendo quos vellent, ſolvendo item & ligando*; quod de arbitraria eorum legis, juxta jam dicta, interpretatione ſumi poteſt. Et ſimilem ſane in ſenſum uti videtur ipſe Dominus voce δεσμεύειν, quod τῷ δεῖν ſynonymum eſt & *ligare* pariter ſignificat, idque apud Matthaeum etiam (penes quem ſolum habetur hoc de ligandi & ſolvendi poteſtate, quicquid illud fuerit) ubi

[d] Matt. xviii. 18. [e] Matth. xvi. 19. [f] Theophil. Anteceſſ. Inſtit lib. 3. tit. 13. [g] Matt. v. 21, 22. [h] Il. [illegible] & ibi Didym. & Euſtath. [i] Lib. 1. [k] Paulus l. 46. D. tit. de Verbor. Signif. [l] In Iſagoge in Apoteleſmatic. cap. περὶ τῶν τῶν συνδέσμων. [m] Antholog. lib. 4 MS. [n] Introductor. lib. 4. cap. 2. & 5. [o] Venetiis 1511. in 4°. [p] Grotius, Cameron, &c. [q] Haloſ. lib. 1. cap. 4.

de

de Scribarum & Pharisaeorum doctrina & legis sacrae interpretamentis cathedraticis verba faciens tam ad populum reliquum quam ad discipulos, Δεσμεύουσι, inquit [r], φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων, τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* Quod sane idem ipsum innuitur apud Lucam [s]; *Et vobis legisperitis vae,* ὅτι φορτίζετε τοὺς ἀνθρώπους φορτία δυσβάστακτα, &c. *quia oneratis homines oneribus quae portare non possunt,* &c. Scilicet hoc vel illud velut ex sacrae legis sensu, utcunque ab eis depravato, imperando seu praecipiendo. Eodem ferme modo philosophi, secundum sectarum suarum varietatem, dicebantur praecipere & vetare, dum praecepta philosophiae docebant; unde etiam *philosophia praeceptiva* [t] dicta. Et philosophia ipsa seu vera hominis libertas dicebatur ἐπιστήμη τῶν ἐφειμένων καὶ τῶν κεκωλυμένων· ἡ δὲ δουλεία, ἄγνοια ὧν τε ἔξεστι καὶ ὧν μή, (ut Dionis Prusaei [v] verba sunt) *scientia rerum permissarum* seu *solutarum,* jam dicto sensu, & *prohibitarum* seu *ligatarum; ac servitus, ignoratio licitorum & illicitorum.* Haec cum se ita habeant, par est ut existimemus aut priori ac universaliori illa ligandi ac solvendi notione (quantum ad jura ac officia hominum eorumque appendices; nam tralationes aliae huc non spectant) aut posteriori atque angustiore illa atque Ebraeis adeo peculiari voces illas a Domino sic apud Matthaeum prolatas esse sumendas. Certe si posteriori, nihil omnino cum excommunicationis ac absolutionis actu habent commune, sic ad doctrinam & interpretationem magistralem tantum attinentes, ut palam est; neque aliter fere atque casuum quos vocamus conscientiae sive in concionibus sive in commentariis aut scholis vulgares determinationes. Et quidem Syrus ibi verbum אסר, quo *interdicere* quid aut *vetare* juxta jam dicta Ebraeis significatur, in formam suam ex Ebraico usu sumpsit: unde inquit ܘܟܠ ܡܕܡ ܕܬܐܣܪܘܢ דכל מא דתאסרון *quicquid ligaveritis* seu *prohibueritis,* &c. & pro *quicquid solveritis* ܡܕܡ ܕܬܫܪܘܢ מדם דתשרון quicquid *solveritis* seu *permiseritis.* Eodem item verbo utitur Syrus pro δεσμεύειν in loco illo altero e Matthaeo paulo ante allato. Atque ita ad imperata ex legis interpretatione, res controversas definiendas, quaestionesque solvendas, non ad personarum obligationem, adeoque nec ad excommunicationem, locus ex ejus sensu attineret. Et quidem tum in verbis ad Petrum tum in eis ad omnes simul neutrum ὃ & ὅσα *quicquid & quaecunque* non ὃν & ὅσους *quemcunque & quoscunque ligaveritis* usurpatur. Sed verum quidem est, neutro genere posse etiam personas contineri. Nec tamen hic, ob jam dicta, contineri videntur; uti nec in illo Petro ipsi tributo, quo Clementi potestatem suam ligandi & solvendi confert; Αὐτῷ, inquit [x], μεταδίδωμι τῆς ἐξουσίας τοῦ δεσμεύειν τε καὶ λύειν· δήσει γὰρ ὃ δεῖ δεθῆναι, καὶ λύσει πάντως ὃ δεῖ λυθῆναι, ὡς τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα καλῶς εἰδώς· αὐτοῦ οὖν ἀκούσατε, &c. *Ei ligandi & solvendi potestatis participem facio. Ligabit enim quod ligandum est, solvetque omnino quod est solvendum, quippe qui ecclesiae canonem probe cognitum habeat. Eum igitur audite,* &c. Et in Ruffini versione, *Ipsi trado a Domino mihi traditam potestatem ligandi & solvendi, ut de omnibus quibuscunque decreverit in terris hoc decretum sit & in coelis. Ligabit enim quod oportet ligari, & solvet quod expedit solvi, tanquam qui ad liquidum ecclesiae regulam noverit. Ipsum ergo audite,* &c. Ita igitur ac in notione posteriori ad res tantum licitas & illicitas, non ad personas, nedum ad excommunicandi jus, voces ibi attinuere. Si vero notione sumantur priori, quae adeo ampla est, & ad omnimodum sive res sive personas obligandi ac solvendi apud homines, id est prohibendi, permittendi, imperandi, adeoque poenas irrogandi, remittendi, idque ex jure sive divino sive humano, id est universo, morem receptum, juxta naturam sui, extenditur, permirum videbitur undenam sensus verborum adeo latae ac diffusae significationis eousque coangustaretur ut tantillam solummodo sui partem ita retineret: quasi *oceani* nomine guttulam unam & alteram, aut *talenti* uncias pauculas, aut *universi* aliquot tantum atomos denotari admitteremus. Tantillam hic partem voco ipsum excommunicandi & absolvendi jus & actum ejusque qualescunque appendices. Etenim ut solutionis & res & vox erat in excommunicationis Judaicae absolutione, ita etiam revera fuit in ipsa excommunicatione obligatio, quemadmodum in reliquis sive divini sive humani praeceptivi capitibus universis. Scilicet cum binae revera essent excommunicationis illius partes; altera, exsecratio seu vindictae divinae imprecatio; altera personalis, juxta ante ostensa, separatio, cujus jure ligabatur excommunicatus, ut juris capitibus aliis innumeris alii, recte satis pars secunda, seu separatio ejusmodi ut poenae alius alicujus irrogatio, *obligatio* seu *ligatio* dici potuit. Neque enim pars prior, seu vindictae divinae in alium imprecatio, ullo loquendi genere proprio *obligationis* seu *ligationis* nomine contineri tunc potuisse videtur ex eis quae de imperandi ac prohibendi, id est ligandi, jure jam dicta sunt, quae ex sui natura adeo ab imprecandi actu discrepant. Neque enim tunc puto quis imprecationem *ligationis* nomine venire existimabat. Accedit, ipsam excommunicandi facultatem cuilibet inter Judaeos, etiam ex vulgo juxta ostensa, tunc fuisse legitimam. Unde non existimandum ipsam facultatem simpliciter apostolis jam donatam, utpote cum reliquis omnibus ante pariter communem. At vero dixerit quis facultatem illorum ita jam firmatam ut etiam excommunicatio seu ligatio ab ipsis illata in terris rata esset etiam in coelis seu apud Deum: De qua locutionis formula plura etiam in hanc rem libro secundo. Certe *ligatio* sic *in terris* seu apud homines tantum erat separatio illa personalis in excommunicatione usitata, quam & solvere quibant triumviri selecti, aliive, ut supra ostensum. Et quantilla sic res est, sensum verborum esse ratam fore apud Deum illorum excommunicationem? Proculdubio ita existimari tunc alias solitum de excommunicatione uniuscujusque rite atque ex more patrio illata. Unde viderint illi qui tam

[r] Matt. xxiii. 4. [s] Cap. xi. 46. [t] Senec. epist. 94. 95. [v] Orat. 14. [x] In Clementis Epist. ad Jacobum de gestis Petri.

angustis

angustis cancellis verba illa Domini coerceri velint. Et sane si sic capienda essent, ad excommunicationem tantum tunc notam, id est Judaicam, in qua sacrorum interdictio nulla, non ad tunc ignotam, seu cui post apostolorum tempora interdictio sacrorum accessit, deberent intelligi. Quid quod expresso *obligationis* seu *ligationis* nomine ipse excommunicandi actus nullibi, quantum observavi, apud Ebraeos veteres designatur, sed aliis, ut ante monstratum, vocibus receptissimis? Utcunque interim fatendum in ipsa eorum excommunicatione revera fuisse ligationem, quemadmodum in omnimodis aliis juris praeceptivi capitibus. Nec sane in foedere novo, ubi tum Judaeorum non credentium tum apostolica sunt excommunicationis exempla expressissima superius ostensa, id est, nec in coaevis Domini de ligando locutioni scriptis sacris quibus excommunicatio memoratur, vestigium aliquod habetur usus vocis *ligandi* pro eo quod erat tunc excommunicare. Praeterea anne satis rationi consonum videretur, si principis alicujus edicto potestas universa decernendi, permittendi, remittendi, praecipiendi, poenas omnimodas irrogandi (quae etiam cum id genus aliis in priore notione de jure ligandi & solvendi continentur) praesidi seu legato concessa pro unicae tantum poenae seu unici poenae generis, veluti aquae & ignis interdictione, aut paucularum tantum aliquot irrogatione sumeretur? Et certe pauci satis, ut vides, sunt qui in seculis illis apostolica propius insequentibus verba evangelica jam memorata ad excommunicationem attinere scripserint. Nec satis de seculorum illorum recepta tunc passim opinione omnino constat. Sed qualisnam de excommunicationis jure sic petito sententia in christianismo generaliter seu apud ecclesias integras postmodum recepta fuerit (utcunque etiam tunc scriptores non pauci reperti qui ad jus illud asserendum evangelica jam ante memorata libentius traxerint) ex eis ediscendum quae mox traduntur de seculis quibus christianismus cum summo imperio est conjunctus. Qualiscunque autem argumentorum ex sacro sermone sic adductorum vis ante ejusmodi conjunctionem in excommunicationis jure firmando apud scriptores illos pauculos haberetur, id interim manifestum est, ex confoederata, qualem inter christianos etiam temporum apostolicorum fuisse capite superiori ostendimus, disciplina jus excommunicationis, uti & alia inter eos recepta, potissimum etiam tunc pependisse. Propagata est ejusmodi confoederatio ex apostolicis illis temporibus in haec quae jam tractamus. Nimirum in coitionibus & coetibus seu ecclesiis christianorum curiae [y] formam induentibus, quibus tempore hoc, quo christianismus nondum cum summa potestate ullibi conjunctus, nec jurisdictio christianis publice ulla permissa est, ex pactis inter se, ut ante, initis fideique servandae professione invicem facta, tum imperium qualecunque ac jurisdictio (seu potius quod & imperii & jurisdictionis figuram imitaretur) & obedientia praestabatur; adeoque inde excommunicationi, secundum pactorum ac professionis ejusmodi vim ac sensum, parebatur, ac poenitentiae in absolutione mincommoda jam etiam gravissima subibantur. De pactis ejusmodi ad disciplinam christianam inter se tuendam tunc iniri solitis luculentum est & egregium apud Origenem ex Celso testimonium. Πρῶτον, inquit ille [z], τῷ Κέλσῳ κεφάλαιόν ἐστι διαβαλεῖν χριστιανισμὸν, ὡς συνθήκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιουμένων χριστιανῶν, παρὰ τὰ νενομισμένα· ὅτι τῶν συνθηκῶν αἱ μέν εἰσι φανεραὶ, ὅσαι κατὰ νόμους γίγνονται· αἱ δὲ ἀφανεῖς, ὅσαι παρὰ τὰ νενομισμένα συντελοῦνται. καὶ βούλεται διαβαλεῖν τὴν καλουμένην ἀγάπην χριστιανῶν πρὸς ἀλλήλους ἀπὸ τοῦ κοινοῦ κινδύνου ὑφισταμένην, καὶ δυναμένην ὑπερόρκια (ubi pro voce hac nihili legendum dum putabam ὑπὲρ ὅρκια, consulentem me monuit vir doctissimus Patricius Junius ὑπὲρ ὄργια substituendum) ait Origenes; *Primum criminationis caput Celso est in christianismum, pacta clancularia, eaque legibus* (nempe Romanis) *dissona, ab eis invicem iniri. Nam pactorum alia fiunt in aperto, quae legibus nimirum sunt consona; alia occulte, quae legibus dissona contrahuntur. Atque in animo ei est calumniari Agapen christianorum sic inter ipsos dictam, velut quae ob commune periculum instituta etiam ipsa superaret bacchanalia.* Ita vertendum censeo. Neque sane Origeni consoni sunt interpretes hic Latini, nedum scriptores [a] illi qui, cum συνθήκας verterint ibi *conventus* (qua voce nemo nescit tam hominum *coetus*, veluti curias, comitia, consistoria, synedria, synodos, quam *pacta*, & *conventa* denotari) inde priori sensu Origenem ac Celsum intellexere quasi de clancularis ipsis coitionibus seu conventiculis locuti fuissent, non de conventibus ea notione qua pacta aut confoederationes vocabulo illo denotantur. Tam quae sequuntur ibi quam τῶν συνθηκῶν notissima significatio facit manifestum, de pactis ipsis ac confoederationibus in Agapis, non de Agapis ipsis aut coetibus in quibus pacta ejusmodi inita, sumendas ibi συνθήκας adeoque *conventus*. Celsi quidem illud scriptum est circa Adrianum Augustum, aut Christi annum 130. Origenis vero circa annum 200, qui dum christianorum ejusmodi inter se tunc pacta ac confoederationes tuetur, satis etiam ostendit eas tunc temporis, ut ante, in usu fuisse. Nec quin usque in Constantini tempora pariter duraverit earum usus dubitandum videtur. Ita sane Judaeorum societates singulares, ita philosophorum veterum sectae & sodalitia sua habuere pacta & conventa, secundum quae inter se imperium quoddam erat & obedientia ultronea, juxta capite septimo fusius memorata. Et inter christianos illorum temporum facilius existimandum est & legitimo propius fuit id quod circa excommunicationem, qua forensis instar erat, exercebant, quoties ex indultu Caesareo liberius sui religione uti eis permitteretur; ut sub Alexandro Severo, qui *Judaeis privilegia sua reservavit, christianos esse passus est*; quod ait Lampridius. Quaesitum autem est [b], an excommunicatio christianismi seculis de quibus loquimur, seu ante Constantinum, esset actus imperii seu ex jurisdictione legitima. Quaestio sane illa definienda est ex ratione capite septimo allata de Judaeorum alienis in terris jurisdictione ac imperio, nunc vero & publice legitimo, ex indultu scilicet ac permissu principum, sed variatim temperato; nunc, ex pacto ac confoederata

[y] Tertullian. Apologetic. cap. 39. [z] In Celsum lib. 1. pag. 4. [a] Vide Paganin. Gaudentium de Vita Christianorum ante Constantin. cap. 30. & in Addendis cap. 1. Adeas etiam Desider. Herald. in Tertullian. Apologetic. cap. 39. [b] Paganin. Gaudentius de Vita Christianorum ante Constantin. cap. 56.

inter

inter se disciplina, verum ac legitimum tantum imitante. Sub Claudii nempe tempora ex ejusdem permissu, & quamdiu edicti ejus vis duravit, excommunicatio inter reliqua jura Judaica tam a christianis quam Judaeis, ut capite proxime superiori ostenditur, legitime exercebatur; adeoque etiam inobedientium coercitio, juxta morem Judaicum, utrisque legitima, quemadmodum aliis cui jurisdictio aliqua aut imperium permissum: Persecutionum autem temporibus, aliisque quibus nullus ejusmodi christianis indultus aut permissio publica, ex mutua sui reverentia ac pactis inter se initis parebatur. Nec disciplinam quam sic exercebant revera in se jurisdictionem aut imperium habuisse dicendum (utpote quae autoritate carebat publica) sed tantum ex pactis illis ac reverentia, qualem diximus, jurisdictionis ac imperii imitationem privatam. Nec enim inobsequentem aliter coercere quibant citra legum de vi sive publica sive privata violationem; quod itidem recte observavit Paganinus Gaudentius scriptor percelebris, theologus simul ac jurisconsultus.

CAP. X.

Usus excommunicationis (cujus juris initia intervallo legislationem in Sinai antevertenti a nonnullis, ut dictum est, tribuuntur) in christianismo postquam is cum summa in regimine publico potestate seu majestate imperatoria conjunctus est. Formulae, subjecta ejusdem, & personae excommunicantes. Hae olim non solum ordinis ecclesiastici. Effectus tum verus tum creditus. De jure quo fundari eam volunt scriptores: Alii divino, alii humano. Amplissima jurisdictio, adeoque poenae hujus inter alias adhibendae potestas libera, episcopis indulta a Constantino Magno; quae postmodum variatim ab imperatoribus temperata. Pontificis Maximi in Constantino reliquisque, usque in Gratianum; imperatoribus christianis titulus & dignitas. Jus huc spectans Caesareum & vetus & recentius; aliorum item regnorum & rerumpublicarum christianarum seu ecclesiarum (qua coetus fidelium publico jure constituti eo nomine denotantur) integrarum; in quibus pro summarum potestatum arbitrio excommunicationis & usus & effectus admissus. Excommunicatus ad principis summi communionem seu mensam ab ipso admissus pro rite satis absoluto olim habitus. Sententiae de poenae hujus jure & initiis variae. Etiam e veteri paganismi usu petunt nonnulli, iique doctissimi. De Thomae Erasti hac de re Thesium editione.

QUOD ad christianismi excommunicationis usum, effectum, sive verum sive creditum, cum ejusdem appendicibus primariis seu consequentibus, ac jus attinet; postquam scilicet religio christiana & summa in regimine publico potestas primo in Constantino Magno Augusto, & deinde in successoribus ejus, caeterisque per orbem christianum sive principibus singulis sive rebuspublicis seu sui juris ecclesiis, usque in nostra tempora conjunctae sunt; de usu per ea tempora tam majoris quam minoris, velut propaginum ejusdem usus qui in seculis proxime antecedentibus & superiori in capite tractatis admissus, ita constat in synodorum actis ac canonibus, historiis ac annalibus ecclesiasticis, canonum collectionibus variis, obviis, notissimis, juris canonici corporum titulis hac de re singularibus, jurisconsultorum pontificiorum commentariis aliorumque scriptis tam per orientem quam occidentem multiplicibus, ac ritualibus tum vetustis tum recentioribus, actisque forensibus, ut nihil inter legendum magis occurrat familiare. Et pro varia regiminis ecclesiastici constitutione alius atque alius ejusdem reperitur usus. In eo autem tria inprimis sunt animadvertenda; excommunicandi formulae solenniores, subjectum excommunicationis, & personae quarum autoritate irrogata haec poena. Formulae sunt aut majoris aut minoris, eaeque aut comminatoriae aut judiciariae aut tantum denunciatoriae. *Comminatorias* nuncupamus quibus in synodis earumque canonibus, alibive ubi potestas excommunicandi, quisquis hoc vel illud imposterum fecerit, commiserit, anathema sit, communione privatur, excommunicatur, anathematizatur, ut in majori; aut a sacris tantum arcetur, ut in minori, quae ejusmodi etiam interdum fuit ut eorum communione in locis tantum aliquot aut aliquot tantum coetibus arceretur [a]. *Judiciarias* vocamus tum quibus generatim, verbi gratia, homicidae, raptores, piratae, alii facinorosi, sive ab jure sive ab homine, seu lata sententia, more solenni, ut quotannis in bulla pontificia *coenae Domini*, aliterve, citra in jus vocationem, excommunicantur, tum quibus quisquam in jus ante vocatus ac solenniter monitus indeque aut contumax aut reus peractus in eandem poenam ex sententia forensi seu hominis incidit. *Denunciatoriae* formulae sunt quibus tantum denunciari solet causa ipseque actus excommunicationis promulgari. Et species tam judiciaria quam comminatoria, ex more Orientalium, in formula habetur singulari & peregregia illa, sive vetustatem spectes sive sensum expressiorem, qua sub octogesimum paulo amplius annum a Constantini morte seu Christi, juxta Baronium, 411, Honorio & Theodosio Augustis, a patribus ecclesiae Ptolemaidis excommunicati sunt Andronicus Beronicensis, Pentapolis in AEgypto praefectus, Thoas aliique aliquot ob facinora quidem in chri-

[a] Vide Synod. Carthagin. Can. 79. & ibi Balsamon. Gabriel. Albaspin. in Observat. lib. 1. cap. 2, 3.

ſtianam religionem ejuſque ibi profeſſores graviſſima [b] ab eis commiſſa. Ea ita ſe habet, ſatis quidem imperioſa & cothurnata, Ἐπὶ τούτοις [c] ἡ Πτολεμαΐδος ἐκκλησία τάδε πρὸς τὰς ἁπανταχοῦ γῆς ἑαυτῆς ἀδελφὰς διατάττεται. Ἀνδρονίκῳ καὶ τοῖς αὐτοῦ, Θόαντι καὶ τοῖς αὐτοῦ μηδὲν ἀνοιγνύσθω τέμενος τοῦ Θεοῦ. ἅπας αὐτοῖς ἱερὸς ἀποκεκλείσθω, καὶ σηκὸς καὶ περίβολος. Οὐκ ἔστι τῷ διαβόλῳ μέρος ἐν παραδείσῳ, ὃς κἂν λάθῃ διαδὺς, ἐξελαύνεται. Παραινῶ μὲν οὖν καὶ ἰδιώτῃ παντὶ καὶ ἄρχοντι μήτε ὁμορόφιον αὐτοῖς μήτε ὁμοτράπεζον γίνεσθαι· ἱερεῦσι δὲ διαφερόντως, οἳ μήτε ζῶντας αὐτοὺς προσεροῦσι, μήτε τελευτήσαντας συμπροπέμψουσιν. Εἰ δέ τις ὡς μικροπολῖτιν ἀποσκυβαλίσει τὴν ἐκκλησίαν, καὶ δέξεται τοὺς ἀποκηρύκτους αὐτῆς, ὡς οὐκ ἀνάγκη τῇ πένητι πείθεσθαι, ἴστω σχίσας τὴν ἐκκλησίαν, ἣν μίαν ὁ Χριστὸς εἶναι βούλεται. Ὁ δὲ τοιοῦτος, εἴτε Λευΐτης ἐστὶν, εἴτε πρεσβύτερος, εἴτε ἐπίσκοπος, παρ' ἡμῖν ἐν Ἀνδρονίκου μοίρᾳ τετάξεται, καὶ οὔτε ἐμβαλοῦμεν αὐτῷ δεξιὰν, οὔτε ἀπὸ τῆς αὐτῆς ποτε σιτησόμεθα· πολλοῦ δὴ δεήσομεν κοινωνήσειν τῶν ἀποῤῥήτου τελετῆς τοῖς ἐθελήσασιν ἔχειν μερίδα μετ' Ἀνδρονίκου καὶ Θόαντος. *Ob haec, Ptolemaidis eccleſia haec ad omnes ubique terrarum ſorores ſuas praecipit. Andronico & ſuis, Thoanti & ſuis nullum Dei fanum aperiatur; omnis illis religioſa aedes & ſepta claudantur. Nulla diabolo in paradiſo pars eſt; qui ſi clam irrepſerit, expellitur. Admoneo igitur & privatum quemque & principem* (hoc ſcilicet Syneſii Ptolemaidis eccleſiae epiſcopi nomine dicitur) *ut neque ſub eodem tecto ipſe habitet* [d], *neque eadem cum illis menſa utatur; maxime vero ſacerdotes, ut neque viventes illos alloquantur, neque mortuos pompa funebri deducant. Sin quiſquam velut anguſtae urbis eccleſiam contemſerit, & ab ea ſic damnatos exceperit, quaſi pauperi parere nihil eſſet neceſſe, noverit is ſectam a ſe eccleſiam, quam unam eſſe vult Chriſtus. Atque hic ſive Levita fuerit, ſive presbyter, ſive epiſcopus, apud nos in Andronici loco reputabitur, neque cum eo dextram jungemus, neque eadem ex menſa veſcemur unquam. Tantum abeſt ut arcana cum eis myſteria communicemus qui cum Andronico & Thoante partem aliquam habere voluerint.* Videmus hic non ſolum Andronicum & Thoantem ipſos, verum etiam τοὺς αὐτῶν *qui ipſorum erant* ſimul excommunicatos. Unde ſub initium epiſtolae citatae de Andronico legitur, πάσης ἐκκλησίας ἀπελαθήτω πανέστιος *omni eccleſia cum univerſa familia extrudatur.* Qualis quidem excommunicationis, ſcilicet totius familiae alicujus, ob ſui facinora, veluti correorum nomine Auxilium epiſcopum juvenem objurgat Auguſtinus [e]. Neque enim modo unico tantum ut ſibi ſatis conformi aliquo adhibita eſt ſemper ſeculis illis priſcis excommunicatio. Et memineris hic totam familiam ſeu *N. cum ſuis*, quod & ante ex Cypriano [f] notatur, communioni generatim ſubinde ex aliquorum, ſeculis in vetuſtioribus, diſciplina reſtituendos, id eſt, familiam integram reſtituendam ſeu abſolvendam, uti in jam allatis, familias integras excommunicatas. Recentior formula orientis infra memoratur, ubi de effectu etiam apud mortuos, ut ibi creditur, loquimur. Mitioris autem, inter occidentis per haec tempora vetuſtiores, ſeu minoris formulam habes, ubi Arca dium & Eudoxiam Auguſtos excommunicat [g] In nocentius pontifex Romanus ob injurias in Chry ſoſtomum illatas; *Ego minimus, & peccator, cu thronus magni apoſtoli Petri creditus eſt, ſegre go & rejicio te & illam a perceptione immacula torum myſteriorum Chriſti Dei noſtri.* Sed ve ro etiam formulas ſubinde ſuas habuere & veteres & recentiores in occidente per tempora jam tractata, in quibus non ſolum ipſe qui ſceleris reus ſed fautores, complices, communicatores univerſi expreſſim anathemate plexi. Atque hiſce aliiſque id genus e libro lectis acceſſere candelae & lampades ac nolarum ſonitus, uti apud Judaeos (ut ante memoratum) buccinarum ſeu tubarum (praeter alia ſolennia) unde **to be cursed with Bell, Book and Candle**, *maledici nola, libro & candela*, in ore vulgi apud nos alibique. Apud Burchardum [h] & Ivonem [i], ex concilio Rhotomagenſi, habetur, *Epiſcopum, cum excommunicare vel anathematizare aliquem pro certis & manifeſtis ſceleribus diſpoſitum habet, poſt lectionem evangelii clerum & plebem ita debere alloqui, Noverit charitas veſtra, fratres mei, quod quidam vir nomine N. diabolo ſuadente*, &c. Interjecta dein de ſcelere ipſo, de commonitoriis ad eum miſſis, de ejus contumacia ſive in non comparendo ſive in ſatisfactionem denegando, narratione, uti etiam ex evangelio illis de fratre corripiendo, de eo quod eſt, *Si eccleſiam non audiverit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, de ligando & ſolvendo, aliiſque eam in rem ex epiſtolis Paulinis memoratis: *Dominica*, inquit, *atque apoſtolica praecepta adimplentes, membrum putridum & inſanabile, quod medicinam recipit, ferro excommunicationis a corpore eccleſiae abſcindamus, ne tam peſtifero morbo reliqua membra corporis, veluti veneno, inficiantur. Igitur quia monita noſtra & crebras exhortationes contemnit, quia tertio ſecundum dominicum praeceptum vocatus ad emendationem & poenitentiam venire deſpexit, quia culpam ſuam necdum cognovit, nec confeſſus eſt; nec miſſa nobis legatione, qui cauſam ipſius exquirimus, quia noſter parochianus eſt, veniam poſtulavit; quia in coepta malitia, diabolo cor ejus indurante, perſeverat &, juxta quod apoſtolus* [k] *dicit, ſecundum duritiam ſuam & cor impoenitens theſaurizat ſibi iram in die irae; idcirco nos eum cum univerſis complicibus & communicatoribus fautoribuſque ſuis, judicio Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & beati Petri principis apoſtolorum, & omnium ſanctorum, necnon & noſtrae mediocritatis authoritate & poteſtate nobis divinitus collata ligandi & ſolvendi in coelo & in terris, a pretioſi corporis & ſanguinis Domini perceptione & a ſocietate omnium chriſtianorum ſeparamus, & a liminibus ſanctae matris eccleſiae in coelo & in terra excludimus, & excommunicatum & anathematizatum eſſe decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis ejus & omnibus reprobis in igne aeterno judicamus, niſi forte a diaboli laqueis reſipiſcat, & ad emendationem & poenitentiam redeat, & eccleſiae Dei, quam laeſit,*

[b] Syneſ. Epiſt. 70. [c] Syneſius epiſt 58 & videſis Baronium, tom. 5. ann. 411. § 53, &c. [d] Videſis Baſil. epiſt. 47. [e] Epiſt. 75. Vide Gratian. cauſ. 24. quaeſt. 3. & Auguſtin. Epiſt. 187. ad Bonifacium, c. 17. quaeſt. 4, c. 8. Miror. [f] Epiſt. 11. [g] Michael Glycas in Annal. part. 3. Baron. e Cod. Vatican. tom. 5. ann. 407. §. 23. [h] Decret. lib. 11. cap. 2, &c. [i] Decret. lib. 14. cap. 76, &c. [k] Rom. iii. 5.

ſatiſ-

6

satisfaciat. Et respondeant omnes tertio Amen, *aut* Fiat, fiat, *aut* Anathema sit. *Debent enim duodecim sacerdotes episcopum circumstare, & lucernas* [l] *ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram & conculcare pedibus. Post haec episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant quam terribiliter damnatus sit*, &c. Alias ejusmodi habes apud autores veteres jam citatos; inter quas singularis etiam est, & diris seu maledictionibus ac carminibus horrendis plenissima, illa ex concilio aliquo Turonensi ab eis allata; *Canonica instituta & sanctorum patrum exempla sequentes, ecclesiarum Dei violatores, videlicet raptores, depraedatores, & homicidas N. in nomine Patris & Filii & virtute Spiritus Sancti, necnon autoritate episcopis per Petrum principem apostolorum divinitus collata, a sanctae matris ecclesiae gremio segregamus, ac perpetuae maledictionis anathemate condemnamus. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictae reliquiae eorum, maledictus fructus ventris eorum & fructus terrae illorum. Maledicti sint ingredientes, & maledicti sint egredientes. Sintque in domo maledicti, in agro profugi. Veniantque super eos omnes illae maledictiones quas Dominus per Mosem in populum divinae legis praevaricatorem se esse missurum intentavit. Sintque anathema maranatha, id est, pereant in secundo adventu Domini. Nullus eis christianus Ave dicat. Nullus presbyter missam cum eis celebrare praesumat, vel sanctam communionem dare. Sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium sint super faciem terrae. Et sicut hae lucernae de manibus nostris projectae hodie exstinguuntur, sic eorum lucerna in aeternum exstinguatur, nisi forte resipuerint, & ecclesiae Dei, quam laeserunt, per emendationem & condignam poenitentiam satisfecerint.* Ejusmodi aliae, nunc prolixiores nunc breviores, tum comminatoriae tum judiciariae, formulae sunt obviae, quarum maxima & eminentissima illa bullae *Coenae Domini*, quae passim occurrit. Etiam in pervetustis veterum Cambro-Britannorum monimentis legitur[m], sententiam ab episcopis Landavensibus, in synodo, *depositis crucibus ad terram, simul & reliquiis sanctorum cum cymbalis*, pronunciari solitam. Etenim tum apud Britannos illos tum Anglo-saxonas veteres excommunicationis, pro more seculorum vario, usus erat; quod ex jam citatis, atque e Theodori archiepiscopi sub annum Christi 670 Cantuariensis canonibus[n], aliisque in historia seculorum illorum ecclesiastica[o] occurrentibus, scimus. Anglosaxones eam suo vocabant idiomate Amansumnunge, & excommunicatum Amansumige, & excommunicare Amansum, ut ex locis jam memoratis liquet: unde in lingua Anglicana veteri To Manse & Mansing idem denotantia a Roberto Glocestrensi[p], qui sub Edwardo primo scripsit, aliisque usurpatur. Denunciatoriae autem, quas diximus, formulae, seu quae vim habent in se tantum denunciandi id quod ex jure aut homine jam ante circa hanc rem more solenni factum est, cernuntur in excommunicationum denunciationibus, quae sive ab antistitibus superioribus sive a plebium ministris sacris fieri solitae, idque non modo ex praescripto canonum, sed etiam interdum legum publicarum. Atque hujus quidem generis habebatur, ut alibi passim in orbe christiano non ita dissimilis, apud nostrates olim ante reformationem sub Henrico octavo coeptam formula solennis cum primis observanda, qua quotannis per episcopos bis[q], quater autem in singulis ecclesiis parochialibus a ministris sacris per provinciam Cantuariensem[r] excommunicati erant denunciandi. In rituali quod *Manuale* vocatur *secundum usum Sarum*[s] solennia officia & ordines a ministris sacris per provinciam illam praestandos continens, leguntur *Articuli majoris excommunicationis*, quam The great curse & *Anathema* vocitabant. Alloquebatur plebem suam minister sacer in solennibus diebus huic rei constitutis, tum distinctionem majoris & minoris explicando, tum statum miserrimum eorum qui alterutram incurrerent, nisi resipiscerent & ecclesiae se reconciliarent, suo more inculcando: & dein ad denunciationem se accingens dicebat, We denounce accursed all, *Maledictos denunciamus universos*, qui ecclesiasticos aliquos bonis suis juribusve fraudaverint; compluribus itidem aliis insequentibus, tum qui juxta sive canones universales sive Anglicanos jure excommunicandi, tum sane omnimodos juris Anglicani seu *libertatum*, ut vocant, violatores. Hisce enumeratis, & interdum canonibus ipsis, quibus praescripta excommunicatio, adnotatis, subjungebat denunciator,

By authority of our Lord God almighty, and our Lady seint Mary, and of all heaven, of angels and archangels, patriarkes and prophets, apostles and evangelists, martyrs, confessors and virgins, and also by the power of all holy chirch that our Lord Jesu Christ gave unto seint Peter, we denounce all them openly accursed that we have reckoned unto you, and all that maintain them in their sins or give to them help or counsell, so that they be departed from God and all holy chirch, and that they have no part of the passion of our Lord Jesu Christ, ne of no sacrament that is in holy Chirch, ne part of the prayer among christian folk, but that they been accursed of God and holy chirch from the sole of the foot unto the crown of the head, sleeping and waking, sitting and standing, and in all their words and works; and, but if they have grace of God for to amend them here by their lives, for to dwell in the paines of hell for ever without end. Fiat, Fiat. Amen.

Adjicitur in rituali illo, omnes ejusmodi *in hac generali excommunicatione ipso facto & jure excommunicatos*, & pro denunciatoris arbitrio, crucem erectam, nolarum clangorem, candelas accensas earumque projectionem & exstinctionem solennem fuisse adhibendas. Tantundem fieri solebat ter quotannis in singulis ecclesiis parochialibus per provinciam alteram seu Eboracensem;

[l] C. 106. debent caus. 1. quaest. 3, &c. Videsis Theophil. Rainaud. de Monitoriis Ecclesiasticis, part. 2. cap 7. §. 4. &c.
[m] Synod. Landavens. apud Henric. Spelman. in Concil. Brit. pag. 384, 385, &c.
[n] MS. Latino-Saxon. in Collegio Benedictino apud Cantabrigienses, cap. 31.
[o] Beda Hist. Eccles. 3. cap. 22.
[p] MS. in Biblioth. Cottoniana, & videsis Notas in Eadmerum, pag. 169.
[q] Confirmat. Chart. cap. 4.
[r] Constit. Provinc. tit. de Sent. Excomm. Cap. Praecepimus.
[s] Parisiis 1630. fol. 145.

quod liquet ex ejusdem provinciae manuali [t]. Atque velut in denunciationis hujusmodi locum successit in liturgia nostra, quam *communium precum librum* vocitamus, comminatio tantum maledictoria illa ex Deuteronomio [v] plerumque sumpta. Ideo autem maxime formulam illam nostratem satis horrendam hic adjecimus, quoniam ut ritualium jam dictorum seu manualium pleraque periere ipsa, ita etiam in paucissimis eorum quae supersunt reperitur illa formula. Quamplurima quidem nec semel excusa sunt olim, alia Parisiis, Rothomagi alia, etiam & alia Londini. Sed statim post reformationem illam ita coeptam tum praetermissum plerumque in editionibus quicquid ad articulos excommunicationis, utpote ita jure pontificio maximae ibi fundatae, spectavit, tum e codicibus in quibus id excusum fuerat non raro excisum dilaceratumve. Subjectum excommunicationis vocamus tum quicquid excommunicatur, aut in quod sententia ejusdem vibratur, aut vim retinere creditur; tum causas ob quas sententia sive comminatoria sive judiciaria fertur, indeque denunciatoria postmodum adhibetur. In subjectis hic non solum personae sed & res habitae. Nec personae solum vivae, seu homines christiani viatores, sed etiam mortuae. Nec privatae solum, sed principes, ut in exemplis imperii Romani, & Angliae & Galliarum regnorum aliorumque notissimis. Res autem non animatae solum sed etiam inanimatae subinde anathematizatae sunt; ut daemonas praetereamus, in quos etiam interdum anathema pronunciatum. De illis, uti & de rebus animatis, veluti muribus, soricibus, locustis, aliis bestiolis frugiperdis, etiam avibus, veluti picis, monedulis, quae annulos seu id genus aliud surripuerant, testantur [x] scriptores gravissimi, & de processu in eas solenniter per monitoria instituto, indeque sententia velut in reos aut contumaces lata. Et res inanimatas etiam memorat Rogerius Bachonius ut excommunicatas, in illo de libris aliquot Aristotelis ab Arabum pari illo celebri Avicenna & Averroe, expositis: *Scimus*, inquit [y], *quod temporibus nostris diu fuit Parisiis contradictum naturali philosophiae & metaphysicae Aristotelis per Avicennam & Averroem expositae, & ob densam ignorantiam fuerunt libri eorum excommunicati, & utentes eis pro tempore longo.* Certe & epistola Ibae ad Marin Persam anathematizata & anathematizanda dicitur in edicto Justiniani [z] de fide. Sed quantum ad aves & bestias; adeo superstitiosae & ridiculae habentur a viris cordatis in eas sententiae utcunque latae & similitudinariae excommunicationis subinde nomen induentes, ut de his plura dicere supervacaneum nimis esset. Nec sane in rebus inanimatis qualibuscunque excommunicandis rationem haberi ullam sanae menti admittendum, nisi ubi per metonymiam, ut in libris, epistolis & haeresibus anathematizandis, ipsi autores, assertores, fautores intelliguntur. Et quantum ad personas mortuas, postquam e vivis excesserint, excommunicatas; utcunque tam apud veteres quam recentiores ejusmodi sententiae reperiantur [a], etiam & mortuorum absolutiones, quoniam tamen nulla inde personae, ut viatoris, seu visibilis mutatio habetur, nec sane cordatioribus ullum obtinere effectum sententiae tales (ni forsan suffragiorum privationem admitti volueris) existimantur, ideo etiam de eis plura dicere supersedemus. Qualem autem effectum sententiam in viatorem latam habere etiam post mortem a nonnullis creditum fuerit, mox memorabitur. Causae ob quas personis poenam hanc irrogatam esse aut irrogari posse admissum est, multiplices non minus sunt quam ipsi reatus qualescunque humani tam quidem circa sacra quam profana. Canones veteres recentioresque causis ejusmodi plenissimi. Etiam numerosissimae sunt ob quas *ipso facto* incurritur, ut ex scriptoribus de excommunicatione obviis, bulla *coenae Domini*, id genus aliis quibus *bullarium* turget, cuiquam liquet. Sed auctae mirum in modum causae istiusmodi ex usu pontificum gliscente sub secula undecimum & duodecimum & deinceps. Tum enim non solum *in ordine ad spiritualia* (quo carminis genere aut ejusdem sensu inaurari solet ac larvari excommunicatio quaelibet, quemadmodum & interdictum & suspensio, quae excommunicationi sunt omnimodo farinae congeneris) verum etiam expressim ad jura publica inter principes ac subditos, ac inter subditos invicem privata, adeoque, pro persuasionum discrimine, universa tuenda, reformanda, interdum etiam destruenda, fulmen hoc adhiberi coeptum. Et causae plane tam temporales quam spirituales passim satis innumerae. Id genus in causis locum apud nostrates habuere olim primarium violationes qualescunque *libertatum Angliae*, in *Chartis Magna & de Foresta* contentarum, ac *jurium aut pacis regni*, nec solum ecclesiae, cujus nomine subinde aliorum jura, utcunque legitime introducta, observantes etiam poena hac, ex solenni pronunciatione, implexi. Sub Stephano rege in synodo Wyntoniensi excommunicati omnes *qui* [b] *aratra in campis cum ipsis agricolis talem pacem in agris qualem haberent in coemeteriis*, (quorum privilegia eadem synodo etiam firmata) *si extitissent*, non permitterent. Postea sub Joanne rege [c] ortis inter eum & subditos suos de *libertatibus* dissidiis, Innocentius papa tertius excommunicavit universos qui libertates illas impetratas vellent, ut regni perturbatores. Sub Henrico tertio Stephanus antistes Cantuariensis in concilio Oxoniensi [d] non solum jurium ecclesiae violatores excommunicavit, sed etiam universos qui *pacem & tranquillitatem Domini regis & Regni injuriose perturbare praesumerent, & qui jura Domini regis injuste detinere contenderent*, alios item, ob causas in quibus spiritualis character revera nullus. Tempore autem jam dicti concilii, atque saepius in sequentibus, inter Henricum tertium ac proceres populumque, uti ante etiam sub Joanne rege, *de libertatibus*, quas diximus, summas esse natas discordias nemo nescit. Confirmatae quidem sunt juramentis aliterque ab utroque rege, & ab Henrico saepius, sed frustra nimis, cum nihil magis in votis eis

[t] Londini 1509. [v] Cap. xxvii. [x] Chassanaeus Consil. 1. Navarr. lib. 5. Consil. 57. tit. de Sent. Excommunicationis, Theophilus Rainaudus de Monitoriis Ecclesiasticis part. 2. cap. 12. Marius Alterius De Excom. Disp. 10. lib. 3. cap. 2. alii qui de censuris. [y] De Impedimentis Sapientiae, dist. 1. cap. 9. MS. [z] Ad finem Crabbianae edit. Concil. & Baron. tom. 7. ann. 546. §. 28. [a] Vide jam citatum edictum, de Theodoro, &c. & scriptores de excommunicatione & censuris obvios, Albaspin Observat. lib. 1. cap. 1. & 10. Marian. ad 1 Corinth. ✝. 4. & ibi citata. caus. 24. quaest. 2. Theophil. Rainaud. de Monitoriis part. 2. cap. 3. & ibi citata, Marium Alterium, &c. [b] Matth. Paris anno 1142. [c] Idem anno 1215. [d] Constit. Provinc. tit. de Sent. Excomm. C. autoritate anno 1222.

restaret quam contra rursus ire, nec juribus ejusmodi quae proceribus populoque avita erant, ipsos frui permittere. Eo igitur tandem sub Henrico deventum est ut ex horrendo excommunicationis generalis carmine (qualiscunque ejusdem vis aut esset aut haberetur) roboris aliquod expressius ac publice jura illa acciperent. Inde sub Edmundo praesule Cantuariensi [e] in synodo Westmonasterii habita, rege ipso praesente, candelis accensis, projectis ac exstinctis, *chartam libertatum violantes vel sinistre interpretantes* excommunicantur. Annis autem aliquot postea seu Henrici illius 37 ac Christi 1253 in comitiis etiam, ut videtur, parliamentariis aula in Westmonasteriensi habitis, Bonifacio tunc antistite Cantuariensi, iteratur excommunicationis ejusmodi sententia in illos [f] qui *ecclesiasticas libertates vel antiquas regni consuetudines in chartis communium libertatum & de foresta concessas quacunque arte vel ingenio violaverint, infringerint, seu diminuerint, vel mutaverint, clam vel palam, facto, verbo vel consilio contra illas vel illarum aliquam in quocunque articulo temere veniendo, item in omnes illos qui contra eas vel earum aliquam statuta ediderint vel edita servaverint, consuetudines introduxerint, vel servaverint introductas, scriptores statutorum, necnon consiliarios & exsecutores qui contra praedicta praesumpserint judicare.* Scilicet hinc ipso facto incurri hanc poenam pronunciabant. Et tanti apud nostrates erat promulgatio illa ut in veterum statutorum Angliae codicibus tum impressis tum MSS. integra inseri soleret, nomine *sententiae latae super chartas.* Hinc etiam in comitiis Edwardi primi parliamentariis binis [g] praestituitur ut bis quotannis per ecclesias ejusmodi excommunicatio denunciaretur; uti etiam in synodo Radingensi [h] sub eodem rege ab Joanne Peckhamo Antistite Cantuariensi, ut quater quotannis in ecclesiis publice idem fieret. Atque in Eboracensi provincia obtinuit ut ter [i] minimum per singulas ecclesias esset itidem denuncianda. Jam vero *libertates* in chartis illis contentae sunt jura quamplurima & primaria eorum quae Angliae, ut vocant, municipalia sunt seu propria, veluti feudalia nostra, dotalia, pupillaria, forensia, de custodiae traditis, possessione deturbatis, nemoribus, feris, & quae sunt cynegetica, id genus alia non pauca ad religionem aut sacra non omnino aliter atque quaecunque sunt alia mere humana attinentia. Aliae fuere ejusmodi excommunicationis causae apud nos etiam postmodum introductae admissaeque, ut videre est apud Guilielmum Lindwodum in titulo *De Sententia Excommunicationis*; cum quibus observetur illud Edwardi tertii [k] rescriptum ad episcopos quo excommunicatione cohibendos voluit universos in jura publica regni reos. Id in breviariis aliquot statutorum nostrorum vetustis reperitur, & in Rastalli, quod vulgo teritur, sub titulo de excommunicatione memoratur; & plane idem est quod innuit Joannes Stratfordus Archiepiscopus Cantuariensis in constitutione circa eam rem sua synodali [l] jam dictis perquam congenere. Et de rescripto illo plura mox. Id genus alia passim occurrunt, etiam apud gentes alias. Quod ad personas attinet quarum aut autoritate aut effato qualitercunque ferri, per haec tempora, solita excommunicationis sententia sive comminatoria sive judiciaria; nemo nescit utramque & olim per secula omnia & hodie frequentissimam reperiri in actis tum synodalibus tum forensibus ordinis ecclesiastici, sive is pontificius fuerit ac Romanensis, sive pontificius nec Romanensis, sive presbyterialis. Interdum etiam pontifex Romanus sibi soli reservat in causis aliquot excommunicandi potestatem, atque aliis pro libitu delegat. Et notissima est cuique circa hanc rem ordinariae & delegatae & reservatae jurisdictionis in ecclesia maxime Romanensi distinctio. Etiam comminatoria non raro citra synodi aut fori rationem ab ordinis illius hominibus adhibita, ut in donationum formulis passim occurrentibus quibus ecclesiarum proventus ipsi augent. Adjicere solent anathematizatum & excommunicatum esse qui jus inde adquisitum violaverit. Id tralatitium est. Etiam in codicibus suis solenne fuit ipsis adnotare Domini nomen, anathema illi qui surriperet pronunciando. In occidentalium usu id frequentissimum: Et habetur in bibliotheca Cottoniana exemplar MS. pervetustum Saidi Ben Batric, seu Eutychii patriarchae Alexandrini, in quo nomen suum adnotavit Michael Patriarcha Antiochenus ut ejusdem dominus, adjiciens insuper, si quis codicem surripuerit

يكون محروم من الله *sit anathematizatus a Deo.* Imo invaluit apud nonnullos, idque non raro, sententia, quemlibet ordinis ecclesiastici excommunicandi habuisse, etiam sine figura judicii forensis, potestatem, quemadmodum e vulgo quemlibet apud Judaeos; qua de re superius monitum. Inde Theodosium juniorem excommunicavit monachus [m] quidam. Nec se solutione non egere existimavit imperator, utcunque excommunicationem ejusmodi nihili fuisse ei assereret episcopus Constantinopolitanus, qui etiam eum solutum pronunciabat. Sed solutione ejusmodi non contentus imperator ab episcopo impetravit ut potestas solvendi ab eo monacho fieret; qui magno cum labore conquisitus tandem eum absolvit. Caeterum non modo in ordinis ecclesiastici ejusmodi actis, verum etiam in legibus principum in ordine illo non recensitorum, maxime veterum, occurrit non raro irrogatio hujus poenae non aliter atque aliarum qualiumcunque, nec ut comminatoriae solum sed generatim etiam ut in reos judiciariae. Edicto Gratiani, Valentiniani & Theodosii ad Hesperium praefectum praetorio, Eucherio consule seu A. Chr. 381, haeretici, praesertim qui Nicaenam fidem non reciperent, *ab omnium summoti ecclesiarum limine arceantur* [n]. Ejusmodi alii *nec in ecclesiam ullam convenire* permittuntur, ex eorundem Augustorum edictis [o]; item *omnium bonorum conspiratione pelluntur* [p]; nec *a moe-*

[e] Circa ann. 1240. vide Matth. Paris. pag. 161. edit. 1640 Londini. [f] Fleta lib. 2 cap. 42. Matthaei Paris & Westmonast. anno 1253 & vide Dors. Claus. 37. Hen. 3. membr. 9. in arce Londin. & Additament ad Matth Paris pag. 187. de Bonifacii Arch. Cantuariens. in violatores processu. [g] Confirmat. Chart. cap. 4. 25 Ed. 1. stat. de Tallagio non conced. cap 4. seu 34 Ed. 1. [h] Constit. Provinc. tit. de sent. excomm. praecipimus & vide Jo. de Burgo in Pupilla Oculi part. 6. cap 22. [i] Manual. juxta usum Eccles. Eborac. [k] Anno 8 Ed. 3. [l] C. superno in Constit. Provinc. tit. de Sent. Excomm. [m] Theodoret Hist. lib 5. cap. 36. Niceph. lib 14 cap. 2. Baron. tom. 5. ann. 425 § 16. [n] L. 6. C. Theodos. lib. 16. tit. 5. & vide excerpta ex Joanne Antiocheno edit. ab Henrico Valesio pag. 840. [o] Ibid. l. 10. [p] Ibid. l. 11.

nibus urbium solum, sed etiam *a congressibus bonorum & honestorum, & communione sanctorum*[q] *inhibentur.* Ut *huic hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum caeteris*[r], *& perpetua inusti infamia a coetibus honestis & a conventu publico segregandi*[s]. Item *foeminae quae crinem suum contra divinas humanasque leges instinctu persuasae professionis absciderint, ab ecclesiae foribus arceantur. Non illis fas sit sacrata adire mysteria, neque ullis supplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria frequentare; adeo quidem ut episcopus tonso capite foeminam si introire permiserit, dejectus loco etiam ipse cum hujusmodi contuberniis arceatur*[t]. Sic Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. ad Tatianum praefectum praetorio; ubi etiam comminatoriam vides in episcopum qualemcunque sic reum excommunicationem vibrari. Accedat illud Arcadii & Honorii AA. ad Eutychianum praefectum praetorio, quo ii qui *ab Arsacii, Theophili, Porfyrii eminentissimorum sacrae legis antistitum communione dissentiunt, ab ecclesiis proculdubio repellendi*[v]. Id genus alia habentur tam in Justinianeo[x] quam Theodosiano codice obvia. Etiam Justinianus ipse saepissime suo nomine *anathematizamus*, & *anathematizentur*, & *sub excommunicatione fiet*, in haereticos adhibet, & *anathema sit*, ut ex edictis[y] ejus liquet. Forte etiam tantundem volebat ille in legibus suis Georgicis[z] seu de agricultura, ubi partiarii coloni & domini qui fundum colendum dederit portiones assignans, Ὁ ἢ, inquit, ἐκτὸς τούτων μεμερισμένος, θεοκατάρατος, *Si quis aliam inierit partium divisionem, Deo exsecrandus habeatur.* Sic inter alias quamplurimas ibi poenas alia ob delicta praescriptas. Certe *notabiles atque exsecrandos haberi* haereticos edicto voluere Caesares ante eum aliqui[a]. Et congeneres sunt ejusmodi in edictis principalibus locutiones aliae. Sed & velut arbiter etiam excommunicandi summus ipse legem tulit Justinianus[b]; de qua infra. Et receptae sunt in Basilica[c], & in Nomocanones[d], aliosque libros juridicos[e] Graecorum, constitutionum jam memoratarum aliquae velut, circa Caesaream excommunicandi potestatem, vim indubitanter ac perpetuo obtinentes. De recentiorum in occidente hic imperatorum jure parili consule Ansegisum in capitularibus[f]. Adde sis hic Caroli Magni edictum[g] de summa Trinitate, quo *anathematizamus* utitur, ut in ante citatis Justinianus. Accedat etiam[h] Conradi imperatoris primi decretum, velut plane excommunicationis, in Erchingerum & Bertholdum duces Suevos aliosque aliquot latum. Id genus sunt apud veteres alia[i]. Etiam in legibus nostratibus reperitur, constitutum a rege & ordinibus parliamentariis (in quibus quidem tunc episcopi; sed ordines reliqui etiam legis illius cum illis primarii autores) percutientes in ecclesiis[k] aut coemeteriis ipso facto *pro excommunicatis habendos, & excludendos a societate & consortio ecclesiae christianae.* Simili modo ex lata a rege eisdemque ordinibus lege expressim excommunicantur Romano-Catholici quotquot ecclesias ac preces publicas adire recusaverint, indeque fuerint convicti[l]. Apud Scotos etiam lege haud ita dissimili parliamentaria[m] praecipitur ut idem genus hominum intra certum tempus erroribus suis renuncient *sub poena excommunicationis.* Etiam in solennioribus aliquot excommunicationis pronunciandae ritibus tam principes aliique laici circumstantes quam ordo ecclesiasticus candelas ab ipsis pariter exstinguendas tenuere, ut in exemplo illo Henrici Anglorum regis tertii[n] procerumque adstantium dum sententia illa celebris ante dicta lata erat *super chartas.* Nec quidem ita infrequens est in codicillis donationum, quibus ditantur a principibus aliisve non ordinis ecclesiastici ecclesiae, subjici *anathema fore* qui surripuerit, seu ecclesiam deturbaverit. Codicillorum ejusmodi specimina occurrunt inter Edgari regis Angliae chartas apud Ingulphum, item in codice donationum piarum Auberti Miraei, atque apud alios qui donationes ejusmodi ediderunt. Scilicet tam non ecclesiastici quam ecclesiastici ordinis homines clausulam ejusmodi usurpare soliti. Sed vero distinguunt viri aliquot hic docti[o] inter sententiam sic ab ordinis ecclesiastici praefectis latam & eam quae ab hominibus qualibuscunque ejusdem non ordinis aut potestatis fertur: scilicet hanc velut exsecutoriam, applicatoriam aut abjuratoriam intelligi, qua innuatur aut ferentem libenter velle ab ordine ecclesiastico talem cum effectu sententiam itidem ferendam, aut eum assensum praebere simul ab ordine illo ante latae, aut demum se detestari ac in pessimis habere tum personas tum doctrinam eo genere[p] anathematis contentam, quemadmodum laici aliquot in synodo Ephesina[q] *anathematizabant* quartadecimanos aliosque tunc haereticos simul atque haereses eorum, uti etiam hodie faciunt qui in ecclesiam Romanensem ex eorum quos ea vocat haereticos coetu cooptatos. Adeoque anathema proprium & excommunicationem quamlibet genuinam tantummodo volunt ii illam cujus sententia ab ordine ecclesiastico fertur. Effectus autem ejusmodi excommunicationis in homines christianos dum in vivis fuerint ac viatores (nam de eis solum jam loquimur) aut in minore cernitur aut in majore. Minoris effectus habetur in sacrorum interdictione varia, sive absoluta, sive locorum, personarum, temporum discrimine temperata. Majoris seu gravioris atque anathematis usitati effectus, per haec tempora, alius considerandus qui in theologorum non paucorum ac

[q] Ib. l. [illegible], 14. [r] L. [illegible] ibidem & C. Justin. tit. de Haereticis l. 4. [s] L. 54 C. Theodos ibid. [t] L 27. C. Theod. lib. 16. tit. 2. [v] C. Theodos. lib. 16. tit. 4. l. 6. & videsis Baron. tom. 5. ann. 404. §. 56, 57. [x] Vide l. 3. C. tit. de Haereticis & l. 3. C. de Apostatis & C. Th. lib. 16. tit. 7. l. 4, &c. & tit. de Episcopali Judicio l. 2. [y] L. 3, 5, 6, &c. C. tit. de summa Trinitate, edict. de fide, Baron. tom. 7. ann. 533. §. 9, &c. & ann. 546. § 18. [z] Tit. 1. § 21. & Harmen[illegible] ad finem l. [illegible] 6. [a] L. 7. C. Theod. tit. 5. lib 16. [b] Novell. 123. cap. 11. [c] Lib. 1 tit. de summa Trinit. & lib. 3. tit. de Episcopis. [d] Photius in Nomocanon. tit. 9. cap. 9. [e] Attaliata in Synopsi tit. 3. Leo & Con[illegible] AA. tit. 9. §. 5. [f] Lib. 5. cap. 42. [g] Apud Goldast. Constit. Imper. tom. 2. pag. 1. [h] Apud eundem C[illegible] Imperat. tom. 1. pag. 210. ann. 916. [i] Vide Recesvinthi regis legem in Concil. Hispan. pag. 447. & Ervigii pag. 6[illegible] & l[illegible] pag. 741. statutum Guesnense apud Jacob. Prilusium stat. Polon. lib. 1. cap. 4. fol. 135. & Joann. Herbort. tit. Spiritualia fol. 253. [k] Stat. 4 & 5 Ed. 6. cap. 4. [l] Stat. 3 Jacobi cap. 5. [m] Parl. 3. Jacobi 6. cap. 45. [n] Matthaei Paris. & Westmonast. ann. 1253. [o] Videsis Cardinal. Perron. in Replic. ad regem Mag. Brit. lib. 1. disp. 27. Henric. Spondan. A[illegible]arum episcopum de coemeteriis sacris lib. 4. part. 1. cap. 2. §. 5. Baron. tom. 7. ann. 528 § 11. [p] L. 43. C. tit. de Episcopis, Baron. tom. 7. ann. 528. §. 11. [q] Part. 2. act 6. tom. concil. 1. part. 2. pag 260. edit. Bin. 1618.

juris pontificii peritorum plerorumque de ea ſcriptis, uti etiam in principatibus quorum principes ſunt omnino ordinis ejuſdem; alius qui in imperiorum, regnorum ac rerumpublicarum Chriſtianarum aliarum plerarumque, ſi non omnium, uſu ac moribus. Prioris generis effectus ejuſmodi apud eos admitti ſolet ut tam ſeculum futurum quam praeſens indubitanter quodlibet eorum rite illatum anathema reſpiciat, atque ei qui ante Conſtantinum in uſu habeatur ſuppar. Et *hoc nunc agit*, inquit Auguſtinus [r], *in eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc* (de tempore legis Moſaicae loquitur) *interfectio*; quod ut ante ſic nunc & poſtmodum apud ſcriptores recipi ſolitum. Damnatio in effectu illo citra reſipiſcentiam & abſolutionem aeterna, vindictae divinae ex imprecatione exſpectatio, ſacrorum & commercii chriſtiani privatio; de qua expreſſius etiam capitularia Karoli & Ludovici imperatorum [s], & verſus illi apud ſcholaſticos & canoniſtas perquam obvii,

Si pro delicto anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, menſa negatur:

Etiam ſi ex ſententia particulatim judiciaria excommunicetur quis (vulgo vocant *ab homine*) cum eo communicans eandem incurrit poenam; regulariter ſcilicet. Sed temperamenta hic habentur in alio diſticho apud eoſdem autores tralatitio,

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe,
Haec anathema quidem faciunt ne poſſit obeſſe.

Ubi *utile* denotat eos qui in ſalutem excommunicati conſulantur; *lex*, uxorem lege conjunctam; *humile*, liberos & ſervos; reliqua, ignorantiam & neceſſitatem; de quibus, totoque ampliter hic effectu, ac poenitentiae ritu multiplici abſolutioni praevio, ipſaque abſolutione, juxta ordinis eccleſiaſtici receptiores in ſcriptis ſententias, aliiſque hic concomitantibus, fuſe tractatur apud Gabrielem Albaſpinum, Theophilum Rainaudum, Marium Alterium, alios perquam obvios. Et ſane in cauſis ferme omnimodis adhiberi ſolet inter alias haec poena, velut pariter in temporalibus, ut vocant, atque ſpiritualibus legitima, etiam ut judicialis ac forenſis, in territoriis quibus ordo eccleſiaſticus aut ex ordine illo quiſquam ſummo gaudet in univerſum ſibi imperio, ut pontifex Romanus [t] in ditionibus ſuis, pontifices ſubinde alii ac praelati quibus jura imperialia & regalia ſive conceſſa ſive uſurpata. Atque admitti ſolet a theologis non paucis ac juriſconſultis pontificiis rem hanc tractantibus, quamlibet ob excommunicationis cauſam, in canonibus decretiſque pontificiis aliorumve pontificiam ſibi ſub aliis nominibus autoritatem adſumentium placitis repertam, poſſe, juxta decretorum placitorumque hujuſmodi mentem, legitime ita in jus ab ordinis eccleſiaſtici praeſidibus vocari reum, ut ſive criminis ipſius ſive contumaciae damnatus rite etiam ac jure poſſit excommunicari, indeque ea omnia debeat ſubire quae in effectu jam dicto continentur. Euſque etiam extenditur a nonnullis paſſim obviis effectus hic ut omnimodo jure inter chriſtianos velint exui eos qui ſic excommunicati, etiamſi fuerint principes ſummi; de quibus exempla ſunt obvia & notiſſima. Eo ſpectat quod toties apud ſummos effectus hujus poenae aſſertores occurrit de eo quod eſt *in ordine ad ſpiritualia*, quae abyſſus eſt immanis qua chriſtianorum *temporalia* omnimoda omneſque actus ac res humanas devoratum hic eunt. Mitto ſubortam inter veterum nonnullos opinionem illam, *Hominem anathematis vinculo innodatum jam ſolvi non poſſe, quia inſolubile & perpetuum eſt vinculum anathematis*; contra quam multa rationabiliter poſuiſſe dicitur Gelaſius Papa [v] ſub annum Chriſti 490; qui tamen quenquam in excommunicatione mortuum poſſe abſolvi [x] noluit. In oriente autem apud Graecos alioſque eorum ibi chriſtianiſmum amplexantes receptiſſimum habetur, perquam mirandum reperiri effectum excommunicationis in corpore ejus qui ante abſolutionem mortuus fuerit: Nimirum illud in pulverem non diſſolvi [y], ſed tympani more extenſa cute in figuram horrendam tumeſcere; poſt abſolutionem vero rite etiam tunc peractam, ut cadavera alia, diſſolvi. Atque exempla hac de re proferunt, qualia etiam in occidentis hiſtoriis Eccleſiaſticis ſubinde reperta [z]. Credat qui ſatis credulus. Certe non vulgus ſolum in oriente ſed ipſi ex profeſſo ibi antiſtites opinionem illam tuentur, atque etiam in publicis excommunicationis inſtrumentis exprimunt. In comminatorio nupero Cyrilli patriarchae Alexandrini, quo excommunicandos voluit omnes qui conſulerent uxori Stamatii defuncti ut non ſervaret pacta cum mariti ſui fratribus Conſtante & Damaſceno, *Sive viri*, inquit [a], *ſive foeminae, a Deo omnipotente ſint excommunicati, maledicti & incondonati*, καὶ μετὰ τὸν θάνατον ἄλυτοι ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ τυμπανιαῖοι, *& poſt mortem indiſſoluti in praeſenti ſeculo & in futuro, & tympani more turgidi*. Formulas item abſolvendi poſt mortem in oriente uſitatas habes apud Jacobum Goar in notis ad Euchologium [b]. Qualiſnam autem effectus hic fuerit ille alter, ſeu qui repertus in moribus ac uſu regnorum & rerumpublicarum chriſtianarum aliarum ab eis quae ab ordinis eccleſiaſtici aliqua parte, ut principe ſummo, gubernantur, facile ediſcetur, ex eis quae de jure moribuſque in illis circa excommunicationem uſitatis probatiſque infra tradentur; unde ſimul liquebit qualiſnam integrarum eccleſiarum ſeu ſtatuum chriſtianorum ejuſmodi qui etiam tam ex ordine eccleſiaſtico quam eo qui Laicus dici ſolet conſtantur ſententia & judicium etiam & praxis (quicquid theologi & juriſperiti aliquot in adverſum ſcriptitarint fecerintve) per ſecula anteriora uſque in noſtra tempora ſerio obtinuerit. Quod autem attinet ad jus in univerſum quo excommunicatio fundari per tempora jam tractata exiſtimatum eſt; duplicem manifeſtum eſt fuiſſe atque etiamnum eſſe ea de re ſententiam: Alteram eorum qui juxta patrum ali-

[r] Quaeſt. ſuper Deuteron. xxxix. [s] Anſegiſ. lib. 5 cap. 42. [t] Videſis Anton Maſſam in Formulario, pag. 76. Romae 1561. Concil. Trident. Seſſ. 25. de Reformatione, cap. 3, &c. [v] Luitprandius in Vita Gelaſii. Et vide Tomum de Anathematis vinculo Epiſtolis ejus ſubjunctum. [x] Epiſt. 4 & 11. [y] Hiſtor. Politic. Turco-Graeciae, lib. 1. p. 27. & lib. 2. pag. 151. Chriſtoph. Angel de Inſtitutis Graecorum, cap. 23. Neſteutae Nomocanon apud Leonem Allatium. Epiſtola de quorundam Graecorum Opinationibus, §. 14. [z] Vide Theophil. Rainaud. de Monitoriis, part. 2. cap. 11. & Jacob. Goar in Euchologium, pag. 689. [a] Jacob. Goar ibidem. Et vide Synodum 2. ſubjunctam confeſſioni Cyrilli Patriarchae, p. 132. [b] Pag. 686.

quot

quot superiori in capite scita ac rationes e scriptura ab eis adductas ibique memoratas jus illud divinum esse ac evangelicum ita volunt ut actum excommunicandi eo niti, obedientiamque ab excommunicato aliisque christianis inde ut divinitus praeceptam debere praestari, enixius asserant. Alteram eorum qui poenam hanc jure tantum ac invento arbitrioque humano fundari volunt, adeoque pro eodem jure ac arbitrio, juxta varias regiminum formas, posse & debere temperari, admitti, omitti, rejici, revocari. Prior sententia tum in pontificiorum scriptis tum in reformatorum perquam obvia est. In commentariis pontificiorum ad N. Testamentum; atque in excerptis e patribus aliquot vetustis apud Petrum Lombardum [c], & in scholasticis ad eum perquam numerosis ea traditur, in synodis ac literis pontificiis non raro agnoscitur inculcaturque; maxime in formulis excommunicationis, in canonum collectionibus [d], & scriptoribus pontificiam hic autoritatem tuentibus, tum e theologis tum e jurisconsultis pontificiis passim prostantibus; qui scilicet aut de censuris ex professo agunt ecclesiasticis, aut earum, saltem hujus, jus nominatim obiter discutiunt, aut de *politia ecclesiastica, potestate papae*, de eo quod est *ligare & solvere, regno Christi, de clavibus, de clave David*; id genus aliis scribunt; aliis ex eis nec sane paucis (ut mox ostendetur) aliter omnino sentientibus. In reformatis autem qui ex professo & seorsim hac de re scripserint antesignanus est hic Theodorus Beza, qui anno 1590. typis Genevae primum edidit adversus Thomam Erastum medicum tractatum *De vera excommunicatione & presbyterio*, in quo tum hoc tum illam jure fundari divino ac divina institutione argumentis quampluribus contendit. Sed vix aut ne vix quidem aliis pro excommunicationis ejusmodi jure utitur quam quibus pontificii ipsi dum eandem pontificibus pariter asserere conantur. Eorum autem pleraque & maxima, si non omnia, capitibus memorantur superioribus. Consonum habet ille Calvinum [e], & sequaces quamplurimos inter scriptores qui regimen presbyteriale qualecunque ut ex divina & apostolica institutione recipiendum tuentur, maxime eos qui regnum Dei universale seu paternum ita aliud ac diversum expressius faciunt a regno mediatoris seu filiali (quod & oeconomicum vocant) ut in hoc disciplinam excommunicationis, velut divinitus ordini ecclesiastico institutam seorsim ab eo exercendam velint, quemadmodum in illo alias, quas ad civilem, ut loquuntur, magistratum, velut regni paterni tantum vicarium, poenas attinere aiunt. Scriptores ejusmodi aliquot prodiere etiam nuper in Anglia, sed plerumque Anglice. Alii etiam Latine apud Belgarum reformatos aliquos, maxime Zelandos. Obvii satis sunt omnes. Huc spectant etiam confessiones Helvetica [f], Gallicana [g], Bohemica [h], aliae aliquot: Et Belgica olim [i]. *Nos omnia humana inventa omnesque leges rejicimus quae ad Dei cultum sunt introducta, ut iis conscientiae ullo modo illaqueentur aut obstringantur. Easque solas suscipimus quae idoneae sunt vel ad fovendam alendamque concordiam vel ad nos in Dei obedientia retinendos. Ad id vero inprimis necessaria est excommunicatio, ex praecepto Verbi Dei usurpata, & aliae illi annexae disciplinae ecclesiasticae appendices.* Etiam ab episcopis nostratibus sub Elizabetha regina in synodo forma sententiae denunciandae praescribitur, in qua legitur [k], *Episcopum nomine atque autoritate Dei optimi maximi excommunicasse N. ab omni societate ecclesiae Dei, & tanquam membrum emortuum amputasse a Christi corpore.* Et toties sane a theologis nonnullis in scriptis suis ac concionibus inculcari solet sententia haec de excommunicatione, velut de singulari jurisdictionis seu ordinis instrumento ac disciplinae quam sibi libere exercendam volunt nervo strenuissimo, ut vulgo pro ea quae est fuitque antiquitus & esse debet, hac de re, unica plerumque accipiatur. Sententia autem altera, quae de jure hic humano est, nec institutionem divinam admittit, ut, secundum ea quae superius de Judaica & apostolica excommunicatione observantur, etiam jam dicta vetustior est, ita etiam rite animadversa & perspecta autores habuit per secula jam tractata & magnos & numerosissimos. Id optime cernitur in jure hac de re Caesareo seculorum vetustiorum, in regnorum & rerumpublicarum christianarum tum vetustiorum tum recentiorum, maxime ubi principes summi non fuerint ordinis ecclesiastici, usu & moribus, ac demum in editis aliquot doctorum virorum singularium commentariis. Quod ad seculorum vetustiorum jus Caesareum hic spectat; legitur, tempore quo primum christianismus cum regimine publico conjunctus est, tanto favore ordinem ecclesiasticum exceptum fuisse a Constantino Magno ut potestatem episcopis amplissimam causas omnimodas *quae vel praetorio jure vel civili tractandae essent* cognoscendi dijudicandique indulserit, sententiasque eorum prae aliis cunctis ratas ac firmas haberi voluerit. Exstat ea de re edictum ejus ad Ablavium praefectum praetorio, ad finem libri decimi sexti codicis Theodosiani sub titulo *de episcopali judicio*, velut extravagans. Sed in MS. meo locum habet edictum illud, uti & bina proxime ibi sequentia, in titulo *de episcopis, ecclesiis & clericis* [l]; qua de re alibi [m] plura. Caeterum Constantini revera fuisse certissimum est. Tribuitur a Baronio [n] anno ejusdem 9. seu Christi 314. Et quidem summatim memorari videtur tum ab Eusebio [o] tum a Sozomeno [p]. Ex ejusmodi indultu concipiendum quidem non videtur quin liberrimo excommunicationis usu fruerentur episcopi, adeoque etiam humano ejusdem jure jam gauderent, quicquid de divino ab eorum aliquibus sit insuper existimatum scriptumve. Cum enim jurisdictionis ac coercitionis quam ante Constantinum juxta confoederatam inter se disciplinam ante ostensam aliterve inter se exercebant christiani, instrumentum solum esset aut saltem primarium excommunicatio, dubitari nequit quin, permissa episcopis ex indultu Caesareo tanta in omnimodis

[c] Sent. 4. dist. 18, &c. [d] Caus. 11. quaest. 3. Caus. 24. quaest. 2, &c. Decretal tit. de Sententia Excommunicat. &c. [e] Instit. lib. 4. cap. 11. [f] Artic. 18. [g] Artic. 14 [h] Artic. 33. [i] Artic. 32 [k] Ad finem libri Canonum 1571. [l] C. Theod. lib. 16 tit. 2. [m] Differt. ad Fletam, cap. 5. § 6. & de eo vide Capitular. lib. 6. cap 28. caus 11 quaest. 1 c 37. Ivonem Decret. part. 16 cap 312 Panormiae lib. 5. cap. 22. Concil. Gallican. Jacobi Sirmond. tom. 3. pag. 166. Concil. General. tom. 3 part 2 pag. 392 edit. 1618. Append. Codicis Theodos Sirmondi, lib. 1. [n] Tom. 3. ann. 314 num. 35. [o] De Vita Constantini, lib. 4 cap. 27. [p] Lib. 1 cap 9.

causis jurisdictione, eadem etiam tunc illi uterentur inter alias poenas forenses, quas sibi licitas scilicet autumarent. Nam vetus sententia illa de capitalibus poenis christianis non licitis, hactenus complurium, si non omnium, animis inhaesisse videtur ex scommate illo Juliani apostatae, qui, cum eos, ut ipsi invisissimos, magistratibus & judiciis publicis exercendis arceret, rationem reddidit ex eo quod lex christiana gladii poena uti vetaret. Et sane per omnia ab inde etiam in nostra secula ordinis ecclesiastici praesides plerique, si non omnes, quibus talis concessa aut usurpata potestas, excommunicationis usum liberiorem adhibere soliti. Quemadmodum igitur sub Claudio Augusto, qui tam ut pontifex maximus quam summus orbis Romani imperator Judaeis omnimodis, adeoque tunc tam christianis quam non credentibus (ut capite ostenditur septimo) moribus suis ad religionem suam ac sacra attinentibus, etiam & forensi inter se coercitione non capitali, adeoque excommunicatione sua libere uti indulsit, tam Caesareo quam Judaico jure fundabatur ejusdem usus, ita ex indulgentissima hac Constantini Magni concessione, tam Caesareo jure plane quam ullo alio, qualecunque sive receptum sive obtensum ante aut post esset, palam quidem videtur, ex ipsis edicti verbis, fundatum esse ut aliarum poenarum ac multiplicis potestatis forensis quae episcopalis tunc erat, ita etiam excommunicationis christianae tunc usum, qui sic ab eo, inter jurisdictionis ac imperii alia, concessus, tam ut a pontifice maximo, seu summo in sacrorum per orbem Romanum regimine ac jurisdictione arbitro, quam ut ab imperatore. Utrumque enim munus & titulum etiam in christianismo illo gessit Constantinus ipse, ut decessores ejus in paganismo ante universi. Scilicet penes pontificum collegium erat antiquitus rerum sacrarum & de religione, ex jure ordinario, omnimoda in imperio Romano cognitio, potestas & judicium legitimum. Atque collegio illi praefuit pontifex maximus, ut summus religionis [q] ac sacrorum judex ac curator. Haec vero dignitas imperatoriae primo in Julio Caesare, & dein (mortuo Lepido tunc pontifice maximo) in Augusto, & postmodum perpetuo in paganismo imperatorum, velut maximum imperii firmamentum, conjuncta est. Et usitatissimum apud veteres erat ut sacerdotium summum [r] summumque in regimine imperium conjungerentur. Cum autem partes essent pontificatus binae, altera jurisdictio circa sacra cum imperio, altera sacra in cultu functio, haec collegio reliquisque sacerdotibus ab imperatoribus plerumque relicta est, sic tamen ut horum interim arbitrio etiam pars ea subesset. Potestas autem pontificatus maximi illa altera, seu jurisdictio & imperium ad illum attinens, cum imperatoria majestate conjunctum ita in imperatoribus ipsis invaluit (quod sane aliter fieri nequibat) ut pro solo eorum arbitrio, quicquid collegium in adversum sentiret, omnia in regimine illuc spectantia fierent. Inde illud Julii Caesaris de augendo pontificum, augurum & quindecimvirorum collegio [s]; illud item Augusti [t] de libris fatidicis, Sibyllinis, sacerdotum numero, Vestalibus, simulac pontificatum maximum susceperat. Id genus est quod de Vitellio habet Tacitus [v]; *Apud civitatem cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de ceremoniis publicis XV Kal. Augusti edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Aliensique cladibus*; quod ipsum est quod Suetonius [x] memorat ubi eodem die ait illum *pontificatum maximum cepisse.* Hisce conjunge illud Domitiani, qui jure pontificis maximi, utcunque non sine immanitate etiam tyranni, Corneliam Vestalium Maximam, seu, ut codices habent aliqui, Maximillam, incesti damnabat [y]. Atque huc spectat quod Spartianus habet de Hadriano; *Sacra Romana diligentissime curavit; peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit.* E quo loco miror sane adeo a viris aliquot doctissimis [z] admissum, priores Hadriano imperatores titulo contentos rem neglexisse. Neque enim jam memorati rem negligebant. Nec forsan reliqui. Alexander item Severus *pontificibus tantum detulit & quindecimviris atque auguribus ut quasdam causas sacrorum a se finitas iterari & aliter distingui pateretur.* Sic Lampridius. Ubi expressissimum testimonium jurisdictionis ac imperii circa sacra ab Augustis tunc libere & pro arbitrio suo per se exercendi, uti etiam aliis, pro libitu suo, permittendi. Propagata haec dignitas in Augustis per annos 360 aut circiter ad Constantinum Magnum parili jure tandem devenit. Atque is eam sibi tribuit in edicto illo primo quod in christianorum gratiam ipse cum Galerio emisit [a]. Uterque se ἀρχιερέα μέγιστον *pontificem maximum* diserte inter titulos reliquos nuncupat. Nam quicquid statuendum fuerit de eo quod observatum est ex nummis aliquot Augustorum anteriorum, ut Divorum fratrum, Caracallae & Getae, etiam & Diocletiani & Maximiani, si duo scilicet vel tres essent imperatores, illorum unum pontificatum maximum gessisse [b], ac caeteros pontifices tantum fuisse dictos sine Maximi titulo, seu majores tantum; id palam est, ex edicto illo Galerii & Constantini, uti etiam ex aliis statim allatis testimoniis, jam tandem inolevisse ut plures simul imperatores pontificatus maximi titulo ac dignitate pariter gauderent ac uterentur. In edictis quidem, numismatis ac inscriptionibus eorum maxime qui propius praecesserant non semper, sed satis infrequenter, repertus est titulus hic, nec in Constantini nec in decessorum aliquot ejus, uti nec in successorum (praeter Julianum) alicujus nummis puto omnino. Sed mansit utcunque in eo dignitas & titulus hic, etiam postquam antistites christianos tanto receperat, ut diximus, favore, & Christo etiam nomen dederat ipse. Unde illud de episcopatu ejus nuper ita a doctis aliquot controversum. Rebus enim compluribus circa sacra christiana, juxta ejus imperium & voluntatem, rite peractis, inde ait autor [c] vitae ejus eve-

[q] Dionys. Halicarnass. lib. 2. Fest. in Maximus & Ordo. [r] Vide Synes. Epist. 121. Isaac Casaubon. ad Sueton. lib. 2 c p. 31, &c. [s] Dio lib. 42. alii. [t] Sueton. lib. 2. cap. 31. [v] Histor. 2. [x] In Vitellio cap. 7. [y] Plin. lib 4 Epist. 11. ad Minutianum. [z] Vide Isaac. Casaubon. ad Spartian. Jacob. Guther. de Vet. Jure Pontificio, lib 1. cap. 15. Jul. Bullinger. de Imperatore, lib. 1. cap. 13. [a] Euseb. Hist. Eccles. 8. cap. 29. Graece, Nicephor. lib. 7. cap. 23. De anno ejusdem vide Baron. tom. 3. ann. 311. §. 32. & Samuel. Petit. in Diatrib. de Jure, principis edictis Ecclesiae quaesitis, cap. 7. Male Constantius pro Constantino ibi legitur apud Ruffinum, uti etiam in versione Christophorsoni. [b] Jac. Guther. de Veteri Jure Pontif. lib. 1. cap. 15. [c] Lib. 4. cap. 24.

niſſe ut cum epiſcopos nonnullos convivio exciperet, ipſe etiam ſe epiſcopum appellaret; ſcilicet inquit, Ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην, *Vos quidem eorum qui intra eccleſiam ſunt, ego autem eorum qui extra a Deo conſtitutus ſum epiſcopus.* Quod proculdubio dictum non ſine alluſione ad illud Pauli [d], *Nonne de eis qui intus ſunt,* τοὺς ἔσω, *vos judicatis?* τοὺς δὲ ἔξω, *eos qui extra ſunt, Deus judicat.* Ubi palam judex eorum qui extra, ſeu Deus, eſt etiam eorum judex qui intra, quorum judicium, juxta ſenſum apoſtoli & ſeculi illius rationem, eccleſiis a Deo, ut judice omnium ſummo, tunc permiſſum. Et ſingularis eſt locutio illa Conſtantini inter alias quibus uſus eſt, poſtquam chriſtianiſmo nomen dederat, in deliberationibus de dignitate illa pontificatus maximi retinenda. De locutionibus illiuſmodi conſulas quae nuper diligentiſſime congeſſit Franciſcus archiepiſcopus Rothomagenſis [e]. Dignitatis hujus titulus ei tribuitur in marmore hoc veteri ſub ipſum Nicaeni concilii primi tempus ei dicato [f],

D. N. IMP. CAES.
CONSTANTINO. P. F.
VICTORI. AVG. PONT.
MAXIMO. TRIBVN.
POTESTAT. XXIII. IMP.
XXII. COS. VII. P. P.
PRO. COS.
RERUM. VMANARVM
OPTIMO. PRINCIPI.
DIVI CONSTANTI. FILIO.
B. R. P. NATO.

Extare dicitur Parmae, uti & ei ſimile, ut gemellum, Patavii [g] apud Contarenos. Aliae etiam occurrunt in quibus eodem titulo indigitatur [h], ſed nullius plane hanc in rem autoritatis. Nec ſolum ille, ſed ſucceſſores ejus chriſtiani (ut de Juliano apoſtata nihil dicam, quem titulo & dignitate hac uſum eſſe in paganiſmo ſuo, velut ad imperatoriam majeſtatem ſemper nunc attinente, manifeſtum eſt [i]) in Gratianum cuncti dignitatem hanc geſſerunt. Romae viſitur baſis marmorea [k] effoſſa ad radices montis Palatini, Valenti Auguſto, principi Chriſtiano, ſic inſcripta,

IMP. CAES. FL.
VALENTI.
PIO. FELICI. VICTORI.
AC. TRIUMPHATORI.
SEMPER. AVGVSTO.
PONT. MAX.
TRIB. POT. III. IMP. IV.
COS. II. P. P.
COH. III. . . . . P. R. . . . .
D. N. M. . . . . .

Ac ejuſdem temporis habetur inſcriptio alia Romae in ponte Ceſtio inſulae Tiberinae juncto, quem ſancti Bartholomaei a vicino templo nunc appellant, ubi & Valentinianus & Valens & Gratianus AAA tres ſimul imperatores chriſtiani nomine pontificis maximi inter alios eorum titulos inſigniuntur, idque ob opus publicum ſeu pontem in uſum ſenatus ac populi Romani ab eis conſtitutum dedicatumque. Hanc quidem habet Baronius [l], uti & Boiſſardus [m]; ſed diverſo uterque linearum ordine ab eo quo apud Smetium, qui exſcripſiſſe dicitur, legimus, & ex eo apud Gruterum [n]. Partes item ejuſdem cuilibet ſeorſim, nec corpore in uno tributas habet Goltzius [o]. Ex ipſo autem marmore faciem ejus ita exhibet Smetius, ut in lineas octo diſponatur, qualibet earum vocabula, juxta numeros hic appoſitos, in ſe continente. Scilicet ita ſecunda, quarta, & ſexta pontificis maximi titulo clauditur.

1 DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CAESARES.
2 FL. VALENTINIANUS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS.
3 GERMANIC. MAX. ALAMANN. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET.
4 FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS.
5 GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII IMP. VI. CONS. II. P.P.P. ET.
6 FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS.
7 GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM. P. P. P.
8 PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS. AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARIQVE. JVSSERVNT.

Addit Boiſſardus; *in interiore parte pontis S. Bartholomaei utrinque duae inſcriptiones leguntur ejuſmodi.* Omnes autem qui inſcriptionem hanc edidere eadem exhibent vocabula, utcunque in linearum ordine diſcrepantes. At vero ex marmoris hujus verbis facile eſt elicere, non ſine ſenatus populique Romani etiam & ipſorum trium Auguſtorum autoritate ac placito ſingulari, cuilibet adjectum eſſe pontificatus maximi titulum, velut illum quo ut imperatorio tamdiu, atque in deceſſoribus ab initio imperii Caeſariani cunctis tam chriſtianis quam aliis conjuncto, legitime fruerentur. Eandem ob cauſam Gratianus ita etiam nuncupatur in inſcriptione publica autoritate ei Emeritae in Luſitania, ut traditur, concepta ob opus aliquod publicum, forte viam a Cappara ad Emeritam reſtitutam, cujus reſtitutae nomine exſtat ibi etiam Veſpaſiano columna inſcripta [r]. Illa autem Gratiano ita e Schotti ſchedis exhibetur [s].

[d] 1 Corinth. v. 12, 13. [e] De Rebus Eccleſiae, lib. 1. cap. 3. [f] Mart. Smetius in inſcript. fol 156, 12. Hub. Goltzius in Theſauro, pag. 80 Gruter. fol. 159, 6. [g] Gruter. fol. 283, 3. [h] Smetius Inſcript. fol. 7, 3. 58, 1. Gruter. pag. 283. Goltzius in Theſauro, pag. 79 & videſis Baron tom 3. ann 312 §. 94, 95. & compara inſcriptionem Diocletiano apud Ald. Manutium in Orthographiae ratione, pag 457. [i] Sozomen. lib. 5. cap. 1. Julian. epiſt. 62. Gruter. Inſcript. fol. 285, 1, &c. [k] Gruter. fol 286, 3. [l] Tom. 3. an. 312 § 95 [m] Part. 3. fol. 114. [n] Theſ. pag. 160, 4. [o] In Theſauro, pag. 82, 83. [p] Inſcript. fol. 3, 2. [r] Gruter. fol. 154, 3. Paul. Merula Coſmograph. part. 2. lib. 2. cap 25. [s] Gruter. pag. 159, 7.

IMP.

IMP. CAES. GRATIANVS.
PIVS FELIX. MAX. VICT.
AC. TRIVMPH. SEMP. AVG.
PONT. MAX. GERM. MAX.
ALAMANVS. MAX. FRANC.
MAX. GOTH. M. TR. P III.
IMP. II. COS. IIII. PRIM. P. PP.
RESTITVIT.
C. XI.

Ubi legendum proculdubio COS. PRIM. & delenda illa quaternarii numeri nota. Similis item Romae haec haberi dicitur [t].

FL. GRATIANUS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR.AC.TRIVMPH.SEMPER.AVG.PONT. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMAN. MAX. FRANC.MAX.GOTHICVS.MAX.TRIB.POT.VI. IMP.II. COS. PRIMVM. P P.P.

Sed legendum TRIB. POT. III. Ita sub initia hic Gratiani (tribunitiae scilicet potestatis annus imperii annum denotat) seu circa annum Christi vulgarem 370, ex receptissimo dignitatis illius ut ad Augustos etiam christianos attinentis jure, & vocabantur, ut Constantinus aliique ante, & vocari volebant & esse ipsi Augusti pontifices maximi; quo in nomine circa tam personarum quam rerum sacrarum regimen, jurisdictionem ac imperium tanta semper autoritas. Etiam & Gratiano Augusto, sub decennium post, non aliter atque tituli imperatorii reliqui, tribuitur haec dignitas ab Ausonio poeta illo celeberrimo (qui & christianus erat ipse) in gratiarum actione pro consulatu. Nempe consul erat ille sub annum Christi 380 cum Olybrio seu sub quadriennium ante Gratiani obitum. *Unus*, inquit ille, *in ore omnium Gratianus, potestate imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, pontifex religione, indulgentia pater, aetate filius, pietate utrunque.* Et inferius de comitiis consulatus sui in urbe Sirmio, velut dubitans an *tributa*, an *centuriata*, an *pontificalia* dicenda essent, *Sic potius*, ait, *sic vocentur, quae tu pontifex maximus Deo participatus habuisti.* Sane cum de Valentiniano, Valente, Gratiano, etiam & de Constantino Magno, res ita constet, curnam Constantem ac Constantium & Jovianum, qui reliqui sunt inter Constantinum & Gratianum principes christiani, parili usos esse jure non crederemus, adeoque & ipsos itidem fuisse pontifices maximos? Ecclesiastici scriptores veteres quidem hic silent, nec ejusmodi rei vestigium aliquod reliquere. Sed praeter inscriptiones jam allatas amplissimum ea de re testimonium praebet Zosimus, in quem, utpote non christianum, haud parum ob causas aliquot invehuntur Evagrius, Photius, Nicephorus, alii; de quibus consulas hic, si vis, Leunclavii pro eo apologiam. Caeterum ille de pontificatus maximi & summi imperii in regibus ac Augustis vetustioribus singulis conjunctione, in Gratiani & Theodosii rebus verba faciens: Ἅμα, inquit [v], τῷ παραλαβεῖν ἕκαστον τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν, ἡ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν ποντιφίκων αὐτῷ προσεφέρετο, καὶ παραχρῆμα ποντίφιξ μάξιμος ἀνεγράφετο, ὅπερ ἐστὶν ἀρχιερεὺς μέγιστος. *Simul atque summum imperium quisque consequebatur, amictus ei seu stola sacerdotalis offerebatur a pontificibus, & continuo pontifex maximus in actis inscribebatur.* Pergit dein, Καὶ οἱ μὲν ἄλλοι πάντες αὐτοκράτορες ἀσμενέστατα φαίνονται δεξάμενοι τὴν τιμὴν, καὶ τῇ ἐπιγραφῇ χρησάμενοι ταύτῃ· ἐπεδὴ εἰς Κωνσταντῖνον (ubi locum depravatum ita supplet Sylburgius, καὶ δὴ καὶ Κωνσταντῖνος ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν) ἦλθεν ἡ βασιλεία, καὶ ταῦτα τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπεὶς, καὶ τὴν χριστιανῶν ἑλόμενος πίστιν, καὶ μετ' ἐκεῖνον ἑξῆς οἱ ἄλλοι καὶ Οὐαλεντινιανός τε καὶ Οὐάλης. *Ac caeteri quidem pontifices universi libentissimis animis hunc honorem accepisse, & hoc usi titulo videntur; adeoque Constantinus etiam potitus imperio, licet is a recta sacris in rebus via deflexerit, & fidem christianorum amplexus sit; itemque post illum reliqui ordine secuti, & Valentinianus & Valens.* Ita de Constantino expressim ac successoribus ejus usque in Valentem, qui cum Gratiano etiam imperavit. Jam vero de Gratiano statim apud eum sequitur, Τῶν οὖν ποντιφίκων, κατὰ τὸ σύνηθες, προσαγαγόντων Γρατιανῷ τὴν στολὴν, ἀπεσείσατο τὴν αἴτησιν, ἀθέμιτον εἶναι χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας. τοῖς τε ἱερεῦσι τῆς στολῆς ἀναδοθείσης, φασὶ τὸν πρῶτον ἐν αὐτοῖς τεταγμένον εἰπεῖν, Εἰ μὴ βούλεται ποντίφιξ ὁ βασιλεὺς ὀνομάζεσθαι, τάχιστα γενήσεται ποντίφιξ μάξιμος. *Cum ergo pontifices ex more talem Gratiano amictum* seu *stolam pontificiam adtulissent, aversatus est id quod petebant; ratus non esse fas illiusmodi habitu christianum uti. Cumque stola sacerdotibus illis reddita fuisset, aiunt eum qui dignitate princeps inter eos erat, dixisse, Si imperator non vult dici pontifex, admodum brevi pontifex fiet maximus.* Quod dicterium Maximum respexisse creditum est [x]; illum scilicet ex Hispania oriundum & Constantiniana stirpe prognatum, qui aegre ferens Theodosium primum a Gratiano Augustum declaratum, in occidente summo conatu sibi imperium nancisci tentans Gratianum ipsum demum occidit. At Maximus ille inclarescere ita coepit sub exitum Gratiani, qui circa annos XVI imperavit. Neque igitur ante stola pontificia sic ei oblata videtur: nec ante pontificiam dignitatem respuisse sic videtur Gratianus, utcunque jam stola ipsa a paganicae superstitionis pontificibus allata adeo ei displiceret. Quod igitur dictum a Zosimo de stola ejusmodi Augustis offerri solita simul ac imperio potiebantur, de eo quod ut plurimum fieret & quod commode ex temporis locique ratione fieri posset necessario capiendum. Etenim ex more per quadringentos amplius jam retro annos usitato, imperatores etiam pontificatus maximi dignitatem gesserant, ex jure quo per annos tot conjuncti sunt aut velut in unam coaluerunt tituli illi sic personam. Et quanquam sub Caesariani imperii initia, aut tempora vetustiora, testimonia aliquot, sed sane paucissima, habeantur de tempore certo imperatoris post imperii initium [y] in pontificiam hanc dignitatem creandi, attamen aequum est ut credamus invaluisse tandem (quod & res ipsa facillime tulit) singularem hic in pontificiam dignitatem creationem aut induendae stolae pontificiae ritum non adeo necessarium fuisse ut sine eo pontifex maximus non haberetur imperator, simulatque creatus esset. Nam ante liquet & Valentinianum & Valentem & Gratianum simul pontifices maximos dictos sub ipsius Gratiani initia, ad quae illud Zosimi de eo

[t] Idem, fol. 1082, 13.
[v] Hist. 4.
[x] Baron. tom. 4 ann. 383. §. 6.
[y] Vide Jac. Gutherium de veteri Jure Pontif. lib. 1. cap. 15.

sub

ſub ipſum ejus exitum & inter res Maximi memoratum non omnino videtur poſſe ſpectare. Multo minus ad dignitatem hanc imperatoribus firmandam neceſſarium erat omnino eorum cuiquam uſitatum ſacrificium illud horrendum & taurino ſanguine conſpurcatum, quod ut ſummo ſacerdoti proprium a Prudentio [z] deſcribitur;

Summus ſacerdos nempe, ſub terram ſcrobe
Acta, in profundam conſecrandus mergitur,
Mire infulatus, &c.

Hoc enim pontificibus ſeu ſummis Romae ſacerdotibus cunctis creandis antiquitus regulariter adhibitum. Nam pontifex ibi quilibet *ſummus ſacerdos*, id eſt ἀρχιερεὺς, nominatus; unde etiam *archieroſynae* aliae dictae [a] non paucae. Et pontifices erant tam majores & minores quam maximus; quod nemo neſcit antiquitatibus Romanis inaſſuetus: Etiam & plures Maximi cum ſimul imperatores plures, ut dictum eſt. Sed pontifici maximo ſeu ἀρχιερεῖ μεγίστῳ modus ille ſeu ritus creationis peculiaris [b], nequaquam videtur tempore ullo peculiaris; nedum illi unquam pontifici maximo qui ſimul imperator erat & pontifex maximus, adeoque omnigeni juris ipſe arbiter: licet Julianum non ſine ſacrificio illo in dignitatem hanc creatum ſentiat quidem Baronius [c]; quod mihi non ita probabile. Adeoque ſine ſacrificio illo, etiam & ſubinde ſaltem abſque ſtola illa pontificia (utcunque pro more illa, ut inſigne ſacrum, afferri ſoleret atque indui) titulus & dignitas pontificis maximi hucuſque in Auguſtorum quolibet tam chriſtianorum quam reliquorum manſit. Nec dignitatem ipſam reſpuiſſe Gratianum legimus, ſed ſtolam induere noluiſſe, ἀθέμιτον *illicitum* ſcilicet exiſtimantem chriſtiano ejuſmodi uti ſchemate ſeu habitu, id eſt ſuperſtitioſo, & a paganici ritus pontificibus ideo allato ut ſacris illorum ſe quandatenus ſic immiſcere videretur. Sed vero hinc plerumque jam recipitur [d], tunc primum deſiiſſe in imperatoribus chriſtianis dignitatem hanc; nec, poſtquam ſic reſpuerat ſtolam Gratianus, imperatorum alicui tributum fuiſſe pontificis maximi nomen, etiam & munus ejuſdem circa ſacrorum paganicorum regimen in praefecturam urbis, ſub id tempus, ab Auguſtis [e] rejectum. Sed vero vir doctiſſimus Jacobus Gutherius, *Pontificis nomen*, inquit [f], *imperatores chriſtianos poſt Gratianum etiam retinuiſſe, ex edicto Valentiniani & Marciani ſcimus, quod in actione tertii concilii Chalcedonenſis inſertum eſt, in qua Valentinianus & Marcianus pontifices inclyti nominantur; neuter tamen eorum, pontifex maximus.* Atque ita quidem legitur in editionibus aliquot [g] concilii illius Latinis. Verum in codicibus Graecis nihil quod pontificis nomini reſpondeat repertum Et ſuppoſititium fuiſſe illic titulum illum olim recte, puto, monuit Baronius [h]. Sed vero etiam Servius Honoratus de ſuo tempore ad illud Virgilii [i],

Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique ſacerdos,

Sane majorum, inquit, *haec erat conſuetudo ut rex eſſet etiam ſacerdos vel pontifex. Unde hodieque imperatores dicimus pontifices.* Hoc quidem Servii hic nihili eſſet ſi Adriano Auguſto coaevum eum admitteremus, quemadmodum faciunt Nicolaus Vignierus & ejus ſequaces, Gualtherius, Gordonius, alii in chronicis. Tunc enim, ut diu ante & poſt, nemo dubitat pontificatum maximum in imperatoribus fuiſſe. Sed vero Servius in Virgilium ille, cujus hic *hodieque* ad ipſius aevum plane attinet, etiam Gratiani Auguſti ſucceſſoribus nec proximis erat coaetaneus. Multo Adriano recentiorem fuiſſe ſatis liquet ex eo quod in Donatum Grammaticum ſcripſit, etiam & eundem in commentariis ſuis Virgilianis ſubinde [k] citat. Et Donatus tempori Conſtantis & Conſtantii Augg. tribuitur. Caeterum haud alium fuiſſe hunc quam Servium illum qui in colloquio Macrobiano aliquoties [l] laudatur, etiam & ſimul cum Caecina Albino, cui inſcripſit artem de centum metris, memoratur, puto, in confeſſo erit, id eſt, qui Macrobio coaevus. Macrobium autem ſub Honorio & Theodoſio minore floruiſſe diſcimus ex eorundem Auguſtorum conſtitutione *de praepoſitis ſacri cubiculi* [m], ubi expreſſim nominatur Honorio XIII. & Theodoſio X. conſulibus, id eſt A. Chriſti 422, ſeu ſub annum quadrageſimum a Gratiani morte. Adeoque etiam tunc imperatores nuncupari ex veteri more ſolitos *pontifices maximos* ex Servii jam allatis edocemur. Sunt autem qui dignitatem illam nec Conſtantini poſterorum quenquam nec ipſum Conſtantinum poſtquam chriſtianiſmo nomen dederat geſſiſſe volunt. Atque in eis olim erat Baronius, qui in notis ad martyrologium [n], *inſigniter hic mentitum Zoſimum*, auſus eſt ſcribere. Sed ex ſecundis cogitationibus & inſcriptionum, quas tunc ignorabat, autoritate aliter poſtea perſuaſus, in annalibus [o] retractavit ſententiam illam. Et fidem hic Zoſimo adſtruit etiam Joannes Morinus [p]. Prodiit autem nuper Genevae [q] epiſtola ad v. cl. Andream Rivetum, J. Pacidii nomine (in quo latere audio & credo virum ibi juriſprudentia inprimis politiorique literarum genere reliquo percelebrem) de interdicta chriſtianorum cum gentilibus communione, & de eo quod eſt *num pontificatum maximum chriſtiani imperatores aliquando geſſerint*, ubi ſpreta inſcriptionum, etiam quae verae hic & genuinae, ut ab aliis, nec ab ipſis imperatoribus, factarum, uti & Zoſimi, veluti iniquioris quam par erat in principes chriſtianos, autoritate, nec Auſonii jam allatis aliter atque eis quae per alluſionem de pontificatu maximo dicuntur ſumptis, alias etiam ob rationes contenditur titulum illum poſt chriſtianiſmum cum ſummo regimine conjunctum revera a nemine imperatorum, praeter Julianum apoſtatam, geſtum eſſe. Videantur ibi rationes illae. Noſtras de inſcriptionum autoritate obiter ſupra adjecimus. Et ſane non minus expreſſim videtur mihi Auſonius pontificem Gratianum quam imperatorem appellare. Et quantum ad Zoſimum, qui vir ſane illuſtris erat, utpote comes & exad-

[z] Hymn. 14. de Romano Martyre; ubi videſis Georgium Fabricium ad verſ. 1010. [a] L. 112. C. Theodoſ. lib. 12. tit. 1. [b] Vide Jul. Bullinger. de Imperio Rom. lib 1. cap 13. [c] Tom. 4. ann. 361. § 4. [d] Roſinus Antiq. Rom. lib. 3. cap. 22. Baron. tom. 3. ann. 312 §. 95. tom. 4 ann. 383. §. 6 tom 6. ann. 452. §. 1. Iſaac. Caſaubon. ad Sueton. lib. 2. cap. 31. Henric. Savilius in Notis ad Taciti vitam Agricolae, Caeſar Bullinger. de Imperatore Romano, lib. 1. cap. 3, &c. [e] Baron. tom. 4. ann. 384. §. 6. & ann. 394. § 78 & vide Symmach. lib. 9. Epiſt 129. [f] De Officiis Domus Auguſtae, lib. 1. cap. 39. [g] Crabbiana fol. 467. b. aliis. [h] Tom. 6 ann. 452. §. 1. [i] AEneid. 3. [k] In Bucolic. 1, &c [l] Saturnal. lib. 1. cap. 2. & 24. [m] Cod. Theodoſ. lib. 6. tit. 8. [n] Ad Auguſti 22. [o] Tom 3. ann. 312. §. 95. [p] Eccleſiae liberatae, part. 1. cap. 14. [q] Anno 1645.

vocatus Fiſci, atque ipſis temporibus quibus chriſtiani illi principes dignitate illa uſos eſſe dicitur ſatis vicinus; non videtur eſſe quod minus ei fidem habeamus quam hiſtoricis ejuſmodi reliquis res ab aliis acceptas diligentius tradentibus. Nec ſane videtur tantum a Zoſimo ea quae de pontificatu affert ille ſcripta eſſe, ſed ab Eunapio Sardiano etiam illo qui philoſophorum vitas contexuit, ac rei quae hic tractatur plane erat coaevus. Photius enim, qui tam Zoſimum quam Eunapium legerat, Εἴποι δ' ἄν τις, inquit [r], οὐ γράψαι αὐτὸν ἱστορίαν, ἀλλὰ μεταγράψαι τὴν Εὐναπίου, τῷ συντόμῳ μόνον διαφέρουσαν, καὶ ὅτι οὐχ, ὥσπερ ἐκεῖνος, οὕτω καὶ οὗτος Στελίχωνα διασύρει, *Dixerit autem aliquis hunc non ſuam hiſtoriam ſcripſiſſe, ſed Eunapianam deſcripſiſſe, & brevitate duntaxat ab illa differre, & eo quod non hic, ut ille, Stilichonem convitiis proſcindat.* Hadrianus Junius, qui primo Eunapii vitas & Graece & Latine edidit [s], & Elizabethae reginae noſtrae dicavit, in ejuſdem, quam etiam conſcripſit ipſe, vita ait chronologiam ejus ſive annales, id eſt hiſtoriam illam, ſe intelligere aſſervari in Veneta bibliotheca. Alii etiam de libris Eunapii XIV hiſtoriarum loquuntur [t] Graece exſtantibus tum in Vaticana bibliotheca tum Venetiis; quod utinam verum eſſet. Cum eis potius opinor ego qui interiiſſe arbitrantur [v]. Quicquid autem de titulo pontificatus maximi in imperatoribus tunc chriſtianis alias ſtatuendum hinc fuerit, id certum videtur, partem eam quae ſuperſtitioſa erat tantum ac paganica reſpuiſſe Gratianum, atque illum, alioſque eorum qui praeceſſerant chriſtiani, adeoque etiam Conſtantinum ipſum, ita de juriſdictione circa ſacras & perſonas & res in chriſtianiſmo illorum temporum, qualiſcunque ea tunc eſſet, & leges tuliſſe & judicaſſe ut quae attinerent ad eam omnia ex ipſorum, veluti pontificum maximorum, circa juriſdictionem ejuſmodi ipſam (quae maximi pontificatus pars praecipua) nutu ac placito pependiſſe etiam videantur; functione interim ſacra ſeu iis quae ordinis dici ſolent, ex diſciplina etiam tunc receptiſſima, ordini eccleſiaſtico, cui propria ſunt, omnino relictis. Lex ejuſmodi habetur in ampliſſimo Conſtantini edicto illo quod ſupra memoravimus; ut aliae in aliis ejuſdem, Conſtantii, & Conſtantis, aliorum, qui pontificis maximi munus illud tunc gerebant, circa ſacras tam res quam perſonas, edictis in utroque codice ſub titulis *de eccleſiis, epiſcopis, epiſcopali audientia*, id genus aliis, ſatis obviis. Aliquid etiam huc ſpectans occurrit in comminatoriis illis Valentiniani aliorumque tunc Auguſtorum excommunicationibus, quarum ſuperius mentio. Sed in hiſce maxime eminet Valentis, Gratiani & Valentiniani Auguſtorum & pontificum maximorum conſtitutio illa Artemio, Euridico, Appio, Geraſino & caeteris epiſcopis data [x], quae edicto illi Conſtantiniano mirum in modum adverſatur. *Qui mos eſt*, inquiunt, *cauſarum civilium, idem in negotiis eccleſiaſticis obtinendus eſt* (ſic MS. meus codex, uti & Baronius [y]; ubi editi habent *obtinendi) ut ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus levibuſque delictis ad religionis obſervantiam pertinentibus, locis ſuis & a ſuae dioeceſeos ſynodis audiantur; exceptis quae actio criminalis ac ordinariis extraordinariiſque judicibus aut inluſtribus poteſtatibus audienda* (ſic MS. ubi editi *audientia) conſtituit. Dat.* XVI. *Kal. Jun. Triv. Valente* V. & *Valentiniano AA. Conſſ.* id eſt anno Chriſti 376, ſeu circa octennium ante Gratiani obitum. Vetus ibi interpres, *Quoties ex qualibet re ad religionem pertinente inter clericos fuerit nata contentio, id ſpecialiter obſervetur, ut convocatis ab epiſcopo dioeceſanis presbyteris, quae in contentionem venerint judicio terminentur. Sane ſi quid opponitur criminale, ad notitiam judicis in civitate qua agitur deducatur, ut ipſius ſententia vindicetur quod probatur criminaliter fuiſſe commiſſum.* Ita igitur reſtricta hinc epiſcopalis ſeu ordinis eccleſiaſtici in judiciis poteſtas, quae antea ex conceſſione Conſtantiniana adeo ampla fuerat, ut non criminalis cauſae alicujus, quae ad fora ordinaria ex legibus ſpectaret, ſed tantum diſſenſionum leviumque delictorum ad religionis obſervantiam pertinentium cognitio ei permitteretur. Certe ſi cognitio, adeoque in jus vocatio, ſic ordini eccleſiaſtico in cauſis illiuſmodi eſt negata, neceſſario ſequitur, nec excommunicationem, cui ab homine ut vocant factae ſeu forenſi praevia eſſe ſemper debet in jus vocatio legitima, in cauſis illis, veluti homicidii, adulterii, furti, id genus aliis, ei permiſſam eſſe. Atque ita edicto imperatorio in anguſtias haſce coercita eſt juriſdictionis epiſcopalis atque excommunicandi proculdubio ad eam attinentis poteſtatis libertas priſtina. Etiam & excommunicati abſolutio Conſtantino ipſi tribuitur ab Eutychio patriarcha Alexandrino de Euſebio Nicomedienſi & Theogni Nicaeno antiſtitibus verba faciente. Eorum uterque quidem & excommunicatus & exſul erat ob haereſin Arianam, uti & poſtea abſolutus reſtitutuſque tempore Conſtantini; quod ſcimus ex Sozomeno [z], Nicephoro [a], aliis [b]. Sedem item Conſtantinopolitanam nactum eſſe Euſebium. Sed ita rem breviter enarrat Eutychius quaſi excommunicatos a ſynodo Nicaena plane abſolviſſet Conſtantinus ipſe. Verba ejus ſunt proxime poſt Alexandri patriarchae Conſtantinopolitani mortem [c]

فجا اوسابيوس اسقف نيقوميديه وصاحبه
اللذ ان لعنوهما الثلثماية وثمانية عشر مع
اريوس الي قسطنطين الملك فاستغاثا اليه
وساله ان يقبلهما و يهدر اللعن عنهما وانهما
يلعنان اريوس ومن يقول بمقالته وان امانتهما
علي امانة الثلثماية وثمانية عشر وقبلهما
الملك وهدر عنهما اللعن واخذ لا وسابيوس
اسقف نيقوميدية فصيره بطريرك علي
القسطنطينية

[r] Biblioth. Cod. 98.
[s] Antwerpiae 1568.
[t] Geſner. in Bibliotheca.
[v] Jacob. Gaddius de Scriptoribus non Eccleſiaſticis, pag. 172.
[x] L. 23. Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 2.
[y] Tom. 4. ann. 376.
[z] Lib. 2. cap. 15. & lib. 3. cap 4.
[a] Lib. 2. cap. 4
[b] Baron. tom. 3. ann. 330. §. 57.
[c] Penes me pag. 194. in Bibl. Cott. fol. 94. a.

Et venerunt Eusebius episcopus Nicomediensis, & socius ejus, Theognis Nicaenus, *quos patres trecenti octodecim,* Nicaeni patres, *excommunicarant, ad Constantinum imperatorem, opem ejus implorantes, desiderantesque ut eos reciperet ipse, atque excommunicatione* seu *anathemate ipse eos solveret, profitentes insuper se in maledictis* seu *excommunicatis habere Arium & doctrinam ejus, & fidem patrum* 318 *amplexari. Inde recepit eos imperator, & solvit eos excommunicatione.* (pro eo quod hic legitur وهدر عنهما اللعن *& solvit eos excommunicatione*, in codice Cottoniano habetur ونفا عنهم اللعن *& depulit ab eis* seu *rejecit ab eis excommunicationem:* ubi tamen هدر *absolvit* priore in loco etiam usurpatur.) *Et cepit Eusebium episcopum Nicomediae & constituit eum patriarcham Constantinopolitanum.* Haec circa excommunicationem ac jurisdictionem tunc, qualiscunque ea fuerit, ecclesiasticam, dum pontificis maximi, id est, summum circa omnimoda per orbem Romanum sacra imperium ac jurisdictionem obtinentis, & titulum & dignitatem gerebant imperatores. Postquam autem titulum hunc, seu potius insigne ejusdem, seu stolam pontificiam, quoniam a paganicae superstitionis sacerdotibus offerebatur, repudiaverat Gratianus, id est post elapsos a Constantini christianismo annos amplius quinquaginta, nullibi in monimentis publicis reperitur successorum quenquam eundem gessisse. Nec sane opinor jam permisisse ulterius imperatores tunc christianos quenquam titulum illum aut alloquendo aut scribendo ullatenus eis tribuere, utpote ex sui natura sacrorum paganicorum, quae jam, qua fieri potuerit, in desuetudinem ut detestanda abigebantur, causa primitus institutum. Cujus rei haud leve mihi est argumentum Libanii Sophistae oratio ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, *pro templis* paganorum non exscindendis, ad Theodosium M. sub hoc ipsum tempus conscripta; quam pridem edidit vir eximius Jacobus Gothofredus. Nullibi in ea Libanius ipse superstitionis paganicae tenacissimus pontificem maximum eum nominat; qui tamen titulus ex jure Caesareo pristino & paganico per quadringentos aut circiter annos in imperatoribus firmatus ad eum pariter, ut ad decessores, attinuerat. Et res ipsa quidem, juxta disciplinam paganorum pontificiam, frequentem tituli simul ac muneris mentionem poposcisset, si ea uti Libanio licuisset. Sed ut a Gratiano stolam seu insigne pontificatus illius sic repudiatum apud Zosimum legimus, ita existimandum etiam a Theodosio reliquisque succedentibus ipsum titulum causam ob eandem penitus adeo rejectum ut nec cuiquam fas maneret imperatoribus illum ob paganicae superstitionis in eo commistionem tribuere. At vero etsi titulum ipsum non gerebant, idem ipsum tamen cum decessoribus pro arbitrio praestabant circa jurisdictionem ecclesiasticam, adeoque circa potestatem excommunicandi, quod jurisdictioni illi inserviens & potentissimum est instrumentum, ampliandam, permittendam, restringendam, temperandam. Circa biennium post Gratiani mortem ea de re habetur Valentiniani secundi, Theodosii primi & Arcadii Augustorum edictum singulare ad Optatum praefectum augustalem AEgypti, depravate nimis hactenus editum [a], quod e MS. meo codice Theodosiano sic emendatius dare visum est. *Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius* AAA. *ad Optatum praefectum augustalem. Graviter admodum mota est nostra clementia, lectis in consistorio precibus quibus episcopalis pietas aliquid postulans refragatur; quaedam ab his qui episcoporum sibi nomina vindicant perpetrata & contra leges non minus divinas quam humanas improba temeritate commissa; vexatos nonnullos orthodoxorum clericos, quorum aetas & sacerdotium huic injuriae repugnabat, fatigatos itineribus, quaestionariis deditos; atque haec omnia per eos commissa qui ad tegumenta furoris sacerdotalis nominis titulos praeferebant. Atque idcirco perpetua lege sancimus ut nemo episcoporum, vel eorum qui ecclesiae necessitatibus serviunt, ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum pertrahantur. Habent illi judices suos. Nec quicquam his commune cum legibus, quantum tamen ad causas ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali autoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quaestio quae ad christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo judice litigare qui praesul legis ejus fuerit, Optate carissime ac jucundissime. Quare laudabilis auctoritas tua, arbitrio temperato, quicquid negotiorum talium incidet, omnium sacerdotum judicio terminabit, habituro pontificium sacrae disceptationis Timotheo episcopo, quem sibi omnes per AEgypti dioecesim etiam suo judicio praetulere. Est enim vir cum omnium sacerdotum susceptione venerandus, tum & nostro judicio jam probatus. Dat.* II. *Non. Febr. Constantinopoli.* Qui edictum hoc sic exhibitum cum editis comparaverit, facile puto agnoscet operae fuisse pretium huc transtulisse. De anno non liquet. Sed Christi 385 recentius non fuisse constat ex eo quod Timotheus tunc antistes Alexandrinus in illo memoratur. Mortuus scilicet est ille [b] Arcadio & Bautone consulibus, qui anno eidem respondent. In MS. autem meo ubi proxime, uti etiam in editis, praecedit edictum Arcadii, Honorii & Theodosii; titulus huic est, *Iidem Augusti ad Optatum, &c.* quod plane admitti nequit. Nam palam est praecedens illud ad Theodosii minoris tempora attinere, nec Timotheo antistiti Alexandrino coaevum esse potuisse. Sensus hujus edicti haud adeo est dispar ei qui habetur in illo Valentis, Gratiani & Valentiniani ante allato: scilicet causas, sed tantum ecclesiasticas seu de religione, episcopales, coram episcopis & ordine ecclesiastico esse decernendas. Annis aliquot postea omnimoda negotia civilia, nec alia, judicio ordinis ecclesiastici ab Arcadio & Honorio AA [c]. permissa sunt, quoties scilicet ex consensu litigantium illuc ut arbitris deferrentur; nec aliter: quemadmodum de Judaeorum judiciis, juxta usum

[a] Ad finem codicis Theodos. l. 3. Append. Cod. Theodosiani a Sirmondo editi num. 3. Baron. tom. 4. ann. 385. §. 31. & videsis Francisc. Rothomag. Archiep. de Rebus Ecclesiae lib. 2. cap. 5.

[b] Socrates lib. 5. cap. 12.

[c] L. 8. & 9. Cod. Inst. tit. de Episcopali Audientia.

Judaicum,

6

udaicum, ejusmodi, iidem imperatores [d], ut & nte ostensum est, constituerant. Hoc ad annum pectat Christi 398, seu quo consules Honorius uartum & Eutychianus. Ipso autem proximo nno novum accessit eorundem imperatorum hac le re temperamentum ac prohibitio, qua jurisdicio ecclesiasticorum ad actiones tantum de religione restricta est, causaeque aliae universae ad ordinarios cognitores deferendae. Adeoque tunc brogatum est quod de judicio compromissario nte sic indultum; licet postmodum etiam hoc n codice Justinianeo vim novam sortita fuerit. Id quod diximus habetur in edicto imperatorum eorundem ad Apollodorum proconsulem Africae; *Quotiens* [e] *de religione agitur, episcopos convenit agitare; caeteras vero causas, quae ad ordinarios cognitores vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri, Dat.* XIV. *Kal. Septemb. Patavi, Theodoro* V. C. *consule*, id est anno Christi 399. Sed licet ex legum harum vi in tam angustos redigeretur tunc jurisdictio ecclesiastica cancellos, attamen antistites aliquot, veluti Romanus atque Alexandrinus [f], paulo post extra sacerdotii fines egressi etiam potestatem regendi omnimodam sibi nacti sunt, adeoque liberam in jurisdictione exercenda excommunicandi etiam facultatem. Et memineris hic illud e Synesio Ptolemaidis episcopo superius allatum; quod etiam erat legibus hisce annis aliquot recentius. Quicquid autem contra subinde niterentur episcopi, leges quas diximus omnes (praeter unicam illam de judiciis ex vinculo compromissi) in codicem Theodosianum postea conjectae sunt, a Theodosio scilicet juniore, anno Christi 438. Male enim ab aliis assignatur editio codicis illius anno 435, ut alibi [g] ostendimus. Atque ita vis nova eis instaurata est, quemadmodum etiam sub Valentiniano tertio XIII. Kal. Maii, Herculano consule, id est anno 452, cum diversorum saepe causatio erat de episcopali tunc judicio, velut eo quod legitimos suos fines nimis egredi, ut fieri amat, soleret. *Imp. Valentinianus* [h] *A. Firmino praef. praet. & Patricio. De episcopali judicio diversorum saepe causatio est. Ne ulterius querela procedat, necesse est praesenti lege sanciri. Itaque cum inter clericos jurgium vertitur, & ipsis litigatoribus convenit, habeat episcopus licentiam judicandi praeeunte tamen vinculo compromissi. Quod & de laicis, si consentiant, autoritas nostra permittit. Aliter eos judices esse non patimur, nisi voluntas jurgantium interposita, sicut dictum est, conditione praecedat. Quoniam constat episcopos & presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis secundum Arcadii & Honorii divalia constituta, quae Theodosianum corpus* (unde jam ante memorantur) *ostendit, praeter religionem posse cognoscere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant* (sic MS.) *publicis legibus & jure communi*, &c. Interpres ibi vetus ait, de clericis quod dictum est, ut nisi per compromissi vinculum judicium episcopale non adeant, posteriori lege Majoriani abrogatum esse. Habetur quidem Majoriani etiam Novella [i] de episcopali judicio, sed imperfecta, in qua ea de re nihil reperio. Atqui ita summatim habet Valentinianus tertius quae in paulo vetustioribus legibus hac de re ante allatis continentur. Ut tunc obtinuere leges illae in imperio Romano, ita in occidente per multa secula haud aliud in usum forensem admissum jus Caesareum quam quod in codice Theodosiano ac appendicibus suis & novellis aliquot aliisque subjunctis repertum; Justinianei juris seu librorum ejusdem usu haud ante seculi duodecimi medium aut circiter in occidente recepto; qua de re item alibi [k] fusius. Ex ostensis puto sequitur, in quantum temperata, restricta, coangustata est cognoscendi ac judicandi potestas ecclesiasticorum, in tantum etiam excommunicationis forensis actum (qui citra solennem in jus vocationem & cognoscendi potestatem esse nequibat legitimus) temperatum etiam, restrictum, coangustatum, finibusque suis ex jure Caesareo terminatum. Forensem dixi; unde personae etiam invitae status inter suos mutatio legitima sequeretur. Nam nec generales anathematis qualiscunque aut excommunicationis pronunciationes, unde nondum status cujuspiam omnino inter suos mutatur, utcunque diris onustus fuerit, huc spectant, utpote satis ex sui natura passim arbitrariae; uti nec arbitraria sine cognitione solenni sacri commercii interdictio, quoties etiam pronior parendi voluntas; ut in decantatissimo illo de Theodosio seniore & S. Ambrosio episcopo Mediolanensi illum ab ecclesia arcente [l] ob caedem Thessalonicensem, atque in illo de Arcadio & Eudoxia Augustis ab Innocentio Papa ob injuriam Chrysostomo illatam [m] excommunicatis, atque id genus aliquot reliquis. Neque enim ad jurisdictionem forensem aut legitimam causae cognitionem, de qua hic loquimur, actus ejusmodi omnino spectant. Justinianus quidem postea haud indulgentior hic erat ordini ecclesiastico; quod ex libro codicis ejus primo & novellis obviam scitur. Verum quidem est, etiam ante memoratarum hac de re legum, quae in Theodosiano sunt, aliquam in Justinianeum non esse receptam. Sed etiam & ille in suum [n] recipit leges aliquot anteriores alias de judicio episcopali ex compromisso, easque pro libitu temperat, parilesque Theodosianis illis de suis [o] adjicit. Imo expressim de excommunicatione legem tulit qua ordini ecclesiastico ejusdem usus aliter atque ab eo praescriptus est plane interdicitur. *Omnibus*, inquit [p], *episcopis & presbyteris interdicimus segregare aliquem a sacra communione antequam causa monstretur propter quam sanctae regulae* (canones ecclesiastici generalium quatuor conciliorum, quos ipse etiam confirmaverat) *hoc fieri jubent. Si quis autem praeter hoc a sancta communione quemquam segregaverit, ille quidem qui injuste a communione segregatus est, solutus excommunicatione a majore sacerdote,*

[d] L. 10 C. Theodos. lib. 2. tit. 1. [e] C. Theodos. lib. 16. tit. 11. & videsis Petrum Suavem in hist. Concilii Tridentini lib. 4. pag. 268. [f] Socrates lib. 7. cap. 7. & 11. sub ann. 412. [g] Differt. ad Fletam, cap. 5. §. 2. [h] Novell. Valentin. 3. tit. 12. videsis Jacob. Guther. de vetere Jure Pontif. lib. 2. cap. 1. [i] Tit. 2. [k] Differt. ad Fletam, cap. 5. §. 5. [l] Theodoret. lib. 5. cap. 17. Hist. Tripartit. lib. 9. cap. 30 Baron. tom. 4. ann. 390. §. 2. [m] Glycas Annal. part. 3. & e codice Vaticano Baronius tom. 5. ann. 407. §. 23. dist. 96. c. 10. Duo sunt quippe. [n] C. tit. de Episcopis l. 25. & tit. de Episcopali Audientia l. 7, 8. & 13. [o] L. Sancimus ut nemo 29 C. tit. de Episcopali Audientia. [p] Novell. 123. cap. 11. Collat. 9. tit. 15. cap. 11.

sanctam

sanctam mereatur communionem. Qui vero aliquem a sancta communione segregare praesumpserit, modis omnibus a sacerdote suo, sub quo constitutus est, separabitur a communione, quanto tempore ille perspexerit; ut quod injuste fecit, juste sustineat. Titulus apud Julianum antecessorem [q] est, *De his qui sine causa excommunicant.* Aliquae editiones habent, *Ne quis ante causae exitum excommunicetur.* Ita ipsum excommunicandi actum imperatorio arbitrio temperari voluit Justinianus. Atque novella haec ejus per orientem, cum ejusdem reliquis, obtinuit, & ab imperatoribus sequentibus recepta est & firmata; Quod scimus tum ex Basilicis [r] ac Photii Nomocanone [s], tum ex Ecloga Leonis & Constantini AA [t]. & Michaele Attaliata [v], qui in compendio juris ad Michaelem Ducam imperatorem orientis sub annum 1071, e Basilicis anterioribusque imperii illius codicibus deprompto etiam & hanc legem habet: Τοὺς ἐπισκόπους ἀπαγορεύομεν μὴ ἀφορίζειν τινὰ τῆς ἐκκλησίας ἢ κοινωνίας, ἄνευ τοῦ δειχθῆναι αἰτίαν εὔλογον. Ὁ δὲ ἀναποδείκτως ἀφορίζων κωλύεται τῆς ἁγίας κοινωνίας ἐπὶ χρόνον. *Episcopis interdicimus ne quem a sacrosancta ecclesia seu communione segregent, nisi justa causa probata sit. Qui vero citra probationem hanc segregat, a sacra communione quoddam ad tempus arcetor.* Atque haec quidem in editione codicis Gothofrediana [x] locum occupat, quasi Leo ille Thrax, qui cum Anthemio imperavit, & Justinianum pluribus annis praecessit, ejusdem autor fuisset. Nam proxime ante habetur Leonis illius & Anthemii constitutio. Cum manifestum sit ex Attaliata, Leonis philosophi eam fuisse, qui Basilicon autor sub trecentis amplius ab Justiniano annis, seu circa Christi 890; quod etiam vir ipse doctissimus in adnotatis satis agnoscere videtur. Nec omnino inde in Justinianeis sedes ei debetur, aut recte permittenda. Atque ut ex jure tum Justinianeo aliorumque per orientem olim, tum Theodosiano & Justinianeo tandem per occidentem praescripti sunt, juxta ante ostensa, excommunicationis limites ac modi, ita etiam in occidente ex aliis principum Christianorum constitutionibus insequentibus. Obvia sunt ea de re testimonia in capitularibus [y] Karoli & Ludovici imperatorum. Atque ut mores alii, ita & excommunicandi & poenitentiam agendi mos, qui ab usu recesserat, ab imperatoribus [z] revocatur. Mitto articulos illos comitiorum imperialium de confirmanda libertate Germanica & Gallicana contra Lotharii Caesaris & Gregorii IV. papae machinationes in Ludovicum pium imperatorem, ubi apertissime principibus excommunicandi arbitrium [a] assumitur, utcunque fuerint in ordine ecclesiastico qui refragarentur. Sub annum Christi hoc erat 835. Nec dissimile habetur in capitulis Spartacanis Caroli Calvi, anno Christi [b] 846. Sed quantum ad imperii jura ac mores etiam alibi in occidente illa sub secula spectat, recessus ille inprimis observandus comitiorum confluentanorum anno 860, de pace publica stabilita [c] inter Ludovicum II. Germaniarum & Sclavoniarum, Carolum II. regem Galliarum, Ludovicum imperatorem Romanorum & regem Longobardorum, Lotharium regem Lotharingiae, & Carolum regem Burgundiae ac Provinciae, praesentibus etiam episcopis decem (in quibus Hincmarus ille celeberrimus doctissimusque) ac abbatibus binis, praeter consiliarios laicos non paucos. Articulus in eo habetur quo plane omnimoda ordinis ecclesiastici excommunicandi potestas ita temperatur, ut exerceri legitime nequiret nisi reus rite admonitus ad correctionem magistratus, ut vocant, prius civilis perduci nollet. Nec alio in casu poena haec irroganda. Verba sunt [d]: *Ut nemo episcoporum hominem peccantem ab ecclesia christiana alienet, donec illum secundum evangelicum praeceptum ut ad emendationem & poenitentiam redeat commonitum habeat. Qui peccans si commonitus inobediens & incorrigibilis permanserit, & ad emendationem redire noluerit, regiam & reipublicae potestatem per seipsos & per ministros suos adeant, ut constringatur, & ad emendationem & poenitentiam peccator redeat. Qui etiam si ita ad correctionem perduci nequiverit, tunc secundum leges ecclesiasticas* (nec ante) *medicinali separatione communionis ecclesiasticae segregetur.* Sic ibi. Idem ipsum jus sibi asseruerunt principes Germaniae in gravaminibus [e] illis centum in comitiis publicis Norimbergae anno Christi 1522 propositis. Etiam in ordinatione judicii camerae imperialis a Carolo quinto, anno 1548 edita, in graviorem partium contumacium & victarum aut succumbentium in judicio camerali poenam, pro victoris arbitrio, nec aliter, impetranda [f] est excommunicatio ecclesiastica. Et per ecclesias in imperio Germanico, alibique, maxime Lutheranas, temperamenta excommunicationis ex humano jure variatim introducta admitti notissimum est. Quid quod velut ex capitularibus imperatoriis habet Ivo episcopus Carnotensis [g], excommunicatum in gratiam apud regem receptum, aut regiae mensae participem factum, inde absolutionem undiquaque legitimam statim nancisci? Titulus quidem apud eum est, *Ut quos regia potestas in gratiam receperit, his etiam minores potestates communicent.* Sed lex ipsa, *Si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensae suae participes effecerit, hos etiam & sacerdotum & populorum conventus suscipere in ecclesiastica communione debebit; ut quod principalis pietas recipit, nec a sacerdotibus Dei extraneum habeatur.* Alibi [h] etiam eandem legem velut in Gallias olim receptam memorat ille. Etiam non semel ad episcopos alios inde se excusat [i] quia in communionem excommunicatos receperat aliquot qui regii ita favoris post sententiam admitterentur ut participes: *Pro regia*, inquit, *honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis jam allatae. Culpatorum* autem nomine excommunicatos ibi intelligi in confesso est. In capitularibus quidem excusis non habetur haec lex; unde in observa-

[q] Cap. 442. [r] Lib. 3. tit. 1. §. 20. [s] Tit. 9. cap. 9. [t] Tit. 9. §. 5. [v] Synops. tit. 3. [x] Tit. de Episcopis, l. 30. [y] Ansegis. lib. 1. cap. 142. & lib. 5. cap. 42. [z] Addit. Ludovici 3. cap. 23. & 35. [a] Agobard. Epist. de comparat. utriusque regiminis, Synopsis Papyrii Massoni ad finem Agobardi, & Goldast. Constit. Imperial. tom. 1. pag. 188. [b] Goldast. Constit. imper. tom. 3. pag. 272. art. 7. [c] Goldast. ibid. pag. 192. [d] Artic. 6. [e] Goldast. tom. 1. Imperial Constit. pag. 465. cap. 23, 24, & 41. [f] Imperial. Judicii Camerae, part. 3. tit. 48. & vide Pacis Publicae Const. Carol. 5. tit. 7. [g] Decret. part. 16. cap. 344. & Epist. 171. Vide Hugonem Grotium in Lucam, cap. vi. pag. 681. [h] Epist. 62. & videsis les Preuves des Libertez de l'Eglise Gallicane, pag. 26. [i] Ibid. & Epist. 171.

tionibus

6

tionibus putavit Franciscus Juretus codicibus eorum amplioribus usum fuisse Ivonem. Atque hinc recte observat ille, *Majoribus visum fuisse nihil officere securitati conscientiae, si quis communicaret.* Sed vero compluribus annis, etiam seculis aliquot ante capitularia illa nata idem ipsum habetur in sanctionibus etiam ordinis ecclesiastici synodalibus Hispanorum. Concilio Toletano duodecimo, seu quod celebratum sub Ervigio rege circa annum Christi 680, interdum decimum tertium vocatur, subscripserunt episcopi 35, abbates quatuor, alii episcoporum vicarii. Canon ibi tertius est: *De culpatorum receptione vel communione apud ecclesiam.* Verba sunt: *Vidimus quosdam & flevimus ex numero culpatorum receptos in gratiam principum extorres extitisse a collegio sacerdotum,* &c. *Et ideo quia remissio talium qui contra regem, gentem vel patriam agunt, per definitiones canonum antiquorum*[k], *in potestate solum regia ponitur, cui & peccasse noscuntur, adeo nulla se deinceps a talibus abstinebit sacerdotum communio* (seu, ut editiones aliae, *ab eis nulla se deinceps abstinebit sacerdotum communio) sed quos regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensae suae effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conventus suscipere in ecclesiasticam communionem debebit; ut quod principalis pietas,* &c. juxta idem ipsum quod ante ex Ivone velut e capitularibus affertur. Etiam in Toletano quod sub quadriennium secutum est, seu decimotertio[l], confirmantur canones in duodecimo editi, & expressim hic de culpatis sub titulo jam memorato, nec sine poena excommunicationis in eos qui non observarent. Titulus autem apud epitomatores[m] est, *Ut quos regia admittet potestas, clerus non evitet.* Interfuerunt huic pontifices 48, abbates 8, vicarii episcoporum 27. Ita per imperium Germanicum & Francicum & Hispaniarum regnum obtinuit mos ille, ut pro satis rite absolutis haberentur excommunicati qui regii favoris ac amicitiae sic fierent participes; idque ex aperta ordinis ecclesiastici professione. Idem in more apud Anglos viguisse observatur[n] a Francisco Jureto ex Anselmi archiepiscopi Cantuariensis sub Henrico primo rege ea de re epistola[o]; quam, si vis, consulas. Forsan hoc jure nixus est Sigebertus orientalium Saxonum rex, qui, cum Ceddus episcopus Londoniensis ob illicitum conjugium nobilem quendam *excommunicaverat*[p], *atque omnibus qui se audire vellent praeceperat ne domum ejus intrarent, neque de cibis illius acciperent, contemsit hoc praeceptum, & rogatus ab eo intravit epulaturus domum ejus,* utcunque postmodum ab episcopo increpatus, sed non excommunicatus, veniam reatus sui postularet. Evenit hoc sub annum Christi 638, adeoque diu ante concilium Toletanum jam memoratum. Sed ex ipso concilii illius canone elicere fas est, jus ejusmodi regium etiam diu ante in mores receptum fuisse; unde forte rex hic Anglo-Saxonicus, qui *evangelica praecepta devoto corde* alias *servasse* dicitur[q], a suis edoctus, communione excommunicati necessario abstinendum non existimabat. Certe in paganismo veteri Graecorum tum Europaeorum tum Asiaticorum receptum erat, ut homicidii reus (qui non a sacrorum solum sed convictus communis consortio eo nomine, usque dum expiationem seu purgationem solennem nancisceretur, arceri solebat[r], quemadmodum etiam alii aliquot facinorosi; qua de re mox plura) expiatus seu purgatus, id est absolutus, ut oportuit, tunc demum maxime habebatur, si a rege quopiam hospitio exceptus purgaretur. Neque enim opinor ex ipso hospitio seu ad mensam admissione regia sola, citra solennes purgationis ritus adhibitos, purgatum eum fuisse (quod tamen velle videntur viri aliquot doctissimi) sed ex ipsis καθαρσίων seu *purgationum* ritibus dum hospitio eam in rem excipiebatur. Illustre prae aliis est hujusce rei testimonium apud Herodotum[s], ubi Adrastum a Croeso rege hospitio exceptum & purgatum memorat. [t] Alii tantundem de Hercule a Deiphobo rege Arcadum, & de Peleo ab actore Phthiae Thessaliae regionis rege, purgato. Alia huc spectantia alii. Atqui interea satis mirum videtur regium illud jus tam facile absolvendi adeo per secula & regna jam dicta obtinuisse, etiam & ab ecclesiastici ordinis non paucis, neque ex obscurioribus, palam agnitum esse, eodem ipso tempore seu aevo quo ipsos reges excommunicare audebant pontifices Romani, quorum item asseclae pro excommunicatis ejusmodi reges habebant, nec solum alii, verum etiam inter eos cum primis Ivo ille qui juris hujus perinsignis alias est autor. Vide eum de Philippo primo Galliarum rege ab Urbano II. excommunicato[v]. Res ipsa in annalibus, historiis & scriptoribus de autoritate pontificia perquam obvia est. Nec defuere qui eousque excommunicationem illam in Philippum (adeoque pariter in reges alios alias pariles) invaluisse voluerint ut regni plane jure inde abdicatum eum, indeque natam esse crederent formulam illam actis publicis adjectam, REGNANTE CHRISTO, quasi character ea fuisset juris singularis ac imperii ecclesiasticorum qui Christi in publici regiminis ratione vicarios se diversimode venditare soliti sunt: Quod sane commentum doctissime & diligentissime pridem confutavit David Blondellus in libro *De formulae regnante Christo in veterum monumentis usu.* Sed vero, quod ad jus illud circa excommunicationem attinet; an reges ipsi ita ejusdem legibus soluti habiti (juxta ante ostensa) ut alios quoscunque excommunicatos in absolutorum statum per in sui gratiam aut mensam admissionem legitime satis redigerent, ipsis interea alias adeo excommunicationi obnoxiis, ut inde nec se absolvere possent, nec regna retinere? Qui horum alterum tunc sentiebat, ut is alterum item crederet, satis concoquere quidem nequeo. Certe pro vario interdum erga pontifices Romanos interdum erga reges obsequio sententiae ejusmodi pullularunt mutabantque, velut eae quae arbitrio humano, uti mores reliqui legesque humanae, omnino penderent. Quinimo etiam per celeberrima illa regna utraque, Gallicum & Hispanicum

[k] Vide Notas Garsiae Loaisae, edit. suae pag. 606. apud Binium, tom. 3. part. 1. pag. 280. edit. 1618. [l] Can. 9. & vide ibi Can. 12. [m] Barth. Caranza, & Franciscus Longus a Coriolano. [n] Observat. ad Ivonem, epist. 62. [o] Lib. 3. epist. 93. [p] Beda Eccles. Hist. 3. cap. 22. [q] Beda, ibidem. [r] Sophocles in Oedipo Tyranno, Euripides in Oreste, Schol. ad Aristophanis Vespas, &c. [s] In Clio. [t] Didymus ad Homer. Iliad. ς & ψ & ω Diodorus Siculus, lib. 4. cap. 3. & 74 & videsis Ismael. Buillaldum in Notis ad Theonis Smyrnaei Mathematica, pag. 216. [v] Epist. 46. & videsis Baron tom. 11. ann. 1094, 1095.

panicum (quorum alterum *christianissimum*, alterum *catholicum* signantius vocitatur) obtinuit a seculis vetustis, atque etiamnum obtinet, ut excommunicationis modi, sive causas spectes sive reos ipsos, ab ipsis regibus eorumque tribunalibus, secundum mores variatim receptos, praescribantur, admittantur, temperentur, etiam & imperentur absolutiones, nec aliter omnino sive a pontifice Romano sive ab ordine ecclesiastico legitime in illis jurisdictio huc attinens exerceatur. De Gallico amplissima sunt ex archivis ejusdem regni atque aliunde testimonia in voluminibus illis binis ante decennium aut circiter Parisiis Gallice editis, quorum alteri titulus est, *Traité des droits & libertez de l' Esglise Gallicane*, in quo congeruntur Petri Pithoei, Jacobi Cappelli, Nicolai Brulartii, Joannis Tilleti, aliorum complurium, de regia potestate ibi, scripta; alteri, *Preuves des libertez de l'Esglise Gallicane*, in quo testimonia ex historiis, archivis, aliis veterum monumentis copiosius adducuntur. Expressim inde liquet [x] christianissimi illius regni morem ac jus per anteacta secula fuisse, ac esse, ut consiliariorum aliorumve ministrorum regiorum nemo citra regis aut seneschalli sui arbitrium excommunicandus fuerit; etiam ut ex imperio forensi regio absolvendi fuerint excommunicati qualescunque quibus contra jura patria poena illa irrogata. Alia similia ibi occurrunt. Atque huc spectat notissima illa apud Gallos praxis forensis quae in decisionum eorum libris aliisque juridicis perquam obvia est, *des appelles comme d'abus*, seu *de appellationibus ut de abusu* ad forum regium, quoties scilicet quis in jus ab ecclesiasticis vocatur, adeoque excommunicationem timet ob rem quampiam cujus cognitio illis ex jure patrio, ordinis ecclesiastici canonibus saepe dissono, neutiquam permissa. Id quidem verum est, jam dicta volumina statim post editionem ex censura gravissima praesulum novemdecim tunc Parisiis agentium in epistola ad clerum Gallicanum & Latine & Gallice conscripta damnata esse [y], velut pontifici Romano, regi christianissimo, ecclesiastico ordini, ipsique adeo Gallicanae ecclesiae injuriosa, & periculosissimo scandalo plena. Et periisse audio eorum quamplurima; unde raro jam nimis comperiuntur. Sed quantum ad hanc rem, id quod tradunt adeo certum est ut ex Gallorum monumentis aliis librisque passim prostantibus [z] nihil omnino sit certius. Simulac edita sunt, nobilissimus heros Robertus comes Leycestriae tunc in Galliis regis Magnae Britanniae legatus dono mihi ea misit; quod libentissime ut beneficium eximium semper agnosco. Persimile jus regibus Hispaniarum ex jure omnimodo moribus patriis avitis ac receptis fusissime asseritur in opere illo Toleti apud Didacum Rodriguez typographum regium anno 1618 edito, cui titulus *Tractatus de cognitione per viam violentiae in causis ecclesiasticis, &c.* autore Hieronymo de Cevallos jurisconsulto Toletano, quod non sine censura tam complurium in utroque jure ibi eminentissimorum quam supremi senatus omnino adprobante typis mandatum. Licentiatus Joannes Delgado y Aguera, ecclesiae Complutensis scholasticus & inquisitor & vicarius generalis Toletani archiepiscopatus, *Ex supremi*, inquit, *Philippi tertii Hispaniarum regis senatus commissione vidi, legi, & viris doctis legendum commisi, in quo nihil est fidei catholicae dissonum, aut bonis moribus repugnans, quin potius opus istud religioni christianae conveniens, & publicae utilitati maxime necessarium, &* [a] *in omnium jurisperitorum manus versetur, praelo committi oportere censeo. Toleti* 17. *Martii* 1615. Alii jurisconsulti in eundem sensum. Nec temere aut citra deliberationem, factam editionem vides, sed triennio aut circiter postquam, censuris illiusmodi praeeuntibus, facultas edendi typographo sic concessa est. Asserit ille, *Non solum* [b] *laicum verum etiam ecclesiasticum sine episcopi sententia gravatum* (maxime excommunicationis) *posse immediate per viam violentiae ad regium tribunal advolare, non exspectato judicio metropolitani aut nuncii apostolici, &c.* Et ad regem [c], *Ex his jam praejactis hoc superest, licitum esse tuae majestati, cum sis pater communis omnium*, (nam inter alia fundamentum hoc sibi praestruit singulare, ad regiam potestatem juxta jura patria supremam in causis omnimodis ibi attinere jurisdictionem) *perscrutari, deprehendere, ac detinere quascunque literas judicis ecclesiastici, adhuc etiam & diplomata apostolica, quando ex sinistra relatione fuerint expedita aut in manifestam pacis publicae deturbationem, patronatuum secularium abrogationem, ac denique in tertii praejudicium.* Tantundem etiam habetur apud celeberrimos alios Hispaniarum jurisconsultos; Didacum Covaruviam [d], Castillum de Bovadilla [e], alios ab autore jam dicto etiam citatos: Et qui ecclesiasticorum regii fori jurisdictioni ac mandatis hic non obtemperarent, eos & possessionibus & regno deturbandos ex moribus jureque recepto adjiciunt [f]. Sed vero tractatus quem diximus Hieronymi de Cevallos, simulac in lucem prodiit, invisissimus fuit ordini ecclesiastico; unde etiam perierunt exemplaria, ut audio, pleraque eorum qui Toleti impressa; quorum unicum tunc ego, sed aegre quidem, nactus sum. Sed editio altera est Coloniensis, saltem sic dicta, cujus exemplaria passim prostant. Etiam postmodum in eundem ferme sensum, sed ordini ecclesiastico aliquanto indulgentior, Franciscus Salgado de Somoza, juris utriusque antecessor, & senatu Galleciae advocatus, tractatum suum edidit [g], *De regia protectione vi oppressorum appellantium a causis & judicibus ecclesiasticis.* Etiam modi excommunicationis, suspensionis & interdicti, horumque jura universa, in legibus Hispanorum vetustis Alphonsinis [h] regio plane nomine traduntur, perinde ac si ex jure loci publico ac regio, nec alio, omnino penderent, quod & recentiori [i] ibi juri consonum est. Congeneres plane jam dictis sunt libri illi virorum

[x] Vol 2 cap. 5, 6, 7, 8, 9, &c. [y] Epist. Cardinalium Archiepisc. &c. Parisiis agentium, Parisiis 1639. [z] Consule Laurent. Bochelum in decretis Ecclesiae Gallicanae, lib. 2. tit 14. cap. 146. & tit. 16. Estienne Pasquier en les Recherches de la France livre 3 cap 33. & Piere de Brosses en le Code des decisions forenses livre 7. tit. 2. librum d'Eglise Gallicane in 4°. Parisiis 1609 Servin. tom. 1. Playd. 1, &c. [a] *ut*. [b] Prolog. §. 144. [c] Ibid. §. 151. & gloss. 6. §. 62. [d] Pract. quaest. cap. 35 [e] De la Politica, lib. 2. cap. 18. cas. 102, 103. seu 6. 207, 208. [f] Vide Cevallos Gloss. 6. §. 63. Bovadilla de la politica, lib. 2. cap. 18. §. 62, &c. [g] Lugduni 1626. vide eum part. 1. cap. 2. §. 1, &c. [h] Primera Partida tit. 9. de las descommuniones. [i] Vide Alphons. de Azevedo in Regias Constit. lib. 8. tit. 5. de los descomulgados.

doctissi-

4

doctissimorum non pauci pro Venetorum reipublicae circa excommunicationem & interdictum jure olim tempore Pauli Quinti papae editi, ac jam civilis doctrinae studiosorum manibus passim triti. Etiam in veteribus Hungariae regni legibus habetur, *Excommunicationis aut interdicti sententiam in nobiles episcopi non ferant sine scitu regis, occasione litium ipsis cum illis habitarum.* Ita e decreto Ludovici regis sub annum 1350 Nicolaus Telegdinus in Enchiridio juris Hungarici [k] ab Joanne Sambuco edito. Praescriptas item causas excommunicationis & terminis suis coercitas apud Polonos [l] habes ex statuto provinciae Gnesnensis. Nec ultra ibi permittitur. Similia fuere hac de re jura regni Anglicani tam ante reformationem sub Henrico octavo inchoatam, seu exutum pontificis Romani hic qualecunque imperium, quam postea. De tempore priore amplissima sunt in historiis & annalibus nostris testimonia. Guilielmus primus, ut neminem pro pontifice Romano in Anglia agnoscendum voluit citra praeviam ejus adprobationem & praeceptum, nec in synodis ab episcopis quidquam statuendum aut prohibendum *nisi quae suae voluntati accommoda & a se primo essent ordinata*, id est, ordinata juxta seculi illius morem cum ordinum consensu, ita etiam *nulli episcoporum suorum concessum iri permittebat ut aliquem de baronibus suis*, seu *ministris*, *sive incesto*, *sive adulterio*, *sive aliquo capitali crimine denotatum*, *publice nisi ejus praecepto implacitaret aut excommunicaret aut ulla ecclesiastici rigoris poena constringeret.* Quae verba sunt Eadmeri [m] monachi Cantuariensis satis coaevi, & ad annum spectant 1070. aut circiter. Idem ipsum circa excommunicationem in Anglia, uti & alia de jurisdictione ecclesiastica perquam consona, sub annum postmodum amplius nonagesimum, seu 1163, in comitiis Clarendonensibus sub Henrico secundo rege, velut avita & certissima, per retro acta tempora, regni jura asseruntur. Intererant praeter regem, *Archiepiscopi*, *episcopi*, *abbates*, *priores*, *comites*, *barones & proceres regni*; a quibus universis ibi *facta est recognitio sive recordatio cujusdam partis consuetudinum & libertatum antecessorum regis*, *videlicet Henrici avi sui & aliorum*, *quae observari debebant in regno & ab omnibus teneri.* Earum capita fuere sedecim; quorum septimum est, *Nullus qui de rege teneat in capite*, *nec aliquis dominicorum ministrorum ejus*, *excommunicetur*, *nec terrae alicujus illorum sub interdicto ponantur*, *nisi prius dominus rex*, *si in terra fuerit*, *conveniatur*, *vel justitia* [n] *ejus*, *si extra regnum fuerit*, *ut rectum de ipso faciat*, *& ita ut quod pertinebit ad curiam regiam ibidem terminetur*, *& de eo quod spectabit ad ecclesiasticam curiam ad eandem mittatur ut ibidem tractetur.* Ab archiepiscopo item ad regium tribunal praescribuntur appellationes in causis omnimodis, sive excommunicationis, sive aliis. Atque ut in capitulo illo septimo modus in jus vocandi, adeoque excommunicandi, clientes fiduciarios regis nobiliores ac ministros aulicos, ordini ecclesiastico praestituitur, ita in decimo habetur modus ad ignobiliores attinens; scilicet, *Qui de civitate vel castello vel burgo vel dominico manerio domini regis fuerit*, *si ab archidiacono vel episcopo de aliquo delicto citatus fuerit*, *unde debeat eis respondere*, *& ad citationes eorum noluerit satisfacere*, *bene licet eum sub interdicto ponere. Sed non debet excommunicari priusquam capitalis minister regis villae illius conveniatur*, *ut justitiet eum ad satisfactionem venire. Et si minister inde defecerit*, *ipse erit in misericordia domini regis*, *& exinde poterit episcopus ipsum accusatum ecclesiastica justitia coercere.* Summatim autem ad hunc modum haec memorat Joannes Sarisburiensis [o], *Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem qui de rege teneat sine licentia ipsius.* Ac totidem quidem verbis Thomas tunc Cantuariensis antistes in literis [p] suis ad suffraganeos. Capitula haec cum reliquis a scriptoribus compluribus exhibentur; sed depravatissime in qualibet Matthaei Parisii editione, ut intuenti facile constabit. Manuscripti autem ejus codices, uti & Rogerii Wendoverii, a quo ille, ut Wendoverius a Gervasio Dorobornensi, haec & alia transcripsit, jam allatis sunt consoni; quemadmodum item Quadrilogus [q], & codex Vaticanus, unde habuit Baronius [r], ut alios [s], apud quos occurrunt, praetereamus. Gravissimas quidem & paci publicae infestissimas inde per Angliam turbas exortas, nemo nescit ex historiis illius seculi: mirum etiam in modum pontificibus Romanis eorumque asseclis comitiorum illam recognitionem displicuisse. Etiam tametsi Thomas ille archiepiscopus Cantuariensis ac ordinis ecclesiastici reliqui primo assensum palam praebuerant, postea nihilominus tum ipse tum praesulum plerique sententiam mutantes enixius refragabantur, partim minis papalibus territi, partim summo jurisdictionis ordinis sui tuendae ampliandaeque (ut fieri amat) studio ducti. Etiam eo res paulo post devenit, ut grassante nimium hac de re diss'dio, Cantuariensis antistes, autoritate etiam papali fretus, excommunicatione majori in eos qui regias hic partes tuerentur audacissime uteretur, *unde fere*, inquit Quadrilogus [t], *quotquot in aula erant aut nominatim excommunicati erant aut excommunicatis participando quos evitare nec poterant nec licebat*; *adeo ut vix in capella regi esset qui in missa pacis illud osculum sacramentale regi offerret nisi excommunicatus ex nomine vel ex participio.* Et in consuetudines illas Anglicanas seu jura regis avita, ut ordini ecclesiastico perniciosissima, acriter invehi passim solent scriptores pontificii Romanenses; qua de re maxime Baronius loco jam citato. Atqui interim pro receptissimo in Anglorum christianismo jure id quod diximus habitum est per ante acta retro ab comitiis illis Clarendonensibus, seu per nonaginta saltem amplius annos, adeoque per tempora Guilielmi primi & secundi, Henrici primi, Stephani regum, & priores saltem Henrici secundi annos idque generatim & ex professo tam apud ordinis hic ecclesiastici primores quam ecclesiae, regni, seu reipublicae Anglicanae reliquos utcunque in ordine illo non defuerint qui scriptis aliterve saepi-

[k] Pag. 33. b. [l] Jacobus Prilusius Stat. Polon. lib. 1. cap 4 fol. 135. & Joann. Herbort. tit. Spiritualia, fol. 255. [m] Hist. Novorum, lib. 1. pag. 6. [n] *justitiarius.* [o] Epist. 150. [p] Quadrilogo lib. 5. [q] Ibidem. [r] Tom. 12. ann. 1164. §. 37. [s] Goldast. Constit. Imperial. tom. 3. pag. 348. Claud. Rangolius in 1 Regum cap 4. pag. 638 Vita Thom. Cant. Anglice pag. 60. & videsis Notas ad Eadmerum pag. 169. & Fox. Hist. Ecclesiast. tom. 1. pag. 208. [t] Lib. 2. cap. 27.

us,

us, ut fieri assolet plerisque in rebus hujusmodi, reniterentur. Id quidem verum est, ex controversia illa hac de re inter regios & factionem Romanensem sub Henrico secundo orta, ex minis quae insecutae sunt papalibus, id genus caeteris in historiis nostris perquam obviis, ex concessione tandem parliamentaria Joannis regis, qui Henrico secundo successit, aliorumque regum insequentium illa notissima, *quod ecclesia Anglicana libera sit, & habeat omnia jura sua integra & libertates suas illaesas*, ita demum mutatio aliqua juris illius pristini invaluit ut quantum ad personas ante, juxta jam dicta, exemptas idem undiquaque jus exerceri non soleret. Neque enim universos clientes fiduciarios ac ministros regios seculis sequentibus sic exceptos esse comperitur. Atqui interea clarissima sunt vetustioris illius juris etiam de personis vestigia in sequentium temporum usu; cujus specimina aliquot mox subjungimus. Sed de causis res est multo apertior; scilicet neminem omnino causas ob alias, praeter paucas illas ordini ecclesiastico ex juris Anglicani indulgentia permissas, aut in jus ab episcopis aliisve ejusdem ordinis, qua tales erant, vocari, nedum jurisdictione aliqua forensi excommunicari, ex jure hic receptissimo, rite ac legitime potuisse. Causae illae fuere haeresis, blasphemiae, apostasiae, decimarum, aliorum aliquot proventuum sacrorum, in ecclesiis institutionum, institutorum deprivationum, testamentorum bonorum intestati, matrimonii, adeoque divortii, adulterii, incestus, fornicationis, aliae aliquot aut ex hisce dependentes aut necessario congeneres. Neque enim ob crimen laesae majestatis homicidium, furtum, raptum, vim alias qualemcunque sive publicam sive privatam, dolum, aliave delicta perquam in vita humana varia, numerosa, gravissima, quemquam jurisdictione forensi episcopus, aliusve autoritate episcopali fretus, legitime excommunicare quibat; praeeunte scilicet ita in jus vocatione ut in eum qui deliquisset nominatim sive ob contumaciam sive ob delictum sententia excommunicationis cum effectu legitimo pronunciaretur. Nimirum sicut ex multiplici illa seu universa civilis, id est, omnimodi humani hic regiminis materie, cognitio causarum nauticarum, seu quae ex maris usu oriuntur, & complurium mercatoriarum ex jure receptissimo permissa est & concessa foro marino seu *admiralitatis*, & causarum per terram militarium, veluti captivorum in bello, eorum redemptionis, postliminii, aliarumque rerum ibi bellicarum, foro militari (quod the Court of Knighthood dici solebat) seu, ut in utroque, juris Caesarei morumque cum illo usitatorum decisioni assignatur; ita, nec aliter, apud majores nostros permissa est causarum jam dictarum cognitio ordinis ecclesiastici foro & canonum decisioni, atque adeo ut non minus in his quam in illis suprema decernendi potestas penes tribunalia regia integra omnino maneret, ut scilicet ibi tandem dijudicaretur an extra permissionis illius cancellos evagarentur causarum illarum sive actores sive judices. Neque omnino obstat quod etiam ex comitiorum parliamentariorum autoritate lata fuerit sententia excommunicationis comminatoria generalis, quae quotannis item non semel erat iteranda, in universos qui *libertates & jura* sane regni ulla, juxta ante ostensa, violarent. Qua de re satis liquet ex ante dictis non solum de tempore Henrici tertii ac Edwardi primi regum, sed etiam Edwardi tertii in rescripto illo jam supra memorato, eoque autoritate parliamentaria fundato, ad episcopos, quo in publicae pacis violatores universos excommunicationis sententia ab eis erat promulganda, ubi adjectum est quod *contra eos procederetur juxta canonicas sanctiones*. Quod quidem rescriptum integrum ad episcopum Londinensem in statutorum nostrorum collectionibus aliquot typis non editis sub titulo *sententia lata contra communes malefactores edita apud Gloucestriam anno* VIII. occurrit inter statuta Edwardi tertii, & in breviariis aliquot vetustioribus typis editis [v] vocatur *ordinatio per se*, in aliis item nono ejusdem regis anno, in aliis octavo illic tributum. Et tantundem in tabulis habetur parliamentariis [x] anni sexti ejusdem regis. Simile item in tabulis ejusmodi Richardi secundi [y] occurrit. Haec, inquam, rite intellecta non obstant nec unquam jam dictorum sensui obstitere. Cum enim excommunicationis ejusmodi sententiae cujuslibet maledictio ac dirarum cumulus pars habeatur altera, altera autem status personae inter suos mutatio visibilis, quae aliter atque nominatim & citra in jus vocationem legitime atque ex jurisdictione forensi rite induci nequisset, certissimum est sensum comitiorum, a quibus sententiae illae latae ita etiam saepius jussae sunt, non alium fuisse, quantum ad causas alias praeter jam dictas ordinis ecclesiastici jurisdictioni hic permissas, quam ut sic anathemate generatim maledicerentur facinorosi, idque cum solennibus illis, candelarum exstinctione, nolarum sonitu, ac id genus reliquis, (quae *per juxta canonicas sanctiones procedi* innuuntur in rescripto illo Edwardi tertii) ut inde, si fieri posset, ex conscientiae suae, dum excommunicatos se credebant, stimulo corrigerentur, & a peccando deterrerentur, (quemadmodum item sensus est comminationis illius publicae quae in anathematis istius in liturgiis nostris locum, ut diximus, successit) non omnino autem ut ob causam aliquam extra cancellos illos in jus quisquam eorum nominatim ab ordinis ecclesiastici aliquo vocaretur, nedum sententiam excommunicationis inde nominatim, ita ut status personae visibilis fieret aliqua mutatio, pateretur; quod clarius statim fiet. Et sane praesulum audaciorum aliquot facta juri hic tam recepto non omnino derogat, cum etiam ipsi ut jurium regni hujus christiani eo nomine violatores merito subinde & gravissime punirentur. Et non solum prohibebatur excommunicatio, sed etiam imperabatur absolutio, quoties quis in jus, aliter atque juxta jam dicta debuerat, vocatus fori regii subsidium postularet. Idem jus, ut ante sententiae illius ex comitiorum parliamentariorum autoritate latae usum, ita & post hic obtinuit. Excommunicabat sub Henrico tertio rege episcopus Herefordensis *constabularium de S. Brianello* aliosque ob bona aliquot abbatis de Flaxley in agro Glocestrensi capta, etiam & *partes illorum interdicto supposuit*. Restitui jubet rex quae sic capta erant, & simul *manda-*

[v] Londini in 8vo. 1527. &c. [x] Rot. Parl. anno 6 Ed. 3. in arce Londinensi. [y] Rot. Parl. 11. R. ch. 2 num 48.

tum

tum est eidem episcopo quod sententiam occasione praedicta latam relaxet [z]. Eodem item sub rege [a], in complures excommunicationis sententiam canonibus simpliciter ecclesiasticis satis consonam pronunciarat episcopus Coventriensis & Lichfeldensis ob vim in ecclesiam S. Michaelis *de* Coventrie, sed non sine regio eoque legitimo mandato, illatam. Quale a rege inde atque jure circa hanc rem christianismi anglicano tunc obtinente excommunicati sublevamen nacti fuerint, optime ostendent regia ad vicecomitem Warwicensem & episcopum Lincolniensem rescripta, quae observatu quidem dignissima ad hunc modum in archivis reperiuntur.

Rex Vicecomiti Warwici salutem. Cum ratione nostri regiminis ecclesiarum & libertatum ipsarum dati simus a divina clementia ex debito defensores, injurias violentas a quibuscunque personis occasione quacumque illatas eisdem habemus cum industria propulsare & justitia rationabili vindicare. Hinc est quod cum alias tibi praeceperimus ut vim laicam inventam in ecclesia sancti Michaelis de Coventrie *in ipsius praejudicium & dilecti clerici nostri* R. de Leycestria, *quem ad praedictam ecclesiam sancti Michaelis praesentavimus, & quem in possessionem ejusdem a domino papa delegati judices induxerunt, ne ecclesia illa formam castri assumeret, amoveres, tanquam in perniciem libertatis ecclesiasticae introductam, ut vim laicam inventam non valens aliter amovere nisi specialiter per ingressum, qui tibi clausis ecclesiae hostiis non patebat, pro ingressu fractionem hostii quam fecisti (cujus forsan occasione fractionis & ingressus praeter intentionem nostram & tuam aliqui laesi fuerunt) ut nostro pareres mandato ratam coram* Coventriensi & Lichfeldensi *episcopo habuimus & habemus plurimum & acceptam tanquam nostro nomine regaliter expeditam. Quia vero occasione hujusmodi fractionis & ingressus dicto R. rectori ecclesiae praedictae nihil de jure ab aliquo potest vel poterit imputari, quia dictum factum non suum sed nostrum fuisse penitus protestamur, & quia dictus episcopus tam dictum R. & suos, quam omnes illos qui tecum fuerunt tunc temporis nominati de facto excommuicationis sententia innodavit, videntes ipsam in praejudicium regiae dignitatis, verum potius ecclesiastice libertatis, latam fuisse; tibi praecipimus quod monitis & precibus inducas episcopum diligenter ut dictam sententiam quam ocyus studeat revocare. Quod si noluerit facere, sciat ipse, & hoc sibi dicas, quod ad ipsius Baroniam manum nostram, quam cito nos super hoc certificaveris, extendemus. Ratione namque Baroniae juramento de conservandis terrenis honoribus dignitatis regiae est astrictus. Quia magis offendere vel vituperare non posset quam per suas excommunicationes subtrahendo subditos fideles nostros a nostrorum praeceptorum executione, cum alias nostra jurisdictio non valeat, explicari nisi sint qui nostris mandatis pareant, ut tenentur. Super transgressione vero juramenti altissimum ultorem poterit exspectare. Taliter hoc praeceptum nostrum adimpleas, quod regiae dignitati pro defectu tui nihil debeat deperire, propter quod reputemus merito nos offensos. Teste me ipso apud* Woodstock *xxvi. die Augusti anno regni nostri tricesimo.*

Per eadem verba mutatis competenter mutandis scriptum fuit episcopo *Lincolniensi* usque ad hoc verbum *studeat revocare*; Et postea per haec verba. *Hoc autem vobis significamus ut, illius facti intellecta plenius veritate, si forsitan dictus episcopus vobis denunciaverit dictum R. clericum nostrum excommunicationis sententia innodatum, ei propter hoc nullam molestiam inferatis, nec publicari illam sententiam faciatis, praesertim cum minus juste sit lata & non de jure licet de facto contra defensionem libertatis ecclesiasticae, quod ex praemissis apparet, & etiam in praejudicium regiae dignitatis. T. ut supra.*

Ejusmodi sunt alia in regis illius archivis. Atque huc sane inprimis spectat Joannis Peckami antistitis sub Edwardo primo rege Cantuariensis publica in comitiis parlamentariis retractatio sententiarum suarum excommunicationis aliquot generalium, quas in synodo sua Radingensi anno Christi 1279 [b] seu septimo jam dicti Edwardi habita ipse promulgarat juxta canones ejus ea de re admodum quidem audaces, imperiosos, & juri hic publico adversissimos, qui habentur in Guilielmi Lindwodi [c] constitutionibus provincialibus; ubi etiam leguntur & commentario illustrantur, quasi nulla secuta fuisset ejusmodi retractatio, quae in archivis regiis ad tempus synodum proxime insequens, id est, ad parlamentum quo statutum *de Religiosis* apud nos celeberrimum editum est, spectantibus [d] hisce legitur verbis.

Memorandum quod venerabilis pater J. Cantuariensis archiepiscopus venit coram rege & consilio suo in parlamento regis S. Michaelis anno regni regis septimo apud Westmonasterium, & confitebatur & concessit quod de statutis provisionibus & declarationibus eorum quae per ipsum promulgatae fuerunt apud Rading *mense Augusto anno eodem inter quasdam sententias excommunicationis quas idem archiepiscopus ibidem promulgavit; primo, deleantur & pro non promulgatis habeantur illa clausula in prima sententia excommunicationis quae facit mentionem* DE IMPETRANTIBUS LITERAS REGIAS AD IMPEDIENDUM PROCESSUM IN CAUSIS QUAE PER SACROS CANONES AD FORUM ECCLESIASTICUM PERTINERE NOSCUNTUR. *Secundo, quod* NON EXCOMMUNICENTUR MINISTRI REGIS LICET IPSI NON PAREANT MANDATO REGIS IN NON CAPIENDO EXCOMMUNICATOS. *Tertio, de illis* QUI INVADUNT MANERIA CLERICORUM, *ut ibi sufficiat poena per legem posita. Quarto, quod non interdicat vendere victualia Eboracensi archiepiscopo, aut alii venienti ad regem. Quinto, quod tollatur Magna Charta de foribus ecclesiarum. Confitebatur & concessit etiam quod nec regi nec haeredibus suis nec regno suo Angliae* RATIONE ALIORUM IN

[z] Rot. Clauf. 18. Hen. 3. (seu anno 1234) membran. 37. in arce Londinensi. [a] Dors. Claus. 30. Hen. 3. memb. 5. ibid. & videsis ibi Claus. 15 H. 3. memb. 4. pro *Thoma Corbet.* & Claus. 48. H. 3. membran. 2. in dorso. [b] Regist. MS. J. Peckhami fol. 10. [c] C. cum malum tit. De sententia excommunicationis. [d] Dors. Claus. 7 Ed. 1. memb. 1. in arce Londinensi. Consulas item Dors. Claus. 21 Ed. 1. rot. 8. & cod. parlam. fol. 49. ibidem de Archiepiscopo Eboracensi Dunelmensem episcopum contra debitam regi reverentiam excommunicante.

CONCILIO RADING CONTENTORUM NULLUM PRAEJUDICIUM GENERETUR IN FUTURUM.

Nimirum velut ex decessorum canonibus aliisque congeneribus, seu ut eorum interpres, excommunicationes sic promulgandas in concilio illo statuerat Peckamus; ubi adjecit etiam, *ipsam chartam domini regis super libertatibus ecclesiae atque regni a regibus concessis bene & aperte conscriptam infra singulas ecclesias cathedrales seu collegiatas in loco publico jubemus affigi, ut omnium intrantium oculis se palam exhibeat. Et in fine anni in vigilia paschae* seu *pentecostes renovetur, ut sublata veteri nova recensque substituatur eidem.* Id scilicet ex eo quod ante memoratur de solenniter excommunicandis chartae illius violatoribus ortum, quod ita cum caeteris concilii scitis illis regi & ordinibus parlamentariis displicuit. Sed mirum interea mihi est, in constitutionum provincialium collectionibus tam editis quam MSS. quas mihi videre contigit, ipsos quos hic ita retractavit archiepiscopus ille de excommunicatione canones non aliter reperiri quam si ejusmodi nihil ipse fecisset. Satis forsan habebatur quod frustranei ex jure Anglicano ita censendi essent & censerentur, ut nemo ex eorum vi legitime quid pati aut impune in foro aliquo agere quiret. Quod pariter dicendum de aliis canonibus in provincialium collectione repertis, sive hisce vetustioribus, ut Stephani, Bonefacii, Ottonis, Ottoboni, sive recentioribus, quotquot juri regio & hic publico ita dissoni essent. Ex eodem item jure, velut hic receptissimo, sub eodem rege, cum Joannes archiepiscopus Eboracensis *venisset* [e], *praevia* (ex archivis loquimur fiscalibus) *cruce sua, die sabbati proximo post festum S. Martini, anno regni regis Edwardi vicesimo finiente, & salutasset thesaurarium & barones & alios domini regis fideles ibidem* (in scaccario seu foro fiscali) *existentes, prosiliens statim magister Robertus de* Wicumbe *clericus episcopi Dunelmensis (Antonii de Bec) denunciavit praedictum archiepiscopum excommunicatum, & omnes cum eo communicantes denunciavit excommunicatos. Et inhibuit eidem thesaurario & baronibus & aliis ne aliquam reverentiam facerent archiepiscopo praedicto sub poena excommunicationis. Et quia praedictus magister Robertus fecit denunciationem praedictam in scaccario praedicto & infra palatium regis, infra quod denunciationes ejusmodi vel aliquae denunciationes sententiarum excommunicationis sive interdicti seu excommunicationes aliquae ad forum ecclesiasticum pertinentes fieri non debent, ideo magister Robertus statim arrestatus fuit per thesaurarium & barones pro transgressione praedicta prisonae liberandus.* Arci Londinensi tandem in custodiam traditur, unde ex mandato regio reductus est, *& recordata coram thesaurario & baronibus in praesentia ejusdem magistri Roberti transgressione praedicta, idem magister Robertus in pleno scaccario eodem die abjuravit regnum secundum formam mandati praedicti.* Ita exsilio multatus qui excommunicationis sententia contra recepta juris Anglicani instituta uti procacius auderet. Postmodum item sub eodem rege Robertus Winchelseius archiepiscopus Cantuariensis in priorem & canonicos liberae capellae regiae Oswaldi in Glocestria inter visitandum, atque in alios etiam *excommunicationis sententias fulminare ac alia gravamina eis inferre praesumsit,* & (ut in mandato de absolvendo, seu potius de sententiis ipsis revocandis, loquitur rex in literis ea de re ad custodem spiritualitatis archiepiscopatus, id est, decanum & capitulum Cantuariense, dum archiepiscopus ipse exsulabat) *quae omnia & singula manifeste redundant in exhaeredationem coronae nostrae dignitatisque regiae laesionem, & in enervationem juris liberae capellae nostrae praedictae, propter quod per nos sibi injunctum fuit quod sententias excommunicationis praedictas sine dilatione revocaret, & de quo idem archiepiscopus nihil adhuc fecit, prout ex gravi querela ipsorum prioris & canonicorum accepimus, vobis mandamus quod sententias praedictas in praefatos priorem & canonicos per praedictum archiepiscopum & suos ea occasione latas, ut praedictum est, publice & solempniter in singulis locis ubi latae fuerint integre & de plano revocari faciatis, irritas & inanes pronunciantes easdem. Et quod inde poteritis nobis a die S. Hilarii in* XV *dies, ubicunque tunc fuerimus in Anglia, distincte & aperte constare faciatis, remittentes tunc nobis hoc breve. Ad quem diem idem custos retornavit quod praesens mandatum regis in omnibus est exsecutus.* Egregium tum imperii ac jurisdictionis circa excommunicationem tunc regiae, uti etiam ordinis ecclesiastici & obedientiae & juris regii agnitionis apertissimae exemplum. Sub rege item proximo, seu Edwardo secundo inhibentur Willielmi archiepiscopi Eboracensis [g] excommunicationes aliquot etiam in causis ad forum ecclesiasticum plane spectantes; a rege scilicet, ejusque tribunali, ut supremo, ex jure regni, in hisce judice. Titulus est, *De oppressionibus populo per citationes, &c. non inferendo.* Sed & ipsas inhibitionis literas ex origine, ut reliquas ante, damus integras.

Edwardus Dei gratia, &c. Rex venerabili in Christo patri W. eadem gratia archiepiscopo Eboracensi Angliae primati, salutem. Per petitionem ex parte communitatis comitatus Eborum nobis & concilio nostro exhibitam conquerendo monstratum, quod aliqui de comitatu praedicto vicinos suos gravare, ac expensis & laboribus fatigare multipliciter machinantes, ipsos coram ordinariis locorum ad respondendum coram eis super adulterio vel fornicatione seu consimilibus delictis, super quibus per prohibitionem nostram non poterunt se juvare, malitiose citari procurant, quamvis ipsi super gravaminibus hujusmodi per visitationem seu alio modo prius non fuerint diffamati; &, si forte hujusmodi citati ad primum diem non venerint, statim contra eos excommunicationis sententia fulminatur; & licet ad diem citationis veniant, & super delictis sibi impositis canonicam purgationem faciant, sicut decet, nihilominus, post lapsum octo dierum vel circiter, per falsam & malitiosam procurationem aemulorum suorum super dictis criminibus ipsis ut praemittitur impositis, non obstante quod inde legitime se purgarunt, iterato citantur, sic-

[e] Communia Hilar. 21 Ed. 1. rot. 6. in dorso, in scaccario. [f] Placit. coram rege Hilarii, 35 Edw 1. rot. 52. apud camerarios scaccarii, anno 1306. [g] In Ventre, Claus 12 Ed. 2. membran. 20. in arce Londinensi, anno 1318.

que expensis & laboribus indies fatigantur; propter quod nobis est cum instantia supplicatum ut ipsis velimus super praemissis de remedio providere: Et quia populum nobis commissum nolumus indebite sic vexari, vobis mandamus quod hujusmodi oppressiones & gravamina indebita ponderantes, ministros vestros ab oppressionibus & gravaminibus hujusmodi aliquibus vel alicui de comitatu praedicto de caetero inferendo, prout ad vos pertinet, desistere faciatis; taliter in hac parte vos habentes quod per vestri defectum querela inde ad nos non perveniat iterata. T. rege apud Eborum 28 die Novembris.

Per petitionem de concilio.

Sub idem ipsum tempus Radulphus de Rauntevile monachus vagabundus ex regio mandato captus est ab Hugone le Despenser, quem eo nomine excommunicavit [h] Walterus Reynoldus archiepiscopus Cantuariensis. Sed ex jure regio atque Anglicani christianismi moribus patriis rescripto suo ei praecepit rex ut eum absolveret *sine dilatione, nolentes quod aliquis de dominio nostro super hiis quae ad mandatum nostrum rite fecerit occasionetur seu inquietetur quovismodo.* Sub Edwardo item tertio, *Willielmus episcopus*[i] *Norwicensis attachiatus fuit ad respondendum tam domino regi quam Richardo* Freysell, *quare cum dominus rex nuper quoddam breve suum de prohibitione una cum alio brevi ipsius domini regis sub privato sigillo ejusdem domini regis praefato Richardo fecisset liberari, eidem episcopo deferendum, & idem Richardus brevia illa de mandato regis praefato episcopo liberasset* (brevia illa jurisdictionem inhibuere quam episcopus ille usque in excommunicationem exercere voluit in abbatem Edmundoburiensem, quem, intra praecinctum, utpote dioecesis Norwicensis, privilegia regia diu ante ab episcopali jurisdictione omnimoda[k] exemerant) *praedictus episcopus ipsum Richardum causa liberationis brevium praedictorum excommunicavit apud* Thetford, &c. (fiducia puto temere & insolentius fretus canonis illius Peckhamiani ante memorati de impetrantibus literas regias ad impediendum processum in causis ecclesiasticis, cujus vis hic ex jure Anglicano in nihilum ante redierat, ut ostensum est) *in ipsius domini regis contemptum, & ipsius Richardi damnum——Et episcopus respondet per haec verba, & dicit quod actio tam pro domino rege quam praedicto Richardo in hac parte assumpta de eo quod idem episcopus dictum Richardum excommunicasse debuisset, eo quod idem Richardus dicta brevia domini regis praefato episcopo ex parte domini regis liberavit, fundata existit; quae quidem causa excommunicationis ita spiritualis factumque judicis ecclesiastici omnino censetur, quod in curia regis de dicta causa excommunicationis cognosci nec inde discussio aliqualiter fieri debet. Petit judicium si ista curia in ista actione super dicta causa excommunicationis fundata cognoscere velit aut debeat, aut dominus rex & praedictus Richardus hic inde in curia ista responderi.* Sic exceptio episcopi hic declinatoria. Ad quam *Johannes de Lincolnia attornatus regis dicit quod actio pro domino rege & dicto Richardo in hac parte tam de contemptu domino regi quam de damno dicto Richardo per excommunicationem in praedictum Richardum ex causa praedicta pronunciatum factis fundatur, & secundum legem & consuetudinem regni Angliae dominus rex vel progenitores sui nec aliquis alius de contemptu Domino regi infra regnum suum Angliae facto in alia curia quam curia ipsius regis aliquam actionem prosequi debeant aut consueverunt, maxime cum dictus rex de aliquo contemptu sibi illato alium judicem in regno suo quam in curia sua habere non debeat. Petit judicium, ut prius.*

Et quia videtur curiae quod curia ista in placito isto, non obstante exceptione per praedictum episcopum allegata, cognoscere debet, dictum est eidem episcopo (a praefectis scilicet curiae) *quod ulterius respondeat si,* &c.

Noluit episcopus aliud quid respondere. Unde tam ex querela, nomine regio, exhibita, quam exceptione illa declinatoria, statu quaestionis inde satis manifestae facile elicito, judicium seu sententia ejusque rationes in hunc modum feruntur; Quas integras adjiciendas esse ex archivis (ut reliqua hic) merito duximus. Exemplum sane perquam etiam illustre & observatu dignissimum juris in christianismo Anglicano de excommunicatione seu ordinis ecclesiastici jurisdictione ex anterioribus seculis receptissimi, geniique hanc circa rem christiani tunc temporis apud nos obtinentis. Verba sunt:

Et quia ad actionem domini regis in hac parte assumptam, &c. *idem episcopus, licet saepius quaesitus fuerit, postquam pluries ei dictum fuerit a curia, ut praemittitur, quod ulterius responderet si,* &c. *minime respondere curavit, per quod omnia quae in narratione domini regis & praedicti Richardi superius exprimuntur ab ipso episcopo secundum legem & consuetudinem regni Angliae ut non delicta & quasi concessa teneri debeant; in qua quidem narratione continetur quod dictus episcopus ipsum Richardum, eo quod dictus Richardus brevia domini regis eidem episcopo directa ex parte & de mandato domini regis praefato episcopo in conservationem juris regii, ut praedictum est, liberavit, excommunicavit, & ipsum Richardum excommunicatum fore publice denunciavit,* &c. *Ac idem episcopus in curia regis hic placitando allegavit quod de praedicta actione domini regis & praedicti Richardi, eo quod ipsa actio super causam excommunicationis in ipsum Richardum, causa liberationis praedictorum brevium promulgatae, fundata existit, nullo modo curia domini regis cognoscere deberet, nec de facto suo praedicto discussio aliqualiter ibidem fieri, sicque jus regium sive autoritatem domini regis in hac parte, quibus dominus rex & progenitores sui semper hactenus uti consueverunt, ut sic factum suum impunitum remaneret, persequitur gravius impugnando; quae quidem sententia excommunicationis in ipsum Richardum ex causa praedicta promulgata, & quae per ipsum episcopum in hac parte attemptata existunt, ad inobedientiam & diminutionem dominii & potestatis regiae, autoritatis suae laesionem & coronae suae*

[h] Claus. ibid. membran. 10. fol. 60. a.

[i] Trin. 21 Ed. 3. coram rege rot. 289 apud camerarios scaccarii.

[k] 21 Ed 3.

exhae-

exhaeredationem manifestam, & etiam contra subjectionem fidelitatis qua idem episcopus praestito sacramento eidem domino regi tenetur, contemptuose & temere fuerunt & perpetrantur; cum idem episcopus, ut ligeus ipsius domini regis & dicto domino regi ex fidelitate praedicta subjectus, mandatis domini regis. & maxime eis quae a latere ipsius regis & pro conservatione juris coronae suae & tuitione ejusdem emanantur, obedienter parere, ipsorumque mandatorum latores sive nuncios, qui ut ministri domini regis sic mandata regia exsequendo quasi ipsam personam domini regis & majestatem suam repraesentant in hac parte, absque damno aliquo sive gravamine ex causa praedicta eis inferendo admittere & revereri, & nullatenus jura coronae domini regis impugnare, imo pro viribus suis illaesa conservare, specialiter teneatur; Habita modo deliberatione pleniori, videtur curiae quod idem episcopus, ex praemissis per ipsum, ut praemittitur, temere in contemptum domini regis & injuriose multipliciter factis & perpetratis, ut juris coronae domini regis, autoritatis, dominii sive potestatis suae regiae illicitus impugnator, culpabilis est. Et ideo consideratum est quod omnia temporalia ejusdem episcopi episcopatus praedicti, pro quibus etiam idem episcopus dicto domino regi dictam fidelitatem fecerit, quam per praemissa indebite per ipsum episcopum facta & attemptata malitiose committeudo contra majestatem & dignitatem domini regis in juris sui laesionem, ut praedictum est, perperam violavit, in manus domini regis, pro contemptu praedicto domino regi in hac parte facto, seisiantur sive capiantur, ita quod de exitibus eorundem domino regi respondeatur; & quod idem episcopus DICTAM SENTENTIAM EXCOMMUNICATIONIS *in ipsum Richardum occasione liberationis brevium praedictorum eidem episcopo pro conservatione juris regii, ut praedictum est, in contemptum domini regis & ad inobedientiam dominii sui regii* INOBEDIENTER LATAM ET PRONUNCIATAM REVOCET ET RELAXET, dictumque Richardum INDE ABSOLVAT. *Et quod dicta temporalia dicti episcopi episcopatus praedicti, quousque idem episcopus domino regi pro contemptu & offensis praedictis satisfecerit, &c. &* SENTENTIAM EXCOMMUNICATIONIS *in ipsum Richardum ex causa praedicta latam & pronunciatam* REVOCAVERIT, & ipsum *Richardum* INDE ABSOLVERIT, *in manibus domini regis remaneant; & quod idem Richardus recuperet damna sua*, &c

Adjicitur item id quod satis indicat quale certissimum ante & usitatum fuisset in causis consimilibus jus. Statim enim sequitur:

Et licet in causis consimilibus tam archiepiscopi quam episcopi caeterique praelati ordinarii, quotiens convicti fuerint per judicium curiae domini regis temporibus retroactis, consideratum fuisset quod caperentur, tamen certis de causis judicium inde de capiendo dictum episcopum respectuatur, &c. *Et super hoc dies datus est, qui venit, & damna assessata sunt dicto Richardo ad decem mille librarum, prout prius narravit.* Etiam judicium hoc per *Breve de Errore* in controversiam denuo ab episcopo actore vocatum, summa deliberatione habita, pro justo secundum jus hic receptissimum asseritur. Tantundem[l] item actum est in priorem de Kersey episcopi commissarium. Et Richardo jam dicto sic ab eo etiam excommunicato adjudicantur mille librae nomine damnorum, seu pro injuriae per excommunicationem illatae compensatione. Atque (quod maxime etiam advertendum) acta sunt haec per secula illa[m] quibus pauci satis fuere in praefecturis nostris juridicis sive judices sive ministri ex alio ordine quam ecclesiastico, cujus ita coryphaei ipsi aut neutiquam aliud fuisse jus Anglicani christianismi indubitanter sic asseruere, aut vafre nimis dissimularunt, dum ita jus regium hic & mere humanum in excommunicationis causa, exceptionis de spiritualibus episcopalis ratione habita nulla, tuebantur atque ut undiquaque exploratissimum agnoscebant. Haec quidem uti etiam id genus innumera alia[n] in archivis nostris, ubi etiam saepius occurrunt literae regiae jure receptissimo hujus regni fundatae, quibus ordo ecclesiasticus in synodum legitime, seculis etiam in vetustioribus, convocatus non sine comminationibus gravissimis inhibetur[o], ne quid attentet, nedum statuat quidquam in *dignitatis regiae* seu *coronae Angliae jurium* aut consuetudinum patriarum *praejudicium.* Adeoque inde nec excommunicare quenquam contra ejusmodi jura quibat ordo ille, nec canonem aliquem impune edere cujus vi aliquis foret excommunicandus. Et si quid contra tentaret synodus ejusdem ordinis aliqua, pro frustraneo plane in regimine hic publico[p] habebatur. Adeo etiam interdum jure ac rescripto regio temperatur jurisdictio ecclesiastica, ut inhibeantur episcopi ne laicum quenquam in jus vocent ad sacramentum[q] aliquod praestandum, sine quo sane jurisdictio satis imbellis. Et si quid contra factum, *contra coronam & dignitatem regiam, & debitam reverentiam*, id est, contra jus in Anglicano christianismo receptum, fieri dicebatur. Sed vero adeo vulgo recondita huc trahere necesse non est. Nam receptissimum habetur, etiam in libris juris nostri editis omniumque ejusdem studiosorum manibus tritissimis, excommunicari nominatim, atque ita ut status inde inter suos mutatio visibilis sequeretur, neminem debuisse in causis ullis quae ex jure regni cognitioni ordinis ecclesiastici non permitterentur, seu *quibus possit inveniri laedi per excommunicationem regiam libertatem*, ut statuti *Articulorum Cleri*[r] verba sunt. Quibus consona sunt literae *totius communitatis* Angliae ad Bonifacium octavum papam sub Edwardo rege primo[s] missis, quibus profitetur pontificum jurisdictionem non omnino se immiscere hic debere illis quae ex moribus patriis juris essent regii. Nec minus receptum est, de causarum permissione illiusmodi decernendum fuisse ab eis qui tribuna-

[l] Trin. 21 Ed. 3. rot. 66. coram rege apud camerar. scaccarii. [m] Vid sis J. Stowaeum in annalibus anno 1365. Regist. MS. Simonis Langhami arch. Cant. fol. 6, &c. & epistolam dedicatoriam Henrici Spelmanni conciliis Britannicis praefixam. [n] Videsis Rot. Pat. 25 Ed 1. membran. 12. Rot. Claus. 30. Ed. 1. membran. 13. dors. & 34 Ed. 1. membran. 15. dors. Rot. Claus. 15 Ed. 3. membran. 29. dors. Rot. Parl. part. 1. 25 Ed. 3. num. 31, 32, &c. in arce Londinensi. [o] Rot. Pat. 8. Joannis regis, membran. 1, 3. Rot. Pat. 26 Hen. 3. membran. 12. in arce Londinensi, & vide Pat. 20 Hen. 3. membran. 5. ibi, & 9 Ed. 1. in registro Jo. Peckhami archiepisc. Cant. fol. 101. [p] Videsis Lindwod. in Constit. Provinc. tit De foro competenti, c. 1. sub initium, &c. [q] Rot. Claus. 35 Henr. 3. membran. 6. in dorso, & 44 Hen. 3. part. 1. membran. 11. in dorso, in arce Londinensi. [r] Cap. 7. [s] Tho. Walsingham, anno 1303. Matth. Westmonast. anno 1302. &c.

libus

libus regiis praeessent; literis item prohibitoriis, mulctis etiam & poena gravissima, quae *praemunire* vocitatur, coercendos episcopos aliosque omnimodos autoritatem episcopalem exercentes, quoties de re aliqua extra cancellos jurisdictionis eis sic permissae cognoscere, adeoque excommunicare tentarent; uti & illud item, imperandam etiam a rege ejusque tribunalibus absolutionem, velut excommunicationis omnino non legitimae, si quis extra cancellos illos excommunicaretur, utcunque actio ipsa *in salutem animae* aliasve eo tendens, ut assolet, institueretur. Accedat etiam, ipsa poenitentiae solennia mulcta pecuniaria legitime potuisse redimi[t], unde & absolutio undiquaque sequeretur legitima: quod sane juri divino imperativo, quo fundari tam poenitentiae solennia quam excommunicationem a compluribus admitti solet, est perquam dissentaneum. Nec illud omnino novum, seu commatis recentioris, sed ante annos abhinc mille ducentos, aut circiter alibi in christianismo usitatum apud *sanctos atque insignes viros, qui sparsis redimebant crimina nummis*; quod ex Salviano *, qui tunc floruit, scimus. Haec atque alia congenera juris exploratissimi fuere etiam ante reformationem incoeptam apud Anglos nostros, ut ex locis librorum nostrorum juridicorum passim prostantium adnotatis [v] perspicue liquet. Atque appositissimum est quod habet hac de re vir juris Anglicani consultissimus, Gilbertus Thorntonius *capitalis* Edwardo regi primo *justitiarius* MS. qui Henrici Bractonii libros in summam, ut alibi [x] ostendimus, redegit. Scripserat Bractonius [y], idque juxta receptam in jure pontificio sententiam, *Cum excommunicato nec orare, nec loqui, nec palam nec abscondite, nec vesci licet, exceptis quibusdam personis.* Personae illae superius hic memorantur. Thorntonius [z] autem sic; *Pro excommunicato nec orare nec loqui palam nec absconse, nisi ad emendationem suam, ulli licet, exceptis magistratibus.* Praetermissis reliquis, ut notissimis, receptissimum hoc in Anglorum christianismo jus sic denotare voluit, ut magistratus, seu qui tribunalibus regiis praeessent, rite ab excommunicato adiri possent, ut inde impetraretur sublevamen, si contra jus illud quisquam excommunicaretur. Ex hisce satis, opinor, liquet quale excommunicandi jus in Anglorum christianismo fuerit ante reformationem incoeptam affectatamve. Certe etiam postea par erat mansitque. Id ignoratur nemini qui juri nostro ac praxi forensi alienus plane non sit. Notius etiam est nihil aut frequentius, quam ab omnimodis supremarum ordinis ecclesiastici, id est archiepiscopalium, curiarum sententiis, sive excommunicationis sive aliis, idque in causis qualibuscunque ordini illi alias permissis, tam ex jure antiquissimo (ut e constitutionibus Clarendonensibus liquet) quam sub reformationis initia [a] instaurato, ad delegatos regios apud nos appellari non aliter sane atque a *curia militari* aut *admiralitatis ad regem in cancellaria sua*, ut stylus forensis est. Nam formula eadem in hisce omnibus usurpari solita. Atque hoc etiam post reformationis initia semper obtinuit, velut ex jure exploratissimo, avito, receptissimoque; quali quidem de provocandi jure gravissima orta est ante annos aliquot contentio apud Belgas reformatos in provocatione illa Poppii Boorsmae a synodo ecclesiastico ad ordinum curiam in Frisia. Consule, si placet, apologeticam rescriptionem ea de re Petri Cabeliavii. Sed vero etiam apud Anglos nostros ex condonatione [b] facinorum & poenarum, sive parliamentaria sive regia sola, ita evanuit agendi potestas ecclesiastica, etiam in causis aliter ordini illi permissis universis, ut ad poenam subeundam ab ordinis illius aliquo in jus vocatus exceptione illa se rite potuerit tueri; etiam & ante excommunicatus inde liberatus fuerit, & in absoluti statum legitime transierit. Accedant hic leges de *supremo capite ecclesiae*[c], & *supremo gubernatore in omnibus causis tam ecclesiasticis quam temporalibus*[d]; qui regum nostrorum tituli. Mitto hic in liturgiis publicis autoritate parliamentaria, Edwardo sexto & Elizabetha regnantibus, stabilitis, peculiares de sacrorum interdictione clausulas nonnullas interseri, e quibus is cui interdicitur sine status personae mutatione ulla publica, saltem sine excommunicationis forensis alicujus sententiae in eum latae aut figura aut umbra, ex commonitione privata coena domini in tempus aliquod caret. Summa est; ut sub conjunctionis christianismi ac summi in Caesaribus regiminis initia variatim ex jure Caesareo & laxabatur & temperabatur ordinis ecclesiastici jurisdictio, adeoque potestas excommunicationis ipsa, juxta superius ostensa de Constantino, Valente, Gratiano, Valentiniano, Arcadio, Honorio; ita etiam ex jure Anglicano, uti ex juribus aliorum regnorum ac rerumpublicarum ante memoratarum, perquam variatim temperata est ac laxata eadem jurisdictio ac potestas. Neque aliter quam juxta jam dicta intelligenda sunt (dum jus apud nos per omnia secula christianismi, etiam in nostrum, receptum consideramus) ea quae de *excommunicatis* & de eo *qui per publicam ecclesiae & denunciationem rite ab unitate ecclesiae praecisus est & excommunicatus*, in articulis [e] religionis nostris occurrunt, aut quae in canonibus posterioribus [f] de criminibus ac scandalis generatim ab aedituis foro ecclesiastico denunciandis. Quicquid enim sic generatim ab ordine hic ecclesiastico scriptum est, id ita semper a jure Anglicano civili temperatum est & restrictum ut inde plane modos suos & limites perpetuo receperit. Quod itidem nuperrime factum ab ordinibus parliamentariis, dum excommunicationi presbyterali retinacula & repagula, quae egredi rite ea nequiret, diversimode & prudenter assignabant, secundum id quod regiminis publici bono conducibilius dijudicarent ipsi, utcunque sane enixius dogmatis & argumentis suis in contrarium, sed frustra, nec semel, contenderet ordinis hic ecclesiastici coetus, qui ea

[t] Artic. Cleri cap. 3, 4. ubi vide Cokum. * De Gubernatione Dei, l. 7. [v] Bracton. lib. 5. tit. De Exceptionibus cap 2, &c. & 23. §. 2, &c. Fleta lib. 6. cap. 37, 38 & Specul. Instit. cap. 5. sect 6. Registrum & Natura Brevium in tit. De Prohibitione & Praemunire, Breviaria Statutorum tit. eisdem & Excommengement. Fitzherbert & Brook tit. eisdem & Attachment sur Prohibition. Stat. de Circumspecte Agatis 13 Ed. 1. & Artic. Cleri 9 Ed. 2. cum Commentariis Ed. Coke Instit. 2. pag 487, & 599. maxime pag. 623. Constit. Provincial. & ibi Lindwod. tit. De Foro competenti, &c. [x] Differtat. ad Fletam, cap. 2. [y] Lib. 5. tit. de Exception. cap. 23. §. 1. [z] Lib. 7. cap. 10. [a] Stat. 25 Hen. 8. cap. 19. [b] Coke part. 5. fol. 51. & vide part. 8. fol. 69 a. [c] Stat. 26. Hen. 8. cap. 1. [d] Stat. 1. Elizab. cap. 1. [e] Artic. Relig. 1562. art 33. [f] Anni 1603. can. 109.

de re publice consulebatur. Et sane qui ut adversarii subinde scriptis insurgunt non omnino evincunt aut evincere contendunt jus quale diximus apud Anglos non receptissimum fuisse, aut non tam ab ordine hic ipso ecclesiastico quam laico publice agnitum, utcunque ipsi (sed pro vario interim de personis ac titulis ad quos jurisdictionem ejusmodi attinere velint persuasionum discrimine) suam in rem ecclesiasticorum jus, velut summo regimini coordinatum nec omnino subordinatum, cancellis, *in ordine* saltem, ut aiunt, *ad spiritualia*, coercendum fore nullis acerrime concertare soleant. Certe etiam in ecclesiis seu rebuspublicis aliquot quae non pontificium solum Romanense sed & episcopale regimen sub reformationis initia excutientes consistoria introduxerunt presbyteralia, eousque vigere videtur summarum in regimine publico potestatum autoritas ut tum juxta illarum decreta jurisdictio ecclesiastica adeoque excommunicationis facultas ibi formata sit, tum nihil omnino contra quam autoritas illa admiserit sit hanc circa rem ibi tentandum. Animadverte ordinationes ipsas ecclesiae Genevensis [g]. Verum de jure per regna & respublicas christianas integras hac de re a vetustissimis seculis etiam in nostrum obtinente hactenus. Quod ad singularium virorum doctorum commentarios hic attinet (de quibus juxta institutum proxime dicendum) certe eorum etiam vicem, praeter aliquot supra obiter citatos, impensissime hic supplent leges ipsae, acta publica, ac usus ante ostensus, quia adeo variatim pro arbitrio humano secundum jam dicta temperatus. Nam nemo non videt per anteacta christianismi cum summo in regimine publico conjuncti secula, imperia, regna ac respublicas jus hanc circa rem humanum ita publice viguisse ut non modo e laicis eisque primarii passim ordinis, verum etiam ex ipsis ecclesiasticis numerosissimos fuisse satis constet, eosque illustriores, qui tantundem in legibus illis, actis publicis ac usu palam agnoverint, adeoque quasi scripserint ipsi ac consignarint. Saepissime enim in legibus illis ferendis, actis publicis conficiendis, ac usu illo exercendo partes etiam & dignitates tenuere primarias ecclesiastici ordinis viri perquam conspicui, qui & docti satis & simul cordati ita rem hanc se habere ultro admiserint; quod ex annalibus & historiis notissimum. Ita scilicet manifestum est illos existimasse jure divino quod praeceptivum est (nam de eo tantum hic loquendum) seu instituto, sive ex evangelio sive aliunde divinitus accepto, singulari (cui mortalium cuiquam ullatenus derogare nefas) non subniti poenae hujus aliter atque alicujus alius ex humano arbitrio pendentis usum, sed tantum ex divino vim, inter ejusmodi alias, sortiri, quemadmodum mediate sortitur poenarum jus omnimodum, juxta superius capite quinto ostensa, ab hominibus pro arbitrio suo praescriptum. Dum enim ita temperamenta ac modos, pro hominum in jure humano condendo libitu, in excommunicationis ipsius, quoad causas, objecta, personas, reliquasque ejus appendices, natura ipsa, admittendos esse illi qui sic, dum rebus agendis praeerant, profitebantur, fieri nequit quin simul admiserint & professi sint ipsi omnimodam ejusdem partem eidem juri esse obnoxiam atque inde plane pendere. Sed vero sunt etiam commentarii & veterum & recentiorum singulares aliusmodi, unde expressius itidem sententiae huc facientes ediscendae. Atque in eis primarium quidem locum mereri videtur illa patris illius celeberrimi S. Chrysostomi Oratio [h], Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἀναθεματίζειν ζῶντας ἢ τεθνεῶτας, *Quod non debet quis vel vivos vel mortuos anathematizare*, aut *anathema in eorum quempiam pronunciare.* In anathematis usum sui seculi (floruit sub Theodosio majore seu anno Christi 390) invehitur, velut illius unde christiani ludibrio apud alios haberentur & invicem malefici. De eo loquitur quasi apostolis tantum, non aliis, competierat. Et Paulum ait duobus tantum in locis (id est in priore ad Corinthios [i] & in epistola ad Galatas [k]) vocem ut in alios a se pronunciatam adhibuisse. Sed οὐχ ὁριστικῷ, nquit, *προσώπῳ ταύτην ἐπήγαγον, nec tamen certae & determinatae personae illam intentat. Cur igitur*, inquit, *quod nullus eorum qui potestatem acceperunt vel facere vel declarare ausus fuit, tu facere audes plane adversarius mortis dominicae, praeoccupans judicium regis?* Addit, etiam sanctum quendam, qui apostolorum temporibus martyrium meruit, asseverasse, *eum qui hominem facit anathema ecclesiae, abducere seipsum in extremam perniciem, usurpando dignitatem Filii Dei*; quasi nemini praeter Deum ipsum hujusmodi sententiae pronunciatio competeret. Reliqua ibi vide. Sanctus ille hic ita Chrysostomo consonus quisnam fuerit ignoratur. Existimant aliqui fuisse Ignatium, e cujus epistola ad Smyrnaeos afferunt aliquid quasi jam dictis consentaneum, quod quidem ad rem non omnino, si quid video, attinet. Id quidem verum est, Chrysostomum alibi, idque saepius [l] (ut faciunt itidem patres reliqui illius seculi) agnoscere & plane admittere excommunicationis usum; unde haud parum dubitatum est quid sibi hic velit dum anathema nec in vivos nec in mortuos admittendum tam acriter instat. Alii [m] igitur de temerario ejusdem usu tantum eum loqui volunt, alii de ejusdem usu tumultuario apud Antiochenos, alii aliter. Nec defuere qui orationem illam Chrysostomi esse negaverint [n]. Sed ejusdem fuisse, utcunque forsan interpolatam, consentiunt plerumque tum pontificii tum reformati, nonnullis [o] interim modeste dubitantibus, sed omnibus autoris pervetusti alicujus fuisse consentientibus. Et quantum ad orationis illius sensum attinet, cum in excommunicatione majori illius seculi, uti & ante & post, binae haberentur partes, anathema ipsum seu devotio ac dirae in destructionem excommunicati, & separatio atque privatio pristinae inter suos communionis (juxta superius memorata) haud aliter forsan existimandum quam partem illam priorem [p], ob rationes

[g] Anni 1560. & vide edit. 1562. pag. 61. & 1577. art. 1. & 97. à Geneve. [h] Edit. Basil. tom. 3. pag. 724. Artwerp. in 8. 1553. pag. 252. Latin. Ducaeana tom. 5. homil. pag. 599. Graeco-Latin tom. 1. homil. 76. pag. 907. Saviliana tom. 6. homil 37. pag. 439. [i] 1 Corinth. xvi. 21. [k] Cap. i. 8, 9. [l] Homil. 18. in cap. 8. 2 ad Corinth. Homil. 4 in Epist. ad Ebraeos, homil. 70. ad populum Antiochenum; libro de Babyla Martyre; alibi. [m] Vide Sixtum Senens. Bibliothec. lib. 6. annot. 267. Baron. tom. 4. ann. 382. §. 55, &c. Theophil. Rainaud. de Monitoriis Ecclesiasticis, part. 2. cap. 8. §. 4. [n] Dom. Soto in sent. 4. dist. 22. quaest. 1. art. 1. Vide Catalog. Hoeschilian. in not. ad tom. 5. edit. Savilianae, pag. 708. [o] Vide notas in edit. Savilianae 6. tom. col. 802. & Front. Duc. edit. Graeco-Lat. tom. 1. in notis pag. 132. [p] Vide Hug. Grot. in Evangel. pag. 682. Sed & Chrysostom. in Epist. ad Rom. ix. 3.

oratione illa aperte ſatis & expreſſius allatas, omnino autori illius, quicunque fuerit, diſplicuiſſe, utcunque in uſu fuiſſet tunc receptiſſimo; partem autem poſteriorem, ut poenam inter homines ipſos viſibilem & ſatis notam, nihilominus adhibendam. Atque ita forte concilianda quae hic de anathemate habet cum eis quae alibi de excommunicatione, cujus pars illa altera facile intelligitur ſine anathematiſmi diris. Et forſan, cum jam chriſtianiſmus & ſummum in regimine publico imperium ſimul ita conjungebantur, (floruit Chryſoſtomus circa ſexaginta a conjunctionis ejuſdem initiis annos) exiſtimavit pater ille praeſtantiſſimus in juriſdictione qualicunque exercenda non fore apud chriſtianos dirarum illarum terriculamenta amplius adhibenda, quemadmodum ante, quamdiu regiminis publici uſus chriſtianiſmo defuerat, adhiberi, ex Judaiſmi moribus, ſolebat; ſed ſufficere ipſam tantum ſeparationem ſeu interdictionem, quae inoleverat, perſonalem. Sed vero, quicquid ſenſerit hic pater ille, ex vetuſtatis autoritate duravit varius anathematis etiam uſus, juxta ſuperius oſtenſa; ita tamen ut in oriente, ex ſumma erga orationem illam ut Chryſoſtomianam reverentia, novellae cujuſdam ſeu canonum de anathematis poena irroganda, tam ab imperatore quam a patriarcha etiam in ſynodo editorum, uti & aliorum ejuſmodi aliquot, vis ac uſus in deſuetudinem, velut non tolerandus, abiret & eſſe deſineret. Nimirum a Conſtantino Porphyrogenneto imperatore & Alexio patriarcha in ſynodo anno juxta Graecorum aeram mundi 6534, qui Chriſti eſt 1026, habita, pronunciandum decernitur anathema [q] in omnes qui rebelliones aut tumultus excitarent, eorumque participes & conſiliarios; etiam & in eos qui per poenitentiam illos reciperent antequam ipſius defectionis eos poeniteret eamque ipſi deſererent. Similis item adjectio aliis in ſynodis ac canonibus Chryſoſtomo tum recentioribus tum vetuſtioribus in oriente occurrit [r]. Atque de Conſtantini illius & Alexii conſtitutione illa ſeu canone de anathemate obſervatur a Theodoro Balſamone patriarcha Antiocheno [s], qui floruit circa annum Chriſti 1200, illum exoleviſſe ſeu plane *ἀπρακτεῖν* propter doctrinam illam ſic de anathemate a Chryſoſtomo traditam ac in oriente ita receptam. Inde etiam diu poſt, cum Conſtantinus Harmenopulus judex Theſſalonicenſis tum canonum tum juris Caeſarei epitomen ſcripſerat, expreſſim reprehenſus eſt a Philotheo [t] patriarcha Conſtantinopolitano eo quod ſcriptis ſuis non adjeciſſet, *ὅτι διὰ τοὺς χρυσοῦς καὶ ἁγίους νόμους τοῦ μεγάλου τῆς ἐκκλησίας φωστῆρος Ἰωάννου τοῦ τὴν γλῶτταν χρυσοῦ περὶ τοῦ μὴ δεῖν χριστιανοὺς ἀναθεματίζεσθαι ἕως ἂν δηλονότι τῆς ὀρθῆς ἔχωνται περὶ Θεοῦ δόξης, ἠπράκτησαν οἱ τόμοι, οἱ τοὺς προστατοῦντας καὶ ἐπανισταμένους τοῖς βασιλεῦσιν ἀναθεματίζοντες*, *quod propter aureas & ſanctas leges illius magni luminis eccleſiae Joannis Chryſoſtomi quibus prohibentur anathemati ſubjici*, ſeu *anathematizari, chriſtiani, quamdiu rectae de Deo ſententiae adhaerent, eſſe deſierint in uſu illi tomi* (ſic novellas ejuſmodi & conſtitutiones vocitabant) *qui defectionum autores & imperatoribus perduelles anathematizarunt.* Scilicet de jam dicta Conſtantini & Alexii conſtitutione loquitur Philotheus. Et ſubjungit item illud Balſamonis, unde nec ſolum hanc ſed nec alias, de anathematis uſu conſimiles, alteram Emanuelis Commeni, alteram Palaeologi, vim habere ullam admittit, atque libenter aſſenſum praebet, *τῷ κοινῷ πατρὶ Χρυσοστόμῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ἁγίοις διδασκάλοις πείθεσθαι δεῖν, τὰ αὐτὰ καὶ φρονοῦσιν ἐκείνῳ καὶ διδάσκουσι, καὶ τῇ τοῦ Χριστοῦ μεγίστῃ φιλανθρωπίᾳ συνηγοροῦσι*, *communi patri Chryſoſtomo & aliis doctoribus obſequendum eſſe, qui eadem cum illo ſentiunt ac docent, maximaeque Chriſti clementiae potius patrocinantur.* Etiam titulus ſcripti Philotheani eſt, *Ἀνατροπὴ τῶν γεγραμμένων παρὰ τῷ Ἁρμενοπούλῳ ἀναθεματισμῶν* *Refutatio ſcriptorum apud Harmenopulum anathematiſmorum*; quaſi de aliis itidem non paucis anathematiſmis, nec ſolum de eis in tomis illis occurrentibus, tantundem exiſtimaſſet. Certe forſan inter cauſas reprehenſionis illius Philotheanae alias haud minima erat, quod in perquam turbido illo tunc rerum in oriente ſtatu Calliſtus, qui Philotheo velut antipatriarcha erat, anathematiſmos ſuos adeo procaciter [v] in eos qui ſibi diſplicuerant ejaculabatur. Sed demum quid ita de anathematiſmorum uſu (notione quam diximus) ſenſerint Chryſoſtomus, Balſamon, Philotheus patriarchae (quorum priores bini perquam celebres fuere & cuique ſatis noti; nec incelebris Philotheus qui *non modo vir ſingularis & ob ſanctimoniam venerabilis, ſed etiam externarum & noſtrarum diſciplinarum peritiſſimus* habitus eſt, aliiſque ſummis laudibus inſignitur apud Joannem Cantacuzenum [x] ei coaevum) quid ipſi inquam ſenſerint jam dicta ſatis docent. Nec ſane eos ſolos ita ſenſiſſe aut alios etiam viros doctiſſimos, ſibi tanto in faſtigio poſitis conſonos non habuiſſe, credibile eſt; quod de Chryſoſtomo diſerte ſatis affirmat Philotheus. Vixit Philotheus hic ante Heracleenſium Metropolitanus, ſub Joanne illo Cantacuzeno & Joanne Palaeologo orientis imperatoribus, & circa annum Chriſti 1360 floruit, unde etiam videtur de Harmenopuli aetate aliter omnino decernendum quam viris doctis eſt hactenus receptum. Eum collocant circa A. Chr. 1150 ſeu ſub Emanuelem Commenum. Sic Marquardus Freherus in chronologia juri Graeco-Romano praefixa. Sic Joſephus Maria Suareſius in Baſilicorum notitia. Sic alii. Atque horum ego [y] olim ſequax. Sed vero cum ea quae memoravimus de anathematis uſu ad Harmenopulum ipſum tunc florentem a Philotheo conſcripta videantur (nam incipit, *Ὁ περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς, σέβαστε νομοφύλαξ καὶ καθολικὲ κριτὰ Ἁρμενόπουλε, πῶς οὐ κἀκεῖνο τοῖς γεγραμμένοις προσέθηκας*, &c. *Cum peritus ſis hujuſmodi rerum, venerabilis nomophylax & judex generalis Harmenopule, cur non hoc quoque ſcriptis adjeciſti*, &c.) cur non plane ſtatuendum Philotheo coaevum fuiſſe Harmenopulum, adeoque ducentis amplius annis recentiorem quam exiſtimari ſolitum? Quicquid autem de ſententia ac oratione illa Chryſoſtomi ejuſve qui fuerint hic ſequacibus ſit ſtatuendum, certe creberrimum poſtmodum in chriſtianiſmo tam orientis quam occidentis fuiſſe anathematis,

[q] Jus Graeco-Rom. part. 1. pag. 118. & Theodor. Balſamon in ſynod. Gangren. can. 3. [r] Videſis Harmenopulum Epit. Canon. tit. 5. [s] In praefat. ad Comm. in Synod. Gangren. [t] Jus Graeco-Rom. part. 1. pag. 288. [v] Joann. Cantacuzenus lib. 4. cap. 37. & 47. [x] Hiſtor. lib. 4. cap. 29. 32. 37. & 50. ubi vide Pontanum. [y] In Uxore Ebraica lib. 3. cap. 29.

juxta

juxta superius ostensa, usum est certissimum. Adeoque non ex natura sui illicitum esse, plerumque est admitti solitum. Caeterum quamvis adeo frequens occurrerat apud scriptores ecclesiasticos in synodis aliisque commentariis suis juris divini hic praeceptivi, ut in ante memoratis etiam habetur, id est evangelici & apostolici instituti, assertio, idque nomine ecclesiasticae libertatis, tum apud reformatos tum apud Romanenses (quae seculis quidem in vetustioribus facile ac ultro multo magis admissa quam accuratius discussa est) nihilominus de eo quod e contra est, non divino scilicet instituto singulari excommunicationis seu anathematis usum aut jus immediate fundari, sed humano omnino, ut poenas alias introduci solitas, invento subniti, sententias habemus nec paucas nec obscuras tum in Romanensium tum in reformatorum, eorumque prodromorum scriptis. In Romanensibus, simulac scholastice assertiones anteriores theologicas subtilius ventilari inoleverat, fuere etiam qui assertionem illam de jure divino etiam & de licito excommunicationis usu in controversiam vocarent, ut plurima alia oscitantius quam par erat recipi solita. Id liquet ex Alexandro Halense [z] disputatoribus scholasticis antesignano eximio, aliisque id genus [a] sequentibus. Sed vero Romanensium qui institutum divinum ita hic nolunt admitti genus habetur triplex. Primum eorum qui censuras ecclesiasticas nullas, qua tales, adeoque nec excommunicationem, singulari aliquo jure praeceptivo divino immediate subniti volunt, sed tantum instituto humano. Secundum eorum qui Haeresin exceptam hic volunt, quasi ex novi testamenti praecepto signantius de crimine illo prae aliis etiam in excommunicationem, sed non in crimina aut facinora alia, ex praecepto esset ejusmodi agendum. Tertium est, quod cum primo non solum sentit, sed etiam aut e paganismi morum rituumque imitatione, aut ex Judaismi moribus superinductis, in christianismum veterem adsumptum excommunicationis usum opinatur. Qui primi sunt generis, aiunt quidem *clavium* & *ligandi* & *solvendi* nominibus potestatem amplissimam & multipliciter imperativam coactivamque ordini ecclesiastico a Christo datam (cujus rei disputatio ad disquirendi genus aliud attinet, & fuse tractatur in libris non paucis de ejusmodi potestate a Romanensibus editis, aliisque in adversum emissis) atque ex generalis illius potestatis amplitudinis vi constitutam esse introductamque ab hominibus ecclesiasticis poenam hanc excommunicationis, reliquasque congeneres censuras, idque jure sic positivo, & ex singulari ecclesiae seu hominum ecclesiasticorum determinatione, haud aliter atque sacramentalia seu sacramentorum appendices ritusque & ceremonias pro hominum arbitrio ac prudentia natas esse agnoscitur, non omnino ex instituto aliquo immediate divino. Hanc sententiam amplexantur tuenturque viri celeberrimi rem more scholastico subtilius discutientes, Dominicus Soto [b], Ferdinandus Vellosillus [c] episcopus Lucensis, Gregorius Sayrus [d], Franciscus Suarezius [e], quo excommunicationis pontificiae potestatis & effectus, etiam in principes summos, assertor [f] non reperitur acrior ullus. Alii sunt consoni, iique numerosi, licet non omnes pariter expressim. Et communior dicitur opinio haec, & theologis plusquam jurisconsultis pontificiis plerumque recepta. Atque ejusdem sensus sane satis videtur manifestus, ut in moribus legibusque ante ostensis, ita in excommunicationis apud Romanenses usu & veteri & recentiori, in singularibus casuum reservationibus, exemptionibus ab episcopali jurisdictione, id est etiam ab excommunicatione episcopali, eisque tam regiis (nam Guilielmus noster primus, Abbatiae de Bello ab ipso in agro Sussexiensi fundatae concessit *quod sit libera & quieta ab omni subjectione episcoporum* [g]; & aliae [h] sunt illiusmodi concessiones regiae) quam papalibus; in opinionibus Romanensium, qui etiam laicorum tum excommunicationes [i] tum absolutiones [k] in casibus quibusdam pariter admittunt; in eorum item sententia qui in monitoria ecclesiasticorum excommunicationi praevia aliquot, eaque etiam ex insignioribus, illa plane improbantes, conscripsere [l]; in excommunicatione monastica [m]; atque demum in id genus aliis, quibus jurisdictionem, hanc circa rem, pro arbitrio humano perquam variatim nunc coerceri rite posse nunc laxari, haud parum affirmari videtur. Secundi generis hic sunt Jacobus Almain [n], Joannes Driedo [o], Echius [p], alii aliquot, expressiori haereticorum in epistolicis canonicis mentione ducti. Quod ad sententiam hic attinet tertiam; e paganorum veterum scriptis moribusque constat perquam variam apud eos fuisse sacrorum, ut in excommunicatione christianorum minori, etiam & interdum vitae communionis seu societatis pristinae, ut in majori interdictionem. Sacris arcebantur apud eos alii, ut, ex institutione aliqua singulari & mystica, aut non omnino aut nondum unquam legitime capaces; quod cernitur passim apud scriptores satis obvios, qui Eleusinia, Mithriaca, Isiaca, Bacchanalia, id genus reliqua mystica memorant. Non ita dissimilis est apud christianos paganorum seu nondum baptismo initiatorum ab eucharistia aliisve sacris praeclusio; quae excommunicationi seu pristinae communionis qualiscunque privationi neutiquam omnino respondet, quoniam ad nondum unquam admissos tantum attinet. Cum enim civitates per Ioniam reliquae praeter duodecim illas quibus peculiaria sacra, Panionica dicta [q], instituta sunt, illorum capaces ex ipsa institutione non essent, adeoque inde arcerentur, communionis pristinae privatione, quae excommunicatio semper est, non omnino puniebantur; quale pariter de aliis ejusmodi dicendum. Et

[z] Part. 4 quaest 22. [a] Script. ad Sent 4. dist. 18, &c. [b] Sent. 4. dist. 22. quaest. 1. art. 1. §. 13. [c] In Advertentiis Theologicis in Tom. 4. Chrysostomi ad quaesitum 15. [d] Thesaur. Cas. Conscientiae lib. 1. cap. 4. §. 8. [e] De Censuris disp. 2 sect. 1. & lib. de triplici veritate Theologica, tract. 1. disp. 21. §. 1. [f] Adversus sectae Anglicanae errores, lib. 3. cap. 3, &c. [g] Apud autorem libri De Vera Differentia potestatis regiae & ecclesiasticae, Londini 1533. pag. 52. & in Archivis. [h] 21 Ed 3. fol. 60. a. Mich. 19 Ed. 3. coram rege Rot. 114, &c. [i] Laurent. Bochelus in biblioth. Juris Gallicani verb. *monitio*. & videsis Theophil. Rainaud. de Monitoriis part. 1. cap. 1. quaesit. 11. [k] Gl. in cap. Pastoralis extr. de Officio Ordinarii Panormitan. ibid. & vide Rainaud part. 1. cap 4. quaesit. 1. & Philibertum Marchinum in Belli Divini part. 3. cap. 12. § 3. [l] Laur. Bochell. loco citato. & vide Rainaud.. de Monitoriis, lib. 1. cap. 1. quaesit. 3. [m] Vide Rainaud. part. 2. cap. 1. § 5. Marium alterius de Excomm. part. 3. disp. 7. cap. 1. alios hisce citatos. [n] In sent. 4. dist. 18. quaest. 1. [o] De Libertate Christiana lib. 1. cap. 8, [p] In Enchiridio cap. 27. & videsis Henriquez in Summa, lib. 13. cap. 2. alios ibi citatos. [q] Herodotus in Clio.

ſolennem ad ſacra ejuſmodi myſtica admiſſionem praeviam per quinque gradus breviter indicatam habes apud Theonem Smyrnaeum[r]. Primus erat καθαρμὸς ſeu *purgatio*, & ablutiones; Secundus, ἡ τῆς τελετῆς παράδοσις, *ſacrorum traditio* ſeu explicatio; Tertius, ἐποπτεία, *inſpectio*; Quartus, στεμμάτων ἐπίθεσις, *coronarum impoſitio*, qua capax initiatus reddebatur reddendi aliis eadem ſacra, ſeu alios ſeu ſimiles creandi; Quintus, καὶ τὸ θεοφιλὲς, ſeu *ipſi numini* cui initiatus eſt *charum fieri* & beatitudine myſtica frui. Hos omnes optime explicavit vir praeſtantiſſimus Iſmael Bullialdus in notis ad Theonem. Et juxta hos praecludebantur a ſacris myſticis initiationis candidati, ſeu nondum plene admiſſi. Sed ea in re, ut dictum eſt, nihil habebatur quod excommunicationis chriſtianae magis ſimile erat quam in arcendis ab euchariſtia paganis ſeu necdum baptizatis, ubi priſtinae communionis juris privatio plane nulla. Alii autem apud paganos, uti etiam & ipſi ſic, ut jam monitum eſt, admiſſi, nequitiae alicujus, ſceleris, aut immunditiei nomine, alias ac ante & ſatis capaces & inter admiſſos recenſiti arcebantur, idque interdictione duplici; altera quae, ex diſciplina ſacra, erat in ſacris omnimodis paraenetica ſeu commonitoria tantum; altera quae, ex lege aliqua poenali nata, etiam compulſoria erat, & a ſacris publicis ſic arcebat; quae ſane excommunicationi chriſtianae ſatis erat ſimilis. Quod ad commonitoriam attinet; homicidis atque aliis facinoroſis, ἔξιθι νηῦ, *egredere e templo*, aut ejuſmodi quid ab Apolline pronunciari ſolebat[s], juxta illud Lucani[t],

——Paean ſolitus templis arcere nocentes.

& in Proſerpinae ſacris apud Virgilium[v],

——procul O, procul eſte, profani,
Conclamat vates, totoque abſiſtite luco.

quemadmodum & Graecis erant uſitatiſſima illa, Ἑκὰς, ἑκὰς ἐςε βέβηλοι, &, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις, &, Ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλιτρὸς, quae tantundem apud Orpheum[x], Callimachum[y], alios ſonant. Et ſacros hymnos recitaturis τοὺς ἀμυήτους καὶ βεβήλους ἐξιέναι θύραζε κελεύειν[z], *nondum initiatos & profanos*, ſeu ſacris ex labe aliqua contracta non idoneos, ſeu impuros, *foras exire jubere*, in more erat. Nec ſolum patrati ſceleris etiam ſed affectati aut cogitati reus hujuſmodi continebatur ſubinde commonitione. Sacerdos in Vulcani AEtnaei ſacris, apud Gratium Faliſcum[a], inclamat,

——Procul hinc extorribus ire
Edico, praeſente deo, praeſentibus aris,
Queis ſcelus aut manibus ſumptum aut in pectore motum eſt.

Etiam qui impuri accederent a canibus AEtnaeis arcebantur[b]. Heſterna item Venere inquinati ſacris haud idonei, adeoque pro impuris hic habiti, juxta commonitionem illam Tibulli[c] Ambarvalia celebraturi,

Vos quoque abeſſe procul jubeo, diſcedite ab aris,
Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Lucius item Attilius in oratiuncula ad Samothracas apud Livium[d] diſerte velut pro indubitato ſumit, *Omnem praefationem ſacrorum eos quibus non ſunt purae manus ſacris arcere.* Et in Eleuſiniis ſolennis erat praemonitio, *Nemo ingrediatur niſi qui ſe innocentem novit*, ut Lampridius[e]. Ejuſmodi ſunt teſtimonia alia ſatis obvia[f]. Sed vero impuritatis hic, quantum ad diſciplinam ſacram & commonitionis inde ſenſum, labes qualiſcunque dilui ac ſatis purgari plerumque credebatur ex corporis in aqua viva ablutione; unde ſacris (ſi lex aliqua alia non adverſaretur) ſatis idonei habebantur ſic abluti, non aliter ferme ac templa Romanenſium introeuntes ſolenni aquae benedictae aſpergine. Inde illud AEneae apud Virgilium[g],

Tu, genitor, cape ſacra manu patrioſque penates:
Me bello e tanto digreſſum & caede recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Et alibi[h] Dido diis inferis ſacra inſtituens, ad Barcen vetulam,

Annam cara mihi nutrix huc ſiſte ſororem;
Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum & monſtrata piacula ducat.

Alia id genus habet Virgilius, aliique veterum, ex more apud eos purgandi ſeu illuſtrandi ſacrificaturos, ſeu qui ſacrorum participes eſſe cuperent, eiſve adeſſe. Atque inde Tertullianus, Arnobius, Lactantius, ejuſmodi alii paganis hoc exprobrant (ut ſupra oſtendimus[i], ubi ad hanc rem alia) quaſi ex ablutione ejuſmodi ſe ante flagitiis inquinatiſſimos ſatis mundatos exiſtimarent. Certe etiam Hercules ipſe ſibi tantundem objicit apud Senecam[k], ubi poſt uxoris liberorumque caedem,

——Arctoum licet, inquit,
Maeotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,
Haerebit altum facinus——

Sed receptiſſima erat in ſacrorum diſciplina perſuaſio illa de impuritatis omnimoda purgatione per ablutiones & ſui & veſtium (ut loco citato diximus) quibus anteacti ſceleris redargutio, increpatio & liberatio, adeoque poenitentia ejuſque effectus etiam, ſignificabatur, uti ex Artemidori[l] itidem & Achmete[m] expreſſius ediſci poteſt. Et ſane ad commonitoriae jam dictae interdictionis ſenſum inprimis ſpectat illud apud Suidam[n], Οἱ σπένδοντες, inquit, ἔλεγον, ΤΙΣ ΤΗΔΕ; ἀντὶ τοῦ, ΤΙΣ ΠΑΡΕΣΤΙΝ; Εἶτα οἱ παρόντες εὐφημιζόμενοι ἔλεγον, ΠΟΛΛΟΙ ΚΑΓΑΘΟΙ. Τοῦτο δ' ἐποίουν οἱ σπένδοντες, ἵνα οἱ συνειδότες τι ἑαυτοῖς ἄτοπον ἀποχωρεῖεν τῶν σπονδῶν. *Sacrificantes dicere ſolebant*, QUISNAM IBI? *pro eo quod eſt*, QUISNAM ADEST?

[r] In mathematis cap. 1. [s] Plutarch. de ſera Num. vindicta. [t] Lib. 5. [v] AEneid. 6. [x] In Hymnis. [y] Hymn. 2. [z] Sozomen. Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 25. [a] In Cynegetico. [b] AElian. de Animalibus, lib. 11. cap. 3, & 20. [c] Lib. 2. Eleg. 1. [d] Decad. 5. lib. 5. cap. 5. [e] In Alex. Severo. [f] Videſis Briſſon. formul. 1. [g] AEneid 2. [h] AEneid. 4. & vide Macrob. Saturnal. 3. cap. 1. [i] Cap. 3. pag 29. [k] In Hercule Furente, Act. 5. [l] Onirocritic. lib. 2. cap. 4. [m] Onirocritic. cap. 231, 232. [n] In τίς τῇδε.

Tunc autem qui aderant linguis faventes dicebant, MULTI ET BONI VIRI. *Hoc autem a sacrificantibus factitatum ideo ut quotquot sibi impuritatis alicujus conscii essent a sacris se subducerent*, seu ita commoniti abirent, quotquot scilicet praevia corporis aut manuum saltem & capitis ablutione aliove suppari lustramento non essent purgati. Nam juxta persuasionem paganicam pro puris satis (nisi lex aliqua aut mos singularis obesset,) habebantur sic, ut dictum est, abluti. Hinc etiam manuum ablutio solennis apud veteres [p] εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος, *in purgationem sceleris*. Inde etiam Thoas apud Euripidem [q],

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά,

Mare abluit omnia hominum mala. Inde vetus illa paraenesis apud Catonem [r] Rustico sacrificaturo, *Manus interluito*. At vero non tantum aqua sed aliis ritibus lustralibus purgabantur ex commonitione jam dicta sacrificaturi. *In sacris omnibus*, inquit Servius Honoratus [s], *tres sunt purgationes. Nam aut teda purgantur & sulphure, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur*. Et Arrianus de sacrificio Dianae a venatoribus, in Galliis olim, peragendo, Χρὴ τῇ θεῷ γε, inquit [t], ἀποκαθαίρειν τοὺς κύνας καὶ τοὺς κυνηγέτας κατὰ τὰ πάτρια, ὡς νόμος, *Oportet tum canes tum venatores ipsos deae huic lustrare juxta ritum patrium, ut lex est*. Purgationes ejusmodi καθάρσεις τοῦ ψυχικοῦ σώματος, *purgationes* seu *lustrationes animalis corporis*, vocabant, quas unumquemque, ποιήσασθαι δεῖ ταῖς ἱεροῖς ἑπόμενον θεσμοῖς καὶ ἱεραῖς τέχναις, *decet facere juxta sacras leges artesque sacras*, ut ait Hierocles [v]. Animae autem ipsius erga deos purgationes aliae erant, quae non ex more publico, ut hi corporales, sed ex interiore contemplatione & conscientia fiebant; de quibus Platonici obiter ac affatim. Et de commonitoria hic interdictione, ejusque effectu & observatione solenni, hactenus. Altera autem illa, quae ex lege poenali ita compulsoria erat, adeoque statum personae inter suos mutavit, ut, nisi etiam legis ejusmodi vis ex eorum qui ferebant sive autoritate sive modo praescripto laxaretur, sacris publicis quisquam, utcunque ablutus, aliterve pro vario persuasionum & institutionum sacrarum discrimine purgatus, interdicebatur, palam cernitur in veterum Graecorum, Romanorum, Gallorum, (atque, ut par est credere, Britannorum) Germanorum, aliorumque gentilium legibus moribusque; in quibus modus ejusdem habetur duplex. Interdum enim sub omnimodae vitae inter suos communionis (citra tamen soli mutationem seu exsilium, ut fieri solet in excommunicatione majori) ademptae sive nomine sive sensu, sacrorum item communium, sed non aliter expressa, interdictio venit. Interdum etiam expresso nomine sacra sic nunc sola nunc cum aliis vitae commodis interdicuntur. Generalis illa interdictio habetur apud Graecos in graviori ἀτιμίας seu *infamiae* illa poena Attica marito adulteram damnatam retinenti, parentes pulsanti aut non alenti, aliis aliquot flagitiosis ac delinquentibus irrogari solita, cujus obvia mentio apud Demosthenem [x], Andocidem [y], Plutarchum [z], Libanium [a], Harpocrationem [b], alios Graecorum veteres, atque apud scriptores recentiores qui illorum res ejusmodi congerunt. Habebatur scilicet apud eos infamiae seu ἀτιμίας ejusmodi poena singularis (neque enim unica, aut sibi semper natura, aut gradu, aut nomine similis haec poena) quae consistebat in τῷ ἀρθῆναι τῶν νομίμων, *jure patrio ejusque beneficio exui*. Adeoque quotquot illam subibant, quae gravior erat, non solum tum a magistratibus arcebantur tum a sacris communibus, verum etiam eousque pristinae vitae commercio privabantur, ut plane tum quasi exsules in patria haberentur, tum impune etiam occidi possent. Alibi item apud Graecos similis poena in usu. Electra apud Euripidem [c] de se, Pylade ac Oreste, *Decretum*, inquit, *est Argis*

——μήθ' ἡμᾶς στέγαις,
Μὴ πυρὶ δέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινὰ
Μητροκτονοῦντας——

Nemini fas esse nos matricidas aut tecto aut igne aut alloquio excipere. Ita Aristodemum Lacedaemone ob militiam desertam ignominiae nota punitum nemo aut igni aut alloquio inde dignatus est [d]. Et de Taprobanes insulae rege Plinius [e], *Regem, si quid delinquat, morte multari, nullo interimente, sed aversantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus*. Ejusmodi sunt obvia alia; quibus consonum satis est illud Romanorum notissimum de aquae & ignis interdictione veteri seu exsilio domestico, cujus in locum successit [f] deportationis poena. Hinc enim etiam sacrorum communium privatio simul secuta. Nimirum interdictio illa, citra soli mutationem, in eo habebatur quod est μηδένα κοινωνεῖν πυρὸς καὶ ὕδατος ἢ στέγης, *a nemine* sic interdicto *communicandam aquam & ignem* (quorum uterque tam sacrificiis quam vivendi rationi imprimis necessarius) *aut tectum*; ut Appianus [g] loquitur de Metello sic interdicto. Etiam lege Julia de vi privata tenebatur *qui eum cui aqua & igni interdictum est receperit, celaverit, tenuerit*, quod ait Paulus [h]. Talis habebatur in patria qualis, ex Anglorum jure vetusto, qui homicidii, latrocinii, aliusve gravioris criminis reus judicio se non sisteret solenni more vocatus. Ex contumacia enim illa sententia in eum pronunciari solita qua *Utlagatus* factus, id est, legis beneficio privatus; quem & **Frendlesman**, *hominem amicum non habentem*, & **Laughlesman**, *hominem legis protectione carentem*, vocitabant. Bractonius [i] expressim; Si quis talem *post utlagariam & expulsionem scienter paverit, receptaverit, vel cum eo scienter communicaverit aliquo modo, vel occultaverit, eadem poena puniri debet qua puniretur utlagatus*. Infamia autem qua apud Romanos notati aliqui multo levior erat ea quam Graecorum diximus; quod ex titulo ea de re in Digestis satis dignoscitur. Sed vero etiam expresso

[p] Scholiast. Sophoclis in Ajacem Mastigophorum. [q] Iphigenia in Tauris. [r] De re rustica, cap. 123. [s] Ad Aeneid. 6. & videsis Dionem Prusaeum Orat. 48. ad finem, & Theophrast. in περὶ Δεισιδαιμονίας. [t] In Cynegetico, cap. 33. [v] In Carm. Pythagorica. [x] In Timocratem, & in Midiana alibique. [y] Orat. 1. [z] In Solone. [a] Declam. pro Halirrothio. [b] In Ἄτιμος. [c] In Oreste. [d] Herodotus in Polyhymnia seu lib. 7. [e] Hist. 6. cap. 22. [f] L. 2. §. 1. D. tit. de Poenis, & L. 3. tit. ad legem Jul. peculatus. [illegible] Videsis Isaac Hotoman lib. 5 Observat. 2. & Barnab. Brisson. Select. ex Jure Civili, lib. 3. cap 5. [g] De bello Civili, lib. 1. [h] Sent. 5. cap. 26. [i] Lib. 3. tit. De corona, cap. 13, & 11.

presso sacrorum nomine interdictio facinorosis perquam erat frequens, maxime apud Graecos. Ea dicebatur εἴργεσθαι seu ἀποστέρεσθαι πάντων καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν, *Omnibus quae aut publica erant aut sacra privari* seu *arceri*. Draco, inquit Demosthenes [k], ut a cede mutua deterrerentur homines, legem tulit, homicidam εἴργεσθαι σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς, &c. *arcendum esse a libationibus, crateribus, templis* seu *sacris, foro*, &c. Id genus alias memorat ille [l], uti & AEschines [m], Lysias [n], Antipho [o], Andocides [p], id genus alii obiter. Adulterae scilicet, masculo corpus suum in libidem prostituenti, militiam detrectanti, ordinem deserenti, aliis aliquot, praeter poenas alias usitatiores, interdicebatur ex legibus moribusque εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ δημοτελῆ, *ingredi in templa publica*. Et in officiis erat regis sacrorum, qui in Areopago synedrus erat, & judiciis cum reliquis praefuit, προσαγορεύειν τοῖς ἐναντίοις ἀπέχεσθαι μυστηρίων καὶ τῶν ἄλλων νομίμων, *contumacibus interdicere ne ad mysteria accederent, nec aliis moris patrii beneficiis se immiscerent*, ut scribit Pollux [q]. Plato item in legibus suis [r] parentes pulsantem voluit exulem urbe fieri, & πάντων ἱερῶν εἴργεσθαι, *arcendum a cunctis templis* seu *sacris* communibus, etiam & ab ingenuorum non solum consortio sed etiam contactu; poena insuper in ingenuum qui cum sonte comederit, biberit, aut τινὰ ἄλλην κοινωνίαν κοινωνήσῃ, *alia aliqua communione cum illo communicaverit* aut sponte tetigerit, adjecta etiam hujusmodi, μήτε εἰς ἱερὸν ἐλθεῖν μηδὲν, μήτ' εἰς ἀγορὰν, μήτ' εἰς πόλιν ὅλως, πρότερον ἢ καθήρῃ, *neque templum aliquod ingredi ei fas esse, nec in forum, nec in urbem omnino, priusquam legitime purgatus fuerit*. Oedipus item apud Sophoclem, velut ex jure Thebanorum vicinorumque notissimo receptissimoque, atque etiam ex oraculi Delphici sensu de parricida, inquit,

Τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ γῆς
Τῆσδ', ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
Μήτ' εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινὰ,
Μήτ' ἐν Θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασι
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν,
Ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας, ὡς μιάσματος
Τοῦδ' ἡμῖν ὄντος———

Eum ego edico virum, quicunque est, ne quis in terra hac, cujus ego rex sum, hospitio excipiat, aut alloquatur, aut in divinis supplicationibus aut sacrificiis ut socium admittat, aut solennium ablutionum participem faciat, cum ab omnibus expellendus sit velut patriae inquinamentum. Accedat hic exemplum Halicarnassensis civitatis, quam totam quinque civitates, Lindos, Jalyssus, Camirus, Cos atque Cnidus, ἐξεκλήισαν τῆς μετοχῆς, ut inquit Herodotus [s], *a participatione* seu *communione* sacrorum Apollinis Triopii *summoverunt*, id est, plane excommunicarunt, ob Agasiclis Halicarnassensis delictum in tripodibus aereis, qui praemii loco victoribus in ludis ejus erant, domum secum deferendis, cum, ex lege, numini ipsi ab ipso sacrandi essent, poena expressim adjecta de communicationis ejusmodi privatione. Quod ad Romanorum hac in re jus attinet, post celebrem illam conjuratorum apud eos caedem, Dionysius Halicarnassensis [t] senatusconsulto ait decretum καθαρθῆναι τοὺς πολίτας ἅπαντας, ὅτι πολιτικοῦ φόνου γνώμας ἠναγκάσθησαν ἀποδέξασθαι, ὡς οὐ θεμιτὸν αὐτοῖς ἐφ' ἱερὰ παρεῖναι καὶ θυσιῶν κατάρχειν πρὶν ἀφοσιώσασθαι τὸ μίασμα, &c. *universos lustrandos* seu *purgandos esse cives, quod necessitate coacti essent caedis civilis auctores fieri; cum nefas esset ad sacra accedere & victimas immolare antequam facinus expiatum esset*, &c. Et lustratio inde ex lege illa secuta est. Alia id genus apud scriptores rerum Romanarum sunt obvia. Etiam ex pontificum judicio pependisse videtur quisnam pro contumacia in collegium illorum aliove facinore sacris esset arcendus. Nam lites sacras omnimodas judicabant illi [v], & si quos animadverterent μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν, ἐζημίουν πρὸς ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες, *in praescripta sua contumaces puniebant delicti qualitatem perspicientes*. Neque enim de mulcta tantum magis proprie sic dicta cum viris aliquot doctissimis locum illum capio, sed de poenis itidem aliis τῇ ζημίᾳ significari solitis, in quibus locus sane accommodus interdictioni sacrorum, uti etiam in judiciis regis sacrorum Athenis, ut ante memoratur. Atque ut in possessionum distributione praefecti juridici alii interdictis utebantur, ita in sacris pontifices. Interdictionum autem harum eis quae graviores essent tum apud Graecos tum Romanos conjungi saepius solebant ἀραὶ, seu *dirae* ac *maledictiones*, seu anathemata, quibus diis inferis & in perniciem sui summumque infortunium devovebantur & sacri fiebant facinorosi. De diris ejusmodi apud Graecos testimonia sunt obvia. Solonis in legibus in violatores usurpatae sunt [x]. Alcibiades [y] ob sacra inter compotandum lascivius evulgata diris per omnium sacerdotum religiones devotus est. Atque alibi non raro dirae ejusmodi apud Graecos. Romanis item dirarum ejusmodi usus publicus ab antiquitate ipsorum intima receptissimus erat; unde sacri homines & ἐξάγιστοι dicti qui illis devoti [z]. Atque hisce tam in mortuos quam vivos (quemadmodum itidem in excommunicationis sententiis christiani aliquot) etiam & privati utebantur; quarum item vim haud exiguam fuisse credebatur observabaturque [a]. Singulare tum communionis vitae interdictae tum exsecrationis solennis exemplum est illud Acarnanum apud Livium in conjuratione adversus Scopam AEtolorum praetorem eos tunc invasurum. *Ab quindecim* [b] *ad sexaginta annos conjurant nisi victores se non redituros. Qui victus acie excessisset, eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare exciperet; diram exsecrationem in populares, obtestationem quam sanctissimam potuerunt, adversus hospites composuerunt.* Mitto τὸ ἱερὸν ἀρᾶς, *devotionis templum*, Athenis, quod Hesychio memoratum [c], & τὰς τραγικὰς seu ἐκ τῆς τραγῳδίας ἀρὰς, *exsecrationes* seu *diras* ac *maledictiones tragicas*; quo

[k] Orat. contra Leptinem. [l] Orat. in Neaeram, & in Androtionem, & contra Timocratem, & Aristocratem. [m] In Timocrat. & Ctesiphontem. [n] Orat. 5. seu contra Andocidem, & 12. seu contra Agoratum. [o] Orat. 16. seu περὶ τοῦ χορευτοῦ. [p] Orat. 1. & videsis Samuel. Petit. in legibus Atticis pag. 472. & 557. [q] Onomastic. 8. cap. 9. [r] Lib 9. * in Oedipo Tyranno. [s] In Clio. [t] Lib. 5. ab U. C 254. [v] Dionys. Halic. lib. 2. [x] Dio Prusaeus Orat. 80. Plutarch in Solone. [y] Justinus hist. 5. Plutarch. & AEmilius Probus in Alcibiade. Videsis Erasmum Chiliad. 1. cent. 6.55. & epit. ejus tit. *exsecrandi*; Meibomium in Juramentum Hippocratis, &c. [z] Festus in Sacer Mons; Dionys. Halicarnass. lib. 2. & 6. Plutarchus in Crasso. Videsis Jacob. Guther. de vet. Jur. Pontif. lib. 4 cap. 22 & de Jure Manium lib. 2 c. 15. [a] Vide Livium, decad 4. lib. 1. cap. 44. & lib. 10. cap. 5, &c. [b] Liv. [illegible] lib. 6. cap. 25. [c] In ἱερόν.

nomine,

nomine, ut ex Diogenis de se dicto liquet, nuncupari solitae & dirae usitatissimae ipsae & vitae incommoda devotorum reliqua. Nimirum aiebat ille exsecrationes se implesse & tulisse tragicas, in quibus illae maxime, quod ἄπολις, ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος, *civitatis juribus, domo, patria*, ut exsecrabilis, *careret*. Sic Laertius [d], & AElianus [e]. Obviae sunt ejusmodi dirae apud tragoedos veteres, maxime in illa Sophoclis de Oedipo tyranno, ubi paulo post versus inde jam ante citatos, Oedipus,

> Κατεύχομαι δὲ, inquit, τὸν δεδρακότ᾽, εἴτε τις
> Εἷς ὢν λέληθεν, εἴτε πλειόνων μέτα,
> Κακὸν κακῶς νιν ἄμοιρον ἐκτρίψαι βίον,

Exsecror autem caedis autorem, sive is unus cum esset latuit, sive a pluribus adjutus est, ut malus male excommunicatus (ita expressim vertit ibi Vitus Winsemius) *vitam transigat*. Et sane τῷ ἄμοιρον sensus *excommunicati* ibi bene satis respondet (quod ipsum interea vocabulum haud ante posteriora seculorum christianismi primitivorum natum est) juxta etiam id quod scholiastes ibi habet, ἤτοι κακόμοιρον, ἢ μηδενὸς τῶν νενομισμένων μετειληφότα, id est, *infortunio multatum*, seu *vitae communione inter suos exutum*. Et quanti haberentur dirae ejusmodi etiam apud orientaliores populos discere est ex illo quod traditur de more تحية الملك *regiae* apud Yamanenses, populum Arabicum celeberrimum, *salutationis*, quae fuit, ابيت اللعن *abnuas maledictionem*, id est, ita te geras ut diris seu maledictionibus obnoxius non fueris. Atque brevi hac formula omnia prospera regi precari se existimabant; nec alios praeter regem ipsum ita salutabant; qua de re videsis plura apud virum praestantissimum Edwardum Pocockium in notis [f] ad libellum de Arabum moribus ante Mohamedem; ubi item ex vetustis Arabum scriptoribus legitur, Yaarabum, Eberi ex Joctano filio nepotem, Yamanensium regem, primum fuisse qui Arabice locutus est, & primum qui salutatione illa excipiebatur. De poenali autem lege in interdictione sacrorum apud paganos compulsoria testimonium etiam est eminentissimum notissimumque apud Julium Caesarem, ubi de Druidum disciplina forensi agens (illi scilicet & philosophorum & theologorum & sacerdotum summorum a seculis antiquissimis [g], etiam & summarum potestatum, partes inter suos agebant) *Si quis*, inquit [h], *privatus aut populus* (ita codices plerique, id est, civitas aliqua aut coetus hominum in corpus civile coalitus; aliis habentibus ibi *aut publicus*, quibus consona Graeca versio, ubi legitur ἢ δημότης) *eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum & sceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.* Quae sic simul dicta ipsissimam excommunicationis apud christianos & faciem & usum satis exhibent. Atque idem sane credendum videtur obtinuisse in Brittannorum nostrorum veterum moribus. Nam Julii Caesaris tempore, ipso teste, existimatum est Druidum disciplinam in Britannia repertam esse, atque inde in Galliam translatam. Atque in ipsa Britannia eorum pariter mentio obvia [i]; unde & regimen quod dictum est eorum ibi obtinuisse non iniquum est existimare. In Germanorum item moribus Tacitus, *Scutum reliquisse, praecipuum flagitium. Nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas. Multique superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.* Etiam Germanis Druidum disciplinam, adeoque illam de sacrorum & communionis vitae interdictione, viguisse [k] autumandum. Et sane, si Dioni Chrysostomo [l] fides, non privati solum sed etiam reges decretis eorum illiusmodi suberant, ὥστε, τὸ μὲν ἀληθὲς, ἐκείνους ἄρχειν, τοὺς δὲ βασιλέας αὐτῶν ὑπηρέτας καὶ διακόνους γίγνεσθαι, &c. *ut ita, si quis verum dicat, ipsi regnent, reges autem eorum sententiae sint ministri, licet in thronis aureis sedeant, magnasque domos habitent, & sumptuose conviventur.* De Celtis generatim loquitur ille, quo nomine certe occidentales contineri soliti; utcunque ab Julio Caesare [m] Germanos Druidas non habuisse traditum sit. Quod de tempore suo aut de notioribus apud Romanos Germanorum tunc rebus accipiendum, ut ex Lampridio [n] aliisque eliciendum. Et expressim Aristoteles, Celtis & Gallis, quasi occidentalibus universis, eos in disciplina tradenda autores fuisse primarios, testis est; ut ex Laertii prooemio liquet. Certe facilius ideo fuit apud populum ut potestas ejusmodi sacris interdicendi illis admitteretur, cum non solum immanem illam hominum immolationem (quae maxime apud eos celebris erat & prae reliquis publica) sed nec alia sacra peragere sine Druide cuiquam fas esset; quod scimus ex Julio Caesare [o], eique coaevo Diodoro Siculo [p]. Expressim Diodorus, qui Saronidas eosdem vocat, Ἔθος αὐτοῖς ἐστι μηδένα θυσίας ποιεῖν ἄνευ φιλοσόφου, *Mos est illis, neminem sacra facere absque philosopho*, id est Druide. Quale itidem de Magis apud Persas [q] veteres & Sophistas apud Indos [r] traditur. Neque enim sine illorum opera adminiculante satis accepta esse diis sacrificia creditum. Accedat illud ex Stobaeo [s], Nicolai, puto, Damasceni, de Cercetis (populo juxta Pontum, seu prope Caucasum, ut collocat Strabo, Ptolemaeus, Dionysius, alii; non Indiae populo, ut ad Stobaeum perperam adnotatur) Τοὺς ἀδικήσαντας τῶν ἱερῶν ἀπείργουσι, *Qui injuste se gererent eos sacris interdicunt. Nec* praetereundum hic, christianos ipsos, qua tales, necdum Christo renunciantes, a paganis nunc sacris suis, nunc etiam reliqua vitae communione, inter facinorosos atque impuros interdici solitos; quod ediscere est tum ex Luciani Pseudomante; ubi ex ritu Athenis in usu, cum impiis & Epicureis, christiani

[d] In Diogene. [e] Var. Hist. 3. cap. 29. [f] Pag. 55. [g] Aristoteles in Magico apud Laertium in prooemio. [h] De Bello Gallico lib. 6. & videsis Anton. Gosselin hist. vet. Gallorum cap. 20. [i] Tacitus Annal. 14. & videsis Guil. Camden. in brit. pag. 540. & 546. [k] Videsis Philipp. Cluver. in Germ. illustrata lib. 1. cap. 24, &c. Et Eliam Schedium de Dis Germ. [illegible] 2. cap. 9, &c. [l] Orat. 49. [m] De Bello Gallico lib. 6. cap. 21. [n] In Vita Alexandri Severi. [o] De Bello Gallico lib. 6. [p] Lib. 5. [q] Herodotus in Clio. [r] Arrianus de Gestis Alexandri lib. 8. [s] Serm. [illegible]

ſtiani myſteriis arceantur; tum ex locis aliquot de Juliano Apoſtata. Huc enim ſpectat ejus edictum illud quod inter epiſtolas [t] illius legitur, & male a nonnullis [v] pro epiſtola tertia ad Jamblicum ſumitur, ubi chriſtianos aliquot, ſed tacito nomine, alioſve chriſtianiſmum ſaltem ſimulantes qui inter gentiles docebant, perſtringens, ideoque coarguens quod aliud docerent aliud de diis ſentirent, *Eant*, inquit, *in Galilaeorum eccleſias, ibique Matthaeum & Lucam interpretentur*, οἷς πειθέντες ἱερείων ὑμεῖς ἀπέχεσθαι νομοθετεῖτε, *quibus vos obtemperantes a ſacrificiis abſtinere jubetis.* Ex Gregorio item Nazianzeno [x], Sozomeno [y], aliis, liquet eundem conſtituiſſe chriſtianos πάσης παῤῥησίας ἀποστερεῖσθαι, πάντων δὲ εἴργεσθαι συλλόγων, ἀγορῶν, πανηγύρεων, τῶν δικαστηρίων αὐτῶν, *omni libertate ſpoliari, ita ut ab omnibus arcerentur conventibus, foris, publicis coetibus, ipſiſque adeo tribunalibus.* Ubi plane ipſiſſimam excommunicationem, qua priſtini juris privatio erat, in chriſtianos prolatam habemus, idque ab apoſtata ex uſu paganico; quamquam doctis aliquot [z] placere interim video, illum potius hanc, cum aliis non paucis, ex chriſtianiſmi, quem ante imbiberat, imitatione hauſiſſe, ideoque in ejuſdem profeſſores jam exercuiſſe. Ex indicata ſic gentilium ſeu paganorum interdictione, tum commonitoria, tum ex lege poenali compulſoria,(ubi advertendum, quoties commonitoriae tantum uſus eſſet, quae maxime ad conſcientiam eorum qui commonerentur, ut ex oſtenſis liquet, attinuit, ſi quis commonitionem impurus negligeret, vindictam exſpectandam fuiſſe divinam ſolum, nec coercitionem humanam ſeu compulſorium aliquem ab hominibus actum acceſſiſſe, ut plerumque, ſi non ſemper, apud veteres in perjuriis, quibus annexae ſemper jurantium ipſorum dirae graviſſimae, quae etiam in commonitoria interdictione intelligebantur, quamvis non expreſſae) ex interdictione, inquam, illa, ejuſve partibus aliquot, exiſtimarunt viri doctiſſimi deſumptum fuiſſe in chriſtianiſmum primitivum excommunicationis adeoque ſacrorum baptizatis interdictionis, per imitationem, uſum. Sunt quidem non pauci inter Romanenſes, theologi juriſconſultique, qui diſciplinam illam veterum paganorum jam ante oſtenſam animadvertentes *umbram* ibi fuiſſe ſeu *veſtigium excommunicationis*, ac *adumbratam excommunicationem* chriſtianiſmi & ejuſdem vivam imaginem agnoſcunt, nonnulla etiam eorum quae memoravimus, uti item alia interdum, eam in rem congerentes [a]. Sed vero eorum aliqui, maxime juriſconſulti, inde ortum diſerte aſſerunt ipſum excommunicationis chriſtianae uſum. Andreas Tiraquellus, regius circa annum 1560 in curia Pariſienſi ſenator celeberrimus, expreſſim, *Excommunicationem, quam vocamus* [b], *ab antiquorum & Graecorum & aliorum ritibus legibuſque ortum habuiſſe videri poteſt, non a divo Paulo, ut canoniſtae & theologi opinantur.* Adductis ex veterum paganorum monumentis de interdictione, qualem diximus, teſtimoniis aliquot, *Ideo*, inquit, *cum excommunicatio non ſit juris canonici inventum, non mirum videri debet ſi & in foro quoque ſeculari, nedum eccleſiaſtico ſive canonico, ea proponi & allegari poſſit, &c.* Leander item Galganettus, civis Romanus ac judex olim appellationum nullitatum urbis Romae & Romani populi capitaneus (ut appellatur in ſtatutis urbis Romae cum ejuſdem gloſſis A. 1611. editis,) *Ortum*, inquit [c], *habuit ab antiquorum Graecorum, Latinorum & aliorum ritibus atque legibus, non a D. Paulo, ut canoniſtae & theologi opinantur, ut luculenter probat Tiraquellus.* Conſonus hic Nicolaus Gravatius juriſconſultus, in annotationibus ad Octaviani Veſtrii introductionem etiam Romae editis [d], *Cum excommunicationis ſermo*, ait ille, *inciderit, ſciendum eſt haudquaquam chriſtianorum fuiſſe inventum, ut theologi pontificiique juris interpretes autumant.* Etiam Stephanus Forcatulus [e], Tholoſae legum profeſſor olim longe doctiſſimus, de excommunicationis jure inter feudorum jura obiter agens, tantum non expreſſius ex Druidarum illo more originem ejus petere videtur. Locum enim illum Caeſaris de Druidibus recitat quaſi vetuſtum ſibi primariumque ejuſdem uſus teſtimonium ac fundamentum. Et ſane his praeiverat vir ille ſummus Guilielmus Budaeus, qui, ubi interdictionis aquae & ignis poenam tractat, & locum Caeſaris eundem affert, & verba illa, "His omnes decedunt," *Graeco more dicta ait*, τούτους ἐκτρέπονται πάντες οἱ ἀπαντῶντες, (id eſt, *eos obvios factos cuncti averſantur*, ſeu *alio ſe vertunt)* ſtatim adjicit [f], *Hi apud Hebraeos* apoſynagogi *dicebantur, quaſi ſynagoga exacti & extorres*; *quod, ut opinor, ab ignis interdictione* torriſque *communione ductum eſt vocabulum, potius quam a* terra, *etiamſi exſul a ſolo eſt. Livius*; Extorrem urbe, domo, penatibus, foro, congreſſu aequalium. *Hos nunc* excommunicatos *vocamus, quibus ſcilicet humanitatis jura viciſſitudinemque officiorum vetamur exhibere. At quos majore exſecratione mulctandos eccleſiaſtica autoritas cenſuit*, anathemata *appellat, ex eo quod in cippis expoſita eſt eorum deteſtatio & proſcripta. Antiqui* ſacros *homines ſic vocitabant, quaſi exſecrandos & deteſtandos, unde* ſacra fames *Virgilio, &* ſacer *atque* inteſtabilis *Horatio*, &c. Sic ille. Quinimo ſunt qui [g] morem illum congenerem veteris eccleſiae de communione peregrina, qua nonnulli multabantur, ex Romanorum moribus eccleſiam mutuaſſe, id eſt, ex ipſa jurium civitatis, velut ex aquae & ignis interdictione, privatione ſolita, qua ſic privatus in peregrinorum numerum redigebatur. Sed vero haec juriſconſultorum qui e Romanenſibus fuere ſententia theologis etiam & juriſconſultis aliquot [h] eorum admodum diſplicet, utpote illis maxime qui aut ex vetuſtis Judaiſmi inſtitutis aut ex ipſa evangelica ſeu apoſtolica diſciplina, juxta ſuperius memorata, derivandam cenſuram hanc velint. In his ex-

[t] Num. xlii. [v] In praefixis vitae Pythagorae Jamblici, alibique. Vide Baronium, tom. 4. ann. 362. § 286 [x] Orat. 3. ſeu Invect. 1. in Julian. [y] Hiſt. 5. cap. 17. Nicephor. Calliſt. lib. 10. cap. 24. [z] Jacob. Gothofred. in Orat. 2. ſeu Juliano. [a] Baron. tom. 1. an. 57. §. 13. Spondan. in Coemeteriis ſacris, lib. 4. part. 1. cap 2. § 6. Covarruvias Var. Reſolut. lib 1. cap. 9. & ad c. Alma mater tit. De Sent. Excom. Theophilus Rainaudus de Virtutibus & Vitiis, lib. 4. § 302. & de Moriceriis, part. 2. cap. 17. §. 6, &c. Marius Alterius de Cenſuris diſp. 3. lib. 1. cap. 1, &c. alii ibi citati. [b] Tom 4. tract de Retraict lignagier §. 1. gl. 9. §. 176. & 285. [c] De Jure Publico, lib. 1. tit. 15. §. 1. Venetiis 1623. [d] Romae 1579 ad lib. 2. cap 4. [e] In Feudorum Jura, cap. 10 § 14. [f] In Notis poſterioribus ad Pandectas ad l. 2. tit de [illegible]. [g] Emundus Merillus apud Gabriel Albaſpin. lib. 1. Obſervat 3. & Albaſpin. ipſe. Sed & videſis Anton. Dominicum de Com[illegible]ne peregrina, pag. 46. [h] Videſis Covarruviam in c. Alma Mater tit. De Excommunic. & Anton. Dominic. loco citat.

pressius hic adversatur Anastasius Germonius [i] jurisconsultus, sed & archiepiscopus & comes Tarantasiensis, uti & Theophilus Rainaudus [k]; quos vide. Id interim certum est, sub tempora quibus christianorum excommunicatio primum in usu, seu secula christianismi maxime primitiva, sacrorum illas quas diximus interdictiones apud Graecos, Romanos, aliasque gentes inter quas degebant christiani, viguisse; licet verum sit, ignis & aquae interdictionem illam in deportationis poenam paulo post Caesarei imperii initia mutatam esse [l], adeoque desiisse aliter atque in deportatione contineretur. *Druidarum* item *religionem apud Gallos dirae immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevisse* Claudium Caesarem, qui temporibus apostolicis coaevus est, scribit Suetonius [m]. Sed de humanis apud eos hostiis potius accipiendum videtur illud quam de disciplina ipsorum reliqua, quae etiam post Claudium in usu, adeoque exemplo hic esse potuisset. Certe nihil in paganorum moribus adeo expressam habet excommunicationis christianae, etiam qua in summas potestates vim suam habere obtenditur, imaginem atque mos ille Druidarum; de quorum regimine Dio Prusaeus plane loquitur ut de eo quod suo in aevo nondum omnino evanuerat, utcunque de religione eorum, seu dira illa in hostiis immanitate, sic ante statuisset Claudius. Floruit autem Dio ille sub Trajano [n]. Et consule, si vis, quae de Druidibus postea vigentibus habent viri docti [o]. Certe sub Vespasiano, seu annis post Claudium quasi 20, Druidarum disciplinam floruisse, in Galliis & Britanniis manifestum videtur etiam e Plinio [p], utcunque *Tiberii principatum sustulisse Druidas Gallorum & hoc genus vatum medicorumque* scripserit etiam ipse; quod de urbe Romana ac vicinioribus forsan provinciis, non de Gallis aut Britannis, etiam ex ipsius verbis videtur omnino sumendum. Sed quicquid de paganorum imitatione hic fuerit statuendum, in Romanensibus etiam sunt perplurimi & perquam obvii qui ex usu Judaico deductam velint excommunicationem suam, ut ex supra citatis & tralatitiis de aposynagogis, anathemate, maranatha, atque id genus inter Judaeos veteres aliis commentariis liquido constat. Quod certe dum sentiunt, ex instituto humano palam vim ejus admittunt deducendam. Et Polydorus Vergilius Romani pontificis hic quaestor, *Quod nostri*, inquit [q], *pontifices solent contumaces, hoc est, superbos, ac idcirco juris contemptores, minimeque obedientes, aut delictum aliquod delinquentes, excommunicare, ut vulgo dicunt, illisque simul interdicere sacris, hoc ex Judaeis sumptum est, quorum moris fuit eos ignominiae causa extra synagogam, id est, congregationem, ejicere, qui dicto minus audientes contra legem, vel pontificum vel populi mandatum, aliquid fecissent*; *quod perinde erat atque apud nos interdicere sacris.* Ita ille. Etiam Baronius [r] *non quidem a Paulo* ait *esse primitus institutam. Nam Judaeis in observatione erat, &c.* Et secundum haec sane bene intelligi potest Gregorius Nyssenus [s], ubi de τῷ ἀφορισμῷ seu excommunicatione sui temporis loquens, Μὴ ἐπισκοπικῆς αὐθαδείας εἶναι τὸν ἀφορισμὸν νομίσῃς· πατρῷος ὁ νόμος, παλαιὸς τῆς ἐκκλησίας κανὼν, ἀπὸ τοῦ νόμου ἀρξάμενος, καὶ κρατυνθεὶς ἐν τῇ χάριτι, *Ne excommunicationem arbitreris esse ab episcoporum audacia*; *paterna lex est, antiqua ecclesiae regula, quae a lege* (seu usu sub lege Judaico; nam ea de re ne vestigium quidem in ipsa lege) *traxit originem, & in gratia obtinuit.* Caeterum ut pristinae in communione vitae libertatis diminutio erat singularis in excommunicatione Judaica, ita sane sacrorum (ut ante ostensum est) interdictio illic nulla. Hanc in christianismo primitivo ex disciplina confoederata (uti & ante demonstratur) excommunicationi Judaicae, cujus usum amplexati etiam erant cum Judaeis christiani primitivi, aut ex similibus gentilium moribus, aut ex accommoda, e re inter ipsos nata, ratione, accessisse, rationi est admodum consonum. Certe quamplurima alia tam e paganismo quam Judaismo in ritus, sacra ac mores christianismi antiquitus, sive nomina, sive festa, sive personarum habitus, id genus alia, species, desumpta fatentur passim scriptores [t]. Illa apud eos perquam obvia sunt. Consoni habentur hic, quantum ad derivationem ex paganismi moribus, in reformatis nonnulli. Certe etiam, ex eorum prodromis, Desiderius Erasmus nonnullis Romanensium memoratur quasi eandem amplexatus fuisset ille sententiam, idque ex eo quod in Chiliadibus scripsit [v]; *Erant antiquitus etiam publicae quaedam detestationes, velut apud Athenienses* (quas ante tetigimus) *in eum qui viam non monstrasset erranti*; *in quarum locum christianis successit ea quam vocant excommunicationem.* Caeterum non ait excommunicationem a paganis deductam aut receptam, quasi inde usus ejus in christianismo traxisset originem, sed tantum eam in dirarum paganicarum locum christianis successisse. Alio item in loco [x] de traditione satanae Paulina verba faciens diserte ait, *In cujus rei locum nunc successit excommunicatio.* De derivatione non minus hic quam illic loquitur; utrobique tamen de successione. At vero Philippus Melanchthon, ex reformatorum primariis, *satisfactionum exempla* ac *spectacula* (quae excommunicationi adeo sunt annexa ut sine illis velut enervis, qua forensis est, plane appareat) earumque *ritus* expressim ait [y] *a vetustate ethnica receptos esse*, ubi nonnulla de paganorum hac in re usu ante memorata etiam subjicit. Nec praetermittendus hic scriptor nuperus perdoctus quidem, Elias Schedius, qui de Druidarum Graecorumque sacris interdicendi atque vitae communione privandi more locutus, *Horum*, inquit [z], *exemplo posteris temporibus depravatum seculum etiam innixum fuit, & excommunicatos dixit illos quibus nefas erat religionem adire, aut quicquam de hac agere.* E-

[i] De Immunitatibus Sacrorum, lib. 3. cap. 14. §. 35. [k] De Monitoriis part. 2, &c. [l] Videsis Brisson. Select. ex Jure Civili, lib. 3. cap. 5. [m] Lib. 5. cap. 25. sed & vide Plin. Hist. Nat. lib. 30. cap. 1. [n] Suidas in Dione. [o] Steph. Forcatulus de Gallorum Imperio, lib. 1. Paul. Merula, Cosmograph. part. 2. lib. 3. cap 11. Lips. ad Tacit. annal. 12. num. 98. Cl. Salmas. in Lampridium, pag. 237. Anton. Gosselino Hist. Vet. Gall. cap. 35. aliique de rebus Gallicis, Germanicis, Britannicis. [p] Hist. Nat. lib 16. cap. 4. & lib. 30. cap. 1. [q] De Inventoribus Rerum, lib. 4 cap 12. [r] Tom. 1. ann. 57. §. 12. [s] Orat. de Castigatione. [t] Consule Joann. Filesac. in Selectorum lib. 2. tit. Ceremoniae, alios satis obvios, qui de Ritibus. [v] Chiliad. 1. Cent. 2. num. 84. [x] Epist. ad Erardum Ep. Leodiensem praefix. Notis in 1 ad Corinthios, & lib. 29. epist. 73. edit. Lond. 1642. [y] Part. 1. artic. Bavaric. 19. & part. 2. tract. De Poenitentia, tit. De Satisfactione. [z] De Diis Germanis Syngramm. 2. cap. 14.

tiam partim e paganismi ritibus, partim ex Judaismo, maxime Essenorum moribus superinductis, scriptores alii aliquot ex reformatis derivant[a], qui nec in illo servatoris de Ethnico & publicano apud Matthaeum de excommunicatione omnino agi admittunt. Huc spectant alia superius de Judaico in christianismum usu accepto e reformatis occurrentia. Sed quantum ad divini juris quod praeceptivum sit inter eos negationem attinet, recolantur hic egregii illius reformationis prodromi Joannis Wiclefi nostratis articuli[b], in quibus habetur, *Praelatus excommunicans clericum qui appellavit ad regem vel ad concilium regni, eo ipso traditor est regis & regni.* Item[c], *Omnes censurae Antichristi non sunt nisi falsae umbrae a via Domini timidos exterrentes.* Et loquitur de censuris ecclesiae. *Unum solatium est ecclesiae fideli, quod excommunicatio & suspensio & omnes tales censurae, mendaciter fictae, non sunt in Christi lege fundatae, sed ab Antichristo callide machinatae.* Sequaces habuit ille Joannem Hussum Bohemum, aliosque non paucos. Sane etiam hisce Lutherus ipse accensetur; unde Wiclefistae, Hussitae & Lutherani, pro eis qui potestatem hanc velut ex numinis praescripto homini cuiquam arrogatam impugnant, simul a Romanensibus[e] numerari solent. Accedant hic viri summi gravissimique, qui episcopalem audientiam, jurisdictionem & judicium, adeoque quicquid forense aut forensis hic instar penes eos fuerit, ex principum ac summarum in regimine publico potestatum indultu, arbitrio ac moderamine pependisse, indeque manasse, nec aliter atque ex ejusmodi indultus norma exerceri debere, pluribus asserunt; postea quam nempe christianismi & summarum ejusmodi potestatum conjunctio, ut in Constantino Magno, facta est. Ea de re sane copiose actum est a Marsilio Patavino[f], Guilielmo Ockhamo, Philotheo Achillino[g], Jacobo Almain[h], Petro de Cugneriis[i], aliisque id genus seculorum superiorum, a Melchiore Goldasto in Monarchiae ejus S. Romani imperii tomis tribus congestis, alibique ante editis; quos, ut reformationis etiam prodromos, consulat hic lector studiosus. Maxime autem inter illos praeclarissimum illum philosophum & theologum Guilielmum, quem diximus, Ockhamum, Nominalium familiae patrem, sub annum Christi 1330. In disputatione sua compendiosa *de potestate praelatis ecclesiae atque principibus terrarum commissa*, ad verba illa Domini[k], *Data est mihi omnis potestas in coelo & in terris*, de duobus temporibus Christi in terris distinguendo loquens, altero humilitatis, seu ante resurrectionem, altero potestatis, majestatis seu gloriae, quod insecutum est, *Petrus*, inquit, *constitutus est Christi vicarius* (quod sane ut de jurisdictione omnimoda ecclesiastica sic dici solita & ad clerum derivata, juxta sensum ejus, dictum) *pro statu humilitatis, non pro statu gloriae & majestatis. Nec enim factus est vicarius ad quae Christus nunc agit in gloria, sed ad ea imitanda quae Christus egit humilis in terra; quia illa nobis necessaria sunt.* Addit, in statu illo quo vicarius Christi factus est Petrus, Christum jurisdictionem aut potestatem apud homines coactivam aut judiciariam sibi non solum non tribuisse ullam, sed & omnigenam rejecisse[l]. Quod itidem ipsum totidem ferme verbis monetur a Philotheo Achillino[m]. Cum primis etiam consulantur quaestiones ejusdem Ockhami octo de potestate papae, sed praecipue dialogus ejus ille amplior inter magistrum & discipulum eadem de re & legitima haeresis cognitione. More quidem suo non tam dogmatice asserit quam disputat; quod genus scribendi licet tutius videretur, haud nihilominus inde excommunicationem papalem evasit ipse. Sed vero ex dialogo illo liquet, verbi gratia, de quaestione illa, *Utrum ad theologos vel canonistas spectat definire quae assertiones haereticae & quae catholicae sint habendae*, opinionem complurium admittit obtinuisse, non ad theologos, qua tales, sed, principaliter saltem, ad canonistas, & definitionem & cognitionem earum, qua sive haec sive illa judiciaria esset seu forensis, spectare; scilicet ad eos qui canonum humanorum periti jurisdictioni praeessent[n]. Et juxta opinionem hanc (cui in opere illo habet ille haud pauca perquam consona, & ad rem de qua loquimur admodum accommoda, dum tamen in partem, ut solet, utramque disputat) tota illa jurisdictio etiam de haeresis cognitione, quae theologis maxime propria ab aliis fit, ex instituto humano non minus plane pendet quam ipsorum canonum seu juris canonici, & demum canonistarum & jurisdictionis arbitrario constituendae, origo & vis qualiscunque. Quae huc faciunt habet ille ibi alibique compluria. Dialogus ille (opus & ingeniosissimum & doctissimum, nec sane unquam satis laudatum; quod & forsan inter ea quae de potestate ecclesiastica seculis superioribus conscripta sunt primas tenet) simplici illo nomine editum habemus Lugduni 1494. a Badio Ascensio, cum aliis aliquot ejusdem scriptis, unde in monarchiam suam[o] desumpsit Goldastus, qui non sine difficultate tandem exemplar nactus est. Unde ante ejus editionem opus fuisse nimis rarum passim existimandum. Apud eos autem qui catalogos operum Ockhami exhibent nominari solet De Fautoribus Haereticorum, libri VII. cum revera titulus ille sit libri solius septimi dialogi illius partis prioris. Inscriptum autem esse ab Ockhamo De Haereticis vix dubitare possum, inde persuasus quod Henricus de Zoemeren theologiae professor & decanus Antwerpiensis, cardinalis Bessarionis jussu, diffusiorem in dialogo disputandi modum summo sane, ut mihi videtur, cum judicio in methodum contrahens lectioni multo accommodiorem, in epistola sua ad cardinalem expressim titulum illum velut ab ipso Ockhamo donatum memoraverit. Typis edita est Henrici illius epitome annis abhinc amplius centum, ut opinor, Parisiis. Nec enim codex meus, aliquantulum in ipsa fronte mutilus, satis hic

[a] Hugo Grotius Annot. ad Luc. vi. 22 & Matth. xviii. 17. [b] Subjuncti concilio Constantiensi, art. 12. [c] Fascicul. rerum expetendarum, fol. 136. & vide Thomam Walsinghamum in hist. ann. 1378. & Concil Constantiens. sess. 8. Jo. Cochlaeum Hist. Hussitarum, lib 1. [d] Concil. Constantiens. sess. 15. [e] Alfons. de Castro Advers. Haeres. lib 6. verb. Excommunicatio, alii. Sed & vide Joannem Cochlaeum in Luthero Septicipite, cap 44. Caspar. Ulenbergium in Vita Lutheri, p 535, &c. Lutherum ipsum in Gen. cap IV, &c. [f] In Defensore Pacis, part. 2. cap. 5, 6, 7, 8, 9, 10. [g] Somnio Viridarii, lib. 1. cap. 14. 65, &c. [h] De suprema Pot. Eccl & Laica, quaest. 3. cap. 2, &c. [i] Disp adversus Bertrandum. [k] Matth. xxviii. 18. [l] Luc. xii 14. Joann viii. 15, 23. xii. 47. xviii. 36. [m] Somn. Viridarii, lib. 1. cap. 12. [n] Videsis Arnald. Albertin. de agnoscendis assertionibus Catholicis, quaest. 10. alios ibi citatos. [o] Tom. 3. pag. 398.

ea de re docet. Diu est quod indicibus expurgatoriis prohibita sunt opera Ockhami ejusmodi; quod mirum, puto, videtur nemini. Atqui etiam hac de re saepius insurgunt in eum Romanenses aliquot non solum theologi sed & jurisconsulti; in quibus consulas, si placet, Henricum Canisium [p], qui tum illius tum Marsilii Patavini nonnulla quae huc pariter tendunt alia refutare conatur. Sed palam est ex eis reliquisque ante memoratis, in superiorum seculorum sententiis non paucas fuisse, jurisdictionem hic sic proprie dictam atque excommunicationis usu armatam, qua talem, ex humano instituto, nec praecepto divino, manasse atque exerceri solere. Adeas item, ut ex recentioribus juridice tantundem discas, Matthiam Stephani [q], & Tobiam Paurmeisterum [r], celeberrimos per Germaniam jurisconsultos. *Episcopi*, inquit Matthias Stephani, *forum, tribunal & jurisdictionem non habuere, sed tantum episcopalem audientiam in clericos & monachos, in causa religionis, vel negotio ecclesiastico, non in alio, vel in aliis causis, nisi inter consentientes.* Ubi testem etiam adfert Cujacium in Paratitlis. *Processit autem haec audientia a jurisdictione imperatoris, qui suam cognitionem episcopis delegavit, ut ipsi cognoscerent; unde non fuerunt ipso jure magistratus ordinarii*, seu quibus aliqua sive circa sacra sive profana jurisdictio competeret, *sed delegati ab imperatore.* Et paulo post; *Illud autem hoc loco sciendum est, jura illa episcopalia* qualiacunque forensia, seu in quibus vis aliqua sive directe sive indirecte coactiva, *quae alias ordinariis episcopis competunt, hodie etiam ad status imperii ex decreto Passoviense pertinere; ut ita jurium episcopalium hodie etiam principes seculares habiles sint. In quem finem consistoria partim ex theologis partim ex jureconsultis conscripta ordinarunt, itemque superintendentes suos constituerunt; ut nimirum in consistoriis ea quae sunt jurisdictionis, itemque legis dioecesanae, expediantur: at quae sunt ordinis, ut & pleraque quae sunt legis dioecesanae, per superintendentes loco episcoporum procurentur. Estque haec jurisdictio episcopalis, quoad seculares, status imperii, justissimo titulo non solum acquisita, sed & per pacem publicam religionis in imperio Romano factam rata habita. Quod & ipsi Ingolstadienses jurisconsulti pontificiae religioni addicti haud obscure fatentur, tom. 4. concil. 2. inter concil. Germaniae.* Etiam lectorem ablegat ad librum suum tertium de jurisdictione, ubi hac de re in eundem sensum alia. Et qui ad codicis titulum De Episcopali Audientia scripsere consulendi sunt hic alii. Certe etiam in confessione Augustana [s] a tot principibus aliisque viris illius seculi summis Carolo quinto, nec semel, exhibita, functionem seu ministerium ad episcopos quidem attinere agnoscitur: sed demum adjicitur, *Secundum evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit* [t] *episcopis ut episcopis*, id est, ut ordinis sunt qualiscunque ecclesiastici, *hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi & sacramentorum, nisi remittere peccata, item cognoscere doctrinam, & doctrinam ab evangelio dissentientem rejicere, & impios quorum nota est impietas excludere a communione ecclesiae, sine vi humana, sed verbo Hic necessario & de jure divino debent ecclesiae praestare obedientiam, juxta illud, Qui vos audit me audit.* Sane cognitio ejusmodi seu jurisdictio verbo solo, & μὴ ἀναγκαστῶς [v], *non coactive*, seu nec omnino vi humana, adeoque nec in jus vocatione, aliisve forensi usui semper necessariis, exercenda, perquam improprie, aut potius non omnino, jurisdictio aut cognitio vocanda, cum in praedicatione, exhortatione, comminationibus, id genus aliis verbi soli ministerii seu functionis simplicis partibus solum ea consistat, nec consistorianae aut forensis naturam sapere videatur. Porro ad haec rite dijudicanda, consulat hic veritatis indagator aequus Walonem Messalinum [x] scriptorem disquisitionis liberrimae & doctissimum, qui diserte ostendit jurisdictionem nullam habuisse antiquae ecclesiae episcopos eosdemque presbyteros, sed natam eorum jurisdictionem ex ordinis presbyteralis & episcopalis distinctione & principum Christianorum indulgentia. Sic ille ubi egregie defendit quae vir maximus & eruditionis immensae princeps Claudius Salmasius [y] de Episcopali scripserat Curatione; quo nomine ut functione sacra, nec imperii aut jurisdictionis forensis seu consistorianae appendice aliqua, insignito episcoporum officium illud vetus & genuinum denotari vult. Contra eum scripsit quidem, etiam hac de re, notissimus ejus e Romanensibus adversarius [z]. Qui aequanimes sunt argumenta utrinque perpendant, sed simul etiam ea quae Salmasius regerendo adjecit in libro primo de primatu [a] papae ejusque apparatu [b]. Unde [c] quidem ad consistorianam suam forensem jurisdictionem ex jure divino asserendam nonnulla afferunt aliqui Anglice hac de re nuperrime scribentes: sed quam apposite viderint ipsi aliique. Atque id interim animadvertat lector, etiam ex ipsis Romanensibus esse viros doctissimos quibus ingenue agnoscitur revera & proprie dictam nullam in seculis primitivis fuisse episcopis seu ordinis ecclesiastici aliquibus aliis jurisdictionem citra imperatorum favorem & indultum [d], atque inde eam quae nacti sunt natam esse ac perquam variatim, juxta etiam quae superius hac de re diximus nos, cum modis ac temperamentis propagatam permissamque. Ita scilicet rem se de facto habuisse fatentur, licet inter hosce interea sint qui, dum juris divini praeceptivi hic etiam tenaciores se exhibere velint, de jure illo audacius pronunciant, pro more eorum qui contra vera seculorum antiquorum dogmata, quae scilicet ex usu & professione christianorum tunc publica sunt elicienda, pontificiam potestatem, aliamve ejusdem sub aliis nominibus imitatricem, stabilire scriptis suis nimium satagunt, atque potestatem illam excommunicandi forensem e locis scripturae eruere enixissime, sed nimis infeliciter saepe,

[p] Refutatio trium Tractatuum, &c. Ingolstadii 1600. [q] Interpret. ad Cod. lib. 1. tit. 4. [r] De Jurisdictione Imp. Rom. lib. 2. cap. 7. §. 27. [s] Artic. 16. seu de Pot. Ecclesiastica, 1540. [t] 1 Pet v. 2. [v] Ibid. [x] De Episcopis & Presbyteris, cap 6. [y] In lib. de foenore trapezitico pag 529. [z] Dionys. Petavius Theologic. Dogmat. de Ecclesiastica Hierarchia, lib. 3. cap. 12, &c. [a] Cap. 1, &c. [b] Pag. 156, &c. [c] Pag. 298. [d] Videsis Jacob. Guther. de Jure Ver. Pontificio, lib. 2. cap. 1. Paganin. Gaudentium de Vita Christianorum ante Constantinum, cap. 56. Petr. Suavem Hist. Concil. Tridentini, lib. 4. pag. 169. Antonium Dominic. lib. de Communione peregrina, pag. 92. Adde hic Fr. Duarenum de sacris Eccl. Ministeriis, lib. 1. cap. 3, &c. & in Defensione libertatis Ecclesiae Gallicanae.

conantur.

onantur. Accedant hic commentarii satis numerosi virorum e Gallis clarissimorum de potestate regia & ecclesiastica conscripti, quos habes ad edictum Henrici secundi, & in tomis illis binis de libertatibus ecclesiae Gallicanae dudum editis, alibique satis obvios. Et quantum ad Anglos nostros; ut de moribus & jure recepto, eoque tam ab ecclesiasticis hic quam laicis publice agnito, circa excommunicationis tam inter reformatos quam alios usum in Anglia ex ante allatis palam constat, ita etiam de singularium scriptorum doctissimorum sententiis omnino consonis, ex ipsorum monumentis passim prostantibus; quibus jus illud supremarum potestatum moderamine, prout regiminis publici ratio postulaverit, temperandum laxandumve fusius asseritur. In hisce, *Censurae academiarum nostrarum*, *Opus eximium de vera differentia regiae potestatis, & quae sit ipsa veritas & virtus utriusque*, sub Henrico octavo, seu anno 1534, typis primo editum, Stephani item Gardineri episcopi Wintoniensis *De vera obedientia* oratio, Joannis Bekinsau *De supremo & absoluto regis imperio*, similia alia aliquot, inprimis recensenda; quorum pleraque cum congeneribus nonnullis sub initia Jacobi regis [e] autoritate publica simul proditura erant. Sed apud typographum regium incoepta nescio quo fato absoluta neutiquam fuerint. Etiam in schedis vetustis comperio sub Henrico octavo [f] reformationem meditante inter alios articulos quaesitum esse, *Utrum episcopus aut presbyter possit excommunicare; & ob quaenam delicta; & utrum ii soli possint ex jure divino.* In varias quidem distracti erant opiniones tunc theologi magni ea de re consulti. Sed episcopus Herefordensis, Menevensis, Westmonasteriensis, Daius, Curwenus, Laightonus, Coxus, Symonides, Say that lay-men may excommunicat, if they be appointed by the high ruler: id est, *dicunt laicos posse excommunicare, si constituantur* (vel delegentur) *a potestate summa*, seu quae principis vices gerit. Haud pauca huc spectantia occurrunt in libris de *primatu regio* & de *potestate papae & regia* adversus Bellarminos, Tortos, Becanos, Eudaemon-Joannes, Suarezios, id genus caeteris, sub Jacobo maxime rege, etiam ab ipso nonnullis, conscriptis & passim prostantibus [g], in quibus fuse & nervosissime asseritur jurisdictionem ecclesiasticam dictam, adeoque excommunicationem inde pendentem, pro moribus legibusque regni Angliae aliter atque aliter per secula se habentibus, & juxta regis moderamina, ex lege regia, nec alio modo, legitime exercendam. Nec ipsam quidem clavium potestatem nec actum excommunicandi regi tribuunt, sed ut caput & moderatorem & gubernatorem, juxta regni leges, ecclesiasticae jurisdictionis forensis (nam de privatis hic actibus hoc nomine interdum venientibus, qui ordinis sunt seu functionis, non loquimur) eum satis agnoscunt. Et juxta leges illas earumque usum humano arbitrio, adeoque invento, niti censuras forenses, indeque temperari, restringi, aboleri, ex superius dictis manifesto liquet. Quid quod etiam ab doctissimo illo ac revera reverendissimo praestantissimoque viro, Lanceloto Andraeide, episcopo primo Cicestrensi, dein Eliensi, & postmodum Wintoniensi, ad illud Bellarmini in apologia de sententia primatus in hisce ejusmodi regii velut ante annos paucos nata atque angustissimis limitibus contenta, expressim asseritur [h], *Quocunque loco religio reformata est, penes eosdem potestatem hanc qui summae rerum praesunt, eandem hanc, quae penes regem.* Et dein, *Quis in regno suo idem non facit per omnia quod rex in nostro? De voce non laborant; quid opus? At rem tenent. Non ergo vel nova, vel particularis; sed catholica, id est, vetus opinio haec, quae ab initio sic fuit: Et quam late patet ejusdem religionis professio, tam late diffusa.* Sic ille. Etiam apud Belgas reformatos dudum conscriptus est libellus ille perquam egregius *De imperio summarum potestatum circa sacra*, ab viro illo tum doctrina omnigena longe ac undiquaque instructissimo, tum judicii summi nominisque passim meritissimo illustris, Hugone Grotio, quo compluribus demonstratur, disciplinae, ut vocant, instituta, adeoque excommunicationis forensis ac poenitentiae publicae spectaculorum usum, neque antiquitus fuisse juri divino attributum, neque alium revera esse quam qui ex placitis & arbitrio humano variatim pro locorum & temporum discrimine se habente introductus est, & temperari, mutari ac coerceri solitus: Nec imperium aut jurisdictionem magis ad ecclesiasticos, qua tales, attinuisse quam ad medicos, architectos, id genus alios. Typis neutiquam est editus libellus ille ante autoris obitum, sed intra biennium post [i]. Mortuus est Rostochii die lunae, 18 Augusti 1645, stylo Juliano. Recognitum ab ipso esse ait typographus exemplar, unde excusus est, decennio ante editionem. At vero conscripsit libellum illum Grotius triginta amplius abhinc annis, aut circiter. Ipsum autographum, saltem exemplar ab ipso diligentissime recognitum, is circa id tempus Londini agens reliquit apud eximium illum quem jam memoravimus antistitem tunc puto Eliensem, qui postmodum autori petenti restituit; sed non antequam exemplaria hic aliquot ab accuratius disquirentibus fuissent desumpta. Opusculum sane totum, quantum ad excommunicationis, adeoque jurisdictionis forensis circa eam qualiscunque potestatem ac usum, Anglicanis moribus, juxta ante ostensa, receptissimis est omnino consonum. Nec vero praetereundum hic est, quod in confessionis Belgicae recognitione, quae in synodo tam exterorum quam provincialium anno 1619 Dordrechti est celebrata, huc spectans habetur. In confessione illa ante legebatur, uti etiam in editione Festi Hommii [k] in usum synodi illius tunc adornata; *Ad id* (ad conservandam scilicet unitatem & concordiam, omnesque in Dei obedientia retinendos) *inprimis necessaria est excommunicatio ex praecepto verbi Dei usurpata, & aliae illi annexae disciplinae ecclesiasticae appendices*, uti etiam superius adnotavimus. In synodo autem illa ex ordinum jussu confessio illa, ex more in synodis nationalibus usitato, praesentibus theolo-

[e] Londini 1608. [f] Anno 1540. in Bibliotheca Cottoniana, quaest. 16. [g] Videsis Torturam Torti a Lanceloto Cicestrensi antistite conscriptam, pag. 370, &c. & ad Bellarmini Apolog. Resp. cap. 1. Samuel. Collinum in increpatione Eudaemonis-Joannis part. 5. cap. 16, &c. Joannem Roffensem de Potestate Papae, lib. 2. cap. 2, & 4. Londini 1614. [h] Ad Card. Bellarmin. Apolog. resp. pag. 1. pag. 30. [i] Lutetiae (ut dicitur) Paris. 1647. [k] Lugd. Bat. 1618.]

gis exteris relegenda erat atque in examen revocanda, ſed non ſine monito[l] tunc dato, *Articulum trigeſimum primum & ſecundum* (qui ipſe eſt in quo excommunicatio ſic memoratur) *non eſſe examinandum, quia in utroque de ordine ecclesiaſtico, quem exteri nonnulli a noſtro diverſum habent, ageretur.* Inter recognoſcendum autem atque approbandum confeſſionem illam ſynodus haud pauca quidem, in locutionum maxime formulis, mutavit; nec, utcunque interveniente monito jam dicto, ab articulorum illorum examine ſe abſtinuit. Legebatur autem ante in trigeſimo, *Sint quoque ſeniores & diaconi, qui eccleſiae ſenatum conſtituant.* Hoc mutatum eſt in ——*quaſi ſenatum conſtituant.* Et quod ſequitur——*veluti fraeno quodam diſciplinae cohiberi* plane deletur, &——*ſpiritualiter corripiantur & refraenentur* ſubſtituitur. Temperamenta ſane ſunt haec obſervatu non indigna. Atqui in articulo trigeſimo ſecundo expreſſior & amplior mutatio, de ipſo excommunicationis ante ſic admiſſo jure divino. Deleri voluit ſynodus illud *neceſſaria eſt*, uti & illud *ex praecepto*, item illud, *& aliae illi annexae diſciplinae eccleſiaſticae appendices*; & ad hunc modum articulum emendavit, *Ad id vero inprimis requiritur excommunicatio juxta verbum Dei cum reliquis ejus appendicibus uſurpata.* Quid ſibi vellent patres ſynodi definire non eſt meum. Sed noluiſſe eos retineri aut non diſpungi *ex praecepto* palam eſt; quod inſtitutum & jus divinum vulgo hic obtenſum denotat. Et nemo neſcit *juxta*, κτ̀, *ſecundum*, tam permiſſionem, proportionem, ſimilitudinem, exemplum, rationem ſimplicem (quam pro loci, temporis, regiminis chriſtiani publici, id genus reliquorum diverſitate multiplici, nunc ſequendam, nunc pariter praetermittendam aut temperandam, ex judicio tantum humano eſſe, nemo puto cordatus non agnoſcit) quam praeceptionem, pro vario vocis, rei ac materiae cui adjiciuntur diſcrimine, ſignificare. Caeterum, cum binae ſint verſiones ſeu metaphraſes confeſſionis illius Graecae, altera Jacobi Revii diu poſt ſynodum Dordrechtanam ſimul cum ſynodi recognitione & emendationibus edita [m], altera Hierothei archimandritae, qui in linguam Graecam vulgarem eam nuperrime tranſtulit [n], neſcio qua ratione quove fato evenerit, ut in utraque locus ille de excommunicatione non aliter reddatur quam ſi verba illa *ex praecepto* etiam nunc ibi eſſent retinenda. Prior enim in articulo illo 32 ſe ſic habet; Ὧν ἐστιν ἡ θεοπαράδοτος ἀφόρισις, ἤτοι ἀναθεματισμὸς, καὶ τὰ τούτου ἐχόμενα, *e quibus* (illis ſcilicet quae idonea ibi habentur ad conſervandam unitatem & erga Dei obedientiam) *eſt excommunicatio a Deo tradita, ſeu anathematiſmus, cum ejuſdem appendicibus.* Graeca autem vulgaris, Εἰς τὰ ὁποῖα εἶναι ὁ ἀφορισμὸς, ἤγουν ὁ ἀναθεματισμὸς, παραδόμενος καὶ προσταγμένος ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, μετὰ τὰ ἐπίλοιπα ὅπου περιέχει, *Id genus eſt excommunicatio tradita & imperata a Deo, id eſt, anathematiſmus, & reliqua in eo contineri ſolita.* Adnotantur item probationes ex notiſſimis illis locis de ethnico & publicano & de traditione Satanae. Alibi etiam in verſionibus illis Graecis retinentur quae in ſynodo expuncta aut mutata. Sed demum autor omnino nullus aeque circa hanc rem in ore hominum verſatur atque Thomas Eraſtus, profeſſione quidem medicus, ſed *in ſacris literis diligenter verſatus, & qui egregiam operam ad Heidelbergenſis eccleſiae* ſub Frederico III. principe electore palatino *inſtaurationem navavit*, ut expreſſim de eo Theodorus Beza [o]; dum ut adverſarius ſatis irritatus in eum ſcribit. Etiam philoſophum ſane eum fuiſſe perinſignem ſatis dignoſcitur ex ſcriptis ejus de aſtrologia, cometis, metallis, putredine, magia, in medicinam Paracelſicam, aliis non paucis dum vixit emiſſis. Illius autem habetur liber cui titulus, *Explicatio graviſſimae quaeſtionis, utrum excommunicatio, quatenus religionem intelligentes & amplexantes a ſacramentorum uſu propter admiſſum facinus arcet, mandato nitatur divino, an excogitata ſit ab hominibus*; in qua totum illum excommunicandi forenſem ſeu conſiſtorianum uſum humano invento, nec praecepto aliquo evangelico aliove praecepto aut inſtituto divino, niti doctiſſime ſane contendit. Primo, in theſibus 75, quibus appendicem ſeu corollarium ſubjicit, quo ex anteriorum ſeculorum etiam per Germaniam exemplo uno ac altero oſtendi vult ſe non fuiſſe primum qui iſtaec moveret. Nempe a principibus & proceribus imperii Romani in comitiis illis Norimbergenſibus [p], ſub initia Caroli quinti Caeſaris, inter centum gravamina [q] oratori pontificio exhibita, illud de excommunicatione non exiguum eſt; in quo diſerte aſſerunt [r], *Neminem niſi ob convictum haereſeos crimen excommunicationis gladio feriendum, aut pro ſecluſo a chriſtiana catholicaque eccleſia, ſacris literis teſtantibus, reputandum eſſe.* Certe qui praeter haereſin cauſam nullam ex ſacrarum literarum autoritate ſufficere aiunt, alias ſaltem, velut ob delicta, contumaciam, id genus reliqua, jure divino praeceptivo non ſubniti palam cum ipſo Eraſto profitentur. Affert etiam ibi illud ſacerdotum per Sueviam circa annum 1245 [s] (cum adverſus Fredericum II. & filium ejus Conradum, papae inſtinctu, Henricus Landgravius Turingiae, & poſt ejus mortem Willielmus comes Hollandiae electi fuiſſent) palam docentium, *Nemini mortalium ſub hoc ſole poteſtatem conceſſam eſſe chriſtianis ſpiritualia officia cultumque Dei prohibendi*, & juxta doctrinam illam, non obſtante papali interdicto, facientium; quale nuper in republica ſeu eccleſia Veneta viri tam ex ordine eccleſiaſtico clariſſimi, ſub Paulo quinto, ob rationes graviſſimas in libellis non paucis editas, quam politici ſeu laici fieri etiam voluere. Certe ſacerdotes illi reformationis hic prodromis (quales ante memoravimus) non immerito accenſendi. Circumvolitabant tunc Theſium Eraſtianarum (ſub annum ſcilicet 1568) exemplaria manuſcripta, & contradictores ſuos aliquot habuere, tempore nimirum illo quo de diſciplina ſeu politia eccleſiaſtica, adeoque de excommunicatione & presbyterio, non leves nec generis unici controverſiae doctorum virorum calamos diverſimode exercebant: Maxime eorum qui presbyterium illud atque excommunicandi generatim poteſtatem & ju-

[l] Act. Synodi Dordrecht. pag. 297. [m] Lugd. Bat. 1623. [n] Ibid 1648. [o] In Epiſt. praefixa Tractatui de Excomm. & Presbyterio. [p] Anno 1522. [q] Habentur in Goldaſt. Imp. Conſtit. tom. 1. pag. 457, &c. [r] Cap. 22. [s] Jo. Stumfius in Chron. Helvet. lib. 2. cap 29.

riſdictionem

risdictionem forensem, etiam summis potestatibus coordinatam, nec eis, quantum ad jurisdictionem ejusmodi presbyteralem seu consistorianam, inferiorem, imo etiam interdum superiorem, sibi arrogare perquam sedulo certarent. Ea de re, & de ejus origine & progressu, narrationem historicam optime exhibet eruditissimus ille Thomas Bilsonus, tunc collegii Wintoniensis custos, & postmodum episcopus Wintoniensis, in *Synopsi sacrae quae praetenditur disciplinae* [t], quem consulat hic, & serio advertat, quisquis ingenue fuerit rerum hujusmodi studiosus. Occasionem autem proximam unde, ut videtur, ortae sunt theses illae nactus est Erastus ex disputatione Heidelbergae habita, praeside D. Petro Boquino, respondente pro gradu doctorali M. Georgio Withero Anglo [v], anno 1568, 10 Junii, in qua de disciplina hac seu excommunicatione controvertebatur. In has nondum typis vulgatas, dum vixit Erastus, scripsere aliquot, inter quos coryphaeus erat vir quidem praestantissimus Theodorus Beza, cujus, uti & reliquorum, scripta necdum tunc edita postquam nactus est Erastus, ut theses suas ita impugnatas omnino tueretur, earum insuper composuit proximo in anno confirmationem libris sex comprehensam. Sed nec theses nec earum confirmatio (quampluribus dignissimis lectu argumentis tum ex utroque foedere tum ex historia ecclesiastica petitis, iisque perquam appositis & strenuis, quorum quidem pleraque, uti & alia aliunde non pauca eo spectantia, superius historice aut indicantur aut satis tanguntur, refertissima) luce typographica, dum vixit autor, donata est, licet curiosorum complurium manibus, pro variis partium hac in re studiis, manuscriptae utraeque exciperentur tererenturque. Tandem vero non solum illae, sed clarissimorum aliquot theologorum epistolae, partim ad ipsum autorem scriptae, partim ad alios, quibus suum rogati hac de re judicium ac sententiam proferunt, typis editae sunt. Subjunguntur hae post thesium confirmationem. Pastor ille ecclesiae Tigurinae, theologus eximius & maximi apud reformatos nominis, scriptor celebris, Heinrychus Bullingerus ibi scripta ea de re Erasti sibi placere ait, & *ecclesiam veram esse posse, & dici ecclesiam, quae excommunicatione hac careat. Rursus tamen contendimus disciplinam esse debere in ecclesia, ac satis esse si ea administretur a magistratu.* Dein idem; *Prudentissimus & piissimus elector pro religioso suo animo curabit ut scelerati puniantur, & disciplina sit moderata in populo suo. At ut excommunicationem instituat talem qualem* [x] *quidem volunt, videt haud dubie non admodum facere ad incrementum & conservationem ecclesiae. Sed si nos id obtinere possemus, ut magistratus peccata serio puniret & scandala auferret, abunde nobis satisfactum esset. Non cupimus nova judicia, neque majore fungi potestate, & miseros homines exagitare, & ex abalienatis longe magis alienatos reddere,* &c. Alia in epistola ibi ad eum idem, *Probamus scriptum tuum* (theses illas de excommunicatione) *tanquam salutare & ecclesiis utile, veritatique consentaneum.* In alia [y] item ad Petrum Dathenum in Palatinatu concionatorem aulicum, qui mirum in modum Erasto ob theses illas succensuerat; quo nomine certe non leviter eum increpat Bullingerus: *Haec sane,* inquit, *non debet tibi, mi frater, nova videri opinio, nupera, nobis inventa; cum in superiori Germania, inter ecclesias reformatas, Tigurina, quae semper sic sensit, facile fuerit & sit omnium prima, ut quae anno 19 supra 1500 plantari coepit.* Et de ecclesia illa Tigurina, *Nostra ecclesia nunquam disciplinae ecclesiasticae immiscuit coenam Domini mysticam: Neque ea de causa ab ullo unquam, quod sciam, impietatis est accusata. Neque habuimus unquam presbyterium, vel talem senatum ecclesiasticum qui examinaverit communicaturos, & ad communionem, admiserit aut ab ea excluserit peccatores,* &c. *Et existimamus & credimus coenam dominicam a Domino esse institutam, non ut sit ventilabrum aut cribrum quo cribrentur aut dispergantur ab invicem homines, sed synaxim, id est, coagmentationem,* &c. Et paulo post, inter alia in eandem mentem ex scriptis quae ante ediderat adducta, *Videant qui hodie cupiunt ecclesiasticam disciplinam reductam, ne nimium severi sint, & imprudenti zelo & ipsam Domini coenam omnibus reddant invisam, & evangelii cursum plus impediant quam promoveant: Adde, ne dum certos aliquot excommunicare pergunt, non modo hos non sanent, verum etiam totam communionem maximo cum bonorum detrimento & luctu dissolvant.* Adjicit ab his nihil variare quae in sermonibus suis [z] antea ipse exposuerat. Disputatum item esse ait in urbe Bernensi, Aprilis 19, 1531, hac de re, ubi ipse Zuinglius rogatus quodnam responsum daretur anabaptistis quibusdam vehementius excommunicationem urgentibus, ad hunc modum illud formari voluit; *Apostoli sub ethnico magistratu vixerunt, qui tamen scelera non puniverunt, a quibus quisque Christianus abhorrere debet. Sed ut & ecclesia poenam scelerum aliquam haberet, admonitionem assumpsit & exclusionem, quia gladio, quod ipsis minime committebatur, punire non poterant. Et haec quidem causa apud eos excommunicationis erat. Quia vero jam christianus magistratus scelera ipsa ipsemet suppliciis coercet, ideo excommunicatio non amplius necessaria est.* Postea item in disputatione Zofingiae, quod municipium vel oppidum est Bernatum in Argonia, mense Julio 1532, conclusum est, *Posse etiam aliam poenam & coercitionem in ecclesia Dei esse quam haberi pro ethnico & publicano: Quia Christus nihil aliud vult quam ut scelera puniantur. Atque adeo non perperam fiet si & hoc quoque tempore aliud poenae genus constituatur, ut ea nempe magistratui committatur.* Haec scilicet ex actis publicis ibi refert. Et, *Accedat his,* inquit, *illud quoque quod Basileae, anno 1536, mense Februario, in comitia publica vocati coiere praecipui omnes Helveticarum ecclesiarum ministri, qui cum, praesentibus etiam beatae memoriae D. Capitone & Bucero Argentoratensis ecclesiae ministris, & legatis Neocomensis ecclesiae,* &c. *inter se diu & multum & diligenter de omnibus christianae fidei dogmatibus, etiam de excommunicatione, contulissent, in hanc tandem senten-*

[t] Londini, 1593.
[v] Zacharias Ursinus in Append. ad Catachetic. explicationes, part. 2. quaest. 85.
[x] Forte *quidam*.
[y] Tiguri 1 Junii 1570.
[z] Decad. 5. serm. 10.

tiam conspiravere omnes, quae & nostra confessione ultima, cujus & ante meminimus, est exposita. Quid quod nulla unquam fuit concertatio de excommunicatione inter nostram Tigurinam & Genevensem ecclesiam nobis praedilectam? Sub idem tempus Bezam etiam fraterne per epistolas hortatus est Bullingerus, ut non publicaret quae in Erastum hac de re scripserat, ne tam infelix certamen & perniciosa tum in ecclesiarum pacem tum in magistratuum & principum christianorum jura altercatio diffusius propagaretur. Etiam Bezae scriptum in Erastum, quod legendum ad eo acceperat, necdum tunc typis editum, ad eum remittens, cum per aegritudinem scribere ipse nequibat, opera usus est manus amici Rodulphi Gualtherii pastoris item ecclesiae Tigurinae primarii: Sed ita ut tam suo quam Bullingeri nomine eisdem in literis [a] hac de re Beza moneretur. Atque in eis quid de excommunicatione & presbyterio in republica christiana sentiat uterque, juxta Bullingeriana ante memorata, breviuscule ostenditur. Alios habuit nec paucos hic tunc suffragatores Erastus. Sed in exemplaribus manu tantum scriptis diu circumlata sunt tam quae Beza quam quae ille hac de re scripserat. Nec ante decennium aut circiter a scriptione elapsum aut hujus aut illius scripta illa publicata. Obiit Erastus anno 1583, & circa sexennium post facta est editio illa & Thesium & earum confirmationis simul cum epistolis jam memoratis. Alias ejusmodi etiam, ne volumen excresceret, se praetermisisse monet typographus, qui & Theses *a viris & doctis & piis, atque a partium studiis alienis, mirum in modum probatas* asserit, & *quod a quamplurimis aliis eruditis viris & veritatis amantibus hoc scriptum summis extollebatur laudibus.* Quisnam typographus ille, aut quanam ex officina tunc prodiret opus illud (& semel tantum hactenus typis prodiisse existimo, nisi Amstelodami, ut nunc audio, jam nuperrime sit recusum) non cuique constat. In fronte legitur, *Pesclavii, apud Baocium Sultaceterum, anno* MDLXXXIX. Nominum, sive locum spectes sive hominem, portenta! Neque curnam sic effîcta operae pretium est aut disquirere aut ariolari. Sunt quorum indices editionem illam memorant [b] quasi *Pesolavii* aut *Posolavii* facta fuisset anno 1591, nec loci nomen primo fictum, sed aliud pariter nihili, nec verum annum exhibentes. Alii [c], quasi *Peselavium* nomen loci fuisset. Sed vero certissimum est *Pesclavium* ibi suppositum pro Londino; saltem, Londini codicem larvato illo loci nomine prodiisse. Nec revera, ni fallor nimium, Baocius Sultaceterus ibi alius est quam Joannes Wolfius, Latinis, Graecis & Ebraicis literis Elizabethae reginae tunc typographus. Ab Erasti vidua, aut a Castelvetro [d], cui nupta illa est, autographum impetrarant viri aliquot ex ordine ecclesiastico in Anglia summi, qui etiam in regimine publico partes tunc agebant hic primarias. Atque eorum auspiciis jussuque typis est mandatum. Placuit quidem illis ut non sine fictorum loci & typographi nominum larva prodiret; quale pro hominum arbitrio saepius fit. Sed vero non ita furtim aut clanculum exiit quin in acta typographorum & bibliopolarum Londinensium societatis illius temporis publica expressim relatum fuerit, nec sine auspiciis antistitis summi, qui ante alios librorum hic censurae tunc praefuit, ejusque de eo judicii testimonio. In actis illis legitur, 20. Junii 1589. John Wolf. entred for his copy a treatise of Thomas Erastus *De Excommunicatione*, reported by M. Fortescue to be allowed by the archbishop of Canterbury; id est, *Joannes Wolfius. In acta hic recipitur, ut liber ad eum spectans, tractatus Thomae Erasti de excommunicatione, quem retulit D. Fortescutius approbatum esse* seu *typis permissum ab archiepiscopo Cantuariensi.* Is tunc erat Joannes Whitgiftus, seu qui Hugoni Broughtono in scriptis suis est Leucodorus, vir sane ob pietatem, doctrinam, prudentiam morumque probitatem insignem perquam tunc celebris. Certe rarum satis erat, librum aliquem typis ab ipso archiepiscopo (cui, uti & episcopo Londinensi, librorum censura hic demandata) permissum esse & approbatum. Ab iis qui antistitibus erant a sacellis id fieri assolebat. Nequaquam igitur est existimandum editionis hujus Erastianae non singularem habuisse rationem archiepiscopum illum, nec ipsum solum, sed alios viros pios & doctos, quorum ut copia quidem tunc abundabat Anglia, ita praesentia frequentissima proculdubio fruebatur ille, libentius editioni favisse, utpote quae adeo consona passim exhiberet eis quae in usu hic essent receptissimo, tum quoad presbyterialis seu consistorianae jurisdictionis aliusve ecclesiasticae nomine, quae non ad juris Anglicani normas, id est, ad jus hic prorsus humanum exerceretur, negationem, tum quoad regium seu regiminis publici (quod *magistratus* vocant) jus tuendum, quod in Anglia passim, juxta superius ostensa, per anteacta secula obtinuisset. Nec puto, cum editio ad hunc modum facta fuerit, opinabitur quisquam monita typographi nomine sive in fronte sive in calce data tam ipsius revera fuisse quam sive archiepiscopi jam dicti sive alterius alicujus qui non solum ex suo sed aliorum virorum gravissimorum, qui luce dignissimum opus censerent, ore & judicio loqueretur. Memini me in bibliotheca Lambethana, quae dudum Cantabrigiam translata est, vidisse codicem hunc, sic typis emissum, in corio flavo nitidius compactum, cum inscriptione hac utrinque aurea intra sertum itidem aureum inserta, *Intus quam extra formosior.* Atque ipsum fuisse opinor codicem quem archiepiscopo illi, qui editionem sic commendaverat, ut moris est, donaverat typographus. Mirabitur, puto, nemo in Romanensium Indicibus expurgatoriis [e] opus hoc, inter Erasti alia aliquot, expressim perpetuo prohiberi damnarique. Certe quoniam ita impugnat liber hic excommunicationis, id est, jurisdictionis ecclesiasticae dici solitae, usum, qui scilicet velut divinitus receptus sic a compluribus obtenditur, ideo etiam inter ecclesiastici ordinis reformatorum non paucos satis habetur invisus, & veluti tantum non publice prohibetur. Proximo post editionem illam Londinensem anno Beza, qui hactenus etiam sua in Erastum scripta

[a] Tiguri 3 Aug. 1570. [b] Georg. Draudius in libris Theologicis tit. Excommunication. Anton. Zapata in Indice Expurgatorio, pag. 902. [c] Catalog. lib. in Bibliotheca Bodleiana, in Erasto. [d] Epist Bezae ante Tract. de Excomm. & Presbyt. Melchior Adam. in Medicorum Vitis. [e] Francisc. Magdalenus in Elench. lib. prohibit. Anton. Zatiapa in Ind. exp. pag. 902.

evulgari

evulgari noluit, Genevae apud Joannem le Preux *tractatum* edidit qui *Pius* dicitur *& moderatus, de vera excommunicatione & christiano presbyterio, jam pridem pacis conciliandae causa, Cl. V. Joan. Erasti* (ita codices impressi; quorum in nonnullis *Th.* in chartula τῷ *Joan.* glutine superimponitur) *D. Medici centum manuscriptis Thesibus* (editarum Erasti numerus est 75) *oppositus, & nunc primum, cogente necessitate, editus.* Praefatio item adjicitur quae de editione Erastiana ita larvata haud parum conqueritur. Certe opus ipsum argumenta ex utroque foedere sumi hic solita bene habet congesta dispositaque, uti & responsiones, qualescunque sint, ad Erastiana. Diligenter utrosque scriptores illos perpendat veritatis ingenue amantior, quisquis fuerit, uti etiam alios in Germania[f], Belgia[g], Anglia[h] libros aut in Erastum nominatim aut ejus hic doctrinam editos, quorum plerique nuperi. Sed utinam interea Erastus cum adversariis suis aeque apud bibliopolas prostaret. Quod nondum factum, ex editione quam expectamus studiosioribus sperandum. Qui libere item hic disquirit, non omnino praetermittat *Grallas* illas[i] doctissime & ingeniosissime nuper in Guilielmum Apollonii scriptas, etiam & Anglice versas; uti nec opuscula inde nata & pendentia alia, quae satis obvia; nec libellum omnino illum Hugonis Grotii; ut de viris apud nos doctis aliquot qui Erasto apprime favent in libris suis de disciplina ecclesiastica passim prostantibus taceam. Plurima etiam hanc in rem ex eis quae de excommunicatione Judaica & publica antiquitatis, etiam per anteriora christianismi secula cuncta, professione, praxi & moribus supra ostenduntur, serio ponderanda. Cum primis illud, sacrorum interdictionem forensem apud Judaeos seu in excommunicationis illorum usu (unde defluxisse christianum plerumque admittitur) reperiri nullam, ut satis ante monstratum. Accedat autem libro in secundo de sententia illa, quam crebro nimis apud viros alioquin etiam longe doctissimos receptam video, de jurisdictionis circa sacra & circa profana seu non sacra, quasi ecclesiasticae & politicae, ut vulgo penes christianos discriminatur, apud Judaeos distinctione, adeoque de tribunalium seu synedriorum sub notionibus illis genere ibi duplici, disquisitio accuratior & determinatio. Alia huc spectantia occurrunt in sequentibus.

CAP. XI.

Rationes atque argumenta quibus excommunicationis forensis jus ex ipso juris naturalis, seu, ante legem in Sinai datam, divini, fonte a scriptoribus aliquot elici solet, perpenduntur. In haeresim Adamitarum, spurcam illam quidem sed pervetustam, receptum esse excommunicationis usum, velut in paradiso institutum. Inde etiam in aliorum aliquot sententias. De excommunicatione Adae, & poenitentia ejus per annos 130, *apud Talmudicos. De Caino, qui ob fratricidium dicitur excommunicatus. Traditio Rabbinica de* חרם *seu anathemate a Josephi fratribus, cum illum vendidissent, in seipsos, ne quod fecerant Jacobo indicaretur, denunciato. Commenta Mahumedanorum de tempore per quod mansit Adam in paradiso, & de loco in quem ejectus est, seu monte ac insula Indica Sarandib dicta. Nec in Adae expulsione, nec in Caini exsilio, nec in anathematismis intervallo quod hic primario tractatur tributis aliquot (licet etiam ipsi fidem mererentur) excommunicationis proprie sumptae vel figura vel proportio reperitur. Cerith seu exscissionem incircumcisi, aliorumque postmodum sub lege, excommunicationem, qua de quaeritur, non ullatenus fuisse. Et demum, tametsi in vetustioribus illis exemplis ipsa poena haec omnino haberetur, nihil inde sequi quod ad jus hic adstruendum, quale volunt, aut saltem libentissime obtendunt, non pauci, divinum ullatenus conducat.*

DIffusius per capita proxime superiora quatuor egimus de jure ac usu excommunicationis, reliquisque ejus appendicibus & circumstantiis quae ad retro actorum temporum sententias de ejusdem jure rite eruendas perspiciendasque diversimode attineant; quatenus nimirum sive apud Judaeos sub lege, sive inde sive (ut nonnullis placet) aliunde in christianismo recepta ac usurpata est. Quod ideo quidem fecimus ut commodius & apertius dignosceretur quae & qualisnam per anteriora illa usque in nostrum secula censita, & quam variatim & quomodo adhibita, temperata, admissa, omissa, rejecta, revocata, controversa fuerit poena illa (seu, ut malunt alii, morum ac pietatis medicina; quale plane, qua forensis haec est, nec sine publicis jurisdictionis spectaculis atque status personae inter suos mutatione visibili, de poena dici satis recte potest omnimoda; cum nulla apud homines poena revera non sit tam medicinaliter erga aliquos quam sonti ipsi etiam, partim saltem, retributive irrogata) poena, inquam, illa cujus juris originem haud scriptorum pauci ex intervallo libro huic assignato petere solent. Absque enim hoc non satis undiquaque constaret hic de re ipsa de qua disquiritur, scilicet, tum utrum in poenis forensibus hujus intervalli, seu in judiciorum ac jurisdictio-

[f] Zacharias Ursinus tom. 3. pag 803. Gaspar. Brochmand. in System. Theolog. tom. 2. cap. 5. tit. De Discip. Ecclesiastica. [g] Guil. Apollonii, alii Autores obvii, qui nuper de Jure Majestatis circa sacra, libertate Eccles. Episcopatu Constantini, id genus aliis, ibi scripsere. [h] Georg. Gillespius in Aaronis Virga Anglice, & Samuel. Rutterfordius, lib. De Jure Divino Regiminis Ecclesiastici Anglice item, Londini 1646. alii satis numerosi nuper idem libenter inculcantes. [i] Franekerae 1646.

nis ejusdem effectibus, revera locum sive ex jure naturali sive ex divino aliter sortiretur illa ullum, tum quid ea de re senserit antiquitas maxime tam Judaica quam christiana; quorum utrumque ut necessario ac penitius hic animadvertendum, puto nemini non visum iri. Sequitur autem ut, juxta institutum superius propositum, rationes & argumenta quae afferri solent ab eis qui ex intervallo hoc legis in Sinai dationem antevertente juris hic originem deducendam velint, introspiciamus perpendamusque. Qui pertinacius ex jure divino, eoque praeceptivo, vim poenae hujus originariam pendere contendunt, etiam ab ipso rerum conditu eam petunt. Marius Alterius [a], *Usque adeo vetus & antiqua existimanda est excommunicationis censura, cujus usus divinitus ad nos pervenisse certa fide habetur, ut minime recens, sicut falso & temere haeretici mentiuntur* (sic ille; sic id genus alii aliquot, sed satis quidem temere ipsi, ne quid gravius dicam) *sed prisca potius priscarumque vetustissima rerum merito dicenda sit, ut quae a primaeva orbis origine ortum habuerit.* Tantundem, quantum ad originis hic vetustatem asserendam, habent alii tam ex Reformatis [b] quam Romanensibus [c]. Atque in patribus vetustis nonnulla, ut statim dicetur, occurrunt aliquantulum consona. Quinimo, ne origini hic quid omnino deesset quod ex intima vetustate obtendi posset, etiam Satanae & angelorum ejus, extra communionem paradisi seu sanctorum a numine positorum seu cadentium adeoque anathemate percussorum, in ipso orbis initio, exemplum *principium dedisse excommunicationi* aiunt recentiorum aliqui [d], adjicientes *nec* solum principium sic dedisse Satanam sed *sententiam quandam ipsum effectum, in quam retruduntur quotquot sunt excommunicati. Traduntur enim Satanae excommunicationis vinculo percussi.* Et velut anathematis & excommunicationis primae imaginem in illo Satanae ac angelorum suorum casu collocant superiorum seculorum scriptores aliquot celebres, ut Honorius Augustodunensis [e], Petrus Blesensis [f], Robertus Arboricensis [g]. Alii vero sunt qui ad rem non omnino hoc trahunt; etiam qui inter excommunicationis, qua forensis est & absolutione tollitur, typos recenseri merito non admittunt [h]. Primarium autem sive typum sive adumbrationem sive imaginem (his enim vocibus uti amant) sive argumentum sumere hic solent ex illa Adae & Evae, cognita a numine causa, ob praevaricationem & mandati divini violationem ejectione e paradiso [i], וישלחהו יהוה אלהים מגן עדן לעבד את האדמה אשר לקח משם ויגרש את האדם וגו' *Et emisit eum Dominus Deus e paradiso, ut coleret terram, e qua sumptus est; & expulit Adam,* &c. Atque inde sane primo excommunicationis non exemplum solum sed velut institutum a posteris sequendum recepere haeretici prisci Adamiani seu Adamitae dicti, qui a Prodico [k] autore suo suasi, nuditatem primorum parentum in paradiso imitabantur, & ecclesiam suam paradisum [l] inde nuncupantes, ex ea ideo sub ipso etiam Adami nomine ejiciendum voluere si quis ex suis deliquisset. Epiphanius [m]; Εἰ δὲ δόξειε τινὰ, ὡς καὶ τοῦτο λέγουσιν, ἐν παραπτώματι γενέσθαι, οὐκέτι τοῦτον συνάγουσι. Φάσκουσι γὰρ αὐτὸν τὸν Ἀδὰμ τὸν βεβρωκότα ἀπὸ τοῦ ξύλου, καὶ κρίνουσιν ἐξεῶσθαι, ὡς ἀπὸ τοῦ παραδείσου, τουτέστι τῆς αὐτῶν ἐκκλησίας. Ἡγοῦνται γὰρ τὴν ἑαυτῶν ἐκκλησίαν εἶναι τὸν παράδεισον, καὶ αὐτοὺς εἶναι τοὺς περὶ Ἀδὰμ καὶ Εὔαν, *Quod si quis, ut dicere etiam solent, in culpam lapsus esse videatur, hunc in conventum suum minime recipiunt. Adamum enim illum esse dicunt, qui de ligno comederit; atque e paradiso, hoc est, ecclesia sua, exterminandum judicant. Nam ecclesiam suam paradisum esse statuunt; seipsos vero, Adamum & Evam.* Etiam a patribus primariis memoratur expulsio Adae ut excommunicationis in ecclesia exercendae adumbratio & exemplum. Inde Augustinus [n]; a sacramento visibili *alienandus utique fuerat, vel jam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus, sicut etiam in hoc paradiso, id est, ecclesia, solent a sacramentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesiastica removeri.* Et Hieronymus de excommunicatis sui temporis [o], *Praevaricati sunt pactum Dei in ecclesia, sicut Adam praevaricatus est in paradiso, & imitatores se antiqui parentis ostendunt, ut quomodo ille de paradiso, sic isti ejiciantur de ecclesia.* Quid quod Honorius Augustodunensis a Domino, in illo de Satanae casu & in Adae expulsione, ecclesiam formam excommunicationis accepisse diserte tradit [p]? *Quod ecclesia,* inquit, *peccantes de ecclesia ejicit, superbos autem & rebelles excommunicat, & non poenitentes indignos sepultura judicat, iterum a Domino formam accepit, qui peccantem hominem de paradiso expulit, sed poenitenti coelum aperuit; diabolum vero superbientem & rebellem excommunicavit, & de coelo & coelesti ecclesia segregavit; & quia poenitentia non flectitur, nunquam recipitur: Igitur poenitentes per gratiam salvantur, excommunicati superbientes diabolo incorporantur.* Sic Honorius ille. Atque obvium est apud scriptores ante indicatos, aliosque tam e Reformatis quam Romanensibus, hinc veluti ex origine primaria excommunicationis & usum & jus deduci. Etiam ipse Beza in tractatu suo adversus Erastum inter argumenta sua hoc ut primum collocat. Quin vero apud Ebraeos etiam ipsos expulsionis seu separationis Adae nomine נידוי *Niddui*, id est, ipsius apud eos *excommunicationis*, habetur. Rabbi Jeremiah Ben Eliaezer [q] in Talmude, כל אותן השנים שהיה אדם הראשון בנידוי הוליד רוחין ושידין ולילין שנאמר ויחי אדם שלשים ומאת שנה ויולד בדמותו בצלמו מכלל דעד האידנא לאו בצלמיה אוליד· *Omnibus istis annis quibus fuit Adam, homo primus, in excommunicatione* (seu *Niddui*) *genuit spiritus, daemones & lamias, sicut dicitur* [r]: *Et vixit Adam triginta & cen-*

[a] De Excomm. disp. 2. lib. 1. cap. 6. [b] Conrad. Bertram. de Politia Judaica, cap. 2. Beza de Presbyterio arg. 1. pro excommunicatione. [c] Jo Casalius de vet. Christianorum Ritibus cap. 22. Antonius Serpensis in Chronologia Eucharistica, enarrat. 2 [illegible] pag. [illegible]97. Theophilus Rainaudus de Monitoriis part. 2 cap. 9, &c. [d] Mar. Alterius lib. 1. disp. 2. cap. 6. & Casalius [illegible] citato. [e] De Antiquo Ritu Missae, seu Gemma Animae, lib. 3. cap. 78. [f] Sermone 29. [g] De Utro-[illegible] tom 2. theorem. 7. [h] Theophil. Rainaud. de Monitoriis part 2. cap. 9. [i] Genes. iii. 23. [k] The-[illegible] Haeretic Fab. lib. 1. cap 6. [l] Augustin. de Haeresibus ad Quod vult deum, cap. 31. [m] Haeres. 32. seu 52. [n] [illegible] Genes. ad literam lib. 11. cap. 40. [o] In Oseae lib. 2. cap. 6. [p] In Gemma Animae, seu de An-[illegible] lib. 3. cap. 78. [q] In Glossa Talmudica ad tit. *Erubin*, cap. 2. fol. 18. b. partim citatur J. Buxtorfio in [illegible] col. 1306. [r] Genes. v. 3.

tum

4

tum annos, genuitque ad ſimilitudinem ſuam juxta imaginem ſuam. Non omnino uſque ad tempus illud genuit quenquam in ſimilitudine ſua: Scilicet, antequam genuerat Sethum. Idem inde citat Abarbinel [s], cui neſcio quare Rabbi Eliaezer Ben Azariah ejuſdem autor ſit. Fabula quidem illa de daemonibus, ſpiritibus, & lamiis per tempora ab illinc anteriora ab Ada ex neſcio quibus ſuccubis ſuſceptis, atque etiam parilis de Evae per id tempus prole, apud ſcriptores Judaeorum alios (nam chriſtianos qui inde interdum uſurpant praetermitto) non raro habetur [t]; uti & illud de generatione hac prima juxta ſimilitudinem ſuam ſine [v] fabulae iſtius aſſumento. Quod vero ad excommunicationem ſeu *Niddui* Adae ſic dictam hic attinet; ea capienda eſt de ſtatu ejus, uti & Evae, juxta eos qui hoc tradiderint, ſingulari per tempus illud centum & triginta annorum (undecunque aut quomodocunque numeratorum; neque enim ea de re, aut diſſonis etiam veterum circa eam ſententiis, hic plura dicere eſt operae pretium) in quo abinvicem, velut in poenitentiam & caſtigationem diutinam, ſeparati ſunt. Neque aliter ad expulſionem e paradiſo juxta eos ſpectat. Inde gloſſa Talmudica [x] ait in *Niddui* ſeu *excommunicatione* Adamum manſiſſe per annos 130, ex eo quod a numine de fructus interdicti comeſtione adeo fuiſſet increpatus [y]. Et Jarchius ad locum illum Geneſeos de generatione ad ſimilitudinem ſuam anno 130, עד כאן פירש מן האשה *uſque ad tempus illud ſeparatus eſt* ſeu *abſtinuit ſe ab uxore.* Alii tantundem ibi. Etiam de poenitentia ejus & caſtigatione per id tempus ſui diſerte Rabbi Meir [z]; אדם הראשון חסיד גדול היה כיון שראה שקנסה מיתה על ידו ישב בתענית מאה ושלשים שנה פירש מן האשה מאה ושלשים שנה והעלה זרזי תאנים על בשרו מאה ושלשים שנה׃ *Adam, primus homo, valde erat pius, adeo ut poſtquam viderat ſe morti obnoxium eſſe, in jejunio manſerit per annos* 130, *ab uxore item ſeparatus fuerit annos* 130, *& per totidem annos aptaret cingula ficulnea ſuper carnem ſuam.* Legitur item in Rabbinis [a]; באחד בשבת נכנס אדם במי גיחון העליון עד שהגיעו המים עד צוארו ונתענה שבעה שבתות ימים עד שנעשה גופו כמין ערה אמר אדם לפני הקב״ה רבון כל העולמים העבר נא חטאתי מעלי וקבל את תשובתי וילמדו כל הדורות שיש תשובה ואתה מקבל תשובת שבים מה עשה הקב״ה פשט יד ימינו והעביר את חטאתו מעליו וקבל את תשובתו שנ׳ חטאתי אודיעך ועוני לא כסיתי סלה מן העולם הזה וסלה מן העולם הבא׃ *Septimanae feria prima ingreſſus eſt Adam aquas Gihon ſuperioris, donec pertingerent aquae ad collum ejus; & afflixit ſe* ſeu *jejunavit ſeptem hebdomadibus, uſque dum factum eſt corpus ejus inſtar cribri. Dixit Adam coram Deo optimo maximo, Domine univerſi mundi, tranſeat, quaeſo, peccatum meum a me, & recipe poenitentiam meam, ut diſcant omnes aetates* (tota poſteritas) *quod ſit reſipiſcentia, & quod ſuſcipias tu reſipiſcentiam convertentium ſe. Tunc autem Deus O. M. extendit dexteram ſuam, atque removit ab illo peccatum ejus, & recepit converſionem ejus; juxta illud* [b], peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam te non celavi, *Selah ex hoc ſeculo, & Selah e ſeculo futuro.* Etiam in *Midraſh* ſcribunt [c] quod Adam annos centum & triginta, priuſquam Sethum genuiſſet, in aqua ſederit uſque ad nares, ob peccatum illud quod de arbore vitae comedendo commiſiſſet: unde etiam hodieque in facinoroſorum poenitentiis Judaeorum afflictiones variae, quas memorat loco citato Buxtorfius pater. Affertur etiam hanc in rem maledictio numinis in Cainum [d] ob fratricidium, & ejectio ejuſdem ut exſulis & profugi: נע ונד תהיה בארץ *exſul* ſeu *vagus & profugus eris in terra.* Et de ſeipſo Cain, הן גרשת אותי היום מעל פני האדמה ומפניך אסתר quod verti ſolet, *Ejicis me nunc a facie terrae & a facie tua abſcondar:* ſecundum quem ſenſum, neque aliter, intelligitur in paraphraſis Chaldaicae, quae Onkeliana eſt, exemplaribus aliquot, quae habent ומן קדמך אהא מטמר & *a facie* ſeu *praeſentia tua ero abſconditus.* Ita ſcilicet ea cujus verſionem non ſine Leonis X auſpiciis ante centum amplius annos edidit Nicolaus Corvinus [e]; uti etiam quae in bibliis habetur tum regiis tum Jaianis. Atqui in codicibus Bombergianis, Conſtantinopolitanis binis (quorum Perſicam ſimul habet altera verſionem, altera Graeco-barbaram & Hiſpanicam) Garianis, Buxtorfianis, aliis qui conjunctam habent paraphraſin hanc, uti etiam in pervetuſto ejuſdem penes me MS. legitur ומן קדמך לית איפשר לאטמר & *a conſpectu* ſeu *facie tua non eſt poſſibile abſcondi.* Neque aliud exemplar ſecutus eſt Paulus Fagius. Et quaſi idem interrogative habet R. Saadias adeoque Arabica in Jaianis;

وان طردتني اليوم الوجه الارض هل انستر

من بين يديك *Quod ſi expellas me hodie de facie terrae, nunquid abſcondar a praeſentia tua?* Cui non ita diſſona eſt Chaldaica Jonathanis dicta. Sequitur poſt, ויצא קין מלפני יהוה וישב בארץ נוד קדמת עדן *Et exivit Cain e facie* ſeu *praeſentia Domini, & habitavit in terra Nod, ex orientali plaga Eden,* ſeu, ut Vulgata, *profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Atque in poena Caini hac excommunicationem expreſſim fuiſſe non ſemel ait Lutherus ipſe [f], qui toties pro poenae hujuſmodi, ut adhiberi ſolet inter chriſtianos, adverſario apud Romanenſes memoratur. Alii tantundem; idque tam ex Reformatis [g] quam Romanenſibus [h]. Et Beza; *Fuit igitur ante legem Moſis, ipſo Deo auctore, uſurpata excommunicatio. Quam poſtea exercuiſſe Adamum cum ſuis liquet ex illa filiorum Dei a filiis hominum diſtinctione, quae ſub Enos Adami nepote manifeſto in uſu coepit.* Quinetiam illud de incircumciſi poena, נכרתה הנפש ההוא מעמיה [i] *exterminabitur* ſeu *excidetur anima* ſeu *perſona illa e populis ſuis,* huc ſpectare ne-

[s] In *Piruſh Tora* fol. 38. col. 4. [t] *Bereſith Rabba* paraſh. 24. *Midraſh* apud Maimonidem in *More Nebochim* part. 1. c. 7. Elias in Thisb. verbo לילית Zohar ad *Bereſith* fol. 45. col. 177. edit. Cremon. *Ajin Iſrael* part. 1. fol. 80. col. 3. Pragae, &c. [v] Targum Jonathan Geneſ. v. 3. Rabbi Moſes Bar Nachman ibidem. Pirki R. Eliaezer cap. 22, &c. [x] Babylon. ad tit. *Erubin*, cap. 2. fol. 18. b. [y] Gen. iii. 11. [z] Talmud Babylon. loco ante citato [a] Pirki R. Eliaezer cap. 20. unde R. Abraham Zacuth in *Juchaſin*, fol. 5. a. [b] Pſal. xxxii. 5. [c] Apud J. Buxtorf. in Synagoga Judaica, c. 34. [d] Geneſ. iv. 11, &c. [e] Antwerpiae in 16 anno 1535. [f] Ad Geneſ. iv. [g] Beza de Presbyterio & Excommu. arg. 2. [h] Mar. Alterius diſp. 1. lib. 1. cap. 6. Caſaubus de veteribus Chriſtian. ritibus cap. 22. Theophilus Rainaud. loco ante citato, &c. [i] Geneſ. xvii. 14.

ceſſe

ceſſe eſt ut exiſtimetur ab illis qui pro poena illa כרת *Cerith* ſeu *exciſione*, toties poſtmodum in lege etiam adhibita, diſerte *excommunicationis* vocem ſubſtituunt, quemadmodum fecit dudum [k] interpres Cantabrigienſis canonum poenitentialium Maimonidis. Scilicet pro Maimonidis illo [l] de peccatorum in graviora & leviora diſtinctione, מה הן הקלות ומה הן החמורות׃ החמורות׃ הן שחייבין עליהם מיתה ב"ד או כרת׃ ושבועת שוא ושקר אף על פי שאין בהן כרת הרי הן מן החמורות׃ ושאר מצות לא תעשה ומצות עשה שאין בהן כרת הם הקלות׃ ſubſtituit ille, *Quae leviora ſunt? Quae gravia ſunt unde homines reatum incurrunt mortis a conſiſtorio inferendae, vel excommunicationis. Et quamvis juramentis vanis & falſis non impendet excommunicatio, ſunt etiam illa e gravioribus. Quae contra reliqua praecepta negativa committuntur, & contra affirmativa, de quibus non eſt excommunicatio, leviora ſunt.* Quaſi ה כרת *Cerith* (de quo fuſius agitur capite ſexto) ipſam ſignificaret excommunicationem, quatenus notione in ſua recepta uſurpari ſolet, nec ſolum in legibus poſtmodum datis, ſed etiam in illa de circumciſione, ad quam primo ſpectat, adeoque ad tempus legis in Sinai dationem antevertens. Aliis item in verſionis illius locis, quoties occurrit, ſic redditur. Nec deſunt alii viri quidem docti qui huic ה כרת *Cerith* ſignificatui ſunt conſoni. Illuſtris item vir Anaſtaſius Germonius archiepiſcopus & comes Tarantaſienſis, de excommunicationis origine agens, *Potius*, inquit, [m] *crederem gentes ab Hebraeis quemadmodum alia multa, hanc e ſacris ejectionem mutuatas fuiſſe. Nam Hebraeos excommunicationem habuiſſe auctor eſt Eliaezer Rabbi* [n], *qui ait Joſephi fratres ſub anathematis poena praecepiſſe ne quis Joſephi venditionem revelare patri auderet. Et ſubjungit, vultis excommunicationis vim & efficaciam videre? Videte in Joſua* [o] *& in libris Regum* [p]. Sic ille: Quaſi etiam in Joſephi aevo, ſeu diu ante legis in Sinai dationem, adeoque per intervallum quod tractamus, receptus fuiſſet apud Ebraeos excommunicationis uſus. Et legitur quidem in Pirki R. Eliaezer, loco citato [q], hiſtoriola ſacra de Joſepho a fratribus vendito, cui adjicitur, אמרו נחרים בינינו שאין אחד מכנו מגיד הדבר ליעקב אבינו עד שיהיה ברשות כלנו אמר להם יהודה ראובן אינו כאן ואין החרם מתקיים אלא בעשרה מה עשו שתפו הקב"ה עמהם והחרימו *Dixerunt, anathema* ſeu *Cherem denunciemus inter nos, ne quis noſtrum rem indicet Jacobo patri noſtro antequam licentia a quolibet noſtrum detur. Dixit illis Jehuda, Ruben non eſt hic; & anathema* ſeu *cherem rite ſatis non fit*, aut *non ſatis eſt validum, niſi adſint decem. Tunc igitur ſociarunt ſibi Deum*, (ut ita decem adeſſent) *atque anathema denunciarunt*. Cum autem noctu adeſſet Ruben, הגידו לו הדבר שעשו ואת החרם שהחרימו דשמע ראובן את החרם ושתק וגם הק"בה שתק ומפני החרם לא הגיד הדבר ליעקב *narrarunt ei rem quam fecerant, uti etiam anathematis denunciationem. Ruben autem, cum anathema audiſſet, tacuit, atque etiam tacuit Deus O. M. & propter anathema non indicavit hanc rem Jacobo.* Dein paulo poſt addit quod fratres Joſephi, cum eum ſuperſtitem ac incolumem eſſe in AEgypto comperirent, התירו את החרם *ſolverunt anathema.* Atque ad illud de *Jacobi ſpiritu reviviſcente* [r] cum Joſephum ſuperſtitem eſſe audiret, וכי מתה היתה רוחו של יעקב שחיתה׃ אלא מפני החרם נתתלקה רוח הקדש מעליו וכיון שהתירו את החרם שרתה עליו רוח הקדש כבתחלה׃ *Et quomodo mortuus erat ſpiritus Jacobi qui revixit aliter quam ex eo quod propter anathema ablatus fuit ab eo Spiritus Sanctus. Et poſtquam ſolverant anathema, habitavit ſuper eum Spiritus Sanctus, ſicut antea.* Hic plane teſtimonium habetur qualecunque tum de anathematis ſeu ה *Cherem* uſu, ut in moribus tunc receptiſſimo, tum de ejuſdem ſolutione. Idem ipſum totidem ferme verbis legitur in *Sepher Tanchuma* ſeu *Jelmadenu* [s]. Atque haec ſunt argumenta ſeu rationes ex intervallo ipſo, quod hic primario tractatur, ad excommunicationis inſtitutionem, quaſi ex ipſo jure naturali ſeu divino nata fuiſſet, aſſerendam adductae. Subjungi ſolent alia ex maledictionibus ſolennibus ſub lege, quaſi ex intervallo hoc priore in poſteritatem propagatis, uti etiam ex eo quod corpore immundi, uſque dum in munditiem ejuſdem reſtituerentur, templo ſacriſque, ex peculiaribus legibus, arcerentur; id genus alia aliquot; de quibus capite ſeptimo ita monitum eſt ut quid ea de re iterare hic ſupervacaneum foret. Dum vero jam dicta ut rite perpendantur introſpicimus, duo maxime ſunt conſideranda: primum, utrum revera in eorum aliquo excommunicationis, qualis in controverſia hac intelligitur, uſus aut exemplum reperiatur; ſecundum, num, tametſi concederetur ita ſe rem habere de uſu & exemplo, argumentum inde aliquod aut ratio ad juris praeceptivi alicujus hic caput aut inſtitutum adſtruendum rite poſſet adduci. Quod ad primum ſpectat, adeoque ad illud primo de Luciferi & miniſtrorum ejus e coelo dejectione; in eo plane praeter perpetuum ex omni beatitudine exterminium, nec poenitentia aut abſolutione aliqua unquam diluendum, nihil omnino continetur; unde item, velut ea quacum & excommunicatione eccleſiaſtica proportio neutiquam ulla ſatis intervenit, ne quidem inter typos & adumbrationes hic a nonnullis, qui interea juris circa hanc rem divini ſunt aſſertores acerrimi, admittitur, ut jam ante monitum; quanquam alii, qui nihil omnino non corradi & congeri hic velint quod excommunicationis partem aliquam ſeu figurae qualemcunque umbram prae ſe ferat, eam ut primarium hic juris ſive teſtimonium ſive argumentum ſive exemplum uſurpant. Sed ſane, ſi ideo pro excommunicatione ſumenda fuerit, quoniam in ea communionis priſtinae privatio qualiſcunque erat, ſequetur poenam omnimodam ſive a numine ſive ab hominibus irrogatam hoc nomine pariter venire. Neque enim ulla eſt poena, ſive pecuniaria ſive corporalis, in qua non continetur, ſub notione aliqua, priſtinae communionis privatio aut deminutio; ut in exſilio, morte, membrorum mutilatione, carcere, mulcta, reliquis. Nam ante poenam irrogatam commune erat tam ipſius ſic puniti, quam aliorum, inter ſuos, ea libertate frui, quae, accedente poe-

[k] Cantabrigiae 1631. in 4°. [l] Halach. *Theſuba*, cap. 1. [m] De Sacrorum Immunitatibus lib 3. cap 14. [n] Cap 38. [o] Cap. v. & vii. [p] Reg 1. & 4. c. ii. [q] Fol. 34. col. 1. [r] Geneſ. xlv. 27. [s] Veronae fol. 15. col. 4.

na,

na, tollitur aut minuitur. Adeoque non minus ultimum qualecunque supplicium quam Luciferi suorumque e coelo dejectio, notione ejusmodi, communicationis privatio, adeoque excommunicatio, dici posset. Sed ita ad rem ac notionem de qua agitur singularem non omnino attinebit, utpote in qua nec ulla loci pristini retentio, nec spiritualis nec alia sive poena sive medicina, in correctionem aut absolutionis per poenitentiam, eamque publicam, exspectationem habetur, quemadmodum in excommunicatione qua de loquuntur ipsi qui ejectionem illam huc trahunt. Tantundem certe etiam de Adae seu primorum parentum e paradiso terrestri expulsione dicendum. Poena illa plane exsilium perpetuum erat, seu deportatio e paradiso in alias terras. Et tam Judaei & Mahumedani quam christiani de exsilio e loco illo in alium expressim, juxta ea quae satis aperte etiam videntur tradi in Genesi, sumere solent: licet non defuerint qui allegorice omnino rem explicandam velint. Ubinam paradisus ille fuerit, quamdiu duraverit, uti etiam quanto in eo manserint primi parentes tempore ante expulsionem illam, disputari solet ab eis qui in Genesim commentarios ediderint, aliisque in chronicis & annalibus. Et perquam diversae hisce de rebus sententiae occurrunt. Atqui unanimes interim satis sunt scriptores de eo quod est poenam illam fuisse soli mutationem, nec ab eis redimendam. Ex horto *εἰς ἕτερον τόπον in aliam regionem* ejectos, ait Josephus. In montem Moriah, ubi postea templum exstructum, alii[t]. *In nostram, velut exsules, terram ejectos*, Sulpitius Severus. Alii passim in eandem sententiam. Eutychius item patriarcha Alexandrinus,

اخرجهما من الجنة في تسعة ساعة من

يوم الجمعة على جبل من جبال الهند

Ejecit eos ex horto hora feriae sextae nona[v] (ac eisdem die & hora postmodum ait eum obiisse) *in montem ex montibus Indiae.* Montem illum, seu locum in quem ejectus est, nuncupant Mahumedani plerumque سرنديب *Sarandib*, interdum autem الرهون *Rahon*, qui est in Sarandib Abu Mahumed Mustaphi Ben Alshid Hasen, in historia universali, ubi a nonnullis tradi ait creatum esse Adamum die 28 mensis Adar, adeoque tempore verno, ascendente Tauro, & Evam Cancro ascendente ejectum illum esse adjicit a numine[x]

على جبل سرنديب في شرقي ارض الهند

in montem Sarandib in orientali Indiae plaga. Ab aliis memorari ait idem, Adamum tunica sua ficulnea amictum illuc pervenisse, ibique folia e quibus ea composita est, vento & calore arefacta, indeque in pulverem redacta, dispersa fuisse vento, atque ex pulvere illo ortam fuisse plantarum per Indiam odoriferarum copiam. Etiam tum eum tum Evam ut poenitentes in luctu fuisse continuo per centum annos, seu, ut alii, per 300, atque ex luctus illius lacrymis natum esse, Deo sic volente, lignum aloes, zingiber, caryophylla, id genus aromata alia. Hujusmodi fovere commenta amant Mahumedani. Atque apud ejusmodi alium[y], Abu Walid Ben Elshecina, legitur quod Adae in paradiso collocato

كانت مدة اقامته فيها نصف يوم خمس

مائة عام في عدد اهل الدنيا

Erat tempus quo ibi mansit dimidium diei, spatium scilicet annorum 500 juxta computum hominum vulgarem[z], & quod ipse, Eva, diabolus, & serpens (tempore, & ex occasione, expulsionis illius)

هبطوا جميعا ونزلوا في بلاد متفرقة

ادم بالهند وقيل بسرنديب

Descendentes se transtulerunt omnes in regiones diversas; Adam, in Indiam, & dicitur in Sarandib; Diabolus, in AEgyptum; Eva & serpens, sua in loca singularia. Quantum ad locum idem ait Abu Elchasen Hali Ben Elchasin Ben Hali Ben Aibdallah[a] nempe translatum esse Adamum على جبل سرنديب *in montem Sarandib.* At vero quantum ad tempus quo in paradiso eum ante expulsionem stetisse ibi admittitur, وكان inquit scriptor hic

ادم في الجنة مع حوا ثلاث ساعات

مقدار مايتين وخمسين سنة من ايام

الدنيا وهو ربع يوم من ايام الاخرة

الذي هو الف سنة

Atque mansit Adam in horto cum Eva tribus horis, quae non minoris sunt quantitatis quam 250 annorum juxta vulgarem computum. Nimirum haec quarta pars est alterius illius diei qui ex annis mille constat. Ita Mahumedani jam dicti. Insula quidem maris Indici هركند *Harchend* dicti celeberrima memoratur ab Aldrisio geographo Arabe[b] Sarandib nuncupata, & in eadem الرهون *Rahon* mons ille altissimus. Atque Ismael Abul Feda[c], geographus percelebris, in montium orientalium recensione جبل inquit

الرهون وهو جبل عال جدا في جزيرة

سرنديب على خط الاستوا حيث لا عرض ويقال انه

هو الجبل الذي هبط عليه ادم من الجنة

Mons Rahon, qui mons est valde fructuosus in insula Sarandib sub lineam aequinoctialem, quantum ad latitudinem. Et dicitur in montem hunc translatum esse Adamum e paradiso. Fluvius

[t] Paraph. Chald. Jonathanis dicta, Gen iii. 23. alii. [v] Videsis hac de re Caesarium quaest. 60. Pirki R. Eliezer cap. 11. Tornieii Annales in Prima Mundi hebdomada § 21. Alcoran Azoar. 17 Matthaeum Cigalam in Synopsi histor. pag. 9. Dorotheum Monembasiensem in Synop. hist. pag. 16, &c. [x] MS. inter libros Guil. Laudi Arch. Cant. in Bibliotheca Bodleiana. [y] MS. penes me. [z] Vid. Psalm. xc. 4. [a] MS. penes me. [b] Part. 8. Climatis 1. [c] MS. in Biblioth. publica Cantabrigiensi, pag. 45.

item Sarandib memoratur (uti & alibi[d] tetigimus) ubi etiam pro medio ſeu umbilico telluris inſula Mahumedanis reputatur. Neque alia videtur ab ea quae Taprobana & Sumatra, aliiſque nominibus tam vetuſtis quam recentioribus, vocitari ſolet, & primaria orbis terrarum inſula cenſeri. Atque ex adeo recepto illo de Adae in Indiae regionem expulſione commento pendet illud quod apud Joſephum Ben Gorion[e], atque ex eo in *Sepher Juchaſin*[f], occurrit de ſepultura Adae in India. Sed haec obiter. Exſul igitur Adam, exſul Eva, ſeu ut deportati utrique; neuter autem in excommunicati proprie & vulgo ſic dicti ſtatum redactus, id eſt nec maledictus, nec ſacerdotio ille, nec ſacramentorum dein uſurpandorum uſu interdictus alteruter. Poſt exſilium illud utrique manſit ejuſmodi uſus integer. Nec ullibi tunc reperta eccleſia aut coetus hominum in quem jure aliquo reſtitui poſſent, ut ſemper in excommunicatione. Et ſane tametſi Judaeorum commentum jam dictum de Ada per tempus illud annorum 130 בנדוי *in Niddui* ſeu ſeparatione (qua voce utuntur illi pro ipſa excommunicatione) admitteretur, ſingularis plane & *Niddui* ita foret notio, neque excommunicationi illis poſtmodum receptae omnino ſimilis, ſive abſolutionem exſpectandam, ſive liberum ſynagogae communionis priſtinae uſum interdictum, ſive conjunctas maledictionis aliaſve excommunicationis eorum proprie dictae ſive partes ſive circumſtantias ſpectes. Ita enim in duas primo diſſecta invicem partes fuiſſet ſynagoga ſeu eccleſia illius temporis, ex hominibus duntaxat binis tunc conſtans; nec e ſynagoga vel eccleſia ſive hic ſive illa ejiciebatur. Et non ita eſt diſſimile vero quin, niſi ſuam hanc, ut oſtenſum eſt, primo adeo expreſſim petiiſſent excommunicationem haeretici illi priſci *Adamitae* dicti, nulla fuiſſet inde excommunicationis aut uſus aut proportionis in veteri chriſtianiſmo deductio. Nec cum ratione omnino agere videntur qui in chriſtianiſmo recentiori ſuam inde velint deductam. Haud ita abſimilis illius quod de Caino affertur conſideratio eſt ineunda. Quid enim ibi praeter exſilium & ſoli mutationem maledictioni conjunctam? Joſephus[g], κ̀ τ̃ γῆς ἐκείνης αὐτὸν ἐκβάλλει ζὺν τῇ γυναικὶ, *Et ex regione illa extorrem una cum uxore fecit*, ſeu exſilio plane mulctavit. Neque acceſſit omnino aut ſacerdotii ejus aut ſacramentorum uſus interdictio ſimplex. Sed tantum in loco illo quo ante ei cum Ada & Abele & qui fuere tunc reliquis uti licuit. Mons ſanctus is vulgo ſcriptoribus dicitur, id eſt, locus in quo Adam & proles reliqua ſe erga Deum pie gerentes manſerunt, dum Cainus, ejuſque parenti ſimilis plerumque poſteritas, poſt ſententiam poenae illius ſic a numine irrogatae, exſulabat vagabaturque. Aben Ezra ad Geneſis locum illum, ויצטרך ללכת אל ארץ רחוקה ממקום אדם אביו שהוא קרוב אל הגן *Et coactus eſt abire in regionem longe diſſitam a loco Adae patris ſui, qui paradiſo vicinus erat.* Nec vero tanquam excommunicati (aliter atque exſules plane omnes ſic ſenſu laxiori dici poſſunt) inde habiti ſunt Cain & poſteri ejus (ut volunt hic nonnulli, qui binarum invicem diſtinctarum hominum ex Sethianis & Cainitis civitatum initium ex Auguſtino[h] hanc in rem hinc ſumunt) apud Sethianos ipſos, ſaltem eorum illos qui ſub *filiorum Dei* nomine (ut vulgo accipitur) e monte illo ſancto in Cainitarum convalles deſcendiſſe memorantur[i], ut uxores ſibi caperent ex filiabus hominum, ſeu poſteritatis illius Cainiticae. Neque enim ſibi interdictas illas, aut parentum fratrumve earum conſortium neceſſario vitandum exiſtimabant. Aliud eſt per exſilium habitationis priſtinae libertate ac uſu privari; aliud, commercii & ſocietatis hominum priſtinae in loco in quem quis exſulat libertate ac uſu, ut in excommunicatione, interdici. Exſulibus ibi manet libertas poſterior haec, licet altera ſeu prior fuerit adempta, quae nec excommunicationis propriae dictae pars eſt. Tantum abeſt ut in Caini exſilio hoc excommunicatio proprie dicta ejuſve ſimilitudo aut proportio reperiatur! Quid quod creditum eſt orientalibus, teſte Eutychio patriarcha Alexandrino MS. non ita obfuiſſe per vitae Adae ſpatium (vixit is 930 annos) exſilium illud quin, utcunque poena illa Caino & ſuis localis eſſet, commercium nihilominus & ſocietas inter eum ac ſuos reliquoſque Adae poſteros in locis ubi exſulabat, libere ac legitime haberetur? Diſerte enim ille primam Cainitarum & Sethianorum diſterminationem collocat ſtatim poſt Adae mortem. Verba ſunt,

ومن بعد موت ادم افترقت قبيلة شيث من
قبيلة قاين اللعين واخذ شيث ابنه انوش
بكره وقينان ابن انوش

Et poſt mortem Adae diſterminata eſt ſeu *diviſa familia Sethianorum a familia Cainitarum, & cepit Seth filium ſuum primogenitum Enoſh*, & Cainan filium Enoſh, & Mahaliel filium Cainan, & uxores eorum, prolemque,

واصعدهم الى الجبل الى العلية حيث دفن
ادم فاما قاين وكل اولاده فبقوا اسفل في
البقعة حيث قتل هابيل وكانوا بنو شيث
في ذلك الجبل على الطهارة والقدس
وكانوا يسمعوا اصوات الملايكه لانهم كانوا
بالقرب منهم وكانوا يمجدون ويهللون مع
الملايكه وسميوا ابنا الله هم ونساهم وابناهم

& aſcendere eos fecit in cacumen montis ubi ſepultus eſt Adam, Caino interim & prole ejus in convallibus, id eſt, in campo, ubi occiſus eſt Abel, remanente. Studebat autem Sethi proles ſanctitati & puritati, atque obedientes erant mandatis angelorum, quos ſibi vicinos habuere. Et cantibus & laudibus cum angelis utebantur; & dicti ſunt filii ſeu proles Dei, tam ipſi quam uxores ac progenies ipſorum. Collocat autem ille caedem Abelis in anno trecenteſimo Enoſhi. Natus eſt Enoſhus anno mundi adeoque Adae

[d] De Jure Nat. & Gent. lib. 3. cap. 11. [e] Lib. 2. cap. 11. [f] Fol. 6. b. [g] Lib. 1. cap. 3. [h] De Civitate Dei, lib. 15. cap. 1. [i] Geneſ. vi. 2.

235. [k] Annus igitur ſic mundi 535 ſeu Adae aſſignandus caedi illi. Atque ita juxta receptam illam in oriente ſententiam de commercio Cainitarum & Sethianorum, utcunque locis per Caini exſilium invicem diſſitorum, dum vixit Adam, ſequitur, commercium mutuum illud, nec omnino ut excommunicatione impeditum, per annos 395 duraſſe. Anni nempe illi 535 & hi 395 annos complent vitae Adae; poſt cujus mortem, non ex ſententia divina exſilii, coepiſſe commercii illius interdictionem ait, velut ex ſententiis apud ſuos receptis, Eutychius. Atqui etiam is ex tradita orientalium diſciplina adjicit anathematis cujuſdam uſum apud Sethum poſteroſque ejus in monte illo ſancto, quo adjurati ſeu dirarum (ut in juramentis) nexu obligati ſunt ne e monte illo in convalles Cainitarum deſcenderent. De Setho ait,

ولما قرب موت شيت استحلف اولاده بدم
هبيل ان لا ينزل احد منهم من هذا الجبل
المقدس ولا يتركون احد من اولادهم
ينزل الي اولاد قـاين الاـــــعــــين

Appropinquante obitu Sethi, adjuravit ille poſteros ſuos per ſanguinem Abelis (quod ſolenne fuiſſe ait Eutychius Sethianorum jusjurandum, uti & alibi oſtendimus) *ne deſcenderet ex eorum quiſquam e monte ſancto, nec quenquam ex poſteris ſuis deſcendere permitterent ipſi ad poſteros Caini maledicti.* Cainanum item moriturum, accerſito Mahaliele filio, & Mahalielem moriturum, accerſito Jaredo filio, totidem verbis & anathemate ſimili eos adjuraſſe ſcribit idem autor. Poſtmodum autem ait, centum ex Sethianis, quos pariter cum aliis ſic adjuraſſet Jaredus, Cainiticae prolis vitae ac morum (de quibus audierant) utcunque improbiſſimorum amore ductos e monte deſcendiſſe, alioſque etiam dein ſecutos; de quibus, in orientalium aliorum [l] traditionibus, itidem legitur, eos in monte Hermon [m] (cujus mentio in veteri foedere non infrequens, nomine חרמון) juramento ſolenniter adhibito conveniſſe, invicemque ſe obligaſſe ad uxores ſibi capiendas ex progenie Cainitica; etiam & monti nomen illud inde inditum quod *ὤμοσαν καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους ἐν αὐτῷ, in eo conjuraſſent, ſeque diris* ſeu *anathematiſmis* (qui חרמים dicti, ſeu *Hermin) obſtrinxiſſent.* Atque ita quidem (ſi hiſce ſcilicet fides) per hujus quod tractatur hic intervalli ſecula vetuſtiſſima habebatur anathematis cujuſdam uſus; Quemadmodum item traditur de Noachi adjuratione [n] qua filios ſuos in orbis terrarum diſtributione obſtrinxit, neminem illorum fratris ſortem invaſurum; *τὸν δὲ ὑπερβαίνοντα τὴν τοῦ ὅρκου διαταγὴν, ἐξολοθρευθέντας ἐν τῷ ὅρκῳ καὶ πᾶν τὸ σπέρμα αὐτοῦ, Eum vero qui jusjurandum hoc violaret tota cum ſtirpe ſua miſerrime periturum.* Sed vero neque in Caini exſilio, rationibus jam dictis, nec in maledictione ejus, nec in anathematiſmis illis (licet fidem mererentur ipſi) excommunicationis ſimilitudo reperitur. Nec ſane in anathematiſmis illis Sethianorum (modo daretur eos non fuiſſe fictos) aliud omnino quam juramenti vis ſimplex dirarum in violantem ultionem imprecans; quae ſatis ab excommunicatione, in qua ſeparatio perſonalis & ſacrorum interdictio ſolennis, diverſa. Se quidem non communicaturos cum Cainitis (in quantum ſaltem in monte illo perpetua habitatio communionem illam impedire poſſet) profeſſi ſunt, nec interim aut in alios aut in ſeipſos ſive ſeparationis ſive ſacrorum interdictionis ſententiam aliquam vel pronunciantes vel innuentes. Quod ſimiliter plane dicendum de fabula illa impia (ut recte vocatur a doctiſſimo Buxtorfio filio [o]) quae affertur ex Rabbi Eliaezere de anathemate patriarcharum circa Joſephum fratrem. Nihil enim ibi habetur (tametſi pro vera hiſtoria acciperetur) praeter dirarum, ultionis divinae, & deſtructionis, ſecundum τοῦ חרם *Cherem* in Joſua alibique in vetuſtioribus prophetis ſignificatum, imprecationem; quod & ſatis teſtatur ibi Rabbi Aquiba; quem, ſi vis, conſule. Neque enim in eo τοῦ *Cherem* ſignificatu excommunicationis aut ſpecies aliqua aut gradus, ut ſupra oſtenſum. Et temere nimis vir ſane doctiſſimus ille & illuſtris illud Eliezaeris adduxit velut argumentum ad tantam excommunicationis uſus vetuſtatem ejuſque juris quaſi divini aut etiam naturalis vim adſtruendam. Nec demum revera in exemplorum ante allatorum ullo figura aliqua aut proportio excommunicationis occurrere videtur. Quantum vero ad illud de poena, hoc in intervallo, *Cerith*, pro qua *excommunicatio* a nonnullis ſubſtituitur; id perperam nimis factum, Ebraeorumque ſcholae (quorum vox eſt) univerſae eſſe adverſiſſimum, fuſe ſatis oſtenditur capite ſexto; uti etiam aliam omnino ab excommunicatione poenam illam fuiſſe, & divinitus tantum non ex ſententia aliqua conſiſtoriana aliave humana irrogandam. Ideoque hic ea de re plura dicere nimis foret ſupervacaneum. Et de conſideratione hic priore hactenus. Conſideratio hic altera eſt, num, ſi modo concederetur excommunicationis proprie undiquaque dictae uſum & exempla in jam memoratis reperiri, omnino ſequeretur inde debere quempiam aut poſſe cum ratione elicere jus neceſſario imitandum, aut praeceptum ſeu inſtitutum aliquod velut divinum aut naturale, quod poſteritatem ejuſve ordinem aliquem ſingularem ad ſimilem facinoroſis quibuſcunque poenam irrogandam, alioſve ad eam ex regiminis forenſis formulae alicujus poteſtate ſubeundam obliget. Cum enim actus in ante memoratis univerſi fuerint aut divini aut humani, omneque jus revera tribuendum ſit in id quod aut divinum eſt (cujus ſpecies eſt jus naturale, ut alibi fuſius [p] oſtendimus) aut humanum; ſicut nemo, puto, non fatebitur, actus illos ſingulares humanos nihil omnino, qualiſcunque accederet conſenſus, facere poſſe ad rem de qua quaeritur; ita ſane nec actuum divinorum hic ullus (utpote in quorum nullo praeceptum humano generi datum ullum, aut inſtituti neceſſario ſequendi umbra reperta, ſed tantum divini in ſingularibus aliquot arbitrii exempla & placita) juris divini quod praeceptivum eſt (nam de eo tantum hic loquendum) vim ullatenus aliquam aut comprobat aut ad comprobandum tendit. Etenim quid ſi revera in exemplis primorum parentum, uti & Caini, ipſiſſima ex-

[c] Gen. v. 3, & 6.
[l] Apud Cedrenum pag 8.
[m] Joſua xi. 3, &c.
[n] Epiphanius in Ancorato §. 116.
[o] Lexic. Talmudic. col. 828.
[p] Lib. 1. de Jure Nat. & Gent.

commu-

communicatio, quatenus forenſis nunc habetur, undiquaque comperta eſſet velut a numine ſanctiſſimo tunc pariter in illos, ut ab aliis nunc ſimilis in alios poena, irrogata? Ideone omnino ſequeretur, in generis humani cultum divinum rite amplexantis regimine eam ſimiliter uſurpari debere? Hoc ex praecepto pendet, non ex ſingulari aliquo exemplo aut actibus ſingularibus praecepto ac inſtituto plane carentibus. Certe nec in Lamechum e Caini poſteris, homicidii pariter reum, ejuſmodi poenae ſententia aliqua a numine aliove pronunciata eſt. Et perpendat hic aequus rerum aeſtimator, utrum non ita diſſimili ratiocinatione probare quis poſſet, ſubmerſionis poenam ob graviora facinora ideo a poſteritate irrogari debere quoniam Deus O.M. diluvio[q] facinoroſiſſimos illius ſeculi punivit. Sane ſi ab exemplo jus praeceptivum petendum ſit, rationabilius videtur ab exemplo adeo univerſali quam ab ita contractiorum illorum quae afferri ſolent aliquo, argumentari. Sed futile nimis eſt ab alterutro rationem huc ejuſmodi aliquam deducere, nec majoris quidem momenti quam ſi quis Sodomitas pariliſque ſceleris reos ex ſententia aliqua hominum conſiſtoriana, jure divino, excaecandos eſſe, aut igne ac ſulphure puniendos aſſereret, quoniam ſic a numine olim [r] puniti illi. Et ſuppar ſane fuiſſet ratiocinatio ſi quis in paganiſmo veteri ex Siſyphi ſaxo, Ixionis rota, Danaidum dolio pertuſo, id genus aliis apud inferos poenis, aut ex fulmine quo exuſtus eſt Lycaon, aut ex ſerpentibus a quibus occiſi ſunt Laocoon filiique ejus, ſeu ejuſmodi in theologia, de poenis a diis ipſis irrogatis, paganica aliis receptis, ſimiles poenas in forenſi uſu ab hominibus, ex jure ſuo divino, adhibendas contendiſſet. Habetur quidem in illo de incircumciſi poena, *Cerith* ſeu *exſciſſione*, primo in foedere veteri memorato, praeceptum plenarie traditum, quod latius ac diffuſius ſe multo extendit quam exemplum aliquod aut actus ſingularis. Atqui, ſi modo daretur excommunicationem juxta vulgarem ſenſum ibi innui (quod omnino negant Talmudiſtae & Rabbini, uti etiam Karaitae, qui de eo loquuntur; utcunque verſionum aliquot autores contrarium ſuggeri perperam velint) quidnam inde ad alia praeter circumciſionis omiſſionem, quantum ad praecepti vim, cum ratione trahi poſſet? Perpendant ipſi qui ſic hanc in rem inde argumentandum velint, utrum ſimili omnino ratione quis probare non queat, ex eis quae hoc in intervallo, ſeu ante legis in Sinai dationem, occurrunt (nam de eis tantum hic loquimur) non ſolum poenam mortis facinoribus univerſis infligendam, ſed etiam poenae illius ſpeciem neceſſario eſſe debere per lapidationem ſeu projectionem ſingularem illam de qua fuſius agitur ſupra capite quinto. Haec enim poena non unico alicui, ſed omnibus qui aſcenderent in montem, aut fines ejus tangerent, tempore legis dationem proxime antevertente praeſcripta eſt[s]. Accedat hiſce, nullum omnino perſonarum per hoc intervallum diſcrimen repertum ejuſmodi ut poenarum jam dictarum (in quibus nunc excommunicationem ipſam, nunc adumbrationes ac imagines ejuſdem, haberi volunt qui pro jure divino hic aſſerendo adeo contendunt) alicujus irrogatio ad ſingularem aliquem hominum ordinem, veluti ſacerdotalem, ſacrum aut eccleſiaſticum aliquem, prae aliis, omnino attineret; quod tamen de excommunicatione chriſtiana hinc qualitercunque deducta ab eiſdem nullatenus admittitur. Sed de hiſce hactenus.

CAP. XII.

Praecipuorum aliquot ex eis quae capite ſeptimo de excommunicatione Judaica dicta ſunt recenſio breviuſcula, non ſine obſervationibus nonnullis congeneribus adjectis. Inde (juxta methodum ibi propoſitam) ſummatim oſtenditur, eccleſiae ſeu ſynagogae totius Judaicae judicium ſemper fuiſſe, inſtituto aliquo divino nec ſub lege, nec ante ejuſdem in Sinai dationem, excommunicationis jus aut uſum fundari. Confeſſionis ſolennis & annuae ac precum ad remiſſionem a numine impetrandam ſpecimen, ex Judaeorum ritualibus tum editis tum MS. perinſigne, in quo, poenis quae ex lege ſacra ſeu jure aliquo divino inſtituuntur, enumeratis, inter eas locum nunquam habuit excommunicatio ullum. Excommunicati apud eos nomine interdicebatur ſacrorum publicorum uſu nemo; licet apoſtatae ex legis ſacrae ſenſu, non excommunicationis alicujus forenſis vi, Paſchate arcerentur. De confeſſionis & poenitentiae coram hominum aliquo ordine ſpectaculis (quae in effectibus excommunicationis) Mahumedanae theologiae ſcita.

DIſpoſitis ita per anteriora ac perpenſis argumentis illis qualibuſcunque quae ſive ex intervallo hoc, ſeu ſeculis legis in Sinai dationem antevertentibus, ſive aliunde afferri ſolent ad jus excommunicationis forenſis ſeu conſiſtorianae divinum aſſerendum adſtruendumque, idque quaſi ab ipſo rerum conditu, adeoque juris hujus intervalli ſenſu, ita ſe res habuiſſet; reſtat demum ut, juxta inſtitutum ſub initium capitis ſeptimi indicatum, de exiſtimatione & judicio quod hanc circa rem tum in ſynagoga Judaica tum in eccleſiis chriſtianis per ſuperiora ſecula maxime ſimul & publice obtinuit (quicquid ſcriptores chriſtiani aliquot in adverſum ſaepius congeſſerint) ſummatim, ſed & accuratius interim, diſpiciamus. Id quidem intenſius ea quae ante fuſius traduntur legenti elicere forſan non eſt difficile. Sed operae pretium viſum eſt ut ex praecipuorum aliquot eorum quae ante hac de re dicta ſunt compendioſa recenſione recognitioneque exhibita, res facilior & ſtudioſo cuique apertior reddatur, non aliter ferme atque imago in

[q] Gen. vi. & vii. [r] Gene. xix. 11, & 24. [s] Exod. xix. 12.

tabula

4

tabula interdum fusius projecta difformiterque sparsa in speculo cylindroeide idve genus alio contractior & manifestior oculo, sibique inde ex primo intuitu similior, solet ostendi. Etiam recensioni recognitionique illi accedent subinde congeneres aliquot jam dictis observationes aliae, e quibus universis, puto, satis constabit, tam ex Judaeorum scitis quam christianorum disciplina, quae maxime simul & publice ac plerumque olim recepta est, hodieque etiam recipitur, nec jus ejusdem divinum quod praeceptivum fuerit (nam de eo tantum quaeritur) nec ejusmodi institutum illius aliquod agnosci, nedum petendum esse ex intervallo hoc, quasi in effectibus judiciorum ejusdem forensium locum, ex jure sive divino sive naturali, ea habuisset ullum; tametsi interim tam apud Judaeos quam christianos, sed perquam diversimode, in usu eam inter poenas alias fuisse, eoque antiquissimo, sit omnino manifestum. Quod ad synagogae Judaicae ac scholae tam Karaiticae quam Talmudicae hic judicium attinet, manifestum est ex eis quae capite ostenduntur septimo, scholam utramque Ebraeorum illam, aliis interea in rebus non parum invicem diffidentem, initium usus excommunicationis suae captivitatum & locorum, in quibus sui juris satis non essent, moribus pro arbitrio humano superinductis tribuere, nec ab instituto aliquo divino deducere; quanquam, juxta morem in aliis suum, ex Josua notissimum illud de Merozo exsecrando velut exemplum singulare, quo, quatenus tale est, subnitantur, afferant. Inde enim utcunque diras suas & separationes, e quibus consistit excommunicatio, satis esse legitimas eliciunt, nihil omnino aut aliunde de instituto ejusdem divino adjicientes. Atque ex illis necessario sequitur, synagogam Judaicam poenae hujus jus neque ex legis Mosaicae capite aliquo manasse, neque vel ex praeceptivo aliquo jure vel exemplo ante legis in Sinai dationem, seu per intervallum quod primario hic tractatur, habito pependisse. Quid quod dum juris, quod per intervallum illud universim obtinuisse ex intima antiquitate edocti Ebraei volunt, capita notissima, idque tam ut naturalia quam divina, enumerant, nihil omnino in illis fuisse admittunt quod excommunicationem ullatenus innuere queat, aliter atque sub capitis de דינים seu *judiciis* nomine generali concipi quidem ea possit, quemadmodum poenae forenses omnigenae aliae pro arbitrio humano adinventae sub eo nomine possunt concipi, aut illuc pariter referri? Capita illa septem dico quae *Noachidarum*, aut *generis humani universi*, ab eis nuncupantur; de quibus capite primo. Sed vero neque excommunicationis postea receptae usum, nec juris ejusdem aliquid, in capite illo de judiciis, qua praeceptivi nomine per intervallum illud aut postea viguit, nedum in capite aliquo jam dicti juris alio, aut in usu hujus intervalli, repertum esse omnino agnoscunt. De jure res apertissima est ex eis quae de poenis intervalli ejusdem supra adducuntur. Et de usu tunc temporis nihil magis revera occurrit, nisi in nugis illis nugacissimis de *Niddui* Adae, seu ejusdem ab Eva separatione, & de fratrum Josephi anathematis in se invicem pronunciatione, capite proxime superiori memoratis, seu id genus aliis; usum aliquem innui velis. Et sane tametsi fabulae illae pro veris admitterentur, parum aut non omnino facerent ad forensem excommunicationis usum ullatenus adstruendum, utpote quibus nec similitudinis satis nec cognationis inest. Qualiscunque autem in eis aliisve per id tempus usus ejusmodi concipiatur, id interim certissimum est, praeceptum aut institutum aliquod, quo ad poenam hanc necessario sive exercendam seu irrogandam, sive subeundam seu obtemperandam quis tunc obligaretur, in Ebraeorum scitis & disciplina nullatenus admitti, adeoque ex sententia synagogae totius Judaicae, seu selectissimi olim populi Dei, receptissima, atque in posteros transmissa, per annos a mundi conditu 2460 aut circiter, (numerus enim ille eis proximat qui effluxere a rerum initiis usque ad legis in Sinai dationem) divinum hic de excommunicatione institutum haberi plane nullum. Tantundem pariter undiquaque dicendum de tempore quod inde sub lege secutum est. Aliquo enim legis Mosaicae capite fundari excommunicationem suam ne somniavit quidem synagoga illa seu ecclesia Judaica; sed ab ipsa inventam esse, planissime in eis quae superius diximus semper professa est; veluti in origine ejus ex captivitatis temporibus ab ipsis deducta, in legitima facinorosorum ac manifesto delinquentium ad sacra admissione, in singulari ejusdem circa singularia tantum aliquot, tam ex singulorum, quam ex jurisdictione forensi, usu, idque genus reliquis velut e דברי סופרים seu *scitis scribarum*, ut loqui amant, non ex instituto divino aliquo petitis; quae ibi fusius memorantur. Atque illis accedat hic, quod in eandem rem observatu non indignum, ubi in ritualibus Judaeorum ex avita disciplina publice usurpatis preces solennius pridie diei expiationum seu *reconciliationis*, quem *Jom Hacippurim* vocitant, funduntur, ut a numine sanctissimo peccatorum omnimodorum, juxta sacram ea de re apud Mosem[a] institutionem, remissionem impetrent, peccatorum ac facinorum universorum, quae ex legis interdictis pendent, species ita ordine continuo simul in ipsis precibus enumerari, ut demum, per poenarum ex instituto divino praescriptarum omnium diversitatem etiam omnia compendiose designentur. In designatione autem illa, quam plane poenas universas in lege repertas, seu ea velut ut instituto divino fundatas, innui ac contineri volunt, non omnino excommunicationis speciem aut gradum aliquem memorant; quod proculdubio fecissent si ex instituto ejusmodi aliquo ipsam, ut poenas caeteras, manasse aut ortum habuisse existimassent. Nam etiam ob peccata in legem aliqua excommunicatio, licet non ex legis instituto, irrogari apud illos solita. Habetur quod diximus in ritualibus Judaeorum Hispaniensium[b], Germaniensium[c], aliorum typis editis; sed non semper eisdem verbis, aut ordine eodem ipso. Et penes me est codex ritualis MS. pervetustus & pulcherrimus (quem suspicor Judaeorum fuisse hic Angliensium, dum seculis in superioribus eis permissus est in Anglia incolatus) in quo designatio illa occurrit, sed aliquantulo subinde ab eis quae in aliis illis leguntur, licet non quantum ad rem

[a] Levit. xxiii. &c. [b] ערבית ליל כפור fol. 115. edit. Venet. ann. 358. לפ'ק & fol. 238. ibi ann. 238. [c] Machzor, part 2. מעריב ליל כפור fol. 147. a.

ipsam de qua loquimur, discrepans. Inde igitur transcribere eam visum est, tam ut cum eis quae in aliis illis habentur curiosioribus comparetur, quam ut tum confessionis tum remissionis petendae formulae, juxta veterem Judaeorum disciplinam, pars tam insignis ita obiter exhibeatur; quae sane specimen forte fuerit peregregium & prae aliis advertendum *βαττολογίας* illius & *πολυλογίας* [d] in precibus, tum Judaeorum tum paganorum veterum, quae adeo improbata a Domino est in evangelio [e]. Et utinam apud christianos, tam reformatos quam alios, non ita dissimiles formulae interdum, tam in precibus ex tempore fundiitari solitis quam in ritualibus, usurparentur, dum etiam simpliciorem vereque divinam & a superstitione alienam precandi formulam a Domino praescriptam nimium praetermittunt. Simul autem in MS. meo praeviae, ut in aliis illis editis, habentur quamplurimae confessiones generales, benedictiones, humillimae remissionis invocationes, id genus alia, sensu eodem saepissime, quasi ad surdum, aut non satis intelligentem loquerentur, repetita. Et demum sequitur,

יהי רצון מלפניך י"י אלהינו ואלהי אבותינו שתמחול לנו על כל עונותינו ותסלח לנו על כל פשעינו ותכפר לנו על כל חטאתינו: *Placeat tibi, o Domine Deus noster & Deus patrum nostrorum, ut condones nobis iniquitates nostras omnes, & remittas nobis universas praevaricationes nostras, & expies nos ab omnibus peccatis nostris.* Hisce statim subjungitur designatio illa quam diximus, in hunc modum & figuram,

על חט' שחטנו לפניך באונס
ועל חט' שחטנו לפניך ברצון
על חט' שחטאנו לפניך בבלי דעת
ועל חט' שחטא' לפניך בגלוי עריות
על חט' שחטאנו לפניך בגלוי
ועל חט' שחטאנו לפניך בדעת ובמרמה
על חט' שחטאנו לפניך בדבור פה
ועל חט' שחטאנו לפניך בהרהור הלב
על חט' שחטאנו לפניך בועידת זנות
ועל חט' שחטאנו לפניך בזדון
על חט' שחטאנו לפניך בחלול השם
ועל חט' שחטאנו לפניך בחוזק יד
על חט' שחטאנו לפניך בטומאת פה
ועל חט' שחטאנו לפניך בטומאת שפתים
על חט' שחטאנו לפניך ביצר הרע
ועל חט' שחטאנו לפניך ביודעים
ועל חט' שחטאנו לפניך בלא יודעים
ועל כולם אלוהי סליחות סלח לנו מחול לנו כפר לנו:

על חט' שחטאנו לפניך בכפת שוחד
ועל חט' שחטאנו לפניך בכחש ובכזב
על חט' שחטאנו לפניך בלשון הרע
ועל חט' שחטאנו לפניך בלצון
על חט' שחטאנו לפניך במשא ובמתן
ועל חט' שחטאנו לפניך במראית העין
על חט' שחטאנו לפניך בנשך ובמרבית
ועל חט' שחטאנו לפניך בנטיית גרון
על חט' שחטאנו לפניך בשיח שפתותינו
ועל חט' שחטאנו לפניך בשיקור עין
על חט' שחטאנו לפניך בעינים רמות
ועל חט' שחטאנו לפניך בעזות מצח
על חט' שחטאנו לפניך בפריקת עול
ועל חט' שחטאנו לפניך בצדיות רע
על חט' שחטאנו לפניך בקלות ראש
ועל חט' שחטאנו לפניך בקפיצת יד
על חט' שחטא' לפניך בריצת רגלים להרע
ועל חט' שחטא' לפניך ברשע
על חט' שחטא' לפניך בשגגה
ועל חט' שחטא' לפניך בשנאת חנם
על חט' שחטא' לפניך בתמהון לבב
ועל חט' שחטא' לפניך בתשומת יד
ועל כולם אלוהי סליחות סלח לנו מחול לנו כפר לנו:

על חטאים שאנו חייבין עליהם אשם
על חטא' שא' חייב' עליה' חטאת
על חטא' שא' חייב' עליה' קרבן עולה
ועל חטא' שא' חייב' עליה' קרבן עולה ויורד
על חטא' שא' חייב' עליה' כרת
על חטא' שא' חייב' עליה' מיתת בידי שמים
על חטא' שא' חייב' עליה' מלקות ארבעים
על חטא' שא' חייב' עליה' מכת מרדות
ועל כולם סלח לנו מחול לנו כפר לנו
על חטא' שא' חייב' עליה' ארבע מיתות בית דין סקילה שריפה הרג וחנק על מצות עשה ועל מצות לא תעשה וגו':

Id est,

Peccata quae in te commisimus per vim coacti, & peccata quae in te commisimus sponte, (ubi per ברצון linea traducta, adjicitur in ora codicis, manu perantiqua, באמוץ הלב *corde* seu *animo obfirmato*, quod inter edita etiam legitur) *peccata quae commisimus in te ex ignorantia, & peccata quae commisimus in te per revelationem turpitudinum, peccata quae commisimus in te aperte,* (adjici solet ובסתר *& secreto*) *& peccata quae commisimus in te scienter & fraudulenter, peccata quae commisimus in te per loquelam oris, & peccata quae commisimus in te per cogitationes cordis, peccata quae commisimus in te per congressus lascivos, & peccata quae commisimus in te praesumptuose,* (adjicitur manu alia, sed perantiqua, בשגגה *ex errore*) *peccata quae commisimus in te per profanationem nominis tui, & peccata quae commisimus in te manu forti, peccata quae commisimus in te ex stultitia oris, & peccata quae commisimus in te ex immunditie labiorum, peccata quae commisimus in te ex cogitationibus malis, & peccata quae commisimus in te scientibus aliis, & peccata quae inscientibus aliis commisimus in te,*

Et omnia haec Deus remissionum remitte nobis, condona nobis, expia nobis.

Peccata quae in te commisimus per acceptionem munerum, & peccata quae in te commisimus per fallacias & mendacia, peccata quae in te commisimus lingua mala, & peccata quae commisimus in te deridendo ac ludificando, peccata quae commisimus in te negotia inter nos transigendo, & peccata quae in te commisimus ex oculi visu, peccata quae in te commisimus per extorsionem & usuram, & peccata quae in te commisimus ex inclinatione gutturis, peccata quae commisimus in te ex meditatione etiam in labiis nostris, & peccata quae in te commisimus ex oculo fucato, peccata quae in te commisimus per oculos nimis elatos, & peccata quae in te commisimus fronte obdurata, peccata quae commisimus in te per jugi rejectionem, (juxta adjicitur alia manu עח"ש בפלילות *peccata quae commisimus in te in judiciis,* quod & codices editi, ut pleraque hic alia, habent) *& peccata quae commisimus in te ex industria*

[d] Vide sis Is. Casaubon. Exercit. in Baronium 14. §. 8. & Ludovic. Capell. Vindiciarum, lib 2. cap. 11. [e] Matth. vi 7

dustria mala, (adjicitur ובצדיות עין & *ex oculi industria*, quod item in editis) *peccata quae in te commisimus ex levitate* seu *elatione capitis*, & *peccata quae in te commisimus manum occludendo*, (adjicitur בקשיות עורף *per duritiem cervicis*, ut etiam in editis) *peccata quae commisimus in te per pedum cursum in malum*, (adjicitur alia manu על חטא' שחטאנו ברכילות *Peccata quae commisimus in te mercaturam exercendo*) & *peccata quae commisimus in te per improbitatem*, (ubi linea per ברשע traducitur) *peccata quae commisimus in te ex errore*, (ubi linea item per בשגגה traducta substituitur בשבועת שוא *per juramentum vanum*, ut in editis) & *peccata quae commisimus in te cum odio aliquem immerito habuerimus*, *peccata quae commisimus in te ex stupore cordis*, & *peccata quae commisimus in te per positionem manus* [f], (quae de commercio aut societate per manuum conjunctionem iniri soliti sumitur; Judaei Hispanienses *en deposito de mano* reddunt)

Et omnia haec, Deus remissionum, remitte nobis, condona nobis, expia nobis.

Peccata quorum nomine debemus nos hostiam pro reatu, *peccata quorum nomine oblationem debemus nos pro peccato*, *peccata quorum nomine debemus nos oblationem holocausti*, *peccata quorum nomine debemus nos oblationem holocausti & quae citra holocaustum est*, *peccata quorum nomine debetur nobis poena* Cerith seu *exscissionis*, *peccata quorum nomine debetur nobis poena per manus Dei* seu *divinitus*, *peccata quorum nomine debentur nobis poena* [g] *quadraginta plagarum*, *peccata quorum nomine debentur nobis plagae ob contumaciam*,

Et universa haec remitte nobis, condona nobis, expia nobis.

Sed linea per petitionem hanc in MS. traducitur. *Peccata quorum nomine debentur nobis ultimi supplicii forensis genera illa quatuor*, *lapidatio*, *occisio* per gladium, *combustio*, *strangulatio*; *sive praecepta in quae commissa sunt affirmativa fuerint* seu *imperativa*, sive *negativa* seu *prohibitoria*, &c.

Idem alias totidem verbis in rituali ad festum illud attinente saepius itidem recitatur [h], cum versiculis ☞ חזן *episcopi* seu *synagogae inspectoris* & populi seu קהל *synagogae* responsionibus multiplicibus & πολυλογίᾳ referrissimis, uti etiam in editis. Sed iterata sic in MS. meo varias lectiones illas seu emendationes neutiquam habent. Jam vero generatim hic, singulatim, variatim, ut vides, peccata omnimoda, quatenus ex praecepto seu interdictione divina pendent, confitentes, remissionem eorum more solenni petunt. Dein descendunt ad summariam etiam ipsorum designationem per poenarum enumerationem, quarum aliae in sacrificiis expiatoriis, aliae in iis quae divinitus irrogandae (ut כרית seu *exscissio*, & quae reliquae ad numinis placitum בידי שמים *per manus Dei* infligendae ad humanam jurisdictionem aliquam neutiquam omnino attinent) aliae demum in ultimi supplicii & plagarum ex lege praescriptarum generibus variis consistunt. Atqui in hisce toties in festi illius ritibus memoratis, atque numini sic exhibitis, ne γρῦ quidem de excommunicatione, uti nec de poenis aliis, in poenitentiae plenitudinem, ex scitis apud eos humanis saepius & variatim, juxta disciplinam etiam apud ipsos confoederatam, irrogari & subiri solitis; de quibus consule, si vis, Joannem Buxtorfium patrem [i]. Altum de poenis ejusmodi, utcunque ex instituto apud illos humano tantum in usu essent, silentium. Ad numen ita funduntur haec omnia ut de iis duntaxat quae ex ejusdem mandato observanda subeundaque fuerint in πολυλογίᾳ illa verba fiant. Anne dubitandum videtur, quin, si excommunicationem suam ex mandato aut instituto ejusmodi aliquo pependisse existimassent ritualis conditores, seu synagoga aut ecclesia illa (nam synagogae totius vicem gessisse conditores illos sentiendum) etiam adjici voluissent, על דש"חע נידוי *peccata ob quae puniri debemus per Niddui*, & על חש"חע חרם *peccata ob quae puniri debemus per Cherem*, id est, per excommunicationis ante fusius ostensas species seu gradus? Ipsa autem ac species illae seu gradus consulto adeoque merito praetermittuntur, veluti ad ea quae lege sacra fundarentur nullatenus, qua praeceptum aut institutum divinum consideratur, spectantes; tametsi interea ob peccata aliqua ante enumerata, ex moribus suis sibi pro arbitrio superinductis nec divinitus praescriptis, reos excommunicare specie utraque seu utroque gradu solerent, ut supra ostensum est. Observationi huic ex rituali illo consoni sunt omnino Talmudici passim, ubi sive de excommunicatione sua agunt, sive de poenis forensibus divinitus praescriptis. Has, non ut illam omnino habentes secum commistam aut veluti naturae congeneris, enumerant, nec ullatenus sive ante legem Mosaicam sive post, a numine seu ex instituti alicujus divini vi praestitutam illam esse agnoscunt. Quisquis titulos Talmudicos *Sanhedrin* & *Maccoth*, atque Rabbinos illos qui inde jurisdictionem forensem commentariis suis una cum excommunicatione (sed diversimode) explicant, ut Maimonidem, Mikotzium, Jacob Ben Asher, consuluerit locis superius indicatis, assensum hic, puto, facile praebuerit. Monent quidem magistri aliquot ut quisque confessionem & poenitentiam initurus יפשפש *scrutetur* se, inter alia, אם עבר על א' מכ"ד דברים שמנדין עליהם שכתב הרמ"בם בה' ת"ת: *An reus fuerit culpae alicujus* viginti quatuor illarum *ob quas excommunicandus quis esset secundum ea quae scripsit Rabbi Moses Ben Maimon in tractatu de disciplina legis tradenda discendaque.* Sic legitur in ☞ *Sepher Reshith Chochma* [k] compendio, ubi enumerantur ex Maimonide 24 illae culpae seu causae de quibus ante alibique nos. Et causae illae, qua culpae sunt, ex jure quidem pendent divino, licet non itidem poena excommunicationis. Adjicitur insuper in libro illo, angelos esse quatuor ad templum quoddam coeleste attinentes שהם מנדים למנטפים פיהם *qui excommunicant eos etiam qui os suum* mendaciis, fallaciis, calumniis, verbis obscoenis, garrulitate *inquinent*. Et לכן inquit autor צריך לפשפש במעשיו אם חטא' בא' מהדברים *ideo* seu *multo magis oportet hominem tunc scrutari se an*

[f] Levit. vi. 2. seu (ut in codd. aliquot) v. 21. [g] Deuter. xxv. 3. [h] Machzor Germ. part. 2. fol. 152. b. & 1[illegible]6, 20[illegible], 225, 232, 247. [i] In Synagoga Judaica, cap 20. & 34. [k] Porta Poenitentiae, cap 7. fol. 21. Basileae in 8.

reus

reus fuerit alicujus rerum ſeu *cauſarum illarum.* Atque teſtis hac de re ibi memoratur liber ille percelebris *Zohar*, qui quidem de angelis illis ad hunc modum [l]; אילין אינון ארבע קיימין ואזיפו ומנדין לכל דאינון אפיקו כפומייהו מלה דלא אצטריכא ומטניפי פומייהו ואלו מנדין לון וקיימי ארבעין יומין ולא אשתמע צלותהון ולא איעלין לפרגודא וקיימין נזיפין לבר׃ *Hi quatuor ſtantes increpant & excommunicant univerſos illos qui emittunt ex ore ſuo verbum quod loqui non oportet; & quo os ſuum contaminant. Et hi ſic excommunicant eos, & per dies quadraginta ita circa hoc negotium occupari ſolent ut preces eorum non audiantur, nec ipſi admittantur intra velum* templi, *ſed reos increpantes extra maneant.* Ita in *Zohar*. Sed dum commenta ejuſmodi etiam de excommunicatione angelica ſcribunt, nihil omnino adjiciunt de inſtituto aliquo divino quo forenſis apud homines excommunicationis uſus ſubnitatur. Et obſervatu forſan non indignum eſt quod ubi Maimonides in titulo illo *Thalmud Thora* [m], ſeu *de diſciplina legis tradenda & diſcenda*, univerſam excommunicationis materiem e re nata congerit, legeſque ſeu inſtituta divina ad titulum illum ejuſque materiem attinentia, pro more paſſim ſuo, ſub initium enumerat praefigitque, bina tantummodo illuc ſpectantia praecepta, eaque affirmativa, ſic adponit; ſcilicet I. ללמוד תורה *diſcere legem* II. לכבד מלמדיה ויודעיה *honorare* ſeu *revereri eos qui eam docuerint, ejuſve ſcientes eſſent.* Sic ille. Et alii ejus hic ſequaces, ut ille Talmudicorum pariter vetuſtiorum. Nihil interim eorum quiſquam de inſtituto huc attinente, ullo in tempore, divino. Sed vero nec praetermittere hic obiter viſum eſt, in rituali alio penes me MS. ſane etiam pervetuſto, &, ni fallor, etiam Judaeorum olim Anglienſium, haberi formulas ſolennes ad feſtum illud reconciliationis attinentes quae, ut in aliis, auſpicantur a praevio illo carmine quod quotannis a praecentore in ſynagoga ter repetitur, in quo excommunicationem expreſſim innui autumarunt aliqui. Carmen illud in codice illo meo ita ſe habet; כל נדרי ואסרי וקונמי ואחרמי ואקדישי ושבועות׃ *Omnia vota, & interdicta, & prohibita, & Cheremi*, id eſt, *devotamenta, & conſecrata* ſeu *ſanctificata, & juramenta*, דנדרנא ודאשתבענא ודאחרמנא ודאקנימנא ודאקדישנא ודאסרנא על נפשנא׃ *Quae vovimus, quae juravimus, quae* (per *Cherem*) *devotavimus* ſeu *anathemata, quae noſmet prohibuimus, quae conſecravimus, & demum quibus nobis ipſis quid interdiximus*, מיום כפורים זה עד יום כפורים הבא עלינו לטובה כלהון איחרטנא בהון כלהון יהון שרן שביקין שביתין בטלין ומבטלין לא שרירין ולא קיימין וחשובין כחרס הנשבר שאין לו תקנה נדרנא לא נדרי ואסרנא לא אסרי וקונמנא לא קונמי וחרמנא לא חרמי ואקדישנא לא אקדישי ושבועתנא לא שבועות׃ *Ab hoc die reconciliationis* (qui annuus eſt in Tiſri ſeu Septembre) *uſque in diem reconciliationis proxime futurum, in bonum nobis cedant. De univerſis iſtis reſipiſcimus. Omnia ſint ſoluta, ceſſent, in nihilum redigantur, & plane irrita ſint: Vim obtineant nullam aut firmitudinem aliquam, atque cenſeantur velut teſta dirupta, quae refici nequeat. Quod vovimus pro eo quod non vovimus habeatur, quod interdiximus nobis pro non interdicto, prohibitum pro non prohibito, quod per Cherem devotavimus pro non devotato, quod conſecravimus pro non conſecrato, & demum juramenta noſtra pro eo quod juramentum non eſt.* Et ſuccinitur ſtatim, ונסלח לכל עדת בני ישראל ולגר הגר בתוכם כי לכל העם בשגגה׃ *Et condonetur univerſae ſynagogae* ſeu *eccleſiae filiorum Iſrael, & proſelyto qui inquilinus eſt apud eos, quoniam in omnibus populus erravit.* Diſcrepat quidem codex hic ab editis quos vidi. Atqui in eo quod attinet ad tempus per quod haec alias adeo obligatoria tunc ſolvi ſic exiſtimantur, Judaeorum Germanenſium rituale [n] conſonum eſt; ſcilicet *ab die inſtante uſque in proxime futurum.* Neque aliter viris doctiſſimis tum ex Judaeis [o] tum aliis [p] rem intellectam video. Alii autem codices habent, מיום הכפורים שעבר עד יום הכפורים הזה שבא עלינו לשלום׃ *A die reconciliationis qui praeteritus eſt*, ſeu *ultimo, uſque in diem reconciliationis hunc qui jam venturus eſt* (haec enim pridie feſti initii dici ſolenne eſt) *nobis non officiant.* Sic ſane in Judaeorum Hiſpanienſium rituali, [q] aliis etiam aliquot. Et MS meus codex, perpulcher ille & pervetuſtus, unde peccatorum deſignationem illam ſupra exhibui, formulae qua tempus a die praeterito ad jam proxime venturum deducitur omnino conſonus eſt, carmine illo integro literis majuſculis accuratius deſcripto. At vero manus ibi antiqua, ſed codice ipſo recentior, traducta per שעבר *qui praeteritus eſt* linea, ſuperimpoſuit זה pro eo quod eſt *dies jam praeſens*, & זה ſeu *diem praeſentem* ſeu *hunc*, qui ſequitur, deleto, tempus fecit מיום כפורים זה עד יום כפורים הבא *a die reconciliationis inſtante ad diem reconciliationis proxime futurum.* Id quod obiter monitu forte non indignum, utcunque extra callem. Mirum ſane, utrovis modo intelligatur, diſciplinae genus! ſed quo omnia jam dicta pro ſolutis ac irritis haberi volunt; qua de re videſis Hieronymum a Sancta Fide, & Buxtorfium, locis hic ante citatis. Jam vero in codice hoc meo, unde carmen illud deſcripſi, gloſſulae aliquot manu perantiqua, & Latine & Gallice, ſubinde adjiciuntur. Atque ad vocem illam ואחרמי & *Cheremi* adnotatur *Herem* (idem quod *Cherem* nuncupamus) *excommunicatio*, & Gallice *Eſcomenatiuns* pro eodem, quaſi ibi de excommunicatione egiſſent ritualis conditores. Sed ſcioli alicujus adnotationem illam fuiſſe, dubitandum non eſt. Non omnino enim ad *Cherem*, qua *excommunicatio*, ſive forenſis ſive ſingularum apud eos perſonarum, eo innuitur, res ſpectat, ſed ad חרם *Cherem* ſeu *anathema* ac *devotamentum*, notionis perquam diverſae, quae item notiſſima eſt ex diſertis legis ſacrae [r] verbis, attinet, quemadmodum item *ſanctificata* [s], aliaque ante in rituali enumerata. Et in MS. meo illo altero per חרם סתם *Cherem ſimplex* eodem ſenſu explicatur. De illis a Talmudicis agitur in titulis *Nidarim & Nidarim Wechermim*, ſeu de *votis & anathematis* ejuſmodi ex lege illa conſecratis. Nec ullatenus ad excommunicationis ſpeciem aut gradum apud eos aliquem ſpectant. Recolatur hic, ut ſuperius oſtenſum eſt, maximam illam excommunicationis partem, qua ſacrorum publicorum uſu interdici ſolet, non ſolum ex intervallo hoc ante legis dationem, juxta Judaeo-

[l] Ad *Elle Semoth*, fol. 24?. edit. Mantuanae. [m] Cap. 6, 7. [n] Machzor part. 2. fol. 144 a. [o] Hieronymus a Sancta Fide lib. 2. cap. 1. [p] J. Buxtorfius Synagoga Judaica, cap. 21. [q] Edit. Venet. Ann 306. fol 23, a. & ib. 358. fol. 10?. b. [r] Levitic. xxvii. 28. [s] Ibid. xiv. &c.

rum veterum disciplinam, non omnino admissam, sed nec in Judaico sub lege usu locum ullum habuisse. Corpore immundos a templo ex lege arceri, ad eam nullatenus, ut ante monitum est, attinuit, utpote quod interdicto sacro subnitebatur, quo plagis aliisve suppliciis erant puniendi illud violantes, nec omnino forensi ex lege aliqua sacra inde excommunicandi. Tantundem pariter dicendum de apostatis Judaeis, scilicet in paganismum, christianismum, mahumedismum transeuntibus, paschate arcendis. De paschate illo, sub Josia rege, celeberrimo (de quo dicitur [t], *Nec factum est pascha tale a diebus judicum qui judicaverunt Israel, nec in diebus cunctis regum Israel aut regum Juda, &c.)* verba faciens Rabbi Levi Ben Gersom, temporibus illis ait prioribus coetum Israelitarum seu Judaeorum universum nunquam ita celebrasse pascha, utpote in idololatras seu apostatas & orthodoxos plerumque distractum, אך בימי inquit יאשיהו בזאת השנה שבו כל ישראל אל י״י והנה זכר הפסח הנעשה אז לפי שבתנאי הפסח שלא יאכל ממנו ישראל משומד וידמה שבזאת השנה לבד היה לב כל ישראל ל״שי וגו׳׃ *Sed in diebus Josiae, hoc scilicet in anno,* illius decimo octavo, *reversi sunt universi Israelitae ad Dominum. Unde memoratur pascha hoc jam sic factum, quia ex conditionibus* seu *appendicibus paschatis erat, ne quisquam Israelita qui apostata esset de eo comederet. Sed videtur quod hoc anno solum universi Israelitae ad Dominum benedictum se converterant,* etiam qui ante apostatae. Illud autem de apostata hic habent ex sensu sibi recepto legis sacrae, in qua legitur de paschate [v], *Haec est lex* seu (ut Vulgata) *religio paschatis,* כל בן נכר לא יאכל בו *Nullus extraneus filius comedat ex eo*; ubi *alienigena* plerumque substituitur, & *filius extranei,* & *hijo de estrannedad,* ut Judaeis Hispaniensibus. Scilicet ibi paraphrasis Onkeli Chaldaica, כל בר ישראל דאישתמד לא ייכול ביה׃ *Nullus filius Israel qui fuerit apostata comedat ex eo.* Sic regii, Bombergiani, Buxtorfiani, alii codices, uti & MS. codex perpulcher & vetustus bibliothecae Westmonasteriensis. Sed Garianus pro דאישתמד habet eundem in sensum דאסתלק seu *qui Judaeus professione esse desinit.* Et in altera illa Chaldaica Jonathanis dicta, כל בר עממין או בר ישראל דאיסתלק ילא הדר לא ייכול ביה׃ *Nullus populorum filius, nec filius Israel qui apostata fuerit nec apostasiae renunciaverit, comedat de eo.* Unde etiam Jarchius in glossa *filium extraneum* interpretatur per שנתנכרו מעשיו לאביו שבשמים ואחד הגוי ואחד ישראל משומד במשמע׳ *Qui extraneus fit per sui ipsius opera contra patrem suum qui in coelis. Discrimen enim hic non est inter paganum* seu *gentilem & Israelitam qui fuerit apostata.* Et Lyranus, ab eo edoctus; *Vocatur hic alienigena omnis qui est extra ritum Judaeorum, sive sit gentilis, sive Judaeus baptizatus.* Consona sunt Gemarae Babyloniae loca aliquot [x], ubi lex illa explicatur. Hinc quidem arcendum paschate voluere apostatam, seu ei non licuisse de eo comedere. Neque enim simplici peccatorum utcunque facinorosissimorum nomine quiquam arcebantur, ut satis est superius ostensum, sed qui Judaismo renunciassent, cultum alienum induentes. At ii etiam duntaxat usque dum cultui ejusmodi itidem renunciantes in pristinos ritus redirent. Sic ad excommunicationem forensem res haec non omnino attinuit. Paschatis comestio ex lege sacra pro interdicto apostatae habebatur, non ex sententia aliqua forensi: non quia apostata erat, praeeuntibus in jus ob apostasiam vocatione, contumacia, aut probationibus ex sententia aliqua, instar excommunicationis usurpari solitae, arcebatur; sed ob violationem legis sacrae, si de eo comederet, tum divinitus tum ex sententia forensi, verberum poena, seu id genus alia, quatenus cognitio haberetur transgressionis forensis, pro more puniendus erat. Ita plane de eo qui apud paganos legem aliquam ex eis quae supra memorantur poenalem de arcendis apud eos facinorosis aliquot templo, foro, societate pristina, violasset, neutiquam omnino dicendum est ex jurisdictione aliqua forensi, juxta quam rei in jus vocari solent, interdictionem illam eum perpessum esse, sed ex lege ipsa lata prohibitum, & ob ejusdem violationem reum, adeoque pro moribus locorum & seculorum variis eo solum nomine in jus vocandum puniendumque. In sacris Romanorum quibusdam, resolutoriis, ut existimatum est, dictis, lictor clamitare solebat [y], *Hostis, vinctus, mulier, virgo exesto*; *scilicet, interesse prohibebatur.* Certe si sacris hisce interesset horum aliquis, mulcta aliterve, rite cognita causa, puniendus is erat ex pontificum, qui rebus ejusmodi praefuere, sententia. Nec inde nata est jurisdictio aliqua forensis prohibendi, sed ex lege prohibitos puniendi. Sic ubi Mahumedes ait [z] de religionis suae infidelibus, profanis, immundis,

لا يقربوا المسجد الحرام بعد عامهم هذا

Non accedant ad seu *non ingrediantur templum Mecanum post hunc annum,* (id est, العام التاسع من الهجرة *annum nonum Hegirae,* ut glossa ibi Mahumedis Ben Achmed) manifestum est non omnino innui excommunicationis forensis alicujus, qua quis in jus vocatus arceatur, usum: sed qui ita interdicitur, si contra deliquerit, ex sententia forensi sive mulcta sive alia ejusmodi poena esse afficiendum. Aliter multo canonum christianorum conditores, quibus adeo frequentia sunt generalia illa de delictis futuris, *Anathema sit, segregetur, excommunicetur,* id genus alia. Inde enim in jus vocatus qui deliquerit, nominatim excommunicatur, & per sententiam ejusmodi templo, sacris, reliquisve quibus per poenam illam inter suos privari solent homines, arcetur, quemadmodum semper ii qui ab homine seu sententia forensi excommunicantur. Qui autem non sic ab homine sed ex jure (juxta distinctionem vulgarem) seu lata sententia generatim excommunicantur, etiam in jus nominatim vocati iterata ejusdem poenae sententia puniri solent, nec sine confessionis ac poenitentiae solennibus absolvuntur. Quod autem ad confessionis, poenitentiae ac absolutionis solennia illa attinet, quibus hac in

[t] 2 Reg. xxiii. 22. [v] Exod. xii. 43. [x] Ad tit. *Sabbath,* cap. 9. fol. 87. a. & tit. *Pesachim,* cap 9 fol. 96. a & tit. *Jabimoth,* cap. 6. fol. 62. a. [y] Festus in *Exesto,* & ibi Jos. Scaliger. [z] Alcoran. Surat. 9. Arabice 19. Lat. & videsis Guil. Reginaldum in Calvino-Turcismo, lib. 2. cap. 17. & lib. 4. cap. 2. & Gabriel. & Joan. Maronitas de nonnullis Orientalium Urbibus, &c. cap 15.

re ecclesiastici ordinis aliquibus necessario satisfieri volunt excommunicationis juris divini assertores; ingratum hic, opinor, non fuerit si obiter adjecero etiam ex Mahumedanorum (qui forsan hac in re animalia se velut rationalia praebent) theologia sententiam; unde quid etiam illi de christianorum excommunicationis, & confessionis sive privatae aut auricularis sive publicae, & poenitentiae comitantis & subservientis, sacrorum instar spectaculorum, praestandae coram ordinis ecclesiastici aliquibus usu, & demum de insequente absolutione, senserint, haud difficile erit elicere. Sub annos abhinc ferme quadraginta Mauricius princeps Auraicus & Emanuel Portugalliae princeps in mensa impetratum voluere a viro sane doctissimo Achmet Benaudala (Ben-Abdalla) natione Cantabro, sed Mahumedano, ac regis Maurorum apud foederatos Belgii ordines tunc, opinor, legato, ut sensum suorum de religione christiana eis explicaret. Id non illibenter ad regem suum reversus Marochii praestitit; unde anno Hegirae 1021, id est, Christi 1612, opusculum ea de re scriptum ad principes illos misit. In eo, post alia christianissimi scita graviora, mahumedissimo perquam dissona, ingeniose sane discussa, tandem devenit ad illud de confessione & poenitentia & absolutione (in quibus quidem maxime terminatur excommunicationis christianae usus) quatenus in his ordinis apud nos ecclesiastici aliquibus potestas tribui variatim solet. Verba ipsius e codice penes me Latine MS. apponere visum est. Et Latine, puto, ab ipso conscriptus est. De ordine ecclesiastico, *Praeterea*, inquit, *isti volunt esse conscii peccatorum hominum in confessione; & quilibet istorum religiosorum, sive monachus sit sive presbyter clericus, habet potestatem ignoscendi cuilibet peccanti. Si genu flexo fateatur peccata sua, etsi gravissima, sive sit homicida, sive moechus, &c. tandem post confessionem absolvitur a sacerdote ab omnibus peccatis, qui dicit jam remissa esse ei omnia peccata; nec posse aliter veniam peccatorum impartiri a Deo nisi per confessionem, & quemlibet morientem inconfessum damnari. Itaque auferentes Deo potestatem ignoscendi peccata, tribuunt eam hominibus per confessionem. Ignoscere tamen peccata proprium est Dei, & nullius alterius, diversis de causis.*

I. *Quia ignoscere situm est in sola libera voluntate & misericordia Dei; nec tenetur ignoscere, si nolit; nec potest cogi eo a quotquot sunt in coelo sive in terra; & potentia sua absoluta, si ipsi lubeat, potest damnare totam orbis machinam. Nam quisquis sibi usurpat jus alienum, & in eo jure si aliquid facit aut destruit, sane injuste agit: Sed qui proprio sibi jure & in re propria aliquid facit aut destruit, nullis legibus talis impediri potest, nec censeri injustus. Si igitur Deus ignoscit, id facit sola misericordia motus, quae est proprium attributum ejus, & nullius alterius praeter ipsum. Si homo ignoscat qui eum affecit injuria aliqua, &c. hoc potest in causa propria, non vero in aliena, sive Dei.*

II. *Praeterea, qui scit sacerdos Deum sententiam ab ipso latam approbaturum, & quicquid ipse absolvit absoluturum & remissurum? Et in qua lege (quaeso) scripturae aut ex prophetis praeteritis hujusmodi quicquam inventum aut auditum est?*

III. *Praeterea, si quilibet sacerdos eget alio qui eum absolvat, qui potest alios absolvere qui seipsum non potest?*

IV. *Deinde, diversae sunt circumstantiae peccati. Aliud est peccare contra Deum, quadam negligentia cordis; aliud, ex sententia & cognitione inverecunda, audaci, & perfricta fronte peccare. Aliud, quando quis vincitur ab affectu & appetitu naturali, intus vero poenitet facti, & pudet comparere coram Deo; & pudet simul sui ipsius, cum videat se peccasse contra tantum Deum. Itaque mille modis ex circumstantiis possunt variari peccata, quanquam actus ipse sit unus in se & externe. Si igitur tanta diversitas inter circumstantias & actum vel opus ipsum externum peccati vel culpae, poterit unum & idem peccatum externe esse dignum venia, & aliud dignum poena perpetua & gehenna, juxta gravitatem culpae seu circumstantiae internae; quam tamen mensuram novit solus Deus, & sibi ipsi servat. Quomodo igitur sacerdos cognoscet aut poterit se penetrare in arcana & abdita illa, quae soli Deo sunt nota?*

V. *Praeterea, multi homines credunt in Deum, & ejus amore faciunt eleemosynas & alia opera bona; vincuntur tamen ab affectu & appetitu naturali: Isti tales sane non longe distant a misericordia Dei, dummodo ipsos facti poeniteat: Et alii avari, amoris Dei negligentes, nulla virtute praediti, cum nulla sit in eis memoria aut recordatio peccatorum suorum: Ii tales longe sunt a misericordia Dei. Si isti duo committunt unum & idem peccatum, sacerdos eodem & pari modo absolvit utrumque: sed quae justificatio est haec?*

VI. *Praeterea, unum & idem peccatum est in se pejus altero & gravius ob jam dictas circumstantias & alias infinitas, quarum causa unum vere dignum venia erit, aliud autem non; & sacerdos ignarus horum secretorum Dei, eadem mensura metitur bonum & malum; qui error sane nunquam in Deo reperietur.*

VII. *Homines non sunt ita constantes, sed potius ita varii, ut aliquando prae laetitia & hilaritate facile & leviter ignoscant cuilibet, etsi quis eis intulerit gravissimam injuriam; aliquando ita tristes & melancholici ut minima quaque causa & occasione sint paratissimi ad occidendum quemcunque, & exercendum omne genus crudelitatis: Et rara est temperantia in homine. Ita iste sacerdos aut erit hilaris, & sic non castigabit peccatorem, ut meritus; aut erit tristis & melancholicus, & sic cruciabit hominem supra debitum culpae ad desperationem usque. Aliquid hujusmodi non est in Deo, qui semper permanet in unum esse; cujus solius est judicare animas, & non alterius.*

VIII. *Praeterea, si sola ejusmodi confessio sufficiat homini, non indigebit venia Dei, cum sacerdotis venia sufficiat. Si vero aeque bene in judicii die judicandus talis homo sit a Deo, certe haec confessio nulla est.*

IX. *Praeterea, aliquis homo habuit rem cum uxore alterius, quam vi coegit: Sacerdos vero absolvit adulterum. Inquiro, quando maritus hoc resciverit in die judicii, poteritne petere a Deo judicium & justitiam, an non? Si dicant, Non; igitur Deus non est justus propter confessionem solam sacerdotis. Si dicant posse, igitur sacer-*

sacerdotis confessio nulla est. Pari modo, calumniae, testimonia, & injuriae, quibus falso accusantur saepius honestae virgines & probi homines, & quorum honor & dignitas turbatur hujusmodi calumniis, inquiro, Si calumniator absolutus fuerit a sacerdote, poteritne altera pars petere a Deo judicium, an non? Si dicant, Ita; igitur confessio est nulla. Si, Non; igitur Deus injustus erit, & nescit dare cuique quod suum est, & hoc sola causa & respectu confessionis, cum potius sit justissimus.

X. Praeterea, sacerdos imponit semper poenas quasdam peccantibus; ut, si quis sit adulter, jubet ut seipsum caedat flagris, vel ut portet supra humeros crucem aliquam, &c. Cum tamen hoc totum nihil sit respectu peccati, & tamen in arbitrio sacerdotis situm sit imponere poenas ad libitum. Dicat, quaeso, qua ulna metitur, aut pondere ponderat aut pendit, aut sciat quid vel quantum poenae imponendum sit unicuique pro culpa? Ex quibus omnibus evidenter apparet abusus & error confessionis; unde etiam cognoscitur Deum solum esse judicem animarum, & non alium, qui solus novit gravitatem culpae, & qua poena sit quaelibet digna. Potest, ut absolute Dominus, ignoscere absque aliqua poena, cui ipsi libuerit: Cui laus sit in secula; A quo etiam petimus, velit nobis peccatoribus ignoscere pro immensa & infinita misericordia ejus.

Ita ut theologus Mahumedanus de confessionis solennis ac poenitentiae spectaculis in christianismo usurpatis Achmet ille. Subjungit statim de suorum, id est, Mahumedanorum, hanc circa rem religionem.

Mauri vero aliter confitentur peccata sua. Confiteri enim est poenitere aliquem ipsum solum sui peccati, coram Deo solo, & se vertere ad Deum pium, misericordem ex puro corde. Neque Deus aliud vult quam ut poeniteat hominem facti. Dicunt praeterea hoc poenitere fore validum cum Dei voluntate, qui ignoscit peccatori cum iis quatuor conditionibus vel circumstantiis.

I. *Ut poeniteat peccatorem ex puro corde & sincero peccati commissi.*

II. *Ut promittat se non amplius peccaturum.*

III. *Ut satisfaciat partibus; ut est, reddere & restituere bona aliena; restaurare honorem proximo, quem ipsius causa perdiderat, cum aliis ejusmodi.*

IV. *Ut hoc poenitere sit solo amore Dei; qui gradus altior & perfectior est quam si timore inferni vel praemio gloriae poeniteret.*

Peccata autem Maurorum sunt triplicis generis;

I. *Inter Deum & hominem, ut est non servare id quod Deus praecepit sive prohibuit; quod peccatum vel ignoscit Deus vel castigat.*

II. *Inter hominem & ejus proximum, ut qui aliena arripit seu usurpat, vel calumnia turbat honorem alterius, &c. in damnum proximi; quae omnia ut in plurimum sunt judicanda quousque satisfiat partibus, vel Deus ipse parti offensae satisfaciat.*

III. *Quod nunquam ignoscet (& sic praecepit) cuicunque* ipsi fecerit Deo secundum, aequalem, vel similitudinem, sive in coelo sive in terra.*

Hoc sane egebat majori explicatione. Sed quia responsio mea fuit aliquantum prolixior, nunc haec sufficiant quousque mihi constet aliquem esse vel qui adversus jam dicta superius respondeat, vel qui velit majorem & clariorem explicationem datam. Tunc autem,

Rediens, inquit, *iterum ad illud poenitere, dico, Quisquis moritur poenitendo cum facti, talem fruiturum Dei favore & ejus gloria, quamvis commiserit tot peccata quot sunt arenae in mari & stellae in coelo. Nec indigebit sane sacerdote de confessione, cum omnia sint Deo nota, & sciat quem ex corde & sincere poeniteat, vel non. Haec enim causa est sola inter Deum & creaturam; & ita non eget aliquis aperire cuiquam mortalium sua peccata & defectus, nisi illi soli quem nihil latet, sive id sit in cogitatione sive in imaginatione creaturarum suarum. Cui laus sit semper. Amen.*

Hinc sane quid secta etiam illa, utcunque alias impurissima, de excommunicationis, ejusque appendicum & comitantium ex confessione & poenitentia & absolutione publica spectaculorum usurpari apud christianos solitorum, jure existimaverit, conjectare facillimum est. Neque quidem autumandum Achmetem hunc aut oscitanter aut temere dissertationem illam suam ad principes illos christianos sic rogatum conscripsisse, sed potius summa cum deliberatione, ac aliorum e suis ope & consilio gravissimo, eam adornasse. Quam autem diversa hic sint theologiae Romanensis scita, facile ex eorum ritibus cernitur, uti etiam obviis theologorum scriptis, maxime quae ad distinctionem 18 sententiarum quarti; quibus adjice quae habet Anastasius tum Sinaita, patriarcha Antiochenus[c], tum episcopus Nicaenus[d], de eo quod est, *Sitne bonum confiteri peccata viris spiritualibus*; qualia passim occurrunt alia. At sane qui auricularem illam singularium peccatorum confessionem rejiciunt (ut reformatorum plerique) aut publicam, qualem volunt severiores excommunicationis, usque in absolutionem per confessionem, assertores, non exigunt, haud sane adeo dissoni sunt eis quae ex Achmete illo attulimus; quantum ad confessionis usum. Nam in tertio peccatorum genere ab eo memorato, blasphemia Mahumedanorum in Christi deitatem & S. trinitatem eis usitatissima continetur. Sed vero ex superius sic ostensis affatim liquere opinor Judaeos, quorum hic ratio primo, dum serio disquiritur, habenda, tum veteres tum recentiores existimasse neque divino aliquo jure seu instituto quod obtinuit ante legem suam in Sinai datam, nec alio aliquo ejusmodi jure sub ipsa lege, sed tantum moribus pro arbitrio humano atque e re nata, ubi sui satis juris esse desinerent, superinductis, ut poenas alias ab hominibus in rem suam adinveniri solitas, fundari excommunicationis suae usum, idque per omnia secula quae a tempore quo primum inolevit usque in nostrum effluxerint; neque eam exercendi jus ad suorum ordinem singularem aliquem, veluti sacerdotalem, prae aliis omnino attinuisse; nec comitantia illa, quae usurpantur in christianismi excommunicationis effectibus, poenitentiae sacramentalis ac absolutionis inde publicae spectacula in eorum hujus usu locum ullatenus habuisse. Fuisse quidem

* qui ipsi.

c Quaest. & Respons. 6.

d Quaest. in scripturam 6. Bibliothec. patrum Binii tom. 6. edit. 157[illegible].

quidem in eorum disciplina, atque ex majorum moribus hactenus manere, יסורין *castigationes* facinorosorum, adeo certum est ut nihil certius notiusve, easque tum confitentibus & poenitentibus privatas & voluntarias tum in poenis irrogandis publicas & coactas. Sed vero in excommunicationis eorum appendicibus neque hae nequae illae omnino censendae. Illa scilicet aliter omnino solvenda erat, juxta ea quae superius capite jam dicto septimo ostenduntur. Quod vero ad apostatas ex Judaeis attinet (de quibus paulo ante dictum) sententia excommunicationis etiam illi, ubi capitalium judiciorum potestas genti deerat, pro arbitrio eorum quae praeerant feriebantur; cujus rei exemplum egregium pervetustumque in Judaeis Alexandrinis aliisque AEgyptiensibus illis qui sub Ptolemaei Philopatoris tyrannide, seu circa annos ante Christum 200, rituum suorum tenaciores, eos qui regiarum minarum metu in apostasiam transierant, se paganismi sacrificiis immiscentes, & exsecrabantur, & pristino vitae consortio, quatenus scilicet potuere, per excommunicationem privabant etiam, & velut inter hostes gentis censebant. In tertio nempe Maccabaeorum de eis legitur, Τοὺς ἀποχωροῦντας ἐξ αὐτῶν ἐβδελύσσοντο, καὶ ὡς πολεμίους τοῦ ἔθνους ἔκρινον, καὶ τῆς κοινῆς συναναστροφῆς καὶ εὐχρηστίας ἐστέρουν, *Qui ex ipsis sic defecerant diris eos devovebant, & veluti gentis hostes censebant, & communi suorum consuetudine & amicorum usu privabant.* Ubi vir praestantissimus Hugo Grotius, *Multis verbis id circumscribit quod Hebraei* נדוי *Niddui dicebant, Hellenistae ἀφορίζειν, aut ἀποσυνάγωγον ποιεῖν.* Sed non adhiberi solum hic *Niddui* videtur, sed etiam ipse *Cherem*. Nec forensis revera est, cum in jus vocatione praevia, excommunicatio, eis quidem usitatissima, sed publica apostasiae apostatarumque, ut Cuthaeorum aliorumque in aliis formulis, quas & alibi e Rabbinis ostendimus [a], detestatio & anathematismus, ut ferme in bulla *Coenae Domini* pontificum Romanorum, idque genus inter christianos aliis.

CAP. XIII.

Praecipuorum item aliquot per capita octavum, nonum & decimum de excommunicatione inter christianos fusius congestorum recensio breviuscula, cum congeneribus aliquot adjectis; unde quid per anteriora secula, etiam ab ipsis temporibus apostolicis usque in nostra, de jure seu instituto circa hanc rem divino maxime & publice a christianis existimatum fuerit receptumque, juxta methodum superius initam, facilius dignosci queat. Primo, per centuriam christianismi primam aut circiter, in qua Aquilam Ponticum a discipulis excommunicatum esse traditur. Secundo, per secula quae sequuntur usque in Constantinum Magnum, ubi de accessione varia excommunicationi Judaicae tunc pro humano arbitrio facta inter christianos. Paulus Samosatensis etiam ab Aureliano Augusto, seu imperatore non christiano, ex episcoporum persuasione, plane excommunicabatur. Tertio, per secula a Constantino magno usque in haec nostra. Et demum utrum sententia illa, excommunicationem forensem, seu consistorianam, humanum esse inventum, nec jure praeceptivo seu instituto divino subniti, nomine erroris seu dogmatis Erastiani, seu, ut interdum etiam, haeresis Erastianae, cum ratione ac merito indigitetur; & num in Anglia dogma illud his temporibus repullulasse, ut a scriptoribus aliquot, recte dicatur.

TEmpora, quantum ad rem tractatam, christianismi trifariam in ante dictis tribuuntur; quorum prima sunt quae apostolorum fuere, in quibus Christus ipse in terris, & usque in primae a natalibus ejus centuriae finem, aut circiter, extenduntur; secunda, quae sequuntur, *primitivorum* nomine, usque in Constantinum Magnum, seu primam summi regiminis ac christianismi conjunctionem; & tertia demum, quae a Constantino in nostra durarunt secula. Quod ad prima attinet, (de quibus capite octavo) excommunicationis in eis usum fuisse ipsius Judaicae ibi manifestum satis fit, penes, inquam, christianos ipsos, discipulos ac apostolos; ut liquet ex *anathemate* & *maranatha* apud S. Paulum aliisque ibi citatis. Etiam id quod ibi occurrit de apostolis Aquilam Ponticum excommunicantibus sub centuriae jam dictae exitum (si modo fides historiae habenda) de ipsissima excommunicatione Judaica capiendum videtur. Et quod Jesudadus ibi apostolis, Epiphanius quidem, sine eorum nomine, discipulis & doctoribus temporum illorum tribuit, & ἐλεγχόμενός τε, inquit [b], ὑπὸ τῶν διδασκάλων, καὶ ἐπιτιμώμενος ἕνεκα τούτου, μὴ διορθούμενος δὲ, &c. ἐξεώσθη πάλιν τῆς ἐκκλησίας ὡς ἄχρηστος πρὸς σωτηρίαν, *Cum a magistris objurgatus esset, nec emendari vellet, ejectus est rursus ex ecclesia, velut ad salutem minime idoneus.* Idem inde habent Michael Glycas [c] & Theodorus Metochites [d], qui, Οἱ οὖν ἱερεῖς, inquit, τῶν χριστιανῶν, ὡς ἑώρων αὐτὸν μετὰ πολλὰς παραινέσεις τοῦ ἀστρονομεῖσθαι μὴ παραιτούμενον παύσασθαι, τῆς ἐκκλησίας πόρρω προβάλλουσι, τοῖς ἐπιτιμίοις αὐτὸν διορθωθῆναι νομίζοντες, *Sacerdotes igitur christianorum, cum viderent eum saepius monitum astronomiam* (judiciariam illam seu apotelesmaticam astrologiam) *omittere nolle, ecclesia eum sua ejiciunt, existimantes eum per castigationes ejusmodi emendatum iri.* Interpres Glycae ait, *a coetu sacro prohibent.* Jam vero, cum apostoli ipsi Judaei ex origine fuerint, reli-

[a] De Jure Nat. & Gent. lib. 4 cap. 7.
[b] De Mensuris & Ponderibus N. 15. Baron. tom. 1. an. 56. §. 41.
[c] Annal. Part. 3.
[d] In Hist. Romana, pag. 92.

quique,

quique, ſive ex Judaeis ſive ex gentilibus Chriſto nomina tunc dantes, *Judaeorum* interim, id eſt, Judaeorum tunc reformatorum ſeu credentium, nomen induerint, & plane undiquaque profiterentur, Judaiſmique veteris ejuſque ſcitorum receptiſſimorum (exceptis rebus illis quibus a Judaeis non credentibus neceſſario atque ex diſciplina chriſtiana ſingulari divinitus praeſcripta diſcriminarentur) ex profeſſo eſſent tenaces, non eſt quod dubitemus quin excommunicationes ab ipſis tunc adhibitae, ſive per ἐκβάλλειν *ejicere*, ſive per ἀφορίζειν *ſeparare*, aliave ejuſmodi tunc ſynonyma, ſive per *anathematiſmos* exprimerentur, idem ipſum ſignificarent quod *apoſynagogum facere*, aut *ponere in Niddui* aut *in Shammatha*, aut *Cherem* (pro formularum diſcrimine) id eſt, more Judaico, ut oſtenſum eſt, nec alio, excommunicare. Adhibere has tunc licuit tum ut fundatas moribus avitis, quorum initia captivitatis tempori tribuuntur, tum ex diſerto juris Caeſarei permiſſu, ut ex edicto Claudiano de libero morum Judaicorum uſu ante allato plenius liquet. Quemadmodum igitur Judaeorum vetuſtiorum recentiorumque non credentium, adeoque tum Talmudicorum tum Karaitarum, (ut ante oſtenditur) judicium hic fuit de jure quo fundata eſt excommunicatio, illud non ex praecepto ſeu inſtituto aliquo divino, ſed moribus majorum ſuperinductis tantum ſubniti, ita plane aequum eſt ut pariter autumemus de judicio atque hanc circa rem exiſtimatione Judaeorum tunc credentium, id eſt, chriſtianorum; ſcilicet horum fuiſſe ſententiam ab illorum non diverſam, adeoque eos non admiſiſſe inſtitutum aliquod divinum, ſive ante ſive poſt legem datam, locum hic habuiſſe ullum. Verum quidem eſt, Chriſtum ac apoſtolos expreſſim quaedam alia docuiſſe ac imperaſſe in quibus fundamenta totius religionis chriſtianae collocantur, horumque nonnulla (verbi gratia, baptiſmi ſacramentum) ex anterioribus Judaiſmi moribus ſumpta ac in ipſis retenta ſic in chriſtianiſmi uſum formaſſe ac novaſſe, ut novatum inde inſtitutum divinum plane acceſſiſſe inde ſit dicendum. Sed ejuſmodi quid de excommunicationis tunc uſu aut jure nec in evangeliis nec in epiſtolis canonicis omnino habetur. Scilicet nihil circa eam novatur, niſi quis contendere non deſierit illud, *Dic eccleſiae*, &c, *Sit tibi ut ethnicus & publicanus*, cum eis quae de *clavibus* praecedunt, & de *ligando & ſolvendo*, & *peccatorum remiſſione & retentione*, & *traditione ſatanae* ſequuntur (in quibus ne vocula quidem tunc excommunicationem aut ſignificans aut innuens) inſtitutum in ſe continere divinum excommunicationis; Qua de re ſuperius capite nono indicata conſulas. Quinimo ſi illud de ligandi & ſolvendi poteſtate, toties, ut huc primario ſpectans, a nonnullis inculcari ſolitum, non ex Ebraiſmi illius in אסור והיתר *ligato* ſeu *prohibito* & *ſoluto* ſeu *permiſſo* (qua de re plura libro ſecundo, & mox hic nonnulla) ſed potius ex Graeci ſermonis uſu, ut volunt aliqui, rite intelligendum ſit, certe aequum, puto, videbitur ut potius ex ſermone illo Graeco qui plane coaetaneus erat evangeliſtis quam ex ſeculorum aliorum lingua id fiat. Atque ita ſane cum primis obſervatu fuerit hic non indignum quod περὶ δεσμῶν *de vinculis* ſeu *ligaminibus*, ac multiplicibus eorum ſpeciebus, quatenus & actus & affectus & impulſus humanos quaſi omnimodos vox ea etiam ex antiquitate intima tunc apud Graecos complexa eſt, legitur apud Dionem Pruſaeum [e], in poſterioribus apoſtolorum temporibus philoſophum ſimul & oratorem percelebrem; quem lector hic curioſior introſpiciat. Sed multum etiam ita aberit ut quis inde jus aliquod excommunicandi peculiare voce ea denotatum eſſe cum ratione elicere poſſit. Praeterea, anne in locis jam memoratis evangelii, unde toties jus hic divinum petitur, veſtigium, quaeſo, ullum ipſius anathematis aut execrationis, quae pars excommunicationis perinſignis & dimidia eſt, reperitur? Quin vero tametſi concederetur in illis excommunicationem ſignificari, num inde ſequeretur aliam innui quam quae Judaica & tunc in moribus gentis notiſſima? Finge ſynagogam, eccleſiam ſeu rempublicam Judaeorum integram, aut ſaltem ejuſdem partem non minorem, nec aliam quam quae regiminis publici, qualecunque tunc haberent, poteſtate frueretur, chriſtianiſmum tunc fuiſſe amplexam (ut plane debebant univerſi) adeo ut tum tribunalium ac ſynedriorum praeſides ſic inde chriſtiani, tum ſingulares ejuſmodi perſonae, ſententias excommunicationis libere potuiſſent, ut ante, pronunciare. Si ita ſe res habuiſſet, quidnam, quaeſo, in novo foedere occurrit quod aut forenſe hic aut privatorum circa hanc rem jus novaret mutaretve? Quidnam ibi, quo minus tum regimen circa tam ſacra chriſtiana quam profana publicum, tum ipſa excommunicatio, ut ante (cauſis tantum aliquot novis pro perſuaſionis diſcrimine introductis) utpote inter mores Judaicos illibata, undiquaque ab illis exerceri, nec aliter, debuiſſet? Id eſt, exerceri pro more hac in re Judaico, cujus, ut aliorum, adeo diu tenaces fuere apoſtoli diſcipulique temporibus in his primis, de quibus hic loquimur. Profecto, ſi S. Paulus anathematiſmos ſuos, ſeu alia quae pro excommunicatione illius temporis apud eum ſumuntur, illorum jam ex evangelio Matthaei memoratorum aliquo fundari exiſtimaſſet, aut eorum inde jus aliquod in id quod poſtea inolevit mutatum fuiſſe, permirum ſane videbitur eum non expreſſius illud in poſteritatis gratiam tantundem alicubi innuiſſe, utpote quod ſic ejuſmodi fuiſſet ut gubernationis quaſi totius chriſtianae cardo in eo (juxta admiſſas poſtmodum ſententias aliquot) verſaretur. Quid item in novo foedere ſatis expreſſim reperitur quo minus idem ipſum jus quo poenam hanc fundari voluere unanimes Judaei veteres & reliqui tunc non credentes (juxta ante oſtenſa) nec aliud omnino, ſeu divinum aliquod, a Judaeis tunc credentibus ſeu chriſtianis admiſſum fuiſſe exiſtimaremus? Quid ibi demum, quo ad ordinem aliquem hominum ſingularem, ratione ipſius ordinis aut ejus nomine, prae aliis ſpectaſſe ejuſdem juriſdictionem opinatos illos eſſe tunc perſuadendum ſit? aut poenitentiae publicae & abſolutionis inde ſolennia (qualia in chriſtianiſmo inſequente) locum tunc in ejus effectibus eſſe ſortita? Unde ſatis aequanimi lectori facile puto dijudicari poſſe quodnam fuerit circa hanc rem chriſtianorum illorum primitivorum, ipſorumque adeo apoſtolorum & diſcipulorum, judicium, & qualiſnam circa jus de quo quaeritur exiſtimatio

[e] Orat. περὶ ἐλευθερίας, ſeu 80.

sit apud eos tunc recepta. Atque recolatur inprimis hic illud; Ut apud Judaeos tunc temporis non credentes nemo sacris publicis excommunicationis forensis vi arcebatur (quod capite ostenditur septimo & duodecimo) adeoque nec illis peccatorum nomine prohibebantur, ita nec apud credentes seu christianos tunc quidpiam ejusmodi factum, quod capite octavo etiam ostenditur, non obscure eliciendum esse (etiamsi alia deessent testimonia) ex illo de Juda fure & proditore notissimo tam ad paschatis quam eucharistiae communionem admisso, etiam ipso D. N. Jesu Christo judice. Certe, si novatum ita tunc ante fuisset per illa *Dic ecclesiae* & reliqua id genus huc trahi solita circa excommunicationem quidquam ut sacrorum publicorum ex illius vi interdictio introducta fuisset, aut si simplici peccatorum aut facinorosorum nomine inhibendi homines sacris ejusmodi inde fuissent (ut in christianismi moribus post insequentibus) mirum nimis videbitur scelestissimum illum furem & etiam proditorem, eisque nominibus plane satis manifestum, in ipsa institutione coenae Domini a Domino ipso celebrata sic fuisse ut participem legitimum admissum. Rem quidem eam in controverso esse fatendum est: & distracti sunt sententiis circa eam scriptores aliquot doctissimi; quod & loco memorato indicatum. Eis addas Joannis Ribitti disputationem ea de re singularem Basileae abhinc diu impressam, qua negativam hic sententiam omnino tuetur. Sed ut ex Lucae verbis jam ante allatis pars affirmativa manifesta satis videtur, ita etiam autores habet satis numerosos, uti & ibi notatum; quibus accedat ex orientalibus Theodorus Metochites [f], atque ex occidentalibus Guilielmus Ockamus [g], praeter eos qui numerosius apud Theophilum Rainaudum [h] pridem simul recensentur. Quod ad tempora hic spectat Secunda, seu quae ab apostolorum exitu aut circiter ad Constantini Magni christianismum effluunt, & caput occupant nonum; quanquam ex confoederata christianorum tunc temporis inter se disciplina ibi memorata (quamdiu scilicet regimen publicum & christianismus haud conjungerentur) id est, ex jure ecclesiastico seu humano mutuo inter ipsos & sponte admisso, accederet jam excommunicationi Judaicae tum sacrorum ac coetuum publicorum totiusque ecclesiae interdictio, tum, ut plerumque obtinuit, jus peculiare quasi ad ordinis ecclesiastici episcopos, presbyteros, praesides solum, in ea exercenda attinens, nihilominus originariam ipsius excommunicationis ex Judaica manasse naturam inter christianos etiam tunc existimatum esse, satis quidem inde liquet, si rationes deessent aliae, quod idem ipsum nomen Graecum quod Judaeis ante & christianis ex Judaeis pro excommunicato in usu erat singulari, nec alibi tunc repertum, scilicet Ἀποσυνάγωγος (ut scimus ex evangelio Joannis & a nemine non agnoscitur) a patribus christianis illo in tempore pro eodem ipso apud seipsos pariter usurparetur; ut capitibus jam dictis, octavo & nono, ex concilii Nicaeni primi & constitutionum quas apostolicas vocant lingua, quae aliis proculdubio seculis in illis usitata, ostenditur. Et tunc temporis sic in usu fuisse vocem illam alias ab interpretibus & scriptoribus nuperis admitti, satis ex jam dictis liquet. Undenam igitur serio cuiquam perpendenti sententiam pristinam de jure hic originario, id est, humano tantum, tunc exolevisse videbitur? Sunt quidem viri doctissimi qui, Judaicis utpote hujusmodi originationibus morosius quam par est saepius inimiciores, non raro malunt existimandum esse Judaeos Christo recentiores peculiares christianorum ritus eorumque verborum in illis sensum imitatos fuisse, & gravioris nonnulla momenti ex moribus majorum suorum & origine Judaica sua petere ac edocere, quorum interim initia christianismo, unde sumpserint ipsi, debeantur. Sed quicquid ea de re in aliis fuerit statuendum, manifestius nihil est quam vocis illius ἀποσυναγώγου usum fuisse primo & ante christianismum solum Judaicum, ut ex evangelio Joannis jam ante de aposynagogis eorum citato palam liquet, atque inde eundem in sensum in christianismum, ut alia non pauca similiter, receptum. Quid igitur obstat quo minus aposynagogos faciendi apud christianos, id est, excommunicandi jus ab eodem fonte sensisse illorum seculorum christianos, si non omnes, saltem non paucos, petendum a quo apud Judaeos ante & semper, id est, ex moribus majorum pro arbitrio humano superinductis, petitum fuisse una cum singulari illo vocabulo didicerant. Quantum vero spectat ad sacrorum & coetuum publicorum per excommunicationem interdictionem, quae in primitivis hisce secundis temporibus Judaicae formulae accessit, ut capitibus jam dictis ostenditur, certe si ita se res haberet (nec aliter se habuisse facile concipiendum est) manifestum inde cuique facile erit humanum hic inventum, & manifesta primariae illius excommunicationis christianae partis origo ex ejusdem tunc in disciplinam ecclesiae confoederatam, secundum hominum qui praeessent arbitrium, receptione. Et quod illos sic palam agnovit autores, ut id ab jure seu instituto aliquo divino ipsi deducendum censerent, mirum satis foret. Certe quotquot e paganismi temporum de quibus loquimur moribus, seu ex eorum imitatione aliqua, christianos nactos esse excommunicationis totius formulam voluerint (de quibus capite decimo) necessum est ut ultro concederent illi, christianos qui tunc sic inde eam nacti sunt, divino aliquo praecepto, sive ante legem sive post dato, fundatam eam fuisse non omnino existimasse. Non quidem deerat ex praescripto apostolico comminatoria eucharistiae interdictio, qua quisque [i] monitus est ut ipsum se intus examinaret, nec ἀναξίως *indigne* mysteria sumeret. Δοκιμαζέτω ἄνθρωπος ἑαυτὸν, *probet, examinet, purget, expiet seipsum*, inquit apostolus; ubi Theodoretus, Σὺ σαυτοῦ γενοῦ κριτὴς, καὶ τῶν βεβιωμένων ἀκριβὴς δικαστὴς, ἐρεύνα τὸ συνειδὸς, καὶ τότε δέχου τὸ δῶρον, *Tui ipsius judex ipse esto, actuumque tuorum exactus arbiter; conscientiam scrutare, ac tunc donum suscipe.* Et Theophylactus, οὐχ ἕτερον δικαστὴν ἐφιστῶ σοι, ἀλλ' ἑαυτὸν σαυτῷ. Δίκασον οὖν τῷ συνειδότι σου, &c. *haud alium judicem tibi praeficio, verum teipsum tibi ipsi. Judica igitur & explora conscientiam tuam*, &c. Alii vete-

[f] Histor. Rom. pag. 30. [g] In Dialogo de Haereticis, & ejusdem compendio Henrici de *Zoemeren* lib. 7. quaest. 16.
[h] In Optimae Vitae fine pessimo, seu Metamorphosi latronis, part. 2. cap. 19. §. 30. [i] 1 Cor. xi. 28.

run

rum [k] in eundem ſenſum. Sed vero excommunicationi cum interdictione ſeu monitu ejuſmodi nihil erat omnino commune; quod nemini, opinor, non palam eſt. Et tam quidem ad paganorum quam chriſtianorum etiam & Judaeorum ſacra, monitoria ejuſmodi, ut conſilia tempeſtiva ac praevia, attinebant. Scilicet, ne quis ſceleris affectati aut cogitati (quod cognitionis forenſis aut alterius alicujus objectum eſſe nequiret) nedum aperti conſcius, citra purgationem ſui & erga numen reconciliationem, ſacris adeſſet. Ita quantum ad paganos etiam, fuiſſe liquet ex eo quod capite decimo afferimus e Gratio Faliſco, cui conſonus eſt Hetruſcus apud Statium Papinium [l] in parentalium prologo,

——————Adeſte,
Diique hominesque, ſacris procul hinc, procul ite, nocentes;
Si cui corde nefas tacitum, feſſique ſenectus
Longa patris, ſi quis pulſatae conſcius unquam
Matris, & inferna rigidum timet AEacon urna.
Inſontes caſtoſque voco.——

Sed qui e paganiſmo deſumptum a chriſtianis tunc excommunicationis fuiſſe uſum volunt, ex interdictionibus non ſimpliciter commonitoriis, ſed ex lege poenali compulſoriis, quibus tam coetibus quam locis ſacris facinoroſiores aliquot inter paganos (ut fuſius ſupra oſtenſum [m]) arcerentur, eam manaſſe contendunt; quod dum faciunt, non profiteri nequeunt exiſtimare ſe ſententiam tunc chriſtianorum de excommunicationis ſuae ejuſmodi origine non aliam fuiſſe, quam eam omnino humano invento nec praecepto alicui divino tribuendam. Mitto hic veſtigia illa capite nono indicata apud aliquos uſus priſtini in abſolvendo excommunicatos Judaici, qui plane ex humano manavit apud Judaeos inſtituto; utcunque Cypriano, aliiſque id genus qui praeeſſent aliquot adeo diſpliceret. Quid quod per haec tempora adeo, pro hominum qui ex diſciplina illa confoederata regerent libitu, modi & temperamenta varia, eaque non pauca, tam poenitentiae ſolennis ac abſolutionis quam excommunicationis uſui ita acceſſere (quod ex canonibus & ſcriptis temporum illorum eccleſiaſticis nemo neſcit) ut inde etiam eliciendum non obſcure videatur, aperte ſatis ac maxime admiſſum apud eos fuiſſe, rem integram ex humano inſtituto pependiſſe? Modorum enim & temperamentorum ejuſmodi ex arbitrio humano acceſſione ut id quod eſſet inſtitutum aliquod divinum novaretur aut ullatenus mutaretur, nunquam rite permiſſum eſt; quod itidem in hanc rem optime obſervatur a viro maximo Hugone Grotio, in libro illo aureo de Summarum Poteſtatum Imperio circa ſacra. Etiam in excommunicatione exercenda, quando ex diſciplina illa confoederata paritum non eſt ab eis in quos lata eſſet ejuſdem ſententia, opem ſubinde implorabant principum qui plane pagani erant, atque ab eis impetrabant ut etiam ipſi autoritate ac imperio ſuo idem ipſum facerent, quod erat reum in excommunicati ſtatum redigere; quaſi poena haec (quantum ex ſui natura) tam ab aliis quam a ſeipſis aut ſuorum aliquo ordine, utpote ex humano pendens arbitrio, legitime & rite ſatis potuiſſet irrogari. Qua de re exemplum habetur inſigne in Paulo Samoſatenſi epiſcopo Antiocheno ſynodo in Antiochena ſub Aureliano Auguſto, ſeu anno Chriſti 270, excommunicato, ſeu, ut Euſebii [n] verba ſunt, τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῆς ἐκκλησίας ἀποκηρυττομένῳ, *a catholica eccleſia quae ſub c elo eſt abdicato*; de quo item Eutychius Alexandrinus,

واوجبوا عليه اللعن ولعنوا من يقول بمقالته

Et anathema in eum pronunciarunt, & anathematizarunt etiam quod in doctrina ſeu *haereſi ejus repertum.* Parere hic noluit Paulus, nec eccleſiam Antiochenam Domno ſucceſſori ejus deſtinatam relinquere. Cum igitur coercendi poteſtas tunc nulla alia eſſet eis qui eum ſic excommunicarant, ab Aureliano Auguſto impetrarunt ipſi ut is eum eccleſia abigeret, id eſt, plane ut is ſententiam excommunicationis, quantum ad perſonam hominis, itidem ferret, atque exſecutioni coercendo mandaret. Atque ita ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνεται τῆς ἐκκλησίας, *ſecularis imperii autoritate* (ſed non ſine ea implorata ab epiſcopis quibus obedire nolebat Paulus) *ab eccleſia extruditur*, & plane, qua ab autoritate illa fieri potuit, ſuadentibus illis, excommunicatur; quod apertius conſtat e Theodoreti hac de re verbis [o]; Ἔπεισαν ἐξελάσαι τῆς ἐκκλησίας. Καὶ γὰρ τῇ τῶν εἰδώλων θεραπείᾳ δεδουλωμένος, ὑπέλαβε δίκαιον, τὸν τῇ τῶν ὁμοπίστων ἀντιλέγοντα ψήφῳ τῆς ἐκείνων ἀποτμηθῆναι συμμορίας, *Perſuaſerunt ut ex eccleſia illum expelleret. Idolorum enim etiam cultui deditus aequum exiſtimavit, eum qui fidei ſuae hominum ſententiae non acquieſceret, ab eorum conſortio reſecari.* Reſecari igitur voluit Aurelianus eum a ſuorum conſortio, quod plane erat tunc excommunicari, nec ſolum ex ipſa eccleſia Antiochena ejici. Ita antiſtites chriſtiani etiam ab eo qui e nutritiis eccleſiae, quales dicuntur principes chriſtiani, non omnino erat, id eſt, a pagano, impetratum volebant, ut quod ipſi cum effectu facere nequirent ab iſto praeſtaretur; quod ſane non ita ſpirat quaſi actum illum ex jure aliquo divino ordini ſuo peculiari pependiſſe exiſtimaſſent, ſed ex confoederata inter ipſos diſciplina humano tantum ſeu eccleſiaſtico ac canonico ab ipſis inter alia, ut dictum eſt, ſuperinducto, & pro ipſorum libitu aliis, nec generis ſui, e re nata communicando, adeoque ex jure etiam tunc Caeſareo exercendo. Id quidem verum eſt, occurrere apud Origenem, Tertullianum, & Cyprianum, alios aliquot, nec tamen multos, temporum illorum ſcriptores, ea quae judicium & exiſtimationem quandam de jure hic divino ſeu evangelico prae ſe rhetorice dicta ferre videantur. Sed quid ſenſerint illius aevi plerique, aut pars eorum ſane multo numeroſior, ex jam dictis & capite nono memoratis difficile non eſt conjectare. Vocatur quidem a Tertulliano [p] *cenſura* illa excommunicationis

[k] Anaſtaſius Nicaenus quaeſt. & reſp. 7. & Sinaita cod. numero, &c. [l] Sylvarum, lib. 3. in Hetruſci lacrymis [m] Et videſis Anaſtaſium Germonium de Immunitatibus ſacrorum, lib. 1. cap. 12. [n] Hiſt. Eccleſiaſt. 7. cap. 29. & Nicephor, lib. 6. cap. 29. [o] Haeretic. Fabul. 8. videſis Baron. Annal. 2. Ann. 272. §. 18.

divina;

8

divina; unde divinum ſtatim a nonnullis (qui in rebus aliis Tertulliano, Origeni, & Cypriano ſatis refragantur) inculcari ſolet, ex ejuſdem ſententia, circa hanc rem inſtitutum. Sed *divini* nomine nemo ſcriptoribus non alienus neſcit quamplurima etiam tunc temporis, uti & alias per ſecula cuncta, aliiſque in linguis, dicta eſſe quae non ideo Dei inſtitutum omnino innuant, ſed aut praeſtantiam ſingularem, aut Dei rerumve divinarum reſpectum tantum denotent, quamvis ex humano omnino jure originem trahant. Unde in jure Caeſareo res *divinae* [q] tunc dicebantur quae pontificiae erant, veluti ſacra & ceremoniae ex humano inſtituto introductae, & pro eorum libitu formatae. Etiam imperatorum veterum aures, leges, uxores, beneficia, *divina* nuncupantur ſaepius in Digeſtis & Codice utroque. Illinc etiam de chriſtianis principibus uſurpantur [r] *diva* & *divina memoria*, & *recordatio divina*, *divinus parens*, id genus alia, ut vocis uſum congenerem apud ſcriptores vetuſtiores non infrequentem praetermittamus. Et Tertullianus rationem plane reddit cur *divinam cenſuram* illam dixerat: *Nam &*, inquit, *judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu*, &c. Ex Dei conſpectus & vindictae ita fiducia humana *divinam* ibi eſſe dixit, non ex inſtituto aliquo (de quo tantum diſquiritur) cujus autor ipſe Deus. Et *extra eccleſiam projicere* tunc in *praeſidentis* tantum *officio* alibi collocat ipſe [s]. Ad Tertia demum hic tempora devenimus, ſeu intervallum a Conſtantino Magno, adeoque publici regiminis ac imperii ſimul ac chriſtianiſmi conjunctione prima, in noſtra uſque ſecula. Quae ad hoc intervallum pertinent, capite tractantur decimo. In hiſce manifeſtius ex ibi oſtenſis nihil videtur quam ita modos & temperamenta tum ab eccleſiaſticis ipſis tum a principibus per omnia intervalli iſtius ſecula variatim adhibita ut ne concipiendum quidem videatur publice & maxime aliam hac de re ſententiam viguiſſe & admiſſam eſſe praeter eam quae a jure mere humano nec ab inſtituto divino, quod ex ſui natura modorum & temperamentorum ejuſmodi plane impatiens eſt, excommunicandi uſum deducendum voluerit; utcunque ſcriptores aliquot, etiam & ſynodi interdum, aliter ſentirent. Certe, quantum ad tempora haec tertia, Primo, etiam in illa pariter duravit atque etiamnum obtinet illud de excommunicationis ex uſu Judaico (cujus originem plane humanam fuiſſe oſtenſum eſt) in chriſtianiſmum deductione (qua de re ſatis monitum) unde etiam & in conſtitutionibus apoſtolicis & ſynodi Nicaenae canonibus ante citatis, juxta ſuperiorum tunc temporum morem, eadem ipſa vox qua Judaei Helleniſtice ſeu Graece excommunicatum denotabant, id eſt, *apoſynagogus* (quae adeo Judaeis ante propria erat ut ab aliis nullibi uſurparetur) a chriſtianis itidem nunc pro eodem ipſo apud ſe adhibebatur. Teſtimonium ea de re jam dictis ſingulare accedat ex Alexandri epiſcopi Alexandrini ad Alexandrum epiſcopum Conſtantinopolitanum epiſtola [t] ſub initium temporum quae tertia hic vocamus conſcripta, ubi de Paulo Samoſateno ἀποκηρυχθέντι τῆς ἐκκλησίας, *abdicato ab eccleſia*, ſeu excommunicato, (ut ante dictum eſt) verba faciens, ſtatim ſubdit, Οὗ διαδεξάμενος Λουκιανὸς, ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολυετεῖς χρόνους, quod Chriſtophorſonus reddit. *Cujus perverſae doctrinae Lucianus ſucceſſor factus, multorum annorum ſpatio, hoc eſt, tantiſper dum tres epiſcopi, alius poſt alium, eccleſiam illam rexere, excluſus ab eccleſia manſit.* Et editio Sirmondiana [v], *Cuique ſuccedens Lucianus diuturno trium epiſcoporum tempore excluſus ab eccleſia manſit.* Ita citra dubium vocabulum ἀποσυνάγωγος, Judaeis adeo ſingulare ut excommunicationi plane ſeu excluſioni ab eccleſia chriſtiana, cujus inde origo tunc facile cernebatur, ſynonymum, adhibitum eſt. Caſſiodorus autem preſſius, & originariam τοῦ Ἀποσυνάγωγος, vim retinens, vertit [x], *Cui ſuccedens Lucianus extra ſynagogas manſit trium epiſcoporum plurimo tempore.* Adeoque *eſſe extra ſynagogam* (quae locutio plane Judaica originem etiam Judaicam agnoſcit) Caſſiodorus pro *excommunicari* apud chriſtianos, nec ſolus ille proculdubio, ſumpſit. Secundo, ex conſtitutionibus Caeſareis, iiſque ex utroque codice vetuſtiſſimis, uti & ex legibus moribuſque regnorum & rerumpublicarum dein chriſtianarum, ita pro re nata & regiminis publici commodo diverſimode coercitum permiſſumve poenae hujus uſum in dicto capite fuſiſſime cernitur, ut nunc ſtrictior nunc laxior ejuſdem eccleſiaſticis uſus perquam variatim fieret ab eis qui in regimine publico rebus praeeſſent; idque tam publice adſentientibus eccleſiaſticis ipſis quam aliorum ordinum aliis. Et ubi quis inſulae alicujus, areae aut fundi, jugerum, exempli gratia, mille ita Dominus admittitur ut nunc plura nunc pauciora in emphyteuſin pro libitu aliterve aſſignare aut adjudicare, numerumque integrum & quamlibet ejus partem pro arbitrio minuere, poſſit, num in cauſa ejuſmodi ambigi queat quin plane univerſorum ſimul, ſeu totius inſulae, areae ſeu fundi illius, is dominus ac arbiter ultro agnoſcatur ab emphyteutis aliiſve quibus ſic ejuſmodi quid, ex ipſorum impetratu, in aſſignatione aut adjudicatione ejuſmodi conceditur? *Nec enim fieri poterat* (ut de controverſiis agrorum, in re non ita diſſimili, quantum ad aſſignationem, recte Aggenus urbicus) *ut ſolum illud quod nemini erat adſignatum alterius eſſe poſſet quam qui poterat adſignare.* Tale quidem pariter dicendum de ſimilibus aliis, & cum primis de publica principum rerum adminiſtratione, per tempora hic tractata univerſa, in limitibus ac repagulis juriſdictioni eccleſiaſticae dici ſolitae, ſeu illi quae in excommunicatione quaſi omnino terminatur, aſſignandis, ac poteſtate nunc ampliori permittenda nunc anguſtiori, idque ex ordinum omnimodorum conſenſu, adeoque etiam non ſine conſilio ſaepius ac ſuffragiis eccleſiaſticorum, praeſtituenda. Quibus inſtituti in re aliqua divini vim locum habere creditur, quis credat ipſos, qualiſcunque fuerint alias perſuaſionis, arbitrariis ſuis temperamentis & moderamine inſtitutum illud mutare, minuere aut interpolare ita voluiſſe? Adeo ut quid ſenſerint ipſi publice, inde elicien-

[p] Apologetic. cap. 39. [q] Ulpian. l. 10. D. de Juſtit. & Jure. & vide Dionyſ. Gothofredum. [r] L. 17,18 tit. De Praetoribus C. Theod. l. 24. C. tit. Mandati vel contra l. 7. ibid. tit. De Liberis Naturalibus, &c. [s] De Pudicitia, cap. 14. [t] Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 4. [v] Tom. 4 pag 531. [x] Hiſtor. Tripartit. lib. 1. cap. 14. & videſis Innocentium Cyronium, Paratit. Decret. lib. 5. tit. 39. pag. 465.

dum.

dum. Nec opiniones aliquot in adversum in scriptis privatorum, aut etiam in synodorum interdum canonibus, repertae obstant quo minus publice ac maxime in hominum sententiis obtinuisse illam de jure tantum hic humano crederemus. Versari quidem passim circa divina, quae agnosci publice solent, instituta nemo nescit jura humana, ut scilicet eorum observationem commodius tueantur, & idem praestent quod Rabbini dicere amant facere הסיג לתורה *sepem legi*. Sed ubicunque quidquam ita fit, illibatam intactamque vim instituti divini (juxta integrum sui sensum & irrefragabilem, in quantum eam obtinet, obligationem) manere palam ac publice agnoscitur. Non ita ubi humano, seu eorum qui publico regimini praesunt, arbitrio, juxta jam dicta, res undiquaque geritur variaturque. Et quicquid senserint tunc theologi aliquot, res plane ad hunc modum se habuit processitque. Reos quidem alios gladio quem secularem vocant, id est, summa in regimine publico principum & magistratuum potestate, coerceri voluit antiquitas, quos scilicet sine ea satis coerceri nequire videret; alios autem altero illo spirituali dicto, cujus vi, citra gladii temporalis, seu mortis, aut corporalem aliam aut pecuniariam poenam, communio pristina tantum deprivati, ex libertatis inter suos, qua inde carerent, amore & delicti conscientia ducti ad meliorem mentem redigi possent. Ita in Roma vetere, quamdiu civis nec capite nec flagris ex moribus receptis plectendus erat, aquae & ignis interdictio illa, instar ferme excommunicationis, in usu erat. *Adhuc enim videbatur nefas*, ut Lactantius [z], *quamvis malos, tamen homines, supplicio capitis afficere.* Quasi gladium incruentum illum adhiberi potius volebant. Atque ita sane voluere causis in nonnullis respublicae & ecclesiae christianae, in quibus usus excommunicationis forensis ex sui natura, ut exsilii, deportationis, aliarum ejusmodi poenarum incruentarum, saluberrimus saepe ac merito habitus est, sed juxta summarum potestatum arbitrium & moderamen perquam variatim semper temperatus. Et circa res & personas sacras, haereses, causas matrimoniales, testamentarias, decimas, alias ejusmodi aliquot pauculas, plerumque versatus est, neque aliter ac potestatibus illis ex jure suo humano visum fuerit. Et memini Rogerum Bachonum, celeberrimum illum apud nostros ante annos abhinc 360 philosophum, mathematicum ac theologum, ubi de lumine sapientiae agere instituit, expressius innuere, se voluisse ut poenarum cruentarum locum incruentae illae, velut excommunicatio & exsilium, in regimine publico occuparent, unde scilicet sanguis christianus minus effunderetur. *Per lumen sapientiae*, inquit [a], *ordinatur ecclesia Dei, respublica fidelium disponitur, infidelium conversio procuratur, & illi qui in malitia obstinati sunt valent per virtutem sapientiae reprimi, ut melius a finibus ecclesiae longius pellantur quam per effusionem sanguinis christiani. Omnia vero quae indigent regimine sapientiae ad haec quatuor reducuntur*; *nec pluribus potest comparari*, &c. Displicuit scilicet illi, ut aliis non paucis per omnia secula, poenarum capitalium, quotquot mortis sunt, usus, saltem major quam pro regiminis publici ratione constituenda fuerit necessarius. Sed poenarum genera, adeoque excommunicationis, pro vario humani juris arbitrio, ut dictum est, aliter aliterque se semper habuisse manifestum est. Tertio, anne illi quibus pontificis maximi titulum ad christianos imperatores attinere receptum est, id est, jurisdictionem ac imperium omnimodum summumque tam circa sacra quam profana eis competere, existimare simul quibant ad ordinem ecclesiasticum jus excommunicationis forense, seu imperii ac jurisdictionis partem illam, velut ex instituto divino spectare? Plane haec invicem nimium adversa. Certe usque in Gratianum Augustum a Constantino Magno durasse titulum illum in imperatoribus christianis supra ostendi satis videtur, utcunque doctissimis aliquot reclamantibus. Etiam post Gratianum imperatoribus nonnullis, ut Valentiniano tertio, Marciano, Anastasio, Justino, tributum esse contendunt aliqui [b]. Et glossa ad jus canonicum [c] de imperatoribus plane christianis generatim, *Imperatores*, inquit, *olim pontifices appellabantur*, quod ex Isidoro ibi sumptum ad eos aperte attinet qui diu post Gratianum imperarunt. Sed vero quicquid de tituli usu, aut historia illa de Gratiano titulum seu stolam pontificiam renuente, fuerit statuendum, id interea certissimum est, ipsum Gratianum simul cum Valentiniano II. & Theodosio primo, postquam annos duodecim imperaverat, actus praestitisse plane ad pontificatus maximi inter gentiles dignitatem spectantes; quorum exemplum egregium est in sanctione eorum illa ad Florentium praefectum augustalem, de summo per AEgyptum sacerdotio seu archierosyna ibi paganica. *In consequenda*, inquiunt [d], *archierosyna ille sit potior qui patriae plura praestiterit, nec tamen a templorum cultu observatione christianitatis abscesserit. Quippe indecorum est, imo (ut verius dicamus) inlicitum, ad eorum curam templa & templorum solennia pertinere quorum conscientiam vera ratio divinae religionis imbuerit, & quos ipsos decebat tale munus, etiamsi non prohiberentur, effugere*; *Emissa* XVI *Kal. Jul. Const. p. Honor. N. P. & Evodio CONSS.* id est, Christi anno vulgari 386, seu Gratiani 12. Hic plane summi pontificatus actus a tribus illis Augustis in paganismo praestatur. Et, quantum ad christianismum, temperamenta illa & modi, quibus pro summi regiminis ratione varia ordinis ecclesiastici jurisdictionem velut ejusdem domini & arbitri (nec sine procerum ipsiusque ordinis ecclesiastici primorum aliquot proculdubio consilio) coercebant laxabantve illorum (ut ostensum est) successores, affatim testantur sententiam illam de jure hic humano, adeoque suo, nec ecclesiastici ordinis aliquibus, velut ex divino aliquo, proprio (quod sic coerceri nequibat) publice & maxime viguisse; licet ipsum titulum pontificis maximi interea non illi, ut superiores isti, gestarent. Et de potestate hic pontificia ejusmodi in imperatoribus orientis agnita consulas item Theodo-

[z] De Origine erroris seu lib. 2. cap. 10. & videsis Barnab. Brisson. select. ex Jure Civili Antiquit. lib. 2. cap 5. [a] MS. De Impedimentis sapientiae, part. 1. cap. 1. [b] Videsis Melchiorem Goldastum in Epist. Dedicatoria ad Jacobum Mag. Brit. regem, tom. 3 Recessuum, &c. Imperatoriorum, quo de loco item consulas Jacob. Gretserum Refectione Imposturae Calvinisticae, cap. 3. [c] Dist. 10. c. 9. ubi vide Adnotat. in edit. Gregoriana. [d] L. 112. Cod. Theodos. tit. De Decurionibus seu lib. 12. tit. 1

rum Balsamonem patriarcham Antiochenum in commentariis ad canones veteres[e], & Demetrium Chomatenum Bulgariae archiepiscopum in responso ad Constantinum Dyrrachii archiepiscopum. Accedat illud Socratis[f]; Συνεχῶς δὲ καὶ τοὺς βασιλεῖς τῇ ἱστορίᾳ περιλαμβάνομεν, διότι ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται, *Passimque in historia imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex quo christiani esse coeperunt* (seu a Constantino; scripsit ille sub Theodosio II, seu circa annum 430) *ecclesiae negotia ex illorum nutu pependere, atque adeo maxima concilia de eorundem sententia convocata sunt, & adhuc convocantur.* Negotia scilicet circa quae jurisdictio aliqua aut imperium versaretur. Nam de functione ipsa, seu quae ordinis dicuntur, non loquitur[g], in quibus scilicet revera ἡ ἱερωσύνη, *sacerdotium* seu *ministerium sacrum*, seorsim cernitur, consistit & terminatur; cui, inquit quidem Synesius[h], πολιτικὴν ἀρετὴν συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα, *Administrationem civilem*, id est, *imperium & jurisdictionem, conjungere, est ea nere quae nendo connecti nequeant.* Sed illud etiam aliter aliterque se per secula anteriora habuit; ut nemo nescit, ipseque Synesius fatetur. Mores item occidentis hac de re per imperium Romanum & Germanicum, & regna Anglicanum, Gallicum, Hispanicum, alibi, per tempora haec tertia usque in nostrum receptos dicto jam capite X. memoravimus. Atque ex illis palam liquet, quantum ad jurisdictionem, adeoque excommunicationis usum, sive personas sive delicta spectes, arbitrium eorum qui summo in regimine, qualicunque nomine, praefuerint, ut aliis plane in rebus, maxime & publice ita obtinuisse ut nulla cum ratione admitti posse videatur ut ii, qui tam facile se arbitros hic ita legitimos existimarent, (qui certe etiam ex omnigeno ordine fuere numerosissimi) divino instituto fundari, aut ad ordinem ecclesiasticum ex ejusmodi instituto attinere, crederent quidquam quod ita pro re nata ac varia publici commodi ratione, ut alia qualiacunque humana, inhiberent, moderarentur, ac pro libitu plane laxarent restringerentque. Dictis ibi de usu Gallico adde quae Renatus Choppinus[i] de provocatione abusus ergo hanc circa rem doctissime congessit. Quarto, adhiberi solitus est ipsius excommunicationis usus tam a principibus ipsis ac potestatibus summis in legibus suis ferendis, quam in canonibus conficiendis ab antistitibus, quibus ab illis in foro seu consistoriis suis ita variatim permissus est. Ea de re vide plura apud Anastasium Germonium[k], cui satis displicet ejusmodi usus, si pro ipsa excommunicatione fuerit intellectus. Atque eis quae de Justiniano ante ea de re dicta sunt, accedat illud quod habet Procopius de diris quibus provinciales suos magistratus devovit si a rapinis & munerum sordibus se puros non praestarent. Ἀράς τε, inquit[l], πάσας ἐπέβαλεν, ὅσαι πρὸς τῶν παλαιοτάτων ὠνομασμέναι εἰσίν, *Diris omnibus quae antiquitus in usu eos devovebat.* Hic plane excommunicationis pars altera ab imperatore adhibita. Certe etiam poena illa quam **Praemunire** nomine vocamus Angli, scilicet qua, per annos retroactos ccc. aut circiter, veluti gladio incruento, omnia quae citra mortem aut mutilationem ac exsilium sunt infligenda, coerceri soliti sunt tam ecclesiastici ordinis quique quam alii qui in jus circa jurisdictionem exercendam etiam & excommunicationis illegitimae saepius procacitatem inhibendam regium, actiones aliquas instituendo fovendove, delinquunt, poena inquam illa, demptis exsecratione solenni & sacrorum interdictione (quarum utramque sibi propriam fuisse obtendere solent ecclesiastici) revera excommunicationis simplicioris formam prae se fert, ut fere altera illa quae *utlagatio* dicta capitis est notissima deminutio. Etiam quae de summarum potestatum seu principum seculi jure sic dicta sunt, haud parum firmari, velut ex antiquissimis temporum pristinorum sententiis, videntur ab Isidoro Hispalense episcopo, qui ante mille abhinc annos mortuus est, & bene norat potestatem hanc circa rem ex jure humano imperatoriam ac regiam, quae passim in usu praecesserat. *Intra ecclesiam*, inquit[m], *potestates necessariae non essent, nisi ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc impleat* (legunt alii *imperet*, ut Burchardus[n] etiam & Ivo[o]) *per disciplinae terrorem.* Alia habet ibi in eandem sententiam; quasi disciplinam illam in ecclesia coercitivam, qualiscunque esset, ad potestates summas attinere jure & posse & debere, idque *disciplinae principum* nomine, (quo ibi nuncupatur) ut functionem ecclesiasticorum tantum esse, plane existimasset. Et locus Isidori ille etiam in canonum collectiones receptus est, adeoque & ipsius juris canonici apud Gratianum[p] pars est. Quinto, per regna & respublicas christianas passim ferme videmus, singularia aliquot ad templa aliaque loca religiosa, personas sacras, proventus ecclesiasticos, res testamentarias intestatorumque, atque id genus alia aliquot attinentia, ita pontificibus aliisque ordinis ecclesiastici ex indultu principum summarumque potestatum permitti, ut in illis plane vestigia apertissima compareant veteris illius juris quod principibus nomine pontificis maximi in pontificibus minoribus jurisdictione ac imperio donandis competebat. Nam etiam quae id genus, dum in paganismo fruebantur imperatores titulo illo, ut ostensum est, fuere, prae aliis ad pontificalem spectarunt autoritatem, sed primario ad imperium principis unde illa pendebat, ut scimus ex Papiniano[q] ac Ulpiano[r], qui diu ante christianismum cum regimine principali conjunctum floruere. Et de rebus ejusmodi consulas Jacobi Gutherii librum secundum de Vetere Jure Pontificio. Id genus autem rerum prae aliis cognitio ab principibus christianis episcopis suis passim ferme concessa, unde jus non obtemperantes seu contumaces excommunicandi pendere necesse est ut existimarent ipsi, aut nefarie simularent, qui concessiones ejusmodi impetrarent, ac juxta eas tantum

[e] Ad Synod. Chalced. can. 17. & ad Synod. Carthaginens. can. 15, 16. [f] Prolog. ad Hist. Ecclesiast. lib. 5. [g] Videsis Leon. Allatium de Eccles. Occidentalis & Orient. concordia, lib. 1. cap. 15, &c. [h] Epist. 57. unde videsis Suidam in πολιτικὴν. [i] De Sacra Politia, lib 2. tit. 3. §. 3, &c. [k] De Sacrorum Immunitatibus. lib. 2. cap. 14. [l] Arcana Historia, pag. 93. [m] Sententiarum lib. 3. cap. 53. [n] Decretorum lib. 15 cap. 43. [o] Part. 16. cap. 44. [p] Cap. 23. quaest. 5. c. 20. [q] L. 50. D. tit. De Haereditatis petitione. [r] L. 8. D. tit. De Religiosis & lib. 5. tit. De Mortuo inferendo.

tum

cum jurisdictionem exercerent, neque exercere aliter auderent. Sexto, recolatur illud in dicto capite de excommunicato ad mensam seu praesentiam regiam admisso, ex ipsa admissionis ejusmodi vi legitime ac rite satis olim absoluto. Quidquamne in forensi ejusdem usu divini instituti agnoscere potuerint ii quibus illud de absolutione ejusmodi receptum? Id simile faciunt aliqui [s] manumissioni in jure Caesareo veteri *per mensam* [t] seu *convivii* [v] (ut loquitur Caius) *adhibitione*, quasi inde deductum. Sed rectius forsan illi [x] qui non honorem mensae servo a domino collatum ex vi sua manumisisse eum opinantur; verum, ut *in ecclesia* [y] seu apud concilium, id est, ἐν συνεδρίῳ & *inter amicos*, ac *ante consulem* formulae fuere aliae (quod ex Caio item aliisque scimus) ita ad mensam etiam verba idonea, animo manumittendi a domino prolata, nec aliter, satis legitimam fecisse manumissionem. At vero formula ad mensam manumittendi Graecis adeo ex Romano jure nota fuit ut eam voce unica nominarint περμένσαμ *permensam*; quod ex Theophilo antecessore aliisque scimus. Et glossae veteres, Περμένσαμ, ἐλευθερία, ὅταν συνεστιαθῆναί μοι κελεύσω τὸν δοῦλόν μου, *Permensam species est libertatis* seu *manumissionis*, *quando jubeo servum meum ut mecum epuletur*. Sed hoc obiter. Septimo, antiquitus hodieque abbatibus [z], aliisque coenobiorum senioribus, etiam & academiarum cancellariis (qui saepius, ut apud nos in academia utraque, ex eis qui non fuerint ex ordine ecclesiastico constitui soliti sunt) horumque inde vicem gerentibus, rite communicari excommunicandi potestatem passim agnoscitur, eamque ab eis legitime exerceri. Et de abbatibus eorumque prioribus hic consulas exemplum egregium in statutis Henrici I. abbatis Cluniacensis sub annum 1310 [a]. Accedat item, ex privilegiis prioribus ordinis illius amplissimi Cartusiensis a Clemente tertio, Gregorio nono, Alexandro quarto, aliisque pontificibus Romanis olim, velut ex jure de excommunicatione omnia juxta arbitrium humanum statuendi liberrimo, concessis, tum excommunicandi tum absolvendi potestatem & competiisse & eis exerceri solitam, idque quatenus tales fuerint, ut in privilegiorum ejusmodi Bullis habetur a Gregorio priore domus S. Joannis B. prope Friburgum provinciae Rheni ante annos CXL. editis [b]. Quale itidem ad priores, generales & provinciales regularium generatim non solum ex privilegio sed ex jure communi a theologis jurisconsultisque Romanensibus attinere fusius asseritur [c]; reservatis aliquot, ut fieri amat, casibus exceptis, qui rationem hinc deducendam non omnino minuunt. Etiam viri doctissimi volunt aliqui [d] tantundem pariter jure exerceri posse a sexu sequiore, ut abbatissis ac priorissis. Et rarum non est, non principes solum, sed etiam tam alios quoscunque quam eos qui ordinis fuerint ecclesiastici, in donationum codicillis audacter anathema pronunciare in eos qui jus ab ipsis collatum ullatenus violarent, ut ante ostensum. Et penes me est exemplar MS. pervetustum pulchrumque geographiae Ptolemaei, ad monasterium in Chalce Propontidis insula olim spectans, cujus ad finem charactere vetusto legitur, Ἡ βίβλος αὕτη πέφυκε τῆς παντεφόρου τριάδος τῆς ἐν νήσῳ Χάλκῃ, μονῆς τε τοῦ Ἐσόπτρου. Καὶ εἴ τις βουληθῇ περὶ ταύτην ἀποστερῆσαι, κεχωρισμένος ἔσται τῆς τριάδος τῆς ἁγίας ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ καὶ τῷ ἐλευσομένῳ, *Codex hic ad trinitatem omnipotentem in Chalce insula pertinet, & ad monasterium* (illi ibi dicatum) *Esoptri. Et si quis attentaverit eum surripere, separatus erit ille a Sancta Trinitate tum in hoc seculo tum in futuro.* Subscribitur autem eadem manu, Οἱ πατέρες, μέμνησθε τοῦ Μητροφάνους, *O patres, mementote Metrophanis.* Metrophanes aliquis, puto, archimandrita, aut monachus, aut libri donator, sic adscripsit, ut totam, quantum video, anathematis vim prae se ferret. Et ejusmodi sunt in codicibus vetustioribus MSS. tam orientis quam occidentis alia innumera. Certe haud concipi videtur posse eos qui, cujuscunque essent ordinis, anathema adeo indiscriminatim adhiberent ac frequenter, nec sub nomine episcopi, aut presbyteri, nedum synodi aut classis alicujus, usum ejusdem ex instituto aliquo divino ordinis episcoporum seu presbyterorum ecclesiastico tantum proprium esse, aut ex instituto pependisse ejusmodi, sensisse. Octavo, etiam qui episcopalem ordinem seu dignitatem, quantum ad jurisdictionem, presbyterali ita praecellere volunt, ut ad illam non ad hanc jurisdictionem hic forensem attinere statuant, passim interea admittunt, simulac electus quisquam in episcopum aut postulatus ac confirmatus est, ante scilicet consecrationem seu characterem ordinis seu dignitatis episcopalis indutum, jurisdictionem, adeoque excommunicandi potestatem legitimam, posse illum exercere, ut reliqua quae jurisdictionis dicuntur; sed non eorum quidquam quae dicuntur ordinis episcopalis. Et vice etiam velut versa, episcoporum genus a seculis vetustis nemo nescit esse qui ordinis seu dignitatis charactere insigniti ea possint cuncta praestare quae ordinis ejusdem dicuntur (quales olim apud nos suffraganei dicti) nec tamen omnino jurisdictioni inde se rite immiscere. Nonne haec plane de juris humani hic arbitrio sententiam quam diximus velut publice receptam, nec divinum, quantum ad personas aut ipsum jurisdictionis de qua loquimur actum, aliquod institutum respiciunt? Nono, haud solum rei aut contumaces, qui in jus vocari possint, objecta fieri soliti sunt, tam in oriente quam occidente, excommunicationis, verum etiam ipsae bestiae, mortui, res inanimatae, ut scripta & codices, ac opiniones, ut supra ostensum est. Et ea de re jam adjicere liceat illud Humberti episcopi Candidae Casae, & Petri Amalphitanorum archiepiscopi [e], qui scriptum Michaelis patriarchae de sabbato, nuptiis sacerdotum, aliis aliquot, anathematizarunt; uti & illud de

[s] Innoc. Cyronius Paratit. Decret. lib. 5. tit 39. pag. 466. [t] Theophilus antecessor Instit 1 tit 5. [v] Instit. lib 1. [x] Carol Fabrot. In Notis ad Theophilum. [y] Caius Instit. 1. l. 27. Dig. tit. De Manumissis Testamento, & Basilic. lib 48. tit. 3. §. 28. Adde Tertullian. de Resurrect Carnis, cap. 57. [z] Regul. S. Benedicti cap 23. &c. & videsis Ascanium Tamburinium de Jure Abbatum tom. 2. Disp. 14. quaesit. 1 Navarr. Manual. cap 27. § 5. [a] Biblioth. Cluniacens. pag. 1576. A &c. [b] Basileae 1510. fol. 3, 7, 16, 17, &c. [c] Consulas Emanuel. Roderic. Quaest. Regular. & Canonic. tom 2. quaest. 60. & Alphons. de Casarubios & Hieronym. a Sorbo in compendio Privileg Fratrum tit. Absolutio extraord. & tit. Excommunicatio. [d] Vide Ascan. Tamburin. de Jure Abbatissarum disp. 32. quaesit. 4. Paulum Laymannum in Theologia Morali. lib. 1. tract 5 part. 1. cap 3. Emanuel. Roderic. Quaest. Regular. tom. 2. quaest. 108. Fr. a Victoria Relect. de Pot. Eccles. Georg. Polachum de potest. Praelat. Regularium num. 112. atque ab hisce citatos. [e] Biblioth Patrum Paris. 1624. tom. 4 part. 2. pag 250.

8 opinio-

opinionibus aliquot Thomae Aquinatis, ipso vivente, tum ab academia Parisiensi tum ab archiepiscopis aliquot Cantuariensibus *damnatis & excommunicatis* [f]. Atque in indice libri qui Ὁδηγὸς seu *dux viae* dicitur, autore Anastasio Sinaita patriarcha Antiocheno, ubi decimi capitis, in quo de natura & hypostasi divinis in haereticos aliquot disputatur, summa exhibetur, adjectum habemus scholion, *in hoc capite reperiri capitula,* ἅπερ χρὴ προαναθεματίζειν ἡμᾶς ἡνίκα τοῖς αἱρετικοῖς διαλεγόμεθα, *quae praeanathematizare,* seu *anathemate ante damnare, debemus priusquam cum haereticis disputemus.* Et sane pro libitu & permissu quo fruerentur qui excommunicationem exercere soliti, nulla in re non adhibuere eorum non pauci eam, velut usus in omnes, citra religionis causas, quaesitam. Quin nec defuere in Hispania ecclesiae aliquot quae arcendos statuerunt, adeoque excommunicandos, omnes qui ex Ebraeis nati Christo nomina dederant, utcunque culpae alicujus neutiquam reos. Et in ecclesias illas opus magnum conscripsit olim Joannes de Turrecremata. At vero quodnam, quaeso, existimare revera potuerint illi qui sententias hujusmodi pronunciarint, divinum fuisse sic pronunciandi sibi institutum? Decimo, nonne aperte innui videtur receptam ejusmodi publice ac revera fuisse opinionem, etiam ex eo quod non solum ipsi simpliciori actui excommunicationis majoris tot apud pontificios actus alii, velut partes ejusdem necessariae, ut nolarum clangor, & lampadum exstinctio, praeter tot & tam horrenda exsecrationis carmina toties iterata, & tam majori & minori tot reservationes; exemptiones, appellationes, effectusque harum perquam multiplices, accesserint, verum etiam absolutioni sequenti ac poenitentiae praeviae tot tamque varia, pro arbitrio humano & multiplici locorum & seculorum discrimine, poenarum subeundarum (cujus rei etiam superius mentio fit) genera, quorum in divino aliquo instituto vestigia ullibi reperiri ne quidem obtensum? Flagris etiam absolvendi caesi ex disciplina nunc a presbyteris aliquot muneri illi praefectis, nunc a poenitentiariis, ut ex ritualibus [h] eorum scimus. Inolevit etiam discrimen notissimum, alios in articulo mortis tantum, alios quovis alio tempore posse absolvere. Etiam mortui ipsi [i] formula solenni absolvi soliti. An divinum hisce de rebus ullibi institutum haberi creditum, cordatus quisquam existimaverit? Parile dicendum de aliis & excommunicationis & publicae poenitentiae & absolutionis scenis illis vetustis solennibus annuisque ante plurima abhinc secula a patribus occidentis praestitutis, & in ecclesiasticas ejusdem canonum collectiones receptis [k]. In capite scilicet quadragesimae quotannis peccatoribus publicam poenitentiam suscepturis, nudis pedibus, cilicio indutis, ac cinere inspersis, denunciandum erat ab episcopo, *quod sicut Adam projectus est ex paradiso* (quasi etiam Adamitas, de quibus supra, hic imitandos esse voluerit) *ita ipsi pro peccatis ab ecclesia abjiciuntur. Post haec jubeat ministris ut eos extra januas ecclesiae expellant, &c. In sacra autem Domini coena rursus ab eorum decanis & eorum presbyteris ecclesiae liminibus repraesententur.* Scena autem hujusmodi ad laicorum tantum, non omnino ad clericorum, poenitentiam attinuit. Inter canones datos sub Edgaro Angliae rege legitur [l] morem hunc obtinuisse beȝeonðan Sæ, *in partibus transmarinis,* quasi in Anglia nondum fuisset admissus. Ejusdem autem usum hodie *exolevisse* scripsit Alciatus [m], *nisi quod Saxones urbe Halberstadensi ejus imaginem servant. Ibi* (inquit ille) *singulis annis ex plebe aliquis eligitur quem gravioribus noxis inquinatum putant. Hunc ferali habitu & obvoluto capite cineralium die in templo statuunt, & peractis sacris ejiciunt, donec* XL. *dies per urbis compita vagus & mendicans erraverit, Interim divinas aedes eum ingredi fas non est. Qualemcunque cibum sibi vel ab aedituis vel aliunde oblatum non aspernatur, neminem alloquitur, non indulget somno nisi post concubiam noctem, idque in media via. Die Jovis, quae dominicae coenae dicata est, ad templum reducitur. Ibi a sacerdote solennibus quibusdam ceremoniis absolvitur, & a confluente illuc populo stipem accipit. Adamum hunc vocant,* (Adamitas sic etiam imitantes) *& omni crimine expiatum credunt, quem* ritum mirabilem *Pius pontifex,* institutum inauditum *Raphael Volaterranus appellant. Ego olim vulgarem & ex veterum decretis acceptum scio. Sic enim publica poenitentia* (simul cum excommunicationis illa scena) *peragi solebat. Videnturque mihi sacrosancti illi patres hac in re veterum Graecorum* (paganorum) *sacrificia quadamtenus imitari,* (ea scilicet quibus singularium aliquot e suis capita poenis acerbissimis devovendo civitates & populos integros (ut Halberstadenses hic Adamo suo) expiare solebant; qua de re is ibi plura ex Isaacio Tzetze in in Lycophronem, Philostrato, aliis. Quisquamne vero opinatur receptam fuisse publice de solennibus ejusmodi aliisque in canonibus priscis ab usu recentiori diversissimis sententiam, ea ex divino instituto observata esse aut observanda? Humani arbitrii, ingenii, commenti vestigia in eis multiplicia apertissimaque videmus, nec instituti divini quidquam. Remissiones item & relaxationes peccatorum publicas, unde indulgentiarum varietas orta [n], quatenus excommunicationem saepius praeeuntem respiciunt, jure fundari ecclesiastico seu humano omnino a viris doctissimis conceditur. Etiam mos videtur fuisse in oriente in excommunicati statum quempiam apud catholicum ibi & episcopos redigi per cinguli dissectionem, seu qualemcunque ejusdem spoliationem, exsecrationi seu anathematis ipsiusve *Cherem* pronunciationi ritu solenni adjiciendam. Scilicet Honain Ben Isaac ille, qui circa tempora Motwaccelli Chaliphae, seu annum Hegirae 240, aut Christi 850, codices aliquot classicos, maxime coryphaeorum illorum in arte medica Hippocratis & Galeni, e Graeco in Arabicum transtulit, contumeliosius in tabulam in qua Christus &

[f] Gul. Ockamus Dialog de Haeres. part. 1. lib 2. cap. 10 & Henric de Zoemeren in Compend. ejusdem lib. 2. quaest 5. [g] Antonius Senensis apud Ant. Possevinum in Apparatu sacro ver. Jo. de Turrecremata. [h] Andreas Piscara Castaldo. Prax. Caeremon lib. 2. sect. 14. cap. 6, &c. [i] Ritual. Roman. [k] Burchard. lib. 19. cap. 26. Ivo part. 15. cap. 17. Gratian. dist. 50. cap. 64. ex Concilio Agathensi celebrato A. 506 & videsis Dionys. Petavium in Diatriba de Vetere Poenitentia ad Epiphanii Haeresin 59 [l] Apud Henric Spelman. in Concil. Brit. pag. 464. [m] Parergon lib 9. cap 22. [n] Bellarmin. de Indulgentiis lib. 1 cap 3. & 9. & vide Dominic. Soto ad sent. 4. dist. 21 quaest. 1 artic. 3 Petrum Taffinum in Chronolog. nova Ludorum secularium, cap. 15 Et de varia hic, pro humano arbitrio, excommunicandi potestate videsis Augustin. Triumph. de potestate Eccl[illegible] quaest. 27, &c.

disci-

discipuli pingerentur, imaginum ejusmodi nempe osor, conspuerat; quod cum impense displiceret Tiphurio cuidam, qui aderat, is apud Chalipham gratia pollens, & pariter Christianus, impetravit ut Honain jurisdictioni seu disciplinae catholici & episcoporum prorsus permitteretur. In jus vocatur ille, & catholicus & episcopi anathemate eum damnandum censuere; خرج وقطع زناره *& per cherem* seu *anathema damnatus est*, *dissecto insuper cingulo.* Observavit mihi nuper hoc ex Gregorio Abul-Farai scriptore orientis christiano celeberrimo vir eruditissimus Edwardus Pocockius in academia Oxoniensi tum Ebraicae tum Arabicae linguae professor publicus longeque dignissimus, cujus summae humanitati simul & doctrinae me plurimum debere libentissime agnosco. Voluere patres illi tam cingulo (quod notissimum dignitatis erat apud veteres insigne, uti ex jure Caesareo scimus) spoliari, velut poena ex sui natura congenere, quam diris onerari excommunicandum; poenam scilicet ex humano seu ecclesiastico arbitrio variari, minui, augeri rite posse, ut alii, existimantes. Undecimo, viri pontificiorum doctissimi jus hic haud aliud quam ecclesiasticum (ut ostensum est) admittunt, planeque humanum, quantum ad ipsum actum singularem formamque excommunicationis, qua talis est, utcunque interim ex ecclesiae suae potestatis plenitudine eam non sine praevia divini juris autoritate generali primo introductam asserant, quemadmodum etiam autoritatem canonum condendorum, idque genus alia. Sed ita non minus manet ut jure humano tantum, nec divino aliquo, qua tale est, fundatum, quam poenae quaecunque aliae ab hominibus qui rite summae rerum aut praesint pro libitu, aut ita praeesse credantur adinventae. Autoritas autem illa quae sic obtendi solet a Romanensibus ex jure divino generalis ad aliud prorsus disquirendi genus pertinet. Illinc item Antonius Ricciullus [o] J. C. celebris, *excommunicationes speciales, etiam in casu haeresis, esse de jure ecclesiastico positivo*, id est, plane humano, *censuisse* recte ait theologos complures, quos simul memorat, ubi adjicit, *Et haec, sicuti est receptior, ita est verior.* Et sane, quamvis jam per secula de quibus hic loquimur inoleverat apud complures opinio illa de instituto divino seu evangelico, cujus, ut obtendi solet, haud exigua pars in eo quod est potestas clavium & ligandi & solvendi collocatur, nihilominus, si quae patrum veterum aliquot percelebres de potestate ejusmodi ad evangelicum illud scripserint animadvertamus, certe quasi forensis potestatis seu jurisdictionis inde institutum in eorum ibi dictis admisissent nullum expressim satis loqui videbuntur. Ὀυ περὶ τῶν προέδρων τῆς ἐκκλησίας (inquit Anastasius Sinaita patriarcha Antiochenus [p], idque ex Chrysostomo) εἴρηκε, Ὅσα ἂν δήσητε, ἔσαι δεδεμένα· ἀλλὰ περὶ τοῦ προσκαλεσαμένου τὸν ἁμαρτήσαντα πρὸς τὸ διαλλαγῆναι. *Non dixit de praesidibus ecclesiae illud*, *Quaecunque ligaveritis*, *erunt ligata*; *sed de eo qui provocavit peccatorem* (juxta ea de fratre correpto ibi memorata) *ad reconciliationem.* Eadem ipsa apud Anastasium episcopum Nicaenum [q], ut Sinaitae pleraque alia, leguntur. Tantundem veterum alii. Anne igitur illis de quibus dictum fuisse hoc non concesserint, donatam inde existimarunt, dum haec scripsere, ligandi jurisdictionem aliquam forensem? Et Hieronymus [r] ad locum de clavibus & ligandi & solvendi potestate Petro datis, *Istum textum*, inquit, *episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur*; *cum apud Deum non sententia sacerdotum sed reorum vita quaeratur.* Lege ibi reliqua. Certe, dum is haec scripsit, & ministrorum tunc christianorum officium inde haud dissimile esse expressim ait ab eo quod sacerdotum Leviticorum erat in munditie seu immunditie leprosorum spontaneis ipsis indicanda, procul satis abfuisse tunc videtur ab ea sententia quae inde jurisdictionem aliquam forensem institutam esse doceat. Et ab errore illo, quem hic coarguit, episcoporum & presbyterorum & sui temporis & praecedentis, sententia quidem ejusmodi nata videtur. Anne item institutum divinum, aut non potius omnino arbitrium hac in re humanum, sapit illud quod Synesius Ptolemaidis episcopus ille sane doctissimus, atque jurisdictionis excommunicandi satis amans, inque ea exercitatus [s], habet [t] de Lampaniano excommunicato, scilicet si mors immineret, plane a presbytero quocunque jure posse in communionem recipi. *Sin convaluerit*, inquit, πάλιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ὑπόδικος ἔσω, *rursus eisdem vinculis teneatur.* Et Μηδεὶς γὰρ (idem) ἀποθάνοι δεδεμένος ἐμοί, *Nullus quantum in me erit vinculis* excommunicationis *obstrictus morietur.* Disciplinae ejusmodi temperamentum in canonibus vetustis haud infrequens est. Sed interea quid aliud innuit, quantum ad jus ipsum, quam humanum tantum agnosci? Hisce accedat quod, licet maxima inter homines pars excommunicationis in eo consistere credi soleat ut aliorum commercio ea sint arcendi quomodocunque excommunicati, atque ut ethnici & publicani, sensu vulgari, habendi, idque, ut olim, tam a jure seu lata generatim sententia quam ab homine nominatim excommunicati, nihilominus in ecclesia Romana hoc ita temperatum est & mutatum circa annos abhinc 230 a Martino quinto papa, ut interdictum hujusmodi locum non habeat, *Si illa talis sententia*, &c. *non fuerit promulgata aut denunciata specialiter & expresse a judice contra certam aliquam personam*, &c. Quae verba sunt bullae ejusdem a conciliis aliquot generalibus, ut Basileensi [v] & Lateranensi [x] sub Leone decimo, & in concordatis inter eum & Franciscum Galliarum regem primum renovatae firmataeque. Atque hac de re obiter jurisconsulti [y], qui jus vetus & sic novatum hoc memorant, uti etiam scholastici aliique theologi, ubi de excommunicatione locis notissimis disceptant. Certe mutatio pristini juris hic non exigua & perquam arbitraria, nec qualis ab eis qui revera instituto fundari divino simplicem poenae illius irrogationem censuissent, ratione cum

[o] Tract. de personis extra gremium ecclesiae existentibus, lib. 5. cap. 13. §. 7. [p] Quaest. & Resp 61. & videsis Chrysostom. homil. 60. in Matthaeum. [q] Quaest. in script. 74. Biblioth. Patrum. tom. 6. edit. Binii 1575 [r] Ad Matth. lib. 3. cap. 16. [s] Epist. 57, 58, 60, 67, 72. [t] Epist. 67. [v] Sess 20. [x] Sess. 11. [y] Covaruvias ad c. Alma mater, part. 1. §. 2. num. 7. Navarr. in Manuali c. 27. § 35 Canis. summa, lib. 3. tit 23. & videsis Antonium Ricciullum Tract. de personis extra Ecclesiae gremium existentibus, [illegible] cap 43, &c.

ulla contra ejusmodi institutum introducenda fuisset. Atque hinc, cum in missionarii a sacra congregatione de propaganda fide instructi quaesitis contineatur, *Num liceat catholicis habere commercium, & quale commercium, cum haereticis anathemate laqueatis*, *responsum tulere a congregationis illius patribus*, *quod haeretici manifesti, cum sint excommunicati, licet non jure divino, sed canonico, nempe in bulla coenae Domini, omnino sunt evitandi. Sed in Germania & Gallia, in Vngaria & Transilvania, in Polonia & Suecia, in Dania & Anglia, in Saxonia & Norwegia, ac caeteris aliis partibus ubi grassantur haereses Lutheranae & Calvinianae, sicut etiam schismatici, cum quibus catholici sunt mixti, potest haberi commercium cum ipsis, juxta constitutionem Martini* V. *pontificis in concilio Constantiensi* (nam & illuc referunt nonnulli [z]) & *Lateranensi receptam, non obstante quod dicti haeretici sint manifesti & publici excommunicati, tanquam membra abscissa a S Romana ecclesia.* Neque templis aut sacris haereticorum ejusmodi necessario oportere ibi dicitur abstinere catholicos, nisi *individualiter* fuerint illi denunciati. Ita legitur in missionario apostolico Andreae de Castellana [a], qui & ipse missionariorum praefectus. Quanta hic effectuum vulgo creditorum excommunicationis pars dempta, idque arbitrio plane humano, velut illo e quo pendere illius vim omnino sit publice existimatum, utcunque scriptores aliquot persuasionis etiam Romanensis in adversum adeo contendere saepius non desinant? Neque adeo novum est hujusmodi temperamenta poenae hujus effectibus pro humano arbitrio sic adhiberi, ut quantum ad personarum aliquot genera alia, communicatio plane cum illis licita sit habita, non obstante excommunicatione quae praecederet. Nam & circa annum 1230 Gregorius nonus concessit fratribus minoribus *in terra Virgianorum & paganorum* [b] *proficiscentibus*, &c. *ut in terris illis vobis sit licitum cum excommunicatis communicare in his quae ad salutem pertinent animarum.* Id genus alia [c] in actis pontificum veterum occurrunt. De subditis etiam principis excommunicati Raymundus Barcinonensis (qui Gregorio IX. capellanus & poenitentiarius decretalium volumen congessit circa annum 1230, & postmodum a Clemente VIII. in sanctorum numerum est relatus) verba faciens in summula e summa ejus extracta, & metris satis barbaris plurimis abhinc annis edita,

——*Princeps*, inquit, *vel rex populorum*
In banno si sit, sua gens communicet illi;
Istos corrigere licet ut faciant satis, atque
Vt studeant quod solvantur, quocunque modo sit.

Bannum semper ibi pro excommunicatione usurpatur. Et glossa adjicitur consona, *Subditi propter hoc sequuntur dominum, quia bona & dona a domino recipiunt ut ipsi serviant. Ergo optimum est ut ipsi adhaereant*; *sed cum tali conditione, quod ipsi semper debent inducere principem seu dominum ut satisfaciat, & absolvatur ab excommunicatione.* Anne vestigium in jure divino distinctionis hujusmodi? Jure illo aut ad omnes excommunicatos, adeoque ad reges ac principes, pariter attinet aut ad nullos. Et de regibus suisque clientibus ac ministris hic proximioribus superius allata sunt satis consona: Quibus adjicias de regibus Galliarum id quod palam item profitetur vir eximius, ordinis Minimorum, Marinus Mersenius [e], eos *ab ipsorum episcoporum potestate exemptos esse in ordine ad excommunicationem*; quod ex Joannis Feralti de privilegiis liliorum libro atque ex actis publicis demonstrans, in his monet inter privilegia a summis pontificibus regibus Franciae indulta etiam legi, *Nullum in personas domini regis, uxorum & filiorum suorum excommunicationis sententiam promulgare valere, aut eisdem ingressum ecclesiae interdicere. Literas domini regis & dominae reginae excommunicari vel interdici non posse. Dominum regem pro participatione cum excommunicatis non incurrere sententiam*; quod de regina & ejus familia postea confirmatur. Hujusmodi alia pro vario seculorum more alibi satis sunt obvia, quae de jure hic plane humano sententiam spirant. Et temperamenta etiam illa & modi qui in disticho illo, *Vtile, lex, humile* [f], &c. continentur, & ab ecclesiasticis ipsis passim admittuntur, uti & illa de judice qui habetur suspectus, ideoque legitime, idque ex sententia concilii Lateranensis generalis sub Innocentio III. in excommunicationis causa [g], recusandus, appellationes, causarum de restitutionibus & revelationibus hanc circa rem restrictiones variae [h], ordinum exemptiones, id genus reliqua non pauca huc spectantia & ante subinde tacta, anne aliunde accessere quam ex eo quod fundamentum eorum ipsum, ex introducentium sententia, jure tantum niteretur humano, uti item excommunicationum S. Eleutherii dictarum, quas *in diversis mundi partibus exortas* ut illegitimas vetuit Paulus III [i]. Ejusmodi enim temperamentorum juris divini institutum, seu quod ita esse obtenditur, qua tale est, capax habetur nemini. Nec quis hic temere objiciat, modos & temperamenta quamplurima etiam reperiri apud Ebraeos veteres in Talmudica doctrina, e quibus aliter atque aliter, nec semper juxta ipsa verba sacra, praecepta observari voluerint, veluti de sabbati observatione, de bello in septem populos & Amalekitas inferendo, de ciborum delectu, id genus aliis (uti etiam ex novo foedere scimus) & quoties quidem quid ligatum quid solutum esset docerent; cum interim nemo dubitet quin ipsi praecepta de rebus ejusmodi data fuisse ex origine divina, divinamque semper retinuisse vim, existimarint. Aut enim modi ac temperamenta illa fuere לסיג התורה *in sepem legis* (ut ante dictum est) pro arbitrio humano introducta, id est, ad accuratiorem ipsius legis secundum quod tradita est observationem inventa, aut ex traditionibus Mosaicis e Sinai lege in sacra non scriptis sed eam

[z] Vide Covaruviam loco indicato. [a] Bononiae 1644. Part. 4. Quaesit. 1, & 2. [b] Emmanuel. Rodericus in Collect. Privileg. Apost. Regular. in Greg. 9. Bulla 6. [c] Videsis eundem in Qq. Regular. tom. 2. quaest. 62. [d] Coloniae 1588. & pag. 120. & Parisiis 1511. pag. 115. [e] Quaest. & Comm. in Genes. cap. 1. pag 666. [f] Supra pag. 953. & videsis Anton. Augustin. Epit. lib. 37. tit. 3. cap. 2, &c. [g] Concil. Lat. 3. sub Innoc. III. cap. 49. Extr. tit. De Appellationibus, c. 61. [h] Concil. Trid. sess. 25. de Reformat. cap. 3. & Declarationes ibidem. Michael. de Castro in Constit. Archiepiscopal. Olissiponensis tit. 30. Act. Eccles. Mediolanensis Concil. Provinc. 4. pag. 188. & Concil. 5. pag. 282, &c. [i] Bullar. tom. 1. pag. 541.

divinitus (ut volunt illi) explicantibus, e quibus legem oralem natam docent, aut demum ex interpretationibus legum sacrarum variis. In unoquoque plane hic genere admittitur & aperte expressimque supponitur tota ac integra vis praecepti, qua divinum est. Neque eam ex ejusmodi modis ac temperamentis omnino minui aut variari, nedum cessare aut aboleri. Sed aut ex traditione sacra, aut ex interpretatione verbis itidem sacris subnixa, vis praecepti, qua divinum est, utcunque aliter atque aliter intellecti, urgetur retineturque. Sed vero in christianismo multipliciter, ut ostensum est, ipsam intrinsecam excommunicationis vim juxta varium morum, locorum, seculorum discrimen, non solum minui, sed & cessare & evanescere, etiam ab ecclesiasticis ipsis per anteriora secula admissum est, idque ex arbitrio plane humano. Nec divina ab illis aliqua instituta (praeter autoritatem illam, quam interdum sibi arrogant, universalem, non magis huc quam ad aliud aliquod juris ecclesiastici caput attinentem) quibus modi ac temperamenta sua jam dicta fundentur, obtendi hactenus video, quemadmodum in jam memoratis ab Ebraeis. Adeoque perquam diversa est horum ab illorum hic ratio; his jus semper divinum in jam dictis palam profitentibus, tametsi modos ejusmodi ac temperamenta, sed ex eodem jure, adhibuerint, illis ex arbitrio humano non solum circumstantias sed & vim ipsam instituti libere & perquam varie disponentibus; quod cum sententia de instituto divino consistere omnino nequit. Duodecimo, ex ostensis capite in decimo liquet, viros etiam doctissimos e paganismo excommunicationis usum in christianismum, ut alia non pauca olim, assumptum esse autumasse; quae quidem opinio aliis displicet. Sed etiam eorum quibus ita displicet nonnullis *valde speciosa videtur*; quae verba sunt Antonii Ricciulli J. C. ubi [k] huc spectantia alia habet observatu satis digna. Atque advertas quod paulo ante ex Alciato adductum est. Ita ex Judaismi moribus superinductis alii, etiam & plerique, ut ostensum est, illum derivant; unde etiam in seculis, de quibus jam loquimur, christianismi & summi regiminis publici conjunctione citerioribus, praeter alia illuc facientia, tam *Maranatha*, juxta exemplum Pauli Judaicum, quam *Anathema* in conciliis [l] alibique usurpatum, de cujus usu quidem caute monet & cordate Nicolaus Laurentius Arctander, Superintendens Viburgensis in Dania. *Hoc extremo*, inquit [m], *anathemate concilia & patres videntur usi esse contra Arium, Manichaeum, aliosque haereticos, quos deploratae salutis esse intelligebant. Habuit enim antiquitus ecclesia donum probandi spiritus*; *unde quinam desperati essent fortasse agnoscebatur. Sed hodie, cum id non habeamus compertum, non abs re fuerit si in hoc casu sequamur sententiam Chrysostomi, qui in sua homilia de anathemate* (de qua dictum est supra capite X.) *ostendit neque vivos neque mortuos hoc genere supplicii plectendos. Nam de vivis perpetuo est bene sperandum. Mortui vero jam ad tribunal Dei sistuntur. Ideoque ait, dogmata, non homines, licet anathematizare.* Certe eum *Anathema Maranatha* ex instituto divino adhibendum ab ordine ecclesiastico, seu ejusdem aliqua parte, ex jam dictis non existimasse liquet; quemadmodum, juxta sequentia in tractatu citato, in angustias strictiores quam quae vulgo a scriptoribus admittuntur excommunicationis qualiscunque usum forensem esse coercendum. Ex canonico christianorum jure ac disciplina confoederata alii poenae hujus originem, nec ex instituto aliquo divino, deduxere, iique satis numerosi. Et in rebus ad eam spectantibus publice gerendis administrandisque usus manifestissimus & liberrimus, ut demonstratum est, per anteriora christianismi secula universa habitus est arbitrii seu juris tantum humani, quod, ut divinum (si aliquod hic esset) coercere nequibat, ita pro vario regnorum rerumpublicarumque more, non aliter ac reliqua ex jure humano tantum pendentia, coerceri temperarique publice solebat soletque. Et quicquid scriptores aliquot in adversum congesserint, quaestio certe haec fatum sortita est non dissimile ei, exempli gratia, quae de decimarum jure agitari solet. Decimas ordini ecclesiastico ex instituto divino, eoque tam legis in Sinai dationem antevertente, quam sequente etiam in christianismo, deberi haud pauci sunt qui acerrime etiam contenderint. Et rationes & responsiones eam circa rem passim circumvolitant. Atqui si quis ea quae de decimis per anteriora christianismi secula, idque tam ab ordine ecclesiastico quam laico publice ultroque admissa sunt, rite & aequanimus perpenderit, nae fieri non poterit quin is fateatur, in regnis ac rebuspublicis christianis aut sententiam de jure seu instituto, post legalium, ut vocant cessationem, tantum humano ex professo ac publice viguisse, aut christianas ecclesias passim inter se alteram illam de jure divino mirum in modum dissimulantes contra conscientiam suam libentissime res peregisse; quod, opinor, crediderit nemo. De quota parte loquimur, quae vere sola decima est; non de decimae substantia, quae saepius pro operarii mercede sumitur qualicunque. Et qui quotam negant jure divino debitam (substantiam sic, ut in scholis frequentissime, ita deberi interim asserentes) jus plane divinum omnino de re ipsa qua de quaeritur pariter esse satis negant. Consequens autem jam dictum aperte videtur eliciendum ex decimarum concessionibus passim arbitrariis, infeudationibus quae laicis factae, appropriationibus, exemptionibus, ablationibus, modis decimandi adhiberi & publice & a vetustissimis seculis admitti solitis, idque genus aliis tam ab ordine ecclesiastico quam laico ex jure humano introductis (qua de re opusculum non sine sciolorum atque morosiorum aliquot invidia summa olim Anglice edidimus) quae plane cum sententia illa altera de jure earum seu instituto divino non magis constare queunt quam arbitraria ac ultronea homicidia, adulteria, furta, non dico a scelestis obiter patrata, sed jure publico atque hominum sententiis ex professo permissa, cum opinione, quod in juris divini seu decalogi capitibus notissimis facinora illa prohibentur. Tantundem sane de sententia ejusmodi circa excommunicationis jus, secundum ante memorata, est plane dicendum. Actus illi, qui nul-

[k] Tract. de Jure Personarum extra ecclesiae gremium exsistentium, lib. 4. cap. 42. & de Paganorum excomm. consulas & passim Germonium de Immunitate ecclesiastica lib. 1. cap. 12. [l] Tolet. 6. cap. 5. & vide Leonem Allatium de Libris Eccles. Graecis dissert. 15. pag. 168. [m] Tract. de Excommunicatione membr. 1.

libi

libi non comparent, ex jure publico circa eam, qua forensis est, tam varie ac pro arbitrio humano introducti admissique sententiam illam de instituto ejusdem divino haud publice admissam esse, imo illam de humano maxime ac revera viguisse, apertissime comprobant. Haec, cum se ita habeant, viderint scriptores aliqui aliique hac de re satis temere pronunciare soliti (maxime ex reformatis) quam immerito ipsi opinionem illam de excommunicatione ex invento humano introducta ita V. CL. Thomae Erasto (de cujus scriptis hac de re dictum est capite X.) velut plane hanc circa rem novatori attribuant, quasi ante annos abhinc octoginta aut circiter, id est, cum is Theses suas scribebat, orta ea fuisset. Quae contrarium ostendunt affatim habet quidem ipse. Et sententiam, quam ei sic tribuunt, publice & maxime per anteriora secula animis hominum insedisse viguisseque (nisi etiam publice & maxime tam ecclesiasticum quam laicum ordinem passim dissimulasse, ac contra quam sentirent ipsi palam ac ex professo egisse, autumemus) ex superius adductis, opinor, fit perquam manifestum. Etiam sic Erasto a nonnullis affigi solet sententia illa ut *Erastiani* signantius vocitentur qui eam amplexantur, quasi ab Erasto tantum edocti ejusque scitorum tantum sequaces, & autoritate ejus ac rationibus ducti, assensum hic praebuissent illi, nec consoni alio nomine quiquam ante reperirentur. Nonnulli item ex ejusdem sequacium aliquot virorum quidem doctorum sententia congenere, ut novitatem ejus speciosius etiam obtendant, tam *Colemannianos* [n] nuncupari volunt qui hanc amplexantur quam *Erastianos*, nimirum a Thoma Colemanno theologo Cantabrigiensi, viro quidem doctissimo, etiam & Rabbinice callentissimo, & synodi theologorum aliorumque Westmonasteriensis nuperae socio sane dum vixit dignissimo, qui ante pauculos abhinc annos hic tum in scriptis tum in concionibus alibique jurisdictionem illam excommunicationis forensem seu consistorianam ex instituto aliquo divino ordini ecclesiastico competere plane negabat; sacramque ad ordinem illum docendi, explicandi, sacramenta administrandi, atque id genus faciendi alia, functionem solummodo sic attinere aiebat, atque ea quae jurisdictionis circa sacra essent in muneribus regiminis publici seu magistratus, ut dici amat, omnino adeoque ex jure humano contineri. Sed quam iniquum interim fuerit nominum hujusmodi angustiis opinionis hujus sectatores coerceri, cuique dijudicare facile est ex eo quod non modo vetustissimam fuisse amplissimisque rationibus fundatam sententiam illam ac publice receptam, juxta ante allata, sit certissimum, verum alios etiam esse, superiorum proxime seculorum, uti & nostri, non paucos, aliis nominibus ac professione alias satis diversa celebres, veluti Socinianos ac Arminianos, qui, utcunque non paucis alias nomina sint invisissima, quantum ad hanc rem tantundem docent, nec divinum institutum ullibi huc, scilicet ad excommunicationem forensem aliquam aut consistorianam, spectare admittunt; quod in eorum scriptis est obvium. Et sane ita ferme cum Erasto circa opinionem illam suam a compluribus actum est ut cum Copernico, mathematico illo summo, circa sententiam suam de annuo & diurno telluris motu circulari, coeli quiete, solis in centro mundi loco, reliquisque in disciplina ejusmodi doceri solitis. *Copernicana* passim vocitatur illa, quasi ante eum haud nata fuisset, nedum inter doctos recepta. Et sub illius nomine a cardinalium congregatione librorum censurae praefecta non semel [o] ut veritati ac scripturae sacrae adversissima damnatur, uti etiam obiter in indicibus expurgatoriis. A scriptoribus itidem saepius eodem nomine impugnatur; unde etiam prodiit nuperrime *Anticopernicus catholicus* [p] Georgio Polacco Veneto autore. Scripta ejusmodi sunt alia non infrequentia. At vero non solum ex vetustissimis philosophis, iisque celeberrimis, fuere qui eandem aut satis consonam docuere quam Copernicus sententiam, ut Aristarchius Samius [q], Philolaus, Heraclides Ponticus, Ecphantus [r], Nicetas Syracusanus [s], alii, & generatim οἱ Πυθαγορικοὶ [t], *Pythagoricorum secta* seu schola (e qua isti jam dicti, & insignior philosophiae omnimodae, quae secuta est progenies) quibus etiam accensetur hic Plato a nonnullis [v] ipse, uti & Hippocrates, cui aer nuncupatur τῆς γῆς ὄχημα [x], *vehiculum telluris*, verum etiam recentiorum mathematicorum ac philosophorum heroes illi, Gilbertus, Moestlinus, Origanus, Rothmannus, Keplerus, Galilaeus, Bullialdus, Lansbergius, alii non pauci, nec sine theologorum etiam Romanensium aliquot insignium e recentioribus, ut Didaci a Stunica [y], & Christophori Scheineri [z], adsensu, nec sine aliis quam quibus Copernicus usus est rationibus. Etiam annis aliquot post decreta illa cardinalium Scheinerus ille e societate Jesu, mathematicus perinsignis, Rosam Ursinam Bracciani edidit, in qua Copernicanam sententiam, ut vetustati etiam perquam consonam, asserit. Opus illud anno 1626 incoeptum in 1630 est absolutum. Etiam Keplerus, *Hodierno tempore*, inquit [a], *praestantissimi quique philosophorum & astronomorum Copernico astipulantur. Secta est haec glacies, vincimus suffragiis melioribus. Caeteris pene sola obstat superstitio, aut metus a Cleanthibus.* Certe & praestantissimus ille Galilaeus etiam in ecclesiae Romanae scitis, utcunque non ita vulgo animadversis, delituisse eandam ipsam sententiam observavit in diatriba ad Christinam magnam ducem Hetruriae ea de re ex ipsius rogatu, conscripta; nimirum in hymno illo Ambrosiano ad feriam quartam & luminarium creationem in ritualibus [b] spectante,

Coeli Deus sanctissime,
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igne,
Augens decoro lumine;
Quarto die qui flammeam

[n] Honor. Reggius de Statu Ecclesiae Brit. pag. 118. i. Georgius Hornius. [o] Decreto 5 Martii 1616. & Monitum de eo in Decreto 1624. Romae editis a Francisco Magdaleno. [p] Venetiis 1644. [q] Archimedes in ψαμμίτῃ, Simplicius in Arist. 2. de Coelo com. 30. (quem & vide comm. 47.) alii. [r] Laertius in Philolao, Plutarch. de Placitis Philosoph. lib. 3. cap 13. [s] Theophrastus apud Ciceronem Academ. quaest. 4. [t] Plutarch. in Numa Aristot. 2. de Coelo text. 73. [v] Aristot. De Coelo lib. 2. text. 75. & Cicero loco citato. Lips. Physiolog. lib. 2. c. 10. [x] Libro de Flatibus. [y] In Jobum cap. ix. comm. 6. [z] In Rosa Ursina part. 2. &c. [a] Epit. Astron. lib. 1. & praef. ad lib. de Stella Martis. [b] Breviar. Romanum.

Solis rotam conſtituens
Lunae miniſtras ordinem,
Vagoſque curſus ſiderum.

Niſi *centrum* & *polus* & *rota* etiam aliter omnino hic ſumantur (ut quidem volunt aliqui [c] hymnum hunc explicantes) quam ſive phyſice ſive mathematice ſive theologice aliaſve ſignificare ſolent, expreſſim ſatis collocari hic videtur, etiam in publicis eccleſiae cultus formulis, ſol rotans in mundi centro; quod primarium eſt eorum fundamentum quibus tellus circumvolvi creditur. Adactus quidem eſt paulo poſt dialogi de ſyſtemate mundi editionem ad ſententiae ſuae retractationem [c] Galilaeus, a cardinalibus ſcilicet inquiſitioni Romanae praefectis. Id factum 22 Junii 1633. quo ipſo anno Melchioris Inchofer Jeſuitae in ejuſdem ſententiam hanc tractatus Romae editus eſt. Sed apud alios qui extra jactum illum ſunt viget ſatis, viguitque, &, opinor, vigebit illa; quae cum adeo antiqua ſit, & a tantis philoſophis olim aſſerta, adeoque ab aliis ſummarum artium anteſignanis recepta, Copernicani nominis (utcunque illuſtriſſimi) anguſtiis immerito coercetur. Similitudinem hanc ex doctrina quam Copernicanam vocitant petitam, prae aliis, ut maxime hic, ſi quae ſit alia, idoneam, ideo certe adhibuimus, quoniam ſicut, juxta diſcrimen illud ingens inter ſententiam illam de corporum coeleſtium motu ac telluris quiete ut centrum occupantis Ptolemaicam ſeu vulgarem, atque alteram illam de motu telluris, ſole centrum tenente, & quae inde pendent reliquis, machina mundi naturalis ejuſque ſyſtema adeo ſibi invicem inverſum concipitur, ac fit ut ſuperiora illinc inferioribus, inferiora ſuperioribus, ſumma imis, ima ſummis plane commutentur (ut cuique etiam manifeſtum ex ſphaeris ac deſcriptionibus tam huic quam illi ſententiae accommodatis) ita ſane in chriſtiani regiminis ſeu juriſdictionis forenſis conſtitutione ac ratione haud adeo diſſimilis habetur commutatio, ſecundum ſententiarum illarum de invento hic humano ac inſtituto divino circa forenſem eccleſiaſticorum juriſdictionem ſeu excommunicandi poteſtatem diſcrimen. Juxta alteram enim, ſummis in regimine politico poteſtatibus chriſtianis, ſecundum ſuorum jurium rationes (quoties de ſingulari excommunicandi, ut hic, jure tantum agitur) juriſdictionem tam circa ſacra quam profana omnimodam quae forenſis eſt & permittere & cohibere rite competit: At juxta alteram ordini eccleſiaſtico, ſeu ejuſdem partibus aliquot, aſſignatur abyſſus illa admodum immenſa quae quicquid *in ordine* eſſe dici ſolet *ad ſpiritualia* continet, aut potius pro vario hominum ambitioſorum ingenio vix aut ne vix quidem quicquam quod forenſe eſt non aut directe aut oblique complecti obtenditur; idque ex inſtituto ſingularis hujus poenae divino: unde etiam poteſtates illae in regimine politico ſummae, ſummae revera non admittuntur, ſed in numerum rediguntur inferiorum, quibus ex jure illo divino eatenus praeeſſe volunt qui ſic ſibi hac in re illud adſtruere ſatagunt. Sed ut illa de ſyſtemate mundi immerito Copernicani nominis, ut diximus, anguſtiis coerceri ſolet, ita ſane multo magis ſententia, quam diximus, de excommunicatione, anguſtiis Eraſtiani, quaſi is *primus conditor* fuiſſet, ut interdum appellatur; quae ſcilicet ſententia in publico regimine tam ab eccleſiaſticis ipſis quam ab aliis revera, juxta ante fuſius oſtenſa, per anteriora omnia ſecula admiſſa eſt, licet ſcriptores eccleſiaſtici non pauci ſubinde, ad poteſtatis eccleſiaſticae per ſe regimen ſupremum generi ſuo pro more adſtruendum, haud parum, ſed fruſtra ſatis, reniti ſolerent Atque ex ſuperius etiam oſtenſis demum eſt dignoſcendum quam immerito ſcriptores aliqui quidem caeteroquin eruditi, de dogmate uti vocant, Eraſtiano loquuntur [d] velut de eo quod *nunc Angliam exercet*, quaſi nec ante exercuiſſet, & *nunc in Anglia repullulat*, quaſi illic ante non omnino aut parum fuiſſet admiſſum, & a *Colemanno* etiam, quem ante memoravimus, jam nunc in animos hominum revocatum fuiſſet. Quiſquis a republica Anglicana ejuſve libris juridicis moribuſve per anteriora chriſtianiſmi ejuſdem ſecula tam ordini illic eccleſiaſtico quam laico in regimine publico receptiſſimis (de quibus ampliter capite decimo) alienus non ſit, nae ut is ultro fateatur neceſſe erit, rempublicam hanc & eccleſiam chriſtianam (ſicut & alias ante indicatas) palam ſemper in iis quae ut jure ac uſu chriſtianiſmi publico hic ſubnixa adhiberentur (nam de privatorum aliquot ſeu ordinis eccleſiaſtici factionis ſubinde alicujus in contrarium ſcriptis ſententiiſve, quarum vis ea quae publice recepta ſunt nullatenus minuere quibat, non loquimur) profeſſam eſſe, jure ac arbitrio humano ita ſemper potuiſſe juriſdictionem illam forenſem, quae adeo in excommunicationis uſu terminatur, temperari, cohiberi, minui, mutari, prorſus interdum (ut revera in cauſis gravioribus compluribus) negari, aboleri, nec omnino admitti, atque ita etiam temperatam, cohibitam, minutam, mutatam, & prorſus interdum in cauſis ejuſmodi negatam, abolitam, nec omnino admiſſam, ut ne magis concipi quidem poſſit eos qui ſic profiterentur, ſimul item jus divinum, id eſt, divinum inſtitutum, de obtenſa a nonnullis juriſdictionis atque excommunicandi poteſtatis amplitudine locum aliquem habuiſſe exiſtimaſſe, quam contradictoria ſimul eos ſenſiſſe ac profeſſos eſſe. Nemo enim, puto, mortalium, cujuſcunque fuerit alias perſuaſionis, divini inſtituti, qua tale eſt, & obligationem in ſe retinet, vim humano jure ſeu arbitrio ſic coerceri, variari, mutari, rejici poſſe unquam eſt profeſſus. Igitur humanum fuiſſe inventum eos etiam exiſtimaſſe, meritiſſimo cenſendum. Et de profeſſione apud noſtrates ejuſmodi hic publica quamplurima ſuperius dicta ſunt, & ampliſſima occurrunt alia teſtimonia non ſolum in Archivis hic publicis, id eſt, juris morumque noſtrorum ſcriniis reconditioribus, verum etiam in ſtatutis, ac commentariis juridicis paſſim proſtantibus, uti inſuper in hiſtoriis; ſed maxime in formulis illis forenſibus ac vetuſtiſſimis quae *prohibitiones*, *brevia de ad jura regia*, *praemunire*, vocitantur, ne dupondiorum noſtratium cuiquam omnino ignoratae. Harum nulla eſt quae non pro arbitrio ſupremarum apud nos poteſtatum, ac pro temporum diſcrimine, juriſdictionem eccleſiaſticam, adeoque excommunica-

[b] Judocus Chlictoveus in Elucidatorio. [c] Georg. Polaccus in Anticopernico num. 123. [d] Honorius Reggius (ſeu Georgius Hornius) de Statu Eccleſiarum in Anglia pag. 116. Samuel. Mareſius quaeſt. theolog. deciſ. academ. quaeſt. 1. § 0

tionem, coercere est solita; qua de re plura cuiquam rerum nostrarum inscio dicere supervacaneum est. Earum autem scientibus, aut non ab eis alienis, sunt quae diximus perquam familiaria; certe omnibus ubique facile comparanda. Nec omnino nova sunt jura nostratia inde pendentia, nec seculis nuperis, seu sub reformationis initiis, aut ejusdem respectu apud nos orta. Et quantum ad secula libris quos terere solent juris nostri studiosi vetustiora; advertat hic aequus lector Canuti regis, sub annum abhinc 620 [e] Anglorum regis, diploma, quo, ex consilio etiam tam ecclesiasticorum universorum quam optimatum aliorum, abbates Glastonienses intra insulam suam, quae Avalonia dicta latifundium est in agro Somersetensi opulentissimum, regia autoritate non tam eximuntur ab omnimoda episcopali, idque genus alia quacunque, tam circa sacra quam profana, jurisdictione, quam ex jure vetere ab aliis qui praecesserant regibus concesso eximendi declarantur. Verba sunt cum primis observanda, & quae seculorum illorum circa rem quam tractamus genium maxime illustrant. Post praefatiunculam tralatitiam & introductoriam, inquit [f], *Ego Cnut rex Anglorum, caeterarumque gentium in circuitu persistentium gubernator & rector, cum consilio & decreto archipraesulis nostri Edelnothi* (id est, archiepiscopi tunc Cantuariensis, & ante abbatis Glastoniensis, qui Agelnothus, Egelnotus, Athelnothus, & AEthelnothus a scriptoribus dici solitus, genere, virtute & pietate clarissimus erat) *simulque cunctorum Dei sacerdotum, & consensu optimatum meorum, ob amorem coelestis regni, & indulgentiam criminum meorum, & relaxationem peccaminum fratris mei regis Edmundi* (eo enim nomine eum compellare solebat Canutus, quod monet Malmesburiensis) *concedo ecclesiae sanctae Dei genitricis Mariae Glastoniae jura & consuetudines in omni regno meo, & omnes forisfacturas omnium terrarum suarum: Et sint terrae ejus sibi liberae & solutae ab omni calumnia & inquietatione, sicuti meae mihi habentur. Verum illud praecipue ex omnipotentis Patris & Filii & Spiritus S. autoritate & perpetuae virginis interdictione prohibeo, & universis regni mei praepositis & primatibus super suam salutem praecipio, ut nullus omnino illam insulam intrare audeat, cujuscunque ordinis aut dignitatis sit, sed* OMNIA TAM IN ECCLESIASTICIS QUAM IN SECULARIBUS CAUSIS TANTUMMODO ABBATIS JUDICIUM ET CONVENTUS EXSPECTENT. Nec de novo hoc factum. Sed statim subjicitur quod avitum ei circa hanc rem jus firmat. *Sicuti praedecessores mei sanxerunt & privilegiis confirmaverunt, Cenwines, Ines, Cuthredus, Ailredus, Alfredus, Edwardus, Ethelredus, Ailstanus, & gloriosissimus Edmundus, & incomparabilis Edgarus.* Etiam ab ipso plane excommunicatio quaedam comminatoria adjicitur; Si quis concessa sic ab eo decessoribusque violaverit, —*sit a consortio piorum ultimi examinis ventilabro dispertitus.* Quomodo clarius quid dici potuerit de regio seu summae potestatis tunc gubernantis circa rem quae tractatur jure satis arbitrario? Nec Canuti tantum ac suorum placitum hoc erat, sed decessorum ejus complurium qui per annos amplius 350 ante regnarant, & ex simili ordinum consilio idem coenobio illi autoritate sua indulserant. Nam *Cenwines* hic est *Kentwinus* rex ille Saxonum occidentalium qui circa annum 680, aut annos abhinc 970, imperavit. Id genus alia adducere ex seculis illis vetustioribus seu Anglo-Saxonicis non est difficile. Et simulac ad Normannica devenimus, si, verbi gratia, quaereretur qualisnam Lanfranci (viri quidem juris divini & humani suo in aevo scientissimi, ac undiquaque doctissimi, qui velut *tertius e coelo Cato* monacho Malmesburiesi [g] dicitur, & archiepiscopus erat sub Willielmo primo, seu prope sexcentos abhinc annos, Cantuariensis) esset hac de re sententia, quatenus ex publica ejus professione ea dignosci quiret, certe non obscure eliciendum mihi videretur ex eis quae in vita ejus traduntur, ipsissimam opinionem quae Erastiana, quantum ad inventi jurisque solius hic humani assertionem, eum esse professum. Scilicet e superius ex Eadmero monacho adductis liquet, juxta leges quae tunc obtinerent, neminem Baronum aut ministrorum regiorum ob peccatum aliquod, saltem eorum quae gravissima sunt, ut incestum, adulterium, homicidium, id genus reliqua, in jus ab episcopo aliquo, aliove qui episcopalem exerceret excommunicandi jurisdictionem, vocari, nedum excommunicari, aliave censura ecclesiastica puniri, citra regium praeceptum aut permissum, legitime potuisse. Et si quae contra fierent (uti etiam de similibus, ab exercentibus postea ejusmodi jurisdictionem factis, dici in formulis forensibus solet) ea *contra coronam & dignitatem & jus regni*, adeoque plane contra pacem publicam, fieri dicebantur. At vero a Milone Crispino [h] Lanfranco coaevo traditur, *quando gloriosus rex Willielmus morabatur in Normannia Lanfrancum fuisse principem & custodem Angliae, subjectis sibi omnibus principibus, & juvantibus in his quae ad defensionem & dispositionem vel pacem pertinebant regni, secundum leges patriae.* Plane tunc *secundum leges patriae pacem & dispositionem regni* moderari, continet in se, inter alia, conservationem etiam singularis illius regni juris de baronibus & ministris regiis, haud aliter atque dictum est, excommunicandis; quod nisi tueretur, etiam dum regni custos erat, Lanfrancus, eum *juxta leges patriae*, id est, secundum jura sic tum regi tum subditis hac in re competentia, gubernasse scribere non debuerat Milo ille. Et si leges & jura tunc patria sic tuebatur ille, necessario sequitur eum inde palam professum fuisse, regium hic jus seu Anglicanum, id est, humanum, nec divinum, quod regio aliquo seu humano haudquaquam minui potest, institutum, excommunicandi potestati limites & repagula legitime posuisse. Quale quidem pronunciandum de antistitibus, ordinisque ecclesiastici aliis, qui, juxta superius in capite decimo tradita, frequentissimi & numerosissimi postmodum in Anglia tribunalibus regiis praeficerentur, & juxta jura & leges regni praefecturas suas administrantes non aliter excommunicationem forensem aliquam admitterent atque jura ac leges illae humanae ac formulae quas me-

[e] Ann. Chr. 1032. [f] Apud Gul. Malmesbur. de Gestis Regum, lib. 2. cap. 11. & H. Spelman. de Conciliis Brit. p. 537.
[g] De Gestis Regum Angliae, lib. 3. [h] Vita Lanfranci, cap. 15.

moravimus

moravimus forenses finerent. Nec sane manifestius quidquam est quam eos qui sub tempora Erasti in disciplinam ecclesiae Anglicanae calamos stringentes, divinum institutum hic inculcarunt, ac in mulctas pecuniarias, aliaque juxta leges Anglicanas circa excommunicationem adhiberi solita, acriter invecti sunt, vetustam interim & pro ea quae per Angliam publice viguit olim sententiam palam agnovisse eam quae jus tantum humanum circa forensem hic potestatem admittit. Et praeter formulas apud nos forenses jam dictas, easque vetustas ac usitatissimas, cum primis est observandum illud de arbitraria regis hic condonatione seu abolitione facinorum qualiumcunque, ob quae ab ecclesiastici ordinis praesidibus hic quisquam *pro salute*, ut vocant, *animae* vel *reformatione morum* in jus vocari potuisset, adeoque, si contumax aut reus perageretur, excommunicari. Scilicet ex ejusmodi condonatione seu abolitione, uti ex parliamentaria, citra etiam aliquem ordinis ecclesiastici assensum expressum, facinora illa, uti & alia quorum ad alia tribunalia cognitio spectarit, ita evanuere ut causa ejusmodi omnino in nulla postmodum in quempiam, ut eo nomine reum, sive actor aliquis singularis, sive ipsi praesides, velut episcopi, ex officio agere legitime quiverint. Ipsaque etiam excommunicatio ex simili condonatione esse desiit. Quod quidem parasangis innumeris distat ab eo quod de divino hic jure episcopis seu ordinis ecclesiastici cuipiam competente ab aliis, maxime ab episcopis subinde synodisque ecclesiasticis ipsis, frustra satis obtendi solitum; cum plane jus Anglicanum solummodo obtinere in hoc aperte assertum videamus. Hoc autem de abolitione ejusmodi seu condonatione regia, juxta jura, maxime post reformationem hic inceptam, regia anteriora, a judicibus tribunalis quod *communium placitorum* vocitamus decisum [i] habetur, & typis editum centum amplius abhinc annis. Et idem ante, idem postea, jus apud nos viguisse publice admissum est, & pro re nata adjudicatum. Haud dissimile etiam de privilegio singulari apud nos nunquam non obtinuit parliamentariorum; illorum scilicet neminem rite in jus vocandum, nedum excommunicandum, ab ordinis ecclesiastici aliquo, quamdiu comitia parliamentaria ipsa, aliaque adjectitia ex more recepto tempora aliquot, duraverint, actionesque in illos ut alias non paucas, ita in excommunicationem tendentes, vetitas plane esse nec impune prosequendas. Id quod saepius decisum est in ipsis comitiis parliamentariis, ut ex jure vetustissimo certissimoque; licet interim ecclesiastici apud nos ordinis non pauci[k], etiam post reformationem, *autoritate Dei* episcopos excommunicasse obtenderint. Mitto exemptiones regias, id est, jure Anglicano tantum fundatas, quibus ut antiquitus, juxta superius ostensa, ita etiam post exutam pontificis Romani hic potestatem, omnimoda cognitio forensis, adeoque sententia inde quaelibet consequens, in personas & loca aliquot episcopis ac ordinariis prorsus denegatur. Exemplum est illustre in fundationis Ptochodochii Suttoniani juxta Londinum instrumento sub Jacobo rege[l], ubi continetur quod praeses ejusdem, quem magistrum vocant, ipse etiam verbi divini ibi praedicator, puerorum didascalus, hypodidascalus, numerosus pauperum ibi collocatorum coetus, qui octoginta sunt, & pueri in Grammaticis ibi instituendi, qui sunt quadraginta, atque universi denique ibi constituti ministri, shall be for ever hereafter exempted and freed of and from all visitation, punishment and correction to be had, used or exercised in or upon them or any of them by the ordinary of the diocese for the time being, or by any other person or persons whatsoever, *Exempti erunt & immunes ab omni visitatione, poena, ac correctione habenda, usurpanda vel exercenda in aut super eos eorumve aliquem per ordinarium dioecesis qui pro tempore fuerit, aut aliam personam qualemcunque*, praeter fundatorem ipsum, aut gubernatorum ibi ab ipso constitutorum corpus. Neque hoc ac ejusmodi alia regi ipsi ac consiliariis ejusdem laicis seu juris patrii peritis solum, sed pariter ordinis ecclesiastici coryphaeis, idque etiam in decretis hac de re parliamentariis, non semel placuere[m]. Ex eodem jure annis abhinc centum aut circiter in comitiis parliamentariis[n] recognitum est, actiones omnimodas illas quae in excommunicationem tendant, regias revera fuisse, nomineque regio, non episcopali, nedum divino aliquo jure instituendas. Tantundem plane cernitur in juramento illo solenni *supremacy* dicto sub initiis[o] Elizabethae reginae in comitiis parliamentariis praestituto. Anne igitur nunc, seu intra decennium praeteritum, repullulasse in Anglia sententiam illam de humano sive invento sive jure, recte dictum putet quisquam? Quin forte non indignum est quod ex seculis vetustioribus advertatur in hanc rem, id quod in arbitrio illo publico quod *Dictum de* Kenilworth[p] nuncupatum annis abhinc amplius 380 sub Henrico rege tertio ad dissidia inter eum & subditos gravissima ante orta sopienda editum est. Nempe circa annos ante tunc tredecim, ut ante[q] adnotatur, non sine comitiorum parliamentariorum adsensu excommunicabantur, & postmodum excommunicandi generatim[r] erant cuncti qui jura regni publica ullatenus violarent. Violationes autem eorundem secutae sunt, proeliis aliquot inter regem & subditos commissis gravissimis; unde perduelles tum censuris ecclesiasticis tum poenis aliis proditoribus irrogari solitis obnoxii habiti. Poenarum autem illarum & regia & ordinum autoritate electi fuere arbitri episcopi aliquot, & comites ac barones. Ii autem rem ita decisam voluere ut mulctis pro patrimoniorum ac opum rata beatiores ita redimerentur ut nec capitalem perduellionis nec censurarum (quantum video) ecclesiasticarum poenam ullam subirent, sed pro omnino reconciliatis haberentur. *Qui vero nihil habuerint, veniant* (sic illi) *& jurent ad sancta Dei evangelia, & inveniant fidejussores competentes, quod amodo pacem servabunt; & subeant satisfactionem & poenitentiam secundum judicium ecclesiae; exceptis bannitis, qui-*

[i] Trin 2. Jacobi seu 1604 apud Ed. Coke part. 5. fol. 51. a. qui in Tract de Jure Regis Ecclesiastico plura habet huc spectantia. [k] Forma sent excomm subjunct lib. Canonum 1571. [l] 22 Junii 9 Jacobi R. Ed Coke, part 10. fol. 13. [m] Act. Parl. 7 Jacob. Coke part. 10. pag 5. & 3 Caroli R. num. 72. in Capella Rotulorum [n] Stat 1. Edwardi 6. cap. [o] Stat. 1 Eliz. cap. 1. [p] Prid. Kal. Nov. 1266. seu 51 Hen. 3. [q] An. 1253 vide superius pag. 949. [r] Formulas Anglicanas, quales superius e vetustis Ritualibus memorantur, habes alias in Thomae Beconi tract. de Reliquiis Romae, fol 375, &c.

bus

bus solus rex potest remittere. Ita excommunicationis ante tunc adhibitae effectus ac jura qualiacunque ab arbitris hisce partim ecclesiasticis partim laicis juxta publici regiminis rationem legibus regni accommodam prorsus temperantur; quae si instituto divino, quale obtendi solet, publice subniti tunc existimatum fuisset, temperamentis ejusmodi proculdubio locus datus fuisset nullus. Anne etiam illi aliter sentire quibant qui excommunicationem mulctis, idque ex consuetudine pecuniariis, ut alibi[s], ita hic[t], redimi rite potuisse profiterentur? Summa tandem est; tantum abesse sententiam illam de humano hic invento quoad forensem seu consistorianam aliquam excommunicandi potestatem, seu, ut vocant, Erastianam, jam de novo apud nos ortam esse aut repullulasse, quasi antehac non repertam, aut exstinctam, ut nunquam omnino in publico christianismi nostri regimine revera juxta jam dicta non obtinuerit; idque tam quamdiu pontificia Romanensium religio hic in usu, quam post reformationis inceptae tempora usque in haec nostra. Nam neque post altercationes ea de re haud paucas in jam nuperis ordinum comitiis ac theologorum consessu variatim habitas publice seu publicis in actis hactenus admissus omnino est alius excommunicationis usus quam is qui pro ordinum seu humano arbitrio & publici regiminis christiani ratione, ut semper hic ante, maxime idoneus visus est, nec ut instituto aut praecepto ullatenus divino subnixus. Et demum Antierastianus hic *Novatoris* nomen, non Erastianus omnino meretur. Alia non pauca huc spectantia satis sunt obvia apud eos qui principum & summarum potestatum imperium, contra ecclesiasticos aliquot divinum jus hic sibi arrogantes, scriptis suis copiosius tuentur. Sed demum de effectibus actionum ac judiciorum, seu poenis, per intervallum legis in Sinai dationem antevertens, & maxime de excommunicationis forensis origine, jure ac usu inde peti solito, hominumque per anteriora tum Judaismi tum christianismi secula circa eam judicio & existimatione, satis superque. Sequitur ut de judicum, seu qui jurisdictioni in actionibus ac judiciis illis praeessent, qualitate & dignitatis titulo, juxta primo propositum, videamus.

CAP. XIV.

De judicum per intervallum illud legis in Sinai dationem antevertens qualitate & dignitatis titulo singulari. Ex more foeminas judiciis non fuisse praeficiendas. Ea de re jura Caesarea, canonica, alia. De nomine ac titulo τῶν זקנים *seu presbyterorum & seniorum tunc eminentioribus, adeoque praefectis juridicis, tributo. Ejusdem tituli eique omnino aliis in linguis synonymorum consideratio & narratio historica hic inchoata adumbrataque; quae libro secundo, ut loco magis idoneo, absolvitur.* Γερουσία, *presbyterium, synedrium. Presbyterorum & presbyterii nominum, uti & manuum impositionis, in christianismum e Judaismo veteri ecclesiasticum deductio. Quidnam* Χειροτονεῖν *in novi foederis lingua. Amplissimus, diffusissimus, vetustissimus presbyteri & synonymorum ejus apud plerasque, si non omnes, gentes usus ad dignitates ac munera conspicua perquam variatim & multipliciter in paganismo, etiam mahumedismo, & christianismo politico designanda. De senioribus & suffetibus Poenorum veterum qui e Phoenicia in Africam migrarunt. Persarum* Γεραίτεροι. *Item* Δημογέροντες, *Archigerontes,* Γέροντες, الشيوخ *eodem sensu apud alios orientis populos, ut in occidente* **Aldermen**, *seniores, seigneurs, ac similes inde propagatae voces reliquae.*

Quod ad judicum per intervallum hic tractatum qualitatem & dignitatis titulum attinet; expressa quidem de eis habemus testimonia aliquot, sed quae non tam praecepta in se universalia continent, quam mores etiam tunc uti & a posteris inde admissos exhibent. Ex moribus apud Noachidas receptis habent magistri, sequiorem sexum judiciis neutiquam praeficiendum, sed viros tantum. Maimonides de eis eorumque jura verba faciens[a], ולא, inquit, תדון אשה להם, *Et foemina judiciis eorum non rite praeest.* Atque ad illud Jethronis & Mosis de judicibus eligendis (nempe illi sunt judicum per hoc intervallum exemplum prae aliis illustrissimum) ex אנשים scilicet seu *viris*, Glossa Jarchii[b], אנשים וכי תעלה על דעתך נשים מה ת"ל אנשים *Viros; ne de sexu altero rem dictam sentias, expressim viri nominantur.* Alii tantundem. Et regulariter magistris dictum est, שאשה פסולה לדון *Foeminam judiciis exercendis imparem* seu *haud idoneam esse*[c], nec illis admittendam; dum nihilominus Deborae praefecturam satis legitimam fuisse concedunt, quoniam a populo ita recepta est. Certe etiam & jure Caesareo & mulieres & servi moribus impediuntur ne judices fiant, *non quia*, ut ait Paulus[d]) *non habent judicium* (seu non *natura, ut surdus, mutus, & perpetuo furiosus, & impubes, quia judicio carent*, quod ipse etiam scripsit) *sed quia receptum* est *ut civilibus officiis non fungantur.* Et Ulpianus[e], *Foeminae ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotae sunt, & ideo nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec*

[s] Vide Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 49. & Antiq. Can. collect. 4. lib. 5. tit. 15. cap. 6. Anton. Augustin Epit. Juris Pontif. lib. 37. tit. 1. cap. 5.
[t] Stat. 9 Ed. 2 Articul. Cleri, cap. 2.
[a] Tract. Melakim Wemalchama, seu de regibus & Bello, cap. 9.
[b] Deut. i. 13. & vide Exod. xviii. 21, & 25.
[c] R. Gedaliah Ben Jechai in Shalsheleth, fol. 14. 2. alii obiter.
[d] L. 12. cum Praetor. §. 2. D. tit. De judiciis.
[e] L. 2. D. tit. De regulis juris.

postulare

1

postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. Justinianus item eos voluit *ab omni* [f] *judiciali agmine separari.* Atque tam in orientis [g] quam occidentis jure Caesareo hoc obtinuit. Idem de jure canonico seu pontificio dicendum. Ex Augustino [h] recipitur in Gratianum [i], ut ante in Ivonem [k], (licet nomen Ambrosii ibi, uti etiam in editionibus vetustioribus Gratiani perperam substituatur) *Mulierem constat subjectam dominio viri esse, & nullam autoritatem habere. Nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, nec judicare; quanto magis non potest imperare?* Augustini ipsius verba sunt, de creatione primorum parentum loquentis, *Quomodo potest de muliere dici quia imago Dei est, quam constat dominio viri subjectam, & nullam autoritatem habere? Nec docere enim potest,* &c. Et consona sunt quae hac de re occurrunt tum apud juris canonici in oriente autores [l], tum in legibus Hispanicis [m], aliisque e Caesareis desumptis. Et ubi leges adeo expressim ea de re non habentur, mores plerumque, velut ex intervallo hoc vetustissimo derivati, inolevere ut judiciis non praeficiantur foeminae. Non tamen eo quod jus sive divinum sive naturale (ut volunt aliqui) hujusmodi quid praecipiat, seu ob intellectus defectum, sed ob earum *honestatis privilegium,* seu, ut in Alphonsinis [n] legitur, *porque non seria cosa guisada que estoviesse muger entre la muchedumbre de los omes, librando los pleytos,* indecorum nimis foret eas litibus forensibus inter viros commisceri. Sed vero mos hic perquam variatim temperatus est per omnia secula, gentes omnes. Etiam Caesareis saepius rescriptis [o] pro re nata aliter atque aliter se res habuit. Et *patrimonii munera* (qualiacunque, inter quae etiam judicandi haud raro reperitur) *necesse est foeminis in locis quibus possident sustinere.* Verba sunt Philippi imperatoris. Et de more adverso, scilicet de foeminis & consultationibus & publicis judiciis, pariter atque maribus, admissis, tam apud veteres Graecos, Gallos, Germanos, Britannos, alios, quam recentiores, apud quos dignitatibus etiam regiis, aliisque inde effluere solitis, exornari eas frequentissimum est, consule, si vis, prae aliis, Andream Tiraquellum ad leges connubiales [q] fusissime rem ex veteribus tractantem. Adeas item Alphonsum de Azcevedo [q], Benedictum AEgidium [r], id genus alios satis obvios. Quod vero ad viros apud Noachidas, adeoque per jam tractatum intervallum, judiciis praeficiendos spectat; qualitas eorum partim in praestantia qua eminebant, partim in nomine seu titulo dignitatis quem, ut nobis sane satis persuasum est, praeter illum qui est *judicis,* signantius gerebant, cernitur. Quantum ad praestantiam illam; certe si testimonia abessent expressiora, dubitandum, puto, nemo existimat quin scientiores peritioresque juris naturalis ac divini, uti &, quod tunc accesserat, humani, juxta quae, ut superius est ostensum, erat judicandum, judicum loco praefici solerent. Id plane non minus concedendum quam geometriae, arithmeticae, architecturae, medicinae peritiores, seu qui peritiores existimentur (quod idem hic est) necessario, quantum fieri poterit, adhibendos, semperque ac passim adhibitos, ubi accuratiorem mensurarum, numerorum, aedium construendarum, medicinae rationem quiquam commodius ac cordatius inierint. Et quamvis cuique mortalium juris naturalis, per hoc intervallum, qua etiam divinum erat, capita eorundemque appendices, simul cum adscititio etiam humano, in justam vitae disciplinam quadantenus saltem edisci debebant, nihilominus alios aliis in eis ediscendis eminentiores fuisse, ut per omnia in similibus secula, nemo, opinor, ambigit, nec quin juxta singularem inde existimationem cum ejusmodi virtute ac prudentia quae jurisdictioni exercendae magis idonea esset, conjunctam seligerentur constituerenturque tunc judices. Quod satis etiam firmatur ex consilio Jethronis Mosi genero dato, ipsaque judicum qualitatis tunc designatione, qualem aliis in locis etiam aliisque ante in seculis obtinere solitum fuisse par est ut existimemus: Ut scilicet essent *viri potentes* [s], *timentes Deum, veraces, non avari, sapientes, scientes.* Et hinc דיינים ac שופטים *diinim & shophtim,* id est, *judices,* eos ex ipsa muneris natura nuncupatos, dubitat nemo. Sed vero, praeter nomen illud ita ex ipsa re necessario natum, singularis dignitatis titulus, quo etiam ipsi fruebantur, ut nobis existimatur, erat זקן *zeken,* id est, *presbyter* seu *senior*; non quod ii solum sic nominati, sed quod eorum nullus esset qui aut ante, utpote e presbyterorum coetu, aut ex ipsa cooptatione seu constitutione in praefecturam juridicam, titulo eodem non frueretur. Sic apud exteras nobis gentes, uti & apud nos in praefecturis aliquot, ii qui judiciis praeficiuntur *Doctoris* plerumque *juris* nomine & gradu fruuntur; & qui tribunalium superiorum trium apud nos judices fiunt *servientis ad legem* gradu, tum ut praevio, tum ut qui etiam semper retinetur, gaudent. Hoc nomine ה זקנים seu *presbyterorum* in consultatione illa Jethronea, reliquisve inde in foedere veteri sequentibus, satis expressim eos dictos non quidem compertum. Sed dum primo, circumstantias aliquot temporis eos eligendi constituendique, ac populi cui eligerentur mores coaevos & vetustiores considero, secundo, mores statim postea tunc, anteriorum velut ex seculorum usu, receptos sub lege circa ה זקנים seu *presbyterorum* apud Judaeos ipsos creationem ac denominationem, ac tertio, antiquissimum nominis apud alios populos in praestantia tum praefectorum tum aliorum qui in eminentiorum numero fuerint designanda usum, eumque, velut ex intervallo hoc desumptum, per omnia secula usque in hoc nostrum, & ubique ferme gentium, adeo amplum, ut titulus seu nomen aliud dignitatis haudquaquam omnino reperiatur aeque priscum simul ac diffusum, & tam diversimode ad dignitates ejusmodi indicandas adhibitum, dum haec, inquam, considero, abstinere nequeo quin existimem etiam tunc temporis, seu intervallo in hoc, eodem titulo & nomine gavisos etiam esse judices Ebraeorum, uti & alios ante, atque ex vetustissimis illis seculis in posteritatem vocis usum ad

[f] L. 6. C. tit. de Receptis Arbitris. [g] Basilicon lib 7. tit. 5. § 12. [h] Quaest. Veteris Testamenti 45. [i] Caus. 33. q. 5. c. 17. [k] Pannormia, lib. 7. cap. 49. [l] Balsamon in Synod. 6 in Trullo, can. 70, &c. [m] Par. id. 3. tit. 4. l. 4. & Recopilat. lib. 3. tit. 9. l. 7. [n] Loco citato. [o] L. unic. C. tit. de mulieribus. Et videsis Decium ad l. 2. tit. de Regulis Juris. [p] Ad leg. 11. connubialem Gloss. 1. part. 11. [q] Ad recopilat. 3. tit. 9. §. 20. [r] De Jure & Privilegiis Honestatis Artic. 2. [s] Exod. xviii. 21.

praestantiae genera varia atque inter se discriminata (de quibus mox plura) designanda emanasse. Et de hisce, adeoque de *presbyteri* titulo & dignitate varia, historicam hic inchoabimus narrationem, quae libro secundo, ut loco presbyteriis & synedriis Ebraeorum singularibus magis idoneo, absolvitur. Quod ad circumstantias, quas diximus, temporis judices hic constituendi, moresque tum coaevos tum vetustiores, quod primo hic consideratur, attinet; palam est ex sermone sacro, per intervallum hic tractatum, atque ante Mosaica, quae secuta sunt, ex Jethronis circa judices consilio instituta, velut ex more tunc a majoribus receptissimo, nomen *presbyterorum Israel* ad praestantiores & eminentiores innuendos usurpari. *Vade*, inquit numen [t] ad Mosem in AEgypto, *& congrega* את זקני *Seniores* seu *presbyteros Israel, & dices ad eos*, &c. Et paulo post [v], *Moses & Aaron venerunt simul, & congregaverunt* את כל זקני *cunctos presbyteros filiorum Israel.* Quorum item mentio parilis aliquoties post obvia, sed & ante [x] legis dationem. Eos nuncupat Philo [y] δημογέροντας τοῦ ἔθνους, *presbyteros* seu *seniores gentis*. Et die ipso pridiano ante consilium illud de judicibus instituendis Jethroneum, congregatos esse liquet כל זקני *cunctos presbyteros* Israel, quos convivio excepit Jethro [z]. Usurpatur scilicet ut notissimum tunc dignitatis generalis nomen *presbyter*; cujus antiquioris etiam inter Ebraeos ipsos ejusmodi usus vestigia sunt etiam alia aliqua apud Mosem. *Dixit*, inquit [a], *Abraham* אל עבדו זקן ביתו המשל בכל אשר לו *ad servum presbyterum* seu *seniorem domus suae, qui praeerat omnibus quae illi erant*; ubi Graeci, τῷ παιδὶ αὐτοῦ τῷ πρεσβυτέρῳ τῆς οἰκίας αὐτοῦ, τῷ ἄρχοντι πάντων τῶν αὐτοῦ *Puero* seu *ministro presbytero* seu *seniori domus suae, qui gubernabat omnia quae illius erant.* Is qui hic *presbyteri* voce sic designatur pro eodem sumitur [b] de quo ante Abraham locutus est; בן משק ביתי הוא דמשק אליעזר inquit [c], *Filius administrationis* seu *gubernationis domus meae, qui est Eliaezer Damascenus.* Et *constitui super domum* Principis, seculis etiam in illis erat velut in praefecturam praetorii evehi, adeoque etiam judiciis [e], inter alia munera obeunda, praefici. Inde etiam Targum Hierosolymitanum pro *servo suo presbytero*, &c. [f] in loco priori habet עבדיה שליטא דהוה שליט בכל מה דידיה *Servo suo principali, qui omnibus qui ei erant praeficiebatur ut gubernator* seu *dominus.* Ubi pro ipsa voce זקן seu *presbytero* substituitur שליטא *praefectus* seu *gubernator*, quasi ideo *presbyter* vocatus fuisset, aut quoniam eo nomine domui seu praetorio praefectus fuisset, aut quia ex eis qui in eadem familia aut comitatu ob singularem existimationem variatim ita vocarentur, in munus ejusmodi eminentius a domino suo fuisset evectus. Sunt quidem qui de aetate seniore locum capiunt [g]. Et si quis contenderit ita tantum, nec de dignitatis nomine, capiendum, certe necesse, puto, nihilominus erit ut ipse fateatur diu ante tempora illa Mosaica & Jethronea, & diu ante Mosem natum, nomen τοῦ זקן seu *presbyteri* inter Ebraeos ipsos pro dignitatis apud populos alios, veluti AEgyptios, adeoque verisimiliter satis apud seipsos, titulo usurpatum fuisse. Legitur de Josepho [h], *ascendisse eum ad sepeliendum patrem suum*; ויעלו אתו כל עבדי פרעה זקני ביתו וכל זקני ארץ מצרים *Et ascenderunt cum eo omnes servi Pharaonis, presbyteri* seu *seniores domus ejus, & cuncti presbyteri terrae AEgypti.* Scripsit quidem haec Moses, sed ut ad vetustiora secula attinentia, & eadem lingua & notione quae tempori Josephi convenit, id est, quae annis erat in usu centum ac viginti aut circiter ante Mosem natum, idque ex usu etiam tunc antiquissimo & a majoribus receptissimo. Quod autem secundo hic consideratur, de moribus circa hunc titulum sub lege dein perpetuo usitatis, id quidem aperte cernitur in eo quod Ebraei etiam post legem perpetuo circa τῶν זקנים *presbyterorum* creationem [i] per manuum impositionem, quam סמיכה *semica* vocitant, observabant. Alios scilicet in dignitatem docendi ac *ligandi* seu *inhibendi* & *solvendi* seu *permittendi*, id est, casus conscientiae & dubia sacra definiendi, seu velut doctoratus theologiae universae, creabant. Alios, in theologiae capitum aliquot tantum particularium explicandorum, quae דברי יחידים vocitata, facultatem creabant, velut in doctoratus theologiae limitibus singularibus circumscripti dignitatem. Alios (quod frequentissimum erat) potestate, licentia seu potius capacitate causas qualescunque cognoscendi donabant, doctores sic juris simul ac theologiae suae creantes; aliis denique causis aliquot tantum, veluti pecuniariis, sed non capitalibus, permissis. Non tamen ut ita ex ipsa ejusmodi creatione judiciariam inde sibi quis nancisceretur aliquam potestatem quam ex ipsa creatione sola actu exercere posset, sed ut ex creatione ejusmodi tantum capax fieret praefecturarum juridicarum, atque ut inde in judicum collegia ac synedria, sive magnum sive minora, potuisset, nec aliter rite, cooptari. Qua de re summatim & optime Maimonides [k] ad vetustiorum mentem, אחד בית דין הגדול ואחד סנהדרין קטנה או בית דין של שלשה צריך שיהיה כל אחד מהן סמוך מפי הסמוך׃ ומשה רבנו סמך יהושע ביד שנאמר ויסמוך ידיו עליו ויצוהו׃ וכן השבעים זקנים משה רבינו סמכם ושרתה עליהן שכינה ׃ ואותן הזקנים סמכו לאחרים ואחרים לאחרים׃ ונמצאו הסמוכין איש מפי איש עד בית דינו של יהושע ועד בית דינו של משה רבינו ׃ואחד הנסמך מפי הנשיא או מפי אחד מן הסמוכין אפילו לא היה אותו סמוך בסנהדרין מעולם׃ *Parile jus spectat ad synedrium magnum, & ad synedrium quodlibet minus, & ad forum triumvirale* (de quibus in libris sequentibus nos fusius) *in hoc scilicet, ut oporteat quemlibet eorum qui in illa cooptantur creari per manus impositionem ab alio qui sic ante creatus fuerit* (regulariter sic: nam etiam per epistolam seu codicillos creari absentes rite potuere. Praesentibus vero, ut ipsi tactu certo designarentur, dum quis ante creatus verba creationis eis proferebat, manuum impositio, ut in similibus etiam aliis, adhiberi solebat; quae tamen non ita prorsus necessaria habita est quin [l] בדבור בלבד

[t] Exod. iii. 16, & 18. [v] Ib. iv. 29. [x] Ibid. xii. 21. & xvii. 5, & 6. [y] De Vita Mosis, lib. 1. [z] Ib. xviii. 12 [a] Genes. xxiv. 2. [b] Targum Jonath. dict. Gen. xxiv 2, &c. [c] Genes. xv. 2. [d] Genes. xli. 40. [e] Vide Gen. xviii. 19. [f] Genes. xxiv. 2. [g] Vide Ambros. de Abraha, lib. 1. cap. 9. Pererium, alios ad dictum Genesis locum. [h] Genes. l. 7. [i] Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol 4, 5, &c. [k] Tract. *Sanhedrin*, cap. 4. [l] Sepher Juchasin, fol. 60. a. Jos. Scalig. in Elench. Trihaeres. cap. 10. & videsis Comment. in Eutychii Origines.

verbis

verbis conceptis tantum, ubi de persona certo satis constaret, ut אני סומך אתך *Ego te creo*, aut תהיה סמוך *sis creatus*, legitime etiam creari potuissent. Sed mutilus in codicibus editis est locus hic, ubi legitur צריך שיהיה אחד מהן סמוך *ut oporteat unum* aut *aliquem eorum sic creari.* Res ipsa plane postulat ut legatur כל אחד, & in codice MS. penes me pervetusto expressim legitur שיהיה כל אחד מהן סמוך *ut unusquisque eorum sit creatus*, &c.) & *Moses magister noster ita creavit Jehosuam, juxta id quod scriptum est*[m]; & *manus suas ei imposuit*, & *praecepit ei* (quod interpretantur [n] etiam per עשהו רב *fecit eum Rabbinum* seu *doctorem*) *Atque ita septuaginta presbyteros creavit Moses*, & *resedit super eos majestas divina* (quam *spiritum Domini* & רוח הקדוש *Spiritum Sanctum* appellitant etiam illi [o]; cui consonum est illud de Jehosua [p], מלא רוח חכמה כי סמך משה את ידיו עליו & *plenus erat spiritu sapientiae, quia Moses posuit super eum manus suas)* & *presbyteri illi* (sic pergit Maimonides) *alios similiter creabant, aliique alios. Et compertum est sic creatum fuisse alium ab alio, usque in tempora* (sursum) *domus judicii* seu *synedrii Jehosuae*, & *usque in tempora domus judicii Mosis. Et parile jus est, sive quis a principe synedrii fuerit sic creatus, sive ab aliquo sic ante creatorum alio, etiamsi is non omnino esset in synedrio aliquo sic creatus.* Atque hac de re nos etiam alibi [q] nonnulla; quae consulat lector. Ex recepta autem tum ante tum post legis in Sinai dationem *presbyteri* notione pro eo qui variatim inter suos sapientia & dignitate praecellentior esset, illud Mosis [r], *Et venit Moses*, & *convocavit* לזקני העם *presbyteros populi*, vertitur in paraphrasi Hierosolymitana לחכימא דישראל *sapientes Israel.* Et quamplurima sunt in pentateucho juxta sensum illum, uti & alibi in foedere veteri, post judices sic ex consilio Jethroneo constitutos, de presbyteris testimonia. Illa autem cum primis est hic advertenda lex, ubi זקן seu *presbyter* signantius [s] pro eo qui sapientia & dignitate eminentior esset, qualiscunque interim esset aetatis, idque ex usu vocabuli legis datione proculdubio vetustiori occurrit. Verba sunt מפני שיבה תקום והדרת פני זקן *coram canitie consurge*, & *honora personam* seu *vultum senioris* seu *presbyteri.* Syrus quidem ibi habet, *Honora eum* דקשיש מנך *qui senior te est*, uti & Arabs pridem Romae cum vulgata editus, واكرم من اكبر منك & *honora eum qui est te praestantior* aut *potentior*, quasi non tam simpliciter de praestantiore ac inter suos eminentiore aut seniore legis pars illa lata fuisset quam de eo qui praestantior aut senior esset eo cui illum honorare ibi praecipitur. Sed Onkelus ibi expressius & ad Talmudicorum, ut statim ostendetur, mentem, מן קדם דסבר באורייתא תקום ותהדר אפי סבא *Coram eo qui doctus est in lege surgas*, & *honora faciem presbyteri.* Et consona est hic paraphrasis illa altera Uzielidi tributa, excepto quod pro סבא *presbytero* substituit ille חכימא *sapientem seu jurisperitum.* Suis consonus etiam Philo [t] *presbyterum* ibi significare ait τὸ τιμῆς καὶ γέρως καὶ πρεσβείων ἐπάξιον ὄντα, *eum qui honore, praemio ac dignitate praefertur aliis.* Alibi [v] idem, Moses, ait, in legislatione sua solet καὶ τοὺς ἡλικίᾳ προήκοντας νέους, καὶ τοὺς μηδέπω γεγηρακότας ἔμπαλιν ὀνομάζειν πρεσβυτέρους οὐκ εἰς πολυετίαν ἀφορῶν, ἢ βραχὺν καὶ μήκιστον χρόνον, ἀλλ᾽ εἰς ψυχῆς δυνάμεις κινουμένης εὖ τε καὶ χεῖρον, & *provectos aetate appellare juvenes*, & *eos qui nondum senuerunt presbyteros* seu *seniores, non respiciens annorum numerum, aut tempus breve longumve, sed in potentias animae quae movet melius aut deterius.* In eandem ipsam mentem expressius etiam habet ille [x] alia. Et juxta veterem hunc Ebraeorum sensum Hieronymus ad illud [y] Salomonis, *Vae tibi terra, si rex tuus fuerit* נער *juvenis*; *talis*, inquit [z], *fuit rex juvenis Roboam filius Salomonis, qui secutus est juvenum consilia*; *non quod aetate esset juvenis, sed sapientia*; *alioqui quadraginta* & *amplius annorum regnum accepisse narratur. Et e contrario, duodecim annorum erat Salomon quando suscepit imperium*; & *quia habebat sapientiam, propterea non est appellatus juvenis.* Legem autem illam de presbytero jam ante memoratam vocitant Talmudici [a] מצוה כיבוד חכמים *praeceptum de honore sapientibus exhibendo*; adeoque τὸ זקן in ea pro *sapiente* & *ob scientiam eminentiore* sumunt, seu pro eo שקנה חכמה *qui acquisivit sapientiam*; cui subinde adjiciunt, אפילו ינוק וחכים, *etiamsi juvenilior sit, modo sapiens.* Atque velut ex receptissimo ab intima tunc antiquitate usu notio *presbyteri* habetur in loco illo illustri de synedrii magni institutione (qua de re plura libris in sequentibus) ubi Deus Mosi ait [b], *Congrega mihi septuaginta viros* מזקני ישראל אשר ידעת כי הם זקני העם *e senioribus* seu *presbyteris Israel, quos noveris ipse esse seniores* seu *presbyteros populi*; quod itidem a Mose factum legitur. Et, נוח עליהם הרוח & *quievit super eos spiritus*, inquit Moses; de quibus Philo, οἷς οὐδὲ πρεσβυτέρους ἔνεστι γενέσθαι πρὸς ἀλήθειαν μὴ μεταλαβοῦσι τοῦ πανσόφου πνεύματος ἐκείνου, *qui revera non fiebant presbyteri* (rite non creabantur in munus ei designatum) *sine participatione spiritus sapientissimi illius*, qualis Mosis erat, qui eos adscivit creavitque. Unde etiam tam synedrium שבעתי חכימיא LXX *sapientum* quam *presbyterorum* dicti sunt [c]. Etiam, ut ex notissimo vetustissimoque notionis illius *presbyteri* usu, traditur [d] eam in Abraha inchoasse. Idem certe Philo [e] observat, ubi Abraham dicitur πρεσβύτερος προβεβηκὼς ἡμερῶν [f], *Presbyter aetatis provectae*; & statim subjungitur, *Et Dominus benedixit Abrahae* κατὰ πάντα *in omnibus.* Is subjunctum hoc de benedictione pro ratione capit cur Abraham presbyter sit ibi dictus; Ἐπιφροσυνῶ τὸ, inquit, Θεοῦ τὸ λογικὸν τῆς ψυ-

[m] Numer. xxvii. 23. [n] Elias in סמך. [o] Elias in שכן alii passim. & videsis Maimon. in *More Nebochim* part. 2. cap. 45. & Hieronym. epist. 65. de Origene, & Lactantio, & in Esaiam lib. 11. cap. 40. [p] Deut. xxxiv. 9. & vide Num. xi. 25. [q] Uxore Ebraica lib. 1. cap. 15. & in Eutychii Origines. [r] Exod. xix. 7. [s] Levit. xix. 32. [t] Lib. de Sacrificiis Abelis & Caini. [v] Tit. περὶ τοῦ Ἐξένηψε Νῶε. [x] Ibi, & lib. περὶ γιγάντων, περὶ ἀποικίας. [y] Ecclesiast. x. 16. [z] In Esaiae cap. iii. [a] Vide Gemar. Hierosolymitanam ad tit. *Bicurim*, fol. 65. col. 3. Babylon. tit. *Kidoshin* cap. 1. fol. 32. b. Maimonidem tit. *Talmud Tora*, cap. 6. Mosem Mikotzi praecept. affirmat. 13. praeter commentarios ad legem obvios. [b] Numer. xi. 16. 24, 25. [c] Targ. Hierosol. Numer. xi. 26. [d] Lib. περὶ γιγάντων. [e] Lib. περὶ τοῦ Ἐξένηψε Νῶε. [f] Genes. xxiv. 1.

χῆς μέρ☉ ὅταν εὖ διατεθῇ, ϗ μὴ καθ' ἓν εἶδ☉ ἀλλὰ κτ̀ πάσας τὰς ἐπιβολὰς εὐλογιωθῇ, πρεσβυτέρα γνώμη χρώμθμον, κὰι αὐτὸ δήπε πρεσβύτερόν ἐςι, *Cum ex benignitate ac prudentia divina recte disponitur pars animae rationalis, nec unam modo sed omnes benedictionis species accipit, seniorum moribus & disciplina utitur, atque ita ipsa fit senior.* Et demum cum complures ante Abrahamum diutius multo vixisse ex scriptura sit manifestum, neminem eorum advertit ille dictum fuisse זקן seu *presbyterum*, hunc autem eo nomine signanter sic, & causa jam dicta, donatum. Philonem hic secuti sunt christiani aliquot scriptores [g]. In epistola secunda Anacleto papae tributa; *In proverbiis* [h] *dicitur, gloria senum, canities. Haec vero canities sapientiam designat; de qua scriptum est, canities hominum prudentia est. Cumque nongentos & amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legerimus, nullus alius prius appellatus est presbyter, id est, senior* [i], *nisi Abraham, qui multo pauciores vixisse annos convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur.* Et recipitur hoc in canonum collectiones veteres [k], ipsumque juris canonici corpus [l]; & legitur etiam apud Isidorum Hispalensem [m], ubi *presbyteros* inde ait *merito & sapientia dici, non aetate.* Quod recte satis dictum. Sed quod inibi is habet, *presbyterorum ordinem exordium sumpsisse a filiis Aaron*, seu, ut paulo ante, *presbyterorum* illos *figuram praemonstrasse*, sicut etiam in Anacleti epistola illa, cujus pars magna inde surrepta est, alibique interdum etiam apud veteres [n] legitur, id plane temere nimis (ne quid gravius dicam) scriptum est. Ordinem enim seu qualitatem ac dignitatem presbyterorum Aarone vetustiorem ac ante eum notissimam fuisse ex scripturae locis quos adduximus palam liquet, nec qua talis fuit ad Aaronis filios (qui sacerdotes fuere qua tales) magis atque ad alios quoscunque Israelitas omnino attinuisse. Pro *corporibus* autem ac *coetibus* in seculis quae tractamus hic *presbyterorum* seu *seniorum* Graeci substituunt, tum quater ante [o], tum multoties [p] post legem datam, Γερȣσία, *Senatus*, ubi scilicet vox זקנים, id est, γέροντες, seu *senes* aut *seniores*, nec aliter vocabulo γερȣσίας respondens, habetur in sermone sacro; pro *senibus* ac *senioribus senatum* ut synonymum sic usurpantes. Etiam בני ישראל [q] *filii Israel*, ad quos Mosi ex praecepto Dei loquendum erat, interdum γερȣσία Ἰσραὴλ vertitur, quasi coetum ad quem sic loquendum erat e senioribus aut presbyteris constitisse non dubitassent interpretes illi. Et quidem vox γέροντες *senes* positive dicta (unde γερȣσία formata) & πρεσβῦται seu *senes* זקנים expressius sonant quam *presbyteri*, quae vox est comparativa, ut *seniores*. Sed positivus hic gradus & comparativus pro eodem indiscriminatim habetur tum interpretibus illis aliisque vetustis, qui pro זקנים, סבי & المسوح atque id genus alia substituunt, tum recentioribus, quorum aliqui positivum adhibent, ut die Alten, de Ouden, Ancients, *vieios*, *vecchii*, *antiani*, *les anciens*, & similia, aliqui eodem ipso sensu Elders, Oudermannen, Ouderlingen; etiam & Outste & Eltesten, quae a positivo se ita deflectunt. Bene quidem satis Isidorus, ubi ait [r], *Senex apud Graecos non presbyter, sed γέρων dicitur*, si stricte comparativi in voce altera sonum, in altera positivi spectes. Sed manifestum interea est terminationem hic comparativam (ut in *presbytero*, *seniore*, Ouder, Elder, & similibus) *non habere significationem qua magis sive minus a positivo significet*, ut de voce *grandior* loquitur Donatus [s]; ubi exemplum item de *seniore* affert ex illo Virgilii [t] de Charonte,

Jam senior; sed cruda Deo viridisque senectus.

Et Quintilianus [v], *Utimur & vulgo comparativis pro absolutis, ut cum se quis infirmiorem dixerit.* Quinimo etiam in aetatis apud veteres ratione (unde notio quam diximus *presbyteri* ac *senioris* sumitur) ii quibus corpus senescere incipiebat *seniores* vocitati sunt, ab anno scilicet XLV. Idemque nomen retinuere adusque LX. Atque inde usque ad finem vitae *senes* (seu nomine positivo) nominabantur, quod ea aetate corpus jam senio laboraret. Sic Varro, atque ex eo Censorinus [x]. Atque in jure Caesareo, ut viginti quinque annis juniores [y], ita qui quinquagesimum quintum excesserint, velut qui *seniores* tunc esse desierant, & in simplicem *senum* seu grandium natu conditionem transierant, decuriones fieri prohibentur. Et sicut ob aetatis discrimina sic nominabantur distinguebanturque *juniores* & *seniores*, ita secundario, quoad mores, ingenium, scientiam, sapientiam, dignitatesque inde variatim, collatas, *seniores* ac *presbyteri* dicti, annorum aetatis ratione non habita, quam scilicet in appellatione hujusmodi supplebat morum, scientiae, dignitatis praecellentia. Unde Hesychius, πρεσβύτερ☉, μείζων, φρονιμώτερ☉, *presbyter, major, sapientior.* Et similia de vocabulo illo alia occurrunt. Adeoque *presbyteri*, *seniores*, *senes*, etiam *senatores* [z], hic plane synonyma. Hinc in sacro sermone obvii sunt *presbyteri Israel*, *presbyteri populi*, *presbyteri urbis*, *presbyteri terrae*, *presbyteri* etiam *sacerdotum.* Et vox *presbyteri* maxime prae aliis τὸ זקן significantibus, interpretibus Graecis usurpatur; ut Vulgatae *senex* & *senior*, in qua *presbyteri* vox, extra libros aliquot Apocryphos & Novum Testamentum, non reperitur. Versio autem Anglosaxonica pro *senioribus* hic habet ealdras & eldren & ealdormannum, uti & Wiclefiana Eldremen, quod idem est ipsum cum Aldermen. Rhemenses & Duacenses Angli Ancients plerumque vertunt. A *presbyteri* autem usu Judaico etiam vocabulum πρεσβυτέριον *presbyterium* natum est, & notione duplici adhiberi solitum. Altera est, qua dignitas ipsa seu ἡ τιμὴ τȣ̃ πρεσβυτέρȣ seu πρεσβυτερίας, *honor presbyteri* seu *presbyterii*, significatur, id est, ipse presbytera-

[g] Vide Hieron. ad Esaiae cap. iii. [h] Prov. xx. 29. & vide Sapient. iv. 8. & Hieronym. in Esaiam lib. 8. cap. 24. ad finem. [i] Gen. xxiv. 1. [k] Burchard. Decret lib. 2. cap. 5. Ivo part. 6. cap. 23. & vide Hieron. loco citato. [l] Gratian. Dist. 84. c. 6. porro. [m] De Officiis Eccles. lib. 2. c. 7. [n] Leo Mag. epist. 88. Ivo part. 6. cap. 72. Theodulphus ad presbyteros Aurelianenses cap. 1, &c. [o] Exod. iii. 16, 18. & iv. 29. & xii. 21. [p] Levit. ix. 1. Num. xxii. 4, &c [q] Levit. ix. 3. [r] Originum 11. cap. 2. [s] Ad Terentii Phorm. Act. 2. Scen. 3. [t] AEneid. 6. [v] Instit. 9. cap. 3. [x] De Die Natali cap. 14. & vide Tuberonem apud A. Gellium lib. 10. cap. 28. [y] L. 11. D. tit. de Decurionibus. [z] Vulgat. Proverb. xxxi. 23.

tus,

3

tus, ſeu presbyteri officium ac dignitas, quae perquam varia, juxta exiſtimationem & creationem variam, habebatur in ſingulis perſonis ea fruentibus; unde de Daniele legitur in Suſannae hiſtoria[a], *Reverſus eſt populus cum feſtinatione, & dixerunt ei* πρεσβύτεροι ſeu *ſeniores, veni, & ſede in medio noſtrum* (ſcilicet in τῇ γερουσίᾳ ſeu *ſenatu*, qui praefectura ibi juridica fuit) *& indica nobis*, ὅτι σοὶ δέδωκεν ὁ Θεὸς τὸ πρεσβυτέριον, *quia tibi Deus dedit presbyterium*, ſeu *presbyterii dignitatem*. Ubi *honorem ſenectutis* habet Vulgata; the honor of old age, ut Duacenſes ibi, aliique Sed Angli olim noſtri, as great honor as an Elder; poſtea, the office of an Elder; & demum, the honor of an Elder. Galli, *l'eſtat des anciens*; Lutherus & Belgae, Richters ampt, quod *officium judicis* ſonat, ac in loco hoc proprie ſatis ſubſtituitur: Non quod *presbyterii* nomen judiciariam aliquam poteſtatem in ſe ex natura ſui complectatur, ſed quia illic de praefecturae juridicae ſenioribus expreſſim agitur. Hac notione item habetur in illo Joſephi[b], παντὸς τοῦ πρεσβυτερίου τιμὴν ἔχειν τοὺς νέους, *ab juvenibus honorem exhibendum ubicunque ſeniorum dignitas reperitur*. Inde itidem in chriſtianiſmum primitivum eadem vox ac notio (ſimul cum vocis *presbyteri* uſu frequentiſſimo, ut ex foedere novo liquet) ſumpta eſt[c], adeoque *presbyterii honor*, & *manus imponere* εἰς πρεσβυτέριον[d], *ut presbyterio quis fungeretur*. Et *in presbyterio filios generare*, eſt[e] poſtquam presbyter quis creatus fuerit. Alia id genus ſunt ſatis obvia. Notio altera eſt qua eadem vox presbyterorum ordinem, coetum ſeu conſeſſum, congregationem aut collegium qualecunque denotat; ut in evangelio[f], Συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, *congregatum eſt presbyterium populi, & principes ſacerdotum, & ſcribae, & duxerunt illum* εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν, *in ſynedrium* ſeu *conſeſſum ſuum*. Ubi Vulgata, *convenerunt ſeniores plebis*. Et in Actis[g] Paulus, *Princeps ſacerdotum mihi teſtimonium reddit, &* πᾶν τὸ πρεσβυτέριον, *& totum* ſeu *univerſum presbyterium*. Ubi Vulgata, *& omnes majores natu*. Ita binis in locis illis novi foederis pro ordine ſeu conſeſſu presbyterorum, juxta morem Judaicum ex intima antiquitate in ſecula illa deductum, *presbyterium* uſurpatur. Priori in loco Syrus habet tantum קשישא *presbyteri*, nec quid *plebi* aut *populo* reſpondens; poſteriori, וכלהון קשישא *& omnes presbyteri*. In utroque Arabs مسايخ *presbyteri*. Alii[h], *ſeniores plebis*, quibus tamen pro ordine ſeniorum ſeu presbyterorum expreſſim ſumitur. Lutherus loco priori, die Elteſten des Volckes, *presbyteri plebis*; poſteriori, der gantze Hauffe der Elteſten, *totus coetus presbyterorum*. Belgae in utroque olim, Ouderlingen; ſed nuperi in poſteriori, den geheelen Raedt der Ouderlingen, *totum concilium presbyterorum*. Angli noſtri in priori, the Elders of the people; in poſteriori, all the eſtate of the Elders; *Ordo totus presbyterorum*; & interdum, the company of the Elders. Angli Rhemenſes, the Ancients, &c. &, all the Ancients. Galli, *les anciens du peuple*; &, *tout l'aſſemblée des anciens*. Atque ex ejuſmodi uſu Judaico (neque enim alibi ante chriſtianiſmum *presbyterii* nomen reperitur) ortum eſt quod in chriſtianiſmum etiam primitivum eſt receptum *presbyterii*, etiam hac notione, nomen; quod ex conſtitutionibus apoſtolicis[i] dictis & ſynodo Ancyrana jam citata liquet (ubi eodem in canone notio habetur plane utraque) atque ex epiſtolis Ignatio tributis[k], Cypriano[l], aliiſque ſcriptis tam inter veteres quam recentiores ſatis obviis; pro presbyterorum nempe conſeſſu epiſcopo adſiſtente. Vocem autem *presbyterium* neque hac in notione neque in priori illa ullibi in Helleniſtica verſione τῶν ſeptuaginta reperimus; tametſi Lucifer epiſcopus Calaritanus[m] e Deuteronomio eorum locum transferat quaſi ibi pro זקנים *presbyteri* ſubſtituiſſent Graeci πρεσβυτέρια. Legitur[n] ſcilicet; *Et ſcripſit Moſes verba legis hujus in libro, & dedit eum ſacerdotibus & Levitis qui tollunt arcam teſtamenti Domini*, ואל כל זקני ישראל id eſt, *& univerſis presbyteris Iſrael*, ſeu, ut Vulgata, *cunctis ſenioribus Iſrael*; ubi Graeci, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, *& presbyteris Iſrael*. Sed Lucifer habet *& presbyteriis Iſrael*, quaſi legiſſet ipſe ibi καὶ τοῖς πρεσβυτερίοις. Idem ipſum vero innuunt in veteri teſtamento Graeci dum pro presbyteris ſaepiſſime ſubſtituunt illic γερουσίαν, *ſenatum*, quae vox eſt in Graeco item paganiſmi ſermone uſitata pro *ſeniorum* ſeu *ſenatorum conſeſſu*, ac ſemel tantum in novo teſtamento; ubi[o] convocatam legimus πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, *totum ſenatum filiorum Iſrael*; quod Syro, Vulgatae, Arabi, *omnes presbyteri* ſeu *ſeniores* vertitur. Adeoque tam *presbyterium* quam *geruſia* ut prorſus ſynonyma Helleniſtis in uſu; licet nullibi habeatur illud apud ſeptuaginta interpretes, nedum in paganiſmi ſermone ullibi ſive Graeco ſive Latino. *Presbyterium* item non raro *ſenatus* vertitur; cui tamen, ſi ſtrictius loquendum, potius *ſenioratus* reſponderet. Conſeſſus etiam presbyterorum שיבה & συνέδριον dictus eſt, unde in foedere utroque *ſynedrii* vocabulum obvium, juxta illud Salomonis[p] de muliere forti, *Nobilis in portis eſt vir ejus*, בשבתו עם זקני ארץ ubi Graeci, ἡνίκα ἂν καθίσῃ ἐν συνεδρίῳ μετὰ τῶν γερόντων κατοίκων τῆς γῆς, *quando ſederit in ſynedrio cum presbyteris qui terram inhabitant*. Vulgata, *quando ſederit cum ſenatoribus terrae*. עדה item ſaepius aliaque ſynonyma pro eodem uſurpantur. Atque ut e paganiſmi Graeco vocem *ſynedrii*, quae ibi frequentior eſt, ſumpſere ſeptuaginta, ita Judaeorum Helleniſtis aliis uſitatior ea eſt, ut ex Joſepho[q] & Philone[r] ac evangeliis[s], ſed maxime ex actis[t], notiſſimum eſt; unde etiam τὸ סנהדרין *Sanhedrin* in Ebraiſmo formatum conſeſſum apud Ebraeos juridicum ſeu ſynedrium ſignificat. Et *ſynedrium* pariter in chriſtianiſmi uſum inde receptum, pro concilio ſeu conſiſtorio qualicunque[v] etiam chriſtiano. Quod vero di-

[a] Comm. 50. [b] Adverſ. Appionem, lib. 2. [c] Synod. Ancyrana can. 18. in Cod Eccleſ. Univerſ. 38. [d] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. 6. cap. 7, &c. & videſis Billonum lib. de perpetua Eccleſiae Chriſti gubernatione, cap. 7. [e] Innocent I. in Decretis cap 33. [f] Luc xxii. 66. [g] Cap xxii 5. [h] Eraſmus, Henric. Stephanus, alii. [i] Lib. 8. cap. 16. [k] Ad Trallianos & ad Philadelphenſes, & vide Nic. Videlium ibi cap. 14. [l] Lib. 3. epiſt. 11. ſeu epiſt 46. [m] Lib. 1. ad Conſtantium Aug. pro Athanaſio. [n] Deut. xxxi 9. [o] Act. v 21. [p] Prov. xxxi. 23. [q] In vita ſua. [r] De Vita Moſis lib 3. & lib. περὶ μέθης. [s] Matth. v. 22. & x. 17 & xxvi. 59. Luc. xxii 66. Joan xi. 47. [t] Cap. iv. 15 & v. 21, &c. & vi. 12, 15. & videſis Grot. ad Matth. v. 22. [v] Ignatius Epiſt. ad Trallianos. Syneſius Epiſt. 57, &c.

ctum est supra de presbyteris ita solenniter creatis (de quibus plura libro secundo) ita temperandum est ut non intelligatur quasi nunquam aliqui alii *presbyteri* etiam civili hac notione ac ipsius γερουσίας nomine venirent. Fuere enim interdum qui sic dicti etiam ex eo tantum quod negotiis aliquot forensibus aut quasi (ut leviri renunciationi) lege sacra praestitutis haud impares reperirentur; quod alibi [x] ostendimus. Sed ut plurimum ita se res habuit ut *presbyterorum* nomine solenniter creati ac juxta morem constituti, sive in synedria cooptarentur & judices fierent, sive judiciariae potestatis capaces tantum redderentur, sive theologiae aut partis ejusdem alicujus singularis doctores (hujusmodi enim discrimen erat) ordinarentur, soli, nec alii censeri solerent. Hinc duravit per Judaismum *seniorum Judaeorum* [y] mentio, uti & *synedriorum utriusque Palaestinae*, & *presbyteriorum* [z], pro primatibus aliisque praefectis; qui utroque occurrunt in codice. Ex vetustissimo illo *presbyteri* & *presbyterii* apud Ebraeos vocum usu & constitutione solenni usurpantur itidem utraeque in Judaismo apostolorum reformato, seu Christianismo ex Judaismo sub illis nascente. Nimirum ut Ebraeis non credentibus sui, ita credentibus seu christianis sui presbyteri jam creabantur [a], qui etiam *ecclesiae* [b] *presbyteri* dicti, ut in foedere liquet novo. Prima mentio eorum in ecclesia christiana ut ad eam spectantium habetur in illo capitis undecimi Actorum, *Discipuli, prout quisque habebat, proposuerunt singuli eorum in ministerium mittere habitantibus in Judaea fratribus. Quod & fecerunt, mittentes* πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, *ad seniores, per manus Barnabae & Sauli.* Dein eorum itidem mentio in actis & epistolis non infrequens. Sed vero nulla comparet institutio presbyterorum in christianismi illis incunabulis nova seu singularis. Juxta morem Judaicum, qui etiam tunc christianus & erat & sic dicebatur, creati sunt. Quod observatu forte dignissimum hic veritatis amantioribus Et Grotius ibi [c]; *Totum regimen ecclesiarum Christi conformatum fuit ad synagogarum exemplar.* Qualemnam autem ex compromisso seu disciplina confoederata christiani tunc presbyteri jurisdictionem exercere rite potuissent, tum ex superius de excommunicationis tunc usu dictis intelligi potest, tum ex eis quae libro proximo de Synedriis & Praefecturis Ebraeorum juridicis traduntur. Quantum vero ad *gerusiae* seu *senatus* nomen; id in foedere novo semel habetur pro seniorum in politia Judaica ordine seu coetu (ut saepius in foedere vetere) sed non omnino in novo ut ad christianismum attinens. *Presbyterium* autem in veteris exemplaribus nullibi habetur, si Susannae historiae locum memoratum excipias. Nec sane, ut ad christianismum attinens, habetur in novo vox *presbyterium* extra unicum illum epistolae prioris ad Timotheum [d] locum, *Noli negligere gratiam*, χαρίσματος, seu *donum, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam*, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, *cum impositione manuum presbyterii.* Ita scilicet exemplaria Graeca quae reperta sunt habent. Ita etiam legebant Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius. Etiam & Vulgatae codices complures, iique vetusti, *presbyterii* illic exhibent. Sed vero in codicibus Vulgatae non paucis tam antiquitus MSS. quam typis editis legitur ibi *presbyteri*, quasi in Graecis, unde illa desumpta esset, non πρεσβυτερίου sed πρεσβυτέρου lectum fuisset. Erasmus in annotationibus sic legebat in codice quo usus est Vulgatae. Sed adjicit, *Sic quidam habent codices. Verum antiqui consentiunt cum Graecis, apud quos est* πρεσβυτερίου, *id est, presbyterii, non presbyteri. Et ita legit Ambrosius.* Certe & ita Sedulius, Ambrosio satis coaevus. Et dubitandum non est quin ita legerint quamplurimi alii scriptorum veterum, ut Beda, aliique. Codex item MS. in bibliotheca Westmonasteriensi pervetustus non aliter; uti nec aliter codices MSS. in Oxoniensium publica, alibique complures. Caeterum etiam inter veteres non pauci *presbyteri* ibi retinendum voluere. Ita scilicet Primasius Uticensis episcopus, qui floruit sub annum 500, adeoque Sedulio est paulo recentior; atque huic coaevus Remigius episcopus Rhemensis, ut liquet in annotationibus ejus in epistolas Pauli typis editis [e], quarum exemplar MS. perpulchrum & pervetustum, quod olim erat Coenobii Chertesiensis, servatur in bibliotheca Westmonasteriensi, ubi expressa lectio etiam *presbyteri.* Et ambiget, opinor, nemo hosce, viros tantos, suos & tunc ac postea habuisse sequaces, alterum in Africa sua, ut in Gallia sua alterum; etiam & autores habuisse vetustiores qui ipsis hic praeivissent. Ita scilicet, si revera annotationes illae fuerint Remigii; qua de re codicis pervetusti fide subnixus J. Baptista Villalpandus, qui illius sub nomine eas edidit [f], haud dubitare videtur. Sed totidem ferme verbis, quamplurimis ante annis, Haymonis Halberstadensis episcopi nomine [g] eaedem prodiere. Nec sane MS. quem diximus codex autoris nomen prae se fert; sed titulum habet manu recentiori *Epistolae Pauli glossatae.* Sed vero etiam in Haymonis editis legitur hic *presbyteri.* Nec inter Germanos suos minus is celebris sub annum 840 quam inter Gallos suos Remigius. Et in codd. Vulgatae MSS. qui admodum numerosi sunt in bibliotheca Oxoniensium publica, pauciores sunt qui habent *presbyterii* quam qui *presbyteri.* Prioris generis sunt circa duodecim, posterioris circa sexdecim, quibus consoni MSS. alii bibliothecis in aliis. *Presbyteri* item legebat Hugo cardinalis, Thomas Aquinas, aliique id genus, & proculdubio Petrus Lombardus; tametsi in commentario ejus *presbyterii* habeatur. Quod enim legimus in eo, PRESBYTERII *pro* PRESBYTERORUM; *singulare pro plurali, posuit*, manifeste indicat scripsisse illum, adeoque ibi legisse, *presbyteri.* Neque enim dixerit quis *presbyterii* plurale esse *presbyterorum.* Sed quidem recte agnoscit item ille, uti etiam Hugo cardinalis, aliam literam fuisse tunc *presbyterii.* Ita variabant scilicet codices. Editio item cum glossa ordinaria & Lyrani commentariis *presbyteri* illic habet, licet Lyranus ipse, ni fallor, *presbyterii* legendum voluerit. Nec aliter editio illa pro more seculi elegantior Lugdunensis, annis ferme [h] abhinc 130 a Jacobo Marescallo ad-

[x] Uxore Ebraic. lib. 1. cap. 15. [y] C. tit. De Judaeis, lib. 15. [z] C. Theodos. lib. 16. tit 8. l. 2. 13, 14, 29.
[a] Act. xi. 30. xiv. 23. Tit. i. 5. [b] Act. 20. 17. Ep. Jacobi v. 14. [c] Et vide eum ad Act. xiii. 1. & xviii. 8. & xx. 17.
[d] Cap. iv. 14. [e] Moguntiae 1614. [f] Moguntiae 1614. [g] Argentinae 1519. Parisiis 1556, &c. [h] Ann. 1523. in folio.

ornata,

ornata, quae in calce dicitur *ſtudioſiſſime reviſa, correcta & emendata, & ad inſtar correctiſſimorum exemplarium tam antiquorum quam novorum incontrata, comparata, & collata.* Praeiverat ejuſdem alia [i] hic concors. Atque haſce aliae non paucae dein ſecutae ſunt. Inde in verſione Italica Nicolai de Malermi abbatis S. Michaelis quampluribus abhinc annis edita legitur, *Con imprimento della mano del presbytero.* Inde etiam in Anglicana quadam [k] ſub initia reformationis, **with laying on the hands of an Elder.** Et praeſtantiſſimus ille vir Thomas Morus, ubi acrius quidem in Guilielmum Tindallum invehitur eo quod in verſione ſua ſub annum 1530 [l], emiſſa pro presbyteris **Elders** ſubſtituiſſet, expreſſim [m] lectionem *presbyteri* pro vera ſumit ac recepta, & reddendum locum vult, **with the impoſition of hands of a Prieſt;** quam vocem pro *presbytero* paſſim Anglice adhibendam eſſe pluribus contendit. Et verſio Gallicana annis abhinc amplius 130 typis edita [n] habet, *avec l'impoſition de main de preſtre.* Etiam in editionibus recentioribus aliquot [o] reformatorum *presbyteri* hic legitur tum in Vulgata tum in nova ſibi facta Sed perrara eſt in eorum bibliis illa lectio. Quantum vero ad Romanenſes nuperos; eorum ſuperioris ſeculi editiones celebriores habent hic *presbyterii,* ut Complutenſis, Iſidori Clarii, Lovanienſis, aliaeque. Et ita legerunt Bellarminus[p], Baronius[q], id genus apud eos alii. Quinetiam in celeberrima & recentiore illa utriuſque teſtamenti verſionis Vulgatae editione Sixti quinti anno 1590 & dein Clementis octavi 1592 juſſu Romae primum ex compluribus & vetuſtioribus MSS. typis mandata (quam nimirum tantae autoritatis haberi voluit Clemens ille [r] ut, *Si quis typographus alias ederet vel evulgaret, ultra amiſſionem omnium librorum, & alias arbitrio noſtro infligendas poenas temporales, etiam majoris excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrat, a qua niſi a Romano pontifice, praeterquam in mortis articulo, abſolvi non poſſit) presbyterii* legitur; cui conſonae ſunt editiones complurimae aliae. Nec ſane qui parendum ſerio exiſtimarint decreto illi hac de re pontificio, editionem aliquam in vocula aliqua diſcrepantem debuerunt admittere. Caeterum, qualiſcunque decreti illius vis fuerit habita, etiam ubi pontificum viguit vigetque in hiſce imperium, edita ſunt, nec ſemel nec furtim ſed autoritate & cenſura publica, biblia nomine Vulgatae editionis, Sixti quinti & Clementis octavi juſſu recognitae, in quibus etiam opera, ut videtur, data vox *presbyteri* hoc loco fit redux. Ita ſcilicet in editione Moguntina 1609. ad archiepiſcopum Moguntinum a typographo dicata, & a Stephano Webero ſuffraganeo Moguntino, cenſore tunc ibi, typis permiſſa. Ita etiam in editione Veneta e typographia Salicata anno 1616. ubi praefigitur etiam illa Clementis Bulla integra quae adeo comminatoria eſt eis qui ab exemplari Vaticano illo deviarent. Hujuſmodi ſunt editiones item aliae. Verum quidem eſt, in veterum ſcriptione literam I, maxime longiuſculam ſeu productam, ſed etiam non raro nec productam, unicam aequiparare ſe duabus, ut in DIIS [s], GENIS [t], MANUBIS [v], pro *Dii, Diis, Geniis, Manubiis.* Etiam Virgilius [x] *urbem Patavi* ſcripſit pro *Patavii.* Id genus ſunt alia. Atque inde forſan quis dixerit *presbyteri* hic & *presbyterii* ne quidem lectiones eſſe adeo diverſas, ſed utriuſque pariter elementa poſſe *presbyterii* exprimere. Atqui in bibliis puto ſcriptionis illiuſmodi ratio non habita. Nec pro eadem voce ſumpſere omnino illi qui ſcriptionem diverſam olim animadverterunt. Syrus ibi, *quae data eſt tibi* בנביותא ובסימידא דקשישותא *per prophetiam & per impoſitionem manuum* (ubi inſtar χειροθεσίας compoſitum fit Syriacum) *presbyterii;* cui conſonus eſt Arabs Erpenianus, & MS. meus,

بالنبوة ووضع يد القسيسية *per prophetiam & impoſitionem manus presbyterii;* ubi editio Jaiana بنبوة بوضع ايدي القسوسية *per*

per prophetiam per impoſitionem manuum presbyterii. Apertiſſime autem juxta morem dictum eſt tunc obtinentem, atque ex intima vetuſtate apud Ebraeos, adeoque chriſtianos ex ipſis tunc factos, notiſſimum, de ſolenni manuum, ut diximus, impoſitione, ut in aliis itidem [y] aliquot, ita in presbyteris creandis, adhibita; quae inde in ſequentem chriſtianiſmum propagata. Quanam vero notione in epiſtola illa ad Timotheum *presbyterium* uſurpatum ſit, non dubitant illi qui adeo fidenter pro conſeſſu, collegio aut coetu tunc Presbyterorum chriſtiano accipiunt, ut non pauci quidem iique viri ſummi ex reformatis, locum illum explicantes; quemadmodum alii, iique ex veteribus [z], pro epiſcoporum aliquo coetu Timotheum in epiſcopum creante. Et Theodoretus ibi vocari ait *presbyterium* τοὺς τῆς ἀποστολικῆς χάριτος ἠξιωμένους, *eos qui apoſtolicam gratiam acceperant.* Atque adjicit, οὕτω καὶ τοὺς ἐντίμους τοῦ Ἰσραὴλ προσηγόρευσεν ἡ θεία γραφὴ Γερουσίαν, *Ita etiam honoratos in Iſrael divina ſcriptura vocavit ſenatum.* Caeterum, cum presbyterorum creatio eſſet per manuum impoſitionem, & tam dignitas in quam quis ita crearetur ſeu presbyteratus honor quam presbyterorum coetus *presbyterii* nomine tunc denotari, ut oſtenſum eſt, ſoleret, non abſonum eſt potius vocem ibi illam de ipſa dignitate ſeu officio presbyterii, non de presbyterorum coetu aliquo, capere, quaſi dictum fuiſſet, *quae tibi data eſt per prophetiam cum manuum impoſitione qua creatus es presbyter;* perinde ac ſi quis diceret, *per impoſitionem manuum doctoratus, nuptiarum, baptiſmi, confirmationis,* aut בסמיכת הזקנים *per impoſitionem manuum qua presbyteri creari ſoliti.* Maxime ſane, cum Paulus ipſe, alibi de eadem gratia ſeu dono in Timotheo loquens [a], aiat expreſſim, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου, *quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum;* quod quidem ſonat quaſi Paulus ipſe eum creaſſet, non presbyterorum coetus aliquis, ſeu conſeſſus *presbyterii* nomine ſignan-

[i] In 8vo. ann. 1514. [k] Ann. 1539. [l] Balaeus Cent. 8. ſcript. 72. [m] In Confutat. Tindalli Anglice, Londini 1532. [n] Lugduni 1518. per Jacobum Saconium. [o] Hamburgi Davidis Wolderi 1599. [p] Lib. de Effectu Sacramentorum cap. 24. de Sacramento Confirmationis, cap. 12. De Sacram. Ordinis, cap. 2. [q] Tom. 1. ann. 44. num. 75. [r] Bulla ejus 9 Novemb. 1592. editioni illi praefixa. [s] Paſſim in Vet. Inſcript. [t] Gruter. pag. 106. 6. [v] Smetius fol. 6. 6. & videſis Lipſium de Recta Pronunciatione Linguae Lat. cap. 8. [x] AEneid. 1. [y] Act. vi. 6. [z] Chryſoſtom. Theophylact. &c. ibi. [a] 2 Epiſt. i. 16. & vide ibi Chryſoſtomum, & Theophylactum; & Hug. Grotium ad 1 Tim. iv. 14.

tias

tius inter christianos tunc notus. Nam presbyterum unicum alium creare potuisse ex more Ebraeorum, qui tunc viguit, vetusto receptissimum erat. Certe etiam Paulum ipsum tam in presbyterii, qua dignitas erat id ex more vetere Judaica juxta ante dicta, quam apostolatus christiani honorem jam ante evectum fuisse, non videtur dubitandum. Nam nutritum eum Hierosolymis[b] scimus παρὰ τοὺς πόδας *ad pedes* Gamalielis ut discipulum ejus, atque inde eruditum fuisse κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, *juxta exactiorem patriae legis scientiam.* Nec Gamaliel ille alius viris doctissimis[c] sumitur ab illo qui eo nomine, utpote Hillelis e Symeone F. nepos, synedrii magni illo erat in seculo princeps, nominisque illius primus. Jam vero tradunt Talmudici[d], magistrum qui presbyter esset, discipulos suos, sive Judaeos origine sive proselytos, in eandem dignitatem variatim creare solitum (ut libro fusius ostenditur secundo) idque antiquitus omnino pro arbitrio suo esse factum; modo tum intra terram sanctam creatio fieret, tum bini alii, sive ante creati sive non, creationis actui simul interessent; Quam libertatem creandi postmodum ita sub christianismi initia seu tempore Hillelis senioris, principis synedrii magni, temperatam esse aiunt, ut sine licentia principis synedrii creandus inde esset nemo; nec ab ipso principe sine praesentia patris synedrii, qui principi secundus erat; nec a patre sine principis praesentia. Haud igitur dubitandum videtur quin Gamaliel ille Paulum in presbyterii Judaici dignitatem dum discipulus ejus erat, id est, nondum christianus, creasset. Postmodum autem is apostolatus christiani munere donatus, quoniam non ad terram sanctam magis atque alias gentilium terras verus Judaismus, id est, christianismus inde ortus, atque numinis jussu tam gentibus quam Judaeis communicandus, jam spectabat, tum extra[e] terram sanctam, ut in Asia minori, Creta, alibi, christianismi presbyterorum creationem esse legitimam censuit ad disciplinam evangelicam praedicandam, docendam, explicandam, tum seipsum aliosque apostolorum, quibus parilis potestas, uti & ab ipsis creatos, superinducto illo de principis licentia temperamento seu lege nova solutos esse planeque liberos: Quemadmodum etiam sine circumcisione (contra quam Judaismi tunc veteris, seu Judaeorum non credentium, disciplina admittebat) rite baptizatos tam gentiles quam Judaeos in verum Judaismum, id est, christianismum, recipiendos. Adeoque jam etiam in presbyteris christianis ad evangelium propagandum creandis obtinuit velut in libertatem christianam redux mos ille (saltem si ante Pauli tempora, ut dicitur, mutatus est; nam ea de re mihi nondum aperte satis liquet) ut כל מי שנסמך סומך לתלמידיו *quisque rite creatus discipulos suos rite posset creare*; quem בראשונה seu seculis vetustioribus & ex avito jure ibi viguisse ante Hillelem aiunt Talmudici[f]. Hinc de Paulo ipso & Barnaba dicitur, Χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν, &c. *Cum creassent illis presbyteros* seu *constituissent per ecclesias*, &c. in locis scilicet aliquot Asiae minoris[g]. Hinc Paulus ad Titum[h] in presbyterii dignitatem ante creatum, *Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas*, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, & *constituas per urbes presbyteros.* Hinc autem Paulus ad Timotheum[i], Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει, *Manus cito* seu *temere nemini impone*. Qui nimirum hoc nomine ad capita maxime illa singularia Judaicae theologiae verae seu christianismi jam nascentis propaganda constituendi erant ita ex more Judaico creabantur. Atque inolevit postea ut, presbyteris ab episcopis dignitate discriminatis, presbyteros creare episcopo quidem liceret unico, sed ut episcopi creationi plures etiam episcopi necessario[k] interesse deberent. Quoquo autem modo, eos rite *creare* seu *constituere* tunc significabat χειροτονεῖν illud in novo testamento usurpatum; non *per suffragia eligere*, ut voluere viri magni aliquot. Erasmus χειροτονήσαντες αὐτοῖς, &c. de Paulo & Barnaba[l] dictum vertit, *Cum suffragiis creassent illis per singulas ecclesias presbyteros.* Etiam & versio Anglorum publica quae ab initio reformationis usque in Episcopalem sic dictam bibliorum recognitionem emendationemque obtinuit, **When they had ordained them elders by election in every congregation.** Et in recognitione etiam illa episcopali eadem retinentur vocabula, excepto quod **church** pro **congregation** inseratur. Tigurini similiter, *Cum suffragiis creassent.* Beza item ibi habet *per suffragia.* Versio Gallicana, *Apres que par l'advis des assemblees ils eurent establi des anciens*, &c. Italae nuperae, *Poi che per l'aviso de la congregatione hebbero constituti lor de seniori*, &c. Et, *Dopo c' hebbero loro per ciascuna chiesa ordinati per voti comuni degli antiani.* Etiam & nupera Belgica[m] synodi Dordrechtanae auspiciis recognita, **Ende als sy haer in elcke gemeynte met opsteken der handen ouderlingen verkoren hadden,** *Et cum in ecclesia qualibet protensione* seu *porrectione manuum presbyteros elegissent.* Aliae aliquot sunt consonae; quasi sensus fuisset, aut initis plebis quae aderat suffragiis, ut expressim versionum jam memoratarum aliquae, aut saltem ipso porrigendi manus actu quomodocunque ad suffragia indicanda adhibito, ordinationem illam, nec aliter, ab apostolis illis binis esse peractam; quoniam scilicet verbum χειροτονεῖν *manus* ad assensum aperte praebendum indicandumque *protendere* seu *porrigere* Graecis significat. Et verum quidem est, illud primario atque ex origine sua id significare, unde etiam χειροτονία pro ipsa *suffragiorum per manus porrectas latione* satis est illis obvia; qua de re clare liquet ex Aristophane[n], Demosthene[o], Thucydide, aliis Graecorum vetustiorum. Sed vero etiam in scriptorum illorum seculis, tot annorum spatiis novi foederis scriptionem antevertentibus, non solum *manum* sic *porrigere*, verum etiam simpliciter *decernere, constituere, ordinare, creare, eligere*, significasse χειροτονεῖν palam est, quoniam scilicet per ejusmodi manuum usum tum constitui solebant ac decerni leges, tum magistratus creari. Inde chorus mulierum apud Aristophanem[q],

[b] Act. xxii. 3. [c] J. Buxtorf. in Abbreviaturis ר. [d] Maimonides in tract. *Sanhedrin*, cap. 4. [e] Act xiv 23. Tit. i 5. [f] Maimonid. tract. *Sanhedrin*, cap. 4. [g] Act. xiv. 23. [h] Tit 1. 5. [i] 1 Tim. 5. 22. [k] Can. Apost. 1. & 2. & Synod. Nic. can. 4. [l] Act. xiv. 22 [m] Leidae 1637. [n] In Ecclesiazusis. [o] Philippic. 1. & in Timocratem. [p] Lib. 3. [q] In Ecclesiazusis.

——ὡς

—ὡς ἂν χειροτονῶμεν
Ἅπανθ' ὁπόσ' ἂν δέῃ—

ut decernamus omnia quae fieri oportet; ubi vertunt aliqui aliter; etiam & aliter, sed perperam, interpungunt. Et Demostheni χειροτονεῖν ταξιάρχους καὶ στρατηγοὺς καὶ φυλάρχους καὶ ἱππάρχους pro *centuriones*, *duces*, *tribunos*, *magistros equitum* simpliciter *creare* usurpatur [r]. Et, Ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ, inquit, χειροτονήσατε, *Ea quae vobis probata fuerint decernite.* Alibi item de legum apud Athenienses ferendarum ratione, Ὁπότερον δ' (inquit [s], νόμον) ἂν χειροτονήσωσιν οἱ νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι, *Utram vero legem nomothetae retinendam decreverint, ea rata habetor.* Inde etiam ἐπιχειροτονεῖν erat *disquirere* quid de legibus aut re alia controversa esset publice statuendum, uti & ἀποχειροτονεῖν simpliciter *improbare* seu *condemnare.* Aliae etiam inde voces sensum in non dissimilem formatae; qua de re, maxime in Timocratea Demosthenis, & Ulpiani ibi annotationibus, aperte satis constat. Adeoque plane, etiam tunc quidem, χειροτονεῖν in sermone receptissimo significabat ψηφίζειν, νομοθετεῖν, διατάττειν, *decernere*, *legem ferre*, *constituere*, id genus alia, discriminis rerum ac personarum de quibus verba fierent ratione semper necessario habita. Jam vero sive ipsam originariam vocis naturam sive qualemcunque ejusdem significationem intueamur, id perquam est manifestum, nunquam eam significasse aliam manuum porrectionem, aut alia suffragia aliumve adsensum praeberi quam eorum tantum ipsorum de quibus expressim dicitur. Usurpabatur quidem tam, Ὁ δῆμος χειροτονεῖ, *Populus per suffragia constituit*, quam Socratem, Platonem, Coriscum χειροτονεῖν, ut hic de Barnaba & Paulo. Et ubi sententiam suam singularis quisquam, aut sic bini tantum, praebere voluerint, manum ex more invicem inter se sicut & aliis in assensus signum, uti & in contractibus mutuo ineundis, porrigere satis tralatitium. At vero ullane cum ratione concipi potest, si quis diceret τὸν δῆμον χειροτονεῖν *populum decernere*, aut, si vis, porrectis in suffragiorum signa manibus, decernere leges aut magistratus reipublicae (ut hic christianis ecclesiarum memoratarum presbyteros ἐχειροτόνουν Paulus & Barnabas) aut idem facere Socratem & Coriscum, ullane, inquam, concipi potest cum ratione aliorum aliquorum suffragia, aliorum manus sic intelligi praeterquam eorum ipsorum de quibus locutio sic fieret? Non magis sane quam si, cum dicatur Seium ac Titium voce, tabella, discessione sententiam tulisse, intelligeretur inde alios itidem cunctos quibus sententiam sic ferrent pariter sententiam cum illis tulisse; quod plane nimis foret absurdum. Adeoque, si concederetur, vocabulum ex primaria origine sua in Actis hic intelligendum, nec de simplici solum constitutione seu ordinatione sequeretur tantum, porrectis manibus Paulum & Barnabam presbyteros elegisse & constituisse, nec quosquam alios actus illius fuisse socios. Sed insolens nimis de duobus tantum locutio illa, *per suffragia* seu *per electionem constituerunt*, cum constitutio ejusmodi sit proprie denotanda tantum quoties ex plurium majoris numeri suffragiis seu electione quisquam constituitur. Vertendum autem est simpliciter, *Cum ordinassent, constituissent*, seu *elegissent* (nam quisquis ordinat aut constituit, ex animi sententia ordinatum etiam eligere nemo dubitat) *eis presbyteros*, idque non solum ex vetustiori quem diximus vocis χειροτονεῖν usu, sed etiam ex eo qui apostolorum tempore maxime obtinuit. Nimirum ut χειραγωγεῖν seu *manuducere*, & οἰκοδομεῖν seu *aedificare*, alia aliquot ejusmodi composita, simplicem ex usu induerunt *dirigendi*, *struendi*, aliorum id genus, significationem, ratione vocum ipsorum e quibus componuntur habita nulla (quod apud scriptores est perquam obvium; unde compluries *aedificare* & *aedificatio* & οἰκοδομεῖν & οἰκοδομὴ in novo foedere pro eo quod nec aedes nec τὸ οἶκον proprie ex origine vocis omnino spectat) ita tum ante, tum eodem seculo quo scripsit Acta S. Lucas, & dein perpetuo, induta est vox χειροτονεῖν significatione illa simplici *ordinandi*, *constituendi*, *eligendi*; sed non alia electione denotata, praeter eam qua usi sunt ipsi qui ordinarint, constituerint seu elegerint. Inde in versione veteri e Septuaginta, [t] qui pro שלח אצבע, quod *extensum digitum* denotat, habent χειροτονίαν, substituitur tantum *ordinatio*. Inde Graecis scriptoribus tam ipsis apostolis coaevis, aut quasi, quam aliis, qui de ferendis apud Romanos legibus & creandis magistratibus aliisve in dignitatem evehendis scripserunt, usurpari solent χειροτονεῖν & χειροτονία pro eo quod simpliciter est *constituere*, *creare*, aut *constitutio* ac *creatio*. Apud Appianum [x], qui sub apostolorum exitum scripsit, vocis ejusmodi usus est frequentissimus; ut in χειροτονία τῶν νόμων pro *constitutione* seu *latione legum*, δημάρχων χειροτονία, *creatione tribunorum plebis*, ὑπάτων χειροτονία, id genus aliis. Neque obstat quod per suffragia haec fierent apud Romanos. Nam per suffragia in comitiis alibive quid facere manibus porrectis, aut modo eo qui per χειροτονεῖν ex origine sua primaria denotatur, Romanis non solum nunquam receptum est, sed maxime etiam, qua Graeci id faciebant, improbatum, ut expressim scimus ex Cicerone [y]: unde insuper non iniquum est ut existimemus post devictam ab eis Graeciam (id est, diu ante Acta Apostolorum scripta) legesque & mores Romanos illuc introductos, desiisse etiam atque ut abrogatum evanuisse apud Graecos ipsos manuum sic porrigendarum ritum; manente nihilominus vocis χειροτονεῖν significatione illa simpliciori, qua *ordinare*, *constituere*, *creare*, id genus alia significaret. Hinc etiam Philo apostolis ipsis plane coaevus de Josepho [z], ὅτε βασιλέως ὕπαρχος ἐχειροτονεῖτο, *quando regis AEgyptii vicarius est constitutus.* Et de Mose [a], ἡγεμὼν ἐχειροτονεῖτο &c. *Dux constitutus est*, &c. Θεοῦ γέρας ἄξιον αὐτῷ παρασχόντος, *Deo honorem tantum ei praebente.* Paulo item post, *Ipse lex animata rationalisque factus est per Dei providentiam*, ἥτις ἀγνοοῦντα αὐτὸν εἰς νομοθέτην ἐχειροτόνησε, *quae nescientem illum in legislatorem creavit.* Alibi item Moses ei dicitur [b], ὑπὸ Θεοῦ χειροτονηθεὶς, ἑκουσίῳ γνώμῃ τῶν ἀρχομένων, *creatus* seu *constitutus a Deo rex, subditis volentibus & consentientibus.* Et ubi Aaro-

[r] Philip. i. [s] Orat. adversus Timocratem. [t] Isaiae cap. lviii. 9. ubi vide Hieronymum. [x] Ἐμφυλίων b. 1, 2. [y] In Orat. pro Flacco. [z] Lib. περὶ Ἰωσήφ. [a] Lib. 1. de vita Mosis. [b] Lib. de praemiis & Poenis.

nem ab eo constitutum ait pontificem maximum, adjicit[c], *ejusdem vero filios* ἱερέας ἐχειροτόνει, *sacerdotes creavit.* Apertissime hic nulla suffragiorum aliorum ratio habita aut ferendorum usus; unde etiam idem scriptor [d] judices distinguit in λαχόντας ἢ χειροτονηθέντας, *sorte electos* aut sine sorte *quomodocunque creatos* aut *electos.* Et Moses, inquit[e], κληρώσεις μὲν ἀρχῆς οὐδὲ μέμνηται, τὰς δὲ χειροτονίας διενοήθη εἰσηγεῖσθαι, *Nusquam meminit principatus quaesiti sortibus*; *sed eligi* aut *creari* seu *per electionem* aut *constitutionem* aut *ordinationem voluit introduci,* idque sive per suffragia sive aliter. Quid enim ibi per χειροτονίας intelligit, satis ostendit ipse dum statim exemplum affert illud[f], Καταστήσεις ἐπὶ σαυτὸν ἄρχοντα, *Constitues super te principem,* &c. pro eodem ipso καθιστᾶν *constituere* & χειροτονεῖν cum aliis sic usurpans. Alibi[g] eodem ille sensu de Essenis, *Quicquid singuli ex tanta operum varietate pretii acceperint,* ἑνὶ διδόασι τῷ χειροτονηθέντι ταμίᾳ, *id uni in quaestorem creato tradunt.* Vertitur quidem ibi *suffragiis creato,* quod aliis similiter aliquot in locis versioni ejus perperam adjicitur, cum plane pro simplici aut qualicunque creatione χειροτονεῖν ille passim intelligat. De Essenorum item procuratoribus Josephus[h], itidem Actorum scriptioni coaevus, χειροτονητοὶ οἱ τῶν κοινῶν ἐπιμεληταί. Id recte vertit Ruffinus, *Designati commmunium rerum procuratores.* Quod tamen ex originaria vocis χειροτονητοὶ significatione, non sine suffragiorum electione ab aliis, ut ab interpretibus ejusdem loci apud Porphyrium[i], male vertitur. Et Claudius Caesar, sub quo apostoli ipsi vixerunt, dicitur in edicto suo ex Josepho superius* allato, adeoque juxta vocis significationem tunc indubitatam, *consul* χειροτονηθεὶς τὸ δεύτερον, *creatus secundo,* nulla porrectionis manuum habita omnino ratione. Jam dicto item sensu Lucianus apostolis satis coaevus, velut ex receptissimo usu, vocem adhibet, ubi ait[k] Alexandrum magnum magnificentiae Hephaestionis funeri additum voluisse, καὶ Θεὸν χειροτονῆσαι τὸν τετελευτηκότα, *ut mortuum etiam Deum crearet,* seu *in Deorum numerum referret.* In hisce demum qui ita apostolorum seculo synchroni sunt tres habentur, Philo scilicet Judaeus ipse & Hellenista, & Lucas qui Acta conscripsit, & Lucianus, praeter Appianum, & Josephum (ut omittamus vetustiores, quos memoravimus, satis consonos) qui planissime de creatione seu ordinatione simplici, eaque unici alicujus, non suffragiorum ferendorum ratione habita ulla, vocem, ut vides usurpabant. Atque si lectio illa de Democriti libro apud Vitruvium[l] cui titulus χειροτονητὸν vera sit, certe ibi non obscurum habebitur vestigium de τοῦ χειροτονεῖν, in seculo apostolorum & jam dictorum tempora proxime antevertente, seu Augusti aevo, notione qualem diximus recepta. Admissa scilicet interpretatione Philandri, Budaei, Danielis Barbari, qui sumunt pro commentario *selectarum comprobatarumque rerum,* seu *electorum,* ut alii, id est, rerum a Democrito ipso ac solo electarum, non suffragiis aut manuum porrectione quaesitarum. Caeterum cum alia forsan fuerit vocis ibi notio, eaque ad mechanicam rerum manu extendendarum rationem aliquam attinens, & cum ipsa lectio adeo controvertatur, atque etiam ab amplissimo praestantissimoque viro Claudio Salmasio[n] haec omnino rejiciatur, reposito ibi χειροκμήτων, *rerum manu elaboratarum,* non est quod ei ultra insistamus. Aliorum item seculorum paganos eadem in notione voce usos esse palam est. Mecaenas, ubi apud Dionem Augustum monet ne divinos honores reciperet, Ἀρετὴ μὲν γὰρ, inquit[o], ἰσοθέους πολλοὺς ποιεῖ, χειροτονητὸς δ' οὐδεὶς πώποτε θεὸς ἐγένετο, *Virtus quidem multos Diis aequat, sed per creationem* aut *electionem* seu *arbitrium hominis nemo factus est Deus.* Neque enim manuum porrigendarum mos apud Romanos, adeoque nec τοῦ χειροτονεῖν usus pro *suffragiis ferre.* Et Dioni[p] eidem, uti & aliis, προχειρίζεσθαι simili sensu pro *creare* saepius usurpatur. Sic Paeanius, qui sub Diocletiano vixit, in Eutropii Metaphrasi saepius[q] consules χειροτονηθέντας memorat, plane pro *creatis.* Et de Cinna, *Eum,* inquit,[r] ὕπατον ὁ Σύλλας ἐχειροτόνησεν, *Consulem Sylla creavit.* Quin ubi Eutropius habet[s], *Caesar vacuam urbem ingressus dictatorem se fecit, inde Hispaniam petiit.* Paeanius, Ὁ Καῖσαρ ἔρημον τὴν πόλιν εὑρὼν δικτάτωρά τε ἑαυτὸν ἐχειροτόνησε, καὶ Σπανίας ἐχώρησε. Pro *se facere,* id est, simpliciter creare, apertissime ita usurpatur; quemadmodum & alibi[t], *Constantius* δύο Καίσαρας ἐχειροτόνησε *Caesares duos creavit.* Et de Galerio & Constantio locutus, χειροτονοῦνται παρ' αὐτῶν Καίσαρες δύο, *Creati sunt ab eis Caesares bini.* Consonus hic Olympiodorus sub Theodosio secundo historicus non incelebris: *Constantino,* inquit[v], *filii erant duo, Constans & Julianus. Illum Caesarem* χειροτονεῖ, &c. καὶ τὸν Ἰουλιανὸν νωβελίσσιμον, *creavit, & Julianum nobilissimum.* Et de eodem Constante, ὃς πρότερον μὲν Καῖσαρ, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς ἐκεχειροτόνητο, *primo Caesar, postmodum imperator creatus fuerat. Jovinus item,* inquit, *fratrem Sebastianum* βασιλέα χειροτονήσας, *cum imperatorem creasset.* Quantum vero ad usum vocis in christianismo; praeter locum supra memoratum, simplex habetur semel tantum in novo foedere, ubi memoratur[x] *frater* χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, comes peregrinationis Paulinae; quod recte quidem vertitur *ordinatus est,* aut *electus, ab ecclesiis,* id est, ab ipsis plane quomodocunque creatus. Quid quod etiam luce clarius videtur ex ipso eodem autore qui χειροτονήσαντες usus est de Paulo & Barnaba in Actis, vocem ibi sumptam in compositione pro simplici *ordinatione* seu *creatione,* nulla suffragiorum ineundorum habita ratione? Nam idem ipse autor paulo ante[y] verba faciens de Christo tertia die resurgente, *Dedit,* inquit, *eum* Deus *manifestum fieri, non omni populo, sed* μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus & bibimus cum eo,* &c. Manifestius nihil est quam vocem ea notione hic usur-

[c] De vita Mosis, l. 3. [d] Lib. περὶ δικαστοῦ, ubi videsis Rolandum Petreium. [e] Lib. περὶ καταστάσεως ἄρχοντος. [f] Deut. xvii. 15. [g] In Apologia apud Euseb. Praeparat. Evangel. lib. 8. cap. 11. & vide apud eum lib. 2. de Monarchia, οἱ δοκιμασθέντες χειροτονοῦν. &c. & lib. de Charitate, οὐθ' ὑπό τινος ἀνθρώπου χειροτονηθείς. [h] Haloseos, lib 2. cap. 12. [i] περὶ ἀποχῆς, lib 4. * Cap. 8, pag 923. [k] Lib. περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν διαβολῇ. Videsis Dionem Prusaeum Orat. 33. pag 405. [l] Architect. lib 9 cap. 3. [n] In lection. Plinianis, pag. 1100 [o] Histor. 52 [p] Hist. 36, 41, &c. [q] Lib. 3, 4, 5, & 9 [r] Lib. 5. [s] Lib 6. [t] Idem lib. 10. [v] Apud Photium, in Bibliotheca Cod. 80. [x] 2 Corinth. viii. 18, 19. [y] Act. x. 40, 41.

par

ari qua *constitutionem* aut *ordinationem* aut *electionem* simpliciter ordinantis denotat, nulla suffragiorum aliorum ratione omnino habita, uti & *constitutionem, ordinationem,* seu *electionem* illis. Adeoque concors plane est hic vocis notio cum ea quam diximus esse in loco illo, de Paulo & Barnaba, altero quem apertissime videtur hic explicare. Et Appianus [z] item habet ὄτε προχειροτονῦντος ἄρχοντος pro *nullo magistratu praeordinante.* Inde etiam Syrus pro χειροτονήσαντες illic habet solum ואקימו *& constituerunt eis presbyteros*, & Arabs Erpenianus, uti & codex penes me MS. وأنهما صنعا لهم قسيسين *& cum constituissent*, seu *fecissent, illis presbyteros.* Huic consona est Vulgata, quae habet *constituissent.* Inde etiam Lutherus, *ordinassent.* Et Belgae hic olim [a], als sy had den Ouderlingen gecoren, *cum elegissent eis presbyteros.* Inde item in Anglicana sub Jacobo rege repurgata, expuncto by election (quasi aliorum fuisset, praeter ipsos, per suffragia electio) legitur, and when they had ordained them Elders in every Church. Hesychius etiam χειροτονεῖν interpretatur tam per καθιςᾶν (qua voce apostolus utitur ad Titum de ordinatione presbyterorum) id est, simpliciter *constituere*, quam per ψηφίζειν *suffragio decernere*, suffragio scilicet tantum decernentis; & χειροτονίαν per ἐκλογὴν *electionem* seu *delectum.* Atque apud patres Graecos in synodorum canonibus [b], alibique, perquam obvius est usus χειροτονίας pro eo plane quale est ipsa simpliciter *ordinatio* sive episcopi, sive presbyteri, sive diaconi, nulla suffragiorum praeter ipsorum qui ordinant habita ex vi vocis ratione. Ideo etiam Arabes verbum صير *constituere & efficere* in canonum versionibus suis [c] substituunt. Atque inde glossarium vetus, χειροτονητὴς, *creator*; & χειροτονία, *creatio, procreatio, creatura*; & *ordinatio*, χειροτονία; ubi *ordinare* dicitur διατάξαι, adeoque διάταξις & χειροτονία fiunt synonyma. Aliud item, χειροτονέω, *eligo, constituo*; & χειροτονητὸς, *electus, creatus, designatus*; ubi etiam elevationem manuum & populi consensum eadem voce indicari admittitur; quod recte ex diverso seculorum usu & prima vocis notione est intelligendum. Hinc Graeco-barbari [d] seu Graeci recentiores χειροτονῶ reddunt *initio & sacros ordines impertior.* Et Matthaeus Cigala Cyprius, *Moses*, ait [e], *manus Josuae imponens* ἐχειροτόνησεν τὸ προεςὸν, *creavit eum principem* populi Israel. Idemque vocabulum eodem sensu saepissime inde occurrit in ritualibus Graecorum, ubi χειροτονεῖν & προχειρίζειν synonyma; habentur qua de re videsis Petrum Arcudium [f], J. Baptistam Catumsyritum [g], Isacium Habertum [h], Jacobum Goar [i]. De varia item significatione τῆς χειροτονίας fusius Habertus [k] ille; uti & ante & doctissime viri magni, Thomas Bilsonus episcopus Wintoniensis [l], & Hugo Grotius [m], apud quos veterum ea de re, maxime christianorum, testimonia ampliter indicantur. Alii sunt qui leviori brachio rem tangunt non pauci, quorum aliqui vix aliter atque nos vocem interpretantur [n], aliqui autem ex plebium postea suffragiorum usu ordinationibus adventante, etiam ejusmodi Pauli tempore usum fuisse, sed infeliciter satis, quantum video [o], contendunt. Sunt vero etiam in jam memoratis viri celebres qui de manuum impositione χειροτονίαν Pauli & Barnabae capiunt. Et verum quidem est, vix fieri posse ut quis manum imponat nisi etiam extendat ac porrigat. Nec minus verum, χειροτονίαν presbyterorum seu *creationem* solennem perfici tunc non solere seu rarissime, sine manuum impositione. Inde forsan Arabs ibi Jaianus وساموا بايديهم لهم في كل كنيسة قسوسا *& designarunt manibus suis in singulis ecclesiis presbyteros*, scilicet Paulus & Barnabas. Et Theophylactus ad locum illum [p] de Pauli manibus Timotheo impositis, *gratia*, inquit, *quam accepisti cum imponerem ego tibi manus*, ὅτε σε ἐχειροτόνουν ἐπίσκοπον, *quando episcopum te constitui* seu *consecrabam*, quasi in ipsa χειροτονίας voce etiam manuum impositio contineretur; quod quidem etiam recentiorum compluribus placet. Sed illud nondum satis didici ego aliter esse admittendum quam si dicas ipsum ordinationis actum integrum τῇ χειροτονίᾳ denotari, adeoque ex accidente item manuum impositionem. Neque enim ipsum actum χειροθεσίας singularem ac per se sic veteribus denotatum, ullibi mihi compertum. Ut vero ad locum illum Paulinum de *impositione manuum presbyteri*, seu *presbyterii*, redeamus; certe non adeo rarum est in commentariis Latinorum, veluti Hugonis cardinalis, Dionysii carthusiani, Cajetani, aliorum item vetustorum, ipsam dignitatem seu officium presbyteri ibi intelligi. Quam in sententiam sane inclinavit primo Calvinus [q] ipse, & postmodum [r] eam omnino est amplexus, ubi non seniorum collegium sed ipsam ordinationem ab apostolo innui expressim ait. Et Erasmus ibi; *Illud dicit, habes non solum prophetiae donum, verum etiam efficaciam imposita manu dandi spiritum & aliis* (memineris hic quae Talmudici, juxta superius allata habent de Spiritu Sancto super creatum quiescente, eis quae christiani patres ea de re loquuntur verbo tenus satis consona) *idque ex officio presbyterii tui, nimirum episcopus.* Certe tum Syrus, tum Arabs Erpenianus, & codex meus MS. eisdem ipsis vocibus in eadem epistola utuntur pro ipso officio presbyteri seu episcopi, quibus hic pro presbyterio. Sic enim paulo ante vertunt [s] ἐπισκοπὴν *episcopatum*, quod de consistorio aliquo sanus sumendum existimabit nemo. Adeoque id quod ex eis de presbyterio jam ante hic vertimus, notione intelligendum est illa qua officium tantum seu dignitas, non coetus, designetur. Un-

[z] Ἐμφυλίων lib. 2. [a] Dordrecht 1617. [b] Canon. Apost. 1, 2. Synod. Nicaen. Can. 4. Chalcedon. can. 2. 6, &c. [c] MS. in Bibliothec. public. Oxoniensi, pag. 54, &c. [d] Simon Portus in Lexico Graeco-barbaro. [e] In Synopsi Hist. pag 67. [f] De Concordia Ecclesiae Occid. &c. Or. lib. 6. cap. 8. [g] In vera utriusque Ecclesiae sacramentorum concordia cap. 121, &c. [h] In Archieratico. [i] Ad Euchologium. [k] In Archieratico, ad Ritum Electionum observat. 20. [l] De perpetua Ecclesiae Gubernatione, cap. 7. [m] De Imperio Summar. Potestatum circa sacra, cap. 10 [n] Bellarm. lib. De Clericis cap. 7. & de Sacramento Ordinis cap. 1. Lorinus, Mariana. alii ad Act. xiv. 23. & vide Theodor. Balsamon. ad Can. Apost. 1. [o] Zonaras ad Can. Apost. 1. Carol. Justell. ad Cod. Univers. eccles. can. 108. Nic. Videlius Exerc. 12. in Ignatium, seu in Ep. ad Heronem cap. 4. alii satis obvii ad locum illum. [p] 2 Tim. i. 6. [q] Ad 1 Tim. iv. 14. [r] Instit. 4 cap. 3. [s] 1 Tim. iii. 1.

de

de non male vertunt illic qui *presbyteratum* substituunt. Sed Jaianus hic Arabs habet اسقفية *episcopatum* ut a presbyterio discriminandum. Wiclefius nostras in loco jam dicto, With putting on of the hondes of Preisthode, quasi vulgo diceres, *per impositionem manuum sacerdotii*; unde etiam illum *presbyterii* legisse dubitandum non est. Ita etiam Rhemenses, With imposition of the hands of Priesthood; ubi honor presbyterii, non coetus aliquis seu collegium presbyterorum, omnino innuitur. Nam vocem nostram Priest, & Teutonum Belgarumque Priester, uti & Gallorum *Prebstre*, & *Prestre*, & Italorum *Prete* a *presbytero* deformatam nemo, puto, non concedit. Et ubi in Vulgata novi foederis *presbyterorum* christianorum mentio fit (nam *seniorum* nomine vertuntur *presbyteri* ibi & *presbyteria* Judaica, qua non-credentium erant) substituit semper Wiclefius, uti & Rhemenses, Priests, ut Itali aliquot vetustiores *sacerdoti*, aliique *preti*, uti etiam sanctus Marmochinus, ordinis praedicatorum, qui locum tamen illum de Timotheo vertit, *con la impositione de le main del presbyterato*; quod officium seu honorem datum, non coetum aliquem, indicat. Lovaniensium versio Gallica, *avec l'imposition des mains de preistrise*. Etiam versio ex Syriaco in bibliis regiis, *cum impositione manus dignitatis presbyterii*. Sed vero reformati Galli ibi, *par l'imposition des mains de la compaigne des anciens*. Itali recentiores, *del collegio de seniori*, & *del collegio degli Antiani*. Hispani, *de las manos de l' Anciania*. Lutherus, mit hand aufflegung der Eltesten. Belgae reformati olim[t], met oplegginghe der handen des Priesterschaps, licet alibi pro presbyteris tam christianis quam aliis habeant Ouderlingen, quemadmodum itidem in versione nupera[v], quae tamen hoc loco *presbyterium* vertit Ouderlingschaps, quod in notis explicat per der Vergaderunge der Ouderlingen ofte Opsienders der Gemeinte, *collegium presbyterorum, aut inspectorum* seu *episcoporum ecclesiae*. Angli nostri qui post reformationem publice incoeptam scripturas vernacule interpretati sunt, Elders pro presbyteris tam Judaeorum qui non ex credentibus quam qui ex credentibus usurpant omnes. Neque aliud pro *presbyterio*, ubi de non credentium synedriis loquuntur, adhibetur. At vero locus hic epistolae de Timotheo in versione quae autoritate publica diu apud nos olim obtinuit[x] redditur, with the laying on the hands by the auctorite of Presthode, seu *autoritate sacerdotii*; ubi nihil plane de coetu aut consistorio supponi videtur. Vertit Latine Erasmus primo, ni fallor, *autoritate sacerdotii*; quod in versionibus aliis etiam, ut Tigurina, habetur. Caeterum ea quae apud nos Episcoporum dicta sub Elizabetha regina prodiit, & publice demum recepta est, ibi habet, With the laying on of the handes of the company of the Eldership, ubi presbyterorum coetus ut signantius tunc ita dictus ut intelligatur necesse est, juxta scilicet Bezae ibi mentem, qui habet *ordinis seniorum*, seu, ut Castalio, *cum tibi manus imposuisset senatus*. Tandem vero sub Jacobo rege recognita ac emendata a viris aliquot doctissimis in publicum usum versione illa, vox quidem Elders pro presbyteris passim, ut ante, alii in locis retinetur: hic vero *presbyterii* vocabulum civitate Anglicana ab eis primo donatum est substituto With the laying on of the hands of the Presbytery, dispuncto sic quod ante habebatur de coetu aut consistorio aliquo; ita ut tam de honore presbyterii quam de coetu indiscriminatim, quantum ad versionem, capi posset. Ex hoc autem loco novi foederis unico tum lectionis tum sensus, ut vides, adeo incerti, in quo Graece ac Latine *presbyterii* christiani quomodocunque intelligendi, nomen haberi creditur, atque ex aliis aliquot ibi de presbyteris christianis, & ex eis quae ad excommunicationis jus divinum asserendum, juxta illa quae superius traduntur, afferri solent, mira formantur & varia ab aliquibus de jurisdictione presbyterii christiani velut instituto divino etiam tunc fundata. Imo in hac insula passim hinc in ore vulgi nuperrime habentur ut voces Anglicanae Presbyter & Presbyterie, cum reformati reliqui in vernaculis suis linguis vernacula vocum nomina solum usurpent, ut Ouderlingen, *anciens*, & similia. Quinetiam apud nos, nescio quo fato, quave prudentia, dudum inolevit ut *presbyteri* ab Elders, velut ex novi foederis sensu, non in vulgi solum sed & doctorum lingua & scriptis, licet non omnino in versione ipsa, cautius distinguantur; idque dum solum Graeca novi foederis respicimus, ubi πρεσβύτεροι perpetuo tam pro *senioribus* quam pro *presbyteris* in vulgata usurpatur. Nam distinctio ejusmodi apud Wiclefium aliosve ex Vulgata transferentes rationi non ita adversa est, quoniam tam ante receptum erat per *presbyteros*, in Latino, Priests, notione ἱερέων seu *sacerdotum*, intelligere, quam per *seniores* Eldermen, (qua voce pro *senioribus* semper, ut dictum est, utitur Wicklefius) Ancients, aut *anciens*, aut Seniours, quod pro *senioribus* ab Anglis Rhemensibus[y] etiam interdum retinetur. Sed & distinctio ista admissa est quasi alii etiam tunc fuissent hi, alii illi, & sane quasi in *presbyteri* syllabis civitate nunc Anglicana sic donatis virtus lateret singularis aliqua & occultior; cum nec pueruli nesciant voces istas, *seniorem*, Priest, *presbyterum*, Elder, ex sui tam natura usuque primario & significatione apertissima non magis differre quam ὕπατον & *consulem*, ἄρχοντα & *principem*, βασιλέα & *regem*, aut quae alia sic invicem omnino eadem sunt. Cum autem Priest, *preistre*, *prestre*, id genus alia, a *presbytero* Latino in novo foedere formato, pro *sacerdote* sumi hic olim solerent, non minus ridiculum fuisset ubique vocem illam ibi sic vertisse. Nam ita presbyteri Judaeorum saepius cum sacerdotibus, ut aliud hominum genus, conjuncti *sacerdotes* itidem (quod sanus, puto, nemo admitteret) dicendi fuissent. Certe in ritualibus Anglicanis nostris Priests & Ministers pro *presbyteris* olim semper usurpata. Nec in lege, canone, aut scripto aliquo publica autoritate hic edito unquam, quantum scio, vox Presbyter, ut Anglicana, adhibita est ante Liturgiam publicam Anglicanam ad Scotos in usum publicum anno 1637 infelicissime missam, in qua pro eo quod ante Priest aut Minister erat, Presbyter ubique substituitur; sperantibus pro-

t Dordrechti 1617.

v Leidae 1637.

x Londini, 1540, &c.

y Joan. Epist. 2. i. 1. & iii. 1.

culdubio

culdubio, sed frustra, qui editionem illam adornarant, vocabulum illud *presbyterialis* disciplinae (ut vocant) ac consistorianae ibi amantioribus admodum placiturum, adeoque ipsam editionem gratiorem inde fore. Et de *seniorum* nominis in christianismo ecclesiastico usu singulari & vetusto consulas, si placet, viri celeberrimi doctissimique Davidis Blondelli libellum de jure plebis in regimine ecclesiastico. Sed vero de presbyteris ac presbyteriis ex intima Ebraeorum antiquitate, seu seculis quae tractamus legis in Sinai dationem antevertentibus, ita per judaismum in christianismum, velut per adumbrationem, hactenus deductis, plura & explicatoria dicentur libro secundo, ubi de eorum in Judaismo veteri, unde eos recepit christianismus primitivus, creatione, aliisque tam ad jurisdictionem qua in synedriis aliqui fruebantur quam reliqua eorum officia spectantibus, unde item de christiano presbyterio quis facilius dijudicare queat, & fusius & accuratius agetur. Quod ad tertium eorum quae hic considerantur, ut ante proposuimus, attinet, unde scilicet tam apud alios quam Judaeos ac christianos amplissimus, diffusissimus, vetustissimusque, prae aliis omnibus titulis, ad praefectos aliosque eminentiores multipliciter designandos, usus vocis *presbyteri*, aut ei ex sui natura synonymi alicujus, isque velut ab intervallo quod tractamus mire propagatus, cerni possit; testimonia sunt admodum varia tam per orientem quam per occidentem. Quod ad orientem spectat, praeter illa quae jam ante de AEgyptiis hanc in rem tacta sunt, ex ipsa scriptura etiam liquet sub ipsa dationis legis tempora aut apud populos vicinos nomen & titulum illum pariter receptum fuisse, aut saltem aliorum populorum primoribus ab Ebraeis tunc vulgari sermone tributum. Inde enim expresse nominantur a Mose [z] זקני מדין *presbyteri Midianitarum*, & זקני מואב *presbyteri Moabitarum*, in historia sacra de Balako & Bileamo, ubi item *presbyteri Moabitarum*, qui legati ad Bileamum, vocantur שרי מואב *principes Moab*. Historia item est notissima eorum qui Josuae tempore, quo Cananaei fugati sunt non pauci, e Phoenicia [a] in Africam migrantes ibi sedes fixere. Illi ut linguam ita & mores suorum avitosque secum illuc portantes ad posteros transmiserunt. Apud eos autem scimus diu postmodum usurpari solitum ipsum זקנים *presbyterorum* seu *seniorum* nomen pro eorum qui rebus, ut regentes in consistorio seu senatu, praeerant coetui seu collegio. Quod sane aliunde quam ex majorum in Phoenicia, cujus veluti colonia fuere Africani hi, moribus, intervallo etiam quod primario hic tractamus satis coaevis, manasse, neutiquam est ut omnino existimemus. Unde etiam, dum de orientalibus loquimur, Africanorum inde ita prodeuntium usum memoramus. Expressa nimirum hinc Carthaginiensium γερόντων seu *seniorum* mentio apud Aristotelem [b], quorum tamen in numerum diserte ait adscitos αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν, *qui eligi ob virtutem mererentur magis quam qui aetate essent seniores*. Hinc etiam ejusdem γερουσία erat seu *senatus*, ut ipse idem ibi, & Livius [c]. Ejusdem item collegas *seniores* nuncupatos esse (id est, plane ipsis זקנים) testis est tum in rebus Annibalis Livius ipse [d], tum apud eum Aristo Tyrius, qui profugus in tabellis supra sedem quotidianam magistratus suspensis scripserat se *privatim ad neminem, publice ad seniores* mandata habuisse. Ubi Livius ad *seniores, ita senatum*, inquit, *vocabant*; quemadmodum & זקנים *seniores* in foedere veteri γερουσίαν *senatum* saepissime dici scimus. Idem proculdubio alias apud civitates eo in tractu ex origine orientali obtinuisse sentiendum. Atque ex senioribus hisce seligebantur *suffetes* illi qui apud Poenos tum ut consules praeessent, supremumque sic gererent magistratum, tum de litibus & controversiis omnimodis ut judices cognoscerent. Adeoque judices etiam seu suffetes illis, juxta vetustum ex oriente illuc allatum morem, *seniores* revera erant & dicebantur; sicut & Romae consules e senatoribus selecti *senatorum* etiam nomine, cui illud *consulis* velut innitebatur, gaudebant. *Suffetes* (ut obiter de voce illa moneamus) Livio plurale est. De Magone, *Ad colloquium*, inquit [e], *Suffetes eorum, qui summus Poenis est magistratus, cum quaestore elicuit*. Alibi [f], *postero die cum Suffetes ad jus dicendum consedissent*, &c. Et [g], *Senatum itaque Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos* Carthaginienses *erat, vocaverunt*. Et viri doctissimi nomen sic fieri volunt ex Ebraico seu Punico שופטים *Sophetim*, quod *judices* significat. Horum etiam ego sententiam olim sum amplexus. Et sane, quantum ad rem ipsam significatam, commode satis illo nomine designari potuissent qui tam summae rerum in republica administranda quam in judiciis apud Poenos praeessent. Nam eo ipso vocantur ii quorum regimini per tempora aliquot suberant Ebraei, ut liquet ex libro cui in bibliis sacris titulus est ex eodem nomine, scilicet שופטים *judicum*, utcunque praefectura juridica veluti dignitatis pars minor ut haberetur necesse fuerit. Etiam Anglo-Saxones nostri praesidem provinciae ðeman vocitabant, id est, *judicem*, ut ex evangeliis Anglosaxonicis [h] saepius liquet. At vero, dum video vocem *Sufes* aliis esse hic singulare, idque tam Africanis ipsis quam Romanis, non illibenter quidem admitterem Josephi Scaligeri [i] etymon illud a צופה *Tzuffe* seu *Suffe*, quod *speculator* est, *ephorus*, *episcopus*, *epoptes*, seu, ut Graeci sacrarum literarum interpretes [k] habent, σκοπὸς, *speculator*, tantundem denotans, id est, in senioribus ibi princeps seu praeses. Sequax hic etiam Joannes Drusius [l], *Sufe*, inquit, *Sufes*; *ut Mamre, Mamres*; *Hause, Hauses*; *Jamre Jamres. Graeci enim nominibus in* a, e, *aut* u *desinentibus addunt* σῖγμα. *Nihil certius*. Sic ille. Hujus plurale est צופים *Suffim*. Sed nemo non videt facillimum fuisse ex *Suffe* Punico in Romanae terminationis ratione *Suffes* fieri, atque illinc etiam, pro declinandi voces sic terminatas more apud Latinos vario, in plurali *Suffetes* fieri, ut ex *Magnes Magnetes*. *Suffes* autem a שופט *Suffet*, seu plurali שופטים *Suphetim*, nimis incommode factum fuisset, praetermisso in vocabulo singulari *Teth*. Nam per *Sigma* ea non

[z] Numer. xxii. 4, 7, 8. [a] Procopius Vandalic. lib. 2. [b] Politic. 2. cap. 9. [c] Lib. 30. cap. 7. [d] Lib. 34. cap. 60. [e] Lib. 28. cap. 37. [f] Lib. 34. cap. 60. [g] Lib. 30. cap. 7. [h] Matth. x. 18. & xxvii. 2, &c. [i] In Festi verb. *Sufes*. [k] 1 Sam. xiv. 16. 2 Sam. xiii. 34, &c. [l] Animadvers. lib. 2. cap. 24.

exprimitur, licet *Tau* sic exprimi sit frequentissimum. Jam vero singulare fuisse in casu recto *Suffes* seu *Sufes*, testes sunt inter Romanos veteres Seneca & Festus. Ille de tranquillitate animi [m], *Non vis nisi consul, aut Prytanes, aut Ceryx, aut Sufes administrare rempublicam.* Festus autem; *Sufes dictus Poenorum magistratus.* Et Paulus ibi, *Sufes, consul lingua Poenorum*, ubi ex Calidio in testimonium habent, *senatus censuit* (de Carthaginiensi videtur dictum) *referentibus sufetis*, quasi & *sufes* in singulari *sufetis* casus in plurali sextus fuisset; quod quidem mirum, non dubitassent. Etenim ex analogia vulgari *suffetibus* dicendum erat. Africanorum autem ipsorum testimonia hic voco inscriptiones illas aeneas veteres sub Christi nati tempora conceptas, quibus *suffetum* nomina aliquot cum adjecta ipsa dignitate ita occurrunt ut *suffes* casu recto non semel legatur, idque ipsis, ut par est credere, suffetibus aut dictantibus aut recognoscentibus. Nimirum tres exstant alicubi in Italia, nunc aut nuper apud v. cl. Guilielmum Bargianum, ejusmodi inscriptiones, in quibus patronatus & clientelae jura invicem contrahuntur inter C. Silium C. F. Fab. Aviolam praefectum fabrorum & civitatem Themetram, & senatum populumque Timiligensem, & civitatem Apisam seu Apisiam in Africa.

Primae subscribitur

EGERUNT
BANNO HIMILIS F. SUFFES
AZDRUBAL BAISILLEGIS F. LEG.
IDDIBAL BOHARIS F.

Secundae,

AZDRUBAL SUFFES ANNOBA
LIS F. AGDIBIL &c.

Tertiae, cum aliis

CHINISDO SUFFES.

Ita scilicet in Octavii Rossii monumentis Brixianis [n]; ubi inscriptiones hae ex autographis ipsis exhibentur, cum ante apud Gruterum [o] huic tertiae subscriberetur *Chinisdo suffetes.* Habetur etiam cum his quarta [p] inter eundem praefectum fabrorum & senatum populumque Siagitanum in Africa, qua necessitudo qualis jam dicta est invicem contrahitur. Huic subscriptum est *agente celere Imilchonis Guilisae F. Suffete*; unde quidem, si alia deessent testimonia, non satis liqueret utrum *Suffes* an *Suffetes* rectus esset casus Africanis Latino sermone utentibus. Sed ex tribus illis ante allatis, quibus *Suffes* adeo manifesta est pro singulari vox, non est quod dubitemus etiam quin *Suffete* hic a *Suffes* in casu recto, non a *Suffetes*, rationibus etiam jam dictis, sit factum. Utcunque autem se haec res habuerit, id satis liquet tum, ex veterrimo orientalium ritu, collegium seu consistorium quod rebus praeerat, in posteris eorum qui e Phoenicia in Africam fugerunt, *seniorum* seu *presbyterorum* seu זקנים nomine indigitari solitum, tum ex iis primarios aliquot selectos fuisse velut consules ac revera judices; adeoque ex seniorum signantius dictorum numero judices ibi constitui solitos. Unde itidem majorum eorum mores hac in re, id est, Phoenicum in oriente, discendi. Parilis item apud Persas vetustissimos notio ac usus presbyteri seu senioris, quem γεραίτερον nuncupat Xenophon [q]. Ante aetatem quidem annorum quinquaginta nemo titulum illum sortiebatur. Ἐξέρχονται δὲ, inquit ille, τηνικαῦτα εἰς τοὺς γεραιτέρους ὄντας τε καὶ καλουμένους, *Tunc autem in eorum abeunt numerum qui & sunt & appellantur seniores.* Addit autem quod eorum soli qui ἀνεπίληπτοι essent, id est, *vitio carerent*, in numerum illum cooptabantur. Eadem ita usus est voce ipsa Apostolus [r], ubi oportere ait ἐπίσκοπον εἶναι ἀνεπίληπτον, *episcopum esse irreprehensibilem*; quod Syrus vertit, *ut sit* קשישא *presbyter talis ut* מומה לא משתכח בה *macula non reperiatur in eo.* Sic item Arabs, cui alius non est ibi episcopus praeter القسيس *presbyterum.* Xenophon etiam dein, Οὕτω μὲν δὴ οἱ γεραίτεροι διὰ πάντων τῶν καλῶν ἐληλυθότες καθίστανται, *Atque ita seniores alleguntur*, seu *in dignitatem illam cooptantur, ii qui omnis iter honesti confecerunt.* In pentateuchi versione Tawasiana seu Persica presbyteri appellantur פירן & פירני *Piran* & *Piranai*, seu پيران & پيرني Forsan eadem voce Xenophontis tempore pro γεραιτέροις ejus usurpabant Persae. Singulare est پير *Per.* Vox item γέροντες, *seniores*, ut in seculis vetustissimis per orientem ad ἐντίμους ac ἀρίστους *optimates* designandos usitatissima, Homero adhiberi solet; ut in Achillis scuto [s],

——οἱ δὲ γέροντες
Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ,

Seniores sedebant in politis lapidibus sacro in circulo, atque alibi saepius. Et, γέροντάς φασιν, inquit Eustathius [v], οἱ παλαιοὶ παρ' Ὁμήρῳ τοὺς ἐντίμους λέγεσθαι, *Seniores Homero dici aiunt veteres eos qui honoratiores essent.* Ubi observat etiam in eis apud Homerum alibi censitos Diomedem & Ajaces, Οἳ χρόνον μὲν οὐκ ἦσαν γέροντες. ἄλλως μέντοι ὡς ἔντιμοι μετὰ τῶν γερόντων κατελέγοντο. Ὅτε μέντοι ὁ ποιητὴς γέροντα ἑνικῶς εἴπῃ, τότε δὴ τὸν χρόνῳ πεπαλαιωμένον δηλοῖ, *Qui tempore seu aetate non erant seniores; sed quoniam ex honoratioribus essent, cum senioribus recensentur. Cum autem poeta voce* γέροντα *singulariter utitur, aetate provectum innuit.* Tantundem in Homerum ille alibi, nec semel. Parili sensu ab Homero usurpatur δημογέροντες.

Εἵατο [x] δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι,

Sedebant populi seniores in Scaeis portis, populi nempe Trojani optimates. Eadem inde utitur voce Aristoteles [y]. Suidae sunt illi οἱ τοῦ δήμου ἐντιμότατοι, *qui in populo honoratissimi*; Eustathio, ἡγήτορες Τρώων, *duces* seu *primates Trojanorum*, re-

[m] Cap. 3. [n] Le Memorie Bresciane, pag. 183. [o] Pag. 470. 1. [p] Ibidem apud utrumque & videsis de nomine hoc Bernard. Aldretium in Antiq. Hisp. lib. 2. cap. 2. & Samuel. Bochart. Geograph. Sacr lib. 1. cap. 24. pag. 516, 517. [q] Cyroped. 1 Brisson. de Regno Persico, lib. 2. [r] 1 Tim. iii. 2. [s] Iliad. σ', & β', & ι'. [v] Ad Iliad. β'. pag. 167. & videsis Dion. Chrysostom. Orat. 56. [x] Iliad. γ'. [y] Nicomach. 2. cap 9.

gi proximi. Hinc item Homero [z] γερούσι☉ οἶν☉, *vinum senatorium*, & δαὶς γερούσι☉ *senatorum convivium*, seu virorum quales diximus principum. Γερόντων Lacedaemoniorum meminit Aristoteles [a] & Plutarchus [b]. Et apud Josephum [c] titulus epistolae est, *Jonathan pontifex Judaeorum*, καὶ ἡ γερουσία *& populus Judaeorum, Ephoris Lacedaemoniorum*, καὶ γερουσίᾳ καὶ δήμῳ, τοῖς ἀδελφοῖς, χαίρειν. Eandem vocat γερωχίαν Aristophanes [d]. Et Plutarchus [e], Τὴν ἐν Λακεδαίμονι παραζευχθεῖσαν ἀριστοκρατίαν τοῖς βασιλεῦσι ὁ Πύθι☉ πρεσβυγενέας, ὁ δὲ Λυκοῦργ☉ ἄντικρυς γερουσίαν ὠνόμασεν, *Optimates in Sparta regibus adjunctos Apollo presbygeneas dixit, sed Lycurgus diserte Gerusiam* seu *senatum*. De *Gerusia* illa item Demosthenes [f], aliique. Cicero *Senum* nomine, id est, plane γερόντων, eam nuncupat: *Senibus*, inquit [g], *(sic enim consilium publicum appellant) augurem interesse voluerunt Lacedaemonii.* Cretensium item seniores habet Aristoteles [h], ut & Crotoniatarum Malchus seu Porphyrius [i]. Nam Graecos veteres universos in orientis censu collocamus, utcunque Europaeos. Samiorum etiam πρεσβύτεροι notione ejusmodi memorari videntur Jamblicho [k]. Et γερουσία Nicaena haberi existimatur inscriptione in veteri [l] inter schedas Busbequianas reperta. Ex prisco insuper Alexandrinorum in AEgypto usu, atque aliorum ibi, ut par est credere, Ἀρχιγέροντες *Archigerontes* vocabantur, ut volunt aliqui, γερόντων *senatorum* seu *seniorum* qui praeerant *primarii*, seu Alexandrini populi, principi inservientes, primates; ita Alciatus [m]. Alii de senatoribus ibi generatim primariis capiunt, ut Dionysius Gothofredus. Nam senatores etiam, id est, plane seniores, civitatis Alexandrinae, seu γερουσιαστὰς fuisse, ex codice satis scimus Theodosiano [n]. Perquam autem ridicule Accursius *Archigerontes* de archipresbyteris capit, seu majoribus senioribus sacerdotibus. Vox habetur in constitutione ab Arcadio & Honorio Augustis ad Gennadium praefectum Augustalem missa. Ea in codice Theodosiano [o] sic legitur, *Archigerontes & dioecetae ergasiotanorum numero deligantur*; *quod officium tuum solicitis observet excubiis*, sub titulo scilicet *De Alexandrinae plebis primatibus*. Haec autem ipsa in Justinianeum codicem [p] recipitur, eorundem Augustorum nomine, eisdemque die & consulibus, sed non sine interpolatione hujusmodi; *Archigerontes dioecetaeque ergasiotanorum non nisi christiani dirigantur*; *quod officium tuum solicitis observet excubiis*. Nonnulli aliter vocem illam legendam hic volunt, scilicet *Archigerontes*; qua de re vide Fr. Hotomanum [q], & lexicographos juris, qui verba ejus hic plerumque transcribunt. Alii etiam & *ergasiotanos* spurium esse volunt, *ergasiotas* reponentes. *Dioecetas* item synonymum hic esse *archigerontibus*, & Alexandriae corporatorum praesides significare contendunt, idque ex Graecis juris Caesarei Paratitlis, ubi sic lex haec concipitur [r], Μηδεὶς αἱρετικὸς ἀρχιγέρων ἢ διοικητὴς σωματείου ἢ τῶν ἐργασιωτῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γενέσθω, ἀλλὰ πάντως χριστιανὸς, προνοίᾳ τοῦ Αὐγουσταλίου καὶ τῆς πειθομένης αὐτῷ τάξεως, *Nullus haereticus in Alexandria fiat Archigeron, seu collegii seu ergasiotarum administrator: Sed omnino sit christianus, interveniente cura Augustalis & parentis illi officii.* Atque hinc Leunclavius; *Esse nomen hoc paret eorum qui Alexandriae corporatorum collegiis praeerant* (Masters or Wardens of Companies) *sicut eos deinde vocant Graeci* διοικητὰς σωματείου, *administratores collegii, puta fabrorum, vel aliorum operariorum in publicis & aliis principum aedificiis.* Quinetiam vetustum atque ut ex antiquitate notissimum γερόντων, *seniorum* seu *presbyterorum*, eorumque *synedrii*, apud Graecos nominis usum habemus in marmore prisco Smyrna pridem in Angliam allato, ubi assignatis nescio cui (nam nunc mutilum est) posterisque ejus ab Artemidoro quodam fundi aliquot partibus in usum sepulchralem, adjicitur,

ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ ΤΟΛΜΗΣΕΙ ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ ΤΙ ΕΞ ΑΥΤΩΝ ΩΔΗΠΟΤΕ ΤΡΟΠΩ ΑΠΟΤΙΣΕΙ ΤΩ ΣΕΜΝΟΤΑΤΩ ΣΥΝΕΔΡΙΩ ΤΩΝ ΕΝ ΣΜΥΡΝΑ ΓΕΡΟΝΤΩΝ ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΗΝΑΡΙΑ ΔΙΣΧΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ.

Si quis vero ausus fuerit ex illis quidquam alienare ullo modo, solvet ille honoratissimo synedrio senatorum seniorum seu *presbyterorum qui Smyrnae sunt argenti denarios bis mille quingentos.* Visitur nunc apud Bilegh in agro Essexiano. Concors est marmor unum & alterum Arundellianorum, quae expressim memorant [s] τὴν γερουσίαν *senatum* seu *presbyterium Smyrnaeorum*. Ex usu autem hujusmodi *seniorum* γερόντων ac *presbyterorum* in oriente frequentissimo adeoque vetusto natum plane est illud AEgyptii apud Platonem [t], *O Solon, Solon, vos Graeci* ἀεὶ παῖδές ἐστε. Γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. Νέοι ἐστε τὰς ψυχὰς πάντες. οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν· *Semper pueri estis. Senex* seu *senior Graecus est nullus. Juvenes animis estis omnes. Nullam enim habetis in illis ex traditione prisca opinionem, nec disciplinam tempore canam ullam.* Quod a patribus christianis [v] apposite etiam citatur. Inde etiam notissimum illud in schola Peripatetica [x] de *juvene aetate & juvene moribus*. Pariter enim tunc inde liquet fuisse apud Graecos notum presbyteri seu senioris aetate & ejus qui e moribus aut disciplina sic dictus est discrimen. Etiam de Trochilo ave Aristoteles [y], Καλεῖται πρέσβυς καὶ βασιλεὺς, διὸ καὶ τὸν ἀετὸν αὐτῷ φασι πολεμεῖν, *Vocatur senior & rex; unde & aquilam cum eo pugnare referunt.* Et Dionysius Halicarnassensis [z], Καὶ γὰρ, inquit, τοὺς πρεσβυτέρους καὶ ἀρίστους γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ καλεῖν, *Prisci presbyteros &*

[z] Iliad. Γ. & Odyss. ν. & vide Plutarch. lib. Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον, & Dion. Prusaeum Orat. 56. [a] Politic. lib. 2. cap. 7. [b] In Lysandro. [c] Antiquit. 13. cap. 9. [d] In Lysistrata. [e] Lib. Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον. [f] Orat. in Leptinem. [g] De Divinat. lib. 1. [h] Polit. 2. cap. 8. [i] In Vita Pythagorae. [k] De Vita Pythagorae, lib. 1. cap. 5. [l] Apud Gruter. in Thes. pag. 1096. 5. [m] Dispunctionum lib. 3. cap. 18. [n] Lib. 19. c. Theod. lib. 10 tit. 10. [o] C. Theod. lib. 14. tit 27. l. 1. [p] Tit. De Episcopali audientia, lib. 5. [q] Comment. verborum Juris. [r] Leunclav. in Notatis ad Paratit. lib. 1. pag. 194. videsis l. 56. tit. De Decurionibus. [s] Et videsis Comment. in Origines Eutychii. [t] In Timaeo. [v] Clem. Alexandrin. Strom. 1, 2, &c. [x] Aristot. Nicomach. 1. cap. 6. [y] Hist. Animal. 9. cap. 11. [z] Antiq. Rom. lib. 2.

opti-

optimates senes seu *seniores appellare solebant.* Atque apud Lucianum [a] Jupiter, cum puerum admodum se esse dixerat & imprudentem Cupido, *An quia*, inquit, *neque barbam habes*, *neque canos produxisti, propterea etiam infans putari cupis*, γέρων καὶ κακοῦργος ὤν, *cum senex* seu *senior revera sis & versutus.* Graecis etiam [b] οὐδὲν ἐστι πρεσβύτερον, ἀντὶ τοῦ οὐδὲν τιμιώτερον, usurpatur; ut itidem Latinis, *nihil antiquius*, pro eo quod est *nihil melius aut optatius.* Hinc Marcianus Heracleotes Ptolemaeum ait [c] fuisse, Τῇ μὲν πείρᾳ καὶ ἀληθεῖ παιδεύσει πρεσβύτερον, τοῖς δὲ χρόνοις ἐλαττωθέντες νεώτερον, *Experientia & vera disciplina seniorem, tempore vero juniorem Eratosthene*; ubi receptissimus *presbyterorum* seu *seniorum* moraliter dictorum usus palam habetur; uti etiam in illo Herodiani [d], ubi ait Septimium Severum Getam filium judiciis in Britannia praefecisse, ac ei dedisse συνέδρους τῶν φίλων τοὺς πρεσβυτέρους, *synedros* seu *assessores ex amicorum presbyteris* seu *senioribus.* Sicut autem adeo frequens erat per orientis paganismum dignitatis nomen *senioris* seu *presbyteri*, ita etiam, pro vario loquendi more, συνέδριον, βουλή, ἐκκλησία γερόντων, *consessus* seu *consistorium*, *consilium*, *ecclesia presbyterorum*, eis in usu. Et obvium est etiam in Arabum tam Orientalium quam Africanorum (quorum mores & lingua ex oriente traducti sunt) scriptis nomen الشيخ *Alsheich*, seu *Xeque*, *senioris* seu *presbyteri*, non ut religiosum (quod male voluere aliqui viri doctissimi [e]) seu sanctis solum aut, ut alii, illustribus mediae conditionis tribuendum, sed tum scientioribus doctioribusque moraliter, tum viris in republica principibus civiliter. De morali sic ejusdem apud eos notione satis liquet e titulis codicum typis editorum, velut Mahumedis Ben David Grammatice, atque Eben Sinae seu Avicennae, medici illius celeberrimi, canones. Avicenna scilicet nominatur الشيخ الرئيس *Senior princeps*, seu *senator & princeps*, ob singularem qua pollebat scientiam, nec omnino ob aetatem provectam, quippe qui annum non superavit quinquagesimum octavum. Atque in synopsi propositorum sapientiae Arabum pridem edita [f] citatur is aliquoties nomine الشيخ الرئيس ابن سينا *Alsheich*, seu *senior & princeps*, *Eben Sina.* Mahumedes autem ille Ben David in *Giarumiae* fronte vocatur الشيخ الامام *Senior* seu *presbyter conspicuus* seu *spectabilis*, id est, *doctor primarius* [g], qui titulus est perquam frequens apud Arabas in codicibus eorum MSS. Hinc etiam inter autores chymicos habetur *Senior Zadith* filius Hamuelis ex Arabico olim traductus, qui & simpliciter *senioris* nomine indigitari solet. Inscribitur liber ejus *Senior de Chemia*; in quo etiam *ordinis seniorum* per metaphoram, & *seniorum* hac notione mentio. Eundem videtur scientissimus Galfredus Chaucerus nostras hoc nomine innuere, ubi Platonis discipulum & chymiae arcana simul memorans ait [h],

As in his boke Senior wol beare witnesse;

ubi in editionibus ante 1602. cunctis **Semor**, & in MS. aliquot **Somer** perperam legitur. Notio autem *Alsheich* seu *Xeque* pro *seniore* civilis cernitur non raro in historiis Arabum; quo spectat Tyriorum ille supremus magistratus, quem *Senem* [i] *tantum*, *spretis aliarum dignitatum hominibus*, *appellitatum esse* ait Antoninus. Alibique legimus [k], in Phoenicia quosdam *praeficere sibi capitaneum, non successione haereditaria, sed praerogativa meritorum, quem ipsi veterem seu Senem* (id est, الشيخ) *non tam provectae aetatis ratione quam prudentia & dignitatis praeeminentia.* Et in utroque foedere hinc presbyteri Judaeorum saepissime الشيوخ aliisve vocabulis ab eodem factis designantur. Etiam Antonius Giggaeus [l], الشيخ *est epithetum seu titulus quo graviores viri*, *& praecipue literatiores*, *insigniuntur*, *& respondet Graecorum presbytero.* Et Petrus Kirstenius [m] observasse se ait de *quolibet cujuscunque ordinis senioribus seu praestantissimis, non vero mediae conditionis, dici.* Alii tantundem. Quod ad occidentem, seu quos Latinos vocitamus, attinet; notius nihil est quam illud de *senatoribus* ac *senatu* Romanorum (ordine etiam sacro dicto [n], nec extra locum sacrum [o] ut plurimum, seu more receptiore, conveniendo) a Romulo [p] institutis ex eis qui consilio, prudentia, virtute pollerent, ideoque sic dicti. Unde Ciceronis illud [q], *Consilium, ratio & scientia nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri senatum appellassent.* Et *senatores* non vocabantur ibi *antequam in senioribus sunt censi*, ut expressim Festus. Unde apud Virgilium [r] aliquoties *senior* ob reverentiam, praestantiam & dignitatem, non aetatem adeo provectam usurpatum. Et de *seniorum* nomine Romae vide item Livium [s]. Etiam & *senatus* pro optimatum concilio ante Romulum, veluti vox passim ea notione & sensu ex intima antiquitate recepta, apud Virgilium [t]. Tantum autem aberat ut ex aetate provectiori nomen illud inderetur, ut annus quo quis in dignitatem illam legitime adsciscii quiret, seu aetas senatoria, aliis vigesimus quintus [v], etiam aliis vigesimus sit habitus. Atque inde decuriones municipiorum etiam *senatores* dicti, & *senatus minor*; *amplissimi & maximi* [x] nomine Romano & Constantinopolitano signantius tribui solito. Unde *senatores* etiam *provinciales* [y] dicti. Et rogabat spu-

[a] In Dialogo Jovis & Cupidinis. [b] Pollux lib. 2. cap 2, &c. [c] In Periplo pag 36. [d] Lib. 3. [e] Leunclav. Pandect. Turc. cap. 81. & in Onomastico. [f] Parisiis 1614. propos. 2. & 20. [g] Videsis Edward. Pocockium in Authorum Nomenclat. pag. 364. [h] In famuli Canonici fabula, pag. 58. a. [i] Antoninus hist. part. 2. tit. 17. cap. 9. §. 7. [k] Fortalit. Fidei lib. 4. cap. de Diversitate Paganorum. [l] Thesaur. Vol. 2. col. 1237. [m] Gramm. Arab. lib. 3. pag. 10. [n] Cassiodor. Var. lib. 3. form. 33. [o] Sueton in August. cap. 35. ubi vide Marcellum Donatum, & Servium ad AEneid. 7. & 11. [p] Livius lib. 1. Plutarch. in Romulo, Dionys. Halicarn. lib. 2. [q] In Catone Majore. [r] AEneid. 5, 6, 8. ubi vide Servium. [s] Lib. 26. cap. 22. [t] AEneid. 1. & 8. [v] Videsis Sigonium de Antiquo Jure Civ. Rom. lib. 2. cap 2. Lips. in Taciti Annal. num. 51. & de Vet. Magistr. Rom. cap. 3. & Rosin. Antiq. Rom. lib. 7. cap. 5. [x] Lib. 66. C. tit. De Decurionibus. [y] Orat. Claudii in Inscript. apud Gruter. pag. 502.

rius Carvilius *ut ex ſingulis populis Latinorum* (ſic Livius [z]) *binis ſenatoribus, ſi patres Romani cenſuiſſent, civitas daretur, atque in demortuorum* ſenatorum in bello Punico *locum in ſenatum legerentur.* Etiam in edicto Athalarici [a] ad curiales, *Non incaſſum vobis curiam conceſſit antiquitas, non inaniter appellavit minorem ſenatum, nervos quoque vocitans & viſcera civitatum.* Atque ex ita communicato vocis uſu *ſenatus* apud veteres *Nolanus, Neapolitanus, Saguntinus,* alii ejuſmodi, in marmoribus alibique occurrunt. Hinc etiam conventus matronalis ab Heliogabalo inſtitutus *mulierum ſenatus* [b] dictus, etiam & *ſenatores utriuſque ſexus* [c] & *ſenatrices* [d] memorantur; quemadmodum olim in chriſtianiſmo presbyterae [e], quas & πρεσβύτιδας & προκαθημένας ſeu *praeſidentes* (ſed non *presbyteriſſas* [f]) appellabant, ordinabantur. Etiam & presbyterorum uxores ſic dictae ſunt. Sed ordinationes ejuſmodi expreſſim prohibitae. *Senatores* item *Deorum,* in concilio coeleſti, *qui penates ferebantur tonantis ipſius,* habentur apud Martianum Capellam [g]. Adeoque Romanis *optimates, ſummates, proceres, patres, optimi nobilium,* etiam per excellentiam *nobilitas,* dicebantur [h] *ſenatores* ac *ſenatus* ob dignitatem & praeſtantiam ſingularem, aetatis ſeu primariae vocis ſignificationis ratione habita nulla. Inde etiam Areopagus, aliaeque Athenienſium curiae ac βουλαὶ, *ſenatus,* Graecorum interpretibus aliiſque ſcriptoribus [i] dici ſolitae; quemadmodum etiam curiae aliarum rerumpublicarum ac civitatum [k] frequentiſſime. Atque ut Romanis ordo ſenatorum ſeu ſeniorum ampliſſimus ſenatus dictus eſt, ita proximus huic ſeu equeſtris *juventus*; quod notiſſimum. Quod ad *ſenioris* autem vocem; apud Statium [l] legitur *ſenior mitiſſime,* & *ſenior placidiſſime* [m]. Unde etiam in chriſtianiſmo inclinantis imperii *ſeniores noſtri* uſurpatum [n] pro *majores noſtri.* Et Corippus [o],

Tantus amor ſenioris erat——, &,
Quid noſter ſenior potuit pater, inſcie diſce.

Et demum, tum ob adeo frequentem *ſeniorum* & *majorum natu,* id eſt, זקנים, & *presbyterorum,* aetate ſcilicet, ſapientia ſeu dignitate majorum, in bibliorum Vulgata ad eminentiam variatim inter Judaeos denotandum, uſum, tum ob tributum ita multipliciter (citra annorum rationem habitam) nomini illi apud veterum alios honorem, invaluit ab anterioribus uſque in noſtra ſecula per Europam occidentalem ut *ſeniorum* nomen voceſque ab eo diverſimode formatae pro eis qui imperio, dignitate, honore variatim praecellant & barbaro-latine & in linguis provincialibus, veluti Italica, Gallica, Hiſpanica, aliiſque aliquot, voces illas ab harum aliqua mutuo ſumentibus, adhiberi ſint ſolitae. De uſu *ſenioris* barbaro-latino, eoque veteri, pro eo qui eſt *dominus,* qua vox haec beneficiarium ſeu vaſallum in jure feudali reſpicit, perquam obvia ſunt & clariſſima teſtimonia in priſcis Wiſigothorum [p] Longobardorumque [q] legibus, & capitularibus Caroli & Ludovici Auguſtorum [r], & in Marculpho [s]; maxime autem in Caroli Calvi capitulis [t], ubi & *ſeniores presbyterorum,* eorum ſcilicet qui ex eccleſiaſtico ordine ſic dicti, pro *patronis* ſeu *dominis* eorum uſurpatur. Ibi etiam [v], *Et volumus ut unuſquiſque liber homo in noſtro regno ſeniorem qualem voluerit in nobis & noſtris fidelibus accipiat.* Unde axioma Tranſligeritanorum deducit Antonius Dominicus [x] illud, *Nulle terre ſans ſeigneur*; quod etiam de univerſa Francia [y] dicitur. Et *dominus & ſenior noſter* pro ipſo rege [z] tunc adhiberi ſolitum: unde & *ſeniorale* [a] pro poteſtate regia, & *ſenioratus* [b] pro ipſo clientelae jure. Et *ſenioris mei, ſenioris illius* uſus ſeculis in illis admodum frequens apud ſcriptores alios [c]. Inde in formulis vetuſtis confeſſariorum [d], *Occidiſti ſeniorem tuum, vel in conſilio fuiſti ut occideretur.* Et in jure canonico [e] *ſeniores* pro dominis ac eis a quibus jure beneficiario poſſidet quis praedia, ut vox receptiſſima, occurrit. Nam etiam excommunicationis formulae vetuſtiſſimae ſubjicitur [f], *Seniori ejus ipſa excommunicatio debet nota fieri.* Hinc Mariana, *Tum in monimentis,* inquit [g], *Hiſpaniae, tum in conciliorum actis, praeſertim quae Caroli Magni aetate in Gallia habita ſunt, domini & principes ſeniores nuncupari coeperunt.* Sic quidem tunc nuncupatos ſcimus: Tunc coeptum ut ſic nuncuparentur, nullibi comparet. Imo diu ante notionis hujus vocabuli receptae teſtes ſunt leges Wiſigothorum jam memoratae. Jam vero ex barbaro-latino ante dicto uſu linguae per Italiam, Gallias & Hiſpanias provinciales coepere, hactenuſque retinuere, ſua *ſignior, ſeñor, ſeigneur,* etiam *ſieur & ſire* [h] ex illo contracta, pro *domino*; & *ſignoria, ſignoraggio, ſignoreggiamento, ſeñorio, & ſeigneurie,* pro *dominatu, imperio & principatu*; praeter alia non pauca inde deflexa, quae dum dominatum ac principatum diverſimode (ut maxime in legibus feudalibus) denotant, originem ſuam ex eo quod *ſeniorem* ſeu *presbyterum* ſignificat ſimul agnoſcunt. Unde etiam *antianus* ab *antiano,* quod *ſeniorem* ſic interpretatur, apud juriſconſultos [i] interdum occurrit. Aliter quidem ſtatuerunt viri aliquot docti de nominis *ſenioris* ſic in linguas provinciales recepti origine. Fidenter nimis Joannes Garſias juriſconſultus [k] vult SIGNOR *vocem Germanicam fuiſſe*

[z] Lib 23 cap. 22. [a] Caſſiodorus Var. 9. form. 2. Vide Briſſon. de Verb. ſignif. lib. 17. in Senatus duplex. [b] Lampridius in Heliogabalo, & Vopiſcus in Aureliano. [c] Auguſt. de Morib. Eccleſ. Catholicae, cap. ult. [d] In Vita S. Deſiderii apud Anton. Dominicum de Praerogativa Allodiorum, pag. 62. [e] Synodi Laodicen. can. 11. diſt. 32. c. 18, 19. Scotus in Sent. 4. diſt. 25 quaeſt. 2. [f] Epiphanius haereſ. 79. §. 4. Collyridianorum. & vide Claud. Eſpencaeum Digreſſion. 1. cap. 17. [g] De Nuptiis Philolog. lib. 1. [h] Vide Claud. Salmaſium in Capitolinum, pag 93. [i] Sigon. de Rep. Athenienſ. lib. 2. cap. 3. J. Sareſbur. in Polycratico, lib. 5. cap. 9, &c. [k] Et vide vulgatam Dan. vi. 7. [l] Sylvarum lib. 3. in Lacrymis Hetruſci. [m] Cod Florentin. apud Fred. Gronovium in Statium, cap. 33. [n] Apollinaris Sidonius lib. 2. epiſt. 2. [o] Lib. 1. & 3. [p] Lib. 8. tit. 5. §. 6. [q] Lib. 3. tit. 4. §. 3. [r] Anſegiſus lib. 2. tit. 15. lib. 3. tit. 8 app. 2. tit. 35. lib 5. tit. 15. 151, 171. [s] Formul. cap. 7. [t] Apud Piſtas ann. 869. cap. 8, 9 & apud Tuſiacum, cap. 11. [v] Cap. Caroli Calvi, pag. 69. & vide pag. 74, 75. [x] De Praerog. Allodiorum, cap. 13 §. 6. [y] Gallant. du Francaleu, cha. 7. [z] Cap. Caroli Calvi in Synod. apud Wermeriam, cap. 2. & videſis pag. 8. 135. & 429. [a] Ib. pag. 13. [b] Ib. pag. 135. 141. 329. [c] Hincmarus tom. 2. pag 834. Aimonius lib. 4. cap. 31. lib. 5. cap. 34, &c. [d] Burchard. Decret. lib. 19. cap. 5. [e] Extr. cap. 1. tit. De Cenſibus. & DD. ibidem. [f] Burchardus Decret. 11. cap. 3. [g] De Reb. Hiſpaniae lib. 5. cap. 11. & videſis Renat. Choppin de Feudis Andegavis, lib. 2. tit. 2. §. 4. [h] Paſquier des Recherches de la France liv. 8. chap. 5. [i] Bald. ad Pacem Conſtantiae. Zaſius de Feudis. [k] Lib. de Expenſis & meliorationibus, cap. 12. §. 29. Sed hac de re conſulas Carolum l'Oyſeau Des Seigneuries, cap. 1. Bodin. de Repub. lib. 3. cap. 1.

primum, qua dominus ſignificatur; *deinde ad Italos, Gallos & Hiſpanos tranſlatam & uſu acceptam*; *non vero ab aetate, hoc eſt, a ſenio, deductam, quaſi* SENIORES *dominos appellemus. Longe enim*, inquit, *petita iſthaec acceptio eſt, praeſertim cum videamus minorem viginti quinque annis feudalem patronum eſſe poſſe, dato & conceſſo feudo viris ſenioribus, &c.* Ea de re etiam ante egerat, ſed modeſtius, Franciſcus Hotomanus [l], & dubitanter, quoniam toties apud hiſtoricos atque in feudali jure quaſi ipſum quod *dominus* eſt ſimpliciter, imo quaſi primario ipſum ſignificaret. Sed ubinam in Germanorum veterum, ut vult Garſias ille, ſeu ſeptentrionalium lingua reperta fuerit hac notione *ſignor* nemini puto conſtat. Et quod ad rationem illam ejus, quam & habet dubitando Hotomanus, aetate juniores, etiam minores viginti quinque annis, *ſeniores* dici, & eo nomine feuda concedere natu majoribus, qui interim non dicti *ſeniores*, ideoque ab vocabulo Latino *ſenior*, quod primario aetatem provectiorem indicat, in linguas provinciales neutiquam manaſſe; certe quantum video ea plane perquam frivola eſt & nihili. Quis dubitat quin dignitas illa ſacra *presbyteri* nomine notiſſima, id eſt, plane *ſenioris*, ſaepiſſime reperiatur in aetate minore eis quibus nomen hoc negatur, ſive diaconos reliquoſque ordinis eccleſiaſtici gradus inferiores reliquos ſive plebes ſpectes? Atque ex illa Garſiae ratione *presbyter* neque hic originem haberet a vocabulo aetatem primario & dein per tranſlationem dignitatem ſignificante, ſed ab alio medium inter epiſcopum & diaconum locum ex origine ſui denotante; quod affirmare nimis eſſet ridiculum. *Papa, abbas, pater*, ut dignitatis nomina, tribui ſolent eis qui aetate minores ſaepe eis ſunt quibus ſic indigitati praeſunt, licet interea majorem ſeniorum aetatem ex origine ſui indicent. Tantundem de ſenatoribus ſeu ſenioribus Romanis aliiſque dicendum, qui non raro juniores aetate fuerint eorum non paucis qui in ordine equeſtri ſeu ſecundo. Ex variante norma ac uſu loquendi vim ſuam obtinent vocabula. Conjectura eſt Andreae Tiraquelli [m], juriſconſulti eximii, *ex eo fortaſſe fieri ut* ſeniores *interdum pro dominis uſurpentur*, quoniam, in loco uno & altero orientis, ſingularis quaedam maximi natu, ut familiae reliquorum domini, praerogativa apud veteres reperta. Nempe in aromatifera Arabiae regione, narrante Strabone [n], Κοινὴ κλῆσις ἅπασι τοῖς συγγενέσι κύριος δ' ὁ πρεσβύτατος, *Bona cunctis conſanguineis communia*; *ſed natu grandior aut omnium ſenior dominus eſt.* Et in Taprobana, [illegible] Diodoro Siculo [o], Ἑκάστου συστήματος ὁ πρεσβύτατος ἀεὶ τὴν ἡγεμονίαν ἔχει, καθάπερ τὶς βασιλεὺς, καὶ τούτῳ πάντες πείθονται, *In quolibet ſodalitio qui ſenior eſt ſemper imperium obtinet, veluti rex; eique univerſi obedientiam praeſtant.* [illegible] τούτων ὁ πρεσβύτατος διαδέχεται, & *poſt eum qui natu eſt maximus ſuccedit.* Qualis plane Iberniae locis in aliquot mos ille quem tanistry vocitamus. Sed longe nimis puto atque ex origine nimis anguſta ſic petitur *ſenioris* notio qua domini ſignificationem induit. Id interim manifeſtum eſt, nec *ſeniorem*, nec quae inde fiunt in linguis provincialibus, ex origine ſui *dominum* omnino denotare, ſed ex uſu recepto, quo tum ſummis principibus dignitatibuſque, tum minoribus, nec civilibus ſolum, ſed & tam academicis aliquot (ut cum nomine *Sir* inde facto artium baccalaurei noſtri compellantur) quam eccleſiaſticis diverſimode tributa ſunt, in vocem *Domini*, praecellentiam itidem ſed perquam varie ſignificantem, Latine migraſſe. Unde etiam tam Deum ipſum *Signor, Seigneur, Señor*, vocant Itali, Galli, Hiſpani, ut praenomine in *Domine Deus*, quam itidem reges, principes, alios praecellentiores, ut in uſu *Seigneur, Sieur, Sire*, & cognatorum multiplici. Parilis vocis apud Anglos uſus ex lingua Normannica, qua rex *noſtre Seigneur le Roy*, & proceres, magnates & praelati *les Seigneurs ſpiritualx & temporaulx*, id eſt, *Seniores ſpirituales & temporales*, locutionibus in ſolennioribus & actis publicis ſaepiſſime occurrentibus vocitati. Etiam in jure feudali noſtro paſſim dominus feudalis lingua illa *Seigneur* appellatur, tametſi non ſit ex proceribus, ſeu nobilitate quam vocitamus majorem. Atque ex noſtratium uſu veteri argumentum habetur non leve, *ſeniorum* proculdubio vocem in dignitatis nomen ex ipſa origine ſui, qua aetatem denotat, & qua cum *presbyteris* idem eſt tranſiiſſe, quod *ſeniores* ſeu *ſenatores* dignitate Latine ſic dicti ealdormannum, eldermen ſeu aldermen vocarentur, id eſt, plane nec aliud quam elders ſeu *ſeniores*, ut ex aetate vox illa primario ſignificat. In legibus vetuſtis Anglicanis, ubi de comitibus & conſulibus provinciarum agitur, *apud* [p] *Anglos antiquitus vocabantur* aldermen, *quaſi ſeniores, non propter ſenectutem, cum quidam adoleſcentes eſſent, ſed propter ſapientiam.* Hinc duces, comites, reguli, principes, ac primates provinciarum, urbium, oppidorum, variatim apud majores noſtros ſic dicti; quod liquet maxime ex annalibus aliiſque ſcriptis Angloſaxonicis cum Latinis Bedae, Florentii, Huntingdonienſis, Hovedenii, ejuſmodi aliorum annalibus collatis. Hundredes ealdor [q] erat *centurio*, ſeu *centuriae praefectus*; Suþſeaxna ealdorman *comes auſtralium Saxonum.* Item ealdorburh *metropolis* ut Græca ealdorburh *Conſtantinopolis.* Et cum Georgius Cappadox, qui ſancti nomine fruitur, *comes Cappadociae* apud veteres nuncupetur, Alfricus [r] in ejus vita Angloſaxonica ealdorman on þære ſcyre Cappadocia eum vocat. Hinc Alfwinus ſub Eadgaro rege *aldermannus* [s] *Angliae* dictus, ſeu principis locum per Angliam ſuſtinens. Nam & ubi Beda habet [t] anno 640 de Earconberto Cantuariorum rege, eum idola deſtrui & jejunium quadrageſimale obſervari per totum regnum ſuum *principali autoritate* praecepiſſe, Angloſaxonica verſione ſubſtituitur mid his ealdorlicneſſe, quaſi diceres *ſenioralis* ſeu *ſenioratus ſui autoritate.* Atque ut yldran & yldrum in evangeliis Saxonicis, ita etiam & ealdrum & ealdras pariter & ealdormannum, pro *ſenioribus & viris principibus*, ex uſu jam oſtenſo, adhi-

[l] [illegible] de Feudis. [m] De Jure Primigeniorum in praefat. § 214 & videſis ibi §. 75, &c. [n] Geograph. 16. [o] [illegible] [p] Apud Rog. de Hoveden. Annal. part. 2. pag. 607. [q] Noellus in Lexic. Saxonico MS. & [illegible] Gloſſario. [r] MS. de vitis Sanctorum tit. 3. & videſis Tit. Honor. par. 2. cap. 5. §. 2. [s] Hiſt. [illegible] apud Camden. Brit. pag. 368. [t] Hiſt. Angl. 3. cap. 8.

bita esse palam est. [v] *Seniores scribae & principes sacerdotum* apud Matthaeum vertuntur ýlδpum ⁊ boceрum ⁊ ealδoрmannum þæрa ſaceрδa. Et *principes sacerdotum* [x] & *seniores populi* þæрa ſaceрδa ealδoрaſ anδ þæр folceſ ealδoрaſ saepius; ubi *seniores & principes* plane velut synonyma. Etiam in eodem capite[y] non semel pro *principibus sacerdotum & senioribus* Anglosaxo þæрa ſaceрδa ealδoрaſ ⁊ þa hlafoрδaſ, ubi pro senioribus *lhafordas*, quod postmodum in *laverds*, & dein in *lords*, pro *senioribus* seu *seigneurs* aut *dominis*, expressim substitutum. Alibi autem in eadem versione [z] heah ſaceрδum pro *principibus sacerdotum*, & ealδoрmannum pro *senioribus*. In Luca autem, ubi dicitur [a] *oportet filium hominis multa pati, & reprobari a senioribus & principibus sacerdotum & scribis* ealδoрum pro *senioribus*, & ealδoрmannum pro *principibus sacerdotum* adhibetur; uti etiam alibi [b] in ejusdem evangelio, ubi pro *ad principes sacerdotum, magistratus templi & seniores*, habetur to þam ealδoрmannum anδ to þam pιτum anδ þæſ templeſ ealδoрum. *Seniores* hic pιτum redduntur, seu *sapientes*; & *magistratus* etiam ealδoрum, seu *seniores*. Paulo post etiam ibi [c] & folceſ ýlδpan pro *senioribus populi*, & ſaceрδa ealδeрmenn pro *principibus sacerdotum*; quemadmodum etiam in sacro sermone זקני הכהנים *seniores de sacerdotibus* pro primariis seu principibus sacerdotum subinde [d] usurpatur. Transit postmodum Saxonum ealδoрman, qua comitem denotavit seu provinciae praesidem, in Danicum eorle seu **earle**; retenta interim eadem etiam hactenus voce in muneribus primariis civitatum, ut decurionibus Londini, Eboraci, aliarum plerarumque, etiam & villularum aliquot, quod nemo apud nos nescit, designandis. Summa demum est, ex jam dictis palam cerni, vetustissimum, diffusissimum & perquam variatim amplissimum atque admodum multiplicem per secula anteriora, & gentes orientis occidentisque velut universas, fuisse usum vocum *presbyterorum & seniorum* aliarumve ejusdem prorsus significationis; & usum sane ejusmodi ut nullum omnino dignitatis nomen aliud, quantum ad diffusionis amplitudinem hisce fuerit aequiparandum. Cum autem utraque idem ipsum ex origine sui denotent, altera seu prior, syllabas suas retinens, sub quartum christianismi seculum (ut viris doctissimis dudum est appositissime animadversum) sacerdotis seu ἱερέως notione apud ecclesiasticos induta est: unde quidem evenit ut quoties in Vulgata, quae tunc etiam nata est, *presbyteri* vox in novo foedere e Graeco retenta est, pro *sacerdote* ea fuerit dein vulgo intellecta, *senioris* ibi vocabulo pro *aliis antiquioribus & autoritate praecellentibus, nec sacerdotibus*, sumpto; quale discrimen viri aliquot docti [e] ex versione Vulgata observari etiam volunt, ubi capite in eodem ac eadem rerum periocha *apostoli & presbyteri* semel & *apostoli & seniores* aliquoties eandem circa rem memorantur, cum in Graeco πρεσβύτεροι indiscriminatim ubique illic habeatur. Sed viderint ipsi qui ejusmodi discrimen tueri certant, uti & alii qui tale quidem aut quod magis mirum videatur faciunt, haud Vulgatae omnino sequaces, qui semper πρεσβυτέρους in N.T. vertunt *anciens*, **elders, ouderlingen**, adeoque pro eisdem sumunt ibi, ut debent, *presbyteros & seniores*, quantum ad vocum significationem; quos tamen ipsi in ministros sacros seu revera sacerdotes & eos qui ejusmodi non fuerint pro libitu distinguunt, adeoque tam dignitatis, ut vocant, laicae quam ministerii sacri presbyteros faciunt; quorum hos volunt aliqui etiam in vernaculis suis linguis *presbyteros*, nomine Graeco sic retento, nuncupari, illos autem (quod merito sane mirere) tantum *seniores* seu **elders**; cum interea in loco ipso notissimo illo, unde [f] distinctio illa elici solet, pariter non Graece solum sed & in Vulgatae Latina expressim dicantur *presbyteri* quotquot sive in horum sive in illorum seniorum ibi numero fuerint censendi. Sed ut *presbyteri* vox ita jus natalium suorum primigenium seculo jam dicto in christianismo ecclesiastico exuere coepit, ita altera illa *senioris* & barbaro-latine & per linguas provinciales in christianismo politico *domini* significationem, ut ostendimus, a temporibus vetustissimis nacta est. Sed de singulari illo judicum apud Ebraeos per secula illa legis dationem antevertentia nomine, & dignitatis in posteritatem variatim transmisso titulo, nec tamen illis ita proprio ut ex nominis seu dignitatis ipsius vi quisquam judex sine creatione in praefecturam juridicam expressa haberetur (qua de re etiam plura capite proximo) haec dicta sunto.

CAP. XV.

Judicem unicum ex jure Noachidarum sufficisse. De judicum Sodomae numero; cui praefuisse Lotum, habetur in traditionibus Ebraicis. Numerus eorum a quibus ex Jethronis Mosis soceri consilio populus regeretur. De שוטרים *shoterim (qui Γραμματοεισαγωγεῖς Graecis dicti) in judicum illorum ministerium constitutis. Kinitae. Temere nimis a nonnullis judices forenses, eorumque numerum septuagenarium tempori quo in AEgypto & in deserto ante legis dationem agebant Ebraei assignatum. Ex solo presbyteri seu presbyterii nomine nec singulari cuiquam nec consistorio alicui jurisdictionem aliquam forensem apud Ebraeos unquam competiisse.*

SEquitur ut, juxta institutum superius, de judicum numero per intervallum quod primario prae manibus est videamus. Receptum est apud Talmudicos, ex jure Noachidarum, adeoque eo quod per intervallum hoc obtinuit, suffecisse in praefecturis juridicis singulis דין אחד [a] *judicem unicum*, contra quam regulariter postea, ex more

[v] Matth. xvi. 22. [x] Ibid. xxvii. 1, & 3. Marc. x. 33. [y] Comm. 12, & 20. [z] Marc. viii. 31. & xi. 27. & xiv 43. [a] Cap. ix. 22. [b] Cap. xxii. 52. [c] Id. comm. 66. [d] 2 Reg. xix. 2. Isaiae xxxvii. 2. Jer. xix. 1. [e] Lorinus ad Act. xv. 4. Vide comm. 2, 4, 6, 22, 23. & xvi. 4. [f] 1 Tim. v. 17. [a] Gemar. Hierosolym. ad tit. *Kidoschin*, cap. 1. fol. 58. col. 3. Maimon. tract. *Melakim* cap. 9. & videsis lib. 7. de Jure Nat. & Gent. cap. 6. pag. 729.

sub

ſub lege Ebraico, in terra ſancta admiſſum eſt, ut libro amplius oſtenditur proximo. Adeoque in praefecturis ejuſmodi omnimodis judex unicus juriſdictionem tam circa ſacra quam profana, aliuſve judicum numerus, pro vario conſtituentium arbitrio, omnigenam rite, id eſt, ex jure obtitente receptoque naturali & divino, exercere potuit. Rara quidem eſt judicum illorum per tempora illa mentio expreſſa. Sed ad illud[b], *Et Lot ſedebat in porta Sodomae,* quando angeli ad eum veniebant, adnotant ex cabala ſeu traditione veteri magiſtri[c], אותו היום מינוהו שופט עליהם *Eodem die conſtituerunt eum ſibi judicem.* Etiam aiunt Lotum ſummum Sodomae & principalem fuiſſe judicem, eoque nomine quinque aliis, quos primarios itêm nuncupabant Sodomitae, praefuiſſe. Scilicet in *Bereſith Rabba* [d] legitur, אותו היום מינוהו ארכי דיינים חמשה ראשי דיינים היו בסדום קץ שקר ורב שקר רב מסטירין רב גבל וקלא פנדר לוט היה ארכי הדיינים שבכולן בשעה שהיה אומר להם דברים שהם ערבים להם הן אומרין לו גש הלאה סק לעיל ובשעה שהיה אומר להם דברים שאין ערבים להם היו אומרין לו האחד בא לגור וישפט שפוט *Eodem die conſtituerunt eum principem judicum. Quinque nimirum fuere in Sodoma judices primarii,* ſeu *etiam judicibus aliis praeeminentes, Katz-ſhaker* (legunt aliqui קו שקר *Kau-ſhaker) & Rab-ſhakar, Rab-miſterin, Rab-gabal* & *Kala-pindar. Lotus autem erat ſummus* ſeu *princeps judicum ibi univerſorum.* Iſachar Ben Nephthali interpretatur הראש ואדון *caput & dominus. Quoties diceret ille ea quae eis placerent, dicebant ad eum illi, Secede illuc*[e], *id eſt, Aſcende in ſuggeſtum* (ſeu, ut Iſachar ille ibi, עלה ושב למעלה *Aſcende & ſede loco in ſuperiori.) Quoties autem quae eis diſplicerent proferret, dicebant ad eum illi, Hic unicus*[f] *huc advenit ut apud nos peregrinaretur, & jam juriſdictionem exercet.* Quicquid autem de aliis fuerit ſive locis ſive perſonis per haec tempora hanc circa rem ſtatuendum, illud interim palam eſt, apud Ebraeos Moſem ipſum poſt migrationem ex AEgypto aliquandiu, ex veteri illo de judice unico jure, ſolum[g] in hoc intervallo judiciis praefuiſſe omnimodis, adeoque juriſdictionem tam circa ſacra quam profana legitimam exercuiſſe; id eſt, uſque ad inſtitutas illas ex Jethronis conſilio praefecturas numeroſas; de quibus hic maxime agendum. *Factumque eſt,* inquit Moſes ipſe[h], *in craſtino* (in capite ſcilicet haec tradit Exodi decimo octavo, quod primam legis Moſaicae dationem proxime[i] antevertit) *ut ſederet Moſes ad judicandum populum; ſtabatque populus juxta Moſem a mane uſque ad veſperam. Et videns ſocer Moſis omnia quae ille faciebat populo, ait, quaenam haec res quam tu facis populo? quare ſedes* לבדך *ſolus, & cunctus populus ſtat juxta te a mane uſque ad veſperam? Et reſpondit Moſes ſocero ſuo, quoniam venit populus ad me* לדרוש אלהים *ad quaerendum Deum* (Graeci, ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ, *quaerere judicium a Deo*; Vulgata, *quaerens ſententiam Dei*; Chaldaeus uterque, למתבע אולפן מן קדם יהוה *ut quaerant doctrinam a facie Domini ſeu a Domino*; Judaei Mauritanienſes, ان يطلبوا علمًا من عند الله *ut quaerant ſcientiam a Deo*; Saadias Gaon, *ut* يطلبون امر الله *quaerant decretum* ſeu *negotium Dei*; uti etiam Arabica editionis Jaianae, quae plerumque Saadiae Conſtantinopoli olim editae conſona hic pro *Jethro* ſemper habet شعيب *Soaib*, nomen apud Mahumedanos Jethroni tribui ſolitum; Hiſpanienſes Judaei, *por requirer al Dio*; Syrus, למשאל מלתא מן אלהא *ut poſtulent verbum a Deo* aut *Dei placitum*; Verſio penes me MS. ليسمعوا القول من الله *ut audiant vocem a Deo*; Gloſſa ordinaria, *ad quaerendum* תלמוד מפי גבורה *doctrinam ab ore Dei.) Cum fuerit illis cauſa aliqua, venit ad me, & ego judicium decerno inter virum & proximum ſuum, atque oſtendo ſtatuta Dei & leges ejus. Et ait ſocer Moſis ad illum, Non eſt bona res quam tu facis. Laſſitudine fatigaberis tam tu quam populus iſte qui tecum eſt. Nam gravior eſt haec res quam quod tu ſolus eam perficere poſſis. Nunc igitur audi vocem meam, & ego conſilium tibi dabo, & erit Deus tecum. Adeſto tu populo* מול האלהים *in his quae ad Deum pertinent* ſeu *reſpectu Dei, ut referas cauſas ad Deum. Docebiſque eos ſtatuta & leges* (Vulgata, *ceremonias & ritum colendi*, pro eo quod eſt את החוקים ואת התורה *ſtatuta & legem) & oſtendes illis viam in qua ambulent, atque opus quod faciant. Providebis igitur ex omni populo viros potentes, & timentes Deum, viros veraces,* שנאי בצע *odientes avaritiam* ſeu *quaeſtum* (Chaldaeus uterque, דסנן לקבלא ממון *qui oderint accipere pecuniam*; Syrus, וסנין עודרא ונכל *& odientes munus & fraudem) poneſque ſuper illos* שרי אלפים שרי מאות שרי חמשים ושרי עשרות *Principes mille, principes centum, principes quinquaginta, & principes decem.* (Graeci hic, *chiliarchos, hecatontarchos, pentecontarchos, & decarchos*, ſeu *decadarchos*; Vulgata, *tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos*; quae verſio eſt apud chriſtianos receptiſſima. Syrus, Chaldaei, Arabes, Perſa ita vertunt ut, quemadmodum in Ebraeo, non ſatis liqueat utrum obliquo an recto caſu numeri qui שרי *principes* hic ſequuntur ſint ſumendi, nempe utrum principes ipſi eſſent milleni, centeni, quinquageni, decem, an millenis, centenis, quinquagenis, decem princeps quilibet praeeſſet. Etiam Saadias Gaon, رؤسا الالف ومئين وخمسين وعشرات *Principes mille, centum, quinquaginta, decem*; Judaei Hiſpanienſes, *Tpornas ſobrellos mayorales de milles, mayorales de cientos,* &c. Graecienſium Judaeorum verſio Graeco-barbara, ἄρχους χιλιάδρους, ἄρχους ἑκατόνδρους, ἄρχους πενήντρους, καὶ ἄρχους δεκάρους. Germanienſes Judaei, **Heeren tauſendt, heeren hundert, heeren funffzig, und heeren zehen,** quaſi de principibus ſeu prae-

[b] Geneſ. xix. 1. [c] Jarchius ibid. [d] Paraſch. fol. 56. col. 1. [e] Geneſ. xix. 9. [f] Ibidem.
[g] Exod. xviii. 14. [h] Ibidem. [i] Exod. xix. 1.

fectis

fectis ipsis, non de eis qui suberant, numeros ibi sumerent, qua de re plura statim. Certe & Arabs penes me vetustus MS. in Deuteronomio (ubi de his rursus agitur) *Et constitui* رييساً عليكم رييساً علي الالوف ورييساً علي الميات *principes super vos, principes super mille, principes super centum,* adjectis *quinquaginta & decem* sine عليم seu *super.) Et judicent illi* (pergit sacer sermo) *populum omni tempore: & omnem rem magnam* (id est, כל הדבר הגדול ubi Graeci, τὸ δὲ ῥῆμα τὸ ὑπέρογκον, *verbum quod gravius fuerit) ad te referent: ipsi vero judicabunt* כל הדבר הקטן (τὰ βραχέα τῶν κριμάτων, *leviora quae in judicium deducta fuerint* universa) seu *rem omnimodam levioris momenti. Et sic levius erit tibi, portabuntque illi tecum. Si verbum hoc feceris,* וצוך אלהים *& Deus tibi praeceperit,* (Vulgata, *implebis imperium Dei) poteris sustinere; & nihilominus populus ille ad locum suum veniet in pace. Obedivit itaque Moses voci soceri sui, & fecit omnia quae ille dixerat. Et elegit Moses viros potentes ex omni Israel, & posuit eos capita* seu *principes super populum, principes mille, principes centum, principes quinquaginta, & principes decem. Et illi judicaverunt populum omni tempore. Sed* הדבר הקשה *causam difficilem referebant* seu *afferebant ad Mosem, & cunctam rem parvi momenti ipsi judicabant.* Graeci autem codices post *decadarchos* aliqui, etiam & pervetustus ille in bibliotheca hic regia, subjiciunt utroque in loco καὶ γραμματοεισαγωγεῖς, de quibus nihil hic in Ebraeis. Sed de eis mox plura. Samaritani autem Pentateuchi hic insertam habent velut in Exodo etiam a Mose scriptam hujusce rei narrationem quae in principio Deuteronomii [k] occurrit; *Obedivit itaque Moses voci soceri sui, fecitque omne quod dixerat. Dixit igitur Moses populo, Non potero ego solus ferre vos. Dominus Deus vester multiplicavit vos. Nam ecce vos estis hodie sicut stellae coeli prae multitudine. Dominus Deus patrum vestrorum addat vobis, sicut vos, mille vicibus, & benedicat vobis sicut locutus est vobis.* איכה אשה לבדי טרחכם משאכם וריבכם *Quomodo feram solus laborem vestrum, onus vestrum, & litem vestram? Date ex vobis* (seu *date vobis) viros sapientes, intelligentes & prudentes secundum tribus vestras* (Vulgata, *quorum conversatio sit probata in tribubus vestris) & ponam eos in capita vestra* (seu *vobis principes* aut *duces vestros)* ויענו ויאמרו *Et responderunt, & dixerunt* (male pro ותענו אתי ותאמרו *Et respondistis mihi, & dixistis,* ut in Deuteronomio etiam Samaritano) *Bona res est quam proposuisti faciendam. Tum accepit capita tribuum* (ita persona in tertiam mutatur) *viros sapientes & intelligentes, & constituit eos capita super eos, principes seu praefectos mille, principes centum, principes quinquaginta, & principes decem,* ושוטרים לשבטיכם *& ministros, apparitores, lictores secundum tribus illorum* ויצו את שופטיהם (sic codex hic Samaritanus) *Praecepit quoque judicibus eorum* (pro ואצוה את שופטיכם *Et praecepi judicibus vestris) dicens, Audite inter fratres vestros, & judicabitis justitiam inter virum & inter fratrem ejus* ובין גרו *& inter eum qui ei est alienigena,* seu *hospitem suum,* aut *peregrinum. Non cognoscetis facies in judicio. Parvum sicut magnum audietis. Non timebitis a facie viri; quoniam judicium Domini est istud. Rem autem vobis difficilem deferetis ad me, & audiam eam: & praecepi vobis omnia quae facienda erant. Et judicabant populum omni tempore, rem quamlibet difficilem referentes ad Mosem; sed omnem rem parvam judicabant illi.* Ita Samaritani codices ex primo Deuteronomii capite, ubi historiolam hanc repetit Moses, Exodi decimum octavum sui, seu periocham illam in qua res integra continetur, interpolarunt, vera quidem tradentes, sed male collocantes. Josephus [l] autem Jethronem monuisse Mosem ait; *inter Ebraeos fuisse alios judiciis satis idoneos,* φροντίσαι δὲ τοσούτων μυριάδων σωτηρίας οὐκ ἄλλον τινὰ δύνασθαι μὴ Μωϋσῆν γινόμενον, *Curam vero tot millium salutis sustinere posse neminem praeter Mosem ipsum, aut sui similem.* Tibi ipse igitur parcens, inquit, alios litibus, actionibus, controversiis dirimendis praefice. Tu vero μόνῃ τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ, *solo numinis cultui,* deditus esto, seu, ut Ruffinus, *ad solum Dei ministerium retine temetipsum,* quo facilius populum e praesenti necessitate eximas. Meis ergo consiliis utere, & στρατὸν *exercitum* seu copias distribuens per dena millia, per millia, per quingentos, per centum, per quinquaginta, per triginta, per viginti, & demum per decem, numero horum cuilibet ἄρχοντας *principes,* seu, ut Ruffinus, *judices,* constitues. Ἔστω δέ τις ἐπὶ τούτοις εἷς τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ τῶν ἀρχομένων ἀριθμοῦ λαμβάνων, *Sit vero aliquis super istos unus qui nomen a numero eorum qui ei subditi fuerant accipiat.* Jam vero ex ipsis locutionis sacrae verbis non palam omnino liquet utrum principes seu praefecti plures an unicus tantum cuique praefecturae, qualiscunque ea alias esset, constitueretur. Nam pluraliter, ut vides, *principes* dicuntur, qui sic in quolibet numero plures esse potuissent, ut plures in una praefectura consules, suffetes, ephori, id genus alii. Nec quidem satis ex sacro sermone constat utrum praefectorum numerus an subditorum designetur, scilicet utrum per millenos, centenos, quinquagenos, denarios populus distributus suos sibi seorsim haberet praefectos, ut tribunos seu chiliarchas, centuriones, quinquagenarios, & decanos ita ex subditorum numero denominandos [m] (quod a Josepho ac passim in versionibus christianorum admittitur) an totidem principes seu praefecti per praefecturas ita dispositi fuerint ut mille viri alia, centumviri alia, alia quinquagintaviri, & demum alia decemviri collegia juridica sic conficerent. Neque enim dicitur in scriptura, *Principes super mille, principes super centum,* &c. sed, *Pones super illos principes, principes centum,* &c. quae in origine, ut in Latinis his, diversam etiam habent significationem. De versionibus orientalium & in occidente Judaeorum supra monuimus. Et certe quantum

[k] Deut. i. 9. [l] Lib. 3. cap. 3. [m] Videsis 2 Paralip. xxv. 5.

ad Graecos seu septuaginta interpretationem attinet, verba ipsa ut juxta secundum hic sensum capi possint, non ita est absonum. Nam, verbi gratia, δεκάδαρχος non solum est *decanus*, seu qui decem aliis praeest, verum etiam *decemvir*, seu unus e collegio e decem conflato, ut scimus ex ejusdem vocabuli apud Plutarchum aliosque usu. Adeoque etiam de reliquis praefecturis a numero ibi denominatis tantundem non immerito dici potest. Sed vero vetustissimus & prae aliis longe receptissimus est Ebraeis ipsis sensus hic prior, seu is quo eorum qui praefectis seu principibus jam dictis subderentur numerus in causa omnino nominis cuilibet esset praefecto seu principi. Nec minus recepta est sententia de unico ac singulari in praefectura unaquaque judice, secundum illud quod e Josepho adnotavimus. Amplissimum item hinc judicum faciunt numerum ac mirandum Talmudici; quod ut rite intelligatur, res paulo altius repetenda. Exierant ex AEgypto, adeoque in deserto hoc tempore fuere[n], כשש מאת אלף רגלי הגברים לבד מטף *quasi* seu *circiter sexcenta millia virorum peditum absque parvulis*, ubi in Vulgatae codicibus aliquot adjicitur *atque mulieribus*. הגברים *viros* exponit ibi glossa, non sine sacri sermonis[o] autoritate, per מבן עשרים ומעלה *viginti aut plures annos natos*. Hoc numero virorum per millenos, centenos, quinquagenos, & decem tributo, cuique millenario numero unicum praefuisse judicem aiunt, eumque *principem millium* in textu dici, sic centenario cuique centurionem, quinquagenario pentecontarchon, & denario decanum seu decurionem; ita ut interea quilibet judex numeri quo denominaretur ipse pars esset; qua tamen de re dubitarunt aliqui[p], numerum egredientium ex AEgypto ita augentes ut senes sexagenarios quamplurimos, non magis in rotundo illo 600000 numero atque parvulos (sic illi) censitos, simul egressos esse velint, & distributis per numeros sic viris peditibus jam dictis esse praefectos. Adeoque sic sine judice ipso qui praeficeretur, integer foret ubique numerus denominans. Et Philo[q], *Exeuntium*, inquit, οἱ μὲν ἀνδρὸς ἔχοντες ἡλικίαν ὑπὲρ ἑξήκοντα μυριάδας ἦσαν. ὁ δὲ ἄλλος ὅμιλος, πρεσβυτέρων, παίδων, γυναικῶν, οὐ ῥᾴδιος ἀριθμηθῆναι, *Ii qui virili erant aetate fuere supra* 600000. *Reliquae turbae, senum, puerorum, mulierum, facile iniri non poterat numerus*. Proselytos, item servos alios id genus adjicit. Sed vero rotundus ille (quem adeo intuentur hic Talmudici) numerus sexcentorum millium per chiliadas, hecatontadas, pentecontadas, & decadas distributus, coetus reddit singulares, adeoque principes seu praefectos inde denominandos, septuagies octies mille & sexcentos, ad hunc modum.

In numero	600000
Chiliades sunt	600
Hecatontades	6000
Pentecontades	12000
Decades	60000

Ita praefectorum summa fit 78600. Tam in numeris quam in summa, sive librarii sive typorum incuria, error fit in illustrissimi Hugonis Grotii editis[r] satis crassus, sed facillime in schema hujusmodi quo plane voluit ipse, corrigendus. Recensionis hujus judicum testimonia habentur in Gemara utraque expressissima. Hierosolymitana[s]; כמה הן שופטי ישראל שבע ריבוא ושמונת אלפים שש מאות שרי אלפים שש שאות שרי מאות ששת אלפים שרי נ׳ י״ב אלף שרי עשרות ששים אלף נמצאו שופטי יתדא״ל׳ ז׳ ריבוא ושמונת אלפים ושש מאות *Quotnam fuerint judices Israel ex instituto illo* consilio Jethronis fundato? *Septuagies octies mille & sexcenti: principes mille seu chiliarchae fuere* 600, *centuriones* 6000, *pentecontarchi* 12000, *& decani* 60000. *Ita conficitur numerus judicum Israel* 78600. Idem ipsum occurrit in Babylonia Gemara[t], praefixo solenni illo תנו רבנן *tradunt Rabbini*. Atque ad hunc modum numerari hic non raro solitum est. De numero hoc mentio est apud Abenezram ad locum quem tractamus Exodi, ubi legitur, si juxta receptiorem sententiam enumeres, מספרם יותר מ׳ע אלף ו׳ט אלפים *numerus eorum supra* 79000, quod pariter in Bombergianis habetur ac Buxtorfianis. Sed pro ׳וח restituendum proculdubio ׳וח, id est, 8000 pro 9000. Nam supra 78000 excrevit numerus, juxta ante ostensa; minor tamen erat quam 79000 quadringentis. In Abarbinelis etiam editis male excuditur primo מ׳ח אלף וח״ר 48600 pro ע״ח וגו׳ 78600, & paulo post ע״א אלף 71000 pro ע״ח 78000, ubi de numero hoc judicum agitur. Displicuit autem numerus hic maxime Abenezrae, qui, tum ex eo quod habetur de principibus apud Salomonem[v], *propter iniquitatem terrae sunt multi principes ejus*, tum quoniam tam inusitatus ac prodigiosus sic fit numerus judicum, vetustam illam ac Talmudicam non libenter admittit sententiam, nec ita sacra vult verba accipienda; sed, quasi consuluisset Jethro & statuisset Moses, ex eis qui variatim primores ac prae aliis conspicui essent, sive millium, sive centum, sive quinquaginta, sive decem in familiis suis servorum, ministrorum, aliorum domini, seligendos esse judices, nec rationem integri eorum qui exierant ex AEgypto numeri, ut superius, omnino in recensione habendam. Alii (quibus illud Solomonis de principum numero intelligitur de terra cui principes pari potestate imperant numerosiores, non ubi dispari ac subordinati) numerum in sermone sacro nolunt intelligi quasi cuilibet exeuntium summae unicus fuisset praefectus, ut in utroque Talmude sententia traditur, sed pro synedriis singularibus sumi, veluti millevirorum, centumvirorum, quinquagintavirorum, decemvirorum collegiis (qualia in urbibus provinciisque christianorum non raro, aliorumque vetustiorum) iisque per singulas tribus collocatis. Abarbinelis verba sunt[x], אין כפק אצלי שעל זה נאמר באן שרי אלפים ושרי מאות שרי חמשים ושרי עשרות ׳ רוצה לומר שרי אלפים שיחיו אלף איש שרים נכנסים בעצה

[n] Exod. xii. 37. Num. xi. 21. [o] Numer. i. 3. [p] Vide *Chiskuni* fol 99. b. & *Tosiphoth* in Talmudic. Babylon. tit *Sanhedrin*, cap 1. fol 18. a item Gemar. Babylon. ad tit. *Baba Bathra*, cap. 8. fol. 121. b. consulas item Numer. 1. 46. [q] De Vita Mosis lib. 1. & vide Exod. xii. 38. [r] Ad Exod. xviii. [s] Ad tit. *Sanhedrin*, cap 1. fol 19. col. 3. [t] Ad tit *Sanhedrin*, cap. 1. in verbis postremis. Vide Jarchii glossam in Exod. xviii. 21. & Deut. 1. 16. *Chiskuni* fol 99. b. *Mechiltha*, fol. 23. col. 1. R. Jacob Bar Selomoth in *Fin Israel*, part. 2 fol. 99. col. 3 Abarbinel in *Pirush Tora*, fol. 165. col. 1. 166. col 2. Abenezra in Exod. xviii. 21. Levi Ben Jersom in *Pirush*, fol. 73. col. 2. Isaac Ben Amara in *Akada Isaac*, fol. 141. col. 4. Lyran. ad Exod. xviii, &c. [v] Proverb. xxviii. 2. [x] In *Pirush Tora*, fol. 166. col. 3.

ההיא יושרי מאות נכנדים בעצה אחרת׳ ושסי חמשים בעצה אחרת׳ ושרי עשרות בעצה אחרת׳ וזה בכל שבט ושבט כי לא היה המספר הזה מיוחס לנשפטים אלא לשופטים וגו׳ *Mihi est persuasissimum, ideo dici hic praefectos* seu *principes mille, & praefectos centum, & praefectos quinquaginta, & praefectos decem, quoniam fuere praefecti principes* seu *judices mille, e quibus conficiebatur concilium unicum; uti & centum, e quibus centumvirorum concilium aliud*; *& quinquagintavirorum aliud, atque aliud demum decemvirorum, idque per tribus singulas* (unde singulis sua conflarentur tum synedria) *nec omnino pependisse numerum ex eis qui praefecturis juridicis suberant, sed ex ipsis qui judiciis praeficerentur*, &c. quod sane versionibus aliquot supra memoratis est satis consonum. Et sane, quod ad tribuum hic rationem attinet, vetus est Rabbinorum aliquot [y] sententia, institutionem illam adeo fuisse שיהא שם שנים עשר סנדריות של שנים עשר שבטים ומשה על גביהן *ut ibi forent duodecim synedria tribubus duodecim, quibus interim cunctis Moses ipse praeesset ut supremus.* Atque etiam Moses institutionis ordinem enarrans, *Et tuli*, inquit [z], ראשי שבטיכם *capita tribuum vestrarum, &c. & posui* אותם *eos super vos, principes mille & principes centum, & principes quinquaginta, & principes decem,* ושוטרים לשבטיכם *& Shoterim tribubus vestris* seu *juxta tribus vestras.* De eis plura statim. Sed praetereundum non est, Judaeos Mauritanienses, dum pro שרי *principes* substituunt hic رؤساء idem denotans, non aliud vocabulum adhibent pro שוטרים, sed expressim sic pergunt ورؤسا لاسباطكم *& principes tribubus vestris*, quasi omnia ibi dicta tribuum distributionem primario respexisse voluerint. Etiam in Arabicis Romae editis legitur, *& posui* seu *feci eos* رؤساء اسباط ورؤوس الوف ورؤوس ميين *principes tribuum, principes mille, principes centum*, &c. Nec defuere qui synedria vigintitriumviralia, qualia post legem datam in usu (ut libro ostenditur proximo) ex principibus seu primoribus illis tum instituta esse sunt opinati. Sic R. Nehemias [a]. Quicquid autem de ingenti illo judicum numero Talmudico statuendum fuerit, longe quidem illum excedit calculus juxta Josephum initus. Numeris enim qui in Pentateucho habentur ille quatuor alios pariter intermiscens, scilicet myriades, quingentos, triginta, & viginti (ut superius ostenditur) judices ita facit octingentos sexaginta supra centies vigesies novies millia, id est, ducentos sexaginta supra quinquaginta unum mille plures quam habentur in numero Talmudico. Ad hunc modum;

E numero 600000;	
Myriarchae	60
Chiliarchae	600
Pentacosiarchae	1200
Centuriones	6000
Pentecontarchi	12000
Triacontarchi	20000
Icosiarchi	30000
Decani	60000
Summa est	129860

Christiani scriptores aliquot [b] numero Talmudico, ut sacro sermone satis nitenti, assensum praebuere. Sed apud eos receptior est sententia, non juxta numerum illum rotundum egredientium ex AEgypto, neque ex collegarum, juxta Abarbinelem, sed ex familiarum, sodalitiorum seu φρατριῶν, in quas populus & ante [c] & in ipso egressu est tributus, numero denominatos esse chiliarchas illos reliquosque. *Communicationes oeconomicas* appellat Abulensis [d]; cujus hic rationibus merito sane consoni sunt non pauci. Et illam opinionem sic admitunt versiones christianae quae *principes* seu *praefectos super mille, super centum*, &c. habere solent, nec personas nec familias exprimentes. Et cum tot fuerint praeter 600000 illos, partim Israelitae, partim etiam peregrini, qui praefecturis hisce subessent, non ita rationi videtur consonum ut ex illius numeri distributione Talmudicus, juxta jam dicta, judicum numerus eliceretur. Jam vero, quod ad adjectum illud in Mosis enarratione ושוטרים לשבטיכם, & *Shoterim juxta tribus vestras*, attinet, ii, ut ante monitum est, Judaeis Mauritanensibus aeque atque שרי in Ebraeo رؤوس seu *principes* nominantur, quasi ejusdem fuissent & dignitatis & generis. Sed certissimum est receptissimumque [e], hosce fuisse praefecturis juridicis ministros, seu judiciorum & praejudiciorum solennium exsecutores, sine quibus frustra exerceri jurisdictionem nemo non videt. Atque ideo eos judicibus adjunxisse se ait in Deuteronomio Moses, utpote undiquaque & perpetuo necessarios, tametsi in Jethronis ipsius de judicibus historiola eorum in Ebraeo mentio fiat nulla. Inde Judaei Hispanienses vertunt *Alguaziles*, & Germanienses **Büttel**, pro *Lictoribus* seu *Bedellis*; quibus & consoni Graecienses, qui habent רבדטורוש ῥαβδατόρους, pro eo quod Graece est ῥαβδούχους seu *lictores*, *apparitores*, id genus alios foro officia praestantes, tam lites, controversias, actiones rite introducendo tractandoque, quam judicia postmodum exsequendo. Atque illinc sane Graecis dicti sunt γραμματεισαγωγεῖς, seu *introductores* ac dispositores *scriptarum* litium, actionum, postulationum, & quae id genus judiciis aut necessaria aut pro re nata magis idonea; uti apud Athenienses [f] fuere εἰσαγωγεῖς qui actiones ad judices intro-

[y] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col 3. [z] Deut. i. 15 & vide ibi. xiii. & xxiii. & Levi Ben Gersom in *Pirush Tora* fol. 73. col. 2. [a] In Gem. Hierosolym. tit *Sanhedrin*, cap 1. fol 19 col 3. [b] Lyran. ad Exod. xviii. [c] Joseph. lib. 2. cap. 5. Exod xi. 3. [d] Quaest. 7 in Exod xviii. vide Bertram. cap. 6. Salianum in Annalibus A. M. 1245. num. 738. nuperos in Exod. xviii. Steph. Menochium de Rep Hebraeorum lib. 1 cap. 6. §. 10. [e] Maimonides tit. *Sanhedrin* cap. 1. Magistri ad Deut. i. 16. Constantin. l'Empereur ad Bertram. cap. 5. vide Grot. ad Josuae viii. 33.
[f] Jul. Pollux lib. 8. cap. 9. §. 6.

ducebant. Γραμματεῖς saepius item dicuntur, seu *Scribae*. Et hallucinati [g] sunt proculdubio qui de literarum docendarum munere vocem sumsere Graecam. Id certum est, שטרא Chaldaeis & שטר Rabbinis *scriptum* seu γράμμα legitimum, maxime quod ad contractus & obligationem hominum mutuam spectat, adeoque ad res forenses, significare; etiam & commentaria & codicillos qualescunque negotiorum sive praestitorum sive praestandorum. Indeque puto factam hic vocem Graecam, quae etiam *scribas* seu *actuarios* denotat. Inde τῶν γραμματέων signarunt nomine Graeci שוטרים *Shoterim* Pharaonis [h], qui *exactores* in Israelitas praefecti. Nec aliunde substituit hic Syrus וספרא & *scribas pro tribubus vestris*, & Arabs penes me MS. post enumeratos quatuor judicum ordines وصيّرت كتّابًا لاسباطكم & *constitui scribas tribubus vestris*. Vulgata hic nihil habet quod Ebraeis verbotenus respondeat. Ait enim—*ac decanos, qui docerent vos singula.* R. Saadias وعرفاء على اسباطكم & *praefectos* seu *peritos super tribus vestras*. Qualis versio satis admittenda, quia tam ministeriis praeficiuntur etiam peritiores in iis quae ad functionem suam pertinent, & selectiores, quam judiciis ipsis. Tantundem Chaldaei, alii etiam, idem sic innuentes, tam veterum quam recentiorum. Gallica hic bene, & *prevosts selon vos tribus*; & Italica nupera, *Ufficiali*, multo melius quam quod ante erat *praesidenti*. Marmochinus habet *praefetti*. Lutherus **Amptleute**, & Belgae **Amptlieden**, in eandem sententiam cum Italica illa nupera; uti & Anglica, cui **Officers** recte dicuntur. Quod ideo magis advertendum quoniam non desunt qui etiam ipsos judices fuisse perperam velint. Graeci vero etiam judicibus ministros hos fuisse expressim aiunt, Γραμματεισαγωγεῖς τοῖς κριταῖς ὑμῶν, *grammatoisagogos judicibus vestris*; unde dubitari nequit quin pro לשבטיאם *tribubus vestris* legerint illi לשופטיכם seu לשפטיכם, elementorum figura adeo invicem cognata. Hoc interim hic adnotare obiter liceat, a Jethrone, cujus consilio praefecturae jam dictae institutae, apud Ebraeos deductas esse familias scribarum, quas item משפחות סופרים nuncupant, seu *cognationes scribarum*, & קנים seu *Kinitas*, sic a Jethrone denominatos. Scilicet compluria habet ille nomina etiam in sacra origine [i]. Inter alia autem expressim nuncupatus est [k] קני *Kini*. Unde ad illud [l], *Et familiae* seu *cognationes scribarum inhabitabant Jabbez, scilicet Thirathaei, Simathaei, Suchathaei: hi sunt* קינים *Kinitae* seu *Kinaei, venientes ab Hammath patre domus Rechab*, David Kimchius [m], אמרו רבותינו ז"ל שהיו מבני קיני חותן של משה ונתערבו במשפחת יהודה ונתיחסו עמם: *Rabbini nostri piae memoriae tradunt eos* (scilicet Kinaeos) *fuisse e posteris Kini soceri Mosis, qui commixti fuerunt familiae Judae, & in genealogia ejusdem recensiti.* Nempe in Judaismum eorum majores rite aiunt transiisse, adeoque etiam & posteros hosce proselytos justitiae fuisse. Ex iis autem quae supra de numero judicum dicta sunt palam etiam liquet receptissimum fuisse, tam unicum tum in praefecturis supremis tum in minoribus quam plures tunc suffecisse. In diversas quidem sententias a Rabbinis itur de eo quod est utrum in praefecturis singulis ex Jethronis consilio sic constitutis unicus esset an plures, juxta ante memorata. Sed tam unicum quam plures, qualemcunque scilicet numerum, rite judiciis omnimodis tunc sic praeesse potuisse non admittere inter eos video neminem, uti etiam unicum ex jure Noachidarum illo naturali ac divino (quemadmodum ante memoratum est) ut summum reliquis praefuisse. Sed vero mirum mihi videtur, existimasse viros quidem doctissimos aliquot [n], *seniores* זקנים seu *presbyteros*, quos in AEgypto sub tyrannide illa ex jussu divino convocarunt [o] Moses & Aharon ut de exitu verba Domini audirent, fuisse judiciis aut regimini ex politia Ebraica alicui praefectos; etiam & שוטרים, seu *ministros*, qui praeerant operibus filiorum Israel, seniorum illorum decretorum seu rerum judicatarum fuisse exsecutores. Cujus rei ne vestigium quidem aliquod in sacris mihi videtur literis. Presbyterorum quidem dignitatem tunc etiam, ut ante ostensum est, fuisse scimus eximiam sive moraliter sive civiliter sumptam. Atque illi, nomine illo, ob prudentiam aut scientiam singularem, aliterve, in consilium, ad deliberandum & res in servitute illa commodius gerendas, convocari soliti. Etiam conventus eorum γερουσία seu *senatus* a Graecis dictus. Sed nihil hoc ad judiciorum, jurisdictionis, seu praefecturae cum imperio tunc rationem. Abenezra ibi, הזקנים הם היועצים בכל דור ודור כי לא יוכלו לדבר עם שש מאות אלף איש רק הזקנים ידברו להם; *Seniores* seu *presbyteri sunt qui in consilium adhiberi per omnia secula solent. Nec potuere* Moses & Aharon *loqui cum sexcentis millibus. Duntaxat igitur presbyteros ipsi alloquebantur.* Etiam Jarchius interpretatur מיוחדים לישיבה *quorum mos* aut *munus erat singulare, consessum habere* aut *conventum.* Nec enim de presbyteris in tanto hominum numero universis capi vult. Sed neque hoc quid de synedrio juridico necessario innuit. Nam consessus habent tam consiliarii, rebus prudenter gerendis, enarrandis, docendis, ut hic, audiendis convocati, quam judices seu praefecti juridici. Similis postea sub id tempus *presbyterorum populi* [p] mentio, atque occasio similis nec forsan aliter hi quam illi intelligendi; licet tunc admitti possit etiam praefecturas fuisse presbyterorum & consessus juridicos, aut saltem judicum qui ex Jethronis consilio constituit. Sed credibile non videtur presbyteros illos priori in loco ut judices fuisse ac jurisdictionem aliquam in AEgypto exercuisse, quibus postmodum statim in deserto competiit plane nulla. Nam ita se rem habuisse satis scimus ex unica Mosis ibi ante Jethronis consilium praefectura. Lyranus autem hic [q], *Non intelligitur de omnibus senibus populi,* &c. *Sed per seniores hic intelliguntur judices qui ha-*

[g] Vide Augustin. quaest. 69. in Exod. & lib. 18. de Civitate Dei cap. 39. & Carol. Sigon. de Rep. Hebraeorum lib. 7. cap. 7. [h] Exod. v. 6. 10, &c. [i] Vide Salom. Jarch. in Exod. xviii. 1. [k] Judic. i. 16. [l] 1 Paralip. ii. 55. [m] Et vide eum ad loc. Judic. citat. & Genebrard. in Chronolog. A. M. 2727. Adde *Pirke* Rabbi Eliezer cap. 44. [n] Bertram. cap. 5, &c. [o] Exod. iii. 16. & iv. 29. [p] Exod. xix. 7. [q] Exod. iii. 16.

bent

bent populum regere; quos alibi [r] *populi judices* nuncupat. Quod ideo, puto, dixit quia Jarchius, quem toties ſequitur, habuiſſe eos ישיבה ſeu *conſeſſum* ſcripſerat. Et ſuos habet hic ſatis ſequaces. Quaſi vero conſeſſus quiſque, etiamſi legitimus, judicum ſeu juridicus fuerit. Et quod de miniſtris illis ſeu *ſhoterim* affertur, nihil omnino in ſe ad juridicam praefecturam attinens continet, ſed ſolum exactorum in operibus munus deſignat. Et plane ſervilis erat tunc illorum ibi conditio ac ſtatus, quando ſcilicet paulo ante exitum erant, ut vir Dei dixit ad Heli [s], in AEgypto לבית פרעה *in domo Pharaonis*; quod tum a Chaldaeo tum a Graecis ſumitur pro *ſervientibus Pharaoni*. Sed Arabs ibi في ارض فرعون *in terra Pharaonis*. Utcunque vero, ſi quis contenderit etiam tunc ſuos ipſos habuiſſe in terra Goſhen Judices, ſeu praefecturas juridicas, conſtitutio eorum etiam ſic non ex ipſorum jure ſeu autoritate originaria ſed ex Pharaonis pendebat indultu; niſi confoederatam aliquam etiam inter eos, ut inter chriſtianos primitivos, ſeu qui ante chriſtianiſmi & ſummi regiminis conjunctionem aliquam vixerant, (qua de re ſupra) etiam hic admitti velis. Quin vero vir doctiſſimus qui judices Ebraeis nomine *presbyterorum* in AEgypto paulo ante Exodum ſic aſſignat, etiam de numero eorum conjecturam affert. *De numero*, inquit [t], *horum ſeniorum & praefectorum non ita conſtat. Sed ſi conjectura valere poteſt, videntur ſeptuaginta fuiſſe, quaſi ſeptuagenarius ſeniorum numerus, quem Deus in lege* [v] *ſancivit, non tam ab eo tum inſtitutus quam continuatus fuerit*, &c. Certe etiam ex traditione veteri innui ſeptuagenarium presbyterorum, veluti tunc ſatis notum, numerum, intelligitur per ſeptuaginta palmas in ſtatione Elim, paulo poſt exitum, ſeu ſexta memoratas; *Venerunt* [x] *in Elim, ubi duodecim erant fontes aquarum, & ſeptuaginta palmae*, ubi Targum Hieroſolymitanum, *Duodecim fontes aquarum*, כל קביל תרתי עשרי שבטיא דישראל ושבעין דקלין כל קביל שבעין סביא סנהדרין דישראל׃ quod vertit Cevallerius (puto, Antonius) *ex adverſo duodecim tribuum Iſrael; & ſeptuaginta palmae, ex adverſo ſeptuaginta ſeniorum Sanhedrin Iſrael*. Et paraphraſis Jonathanis dicta, ואתו לאלים ובאלים תרתיסרי עינון דמאיין עניא לכל שבטא ושובעין דקלין כל קביל שובעין סביא דישראל׃ Quod idem vertit, *Venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquae, fons pro unaquaque tribu; & ſeptuaginta palmae, e regione ſeptuaginta ſeniorum Iſrael*. Scilicet verſionem Cevallerii tam Hieroſolymitanae quam Jonathanis ſic dictae paraphraſis mecum nuperrime, ſeu poſt doctiſſimam Franciſci Taileri verſionem typis editam, communicavit vir eruditiſſimus optimuſque Mericus Caſaubonus, ex ſupellectile ſcilicet patris libraria, in qua delituerat. Tailerus autem Hieroſolymitanam hic vertit, *Ibi fuere duodecim fontes aquarum, juxta numerum duodecim tribuum Iſraelis; & ſeptuaginta palmae, juxta numerum ſeptuaginta ſeniorum ſynedrii magni Iſraelitici*. Idem habet paraphraſis utraque ad Numeros [y], ubi ſtatio illa ſic memorata; excepto quod in Jonathanis ibi *ſeptuaginta* חכימיא *ſapientes* pro סביא *ſenioribus* legitur. Etiam Rabbi Eliaezer Modaeus, כיון שברא, inquit [z], הק״בה עולמו ברא שנים עשר מבועין כנגד שנים עשר שבטי יעקב ושבעים תמרין כנגד שבעין זקנים׃ *Cum crearat Deus ille ſanctus ac benedictus mundum ſuum, creavit etiam duodecim ſcaturigines*, ſeu *fontes, reſpectu duodecim tribuum Jacob; & ſeptuaginta palmas, reſpectu ſeptuaginta presbyterorum*. Atque ab aliis [a] etiam adjicitur, וספר הכתוב זה כי חנו עליהם כל שבט על מבועו והזקנים ישבו בצלם לשבח האל עליהם שהיכן להם כן בארץ ציה׃ *Ideo hoc narrat ſcriptura, quoniam caſtrametati ſunt ad eos, nempe tribus unaquaeque ad fontem ſuum* (quale quidem voluere aliqui factum cum mare rubrum tranſibant Ebraei, nempe diviſum [b] fuiſſe mare duodecim ſectionibus, atque inde quamlibet tribum ſeorſim tranſiiſſe, ut hic ad fontes illos ſeorſim caſtrametatam eſſe) & *presbyteri conſederunt in umbra palmarum, ut laudibus celebrarent Deum ob ejuſmodi beneficia accepta jam in terra arida*, ſeu extra mare, quod paulo ante evaſerant. Jarchius item ibi, *Duodecim*, inquit, *fontes aquarum* כנגד שתים עשר שבטים נזדמנו להם׃ *reſpectu duodecim tribuum quae ibi convenerant*, & *ſeptuaginta palmae* כנגד ע׳ זקנים *reſpectu* LXX *presbyterorum*. Atque ita ſane non minus ſeptuagenarium presbyterorum numerum etiam tunc temporis, ſeu ante legem de Synedrio illius numeri ſeu magno in numeris datam, ex conſtituto locum habuiſſe admittitur, quam tribubus numerum certum notiſſimumque fuiſſe ſuum; & non minus numerum illum quam hunc ibi ſedes, ad fontes illum, ſub palmis hunc, habuiſſe. Etiam & Hugo Grotius hic Rabbinorum jam dictorum ſequax, *Duodecim fontes*, inquit, *pro numero tribuum; ſeptuaginta palmae, pro numero ſeniorum*. Quinimo exactores illos qui operibus Iſraeliticis ſub tyrannide Pharaonica praeerant (nomine [c] שוטרים ex ipſis a Pharaone ſelecti, & pro libitu puniti) volunt aliqui [d] ipſos fuiſſe ſeptuaginta a quibus poſtmodum ſynedrium magnum conflatum eſt; quaſi etiam in AEgypto & poſtmodum numerus eorum ille fuerit ſatis cognitus. Alii [e] fontes illos & palmas nec de tribuum nec de ſeniorum numero, ſed angelorum, capiunt. Alii aliter. Etiam in patribus chriſtianis ſunt quibus [f] *nec dubium quin de duodecim apoſtolis ibi ſermo ſit, de quorum fontibus derivatae aquae totius mundi ſiccitatem rigant. Et juxta has aquas*, inquiunt, *ſeptuaginta creverunt palmae, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus praeceptores, Luca evangeliſta* [g] *teſtante*. Sed vero quomodocunque fontium hic & palmarum numeri pro commentorum ejuſmodi diſcrimine ſint intelligendi, id interim rationi non omnino conſonum videtur, pro judicibus ſeptuaginta ſeniores, licet ibi revera reperti eſſent, ſumere; uti nec pro judicibus praefecturarum qualiumcunque juridicarum ſeu forenſium praeſidibus, presbyteros illius

[r] Ad Exod. iv. 29. [s] 1 Sam. ii. 27. vide Bolduc. de Eccleſ. ante legem lib. 3. cap. 11. [t] Bertram. cap. 5. [v] Num. xi. 16. [x] Exod. xv. 27. [y] Cap. xxxiii. 9. [z] In Mechiltha, fol. 18. col. 4. & vide R. Bechai in Biur, fol. 87. col. 4. [a] Moſes Bar Nachman in Piruſh, fol. 116. b. [b] Vide Theodoret. Quaeſt. in Exod. xxv. [c] Exod. v. 14, &c. [d] Jarchius ad citatum Exodi locum. [e] Vide R. Bechai in Biur, fol. 87. col. 4. [f] Hieronym. Epiſt. ad Fabiolam 127. Manſ. 6. [g] Cap. x. 1. & 17.

temporis reliquos[h]. Consessus seu ישיבות & synedria, ut dictum est, ad deliberandum, audiendum, docendum, & e re nata, qua fieri potuit, de rebus gerendis statuendum, presbyterorum tunc subinde fuisse, citra scilicet jurisdictionem forensem, non dubitandum, quod satis liquet ex sacra historia. Caeterum cum in servitute illa AEgyptiaca haud concipi possit praefecturas Ebraeis fuisse ejusmodi aliquas, nisi aut ex Pharaonis indultu, aut ex confoederata, ut monitum est, aliqua inter ipsos disciplina jurisdictionis imitatrice (quibus de rebus nihil satis clarum) cum etiam Mosem unicum fuisse judicem solumque per desertum, seu postquam tyrannide AEgyptiaca liberati juris sui essent, & usque ad praefecturas illas ex Jethronis consilio institutas, palam constet, idque tum ex ipso tempore[i] quo conventus presbyterorum Israel expressim memoratur, tum in Elim, ubi palmae illae, reliquisque quae praecesserant ac secutae sunt mansionibus, usque ad institutionem illam; cum, inquam, haec se ita habuerint, quanam cedo cum ratione admittitur collegium aliquod aut conventum judicum tunc fuisse in deserto, nedum in AEgypto, nomine *presbyterorum* seu *senatus Israelitici*? Certe ex traditione veteri de Janne & Jamre, qui magorum in AEgypto principes erant, ulceribus punitis, ac matre utriusque morte plexa, res integra ut Mosi soli tribuitur[k], nec presbyterorum praefecturae alicui. Nec quidem id fecisse Mosem ipsum credi potest ut judicem ab hominibus legitime ibi constitutum, sed ut divina usque ad miracula virtute praeditum; uti etiam in *traditione satanae*[l] Paulus, & in Ananiae & Sapphirae supplicio Petrus[m] apostoli fecerunt. Accedat illud item, aliquoties ante etiam tactum, quo nihil revera manifestius, ex sola nempe nominis seu dignitatis presbyteri seu senioris vi qualicunque in notione acceperis, apud Ebraeos (e quorum usu in christianismum & nomen & dignitatem propagatam esse dubitari nequit) nullum omnino sive singulis, sive consistorio alicui ex ipsis presbyteris, qua tales solummodo essent, conflato, jurisdictionem circa sive sacra sive profana unquam competiisse, haud magis sane atque apud nos juris prolytae aut doctori seu antecessori aut *servienti ad legem*, aut theologiae seu medicinae doctori, aliive id genus alicui, potestas aliqua judiciaria simul ex nominis seu dignitatis vi confertur. Neque plane *presbyteri* nomini ac dignitati accessit jurisdictio aliqua forensis, aliter atque voluerint illi penes quos in regiminis civilis summi ratione potestas ac arbitrium erat synedria ac praefecturas juridicas ex illis ut plurimum, aliterve, tam circa sacra quam profana constituendi; quae tamen ex singulari ejusmodi constitutione, per excellentiam, & respectu judiciorum ad quae variatim exercenda sic constituerentur, *presbyteriorum* & *γερουσιῶν* etiam & *presbyteratuum* nomina interdum induebant. Nam & inde praefectura cui suberant olim Judaei Anglienses *presbyteratus omnium Judaeorum totius Angliae*[n] nuncupabatur; qui scilicet a rege presbytero alicui inter eos eminentiori concedi solitus. Post legem datam memorantur quidem *septuaginta presbyteri* a Mose[o] ex jussu divino in cultum singularem selecti. Sed numerum ejusmodi judiciis praefuisse ante synedrium magnum ex Mose ut principe & septuaginta aliis, jussu itidem divino, conflatum[p], nondum didici. Certe prima numeri illius presbyterorum mentio in loco indicato habetur, sed plane non ut ante constituti, sed ut tunc primo seligendi. Neque enim vocantur ibi *septuaginta* זקנים *presbyteri*, quasi tunc notus fuisset ejusmodi numerus: Sed praecipitur Mosi ut ascenderet ipse, aliique aliquot, ושבעים מזקני ישראל & *septuaginta e senioribus Israel*, plane per ipsum tunc seligendi e seniorum qui tunc aderat coetu. Patres aliquot[q] christiani numerum illic septenarium decuplatum *pertinere* volunt *ad significandum Spiritum Sanctum*. Sed vero de septuagintauniusviralis synedrii juridici (quod magnum dici solet, ac nondum per intervallum hoc natum erat) uti & de presbyterii & presbyterorum apud Ebraeos dignitate varia, unde in christianismum propagata est, plura libro secundo.

CAP. XVI.

De constitutione judicum per intervallum jam tractatum, & potestate eorum inde pendente; maxime praefecturarum juridicarum ex Jethronis consilio a Mose institutarum. Quomodo causae difficiliores, & qualesnam illae, ad Mosem deducendae. Et de jure tunc appellandi. Utrum tunc temporis imperium aut jurisdictio circa sacra aliqua apud Ebraeos exerceretur autoritate aliqua sacerdotali, ut a regia seu politica distincta. De sacerdotii, primogeniturae, patriarcharum, regum, quantum ad eam rem, per intervallum illud jure.

QUOD ad constitutionem & potestatem judicum, quos diximus, inde pendentem spectat; qua de re, juxta institutum libri hujus, septima & postrema hic disquisitio jam ineunda; constitutos per intervallum hoc fuisse, dubitandum non est, summos ac supremos principes ac judices ab eis qui humana societate inita politias & regimina qualiacunque primo variatim condidere; etiam a numine ipso, reipublicae Israeliticae ut sibi singularis conditore, Mosem principem & judicem factum: Minores vero seu subordinatos, ab eis qui rerum summae praeessent, sive ut principes singulares atque unici, sive ut plures, pro variis regiminum illorum & politiarum formulis, & pro varietate illa, aliter atque aliter. Atque ex eorum maxime numero qui in senioribus seu presbyteris, juxta ante ostensa, censerentur selecti sunt hi ordinatique. Monuit Jethro Midianitarum princeps, qui, si non proselytus justitiae factus tunc fuerat, ut volunt Ebraei, cultor tamen Dei veri erat, atque ita ha-

[h] Vide supra cap. 14. p. 1087. [i] Exod. xviii. 12. [k] Philostorgius Hist. Ecclesiast. lib. 9. § 2. ubi vide Jacobum Gothofredum. [l] 1 Cor. v. 5. 1 Tim. i. 20. [m] Act. v. 5. & 10. [n] Rot. Claus. 1. Joan. R. part. 1. membr. 28. cart. 171. [o] Exod. xxiv. 1, & 9. [p] Num. xi. 16. [q] August. quaest. Exod. in 1-3

betur

r

betur ab eis[a] qui proselytum eum fuisse non admittunt; monuit, inquam; Mosem generum ut ipse summus atque hactenus unicus Israeliticae reipublicae princeps ac judex chiliarchas & reliquos provideret[b] constitueretque: Unde de constitutione judicum apud ipsum Jethronem aliosque populos seu cultores Dei necdum in Abrahamidum foedus recepti tunc usitata dijudicandum. Ipse autem Moses id quidem fecit, sed non sine populi & consilio & autoritate. Rem enim ipse postmodum enarrans populo, *Dixi*, inquit, הבו[c] לכם *date vobis viros sapientes & intelligentes*, &c. *ut statuam eos principes super vos.* Placuit res quam proposui, ואקח את ראשי שבטיכם *& tuli capita tribuum vestrum*, &c. ואתן *& constitui eos chiliarchas*, &c. Adeoque ita tantum consilium soceri secutus est Moses ut res ipsa praestaretur, nec interim sine populo, cujus judicium in seligendis adhiberi voluit. Vulgata, *Date ex vobis.* Alii tantundem. Sed Ebraea sonant, *Date vobis*, ut expressim etiam Graeci, Δότε ἑαυτοῖς, *Date vobis ipsis.* Chaldaeus Uzielides dictus, זמינו לכון *convocate, praeparate vobis.* Syrus, גבו לכון *eligite vobis.* Arabs penes me MS. اختاروا لكم idem sonans; atque editionis Romanae, اختاروا منكم *eligite ex vobis.* Judaei Hispanienses, *Dada vos varones*, &c. Saadias, ايتوا برجال *afferte viros*, &c. cui consonae satis versiones christianorum; quae habent, *Prenez-vous*, Recempt u, Bring you, Take you, & similia. Glossa Jarchii, הזמנו עצמכם לדבר *Praeparate, accingite vosmet rei propositae.* Unde ad illud, *Et tuli*, &c. Lyranus, *per electionem & consensum vestrum.* Alii tum magistrorum tum aliorum ibi tantundem. Et Josepho[d] dicuntur, οἱ δοκιμασθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους πάντως εἶναι ἀγαθοὶ καὶ δίκαιοι, *A populo adprobati pro viris virtute & justitia praestantibus.* Summa est, Mosem, etiam a Deo ipso primum peculiari illi populo principem constitutum, constituisse judices illos, sive ut a populo adductos, idque ex presbyteris seu senioribus ibi memoratis[e], cunctos, sive ut ex sic adductis selectos. Sic a Mose constitutorum *potestas* ipsa constitutione subnixa elicienda est ex constitutionis ipsius formula; qua, potestate variatim delegata, reservatur interim amplissima Mosi ipsi soli. Atque hoc rite intellecto, perinsigne specimen cernitur potestatis juridicae tam principis judicisque supremi quam minorum judicum. Nam quicquid jurisdictionis his non est permissum, id universum penes Mosem mansit solum. Omnimodas, ante constitutionem hanc, causas, sive sacras sive profanas, sive graviores sive leviores, sive faciles sive difficiles, rite cognovisse Mosem, manifestum est, ut judicem unicum simul ac principem summum. Ita vero novis hisce judicibus potestas est tributa forensis ut de דברים הקטנים *rebus minoribus*, seu quae קשים *difficiliorum* nomine seu גדולים *majorum* non venirent, ipsi judicarent; *difficiliores* vero *majoresque* ad Mosem ipsum referrent. Sic expressim utrobique facer sermo, & Josephus. Causa *difficilior & major* censebatur ob dubia in ea juris, quod subinde etiam ab ipso numine tunc auctum Mosique explicatum. *Difficilior* autem non erat, seu extra *minorum* numerum ac censum, (*minorum* scilicet, respectu *difficiliorum* ejusmodi atque *majorum*) ulla, puto, sive capitalis, sive pecuniaria, sive alia, sive sacra sive profana, cujus jus satis selectis illis judicibus exploratum cognitumque. Moses ipse[f] illis; והדבר אשר יקשה מכם תקרבון אלי ושמעתיו *Et si difficile vobis aliquid visum fuerit, afferte ad me, & audiam ipse illud.* Et ad illud in Jethronis consilio, *Rem omnem magnam*[g] *afferant* seu *referant tibi*, Levi Ben Gersom[h], כל, inquit, הדבר הגדול שלא ידעו משפטו יביאו אליך ואתה תודיע להם משפטו *Omnem rem, negotium, causam majorem, cujus jus scilicet nesciunt illi, ad te referant; ut ejusdem jus, seu quomodo judicari* seu *decidi debeat, eos doceas.* Receptius quidem video viris doctissimis christianorum, causas graviores fuisse adeo Mosi soli reservatas ut ad praefecturas illas minores non omnino attinerent. Atque earum genera partim ex scriptura, ut aiunt, partim ex ratiocinatione colligunt. Ea quatuor faciunt[i]: Primum, causarum sacrarum, seu quae ad Deum & res sacras spectarunt. Quod eliciunt ex illo[k], *Esto tu populo in eis quae ad Deum pertinent, ut referas quae dicuntur ad eum.* Secundum, causarum in quibus ἐπιείκεια & benigna interpretatione, citra rigorem juris, utendum. Tertium, judicia capitalia. Quartum quae a chiliarchis ad eum per appellationem delatae. Scilicet ita ordinatas fuisse volunt praefecturas illas, ut in tribu qualibet a majoribus numeris hic denominatae eis qui a minoribus dictae sunt praeessent, immediate autem Mosi soli subessent solum chiliarchae. Verbi gratia; tribus sumatur cui tria millia familiarum seu communicationum, ut vocant, oeconomicarum. Trini hic juxta eos chiliarchae; quorum singulorum praefectura in centurias tributa, decem centuriae singulis chiliarchis suberant. Harum qualibet in pentecontades divisa, pentecontarchi singulis centuriis suberant duo; atque eodem modo pentecontarchorum singulis decani quinque. Etiam pro numeri amplitudinis in denominationibus hujusmodi discrimine potestatem ampliorem praefectis fuisse; adeo ut causae tantum aliquot leviores ad decanos, aliae etiam sed graviores ad pentecontarchos, & simili ad centuriones & chiliarchas ratione aliae spectarent. Etiam a decanis ad pentecontarchos, inde ad centuriones, ab his ad chiliarchas, & ab eis ad Mosem appellandum. Atque hinc etiam & deducitur & firmatur judiciorum ordo in ecclesia Romana ab archidiaconis usque ad papam per episcopos reliquosque ejusdem syntagmatis. Ego vero nondum omnino didicisse me fateor unde hic assensum praebeam, sive de causis Mosi soli reservatis, sive de judiciorum ordine ac appellationibus; quas tamen etiam admisisse Talmudicos de amplissimo illo & subordinato judicum numero verba ut ante facientes videtur concedendum. Etiam magistri alii, quibus nec numerus ille placet[l], ap-

[a] Abulens. quaest. 7. in Exod. xviii. [b] Exod. xviii 21. [c] Deut. i. 13. [d] Orig. Judaic. lib. 3. cap 3. [e] Exod. xviii. 12. [f] Deut. i. 17. [g] Exod xviii. 22. [h] Pirush, fol 73. col. 2. [i] Abulens. in Exod. xviii. quaest. 11. Salianus Annal. ann. M 2544. §. 740, &c. vide Petr. Comestor. in Hist. Scholastic. lib. 2 cap 37. [k] Exod. xviii. 26. [l] Vide Abarbinel in Pirush Tora, fol. 166. col 3.

pellationes

pellationes & poteſtatis ſeu juriſdictionis, quantum ad cauſas, in praefecturis illis diſcrimen fuiſſe non exiguum volunt. Caeterum, cum cauſae omnimodae forenſes aut ejuſmodi eſſent ut intra praefecturarum ſingularum ditionem ortae ex ſui natura in eis commode ſatis cognoſci potuiſſent; aut ejuſmodi ut, ex eo quod ad plures tribus aut praefecturas plures attinerent, ex ſui natura in ſingulari harum aliqua definiri commode nequirent; aequum quidem eſt ut exiſtimemus ſecundi generis cauſarum cognitionem Moſi neceſſario ſoli reſervatam; quemadmodum ſcimus etiam ſynedrio magno poſtea inſtituto cujus Moſes ipſe princeps, reſervatam ejuſmodi cauſarum cognitionem. Neque aliter ſe res cum ratione habere quibat. Et de ſingulari illa ſynedrii magni juriſdictione fuſe libro tertio. Quantum vero ad cauſas prioris generis attinet, non omnino video cauſam ejuſmodi aliquam, ſive ſacram ſive profanam, ſive capitalem ſive pecuniariam, ſeu quocunque nomine alio dictam, ita Moſi reſervatam ut apud eum ſolum agi judicarive neceſſario deberet. Univerſae judicibus illis ſeu praefecturis permiſſae. Nec quod aut ſacra aut capitalis eſſet, aliove ejuſmodi nomine diceretur, ideo deferenda erat ad Moſem cauſa aliqua ejuſmodi, ſed tantum ob difficultatem quae accideret in jure explicando, ſive ipſa juris capita ſpectes, ſive poenarum diſcrimina ex eodem jure introducta. Inde enim conſulendum ipſum per Moſem numen, idque a judicibus hiſce, quibus indiſcriminatim Moſes in ipſa eorum conſtitutione, *Audite* [m] *inter fratres veſtros, & quod juſtum eſt judicate,* &c. *Et ſi difficile aliquid vobis viſum fuerit, afferte ad me* (ubi Graeci illud מכם תקרבון אלי vertunt, ἀνοίσετε αὐτὸ ἐπ' ἐμέ ἀφ' ὑμῶν, *afferte illud ad me a vobis) & audiam illud.* Non dixit populo, aut agentibus ſeu litigatoribus, ſed judicibus ipſis, *afferte ad me cauſam,* qualiſcunque vobis, ad vos ſcilicet primo allata, difficilior viſa fuerit, nec ſatis explorata aut intellecta. Et expreſſim in ſacra hiſtoria [n] ipſi qui judicabant, non alii (ex judicum ſcilicet conſtitutione) omnem rem difficilem ad Moſem afferebant; quem etiam tunc ראש הסנהדרין *caput Sanhedrin* ſeu *Synedrii,* ſeu judicum aliorum omnimodorum, inde appellatum aiunt magiſtri [o]. Lis igitur ſeu actio prioris generis omnimoda rite incipi potuit in praefecturis illis, etiam & decidi ac definiri, ſi difficultas nimia abeſſet. Et de ipſa difficultate judicabant judices ſic conſtituti; qua ſi extricare ſe nequirent, ipſi ad Moſem velut ad oraculum ex ipſa eorum conſtitutionis formula afferebant. Quod interim ſic intelligendum temperandumque, ut actio etiam qualiſcunque ob eximiam difficultatem in Moſis ipſius praefectura, ſeu apud ipſum, ut ante, atque ex jure priſtino, non ex praefecturarum harum conſtitutione, rite potuiſſet ab actoribus primo inſtitui; quod maxime ex hiſtoria de blaſphemo [p], & de ligna colligente [q] in ſabbato, eliciendum. Nam etiam praefecturas haſce ex conſilio Jethroneo inſtitutas aequum eſt ut duraſſe admittamus dum in deſerto de jam dictis ſententia ferebatur. Nec obſtat hic quod adducitur de *rebus ad Deum pertinentibus.* Certe quicquid in judicium ita deductum eſt ut judicandum eſſet, *res* erat *ad Deum pertinens,* utpote jure ab ipſo dato permiſſove fundata. Judicibus hiſce ait Moſes *ipſorum judicium* etiam *eſſe Dei:* Qualia ſunt alia alibi in ſacris literis [r] dicta. Nec quid aliud ſingulare memoratur hic in judiciis ut ad Moſem ſpectans, qua praefecturas illas inſtituit, quam quod ad Deum referret ipſe, quoties ob difficultatem ita referendum quid ſive circa ſacra ſive profana erat. Nec ad cauſarum ex ſui natura diſcrimen aliud attinere id omnino videtur quam ad illud tantum quod ex difficultate ortum. Quod vero ad judiciorum inter praefectos ordinem & appellationes attinet; ad Moſem quidem jure priſtino, necdum tunc abrogato, appellari potuiſſe, utpote divinitus in ſalutem populi praefectum, totieſque edoctum, par eſt ut credamus. Sed in ipſa conſtitutione praefecturarum nihil video quo minus earum unamquamque parilem habuiſſe poteſtatem, quantum ad juriſdictionis naturam & amplitudinem diverſam, exiſtimemus; nec a majori numero denominatae ullatenus denominatam a minore ſubfuiſſe, ſed univerſas pariter Moſi; nec ab altera ad alteram fuiſſe appellandum. Univerſi enim praefecturarum judices paribus ac eiſdem in ſacro ſermone peritiae, virtutis, pietatis elogiis inſigniuntur. Nec in Moſis alloquiis nec in Jethronis conſilio eorum alicujus diſparis conditionis aut dignitatis veſtigium habetur. Neque omnino obſtat quod a numero denominante ſic diſcriminentur. Scilicet, pro varia tribuum familiarumque diſpoſitione, quis non videt etiam decanum, quem detur familiis decem praefuiſſe, non pauciores perſonas, nec cauſas pauciores aut minus graves, ſua in praefectura ac ditione habere quiviſſe quam chiliarcham? Quale de caeteris dicendum. Nec anguſtia nec amplitudo ditionis, provinciae ſeu territorii, nec ſubditorum numerus, ſed conſtitutionis formula, qua hic, quantum videmus, cuncti pares fuere, juriſdictionis, imperii ac poteſtatis vim ac naturam definit, demonſtratque. Quantum vero ad judiciorum illorum ordinem, etiam advertendum eſt quod habet Joſephus [s], Κἂν ᾖ τι μεῖζον ἐπὶ τοῖς ἐν ἀξιώμασι τὸ περὶ τοῦ πράγματος δύσκολον, ἐπὶ σὲ ἢ τοῦ τὸ ἀναπέμψουσιν, *Et ſi accidet majus quicquam* (in ſe ſcilicet difficile) *eis qui ſic praefecti fuerint, ad te remittant,* ſeu *referant.* Ubi Ruffinus, *Et ſi quid eſt majus, ad potiores veniat dignitates. Quod vero etiam apud eos difficile fuerit, hoc deducetur ad te.* Ita Joſephus. Jam vero quaeri ſubinde ſolet utrum etiam per illa ſecula ab orbe condito uſque in legis in Sinai dationem excurrentia ita bina haberentur imperii ac juriſdictionis genera ut aliud per ſe circa ſacra & cultum, aliud per ſe circa profana, ſeu quae hominum ſocietatem & commercia maxime ſpectant, exerceretur aut eſſet exercendum, atque ita etiam ut aut aliae de his ſeorſim perſonae ſacrae ſeu praefecturae, aliae de illis cognoſcerent, aut ſaltem, utrum, ſi eaedem perſonae & praefecturae juridicae de utriſque pariter ac ſimul cognoſcerent, id ita fieret ut non ex principatus in ſe unici generis, ſed diverſorum ac invicem ex natura ſui disjunctorum principatuum generum,

[m] Deut. i. 16. [n] Exod. xviii. 26. [o] Abarbinel in *Piruſh Tora* fol. 168. col. 1. [p] Levitic. xxiv. 11.
[q] Numer. xv. 33. [r] 2 Paral. xix. 6. & videſis Hug. Grotium ad Matth. pag 82. [s] Orig. Judaic. lib. 3 cap. 3.

eorum-

orumque seorsim invicem summorum (quorum alteri sacrorum, alteri profanorum cura esset & regimen) ex accidenti sic in persona seu praefectura unica conjunctorum potestate ac imperio cognitionis ejusmodi jus oriretur ac penderet: scilicet, an ex instituto aut more tunc obtinuerit simile quid praefecturarum juridicarum seu potestatum discrimini illi quo in *ecclesiasticum* & *politicum* seu *ecclesiasticum* & *temporale* regimina apud christianos aliquot summa distingui solent; quasi hujus illud nec omnino pars esset nec ei subordinatum, sed circa sacra ex sui natura seorsim summum, ut hoc circa profana, adeoque inde huic, velut in alio solio princeps, coordinatum, nec quidem in eadem persona, quoties forte concurrerit, magis cum hoc commixtum quam in eadem phiala aqua & oleum. Certe ex ante ostensis extra controversiam videtur & perquam manifestum (qua de re etiam aliquoties monitum est) easdem ipsas personas tam de sacris quam profanis pariter cognovisse, aut cognoscere ubi opus esset debuisse; scilicet in seculis intervalli hujus vetustioribus, de singulis juris naturalis ac divini quod primordiale erat capitibus, in quibus cultus primaevus expressim continebatur, adeoque sacrificia, & blasphemiae crimen; uti etiam postea tam de circumcisione, paschatis observatione, azymis, baptismo, de personarum, veluti proselytorum justitiae, originariorum, proselytorum domicilii, seu כחסידי אומות *e piis gentium*, in sedes aut commercium vitae receptorum discrimine, id genus reliquis ad religionem spectantibus, quam de injuriis, furto, homicidio, pactis, caeterisque ad societatem humanam attinentibus, & profanorum seu secularium nomine vulgo venientibus. Clarissima sunt hujusce rei testimonia tum in praefectura Mosaica illa unica ante alias ex Jethronis soceri sui consilio institutas, tum in illis sic adjectis, de quibus supra. Causarum ejusmodi discrimen, ut ad illarum alias sacrae, alias profanae spectarent, nullibi comparet. Ad Mosem ipsum ab ipso Deo principem factum universas pariter ante spectasse nemo dubitat. Etiam & difficiles ad eum afferendas liquet, sive sacrae sive profanae essent: quae autem difficiles non essent, sive hujus sive illius generis, ad praefecturas reliquas seu minores illas pariter attinuisse, ut ante ostensum; quarum item munus erat dijudicare difficilioresne essent an non. Et quisquis rite perpenderit quae habentur in Exodi decimo octavo & Deuteronomii primo, ubi de praefecturarum illarum institutione agitur, ei haud credibile, puto, videbitur, eos apud quos ex institutione illa *Deus* seu *sententia Dei quaerenda erat*, quorum item judicium *Dei judicium* significantius dicitur, atque in quos sic distributum est Mosis in judicando onus, non tam sacras quam profanas causas, easque omnimodas, pariter & e re nata tractasse ac definiisse. Atque aequum sane est ut de patriarchis etiam anterioribus, Ada, Setho, Noacho, Melchisedeco, Abraha, aliis, hujus intervalli principibus summis, eorumque, quae fuere, praefecturis minoribus tantundem admittamus. Huc maxime autem spectat etiam quod supra [t] de modo & ratione agendi & judicandi adduximus in actionibus omnimodis. Certe quatenus tam praecepto divino aut immediate aut mediate quam jure humano nitebatur quaelibet actio, sive publica sive privata, sive sacra sive profana, eatenus de ea ita dijudicandum erat ut manifestam sacrorum atque religionis in forensi tunc negotio quolibet rationem habitam esse non agnoscere nequeamus; id est, imperium circa sacra qua sacra plane sic exercitum esse. Atque ita theologia & jurisprudentia in eadem praefectura necessario conjunctae; seu potius, qua forum spectarunt, in unam eandemque reciderunt. Ac sacrae itidem ac profanae causae in eisdem praefecturis ideo dirimebantur, quia nulla tam simpliciter profana esse potuit ut, dum praeceptorum divinorum vim ibi semper & in qualibet causa perpendendam considerabant judices, nihil sacri in se commistum haberet. Sed vero non admittunt viri aliquot doctissimi imperium seu jurisdictionem circa sacra praefecturis illis minoribus, aut earum alicui, a Mose tributam, sed illi integre reservatam, juxta quod superius memoratur, ubi ea de re plura. Caeterum concedatur (quod tamen haud ullibi constat; & contrarium ex verbis toties de judiciis sine discrimine in sacro hac de re sermone prolatis eliciendum plane videtur) cognitionem rerum & causarum sacrarum, scilicet earum quae maxime ad cultum & religionem spectarent, Mosem sibi soli reservasse; quaeritur tunc, sub cujusnam principatus aut praefecturae generis notione de eis cognosceret ille. Duplicem scilicet in eo aiunt fuisse principatum; alterum sacerdotalem, quasi nunc diceres, ad vulgi sensum, ecclesiasticum; alterum regium, seu in regimine publico, ut distinguunt, summum. Adeoque sub notione principatus sacerdotalis, seu qui ad eum ex sacerdotii munere pertinebat, causarum de sacris cognitionem eum volunt habuisse, non omnino sub notione principatus politici, seu nomine regio: quale itidem asserunt de sacerdotiis patriarcharum, qui eis primogeniturae nomine fruebantur. Et nemo non videt facile quidem concipi posse ut compluria in eadem persona esse possint jurisdictionis ac imperii genera adeo abinvicem distincta ut licet eorum omnia ex unica autoritate constituentis (ut hic Mosis praefecturae qualescunque ex autoritate numinis) simul pendeant, alteri tamen cum altero ex constituti natura nihil habeatur commune. Id palam cernitur in eadem persona praetura urbana & peregrina, verbi gratia, donata, in plurium provinciarum ut invicem distinctarum praeside, id genus aliis satis obviis. Etiam agnoscitur quidem tum Mosem fuisse tam sacerdotem quam regem, tum in primogeniti apud anteriores praerogativis sacerdotium fuisse cum dignitate patriarchali conjunctum. De Mosis regno seu principatu summo satis testatur ipse in gestis suis passim, & expressius ubi in sacro sermone [u] sic appellatur. Sacerdotem autem eum fuisse diserte ait David [x], *Moses & Aaron in sacerdotibus ejus*. Et de functione quadam ejusdem sacerdotali publica manifesto liquet ex ejus consecratione [y] Aharonis & filiorum, aliisque circa institutionem sacerdotii Aharonici & tabernaculi praestitis. Inde etiam Abenezra [z] כהן הכהנים *sacerdos sacerdotum* nuncu-

[t] Cap. 4. [u] Deut. xxxiii. 5. [x] Psal. xcix. 6. [y] Exod. xxix. 35. [z] Ad Psalm citat.

patur; quemadmodum item Gregorio Nazianzeno [a], ἱερεὺς ἱερέων. Et de eo ac Aharone fratre, ἱερεῖς δ᾽ ὁμοίως ἀμφότεροι, *sacerdotes pariter utrique.* Imo magistri veteres summum eum faciunt sacerdotem per quadraginta illos annos quo Israelitae in deserto. Toto illo tempore aiunt aliqui [b], משה שמש בכהונה גדולה *Moses ministravit in sacerdotio magno.* Alii [c], לא נמנע מלשמש בכהונה גדולה *Non exclusus est a functione summi sacerdotii.* Alii demum summum in eo sacerdotium petunt [d] ex consecratione illa Aharonica septidui, nec ultra titulum illum ei donant. Sed vero ἀρχιερεὺς itidem seu *sacerdos summus* non semel dicitur Philoni [e], ut simul etiam *rex summus*; item *sacerdos*, Augustino [f], Leoni Magno [g], aliis. Quod vero de primogenitorum sacerdotio ante Aharonicum institutum, seu per tempora quae tractamus, dicitur, admitti quidem id solet tam a christianis quam Ebraeis. Et nos [h] ea de re aliquid alibi. Melchisedecus rex Salem dicitur *sacerdos Dei altissimi*, & pro Semo, ut Noachi primogenito, plerumque accipitur. Et paulo ante legem in Sinai datam & Aharonicum institutum sacerdotium, ejusdem cum Melchisedeco ordinis sacerdotes memorantur [i] nomine הכהנים הנגשים אל יהוה *Sacerdotum qui accedunt ad Dominum*, id est, *qui sacrificia offerunt Domino*, ut Glossa Jarchii; seu *qui accedunt ad ministrandum coram Domino*, ut Chaldaeus; ubi Graeci, οἱ ἐγγίζοντες Κυρίῳ τῷ Θεῷ, *appropinquantes Domino Deo.* Scilicet agebant hi tunc cum reliquo populo ad radices montis. Et dein, *Et dixit Dominus ad eum* (Mosem) *Vade, descende; & tunc ascende, tu & Aharon tecum:* והכהנים *sed sacerdotes & populus non transgrediantur, ut ascendant ad Dominum, ne disperdat eos.* Et sacerdotes hic Ebraeis sumuntur [k] pro הבכורות שהעבודה בהם *primogenitis, quoniam cultus divinus ab eis peragi solitus*, quemadmodum etiam in seculis tunc ante actis; licet *sacerdotum* nomine per anticipationem Aharonis filios innui ibi velit Augustinus [l]. Etiam ad illud quod Jacobus dixit Rubeno filio suo primogenito, *Ruben* [m], *primogenitus meus tu, virtus mea, & principium roboris mei, excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis*, Targum Hierosolymitanum habet, *Ad te attinet accipere* תלתא חולקין יתיר על אחך בכורותא כהונתא מלכותא *tres partes praeter eas quas cum fratribus habes communes, primogenituram, sacerdotium, regnum.* Consoni sunt ibi Chaldaei utrique. Sed Jonathan habet רבות כהונתא *magnum* seu *summum sacerdotium.* Addit Targum illud, *Sed quoniam peccasti, dabitur primogenitura Josepho, regnum Judae,* וכהונתא רבתא לשיבטא דלוי *& sacerdotium summum tribui Levi.* Sic item Jonathan. Gemara item Babylonia [n], עד שלא הוקם המשכן הבמות מותרות ועבודה בבכורות והכל כשרין להקריב בהמה חיה ועוף זכרים ונקיבות תמימין ובעלי מומין טהורין אבל לא טמאין והכל קרבו עולות ועולה שהקריבו ישראל במדבר טעונה הפשט וניתוח׃ *Antequam exstructum est tabernaculum*, id est, per intervallum jam tractatum, *altarium usus passim erat licitus, & sacrificium peragebatur a primogenitis. Et victima satis idonea erat sive pecus, sive fera, sive avis, sive masculi sive foeminei generis, sive integra essent sive mutila aut vitiosa ex animalibus mundis. Neque enim tunc immunda offerre licuit. Sacrificia item ejusmodi omnimoda holocausta erant. Et holocaustum oblatum ab Israelitis in deserto excoriandum erat & dissecandum.* Atque obvium est passim, in praerogativis primogenituræ ab Esau venditae sacerdotium etiam fuisse, eique conjunctam dignitatem patriarchalem *, atque inde προεδρίαν seu *loci & ordinis excellentiam.* Et ubi dicitur [o] Mosem aedificasse, ante tabernaculum constructum, altare ad radices montis, & *misisse juvenes de filiis Israel, qui obtulerunt ac immolarunt victimas*, per נערים seu *juvenes* primogenitos intelligunt, atque ita expressim vertit Onkelus Chaldaeus. Nec magis improprie sic primogeniti designati quam *pube praesente* [p] apud Romanos populus praesens, quoniam scilicet puberes συνεκδοχικῶς *omnem populum significabat.* Sed vero hoc adeo de primogenitis receptum haud ita, opinor, sumi debet, quasi omnimodo sacerdotio, id est, rite offerendi munere, soli tunc fungerentur primogeniti. Plane enim reclamat tam Abelis secundo geniti quam Caini primogeniti sacrificium. Uterque pariter sacerdos erat. Etiam Moses ipse, qui Amramo erat secundo genitus, & Aharone fratre triennio minor [q], sacerdos ab omnibus, ut ostensum est, agnoscitur. Quod igitur de primogenitorum illa praerogativa sic traditur, ad hunc modum, ni fallor, intelligi oportet; ut tum solennioribus, statis, ac imperativis uniuscujusque tribus, gentis, familiae sacris, tum eis quae totius universitatis populi nomine obeunda erant, tribuum, gentium, familiarum, populi, universitatis (pro vario coetuum discrimine) primogeniti adhiberentur, ita tamen ut hi soli non sacerdotes essent, sed solum primarii seu eminentiores; cum reliquis pariter cujusque tribus, gentis, familiae, seu ex populo cunctis, suo etiam & suorum nomine pro libitu offerre ac immolare liceret, adeoque sacerdotis officio pariter [r] fungi. Sed magis publica illa & solenniora ad primogenitos propter excellentiam dignitatis attinere voluere. Sic etiam post sacerdotium Aharonicum institutum, cui erant sacra compluria adeo propria ut ab aliis peragi non deberent, fuere nihilominus sacra alia, alia sacerdotum munera, etiam tunc cuivis e populo relicta. Unde illud Philonis [s] de paschatis celebratione, in qua οὐχ οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δ᾽ οἱ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται, τοῦ κατὰ μέρος ἑκάστου τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ θυσίας ἀνάγοντος τότε καὶ χειρουργοῦντος, *Non homines e vulgo victimas adducunt ad altare, ut mactent sacerdotes; sed, jubente lege, tota gens sacrificat,* seu *sacerdotii munere fungitur, dum pro se quisque hostiam suam & adducit & mactat.* Alibi etiam idem τὸ ἔθνος ἱερᾶσθαι, *totam gentem sacerdotio fungi*, ante dixerat. Et scimus apud paganos priscos,

[a] Orat. 6. ad Greg. Nyssenum. [b] *Shemoth Rabba* parash 37. fol. 153. col. 3. [c] Apud D. Kimchium in Psalm xcix. ubi vide Genebrardum. [d] Abarbinel in *Pirush*, fol. 168. col. 1. [e] De Vita Mosis, lib. 1, & 3. [f] In Levit. quaest. 23. & vide quaest. in V. Test. cap. 11. [g] Epist. 88. [h] De success. in Bona, cap. 5. & in Pontific. lib. 1. cap. 1. [i] Exod. xix. 22, & 24. [k] Gloss. Jarch. ad locum Exodi citatum, & cap. xxiv. 5. [l] Quaest. 23. in Leviticum. [m] Genes. xlix. 3. [n] Ad tit. *Zebachim*, cap. 14. fol. 115. b. * Vide Isidor. Pelusiot. lib. 2. epist. 47. Chrysost. in Genes. serm. 50, & 67. [o] Exod. xxiv. 5. [p] Festus in *Pube*. [q] Exod. vi. 20. & vii. 7. [r] Vide Job xiii. 8. [s] De Vita Mosis, lib. 3. & 1.

qui ex vetustissimis hisce seculis ritus suos utcunque per errorem misere depravatos hauserunt, sacerdotia publica fuisse, & patrimonialia [t] atque haereditati conjuncta, gentilitia item & familiaria, etiam sacris ac mysteriis singularibus summa cum superstitione variatim & particulatim constituta, & in eis etiam fuisse archierosynas seu sacertia summa seu primaria [v], collegia item sacerdotum, & patrum sacrorum, & filiorum sacrorum, flaminum, id genus aliorum, nomina certis aliquot personis propria apud eos fuisse; cum interim rite sacrificare nihilominus, immolare, adolere, & quae reliqua sunt sacerdotii simplicis munera cuivis e vulgo seu privatis pariter fas esset praestare; quod satis scimus ex Praemetii, Sacrimae, Calparis, Struferti, Suovetaurilium, quae sacrificia fuere rustica, & a colono seu mercede conductis pro libitu peragenda, aliorumque ejusmodi domesticorum ac spontaneorum usu, qui apud scriptores de re rustica [x], Plautum [y] Tibullum [z], Festum [a], alios perquam obvios, cuique occurrit. Atque ita se rem, aut juxta illiusmodi analogiam, habuisse existimo inter primogenitos illos publicis sacerdotii muneribus fungentes, & reliquos illa natalium praerogativa non fruentes, nec tamen a sacrificandi munere inde exclusos, aut sacerdotis carentes omnino aut nomine aut officio. Hinc etiam primogeniti anteriores, & qui pluribus ita, in publicis sacris, praeessent familiis ac cognationibus longaevi, posterioribus & junioribus, licet primogenitis itidem, sed pauciorum respectu nomine illo gaudentibus, κρείττονες seu praestantiores merito habiti. Quale quidem de Melchisedeco expressim [b] dicitur, qui si Semus fuerit, adeoque, ut vulgo sumitur, Noacho primogenitus, abavus erat atavo Abrahae, adeoque multo pluribus familiis erat ipse primogenitus; unde benedictio ejus ut a praestantiore est recepta, licet ipse Abraham etiam apud suos primogenitus esset, & pariter sacerdos primarius, atque etiam נשיא אלהים [c] *princeps Dei* habitus. Etiam & hoc inprimis hic advertendum; primogenito unicuique sacerdotii singularis, seu primarii inter suos, qui aut aetate minores aut non primogeniti, jus competiisse. Sed, puto, nemo opinatur tale quid dicendum de dignitate patriarchali, seu ea qua inperabatur. Nimirum, pro tribuum aliorumve coetuum numero vario ac distributione multiplici, primogenitum natu majorem coetus cujusque per se gubernandi reliquis etiam in eodem coetu tam primogenitis quam aliis ex dignitate patriarchali praefuisse, necesse videtur ut existimemus. Anne enim credibile est in qualibet familia quantumvis exigua primogenitum quemlibet patriarchatum gessisse, seu imperium aliquod exercuisse? Itaque Abraham Isaaco etiam primogenito & suis, Isaac Esavo & Jacobo, Jobus filiis suis & ex eis [d] nepotibus, alii sic aliis patriarchae fuere seu principes. At primogenitorum, quantum video, nullus non regulariter (nam Mosis secundo geniti hic functio semper excipienda) in sacerdotibus erat primariis, utcunque alii aliis ob primogeniturae jus anterioribus natalibus acquisitum praestantiores, ut dictum est, haberentur. Summa tunc est, patriarcham seu principem unumquemque intra patriarchatus sui seu principatus ditionem sacerdotium item summum seu primarium ac prae caeteris excellentius gessisse (quemadmodum certe apud veteres paganos non raro, dum principatum spectamus, se res habuit) idque velut ex perpetuo primogeniturae ejusmodi jure ortum, adeoque sive per se sive per alios substitutos imperium & jurisdictionem exercuisse; alios autem primogenitos quosvis sacerdotii itidem primarii inter suos sortitos esse praerogativam parilem, nec tamen patriarchalem seu principalem simul in regimine dignitatem seu principatum aliquem ejusmodi gessisse aliter atque fineret tribuum ac familiarum distributio constitutioque variatim pro diversa locorum, temporum, personarum ratione admissa. Unde necessario fiebat ut primogenitorum ipsorum alii, etiam & plerique, regerentur, utpote in ditione primogeniti seu patriarchae natu majoris, alii seu grandaeviores in quolibet distributionis, quae pro regiminis per se diversi formula fieret, coetu regerent; nemine eorum interim suam tempestive regendi vicem ac jus, prout distributiones ejusmodi aliter atque aliter ferebant, non merito exspectante. Jam vero, ut regiminis patriarchalis seu regii, ejusque praefecturarum substitutarum actus in imperando, coercendo, in jus vocando, sententiam ferendo, exsecutioni mandando, reliquisque imperii ac jurisdictionis appendicibus habebantur, ita sacerdotii actus in ipsis sacris obeundis, cultu solenni, ritibusque divinis ac benedictionibus praestandis, quae עבודה [e] *ministerii* nomine generali seu *functionis* venire solent. Atque in ejusmodi functione erant sacerdotes ראשי לעם *capita, duces* seu *principes populo*, cujus nomine & gratia sacra obibant; principes scilicet in sacris obeundis, ut in regimine & imperio patriarchae, reges, eorumve praefecturae, principes erant. Et tametsi verum sit, vocabulum כהן, quo *sacerdos* in sacro sermone designatur, (unde etiam verbum כהן pro *sacerdotio fungi* habetur) *principem* etiam territorii subinde denotare, & a nonnullis etiam antiquitus ita verti, id tamen non inde accidisse videtur quasi in ipso sacerdotio seu כהונה ex natura sui imperium aliquod omnino aut principatus regiminis fuisset, sed ex eo quod principes aliquot, ut sane plerique apud alios populos, summo (juxta ante dicta) apud suos sacerdotio (ut & Caesares Romani olim pontificatu maximo) fungentes, adjecto territorii sui seu subditorum suorum nomine, aliave quae tantundem suppleret circumstantia, rite satis etiam כהנים dicerentur; qua voce ex ejusmodi adjectione etiam principatus seu praefecturae eorum, non ex significationis vi, sed per consequens, denotantur. Ita Jethro dicitur [f] כהן מדין *sacerdos Midian*, & Potipherah [g] כהן און *sacerdos On* in AEgypto, quorum utrique suis etiam principes fuere, ut in versionibus aliquot recte satis vocantur, tam vetustis quam nuperis. רבא seu *principem*, ubi de eis verba fiunt, substituunt Chaldaei: Judaei Mauritanienses nunc شريف quod *principem* sonat,

t L. 8. C. tit. De muneribus patrimoniorum, l. 32. §. 4. D. tit. De receptis arbit. v L. 112. C. Theodos. lib. 12 tit. 1. & Herodot. lib. 2. & videsis Jacob. Gutherum de Vet. Jure Pontific. lib. 1. cap. 3, 4, &c. x Cato, cap. 132, 133, 135, 140, 142. y In Aulularia. z Lib. 2. Eleg 1. a In verbis Sacrimi, Calpar, &c. & vide ibi Joseph Scalig & Jacob. Guther. de vet. Jure Pontific. lib. 4. cap. 6. b Epist. ad Ebraeos, cap. vii. 7. c Genes. xxiii. 6. d Job xlii 16. e Vide D. Kimchium in rad. כהן. f Exod. ii. 16. iii. 1. & xviii. 1. g Gen. xli. 45. & xlvi. 20

nunc

nunc أما أمر Atque ita alii. Germanienses Judaei Jethronem ideo vocant הער Heer Midian. Et Glossa Jarchii [h] כל לשון כהן משרת לאלהות הוא הוץ מאותן שהם לשון גדולה כגון כהן מדין כהן און *Vox* Cohen (quae *sacerdotem* significat) *semper denotat ministerium aliquod divinum*, seu *functionem divinam* (nec quid aliud) *exceptis locis quibus usurpatur cum nomine dignitatis* seu *principatus singularis adjecto, ut in* Cohen Midian & Cohen On. His ita praelibatis, videndum restat an admitti debeat quod volunt viri etiam maximi aliquot, dum res causasque sacras a Mose in tempore quod tractamus contendunt fuisse cognitas definitasque, & imperium circa eas ab eo exercitum esse, non velut a principe politico, ut distinguunt, sed ut a sacerdote seu principe ecclesiastico, seu sacerdotii nomine, non regni seu dignitatis ejusmodi alius vere ac univoce in regiminis ratione principalis. Et sane quale de Mosis hic imperio & jurisdictione statuendum, tale, puto, nemo dubitabit quin, quantum ad hanc quaestionem, de reliquorum, qui sive anteriores fuere sive ei coaevi, in sacrorum regimine, imperio ac jurisdictione statui debeat. Certe, si aut ipsam rei naturam, id est, verum tunc inter principatum regiminis (qui & patriarchalis erat, seu regnum, ac imperatorius) & sacerdotale munus qua sacerdotale, seu functionem, discrimen, aut expressiora sacri sermonis de imperio & jurisdictione Mosi tunc indultis verba rite perpendamus, satis manifestum, opinor, evadet, non omnino ratione aut respectu sacerdotii sui, sed principatus solius sive patriarchalis sive regii (qui in eundem hic recidunt) omnimodum circa sacra imperium & jurisdictionem eum exercuisse; unde etiam facilius erit dijudicare de ejusmodi imperii delegatione; qua de dictum est ubi de praefecturarum ex Jethronis consilio institutarum jurisdictione superius agitur. Quod ad ipsam rei naturam, seu discrimen, quod diximus, hic attinet, ex ante ostensis palam est, quamplurimos fuisse sacerdotes, partim ejusdem cum primariis ordinis, ut primogenitos omnes necdum in dignitatem patriarchalem seu regiminis principatum inter suos evectos aut admissos, partim reliquos, qui primogeniturae praerogativa carentes nihilominus revera sacerdotes fuere. Atque horum nemini competiit jus aliquod de sacris aliisve causis pro tribunali aut in foro cognoscendi. Ante Jethronis consilium Moses ipse solus, qui princeps & rex erat simul & sacerdos, de causis cognoscebat universis, atque inde postmodum universas modo ante ostenso delegavit. At vero si qua sacerdos, aut ex ipsa sacerdotii natura aut dignitate, ejusmodi ipsi cognoscendi jus competiisset, undenam evenit sacerdotum tunc nemini reliquorum jurisdictionem circa sacra, inter suos saltem, aliquam itidem competiisse? Quicquid sane in individuo aliquo unico generis speciei ve reperitur qua tale est, idem etiam ut in reliquis habeatur est necessum. Si archiatrorum aliquis ex indultu principali, aut collegii alicujus medicorum praesides, etiam medici ipsi, tam circa medicinam ejusve professores quam alia imperium aliquod exerceant forense seu jurisdictionem, quisquamne eos hoc circa medicinam praestare cum ratione diceret qua medici sunt? Si qua tales, curnam & medicorum reliquis non idem inter suos jus? Verum est, ex eo quod medicinae prae aliis peritiores haberentur, praesides illos seu praefectos in hoc exemplo sic constitui, etiam ex ejusmodi peritia eorum quae ab eis imperata fuerint rationem manare. Sed nemo non videt ipsum imperium ac juris circa rem medicam dicundi facultatem ab eodem ipso fonte eis derivari a quo reliquae qualescunque oriuntur praefecturae juridicae, & sub eadem ac unica notione imperii ac jurisdictionis a principe delegatae, non omnino artis aut functionis medicae, praestari. Tantundem de arithmeticis, geometris, astronomis, musicis, architectis, aliis id genus, simili modo, si ita praeficerentur, plane dicendum. Neque sane amplissimum illud circa sacra imperium ac jurisdictio quae ad pontifices in Roma veteri [i] spectavit, ad eos primario qua sacerdotes fuere, aut qua sacris praeerant functionibus; quarum actus cum imperio & jurisdictione nihil habent, qua tales, commune; sed tantum quatenus a Numa rege, principumque aliorum postea & populi consensu, rerum sacrarum cognitionibus ibi habebantur illi maxime idonei, reliquis sacerdotibus a cognitionibus ejusmodi penitus exclusis. Qua participes fiebant seu vicarii in sacris rite constituendis ordinandisque imperii, ac ut judices ex constitutione singulari (quae actus imperii erat) cognoscebant, non qua sacerdotali gaudebant functione, aut quia ex sacerdotalis muneris natura cognitiones ejusmodi ad eos attinebant. Atque inde qui summae rerum praeerant potestatem eis indultam pro libitu augebant minuebantque. Simile etiam dicendum de imperio ipso & jurisdictione circa sacra in ipsis, juxta ante dicta, Caesaribus, qui etiam pontifices maximi fuere. Non enim ratione functionis sacerdotalis aut pontificiae, qua simpliciter talis, seu quasi ei ex sui natura conjunctum fuisset imperium illud seu jurisdictio, potestas illa subnitebatur; sed ut universalis in publico ac politico regimine imperii, non ut ipsius omnino sacerdotii, pars singularis in Caesares cum reliquo imperandi jure translata est. Etiam si Moses ipse, ut vult Diodorus [k], nec sine sequacibus, sacerdotibus judiciorum tunc forensium omnimodorum potestatem delegasset, ideo sequeretur ex sacerdotii munere jurisdictionem sic adquisitam pependisse, sed tantum ex sic delegantis, ut in regimine publico principis, munere & beneficio. Si juxta leges militares, rusticas, nauticas causarum cognitio concedatur (ut saepius fieri assolet) militibus, rusticis, nautis aliisve sive singulis sive corporatis, cognoscunt illi non qua alio fruuntur nomine aut dignitate quam ea qua per concessionem ejusmodi donantur. Ita nec qui de intricatarum aliquot ex lege Falcidia, familiae erciscundae, jactus, damni, id genus aliorum, partium numero, aut de alluvionibus, finibusve regundis, aut causis medicina, grammatica, id genus aliis, implicatis in foro cognoscunt, id omnino faciunt qua arithmetici, geometrae, medici, grammatici, sed tantum qua singulari qua fruuntur jurisdictione cui praeficiuntur. Et de imperio circa sacra re-

[h] Genes. xlvii. 22. Videsis Job xii. 19. 2 Sam. viii. 18. & xx. 26.

[i] Dionys. Halicarnas. lib. 2. & videsis Jacob. Guther. de Jure Pontific. lib. 2. cap. 1, &c.


[k] Eclog. lib. 40. apud Photium, cod. 244.

o tantundem innuit Aristoteles[l], ubi de regibus temporum heroicorum ait, Κύριοι, inquit, ἦσαν τ῀ κτ῀ πόλεμον ἡγεμονίας, ϗ τ῀ θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί. Καὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον, *Domini, imperatores*, seu *moderatores erant* (qua reges) *tum rei bellici, tum sacrificiorum* seu *sacrorum, exceptis eis quae ad sacerdotalem functionem attinerent*; quae scilicet ad sacerdotes qua sacerdotes functionem sine imperio tantum praestantes, spectarent: *& de causis praeterea* universis *judicabant*. Et paulo post de eisdem temporibus, Στρατηγὸς ἦν ϗ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς, ϗ τ῀ πρὸς τοὺς Θεοὺς κύριος, *Dux belli & judex erat rex, uti etiam rerum divinarum moderator*; quoad imperium nempe circa eas & jurisdictionem. Et quantum ad Mosem hic, haud mihi quidem ex ipsa natura rei magis concipiendum videtur eum ut sacerdotem, seu ex munere sacerdotali, quod in functione sacra totum consistebat, imperio ac jurisdictione circa sacra esse tunc usum, quam apud Lacones, exempli gratia, decretum adversus Timotheum Milesium musicum[m] de superfluis chordis e lyra rescindendis factum fuisse a regibus ibi & ephoris ut a musicis seu arte musica utentibus, & non tantum ut a magistratibus principali autoritate pollentibus, suorumque moribus graviter in universis, tam sacris quam profanis, prospicientibus. Scilicet lyrae, cui antea septem chordae, tres alias adjecerat Timotheus, sic musicae ibi genus ante virilius & robustius in id quod mollius erat & delicatius commutans, magno morum bonorum detrimento, nisi remedium sic illi adhibuissent. Functio hic musica artisque peritia in Timotheo, in regibus item forte & ephoris, nec in paucis e populo. Sed nec populum imperasse, nec reges aut ephoros eum reprehendisse aut coegisse quid ad musicam spectans, qua musici ipsi essent, cum ratione existimare potest quisquam, sed tantum qua imperio & jurisdictione gaudebant circa mores atque omnia quae illos vitiare possent. Quale palam est dicendum, quoties imperium & jurisdictio aliqua circa functiones aliquas alias ex imperato praestandas, veluti agriculturam, mercaturam, militiam, navigationem, id genus reliquas exercetur. Et de functionibus sub imperio sic positis, maxime sacris, in hanc rem peroptime vir summus ille Hugo Grotius in praestantissimo illo, quem superius diximus, commentario *De imperio summarum potestatum circa sacra*; quo nihil eruditius, nihil solidius ad imperii circa sacra jus rite asserendum collocandumque legitur. Quod autem ad expressiora sacri sermonis de Mosis tunc imperio & jurisdictione verba attinet; Deus ipse eum populo praefecit, ut *ab illo ex AEgypto educerentur*[n], ut *vocem ejus audirent*, nec inobedientes essent. Et ad eum inquit[o], *Pone verba ista in ore ejus*, Aharonis: *& ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis. Et ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum* seu *interpres*, (ut, praeter Hierosolymitanam & Chaldaicas hic paraphrases, Arabici & Hispanienses Judaei, ac Syrus) id est, in sermone sacro הוא יהיה לך לפה *is erit tibi in os*, seu *pro ore*, ואתה תהיה לו לאלהים *tu autem* (ut Vulgata) *eris ei in his quae ad Deum pertinent*. Ubi Graeci, Σὺ ᾗ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τ῀ Θεὸν, *tu vero illi eris quae ad Deum*; Hierosolymitanus, *& tu eris ei* כרבין אולפן כן קדם יהוה *ut qui quaerat disciplinam* seu *doctrinam ab ipso numine*, seu לרב *in dominum qui quaerat*, &c. ut Jonathan ibi. Verba sonant, *tu eris ei in Deum*, aut *loco Dei*, ut versiones habent complures nuperae, & Syrus. Onkelos, *& tu eris ei* לרב *in dominum*. Judaei Mauritanienses ibi, معلما *doctor* seu *magister*. Graeco-Barbari seu Graecienses Judaei, μεγαλοσίανος, seu, *ut major, praefectus*. Hispanienses Judaei, *por mayoral*. Judaei Germanienses, איינם ריכטר einem richter, *judex* seu *in rebus judicandis praefectus*. Codex Arabicus penes me MS. alter, وانت تكون له الهًا ومدبرًا *& tu eris illi Deus & gubernator*; alter charactere Samaritano, تكون له سلطانًا *eris ei sultanus* seu *dominus*. Jarchius לרב ולשר *in dominum & principem*. Arabs Romae editus, تكون له في امور الله *eris ei in negotiis* seu *rebus Dei*. Quae omnia satis in idem recidunt. Et Hugo Grotius, *Tu eris ipsi in Deum*; *Id est*, inquit, *jus gladii habebis in ipsum & alios* P. *Nunquam enim hoc nomen hominibus datur nisi ad significandum jus vitae ac necis*. Nam אלהים, quod *Deus* est, etiam principes & judices in sacro sermone[q] non semel significat, ut per participationem, tum quia Dei vices gerunt in rebus administrandis, dum juxta nec adversus praecepta ejus judicant, tum ipsa eorum judicia *res* seu *negotia dei* & *judicia dei* signantius vocari[r] solita sunt, uti & alibi monitum. Caeterum אלהים aut *judices* non omnino dicti sunt sacerdotes qua tales, sed ex accidenti, quoties etiam judices fiebant; qua de re recte monuit Joannes Drusius[s]. Moses אלהים *Deus Pharaoni* etiam a numine dictus est[t], utpote Dei in eum judicia velut in tribunali & per miraculum exercens. Sumunt aliqui vocem illam ibi pro *angelo*[v], uti etiam interdum significat; sed Onkelos רב *dominus* substituit; & Saadias Gaon, استاذًا في امر *dominus in negotio* Pharaonis; Judaei Mauritanienses, مولا *dominus* seu *princeps* Pharaoni. Et glossa Jarchii interpretatur per שופט ורודה לרדותו במכות ויסורין *judex & dominus, ad dominatum in eum exercendum plagis & castigationibus*. Postmodum etiam, historiam de se Moses ipse conscribens, judicem se expressim aliquoties ostendit[x], & judicandi munus, quod ante illas ex Jethronis consilio institutas praefecturas obibat solus, pluribus explicat. *Regem* se item inde nominat[y], nullibi *sacerdotem*. Et tametsi revera fuerit, licet secundo genitus, sacerdos, atque etiam peculiari illi Aharonis suorumque consecrationi a numine per dies aliquot praefectus, nihilominus haud omnino *sacerdotis* nomine indigitatur ullibi in scriptura ante

[l] Politic. 3. cap. 10, 11. [m] Boetius de Musica, lib. 1. [n] Exod. iii 10, 1?. [o] Exod. iv. 15, 1?. [p] V- de Act. vii. 35. [q] Exod. xxi. 6 xxii. 28. Psalm. lxxxii. 1. [r] 2 Paralip. xx. 6, 8, 11. & vide P... [s] Ad difficil. loca Exodi xxxii. & xxxvii. [t] Exod. vii. 1. [v] Abenezra ibid. [x] Exod. xviii. Deu... 1. [y] Deuter. xxxiii. 5.

Davidis illud supra citatum. Aharonis nomini insuper, post natales eorum ratione primogeniturae [z] ita designatos ut antistet Aharon, tum ante tum post quam ipse in pontificatum eveheretur summum, Moses sexcenties ut dignior praeponitur, adeoque ut etiam inde non iniquum fuerit, uti etiam ex aliis jam allatis, elicere ac pro indubitato asserere res illum omnimodas cum imperio administrasse ac judicasse, tam sacras scilicet quam profanas, earumque cognitionem delegasse nomine & sub notione principatus, quem gessit, seu regni, non omnino sacerdotii, quod revera tam ante legem quam postea in Aharone, non in Mose, ratione primogeniturae, erat primarium, seu in familia illa Amramiana, juxta superius ostensa, summum. Sed vero hac de re clarius dijudicandum erit ex eis quae libris in sequentibu de synedriis tam magno quam minoribus sub lege, seu in terra sancta, tradentur: E quibus manifestius multo fiet, praefecturarum apud Ebraeo juridicarum discrimen ejusmodi, ut aliae circa sacra, circa profana aliae versarentur, aut ut aliis sacerdotes, aliis alii jure aliquo forensi praeessent, neque in Mosaica aliave per intervallum hoc ante legem disciplina haberi, neque in ea quae dein propagata est, posterorumve usu, saltem ordinario, ac legum sacrarum regulis subnitente. Et de primi illius intervalli synedriis, & praefecturis juridicis veterum Ebraeorum, unde de aliis etiam, per tempora illa ante legem, Dei populis, quantum ad regiminis sacrorum & profanorum rationem, conjectare facile licet, hactenus.

[z] Exod. vi. 20.



DE

DE

SYNEDRIIS

ET

Praefecturis Juridicis

VETERUM EBRAEORUM

LIBER SECUNDUS.

Tibullus, ad Ambarvale suum.

———————*Pura cum veste venite,*

Et manibus puris sumite fontis aquam.

PRAEFATIO

LIBRI SECUNDI.

Triennium est, & quod aliquantulo excurrit, cum in libri primi praefatione (quod instituti operisque totius est etiam rationarium) pollicitus sum secundum & tertium, si Deus vellet, propediem simul secuturos. Caeterum solennes operarum cunctationes intermissionesque mihi (nam ut assiduus essem ipse schedarum speciminis cujusque inspector necessum erat) inevitabiles, variatim interturbantes, in causa fuere ut ne secundo citius finis dari potuerit. Deliberatum est aliquantisper utrum hic seorsim prodiret, an potius, apud bibliopolam latens, tertii editionem dudum apud typos incoeptam, & brevi, uti spero, absolvendam praestolaretur; ut ita non sine comite exiret promisso. Quoniam vero in justum hic per se creverat volumen, & ab amicis aliquot aliisque literarum hujusmodi studiosioribus desiderari videbatur etiam incomitatus, facile vicit sententia, ut censuram sic per se solus publicam quantocyus subiret. Pollicitationis nostrae fides ita ex eventuum fato satis, opinor, liberatur. Ut e primo qualisnam imperii & jurisdictionis forensis circa tam sacra quam profana etiam a rerum conditu per annos circa MMD, *seu ad legis Mosaicae dationem, apud Ebraeos majoresque suos aliosque etiam Dei populos obtineret ratio, haud difficulter elici potest, ita secundus hic exhibet ejusmodi rationem, ex jure divino etiam ortam, quae in Ebraeorum, seu selecti Dei populi, disciplina vigens a legis datione per annos amplius* MD, *seu usque in excidium templi reipublicaeque sacrae, pro legitima semper agnita est, &, qua fieri permitteret exterorum subinde dominantium libido, velut Mosaica ipsa in synedriis, etiam divinitus institutis, habebatur in usu; excepto quod singularia illa (uti casus reservati) quae ad synedrium magnum per secula jam, post legem datam, dicta spectarunt, librum per se occupant tertium. Ex hisce simul, sane etiam ex primo & secundo hoc satis, puto, constabit, per annos amplius* MMMM *tam sacrorum regimen, qua forense esset atque a functione sacra rite distinctum, quam profanorum (sive res spectes, sive personas) juxta jus etiam divinum, ex ecclesiae Judaicae populorumque Dei anteriorum disciplina perpetua ad eosdem attinuisse judices seu magistratus, ejusdem religionis, atque ad synedria eadem, neutiquam omnino, ex juris istius instituto aliquo, sacrorum & profanorum, instar ecclesiasticorum seu spiritualium & laicorum seu temporalium (quae in christianismi linguam ex jure humano, qua forensia spectant, eoque passim subnituntur variatimque temperantur, rite satis sunt recepta) nominibus ullatenus discriminata. Licet interim exempla etiam velut ex Ebraico usu perperam ea de re sibi deductum iverint non pauci, inter se nihilominus alias haud parum dissidentes (tum ex pontificiis, tum reformatis, horumque propaginibus multiplicibus) qui nunc sermonem ipsum sacrum, nunc mores Ebraeorum & disciplinam Mosaicam Talmudicamque male intelligendo intervertendoque, nunc ultro depravando, in Christianismum etiam inde derivari sibi suisque, ac velut ex jure divino, quod praeceptivum dicitur, asserere enixissime conati sunt imperium & jurisdictionem forensem sacram ab ea quae ad sacra non attineat (quae quidem principibus ac magistratibus christianis, sed sensu etiam satis imperioso & incerto suo relinquunt) distinguendam, eamque amplissimam, seu potius revera non minus interminatam quam lineam seu superficiem in infinitum fictam, licet in diagrammate praesenti terminari visam. Quid enim aliud in ordine ad sacra seu spiritualia? Loquendi genus in infinitum ductile, terminique pro eorum qui jus sibi ejusmodi obtendant arbitratu, nescium. Sunt quidem viri doctis-*

*ſimi, iique tam e pontificiis * quam reformatis †, qui plane exploſum voluerint, ut debuere, commentum illud de duplici aut biſurcato apud Ebraeos veteres regimine forenſi, aliis interim, idque ex utroque genere, pertinacius mordicuſque illud, ut quod infelici in chriſtianiſmo hieraticorum aliquot ambitioni haud parum inſerviat, retinentibus inculcantibuſque. Verum quidem eſt, in chriſtianiſmo, poſtquam cum imperio ſummo conjunctus eſt, cognitionem de ſacris forenſem, eccleſiaſticam dictam, a profanorum cognitione ejuſmodi prudenter per tribunalia & conſiſtoria invicem diſtincta, & per perſonas generis itidem diverſi, e principum & rerum publicarum indulgentia eſſe diviſam; uti & profanorum in eam quae capitalis eſt, civilis, fiſcalis, militaris, maritima. Sed iſthoc de ſacris jure fundatum ſolum humano eſſe volunt hic cordatiores, neque ex praecepto aliquo in foedere alterutro divino, aut inſtituto apoſtolico, manaſſe magis atque id quod in profanarum cognitionum diſtributione ejuſmodi evenit. Qui contra ſentire non deſinunt, etiam qui ſe non deſinere in rem ſimulant ſuam, praeter alia obiter de rebus hiſce nuper diſputata, ſerio & penitus conſiderent, num, ſi chriſtianiſmum tempore Chriſti & apoſtolorum amplexati, ut debuere, fuiſſent retinuiſſentque Ebraei veteres, nec excidio fuiſſet reſpublica eorum deleta: Num, inquam, ſynedria, ſcilicet magnum & minora, penes quae parile, quantum ad ſacra ſimul atque profana, paſſim imperium erat & juriſdictio (ut in ſequentibus demonſtratur) in chriſtianiſmo illo terrae ſanctae manere etiam non ſolum jure potuiſſent, ſed etiam, ut legitima illis & Moſaica, retineri debuiſſent; etiam quoad chriſtianiſmi ſacra in Aharonicorum, quae tandem prorſus evanuiſſent, vicem ſic tunc ſuccedentia: Id eſt, utrum leges politicae, ſeu jus illud quod vocamus* judiciale, *circa univerſa quotquot Aharonici ſeu ceremonialis nomine non abolerentur, eundem quem ante, juxta regiminis priſtini analogiam, locum Hieroſolymis & per Judaeam, id eſt, terram cujus populo ſibi ſelecto Deus ipſe haec in regiminis formam praeſcripſerat perpetuam, debuiſſet ſortiri? Nam ex jure illo judiciali, adeoque ex divino populo illi dato, eoque praeceptivo, orto, pendet quicquid de ſynedriali imperio & juriſdictione poſſit concipi. Certe, ſi ita ſe res habere voluiſſet, dubitari, puto, nequit quin fas fuerit chriſtianis (dum rem ſaltem ad jus quod Judaeis, adeoque chriſtianis inter eos primitivis, in uſu fuerit, exigendam velint) in reliquis politiis omnimodis idem circa forenſia omnia imitari, tametſi non omnino ad illud fuerint obligati. Obligari enim ad judicialium Judaicorum obſervationem chriſtianos reliquos, ſeu qui etiam non ex circumciſionis progenie orti ſint, licet non defuerint, ut ſub chriſtianiſmi initiis ita & ſeculis jam nuperis, qui enixius aſſererent, nihilominus ſententia illa apud doctos ſimul & perſpicaces, etiam ferme, opinor, apud omnes, inter rejectaneas merito habetur. Sed ſuppoſitum quod memoravimus pluribus expendetur ſub finem libri tertii. In quo problema quidem eſt digniſſimum quod ſolvatur, nec interim ita Archimedeum ut de eo accuratius & ingenue atque partium ſtudiis vacuo introſpicienti liquido ſatis minime conſtare poterit. Cum vero rectum ſit index ſui & obliqui, veterum teſtimonia diligentius congeſſimus ex Ebraeis ipſis, etiam & de primitivi chriſtianiſmi presbyteriis, & qualicunque juriſdictionis apud eos facie, non contemnenda, pro re nata, interpoſuimus, a papyraceis cum ſcriptore quopiam digladiationibus & ſtridula contentionis perſonalis ſerra libentius ſemper abſtinentiſſimi; adeoque etiam a craſſiſſimis ineptiis theologi cujuſdam, in alios pariter atque in me ſeſquipetulci, qui nec mea, nec ſua, nedum rem ipſam, omnino intelligens, in ſcripta mea de ordinatione & presbyterio veteri libro ſuperiori alibique interſperſa, ac in alia etiam de diſciplina Talmudica a me tradita, procacius involavit; laureolas ſcilicet in muſtaceis, ſed more Mandrabuli, apud vernaculos ſuos, inſolentius impotentiuſque quaerendo. Sed quam feliciter, judicet lector non impar; ad quem ſolum provoco. Iſtum honoris*

* Alphonſus Abulenſis ad 4 Regum cap. xii. quaeſt. 8. cap. xxiii. quaeſt. 17. alii. † Hugo Grotius lib. De Imperio Summarum Poteſtatum circa Sacra; & ad S. Matthaei cap. v. alii.

cauſa,

causa, non nomino; ne quid gravius dicam. Neque ea de re pluribus hic locus. Commodior lemmatum quam in primo adhibetur hic ordo, cum numeris, quibus capitum etiam sectiones respondent. Si quis lectorem se destinaverit continuum aut serium, ab eo mihi impetratur, ut quae, inter recognoscendum, addenda ex adversariis subjunximus, locis suis, velut pro insertis, adnotet, typosque corrigendos juxta corrigat.

Ex aedibus, Londini Carmeliticis,
Octob. Juliani [illegible]8.
M DC LIII.



DE

DE SYNEDRIIS ET Praefecturis Juridicis VETERUM EBRAEORUM

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

I. *Libri hujus institutum & materies.*

II. *Continuatae in Mose potestatis summae tam circa sacra quam profana forensis, post legis in Sinai dationem & sacerdotium Aharonicum institutum, testimonia expressiora. Judicium ejus primum, de blasphemo.*

III. *Secundum, de immundorum paschate mense secundo celebrando. Singularia ea de re in disciplina Talmudicorum, qui legem de illis latam ad privatos, non ad populum seu ecclesiam integram, ejusve partem majorem, aut dimidiam, aut sacerdotum coetum attinuisse volunt.*

IV. *De paschate, juxta eos, mensis secundi, sub Ezechia rege.*

V. *De castris, seu locis, quibus interdicti immundi.*

VI. *Ad excommunicationis forensis jus, quod obtendi solet, divinum adstruendum haud omnino facere leges sacras de interdictione immundorum. Obiter de paschate patrifamiliae interdicto ob circumcisionis domestici alicujus in sua potestate, uti & baptismi ancillarum, omissione. Et de poenis legum de immundis.*

VII. *Karaeorum, de immundorum paschate, & de illo Ezechiae, disciplina.*

VIII. *Judicium Mosis tertium, de sabbatum in deserto profanante.*

IX. *De praemonitione judicio illi praevia. Scita Talmudicorum singularia de tempore judicii illius & de rei persona.*

X. *Quartum Mosis judicium, de initiatis Beelphegori suspendendis.*

XI. *Quintum de filiarum Zelophcadi (Salphaad vulgo dicti) in bona paterna successione.*

XII. *De primo, secundo, tertio & quinto Mosis jam dictis judiciis, paraphrasium Hierosolymitanae & Uzielidis dici solitae scita.*

SYNEDRIA & praefecturae juridicae, tum veterum Ebraeorum tum aliorum populorum Dei, quae per intervallum legis in Sinai dationem antevertens circa sacra pariter atque profana versabantur, simul cum earum appendicibus ac circumstantiis nobilioribus, libro traduntur primo. Censentur etiam ibi, velut ex earum numero, praefecturae illae Mosaicae ex Jethronis soceri consilio institutae [a], quas inde, distinctionis commodioris gratia, *Jethroneas* nuncupare liceat. Sed de institutionis earum tempore, qua legis dationem illud spectet, vero, plura capite hic secundo. Sequitur jam ut videamus de synedriis & praefecturis juridicis veterum Ebraeorum quae ad secula legis dationem illam insequentia attinent. Harum aliae sunt ex intervallo jam ante tractato in hoc quod sequitur aliquamdiu continuatae; aliae postmodum variatim institutae. Prioris hic generis est singularis illa & amplissima Mosis ipsius praefectura forensis, de qua superius etiam agitur, uti etiam sunt multiplices illae Jethroneae; scilicet si modo (ut, juxta veterum nonnullos & ipsum in Exodo ordinem, libro in primo ultro admittitur) ad intervallum

[a] Exod. xviii.

illud legis dationem antevertens attinuerit earum institutio; quod inferius expenditur. Posterioris hic generis sunt ordinariae aliae, aliae extraordinariae. Ordinariarum item aliae ad jura Noachidarum seu proselytorum domicilii, id est, gentium, seu simpliciora illa ad genus universum humanum spectantia, aliaque variatim intervenientia reddenda seorsim constitutae sunt; aliae in originariorum & proselytorum justitiae regimen, juxta leges sacras moresque genti utcunque proprias ac usitatas, adhibendum; veluti senatus ille seu tribunal illustrissimum *septuaginta-uniusvirale* & *synedrium magnum* nuncupari solitum, praefecturae *viginti-triumvirales*, quas *synedria minora* vocitant, & *triumvirales*. Extraordinariae nobis hic sunt, tribunal regium, unici (quem מומחה vocant) ob scientiae praecellentiam simul & commodiorem e re nata subinde causarum aliquot cognitionem in judicem constituti praefectura, sodalitiorum nonnullorum ex confoederata inter se disciplina praefecturae, & si quae fuerint id genus reliquae; quibus accedet quod memoratur apud magistros de tribuum singularum consistoriis, ut tribulibus seorsim invicem propriis. De praefecturis hisce universis, earum jurisdictionis & imperii amplitudine, per urbes pagosque dispositione, collegarum electione, nomine dignitatis eorum solenni, formulis, poenis, sessionum diebus, effectibus, appendicibus, circumstantiis & consequentiis (dempta solum synedrii magni jurisdictione, cui per se liber destinatur tertius) libro hoc secundo agendum.

II. Quod ad singularem Mosis potestatem forensem, cum imperio circa tam sacra quam profana amplissimo, ex intervallo superiori seu legis dationem praecedente in hoc quod sequitur continuatam attinet, (inde enim hic auspicandum) ea quidem expressius & maxime cernitur in judiciis aliquot ejus singularibus ab ipso memoratis; veluti,

1 De blasphemo,
2 De immundorum paschate,
3 De Sabbati in deserto violatore,
4 De initiatis Beelphegori,
5 De familia erciscunda.

Qualenam esset causarum, qua difficiles fuerint, qua leviores seu faciles, discrimen, & quomodo hae in praefecturis Jethroneis, illae autem a Mose ut moderatore summo (apud quem in difficilioribus quibusque quaerendus erat Deus, seu judicium juri placitoque divino consonum impetrandum) essent definiendae, ostenditur libro in superiore. Atque ob difficultatem demum allata est ad eum causa de blasphemo, quae primum, juxta ordinem in Pentateucho [a] servatum, locum hic obtinet. Non autem ad eum seu in praetorium ejus summum ideo allata est quod cuiquam difficile esset de gravitate per se culpae dijudicare: Commissum enim erat facinus etiam in juris naturalis ac divini quod primordiale est, caput expressissimum notissimumque על ברכת השם *de maledictione numinis* [b]: Quin & sensus capitis illius non ita obscure contineri videbatur in juris divini Israelitici interdictis; qua de re statim plura. Difficultas vero oriebatur circa poenae sceleri tanto irrogandae qualitatem. Atque hinc in jus sic vocatus est blasphemus ille, filius Selomithae filiae Dibri Danitae, adeoque plane Israelita, quem ex ea susceperat quidam AEgyptius. Fuisse autem AEgyptium illum, recipitur plerumque apud Ebraeos, eundem ipsum qui a Mose occisus est [c]. Aiunt enim ex traditionibus avitis (quod obiter adnotare liceat) AEgyptium illum fuisse ex praefectis quibus operarum Israelitarum in lateribus conficiendis cura sub Pharaone commissa est, eumque noctu ad eas maritum Selomithae e lecto conjugali imperiose vocasse, & clam ita mox in lectum se contulisse ipsum, ut simulando se maritum esse ultroneis gauderet Selomithae amplexibus. Et חזר, ita aiunt, האיש לביתו והרגיש בדבר וכשראה אותו מצרי שהרגיש בדבר היה מכהו ורודהו כל היום *Domum reversus maritus, ob facinus illud turbatus est; quod cum videret AEgyptius, is eum percutiebat, & graviter die toto affligebat.* Hinc volunt [d] eum a Mose in suorum vindictam caesum. Atque hinc blasphemi hujus natales petunt. Sed paraphrasis hic Chaldaica [e] Uzielidi tribui solita, גברא, inquit, חייבא מרוד באלה שמיא נפק ממצרים בר גברא מצראה דקטל גברא בר ישראל במצרים ועאל על אינתתיה ואתעברת וילידת בר בגו בני ישראל *Homo peccator ac rebellis in Deum coelorum exiit ex AEgypto, filius nempe hominis AEgyptii, qui occiderat virum ex filiis Israel in AEgypto, & ingressus est ad uxorem ejus, quae gravida inde facta peperit filium inter* seu *in medio filiorum Israel.* A Mose ipso nempe dicitur, ויצא בן אשה ישראלית והוא בן איש מצרי בתוך בני ישראל *Et egressus est filius Israelitidis, qui erat filius hominis AEgyptii inter Israelitas,* seu qui inter eos censitus, aut, ut Graecis vocatur, *filius AEgyptii* ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ, *in filiis Israel,* quoniam ex Selomitha matre Danitide seu Israelitide est natus. Quantum enim ad natales, nobilitatem, & sanguinis existimationem, partus apud eos, ut alibi non raro, sequebatur ventrem. Inde Jarchius ad verba illa *inter filios Israel,* מלמד שנתגייר *inde discendum est eum ut proselytum justitiae habitum,* utcunque patrem habuisset AEgyptium. Et Abenezra מתיהד *in Judaeorum numerum* seu *gentem receptus est* [f]. Sed vero, ut caedis illius Mosaicae causam sic tradunt, ita etiam adjiciunt hic judicium Mosis forense in Selomithae hunc filium aliud; unde, ut ex causa praeeunte, irritatus in blasphemiam eruperit; idque ex eo quod legitur וינצו במחנה *& rixati sunt* seu *certamen inierunt in castris filius Israelitidis ille & homo Israelita.* Nimirum dum in deserto sub vexillis suis Israelitae, adeoque inter eos, loco sibi assignato, Danitae, castrametabantur, Selomithae filium, materni sanguinis jure nixum, tentorium suum aiunt inter Danitas figere voluisse. Hoc facere cum neutiquam ab illis permitteretur, ex eo quod non juxta maternam sed paternam cognationem seu sanguinem ita erat cuique castrametandum,

[a] Levit. xxiv. 11. [b] Videsis lib. 1. cap. 2. [c] Exod. ii. 12. [d] *Shemoth Rabba* parash. 1. fol. 118. col. 4. *Midbar Rabba* parash. 9. fol. 230. col. 2. Gloss. Jarchii ad Exod. ii. 12. Lyranus ibi. [e] Ad Levitic. xxiv. 10. [f] Videsis Nachmanidem in *Pirush Tora,* fol. 213. b. & *Vaicra Rabba* parash. 32. fol. 202. col. 3. *Chiskuni* fol. 171. b. R. Bechai in *Pirush,* fol. 156. col. 4.

tandum, nec ille sanguine paterno Israelita erat sed tantum materno, rem, actione injuriarum ab ipso in judicium instituta, coram Mose deductam fuisse, atque sic definitam, ut sententia lata, castrametationis Daniticae area illi, utpote, quantum ad hanc rem, non satis Danitae seu Israelitae, prorsus intercluderetur. Lex quidem [g] de castrametatione ait, *Unusquisque de filiis Israel castra ponet sub vexillo suo*, ובאותות לבית אבותם *& sub signis domus patrum suorum*, seu, ut paraphrasis ibi jam dicta Chaldaica, באתוון דמסתמנין על מקסיהון לבית אבהתהון *sub signis quae notata fuerint in vexillis eorum juxta domos patrum eorum*. Et *Patrum* in versionibus plerisque expressa hic mentio, licet Vulgata habeat *per signa atque vexilla & domos cognationum suarum*. Et tametsi lex illa ad annum ab exitu secundum attineat [h], adeoque recentius judicio hoc de blasphemo collocetur, nihilominus hic usurpatur velut tempore judicii illius etiam obtinens. Hinc commentarius ille vetus *Vaicra Rabba* [i], יצא שבא ליטע אהלו במחנה דן אמרו לו מה לך ליטע אהלך במחנה דן אמר להם מבנות דן אני אמרו לו כתיב איש על דגלו באותות לבית אבותם ולא לבית אמותם נכנס לבית דינו של משה ויצא מחוייב עמד ונדף *Exiit* seu *egressus est* (ut in textu sacro) *qui tentorium suum figere in castris Danitarum certaret. Rogatus autem cur nam hoc faceret, respondit se prognatum esse ex Danitide*, seu *matre e tribu Dan. Regestum est ei, legem esse, quemque collocari deberi sub vexillo suo, & sub signis domus patrum suorum, & non domus matrum suarum. Introivit igitur ille in consistorium Mosis*; *ubi instituta hac de re querela, causa, ut damnatus, excidit: unde exiit, & se sistens blasphemavit*, ut irritatus judicio illo in eum ex verbis legislatoris sanctissimi, in quem blasphemus erat, contra spem, quam ex cognatione ibi devoraverat lato. Idem ipsum legitur in *Sepher Siphra* [k], *Pesiktha Zotertha* [l]. alibique apud magistros pro recepto saepius admittitur. Unanimes quidem undiquaque non sunt hic illi de causa aut sensu exitus ejus. Sed plane receptissima est sententia jam memorata; unde Salamon Jarchius [m] in glossa, מתניתא אמרה מבית דינו של משה יצא מחויב בא ליטע אהלו בתוך מחנה דן אמרו לו מה טיבך לכאן אמר להם מבני דן אני אמרו איש על דגלו באותות לבית אבותם כתוב נכנס לבית דינו של משה ויצא מחויב עמד ונדף *Ex traditionibus recipitur, exiisse eum e consistorio* seu *praetorio Mosaico, ubi causa exciderat. Cum enim contenderet tentorium suum figere in castris Danitarum, dixere illi, Quid tibi cum hoc loco? Respondit, Ex filiis Dan ego sum. Cui illi, Scriptum est* (in lege sacra habetur) *quemque sub vexillo suo juxta signa domus patrum suorum, unde actionem instituit in praetorio Mosaico. Illic autem causa excidens exiit, subsistensque blasphemavit.* Quasi certamen inter eum & Israelitam in sermone sacro memoratum haud aliud innueret quam litem illam sic decisam de tentorii inter Danitas loco. Ita plerumque legem illam seu praeceptum de castrametationis modo divinum, quod non ante secundum ab exitu annum in sacro sermone reperitur, hanc ad rem trahunt; tametsi etiam interdum non ex lege illa sic recentiore, sed ex praecedente Jacobo patriarchae designatione [n] filiis facta, jus parile tunc pependisse velint [o]. Sed & huc spectat id quo nihil apud magistros frequentius, אין מוקדם ומאוחר בתורה *Non est prius aut posterius in lege*. Utcunque autem illa se res habuerit, commode satis intelligi potest, blasphemiae reum hunc esse ante in foro aliquo Jethroneo peractum, ac ob poenae difficultatem tantum inde (juxta praefecturarum Jethronearum institutionem) in praefecturam Mosaicam sic deductum fuisse. Dicitur enim, *Et blasphemavit nomen* Domini, *& maledixit. Et adduxerunt eum ad Mosem, & posuerunt eum in custodia*, seu *miserunt eum in carcerem*, לפרוש להם על פי יהוה *ut explicaretur eis interim* per Mosem *quid vellet hic fieri Dominus*. Ubi Onkelos, עד שיתפריש להון על גזירת מימרא די״ *Donec eis exponeretur res per sententiam verbi Domini*. In eundem sensum alii. Vulgata, *donec nossent quid juberet Dominus*; & Gracci, διακρῖναι αὐτὸν διὰ προστάγματος τοῦ Κυρίου, *ut in eum judicium ferretur ex jussu Domini*. Scilicet veri est simillimum, an reus is esset jam non fuisse apud Mosem disquisitum. Causa satis facilis erat, quantum ad culpam ipsam seu reatum, & probationes rite, qua eis opus esset, admittendas. Adeoque ad peragendum eum, ex interdictis quibus nemo non obligabatur divinis, reum, omnia videntur in Jethronea aliqua praefectura praecessisse; idque juxta leges sacras ante acceptas. Id quidem ne existimemus non omnino obstare debet quod habent aliqui [p], nondum de blasphemia ejusmodi legem fuisse latam, quod necesse est ut intelligant dum nondum scriptam aiunt. Nondum enim forsan, extra tabulas binas seu decalogum, ulla lex in scriptis sacris quae Mosi debemus habebatur. Certe etiam in tabulis illis praeceptum *de non assumendo nomen Domini in vanum* blasphemiam multo magis fugiendam innuit. Sed vero ut expressius ea de re in Noachidarum juris capitibus cautum est, ita etiam in jure Israelitico ante dato satis habetur unde blasphemiae interdictum itidem eliciendum. Qui parentum alterutri maledixisset [q] morte multandus ante erat: gravius ergo crimen maledictio patris in coelis. Accedit illud, אלהים לא תקלל *Diis* [r] seu *Deo* (nam pariter hoc etiam sonat) *non maledices*, (quod in Chaldaicis, Syriaca, Arabicis, aliisque versionibus aliquot de judicibus sumitur) diserte apud Talmudicos [s] accipi pro אזהרה לברכת השם *praemonitione* seu *interdicto blasphemiae in Deum*. Reus igitur in jura jam dicta in praefectura, ut videtur, Jethronea aliqua [t] facile peractus, quoniam non ita de poena (utrum scilicet mulcta esse ea deberet, an capitalis, an verberum, an coelitus, ut כרית seu *excisio* aliave ejusmodi, expectanda) quemadmodum de culpa ipsa constabat, inde ob difficultatem ad praetorium Mosaicum adducitur, & custodiae, unde exhiberi possit, traditur, tum ne poenam qualemcunque imminentem fugeret, tum ut interim de poenae ge-

[g] Numer. ii. 2. [h] Ibid. i. 1. [i] Parash. 32. fol. 202. col. 3. [k] Parash. 14. fol. 53. col. 1. [l] Fol. 53. col 2. [m] Ad Levitic. xxiv. 10. ubi videsis Lyranum & Abulensem quaest. 9. Adde *Baal haturim* ibi, & *Chiskuni* fol. 171. 1. [n] Genes. xlix. [o] Videsis *Chiskuni* fol. 171. 2. [p] Theodoret. in Levit. quaest. 33. [q] Exod. xxi. 17. [r] Ibid. xxii. 28. [s] R. Eliaezer Ben Jacob in Talm. Bab. tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 66. a. Jarchius ad Exod. xxii. 28. [t] Vide *Pesiktha Zotertha* fol. 31. col. 4. prope finem & Jarch. ad Levit xxiv. 12.

nere
5

nere Deus per Moſem quaereretur. *Peſiktha Zotertha* [v] במקלל כתוב לפרוש להם על פי י״י שלא היו יודעין אם חייב מיתה הוא או דינו בידי שמים לכך נאמר לפרוש להם *De blaſphemo ſcriptum eſt, ut explicaretur eis quid vellet hic fieri Dominus. Neutiquam enim ſciebant an mors ei ſubeunda eſſet* (nec enim poena ejuſmodi ullibi in legibus ante datis ſceleri huic expreſſim [x] praeſcripta eſt) *an judicium ejus per manus numinis* ſeu *coelitus*, quantum ad poenam, *eſſet exſpectandum.* Inde item Jarchius hic, שלא היו יודעים אם חייב מיתה אם לאו *quoniam neſciebant utrum mortis reus eſſet an non.* Et ſane niſi ex jure ſive naturali, quod divinum eſt, ſive Iſraelitico, quod tum divinum tum humanum tunc erat, eum reum fuiſſe exiſtimatum fuiſſet, curnam in cuſtodiam traditus eſt? Et de dubio circa poenae genus idem quod tradit Jarchius habet Gemara Babylonia [y]. Conſulto igitur Numine, poenam capitalem, id eſt, lapidationem, tum hic tum in cauſa conſimili ſemper irrogandam deciſum eſt. *Educ*, inquit Deus ad Moſem, *blaſphemum extra caſtra, & imponant omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput ejus, lapidentque eum univerſus coetus.* Sunt vero qui deducendi extra caſtra hic rei cauſam ſeu rationem haberi volunt ex jure excommunicandi, quaſi illud tunc obtinuiſſet. Ad verba nempe illa, *Educ blaſphemum extra caſtra*, adnotatur [z], *Nam haereticus excommunicandus eſt, & ſeparandus ab eccleſia; &, ſi permanſerit obſtinatus, juſtitiae ſeculari debet tradi morte puniendus. Ideo ſubditur, Et lapidet eum univerſus populus.* Quaſi eductio illa e caſtris aliud omnino fuiſſet quam in commodiorem lapidationis locum! Caeterum planiſſime haud magis hic excommunicatus erat quam alius quiſquam morte damnatus plexuſque. Neque omnino excommunicationis forenſis uſus tunc aliquis; quod pluribus libro ſuperiore demonſtratum eſt. Et de judicio blaſphemi Moſaico, quod hic primum eſt, hactenus.

III. Secundum legitur in hiſtoria ſacra de paſchate primi menſis anni ab exitu ſecundi celebrato. Scilicet ex lege caſtris Iſraelitarum interdicti ſunt qui immunditiem a demortuo contraxerant. ויהי אנשים ejuſmodi *fuere* [a] jam *quidam*, eoque nomine לא יכלו לעשות הפסח ביום ההוא *non potuerunt facere paſcha in die illo.* Scilicet paſchatis ſanctitati impares eſſe eos exiſtimatum eſt. Querelam igitur inſtituentes יקרבו לפני משה ולפני אהרן ביום ההוא *accedebant coram Moſe & coram Aharon eodem* ſcilicet paſchatis notiſſimo *die*, ſeu primi menſis, id eſt, Niſan, luna decima quarta. *Dixerunt viri illi* אליו *ad illum*, (id eſt plane ad Moſem ſolum, quemadmodum habent ibi ex Ebraica veritate Chaldaei ליה *ad illum*, & Arabs Erpenianus وقالوا هولا الرجال له *& dixerunt viri illi ad eum*, & Graeci codices optimi, *πρὸς αὐτὸν*, *ad eum*, aliique veritatis illius ſequaces ſimiliter; licet interim exemplaribus in Graecis aliquot legatur *πρὸς αὐτοὺς*, *ad eos*, uti & apud Syrum להון idem ſignificans, & in Vulgata etiam *eis*, ac in Arabe cum Vulgata Romae edito, لهما *ad utroſque*, quaſi non minus ad Aharonem quam ad Moſem, velut apud praetores parili jure utentes, verba agendo feciſſent; & Arabica Saadiae Gaon habet tantum, وقالوا *& dixerunt*, *Nos immundi*, &c) אנחנו טמאים לנפש אדם *Nos quidem immundi ſumus per demortuum*; ſed interea למה נגרע לבלתי הקריב וגו׳ *quamobrem prohibemur ut non offeramus ſacrificium Domino in tempore ſuo inter filios Iſrael?* Quanquam exciſionis poenam immundis qui ex oblationibus pacificis comederent praeſcriptam eſſe [c] ſciebant illi, etiam immunditiei nomine caſtra ipſis nondum purificatis [d] eſſe utcunque interdicta, nihilominus, cum ex divino itidem paſchatis inſtituto, juxta quod ipſi anno proxime ſuperiore illud celebraſſent, etiam die illo ſeu 14 Niſan anni ſecundi, cunctis videretur illis idem eſſe denuo obſervandum, neque expreſſim quemquam ab eo ex lege de immunditie arcendum, adjecto etiam eum qui legis ſenſum alterius ſervaret ab alterius obſervatione ſaepius haberetur interim liber (quod apud magiſtros eſt dictum ſolenne) his, inquam, & hujuſmodi aliis perpenſis, in caſtra hanc in rem veniunt illi, utcunque immunditiei nomine ante ex lege aut ejecti a populo [e], ut extra ultro manentes, ut a Moſe diſcerent quando, & quomodo, & cur non die illo, ipſi pariter cum aliis admitterentur; a Moſe, ut moderatore, praetore ſummo, & in rebus hiſce ſingulari. Quod enim dicitur acceſſiſſe eos ad Moſem & Aharonem, ita intelligunt magiſtri, ut ad utroſque ſimul caſu conſidentes accederent, ſed ad Moſem ſolum ut judicem ſummumque & per ſe praeſidem. Licet interdum etiam aiant ipſi utroſque ſuper hanc rem ab immundis hiſce interrogatos. Inde gloſſa ordinaria [f] ad illud, *coram Moſe & Aharon*, כשניהם יושבין בבית המדרש באו ושאלום ולא יתכן לומר זה אחר זה שאם משה לא היה יודע אהרן מנין לו: *Quoniam utrique conſederunt in ſchola* ſeu *auditorio* [g] (ubi tam Aharon quam Moſes, ut viri conſultiſſimi, docebant exponebantque legem, nec juriſdictionem ſimul exercentes) *illuc accedebant, & rogabant eos. Quod tamen non ita intelligendum quaſi rogaſſent* aut *rogare voluiſſent alterum poſt alterum. Nam ſi Moſes quid faciendum ignoraret, Aharon per ſe non erat ulterius rogandus.* Quinam hi fuerint per mortuum immundi etiam diſputatum eſt inter Talmudicos. Alii ex eis fuiſſe autumarunt qui corpus Joſephi condiverant*. Ita R. Joſe Galilaeus, aliique [h]. Alii eos volunt qui cadavera Nadab & Abihu e caſtris aſportarunt, nempe Miſhaelum [i] & Elzaphanum. Sic R. Akiba [k]. Alii aliter [l]. Sed vero rem adeo in dubio fuiſſe liquet ut nec Moſes ipſe, inconſulto numine, eam explicare auderet aut poſſet. Quicunque autem fuerint illi, cauſam difficilem prorſuſque novam hanc ad Moſem ſic afferunt, poſtquam tantae, ut

[v] Fol. 31. col. 2. [x] Videſis Lyranum ad Levit. xxiv. 12. [y] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 9. 78. 2. [z] Moraliter in Lyranis. [a] Numer. v. 2, 3. [b] Ib. ix. 6, 7. [c] Levitic. vii. 20. [d] Videſis R. Abraham in *Zerror Hammor*, fol. 112. col. 2. [e] Num. v. 4. [f] Jarch. ad Num. ix. 7. & videſis Abarbinel. in *Piruſh Tora*, fol. 285. col. 2, & 3. *Peſiktha Zotertha*, fol. 43. col. 3. [g] Abba Chanan in *Peſiktha Zotertha*, fol. 43. col. 3. * Geneſ. l. 26. [h] Gemara Babylonia ad tit. *Succa*, cap. 2. fol. 25. 1. *Semoth Rabba* paraſh. 20. fol. 138. col. 2. *Sepher Siphri*, fol. 10. col. 1. [i] Levit. x 4. [k] Gemara citata. Et videſis R. Abraham in *Zerror Hammor*, fol. 112. col. 1. [l] Videſis *Chiſkuni*, fol. 172. 2. & Abarbinelem loco citato.

videtur,

videtur, difficultati ſatis extricandae praefecturae Jethroneae plane impares ſe etiam agnoverant. Difficultatem ſtatim etiam agnoſcens Moſes, עמדו, inquit, ואשמעה מצוה יהוה לכם *State, & conſulam* ſeu *audiam quid praeceperit Dominus de vobis.* Dominus inde praeſcribit legem de ſecundi menſis paſchate immundis ejuſmodi, uti & loci diſtantia [m] impeditis, proprio. Diſtantiam illam quindecim milliaribus a muris Hieroſolymitanis terminant. Lex ad hunc modum concipitur, איש איש כי יהיה טמא לנפש או בדרך רחוקה וגו *Quiſquis immundus fuerit per mortuum, aut diſtantia loci impeditus*, tempore quo primi menſis paſcha celebrandum, in menſis ſecundi, ſeu Jiar, decima quarta is celebrabit, velut idem ipſum ſic inde transferendum feſtum. Et juxta praeſcriptum hoc tum in cauſa hac adeo difficili ad Moſem ut praetorem ſummum & ſingularem allata, quantum ad immundos illos, judicandum erat, & proculdubio judicatum, tum poſtmodum ſemper paſcha obſervandum. De re tunc judicata atque exſecutioni mandata, *Seder Olam Rabba* [n], בי"ד באייר שחטו טמאי נפש הפסח שנ׳ ויהי אנשים וגו׳ *Die* 14 *menſis Jiar* (ſecundi anni illius ab exitu ſecundi) *immolarunt immundi per mortuum paſcha juxta id quod dicitur, Et fuere viri aliquot*, &c. Quoniam autem ſcriptoribus nuperis aliquot, adeo excommunicationis forenſis jus divinum (de quo ampliter actum eſt libro ſuperiore) adſtruere ſatagentibus, velut haud leve trahi ſolet argumentum ex immundorum ejuſmodi interdictione, quaſi in illa excommunicationis ejuſmodi jus comperiretur; ideo obſervare hic liceat quid de interdictione hoc in loco, ſeu feſti immundorum cauſa in menſem ſecundum translatione doceant Talmudici. Unanimes quidem eos eſſe non video quantum ad perſonarum immundarum naturam; aliis ſcilicet aſſerentibus, ad privatos tantum, ſeu viros ſingulares aliquot, ſaltem קהל *eccleſiae* ſeu *ſynagogae* partem minorem, eoſque qui ſacerdotalis ordinis non eſſent, translationem ſeu interdictionem ob immunditiem, ſive hanc per mortuum, ſive aliud genus quodcunque, ex hoc judicio & legis hujus ſenſu attinere, non omnino ad eccleſiam ſeu ſynagogam integram, nec ad partem dimidiam; ſed interim ad immundos reliquos aeque atque mortuo inquinatos; aliis tantundem pariter quantum ad perſonarum numeri & qualitatis diſcrimen recipientibus, ſed rem ipſam ad immundos per mortuum ſolum reſtringentibus. Sententia prior expreſſius in Miſna [o] legitur; נטמא קהל או רובו או שהיו הכהנים טמאים והקהל טהורים יעשה בטומאה נטמא מיעוט הקהל הטהורין עושין את הראשון והטמאין עושין את השני: *Synagoga, eccleſia, univerſitas populi*, ſeu *ejuſdem pars pleraque, ſi immunditiem contraxerit* qualemcunque, *aut ſi fuerint ſacerdotes immundi, & ſynagoga* ſeu *eccleſia pura, celebrandum eſt eis paſcha etiam in immunditie illa. At vero ſi fuerit pars minor eccleſiae* ſeu *ſynagogae immunda, mundis faciendum paſcha primum, & immundis ſecundum.* Et Gemara Babylonia ibidem [p], תנו רבנן הרי שהיו ישראל טמאין וכהנים וכלי שרת טהורין או שהיו ישראל טהורין וכהנים וכלי שרת טמאין יעשה בטומאה שאין קרבן צבור חלוק *Tradunt Rabbini noſtri, ſi Iſraelitae immundi fuerint, & ſacerdotes & inſtrumenta miniſterii munda, aut ſi mundi fuerint Iſraelitae, & ſacerdotes & inſtrumenta miniſterii immunda, rite ſatis celebrandum & paſcha in immunditie, quoniam per partes* ejuſmodi *non fit ſacrificium populi ſeu eccleſiae.* Firmatum haec eunt ex eo quod in ſacra hiſtoria hic dicitur, ויהי אנשים *Et fuere viri aliquot immundi*, & in lege ipſa tunc lata איש איש *vir, vir quilibet*, quaſi de privatis haec intelligenda, non de populo, eccleſia, univerſitate, aut parte ejus ſive majore ſive dimidia (quae velut pro majore hic habita) aut ſacerdotali genere. Inde habent [q], אחד עושה פסח שני ולא ציבור *Privati, ſinguli faciunt paſcha ſecundum, & non populi univerſitas.* Item [r] איש איש נדחה לפסח שני ואין צבור נדחין לפסח שני בטומאה אלא עבדו *Vir, vir, privati rejiciendi erant in paſcha ſecundum, ſed non populi univerſitas, quae etiam in immunditie feſtum rite celebrabat.* Alia [s] in eandem mentem ſaepius occurrunt. Sententiam poſteriorem velut recipiendam amplectitur Rab Chaſda ſacerdos, diſcipulus Rab Huna, & caput ſeu princeps ſynedrii in jure celeberrimus [t]. Sic legitur in Gemara Babylonia [v]; ſequaceſque habet ille complures maximoſque. Inde Maimonides [x] (cui etiam alii [y] conſoni) רבים שהיו טמאי מת בפסח ראשון אם היו מיעוט הקהל הרי אלו נדחין לפסח שני כשאר הטמאים אבל אם היו רוב הקהל טמאי מת או שהיו הכהנים או כלי שרת טמאים טומאת מת אינן נדחין אלא יקרבו כולן הפסח בטומאה הטמאים עם הטהורין שנ׳ ויהי אנשים אשר היו טמאים לנפש אדם יחידים נדחים ואין הצבור נדחה ודבר זה בטומאת המת בלבד כמו שבארנו בביאת המקדש: *Si complures in paſchate primo eſſent per mortuum immundi, iique pars minor populi, eccleſiae* ſeu *ſynagogae, illi rejiciendi erant in paſcha ſecundum, ut immundi reliqui. At vero ſi fuiſſet populi* ſeu *ſynagogae* aut *eccleſiae pars major, vel ſacerdotes, vel miniſterii vaſa* ſeu *inſtrumenta immunda per mortuum, non ſic ob immunditiem ejuſmodi transferendum paſcha, ſed ab omnibus offerendum tunc in immunditie, ab immundis ſimul cum mundis. Nam juxta illud quod ſcriptum eſt*, Et [z] erant viri quidam qui immundi erant per mortuum, *&c. Privati* ſeu *ſinguli rejiciuntur, ſed univerſitas populi non ſic rejicitur. Atqui obtinet hoc ſolum ut jus ſingulare immundorum per mortuum, quemadmodum explicavimus in tractatu de ingreſſu templi* [a]. Ibi ſcilicet hac de itidem ampliuſque agens, שאין קבוע, inquit, כל קרבן לו זמן אינו דוחה לא את השבת ולא את הטומאה שאם לא יקריב היום יקרב למחר ולמחרת מחר וכל קרבן שקבוע לו זמן בין קרבן ציבור בין קרבן יחיד דוחה את השבת ודוחה את הטומאה ולא כל הטומאות הוא דוחה אלא טומאת המת לבדה כל קרבנות הציבור קבוע זמנים

[m] Miſna & Gemara Babylon. tit. *Peſachim*, cap. 9. fol. 93. 2. Maimonid. tit. *Korban Peſach*, cap. 5. [n] Cap. 8. [o] Tit. *Peſachim*, cap. 7. [p] Fol. 79. 1. [q] *Chiſkuni*, fol. 102. 2. [r] Gemar. Babylon. ad tit. *Peſachim*, cap. 6. fol. 67. 1. *Peſiktha Zotertha*, fol. 43. col. 3. [s] Abarbinel in *Piruſh Tora*, fol. 285. col. 3. [t] *Jucha[illegible]*, fol. 93. 1. [v] Ad tit. *Peſachim*, cap. 7. fol. 79. 1. & tit. *Joma*, cap. 1. fol. 6. 2. Vide Gemar. Hieroſol. tit. *Peſachim* cap. 9. fol. 36. col. 4. [x] Tit. *Korban Peſach*, cap. 7. & in Miſn. tit. *Peſachim*, cap. 7. §. 6. [y] Moſes Mikozi Praecept. affirmativ. 224. fol. 229. col. 3. Obadias Bartenorius ad Miſnam, tit. *Peſachim*, cap. 7. §. 6. [z] Numer. IX 10. [a] Tract. *Biath Hamikdaſh*, cap. 4. §. 9.

לפיכך
3

לפיכך כולן דוחין את השבת ואת טומאת המת׃ וכל קרבן מהן שקרב בטומאה אינו נאכל׃ אלא מקטירין ממנו דברים הראוין להקטרה והשאר הראוי לאכילה נשרף כשאר קדשים שנטמאו׃ כיצד דוחה את הטומאה׃ הגיע זמנו של אותו קרבן והיו רוב הקהל שמקריבין אותו טמאין למת׃ או שהיו הקהל טהורין והיו הכהנים המקריבין טמאים למת או שהיו אלו ואלו טהורין והיו כלי השרת טמאים למת׃ הרי זה יעשה בטומאה ויתעסקו בה הטמאים והטהורים כאחד ויכנסו כולן לעזרה׃ אבל הטמאים בטומאה אחרת כגון זבין וזבות ונדות וטמאי שרץ ונבלה וכיוצא בהן׃ לא יתעסקו ולא יכנסו לעזרה ואף על פי שנעשה בטומאה׃ ואם עברו ועשו או נכנסו לעזרה חייבין כרת על הביאה ומיתה על העבודה׃ שלא נדחית אלא טומאת המת בלבד׃ *Sacrificium cujus tempus haud praeſtituitur, nec ſabbatum pellit, nec immunditiem* (id eſt, non inde obſervatio aliqua ſabbati minuenda, nec immunditiesinde velut in ſuſpenſo ita aeſtimanda ut, ea non obſtante, id rite offerri queat) *quoniam ſi hodie non offerat quis, aut die craſtino aut poſtmodum offerre pariter & tempeſtive ei licebit. Sacrificium autem omne cui praeſtituitur tempus, ſive id populi fuerit univerſi* ſeu *eccleſiae, ſive privati, pellit & ſabbatum, & immunditiem, quod tamen de immunditie per mortuum ſolummodo capiendum. Omnibus ſacrificiis populi, ſynagogae* ſeu *eccleſiae integrae tempora praeſtituuntur ſua*; *unde eorum quodlibet pellit & ſabbatum, & immunditiem per mortuum. Ex eis autem nil quod offertur comeditur, ſed ſuffimentis idonea adolentur, & quae comeſtioni alias ſint idonea comburuntur, ut ſanctorum reliqua immunditie inquinata. Quomodo pellit ſacrificium ejuſmodi immunditiem? Nimirum, ſi tempore ejuſdem magna pars populi* ſeu *eccleſiae, a qua offerendum fuerit, immundi ſint per mortuum*; *aut ſi fuerit populus univerſim mundus, ſed ſacerdotes, a quibus offerendum, immundi per mortuum*; *aut tam hi quam illi mundi, ſed vaſa* ſeu *inſtrumenta miniſterii ſint immunda per mortuum, ſacrificium illud, non obſtante immunditie ejuſmodi, a mundis ſimul & immundis velut ab unico corpore praeſtandum, atque univerſis atrium ingrediendum. At vero de aliis immunditiei generibus*[b], *veluti ſeminis fluxu laborantium ſive marium ſive foeminarum, & menſtruatarum* (exemplaria alia hic adjiciunt ויולדות *& puerperarum) & a reptilibus, ſeu cadavere a beſtia rapto contractis, & ſimilibus, aliter ſtatuendum. Qui enim eorum ulla contraxerint, ſe ſacrificiis immiſcere non debent, nec atrium ingredi, tametſi facere inceperint in immunditie. Et ſi tranſgreſſi fuerint, & fecerint, & ingreſſi ſint in atrium, rei ſunt exciſionis* [c] *ob ingreſſum, & mortis* (coelitus tantum exſpectandae[d] ſeu בידי שמים) *ob hujuſmodi cultum, quoniam non pellitur immundities in ſacrificiis ejuſmodi alia praeter eam ſolam quae a mortuo contrahitur.* Et paulo poſt, ומניין שטומאת מת דחויה בצבור שנ׳ ויהי אנשים אשר היו טמאים לנפש אדם כך למדו מפי השמועה שאנשים וחידים הם שידחו לפסח שני אם היו טמאים׃ אבל צבור שהיו טמאי מת אינן נדחין אלא הטומאה תדחה ויעשו פסח בטומאה והוא הדין לכל קרבן שקביע לו זמן בפסח שהוא דוחה את הטומאה׃ *Cauſa autem cur, juxta ſententiam receptam, immundities per mortuum pro impedimento nullo ſic habeatur in eccleſia, populo, ſeu univerſitate, elicitur ex illo,* Et erant viri quidam, *ſeu* aliquot, qui immundi erant per mortuum. *Inde doctrina manavit ex veterum traditione, privatos* ſeu *viros aliquot ſingulos fuiſſe,* ex lege inde data, *qui in paſcha ſecundum eſſent rejiciendi. Sed vero quoties eccleſia* ſeu *univerſitas fuerit immunda per mortuum, non ſic ea rejicienda: Sed faciunt,* ſeu *ſacrificant, in immunditie. Atque hujuſmodi jus obtinet circa omnimodum ſacrificium cui tempus ſingulare praeſtitutum eſt in paſchate cujus celebrationi immundities impedimento non fuerit.* De parte dimidia etiam idem[e]; היו הקהל מחצה טהורים ומחצה טמאים מת כולן עושין בראשון והטהורים עושין לעצמן בטהרה והטמאים עושין לעצמן בטומאה ואוכלים אותו בטומאה ואם היו טמאי המת עודפין על הטהורים אפילו אחד יעשו כולן בטומאה׃ *Detur fuiſſe partem eccleſiae* ſeu *ſynagogae dimidiam mundam, & partem alteram immundam per mortuum*; *univerſis faciendum erat in paſchate primo, mundis ſcilicet per ſe & in munditie, & immundis per ſe & in immunditie. Et comedebant ſic paſcha in immunditie.* (Nam מחצה על מחצה כרוב[f] *partis dimidiae ſic, ut alteram reſpicit, ratio non eſt alia quam velut partis majoris.) At ſi immundi per mortuum immiſcerent ſe mundis, etiamſi unicus tantum, univerſi in immunditie faciebant.* Adjicit Maimonides, uti reliqui hic ſatis conſoni; detur, virorum partem tunc dimidiam fuiſſe mundam, & dimidiam per mortuum immundam, atque in recenſione numeri foeminarum ſimul cum viris, reperiri majorem partem mundam. Parti mundae tunc paſcha faciendum erat primum; ſed vero immundae nec primum nec ſecundum. Non primum, מפני שהן מיעוט *quoniam ea* in recenſione illa *minor* ſeu *non dimidia* erat: Non ſecundum, מפני שהנשים בשני רשות ונמצא הטמאים מחצה ואין מחצה עושין את השני׃ *Quoniam foeminae immunes ſunt a ſecundo, adeoque recidunt immundi in partem* (virorum) *dimidiam ad quam paſcha ſecundum non ſpectat.* Nimirum ex recepta Talmudicorum doctrina ad paſchatis primi celebrationem ſexus uterque pariter obligabatur. Expreſſim aiunt[g], אחד האיש ואחד האשה חייבין במצוה זו׃ *Ad praecepti de paſchatis obſervatione* (de primo dictum) *tam foeminae quam mares obligabantur.* Quod vero ad paſcha ſecundum attinet, ab illo non arcendas aiunt fuiſſe foeminas, nec interim ad illud obligatas, ſed pro ipſarum arbitrio tantum rem ſive peragendam ſive praetermittendam. Maimonides[h]; נשים שנרחו לשני בין מפני האונס והשגגה בין מפני הטומאה ודרך רחוקה הרי פסח שני להם רשות רצו שוחטין רצו אין שוחטין׃ *Si foeminae ſive per errorem ſive per immunditiem ſive ob itineris diſtantiam rejiciantur in paſcha ſecundum, integrum eſt eis ſive illud obſervent ſive non. Si velint, mactent; ſi nolint, non mactent.* Idem; ſi pars populi pleraque immunda eſſet per lepram, fluxum, ejuſmodi alia, & pars

[b] Levitic. xxii. [c] Levitic. vii. 21. [d] Ex Levitic. xxii. 2, & 9. videſis Maimonid. Tract. *Biath Hamikdaſh*, cap. 4. ſub initium. [e] Tract. *Korban Peſach*, cap. 7. [f] Mikotzi Praec. affirmat. 224. fol. 229. col. 3. [g] Maimonides tit *Korban Peſach*, cap. 1. Qua de re vide item Gemar. Babylon. tit. *Peſachim*, cap. 8. fol. 71, 2. & *Ceſeph Miſna* ad Maimonidem tit. dicto, cap. 1. §. 8. [h] Tit. jam dicto, cap. 5. §. 8.

minor per mortuum, immundis per mortuum faciendum non erat primum pascha, quoniam pars erat minor; nec secundum, שאין היחידים עושין את השני אלא בזמן שעשו רוב הקהל את הראשון וכאן הואיל ולא עשו רוב הקהל בראשון לא יעשו אלו המיעוט הטמאים למת את השני : *Quoniam privatis non faciendum secundum nisi etiam universitas populi* (modo jam dicto intellecta) *faceret primum. Et hoc in casu, quoniam universitas non fecerat primum, ideo parti minori, immundorum nempe per mortuum coetui, haud faciendum secundum.* Si pars populi seu ecclesiae pleraque immunda esset per mortuum, & pars minor per lepram, fluxum, ac similia, immundis per mortuum faciendum pascha primum, velut iis qui universitatis seu ecclesiae nomen hic induissent; reliquis vero immundis nec primum faciendum nec secundum: Haud primum, שאין נדחית בציבור אלא טומאת המת בלבד *Quoniam immunditiei impedimentum in populo illic non removetur extra causam immunditiei per mortuum*; haud secundum, שאין עושין פסח שני אלא אם בא הראשון בטהרה אבל אם נעשה ראשון בטומאה אין שם פסח שני : *Quoniam locus non erat paschati secundo nisi praecessisset primum in munditie. Sed si primum factum esset in immunditie, tunc secundum erat nullum.* De ecclesia item seu populo trifariam diviso aiunt, היו שליש הקהל טהורים ושליש זבים וכיוצא בהם ושליש טמאי מת אותן טמאי מת אין עושין את הראשון ולא את השני אינן עושין ראשון שהרי הן מועטים לגבי טהורים עם הזבים ובשני לא יעשו שהרי מיעוט עשו בראשון : *Si pars tertia ecclesiae* seu *synagogae fuerit munda, tertia immunda e fluxu aliave id genus immunditie, & demum tertia pars immunda per mortuum; immundis hic per mortuum nec primum faciendum pascha, nec secundum: Non primum; quia pars sunt minor respectu immundorum per fluxum & simul mundorum,* qui duas faciunt partes tertias: *Non secundum; quia ad partem minorem* (nec majorem partem populi; sed ad mundos illos tantum) *attinuit ita facere primum.* Nec locus secundo nisi ubi pars major fecerit in primo, ut superius ostensum. Addunt item modum, tempus ac locum ita dividendi, ut rite dignoscatur quaenam qualisve fuerit hic pars dimidia, adeoque tertia, aliave. כיצד משערים הפסח לידע אם רוב הקהל טמאים או טהורים אין משערים בכל האוכלים שאיפשר שיהיו עשרים נמנין על פסח אחד ומשלחין אותו ביד אחד לשחוט עליהם אלא משערים בכל הנכנסים לעזרה ועד שהן מבחוץ קודם שתכנס כת הראשונה משערין אותן : *Quod ad modum attinet, mensuram* seu *numerum paschatis ineundi, quo dignosceretur utrum populus* seu *ecclesia esset munda an immunda; non numerandi erant coetus eorum qui comederent. Nam fieri potuit ut viginti, qui simul participes paschatis essent unici, mitterent illud per manum unicam quae illud eorum nomine mactaret. Sed numerandi erant universi illi qui atrium ingressuri essent, idque antequam classis prima ingrederetur.* Compluria hac de re traduntur [i] alia. Et quamplurimas habent hujusmodi alias, ut de familiis & tribubus integris immundis, idque genus aliis, subtilitates hanc circa rem, quibus etiam Misna & Gemara utraque tituli Talmudici *Pesachim* refertae.

IV. Nec quid omnino in adversum volunt, sive prioris sive posterioris sententiae tenaces, haberi ex historia sacra de immundis, & secundi mensis paschate sub Hezekia rege celebrato. Etiam Maimonides ipse [k]; והרי הדבר מפורש בכתובים שנאמר שם כי רבת הקהל אשר לא התקדשו והלוים על שחיטת הפסחים לכל לא טהור להקדיש לה׳ כי מרבית העם רבת מאפרים ומנשה יששכר וזבולון לא הטהרו · ומהו זה שנאמר כי אכלו את הפסח בלא ככתוב מפני שעברו אותה השנה מפני הטומאה שנאמר ויועץ המלך ושריו וכל הקהל בירושלם לעשות הפסח בחדש השני כי לא יכלו לעשותו בעת ההיא כי הכהנים לא התקדשו למדי · וכבר בארנו בקידוש החודש שאין מעברין את השנה לכתחילה מפני הטומאה · ועוד אחרת היתה שם באותה השנה שעיבר חזקיהו המלך את השנה ביום שלשים של אדר שראוי להיות ראש חדש ניסן ועשה אותו החדש אדר שני ולא הודו לו חכמים שאין מעברין ביום זה כמו שביארנו בקידוש החודש · ומפני דברים אלו שעשה שלא כהלכה נאמר כי אכלו את הפסח בלא ככתוב ובקש רחמים על עצמו ועל החכמים שהסכימו על מעשיו שנאמר כי התפלל יחזקיהו עליהם לאמר ה׳ הטוב יכפר בעד ונאמר וישמע ה׳ אל יחזקיהו וירפא את העם הזה שנרצה קרבנם : *Et quantum ad rem in Hagiographis* (in historia paschatis Hezekiae) *narratam, ubi dicitur* [l], Multi namque in populo erant qui non fuere sanctificati, *seu munditiei redditi*, & Levitae mactationi paschatis incumbebant pro unoquoque qui non advenerat sanctificatus Domino. Multi namque e populo, & plurimi de Ephraim & Manasse & Isacar & Zabulon non fuerunt purificati. *Et ad id quod innuitur per illud quod ibi sequitur*, & tamen comederunt pascha contra praescriptam legem; *scilicet hoc inde factum quod intercalassent annum hunc ob immunditiem populi, secundum id quod dicitur*, & iniit [m] rex consilium cum principibus suis atque universa multitudine in Jerusalem ut facerent pascha in mense secundo, quoniam non potuere facere illud tempore illo, seu *praestituto*, eo quod sacerdotes non erant satis purificati. *Et jam ante ostendimus in tractatu de novilunio, annum non omnino esse intercalandum immunditiei causa* [n]. *Insuper etiam aliud accidit hoc in anno. Nimirum Hezekias rex intercalabat annum* (id est, mensem adjecit, seu Adarem secundum) *tricesimo die Adar, qui debuerat esse principium mensis Nisan, sed fecit mensem illum Adar secundum. Sed dissenserunt ab eo sapientes, quoniam* ex recepta disciplina *haud intercalandum erat die illo, ut etiam ostendimus in tractatu de novilunio. Atque eo quod ad hunc modum contra receptam disciplinam peccavit, dicitur illud, quod* comederunt pascha contra praescriptum legis; *unde etiam misericordiam seu veniam sibi petiit & sapientibus quotquot ei adsenserant, juxta id quod dicitur*, & oravit Hezekias pro eis, dicens [o], Dominus, qui bonus est, propitietur eis, *&c. Atque adjicitur*, & audivit Dominus Hezekiam, & sanavit populum hunc, *quoniam accepta sunt sacrificia eorum.* Consoni sunt hic alii [p]. Adeoque non ex immunditie pependisse

[i] Gemar. Hierosolymit. tit. *Pesachim*, cap. 4. fol. 34. col. 3. [k] Tract. *Biath Hamikdash*, cap. 4. [l] 2 Paralip. xxx. 17. [m] Ibid. 2. [n] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 12. b. [o] 2 Paralip. xxx. 18. [p] *Pesiktha Zotertha*, fol. 43. col. 3. Abarbinel *Pirush Tora*, fol. 285. col. 3. & videsis Aben Ezram ad Exod. xii. *Deseph Misna* ad Maimonidis tit. *Korban Pesach*, c. 1. §. 1.

rem volunt, nec contra praescriptum legis jam dictae pascha illud esse celebratum ab eis qui majorem partem populi conficerent, quae, licet immunda esset, nihilominus mense primo seu Nisan, sine intercalatione, pascha mactare debuisset. Sed ideo neutiquam rite celebratum docent, quoniam tempus legitimum sic contra disciplinam per intercalationem illegitimam in mensem alium, qui primi locum sic teneret, transferebatur. Quod quidem maxime priori favet sententiae, qua legitime in mense primo pascha primum ecclesiae, synagogae integrae, seu majori ejus parti, ac sacerdotibus immundis, juxta ante dicta erat, non obstante immunditie, celebrandum. Atque huc spectat illud quod in corpore Talmudico [q] non semel habetur, res ab Hezekia rege (adeo interim laudato [r]) gestas tres a sapientibus fuisse improbatas. על שלש, inquiunt, דברים לא הודו לו קצץ דלתות של היכל ושיגרן למלך אשור ולא הודו לו סתם מי גיחון העליון ולא הודו לו עיבר ניסן בניסן ולא הודו לו : *Circa tria dissensere ab Hezekia rege* sapientes, seu eorum quamlibet improbarunt; *quod truncavit* [s] *valvas templi* (auri scilicet quo obductae sunt laminis spoliavit, seu *decorticavit*; sic enim intelligunt Rabbini [t]; & expressim habetur idem in versione Arabica,

قشر حرقيا فضّة وذهب ابراب بيت الرّب

Evulsit laminas auri & argenti valvarum domus Domini, cui consonae sunt Anglica, Belgica, Gallica, aliae; quod etiam ipsum ex sacro sermone satis elicitur) *& eas misit ad regem Assyriae, quod occlusit aquas* [v] *Gihon superioris, & quod intercalavit Nisan in Nisan*, id est, contra disciplinam mensem qui debuerat esse Nisan in Adar secundum convertit. Idque velut immunditiei publicae causa, cujus nomine nec annus intercalandus erat, nec paschatis festum e primo in secundum mensem transferendum. Eandem rem etiam nos alibi tetigimus [x]. Et de Karaeorum hic sententia vide comma hujus capitis VII.

V. Quod ad castra attinet e quibus emittebantur seu emittendi erant juxta legem divinam [y] immundi, illa Talmudici interpretantur de atrii Israelitarum, sive in tabernaculo sive in templo, introitu, & locis introitu illo interioribus. Maimonides [z]; מצות עשה לשלח כל הטמאים מן המקדש שנאמר וישלחו מן המחנה כל צרוע וכל זב וכל טמא לנפש זה המחנה האמור כאן הוא מחנה שכינה שהוא כפתח עזרת ישראל ולפנים : *Praecipitur ex lege ut emittantur omnes immundi de templo, juxta id quod scriptum est, ut emittant e castris omnem leprosum, & omnem fluxu immundum, & immundum per mortuum. Castra autem ibi memorata sunt castra Domini, id est, quod ab ostio atrii Israelitarum* (sic dici soliti) *& interius habetur.* Etenim castra sibi recensent triplicia, מחנה שכינה *castra Domini* (quae aiunt fuisse a porta orientali interiora) מחנה לויה *castra Levitarum*, ab introitu nempe, seu radicibus montis templi usque in portam illam, & מחנה ישראל *castra Israelitarum*, ab introitu urbis Hierosolymitanae usque ad introitum seu radices montis templi. Et ejusmodi castrorum distinctionem triplicem in tabernaculo & circa illud, ante exstructum templum, faciunt analogam. Primis autem castris ex lege sacra aiunt interdictos fuisse immundos omnimodos, dicti scilicet generis, seu corporali & externa immunditie inquinatos, & secundum ante memorata in castra non admittendos. Nam etiam in immunditie illuc rite admissi quamplurimi, quoties cessavit juxta jam ante dicta immunditiei in sacris obeundis effectus. Tam secundis castris quam primis etiam universos ejusmodi immundos interdictos, praeter mortuo pollutos, qui intra montem templi seu castra secunda legitime admissi. Tertiis demum, uti &, cum reliquis, primis & secundis interdictos fuisse, quemadmodum & locis aliis non paucis, leprosos.

VI. Jam vero cum ad hunc modum se res haec habuerit, viderint illi qui argumenta undiquaque ad excommunicationis, ut usurpari solet, forensis, tam majoris quam minoris, jus adstruendum tam solicite corrogare solent, utrum apposite omnino illuc trahant sive leges sive disciplinam Ebraeorum de immundis ejusmodi sacris ac hominum communione arcendis; quasi etiam immundities illa externa (cujus in pentateucho mentio tam crebra) velut peccatorum seu scandalorum, quorum nomine quis ab eis qui excommunicandi jurisdictione utuntur in jus vocatur, typus hanc in rem habendus esset, velut jurisdictionem ejusmodi designans. Etenim ex jam allatis constat, ne quidem castris Domini, seu sanctissimis recessibus, in sacris primi mensis paschalibus ob immunditiem, velut ob vitium seu impedimentum, ex sui natura, ubicunque repreriretur, quoslibet immundos juxta disciplinam Talmudicam interdictos, sed tantum aliquos ex singulari legis sensu ad privatos, ut dictum est, variatim restricto. Nam si ob intrinsecam immunditiei vim simpliciter interdicendi fuissent, non privati solum, sed pariter ecclesia seu populus integer, ejusdemque pars pleraque, ac sacerdotum coetus immundus, illinc arcendi fuissent; quos legitime admittendos in immunditie sua, idque ex ipsa legis sacrae mente, receptum est. Atque ut immunditiei ipsius ratio nulla, quantum ad sacra illa omnimodamque in eis communionem, habita est extra casus quales memoravimus singularium aliquot singulares, ita nec peccatorum utcunque atrociorum (exceptis duntaxat iis quorum nomine expressim in lege arcebantur aliqui, ut incircumcisi [a], ac id genus aliquot alii) habita est in sacris qualibuscunque ulla ejusmodi ratio ut inde sive populus, seu ecclesia ipsa, sive pars ejus aliqua, privatusve quisquam inde arceretur; tametsi etiam sub טומאה *immunditiei* nomine velut internae, adeoque diverso ab externa illa sensu, peccata seu praeceptorum violationes contineri, sed non omnino ut interdictio inde sequeretur, itidem velint [b]. At vero, quicquid de interdictionibus,

[q] Gemar. Hierosolymit. ad tit *Pesachim*, cap 9. fol 36. col. 4. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 18. col. 4 Babylonia ad tit. *Beracoth*, cap. 1. fol. 10. 2 ad tit. *Pesachim*, cap. 4. fol. 56. & in editione Misnae cum commentariis Maimonidis & Bartenorii ad finem dicti capitis, & vide edit. Misnae a Menasse Ben Israel, fol 49. 1. [r] 2 Regum XVIII. 3. [s] Ibidem XVI. [t] Jarchius ibi & David Kimchi. [v] 2 Paralip. XXXII. 4. [x] De Anno Civili Vet. Ebraeorum, cap 9. [y] Numer. v. 3. [z] Tit. *Biath Hamikdash*, cap. 3. & ibi *Ceseph Misna*, Moses Mikotzi Praecept. Negat. 304, & Affirm. 174. & videsis Gemar. Babylon. ad tit. *Pesachim*, cap. 6. fol. 67. 1. [a] Exod. XII. 43, &c. [b] Maimonides *More Nebochim*, part. 3. cap. 47.

quales

quales memoravimus, aliisve dicendum fuerit, id inprimis ad hanc rem advertendum est, haud per jurisdictionem aut sententiam aliquam forensem seu consistorianam, praeeunte in jus vocatione causaeque solenni examine, latam, seu excommunicationis instar, sacris aut communione aliqua interdictum esse quempiam immundum, sive juxta id quod factum est populariter [c] statim post legem de immundorum emissione datam, sive cum aliter [d] immunditiei causa ejectus quis exclususve, nec quemquam alium sacris ex lege diserte prohibitum, nedum simplicis peccati aut scandali nomine utcunque atrocissimi sic fuisse ex judicio forensi interdictum seu excommunicatum. Sed simulac leges sacrae de hisce aliisve id genus latae sunt, immundi aliique sic interdicti juxta legum earum mentem receptam ita inde interdictis abstinere debebant, ut, si non ultro abstinerent ipsi, saltem praemoniti, sed in castra seu sacra sibi sic prohibita se ingererent, legesve aliter violarent, aut singulari juri zelotarum, qui incurrerent puniruntque de quibus alibi [e] fusius diximus) aut poenis forensibus, veluti capitalibus, verberum, mulctarum, aut coelitus exspectandis, ut excisioni (quam כרית vocitant) aliisve בידי שמים *manu divina* infligendis, aut demum, ut res postulavit, generi jam dicto triplici obnoxii erant uti legum sacrarum violatores, nec ob violationem omnino excommunicandi. Neque enim poena illa ex lege erat sacra aliqua, nec Mosis aevo nata, sed post captivitatis tempora ex invento tantum humano introducta, ut libro fusius ostenditur superiore. Verbi causa, ut res ipsa in exemplo uno & altero clarius cernatur; lex habetur sacra [f] qua universis praeter circumcisos inhibetur pascha, adjecto [g] insuper, וכי יגור אתך גר ועשה פסח ליהוה המול לו כל זכר ואז יקרב לעשותו *Si advenerit ad te proselytus* (ut septuaginta) *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam* (ut Vulgata, seu, ut Onkelos, ארי יתגייר עמכון גיורא quod recte vertit cardinalis Toletanus, *Quando transierit ad vestram religionem aliquis proselytus*) *& fecerit*, seu *facere voluerit, pascha Domini, circumcidatur ei omnis masculus*, seu *circumcidat omnem masculum suum* (Graeci ibi, περιτεμεῖς αὐτῦ πᾶν ἀρσενικὸν, *circumcides ejus omne masculinum*, quasi תמול legissent, & tam secundam personam hic quam paulo ante commate 44, agnoscendam voluissent, ubi tamen Vulgata habet *circumcidetur*; etiam & Fagiana Onkeli versio ibi, *circumcidas eum quicquid masculinum fuerit*, ubi exemplarium aliquot [h] Chaldaica sunt, יגזר ליה כל דכורא *circumcidetur omnis masculus ejus*, seu *circumcidat*; aliorum [i] autem, ותגזר ליה *& circumcides ei*, quibus consoni Graeci & Fagius; Syrus autem ומכא יגזר כל דכרא *postquam circumcisus fuerit omnis masculus*, Arabs R. Saadiae, فليختن كل ذكر في ناحيته *circumcidatur omnis masculus in parte ejus* seu *apud eum*, ubi editio Jaiana habet, كل رجل *omnis vir* pro ذكر *masculus*; Judaei Mauritanenses, يختن له كل ذكر *circumcidatur ei omnis mas*, & Hispanienses, *Sea circumcidado a el todo macho*; Vulgata, *Circumcidatur prius omne masculinum ejus*) *& tum demum accedito ad faciendum ipsum*, seu *tunc rite celebrabit*, ut Vulgata. Ex hujus legis sensu eliciunt, neminem rite paschali sacrificio admittendum fuisse, nisi prius non solum ipse circumcisus esset, sive proselytus justitiae sive originarius, sed etiam mares omnes in potestate ejus, veluti filii minores, & servi tam majores quam minores, pariter circumciderentur. Atque simile habebatur ex cabala seu traditione jus de ancillis nondum baptismo juxta libro in superiore [k] memorata in religionem Ebraicam receptis. Inde Gemara Babylonia [l], מילת זכריו ועבדיו מעכבת מפסח *Circumcisio masculorum suorum & servorum suorum praetermissa impedimento est ne quis pascha rite celebret.* Et Maimonides [m], כשם שמילת עצמו שעכבתו מלעשות פסח כך מילת בניו הקטנים ומילת כל עבדיו בין גדולים בין קטנים מעכבת אותו שנ׳ המול לו כל זכר ואז יקרב לעשותו ואם שחט קודם שימול אותם הפסח פסול: *Quemadmodum circumcisio alicujus praetermissa impedimento erat ne quis pascha rite celebraret, ita etiam circumcisio filiorum suorum minorum & servorum suorum sive minorum sive majorum* (nam utrique in ejus potestate) *impedimento erat ne id faceret ipse*; *juxta illud quod scriptum est* [n]; Circumcidatur illi quilibet mas, & tunc accedat (*nec ante*) ad faciendum illud. *Atque si prius immolaret quam circumcideret*, aut circumciderentur utcunque illi, *pascha ab illo celebratum profanum erat*. Subjungit, וכן טבילת אמהותיו לשם עבדת מעכבתו מעכבתו ודבר זה מפי הקבלה שהטבילה לשפחות כמילה לעבדים: *Idem dicendum de baptismo ancillarum ejus* (gentilium, quales item servi jam dicti) *nomine servitutis*, praetermisso. *Parile etiam illud est impedimentum*; *quod e cabala* seu traditione *recipitur. Nam baptismus ancillarum est ut circumcisio servorum.* De majoribus scilicet patribusfamiliarum hoc dictum, quantum ad servos & ancillas. Nam de minoribus ait idem; הקטן אין מילת עבדיו וטבילת שפחותיו מעכבתו מלהמנות על הפסח שנ׳ וכל עבד איש להוציא את הקטן: *Minori* (anno duodecimo & die unico) *circumcisio servorum suorum & ancillarum baptismus* praetermissus *non obstabat quo minus paschati celebrando rite interesset, secundum id quod scriptum est* [o], & quilibet servus viri (ubi Vulgata, *omnis servus*; uti & versiones nuperae, Gallica, Italica, Germanica, aliae; nec vocis *viri*, qua sive aetatem sive sexum denotat, ratio habita ulla in Graecis; Tremellius, *omnis servus cujusque*; sed Arabicae, Syriaca, Chaldaicae, رجل habent & גבר, quae τῷ איש quidem respondent qua *virum* seu *non minorem* significant; & Judaei Hispanienses, *todo*

[c] Num. v 4. [d] Num. xii 14. [e] De Jure Naturali lib, 4. cap. 4. & vide Hugon. Grotium ad Numer. xv 30. & Philonem lib. de Monarchia. [f] Exod. xii. 43. [g] Ibid. xlviii. [h] Editionis regiae Johannis de Gara, Jaianae [i] Constantinopolit. Bomberg. Buxtorf alia. [k] Cap. 3. [l] Ad tit. *Jabimoth* cap. 8. fol. 70. 2. [m] Tract. *Korban Pesach* cap. 5 & vide Jarchium, Lyranum, alios id genus ad Exod. xii. 44, &c. *Mechilta* fol. 7. col 3 Mosem Mikotzi praec. pt. affirm. 224. *Chiskuni* fol. 192. 2. [n] Exod. xii. 48. [o] Exod. xii. 44.

siervo

servo de baron; & Anglicâ, Every mans servant) *ut minor sic excluderetur.* Idem etiam de impedimento ex circumcisionis domesticorum masculorum omissione memorat Maimonides in *More Nebochim* p; ubi ex sapientum disciplina veteri refert, intermisisse Ebraeos in AEgypto circumcisionem ut AEgyptiis similes fierent, וכאשר צוה אתנו במצות הפסח והתנה בו שלא ישחט אלא אחר מילת עצמו ובניו ובני ביתו ואז יקרב לעשותו *Et cum injunctum fuit nobis praeceptum paschatis, hanc ei conditionem annexuisse Deum ut a nemine mactaretur nisi postquam circumcideretur tum ipse, tum filii ejus, & filii familiae* seu *domus ejus* (id est, omnes servi domestici) *& tunc demum, nec ante, cuilibet patrifamiliae accedendum ad pascha faciendum.* Ita Ebraica Rabbi Samuel Ben Tybbon, qui ex Arabicis autoris transtulit q Et ex hujus Ebraicis tum vetus versio tum recentior seu Buxtorfiana sumpta est. Codex ibi Arabicus MS. (cujus exemplar vetustum literis Judaicis scriptum vir praestantissimus amicissimusque Edwardus Pocockius mecum communicavit) ad hunc modum hic, uti & alibi non raro dum sive textus sacros sive Rabbinorum suorum scita singularia inserit autor, habet Arabica cum Ebraicis commista r, פלמא שרח אלפסח ואשתרט פיה אן לא ידבח אלא בעד מילת עצמו ובניו ובני ביתו וחיניד יקרב לעשותו, id est,

فلما شرع الفسح واشترط فيه ان لا يذبح الا بعد

מילת עצמו ובניו ובני ביתו وحينئذ יקרב לעשותו

quod idem cum jam dictis sonat. Aliae fuere causae non paucae unde sacrorum aliqui rite capaces non fuere, alioquin & ante satis capaces. Item de immundis sacro cultui in templo se contra legis sensum immiscentibus idem Maimonides s, טמא שעבד במקדש חילל עבודתו וחייב מיתה בידי שמים על עבודתו אף על פי שלא עהה שם שנאמר וינזרו מקדשי בני ישראל ולא יחללו את שם קדשי הרי זה אזהרה לעובד בטומאה ולהלן הוא אומר ומתו בו כי יחללוהו מה חילול האמור חייב מיתה בידי שמים אף כאן מיתה בידי שמים וכל לאו שחייבין עליו מיתה בידי שמים לוקין עליו אף על פי שאם עבד בטומאה אינו חייב בבית דין אלא מיקות אחיו הכהנים לא היו מביאין אותו לבית דין אלא מוציאין אותו לחוץ ופוצעין את מוחו ואין ממחין עליהן בכך: *Immundus se cultui in templo sacro immiscens profanabat ministerium suum, & reus inde erat mortis coelitus infligendae, idque tametsi non moraretur ibi; secundum illud quod dictum est* t ad sacerdotes, *ut separent se a rebus sanctis filiorum Israel,* dum scilicet erant immundi, *ut non profanent nomen sanctum meum. Scilicet monitum hoc erat de eo quod est in immunditie sacris non operandum. Et paulo post dicitur* v, *Ac ideo moriantur quia profanaverint illud* statutum scilicet de immunditie. *Ut profanans hic reus erat mortis coelitus infligendae, ita etiam profanans illic. Atque quoties praeceptum habetur negativum ad quod mortis poena coelitus infligenda spectet, flagellatio* seu *verberum poena irrogari solebat. Caeterum tametsi sacra obiisset sic sacerdos in immunditie, ex sententiâ aliqua forensi reus fiebat tantum poenae verberum* Capitalis enim illa coelitus tantum exspectanda. *Sed sacerdotes reliqui,* seu *fratres ejus, haud eum in forum seu praefecturam juridicam aliquam deducere soliti: Sed extra eum protrahentes cerebrum ejus fustibus elidebant,* ut zelotarum jure utentes. *Neque prohiberi solebant quo minus hoc libere facere possent.* Misna x hac de re, אין אחיו הכהנים מביאין אותו לב"ד אלא פרחי כהנים מוציאין אותו חוץ לעזרה ומפציעין את מוחו בגזירין *Fratres ejus sacerdotes haud eum in jus vocabant,* seu *in forum aliquod deducebant; sed juvenes sacerdotum eum extra atrium protrahebant, ac fustibus cerebrum ejus elidebant.* Adjicitur ibi, זר ששימש במקדש רבי עקיבא אומר בחנק וחכמים אומרים בידי שמים *Extraneus* y, seu *qui non ex genere esset Levitico, ministeria in templo obiens sacra, ex sententia Rabbi Aquibae strangulandus erat. Sapientes autem eum poena coelitus infligenda* seu *inde exspectanda pronunciarunt.* Haec scilicet, ut ex legis sacrae mente, scitu obiter etiam per se non indigna, uti & alia similia innumera, apud Talmudicos occurrunt. Id est, ex eorum disciplina, quicquid ex jure divino vetitum erat, idem ex eodem jure, sive excisione, sive poena alia coelitus exspectanda, sive forensium dictorum, ob interdicti violationem aliquo, aut, ut interdum, ex jure, velut in vi publica utentes recepto, zelotarum luendum. Nec quisquam eo nomine sententia seu judicio forensi ex jure divino aliquo omnino excommunicandus erat, seu interdicendus sacris aliisve actibus quibuscunque: sed ob violationem interdicti divini, quo reddebatur haud rite participationis aut communionis alicujus capax, supplicio, ut dictum est, variatim aliter afficiendus erat. Arcebatur ex lege sacra reus, non ex sententia aliqua humana in foro ferenda. Et poena tantum sic ei subeunda quoties se eis contra disciplinam legalem immisceret a quibus jure divino abstinendum esset. Nec in judicio hoc de paschate secundo interdictio erat seu excommunicatio forensis, sed in mensem secundum rejectio. Interdictio enim praecesserat ex ipsa de immundis lege, quam si violassent illi qui tunc quererentur, aliter puniendi fuissent. Ita nimirum ex lege ipsa sacra; utcunque postmodum, ut ostensum est libro superiore, ab Ebraeis ipsis, nullatenus jure divino, sed plane humano, superinductus fuerit excommunicationis & forensis & privatorum usus, qui poenas alias, quas haud commode (ut in captivitate, & dum alias juris sui non satis erant) irrogare quibant, aliquatenus suppleret, ut ibi etiam ostensum; ubi etiam excommunicationem illam aliam omnino fuisse ab ea quae postmodum inter christianos inolevit, eamque dissimillimam, fusius est demonstratum. Ita demum nemo, puto, non videt a disciplina temporis Mosaici illa circa immundos versante, & sic jure simpliciter divino primo subnixa, obtensam argumentorum vim inde ad excommunicandi usum forensem velut ex jure divino praeceptivo adstruendum, inculcari toties solitam, immane quantum diffidere. Neutiquam sane minus se-

p Part. 3. cap. 46. q Videsis Josephi Scalig epist. 62. quo respondetur Isaaci Casauboni epist. 438. r Part. 3. cap. 48. s Tract *Biath Hammikdash* cap. 4. Moses Mikotzi praecept. negat. 306. t Levit. xxii. 2. v Ib. 9.
x Tit. *Sanhedrin*, cap. 9. ubi vide Gemar. Babylon. fol. 81, 82, &c. y Vide Num. i. 51. Levit xxii. 9. & ibid. Jarchium, &c.

queretur, quaslibet in Pentateucho interdictiones alias ecclesiae seu reipublicae Judaicae a numine praescriptas, earumve exempla aut analogias, ita in christianarum ecclesiarum coetus forenses ac consistoria pariter introducendas esse ac velut ex jure simili divino usurpandas. Quid quod ad facinora atrociora (qualium cognitio, ut in excommunicatione terminetur, a coetibus illis seu consistoriis, aliisque sibi solet arrogari) nemo tempore Mosaico aut sacris aut communione ulla alia interdicebatur aliter atque custodiae traditi aut morte plexi per consequens, ut ubique, interdicuntur? Et sane licet admitteretur forensem tunc fuisse in usu immundorum quales in lege sacra describuntur, praeeunte in jus vocatione, excommunicationem, eamque jure subnixam divino, ideone omnino sequeretur ex jure parili, usum ejusmodi forensem pro libitu etiam in aliis quemquam sibi posse derivare? Id certe legem esset seu jus divinum audacius condendi potestatem usurpare, non judicio forensi, quod intra legumlationis e qua pendet cancellos est semper retinendum, uti. Sed vero nec excommunicatio ulla apud Ebraeos unquam in usu aut sacris aut hominum, instar excommunicationis in christianismo usitatae, communione interdixit, ut alibi explicatum. Et de judicio Mosis inter singularia ejusdem in Pentateucho memorata secundo, ejusque circumstantiis praecipuis, juxta Talmudicorum scita, quae passim prostant, satis superque.

VII. Cum vero etiam apud Karaeos, seu חכמי מקרא *sapientes scripturarios*, a Talmudicis non raro dissidere solitos, scita sint tum de immundorum tum de illo Hezekiae regis paschate singularia, nullibi, quantum scio, typis hactenus edita, operae pretium esse duximus ex Eliae Ben Mose Karaei MS. tractatu de paschate hic illa adnotare. Nam etiam ad judicii hujus Mosaici legisque simul inde latae sensum juxta istorum mentem explicandum haud parum conducunt. Elias ille, post triplicem illam paschatis divisionem in פסח מצרים *pascha AEgyptium*, פסח הדורות *pascha seculorum inde sequentium ordinarium*, & פסח שני *pascha secundum*, quod immundorum erat, juxta quam unumquodque seorsim tractat (nec enim Karaei aut Talmudici futile illud de Isaaci paschate commentum [a] agnoscere solent) de secundo inquit, בפסח שני כת׳ איש איש [b] כי יהיה טמא לנפש או בדרך רחוקה לכם או לדורותיכם ועשה פסח ליהוה ככל חוקות הפסח יעשה אותו ואמ׳ ולא ישאירו ממנו עד בקר ועצם לא ישברו בו אמנם לא הירה הכתיב על אכילת מצה שבעת ימים ומקרא קדש בראשון ובשביעי כבר עשו אותם בחדש הראשון מפני שהכתוב לא אסר לטמא לאכול מצה כמו שאסרו באכילת הפסח *Quantum ad pascha secundum, scribitur* [c], *Vir, vir, vir qui fuerit immundus super anima* (id est hic) *per mortuum, aut in itinere longinquo, inter vos aut per secula vestra, & fecerit*, seu *facere voluerit*, seu *faciat pascha Domino, &c. Secundum omnes ritus paschatis illud faciat. & dicitur, Non relinquant quid ex eo usque ad mane, nec os ejusdem confringant. At vero nihil definit hic lex de azymorum comestione per septem dies, & lectione sacra in primo & septimo, quoniam jam ante fecerant illa in mense primo. Neque enim immundo interdicit lex comestione azymi, sicut interdicit comestione paschatis* seu *victimae paschali* [d]. Nec adversum hic esse ait historiam de Ezechiae [e] paschate illo secundi mensis. Sed septidui ibi celebrationem aut arbitrariam fuisse spontaneamque eis qui mense primo eam ante observassent, (nam azymorum festum & lectionem cum eo sacram per se praestari potuisse facile ab illo concipitur, tametsi templum, quo pascha ipsum erat immolandum, immundum esset, adeoque immolatio deesset, & expressim inquit, אפשר יושבי ירושלים שעשו בחדש הראשון מקרא קדש ושבעת ימי מצה כי הכת׳ לא הורה לנו שלא עשו *Forte quidem ita evenit ut Hierosolymitani primo in mense fecerint lectionem sacram & septidui azymorum celebrationem. Neque enim asserit scciptura eos non fecisse*) aut velut ex lege peractam eis qui, quoniam mense primo non observarant, observationem suam tunc debitam nunc in mense secundo velut in primum converso sic supplendam voluerint. Adjicit ille, ויש מן החכמים אמרו שלא עשו בחדש הראשון מקרא קדש ושבעת ימי מצה כי אם בחדש השני שיהיו כל ישראל כאחד מפני שהעם לא עלו מפני טומאת המקדש *Et sunt ex sapientibus qui admittunt* Judaeos aut Israelitas in Ezechiae historia *observasse sacram lectionem & septiduum azymorum, sed tantum in mense secundo, quando totus Israelitarum coetus simul congregatus est. Nec enim ob templi pollutionem ascendisse populum.* Haud praeterit autem illud Talmudicorum de Ezechia, שעבר ניסן בניסן ולא הודו לו *eum intercalasse Nisan in Nisan* (id est, alterum fecisse ex mense secundo Nisan, ut monitum est, adeoque pascha ipsum velut pro primi mensis festo habitum) *sed dissentientibus circa eam rem, nec ut legitimam admittentibus, aliis.* Pergit idem, סוף דבר מרבית החכמים פסקו שבפסח שני אין עליו אכילת שבעת ימי מצה מפני שהטמא מותר עליו לאכל מצה ולעשות מקרא קדש *Summa est; plerumque definitum esse a sapientibus, paschatis secundi celebrationis partem neutiquam fuisse comestionem illam azymorum per septiduum, & lectionem sacram, quoniam scilicet licuit* ex lege *immundo illa observare* [f] mense primo. Postea, in capite [g], מי הוא רואי הקרבת הפסח *quinam fuerint ii ad quos oblatio paschatis spectaret*, suorum, id est, Karaeorum, sententiam esse ait, solos הזכרים הבוגרים *masculos plenae aetatis*, nec foeminas, nec minores, lege paschali contineri. Atque affert ipsa [h] legis verba de masculis qua festa solennia illa tria spectant. Adjicit autem de Talmudicis, juxta illorum sententiam pariter obligatas esse foeminas. Scilicet, ut illi, הנשים בהקרבתו אבל אם נדחו בפסח שני הם ברשות ר׳ל הדבר תלוי ברצונן וראוי לתמוה בזה כי למה נתחייבו בראשון ולא בשני והנה בחיוב הפסח אין הפרש בין פסח ראשון לפסח שני *Foeminae etiam tenebantur lege offerendi pascha, ita tamen ut, si in pascha secundum rejicerentur, res in ipsarum maneret potestate; id est, in arbitrio earum poneretur utrum offerrent necne.*

[z] Cap. 1. [a] Pirke Eliaezer, cap. 32. [b] Sic in MS. ille locus hic citatur, qui alibi apud eundem consonus est textui sacro. [c] Numer. ix. 10. [d] Videsis Stephanum Menochium de Rep. Ebraeorum lib. 3. cap. 3 §. 5. [e] 2 Paralip. xxx. 22, 23. [f] Sic item Elias hic cap. 10. [g] Cap. 5. [h] Exod. xxiii. 17. & xxxiv. 23. Deut. xvi. 16.

Qua

Qua de re e Maimonide aliquid ſupra notatum. *Sed mirum eſt ſane eas obligari ad offerendum in primo, & non in ſecundo. Nam in debito illo* ſeu *obligatione paſchali diſcrimen erat nullum* (quantum ad ipſius per ſe paſchatis oblationem) *inter paſcha primum & ſecundum.* Quibus ſubdit, סוף דבר הכמינו ע״ה פסקו ואמרו שזה אינו חיוב אלא לזכרים הבוגרים *Summa eſt; ſapientes noſtros, ſectam Karaeorum, definire & pronunciare neminem ad paſchatis celebrationem obligatum eſſe praeter maſculos, eoſque puberes* ſeu *majores.* Capite proximo, quod eſt מי הוא רואי באכילתו *Cuinam rite de paſchali agno comedere liceret,* דע, inquit, שמי שראוי בהקרבתו הוא הראוי באכילתו שהם הזכרים הבוגרים *Sciendum eſt, quiſquis erat oblationi ipſi idoneus, eum etiam comeſtioni idoneum fuiſſe. Sed ejuſmodi habebatur nemo praeter maſculos majores,* adeoque etiam ait, מי שהוא הראוי באכילתו הוא ראוי בהקרבתו *eum qui comeſtioni eſſet idoneus, etiam idoneum oblationi fuiſſe,* nec alios; quam in rem citat illud [h] de Joſiae paſchate. Sed exceptionem addit de paſchate AEgypti. אמנם, inquit, נתחייבו בפסח מצרים באכילת אנשים ונשים שנ׳ במכסת נפשות תכוסו על השה *At vero in paſchate AEgypti obligabantur tam mulieres quam maſculi, juxta id quod dicitur* [i], *Secundum numerum animarum* ſeu *perſonarum quae ſufficere poſſint agno;* ubi praetermittit interpoſitum illud in textu ſacro איש לפי אכלו *vir, homo, ſinguli pro eſu ſuo.* Et pluribus in rebus diſcrepaſſe paſcha AEgypti a ſeculorum ſequentium paſchate receptum eſt Talmudicis Karaeiſque [k]. Sed de paſchate ſeculorum ſequentium, סוף דבר, inquit, המתחייב בהקרבתו יתחיוב באכילתו והמתחייב באכילתו יתחייב בהקרבתו *Summa eſt; Quiſquis offerre teneretur, eum etiam ad comedendum obligatum eſſe; uti etiam, quiſquis ad comedendum obligaretur, pariter ad offerendum obligatum.* Ex Rabbi Aharone item affert, שכל הכמי הקראים הרחיקו מצות הפסח מכלל הנשים *Apud omnes Karaeos receptum eſſe, arcendas ab obſervatione paſchali foeminas univerſas.* Eadem ferme ex ſuis habet quae ſuperius e Talmudicis adduximus de paſchate arcendis patribus familiarum quibus ſervi, aliive in poteſtate ſua, juxta legem circumciſi nondum eſſent. Item reliquas immunditiei ſpecies lege illa de paſchate immundorum per mortuum contineri. Maxime ex illo, quod licet immundities ibi nulla praeter ſingularem illam cujus cauſa quaeſtio orta eſt expreſſim memoretur, nihilominus in lege ferenda [l] de admittendis vox טהר *mundus* ſimpliciter uſurpetur velut antitheton immundis omnibus: inde & omnes immundos in paſcha rejiciendos ſecundum. Alios autem, qui primi paſchatis obſervationem, praeter immundos aut itinere impeditos, omiſerant, ſecundi eſſe participes negat debuiſſe: Et puniendos vult, ob ſacra ita neglecta, tum civiliter tum exciſionis poena coelitus. Sed de diſcrimine illo inter privatos & univerſitatem ſeu partem majorem & dimidiam nihil apud Karaeum hunc comperio, praeter illud, ואפשר שיבאו ג״כ בטיבאח אם ימצא ברוב הקהל טומאת כת *Et fieri potuit* (loquitur de paſchate primo) *ut rite offerrent etiam in immunditie, quoties nimirum major pars populi, ſynagogae* ſeu *eccleſiae, eſſet immunda mortui cauſa;* quod legitur capite decimo ac poſtremo cui lemma, בהבדלים שיש בין פסח ראשון ופסח שני ובמשותפים שיש בינהם *De differentiis quae reperiuntur inter paſcha primum & paſcha ſecundum, & eis quae utrique ſunt communia,* ubi inquit, כבר ביארנו בפרק הראשון שאין בפסח שני לא אכילת שבעת ימי מצה ולא מקרא קדש מפני שלא נמנע מהפסח הראשון אלא מפני שהטמא אסור עליו לאוכלו אמנם מק״ק ואכילת שבעת ימי מצה אינם באסור אל הטמא לכן לא נתחייב בהם בשני אחר שהוא מותר עליו לעשותם בראשון ואמרו החכמים שאין בין פסח ראשון ופסח שני אלא מה שלא יוכל לעשותו כגון הפסח והנה הפסח הוא נשחט והחמץ יהיה נמצא הפך בפסח הראשון ככתוב לא תשחט על חמץ דם זבחי *Superius explicavimus capite primo, paſchate in ſecundo non eſſe comeſtionem azymorum per ſeptiduum, nec lectionem ſacram, quoniam non impediebatur* ſeu *arcebatur a paſchate primo aliam ob cauſam* immundus *quam quia interdicta eſt immundo ejus comeſtio.* (Hanc nempe cum oblatione ipſa ita conjungit ut qui alterius capax eſſet item eſſet pariter utriuſque: atque alibi [m] ante dixerat, הטמא בכלל אסור עליו לעשות הפסח מפני שהמקריב הפסח צריך לכת במקדש והטמא אינו נכנס בו *Immundo univerſim,* qualis ſcilicet in lege contineri exiſtimatur, *interdictum eſt facere paſcha, quoniam qui offerret paſcha neceſſe erat ut iret in templum,* ſeu tabernaculum ante templum exſtructum, *& immundo illuc introire nefas erat.) Caeterum ſacra lectio & azymorum per ſeptiduum comeſtio neutiquam immundo interdicebantur; unde ſequitur eum illarum obſervatione in paſchate ſecundo non teneri, quoniam integrum licitumque erat eas obſervare in primo. Et ſapientes dicunt, nihilo differre paſcha primum a ſecundo niſi in eo quod hoc fieri revera nequibat inſtar paſchatis.* Id eſt, circumſtantiarum omnium paſchatis (in quibus lectio illa & azymorum comeſtio) obſervatio ad hoc non attinuit. *Accedit quod paſcha hoc immolabatur etiam nec exterminato fermento, quod non omnino admittendum in paſchate primo, juxta illud quod ſcriptum eſt* [n], *Non immolabis ſacrificia mea cum fermento,* &c. Adeoque licet paſcha ipſum ſecundum, ut primum, cum azymis comedendum eſſet, ex lege diſerte ea de re lata [o], tamen ſolennis ac ſolicita in dies ſequentes paſcha Niſan exterminatio fermenti non acceſſit, eo quod ſeptidui illa celebratio cum azymis, ut dictum eſt, in paſchate Jiar deerat. Adeoque illud כל חוקת הפסח *omnem ritum paſchatis* Niſan, juxta quem paſcha Jiar obſervandum [p] praecipitur, de ritibus paſchali agno propriis, ſeu immolationi & comeſtioni ſingularibus, ſumebatur, non de azymorum diebus ſequentibus cum paſchate, ut feſtis, continuis. Certe conſona eſt hic Jonathanis dicta paraphraſis ad locum citatum: *Juxta id totum,* inquit, *quod de paſchate Niſan praecipitur facient ipſum,* ברם בפסחא דניסן הינון ייכולין פטורי וקורבן פסחא לא יעדון מטל דסואבותהון בהון ובפסחא דאייר ייכלון ייקריבון יתיה *Sed in paſchate Niſan* (id eſt, per ſeptiduum paſchati illi continuum) *comedent azyma. Atqui oblationem paſchatis non facient, eo quod pol-*

[h] 2 Paral. xxxv. 13. [i] Exod. xii. 4. [k] Elias Ben Moſch tract. de Paſchate cap. 9. MS. [l] Num. ix. 13.
[m] Cap. 6. [n] Exod. xxiv. 35. [o] Num. ix. 11. [p] Ibid. xii.

luti

luti ſint, & in paſchate Jiar purificati offerent ipſum. Sed demum ex jam allatis tam Karaeorum quam Talmudicorum ſcitis (ſi illorum interpretationis ratio habenda) liquet plane nullam eſſe argumenti vim in rejiciendis immundis ejuſmodi ex lege in paſcha ſecundi menſis ad aſtruendum adeo a nonnullis deſideratum excommunicationis chriſtianae jus divinum; cum nec a ſacris omnibus omnive ſuorum conſortio arcerentur inde eorum quiquam, nec ſacris aliis locis quam tabernaculo aut templo ipſo interdicti eſſent, nec quidem ſic interdicti ulli immunditiei nomine praeter privatos ſeu partem ſynagogae ſeu eccleſiae minorem, ut oſtenſum eſt, nec in judicio de quo locuti ſumus, per in jus vocationem forenſem, velut ob crimen commiſſum, ſed ex conſultatione tantum primo cum Moſe habita interdicti ſint, uti etiam in poſterum ſimiles, nec tam ob immunditiem ullatenus arcendi quam, ſi interdicti legem violarent, aliter puniendi, juxta ea quae libro etiam ſuperiore dicta ſunt. Quod vero ad paſcha attinet illud Ezechiae, cui in argumentis etiam de excommunicatione afferri ſolitis locus non deeſt, certe, quantum video, ſcriptores alii vetuſtiorum ſeculorum, ut Joſephus [q], Sulpitius Severus [r], Theodoretus [s], id genus alii, loqui de eo videntur quaſi de paſchate primo ſimplici, nec alio nomine denotando, ac juſſu ſic regio utcunque celebrato, hiſtoriam in Paralipomenis de eo ſumpſiſſent; quemadmodum item Eutychius patriarcha Alexandrinus, cui breviter ſic res narratur,

وبعث الي جماعة بني اسراييل المقيمين
بالسامره وارض يهودا ان يجتمعوا باورشليم
ليعيدوا الفصح فاجتمعوا وعيدوا الفصح

Et miſit Ezechias *ad omnes filios Iſrael qui in Samaria degerent & in terra Jehudae, ut ſe congregarent Hieroſolymis ad celebrandum paſcha. Et congregabant ſe, & paſcha celebrabant.* Caeterum chriſtiani recentiores, nec pauci, tam in commentariis ad Paralipomena quam in annalibus ſacris [t], alibique, ſatis indubitanter ſumere ſolent de paſchate in menſem ſecundum, ex lege illa in Numeris lata de ſecundi menſis paſchate, detruſo, & ſeptidui azymorum feſtum ibi celebratum ex eadem deducunt lege; quod nec receptiori Talmudicorum nec Karaeorum diſciplinae, ut monſtravimus, conſonum eſt. Id interim obſervare forſan non indignum, paſchatis ſecundi menſis ſeu Jiar, ut ab Judaeis obſervati, rariſſimam eſſe mentionem, & certe poſt tempus legis de eo latae in bibliis ſacris nullam, ſi Hezekiae nempe paſcha illud velut pro primi menſis ſeu Niſan male, ut dictum eſt, in anno diſpoſiti paſchate, adeoque primo, cum Talmudicis ſumatur. Et ſane vero non eſt adeo diſſimile, uſum ejus inde exoleviſſe, quod ipſe populus ſeu eccleſia, majorve ejus pars, immunditie frequentius inquinari ſoleret; unde immunditiei ejuſmodi quae paſcha ſecundi menſis faceret locus nullus haberetur. Neque enim, juxta diſciplinam ante oſtenſam, alia immundities erat ejuſmodi quam quae ſingulorum aliquot & minoris populi ſeu eccleſiae partis eſſet. Ita ſane pollutum & templum & populum ipſum, majoremve ejus partem, fuiſſe in paſchate primo, quod obſervaſſe legitur Dominus noſter ipſe, videtur eliciendum ex evangelio [v]. Atque ita forſan de aliis ſine ſecundo memoratis ſtatuendum. Adeo etiam exoleverat ſecundum illud paſcha ut, cum ſeculis chriſtianiſmi primitivis, in quibus acerrimae ortae ſunt per orbem chriſtianum de annua paſchatis Niſan ſeu primi obſervatione, qua Judaica qua chriſtiana, controverſiae, quibus canones, conſtitutiones, hiſtoriae eccleſiaſticae veteres refertiſſimae ſunt, nihil omnino de paſchate Jiar ſeu ſecundo, aut feſto aliquo huic tunc analogo, occurrat; nedum ex immundis a primo in ſecundum rejiciendis excommunicationis mos, qui tunc ex Judaiſmi moribus in chriſtianiſmum inoleverat, ſeculis in illis petitus eſt, utpote plane aliunde, ut libro primo demonſtratum eſt, nec ex lege aliqua divina, ortus; utcunque apud nuperos aliquot, immane quantum ſolicite argumenta de excommunicationis jure corrogare ſolitos, etiam & hoc ipſum de paſchatis ſecundi immundis locum obtineat primarium. Sed de judicio illo Moſis ſecundo, ejuſque appendicibus primariis, hactenus.

VIII. Tertium ejuſdem hic judicium eſt illud de ligna in ſabbato colligente, in Numeris [x] inſertum; *Cum eſſent filii Iſrael in deſerto, invenerunt quendam* מקשש עצים *colligentem* ſeu *conquirentem ligna*, id eſt, *lignantem, in die ſabbati: Et invenientes eum colligentem ligna adduxerunt eum ad Moſem & Aharonem & totum coetum: & poſuerunt eum in cuſtodia* ſeu *carcere*, כי לא פורש מה יעשה לו *quoniam nondum fuit declaratum quid faciendum eſſet ei. Et dixit Dominus ad Moſem, morte moriatur homo iſte; obruito eum lapidibus totus coetus extra caſtra, & eduxerunt eum totus coetus extra caſtra & obruerunt eum lapidibus; & mortuus eſt*, ſeu *morte ſic punitus*, כאשר צוה יהוה את משה *ſecundum quod praeceperat Dominus Moſi.* Adductum quidem hic eſſe reum dicitur tam ad Aharonem & reliquam ſynagogam quam ad Moſem. Et Talmudici [y], בבית המדרש היו ובאו ועמדו לפניהם *In ſchola, auditorio*, ſeu *loco concionandi, ubi legem exponebant, erant; & venerunt illi, & ſteterunt coram eis.* Ad Moſem ſolum innuitur eos veniſſe, ut ad praefectum juridicum ſummum ſingularemque, juxta ea quae ſuperioribus in judiciis memorantur; niſi admitti velis ſeptuagintauniuſvirale tribunal item conſediſſe tunc, cui princeps erat Moſes. Nempe capite undecimo Numerorum, ſeu antequam memoratur hoc judicium, inſtitutum eſt tribunal illud; de quo plura inferius. Sed vero haud ex inſtitutione illa privabatur Moſes ſingulari ſua poteſtate juridica priſtina, ſed adjectos tantum habuit in levamen ſui ſynedros Et certe ad Moſem ſolum loquitur hic Dominus. Etiam punitus dicitur *ſecundum quod praeceperat Dominus Moſi*, qui a Domino edoctus ſententiam hic capitalem tulit; licet in Vulgata legatur tantum, *ſicut praecepe-*

[q] Archaeolog. lib 9. cap. 13. [r] Sacrae Hiſt. lib 1. [s] Quaeſt. in 2 Paralip. [t] Videſis Torniellum A. M. 3315. §. 4, &c. Salianum A. M. 3309. §. 15. Spondanum A. M. 3308. § 3 Jacobum Armachanum A. M. 3278. [v] Joan. II. 13, 14, &c. [x] Cap. xv. 32. [y] *Sepher Siphri*, fol. 17. col. 1. *Peſiktha Zotertha*, fol. 50. col. 1.

rat

rat Dominus, quaſi praerogativâ hic Moſaica ſic reticenda fuiſſet. Sed *Peſiktha Zotertha* etiam ibi, מגיד שכינה משה שומרים ומצאו איש מקושש *Innuitur Moſem conſtituiſſe*, nec alium, *qui obſervarent* quid fieret, ſeu *miniſtros qui, velut lictores, reos in judicium de rebus hujuſmodi deducerent. Et ii invenerunt hunc colligentem.* Sic *Sepher Siphri*, *Chiskuni*, alii. Philo hic ait [z] reum adductum ἐπὶ τὸν ἄρχοντα, ᾧ συνεδρεύον μετὰ ἱερεῖς, παρειστήκει δὲ σύμπασα ἡ πληθὺς πρὸς ἀκρόασιν, *ad principem, quocum conſederunt ſacerdotes, & adſtitit univerſus populus, ut auditores eſſent.* Hi quidem velut in בית מדרש ſeu *ſchola* aut *auditorio* affuere, ſecundum morem Judaeorum etiam poſtmodum ea de re uſitatiſſimum, ut Philo etiam ibi. Moſes autem ſolus ut princeps ſeu praefectus juridicus memoratur. Et male ibi vertitur Philo, *ad principem & ſacerdotum conſiſtorium, confluente ad rem cognoſcendam univerſo populo*, quaſi Moſes ut princeps tantum in conſiſtorio ſediſſet ſacerdotum, veluti in judiciis, cum poteſtate juridica, adſeſſorum. Innuit plane Philo adfuiſſe tum ſacerdotes tum populum reliquum πρὸς ἀκρόασιν, *ut doctrinae* tunc & ibi, ut alias, *auditores eſſent.* Res integra, ut judiciaria erat, ad Moſem ſolum ſpectavit. Quod vero dicitur, *nondum fuiſſe declaratum quid faciendum eſſet ei*, intelligunt de ſpecie non de genere poenae. Nimirum ultimum expreſſim ſupplicium in lege [a] praeſcriptum eſt ſabbatum profananti. Quaeſtio igitur neutiquam erat de poenae genere, ſed qualinam morte plectendus eſſet. Et diſcrimen obſervant inter illud quod ante de blaſphemo legitur [b] & quod hic de violatore ſabbati. Illic ſcilicet dubitatum utrum poena omnino forenſi puniendus eſſet, an coelitus exſpectanda: Hic de mortis ſpecie tantum quaeſitum. Gemara Babylonia [c], מקושש בר קטלא הוא ומשה לא היה יודע קטליה: *Ligna colligens reus erat mortis. Sed neſcivit etiam Moſes quanam mortis ſpecie eſſet is afficiendus.* Et יודע היה משה רבינו שהמקושש במיתה שנ׳ מחלליה מות יומת אלא לא היה יודע באיזו מיתה שנ׳ כי לא פורש וגו׳: *Scivit Moſes magiſter noſter*, uti & reliqui, *eum qui ligna collegerat* in ſabbato *reum eſſe mortis*; *juxta id quod dicitur* [d]. Qui illud profanaverit, morte morietur. *Sed neſcivit quali morte tollendus eſſet: unde ſcriptum eſt*, quoniam nondum fuit declaratum, &c. Ita alii [e]. Sunt etiam qui [f] quaeſitum hic fuiſſe volunt num mors ei ex legis ſacrae ſenſu בידי שמים *coelitus* exſpectanda, an ex forenſi ſententia eſſet infligenda. Id vero quod dicitur מקושש עצים, & vertitur plerumque συλλέγοντα ξύλα, *colligentem ligna*, intelligunt magiſtri [g] de תולש מן הקרקע *evellente ex ſolo* ſeu *radicitus*, juxta uſum verbi קשש, ubi dicitur diſperſum fuiſſe in AEgypto populum, לקשש קש לתבן *ad colligendum ſtipulas*, id eſt, e ſolo evellendas, *pro paleis.*

IX. Adjiciunt etiam Talmudici ex avita traditione ſingularia quaedam de praemonitione ut neceſſario hic & in aliis judiciis capitalibus praeeunte, uti etiam de ipſo criminis adeoque judicii tempore, & de rei perſona. Praemonitionem adhibitam aiunt, id eſt, התראה, qua monitus erat reus ligna colligens ſe contra mandatum de ſabbato divinum facinus patrare: Inde autem lignatione non abſtinentem, ut contumacem in praemonitionem, in judicium deductum. Id eliciunt ex eo quod dicitur *invenerunt eum lignantem*; & dein, *& adduxerunt eum invenientes eum lignantem*; quaſi primo invenientes praemonuiſſent, & poſtmodum videntes eum opere non abſtinuiſſe in jus deduxiſſent. Jarchius ad illud *invenientes eum lignantem*, שהתרו בו ולא הניח מלקושש אף כשמצאוהו והתרו בו: *Scilicet eum praemonuerant; nec tamen lignatione abſtinuit, poſtquam invenerant eum primo, & de ea praemonuiſſent eum.* Sic alii [h]. Et Gemara Babylonia [i], לא נתנה התראה אלא להבחין בין שוגג למזיד: *Praemonitionis uſus haud alius erat quam ut rite diſtinctio fieret inter peccantem ex juris ignorantia & eum qui ſponte aut manu elata peccaret.* Neque hanc ad alia pertinuiſſe peccata voluere, adeoque nec neceſſario judiciis capitalibus praeiviſſe aliis quam quae ex jure eſſent Iſraelitis proprio; neutiquam ex Noachidarum jure nemini ignorando. Atque hac de re nos libro ſuperiore [k] plura tam e Karaeorum etiam quam Talmudicorum diſciplina, ubi tam ad poenam *Cerith*, exciſionis ſeu coelitus infligendae, quam forenſis capitalis ſpectaſſe praemonitionem liquet [l]. Quod ad tempus criminis, adeoque judicii, attinet; tametſi in Numeris ita collocetur utrumque ut diu poſt initium anni ab exitu ſecundi [m] ſequi videatur, nihilominus magiſtri pro hiſtoriola rei utcunque alicubi in deſerto poſt exitum geſtae (etiam ex ejuſdem principio quo indefinite dicitur, *Cum eſſent filii Iſrael in AEgypto)* ſumunt, nec ad tempus quod habetur in ſerie libri volunt referendum: Sed etiam ad priora anni ab exitu primi tempora, ſeu quae Exodi librum occupant, retro trahunt, ſeu ad menſis anno in illo ſecundi finem, id eſt, ad ſabbatum quod vocant שבת השנייה *ſabbatum eorum ſecundum.* In diſciplina enim de inſtitutione & prima celebratione ſabbati, ſeu ſeptimi in dierum a rerum conditu periodis diei, praeceptum primum ea de re datum aiunt in ſtatione Mara [n]. Primam autem ex praecepto illo obſervationem ſecutam eſſe in ſtatione Aluſha [o], quae decima erat in deſerto. Sic pro dierum calculi diſcrimine, quod occurrit inter magiſtros, ſabbatum primum (quod שבת ראשונה vocitant) cadit aut in XXI aut in XXII menſis ſecundi ſeu Jiar, quibus reſpondere admittitur Maii Juliani XXIII & XXIV. Sed XXII Jiar receptior eſt. Menſem hunc tunc cavum fuiſſe aiunt, id eſt, dierum XXIX. Unde fit ut aut dies ultimus aut penultimus ſeu XXVIII aut XXIX, id eſt, aut XXX aut XXXI Maii Juliani, ſabbatum illud fuerit ſecundum. Atque hac de re nos tum e Judaicis tum e chriſtianis ſcriptoribus fuſius alibi [p]. Hoc ipſo autem ſabbato ſecundo peccatum

[z] De Vita Moſis, lib 3. [a] Exod. xxxi. 14. [b] Levitic. xxiv. 12. [c] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 9. fol. 78. 2. [d] Exod. xxxi. 14. [e] *Chiſkuni*, fol. 220. 1. Jarch. ad Levit. xxiv. 12. *Peſiktha Zotertha*, fol. 50. col. 1. [f] Abarbinel *Piruſh Tora*, fol. 298. col. 4. [g] Gemara Babylon. ad tit. *Sabbath*, cap. 11. fol. 96. 2. *Sepher Siphri*, fol. 17. col. 1. *Peſiktha Zotertha*, fol. 50. col. 1. [h] *Sepher Siphri*, fol. 17. col. 1. *Peſiktha Zotertha*, fol. 50 col. 1. & Jarch. & Abenezra ad Num. 15. Maimonid. tract. *Sabbath*, cap. 1. Paraph. Jonathanis Num. 15. 33. [i] Ad tit *Sanhedrin*, cap 5. fol. 41. 1. [k] Cap. 6. pag. 817, &c. [l] Et videſis Lyran. ad Num. 15. verb. *peribit.* [m] Num ix. 1. [n] Exod. xv. 23, & 25, Num. xxxiii. 9. [o] Num xxxiii. 13. & compara cum Exod. xvi. 1, & 17. [p] De Jure Naturali, lib. 3. cap. 9, 10, 11

luti sint, & in paschate Jiar purificati offerent ipsum. Sed demum ex jam allatis tam Karaeorum quam Talmudicorum scitis (si illorum interpretationis ratio habenda) liquet plane nullam esse argumenti vim in rejiciendis immundis ejusmodi ex lege in pascha secundi mensis ad astruendum adeo a nonnullis desideratum excommunicationis christianae jus divinum; cum nec a sacris omnibus omnive suorum consortio arcerentur inde eorum quiquam, nec sacris aliis locis quam tabernaculo aut templo ipso interdicti essent, nec quidem sic interdicti ulli immunditiei nomine praeter privatos seu partem synagogae seu ecclesiae minorem, ut ostensum est, nec in judicio de quo locuti sumus, per in jus vocationem forensem, velut ob crimen commissum, sed ex consultatione tantum primo cum Mose habita interdicti sint, uti etiam in posterum similes, nec tam ob immunditiem ullatenus arcendi quam, si interdicti legem violarent, aliter puniendi, juxta ea quae libro etiam superiore dicta sunt. Quod vero ad pascha attinet illud Ezechiae, cui in argumentis etiam de excommunicatione afferri solitis locus non deest, certe, quantum video, scriptores alii vetustiorum seculorum, ut Josephus [q], Sulpitius Severus [r], Theodoretus [s], id genus alii, loqui de eo videntur quasi de paschate primo simplici, nec alio nomine denotando, ac jussu sic regio utcunque celebrato, historiam in Paralipomenis de eo sumpsissent; quemadmodum item Eutychius patriarcha Alexandrinus, cui breviter sic res narratur,

وبعث الي جماعة بني اسراييل المقيمين
بالسامرة وارض يهودا ان يجتمعوا باورشليم
ليعيدوا الفصح فاجتمعوا وعيدوا الفصح

Et misit Ezechias *ad omnes filios Israel qui in Samaria degerent & in terra Jehudae, ut se congregarent Hierosolymis ad celebrandum pascha. Et congregabant se, & pascha celebrabant.* Caeterum christiani recentiores, nec pauci, tam in commentariis ad Paralipomena quam in annalibus sacris [t], alibique, satis indubitanter sumere solent de paschate in mensem secundum, ex lege illa in Numeris lata de secundi mensis paschate, detruso, & septidui azymorum festum ibi celebratum ex eadem deducunt lege; quod nec receptiori Talmudicorum nec Karaeorum disciplinae, ut monstravimus, consonum est. Id interim observare forsan non indignum, paschatis secundi mensis seu Jiar, ut ab Judaeis observati, rarissimam esse mentionem, & certe post tempus legis de eo latae in bibliis sacris nullam, si Hezekiae nempe pascha illud velut pro primi mensis seu Nisan male, ut dictum est, in anno dispositi paschate, adeoque primo, cum Talmudicis sumatur. Et sane vero non est adeo dissimile, usum ejus inde exolevisse, quod ipse populus seu ecclesia, majorve ejus pars, immunditie frequentius inquinari soleret; unde immunditiei ejusmodi quae pascha secundi mensis faceret locus nullus haberetur. Neque enim, juxta disciplinam ante ostensam, alia immundities erat ejusmodi quam quae singulorum aliquot & minoris populi seu ecclesiae partis esset. Ita sane pollutum & templum & populum ipsum, majoremve ejus partem, fuisse in paschate primo, quod observasse legitur Dominus noster ipse, videtur eliciendum ex evangelio [v]. Atque ita forsan de aliis sine secundo memoratis statuendum. Adeo etiam exoleverat secundum illud pascha ut, cum seculis christianismi primitivis, in quibus acerrimae ortae sunt per orbem christianum de annua paschatis Nisan seu primi observatione, qua Judaica qua christiana, controversiae, quibus canones, constitutiones, historiae ecclesiasticae veteres refertissimae sunt, nihil omnino de paschate Jiar seu secundo, aut festo aliquo huic tunc analogo, occurrat; nedum ex immundis a primo in secundum rejiciendis excommunicationis mos, qui tunc ex Judaismi moribus in christianismum inoleverat, seculis in illis petitus est, utpote plane aliunde, ut libro primo demonstratum est, nec ex lege aliqua divina, ortus; utcunque apud nuperos aliquot, immane quantum solicite argumenta de excommunicationis jure corrogare solitos, etiam & hoc ipsum de paschatis secundi immundis locum obtineat primarium. Sed de judicio illo Mosis secundo, ejusque appendicibus primariis, hactenus.

VIII. Tertium ejusdem hic judicium est illud de ligna in sabbato colligente, in Numeris [x] insertum; *Cum essent filii Israel in deserto, invenerunt quendam* מְקשֵׁשׁ עֵצִים *colligentem* seu *conquirentem ligna*, id est, *lignantem, in die sabbati: Et invenientes eum colligentem ligna adduxerunt eum ad Mosem & Aharonem & totum coetum: & posuerunt eum in custodia* seu *carcere,* כִּי לֹא פֹרַשׁ מַה יֵּעָשֶׂה לוֹ *quoniam nondum fuit declaratum quid faciendum esset ei. Et dixit Dominus ad Mosem, morte moriatur homo iste; obruito eum lapidibus totus coetus extra castra, & eduxerunt eum totus coetus extra castra & obruerunt eum lapidibus; & mortuus est,* seu *morte sic punitus,* כַּאֲשֶׁר צִוָּה יְהוָה אֶת מֹשֶׁה *secundum quod praeceperat Dominus Mosi.* Adductum quidem hic esse reum dicitur tam ad Aharonem & reliquam synagogam quam ad Mosem. Et Talmudici [y], בְּבֵית הַמִּדְרָשׁ הָיוּ וּבָאוּ וְעָמְדוּ לִפְנֵיהֶם *In schola, auditorio,* seu *loco concionandi, ubi legem exponebant, erant; & venerunt illi, & steterunt coram eis.* Ad Mosem solum innuitur eos venisse, ut ad praefectum juridicum summum singularemque, juxta ea quae superioribus in judiciis memorantur; nisi admitti velis septuagintauniusvirale tribunal item consedisse tunc, cui princeps erat Moses. Nempe capite undecimo Numerorum, seu antequam memoratur hoc judicium, institutum est tribunal illud; de quo plura inferius. Sed vero haud ex institutione illa privabatur Moses singulari sua potestate juridica pristina, sed adjectos tantum habuit in levamen sui synedros. Et certe ad Mosem solum loquitur hic Dominus. Etiam punitus dicitur *secundum quod praeceperat Dominus Mosi,* qui a Domino edoctus sententiam hic capitalem tulit; licet in Vulgata legatur tantum, *sicut praecepe-*

[q] Archaeolog. lib 9. cap. 13. [r] Sacrae Hist. lib 1. [s] Quaest. in 2 Paralip. [t] Vide sis Torniellum A. M. 3315. §. 4, &c. Salianum A. M. 3309. §. 15. Spondanum A. M. 3308. § 3 Jacobum Armachanum A. M. 3278. [v] Joan. 11. 13, 14, &c. [x] Cap. xv. 32. [y] *Sepher Siphri*, fol. 17. col. 1. *Pesiktha Zotertha*, fol. 50. col. 1.

rat

rat Dominus, quasi praerogativa hic Mosaica sic reticenda fuisset. Sed *Pesiktha Zotertha* etiam ibi, מגיד שמינה משה שומרים ומצאו איש מקושש *Innuitur Mosem constituisse*, nec alium, *qui observarent* quid fieret, seu *ministros qui, velut lictores, reos in judicium de rebus hujusmodi deducerent. Et ii invenerunt hunc colligentem.* Sic *Sepher Siphri*, *Chiskuni*, alii. Philo hic ait [z] reum adductum ἐπὶ τὸν ἄρχοντα, ᾧ συνέδρευον μετὰ ἱερεῖς, παρειστήκει δὲ σύμπασα ἡ πληθὺς πρὸς ἀκρόασιν, *ad principem, quocum consederunt sacerdotes, & adstitit universus populus, ut auditores essent.* Hi quidem velut in בית מדרש seu *schola* aut *auditorio* affuere, secundum morem Judaeorum etiam postmodum ea de re usitatissimum, ut Philo etiam ibi. Moses autem solus ut princeps seu praefectus juridicus memoratur. Et male ibi vertitur Philo, *ad principem & sacerdotum consistorium, confluente ad rem cognoscendam universo populo*, quasi Moses ut princeps tantum in consistorio sedisset sacerdotum, veluti in judiciis, cum potestate juridica, adsessorum. Innuit plane Philo adfuisse tum sacerdotes tum populum reliquum πρὸς ἀκρόασιν, *ut doctrinae* tunc & ibi, ut alias, *auditores essent*. Res integra, ut judiciaria erat, ad Mosem solum spectavit. Quod vero dicitur, *nondum fuisse declaratum quid faciendum esset ei*, intelligunt de specie non de genere poenae. Nimirum ultimum expressim supplicium in lege [a] praescriptum est sabbatum profananti. Quaestio igitur neutiquam erat de poenae genere, sed qualinam morte plectendus esset. Et discrimen observant inter illud quod ante de blasphemo legitur [b] & quod hic de violatore sabbati. Illic scilicet dubitatum utrum poena omnino forensi puniendus esset, an coelitus exspectanda: Hic de mortis specie tantum quaesitum. Gemara Babylonia [c], מקושש בר קטלא הוא ומשה לא היה יודע קטליה: *Ligna colligens reus erat mortis. Sed nescivit etiam Moses quanam mortis specie esset is afficiendus.* Et יודע היה משה רבינו שהמקושש במיתה שנ׳ מחלליה מות יומת אלא לא היה יודע באיזו מיתה שנ׳ כי לא פורש וגו׳: *Scivit Moses magister noster*, uti & reliqui, *eum qui ligna collegerat* in sabbato *reum esse mortis*; *juxta id quod dicitur* [d]. Qui illud profanaverit, morte morietur. *Sed nescivit quali morte tollendus esset: unde scriptum est*, quoniam nondum fuit declaratum, &c. Ita alii [e]. Sunt etiam qui [f] quaesitum hic fuisse volunt num mors ei ex legis sacrae sensu בידי שמים *coelitus* exspectanda, an ex forensi sententia esset infligenda. Id vero quod dicitur מקושש עצים, & vertitur plerumque συλλέγοντα ξύλα, *colligentem ligna*, intelligunt magistri [g] de תולש מן הקרקע *evellente ex solo* seu *radicitus*, juxta usum verbi קשש, ubi dicitur dispersum fuisse in AEgypto populum, לקשש קש לתבן *ad colligendum stipulas*, id est, e solo evellendas, *pro paleis*.

IX. Adjiciunt etiam Talmudici ex avita traditione singularia quaedam de praemonitione ut necessario hic & in aliis judiciis capitalibus praeeunte, uti etiam de ipso criminis adeoque judicii tempore, & de rei persona. Praemonitionem adhibitam aiunt, id est, התראה, qua monitus erat reus ligna colligens se contra mandatum de sabbato divinum facinus patrare: Inde autem lignatione non abstinentem, ut contumacem in praemonitionem, in judicium deductum. Id eliciunt ex eo quod dicitur *invenerunt eum lignantem*; & dein, *& adduxerunt eum invenientes eum lignantem*; quasi primo invenientes praemonuissent, & postmodum videntes eum opere non abstinuisse in jus deduxissent. Jarchius ad illud *invenientes eum lignantem*, שהתרו בו ולא הניח מלקושש אף משמצאוהו והתרו בו: *Scilicet eum praemonuerant; nec tamen lignatione abstinuit, postquam invenerant eum primo, & de ea praemonuissent eum.* Sic alii [h]. Et Gemara Babylonia [i], לא נתנה התראה אלא להבחין בין שוגג למזיד: *Praemonitionis usus haud alius erat quam ut rite distinctio fieret inter peccantem ex juris ignorantia & eum qui sponte aut manu elata peccaret.* Neque hanc ad alia pertinuisse peccata voluere, adeoque nec necessario judiciis capitalibus praeivisse aliis quam quae ex jure essent Israelitis proprio; neutiquam ex Noachidarum jure nemini ignorando. Atque hac de re nos libro superiore [k] plura tam e Karaeorum etiam quam Talmudicorum disciplina, ubi tam ad poenam *Cerith*, excisionis seu coelitus infligendae, quam forensis capitalis spectasse praemonitionem liquet [l]. Quod ad tempus criminis, adeoque judicii, attinet; tametsi in Numeris ita collocetur utrumque ut diu post initium anni ab exitu secundi [m] sequi videatur, nihilominus magistri pro historiola rei utcunque alicubi in deserto post exitum gestae (etiam ex ejusdem principio quo indefinite dicitur, *Cum essent filii Israel in AEgypto)* sumunt, nec ad tempus quod habetur in serie libri volunt referendum: Sed etiam ad priora anni ab exitu primi tempora, seu quae Exodi librum occupant, retro trahunt, seu ad mensis anno in illo secundi finem, id est, ad sabbatum quod vocant שבת השנייה *sabbatum eorum secundum.* In disciplina enim de institutione & prima celebratione sabbati, seu septimi in dierum a rerum conditu periodis diei, praeceptum primum ea de re datum aiunt in statione Mara [n]. Primam autem ex praecepto illo observationem secutam esse in statione Alusha [o], quae decima erat in deserto. Sic pro dierum calculi discrimine, quod occurrit inter magistros, sabbatum primum (quod שבת ראשונה vocitant) cadit aut in XXI aut in XXII mensis secundi seu Jiar, quibus respondere admittitur Maii Juliani XXIII & XXIV. Sed XXII Jiar receptior est. Mensem hunc tunc cavum fuisse aiunt, id est, dierum XXIX. Unde fit ut aut dies ultimus aut penultimus seu XXVIII aut XXIX, id est, aut XXX aut XXXI Maii Juliani, sabbatum illud fuerit secundum. Atque hac de re nos tum e Judaicis tum e christianis scriptoribus fusius alibi [p]. Hoc ipso autem sabbato secundo peccatum

[z] De Vita Mosis, lib 3. [a] Exod. xxxi. 14. [b] Levitic. xxiv. 12. [c] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 9. fol. 78. 2. [d] Exod. xxxi. 14. [e] *Chiskuni*, fol. 220. 1. Jarch. ad Levit. xxiv. 12. *Pesiktha Zotertha*, fol. 50. col. 1. [f] Abarbinel *Pirush Tora*, fol. 298. col. 4. [g] Gemara Babylon. ad tit. *Sabbath*, cap. 11. fol. 96. 2. *Sepher Siphri*, fol. 17. col. 1. *Pesiktha Zotertha*, fol. 50 col. 1. [h] *Sepher Siphri*, fol. 17. col. 1. *Pesiktha Zotertha*, fol. 50 col. 1. & Jarch. & Abenezra ad Num. 15. Maimonid. tract. *Sabbath*, cap. 1. Paraph. Jonathanis Num. 15. 33. [i] Ad tit *Sanhedrin*, cap 5. fol. 41. 1. [k] Cap. 6. pag. 817, &c. [l] Et videsis Lyran. ad Num. 15. verb. *peribit*. [m] Num ix. 1. [n] Exod. xv. 23, & 25, Num. xxxiii. 9. [o] Num xxxiii. 13. & compara cum Exod. xvi. 1, & 17. [p] De Jure Naturali, lib. 3. cap. 9, 10, 11

esse a lignante aiunt. Sepher Siphri [q] ad illud, & *erant filii Israel in deserto*, ut sine temporis charactere alio quam qui a loco sic simpliciter denotaretur, scriptum; בגנות ישראל הכתוב מדבר שלא שמרו אלא שבת ראשונה ושנייה חיללו: *In opprobrium Israelitarum hoc scriptum est. Etenim haud rite observarant praeter unicum* seu *primum sabbatum*; & *secundum profanarunt.* Scilicet a lignante hoc profanatum est. Jarchius ibi, בגנותן של ישראל דבר הכתוב שלא שמרו אלא שבת ראשונה ובשנייה בא זה וחללה: *In opprobrium Israelitarum hoc scriptum est. Nam haud rite observarant praeter sabbatum primum: Et in secundo venit hic* qui lignatum tunc ibat, & *illud profanavit.* Atque hac de re sic alii [r]; quod dum faciunt, judicium hoc Mosaicum de lignante in sabbato, uti & alterum illud de blasphemo superius adductum, (nam utrumque etiam בפרק אחר *tempore in eodem* collocatur [s]) in tempus legis in Sinai dationem diebus aliquot antevertens rejiciunt. Legis enim datio [t] illa diei V aut VI mensis ab exitu tertii, seu Sivan, tribui solet, id est, VI aut VII Junii Juliani. Atque ita quidem ad superioris libri tempora attinet judicium hoc, & proculdubio ad singularem Mosis sine synedrio praefecturam. Etiam & patres christiani [v] reum hic primum legis de sabbato violatorem fuisse admittunt. Sed juxta seriem in pentateucho apertius repertam, nec aliter, utcunque visum est nobis illud enarrare, id est, velut latum post synedrii magni (de quo plura inferius) institutionem. Et de tempore hic consulas annalium sacrorum scriptores obvios. De persona hic rei, alii [x] eum fuisse generatim dicunt מן המעפילין *ex eis qui pertinaciter contenderint* [y] ascendere in montem interdictum: Alii expressim, fuisse Zelophchadum [z], Salphaad vulgo dictum, filium Hepheri, de cujus familia, quantum ad successionem, erciscunda quaestio habebatur illa illustris. Gemara Babylonia [a], תנו רבנן מקושש זה צלפחד וכן הוא אומר ויהיו בני ישראל במדבר וימצאו איש וגו׳ ולהלן הוא אומר אבינו מת במדבר מה להלן צלפחד אף כאן צלפחד דברי רבי עקיבא: *Habetur in disciplina rabbinorum nostrorum, lignantem illum fuisse Zelophchadum. Dicitur scilicet hic*, Et erant filii Israel in deserto, & invenerunt hominem, &c. *Et in loco illo altero de Zelophchado*, pater noster mortuus est in deserto. *Ut altero in loco plane Zelophchadus innuitur, ita & in hoc de lignante. Ita scilicet dixit R. Aquiba.* Alii idem memorant [b]. Neque innuitur alius quam Zelophchadus in paraphrasi hic Chaldaica Jonathani tributa, quae ait eum fuisse ex domo Joseph. Zelophchado enim tritavus erat Joseph. Verba paraphrasis sunt, והוו בני ישראל שריין במדבר גזירת שבתא אשתמודע להון ברם קנסא דשבתא לא אשתמודע להון קם גברא מדבית יוסף אמר במימריה איזיל ואתלוש קיסין ביומא דשבתא ויחמון ית סהדיא ויתנון למשה ומשה יתבע אולפן מן קדם י״י וידון יתי ובכן אשתמודע קנסא לכל בית ישראל ואשכחו סהדיא ית גברא כד תליש ועקר קיסין ביומא דשבתא: *Et erant filii Israel castrametati in deserto: Et praeceptum seu decretum de sabbato satis eis erat notum: sed violati sabbati poena ignota erat. Surrexit quidam ex domo Joseph, & dixit apud se, ibo, & evellam ligna in die sabbati; & ostendent testibus, qui indicabunt Mosi: Et Moses quaeret doctrinam a Domino, & judicabit me; atque sic innotescet poena universae domui Israel. Ita demum invenerunt hominem hunc evellentem & eradicantem ligna in die sabbati.* Illud autem, qua sic a R. Aquiba dictum hic de Zelophchado, ita displicuit R. Jehudae Ben Bethirah ut is eum ad hunc modum hoc nomine reprehenderet [c], עקיבא בין כך ובין כך אתה עתיד ליתן הדין אם כדבריך התורה כיסתו ואתה מגלה ואם לאו אתה מוציא לעז על אותו צדיק: *Aquiba, utcunque se res habuerit, temere tu fers judicium. Tametsi verum sit quod dixeris, celavit interim illud lex, & tu retegis: Sin vero, ignominia sane afficis justum illum.* Etiam & illud de Zelophchado, *in peccato* [d] *suo eum mortuum fuisse*, sumitur a nonnullis quasi reatum ejus hunc denotasset. Atque ita de judicii Mosis hic tertii circumstantiis aliquot singularibus Talmudici.

X. Quartum est hic judicium illud, cui Moses ut summus, annuente numine, judex ac arbiter praefuit, de Israelitis qui Midianitibus se commiscuerant, Beelphegoris Midianitarum idoli mysteriis initiati. *Et ait* [e] *Dominus ad Mosem*, קח את כל ראשי העם והוקע אותם ליהוה נגד השמש: *Accipe omnes principes populi, & suspende eos ante Dominum in conspectu solis*; ubi Graeci, Vulgatus, alii aliquot sic vertere solent ut, juxta seriem verborum, ipsi principes populi (saltem tunc rei) suspendendi fuissent. Et Symmachus [f], οἱ ἄρχοντες ἐκρεμάσθησαν, *principes suspendebantur.* Angli nostri, uti & alii, **Take all the heads of the people, and hang them up before the Lord against the sun.** Sed vero tum versiones aliae veteres, tum magistri insignes, aliique rectius rem ibi narratam intuentes, de praefectis juridicis a Mose ut principe summo, ex numinis jussu, ad tantum facinus puniendum convocandis distribuendisque locum intelligunt; nec alios fuisse sic suspendendos, aut per אותם *eos* ibi designatos, quam ipsos qui, qualescunque forent, idololatria illa se ita polluissent. Certe codex ibi Samaritanus expressim, *Et dixit Dominus ad Mosem*, אמר ויהרגו את האנשים הנצמדים לבעל פעור *Dic*, seu *praecipe*, *ut occidant* seu *morte mulctent viros initiatos Beelphegori*; ubi de principibus populi expressa mentio, ut in codicibus Judaicis, nulla. Onkelos item Chaldaeus, *Et dixit Dominus ad Mosem*, דבר ית כל רישי עמא ודון וקטול דחייב קטול קדם י״י לקביל שמשא: *Tolle*, seu *accipe*, *omnes principes populi*, & *judica*, & *morte punito eum qui mortis reus fuerit, coram Domino, contra solem.* Alter autem Chaldaeus ille, Uzielides dictus, סב ית כל רישי עמא ומני יתהון דיינין וידונון דינין דקטולין ית עמא דטעו בתר פעור ותצלוב יתהון קדם מימרא די״י על קיסא קבל שמשא בקריצתא ועם מטמוע שמשא תחית יתהון ותקברינון ויתיב תקוף רוגזא די״י מישראל: *Accipe omnes principes populi, & constitue eos*

[q] Fol. 17. col. 1. [r] Videsis *Chiskuni*, fol. 171. 2. & 220 1. [s] Jarch. ad Levitic. xxiv. 12. [t] Exod. xix. 1. [v] Theodoret. in Numer. Interrog. 30. [x] R. Jehuda Ben Bethirah in *Pesiktha Zotertha*, fol. 50 col. 1. *Sepher Siphri*, fol 17. col. 1. [y] Num. xiv. 44. [z] Num. xxvii. [a] Ad tit. *Sabbath*, cap. 11. fol 96.2. [b] *Sepher Siphri*, fol. 17. col 1. [c] Locis citatis. [d] Num. xxvii. 3. vide Munster. ibidem, & Abulensem in Num. xv. quaest. 45. [e] Num. xxv. 4. [f] Apud Theodoret. in Numer. Interrog. 44. & vide Augustin. ibid. quaest. 52.

judices;

S

judices; & judicia pronuncient capitalia in eos populi qui errarunt post Peor. Et suspendes eos coram verbo Domini in ligno contra solem in aurora; & in occasu solis descendere facies, & sepelies eos: & avertetur furor irae Domini ab Israel. Paraphrasis item Hierosolymitana, ואמר מימרא ד"י למשה סב ית כל רישא עמא ואוקים יתהון סנהדרין קדם י"י ויהוון צלבין כל מן המתחייב למתקטלא ועם מעלי שמשא יהוון מחתין נבליתיה וקברין בכן יהוור תקיף רוגזא ד"י מן ישראל: *Et dixit verbum Domini, accipe omnes principes populi, & constitue eos synedros* (seu *ex eis synedria facias*) *coram Domino; & suspendant omnes qui morte digni fuerint: & in occasu solis demittantur cadavera eorum, & sepeliantur, & sic avertetur furor irae Domini ab Israel.* Arabica Saadiae Gaon, خذ معك رؤسا القوم واصلبهم لله حذا الشمس *Accipe tecum principes populi, & suspende* seu *crucifige eos Deo ante solem.* Et Pagninus, *fac ut ipsi suspendant eos.* Atque ita illud *suspende eos* de facinorosis ante memoratis, non de principibus populi, sumendum. Consoni sunt Talmudici, quibus הלקה בתי דינים verbis illis intelligitur [g], id est, *partitio* seu *distributio tribunalium* ad tantum facinus puniendum; ubi Glossa, חלק להם בתי דינין והכי קאמר קח את כל ראשי העם והולך אותם לבתי דינין הרבה וידונו את עוברי העבירה והוקע איתם את המחויבין מפני שנצמדו לבעל פעור ועובד ע"ז בסקילה וכל הנסקלין נתלין כדאמרים בארבע מיתות: *Distribuit eis synedria* seu *praefecturas juridicas. Et sic dicitur, accipe omnes principes populi, & fac ut conveniant in synedria frequentes, & judicium ferant in eos qui transgressi sint, & suspendant eos qui damnati fuerint ex eo quod initiati sint Beelphegori. Idololatra scilicet lapidatione puniendus est, & universi lapidati suspendendi sunt; ut docetur in capite cujus initium quatuor mortes* [h]. Alibi item eadem glossa [i], חלק להם בתי דינין לדונם דיני נפשות על עון פעור: *Distribuit eis synedria quae judicarent capitaliter de flagitio illo quod circa Phegorem commiserant.* Inde etiam glossae ejusdem autor in textum hac de re sacrum, *Accipe omnes principes populi,* לשפוט את העובדים לפעור *ut judicent eos qui sacrificaverant Phegori.* Reliqua habet ibi de lapidatis suspendendis. Concordes sunt Talmudicorum alii [k]. Quin etiam de Karaeis inquit Abarbinel [l], חכמי הקראים אמרו קח את כל ראשי העם שיקח עמו הראשים כדי לעשות משפט בנצמדים ופרשו והוקע אותם מוסב לנצמדים: *Sapientes sectae Karaiticae aiunt, illud* accipe omnes principes populi *denotare accipiendos sibi principes ut de initiatis ibi judicarent; illud vero,* & suspende eos, *ad initiatos attinere.* Josephus [m] hic, Moses, ait, *veritus ne quid gravius accideret,* συναγαγὼν εἰς ἐκκλησίαν τὸν λαὸν οὐδένος μὲν κατηγόρει πρὸς ὄνομα, *convocavit in ecclesiam* seu *concionem populum, nec quenquam nominatim accusavit.* Vide ibi reliqua. An vero illud de suspendio fuerit impletum scripturam narrare destitisse advertit Augustinus [n]. Sequitur vero, *Et Moses dixit* ויאמר משה אל שפטי ישראל הרגו איש אנשיו הנצמדים לבעל פעור: *Judicibus Israel, occidite quisque,* seu *morte punite, homines suos, quotquot initiati sint Beelphegori;* Ubi Jonathanis paraphrasis dicta, ואמר משה לדייני ישראל קטולו אינש גבר שיבטיה דאדבקו בטעוות פעור: *Et dixit Moses judicibus Israel, interficite unusquisque viros tribus suae qui adhaeserunt idololatriae Phegoris.* Hierosolymitana autem, *Et dixit Moses* ואמר משה לפרנסא דישראל קטולו גבר ית אינשי ביתיה וגו': *Principibus* seu *gubernatoribus Israel, interficite unusquisque viros domus suae qui Phegori sint initiati.* Graeci ibi, *Et dixit Moses* ταῖς φυλαῖς Ἰσραὴλ, Ἀποκτείνατε ἕκαστος τὸν οἰκεῖον αὐτοῦ τὸν τετελεσμένον τῷ Βεελφεγώρ, *tribubus Israel,* (proculdubio pro שפטי legebant illi שבטי) *interficiat quisque proximum suum qui initiatus est Beelphegori.* Quod sequitur de Phinees & reis ab eo caesis, singulari zelotarum juri, non forensi alicui rationi aut praefecturae juridicae, tribui solet; tametsi [o] Philo etiam illud aiat factum προστάξαντος Μωϋσέως, *jubente Mose.* Certe in paraphrasi illa Jonathanis dicta, ad illud [p], *Quod cum vidisset Phinees,* &c. יקם מתוך העדה (ἐξανέστη ἐκ μέσου τῆς συναγωγῆς, *surrexit e medio synagogae,* seu מגו כנשתא, ut Chaldaeus & Syrus, *e medio congregationis,* quemadmodum etiam alii, seu *de entre la companna,* ut Judaei Hispanienses, & Vulgata, *e medio multitudinis) & arripuit hastam,* &c. substituitur quod אידכר הילכתא *in mentem revocabat receptam* de zelotis *disciplinam,* adeoque nequitia illa Israelitarum spurcissima mire commotus exclamabat, מאן דיקטול יקטיל האן אינון אריוותא דשיבט יהודה כיון דחמנון שתקין קם מגו סנהדרי דיליה ונסיב רומחא בידיה: *Qui interficere,* seu *morte punire,* debet, *morte puniat. Ubi sunt leones tribus Jehudae? Postquam viderunt, quiescunt. Tunc surrexit e medio synedrii sui, & arripuit hastam in manum suam.* Ita admittitur ibi tum principem alicujus synedrii eum tunc fuisse, inde autem zelo concitatum in sanctitatis Israeliticae ejusmodi violatores irruisse. Sed utcunque, juxta jam allata, *principes populi* ante memorati & *judices* ad quos hic loquitur Moses, ut praetor summus, iidem fuerunt. Et de judicibus Jethroneis commode satis capiendi sunt. Levi Ben [q] Gersom ibi ad illud, *Accipe omnes principes populi,* והם השופטים שהיו שרי אלפים ושרי מאות ושרי חמשים ושרי עשרות שיעשו אלו המשפטים וגו': *Et fuere hi judices illi qui erant principes mille, & principes centum, & principes quinquaginta, & principes decem, ad quos munus hoc pertinuit judicandi.* Inde etiam Hugo Grotius, *Assume tibi chiliarchos, centuriones, ac caeteros.*

XI. Judicium Mosis hic quintum est illud de filiarum quinque Zelophchadi in bona patris defuncti successione. *Accessere* [r] *filiae Zelophchadi,* &c. *Stantes vero ante Mosem, & ante Eleazar sacerdotem* (qui in Aharonis locum jam ante successerat) *atque ante principes eorum, & universum coetum, juxta ostium tabernaculi te-*

[g] Gemar. Babylonia ad tit. *Sanhedrin,* cap. 4. fol. 35. 1. [h] Tit. *Sanhedrin,* cap. 7. [i] Ad tit. *Sanhedrin,* cap. 6. fol. 82. 1. [k] *Sepher Siphri,* fol. 23. col. 89. *Pesiktha Zotertha,* fol. 58. col. 4. [l] In *Pirush Hatorah,* fol. [illegible] col. 3. [m] Lib. 4. cap. 6. [n] Ad Numer. quaest. 52. Videsis Paulum Fagium, & Lorinum ad Num. xxv. [o] De Vita Mosis, lib. 1. [p] Num. xxv. 7. [q] In *Pirush Hatorah,* fol. 197. col. 4. [r] Num. xxvii. 1.

stimonii.

stimonii, dicebant, pater noster mortuus est in deserto; & ipse non fuit in conciliabulo eorum qui convenerunt adversus Dominum in conventiculo Corah, sed in peccato suo mortuus est, nec habuit filios. Quare igitur aufertur nomen patris nostri de medio cognationis suae eo quod habuit filium? Da igitur nobis possessionem in medio fratrum patris nostri. Velut libellus petitionis haereditatis integer & satis artificiosus verbis earum continetur. Et Moses, ut in superiori de sabbato judicio, aut judex hic solus [s], aut ut synedrii magni princeps judicabat. Nec enim Eleazar aliusve quis praeter Mosem ut judex hic memoratur. Itaque subjicitur, *Adduxit* seu *retulit causam illarum ante Dominum. Et locutus est Dominus ad Mosem,* (non ad alium quemquam) *dicens, Ut locutae sunt filiae Zelophchadi, sic dando dabis illis possessionem haereditatis in medio fratrum patris earum & transferes haereditatem patris earum ad eas.* Hinc instructus Moses sententiam pro actricibus tulit; de qua, uti etiam de lege quae de haereditatibus statim ibi insuper lata est, ampliter egimus in libro de successionibus in bona defuncti.

XII. Judiciorum istorum Mosaicorum jam memoratorum primum, secundum, tertium & quintum numero signantius quaternario denotantur tum a Philone [t] tum a Paraphrastis Hierosolymitano & Chaldaico qui Uzielides nuncupatur. Etiam & ea distinguunt in דיני ממנות *judicia pecuniaria*, seu quae ad communem vitae societatem sive sacram sive profanam sine capitali aut corporali poena attinent, & in דיני נפשות *judicia capitalia.* Prioris generis sunt illud de paschate secundi mensis immundis praescripto, & alterum de successione filiarum Zelophchadi: posterioris generis, illud de blasphemo, & alterum de sabbatum violante. Monent item nec semel paraphrastae illi, in prioribus binis, utpote pecuniariis, festinasse aut celerem justitiam exhibuisse Mosem; in posterioribus, utpote capitalibus, tardiorem fuisse; ut inde discerent principes synedriorum aliique judices insequentes similiter se in judiciis pro causarum discrimine gerere. Paraphrasis Hierosolymitana ad illud de blasphemo [v], *Et posuerunt eum in custodia,* דין חד מארבע דינין דיעלו לקדם משה רבן בתרין מנהון הוה משה מתון ובתרין מנהון הוה משה זריז במחרפא דחריף שמא קדישא בגידופין ובמקוששא דחליל שבתא בזדונו הוה משה מתון מן בגלל דהוו דינהון דיני נפשן ובמסאבין דלא יכילו למעבד פסחא בזימניה ובנין בנת צלפחד הוה משה זריז מן בגלל דהוה דיניהון דיני ממון ובאילין אמר לא שמעית למלפא דיני דעתידין למקם בתר משה למיהון מתינין בדיני נפשן וזריזין בדיני ממון דלא יבהתון למימר לא שמעינן ברם משה רבן אמר לא שמעית יאצנעון במטרא יתיה קדם עד לא יתפרש להון מן קדם יי באילין דיניה יתעביד ביה: *Hoc est unum e quatuor judiciis quae venerunt coram Mose magistro nostro. In binis eorum tardus fuit Moses, & in eorum binis fuit celer. In blasphemi causa qui nomen sanctum blasphemiis profanavit, & illius qui ligna colligendo sabbatum manu elata violavit, erat Moses tardus, eo quod fuere judicia illa judicia capitalia. In causa autem immundorum qui a paschate tempore suo faciendo impediti sunt, & filiarum Zelophchadi erat Moses celer,* seu *properavit, eo quod fuere judicia eorum pecuniaria. Et in istis dixit,* Non audivi, nondum didici, *ut ita doceret judices post Mosem futuros tardos esse in judiciis capitalibus, & celeres in judiciis pecuniariis, ut non erubescerent dicere, Non audivi,* seu *mature deliberare, cum etiam sic dixerit Moses magister noster. Et in custodia eum detinuere usque dum explicaretur quid faciendum esset in judiciis ejusmodi.* Totidem ferme verba habentur in eadem paraphrasi ad judicium illud de immundorum paschate. Etiam in ea breviuscule memoratur ad judicium de ligna colligente in sabbato, & ad illud de Zelophchadi filiabus. Et utrumque horum generatim ibi dicitur דין חד מן ארבע דינין *judicium unum ex quatuor judiciis,* & se refert paraphrastes ad illud quod ante ad blasphemi judicium adnotarat. Paraphrasis autem illa ad immundorum pascha in editione Buxtorfiana habet באילין ובאילין אמר לא שמעית *tam in his quam in illis dixit,* Non audivi. Sed etiam in Buxtorfiana ipsa, uti & alibi, ad illud de blasphemo legitur tantum באילין in *illis* seu *istis* [x], uti etiam utrobique in editione Gariana & Hanoviana. Periocha ejusmodi itidem, nec verbis ferme discrepantibus, habetur in illa Jonathani tributa, ubi dicitur Mosem causas illas quatuor judicasse על פום מימרא דלעיל & על פום מימרא דקודשא *juxta praescriptum verbi supremi* seu *sanctissimi numinis.* Et ad primam legitur, ובאליין ובאליין אמר משה לא שמעית מן בגלל למילפא רישא סנהדרייתא דישראל דעתידין למקום מן בתריה *Et tam in his quam in illis dixit Moses,* Non audivi, *ut doceret principes synedriorum venturos post eum,* &c. Ita etiam ad secundam, tertiam & quartam. Nec dubitandum videtur quin paraphrasis hujus autor exemplarium veterum Hierosolymitanae sequax fuerit. Et sane tam de judicio illo de immundorum paschate quam de reliquis Mosem respondisse לא שמעתי *Nondum audivi, nondum didici,* (quod & satis innuit scriptura) expressim aiunt magistri [y]. Memoratur item (quod obiter adnotare liceat) a paraphraste Uzielide dicto, Mosem decem res circa discrimen judiciorum criminalium & pecuniariorum praecepisse. Scilicet pro illo quod habetur in Deuteronomio [z] in oratione Mosis de praeceptis & monitis cum Jethronearum praefecturarum institutione ab ipso datis, *Et praecepi vobis eodem tempore res omnes quas facere deberetis,* substituitur in paraphraste illo, ופקידית יתכון בעדנא ההיא ית כל עשרא פתגמיא דתעבדון בני דיני ממונא לדיני נפשתא *Et praecepi vobis in tempore illo omnes decem res quas observare deberetis inter judicia pecuniaria & judicia criminalia.*

[s] Videsis Abulensem ad Numer. xv. quaest. 47. [t] De Vita Mosis lib. 3. [v] Levit. xxiv. 12. [x] Videsis J. Drusium ad difficil. loca Num. cap. xxxvi. & Francisc. Tayler. in versione paraphras. Hierosolym. ad Num. ix. [y] *Pesiktha Zotertha,* fol. 43. col. 3. [z] Cap. i. 18.

CAP.

CAP. II.

I. *Generaliora potestatis circa sacra judiciariae in Mose vestigia.*
II. *Regem revera fuisse Mosem.*
III. *Imperium ac jurisdictionem tam circa sacra quam profana exercuisse Mosem ut regem seu populi principem summum. De sacerdotio ejus, ac munere prophetico. Mahumedanorum scita de prophetico in regiminis ratione munere.*
IV. *De praefecturis Jethroneis post legem datam. Et utrum earum institutio eam revera antecesserit. Modus, juxta Talmudicos, expositionis legis primo velut in schola seu auditorio adhibitus.*

EX jam ostensis adeo liquet ut nihil supra, tam sacras quam profanas causas cognovisse, idque ex instituto numinis, Mosem ac judicem summum solumque, etiam post legem in Sinai datam, & pontificatus Aharonici originem; de quo tempore pariter sumenda sunt omnia illa quinque sic jam ante enarrata judicia, si modo juxta seriem locosque eorum in pentateucho, nec aliter, ea intelligamus. Atque ita etiam ante synedrii magni institutionem, dum solus erat in causis difficilioribus judex Moses, priora tria patet evenisse: Nec enim ante Numerorum undecimum institutio illa. Si vero magistrorum, qui illud de blasphemo & alterum de lignante in sabbato in anni ab exitu primi ferme initium retro trahunt, scita amplexamur, tunc quidem ad principatum & pontificatum Mosis sacerdotio Aharonico legisque in Sinai datione anteriorem (ut superius monitum est) eorum utrumque attinebit. Chronologorum christianorum de judiciorum jam memoratorum tempore sententias, utpote & varias & obvias, praetermittimus. Atqui interim manifestum est, nihil magis inter causas sacras numerandum quam illud de immundorum paschate, quod in annum ab exitu secundum, id est, post sacerdotium Aharonicum institutum & legem datam, in judicium deductum esse palam est[a]. Atque ita de singularibus statuendum est hisce quinque, unde potestas circa tam sacra quam profana Mosis juridica facile dignoscitur, qua nimirum e tempore legis dationem antevertente in posteriora continuata est. Hisce adjici posset quod de vitulo aureo [b] ejusve combustione & potatione ex judicio Mosis traditur: Alia etiam aliquot particularia, sed minus illustria. Sed vero sunt etiam generaliora quae tantundem hic praestant. Ea maxime quidem cernuntur in onere illo gubernationis publicae, adeoque officii judiciarii, Mosi graviori quam quod, etiam in causis difficilioribus seu sibi veluti reservatis, ferre solus [c] potuerit, uti etiam in illis quae de paschatis & circumcisionis in deserto praetermissione occurrunt. Utrumque proculdubio Mose ut a numine etiam in hisce constituto instructoque arbitro, & לפי שעה *pro ratione temporis* & loci, impune compluribus annis praetermissum est. Scilicet in deserto per annos ab exitu XL unicum tantum pascha factum est, quod sub initium anni ab exitu secundi memoratur [d]. Unde magistri ad paschatis illius historiam inquiunt [e] בגנות ישראל הכתוב מדבר שלא עשו במדבר אלא פסח זה בלבד: *In ignominiam Israelitarum scriptum est, quoniam non fecere pascha in deserto aliud praeter hoc unicum.* Saepius tantundem illi: licet non desint inter scriptores christianos qui, velut etiam ex Ebraeis ipsis, tradant pascha celebratum paulo ante finem peregrinationis in deserto, seu mense illo primo quo mortua est Miriam [f]. Proximum autem in sacris literis post secundum illud anni exitus secundi pascha circa quadraginta inde annos, nec ante, memoratur [g]. Praetermissi autem sic in deserto paschatis rationem adjiciunt Talmudici ex eo quod adeo praetermissa per tot annos ab exitu circumcisio. Certe de circumcisione tunc & tamdiu praetermissa res palam est ex ipsa scriptura. Postquam enim in terram promissam venerant, *dixit* [h] *Dominus ad Josuam, fac tibi cultros acutos,* seu *petrinos,* ושוב מל את בני ישראל שנית *& reversus circumcide filios Israel secundo* (septuaginta ibi, καὶ καθίσας περίτεμε, *& sedens circumcide*; Judaei Hispanienses, *y torno circumcida*; Arabs; وعُد اختن *& cras circumcide) fecit itaque Josua sibi cultros acutos, & circumcidit filios Israel in colle praeputiorum. Et haec est causa quod Josua circumcidit*; (Vulgata ibi, *Haec autem est causa secundae circumcisionis* [i]) *populus ille qui exierant ex AEgypto mares, omnes viri ad bellum apti, mortui erant in deserto, in ipso itinere, postquam exiissent ex AEgypto. Cum autem circumcisi fuissent totus ille populus qui exierant, totus tamen populus qui nati fuerant in deserto, in ipso itinere, cum exiissent ex AEgypto, non circumcidebatur. Quadraginta enim annis iverant filii Israel per desertum, donec consumeretur tota gens illa, viri apti ad bellum, egressi ex AEgypto, qui non auscultaverant voci Domini; eo quod jurasset Dominus se non permissurum eis ut viderent terram quam juramento promiserat Dominus majoribus eorum se daturum nobis, terram affluentem lacte & melle. Horum ergo filios statuens loco ipsorum, hos circumcidit Josua, quia praeputiati erant, ac non circumciderant eos in itinere.* De ratione unde circumcisio haec signanter secunda dicta fuerit aliter aliterque statuunt & Judaei & christiani scriptores [k]. Sed non omnino capienda est de iterata, quasi ante circumcisi jam denuo circumciderentur; unde argumentum perperam aliqui olim traxere ad baptismi iterationem adstruendam. Et de praetermissa ea in deserto hic plane constat. Etiam & praetermissionis causae aliae atque aliae afferri

[a] Num. ix. 1. [b] Exod. xxxii. 20. [c] Numer. xi. 11. [d] Ibidem ix. 1. [e] *Sepher Siphri,* fol. 10 col 1. & *Pesiktha Zotertha,* fol. 43. col 3. *Chiskuni,* fol. 192. 2. *R. Bechai* in *Biur ail hatorah,* fol. 169. col 1. Jarchius ibi, & D. Kimchi ad Amos v. 25. Adisis Jo. Drus. ad Diff. loca Numerorum, cap. 35. [f] Joan. Hamlinus in Elench. Chronologico A. M. 2491. [g] Jos. v. 10. [h] Ibid. v. 2. [i] Videsis Septuag. hic, & Lectiones varias. [k] Vide Theodoret ad Jos. Interrog 3. Abulens. in Jos. 5. quaest. 11. Andream Masium ibidem, & Lyranum, praeter Rabbinos ibi.

folent. At vero inde necessario fatis pependit paschatis omissio parilis. Juxta enim superius obiter ostensum, qui non circumcisus ipse erat, aut masculum in potestate sua, sive filium sive servum, haberet incircumcisum, pascha rite facere nequibat. Inde sequebatur, natorum circumcisione sic omissa, nec pascha potuisse legitime celebrari. Ea de re loquuntur magistri quasi anno ab exitu primo, seu eo qui pascha illud eorum secundum [l] praecedit, circumcisio fatis, ut ante primum in AEgypto, in usu fuisset; postmodum vero intermissa in deserto. R. Jose [m], לא עשו ישראל פסח במדבר אלא אותו ביחוד והטעם לפי שבאותה שנה היו דוחים הכתובים אחד ונולד היו למול הזכרים הילודים לדרך כדי שלא תעכב אותם מילתם מלאכול בפסח אבל מכאן ואילך שהלכו במדבר ולא מלו הילודים יהם משום חולשא דאורחא וסכנות הנימול שיעברו בדרך כדכתיב וכל העם הילודים במדבר בצאתם ממצרים לא מלו ומילת זכריו מעכבתו לאכול בפסח כדכתיב המול לו כל זכר ואז יקרב לעשותו לפי׳ לא עשו פסח: *Haud fecerunt Israelitae pascha in deserto aliud praeter hoc unicum. Ratio erat, quoniam anno in illo* (qui exitui proximus pascha illud praecessit) *castrametabantur simul, ubi facultas eis erat circumcidendi masculos sibi paulo ante natos, ne scilicet omissa eorum circumcisio impediret legitimam paschatis comestionem. At vero tempore sequente quo per desertum vagati sunt, masculos sibi natos, tum ob itineris incommoda tum ob circumcidendi in via periculum, haud circumciderunt (secundum id quod scriptum est* [n], Totus populus qui nati fuerant in deserto, in ipso itinere, cum exiissent ex AEgypto, non circumcidebatur) *& omissa masculorum circumcisio cuique impedimento erat ne rite comederet pascha (secundum id quod scriptum est* [o], Circumcidat sibi cunctum masculum, & tunc accedat & faciat illud) *ideo non fecerunt pascha.* Alia etiam sacra imperata tunc praetermissa sunt. Quo spectat, & a magistris passim [p] tolli solet illud Amosii [q], הזבחים ומנחה הגשתם לי במדבר ארבעים שנה בית ישראל: *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto per annos quadraginta, domus Israel?* Atque inde etiam [r] de initiis Josuae, באותה שעה נתחייבו ישראל בעומר ובמילה ובחדש *Eodem tempore Israelitae coeperunt obligari & astringi* (sic vertit Genebrardus; scilicet ex praeceptis pristinis jam iteratis) *ad praecepta de polenta* seu *placenta* [s], *& de praeputio, & de neomenia*; quasi ante neglecta seu praetermissa per desertum illa, uti & alia, praecepta fuissent. Praeceptorum ejusmodi de sacris per tot annos intermissio, utcunque per se poenis gravissimis obnoxia, nullibi in pentateucho alibive expressim reprehenditur; unde etiam ex singulari numinis indulgentia per Mosem ut rectorem tam in sacris quam profanis summum patefacta, adeoque ex illius judicio, eam pependisse aequum est ut existimemus: Quod itidem docent scriptores doctissimi [t]. Et Bartholomaeus episcopus Exoniensis, quem Iscanum vocant, vir suo in aevo meritissimo celeberrimus [v], in dialogo sub annum Christi 1180 contra Judaeos conscripto [x], *Constat*, inquit, *circumcisionem arctissime fuisse praeceptam, dicente Domino* [y], Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. *Moyses tamen, Deo circumcisi nunquam prohibente omnem populum qui per quadraginta annos natus est in deserto reliquit incircumcisum; cum tamen unusquisque die octava deberet circumcidi. Unde legitur in Josua* [z], Populus qui natus est in deserto per quadraginta annos latissimae solitudinis incircumcisus fuit, donec consumerentur qui non audierant vocem Domini. *Non est tamen credendum Moysem peccasse in hoc, sed potius aliquam rationabilem considerationem vel secretum Dei consilium super hoc habuisse.* Sic ille. Adeoque sicut autor erat ipse ac judex singularis summusque peragendae circumcisionis illius sub ipsum etiam ex AEgypto [a] exitum, ita etiam nunc in deserto praetermittendae. Quae huc spectant alia clara satis sunt tum in rebus ad sacerdotium Aharonicum a Mose digerendis [b], tum in rebellium illorum Cora & sociorum in jus vocatione [c], & horrendo illo in eos judicio.

II Accedat, regem fuisse Mosem revera seu principem Israelitarum, juxta divinum tunc institutum, summum, adeoque imperium tam circa sacra omnimoda quam profana ex dignitatis illius ac praefecturae jure exercuisse. Etiam *regis* nomine eum expressim in benedictionibus suis dictum a compluribus existimatum est. Legitur enim, *Legem* [d] *praecepit nobis Moses, haereditatem synagogae Jacob,* ויהי בישורון מלך *& erit* (quod per enallagen pariter & *fuit* significat) *in Jesurun Rex* (Chaldaei, Syrus, Tawasius Persa in Israel ibi habent; & Judaei Mauritanienses وكان في اليهود سلطان *& erat in Judaeis rex*, & in MS. penes me veteri, ويكون في بني اسرايل ملكا *& erat in filiis Israel rex*; Hispanienses itidem, *Y fue en Ysrael Rey*; quibus etiam Germanienses consoni; quemadmodum ab eisdem aliisque intelligitur verniturque *Jesurun* paulo ante in Mosis cantico, ubi Mauritanienses itidem, وسمن اليهودي *impinguata est gens Judaica*; & tantundem hic passim magistri; uti etiam ad Isaiam [f], ubi *Jesurun* vocatur Israel, nec aliter a Chaldaeo Syroque vertitur) *cum colligerentur capita populi, simulque tribus Israel.* Atque hoc quidem ut de Mose dictum sumunt non pauci. Retinetur interdum a Judaeis in versionibus suis *Jesurun*, ut in Graeco-barbara, *Israele*, puto, subaudito; uti etiam apud Hispanienses in loco illo Isaiae, *Yesurum*. Sed & aliter etiam subinde tum ab Judaeis tum a christianis etiam vetustissimis transfertur. Septuaginta substituunt, *καὶ ἔσαι ἐν τῷ ἠγαπημένῳ ἄρχων,*

[l] Num. ix. 1. [m] In *Chizkuni*, fol. 102. 2. [n] Jos. v. 5. [o] Exod. xii. 48. [p] [illegible] *tha Z tertha*, fol. 43. col. 3. R. Bechai in *Baal hattora*, fol. 1[illegible]9. col. 1. [illegible] [q] Amos v. 25. [r] *Seder Olam rabba*, cap. 11. [s] Num. xv. 2[illegible]. [t] [illegible] [illegible] cent. 3. [illegible] [x] MS. in Bibliotheca [illegible] [y] Gen. xvii. [illegible] [z] [illegible] [a] [illegible] [illegible] cap. 13. & [illegible] [b] [illegible] [c] Numer. xvi. 12. & vide Joseph. [illegible] [d] Deut. xxxiii. 4. [e] Deut. xxxii. 15. [f] Cap. xliv. 2.

5 &

& erit in dilecto princeps; alteroque Deuteronomii loco eadem voce utuntur; unde & *dilectus* ibi apud Tertullianum [g]. Hierosolymitana paraphrasis, *Et surget*, seu *surrexit*, *Rex*, בדבית יעקב *e domo Jacob in congregatione populi.* Arabs Saadiae Gaon, *& erat rex*, ملك الموصى *in laudabili.* Vulgata priori Deuteronomii loco habet *dilectus*; posteriori, uti apud Isaiam, *Rectissimus, erit apud rectissimum rex:* unde volunt aliqui potius in priori legendum *directus.* De vocabuli quidem etymo sententiae variant. Sed si a ישר *rectus* [h] deducatur, *rectissimus* in Vulgata satis ei respondet. Certe Samaritana versio ibi habet, והוה בכשירה מלך *& erit in rectitudine rex* Retinent autem recentiorum aliquae christianae τὸ *Jesurun*, ut Tremelliana, Anglicana nupera seu quae sub Jacobo rege prodiit, Belgica nupera, & Italica Deodati (nam quae praecessere Italicae *in Israel* habent) aliaeque aliquot. Et Anglicana vetustior, quae ex Ebraeo sub Henrico octavo facta est, loco Deuteronomii priore habet **upright**, *rectus*; posteriori, **And he was in Israel king**; atque in Isaia, **righteous**, *justus.* Quae secuta est, & Episcopalis apud nos dici solet, **upright**, &, **he was among the righteous** *people as* **King**, & in Isaia, ut vetustior. Pagninus, *Fuitque in Israel* tanquam *rex.* Galli, priori Deuteronomii loco, uti & in Isaia, *le droiturier*; posteriori, *Et a este roy entre les droits.* Lutherus, **Und er verwaltet das Ampt eines Koniges**, *Et munus gessit quale regium est*, seu *regis*; cui consona est Belgica vetustior. Nupera autem, **Ende hy was Coninck in Jeschurun**; quod etiam in altero Deuteronomii loco & in Isaia ibi retinetur. Concordes autem sunt tam Judaei quam christiani, τῷ *Jerusun* Israeliticum populum hic denotari: Sed non item de eo quod est, Mosem ipsum ibi dici *regem in Jesurun.* Alii enim de Domino Deo ipso [i], paulo ante ibi memorato, capiunt; alii ut futurum [k], de Saule regibusque eo nomine postmodum apertius indicatis. Atque obvia sunt quae huc spectant in commentariis etiam christianorum ad locum illum de *rege in Jesurun.* Alii vero tum Judaei tum christiani de Mose ipso sumunt. In *Rabboth* [l] legitur, משה מלך שנ׳ ויהי בישורון מלך *Moses rex erat: Quo spectat, illud, & erat in Jesurun rex.* *Chiskuni* [m] item, ויהי משה בישורון מלך *& erat Moses in Jesurun rex.* Sic Abenezra; sic alii [n] magistrorum. Inde etiam Maimonides [o], ומשה רבינו מלך הוא *& Moses magister noster rex erat.* Quo nomine item a Philone [p] insignitur, atque etiam a scriptoribus christianis tum vetustis [q] tum ad locum hunc nuperis. Etiam Nazianzeno [r] vocatur ἄρχων ἀρχόντων, *princeps principum*, seu summus. Sed vero non intelligendum de regia ejusmodi dignitate qualis innuitur sive in Deuteronomio [s] ante, sive postea in Samuele [t], ubi regum futurorum synedrio magno & ejusdem principi (de quibus infra) adjiciendorum, ex novo Israelitarum voto, ac juxta morem aliarum gentium, mentio. Neque enim ejusmodi erat undiquaque rex Moses: Sed interim plane rex, summoque, ut rex, imperio gavisus est. Inde etiam Rabbini ipsi interdum כמלך *sicut rex* adjiciunt, quemadmodum itidem christiani aliquot interpretes. Et Hugo Grotius ibi, ut solet, apposite, *Non quidem nomine & pompa, sed jure regio populum gubernavit.* Sed & Ezechielem tragoedum vide in somnio Mosaico ac ejusdem Jethronis interpretatione [v]. Sunt autem qui [x] *non ut regem & imperatorem, sed ut merum ministrum & interpretem* difficilioribus causis explicandis eum praefuisse volunt; quo & trahitur illud [y], *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos tempore illo, ut nunciarem vobis verba ejus*; quasi ministri & interpretis officium ac munus in regio ejus ac imperatorio haud satis fuisset comprehensum.

III. Erat quidem Moses, ut & a Philone [z] aliquoties appellatur, & legislator, & propheta, & ἀρχιερεὺς, *summus sacrorum antistes*, & rex seu princeps simpliciter inter suos summus; quod & scripturae consonum. De sacerdotio ejus dictum est libro superiore [a]; quod & passim agnoscitur ex illo Psalmi [b], *Moses & Aharon in sacerdotibus.* Unde Apollinarius ibi metaphrastes,

Μωσῆς ἀμφ᾽ ἱερεῦσι μέγας, καὶ ἀοίδιμος Ἀαρών,
Moses in sacerdotibus magnus, & celebris Aaron.

Gregorius item Nazianzenus [c], ἱερεὺς δ᾽ ὁμοίως ἀμφότεροι, *ambo autem aeque sacerdotes.* Et Arabs ibi, لانه جعل *Quia ipse* Deus *constituit Mosem & Aharon inter sacerdotes suos.* Nimirum Moses ante singulare sibi ad Aharonem consecrandum munus a numine collatum sacerdos erat, juxta superius ostensa, & postmodum tum ex munere illo singulari, tum ex aliis actibus mere sacris praestitis & cum officiis propheticis conjunctis, sacerdos item erat singularis summusque: unde etiam ἱερεὺς ἱερέων, *sacerdos sacerdotum*, patri jam dicto nuncupatus est: Nec tamen omnino ejusdem cum Aharone generis: Haud enim ipsa officia Aharonis sacra magis obire licuit Mosi quam Mosis Aharoni. Et de Mosis hic etiam in sacerdotio praerogativa consulas quae obiter habent patres Christiani [d]. Advertas etiam quae afferunt aliqui [e] de sacerdotii Melchisedeciani, etiam post Aharonici institutionem, in Judaeis continuatione. Sunt autem, nec pauci illi, nec minorum gentium sed diversae satis invicem alias persuasionis, qui ex sacerdotali Mosis munere regimen quoddam ac imperium instar ejus quod ecclesiastici nomine a temporali apud christianos distingui solet ab eo usurpatum esse eliciunt, adeoque judicia ejus circa sacra fuisse velut quae a facultate in eo sacerdotali

[g] De [illegible] Pudicitia, cap. 6. [h] Videsis Schindler. Lexic. col. 1832. [i] Gemar. Babylonia ad tit. *Rosh Hashana*, cap. [illegible] fol. 32. b. [illegible], Nachmanides, fol. 330. 1. Bechai fol. 230. col. 4. & videsis Theodoret. ad Deut. quaest. 44. [k] Levi [illegible] in [illegible] fol. 245. col. 3. [l] *Semoth Rabba* parash. 48. fol. 156. col. 1. & parash. 52. fol. 164. 1. [m] Fol. 250. 1. [n] [illegible], fol. 91. col. 1. R. Abraham in [illegible], fol. 101. col. 2. [o] T. & *Ieh Habechira*, cap. 6. §. 11. [p] De Vita Mosis, lib. 2, 3. [q] Constit. Apostolic. lib. 2. cap. 20. [r] Orat. 6. [s] Cap. 17. [t] Lib. 1. cap. 8. [v] Apud Euseb. Praepar. Evang. lib. 9. cap. 29. [x] Anton. de Dominis Spalat. lib. 1. de Rep. Eccles. cap. 12. § 37, &c. [y] Deut. v. 5. [z] De Vita Mosis, lib. 2, 3. [a] Cap. 16. [b] Psalm. xcix. 6. Vide tum Genebrard. & [illegible] de Mose. [c] Orat. 6. [d] Nazianzen. ibid. & 26. Augustin. in Levit. quaest. 23. & in Psalm. xcviii. ubi alii, [illegible] sent. 4. dist. [illegible]. [e] Jacob Boulduc de Ecclesia ante legem, lib. 1. cap. 17.

tali

tali manarint, non a regia aut principali. Rex quidem erat ſimul & ſacerdos, iſque, juxta inſtitutum tunc ſingulare divinum, ſummus, quemadmodum etiam ſcimus apud alias gentes per omnia quidem ſecula fuiſſe quoſdam qui principes undiquaque ſimul & ſacerdotes. Sed diſtinctio illa functionis ſimplicis & imperii ac juriſdictionis, aliquoties libro ſuperiore memorata, hic recolenda. Et utriuſque ſane natura rite perſpecta, non obſcure liquere videtur, poteſtatem judiciariam ſeu juriſdictionem ejus circa ſacra haud magis functionis in ſacris ipſis obeundis (in quibus ſacerdotii vera natura conſiſtit) partem fuiſſe, aut ex ipſa pependiſſe, quam ipſum ſacrificandi qualemcunque actum, qua talis eſt, fuiſſe per ſe juriſdictionis ac imperii partem. Nec quidem in ipſo ſacerdotio ſive Moſis ſive Aharonis, poſterorumve ejus, imperii ac juriſdictionis aliquid habebatur, ſed tantum functio. Quod a Moſe imperabatur, aut in eo judiciarium fuit, ipſius erat ut regis ſeu principis, non ut ſacerdotis: niſi ſane Coriſcum geometram & muſicum canentem quis dixerit ut geometram non ut muſicum canere, ſeu ut muſicum non ut geometram circuli ſeu trianguli aream dimetiri. Actus ſcilicet ipſi hujuſmodi, qua tales, plane deſignant quibus ſub nominibus artis, muneris, facultatis praeſtentur. Certe huc bene ſpectat illud gloſſae ad citatum [f] velut ex Anacleto Pſalmi locum de Moſis & Aharonis ſacerdotio, *id eſt, primi inter eos fuerunt. Licet Moſes & Aaron* (ſic gloſſa illa) *primi & ſummi dicti ſint ſacerdotes, tamen Moſes fuit major quam Aaron in adminiſtratione, non quoad conſecrationem ſacerdotalem.* In hac enim ambo pares fuere quantum ad functiones eis obeundas diverſas, earumque effectus diſſimiles. Sed ex adminiſtrandi ſeu gubernandi judicandique munere major erat Moſes, id eſt, Aaroni princeps ſeu לו לאלהים *ei velut Deus*, ut verba ſunt ipſa Domini [g] ſuperius item allata; ſeu, ut Nazianzenus [h], *Χρώμενος μὲν ὥσα γλώσσῃ τῷ Ἀαρὼν, αὐτὸς δὲ πρὸς Θεὸν ἐκείνῳ γινόμενος*, *Aarone pro lingua utens, ipſique viciſſim in iis rebus operam navans quae ad Deum pertinebant*, ut legiſlator, ut judex, ut rex. Ubi etiam Moſi ſecundus fit, ut oportet, Aaron. Et juriſconſultis & theologis [i] chriſtianis idem quod gloſſa jam dicta habet ut indubitatum recipitur. Atque quicquid ſane ex regiminis tunc Iſraelitici ratione de eccleſiaſtici ſeu ſpiritualis, id eſt, circa ſacra ſeorſim, imperii ac juriſdictionis a temporali diſtinctione non tam eruere quam fidentius inculcare conentur qui tantundem obtrudere ſolent, illud interim adeo manifeſtum videtur ut nihil amplius, nec in Moſis ipſius regimine imperium ejuſmodi aut juriſdictionem ita diſtinctam omnino reperiri, nedum in Aharone ſuiſve eccleſiaſtici ſic vulgo dicti imperii quid ſimile, utpote quibus, qua ſacerdotes erant, nullum omnino competiit imperium aut juriſdictio, ſed tantum in ſacris obeundis functio, לכוהנו לי [k] (id eſt, לשמשא קדמי ut Chaldaei, in eundemque ſenſum alii) *ut ſacerdotio fungantur mihi* tunc praeſcripto, non omnino ut imperii, qua tales, participes eſſent ullius ſeu poteſtatis judiciariae.

Quod ad propheticum autem Moſis hic munus ſpectat, Ἐπειδὴ, inquit Philo [l], *μυρία καὶ βασιλεῖ καὶ νομοθέτῃ καὶ ἀρχιερεῖ τῶν ἀνθρωπείων καὶ θείων ἄδηλα*, &c. *ἀναγκαίως καὶ προφητείας ἔτυχεν, ἵν᾽ ὅσα λογισμῷ μὴ δύνηται καταλαμβάνειν, ταῦτα προνοίᾳ Θεοῦ εὕροι*, *Quoniam innumera vel regi, vel legiſlatori vel etiam pontifici humana divinaque ſunt incognita*, &c. *neceſſario propheticum inſuper ſortitus eſt munus; ut ſcilicet quicquid ratione nequiret percipere, id ex Dei providentia compararet.* Obvia ſatis ſunt quae de prophetia ut ad gubernandi rationem ſpectante ſcribunt tum Judaei alii [m], tum pro perſuaſionis diſcrimine chriſtiani. Sed & forte non injucundum erit hic etiam advertere Mahumedanorum ea de re ſcita haud pariter, opinor, obvia. Algazel intellectus agentis (quem intelligentiam in ordine angelorum infimam faciunt id genus philoſophi) officia & operationes exſequens [n], decimam inde adjecit conſiderationem eſſe, *quod neceſſe eſt* (ut vertit eum ex Arabico, quem nondum vidi, Dominicus archidiaconus Segobienſis) *prophetam eſſe, & quod debet credi ipſum eſſe. Mundus enim non gubernatur niſi ſecundum regulam quae communis eſt omnibus creaturis, ut per eam juſte judicetur. Aliter interficerent ſe homines, & periret mundus. Et quia neceſſaria eſt pluvia ad gubernationem mundi, idcirco providentia divina non deſtitit attribuere coelo naturam dandi pluviam. Igitur gubernatio mundi omnino eget homine qui facit ſcire modum quo aptentur homines huic mundo & alteri. Non poteſt autem hoc implere omnis homo. Sed hoc gubernatio eſt in mundo. Igitur cauſa gubernationis eſt. Et id etiam quod eſt cauſa gubernationis eſt. Id vero quod eſt cauſa gubernationis in hoc eſt creatura Dei in terra ejus qua mediante venit creatura ad animadvertendum aptitudinem hujus mundi & alterius. Et propter hoc quod dicitur, Deus indidit rebus animadvertendi naturam, quia ſicut dedit omni rei rationem ſuam, ſic & ſenſum animadvertendi: Igitur angelus* (ille qui intellectus agentis officium praeſtat) *eſt medius inter Deum & prophetam, & propheta eſt medius inter angelum & ſapientes, & ſapientes ſunt medii inter prophetam & vulgus. Sapiens igitur proximus eſt prophetae, & propheta proximus eſt angelo, & angelus proximus Deo. Dein differunt gradus angelorum & prophetarum & ſapientum ſecundum ordinem differentiarum & propinquitatis & elongationis, quarum non eſt numerus.* Tantundem habet Aben-Sina, Avicenna vulgo dictus [o], cujus Arabica Latinis ſatis reſpondentia habentur in compendii ejus metaphyſicae, Romae cum logicae ac phyſicae item compendio & canone ejus medicinae olim typis editi, parte ſecunda, capite في اثبات النبوة *de fundamento prophetiae.* De ſummo autem illo Moſis ſacerdotio & legum lationis facultate Philo loquitur ut de qualitatibus binis, *ὡς ἁρμοττούσαις μάλιστα βασιλείᾳ*, *ut regiae poteſtati maxime convenientibus*, uti etiam de munere ejus prophetico. Sed nomine ejuſmodi ſacerdotii ejus functionem aliquam A-

[f] C. 2. Sacroſancta diſt. 22. [g] Exod. iv. 16. [h] Orat. 6 & 26. [i] Jo. à Capiſtrano de autoritate Papae partis 1. part. 1. §. 10. Boerius de Ordine graduum utriuſque fori, § 17. alii obiter. [k] Exod. xxviii. 1. [l] De Vita Moſis, lib. 2. [m] Maimonides in *More Nebochim*, part 2. cap. 41. alibi eodem in opere, alibique. [n] De Philoſophia, lib. 2. tract. 5. cap. 11. [o] Metaphyſic. tract. 10. cap. 2.

haronicam

5

haronicam contineri nemo, puto, admittet. Aharonico igitur ſacerdotio ſeorſim ſtabilito, tum ex priori, ſeu quod legem in Sinai datam antevertit, ſacerdotio, tum ex ipſa Aharonis conſecratione Moſaica, aliiſque ejuſmodi ſingularibus tunc actibus, Moſi tributum eſt nomen illud ſummi itidem; ſed diſpari [p] ab eo qui habetur in ſacerdotio Aharonico ſenſu, ſacerdotis: unde quidem ad eum ſpectabat *μὴ μόνον τὰ ἀνθρώπεια καλά, ἀλλὰ ϗ τὰ θεῖα διέπειν, non humanas modo res ſed etiam divinas adminiſtrare*, ut bene quidem inquit Philo. Sed ex ſacerdotalis officii functione, quam ſic geſſit divinitus inſtitutus, res non alias, ſive humanas ſive divinas, praeter eas quae in ſacris obeundis illis ſibi ſingularibus conſiſterent, adminiſtrabat ille: ubi nec de aliis rebus eſt intelligendus Philo, niſi omnes tam divinas quam humanas ut ſacerdotem eum peregiſſe exiſtimaſſe Philonem velis. Neque enim magis ſacerdotii per ſe nomine ullatenus imperabat quam, ubi ſive de ſacris ſive de profanis judicio uteretur forenſi, judicis ſeu principis nomine ſacrificabat. Dixit quidem de Jethrone Moſis ſocero Sepphora, iſtius filia, apud Ezechielem tragoedum [q],

—— —— Ἄρχων δ' ἐστὶ γῆς
Εἷς ϗ τύραννος ϗ στρατηλάτης μόνος,
Ἄρχει τε πόλεως τῆσδε, ϗ κρίνει βροτοὺς
Ἱερεὺς, ὃς ἔστ' ἐμοῦ ϗ τούτων πατήρ.

Telluris hujus Libyae *imperator eſt unicus rex & rerum bellicarum praeſes, & civitatem hanc gubernat, & judicat homines ſacerdos* (id eſt plane, cum etiam ſit ſacerdos) *qui meus eſt & iſtorum* (ſuorum aſtantium) *pater*. Anne hic bene concipiendum Jethronem ibi ut ſacerdotem ſeu ex munere ſacerdotali ſimpliciter ſumpto, judicaſſe? Judicium plane forenſe ex ſui ipſius natura aut pars eſt imperii, aut ab eo effluens, non omnino, qua tale, ſacerdotii. Atque ita demum per intervallum a legis datione uſque in mortem Moſis continuatum eſt ei ex intervallo antecedente imperium quale dictum eſt, & juriſdictio illa ſingularis ac ſumma tam circa ſacra quam profana. Quid acceſſerit per inſtitutionem ſynedrii magni, cujus ille princeps itidem primus, ſuo loco inferius oſtendetur. Sed mirum quidem eſt, adeo aſſeveranter a viris doctiſſimis, perſuaſionis [r] interim alias diverſiſſimae, tradi ſolere, Moſem velut binos habuiſſe vaginis in ſingulis gladios, eccleſiaſticum & temporalem, quaſi diſtinctio illa tunc locum habuiſſet in eccleſia ſeu republica Ebraica, & munus gubernationis tam eccleſiaſticae ſeu ſpiritualis quam civilis ſeu temporalis (ut vocant) ſimul is ſuſtinuiſſet, velut id quod *temporarium eſſet donec res melius componerentur. Ubi autem certa forma a Domino praeſcribitur, civilis gubernatio ei relinquitur; ſacerdotium jubetur fratri reſignare.* Quaſi ex ſacerdotalis functionis Aharonicae inſtitutione Moſis principatui rerumque, quantum ad juriſdictionem ac imperium, omnimodarum arbitrio forenſi quid detractum minutumve fuiſſet. Neque enim erat in Aharonico ſacerdotio magis gubernatio aliqua quam in Moſaico principatu ſacerdotii pars aliqua Aharonici. Nec quidem civilis ſeu temporalis & ſpiritualis ſeu ejus quod inſtar eſſet eccleſiaſtici vulgo dicti imperii aut juriſdictionis diſcriminis tunc veſtigia ulla, nec reipublicae ſeu populi Ebraici diſtinctio ulla ab aliqua re quae, in regiminis ratione, velut eccleſiae, ut diſtingui apud chriſtianos ea ſolet a regno ſeu civili, ut nuncupant, imperio, reſponderet. Et populus totus, velut corpus unicum nec vocibus ejuſmodi omnino diſcriminatum, dicebatur צִיבוּר, עֵדָה, קָהָל, aliiſque ejuſmodi nominibus *ſynagogam, eccleſiam, coetum* integrum ac unicum denotantibus, quemadmodum item, pro re nata, pariter ſingulares aliquot conventus interdum, comitia, & tribunalia; ſed non omnino ſic ut aut hiſce aut aliis nominibus aliquibus ſive corpus aliquod ſingulare populi illius, ſive poteſtas ſingularis qualiſcunque, in regiminis ratione, pro ſpirituali aut eccleſiaſtico (notione jam recepta) ſumeretur. Idem ipſe gladius, idem imperium, forum, ſaltem idem poteſtatis genus, utcunque diſtributum, quo profana gubernabantur, pariter etiam gubernabat tunc ſacra; & quo reliqui, ſimiliter genus totum ſacerdotale. Nec ſane aliter ſe res habuit per ſecula in republica illa ſequentia; ut inferius fiet manifeſtius, ubi etiam quae adverſari videantur diligentius expendentur. Idem jus itidem per alias gentes ut receptiſſimum viguit. Ex auſpiciis & imperio principum ac populorum gubernantium, qua tales erant, non ex arbitrio generis ſacerdotalis, aliter atque a principibus ac populis illis permiſſum eſt, univerſa circa tam ſacra quam profana juriſdictio paſſim apud eas pependit. Penitius leges Atticas, Romanas, reliquas intuenti res palam erit. Nec diverſum ullibi inolevit antequam quidam e ſacerdotali genere, *eccleſiae* nomen ſibi ut peculiare ſaepius ſuam in rem arrogantes, in chriſtianiſmum diſcriminis decantati illius juriſdictionis ſedulo atque ambitioſius introduxere perſuaſionem; ſed quae tantum pro locorum, ſeculorum, perſonarum diverſitate multiplici recepta eſt, rejecta, temperata.

IV. Sicut ex intervallo libro in primo tractato continuata poſt legem datam eſt per deſertum Moſis praefectura juridica illa ſingularis & ſumma (utpote cujus etiam ad Deum ipſum, in rebus diſponendis tum ſacris tum profanis, proxima, ſingularis & ſola admiſſio [s] erat) ita etiam praefecturae illae minores adeoque numeroſae, quas Jethroneas dictas libro in ſuperiore fuſius explicavimus, per intervallum hoc in deſerto ſaltem ſunt inde itidem continuatae; nimirum ſi earum inſtitutio legis dationem anteverteret, qua de re, juxta promiſſum ſuperius, jam agendum. Veſtigia praefecturarum illarum obſcura non ſunt in crebra ſeniorum ac judicum mentione poſt legem datam; quo expreſſius etiam ſpectant nonnulla ante memorata [t] de judicibus quibus Moſes praecepit ut morte punirent initiatos Beelphegori. Quin & in illo [v], *Et omnis Iſrael, & presbyteri* ſeu *ſeniores ejus*, זקניו ושוטרים ושופטים *& praefecti* ſeu *miniſtri publici, & judices ſtabant hinc & hinc circa arcam*, in hiſtoria ſcilicet ſacra de publicis illis benedictionibus & maledictionibus ſub Joſua, nomine *judicum* praefecturas illas etiam tunc denotari volunt viri docti [x]. Quod ve-

[p] Videſis Spondan. A. M. 2544. §. 8. [q] Apud Euſeb. Praeparat. Evangelic. lib. 9. cap. 28. [r] Bellarmin. de Pontifice Romano, lib. 5. cap. 9, &c. Calvin. Inſtit. 4. cap. 11, &c. [s] Vide Exod. xix. 24. & xx. v. 3, &c. [t] Cap. 1. §. 10. [v] Joſua viii. 33. [x] Hugo Grotius ibi.

ro ad earum inſtitutionis tempus verum attinet; tametſi in ordine qui in Exodi ſcriptione ſervatur legis in Sinai dationem illa plane antevertat, (caput enim decimum octavum occupat, & a menſe ab exitu tertio incipit decimum nonum, quo primus memoratur ibi in Sinai adventus, quem legis dationem anteceſſiſſe nemo dubitat) nec quidem deſint magni autores [y] qui inde ſolum perſuaſi eam in temporis ratione locum habere admittunt ante legis dationem, nihilominus hiſtoriolam illam totam de Jethrone, ſeu caput illud integrum ibi per anticipationem collocatum, revera ad tempora legis in Sinai dationem inſequentia ſpectare, tum ab Ebraeis tum a chriſtianis non immerito contenditur, id eſt, non ad ſtationem ab exitu undecimam, quae in Raphidim erat, ſeu proxima ante eam quae in Sinai ubi lex data (ut per anticipationem ponitur) rem attinere, ſed ad tempus quo ſtatio erat in Sinai, adeoque poſt legis illic divinitus acceptionem. Nec ſane ſententiam aliam omnino amplexandam ſentio. Et conjecturis nudis praetermiſſis, videtur ſane teſtimonium adeo expreſſum eam in rem apud ipſum Moſem alibi ut clarius nihil eſſe queat. Ipſe enim verba faciens [z] de Horeb monte (qui pro eodem ipſo cum Sinai aut ejuſdem jugo accipi extra controverſiam [a] ſolet) & de Iſraelitarum inde tranſitu, *Et dixi*, inquit, *vobis* בעת ההוא *in tempore illo, Non poſſum ſolus ferre vos*, &c. *Date ex vobis viros ſapientes & prudentes*, &c. reliqua dein narrans quae ad inſtitutionem praefecturarum Jethronearum ſpectant. Alia item in Numeris [b] tantundem probant. Scilicet poſt ſtationem in Raphidim [c], adeoque in Sinai tranſitum ubi lex data, rem factam. Quid quod etiam in ipſa narratione libri Exodi [d] diſerte dicitur Jethronem veniſſe ad Moſem, ubi caſtrametatus eſt in *monte Domini*, quo nomine Horeb & Sinai denominari [e] ſoliti? Sic ex loco tempus plane ediſcendum, quod legis dationem ita manifeſto ſequitur. Et quidem cum ex lege data, tam multiplicibus capitibus conſtante, quaeſtiones, quae in foro ante pauciores multo eſſent, numeroſiſſimae ut orirentur neceſſe eſſet, tempeſtivum erat atque e re nata ſoceri ejus hanc circa rem conſilium quod ita ſecutus eſt. Nec ſolum de tempore hic ad hunc modum legis dationem inſequente generatim ſtatuitur, ſed etiam de ipſo menſe in tempore illo, etiam & ſubinde de die menſis quo conſilium illud datum eſt acceptumque. Controverſia quidem vetus eſt illa, etiam inter Ebraeos, de Jethronis hic adventus & conſilii dati acceptique tempore. Sed ea maxime inter eos [f] obtinuit ſententia quae generatim praefecturarum inſtitutionem adeoque adventum illum, legis in Sinai dationem inſecutum eſſe aſſerit, nec locum in Exodo ante menſem ab exitu tertium, in quo data eſt lex, aliter atque per prolepſin, ut alia interdum, habuiſſe. Alii etiam dein in annum exitus primum, alii in ſecundum rejiciunt. Atque inolevit quidem antiquitus inter eos opinio, ipſum diem quo conſilium Jethroneum datum eſt fuiſſe undecimum menſis Tiſri ſeu ſeptimi, id eſt, a legis datione prima menſibus amplius tribus, ſeu ſimulac Moſes ſecundas tabulas acceperat. Quod enim legitur in ſacra hiſtoria [g], poſt Moſis, Aharonis ſeniorum ſimul & Jethronis ſacra epulaſque ויהי ממחרת וגו׳ *Et evenit ut die craſtino ſederet Moſes ad judicandum populum*, (unde occaſio conſilii Jethronei ſumpta) acceptum eſt quaſi dies ille fuiſſet craſtinus feſto expiationum, quod ad decimum menſis Tiſri attinet. Sic *Sepher Mechilta* loco citato, ſic inde alii. Sic item paraphraſis Jonathani tributa. Illic ſcilicet pro eo quod legitur [h], *Et dixit* Jethro *ad Moſem, Ego ſocer tuus venio ad te, & uxor tua, & bini ejus filii. Et egreſſus eſt Moſes in occurſum ſoceri ſui*, וישתחו וישק לו וישאלו איש לרעהו לשלום ויבאו האהלה quod verti ſolet *& adoravit*, ſeu *adoravit eum*, etiam *incurvavit ſe*, did obeiſance (ubi Arabes habent tantum وسجد uti & Onkelos וסגיד, id eſt, *& adoravit* ſeu *incurvavit ſe) & oſculatus eſt eum, & ſalutaverunt ſe mutuo verbis pacificis, & venerunt in tentorium* (codex Samaritanus ibi וישתחוי למשה *& incurvavit ſe Moſi*, & Samaritana verſio וסגד למשה *& incurvavit ſe Moſi)* ſubſtituitur, *Et dixit Moſi, Ego ſocer tuus Jethro venio ad te*, להתגיירא ואין לא תקביל יתי בגיני תקביל בגין אנתתך ותרין בנהא דעמה׃ *ut proſelytus fiam* (juſtitiae, atque ut legi ſacrae nomen meum dem) *& ſi tu nolis me mei gratia recipere, recipias me propter uxorem, & duos filios, qui cum ipſa ſunt. Et egreſſus erat Moſes* מתחות עננא יקרא *de ſub nube gloriae in occurſum ſoceri ſui, & incurvavit ſe, & oſculatus eſt eum*, וגיירה ושיילו גבר לחבריה לשלם ואתו למשכן בית אולפנא *& proſelytum eum fecit* (qua de re ſcriptores hic chriſtiani aliter atque aliter ſentiunt) *cumque mutuo ſe ſalutaſſent, venerunt in tabernaculum domus doctrinae*. Dein vero pro eo quod paulo poſt ſequitur, *Et evenit ut die craſtino ſederet Moſes ad judicandum populum*, &c. unde occaſio conſilii a ſocero ei dati nata eſt, legitur in paraphraſi illa, והוא ביומא דבתר יומא דכיפורי ויסב משה וגו׳ *Et factum eſt ut die illo, qui craſtinus eſſet diei expiationum*, (decimo diei Tiſri reſpondenti) *ſederet Moſes*, &c. Et demum in fine periochae illius illud de Jethrone, *& abiit in terram ſuam*, hic redditur, ואזיל ליה לגיירא כל בני ארעיה *& abiit ad faciendum proſelytos omnes filios* ſeu *liberos terrae ſuae*. Ita plane, juxta receptiorem rationique magis conſonam ſententiam Ebraeorum, admittitur illic poſt legem datam Moſem & Jethronem conveniſſe, adeoque juridicas illas praefecturas inſtitutas fuiſſe. Data enim lex eſt ſub menſis Sivan ſeu tertii [i] initia, anno nempe ab exitu primo, id eſt, ſub initia aeſtatis, tempus autem hic aſſignatum ad autumnum inſequens attinet. Adjicit hic e traditionibus Ebraicis paraphraſtes ille, Jethronem cum Moſe in בית אולפנא *domum doctrinae*, quae & בית מדרש *domus expoſitionis*, ſchola, auditorium dici ſolet, ante conſilium illud de praefecturis datum veniſſe, id eſt, legem jam datam exponentem Moſem ibi audiviſſe, juxta illud quod in Exodo [k] ea de re narratur. Quo quidem ſpectat quod de סדר משנה

[y] Joſeph. lib. 3. cap. 3. Auguſtin. in Exod. quaeſt. 56. 57. Hieronymus Epiſt. 229. ad Fabiolam Manſ. 11. [z] Deut. i. 6, 9, &c. [a] Hieronym. in locis Ebraicis, verb. *Choreb*. [b] Cap. x. 29. [c] Exod. xix. 2. [d] Cap. xviii. 5. [e] Exod. iii. 1. & iv. 27. [f] Videſis *Mechilta*, fol. 22. col. 4. R. Bechai in *Piruſh Hatorah*, fol. 91. col. 1. *Chiſkuni* fol. 100. 1. Ramban in *Piruſh Hatorah*, fol. 121. a. Iſaac Ben Amara in *Aikadath Iſaac*, fol. 140. col. 2, & 4. Lyran. ad Exod. xviii. [g] Exod. xviii. 13. [h] Exod. xviii. 6, 7. [i] Exod. xix. 1. & videſis de Jure Nat. & Gent. lib. 3. cap. 7. [k] Cap. xxxiv. 31, 32.

ordine

ordine expositionis legis, seu de eo quod est כיצד למדו ישראל תורה שבעל פה *quomodo didicerint Israelitae tunc legem oralem*, a Talmudicis[l] traditur, ת״ר כיצד סדר משנה משה למד מפי הגבורה נכנס אהרן ושנה לו משה פירקו נסתלק אהרן וישב לשמאל משה בניו נכנסו ושנה להן משה פירקן נסתלקו בניו אלעזר ישב לימין משה ואיתמר לשמאל אהרן רבי יהודה אומר לעולם אהרן לימין משה חוזר נכנסו זקנים ושנה להן משה פירקן נסתלקו זקנים נכנסו כל העם ושנה להן משה פירקן נמצאו ביד אהרן ארבעה וביד בניו שלשה וביד הזקנים שנים וביד כל העם אחד נסתלק משה ושנה להן אהרן פירקו נסתלק אהרן שנו להם בנוי פירקן נסתלקו בניו שנו להם זקנים פירקן נמצא ביד הכל ארבעה : *Modus secundum quem lex* primo *exposita est hujusmodi erat juxta traditionem Rabbinicam. Cum didicerat eam Moses a Deo O.M. ingressus est Aharon* in auditorium Mosis, *ubi ei exposuit Moses id quod ei exponendum erat. Recessit a loco suo Aharon, & sedit ad sinistram Mosis. Intrabant Aharonis filii, quibus exposuit Moses quod eis erat exponendum*, id est, idem ipsum quod Aharon antea exposuerat, ut ibi glossa Talmudica. *Recessit a locis suis eorum uterque: Et sedit Eleazar ad dextram Mosis, & Ithamar ad sinistram Aharonis. Sed ait Rabbi Jehuda, Aharonem omnino ad dexteram Mosis se contulisse. Ingressi sunt seniores* seu *presbyteri: Atque eis etiam quod exponendum erat pariter exposuit Moses. Recedentibus senioribus, introivit universus populus, cui itidem exposuit Moses quod erat illi exponendum. Ita Aharoni quater, filiis ejus ter, senioribus bis, & populo universo semel exposita est. Recessit Moses, & exposuit eis Aharon quod erat eis exponendum. Recedente Aharone, exposuere filii ejus quod sic exponendum erat. Recedentibus filiis ejus, exposuere illis pariter seniores. Unde ita populo universo quater itidem exposita est.* Sic illi; unde etiam de exponenda discipulis lege monita quaedam habent & praecepta. Sed interim, ex mente paraphrastae allati expressa, praecessit haec expositio institutionem praefecturarum Jethronearum, ipseque Jethro auditor erat legis sic expositae & recens tunc datae, seu antequam consilium illud de praefecturis genero dedit, quod ad diem sic attinet crastinum. Atqui haud quidem facile fuerit illud de ipso die, qua refertur ad festum expiationis, satis concoquere; quod & ab Ebraeorum nonnullis rejicitur; qui tamen ipsi pariter de tempore legis dationem utcunque insequente rem capiendam volunt. Id quod etiam haud parum suadet mentio illa[m] חוקי האלהים ואת תורתיו *statutorum Dei & legum ejus* in colloquio illo Mosis & Jethronis. Fusius autem rem tractant, multisque adductis rationibus tantundem probant, scriptores christiani, tum ad Exodi caput illud, tum in annalibus sacris. Videsis maxime Abulensem[n], Torniellum[o], Salianum[p], Spondanum[q]. Sed vero aliter aliterque tempus ipsum (de cujus apicibus, die, mense aut anno ultra disputandi locus hic non est) collocant illi, aliique[r], satis interim unanimes, praefecturarum Jethronearum institutionem legis dationem haud antevertisse. Pro varietate autem sententiarum de ipso ejusdem tempore & de tempore itidem judiciorum superius memoratorum, necesse est ut aliter atque aliter (quod nemo non videt) statuatur admittaturve de illarum circa ea usu aliquo. Et de praefecturis juridicis, tam ex intervallo superiori in hoc quod legis dationem insequitur continuatis quam pro continuatis inde a nonnullis creditis, hactenus.

CAP. III.

I. *Praefecturae juridicae in territoriis Israeliticis per se constitutae ad forense regimen peregrinorum seu proselytorum domicilii.*

II. *Illarum jurisdictio & imperium. Locus in amplioribus Maimonidis editionibus de proselytismo justitiae ab puella annis minore in Judaismum recepta postmodum renunciato emendatus.*

III. *Graecis & Romanis priscis parilis tribunalium singularium in peregrinorum regimen usus. Praetor peregrinus. Quando usus ejus Romae desierit. Obiter de constitutionis de civitate cunctis in orbe Romano donatis, ab Ulpiano in digestis memoratae, autore ac tempore.*

IV. *Peregrinorum seu exterarum aliquot gentium ad circumcisionem & Judaismum recipiendum obligatio. De posteris Abrahae ex Ismaele, Ketura, Esau. Res ista ex sententia, ut videtur, praefecturae peregrinae in territorio Israelitico, dum sui id juris erat, pependit.*

V. *Inter objecta praefecturae ejusmodi peregrinae erat status exterorum de quibus dubium an ex semine Abrahae essent. Lacedaemonios inde prognatos publice olim agnoscebant tum ipsi tum Judaei. Alia ad jurisdictionem ejusmodi spectantia tam sacra quam profana. Josephi locus ex Ruffini versione sibi restitutus.*

VI. *Commentum Graeculi cujusdam veteris de Romanorum origine e tribu Benjaminitica deducenda pridem editum; de quo judicare ad peregrinam attinuit itidem praefecturam, si controversum in territorio Israelitico fuisset.*

SEquitur ut de praefecturis juridicis juxta institutum superius, quarum post legis dationem initia fuere, videamus. In earum ordinariis

[l] Gemar. Babylon. ad tit. *Erubin*, cap 5. fol. 54. 2. unde etiam Sal. Jarch ad Exod. xxxiv. 32. [m] Exod. xviii. 16. [n] In Exod. xviii. quaest. 2. [o] A. M. 2545. §. 47, 48, &c. [p] A. M. 2544. §. 721, &c. [q] A. M. 2545. §. 24. [r] Vide Jacob. Usser. Armach. A. M. 2514. pag. 27.

primum,

primum, in superiore instituti hic designatione, locum obtinent, quae jure vetustiori & simpliciori, tam circa sacra quam profana, seu tum imperativo tum interveniente gentium, usae, constitutae sunt in regimen ד גרים התושבים *proselytorum domicilii*, seu peregrinorum qui nondum in Judaismum seu proselytismum justitiae transierant, nec alio quam Noachidarum, id est, gentium, jure illo gubernandi essent intra territoria Israelitica. Nam tametsi imperium & jurisdictio ad illos seorsim attinens etiam in praefecturis Jethroneis[a], alibique ante illas, adeoque, juxta superius in libro primo admissa, ante legis dationem, exerceretur (quod quidem erat pernecessarium ob frequentem Ebraeorum & Noachidarum intermixtionem, & jurium secundum quae & degendum & dijudicandum erat discrimen) nihilominus haud ante secula legis dationem insequentia, nec ante ingressum in terram sanctam, mihi compertum, aliud fuisse proselytorum ejusmodi per se forum, aliud Ebraeorum. Idem forum, eadem praefectura tum proselytorum domicilii seu peregrinorum illiusmodi tum originariorum ac proselytorum justitiae causas simul cognoscebat, licet horum jus ab illorum etiam tunc haud parum eodem in foro discreparet; ut fere in imperio olim occidentali in eisdem tribunalibus dirimebantur causae tum eorum qui secundum jus [b]Romanum vitam profiterentur, tum eorum qui Gothicum & Longobardicum jus eligerent; seu ut alibi non raro tam peregrinorum juxta jura sua singularia causae quam originariorum juxta sua eodem in foro cognoscuntur. Atque ita ante legem & aliquamdiu post personae eaedem ex eis quarum jurisdictionem diximus in secula haec legis dationem sequentia continuatam, utroque jurisdictionis & imperii genere, ipso eodem in foro, tam circa sacra quam profana, & tam in proselytorum ejusmodi quam originariorum ac proselytorum justitiae regimine judiciario, utebantur. Cum autem singularia illa Noachidarum juris seu gentium imperativi capita septem, praeter aliquot notae minoris atque accedentia capita etiam juris gentium intervenientis, quantum ad delictorum, poenarum, personarum status, testium, id genus aliorum, simul cum discrimine illo quod in cultus ac sacrorum judiciis erat ingens (de quo alibi [c] quamplurima diximus, quae iterare hic supervacaneum nimis foret) quasi faciem integram amplamque per se conficerent forensem ab ea quae originarios ac proselytos justitiae spectaret perquam dissidentem, inde tandem non immerito inolevit ut judices peregrinis illis sive ex ipsis sive ex originariis proselytisve justitiae, sive plures sive unicus, ab eis qui praefecturis in Ebraicis judicarent, pro temporis locique ratione varia, essent ex jure moribusque receptis, ubi scilicet sui satis erant Ebraei juris, publice, ut praetores peregrini, constituendi. Atque inde illud Maimonidis [d]; חייבין בית דין של ישראל לעשות שופטים לאלו הגרים התושבים לדון להן על פי המשפטים אלו כדי שלא ישחת העולם: *Ex officio debebant illi qui tribunalibus juridicis Israeliticis praeessent judices praeficere* (quique intra ditionem suam, tum intra terram sanctam, tum alienis in terris bello aliterve Ebraeis jure adquisitis) *in regimen proselytorum ejusmodi, ut eis judicia redderent secundum jura illa Noachidarum, ne scilicet aliter corrumperetur*, aut *detrimentum nimium caperet humana societas.* Adjicit item; אם ראו בית דין שיעמידו שופטים מהן מעמידין ואם ראו שיעמידין להן מישראל מעמידין: *Si ita videbitur tribunali Israelitico* (intra cujus ditionem peregrini ejusmodi habiti fuerint) *constituant judices proselytis illis ex genere ipsorum; sin vero ita visum fuerit, constituant judices illos ex Israelitis*, sive originariis sive proselytis justitiae.

II. Jam vero nemo non videt, ad cognitionem judicum horum seorsim sic constitutorum necesse fuisse ut attineret quicquid ad cultum proselytorum ejusmodi divinum, qua interdicto idololatriae obligarentur, spectaret, uti etiam blasphemiae in eis crimen, adeoque tam sacra quam profana in praeceptis illis Noachidarum qualiacunque jura peregrinitatis contenta, & proselytorum ejusmodi causa in judicium inde deducenda, atque etiam alia quae, sive circa sacra sive profana, peculiari juris Israelitici respectu ab istis sive commissa essent sive petita, horum per se imperio ac jurisdictioni subfuisse. Et tam de sacris illis quam profanis, qua in judicium deduci legitime potuissent, ampliter olim egimus locis paulo ante citatis. De proselytorum autem ejusmodi juris capite singulari, quod circa proselytismi justitiae renunciationem & in domicilii proselytismum reditu versabatur, atque ad praefecturas hasce, quantum video, si lis inde oriretur, pertineret, obiter hic adnotare liceat, locum haberi in Maimonidis editionibus [e] amplioribus emendatione non indignum. Docet ibi ille, proselytum domicilii annis majorem in Judaismum transeuntem, seu proselytum justitiae factum, statum illum suum sub poena capitali exuere, seu in proselytismum domicilii redire, nequivisse. Nimirum proselytus erat justitiae, seu quasi Ebraeus, nec statum pristinum resumere ei licuit. Adeoque in praefecturis quae juxta jura Israelitica judicarent tum instituendae ei erant tum excipiendae actiones universae. Sed pergens dein inquit ille, ואם היה קטן כשהטבילוהו בית דין יכול למחות בשעה שיגדיל ויהיה גר תושב בלבד וכיון שלא מיחה בשעתו שוב אינו מוחה אלא הרי הוא גר צדק: *At vero, si modo esset ille minor quando a foro* seu *domo judicii baptizatus est* (id est, in proselytismum justitiae rite est receptus) *potuit quidem renunciare simul ac majorem attigisset aetatem* (annorum tredecim & diei unici in maribus, duodecim cum die itidem unico in foeminis) & *rursus fieri proselytus solum domicilii. Caeterum si tempore sic praescripto neutiquam renunciaret, postmodum renunciare ei non licuit, sed mansit proselytus justitiae.* Ac statim in editionibus illis amplioribus sequitur, לפיכך אם בא על קטנה שהטבילוה בית דין כסף כתובתה או קנס אונס או מפתה יהיה הכל תחת יד בית דין עד שתגדיל ולא תמחה בגירות שמא תגדיל ותמחה ונמצאת זו אוכלת בגיותה מעות שאין לה זכות בהן אלא בדיני ישראל: Quod sonat, *Ideo si concumberet cum minore quam baptizaverat*, seu proselytam justitiae fecerat, *Forum aliquod, pretium dotis*


[a] Deut. i 16. & vide lib. 1. cap 4. [b] Sigon. de Regno Italiae, lib. 5, & 8. [c] De Jure Nat & Gent. lib. 2. cap 2, 3. & lib. 7. cap. 6, 7, 8 alibique passim opere in illo. Et videsis supra lib. 1. cap. 2, & 4. [d] Tract. *Melakim Wemalchemoth*, cap. 10. [e] Tract. *Melakim Wemalchema*, cap. 10.

ejus,
7

ejus, sive ex vi illata sive ex illecebris adhibitis debitum, ex legibus scilicet in pentateucho singularibus, *totum manebat in custodia seu potestate fori, quoad majorem aetatem attigisset, nec proselytismo justitiae* (ut minori licuit) *renunciasset, ne scilicet aliter ipsa illud acciperet, & dein majorem attingens aetatem renunciaret, atque ita eveniret ut ipsa bona consumeret quae ad illam non spectarent alio jure quam Israelitico*, cujus ob renunciationem ejusmodi particeps esse nequiret. Adeoque quod ita subjunctum est de foemina minore, non aliter sonat quam si Maimonides voluisset ita statuendum, אם בא גר צדק *si concumberet* cum minore ejusmodi *proselytus justitiae*, aut qualis proxime ante verbis ibi describitur. Certe nec aliter legitur in codice penes me MS. pervetusto. Sed poscit tum res ipsa tum locus unde sumptus est Talmudicus [f] (uti etiam habetur in editione Veneta minori, cui adjungitur Josephi Karo *Cesepk Misna)* ut legatur, 'לפיכך אם בא ישראל על קטנה וגו *si concumberet cum minore Israelita*, seu quis alius eodem cum Israelita jure utens. Etiam in editione hac legitur, ונמצאת זו אוכלת בכותיותה מעות *atque ita eveniret ut ipsa in gentilismo suo* (in quem per renunciationem redierat) *bona consumeret*, &c.

III. Ex ratione ab ea qua subnixum est praefecturarum apud Ebraeos jam dictum discrimen non dispari, apud veteres tam Graecos quam Romanos peregrinorum fuere praefecturae per se juridicae aliae ab eis quae fuere civium. Testatur satis de Graecis Aristoteles [g], qui etiam Athenis ait [h] magistratum singularem Polemarchum dictum, ex archontibus decem unum, μετοίκων *peregrinorum* ibi causas omnimodas seorsim cognovisse (ut collegas ejus civium causas) sed non sine adsessoribus binis, quorum usus illic etiam magistratibus aliis solennis. Et de peregrinitati jurisdictione sic ibi propria scriptores Graeci alii [i] obiter & affatim. Lacedaemoniis quidem peregrinorum ejusmodi forum non erat, utpote inter quos viguit illud περὶ ξενηλασίας seu *de peregrinis non admittendis* decretum [k]; quale subinde etiam Romae, ut legibus Petronia & Papia factum, quod *inhumani* nomine a Cicerone [l] inuritur. Nimirum non sic admittendis Lacedaemone ut inter cives pro libitu commorarentur, ne moribus suis adversis rempublicam inquinarent. Sed vero quoniam ex legationibus & festorum celebratione aliasque aliquot ob causas eveniebat ut interdum peregrinorum coetus aliqui adessent, constitui solebant a regibus [m] πρόξενοι, qui προστάται [n] essent καὶ τῆς ξενίας ἐπιμεληταί, *praesides curam hospitum praestantes*, idque non modo pro re nata eos excipiendo, sed etiam de eorum mora, vitae ratione, discessu, ejusmodi reliquis, ut videtur, cognoscendo. De Proxeno item seu peregrinorum praeside Athenis consulas Dionysium Halicarnassensem in Dinarcho. Imperium & jurisdictio ejusmodi circa peregrinos singularis in animo erat Luciano, ubi in Θεῶν ἐκκλησίᾳ *Deorum ecclesia* seu *concilio* (ita enim nomen illud pro conventu qualicunque antiquitus in usu usurpatur) Mercurius praeco, inter Deos τοὺς τελείους *perfectos*, optimo jure coeli cives, & τοὺς μετοίκους καὶ ξένους, *advenas & peregrinos*, distinguens, Quis, inquit, Deorum veterum ac natalium integrorum, quibus licet loqui, in ecclesia loquetur? Ἡ δὲ σκέψις περὶ τῶν μετοίκων καὶ ξένων, *Deliberatio autem*, seu res in judicium jam deducenda, *est de diis advenis & peregrinis*. Inde Momus, primas ibi agens, ξυνέδρια *synedria* deorum ut diis peregrinis inquinata memorans, decretum tandem, ut ecclesiae scriba, Jovis jussu concipit, in quo praestituitur, ecclesiam deorum solstitio proximo hyberno in olympo celebrandam, judices item seu ἐπιγνώμονας *cognitores* seligendos ex diis natalium indubitatorum septem, quorum Jupiter unus esse debuerit; universos item ὅσοι ἀξιοῦσι ξυντελεῖν εἰς τὸ συνέδριον, *quotquot in synedrium admitti postulant*, Mercurii praeconio convocandos, de quibus uti & de testimoniis natalium, adeoque de peregrinitate eorum, cognoscendum erat a judicibus illis, qui cunctos quos neutiquam inter τελείους *perfectos* censendos esse, sed peregrinos, comperirent, ἐπὶ τὰ σφέτερα ἠρία καὶ τὰς θήκας τὰς προγονικάς, *ad sua sepulchra & majorum monimenta*, ablegare deberent; adeo etiam ut si eorum quis sic ablegatorum postmodum in deorum ecclesiam aut synedrium introire ausus esset, in Tartarum, ut peregrinum contumacem, esset dejiciendus. Hoc totum ad prisca peregrinitatis apud Graecos jura & cognitionem attinet. Singularem autem peregrinorum fuisse veteribus etiam prae aliis apud se curam, testatur satis Plato, ubi in magnetica sua futura republica vult [o], uti ex recepto passim jure, πρὸς τοὺς ξένους ὡς ἁγιώτατα ξυμβόλαια, *erga peregrinos foedera sanctissima*, esse debere. Et, Σχεδὸν γὰρ, inquit, πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ξένων καὶ εἰς τοὺς ξένους ἁμαρτήματα παρὰ τὰ τῶν πολιτῶν εἰς θεὸν ἀνηρτημένα τιμωρὸν μᾶλλον. Ἔρημος γὰρ ὢν ὁ ξένος ἑταίρων τε καὶ ξυγγενῶν ἐλεεινότερος ἀνθρώποις καὶ θεοῖς, *Ferme enim omnia peregrinorum & contra peregrinos peccata prae illis quae inter cives committuntur ultori Deo curae sunt. Nam cum peregrinus amicis cognatisque careat, majorem & apud deos & apud homines meretur misericordiam.* Accedat hic Theophrastus Heracliti filius, Acharnensis, ἐπιμελητὴς *curator* seu *praeses* apud Delios veteres Atheniensium, Romanorum, aliorumque illic peregrinorum. De eo testimonium est egregium in ara marmorea prisca e Delo ante aliquot annos in Britanniam allata, quae Apollini sacra, & in hortis ad S. Jacobi nuper cum aliis non paucis disposita, visitur jam in Albae Aulae horto, ubi Veneri, cum Cupidinibus aliquot, fit suppedaneum. Ejus forma & inscriptio aliquanto mutila ita se exhibet.

[f] Gemar. Babylon. ad tit. *Cethuboth*, cap. I. fol II. I, &c. [g] Polit. 3. cap. I. [h] Apud Harpocrationem in ἀπροστασίου & πολέμαρχος [i] Demosth. Orat. in Stephanum, Scholiast. in Aristophanis Vespas. Pollux lib. 8. cap. 4. Suidas in πολέμαρχος, & videsis Sigonium de Rep. Athen. lib. 3. cap. 3. Samuel. Petit. ad leg. Attic. lib. I. tit. 5. Ubb. Emmium in Descript. Reip. Athen. pag. 49. [k] Xenophon de Repub. Lacedaem. Plutarch. in Lycurgo. [l] Offic. 3. & videsis Coras. Miscel. 2. cap. 23. §. 8 [m] Herodot. in Erato. [n] Hesychius in πρόξενοι & προστάται. Videsis Nic. Cragium de Rep. Lacedaem. lib. 2. cap. 10. & lib. 3. cap. 3. [o] De legibus lib. 4.


....ΕΟΦΡΑΣΤΟΝΗΡΑΚΛΕΙΤΟΥΑΧΑΡΝΕ....
....ΠΙΜΕΛΗΤΗΝΔΗΛΟΥΓΕΝΟΜΕΝΟΝΑΘΗΝΑΙΩ....
.....ΑΙΡΩΜΑΙΩΝΚΑΙΤΩΝΑΛΛΩΝΞΕΝΩ.....
..ΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣΚΑΙΠΑΡΕΠΙΔΗΜΟΥΝΤΕΣΕΝΔΗΛ..
.ΕΤΗΣΕΝΕΚΕΝΚΑΙΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣΚΑΙΤΗΣΠΡΟΣΤ.
....ΟΥΣΕΥΣΕΒΕΙΑΣΑΝΕΘΗΚΑΝΑΠΟΛΛΩ...

Quod proculdubio legendum ut, literis etiam miniatis lacunas fupplens, legit ὁ μακαρίτης Patricius Junius [p],

Θεόφραστον Ηρακλείτου Αχαριέα
Επιμελητὴν Δήλου γενόμενον Αθηναίων
Καὶ Ρωμαίων καὶ τῶν ἄλλων ξένων.
Κατοικοῦντες καὶ παρεπιδημοῦντες ἐν Δήλῳ,
Αρετῆς ἕνεκεν καὶ καλοκαγαθίας καὶ τῆς πρὸς τοὺς
Θεοὺς εὐσεβείας, ἀνέθηκαν Απόλλωνι.

Id eſt,

Theophraſtum Heracliti Acharnenſem,
Curatorem ſeu *praeſidem, in Delo, Athenienſium,*
Et Romanorum, aliorumque peregrinorum.
Inquilini atque peregrini in Delo,
Virtutis cauſa & probitatis & erga
Deos pietatis, conſecrarunt Apollini.

Theophraſtum illum Athenienſem eſſe conſtat, utpote ex tribu Oineidis illic Acharnenſi dicta [q]. Ejuſmodi autem Graecorum mos erat, uti etiam in aliis necdum editis marmoribus liquet, quando ὑπὲρ σωτηρίας ſeu ὑγιείας, *pro* cujuſpiam *ſalute* aut *felicitate*, votum numini alicui, ſive unico ſive pluribus, ſolvebant, illum quem ſic ſalutis ejus procurandae cauſa honorabant, caſu quarto, ſubaudito verbo illum regente, nominare; & dein, eam in rem aut diis conſecrationem, ut hic, ſive ſubjungere ſive praetermittere. Forte illuc, ut cognata ſpectat inſcriptio Iſidi vetus haec, quam ex id genus cimeliis aliis illuſtriſſimi viri Franciſci Mauroceni Venetiis viſendis anno 1637 deſcriptam mecum, uti & alias, amiciſſime communicavit vir eruditiſſimus Joannes Pricaeus.

ΓΑΙΟΣΓΑΙΟΥΑΧΑΡΝΕΥΣΙΕΡΕΥΣΓΕΝΟΜΕΝΟΣ
ΕΝΤΩΕΠΙΝΑΥΣΙΟΥΑΡΧΟΝΤΟΣΕΝΙΑΥΤΩ
ΚΑΙΟΙΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙΚΑΙΟΙΘΕΡΑΠΕΥΤΑΙΥΠΕΡ
ΤΟΥΔΗΜΟΥΤΩΝΑΘΗΝΑΙΩΝΚΑΙΤΟΥΔΗΜΟΥ
ΤΩΝΡΩΜΑΙΩΝΙΣΙΔΙΔΙΚΑΙΟΣ.ΥΝΗΙΔΡΥΣΑΝΤΟ.

Gaius Gaii F. Acharnenſis Sacerdos factus
In Nauſii Archontis anno,
Et Melanephori & miniſtri pro
Populo Athenienſium & populo
Romanorum Iſidi juſtitiae dedicarunt.

Civium & peregrinorum ſimul hic ratio habita, qua ſic miſcentur, ſingularis. In lineae poſtremae vocabulo δικαιοσυνῃ deſcriptio inter σ & υ velut lacunulam prae ſe ita fert, quam exſcriptor fidus praeterire noluit. Sed puto δικαιοσύνῃ omnino legendum. Diis deabuſque ſcimus plerumque tribui cognomina adjective uſurpata; quod ſatis liquet ex hymnis Orphei dictis, ſcriptiſque obviis aliis, uti & marmoribus. Atqui interdum iis adhibentur etiam ſubſtantiva ſingularia. Sic Minerva ſeu Pallas Ὑγίεια *Salus*, Νίκη *Victoria*, Παρθένος *Virgo*, aliterque ſimili modo Athenis culta. Quemadmodum etiam dixit Homerus,

Ἵκετο δ' εἰς Πυθῶνα καὶ εἰς Ἀθηνᾶν προνοίην,

Venit ad Pythonem, & ad Minervam providentiam. Ita ſcilicet Julianus [r] ex Homero citat; unde tamen tranſcripſit Euſtathius [s], —— καὶ εἰς γλαυκῶπα προνοίην. Sed & alibi [t] Julianus meminit τῆς προνοίας Ἀθηνᾶς, nec ſemel. Etiam apud Delphos fuiſſe templum Ἀθηνᾶς προνοίας *Minervae providentiae* teſtatur Pauſanias [v]. Ejuſmodi diis deabuſque aliis tributa ſunt epitheta, ut Jovi σωτῆρος, *fortunae, reducis* nomen, aliaque id genus aliquot. Unde hic Iſis quae plane quicquid erat dearum in ſe continet; (ut Deorum quicquid erat, Oſiris) *Dicaioſyne* ſeu *Juſtitia* dicta; quae itidem, ut Δίκη, per ſe dea eſt in Orphei hymnis, alibique. Nec quid ei magis proprium; utpote quae *Theſmophora* dici ſolita, & cujus poteſtas erat τὸ δεῖν καὶ λύειν *ligare & ſolvere* legibus, quod in veteri illa in Arabia ei inſcriptione libro ſuperiore e Diodoro Siculo memorata liquet. Etiam Hermopolitanis eam Dicaioſynen dictam eſſe expreſſim memoratur apud Plutarchum [x]. Quiſnam autem Gaius hic, aut quando vixerit, haud magis hinc compertum quam tantundem de Theophraſto ex inſcriptione priore. Nec cujuſnam numinis fuerit ſacerdos hinc liquet, niſi Iſidis ſit exiſtimandus. Neque cujuſnam temporis fuerit Nauſius Archon conſtat. Nauſigenem & Nauſiclem legimus in Athenarum Archontibus; nullibi Nauſium. Sed habetur e Velſeri apud Gruterum ſchedis ſaxum quod obiter cum Mauroceniano hoc merito conferendum. Apud eum ita legitur [y];

ΓΑΙΟΣΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΥΣΙΕ ΡΕΥΣΓΕΝΟΜΕ ΝΟΣΘΕΩΝΜΕ ΓΑΛΩΝΔΙΟΣ ΚΟΡΩΝΚΑΒΕΙΡΩΝ ΕΝΤΩΕΠΙΔΙΟ ΝΥΣΙΟΥΤΟΥΜΕ ΤΑΛΥΚΙΣΚΟΝΑΡ ΧΟΝΤΟΣΕΝΙΑΥ ΤΩΙΔΡΥΣΑΤΟ.	*Gaius Gaii F.* *Acharnenſis Sa-* *cerdos fa-* *ctus Deorum Mag-* *norum Dioſ-* *curorum, Cabriorum,* *in eo qui fuit Dio-* *nyſii, qui erat poſt* *Lyciſcum, Ar-* *chontis an-* *no dedicavit.*

Dioſcuros ſeu Caſtores *magnorum deorum* nomine (quod itidem ſonat *cabiri* vox) apud Graecos [z] ce-

[p] In Notis ad Clementis Epiſtolam ad Corinthios. [q] Stephanus περὶ πόλεων in Ἀχάρνα. [r] Orat. 4. in Regem Solem pag. 270. [s] Ad Iliad. α. pag. 83. [t] Orat. 5. pag. 337. & 7. pag. 409. & 427. [v] In Phocicis. [x] Lib. de Iſide & Oſiride. [y] Theſaur. pag. 319, 19. [z] Pauſanias in Atticis.

lebratiſſimos
3

lebratissimos scimus. Gaius hic Gaii filius (forsan idem ipse qui in Mauroceniano marmore) sacerdos est Dioscurorum, quibus & *Cabirorum* nomen, ut diis aliis aliquot, tributum. Characteres sunt hic temporis quidem expressiores, sed non ita intellectu faciles. Dionysii in in Archontum Athenarum censu continuo mentio nulla. Habetur autem Lyciscus [a], Eubuli successor, anno Olympiadis 109 primo, seu sub Philippo Macedone Alexandri M. patre, Archon; cui non succedit Dionysius, sed Pythodorus Diodoro dictus, seu Pythodotus, ut Dionysio Halicarnassensi [b], unde Dionysium hunc recte collocat Joannes Meursius [c] inter eos quorum tempora nesciuntur. Certe illo in aevo, quo Lyciscus Eubuli successor fuit, facile admittendum non fuerit, in tribu Acharnensi nomen *Gaii* seu *Caii* Romanum sic usurpatum. Adeoque recentioris commatis videtur inscriptio quam ut Lycisco illi coaeva sit censenda. Forte etiam non ad Athenas ipsas aut earum attinet Archontas, sed ad Deliorum, Pariorum, aut ejusmodi aliorum. Quid item in priore Gaii saxo significet *Melanephori*, nondum satis didici. Sed munus aliquod puto erat ad sacra Isidis, Serapidis, aliorum aliquot ex AEgypto maxime deorum spectans. Legitur inscriptio Graeca in epistolis Italicis Petri Bembi [d] ad Joannem Baptistam Rhannusium, ubi Theophilus Theophili F. Antiochenus dicitur Μελανηφόρος Serapidis, Isidis, Anubidis, Harpocratis, Seleuco Andronici Rhamnusii filio sacerdote. Inde quidem transcripsisse se ait Gruterus [e], apud quem Theophilus ille dicitur ΑΝΥΧΕΤΕΥΣ *Anyecheteus*. Quoniam, quae habetur apud Bembum, negligentius etiam in aliis exhibita est in Grutero, e Bembo non ita obvio, subjuncta cum versione, eam hic damus.

ΘΕΟΦΙΛΟΣΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣΤΗΝΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙΤΗΝΓΡΑΦΗΝΤΩΝ
ΤΕΤΟΙΧΩΝΚΑΙΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣΚΑΙΤΗΝ
ΕΚΛΥΣΙΝΤΩΝΘΥΡΩΝ
ΚΑΙΤΟΥΣΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣΕΝΤΟΙΣΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙΤΑΣΕΠΑΥΤΟΙΣΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝΣΑΡΑΠΙΔΙΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΙΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ
ΕΠΙΙΕΡΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ.

Versio apud Bembum est,

Theophilus Theophili Antiochenus Melanephorus, fani hujus tectorium, parietumque ac tecti picturam, & hostiorum valvas, necnon mutilos qui in parietibus sunt, & iis impositas tabulas sacravit Sarapidi, Isidi, Anubidi, Harpocrati, sacerdote Seleuco Andronici Rhamnusio. Gruterianam cum hac, ut cum origine, comparet qui velit. Ut e Bembo hic damus, ex ipso postmodum etiam saxo Graece dedit Laurentius Pignorius [f]. *Fanum* in versione est παστοφόριον *pastophorium*, nomen primarie fani, maxime apud AEgyptios in numinum horum delubris, pratis, unde ipsum per synecdochen fanum sic dictum. Saepius quidem legitur *pastophoria* in Graecis foederis Veteris [g], maxime pro לשכות *conclavibus* sacris Levitarum sacerdotumque; ubi Vulgata habet *gazophylacia*, uti & Aquila; Symmachus ἐξέδρας [h]. Hieronymo *Thalami*. Idem interdum est הסכן *habitaculum*; unde etiam ille, Soc: en *aut tabernaculum interpretatur, aut pastophorion, hoc est, thalamus in quo habitat praepositus templi.* Syrus & Arabs pro gradibus in Ezechielis loco indicato capiunt. Sed etiam in Maccabaicis [k] Graece & Latine usurpatur *pastophoria* pro conclavibus ejusmodi. Ubi Syrus, *pro* καὶ τὰ παστοφόρια καθῃρημένα, *& pastophoria* e templo *sublata sunt*, substituit ܘܟܠܗܘܢ ܨܒܬܝܗܘܢ ܕܗܝܟܠܐ *omnia ornamenta destructa sunt*; uti & postmodum *pastophoria* interpretatur. Gallus ibi, *les assiettes pur manger*, Lutherus, der Priester zellen; nostri, the Priests chambers, & chambers, uti & Duacenses. *Pastophoria* ibi interpretatur Hugo Grotius, הלשכות *id est, conclavia illa ad templi latera in quibus servabantur vestes sacerdotales, instrumenta templi, copia aromatum, & similia*; & se refert ad citata ante ex Ezekiele & Paralipomenis loca. Atque ita sumi solere liquet ex vocabulario *catholico* dicto. Etiam in ecclesiis christianis pastophoria fuere. In constitutionibus apostolicis dictis, ubi de ecclesiae dispositione agitur [l], Ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ παστοφόρια πρὸς ἀνατολήν, *Utrinque sint pastophoria versus orientem.* Et de eis videsis plura apud Durantum [m] & Joannem Vossium [n]. Vox autem plane ex sacris apud paganos locorum nominibus sumpta. Hesychius, Παστοφόριον, τὸ τὸν παστὸν φέρον, ἡ οἰκονομία, ἡ συναγωγὴ, ἡ ναὸς ἱερός. Et Suidas, Παστοφορεῖον, τὸ φέρον τὸν παστόν. Ita fanum ipsum tum qua ornabatur tum qua velum ei oppansum denotabat. Claudius Salmasius [o], *Sed & παστὸς velum significat variegatum plumario opere, quod thalami vel oeci foribus praetendebatur. Inde παστοφόρια templorum atria, in quibus ejusmodi vela praetenta essent, vel quod is locus destinatus esset mansionibus τῶν παστοφόρων. Quod verius. In templo Isidis, & aliarum si forte dearum, ut deae Syriae, & matris deum, certus coetus fuit sacratorum hominum qui* παστοφόροι *dicebantur, a* παστῷ, *quod erat velum linteum variegatum thalami foribus vel sacrae Calybae oppandi solitum.* Ita ille. De pastis autem, pastophoris, ac pastophoriis AEgyptiis optime Clemens Alexandrinus, ubi [p] de insigni AEgyptiorum fanorum splendore verba faciens, Τὰ δὲ ἄδυτα χρυσοπάστοις ἐπισκιάζεται πέπλοις· ἀλλ' ἢν παρεισέλθῃς τὸ βάθος τοῦ περιβόλου, σπεύδων ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ κρείττονος, ζητήσεις τὸ ἄγαλμα τὸ ἔνοικον τοῦ νεώ. Παστοφόρος δέ, ἢ τις ἄλλος τῶν ἱεροποιούντων περὶ τὸ τέμενος, σεμνὸν δε-

[a] Diodorus Siculus Bibliothec. 16. [b] In Epist. ad Ammaeum pag. 123. [c] Archontib. Athen. lib 4. cap. 20. & vide sis inc cap. 10. [d] Volum. 2. pag. 55. Venetiis 1551. [e] Thesauro pag. 84. 3. [f] Explicat. Mensae Isiacae, pag. 32. [g] Ezechiel. xl. 17, & 38. 1 Paralip. ix. 26, 33. & xxiii. 28, &c. [h] Hieronymus ad Ezechiel. xl. [i] Idem ad Jer. xxii. 15. [k] Lib. 1. cap. iv. 38, & 57. [l] Lib 2. cap. 57. [m] De Ritibus Ecclesiae lib. 1. cap. 16. § 5. [n] De Vitiis Sermonis lib. 3. cap 33. [o] In Plinianis pag. 1217. [p] Paedagogi lib. 3.

δερκὰς

δορκὼς, παιᾶνα τῇ Αἰγυπτίων ᾄδων γλώσσῃ, ὀλίγον ἐπαναστείλας τοῦ καταπετάσματος, ὡς δείξων τὸν Θεὸν, πλατὺν ἡμῖν ἐνδίδωσι γέλωτα τοῦ σεβάσματος. Pastophori scilicet, signantius sic dicti, aut sacrificulorum alii, levato παστῷ seu *velo* quo numen AEgyptium tegebatur, illud advenis ostendebant. Hinc & *pastophorii* & *pastophori* in AEgypto nomen. Et de pastophororum doctrina in re medica singulari seu hermetica Clemens etiam alibi [q]. Et *coetum pastophororum, quod sacrosancti collegii nomen est*, memorat in sacris Isiacis Apuleius [r]. Deos autem invicem sociales fuisse illos simul in marmore memoratos scimus ex Ovidio [s], aliis. Sed rarum satis est vocabulum *Melanephorus*, neque ullibi extra inscriptiones hasce mihi observatum. Officium Melanephororum circa sacra versatum esse, non dubitandum. Sonat vox quasi *Nigrigeruli*. Et in pompis sacris, numinum ornamentis gestandis praestitutos fuisse indeque denominatos ministros, facile concedendum. Sic Hierophori, Thyrsophori, id genus alii. In Isidis autem ornamentis erat, *qua longe longeque* (ut Apuleius [t]) *etiam meum confutabat obtutum, palla nigerrima, splendescens, atro nitore, quae circumcirca remeans*, &c. Unde Laurentius Pignorius in Isiacis [v], *Et quidem in tabula universa nigror hic maxime conspicitur argento fere semper discretus, qua mente Apuleius eidem Isidi praetextam discolorem, & pallam nigerrimam adsignavit.* Hinc eliciendum quid Melanephorus, me docuit, ut compluria solet, vir praestantissimus Gerardus Langbainius, collegii apud Oxonienses reginalis praeses; scilicet Theophilum hic fuisse ex Melanephororum sodalitio, cujus munus erat *pallam* illam *nigerrimam* gestandi. Quo proculdubio spectat illud Plutarchi [x] de Iside, eam pro Luna sumi, & cornua imaginis ejus pro illuminationibus falcatis; ταῖς δὲ μελανοστόλοις ἐμφαίνουσι τὰς κρύψεις καὶ τοὺς περισκιασμοὺς, ἐν οἷς διώκει ποθοῦσα τὸν Ἥλιον, *nigris autem vestibus occultationes ejus & obumbrationes designant, quibus solem desiderans sectatur.* Quod ad peregrinorum autem jus forense spectat; in veteri item Roma, quamdiu unicus erat praetor, is tam peregrinorum quam civium causas (uti ante praetorem creatum consules) sed juxta jura istorum diversa cognoscebat, aut judices dabat. Cum vero primo bini creati sunt, sub annum ab urbe condita DX [y], alter eorum factus est peregrinus (sic enim nuncupabant praetorem qui peregrinorum causas seorsim cognoscebat) alter urbanus. Atque ut hic juxta jura civilia de civibus decrevit, ita ille juxta jura gentium de peregrinis. Pomponius in Enchiridio [z], *Post aliquot deinde annos, non sufficiente eo praetore*, urbano scilicet seu unico ante creato, *quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus est & alius praetor, qui peregrinus appellatus est, ab eo quod plerumque inter peregrinos jus dicebat*; scilicet inter peregrinos plerumque agentes & excipientes, uti etiam alias inter cives & peregrinos, ubi juxta jura peregrinitatis actionibus locus. Theophilus item antecessor [a] praetorum alium dictum esse ait οὐρβανὸν *civilem*, alium περεγρῖνον, quoniam jura dicebat τοῖς ξένοις τε καὶ ἐπήλυσι, *peregrinis & advenis.* De sortitione praetorum urbanorum, peregrinorum, provincialium frequens apud Livium, Dionem, Appianum, alibique mentio. Peregrinum item *minorem* aut *secundarium* appellatum, uti urbanum *majorem*, notavit Caelius Rhodiginus [d], aliique. Praetor hic peregrinus, ut in historiis [c] obiter, ita & in legibus vetustis & inscriptionibus occurrit. In legis Serviliae fragmentis adeo variatim [d] editis nuncupatur PR. QUEI INTER PEREGRINOS IOUS DEICET; ubi de munere ejus singulari vide Sigonium. Marmor autem vetus Romae, Priscum Licinium propraetorem, sub Adriano Augusto, Britanniae nostrae [e], aliisque dignitatibus cumulatissimum, exhibet, inter reliquas, nomine PR. praetoris INTER CIVES ET PEREGRINOS [f], qua nominis formula, ut solenni, saepius apud Livium [g] memoratur ille peregrinus praetor. Et Tacito [h] dicitur *cui jurisdictio inter cives & peregrinos evenit.* Auximi item in agro Piceno visitur inscriptio Caio Oppio [i], cujus inter honores memoratur PR. PEREGR. quae ad Adriani tempora palam spectat. Quidam etiam, cujus nomen aevi injuria obliteravit, PRAETOR PEREGRINUS nuncupatur in marmore vetere sub Antonino Pio [k] Augusto, seu proximo Adriani successore. Quinetiam memoratur in Pandectis liber trigesimus Antistii Labeonis [l] celeberrimi sub Octavio Augusto jurisconsulti *praetoris peregrini*, seu ad edictum praetoris ejusmodi, ut ipsius aliorumque, ad edicta praetorum urbanorum, ibidem alii. Postrema autem, quantum video, quod obiter adnotare liceat, in monumentis Romanorum, praetoris peregrini, ipsius muneri coaeva, mentio sic reperitur sub Antonino Pio. Certe post eum usus esse quibat praeturae peregrinae vix ullus, saltem exiguus, nec qualis in seculis antecedentibus, si nempe is autor fuerit constitutionis ab Ulpiano memoratae de civitate Romana cunctis in orbe Romano donanda. Ulpianus lib. XXII. ad edictum [m], *In orbe Romano qui sunt, ex constitutione imperatoris Antonini cives Romani effecti sunt.* Legebatur olim ab Accursiis, Bartolis, Baldis, *in urbe Roma qui sunt* [n]; nec aliter antequam e Pandectis Florentinis locus est emendatus, & lectio illa, *in orbe Romano*, inde restituta. Sed etiam editiones aliquot splendidiores *in urbe Roma* retinent, tametsi e Pandectis illis emendatas esse obtendant editores. Cum autem *orbis Romanus* tam τὴν οἰκουμένην seu homines universos quam imperii Romani subditos incolasve subinde [o], sed nimis adulatorie, significet, sentiendum est, uti & docet ipse Justinianus [p], non priori sed posteriori sensu verba hic accipienda, adeo ut

[q] Stromat. 6. [r] Milesiarum lib. 11. [s] Metamorph. 9. [t] Miles. 11. [v] Pag. 10. [x] Lib. de Iside & Osiride. [y] Florus in Epit. Livii Dec. 2. lib. 9. [z] L. 2. §. 29. D. tit. de Origine Juris, vide D. D. ibid. & Fenestellam de Magistrat. cap. 13. Lips. ad Taciti Annal. 1. §. 77. & Alexand. ab Alexand. Gen. Dierum lib. 2. cap. 15. Rosin. lib. 7. cap. 11. Valentinum Forster. Hist. Juris Romani lib. 2. cap. de Praetorum edictis. Aymar. Rivall. Hist. Juris Civilis, lib. 3. Marquard. Freher. Parerg. 2. cap. 17. Georg. Eberlin, de Orig. Juris, cap. 23. § 12. [a] Institut. tit. De Jure Nat. §. 7. οὐρβανὸς. [b] Antiq. lect. 12. cap. 8. [c] Videsis Petr. Tholosanum Syntag. Juris Universi, lib. 47. cap. 30. §. 7, 8. [d] A Fulvio Ursino §. 8. Sigonio de Judiciis lib. 2. cap. 27. Lipsio in Auctario pag. 10. Grutero Inscript. pag. 506. [e] Guil. Camden. Brit. pag. 46. [f] Smetius pag. 66. 1. Gruter. in Thesauro pag. 491. 1. [g] Lib. 33, 39, 42, 45. & videsis Jo. Coraesium ad tit. De Origine Juris, l. 2. §. post aliquot. [h] Annal. 1. [i] Smetius pag. 97. 13. Gruter. p. 446 a. [k] Gruter. pag. 399. 6. [l] L. 9. D. tit. De Dolo mal. §. *Et si servum.* [m] L. 9. D. tit. de Statu Hominum. [n] Videsis Alciat. Dispunct. lib. 2. cap. 21. [o] Videsis Claud. Salmas. ad Trebell. Pollionem pag. 306. [p] Novell. 78. cap. 5.

inde

3

inde peregrinitatis jura ad eos qui Romae peregrini ejusmodi essent singularia ante spectantia haud diutius manerent, sed in civilia, ut ipsi peregrini in cives, converterentur; unde & praetoris peregrini usus ut haud parum minueretur fieri nequibat. Rutilius [q] de Roma ipsa,

Urbem fecisti quod prius orbis erat.

Glossae juris veteris explicant *περεγρίνυς* per *ἔξωθεν τῆς Ῥώμης οἰκοῦντας. Λατῖνοι γὰρ τὴν Ῥώμην οἰκοῦντες*, *extra Romam* (quod de territorio seu orbe Romano, non urbe ipsa, capiendum) *degentes. In Roma enim qui degunt*, seu *domicilia habent*, *Latini dicti.* Et plane quo plures etiam a principibus anterioribus civitates civitate Romana donatae, eo magis magisque deminutam praetoris peregrini jurisdictionem nemo non videt. Constitutionem autem illam universos in orbe Romano ingenuos seu conditionis plane liberae complexam esse, concedi solet, nec servos, aut qui ex jure libertinitatis [r] singulari nondum jus Quiritium assecuti essent. Sed ii, licet cives non essent, inter peregrinos tamen neutiquam censebantur. Illam indubitanter Antonino Pio tribuunt viri doctissimi aliquot ad locum illum scribentes, uti etiam alii [s] alibi. Alii obiter rem tractant ut ex Antonini constitutione pendentem, nec interim sive huic Antonino sive reliquorum alicui expressim tribuentes. Qui vero sic Pium hic intelligunt, autorem habent maximum, Justinianum ipsum, qui diserte constitutionem hanc illi tribuit [t]; ubi & *Pii* cognomen sibi ab illo simul petit. Nec quidem videtur mihi recepta diu ante eum, seu Chrysostomi aevo, sententia dissona. Pater enim ille sanctus de Paulo apostolo [v] Romani civis nomine se apud centurionem defendente agens, *Neque enim*, inquit [x], *cunctis is tunc honor* aut *dignitas*. *Ἀπὸ γὰρ Ἀδριανοῦ φασι πάντας Ῥωμαίους ὀνομάζεσθαι. Τὸ δὲ παλαιὸν οὐχ οὕτως ἦν*, *Ab Adriano enim ferunt*, seu *recipitur*, *universos Romanos denominari*, seu *civium Romanorum in numero haberi. Antiquitus autem*, seu Pauli tempore, *se res haud ita habuit.* Ubi *ab Adriano* non intelligo cum viris aliquibus doctissimis quasi Adrianum omnino autorem esse constitutionis alicujus de civitate sic universim communicanda inde a Chrysostomo innueretur (licet eum *Latium multis civitatibus dedisse* sciamus ex Spartiano) sed adverbium *ἀπὸ* *ab* idem ibi denotare quod *post*; post scilicet Adrianum, seu sub Caesaribus post Adrianum imperantibus, communicatum fuisse civis Romani nomen universis in orbe Romano. Atque hoc sane bene quadrat cum eo quod est, Antoninum Pium Adriani successorem proximum autorem constitutionis illius fuisse. At vero sunt itidem viri eruditissimi qui admitti nolint Pium hic intelligi. Certe apud Aurelium Victorem [y] legitur sub Marco Aurelio Antonino philosopho, Pii successore proximo, *civitatem cunctis promiscue datam.* Sed etiam Antonino hoc recentiorem faciunt illi constitutionem jam dictam, eamque tribui volunt [z] aut Antonino Bassiano Caracallae dicto, D. Severi filio, qui coepit imperare sub annum a morte Antonini Pii quinquagesimum, aut Heliogabalo illum sequenti, qui Antoninus etiam dictus. Argumenta maxime sumunt ex eo quod etiam post Antoninum Pium, & ab Caracalla ipso, civitates, municipia, & coloniae non paucae factae sint juris Italici; quod scimus ex Ulpiano, Paulo [a], aliis sub Caracallae ipsius tempora florentibus. Et quorsum, inquiunt, jus Italicum sic datum, si ii quibus datum est ante fruerentur jure Romanae civitatis seu Quiritium, quod jure Italico majus est? Adjiciunt etiam, sub Antonino philosopho distinctionem in Galliis apertam a praeside fieri inter civem Romanum & qui cives non essent, atque juxta illam distinctionem poenas diversas ab eo irrogatas martyribus aliquot, ut legitur apud Eusebium [b]; quasi distinctio illa fuisset inter cives & peregrinos in orbe Romano domicilia habentes. Adeoque existimant aliqui sententiam hanc amplexantes, Ulpianum illud de Antonino, velut principe sub quo scripsit ipse, seu Caracalla, in libris ad edictum scripsisse postquam de censibus seu jure Italico scripta sua ediderat; quasi post haec edita constitutionem illam de civitate universis donanda promulgaverat Antoninus ille seu Caracalla. Sed vero in illo ex Eusebio adducto nihil comparet de peregrinitate in liberae conditionis hominibus, qui orbis Romani incolae, sed tantum discrimen inter cives Romanos & non cives, quo nomine non solum peregrini revera & barbari, id est, territorii Romani non incolae, veniebant, sed itidem servi & libertinitatis tantum jure utentes. Adeoque tam hi quam illi tunc in Galliis esse potuere, nec ibi pro civibus haberi. Unde profecto nulla in ratione inde petita hic vis. Quantum autem ad illud de jure Italico post Antoninum Pium sic dato (de cujus sensu, prae aliis ad titulos citatos obviis, consulas Cujacium [c]) sane si exinde argumentum hac de re sumendum, non video cur non pariter sequeretur ne quidem annis CCXX ab Antonino Pio, seu CLX etiam post Caracallam, civitatem Romani orbis incolis universim sic datam esse. Nam habetur expressim in codice Theodosiano [d] edictum Valentiniani, Valentis, & Gratiani Augustorum ad Clearchum praefectum urbis Constantinopolitanae (quod temporibus jam designatis respondet) ubi *Italici juris auxilium arbitra aequitate* Constantinopolitanis *renovatur*, & conceditur *publicis ut actibus intimetur*, *& incisa tabulis debita solennitate permaneat.* Hic plane juris Italici tunc Constantinopolis particeps, ut civitates itidem ac municipia etiam tunc alia. Certe variatim est intellecta constitutio illa, a quocunque facta fuerit. Sed demum ejusmodi nacta est effectum, ut recte eam suspiciens dixerit Sidonius Apollinaris [e] de Roma, *unicam eam esse totius orbis civitatem, in qua soli barbari* (id est, orbis Romani non incolae) *& servi peregrinantur.* Quod tamen sic & vere satis dictum (sive civitatis ipsius aut Quiritium, sive libertinitatis,

[q] Itinerar. l. b. 1. [r] Gaius Instit. tit. 1. & 6. Ulpian. de Reg. tit. De Libertis Inst. & D. tit. De Libertinis. [s] Barnab. Brisson de Verb. signific. in Antoninus Aug. J. Savaro ad Sidonii Apollinaris lib. 1. epist. ... ibidem Jacobus Sirmondus. [t] Novell. 78. cap 5. [v] Act. xxii. 25. [x] Homil. 48. in Acta. [y] In Caesaribus cap. 16. [z] Matth. Wesenbech. in Paratit. tit. De Statu Hominum, & tit. De Censibus; alii ibid. Samuel. Petitus ad legg. Attic. lib. 2. tit. 2. pag. 136. Alii ad l. 17. D. tit. De Statu Hominum. [a] L. 6. & 8. D. tit. De Censibus, & vide Ulpian. de Regulis, tit. De Latinis. [b] Hist. Ecclesiast. lib. 5 cap. 1. & apud Baronium, tom. 2. ann. 179. § 17, 18. [c] Observat. 10. cap. 35. [d] Lib. 14. tit. 13. [e] Lib. 1. Epist. 6.

sive Latinitatis peregrinitatisve jura, aut jus ipsum Italicum spectes) ita temperandum est ut consistere admittantur quae ex vestigiis hanc circa rem apud veteres juridicis constitutione Antoniniana ipsa, cujus verba non aliter habemus atque sic breviuscule memoratur obiter Ulpiano, recentioribus necessario sint elicienda discendaque. Consulas, si placet, scriptores ea de re obvios ad citatum in digestis ex Ulpiano locum & ad illud Modestini[f], *Roma communis patria est*, uti etiam alios [g] qui diversimode constitutionem illam interpretantes, ea interdum inde consequi volunt quae plane momenti sint in civili doctrina gravissimi, & cum primis animadvertenda. Inscriptio autem illa in Theophrasti Acharnensis peregrinorum praesidis honorem apud Delios concepta (quam supra attulimus) constitutione illa Antonini de orbe Romano civitate donato, puto, antiquior est. Nam postea ejusmodi Romanorum, Atheniensium, Deliorum, ad jus civitatis distinguendum, discrimen haud videtur usurpatum. Sed vero in seculis recentioribus simile quid praefectis illis seu judicibus peregrinitatis subinde repertum. Id genus satis erant apud Anglos nostros circa annos abhinc trecentos *justiciarii seorsim ad custodiam Judaeorum assignati*. Scilicet hic complures eorum per urbes nostras sparsi ita gubernabantur ut jure non omnino civibus Anglicanis cum illis communi, sed ipsis peculiari, regerentur, uti etiam qui commerciis eorum Angli aliive immiscerentur. Etiam mercatoribus exteris seu peregrinis domesticisque, eo quod cum illis hi commisceri solebant, jura fuere singularia, quae olim in cancellaria, velut peregrinorum aliorumque mercatorum omnium tribunalis ordinarii summi personam saepius sustinente, atque in consistoriis aliquot e re nata inde, parili nomine, variatim solitis delegari, velut jura per se, gentium ac naturae, apud nos in usu[h], lex mercatoria, Ley Merchant & ley de Nature in libris nostris juridicis dicta. In quantum autem maritimae eorum causae fuerint, inolevit tandem ut ad curiam marinam seu admiralitatis jure itidem singulari ejusmodi spectarent, quemadmodum olim interdum ad auditores hinc inde deputatos, qui judicii ordinarii formulas non sequentes, peregrinorum invicem causas ex aequo & bono tantum dirimerent. Inter libellos supplices [i] parliamenti anni Edwardi apud nos regis secundi habetur schedula cui titulus *Articuli ad formam querelarum faciendam*, ortarum nempe inter Anglos Gallosque circa spolia maritima, atque alia ejusmodi evenire solita. Recensitis tunc compluribus inquirendi articulis subjungitur, *Quia auditores hinc inde deputati secundum solitum ordinem judiciorum non procedunt in praemissis, nec jura localia unius vel alterius regni imitantur, sed secundum quandam aequitatem sinceram & modos inter ipsos concordatos viam ordinarii processus tenent, eo quod hujusmodi negotia sunt inter duo regna, ne inter ea, sicut alias, ex defectu celeris justitiae discordiae emergent generales, alia sunt inquirenda, quae propter hujusmodi ordinationum diversitatem & factorum infinitatem exprimi non possunt nec per aliquem excogitari sine examinatione & notitia totius registri, ut cuilibet actioni secundum sui naturam ordinatio competens opponatur.* Sed haec forsan nimis extra callem videantur, in quem redimus.

IV. Inter jura peregrinis apud Ebraeos seu proselytis domicilii, ubi sui scilicet juris essent Ebraei ipsi, eorumque regimini propria, adeoque in praefecturis illis quibus suberant per se isti juridicis, juxta quae superius hic alibique ea de re diximus, exercenda, illud de singularibus gentium aliquot, quantum ad Judaismum, & discrepantibus invicem juribus, hactenus praetermissum aut non satis explicatum, observatu est hic forsan non indignum, velut id quod ad praefecturarum illarum peregrinarum jurisdictionis partem singularem, eamque circa sacra proselytorum domicilii ex gentibus illis singularia praestandam, attineret. Pari jure utebantur omnes, scilicet Noachidarum, proselyti domicilii seu peregrini simpliciter ita dicti, qua tales. Sed fuere ex gentibus seu peregrinis ejusmodi quorum status & jura, etiam citra Judaismum receptum, erant diversimode singularia. Scimus nempe ex sacra historia, circumcisionem generatim primo imperatam esse Abrahae [k] suisque masculis, & pariter posteris; atque ex illo ejusque posteris plurimas gentes ortas praeter Israelitas seu Jacobi progeniem, quae sola Ebraeorum nomine venire solet, ut ex Ismaele, filiis Keturae, Esau. Magistri magni hic negant ad alios Abrahae posteros quam ex Jacobo oriundos circumcisionem simul cum divini foederis benedictionibus spectasse, excepta solum Keturae progenie. Inde Maimonides [l]; המילה נצטוה בה אברהם וזרעו בלבד שנאמר אתה וזרעך אחריך יצא זרעו של ישמעאל שנ' כי ביצחק יקרא לך זרע ויצא עשו שהרי יצחק אמר ליעקב ויתן לך את ברכת אברהם לך ולזרעך מכלל שהוא לבדו זרעו של אברהם המחזיק בדתו ובדרכו הישרה והם מחוייבין במילה: *Imperata est Abrahae & semini suo solum circumcisio, juxta quod scriptum est*[m], Te, & semen tuum post te. *Excipitur autem Ismael, quoniam de Isaac scriptum est* [n], In Isaac vocabitur tibi semen. *Et excipitur Esau: Nam Isaac ait* [o] *ad Jacob*, Et det benedictionem Abrahae tibi & semini tuo. *Adeo ut in universum semen Abrahae tantum disciplinae ejus viamque rectam amplexans obligatum fuerit ad circumcisionem.* Subjungit vero tunc de filiis seu posteris masculis Keturae; אמרו חכמים שבני קטורה שהם זרעו של אברהם שבא אחר ישמעאל ויצחק חייבין במילה והואיל ונתערבו היום בני ישמעאל בבני קטורה יתחייבו הכל במילה בשמיני ואין נהרגין עליה: *Dicunt sapientes, filios Keturae, qui fuerint ex semine Abrahae post Ismaelem & Isaac, obligari ad circumcisionem*, seu *juris circumcisionis fuisse participes. Et cum filii Ismael hodie* (seu in posterum) *commixti sint cum filiis Keturae, omnes simul* (tam hi quam illi) *ad circumcisionem obligantur, quae die octavo natalium*

[f] L. 33. D. tit. ad Municipalem. [g] Alciat. Dispunct. lib. 2. cap. 21. Mynsinger. ad Inst. [illegible] Petrus [illegible] *jus* [illegible] Belli ac Pacis, lib. 2. cap. 10. § 11. Bodin. de Repub. 1. cap. 6. [illegible] ad [illegible] 6. [illegible] epist. 92. Gaspar. Barthius [illegible] de [illegible], &c. [h] Regist. Original. fol. 136, 1. Fitzherb. Nat. Brev. fol. [illegible] D. & vide [illegible] 3. [illegible] 5 Edw. [illegible] 182. plac. 30. 13 Edw. [illegible] fol. [illegible] 2. [i] In arce Londinensi. [k] Gen. xvii. [illegible] [l] Tract. [illegible], cap. 10. [m] Genes. xvii. [illegible] [n] Ibid. xxi. 12. & vide Epist. ad Rom. ix. [illegible] [o] Genes. xxviii. 4.

octavo praestanda. Sed vero morte non plectendi ob praetermissum ritum illum; cum scilicet ultimum supplicium gentibus seu non Israelitis utcunque reis irrogari plerumque deberet ex jure apud Ebraeos in praefecturis, de quibus loquimur, usitato; quod gentium intervenientis pars erat. Poena igitur alia erat ex jure eodem interveniente, moribusque circa eam rem receptis. De filiis hisce Keturae expressior est in sermone sacro[p] mentio. Et magistrorum quidem plerique (aliis nunc reclamantibus, nunc dubitantibus) Keturam hic non aliam volunt fuisse ab ipsa Hagar. Certe אשה vocatur in Genesi, quod tam *foeminam* quam *uxorem* significat; sed פלגש in Paralipomenis, id est, *concubina*, qualis Hagar erat. Et paraphrasis Hierosolymitana, והיא הוה הגר דהוות אסירא ליה מן שירויה *ea fuit Hagar, quae ei antea ligata erat.* Altera autem Jonathani tributa, quasi etiam nomen *Keturae* ab ligatione illa ortum fuisset, היא הגר דקטירא ליה מן שרויא *haec fuit Hagar*, quae sic dicta *eo quod ligata erat ei.* Ubi *Keturae* nomen quasi appellativum a קטר KETER, *ligare*, deducitur, id est, ut *ligare* denotatur in *occludere* seu *tuto servare:* A tempore enim quo ejecta est[q] Hagar, eam ita se occlusisse aiunt ut consortii virilis particeps esse nolit antequam ab Abraha sic revocata esset. Alia habent hic commenta. Et Jarchius, זו הגר ונקראת קטורה על שם שנאים מעשיה כקטרת ושקשרה שלא נזדווגה לאדם מיום שפרשה מאברהם: *Ipsa Hagar erat, quae dicta Keturah, quoniam opera ejus pulchra erant ut* ה *Ketoreth*, id est, *suffitus*, (unde quasi *thurificatam* ab Ebraeis dictam ait Lyranus) & *quia occlusit ostium ita ut viro nulli consociaretur postquam ab Abraha separata erat.* Quaecunque autem ea fuerit, ex ipsius prole amplam numerosamque fuisse gentium propaginem liquet. Compluria ex ea ראשי אומות *capita* seu *principes gentium* recensentur a Mose; Zimran, Jokshan, Medan, Midian, Ishbak, & Shuah, ut Keturae nati: Nepotes vero ex Jokshan, Sheba, & Dedan; atque ex Dedan, Ashurim, Letushim & Leummim; ex Midian, Epha, & Epher, aliique. Atque huc spectat singularis ille Cleodemi prophetae (qui & Malchus dictus) apud Alexandrum Polyhistorem, ut ab[r] Josepho & Eusebio[s] citatur hic locus, ubi ex hisce Assyrios simul & Afros, gentes amplissimas, deducit. Contexuit nempe Cleodemus ille τὰ περὶ Ἰουδαίων, *res Judaicas*, καθὼς καὶ Μωϋσῆς ἱστόρησε, *secundum ea quae Moses narraverat*; &, *ex Ketura Abrahae*, inquit, ἐγένοντο παῖδες ἱκανοὶ, *nati sunt liberi non pauci.* Atque ex eis tres nominatim recensens, Ἄφεραν, Σουρείμ, Ἰάφραν, ut apud Josephum legitur, seu Ἀφὲρ, Ἀσοὺρ, Ἀφρὰν, ut apud Eusebium, ἀπὸ Σουρεὶμ ait, seu Ἀσοὺρ, μετὰ τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι· ἀπὸ δὲ τῶν δύο, Ἀφρᾶτε, καὶ Ἰαφέρου (seu καὶ Ἀφὲρ) πόλιν τε Ἄφραν καὶ τὴν χώραν Ἀφρικὰ ὀνομασθῆναι, *a Surim*, seu *Asur*, אשורים *Mosi Assyriam nuncupatam esse*; & *a duobus illis, Aphra & Apher*, (עפר *Epher* expressim habetur in sacro sermone, quod in codice Samaritano tam MS. quam impresso legitur אפר; & forte ex *Epha* altero illo in sacro sermone Midianita factus est Cleodemo hic *Afra*; & habent quidem ibi Graeci Ἐφὰρ καὶ Ἀφείρ) *urbem Afram & regionem Africam denominatam.* Tralatitium autem est nepotes inter liberos, ut hic, recenseri. Res Herculis in Libya aliquot cum hisce miscet Cleodemus. Sed ita Assyrii & Afri inter posteros Keturae. Sabaeos item seu Homeritas, Arabiaeque Magnae & Felicis incolas, ex ejusdem posteris fuisse scribit Philostorgius[t], eosque circumcidi die octavo, tametsi Soli & Lunae & diis aliis patriis sacrificarent. Quamplures apud populos alios Judaicum circumcisionis ritum, sive die octavo, sive anno decimo tertio, ad Ismaelis exemplum, sive aliter, esse repertum, notissimum est ex Herodoto[v], Strabone[x], Diodoro[y], Josepho[z], Philone[a], Epiphanio[b], Ambrosio[c], Hieronymo[d]; aliis; qua de re etiam, prae aliis, consulas virum summum Hugonem Grotium[e]. Adde doctissimum Edwardum Pocockium[f] ad Gregorium Abulfaraium de Arabum moribus. AEgyptii ita, AEthiopes, Colchi, Arabes, Assyrii, Edomitae, Midianitae, alii, aut ut Edomi seu Esavi, aut ut Ismaelis, aut ut Keturae posteri, suam habuere circumcisionem, velut ab praecepto ea de re Abrahae dato observatoque derivatam; licet aiat quidem Epiphanius, τούτων οἱ πλείους οὐ διὰ νόμον τοῦτο ποιοῦσιν, ἀλλὰ ἀλόγῳ τινὶ συνηθείᾳ, *Horum plerique non aliqua lege, sed consuetudine quadam citra rationem, eam observant.* Juxta igitur jam e Maimonide de obligatione aliarum gentium ad circumcisionem citatum, posteri solum Keturae, qui plane, ut etiam ex nominibus eorum perspicere est, fuere amplissimi, ad eam obligabantur; reliquos obligatione ejusmodi, juxta sententiam ab eo traditam, neutiquam complectente; utcunque itidem ipsi apud se observarent. Cum igitur ex gentibus, seu proselytis domicilii, alii sic essent ad circumcisionem Judaicam obligati, alii vero non, nec permiserint, ut alibi ostensum est, Judaei gentilium seu proselytorum ejusmodi quemquam ritu aliquo Judaico, antequam in proselytismum justitiae transiret, pro libitu in terra sancta uti, necessario inde sequitur ad praefecturam, quam diximus, apud eos peregrinam, seu proselytorum domicilii forum, attinuisse tum de proselytorum ejusmodi seu plane peregrinorum e Keturae posteris oriundorum, tum de aliorum quos lege ea non obligari vellent utcunque ex Abraha ortos, circumcisione legitime cognoscere; adeoque hos, utpote in foedus sacrum non ex natalibus admittendos, circumcisione in terra sancta ut sibi arbitraria arcere; illos, ut obligatos, ad eandem cogere. Quacum, ni fallor, conjunctus erat baptismus (de quo egimus libro primo) & quicquid integrum faceret proselytum justitiae[g]. Neque enim Israelitarum seu Jacobi posterorum baptismus illis prodesse potuit. Nec circumcisionis suae effectu sine ejusmodi baptismo, juxta magistrorum scita, frui illi omnino quivere. Unde itidem juxta disciplinam Talmudicam statuendum videtur, sexum sequiorem e gentibus ad circumcisionem in territorio Israeliti-

[p] Genes. xxv. 2. & 1 Paralip. i. 32. videsis *Cesph Misna* ad Maimon. his tit. *Melachim Umilchem*, cap. 10. §. 8. [q] Genes. xxi. 10. [r] Lib. 1. cap. 16. [s] Praepar. Evangel. lib. 9. cap. 20. [t] Hist. Eccles. lib. 3. §. 4. [v] In Euterpe cap. 36. & 104. [x] Lib. 16. [y] Biblioth. 1. [z] Lib. 1. cap 13. & lib 8. cap. 10. [a] Lib. de Circumcisione. [b] Haeres. 30. seu in Ebionaeis § 33. [c] Annot. in Exod. xii. ad Constantium. [d] In Hieremiam ix. ut alii ibi. [e] In notis ad lib. 1. de Veritate Relig. Christianae. [f] Pag 319. [g] Videsis Epist. ad Galat. v. iii.

co sic obligatis pariter ad baptismum, quo solo sexus ille in Judaismum recipiendus erat, obligatum. Huc spectat illud viri summi de jure circumcisionis ad exteros aliquos attinente, eosque quos Talmudici, quantum video, haud ad ritum illum obligari velint. De legis Mosaicae & de circumcisionis obligatione verba faciens, *Hoc tantum*, inquit [h], *interest, quod lege Mosis Israelitae soli tenebantur; circumcisionis autem lege, tota Abrahami posteritas: unde Idumaeos a Judaeis coactos circumcisionem suscipere in historiis Hebraeorum & Graecorum legimus. Quare qui populi extra Israelitas circumcisi sunt (sunt autem complures, quorum Herodotus, Strabo, Philo, Justinus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Hieronymus, meminerunt) eos credibile est ab Ismaele, aut ab Esavo, aut ex Cethurae posteris venisse.* De Idumaeis certe ad circumcisionem ab Hyrcano coactis expressim Josephus [i], & Ptolemaeus apud Ammonium [k], aliique. Atque eadem de re sane paulo amplius Arabica Maccabaicorum [l], ubi legitur de Hyrcano,

وسار الي بلد ادوم وهي حيال السراه
واستامنوا اليه فوافقهم علي ان يختتنوا
ويدخلوا في دين التوراة وانهم اجابوه
الي ذلك واختتنوا وتهودوا وبقوا لذلك الي
ان خرب البيت الثاني

Et profectus est in regionem Edom, quae est ex adverso Sarah; & sese illi dederunt, conventumque est ut circumciderentur, & ingrederentur, seu *in se susciperent, religionem legis* Mosaicae *Atque huc adacti circumcisi sunt, & Judaei facti, & in hujusmodi manserunt conditione usque ad excidium templi secundi.* Ita a victore factum est, velut id ad quod juxta disciplinam Judaicam obligarentur Idumaei, quia e posteris Abrahae; unde pro Judaeis, licet non originariis, postmodum censiti, praefecturis Judaeorum ipsorum, seu ad regimen juxta leges Mosaicas institutis, pariter cum Judaeis reliquis suberant. Sed vero de jure peregrinorum seu exterorum (quales Idumaei ante circumcisionem illam) qua obligatione hujusmodi apud Ebraeos sive eximendi essent sive tenendi, judicare, ex officio pendebat proculdubio, jure ordinario, fori, quod diximus, alicujus ad peregrinos seorsim spectantis.

V. Inter objecta ita imperii ac jurisdictionis fori peregrini personae fuere regulariter peregrini qualescunque nondum in Judaismum recepti, eorumque status, qua Judaeos variatim spectabant, adeoque cognationis exterorum jus; quale etiam illud singulare Spartiatarum seu Laconum, quo non solum amici ac fratres appellantur Judaeorum, sed etiam de genere Abraham, adeoque eis συγγενεῖς seu *cognati* esse dicuntur. Spartiatarum scilicet rex Arius in literis ad Oniam pontificem Judaeorum [m], Εὑρέθη ἐν γραφῇ περί τε τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ἰουδαίων, ὅτι εἰσιν ἀδελφοὶ, καὶ ὅτι εἰσὶν ἐκ γένους Ἀβραάμ, *Repertum est in scriptura de Spartiatis & Judaeis* (ubi versio Syriaca habet, בכתבא לות ספרטיא *in scripto apud Spartiatas* de Judaeis) *eos esse fratres, atque esse etiam ex genere Abraam*, ubi Syrus מן זרעה דאברהם *ex semine Abraham.* Apud Josephum [n] autem ait rex, Ἐντυχόντες γραφῇ τινι εὕρομεν ὡς ἐξ ἑνὸς εἶεν γένους Ἰουδαῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι, ἐκ τῆς πρὸς Ἀβραὰμ οἰκειότητος, quod vertit Ruffinus, *Legentes scripturam antiquam invenimus ex uno genere Judaeos & Lacedaemonios exstitisse, & familiaritatem cum Abraham socialiter habuisse.* Gelenius vero, *Incidimus in quandam scripturam antiquam, in qua invenimus cognationem intercessisse inter nostras origines, & nostrum quoque genus non esse alienum a posteris Abrahae.* Neque solum sic a Spartiatis tunc scriptum est, atque ab Onia pontifice libenter acceptum, sed etiam tantundem a Jonatha postmodum pontifice & senatu populoque Judaeorum agnoscitur, ubi ipsi in responso ad Lacedaemonios de Arii regis literis, adeoque de testimonio illo ex Spartiatarum libris de cognatione Judaeorum & Spartiatarum allato apud Josephum [o] loquentes, se esse expressim aiunt οὐ δεόμενοι τῆς τοιαύτης ἀποδείξεως, διὰ τὸ ἐκ τῶν ἱερῶν ἡμῶν πεπιστεῦσθαι γραμμάτων, *non egentes hujus rei approbatione* (ut Ruffinus) *quia per sacras nostras literas hoc esse credidimus*; Gelenius, *jam ante hoc non ignorabamus, nimirum docti e sacris nostris scripturis.* Consonum est illud in ipsis Maccabaicis [p], Καὶ ἡμεῖς οὖν ἀπροσδεεῖς τούτων ὄντες, παράκλησιν ἔχοντες τὰ βιβλία τὰ ἅγια τὰ ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν, &c. *Nos cum nullo horum indigeremus habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris* (potius forte, *satis invitati ad tantundem credendum a libris sanctis, qui in manibus nostris versantur) voluimus ad vos mittere*, &c. Syrus autem (quod advertendum) pro ἀπροσδεεῖς *non indigentes* hic, adeoque pro οὐ δεόμενοι apud Josephum idem significante, לא תכילין *non confisi*, ut vertitur, substituit; *Nos autem his rebus minime confisi (nam consolationi sunt nobis libri sacri, quos prae manibus habemus) propterea voluimus*, &c. Certe τὸ לא תכילין usu Chaldaico, adeoque Syriaco, significare potest illic *non carentes, non destituti.* Sed manifestum est interea gentem utramque cognationem hanc sic agnovisse quasi etiam ex sacra scriptura deduci potuisset. Aquinas ad Maccabaica; *Quomodo hoc fuerit non est certum, nisi quia forte descenderunt* Spartiatae *de aliquo filio Agar vel Cethurae.* Lyranus autem; *Non dicitur hic, nec etiam in Josepho, quae sit illa scriptura. Sed dici potest probabiliter quod sit scriptura Genesis, in qua fit mentio de Abraham & ejus genere. Et dicunt aliqui quod Spartiatae descenderunt de filiis ejus ex Cethura natis, qui ponuntur Genesis* XXV. Mavult ille cognationem illam fuisse ex eo quod e Nachor fratre Abrahae descenderant. Alii aliter. Sed vero qui rem ipsam pro vero admittunt, de Cethurae posteris plerumque sumunt [q], unde aiunt e Pelasgis seu Doribus inde natis Spartiatas genitos. Sunt

h Hugo Grotius de Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap. 1. §. 16. & vide eum ad Hieremiam ix. 27. & Annotata ad de Veritate Christianae Relig. lib. 1. i Originum lib. 13. cap. 17. k Verb. Ἰδουμαῖοι. l Lib. 2. cap. 21. in Bibliis Jaianis. m 1 Maccab. xii. versum 21. n Lib. 12. cap. 5. o Ibid. lib. 13. cap. 9. p Lib. 1. cap. 12. 9. q Vide Nicolaum Serrarium in 1 Maccab. xii. & ibidem Hugonem Grotium, & Torniellum Annal. A. M. 1931. §. 55. & 3868. §. 5.

etiam

etiam qui de cognatione illa ipsi non dubitantes, neque eam sic deducentes, in monumentis interim tum Spartiatarum tum Romanorum revera eam repertam esse secure satis credunt. Gaspar Sanctius ad illud jam ante ex Josepho citatum [r], *His verbis*, inquit, *plane Josephus indicat, nihil ex Spartiatarum literis Judaeos didicisse novi, cum jam ex genealogiis in templo privatisque domibus accurate servatis cognovissent, Spartiatis ac Judaeis genus esse commune, ab Abrahamo nempe illustri parente derivatum. Scripturae vero sunt aut liber Paralipomenon, aut illi ex quibus liber ille familiarum genealogias digessit. Sed illud hanc cogitationem aut diluit aut infirmat, quod illi libri sancti Judaeis dicuntur esse solatio. Quare de aliis libris quam de Paralipomenon videtur esse sermo. Et plurale illud*, nihil horum, *aliud indicat quam quod in scriptura de genealogia continetur, quod unum est.* Sic ille. Alii autem rem ipsam potius ut utrinque fictam intuentur [s], atque velut vix imparem commento quod vicissim traditum reperitur a Claudio Iolao [t] de Judaeo quodam Spartone, velut gentis ipsius Judaicae conditore, unde cognatio parilis, licet Judaeis haud adeo grata, a Spartiatis deduci potuisset. Sed nisi testimoniis sive scriptis sive traditis horum ab Abraha tunc deductio satis nixa esset, mirum nimis est, tam Judaeos ipsos publice ultroque eam sic profiteri quam Spartiatas sic ante meminisse. Neque enim ut de re controversa sed certissima receptissimaque loquuntur utrique; quemadmodum itidem accipitur ab Jasone [v] ad Lacedaemonios fugiente. Si qua autem controversia circa singularia hujusmodi Spartiatarum, idve genus aliorum, peregrinitatis jura in territorio Judaico orta fuisset, ad praefecturas, quas diximus, peregrinas ejusdem decisio ex natura sui spectasse plane videtur; ut nimirum inde simul dignosceretur an pro peregrinis simpliciter sic dictis, an pro singulari posterorum Abrahae jure apud Judaeos utentibus, nec tamen Judaeis, sumendi essent, & quibusnam ex ejusmodi posteris prognati, unde tam de sacris quam de profanis ad eosdem attinentibus, pro status diversitate, potuisset decerni. Exempli etiam causa, si de statu Izatis regis Adiabenorum [x] quaestio orta fuisset, utrum scilicet Judaeus satis ac revera fuisset aut esse potuisset, tametsi nondum circumcisus sed disciplina interim Judaica imbutus (ut Ananias praeceptor ejus primus voluit) an citra circumcisionem ac baptismum utcunque institutis ac disciplina alias sic praeditus, inter proselytos domicilii seu peregrinos plane censendus, uti & de rebus ejus aliis, ad dictas attinuisset praefecturas decernere. Ita scilicet, si ipse ex Judaeorum genere non fuerit. Sunt autem in magistris [y] qui Monobazum patrem & Helenam matrem ejus (fratrem scilicet & sororem) fuisse asserant מזרע חשמונאי *ex semine Hasmonaeorum*, adeoque sacerdotali; unde & ipsum originarium sic Judaeum fuisse necesse est, licet Mamzerem. Si ita se res habuerit, tunc non ad praefecturas hasce de statu ejus, uti nec id genus aliorum, judicare spectasset, sed ad eas quae jure Israelitico seu originariis proselytisque justitiae communi uterentur. Sed vero R. Azariah Edomaeus historiam illam de Helena, Izate & Monobazo diligenter enarrans, expendensque [z], rejiciendam prorsus censet sententiam illam, nec in genealogiis Ebraeorum reperiri quo omnino nitatur. Admissos etiam ad sacrificia Hierosolymis fuisse peregrinos, ut pios e gentibus, in monte Templi, seu atrio gentium, alibi [a] ostendimus, id est, ad holocausta ac spontanea sacrificia ibi, sine cultu Judaeis peculiari intermixto, nec alia, offerenda. Si quid vero contra juris gentium singularis, quo hoc ibi facerent, intervenientis mentem tentarent peregrini aliqui, cognoscebant, dum viguere, proculdubio praefecturae jam dictae peregrinae. Cognitioni ejusmodi locus forte erat, plane commodissime esse potuisset, in eo quod memorat Josephus [b] de peregrinis qui ex regionibus ultra Euphratem, quatuor mensium iter emensi, templum ad sacrificandum invisebant, ubi θύσαντες οὐκ ἴσχυσαν ἱερείων μεταλαβεῖν, Μωυσέως ἀπηγορευκότος ἐπί τινι τῶν οὐ νομιζομένων, οὐδ᾽ ἐκ τῶν πατρίων ἡμῖν αὐτοῖς τοῖς συντυχόντος, *Sacrificantes, non valuerunt immolatione participari, interdicente hoc Mose quibuslibet qui non sint nostris legibus eruditi, neque nobis ex paterna traditione conjuncti*, ut nempe vertit Ruffinus; unde pro ἡμῖν αὐτοῖς τοῖς συντυχόντος in Josephi editis restituendum videtur ἡμῖν αὐτοῖς τῶν συντυχόντων. Atque arcendos peregrinos ejusmodi seu proselytos domicilii a sacrorum in templo participatione, utpote quae ex lege Mosaica ad Israelitas & proselytos justitiae tantum attineret, non semel in pentateucho statuitur; licet interea illorum orationum, benedictionum, holocaustorum, ut piorum seu religiosorum e gentibus, usus ibi ex lege pariter recepta esset permissus. Sequitur apud Josephum, quod cum sic, ut exspectabant ipsi, sacrorum ibi participes esse nequirent, ἀπίασιν, ὑπακούειν τοῖς Μωϋσέως προστάγμασι μᾶλλον ἢ ποιεῖν τὰ κατὰ βούλησιν τὴν ἑαυτῶν προτιμῶντες, καὶ τὸν ἐλέγξοντα περὶ τούτων αὐτοὺς οὐ δεδιότες, ἀλλὰ μόνον τὸ συνειδὸς ὑφορώμενοι, *Discesserunt* (sic Ruffinus) *obedire Moseos praeceptis potius quam suam voluntatem facere praeponentes, & cum prohibentem se de talibus non metuerent, solam tamen conscientiam formidantes.* Gelenius ibi, *redierunt, malentes Mosis legibus quam suo proposito obsequi, idque nemine redarguente nisi propria conscientia*; quasi nemo redarguisset participationem eis neutiquam permittendam desiderantes; quod non ait omnino Josephus. Certe qui redarguerent ac impedirent eos, fuisse, res ipsa satis loquitur, & expressim Josephus τὸν ἐξελέγξοντα *redarguentem* seu *impedientem* memorat; quales plane, ex sui officio, praefecturae, quas diximus, peregrinae, utpote peregrinitatis jura tam circa sacra quam profana ibi in universum cognoscentes.

VI. Praetermittere hic visum non est commentum Graeculi nescio cujus, sed pervetusti, de cognatione, Spartiatarum illa multo conjunctiore, inter Judaeos & Romanos veteres. Etiam hos plane non solum ex Abrahae sed ex Jacobi semi-

[r] In 1 Maccab. xii. 9. [s] Reineccius de Regno Spartan. pag. 355. & vide Joannem Rainoldum de libris Apocryphis praelect. 104. Joseph. Scaliger. Canon. Isagogic. 3. pag. 332. Samuel. Bochartum in Phaleg. lib 1. cap 22. [t] Apud Stephanum de Urbibus verb. Ἰουδαία, & vide eum in verbo Ἄζωτος. [v] 2 Maccab. v. 9. [x] Joseph. lib. 20. cap. 2. [y] *Thosiphta* & Jarchius in Gloss ad tit. *Baba Bathra*, cap 1. [z] In *Meor Enaiim*, part. 3. cap. 51, 52. fol. 161. 2. & 167. 2. [a] De Jure Nat. & Gent. lib. 3. cap 6. & 8. [b] Orig. lib. 3. cap. ult.

ne, id est, tribu Benjaminitica, propagatos vult, quos citra ejusmodi cognationem, haud aliter atque alios proselytos domicilii seu peregrinos simplices, in territorio Israelitico praefecturis peregrinis subfuisse nemo non videt: Etiam in litem si cognatio ejusmodi deducta fuisset, ad praefecturas easdem, ex ratione dubii peregrinitatis status, eam spectasse. Scilicet ex autore illo prisco traditur apud Photium [c] patriarcham Constantinopolitanum, Ὡς ἡ τῦ Βενιαμὶν φυλὴ ἐν Παλαιςίνῃ ῥιζωθεῖσα μέχρι τῶ τῆς Ἰταλίας μερῶν τὰς βλάςας ὑπεξέτεινεν, αὐτῷ γένει Ῥωμαίων ἐν αὐτῇ Ῥώμῃ χαρισαμένη φύσιν τε καὶ ὄνομα, *Quod tribus Benjamin in Palaestina radicata usque ad partes Italiae se diffuderit, & genti Romanorum & Romae originem & nomen impertiens*; Et quod in illis ex tribu ea se illuc diffundentibus erat ἀνήρ τις ὄνομα Ῥῶς, *vir quidam nomine Ros, qui in partes Italiae profectus, cum multos de semine suo procreasset, & magnam existimationem potentiamque consecutus esset*, Ῥώμῃ τε τῶ ἐπωνυμίαν ἕλκειν ἐξ ἑαυτῦ, καὶ τὸ Ῥωμαίων γένος, *Romam ab eo nomen suum sortitam esse uti & gentem Romanam.* Rem puto satis alibi inauditam; quae tamen tanti habetur Photio ut etiam inde probari velle videtur Paulum apostolum, utpote ex tribu Benjaminitica, Romanum fuisse. Notarum ad Photium autor ineptissimum vocat & insulsissimum hoc Rabbinorum commentum: Sed Graeculi alicujus omnino fuisse autumo: Apud Rabbinos enim nullibi puto reperiri vestigia τῦ *Ros* illius velut Romae gentisve conditoris. De Romanis quidem dum verba faciunt, solenne eis est nomine *Edom*, veluti Esavi posteros, eos vocare; quod & in eorum scriptis est perquam obvium, & a christianis autoribus, scriptis illis assuetis [d], fusius adnotatum. Atque ita sane, si quaestio inde forensis orta fuisset, ad peregrinas, quas diximus, praefecturas, tam quantum ad sacra quam profana, illa spectasset. Sed de Romae conditu variatim alias [e] loquuntur Ebraeorum vetustissimi, & expressim interdum de Romulo & Remo. Gemara Hierosolymitana [f], יום שהעמיד ירבעם שני עגלי זהב באו רומס ורומילס ובנו שני צריפים ברומי: *Die quo constituit Jeroboam duos vitulos aureos, venerunt Remus & Romulus, & aedificarunt duo tuguria Romae*; quod itidem, quantum ad eorum nomina & tuguria exstructa, legitur in *Midrash* [g] Esther, alibique apud illorum vetustiores, ut receptissimum. Etiam in זכרון דברי רומי *historiola rerum Romanarum* Cabalae R. Abrahae Ben Dior subjuncta [h] legitur, כרך גדול של רומי בנוהו שני שלישי אחים הגדול שבו רמולוס והשני ראמלוס בנאוהו בשנת שש להזקיהו מלך יהודה: *Urbem celebrem Romae condidere viri principes bini, qui fratres fuere. Horum majori nomen erat Romulus, & minori Ramlus*; pro *Remus. Condebant eam anno Hezekiae regis Judae sexto.* Non quidem de tempore, sed de autore nominis gentisque Romulo, satis conveniunt; nec Rosum, juxta illud apud Photium, aliquem agnoscunt. Habetur quidem apud Ezekielem [i], ubi de Gog & Magog verba fiunt, נשיא ראש משך ותובל *princeps* (Rosh) *summus Mesech & Tubal*, quod Chaldaeo est, רב ריש וגו׳ *magnus princeps*, &c. Syro ܪܫܐ ܕܪܝܫܐ [illegible] *rector ac princeps*, Arabi رييس الروساء *princeps principum* Judaeis Hispaniensibus *mayoral de cabecera de Mesec y Tubel.* Et Rabbini נשיא ראש ibi velut pro binis vocabulis unicum in sensum duplicatum conjunctis sumunt. Et Vulgata, *Principes capitis Mosoch*, &c. unde & Aquilae ibi ראש *Ros* est κεφαλή, uti & Theodoreto, aliisque tam priscis quam recentioribus. Atqui interim non defuere inter Rabbinos qui, nescio unde, memorant ראש ut gentem primi climatis australiorem. Ita R. Abraham Ben Chaija [l], ubi de climate primo, כל מישבות ראש וחם אשר בפאת דרום נכנסת בכלל אקלים הזה: inquit, *Omnes habitationes Ros & Cham, quae sunt in Austro, connumerantur ad hoc clima.* Sed ad Romanos aut Ebraeos non omnino sic attinebit *Ros*; uti nec, si in Scythicis seu septentrionalibus collocetur (ut aliis) fabulae illi, de nomine in gentem, ut fieri amat, migrante, Photianae opem afferet. In Graecis autem Ezekielis legitur, ἐπὶ τὴν γῆν τῦ Μαγὼγ ἄρχοντα, Ῥῶς, Μοσὸχ καὶ Θοβὲλ, *super terram Magog principem, Ros, Mosoch & Thobel*, uti & verterant tam Septuaginta quam Symmachus & Theodotion [m]. Etiam in Hieronymianis habetur *principem capitis, sive Ros.* Ita *Ros* pro gente aquilonari illic sumptum. Inde etiam apud scriptores Graecorum recentiores, Zonaram, Cedrenum, alios, οἱ Ῥῶς, & ἔθνος τῶ & τῶ Ῥῶς, ὁ τῶ Ῥῶς στόλος, & στόλος Ῥωσικός, & ἄρχων Ῥωσίας occurrunt. Cedrenus in Michaele Theophili filio, circa annum 850, Τὸν δὲ ἐντὸς Εὐξείνου καὶ πᾶσαν τὴν αὐτοῦ παραλίαν ὁ [illegible] ἐπεξῆλθε καὶ κατέτρεχε στόλος. Ἔθνος δὲ οἱ Ῥῶς Σκυθικὸν πρὸς τὸν ἀρκτῷον Ταῦρον κατῳκημένον, ἀνήμερόν τε καὶ ἄγριον, *Quod est intra Euxinum Pontum, & totam maritimam regionem classis eorum qui Ros* (seu *Rhos*) *dicuntur* (*Rosica classis* vertitur) *incursionibus vexabat atque vastabat. Gens autem est Ros Scythica ad Taurum Aquilonarem sita, fera & agrestis.* Idem legitur illic apud Joannem Curopalatem. Unde Ortelius, *Rhos gens Scythica ad Arctoum Taurum habitans.* Pro eisdem sumuntur qui Ptolemaeo in Sarmatia Europae Roxolani dicuntur, & recentioribus *Russi* ac *Rutheni.* Joannes Tzetzes caput habet [n] περὶ τῦ, Τέταρτον οὐ Ῥῶς, ἀλλὰ τῷ γένει Μυσός, *De eo quod est, quarto non Rhos, sed genere Mysus est.* Et plurima ibi more suo de Mysia & Mysis congerit; nihil autem de Ros; tametsi paulo ante [o] Tauros, populum Scythicum, eosdem faciat cum Ros.

Σαφέστερον ἐδήλωσα Ταύρους τοὺς Ῥῶς καλεῖσθαι,

Clarius indicavi Tauros Ros nuncupari. Sed ex hisce nomen cum *Romanis* commune quid habere nemo, puto, existimaverit. Hieronymus de illo, veluti gentis autoris vocamine in Graecis illis Ezekielis versionibus, *Primam gentem*, inquit, *illam Ros Aquila interpretatur caput*;

[c] Epist. [illegible]. [d] Raymundus Martini in Pugione fidei, part. 2. cap. 10. § 8. Petr. Galatin. de Arcanis [illegible] cap. 21. Buxtorf. [illegible] Chald. Talmud. pag. 30. alii obiter. [e] Gemar. ad Babylon. [illegible] Cantic. [illegible] [f] Ad tit. *Abodah Zara*, cap. 1. fol. 39. col. 3. [g] [illegible] Lex Tamid [illegible] col. 22 [illegible] & R. David. Ganz Initio millenarii quarti. [h] Basileae [illegible] Cap. xxxviii. 1. & xxxix. 1. [k] David Kimchi ad Ezek. xxxviii. 1. [l] In S[illegible] apud Hieronym. ad Ezek. xxxviii. 1. [n] Chiliad. 11. cap. 396. [o] Ibid. cap. [illegible]

quam

quem & nos secuti sumus; ut sit sensus, principem capitis Mosoch & Thubal. Et revera nec in Genesi, nec in alio scripturae loco, nec in Josepho quidem, qui omnia Hebraicarum gentium in primo Antiquitatum libro exponit nomina, hanc gentem potuimus invenire. Ex quo manifestum est Ros *non gentem significare, sed caput.* Atqui apud Arabas etiam inter gentes ex dispersione ac Noachidarum propagine habetur natas الروس *Al-Ros.* Eutychius patriarcha Alexandrinus de posteris Japheti agens, eorum quindecim fuisse ait [p] qui habitarent a Tigri, الي اقصي الشمال *usque ad extremas septentrionis partes.* Et dein praeter gentes complures alias. Graecis, Romanis, Byzantinis memoratis subjungit والروس والديلم والبلغر والصقالبة *& Al-Ros, & Al-Dilam, & Bulgari, & Scavi.* Quod vero ad cognationem illam Romanorum qualemcunque & Judaeos veteres attinet, historicus penes me Mahumedanus, Mahumed Ben Al-shechina, populorum propagines recensens, adeoque de الروم *Romanis* locutus, originem eorum a *Rom* filio Esau, Jacobi fratre, petit. Verba sunt,

وهو روم ابن العيص ابن اسحق وكانوا علي دين الصابية الي ان تنصر قسطنطين وحملهم علي دين النصرانية

Atque erat Rom filius Esau, filii Isaac. Et fuere Romani religione idololatrae, donec Constantinus christianus factus eos etiam in christianismum redegit. Quod satis consonum est sententiae Judaicae receptissimae de nomine *Edom*, id est, Esau (a cujus filio *Romo* sic deducuntur *Romani)* illis, tum qua Romanis tum qua christianis, tribuendo. Haec obiter. Sed ad praefecturas demum, quales diximus, quaestio nupera de Americanis velut ex sanguine Judaico ortis, sed interim pro exteris tam sanguine quam solo plerumque habitis, plane spectasset, si in secula quibus viguit earum jurisdictio incidisset. Videsis ea de re relationem Antonii Montezini apud Menasseh Ben Israel in *spe Israelis*, uti & scriptum Anglicanum pridem editum [q], quo cognationem ejusmodi probabilem esse ostendere conatur autor. Et de praefecturis apud Ebraeos veteres peregrinis, variisque earum imperii & jurisdictionis tam circa sacra quam profana objectis, haec dicta sunto. In quibus interim quicquid allatum est de exterarum gentium, veluti Idumaeorum, Spartiatarum, Romanorum, aliorum statu, qua cognatio, qualis dicta est, amicitiave Ebraeorum, indeve consequentiae aliquae, illas respicerent, ita est intelligendum (qua de re monere hic satis est tempestivum) ut rite tantum de peregrinitatis ejusmodi juribus cognoscerent jam dictae praefecturae, quoties pars aut utraque, aut saltem, ut in actione publica, rea, e privatis esset. Nam res tam pacis quam belli inter peregrinorum corpora civilia seu gentes alias integras atque Judaeos invicem gerendae, ut belli denunciatio, foedera, deditiones, id genus reliquae, pro varia temporum ratione, aut ad imperium regium aut ad illud quod synedrii magni erat spectarunt; qua de re alibi [r], uti & inferius, agimus.

CAP. IV.

I. *De vocibus Sanhedrim, Sanhedrin, & Sanhedrioth, e Graecorum Σύνεδροι, Συνεδρία, & Συνέδριον, pro judicibus considentibus & synedriis juridicis apud Ebraeos desumptis.*

II. *Synedrii magni institutio, ejusque occasio, ex sacris literis. De prophetico primo conscriptorum munere. Emendatus ea de re locus glossae Jarchianae editionis Garaicnae. Alius item animadversus in Maimonidis praefatione ad M're Nebochim.*

III. *Eldad & Medad, in conscriptis nominatim solum memorati, quinam fuerint. Singulare eorum munus propheticum.*

IV. *Spiritus conscriptis communicati, qua sanctus magistris dicitur, notio illis recepta.*

V. *De personarum in synedrium magnum primo conscriptarum qualitate.*

VI. *De modo Talmudicis recepto primo conscriptos in synedrium illud per sortes seligendi.*

VII. *An Eldad & Medad collegae fuerint synedrii tunc instituti, seu inter septuaginta adsciscendos connumerandi.*

VIII. *De vero synedrii magni in prima institutione collegarum numero, id est, septuaginta, Mosi, ut principi, adscitis. Viros aliquot magnos septuaginta duos, ex hallucinatione, maluisse. De lectione apud D. Lucam de septuaginta, seu, ut codices aliqui, septuaginta duobus, a Domino missis. Cardinales in ecclesia Romana cum septuaginta illis comparari soliti.*

IX. *Testimonium adjicitur e canonibus concilii primi Nicaeni ex Arabico versis, & ab Alphonso Pisano & Francisco Turriano editis, de numero hic septuagenario. Obiter de numero canonum illorum, aliisque aliquot in eis non*

[p] In Annalibus cap. 54. [q] Londini 1650. in 4°. Jews in America, Aut. Tho. Thorowgood. [r] De Jure Nat. & Gentium, lib. 6. cap. 13, 14, &c.

Servandis,

ſpernendis, e codice MS. Arabico Oxonienſi.

X. *De ſeptuaginta duobus presbyteris non ſemel in Miſnaioth memoratis, qui R. Eliaezer Ben Azariah in cathedra collocarunt.*

XI. *Singularis tribuum omnium in ſynedrio illo ſeptuagintauniuſvirali unio.*

XII. *De loco inſtitutionis ejuſdem, & tempore.*

CONtinuata, ex intervallo legis dationem antevertente, Moſaica illa praefectura ſumma & in cauſis difficilioribus, tam ſacris quam profanis, ſingulari, Jethronearum inſtitutionis tempore, atque, ex ordinariis praefecturis ejuſmodi inſequentibus, illis quae ad peregrinorum qui in Judaiſmum nondum recepti erant ſeu proſelytorum domicilii regimen attinebant, ita tandem abſolutis; ſequitur ut de ordinariis itidem, quibus ex ſui natura ſuberant Judaei tum originarii, tum proſelyti juſtitiae ſeu in Judaiſmum rite recepti, eorumque poſteri, videamus. Fuere hae בית׳ דינים *domus judiciorum* ſic dictae illae, quarum eminentiores nomine plurali סנהדריות (interdum etiam סנהדראות) סנהדרים & סנהדרין *Sanedraoth*, *Sanhedrioth*, *Sanhedrim* & *Sanhedrin*, ſingulari etiam סנהדרין *Sanhedrin* & per apocopen סנהדרי *Sanhedri* denotari ſolent, interdum [a] etiam voce סנדרין & סנדרי, ה praetermiſſa; obſcuriores autem בית׳ דינים של שלשה *domus judiciorum triumvirales* nuncupari. Sed vero tam hae quam illae, aliaeque pariter ejuſmodi, non ita vulgo eis dictae, τὸ סנהדרי nomen aeque merebantur. Domus enim judicii quaelibet cujus collegae eſſent plures, iique, ut in judiciis fit, conſidentes, revera pariter erat *Sanhedrin*, id eſt, *conſeſſus*, ſic dictus a Graecis vocabulis [b] Συνέδρα, Συνεδρία, Σύνεδρος, & Συνέδριον, in Rabbiniſmum, adeoque Ebraiſmum, cum plurimis ejuſmodi aliis antiquitus [c] receptis deformatiſque, υ ſcilicet in σὺ in α mutato, ut itidem in סניגור *ſanigor* a συνήγορος pro *advocato*, atque ſimilibus aliquot aliis. Uſitatiſſimum autem fuiſſe Graecis vocabulum συνέδριον, atque eadem in notione, ſatis elicitur etiam e Scaevola [d], ut alia hic praeteream, ubi obiter e municipali aliqua lege id ut nomen receptiſſimum memoratur. Et συνέδριον ἐν Σμύρνᾳ γερόντων habetur in marmore veteri, quod ſuperius [e] exhibuimus. Similia alibi obvia. Et bene Elias Levita והוא לשון יון ממש *eſtque plane Graecum vocabulum*, quod & vox illa סנדרין magis exprimit. Addit ille, ut in verſione, *Nec invenitur in ſingulari numero*; quod non de *Sanhedrin* intelligendum, ſed de vocabulo סנהדר, quod regulariter foret, ſed non agnoſcitur, ſingulare τῆς *Sanhedrim* & *Sanhedrin*; quorum utrumque, maxime prius, ipſos etiam collegas ſynedrii ſeu συνέδρους ſignificat, poſterius vero etiam pro *ſynedra*, *ſynedria*, ſeu *ſynedrio* ipſo, idque ſingulariter, uſurpatur. Hinc titulus Talmudicus *Sanhedrin* nuncupatus eſt olim, ut nomine familiari etiam inter ſcholaſticos [f] *liber judicum ordinariorum*, qui eodem ſenſu vocatur Paulo Riccio *codex ſenatorum*. Et de ſynedriis in templo Iſidorus [g], *In ſynedris ſedebant auditores in conſiſtorio. Et dicebantur ſynedrae, quaſi conſeſſus.* Id genus ſunt alia obvia. Et mirum eſt non deeſſe viros doctiſſimos [h] qui τὸ סנהדרין ipſos tantum collegas ſeu presbyteros cum principe conſidentes a magiſtris denotari velint, nec omnino ipſum ſynedrium. Palam eſt, ubique utraque in notione vocem uſurpari. Commentitias autem ac nimis nugaces magiſtrorum aliqui obtendunt vocis hujus originationes ex Ebraiſmo, ut in *Peſiktha Zotertha* [i], ומהו לשון סנהדרין סין זה תירה שניתנה בהר סיני הדרין שמהדרין התורה במדרשה ומיפים ומישרין הכתוב זה עם זה׃ *Quod ad originationem vocis* Sanhedrin *attinet*, SAN *denotat legem, utpote quae data eſt in Sinai* (quaſi סן in dictionis initio ex סיני factum fuiſſet) HEDRIN *autem ex eo quod repetebant* (id ſcilicet voce *hedrin* innui poteſt) *legem, eam interpretando, pulchreque explicando ſcripturae locum alterum cum altero.* Alii, סנהדרין שם הדיינים ונקראים סנהדרין ששונאים הדרת פנים בדין SANHEDRIN *nomen eſt judicum. Et ideo dicuntur* SANHEDRIN, *quoniam odio habent acceptationem vultus* ſeu *perſonarum in judicio.* Sic Obadias Bartenorius [k]. Sed originationes ejuſmodi adeo ſunt frivolae, atque Ebraiſmi aliarumque orientalium linguarum genio tam diſſonae, ut planiſſime ſint prorſus rejiciendae. Nullibi in foederis veteris Ebraicis vocem *Sanhedrin* reperiri mirum non eſt, utpote recentius ortam ac, ut dictum eſt, in Ebraiſmum e Graeciſmo receptam. Aliis interim vocabulis illic deſignari eam, idque variatim, ſatiſque liquebit ex inſequentibus. In Graecis autem, maxime in Proverbiis [l], *ſynedrii* nomen pro eo ipſo quod erat *Sanhedrin* aliquoties occurrit; interdum itidem, συνεδρία [m] parili notione pro *conſeſſu* magiſtratuum, & συνεδρεύειν [n] & συνεδριάζειν [o] pro *conſidere*; quae ſunt voces alibi etiam apud Graecos ſatis uſitatae. A Targumiſtis ſimiliter *Sanhedrin* ſubinde [p] uſurpatur. Et in corpore Talmudico ea quae inprimis ad forenſem & judiciariam rerum rationem ſpectant titulo illo *Sanhedrin* continentur; unde vocabuli uſus in magiſtrorum commentariis frequentiſſimus. In Evangeliis & Actis Apoſtolorum perquam obvium habetur συνέδριον [q], quo idem ipſum innuitur quod eſt *Sanhedrin* Ebraeis. Latine *concilium*, *conſeſſus*, id genus alia, ſubſtituuntur, Syriace בית דינא *domus judicii*, Arabice مجلس tantundem denotans. Atque hinc etiam in codice [r] utroque memorantur, ut umbrae ſeu reliquiae quaedam veterum illorum ſynedriorum apud Ebraeos in aevo recentiore, *Judaeorum primates qui in utriuſque Palae-*

[a] Gemar. Babylon ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 14. 2. Jonath. Targ. Numer. xxv. 7. [b] Videſis Eliam in סנהדר Angel. Caninium in locis N. T. cap. 7. J. Druſ. ad difficil. loca Numerorum cap 48. Serrarium in Rabbin. priore cap. 18. & Buxtorf. Lexic. Talm col. 1509 & 1513, &c. [c] Conſulas David Cohen de Lara, lib. de Convenientia vocabulorum Rabbinicorum cum Graecis Amſtelodami 1638. [d] L. ult. de tit. De Decretis ab Ordine faciendis. [e] Lib. 1. cap 14 [f] Jo. Bachon. ad Sentent. 3. diſt. 20. quaeſt. 3. art. 1. [g] Petr. Comeſt. in Hiſt Eccleſ. Regum 3. cap. xv. [h] J. Druſ. Praeterit 5. ad Act. xxii. 5. [i] Fol. 45. col. 3. [k] Ad tit. *Sota*, cap. 9. §. 11. [l] Cap. xx. 27. xxii. 10. xxiv. 8. xxvi 26. xxvii. 22. [m] Judith vi. 4, 19. xi. 9. [n] Syracides xi. 9. xxiii. 15. xlii. 18. [o] Proverb iii. 32. [p] Hieroſolymit. Exod. xv ult. & vide Buxtorf. Lexic. Talm col. 1514. [q] Matth. x. 17. xxvi. 59. Marc. xiii. 9. Act. v. 21, 27, 34. [r] C. Juſt. tit. De Judaeis l. 17. C. Theod. lib. 16. tit. 8. l. 29.

ſtinae ſynedriis dominantur. Alciatus [s], *ſynedria Judaeorum in conſtitutionibus interpretare ſynagogas & conciliabula.* Συνέδριον *enim id denotat.* Etiam eodem vocabulo patres chriſtiani concilia [t] ſua ſeu ſynodos interdum denotaſſe liquet. Id vero quod a *conſidendo* ita *ſynedrium* dictum eſt, a qualitate perſonarum cooptandarum, id eſt ſenectute civili ſeu dignitate presbyteri, qua cooptandi inſigniebantur, ut infra oſtenditur, γερουσία ſeu *ſenatus* itidem vocitabatur, ut cum e ſcriptoribus aliis tum e Luca in Actis, Philone, Joſepho liquet. Idem interdum etiam עדה & קהל aliiſque ejuſmodi nominibus, uti & ἡ ἐκκλησία, vocitari ſolet. Item πρεσβυτέριον *preſbyterium* [v], uti & ἀκροατήριον *auditorium* [x], dicitur, quod Syrus vertit בית דינא *domus judicii*, & Arabs المجلس idem ſignificans. Sed hac de re non pauca inferius ſe obiter inter legendum praebebunt.

II. Eminentiores praefecturae illae juridicae, *ſynedriorum* nomine ſeu τῷ סנהדרין *Sanhedrin* vulgo venientes, fuere סנהדרי הגדולה *ſynedrium magnum*, ſeu בית דין הגדול *domus judicii magna* illa unica & illuſtriſſima, & compluria ſynedria minora ſeu סנהדריות הקטנות. quod nomen ſortiebantur reſpectu ſynedrii illius magni per excellentiam ſic dicti. Synedrii hujus magni origo & inſtitutio, ejuſque occaſio, ſatis aperte cerni videtur in hiſtoria ſacra, ubi Moſes gubernationis in rebus difficilioribus ſummae illius ſoliuſque ante oſtenſae onus, tum ob pervicaciam populi eximiam, tum ob juris jam nuper inducti quaeſtiones multiplices, ſive grave nimis ſentiens, לא אוכל אנכי לבדי לשאת את כל העם הוא כי כבד ממנו וגו׳ : inquit [y] ad Dominum, *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia gravis eſt mihi*, ſeu *gravior quam qui a me ſic ferri poteſt. Si ſic mecum ſit agendum, obſecro ut interficias me, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ut non videam malum meum*, ſeu, ut Vulgata, *ne tantis afficiar malis.* Quibus ſtatim ſubjungitur, *Et dixit Dominus ad Moſem*, אספה לי שבעים איש מזקני ישראל אשר ידעת כי הם זקני העם ושוטריו ולקחת אותם אל אהל מועד והתיצבו שם עמך וגו׳ : *Congrega mihi ſeptuaginta viros de presbyteris* ſeu *ſenioribus Iſrael, quos tu noſti eſſe ſeniores* ſeu *presbyteros populi & praefectos* ſeu *magiſtros* (Graecis hic, ut alibi, γραμματεῖς nuncupantur שוטרים) *eorum; & duces eos ad tabernaculum teſtimonii* (Vulgata, *ad oſtium tabernaculi) facieſque ibi ſtare tecum*, aut *ut ſtent ibi tecum; ut deſcendam & loquar tibi*, ואצלתי מן הרוח אשר עליך ושמתי עליהם & ἀφελῶ, *ſeparabo, accipiam de ſpiritu qui ſuper te eſt*, ſeu *tuo, & ponam ſuper eos, ut ſuſtentent tecum onus populi*, ולא תשא אתה לבדך *nec tu ſolus ferre cogaris.* Illud autem אספה לי *congrega mihi* a Numine dictum aiunt magiſtri [z], שתהא סנהדרין לשמי *ut ſit mihi* ſeu *nomini meo ſynedrium*, mihi ſcilicet ſanctum, perpetuum, atque in republica quam inſtitui per omnia ſecula duraturum. Sic enim interpretandum volunt לי שבכל מקום שנ׳ לי קיים לעלם ולעולמי עולמים *mihi, ubicunque ſic dicitur mihi, res ſtabilita habetur in perpetuum & in ſecula ſeculorum.* Exempla afferunt, *ut fungantur ſacerdotio* לי ſeu *mihi* [a], de Aharone & filiis dictum; &, *Erunt mihi Levitae* [b]; item, *mihi filii Iſrael ſervi* [c]. Simile de primogenitis [d], de ſanctuario [e], de altari [f], de oleo ſacro [g], de regno Davidico [h], & de oblationibus [i], ex ſacra loquendi formula obſervant. Sequitur autem paulo poſt apud Moſem inſtitutionem de qua loquimur exſequentem, *Venit itaque Moſes* [k]; *& narravit populo verba Domini*, ויאסף שבעים איש מזקני העם ויעמד אותם סביבות האהל *& congregavit ſeptuaginta viros e presbyteris* ſeu *ſenioribus populi, & ſtatuit eos circa tabernaculum.* Et dein ſequitur, *Et deſcendit Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum*, ויאצל מן הרוח אשר עליו ויתן על שבעים איש הזקנים ויהי כנוח עליהם הרוח ויתנבאו ולא יספו : *Et accepit de ſpiritu qui ſuper eum, & dedit* τοῖς *ſeptuaginta viris qui presbyteri eſſent. Et factum eſt ut, cum requieſceret ſuper eos ſpiritus, prophetarent, nec ceſſarent.* Ita nempe ולא יספו transferri ſaepius ſolet, juxta paraphraſtas Chaldaeos, quibus ſubſtituitur ולא פסקין tantundem denotans. Et Vulgata, *nec ultra ceſſaverunt*, neither ceased they any more, ſeu and did not cease, ut Angli noſtri. Conſonae ſunt verſiones aliquot nuperae aliae ex Ebraeo Lutheranam & Tigurinam ſequentes. Aliis vero magis placet verſio Graeca, καὶ οὐκ ἔτι προσέθεντο, *nec ultra adjecerunt* (quod vox Ebraica etiam ſatis fert) quaſi tunc prophetaſſent illi, ſeu munere functi fuiſſent prophetico, nec omnino poſtea, ſed inde deſiiſſent. Ita Talmudici [l], qui illud ולא יספו (quod in codice Samaritano edito legitur etiam ולא יאספו, uti itidem in MS. Cottoniano) interpretantur per פסקו *non adjecerunt*, ſeu *ceſſarunt.* Et gloſſa Jarchii ad locum citatum, כולן זו תן שבעים זקנים נתנבאו אותה שעה ראשונה לבדה כי נוח עליהם הרוח סביבות האהל ופסקו : *Omnes iſti ſeptuaginta presbyteri prophetabant tempore illo primo ſolum, quando quieſcebat ſuper eos ſpiritus circa tabernaculum, & tunc ceſſabant*, ſeu *non poſtmodum prophetabant. Sepher* item *Siphri* [m] לא יספו explicat ibi per נתנבאו לפי שעה *prophetabant pro tempore tantum. Peſiktha* etiam *Zotertha* [n], לא יספו שנתפסקה נביאתם NON ADJECERUNT *ſignificat prophetiam eorum tunc deſiiſſe.* Tantundem legitur in *Midbar Rabba* [o]. Jarchius item hic, לא נתנבאו אלא אותו היום לבדו *non prophetabant niſi illo tantum die*; & autorem ſibi facit *Siphri.* Adjicitur apud eum in editione Joannis de Gara, ואם תאמר ולא פסקין שלא פסקה נבואה מהם : *Sed ſi dixeris*, aut *ſubſtitui volueris*, NON CESSARUNT, *innuit illud, non ceſſaſſe ab eis prophetiam*, quaſi Jarchius de ſententiae Talmudicae & receptioris, quam in gloſſa amplexatur ipſe, ſenſu hic ſaltem dubitaſſet. Caeterum plane pro ואם תאמר ibi legendum ואונקלוס תרגימו ולא פסקין *ſed Onkelos interpretatur*, NON CESSARUNT; *un-*

[s] Praetermiſſorum lib. 1. & vide Cujac. Obſervat. 7. cap. 30. [t] Syneſius Epiſt. 57. ad finem. [v] Vide Uxor. Ebraicam lib. 1. cap. 15. [x] Act. xxv. 23. [y] Numer. xi. 14. [z] *Sepher Siphri*, fol. 13. col 3. *Peſiktha Zotertha*, fol. 45 col. 3. [a] Exod. xxviii. 41. [b] Num. iii. 12. [c] Levit. xxv. 55. [d] Numer. iii. 13. [e] Exod xxv. 8 [f] Ibid. xx. 24. [g] Ibid. xxx 31. [h] 1 Sam xvi. 1. [i] Numer. xxviii. 2. [k] Ibid. xi. 21. [l] Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17. 1. [m] Fol. 13. col. 4. [n] Fol. 45. col. 4. [o] *Paraſh.* 16. fol. 265. col. 2.

de innuit ille, non cessasse ab eis prophetiam. Ita enim in glossae ejus biblicae editionibus Venetis aliis, quae satis sunt numerosae, in Constantinopolitana, Buxtorfiana, Amstelodamensi legitur, ut plane debet. Neque proculdubio aliunde evenit ibi illud ואם תאמר, quam ex eo quod abbreviatura solennis ואת, pariter lectionis illius alterius vocibus inserviens, a librario aliquo typis Garaianis operas praestante in ואם תאמר temere sit mutata. Ex jam dicto loci sensu, quem amplectuntur plerumque magistri, afferentes etiam exemplum ex illo [p] קול גדול ולא יסף *voce magna, nihilque adjecit*, seu καὶ οὐ προσέθηκε, Syrus habet ܘܠܐ ܐܘܣܦܘ quod vertitur *& non perrexerunt*, ubi Samaritana versio ולא אכנשו in eundem sensum: Arabica Saadiae Gaon, ولم يحتاجوا الي عودة quod vertitur, *& non eguerunt iterationis:* Potius, *non usi sunt iteratione*, seu לא יספו פעם שנית *non adjecerunt vicem secundam*, ut interdum magistri. Sed Judaei Mauritanienses, ولا زادوا *& non adjecerunt*, uti & MS. penes me pentateuchi versio vetus ولم يزيدوا *non apposuerunt* prophetiam aliam. Hispanienses Judaei, *Y non anandieron.* Tremellius, *ut tum prophetarent, & non amplius.* Galli, *mais ils ne continuerent pas.* Alii aliquot similiter. De prophetiae autem gradibus agens Maimonides hunc quo donati sunt septuaginta illi facit secundum. Scilicet, in praefatione ad *More Nebochim*, de mysteriorum divinorum scientia varia, verba faciens, *Noli*, inquit, *existimare illa perfecte & ad amussim ulli homini esse cognita. Nequaquam. Verum quandoque veritas nobis lucere & splendere videtur instar lucis vel diei; postea vero iterum occultatur vel a natura vel a consuetudine, ita ut ad priores nostras tenebras fere revertamur, & similes simus iis quos in densissima noctis caligine fulgura subinde irradiant. Hoc pacto quibusdam ita crebro coruscare & sese invicem solent consequi ut nullum quasi animadvertere possint interstitium sibique in continua luce versari videantur, & nox illis sit instar diei*

وهذه درجة عظيم النبيين الذي قيل له

seu וזאת היא מדרגת גדול הנביאים אשר נאמר לו *Atque hic est gradus magnus prophetarum, de quo dicitur* [q], (seu, ut versio vetustior, *& iste fuit gradus eximii prophetarum, cui dictum est) Tu autem sta hic mecum. Item* [r], *Quia radiavit lux faciei ejus.* Et sequitur hic in versione R. Samuelis Aben Tybbon, ויש מי שיהיה לו בין ברק וברק הפרש רב והיא מדרגת רוב הנביאים unde in Buxtorfianae Latinis, *Aliis ita coruscare solent fulgura ut longum sit inter unum & alterum spatium ac intervallum. Et talis est communis gradus majoris partis prophetarum.* Sed in Arabico codice MS. literis Judaicis exarato, quem ante memoravimus (cui titulus in origine est אלדלאלה id est الدلالة *directorium)* totum hoc deest, uti etiam in versione Latina veteri. Et statim post scripturam illam de luce faciei Mosis Arabice legitur, ומנהם מן ברק לה מרה ואחדה פי לילתה כלמא והי דרגה מן קיל פיהם ויתנבאו ולא יספו: id est,

ومنهم من برق له مرة واحدة في ليلته كلها وهي درجة من قيل فيهم

ויתנבאו ולא יספו quod recte vertit Aben Tybbon, מהם מי שיברק לו פעם אחת בלילה כלו והיא כמדרגת מי שנאמר בהם וגו' *Et ex illis* prophetiae munere donatis *reperitur cui apparet coruscatio in tota nocte. Et gradus hic est de quo dicitur* [s], *Et prophetaverunt, & non addiderunt*, quod de septuaginta adlectis sic dictum. Postea autem idem Maimonides [t] مراتب النبوة *ordines* seu *gradus* (utitur hic etiam Aben Tybbon voce מדרגות) prophetiae accuratius tractans, primum gradum facit, *cum quis auxilio divino ita instructus est & praeditus ut eo moveatur & animetur ad magnum aliquod facinus perpetrandum*(ut, ad *liberandum* جماعة فضلا من جماعة اشرار (ubi Aben Tybbon, קהל חשוב מן קהל רעים) *populum excellentem a populo malo, aut ad liberandum virum aliquem excellentem, aut ad multis hominibus benefaciendum*; ubi versio vetus, *ut evadant boni homines de manibus impiorum, vel ut evadat bonus homo honoratus, vel ad inducendum bonum super multos*; Buxtorfiana autem, *ad ecclesiam totam vel insignem aliquem hominem a vi & tyrannide improborum liberandum) illumque motum in se sentit & animadvertit.* Donum hoc ei vocatur *Spiritus Domini* [v], qualem fuisse ait in judicibus aliisque heroibus Israeliticis. Pro eo autem quod habetur ibi in Ebraicis, והיא גם כן מדרגת יועצי ישראל החשובים כלם והתבאר וגו': *Est gradus hic etiam praestantissimorum consiliariorum Israelis omnium, sicuti id speciatim in regibus & judicibus quibusdam declaratur*; ut, *Et fuit* [x] *super Jephthacum Spiritus Domini*, &c. legitur in codice Arabico, והדה הי איצא הי דרגה משיח ישראל אפצלא כלהם ותבין דלך בתכציץ פי בעץ אלשופטים ואלמלכים ותהי על יפתח רוח יהוה וגו': seu

وهذه هي ايضا هي درجة مشيح يسرائيل الفضلا كلهم وتبيين ذلك بتخصيص في بعض השופטים והמלכים ותהי על יפתח רוח יהוה וגו'

id est, *Atque hic etiam gradus est Messiae Israel, qui omnibus praecellit. Atque hoc speciatim declaratur in quibusdam judicibus & regibus; ut, Et erat super Jephtha Spiritus Domini*, &c. Adeoque de Messia illud in versionibus Ebraica & Latinis praetermittitur, aut potius expunctum est. Primi hujus gradus Spiritus, ut *Spiritus Domini*, sic etiam *Spiritus Sanctus* ei ibi nuncupatur, quo *Mosem* ait *praeditum fuisse a tempore quo virilem aetatem est assecutus.* Secundus ei hic gradus est, *cum homo in se sentit rem vel facultatem quampiam exoriri & super se quiescere quae eum impellit ad loquendum, ita*

p Deuter. v. 22. q Ibid. v. 31. r Exod. xxxiv. 29. s Numer. xi. 25. t *More Nebochim*, part. 2. cap. 45. Arab. 46. v 1 Sam. x. 6. Judic. vi. 34. Isai. xi. 2. x Judic. xi. 29.

ut

ut loquatur vel de scientiis & artibus, vel psalmos & hymnos, vel utilia & salutifera recte vivendi praecepta, vel res politicas & civiles, vel denique divinas, וההדא כלה פי האל אליקטה ותצרף לחואס עלי מעתאדהא, id est,

وهذا كله في حال اليقظة

وتصرف الحواس على معتادها

quod vertit Aben Tybbon, וזה כלו בעת היקיצה והתשמש החושים על מנהגיהם, id est, *& totum hoc fit inter vigilandum, & in vigore sensuum ordinario.* Pergit Maimonides; כדבר

وهذا هو الذي يقال عنه

ברוח הקדש *Et hic est de quo dicitur,* seu *dici solet, quod loquatur per Spiritum Sanctum.* Davidem, Salomonem, alios sacrae scripturae autores, verba fecisse ac scripsisse ait, ut per Spiritum Sanctum impulsos, ومن هذه

الطبقة كانوا שבעים זקנים المقول فيهم ויהי כנוח עליהם הרוח ויתנבאו ולא יספו *Et ex hoc genere fuere septuaginta presbyteri, de quibus dictum est* [y], *Et factum est ut, cum quiescebat super eos spiritus, prophetarent, & non addiderint.* Utrobique vertit apud eum recte Buxtorfius *& non addiderunt.* Vetus versio in praefatione quidem sic etiam; sed in loco secundo expressim *& non cessarunt,* juxta Vulgatam. Et statim,

وكذلك كل כהן גדול הנשאל באורים ותומים

هو من هذه الطبقة اعني انه كما דברו שכינה שורה עליו ומדבר ברוח הקדש *Et secundum hunc gradum locutus est quilibet sacerdos maximus, a quo responsa petebantur per Urim & Thummim, id est, juxta id quod dici solet, gloria* seu *majestas divina habitat super eum, & loquitur per Spiritum Sanctum,* seu *cum Spiritu Sancto.* Compluria alia ibi habet Maimonides de variis prophetiae gradibus, eaque satis intricata & vere perplexa [z]. Jam vero ex Maimonidis hisce sunt ex magistris eminentissimi qui tum alium ab superius dictis loci sensum eliciant, tum versiones illas quae adeo diversae sunt etiam satis conciliandas, saltem utrasque non immerito admittendas, velint. Spiritum Mosis septuaginta illis sic ut e sacra liquet historia communicatum (quem a Mose seu spiritu ejus non aliter aiunt passim magistri, uti & christiani [a], ablatum atque a candela altera lumen alteri accensum, unde non omnino imminuitur lumen prius quo accenditur; & in versione Saadiae Gaon pro *spiritu* substituitur النور *lux* seu *splendor)* ita intelligunt illi, ut non ex eodem undequaque cum eo quod Mosaicum integrum erat genere a numine communicatum velint. Fuisse scilicet illi tam primum prophetiae seu summum gradum quam secundum jam dictum. Cum autem ex re ipsa & occasione unde institutio illa τῶν septuagintâ orta est viri collegio seu consessui juridico & deliberationibus in populo gubernando multiplicibus apti adsciscendi essent, spiritum illis communicatum prophetiae quidem fuisse volunt, sed non נבואה הגמורה *prophetiae summae* seu perfectissimae; qualis etiam in Mose, sed רוח עצה *spiritum consilii,* & רוח לעשות משפט וצדקה *spiritum ad faciendum judicium & justitiam.* Adjiciunt, והוא הנקרא גבורה & *spiritus hic est qui vocari solet potentia,* a numine scilicet communicata. Atque interpretantur illud & *non addiderunt,* quasi dictum fuisset, prophetiae gradum illum secundum habentes juxta illum prophetabant, nec insuper ex primo quid addiderunt. Ita sane Isaac Abarbinel [b], ubi citato e *More Nebochim* loco jam allato, ad illud ויתנבאו ולא יספו, ut ibi affertur a Maimonide, adjicit, ר״ל ויתנבאו ברוח הקדש שלבש אותם וגו׳ ולא יכפו מדרגה יותר מזה בנבואה שאחר שניתן להם הכח הזה לא היה צורך שיתנבאו עוד׃ *Sensus est, Et prophetabant per Spiritum Sanctum, qui vestivit eos,* &c. *& non adjecerunt gradum,* aut *adjectum sibi non habuere gradum prophetiae hoc superiorem; quoniam, postquam datus est eis potestas* seu *facultas illa* gradus secundi, *non opus erat ut ultra* (id est, gradu ulteriore) *prophetarent.* Statim vero de versione illa Targumistarum, *& non cessarunt,* velut non omnino contemnenda, subjungit, ואם תרצה לפרש ולא יספו ולא פסיקו כתרגומו אמור מעתה שלא פסקו ולא סרו מהיותם מלובשים בכח ההוא מרוח הקדש אשר זכרתי׃ *Sed si malueris interpretari illud* ולא יספו *per, Et non cessarunt, juxta id quod in Targumis habetur, tunc dicendum eos non cessasse,* aut *non defecisse,* aut *non desiisse esse vestitos potestate illa Spiritus Sancti quam jam memoravi.* Sic ille, ut versionis utriusque tum interpres tum patronus. Qui vero semel tantum eos prophetasse aiunt, eorum prophetiam alii fuisse volunt de coturnicibus proxime in castra venturis [c], alii aliter. Hugo Grotius hic sententiam de prophetiae in eis cessatione illa & versiones consonas amplexus, *Post id tempus,* inquit, *non habuere spiritum propheticum, quem semel tantum illis Deus dederat, ut auctoritatem novae potestati* judicandi gubernandique *necessariam ipsis adderet. Vide simile* 1 *Samuelis* x. 10. de Saule. *Nimirum, ut notat Maimonides, alii plerumque habuere Spiritum propheticum, alii ex longis intervallis, alii semel.* Sic ille. Anne vero sive ille sive Abarbinel hic assecutus sit mentem Maimonidis, viderint perspicaciores. Mihi fateor hactenus esse eam nimis inaccessam. Theodoretus [d] ad quaestionem, *Undenam eveniret septuaginta statim ut praefecti sunt prophetasse, postea vero minime,* juxta Graecam scilicet versionem, respondet, Ὅτι οὐ προφητείας χάριν, ἀλλ' οἰκονομίας αὐτοὺς προεβάλετο· τὸ δὲ πνευματικὸν χαρισμάτων καὶ τοῦτο, *Quia non vaticinandi sed gubernandi causa eos promoverat Deus; quod munus etiam inter charismata Spiritus censetur.* Unde affert illud Pauli, cui [e] inter alia christianorum munera divinitus accepta numerantur ἀντιλήψεις καὶ κυβερνήσεις, *opitulationes & gubernationes,* seu opitulandi & gubernandi in confoederata chri-

[y] Numer. xi 25. [z] Videsis eum in *More,* part 2. cap 36. e. Tract. *Jesudi Tora,* cap. 7. [a] Videsis Augustin. quaest. super Numeros xviii. Tertullian de Anima, cap. 35. Ambros. in Symbol. Apostolorum cap. 7. Phil. Jud. lib. de Gigantibus; Abulensem in Numer. xi quaest. 40, 41, &c. [b] *Pirush Hatora,* fol. 280. col. 4. [c] *Pesiktha Zotertha,* fol. 45. col. 4. Gemara Babylon. ad tit. *Sanhedrin,* cap. 1. fol. 17. 1. alibi. [d] In Numer. quaest. 20. [e] 1 Corinth. xii. 28.

stianismâ

ſtianiſmi naſcentis diſciplina facultates. *Hoc autem* ſeu gubernationis judicandique *munere*, inquit Theodoretus, *ornati ſunt ſeptuaginta illi*; &, *ut conſtaret populo divinum munus illos eſſe conſecutos, quaedam ſtatim praedixerunt*. Quod quidem receptiori magiſtrorum ſenſui perquam eſt conſonum. Et videſis hic Lyranum, caeteros noſtrorum obvios.

III. Sequitur in textu ſacro [f], *Remanſerant autem in caſtris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, alter autem Medad*, ותנח עליהם הרוח *& quievit ſuper eos Spiritus*. Onkelos & Jonathan dictus, רוח נבואה *Spiritus prophetiae*. Hieroſolymitanus, רוח קידשא *Spiritus Sanctus*, והמה בכתובים וגו׳ *& hi fuerunt ex conſcriptis, nec exierunt ad tabernaculum, ſed prophetaverunt in caſtris. Et currens puer nunciavit Moſi, dicens*, (Gerſomum filium Moſis puerum hunc [g] fuiſſe aiunt) *Eldad & Medad prophetant in caſtris. Et reſpondit Jehoſua filius Nun, miniſter Moſi, unus ex juvenibus ejus, & ait, Mi domine Moſes, prohibe eos. Et reſpondit ei Moſes, Nunquid aemularis pro me? Et quis tribuat ut* (ſeu *utinam) totus populus Domini eſſent prophetae*, כי יתן יהוה את רוחי עליהם *ut Dominus det Spiritum ſuum ſuper eos. Ingreſſus eſt itaque Moſes in caſtra, ipſe & presbyteri Iſrael.* Nomina alia jam conſcriptorum non memorantur. Nec quinam duo hi, ſic nominati, fuerint, aliunde aut aliter in ſcriptura ſatis liquet. Sed vero apud magiſtros aliquos obtinuit, fuiſſe eos fratres Moſi uterinos, utpote, בנוי דאליצפן בר פרנך דילידיה ליה יוכבד ברת לוי בזמן דפטרה עמרם גברה ואתנסות ליה עד דלא ילידת ית משה׃ *Filios Elizaphani* (principis tribus Zabulon, inter reliquos, ad terram promiſſam dividendam deſignati [h]) *filii Pharnac, quos peperit ei Jocabed filia Levi, quae, repudiata ab Amram marito ſuo, illi etiam deſponſata eſt antequam pareret Moſem.* Sic paraphraſtes Chaldaeus Jonathan dictus. Atqui e traditionibus Ebraicis Hieronymus (tantundem itidem, quoad fraternitatem, ſed non uterinam enarrans) ad illud Paralipomenon [i], *filii Ezra, Jether, & Mered, & Epher, & Jalon*; עזרא *Ezra*, inquit, *interpretatur auxilium*; *ipſum enim dicunt Amram patrem Moſi & Aaron.* יתר *Jether interpretatur reſiduum: Ipſe eſt Aaron.* מרד *Mared, rebellans: Ipſe eſt Moſes.* עפר *Effer, pulvis: Ipſe eſt Eldad.* ילון *Jalon, Ilex: Ipſe eſt Medad: Iidem duo qui prophetabant. Traditur enim, Moyſem, poſt acceptam legem in eremo, patri injunxiſſe ut matrem dimitteret, eo quod illius amita eſſet: Filia enim fuit Levi. Poſt cujus diſſidium, duxiſſe aliam uxorem Amram, ex qua ſuſcepit duos filios hos, Eldad & Medad.* Sic ille. Alii Eldad illum fuiſſe volunt qui *Elidad filius Ciſlon* dicitur [k]; Medad vero, qui *Kemuel filius Shiphtan* [l]; quorum uterque etiam in principibus ad terrae diſtributionem deſignatis; hic tribui Ephraim, ille tribui Benjamin. Sic item habetur in *Midbar Rabba* [m]. Sed incerta nimis haec & e genio Rabbinico illo notiſſimo orta, uti pariter alia aliquot quae de ſingularibus binorum horum prophetiis, earumque circumſtantiis, traduntur. Manifeſtum interim videtur ex hiſtoria ſacra, binos hoſce ſic expreſſim nominatos in circuitum tabernaculi cum ſeptuaginta ante generatim memoratis non veniſſe, ſed in caſtris manſiſſe, & prophetaſſe; qua de re etiam plura mox. Adjiciunt autem magiſtri, etiam ii qui ſeptuaginta prophetiam non ultra, juxta ante dicta, duraſſe volunt (quocunque in ſenſu id ſumendum) Eldadum & Medadum prophetico munere uſque ad mortem functos eſſe; habitualiter, ut dici ſolet, licet non actualiter. Quod ad Spiritus prophetiae genus ſeu gradum attinet; magnus ille Maimonides [n] eundem ait eos ſortitos eſſe gradum quem ſeptuaginta illis ipſe attribuit, id eſt, per Spiritum Sanctum. Et Nachmanides [o] ad illud Jehoſuae [p], *Domine mi Moſes, inhibe eos*, ירושלמי ראיתי שאמר בכלאם מנע בתרגום כנהין רוח קודשא וגו׳ inquit, *In Targum Hieroſolymitano vidi illud*, inhibe eos, de Eldado & Medado dictum, *expoſitum per, inhibe ab eis Spiritum Sanctum*, &c. quod in Targumi illius editis non comperio. Etiam quibus diſtinctio illa prophetandi graduum non expreſſim adhibetur, dono illo eos uſque ad mortem non caruiſſe aiunt: Remanſiſſe ſcilicet ex humilitate in caſtris, nec in circuitum tabernaculi inde acceſſiſſe; unde etiam addunt eos colloquium quoddam habuiſſe cum numine (quale non raro alibi adhibent quoties ea quae dictu aut cogitatu ſibi veriſimilia eſſent perſonis introductis enarrare ſatagunt) de dignitate ad ſe inde ventura. Dixiſſe ſcilicet eos [q], אין אנו רואויין לאותה גדולה *nos impares ſumus tantae dignitati*, ut nempe in numero jam ſeligendorum circa tabernaculum ſanctum locum haberemus. Atque illinc dixiſſe eis dominum, הואיל ומיעטתם עצמיכם הריני מוסיף גדולה על גדלתכם׃ *Quoniam vos ipſi vos* [r] *ſic minuitis*, ſeu indignos vos eſſe profitemini, *ego dignitatem dignitati veſtrae addam.* Additio illa ſtatim ſubjicitur; ומה גדולה הוסיף להם שהנביאים כולן נתנבאו ופסקו והם נתנבאו ולא פסקו׃ *Dignitas illa adjecta*, ſeu praerogativa ſingularis binis hiſce data, *erat ut, cum prophetae omnes caeteri vaticinari deſinerent, hi non omnino deſinerent*, והיו מתנבאים עד יום מותם *atque* [s] *munere uſi ſint prophetico uſque ad tempus mortis eorum.* In prophetiis eorum, quibus tunc uſi ſunt, habent etiam alii [t] illam de coturnicibus in caſtra venturis, alii illas de Moſis morte & Jehoſuae in terram ſanctam ingreſſu, alii de Gog & Magog, alii haſce pariter cunctas. Etiam ubi in Ezekielis prophetia de Gog & Magog legitur [v], *Anne tu is es de quo locutus ſum in diebus antiquis per ſervos meos prophetas Iſrael*, הנבאים בימים ההם שנים, quod verti ſolet, *prophetas in diebus illis annorum*, ſeu *diebus illorum temporum*, haud legendum volunt שנים *Shanim*, quod ſignificat *annos* ſeu *tempora*, ſed *Shenaim*, id eſt, *binos*, atque ita denotari ibi Eldadum & Medadum, *per prophetas in diebus illis binos.* Sic Gemara Babylonia jam

[f] Numer. xi. 26. [g] R. Bechai in *Biur ail Hatora*, fol. 173. col. 3. alii. [h] Numer. xxxiv. 25. [i] 1 Cap. iv. 17. [k] Vide Hiſtor. Scholaſtic in Numer. xiv. & Abulenſem in Numer. xi. quaeſt. 72. [k] Numer. xxxiv. 21. [l] Ibid. xxiv. [m] *Paraſh.* 16. fol. 265. col. 2. [n] *More Nebochim*, part. 2. cap. 45. Arab. 46. [o] In *Piruſh Tora*, fol. 242. 2. [p] Numer. xi. 28. [q] Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17. 1. [r] Vide Theodoret. in Numer. quaeſt. 21. [s] *Sepher Siphri*, fol. 13. col. 4. [t] Loci citati, & inde Magiſtri ad Numer. xi. & Targum ibi tum Jonathanis dictum, tum Hieroſolymitanum. *Zohar* edit. Mantuanae ad *Bemidbar*, fol. 155. 2. *Midbar Rabba*, paraſh. 16. fol. 265. col. 2. *Chiskuni* in Num. fol. 195. 2. Ramban in *Piruſh Tora*, fol. 242. 2. *Peſiktha Zotertha*, fol. 46. col. 1. [v] Cap. xxxviii. 17.

ante

4

ante citata. Sic Salomon Jarchius locum illum etiam de prophetis aliquot recentioribus cum aliis sumens, adjicit, ורבותנו אמרו אלדד ומידד הם נתנבאו עליו והו שנים האמור כאן אל תקרי שנים אלא שנים שני נביאים נתנבאו נבואה אחת בפרק אחד *Sed dicunt* plerumque *Rabbini nostri Eldadum & Medadum fuisse eos qui prophetarunt de eo*, nimirum de Gog ibi memorato, *& quod habetur hic* שנים *non accipiendum pro binis, Nec legendum* SHANIM, pro *annis*, *sed* SHENAIM. *Bini scilicet prophetae illi prophetiam unicam prophetabant tempore uno*, seu *simul*. Sic etiam ipse in glossa Talmudica [x]. Ita etiam ibi David Kimchius, ita *Chiskuni* [y], *Pesiktha Zotertha* [z], alii. Sed vide Abarbinelem [a] in dictum Ezechielis locum. Et de prophetico conscriptorum munere videsis quae fusius disputat Abulensis [b]. Binos autem jam dictos, in castris sic manentes, nec in circuitum tabernaculi cum reliquis venientes, alii ex numero illo Septuaginta fuisse volunt, negantibus aliis. Qua de re inferius plura.

IV. Monendum autem esse duximus lectorem, si quis scriptis Rabbinicis ac Talmudicis forsan inassuetior fuerit, nomen רוח הקודש *Spiritus Sancti* sic in spiritus Mosaici communicatione superius memorati notione accipi illa qua tantum שפע מן יהוה *influentiam a Domino* seu Numinis sanctissimi afflatum hominibus communicatum significat, non omnino qua personam divinitatis tertiam, ut in christianismo, denotat. Sic aiunt [c] Eberum magnum fuisse prophetam שקרא שם בנו פלג ברוח הקודש *quoniam appellavit filium suum Phaleg* (quo nomine telluris distributio futura designaretur) *per Spiritum Sanctum*. Genebrardus vertit *afflatu Spiritus Sancti*. Maimonides item alibi [d] sextuplam explicans spiritus apud suos notionem, primam aeris, secundam venti, tertiam vitalis, quartam ipsius animae rationalis immortalisque facit. Et de quinta,

وهو ايضًا اسم الفيض العقلي الالهي

الذي يفيض على النبيين

והוא גם כן השפע השכלי האלהי אשר ישפיע על הנביאים: *Et nomen est itidem influentiae intellectualis divinae, quae influit in prophetas*, quando prophetant. Atque exemplum notionis hujus affert ex Numerorum loco toties citato. Et de sexta inquit, nomen etiam est الكرض والارادة seu הכונה והרצון *propositi ac voluntatis* tam in homine quam Deo. Atque hinc subjicit, animadvertendum esse, ככל רוח מנשובה ליה הי בחסב אלמעני אלכאמס ובעצהאי בחסב מעני אלדי הו אלארארה scillicet

ككل روح منسوبة لله هي بحسب المعني

الخامس وبعضها بحسب معني الذي هو الارادة

Spiritum, ubicunque tribuitur Deo, sumendum aut in notione quinta, aut, ut interdum, pro eo quod est voluntas, ut in sexta. Utraque autem in notione *Spiritus Sanctus* ei dicitur. Atque alibi apud eum magistrosque [c] alios, *Spiritus Sancti* notio est ejusmodi frequens. Illinc vetustis patribus christianis dicitur *error Judaicus*, quo substantia Spiritus Sancti divina illa ac personalis, non nomen, alteris in illis notionibus negatur. Seculis in primitivis ea de re disputationes acerrimae inter etiam christianos. Quae Macedoniani aliique ejusmodi haeretici ea de re voluerint, in historiis obvia sunt. Atque errorem illum sic Judaicum dictum amplexum fuisse etiam Lactantium, autorem divinarum institutionum celeberrimum, notat Hieronymus [f]. *Lactantius*, inquit ille, *in libris suis, & maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino negat substantiam, & errore Judaico dicit eum vel ad patrem referri, vel ad filium, & sanctificationem utriusque personae sub ejus nomine demonstrari. Error* ibi *Judaicus* habetur in eo quod de *Spiritus Sancti substantia negata* dicitur, non itidem in subjuncto de *sanctificatione utriusque personae*, quasi Judaei non in christianismum reformati binas admisissent, ut christiani, personas, seu patris & filii; licet interim fatendum sit, eos, praeter Patrem, ut Spiritum Sanctum, ita etiam & filium Dei, & מימרא די״י *Verbum Domini*, & λόγον ejus, ut nomina satis sibi nota memorare; eaque sic intelligi a scriptoribus aliquot christianis, iisque doctissimis, quasi vetustiores Judaei eisdem nominibus Trinitatem christianismi divinam designari voluissent. Ea de re, prae aliis qui in Judaeos ex professo diligentius, idque ex ipsorum commentariis, conscripserint, consulas Raymundum Martini [g], & Petrum Galatinum [h], atque in Raymundum observationes nuperas. Apud illos ipsa hisce de nominibus magistrorum veterum verba maxime animadvertenda occurrunt. Adde quae Christophorus Helvicus de מימרא די״י *verbo Domini* e Targumicis pridem observavit. Illud interim prae aliis hac de re observandum; ubi in loco illo celeberrimo [i] dicitur יהוה *Dominus pluisse super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem* מאת יהוה *a Domino de coelo*, unde Patris & Filii in eodem commate designatio elici solet, & eam in rem paraphrasis afferri Hierosolymitana, quae habet primo pro יהוה *Domino* מימריה די״י *verbum Domini*, & in secundo מן קדם י״י *a praesentia* seu *a Domino de coelo*, paraphrasin Jonathanis dictam utroque in loco pariter מימרא די״י *verbum Domini* usurpare; quasi idem ipsum priori יהוה nomine quod posteriori omnino denotandum. Et verum quidem est מימרא די״י *verbum Domini* Chaldaeis pro ipso simpliciter Deo, ut agente, saepius adhiberi. Syrus loco illo de Sodoma priore habet מרנא *Dominus*, posteriore מן קדם מרנא *a conspectu* seu *praesentia Domini de coelo*. Arabs Saadiae Gaon priore الله *Deus*, posteriore من عنده *a se ipso* de coelo. Utroque in loco Judaei Mauritanienses الله *Deum* habent, uti & versio Persica خدا GODA, *Deum*. In eundem simpliciter sensum alii. Sed vero de angelo nomine יהוה interdum designato, videsis, praeter veteres aliquot obvios,

[x] Ad tit. *Sanhedrin*, cap 1. fol. 17 1. [y] Ad Numeror. fol. 196. 2. [z] Fol. 46. col. 1. [a] In prophetas fol. 205. col. 2. [b] Ad Numer. xi. quaest. 54, 57, 58, 59, 60, 64, 65, &c. [c] *Seder Olam Rabba*. cap. 1. [d] More *Nebochim*, part. 1. cap. 40. [e] Videsis *Sepher Cozri*, part. 5. §. 12. pag. 260. Rabbines ad Genes 1, 2, &c. [f] Epist. 65. ad Pammachium & Oceanum. [g] Part. 3. dist. 1. cap. 4 8. §. 3, 4, etc. & cap. 11. [h] De Arcanis lib. 2. cap. 5. 6. [i] Genes xix. 24.

viri summi Hugonis Grotii [k] adnotata. Philo autem Judaeus ille Alexandrinus, ut de Spiritu Domini, juxta superius ex eo allata, adeoque Sancto, loquitur, ita etiam de filio ejus & verbo, etiam primogenito. Scilicet agens [l] de Dei filii nomine qua hominibus illud subinde communicatum, Κἂν μηδέπω μέντοι, inquit, τυγχάνῃ τις ἀξιόχρεως ὢν υἱὸς Θεοῦ προσαγορεύεσθαι, σπουδαζέτω κοσμεῖσθαι κατὰ τὸν πρωτόγονον αὐτοῦ λόγον, τὸν ἄγγελον πρεσβύτατον, ὡς ἀρχάγγελον πολυώνυμον ὑπάρχοντα. Καὶ γὰρ ἀρχὴ, καὶ ὄνομα Θεοῦ, καὶ λόγος, καὶ ὁ κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος, καὶ ὁ ὁρῶν Ἰσραὴλ προσαγορεύεται, *Quod si nondum quisquam est dignus ut Dei filius appelletur, tu tamen da operam ut ornatus sis sicut verbum ejus primogenitum, angelus antiquissimus, qui velut appellationum multiplicium archangelus est. Etenim principium, & nomen Dei, & verbum, & homo ad imaginem Dei, & videns Israel nuncupatur.* Et statim subjungit, Καὶ γὰρ εἰ μήπω ἱκανοὶ Θεοῦ παῖδες νομίζεσθαι γεγόναμεν, ἀλλά τοι τῆς ἀϊδίου εἰκόνος αὐτοῦ, λόγου τοῦ ἱερωτάτου. Θεοῦ γὰρ εἰκὼν λόγος ὁ πρεσβύτατος, *Nam si nondum idonei sumus ut nominemur Dei filii, simus saltem sempiternae ejus imaginis*, id est, *sermonis* seu *verbi illius sacratissimi. Dei enim imago est verbum illud antiquissimum.* Cum Platonicis & christianis dogmatibus hac de re vetustis comparet haec obiter allata qui velit. Certe etiam ad Ebraeos suos Paulus [m] Apostolus, sive quis alius epistolae ad Ebraeos autor, fidentius loquitur atque ut de re ipsis receptissima, ubi etiam in epistolae initio verba facit de filio ut χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ, *charactere* seu *figura substantiae Dei.* Sed vero *Spiritus Sancti* haud dissimilis est apud Mahumedanos etiam notio, tam philosophos quam theologos, ubi loquuntur de النبوة *prophetia*, & de قوة قدسية *facultate* seu *potentia sanctimoniae.* Eas scilicet ad homines aliquot sive per angelum sive per الروح القدس *Spiritum Sanctum* devenire aiunt. Ea de re expressim certe Avicenna [n]. Et consulas, si vis, quae de intelligentiis huc etiam spectantia obiter tradunt Averroes, Algazel, Alpharabius, id genus alii. Etiam in Alcorano legitur [o],

ولقد اتينا موسي الكتاب وقفينا من بعده بالرسل واتينا عيسي ابن مريم البينات وايدناه بروح القـــدس

Et Mosi jam misimus librum, (ubi versio Retinensis edita Mosem praetermittit, qui in MS. meo, eidem coaevo, ut debet, ibi memoratur) *& misimus postea prophetas, & misimus Jesu Filio Mariae declarationes scientiae* (ubi paraphrastes penes me,

المعجزات كاحياء الموتي وابراء الاكمه والابرص

facultates miracula faciendi, veluti mortuos vita donandi, caecos & leprosos sanandi, & testimonium ei praebuimus, corroboravimusque eum per Spiritum Sanctum. Scilicet Deum sanctissimum loqui fingitur. Retinensis ibi *spiritum divinum.* Id genus sunt in Alcorano [p] alia, quae plerumque quidem per angelum Gabrielem sanctitatis spiritum interpretantur doctores Mahumedani. Paraphrastes jam dictus ad illud, بروح القدس *per Spiritum Sanctum,*

اي الروح المقدسة جبريل لطهارته يسير معه حيث سار ولم يستعدوا

id est, *Spiritum sanctitatis Gabriel, qui in manifestationem ejus missus est ut comes quocunque iret. Nec tamen* beneficiis hisce divinis (ita sensus paraphrasis est) *ad rectam mentem,* seu *veri cultus rationem, reduci potuere.* Ita potestatem, archangelum, intelligentiam, influentiam faciunt illi spiritum. Et videsis quae de munere apud eos prophetico obiter dicta superius [q] sunt. Habeo autem penes me theologum & philosophum in Mahumedanis eximium MS.

الشيخ علي بن عبدالكريم *Alshiech Hali Ben Aibdalcharim*, qui in opere cui titulum fecit,

كتاب الانسان الكامل *Liber viri perfecti* seu *perfectionis humanae*, apud Mahumedanos Africanos conscripto, capita habet de Deo ejusque essentia & unitate, id genus aliis, integra, & demum [r],

في روح القدس *de Spiritu Sancto*, ubi,

اعلم inquit, ان روح القدس هو روح الارواح وهو المنزه عن الدخول تحت حيطة كن ولا يجوز ان يقال فيه انه مخلوق لانه وجه خاص من وجوه الحق قام الوجود بذلك الوجه وهو روح لا كالارواح لانه روح الله وهو المنفوخ منه في ادم فاليه الاشارة بقوله ونفخت فيه من روحي وروح ادم مخلوق وروح الله ليس مخلوق وهو روح القدس اي انه الروح المقدس عن النقايص الكونية

Sciendum est Spiritum Sanctum esse spiritum per excellentiam *spirituum, & oblectatur transitu* seu *descensu infra amplitudinem suam. Nec omnino de eo dici debet eum esse creaturam, cum modus singularis* seu *productio sibi propria vera adeoque unica sit. Atque spiritus est non instar spirituum aliorum, quia Spiritus est Dei, qui afflatur ab eo in homine, & ad eum, & versatur in verbis ejus. Et spiritualiter ei afflatur. Spiritus autem hominis creatura est; sed Spiri-*

[k] Ad Genes. xviii. 22. xix 24. & Matth vi. 5. [l] Lib. de Confusione Linguarum. [m] Ad Ebraeos i. 3. [n] Arabice in Compend. & Rebus Metaphysicis, part. 2. pag 84. Latine de Philosophia prima Tract. 10 cap. 2. Lib. de Anima, cap. 8. & de divisione Scientiarum, pag. 144. [o] Azoar. 1. [p] Azoar. 4. 15, &c. & videsis Philip Guadagnoli Apoleg. pro Christiana Religione tract 3. cap. 8, 9, 10, &c. [q] Cap. 2. §. 2. [r] MS. cap. 57.

tus

us Dei non eſt creatura. Atque hic eſt Spiritus Sanctus, quoniam ſcilicet eſt ſanctificatus ibſque deficientia aliqua eſſentiae. Alia ſubjungit ille in eundem ſenſum, uti Mahumedani alii, qui in trinitatem chriſtianiſmi divinam diſputantes notionibus illis in ſuis, quae itidem ſatis Rabbinicae ſunt, Spiritum Sanctum duntaxat agnoſci volunt. In eis primas tenent Achmed Ben Zin Perſa, contra quem ſcripſit Philippus Guadagnolus apologiam chriſtianam, & Achmed Ben Abdalla Africanus in diſſertatione ejus illa MS. ſuperius[s] memorata, ubi, *Veteres*, inquit, *chriſtiani aliter explicabant trinitatem quam moderni. Dicebant enim ex iis tribus, eſſentia, ſapientia, vita, eam componi; eſſentiam Patrem, ſapientiam Filium, & vitam Spiritum Sanctum eſſe affirmantes; omnes vero tres ſimul unum Deum eſſe. Modernorum ſententia jam ſuperius explicata eſt*, de Patre, Verbo, Spiritu Sancto: *& ex utriuſque inter ſe pugna & diſſenſione apparet ambas eſſe falſas. Si vero moderni dixerint ſententiam veterum veram eſſe, ſibi ipſis ſane contradicunt; quia moderni dicunt Filium eſſe verbum, & Spiritum Sanctum mutuum amorem Patris erga Filium & Filii erga Patrem; veteres tamen, Filium eſſe ſapientiam, & Spiritum Sanctum vitam vel ſpiritum.* Et de perſonarum trium nomine verba faciens, *Ex iis tribus*, inquit, *faciunt unum ſolum Deum, & ita ſimul dant duas contradictiones in eodem ſubjecto, dicentes idem eſſe unum & tres; quod omnino impoſſibile eſt: quia quod eſt unum non eſt tres; nec quod tres, eſt unum. Secundo, errant facientes eſſentiam Dei compoſitam ex tribus rebus quae non habent eſſe ni in ſola imaginatione & intellectu, cum ſint attributa ſubſtantiarum, & non ſubſtantiae; quia ſapientia non datur ſine ſapiente, eſſentia ſine eo quod eſt, & ſpiritus ſeu vita ſine vivente. Itaque ex ſolis attributis faciunt perſonas vel ſubſtantias; quod nullus intellectus poteſt capere. Et ad confirmandam hanc ſuam opinionem addunt chriſtiani, creationem non poſſe dari ſine iis tribus rebus e quibus componant Deum. Quibus reſpondetur, creationem una cum iis tribus indigere praeterea duobus aliis, potentia & voluntate. Dicunt igitur eſſe quinque potius.* Et poſtea, *Mauri dicimus animam Chriſti eſſe Spiritum Sanctum & Spiritum Dei, ſicut & Adami: & quia miraculo fuit creatus ſine patre, ideo vocamus eum Spiritum Sanctum, & Spiritum Dei, & prophetam & nuncium Dei.* Sic Ben Abdalla ille, noſtri ſeculi ſcriptor, & Mahumediſmi ſui aſſertor quidem, ſaltem chriſtianiſmi impugnator, perquam ingenioſus. Hali autem jam dictus in capite[t] في التورية *de lege*, ubi de Moſe, tabuliſque legis, & Mahumedis diſciplina agit, uti etiam de chriſtiana, verba generatim faciens de Jeſu Chriſti miraculis, ſectatoribus, & diſcipulis, de hiſce ſubjicit (quod obiter adnotare liceat)

وقالوا انه ثالث ثلاثة وهو الاب والابن
والام وسموا ذلك بالاقانيم الثلاثة

Dixerunt illi, ſeu *doctrinam profeſſi ſunt, quod trini ſint qui trinitatem conficiunt, pater ſcilicet, & filius, & mater. Atque hoſce nominant tres* ὑποςάσεις ſeu *perſonas*; quaſi receptiorem exiſtimaſſet ille cum ſuis ſententiam hanc fuiſſe in chriſtianiſmo de trinitate, nec ejuſdem perſonam tertiam Spiritum Sanctum illic dicendam. Neque rarum eſt homines de aliorum religione loquentes, cum nec libris eorum moribuſve ac diſciplinae ſatis adſueti ſint, opprobria ejuſmodi & hallucinationes temere effutire. Sed interim verum eſt, mulieres aliquot olim e Thracia in Arabiam, ante Mahumedem, migrantes dogma de divinitate cultuque divino Mariae virginis commentas eſſe & propagaſſe, ut legimus apud Epiphanium[v]; quod ſane cum cultu qualicunque ei apud aliquos exhibito collatum, facile in cauſa eſſe potuit ut Mahumedani aliquot, haud aliunde edocti, eam pro tertia perſona ita perperam ſumerent. Praetereo quod a nonnullis tribuitur etiam Macedonio ejuſque ſectae de Spiritus Sancti proceſſione a matre & filio; qua de re conſulas Alphonſum de Caſtro[x]. Hali etiam ille de variis chriſtianorum ſententiis hanc circa rem ibi plura ſcribens, alios eorum eſſe ait quibus pater ipſe Spiritus Sanctus eſt in trinitate; Maria virgo, mater; & Jeſus, filius. Id genus habet alia ille ſatis portentoſa: Quae tamen Bogomilorum[y] aliorumque ejuſmodi hac de re commenta neutiquam omnino excedunt. Quinetiam in Alcorano ipſo habetur commentum impium ſimul & ridiculum de Dei ad Chriſtum allocutione, qua velut tentando eum aut interrogando illud de divinitate tam matris quam ſui ſupponitur, perinde ac ſi impoſtori illi fuiſſet Trinitatis chriſtianae fundamen. Verba ſunt[z],

اذ قال الله يا عيسى بن مريم انت قلت للناس
اتخذوني وامي الهين من دون الله قال سبحانك
ما يكون لي ان اقول ما ليس لي بحق ان كنت
قلته فقد علمته تعلم ما في نفسي ولا
اعلم ما في نفسك انك انت علام
الغيوب ما قلت لهم الا ما امرتني به ان
اعبدوا الله ربي وربكم وكنت عليهم شهيدا

quod a Retinenſe vertitur[a], *Ipſi iterum Deo dicenti, O Jeſu Mariae fili, tu perſuades hominibus ut Dei loco te matremque tuam duos Deos habeant & venerentur; reſpondet Jeſus, nolit Deus ut ego quid praeter verum dicam. Et ſi ego protuli, tu noſti: Quia tu omnium ſecreta cordium noſcens, mei cordis arcanum penetras, ego vero nequaquam tui. Tu ſcis itaque me nihil hominibus niſi mandata tua dixiſſe, ſcilicet quod te Deum meum atque ſuum invocent & adorent, quorum, quamdiu tibi placuit, teſtis affui.* Guilielmus Poſtellus[b], *Et quando dixit Deus, O Jeſu fili Mariae, tu dixiſti hominibus, Recipite me & matrem meam duos Deos, prae-*

[s] Lib. 1. cap. 12. [t] Cap. 34. MS. [v] Haereſ. 78 ſeu in Antidicomarianitis, §. 23. [x] Lib. 5. adverſ. Haereſ. verb. *Deus*; haereſ. 10 [y] Euthymius Panoplia, part. 2. tit. 23. [z] Arab. Azoar. [illegible] [a] [illegible]
[b] De Orbis Concordia, lib. 2. pag. 157.

ter

ter Deum: dixit, Laus sit tibi, Domine, id est, absit, ne fiat hoc mihi, ut hoc dicam quod in me non est verum, &c. Dionysius autem Carthusianus [c], *O Jesu Mariae fili, persuade hominibus ne Dei loco te matremque tuam duos Deos habeant & venerentur. Respondet Jesus; Nolit Deus ut ego quid praeter verum dicam,* &c. Quasi expressim ibi Deum voluisset Mahumedes jussisse ut divinitatem tam suam quam matris Jesus denegaret. Rierus autem in versione nupera, *Il dira au jour du jugement, O Jesus fils de Marie, as tu ordonne au peuple d'adorer toy & ta mere come deux dieux? Jesus respondra, Loué soit ton nom; je me garderay de dire ce que n'est pas; tu sçais si je l'ay dit,* &c. Ita quasi in die judicii sic dicendum admittit ille, atque interrogative. Quemadmodum autem ex recepta de christianismi trinitate fide, inque ejusdem solennem in sacris professionem, antiquitus nata est doxologia illa usitatissima, *gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,* &c. saepius etiam in eisdem sacris subjungi subcinique solita, ita non minus velut in adversum, atque ut doxologiae illi antilogia solennis, pariter habetur & frequentissima apud Mahumedanos formula illa, لا اله الا الله احد *non est Deus nisi Deus unicus* (& trinitatem sic satis negare sibi videntur; quemadmodum etiam Christiani aliquot veteres [d] verba eadem ex sacra itidem scriptura sumpta eodem cum Judaeis & Mahumedanis modo intellexere) quod in Alcorano, commentariis, precibus eorum tam privatis quam publicis, acclamationibusque perquam est obvium; uti & illud, لا اله الا الله وحده لا شريك له *Non est Deus nisi unicus, neque est ei socius* seu *consors.* Illinc etiam numismata habent illi ad hunc modum inscripta, quorum sunt apud me vetera quatuor, singulari juvenis eximii Francisci Vaughani, interioris templi socii, humanitate, cum Romanis compluribus, mecum communicata.




Tria priorem exhibent figuram; quartum, posteriorem; omnibus adjectis utrinque vocibus aliis, quarum literae detritae & mihi nimis ignorabiles. Figura prior ait, *Non est Deus nisi Deus unicus*; secunda, *In nomine Dei, non est Deus nisi Deus unicus.* Quibus saepius alibi solet adjici ومحمد رسوله *& Mahumed est propheta ejus.* Etiam crebro subjunctam video formulam, eandem in rem, solennem,

[illegible]

scilicet לית אלה אלא אחד *non est Deus nisi unicus*, sacris Samaritanorum lectionibus aliquot MS. in bibliotheca reverendissimi & praestantissimi viri Jacobi Usserii Armachani, ubi etiam habentur preces solennes Samaritico-Arabicae, literis interim utraeque Samaritanis, quarum per intervalla, quibus disjunguntur, saepissime ad hunc modum subditur,

[illegible]
[illegible]

id est,

לית אלה & ليس اله
אלא אחד الا وحده

idem significantia. Quod vero attinet ad Spiritus Sancti in christianismi trinitate notionem e sacris literis, maxime e foedere novo, rite eliciendam (qua de re commentarii amplissimi multiplicesque passim occurrunt) intempestivum forsan non fuerit, monitum hic adjicere, disquisitionem liberius ineuntibus certe non ignorandum, nec, puto, cuiquam librorum saltem sive copia sive notitia ampliori minus instructo ingratum, de loco illo celeberrimo ex S. Joannis epistolae primae, capitis quinti, commate septimo ad trinitatem, adeoque personalem Spiritus Sancti deitatem, asserendam, prae aliis, ut afferri ita & controverti solito, Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ Ἅγιον Πνεῦμα· καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, seu, ut saepius legitur, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, *Quoniam tres sunt qui testimonium dant,* seu *testantur, in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.* Scilicet, tametsi in codicibus vetustiorum seculorum Graecis MSS. quibusdam, seu non paucis, ut aiunt alii [e], & certe in plerisque & quasi tantum non cunctis, ut aliis [f], qui diligentius scrutati sunt, innuitur, defuerit omnino comma hoc, uti etiam in celebratissimo illo vetustissimoque utriusque foederis exemplari ex oriente a Cyrillo patriarcha Constantinopolitano ad Carolum nuper regem Angliae dono missum, quod S. Theclae temere nimis vocitatum est (ubi post illa in commate 6. ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, sequitur tantum, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα· καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Εἰ τὴν μαρτυρίαν, &c.) nec in MSS. binis bibliothecae Oxoniis publicae habeatur, nec quidem in Graecis aliquot editionibus novi testamenti, veluti Aldina [g], Wolfii Cephalaei [h], Simonis Colinaei [i], contextu Oecumenii, nec in versione Latina vetustiore, nec in codicibus MSS. mirae vetustatis editionis evulgatae, quod asserit Erasmus, quos consuluit ille in bibliotheca Brugis divi Donatiani, uti nec in Latinis aliquot Oxoniensis bibliothecae, nec in nonnullis unde Lovanienses [k] ediderunt epistolam hanc; verumque etiam sit, in codicibus priscae versionis Syriacae e MSS. vetustis fideliter editis, eisque tam pontificiorum quam reformatorum (qui nec pauci sunt) illud non omnino legi, quasi locus ei illic nullatenus deberetur, extra quam ubi ex suo nonnulli, sive in ipso contextu [l] sive in margine, interfertum volunt, uti nec in MS. Syriaco bibliothecae Oxoniensis publicae (quod ab eruditissimo viro,

[c] In sectam Machomet. lib. 2. art. 24. [d] Videsis Eusebium contra Marcellum de Ecclesiastica Theologia, lib. 2. cap. 19, &c. [e] Martinus, Lucas Brugensis, Jacobus Tirinus, ad 1 Joann. v. 7. [f] Erasmus ibid. [g] Venetiis 1518. [h] Argentorati 1524. [i] Parisiis 1534. [k] Vide edit. eorum Lugduni 1567 & epist. Jo. Hentenii praeviam. [l] Vide Tremellium ad 1 Joan. Syriac. v. 7. & Eliae Hutteri Syriaca ibi.

Gerardo
8

Gerardo Langbainio, collegii reginalis illic praeposito, didici, ut alia soleo non pauca) neque, ut credere par est, in MS. aliquo alio Syriaco, nec haberi in Arabicis sive Erpenianae sive Jaianae editionis, quarum neutra de tribus ibi habet quidquam praeter, والشّهود ثلثة الرّوح والماء والدم وهذه الثلثة واحدة *Et tres sunt testes, spiritus, & aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt*, ut Erpeniana, seu, ut Jaiana, والثلثة هم في واحدٍ *Et tres hi in unum*, seu *in uno*, *sunt*, quod Syro est magis consonum, qui habet ܒܚܕ *in uno*, seu *in unum*, ut codices itidem Graeci aliquot, εἰς τὸ ἕν εἰσι; quod in nonnullis commati huic octavo omnino deest; illo *in tellure* nec in Arabicis nec Syriacis lecto, uti nec, ut ostensum est, in exemplari illo orientis MS. quod diximus, antiquissimo, nec in aliis aliquot vetustissimis; quod etiam ex Augustino [m], Ambrosio [n], aliisque veterum liquet; quanquam etiam dubitandum non videtur quin exemplaria Graeca diligentius comparare in versiones suas voluerit tam Syrus quam Arabs (qui & Syriacis proculdubio usus est) qualia sibi optima, correctiora, & prae aliis seligenda viderentur, ut in conatibus ejusmodi fieri assolet, nec receptae, a seculis vetustis usque in nostra, in ecclesiis Syrorum & Arabum christianis, capitis illius lectiones publicae (solennis enim est Syris ejusdem [o] lectio publica in ܥܐܕܐ ܕܢܘܗܪܐ *festo luminum*, quod illis est Epiphania, atque Arabibus in الخميس من الجمعة الخامسة وثلاثين *feria quinta* [p] *hebdomadis trigesimae quintae*, post pascha scilicet putatae; juxta morem ecclesiarum Graecanicarum, de quo statim) aliter omnino se habuerint, adeoque apud illos autoritate publica locus commati illi neutiquam admissus sit ullus; tametsi insuper in versione Lutherana, seu tam Danica quam Germanica, olim omnino, ut apud Syrum & Arabem, praetermittatur, atque etiam in recentioribus ejusdem editionibus, velut id de quo merito dubitandum sit, variatim interponatur, ac in versionibus reformationis Anglicanae sub Henrico rege octavo variis, aliisque [q] aliquot, nunc charactere minore aut monito aliquo aut nota singulari signetur, quasi nondum satis decisum haberetur utrum legitimum sibi locum illic nactum fuisset; unde quidem in bibliis etiam publicae lectionis apud reformatos nostros ita se res semper habuit usque ad versionem illam Episcopalem dici solitam, quae sub Elizabetha regina emissa est; etsi etiam a patribus Graecis, ubi adversus Arianos & de trinitate disputant proximaque apud Joannem verba afferunt, minime lectum fuerit agnitumve comma illud, utpote codicibus qui eo carerent usis, veluti a Cyrillo [r], Nazianzeno [s], Oecumenio, aliis, uti nec Latinis magni nominis, veluti Augustino [t], Ambrosio [v], Leone Magno [x], veterum aliis, qui proculdubio, si ab eis lectum fuisset agnitumve illud, in Arianos, in quos toties disputant, ultro & cum primis adhibuissent; tametsi etiam nec Bedae [y] nostro, qui sub annum floruit 730, lectum fuerit; adeoque tam in occidente quam oriente (atque advertendum, Leonem Magnum fuisse pontificem Romanum) pro legitima contextus sacri parte neutiquam antiquitus a viris magnis haberetur, & demum tam e pontificiis [z] reperiantur quam e reformatis qui haud parum de eo dubitent; licet inquam, haec ita se omnia habuerint, nihilominus manifesto liquet ex Hieronymo (si modo is autor sit genuinus prologi nomen ejus prae se ferentis in epistolas canonicas) suo in aevo, saltem a se, codices tam Graecos quam Latinos pro corruptis habitos quibus deesset comma hoc. Nimirum interpretes aliquot incusat quod epistolas illas non satis fideliter redderent; *Illo*, sic ait, *praecipue loco ubi de unitate trinitatis in prima Joannis epistola positum legimus, in qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse a fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, hoc est, aquae, sanguinis & Spiritus, in ipsa sua editione ponentibus, & Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentibus, in quo maxime & fides catholica roboratur, & Patris & Filii & Spiritus Sancti una divinitatis substantia comprobatur.* Quo de loco vide hic Erasmum. Atque hisce tantum Hieronymi verbis Jacobus Lopis Stunica [a] subnitens, fidenter, *Sciendum est*, inquit, *hoc loco Graecorum codices apertissime esse corruptos*; *nostros vero veritatem ipsam, ut a prima origine traducti sunt, continere.* Nec dubitare solent scriptores utrum prologum illum scripserit Hieronymus. Et expressim quidem in MSS. compluribus, atque editionibus vetustioribus [b], aliisque aliquot, Vulgatae Hieronymo is tribuitur; aliis interim tum MSS. tum editis codicibus Hieronymi nomen haud ibi habentibus, uti nec regiis, nec aliis compluribus. Neque aliter legebat, aut legi voluit, titulum prologi illius Joannes Wiclefius in versione sua Ille ibi; Here begynneth a Prolog on the Pistlis of Cristen feith, that ben seven in ordre, quasi quidem alibi non raro utitur locutione, sed nec Hieronymi nomen semper praetermittens. At vero quamplurimae sunt Vulgatae editiones quae prologo illo prorsus carent, etiam dum alios Hieronymi habent. Neque inter Hieronymi opera prologo illi locus. Caeterum utut se res ea habuerit, diu ante Hieronymum reliquosque superius memoratos patres Graecos Latinosque citatur (quod cum primis hic advertendum) ut indubitatae lectionis comma illud Cypriano, qui floruit sub annum 250, seu 140 aut circiter ante Hieronymum, *Et iterum*, inquit [c], *de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.* Quod lectionem ibi ejusmodi ut illi receptam plane designat. Legitur item in Athanasii archiepiscopi Alexandrini libello [d] ad Theophilum de Unita Deitate Trinitatis. Floruit ille in concilio Nicaeno primo, seu sub annum christi 325. Etiam in occidente scriptores paulo recentiores, nec obscuri nominis,

[m] Contra Maximinum Arianorum Episc. lib. 3. cap. 22. [n] De Spiritu Sancto, lib. 3. cap. 11. [o] Syr. Test. edit. Widmanstadii, Raphalengii, Boderiani, &c. [p] Edit Arab. Jaiana. [q] Videsis Eliae Hutteri edit. in 12 linguis. [r] De Thesauro lib. 14 cap 5. [s] Orat. de Theologia 5. seu Orat. 37. tom. 1. pag. 603. [t] Contra. Maximin. Arianorum Episc. lib 3. cap. 22. [v] De Spiritu Sancto, cap. 6 & lib. 3. cap. 11. & lib. De Initiandis, cap. 4. [x] Epist. Decretalis 10. cap. 5. [y] Ad 1 Joann. v. & vide Georgium Blandratam, apud Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 6. [z] Cajetanus, &c. [a] Annot. contra Erasmum ad 1 Joann. v. Compluti 1519. [b] Lugduni 1523. per Jacobum Marefchal, &c. [c] Lib. de Unitate Ecclesiae. [d] Tom. 2. pag. 553. sed & vide ejus Disp. in Arium, tom. 1. pag 147.

idem ut genuinam Joannis epistolae illius partem memorant. Idacius Clarus, episcopus in Hispaniis Lemocensis, sub annum 380, *Item*, inquit [e], *ipse Joannes ad Parthos* (illo enim titulo epistolam illam signabant veteres [f]) *Tres sunt qui testimonium perhibent in terra, aqua, sanguis & caro. Et tres in nobis sunt. Et tres sunt qui testimonium perhibent in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus. Et ii tres unum sunt.* Sic aliter quidem quam in codicibus aliis dispositum comma septimum hic legit, aliisque octavum, quod sic praecedit, vocibus effert. Eugenius etiam Carthaginensis episcopus, qui floruit sub annum 480, idem ipsum ut seculo suo suisque agnitum citat [g], quemadmodum itidem Fulgentius [h], Ruspensis in Africa sub annum 500 episcopus. Et sane tam in codice MS. Britannico (de quo Erasmus, quem item de illo consulas in responsione ad annotationes Edwardi Lei novas [i]) quam in editionibus plerisque Graecis, veluti antiquis illis, Hervagiana [k], Complutensi, Pagniniana [l], Stephanianis, aliisque sequacibus innumeris, uti pariter in Latinis, etiam & in Erasmi ipsius editione Graeca utraque, comma illud habetur. Sed eo nomine graviter reprehendit eum Edwardus Leus [m], quod scilicet in annotationibus editionibus sui ipsius cousque adversaretur ipse; qua de re amplitex actum est ab Erasmo in responsione ejus ad Leum jam citata. Accedat, velut indubitatum antiquitus afferri ex Joanne sive ab Hygino [n] Papa (qui sedere coepit circa annum Christi 154.) sive potius ab illo, quicunque is fuerit, qui epistolas ejus ejusmodi, ut illo non indignas, finxit. Item in lectionibus dominicae in albis seu dominicae pascha proxime sequentis, reliquisque usque ad festum ascensionis, solenne fuit [o] antiquitus, ut hodieque, pro epistola diei inter alias propria legere partem capitis jam dictae Joannis epistolae quinti, atque in lectione illa publica & receptissima velut omnino genuinum agnosci jam dictum comma, quemadmodum itidem in versionis Latinae codicibus plerisque manuscriptis, ac in Joannis Wiclefi nostratis Anglicana. Quid quod etiam tametsi ut comma de quo saltem dubitandum esset, post reformationem hic sub Henrico octavo rege inceptam, & ante versionem apud Anglos Episcopalem dictam, seu tempora Elisabethae reginae, haberetur, ut ante memoratum est, semper in bibliis Anglicanis variatim editis, velut pro haud parum suspecto, attamen etiam sub Henrico octavo in epistolis post reformationem sic inceptam solennibus, & sub Edwardo sexto in liturgia Anglicana publica, ut postmodum similiter perpetuo sub Elisabetha regina deincepsque legebatur, ut alibi, ut pars capitis quinti epistolae primae Joannis, dominicae proxime pascha sequenti propriae? Certe etiam in ritualibus ecclesiae Graecorum orientalis, velut ab antiquis seculis, recepta est ejusdem in epistola illa lectio publica quotannis in τῇ ε΄ τῆς λε΄ ἑβδομάδος, *quinta feria hebdomadis* 35, id est, hebdomadis a paschate trigesimae quintae, ut liquet ex eorum codice cui titulus ἀπόστολος. Et in occidente S. Bernardus [q] idem non aliter legebat, qui floruit sub annum 1120. Atque expressius Petrus Lombardus episcopus Parisiensis (sub annum 1150) de trinitate disputans, *Joannes quoque*, inquit [r], *in epistola canonica ait, tres sunt qui testimonium perhibent in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.* Perinde ac si de lectione illa non omnino fuisset tunc dubitandum. Neque aliter legendum plane censuit Guilielmus Durandus, episcopus sub annum 1260 Mimatensis, theologus sane & jurisconsultus praestantissimus, ubi de lectionibus publicis dominicae primae a paschate agens, epistolae hujus caput quintum memorat ut ad diem illam spectans, *Et ostendit*, inquit [s], *fidem per testimonium in coelo & in terra & in conscientia*, &c. *Tres perhibent testimonium in coelo, Pater in voce, Verbum in carne, & Spiritus in columba, & hi tres unum sunt de testimonio conscientiae.* Hinc eliciendum satis, receptissimam antiquitus fuisse in occidente lectionem illam; quod & ex Thoma Aquinate [t], aliisque scholasticis [v], & codice Lyrano, idque genus aliis est manifestum. Quinetiam in concilio Lateranensi generali sub Innocentio Papa III. anno 1215 habito, cui intererant patres amplius bis mille, quorum pars insignis fuere [x] patriarchae etiam, praeter alios antistites orientis, per se Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, atque per vicarios seu procuratores Antiochenus & Alexandrinus, citantur [y] quidem S. Joannis hic commata 7 & 8 sicut vulgo leguntur, sed tantum ut ab abbate Joachim, inter alia, in opere suo adversus Petri Lombardi verba aliquot de trinitate allata, idque ad hunc modum, *Quemadmodum in canonica Joannis epistola legitur; quia tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater & Verbum & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt; statimque subjungitur, & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis; & hi tres unum sunt; sicut in codicibus quibusdam invenitur.* Nimirum ut ita attulerat commata illa in scripto suo Joachim, sic ex eo in canonem suum de trinitate transcribi voluere patres illic tam orientis quam occidentis. Quo autem spectet aut quid innuat illud, *sicut in codicibus quibusdam invenitur*, non undiquaque satis inde constare videtur; an ad verba aliquot in commate posteriore, an ad integrum utriusque simul conjuncti commatis locum, qui in codicibus quibusdam, etiam & quampluri- mis, ut ostensum est, commate septimo carebat. Sed vero Thomas Aquinas [z] illud de postremis illic verbis capiendum haud dubitat, seu de *Et hi tres unum sunt* subjuncto commati octavo. *Joachim*, inquit, *perverse trahere volens* (illud de personarum trinitate) *ad unitatem charitatis & consensus inducebat consequentem autoritatem. Nam subditur ibidem, & tres sunt qui testimonium dant in terra, scilicet spiritus,*

[e] Lib. adversus Varimadum Arian. Biblioth. Patrum Bin. tom. 4 part. 1. pag 266. edit. Par. 1624. [f] August. 2. quaest. Evangelic. 39. Videsis Baron. tom. 1. ann 99. §. 10. [g] Lib. de Catholica Fide, in Monument Patrum Orthodox. tom. 2. pag. 1621. [h] Resp. contra Arianos, prope finem. [i] Pag. 281. Basil. 1520. [k] Basileae 1547. [l] Coloniae 1541. [m] In Novis annotat. in 1 Joan. v. pag. 200. Basil. 1520. [n] Epist. Decretal. 2. [o] Vide Guil Durandi Rational. lib. 6. cap. 97. [p] Venetiis 1602. [q] In Parvis Sermonibus num. 16. [r] Sent. 1. dist 2 H. [s] Rationali lib. 6. cap 97. [t] Summ. part. 1. quaest. 30. art. 2. serm. Dominical. in Octav. Pasch. & in Comm in 1 Joann. v. [v] Scot. in sent. 1. dist. 2. quaest. 5. Anton. Andreas in 1. sent. dist. 2. quaest. 5. alii. [x] Urspergens. & Matth. Paris ann. 1215. [y] Concil. Lateranens. sub Innocent. 3. cap. 2. & Extr. tit. De Summa Trinitate, cap. 2. Damnamus. [z] Expos. ad secundam Decretalem seu Opusc. 24.

aqua

aqua & sanguis. In quibusdam libris attenditur, & hi tres unum sunt. Sed hoc in veris exemplaribus non habetur, sed in quibusdam libris dicitur esse appositum ab haereticis Arianis, ad pervertendum intellectum sanum autoritatis praemissae de unitate essentiali trium personarum. Et quidem in MS. exemplaribus multis Latinis [a] Graecisque, etiam in editionibus aliquot Graecis, ut Complutensi ejusque sequacibus, regiis, ac Jaianis, tam in Latinis seu Vulgatis quam Graecis omittitur illud de unitate spiritus, aquae & sanguinis, quod tamen in plerisque tam Latinis quam Graecis editionibus retinetur, uti etiam in versionibus nuperis: quarum aliae unitatem eorum generatim illic exhibent, eisdem quae priore usurpantur commate verbis, ut Rhemensis, aliaeque; aliae unitatem consensus & qualitatis, non essentiae, ut in priore. Inde Lutherana, **und die drey sind beysammen**; J Piscatoris [b], **und diese drey stimmen uberein**; Gallica, *& ces trois-la se rapportent en un*; Sancti Marmochini Italica [c], *& questi tre convengono in uno*; Deodati, *& questi tre si referiscono* [d] *a quell' una cosa*; Belgica, **ende die drij zijn tot een**; Anglica, **and these three agree in one.** Sed viri aliquot magni, veterum exemplarium autoritate ducti, verbis illis locum ibi deberi nolunt; qua de re consulas hic Hugonem Grotium. Quantum vero ad comma illud septimum de trinitate summa; retineri illud debere plerumque consentiunt tam hujus aevi reformati quam a seculis vetustis pontificii. Inde etiam in Vulgatis pontificia autoritate editis semper legitur; quod & a concilio Tridentino satis jussum existimat Jacobus Tirinus [e] ex eo quod epistolae Joannis, ut aliae canonicae scripturae partes, ita recipi legique illic jubentur [f] *prout in ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata editione habentur.* Etiam ille versum illum ut ipsius concilii Lateranensis jam dicti, adeoque tam orientalium illic quam occidentalium patrum lectionis, sumit. Atque hac de re vide insuper, prae aliis, quae congessit Abraham Calovius in critico sacro [g]. Quid quod etiam apud Ebraeorum magistros veteres locutiones de trinitate ferme ejusmodi habeantur? Legitur in *Sepher* ראשית חכמה *principio sapientiae* [h] (cujus autor est R. Elias Ben Mosis די וידאש *de vidas* [i]; sed pro ד illic legit Plantavitzius [k] ר, unde autorem vocat *R. Eliam Ben Mosis Verasii)* ubi de poenitentia & castigationibus comitantibus agitur, טעם למה שלשה מתנות שנתן הב"ה לישראל שהם תורה וא"י ועה"ב לא נתננן אלא ע"י ייסורין לפי שהם נרמזים בג' אלהים כמפני שיש ג' אלהים כדפי' בזוהר ז"ל: *Causa quare tria illa munera quae Israelitis dedit Deus benedictus, videlicet lex, terra sancta, & seculum futurum,* (de tribus enim hisce ut Israelitis singularibus loqui [l] solenne est magistris) *non data fuerint sine castigationibus, in eo habetur quod designentur in trino Deo,* seu *tribus Elohim, Nam trinus Deus* seu *tres Elohim sunt, ut explicatur in Zohar felicis memoriae.* Verba autem Zohar [m], qui codex habetur vetustissimus; hujusmodi sunt; א"ר יוסי האי דכתיב אשר לו אלהים קרובים אליו קרובים קרוב מבעי ליה אלא אלהים עליאה אלהים דפחד יצחק אלהים בתראה בגיני כך קרובים והגבורות סגיאין אנון דנפקין מחד וכלהו חד: *Dixit Rabbi Jose, Quis sensus illius quod scriptum est* [n], CUI SUNT DII, seu ELOHIM, PROPINQUI? *Potius dicendum videtur* PROPINQUUS *quam* PROPINQUI. *Sed est Deus supremus, Deus timoris Isaac* [o], *Deus postremus. Sic* PROPINQUI *dicendum. Et fortitudines* seu *majestates aut potentiae sunt multae quae procedunt ex uno. Et hi omnes unum sunt.* Sed facit ibi Elias ille Ben Mosis *Deum supremum* ibi dictum datorem seculi futuri; *Timoris Isaac*, datorem legis; & demum *postremum*, datorem terrae sanctae. Ejusmodi generis sunt alia ex Ebraeorum scriptis & disciplina olim ad trinitatem personarum christianam illinc asserendam allata a Petro Alphunso [p], Raimundo Martini [q] in commentariis ad *Sepher Jetsira*, Paulo Burgensi [r], Victoria Porcheto [s], Petro Galatino [t], Joanne Reuchlino [v], Hugone Grotio [x], aliis. Certe, si Galatino fides habenda foret de libro quem citat nomine גלי רזייא *Gale Razeia* seu *revelator arcanorum*, & Rabbino vetustissimo illi, *Rabbenu Hacadosh*, seu R. Judae, qui ꝑ Misnaioth syntagmatis fit autor, tribuit, manifestissimum facile esset, ipsam christianorum trinitatem in Ebraeorum veterum disciplina expressim repertam esse. Nam diserte illic (ut verba Galatino citantur) e literis nominum 42 literarum & 12 literarum cabalisticorum eliciuntur, אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה: *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, tres in uno, unus in tribus.* Sed apud Judaeos non omnino reperiri librum illum, dicitur, prorsusque esse ignotum [y], & velut a Galatino, aliove qui ei imposuerit, esse fictum. Neque enim eo usus est Raimundus aut Porchetus, e quibus reliqua fere sibi compilavit Galatinus. Habetur autem liber גלי רזייא seu *occultorum detectio* itidem dictus, quem in Germania annos abhinc circa 40 edidit [z] & Christiano II. duci Saxoniae inscripsit Julius Conradus Otto Ex-Judaeus, in quo afferuntur aliquot e Talmudicis ad trinitatem christianam asserendam, eaque in lingua Talmudica & Latine & Germanice versa. Sed versiones ejus Talmudica ipsa haud parum superant. Certe & philosophis priscis cognitam fuisse personarum divinarum trinitatem aiunt scholasticorum aliqui [a], *per appropriata*, ut loquuntur, licet non *per propria*. Et de multiplici in divinis trinitate apud Platonicos consulas inprimis Proclum de theologia Platonica. Sed haec obiter, & forte nimis extra callem, in quem tandem redimus.

V. Quae paulo superius afferuntur generalius

[a] Lucas Brugensis Notat. in S Biblia 613. Vide Erasmum ibi, & Hug. Grotium. [b] [illegible] 1624. [c] Venetiis 1539. [d] Joann. viii. 17, 18. [e] In 1 Joann. v. [f] Sessione 4. tit. De Canonicis Scripturis. [g] Tit. De Puritate Fontium, §. 131. pag. 479. [h] Porta Poenitentiae, cap. 3. fol. 157, 2. & in ejusdem compendio, pag. 11, 1. [i] Venetiis, in 4° anno 356. לפ"ק [k] Biblioth Rabbinic. num. 635. & vide Buxtorf. Biblioth. in ר. [l] Videsis Plantavitzium Florileg. Rabbinic num. 1896. [m] Edit. Mantuanae, part. 1. fol. 31. 2. in *Berefith.* [n] Deut. iv. 7. [o] Vide Genes. xxxi. 42. Paul. Fag. in Chald. Paraphras. ibidem, alios. [p] Dialog tit. 6. [q] Pug. Fidei part. 3. dist. 1. cap. 4. [r] Scrutin. Scripturarum Dist. 9. cap. 5. [s] Part. 2. cap. 5. [t] De Arcanis Cath. veritatis lib. 2. cap 4, 10, 12. [v] De Verbo Mirifico, lib. 3. cap. 4. [x] De Veritate Christianae Religionis lib. 5. §. 21. [y] Buxtorf. & Plantavitzius in biblioth. Rabbinica num. 113. Morinus Exercit. Biblic. lib. 1. Exercit. 1. cap. 2. [z] Stetini 1613. typis Joannis [illegible]. [a] Thom. in Sent. 1. dist. 3. quaest. 2. & 1. 1ae quaest. 32. art. 1.

c con-

e contextu ſacro, & animadverſionibus nonnullis tum Rabbinorum tum aliorum aliquot de inſtitutione ac origine ſynedrii magni ejuſque ibi circumſtantiis, ſic praelibatis, ſequitur ut particularius de presbyterorum, patrum, ſeu perſonarum in illud ſic conſcriptarum qualitate, de modo, Talmudicis receptiore, eos tunc ſeligendi ſeu conſcribendi, item de vero eorum numero, & demum de loco ac tempore inſtitutionis videamus. Quod ad perſonas conſcriptas attinet; de hiſce non eſt omnium eadem ſententia. Ad illud praecepti de inſtitutione [b], *Congrega mihi ſeptuaginta viros de presbyteris Iſrael, quos tu noſti quod* זקני העם ושוטריו *presbyteri populi & praefecti ejus ſint*, &c. volunt aliqui presbyteros ibi illos innui qui, ex Iſraelitis, ante praefecti lateritiis operibus populi in AEgypto ſub tyrannide Pharaonica inſtituti. Tunc [c] enim, & ante [d], Presbyterorum dignitas, ut notiſſima, apud eos memoratur. Hinc paraphraſis Jonathanis dicta habet illic, סבי עמא וסרכוי במצרים *presbyteri populi, & praefecti ejus in AEgypto*. Ita in *Midbar Rabba* [e]. Et Salomon Jarchius ibi, אותם שאתה מכיר שנתמנו עליהם שוטרים במצרים בעבודת פרך והיו מרחמים עליהם ומוכים על ידם שנ׳ ויכו שוטרי בני ישראל עתה נתמנו בגדולתו כדרך שנצטערו בצרתן׃ *Eos quos noſti tu praefectos illis fuiſſe in AEgypto in opere illo adeo ſaeviter eis injuncto, & eorum miſerebantur, eorumque cauſa vapulabant; juxta id quod dictum eſt* [f], Et vapulabant praefecti filiorum Iſrael. *Tunc ſcilicet conſtituti ſunt in dignitate ſua* presbyteratus qualiſcunque, *utpote qui ſic miſeriis populi ita ſuccurrerent.* Alibi [g] idem de praefectis illis in AEgypto, eorumque ibi erga ſuos humanitate in praefecturis illis ſingulari, loquens, ſubjicit, לפיכך זכו אותן שוטרים להיות סנהדרין ונאצל מן הרוח אשר על משה והושם עליהם שנאמר אספה לי שבעים איש מזקני ישראל מאותן שידעת הטובה שעשו במצרים כי הם זקני העם ושוטריו׃ *Inde evenit ut munere judiciario digni haberentur*, ſeu *qui in ſynedrium cooptarentur*; *& ſeparatus eſt ſpiritus qui erat ſuper Moſem, & poſitus eſt ſuper eos; ſecundum illud quod dictum eſt, congrega mihi ſeptuaginta viros ex presbyteris Iſrael; ex eis ſcilicet quorum tu noſti operam bonam quam praeſtiterunt in AEgypto quando erant presbyteri populi & praefecti ejus.* Ita magiſtrorum alii. Et recolas hic quae libro primo [h] diximus de ſeptuaginta palmis etiam ante legem datam in Elim ſeptuaginta presbyteris, juxta magiſtros, reſpondentibus. R. Bechai [i] autem, ונראה אע״פ שהזכיר עתה אספה לי כבר היו עם ישראל במצרים שבעים זקנים כי מאז מיום שירדו למצרים שבעים נפש ונשתלחה הברכה בזרעם מנו עליהם שבעים זקנים להנהיגם וללמדם חקים ומשפטים צדיקים כי היו הכמים גדולים מקובלי האבות ויודעים כי שבעים נפש היו דוגמא ולכך מנו עליהם במצרים שבעים זקנים והוא שכתוב לך ואספת את זקני ישראל והיו שבעים והם היו במתן תורה׃ הוא שכתוב ויעל משה ואהרן נדב ואביהו ושבעים מזקני ישראל ומה שהזכיר כאן אספה לי שבעים איש היו אחרים שנבחרו עתה מחדש כי אותן שבעים זקנים של מתן תורה מתו בתבערה כי היו ראוין לשליחות יד כמ״ש ולכך הוצרך לומר שיאסוף אותם מחדש ואסף אותן על ידי פתקין עם שהזכירו רז״ל ומה שאמר אשר ידעת כי הם זקני העם ושוטריו יהיו מכללם אותם השוטרים שהיו במצרים שהיו רוקין על הציבור ומיום שירדו למצרים שבעים נפש לא חדל המספר הזה מישראל לא במדבר ולא בבית ראשון ושני׃ *Et videtur ſane, tametſi nunc*, in loco Numerorum toties memorato, *dicatur*, *Congrega mihi*, quaſi tunc prima ſeptuagenarii illius collegii inſtitutio orta fuiſſet, *nihilominus fuiſſe apud Iſraelitas etiam in AEgypto ſeptuaginta presbyteros. Etenim a tempore quo deſcenderunt in AEgyptum ſeptuaginta* [k] *animae* ſeu *perſonae*, *& multiplicata eſt, juxta benedictionem divinam, earum poſteritas, conſtituerant ſuper ſe ſeptuaginta presbyteros, qui ſe docerent, & legibus moribuſque juſtis aſſuefacerent, ex eo quod eſſent illi ſumma ſapientia praediti, patriarumque traditionum callentiſſimi, ſcientes itidem ſeptuaginta illas animas ſeu perſonas veluti prototypon fuiſſe numeri hujuſmodi. Atque hinc erat quod in AEgypto ſeptuaginta presbyteros ſibi ſic praeficerent, de quibus ſcriptum eſt* [l], Vade & congrega presbyteros Iſrael. *Hi nempe ſeptuaginta erant, & in legis datione ſupererant, juxta quod ſcriptum eſt* [m], Et aſcendebat Moſes & Aharon, Nadab & Abihu, & ſeptuaginta e presbyteris Iſrael. *Quod vero hic dicitur*, Congrega mihi ſeptuaginta viros, *&c. intelligendum eſt de aliis nunc recens ſelectis. Nam ſeptuaginta iſti presbyteri qui tempore legis datae ſupererant paulo ante mortui ſunt in Tabera* [n], *ubi ultionem divinam meriti ſunt. Inde ſequitur neceſſe eſſe ut dicamus hoſce jam denuo & recens conſtitutos* ſeu *congregatos Congregavit autem eos per ſchedulas, ſecundum id quod Rabbini noſtri p. m. memorare ſolent.* Qua de re plura mox, ubi de modo in eis ſeligendis tunc adhibito agimus. *Quod vero dicitur, Quos noſti tu eſſe presbyteros populi, intelligendum eſt quaſi dictum fuiſſet, Quos noſti tu eſſe ex numero illo qui dum praefecti erant in AEgypto populi cauſa vapulabant* [o]. *Adeoque a tempore quo deſcenderunt in AEgyptum ſeptuaginta illae perſonae, non deſiit inter Iſraelitas numerus hic, nec quidem in deſerto, nec ſub templo primo, nec ſub ſecundo.* Memoratur item in nugis Alcoranicis [p], quod in colloquio Dei & Moſis de vituli aurei cultu (qui legis dationem in Sinai, adeoque inſtitutionem qua de loquimur, praeceſſit)

أختار موسى من قومه سبعين رجلا

Selegit Moſes e gente ſeu *populo ſuo, ſuorum hominum, ſeptuaginta viros*, qui cultum illum renuiſſent. Ita illic expoſitores Mahumedani. Et Mahumed Ben Achmed ibi,

ممن لم يتعبدوا العجل بأمره تعالى

ex illis qui vitulum non coluiſſent, juxta praeceptum Dei. Sequitur in Latina verſione, *Quibus peſſundatis, inquit, O Deus*, &c. Arabica ſunt

فلما أخذتهم الرجفة قال موسى رب

Et cum plurimum conturbati eſſent illi, dixit Moſes, O Domine, &c. Recte Ryerius ibi,

[b] Numer. xi. 16. [c] Exod. v. 14, &c. [d] Ibid. iii. 16. [e] *Paraſh.* 16. fol. 265. col 2, 3. [f] Exod. v. 14. [g] Ad citatum Exodi locum. [h] Cap. 15. pag. 1133, 1134. [i] In *Biur* fol. 171. col. 2. [k] Geneſ. xlvi. 27. Exod. i. 5. Deuter. x. 22. [l] Exod. iii. 16. [m] Ibid. xxiv. 9. [n] Numer. xi 3. [o] Exod. v. 14. [p] Azoar. Lat. 17. Arab. 7.

Qui
8

Qui furent surprises d'un tremblement de terre & du tonnerre. Nam etiam terrae motum & tonitru ibi intelligunt doctores Mahumedani. Etiam scriptores aliquot gravissimi christianorum septuaginta hic non tam primo institutos censent, quam eundem numerum, velut ante institutum seu in usu habitum, hic instaurari seu denuo institui. Ita Cornelius Bertramus, verba nempe faciens de presbyteris & praefectis ante legem datam in Sinai a Mose memoratis, quasi etiam tunc illi, ut cognitores, causis praefuissent judiciariis, *De numero*, inquit[q], *horum seniorum & praefectorum non ita constat. Sed si conjectura valere potest, videntur septuaginta fuisse, quasi septuagenarius seniorum numerus quem Deus in lege* (e Numeris ante allata) *sancivit, non tam ab eo tum institutus quam continuatus fuerit. Sicut & alia quamplurima apud Patres usitata Deus ad montem Sinai potius confirmavit quam innovavit.* Originem autem numeri hujus velut natam etiam vult ille, ut alii non pauci, ex illo quod occurrit[r], & jam ante memoratur, de septuaginta animabus seu personis quae descenderunt in AEgyptum juxta quidem veritatem Ebraicam, ubi expressim legitur שבעים *septuaginta*, quemadmodum etiam in codice Samaritano, paraphrasibus Chaldaicis, versionibus Syriaca & Arabicis ex Ebraeo, uti etiam apud Josephum[s]. Sed interpretes Graeci habent πέντε καὶ ἑβδομήκοντα *septuaginta quinque*; licet in loco Deuteronomii indicato codices aliquot habeant tantum ἑβδομήκοντα. At vero etiam Stephanus Martyr in oratione sua apologetica, dum in judicio sistebatur, accersitum ait[t] Jacobum expressim, juxta Graecam versionem, ἐν ψυχαῖς ἑβδομηκονταπέντε, *in animabus septuaginta quinque*; quam lectionem ibi veterem plane esse tum ex codicibus priscis atque MS. eximio illo in Britanniam nostram pridem allato, tum ex Latina, Syriaca, & Arabica versionibus liquet. Atque, ut videtur sane, genuina etiam est, utpote ex versione pentateuchi Graeca, quae tunc publice recepta fuerat, sumpta; tametsi vir summus[v] ex errore illuc irrepsisse existimet. Et de numero consulas, si plura velis, quae habent Hieronymus[x] & Augustinus[y], & quae nuper observavit in critico sacro Abraham Colovius[z]. Sed autumat Bertramus ex illorum septuaginta, familia quaque postmodum propagata, fuisse unicum qui qualicunque modo suis praeesset; adeoque inde, juxta familiarum numerum, natum septuaginta tunc seniorum coetum. *Atque*, inquit, *quod Dominus, Exod.* xxiv. I. *jubet septuaginta ex senioribus Israelis ad se una cum Mose accedere, neque exprimit quomodo Moses eos eligat, videatur de re nota agere. Quod & ex eo satis arguitur quod illi septuaginta* ℣. II. *ejusdem capitis noto quodam nomine & proprio appellantur* אצילי בני ישראל *magnates*, seu *optimates*, *filiorum Israel. Ita enim omnes interpretes Hebraei exponunt vocem illam* אצילי *per* גדולי. *Huc denique eodem prorsus modo accommodari potest quod Dominus septuagenarium hunc numerum plane confirmaturus his verbis utitur Num.* xi. 16. *Aggrega mihi septuaginta viros ex senioribus Israel, quos nosti quod ipsi (sint* videlicet, vel *fuerint jamdudum) seniores populi & praefecti ejus; quasi ad hoc seniorum & judicum munus evehat eos qui aliquando eo functi fuerant.* Alii ei hic consoni. Atque ita sane institutio haec seu congregatio, ex Domini praecepto, septuaginta virorum, potius pro instauratione concilii, tribunalis, seu collegii judiciarii antea stabiliti, utcunque sic nunc renovati, sumitur. Sed vero quicquid de numero illo septuaginta ante in Exodo memorato fuerit statuendum, manifestum interim, re bene perpensa, satis videtur, etiam ipsius institutionis, qua collegium hoc judiciarium jam factum est, originem & principium in congregatione illa in Numeris praecepta praestitaque agnoscendum. Certe ita volunt plerumque Talmudici[a]. Nec ita refragantur qui de praefectis istis in AEgypto loquuntur. Neque enim istis jurisdictio fuerat ante aut imperium forense aliquod quale jam datum acceptumque. Unde a doctioribus[b] merito negatur ה שוטרים *praefectorum* in AEgypto alibive nomen judiciarios praefectos denotasse, sed eos qui monitores, lictores, ac mandatorum forensium, pro subjecti discrimine, variatim exsecutores essent, seu undersomcers, qui magistris[c] dici solent בעלי מקל ורצועה *magistri baculorum & flagellorum.* Unde etiam vir summus Hugo Grotius[d], *Inspectionem quandam in populum jam in AEgypto habuerant*, praefecti scilicet illi & presbyteri, *Exod.* xxiv. I, 9. *collatis locis Exod.* i. II. & iii. 16. & v. 6. *Placuerat is numerus, quod totidem Jacobi liberi in AEgyptum venissent, ex eoque exstitit etiam apud exsules Hebraeos in AEgypto & alibi paris numeri collegium. Hi autem de quibus hoc loco agitur* LXX *concilio hactenus praeerant, non judicandi potestate, quam mox accipiunt, fiuntque* אלהים, *id est, dii.* Quin & *secundum alios*, inquit Lyranus, *fuerant iidem senes qui prius regebant populum in temporalibus, & tunc, cum haec imposita est eis cura, in spiritualibus, propter quod receperunt de novo spiritum prophetiae.* Mirum sane & audax est istorum commentum de regiminis publici tunc distinctione in illud quod temporalium vocitatur & quod spiritualium. Plane regimen, imperium, seu jurisdictio eis ante nulla. Neque in gentis illius sacrae republica distinctio illa, quantum ad regimen, imperium, & jurisdictionem, unquam reperta. Quod vero ad ministros illos in AEgypto attinet; ut non raro contingit etiam eos qui ministeriis ejusmodi fungi solent, scientia etiam & judicio ministeriis suis ipsis superiore pollere, ita etiam hic recte aiunt magistri [illegible] legendos selectosque ex jam dictis fuisse שבעים [illegible] בעלי גבורה וותקים ופסיפים [illegible] *septuaginta viros qui essent magistri sapientiae, magistri potestatis*, qui potestate sibi commissa recte uti dignoscerent, *probi, & judicandi periti.* Scilicet[f]

[q] De Repub. Judaeorum, cap. 5. [r] Genes. xlvi. 27. Exod. i. 5. Deuteron. x. 22. [s] Origin. lib. 2. cap. [illegible] [t] Act. Apost. vii. 14. [v] Hugo Grotius ad Act. vii. 14. [x] Quaest. & Trad. in Genesin. [y] De Civitate Dei, lib. 16. cap. 40. [z] Tit. de Versione Graeca §. 197 pag. 741. [a] Gemara Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 2, 1. 3. 2. 17, 1. & Magistri ad Numer. xi. 16. Vide Gem. Bab. ad tit. *Joma*, cap. 2. fol. 28. 2. [b] Andreas Masius ad Josuae cap. 1. 10. Paul. Fagius ad Numer. xi. 16. Constantin. l'Empereur ad Bertram. pag. 362, &c. [c] Maimonid. tract. *Sanhedrin*, cap. 1. [d] Ad Numer. xi. quem item vide in Matthaei v. 22. & in Lucae x. & Paulum Fagium in Numer. xi. 16. [e] *Sepher Siphri*, fol. 13. col. 3. *Pesiktha Zetertha*, fol. 45. col. 3. alii passim. [f] Gemar. Babylon. ad tit. *Kiddushin*, cap. 1. fol. 32. 2.

אין זקן אלא חכם *presbyter censendus non est alius quam qui sapiens*, quod tam ad prisca illa quam recentiora tempora spectat. Additur interdum [g] etiam hos fuisse ex eis qui erant דסנהדראות קטנות שנאמרו ביתרו *ex synedriis illis minoribus*, quantum ad potestatis amplitudinem, *quae ex Jethronis monitu instituta.* Philo, textum illum, *Congrega mihi septuaginta viros, quos nosti tu,* &c. citans, optime subjungit [h], Οὐκοῦν οὐ τοὺς ὑπὸ τῶν τυχόντων γέροντας νομιζομένους, ὡς ἱεροφάντας, ἀλλὰ οὓς ὁ σοφὸς οἶδε μόνος, τῆς τῶν πρεσβυτέρων ἠξίωσε προσρήσεως, *Non igitur eos quos vulgus presbyteros existimare solet, velut Hierophantas* [i], seu *sacrificulos, sed quos solus sapiens noverit, presbyterorum appellatione dignatus est.* Neque enim tribus in hisce cooptandis alius prae alia ratio habita omnino ulla, nec magis tribus Levi aut Judae quam reliquarum alicujus; qua de re plura ubi de continuatione tribunalis illustrissimi tunc instituti inferius agitur. Sed & de qualitate selectorum, ex eis quae statim de modo seligendi afferuntur, plura licet elicere.

VI. Quod ad modum in seligendis jam dictis a Mose adhibitum, qualescunque illi fuerint, attinet, textus Talmudicus traditiones suas avitas per personas, pro disciplinae gentis more, indutas explicando, בשעה inquit [k], שאמר לו הקדוש ברוך הוא למשה אספה לי שבעים איש מזקני ישראל אמר משה כיצד אעשה אברור ששה מכל שבט ושבט נמצאו שנים יתירים אברור חמשה חמשה מכל שבט ושבט נמצאו עשרה חסרים אברור ששה משבט זה וחמשה משבט זה הריני מטיל קנאה בין השבטים מה עשה בירר ששה ששה והביא שבעים ושנים פיתקין על שבעים כתב זקן ושנים הניח חלק בללן ונתנן בקלפי אמר להם בואו וטלו פיתקיכם כל מי שעלה בידו זקן אמר כבר קידשך שמים מי שעלה בידו חלק אמר המקום לא חפץ בך אני מה אעשה לך: *Tempore quo dixit Deus O. M. Mosi, congrega mihi septuaginta viros e presbyteris,* seu *senioribus, Israel, dixit sibi Moses,* seu *secum cogitavit, Quomodo hoc faciam? Si ex qualibet tribu selegero sex, numerum imperatum superabit is numerus binis.* Erunt enim 72. *At si selegero ex qualibet tribu quinque, decrunt numero imperato decem.* Ita enim fient 60. *Et demum, si ex tribu altera quinos, atque ex altera senos selegero, inter tribus conflabo invidiam. Quid igitur fecit? Selegit ex tribubus singulis sex, & adhibitis septuaginta duabus schedulis, in septuagenarum qualibet inscripsit vocem* זקן, seu PRESBYTER aut SENIOR, *reliquis binis inscriptione ejusmodi carentibus. Hasce commixtas in pyxidem seu urnam indidit* (scilicet sortium in urnam aut pyxidem, sive ligneam, sive auream, seu id genus materiae, conjiciendarum usus tunc, uti & postea semper, stante templo, apud eos habebatur; etiam in hircorum binorum a sortibus illis quotannis ex lege in festo expiationum [l] adhibendis, alibique, ut statim dicetur) *& tunc dixit illis, Venite, & tollite schedulam sibi quisque suam. Qui manu sua extraxit schedulam inscriptam nomine* PRESBYTERI, *ei dixit Moses, jampridem sanctificavit te Deus. Qui extraxit ita manu sua schedulam puram, ei dixit, Deus te non vult. Quid faciam ego tibi?* Subjicitur item [m] statim ejusmodi sortium usus paulo ante Mosaicus alius in re non ita dissimili; כיוצא בדבר אתה אימר ולקחת חמשת חמשת שקלים לגולגולת אמר משה כיצד אעשה להן לישראל אם אומר לו תן פדיונך וצא יאמר לי כבר פדאני בן לוי מה עשה הביא עשרים ושנום אלפים פיתקין וכתב עליהן בן לוי ועל שלשה ושבעים ומאתים כתב עליהן חמשת שקלים בללן ונתנן בקלפי אמר להן טלו פיתקיכם מי שעלה בידו בן לוי אמר לו כבר פדאך בן לוי מי שעלה בידו חמשת שקלים אמר לו תן פדיונך וצא: *Simile factum est circa illud, Et accipies* [n] *quinque siclos pro unoquoque capite* (ubi scilicet Israelitarum reliquorum primogeniti per Levitas erant redimendi, exceptis 273, qui numerus superabat illum Levitarum, & quinque siclis a singulis dandis erat redimendus) *dixit Moses, quomodo,* aut *qua ratione, hoc faciam Israelitis? Si cuiquam dixero, da pretium tuum, respondebit mihi, jam redemit me filius Levi,* numero scilicet illo inter caeteros confuso. *Quid igitur fecit Moses? Attulit* 22000 *schedulas, quibus inscripsit* FILIUS LEVI, *& super* 273 *scripsit* QUINQUE SICLI. *Hasce confusas conjecit in pyxidem: Tunc jussit ut extraheret quisque schedulam suam. Qui manu sua extraheret* FILIUS LEVI, *illi dixit Moses, redemit te filius Levi. Qui vero manu sua extraheret* QUINQUE SICLI, *dixit ei, pretium tuum solve.* Sortes ejusmodi non raro apud eos adhibitae. Et modus iste septuaginta per schedulas sic sortesque seligendi conscribendique habetur etiam in *Midbar Rabba* [o], *Sepher Siphri* [p], *Sepher Tanchuma* [q], Salomone Jarchio [r], *Chiskuni* [s], Abarbinele [t], *Aiin Israel* [v], *Pesiktha Zotertha* [x], alibique crebro apud magistros. Sed a christianis aliquot scriptoribus [y] haud concedendus habetur modus jam dictus.

VII. Hisce de modo Talmudico conscriptos seligendi praemissis, sequitur ut de eo quod quaeri solet circa Eldad & Medad in conscriptione illa videamus. Ait quidem textus sacer [z], Mosem constituisse seu collocasse septuaginta illos circa tabernaculum, Dominumque descendisse, spirituque prophetico eos donasse, indeque eos statim prophetasse. Quibus proxime subjungitur, remansisse seu relictos esse in castris duos, scilicet Eldad & Medad, qui expressim dicuntur fuisse בכתובים καταγεγραμμένων *ex conscriptis*, sed ad tabernaculum non venisse. Quid igitur? Illi non inter eos qui circa tabernaculum dispositi, id est, non inter ibi collocatos. Nam in castris mansisse nec illuc venisse dicuntur. Et a nonnullis plane admissum est eos ex septuaginta neutiquam fuisse, tametsi in conscriptis, id est, in numero e tribubus parili conscribendo, sed fortibus, ut rotundus fieret numerus, demereturque binarius, distinguendo, locum haberent. Nam nihil adeo quidem obstat quo minus sumi possit *conscripti* tam pro septuaginta duobus, scilicet tributim sex selectis, quam pro septuaginta ex eis quomodocunque conscriptis. Atque Theodo-

[g] Gemara & Glossa Talmudica tit. *Sanhedrin*, cap. 1 fo. 17. 1 [h] Lib. de his verbis *Resipuit Noe.* [i] Videsis Lorinum ad Numer. xi. *Quos tu nosti.* [k] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17. 1. [l] Levit. xvi. 8. in Paraphrasi Jonathanis dicta, & tit. Talmudico Joma cap. 4. Babylon. fol. 39. 1. [m] Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17. 1. [n] Numer. iii. 47. [o] *Parash.* 16. fol 265. col. 2. [p] Fol. 13. col. 4. [q] Fol. 71. col. 4. [r] Ad Numer. xi. 16. [s] Fol 196. col. 3 [t] *Pirush Hatora*, fol. 289. col. 4. [v] Part. 2. fol. 99. col. 1. [x] Fol. 45. col. 4. [y] Abulens. in Numer. xi. quaest. 56, &c. [z] Numer. xi. 24.

retus

retus quaerit[a], *Eldad & Medad τί δήποτε προεφήτευσαν μὴ συναριθμηθέντες τοῖς ἑβδομήκοντα; Cur vaticinati sunt, cum non essent de numero septuaginta?* Ipseque respondet *verisimile esse eos fuisse ἴσης ἀξίαν τοῖς ἑβδομήκοντα, dignitate pari fuisse cum septuaginta*, atque inde donum illud prophetandi, de quo supra, accepisse. Certe & Maimonides[b] septuagenarium reliquorum numerum ita seorsim memorat, & per se Eldad & Medad, ut videatur eos ex septuaginta fuisse haud sentire. Scilicet post verba illa superius [c] ex eo allata de Spiritu Sancto requiescente super septuaginta, statim subjungit, וכדלך אלדד ומידד וכדלך כל כהן גדול הנשאל באורים ותומים هو من هذه الطبقة, id est,

وكذلك الدد وميدد وكـــــذلك

כל כהן גדול וגו׳ וכן אלדד ומידד וכן כל כהן גדול וגו׳ seu, ut versio Ebraica, *Atque tales*, seu *ejusdem generis, fuere Eldad & Medad; & quilibet Pontifex Maximus interrogatus per Urim & Thummim, ex eodem erat censu*, seu *genere*. Tantundem a magistris aliquot [d] aliis etiam admittitur, quasi bini illi fuissent qui e LXXII selectis sortibusque, ut ostensum est, distinctis dempti numerum relinquerent, juxta praeceptum, septuagenarium, adeoque schedulas sortiti essent illas ex urna binas puras. *Pesiktha* [e] item, enarrato illo, quem diximus, seligendi per schedulas modo, de Eldad & Medad inquit, לכך נאמר והמה בכתובים שהיו בתוך הקלפי בין הכתובים זקן ועלה בידם נייר חלק כי לא אמר והמה כתובים אלא והמה בכתובים: *Ideoque dicitur, Et ii fuerunt in conscriptis*, seu *inter conscriptos, quoniam nempe erant in urna* sortes eorum seu schedulae *inter eos* sortes seu schedulas *quibus* PRESBYTER *inscriptum est. In manus autem eorum ascenderunt schedulae purae, ideoque non dicitur fuisse eos conscriptos, sed inter conscriptos.* Alii autem, quorum sententia multo est receptior, textum sacrum de septuaginta circa tabernaculum dispositis, atque binis hisce non illuc venientibus sed in castris manentibus, non aliter intelligunt quam si dictum fuisset, septuaginta conscriptos omnes a Mose quidem jussos ad tabernaculi circuitum venire, ut ibi consisterent, munusque a Numine praescriptum acciperent, illuc venisse ibique constitisse, exceptis illis binis Eldad & Medad; neque hos schedulas sortitos esse illas binas puras, quibus bini ex LXXII, ut inutiles, seponendi erant; sed, ut reliqui, *presbyteri* nomine inscriptas. Targum Hierosolymitanum [f] expressim, ואינין הוו משבעתי חכמינא ולא נפקו שובעתי חכמינא מן משכנא עד אלדד ומידד מתנבן במשריתא: *Atque hi fuere ex septuaginta sapientibus. Neque discesserunt a tabernaculo septuaginta sapientes quamdiu prophetabant in castris Eldad & Medad.* Alterum item Jonathanis dictum[g], והינון הוון מן סביא דסליקו בפטיקיא כתוביא ולא נפקו למשכנא דאיטמרו למערוק מן רבנותא ואתנביין במשריתא: *Atque erant hi ex presbyteris qui scripti erant in schedis in medio*, ut vertit Cevalerius, id est, *quorum schedulae presbyteri nomine inscriptae erant. Sed non venerunt ad tabernaculum, quia caverant sibi* qua potuere *ut fugerent principatum, & prophetarunt in castris.* Levi item Ben Gersom [h], לפי הפשט נראה שאלדד ומידד היו מן שבעים זקנים ונשארו במחנה על צד הענוה שהיו בורחים מן השררה: *Ex ipso textu eliciendum videtur, Eldad & Medad fuisse ex LXX presbyteris. Sed relicti sunt*, seu *manebant, in castris*, nec ad tabernaculum tunc veniebant, *ex animi humilitate fugientes*, seu *aversantes, principatum*, seu *munus judiciarium*. Et de aversatione illa obiter magistri. Etiam ad illud, *Relicti sunt duo viri in castris*, Gemara Babylonia [i], תנו רבנן יש אומרים בקלפי *obtinuit etiam sententia, relictos eos esse in pyxide*, seu *urna*, id est, ni fallor, postquam septuaginta e LXXII extraxerant schedulas suas, in quibus sexaginta octo erant nomine *presbyteri* inscriptae, & binae purae, Eldadum & Medadum, qui nondum suas extraxerant, inde cognovisse binas illas quae restarent in urna pariter inscriptas esse, adeoque illos, quantum potuerint, caventes ne potestati judiciariae seu principatui se, ut dictum est, immiscerent, schedulas illas, jam revera sic suas, in pyxide reliquisse. Nam & glossa ibi Talmudica, שנים מאותן שבעים שהלכו ליטול עלה בידן חלק ונשתיירו שני פתקין שהיו כתובין בקלפי שהיו של אלדד ומידד שלא הלכו ליטול שנתייראו שלא יעלה בידן חלק: *Bini ex septuaginta illis qui adibant ut sortes tollerent, sustulere manibus suis schedulas puras, & relictae sunt schedulae binae inscriptae in pyxide. Illae autem ad Eldad & Medad spectarunt, qui non adfuere ut sortes tollerent, timentes nimirum ne sibi non obtingerent purae*, quas humilitatis causa adeo affectabant. Totidem hac de re verba leguntur in *Aiin Israel* [k], ubi statim subjicitur, והיינו דכתיב וישארו שני אנשים והמה בכתובים בקלפי כלו׳ פתקי כתובים היו להם בקלפי ולא הלכו ליטלם: *Atque hoc est quod scriptum reperitur, Et relicti sunt viri bini qui erant e conscriptis; quasi diceres, inscriptae schedulae* binae *ad eos in pyxide spectarunt, sed non adveniebant ut inde sibi eas tollerent.* Hieronymus [l] item, *Eliguntur septuaginta presbyteri; vadunt ad ostium tabernaculi. Duo remanent, Heldad & Medad, non imperii negligentes, sed humilitate submissi, dum se honore arbitrantur indignos.* Adeoque inter conscriptos in synedrium tunc temporis ejusdemque collegas esse Eldad & Medad connumerandos (quod & non raro a scriptoribus recentioribus admittitur) plerumque receptum. Hoc vero subinde apud scriptores christianos controvertitur. Quae ad dubium hocce extricandum conducerent, forsan haberemus plura, nec ita contemnenda, si reperiretur codex ille apocryphus inter Graecos veteres Ἐλδὰδ καὶ Μωδὰδ (sic enim in versionibus Graecis *Medad* exarari solet) inscriptus, in quo, ut par est credere, disciplina de eis recepta data opera & fusius tradita est. Memoratur codex ille inter apocryphos S. Athanasio [m], ubi distinguit scripta aliquot veteris testamenti in τὰ ἀντιλεγόμενα, *quae contradicuntur*, & τὰ ἀπόκρυφα. Re-

[a] Quaest. in Numer. xxi. [b] *More Nebochim*, part. 2. cap. 45. [c] Cap. 4. p. 1236. [d] *Siphri* apud Levi Ben Gersom, in *Pirush ail Hatora*, fol. 184. col. 3. *Chiskuni*, fol. 196. col. 3 & videsis *Aiin Israel*, part. 2. fol. 99. col. 2. [e] Fol. 46. col. 1. [f] Ad Numer. xi. 26. [g] Ibidem. [h] In *Pirush ail Hatora*, fol. 184. col. 3. Vide Abarbinel in *Pirush Hatora*, fol. 289. col. 4. [i] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17. 1. [k] Part. 2. fol. 99. col. 1. [l] Epist. 127. ad Fabiolam, Mans. 13. [m] In Synopsi Sacrae Script. tom. 2. pag. 154.

censetur

censetur item idem liber ad finem chronologiae Nicephori patriarchae Constantinopolitani, quae Graece a Josepho Scaligero[n] edita est. Sed vero in editis illis mendum circa hanc rem ingens est, de quo obiter monere hic liceat. Post scripta ibi canonica seu ἐκκλησιαζόμενα utriusque foederis cum στίχων seu *versuum* numero recensita, titulus sequitur καὶ ὅσαι ἀντιλέγονται, αὗταί εἰσι τῆς παλαιᾶς (ubi codex pervetustus ac optimae notae MS. in bibliotheca collegii Sionensis Londini habet ὅσαι τῆς παλαιᾶς ἀντιλέγονται καὶ οὐκ ἐκκλησιάζονται, αὗταί εἰσι) & Maccabaicis, Solomonis sapientia, id genus reliquis, cum στίχων itidem seu *versuum* numero subjunctis, proxime adjicitur titulus, Καὶ ὅσα τῆς νέας ἀντιλέγονται, *Et quaenam scripta foederis novi contradicuntur*. Inter ea habetur ibi, numero septimo, liber dictus Ἐλδὰδ καὶ Μωδὰδ, quasi inter libros novi foederis, sed contradictos, is esset enumerandus. Neque aliter sane descriptum video locum illum a viro doctissimo[o] qui etiam codicibus Nicephori MSS. se usum esse profitetur. Sed vero praetermittuntur ibi libri omnes ad titulum illum spectantes, qui in codice quem dixi MS. ad hunc modum sequuntur,

α	Ἀποκάλυψις Ἰωάννου[p]	στίχων ͵α υ.
β	Πατριάρχαι	στίχων ͵δ ω.
γ	Προσευχὴ Ἰωσὴφ	στίχων ͵ε ρ.
δ	Διαθήκη Μωϋσέως	στίχων ͵α ρ.

Atque alia manu inferiori in paginae parte subjicitur,

Γ

Τρ . . . . , ...	στίχων ͵α τ ς.

Δ

Εὐαγγέλιον κατὰ Ἑβραίους	στίχων ͵β. σ.

Ac dein sequuntur,

Ὅσα ἀπόκρυφα τῆς παλαιᾶς.

α	Ἐνὼχ	στίχων ͵α υ
β	Πατριάρχαι	στίχων ͵δ ω
γ	Προσευχὴ Ἰωσὴφ	στίχων ͵ε ρ.
δ	Διαθήκη Μωϋσέως	στίχων ͵α ρ.
ε	Ἀνάληψις Μωϋσέως	στίχων ͵δ ρ.
ς	Ἀβραὰμ	στίχων τ.
ζ	Ἐλδὰδ καὶ Μωδὰδ	στίχων υ.

uti & reliqua nomina sub titulo illo dein in editis occurrentia, quibus iidem στίχων numeri adjecti; tametsi in anterioribus haud exigua sit numerorum, ut alibi in recensione illa, discrepantia. Atque inde statim

Ὅσα τῆς νέας εἰσὶν ἀπόκρυφα.

α	Περίοδος Παύλου	στίχων ͵α χ.
β	Περίοδος Πέτρου	στίχων ͵β ψ.
γ	Περίοδος Ἰωάννου	στίχων ͵β φ.

quibus sic tum versuum numero tum nominibus ab editis discrepantibus subjiciuntur eadem ipsa quae editionem Scaligerianam claudunt. Adeoque non in novi testamenti libris contradictis, sed in veteris Apocryphis, censendus ille *Eldad & Modad* inscriptus. Certe nec canon Graecus scripturarum Nicephorianus e codice Carpensi apud Petrum Pithoeum[q], aliter collocat librum illum quam editio Scaligeri. Edita quidem est plurimis abhinc annis, nec semel, versio Joachimi Camerarii Latina[r] Nicephori illius, etiam interdum velut Anastasii bibliothecarii nomine, ut in Antonii Contii titulo ei praefixo in bibliotheca patrum, alibique. Sed nec versio illa ut in bibliothecam patrum recepta est, nec ut Camerarii edita, quidquam habet subjunctum de libris illis. In patriarchis enim Antiochenis desinit. Atqui in editione Anastasii ecclesiasticae historiae juxta exemplaria Cassinense & Vaticanum nupera Caroli Fabroti[s] (ubi a Graecis & versuum numeri hic & nomina haud parum discrepant) titulus *eorum qui novi foederis contradicuntur* sub se habet Apocalypsin Joannis, Apocalypsin Petri, Barnabae epistolam, & evangelium secundum Ebraeos; & dein sub titulo, *Et quae sunt Apocrifa veteris*, loco itidem septimo, *Elab & Modad*, plane pro *Eldad & Modad*. Ita etiam in canone Nicephoriano illo ex Anastasio a Petro Pithoeo[t] edito, ubi male *Elad* pro *Eldad*. Sed ita in classe sua recte ibi retinetur liber ille, uti etiam in editione Goariana[v] cum Georgio Syncello. Titulus MS. jam dicti ac initium est, Τοῦ ἐν ἁγίοις Νικηφόρου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Ὁμολογητοῦ χρονογραφία σύντομος.

Ἀδὰμ γενόμενος, &c.

Ita hic etiam ab editis, ut in quamplurimis aliis, sive reges sive episcopos spectes, diversus est codex ille. Versuum etiam seu στίχων numeri hic scriptorum veteris testamenti canonicorum saepius haud parum discrepant ab editis. Sed evangeliorum hic versuum numeri iidem sunt in editis, uti & in priori evangeliorum codice in prolegomenis in Solinum Salmasianis memorato. Reliquorum item novi testamenti librorum canonicorum versuum iidem sunt cum editis hic numeri, adjecto epistolis canonicis simul septem στίχων ͵ατ quod in editis tum Scaligerianis tum Pithoeanis ac Goarianis Graecis desideratum habetur in Anastasii versione editionis Fabrotianae, & apud Pithoeum. De versibus hic, quorum nomen de veterum scriptis adeo frequens, consulas, si plura velis, Isaacum Casaubonum[x], Claudium Salmasium, & Joannem Croium, locis ante citatis. An vero chronographiae illius assumentum illud heterogeneum de scripturis sacris, apocryphis, contradictis, ipsius Nicephori etiam fuerit, merito ambigi poterit. Nec solum ex eo quod in codicibus nonnullis, etiam vetustis, tam ipsius Nicephori quam Anastasii, omnino defuerit (ut scimus tum e versione Cameraria tum ex Antonii

[n] In Thesauro Temporum. [o] Jo. Croius Sacrar. Observat. part. priori cap. 1. [p] De Apocalypsi videsis Sixtum Senens. Biblioth. Sanct. lib. 1, &c. [q] In Miscellaneis pag. 17, 18. [r] Basileae 1651. Biblioth. Patrum ed. 1610. tom. 7. In Historia Miscella a P. Pithoeo edita Basil. 1569, &c. [s] Paris. 1649. pag. 190. [t] In Miscellaneis pag. 19. [v] Pag. 420. [x] Animadvers. in Athen. lib. 6. cap. 10.

Contii

Contii ejuſdem recenſione [y]) ſed etiam quoniam compluria chronologiae illi poſt autoris obitum acceſſiſſe alia planiſſime conſtat. Mortuum nempe eſſe eum recipitur [z] anno 828 ſeu ſub Michaelis Balbi imperatoris exitum. Nec quidem dubitandum videtur quin is ipſe fuerit qui locum in chronologiae illius Graecis a Scaligero editis ſeptuageſimum octavum, in Latinis 77, in Marquardi Freheri catalogo [a] 54, in nuper edito a Philippo Labbaeo [b] ex MS. ſuo 75, inter patriarchas Byzantinos occupans, Zonarae, Cedreno, Glycae, aliis obiter memoratur; uti etiam in eccleſia utraque [c] inter ſanctos recenſetur. Neque enim alter eſt ejuſdem nominis in patriarchis illis ante eum. Nec puto, alterutrum ex Nicephoris [d] qui eccleſiae Conſtantinopolitanae ſub Theodoro Duca & Michaele Palaeologo, circa annum 1260 praefuere, autorem chronologiae hujus vetuſtae fuiſſe, quenquam exiſtimaturum. Adeoque is ipſe Nicephorus qui autor eſt breviarii hiſtorici de rebus ab obitu Mauricii geſtis a Dionyſio Petavio editi [e], etiam & chronologiam hanc primo conſcripſit; tametſi Petavio in praefatione ad lectorem illud haud admittendum videatur. Jam vero Nicephori hujus nomen in patriarcharum illorum recenſione chronographiae hujus Latina, ſequuntur quinque ejuſdem ſucceſſores, Theodotus, Antonius, Joannes, Methodius, Ignatius, qui annos ibi conficiunt pluſquam quinquaginta poſt obitum Nicephori. In Graecis autem editis adjicitur item Photius, qui breviarium illud ejus ut ſibi lectum in bibliotheca [f] memorat. Et in codice MS. ubi Nicephorus numerum occupat 79, adeoque Joannes 82, ſuccedit Joanni,

πγ Θεοδόσιος ὁ Ἀληθινὸς ὀρθόδοξος καὶ ὁμολογητὴς ἔτη δ μ γ.

πδ Ἰγνάτιος ὁ νέος θεοφόρος τὸ πρῶτον ἔτη ια μ ε καὶ ἐξωρίσθη.

πε Φώτιος ἔτη καὶ ἐξωρίσθη.
Ἰγνάτιος, πάλιν τὸ δεύτερον, ἔτη.
Φώτιος, πάλιν τὸ δεύτερον, ἔτη καὶ ἐξωρίσθη.

Hic nemo non videt patriarchas adjectos qui Nicephori ſucceſſores fuere complures, uſque etiam in Baſilii Macedonis imperatoris ac Photii patriarchae tempora. Alii ſunt characteres illic ejuſmodi poſt mortem ejus acceſſionum. Adeoque recte ei ipſa chronographia a viris doctis [g] tribuitur, intellecta interim atque agnita continuatorum in nonnullis opera varia. Et ſane appoſitus eſt titulus quem exhibet editio Scaligeriana, Νικηφόρου πατριάρχου χρονογραφία σύντομος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι χρόνων Μιχαὴλ καὶ Θεοφίλου υἱοῦ αὐτοῦ, ἔχουσα οὕτως, id eſt, qua Nicephori dicenda, ad tempora Michaelis Balbi & Theophili filii imperatorum, ſeu ad ipſa Nicephori tempora, eam deductam eſſe. Quod velut de aſſutis eſt monitum tempeſtivum, & de Nicephorianis ipſis intra cancellos ſuos coercendis. In catalogo autem epiſcoporum Byzantinorum codicis jam dicti MS. Stachys, qui ſecundus eſt, annos habet tantum ι̅, Polycarpus, qui quartus eſt, ι̅η; & dein ſequitur,

ε	Πλούταρχος	ἔτη	ιϛ.
ϛ	Σεδεκίων	ἔτη	θ
ζ	Διογένης	ἔτη	ιε.
η	Ἐλεύθερος	ἔτη	ζ.
θ	Φῆλιξ	ἔτη	ε.
ι	Πολύκαρπος	ἔτη	ιζ.
ια	Ἀθηνόδωρος	ἔτη	δ.

Οὗτος ἕτερον οἶκον κτίσας ἐν τοποθεσίᾳ λεγομένῃ Ἐλαίᾳ, ἐκεῖ τὰς συνάξεις ἐποιεῖτο.

Atque ita Graecis reſtituuntur epiſcopi quatuor, quibus editio Scaligeriana caret; emendata etiam de Athenodoro ibi lectione; unde Euzoius eſt duodecimus, ut in Graecis editis Latiniſque. Annorum numeri ſubinde, ut in aliis, hic itidem in MS. ſubinde variant. Et in Eutychio, epiſcopo 54, pro ὑπὸ Ἰουστίνου legendum ex eo, ὑπὸ Ἰουστινιανοῦ, ut recte verſio Latina. Pyrrhus, poſt Paulum epiſcopum 60, cui Reſtitutus conjungitur in Latinis, facit per ſe numerum in MS. ut in Scaligerianis, ſexageſimum primum, unde fit ut poſtmodum in Graecis quilibet unitate ampliorem ſortiatur quam in Latinis numerum. Sed miſſis hiſce ad numerum in ſynedrium magnum principi adſcitorum devenimus.

VIII. Numerus in munus judiciarium ſynedrii magni, ita dici ſoliti, conſcriptorum nec major erat nec minor quam ſeptuaginta; quibus Moſes princeps omnium, ſeu cui ex praecepto illi adſciti ſunt divino, adjectus, ſeptuagintauniuſvirale conſiſtorium ſeu בית דין של ע"א *domum judicii ſeptuaginta unius* virorum confecit. Miſna Babylonia [h], סנהדרין גדולה היתה של שבעים ואחד וגו' ומניין לגדולה שהיא של שבעים ואחד שנאמר אספה לי שבעים איש מזקני ישראל ומשה על גביהן: *Synedrium magnum conſtabat ex ſeptuaginta uno, &c. Atque undenam numerus ille ſeptuaginta unius? Ex eo quod dicitur* [i], *Congrega mihi ſeptuaginta viros e presbyteris Iſrael. Et Moſes erat* ut princeps *ſuper eos* ſeu *cum eis conjunctus*. Ubi Miſna Hieroſolymitana [k], eiſdem ipſis uſa verbis, addit, הרי שבעים ואחד *ecce* ſeu *illic fundatur numerus ſeptuaginta unius*, quemadmodum etiam aliae aliquot τῶν *Miſnaioth* editiones. Maimonides [l] inde etiam, ומשה על גביהן שנ' והתיצבו שם עמך הרי ע"א *Et Moſes cum* ſeu *ſuper eos, ſecundum quod dictum eſt, Ut ſtent ibi tecum. Ecce ſeptuaginta unus fiunt*. Sic itidem Mikotſi [m]. Et Rabbi Menahem Recanatenſis [n], קבלו רז"ל כי כל סנהדרי גדולה היושבת בבית יי' במקום אשר יבחר לשכנו כן יהיה מניינם שבעים והנשיא על גבן כמשה רבינו ע"ה והנה הם ע"א: *Accepere per traditionem Rabbini noſtri piae memoriae, quod omne ſynedrium magnum conſidens in domo Domini, in l. o*

[y] Biblioth. Patrum Pariſ. 1610. tom. 7. [z] Theophanes apud Baron. tom. 9. ann. 828. §. 35. [a] Juri Graeco-Romano praefixo. [b] Corp. Hiſt. Byzant. pag. 37. [c] Orientali, in Menaeo 2 Junii, Occidentali in Martyrolog Romano Martii 13. [d] Videſis Nicephor. Caliſt. lib. 14. cap. 39. Marq. Freher. in Chronol. Juris Graeco-Romani ann. 1255, &c. [e] Pariſ. 1616. [f] Codice 66. [g] Andreas Schottus ad Phot. cod. 66. Baron. ad Martyrolog. Rom. Mart. 13. Philippus Labbaeus in Corp. Hiſt. Byzantin. pag. 47, &c. praeter editores. [h] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 2. 1. [i] Numer. xi. [k] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 6. [l] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 3. [m] Praecept. affirm. 97. fol. 186. col. 2. [n] In *Midbar* cap. 11.

quem ipse [o] *ad habitandum elegerit, constare debuerit ex septuaginta, quibus praeficiendus princeps, quemadmodum Moses magister noster, super quem sit pax. Atque ita fiebant septuaginta unus.* Tantundem quantum ad numerum sexcenties in Talmude utroque ac apud magistros reliquos occurrit. Et tam in Karaeorum quam Talmudicorum disciplina est receptissimum & sacrae institutionis historiae undiquaque consonum. Sed vero non defuere viri etiam maximi qui consistorii hujus collegas Mosi sic adscitos ex ipsa institutione fuisse LXXII, juxta parilem ex unaquaque tribu numerum, id est senarium, selectum. Caesar Baronius [p]; *Erat quidem apud Judaeos ex senioribus atque magistris conflatum collegium, quod ab illis Synedrin* [q] *dicebatur, constabatque ex septuaginta duobus viris. Hujus originem a Deo per Moysem institutam habes in libro Numeri* [r], *quando Deus Moysi praecepit ut septuaginta viros deligeret, quos senes & magistros populi esse nosset. Hoc seniorum collegium, junctis duobus aliis, qui Heldad & Medad personas agerent (qui licet remansissent in castris, eodem tamen afflati spiritu prophetarunt) numerus septuaginta duorum semper perseveravit in posteris.* Idem de numero, ut indubitatum, ille alibi [s]. Tantundem Henricus Spondanus ejus epitomator [t], quasi res citra controversiam plane foret admittenda. Ita etiam alii aliquot, maxime ex pontificiis [v]. Certe velut de LXXII loqui videtur autor vetustus de mirabilibus sacrae scripturae [x], ubi ait, *In praefiguratione LXXII discipulorum ipse spiritus Moysis in septuaginta seniores distribuitur, & aliis duobus qui in castris resederant, Heldad videlicet & Medad, ejus spiritus prophetiae donum condonatur.* Nicolaus autem Serrarius, scriptis etiam Talmudicis minime inassuetus, de numero dubitanter nimis loquitur, ubi, *Illa*, inquit [y], *constabat initio LXX, LXXI, vel LXXII capitibus. De hoc enim aliqua controversia.* Septuaginta duos, item & quatuor, Ricardus Montacutius [z] hic habet, commenta sua praeferens Talmudicorum disciplinae, quam passim, ut ejusdem nimis nescius, vilipendit. Et Joannes Quistorpius [a] *septuaginta* interpretatur hic *per sex ex singulis tribubus*, quasi de numero septuaginta duorum cooptatorum locum intelligeret. Alii hic haesitantius. Sunt autem viri sane doctissimi, tam veterum quam recentiorum, iique nec pauci, qui numerum adscitorum eundem cum Talmudicis, id est septuagenarium, fidenter recipiunt, iique tam pontificii quam reformati; de quibus plura mox. Sed vero habentur etiam in reformatis alii, viri sane magni, qui aliter sensere. Joannes Drusius [b], Ebraice apprime & Rabbinice doctus, numerum collegarum fuisse LXXII haud dubitare videtur, tametsi, ut rotundus fiat, LXX tantum soleant memorari. Vir item summus Hugo Grotius non semel [c] potius LXXII quam LXX fuisse vult. Nec sequacibus hic aut consonis hi carent. Ansa sententiae hujus maxime sumpta est ex loco illo D. Lucae [d] celebri, *Post haec autem designavit Dominus & ἑτέρους ἑβδομήκοντα, καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἀνὰ δύο πρὸ προσώπου αὐτοῦ*, &c. *& alios septuaginta* (Syrus addit ܡܢ ܬܠܡܝܕܘܗܝ *ex discipulis suis*, uti & codex vetustus *μαθητάς*) *& misit eos per binos*, seu *in paria distinctos, ante faciem suam*, &c. quemadmodum in codicibus optimis & vetustissimis, & fere omnibus Graecis MSS. tam illic quam commate XVII legitur, uti etiam in editis. Atque ita legisse videtur Origenes, ubi de fontibus duodecim & LXX palmis [e] in Elim loquens, & demum de apostolicis fontibus velut illis comparandis, *Ibi etiam*, inquit [f], *arbores reperientur LXX palmarum. Non enim soli duodecim apostoli fidem Christi praedicaverunt, sed & alii septuaginta missi ad praedicandum verbum Dei referuntur, per quos palmas victoriae Christi mundus agnosceret.* Tam septuaginta solum a Christo missos fuisse quam ipsas fuisse palmas LXX innuere videtur; tametsi alibi [g] de septuaginta duobus hic loquatur ille velut ex evangelio inter disputandum recitato. MEGETHIUS, *Cura ut recitetur evangelium, & deprehendes ibi nullam istorum nominum* (discipulorum aliquot) *mentionem scriptis esse proditam.* EUTROPIUS, *recitetur.* ADAMANTIUS, *Apostolorum nomina duodecim recitata sunt, non etiam septuaginta duo* (ubi in editionibus nuperis asteriscus nescio quare injicitur; sed in versionis illius quae Laurentii Humfredi est editione vetustiore [h] adjicitur ex Graeco in margine οβ, ut inde sciret lector certam numeri lectionem.) EUTROPIUS, *Quot habuit Christus apostolos?* ADAMANTIUS, *Primum amandavit duodecim, post septuaginta duo, ut evangelium annunciarent.* Sic ibi; quasi in codice evangelii tunc prolato οβ plane lectum fuisset. Sed dubitatur quidem ab viris eruditis [i] utrum dialogus ille de recta in Deum fide sit Origenis. Utcunque interea, autorem ejusdem vetustissimum esse, nondum puto dubitatum. Sed vero & Eusebius [k] septuaginta tantum legisse videtur; quod plane fecere e Graecis Theophylactus & Euthymius: Nam & numerum missorum eundem fuisse cum palmarum in Elim numero in commentariis suis illic non dubitant. Et Tertullianus [l], *Adlegit & alios septuaginta apostolos super duodecim. Quo enim XII secundum totidem fontes in Elim, si non & septuaginta secundum totidem arbusta palmarum?* Idem illic numerus est apud Syrum. Eundem etiam habet Arabs, editionis tum Erpenianae tum Jaianae, uti etiam versio Arabica MS. [m] in AEgypto, in monasterio Siafrani, anno Hegirae 727 seu Christi 1327 conscripta, quae bibliothecae est Arundellianae; scilicet سبعين آخر *septuaginta alios.* Atque versio itidem penes me Arabica, alias ab editione & Erpeniana & Jaiana saepe discrepans, habet hic [n] سبعين اخرين

[o] Deut. xvii. 8. [p] Tom. 1. ann. 31. §. 10. [q] al *Sanhedrin.* [r] Numer. xi. [s] Tom. 1. ann. 32. §. 11. & 33. §. 30. [t] Tom. 1. ann. 31. §. 5. 32. §. 4 & 33. §. 13. Sed & vide eum in Anna lib. a Creatione ann. 2545. § 26, &c. [v] Vide Lorinum ad Num. xi. & Act. iv. 5, &c. [x] Inter Augustini Opera tom. 3. lib. 1. cap. 9. [y] Rabbino priore cap. 18. [z] Analect. Ecclesiastic. Exercit. 6. pag 228, &c. [a] Annot. Biblic. in Num. xi. 16. [b] Praeter l. 3. in Luc. x. 1. & vide eum ad difficil. loca Numer. cap. 48. [c] Matth. xxii & Luc. x. [d] Cap. x. 1. [e] Exod. xv. 27. [f] Homil. 7. in Exodum. [g] In Marcionistas Dialog. 1. seu de recta in Deum fide. [h] Basileae 1571. [i] Andreas Rivetus in Critico Sacro, lib. 2. cap. 13, &c. [k] Hist. Eccles. lib. 1. cap. 12. [l] Advers. Marcionem, lib. 4 cap. 24. [m] Sect. 34. [n] Sect. 35.

idem significans. Unde adnotatur in margine, السبعون الذين ارسلهم سيّي قدامه الى كل مدينة *Septuaginta illi quos misit ante eum in quamlibet urbem.* Idem in MSS. Graecis septem bibliothecae Oxoniensis, atque in pervetusto illo codice MS. ex oriente pridem in Britanniam misso, uti etiam in MSS. penes me, optimae sane notae, binis, quorum in utroque etiam habetur, καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἀνὰ δύο δύο πρὸ προσώπου αὐτοῦ. Et titulus vetustus sectionis Graecae 34 Lucae (in qua missionis illius historia) in MSS. hisce aliisque, uti etiam in editionibus praestantioribus, est, Περὶ τῶν ἀναδειχθέντων ō seu ἑβδομήκοντα, *de designatis septuaginta.* Synodus item Neocaesariensis[q], *Chorepiscopi sunt* εἰς τύπον ἑβδομήκοντα, *in figura eorum qui septuaginta fuere:* Quem numerum Zonaras & Balsamon pro indubitato sumunt. Atque in ritualibus ecclesiae Graecorum[p], seu lectionibus autoritate ibi publica receptis, tantum ἑβδομήκοντα agnoscuntur: Ubi Lucas ipse εἷς τῶν ἑβδομήκοντα *unus ex septuaginta* juxta veterum Graecorum traditionem [q] nuncupatur [r]; quemadmodum Aristobulus a Paulo memoratus, quem Barnabae fratrem & Britannorum episcopum faciunt. Certe etiam in synopsi illa Dorotheo episcopo sub annum 360 Tyrio tributa, ubi designatorum nomina sigillatim recensentur, numerus eorum titulusque praecise est tantum septuaginta, licet citetur interdum quasi LXXII fecisset[t], atque eis accensuisset eunuchum a Philippo conversum; quod plane non facit. Athanasius item in synopsi [v], ἀνέδειξεν ἑβδομήκοντα μαθητὰς, *designavit septuaginta discipulos*, quemadmodum alibi item loquitur ipse, simul cum episcopis AEgypti [x] reliquis. Sic in occidente itidem legebat Irenaeus[y], Hieronymus[z], Ambrosius[a], qui etiam Latinam versionem numerum illum tantum retinentem exposuit. Nec alium fuisse missorum hic numerum quam qui palmarum in Elim erat, expressim etiam, ut patres illi antiquiores, velut receptissimum tradit Petrus Damianus cardinalis episcopus sub annum 1050 Ostiensis[b]. Etiam codices Vulgatae aliqui numerum habent eundem. Sic MS. Atrebatensis collegii quem memorat, sed non sine admiratione, Franciscus Lucas[c]. Uti etiam editio, centum amplius abhinc annis, nomine Vulgatae, Isidori Clarii [d] abbatis Cassinensis & dein episcopi Fulginatis. Italica item versio Sanctii Marmochini [e] ex ordine praedicatorum, ante Isidorum, eundem habuit numerum, *Et altri settanta*, Graecorum codicum sequax; quemadmodum etiam versio Lutherana, Belgica, Gallica, reformatorum aliae, tum veteres, tum nuperae. Et in Anglicanis nostris sub reformationis initia tempore Henrici octavi editis nunc tantum *septuaginta* [f] habentur, nunc *septuaginta* adjecto [g], sed minore, unde moneretur lector, charactere, & *duobus.* Inde evenit ut in solennibus evangeliorum lectionibus publicis quae in reformationis ritualibus nostris Anglicanis diebus festis propriae sunt, primo etiam *septuaginta* solum reperiantur [h], postmodum autem sub Edwardo sexto *septuaginta* (& *duo)* qualis lectio in ritualibus illis, tandem etiam sine parenthesis nota, usque in nostra tempora duravit; tametsi versio publica bibliorum, Episcopalis apud nos dicta, quae edita est sub Elisabetha regina, & altera illa sub Jacobo rege recognita & emendata, *septuaginta* semper habuerint; cum interim etiam in rituali illo anno 1637 infelicissime in Scotiam misso, juxta bibliorum versiones jam dictas, *septuaginta* tantum insereretur. Certe per ecclesiam etiam occidentalem numerus septuagenarius tantum, non raro, hic agnitus est, ut ex epistolis pontificiis canonibusque [i] liquet; tametsi pro exemplarium aliquot diversitate subinde itidem LXXII reperiatur. Obvia enim horum mentio ubi de chorepiscopis agitur. Caeterum in Vulgatae codicibus tam MSS. priscis quam editis, quasi tantum non universis *septuaginta duo* est hic, uti & commate ejusdem capitis 17, numerus [k]. Etiam in codicibus aliquot Graecis MSS. etiamnum exstantibus, saltem in codice Vaticano, ἑβδομήκοντα δύο, seu eadem lectio. Sed illos ad Latinorum exemplaria emendatos suspicatur Erasmus. Quin & in harmoniis vetustis Graecis Tatiani [l] & Ammonii [m] Alexandrinorum leguntur *septuaginta duo.* Sic igitur in exemplaribus unde harmonias suas confecere legerunt. Idem in dialogo de recta in Deum fide vetustissimo qui Origeni tribuitur haberi, ante notatum. Arabica item versio Romae anno 1591 edita habet ibi اثني وسبعين *duos & septuaginta.* Et Epiphanius, qui floruit sub annum 380, codicibus usus est in quibus idem numerus. Nam, de tunc a Domino designatis loquens [n], saepius ἑβδομήκοντα δύο pro certo eorum numero, velut ex sacro ipso textu, adhibet. Et lectionem ejusmodi fuisse antiquitus itidem receptam liquet ex Augustino, qui de LXXII ibi expressim loquitur [o]. Neque alia sane lectio in evangelio Lucae quae, in Hieronymianis, cum canonibus habetur. Ita etiam legisse Bedam nostrum [p] palam est. Atque S. Cuthberti evangeliorum codex perpulcherrimus, qui in bibliotheca Cottoniana etiamnum visitur, circa annos abhinc 960, adeoque diu ante Bedam, manu exaratus (de quo ipso scribit Turgotus [q], nomine Simeonis Dunelmensis editus) eundem habet numerum; quemadmodum etiam tum codex evangeliorum quatuor aureis literis haud ita diu post Wilfridi archiepiscopi Eboracensis jussu pulcherrime conscriptus, qui a Beda [r] celebratus etiamnum in bibliotheca ad S. Jacobi servatur, tum codex alius vetustissimus nitidissimusque ab Athelstano rege

[o] Can. 14. [p] Meniaeo Martii 15. in Aristobulo, & Anthologio Octob. 18. Maximus Cytherensis in Metaphrasi Vitarum Sanctorum, ex Synaxariis Mart. 15. [q] Epiphan. advers. haeres. lib. 1. De Incarnatione §. 4. & in Anacephalaeosi §. 135. [r] Antholog. 18. Octobris Romae 1598. [s] Ad Rom. xvi. 10. [t] Possevinus in Apparatu. [v] Tom. 2. pag. 12. [x] Epist. ad Marcum Papam pro exemplaribus Nicaeni Concilii, tom. 2. pag. 623. [y] Lib. 3. cap. 13. [z] Epist. 127. Mans. 6. [a] Ad Luc. x. [b] Lib. 2. epist. 10. [c] Ad Luc. x. 1. [d] Venetiis 1542. [e] Ibid. 1538. [f] Londini 1535. [g] Ibid. 1541, &c. [h] Evangel. diei S. Lucae. [i] Anaclet. Epist. 3. Burchard. Decret. 1. cap. 4. Ivo part. 5. cap. 58. (sed & vide cap 98.) Damas. epist. 4. Leo epist. 83. Ivo part. 6. cap. 72. Gratian dist. 68. can. 4, 5. Durand. Rational lib. 2. cap. 10. [k] Videsis Erasmum hic, Bezam, Marianam, & Francisc. Lucam. Notat. in Biblia 473. [l] Cap. 67. [m] Cap. 117. [n] Advers. haeres. lib. 1. De Incarnatione §. 4. & in Anacephalaeosi §. 135. [o] Quaest. Evangelic. lib. 2. cap 14. & de Mirabilibus sacrae Scripturae, lib. 1. cap. 9. [p] In Luc. lib. 3. cap. 10. [q] Hist. Dunelm. lib. 2. cap. 15. [r] Hist. Eccles. lib 5. cap. 20.

ſub annum Chriſti 930 *Dorobernenſis cathedrae primatui* donatus, qui dein in ſolenni regum apud nos inaugurandorum adjuratione adhiberi diu ſolitus inter Cottoniana cimelia tandem locum ſortitus eſt. Praetermitto verſiones Saxonicas, Wicleſianam, Nicolai Malhermii Italicam, Rhemenſem, publicam in eccleſia Romana inter epiſtolas diebus feſtis proprias lectionem[s], & demum editiones hic pontificias omnino numero illi auctiori conſonas; unde etiam fidenter Hieronymus Xaverius in evangelica ſua hiſtoria ad imperatorem Mogolenſem Perſice conſcripta & a Ludovico de Dieu Latine verſa[t] eundem habet numerum ut plane recipiendum. Et pro eo contendere ſolent ex codicibus ſuis Latinis pontificii[v], aliam illam vetuſtiorem receptioremque, veluti Graeca, ſic loquuntur, fide ſubnitentem, rejicientes. Jam vero ex illis qui numerum ſynedrii magni voluerint, ut dictum eſt, fuiſſe LXXII, ſeu ex tribu qualibet parem ſeu ſenarium, conciliare Graecae Vulgataeque lectionis evangelicae diverſitatem conantes, obſervant, & vere quidem, morem fuiſſe Ebraeis interdum, uti & aliis ſatis crebro, numero uti rotundo pro eo qui amplior fuerit, adeoque LXX pro eo qui revera eſſet LXXII. Ita LXXII illi interpretes Ptolemaici (de quorum numero illo dubitari non ſolet) ſaepiſſime nomine rotundo *ſeptuaginta* veniunt, quemadmodum etiam diſerte Joſepho[x] dicuntur patribuſque ubique chriſtianis, qui interim eos ex ſenario velut cujuſlibet tribus numero conſtitiſſe, id eſt LXXII fuiſſe, non dubitant. Sic etiam expreſſim Auguſtinus[y], *Quorum interpretatio ut ſeptuaginta vocetur, jam obtinuit conſuetudo.* Atque hoc paſſim quidem occurrit, eſtque, juxta hanc notionem, plane indubitatum in ſcriptis Judaeorum, chriſtianorumque tam orientis quam occidentis. Inde apud Eutychium patriarcham Alexandrinum MS. legitur, quod Ptolemaeus ille anno viceſimo regni ſui ad Hieroſolymitanos miſit,

فاشخص منها سبعين رجلاً من اليهود الي
الاسكندرية وامرهم ان يفسروا له التوراة
وكتب الانبيا من العبرانية الي اليونانية

Ut inde accerſeret ſeptuaginta viros Judaicos ad Alexandriam; eiſque juſſit ut ſibi interpretarentur legem & prophetas ex Ebraica in linguam Graecam. Simile habetur in rotundo *centumvirorum* Romae veteris, & *centumviralium* judiciorum & cauſarum nomine uſitatiſſimo apud Ciceronem[z], Quintilianum[a], alioſque ſatis obvios tam juriſconſultos[b] quam hiſtoricos[c]. Et ad Cottam Ovidius[d], qui etiam ipſe centumvir fuiſſet,

Utque fui ſolitus, ſediſſem forſitan unus
De centum judex in tua verba viris.

Lucanus item ad Piſonem.

Et firmare jubet centeno judice cauſam.

Graecis pariter illi ἑκατὸν ἄνδρες *centum viri*[e] dicti. Atqui interea agnoſcitur numerum centumvirorum ſic dictorum primo verum fuiſſe centum & quinque. Sextus Pompeius[f]; *Cum eſſent Romae triginta & quinque tribus, terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad judicandum, qui centumviri appellati ſunt; & licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen, quo facilius nominarentur, centumviri ſunt dicti.* Quid quod etiam numerus ille poſtmodum uſque ad centum octoginta excreſcens (ut legitur apud Plinium[g]) rotundi illius numeri nihilominus ſemper retinuit nomen, quo & ipſe non ſemel utitur[h]? Etiam de centuria in finibus regundis Varro[i]; *Centuria primo a centum jugeribus dicta, poſt duplicata retinuit nomen; ut tribus multiplicatae idem tenent nomen,* quaſi a tribus partibus ſeu parte tertia *tribus* primo dicta & ſemper retenta, in ſignificationem, qua numerum ſpectat, perquam diſcrepantem poſtea tranſmigraſſet. Nemo itidem neſcit rotundo *decimae* nomine nunc partem majorem, nunc minorem, ex uſu loquendi, ſeu tam ſubſtantiam, ut loquuntur in ſcholis, quam quotam venire ſolere. Id genus ſunt alia. Ex uſu ac libertate hujuſmodi loquendi exiſtimatum eſt, tum deſignatos illos a Domino diſcipulos tum ſynedrii magni patres ex ipſa inſtitutione fuiſſe quidem LXXII, ſed utroſque dictos numero rotundo ſeptuaginta, velut idem ipſum ſeu LXXII ſatis innuente. Druſius, loco ante citato[k], *Similiter obſervatum Ebraeis, judices ſynedrii majoris fuiſſe numero ſeptuaginta duos, licet abſolute vocentur judices Sanhedrin ſeptuaginta, eorumque conſeſſus dicatur domus judicii* של שבעים *hoc eſt, ſeptuaginta judicum. Pheſictha 46, 1. Scripſit Moſes ſeptuaginta duos ſenes, ſex e ſingulis tribubus. Alibi lectum, domus judicii ſeptuaginta & unius.* Grotius autem, *Sed & ſynedrium quod a Moſe conſtitutum eſt, ad cujus exemplum hos Chriſtus elegit, quomodo apoſtolos ad exemplum phylarcharum, fuiſſe capitum* LXXII, *Judaei nonnulli prodiderunt, quos inter ſcriptor Pheſicthae.* Caeterum, quemadmodum in hiſtoria ſynedrii hujus inſtitutionis ſacra nullum numeri adſcitorum ſeptuagenario majoris veſtigium expreſſum habetur (ut ſcilicet numerus verus cum principe fieret ſeptuaginta unus) ita omnino reclamat ſchola Talmudica, paſſim (ut tum ex ante allatis tum ex ſequentibus obiter & luculentius conſtat) ſeptuaginta adſcitos agnoſcens, hoſque cum principe ſeptuaginta unum appellitans. Et recte quidem Druſius ibi lectorem ablegat ad Levi Gerſomidem, qui loco ab ipſo indicato optime & ad Talmudicorum ſuorum mentem de ſeptuaginta principi adſcitis loquitur. Verba ſunt[l], סנהדרי גדולה היה כמספר שבעים איש כמו שמצאנו במשה שאמר לו השם יתעלה אספה לי שבעים איש מזקני ישראל אשר ידעת וגו' והיא היה מופלא שבבית דין והוא שבעים ואחד; *Numerus ſynedrii magni erat virorum ſeptuaginta, juxta id quod reperimus apud Moſem, dixiſſe ad eum Deum O. M. congrega mihi ſeptuaginta viros e ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, &c. Atque ille erat conſiſtorii*

[s] Miſſal. Rom. in Lucae feſto. [t] Pag. 314. [v] Baron. tom. 1 ann. 33 §. 38. Cornel. a Lapide ad Luc. x 1. Maldonatus, Adam Contzen, alii ibidem. [x] Lib 12. cap 2. [y] De Civitate Dei, lib. 18 cap. 43 [z] De Oratore 1. Orat. pro Cecinna, &c. [a] Lib 4. cap. 1. lib. 4. cap. 2. lib. 11. cap. 1. [b] D. tit. De Inofficioſo teſtam. l. 17. C. De liberis praeteritis l. ult. Paul. ſent. 5. tit 16 [c] Valer. Maxim lib. 7. cap 7. 1. [d] De Ponto. lib 3. eleg 5 [e] Dio lib. 54, &c. [f] In *Centumviralia Judicia.* [g] Lib. 6. epiſt. 33. [h] Lib. 1 epiſt. 5. [i] De Lingua Lat. 4. [k] Ad Luc x. 1. [l] *Piruſh ad Hatora,* fol. 205. col. 1.

princeps;

principeps; adeoque fuere ſeptuaginta & unus. Tantundem idem alibi [m], uti & magiſtri reliqui ſaepiſſime. Et quod adfertur a viris ſummis ante citatis e *Pheſiktha*, tantorum manium pace dictum ſit, non ſine hallucinatione aut incuria nimia adjectum eſt. Innuitur ſcilicet codex qui *Peſiktha Zotertha* dicitur, quingentis & quinquaginta ferme abhinc annis [n] ab anonymo, ſed Talmudice doctiſſimo, Judaeo conſcriptus, atque in ſuperioribus ſaepius laudatus. Habet autor ille quae de modo collegas ex praecepto divino ſortibus adſciſcendi tradidere ex ſuis veteres, & ad illud de Eldad & Medad [o], *Fuere illi in conſcriptis*, expreſſim quidem ait, מלמד שכתב משה שמות שבעים ושנים זקנים ששה מכל שבט *Sciendum eſt*, aut *inde diſcendum*, *Moſem conſcripſiſſe nomina ſeptuaginta & duorum presbyterorum, ſex ſcilicet ex qualibet tribu*, adeoque Eldad & Medad fuiſſe inter ſic conſcriptos; juxta ſuperius oſtenſa. Et conſcriptos duplici notione & poſſe & debere ſumi palam eſt; nimirum, aut de primo conſcriptis LXXII unde LXX ſeligerentur, aut de conſcriptis, per nominis PRESBYTERI ſortes, in ſchedulis tantum LXX ſic inſcriptis. Caeterum revera nihil omnino in *Peſiktha* reperitur quod innuere poteſt collegas plures fuiſſe quam ſeptuaginta, ſed tantum ſeptuaginta duos conſcriptos, e quibus ſeptuaginta, ſecundum ſuperius allata, ſeligerentur. Alibi item expreſſim autor idem ad illud de Moſe [p], *Rex erat in Jeſurun, cum colligerentur capita populi ſimulque tribus Iſrael*, מגיד inquit [p], הכתוב כשישראל מושיב ישיבת זקנים מלמטה מלכות שמים מתקיימת מלמעלה בהתאסף ראשי עם אלו שבעים זקנים: *Indicat ſcriptura haec, quamdiu Iſraelitae ſynedrium* ſeu *conſeſſum presbyterorum infra* ſeu *in terris obſervant* ſeu *adhibuerint, regnum coelorum*, ſeu futuri ſeculi beatitudinem, *deſuper ſtabiliri*, id eſt, nutu ſanctiſſimi Numinis. *Atque id quod de congregandis populi capitibus ibi adjicitur, ſignificat ſeptuaginta presbyteros illos.* Tantundem legitur in *Sepher Siphri* [r], alibique. Nec de alio omnino collegarum numero, utcunque primo confecto, loqui ſolent id genus ſcriptores. Accedat hic, Philonem, Judaeum antiquiſſimum, certo numerorum diſcrimini accuratius paſſim prae aliis addictiorem, de ſeptuaginta hic collegis etiam, nec pluribus, ſaepius loqui. De Spiritu Dei verba faciens [s]; Τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ Μωϋσέως πνεῦμα, ὃ ἐπιφοιτᾷ τοῖς ἑβδομήκοντα πρεσβυτέροις, &c. *Talis eſt etiam Moſis ſpiritus, qui ingreditur* aut *occupat* (interpres ibi, *qui viſitare ſolet) illos ſeptuaginta presbyteros*, &c. Alibi item de numero ſeptuagenario, qua praeciſe talis eſt, agens, Οὗτός ἐστιν, inquit [t], ὁ ἀριθμὸς Μωϋσέως τοῦ σοφοῦ γνώριμος· τοὺς γὰρ ἀριστίνδην ἐκ παντὸς τοῦ πλήθους ἀπολελεγμένους, ἑβδομήκοντα εἶναι συμβέβηκε. *Numerus hic eſt Moſi ſapienti illi familiaris. Nam optimates ex omni numero ſelecti ſeptuaginta fuere*; ubi plane pro rotundo numero LXX innuente ſeptuaginta ſumi nequit. Nam haud aliter numerum illum ibi intelligere ſe profitetur quam ſiclorum numerum ſeptuagenarium illum quo uſi ſunt tribuum principes in phialis tabernaculo [v] conſecrandis. Illum autem tantum ſeptuaginta ſignificare nemo dubitabit. *Laudat etiam*, inquit Philo [x], *Moſes* καὶ τὴν δεκάδι πολυπλασιαζομένην ἑβδομάδα, νυνὶ μὲν ἑβδομήκοντα φοίνικας περὶ τὰς πηγὰς εἶναι λέγων· ἐν ἑτέροις δὲ πρεσβυτέρους μόνους ἑβδομήκοντα, &c. *Septenarium numerum denario multiplicatum, nunc ſeptuaginta palmas ad fontes memorans, nunc ſeptuaginta ſolos presbyteros, quibus datus eſt Spiritus Dei propheticus.* Quiſquamne illum hic de alio quam ipſo ad amuſſim ſeptuagenario eorum numero loqui exiſtimare queat? Atque eandem in rem emaculandae ſunt Philonis editiones Graecae, quae habent omnes alio in loco, ubi [y] de presbyteri nomine loquitur, numerum ſeptuagenarium ſeptimum. Ita enim legitur, Οὕτω δὲ τοὺς συνέδρους τοῦ θεοφιλοῦς λαοῦ ἕνδεκα ἑβδομάδων ἀριθμὸν εἰληφότας πρεσβυτέρους ὀνομάζειν ἔθος. λέγεται γὰρ, συνάγαγέ μοι ἑβδομήκοντα ἄνδρας ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων Ἰσραήλ, &c. quod plane ſonat, *Ita etiam ſynedros cari Deo populi ex undecies ſepteno numero conſiſtentes presbyteros vocare mos eſt; juxta quod dicitur, Congrega mihi ſeptuaginta viros e presbyteris Iſrael*, &c. Nemo non videt pro ἕνδεκα legendum, aut ut vult Lorinus [z] ἐκ δέκα, aut ſimpliciter δέκα, ne numerus ab ipſo intellectus nimis ſic excreſcat. Adeoque non omnino de praeciſo ſeptuagenario adſcitorum numero dubitavit Philo, uti nec Judaeorum, quantum video, reliqui. Patres item chriſtiani vetuſti, ut Theodoretus [a], Hieronymus [b], Ambroſius [c], Hilarius [d], Nazianzenus [e], Beda [f], de ſeptuaginta tantum presbyteris illic, ut numero certiſſimo, loquuntur. Id tamen praetereundum non eſt, Hilarium, ubi [g] a Moſe ait *inſtitutum in omni ſynagoga* (non in ſynagoga ſeu proſeucha qualibet, ſeu quolibet auditorio ſacro, quod *ſynagogae* nomine venit, ſed in tota illa Ebraeorum ſeu univerſa ſynagoga ſeu eccleſia) *ſeptuaginta eſſe doctores*, ſubjicere paulo poſt, eoſdem ſeniores (ut inſtitutorum hic ſucceſſores) fuiſſe legis celebratiſſimos in ſermonem Graecum interpretes illos. Atque ita quos *ſeptuaginta* vocamus, & ſeptuaginta duos fuiſſe recipimus, ille quidem pro eiſdem vult accipi. Sed demum de numero hic adſcitorum ſeptuagenario ut praeciſe definito, & ſeptuaginta unius, adjuncto Moſe ſeu principe, loquuntur obiter viri eruditiſſimi tam e pontificiis quam reformatis, idque in commentariis ad Numerorum caput undecimum, Matthaei quintum, de republica Ebraeorum, aliterve conſcriptis. Ita ſane Raymundus Martini [h], Victoria Porchetus [i], Petrus Galatinus [k], Petrus Brutus [l], uti & Joannes Picus Mirandulanus [m], Petrus Bongus [n], Petrus Crinitus [o], Theodorus Beza [p], Angelus Caninius [q], Cornelius Bertramus [r], Carolus Sigonius [s], Gilbertus Genebrardus [t], Alphonſus Abulenſis [v], Franciſcus Turrianus [x], Cornelius a Lapide, Petrus Cunaeus [y], Guilielmus

[m] Fol. 184, col 3. [n] R. Gedaliah in *Shalſheleth*, fol. 33. b. [o] Numer xi 26. [p] Deut xxxiii 5. [q] Fol. 92 col 2. [r] Fol. 61. col. 1. [s] Lib. de Gigantibus. [t] Lib. de Migratione Abrahae. [v] Numer. vii. 13, 19, &c. [x] Lib. de Profugis. [y] Lib. de his verbis, *Reſipuit Noe*. [z] Numer. xi. *Quos tu noſti*. [a] Quaeſt. in Numer. xx. & xxi. [b] Epiſt. 127. ad Fabiolam Manſ. 11. & 13. [c] In Manſione 15. [d] Ad Pſalm. 2. [e] Orat. 26. [f] Quaeſt. in Numer. cap. 9. [g] Enarrat. in Pſalm. ii. [h] Pugione Fidei Diſt. 3 cap. 22. [i] Contra Ebraeos, part. 1. cap. 2. [k] De Arcanis Catholic. Verit. lib. 4. cap. 5. [l] Lib. adverſus Ebraeos. [m] In Apologia Concluſ. 5. [n] De Numerorum Myſtica ſignificatione, part. 2. fol. 117. [o] De honeſta diſciplina, lib. 25 cap. 3. [p] Ad Mat. v 22. [q] In locis N. T. cap. vii. [r] Polit. Jud. c. v. [s] De Rep. Hebraeorum, lib 6. cap. 7. [t] A. M. 2544 & 4163. [v] Ad Numer. xi. Quaeſt. 62, 63, &c. & Deut. xvii. quaeſt. 7, &c. [x] Apud Lorinum Num. xi. 16. [y] De Rep. Hebraeorum, lib. 1. cap. 12.

Schikartus[z], Joannes Cochius[a], Constantinus L'Empereur[b], Stephanus Menochius[c], Jacobus Salianus[d], Jacobus Usserius[e] Armachanus, commentator in Raymundum, alii, nec pauci, recentiorum; quod nec lectorem imparem fugere potest. Quin vero accedat etiam illud in Sixti Quinti constitutione de septuagenario cardinalium suorum numero, quem parilem facit Mosaico illi, indeque vult in ecclesia Romana imitandum. *Ut veteris*, inquit[f], *synagogae figura sanctae & apostolicae ecclesiae veritati respondeat, sequi cupientes mandatum Domini factum ad Moysen de congregandis septuaginta viris de senibus Israel, quos nosset senes populi esse & magistros, ut secum onus populi sustentarent, & non ipse solus gravaretur, super quos ad ostium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus requievit, de praedictorum fratrum nostrorum consilio perpetuo statuimus & ordinamus ut in posterum connumeratis omnibus cujusque ordinis episcopis, presbyteris & diaconis cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum septuaginta nullo unquam tempore excedant; ac talis numerus quovis praetextu, occasione vel causa etiam urgentissima minime augeatur.* Ita quidem ille uti & cardinales sui, quorum consilium sequitur, securi, ut debuere, de numero hic presbyterorum illorum Mosaicorum, in synedrii magni institutione, septuagenario, unde fit exemplum parili cardinalium numero. Etiam diu ante Sixtum Quintum, Joannes Papa VIII ad cardinales suos scribens de causis litibusque definiendis, *Quippe cum*, inquit, *sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita & vestram fraternitatem septuaginta seniorum, qui sub eodem causarum negotia dijudicabant, vicissitudinem gerere certum habeamus.* Habetur[g] e codice vetusto bibliothecae Vaticanae. De numero cardinalium hic quaestio non fit; quem voluere aliqui[h] esse LXXII, non illum in Mosaicis hisce sed in discipulis Domini LXXII in Vulgata missis numerum respicientes, cum interim agnoscant pro arbitrio papae sive plures sive pauciores rite satis instituendos. Sed demum haud omnino dubitandum videtur quin ille fuerit verus cooptatorum a Mose presbyterorum numerus, adeoque ipsum synedrium e septuaginta uno, numerato simul Mose, constiterit. Et satis est quidem rarum hac de re dubitari. Imo apud Talmudicos passim tam recipitur hoc quam apud christianos, quatuor fuisse evangelistas, duodecim apostolos, id genus alios numeros. Permira autem videtur in diversum argumentandi illa ratio de numero rotundo pro ampliori usurpari solito. Siquidem, quoties de ampliori certi sunt scriptores, ut de recepto illo LXXII interpretum, seu, dum lectionem evangelicam illam apud Lucam de LXXII discipulis tuendam volunt aliqui, atque inde sibi videntur esse de illo numero certi securique, aliisque de ejusmodi numeris, etiam in vulgari loquendi passim formula, tralatitium est, juxta ante ostensa, rotundos numeros minores, brevitatis causa, adhiberi, quibus quod excurrit satis intelligatur. Sed ullane in ratione ejusmodi vis, unde sequatur etiam numerum aliquem rotundum, ipsaque in prima institutione sic expressum definitumque, pro ampliore capiendum, ex loquendi illa formula quae ad notissimos numeros ampliores tantummodo spectat? Dixeritne quis per LXX judices in Taprobana, ut refert Plinius[i], qui de rege post appellationem a XXX rectoribus cognoscerent, LXXII intelligendos, quia alicubi is numerus pro LXXII sumitur? Certe non majori cum ratione quam si XXX ibi XXXII significare autumaret. Atque illi qui LXXII collegas Mosi hic inde adscitos volunt, synedrium magnum e LXXIII constare necesse est ut concedant. Sed ut numerus ille synedrorum Ebraeis est inauditus, ita alter ille LXXI est passim, ut diximus, pro synedrio magno receptissimus.

IX. Ita etiam indubitanter sensere patres Nicaeni, si fides habenda canonibus Nicaenae synodi Arabicis quos Alexandria e patriarchae ibi codice MS. descriptos Baptista Romanus presbyter e societate Jesu, illuc a Pio quarto missus ad invitandum patriarcham ad concilium Tridentinum, secum Romam attulit redux, & non sine Joannis Senati mercatoris Alexandrini linguam Arabicam probe callentis ope, Latine vertit, & tam Alphonso Pisano quam Francisco Turriano (nec tamen eisdem semper verbis) typis edendos communicavit. Habentur etiam ex illorum editionibus in conciliis a Nicolino, Binio, aliisque collectis. Legitur autem ibi[k]; *Similiter statuimus ut omnes archiepiscopi semel per annum apud patriarcham suum conveniant, & in eo concilio faciant ad eundem modum* (canone praecedente praescriptum) *in omnibus rebus & in peccatis quae in locis eorum contingunt, faciantque hoc ne in judicio eorum sit fraus, sed potius tale sit quale erat judicium septuaginta seniorum cum filiis Israel, qui causas suas Moysi proponebant. Sic etiam episcopi apud patriarcham facere debent, & dispertiatur benedictio patriarchae secundum vires omni provinciae, & omni loco magno vel parvo, quae sub potestate ejus sunt; mittaturque ei singulis annis, ut inde vivat & & alatur; caretque excommunicatione hic canon.* Sic Latina edita. Codex Arabicus habet,

وان يجتمعوا المطارنة الي بطريركهم مرة واحدة
في كلّ سنة ولا يتأخرون عن ذلك
ويفعلون مثل ذلك في جميع الامور والحوادث
التي تحدث في بلدانهم لئلّا يكون
في القضاء جور ولا محاباه حسبما كانوا
قضاة بني اسرائيل السّبعون يرفعون الي

[z] Lib. de Jure Regio, cap. 1. theor. 2. &c. [a] Versione tit. *Sanhedrin.* [b] Tit. *Middoth*, cap. 5. §. 3. [c] De Republ. Hebr. lib. 1. cap. 5. § 6. [d] Annal. Vet. T. ann. 2514. num. 743, 744. [e] Annal. V. T. ann. 2514. [f] Constitut. ann. 1586. Bullar. Cherubini tom. 2. in Sixto Quinto Const. 50. [g] Baronius tom. 10. ann. 882. §. 8. Binius Concil. tom. 3. part. 1. 3. p. 64. edit. 1618. Antonius Augustinus epitom. Juris Pontificii, lib. 1. part. 4. cap. 5. alii. [h] Albertc. de Rosate in Rubr. D. tit. de Statu Hominum, Martinus Laudensis de Cardinalibus, part. 2. quaest. 2. alii. [i] Hist. Nat. 6. cap. 22. [k] Cap. 41. apud Nicolinum Concil. tom. 1. pag. 554. & 584. apud Binium Concil. tom. 1. pag. 335. & 358. edit. 1618. in Caranza prope finem summae Concil. &c.

موسي
1

موسى النبي جميع قضاياهم وكذلك فلتفعل
الاساقفة ايضا ببطريركهم وليفرض على
كل مدينة وبلدة كبيرة كانت او صغيرة
تكون تحت يدي البطريرك بركة تكون له
بكل سنة بقدر احتمال ذلك الموضع ويبعث
بها اليه في كل عام يستعين بذلك
على اموره وهذا الباب بغير حرم لان هذه
الرسوم باسم البركة تكون

Respondent fere hisce Latinis superius allata. Sed pro *similiter statuimus* subaudiendum est hic, ut in reliquis, quod primo capiti & nonnullis aliis praefigitur, ut sequentibus inserviens امرنا *statuimus* seu *edicimus*, & pro *in peccatis* substituendum *eventibus, pro re nata*, aut quid ejusmodi, quod الحوادث est. Nec quid τῶ *seniorum* respondet in Arabico. Tantum *septuaginta* memorantur. Legendum etiam *qui attulere causas eorum omnes ad Mosem prophetam*. Et in fine adjiciendum, *Quoniam constitutio haec benedictionem attinet*. Subjungitur in editione Alphonsina, *Habes in hoc canone fundamentum antiquissimum annatarum quas vocant*. Nec a canone ipso hoc ita distinguitur ut pars esse non videatur. Sed plane interpretis aut editoris est illud assumentum. De numero episcoporum nihil hic definitum. Sed Mosis collegas fuisse septuaginta, autores canonis illius sensisse manifestum est, adeoque ubi patriarchalis amplitudo resque aliae permitterent, eundem numerum ex imitatione adhibendum. Certe etiam consistorii, in occidentali christianismo vetere, episcopalis ejusdem ipsius, atque, ut veri est satis simile, inde nati numeri mentio in jure Caesareo occurrit. Valentiniani, Valentis & Gratiani Augustorum edictum hujusmodi habetur [l] ad Claudium praefectum urbis, *Quoniam Chronopius ex antistite idem fuit in tuo qui fuerat in septuaginta episcoporum ante judicio, & eam sententiam provocatione suspendit, a qua non oportuit provocare, argentariam multam*, quinquaginta scilicet librarum argenti, *quam hujusmodi facto sanctio generalis imponit, cogatur expendere. Hoc autem non fisco nostro volumus accedere, sed his qui indigent fideliter erogari. Dat.* VIII. *Id. Jul. Valentiniano NB. P. & Victore consulibus*, id est, anno Christi 369. Atque hinc quidem est interpolata illa de clerico ante definitivam sententiam appellante lex in codice Justinianeo [m], nulla judicii ejusmodi septuagintaviralis, aut de Chronopio hoc, mentione habita. Quae supra attulimus Arabica habemus e codice amplo ac vetusto canonum orientalium MS. [n] quem ex oriente allatum bibliothecae publicae Oxoniensi vir nobilissimus Thomas Roe, eques auratus, ex legatione a magnae Britanniae rege ad Turcarum imperatorem redux dicavit [o]. Illic autem jam memoratus canon est 46, qui in Latinis est 41. Et certe, quoniam alius forsan opportunior non erit locus, per digressiunculam hic visum est de canonibus illis ex MS. jam dicto quaedam adnotare quae curiosioribus in disciplina veterum ecclesiastica, maxime circa patriarcharum & episcoporum dignitatem, ingrata aut injucunda fore existimare nequivi; utcunque interea de autoritate canonum illorum senserint. Post canones apostolicos aliosque aliquot, atque alia nonnulla de disciplina concilii congregandi, sequitur [p],

كتاب قوانين المجمع الثلثماية وثمانية
عشر وهو الاول من الكبار وكان اجتماعهم
على اريوس في نيقيه على عهد الملك
قسطنطين بحضور سلفسطرس بطريرك
رومية والاسكندروس بطريرك الاسكندرية

Liber canonum concilii trecentorum & octodecim, quod primum erat generalium seu magnorum. Congregatum autem erat in Arium Nicaeae, jussu Constantini imperatoris, praesentibus ibi Silvestro patriarcha Romano & Alexandro patriarcha Alexandriae. Praefatio dein habetur de sententia excommunicationis lata in Arium ejusque dogma, & de symbolo fidei quale legimus apud Gelasium Cyzicenum [q]. Tres autem praeterea fuisse etiam hic dicitur actorum illius concilii libros; primum, quamplurimorum canonum; secundum, canonum viginti; tertium, de literis aliisque rebus imperatoris ad concilium illud spectantibus. Proxime vero subjunguntur canones viginti Graecis illis & Latinis notissimis satis consoni. In ultimo autem horum canone, qui est de genuflexione diebus dominicis & pentecostes, legitur eum expressim latum in eos qui

يسجدون في ايام الاحاد ومن الفصح
الى عيد يوم الخمسين اي الفنتيكوستي

genibus flexis adorarent in feriis primis, seu dominicis, *& a paschate ad festum quinquaginta dierum, id est, pentecostes*. Subscribitur etiam ibi finis viginti canonum illorum ut Nicaenorum. Adjicitur statim, esse insuper octoginta quatuor canones ejusdem concilii, sed ita ut priores illorum viginti non multum a viginti seorsim ante scriptis discrepent, sed interim discrepent. Decimusquartus autem in Arabico est quod in Latinis velut prioris seu decimitertii epitome aut pars habetur. Inde decimusquintus in Arabico est in Latinis 14, decimussextus 15, & decimusseptimus 16, ubi emendandum illud in Turriani editione (ut habetur, tum in Binio tum in Nicolino) *diaconus non debet excommunicare priusquam episcopus*, &c. Arabica sunt

[l] C. Theodos. lib. 11. tit. 36. seu *Quorum appellationes non recipiantur*, l. 19 in aliis 20. Baron. tom. 4. anno 369. § 40. [m] Tit. de Episcopali Audientia, lib. 2. [n] Fol. 108. 2. cap. 46. [o] Anno 1628. [p] Fol 91. [q] Part. 2. cap 27, & 3. cap 36.

ولا يتقرب الشمّاس قبل القسّيس لان درجة
الشمّاس دون درجة القسّ ودرجة القسّ
دون درجة الاسقف

Et non debet diaconus offerre[r], seu *communicare*, (ut recte in Alphonsinis legitur) *ante presbyterum, quia gradus diaconi inferior est presbytero, & gradus presbyteri inferior episcopo.* In Latinis decimusseptimus continet 18 & 19 Arabicorum; adeoque in illis canon 18 est Arabice 20; 19, 21; 20, 22; similisque dein ordo habetur usque ad 26 in Latinis, & 28 in Arabicis. Vigesimus nonus Arabice est de mulieribus immundis ab ecclesia & eucharistia arcendis, qui in Latinis praetermittitur; adeoque 27 in Latinis est 30 in Arabicis; 28, 31; 29, 32; 30, 33; 31, 34; ubi pro *Si quis ad fidem orthodoxam convertatur, recipiendus est in ecclesiam per manus episcopi vel presbyteri, qui praecipere debet ut anathematizet cunctos qui contra fidem orthodoxam faciunt*, &c. Arabica sunt

وان من يرجع الي الايمان من الاريوسيين
وليقبله الاسقف وايضًا القسّيس يرين يده
في الكنيسة المقدسة ويامره ان يحرم
جميع المخالفين

Et si quis ad fidem revertatur ex secta Ariana, recipiat eum in ecclesiam sanctam episcopus, uti etiam presbyter, eique praecipiat ut anathematizet omnes haereticos, &c. In sequentibus canon Latinus 32 est in Arabico 35, ubi pro *sed qui fuerunt ex secta Caguadanorum, aut Cabaiorum, aut Tamiamorum*, ut in Turriani editione, seu *ex haeresi Cudanorum, aut Cabazorum, aut Talmanorum*, ut in Alphonsinis, legitur

واما ملة القودانيه والقباديّة والطيمانيّة

Sed qui fuerint ex secta Cudaniorum, aut Cabadiorum, aut Timaniorum, &c. Sectio autem ejusdem in Latinis, *sic agendum est*, & deinceps in Arabicis, est canon 36. Latinus autem 33, qui sic responderet Arabico 37, ibi non habetur, sed alius omnino, de quatuor patriarchatibus per totum orbem, nec pluribus, admittendis; scilicet

وان كانوا البطاركة في جميع
الدّنيا اربعة لا غيرهم مثل كتب الانجيل
الاربعة والانهار الفردوسيّة الاربعة

Sint patriarchatus in toto orbe quatuor, nec plures; instar quatuor evangelistarum, & quatuor fluviorum paradisi, adjectis aliis similibus de numero quaternario rerum quibus fundatur & ut sustinetur orbis universus. Dein الرييس منهم *princeps eorum* fit Romanus, ut a Petro ex institutione apostolica deductus: Secundus Alexandrinus, ut a Marco Evangelista: Tertius Ephesinus, ut a Joanne Evangelista: Quartus Antiochenus, ut itidem a Petro

الرسوّل ايضاً راس الحوّاريين

Apostolo atque principe apostolorum. Accedunt illic alia de patriarcharum & episcoporum gubernatione. Atqui interea Hierosolymitanus episcopus habetur etiam patriarcha in canone hic Arabicorum decimo, alias etiam eisdem in canonibus, nec semel, episcopus tantum vocatus. Ita etiam Constantinopolitanus in eorundem 41. Arabicus autem 38 de singulari est honore Patriarchae Ephesini, nomineque الكثوليكس *catholicus* ei tribuendo كما رسمه ديونيسيوس المعلّم *juxta quod de eo constituit Dionysius Doctor*, de honore item اسقف *episcopi* Hierosolymitani. Dein etiam de dignitate singulari episcopi Thessalonicensis & Seleuciensis, cui etiam *catholici*[s] nomen praebetur. Adeoque pars posterior hujus habetur in Latinorum trigesimo tertio. Latinus dein 34 satis respondet Arabico 39, excepto quod pro eo quod ibi dicitur de patriarcha Ephesino, *& sedes ejus debet esse sexta post episcopum Hierosolymitanum*, Arabica sunt

ويصير مجلسه في الرّتبه السابعة
بعد اسقف اورشليم واسقف الحبش

Et sit sedes ejus in concilio septima post episcopum Hierosolymitanum & episcopum AEthiopum. Et dein sequitur, quod in canonibus illis aliisque solenne est, فكلّ من خالف هذه السنة تحرمه جماعة السينودس *Et quisquis hanc constitutionem violaverit, tota synodus eum anathemate ferit.* Trigesimus quintus in Latinis est 40 in Arabicis, ubi pro eo quod est in Turriani editione, de praelato ab episcopis Persidis ibi locum patriarchae obtinente, *Tamen non licet immittere se ad constituendum ordinem ecclesiae, sed potius in omnibus sint metropolitanis & patriarchae obedientes: Et qui contradixerit, synodus eum excommunicat*; Et in Alphonsina, *Ne liceat istis in statutis & legibus ecclesiae quicquam solvere aut ligare, quin potius in omnibus obediant metropolitanis & cunctis patriarchis*; Arabica sunt,

فليس لهم ان يحلّوا ولا يربطوا في سنن
الكنيسه او يزيدوا فيها او ينقصوا منها
براي نفسهم ولكن يكونوا في كل شيء
خاضعين لبطرك انطاكيه ولجماعة الروسا

id est, *Nec liceat eis in constitutionibus ecclesiae solvere quid aut ligare, nec addere quid illis, nec ab illis quid auferre, ex sui sententia; sed in omnibus rebus sint subjecti patriarchae Antiocheno*

[r] Vide Can. 18. in Graecis.

[s] Vide Jo. Morinum lib. 1. Exercit. Ecclesiastic. 3. pag. 32.

tiocheno

tiocheno & consistorio praelatorum. Et adjicitur anathematis illud carmen solenne quod in Pisaniana deest. Quadragesimum primum in Arabicis Latina versio non habet,

وبعد هذا المجلس صير بطريركية
صاحب افسس ايضا لصاحب القسطنطينية
وصير ثانيا في الدرجة وصير صاحب
الاسكندرية الثالث *Et post sedem hanc* (Antiochenam, canone proxime superiore memoratam) *sit patriarchatus Ephesinus, uti etiam Constantinopolitanus sit gradu secundus, & Alexandrinus tertius.* Versionis canon trigesimus sextus Arabice est 42, ubi pro verbis illis de catholico AEthiopum, *Et si acciderit ut concilium in Graecia habeatur, fueritque hic talis patriarcha AEthiopum, habeat septimum locum post praelatum Seleuciae, est quae in provincia Babyloniae in regno Zabur,* legitur

وان عرض امر تجمع فيه سينودس بارض
الروم وحضرهم فليجلس في المجلس الذي
هو دون السابع اعني الثامن بعد صاحب
سلق التي في المداين بابل العراق

Si contigerit quidquam unde congregata fuerit in Graecorum territorio synodus, & praesens ibi fuerit catholicus ille AEthiopum (neque enim ut in Latinis patriarcha vocatur) *sedem* seu *locum habeat qui septimo est inferior, id est, octavum post sedem antistitis Seleuciae, quae ex urbibus constat Babylonia & Airek.* Alibi itidem ubi Seleucia in hisce memoratur adjectum est[t]

وفي المداين *quae binarum est urbium,* ubi substituit interpres *civitatulae.* Trigesimus septimus Latine est Arabicus 43, cui pars est Latinus 38, adeoque 39 Latine est in Arabico 44; 40, 45; idemque servatur ordo usque ad 44, qui est Arabice 49. Latini dein 45 & 46 Arabicorum 50 respondent; atque inde 47, 51; 48, 52; qualis dein ordo usque ad 59 in Arabicis, qui Latine est 55. Latinus 56 est in Arabicis 60 & 61, adeoque 57 est in Arabico 62; 58, 63; 59, 64; 60, 65; 61 & 62, 66; 63, 67; unde similis ordo servatur usque ad 80, qui est in Arabicis 84. Atque numerus ille subscribitur etiam in Arabicis ut omnium canonum patrum 318, quo nomine simplice concilium illud illic, uti & alibi, solet denotari. Sunt quidem in hisce quae merito mirere. Viri insuper magni, etiam persuasionis pontificiae, unde primo Latine prodiere, de eis, nec immerito, dubitant[v]. Adjicitur autem in notis ad Gratianum jussu Gregorii XIII editum[x], *Tuneti & Alexandriae inventi sunt octoginta canones Arabice scripti sub nomine hujus concilii* Nicaeni, *qui Romae in Arabica & Armenica lingua scripti penes cardinalem Sirletum sunt, & nuper etiam in Latinam linguam conversi sunt & impressi.* Et de octogenario numero patres aliquos[y] concilio illi coaevos locutos esse, a nonnullis receptum est. Hac de re disputandi hic non est locus. Nec diutius digredimur, ad synedrium magnum, aliaque etiam ad ejusdem numerum e canonibus jam dictis qualitercunque firmatum spectantia, revertentes.

X. Adversum receptissimam illam de numero collegarum septuagenario sententiam adductum est, idque a viris aliquot summis, illud de septuaginta duobus presbyteris a Rabbi Simeone Ben Aizai non semel in corpore Talmudico memoratis; quasi inde etiam ipse institutionis Mosaicae numerus verus esset eliciendus. Legitur quidem in *Misnaioth* tituli *Jadim*[z], seu *de manibus* lavandis, אמר שמעון בן עזאי מקובלני מפי שבעים ושנים זקנים ביום שהושיבו את רבי אליעזר בישיבה שכל הזבחים הנאכלין שנזבחו שלא לשמן כשרין אלא שלא עלו לבעלים משום חובה חוץ מן הפסח ומן החטאת ולא היסיף בן עזאי אלא העולה ולא הודו לו חכמים : *Dixit Simeon Ben Aizai accepisse se a septuaginta duobus presbyteris,* seu *senioribus, tempore quo collocarunt Rabbi Eliaezer in consessu* seu *cathedra sua, omnes victimas comesas, etiamsi nomine suo haud rite immolarentur, legitimas quidem esse, sed dominis suis,* seu *immolantibus, neutiquam prodesse, eo quod nomine suo rite immolari debuissent, exceptis tamen paschate & hostia pro peccato. Nec adjecit Ben Aizai quid ultra praeter holocaustum. Sed sapientes assensum ei non praebuere.* Idem habetur etiam in *Misnaioth* tituli *Zebachim*[a]. Sed pro שבעים ושנים זקנים ibi legitur שבעים ושנים זקן quasi diceres *a septuaginta duobus presbytero,* usurpato nimirum illic signanter numero illo singulari, ut unanimis septuaginta duorum ibi memoratorum consensus, velut hominis unici, plenius indicaretur. Gemara ibi, דכולהו בחדא שיטת׳ הוו קיימי *quoniam omnes unico ordine dispositi erant.* Et glossa illic, בחדא בישיבה אחת היו יושבין וכולן הוא כאיש אחד *Simul erant, scilicet in consessu unico considebant, & omnes velut homo unicus.* Bartenorius autem numerum singularem adhibitum ait eo quod inde disceremus quod כלן הורו כאיש אחד *cuncti sententiam proferebant ut homo unicus.* Hic item Rabbi ille Eliaezer, sic istic simpliciter nominatus, dicitur בן עזריה *Ben Azariah,* qui floruit[b] post excidium templi secundi. At vero, re bene satis perpensa, mentio ejusmodi septuaginta duorum presbyterorum, qui collocarent R. Eliaezerum illum in cathedra, nil facit omnino ad probandum synedrii magni collegarum numerum, dum sui juris erant Judaei, manebatque politia a Mose instituta, ex septuaginta duobus velut ex institutis aliterve constitisse. Accisis enim, seculis in illis, Ebraeorum sub imperio Romano rebus, & evanescente aut minuta cum eorundem politia veteri etiam pristina synedrii illius continuatione & usu (ut mox ostenditur, ubi de ejusdem duratione agitur) habuere quidem tam extra terram sanctam quam intra velut umbras quasdam tribunalium pristinorum

[t] Canon Arab. 38 & 39. & vide Latin. 33 & 34. [v] Baronius tom. 3. ann. 325. §. 180. eod. anno Spondanus §. 42. alii. [x] Dist. 16 cap. 12. [y] Athanas. Epist. ad Marcum Papam pro exemplaribus Concilii Nicaeni, tom. 2. pag. 623. Vide Ivon. Decret. part. 4. cap. 108. Gratian. dist 16. cap 12. [z] Cap. 4. §. 2. fol. 157. 2. in Talm. Babylonio. [a] Cap. 1. fol. 12. 1. in Talmud. Babylonio. [b] Vide *Sepher Juchasin,* fol. 38. 2. & 51. 1.

(qualia ſynedria illa Judaeorum in utraque Palaeſtina in codice utroque [c] pro collegiis & coitionibus illorum qualibuſcunque memorata) ſed interim inſtitutas non tam regiminis ſeu imperii aut juriſdictionis cauſa, ſeu ut tribunalia vera, quam doctrinae tradendae gratia, ut ſcholas ſeu auditoria. Neque enim tunc permiſſum eſt imperium ejuſmodi eis ut libere inde poſſent in ſuos illud cum juriſdictione exercere. Attamen quoad permiſſum eſt a principibus ſub quibus degerent, etiam in ſcholis illis ex ſumma erga doctores reverentia & confoederata inter ſe, quemadmodum etiam ſuperioribus captivitatis ſeculis, diſciplina, imitatio quaedam erat imperii ac juriſdictionis civiliſque obedientiae, quae potius ſcholaſtica erat quam forenſis; ſed interim mixta. Quinetiam conſeſſus ejuſmodi doctorum illorum non ſolum ישיבות *Cathedrae*, ſed & ipſo nomine *ſanhedrin* ſeu ſynedriorum, poſtea appellitabantur; quod ſcimus tum ex citatis e codice utroque locis, tum ex eis quae ea de re juxta veterum diſciplinam affatim conſcripſere Abraham Zacuthius in *Juchaſin*, & Benjaminus Tudulenſis in Itinerario (ad quem videndus item Conſtantinus l'Empereur) & & Salomon Ben Wirga in שבט יהודה *Tribu Jehuda*, qui verba faciens de principibus Ebraeorum in Babylone & Perſide vetuſtis, מצאתי, inquit [d], בתשובות גאונים ראשונים ז״ל בשעה שישראל היו מבקשים להקים עליהם נשיא והוא נקרא נשיא ונקרא ראש הגולה היו מתקבצים כל ראשי ישיבות וראשי עם נדיבים וזקנים ושופטים אשר במלכות והיו באים לבבל ומיחדים שם בית גדול מעטורת משש ורקמה ומושיבין כסאות לכל ראשי הישיבות ולכל החכמים והזקנים ושם כסא להושיב הנשיא״ב כסאות בימינו ובשמאלו לראש ישיבת סורא ולראש ישיבת פומבדיתא וגו׳ : *Comperi in doctorum celebriorum vetuſtorumque piae memoriae reſponſis, tempore quo Iſraelitae quaererent ſibi conſtituere principem (quem Naſi vocant & caput exſilii) congregatos cunctos academiarum rectores, & ultroneos populi rectores & presbyteros, & judices qui in regno eſſent* (ſuo ſcilicet ex inſtituto & principum indulto hic illic collocatos) *Babylonem iviſſe, ibique aedibus magnis aulaeis aliterque ornatis exceptos eſſe. Illic ſedes cuilibet academiarum rectorum, & cunctis ſapientibus & presbyteris, & ſedes ſplendida in qua collocandus princeps, & binae ſedes a dextra ejus & ſiniſtra, rectori academiae Surae, & rectori academiae Pomboditha*e, &c. Atque inde ſolennem, ſed non ſine numero adſiſtentium ſeu adſeſſorum incertiſſimo, principis, quem ex tribu Juda tandem facit, electionem enarrat. Atque ita extra terram ſanctam revera fuere, ut nemo non videt, ſynedria, quoad vocis vim ſimplicem, tametſi non tam forenſia ſynedria quam ſcholaſtica, ut diximus. Jam vero ſeculis illis, id eſt, Eliaezeri Ben Azariah, qui ſic collocatus in cathedra a presbyteris ſeptuaginta duobus, temporeque ſequente, incerti erant collegarum ejuſmodi ſcholarum numeri, nec juxta priſtinam Terrae Sanctae, & quae in uſu dum ſui erant juris, diſciplinam omnino obſervati. Adeoque in celebrioribus ſcholis, velut Pombodithae, Surae, Nehardeae, alibique, tam intra quam extra Palaeſtinam, nec ſeptuagenarius nec aliquis alius certus habebatur velut ex Moſaico inſtituto numerus: Sed is pro re nata, utcunque forſan ſaepius affectatus, pro varia temporis locique ac perſonarum ratione, alius aliuſque fuit: Non aliter atque in politia permiſſa apud Anglos noſtros olim Judaeis, quibus inter ſe praeerat hic e ſuis *presbyter*, interdum etiam *epiſcopus* dictus (unde dignitas illa perampla *presbyteratus omnium Judaeorum totius Angliae* [e]) interdum etiam *magiſtri legis* [f] ex principum indultu, numero interim magiſtrorum qui cum eo praeeſſent ſatis, ut in ſimilibus, incerto. Quale pariter, ut exemplo veterum nixum, dicendum de Judaeorum ſynagogis hodiernis, tum in oriente tum in occidente, veluti Veneta, Piſana, Pragenſi, Amſtelodamenſi, id genus aliis. Certe ejuſmodi fuiſſe forſan exiſtimandum eſt ſynagogam illam in Joacimi aedibus Babylone, ubi Suſanna [g] accuſata; uti & סנהדרי גדולה *ſynedrium magnum* in abſolutionis moribundi formula, quae occurrit in libello צרי לנפש *Opobalſamo Animae* dicto [h]; qui viſitationis aegrotorum ritus ſolennes hodieque in Germania, Italia, alibique inter Judaeos adhiberi ſolitos continet. Poſt aegroti confeſſionem, is qui viſitationis officium praeſtat, & qui interſunt reliqui, יתירו לו קללות בסדר הזה *ſolvet ei diras*, ſeu exſecrationes qualeſcunque, *ad hunc modum*, ברשות בית דין של מעלה וברשות בית דין של מטה וברשות תורתנו הקדושה וברשות סנהדרי גדולה וברשות הקהל הקדוש הזה מותרי יהיו כל קללות אלות שמתות חרמים ארורים נדוים בטוים כשופים וכל דברים רעים והלומות רעים שהושמו בבית שום יהודי או יהודית ובפרט אותם שהשמו על רבי פלוני או פלונית החולה הזה וגו׳ : *Poteſtate*, ſeu auctoritate, *domus judicii ſuperioris*, coeleſtis, & *poteſtate domus judicii inferioris*, terreſtris, & *poteſtate legis noſtrae ſanctae, & poteſtate ſynedrii magni, & poteſtate conventus eorum qui jam interſunt, ſolutae ſint univerſae exſecrationes, juramenta, excommunicationes per Shematha, excommunicationes per Cherem, dirae, excommunicationes per Niddui, effata futilia, ignominioſa, & omnia verba mala, & ſomnia mala, quae evenerunt in domo alicujus Judaei aut Judaeae, maxime ea quae evenere Rabbi huic N. aut foeminae huic N. aegrotanti*, &c. Haud alia, puto, hic *ſynedrii magni* notio quam illa qua ſynedria pro loci ſeculorumque diſcrimine extra terram ſanctam in numero aliterque perquam variatim ſe haberent. Id genus ſunt alia. Quin ſane fieri non poſſe videtur ut alia in notione locos illos e *Miſnaioth* de ſeptuaginta duobus allatos intelligant magiſtri. Alias enim indubitanter paſſim, ubi de ipſo ſynedrio magno loquuntur, ſeptuaginta tantum faciunt principi collegas, ut dictum eſt; cui ſententiae adeo receptae ſi derogaſſent, aut derogaſſe eis viſum fuiſſet, dictum illud R. Simeonis Ben Aizai proculdubio tantundem adnotare voluiſſent. Et verba quidem in commentariis, uti etiam in Gemara, ut vides, ſignantius animadvertunt, nihil omnino de numero aut dubitantes, aut ad verum ſynedrii magni numerum illum ullatenus attinere exiſtimantes. Et demum temere nimis inde aliundeve pronunciarunt viri alioquin doctiſſimi de numero hic ſeptuaginta duorum, ut, inter alios, etiam Guilielmus Poſtellus [i], *Septuaginta duorum auditorum Moſis ſenatum*

[c] L. 29. C. Theodoſ. lib. 16. tit. 8. & l. 17. C. Juſtin. tit. De Judaeis. Videſis Cujacium lib 7. Obſervat 30. [d] Fol. 36, 2. *Adrianopoli.* [e] Rot. Cart. 1. Regis Joannis part. 1. membrana 28. Cart. 171. [f] Rot. Pat. 34 Hen. 3. membrana 3. [g] Hiſt. Suſannae comm. 28. [h] Venetiis anno 379. לפ״ק pag 8, 2. [i] Lib. de Foenicum Literis.

pro

3

pro hisce fidentissime memorans. Accedat, si de synedrio ipso magno sumeretur, (quod opinor, non omnino admittendum) nihil adeo obstare quo minus ex abundante praeter LXX, bini alii ipsi R. Eliaezeri in cathedra collocationi, honoris causa, non, ut reliqui, collegii jure, adesse potuissent. Neque R. Simeonis dictum ad aliud spectat quam ad unanimem tot simul utcunque coeuntium presbyterorum de sacrificiis illis consensum. Certe etiam, verbi gratia, legitur in seditione illa Core, Dathan & Abiram, *surrexisse* [k] etiam in deserto *viros de filiis Israel ducentos quinquaginta*, נשיאי עדה קריאי מועד אנשי שם ἀρχηγοὶ (sic Graeci) συναγωγῆς, σύγκλητοι βουλῆς, καὶ ἄνδρες ὀνομαστοί, *principes synagogae, senatores concilii* seu *qui convocari solerent in consilium, & viros nomine celebres*, seu, ut Vulgata, *proceres synagogae qui tempore concilii per nomina vocabantur*, uti expressim versio in regiis Onkelianae Latina, & Fagius, *qui vocabantur tempore concilii, viri nominati*, ubi Chaldaea sunt מערעי זמן אנשי בשמא *qui vocabantur ad tempus*, seu *tempore* suo, *viri nomine celebres*, & Jonathan dictus, אמרכלי כנישתא מערעי זמן למיטל ולמישרי כפכשין בשמהן, quod Cevalerius vertit, *gubernatores congregationis, occasionem captantes injiciendi & incipiendi sectas de nominibus suis*, Judaei Hispanienses מיורליש די קונפנייא לייםדוש דפלאזו וארוניש די פאמה *Mayorales de compannia, llamados de plazo, barones de fama*; Angli nostri, Princes of the assembly, famous in the congregation, men of renown. Sed, ut in veteribus illis, קריאי מועד quod hic, ut alibi [l], קריאי העדה nostris, famous seu renowned in the congregation, redditur, pro eis qui in consilium vocari solerent (maxime puto, si non solum, deliberandi causa) sumuntur, unde Lutherus vertit Ratsherrn, Belgae de geroepene der t' samen komste; Galli, *q'on appeloit pour tenir le conseil*; Sanctius Marmochinus, *maggiori del consiglio*; Italus nuperus, *che si solevano chiamare alla raunata del popolo*. Quisquamne autem hinc synedrium aliquod seu concilium tunc temporis ex ducentis illis & quinquaginta viris constans in usu fuisse autumat? Pro re nata illic numerus ille, ut alibi similes alii. Neque aliter, quantum ad numerum se res habuit in historiola illa de R. Eliaezeris in cathedra collocatione a septuaginta duobus praestita. Et de synedriorum ejusmodi extra terram sanctam usu vide plura sectione prima capitis proximi.

XI. Adjicitur autem a magistris summis vetustisque ratio perquam singularis de tribuum cunctarum, in seligendo cooptandos modo jam dicto, ac numero illo septuagenario sic definiendo, quoad regimen publicum, unione, quam, nisi sic firmata fuisset, laxiorem quam oportuit periculosioremque fuisse existimare videntur. Autor *Sepher Siphri* ad illud [m] *Et erat in Israel rex*, בהתאסף ראשי עם יחד שבטי ישראל συναχθέντων ἀρχόντων λαῶν ἅμα φυλαῖς Ἰσραήλ, *cum colligerentur*, seu *congregarentur, capita populi simul cum tribubus Israel*, איכתי, inquit [n], בהתאסף ראשי עם ואין אסיפה אלא זקנים שנאמר אספה לי שבעים איש מזקני ישראל יחד שבטי ישראל כשהם עשוים אגודה אחת ולא כשהם עשוים אגודות אגודות וכן הוא אומר הבונה בשמים מעלותיו ואגודתו על ארץ יסדה: *Quomodo intelligendum illud? Colligendo*, seu *congregando, capita populi. Neque alios praeter presbyteros congregavit, juxta id quod scriptum est* [o], *Congrega mihi eptuaginta viros e presbyteris Israel. Illud autem, simul cum tribubus Israel, innuit eos ita coadunatos cum tribubus ut facerent fasciculum*, seu *manipulum, unicum, nec fierent*, seu *essent, ut fasciculi invicem diversi. Atque ita dictum est a propheta* [p], *Qui aedificat in coelis ascensiones suas, & fasciculum suum super terram fundavit.* Graeci in loco hoc Amosi vertunt אגודתו τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ, *promissionem suam*, uti etiam Syrus & Arabs. Chaldaeus כנשתיה *synagogam*, seu *congregationem suam*; Judaei Hispanienses, *Su ayuntiamento.* Sed Lutherus, seine Hütten, & Belgica olim sijn Hutte, *tabernaculum suum*, cui consona Anglicana sub reformationis initium recepta. Belgica nupera, sijne bende, *turmam* seu *exercitum suum*; uti & Gallica, *ses batailons*; & Anglicana sub Jacobo rege instaurata, his troup; Duacenses, his bundel; quemadmodum Nicolaus Malhermius, *il fascicol suo*; Deodatus, *la sua fabrica*; Sanctius Marmochinus, *colui che edifica nel cielo le spere de quello, & ha fondato i tre elementi de quello supra la terra.* Versio autem Episcopalis dicta, & quae sub Elizabetha & Jacobo regibus in usu publico, He buildeth his spheres in the heaven, and hath laid the foundation of his globe of elements in the earth. Quod sane de elementis tribus, igne scilicet, aere, aqua, telluri ut quarto circundatis sumptum est e magistris aliquot [q] qui diserte ita locum explicant, aliis pro קבוצת בריותיו *manipulo* seu *fasciculo creaturarum*, sumentibus [r], aliis pro קבוצת הצדיקים *manipulo justorum.* Sed vero Abarbinel prophetam ibi non usque adeo philosophari existimat. Mavult ille selectum & unitum fasciculum Israelitarum illic tantum intelligi. ואגדתו, inquit [s], של כלל השבטים בהיותם באגדה אחת יחד *& fasciculus suus ibi denotat universitatem tribuum, ex eo quod fuerint in fasciculo* seu *congregatione unica simul conjunctae.* Qualicunque autem sensu locus ille fuerit capiendus, manifestum satis est, autorem τοῦ *Siphri* τὸ אגודתו, *fasciculum* seu *manipulum suum*, suam in rem ita ex Ammoso trahere, ut unionem tribuum cunctarum in septuagintauniusviralis synedrii institutione singularem ibi innui aut intelligi posse voluerit: Non illarum quasi per singularem procuratores synodum seu compositionem, qualem habuissent si אגודות אגודות *fasciculi invicem diversi*, seu e qualibet tribu bini, congregati fuissent, adeo ut cujuslibet tribus procuratorum par tribus suae seorsim quasi personam, nec aliam omnino, palam sustinere videretur; quemadmodum saepius in conventibus politicis fieri solet. Exemplum illustrissimum erat in Amphictyonico illo Graecorum concilio nunc Thermopylis in Thessalia nunc Delphis in Phocide alibique haberi solito, ad quod a populis singulis ejusdem participibus, bis quotannis, initio veris & autumni,

[k] Numer. xvi 2. [l] Numer. i. 16. & xxvi. 9. & vide Fag. ad Numer. xvi. 2. [m] Deuter. xxxiii. 5. [n] Fol. 61. col. 1. [o] Numer. xi. 16. [p] Amos ix. 6. [q] David Kimchi, ibid. [r] Vide R. Solomonem, ibid. [s] In Amos, fol. 253, col. 2.

ni, mittebantur [t] designati, terni, bini, aut singuli, ut eorum qui eos designarent ibi personas seu universitatem per se sustinerent, ita tamen ut inde commune Graeciae concilium conflaretur. Ita in comitiis tributis, curiatis, centuriatis veteris Romae, alibique obiter. Atque si synedrii magni numerus fuisset LXXII, sive principi adjunctus sive praeter principem, tunc parium ejusmodi quodlibet e tribubus singulis selectum, velut tribus suae universitatem seu personam seorsim sustinere visum, unionem illam nimis impedierat quae autori τȣ̃ *Siphri* habetur in אגודה אחת *fasciculo uno*, seu numero qui in partes aliquotas quibus tribus seorsim singulae quomodocunque distributae respondere quirent divisibilis non erat, seu numerus erat primus, quem, ut id genus reliquos, unitas solummodo metitur: Id est, septuaginta unus; in quo ipso toto, qua talis erat, ut tribuum unio, ita nulla ejusmodi divisio esse potuit ut e partibus ejus sic unitis tribus ulla per se suam sibi quiret vendicare. Nam quomodocunque respectu tribuum aliterve primo cooptati fuerint septuaginta, ex ipsa cooptatione statim factum est ut eorum universi pariter & singuli singulis & universis tribubus in concilio hoc, qua sic uniti, praeessent, earumque personas seu universitatem, haud habita tribuum singularum unde cooptabantur ratione ulla, ibi simul cum principe sustinerent. Corpus ita erat politicum velut spiritu unico, qua tribus cunctas respexit, contentum, ἡνωμένον *unitum*, seu ἕν τι σῶμα συνεστηκὸς ἐκ διαφόρων κεφαλῶν συνηνωμένων, *Unicum quoddam corpus ex diversis capitibus* seu *unitatibus coadunitis consistens*; qualia jurisconsulti Caesarei [v] de corporibus aliquot loquuntur; seu, ut corpus, juxta Peripateticos, ex elementis mixtum, quae illic, qua elementa, non actu sed potentia tantum manent, & inter se medium quoddam, seu unione mixtum, faciunt, juxta illud Aristotelis [x] variatim intelligi solitum, Ἡ μίξις, τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις, *Mixtio est miscibilium alteratorum unio.* Quae omnia dicta sunt ad autoris τȣ̃ *Siphri* mentem explicatiorem reddendam. Certe eam vero satis consonam fuisse, manifestum omnino fiet ex eis quae de collegis in synedrium hoc, tribuum ratione sive singularum, sive aliarum ex praerogativa aliqua prae aliis, habita nulla, postmodum adsciscendis inferius sequuntur.

XII. Quod ad synedrii magni institutionis hactenus narratae tempus attinet; id tribuendum videtur diebus aliquot posterioribus mensis secundi, seu Jiar, anni secundi ab exitu ex AEgypto putati. Legitur enim in capite Numerorum [y] proxime ea quae superius de institutione afferuntur pracedente, *Factum est autem in anno secundo, mense secundo, in vigesima mensis; & sublata est nubes a tabernaculo testimonii. Profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai; & resedit nubes in deserto Pharan.* Et paulo ibi inferius, *Profecti itaque sunt de monte Domini, itinere tridui, &c. ut investigarent sibi locum quietis.* Dein sequente statim in capite instituitur, juxta ante ostensa, synedrium illud magnum. Adeoque tempori quod vigesimum saltem secundum mensis secundi seu Jiar illius sequitur assignandum ut sit, esse videtur necesse; qua de re mox plura. Locum autem, stationem seu mansionem institutionis aperte ex textu liquet sacro fuisse in deserto Pharan, & quasi medium itineris recti a mari rubro ad terram promissam occupasse. Nomina sortitus est ille bina. Primo dictus est תבערה *Taberah* [z], Ἐμπυρισμὸς, *incensio*; *eo quod* בערה *incensus fuisset* ibi contra *eos ignis Domini:* Dein vero, קברות התאוה *Kibroth Hattaavah* [a], Μνήματα τῆς ἐπιθυμίας, *monumenta*, seu *sepulcra concupiscentiae*; *quoniam* קברו *sepelierunt ibi* plaga divinitus percussum את העם המתאוים *populum concupiscentia* carnis seu ciborum AEgyptiacorum *flagrantem*, Mannae scilicet pertaesum divinitus ante acceptae. In vetustis nec satis correctis vulgatae codicibus (quod tum ex ipsis tum ex Petro Comestore, Lyrano, aliis scimus) legitur expressim, commate 4, *flagravit desiderio carnium*, & commate 34, *populum qui desideraverat carnes*, ubi in origine *carnium* non ejusmodi adjectio aut mentio. Atqui sane perquam est id consonum verbis commata 4 & 18 claudentibus, *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* quae itidem in origine. Josepho [b] locus vocatur ex Ebraicarum dictionum conjunctione depravata Καβρωθάβα, uti etiam, nescio quare, Εἰσερημώθ, quod apud eum pro *Aseroth* [c], quae statio aut mansio est Israelitarum 14 seu proxima, sumitur ab Adrichomio. Mansio scilicet erat locus ille decima tertia, ut recte in mansione illa Hieronymus [d]; *eliguntur septuaginta presbyteri.* Atque in eadem Ambrosius, *Moyses mandato Dei septuaginta viros seniores ex populo delegit, qui ad regendam plebem ei adjutores forent.* Ad nomen hoc loci secundum spectat illud apud magistros aliquot [e] de בשר תאוה *Carne concupiscentiae* in deserto a numine Israelitis interdicta, nec omnino interdicta alibi: Scilicet, epulari seu vesci ibi eis non licuisse carnibus ullis non singulariter ac divinitus illic sive jussis [f] sive indultis [g], extra quam qua sacrificiorum pacificorum (nec enim aliorum in deserto fuisse usum [h]) participes ad tabernaculum fierent: Postmodum vero carnium esum eis, etiam citra sacrificium, liberum fuisse in terra promissa, expressim nempe a Domino [i] concessum; modo sanguine, uti etiam in sacris, abstinerent; qui ut in sacris super altare spargendus, ita in mactatione communi *super terram instar aquae effundendus.* Locus quidem ille variatim intelligitur. Sed נהי, inquit Maimonides [k], ען אלאגתמאע חולה ואלאכל הנאך קאל לא תאכלו על הדם id est

نهي عن الاجتماع حوله والاكل هناك قال

לא תאכלו על הדם *Prohibuit Deus congregationes circa sanguinem, ejusque ibi esum, in eo quod dixit* [l], *Non comedetis ad*, vel *apud*, *sanguinem.*

[t] Pausanias in Phocicis, seu lib. 10. Strabo, lib. 9. [v] Paulus D. de Rei Vindicatione, lib. 23. §. 5. Pomponius D. de Usucapionibus, lib. 32. Theophilus Instit. tit. De Legatis, §. 18. [x] De Generat. & Corrupt. lib. 1. text. 90. [y] Numer. x, 11 & 12. [z] Numer. xi. 3. [a] Ibidem 34. & xxxiii. 16. [b] Archaeolog. 3. cap. 12. [c] Numer. xi. 35 & xxxiii. 17. [d] Epist. ad Fabiolam 127. mans. 13. [e] Maimonid. *More Neboch.m*, part. 3. cap. 46. [f] Numer. xi. 4. [g] Exod. xvi. 12. [h] Vide Amos v. 25. & Act. vii. 42. [i] Deut. xii. 15 & 20 ubi vide Jarchium, etc. Regium, Munsterum, Abulensem ad Numer. cap. xi. quaest. 82, &c. [k] *More Nebochim*, part. 3. cap. 46. MS. [l] Levit. xix. 26.

3

sanguinem. Interpres Ebraeus ibi, הזהור מלהתקבץ סביבו ולאכל שם אמר ולא תאכלו וגו׳ *Prohibuit convenire circa sanguinem, & ibi comedere dicendo, Et non comedetis,* &c. Et statim, *Quoniam vero,* inquit Maimonides, *in rebellione & contumacia sua perrexerunt, & in eo in quo educati fuerunt continue progressi sunt,* ut Buxtorfius, atque ut versio vetus, *Cum vero multiplicatae sunt iniquitates eorum, & ambulaverunt in ritibus gentium inter quas educati fuerant* מן מואכהה אלגן באלאכל הול אלדם אמר תע׳ באן לא יוכל בשר תאוה במדבר בוגה בל יכון אלשלמים seu

من مواجهة الجن بالاكل حول الدم امر

الله تعالي بان بوجه بل يكون

|| לא יוכל בשר תאוה במדבר שלמים *ob praesentiam* seu *societatem Diaboli, in comedendo,* seu *comessando, circa sanguinem, praecepit Dominus ut non comederent carnem concupiscentiae,* victu carnis communi non uterentur, *in deserto omnino,* seu *ullo modo, sed interim sacrificia haberentur pacifica.* Ebraeus ibi interpres, ולהתחבר אל השדים באכלם סביב הדם צוה יתעלה שלא יאכל בשר תאוה במדבר כלל אבל יהיה הכל שלמים, ubi versio vetus, *in comedendo circa sanguinem, ut conjungerentur daemonibus; prohibuit nobis ne comederemus carnem concupiscentiae in deserto; sed quod omnia essent pacifica.* Buxtorfius autem, *Sociosque se daemonibus praebuerunt circa sanguinem comedendo; ideo praecepit Deus ut non comedamus carnem desiderii in deserto, sed ut omnia sacrificia sint pacifica.* Et nonnullis de frequenti etiam Israelitarum [m] aliorumque daemonum per hostias animales & sacrificia sanguinis cultu interjectis, ואעלם, inquit Maimonides, אנה לם יחרם בשר תאוה גור במדבר פקט seu

واعلم انه لم يحرم בשר תאוה غير במדבר فقط

Et scito non prohibitam esse carnem concupiscentiae nisi tantummodo in deserto; ratione addita, quod opinio invaluerat, daemones maxime in desertis habitare, loqui, apparere; nequaquam ita in urbibus & locis habitatis conspici; adeoque loca deserta sacrificiis illis ac hostiis animalibus daemonibus illic mactari solitis ex se idonea eousque fuisse, ut inde etiam animalibus ipsis, extra pacificorum usum legitimum, in deserto esset ex praecepto abstinendum, quorum in terra promissa locisque ibi habitatis usus pariter est, juxta id quod ante citatur e Deuteronomio, permissus. Unde subjungit idem Maimonides, פכדלך אביח בשר תאוה בעד דכול אלבלאד nempe

בשר תאוה فكذلك ابيح بعد دخول البلاد

seu, ut Ebræus interpres, ולזה הותר בשר תאוה אחר שנכנסו לארץ *Hinc,* seu *ex hac ratione, licita fuit caro concupiscentiae post ingressum terrae* promissae. Accedit apud eum, velut impossibile fuisse ut universi carnes comedere desiderantes Hierosolyma, seu ad sacrificiorum locum, venirent; ideoque ait ille, להדה אלאסבאב לם יחרם בשר תאוה עיר במדבר seu

בשר תאוה غير במדבר لهذه الاسباب لم يحرم

ubi interpres Ebraeus, מפני אלו הטעמים לא אסר בשר תאוה אלא במדבר *Ob has rationes interdicta non est caro concupiscentiae alibi quam in deserto.* Et consulas nunc distinctionem quam habent viri docti ad Numerorum undecimum, de esu tum carnium concupiscentiae, seu coturnicum tunc missarum, & ipsa carnium per se concupiscentia praevia [n]; non in ipso esu, utpote à a numine indulto, sed in flagrante carnium, cum manna quadraginta illi annorum cibo [o] divinitus praeparato contenti esse debuissent, desiderio peccatum eorum collocantes. Sed habentur in magistris, eisque vetustis, qui existimarint concupiscentiam carnis ibi non significasse desiderium esus בשר אלא שאר בשר *Carnis, sed illicitum coitus incesti,* seu *propinquarum carnis* suae [p] in coitum; desideratum scilicet inter murmurandum esse ut leges de incestu in Levitico latae abrogarentur, licitusque redderetur coitus quilibet incestus ibi interdictus. Legitur nempe in *Midbar Rabba* [q]; ובכו ובקשו בשר אם נאמר בשר חיה כל מה שבקשו נעשה להם המן לתוך פיהם שנ׳ ויתן להם שאלתם ותואתם יביא להם ואם נאמר שלא היה להם שור ובהמה והלא כבר נאמר וגם ערב רב עלה אתם וצאן ובקר אם נאמר אכלום במדבר והלא כתיב ומקנה רב היה לבני ראובן׃ מכאן אמר רבי שמעון לא נתאוו בשר אלא שאר בשר שכן הוא אומר וימטר כעפר שאר׃ ואין שאר אלא עריות שנ׳ איש איש אל כל שאר בשרו׃ הוי שכן בקשו להם להתיר את העריות וכן הוא אומר וישמע משה את העם בוכה למשפחותיו בשבקשו כך לכך ויחר אף ה׳ מאד ובעיני משה רע *Si sumatur illud, Flevisse eos & carnem desiderasse, de animalium carne, certe quicquid desiderabant factum est eis, idque abundanter in ore eorum, juxta illud quod scriptum est* [r], *Et dedit eis quod desiderabant, &* [s], *Attulit ad eos desiderium eorum. Quod si dicatur defuisse eis boves & pecora, adverte quod ante* [t] *dictum est, Sed & promiscuum vulgus plurimum ascendit cum eis, oves quoque & boves* (ubi etiam adjicitur מקנה כבד מאד *grex valde magnus,* ϗ κτήνη πολλὰ σφόδρα, *& animantia diversi generis multa nimis,* ut ibi Vulgata) *Et demum si dicatur haec ab eis jam comesa fuisse in deserto,* adeoque, absumptis animalibus quae habuerant, alia desiderasse, *adverte quod postea scriptum est* [v], *Et pecora multa fuere filiis Reuben* (ubi adjicitur etiam, *& filiis Gad,* עצום מאד *grex magnus.) Hinc igitur, ex sententia Rabbi Simeonis non aliam tunc carnem eos concupivisse quam propinquos carnis. Atque ita dictum est* [x], *Et pluit, ut pulverem, propinquas.* Ita scilicet interpretatur R. Simeon ibi שאר, quod tam *propinquas* quam *carnes,* ut reddi ibi solet, significat. *Haud autem verbum illud notione in illâ aliud quid significat quam revelationes turpitudinis,* seu *coitus incestos, juxta id quod dicitur* [y], *Nullus ad propinquum carnis suæ accedat. Sine planctu dicendum non est, desiderasse sic eos ut solverentur legibus incestus. Juxta quod dictum est illud* [z], *Et audivit Moses populum flentem*

[m] Vide Deuter. xxxii. 17. [n] Et vide Jacob. Salian. anno 2545. §. 169, &c. [o] Exod. xvi. 35. Deuter. viii. 3. [p] Levitic. xviii. 6. [q] Parash. 16. fol 265. col. 2. [r] Psalm. cvi. 15. [s] Ibid. lxxviii. 29. [t] Exod. xii.38. [v] Numer. xxxii. 1. [x] Psalm. lxxviii. 27. [y] Levit. c. xviii. 6. [z] Numer. xi. 10.

per, seu *ob*, *familias suas*, *(dum ita invicem petebant) unde irata est facies Domini vehementer*, *sed & Mosi male visum fuit.* Ubi etiam illud למשפחותיו *per*, seu *ob*, *familias suas* intelligitur in Gemara Babylonia [a] על עסקי משפחותיו *de rebus*, seu *negotio*, *familiarum suarum circa* עריות *incestus genera* sibi prohibita. Unde Glossa ibi Talmudica שנאסר להם קרובות *eo quod interdictae sunt illis propinquae* carnis suae. Etiam Jarchius ad textum sacrum, בוכים לפרסם תרעומתן בגלוי ורבותינו אמרו למשפחותיו על עסקי משפחות על עריות הנאסרות להם *Flebant ut inde apertius publicarent murmurandi suam causam. Et Rabbini nostri dicunt, Per, vel ob, familias suas ibi denotare familiarum negotium* seu *desiderium circa incestus genera sibi prohibita.* Quod interim non tam de Ebraeis ipsis quam de האספסוף, qui per האספסות memorantur in textu sacro [b], id est, *adgregatis* illis in exitu ex AEgypto seu ex aliarum gentium proselytis, intelligunt. Unde & huc spectat illud in Paraphrasi Uzielidis dicta, ושמע משה ית עמא בכן על קריבתא דמתאסרן להון *Audivit Moses populum flentem ob propinquas suas sibi interdictas.* Et paulo ante [d], וגיוריא דאתכנשו ביניהון שאילו שאילתא ותבו ובכו ברם בני ישראל ואמרו מאן יכלינא בישרא *Et Proselyti qui in eorum congregatione erant petitionem petebant.* Quasi petitio illorum fuisset de incestus legibus abrogandis. *Verum Israelitae dixerunt, Quis dabit nobis ad edendam carnes?* Atque *adgregati illi* pariter in *Pesiktha Zotertha* [c] *proselyti* dicuntur; אלו הגרים המוספין ממקומות אחרות *Hi fuere proselyti adgregati ex locis aliis.* Alii fletum ibi inde ortum volunt quod Moses illicitas inter illud genus hominum conjunctiones, veluti fratrem & sororem, nepotem & amitam seu materteram, sententia sua diremerat [f], atque ita interpretantur ibi למשפחותיו. Sed demum missis hisce, e jam dictis ex historia sacra de tempore & loco institutionis synedrii magni satis liquet de anno in annis exitus ex AEgypto; eum scilicet fuisse plane secundum: Quem in annis mundi, pro multiplici chronologorum sententiarum varietate, aliter atque aliter se habere necesse est. Hinc apud Davidem Gantzium [g], qui discrepantes etiam e Judaeis suis chronologos simul memorat, legitur, *In anno secundo ab exitu AEgypti, qui fuit* 449 (supra 2000) *erectum fuit tabernaculum, & omnia quae ad legem sacerdotum* quae in Levitico *attinent*, ורוב הספורים של חומש הפקודים מנייני ישראל עשיית פסח שני עניני מתאוננים קברות התאוה גבולים קרח הכל היה בשנה השנית ליציאת מצרים quod vertitur, sed infeliciter nimis, a perdocto quidem ejus interprete, *Et pleraeque historiae Pentateuchi, visitationes, numerationes Israelis, celebratio paschatis secundi, ritus lugentium mortuos, limitationes sepulcrorum, Korach, haec, inquam, omnia acciderunt anno secundo ab exitu AEgyptiaco.* Verti autem debuit, *Et complura quae in Pentateucho habentur praecepta, numerationes Israel, celebratio paschatis secundi, negotium* seu *historiola lugentium* seu *quiritantium* (de quibus legitur in versu primo capitis undecimi Numerorum, quod & institutionem habet synedrii hujus) *sepulcra concupiscentiae, Korach*, &c. Christianis autem scriptoribus in annis mundi perquam variatim collocatur annus institutionis, seu exitus secundus:

In 2709 Gilberto Genebrardo.
In 2545 Augustino Torniello [h], Jacobo Saliano [i], Henrico Spondano [k].
In 2455 Christiano Massaeo, Joanni Lucido, Henrico Buntingo, Petro Opmeero, etiam & Josepho Scaligero [l].
In 2454 Setho Calvisio, Christophoro Helvico, Guilielmo Perkinso.
In 2504 Jacobo Capello.
In 2516 Laurentio Codomanno.
In 2511 Joanni Temporario.
In 2514 Jacobo Usserio Armachano [m].

seu Periodi Julianae 3224. Et Calvisio in anno mundi hic concors est Dionysius Petavius, [n] cui collocantur res tunc gestae in periodi Julianae 3184, & ante Christum 1530. Calvisio autem in 1494 ante Christum, Saliano in 1508, Capello in 1496, Armachano in 1490. Minorum gentium chronologi hic aliter aliterque. Sed ut incertum nimis est cuinam in annis mundi anno institutio haec sit tribuenda, quemadmodum in aliis vetustiorum seculorum ob notissima dubia & principia varia quae in illorum ratione notanda occurrere solent accidit, ita nihil certius est quam eam, ut e scriptura diximus, anno exitus secundo tribuendam. Quod ad mensem autem Ebraicum & diem attinet; in desertum Pharan [o], ibique ad *Taberah* seu *sepulcra concupiscentiae*, qui locus institutionis, triduano itinere emenso, quod inceptum esse videtur vigesimo die mensis secundi seu Jiar, eos a Sinai venisse expressim ait scriptura. Eo enim die elevata est nubes a tabernaculo. Et *quandocunque elevata est nubes*, *sive interdiu sive noctu*, *proficiscebantur*, ut itidem scriptura [p] diserte. *Et profecti sunt* [q] *a monte Domini*, seu Sinai, דרך שלשת ימים *itinere* seu *via trium dierum: & praecedebat eos arca testamenti Domini itinere trium dierum, ut investigarent sibi locum quietis*; Quem adepti sunt in Pharan, seu loco deserti illo binomine jam memorato. Certe si iter triduanum hoc sic inceptum pro diebus tribus itineris sumas, necesse est ut admittatur eos in locum hunc non venisse ante diem sive XXIII sive XXII ejusdem mensis, ejusque etiam finem. Nec vero liquido satis constat quo tempore diei vicesimi, vesperi an mane aliterve, proficisci coeperint: sed ex elevatione nubis eodem in die aequum est ut intelligamus iter tunc quomodocunque coeptum esse. Atqui non desunt inter magistros qui iter illud alias triduanum, atque ita ex spatii amplitudine aestimatum, pro diei tantum unici itinere festinatione ab eis tunc emenso sumant. Salomon Jarchius ibi, מהלך שלשת ימים [illegible] *Spatium*, seu *iter*, *triduanum* (alias sic aestimatum) *peragrabant die unico*, *quoniam volebat Dominus Deus benedictus*

[a] Ad tit. *Sabbath.* cap. 18. fol. 130. 1. & vide R. Nephthali ad *Bemidbar Rabba*, fol. 26[illegible]. 2. [b] Numer. xi. 4. [c] Numer. xi. 10. [d] Ibi Comm. 4. [e] [illegible] 45. col. 1. [f] In *Siphri* [illegible] 52. & *Pesiktha Zotertha*, fol. 45. col. 2. [g] [illegible] *David*, Mill. 3. ann. 449. [h] Eod. ann. [illegible] [i] Eod. ann. [illegible] [k] [illegible] ann. [illegible] [l] Emend. Temp. lib. 5. pag. 350. [m] Annal. V. T. pag. 27. [n] De Doctrina Temporum, lib. 13. pag. 526. [o] Numer. x, xi & xii. [p] Numer. ix. 21. [q] Numer. x. 33.

erat

erat ut cito in terram promissam *ingrederentur*. Atque ita quidem ad finem sive ipsius vicesimi sive vicesimi primi mensis illius secundi ad locum quo institutum synedrium hoc ventum esse statuendum foret. Munsterus autem hic ad verbum כמתאננים *sicut quiritantes*[s], unde historiae de loco institutionis hujus periocha incipit, quod quidem in pentateucho Constantinopoli edito cum versione Graeco-Barbara & Hispanica, in editione cum commentariis Mosis Nachmanidis, bibliis formae majoris Bombergianis, Buxtorfianis, Jaianis, scribitur כמתאננים, priore Nun sic inverso, *Et scribuntur hic*, inquit, *in quibusdam Hebraicis exemplaribus duo inversa Nun, quae dicuntur significare aversionem populi quando desiderabat redire in AEgyptum. Secundum alios significant haec inversa Nun historiam illam hic proprie non habere locum.* Ita loquitur, ex eo quod in vocabulo illo duo inversa Nun in codicibus aliquot haberentur, nonnullis denotari existimans locum hic non suum obtinere periocham illam. Certe qui de loco hic periochae hujus proprio dubitat, necesse est ut is etiam incertus inde sit de institutionis hujus tempore, quod ex ea sic in numeris collocata eliciendum fuerit. Adeoque juxta ejusmodi sententiam de loco aliunde quaerendum foret, ut de tempore itidem certiores redderemur. Sed vero illud de inversis Nun, quantum ad locum, non omnino ad vocem hanc spectat, in qua unicum tantum Nun inverti solet, quemadmodum etiam in Bombergianis & Buxtorfianis paulo ante scribitur, ויהי בנסע הארון וגו' *factumque est cum proficisceretur arca*[t], *&c.* ubi Nun inversum itidem habetur. Commata autem illa bina ad finem capitis decimi, de profectione arcae, & solenni Mosis ad profectionem & quietem ejus carmine, duobus Nun majoribus invicem inversis (נונין הפוכים & מנזורים vocitant) interdum ad hunc modum [ ], ut in bibliis Garianis & Hanovianis, interdum ad hunc [[, ut in *Pesiktha Zotertha*[v], bibliis minoris formae Bombergianis, pentateucho Ebraeo-Chaldaeo-Arabico-Persico-Constantinopolitano, alibi in editis, atque in MS. V. T. pervetusto bibliothecae Westmonasteriensis, includi solent, & velut Parasha singularis ac unica ex literis octoginta quinque[x] constans per se haberi. Atque ita quidem Parasha בהעלותך, quae incipit numerorum capite octavo, in tres Parashas, antecedentem hic, insequentem, & hanc, dividitur. Adjectum habes in margine Garianorum & Hanovianorum, טעם לנונין הפוכים לומר שאין זה מקומה *Ideo inversa illa Nun hic habentur, quoniam locus hic non est hujus Parashae.* Ad priora scilicet eam attinere. Tantundem de eadem admonetur in *Siphri*[y], glossa Jarchiana, *Tzerror Hammor*[z], R. Bechai[a], Isaac Ben Amara[b], & *Pesiktha Zotertha*[c], ubi legitur, סימנין מלמעלה ומלמטה נו"ן הפוכין שהן דומין לכ"ף ולר"יש *In signum adjiciuntur supra & infra Nun inversa instar Caph & Resh*, cum interim quae ibi visuntur nec *Caph* omnino nec *Resh* imitentur, sed majusculas & rudiores ꝑ Nun figuras. De Nunis hisce itidem ad hanc rem legitur in *Zohar*[d]. Et demum Gemara Babylonia[e], תנו רבנן ויהי בנסע הארן ויאמר משה פרשה זו עשה לה הקב"ה סמניות מלמעלה ומלמטה לומר שאין זה מקומה: *Traditum est a Rabbinis nostris, Parashae illi, factumque est cum proficisceretur arca, ut diceret Moses, &c. fecisse Deum benedictum signa superius & inferius, ad significandum locum illum non esse ei proprium*, sed alium inter priora quae in Numeris[f] habentur. Sed alii hac de re aliter; qua de inprimis consulas *Tzerror Hammor* & R. Bechai in jam citatis. Ex hisce satis liquet, juxta disciplinam Ebraeorum, id quod de loco hic apud Munsterum indebito dicitur, non omnino spectare ad כמתאננים seu historiam quae sequitur in capite undecimo, ubi instituitur synedrium magnum, sed solummodo ad commata illa bina postrema capitis decimi. Adeoque de mense & die amplius ac secure, quatenus hic collocatur, videndum. Recipitur ab Ebraeis, in statione illa *Kibroth Hattaavah* seu *Taberah* (ubi institutio haec) haesisse majores suos per mensem integrum. In quo quidem admittunt, die primo post adventum eorum & concupiscentiam & promissionem carnis esse transactam. Scilicet legitur[g], *Dabit igitur Dominus vobis carnes, & comedetis. Non uno die comedetis, nec duobus, sed neque quinque diebus, nec decem, neque viginti diebus*; עד חדש ימים *usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & fiat vobis in nauseam*, &c. Hinc in *Seder Olam Rabba*[h], נסעו ממדבר סיני ובאו לקברות התאוה ועשו שם שלשים יום שנ' לא יום אחד וגו': *Profecti sunt e deserto Sinai, & venerunt ad sepulcra concupiscentiae, ubi haeserunt diebus triginta, juxta id quod dicitur, non uno die comedetis, &c*, Atque jam dictum de mense quasi statim sequitur post divinum de instituendo synedrio hoc praeceptum: Et dein ipsa mox sequitur institutio, seu ꝑ septuaginta collectio Mosaica; quae ita ad primum post adventum eorum ad *Taberah* diem, id est, ad diem sive XXIII sive XXIV mensis secundi seu *Jiar*, spectare possit, modo triduanum iter sumatur ut vulgo, non pro die unico, ut Jarchio supra. Etiam Rabbi Chama Bar Chanina in Gemara Babylonia[i] mensem dierum, quo in mansione hac coturnices edebant, claudi vult עשרין ותרתין בסיון 22 die mensis tertii seu *Sivan*. Adeoque inter vigesimum secundum aut tertium *Jiar* & 22 aut 23 *Sivan* institutio haec inde ex hisce collocanda, seu potius sub primum adventum in stationem hanc decimam tertiam, ut videri possit ex rebus statim post adventum ibi gestis. Sed Torniellus[k]; *In hac tertia decima mansione necesse est populum plus uno mense moratum esse. Nam & per mensem integrum comedit carnes, ut patet Numer.* xi. 20. *& paulo ante in eodem loco murmuraverat pro labore itineris, & propterea incendio percussus fuerat; & deinde iterum murmuravit pro carnibus. & fere biduo coturnices congregavit, & post esum illarum denuo majori plaga punitus fuit: Unde videtur ibidem ad minus mansisse diebus quatuor supra mensem unum, hoc est, in summa, diebus circiter triginta tribus*, quorum non tam primo quam priorum alicui institutionem hanc sic ut tri-

[s] Numer. xi. 1. [t] Numer. x. 35. [v] Fol. 44 col. 4. [x] Gemar. Babylon. ad tit. *Sabbath*. cap. 16. fol. 115. 2. [y] Col. 45. [z] Fol. 112. col. 4. [a] *Pirush ail Hatora*, fol. 18. col. 1. [b] In *Akedath Isaac*, porta 74. fol. 220. col. 4. [c] Fol. 44. col. 4. [d] In *Bemidbar*, col. 295. editionis Cremonensis, fol. 195. edit. Mantuanae. [e] Ad tit. *Sabbath*, cap. 16. fol. 115. 2. [f] Cap. ii. 17, &c. [g] Numer. xi. 18, 19, 20. [h] Cap. 8. [i] Ad tit. *Thaanith*, cap. 4. fol. 29. 1. [k] A. M. 2545. §. 57.

buat ille necesse est. Salianus [l] autem, *Quoniam triduo ad sepulcra perventum fuisse constat* [m], *ponimus incendium sub finem tridui accidisse, puta 23 die secundi mensis, ad cujus vesperam ventum fuerit ad sepulcra concupiscentiae; ubi fatigati solatium cibi delicatioris optaverint; postridieque, quarta scilicet ac vigesima die, communicatis inter se collatisque studiis, carnes cum fletu a Mose postularint; eorumque vota postmodum ad Dominum legislator cum sua querela retulerit, responsumque acceperit, eodemque die ad populum retulerit: Die deinde quinta & vigesima totum negotium septuaginta virorum confectum fuerit: Vigesima autem sexta Coturnicum adventus atque aucupium conviviumque coeperit.* Nec ante initium mensis quarti seu *Tammuz* eos stationem mutasse is autumat, quemadmodum etiam Henricus Buntingus [o] alii. Usque ad diem circiter vigesimam sextam mensis tertii seu *Sivan* eos in statione illa mansisse alii [p] volunt. In illo vero quod legitur in annalibus praestantissimi viri Jacobi Usserii Armachani, *continuo tridui itinere pervenerunt in desertum Paranis, ubi dies 23 consederunt in statione Kibroth Hataavah,* mendum est typographi, qui 23 dies pro 23 die (mensis scilicet secundi) perperam substituit; qua de re me monuit ipse. Salianus item alibi [q], de mense illo secundo, ejusdemque hebdomadibus & feriis,

Feria 3, 24.	*Vigesima quarta ineunte, perventum est ad sepulcra concupiscentiae; ubi murmuratur desiderio carnium.*
Feria 4, 25.	*Septuaginta viri constituuntur divinitus, & Spiritu prophetico donantur, ad subsidium Mosis.*
Feria 5, 26.	*Coturnicum adventus atque aucupium, &c.*

Henrico Buntingo castrametationis in sepulcris concupiscentiae dies primus est itidem 24 *Jiar*, sed feria 4, cui assignat Johannes Hainlinus [r] LXXII *seniorum* (cum aliis aliquot in numero errans) institutionem. Et de feriis hic haud parum discrepant chronologi, uti in adeo incertis necessum est. Nec minor discrepantia, qua tempora mensium Ebraicorum aptantur anni Juliani mensibus. Per multiplicem supputandi varietatem, controversam anni Judaici tunc formulam, diversam mensium quantitatem, & incertam sive plenorum sive cavorum collocationem, sabbati primi & intercalandi rationem, id genus in re chronologica occurrentia alia, fieri nequivit quin diversae nimis essent tum de feriis hic tum de mensibus Julianis eorumque diebus Ebraicis respondentibus sententiae. Neomenia scilicet seu initium mensis in anno exitus secundo secundi, a cujus 20 die & triduo insequente ratio hic temporis pendet, perquam diversimode collocatur, adeoque aliter atque aliter dies ille vigesimus quartus in quo seu circa quem institutio synedrii magni. Ponit diem illum vigesimum quartum christianus Massaeus in Maii Juliani 19, Buntingus in 4 Junii ac die Mercurii, Calvisius in Maii 15 & die Sabbati, uti & Jacobus Capellus, Jacobus Armachanus in 13 Junii & feria prima, alii aliter aliterque. Sed demum, ex anni ab exitu primi, cujus sub tempus vernum (viri magni [s] de ipso die, in mensibus Julianis, 15 Aprilis utpote χαρακτηριστικῶς demonstrando, ne dubitandum quidem voluere) exitum est, initio, adeoque e tempore quo incepit annus recurrens proximus seu secundus, id est, pariter verno; atque tandem ex eo quod est, mense secundi illius anni secundo institutum esse juxta ante dicta synedrium hoc, idque haud diu ante ejusdem finem, aperte satis sequitur ut, feriarum & neomeniarum scrupulis sepositis, institutionem illam sive in Maio sive in Junio illius anni Juliano collocandam esse concedendum sit; qua de re hic non est quod amplius solicitiores simus. Notatu minime indignum hic existimarunt aliqui, *sub hoc idem tempus quo hi septuaginta judices Hebraeorum constituti sunt institutos esse apud Graecos judices Areopagitas, qui causas tum criminales tum civiles judicabant. Areopagum enim institutum esse quinto anno ab egressu Hebraeorum ex AEgypto, docet Eusebius in chronico.* Ita Cornelius a Lapide [t]; quasi tribunal hic alterum ab alterius [illegible]isset exemplo. Alii [v] eodem utcunque anno Areopagiticae curiae etiam initium collocant; illius nempe quam πάντων εἰκότως διενεγκεῖν τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι συνεδρίων, *universis totius Graeciae synedriis merito antecelluisse,* dixere veteres [x]. Et quidem ad tempora, apud gentes, mythica, partim haec partim sequentia, celeberrima aliquot judicia Areopagitica attinere satis liquet ex judiciis ipsorum deorum Neptuni & Martis circa necem Halirrhothii Neptuni filii, Orestis, aliorumque aliquot ibi habitis apud Demosthenem [y], AEschylum [z], Euripidem [a], Servium [b], Apollodorum [c], Pausaniam [d], Augustinum [e] ex Varrone, alios satis obvios. Adjicit quidem Eusebius numero suo D, seu anno Cecropis Atheniensium primi quadragesimo, *Hoc tempore Areopagus, nomen judicii, constitutus*; quod sic ad annum non quintum ab egressu ex AEgypto, sed ad totidem ante egressum, attinet; quod ex ipso liquet Eusebio. Caeterum *hoc tempore* illic non tam annum cui adjungitur denotare videtur, quam *tempore Cecropis*, ut satis admittitur ibi etiam Josepho Scaligero; unde Augustinus [f], *Eduxit ergo Moyses ex AEgypto populum Dei novissimo tempore Cecropis Atheniensium regis.* Et in Eusebii Graecis [g] quae σποράδην Cecropi, qui annos regnavit 50, subjiciuntur, id est, eis quae non anno hoc vel illo, sed vicina temporis latitudine designantur, legitur, Ἄρειος πάγος ἐκλήθη, καὶ δικαστήριον κατέστη, *Areopagus nomen sortitum est, & judiciorum locus* seu *tribunal* illic *constitutum.* Videsis hac de re Josephum Scaligerum [h], & Jacobum Salianum [i]. Alii nominis *Areopagi* & curiae illic institutionem assignant anno, juxta calculum suum, mundi 2398 adeoque in quinquagesimo sexto anno ante synedrii magni institutionem collocant. Sic Calvisius. Petavius autem, velut ex Eusebio, institutum ait [k] Areopagi judicium A. M. 2475

[l] A. M. 2545. §. 180. [m] Numer. xi. 33. [n] Numer. xi. 24. [o] Chronolog fol. 36. [p] Spondanus Ann. V. T. 2545 §. 29. [q] A. M. 2544. §. 319. [r] Elench. Chronologic. pag. 101. [s] Joseph. Scaliger. de Emendat. Temporum lib. 5. pag. 351. & 747. & ad Eusebii numerum 505. [t] Ad Numer. xi. 16. [v] Torniellus A. M. 2548. §. 1. [x] Isocrates in Areopagitico. [y] Orat. contra Aristocratem. [z] In Eumenidibus. [a] In Electra & Oreste. [b] In Georgic. 1. [c] Biblioth. lib. 3. [d] In Atticis. [e] De Civitate Dei, lib. 18. cap. 10. [f] De Civitate Dei, lib. 18. cap 11. & videsis Baronium, tom. 1. ann. 52. §. 3. [g] Pag. 26. 38. [h] Ad numerum Eusebian. 501. [i] A. M. 2538. §. 4. [k] De Doctrina Temporum, lib. 13. pag. 527.

& periodi Julianae 3205, adeoque illi viginti amplius annis ab institutionis synedrii magni tempore. Jacobus Capellus de A. M. agens 2487 seu Eusebii illo numero 507, *Per id quoque tempus*, inquit, *in pago Martis dicto constitutum est synedrium causarum capitalium, quod a loco Areopagitarum concilium sive δικαστήριον dictum est.* Atque ita Areopagiticam curiam facit [l] synedrii magni institutionem annis quasi septemdecim antevertisse. In Marmore autem Arundelliano illo chronologico vetustissimo Areopagi initium tribuitur Cranai regis, qui Cecropi successor erat, tempori. Verba sunt, Ἀφ' οὗ δίκη Ἀθήνησιν ἐγένετο Ἄρει καὶ Ποσειδῶνι ὑπὲρ Ἁλιῤῥοθίου τοῦ Ποσειδῶνος, καὶ ὁ τόπος ἐκλήθη Ἄρειος πάγος, ἔτη XΗΗΔΔΠΙΙΙ, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Κραναοῦ, *Ex quo Mars & Neptunus judicio egerunt de Halirrhothio Neptuni filio, & locus nuncupatus est Areopagus, anni sunt* MCCLXVIII, *regnante Athenis Cranao.* Atque ita annus illic designatus, ut in notis ad marmoris epochas & canone ibi chronico liquet, respondet anno periodi Julianae 3182, seu trigesimo tertio aut circiter ante exitum ex AEgypto, quemadmodum Amphictyonici concilii illius apud Graecos longe celeberrimi, ac jurisdictionis amplissimae sub Amphictyone Cranao succedente, initia sequuntur ibi decennio post Areopagum, seu ante exitum annis viginti tribus. Nec minore quidem cum ratione notandi sunt hic, quasi huc omnino spectarent, Amphictyonici quam Areopagitici concilii natales, cum idem quod synedrii magni institutio seculum seu tempus utcunque vicinum, ut recipi solet, habeant utrique. Juxta autem, ut Marmor Arundellianum, Marianus etiam Scotus, Cranai regis Atheniensium tempori, annoque ejus quinto, seu qui ipsi est exitus Ebraeorum decimus, ac mundi 2692, Areopagi assignat initia: *Tunc Areopagus*, inquit, *nomen judicio constitutum est*; atque hujus illic sequax Florentius Wigorniensis, *Areopagus nomen judicii constructum est.* Sunt quidem autores maximi qui & nomen & tribunal illic constitutum multo recentius faciunt. Nomen a sacrificiis Amazonum Marti illic, Theseo circa annos a Cecrope illo trecentos regnante, peractis impositum ait apud AEschylum [m] Minerva, quae etiam velut judiciorum illic initia in Orestis causa illa celebratissima collocat, ut expressim itidem ibi scholiastes. Orestes autem judicabatur sub Demophonte rege [n], id est, circa sexaginta a Theseo annos. Immo Cicero [o], Plutarchus [p], & Julius Pollux [q] ipsos tribunalis Areopagitici natales tribuere videntur Soloni, adeoque e tempore illo Mythico in historicum deducere, seu Olympiadem 47 aut circiter, qua floruit Athenis Solon [r], id est, circa templi primi excidium, seu a Cecrope primo, & Mosis tempore, seu institutione synedrii apud Ebraeos magni, annos mille nongentos. Atque hoc quidem satis admitti videtur scriptoribus aliquot, ut Alexandro ab Alexandro [s], Polydoro Vergilio [t], Guilielmo Budaeo [v], Guilielmo Possardo [x], aliis. Sed merito refragantur hic alii, tum Aristotelis [y] Atticarum rerum, id est, suarum, scientissimi autoritate, ubi obiter asserere videtur Areopagiticam curiam ante Solonem fuisse, ducti, tum ex eo quod Solone multo vetustiora judicia illic habita apud veteres recensentur. Hac de re consulas Carolum Sigonium [z], Ludovicum Nonium [a], Ubbonem Emmium [b], Samuelem Petitum [c]; sed prae aliis Joannem Meursium [d]. Quin vero Petitus & Meursius rem ita inter Aristotelem hic ante Solonem Areopagiticam curiam fuisse asserentem, & Ciceronem, Plutarchum, Pollucem Soloni initia ejus tribuentes, conciliando sic dirimunt, ut exploratum satis quidem velint esse Solone antiquiorem multo ipsam fuisse, licet interim originis nimis incertae, sed adeo novatam esse ab illo, sive eos qui in eandem ex ejus instituto adsciscerentur sive pristinam Ephetarum ibi autoritatem spectes, ut inde illi velut instauratori, etiam institutoris nomen, uti subinde alias fit, induenti, ea assignata sic ab veteribus illis fuerit. Quandocunque vero orta sit curia illa, non omnino sane est quod existimet quis a synedrii Ebraeorum magni exemplo deductam. Nam ita etiam ipse collegarum numerus inprimis fuisset sequendus. Sed vero de 70 aut 71 numero in Areopago nullibi legimus. De 31 in tempore Mythico collegis scholiastes AEschyli [e] loquitur, ubi non λ καὶ εἷς seu 31 sed ν καὶ εἷς seu 51 legendum volunt aliqui [f], dum tamen recte agnoscunt non Areopagitarum sed Ephetarum Areopagitis adjectorum fuisse numerum illum. Sed etiam numerum novenarium illis tribuit Androtion (id est, novem archontum, qui quidem, post Solonem, in curiam hanc, dicta scilicet prius de exacto magistratu causa absoluti, cooptari soliti) ut legitur apud Maximum [g], qui postmodum ex numero illo 51 eos constitisse affirmat. Et de novenario illo numero etiam alii [h]; ut de centenis aliquot interdum, alii [i]. Atque habetur quidem apud Raphaelem Volaterranum [k] inscriptio quae visebatur ad columnam in arce Athenarum ante templum Palladis, ubi trecentorum mentio. Sic enim apud eum legitur, Τῷ λαμπροτάτῳ ἀνθυπάτῳ τῆς Ἑλλάδος Ῥούφῳ Φήστῳ καὶ Ἀρεοπαγίτῃ, ἡ ἐξ Ἀρεοπάγου βουλὴ τῶν τριακοσίων καὶ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων εὐνοίας καὶ εὐεργεσίας ἕνεκα, id est, *Splendidissimo proconsuli Graeciae Rufo Festo & Areopagitae, senatus Areopagi trecentorum & populus Atheniensis benevolentiae ac beneficentiae gratia.* Atque ita inde citat Samuel Petitus inscriptionem hanc ad firmandum, numerum Areopagitarum nunc contractiorem nunc ampliorem fuisse, & perquam ἀόριστον incertumque; quod verissimum est [l]. Sed vero apud alios aliter multo exhibetur inscriptio illa. Apud Petrum Apianum, qui Raimundi Fuggeri inscriptiones [m] anno 1534 Ingolstadii typis edidit, ad hunc modum legitur, e quodam lapide Athenis ante Palladis templum; unde idem ipsum quod memorat Volaterranus saxum etiam hic innui, manifestissimum est.

[l] Vide eum A. M. 2487. & 2504. [m] In Eumenidibus, & videsis Philipp. Maussacum in Harpocrationem, verb. Ἀμαζόνιον pag. 32. [n] Euseb. Chron. num 841. & vide Marmor. Arundell. pag. 9 & 96. [o] De Officiis, 1. [p] In Solone. [q] Onomastic. 8. cap 10. [r] Euseb. numer. 1420. [s] Genial. Dierum, lib. 4. cap. 11. [t] De Inventoribus Rer. lib. 2. cap. 2. [v] Annotat. prior in Pandectas. [x] De Magistratibus Atheniensium, cap. 4. [y] Politic. 2. cap. ultimo. [z] De Rep. Athen. lib. 1. cap. 3. [a] Comment. in Goltzii Graeciam, pag. 83 [b] Descript. Reip. Athen. pag. 29. [c] Ad Leg. Atticas, pag. 242. [d] In Areopago, cap. 10. & 3. [e] Ad Eumenides. [f] Sam. Petitus ad leges Atticas, pag. 242. [g] In Dionys. Areopagitam. [h] Nicephorus Callist. lib. 2. cap. 20. Pachymerius ad Dionysium Areopagitam. [i] Vide Meurs. in Areopago, cap. 5. & Petit. ad leg. Atticas, loco citato. [k] Lib. 8. in fine.
[l] Argument. ad Demosthenis in Androtionem, &c. [m] Fol. 499. 1.

TON ΛΑΟΠΡΩΤΑΤΟΝ
ΑΝΤΥΠΑΤΟΝ ΤΗΣ ΕΛΛΑΔΟΣ
ΡΟΥΦΙΟΝ ΦΗΣΤΟΝ ΚΑΙ ΑΡΕ
ΟΠΑΓΕΙΤΗΝΕΣ ΑΡΕΟΠΑΓΟΝ
ΚΑΙ ΒΟΥΛΥ ΚΑΙ ΗΒΟΥΛΝ
ΤΟΝ ΤΡΙΑΚΟΣΙΩΝ ΚΑΙ Ο
ΔΗΜΟΣ Ο ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΕΥΝΟ
ΙΑΣ ΕΝΕΙΚΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕ
ΣΙΑΣ ΤΗΣ ΠΕΡΙ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ
ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ ΠΡΟΝΟΙΟΣ
ΦΛΑΒΙΟΥ ΠΡΥ ΔΑΔΟΥ
ΑΛΟΥ ΔΙΑΣΕΜΝΟ ΤΑΤΟΥ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ.

Quae ab Jano Grutero [n] correctius sic transcribitur,

ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ. ΤΗΣ. ΕΛΛΑΔΟΣ
ΡΟΥΦΙΟΝ. ΦΗCΤΟΝ. ΚΑΙ. ΑΡΕ
ΟΠΑΓΕΙΤΗΝ. Η. ΕΞ. ΑΡΕΟ
ΠΑΓΟΥ. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Η. ΒΟΥΛΗ.
TωN. ΤΡΙΑΚΟΣΙωΝ ΚΑΙ. Ο
ΔΗΜΟΣ. Ο. ΑΘΗΝΑΙωΝ. ΕΥΝΟ
ΙΑΣ. ΕΝΕΚΑ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕ
ΣΙΑΣ ΤΗΣ. ΠΕΡΙ ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ
ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ. ΠΡΟΝΟΥΝΤΟΣ
ΦΛΑΒΙΟΥ. ΠΡΥΛΑΔΟΥ
† ΑΛΟΥ ΔΙΑ. ΣΕΜΝΟΤΑΤΟΥ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ.

Et velut ex Apiano sic exhibet. Neque aliter legit eam Joannes Meursius [o] (excepto quod ΠΡΟΝΟΟΥΝΤΟΣ, ut scribi debet, illic habet) ubi etiam Romanos, ut hic Rufium Festum, in collegium Areopagiticum, adsciri solitos ostendit. Caeterum illa, ἡ ἐξ ἀρεοπάγυ βυλὴ, καὶ ἡ βυλὴ τῶν τριακοσίων, &c. seu *senatus areopagiticus, & senatus trecentorum*, &c. nihil omnino asserunt de trecentorum in Areopago numero, ut lectio illa altera apud Volaterranum. Sed interea quisnam senatus hic trecentorum non satis intelligo: Nec sane cur Bodinus [p] Solonem dixerit *Areopagitarum concilium ex civibus sexaginta selegisse*. Utcunque vero, curiam hanc nec synedrii apud AEbraeos magni numerum nec certum aliquem sibi habuisse, concedendum. Quod vero attinet ad imperii & jurisdictionis ejusdem amplitudinem; certe ea apud Athenienses quasi par satis erat illi quam penes synedrium illud magnum fuisse libro proximo ostenditur; sive profana spectes, maxime summum reipublicae regimen, crimina atrociora, morumque censuram, eorumque ἀταξίαν & ἀκοσμίαν [q], sive sacra [r]. Inde illuc adductum esse, ac velut religionis, philosophiae, morum novatorem in jus vocatum S. Paulum admitti solet [s] ex illo in Actis [t], *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt*. Atque inde Syrus ibi vertit ܠܒܝܬ ܕܝܢܐ ܕܡܬܩܪܐ ܐܪܝܘܣ ܦܓܘܣ *ad domum judicii qui vocatur Arius pagus*; & commate 34 pro Dionysio Areopagita substituit *Dionysium* ܡܢ ܕܝܢܐ *ex judicibus* Areopagi. Arabs etiam Erpenianus, الي بيت القضا الذي يدعي اريوس فاغوس quod idem ipsum cum Syro sonat. Et de Dionysio, ديونسيوس احد قضاة اريوس فاغوس *Dionysius unus ex judicibus Areopagi*. Sed editionis Jaianae Arabs, وجاوا به الي فقيه العلما وقاضيهم *Et duxerunt eum ad antistitem doctorum & judicem eorum*. Et paulo post, pro eo quod est, *Paulum stetisse in medio Areopagi* (nec aliud habet codex Erpenianus) Jaianus substituit, ولما وقف بولص في وسط مجلس قضاة العلما *Et cum steterat Paulus in medio consessus judicum doctissimorum*. Dionysius demum dicitur illic pro *Areopagites* قاضي العلما *judex doctorum*. Et primarium quidem Areopagitarum seu velut praesidem fuisse Dionysium vult Michael Syncellus [v], uti & Simeon Metaphrastes, in vita ejus. Et Hilduinus Abbas [x] de eo, *Curiae Areopagi praesidens omnium negotiorum civilium publice & privatim, ut nobilior nobilissimis, moderamina disponebat, atque inter primos primus sophistica & syllogistica universalium doctrinarum acumina & strophas, infulatus togae philosophicae, civibus ac undique confluentibus profundebat*. AEthiops autem in Actis de Paulo, *deduxerunt eum in domum Dei sui* [y], id est, Martis. Et Tacito locus ipse, qua judicia spectabat, nuncupatur *Areum judicium* [z], uti & *Martium judicium* Apuleio [a], & *Curia Martis* Juvenali [b]. Wiclefus Anglicanum facit hic **Ariopage**, quemadmodum Galli Gallicanum. Versiones quae post reformationis nostrae initia apud Anglos obtinuere ante Jacobi regis tempora habent **Marce street** & **Mars street**, seu *vicum Martium*. Et Cambrobritannis inde, **heol Mars**, quae in margine explicatur per **Ystryt Uaurth** idem denotans. Atque aliis aliquot Areopagus, nec quidem bene, sic vertitur. Recognita versio sub Jacobo rege priore in loco Areopagus retinet; posteriore vero, **Paul stood in the midst of Mars-hil**, *stetit Paulus in medio collis Martii* [c]; nec male. Nicolaus Malhermius, *ad quella contrata que si chiama Areopago, perche ivi se adorava el Dio Marte*. Sanctius Marmochinus, *al borgo Martio*; Cantabrica versio, *cezaten Marsen Karricara*. Lutherus, **auff den Richtplatz**, unde Dionysium vocat, pro Areopagita, **Dionysius einer auss dem Rath**. Belgica vetustior, **op de Richters plaetse**; ubi locus generaliter seu per excellentiam judiciarius denotatur. Recentior Belgica ipsum retinet Areopagum, ut loci nomen, quemadmodum alii aliquot obvii. Verum *non ad judicium, sed quod ibi multi solerent esse homines eruditi, senatores, oratores, & alii*, Paulum in Areopagum adductum volunt nonnulli [d]. Dum vero hic sudant

[n] Inscript. fol. 163. 7. ‡ A. YOY. [o] In Areopago cap. 5. [p] De Republica, lib. 3. cap. 1. [q] Isocrates in Areopagit. 6. & vide Quintil. lib. 5. cap. 9. [r] Demosthenes Orat. in Neaeram & de Corona. [s] Chrysostom. in Act. homil. 33. & vide illic Bezam, alios. [t] Cap. xvii. 19. [v] In Encomio Dionysii. [x] De S. Dionysio apud Surium, Octob. 9. [y] Videsis Ludovic. de Dieu, Act. xvii. 19. [z] Annal. 2. [a] Milesiarum 10. [b] Satyr. 9. [c] Vide Joseph. Scaliger. ad Euseb. num. 501. [d] Hugo Grotius ad Act. xvii. 19.

typi,

typi, prodit [e] Georgius Syncellus, cui haud parum diffidens ab Eusebio est veterum Graecorum adeoque Cecropis Mosisque synchronismus; unde & Areopagi institutio Cecropi tributa quamplurimis annis a Mosis tempore, adeoque synedrii magni institutione, de qua hactenus actum est, distabit.

CAP. V.

I. *Jussa divina de judicibus & ministris, adeoque tribunalibus seu synedriis minoribus, constituendis in terra sancta, & magistrorum celebriorum de eis sensus generalior. Extra terram etiam tribunalia habebant Ebraei. Maimonides non semel emendatus.*

II. *Synedria vigintitriumviralia, & triumviralia. Imparis judicum numeri usus, ut necessarii, receptissimus. Quomodo magistris illud deductum. In capitali causa nemo condemnatus, nisi sententiae condemnatoriae binis superarent absolutorias.*

III. *Triumviralium usus, dispositio, sedes. Synedrii magni & binorum vigintitriumviralium, Hierosolymis, ad templum, collocatio.*

IV. *Vigintitriumviralium dispositio per alias urbes. Qualesnam urbes synedriis ejusmodi idoneae haberentur; & qualesnam urbes, oppida, pagi triumviralibus idonei.*

ORdinaria alia post legem datam apud Ebraeos synedria, quae קבוען *fixa* seu *stata* dici solita, ad originariorum ac justitiae proselytorum regimen constituebantur, fuere minora, sic respectu magni illius seu maximi dicta, quorum, ut receptissimum est, origo habetur ex praecepto illo divino caput illud antiquius juris Noachidarum *de Judiciis* (de quo jam actum est libro primo alibique) institutis in Mosaicis generatim instaurante, quod ad hunc modum legitur [f]; שופטים ושוטרים תתן לך בכל שעריך אשר יהוה אלהיך נתן לך לשבטיך ושפטו את העם משפט צדק וגו JUDICES ET MINISTROS, seu *officiales executioni praeficiendos* (Graeci pro ministris hisce, ut alibi, γραμματοεισαγωγεῖς; Vulgata *magistros*; Chaldaei פרדעין *vindices*, & סרכין, uti & Hierosolymitani, tantundem denotans; Jonathan דיינין קשיטין וסרכין אלימין *judices veraces & exactores* seu *vindices potentes*; Syrus ܣܦܪ̈ܐ *& scribas*; Arabs Erpenianus حكما وروسا *judices & praefectos*; Jaianus, seu Saadias Gaon, وعرفا *& peritos*; manuscripti Pocockianus & meus قضاة وكتبا *judices & scribas*, ex Graeco, uti & Arabs cum Vulgata Romae editus Samaritanus [Samaritan] פשרים וסכרים *qui discordias dirimant, & scribas*; Tawasius Persa حاكمان وهميدان Judaei Hispanienses ייאוייס אי אלגואזילים *Juezes y alguaziles*; Graecienses in Graecobarbara קרימיש קי רבדפורוש pro קרימיש קי רבדפורוש Κριτὰς κὴ Ραβδοφόρους; Germanienses Judaei ריכטר אונ' בויטלן Richter und Büttelen, *Judices & mandatorum exsecutores*, seu *bedellos*; Lutherus, Richter und Amptleut eundem in sensum; Belgae, Richters ende Amptlieden; Galli, *des juges & des prevosts*; Angli, Judges and officers; Rhemenses, Vulgatam secuti, ut alii aliquot, Judges and maisters; sed sumuntur hic alibique שוטרים Talmudicis pro mandatorum forensium exsecutoribus, tametsi varias multiplicesque illorum interpretationes alias afferant scriptores aliqui christiani [g], CONSTITUES TIBI IN OMNIBUS PORTIS TUIS, ita scilicet verba primario sonant; neque aliter Vulgata, versionesque aliquot nuperae; ut Judaeorum Germanensium אין דיינן טארן ein deinen Thoren, quemadmodum etiam Lutherus, & Anglica sub Jacobo rege recognita, ac nunc etiamnum in usu, in all thy gates; Belgae, in alle uwe Poorten; Tawasii Persica, در همه درون تو *in omnibus portis tuis*, & Arabica Romae cum Vulgata edita, في جميع محالك idem significans; sed Graeci ibi ἐν πάσαις ταῖς πόλεσί σου, *in omnibus civitatibus tuis*; alibique itidem non raro [illegible] *civitatem* seu *urbem* reddunt; Onkelos item בכל קירוך idem denotans, & Jonathan בכל קירויכון *in omnibus civitatibus vestris*, Syrus ܒܟܠܗܝܢ ܡܕ̈ܝܢܬܐ בכלהין קורית *in omnibus urbibus*, uti & Samaritanus, [Samaritan] בכל קירים, idem significans; Arabs, & Erpenianus, & Jaianus, في جميع ابوابك *in omnibus mansionibus* seu *habitaculis tuis*; manuscripti jam dicti, في قراك *in urbibus tuis* Judaei Hispanienses in editione Constantinopolitana אין טודאש טוש סיבדדיש *en todas tus cividades*; in altera illa, ut puto, Ferrariensi, *en todas tus villas*; Graecienses in Graecobarbara sua, איש אולו טא קשטרישו εἰς ὅλω τὰ Κασρέλσο, *in omnibus urbibus*; Angli nostri aevi superioris, in all thy cities; Galli, *en toutes les villes*; Italus, *In tutte le tue citta*; uti etiam Munsterus, aliique; *porta* per synecdochen pro ipsa urbe sumpta, quemadmodum hic etiam in ipso expressim Talmude [h]) *quas Dominus Deus tuus dat tibi secundum tribus tuas, qui judicabunt populum judicio justo*, &c. Sedem praecepti de judiciis & tribunalibus constituendis primarii hic faciunt magistri. Ad illud Misnae [i] סנהדרין נוהגת בארץ ובחוצה לארץ *Synedriorum usus tum in terra promissa tum extra*

e Parisiis 1652. pag. 68. & 153. f Deut. xvi. 18. g Jacob. Bonfrerius ad Exod. xviii. 25. Abulensis ad Paralip. xxiii. 4. Stephan. Menochius de Republica Hebraeorum, lib. 2. cap. 2. § 16. h Gemara Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 16, 2. alibique. i Tit. *Maccoth*, cap. 1. § 17.

eam.

eam. Gemara Hierosolymitana [g], דכתיב והיו אלה לכם לחוקת משפט לדרתיכם בכל מושבותיכם ומה תלמוד לומר שפטים ושוטרים תתן לך בכל שעריך בערי ארץ ישראל אלא שבערי ישראל מושיבין דיינים בכל עיר ועיר ובחוצה לארץ מושיבין אותן פלכים פלכים *Nam scriptum est* [h], *Et haec sint vobis praecepta judicialia pro generationibus vestris per cunctas habitationes vestras* (quod inseritur, ubi judicii ordo in homicidii, vindicis sanguinis, asyli causa praescribitur, & tribunalium & judiciorum constitutionem ex ipsis verbis expressim satis supponit; unde Onkelos ibi, ויהון אילין לכון לגזירת דין לדרוכון בכל מותבניכון *Et sint haec vobis in decretum judicii per generationes vestras in cunctis habitationibus vestris,* uti & Samaritanus, & Jonathan ויהוון אלין אהוויתא לכון לגזירת דינין *Et sint hae indicationes vobis in decretum judiciorum,* &c. Graeci itidem εἰς δικαίωμα κρίματος, aliique non pauci sunt consoni; ubi Vulgata, *Haec sempiterna erunt & legitima in cunctis habitationibus vestris,* uti & Arabica cum ea Romae edita; quibus concors Syrus, apud quem legitur, *Et haec sint vobis* ܢܡܘܣܐ ܠܥܠܡ (נמוסא לעלם *legi sempiternae) & praeterea docemur, judices* [i] *& ministros tibi constituendos in omnibus portis tuis, quasi in civitatibus* seu *urbibus Israeliticis. Sensus autem est, ut constituant judices in urbibus Israeliticis quibuslibet, atque extra terram Israeliticam in qualibet provincia, pago* seu *tractu,* quatenus scilicet fuerint quomodocunque juris Israelitici. Atque ad eundem Misnae locum Babylonii [k], מנא הני מילי דתנו רבנן והיו אלה לכם להיקת משפט לדורותיכם למדנו לסנהדרין שנוהגת בארץ ובחוצה לארץ אם כן מה תלמוד לומר בשעריך בשעריך אתה מושב בתי דינים בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר ובח"ל אתה מושב בכל פלך ופלך ואי אתה מושב בכל עיר ועיר *Hoc inde natum est quod Rabbini nostri tradiderint, illud, Et haec* [l] *sint vobis in praeceptum judicii per generationes vestras, docere nos, quantum ad synedria, eorum usum esse debere tam extra quam intra terram. Quod si ita accipiendum, quid illud* [m] *In portis tuis? In portis tuis* (seu intra terram) *constitues domos judiciorum in omni provincia, tractu* seu *pago* (In glossa ibi פלך interpretatur per הפרכיא Ἐπαρχία) *& in qualibet urbe; extra vero terram constitues in provincia* seu *tractu quolibet, ubi necesse non est ut in qualibet urbe eos constituas.* Atque hinc R. Salomon ad locum jam dictum Numerorum, *In omnibus habitationibus vestris,* למד, inquit, שתהא סנהדרין נוהגת בחוצה לארץ כל זמן שנוהגת בארץ ישראל *ita discendum, Synedriorum usum fuisse* seu *esse debuisse etiam extra terram, toto illo tempore quo usus eorum fuerit intra terram.* Et *Sepher Siphri* [n] שינהוג הדבר לדורות בכל מושבותיכם בארץ ובחוצה לארץ *ut usus fiat rei jam dictae* (adeoque tribunalium ad quae spectat) *in omnibus habitationibus vestris tam extra quam intra terram.* Totidemque verbis, *Pesiktha Zotertha* [o]. Tantundem ibi alii. Et in loco illo Deuteronomii praeceptum primarium de tribunalibus ministrisque eis inservientibus haberi, consensus est; uti in illo Numerorum, alibique in Pentateucho obiter, continuationis seu durationis designationem. Concordant hic *Rabba Dabarim* [p] & *Zohar* [q], Moses Kotzensis [r] (unde habet Rabbinica sua de judicibus ad Deuteronomii locum Paulus Fagius) alii. Et Maimonides [s] item; מצות עשה של תורה למנות שופטים ושוטרים בכל מדינה ומדינה ובכל פלך ופלך שנאמר שופטים ושוטרים תתן לך בכל שעריך שופטים אלו הדיינים הקבועין בבית דין ובעלי דינין באים לפניהם שוטרים אלו בעלי מקל ורצועה והם עומדין לפני הדיינין המסבבין בשווקים וברחובות ועל החנויות לתקן השערים והמדות ולהכות כל מעוות וכל מעשיהם על פי הדיינים וכל שיראו בו עוות דבר מביאין אותו לבית דין ודנין אותו כפי רשעו: ואין אנו חייבין להעמיד בתי דינים בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר אלא בארץ ישראל בלבד אבל בח"ל אינן חייבין להעמיד בית דין בכל פלך ופלך שנ' תתן לך בכל שעריך אשר ה' אלהיך נותן לך לשבטיך: *Praeceptum legis est affirmativum, ut constituant judices & ministros* seu *praefectos in qualibet urbe & in qualibet provincia* seu *tractu, ex eo quod scriptum est* [t], *Judices & ministros constitues tibi in omnibus portis tuis. Judices hi sunt qui collocantur in domo judicii, ubi litigantes coram eis se sistunt. Ministri hi sunt qui baculo utuntur & flagello, & stant coram judicibus, & circumstipant in plateis & vicis, & praeficiuntur ut locorum, in quibus judicum consessus, portas & mensuras ordinent, & ad verberandum cunctos inique agentes* (exemplaria hic aliqua [v] habent pro ולהכות, ולתקן *ad redigendum in ordinem) juxta sententiam judicum. Et in quocunque viderint turpitudinem rei* (in editionibus aliquot hic אות דבר, in aliis אוות דבר, sed in ea quae cum *Ceseph Misna* habetur, uti etiam in codicibus MSS. de quibus statim, legitur ערות דבר juxta quod vertimus) *eum afferunt in domum judicii, quae judicet eum juxta delictum suum. Haud vero obligamur nos constituere domos judicii in qualibet provincia* seu *tractu, & qualibet urbe, nisi in terra sancta solummodo. Caeterum extra terram illam non itidem obligamur constituere domum judicii in qualibet provincia, juxta quod dicitur, Constitues tibi in omnibus portis quas Dominus Deus tuus dederit tibi juxta tribus tuas.* Sic in editis cunctis. Sed in MSS. apud me binis, altero mei ipsius, bibliothecae Arundellianae altero, utrisque quidem pervetustis, legitur, ואין אנו חייבין להעמיד בתי דינין בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר אלא בארץ ישראל בלבד שנ' תתן לך בשעריך אשר יהוה אלהיך נותן לך ולא בחוץ לארץ *Obligamur nos constituere domos judicii in quolibet pago & in qualibet urbe: sed hoc ex obligatione praestandum tantum in terra Israelitica, juxta id quod dicitur, Constitues in portis tuis quas tibi dederit Dominus Deus tuus, haud vero extra terram.* Adeoque si sic, ut oportere videtur, legas, voluit Maimonides eos obligatos tantum ad synedria juridica constituenda in terra Israelitica, nec omnino, ne quidem in pagis seu extra urbes ullibive in aliis quomodocunque sive juris sive incolatus Israelitici territoriis (quod sane Talmudicae doctrinae interim nimis adversum vult lectio illa ante e typis allata) sed extra terram parilem haud undiquaque fuisse obligationem, ut-

[g] Ibid. fol. 31. col. 2. §. 17. [h] Numer. xxxv. 29. [i] Deut. xvi. 18. [k] Fol. vii. 1. [l] Numer. xxxv. 29. [m] Deuter. xvi. 18. [n] Col. 110. [o] Fol. 64. col. 1. [p] Fol. 268. [q] Edit. Mantuanae, fol. 274, 2. Cremonensis, fol. 132, 1. [r] Praecept. Affirm. 77. [s] Tit. suo *Sanhedrin*, cap. 1. & vide eum in Praecept. Affirm. 176, &c. [t] Deut. xvi. 18. [v] *Ceseph Misna* ad Maimonidis tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 1.

pote quae pagos tantum, provincias seu eparchias illas, non urbes singulas, respexit. Certe de lectione hac etiam monuit Josephus Karo in *Cesepb Misna*, qui commentarius est ad Maimonidis *Jad Chazeka*, ubi ad locum citatum agens, & quod in Talmudicis corporibus ea de re occurrit afferens, ואם, inquit, נוסחא זאת היתה לרבינו כך צריך לגרוס. כדבריו אבל בה'ל' אין אנו חייבין להעמיד ב"ד אלא בכל פלך ופלך אי נסחא אחרת נזדמנה לו בגמרא ופירוש פלך הפרכיה *Etiam si ejusmodi fuerit*, aut *ad hunc modum se habuerit, exemplar* Talmudis *magistri nostri* Maimonidis *legendum est, ut suum, sed extra terram non obligamur constituere domum judicii nisi per pagos* seu *provincias*; non per urbes, ut intra terram, juxta ante allata: *Neque habetur in Gemara lectio dissona. Pelek vero hic*, seu *pagus, exponitur per Eparchiam.* Sic ille. Et palam quidem, si verba reliqua sunt in Maimonide hic retinenda, satis videtur, praetermissam in editis conjunctionem אלא *nisi* post ב"ד restituendam, quae sic inserta Maimonidis & Talmudis, uti & Talmudicorum reliquorum, sensum omnino conciliat. Summa est; ex ante allatis de synedrii magni seu septuagintauniusviralis institutione, atque istis in sacro sermone de judicibus & ministris constituendis *in portis tuis*, obligatos Israelitas esse ad obedientiam civilem & forensem, adeoque ad tribunalia & fora sibi collocanda. Tam initium autem sui quam praeceptum sortiebatur in deserto, ut ostensum est, synedrium magnum; sed praeceptum tantum in deserto, ac initium in terra sancta, minora illa.

II. Ex praecepto illo Deuteronomii, veluti primario, sic nasci volunt magistri סנהדריות הקטנות *Synedria illa minora*, originariorum proselytorumque justitiae regimini ordinaria. Quae revera duplicia fuere; vigintitriumviralia seu בתי דינים של עשרים ושלשה, & triumviralia seu בתי דינין של שלשה, quae tametsi haud pariter ac vigintitriumviralia *Sanhedrioth* aut synedria dici soleant, nihilominus pariter omnino synedria fuere. Horum quidem minorum numerus nullibi exprimitur in scriptura, ut ille synedrii magni. Sed vero in *Misna Talmudica*, ubi, juxta superius allata, & numerus synedrii magni & ejusdem ratio ex ipsis Domini verbis expressim exhibetur, sequitur[x], וקטנה של עשרים ושלשה *Et* synedrium *minus*, quod celebrius est, *constat ex viginti tribus.* Et dein primo, quantum ad viginti in vigintitriumviralibus, ratio affertur hujusmodi satis mira, sed interim quae ut indubitatum fuisse atque receptissimum numerum jam dictum indicat. מנין, inquit *Misna*, לקטנה שהיא של עשרים ושלשה שנאמר ושפטו העדה והצילו העדה, עדה שופטת ועדה מצלת הרי כאן עשרים ומנין לעדה שהיא עשרה שנ' עד מתי לעדה הרעה הזאת יצאו יהושע וכלב *Undenam vero causa* aut *ratio, undenam evenit*, ut *minus synedrium esset ex viginti tribus? Scriptum est*[y], *Et judicabunt synagoga, coetus*, seu *congregatio*, in causa scilicet homicidae ex casu, privilegio urbis refugii se tuentis; *& liberabunt congregatio* homicidam, &c. *Congregatio judicii & congregatio liberationis* (congregationes hae binae, [illegible] altera condemnantium, absolventium altera) *faciunt hic viginti. Atque unde* Eda, seu *congregationem, ibi denotare decem colligitur? Scriptum est*[z] *alibi, Usque quo congregatio ista mala murmurat adversum me? ubi* [illegible] *Caleb.* Id est, *Congregatio* seu *Eda* ibi sumitur pro decem reliquis exploratorum terrae cum Josua & Calebo missorum[a], qui adeo terram infamarant, & populum etiam in animum in Aegyptum redeundi deterruerant. Exceptis ita binis illis, restat *Eda* seu *congregatio* ibi decem. Gemara Hierosolymitana illic[b], [illegible] *Rabbi Ba & Rabbi Isa* (id est, Rabbi Abba & Rabbi Asi, Hierosolymitani[c]) *nomine Rabbi Jochanan; hic dicitur congregatio & illic dicitur, usque quo congregatio ista mala, &c. Ut illic decem sunt congregatio, ita & hic decem.* Et עדה *Eda congregationem* illic alibique pro judicum consessu sumi est perquam solenne; quod in sequentibus obiter clarius fiet. Jam dictis hisce de vicenario numero praemissis, pergit *Misna*, ut ratio eliciatur quamobrem insuper accesserint tres, ut vigintitriumviri in synedrio hujusmodi perpetuo haberentur. [illegible] עד אחד הרי כאן כ"ג *Undenam fit ut tres insuper adjiciantur? Eliciendum est ex illo*[d], *Ne sequaris plures ad malum. Subaudio ego, Esse mihi hos sequendos ad bonum:* (Misna Hierosolymitana ibi [illegible] *Subaudio ego, velut dictum, Sequendos esse eos ad bonum:* & illud de bono ibi adjicitur etiam in Targum Hierosolymitano, Jonathane, *Mechilta*[e], alibi passim) [illegible] *plius accedit ibi,* [illegible] *propendendo?* (in illo scilicet ibidem [illegible] ורבים להטת *Post plures inclinando*, aut *propendendo, ut inclinationem illam* [illegible] in judicio, & inde sententia feratur) *Non similis esse debet inclinatio tua in bonum inclinationi tuae in malum. Inclinatio tua in bonum* [illegible] *ore* seu *sententia unius* (Hierosolymitana Misna ibi, על פי עד אחד *ex ore unius* [illegible] *lum, ex ore duorum* (vicenario jam dicto numero sic addendorum) [illegible] *domus judicii* seu *synedrium* (aliquod ex compluribus constans) [illegible] ut collegarum numerus par [illegible] *tur illis insuper* [illegible] Hierosolymitana) *viginti tres.* Ita quidem satis obscure & intricatius, dum numerus inde elicitur. *Bonum* autem illic pro absolutoria sententia in judicio, adeoque *malum* pro condemnatoria seu malo poenae, magistris sumitur, & locum illum de *non inclinando* ad [illegible] me capitalium, vigintitriumviralibus in synedriis ferendarum rationem attinere[f]. Alterum vero illum Exodi, in cujus origine nulla judicum, [illegible]

[x] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 6. [y] Numer. xxxv. 24, & 25. [z] Numer. xiv. 27. [a] [illegible] 19. col. 3. [c] Juch [illegible], 1. & [illegible], 1. [d] Exod. xxiii. 2. [e] [illegible] [f] Gemara babylon. [illegible] *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17, 1. *Mechilta*, fol. 35. col. 2, &c.

diciorum, nedum synedriorum, mentio, ad judiciorum in synedriis primario spectare rationem agnoscunt expressius versiones paraphrasesque veteres, ut Hierosolymitana, Chaldaea, Graeca, Vulgata, tametsi invicem satis discordes. Onkelos ibi, ולא תתמנע מלאלפא מה דבעינך על דינא בתר סגיא שרים דינא *Neque intermittas docere quod tibi videtur in judicio. Secundum plures perfice judicium*, seu, ut Fagius, *sequere multitudinem* (partem suffragiis superantem) *in judicio*.

Et Saadias Gaon, بل سل الي ورا الاكثر *Sed inclina post plures.* Graeci, Οὐ προστεθήσῃ μετὰ πλήθους ἐκκλῖναι μετὰ τῶν πλειόνων (quae tria verba in Complutensi absunt) ὥστε ἐκκλῖναι κρίσιν, *Non apponeris cum multitudine, inclinare cum pluribus ut declines judicium*; uti & legebat (si vocem ἐκκλῖναι demas) Augustinus g. Vulgata, *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies*; cujus quidem sensum satis amplexantur interpretes nuperi. Jonathan autem, ולא יתמנע חד מנכון למלפא זכו על חבריה בדינא למימר הא בתר סגיאי דינא סטי *Neque prohibetur unus (aliquis) e vobis docere justam esse causam pro proximo suo in judicio, dicendo: Ecce post plures judicium deflectitur*, seu, *meae sententiae plures sunt*; ubi Hierosolymitanus ולא תימרון בליבכון בתר סגיאי דינא סטי *neque corde vestro loquemini, juxta plures judicium deflectitur.* Atque ex textus illius verbis de plurali numero, velut de judicibus maxime, si non solum, capitalibus, intelligendis, docent magistri [h], nisi condemnatoriae sententiae binis minimum superent absolutorias, reum absolvendum esse: Unde adnotatur ad praeceptum illud in Pentateucho Garaiano, velut compendium ejus aliis vestitum vocibus, שלא לנטות אחרי רבים בדיני נפשות בעבור אחד *non inclinare post plures*, aut *plurium sententias sequi, in judiciis capitalibus, eo quod unica tantum superent* condemnatoriae. Jam vero, ex plurium hic sic iteratorum in judiciis, ut absolventium & damnantium, mentione ejusmodi numerum judicum constitutorum aut judicantium ejusmodi esse debuisse existimarunt, ut, si dissensio foret, pars altera unico minimum praevaleret. Inde recte Glossa Talmudica ad illud אין בית דין שקול *Synedrium non debet esse ut pariter libratum*, אין, inquit, עושין בית דין זוגות דצריך לקיים בו אחרי רבים להטות וגם יתחלקו להטות אין כאן רבים *Non faciunt*, seu *Non constituendum est, synedrium ex numeris paribus, quoniam in eo debet illud rite observari, post plures inclinando. Sed vero, si partes dimidiae ac aequales* (ut in numeris paribus fit) *invicem dissentirent, non haberetur in dissensione illa pars plurium.* Et de loco illo in numeris & Misna, unde adeo eruendum voluerunt numerum jam dictum, Maimonides [i], עדה שופטת ועדה מצלת רונה ויאמר עדה וכו' והיא הסנהדרין ועדה האמר הייב וזה [illegible] ולא יתחייב עד שיהו המחייבים יותר על המזכים [illegible] ולפיכך צריך להוסיף עוד שנים כדי שיהיו [illegible] ועדה מצלת ושנים שופטים כלומר [illegible] בית דין שקול מוסיפין עוד אחד הרי עשרים [illegible] *Congregatio* seu *coetus judicii*, & *congregatio liberationis*; id est, *Detur coetum alterum absolvere seu liberare reum, & alterum condemnare eum seu judicare. Jam vero condemnandus non erat* in judicio capitali *antequam condemnantes binis plures essent absolventibus. Adeoque necesse erat adjicere insuper binos, ut ita fieret coetus judicii, & coetus liberationis, & bini praeterea quasi condemnantes. Cum vero synedrium non deberet esse numeri paris, adjiciebant insuper unum: Ita tres adjecti, praeter binos testes.* Sic ille. Adeoque ut sententia capitalis in neminem ferenda erat ex lege [k] ipsa nisi testes, qui de facto pronunciarent, unico plures essent, ita nec ferenda erat a judicibus, qui pronunciabant de jure, nisi etiam pars condemnatoria plusquam unico absolutoriam superaret. Quod autem ad numeri vigintitrium deductionem hic spectat; perquam solenne est magistris juris alias exploratissimi atque e majorum institutis receptissimi rationes ex verbis sacris, ita suum in sensum utcunque distortis, enixius eruere conari. Apertior autem sensus est ille, receptius nihil eis fuisse quam synedria cuncta ordinaria jam dicta ex impari numero constare debuisse, ne scilicet partes in ferendis sententiis dimidiatae essent, & sic fierent aequales. Unde sexcenties occurrit illud, ubi de numero binario aliove pari judicum mentio fit, אין בית דין שקול מוסיפין עליהם עוד אחד *Synedrium non debet esse aequa lance libratum, ideoque adjiciendus unus*, ut numerus fiat impar; quemadmodum etiam in septuagintauniusvirali illo seu magno. Eadem ad triumviralia synedria spectant; de quibus plura mox. Atque ad illud Exodi [l], de duplo a fure qui depositum surripuerat reddendo, *Et si fur non fuerit inventus*, ונקרב בעל הבית אל האלהים *applicabitur* seu *afferetur dominus domus ad judices* (ita ut alibi saepius, *Elohim* ibi vertendum; ita Chaldaei hic יתקרב לקדם דייניא *coram judicibus*, & Syrus, ܠܘܬ ܕܝܢܐ *ad judicem*. Arabes Erpenianus & Jaianus الي الحاكم uti & Arabs Romae cum Vulgata editus, الي القاضي idem denotans; Judaei Hispanienses *a los Juezes*; ita alii plerique; sed Graeci ibi, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *coram deo*; Vulgata, *ad deos*; unde & Duacenses, to the goddes; judices in margine intelligi recte monentes) & dein, *ad* האלהים *judices perveniat causa utriusque; & quem damnaverint* אלהים *judices, is reddat duplum proximo suo.* Ubi pariter אלהים diversimode redditur, ut ante. Numerus ternarius judicum, seu impar, ex triplici ibi mentione judicum, quasi אלהים ibi singulariter pro *judice* sumendum, more Rabbinico elicitur [m]; nonnullis interim ita sumentibus ut אלהים in commate 9. bis memoratum, ut plurale, denotet loco priore saltem binos, uti & posteriori totidem, adeoque quatuor inde verbo tenus indicentur; cui sententiae statim subjungunt, אין בית דין שקול מוסיפין עליהם עוד אחד הרי חמשה *Synedrium haud oportet esse lance libratum, ideoque hisce adjiciendus insuper unus, & fiunt sic quinque.* At-

[g] [illegible] quaest. 88. [h] Misna, tit. Sanhedrin, cap. 5. ad finem: & Gemara [illegible] ad tit. Sanhedrin, cap. 1. fol. 3, 2. [illegible] fol. 37. col 2. Moses Mikotzi Praecept. Negativ. [illegible] [i] [illegible] tit. Sanhedrin, cap. 1. §. 6 [k] Numer. xxxv. 30 [l] [illegible] [m] Gemar. [illegible] ad tit. Sanhedrin, cap. 1. fol. 3, 2.

que ad illud, de cadavere occisi in campis reperto, *Egredientur* [n] *seniores tui & judices tui, & metientur usque ad civitates*, &c. תנו [o] רבנן ויצאו זקניך ושופטיך זקניך שנים שופטיך שנים אין בית דין שקול מוסיפין עליהן עוד אחד הרי כאן חמשה דברי ר' יהודה רבי שמעון אומר זקניך שנים ואין בית דין שקול מוסיפין עליהן עוד אחד הרי כאן שלשה: *Tradunt Rabbini nostri illud, presbyteri tui & judices tui, denotare verbo tenus duos minimum presbyteros tuos, & totidem judices tuos. Haud vero debet synedrium* seu *domus judicii esse numeri paris: Ideo adjiciendus unus: Et sic fiunt hic quinque. Sic pronunciavit Rabbi Jehuda* (& quinque ibi alias facit Jonathan, ויפקון מבי דינא רבא תרי מן חכימיך ותלת מן דייניך; *Et exibunt ex synedrio magno duo sapientum tuorum & tres judicum tuorum) Rabbi Simeon autem presbyteros tuos denotare vult verbo tenus binos. Sed domus judicii non debet esse numeri paris: Ergo adjiciendus unus: Ita fiunt hic tres.* Etiam in commento illo (dicam? an somnio?) de numero tam synedrii magni quam vigintitriumviralium quasi duplicando, quod habuit Rabbi Abihu[p], id ita fieri voluit ille ut non admitteretur praecisa duplicatio; unde scilicet ex synedrio magno conflarentur 142 & ex vigintitriumvirali 46. Ita enim par redderetur collegarum numerus. Sed מעיקרא, inquit, תהא סנהדרי גדולה צריכה מאה וארבעים ואחד כדי שיגמר הדין בשבעים ואחד ותהא סנהדרי קטנה צריכה כדי שיגמר הדין בשלשה ועשרים: *Postquam ortum est synedrium magnum, oportuit quidem ut adhiberentur* 141 (dempta sic duplicationis unitate, ut impar etiam in quasi duplicatione illa retineretur numerus) *in exsecutionem judicii per* 71; *& postquam ortum est synedrium minus, opus erat ut adhiberentur* 45 (ut numerus etiam ibi impar retineretur, nec praecisa admitteretur duplicatio) *in exsecutionem judicii per viginti tres.* Bene autem ex Talmudicis doctissimus Buxtorfius filius [q], *Hinc & minimum consistorium constat ex tribus, medium ex viginti tribus, maximum ex septuaginta & uno. Id necessitas postulabat. Nam si duorum unus diceret, justus est; alter diceret, reus est; requirebatur tertius qui unius sententiam augeret, & lancem deprimeret.* Atque hisce consona sunt innumera apud Talmudicos. Advertendum autem, numeros judicum alios praeter 71, 23, & 3, ut quinque, aut septem, id genus reliquos, apud magistros, velut ad judicia spectantes, subinde, ut ante, memoratos, denotare tantum, etiam numerum legitimum eorum qui ex synedrio sive magno sive vigintitriumvirali aliquo considentes, selecti aut emissi ad judiciarium quidquam, tribunalis integri nomine, praestandum, imparem esse, rationem ob jam dictam, debere; non omnino forum aliquod ordinarie, ut dictum est, constitutum ex ejusmodi numero constitisse.

III. Synedria vigintitriumviralia illa per urbes ex praeceptis ante memoratis constituebantur. Triumviralium alia ex autoritate publica in locis pagorum idoneis habebantur; etiam in urbibus quibus vigintitriumviralia neutiquam, juxta inferius dicenda, constituenda erant. Pro re nata eligebantur eorum alia, partim compromisso seu *communi* litigantium *pactione ad similitudinem arbitrorum*, ut loquuntur Arcadius & Honorius Augusti [r] de recentiori Judaeorum, ex more majorum, in jurisdictione contentiosa, usu continuato; partim ex unici alicujus arbitrio, ubi actus aliquot jurisdictionis tantum voluntariae exercendi. Quod ad litis causa electos spectat; Misnae de eis, זה בורר לו אחד וזה בורר לו אחד ושניהן בוררין להן עוד אחד דברי ר' מאיר וחכמים אומרים שני דייניך בוררין להן עוד אחד *Litigantium pars altera sibi eligit unum, & unum altera, & utrique illi eligunt sibi unum* seu *tertium: Ita Rabbi Meir. Et sapientes dicunt, bini judices* sic electi *eligunt sibi tertium.* Atque hoc a nonnullis [t] ita intellectum ut pars altera eligeret sibi collegium triumvirale unum; altera etiam sibi unum, velut alterius collegium respuens; & demum utraeque simul tertium, unde triumvirale collegium unicum, in quo acquiescerent utraeque, conflaretur. Sed de tribus, ut in Misna legitur, electis opinio est receptior. Triumviralium ex arbitrio unici, ubi actus aliquot tantum voluntariae jurisdictionis exercendi, electionis exempla sunt, in renunciatione, excommunicationis absolutione, presbyterorum creatione, de quibus nos suis in locis [v]. Sed vero de triumviralibus jurisdictionis contentiosae universis monitum habet, ex disciplina Talmudica, Maimonides [x] singulare: Ea quidem legitima fuisse fora etiamsi tres tantum interessent, sed laudatiorem fuisse rem & honestiorem si plures velut causae ventilandae & judicii futuri testes & inspectores adhiberentur, quorum item per suffragia sententia alterutra, pro re nata, praeponderaretur: Ideoque etiam sic adscitos complures debere fuisse, atque tot ut impar inter eos etiam usque ad undecim litem (si dissensus oriretur) decideret. Ita, si verba haec ejus intelligo, quae codicibus MSS. etiam consona, אף על פי שב"ד של שלשה בית דין שלם הוא כל זמן שהן רבים הרי זה משובח ומוטב שיהא דין בי"א יותר מעשרה (MS. Arundellianus ibi במאחר עשר) וצריכין שיהיו היושבין כולם שם בבית דין תלמידי חכמים וראוין: *Etiamsi forum triumvirale* ex ejusmodi numero constans *perfectum fuerit* seu *legitimum, quoties nihilominus plures fuerint laudabilius erat. Et sane conveniens habebatur ut decideretur lis per undecim supra decem*; adeo ut minimum interessent 18 praeter triumviros, qui sic 21 complerent. *Et oportebat ut cuncti illic considentes in foro essent discipuli sapientum*, seu *sapientiae ac presbyteratus candidati, &* judiciis *idonei.* Forte tamen capi potest בי"א יותר מעשרה pro [illegible], id est, *numerum supra decem* (qui [illegible] solennis erat) *imparem*. Nam [illegible] ex [illegible]su ejus quod de Rab Hona in Gemara Babylonia [y] legitur, [illegible]: *Rab [illegible] adductum est ad eum judicium* triumvirale, *congregavit & venire fecit decem Rabbinos ex aedibus*, &c. Ubi quidem, cum Rab Hona, undecim, seu numerum triumvirorum legitimum sic

[n] Deut. xxi. 2. [o] Gemara Babylonia ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 14, 1. [illegible] [p] Gemara Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 3, 2. [q] Lexic. Chald. Talm. col. [illegible] [r] [illegible] & [illegible] Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 5, 1. *de Arbitris*. [s] Tit. *Sanhedrin*, cap. [illegible] [t] Vide [illegible] Talm. Babylon. eod. tit. fol. 23. 1. [v] In Uxore Ebraica, lib. 1. cap. 15. De Synedriis, lib. 1. cap. 7. [illegible] [x] Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. §. 13. [y] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 7. 2.

augentes.

augentes. Sed ex jure hoc ordinario neutiquam obtinuit. Laudi habebatur si triumviri ejusmodi sibi adsciscerent consessores veluti & testes judicii & adjutores. Quod ad vigintitriumviralium per urbes dispositionem, & synedrii magni Hierosolymis (florente republica illa) sedem attinet, Maimonides[z]; כמה בתי דינין קבועין יהיו בישראל וכמה יהיה מנינן *Quot synedria constituta sunt* seu *fixa in Israel, & quales eorum numeri?* Primo igitur de synedrio magno ibi, קובעים בתחלה בית דין הגדול במקדש והוא הנקרא סנהדרין גדולה ומנינם אחד ושבעים שנ' אספה לי שבעים איש מזקני ישראל ומשה על גביהן שנ' והתיצבו שם עמך הרי ע"א: *Collocabant primo domum judicii magnam in templo. Ea autem vocabatur synedrium magnum, cujus numerus erat 71, secundum illud quod dictum est, Congrega mihi septuaginta viros e presbyteris Israelis. Et Moses eis primarius erat; secundum illud, Ut stent ibi tecum. Ecce sic fiunt 71.* Paulo post de vigintitriumviralibus binis Hierosolymitanis; ועוד מעמידין שני בתי דינין של כ"ג אחד על פתח העזרה ואחד על פתח הר הבית *Constitui solebant* Hierosolymis *synedria insuper bina; alterum ad introitum atrii, alterum ad introitum montis templi.* Consonum hoc est Misnae[b], ubi legitur de templo, שלשה בתי דינין היו שם אחד יושב על פתח הר הבית ואחד יושב על פתח העזרה ואחד יושב בלשכת הגזית: *Synedria tria ibi fuere; unum collocatum ad introitum montis templi, unum ad introitum atrii, & unum in Liskat hagazith, conclavi saxeo*, seu caesi lapidis, loco ibi synedrii magni consessui proprio signantius sic dici solito. Et Gemara Babylonia[c], בית דין של שבעים ואחד יושבין בלשכת הגזית ושני בתי דינין של עשרים ושלשה אחד יושב על פתח הר הבית ואחד יושב על פתח העזרה: *synedrium septuagintauniusvirale considebat in conclavi saxeo; & binorum illic synedriorum vigintitriumviralium, alterum sedebat ad introitum montis templi, & alterum ad introitum atrii.* De conclavi illo saxeo, ut sede synedrio magno in templo solenni ac propria, passim Talmudici. Etiam explicatis, in *Masseceth Middoth*[d], aliis templi conclavibus, adjicitur, לשכת הגזית בה היתה סנהדרין גדולה של ישראל *In Conclavi lapideo considebat synedrium magnum Israelis.* Et de conclavis illius seu sessionis loco plurimis doctissime a Constantino l'Empereur e Talmudicis praemissis ventilatisque: *Sic*, inquit ille[e], *habendum est, hoc conclave* גזית *sive caesi lapidis, ubi senatores supremae curiae ut plurimum considebant, in latere atrii sacerdotum meridionali fuisse; id est, si atrium latiori sua significatione accipias pro Israelis & sacerdotum atrio, ad meridionale quidem atrii latus, sed magis occidentem versus, esse exstructum:* In sorte scilicet tribus Judae, & partim in sacro, partim in profano; qua de re, & de binis synedrii ejusdem ostiis, vide apud eum plura. Et de binorum illic minorum simul & synedrii magni locis illis, Obadias Bartenorius[f], אחד יושב על פתח הר הבית הוא שער מזרחי שלפנים מן החיל לפני עזרת נשים· ואחד יושב לפתח העזרה היינו כשעברו עזרת נשים ובאים לפתח עזרת ישראל ואחד בלשכת הגזית שהיתה בנויה בתוך העזרה חציה בקדש וחציה בחול: *Alterum minorum sedebat ad introitum templi, quae est porta orientalis interior, ab antemurali, ante atrium foeminarum. Alterum sedebat superius ad dextram, ubi transeundo per atrium foeminarum itur ad introitum atrii Israel. Et demum alterum*, id est, synedrium magnum, *in conclavi saxeo, cujus pars dimidia est in sacro, & dimidia in profano.*

IV. Pergit autem Gemara jam memorata ad vigintitriumviralium aliorum sedes: ושאר בתי, inquit, דינין של עשרים ושלשה יושבין בכל עיירות ישראל: *Et reliqua synedria triumviralium sederunt in cunctis urbibus Israelis.* Quod intelligendum, non quasi quaelibet omnino urbs, qualiscunque esset, suum haberet sibi synedrium vigintitriumvirale, sed in cunctis urbibus ejusmodi synedriis, juxta doctrinam Talmudicam, idoneis; id est, quibus incolae minimum (patresfamilias, puto) centum viginti, adjectis etiam aliquot aliis, quae infra dicentur, temperamentis. Etenim Misna Babylonia[g], וכמה יהא בעיר ותהא ראויה לסנהדרין מאה ועשרים ר' נחמיה אומר מאתים ושלשים כנגד שרי seu, ut Hierosolymitana, שרי עשרות *Et quotnam sunt qui faciunt urbem synedrio dignam? Centum viginti. At Rabbi Nehemias dixit, ducenti triginta; ut principes imitarentur decuriarum*, quales erant in tribunalibus Jethroneis[h] minimi. Ita enim decuriae viginti tres. Atqui ibi Gemara Babylonia[i] ad illud R. Nehemiae, תניא רבי אומר מאתים שבעים ושבעה והתניא רבי אומר מאתים ושבעים ושמונה לא קשיא הא ר' יהודה הא רבנן: *Juxta disciplinam Rabbi, 277; etiam ex disciplina Rabbi 278. Difficultas* in numeri discrimine hoc *non est. Et sententiae huic*, ubi commodius res haberi posset, *tam accesserunt Rabbini nostri quam Rabbi Jehuda.* Ad Misnam autem jam dictam glossa, מאתים ושלשים שיהיו כ"ג עשרות שיהא כל בית דין שר על עשרה דדור לא אשכחן בעשיה שררה: *Ducenti & triginta, qui faciunt 23 decurias, quoniam quaelibet domus judicii* veterum illarum Jethronearum, quas ita respexit hic R. Nehemias, *principatum habuit minimum super decem. Neque invenimus ibi principatum decuriali minorem.* Ad Gemaram vero jam allatam eadem glossa; מאתים ושבעים ושבעה מאתים ושלשים כרבי נחמיה ועוד כ"ז שאם יחלקו בית דין י"א מזכין וי"א מחייבין ואחד אומר איני יודע יוסיפו מגדולי כ"ג עד שבעים כדאמרינן בהו בודקין שמוסיפין שנים על כ"ג ואם יהיו שניהם הרי י"ג מזכין וי"א מחייבין ... על פי שנים ואם יחלקו צריך עוד להוסיף שנים וכן לעולם עד שיהיו שבעים ... יהודה ושבעים ואחד רבנן: *Ducenti septuaginta septem; at numerus hic est 230 Rabbi Nehemiae. Sed accedunt insuper 47; quoniam si sententiis discrepet synedrium, undecim absolventibus*, (de judiciis capitalibus loquitur) *& totidem condemnantibus, & unico, non liquere sibi, pronunciante, adjiciendi alii ex illis 47, usque dum compleatur numerus septuaginta, quemadmodum docemur in cap. Examinare solebant* (id est, quinto Misnae, tit. *Sanhedrin*[k], ubi quidem habetur מוסיפין שנים שנים עד שבעים ואחד *Adjiciunt binos binos*, duades singulas,

z Halach. *Sanhedrin*, cap. 1 §. 3. a Numer. xi. 16. b Tit. *Sanhedrin*, cap. 10. Babylon fol. 86. 2. & videsis Hierosolymitan. ad tit. eundem fol. 19. col. 3. c Ibidem fol. 88, 2. d Cap. 5 sect. 3. e Hist. pag. 105. f Ad Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. ult. §. 2. g Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. ult. h Exod. xviii. i Fol. [illegible], 1. k Tit. Babylon. eod. tit. fol. 40, 1.

gulas,

gulas, *usque ad* 71) *adjiciendos binos vigintitriumviris. Et si absolvant illi sic adjecti, tunc absolventium numerus fit* 13, *& condemnantium manet* 11, *unde absolvendus est reus. Si illi condemnent reum, plane damnandus is est. Hoc enim est inclinatio ad malum poenae* (juxta superius [l] dicta) *ex sententia duorum* praeponderantium. *Si vero hi sic compositi dissentiunt* (id est, non condemnant; in codicibus aliquot legitur ואם יסלקו *si se subducant) oportet insuper binos adjicere, atque eodem modo perpetuo) usque ad numerum* 70 (id est, totum quadraginta septem numerum, qui cum 23 facit septuaginta) *juxta Rabbi Jehuda*, seu *usque ad* 71 *secundum Rabbinos nostros.* Rabbi Jehuda numerum synedrii magni septuaginta vocitabat, omisso principe; alii, ut Rabbini hic, 71. cum principe; adeoque res in idem satis recidit. Et juxta haec, synedrium quodlibet minus, modo jam dicto dissentiens, ubi fieri posset, in numerum septuagenarium-&-unum ampliandum erat; quasi etiam minora haec, pro hominum placitis, numeris suis definita, quoad fieri posset, etiam magni numerum divinitus praescriptum, quoties dissensus ejusmodi contingeret, imitari tandem, & eodem claudi deberent. Modus autem plures sic adsciscendi, & unde adsciscerentur, clarius liquebit infra, ubi de [m] ordinibus discipulorum in foro sedentium agitur. Ratio certe hinc sententiarum ferendarum perquam mira; de qua etiam plura locis suis inferius. Sed vero, utcunque augendi fuerint hic numeri dissentientium, receptus incolarum, quales diximus, numerus ad urbem vigintitriumvirali synedrio dignam reddendam fuit ille 120. Et expressim magistri ibi [n], אין הלכה כר' נחמיה *Sententia R. Nehemiae hic neutiquam recepta est*, nedum R. Jehudae, qui plures vellet. Maimonides [o] itidem, ובעמידין בכל עיר ועיר מישראל שיש בה ק"כ או יותר סנהדרין קטנה ויושבת בשער העיר שנ' והציגו בשער משפט וכמה יהיה מניינם כ"ג: *Et in urbe qualibet Israelitica in qua haberentur centum viginti, aut plures, constituebant synedrium minus, cujus sedes in porta urbis; juxta id quod scriptum est* [p], *Constituite in porta judicium. Numerus autem synedrorum erat* 23. Tantundem Moses Kotzensis, alii passim. Et de triumviralibus in urbibus quibus deesset ejusmodi numerus, idem illic Kotzensis, uti & ante Maimonides [q], aliique, עיר שאין בה מאה ועשרים בעמידים בהם ג' דיינין שאין בית דין פחות משלשה כדי שיהא בה רוב ומיעוט אם היתה ביניהם מחלוקת: *In urbe cui deest incolarum* 120 *numerus, constituebant tres judices; quoniam domus judicii nulla* (synedrium nullum ordinarium) *e paucioribus constitit quam tribus, ut scilicet haberet plus minusque* (impare constaret numero) *quoties inter collegas dissensus eveniret.* Quod etiam doctrinae Talmudicae passim consonum. Atque ita per urbes, praeter Hierosolyma, alias, pagosque ac oppida, synedria minora collocabant, ex praecepto illo in Deuteronomio [r] de judicibus & ministris constituendis; quod factum, ut recte ait R. Menachem Recanati, ne alias quilibet litis causa synedrium magnum Hierosolymis considens adire cogeretur. In codice nimirum suo (vixit ille sub annum Christi 1290) quem טעמי מצות *Rationes praeceptorum* inscripsit, inter ea recensens illud de judicibus, מצוה, inquit [s], במנות שופטים ושוטרים בכל קהל וקהל כדי שלא יצטרכו לעלות לבית דין הגדול *Praeceptum habetur de constituendis judicibus & ministris in qualibet congregatione* seu *populi synagoga*, oppido, urbe, pago, *ne incolae* alias Terrae Sanctae universi *cogerentur ascendere ad synedrium magnum.* Et de synedriis hisce, juxta jam dicta, nonnulla deflorarunt Munsterus & Fagius [t] ex Kotzensi. Atque hic quidem Ebraicarum Kotzensis dedit versionem, quam verbatim integram transcriptam, velut ex Ebraeis, habet Laurentius Bochellus inter interpretamenta sua quae adjecit legibus politicis ex sacrae scripturae libris collectis a Francisco Raguello [v]. Ut vero urbs cui deerant incolae 120 synedrio vigintitriumvirali indigna habebatur, ita etiam, praeter numeri defectum hujusmodi, temperamenta erant alia juxta quae denegabatur concedebaturve urbibus synedrii ejusmodi dignitas. Gemara Babylonia [x] ad illud Misnae, de numero 120, מאה ועשרים כנגד מי עשרים ושלשה כנגד סנהדרי קטנה ושלש שורות של עשרים ושלשה הרי תשעים ושנים ועשרה בטלנין של בית הכנסת הרי מאה ושנים ושני סופרים ושני חזנין ושני בעלי דינין ושני עדים ושני זוממין ושני זוממי זוממין הרי מאה וארבעה עשר ותניא כל עיר שאין בה עשרה דברים הללו אין תלמיד חכם רשאי לדור בתוכה בית דין מכין ועונשין וקופה של צדקה נגבית בשנים ומתחלקת בשלשה ובית הכנסת ובית המרחץ ובית הכסא רופא ואומן ולבלר וטבח ומלמד תינוקות משום ר' עקיבא אמרו אף מיני פירא מפני שמיני פירא מאירין את העינים: *Qualisnam hic ejusmodi numeri usus? Viginti tres, qui faciant synedrium minus, & tres ordines vigintitriumvirales* (coram synedris confidentes; de quibus infra, ubi de considendi & agendi formulis agitur) *sic fiunt* 92; *& decem, qui domui synagogae*, seu *conventus publici sacri*; vacent; (glossa ibi, עשרה בני אדם בטלין מכל מלאכה להיות מזומנין לבית הכנסת שחרית וערבית *Decem filii hominis vacantes ab omni opere, ut parati sint domui synagogae*, seu sacris ejusdem, *vesperi & mane*; atque adjicit, כל כרך שאין בו עשרה בטלנין כמו כפר הוי ולא חזיא לסנהדרי: *Quaelibet urbs, etiamsi magna & muris cincta, cui desunt decem ejusmodi vacantes, censetur ut villa* seu *oppidum, adeoque synedrio ejusmodi indigna habetur) sic fiunt* 102; *& duo scribae, & duo inspectores* seu *lictores* (שמשי בית דין להלקות ולהזמין בעלי דינים לדין) *Ministri synedrii in reis verberandis, & litigantibus citandis*, ut explicat glossa) *& duo litigatores, & duo testes* (qui veraces esse possint) *& duo* (qui possint esse) *ac testes falsarii, & duo qui eos convincere possint* [y]. *Ecce centum & quatuordecim* (nec plura ibi de numeri residuo) *receptum etiam est, urbem qualemcunque* (adeoque oppidum, villam) *cui deessent hae decem res, habitationem habere illicitum fuisse discipulo sapientis* (adeoque dignitate judiciaria, quae presbyteralis erat, utcunque praedito) *synedrium judicum*, (sive vigintitriumvirale sive triumvirale) *lictores & poenarum ministri, arca eleemosynae, a duobus collectae & a tribus*

[l] §. 2. [m] Cap. 6. §. 2. [n] Maimonides & Bartenorius ad Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 5. § ult. [o] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 3. [p] Amos v. 15. [q] Praecept. Affirm. 97. fol. 186. &c. [r] Cap. xvi. 18. [s] Fol. 22, 2. [t] Ad Deuteron. xvi. 18. [v] Tit. 7. [x] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17, 2. [y] Vide Misnam. tit. *Maccoth* cap. 1.

erogandae, & domus synagogae (proseucha publica) *domus ad lavandum* seu *balneum, latrina, medicus,* (glossa, למול תינוקות *ad circumcidendum puerulos) artifex* seu *chirurgus,* (glossa, מקיז דם *venae sector) libellarius,* (glossa, לכתוב ספרים *ad libros scribendos,* quorum usus incolis necessarius; atque munera haec tria unicum satis sustinere rite, quantum ad hanc rem, potuisse ibi monetur) *lanio, paedagogus. Etiam ex sententia R. Akibae fructuum copia; quoniam fructus oculorum lumini prosunt.* Adeoque, ubi nondum synedrium aliquod constitutum; atque deesset horum aliquod, locus ille, sive urbs, sive oppidum, sive villa, synedrio omnino tam triumvirali quam vigintatriumvirali inidoneus haberi videtur. Nam ubi discipulus sapientis, id est, theologus & jurisconsultus publica autoritate, juxta inferius dicenda, creatus, habitare jure nequibat, ibi neutrum genus synedriorum illorum rite quibat haberi. Etiam Rab Jehuda, paulo ante in Gemara memorata, כל עיר שאין בה שנים לדבר ואחד לשמוע אין מושיבין בה סנהדרי ובביתר הוו שלשה וביבנה ארבעה רבי אליעזר ורבי יהושע ור' עקיבא ושמעון התימני דן לפניהם בקרקע מיתיבי שלשה חכמה רביעית אין למעלה הימנה הוא דאמר כי הא תנא דתני שנים חכמה שלישית אין למעלה הימנה *In urbe nulla quae non habet duos ad loquendum, & unum ad audiendum* (glossa, שנים לדבר בשבעים לשון ואחד לשמוע שיה' מבין בשבעים לשון אע"פ שאינו יודע להשיב *Duos ad loquendum septuaginta linguas, & unum ad audiendum, qui etiam linguarum illarum non ignarus esset, tametsi non satis sciens ut responderet;* & de scientia illa linguarum plura [z] inferius) *collocabant synedria* vigintitriumviralia; *& in Bither erant tres; & in Jabne quatuor, Rabbi Eliaezer, R. Jehosua, R. Akiba, & Simeon Themanites, qui judicabat* seu *responsa dedit coram eis in pavimento* (glossa, תלמיד היה ולא נסמך שלא בא לכלל זקנה *Discipulus erat, necdum impositione manuum creatus, adeoque nec integro presbyteratu praeditus) consessus in quo ejusmodi tres sunt est quidem* consessus *sapientiae; sed in quo quatuor, nullus eum excellit. Sed & obtinuit opinio, binos ejusmodi facere consessum sapientiae; & tres, ejusmodi qui a nullo alio excellitur.* Gemara autem Hierosolymitana [a], תני סנהדרין שיש בה שנים שיודעין לדבר וכולן ראויין לשמוע הרי זה ראויה לסנהדרין׃ שלשה הרי זו בינונית׃ ארבעה הרי זו חכמה׃ וביבנה היו בה ארבעה בן עזאי ובן זומא בן הכינא ורבי אלעזר בן מתיה׃ *Disciplina habetur, synedrium in quo duo sunt locutioni idonei, & reliqui omnes idonei auditioni, rite satis* quantum ad hoc *esse constitutum; si tres, mediocre esse; si quatuor, esse synedrium sapientiae. Et in Jabne fuere quatuor, Ben Haizai, Ben Zoma, Ben Chacina, & Rabbi Eliaezer Ben Matthiah.* Maimonides vero, quoad temperamenta haec [b]; כל עיר שאין בה שני חכמים גדולים אחד ראוי ללמד ולהורות בכל התורה כולה ואחד יודע לשמוע ויודע לשאול ולהשיב אין מושיבין בה סנהדרין אע"פ שיש בה אלפים מישראל׃ סנהדרין שיש בה שנים אלו אחד ראוי לשמוע ואחד ראוי לדבר הרי זה סנהדרין׃ היו בה שלשה הרי זו בינונית היו בה ארבעה יודעים לדבר הרי זו חכמה׃ *Quaecunque fuerit urbs cui deessent bini sapientes illustriores, quorum alter potis esset docere & sententiam pronunciare in lege universa, alter satis sciens esset ad audiendum interrogandumque, in ea non collocabant synedria* vigintitriumviralia, *tametsi in ea essent mille Israelitae,* numerusve aliquis major. *Synedrium quod in se habuerit duos ejusmodi, alterum auditioni idoneum, alterum locutioni, pro synedrio quidem sumendum. Si vero tres ejusmodi in se habuerit, synedrium erat mediocre. Si autem quatuor, synedrium erat sapientiae.* Ubi Gemaram Babyloniam hic aliter legisse Maimonidem existimat Joseph Karo in *Ceseph Misna,* quam vulgo legimus. Paulo post autem Maimonides rationem afferre satagens, idque juxta veterum doctrinam Talmudicam, numeri illius centumviginti; ולמה אין סנהדרין אלא בעיר שיש בו ק"כ inquit, כדי שיהיה מהן סנהדרין של כ"ג ושלש שורות של תשעה וששים ועשרה בטלנין של בית הכנסת ושני סופרים ושני חזנים ושני בעלי דינין ושני עדים ושני זוממין ושני זוממי זוממין ושני גבאי צדקה ועוד אחד כדי שיהיו שלשה להלוק צדקה ורופא אומן ולבלר ומלמד תינוקות הרי ק"כ *Et undenam factum est ut non constitueretur synedrium* vigintitriumvirale *nisi in urbe cui essent incolae* 120? *Ideo quod synedrium debet esse vigintitrium,* nimirum omnes, judices, ministri, caeterique ex ipsis incolis desumendi; *quibus accedere debebant tres ordines quorum numerus* 69 (id est, tres ordines inferius considentium, quorum quilibet constaret ex 23; de quibus plura inferius) *& decem qui sacrae synagogae* seu *proseuchae publicae vacarent* (ipse alibi [c], והם בני אדם שאין להם עסק אלא מלאכת שמים רוצה לומר לקרות בתורה ולישב בבתי כנסיות *Atque hi erant viri qui vacabant tantum rebus divinis, nimirum lectioni legis, & sessioni in synagogis* seu *proseuchis publicis;* & reliqua ibi habet quae hic sequuntur) *& duo scribae, & duo inspectores* seu *lictores, & duo litigatores, & duo testes, & duo qui possent esse falsarii, & duo qui hosce possent convincere, & duo eleemosynae collectores, praeter unum insuper qui cum eis eam erogaret, & medicus & chirurgus, & libellarius, & paedagogus. Ecce ita fiunt centum viginti.* Atque ita tam MSS. quam editi codices. Sed interea 121 enumerantur, si in jam dictorum numero locum habere admittatur unus ille qui ut tertius addendus eleemosynae erogationi. Ideo, ne rotundus hic 120 numerus augeatur, tertius ille in re eleemosynaria sumitur pro aliquo ex reliquis qui binis collectoribus assumptus officium illud juxta morem erogandi praestare posset. Moses igitur Kotzensis eadem ipsa, cum aliis, ex Maimonide maxime afferens, ושני, inquit [d], גבאי צדקה ובשעה שיחלקו נוטלין אחד מן העם מפני שהצדקה נגבית בשנים ומתחלקת בשלשה׃ *Et duo collectores eleemosynae, qui sibi, cum erogatum eant, aliquem ex populo assumant; quoniam eleemosyna ut a duobus colligenda ita a tribus eroganda.* Atque ita Maimonidem interpretatur ibi Joseph Karo in *Ceseph Misna.* Accedat hic quod adjiciunt Talmudici de judicibus universis qualicunque in foro considentibus. Maimonides [e]; אמור לאדם חכם שישב בדין עד שידע עם מי הוא יושב שלא יצטרף עם אנשים שאינן הגונים ונמצא בכלל קשר בוגדים ולא בכלל בית דין׃

[z] Cap. 9. §. 1. [a] Ad tit. *Siklim,* cap. 5. fol. 48. col 4. [b] In *Jad* tit. *Sanhedrin,* cap. 1. §. 5. [c] Ad Misn. tit. *Sanhedrin,* cap. 1. §. 6. [d] Praecept. Affirmat. 97. [e] Tit. *Sanhedrin,* cap. 2. §. 8.

Illustrem

Illicitum erat viro sapienti considere in judicio antequam satis cognosceret quibuscum consideret, ne scilicet alias commisceretur hominibus inhonestis, adeoque deveniret pars praevaricatorum, seu *judicum injustorum, non* revera *collegii forensis* legitimi. Advertendum item quod refert R. Samuel Bar Nachmani [f], velut a R. Jonathane acceptum; כל דיין שדן דין אמת לאמיתו משרה שכינה בישראל שנאמר אלהים נצב בעדת אל בקרב אלהים ישפוט וכל דיין שאינו דן דין אמת לאמיתו גורם לשכינה שתסתלק מישראל שנ׳ משוד עניים ואנקת אביונ׳ עתה אקום יאמר ה׳ וגו ואמר ר׳ שמואל בר נחמן אמר ר׳ יונתן כל דיין שנוטל מזה ונותן לזה שלא כדין הק״בה נוטל ממנו נפשו שנ׳ אל תגזל דל כי דל הוא ואל תדכה עני בשער כי ה׳ יריב ריבם וקבע את קובעיהם נפש ואמר ר׳ שמואל בר נחמני אמר ר׳ יונתן לעולם יראה דיין עצמו כאילו חרב מונחת לו בין ירכותיו וגיהנם פתוחה לו מתחתיו שנ׳ הנה מטתו של שלמה ששים גבורים סביב לה מגבורי ישראל כולם אחוזי חרב מלומדי מלחמה איש חרבו על ירכו מפחד בלילות מפחדה של גיהנם שדומה ללילה *Quilibet judex qui judicium fert verax juxta veritatem ejus, habitare facit* seu *quiescere majestatem divinam super Israel, secundum id quod dictum est* [g], *Deus stat in congregatione Dei. In medio Deorum* judicum *judicem agit. Quilibet autem judex qui judicium minime verax secundum veritatem suam fert, in causa est ut majestas divina* eatenus *discedat ab Israel; juxta quod itidem dictum est* [h], *Proper desolationem pauperum & propter gemitum inopum nunc exsurgam, dicit Dominus, &c. Et dixit R. Samuel Bar Nachman, dixisse R. Jonathanem, Quoties judex aliquis ab altero tollit & alteri tribuit, nec secundum judicium, Deus sanctus benedictus, tollit animam ejus ab eo; secundum id quod dictum est* [i], *Ne diripias pauperem, quoniam pauper est; neque opprimas miserum in porta: quoniam Dominus judicabit causam eorum, & vim faciet illis qui animae illorum vim intulerint. Et dixit R. Samuel Bar Nachmani, dixisse R. Jonathanem, judicem perpetuo sibi videri veluti qui habeat gladium circa latera* seu *femora sua, & Gehennam patentem subter eum; secundum quod dicitur* [k], *En lectum ipsius Salomonis: Sexaginta fortes per circuitum ejus ex fortibus Israel. Omnes tenent gladium, & sunt exercitati ad proelium; & habet unusquisque gladium suum super femur suum, ob pavorem in noctibus, id est, ob timorem Gehennae, quae similis est nocti.* Rabbinismus est ejusmodi frequentissimus, ad confirmanda quae satis ex se alias (rite intellecta) vera & perspicua sunt, sacri sermonis partes aliquot tam distorquere quam, ut saepius, perquam apposite afferre.

CAP. VI.

I. *Synedrii magni princeps & pater. Vigintitriumviralium item. Considendi figura & formula synedrii magni, cujus numerus vigintitribus in consessu solenni minor neutiquam legitimus.*

II. *De scribis adstantibus, & tribus dignitatis presbyteralis candidatorum seu discipulorum sapientum ordinibus coram synedris vigintitriumviralibus passim collocatis. Considendi figura & formula vigintitriumviralium.*

III. *Modus cooptandi surrogandive collegas in synedrium magnum ex jam dictorum sodalitiis.*

IV. *De septemviralibus apud Flavium Josephum per urbes Ebraicas, synedriis, velut a Mose institutis, quae disciplinae Talmudicae plane adversissima. De nomine* Elohim *seu deorum judicibus tributo.*

V. *Sententiae Christianorum aliquot scriptorum institutioni synedriorum ante allatae nimis dissonae.*

UT in synedrio magno ad exemplum illius quod sub Mose primo habitum continuato *princeps* erat seu *praeses*, quem נשיא *Nasi* & מופלא & ראש vocitabant, ita etiam in vigintitriumviralibus semper erat qui simili frueretur dignitate. Atque ut princeps ille primarius erat collegarum, ita proxima ab eo dignitas erat אב בית דין *patris synedrii* seu principis secundi. Reliqui ordine suo hisce adsidebant. Maimonides, paucis, quae superius attulimus, de synedriis tam magno quam minoribus illis, generalius praemissis, הגדול, inquit[l], בחכמה שבכולן מושיבין אותו ראש עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין אותו החכמים נשיא בכל מקום והוא העומד תחת משה רבינו ומיושבין הגדול שבשבעים משנה לראש ויושב מימינו והוא הנקרא אב בית דין ושאר השבעים יושבין לפניו כפי שניהם וכפי מעלתם כל הגדול מחבירו בחכמה יהיה קרוב לנשיא משמאלו יותר מחבירו והם יושבין בכמו חצי גורן בעיגול כדי שיהיה הנשיא עם אב בית דין רואין כולן. *Qui sapientia* (theologia & jurisprudentia) *praestabat, constituebant eum super se caput; adeoque is erat consessus* seu *synedrii caput, atque idem quem sapientes appellitant ubique principem. Atque is constituebatur loco Mosis magistri nostri. Constituebant etiam virum in septuaginta reliquis eminentiorem, capiti secundum, cujus sedes erat a dextera illius. Is vocitabatur pater synedrii. Reliqui vero ex septuaginta sedebant coram binis hisce juxta dignitatem suam. Et quisque ut socium suum sapientia antecelluit, eo proximior erat principi a sinistra ejus. Sedebant autem velut in dimidiata area circulari, ita ut princeps & pater synedrii cunctos possent contueri.* Ita typis editi universi, excepto quod in editione prima (quae commentariis caret) male legitur ויושבין לפניו כפי שניה וכפי מעלתם. Ita etiam MS. Arundellianus. Meus autem in ipso Maimonidis textu non habet illud משמאלו *a sinistra ejus*, quod ta-

f Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 7. 1.
g Psal. lxxxii. 1.
h Psal. xii. 5.
i Prov. xxii. 22.
k Cantic. iii. 7.
l In *Jad.* tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 3.

men

men illic in margine, ut varians exemplarium lectio, adnotatur. Certe, si retinendum id hic fuerit, ita intelligendus est Maimonides, ut velit reliquos omnes praeter patrem synedrii a sinistra principis consedisse, adeoque ipsum cum patre ad semicirculi sinistram intuenti partem locum habuisse, caeterosque semicirculi residuum secundum dignitatem suam occupasse. Atque ita sane consessum Rabban Gamalielis principis se habuisse in Jabne (illuc enim transferebatur tandem, ut infra ostendetur, synedrium magnum) reperitur in *Thosiphtha*[m], ex narratione R. Eliaezeris e R. Zadok edocti; scilicet, כשהיה רג"' יושב בב"ד ביבנה אבא יושב מימינו וזקנים משמאלו *Quando sedebat Rabban Gamaliel in synedrio* magno *in Jabne, patrem sedisse ad dexteram ejus, & presbyteros reliquos ab ejus sinistra.* Et in Gemara Hierosolymitana[n], ut ab eodem R. Eliaezere, כשהיה רבן גמליאל יושב ביבנה היה אבא ואחיו יושבין מימינו וזקנים משמאלו מפני כבוד הזקן *Quando sedebat Rabban Gamaliel in Jabne, pater & frater ejus sedebant a dextra ejus, & presbyteri reliqui ab ejus sinistra, ob reverentiam ei exhibendam.* Atque hoc quidem refertur velut id quod pro more neutiquam usitatum. Nam proxime ante ibi occurrit, סנהדרי היתה כחצי גורן עגולה והנשיא היה יושב באמצע כדי שיהיו רואין אותו ושומעין קולו *Synedrium erat instar semicirculi; & princeps sedebat in medio, ut ita* commodius *possent eum intueri, & vocem ejus audire.* Unde quidem ejusmodi, ut in Jabne, sessionis formulam pro arbitrio legitimam satis fuisse existimandum, nec mori ita adversam ut non admittenda esset. Caeterum receptior est sententia de formula considendi usitatiori ejusmodi ut princeps & pater in medio semicirculi sederent, reliquique a dextris & sinistris juxta dignitates suas, nec sine scribis binis adstantibus, juxta inferius dicenda. Figuram integram seu ichnographiam sessionis statim exhibemus. Et sane si praetermittatur vox illa משמאלו *a sinistra ejus*, ut in Maimonide MS. meo, verbis ejus satis erit consona sessionis haec figura. Sed vero etiam tum in amplioribus ejus editionibus tum in MS. jam dictis utrisque annotatio hic habetur ex *Thosiphtha* illa, שהנשיא יושב באמצע והזקנים מימינו ומשמאלו *Principis sedem fuisse in medio, ac presbyterorum* seu collegarum reliquorum *a dextra ejus & sinistra*; quod plane amplexandum etiam vult Moses Kotzensis[o]. Idem Maimonides ibi de judicibus vigintitriumviralibus, דיין הגדול בחכמה שבכולן ראש עליהן והשאר יושבין בעיגול כמו חצי גורן כדי שיהא הראש רואה את כולן *Judex qui sapientia reliquis praestabat, caput erat* seu *princeps eorum. Reliqui autem sedebant ut in area semicirculari, ita ut princeps posset omnes contueri.* Ipsa etiam Misna[p], סנהדרין היתה כחצי גורן עגולה כדי שיהיו רואין זה את זה *Synedrium erat ut area semicircularis, ita ut alter alterum posset intueri.* De figura autem hac Gemara ibi Babylonia[q]; מנא הני מילי אמר רבי אחא בר חנינא ואמר קרא שררך אגן הסהר אל יחסר המזג וגומר שררך זו סנהדרין למה נקרא שמה שררך שהיא יושבת בטיבורו של עולם אגן שהיא מגינה על כל העולם כולו הסהר שהיא דומה לסהר אל יחסר המזג שאם הוצרך

Scriba

Collegae reliqui.

71. 69. 67. 65. 63. 61. 59. 57. 55. 53. 51. 49. 47. 45. 43. 41. 39. 37. 35. 33. 31. 29. 27. 25. 23. 21. 19. 17. 15. 13. 11. 9. 7. 5. 3. 1.

Princeps Synedrij magni

Pater Synedrij magni

2. 4. 6. 8. 10. 12. 14. 16. 18. 20. 22. 24. 26. 28. 30. 32. 34. 36. 38. 40. 42. 44. 46. 48. 50. 52. 54. 56. 58. 60. 62. 64. 66. 68. 70.

Collegae reliqui.

Scriba

אחד מהם לצאת רואין אם יש עשרים ושלשה כנגד סנהדרי קטנה יוצא ואם לאו אינו יוצא בטנך ערמת חיטים מה ערמת חיטים הכל נהנין ממנה אף סנהדרין הכל נהנין מטעמיהן סוגה בשושנים שאפילו בסוגה של שושנים לא יפרצו בהן פרצות *Quod ad verba illa* de figura synedrii *attinet, dixit Rabbi Acha Bar Chanina, eo spectare etiam scripturam illam, Umbilicus*[r] *tuus crater figurae lunaris, qui nunquam destituitur vino mixto* (Graeci κρατὴρ τορνευτὸς, μὴ ὑστερούμενος κρᾶμα, Vulgata, *crater tornatilis nunquam indigens poculis*; Judaei Hispanienses, *vaso redondo no faltar la templacion*; Syrus & Arabs pariter; Et Ebraei interpretantur potum illum mixtum per שני חלקי מים ואחד יין *duas partes aquae, & unam vini) Venter tuus acervus tritici, circumseptus liliis.* UMBILICUS TUUS *ibi denotat synedrium* magnum: *& causa cur ita docetur, est, quoniam sedes ejus in umbilico totius orbis,* in templo Hierosolymitano. CRATER *autem adjicitur, quoniam,* velut crater, *traditur orbi universo*; FIGURAE LUNARIS, *quoniam similis est* sedes ejus *Lunae* dimidiatae QUI NUNQUAM DESTITUITUR POTU MIXTO, *quoniam, si cui synedrorum necesse fuerit exire* (Glossa ibi לעסקיו חוץ ללשכת *negotiorum suorum causa extra conclave,* ante memoratum) *observandum erat utrum remanerent* praeter eum *viginti tres, velut synedrium minus. Si ita, exeundi facultas ei concessa est; sin minus, exeundum ei non erat.* VENTER TUUS, ACERVUS TRITICI! *Quid* ACERVUS TRITICI?

[m] Ad cap. 8. tit. *Sanhedrin*, & apud Joseph Karo in *Cesephe Misna* ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 3. [n] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 3 [o] Praecept. Affirmat. 97. [p] Tit. *Sanhedrim*, cap. 4. Babylon. fol 36. 2. [q] Ibid. fol. 37. 1. [r] Cantic. Cantic. cap. vii. 2.


Id

Id e quo commoda quilibet percipit. Etiam ex synedrio commoda quilibet percipit, tametsi ita minus esset quam integrum (id est, quasi aut prope duabus partibus seu binis synedrii vigintitriumviralis numeris minutum, tertia se sustinens, ut vini pars tertia cum duabus aquae mixtis; sic ibi Glossa.) CIRCUMSEPTUS LILIIS; *nimirum velut liliorum tantum seu tenui septo tutum synedrium a nemine perrumpebatur.* Et paraphrasis illic Chaldaea expressius de principe ibi & collegis LXX, & figura consessus illa semirotunda seu semicirculari, ורי״ש, inquit, כתיבתך די בזכותיה מתפרנסין כל עלמא היכמה דעוברא מתפרנס מן פרתיה במעגא דאימיה נהיק באוריתא כסיהרא דסיהרא בביתיה לדכאה ולסאבא לזכאה ולחייבא ולא הסרין פתגמי אוריתא הדירא מפומיה הי כמה דלא הסרין מוי דנהרא רבא די נפק מן עדן ושבעין הכימין כסהרין יתיה כאדר סגול ואוצרין מלין מן מעשר קודשא ונדרא ונדבתא דתקינו להון עזרא כהנא וזרובבל וישוע ונחמיה ומרדכי בלשן אנשי כנשתא רבתא דמתילין לוורדין בגין די יהי יהון חילא למיעסק באוריתא יממא ולילא: *Et princeps synedrii tui, per cujus meritum* (seu, cujus singulari bonitate) *gubernamur per omnia secula, sicut fœtus enutritur per umbilicum in utero matris suae, splendidus est in lege (sicut circulus lunae) quando venit ad pronunciandum quid mundum aut immundum, & ad absolvendum & condemnandum; & non deficiunt verba legis unquam ab ore ejus, sicut non deficiunt aquae fluminis magni, quando effluit e paradiso. Et septuaginta sapientes circumstipant eum sicut area rotunda*, semicircularis: *& cellaria eorum plena sunt decimis sanctificatis, & votivis, & spontaneis, quas constituerunt eis Ezra sacerdos, & Zorobabel & Josua, & Nehemias & Mardochaeus, & Bilsan, viri synagogae magnae. Et comparantur illi rosis* (שושנים accipitur tam pro *rosis* quam pro *liliis*; atque ita vertunt in ante allatis ex Ebraeo Judaei Hispanienses, aliique) *ut sit eis virtus laborandi in lege die ac nocte.* Hisce satis consona sunt quae leguntur apud Rabba Bar Nachmani in *Shir hashirim Rabba* [s], שררך אגן הסהר אלו סנהדרין מה תינוק זה כל זמן שהוא בבעי אמו אינו חי אלא משיבורו כך אין ישראל יכולין לעשות דבר חוץ מסנהדרין שהם אגן הסהר אדרא דאזהרה וגו׳ אל יחסר המזג אל תהסר סנהדרין מעשרים ושלשה דא״ אל יחסר המזג אל תהסר סנהדרין מכפלא שדה וגו׳ *Umbilicus tuus crater figurae lunaris. Denotat hoc synedrium magnum. Atque ut infans, quamdiu est in visceribus matris, non aliunde vivit quam ex umbilico suo, ita Israelitae haud potuere quicquam facere in negotiis publicis & magis arduis citra potestatem seu decretum synedrii sui. Crater figurae lunaris*, seu *rotundus, area lunaris*, seu *splendida*, &c. (ubi R. Isachar Ben Nephthali, הדר שיצא ממנו אזהרה לכל ישראל ודרש אגן על לשכת הגזית שהיתה כחדר עגול כביב כחצי גורן עגולה *Conclave, unde emanant vitae praescripta in omnes Israelitas. Et* CRATER *sumitur hic pro conclavi illo saxeo, quod erat sicut conclave circumcirca rotundum, & instar dimidiatae areae rotundae*; sedes nempe semicircularis erat; & conclave ipsum vult, ni fallor, fuisse orbiculare) NON DEFICIET VINUM MIXTUM, *denotat, Non deficiet sanhedrin ibi ex viginti tribus* (juxta superius dicta; & sic interpretatur illic Isachar Ben Nephthali) *& secundum alios*, NON DEFICIET VINUM MIXTUM, *innuit ibi, synedrio non deficiet princeps suus*, &c. Ejusmodi habentur alia in *Midbar Rabba* [t], eodem Bar Nachmani autore, ubi etiam legitur de loco illo Canticorum, בסנהדרין מדבר שהיתה נתונה בלשכת הגזית ואגן מעידה בשרר ולמה הוא מעידה בשרר אלא מה השרר הזה נתון באמצע הגוף כך סנהדרין כל ישראל נתונה באמצע על בית המקדש *Dicitur de synedrio, quod sedem habuit in conclavi illo saxeo. Et comparatur umbilico. Et quare comparatur umbilico? Etiam quia ut umbilicus collocatur in medio corporis, ita synedrium in medio templi.* R. Obadias Bartenorius eadem de umbilico habet ad Misnam de synedrii sede, quae e Gemara Babylonia jam adduximus; *Et sedebant*, inquit, בעגול כחצי ירח *circulariter in loco lunae dimidiatae similis*, ובעגולה שלימה אין יושבים מפני שצריכים בעלי דינים והעדים ליכנס ולדבר לפני כלם *Sed non sedebant in circulo integro, eo quod per aream extra diametrum necesse erat ut introirent litigatores & testes, & ibi loquerentur coram omnibus.* Quinetiam, ut in aliis synedria vigintitriumviralia subinde imitabantur illud magnum, ita etiam in hac considendi formula. Atque ad hunc modum jam dictum illud Canticorum passim interpretantur Talmudici. [illegible] numerum considentium in synedrio magno viginti-trium minimum legitimum, Gemara item Hierosolymitana [v], סנהדרין שבלשכת הגזית שבעים ואחד היו ואין פחות מכ״ג צריך אחד מהן לצאת היה מסתכל אם יש שם כ״ג הוא יוצא ואם לאו לא היה יוצא *Cum synedrium quod in conclavi lapideo illo magnum constaret ex* LXXI, *numerus ejus* in consessu legitimo *minor esse non debuit quam viginti tres. Et si necesse esset cuiquam eorum exire, perspicere illum oportuit utrum maneret numerus* XXIII. *Tunc enim exire licuit. Sin vero, non licuit ei exire.* Atque ad haec Moses Cotzensis [x]; ומכאן יש לומד שלא היו יושבין כולם תמיד ולא היו מתקבצין כל השבעים אלא בעת הצורך (synedros synedrii magni) *Et hinc discendum non consedisse omnes semper, nec concongregatum fuisse numerum septuagenarium integrum, nisi tantum cum res necessario postularet.*

II. Misna superius memorata, simulac ita tradiderat formulam & figuram considendi, pergit de aliis adstantibus, aliis etiam pro more coram synedriis vigintitriumviralibus intra aream illam considentibus, ושני, inquit, סופרי הדיינין עומדין לפניהם אחד מימין ואחד משמאל וכותבין דברי המזכין ודברי המחייבין ר׳ יהודה אומר ג׳ אחד כותב דברי המזכין ואחד כותב דברי המחייבין והשלישי כותב דברי המזכין ודברי המחייבין *Et duo judicum scribae adstabant coram eis, alter a dextris, alter a sinistris, qui scribebant verba absolventium & verba condemnantium. R. Jehuda dixit, Tres, quorum unus absolventium, alter condemnantium, tertius tam absolventium quam condemnantium verba scribebat.* Hi scilicet sunt scribae capite superiori memorati. Sed illud

[s] Fol. 34 col. 3. [t] Fol. 229. col. 3. [v] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 3. [x] Praecept. Affirmat. fol. 186. col. 4.

Rabbi Jehudae neutiquam receptum [y]. Sequitur dein de tribus ordinibus dignitatis presbyteralis candidatorum seu discipulorum illustrium, singulis ex viginti tribus constantibus, coram synedris, sed tantum vigintitriumviralibus, considentibus; ושלש שורות של תלמידי חכמים יושבין לפניהן כל אחד ואחד מכיר את מקומו היו צריכים לסמוך סומכין מן הראשונה, אחד מן השניה בא לו לראשונה אחד מן השלישית בא לו לשניה, בוררין להן עוד אחד מן הקהל, ומושיבין אותו בשלישית ולא היה יושב במקומו של ראשון אלא יושב במקום הראוי לו *Et tres ordines discipulorum sapientum*, seu candidatorum, quales diximus, *coram synedris sedebant Et quisque eorum suum novit locum. Si quem ordinare necessitas exigeret* (si necesse esset ut fieret eorum quis, ex re praesenti, juxta superius dicta & inferius dicenda, presbyter, atque in judiciariam manuum impositione cooptaretur facultatem) *ex ordine is sic ordinabatur primo. Tum primus ordinis secundi ascendebat in primum; & primus ordinis tertii ascendebat in secundum: Dein ex congregatione* seu *populo suo seligebant unum, qui collocandus in tertio. Sed ei minime sedendum erat in loco prioris, sed in loco ipsi idoneo.* Ordinum horum quemlibet ex viginti tribus constitisse receptum est; unde de numero 69, seu tribus hujusmodi ordinibus praeter synedros 23, mentio superius, ubi [z] de numero incolarum synedrii vigintitriumviralis constitutioni idoneo. Et de ordinibus hisce, eorumque numero locisque, expressius Maimonides [a], כל סנהדרי קטנה מושבין לפניהם שלש שורות של תלמידי חכמים בכל שורה ושורה כ"ג איש. שורה ראשונה קרובה לסנהדרין ושורה שנייה למטה הימנה ושלישית למטה הימנה וכל שורה ושורה יושבין בה לפי מעלתן בחכמה אם נחלקו הסנהדרין והוצרכו לסמוך אחד להוסיף על מנינן סומכין מן הראשונה גדול שבה והראשון שבשורה שנייה בא ויושב בסוף שורה הראשונה כדי למלאות המקום. והראשון שבשלישית בא ויושב בסוף שורה שנייה. ובוררין להן אחד משאר הקהל ומושיבין אותו בסוף שורה שלישית. וכן אם צרכו לסמוך שנים או שלשה על הסדר הזה הם עושים: *In quolibet synedrio minore* vigintitriumvirali *collocabant coram synedris tres ordines discipulorum sapientum, singulos ex viginti tribus viris constantes. Ordo primus proximus erat synedrio ipsi; secundus, illo inferior; tertius, inferior illo. In quolibet autem ordine considebant secundum dignitatem suam in sapientia. Si dissensus esset inter synedros adeo ut necesse esset* (pro more, ubi dissensus haberetur) *eis quemquam ordinare ad augendum suum numerum, ordinabant ex primo eum qui illic antecellebat. Et primarius ordinis secundi surgens sedebat in loco infimo primi, ut ita compleretur ejus defectus. Pariter primarius ordinis tertii surgens sedebat in loco infimo secundi. Dein seligebant ex populo suo reliquo unum, & collocabant eum in tertii loco infimo. Atque ad hunc modum se res habuit, si necesse esset* ejusmodi ex causa *binos, aut tres, pluresve ordinare.* Totidem ferme verbis utitur ex veterum placitis Moses Kotzensis [b]. Usus autem ordinum horum non modo in eo erat ut inde sic in judicii capitalis dissensu adsciscerentur vigintitriumviralibus synedris ex eis, si res postularet, juxta superius dicta [c], plures etiam usque ad numerum 71 (ut sic magni imitatio quaedam fieret) verum etiam ad synedrorum demortuorum locos supplendos. Atque oportuit ut in hisce ordinibus minor numerus quam 48 nunquam haberetur, ne scilicet, si in dissensu necesse esset ut compleretur tandem numerus 71 (qui ex 23 seu synedrio ipso ac 48 sic adsciscendis conficitur) deessent qui complerent. R. Obadias Bartenorius [d], ordines illi tres sic collocabantur, שמא יחולקו הדיינים ויהיו רובן מחייבין ומיעוטן מזכין והטיה לרעה אינו על פי אחד כדכתוב לא תהיה אחרי רבים לרעות. וצריך להוסיף ביתדין עד ע"א שלעולם אין מוספין על הדיינים יותר מע"א הילכך צריך להושיב לפניהם ארבעים ושמנה כשהשלמת שבעים ואחד *Ne aliter, si dissentirent synedri, & pars uno major condemnaret, & minor absolveret, inclinatio* seu *propensio inde in malum poenae fieret ex unica* superante *sententia, quod admitti non debuit, ex eo quod scriptum est* [e], *Non sequeris plures* (simpliciter plures) *ad malum* poenae infligendum. *Et ne hoc fieret, opus, si res postularet, erat adjicere plures per paria usque ad* 71. *Nec unquam ultra* 71, *judicibus adjiciendus quisquam. Ideoque necesse erat ut coram praesto sederent minimum* 48, *qui numerum illum* 71 *complere possent.* Id est, tot quot binorum integrorum ordinum numerum, seu 46, & par insuper unum, conficerent. Hinc etiam observatu est dignum, quale etiam in id genus aliis observavimus, synedria illa vigintitriumviralia, in synedrorum dissensionibus, quales diximus, judiciariis, numerum ac dignitatem synedrii magni seu septuagintauniusviralis a Deo O.M. ipso instituti, veluti sibi prototypon & exemplar praescriptum, summa cum reverentia suspexisse. Figura, ex jam dictis, sessionis ad hunc modum



se habuit tum synedrii cujuslibet vigintitriumviralis, tam Hierosolymis quam alibi collocati, tum ordinum illorum trium coram synedris considentium. Et de ordinibus illis tribus intelligendus est vir magnus [f], ubi ait, *Ad pedes sedebant discipuli, ut ipso usu jus addiscerent, & in morientium aut decrepitorum locum surrogarentur.*

III. Ex ordinibus illis & synedriorum vigintitriumviralium synedris, ubi res turbidae non prae-

[y] Maimonides ad dict. Misnam & Hilc. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. § 9. [z] Cap. 5. § 3. [a] Hilc. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 7 & 8.
[b] Praecept. Affirmat. 97. [c] Cap. 5. §. 2. & 4. [d] Ad Misnam tit. *Sanhedrin*, cap. 4. §. 4. [e] Exod. xxiii. 2.
[f] Hugo Grotius ad Deut. xvi. 18.

pedirent,

I

pedirent, cooptabantur ſurrogabanturque collegae ſynedrii magni. Cooptatio autem ejuſmodi & ſurrogatio, pro ſeculorum diverſitate, dominantium libitu caeteris quae, ut fieri amat, in rebus civilibus mutant, alia atque alia proculdubio erat. Primae cooptationis rationem jam ante g e Talmudicis oſtendimus; quae nunquam iterata. Seculorum inſequentium alia erat ordinaria, alia extra ordinem adhiberi ſolita. Ex ordinaria ratione dubitari nequit quin e celebrioribus juriſconſultis in facultatis judiciariae, modo inferius indicando, dignitatem evectis collegae in ſynedrium magnum adſciſcerentur. Solennior autem & receptior etiam in ea mos erat, ut ex ſynedrio vigintitriumvirali ad atrium templi poſito, velut e promptuario unde magnum ſynedrium ritu ordinario ſupplendum eſſet, ſucceſſores evocarentur. Evocabantur nempe e minoribus per urbes & provincias ſynedriis viri egregii in ſynedrium illud alterum Hieroſolymis ad montem templi collocatum; demortuis ſcilicet aut ſummotis collegis. Illinc, ut ſucceſſores, in ſynedrium quod ad atrium templi ſedes habuit, evecti. Adeo ut neminem praeter ſpectatiſſimos, multoque rerum forenſium uſu eminentiſſimos, dum hunc morem in republica pacata ac florente obſervabant, adſcitos in ſynedrium hoc magnum fuiſſe ſit maniſeſtiſſimum. Hac de re Hieroſolymitani [h], verbis primo de ſynedrio hoc factis, משם היו שולחין בכל עיירות שבארץ ישראל וכל שהיו מוצאין אותו חכם עניו שפוי עין טובה נפש שפלה רוח נבוכה לב טוב יצר טוב חלק טוב היו מושבין אותו בבית דין שבהר הבית ואחר כך בבית דין שבחיל ואחר כך בבית דין הגדול שבלשכת הגזית *Inde mittebant in quamlibet urbem terrae ſanctae; & quem comperiebant eſſe ſapientem, manſuetum, natura ſedata, boni oculi* ſeu *liberalem, animo ſubmiſſo, ſpiritu humili, corde bono, bono affectu, fortuna bona, eum collocabant* ſeu *cooptabant in ſynedrium ad montem templi poſitum, & poſtea in ſynedrium quod ad antemurale ſedes habuit* (idem quod alias *ad atrium* dicitur) *& poſtea in ſynedrium magnum, quod in Liſkat hagazith*, ſeu *in conclavi lapideo*. Babylonii item [i]; משם כותבין ושולחין בכל המקומות כל מי שהוא חכם ושפל ברוח ודעת הבריות נוחה הימנו יהא דיין בעירו משם מעלין אותו להר הבית משם לעזרה משם ללשכת הגזית *Inde ſcribebant mittebantque per omnia loca; Qui ſapiens eſt, genu humili, & hominibus gratioſus, fiat judex in urbe ſua. Inde evehebant eum ad montem templi; inde ad atrium; atque inde demum ad conclave lapideum.* Ubi gloſſa, משם מעלין אותו להיות דיין בהר הבית כשמת אחד מהם ויושב שם עד שמת אחד משל עזרה ומעלין את זה שם וכולן יש בהם מעלה זה מזה *Inde evehebant eum in dignitatem judicis in monte templi, quoties ex illo ſynedrio quis obierat. Ibi ſedes habebat uſque dum moriebatur quis ex ſynedrio ad atrium poſito, quo tunc etiam evectus eſt. Et univerſim ita ab altero ad alterum ſolebant evehi.* Maimonides item [k]; אמרו חכמים שמב"ד הגדול היו שולחין בכל ארץ ישראל ובודקין כל שימצאוהו חכם וירא חטא ועניו ושפל ופרקו נאה ורוח הבריות נוחה הימנו עושין אותו דיין בעירו ומשם מעלין אותו לפתח הר הבית ומשם מעלין אותו לפתח העזרה ומשם מעלין אותו לבית דין הגדול *Accepimus a ſapientibus, morem fuiſſe, ut e ſynedrio magno mitterent per univerſam terram ſanctam, inquirerentque de quolibet qui ſapiens eſſet, timens peccatum, manſuetus, probatae rebus in diſcriminandis indolis, atque apud homines gratioſus. Virum ejuſmodi feciſſe in urbe illius judicem, inde etiam eum ad introitum montis templi evexiſſe, inde itidem ad oſtium atrii, atque inde demum ad ſynedrium magnum.* Sic alii [l]. Extra ordinem, ſaltem non modo jam dicto, qui ad tempora gentis pacatiora ſalvamque rempublicam attinet, cooptati ſurrogatique ſunt judices a regibus aliiſve quibus ſumma rerum permiſſa fuit, cum ſynedria poſt deliquium aliquod ſeu intermiſſionem inſtaurabantur. Exemplum habetur ejuſce rei in illo Joſaphati in Paralipomenis [m]. Huc ſpectat quod habetur apud Maimonidem [n] de ſynedrio magno conflando, quando unicus tantum in terra ſancta repertus fuerit rite ordinatus presbyter. Quin tam ſorte quam ſuffragiis interdum, opinor, cooptati ſunt, quod forte innuit Philo ubi [o] memorat, de judicibus Judaeorum ſuorum inprimis locutus, τοὺς λαχόντας ἢ χειροτονηθέντας δικάζειν, *eos quibus ſive ſorte ſive ſuffragiis judicandi poteſtas obvenit.* Alia locis ſuis inferius tradita huc ſpectabunt.

IV. Habetur autem apud Flavium Joſephum quod jam dictis ex Talmudicis, adeoque Talmudicis ipſis, eſt perquam, in numero collegarum ſynedriorum minorum, eorumque miniſtris & diſpoſitione adverſum. Nimirum inter praeſcripta Moſaica facit ex eis ille καθ' ἑκάστην πόλιν *in qualibet urbe* ſynedrium ſeu tribunal ſeptemvirale. Verba ejus ſunt [p], velut ex Moſis ore, Ἀρχέθωσαν δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν ἄνδρες ἑπτά· οἱ καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν περὶ τὸ δίκαιον σπουδὴν προησκηκότες. Ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ δύο ἄνδρες ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς. Ἔστωσαν δὲ καὶ οἱ δικάζειν λαχόντες τῶν πόλεσιν ἐν ἁπάσῃ τιμῇ, ὡς μήτε βλασφημεῖν ἐκείνων παρόντων μήτε θρασύνεσθαί τισιν ἐξεῖναι· τῇ πρὸς τοὺς ἐν ἀξιώμασι τῶν ἀνθρώπων αἰδοῖ αὐτοὺς εὐλαβεστέρους, ὥς τε τοῦ Θεοῦ μὴ καταφρονεῖν ἀπεργαζομένης. *Qualibet in urbe praeſint, gubernent* ſeu *praeficiantur, ſeptem viri, probatae virtutis, & juſtitiae cultores. Singulis vero praefecturis tribuantur duo miniſtri ex Levitarum tribu* (quod nos hic *praefecturis*, Gelenius vertit *magiſtratibus*; & *a chaſcun magiſtrat*, Genebrardus; unde etiam e Latino & Gallico Thomas Logius Anglice, **Let each one of these magistrates**, &c.) *Quibus vero judicandi ſors obtigerit, ſuis in urbibus ſummo in honore habeantur, adeoque ut praeſentibus illis nec conviciari liceat, nec contumacius aut inſolentius quid agere. Sic enim fiet ut aſſueti homines revereri magiſtratus eorum religioſiores inde etiam a numinis contemptu longius ſemoti fuerint.* Ruffinus vertit; *Principes autem ſint in unaquaque civitate viri ſeptem, qui & virtute & juſtitiae ſtudio ſint eximii. Unicuique vero principatui duo viri miniſtri praebeantur ex tribu Levitarum. In omni autem honore qui urbibus judicare conſtituti fuerint habeantur, ita ut illis praeſentibus neque blaſ-*

g Cap 4. h Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19 col. 3. i Ad tit *Sanhedrin*, cap. 10. fol 58 b. k Halach. *Sanhedrin*, cap 2. l Moſes Cotzens. Praecept aff. 97. m Lib. 2. cap. xix. 5. n Tit. *Sanhedrin*, cap 4. §. 11. o Lib. περὶ δικαστ. p Originum, lib. 2. cap 8.

phemare

phemare neque aspere agere liceat aliquibus; sic utique respicientibus pudorem dignorum hominum, tanquam si Deum in illis contemnere videantur. Gallica inde vetus versio [q], *Les princes soyent en un chascune cite au nombre de sept, qui soyent vertueux & studieux en justice; soyent bailles à chascun principaulte deux homes serviteurs & ministres du tribu des Levites.* Atque hoc apud Josephum velut commentarius est ad praeceptum ipsum in Deuteronomio [r] de judicibus constituendis, uti & recte expressiusque capitur a Petro Comestore [s], aliisque. Etiam Josephus postmodum eodem in capite, de depositi jure, judicibus, jurejurando agens ex eis quae in Exodo [t] traduntur, judices ibi memoratos pro septemviris hisce diserte sumit, quasi citra dubium is fuisset numerus praescriptus, adeoque per urbes legitimus. De depositario qui depositum perdiderit loquens, Ἀφικόμενος, inquit, ἐπὶ τοὺς ἑπτὰ κριτὰς ὀμνύτω τὸν Θεὸν &c. *Accedens ad septem judices juret,* &c. Et dubitandum non est quin de judicibus urbium & civitatum ordinariis, qui ex legibus Mosaicis instituendi essent, ibi locutus fuerit Josephus, quod itidem alia ex eo inferius adducenda facient manifestius. Sed hoc de septemviris, ut Talmudicae doctrinae est minime in modum dissonum, ita nec alibi puto, nisi ex Josepho autore, lectum auditumve: Autore interim qui audacius jactat se res Ebraeorum per omnia secula ad suum diligentissime & veracissime perscripsisse, & absolutis libris illis τῆς ἀρχαιολογίας seu *Originum*, λέγω, inquit [v], θαρρήσας ἤδη διὰ τὴν τῶν προτεθέντων συντέλειαν, ὅτι μηδεὶς ἂν ἕτερος ἠδυνήθη θελήσας, μήτε Ἰουδαῖος, μήτε ἀλλόφυλος, τὴν πραγματείαν ταύτην οὕτως ἀκριβῶς εἰς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. Ἐγὼ γὰρ ὁμολογοῦμαι παρὰ τῶν ὁμοεθνῶν πλεῖστον αὐτῶν κατὰ τὴν ἐπιχώριον παιδείαν διαφέρειν, καὶ τῶν Ἑλληνικῶν γραμμάτων ἐσπούδασα μετασχεῖν, &c. quod vertit Ruffinus, *Dico siquidem cum fiducia, opere jam perfecto, quia nullus alter, licet voluntatem habuerit, neque Judaeus, neque alienigena, potuit hoc negotium Graecis ita subtiliter explanare. Habens enim indubitanter a congentilibus meis maximam eruditionem nostrae provinciae, etiam Graecas studui literas adipisci,* &c. Quod verti debet, *Agnoscunt enim tribules mei, disciplinam me patriam egregie prae caeteris callere. Etiam literarum Graecarum studiosus fui,* &c. Et paulo post adeo raros sapientes apud suos tunc facit ut vix omnino quemquam praeter se sapientis, id est, theologi & jurisconsulti praeclarioris, nomen meruisse existimasse videatur. Certe quidnam in causa fuerit cur Josephus aut septenarium hic numerum, aut illud de tribus Leviticae ministris, sic adjecerit, nondum ariolari quivi. Sed in legum sacrarum ejus enumeratione non pauca sunt alia & textui sacro & Talmudicae disciplinae haud parum dissona. Et de erratis ejus vide prae aliis Antonium Possevinum [x] & Jacobum Salianum in annalibus sacris, qui diligentius ea congesserunt. Praestantissimus autem vir Hugo Grotius ad Christi [y] illud, Ὃς δ' ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, *Qui caedem patraverit, reus erit judicii,* non dubitans quin locus ille ad jurisdictionem judicum in lege praescriptorum, poenasque inde capitales [z] irrogandas, spectarit (qua de re plura inferius.) *Apparet,* inquit, *ut hoc ita & sequenti commate κρίσιν, quod Matthaeus dixit* דין, *non esse consessum triumvirorum sive pedaneorum judicum, sed auditorium judicum qui in portis cujusque civitatis jus super caussis majoribus reddebant, & in homicidas etiam lege agere solebant, de quibus agitur Deuteron.* XVI. 18. XXI. 2. *Quanquam enim capitalia judicia jam eo tempore cum Christus haec diceret Judaeis erant adempta* (ea de re etiam plura inferius) *erat tamen mos ille Judaeorum notus omnibus & in recenti memoria. Cum autem consessum istorum judicum Hebraei omnes dicant fuisse viginti trium, mirum multis videtur quod Josephus, quem patrii moris nihil latuit, septem solos statuere videtur.* Et allatis tunc Josephi verbis, *Sed mihi,* ait, *ipse Josephus hunc nodum solvere videtur, cum verbis sequentibus dicit,* Ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ ἄνδρες δύο ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς. *Nam* ἀρχὴν *intelligit singulos magistratum gerentes, quibus singulis bini erant additi assessores periti juris, quos Josephus* ὑπηρέτας *vocat, quod est Hebraice* שוטרים. *Septem ergo municipes loci erant judices, praeterea adsessores* XIV, *qui ex Levitis maxime sumebantur. His supernumerarii accessisse videntur unus & alter.* Sic ille; adeoque cum Gelenio vertit *singulis magistratibus* (pro personis sumptis) *attribuantur duo ministri,* &c. Atqui ita ex Josepho ipso fiunt tantum viginti unus. Quod ad supernumerarios spectat, nihil omnino habet ille. Et nodus manet, si quid video, ut ante, insolutus, si non insolubilis. Id quidem verum est, ἑκάστῃ ἀρχῇ ita, ex vocis vi, posse intelligi ut significet, *unicuique eorum qui praeficiuntur.* Et paulo post ibi ipse Josephus de judicibus & presbyteris agens, quibus exeundum erat [a] ad distantias urbium cadaver ita clam occisi ut caedis nullibi index haberetur circumjacentium metiendas, Αἱ ἀρχαί, inquit, τῶν πόλεων τῶν πλησίον τῇ χώρᾳ ἐν ᾗ ὁ φόνος ἐπράχθη καὶ ἡ γερουσία συνελθόντες μετρείτωσαν, quod vertit Ruffinus, *Principes civitatum vicinarum regionis illius in qua caedes facta est & seniores convenientes metiantur,* &c. Et Gelenius ibi, *magistratus oppidorum vicinorum*; uti & Genebrardus, *les magistrats,* &c. Adeoque non ita male existimari quibat, non praefecturam septemviralem quamlibet, sed praefecturae ejusmodi quemlibet collegam nomine ἀρχῆς Josepho hic venire. Sed vero, ut Latinis *magistratus,* qui bene respondet τῇ ἀρχῇ, uti & *officium* [b], tum ipsum magistratus ac officialium officium, tum ipsas magistratum seu officium sustinentium personas pariter significat, ita ἡ ἀρχὴ Graecis. Et saepius in foedere novo ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι hoc sensu occurrit, id est, in ipso quo scripsit Josephus tempore. Unde potius autumandum, Josephum in illo ἑκάστῃ τῇ ἀρχῇ officium magistratus, principatus seu praefecturae in septemviris suis, seu septemvirale quodlibet collegium, innuisse quam singulos ejusdem collegas. In τῇ ἀρχῇ ἑκάστῃ ita simul conjunguntur ut principatus seu praefectura eorum in collegio quod faciebant, non in singulis, Josephi etiam sensu, haberetur. Ideoque etiam ἡ ἀρχὴ ἑκάστη statim post

[q] Apud Stephanum Cavalerium Parisiis 1539. [r] Cap. XVI. 18. [s] Histor. Scholastic. ad Deut. XVI. [t] Cap. XXII. 7. &c. [v] Lib. 20. cap. 9. [x] In Apparatu Sacro. [y] S. Matth. v. 21. [z] Levit. XXIV. 2. Numer. XXXV. &c. [a] Deuteron. XXI. 2. [b] L. 74. 5. D. tit. De Evictionibus, l. 1. C. tit. De Praescript. 30 vel 40 annorum.

adhibita

adhibita singula ejusmodi collegia videtur innuere. Et, ni fallor nimium, longe manebit Josephi sensus ab eo qui Talmudicis receptissimus, tametsi ita, ut praefertur, numerus conflaretur viginti trium. Neque enim ὑπηρέται *ministri*, nec שוטרים seu *officiales*, ex numero judicum unquam fuere. Neque inter judices seu collegas ipsos, quantum ad potestatem judiciariam, dignitas ullatenus dispar. Nec sane videtur alios per ministros illos binos innuisse Josephum quam binos scribas qui singulis synedriis vigintitriumviralibus, non omnino collegis singulis, erant, ut ante ostensum, ex disciplina Talmudica necessarii. Lectionem hac de re Josephi tentare fas non videtur. Codices veteres ἄνδρες ἑπτὰ *septemviri* habuisse satis scitur ex Ruffino, qui ita legebat. Sed non solum mihi nondum numeri illius Josephiani ratio ulla omnino comperta est, sed nec quonam colore aut commento illuc is irrepserit, τῶ ἄνδρες εἴκοσι τρεῖς *vigintitriumviri* (juxta Talmudicos) locum revera debitum mire sic occupans, conjectare omnino quivi. Habetur quidem de solenni mensium annorumque intercalatione numeri judicum ex synedrio magno septenarii mentio velut qui ut commodior sufficeret. Misna [c]; *Rabbi Simeon Ben Gamaliel dixit* (de intercalatione verba faciens) בשלשה מתחילין ובחמשה נושאין ונותנין וגומרין בשבעה ואם גמרו בשלשה מעוברת *Incipiunt tres, quinque autem de re disputant, & rem perficiunt septem; sed ita ut, si tres rem perficiant, rite satis perficiatur.* Id est, totidem ex synedrio sumpti magno, veluti synedrii totius delegati, quorum numerus, aut alius ejusmodi, (veluti in vitulae decervicandae judicio, de quo libro proximo) ad synedria per urbes alias disposita non omnino attinet. De illis autem jam ante dictis synedris & judicibus aiunt Ebraei [d], אין קרוי אלהים אלא בית דין שנסמך בארץ ישראל בלבד והם האנשים החכמים הראויין לדון שבדקו אותן בית דין של ארץ ישראל ומנו אותם וסמכו אותן: *Neutiquam tribuebatur nomen Elohim*, Deorum, *aliis quam synedris qui ordinarentur in terra Israelitica tantum; qui scilicet fueri viri sapientes & judiciis idonei; quos conquirebant synedri terrae Israeliticae, & praeficientes ordinabant manuum impositione*; de qua plura capite proximo. Et consonum de nomine *deorum* (de quo ut judicibus tributo frequens in scriptura mentio) habetur in Gemara Babylonia [e], ejusque glossa, ubi ad judices in synedriis Babylonis seu captivitatis judaicis nomen illud non attinuisse asseritur. Ratio ex eis quae de ordinatione extra terram capite traduntur proximo petenda.

V. Sed vero non desunt inter scriptores christianos viri etiam magni nominis, qui institutionem qualem e Talmudicis ostendimus synedriorum per Ebraeorum urbes neutiquam agnoscentes, nec magnum quidem, nec minora, ullave apud eos fuisse admittere videntur synedria ante Pompeii tempora (quod satis mirere) cum Hyrcanus regno exutus, sacerdotio est restitutus, Gabinio tunc ibi Pompeii legato; seu anno ante Christum 50 aut circiter. Nimirum in controversia illa inter Josephum Scaligerum & Dionysium Petavium de Neomeniis, adeoque omni menstruorum annuorumque temporum ratione a synedrio magno decernendis, agitata, in qua, Talmudica de synedrio illo utitur doctrina Scaliger, in eum scribens Petavius, *Erant*, inquit [f], *apud Judaeos in Palaestina tota* συνέδρια *sive concilia plurima; quorum praecipuum erat Hierosolymitanum, a quo caetera pendebant. Horum* συνεδρίων *origo ab Gabinio mihi manasse videtur, qui Pompeii legatus, Hyrcano restituto, ut autor est Josephus lib.* XIV. *cap.* X. *Populum in quinque partes distribuit, totidemque* συνέδρια *constituit; unum Hierosolymis, alterum Gadaris, tertium Amathunte, quartum Hierichunte, quintum Samphoris; ex quo conjici potest, non ita vetus illud esse ut ex synedrii decreto Neomeniae publicarentur.* Et verum quidem est apud Josephum illic legi de Gabinio illo, Πέντε δὲ συνέδρια καταστήσας εἰς ἴσας μοίρας διένειμε τὸ ἔθνος· καὶ ἐπολιτεύοντο οἱ μὲν ἐν Ἱεροσολύμοις, οἱ δὲ ἐν Γαδάροις, οἱ δ' ἐν Ἀμαθοῦντι, τέταρτοι δὲ ἦσαν οἱ ἐν Ἱεριχοῦντι, καὶ τὸ πέμπτον ἐν Σαμφόροις τῆς Ἰουδαίας. καὶ οἱ μὲν ἀπηλλαγμένοι δὲ δυναστείας ἐν ἀριστοκρατείᾳ διῆγον. *Quinque curias constituens* (sic Ruffinus) *aequalibus turmis gentem divisit, quarum una in Hierosolymis degebat, alia in Gadaris, tertia in Amathunte, quarta vero in Hierichunte, quinta in Sephoris Galilaeae; qui regia potestate liberati sub optimatum gubernatione vivebant. Synedria* hic sic dicta Josepho (quod ut nomen publicorum conventuum omnimodorum adhiberi solet) & *curiae* Ruffino, Gelenio sunt *juridici conventus*, Genebrardo *sieges judiciaux*; & Josepho suo illic adnotabat vir maximus, Isaacus Casaubonus, συνέδρια, *quae hodie vocaremus Balliages, praefecturae.* Caeterum an velut ex jure pristino Judaeorum, quoad regiminis formulam, ejusve reliquiis ullis, an ex juris formula aliqua Romani, instituta haec fuerint a Gabinio, haud satis liquet. Certe, si ex Judaeorum jure ex victoris arbitrio victis qualitercunque permisso; tum aequum est ut existimemus tum septuagintaunniusvirale Hierosolymis tum vigintitriumviralia reliquis in locis collocata esse. Si ex juris Romani formula aliqua, tunc, ut pro arbitrio victoris aut aliter aliterque ubique se haberent, aut parili ubique formula, sed Ebraicae dissona, constituerentur, necessum est. Atqui rationi alicui mihi non ita videtur consonum, originem synedriorum apud Ebraeos inde manasse autumare; quod sane quid aliud est, quam Ebraeos per tot a Mose secula conventibus juridicis seu ejusmodi publicis omnino caruisse? Certe si consessibus ejusmodi sic caruissent, nec regimine aliquo in facinorosis coercendis legitimo per totum illud tempus uti potuissent. Sunt etiam [g] qui nec synedrii magni institutionem ejusmodi fuisse in numeris, secundum ante inde dicta, ut in populo Ebraeo permaneret, sine dubio admittunt. Sed vero, tum eis quae sic per conjecturam de synedriorum illic omnimodorum origine adeo recente emissa sunt, tum dubio illi de synedrio magno ampliter cuique satisfactum fore credimus partim ex ante allatis, partim ex eis quae inferius de successione & duratione eorum exhibebimus.

[c] Tit *Sanhedrin*, cap. 1.
[d] Maimonides Hilc. *Sanhedrin*, cap. 4. § 4.
[e] Ad tit. *Baba Kama*, cap 8. fol. 84. 2.
[f] De Doctrina Temporum, lib. 2. cap 27.
[g] Benedictus Pererius ad Genes. xlix. §. 84.

CAP. VII.

I. *Cooptandis in synedria jurisdictionis contentiosae, intra terram sanctam publice constituta omnimoda, dignitas presbyteralis necessario praevia. Quomodo & a quibus collata, praesentibus, absentibus; ante Hillelem seniorem; post. Manuum impositio. Gemara Hierosolymitana emendata. Titulus Rabbi. Magistrorum sententia de presbyterorum numero amplissima a Davide rege ordinato.*

II. *Presbyteri in facultatem particularem variatim ordinati. Et de ligando & solvendo, seu licitum & illicitum pronunciando. Ligati & soluti arcanum.*

III. *Presbyteri nomen etiam & dignitas qualiscunque itidem tributa privatis aliquot e vulgo, nec solenniter ordinatis; qui tamen actibus aliquot forensibus jurisdictionis non modo voluntariae sed &, in triumviralibus ex compromisso judiciis, contentiosae satis idonei. Presbyteri plateae, idiotae, privati; ut laici.*

IV. *Non ex jure divino, sed moribus receptis superinductisque, scilicet jure plane humano, pependit apud Ebraeos presbyterorum omnigenorum ordinatio, adeoque manuum impositio.*

V. *Ordinationis judiciariae actus extra terram sanctam rite peragi nequibat. Et de constitutione & jurisdictione judicum Ebraicorum in suos extra terram, nec tamen ritu solenni ordinatorum facultate praeditorum. AEchmalotarcharum jus.*

VI. *Rabbi Jehuda Ben Baba sub Adriano misere caesus, eo quod intra terram sanctam contra edictum de ordinatione Caesareum presbyteros aliquot, ne legitima imposterum alias periret ordinatio judiciaria, ordinasset. De decem Rabbinis a Romanis occisis, eoque nomine & numero celebrari prae aliis solitis. Tota terra sancta Ebraeis interdicta. Longius ab ea omnes semoti. Scriptorum aliquot veterum ea de re hallucinatio. Monitum de Judaeis τῇ* גיפרי*, id est, Cypro insula, a Trajano Caesare interdictis. Presbyteri seu primates in synedriis Palaestinae in codice Theodosiano nominati; & de lectione illa.*

VII. *Ut intra terram tantum ordinatio in facultatem judiciariam rite peragi potuit, ita tam intra quam extra illa quae erat in facultatem ligandi, solvendi, docendi, qualis ab apostolis extra terram tunc data; nec judiciaria seu forensis aliqua.*

VIII. *Haudquaquam obstare quod habetur in epistola ad Corinthios de judicando eos qui intus sunt. Judicia secularia. Contemptibiles in ecclesia Corinthiaca judiciis praeficiendi. An tunc illic presbyterium aliquod forense?*

IX. *De presbyteris, eorumque coetibus seu presbyteriis, inter christianos tempore apostolorum.*

X. *Ad interdictum D. N. Jesu Christi de nominibus Rabbi & patris & principis.*

XI. *De presbyterorum & inunctionis infirmorum mentione apud S. Jacobum, ac extremae unctionis usu inde tum in occidente tum in oriente.*

XII. *Monitum de morientium inunctione apud veteres Ebraeos, unde forsan manavit illud S. Jacobi.*

XIII. *De loci illius sensu consideratio nova.*

QUI rite in synedria jam dicta ac regulariter cooptandi aut non cooptandi fuere, plurifariam invicem discriminabantur; dignitate civili singulorum rite cooptandorum praevia; etiam praestantia qualicunque sine dignitate ejusmodi; natalibus; vitae genere; scientia ac corporis animique habitu, aliisque aliquot illi cognatis; eminentia in regimine illo, velut regum, singulari. Dignitas, quam hic dicimus, civilis est singularis illa presbyteratus manuum impositione, quam סמיכת הזקנים *ordinationem presbyterorum* vocant, conferri solita; de qua tum alibi [h] tum libro superiore [i] obiter a nobis est dictum, uti & de *presbyteri* nomine & dignitate illic fusius. Atque ex illis jam ibi traditis, reliquisque libro hoc secundo & tertio de synedriis ac synedris, id est, presbyteriis & presbyteris, Ebraeorum adjectis, facile cuique erit sibi satis formare *historiam presbyterorum* ac *presbyteriorum*, quam in citatis promisimus. Monendum autem hic, juxta quod libro primo notavimus, Maimonidis locum illum in cunctis, puto, editionibus (quinque penes me sunt) אחד בית דין הגדול ואחד סנהדרין קטנה או בית דין של שלשה צריך שיהיה אחד מהן סמוך מפי הסמוך: *Parile jus spectabat ad synedrium magnum, minus, ac triumvirale, ita scilicet ut oporteret unum ex illis*

[h] Ad Origines Eutychii & in Uxore Ebraica, lib. I. cap. 15.
[i] Cap. 14. p. 1088.

esse
I

esse ordinatum manuum impositione ab alio sic ordinato; corrigendum in כל אחד מהן *unumquemque ex illis esse ordinatum*, &c. Nec solum ita habet MS. meus illic memoratus, sed etiam pervetustus qui bibliothecae est Arundellianae. Et perquam mirum est tam insigne mendum tot in editionibus, nec sine commentariis diligentioribus, neutiquam fuisse correctum. Manuum impositionis ritu velut a Mose derivato (quem ita creasse in dignitatem hanc non modo Josuam[k], sed itidem ante septuaginta illos sibi in synedrium magnum adscitos, aiunt) in creandis presbyteris Ebraei utebantur, atque ita ut, usque ad tempora regiminis sui quasi postrema, quoties quis in facultatem judiciariam, id est, in dignitatem presbyteratus ejusmodi ut praefecturae alicujus judiciariae aut synedrii publice in jurisdictionem contentiosam constituti satis fieret capax, creandus esset, is sive a triumviris ab ipso hanc in rem selectis, quorum unus minimum esset ante sic creatus, adeoque sive a pluribus sic electis, modo ante sic creatus non deesset, sive a synedrio integro, aut ejusdem collega aliquo unico duos alios sive creatos sive non creatos sibi adsciscente, rite satis crearetur. Atque mos hic universim ac regulariter obtinuit (modo intra terram sanctam quoad judiciariam facultatem fieret) usque ad Hillelis principis synedrii magni tempora, quae & ante & post finem Ebraeorum regiminis fuere, adeoque sub excidium templi secundi urbisque. Postmodum autem Hillelis illius sive rogatione sive gratia inolevit ut nemo pro rite ordinato haberetur sine principis synedrii autoritate (ut legendum monemus in commentario nostro[l] ad Eutychii origines, dispuncto, quod ibi male irrepsit, *etiam demum ut nec sine synedrii ipsius*; qua de re etiam plura statim) adeoque ut nec ipse extra praesentiam patris synedrii, nec pater extra illius praesentiam, nec collega quisquam sine principis licentia rite creare posset. De triumvirorum numero in creatione qualibet semper observando Maimonides[m], ואין סומכין סמיכה שהיא מינוי הזקנים לדיינות אלא בשלשה ׃ והוא שיהיה האחד מהן סמוך מפי אחרים כמו שבארנו: *Non autem ordinabant* in dignitatem presbyterii *manuum impositione quemquam in facultatem judiciariam citra triumvirorum numerum, quorum unicus* saltem *fuisset ab aliis ordinatus, ut explicavimus*. Et quae hac de re explicarat ille in locis jam ante indicatis attulimus. Quod vero hic regulariter sic dictum receptumque de creatione per manuum impositionem, ita intelligendum est de praesentibus tantum, ut absentes etiam intra terram sanctam per epistolam, seu codicillo, etiam nuncio ad creandos a creante, modo is etiam intra terram esset, misso, rite creati seu ordinari possent, adhibitis in epistola & codicillo verbis illis actus creationis solennibus הרי את סמוך *ecce, sis tu ordinatus*; ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסות & *sit tibi potestas judicandi etiam judicia poenalia*; אני סומך אותך *ego ordino te*; תהיה סמוך *sis ordinatus*; quae pariter manuum impositioni adhiberi solita, idque a seculis vetustissimis; nec omnino a Rabbi Jehuda Ben Baba (qui floruit paulo post excidium urbis templique secundi, usque in Adriani tempora) instituta; uti nec ab eo innovatum est circa ordinationem quicquam; quod tamen voluere viri doctissimi[n] Abrahamum Zacuthium male intelligentes, cujus verba sunt[o], ר' יהודה בן בבא הסומך שאלמלא הוא בטלו דיני קנסות מישראל וכן הסמיכה ׃ והסמיכה אינו דוקא ביד כמו שעשה משה ליהושע אלא אפילו בדבור בלבד דיאמר אני סומך אותך תהיה סמוך: *R. Jehuda Ben Baba ordinator*, seu χειροθέτης per excellentiam sic dictus, *eo quod absque eo fuisset perierant ex Israel judicia criminalia, uti & ordinatio. Ordinatio autem fit non solum per manum* (ut praesentibus) *quemadmodum fecit Moses Josuae, sed etiam verbis tantum* (ut absentibus per epistolam, codicillum, nuncium; etiam & praesentibus) *dicendo, Ego te ordino, sis tu ordinatus*. Sed ex hisce temere existimavit vir summus Josephus Scaliger, institutum ab eo fuisse carmen, ut vocat ille, legitimum τῆς χειροθεσίας, male sic vertendo, *Non fiebat per manum duntaxat, quomodo fecit Moses Josuae, sed & conceptis verbis, praeter illud quod dici solet, Ego tibi impono manum, & manus imposita tibi esto*. Nec fere aliter adversarius ejus Serrarius. Utrique plane decepti ex eo quod verba Zacuthii velut de novo aliquo genere aut additamento aliquo ordinationis ab Jehuda Ben Baba instituto capienda esse existimarunt, & בלבד, quod *tantum* ibi significat, *praeter* reddiderunt, cum manifestum sit, Zacuthium loqui ibi de ordinationis formulis tam absentibus per epistolam aut nuncium, quam praesentibus per manus impositionem aut solenni ordinationis voce adhiberi solitis; quod & rectissime animadvertit Petrus Cunaeus[p]. Atque ita se res fere habuit ut hodieque, ubi dignitates aliquot tam civiles quam militares, veluti equitis aurati, doctoris, aliorum, quoties ritus solennior fuerit adhibitus, non sine manuariis, pro locorum diversitate, ceremoniis aliquot a principibus, aliisve quibus eas creandi facultas est, conferri solent; quae tamen interdum citra illas, verbis in diplomate seu codicillo conceptis, nec minus legitime, sive praesentibus sive absentibus conferuntur. De ordinatione sine impositione manuum legitur in Gemara Babylonia[q], dixisse Rab Acha filium Rabba ad Rab Ashi, בידא ממש סמכין ליה א"ל סמכין ליה בשמא קרי ליה רבי ויהבי רשותא למידן דיני קנסות: *An simplici* seu *sola manu fit ordinatio? Illum respondisse, Etiam nomine, & vocando ordinatum Rabbi, & dando ei facultatem judicandi judicia criminalia*. Sed de Rabbi Jehuda Ben Baba illo, ac ratione nominis הסמוך *ordinatoris* ei tributo, uti & de eo quod est, *Absque illo fuisset periisse ordinationem ex Israel*; plura mox[r]. De absentium autem creatione magistri[s], היו שניהם בארץ סומכין אותו אע"פ שאינו עם הסומכים במקום אחד אלא שולחין לו או כותבין לו שהוא סמוך ונותנין לו רשות לדון דיני קנסות הואיל ושניהם בארץ: *Si utrique*, tam ordinantes quam ordinandus seu magistrandus, *essent in terra sancta, ordinare solebant, etiamsi invicem praesentes uno in loco neutiquam essent. Tunc enim ad eum sive mittebant sive scribebant quod ordinatus esset; dantes ei facultatem judicandi judicia criminalia*;

[k] Numer. xxvii. 23. [l] L. 1 & 2. [m] Tit. *Sanhedrin*, cap. 4. § 3. Mikotzi Praecept. Affirmat. 97 alii tantundem. Et Misna & Gemara tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [n] Nicolaus Serrarius in Rabbino priori, cap. 21. Josephus Scaliger in Elencho Trihaeresii, cap. 10. [o] *Juchasin*, fol. 60, 1. & 108, 1. [p] De Republic. Hebraeorum, lib. 1. cap. 12. [q] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 13, 2. [r] § 4. [s] Maimonides, & Mikotzi, &c. locis ante citatis.

quoniam

quoniam scilicet utrique intra terram sanctam, quam ad hanc rem ita definiunt, וכל ארץ ישראל שהחזיקו בה עולי מצרים ראויה לסמיכה *Et tota terra Israelitica quae pertinuit ad eos qui ascenderunt ex AEgypto ejusmodi erat ut ordinationi esset idonea.* De discrimine autem illo vetustioris & recentioris rite ordinandi facultatis Maimonides [t], בראשונה היה כל מי שנסמך סומך לתלמידיו והחכמים חלקו כבוד להלל הזקן ותקנו שלא יהא אדם נסמך אלא ברשות הנשיא ושלא יהא הנשיא סומך אלא אם כן היה בית דין עמו ושלא יהיה אב בית דין סומך אלא אם כן היה הנשיא עמו אבל שאר החבורה יש לכל אחד מהם לסמוך ברשות הנשיא והוא שיהיו שני עמו שאין סמיכה פחות משלשה: *Antiquitus*, seu temporibus Hillele vetustioribus, *quisquis esset ordinatus, ordinabat ipse discipulos suos. Sed sapientes, singularem exhibentes reverentiam Hilleli seniori, constituerunt ut nemo hominum ordinaretur sine licentia principis, nec princeps ipse quemquam ordinaret absque praesentia patris synedrii, nec pater quemquam sine principis praesentia. Caeterum quoad reliquos*, ejusmodi ordinis ut potuissent ante Hillelem rite satis ordinare, *unicuique eorum* [v] *licitum fore ordinare, impetrata principis licentia, & adscitis sibi binis aliis, quoniam ordinatio haud rite sine tribus peragenda.* Ita codices editi. MS. vero tum meus tum Arundellianus, יש לכל אחד מהם לסמוך משום הנשיא *unicuique eorum licitum fore ordinare per principem*, aut *ejus nomine*, quod in idem satis recidit. Locum autem hunc Maimonidis de principe & patre synedrii firmat ex Gemara Hierosolymitana [x] Joseph Karo in *Ceseph Misna*; atque, ut videtur in exemplari MS. quo usus est ille, eandem in mentem legerat. בראשונה, inquit, וגו׳ עד אלא אם כן היא הנשיא עמו בירושלמי פר קמא דסנהדרין Antiquitus, *&c. usque ad* sine principis praesentia, *in Talmudis Hierosolymitani capite primo tituli Sanhedrin.* Sed vero in Hierosolymitana typis edita, tam Cracoviana quam Veneta, se res multo aliter habet. Sic enim ibi [y], quantum ad hanc rem, legitur, אמר רבי אבא בראשונה היה כל אחד ואחד ממנה את תלמודיו כגון רבן יוחנן בן זכאי מינה את רבי אליעזר ואת רבי יהושע ורבי יהושע את רבי עקיבא ורבי עקיבא את רבי מאיר ואת רבי שמעון אמר ישב רבי מאיר תחילה ונתכר פני רבי שמעון אמר לו ר׳ עקיבא דיך שאני ובוראך מכירין כוחך חזרו וחלקו כבוד לבית הזה אמרו בית דין שמינה שלא לדעת הנשיא אין מינויו מינוי ונשיא שמינה שלא לדעת בית דין מינויו מינוי חזרו והתקינו שלא יהו ב״ד ממנין אלא מדעת הנשיא ושלא יהא הנשיא ממנה אלא מדעת בית דין. Quae ita sonant; *Dixit Rabbi Ba*, (R. Abba bar Jonah [z]) *Antiquitus*, seu *temporibus* [illegible] ex ante creatis *creare solebat discipulos suos; quemadmodum Raban Jochanan Ben Zacai creavit Rabbi Eliezer, & Rabbi Jehosuah; & R. Jehosuah, Rabbi Akiba; & R. Akiba, Rabbi Meir, & Rabbi Simeon. Dixit insuper, sedentem R. Meir primo intuitu instar R. Simeonis comparuisse; cui R. Akiba, Iste satis diversus est, & creator tuus novit facultatem tuam. Rem innovantes* sapientes qui rebus praeerant, *reverentiam exhibebant domui* seu *familiae huic, & decrevere ut, si synedrium aliquod quempiam ordinaret sine principis licentia, ordinatio illa irrita foret; sed, si princeps quempiam ordinaret sine licentia synedrii, ordinatio illa esset legitima. Rem item iterum innovantes constituere, non licitum fore synedrio ordinare absque licentia principis, nec principi ordinare absque licentia synedrii.* Quae sane ab eis quae tradidit Maimonides sunt perquam diversa. Nec quid hic de Hillele, aut de patre synedrii. Nec sane qui alias in Maimonidem animadvertunt hac de re controversiam movent. Unde par videtur ut lectio Talmudis Hierosolymitani haec eidem quem habet Maimonides sensui restituatur. Quid si pro חלקו כבוד לבית הזה *reverentiam* seu *honorem exhibebant domui huic*, legeris לבית הלל *domui Hillel?* & postrema verba sic correxeris, אלא מדעת אב בית דין *absque licentia* seu *praesentia patris synedrii?* Ita sane Gemara illa & Maimonides concordes fient. Et sane לבית הזה *domui huic* ita sonat, nulla scilicet *domus* mentione praecedente, ut necesse satis videatur ut ita emendetur. Hillel hic princeps erat Israel, id est, synedrii magni, e tribu Benjamin ex parte patris, והוא, inquit R. Abraham Zacuthius [a] veteres secutus, ראש משפחת הנשיאים והיה מזרע שפטיה בן אביטל אשת דוד מצד אמו *Et is princeps* seu *caput erat familiae principum* (illorum forensium; de quibus plura inferius) *& ex posteris Shephatiae filii Abitalae* [b] *uxoris David, ex parte matris suae.* Tralatitium autem est, adjici de rite ordinatis universis, ושרתה עליהן שכינה *Et quiescebat super eos majestas divina*, seu *Spiritus Sanctus*; uti & illud perpetuo cum imponerent manus presbytero in facultatem judiciariam, קורין לו רבי *vocasse eum* seu *nominasse Rabbi*, eoque eum titulo solenni donasse; unde R. Josuah Levita in *Hilcoth Olam* [c], כל רבי מארץ ישראל לפי שבארץ ישראל היו סומכין לדון דיני קנסות וקורין אותו רבי *Omnis proprie dictus* in Talmudibus *Rabbi, ex terra Israelis est* ibi creatus; *quoniam ibi ordinare solebant ad judicanda etiam judicia criminalia*, adeoque reliqua, *& vocare ordinatum Rabbi.* De nomine autem hoc dignitatis, & affinium apud Ebraeos aliorum, consulas Nicolaum Serrarium in Rabbinis suis, Josephi Scaligeri Elenchum Trihaeresii, Johannem Buxtorfium patrem in abbreviaturis, & filium in Lexico Chaldaico, Talmudico, & Rabbinico; alios satis obvios. Addit item Maimonides, יש לסומכין לסמוך אפילו מאה בפעם אחת ודוד המלך סמך שלשים אלף ביום אחד *Qui rite ordinare possint, licuit eis ordinare etiam centum uno eodemque tempore; & David rex ordinabat unico in die triginta millia.* Quod habuit ex Gemara Hierosolymitana [d], ubi illud [e], *Et David rursum congregavit ex omnibus selectis Israel triginta millia*, de ordinatione presbyterorum quidem, ut a Maimonide, sumitur, sed de numero etiam valde ampliore, seu millibus nonaginta. Verba sunt, רבי ברכיה בשם ר׳ אבא בר כהנא תשעים אלף זקנים מינה דוד ביום אחד ודלא מינה אחיתופל עמהן והדא היא דכתיב ויוסף עוד דוד את כל בחור בישראל שלשים אלף ויסף ולתין עוד תלתין

[t] Tit. *Sanhedrin*, cap. [illegible] [v] Videsis Hugonem Grotium ad Matth. xxvi. 7. [x] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [y] Fol. 19, col. 1. [illegible] *hosin*, fol. 85, 1. & vide Gemaram Babyloniam ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 5, 1. [a] Iuchasin, fol. [illegible] [b] 2 Sam. iii. 4. [c] Tract. 1. cap. 3. [d] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19, col. 1. [e] 2 Sam. vi. 1.

יבשיטין

ופשוטיה דקרייה הרי תשעי *Rabbi Barachia nomine R. Abba Bar Cohena; Nonaginta millia presbyterorum ordinavit David die in unico, sed non ordinavit cum eis Achitophelum* (qui ante ibi nuncupatur אדם גיבור בתורה *Jurisconsultus & theologus summus.) Atque hoc est quod scriptum* istic *habemus, Et David rursum congregavit ex omnibus selectis Israel triginta millia. Et congregavit triginta*; *rursum triginta*; *& expressim textus scripturae habet triginta. Ecce nonaginta.* Mira numerandi ratio. Sed vero *rursum* a magistris aliis[f] ibi sumitur pro eo quod est, Primo ipsos in Hebrone, cum in regnum David evectus ibi erat, congregatos fuisse, & *rursum* nunc ad arcam afferendam.

II. Spectant quae hactenus dicta sunt de ordinatione ad eam quae summa erat, seu qua judiciariae facultatis omnimodae, quae jurisdictionis contentiosae esset, sive criminalis sive civilis, capax fiebat sic rite ordinatus. Atque sic creati plane erant presbyteri universales, seu munere tam docendi in jure Ebraico ac publice respondendi quam judicandi universim, quoties scilicet sufficiendi essent judices ejusmodi, donati. Nec enim illinc judices fiebant magis atque doctores juris ex eo solum titulo apud nos judices sunt antequam consistoria eis assignantur. Caeterum ut hi universales seu optimo & plenario jure presbyteri erant, ita fuere alii, non modo creati seu ordinati, sed etiam non creati, qui presbyterorum nomine etiam & dignitate vulgari qualicunque fruebantur; sed interim & dignitate & nomine, uti & facultate, & universalibus illis & inter se variatim impares. Creatorum hujusmodi, quos particulares vocari liceat, alii judiciaria quidem facultate, sed quae tantum circa causas civiles seu pecuniarias versaretur, in ipsa creationis formula donabantur; adeoque synedriis fuere triumviralibus solummodo inde idonei. Alii nulla omnino facultate judiciaria seu id genus magisterio donabantur, sed illo tantum quod in docendi & explicandi juris Ebraici nodos ac dubia, per responsa, quoties consulerentur, seu casus conscientiae extricandi, munere publico consistebat; quod itidem interdum erat generale, ad casus ejusmodi omnigenos attinens, interdum etiam adeo particulare ut ad haec vel illa ejusmodi casuum singularia genera, pro ordinantium arbitrio restringeretur. Atque hoc idem erat quod רשות להורות באיסר והתר *Potestas* seu *facultas decernendi circa ligatum & solutum*, seu vetitum & licitum, id est, *facultas ligandi & solvendi.* Etiam potestas haec interdum negata, in ipsa ordinatione, ei qui alias in plenariam facultatem judiciariam, quae forensis erat, ordinaretur. Quin etiam tempore subinde ordinatio circumscribebatur. Sed nemo hujusmodi ordinationis particularis capax erat, qui non etiam generali satis videretur idoneus. Ita quidem Maimonides, velut ex Gemara utraque[g]. Sed in eo, quod necessario is qui particulariter ordinatus est idoneus esse debuit seu satis doctus ad reliqua ordinationis universalis praestanda, non comperio assensum ita praeberi Maimonidi. Verba ejus sunt[h], ויש להן למנות כל מי שירצו לדברים יחידים והוא שיהיה ראוי לכל דברים׃ כיצד חכם מופלא שראוי להורות לכל התורה כולה יש לבית דין לסמוך אותו וליתן לו רשות לדון ולא להורות באיסור והתר׃ או יתנו לו רשות באיסור והתר ולא לדון דיני ממונות או יתנו רשות לזה ולזה (sic legendum juxta exemplaria optima tum edita tum manuscripta; ubi in editione ejus prima, uti & illa quae cum *Cesepb Misna* prodiit, ולזה deest, cujus in locum male substitutum לדון contextum & sensum nimis perturbat) אבל לא לדון דיני קנסות או לדון דיני קנסות אבל לא להתיר בכורות במומין׃ או יתנו לו רשות להתיר נדרים בלבד או לראות כתמים וכן כל כיוצא בהן וכן יש לסומכין ליתן רשות עד זמן ולומר לנסמך יש לך רשות לדון או להורות עד שיבא הנשיא לכאן׃ או כל זמן שאין אתה עמנו במדינה וכן כל כיוצא בזה חכם מופלא שהוא סומא בעינו אחת אף על פי שהוא ראוי לדיני ממונות אין סומכין אותו לדיני ממונות מפני שאינו ראוי לכל דברים וכן כל כיוצא בזה *Fas erat*, seu *in more positum, ordinare quemcunque vellent ad res particulares, modo interim ipse rebus omnimodis* (id est, ordinationi generali) *esset idoneus. Sapientem praecellentem, qui idoneus ad decernendum circa legem universam, fas erat synedrio* (pro temporum & morum introductorum discrimine jam ante indicato) *ordinare, & dare ei facultatem judiciariam* forensem omnigenam, *ita tamen ut neutiquam ligandi & solvendi*, seu *publice in casibus conscientiae respondendi, facultati se immisceret*; *aut dare ei facultatem ejusmodi ligandi & solvendi* simpliciter & per se, *sed minime judicandi, ne quidem judicia civilia* seu *pecuniaria*; *aut dare ei facultatem illam utramque, minime tamen judicia criminalia judicandi*; *aut criminalia judicandi, nec tamen solvendi* seu *responsa publice dandi de primogenitorum maculis* seu *vitiis*; *aut dare ei facultatem solvendi vota tantummodo, aut intuendi, &* sic solvendo aut ligando *decernendi de maculis*, seu vitiis corporis sive brutorum sive hominum, *aliisve quibuscunque similibus. Atque ita fas erat ordinantibus dare facultatem tempore praefinitam, & dicere ordinato, Sit tibi facultas judiciaria* forensis, *seu decretoria illa* circa solvenda & liganda, *usque dum huc venerit princeps*; *aut toto tempore quo ipse non fuerit nobiscum in urbe. Atque ita de omnibus ejusmodi generis. Sapientem praecellentem oculo uno caecum, tametsi idoneus satis is esset judiciis pecuniariis* (id est, qui rite satis, non obstante caecitate illa, in triumvirale etiam jurisdictionis contentiosae collegium sine ordinatione praevia a privatis juxta ante memorata eligi potuit) *nihilominus non ordinabant, ne quidem ad judicia pecuniaria, quoniam neutiquam erat rebus omnibus idoneus. Atque ita se res habuit in cunctis aliis similibus.* Adeoque solennibus illis verbis in ordinatione universali adhibitis, ut אני סומך אותך *Ego te ordino*, & id genus reliquis ante ostensis, necesse erat ut in ordinationibus hujusmodi particularibus ac sic circumscriptis accederent verba, pro facultatis circumscriptae discrimine, alia atque alia, quibus facultas sic concessa satis dignosceretur. Illud de איסור והתר *ligato & soluto* hoc in sensu millies apud Talmudicos occurrit. Magister aut schola altera אוסר *ligat*, id est, illicitum pronun-

[f] Jarchius, D. Kimchi, Rabbena Jesaiah, alii, ad 2 Sam. vi. 1.

[g] Ad Misn. cap. 1. tit. *Sanhedrin*.

[h] Tit. *Sanhedrin*, cap. 4. §. 8. & 9.

ciat, altera מותר *ſolvit*, aut pronunciat licitum, hoc vel illud circa ſanguinem, adipem, fructus, alia eſculenta, poculenta, corporis vitia, id genus innumera in ſacra lege occurrentia. Unde etiam libri quamplurimi eodem titulo fruuntur, qui plane caſuum conſcientiae volumina Judaeis ſunt. Inde habentur איסור והתר *ſolutum & ligatum* Rabbi Jonae, Rabbi Nathan, R. Iſaac Durenſis, & perplures ejuſmodi alii. Et titulus integer in Talmude utroque ſeu Miſna habetur הוריות *Horaijoth* ſeu *decreta* aut *canones* dictus, qui diſciplinam fuſiorem circa illuſtriora ſynedriorum maxime decreta de caſibus conſcientiae, adeoque de peccati ex errore & ſcientia diſcrimine inde pendente, continet; de quo plura libro tertio. Scientia illa ſeu facultas ligandi & ſolvendi a magiſtris aliquot, ut ſane juxta ipſorum principia meretur, סוד יסוד אסור והתר *Myſterium fundamentale ligati & ſoluti dicitur.* Sic enim R. Joſeph Hyſſopaeus[i] in קערת כסף *ſcutella* ſeu *paropſide argentea*, quae virtutis & pietatis ad Samuelem filium monita metrice continet,

עסוק פעם בדקדוק או בפסוק
אבל רוב ע— סקך שית ב— גמרא
לדעת סוד יסוד אסיר והתר
והבדיל בין פסולה ל— כשרה וגו'

Verſare interdum in Grammatica, aut in contextu biblico. Sed magnam partem occupationis tuae pone in Gemara, ut ſcias arcanum fundamenti, vetitum ac licitum, & diſtinctionem inter vitiatum & rectum. Ita vertit Joannes Mercerus; quod plane innuit, & pariter verti poteſt, *arcanum* ſeu *myſterium fundamentale ligandi & ſolvendi*; quod quidem theologiae apud Ebraeos & juriſprudentiae velut encyclopaedia eſt. Praeter ea quae libro primo[k] de *ſolvendi & ligandi* notionibus dicta ſunt, conſulas virum ſummum Iſaacum Caſaubonum in Baronianis[l]. Certe, tametſi tandem in chriſtianiſmo ligandi & ſolvendi poteſtatis illius in evangelio ſenſus & excommunicationi forenſi & poenis aliis canonicis irrogandis adeo conjunctus fuerit ut quaſi in idem ipſum harum & illius actus recidere cenſerentur, uti & poſtmodum cenſiti ſunt; atque licet antiſtes ſacer ubique, eo nomine velut ὁ πιστευθεὶς παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας λύειν καὶ δεσμεῖν[m], *Is cui a Dei benignitate credita eſt* eo in ſenſu *ſolvendi & ligandi poteſtas*, pro arbitrio ex jure canonico & laxare potuerit poenam ejuſmodi & intendere, quale etiam ſibi arrogant jus presbyteri & miniſtri evangelii illi qui in conſiſtoriis ſuis parilem ſibi exercendam velint poteſtatem; nihilominus antiquitus atque ex origine primaria nihil omnino forenſe videtur contineri in ligatione illa & ſolutione (aliter atque ſententia quaelibet in foro quocunque, ubi illud vim obtinebat, lata dicebatur ſive condemnatione obligare ſive abſolvere) ſed tantum ad nodos, quaeſtiones ſeu ζητήματα, difficultates, controverſias, objectiones de jure & divino & humano ortas, reſponſa (ut conſulentibus, reſponſa prudentum) explicationeſque facultas dandi, adeo ut in reſponſis ex autoritate reſpondentium tutius acquieſcere poſſent qui antequam rite ſic edocti eſſent dubitarent, id eſt, an obligati manerent ad hoc vel illud, de quo dubitatum eſſet, praeſtandum, aut inde ſoluti cenſerentur. Quo plane ſenſu Athanaſio[n] λύων αὐτῶν τὴν ἄγνοιαν, *ſolvens eorum ignorantiam*, vocatur D.N. Jeſus Chriſtus, ubi[o] de cibis pro illicitis habitis & Phariſaeorum circa eos doctrina ait, *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, &c. Id genus alia ex vetuſto occurrunt vocis uſu. Unde etiam erant apud Graecos velut ſectae nomine Λυτικοὶ & Ἐπιλυτικοὶ *ſolventes* nuncupati, quoniam griphos & obſcuriores ſcriptorum, maxime poetarum, locos, quorum inſcitia alii velut obligarentur, diſſolvebant; aliis, qui ſolutionibus ejuſmodi refragarentur, Ἐνστατικοῖς dictis. Hinc Soſibius Lacon dicitur Athenaeo[p] ὁ Λυτικὸς, & ὁ θαυμάσιος Λυτικὸς, & Suidae[q], τῶν ἐπιλυτικῶν καλουμένων, *ex eis quibus ſolvendi facultas tribui ſolet.* Atque ejuſmodi credidit ſibi ſoli competere munus adoleſcens ille apud Herodem Atticum[r] glorioſiſſimus. Et de procacioribus ejuſmodi ingeniis, qui religionem veram cavillando inſectarentur Prudentius[s],

Statum laceſſunt omnipollentis Dei
Calumnioſis litibus:
Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Ut quiſque lingua nequior:
Solvunt ligantque quaeſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.

Syllogiſmus item extricandus λύσιμος *ſolubilis*[t] Ariſtoteli, paſſimque dicitur. Et idem Prudentius,

Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infeſta diſſertantibus.

Atque ex ſuppari eſt notione, ſi quis δεσμόν τινα ἑαυτῷ ἐπιβάλλειν[v], *vinculum aliquod* ſeu *obligationem ſibi injicit*, veluti voto aut juramento de abſtinentia ab hoc vel illo cibo, more, actu; inde ſcilicet, quantum in ſe eſt, ſe ligando, illicitum hoc vel illud faciens, quod ex ſolutione denuo licitum eſſe poſſit. Certe nec tranſlatio vocum illarum in forenſes excommunicationis uſus veteribus ipſis cordatioribus omnino innuebat vere quemquam ex ſententia ejuſmodi qualicunque forenſi lata ligatum, aut ab eccleſia ſegregatum, extra quam ubi, haud praeter Dei ſcopum, ſed juxta ſententiam in coelo jam latam, quis ſententia ejuſmodi eſſet implicatus. Sanctus Nico[x] alias ſententias ab Hieratico genere latas irritas plane, ipſiſque ferentibus pernicioſiſſimas, eſſe aſſerens, *De ſacerdotio*, inquit, *dixit Dominus Petro, Quaecunque ligaveris ſuper terram, erunt ea etiam ligata in coelis. Vide vim verbi. Non dixit, Quaecunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata in terra, ſed in coelis; ut ut qui excommunicat, vel deponit, vel prohibet, rem terribilem ducat, ut qui Deum ad una ſecum ferendum ſententiam vocet, nempe qui ſub ejus qui eſt in coelis teſtimonio hoc agat.* Id genus occurrunt alia etiam in juris pontificii ſcriptoribus. Adeoque niſi excommunicans de numinis ſanctiſſimi mente in cauſa excommunicati, juxta notionem illam ligandi ſolvendique, certus fuerit (quod ut fiat haud facile eſt) ne quidem ipſe ſententiam

[i] Pariſiis 1561. pag. 31. [k] Cap. 9. p. 935, &c. [l] Exercit. 16. §. 139. [m] S. Baſil. Epiſt. Canonic. can. 74. & ibi Zonaras & Balſamon. [n] In Canonic. Epiſt. ad Amnium monachum. [o] Matth. xv. 11. [p] Deipnoſoph. lib. 11. [q] In Σωσίβιος. [r] Aulus Gellius, lib. 1. cap. 2. [s] In Apotheoſi hymn. in Infideles. [t] Prior. Analytic. lib. 2. [v] Zonar. in S. Baſil. Epiſt. can. 10. [x] Subjunctus Theodoro Balſamoni, pag 1097.

suam vim habere poterit existimare. Undenam ita fiat certus, quaerat porro ipse qui cum imperio, velut ex jure divino, ligare & solvere, & notione inde satis, si vetustas rite introspiciatur, nova, excommunicare & absolvere, se dicere soleat. Velut provocatio est ipse actus ad numen sanctissimum, nec raro nimis temerarius. Reperi in adversariis viri praestantissimi Isaaci Casauboni, quae in Baronium instituta necdum edita mecum communicavit dignissimus paternarum virtutum & eruditionis haeres Mericus Casaubonus, notam de laicorum parili ligandi & solvendi potestate, seu de δεσμῷ ὑπὸ λαϊκῶν δεθέντι, etiam ex jure divino in ecclesia orientali asserto. *Mirabar*, inquit ille, *quid hoc apud Zonaram epistola* XV. *sed & ipse explicat recte, & postea locum Justini observavimus, qui explicat.* Οὐ μόνον, *inquit*, οἱ ἱερεῖς ἐσχήκασιν ἐξουσίαν παρὰ Θεοῦ τοῦ δεσμεῖν τε καὶ λύειν· ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ πρὸς τούτοις οἱ λαϊκοί. Καὶ γὰρ εἰ μὴ φθάσουσιν ὧδε διαλυθῆναι πρὸς ἀλλήλους οἱ ἀδικηθέντες ὁπωσδήποτε καὶ ἀδικήσαντες, λόγους ἐκεῖσε πάντως ὑφέξουσι, καὶ μετ' ἀλλήλων κριθήσονται. Καὶ τοῦτό ἐστιν ὅπερ ἡ Σοφία Σολομῶντος ἔλεγε. Τότε ἐν πολλῇ παῤῥησίᾳ στήσεται ὁ δίκαιος κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτόν. ὅθεν καὶ εἴποτε συμβαίνῃ γενέσθαι τινὰ διαμάχην ἀνὰ μέσον ἡμῶν, λυθῆναι τάχιον σπεύδομεν, ἅτε δὴ τὸ τοῦ θανάτου δεδιότες μυστήριον, &c. *Non solum habuere sacerdotes potestatem a Deo* (juxta receptam tandem in Christianismo disciplinam) *ligandi & solvendi, sed etiam praeterea ipsi Laici. Cum enim invicem nequeunt rem controversam hic dirimere* aut *dissolvere injuria affecti & afficientes, tunc illic* (in vita futura) *omnino rationem reddent, & simul judicabuntur. Atque hoc est quod dicit Sapientia Solomonis* [y], *Tunc magna cum fiducia stabit justus adversus faciem eorum qui eum oppresserint. Unde item, quoties evenerit inter nos controversia, ut dissolvatur conamur, metuentes scilicet mortis* incertae *mysterium*, &c. Ita ille, ut ex Zonarae epistolis; quas nondum vidi ego. Habuit ille, ut liquet in Baronianis suis [z]; saltem usus est, & citat ibi unicae lemma. Planissime in loco e sapientia citato, uti & in capite illic praecedente, vestigia sunt litigantium & invicem adversantium provocationis ad divinum judicium, justorum, injustorum, sive in hoc seculo sive in futuro, non obscura. Quae pro ligatione hic accipiuntur; ut cum partium sive unus sive uterque exsecrationibus poenisque coelitus exspectandis se onerat ad innocentiam suam probandam, remque controversam tandem elucidandam. Additur ibi locus ille, ut e vetustate cognatus, Justini Martyris [a]; Μέγας ὁ κίνδυνος παρὰ τοῖς τὴν ἡμέραν Κυρίου ἐπικαλουμένοις· ἢ πιστεύειν γὰρ δέον ὅπως φύγῃ τὴν κρίσιν, ἢ καὶ τῷ πλησίον ἀφιέναι, χάριν τοῦ καὶ αὐτῷ παρὰ Θεοῦ γίνεσθαι τὴν ἁμαρτημάτων τὴν ἄφεσιν· Οἱ δὲ τῇ διαφορᾷ τῆς ὀργῆς, δεσμεύουσι καθ' ἑαυτῶν συναλλάγματα. Quem locum Joannes Langus ita vertit sibique explicat, *Ingens penes eos est periculum, qui diem Domini appellant,* [*ad tribunal Christi provocantes scilicet*] *aut enim eos credere oportet judicium se Dei effugituros esse; aut etiam ob id noxa proximo remittenda venit, ut & ipsis a Domino contingat peccati condonandi gratia. Qui vero id ira correpti faciunt, gravibus seipsos contractibus obstringunt.* Ad Dei judicium scilicet, in poenam pro rei discrimine, sive ipsorum sive adversariorum, sic provocantes. Subjicit hinc Isaacus Casaubonus, *Apparet fuisse moris ut, orta inter privatos controversia, ad Dei tribunal provocaretur, ut ibi sons debitam condemnationis sententiam acciperet. Hoc erat* δεσμεύειν. Illuc spectant quae de provocatione ad divinum judicium, seu judicium Dei in valle Jehosaphat, pridem conscripsit Christianus Heroldus [b], uti & Johannes Heringius [c]. Quae habet Origenes de Christianorum invicem alligatione & solutione, ad Matthaeum [d], dignissima sunt quae hic advertuntur: unde sane elicere est, satis incertas & dubiosas fuisse tunc, seu circa ducentos a Christo annos, ligandi & solvendi ex evangelio notiones; utpote non, ut postmodum, pro actibus forensibus sumptas. Summa demum est, ex Ebraico forensi usu, adeoque Christiano vere primitivo, *ligandi & solvendi* phrasin ac notionem aliam omnino fuisse apud homines quam forensem, seu quae jurisdictionem contineret, aliter atque sententia de re qualibet forensis (ut innumera alia) obligaret solveretque. Et apud Ebraeos (unde in Christianismum plane voces illae transiere) qui ligabatur solvebaturve, ut ante ostensum est, id est, jurisconsultum ordinatum consulens, hoc vel illud aut sibi interdictum manere aut solutum esse didicerat, judicium quidem forense ob ejusmodi ligationis scholasticae, velut autoritate publica aut publico responso nixae, violationem subire potuerat; ipso ligandi aut solvendi actu praevio ad judicium illud forense non omnino aliter attinente quam prout, in rerum usu, familiaria prudentum responsa ad sequentia judicia spectent. Qui invicem pactis, contractibus, aliterve se obligant, pariter se solvunt; etiam & juris periti de obligatione solutioneque seu liberatione consulti aut obligatos aut solutos eos esse respondent, nulla omnino habita jurisdictionis in consultorum actu ratione. Atque in multiplici illa juris vocum illarum notione ac usu, ut verbis, re, literis, consensu quis alteri ligatur, ita & eisdem seu eodem genere per solutionem, acceptilationem, novationem, delegationem, confusionem, aliterque solvi dicitur [e] sine actu aliquo fori; ubi tamen, si actio instituatur, pronunciandum de ligatione illa ac solutione ante ita facta. Neque enim judex inducit obligationem, qua actio nititur, sed inductam sibi a reo cogit perimpleri. Certe adeo amplus multiplexque in hominum notione usus ab antiquo habitus est metaphorae tum civilis tum naturalis, etiam & theologicae, a ligando & solvendo, & vinculo & solutione sumptae, ut rem intuenti, forsan metaphorae alius ejusmodi usum aeque amplum, multiplicem, variumque haud reperiri, satis constiterit. Apud Platonem [f] Socrates, de similitudine Daedali statuarum adhibita, scientiam distinguit ab opinione etiamsi recta, cujus notiones, inquit, haud multi sunt pretii, sed solutae, ἕως ἂν τις αὐτὰς δήσῃ αἰτίας λογισμῷ, *donec quis eas liget ratiocinatione a causa ducta*, seu scientia vera. Alibi [g] item ipse de ligatis &

[y] Sapient. cap. v. 1. [z] Exercitat. 16. §. 49. [a] Epistola ad Zenam & Serenum, pag. 393. edit. 1593. [b] Norimbergae, 1624. [c] Bremae, 1632. [d] Homil. 6. [e] L. 35. D. tit. De reg. juris, & tit. De solutionibus & liberationibus. [f] In Menone. [g] Apud Julianum in Cyrilli adversus eum, lib. 2.

solutis in mundi opificio, Τὸ μὲν δὴ δεθὲν πᾶν λυτὸν, *Omne ligatum est solubile*. In philosophia etiam Porphyriana[h], Ὃ ἔδησεν ἡ φύσις, τοῦτο φύσις λύει· καὶ ὃ ἔδησεν ἡ ψυχὴ, τοῦτο αὐτὴ λύει, *Quod natura ligavit, id solvit natura; & quod anima ligavit, id ipsa solvit*. Daemonum item & Deorum τῶν λυσίων *solventium* meminit Plato[i]. Et nomen est Bacchi notissimum λύσιος, *solvens, expiatorius, redemptorius*. Unde & λυτήρια, aliaeque voces cognatae in theologia gentium, indicant *solutiones, liberationes, redemptiones* ab homicidio aliisque sceleribus. Apud Sophoclem[k], Electra ad Chrysithemidem sororem de Clytaemnestrae sacris Agamemnoni destinatis,

—————— ἆρα μὴ δοκεῖς
Λυτήρι᾽ αὐτῇ ταῦτα τοῦ φόνου φέρειν;

An igitur existimas haec illam caede solutura fore? Usus τοῦ λύειν & cognatorum, notionibus similibus, e metaphora illa, in utroque foedere etiam frequens. Et ubicunque λύεται quid seu solvitur, ut idem ante, sensu analogo, ligetur necesse est. Sed de vocibus illis, velut non forensibus, ut fieri solent, haec dicta sunto.

III. Presbyteri autem illi, sic vulgo, ut inter ההדיוטות *privatos*, proletarios, & capite censitos, ob aetatem simul & qualemcunque rerum scientiam, prae inscientioribus, dicti agnitique (sed reliquis multo inferiores, nec solenniter omnino ordinati) fuere quales cernebantur tum in synedriis triumviralibus, non publice per urbes pagosve constitutis (nam ordinati tantum in illis locum habuere legitimum) sed quae a privatis, sive per compromissum, velut in arbitros, in caussis etiam jurisdictionis contentiosae civilibus eligebantur, tum in eis qui actibus aliquot forensibus quidem, sed jurisdictionis tantum voluntariae, pro arbitrio eorum quorum intererat, adhibebantur; ut in solenni leviri renunciatione, quae, cum ex lege[l] coram *presbyteris* loci expressim fieri deberet, rite satis nihilominus praestabatur[m] coram triumviris quibuscunque privatis, nec presbyteratus dignitate ulla, juxta ante ostensa, ritu aliquo donatis (modo legendi linguam sanctam satis periti essent) sed interim apud vulgus generali illo nomine seu dignitate vulgari *presbyteri*, nullo ad dignitatem quae ex ordinatione pendebat singularem habito respectu, fruentibus; de quibus alibi[n]; ubi etiam hanc in rem ampliter egimus. Ejusmodi presbyteri bini fuere illi qui non ordinati, sed a presbytero rite ordinato acciti, triumvirale, ad ordinationem, synedrium, secundum superius dicta, complebant. Et tam de hujusmodi synedriis quam de majoribus intelligenda sunt illa quae ex Maimonide de synedrio ordinante supra afferuntur. Etiam presbyterorum notio tam hujusmodi quam ordinatorum aut synedralium admittitur in explicatione legis[o] de distantia circumjacentium urbium ab occiso ubi homicida ignotus erat, & vitula inde decervicanda. Et presbyteri hac notione vocitabantur זקני השוק *presbyteri plateae, vici, vulgares*, sic a caeteris distincti. Inde glossa Talmudica ad illud legis jam memoratae זקניך *presbyteri tui*, זקני, inquit[p], השוק אף על פי שאין סנהדרין *Etiam presbyteri plateae*, seu *ex vulgo, tametsi non essent ex synedrio aliquo*, aut ordinati; quos, eandem etiam in rem, nomine זקני השוק *presbyterorum plateae* memorat in ipso Talmude[q] R. Simeon. Ejusmodi fuere qui obvium in excommunicationis absolutione synedrium triumvirale saepius faciebant, juxta ea quae libro superiore ea de re ostenduntur. Dicebantur etiam הדיוטות ἰδιῶται, *privati*, cognata satis notione ei qua presbyteros nonnullos *laicos* dici volunt aliqui. Atque, ad hunc modum, tralatitium apud christianos est, ubi dignitatum nomina habentur quae nec sine solennibus creationis seu ordinationis acquiruntur, veluti militis seu equitis aurati, baronis, comitis, ducis, aliarum, ipsa nomina saepius, vulgari in sermone, secundum subjectae materiae discrimen, usurpari pro minoribus aliis non ita creatis seu ordinatis, sed proportione quadam & usu creatos illos in actibus suis rebusque gerundis imitantibus. Neque vero presbyteri illi non ordinati dignitatem aliquam aut nomen presbyteri ex actibus illis jurisdictionis sive voluntariae, sive contentiosae, quibus pro re nata adhiberi solebant, sibi nanciscebantur, sed ideo sic vulgo dicti quia ejusmodi actibus neutiquam haberentur vulgo inidonei.

IV. Ex jam dictis liquido satis constat non solum ordinationis presbyterorum formulas, maxime quoad munus in ipsa ordinatione collatum, multiplices fuisse, sed etiam *presbyterorum* nomen in legibus sacris de rebus sane gravissimi momenti subinde sumi etiam de eis qui, cum ejusmodi rebus alias non essent inidonei, neutiquam ordinatione ulla in dignitatem illam evecti fuissent. Adeoque quicquid ad creationem seu ordinationem solennem, nominisque *presbyteri* notionem variam, ipsamque manuum impositionem apud eos attinuit, ex more majorum, seu jure inter ipsos humano, pro eorum qui summae rerum praeerant arbitratu, introducto, pendebat, non ex jure quod eos ex praescripto obligaret divino aliquo, quasi hoc vel illo modo presbyteri jure divino ordinandi apud eos fuissent. Tam non omnino ordinati quam ordinati, tam particulariter quam universaliter ordinati, ut vides, perquam variatim nomine illo & dignitate, sensui legum sacrarum satis respondente, fruebantur. Et tametsi Moses ex praecepto divino[r] manus imponebat Josuae, adeoque eum in presbyteratus dignitatem universalem ita ordinabat, nihilominus non inde secutum est ut presbyteri aliqui quasi jure illinc divino sic imposterum ordinarentur. Neque enim actum illi singularem a numine sic imperatum ritum, cui semper obligarentur, velut praeceptum perpetuum, introduxisse volunt; quod satis liquet etiam ex eo quod supra ostenditur de ordinatione per epistolam aut nuntium. Nec quidem admissum est ut necessario, semper, seu aliter atque ex more, pro eorum qui rebus praeessent arbitratu, legitime mutando, temperando, corrigendo, ordinatio perageretur ab ante ordinato; quod tamen regulariter obtinuit, ut ante ostensum. Hinc magistris aliquot magnis recte,

[h] Apud Stobaeum Sermone 117. [i] De Republica 2. [k] In Electra. [l] Deuter. xxv. 7 & 8. [m] Tit. *Jabimoth*, cap. 12. [n] In Uxore Ebraica, lib. 1. cap. 15. [o] Deuter. xxi. 2. [p] Ad tit. *Sota*, cap. 9. fol. 44. 2. & tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 13. 2. [q] Gemara Babylonia ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 13. 2. & 14. 1. [r] Numer. xxvii. 18, 23.

puto,

puto, videtur, ſi ita aliquo rerum Ebraicarum acciſarum tempore eveniſſet ut in terra ſancta nemo ante ordinatus, nedum ſynedrium aliquod rite, juxta ante dicta, conſtitutum, reperiri quiviſſet; fas fuiſſe univerſis illic qualibuſcunque ſapientibus, ſeu qui rebus praeeſſe apud ſuos agnoſcerentur, ſe congregare, ac ſuffragiis conſtituere quoquomodo judices (ad quod jure divino expreſſim, ut oſtenſum eſt, obligabantur) eoſque rite ordinare, adeoque eis manus imponere, & ſic ordinatis licitum dein fuiſſe ſolenni ritu alios ordinare, licet ipſi neutiquam ab ordinato aliquo, juxta ante de eis quae in ordinatione regulariter obtinebant allata, creati fuiſſent. In hunc ſenſum intelligo Maimonidem[s], ſed aliquantulo interim dubitantem. Verba ejus ſunt, הרי שלא היה בארץ ישראל אלא סומך אחד מושיב שנים בצדו וסומך שבעים כאחד או זה אחר זה ואחר כך יעשה הוא והשבעים בית דין הגדול ויסמכו בתי דינים אחרים׃ נראין לי הדברים שאם הסכימו כל החכמים שבארץ ישראל למנות דיינים ולסמוך אותם הרי אלו סמוכים ויש להם לדון דיני קנסות ויש להם לסמוך לאחרים׃ אם כן למה היו החכמים מצטערין על הסמיכה כדי שלא יבטלו דיני קנסות מישראל לפי שישראל מפוזרין ואי אפשר שיסכימו כולן׃ ואם היה שם סמוך מפי סמוך אינו צריך דעת כולן אלא דן דיני קנסות לכל שהרי נסמך מפי בית דין׃ והדבר צריך הכרע׃ *Si accideret ut neutiquam exſtaret in terra Iſrael niſi ordinatus unicus, ei lateri ſuo duos adſeſſores adſciſcenti* (ut fieret collegium triumvirale illud ordinationi regulariter neceſſarium) *fas foret ordinare ſeptuaginta, ſive ſimul, ſive alterum poſt alterum. Et dein ex ſeipſo & ſeptuaginta illis conſtitui ſynedrium magnum; quod alia itidem conſtitueret* (ordinando) *ſynedria. Mihi autem res ſe ita habere videtur, ut, ſi conſentirent* (male per typorum trajectionem legitur hic in editione cum *Ceſeph Miſna*, שאם הסמיכו *ut, ſi ordinarent*, ubi tam in codicibus MSS. quam editis reliquis שאם הסכימו *ut, ſi conſentirent*, quemadmodum & res ipſa poſtulat) *univerſi ſapientes qui in terra Iſrael* (cum ſcilicet ante ordinatus nullus omnino illic inter eos exſtaret) *conſtituere judices, & ordinare eos, legitime ſatis etiam illos ordinatos eſſe, faſque etiam eis fore judicare etiam judicia criminalia, alioſque itidem ordinare. At vero ſi ita, undenam tam ſoliciti fuere ſapientes noſtri circa ordinationem, ne perirent in Iſrael judicia criminalia?* (qua de re mox plura) *Quoniam Iſraelitae diſperſi fuere, nec poſſibile erat ut conſentirent omnes illi* quorum intererat. *Sed ſi foret ibi ordinatus ab ante ordinato, opus non foret conſenſu omnium illorum. Talis enim ſic judicaret judicia criminalia* (alios ſibi ordinando) *univerſis, utpote ordinatus ante a ſynedrio* triumvirali illi negotio huic proprio. *Sed res haec difficultate quidem non caret.* Sic ille. Alia hanc etiam in rem quoad judiciariam maxime facultatem ſtatim ſequentur.

V. Quemadmodum tempore & facultatibus variatim ordinatorum particularibus, ſecundum jam oſtenſa, circumſcribebatur ſaepius ordinatio, tam ea quae in facultatem judiciariam quemquam evexit quam quae in illam quae erat ſolum docendi, ligandi & ſolvendi, ſeu caſus conſcientiae publice reſpondendo explicandi, ita etiam illa qua judiciaria facultas collata erat loco praeterea ita ſemper definiebatur ut extra terram ſanctam peragi rite nequiret; id eſt, ut actus ipſe ordinationis extra terram illam peractus, qua talis, omnino quantum ad poteſtatem judiciariam irritus haberetur. Maimonides[t]; אין סומכין זקנים בחוצה לארץ ואף על פי שאלו הסומכין נסמכו בארץ ישראל אפילו היו הסומכין בארץ והנסמך חוצה לארץ אין סומכין ואין צריך לומר אם היו הסומכין בחוצה לארץ והנסמכין בארץ׃ *Ordinare non ſolebant presbyteros* (ordinandi illi neutiquam erant) *extra terram, ne quidem ab ordinantibus qui intra terram rite ſatis ordinati fuiſſent. Etiam ſi ordinantes in terra eſſent, ordinandus autem extra terram, ordinatio non admittenda; nedum, ſi ordinantes extra terram eſſent, & ordinandi intra terram.* Atque ita Gemara Babylonia[v], אין סמיכה בחוצה לארץ *ordinationis actus locum haud habet extra terram.* Quod in eo poſitum maxime apud Talmudicos videtur quod facultas illa judiciaria de דיני קנסות *judiciis criminalibus*, cujus collatione, quae regulariter facultatem judicandi reliquam in ſe continebat, ordinabantur presbyteri illi optimi juris, extra terram conferri nequiret. Sed interim adjiciunt, rite ſic ordinatos intra terram potuiſſe extra terram in ſynedros conſtitui, in locis ſcilicet non modo juris ſed etiam incolatus Iſraelitici, atque illic etiam judicia in Iſraelitas (ut mox dicetur) ſecundum id quod a principibus ſub quibus degebatur permiſſum eſt, exercere. Maimonides[x]; בית דין שנסמכו בארץ ישראל ויצאו חוצה לארץ הרי הם דנים דיני קנסות בחוצה לארץ כדרך שדנים בארץ שסנהדרין נוהגת בארץ ובחוצה לארץ והוא שיהיו סמוכים׃ *Synedrium* (ſeu ſynedri; adeoque in facultatem judiciariam rite ordinati) *intra terram Iſrael ordinatum, ſi exierant e terra, fas erat illis judicare judicia criminalia* (adeoque alia) *etiam extra terram eodem modo quo judicandum eis erat intra terram; quoniam legitimus ſynedriorum uſus erat tam extra terram quam intra, modo ſynedri rite ordinarentur.* Et de conſtituendis ſynedriis etiam extra terram diximus e Talmudicis ſupra[y]. Sed de juriſdictionis ejuſmodi ſynedriorum extra terram temperamento plura ſtatim. Quod vero ſic traditum eſt de ordinatione extra terram non admittenda, intelligi id volunt de סמיכה מש״ט *ordinatione ipſa* ſeu *proprie ſumpta illa*, idque ſecundum diſciplinam receptiſſimam, qualis ante oſtenditur, de ordinatorum in judiciis ferendis, ubi cooptandi uſus eſſet, aliiſque pariter ordinandis facultate, non de omnimoda judicum extra terram conſtitutione. Nam etiam judiciariam facultatem (quam ab illa in ordinatione ſolenni comprehenſa ſatis diverſam faciunt) extra terram conferri potuiſſe a capitibus ſeu principibus eorum qui in captivitate, lociſve quibus extra terram degebant, regum inſtar, & nomine ראשי גלות *principum exſilii* ſeu *captivitatis*, ſeu *AEchmalotarcharum*, praeeſſe ſolebant. Atque eorum quibus ſic collata facultas illa juriſdictio, quoties in ſynedria qualiacunque extra terram cooptarentur, ejuſmodi inter eos habebatur ut etiam de litibus rite cognoſcere potuiſſent & judicare,

[s] Hilc. *Sanhedrin*, cap. 4. § 11.
[t] Hilc. *Sanhedrin*, cap. 4. § 6. Moſes Mikotzi Praecept. Affirmat. 97. fol. 186. col. 4.
[v] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 14. 1.
[x] Hilc. *Sanhedrin*, cap. 4. § 12. & vide eum ad tit. *Maccoth*. cap. 1. §. 10. & ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1.
[y] Cap. 5. § 1.

judicare, licet non aliter quidquam exſecutioni mandare quam variatim permiſſum eſſet a principibus ſub quibus degerent. Et de ejuſmodi ſynedriis & principibus captivitatis nonnulla ſuperius [z] etiam diximus. Maimonides [a]; כל דיין הראוי לדון שנתן לו ראש גלות יש לו רשות לדון בכל העולם אע"פ שלא רצו בעלי דינין בין בארץ בין בחוצה לארץ אע"פ שאינו דיני קנסות וכל דיין הראוי לדון שנתנו לו בית דין שבארץ ישראל רשות לדון יש לו רשות לדון בכל ארץ ישראל ובעיירות העומדות על הגבולים אע"פ שלא רצו בעלי דינים׃ אבל בחוצה לארץ אין רשותן מועלת לו לכוף את בעלי דינין אע"פ שיש לו לדון דיני קנסות בחוצה לארץ אינו דן אלא מי שרוצה לדון אצלו אבל לכוף את בעלי דינין ולדון להם אין לו רשות עד שיטול רשות מראש גלות׃ *Judex omnis judiciis non impar, cui dederit princeps captivitatis* (hoc nomine illos in Babylonia maxime intelligunt) *facultatem judicandi, facultatem habebat judicandi* Iſraelitas *per univerſum orbem, etiamſi litigantes fuerint inviti, adeoque tum intra terram tum extra, licet non uti judiciis criminalibus. Et omnis judex judiciis non impar, cui dederit ſynedrium intra terram facultatem judiciariam, habebat ille facultatem judicandi in omni terra Iſraelitica & in civitatibus limitaneis, etiam invitis litigantibus* (quoties ſcilicet in ſynedrium cooptaretur, idoneus erat etiam poteſtati coercendi in jure agentes reoſque.) *At vero extra terram, facultas ejuſmodi ei conceſſa haud tanta erat ut inde poſſet litigantes ibi coercere. Et tametſi habebat facultatem qualemcunque judicandi criminalia extra terram, nihilominus ibi judicia ejuſmodi exercere in invitos nequibat. Nam litigantes*, ſeu *in jus quomodocunque deductos, coercendi, & ſic in eos judicandi, facultatem non habuit, uſque dum eam impetraverat a principe captivitatis.* Et de judiciis Ebraeorum extra terram videſis plura apud R. Jacob ben Aſher [b]. Accedit de criminalibus capitalibuſque extra terram judiciis, ea tunc quomodocunque legitima tantum, ex jure ſuo, fuiſſe Ebraeis, quamdiu ejuſmodi haberentur nec ceſſarent in terra Iſrael. Maimonides [c]; בזמן שדנין דיני נפשות בארץ ישראל דנין דיני נפשות בחוצה לארץ׃ והוא שיהיו הסנהדרין סמוכין בארץ כמו׃ שביארנו שהסנהדרין נוהגת בארץ ובחוצה לארץ׃ *Tempore quo judicia exercebantur capitalia intra terram Iſraelis* (florente, ſaltem quoad judicia capitalia, Ebraeorum ſtatu) *judicabant etiam judicia capitalia extra terram, modo ſynedrium* (quod judicia illa exerceret) *rite ordinaretur intra terram, ut ante explicavimus, quoniam uſus erat legitimus ſynedriorum tam extra quam intra terram.* Tempus autem illud ſic definitum habent [d], ut tam templum & ſacrificiorum illic uſus integer, id eſt, ſacerdotii, maneret, quam ipſum ſynedrium magnum; de cujus duratione plura inferius. De principibus autem illis captivitatis Gemara Babylonia [e], תניא לא יסור שבט מיהודה אילו ראשי גליות שבבבל שרודן את העם בשבט ומחוקק מבין רגליו אלו בני בניו של הלל שמלמדין תורה ברבים׃ *Traditur, juxta illud* [f], Non recedet ſceptrum a Juda, praefuiſſe *aechmalotarchas* ſeu *principes captivitatis, qui gubernarent Iſraelitas ſceptro; atque juxta illud ibi,* Et legiſlator e medio pedum ejus, *poſteros* ſeu *nepotes Hillelis, qui legem publice docerent.* Ubi gloſſa recte, רודים את העם שיש להם כח ורשות מאת מלכי פרס *Gubernant* ſeu *coercent populum, quatenus ſcilicet facultas eis permiſſa eſt a regibus Perſidis*, quibus ſuberant. Ut autem titulus ordinati in terra ſancta erat *Rabbi*; ita extra terram, ex autoritate aechmalotarchae conſtituti, erat [g] *Rab & Mar.*

VI. Ex eis quae de ordinationis judiciariae ritu legitimo tantum intra terram peragendo jam dicta ſunt ſatis intelligere poſſumus id quod habet in ante allatis Maimonides de ſapientibus adeo ſolicitis circa ordinationes & facultatis judiciariae in criminalibus continuationem. Illud ex eo pendet quod legitur in Talmude [h] de R. Jehuda Ben Baba הסומך *ordinatore* per excellentiam dicto; quod & ſupra [i] memoratur; ſcilicet שאלמלא הוא נשתכחו דיני קנסות מישראל *abſque eo fuiſſet oblivioni tradita fuiſſent*, ſeu בטלו *in deſuetudinem plane abierant, criminalia judicia.* Ratio adjicitur unde diſcitur curnam cognomen הסמוך *ordinatoris* ſortitus fuerit. Verba ſunt, שפעם אחת גזרה מלכות הרשעה שמד על ישראל שכל הסומך יהרג וכל הנסמך יהרג ועיר שסומכין בה תיחרב ותחומין שסומכין בהן יעקרו׃ *Quoniam tempore quodam prodiit in Iſraelitas imperii* ſeu *regni improborum* (id eſt, Caeſarei) *edictum, quo quicunque ordinaret alium capite plectendus erat, & quilibet itidem ordinatus pariter puniendus, etiam & urbs in qua ordinatio perageretur excidio periret, & ſcholae* ſeu *loci in quibus ordinabant aliqui deſtruerentur.* Re ſe ita habente, Rabbi Jehuda Ben Baba, הלך וישב לו בין שני הרים גדולים בין שתי עיירות גדולות ובין שני תחומי שבת בין אושא לספרעם וסמך שם חמשה זקנים׃ *Profectus ſubſtitit inter duos montes magnos, & inter duas urbes magnas, & inter duo Sabbati itinera inter Oſam & Sepharam, & ibi quinque presbyteros ordinabat.* Ita ſcilicet extra urbem aliquam ſe collocabat, tum ut tutior ordinationis ſic publice Caeſareo edicto utcunque vetitae actum praeſtaret ipſe, tum ne in cauſa foret urbem aliquam excidendi. Presbyteri illi fuere Rabbi Meir, R. Jehudah, R. Simeon, R. Joſe, & Rabbi Eliaezer; quibus adjicitur etiam R. Nehemias, & R. Jehuda Bar Elaia [k]. Quod ſic fecerat Ben Baba palam tandem facto, caeteris fugientibus, irruebant in eum ſpiculatores, שנעצו בו שלש מאות לונביאות של ברזל ועשאוהו ככברה *Qui perforabant eum trecentis lanceis* ſeu *ſpiculis ferreis, & fecerunt eum inſtar cribri.* Ita legendum; non לונביאות, ut in Gemara jam citata ad titulum *Sanhedrin*, uti etiam in alia [l], ubi de lanceis aut ſpiculis mentio; nedum לולניאות, ut in altera illa tituli *Aboda Zara*. Et mirum eſt in gloſſa eandem lectionem atque ſic variatam male retineri, licet cum interpretatione recta, ſeu חניתות *lanceis* ſeu *ſpiculis*, לונכא enim & לונכיא migravit in linguam Talmudicam e Graeco λόγχη & Lati-

[z] Cap. 4. §. 10. [a] Hilc. *Sanhedrin*, cap. 4. § 14. & vide Gemar. Babylon. ad eund. tit. cap. 1. fol. 5, 1. [b] In Arba Turim tit. *Sanhedrin*, cap 2. [c] Tit. *Sanhedrin*, cap. 14. §. 14. [d] Maimonides ibid. & in Enumerat. Praecept. §. 176. & Gloſſ. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8, 2. [e] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 5, 1. & Maimonides Hilc. *Sanhedrin*, cap. 4. §. 13. [f] Geneſ. xlix. 10. & de eis vide in *Seder Olam Zota*, ubi de Mar Zutra *agitur*. [g] *Hilcoth Olam*, part. 1. cap. 3. [h] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 13, 14. & ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8, 2. [i] §. 1. [k] *Juchaſin*, fol. 41, 2. & 60, 1. [l] Gemar. Babylon. ad tit. *Sota*, cap. 1. fol. 8, 2.

no

ʒ

no *lancea*. Nec aliter quidem vox haec *lanceis* respondens sumitur in *Baal Aruch*, Davide de Pomis, Philippo Aquinate, Buxtorfio. Unde Abraham Zacuthius in *Juchasin* ante citato ait quod Ben Baba, נהרג בג׳ מאות חצים בין אושא לשפרעם והוא מעשרה הרוגי מלכות *Occisus est trecentis sagittis* seu *spiculis inter Osam & Sephoram, & erat ex decem* [m] *illis qui ob mortem eis a Caesare illatam celebrantur.* De eodem item David Ganzius [n], ר׳ יהודה בן בבא על שסמך ה׳ זקנים בין אושא לשפרעם ועשו כל גופו ככברה בשלש מאות חצים כדאיתא בפ׳א׳ דסנהדרין: *Rabbi Jehuda* interemptus est *eo quod ordinaverat quinque presbyteros inter Osam & Sephoram; & fecerunt corpus ejus instar cribri trecentis sagittis* seu *spiculis, ut dicitur in capite primo tractatus Sanhedrin.* Sed in loci hujus versione nupera sive hallucinatio sive oscitantia perquam mira est, *R. Jehuda fil. Bava, eo quod demiserat quinque senes infra pavimentum, ut ultionem de eis sumerent, reddiderunt corpus ejus instar cribri* 300 *fissuris perforatum*, &c. Nemo non videt quomodo emendanda. Frequentissima autem apud magistros ה׳ הרוגי מלכות mentio, velut Rabbinorum qui ob excellentiam prae aliis a Romanis crudeliter sub id tempus occisi & numero & nomine celebrari meruerunt. Benjamin Tudelensis in Itinerario eos vocat הצדיקים ז״ל עשרה הרוגי מלכות *justi, piae memoriae, decem occisi edicto* seu *jussu Caesareo*; quod vertit Arias, *decem justi occisi regni (delendi causa;)* Constantinus l'Empereur, *decem justi, laudatae memoriae, qui sub regno tyrannico occisi sunt*; atque Guilielmus Vorstius in Davidis Ganzii versione, *occisi a regno (Romano.)* Quod vero habet Benjamin ille, sepultos fuisse decem illos omnes in crypta בהר על שפת נהר טיברוס *in monte ad ripam Tiberis*, vix omnino credendum videtur, tametsi videam viros doctissimos Lucam Holstenium & Paulum Aringhum [o] libentius illud, velut ad augendam Romae suae famam, amplexari. Quomodo tam misere occisi in Palaestina illuc omnes in sepulturam deducerentur, aegre nimis concoquitur. Sed ad Ben Baba revertimur. Continuari voluit ille, nec perire permittere ordinationis judiciariae criminalis usum, quem ex edicto illo evanuisse atque in desuetudinem prorsus abiisse existimarunt, nisi intra terram illos, qui alios itidem ibi pro re nata dein ordinarent, sic ordinasset ille solus, ut videtur, ordinatorum illic superstes. Inde cognomen illud הסמך *ordinator* ei tributum; ut fere *philosophi, poetae, oratoris*, Platoni, Aristoteli, Homero, Virgilio, Demostheni, Ciceroni. Atque hoc ab eo illic praestitum, quoniam extra terram ordinatio ejusmodi irrita. Accidit, puto, hoc sub Adriano Caesare (illo enim in aevo floruit Ben Baba) cum ritus & mores pristini, seu qui ante excidium templi secundi, in usu, qua apud Ebraeos, maxime in terra sancta, fieri quiret, obtinuere & solicitius ab eis curabantur; non quod tunc, rebus eorum adeo excisis, usus eis esset judiciorum criminalium ullibi legitimus, sed ideo quod terram sanctam adeoque urbem templumque & synedria sibi restituta fore neutiquam desperabant, juxta quod etiam indultum eis fuerat a Trajano [p]. Adriani autem edictum illud in historiola illa Talmudica de ordinatione ita interdicta fuisse videtur non dubitandum. Apud scriptores quidem sive Graecos sive Latinos edictum ita sonans non legimus. Sed bis in Talmude, ut ante notatum. Et sane veri est simillimum, ipsum tempus fuisse circa decimum octavum Adriani annum, seu Christi 134, cum ex seditione illa Barchochebae Judaica tota ferme gens in terra sancta omnino destruebatur, caesis illic [q] octo & quingentis millibus, praeter innumeros fame, igni, morbo tunc absumptos, ac arcibus maximi momenti quinquaginta, vicisque celeberrimis & nobilissimis nongentis octoginta quinque funditus eversis, ὥστε πᾶσαν ὀλίγου δεῖν τὴν Ἰουδαίαν ἐρημωθῆναι, *ita ut omnis pene Judaea in desertum redigeretur*, etiam *Hierosolymorum* nomine in *AEliam Capitolinam* ad honorem Adriani, cujus *AElius* praenomen, mutato, urbeque ita instaurata ut nec gentem seu religionem priorem saperet. Ac de gentis clade illa Aristo Pellaeus scriptor [r] vetustissimus, Τὸ πᾶν ἔθνος ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάμπαν ἐπιβαίνειν εἴργεται, νόμου δόγματι καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ, ὡς ἂν μηδ' ἐξ ἀπόπτου θεωροῖεν τὸ πατρῷον ἔδαφος, ἐγκελευσαμένου. *Inde universae genti interdictum est, pedem in agrum Hierosolyma circumjacentem ponere, lege* scilicet, *decreto ac constitutionibus Adriani jubentis, ne quidem ex aliquo prospectu paternum solum introspicerent.* De ἐξ ἀπόπτου plura mox. Ita quidem Graeca sonant; ubi Ruffinus, *Omnis haec natio jam ex illo ab omni regione finitima Hierosolymorum penitus arcebatur, cum sanctione divinae legis* (nam ita *lex* intelligi solet [s] ibi pro praedictionibus divinis de futuro gentis excidio) *tum maxime constitutionibus & decretis Adriani, ita ut ne de excelsiore quidem prospectu eminus eis saltem paternum solum profanis obtutibus liceret inspicere.* Adeoque, ni fallor, *paterni soli* nomine integram hic contineri Judaeam seu terram sanctam, videtur satis manifestum; tametsi scriptoribus etiam priscis aliquot christianis hac de re verba fiant quasi de interdictis ab Adriano Judaeis tantum Hierosolymis, eisque etiam tunc temporis christianis, qui Barchochebae seditionis participes esse noluere, permissis (ut Orosius [t], & Paulus Aquilegiensis [v], Freculphus [x], Otto Frisingensis [y], alii; sed hoc de Hierosolymis christianis tunc permissis *vanissimum* recte, puto, ait Josephus Scaliger [z]) rem totam intellexissent. Ita praeter Sulpicium Severum autores jam dicti, aliique ejusmodi alii, etiam & Eusebius ipse diserte in chronico. Sed vero hujus edicti vis amplior multo erat, atque in tempora Tertulliani, seu circa 60 ab Adriano annos, ut Caesarea terrae sanctae totius interdictio, durasse videtur. Is, scriptor gravissimus, de Judaeis sui temporis expressim [a]; *Dispersi, palabundi, & coeli & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam sal-*

[m] Videsis *Juchasin*, fol. 37, 1. Davidem Ganzium in *Tzemach David*, part. 1. Millen. 4. ann. 828. R. Gedaliah Ben Jechia in *Shalsheleth*, fol. 31, 1, &c. [n] *Tzemach David*, part. 1. Millenar. 4. ann. 880. [o] In Roma Subterranea, lib 2 cap 23. §. 27. Latine Romae edita. [p] *Beresith Rabba* parash. 68. *Juchasin*. fol. 372. *Tzemach David*, part. 2. Millen. 4. ann. 880. [q] Dio apud Xiphilinum in Adriano, seu lib. 69 Zonaras tom. 2. [r] Apud Eusebium Hist. Eccles. 4. cap. 6. & Nicephor. Collast lib. 3. cap. 24. [s] Videsis in Euseb. in Chronic. Numer. 2150. [t] Lib. 7. cap. 13. [v] Histor. lib. 10. [x] Tom. 2. lib. 2. cap. 12. [y] Lib. 3. cap. 22. [z] Ad Euseb. numer. 2150. [a] Apologetic. cap. 21.

tem

tem vestigio salutare conceditur. Atque alibi [b]; *animadvertimus autem tunc neminem de genere Israel in civitate Bethlehem remansisse, & exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judaeorum, ut hoc quoque esset adimpletum per prophetam* [c]; *terra vestra deserta, civitates vestrae igni exustae, id est, quod belli tempore eis evenerit, regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, & deserta & subversa erit a populis alienis.* Unde νόμου δόγμα apud Aristonem Pellaeum ante citatum sumitur pro *sanctione legis divinae*, ut vertit Ruffinus; & pro *Dei nutu, sicut prophetae vaticinati sunt*, ab Eusebio in chronico, ubi adjicitur *& deinde Romani interdictionibus*, pro eo quod est apud Aristonem, καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ. Et Desiderius Heraldus [d] ad Tertulliani apologeticum; *non solum igitur patriam suam adire, sed e longinquo adspicere prohibiti sunt*; alii [e], patria tunc pulsos eos recte aiunt. Atque in hanc mentem Hieronymus [f]; *Ipsae reliquiae erunt in depraedationem, quando post annos ferme quinquaginta* ab excidio *Hadrianus venerit, & terram Judaeam fuerit penitus depraedatus, in tantum ut terebintho & quercui quae glandes amiserint comparetur. Denique post extremam vastitatem, etiam leges publicae pependerunt; & prohibiti sunt Judaei terram, de qua ejecti fuerant, ingredi.* Quod plane de tota terra sumendum. Et consonum hoc omnino est tum Aristonis Pellaei verbis, tum Tertulliano, uti etiam Justino Martyri [g], qui prophetias veteres illuc spectantes, paulo post Adrianum scribens, de terra integra Israelitica, non de urbe solum intelligit. Aristo autem ille etiam ipsi sub Adriano bello Judaico coaevus dicitur [h], etiam & christianus. Sed interim video non deesse viros doctos nuperos qui, veterum aliquot jam ante memoratorum secure nimis sequaces, historiam hanc de Adriano intelligi velint [i] tantum de interdictione Hierosolymorum, non Judaeae integrae. Id vero Aristonis Pellaei, Tertulliani, etiam & Justini, testium ut omni exceptione majorum ita caeteris vetustiorum, menti omnino adversum. Et sane quod ab aliis sic habetur de urbe tantum ab eo interdicta, id opinor manasse ex eo quod in seculis multo recentioribus, seu etiam sub Constantino, id est, circa annos a Christo nato 350, atque ante, & deinceps, sed postquam refixum erat seu evanuerat illud Adriani edictum de tota terra, interdictio Judaeis haberetur Hierosolymorum tantum ipsorum; qua de re expressim, ut seculis suis propria, loquuntur tum Hilarius [k] & Hieronymus [l], tum Chrysostomus [m]. Τὸ δὴ θαυμαστὸν, inquit ille, καὶ παράδοξον, ἡ μὲν οἰκουμένη πᾶσα ἀνεῖται τοῖς Ἰουδαίοις, ἔνθα οὐκ ἔξεστι θύειν· μόνη δὲ ἡ Ἱερουσαλὴμ ἄβατος γέγονεν, ἔνθα μόνον θύειν ἐξῆν, *Mirum est & incredibile; totus terrarum orbis conceditur Judaeis, ubi fas non est immolare: Hierosolyma ubi solum fas erat sacrificare, eis interim inaccessa sunt.* Et paulo ante, Ὁ Θεὸς τῶν θυσιῶν ἀπήγαγε, τὴν πόλιν αὐτῶν καθελὼν, καὶ ποιήσας αὐτὴν ἄβατον πᾶσιν, *Deus a sacrificiis eos abduxit, ipsam urbem ab eis auferens, & universis eorum inaccessam faciens*; ita tamen ut die quotannis unico, id est, 9 mensis Ab, qui adeo eis fatalis, illic lamentari eis concederetur, ut ex citatis ex Hieronymo ad Sophoniam & Gregorio Nazianzeno [n] liquet. Sed vero etiam Hieronymus expressim de Adrianeo illo excidio loquens, *Hierusalem*, inquit [o], *omnino subversa est, & Judaeorum gens catervatim caesa; ita ut Judaeae quoque finibus pellerentur Judaei.* Caeterum quasi Adrianus etiam nihil aliud eis praeter Hierosolyma interdixerat, rem perperam sumpsere autores ante memorati, quibuscum conferas quae hac de re habet Origenes [p]. Certe quod notari solet in kalendario Judaico [q] ad fatalem illis diem illum, nonum mensis Ab (qui circa Julium est nostrum) de *decreto contra patres nostros ne ingrederentur Judaeam*, tam de hac terrae interdictione Adrianea sumitur quam de multo vetustioribus ejusmodi interdictionibus aliquot, cunctis velut ad eundem diem attinentibus. Unde in diei ejusdem ritualibus hymnus est in quo quidem Nebuchadnezar & Adrianus (אנדרינוס scribunt) veluti miseriarum similium autores multoties memorantur; semel tantum in eodem Vespasiani & Titi nominibus adhibitis, sed Adriani, ut Nebuchadnezaris, quasi vicies, alternatim ad hunc modum [r];

זכור יי מה היה לנו נבוכדנצר מעונן כמו כשפים
מנחש כמו אשפים
קלקל בחצים ושאל בתרפים
זכור יי מה היה לנו אנדרינוס נתחכם עיצות אכזריות
ושאל במסות נטויות
ויעל וישרוף ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות

Recordare, Domine, qualis fuerit nobis Nebuchadnezar, qui punivit nos ut veneficos, ipse auguriis usus, praestigiatorum instar, disciplina extranea infatuatus, & consulens Teraphim. Recordare, Domine, qualis fuerit nobis Andrianus, (plane pro *Adrianus) crudelitatis consilia amplexus consuluit idola se pervertentia; & sustulit combussitque quadringentas & octoginta synagogas.* Alia ejusmodi ordine insunt continuo, uti & memoria principum illorum, a quorum utroque calamitates eodem die Judaicae evenerant, in quibus etiam e patria seu Palaestina integra exsilium. Et Josephus Scaliger expressim, ad illud calendarii de ingressu in terram sanctam interdicto, *Sub Hadriano*, inquit [s]; adjecto, *Judaei harum rerum memoriam retinent, quarum causas hodie penitus ignorant.* Numerus ille synagogarum ab Adriano exustarum idem est ipse qui non semel occurrit, de synagogis Hierosolymitanis sub Vespasiano, veluti ab eo sublatis, in Gemara Hierosolymitana [t]. Etiam quadringentas synagogas in urbe Bither memorat Babylonia Gemara [v]. Quod vero habet scriptor anonymus ho-

[b] Adversus Judaeos cap. 13. [c] Isaiah i. 7. & xxxiii. 12, &c. [d] Ad Tertulliani Apologetic. cap. 21. [e] Sa-[illegible] Eclog. Chronolog. lib. 1. cap. 14. [f] Lib 3. in Isaiam cap. vi. [g] Apologia 2. pro Christianis. [h] Chronic. Alexandrinum pag 601. editionis Raderianae. [i] Jo. Drusius in Notis ad Sulpicii Severi, lib 2. [k] Ad Psalm. lviii. [l] Ad Sophoniae, cap. ii. & videsis Joseph. Scaligerum ad Eusebii numerum 2150. [m] Orat 2. κατ' Ἰουδαίων in edit. Hoescheli pag. 67. Saviliana tom. 6. pag. 318. [n] Orat. 12. [o] Ad Danielem ix. & vide Hieremiam ix. & Zachar. ix. & Hieronymum ibidem. [p] Adversus Celsum, lib 2. pag. 63. & 113. & lib 4 p g 180. edit. Hoescheliana. [q] Jos. Scaliger. Canon. Isagog. lib. 1. pag. 44 Dionys. Petavius de Doctrina Temporum, lib. 7 cap 18. pag. 678. & videsis lib. nostrum de Anno Civili, cap. 7. [r] *Machzor*, part. 1. fol. 189. col. 1. [s] Can. Isagogic. lib. 3. pag. 219. [t] Ad tit. *Megilla*, cap. 3. fol. 73. col. 4. & ad tit. *Cethuboth*, cap. 13 fol. 35. col. 3. ubi pro ששים legendum שמונים. [v] Ad tit. *Gittin*, cap. 6. fol. [illegible]

miliae Chryfoftomo inter Latinas Graece non ex-ftantes tributae[x] (quam ipfius neutiquam fuiffe fatis demonftrat Ifaacus Cafaubonus[y]) de Judaeis fimul & chriftianis cunctis e provincia illa ante Adrianum ejectis, non omnino hic admittendum: *Poft annos multos*, inquit, *ufque ad Hadrianum folitudo manfit. In ifta provincia nullus Judaeorum, nullus chriftianorum fuit.* Et rectiffime ibi Cafaubonus, *Hic fuam ecclefiafticae hiftoriae imperitiam concionator prodit. Nam urbis quidem fanctae folum, poftquam Jerofolyma funditus erant diruta, defertum & fine habitatoribus aliquamdiu manfiffe verum eft. Sed de provincia quod ifte ait, falfiffimum.* Quod etiam fatis firmatur ex eo quod fynedrium ipfum magnum (ut alia praetermittamus) in Jabniam aliafque urbes poft excidium, atque tempore illo Adrianum antevertente, fe tranftulit, qua de re plura inferius[z]. Jam vero fatendum eft, apud fcriptores five Graecos five Latinos aliofve, praeter Talmudicos, nil reperiri de edicto Adriani ordinationem intra terram expreffim inhibente. Sed palam eft interea in edicto illo de Ebraeis univerfis terra fua interdictis fatis contineri idem ipfum quod Talmudici fic tradidere de ordinationis fuae intra terram interdictione, ut minus etiam ejufdem naturae in majore. Et dum de ordinatione tantum verba faciebant, nihil aliud ex edicto memorarunt praeter id quod ad illius interdictionem folummodo attineret. Certe non adeo eft diffimile veri, edictum Adriani ipfum (cujus exemplari integro caremus) etiam ordinationis illius judiciariae, qua fibi facultatem ex jure fuo ibi judicandi, gubernandi adeoque majeftatem Caefaream minuendi ubique intra terram fanctam arrogabant, coercendae feu abolendae caufa potiffimum emanaffe, forte etiam verbis expreffis ordinationis intra terram interdictum in eo locum habuiffe; quo tamen haud ita opus erat, cum ipfa terra, in qua folum legitime peragi poffet ordinatio, genti ipfi interdicta fuerit. Nec objiciat quifquam, ordinationis ejufmodi actum & fenfum, nomenque *presbyteri* inde creari foliti, velut inter ritus Ebraicos Romanis five incognitos five contemptui habitos fic tunc delituiffe ut veri non fit fimile Adrianum aut in edicto illo horum rationem habuiffe, aut utrumque neutiquam fatis cognoviffe. Etenim ordinationis illius vis, ac presbyteratus dignitas judiciaria inde pendens, ejufmodi apud Ebraeos, ut oftenfum eft, habebatur, ut intra terram jurifdictionem fibi & imperium inde femper fibi praeftruerent, nec aliam ob caufam magis de ordinatione fua rite confervanda tunc foliciti effent, quam ne jurifdictio illic, etiam in criminalibus, feu fumma, urbe & templo, quod fperabant, reftituto, juxta mores eadem in re avitos legitima effe defineret. Et, cum ordinationis bina effent, juxta fuperius allata, apud eos primaria genera, ut tam judiciariae quam illius quae dicta eft ligandi & folvendi, quae tam inter Judaeos quam chriftianos, etiam extra terram, tunc temporis & poftea & ante (qua de re ftatim plura) rite fatis peragebatur, & presbyteros itidem, licet non facultatis judiciariae, faciebat; cum item e Quadrati, apoftolorum difcipuli & epifcopi Athenienfis, Ariftidis, Sereni Grannii, aliorum fcriptis, edoctus fuiffet Adrianus[a] (princeps omnimodae difciplinae cupientiffimus eruditiffimufque) Judaifmum tunc reformatum, id eft, chriftianifmum, qua cum Judaifmo veteri hactenus plane, juxta oftenfa libro in fuperiore, is quomodocunque complicaretur; certe ex hifce fe ita habentibus liquere videtur Adriani tempore neque ipfi neque Romanis fuis, nedum Judaeis aut chriftianis, ignotum nomen *archifynagogi* aut *presbyteri*, adeoque nec, ut videtur, ordinationis qualifcunque folennis, unde nomina illa fenfu folenniori plerumque pendebant. Id manifeftum fit ex Adriani ipfius epiftola ad Servianum confulem, quam exhibet e Phlegonte illius liberto Flavius Vopifcus[b]. De chriftianis fcilicet, Judaeis, aliifque AEgypti incolis, verba faciens, *Nemo*, inquit, *illic archifynagogus, nemo Samarites, nemo chriftianorum presbyter, non mathematicus, non arufpex, non aliptes*, qui non etiam Serapidem colunt. Quifquamne haec legerit, nec interim Adriano Romanifque fuis dignitates hafce Ebraeis feu Judaeis, adeoque eis tunc cognatis chriftianis, familiares, fatis perfpectas exiftimaverit? Certe *presbyteri* & *archifynagogi* & *patres fynagogarum Judaicarum* ut fynonyma habentur in jure Caefareo[c]. Accedit, ob rebellionem illic, & quia res novas in majeftatem Caefaream moliebantur, veteremque rerum ftatum regimenque fibi reftituere, bellum illud & excidium ab Romanis illatum. Id quidem conftat tum ex re ipfa feu Barchochebae feditione, tum ex ἀποστασίας voce apud Ariftonem Pellaeum[d], fcriptorem excidio illi coaevum, aliifque apud eum occurrentibus, atque ex Chryfoftomo, ubi rite edoctus diferte ait quod Judaei fub Adriano[e] ἐσπούδασαν ἐπὶ τὴν προτέραν πολιτείαν ἐπανελθεῖν, *conati funt priftinam rempublicam fuam inftaurare*; unde etiam bene Michael Glycas[f], Adriano regnante, *conjunctis viribus ad ftatum reipublicae priorem reverti conabantur.* Adrianum igitur, aequum eft ut fentiamus, gentem non modo rebellem, fed priftinum, quali, cum fui juris effent, five ipfi five majores fui gavifi fuiffent, ftatum animofius vindicantem, adeo in ordinem redigere fategiffe ut nullam, qua fieri poffet, omnino rebellionis futurae fuique dein juris illic aviti inftaurandi anfam aut obtentum relinqueret; unde ut *genitalia mutilare* feu circumcidere eis interdixit[g], quod religionis fignaculum erat primarium, ita etiam ordinationem illam intra terram judiciariam, e qua poteftas judicandi illic, id eft, legitima terrae regiminis ac imperii ratio ordinaria, pependit, fub poenis graviffimis inhiberi voluit, etiam ipfos qui ordinarent cum reliquis inde arcendo. Atque illud juxta difciplinam Ebraicam, cujus ille non ignarus, non aliud erat quam ordinationem judiciariam ipfam funditus abolere. Et forfan penitius per fe intuendum illud Ariftonis; interdictum nempe fuiffe ab Adriano Judaeis univerfis ἐξ ἀπόπτου θεωρεῖν τὸ πατρῷον ἔδαφος, quod quidem fignificat *intueri, introfpicere paternum folum*; ut in

[x] Homil. in Epift. ad Rom. 31. [y] Exercit. in Baron. 2. §. 4. [z] Cap. 15 §. 7. [a] Eufeb. Hift. Eccle f. lib. 4. cap. 3. & in Chronic. num. 2143. Georgius Syncellus, pag. 348. Hieronymus Ep. 84. ad Magnum in Scriptorum Catalogo, Chronic. Alexandrin. pag. 600. Freculph. tom. 2. lib. 2. cap. 12. [b] In Saturnino. [c] L. 2, 4 & 14. C Theodof. lib 16. tit 8. & vide Hug. Grotium ad Act. xi. 30. [d] Eufeb. Hift 4. cap. 6. Nicephor. lib. 3. cap. 24. [e] Orat. κατὰ Ἰουδαίων 3. edit. Hoefchel. pag. 125. Savilianae tom. 6. pag. 333. [f] Annal. part. 3. [g] Spartian. in Adriano.

Philone [h], eidem aevo ſcriptore vicino, ubi loquitur de oppanſo in tabernaculo velo, ὡς μηδεὶς ἐξ ἀπόπτου δύναιτο τῶν μὴ ἱερωμένων καταθεάσασθαι τὰ ἅγια, *ne quis nondum ſacris initiatus ſancta introſpicere poſſet*, ἐξ ἀπόπτου tantundem ſignificat. Itaque non modo terra ipſa integra eis, ſed & finitimae qualeſcunque, unde ſuam intueri quoquomodo poſſent, interdici videntur, adeoque ipſi longius etiam ſummoti. Nonne igitur ita etiam finibus terrae totaque vicinia edicto arcebantur, ne, ſi in agro proximo aut vicino manere permiſſi fuiſſent, inde greſſu celere clandeſtinoque pro libitu in terram inſilientes, ritum illum ſic neceſſario illic, nec alibi omnino, de facultate judiciaria, legitimum praeſtarent illi quibus inter eos ordinandi facultas? Longius ſemotis id fieri haud ita facile. Longiora ſcilicet itinera illuc ducentia teſtibus & delatoribus vix aut ne vix quidem caruiſſent, unde res palam fieret. Poſtmodum autem eſſe porro deſiit edictum illud Adriani, Judaeis Palaeſtina utraque ac terra ſancta ita permiſſa ut intra eam ſynedria ſua qualiacunque pro arbitrio Caeſarum haberent. Et quoniam ſumma presbyteratus dignitas ſeu facultas, juxta illorum dogmata, judiciaria alibi quam in terra ſancta conferri nequibat, & quia ordinationem judiciariam, quae aviti eorum juris, quod ita ſperabant exſpectabantque, reſtitutioni commodius inſerviret, quoad poſſet, ſuſtinendam ampliandamque voluere, ideo forſan illis *nominati* [i] illic dicuntur, ſeu in plenariam presbyteratus facultatem ordinati, *in utriuſque Palaeſtinae ſynedriis primates*; quo nomine, ut generaliori, veniunt non modo archiſynagogi & ſynagogarum patres, ſed & presbyteri; quaſi nec alibi, ſeu extra terram, ex uſu & ritu veteri nominandi ordinandive. Et *in ſynedriis* illic tum de integris qualibuſcunque illic ſynedriis, tum de ſynedriis triumviralibus ordinationi, juxta ante oſtenſa, idoneis, tum de aliis illic qualibuſcunque ſumendum. Ita ſcilicet lectio eſt in omnibus codicis Theodoſiani editionibus; *Judaeorum primates, qui in utriuſque Palaeſtinae ſynedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quaecunque poſt exceſſum patriarcharum penſionis nomine ſuſcepere, cogantur exſolvere*; quod reſcriptum eſt Theodoſii minoris & Valentiniani ad Joannem comitem ſacrarum largitionum, Florentio & Dionyſio conſulibus, ſeu anno Chriſti 429. ubi in codicibus Juſtinianeis [k] editis pro *nominantur* legitur *dominantur*. Certe primates ejuſmodi in reſcripto Arcadii & Honorii ad Meſſalam praefectum praetorio, ſub annum trigeſimum praecedentem, circa eandem rem, expreſſim nuncupantur *archiſynagogi ſive presbyteri Judaeorum*, quorum nomine veniunt etiam *viri ſpectabiles* [l] *patriarchae, vel hi quos ipſi caeteris praepoſuerunt*. *Utraque* in reſcripto illo *Palaeſtina* primam & ſecundam denotat, ſeu terram ſanctam ſic in provincias binas tunc diviſam; quibus nominibus poſtea acceſſit tertia ſeu ſalutaris, ut videre eſt in Notitia Orientis [m], ubi etiam Guido Pancirolus [n], *Cum populo opibuſque abundaret, prius ſub Juliano Apoſtata conſularem habuit, deinde ſub Gratiano Proconſulem, quo tempore in duas provincias diviſa fuit. Siquidem Theodoſius in utraque Palaeſtina Judaeorum ſynedria ſeu ſeniorum ac magiſtrorum* (id eſt, ibi rite ordinatorum) *collegia fuiſſe ſcribit.* In citato ſcilicet reſcripto. Sed vero *dominantur*, quod retineri ſolet in Juſtinianeis editis, minime locum ibi obtinere omnino legitimum videtur. Neque enim locutio eſt illa ſtylo Caeſareo ac imperatorio conſona, nec quidem in codicibus MSS. ſaltem aliquot, Juſtinianeis habetur. Atque in editione Contiana appoſite adnotatur ibi, *Legendum* nominantur, *ut in codice Theodoſiano & veteribus manuſcriptis*. *Nominare* autem in jure Caeſareo & reſcriptis principum [o] idem ſatis obiter ſignificat quod *creare*, χειροτονεῖν, *ordinare*; unde & creati in magiſtratum, decurionatum, tutelam, aliave munera, *nominati* [p] dicti, & ipſe actus *nominatio* [q], pro creatione ſeu ordinatione. Et reſcriptum Alexandri Auguſti [r], *Si propter inimicitias ad munera civilia creatus es, hanc tibi nominationem non nocere, praeſidis aequitas faciet*, ubi eodem in contextu *creatio* & *nominatio* idem habentur, uti etiam ex rubrica ejuſdem expreſſius liquet. Etiam & *nominatores* [s] nuncupati qui ſic crearent; unde titulus in codice eſt *De periculo nominatorum* [t], qui & *creatores* [v] vocati. Adeoque vox illa *nominantur* in reſcripto illo de ſic nominatis, creatis, ordinatis in ſynedriis terrae ſanctae, ubi, nec alibi, plenaria presbyteratus judiciarii, juxta diſciplinam Ebraeorum, facultas rite conferri quibat, ſignantius locum habebit percommodum; quo itidem nominati ſeu creati illic ab eis qui alibi non ſine parili titulo degerent, nec ibi aut non plenarie creati fuerint, ut in reſcripto ipſo, diſcriminarentur. Et de vocibus *nominandi* & *vocandi* in rebus hujuſmodi plura mox [x]. Paulo ante Adrianum collocatur magiſtris edictum aliud de interdicta univerſis Judaeis Cypro, de quo, quia perperam nimis illud quoad loci nomen apud ſcriptores ſumitur, obiter monere viſum eſt. Cyprus hic eſt inſula illa notiſſima maris AEgaei, nec Cyprus terrae ſanctae, ſeu ὑπὲρ Ἱεριχοῦντος Φρούριον [y] *caſtellum ſuper Hierichunta* ab Herode in Judaea exſtructum, atque in matris ſuae honorem ſic denominatum. Hac de re Abraham Zacuthius Judaeos ait [z] אשר בגיפרי (ita ſcribitur in editione tam Conſtantinopolitana quam recentiore) *qui erant in Gipri* (pro *Cypro* [a]) felicium ſuorum in AEgypto alibique ſucceſſuum fiducia ductos internecione deleviſſe ad unum omnes הגוים *Gentiles* qui in ditione illa: וכשמוע טראגאנוס הדבר הזה וישלח את אדריאנוס עליהם ויכניעם וישימו דת ברומא שלא יכנס שום יהודי בגיפרי *Quod cum audierat Trajanus, miſit in eos Adrianum, & ſubjecit eos; atque edictum Romae edidit, ne quis Judaeus ingrederetur in Gipri*. Et Davi-

[h] De vita Moſis, lib 3. [i] L. 29. C. Theodoſ lib. 16. tit 8. [k] L. 17. C. Juſtin. tit. De Judaeis. [l] L. 15. C. Theodor. lib. 16. tit. 8. [m] In Comite Orientis; & videſis Juſtin, an. Novell. 103. [n] Cap. 106 [o] L. 14. § 4. D. tit. De Muneribus & Honoribus, l. 11. §. 1. & l. 13. & l. 17 §. 15. D. tit. Ad legem municipalem, l 2 § 7. D. tit. De adminiſtratione rerum. [p] L. 1. §. 4 D. tit Quando appellandum ſit. [q] L 1 D. tit. ad municipalem, l. 5. C. tit De Decurionibus, l. 3. C. tit. Qui aetate vel profeſſione ſe excuſant. [r] L. unic. Cod. tit Si propter inimicitias creatio facta ſit. Adde l. 27. C. tit. De appellationibus. [s] L. 1. D. tit De magiſtratibus conveniendis. L 1, 2, & 3. C. tit. Quo quiſque ordine conveniatur. [t] Lib. 11. tit. 33. [v] L. 1. §. 7. D. tit. De Adminiſtratione rerum. [x] §. 10. [y] Joſephus Haloſeos, lib. 1. cap. 16. & lib. 2. cap 36. Gr. 20. Latine. [z] *Juchaſin*, fol. 142, 2. [a] Videſis Buxtorf. Lexic. Chald Talmudic. col. 468.

di Ganzio [b] vocantur illic Judaei אשר בגפרי (הוא ציפרן) *qui in Gipri, quae est Zipran.* Eandem proculdubio insulam, puto, innuit, utcunque, pro more, literis Ebraicis adeo deformatum sit nomen. Locum autem illum Zacuthii ita versum habet Georgius Hornius [c], ut plane legisse eum liqueat גיפדי *Giphdi* pro גיפרי *Giphri*; unde & *AEgyptum* interpretatur, adeoque edictum fuisse ait *ne quis Judaeus intraret in AEgyptum*; quod totum quidem sumitur ex Joannis Drusii notis ad Sulpicii Severi secundum. Sed lectioni ejusmodi plane refragantur codices quos diximus Ebraici. Ganzii interpres, *Judaei in Gophri (quae est Tzepharan) internecione deleverunt omnes gentiles*, &c. Sed doctissimus Buxtorfius [d] plane גיפרי, ut res postulat, legit, nec de loco alio quam Cypro, *Cypria* ei dicta, intelligit. Huc spectat illud Eusebii [e] sub annum 19 seu postremum Trajani, Τὴς ἐν Σαλαμῖνι τῆς Κύπρου Ἕλληνας Ἰουδαῖοι ἀνελόντες τὴν πόλιν κατέσκαψαν, *Salaminam Cypri, interfectis in ea Gentilibus, subverterunt Judaei.* Et de excidio eodem scriptor vetustus eruditusque ad finem Hieronymi de locis Hebraicis; *Salamis, civitas in Cypro insula, nunc Constantia dicta, quam Trajani principis tempore Judaei, interfectis omnibus accolis, deleverunt.* Atque tam de interdicto illo quam excidio expressim loquitur Dio [f] apud Xiphilinum in Trajano. Judaei per Cyrenem, ait, Graecos & Romanos multos crudelissime interfecerunt: Ἔντε Ἀιγύπτῳ πολλὰ ἔδρασαν ὅμοια, καὶ ἐν Κύπρῳ, ἡγουμένου σφίσιν Ἀρτεμίωνος· καὶ ἀπώλοντο καὶ ἐκεῖ μυριάδες τέσσαρες καὶ εἴκοσι· καὶ διὰ τοῦτ᾽ οὐδενὶ Ἰουδαίῳ ἐπιβῆναι αὐτῆς ἔξεστιν, ἀλλὰ κἂν ἀνέμῳ τις βιασθεὶς εἰς τὴν νῆσον ἐμπέσῃ, θανατοῦται, *Atque in AEgypto consimilia multa ab eis perpetrata sunt, & in Cypro, duce illorum Artemione: ubi occisae sunt myriades viginti quatuor. Ex hoc factum est ut Judaeo in eam* (Cyprum) *venire non liceret; ac, etiamsi tempestatis vi in insulam appelleret, morte multandus esset.* Quod ad nomen autem attinet Cypri sic exaratum, scimus quidem Josephum [g] כתים *Cittim* [h], *Cethmium* seu *Cethimam*, in portione Ionum, pro Cypro sumere: Κύπρος αὕτη, inquit, νῦν καλεῖται, *Cyprus illa nunc dicitur.* Sed ita ut etiam reliquas maris insulas & loca maritima suis aiat inde nuncupari *Chethim.* Eum itidem sequitur Eustathius Antiochenus [i], ubi plane Χεθείμ pro Ἡθθῶ ex Josepho legendum. Alios habuit in veteribus Josephus hic sequaces; aliis aliter multo sentientibus. Cretenses seu Cretam fuisse *Cittim* volunt nonnulli [k]; alii etiam de Graecis & Romanis generatim capiunt. Et de nomine illo consulas quae affatim de eo praebuit Samuel Bochartus [l]. Sed vero, quocunque nomine Ebraeis Josephi tempore appelleretur Cyprus, scimus interim Syriace dictam eam esse [m] ܩܘܦܪܘܣ קופרוס *Cyprus.* Atque ex jam allatis, puto, manifestum satis fit, postmodum magistris receptam pro ea fuisse vocem illam גיפרי *Gipri* seu *Cipri*, ut Arabibus [n] est قبرس *Kibrus*, quod etiam a R. Saadia Gaon substituitur in Genesi [o] pro *Cittim.* Illis etiam interdum est قبرص. Scribendi autem ratio illa per ג perquam consonum est eis qui lignum גופר [p] (quod plerumque pro Cedrino sumitur) existimant fuisse *Cyparissum*, vocemque illam a גופר factam. Parili modo a *Cypro* גיפרי.

VII. Haud obscure ex ante ostensis liquet *presbyterorum* apud Ebraeos veteres ita variatim sumptum esse nomen ut alii etiam ex vulgo passim haberentur sine dignitatis seu facultatis alicujus solennis accessione, ut זקני השוק *Presbyteri plateae*, seu satis obvii; alii in solvendi & ligandi, seu publice docendi explicandique, seu de jure divino cum autoritate respondendi munus ordinati; alii demum in facultatem, sed & variatim, ordinati judiciariam seu forensem, eamque, pro creantium arbitrio, tempore, loco, aliasque circumscriptam, & titulo *Rabbi* donati. Quorum quilibet generaliter ordinare tum similem sibi, tum in facultatem particularem alium, juxta jam ostensa, rite creare potuit; & ordinatus particulariter, itidem alium sui generis. Jam vero, ut ordinatio in facultatem illam judiciariam intra terram sanctam solum, nec alibi, legitima habebatur, ita extra controversiam videtur, alteram illam ligandi & solvendi tam extra quam intra potuisse, juxta receptas apud Ebraeos sententias, rite peragi. Res quidem ipsa ex sui natura tantundem poscere videtur. Nam tametsi intra terram, pro variis captivitatum & exsilii generibus, variaque principum sub quibus degerent, de judiciis apud eos inter se illic, sive indulgentia sive coercitione, aliter atque aliter se res semper ac necessario habebat, nec judiciis forensibus ex jure suo, sive intra sive extra terram, aliter sibi quam pro arbitrio principum exterorum quibus suberant uti fas erat [q], nihilominus, quantum ad legis sacrae (sine immolationibus, quae extra terram fieri nequibant, aliisque aliquot terrae propriis) rituumque innumerorum, ad quos passim obligabantur tam extra quam intra terram, accuratiorem observationem, necesse semper erat ut universi Judaeorum coetus ubicunque locorum collocati suos, quoad fieri posset, praesto aut commode adeundos haberent licentiatos illos seu presbyteros ligandi & solvendi, docendi, explicandi munere satis imbutos. Atque ita ut ordinatio quae facultatem judiciariam spectaret, adeoque regimini, imperio, jurisdictioni Israeliticae esset praevia, ibi tantum peragi rite potuerit ubi genti ipsi datum est inprimis a numine imperium, quod diversimode imminutum sustinere illic & sibi restituere enixissime saepius, licet frustra satis, conabantur; id est, intra terram seu ditionem sibi, ut existimabant etiam rebus suis ita accisis, semper debitam. Sed interim ordinatio quae ad docendum,

[b] Part. 1. ann. 880. fol. 41, 1. [c] Ad lib. 2. Sulpitii Severi, pag. 380. [d] Lexic. Talmudic. Chald. col. 468 [e] In Chronico Canone, pag. 196. & apud Hieronym. in Chronico ejus, Num. 1232. Zonaras, tom. 2. Georg. Syncellus, pag. 348. [f] Histor. 68. [g] Archaeolog. 1. cap. 7. [h] Genes. x. 4. [i] In Hexaemer. pag. 52. ubi vide Leonem Allatium. [k] Arias Montanus Antiq. Judaicarum 1. cap. 7. [l] Geographiae Sacrae lib. 3. cap. 5. [m] Act. Apost. xiii. 4. & xxi. 16. [n] Adrisius in Geograph. Nubiensis, part. 5. Climatis 4. Act. Ap. xiii. 4. Abulfeda Geograph. num. 154. [o] Gen. x. 4. [p] Nicol. Fuller. Miscellan. 4. cap. 1. & Samuel Bochart. Geographiae Sacrae, lib. 1. cap. 4. [q] Vide Hugon. Grotium in epist. ad Rom. cap. xiii. 1.

ligandum,

ligandum, solvendum, id est, ad vitae mores, qua hos jussa spectarent divina, dirigendos, idque citra imperii coercitionem, seu judicii forensis potestatem facultatemve, qualem intra terram sibi vendicabant, idoneos ex suis redderet, extra terram ut legitima haberetur, rationi simplici est perquam consonum. Unde Philo Judaeus, de proseuchis scholisque apud suos per orbem terrarum, etiam aevo quo scripsit ille (quod vicinum est excidio templi secundi) adhiberi solitis, Τὰ γὰρ, inquit[r], κατὰ πόλεις προσευκτήρια τί ἕτερόν ἐστιν ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρείας καὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος, καὶ συμπάσης ἀρετῆς ἣ κατανοεῖται καὶ κατορθοῦται τά τε ἀνθρώπεια καὶ θεῖα; *Nam destinata oppidatim sacris precationibus loca, proseucteria dicta, quid aliud sunt quam scholae prudentiae, fortitudinis, temperantiae, justitiae, pietatis & sanctitatis, omnisque virtutis qua recte intelligantur diriganturque humanae res & divinae?* Forte enim qualibet in civitate ac republica alia omnino dignitatum magistratus gerendi officio necessario & proxime praeviarum ratio, alia earum quae scientiam tantum, veluti philosophiae, juris, theologiae, singularem denotent, advertenda. Quae prioris sunt generis intra civitatem seu rempublicam, penes quam rerum regimen, quo primario tendunt ejusmodi dignitates (qualis presbyteratus cum facultate judiciaria erat apud Ebraeos) rite tantum donari solent, utpote cui undiquaque inserviant, nec omnino ad exteros aut exterae terrae incolas attineant. Posterioris generis autem tam extra ubique quam intra civitatem aliquam conferri solent, & pro legitimis plerumque agnosci admitique, utpote quarum usus ubique parilis, dum nec alio per se tendunt quam, exempli causa in jure, ad *Boni & aequi notitiam profitendum, aequum ab iniquo separandum, licitum ab illicito*, solutum a ligato, *discernendum*[s], & ad rationes ac monita exhibendum cur, Τὰ μὲν ἔξεστιν ἡμῖν ποιεῖν, τὰ δὲ κεκώλυται, *alia facere liceat, alia nobis interdicantur*, ut plane exprimit illud de אסר והתיר *ligato & soluto* Josephus[t], adeoque veram nec simulatam circa vitae rationem philosophiam tractandum docendumque. Scilicet secundi hic gegeneris dignitate claret

Qui juris nodos legumque aenigmata solvat,

ut est apud Juvenalem[v], uti & *solutores* illi quos per *lytarum* & *prolytarum* in Digestorum prooemio nonnulli intelligi voluere: Quasi nomina illa λυτῶν & προλυτῶν apud Justinianum, pro quarti & quinti anni juris studiosis usurpata, sensu sumenda essent simili ei quo apud veteres λυτικοὶ & ἐπιλυτικοὶ[x], pro eis qui nodos, griphos, aenigmata sive seria sive ludicra facilius solvere quirent. Ita additio ad Glossam[y], *Lytas habet germana lectio* (legerat enim ibi Accursius *hircos*, quod interpretatur per *subtiliter videns*, dum vocem *hirquum* cogitabat) *quae vox solutores significat, nempe eos qui civili sapientia tantum promoverunt ut legum aenigmata possint subtiliter & acute dissolvere. Quos autem sequenti responso* προλύτας *appellat, possis interpretari eos qui* τῶν λυτῶν *antecessores sunt.* Suffragatur hic Turnebus[z], Alciatus[a], alii. Caeterum sunt viri doctissimi[b] qui sensum hunc prorsus ibi rejiciunt, nec pro *solutoribus* sumunt lytas, sed pro *solubilibus* aut *solutis*, annis illis exactis, seu *a certa illa & praescripta studiorum ratione solvendis, & legendi libertate ac licentia donandis*, quales ferme hodie *juris licentiati* dicuntur. Utcunque, fuere illi sic in facultatem docendi explicandique inter Ebraeos, sive intra sive extra terram creati, liciti ac illiciti interpretes, ordinationis ejusmodi ritu signati, & ut rerum causarumque profanarum inter suos interpretes, ita etiam velut circa sacra eis ἐξηγηταὶ *expositores*, quales veteribus Graecis apud Platonem[c] aliosque liquet fuisse per se citra jurisdictionem aliquam publicos. Sed praeterea, hanc in rem etiam ordinationem per se extra terram rite fieri antiquitus apud Ebraeos potuisse, & factam esse, (ut puto hodieque passim apud ipsos non raro fit) non obscure probatur ex ipso Novo Testamento. Nimirum, ex eis quae libro superiore ampliter tradita sunt de nominis, ita & status, tempore apostolorum, *Judaei & christiani* communione & consortio, ut dicitur Tertulliano[d] de suo etiam tempore; & de eo quod est christianismum pro Judaismo plane & rectissime ex natura sui sumptum esse, utcunque interdum ut speciem a genere ab eo discriminatum; & de christianis etiam tunc ipsis rituum Judaeorum, e quibus orti sunt, tenacioribus observantioribusque; atque ex eo etiam quod τῶν ἁγίων *sanctorum* nomen christianis, ut Ἰουδαίοις τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *Judaeis sanctis in Christo Jesu*, tribuebatur[e]; ex hisce, inquam, constat in christianismum receptum tunc fuisse, seu illuc e Judaismo veteri propagatum, rerum, rituum etiam & regiminis[f], maxime intra terram, usum, qualis a majoribus acceptus, nec christianae doctrinae, qua christianis tunc temperabatur Judaismus, adversaretur. Et usus ejusmodi tam Judaeis quam christianis, id est, utrisque sub nomine *Judaeorum*, edicto Claudii Caesaris, libro in superiore[g] allato, est tunc passim permissus. Scimus etiam Paulum apostolum[h] Hierosolymis educatum, instructumque fuisse παρὰ πόδας τοῦ Γαμαλιὴλ, *ad pedes Gamalielis*, qui pro Rabban Gamaliel illo celebri Hillelis ex Simeone filio nepote sumitur[i], id est, auditorem ejus illum fuisse diligentissimum, atque ab eo fuisse πεπαιδευμένον κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, *edoctum juxta veritatem*, ut Vulgata, seu *juxta accuratiorem rationem, paternae legis*, ejusque[k] undiquaque, adeoque rituum quibus sapiebatur illa, *zelotem* fuisse ardentem, sed scientissimum. Tantundem ad Judaeos suos Hierosolymis palam profitetur ipse, *se zelotem esse legis, sicut vos estis hodie*. Etiam *myriades* illae adeo numerosae *credentium*, seu Judaeorum qui illic Christo nomina dederant, fuerunt pariter *omnes*[l] *zelotae legis* tunc servandae. Qua ex ratione diutina secuta est legis rituumque Judaicorum, qui christianismo non adversi, etiam inter christianos, uti & fidei Judaicae reformatae, observatio, ut-

[r] Lib. 3 de vita Mosis. [s] Ulpian. l. 1. D. tit. De Justitia & Jure. [t] Orig. lib. 20 cap. 9. [v] Satyr. 8. [x] Athenaeus Deipnosoph. 11. Suidas in Σωσίβιος. [y] Ad Digestorum Prooemium. [z] Adversar. 8. cap. 19 [a] Parerg. 8. cap. 10. [b] Schardius, alii Lexicographi juris in *Lytae*. [c] De Legibus, lib. 7, 8, &c. [d] Apologet c cap. 21. [e] Chrysostomus ad Philip. c. 1. & Theophylactus. [f] Vide Hugon Grotium in epist. ad Romanos, cap xiii. 1 [g] Cap. 8. [h] Act. xxii. 3. [i] Buxtorf. in Abbreviaturis, lit. ר. [k] Act. xxii. 3 in Vulgata; ubi vide Bezam [l] Ibid. xxi. 20.

cunqu

cunque pro multiplici haeresium discrimine aliter aliterque se habens. Eaque in secula sequentia ita apud christianos duravit, parilisque (sed pro persuasionum itidem multiplici varietate) apud mahumedanos, ut animadverti voluerit Albumasar mahumedanus omnes sectas tum christianorum tum mahumedanorum Judaicam amplecti, seu ei jungi, sed Judaeos ipsos nihil amplexos esse quod istorum fuerit. Commentum ejus hac de re astrologicum en tibi integrum, ut non ita obvium, ita scitu forte non injucundum. *Cum Jupiter*[m], inquit, *per naturam significet fidem & diversitates legum in temporibus ac vicibus atque sectis, ex complexionibus* (conjunctionibus) *Saturni & ex complexionibus caeterorum planetarum cum eo, scilicet Jove, necesse est ut aspiciamus Jovem, qui fuerit in loco fidei* (domo nona thematis conjunctionis; quae religionis habetur) *ab ascendente conjunctionis, quae significabit mutationem, & Almuhtez, super locum fidei, fuerit ei complexus, erit narratio in hoc secundum ipsum* (ob conjunctionem ejus illic cum Almuhtez, seu thematis domino, omnia juxta naturam Jovialem succedent) *Si fuerit complexus Saturno, significabit quod fides civium ejusdem* (eorum quibus jam imperat) *sit Judaisma* (ita scribitur) *quod congruit planetae Saturni, eo quod omnes planetae junguntur ei, & ipse nemini illorum jungitur. Et similiter Judaica fides: Omnes cives caeterarum* (fide in creatorem aliquem imbuti) *confitentur ei, & ipsa nulli confitetur. Et erit magis exercitium eorum in hoc quod congruit huic fidei & quod simile ei fuerit. Et si complexus ei fuerit* ♂, *significat culturam igneam & fidem paganam. Et si complexus ei fuerit* ☉, *significat culturam stellarum & ydolorum. Et si complexa ei fuerit* ♀, *significat fidem unitatis & mundam, ut fidem Saracenorum & ei similem. Et si complexus ei fuerit* ☿, *significat fidem christianam, & omnem fidem in qua fuerit occultatio & gravitas & labor. Et si complexa ei fuerit luna, significat dubitationem ac volutionem ac mutationem ac exspoliationem a fide: & hoc propter velocitatem corruptionis lunae*, diminutionis mutationisque, *& celeritatem motus ejus, & paucitatem morae ejus in signo.* Sic ille, more suorum. Presbyteratus autem dignitatem ante dictam ab Gamaliele accepisse Paulum antequam Christo nomen dederat, non videtur omnino dubitandum. Ille vero sic ritibus moribusque patriis imbutus, aliique tunc presbyteri christianismo doctrina propagando sedulo incumbentes, presbyteros in munus illud docendi, praedicandi, explicandi, solvendi, ligandi, precandi, etiam extra terram, palam ordinabant. Dico, in munus illud docendi, &c. Nam in facultatem judiciariam seu forensem aliquam quosquam eos sic ordinasse credibile non est. Quoniam nempe ordinatio tunc temporis, quae inter christianos usitata, eadem ipsissima proculdubio erat, quantum ad facultatis donandae ritum solennem, quae ante & tunc in usu Judaeis, unde christiani sic orti, & quibuscum sic mixti, necdum *Judaeorum* nomen exuerant aut exuere potuerant. Obvia & creberrima in evangeliis & in actis *Judaicorum*, qui nomina nondum Christo dederant, *presbyterorum* mentio. Postmodum autem in actis [n] habetur *presbyterorum* etiam christianorum mentio expressim prima, quae fit plane absque ulla a presbyteris Judaeorum toties ante ibi & in evangeliis memoratis distinctione, quasi nemini non notissimum tunc fuisset nomen illud utrisque commune, &, velut eisdem, facultatem etiam ex proportione undiquaque utrisque fuisse similem. Atque ea quidem haud aliam prae se fert, hanc in rem, faciem, quam tale genus, quoad dignitatem seu facultatem, presbyterorum christianis fuisse seu ex Christi tunc sectatoribus ordinatum quale Judaeis reliquis ordinari soleret. Istos sane, seu eorum aliquos, pro intra terram ordinatis par est ut sumamus. Etenim presbyteri erant inter *habitantes in Judaea fratres.* Atque id genus forsan fuere qui ab apostolis cum manuum impositione, id est, ritu plane creandi tunc Judaico, & in christianismum dein per omnia secula derivato, ante [o] Hierosolymis ordinarentur, uti etiam ipsi discipuli duodecim Christi, qua facultas eis ab eo donata erat ligandi & solvendi [p], indeque peccata remittendi retinendique, id est, declarandi & cum autoritate docendi qualiter & quousque quis peccatis sive ligatus esset sive solutus. Christianae item ordinationis intra terram exemplum affertur in Clementis epitome de rebus gestis S. Petri, ubi manuum impositione illum sibi Caesareae Stratonis substituit, nec sine precationis ordinationi suae inservienti formula, quam alibi [q] retulimus, ubi in Latinae versionis typis erratum habetur hic corrigendum. In precatione illud σὺ διαφύλαξον τοῦτον ποιμαίνειν τὸν λαόν σου, ὃν ἐξελέξω, *custodias hunc quem delegi ut pastor sit populo tuo.* Legendum erat *delegisti.* Tametsi etiam Turnebus ibi interpres, *fac ut hic quem deligo populum tuum gubernet & regat.* Sed ut verbum ἐξελέξω ita & praecedentia *delegisti* exigunt. Nam & praecesserat oratio, ὅπως τὸν ὄντα ἄξιον ὁ Θεὸς ἀναδείξῃ, *ut eum qui dignus sit, Deus declaret.* Sed vero, etiam de ordinatis tunc extra terram, luculentissima nemo nescit testimonia illa de Paulo & Barnaba in Lystra urbe Lycaoniae [r], Iconio Cappadociae urbe [s] in Lycaoniae praefectura, & Antiochia Cavae Syriae urbe celeberrima, procul a Judaea seu terra intra quam legitima in facultatem judiciariam ordinatio fieri potuit, presbyteros citra controversiam quamplurimos ordinantibus [t]. Ad urbes scilicet illas & locos circumvicinos illud de eorum transitu per urbes ipsas spectat, χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν, *Ordinantes, creantes, eis per ecclesias singulas presbyteros*, id est, constituentes seu ordinantes modo tunc in usu receptoque. Neque suffragiorum plebis seu circumstantium praeter ipsos ordinatores usus ordinationi tunc omnino necessarius. Et mirum est, ex male sumpta vocis χειροτονεῖν illic significatione, ubi nihil aliud praeter ipsum ordinationis tunc, ut Judaicae ita christianae (qua itidem Judaica tunc fuit illa) ab ante ordinato actum praestitum ea denotatur, viros doctissimos, in plebis seu ecclesiae cujusque integrae suffragia, quorum tanta habita est in seculis etiam usque in nostra sequentibus ambitio, propensiores, negare sine suffragiis ejus-

[m] Lib. de Magnis Conjunctionibus, Differentia 4. [n] Acts xi. 30. [o] Act. vi. 6. [p] Matth xviii. 18. Joann. xx. 23 [q] Comment. ad Eutychii Origines. [r] Anonym. de locis Actuum Apost. subjunct. Hieronymo de locis Ebraicis. [s] Ptolemaeus Geogr. 5. cap. 6. & vide Plinium Hist. Nat. 5. cap. 27. [t] Act. xiv. 23.

modi ordinatos illos fuisse. Sed ea de re ampliter actum est libro superiore[v], ubi de χειροτονίας significatione, quae tunc & postmodum obtinuit, vidimus. Ibi allatis addesis illud, apud Lucianum[x], Jovis, qui, lecto decreto, *Justissimum est*, inquit, *O Mome, decretum*, καὶ ὅτῳ δοκεῖ ἀνατεινάτω τὴν χεῖρα· μᾶλλον δὲ οὕτω γιγνέσθω· πλείους γὰρ οἶδ᾽ ὅτι ἔσονται οἱ μὴ χειροτονήσαντες, *& qui suffragatur huic, manum protendat. Melius autem ut sic fiat. Nam complures novi futuros qui manus suas neutiquam extendere voluerint.* At vetustum χειροτονίας *manuum porrigendarum* in suffragiis plurium discernendis usum respicit. Sed diu ante Luciani aevum, adeoque Apostolorum, χειροτονία & χειροτονεῖν (quod in Actis[y] usurpatur) in *creationis* seu *ordinationis simplicis*, sine suffragiorum plurium ratione ullatenus necessaria, significationem, ut ostensum est, migraverat. Adverte etiam Platonis tempore, adeoque in Graecia vetustiori χειροτονεῖν *simplicem nominationem* seu *creationem* ex sui natura denotasse, nec magis plurium suffragia sic necessario indicasse, quam adnuere, nedum plurium nutus singulares. Vocem illam saepius, ubi de magistratibus in magnetica quam formaturus erat republica creandis loquitur, adhibens Plato, Χειροτονεῖν, inquit[z], στρατηγοὺς μὲν καὶ ἱππάρχους πάντας, *In ducibus & magistris equitum eligendis omnes suffragia ineant*, seu potius *pro libitu manus in creationem porrigant*, atque ita creent aut eligant ut numerus major superet. Janus Cornarius optime ibi vertit, *Eligantur* (electionis autem actus tam ad unum quam plures aeque attinet) *duces exercitus & magistri equitum ab omnibus.* Plures hic ex accidenti plane sunt: Nec omnino de omnium manibus porrectis vox sumitur; sed de cujuslibet potestate in creando seu nominando singulari. Inde ei πλείστη χειροτονία pro *majori parte creante*, & διαχειροτονούμενος pro ita *creato*, etiam αἵρεσις *electio* pro ipsa χειροτονία. Et paulo post de aedilibus, Χειροτονείτω δὲ πᾶς πάντα, quod vertit Cornarius. *Eligat autem quivis quemlibet*; Ficinus, *Nominet autem quemlibet unusquisque.* Certe aliunde etiam manifestum est χειροτονεῖν Platonis aevo pro creatione simplici seu ἀποδεικνύειν esse usurpatum, sine suffragiorum plurium ratione habita ulla, aliter atque ex accidente, si fides epistolae illic Alexandri magni ad Jonathanem apud Josephum[a], ubi expressim inquit, Χειροτονοῦμέν σε σήμερον ἀρχιερέα τῶν Ἰουδαίων, καὶ φίλον ἐμοῦ καλεῖσθαι, *Et ordinamus* (ut recte Ruffinus) *te hodie principem sacerdotum, & amicum nostrum vocari praecipimus.* Quisquamne hic suffragiorum plurium rationem habitam sanus existimaverit? Male ibi Gelenius, *Et nostro suffragio* (quasi cum pluribus ea de re latis unicum fuisset) *hodie te pontificem Judaeorum constituimus*, &c. Optime Genebrardus, *Et des aujour d'huy je t'esly & ordonne pour estre souverain sacrificateur*, &c. Utcunque autem, juxta superius ostensa, in lingua Graeca apostolis coaeva obtinuit, uti & postmodum apud Platonicos aliosque Graecos in primitivis christianismi seculis, ut ἀντιχειροτονεῖν pro eo quod est singularem aliquem seorsim, in schola, museo, alibicunque, *adversum sentire*, adeoque χειροτονία pro ipsa *creatione simplici* sumpta est. Unde Maximus Tyrius (qui sub Commodo Augusto seu Origeni coaevus floruit) Οἴει δή, inquit[b], τούτοις Πλάτωνα ἀντιχειροτονεῖν καὶ ἀντινομοθετεῖν. ἀλλ᾽ οὐχ ὁμόφωνον εἶναι, &c. *Platonem ergo putas diversa ab his decernere, aut contrarias leges ferre, & non consonum esse?* &c. Atque alibi[c] idem, Εἰ δέ πού τις εἴη δικαστοῦ χώραν ἔχων μὴ κυάμῳ λαχών, ἀλλ᾽ (ἥπερ δὴ χειροτονία δικαστοῦ μόνη) αὐτῷ τῷ εἰδέναι· πρὸς τοῦτον οὐχ ὡς ἀδικῶν οὐδ᾽ ὡς φεύγων γραφὴν ἀπολογεῖται εἴτε Ἀναξαγόρας, &c. *Si quis vero judex fuerit, qui non faba dignitatem sortitus est, sed scientia (quae sola est judicis* χειροτονία seu *creatio;) apud hunc, non ut noxius solet, aut reus, causam suam aget sive Anaxagoras*, &c. Sed fieri nequit quin sententiam adversam, seu quae est de plurium suffragiorum, adeoque plebis in Apostolorum Actis, in voce χειροτονεῖν significatione, etiam efflictim deperierint obtenderintque ac mordicus retinuerint non pauci. Atqui interim magis est illud mirum, quod viri maximi, judiciique interim serenioris perspicacissimique, ita sentientes, interim saepius profitentur[d], *totum regimen ecclesiarum Christi conformatum tunc fuisse ad synagogarum exemplar*; quod verissimum est. Syrus in loco illo, ܘܐܩܝܡܘ ܠܗܘܢ ܒܟܠ ܥܕܬܐ ܩܫܝܫܐ ואקימו להון בכל עדתא קשישא *Et constituerunt eis in omni ecclesia presbyteros.* Arabs Erpenianus,

وانّهما صنعا لهم قسيسين وصلّوا باصوام وسلموا بايديهم لهم في كل كنيسةٍ قسوساً

Et cum fecissent eis presbyteros, & orassent cum jejunationibus, &c. nihilo de singulis ecclesiis inserto. Sed vero codex Jaianus, *Et designarunt (nominarunt, vocarunt) eis per manus suas presbyteros in singulis ecclesiis.* Ubi expressissima habetur ordinationis per manuum impositionem, citra astantium suffragia ulla, mentio; quae mori tunc apud omnes sive Judaeorum sive christianorum nomine, ut communi, venientes receptissimo est undiquaque consona. Atque nomina *ecclesiae* & *synagogae* idem plane antiquitus, & tunc, licet postmodum invicem distincta, ut קהל & עדה, significabant. Utraeque erant per urbes aliaque loca tam christianis quam Judaeis, necdum christianis, dispositae. Et pro sectarum inter Judaeos illos variatim tunc amplexandarum, in Judaea & extra eam, discrimine, fuere qui in eis docerent, ligarent, solverent, in facultatem scilicet ejusmodi passim ordinati: Sed universi a suis, eodem modo pariter rituque; quod itidem omnino apud christianos, ut singularem Judaeorum speciem, tunc factum. Imponuntur quidem manus etiam Paulo & Barnabae in ecclesia Antiochena ante[e], Spiritu Sancto jubente. Sed opus illud videtur plane extraordinarium, seu in ministerium illic singulare designatio, nec alterutrius eorum in presbyteratus facultatem ordinatio. Nam ut Paulus a Gamaliele ante ordinatus, ita etiam Barnabam ab ipso Christo inter discipulos duodecim in eandem dignitatem evectum esse aequum est ut

[v] Cap. xv. [x] In concilio seu ecclesia Deorum. [y] Cap. xiv. 23. [z] De Legibus, lib. 6. [a] Lib. 13. cap. 5. [b] Dissertat. 1. [c] Dissertat. 6. [d] Hugo Grotius ad Act. vi. 3. xi. 30. & vide eum ad cap. xiv. 12. & xx. 28. & ad epist. ad Titum, cap. i. 5. [e] Act. xiii. 3.

sentiamus.

I

ſentiamus. Simile dicendum de Simeone Nigro, Lucio Cyrenenſi, & Manaen [f], qui, educati ſub Paulo, προφῆται καὶ διδάσκαλοι *prophetae & doctores* pariter ibi cum ipſo & Barnaba nuncupantur. Adeoque tam Paulus quam Barnabas, uti & reliqui, ante ſatis in presbyteratum ordinati. Miſſioni autem illi ita ab Spiritu Sancto imperatae adhibita eſt quidem manuum impoſitio. Sed ritus ille, tametſi ordinationi in presbyteratum regulariter inſerviret, nihilominus in aegris curandis [g], benedictionibus, aliiſque in rebus [h] non ita paucis, citra ordinationis ejuſmodi ſolennis effectum, uti etiam per omnia ſecula apud chriſtianos ejuſdem uſus notiſſimus. Caeterum ordinandi tunc presbyteros extra terram mos ſatis cernitur etiam in illo Pauli ad Titum [i] de presbyteris in Creta inſula ordinandis; *Reliqui te in Creta, ut ea quae deſunt dirigas*, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην, *& conſtituas per civitates* (Syrus ibi ܒܡܕܝܢܬܐ ܘܡܕܝܢܬܐ בְּמְדִינָא מְדִינָא *in civitate & civitate*, ſeu ſingulis, ubi commodum erat; Arabs itidem Erpenianus في مدينة مدينة Syro conſonus, & Jaianus, في كل مدينة *in omni civitate*) *presbyteros, ſicut ego tibi praeceperam. Conſtituere* hic eſt χειροτονεῖν, ſeu *ordinare*; unde Syrus ܬܩܝܡ *conſtitues*, & Arabs uterque تقيم quae vox eadem idem ſignificat. Hoc autem in Creta. Paulus ita vult extra terram ordinationem, ut rem paſſim receptam, fieri a Tito, ante, ut neceſſe erat, eodem titulo inſignito, ſive a Paulo ſive ab alio quopiam ordinato. Ubi appoſite Hugo Grotius ad vocem πρεσβυτέρους, זקנים *ſive* פרנסין, *inter quos principem obtinebat locum* ὁ ἐν λόγῳ κοπιῶν, *ut eum vocat Paulus* [k], *qui per excellentiam* προεστὼς *Juſtino*; *ſicut, per ſimilem excellentiam* ὁ ἐπίσκοπος, *angelus in apocalypſi. Ejus erat docere, aut etiam poteſtatem docendi idoneis ſive presbyteris ſive laicis dare, plane ut factum in ſynagoga. Et nota* κατὰ πόλιν, *quia Titus toti Cretae praepoſitus fuerat, quae ob urbium frequentiam olim dicta* ἑκατόμπολις. Et alibi [l]; *Sicut in ſynagogis primus ſenum* (presbyterorum illic inſignior) *is erat qui docebat populum, &* רבי *aut* ממנה *vocabatur, ita in eccleſia chriſtiana* τοῦ προεστῶτος *idem erat munus. Iidem ſunt* πρεσβύτεροι οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ, 1 Tim. v. 17. Aliud enim erat docere & laborare in verbo & doctrina, aliud docendi munus, adeoque titulum presbyteri, negligentius ſuſtinere. Idem etiam alibi [m] ad illud de laborantibus in verbo & doctrina; *id eſt, principes presbyterorum, quorum proprie erat munus loqui ad populum, & ſic eum docere. Si per morbum aut aetatem non ſufficerent, aſſumebant ſibi alios, de presbyteris plerumque, raro de laicis. Sed notandum, olim in una urbe magna ſicut plures ſynagogas, ita & plures fuiſſe eccleſias, id eſt, conventus chriſtianorum: Et cuique eccleſiae fuiſſe ſuum praeſidem, qui populum alloqueretur, & presbyteros ordinaret*; ſive ipſe, ſive aliis, ex diſciplina Judaica illa de principis licentia tunc ordinandi impetranda, quae ſuperius oſtenſa eſt, ſeu diſciplinam illam imitatus, idem praeſtare permittendo. Atque ut Titus in Creta ex mente Pauli proculdubio presbyteros tunc ordinabat, ita Timotheus Epheſi; quod ſatis eliciendum ex illo [n] Pauli ad eum, Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει, *manus cito* ſeu *temere nemini imponas*. Mittimus hic hiſtorias eccleſiaſticas quae ordinationes apoſtolorum tunc temporis alias aliis in terris extra Judaeam, ut Marci in Alexandria, etiam Petri, uti & Ariſtobuli a Petro ordinati, in Britannia noſtra [o], aliorum alibi, affatim exhibent. Atque presbyteros ejuſmodi non in judiciariam ſeu forenſem facultatem aliquam ordinatos eſſe, ſed tantum in alteram illam docendi, prophetandi, ligandi, ſolvendique, non obſcure liquet ex locis jam ante e ſcriptura indicatis, ubi tum ordinantium tum ordinatorum munus indicatur; quod ſane in epitomen optime redigitur a Paulo, ubi ad Timotheum, presbyterum inſigniorem ſeu epiſcopum Epheſi, ait [p], Ἕως ἔρχομαι πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ, *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinae.* Firmari poſſunt jam dicta ab exemplo Criſpi [q] Judaeorum non credentium Corinthi archiſynagogi, ſi, ut ex nomine oportere videtur, credamus eum origine Judaeum non fuiſſe, ſed Romanum aut Graecum (ut Juſtum etiam illic; qui in Vulgata, Syro, & Arabe Erpeniano *Titus* dicitur, & in Jaiano *Titus* بن يسطس *filius juſti*) adeoque proſelytum juſtitiae. Nimirum is ſynagogae illic praefuit, tametſi ſic proſelytus; adeoque in presbyteratum ante creatus. Cum vero proſelytis, utcunque aut ubicunque ordinatis, locus non omnino eſſet legitimus, ex diſciplina Judaeorum, in ſynedriis forenſibus autoritate publica intra terram conſtitutis, in quae neutiquam cooptandi erant (qua de re capite proximo) non eſt quod ullatenus exiſtimemus proſelytorum quemquam ordinatum fuiſſe in facultatem judiciariam ſeu forenſem, cujus eis, ex ordinationis vi, uſus legitimus eſſe ullus nequibat. Jam vero cum Criſpus hic ſummam in ſynagoga Corinthiaca qualemcunque praefecturam gereret, ac, rationem ob allatam, in facultatem judiciariam aliquam ordinatum eum fuiſſe non ſit credendum, reſtat ut dicamus in facultatem illam alteram juriſdictione ac judicandi forenſi poteſtate penitus carentem ordinatum eum, ibi ligando, ſolvendo, docendo, dirigendo, praefuiſſe. Certe nec juriſdictionem competiiſſe archiſynagogo cuiquam, qua tali, ullam, eliciendum ſatis videtur ex eo quod archiſynagogus quidam iratus Jeſu Chriſto [r] quod ſabbato foeminam infirmam ſanaſſet, doceret quidem id contra fas factum, & a Chriſto graviter objurgaretur, nec tamen illum in jus eo nomine, utpote juriſdictione carens, vocaret. Atque ex hiſce ſane facultas eorum qui eccleſiis chriſtianis tunc pariter & ex more Judaico προεστῶτες *praeſides* dicebantur rite eſt dignoſcenda. Et quale de Criſpo proſelyto ſic ordinato in ſynagoga illa non-credentium di-

[f] Ibid. 1. [g] Matth. ix. 18. xix. 13, 15. Marc. v. 23. vi. 5. vii. 32. viii. 23, 25. x. 16. xvi. 18. Luc. iv. 40. xiii. 13. Act. viii. 17. xxviii. 8. [h] Vide Hug. Grotium in Hebr. vi. 2. [i] Cap. i. 5. [k] 1 Timoth. v. 17. [l] Ad Act. xiii. 1. [m] Ad 1 Timoth. v. 17. [n] 1 Tim. v. 22. [o] Simeon Metaphraſtes ad 29 Junii, Menaeum Graec. ad Mart. 15. Anonym. in notis Patricii Junii ad Clementis epiſtolam. Jacobus Uſſerius Armachanus in Britannic. Eccleſ. Primordiis cap. 1. pag. 7 & 9. Henric. Spelman. in Concil. Brit. pag. 3. [p] 1 Tim. iv. 13. [q] Act. xviii. 8. [r] Luc. xiii. 14.

cendum

cendum, quantum ad facultatem ordinatione collatam, tale omnino de Tito aliisque ejusmodi e gentibus in christianismi Judaismum proselytis factis pronunciandum.

VIII. Neque omnino obstat, Paulum scripsisse ad Corinthios[s], ubi monet eos de evitando sceleratorum commercio, *Nonne de eis qui intus sunt vos judicatis?* quasi judicia inter eos forensia aliqua verbis illis designasset. Certe si ita, judiciaria illa potestas, qualiscunque esset, aut fuisse existimata fuerit, ad totam ecclesiam, tam plebis quam presbyterorum, nec ad quenquam ex vi ordinationis, attinuisset. Nam ad omnes pariter illud loquitur; omnigenos illic scilicet christianos, ad quos se scribere expressim dicit[t]. Unde S. Basilius[v], *Nonne qui apud Corinthios patris uxorem habebat*, &c. *non solum ipse traditur satanae ad interitum carnis*, &c. Ἀλλὰ καὶ πᾶσα ὁμοῦ ἡ ἐκκλησία, ἐπεὶ μὴ ἐπεξῆλθε τῷ ἁμαρτήματι, ἐκείνοις περιβάλλει τοῖς ἐγκλήμασι; *Sed simul ecclesia itidem* illic *universa, quod in facinus illud* pro temporis disciplina *non animadverterat, ejusmodi se facit accusationibus obnoxiam?* Ii simul omnes fuere οἱ ἔσω *qui intus sunt*, ut qui Christo nondum nomina dederant, οἱ ἔξω *qui extra sunt*. Qualis expressim apud philosophos veteres, maxime Pythagoreos, distinctio inter discipulos admissionis interioris seu τοὺς ἔσω seu ἐντὸς σινδόνος *intra sindonem*, & τοὺς ἔξω & ἐκτὸς αὐτῆς *extra eam* audientes[x]. Simili notione τῶν ἔνδον, *eorum qui intus sunt*, ut receptissima, usus est ad Arsacium pontificem Galatiae Julianus[y], ubi monet, praesides milites que, adeoque alios, simulac limen ingrediuntur delubri, privatorum (qua sacra respiciebant) personam induere. Et tunc, Ἄρχεις γὰρ αὐτός, ὡς οἶσθα, τῶν ἔνδον· ἐπεὶ καὶ ὁ Θεὸς ταῦτα ἀπαιτεῖ θεσμός, *Siquidem ipse, ut nosti, his qui intus sunt praees; propterea quod haec in deorum gratiam lex poscit.* Ejusmodi τῶν ἔσω καὶ τῶν ἐκτὸς notio in oratiuncula illa celebri Constantini Magni[z] ad episcopos, S. Basilium[a], alios, obvios. Certe ex eis qui ita intus erant omnibus simul presbyterium aliudve ejusmodi collegium forense conflatum esse, aut imperium ab eis cum jurisdictione revera exercitum, nemo, opinor, existimabit. Atque etiam ipsa res exigit ut *judicare* ibi nil aliud significet quam ex animo advertente discernere quis sceleratus aut commercio inidoneus, non omnino forensi aliquo judicio, nedum coercitione, uti. Adeoque ibi *judicare* denotat ut *judicium* in illo Octavii Augusti[b], *suum quenque judicium habere*; aut in illo de eo, Suetonii[c], *Amicorum suprema judicia morosissime pensitavit.* Ita *judicium animi* est apud Paulum jurisconsultum[d], aliosque veterum, & *judicium*, pro animi sententia apud Ulpianum[e], tum in aliis negotiis tum in testamentis faciendis, unde *judicium defuncti*, & *judicium testatoris*[f] seu ut in illo Horatii[g], & *adhuc sub judice lis est.* Et nihil magis tralatitium quam τὸ κρίνειν & *judicare* sensu in illo usurpari, quod etiam ex τῆς κριτικῆς & τῶν κριτικῶν nomine passim antiquitus hodieque usitatissimo pro eorum arte & judicio qui bonis literis recensendis judicandisque incumbunt, nemini non liquet. Nec quidquam familiarius quam vocum *judicii* & *judicare* ejusmodi usus, isque frequentissimus notissimusque. Caeterum, quantum ad controversias litesque aliquas forenses cujuscunque generis, christiani Corinthii synedria seu synedros judiciarios e presbyteris aliquibus constitutos neutiquam omnino tunc sibi, ne obtentu quidem aliquo, habuere. Paulus statim postea[h], *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum* κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων, *judicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis quod sancti* τὸν κόσμον κρινοῦσι; *mundum judicabunt? Et si mundus per vos judicabitur, an indigni* (inidonei) *estis qui judicetis de minimis? Nescitis quod angelos judicabimus?* μήτι γε βιωτικά; *quanto magis ea quae ad vitam spectant?* seu *vitalia?* ubi Syrus, ܡܟܝܠ ܐܦ ܕܗܠܝܢ ܕܒܥܠܡܐ ܗܢܐ *quanto magis ea quae sunt mundi hujus?* Arabs Erpenianus, فكم بالحري ما كان في هذه الدنيا eundem in sensum; Jaianus, فكم اولى بنا نحكم في امور عالمية *& quanto magis judicabimus de rebus mundanis?* Vulgata ibi, *Quanto magis secularia?* & illinc Rhemenses, how much more secular things? Wiclefius, how much more worldly things? Lutherus, die zeitliche güter, *bona temporalia?* Angli sub reformationis initio optime, how much more may wee judge things that pertain to the temporal life? ubi βιωτικά exacte redditur. Episcopalis autem recognitio, uti & illa sub Jacobo rege instaurata, quae etiamnum nobis in usu publico, things that pertain to this life? atque ita Galli, *choses appertenants a ceste vie?* quemadmodum etiam Belgae nuperi, hoe veel te meer de saken die dit leven aengaen? apud quos ante legebatur, hoe veel te meer tijdlick dingen? Sed & Italus nuperus, *delle cose di questa vita?* Pergit dein S. Paulus, Βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε, τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τούτους καθίζετε, *De rebus vitae*, seu *vitalibus, judicia* (seu *controversias*) *si habueritis, eos etiam qui minimae sunt in ecclesia existimationis* (non doctores, seu presbyteros munere docendi donatos, nec in judiciariam creatos facultatem) *sedere facite* (ut synedros designate & collocate; in synedria vobis qualiacunque ex compromisso aut confoederata inter vos disciplina cooptate) ubi Vulgata, *contemptibiles qui sunt in ecclesia, eos constituite ad judicandum*; Arabs Jaianus, وان تكن لكم لذا مجالس قضا عالمية والمحقورون في الجماعة يجلسوهم قضاتها *Quod si ut sint vobis subsellia judicii ad mundum pertinentis necesse fuerit, etiam ex-*

[s] 1 Epist. v. 12. [t] Cap. 1. 2. [v] In Prooemio ad Ethica, seu περὶ κρίματος Θεοῦ, Tom. 2. pag. 401. [x] Jamblich. de Vita Pythagorae, cap. 17, 18. [y] Epist. 49. [z] Apud Eusebium de Vita Constantini, lib. 4. cap. 29. [a] Homil in Psalm xxviii. [b] Sueton. in eo cap. 54. [c] Ibid cap. 66. [d] L. 48. D. tit. de Regulis Juris, & l 3. D. tit. De Divortiis. [e] L. 22. D. tit. De Adoptionibus, & frequentissime in Digestis. [f] L. 8. D. tit. De inofficioso Testamento. §. 10. & l. 23. §. 1, &c. [g] In Arte Poetica. [h] 1 Corinth. vi. 1, &c.

istimationis minimae viros sedere faciant judices eorum. Erpenianus autem, اهن اذا كانت بينكم وبين احد من اهل الدنيا منازعة فاجلسوا ادني من في البيعة للقضا بينكم فيه ا *Et si fuerit inter vos & quenquam ex plebe mundi controversia, in consessum cooptentur etiam qualescunque fuerint* (οἱ τυχόντες) *in ecclesia, qui judicent inter ipsos de ea.* Certe dum de βιωτικοῖς *vitalibus*, id est, controversiis rebusque ad societatem humanam attinentibus, quae in jus deduci possint, universis, seu quae sunt בין אדם לחברו *inter hominem & proximum suum*, verba sic fiunt, increpanturque Corinthii quod coram injustis, id est, judicibus gentilium, litigarent, & dein monentur ut quoscunque e suis, etiam obscurioris alias notae, sibi constituerent qui lites eorum ejusmodi, ut arbitri, seu ex confoederata inter se disciplina (neque enim aliter id illic, aliena utpote in ditione, fieri quibat) instar synedrorum, definirent, id est, plane זקני השוק *presbyteri plateae*, seu הדיוטות *plebeii, vulgares, vilioris existimationis* (nam vox illa הדיוטות optime respondet τῷ ἐξουθενημένους in textu) dum haec se ita habent, anne cuiquam admitti poterit, antea fuisse in ecclesia Corinthiaca forum aliquod e presbyteris seu viris notae in ecclesia eximioris conflatum quod judiciariam illam quae ullatenus coactiva esset potestatem exerceret? Hugo Grotius ibi (tametsi presbyterium illic tunc formatum fuisse existimet [i] ille, qua de re plura mox) *Adeone nemo est inter vos eruditus qui possit judicare, id est, cui vacet? Fuerat hoc illorum potissimum qui se sapientiae nomine* (quae presbyteris quidem signantius tribui solebat) *inter vos venditant. At si illi id defugiunt, vel ad imperitos iri oportuit.* Qui illic ordinati fuerant, aut alibi extra terram ordinati illuc accesserant, in ligandi, solvendi, docendi facultatem tantum, non in judicandi, creati. Et tametsi intra terram ordinati fuissent, non omnino inde extra terram, seu Corinthi, judiciis inter suos criminalibus seu דיני קנסות aliquibus idonei fiebant, neque eorum quisquam exercere ea potuit aliter atque ex disciplina inter se confoederata illa, & pro arbitrio principum quorum in ditionibus degerent, permissum esset; quod tum ex ante dictis tum ex inferius sequentibus est manifestum. Quid quod etiam statim subjungit Paulus, *Ad verecundiam vestram* (ut vos pudeat hujus rei) *dico:* Οὕτως οὐκ ἔστιν ἐν ὑμῖν σοφὸς οὐδὲ εἷς, ὃς δυνήσεται διακρῖναι ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ; *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* (ubi Syrus, *inter fratrem & fratrem*; qui verus est loci sensus. Atque sic Arabs Erpenianus. Et Jaianus, بين الرجل واخيه *inter virum & fratrem ejus) sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles.* Scilicet etiam ex Judaeorum erat disciplina, quod & in christianismum hinc propagatum [k], ne, quis eorum libenter apud gentilium judices litigaret; uti & recte hic notat Hugo Grotius. Sed etiam ex hisce ita subjunctis nonne manifestum fit in ecclesia tunc Corinthiaca neutiquam omnino habitum presbyterum seu sapientem qui judiciariam quae forensis esset facultatem, nedum potestatem, sibi collatam quidem ullatenus obtenderet. Nec facessat cuiquam hic negotium quod dici solet, *secularia* ibi intelligi, juxta vulgatum; nec de aliis judiciis verba ibi fieri, adeoque non de spiritualibus seu ecclesiasticis. Etenim nondum erat tunc nata distinctio illa *secularis* seu *temporalis* & *spiritualis* seu *ecclesiasticae* jurisdictionis, quae diu postmodum inter christianos per eorum ambitionem qui inter suos ex confoederata disciplina in ecclesiis, velut in scholis, synagogis ac proseuchis, non ut in coactivae jurisdictionis synedriis, praeesse, adeoque tantum ut archisynagogi eorumque collegae, non ut synedriorum forensium sive principes sive adsessores, debuerant, ac per eorum quos docerent obsequium & reverentiam summam, tandemque per principum christianorum indulgentiam ortum habuit. Inde census sacri, decimarum proventus, nuptiae, testamentorum apertura, intestatorum bonorum administratio, id genus alia non pauca, *spiritualium* (quoniam a principibus eorum cognitio forensis permissa est eis qui munus docendi quae ad spiritum spectent obtinuere) nomen sortita sunt; cum plane non minus secularia seu vitalia ac βιωτικὰ, etiam ex sui natura, fuerint illa universa quam pactum, conductio, locatio, mutui datio, emptio, venditio, & quae id genus inter homines sint caetera qualiacunque. Bene de *temporalibus* Guilielmus Occhamus [l]; *Omnia praeter perpetua*, aeterna, *mensurantur tempore*; *ideo vocantur temporalia*; quod nomen ita recte continet βιωτικὰ universa, & hominum inter se actiones omnimodas, tam forenses quam alias, etiam & possessiones, uti itidem jurisdictiones ac imperia circa eas versantia, qualiacunque fuerint, licet ex ambitione quam diximus, ac praeviis, ad eam ampliter complendam ac utcunque acquirendam, ductibus distinctionibusque, subdivisiones factae fuerint, & patientius quam par est admissae, in *spiritualia, ecclesiastica, regularia*, quasi quicquam in horum aliquo, qua hominum, qualiscunque fuerint, circa sacra seu profana, persuasionis, actiones inter se mutuas tantum spectant, genus seu species esset, ab ea quae revera est inter homines, qua se invicem respiciunt, *secularis* seu *temporalis* ac *vitalis*, ex sui natura discriminanda. Verum quidem est, in christianismo veteri τὸ βιοῦν, adeoque βιωτικὰ & οἱ ἐν τῷ βίῳ, *vitam secularem* denotasse, qua voce illa distinguebantur qui sic vitam agebant, ab illis qui, ut ascetici, vitam eligerent monachicam aut eremiticam; unde Chrysostomus [m], Οὗτος δέ μοι ὁ λόγος οὐ πρὸς τοὺς ἐν τῷ βίῳ ἐξεταζομένους μόνον ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς ἐν τοῖς ὄρεσι τὰς ἑαυτῶν καλύβας πηξαμένους, *Non solum*, ait, *sermo fit meus ad eos qui* ἐν τῷ βίῳ, *in vita*, seu *in hominum consortio, reperti fuerint, sed etiam ad eos qui in montibus tuguria sibi* (ut eremitae aut monachi) *fixerint.* Alia ejusmodi habet ille. Nec quidem ad conjugatos

[i] Ad 2 Corinth vi. 5. [k] Constitut. Apostolic. lib. 2. cap. 46. [l] Physicae part 4. cap. 14. [m] Homil. 7. περὶ μετανοίας, tom. 6. pag. 801. editionis Savilianae.

(ut vult vir doctissimus[n]) designandos aliter attinet, quam ex eo quod conjugati hominum fruantur, tam in sacris quam profanis, consortio, unde solum lites in judicium qualecunque deducendae oriuntur. Etiam Basilius[o] sermonem habet asceticum seu commonitorium περὶ ἀποταγῆς βίου, καὶ τελειώσεως πνευματικῆς, quod vertitur, *De abdicatione* sive *renunciatione seculi istius, & spirituali perfectione*; &, *De abdicatione rerum*, βίου *vitae*, seu commercii communis & consuetudinis humanae etiam in christianismo. Unde & monachatus dici solet *mors civilis*, licet interim βίος ἀσκητικὸς & μοναχικός. Ita pro subjectae materiae varietate aliter atque aliter adhiberi solitum τὸ βίος· quo quidem, ex origine sui & usu receptissimo, status uniuscujusque omnigenus, tam qua sacra quam profana, adeoque qualiacunque forensia, respicit, designatur. Sed plane τὰ βιωτικὰ *vitalia* notionem habet quae τοῦ βίου *vitae* non angustior est. Quasi vero biographis actiones, opiniones, relationesque omnimodae tam sacrae scribi non solerent quam profanae, seu quae seculares strictius nominantur. Quid aliud in Plutarcho, Laertio, id genus reliquis, aut in Dicaearchi[p] τῷ Ἑλλάδος βίῳ *vita Graeciae* libris tribus conscripta, aut in Varronis de *vita populi Romani?* Queis in versamur, queis vivimus res, ea quae ad vitam, qua inter homines agitur, humanam universa spectant, tam sacra quam profana, continet, juxta illud Lucilii[q],

Virtus, Albine, est pretium persolvere posse
Queis in versamur, queis vivimu' rebu' potesse.

ut legitur in accuratiore Francisci Douzae Lucilii editione. Reliquae apud Lactantium habent *in versamur*, &, quas vidi, superioris seculi complures, *rebus adesse*, quemadmodum etiam nuperrima Josephi Isaei[r]. Idem alibi[s],

Cum bulga coenat, dormit, lavit; omnis in una
Spes hominis bulga; hac devincta est caetera
vita.

Sic *vita* usus est Ennius[t] in illo,

Incerte errat animus, praeter propter vitam
vivitur.

Aperte eadem notio in familiarissimo Horatii[v],

Integer vitae, scelerisque purus.

Sic Seneca[x], *Vivere, Gallio frater, omnes beate volunt.* Scholiastes ad Terentium[y], hominis *mores* ait, *& actus, & animam* ipsam, praeterea *alimentum, & spatium vivendi, & fortunam accidentem viventibus, atque expetenda optandaque, vitam* significare. Simili notione dixit S. Basilius apostolum Thessalonicenses alloqui, παντὶ νομοθετοῦντα τῷ βίῳ[z], *legem universae vitae praescribentem.* Item ὁδὸν τοῦ βίου eodem sensu ille aliique utuntur. Nec quidem alio adhibet βιωτικὰ, ubi loquitur[a], περὶ τοῦ μὴ προσηλῶσθαι τοῖς βιωτικοῖς, *neutiquam adhaerendum esse* (seu *nobis ipsis haud indulgendum esse in) vitalibus. Animam* item pro *vita* usurpari scimus a Plauto[b], Sallustio[c], Cicerone[d]; uti etiam in jure Caesareo[e] *animae amissionem* pro poena capitali, & περὶ τῆς ψυχῆς pro *capitaliter* judicare apud Xenophontem[f], alios. Ita ψυχὴ *vitam* etiam in evangeliis significat, quatenus personam integram, non partem ejus quae corpus non est, denotat. Unde S. Paulo ψυχικὸς ἄνθρωπος *homo animalis* dictus (qua vita humana praeditus est caeterisque quibus inter se frui solent homines, sive sacris sive profanis) ita discriminatur[g] a πνευματικῷ *spirituali*, uti & τὰ πνευματικὰ *spiritualia* a ψυχικοῖς *animalibus*, quae in idem sic recidunt cum βιωτικοῖς *vitalibus*. Spiritualia autem, notione in illa, doctrinam coelestem, numini adhaesionem, gratiam internam, harumque consequentia tantum dum indicant, jurisdictionis alicujus apud homines forensis objecta fieri quomodo queunt? Quo tamen nomine passim in scriptis & colloquiis uti amarunt qui sibi jurisdictionem circa sacra ardentius arrogarunt singularem; adeoque etiam jurisdictioni a principibus & rebuspublicis circa curam animarum, id est, personarum, eis permissae, & proventibus suis, & dignitatibus, aliisque, quae planissime in τοῖς βιωτικοῖς seu ad communem qualemcunque vitae rationem cum aliis censenda sunt, *spiritualium* vocamen tribuere. Quasi titulus aliquis, reditus aliquis sacer, munus ab hominibus simpliciter impertitum, revera atque in se esset πνευματικὸν seu *spirituale*. Accedat, occurrere in veteri foedere חי simplex *vivere* pro eo quod est beatam, piam, etiam & sempiternam vitam seu futuri seculi adipisci. *Custodiatis*[h] *statuta mea & judicia mea; quae si fecerit homo,* וחי בהם *vivet in eis*, seu *per ea.* Alibi tantundem[i]; unde etiam in foedus novum aliquoties idem memoratum[k]. Paraphrastae Chaldaei, loco citato, יחי בהון בחיי עלמא, quod in Complutensi, Regia, Fagiana versionibus redditur *vivet in eis vita sempiterna*; ubi Judaei quidem Mauritanienses, ويعيش بهم *Et vivet in eis.* Sed Saadiae adeoque Jaiana Arabica, ان يحي الحياة الابدية *ut vivat vitam aeternam.* Cevalerius MS. in versione Jonathanis, *vivet in eis vitam seculi*, juxta quod notat etiam Fagius, ad literam Chaldaica significare; *unde potest*, inquit, *ad utrumque referri* seculum. Et *vivere in eis* ibi simpliciter dictum sumi solet pro eo quod continetur in vita naturae, vita gratiae, vita gloriae[l]. Βιωτικὰ ita omnimodum inter homines commercium, mores, actus inter se tam sacros quam profanos, relationesque (quatenus horum aliquod omnino in jus vocari possit) comprehendunt. Adeoque imperium ac jurisdictio inter homines, qualiscunque sit, est de vitalibus, seu quae ad societatem humanam, id est, vitae consortium, pertinent, sive sacra sive profana. Et in species suas quidem quoad judicium qualitatem distribuenda est, non omnino ex sui natura, sed ex arbitrio eorum qui rerum summae praefuerint; quod Judaico usui veteri perquam consonum esse, tum ex superius dictis tum ex sequentibus erit

[n] Dionys. Petavius Miscellan. Exercitat. cap. 7. [o] Tom. 2. pag. 370. [p] Suidas in Dicaearcho. [q] In Satyris, apud Lactantium, lib. 6. cap. 5. [r] Romae 1650. [s] Satyr. 6. apud Nonium in Bulga. [t] Apud A. Gellium, lib. 10. 10. [v] Carmin. 1. Od. 22. [x] De Vita Beata, cap. 1. [y] Ad Heautontim. act. 5 scen. 2. & Phorm. act. 1 scen. 3. [z] Λογ. περὶ Εὐχαριστίας [a] Homil. 23. pag. 478. [b] In Amphitryone. [c] In Catilina. [d] Ad Herenn. 4. [e] Institut. tit. De Judiciis publicis, §. sunt praeterea. [f] Lib. de Republ. Lacedaemoniorum. [g] 1 Corinth. ii. 14. xv. 44, &c. [h] Levit. xviii. 5. [i] Deuter. iv. 1. Ezek. xx. 11. [k] Rom. x. 5. Galat. iii. 11. [l] Videsis Lyranum ad Levit. xviii. 5.

aper-

apertiſſimum. Neque plane alia eſſe potuit juriſdictio illa quam arbitrorum ſeu judicum qualiumcunque electorum e chriſtianis, inſtar Judaici moris tunc notiſſimi de triumviris in judicia ſeligendis; de quibus affatim ſupra. Accedat hic, ne quidem cum ratione ulla exiſtimari poſſe, Judaeos, qui nondum Chriſto tunc nomina dederant, utpote Paulo reliquiſque presbyteris chriſtianiſmum tunc propagantibus presbyteroſque ubique ordinantibus infenſiſſimos, noluiſſe eos aut in jus apud ſuos ut rituum morumque patriorum violatores manifeſtiſſimos vocare, aut aliter acrius incuſare, ſi facultatem aliquam judiciariam ſeu forenſem, extra terram ordinando, presbyteris, contra majorum ſcita receptiſſima, contuliſſent. Et quantum ad facultatem ſimpliciter ligandi, ſolvendi, docendi extra terram, ordinando ab eis donatam, tantundem dicendum. Scilicet, niſi ordinationem illiuſmodi etiam tam extra terram quam intra fas haberetur apud Judaeos veteres adhiberi (quam a Paulo, Barnaba, aliis tunc extra terram adhibitam, ut oſtenſum eſt, ſcimus) anne credibile eſt eos etiam graviſſimas incuſationes ac convicia non perpeſſos fuiſſe ob rem ſic contra morem majorum patratam? Forſan etiam obſervatu hic non indignum, Paulum ad Titum ſcribentem (quem *presbyteros per civitates* in Creta *conſtituere* praeceperat; & conſtituiſſe eum, puto, nemo dubitat) ſub finem epiſtolae[a], ubi *Arteman* & *Tychicum* ut comites ſuos *ad* Titum *mittendos*, adeoque in fide propaganda, ut credere par eſt, presbyteros, memorat, & *Zenam* & *Apollon* a Tito, in itinere eorum ad Nicopolim, *ſolicite deducendos*, neminem eorum alio ornat titulo, uti nec alibi Marcos[b], Ariſtarchos, Demades, alios, praeter Zenam, quem τὸν νομικὸν *legis illum peritum* nuncupat; quod ſane judiciaria facultate ſeu forenſi eum ex ordinatione imbutum innuere ibi videtur. Nam licet presbyteros in alteram illam facultatem, ſine judiciaria, ordinatos peritos eſſe legis oportuit cunctos, eo ſenſu quo quid licitum illicitumve eſſet, quid ligatum, ſolutum, docerent, fidemque propagarent, nihilominus abſonum non eſt, vocem illam νομικὸν ibi, nec alibi per epiſtolas, uſurpatam, ſignantius denotare judiciaria etiam facultate illum praeditum. Quorſum alias is ſolum ὁ νομικὸς prae aliis dictus? Adeoque reliqui in facultatem illam alteram ordinati ſunt; ſed Zenas, etiam origine, ut videtur, Ebraeus, in judiciariam, idque intra ipſam Judaeam, extra quam rite fieri nequibat ordinatio ejuſmodi. Syrus ibi habet Zenam ܣܦܪܐ ספרא, *ſcribam*, uti & Arabs Erpenianus الكاتب, idem ſignificans, qua eo nomine juriſperiti & judiciorum publicorum rite capaces innui ſolebant. Jaianus, الوكيل *praefectum* aut *procuratorem*. Conjecturae venia detur. Nam & in Chriſtianiſmo recentiori ut theologiae ſic & juris canonici doctores dum habemus, ex hiſce theologi in doctrinam tantum creantur, tametſi etiam juris canonici, quod cum theologia apud pontificios paſſim commiſtum, fuerint ad docendum periti, canoniſtae autem etiam theologiae, ut jure ſuo commiſtae, ſcientes: ſed hi in facultatem forenſem ſeu judiciariam creantur, id eſt, juriſdictionis fiunt capaces, & ſignantius *juriſperiti* nuncupantur; illi vero in docendi tantum munus ſummum; nec *juris canonici periti* dici ſolent, utcunque ex ſtudiorum communione ejuſdem fuerint callentiores. Ita Paulus ſignantius vocat Zenam *juriſperitum* (quo nomine in epiſtolis nemo alius nuncupatur) dum alios extra terram presbyteros[c] aut ſimpliciter ſine titulo aliquo memorat, aut συνεργοὺς ac συστρατιώτας, *operis ſocios & commilitones* in docendo, fideque firmanda propagandaque, appellat. Certe forſan nec nomen *Rabbi*, qui titulus erat presbyterorum in facultatem forenſem integramque presbyteratus dignitatem creatorum, ut dictum eſt, ſolennis, presbyteris illis reliquis pariter, inter chriſtianos ſaltem, qua tale, proprium fuit aut admiſſum. Aliud enim erat dici ſeu compellari *Rabbi* inter ſalutandum & officii (quod etiam multiplex hic erat) cauſa, quemadmodum *Adoni* ſaepiſſime in teſtamento veteri uſurpatur, & *Rabbi* etiam, idem ſignificans, non raro in novo foedere D.N. Jeſu Chriſto tum a diſcipulis[d] tum ab aliis[e], eum compellando, tribuitur; uti etiam aliis[f], quale itidem eſt illud *Rabboni*[g]; aliud omnino, in ſingularem presbyteratus dignitatem per impoſitionem ut manuum, ita & nominis ſeu tituli illius *Rabbi*, creari. Ut quidem apud nos, paſſimque, aliud eſt *doctorem*, *magiſtrum*, *comitem*, *ducem*, *militem*, *equitem*, juxta ſimpliciorem earum vocum & primariam ſignificationem in adlocutionibus confabulationibuſque nuncupari; aliud in dignitates nominibus illis ſignantius notiſſimas pro more ac ſolennius evectos agnoſcere. Superius[h] dictum eſt de presbyteris ſic vulgo dictis, qui neutiquam ritu ſolenni ordinati. Eodem modo proculdubio titulus *Rabbi*, ſignantius ad rite ordinatos ſpectans, quam plurimis etiam e vulgo ſeu e vulgo habitis tribuebatur. Et de *Rabbi vocari* tempore D.N. Jeſu Chriſti plura mox[i].

IX. Ex ejuſmodi presbyteratus in facultatem, non judiciariam ſeu forenſem aliquam, ſed ligandi, ſolvendi, docendi, juxta morem Judaicum veterem inter chriſtianos, etiam ut pariter ſuum, uſitata extra terram ordinatione, uti & intra, in facultatem, pro re nata, ſive utramque ſive alterutram, habebantur tam extra quam intra Judaeam in eccleſiis chriſtianorum, per ipſa apoſtolorum tempora, presbyteri chriſtiani munere ligandi, ſolvendi, docendi imbuti, adeoque chriſtianiſmum ſic propagandi. Caeterum eorum nullis, qua tales erant, juriſdictio aliqua ſive intra ſive extra Judaeam competiit, magis atque in ſynagogis, proſeuchis, ſcholis Judaeorum, quae confeſſus non erant omnino ex ſui natura forenſes aut juriſdictionis. Et ſi qua forte in eis juriſdictio aliqua ſubinde exerceretur, aut exerceri videretur, ea ex diſciplina confoederata eorum qui ad eccleſias ejuſmodi ſpectarent, & permiſſione principum ſub quibus vivebatur, pendebat non ex presbyteratus ejuſmodi officio. In ſtatis intra terram ſynedriis forenſibus ordinaria juriſdictio, vere ſic dicta, tantum reperiebatur, & in presbyteris in ea rite cooptatis. Extra vero terram ne

[a] Tit. iii. 12, 13. [b] Philem. 24, &c. [c] Vide Hugon. Grot. ad Philemonis 1, &c. [d] Matth. xxvi. 49. Marc. ix 5. xi. 21. xiv. 45. Joann iv 31. ix. 2. xi. 8, &c. in locis quamplurimis, ubi διδάσκαλος adhibetur plane pro Rabbi. [e] Joann. i. 49. iii. 2. vi. 25. [f] Ibid. iii. 26. [g] Marc. x, 5. [h] §. 3. [i] § 1[illegible].

criminalia

criminalia quidem saltem ulla ex ordinationis intra terram vi a consessibus Judaeorum, adeoque tunc nec christianorum ullis, judicari omnino potuere, nedum judicia ulla exsecutioni mandari. Neque omnino obstat quidquam de excommunicatione temporis illius afferri solitum; de qua ampliter etiam hanc in rem actum est libro superiore. Presbyteri igitur tunc erant in ecclesiis christianis, ut in Judaeorum nondum credentium synagogis, proseuchis, scholis, idque tam intra quam extra terram: sed non aliam inde sortiti jurisdictionem quam qualis erat Crispi illius Corinthiacae praefecti synagogae[k]; quales, ut Judaicas, passim imitabantur christianae ecclesiae. Atque presbyteri illi simul cum eis quibus docendo praeerant ecclesias singulas faciebant, interdum unicus, duo, plures, pro locorum temporumque discrimine. Sed vero per ecclesias omnes necessario fuisse presbyteria seu presbyterorum collegia formata, non magis videtur admittendum quam ejusmodi fuisse in synagogis, proseuchis ac scholis noncredentium Judaeorum, quorum mores hujusmodi in rebus christianis ecclesiis exemplo fuere. Verum quidem est, synedria forensia Judaeorum omnimoda intra Judaeam *presbyterii* (qua presbyterorum collegium illo denotatur) nomine recte vocari potuisse, cum scilicet ex presbyteris, eorumque numero certo, juxta ante ostensa, constiterint illorum universa; non itidem synagogas, proseuchas, scholas, in quibus collegia ejusmodi neutiquam reperta. Cum igitur semel tantum in novo testamento, idque non sine lectione & sensu satis dubio (ut libro habetur superiore[l]) occurrat vox *presbyterii*, *etiam & presbyterorum* christianorum mentio expressa illic perquam rara sit, dicendum potius videtur, presbyterum aliquem unicum (qui velut archisynagogus esset) aut plures, ut res locusque variatim postulavit, doctrinae causa per ecclesias christianas tunc constitutos admissosque, quam presbyterorum collegia seu presbyteria aliqua per se formata. Nec quidem assensum aliter hactenus praebere potui viro maximo, qui de presbyteriis tunc temporis christianorum saepius loquitur, perinde ac si dubitandum non esset quin collegia sua presbyterorum stata, nec sine principibus seu praesidibus suis, ac jurisdictione tam extra quam intra terram, tunc habuissent in ecclesiis omnibus non nimis exiguis christiani. De Corinthiorum ille[m] presbyterio, ad illud de ἐπιτιμία τ̃ πλειόνων *objurgatione quae fit a pluribus*, *Restitutum*, inquit, *jam erat Corinthi presbyterium, & cum eo disciplina, quae per schismatum distractiones cessaverant.* Etiam in epistolam ad Philippenses (quam Paulus & Timotheus scripsere *omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis* σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις, *cum episcopis & diaconis*, ubi Syrus vertit ἐπισκόπους per ܩܫܝܫܐ קשישא *presbyteros*, uti etiam Arabs Erpenianus per القسوس idem significans, sed Jaianus per الاسقفة *episcopos*; ubi Chrysostomus, Theophylactus, Graecorum alii legunt, contra quam Syrus, Arabs uterque, & Vulgatus, praeter codices aliquot Graecos, συνεπισκόποις καὶ διακόνοις, *coepiscopis & diaconis*; &, Τί τοῦτο, inquit Chrysostomus, μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; οὐδαμῶς· ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε. Τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι, καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. *Quid hoc est? an unius urbis plures episcopi? Minime. Sed presbyteros vocavit episcopos. Hactenus enim utrisque nomina communia eadem. Etiam & diaconus episcopus nuncupabatur.* Et Theophylactus; Οὔπω γὰρ ἦσαν διακεκριμένα τὰ ὀνόματα· ἀλλὰ καὶ οἱ ἐπίσκοποι διάκονοι καὶ πρεσβύτεροι ἐκαλοῦντο, *Nondum enim erant distincta nomina; verum ipsi episcopi, diaconi & presbyteri vocabantur)* in epistolam, inquam, illam ibi vir maximus ille, *In novo testamento vocati sic presbyteri omnes, quia in gregem habebant inspectionem, Act* xx. 28. *quae inspectio* ἐπισκοπή, *Act.* i. 20. *At is qui in eo ordine primas habebat, dicebatur per excellentiam* ὁ ἐπίσκοπος· *unde factum ut id ei nomen proprio quodam jure manserit*; *sicut senum nomen episcoporum primis in Africa. Princeps autem hujus presbyterii Philippensis videtur fuisse ipse Epaphroditus, qui Philippis ad Paulum ivit*[n], *quem mox Paulus vocabit* συνεργὸν *&* συστρατιώτην[o]. Hic presbyterium Philippis simul cum ejusdem principe. Item in praefatione ad secundam ad Thessalonicenses seu Judaeos ibi credentes, idem; *Quia haec ex Judaeis Thessalonicae habitantibus ecclesia exigua erat, ideoque presbyterium non habebat, ideo, si qui eorum non ex Christi regula viverent, jubentur vitari ab aliis*; *cum, si presbyterium ibi fuisset, excommunicandi illi essent, ut ille Corinthius.* Et ubi[p] Paulus jubet *illos vitare*, nec commercio misceri cum eis *qui ambularent inordinate*, *Si presbyterium*, inquit, *ibi fuisset, jussisset eos excommunicari. Nunc quia presbyterium non erat, jussit tales improbe viventes vitari, id est, familiarem eorum consuetudinem defugi. Quod jus singulis christianis competit.* Quasi singulis Judaeis illis qui illic Christo nomina dederant, ex more suo receptissimo, quenquam excommunicare tunc non licuisset! quod disciplinae Talmudicae, id est, juri etiam tunc & ante Judaico, est plane adversissimum. Alibi item ad illud in epistola ad Timotheum prima[q] de *impositione manuum presbyterii* (de quo loco nos plura libro primo) *Ubi apostoli*, ait, *aut apostolorum adjutores non aderant, fiebat ordinatio per praesidem coetus, consentiente presbyterio. At ubi aderant apostoli aut eorum adjutores, hic honor & ipsa praesidentia ad illos pertinebat. Faciebant tamen haec & talia una cum presbyterio, ut hic videmus. Sic apud Hebraeos judicibus electis manus pro synedrio imponebat* הנשיא *princeps synedrii.* Hic illi presbyterium Ephesinum. Et de Jacobo epistolae canonicae autore, *Est is qui ab apostolis constitutus fuit princeps presbyterii Hierosolymitani, ut apostolis huc illuc, ut fiebat, excurrentibus, haberet coetus ille virum egregium, & cui ob eximias virtutes δικαίου nomen adhaesit, a quo regeretur.* Alia eandem in rem subinde, pro more semper suo, doctissime quidem interserit; sed quae ad mores tunc receptos accuratius, si quid video, exigenda. Jacobus ille primus quidem passim fit episcopus

[k] Vide supra § 7 in fine. [l] Cap 14. p. 1005. [m] Hugo Grotius ad 2 Corinth. ii. 6. [n] Philipp. iv. 18. [o] Ibid. ii. 25. [p] 2 ad Thessalonic. iii. 6. [q] Cap. iv. 14. & vide eum ad cap. v 19.

Hierosо-

Hierosolymitanus; atque is est ad quem, *fratrem Domini* dictum epistolam suam de rebus gestis S. Petri scripsit Clemens.

X. Ex hactenus ostensis lux forsan aliqua interdicto illi discipulis a D. N. Jesu Christo pronunciato de nomine *Rabbi*, *patris*, *principis*. Verba ad discipulos sacra sunt de Scribis & Pharisaeis, qui discipulorum tempore in dignitatibus, maxime presbyteratus & forensibus, apud suos (qua sui scilicet ipsi juris esse sub Romanis permitterentur) ante alios vigerent; Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας, *In cathedra Mosis sederunt Scribae & Pharisaei:* Id est, juxta, seu quasi juxta, Mosaica instituta docuere, & continuatam ab eo successionem sustinuere, jurisdictionem etiam inde exercentes. Quale quidem, quoad disciplinam, Galenus de Mose simul & Christo & sui temporis Christianis (floruit ille sub annum a Christo 140) dixit, ubi adversus sophistas agens, qui temere nimis de pulsibus affirmarent negarentque, nec ratione apposita, nedum demonstratione, interim usi, *Praestaret*, inquit [r], *hisce uti*, ἵνα μή τις εὐθὺς κατ᾽ ἀρχὰς, ὡς εἰς Μωϋσοῦ καὶ Χριστοῦ διατριβὴν ἀφιγμένος, νόμων ἀναποδείκτων ἀκούῃ, *ne quis initio statim, quasi in Mosis & Christi scholam* seu *sodalitium ingressus, leges audiat nulla fultas ratiocinatione.* Quale quidem, paulo ante Galenum, in Christianos scripserat impius ille Celsus [s]. Sed dein Dominus ad discipulos; Πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε, *Omnia quaecunque dixerint vobis servare, servate ac facite:* ubi Vulgata habet, *quae dixerint vobis, servate & facite*; quemadmodum & Syrus & Arabs legerunt: *Secundum opera vero eorum nolite facere*, μὴ ποιεῖτε; *dicunt enim, & non faciunt. Alligant onera gravia*, &c. Et paulo post, *Amant autem* τὴν πρωτοκλισίαν, *primos recubitus in coenis*, & τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *primas cathedras*, consessus primos, *in synagogis*, conventibus sive sacris sive profanis, forensibus, synedriis, aliisque publicis; καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, & *salutationes in plateis*, καὶ καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων Ῥαββὶ, Ῥαββὶ, & *vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi.* Et statim subdit Servator ad discipulos interdictionis monitum; Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε Ῥαββί· εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστός. Πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε, *Vos autem nolite vocari* (ut Vulgata; *nec vocemini*) *Rabbi. Unus enim est vestrum princeps* seu *doctor, ipse Christus. Omnes autem vos fratres estis.* Sic editi; sed manuscripti aliquot veteres habent, *Nam unus est vobis* ὁ διδάσκαλος, ut monent Erasmus, Stephanus, Beza. Atque ita legitur in perpulchro & vetusto penes me ex oriente MS. qui ex ornatu quidem haud exigui pretii existimationisve, aut vulgaris inter Graecos domini, videtur fuisse. Optime Hugo Grotius, *Omnino* Διδάσκαλος *legendum; quomodo & Syrus legit. Nam vocem Rabbi & Rabboni scriptores nostri ubique reddunt* Διδάσκαλε, *nusquam* καθηγητά. *Deinde* καθηγητοῦ *titulum a titulo Rabbi Christus manifeste distinguit commate* 10; ut statim videbimus. Illud רבי *Rabbi*, quod, a רבב *magnificari* & pronomine affixo formatum, majestatem aliquam ac praeeminentiam multipliciter pro rei subjectae discrimine innuit, interpretatur S. Joannes [v] per διδάσκαλον. Sed revera est διδάσκαλέ μου, *magister mi*; ut *monsieur*, *madame*, **mine heer**, recte satis verti solent per *dominum* & *dominam* sine pronomine adjecto. Et quidem Latinorum *magister* proprie multo magis respondet τῷ *Rabbi* quam Graecorum διδάσκαλος. Hoc enim multo est angustius, & docendi sive munus sive facultatem tantum signat. *Magistri* autem *non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur; quia omnes hi magis caeteris possunt*, ut ait Festus [x]. Unde *magistrare*, *magisterium*, aliaeque voces cognatae tam Graecis, itidem recentioribus, receptae [y] quam Latinis usurpatae. De quibus consulas, si plura velis, commentarios doctissimos ad historiam Augustam. Syrus etiam, qui ܪܒܝ *Rabbi* retinet, ibi legisse videtur ὑμῶν ὁ διδάσκαλος. Nam substituit ܪܒܟܘܢ *Rab* seu *magister vester.* Atque Arabes, Romanus, Erpenianus, Jaianus;

وان يدعوهم الناس معلّمين فأمّا انتم فلا تدعوا لكم معلّمًا علي الارض فان معلّمكم واحد هو المسيح *Atque ut vocent eos homines magistros. Vos autem haud vocetis vobis magistrum super terram*, seu *in terra*; *quoniam magister vester unus est Christus.* Nec aliter MS. Arundellianus [z]. Meus [a] vero, فأمّا انتم فلا تدعوهم معلّمين وان المسيح معلّمكم واحد هو *Sed vos non vocetis eos magistros, cum Christus sit vester magister solus.* Evangelium etiam hic Ebraicum, ואתם לא תקראו רבי כי אחד הוא רביכם המשיח *Vos autem ne vocemini Rabbi; quia unus est Rabbi vester, Christus.* Quomodo Vulgatae autor, quantum ad διδάσκαλος, legerit, incertum est, dum reddit hic, *nolite vocari Rabbi; unus est enim magister vester*, nam illud ὁ Χριστὸς non legebat ille, & postmodum commate 10 καθηγητὴν itidem *magistrum* vertit. Galli hic, *Mais vous ne soyes point appellés, nostre maistre. Car un seul est vostre docteur, assavoir Christ.* Sic interpretantur καθηγητής. Lutherus, Belgae, Angli hic **maister**, non **doctor**, habent. Sed ut juris [b] ita & facultatum aliarum revera *doctor & magister* idem est ipsum. Pergit autem ibi Christus, Καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς. Εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Et ne vocetis patrem vestrum super terram*, aut *in terra. Nam unus est pater vester qui in coelis.* Vulgatus, quasi legisset ὑμῖν, *Et patrem nolite vocare vobis super terram.* Item Syrus, ܘܐܒܐ ܠܐ ܬܩܪܘܢ ܠܟܘܢ ܒܐܪܥܐ *Et Abba* seu *patrem ne vocetis vobis in terra*, &c. Arabes item editi & codex Arundellianus; ولا تدعوا لكم ابًا علي الارض *Et ne vocetis*

[r] De Differentia Pulsuum, lib 2. cap 4. [s] Apud Origenem in eum lib 1. [t] Matth xxiii. 2, &c. [v] Cap i 38. [x] In *Magistrare.* [y] J. Meurs. in Glossario. [z] Sect. 66. [a] Sect. 56. [b] Alciat. Parerg 8. cap. 10

vobis patrem super terram, seu *in terra*. Meus autem, ولا تسموا لكم ابا على الارض *Neque nominetis vobis patrem super terram*. Etiam licet codices plerique habeant illic ὑμῶν *vestrum*, alii tamen, velut editionis Argentoratensis[c], Erasmianae[d], Hervagianae[e], harumque sequaces, ὑμῖν *vobis* exhibent, quod veteribus illis sic consonum est. Unde Rhemenses, And call none father to your self upon earth; & Wiclefius, And nyle ye clepe to you a fader on erthe; Lutherus, Und solt niemand vatter heissen; Belgae, Ende en suit niemandt uwen vader noemen. Beza, *Et patrem vestrum ne quenquam*, aut *neminem, vocate in terra*. Galli, *Et n' appellez aucun en la terre vostre pere*; quemadmodum itidem Angli, And call no man your father upon the earth. At Joannes Drusius hic, *In hoc sermone pronomen* ὑμῖν *redundat*. Etiam Beza notat exemplar vetustum nec ὑμῶν nec ὑμῖν habere. Ebraeus ibi, גם אין תקראו לכם אב *Nec vocetis vobis patrem*. Dein vero ait eis Christus, Μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί· εἷς γὰρ ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστὸς, *Ne vocemini duces*, principes, primates: *Unus enim est dux*, princeps, primas, *vester, Christus*. Vulgata ibi, *Ne vocemini magistri*; *quia magister vester unus est, Christus*. Et vocem maister ibi etiam habent Lutherus, Belgae, Angli; adeoque καθηγητὴν hic a *Rabbi* seu *magistro* ante per se memorato non discriminant. Et Ebraeus hic, *Ne vocemini* מלמדים *doctores*, quemadmodum etiam Beza, Galli, alique: Syrus autem, *Ne vocemini* ܡܕܒܪܢܐ *duces, principes, gubernatores*. Arabes omnes, ولا تدعوا لكم مدبرا على الارض *Et ne vocetis vobis gubernatorem*, principem, *super terram*, seu *in terra*. Verum quidem est καθηγητὴν, uti & καθηγεμόνα, esse *magistrum*, qui aliis praeest, & *praeceptorem*, & *doctorem*, & *viae ducem*[f]. Glossarium vetus, καθηγεμὼν, *dux*; καθηγητὴς, *magister* (cujus in praefecturis amplissima significatio) *praeceptor*, *institutor*. Jam vero cum alius esset τοῦ *Rabbi* in salutationibus compellationibusque officiosis usus, alius in solenni Rabbinatus seu presbyteratus etiam judiciarii creatione ac conditione inde exorta, quemadmodum itidem evenit in vocibus id genus non paucis apud nos passimque, uti & supra[g] monitum est; quidnam vetat quo minus illud de Scribis & Pharisaeis, *Amant* καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων Ῥαββὶ, Ῥαββὶ, *vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi*, capiendum fuerit de ambitione eorum in dignitate Rabbinatus, qua forensi ac judiciariae in synedriis eminentiae praevia ea erat, solicitius expetenda? Atque iteratio vocabuli ambitionis ejusmodi frequentiam tunc obtinentem denotare potest. Certe de salutationibus proxime ante per se, uti & alibi[h], mentio. Nihil magis me hanc in conjecturam inclinavit quam usus solennis apud Ebraeos vocis קרא καλεῖν *vocare*, pro eo etiam quod erat nomen dignitatis presbyteralis judiciariae seu Rabbinatus integri imponere. Expressim in ante allatis; juxta vetustiores, Maimonides, neminem ordinatum esse[i], plenarie saltem & universaliter, אלא שקורין לו רבי *quin vocarent eum Rabbi*. Ita καλεῖσθαι seu *vocari Rabbinum*, & קריאה *vocatio Rabbini*, voces fuerint quae creationem ac ordinationem in Rabbinatum, nec simplicem salutationem compellationemve, hoc etiam evangelii loco designarent. Atque ita *vocari* etiam significabat *esse, fieri, creari*, quemadmodum itidem multoties in foedere utroque קרא καλεῖν *vocare* passive usurpantur, ad designandum quidnam res ipsa fuerit aut facta sit per ejusmodi vocationem. Etiam interdum expressim vertitur קרא, quatenus vocationem denotat, per *esse* & *fieri*. Graeci illud, וקרא שם בבית לחם[k] (quod Chaldaeus vertit ותהא קרי שמא בבית לחם *& sit vocatum nomen ejus in Bethleem*) reddunt καὶ ἔσται ὄνομα ἐν Βηθλεὲμ, *& erit nomen*, &c. Et Munsterus, *Et sias magni nominis in Bethleem*; ubi Vulgata, *Et habeat celebre nomen in Bethleem*. Syrus, ܘܢܬܩܪܐ ܫܡܗ ܒܒܝܬ ܠܚܡ *& vocetur nomen ejus Bethleem*, uti & Arabs, ويدعى اسمها بيت لحم idem significans. Tremellius, *Et fac praedicetur nomen*, &c. Judaei Hispanienses, *Y llama nombradia*, &c. In novo item foedere[l], *Beati pacifici*, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται, *quoniam illi filii Dei vocabuntur*. Et paulo post[m], ἐλάχιστος κληθήσεται, *minimus vocabitur*, & μέγας κληθήσεται, *magnus vocabitur in regno coelorum*, ubi, ut alibi non ita raro, *vocari* plane usurpatur pro *inde esse* aut *fieri*. Huc sane spectat, quoad vocis usum, illud, [n] *Ecce virgo impraegnata pariet filium*, וקראת שמו עמנואל *& vocabis nomen ejus Emmanuel*; ubi Chaldaeus, ותקרי *& vocabit*; Syrus, ܘܢܩܪܘܢ *& vocabitur nomen ejus Emmanuel*; Arabs editus, ويدعون *& vocabunt*; MS. meus[o], ويدعى *& vocabitur*; sed Graeci, καὶ καλέσεις, quod evangelio citatum, pro exemplarium varietate, habet & καλέσεις & καλέσουσιν[p] & *vocabitur*, ubi Syrus *vocabunt*; Arabs Erpenianus & Jaianus, ويدعى *& vocabitur*; Romanus, وتدعى *& vocabis*; Persa, ونامش نهند *& nomen ei imponent*. Ut nomen ejus, ita & ipse erit, sic fiet, *Deus nobiscum*. Etiam apud Homerum[q] Juno ad somnum,

——ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν,
Πασιθέην——

Ego tibi Gratiarum aetate florentium unam tibi in matrimonium dabo, atque ut vocetur uxor tua, Pasitheam. Plane ut sit, fiat, uxor tua. Eustathius ibi, τὸ γὰρ, ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν, τῆς αὐτῆς ἐννοίας εἰσὶν, *In matrimonium dari* seu *in coitum, & uxorem vocari, eundem habent sensum*, & alterum, inquit, est alterius interpretatio. *Uxorem esse, fieri, vocari*, sic idem. Accedat, ex Platone, Sophocle, aliis, animadver-

[c] Apud Wolfium Cephalaeum 1529. [d] Basileae 1519. [e] Ibidem 1545. [f] Hesychius in Ἡγεμών. [g] §. 8 [h] Luc. xi. 43. [i] Tit. *Sanhedrin*, cap. 4. §. 2. [k] Ruth iv. 11. [l] Matth. v. 9. [m] Ibid. 19. [n] Jesai. vii. 14. [o] Sect. 4. [p] Videsis Bezam ad Matth. i. 23 & J. Drusium in Fragm. Vet. Testamenti ad Jesaiae vii [q] Iliad. ξ.

tere virum ſummum, Iſaacum Caſaubonum, *καλεῦμαι* pro *τῷ εἶναι* adhiberi, ad illud Delphidos Simathae amaſii apud Theocritum [r],

——— *καὶ γὰρ ἐλαφρὸς*
Καὶ καλὸς πάντεσσι μετ' ἠιθέοισι καλεῦμαι.

Nam celer & pulcher inter omnes juvenes vocor; ubi *καλεῦμαι*, inquit ille [s], *hic ita accipio ut τὸ εἶναι potius quam τὸ κατηγορεῖσθαι* vel *λέγεσθαι ſignificet.* Qualia etiam alia tam apud Latinos & Ebraeos quam Graecos occurrere adnotat. Huc quidem ſpectare videntur illa [t], *Deum vocaſſe lucem diem*, & *tenebras noctem*; & *vocaſſe firmamentum*, *coelum*; & *aridam*, *terram*; & *collectionem aquarum*, *maria*: etiam & voces *κλητὸς* & *κλῆσις* toties in epiſtolis Pauli occurrentes; uti item forſan illud Pythagorae [v], *Πλάτων καλεῖσθαι τὸ ἄδλον*. Et revera, quoties quicquam nomine, quod conceptui illud ejuſque naturam ſimul denotet, vocatur, *τὸ* eſſe ejuſdem, in quantum ſic fieri poteſt, illud indicat, velut ſerio definiendo aut declarando; non, ut voces in ſalutationibus obviiſque compellationibus officioſe temere aut oſcitantius uſurpari ſolitae, quaſi levius jocando. Facilius, puto, notionem hanc amplexabuntur, quotquot nobiliſſimae philoſophorum ſectae *nominalis* dictae, quae ſcientiam rerum in vocum ipſarum ſcientia tantum collocant, fuerint ſequaces. Etiam in praedicabilium doctrina obvium eſt, *dici*, *vocari*, id genus alia, pro *eſſe* uſurpari. Certe & *ἀποφαίνειν*, *deſignare*, *renunciare*, idem ſatis ſunt cum *vocare*. Et apud juriſconſultos veteres, *Vocari in locum ſubſtituti* [x], *Vocari ad haereditatem* [y], *Ad decurionatus honorem vocari* [z], *ad munera* vel *honores vocari* [a]; id genus alia, tum in Digeſtis tum in Codice etiam occurrunt, pro eo plane quod eſt *nominari*, *fieri*, *eſſe*, *conſtitui*: Unde etiam, atque ex Ebraeorum, quem diximus, uſu, illud in codice Theodoſiano de *nominatis in ſynedriis Palaeſtinae* primatibus, de quibus ſupra [b]. Spectant huc quae tantundem firmant etiam ex jure canonico [c]. Certe apud nos itidem dignitates ſunt praecellentes aliquot ad quas qui evehuntur, more ſolenni ac ſignantius *vocati* called dicti; ut *baronis* reſcripto regio in comitia parlamentaria adſciti (unde revera *creatur* & *creari* dici ſolet; nam qui codicillo quem *patentes* appellamus creatur, non ita nuncupatur *vocatus*) *ſervientis ad legem* (qui juris noſtri municipalis velut doctor eſt) eorum qui, in juriſperitorum collegiis noſtris majoribus primarii, nuncupantur benchers, *ἑδραῖοι*, *ſedentarii*, *conſidentes*, ac readers *lectores*, & demum qui ſecundarii illic barristers dicti, ad repagula coram tum judicibus forenſibus tum & conſidentibus & lectoribus illis ad lites & juris quaeſtiones diſceptandas adſtare ſoliti. *Vocari* ad dignitates haſce plane denotat in eas evehi, & *barones*, *ſervientes*, *conſidentes*, *lectores*, *repagulis adſtantes* fieri ſeu conſtitui. Perpendatur igitur hinc utrum illud de Phariſaeis titulum *Rabbi* eoque vocari amantibus ambientibuſque, ad ſolennem eorum inter ſe in dignitatem illam evectionem attinuerit, nec ad officioſas ſalutationes, quae per ſe itidem memorantur. Et ſi ita ſe res haberet, tunc nec interdictum diſcipulis pronunciatum de titulo illo, *Vos autem non vocemini Rabbi*, alio ſpectabit. Alterum enim, ſeu interdictum de nomine diſcipulis datum, ab altero, ſeu Phariſaeorum hic ambitu, plane pendet. Si vero ad ſalutandi compellandive tantum officia attinuiſſet titulus hic ille, quidnam eſt illud, *μὴ κληθῆτε ὑμεῖς*, *ne vocemini vos*, aut *nolite vocari, Rabbi?* Aliorum tantum, ſeu ſalutantium compellantiumque, neutiquam ipſorum, in poteſtate ſic fuiſſet, eos ita vocari aut non vocari. Atque ita interdictum fuerit intelligendum de re quidem vetita, ſed qualem nullatenus potuerint ipſi praepedire aut non admittere. Si vero concedatur ſenſus quem jam tentavimus, ſcilicet, *ne vocemini vos*, pro ne ordinamini, ne conſtituimini, ne creamini in Rabbinatus dignitatem, illam ſaltem plenariam ac univerſalem, quae moribus Phariſaicis adeo obnoxia erat, ſatis quidem res ipſa habebitur in ipſorum poteſtate: Id eſt, eam non ambire, nec in titulum illum tunc adeo inter Phariſaeos obtinentem & celebrem ſe evehi deſiderare, aut ejuſdem candidatos ſe facere. Atque ita quidem de facultate per ordinationem judiciaria ſeu univerſali concedi illic ſolita, & cui Rabbinatus dignitas erat tum propria tum praefecturis illic forenſibus praevia, res videtur maxime intelligenda. Noluit ſic Dominus ut diſcipuli ſui praefecturas ejuſmodi aut facultatem judiciariam ſibi cum ſolenni illo titulo adipiſcerentur, quorum munus erat diſciplinam ejus, utpote ab ea quae tunc & in ſynedriis & apud Rabbinos praefecturarum candidatos viguit diverſiſſimam & intaminatam, amplexari, nec ſe alias dignitatibus ſynedrialibus, quae ipſis perquam tunc inidoneae, immiſcere. Obvia ſunt quae ſcriptores illic alium in ſenſum adnotant. Caeterum, ſi vulgari ſenſu de ſalutando, aut nomine *Rabbi* ſibi in compellationibus ſive admittendo ſive arrogando, locus ſumatur, quorſum ac unde S. Paulus ſeipſum vocat *διδάσκαλον τῶν ἐθνῶν* [d], *Rabbi* (nam ita *διδάσκαλον* in N. Teſtamenti lingua ſignificare oſtenſum eſt) ſeu *magiſtrum* aut *doctorem gentium* nuncupat? Quorſum item in eccleſia tunc chriſtiana *διδασκάλων*, id eſt, *Rabbinorum*, tantus nominis uſus [e], non forenſium, aut judiciaria facultate praeditorum, ſed docendi, reſpondendi, adeoque vere ligandi & ſolvendi munere tantum, inter ſuos, eminentium. Rabbinatus judiciarii dignitas, tunc Judaeorum more ſolenni conferri ſolita, reſpuenda illis erat; haud itidem ipſa *Rabbini* aut *διδασκάλου* ſeu *magiſtri*, quae eadem ipſa ſunt, nomina, qua in vulgarem ſeu popularem uſum reciperentur, ex interdicto illo aſpernanda, ſed pro re nata, extra jam dictum ſenſum, accommode adhibenda. Obſervatu dignum, etiam in ſcitis magiſtrorum veterum Chriſti ipſius tempori ſatis coaevorum reperiri de Rabbinatus ambitione evitanda monitum expreſſiſſimum. Tribuitur Shemaiae, qui tempus circa idem floruit, Rabbinus ipſe, qui cum Abtalione in Catena Talmudica [f] inferius conjungitur. Scilicet legitur in *Pirke Aboth* [g], שמעיה אמר אהב את המלאכה ושנא ארת הרבנות ואל תתודע לרשות *Dixit*, dicere ſolebat *Shemaiah*, *dilige opus*, operae alicui unde vivas diligentius incumbe, &

[r] In Pharmaceutria. [s] Lect. Theocrit. cap. 3. [t] Geneſ. i. [v] Apud Jamblichum in vita ejus, cap. 27. [x] L. 19. tit. De injuſto, ruſto, &c. teſtamento. [y] L. 2. D. tit Unde cognati [z] L. 2. §. 8. D. tit. De decurionibus. [a] L 3. § 2. D. tit. De muneribus & honoribus. [b] §. 6. [c] Videſis Petrum Rebuffum, lib. de Nominationibus. [d] 1 Timoth. ii. 7. 2 Tim. i. 11. [e] Act. xiii. 1. 1 Corinth. xii 28. Epheſ. iv. 11. [f] Cap. 16. §. 8. [g] Cap. 1. §. 10.

odio

odio habe Rabbinatum, & non sis familiaris nimium cum potentioribus. Ubi magistri de dignitatis ambitione nimia & regiminis publici desiderio monitum sumunt. Obadias Bartenorius, התרחק מלנהוג שררה על הציבור *Procul absis ab affectando imperium in populum.* Paulus Fagius ibi, *Non ambiendum esse magisterium, quod istud non careat etiam suis molestiis, curis & periculis. Unde & D. Jacobus monet in sua canonica*, ad Judaeos pariter ac christianos simul ex circumcisione scripta, *Nolite* [h] *plures magistri* διδάσκαλοι *fieri, fratres mei.* Hugo Grotius illic, *Ne quivis ambiat munus doctoris, id est episcopi sic eminenter dicti,* τοῦ προεστῶτος, τοῦ κοπιῶντος ἐν λόγοις. *Non quod non praeclara ea res sit, sed quod pauci sint pares.* Διδάσκαλοι, רבים *aut* מורים. Sic ille. Joannes Drusius [i] ad illud Shemaiae, *Doctoratum odio habeto, vel magisterium; q. d. magistri aut doctoris titulum ne ambito; imo ne accipito, etiamsi offeratur. Nam fere comitem habet fastum & contemptionem aliorum. Erant autem hi gradus olim apud Judaeos in frequenti usu, tametsi longe maximum fateantur illum qui simplici nomine appellatur. Nam prudentiores ab his titulis abhorrebant, suis contenti nominibus.* Et expressim tunc ad Rabbinatus dignitatem discipulis interdictam verba Christi attinere subjungit; *Huc*, inquit, *facit illud Christi de Pharisaeis, amant vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi. Vos autem ne vocemini Rabbi. Unus enim est doctor vester, nempe Christus*, Matth. xxiii. 7. Certe & proxima ibi illa de patre & principe firmare quae diximus videntur. Cum enim τοῦ אב & אבא *patris* nomen tum eminentioribus Rabbinis ob reverentiam singularem a compluribus tribui soleret (quemadmodum expressius in titulo Talmudico illo generali פרקי אבות *capitula patrum*, qui ad doctores vetustiores attinet, & in פירקי אבות רב נתן *Pirke Aboth Rabbi Nathan*, qui corpori Talmudico Babylonio conjunctus est, in capitula illa commentarius quasi perpetuus) tum notissimum esset in dignitate τοῦ אב בית דין *patris synedrii* cujuslibet vigintitriumviralis, juxta ante ostensa, uti & illius qui synedrio praeerat magno; apposite sequi videtur, post Rabbinatus dignitatem sic interdictam, interdictio ejus quod veluti necessario consequens fuisset, nisi priorem observarent. Quasi dictum fuisset, Rabbinis ejusmodi, seu sic ordinatis, uti & Rabbinatus candidatis, necesse est ut subjiciant se patribus illis, eosque, utpote omnibus sic ordinatis eximios habitos suspiciendosque, pro more revereantur; maxime in ordinibus illis candidatorum in unoquoque synedrio vigintitriumvirali tribus, de quibus supra; unde si vos *patrem* quemquam ex illis vobis vocetis, seu adsciscatis, (quod vix aliter fieri quibit si sic ordinati fueritis) multo majus erit periculum ne a disciplina mea, quam sequi debetis, temere divertamini, illorumque imbibatis mores qui disciplinam meam corruperint. Tantundem pariter de καθηγητῇ, *praeside*, *primate*, *principe*, quem נשיא vocitabant. Ut pater synedrii in quolibet jam dictorum synedriorum secundus erat, ita נשיא *princeps*, *primas*, καθηγητής. Atque rationes eaedem ob quas de *patre* sibi non vocando, aut adsciscendo, sic moniti fuerint, etiam in hoc de *principe* locum habuerint parilem. Nec praetereundum, initia ipsa sermonis ibi Domini verbis expressissimis spectare Scribas & Pharisaeos in cathedra Mosis sedentes, id est, dignitate Rabbinos, seu plenarie ordinatos & synedros; unde etiam existimandum, ea quae de *Rabbinatu* illorum ad discipulos sequuntur, exinde interpretanda. Et ego, inquit Dominus, vobis magister solus, & praeses seu primas; uti pater vester, qui pater meus in coelis. Quid quod etiam ut *magistri, doctoris*, adeoque τοῦ *Rabbi* seu διδασκάλου, ita & *patris*, & *abbatis*, *primatis*, atque tituli id genus alii, extra causam hic in evangelio memoratam, per omnia in christianismo secula fuerint passim usitatissimi ac indubitanter tributi assumptique, non obstante interdicto illo, quod ita haud ad alias terras, nec ad rempublicam aliam, nec quidem ad alia secula, ex receptis veterum recentiorumque sententiis attinere videatur? Et quantum ad nomen *patris* (quod & patroni cognatum munus, & dignitatem civilem, maxime apud Romanos veteres, denotasse nescit nemo) usus ejusdem, non obstante interdicto illo, in christianismum etiam primitivum, ut undiquaque licitus, receptus est ex disciplina Platonica [k], in qua theologi eminentiores & θεῶν παῖδες *filii deorum*, & πατέρες τῆς περὶ αὐτῶν ἀληθείας, *patres veritatis de ipsis traditae.* Nec pauca alia ex eadem in christianismum veterem sumpta. Certe nisi ad modum jam dictum locus intelligatur, quomodo licuit patrem quenquam sibi naturalem eo nomine compellare? Porro, ad jam dictam rem observatu forsan haud indignum est, tametsi in Graecis, Latinis, Syris, horumque sequacibus ἐπὶ τῆς γῆς *in terra*, seu על הארץ, idem denotans, ut in Ebraeo, habeatur tantum in interdicto intermedio de *patris* nomine, veluti cui responderet quod sequitur ἐν οὐρανοῖς, Arabes tamen omnes, ut supra ostensum est, cuilibet pariter interdicto

على الارض *in terra* inserere, quasi qui Arabice

evangelium verterent exemplaribus usi fuissent, in quibus tam interdictum de nomine *Rabbi* & *principis* seu *primatis* quam illud de *patre* ἐπὶ τῆς γῆς *in terra* in se continuisset. Nemo quidem nescit τὴν γῆν *terram* sumi solere pro orbe terrarum, ut *coelum* pro universo eo quod nomine illo appellatur: Etiam & *terram Israelis*, & τὴν Ἰουδαίαν γῆν *Judaeae terram*, in sacris literis alibique pro terra Ebraeorum regimini subdita adhiberi. Atqui non minus verum est, τὸ ארץ γῆν *terram* simpliciter dictum, ex receptissimo apud Ebraeos loquendi usu, ipsam eorum terram seu promissionis ac Israeliticam duntaxat significare. Millies habent Talmudici בפני הארץ *intra terram*, & חוצה לארץ *extra terram*, ita simpliciter dictam, pro terra tantum Israelitica. Atque ita quidem & ex notione ejusmodi *terrae*, quae frequentissima est, Arabum codices illic intelligi possint, quasi interdictum illud triplex de nominibus seu titulis illis intra terram, illa in republica, usurpandis, tribuendis, suspiciendis, nec extra, sumendum fuisset. Neminem illic, in terra illa, praeter Christum (nam e generali, interdicto excipiuntur ille & pater eorum in coelis) pro *Rabbi* seu *magistro*, aut *patre*, aut *principe*, juxta

h Cap. iii. 1. i In Apophthegmatis. k Philolaus apud Proclum in Platon. Theolog. 1. cap. 5, 6.

ante dicta, agnoscendum. Certe nec extra terram Israeliticam, ac mores tunc Ebraeorum vigentes forensesque, nominum ac titulorum illorum usus tunc ejusmodi reperiebatur, ut quis ibi sic eos, uti Ebraeis proprios, conjunctos ad alias terras seu universas spectare cum ratione possit existimare. Inde in primitivorum christianissimi temporum vetustioribus, seu sub ducentesimum a Christi natalibus annum & deinceps, idque tam in oriente[l] quam occidente[m], *praesidentium* & *praesidum* & προεςώτων in ecclesiastica tunc temporis christianorum inter se politia quae disciplina confoederata fundabatur, mentionem familiarem habemus, velut eorum quorum tituli interdicto Servatoris minime omnino comprehensi. Plane illi tunc καθηγηταὶ erant. Etiam christianae tunc ecclesiae, etiamsi pro coetibus illo nomine nuncupandis haberentur itidem qui ibi tribus plures non essent, juxta illa Tertulliani[n], *Non potes discurrere per singulos? sit tibi & in tribus ecclesia.* Et[o], *Ubi ecclesiastici ordinis est consessus, & offert & tinguit sacerdos qui est ibi solus. Sed & ubi tres, ecclesia est; licet Laici. Unusquisque enim de sua fide vivit*; nihilominus in formatis numerosioribusque ecclesiis, hominum solennis erat tunc usus ordinum qui καθηγηταὶ, *praesides* & *magistri*, revera essent. Neque aliter quidem consistere potest illud, non solum de ecclesiis Dei generatim cum urbium paganorum ecclesiis, ex imitatione alterutrinque inter se regiminis qualiscunque, comparatis apud Origenem[p], veluti Atheniensium, Corinthiorum, Alexandrinorum, aut illud de βελαῖς τ̃ ἐκκλησιῶν, *conciliis* seu *senatibus ecclesiarum* christianarum, & earum βελευταῖς, *consiliariis*, a δήμοις earum sic vulgo distinctarum, cum senatibus senatoribusque urbium paganorum comparatione; quasi dubitandum tunc plane non fuisset quin praefecturarum & regiminis ordinum tituli ac nomina, pro subjectae rei locique & temporis discrimine, quasi similes in utrisque satis fuissent. Addit item Origenes, Οὕτω ᾗ ϗ ἄρχοντα ἐκκλησίας ἑκάςης πόλεως ἄρχοντι τ̃ ἐν τῇ πόλει συγκριτέον, *Praeses, princeps, cujusque per civitates ecclesiae praesidi, principi urbano* (paganorum) *conferendus*; ubi interpres, *Magistratus ecclesiastici cum urbanis magistratibus conferendi.* Et eodem libro Origenes ait lapsos, etsi rite reconciliarentur, nihilominus εἰς ἐδεμίαν ἀρχὴν ϗ προςασίαν τ̃ ἐκκλησίας τε̃ Θεε̃, *in nullum magistratum aut praesidatum ecclesiae Dei* fuisse dein admittendos. Ita tum extra terram tum inter se passim christiani, tam primitivi quam recentiores, disciplinae apostolicae sequaces, *magistrorum*, *principum*, *praesidum* titulos habuere, nec obstare omnino interdictum illud a Christo triplex datum crediderunt. De quo, hactenus.

XI. Sed vero apud S. Jacobum, in epistola ejus, presbyterorum mentio & quasi officium singulare occurrit, quod hic non praetermittendum: Κακοπαθεῖ[q] τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω· εὐθυμεῖ τις; ψαλλέτω. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω (libri aliqui habent προσκαλεσάτω· & lectio prior MS. ad S. Jacobi consona est) τὲς πρεσβυτέρες τ̃ ἐκκλησίας, ϗ προσευξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τε̃ Κυρίε· ϗ ἡ εὐχὴ τ̃ πίςεως σώσει τ̃ κάμνοντα, ϗ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ, *Anne malis quisquam in vobis affligitur?* corporis, animi, fortunae malis (ubi Syrus, ܘܐܢ ܐܢܫ ܡܢܟܘܢ ܢܗܘܐ ܒܐܘܠܨܢܐ ואן אנש מנכון נהוא באולצנא *Si homo*, seu *quisquam*, *ex vobis sit in afflictione*; juxta quod ante[r] ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, *in afflictione ipsorum*, reddit itidem ܒܐܘܠܨܢܝܗܘܢ באולצניהון *in afflictionibus ipsorum.* Arabs Erpenianus, *Si quis vestrum sit* في شدة *in afflictione*; Jaianus ان حصل احدكم في شقا وضر *Si accidat ut vestrum quis in afflictione sit & calamitate.* Vulgata, *Tristatur aliquis vestrum?* remissius nimis quam oportuit; cum *tristari* simpliciter prae eo quod est *affligi* leviculum esse nemo nesciat; & pauculis ante lineis, ubi Jacobus[s] ipse utitur κακοπαθείας, Vulgata etiam vertat *exitus mali*, quod tristitia multo gravius est; Wiclefius ibi, **of yvel goinge out**; Rhemenses, velut ex Vulgata, **of labour**; Wiclefius hic, **If ony of you is sorewfull**; Rhemenses, **Is any of you in heavinesse?** Lutherus, **Leidet iemand unter euch?** *Quisquamne vestrum malum patitur?* Belgae, **Is daer yemand onder u in lijden?** eundem in sensum; Galli, *Y a il quelcun qui souffre entre vous?* Angli bene versiones nuperas secuti, **Is any among you afflicted?** sic alii) *oret. An quis tranquillitate animi gaudet?* (Vulgata, *aequo animo est?* Syrus, *Si* ܚܕܐ חדא, Arabs Erpenianus, *Si* فرح Jaianus, *Si* سر id est, *laetetur*; Lutherus, **Ist yemand guts muts?** Belgae, **Is yemandt goets moets?** ut Anglis solenne est, **Is he in a good moode?** Galli hic optime, *qui soit en repos d'esprit:* Non ita Angli, dum, **Is any merry?** vertunt; uti & alii aliquot simpliciter *laetus*, *hilaris*, quales sunt non raro quibus non εὐθυμία. Atque seculis quidem posterioribus **merry** apud nos significavit simpliciter *hilarem*, quod superioribus usurpabatur pro eo qui strenuo, forti, alacri animo, *gaillard* seu cui *pax & concordia animi, & magnitudo cum mansuetudine*[t], ut dixit Seneca. Quemadmodum & Democrito[v] εὐθυμίαν, ἀταραξίαν, seu *animum terrore liberum*, habere, pro summo apud homines bono sumptum est, seu cum *animus movetur placide atque constanter*[x], non sine εὐλόγῳ ἐπάρσει[y] seu *cum ratione elatione*, unde verum gaudium, seu εὐπάθεια, τῇ κακοπαθείᾳ hic contraria: Sed aliud est animi hilaritas vulgaris, aliud tranquillitas ejusmodi, quam hic τῇ εὐθυμίᾳ denotari non est quod dubitemus) *psallat:* Deo gratias agat etiam cum cantu. Veteres Vulgatae versiones versum hunc mire depravarant in *oret aequo animo & psallat*, unde Wiclefius, **pzie he with patient soule, & seie he a salm.** Dein

[l] Origen in Levitic. Homil. 14. [m] Tertullian. Apologetic. cap. 39. & lib. de Pudicitia, cap. 14. Lib. de Jejuniis, cap. 17, &c. Videsis Desider. Herald. ad Tertull. Apologetic. cap. 39. [n] De fuga in Persecutione, cap. 14. [o] Exhortat. ad Castitatem, cap. 7. [p] Adverf. Celsum, lib. 3. [q] Cap. v. 13. [r] Cap. I. 27. & hic, 10. [s] Comm 12. [t] De Vita Beata, cap. 3. [v] Apud Ciceronem, lib. 5. de Finibus. [x] Idem lib. 4 Quaest. Tusculanarum. [y] Laertius Diogenes, lib. 7. seu in Zenone.

Jacobus, *An quis in vobis aeger viribus deficit?* quasi moribundus etiam, & animam cito exspiraturus, is as if he were at the last gasp, seu giving up the ghost, (ita enim ἀσθενεῖν ex sui ipsius tum natura tum usu satis significat; Syrus, ܘܐܢ ܟܪܝܗ ܗܘ ואן כריה הו & *si aegrotet, infirmetur*; ut Vulgata, *infirmatur quis*; Arabs Erpenianus, وان كان مريضا & *si sit aegrotus*, seu *languidus*; uti & Jaianus eundem in sensum, وان يمرض Lutherus & Belgae, ist yemand kranck? alii *malade, infiermo*, sick. Certe *aegri, infirmi, aegroti*, vulgo sic simpliciter dictorum, nomen, uti & τὸ sick, & similium, aperte habetur in eis qui quomodocunque κακοπαθοῦσι, de quibus ante locutus est Jacobus, seu qui, cum afflictione, mala qualiacunque, etiam ut valetudinarii, perpetiuntur; in quorum levamen ait *orandum esse*. Et cum aegritudinum genera sint adeo numerosa, leviora, gravia, atque, ut aliqui volunt, nullibi non habeatur aegritudo nisi ubi perfecta corporis sanitas est, nec status medius sic sit admittendus, aequum est ut existimemus tum aegros generaliter sic dictos tum sanos in eis qui κακοπαθοῦσι & εὐθυμοῦσι ante comprehensos, ἀσθενοῦντας vero sumendos pro ἀσθενοῦσι παραπλήσιον[z] θανάτῳ, *infirmatis usque ad mortem*, seu ex summa virium defectione extremove morbi languore moribundis. Et medium in corpore animantis statum non dari, sed aut sanum quodque esse aut cum latitudine varia aegrum & κακοπαθεῖν, autores sunt magni, Aristoteles[a], Avicenna[b], aliique; licet Galenus[c] & sequaces ejus non pauci triplicem faciant statum, adeoque medium. Quin & Hippocrates[d], Ὅ, τι γὰρ ἂν λυπέῃ τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο καλέεται νοῦσος, *Quicquid homini molestiam adfert, id vocatur morbus.* Et jurisconsulti, *Morbus est habitus cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus facit deteriorem.* Sic Labeo[e], & Ulpianus[f]. Sed pergit Jacobus, *Accersat presbyteros ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvum faciet laborantem*, seu *aegrotum* ut verti solet; qua de re mox plura) *& eum exsuscitabit Dominus; & si quae peccata patraverit, remittentur ei.* Qui *presbyteri ecclesiae* hic vocantur, & vertuntur *les anciens de l'Eglise*, & the elders of the Church, vocibusque similibus (quae nomina in versionibus ejusmodi sumi solent pro christianorum tantum coetuum presbyteris) sumendi videntur nec de presbyteris solum christianis, nec de solum ordinatis, sed etiam de presbyteris sive christianis, sive Judaicis qualibuscunque, adeoque de זקני השוק (de quibus superius dictum) *presbyteris plateae, privatis, vulgaribus, laicis*, juxta usum vocis illius apud Ebraeos tunc notissimum. Etenim epistola haec catholica scribitur *duodecim tribubus* ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, *quae in dispersione sunt*; ubi Syrus, ܕܙܪܝܥܝܢ ܒܥܡܡܐ דזריען בעממא *quae disseminantur inter gentes*; & Arabs Erpenianus, المعرفة في السعوب in eundem sensum. Itaque ἐν ὑμῖν, *in vobis* seu *inter vos*, in allatis, ad universos Judaeos sic dispersos, quos *fratres* indiscriminatim passim vocat, tam nondum credentes quam christianos, quantum video, spectat; licet bene moneatur a viro doctissimo[g], in epistola illa esse *quaedam monita omnibus Israelitis* (tam non credentibus quam credentibus) *communia, quaedam proprie pertinentia ad eos qui jam in Christum crediderant. Si*, inquit[h], *introierit* εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν, *in synagogam vestram, vir annulum aureum habens*, &c. ubi vir ille maximus apposite; *Quanquam usus posterior recepit ut* synagoga *de coetu Judaeorum, de coetu vero christianorum* ecclesia *dicatur, tamen &* ecclesiam *saepissime dici de coetu Judaeorum ostendimus ad Matth* xvi. 18. *& contra* synagogam *de coetibus christianis Act.* xv. 21. *& ita omnino sumendam hanc vocem ostendunt verba praecedentia.* Scilicet christianorum & Judaeorum τῆς συναγωγῆς & ἐκκλησίας nominum tunc temporis erat communio. Vide eum locis citatis. Ad fratres igitur suos utriusque generis, sed universos qui dispersi tunc erant, tam non credentes quam credentes, scripsit haec Jacobus, non credentes interim invitans ad fidem. Presbyteri utrisque cujusque speciei inter eos, pro persuasionis discrimine, communes. *Ex omnibus*, inquit ibi Mariana, *aliqui erant christiani.* Sed adjicit; *Nam ad obstinatos in Judaismo veteri scripsisse non arbitror.* Monet igitur Jacobus afflictos, ut orarent; bono autem animi adeoque corporis habitu statuve fruentes, ut psallerent. Dein adjicit illud de presbyteris accersendis ἀσθενοῦντι, seu *ei cui vires prorsus deficiunt*, quasi moribundo; quales etiam *mortuos* vocat Raimundus Lullius, ubi loquitur[i] de *suscitatione mortuorum* per quintam suam essentiam, scilicet *illos de quibus*, ut ait ille, *ultimate desperatur, ita quod a medicis & a vitae actibus sunt derelicti, in tantum quod etiam sensibus non utuntur.* Juxta quod etiam veteres dicere solebant eum qui contra omnium exspectationem convaluerat, ἐξ ᾅδου *ab inferis* rediisse; & nos hodieque, he was at death's door. Τὸ ἀσθενεῖν vero & ἀσθένεια statum ejusmodi seu imbecillitatem summam, no strength, denotari, facile etiam est elicere ex aliis epistolarum[k] locis, ubi δύναμις, *vis, robur, potestas*, τῇ ἀσθενείᾳ, *impotentiae, imbecillitati*, etiam summae, opponitur. Et tales ibi innui & a veteribus intelligi, quos Ebraei גוססין vocarunt, nec simpliciter aegros, ut diximus, qui illis vocitati, haud parum confirmatur ex eo quod extremae unctionis sacramentum sic dictum, & maxime loco hoc fundatum, talibus, aut qui statui ejusmodi, utpote in articulo mortis, proximant, nec aliis aegris aut infirmis, in occidentali ecclesia adhiberi soleat; unde rituale Romanum de sacramento extremae unctionis, *Debet hoc sacramentum infirmis praeberi* (non universis, sed) *qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant ut mortis periculum imminere videatur, &*

[z] Philipp. ii. 27. [a] In Categoriis, cap. περὶ ἀντικειμένων. [b] Lib. 1. Canon Fen 1. Doct. 1 cap 1 Lat 2. Arab. [c] De Sanitate tuenda, lib. 1. cap 5, &c. [d] Lib. περὶ νούσων. [e] Apud A. Gellium, lib 4 cap 2. [f] L 1 §. Sed si sciendum D. tit. De AEdilitio edicto. [g] Hugo Grotius ibidem. [h] Cap. ii. 2. [i] Lib. de Secretis Naturae, lib. 2, canone 2. [k] 1 Corinth. xv. 43. Rom. v. 6. viii. 3. Ebrae. vii. 16, & 18.

eis

eis qui prae ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri. Certe igitur *infirmum* in textu ſacro, ſeu ἀσθενοῦντα, more recepto, ut nos, ſic interpretantur. Atque ex illa vocis hic notione evaneſcunt objectiones illae [l], *Quorſum non niſi moribundis, quod curationis cauſa adhibebatur.* Et, *Jacobus* [m] *omnes infirmos vult inungi: Iſti* (pontificii) *non infirmos, ſed ſemimortua cadavera ſua pinguedine inficiunt, cum jamjam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipſi loquuntur, in extremis.* Apud Tertullianum quidem Proculus Torpacio Severum [n] Auguſtum *per oleum aliquando curaverat*; unde exiſtimant ibi aliqui presbyterum eum fuiſſe; quaſi, quia preſbyter, oleo curaſſet Severum. Et de curationibus inter chriſtianos ſeculis in illis vetuſtis per oleum plura ibi congerunt ſcriptores, alibique [o] habent obvia. Etiam a presbytero unico ſolo, veluti pluralis numeri officium in ſe ſuſtinente, infirmum ejuſmodi, ſi plures deſint, rite inungi pronunciant [p]. In oriente autem idem inungendi hinc ritus adhibitus, ſed plerumque non ſine presbyteris ſeptem, & ſubinde etiam leviter aegris, imo & convaleſcentibus. Oleum ipſum εὐχέλαιον vocant, *precatioleum,* ob preces unctioni jungendas. Atque de ejuſdem illic conſecratione, etiam & adminiſtratione, haud parum ab occidentis uſu diverſa, ſed interim hoc loco, atque evangelico illo [q] apoſtolorum cum oleo curandi facultate, fundata, plurima occurrunt in Euchologio & Simeone Theſſalonicenſe aliiſque Graecis apud Petrum Arcudium [r] & Jacobum Goarum [s]; quos, ſi placet, conſulas. Et perquam obvia eſt ad S. Marcum, & in tractatibus de ſacramentis, olei hujus ſancti, utpote ab epiſcopo in occidente, ſed tam ab presbyteris quam epiſcopo in oriente, conſecrandi, ut neceſſarii apud pontificios aſſertio, uti & apud reformatos improbatio non infrequens.

XII. Certe apud Ebraeos ipſos veteres nihil comperio de oleo inungendis, ex ritu recepto, aegris, ſive moribundis ſive aliis, niſi id quod ſtatim oſtendemus de claudendis per oleum oculis illuc ſpectare videatur. Jam mortuos in ſepulturam inungi, familiare fuiſſe tam Judaeis quam Romanis Graeciſque certum eſt. Caeterum moribundo, ante ipſum animae exitum, non tactu, nedum preſſura digitorum, utcunque leviuſcula quidem, fas regulariter apud Ebraeos erat oculos claudere; ne inde qui ſic clauderet adeo infirmo mortem forte acceleraret. Mortuo claudi ab aſtantibus, maxime propinquis, oculos, etiam apud Graecos & Romanos fuiſſe in uſu, teſtimonia habentur ſatis obvia. Et forſan ex humanitate paſſim & ſemper in more eſt poſitum. Moribundis autem, ſeu adeo aegris ut animam eſſent quaſi jam exhalaturi, adeoque ante mortem, oculos claudi, non ita crebro expreſſius apud illos occurrit. Viſum eſt nonnullis, de uſu illo capiendum eſſe quod ex Varronis reliquiis habetur de lege ſive Maenia ſive Maevia apud Nonium Marcellum. *Sugillare,* inquit, *obcludere*; *Varro Geminis* (dramate ejus ſic dicto) *contra lex Maenia eſt* (legunt aliqui *Maevia) in pietate, ne filii patribus luci claro ſugillent oculos.* Ubi Antonius Auguſtinus [t], *Hoc eſt, ne oculos clauderent*; *quod per tranſlationem fortaſſe dictum eſt, videlicet ne mortem eorum maturarent.* Si ita, certe teſtimonium hoc eſt, ante etiam a filiis oculos parentum moribundorum claudi eſſe ſolitos, uti etiam & poſtmodum & ante ab aliis. Sed aliter [v] multo intelligitur lex illa; Joanne Kirchmanno interim cum Antonio Auguſtino conſentiente [x]. Sane & quod Cynthiae umbra in Propertii ſomnio illi dixit, juxta editiones vetuſtiores [y],

At mihi non oculos quiſquam inclinavit euntes:
Unum impetraſſem, te revocante, diem.

morem illum ſapere videtur. *Oculi euntes,* ſunt animam exſpirantis, necdum mortui. Sed in recentioribus, ex Joſephi Scaligeri MS. legitur *inclamavit euntes*; ubi *tangit morem,* inquit ille, *claudendi oculos morientis cum inclamatione nominis illius.* At vero inclamationis ejuſmodi meminit Servius Honoratus [z] (unde a ſcriptoribus ſumi ſolet, quaſi univerſim veteribus in uſu) ut opinionis tantum quorundam; *eorum mortuorum nomina ter vocari qui in aliena terra dimittuntur,* juxta illud de Polydoro ibi,

——— *animamque ſepulcro*
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

atque illud alibi [a],

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem
Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.

Atque ita de jam mortuis, nec interim omnibus, nec de oculis, ut videtur, euntibus fuerit intelligendum. Sed ſi *inclinavit* apud Propertium retineatur, & advertatur pentameter, quo innui videtur, etiam oculos illo, euntes licet, ad occluſionem inclinante, eamque revocante, unum ſaltem vitae nihilominus diem potuiſſe inſuper impetrari, haud ita diſſonum eſt ut de moribunda ſe (juxta morem) nondum mortua Cynthiam locutam eſſe arbitremur. Illud item huc ſpectat a Polynice, ex vulneribus moribundo, Jocaſtae matri ſuae dictum, ut nuncius apud Euripidem [b] refert,

Ξυνάρμοσον ᾗ βλέφαρά μου τῇ σῇ χερὶ,
Μᾶτερ (τίθησι δ᾽ αὐτὸς ὀμμάτων ἔπι)
Καὶ χαίρετ᾽· ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος.

Conde ſeu *compone palpebras meas tua manu, Mater (oculis autem ipſe impoſuit* manum) *Et valete, jam enim circumſtant me tenebrae.* Uti & illud Lucani [c] de Argo animam efflaturo,

——— *vox fauces nulla ſolutas*
Proſequitur: tacito tantum petit oſcula vultu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.

Quin & forſan Penelopes illud ad Ulyſſem [d],

Reſpice Laertem: ut jam ſua lumina condas,
Extremum fati ſuſtinet ille diem.

[l] Beza ad Jacob. v. 14. [m] Calvin. Inſtitut. lib. 4. c. 19. [n] Ad Scapulam, cap. 4. [o] Vide Baron. tom. 1. ann. 63. § 13, &c. [p] Cap. 14. Quaeſivit, extra tit. De Verb. ſignificat. [q] Marc. vi. 13. [r] De Concordia Eccleſ. Orient. & Occident. lib. 5. [s] In Euchologium, pag. 408, &c. [t] De Legibus & Senatusconſultis, pag. 107. & videſis J. Meurſium, lib. de Funere cap. 3. [v] Jacob Gutherius de Jure Manium, lib. 1. cap. 13. [x] De Funeribus Romanis, lib. 1. cap. 6. [y] Lib. 4. Eleg. 7. [z] Ad AEneid 3. [a] AEneid 6. [b] In Phoeniſſis, Act. 5. [c] Lib. 3. [d] Ovid. Epiſt. 1.

Jam moribundo lumina condas. Accedat quod Valerius Maximus [e] narrat de summae apud Ceienses (Graeciae insulanos) dignitatis foemina, quae postquam venenum cicuta temperatum, mori expetens, hauserat, *cum jam visceribus rigorem & cordi imminere esset locuta, filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit.* Et antiquissimus idem mos est apud Homerum, ubi Agamemnon, inter mortuorum umbras, Ulyssi caedem suam miseram narrans & facinora Clytaemnestrae, *impudentissima secessit*, inquit [f], *ipsa*,

———ἐδέ μοι ἔτλη, ἰόντι περ εἰς αἴδαο
Χερσὶ κατ' ὀφθαλμὲς ἑλέειν, σύν τε σόμ' ἐρέσαι·

nec quidem voluit mihi eunti ad inferos manibus oculos concludere, atque os componere. Ubi Eustathius, Ἐχωρίσθη μὲ νόσφι φρομένη, καὶ μὴ τὰ ὅσια ἐπ' ἐμοὶ τελέσασα, *Secessit a me, nec justa mihi sic eunti peragens.* Etiam ipse Deus O. M. ad Jacobum in AEgyptum descensurum [g], *Ego tecum in AEgyptum descendam*, (unde Ebraeis receptum [h], כל מקום שגלו ישראל שכינה עמהם *Quotiescunque in exsilium acti fuerint* seu *migraverint Israelitae, majestas divina eos comitatur) & ego te inde reducem faciam; & Joseph* ישית ידו על עיניך *ponet manum suam (manus suas) super oculos tuos.* Ubi in *Baal Haturim* & in bibliis Garaianis adnotatur, יעצים עיניך כשתמות הבטיחו שלא ימות בחייו *Claudet oculos tuos; unde fiduciam ei dedit, Josephum non moriturum illo superstite.* Et Aben Ezra, *Et ponet manus super oculos tuos*, id est, כי במותך כנהג החיים עם המתים *In morte tua. Quoniam ita obtinuit mos inter vivos & mortuos.* Hugo Grotius, *Quod sigillare oculos dicunt Latini* (ut in ante notato e Nonio) *id officium parentibus morituris exhibebant liberi.* Videsis Joannem Drusium in Miscellaneis [i]. Caeterum Ebraei de claudendis moribundi oculis ad hunc modum [k], אין מעמצין את המת בשבת ולא בחול עם יציאת נפש והמעמצים עם יציאת נפש הרי זה שופך דמים: *Non claudunt morientem* (neutiquam claudendi sunt morientium, scilicet moribundorum, oculi) *nec sabbato nec die aliquo profesto* (non omnino) *tempore* seu *momento quo exhalaturus est animam*; seu potius *cum* aut *in exitu, discessu, animae. Et qui claudit in exitu animae, effundit is sanguinem*, id est, homicidii reus est. Tam Gemara quam Misna ibi idem habet cum ת"ר adjecto, seu *Rabbinorum est disciplina.* Rationem addunt, שבמורה מיעט מקרב מיתתו *Quoniam motu leviculo acceleratur mors ejus.* Exemplum item habent, משל לנר שכבה והולכת אדם מניח עצבו עליה מיד כבתה *Instar candelae exstinguibundae, in quam si quis manum suam imposuerit, statim exstinguitur.* Atque in morientibus, seu aegris usque ad mortem, mollissime hanc in rem habendis, perquam erant soliciti. Unde, juxta Talmudicos veteres, Maimonides [l], הגוסס הרי הוא כחי לכל דבר אין קושרין לחייו ואין פוקקין נקביו וגו' *Jam exspiraturus*, seu *qui in articulo mortis est, censetur ut vivus undiquaque. Non colligant maxillas ejus*, ne hiatu oris deformis fiat, *excrementa ejus non sistunt*, &c. Nec quidquam ei tactu faciendum עד שעה שימות *usque ad ipsum tempus quo mortuus est.* Addit etiam, הנוגע בו הרי זה שופך דמים *Qui ipsum* tunc *tetigerit reus est homicidii.* Et dein, המאמץ עיניו עם יציאת נפש הרי זה שופך דמים אלא ישהא מעט שמא נתעלף: *Qui oculos ejus in ipso exitu animae clauserit, reus est homicidii. Adeoque exspectandum est paululum, ne inde vita, quae etiam tunc qualiscunque reliqua, deficiat.* Eadem habentur in *Abel Rabthi* [m] qui vocatur *Masseceth Shemachoth*, & velut extravagans est in Talmude Babylonio. הגוסס הרי הוא כחי לכל דבר וגו' *Qui jam exspiraturus est habetur ut vivus, omnimodo in sensu*, &c. Nec res quaepiam illi molestiam ullam inferat, nec quidem quis eum tangat, עד שעה שימות שנאמר עד אשר לא ירתק חבל הכסף *Usque dum mortuus fuerit, juxta id quod dicitur* [n], *Antequam rumpitur funiculus argenteus.* Et paulo post, אין מאמצין את עיני הגוסס הנוגע בו ומזיזו הרי זה שופך דמים *Nec oculos ejus* claudendo *figunt. Qui eum tetigerit, & ullatenus commoverit, homicida est.* Ita Rabbi Jacob Ben Asher in *Arba Turim* [o]; ita alii. Receptior scilicet de moribundorum statu & cura sententia ejusmodi erat. Sed vero in Talmude Babylonio, ad Misnam jam allatam, ubi Misnae quidem sententia generalis de non claudendis ei ante spiritus exitum oculis expressim etiam in Gemara habetur, statim sequitur hoc de claudendis per oleum oculis in nonnullis editis; תני רשב"ם אומר הרוצה שיתעצמו עיניו של מת נופח לו יין בחוטמו ונותן שמן בין ריסי עיניו ואוחז בשני גודלי אצבעותיו והן מתעצמין מאליהן: *Legitur etiam* seu *disciplina habetur, Rabbi Rashbam docuisse, si quis vellet oculos morientis claudere, insufflandum illi vinum in nares ejus, & imponendum oleum* seu *unguentum inter palpebras oculorum ejus, atque digitos ejus prehendendos pollice suo utroque, indeque sponte clausos illos fore.* Ubi Glossa, ואוחז בשני גודלי רגליו ועצרן בעבבעותיו *Et prehendit binos pollices pedum ejus, & claudit eos digitis suis.* Pessime hic habent editi aliquot עיניו של מת pro עיניו של כת & גודלי pro גודלי. Et quisnam hic *Raschbam* (quod abbreviatura est sive ר' *R. Simeon*, sive *Samuel*, sive *Solomon Ben Meir*, aut alicujus alius parentis ab *M* incipientis) nondum satis didici. Forte Rabbi Simeon Ben Mensia, a Maimonide [p] inter Gemaricos memoratus. Sed in editionibus correctioribus legitur רבי רשב"א & שמעון בן אליעזר *Rabbi Simeon Ben Eliaezer.* Utcunque autem, ex veteri disciplina in Gemaram Babyloniam hoc receptum est. Dum vero loquitur hic tum Misna tum Gemara de non claudendis oculis המת עם יציאת נפש *morienti in ipso animae exitu*, (qui plane sumendus pro eo qui גוסס *jamjam exspiraturus* magistris dici solet) proxime adjicitur illud ר' Rashbam hic, seu Simeon Ben Eliaezer, de מת *moriente*, adeoque nec forte de alio morientium genere capiendum quam quod *moribundorum* nomine, id est, hactenus vivorum, in Misna & Gemara verbis illis proximante palam venit. Atque si ita res capiatur, certe ex disciplina veteri circa moribundos, quae pro locorum seculorumque discrimine, uti alia non

[e] Lib. 2. cap. 6. §. 8. [f] Odyss. Λ. [g] Genes. xlvi. 4. [h] R. Menahem Recanatensis ibidem, al. [i] Lib. 2. cap. 1. [k] Misna tit. *Sabbath*, cap. 23. fol. 151, 2. Gemara & Glossa ibi. [l] Halach. *Abel* [illegible], cap. 4. §. 5. [m] Cap. 1. [n] Ecclesiastic. xii. 6. [o] Tit. *Jore Deah*, cap. 339. [p] In Praefat. ad [illegible].

pauca,

pauca; aliter aliterque se proculdubio habuit, sequetur ita, oleum, & digitorum appositionem, in ipso spiritus exitu, adhibere, fas etiam ex more fuisse. An de jam mortuis, & veluti pollinctorum opera, an de hactenus vivis, adeoque clinicorum cura, res haec de oleo palpebris sic instillando capienda fuerit, ex verbis ipsis palam satis non est. Sed vero nemo nescit, temporis esse crebro latitudinem, seu, velut crepusculum, vitam ac mortem in confinio utriusque dubiam, sub ipsum spiritus exitum, eamque ejusmodi ut mortuusne an adhuc vivus sit aeger dubitetur, sed interim plane aut velut statim moriturus, aut etiam pro mortuo, tametsi nondum discesserit anima, merito censeatur. Et veterem nemo nescit quaestionem illam, utrum τὸ mori vitae tunc discedenti an morti succedenti tribuendum esset. Qua in re Plato[q] nec vitae illud nec morti assignavit, & τὸ ἐξαίφνης seu *momentaneum* quid per se, & τὴν ἐξαίφνης φύσιν *repentinam naturam*, nuncupari voluit. Et de inungendis quidem mortuorum, adeoque pro mortuis habitorum, cadaveribus, ut apud Graecos & Romanos obvia sunt testimonia, ita etiam apud Ebraeos[r]. De eo scilicet quod est μυρίζειν εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν[s], *ungere in sepulturam*. Anne vero ex Talmudicis hisce lucis quid haberi possit ad explicandum illud S. Jacobi de inunctione, viderint perspicaciores. Cum autem extremae unctionis usus tam in oriente quam in occidente non solum ex hoc S. Jacobi loco derivari soleat, verum etiam ex illo S. Marci[t] de duodecim Christi discipulis, cui donum singulare, per quod ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους, καὶ ἐθεράπευον, *ungebant oleo multos aegros, & sanabant*; certe ut apud Jacobum ἀσθενεῖς ita apud Marcum ἄῤῥωστοι eodem sensu pro *aegris* usurpantur, id est, perquam imbecillibus, & viribus quasi omnimodis carentibus, nec pro qualitercunque morbosis seu aegrotis. Et ut synonyma ἀσθένεια & ἀῤῥωστία passim habentur, uti & ἀῤῥώστημα, quemadmodum in horum oppositis sunt εὐσθένεια & εὐρωστία pro *virium integritate, robore corporis infracto, sanitate*, ut apud Hesychium. Et Suidas, Ἀῤῥώστημα νοσήματος διαφέρει. Ἀῤῥώστημα μὲν γάρ ἐστι νόσημα μετ' ἀσθενείας· τὸ δὲ νόσημα, οἴησις σφοδρὰ δοκοῦντος αἱρετοῦ, *Imbecillitas a morbo* (unde aegri fiunt) *differt. Etenim imbecillitas est morbus cum virium defectione: Morbus autem, opinatio vehemens ejus rei quae videtur expetenda*; quae verba, ut reliqua ibi sequentia, dicta sunt de animi morbis ac imbecillitate, ex disciplina Stoicorum, qui eadem habent apud Laertium Diogenem[v]. Sed Cicero ex eadem disciplina, *Morbum*[x] *appellant totius corporis corruptionem*; *aegrotationem*, (sic vertit ille ἀῤῥώστημα) *morbum cum imbecillitate.* Jam vero & discipulorum unctionem, uti hanc qualemcunque presbyterorum, sequitur unctorum sanitas corporis; quasi illuc omnino, non mortem, nisi ut praeveniendam, spectaret. Id quod perquam est diversum ab unctionis hujusmodi usu, maxime in occidente, sic inde derivato: Vix enim sine mortis, nec praeveniendae, exspectatione, solet adhiberi.

XIII. Quomodo autem & quando donum illud singulare sive sanandi sive inungendi aegros, quales diximus, maxime quasi spiritum per imbecillitatem & virium defectum jam exhalaturos, id est, ἀσθενοῦντας[y] & ἀῤῥώστους (nam de omnigenis aegris haud omnino videtur, juxta jam dicta, intelligendum; nec Marcus ἀῤῥώστους *aegros* seu *imbecilles* simpliciter, sed πολλοὺς *multos* dixit, eos nempe qui, cum medicinam aliam sibi utilem neutiquam reperirent, de salute restituenda desperantes, velut miraculo sanarentur, ac quasi in vitam reduces fierent) quomodo, inquam, aut quando donum hoc sibi nacti fuerint presbyteri dispersorum tempore Jacobi credentium & non credentium, consideratu dignum. Quomodo autem extremae unctionis in christianismo ab eis solum qui & presbyteri ordinati sunt, & sacerdotes etiam vocari volunt, adhiberi solitae usus inde fundetur, scriptores passim pontificii ostendere conantur. Certe dum ait Jacobus, προσκαλεσάσθω *accersat presbyteros*, presbyteros videtur qualescunque, sive ordinatos, sive vulgares nec ordinatos, juxta superius dicta, intelligere, adeo ut juniores, seu vulgi viliores, necdum in ulla presbyterorum classe censendos, ob singularem rei gravitatem seu vires adeo deficientes, id est, ἀσθένειαν, ac discessus etiam animae celeris exspectationem, accersendos noluerit. Et advertendum, statim verba illa de presbyteris, oratione, ac inunctione facta, apud S. Jacobum, sequi, Ἐξομολογεῖσθε (codex MS. ille celeberrimus ex oriente in Britanniam pridem allatus, Ἐξομολογεῖσθε οὖν) ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, καὶ εὔχεσθε (MS. ille, προσεύχεσθε, non προσεύχεσθε, ut viro maximo inde notatum est) ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε· πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. *Confitemini ergo* (sic etiam Vulgatae autor, quasi οὖν hic legisset, & consecutio ex praecedentibus pendens sic fuisset adjecta) *vobis invicem* (Syrus, ܚܕ ܠܚܕ חד לחד *unus uni*, seu *alius alii*, uti & Arabes, بعضكم لبعض *alter vestrum alteri) delicta* seu *errata* (Vulgata habet *peccata vestra*; & *vestra* hic legere in Graeco & Syrus & Arabes) *Et orate super alterutros* (Syrus, ܚܕ ܥܠ ܚܕ חד על חד *unus super alterum*; & Arabes, بعضكم على بعض *alter vestrum super alterum)* ut *curemini* seu *sanemini*. *Multum valet* (Vulgata *multum enim valet*, uti & Syrus) *deprecatio justi intenta, assidua, efficax*, ex animo profusa. Ex eis quae sic praecedunt de presbyteris accersendis, oratione, & inunctione, consecutio haec seu ratio de mutuo invicem orationis apud universos usu (nihilo insuper sive de presbyteris sive de inunctione iterato) praescribere videtur, quasi res tota in peccatorum confessione, eaque inter se ad invicem[z], & in oratione efficaci, revera consistere voluisset. Accedat jam, haud ita rationi dissonum esse, contextum Jacobi aliter etiam quam ante aut vulgo intelligendum vertendumque. Nimirum forsan illud de presbyteris accersendis spectavit ad moribundo seu pro moriente habito usitatum officium pollincturae adhibendum, illud quod in inungendo cum orationibus sub vitae ejus exitum, sive

[q] In Parmenide, & videsis Agellium, lib. 6. cap. 13. [r] Maimonides Halac *Abel*, cap. 4. §. 1. [s] Marc. xiv. 8. Joann. xii. 7. [t] Cap. vi. 13. [v] Lib. 7. seu in Zenone. [x] Tuscul. quaest. lib. 4. [y] Math. x. 8. Marc. vi. 13. [z] Vide hic Erasmum.

verum sive creditum, habebatur. Nec imperative sumendum forte προσκαλεσάσθω *accersat*, sed admissive tantum, seu ut concedentis dictum: Etiamsi adeo ἀσθενὴς seu *imbecillis* fuerit ut presbyteros, id est, proximorum ac vicinorum qualescunque amicos graviores & primores aliquot, ad se accersendos voluerit, ut secum nimirum orarent, & mortuum ex more pollincerent, adeoque etiam pro jam mortuo sive oculos claudendo sive aliter illum inungerent, nihilominus ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως *precatio fidei* σώσει τὸν κάμνοντα, quod vulgo versum *salvum faciet* aut *salvabit infirmum*, certe bene reddi posset *salvum faciet* ipsum etiam *mortuum*, *pro mortuo* scilicet *habitum*, seu etiamsi de exitu animae ejus neutiquam dubitaretur. Ejusmodi usus imperativi haud ita rarus. Habetur in illo Christi apud Joannem[a], Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτὸν, *Solvite, destruite, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; quod plane est, *Tametsi solveritis*, &c. Ejusmodi sunt alia in scriptura obvia[b]. Simile etiam in illis *esto*, *detur*, *admittatur*, *det*; ut in illo Ovidii, *Vilia miretur vulgus*, &c. Martialis illo[c], de semicinctio,

Det tunicam dives, ego te praecingere possum.

in eo, *Ruat coelum*, *fiat justitia*, & innumeris aliis. Τὸν κάμνοντα autem etiam *mortuum*, nec *infirmum* aut *aegrum*, ut vulgo, denotare posse palam est. Hesychius in κάμνει, post vulgares de *aegro* ac *morbo laborante* significationes, adjicit, ἀποθνήσκει *moritur*. Et Suidas in κάμνειν, λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀποθανόντων, *dicitur vero etiam de ipsis mortuis*, quibus pro exemplo adjicit, εἴδωλα καμόντων, *umbrae mortuorum*. Ita Etymologicum magnum, Σημαίνει καὶ τοὺς τεθνεῶτας, ὡς εἴδωλα καμόντων, καὶ καμόντας ἀνθρώπους, ἀντὶ τοῦ τελευτήσαντας, ἀποθανόντας, *Significat etiam mortuos, ut in illis, umbrae mortuorum, & homines* καμόντας, *pro eis qui jam e vita discesserant, & mortuis*. Quod Suidas & Etymologicum, sine autore adscripto, habent de εἰδώλοις καμόντων, *umbris mortuorum*, ex Homero[d] sumptum est. Apud eum Achilles Ulyssem ad inferos seu Plutonis regna accedentem cum hisce excipit,

Σχέτλιε, τίπτ' ἔτι μεῖζον ἐνὶ φρεσὶ μήσεαι ἔργον;
Πῶς ἔτλης ἄϊδόσδε κατελθέμεν, ἔνθά τε νεκροὶ
Ἀφραδέες ναίουσι, βροτῶν εἴδωλα καμόντων;

Infelix, quid majus in mente cogitasti facinus? Undenam audes ad inferos venire, ubi mortui imprudentes habitant, simulacra seu *umbrae hominum* καμόντων seu *mortuorum?* Alibi item[e] de Mercurii & comitum ad inferos aditu,

———ἵκοντο κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα,
Ἔνθά τε ναίουσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων.

Pervenerunt in asphodelorum pratum, ubi habitant animae, umbrae mortuorum. Etiam Patrocli simulacrum ad Achillem[f],

Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων,

Procul me abigunt animae, umbrae mortuorum; ubi Didymus scholiastes, Καμόντων, τῶν τεθνηκότων, *mortui voce illa denotantur.* Et Eustathius ibi, Ἑρμηνευτικόν ἐστι τοῦ ψυχαί, τὸ εἴδωλα καμόντων, καὶ ὡς ἐκ παραλλήλου ταῦτα κεῖται, τὸ ψυχαί, καὶ τὸ εἴδωλα καμόντων, *Animas* apud inferos *interpretatur simulacra* καμόντων *mortuorum, & invicem sibi pro eisdem habentur.* Sed & mitioribus & magis vulgaribus etiam in significationibus, uti aliis, usurpatur eadem vox apud Homerum alibi, nec raro; sed & in notione jam dicta etiam alibi. Scholiastes item Aristophanis, ubi[g] *aegritudine laborare* κάμνειν interpretatur, adjicit, λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀποθανόντων, *dicitur vero etiam de mortuis*, exemplo illo εἴδωλα καμόντων adducto. Plataeenses etiam in oratione supplice ad Laconas, apud Thucydidem[h], Ἱκέται γιγνόμεθα ὑμῶν τῶν πατρῴων τάφων, καὶ ἐπικαλούμεθα τοὺς κεκμηῶτας (ut in olim editis; sed depravate pro κεκμηκότας, quod etiam ex scholiaste ibi liquet, qui & ita legebat, nec aliter viri docti) *per patrum sepulcra supplicamus, etiam & invocamus ipsos mortuos.* Ubi scholiastes, τοὺς κεκμηκότας, τοὺς νεκροὺς, (adeoque κάμνοντας) *significare mortuos.* Rarissimus vocabuli usus in literis sacris; nec, fateor, illic alibi in hunc sensum. Sed & Aristoteli sic, velut vox perquam familiaris ad mortem & mortuos denotandos, adhibetur, ubi[i] de mortuis, qua felicitas sive ipsorum sive sibi superstitum amicorum consideranda erat, disputat, & postquam τεθνεῶτα & τελευτήσαντα pro *mortuo* aliquoties usurpaverat, pro eodem itidem κεκμηκότα ut synonymum adhibet. Συμβάλλεσθαι μὲν οὖν τι φαίνονται, inquit, τοῖς κεκμηκόσιν αἱ εὐπραξίαι τῶν φίλων· ὁμοίως δὲ καὶ αἱ δυσπραξίαι, *Conferre igitur quid mortuis prosperi amicorum successus videntur, uti pariter & infortunia.* Nec de significatione hac vocis illic unquam dubitatum est. Et in Juliani Augusti fragmento[k],

Οὐδ' ὅσα νερτερίων ὑπεδέξατο φῦλα καμόντων
Τάρταρος———

Neque quotquot infimorum excepit gentes mortuorum tartarus. Aliis veterum ita est usurpata. Certe inter prophetas veteres[l], uti & christianos primitivos[m], aliosque, mortuos aliquot seu κάμνοντας, saltem eos qui viderentur mortui, in vitam & sanitatem, oratione efficaci, etiam & aliter, restitutos legimus; quemadmodum & a S. Petro Tabitham resuscitatam[n], uti & a S. Paulo[o] Eutychum; id est, a Domino per eos resuscitatos. Et sensui huic sane favet illud S. Jacobi, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν (seu τὸν κάμνοντα) ὁ Κύριος, *& resuscitabit eum Dominus.* Eadem enim vox ἐγείρω, *expergefacere* & ejusmodi alia per se significans, non raro in novo foedere habetur pro *mortuum resuscitare, excitare, in vitam reducem facere.* Unde ἔγερσις in glossario *resurrectio.* Simul etiam cum infirmorum sanationis dono illo singulari, quo discipulos suos Christus dignatus est, conjungitur ab eo, νεκροὺς ἐγείρετε[p], *mortuos excitate*; & postmodum de resurrectione mortuorum, seu pro mortuis habitorum, usurpatur[q] in sensu quidem velut scripturae proprio. Et Hesychius, ἐγερεῖ, ἀναστήσει, quod resurrectionem a mortuis, aut quasi denotat. Ita *oratione* hic *fidei* etiam mortuus,

[a] Cap. ii. 19. [b] Vide Martinum Martini Hypotyposeon, lib. 5. cap. 4. Salamanticae 1565. [c] Lib. 14. Epigr. 153. [d] Odyss. Λ. [e] Odyss. Ω. [f] Iliad. Ψ. [g] Ad Thesmophoriazousas. [h] Lib. 3. [i] Ethic. Nicomach. 1. cap. 11. [k] Part. 1. pag. 548. [l] 1 Regum xvii. 22. 2 Regum iv. 34 xiii. 21. [m] Dionys. Carthusian. in sectam Machomet. lib. 4. artic. 14. alii obiter. [n] Act. ix. 40. [o] Ibid. xx. 10. [p] Matth. x. 8. [q] Ibid. xi. 5. xiv. 2. xvi. 21. xxvii. 52, 63, & 64. xxviii. 6, 7. Marc. vi. 14. xii. 26. xvi. 6. Luc. vii. 22. ix. 7. xx. 37. xxiv. 6. Act. iii. 15. iv. 10. v. 30. xiii. 30, &c.

aut

aut pro mortuo per virium defectum habitus, resuscitandus. Certe qui in presbyteros illos tribuum (ut ex Jacobi epistola liquet) duodecim, aut singulares inter eos christianismi presbyteros, sanationis tunc ejusmodi donum, adeoque in se, ex eo quod Christi discipulis ita competiit (perinde acsi ex luce solari lumina haud ei disparia sibi terrestres vendicarent) derivare fidentius solent, pari, quantum video, jure etiam & mortuorum resuscitationis facultatem tum presbyteris illis tum sibi, velut ex praestituto, tribuere possent. Et locutionis commutatio ejusmodi, ut quem ἀσθενοῦντα adeo pauculis ante verbis vocasset Jacobus, eundem jam (quasi idem undiquaque ipsum nollet) τ̄ κάμνοντα nuncupet, innuere videtur hoc aliud & gravius quidquam significare, maxime cum articulus (de cujus vi disputationes sunt obviae) adjiciatur, *ipsum etiam mortuum*, aut pro mortuo & pollincendo plane habitum. Sed nihil hic definimus: Ut perspicacius, quae attulimus, considerentur, tantum proponimus, ingeniosioribus ea libenter submittentes.

CAP. VIII.

I. *De natalibus eorum qui rite in synedrium sive magnum sive vigintitriumvirale cooptarentur.*

II. *Afferuntur nonnulla quae suadere videantur, tantum sacerdotali & Levitico generi in synedriis locum fuisse legitimum.*

III. *Expenduntur illa, & ad Talmudicorum mentem explicantur.*

IV. *Usus & mores Ebraici illam circa rem. De judicibus a Josaphato constitutis, & mira Syri & Arabis ab origine reliquisque versionibus illic discrepantia.*

DE dignitate civili singularique in synedria qualiacunque cooptandorum, id est presbyteratus, gradu qualicunque, tam per ordinationem solennem, eamque variam, conferri solito, quam per existimationem & praestantiam aliquam apud vulgus citra ordinationem ejusmodi adquisito, adeoque de Ebraeorum presbyteris omnimodis, eorum nomine diversimode tributo, & creatione, capite superiore actum est. Sequitur ut, juxta institutum, de eorum natalibus, vitae genere, & de reliquis eos ab aliis non admittendis rite discriminantibus videamus. Quod ad natales eorum spectat; cooptandi in synedrium, sive magnum sive vigintitriumvirale aliquod, debuere esse sanguine puro, sive Sacerdotes, sive Levitae, sive e reliquis qui generali nomine Israelitarum venire solent, ad excludendos proselytos etiam justitiae, nedum domicilii, Mamzeres, prophanos, libertinos, servos, ac universos horum alicujus sanguine inquinatos. Et quamvis initia sua habuisse dicitur synedrium magnum per selectionem factam e singulis tribubus, juxta superius ostensa, nihilominus, sequentibus in seculis, surrogandi in demortuorum semotorumve locos, non ita e tribubus, per sortes aliquas successionis aliterve, singulis necessario selecti erant, sed ex eis qui aliter idonei, puro, ut diximus, essent sanguine, sive sacerdotes sive Levitae, sive e reliquis tribubus quiquam. Misna de judiciis capitalibus agens [a], id est eis quae synedriis jam dictis erant propria, אין הכל כשרין לדון דיני אלא כהנים לוים ישראלים והמשיאין לכהונה *Cuncti judiciis capitalibus idonei non sunt. Illi tantum idonei qui sint sacerdotes, Levitae, Israelitae, atque ex hisce etiam ii qui adeo puro sint sanguine ut nuptiis sacerdotalibus fuerint idonei.* Et de puritate hic sanguinis, qua sacerdotum nuptias respicit, fusius alibi [b] disseruimus. Ex istis Maimonides [c], אין מעמידין בסנהדרין אלא כהנים לויים וישראלים המיוחסים הראוים להשיא לכהונה שנאמר והתיצבו שם עמך בדומין לך בחכמה וביראה וביחס : *Haud constituebant in synedriis* jam dictis *alios praeter sacerdotes, Levitas, & Israelitas genere nobilissimo* seu *sanguine purissimo, & quorum filiae legitime sacerdotibus copulari possent, juxta id quod scriptum est; Faciesque eos ibi stare tecum* (verba sunt [d] numinis ad Mosem de septuaginta collegis adsciscendis) *scilicet in sapientia, timore, genere, tibi similes.* Alii illic [e] עמך *tecum* interpretantur per מיוחסין כמותך *genere nobilissimo, qualis ipse es.* Addit ibi Maimonides, ומצוה להיות בסנהדרין גדולה כהנים ולויים שנאמר ובאת אל הכהנים הלויים ואם לא מצאו אפילו היו כולם ישראלים הרי זה מותר : *Etiam in praecepto habetur ut admittantur in synedrium magnum sacerdotes & Levitae, juxta id quod legitur* [f]*, Et accedes ad sacerdotes Levitas*, seu *Levitici generis*; quod ad synedrium magnum attinuisse inferius ostendetur. *Sed tametsi ex illis nullus ibi fuerit, sed universi collegae ex Israelitis constarent reliquis, id satis legitimum habebatur.* Sequitur enim in textu illo, ואל השופט & *ad judicem*, qualemcunque ex Israelitis puris, unde *Sepher Siphri* ibi, ואל השופט זהו שאמרנו אף על פי שאין בו כהנים ולויים כשר: *Et ad judicem; inde est quod dicimus, Etiamsi deessent ibi sacerdotes & Levitae, synedrium fuisse satis legitimum.* Summa demum est, receptissimum apud Talmudicos haberi, non minus universis, non optimo natalium puriorum jure conspicuis, sive sacerdotali sive Levitico sive Israelitico genere, praeclusum esse in synedrium tum magnum tum vigintitriumvirale quodlibet aditum, quam Israelitis qualibuscunque, quantum ad natales puris, si alia neutiquam obstarent, inter eligendum & cooptandum patuisse.

II. Injici autem hic solet scrupulus; non dico adversum illud quod de proselytis, libertinis, profanis, Mamzeribus, reliquisque haud puro sanguine Israelitis praecludendis dictum est. Nam eam in rem viget Talmudicorum expressior consensus, juxta jam allata. Neque omnino obstat, quod Semaiah & Abtalion, alter princeps synedrii, alter pater (quod & inferius apertius ostenditur) Senacheribi proselyti posteris (ut credi-

[a] Tit. *Sanhedrin*, cap. 4. Gemar. Babylon. ibi fol. 32, 1. 36, 2. & vide Alphesium, tom. 3. fol. 283. [b] De Successione in Pontificatum, lib. 1. cap. 2, 3. & in Uxore Ebraica, lib. 1. cap. 7. [c] Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. § 1. Mikotzi Praecept. Affirmat. 97. [d] Numer. xi. 16. [e] Gloss. ad tit. *Kideshim*, cap. 4. fol. 76, 2. [f] Deut. xvii. 9.

tum

x

rum est) oriundi fuerint. Nam matre nati sunt Israelitica, adeoque sanguine fuere satis hanc ad rem pro defaecato habito, nec inter proselytos censendi. Et de natalibus ejusmodi nos affatim alibi. Abraham Zacuthius [g]; *Semaiah & Abtalion* היתה אמם מישראל כדי שיוכלו לדון *ex matre erant Israelitica, adeoque fas fuit eis* in synedriis *judicare.* Sed quod ad illos spectat, temporis est haud parum inclinantis apud Ebraeos imperii. Etiam temperamenta seu exceptiones, pro locorum ac seculorum in rebus ejusmodi (quae pro arbitrio eorum qui rebus praeessent admittebantur, nec expresso juris divini praecepto aliquo nixa, aliter atque aliter se habere potuere) discrimine, non raro evenere quae regulis aliter generatim receptis refragarentur. De illis autem proselyti posteris plura inferius ubi de continuatione synedriorum agitur. Quod autem parile omnimodorum tam Israelitarum, quales diximus, quam sacerdotum Levitarumque (perinde ac si diceres in reipublicae christianae idiotismo, tam laicorum quam ecclesiasticorum) admissionis jus spectat; occurrunt nonnulla quae illud quidem impugnare videantur. Partim in sacris literis, partim apud Talmudicos aliosque Ebraeos, ac partim demum in christianorum scitis. Quod ad sacras hic literas attinet; legitur illud in Deuteronomio [h]; *Si res aliqua difficilis apud te in judicio nata fuerit,* &c. *Surges & ascendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus veniesque* אל הכהנים הלוים ואל השופט אשר יהיה בימים ההם וגו׳ id est, *ad sacerdotes Levitas & ad judicem qui erit in diebus illis, & inquires, illique indicabunt tibi verbum judicii. Et tu agere debes juxta verbum illud quod annunciaverint tibi de loco illo* (Vulgata; *& facies quodcunque dixerint qui praesunt loco) quem elegerit Dominus,* &c. *Vir autem ille qui egerit procaciter nolueritque audire sacerdotem, qui stat coram Domino Deo tuo ut ibi ministret, aut judicem, etiam morietur vir ille,* &c. De synedrio magno hic verba fieri passim sumitur [i], ubi *sacerdotes Levitae & judex* memorantur velut ii qui semper in eo locum haberent. Verba illa *ad sacerdotes Levitas* seu ut Judaei Hispanienses, *a los sacerdotes los Levitas,* Ebraeis sonant [k] אל הכהנים שיצאו משבט לוי *ad sacerdotes e tribu Levi oriundos* seu *sacerdotes Levitici generis* (ut habet Vulgata) quod & dictum volunt non aliter atque *sacerdotes filii Levi* [l] atque ideo ut sacerdotum quorum dignitas ex jure primogeniturae nata paulo ante fuerat in usu, ratio hic haberetur nulla. Sic intelligo Abenezram ubi ad hunc locum sacerdotes ait fuisse etiam qui non ex tribu Levitica. *Quam vellem indicasset eos* ait J. Drusius [m]. Similis locutio alibi [n]; *Non erit sacerdotibus Levitis & toti tribui Levitarum pars & haereditas inter Israel.* Item de plaga leprae [o], *facietis juxta omnia quae docuerint vos sacerdotes Levitae,* seu *Levitici generis,* seu τῶν Λευιτῶν *Levitarum,* seu οἱ Λευῖται quemadmodum Graeci hisce aliisque in locis [p], vertunt. Syrus autem in loco illo priore de sacerdotibus Levitis disjunctive transfert ܠܘܬ ܟܗܢܐ ܐܘ ܠܘܬ ܠܘܝܐ *ad sacerdotem aut ad Levitam.* Sed Arabs Erpenianus, الى الأئمة اللاويين *ad sacerdotes Levitas* uti aliis in locis similibus; Jaianus ad sacerdotes والى اللاويين *& ad Levitas.* Etiam eodem in libro [q]; *Stabunt ambo homines illi inter quos est controversia coram Domino in conspectu sacerdotum atque judicium qui fuerint in diebus illis.* Alibique [r], *Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Atque apud Ezekielem [s], de sacerdotibus Levitis seu Levitici generis (ubi tamen Vulgata habet *sacerdotes & Levitae)* legitur, *Et in controversia ipsi stabunt ut judicent in judiciis meis, & judicabunt ipsam.* Quibus, de sacerdotibus, dictis, id adjiciatur quod de tota ipsa tribu Levitica habetur in benedictionibus illis Mosaicis [t], יורו משפטיך ליעקב ותורתך ישראל *Ipsi docebunt Jacob judicia tua & Israel legem tuam,* ubi in Vulgata praetermittitur יורו quod τῷ *docebunt* seu δηλώσουσι, id est, *manifestabunt* aut *aperient* respondet. Jam vero ad hunc locum observanda sunt quae tum interpretes Ebraei Chaldaeique, tum Talmudici, velut sacro sermone satis indicata, adferunt. Paulo ante praecedunt ibi de Levi; *qui dixit patri suo & matri suae, non vidi eum, & fratres suos non agnovit, neque filios suos cognovit,* Onkelus ibi; *qui patris & matris suae non est misertus* כד חבו מן דינא *quando rei fuerunt judicii,* quod in paraphrasi Hierosolymitana expressim refertur ad judicium illud [v] de Thamaris ac Judae concubitu. Non quod aut hic pater aut illa mater Levi, qui plane Judae frater fuit, cui Thamar nurus: Sed perinde ac si eo in judicio Levi, veluti ante alios judiciis etiam tunc designatus, adeo prudenter atque animose se gessisset, nulla nempe personarum dignitate ab officio judicis recto deflexus, ut pro eo qui ob justitiae amorem singularem, nec matris nec patris rationem habens, merito judiciis praeficeretur. Quod adjicitur illic de *fratribus,* ad poenam qua vitulum aureum colentes a Levitis [x] afficiebantur; quod de *filiis,* ad sacram de Zimri & Cozbi a Phineeso ex ea tribu ac sacerdote hasta transfixis historiam trahunt etiam Hierosolymitani. Quod ea de re habent alii [y], qui velit, consulat. In poena autem cultus vituli, fratres intelligunt tantum uterinos; qui ita non Levitae. Nam totam aiunt tribum hanc a cultu illo abstinuisse; quod & eliciunt e sacro sermone illo. Atque e receptis de Levitarum ejusmodi sub ipsis reipublicae Ebraicae initiis judicandi tum frequentia tum integritate, pro eo quod supra e Deuteronomio citatur יורו וגו׳ *docebunt judicia tua,* substituitur apud Onkelum כשרין אילין דילפון דינך ליעקב *Digni sunt isti,* seu *ante alios idonei, qui doceant judicia tua Jacob,* & in paraphrasi Hierosolymitana, כשרין אינין דילפין סידרי דינך לדבית יעקב *Digni sunt isti qui*

[g] *Juchasin,* fol. 18. 1. & vide R. Gedaliah in *Shalshelech,* fol. 25, 2. [h] Cap. xvii. 8. [i] Abarbinel in *Pirush Tora,* fol. 363. b. & 365. b. Munster. ibid. Petr. Galatinus, lib. 4. cap 5. & Magistri passim. [k] Jarch. & Abenezra ad Deut. xvii. 8. & Paraph. Jonathani tributa [l] Deut. xxi. 5. [m] Ad difficiliora loca Deuteron. lxxvii. & vide Abenezr. ad Deut. xxi. 5. [n] Deut. xviii. 1. [o] Ibid. xxiv. 8. [p] Ezekiel. xliv. 15. Josuae viii. 33. [q] Deuter. xix. 17. [r] Malach. ii. 7. [s] Cap. xliv. 15, & 24. [t] Deuter. xxxiii. 10. [v] Genes. xxxviii. 24, &c. [x] Exod. xxxii. 26, &c. [y] Vide *Sepher Siphri,* col. 243. Jarchium ad Deuter. xxxiii. Abarbinel *Pirush Tora,* fol. 414. *Bechai,* fol. 240. col. 4. &c.

doceant

doceant ordines judiciorum domui Jacob, quemadmodum etiam in ea quae Jonathani tribuitur. Vetustus item autor[z] ibi, יורו משפטיך ליעקב מלמד שכל הוריות אינן יוצאות אלא מפיהם שנאמר ועל פיהם יהיה כל ריב וכל נגע ריב אילו ריבי פרה וריבי סוטה וריבי עגלה נגע אילו נגעי אדם ונגעי בתים ונגעי בגדים׃ *Verba illa, docebunt judicia tua Jacob, denotant universa documenta* seu *dogmata non aliunde quam ex eorum* Levitarum *ore manasse; juxta illud etiam quod scriptum est, juxta verbum* aut *os eorum*, seu *in ore eorum* (quod de *sacerdotibus filiis Levi* dicitur[a]) *erit omnis causa & omnis plaga* (id etiam in Vulgata vertitur, *Ad verbum eorum omne negotium, & quicquid mundum vel immundum est, judicetur*; a Graecis, πᾶσα ἀντιλογία καὶ πᾶσα ἁφή, Chaldaeis autem, *Ad verbum eorum sit* כל דין, id est, *omne judicium & omnis plaga leprae.* Sed ad Ebraea redimus) *Causae nomine intelligitur causa de vaccae rufae*[b] *sacrificio, causa de uxore a viro zelotypo in judicium deducta*[c], *causa de vitula decervicanda; nomine autem plagae, plagae hominis, plagae aedium, plagae vestium.* Sic ille. Alius item[d]; יורו משפטיך שיהו כל ההוראיות נתנות על פיהם כענין שנאמר ובארת אל הכהנים הלוים ואל השופט על פי התורה אשר יורוך ותורתך לישראל על פי התורה אשר יורוך׃ *Docebunt judicia tua, quoniam omnia dogmata* seu *documenta per eorum os tradita sunt, veluti in eo quod dicitur*[e], *Et venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem*, &c. *Juxta legem quam docebunt te. Etiam & per legem tuam indicatur hic illud, Juxta legem quam docebunt te.* Alibi etiam non raro, ad dignitatem sive Levitarum sive sacerdotum in judiciis singularem denotandam, verba illa benedictionis Mosaicae a Talmudicis[f] afferuntur. Adducitur huc & illud de consistorio sacerdotum sic dicto apud Philonis[g] interpretem. Josephus item adversus Molonem[h], de sacerdotibus, idque velut ex Mosaica institutione; Τούτοις δ᾽ ἦν καὶ τοῦ νόμου καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων ἀκριβὴς ἐπιμέλεια. καὶ γὰρ ἐπόπται πάντων, καὶ δικασταὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, καὶ κολασταὶ τῶν κατεγνωσμένων οἱ ἱερεῖς ἐτάχθησαν, *Apud hos autem & legis & aliorum studiorum cura fuit summa. Inspectores enim rerum omnium, atque judices dubiorum, & punitores damnatorum constituti sunt sacerdotes.* Atque ex hisce proculdubio invaluit opinio illa Mahumedanorum, septuaginta viros sive ipsos qui primum, ut superius ostenditur, Mosi ex numinis jussu, adsciti sunt, sive qui ante cum eo in montem[i] ascenderant, e tribu Levitica fuisse universos. Hos an illos innuerit impostor ille Mahumedes ubi historiam sacram de vitulo aureo, pro more suo, res & tempora discriminanda perperam confundens, interpolat, non satis liquet. Atqui ait, Mosem e monte cum tabulis descendisse, واختار موسي من قومه سبعين رجلاً *Et*[k] *elegit Moses septuaginta viros ex coetu suo*, quod explicat paraphrastes ille eximius Mahumedes Ben Achmet, ممّن لم يعبدوا العجل بامره تعالي *Ex eis qui vitulum non adorarant, ex numinis jussu.* Id ex orientalium traditionibus, est, ex tribu Levitica; cujus neminem vitulino illo cultu pollutum esse scribunt etiam Ebraei[l]. Quin & christiani sunt aliqui scriptores qui verba illa superius hoc capite ex Misna adducta, de eis quorum filiae nuptiis sacerdotalibus idoneae fuere, seu de rite in synedria, ratione natalium, cooptandis, ad hunc modum vertunt, *Animarum judicia* (capitalia) *absolvunt duntaxat sacerdotes & Levitae, necnon & sacerdotum affines Israelitae.* Ita Paulus Riccius in Epitome sua de Talmudica doctrina. Id quod etiam legitur apud D. Matthaeum, *qui dixerit fratri suo Raca*[m], ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ, *reus erit concilio* seu *synedrio* (qui locus de synedrio vigintitriumvirali a nonnullis sumitur; qua de re plura inferius) Arabice redditur, فعل وجبت عليه ايمّة الجماعة *reus erit sacerdotibus concilii* seu *synedrii.* Atque ita tam Erpeniana & Kirsteniana quam Romana editio; praeterquam quod Erpeniana habet, الايمّة uti etiam perpulcher & vetustus codex MS. Arundellianus. Jaianus autem Arabs tantum وجب عليه الحكم *reus est judicii*, & pervetustus penes me MS. يكن مستحقاً للحكم *dignus est qui judicetur.* Apud christianos etiam aliquot scriptores, omnimodum ferme imperium ac jurisdictionem (quae in exempla ac argumenta, ut fieri amat, e vetustate utcunque desumpta, sive pontifici Romano, sive etiam reformatis aliquot illum potestatis ambitione omnimodae, in *ordine ad spirituale* duntaxat interim utrisque obtensae, tantum non superantibus, inserviat) sacerdotali Ebraeorum generi adstruere satagentes, habentur alia non pauca, sed passim satis obvia, quae nunc primarium seu singularem nunc etiam solum in synedrium magnum sacerdotibus Levitisque permittunt aditum: Ea nec corrigamus nec ultra designatum imus; jam ante allata, quae promiscuae omnium, tam nempe Israelitarum, natalibus non inquinatis, quam Levitarum aut sacerdotum, in synedria admissioni ita refragari videantur, praeter reipublicae hac in re usum, fusius explicaturi.

III. Ex superius congestis liquet, tum signantius interdum *sacerdotes Levitici generis* tum ipsam tribum Leviticam interdum prae aliis memorari, veluti quibus judicia, maxime difficiliora (quae plane synedrii, ex jure ordinario, erant magni) essent peculiaria. Id vero certum est interea, tam ex usu & moribus Ebraeorum quam ex Talmudicorum qui hac de re serio, nec allusionibus aut locutionibus hyperbolicis implicati agunt, scitis, nulli tribulium editum hic esse praeclusum natalium nomine, nisi, ut dictum est, inquinato-

[z] *Sepher Siphri*, col. 243. [a] Deut. xxi. 5. [b] Numer. xix. 2. [c] Ibid. v. 15. [d] *Pesiktha Zotertha*, fol. 91. col. 4. [e] Deut. xvii. 9 & 11. [f] Vide Gemar. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 2. fol. 26. a. *Sepher Juchasin*, fol. 24. a. &c. [g] Lib. 3. de Vita Mosis. Vide supra, cap. 1. §. 8. [h] Lib. 2. advers. Apionem. [i] Exod. xxiv. 1 & 9. [k] Azoar. 6. Lat. 17. [l] Jarch. ad Exod. xxxii. 26. & Deut. xxxiii. 10. alii. [m] Cap. v. 22.

rum. Adeoque tam Iſraelitis puro ſanguine quibuſcunque quam aut ſacerdotibus aut Levitis apertum Quod ad locum illum e Deuteronomio[n] allatum attinet; priori periochae parte tam *judex* quam *ſacerdotes* nominantur, uti & poſteriori tam *ſacerdos* quam *judex*, idque disjunctive. Scilicet expreſſim, —*nolueritque audire* אל הכהן העומד לשרת שם את יהוה אלהיך או אל השופט ומות האיש ההוא *Sacerdotem qui ſtat coram Domino Deo tuo, ut ibi miniſtret, aut judicem, morietur vir ille.* Planiſſime *ſacerdotes* hic & *ſacerdos* idem videntur denotare; tametſi ſint qui de pontifice ſummo locum capiant; qua de re plura inferius. Hinc & *judex* ſingulariter uſurpatum plures itidem judices, qui non ſacerdotes, pariter deſignat; qui utrique etiam pluraliter paulo poſt in Deuteronomio[o] nominantur. Illud vero Vulgatae quod pro citatis jam e Deuteronomio verbis ſubſtituitur, nempe, *Nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis* (ſeu, ut in nonnullis editionibus quae fere evanuere *ex decreto judicis) morietur*, nihil habet in Ebraicis aliiſve verſionibus quod ſive *imperio* ſive τῷ *ex decreto* ſive *& decreto* reſpondeat. Aut ſacerdoti aut judici obediendum dicit, aut moriendum; nec amplius, ſacer ſermo. Sic Graeci, ſic caeteri; tametſi ſint viri clariſſimi, qui patres chriſtiani[p] ampliſſimam inde pontifici poteſtatem adſtructam velint, aliique aliter, ſed perperam[q] nimis, dum illis etiam adverſantur, exponant. Verum ad periocham jam dictam Jarchius, אל השופט אשר יהיה בימים ההם ואפילו אינו כשאר שופטים שהיו לפניו אתה צריך לשמוע לו אין לך אלא שופט שבימיך : *Verba illa, Ad judicem qui erit in diebus illis, innuunt, etiamſi non fuerit is inſtar judicum reliquorum qui eum anteverterant, oportere te tamen eum audire. Tibi ſufficit quod ſit judex in diebus tuis. Sepher Siphri*[r] autem, אל הכהנים הלוים מצות בית דין שיהיו בו כהנים ולוים יכול מצוה ואם אין בו יהא פסול תלמוד לומר ואל השופט אף על פי שאין בו כהנים ולוים כשר : *Verba illa, Ad ſacerdotes Levitas, oſtendunt eſſe quidem debuiſſe in ſynedrio ſacerdotes & Levitas. Forte ita eſſe debuit. At vero ſi deeſſent, ideone ſynedrium illegitimum? Nequaquam. Adjicitur, Et ad judicem. Tametſi nec ſacerdotes nec Levitae in eo locum haberent, nihilominus legitimum fuit.* Ita etiam legitur in *Peſiktha Zotertha*[s], alibique apud magiſtros, quemadmodum etiam ſuperius oſtendimus. Ubi interea obſervandum eſt, *ſacerdotes Levitas* ſeu *Levitici generis*, non Levitas pariter ac ſacerdotes, nominari, cum tamen non minus Levitas quam ſacerdotes ibi intelligi uno velint ore magiſtri. Signantius autem nominatos tum hic tum alibi, ubi de judiciis verba fiunt, ſacerdotes ac Levitas, ideo etiam docent fuiſſe quia ab occupationibus profanis prae caeteris immunes, adeoque legis ſacrae ſtudio maxime vacantes (unde & multo plures eorum quam ex aliis tribulibus juris periti ſcientiſſimique redderentur) in ſynedria cooptari prae aliis ſolebant. Nec ſolum in ipſis initiis reipublicae Ebraicae, ſed etiam poſtmodum non raro, pleroſque ſynedriorum collegas fuiſſe ſive ſacerdotes ſive Levitas. De Moſe, Aarone, Phineeſo ſub originem ſynedriorum nemo neſcit. Seculis etiam inſequentibus aiunt inde eveniſſe ut רוב הסנהדרין היו מהכהנים והלוים *pleraque ſynedriorum* ſeu *ſynedrorum pars maxima ex ſacerdotibus conſtiterit ac Levitis*; ſeu העוקר הם הכהנים *id quod in eis numeroſius erat* ſeu *principale, ſacerdotes fuerint.* Sic expreſſim Maimonides[t], Abraham Zacuthius[v], Abarbinel[x], alii. Inde etiam interpretantur iidem illud, *docebunt judicia tua Jacob*, de tribu Levitica tota dictum; non perinde ac ſi Levitis ſolis verbis illis judiciorum poteſtas tribueretur, ſed ideo in benedictionibus Moſaicis uſurpatum, quia tribus illa, ob dictas jam cauſas, judiciis erat omnimodis foretque prae aliis idonea: Neque ex jure aliquo quod a ſynedriis tribus caeteras excluderet, ſed ex juris diſcendi opportunitate, atque occupationum aliarum vacatione. Abarbinel[y] ad locum illum, ראוי הוא שיורו משפטיך ליעקב ותורתך לישראל ועל פיהם יהיה כל ריב וכל נגע *Digna eſt tribus Levitica quae doceret judicia tua Jacob, & legem tuam Iſrael, & ſecundum verbum ejus* ſeu *os ejus* ſeu *in ore ejus ſit omnis cauſa & omnis plaga.* Quae verba poſteriora, ex ſacro textu[z] ante citato ſumpta, non ad omnimodam ſimpliciter cauſam, ſeu litem forenſem qua forenſis erat, attinuiſſe plerumque volunt, ſed aut ad cauſas generatim, qua ſive benedictionis ſive maledictionis carmen, ſive, ut interdum, ſacerdotis praeſentia, ſive illius ac Levitarum in expiando officium (quo quidem cauſae fere omnimodae opus erat) adhibebatur, aut potius ad tales qualis eſt illa in qua verba ea uſurpantur, id eſt, cauſa vitulae decervicandae, veluti ad vaccae rufae ſacrificium, examen uxoris ſuſpectae per aquas amaras, leprae, alias aliquot. Neque in ipſo vitulae decervicandae ritu aliud praeter expiationis carmen a ſacerdotibus praeſtandum erat, caeteris, presbyteris & ſynedris omnino relictis, ut libro oſtenditur tertio. Certe Abenezra interpretatur locum illum per ענש כל ריב וכל נגע *poena* ſeu *condemnatio cujuſque cauſae & cujuſque plagae*; quod de forenſi judicio ſumptum doctrinae Talmudicae omnimodo adverſatur. Neque ſane, ſi aliter ac dictum eſt verba illa intelligamus, ſine ſacerdotibus ac Levitis, imo nec ab aliis praeter eos, decidi poterat cauſa, lis, ſeu controverſia qualiſcunque. Dignam igitur benedictionis elogio pronunciavit tribum illam, id eſt ſuam, Moſes, e qua prae aliis ſeligerentur qui judicia exercerent omnimoda, nulli tamen tribuum reliquarum in ſynedria aditum praecludens. Unde & a Chaldaeis & Hieroſolymitanis Levitae ibi dicuntur כשרין *idonei* judiciis, id eſt, prae caeteris non pariter ſtudio legis vacantibus idonei. Quin & Gemara Babylonia non ita diverſum eſſe ejuſdem loci ſenſum oſtendit, ubi ex aliis ſacri ſermonis locis alias etiam cum hac tribus commiſcet e quibus juriſperiti maxime eſſent exſpectandi, Verba ſunt[a]; אמר רבא לא משכחת צורבא מרבנן דמורי אלא האתי

[n] Cap. xvii. 8. [o] Deut. xix. 17. [p] Bellarmin. de Verbo Dei, lib. 3. cap. 4. & de Romano Pontifice, lib. 4 cap. 1. & Colloq. Rainoldi & Harti, cap 6. §. 2, &c. [q] Antonius Spalatenſis de Repub. Eccleſ. lib. 1. cap. 12. Sed bene de hoc loco Sixtinus Amama in Antibarbaro Biblico, lib. 2. pag. 588. Et de eo plura in ſequentibus. [r] Fol. 45. col. 178. [s] Fol. 76. col. 2. [t] Tract. *Sanhedrin*, cap. 2, &c. [v] *Sepher Juchaſin*, fol. 24. b. [x] *Piruſh Tora*, fol. 366. col. 2. vide Maimonid. *More Nebochim*, part. 3. cap. 39. [y] *Piruſh Tora*, fol. 414. col. 2. [z] Deut. xxi. 5. [a] Gem. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 2. fol. 26. a.

משבט

משבט לוי או משבט יששכר לוי דכתיב יורו משפטיך ליעקב יששכר יודעי בינה לעיתים לדעת מה יעשה ישראל ואימא יהודה נמי דכתיב יהודה מחוקקי : *Dixit Rabba, Neutiquam reperiri sapientum alumnos qui rebus decernendis* prae aliis *idonei essent, nisi ex tribu Levi, aut ex tribu Issacar*; *quoniam scriptum est de Levi, Docebunt*[b] *judicia tua Jacob*; *& de Issacar*[c], *Habebant cognitionem & intelligentiam temporum, ut scirent* (seu, ut Vulgata, *ad praecipiendum) quid faciendum esset Israeli. Quin & recte adjicienda tribus Judae, de qua scriptum est*[d], *Juda legislator meus.* Ubi tam Vulgata quam Graeca versio, *Juda rex meus.* Hic tribus Judae, Levi, Issacar, simul eodem juris scientiae, ex sacri sermonis mente, ut vult Rabba, nomine conjunctas habemus. Et de Issacaritis D. Hieronymus[e] ab Ebraeis edoctus; *Ipsi*, inquit, *erant doctores, computatores & magistri, sive ad festivitates celebrandas, sive ad caetera.* Subjungitur demum in jam dicta Gemara (ne ex jure nimirum aliquo eis singulari, quod tribueret autoritatem qua prae caeteris pollere viderentur, hoc dictum acciperetur) id eis, quatenus tribules studio juris promiscue incumbentes esse intelliguntur, ita competiisse ut tantum juxta הילכתא *mores, ritus, sancita prius recepta* decernerent, nihil omnino ex autoritatis obtentu innovando: Seu, ut habent interpretes[f], להורות כהלכה וכדת *ad decernendum juxta sententiam & morem receptum.* Adeo ut magistri ex eis prodeuntes, utcunque numerosiores aliis qui ex caeteris tribubus prodirent non ita frequentes, non magis autoritate aut praerogativa aliqua decernendi tribus ratione antecellerent quam aut Sextus Papirius aut Cneius Flavius caeterarum Romae tribuum jurisconsultis, quando aut hic jus civile Flavianum[g] aut ille jus civile Papirianum composuit. Neuter de suo quicquam aut adjecit aut adjicere rite potuit. Papirius pristinas leges, Flavius actiones legitimas congessit ediditque. Eae non ab editorum autoritate, sed a pristino solum more vim obtinuere; nulli tribulium tantundem praestitisse non permisso. Quod vero e Philone de *consistorio sacerdotum*, memoratum est, interpretis ejus cum Graecis conjuncti est vitium; qua de re etiam supra[h] monuimus. Melius multo vertit Petrus Franciscus Zinus[i], *Comprehensum adducunt ad principem cui sacerdotes assidebant*, &c. Josephi (qui & ipse sacerdos) locus cum illis Deuteronomii de sacerdotibus Levitici generis superius memoratis atque ad Talmudicorum mentem explicatis comparatus haud quidquam ab eis diversum asserit. Et dubitari nequit quin is temporis sui sacerdotibus, qui adeo tunc variatim, etiam per Romanos, praefuissent, etiam & sibi sacerdoti verbis in illis indulgentior fuerit. Versio autem illa Pauli Riccii quae *sacerdotibus & Levitis & sacerdotum affinibus Israelitis* tantum permittit judicia capitalia, adeoque locum in synedrio, sive magno sive vigintitriumvirali aliquo, insignis hallucinationis partus est, alibique, quantum scio, inauditus. Verum quidem est, verba illa Misnae[k] superius[l] allata וישראלים המשיאין לכהונה verti posse, *& Israelitis qui collocant filias suas in matrimonium sacerdotibus*, seu *generi sacerdotali.* Unde etiam illud quod habet Riccius de affinibus manavit: Sed non sine summa ejus incogitantia. Temere enim, non sensum aut vim vocabuli השיא hac in re apud jurisconsultos receptissimam sed tantum grammaticalem amplexus, de eis qui filiarum nuptiis affinitatem cum sacerdotibus jam contraxerant locum capiendum duxit; cum uno magistri ore pronuncient eos intelligi universos quorum, ob sanguinis seu generis puritatem, filiae rite sacerdotibus poterant collocari, tametsi nullam hactenus cum eis ejusmodi contraxissent affinitatem. Unde & Glossa ibi Talmudica[m]; וישראל המשיאין לכהונה המיוחסין וראויין להשיא בנותיו לכהנים *Verbis illis, Et Israelitas qui collocant* seu *nuptui tradunt sacerdotali generi, eos designant qui sunt nobilitatis primariae ac defaecatissimae, adeoque eos qui rite collocare possunt*, seu *digni sunt qui collocent, filias suas sacerdotibus.* Atque vis eorum haud alia est quam ut fieret בית דין מיוחסין *synedrium ex viris stirpis nobilissimae*, quemadmodum Obadias Bartenorius[n]. Idem magistri passim. Quod ad Arabicam versionem attinet, qua *synedrium* in D. Matthaeo nuncupatur *sacerdotes concilii* seu *congregationis*; id ad seculum illud Christi, quo omnimoda ferme quae Judaeis permissa est potestas penes sacerdotes reperitur spectat; qua de re etiam alibi[o] satis diximus. Et an synedrium aliquod apud Ebraeos forense ibi intelligendum, inferius videbitur.

IV. Ut de scitis seu sententiis quae ad sacerdotes ac Levitas hic apud Ebraeos attinent, jam ante diximus (unde satis, opinor, liquet praerogativae jus ejusmodi illis neutiquam omnino fuisse ullum quo ii soli in synedria ac judicia admitti deberent) ita etiam de usu moribusque hac in re reipublicae Ebraicae paucis est videndum. Usus ille ac mores apprime jam dictis conveniunt. Initia ipsa synedrii magni satis ex supra ostensis manifesta sunt, unde constat collegas ejusdem ex singulis tribubus sorte parili selectos esse, idque tam jussu divino, quo nihil de sacerdotibus continetur, quam actu circa eosdem Mosaico. Sequentibus in seculis, quae exempli illius summi observantiora semper fuere, idem servatum esse, difficile non est etiam persuasissimum habere ex eo quod legimus tum de principibus ac omnimodorum judiciorum praefectis supremis apud Ebraeos, antequam dignitas regia in Davide tribus Judae, qui ad posteros suos successione diutina eam transmittebat, fixa est, tum de caeteris qui in republica variatim instaurata praefuere. Proximus Mosi successor erat Josua; cui Israelitae ipsi[p], *Omnia quae praecepisti nobis faciemus, & quocunque miseris ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Mosi, ita obediemus & tibi. Tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Mose. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus quos praeceperis ei, moriatur. Tantum age fortiter & strenue*, seu, ut Vulgata, *tu tantum confortare, & viriliter age*, quae

[b] Deuter. xxxiii. 10. [c] 1 Paralip. xii. 32. [d] Psalm. lx. 7. & cviii. 8. [e] Tradit. Hebraic. ad 1 Paralip. xii. [f] Gloss. ad Gem. citat. & *Ain Israel*, tom. 1. fol. 102. b. col. 3. [g] L. 2. D. de Origine Juris. [h] Cap. 1. §. 8. [i] In exemplis tribus, Naturae, Legis & Gratiae. [k] Tit. *Sanhedrin*, cap 4. [l] §. 1. [m] Talmud. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 32. a. [n] Ad Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 4. §. 2. [o] Lib. 1. de Successione in Pontificatum Ebr. cap. 2. [p] Josuae i. 16.

verba

verba postrema Ebraice sonant רק חזק ואמץ. Illis autem (nam obiter id adnotare intempestivum non est) innui volunt Talmudici temperamentum eximium verbis praecedentibus adjectum, quo scilicet intra legis sacrae cancellos coerceretur amplissima illa potestas generatim in Josua agnita. Rabbi Levi Ben Gersom ibi; רק חזק ואמץ דרשו ר"ל יומת יכול אפילו לדבר עבירה ת"ל רק אכין ורקין מיעוטין הן: *Tantum age fortiter & strenue. Interpretantur illud, moriatur, Rabbini nostri P. M. ad hunc modum: Nonne fieri etiam potest ut de re legi adversa mandatum fiat? Sed observandum est vocabulum* רק seu *tantum. Tantummodo & duntaxat verba sunt minuentia* seu *restringentia*, sententiam nempe praecedentem; velut exceptiones seu clausulae derogatoriae. Et diserte sic Gemara Babylonia[q], aliique. Nam ex hoc loco eos qui jussa principum legi sacrae adversa detrectabant, ejusmodi fuisse aiunt qui observabant, aut in animis insidentia habebant, verba illa רקין ואכן *tantummodo & duntaxat*, id est exceptiones, ut volebant, potestati generatim sive agnitae sive concessae adjectas. Certe eadem ipsissima vocabula quae ad Josuam in fine allatae periochae usurpabat populus, non semel a numine ei ante memorantur [r], praetermisso verbo רק seu *tantum*. Sed de officio juxta legem sacram praestando semper accipiuntur a magistris. Manifestum autem est Josuam jam principem factum non aliter atque Mosem, qui ex tribu quidem Levitica: At Josuam ex Ephraimitica tribu oriundum [s] scimus. Si autem synedrii magni adeoque aliorum etiam principes ipsi aliis e tribubus aevo succedaneo surrogarentur, non est omnino cur de caeteris collegis dubitemus. Sed de synedriorum principibus, qua ad hanc rem genus eorum attineat, plura inferius, ubi de synedriorum continuatione agimus. Inprimis autem est hic observandum illud de Jehosaphato rege. Res notissima est. Sed animadvertunt Ebraei, illum, dum legem sacram, ut rempublicam corruptissimam emendaret, totus evolvebat, de lucis diis gentium sacratis primario cogitasse, eosque [t] excidisse, juxta id quod scriptum est [v], *Non plantabis lucum & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.* Ex lege autem de judicibus constituendis ac judiciis juste pureque exercendis, ibi proxime [x] antecedente, ansam illum arripuisse errores ac corruptelas corrigendi, defectusque supplendi, qui circa tribunalia per urbes regni sui pullulaverant, atque inde evenisse quod testatur de eo scriptura [y]; *Constituitque judices terrae in omnibus civitatibus Juda munitis, & in singulis urbibus. Et ait ad judices, Videte quid agatis. Non enim pro homine sed pro Domino judicia decernitis. Et is cum vobis in causa judicii* (sic ex Ebraeorum mente [z] locus ille vertitur; qui in Vulgata est, *& quodcunque judicaveritis in vos redundabit*, atque apud Graecos, καὶ μεθ' ὑμῶν λόγοι τῆς κρίσεως, *& cum vobis causae judicii.) Nunc igitur sit pavor Domini super vos, cavete, & agite; quoniam non est perversitas aliqua apud Dominum Deum nostrum; nec personarum acceptio, nec munerum. Sed & Hierosolymis constituit Jehosaphat* מן הלוים והכהנים ומראשי אבות id est, *ex Levitis & sacerdotibus & ex principibus familiarum Israel, (patriarchae* vocantur hi Graecis, & *cabeceras de los padres de Israel* Judaeis Hispaniensibus, quod verbis Ebraeis ad amussim respondet) *ad judicium Domini & ad controversias. Et reversi sunt Hierosolyma* (seu *Hierosolyma accesserunt,)* judices scilicet illic & per urbes reliquas sic constituti ut monita & mandata regia expressiora ibi acciperent; ubi sensu continuo, puto, tum Graeci tum Vulgatae autor legerunt ליושבי ירושלם, quod respondet versionibus illis quae habent hic *habitantibus Jerusalem*, pro eo quod in libris quibus utimur est וישבו ירושלם, quod a praecedentibus distinctum eorum qui passim constituti sunt Hierosolymis conventum, juxta id quod vertimus, designare videtur; Judaei Hispanienses, *y tornaronse en Terusalaim*; Gallica versio, *car on revenoit en Jerusalem*; Itala nupera, *e si ricorreva en Jerusalem*; Sed Anglica, **when they returned to Jerusalem**; uti aliae aliquot; Syrus והפך ܘܗܦܟ *& reversus est Hierosolyma*, quasi de Jehosaphato revertente tantum verba fierent; nec aliter Arabs

ورجع الي يروشليم وامرهم *& reversus est Hierosolymam*; *& praecepit eis* (ita enim pergit sacer sermo) *praecepit autem eis, dicens, Sic facietis in timore Domini, in veritate & corde perfecto. Omnis causa quae venerit ad vos de fratribus vestris habitantibus in civitatibus suis, inter sanguinem & sanguinem, inter legem & praeceptum, inter statuta & judicia* (Vulgata, *inter cognationem & cognationem, ubicunque quaestio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus) monebitis eos ut non delinquant contra Dominum, ne veniat ira super vos & super fratres vestros. Sic ergo agentes non peccabitis. Enimvero Amarias* כהן הראש עליכם *sacerdos supra* aut *primarius apud vos* (Graeci ὁ ἱερεὺς ἡγούμενος ἐφ' ὑμᾶς, *sacerdos dux super vos*; Judaei Hispanienses, *Amariahu sacerdote & mayoral sobra vos*; Lutherus, **Amaria der Priest ist der oberst uber euch**; Et versio apud nos Episcopalis dicta, **Amariah the priest shall be the chief over you**, quasi de sacerdote sic simpliciter dicto, nec de summo seu pontifice maximo capi deberet; quem tamen ibi intelligunt Ebraeorum nonnulli [a] pro eodem qui Azariah dictus pontifex erat summus: Atque ita sane sub reformationis Henricianae apud nos tempora versio publica erat, **Amariah the hye prest is among you**, juxta quod etiam illa sub Jacobo rege recognita & correcta, **Amariah the chief priest is over you**; Galli, *Amariah le principal sacrificateur sera par dessus vous*: Et cum Belgica vetustior habeat, **Amarja de priester is de overste over ulieden**, quod primo hic allatis est consonum; nuper substituit, **Amaria de Hooft-priester is over u** (ubi in notulis asseritur inde, ut indubitatum, jurisdictio per se spiritualis ut ab ea quae est civilis plane distinguenda; quod Ebraeis & scholae Talmudicae inauditum; Italus item nuperus, *il summo sacerdote Amaria sara presidente fra voi*; Etiam Vulgata, *Sacerdos & pontifex vester*; Unde

[q] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 6. fol. 49. a. adde Jarchium ad 2 Samuel. xx. 4. & ad dict. Gemaram & D. Kimchium ad 1 Reg. ii. 31.
[r] Deut. xxxi. 23. & Josuae i. 6. [s] 1 Paralip. vii. 27. [t] 2 Paralip. xix. 3. ibi Jarchius. [v] Deuter. xvi. 21.
[x] Ibid. comm. 18. [y] 2 Paralip. xix. 5. [z] Judaei Hispanienses ib. & R. D. Kimchi. [a] Jarch. ad 1 Paralipom. cap. 6. & videsis lib. nostr. 1. de Successionibus in Pontificatum, cap. 5.

Duacenses, the priest and your bishop) לכל דבר יהוה *in omni re* seu *negotio Domini*, & *Zebadiah filius Ismael princeps domus Judae* לכל דבר המלך *in omni re* seu *negotio regis* (Graeci, πρὸς πάντα λόγον τοῦ βασιλέως quod τῷ דבר respondet; sed Vulgata, *super ea opera erit quae ad regis officium pertinent*; unde & Duacenses, over those works which pertain to the king's office) ושוטרים הלוים לפניכם & *ministri in exsecutionem forensem praefecti* (Judaei Hispanienses *alguaziles*; ubi Graeci, γραμματεῖς, Vulgata, *magistri) sint Levitae coram vobis. Confortamini igitur, & viriliter agite, & erit Dominus cum eo qui egerit bonum.* Et Josephus hac de re Josaphatum ait [b] constituisse generatim δικαστὰς ἐν ἑκάστῃ πόλει τῆς βασιλευομένων ὑπ' αὐτοῦ, *in civitate* seu *oppido quolibet ditionis suae*; adjecto, ὑπέστρεψεν εἰς Ἱεροσόλυμα, *reversus est Hierosolyma.* Et dein, Κατέστησε δὲ ἐν ταύτῃ κριτὰς ἐκ τῶν ἱερέων, καὶ ἐκ τῶν Λευιτῶν καὶ τῶν τὰ πρῶτα τοῦ πλήθους φερομένων, παραινέσας ἐπιμελῶς καὶ δικαίως ποιεῖσθαι πάσας μὲν τὰς κρίσεις, *Illic* Hierosolymis *constituit judices ex sacerdotibus, & ex Levitis, & ex eis qui primas apud populum tenuere*; *monuitque eos ut accurate & juste in judiciis cunctis se gererent.* Et paulo post, Ἄρχοντας δ' αὐτῶν ἀποδείκνυσιν Ἀμασίαν τὸν ἱερέα, καὶ Ζαβαδίαν ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς ἑταίρους, *Horum autem principes* (Genebrardus, *praesidens soverains) constituit Amasiam* (pro *Amariam) sacerdotem, & Zabadiam ex tribu Juda, qui ex amicis ei summis.* Idem alibi [c] de rege eodem, Συγκαλέσας τοὺς ἡγεμόνας καὶ τοὺς ἱερεῖς τῆς χώρας ἐκέλευε τὴν γῆν περιελθόντας, ἅπαντα τὸν λαὸν τὸν περὶ αὐτὸν διδάξαι κατὰ πόλεις τοὺς Μωυσέως νόμους, &c. *Convocatis principibus & sacerdotibus* (non magis his quam illis) *regionis illius, praecepit illos perlustrare terram, & populum universum passim docere Mosis legem*, &c. quod ad judicia etiam constituenda spectare nemo, puto, dubitat. Manifestius nihil est quam regem hunc optimum, mores avitos instaurantem, non solum e sacerdotibus seu tribu Levitica, sed ex aliis etiam familiarum principibus seu patriarchis, judices etiam & judices generatim, qui in synedria ut alia, ita & in Hierosolymitana, adeoque in magnum, cooptandi essent, selegisse. Id quod in ipsis verbis sacris satis apertum est, atque ex eis quae leguntur in Jeremia propheta sub initiis Jehoiakimi filii Josiae, Judaeae regis, haud parum firmatur, ad alia tempora itidem attinuisse; saltem si quaestio illa de ultimo supplicio prophetae infligendo ex formula forensi fiebat, ut & putant viri docti [d] & res ipsa, ni fallor, exigit. Synedrium haberi videtur, & dissensus forensis, atque velut senatorum discessio, ubi legitur [e], *Audientes principes Jehuda verba, ascenderunt de domo regis in domum Domini* (ibi locus ferme synedrii magni monstratur) *sederuntque in ostio portae Domini novae* (portae orientalis, ut habet ibi Jonathan paraphrastes) *dixeruntque sacerdotes & prophetae (pseudoprophetae*, Graeci; uti & Syrus, & Arabs; ספריא seu *scribae*, Chaldaeus) *ad principes & ad cunctum populum, loquentes, judicium mortis est viro huic, quoniam prophetat contra civitatem istam, sicut auribus vestris audivistis.* Quo dicto, atque a Jeremia ostenso se a Domino ut prophetaret missum, adjectoque ipsum se eorum arbitrio omnino permittere, *dixerunt principes atque cunctus populus ad sacerdotes & ad prophetas, Non est viro huic judicium mortis, quoniam locutus est nobis in nomine Domini Dei nostri?* Afferuntur etiam ibi statim a senioribus seu conventus collegis exempla ac decisiones pristinae de prophetis ejusmodi non ita punitis. Certe & pseudoprophetae, qualem hunc voluere esse sacerdotes, judicium ad synedrium magnum duntaxat attinuisse receptissimum est apud Talmudicos, ut libro ostenditur tertio. In eo igitur etiam principes alios seu seniores praeter sacerdotes locum habuisse etiam hinc dignoscendum. Certe & vero proximat quod de Josaphato illo tradit vir maximus Hugo Grotius [f], *Constat tam inter Hebraeos quam inter recentiores interpretes a Josaphato rege restituta fuisse judicia ad vetus instar*, seu juxta morem ex disciplina, qualem diximus, & quam ibi ille pluribus explicat, receptum. Et verborum illorum e Deuteronomio de sacerdote & judice superius allatorum haec videtur ei esse sententia; *Cum sacerdotes opimo fruentes otio omnibus sapientiae partibus praeter caeteros operam darent, aequum erat ex horum numero aliquammultos allegi in ordinem illum, cui jam suprema etiam judicia credita fuisse diximus: quanquam neminem fuisse qui originis* sacerdotalis *dignitate eum locum sibi posset vendicare scripsit Maimonides, atque adeo ne pontificem quidem maximum eo adlectum nisi de sapientia ipsius probe constaret: quam in rem instituta erat* δοκιμασία, *quae manuum impositione* (id est ordinatione solenni superius ostensa) *obsignabatur. Sed, ut dixi, florentibus Hebraeorum rebus, fieri aliter non poterat quin in sacerdotum classe plurimi reperirentur digni eo loco. His addebantur alii qui in aliis tribubus doctrina & sanctimonia eminebant. Ita enim vox* ראשי *(principes praecipui) accipienda videtur* 2 *Paralip.* xix. 8. Unde rectissime etiam quasi infert, omnimoda judicia pro synedriorum discrimine pariter ad alios cooptatos atque ad sacerdotes ac Levitas attinuisse, adeoque nec in synedriis ordinariis fuisse ullum ex sacerdotali aut Levitico genere tantum constans, nec causas qua forenses ullas ad solos aliquos sacerdotes aut Levitas spectasse. *Esdras*, inquit, *aut quisquis est Paralipomenon scriptor, primum narrat ab optimo rege constitutos judices civitatum, suique officii admonitos. Tum pergens*, At Hierosolymis, *inquit (nempe in urbe publicorum conventuum, ut lex jubebat)* constituit Josaphat e Levitis & sacerdotibus *(quia inter eos, ut diximus, maximam hominum peritorum copiam erat reperire)* & ex praecipuis Israeliticarum gentium ad judicia Dei & ad lites, qui redierunt Hierosolyma. Judicia Dei, *ex notissimo Hebraismo, judicia significat quae non humano arbitratu, sed ex legis jussu peragenda sunt. Sequitur in historia*, Praecepit autem eis, &c. juxta superius e Paralipomenis citata. Et tunc inquit, *Ecce quam aperte omnes illos quos Hierosolymis constituerat, de omni causarum genere vult cognoscere.* Quod itidem puto de synedriis plane reliquis, pro eorum discrimine, eum

[b] Lib. 9. cap 1. [c] Lib. 8. cap. 9. [d] Sigonius de Repub. Hebraeor. lib. 6. cap. 7. videsis Bertram. de Polit. Jud. cap. 11. [e] Jeremiae xxvi. 10. [f] Ad Matth. v. 22.

intellexisse. Adjicit dein, *Neque his obstat quod sequitur, Enimvero Amarias sacerdos,* &c. (secundum superius inde allata de Amaria & Zabadia) *Nam primum hinc quoque apparet, in eodem senatu fuisse agitatas res Dei, id est legis, & res regias: ei autem senatui interfuisse & Amariam, sive is pontifex maximus sive alius sacerdos fuerit* (neque enim ea de re satis constat) *& Sabadiam. Neque posse per* Dei negotia *res solis sacerdotibus mandatas intelligi palam est ex altero ejus historiae loco, ubi Hebronitae quidam narrantur a Davide praefecti partibus Rubenis, Gadis & Manassis, impositique omni negotio tum Dei tum regis* (ubi [g] scilicet dicitur Davidem *constituisse super Rubenitas, Gaditas & super dimidiam tribum Manasse,* לכל דבר האלהים ודבר המלך *pro omni re, negotio, ministerio Dei, & re,* &c. *regis*, eadem ipsa locutionis sacrae utrobique formula adhibita) *solebant ergo* (ita pergit Grotius) *utriusque generis negotia, tum judiciorum tum deliberationum politicarum, a senatu tractari. Sed nimirum haec est dicti loci παράφρασις. Nolite animum despondere quasi pares non sitis tanto oneri, inopia eruditionis quae ad res tantas desideretur. Habetis viros egregios qui vobis consilio praelucere possint: qualis est princeps vestri senatus Amarias sacerdos, vir in judiciis versatissimus: quod si quid inciderit ad civilem magis prudentiam quam ad juris cognitionem pertinens, adest vobis Sabadias Ismaelides, qui in eo deliberandi genere primas obtinet: deinde habetis assessores Levitas multarum artium peritia excellentes. Tantum bene animati este, & aequo bonoque operam date. Deus caetera secundabit. Videtur omnino Sabadias fuisse princeps senatus* (non ex genere hieratico, sed tribu Judae) *nam vocem* נגיד *Hebraei per* נשיא *exponunt. Ita autem constat appellatum senatus principem.* Sic ille [h]. Tam Amariam sacerdotem quam Sabadiam *principem senatus* appellat: Sed hunc, puto, ut revera נשיא sic dici solitum, illum ut primarium, ob singularem juris scientiam, synedrii collegam. Sed alii hic obiter rem aliter intelligunt & diversimode. Praeterire autem visum non est, comma illud ultimum capitis decimi noni secundi Paralipomenon, in quo mentio Amariae sacerdotis, apud Syrum & Arabem haud parum discrepare a codicibus Ebraeis, Graecis, Latinis, eorumque sequacibus. Neque Amarias, nec quidem Zebadias ille Ismaelides, ab eis illic memoratur, sed generatim *sacerdotes*, & *Zecharias filius Semaia*, idque ita quasi, non obstante quod ante de judiciorum ratione constituta cuique, opinor, satis est manifestum, judiciorum ex lege pendentium, saltem non ad regem attinentium, summa ad sacerdotes illos solos nec aliquos reliquarum tribuum alios ibi spectaret. Syri ibi verba sunt,

ܗܐ ܐܩܝܡܬ ܠܟܘܢ ܟܗܢܐ ܕܢܕܘܢܘܢ ܕܝܢܐ
ܕܩܘܫܬܐ ܘܕܝܢܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܐܝܟ ܦܘܩܕܢܗ
ܕܡܪܝܐ ܘܙܟܪܝܐ ܒܪ ܫܡܥܝܐ ܓܠܐ ܠܟܠܗܘܢ
ܕܒܝܬ ܝܗܘܕܐ ܟܠܗܘܢ ܦܘܩܕܢܘܗܝ ܕܡܠܟܐ
ܘܓܠܐ ܠܣܦܪܐ ܘܠܠܘܝܐ ܟܠܗ ܐܠܦ ܩܕܡܝܗܘܢ
ܘܐܡܪ ܠܗܘܢ ܐܬܚܝܠܘ ܘܥܒܕܘ
ܘܢܗܘܐ ܡܪܝܐ ܡܥܕܪܢܟܘܢ ܠܥܠܡ

id est, *Ecce praeposui vobis sacerdotes, qui judicent judicium verum & judicium fidele juxta praeceptum Domini. Et Zacharias filius Semaiah patefecit* (seu *exposuit) omnibus domus Judae cuncta imperata regis; patefecit quoque Scribis ac Levitis. Omnia docuit in praesentia eorum, & dixit eis, fortes estote, & facite; & Dominus perpetuo sit in auxilium vestrum.* Neque aliter ferme Arabs;

وهاندا قد اقمت عليكم كهنة ليدينوا
دينونة الحق بالامانة كما امر الرب وزخريا
بن شمعيا اوري لساير الاحابر واللاويين كل
شي وقال اشتدوا واعملوا ويكون الله
معينكم الي الابد

Et ecce constitui vobis sacerdotes, ut judicent judicium verum fideliter, quemadmodum praecepit dominus. Et Zacharias filius Semaia declaravit reliquis sacerdotibus (neque enim hic mentio Judaeorum, ut in Syro) *ac Levitis, & dixit, forti animo estote, & agite; eritque Deus adjutor vester in perpetuum.* Mira hic ab aliis codicibus & origine ipsa discrepantia; quae sane genios etiam orientales in sacerdotalis circa judicia potestatis non singularis tantum sed veluti solae assertionem pronius inclinantes sapit. Frequentia autem illa insignis etiam in novo foedere mentionis seniorum, Scribarum, Pharisaeorum, cum sacerdotibus, principibusque sacerdotum in synedriis ac conventibus tunc qualibuscunque juridicis, idem quod de sacerdotibus & Levitis locum illic prae aliis saepius occupantibus ante dictum est, firmat. Etiam sacerdotum & numerus & imperium reliquos, pro rerum tunc statu ac facie, quae juxta seculorum diversitatem, ut fieri assolet, mutabat, haud parum antecellebat. Alia huc referenda erunt quae infra occurrent, ubi de principibus seu praesidibus ac patribus synedriorum agitur. Et demum concludendum est tam ex aliis tribubus quam ex Levitica seligi seu cooptari solitos esse synedriorum collegas, quod cum plures etiam christiani scriptores [i] doctissimi studiosorum manibus passim triti, iique nominis celeberrimi, asserant, actum ultra agere supersedemus.

[g] 1 Paralip. xxvi. 32. [h] Sed & Consulas Claudium Salmasium in Apparatu ad part. 1. de Primatu Papae, pag. 302.
[i] Bertram de Polit. Judaic. cap. 11. Sigon. de Repub. Hebraic. lib. 6. cap. 7. Isaac. Casaubon. Exercit. in Baronium 13. §. 4. Petr. Cunaeus de Repub. Hebraeorum, lib. 1. cap. 12. alii.

CAP.

CAP. IX.

I. *De cooptandorum in synedrium sive magnum sive vigintitriumvirale aliquod scientia singulari. Prodigiosum quod habent Talmudici de linguarum septuaginta peritia in eis exigenda.*

II. *De linguarum artiumque aliarum apud Ebraeos studiis vetitis, admissis, usitatis.*

III. *Sententia eorum qui binario aliterque augent numerum illum linguarum apud Ebraeos septuagenarium.*

IV. *De jure liberorum, eunuchismo, corporis animique habitu, aetate, fortunae bonis, quorum in cooptatione synedrorum solennis consideratio.*

V. *Vitae seu morum genera quibus si assuetiores essent inidonei reddebantur, ut aleatores, foeneratores, columbas volare docentes, septimi anni frugum mercatores.*

VI. *De cooptandorum in triumvirales consessus, saltem publicos, qualitatibus necessariis.*

VII. *De regibus in synedria non cooptandis. Obiter de pontifice maximo nonnihil.*

QUOD ad scientiam in synedrium sive magnum sive triumvirale aliquod cooptandorum singularem attinet, id est eam quam, ut videtur, etiam qua fieri posset, nemini in dignitatem seu presbyteratum facultatis judiciariae in synedrio aliquo publico exercendae evehendo carendam voluere; praeter eam quae juris erat Mosaici tam scripti quam ore traditi, volebant quidem ut artium aliarum, maxime quarum in judiciis rite discernendis usus posset esse necessarius, callentiores essent; imo & magiae, veneficii, artiumque praestigiatricium, quarum nomine in jus vocari possent qui eis per nefas uterentur, imo & linguarum septuaginta. Quod itidem, uti & reliqua de cooptandorum qualitatibus inferius allata, proculdubio spectabant pariter ad vigintitriumvirales, in synedriorum vigintitriumviralium area, ordines illos tres considentes, de quibus superius. Nam pro re nata inde in synedriorum collegium cooptabantur, quos ideo necessarium erat, qualitatibus etiam, cooptandis haud esse dissimiles. Rabbi Jochanan in Gemara Babylonia[k], אין מושיבין בסנהדרי אלא בעלי קומה ובעלי חכמה ובעלי מראה ובעלי זקנה ובעלי כשפים ויודעים בשבעים לשון שלא תהא סנהדרין שומעת מפי התורגמן : *Non cooptabant in synedrium* (magnum & vigintitriumviralia intelliguntur) *alios quam qui essent statura egregia, sapientia, vultu decoro, seniores, magiae ac praestigiarum periti, etiam & linguarum septuaginta callentes, ne synedrium audiret per interpretem.* Eadem alibi in eadem leguntur Gemara[l]. Hinc etiam Maimonides[m] hic, אין מעמידין בסנהדרין בין בגדולה בין בקטנה אלא אנשים חכמים ונבונים מופלגין בחכמת התורה בעלי דיעה מרובה יודעים קצת משאר חכמות כגון רפואות וחשבון ותקופות ומזלות ואיצטגנינות ודרכי המעוננים והקוסמים והמכשפים והבלי עבודת כוכבים ומזלות וכיוצא באלו כדי שיהיו יודעים לדון אותם : *Neque in magnum nec in minus aliquod synedrium* (vigintitriumvirale) *cooptabantur quipiam praeter viros sapientes, mente praestabiles in disciplina legis, scientiae multiplicis, adeo ut haud nescii prorsus essent caeterarum artium, ut medicinae, arithmeticae, motuum & siderum coelestium, & astrologiae, praestigiarum peritiae, item divinationis, ac magiae, etiam & affaniarum quae habentur in cultu siderum & signorum, id genus rerum aliarum; ut scilicet idonei essent ad judicium de eis* (utpote subinde in judicium deduci solitis) *ferendum.* Tantundem Rabbi Jehuda Levita[n], Moses Mikotzi[o], alii. Ita tamen ut dum de LXX linguarum peritia loquuntur, non tam ipsum numerum septuagenarium quam peritiam qualemcunque linguarum judiciis forensibus idoneam exigant; unde generatim eorum aliqui aiunt, eos esse oportuisse *linguarum peritos*, seu יודעים הלשונות. Exemplum satis habetur in titulo apud nos *magistri artium*, quod, vulgari locutione & sensu, significat artium septem liberalium magistrum. Nam eo nomine, nec sine eo, subinde adsciscendi aliqui in collegia aliasque dignitates; cum interim, modo artium pauciorum, seu quae sufficiant, magistri solum fuerint, neutiquam sint rejiciendi, saltem haud rejici soleant. Et qualis in judiciis forensibus usus esse potuerit linguarum aliarum cognitio, satis elici potest ex multiplici in Judaeam ex aliis gentibus confluentium linguarum discrepantia, de qua S. Lucas[p]. Solenne autem est magistris numero linguarum septuagenario omnigenas continere; idque habent ex gentium seu posterorum Semi, Chami & Japheti[q], sub confusione linguarum, dispersione, earumque inde divisione. Gentes illas totidem fuisse ex capitum eorum enumeratione faciunt. Atque hoc firmant ex illo[r], *Cum forte divideret altissimus gentes, & cum separaret filios hominum, constituit terminos gentium juxta numerum filiorum Israel.* Numerum illic pro 70 sumunt, quo denotantur[s] qui in AEgyptum descenderunt. Jarchius ibi, למספר בני ישראל בשביל מספר בני ישראל שעתידין לצאת מבני שם ולמספר שבעים נפש על בני ישראל שירדו למצרים הציב הגבולות עמים שבעים לשון : *Juxta numerum filiorum Israel; ob numerum filiorum Israel qui futuri erant ex posteris Sem, & juxta numerum septuaginta animarum quae descenderunt in AEgyptum, constituit terminos gentium septuaginta linguis.* Hinc mentio septuaginta linguarum eis frequens est. Quin & praeceptum illud[t], *Et scribes super lapides verba legis hujus* באר היטב *bene explicando* seu *plane & lucide*, intelligitur in glossa illic Ebraica, Targum Hierosolymitano, & paraphrasi Uzielidi tributa, etiam apud obvios alios, de lege

[k] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17, 1.
[l] Ad tit. *Menachoth*, cap. 6. fol. 65, 1.
[m] Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. § 1.
[n] *Sepher Cozri*, part. 2. §. 64. fol. 113, 2.
[o] Praecept. Affirm. 97. fol. 186. col. 3.
[p] Act. Apost. ii. 8.
[q] Gen. x.
[r] Deuter. xxxii. 8.
[s] Genes. xlvi. 27. & Exod. i. 5.
[t] Deuter. xxvii. 8.

linguis 70 exſcribenda; idque verbis expreſſiſſimis; quemadmodum in Talmude etiam intelligitur, ad illud ubi, juxta praeceptum jam dictum, Joſuah [v] legem exſcripſit. Certe illa ſuperius allata de loquentibus & audientibus in numero incolarum urbis, ſynedrio vigintitriumvirali dignis, capiuntur a nonnullis de totidem linguas loquentibus & audientibus; unde & eos qui illic ſequuntur, R. Eliezerem, R. Joſuam, R. Aquibam ac Simeonem Themanitem in Jabne, eouſque loquendi peritos fuiſſe aſſerunt. Atqui apud Hieroſolymitanos [x] quatuor illi ſunt Ben Aizai, Ben Zoma, Ben Chabinai, & Eliezer Ben Matthia. In Miſna [y] item, ubi recenſio fit praefectorum templi, legitur, פתחיה על הקינים פתחיה זה מרדכי ומשום כך נקרא פתחיה שהיא פותח דברים ודורשן ויודע בשבעים לשון: *Pathchia praeficiebatur nidis* (veluti turturibus pulliſque columbarum ex lege offerendis) *is ipſe Mordecai fuit. Ideo autem Pathchia vocatus eſt, quia explicavit* (id eſt *Pathach,*) *res, & expoſuit eas; & peritus erat linguarum ſeptuaginta.* Idem habetur in Gemara Babylonia [z], ubi adjicitur, כולהו סנהדרין נמי ידעי שבעים לשון *Synedriorum etiam collegae periti erant,* aut *eſſe debebant, linguarum ſeptuaginta.* Hieroſolymitana [a] autem ad allatum e Miſna locum, בוא וראה כמה גדול הוא כוחו של אותו האיש שהוא פותח דברים ודורשן ויודע בשבעים לשון: *Veni & vide quantus hic vir fuerit, qui ita res explicare & exponere potuit, & linguarum ſeptuaginta erat peritus.* Unde etiam nomen illud, ex eis qui cum Zerubabele e captivitate aſcenderunt, בלשן *Bilſhan* [b], qui proxime poſt Mordecai ſequitur, atque ut alius ſumi ſolet, pro velut cognomine ejus capiunt, ideoque aiunt cognomen illud eum ſortitum eſſe [c], דהוה באיל לישני הלשונות ſeu בולל ומערבב *quod confuſas in ſe haberet* ſeu *commixtas linguas.* Quamplurima ſunt alia loca quibus apud Talmudicos linguae memorantur univerſae numero illo rotundo. Sed vero haud adeo credibile videtur aut quemlibet in ſynedria cooptandum tot linguarum neceſſario peritum eſſe debuiſſe, aut forſan quempiam fuiſſe. Mithridatis ſcientia linguarum viginti duarum gentium, ſcilicet quibus ipſe imperitabat, velut miraculo habetur, quas ideo edidicit *ut eas ſine interprete alloqui poſſet* [d]; quae ipſa eſt ratio linguarum a ſynedris ediſcendarum. Legimus quidem apud Philoſtratum [e] Apollonium Tyanaeum Armenicam, Medicam, Perſicam, Caduſiacam, πάσας demum ἀνθρώπων φωνὰς *univerſas hominum voces* ſeu *linguas* optime calluiſſe, nec interim eas didiciſſe. Sed adjicitur ab eodem autore, Apollonium hunc ſatis percepiſſe, καὶ ὅσα σιωπῶσιν ἄνθρωποι, *etiam quae tacebant* aut *cogitabant homines,* imo & avium, aliorumque brutorum voces omnes intellexiſſe; quod parilis eſt farinae, pariterque credendum. Certe Marcus Antoninus dicitur Larenſem ſuum, ſeu Livium Laurenſem, ab AElio Lampridio [f] memoratum, *Aſteropaeum quendam* nuncupaſſe [g], utpote ut rebus ſedulo, prudenter & ſtrenue gerundis prae aliis idoneum, ita ἐπιστὰς ἀμφοτέρων τῶν φωνῶν προεστάμενον, *ex aequo utriuſque linguae* (Graecae & Latinae) *callentiſſimum*; quaſi id rariſſimum fuiſſet & admirandum. Neque enim, ut in adagiorum autoribus legitur [h], ſic ibi dictus eſt Marcus Antoninus ipſe, ſed Larenſis ille ab illo. Sub idem etiam tempus Galenus in Sophiſtas ſibi coaevos, qui linguam Graecam ſcholaſque vocibus e barbaricis petitis nimium depravarant, & plurimarum linguarum ſcientiam in eo exigere viderentur, profitetur ſe tot linguas ediſcere nequire, ſubjicitque [i], Δίγλωττός τις ἐλέγετο πάλαι, καὶ θαῦμα τοῦτ' ἦν ἄνθρωπος εἷς ἀκριβῶν διαλέκτους δύο, *Bilinguis olim quidam dicebatur, & res pro miraculo habebatur, homo unus duas exacte linguas tenens.* Quaſi exacta etiam binarum peritia miraculo fuiſſet, tametſi mediocris aut qualiſcunque etiam in pluribus linguis ſcientia neutiquam infrequens eſſet, uti & ſeculis noſtris paſſim habetur. Sed per hyperbolem innumera tradere ſolent Ebraei, ubi aut praeſtantiam ſingularem innui volunt, aut gravius quid reprehendunt, adverſumve denotant. Quod autem revera, opinor, voluere illud erat, adſciſcendos linguarum utcunque ſcientia praepollere debuiſſe. Certe ſi univerſi ſynedri ejuſmodi aut numeroſior eorum pars aliqua tot linguas intellexiſſent, undenam tam inſigni Mordecaeus admiratione ob ejuſmodi ſcientiam ante alios ſeu quaſi per ſe eſt celebratus? Magno hic judicio, ut plerumque cuncta, Maimonides [k]; צריך להשתדל ולבדוק ולחפש שיהיו כולן נכוני לחש ושידעו ברוב הלשונות כדי שלא תהא סנהדרין שומעת מפי התורגמן *Opera danda erat, & diligenter inquirendum, ut univerſi* adſciſcendi in ſynedria jam dicta *eſſent eloquio ſingulari, & multarum* ſeu *plurium linguarum periti,* πολύγλωττοι, **good linguiſts**; *ne ſcilicet ſynedrium audiret per interpretem.*

II. At mirum forte interea habendum quod tradere videtur Fl. Joſephus, ipſe Ebraeus juriſque Ebraici, ut jactantius profitetur ipſe, ſcientiſſimus, de linguarum aliarum ſtudio apud ſuos etiam interdicto; [l] Καὶ τῶν Ἑλληνικῶν δὲ γραμμάτων ἐσπούδασα μετασχεῖν· τὴν γραμματικὴν ἐμπειρίαν ἀναλαβών, τὴν δὲ περὶ τὴν προφορὰν ἀκρίβειαν πάτριος ἐκώλυσε συνήθεια. Παρ' ἡμῖν γὰρ οὐκ ἐκείνους ἀποδέχονται τοὺς πολλῶν ἐθνῶν διάλεκτον ἐκμαθόντας, διὰ τὸ κοινὸν εἶναι νομίζειν τὸ ἐπιτήδευμα, τοῦτο μόνον, οὐκ ἐλευθέρων τοῖς τυχοῦσι, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκετῶν θέλουσιν, μόνοις δὲ σοφίαν μαρτυροῦσι, τοῖς τὰ νόμιμα σαφῶς ἐπισταμένοις, καὶ τὴν ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν ἑρμηνεῦσαι δυναμένοις. *Etiam* [m] *Graecas ſtudui literas adipiſci. Artis namque Grammaticae experimentum ſumpſi, integritatem vero pronunciationis verborum poſſidere me, paterna conſuetudo* (mos patrius ſeu Ebraicus) *prohibuit. Quippe cum apud nos non recipiant eos qui elocutionem multarum gentium didiciſſe noſcuntur* (Genebrardus, *ne font pas grand conte de ceux qui ont apprins pluſieurs langages*; & Gelenius, *qui multas perdidicerunt linguas)* *eo quod commune putent hoc officium, non liberis tantummodo ſed etiam volentibus ſervis* (Gelenius, *quod ſtudium profanum*

[v] *Thoſiphtha* ad tit. *Sota*, cap. 7. fol. 35, 2. & Miſna tit. *Sota*, fol. 32, 1. [x] Ad tit. *Siklim*, cap. 5. fol. 48. col. 4. [y] Tit. *Siklim*, cap. 5. [z] Ad tit. *Menachoth*, cap. 6. fol. 65, 1. [a] Fol. 48 col. 4. [b] Nehem. vii. 7. [c] Gem. Babylon. ad tit. *Menachoth*, cap. 5 fol. 65, 1. [d] Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7. [e] De Vita Apollonii, lib. 1. cap. 13. lib. 5. cap. 15. [f] In Commodo Ant. [g] Apud Athenaeum Dipnoſoph. 1. [h] In *Aſteropaeus.* [i] De differentiis Pulſuum, lib. 2. cap. 5. videſis If. Caſaubon. Animadverſ. in Athenaeum, lib. 1. cap. 2. [k] Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. §. 6. [l] Lib. 20. cap. 9. [m] Ruffinus cap. 18.

apud

apud eos habetur, & servis, commune cum ingenuis; Genebrardus, *qu'ils estiment que cela est un estude profane, & commune aussi bien aux serfs qu'a ceux qui sont de condition franche) sapientiam vero illos tantummodo testantur habere, qui leges sub integritate cognoscunt, & virtutem sacrarum literarum interpretari possunt.* Talmudici ergo ex vetustissima traditione de multiplici, etiam omnimoda, linguarum scientia veluti synedriorum collegis pernecessaria passim, ut ostensum est, loquuntur, dum Josephus multarum gentium dialectorum (sic enim loquitur ille) studium ab Ebraeis aut damnatum esse aut saltem in pretio habitum nullo asserit. Scripsit haec anno XIII Domitiani, seu sub Christi nonagesimum tertium, ut ipse illic testatur. Quare tempus adjectum sit, paulo infra constabit. Si de Chaldaica aut Syriaca dialectis id quod is scripsit intelligeremus, nullo esset pacto plane admittendum. Nam qui sive hanc sive illam ab Ebraeis illo in seculo ita neglectam, ut improbaretur ejus studium, existimaverit, eum necesse est rebus Ebraicis adeo alienum esse ut disquisitioni hujusmodi plane sit impar. Neque igitur innuere videntur apud Josephum verba illa πολλῶν ἐθνῶν διάλεκτον *multarum gentium dialectum*, linguas multarum gentium invicem sive origine sive facie plane diversa discriminatas, sed duntaxat linguas seu dialectos Graecanicas, quae, praeter quinque illas vulgo nominatissimas, certe erant per Europam, Asiam, AEgyptum multiplices. Quin sane parum cohaesisse videtur, si ideo vellet se ex more patrio adeo inhibitum fuisse ut veram pronunciationem linguae Graecae assequi nequiret, quoniam multarum gentium linguarum seu dialectorum studium intensius popularibus suis esset improbatum, per *multas gentes* alias praeter ipsas, quas scimus fuisse admodum numerosas, Graecas intelligens. Non bene consequitur; ideo linguae Graecae pronunciationem accuratiorem assequi nequibam, quia ex more patrio multarum gentium linguis seu dialectis excoli permissum non est, nisi in multarum illarum gentium linguis seu dialectis ipsa Graecanicarum pronunciatio signantius contineatur. Ea ex multarum gentium dialectis erat ediscenda, quas tamen ediscere mori patrio dissonum erat, linguae, utcunque Graecanicae scientia contento, quo, ii soli sapientes habiti (ut ille ibidem) qui legi sacrae accuratius & feliciter incumbentes, intensius dialectorum Graecanicarum illius varietatis studium atque exquisitiorem quae inde evenit pronunciandi rationem praetermittunt. Hic, opinor, sensus est Josephi, qui sic intellectus Talmudicis neutiquam omnino adversabitur. Id certissimum est, non modo linguam Graecam, verum etiam Graecorum theologiam, philosophiam, artes, Ebraeos olim, dum sive juris sui erant sive, ejusdem tenaciores, illud nondum amisisse sibi videbantur, in studiis, licet non omnino theologiam illam in cultu divino, aestimasse. De lingua Graeca testes hic sunt amplissimi non solum Graeci veteris testamenti interpretes tum septuaginta sic dicti tum alii, verum etiam evangelistae & apostoli; ut Philonem, Josephum, alios praetermittamus. Et quod ad scientias Graecanicas attinet, quas & Romanas vocant [n] (quae haud commode citra linguam illam ediſci quibant) licet verum satis fuerit illud Origenis [o], Οὐ πάνυ μὲν γὰρ Ἰουδαῖοι τὰ Ἑλλήνων φιλολογοῦσι seu, ut lectio est alia, φιλοσοφοῦσι, *Non admodum curant* aut *versantur Judaei circa Graecorum literas*, seu *philosophiam* (quod de vetustis etiam seu ante obtinentibus apud Judaeos moribus dictum) nihilominus ea quae ex Arato [p], Epimenide [q], Menandro [r], poetis Graecis, citat ipse Paulus, uti & monitum ejus ad Colossenses [s], qui Judaei erant reformati, id est christiani, ne permitterent se συλαγωγεῖσθαι *spoliari* διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, *per philosophiam & vanam fallaciam, juxta traditionem hominum*, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, *secundum elementa mundi*, alia etiam, momenti in novo testamento gravissimi, Platonicam disciplinam verbis saltem resonantia, haud obscure ostendunt, fuisse etiam inter Judaeos veteres qui disciplinis Graecis se assuescerent. Unde & Origenes notat Paulum illic agnovisse in philosophia Graecanica fuisse οὐκ εὐκαταφρόνητα *non facile contemnenda*, etiam & ἐμφαινόμενόν τι μέγεθος, *apparentem majestatem.* Talmudicis item memorantur [t] חמש מאות שלמדו חכמת יונית *quingenti* (etiam in una schola, Abbae) *qui scientiam Graecanicam* seu *Romanam discebant.* Et quod ad disciplinas apud eos mathematicas attinet, earumque illis pretium; advertendum est quod ea de re tradit e veteribus David Kimchius [v]; אמרו רז״ל כל מי שאינו מחשב בתקופות ומזלות עליו הכתוב אומר ואת פעל ה׳ לא הביטו ומעשה ידיו לא ראו ואמרו מנין שמצוה לאדם לחשב בתקופות ומזלות שנ׳ ושמרתם ועשיתם כי הוא חכמתכם ובינתכם לעיני העמים איזו היא חכמה ובינה שהוא לעיני העמים זהו חשוב תקופות ומזלות׃ *Rabbini nostri piae memoriae dicunt, in universos eorum qui non utuntur calculo astronomico* (corporum coelestium eorumque revolutionum; qui sine arithmetica & geometria frustra initur) *dici scripturam illam* [x], *Et opus Domini non respiciunt, & quae fecerint manus ejus non considerant. Dicunt etiam, homini praeceptum esse calculo ejusmodi coelesti uti, juxta illud quod dicitur* [y], *Etiam custodietis & facietis* (jussa mea observabitis; in quibus annorum & mensium ratio, ob festa praescripta, ex ejusmodi calculo pendens) *quoniam haec est sapientia vestra & intelligentia vestra coram gentibus. Quaenam est sapientia vestra & intelligentia vestra coram gentibus?* (subjicitur scilicet, *Ut audiant omnia ista statuta, & dicant, Utique populus ille sapiens est & intelligens, gens magna est.) Est plane calculus periodorum corporum coelestium.* Gentes enim aliae, quibus is notus (utpote quem & mathematice & theologice profitebantur ipsae) cum viderent Judaeos etiam ejusdem peritos esse, eos, eo nomine inprimis, non ob praecepta alias Mosaica, ut admirarentur necesse fore, aiunt esse existimatum. Sed vero graviora interdum infortunia passi, atque inde velut attoniti, quale fieri multoties amat, aut vix sui compotes, studia ejusmodi quibus maxime, praeter legem sacram, implicabantur, in causa esse rerum sibi adversarum inclamabant; unde & diris interdum devovebant [z] publicis simul eum שיגדל חזיר ומי שולמד לבנו

[n] Gloss. ad tit. *Menachoth*, cap. 6. fol. 64. 2. [o] In Celsum lib. 2. [p] Act. xvii. 28. [q] Tit. i. 12. [r] 1 Corinth. xv. 33. [s] Coloss. ii. 8. ubi videsis Hugonem Grotium. [t] In Gemar. Babylon. ad tit. *Menachoth*, cap. 6. fol. 64. 2. & ad tit. *Sota*, cap. 9. fol. 49, 2. & ad tit. *Baba Kama*, cap. 7. fol. 83, 1. [v] Ad Jesaiae xl. 26. [x] Jsai. v. 12. [y] Deut. iv. 6. [z] Locis ante citatis & *Sepher Juchasin*, fol. 17, 2.

הבכיס יונית *qui nutriebat porcum, & eum qui filium suum doceret sapientiam Graecanicam.* Unde etiam accessit decretum publicum tempore quo Titus Augustus urbem invasit (annis nempe ante illud quod superius adducitur ex Josepho, seu decimum tertium Domitiani, quo scripsit ille, plus minus vigintiquinque) quo Graecarum disciplinarum institutio vetita est. Misnae [a] verba sunt; בפולמוס של טיטוס גזרו שלא ילמד אדם את בנו יונית *In bello Titi decreverunt ne quis filium suum Graece doceret:* Quod tamen de sapientia seu disciplinis sive Graecis sive Romanis, veluti eorum theologia, philosophia, & quae hisce cognatae sunt, non de ipsa lingua Graeca, sumunt magistri ibi. Qualis sensus est moniti illius Rab Josephi Hyssopaei,

ומחכמת יונית סור נטה לך ——

& a sapientia Graecanica avertere. Scilicet non solum in judiciis apud synedros, ut ostensum est, verum etiam in ritibus aliquot sacris, tum Graecae tum aliarum linguarum saepenumero usus erat, pro varietate personarum, maxime qui sanctam per dispersiones non sa is didicerant pernecessarius, idque tam Ebraeis originariis quam proselytis inter eos justitiae. Misna [b], אלו נאמרין בכל לשון פרשת סוטה וידוי מעשר וקריאת שמע ותפלה וברכת המזון ושבועת העדות ושבועת הפיקדון ואלו נאמרין בלשון הקודש מקרא ביכורים וחליצה ברכות וקללות ברכת כהנים וברכת כהן גדול ופרשת המלך ופרשת עגלה ערופה ומשוח מלחמה בשעה שמדבר אל העם : *Haec* (quae sunt carmina solennia in sacro sermone praescripta, statisque dicenda temporibus) *dicuntur* (seu rite dici possunt) *in linguis cunctis* (Misna Hierosolymitana habet בלשונם *in linguis suis*, quacunque lingua) *examen uxoris viri Zelotypi* [c], *& id quod anni tertii decimarum solutioni justae proxime subjungendum* [d], *solenne illud* [e], *Audi Israel, precationes* (ubi adnotant aliqui [f], id de precationibus seu liturgiis publicis tantum esse ita intelligendum, ut privatim quisque lingua sancta, si imperitus ejusdem non esset, precaretur) *benedictio mensae, juramentum testimonii, juramentum depositi. Haec autem lingua sancta sunt proferenda, id* [g] *quod a primitias offerente est pronunciandum, id quod etiam dicendum in leviri renunciatione* [h], *benedictiones & dirae illae solennes* [i], *benedictiones sacerdotales* [k], *benedictio pontificia* (in die expiationum annuo) *pericocha de rege* [l] *constituendo, uti & illa de vitula* [m] *decervicanda, atque ea quae ad unctum in bellum attinet* [n], *quando is populum alloquitur.* Et demum vetustae disciplinae tam in affectandis quam admittendis & linguis & scientiis Graecanicis, seu gentium aliarum, testimonium habetur satis luculentum in Judaeorum tum priscorum tum recentiorum, qui literis vacarent, studiis scriptisque. Qui nempe majorum interim institutorum, pro vario temporum locorumque discrimine, fuerint proculdubio observantissimi, gentium linguis studiisque sedulo incubuere. In priscis, praeter Josephum ipsum & Philonem, habentur Aristobulus [o] philosophus Peripateticus, Justus Tiberiensis [p], Ezekiel Tragoedus [q], etiam & poeta Verpus apud Martialem [r], alii. In recentioribus, mathematici & philosophi fuere celebres Rambam seu Maimonides ille, R. Mikotzi, R. Abraham Aben-Ezra, R. Levi Ben Gersom, R. Abraham Ben Chaiia, R. Jehuda Levita (autor *Sepher Cozri*) alii, logicus R. Simeon; physicus R. Aben Tybbon, historici tam rerum Gentilium quam Judaicarum (etiam & alias studiis Gentilium haud parum imbuti) R. Azariah Edomaeus, R. Abraham Zacuthius, R. Gedaliah Ben Jechai, R. Benjamin Ben Jona, R. David Gans, quorum opera passim leguntur, alii itidem non pauci; ut praetermittamus qui libros veterum physicos, medicos, astronomicos, tam e Graecis quam Arabicis in suam transtulere linguam; aliosque etiam qui ex eis hoc seculo literis Graecis, Latinis & Arabicis se haud parum dederint. Dum vero incredibilem illam septuaginta linguarum peritiam (quam ab eis per hyperbolen memoratam existimo) cogitamus, observatu forsan indignum non est quod habet Rabbi Jonathan דבית גוברין in Gemara Hierosolymitana, de quatuor tantum velut universo generi humano, adeoque Hebraeis, inservientibus, Graeca nempe, Romana seu Latina, Sorsiana, & sancta. Verba sunt [s], ארבעה לשונות נאים שישתמש בהן העולם ואילו הן לעז לזמר רומי לקרב סורסיא לאיליא עברי לדיבור : *Quatuor sunt linguae praestantissimae quibus orbis terrarum utitur* (seu נאים להשתמש בהן העולם ut alibi [t]) *dignae quae orbi terrarum*, seu *generi humano, inserviant*; *Graeca ad cantandum, Latina ad proelium* seu *rem militarem, Sorsiana ad planctum, Ebraea ad eloquendum* seu *confabulandum.* Sequitur statim, ויש אומרים אף אשורי לכתב אשורי יש לו כתב ואין לו לשון עברי יש לו לשון ואין לו כתב בחרו להם כתב אשורי ולשון עברי ולמה נקרא שמו אשורי שהוא מאושר בכתבו : *Sunt etiam qui dicant, Assyriaca ad scribendum. Assyriaca autem scripturam habet, nec tamen lingua est* (certe & apud Thucydidem [v], Athenienses literas Persarum regis cum Artapherne interceptas, μεταγραψάμενοι ἐκ τῶν Ἀσσυρίων γραμμάτων ἀνέγνωσαν, *transcribentes ex literis Assyriacis legerunt* Ubi scholiastes, μεταγραψάμενοι, μεθερμηνεύσαντες, interpres, *ex Assyriis literis traductas.*) *Ebraica lingua est, sed scriptura* propria *caret. Eligebant autem sibi scripturam* seu *literas Assyriacas, & linguam Ebraeam. Et quare vocatur Assyriaca? Quoniam adeo felix in scriptura* seu *literarum formis.* Argutula ludentis ratio. Etiam & Philo Mosem ait τὰ Ἀσσύρια γράμματα *literas Assyriacas* didicisse. Sed hoc de literis Assyriacis spectat ad disputationem quam viri doctissimi de priscis Ebraeorum literis pridem inierunt. Et videsis de legitimo apud Ebraeos linguarum aliarum usu etiam Misnam [x] alibi, & Maimonidem [y]. Lingua quam Graecam in jam allatis vertimus, vocatur ibi לעז *Labaz*, quo nomine quidem *barbara* ex antiquissima ejusdem notione significatur. Unde per בלעז לעז apud Davidem [z] substituitur tam a Chaldaeo,

[a] Tit. *Sota*, cap. 9. Talm. Babylon. fol. 49, 2. [b] Tit. *Sota*, cap. 7. Talm. Babylon. fol. 32, 1. [c] Num. v. 21. [d] Deuter. xxvi. 13. [e] Ibid. vi. 3. [f] Obadias Bartenorius ad Misnam tit. *Sota*, cap. 7. 1. [g] Deut. xxvi. 5. [h] Ibid. xxv. 7. [i] Ibid. xxvii, xxviii. [k] Numer. vi. 23. [l] Deuter. xvii. 14. [m] Ibid. xxi. 7. [n] Ibid. xx. 3. [o] Apud Clementem Alexandr. Stromat. 1. Euseb. Praeparat. Evangelic. lib. 7. cap. 14. lib. 8, 10. 13, 12. [p] Photius in Biblioth. Cod. 33. Suidas, alii. [q] Apud Clem. Alex. Strom. 1. [r] Lib. 11. Epigr. 95. [s] Gemara Hierosol. ad tit. *Megila*, cap. 1. fol. 71. col. 2. Halach. 11. [t] Eadem Gemara ad tit. *Sota*, cap. 7. fol. 21. col. 3. [v] Lib. 4. [x] Tit. *Megillah*. cap. 2. [y] Halach. *Megillah*, cap. 2. [z] Psalm. cxiv. 1.

מעמי ברברא *e populo barbaro*, quam a Graecis ἐκ λαοῦ βαρβάρου, uti etiam in Vulgata, & ab Arabe البربري idem & fignificans & fonans; **from a people of ftrange language** noftri. AEgyptii autem ibi plane innuuntur. Poftmodum autem quemadmodum Latinis Graeci, hique illis invicem Barbari funt vocitati, ita Ebraeis Graeci ea voce interdum, ut hic alibique[a], denotati funt; tametfi interim magiftris recentioribus ufitatiffimum fit linguam qualemcunque regionum in quibus ipfi degerint, veluti Italicam, Germanicam, Gallicam, Hifpanicam, eodem vocabulo defignare. Graecam alias etiam fignantius vocant לשון יוני feu *linguam Ionicam*. Sed & fcimus *Barbariae* nomen Europaeis variatim & generatim fubinde intellectum, vulgariter nunc Barbariam illam Africae denotare, unde & poffet dici lingua illic Arabica *Barbara*. Sorfiana lingua in allatis pro Aramaea feu Syriaca fumi[b] folet. Gloffa autem ad Gemaram Babyloniam[c], לשון סורשי קרוב הוא ללשון ארמי ואומר אני שזה לשון תלמוד ירושלמי ואומות העולם קורין אותו לינגא שורייא או לשון יוני שהיו קרובין לארץ יון ולשון יון יפה מזה והיה לו לספר: *Lingua Sorfiana vicina eft linguae Aramaeae. Ego autem dico hanc linguam effe Talmudis Hierofolymitani. Et populi gentium vocant eam linguam Syriacam, aut linguam Graecam* feu *Ionum, qui vicini funt Graeciae* (qui in Afia viciniores funt Graeciae Europaeae) *fed lingua Graeca ea venuftior eft, in qua etiam fcribendi facilitas.*

III. Numerus autem ille apud Ebraeos linguarum, ex ipfa confufione, feptuagenarius (de quo locis fuperius citatis alibique[d] affatim loquuntur) apud patres chriftianos tam Graecos quam Latinos augeri folet; quod quidem evenit ex numeratione capitum confufionis feu infanae illius fubftructionis praefectorum alia ab ea quam fibi habent ex Ebraeo Ebraei; capitibus nimirum ejufmodi binis ultra, fubinde trinis, pluribufque adjectis. Ea de re ampliter actum eft a Gilberto Genebrardo[e], Auguftino Torniello[f], Jacobo Saliano[g], Samuele Bocharto[h], ut qui ad locos pentateuchi fupra de linguis allatos obiter fcripferint, maxime Benedictum Pererium, praetermittam. Patrum vulgo lectorum, quos diximus, hac de re fcita apud fcriptores illos diligenter corrogantur; adeoque nec de eis hic plura. Sed vero & hiftorici veteres tantundem. Atque tam hi quam patres illi omnes ferme feptuaginta duas faciunt, & per gentes enumerant confufionis, feu totius inde orbis, linguas. Ita Eufebius in chronico, chronicon Alexandrinum[i], Georgius Syncellus[k], Michael Glycas[l]. Adde his Eutychium patriarcham Alexandrinum, qui congregatos ait[m] feptuaginta duos, primores & capita Noachidarum, turrim illam feu urbem condere fuiffe conatos; angelum e coelo a numine miffum qui linguae ante unicae feptuaginta unam confufione adjiceret. Unde e filiis Semi praeterea (in quibus Ebraica retenta) fuiffe 25, e filiis Chami 32, e filiis Japheti 15, atque ita 72 conflatas effe linguas. Alii autem ufque ad 75 numerum illum auxerunt. Ita Ephorus & alii hiftorici multi, ut docet Clemens Alexandrinus[n]. Quod plane ex numero filiorum Ifrael defcendentium[o] in AEgyptum, qui in verfione Graeca habetur, fumptum eft (nam etiam ex eorum numero in Ebraeo Ebraeis hic ratio elicitur) ut numerus ille alter ex capitum & praefectorum fubftructionis illius cenfu. Etenim locis Genefis & Exodi citatis, pro eo quod eft non modo in origine tam Samaritana quam Judaica, fed & in verfione Syriaca, Arabica utraque, Vulgata, reliquifque, *feptuaginta*, in pentateucho Graeco ἑβδομηκονταπέντε legitur *feptuaginta quinque*, quemadmodum item inde numerat in defenfione fua S. Stephanus[p]. Obvia funt quae ad locum hunc Actorum, uti ad illos pentateuchi, hac de re habent interpretes. Sed prae aliis, fi plura velis, vide hac de re difputationem Abrahae Calovii[q] profefforis Gedanenfis accuratam fane & ingeniofam. Adjicere non pigebit de gentium numero, unde plerifque linguarum veterum numerus pendet, miram haberi apud Arabas traditionem, gentes per terram mareque divifas, ac velut a numine fub rerum origine creatas feu praeftitutas fuiffe 1020. Hiftoricus Mahumedanus penes me[r] vetus, qui Aben Elchafen Hali nuncupatur ad hunc modum

ابو الحسن علي بن الحسين بن علي بن
عبد الله الجعلي المسعودي
الله تعالي خلق الفا وعشرون امة حذاء
الكواكب الثابتة منها في البحر ستماية
امة ومنها في البرّ اربع ماة امة وعشرون

Deus O.M. creavit mille & viginti gentes, ut ftellis earum numero *fphaerae octavae refponderent. Ex eis in mari* per infulas *fexcentae, & in arida quadringentae & viginti.* Numero utitur rotundo ftellarum, quae ex doctrina Ptolemaica & receptiori funt 1022. Sed haud parum variavit earum apud fcriptores numerus. Plinius annotatas ait[s] (nefcio ubi) ftellas 1600 *infignes videlicet effectu vifuve.* David Kimchi autem[t], הסכימו חכמי התכונה כלם כי מספר הכוכבים הם אלף ו"צח: *Confentiunt aftronomi univerfi ftellarum numerum effe* 1098. Etiam recentioribus aliquot adjectae funt numero illi Ptolemaico. Sed vero, cum confpicuae & fatis vulgo vifibiles in conftellationes tribuantur quadraginta octo, atque ita obfervari foleant, commentum eft vetus apud Ebraeos[v], cunctas fimul tam non ita vifibiles quam vifibiles conficere numerum כ"ט אלף רבוא וק"מ, id eft, 290000140, eafque vocari fignantius כוכבי השמים *ftellas coelorum*, nec fimpliciter *ftellas*, in literis facris. Kimchius item[x]; אותם שאינם מאורים על הארץ

[a] Baal Aruch in לעז, de quo vide etiam Eliam in Thifbite, & Davidem de Pomis. [b] Vide J. Buxtorfium in Lexic. Talmud. col. 1554. [c] Tit. *Sota*, cap. 9, fol. 49, 2. [d] Gemara Hierofolymitana ad tit. *Megillah*, cap 1. fol 71. col. 2, &c. [e] Chronolog. A. M. 1758. [f] A. M. 1931. §. 15, &c. [g] Eod. anno § 23, &c. [h] Geographiae Sacrae, lib 1. cap. 15. [i] Pag. 57. edit. Raderiana. [k] Pag. 46 & 49 [l] Annal. part. 2. [m] In Annalibus pag 51. [n] Stromat. α. [o] Genef. xlvi. 27. & vide Exod. 1. 5. Deuteron. xxxii. 8. [p] Act vii. 14. [q] In Critico Sacro, pag. 746, &c. [r] Pag. 275. [s] Lib 2. cap. 41. [t] Ad Pfalm. cxlvii. & ad Jefaiae xl. 26. [v] *Midrafh* apud R. Abraham Ben Chaiia, in Sphaera Mundi, Porta 10. [x] Ad Pfal. cxlvii.

נבראו

נבראו למשול על הארץ לא למאור: *Quae lucem terris non dant stellae, nihilominus creabantur ut dominium haberent in terris, nec fulgerent*, adeoque cum caeteris designantur in illo creationis[y] *ut dominarentur in diem atque in noctem.* Sed, in callem.

IV. Jam dictis autem adjicit ex veteribus Maimonides uti & illi eundem in sensum; אין מעמידין בכל הסנהדרין לא זקן מופלג בשנים ולא סרים מפני שיש בהן אכזריות ולא מי שאין לו בנים כדי שיהא רחמן: *In nullo synedriorum* jam dictorum magni seu vigintitriumviralis *cooptabant quempiam senio quasi confectum (ultimae senectutis hominem) aut eunuchum* eviratum, *quoniam crudeliores esse solent utrique, aut cui proles deesset, unde fieret misericors.* Certe [z]Claudianus itidem,

——Eunuchus nulla pietate movetur,
Nec generi natisve cavet. Clementia cunctis
In similes, animosque ligant consortia damni.

Gemara etiam Hierosolymitana[a], הסרים וכל מי שאין ראה לו בנים כשר לדון דיני ממונות ולא דיני נפשות *Eunuchus, & is qui non vidit sibi liberos, judiciis pecuniariis idoneus est; at vero non capitalibus.* Quod idem est ac si dictum fuisset, in synedrium nec magnum nec vigintitriumvirale non rite cooptatur; nec ordinationis, puto, judiciariae capax. Babylonia item[b], אין מושבין בסנהדרין זקן וסרים ומי שאין לו בנים *Non collocabant in synedriis virum aetate nimis provectum, eunuchum, aut cui defuere liberi.* Hoc, scilicet generatim sic dictum, exceptionem admittit in capitali judicio המסית *seductoris*[c] in idololatriam, qui odio prae aliis singulari habebatur. Maimonides[d], vetustioresque; מושבין בדינו זקן וסריס ומי שאין לו בנים כדי שלא ירחמו עליו שהאכזריות על אלו שמטעין את העם אחרי ההבל רחמים הוא בעולם שנ' למען ישוב י"י מחרון אפו ונתן לך רחמים: *Collocabant in ejus judicio senem & eunuchum & improlem, ne misericordes erga eum* communi misericordium notione *essent. Nam crudelitas in eos qui populum errare faciunt in vanitatem est misericordia* (misericordiam supplet) *juxta quod scriptum est*[e], in lege sacra de seductoribus lata, *ut avertatur a furore irae suae, & det tibi misericordias*, nec quales in seductoris judicio adhibitae. In Misna[f] insuper distinctionibus subtilissimis explicatur illud, *Si totus coetus Israel*[g] seu כל העדה *errore peccaverit, & res ipsa abscondita fuerit ab oculis congregationis*, &c. *adducet congregatio* seu הקהל *juvencum filium bovis pro peccato*, &c. *Et seniores* העדה seu *coetus* aut *congregationis imponent manus suas super caput juvenci*, &c. quod ad synedrium magnum attinere volunt, ut libro ostenditur tertio. Legitur, הורו בית דין וידע אחד מהן שטעו ואמ' להן טועין אתם או שלא היה מופלא של בית דין שם או שהיה אחד מהן גר או ממזר או נתין או זקן שלא ראה לו בנים הרי אלו פטורים שנאמר כאן עדה ונאמר להלן עדה מה עדה האמורה להלן עדה שיהיו כולן ראויים להוראה אף עדה האמורה כאן עדה שיהיו כולן ראויים להוראה: *Si quid synedrium* magnum *decreverit* (adeo publicum & omnium civium commune ut respublica universa decreto contineretur; nam de judiciis sive privatarum sive publicarum, quae personarum singularitate coercerentur, capiendum non est) *& cognoverit quisquam ex eis quod erraverint, & dixerit illis eos errasse, sive quoniam princeps synedrii non interérat, sive quia unus eorum erat proselytus aut Mamzer aut Nethinaeus, aut senex qui liberos sibi non vidit, ecce ii praecepto non tenentur* (seu, ut in exemplaribus nonnullis, הרי זו פטור *ecce synedrium hoc lege illa non tenetur) quippe tam posteriori in loco quam in priori legitur* עדה seu *coetus* aut *congregatio. Quid priori in loco denotat coetus ille* seu *congregatio? Totum certe coetum cujus collega nullus rebus decernendis impar. Ideo etiam posteriori in loco coetus ejusmodi tantum designatur cujus collega quilibet rebus decernendis idoneus.* Verba citavimus ad illud quod de jure liberorum affertur confirmandum. Quae sunt in eis alia, non ita aperta, explicatiora suo in loco[h] dabimus. Eunuchum autem, quantum video, hic ita secludunt tam illum quae סרים חמה *eunuchum solis*, uti vocitant, seu ἐκ κοιλίας μητρὸς[i] *ex ipsis natalibus*, quam סרים אדם *eunuchum ab homine factum*, castratum. Canonibus autem apostolorum dictis a seipso eviratus ordinatione interdicitur[k], uti & ante ordinatus gradu deponitur. Sed si ab aliis castratus, aut ab natalibus eunuchus quis esset, ordinationi satis admittitur; quod etiam in jus canonicum est admissum tam occidentalis quam orientalis ecclesiae. Quod ad aetatem spectat; cum aetas aut juvenilis sit aut senilis, suos utraque habuit interdum limites, e quibus cooptationis legitimae temperamenta sumpta. De senili aetate eorum qui primo cooptati aliquid jam dictum est. Sequentibus autem in seculis alii vigesimum praestituunt interdum annum, citra quem collegam neminem in synedrium sive magnum sive vigintitriumvirale aliquod ex moribus receptioribus cooptari rite potuisse volunt. Rabbi Abihu[l], nomine Rabbi Jochanan, ubi de judiciorum pecuniariorum & capitalium agitur discrimine, אף פחות, inquit, מבן עשרים ושלא הביא שתי שערות כשר בדיני ממונות ולא בדיני נפשות: *Etiam viginti annis minor, aut cui nondum excreverint bini pubertatis*[m] *pili, rite exercet judicia pecuniaria, neutiquam vero capitalia.* An vero exacto vigesimo anno aetatem[n] judiciis capitalibus idoneam statim esse censitam ab his qui sunt sic locuti definire nequeo. Nec tam quinam essent synedriis majoribus idonei, quam juveniles eorum qui judiciis pecuniariis, ut triumviri, rite praeesse per aetatem poterant, annos forte designare volebant. Nam etiam τῷ Rabbi Jochanan expressim tribuitur[o] sententia illa qua nemo cooptandus in synedria praeter בעלי זקנה *senes*, seu *qui juventutem exuerant.* Quin & glossa Talmudica neminem rebus decernendis ante annum quadragesimum idoneum ait fuisse[p], אינו ראוי להוראה עד שיהא בן

[y] Genes. i. 18. [z] Lib. 1. in Eutropium. [a] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 22. col. 2. Halach. 9. [b] Ad tit. eundem cap. 4. fol. 36, 6. [c] Deut. xiii. 6. [d] Tract. *Sanhedrin*, cap. 11. § 5. [e] Deut. xiii. 17. [f] Tit. *Horaioth*, cap. 1. [g] Levitic. iv. 13. [h] Libro tertio. [i] Matth. xix. 12. [k] Can. 21, 22. Dist. 55. cap. [illegible] Zonaras Balsamon in Canones, & Photius in Nomocanone, tit. 1. cap. 14. [l] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 22. col. 1. [m] Videsis lib. nost. de Successionib. in bona, cap. 9. [n] De anno vigesimo videsis D. Hieronym. in Trad. Hebraic. ad 1 Paralip. xxvii. [o] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 17. & ad tit. *Menachoth*, cap. 6. fol. 65, 1. [p] Ad Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 86, 1.

ארבעים שנה *Idoneus non erat rebus decernendis* (de creandis in presbyteralem ligandi & solvendi seu docendi tantum, non judicandi, facultatem, juxta superius dicta, loquitur) *antequam quadraginta annorum fiebat filius*. Sed quod de annis dictum est, ita regulariter tantum videtur servatum, ut ubi juris scientia insignior aetatem suppleret, etiam minores cooptarentur. Quod non solum elicere fas est ex eo quod habet Fl. Josephus [q] de pontificibus & primoribus sui temporis eum quartum decimum annum agentem de rebus juris difficilioribus consulere solitis, verum ex eo quod de Eleazare Ben Azaria legitur [r]; eum etiam in synedrium magnum (si bene capio) annum agens decimum tertium, ut volunt alii, sed, ut alii, decimum octavum, esse cooptatum; de quo etiam plura inferius. Quemadmodum autem juventutis, sic etiam senii habita ratio. Scilicet senex capularis seu per aetatem imbecillis minime cooptabatur. Maimonides & Moses Cotzensis de sene ejusmodi paulo superius loquuntur. Verba ibi afferimus. Caeterum non annorum numero, sed virium sive corporis sive animi defectu, contractum a senectute impedimentum definiebant: Non ubi aetas necdum debilitarat animi vires, mutaratve vigorem. Nam celeberrimus ille ac longaevus Rabban Jochanan Ben Zacai octogenarius in synedrorum illorum numerum cooptatus usque ad vigesimum supra centesimum aetatis annum judiciis intererat, tandem etiam synedrii magni princeps. Gemara Babylonia [s], כל שנותיו של רבן יוחנן בן זכאי ק״כ שנה ארבעים שנה עסק בפרקמטיא מ״ שנה למד מ״ שנה לימד: *Vixit Rabban Jochanan Ben Zacai annos* CXX. *Quadraginta exercuit mercaturam, quadraginta didicit*, seu studio legis sacrae incubuit, *quadraginta docuit*, & judiciis praefuit, seu, ut explicat Salomon Jarchius, נעשה דיין ומורה הוראות *factus est & judex & dogmatum & rerum* ligando, & solvendo, *decernendarum doctor*. Et Abraham Zacuthius [t]; שלשה היו ק״כ שנה כמשה רבינו ע״ה וראו זה את זה הי״ל ורבן יוחנן בן זכאי ורבי עקיבא *Tres fuere qui instar Mosis magistri nostri, in quem sit pax, vixerunt annos centum viginti, quorum etiam quisque alterum vidit. Hillel, & Rabban Jochanan Ben Zacai, & Rabbi Aquiba.* De principatu item Rabbi Jochanan paulo ante mortem luculentus ille testis est. Achiam Silonitem synedrum Davidi regi (ut volunt aliqui) in amplissimo illo tribunali, aetate, juxta magistrorum scita, hisce ferme quadrupla, praetermittimus. De eo autem obiter alibi inferius. Prospiciendum item erat ut essent cooptandi בעלי עושר [v] *divites*; ne fortunae bona eis deessent, seu הלק טוב *portio bona* (ut legitur in Gemara Hierosolymitana [x]) id est, opulentia ejusmodi quae munerum cupidinem ex inopia nasci solitam sedaret. Quin etiam corporis decor spectabatur. Unde in Gemara Babylonia [y], אין מושבין בסנהדרין אלא בעלי קומה ובעלי מראה *Locum in synedriis habere non debebant quibus statura decora non erat, aut vultus speciesque decora.* Et Maimonides [z]; צריך להשתדל ולבדוק ולחפש שיהיו כולן בעלי שיבה בעלי קומה ובעלי מראה *Oportuit diligentissima inquisitione prospicere ut essent universi* synedri jam dicti *sessione decora, decora statura, vultuque ac specie decora.*

V. Misna item de vitae morumque generibus aliquot loquitur, quibus si quis assuetior, tam testimonio quam judiciis inidoneus is habebatur, velut infamis. Verba sunt [a], ואלו הן הפסולין המשחק בקוביא ומלוים ברבית ומפריחי יוני וסוחרי שביעית *Inidonei sunt hi etiam qui ludere solent alea, foeneratores, qui columbas volare docent, quaestum facientes ex anni septimi seu remissionis anni frugibus.* Quadriga nempe haec infamiae Talmudicis receptissima. Id quod de alea vertimus, intelligitur de omnimodo ludi genere, quo, fortuna tantum judice, in lucrum colludebatur. Et exponitur קוביא per פסיפסין [b], quo tam latrunculorum, talorum, aliorumque id genus lusus qualiscunque, in quo ex sorte est victoria, quam aleae denotatur. Eodem fere modo quo in jure Caesareo *emptio aleae* pro emptione ejus de quo incertum est qualenam fuerit, veluti jactus retis, venationis, aucupii, id genus aliorum lucri, sumitur [c]. Ratio autem quare lusibus hujusmodi assueti a testimonio & judiciis, velut infames, arcendi fuerint, in hisce maxime ponebatur, tum quia de avaritia eorum inde praesumebatur, etiam & ipsa in lusu victoria lucrumque inde sequens velut ferme rapina est habitum, quia ex fortuna natum; tum quia ludi artesque ejusmodi bono publico nullatenus erant conducibiles. Certe & ex jure Caesareo [d], quod Justinianeum est, scimus etiam victum in aleae lusu non posse conveniri; &, si solverit, habere repetitionem tam ipsum quam haeredes ejus adversus victorem & ejus haeredes; datam item super aleae lusu cautionem irritam esse, & condici posse; ludisque caeteris alios praescribi similiter modos. Posteriorem autem rationem ita ex veterum scitis compendiose exhibet R. Obadias Bartenorius [e]; *Rejiciendus est*, inquit, *aleator*, לפי שאינו מתעסק בישובו של עולם ואסור לאדם שיתעסק בעולמו אלא או בתורה וגמילות חסדים או בסחורה ואומנות ומלאכה שיש בהן ישובו של עולם: *quoniam non assuescit rebus quae ad firmitudinem seculi spectant*, seu quae sunt societati humanae utiles: *Nam illicitum habetur homini omnino se exercere aliis in rebus praeter legem, & beneficiorum retributionem* seu charitatem, ac humanitatis officia, *aut mercaturam, & artificia atque opera quae bono publico conducant.* Quod quidem sic, juxta vetustiorum mentem, dictum non solum ad aleatores, sed pariter ad eos qui columbas volare docent, spectat. Foeneratorum nomine non solum continetur hic המלוה [f] seu *qui*

[q] In Vita sua. [r] R. Gedalia in *Shalsheleth*, fol. 27, 1. *Sepher Juchasin*, fol. 20, 2. & 22, 1. [s] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 5. fol. 41 1. & ad tit. *Rosh Hashena*, cap. 5. fol 31, 2. [t] *Sepher Juchasin*, fol. 20. [v] Mos. Mikotzi Praecept. Affirm. 97. [x] Ad tit *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 3. [y] Ad tit. *Menachoth*, cap. 6. fol. 65, 1. & tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol 17, 1. [z] Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. [a] Tit. *Sanhedrin*, cap. 3. & tit *Rosh Hashena*, cap 1. §. penult. & tit *Shebuoth*, cap. 7. Gloss & Obadias Bartenorius, alii ad locum tituli *Sanhedrin*. [b] Gemar. Hierosolymit. ad tit *Sanhedrin*, cap. 3. fol. 21. col. 1. Halach. 6. ad tit. *Shebuoth*, cap. 7. fol. 37. col 4. Halach. 4. & ad tit. *Rosh Hashena*, cap. 1 fol. 27. col. 2. Hal. 9. Adde, praeter Babylonios & commentarios caeteros, *Baal Aruch* ve h. קביא. & vide Grotium ad Deuteron. xvii. 6. [c] L. 10. D. de Contrahend. emptione, & l. 7. de Haereditate, vel actione vendita, &c. [d] L. 1. C. de Aleatoribus. [e] Ad Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 3. §. 3. juxta Gem. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 3. fol. 24, 25. [f] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap 3 fol. 25.

mutuo dat foenore, verum etiam הלוה *qui mutuo accipit*. Nam ad utrumque interdicta sacra de foenore attinere scribunt. Ad hunc in Deuteronomio[g]; ad illum in Levitico[h]. Sed de aleae lusu, uti & de foeneratoribus & columbas volare docentibus, idque genus aliis, quoniam alibi[i] affatim diximus, plura hic adjicere supersedemus. Frugum anni septimi usus in lege sacra habetur[k]; *Quies terrae erit vobis* לאכלה *in escam*. Sed in aliis existimabant si quis fruges illas nundinari soleret. In Misna[l] autem adjicitur hic ex sententia Rabbi Jehudae, quae & receptior est, אימתי בזמן שאין להן אומנות אלא הוא אבל יש להן אומנות שלא הוא כשרין *Quando & in quantum hoc obtinet?* (id totum scilicet quod de eis qui ob infamias jam dictas tum a judiciis tum a testimonio sunt arcendi) *Tunc obtinet, ubi artem aliam exercere non solet eorum quisquam praeter hanc ipsam qua infamia ejusmodi contrahitur. Quod si aliam exerceat, satis est idoneus* tam judex quam testis. Nempe si aliam artem ex eis שיש בהן ישובו של עולם, *quae bono publico conducant*, coleret. Summa est, illos fuisse tantum hic rejiciendos quorum studia in artibus illis sive vetitis sive ludicris sola ac assidua, haud alia admittebant; non vero quicunque earum alicui se casu aut obiter interdum implicaverant, studiis ac artibus aliis humanae societati non inutilibus interea operam navantes. Quin adnotant Gemaristae, quanam ratione de bonae mentis famaeque reditu hic esset praesumendum, adeo ut omnimodum ex artibus hisce infamibus contractum vitium inde deletum haberetur. De aleatore Gemara Hierosolymitana[m], uti & de foeneratore, לעולם אין מקבלין אותו עד שישבר כסיפסיו או יקרע שטרותיו ויבדק ויחזרו בהן חזרה גמורה: *Nunquam admittebatur aleator priusquam confregerat supellectilem aleatoriam*, penitus rejecerat; *nec foenerator, priusquam instrumenta foenebria dilaceraverat, idque exploratum & apertum satis fecerat, adeoque pristinum vitae genus ex animo omnino exuerat.* Sic etiam Babylonii[n]; qui simul cum Hierosolymitanis itidem de columbarum nutritoribus, ואימתי חזרתן משישברו את פגמיהן ויחזרו בהן חזרה גמורה *Undenam fiebat ut ii vitio hoc censerentur immunes? Postquam caveis* quibus columbae custoditae circumvectaeque *confractis, pristinum vitae genus ex animo omnino exuerent.* Scilicet postquam nec in hisce nec in aleatoribus aut foeneratoribus vitae anteactae reliquiarum vestigium restaret ullum. Et tandem de septimi anni seu sabbatici frugum mercatura, ואימתי חזרתן משתגיע שביעית אחרת ויבדלו *Undenam fiebat ut ii hoc vitio censerentur liberi? Postquam, accedente anno alio sabbatico, renunciatus esset ab eis mori priori*; seu, ut Hierosolymitani, אין מקבלין אותו עד שתעבור שביעית אחרת ויבדק ויחזור בו חזרה גמורה *Non admittebantur homines ejusmodi, antequam accedente anno alio sabbatico palam constaret eos vitae pristinae genus ex sponte omnino exuisse.* Sic Talmudici. Legitur quidem apud Alciatum (ubi de opificibus existimationis vilioris, quales Aristoteli[o] dicuntur ζῶντες ἀπὸ τῶν χειρῶν, χερνῆτες, & βάναυσοι, *mercenarii*, in judiciaria collegia aut munera, ex eodem autore, non admittendis loquitur) *ejusmodi*[p] *legem apud Hebraeos quoque fuisse ostenditur Ecclesiastici cap.* XXXVIII. *ubi de pigmentariis, pictoribus, fusoribus, architectis, fabris, & figulis verba faciens, in ecclesiam, inquit*[q], *non transilient, & super cathedram judicis non sedebunt.* Vulgata ibi, *Sine his omnibus non aedificatur civitas. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in ecclesiam non transilient. Super sellam judicis non sedebunt, & testamentum judicii non intelligent, neque palam facient disciplinam & judicium.* Quod quidem Graecis Complutensibus, regiis, aliis aliquot, consonum est. Ἄνευ αὐτῶν οὐκ οἰκισθήσεται πόλις, καὶ οὐ παροικήσουσιν, οὐδὲ περιπατήσουσιν. Καὶ ἐν βουλῇ λαοῦ οὐ ζητηθήσονται, καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ οὐχ ὑπεραλοῦνται. Ἐπὶ δίφρον δικαστῶν οὐ καθιοῦνται, καὶ διαθήκην κρίματος οὐ διανοηθήσονται, οὐδὲ μὴ ἐκφάνωσι δικαιοσύνην καὶ κρίμα. Aliis in editionibus Graecis nihilo de δίφρῳ δικαστοῦ, *judicis sella*, reperto. Textus ibi satis incertus. Nec quidem aliud innuere videtur illic Syracides quam oratorie satis artifices ejusmodi, ex artificio, judiciis nequaquam esse idoneos; quod etiam ex commate ibi ultimo eliciendum. Sane judiciis inde arcendos illos fuisse, ut vult Alciatus, modo alias idonei essent (comparantur enim tantum cum legis studiosis, ut multo praestantioribus; ipsis interim artificiis suis duntaxat dediti) non omnino liquet. Atque Talmudicae doctrinae, eo sensu, adversissimum est: Ex illa enim nulla omnino ejusmodi habetur in synedris adsciscendis exceptio. Syrus quidem illic, ut caetera Graecae & Latinae versionis, habet ܘܥܠ ܟܘܪܣܝܐ ܕܕܝܢܐ ܠܐ ܢܬܒܘܢ *nec super solium judicum sedebunt*, uti & Arabs, ولا يجلسون على كرسي idem significans.

VI. At vero quantum ad triumvirales consessus, omnia quae synedriis majoribus necessaria (quantum fieri potuerit) juxta ante dicta censebantur, haud itidem in eis pariter necessaria. Eorum, ait Maimonides[r], collegas (quoties scilicet non ordinati sufficiebant) omnes legitime satis constitutos fuisse tametsi essent deformes, ut monoculi, שאין כן בסנהדרין אבל הסומא בשתי עיניו פסול לכל *Quod non dicendum de synedriorum majorum collegis. Sed plane caecus*, seu *utroque privatus oculo, nec in triumvirale forum, nedum in synedrium* majus *legitime cooptabatur.* Unde nec ordinationis formula generali in potestatem judiciariam evehendus erat sive caecus sive monoculus, aliusve membris mutilatus. Hic nempe capitalibus, ille etiam judiciis omnibus, impar erat. ואין סומכין אותו לדון דיני ממונות שאינו ראוי לכל הדברים וכן כל כיוצא בזה quae verba sunt Maimonidis[s]; id est, *Manuum impositione eum non ordinabant* monoculum, *ne quidem ut judiciis pecuniariis praeficeretur. Quod ideo non factum quia ejusmodi erat* ex defectu membri *ut omnibus rebus judex idoneus esse nequiret. Idque in caeteris id genus observabatur.*

g Cap. xxiii. 19. h Levit. xxv. 37. Videsis ibid. Sal. Jarchium, Mosem Kotzens. in Praecept. Negat. 193. praeter commentarios ad supra e Talmude loca indicatos. i De Jure Naturali & Gentium, lib. 4. cap. 5. & lib. 6. cap. 11. k Levit. xxv. 6. l Tit. *Sanhedrin*, cap. 3. m Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 3. fol. 21. col. 1. Halacha. 6. n Ib. fol. 25. 2. o Politic. 3. cap. 3. p Ad D. tit. De Verb. signific. l. 207. q Commate 37 Lat. 43 Graec. r Tract. *Sanhedrin*, cap. 2. s Halach. *Sanhedrin*, cap. 4. §. 7.

tur. Atque idem illic, poſt cooptandorum in ſynedria majora qualitatum enumerationem; בית דין של שלשה אף על פי שאין מדקדקין בהן בכל אלו הדברים צריך שיהא בכל אחד מהן שבעה דברים ואלו הן׃ חכמה׃ ועניה׃ ויראה׃ ושנאת ממון׃ ואהבת האמת׃ ואהבת הבריות להן ובעלי שם טוב׃ *Tametſi omnia illa quae* de ſynedriis majoribus *dicta ſunt, haud exigenda* aut *exſpectanda erant in conſeſſibus triumviralibus, attamen neceſſariae etiam* qua fieri potuerit *in eorundem* (ſaltem publice conſtitutorum) *ſynedris quibuſlibet res ſeptem, quae hae ſunt; ſapientia, humilitas, timor* Dei, *opum contemptus, veritatis amor, hominum amor etiam erga eos,* & *fama bona.* Et fundari ait has ſeptem lege ſacra ubi [t] de ſynedris agitur Jethroneis. Idem paulo poſt, בית דין של שלשה שיהיה אחד מהן גר הרי זה פסול עד שתהיה אמו מישראל והיה אחד ממזר אפילו שלשתן ממזרים הרי אלו כשרין לדון׃ *Conſeſſus triumviralis* publicus *cui unicus ineſſet proſelytus* (ſive ipſe in Judaiſmum primo adſcitus, ſive e parentibus proſelytis natus) *plane illegitimus erat, niſi mater ejus fuiſſet Iſraelitis. Si unicus in illo eſſet Mamzer, etiam ſi omnes Mamzeres, ſatis legitimus erat.* Mamzeres, ex damnato coitu inter Iſraelitas oriundi.

VII. Eminentia autem regia adeo ſingularis illis hic habita, ut regulariter regem locum habere in ſynedrio ullo legitimum nollent. Maimonides [v], אין מושיבין מלך ישראל בסנהדרין שאסור להלוק עליו ולמרות את דברו. אבל מושיבין כהן גדול אם היה ראוי בחכמה׃ מלכי בית דוד אף על פי שאין מושיבין אותם בסנהדרין יושבין ודנים הם העם וגו׳׃ *Non adſciſcitur rex Iſraelis in ſynedrium, quoniam non permittitur ab eo diſſentire, aut contradicere verbo ejus. Sed tamen adſciſcunt pontificem maximum, ſi modo ſapientia ejus dignitati non ſit impar. Reges ſtirpis Davidicae* Judaeae, *tametſi nec ipſos in ſynedrium adſciſcere ſolerent, tamen ſedebant etiam ipſi,* & *judicabant populum,* &c. Et de eorum judiciis plura inferius ubi de extraordinariis ſynedriis & tribunalibus agimus. Juxta quidem ac Maimonides, Moſes Mikotzi [x], alii. Etiam hac de re in corporibus Talmudicis varia. Gemara Hieroſolymitana, ad illud [y] de pontifice maximo judicando & judicante (ſed non ut perpetuo ſive principe ſive adſeſſore ſynedrii magni; licet id etiam de principatus ejus illic dignitate ac praerogativa temere nimis ac moroſius a viris alioquin doctiſſimis, nec raro, aſſeratur; qua de re inferius plura) & de rege nec judicante nec judicando; נישמעינה [z] מהדא אין מלך יושב בסנהדרין ולא מלך וכהן גדול בעיבור רבי חנינה ורבי מנא הד אמר אין מלך יושב בסנהדרין מפני החשד ולא בעיבור מפני החשד ולא מלך וכהן גדול יושבין בעיבור שאין כבוד המלך לישב בשבעה תא חמי בשבעה אין כבודו לישב לא כל שכן בשלשה הדא אמרת דיני ממונות שלו בעשרים ושלשה׃ *Ediſcendum hinc, locum* regulariter *regi neutiquam fuiſſe in ſynedrio, nec ſive regi ſive pontifici maximo in intercalationis* & *phaſium lunarium negotio* (quod a collegis aliquot ſynedrii magni, veluti ſeptem, ſeu, ut interdum volunt, tribus, ſynedrii autoritate ſelectis aut permitti ex more ſolitis praeſtari ſolebat; qua de re alibi [a] diximus) *Rabbi Chanina* & *Rabbi Mina dixere, regi locum negari in ſynedrio, ſuſpicionis cauſa, uti* & *in negotio intercalationis* & *phaſium, cauſa ſuſpicionis* (facile enim ſuſpicabantur, eminentia regia conſeſſores flexos iri) *ſed vero nec regi nec pontifici maximo locus in negotio intercalationis, quoniam dignitati regi non convenit conſidere cum numero ſeptenario: Sed, quicquid de ſeptenario ſtatuendum fuerit, multo minus in triumvirali conſeſſu. Unde eliciendum, etiam judicia ejus pecuniaria habenda in vigintitriumvirali conſeſſu.* Gemara item Babylonia [b], אין מושיבין מלך בסנהדרין לא מלך וכהן גדול בעיבור שנה וגו׳ *Adſciſci non ſolebat rex in ſynedrium, nec rex nec pontifex maximus in negotium intercalandi anni,* &c. De intercalatione rationes inde alibi [c] oſtendimus. Sed adjicitur hic etiam alia ratio cur in ſynedrium rex non adſcitus; דכתב לא תענה על ריב לא תענה על רב *Quoniam ſcriptum eſt* [d], *Non reſpondebis contra magiſtrum* ſeu *dominum* tuum; per alluſionem & variantem lectionem vocis רב, ut in origine ſine Jod ſcriptae; quae ita per ſe *magiſtrum* ſeu *dominum* ſignificans, inde velut ex cognatione ſoni affertur velut monitum de eo quod veriſimiliter ſatis eveniret ob eminentiam regiam, quae ſic ſuffragia libera praepediret. Conſonum ſatis eſt ei quod ante ex Hieroſolymitanis affertur de ſuſpicione. Atque hoc inprimis de iis quae dicta ſunt de numero judicum triumviralium, vigintitriumviralium, aliiſque aliquot rebus eorum ſynedrialibus, adeoque hiſce de rege, advertendum eſt, eas ex majorum ſcitis ac decretis aliter atque aliter pro ſeculorum diſcrimine ſe, ut fieri amat, habentibus pependiſſe, adeoque quicquid ex praecepto divino neutiquam ſtabilitum eſſet, ut in aliis ſic in hiſce, variatim mutaſſe. Adeoque quod de regibus in ſynedria non cooptandis ante dicitur, ita videtur intelligendum, ut nec in collegae promiſcui ſive magni ſive minorum, nec in minorum ſive principis ſive patris, locum omnino adſciſcendus eſſet rex; idque ob dignitatem ejus ſummam; cum interim ſynedrio magno ut principem quandoque eum legitime praefuiſſe agnoſcant (quod generali cooptandorum nomine commode non venit) ut videre eſt in eis quae mox capite traduntur decimo ſexto [e] de ejuſdem principum ſucceſſione, ubi & Saulis & Davidis ut principum ejuſdem fit mentio. Et quod habent de rege Iſraelis ut a rege domus Davidicae diſcriminato (nam domus Davidicae reges & judicare [f] rite potuiſſe agnoſcunt) ſumendum eſt de regibus illis Haſmonaicis, ſeu ex domu Levitica, non Davidica, qui circa annos 150 ante Chriſtum incepere. Scilicet ſub eis, nec ante, obortum eſt effatum illud Talmudicum de rege Iſraelis nec judicante nec judicando; quod non ad alios ſeu veteres ex ſtirpe Judae reges omnino ſpectare volunt magiſtri. Ideoque cum neminem in poteſtatem judiciariam legitime admitti vellent qui ipſe judiciis ſe non profiteretur cum aliis pariter eſſe obnoxium, (qua de re etiam inferius [g]) & cum viderent etiam regem Haſmonaicum judicio ſynedrii magni ſe im-

[t] Exod. xviii 21. Deuter. 1. 13. [v] Tit. *Sanhedrin*, cap 2 § [illegible] [x] Praecept. Affirm [illegible] fol. 165. col. 3. [y] Mena tit *Sanhedrin*, [illegible] 2 [z] Fol 19. col. 4. [a] [illegible] Anno Civ. [illegible] cap. 11. [b] Ad tit [illegible] cap. 1. fol. 18, 2. [c] Lib. de Anno Civ. [illegible], cap. 11. [d] Exod. xxiii. 2. [e] § 4, 5. [f] Vide cap. 10 § 5. [g] Cap. 10 § 6.

periofe

periose subtrahentem, pronunciatum illud de nec judicante (legitime) nec judicando natum est, adeoque simul illud de nullo regi ejusmodi, juxta eorum scita, in synedrio loco legitimo. Qua de re plura capite decimo quarto [h].

CAP. X.

I. *De singulari reverentia principi & patri synedriorum exhiberi solita. Aliis item collegis.*

II. *Tempora consessionis usitatiora. Deliberandi tempora & loca. Dies festi, horae, nox, feriae. Constitutio apostolica dicta, moris Ebraici imitatrix. Dilatio sententiae condemnatoriae in judiciis capitalibus in crastinum.*

III. *De vigintitriumvirorum jurisdictione.*

IV. *Triumvirorum jurisdictio.*

V. *Personae jurisdictionibus jam dictis obnoxiae. De rege. Tam sacra quam profana etiam ad vigintitriumviros & triumviros attinuere.*

VI. *Pontifex maximus, judiciis ordinariis etiam obnoxius.*

VII. *Procurator litis pontificis maximi institui jure singulari solitus. Et de nomine ejus in Gemara Hierosolymitana,* אנטלר *enteler, entoler.* Ἐντολεὺς, *vox Graecis jurisconsultis in usu, unde in Rabbinismum recepta. Gemara Hierosolymitana &* Sepher Siphra *emendati. De juramento nomine pontificis per Procuratorem praestando.*

VIII. *Conjectura de lectione* אנטלר *& ejusdem scriptione* אנטלס, *id est* ἐντολεὺς· *Forte etiam ex* ἐντολεὺρ *Dorice pro* ἐντολεὺς *pronunciato, aut potius* ἐντολὴς *in eadem dialecto in* ἐντολὴρ *mutato.*

DE principis synedriorum & patris dignitate ante dictum est. Ad singularem autem eorum honorem majestatemque attinet quod habent Talmudici de summa eis reverentia publicitus exhibita, qua excipi solebant quoties conventus aliquos sive juridicos sive sacros introirent. Gemara Babylonia [i]; ת"ר כשנשיא נכנס כל העם עומדים ואין יושבין עד שאומר להם שבו כשאב ב"ד נכנס עושים לו שורה אחת מכאן ושורה אחת מכאן עד שישב כשחכם נכנס אחד יושב ואחד עומד עד שישב במקומו: *Traditio est Rabbinica, universum populum assurgere solitos quoties ingrediebatur princeps, nec resedisse usque dum dixerat ille eis, sedete. Quando pater synedrii ingrediebatur, faciebant ei semitam alterutrinque, usque dum loco suo consederat. Sapiens cum ingrediebatur* (intelligo de caeteris, seu dignitatis forensis collegis) *alter sedebat, & alter stabat,* (quisque vice sua in transitu ejus assurgebat) *usque dum suo consederat loco.* Idem sed paulo expressius in Gemara Hierosolymitana [k], כשנשיא נכנס כל העם עומדים מפניו ואין רשות לאחד מהן לישב עד שיאמר שבו אב ב"ד שנכנס עושין לו שורות רצה נכנס בזו רצה נכנס בזו חכם שנכנס· אחד עומד ואחד יושב אחד עומד ואחד יושב עד שמגיע ויושב לו במקומו: *Quoties ingrediebatur princeps, universus assurgebat populus simul ac conspiciebatur; nec residere cuiquam licuit antequam dixerat ille, sedete. Pater synedrii quoties ingrediebatur, faciebant ei semitas* binas, *adeo ut sive per hanc sive per illam pro arbitrio transire posset. Ingrediente autem sapiente* (qualem diximus) *alter stabat, alter sedebat, & alter stabat, alter sedebat, usque dum pertransierat & loco suo consederat.*

II. Tempora sessionum solennia fuere, aut in quibus rite judicabant decernebantque synedri, idque in locis sibi usitatioribus & propriis, aut in quibus conveniebant quidem & de rebus emergentibus, ut fieri assolet, deliberabant, minime vero judicia exercebant forensia aliqua. Posterioris hic generis tempora sunt sabbata & dies alii festi, quibus considere solebat synedrium magnum, non in conclavi illo lapideo, seu *liskath hagazith*, de quo superius dictum est, sed בחיל *ad antemurale* templi circa introitum montis situm. Expressim Gemara Bebylonia [l]; בשבתות ובימים טובים יושבין בחיל *Sabbatis & diebus festis consident ad antemurale.* Locum illum explicant Maimonides [m] & Cotzensis [n] per בית המדרש שבהר הבית *in auditorio* seu *schola quae in monte templi.* Alii eos sequuntur. Quin & eadem ipsa verba habet de auditorio illo Gemara [o] Hierosolymitana. Sedendi autem illic ratio erat, quia cum dies illi fasti seu juridici non essent, in loco suo judiciis adeo peculiari tunc considere nolebant, nec quidem ad deliberandum pro re nata aut amicius confabulandum, ne viderentur saltem judicia contra morem tempore interdicto [p] exercere. Ideo pro libitu, seposita omnimoda judiciorum rerumque forensium definitionis ratione, illuc diebus jam dictis convenire solebant; dum interea conclave illud *hagazith* judiciis eorum singulare manebat quamdiu inde non migrarunt; qua de re inferius. Et expressim aiunt [q] in sabbatis & diebus festis לא דנין *judicia forensia exercenda non erant*, seu dies illi ex more recepto juridici neutiquam erant. Idem de aliis aliquot statuebatur; & גזירה שמא יכתוב *ita decretum est ne scriptum* (sine quo judicia peragi haud commode quirent ulla) diebus illis, opus scilicet, *fieret.* Nec dubitandum quin synedria & consessus alii juridici tantundem suis in locis observarent. Tempora sessionis, prioris generis, aut horis designantur aut diebus. A tempore matutino usque ad horam octavam & dimidiam (horis inaequalibus, quas planetarias & antiquas vocant, Ebraeos fuisse usos, adeoque duodecim cuilibet nocti

[h] §. 1. [i] Ad tit. *Horaioth*, cap. 3. fol 13, 2. [k] Ad tit. *Bicurim*, cap 3 fol 65. col 3 §. 3. [l] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 88, 1. [m] Hilc. *Sanhedrin*, cap. 3. [n] Praecept. Affirm 97. fol. 186 col. 4. [o] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol 19. col. 3. [p] Glossa ad citatam Gemaram. [q] Misna tit. *Biza*, seu *Jom Tob*, cap. 5. Maimonid. Hilc. *Sabbath*, cap. 23.

civili,

ivili, dieique totidem tribuiſſe palam eſt) id ſt circa horas ſeptem & dimidiam, ſi recte calulum ineo, ſynedrium magnum conſidebat in onclavi illo ſaxeo, ſeu loco uſitatiori atque udiciis proprio. Nimirum utraque in Gemara [r] e eo legitur, היו יושבין כתמיד של שחר עד תמיד של בין הערבים *Conſidebant* ibi *a jugi ſacrificio matutino uſque ad juge ſacrificium pomeridianum*, ſeu *veſpertinum*. Si a matutino finito ad inchoatum veſpertinum (quod veriſimillimum videtur) horae ſeſſionis putandae unt, numerus jam dictus recte ſatis ſtatuitur. In pſo enim crepuſculo matutino inchoabatur juge acrificium [s]. Tum ſcilicet mactatum, mox offeebatur. Veſpertinum autem ſacrificium juge, מושחט בשמונה ומחצה וקרב בתשע ומחצה *immolari* [t] *ſolitum eſt hora octava & dimidia, offerri nona & dimidia.* Haec tantum fere accedit exceptio ; in paraſceve paſchatis, ob ſacrum temporis peculiare, hora unica antevertiſſe ſacrificium hoc, ſi incideret in diem profeſtum aut in abbatum : Quod ſi incideret in pridie ſabbati, etiam binis. Circa horam igitur pomeridianam ecundam & dimidiam juxta vulgarem nobis horarum calculum, e conclavi diſcedere ſolebant ; caeteris ſynedriis, ſeu minoribus etiam & triumviralibus, non ultra ſextam [v], ſeu ipſum meridiei momentum, quod duodecima nobis eſt, pleumque conſidentibus. Quae ſic ſunt omnia intelligenda, ut pro rerum gravitate diutius etiam n noctem interdum [x] conſeſſum protraherent ; etiam & noctu in cauſis civilibus verberum ac mulctatitiis, poſt cauſam ſatis ventilatam, ſententiam, ſed non omnino noctu in capitalibus, ferrent. Sed nec quidem judicia civilia, nedum capitalia, incipienda erant, id eſt eorum actiones diſceptationesve haud ordiendae, noctu. Maimonides [y], אין מתחילין את הדינין בלילה כפי השמועה למדו שהדינין כנגעים שנא׳ כל ריב וכל נגע מה ראיית נגעים ביום בלבד אף הדינין ביום׃ וכן אין מקבלי׳ עדות ואין מקיימין שטרות בלילה ובדיני ממונות אם התחילו ביום מותר לגמור הדין בלילה׃ הנחלות כדינין שנאמ׳ בהן לחוקת משפט לפיכך אין מפלין נחלות בלילה׃ *Non inchoabant judicia civilia noctu; unde obſervandum judicia habita eſſe ut plagas, ſecundum quod ſcriptum eſt* [z], *Omnis cauſa atque plaga. Ut inſpectio plagarum interdiu facienda tantum, ita etiam judicia in die exercenda. Nec ideo recipiebant teſtes, nec contractus inibant noctu. Caeterum ſi judicia civilia interdiu inchoarentur, fas erat ea noctu perficere. Haereditates inſtar judiciorum ſunt, juxta quod ſcriptum eſt* [a] de eis, *in decretum judicii, unde minime adibant aut partiebantur haereditates noctu.* Etiam de tempore nocturno circa juriſdictionis contentioſae judicia, ejuſmodi obtinet apud juriſconſultos Caeſareos ſententia, ſed diverſimode interim admiſſa; qua de re videſis prae aliis Polydorum Ripam [b]. Horae tandem ſolenniores fuere tam magno quam minoribus quas jam diximus. Quaenam fuerint feriae judiciis ſynedrii magni ejuſque ſeſſioni prae aliis peculiares neſcio, niſi aſſignandae ſint ei ipſae quae & caeteris ſynedriis foriſque. Ante Ezram, ſeu ſub templo primo, indiſcriminatim quolibet die profaſto conſidebant judices. Ab eo ejuſque ſynedrio magno decretum eſt [c] ut in poſterum ſecunda & quinta feria, ſeu die lunae & jovis, qualibet in hebdomade (quoties feſti dies non eſſent) ſeſſiones haberentur. Unde illud [d], פעמים בשבת בתי דינין יושבין בעיירות ביום השני וביום החמישי *Bis in hebdomade conſidere ſolent ſynedria per urbes, feria ſecunda & feria quinta.* Non quod hiſce duntaxat diebus conſiderent, ſed quod hiſce ſeſſio neceſſario atque ex decreto ſingulari ſub templo ſecundo eſſet habenda: adeo ut pro rerum momentis alio quolibet die profeſto tam poſt Ezram quam ante cum judicia exerceri poſſent omnimoda quae capitalia non eſſent ; etiam & capitalia in quolibet profeſto qui nec ſabbato nec feſto diei eſſet pridianus. Id quod manifeſtum videtur ex illis Miſnae [e]; דיני ממונות גומרים בו ביום בין לזכות בין לחובה דיני נפשות גומרין בו ביום לזכות וביום שלאחריו לחובה לפיכך אין דנין לא בע״ש ולא בע״ט׃ *Judicia pecuniaria ſive abſolutoria ſive damnatoria ſententia eodem finienda erant die* (quod intelligendum, quoties de lite ſatis liqueret, neque tunc ſententiam omnino comperendinandam) *judicia vero capitalia ſententia abſolutoria* (ubi res ſatis manifeſta erat) *eodem quidem die finiri poterant, ſed damnatoria, in craſtino erant finienda* (ſcilicet quemadmodum eodem die quo incepta ſunt judicia capitalia, damnatoria finiri ex more non debebant, utcunque de crimine liqueret, ita nec ultra craſtinum, quando aut nil praeter, ſententiarum calculum in foro faciundum reſtaret, aut cuncti in damnatoriam ſatis conſentirent, ſententiae pronunciatio erat differenda) *unde evenit ut judicia non exercerent* capitalia *pridie ſabbati aut pridie feſti alicujus.* Ne ſententia damnatoria in biduum differretur, ſeu ultra craſtinum. Nam ſabbata ac dies feſti juridici non erant, ut ante oſtenſum eſt. Nec poenae in eis infligendae, quae ſtatim ſententiam ſequi ſolebant. At interea ex hiſce patet, ſeſſiones haberi potuiſſe etiam feria ſexta, tametſi judiciis capitalibus tunc, uti & pridie cujuſlibet diei feſti, eſſet abſtinendum. Quin expreſſim aiunt de capitalis criminis pridie ſabbati accuſato [f], אוסרין אותו עד אחר בשבת ומתחלין דינו *cuſtodiae eum tradebant uſque in feriam primam ſequentis hebdomadis, atque tunc de eo cognoſcere incipiebant*, ſeu judicium ejus inchoabant. Ita etiam feria prima ſeſſio ac judicium interdum habebatur legitimum. Sed vero in judiciis eorum qualibuſcunque, etiam tam extra terram quam intra, feriae illae, ſecunda & quinta, ut ſtatae obſervabantur. Atque hinc morem hunc Judaicum veterem ſpectaſſe, haud videtur dubitandum, illud de feriis judiciorum chriſtianorum ſeculis in primitivis, dum communio tanta erat & nominis & morum Judaeorum chriſtianorumque, & ex diſciplina, quam toties diximus, confoederata, aut indultu principum, exer-

[r] Hieroſolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 3. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 88, 1. Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 3. Cotzenſ. Praec. aff. 97. fol 186. col. 3. [s] Miſn. tit. *Thamid*, cap. 3. & Maimonid. Halach. *Thamidin Wemoſaphin*, cap 1. [t] Miſn tit. *Peſachim*, cap. 5. Maimonid. loco citato. [v] Praeter citata, vide Gemar. Babylon ad tit. *Sabbath*, c. 1. fol. 10. [x] Miſn. tit. *Sanhedrin*, cap. 4. & Maimonid Halach. *Sanhedrin*, cap. 3. [y] Tit. *Sanhedrin*, cap 3 §. 3. [z] Deuter. xxi 5. [a] Numer. xxvii. 11. [b] Lib. de nocturno tempore, cap. 122. [c] Gemar. Babyl tit *Baba Kama*, cap 7. fol. 82, 1. [d] Miſn. tit. *Cethuboth*, cap. 1. & vide Gemaram Babylon. ib. fol. 3, 1 & Maimonid. Halach. *Iſhoth*, cap 10. [e] Tit. *Sanhedrin*, cap. 4 & 5. & videſis finem capitis 3. Moſ. Cotzenſis praecept. aff. 98. fol 188. col. 1. [f] Maimonid. Halach. *Sanhedrin*. cap. 11. & Cotzenſis, loco citato.

cebant aut ſaltem imitabantur judicia forenſia inter ſe chriſtiani illi. Nempe in conſtitutionibus apoſtolicis dictis (quae ut apoſtolis ipſis omnino recentiores, ita ſeculis in illis vetuſtis proculdubio natae ſunt) legitur [g], Τὰ δικαστήρια ὑμῶν γινέσθω δευτέρᾳ σαββάτων, ὅπως ἐὰν ἀντιλογία τῇ ἀποφάσει ὑμῶν γένηται, ἕως σαββάτου ἔχοντες ἄδειαν δυνηθῆτε εὐθῦναι τὴν ἀντιλογίαν, καὶ εἰρηνεῦσαι εἰς τὴν κυριακὴν τοὺς διαφερομένους πρὸς ἀλλήλους, *Fiant judicia veſtra in ſecunda ſabbatorum*, id eſt die lunae, *ut ſi forte adverſari quidquam reperiatur ſententiae latae, libere poſſitis recte de* eo denuo deliberando *ſtabilire, & litigantes in pace retinere uſque in diem dominicum.* Ad judiciarium etiam Ebraeorum tempus attinet illud [h] quod traditur de nocturna (ſed non in foro) judicum conſultatione poſtquam ſive reum morte damnandum eſſe cunctis videretur, ſive in foro ſic rem capitalem agitaſſent ut reſtaret duntaxat ſententiarum diverſarum calculus die craſtino ineundus; מזדווגין זוגות זוגות וממעטין במאכל ולא היו שותין יין כל היום ונושאין ונותנין בדבר כל הלילה ולמחרת משכימין ובאין לב״ד *Per ſe eorum paria conveniunt, ac pauculum ſumentes cibum, nec vinum in die illo omnino bibentes, inter ſe de cauſa conferunt tota nocte illa; & conſentientes die craſtino in ſynedrium revertunt*; ad ſententias ſcilicet rite pronunciandas; quas ut omni temeritate ita & incommodo epulari ſic carere volebant. Reus interea cuſtodiae tradebatur. Quae autem regulariter hic dicta ſunt de ſeſſionis tempore exceptiones admittunt in re neomeniarum ſive ſanctificandarum ſive abſque ſanctificatione praeſtituendarum, quam etiam dies feſtos, ſabbata, etiam & horas ſerotinas ſubinde occupaſſe neceſſum eſt, ut ex ipſa ejuſce natura ſatis eſt manifeſtum.

III. Imperium & juriſdictio jam oſtenſorum ſynedriorum apud Ebraeos omnium, uti & ſimilium apud alias paſſim gentes, quemadmodum & ipſa res poſtulat, verſabatur circa perſonas & res: quantum ad res, circa judicia civilia vocitari ſolita, alioſque actus aliquot civiles ſacroſque praeſtandos, item circa דיני קנסות *poenalia judicia* illis conjuncta, & demum דיני נפשות ſeu *capitalia*. Civilia autem hic, plerumque דיני ממונות dicta ſeu *judicia pecuniaria* (veluti condictiones rei, id genus actiones caeterae) juriſdictionis erant contentioſae alia; alia item juriſdictionis, uti vocant, voluntariae, veluti leviri renuntiatio, ordinatio in presbyteratum, excommunicationis abſolutio, & quae ſunt id genus reliqua. Perſonae hic ſunt juxta eorum diſciplinam, etiam rex, pontifex magnus, ſacerdotes, reliqui Levitae, Iſraelitae originarii, proſelyti juſtitiae ſeu gentiles in Judaiſmum ſive ex ſe ſive per parentum circumciſionem & baptiſmum in Judaiſmum cooptati. Ad ſynedrium magnum [i], veluti gentis tribunal ampliſſimum, ordinariorumque ſummum, judicia actuſque alii attinuere, quales pariter, quoad juriſdictionis naturam, ad ſynedria ſive vigintitriumviralia ſive triumviralia ſpectarunt. Nihil enim omnino ſive imperii ſive juriſdictionis eminentiſſimo huic conſiſtorio deerat. Ut circulus maximus minores omnes, ſic eorum vim intra ſe continuit. Alii autem actus & judicia, graviſſimi ſcilicet aliquot momenti, ad illud ſpectarunt ut propria, quorum aliquibus caeterorum ſynedriorum ulli ſe ullatenus immiſcere nefas erat abſque magni auſpiciis; aliquibus item ſe omnino immiſcere. Et quoad perſonas; omnimodae aliae huic, ut ſynedriis reliquis, ſuberant. Sed de ſingularibus ad ſolam ſynedrii magni juriſdictionem & imperium, ut caſibus reſervatis, attinentibus agitur, juxta inſtitutum, libro tertio. Synedriorum vigintitriumviralium fuere judicia tum pecuniaria & civilia tum capitalia & criminalia omnigena quae haud inter caſus illos reſervatos reperta. Fuere ea non modo judicia in homines capitalia (magno ſynedrio non reſervata) omnimoda, verum etiam quibus beſtiis mors, veluti etiam delinquentibus, ex lege inferenda erat. Miſna [k], דיני נפשות בעשרים ושלשה הרובע והנרבע ב״כג שנ׳ והרגת את האשה ואת הבהמה ואומר ואת הבהמה תהרוגו שור הנסקל ב״כג שנ׳ השור יסקל וגם בעליו יומת כמיתת בעלים כך מיתת השור הזאב והארי והדוב והנמר והברדלס והנחש מיתתן בכ״ג רבי אליעזר אומר כל הקודם להורגן זכה רבי עקיבא אומר מיתתן בעשרים ושלשה *judicia capitalia ad ſynedria attinent vigintitriumviralia. Judicia de homine & beſtia invicem coeuntibus ad vigintitriumviralia itidem, juxta id quod ſcriptum eſt* [l], *Et occides foeminam & beſtiam*; *item, Et beſtiam occidetis*; *atque* (de bove cornu petere ſolito qui hominem occiderat) *bos lapidibus obruendus ad vigintitriumviros ſpectat, juxta id quod ſcriptum eſt* [m], *Bos lapidibus obruatur, atque dominus ejus etiam morte afficiatur. Mortis poenae domino ſuo infligendae eadem eſt ratio quae mortis itidem bovis. Lupus, leo, urſus, pardus, lethalis vipera* (vertunt aliqui *baſiliſcus*) *ſerpens* (ſi eſſent, ut bos, in homicidii cauſa, uti & beſtiae ſimiles aliae) *morte afficiendi erant a vigintitriumviris* (ſeu, ut gloſſa נידונין בסקילה כשור *judicio lapidandi erant ſic ut bos*) *Rabbi Eliaezer ſentiebat, quicunque animalia illa ante interfecerat, contra jus eum non feciſſe. Seb Rabbi Akiba; morte illa ex judicio vigintitriumvirali etiam fuiſſe afficienda.* Et neutiquam jus hic parile de bove & animalibus aliis ſic nocivis admiſere aliqui [n]. De reliquis illis beſtiis gloſſa Talmudica, מותר לגדולן לפי שאדם יכול ללמדן שלא יזיקו הילכך שם בעלים נקרא עליהן ולא הוי כהפקר נאסור להורגן אם לא המיתו אבל אם המיתו סופן מונח על תחילתן שלא אילו בני תרבות ואין צריכין לדונן *Fas erat eas nutrire, quoniam homo potuerit eas docere non damnum alicui inferre, unde dominorum nomen eis habebatur. Nec, ut publici juris erant, nec fas erat eas occidere, ſi homicidii in cauſa non eſſent. Sin vero ad priſtinam revertebantur naturam, nec pro nutritis habebantur; nec erat neceſſe ut in judicium* (ut bos petulcus) *deducerentur.* De bove autem ſic petulco Rabbi Jochanan ben Zecai ad diſcipulos ſuos in Gemara Hieroſolymitana [o], כתיב השור יסקל וגם בעליו יומת כמיתת הבעלים כן מיתת השור הקיש מיתת בעלים למיתת השור מה מיתת בעלים כן מיתת השור הקיש מיתת בעלים למיתת השור מה מיתת בעלים בדרישה וחקירה ב״כג אף מיתת השור בדרישה וחקירה ב״כג *Scriptum eſt, bos lapidetur, & dominus ejus moriatur. Eadem ratio mortis dominorum ac*

[g] Lib. 1. cap. 47. [h] Miſn. tit. *Sanhedrin*, cap. 5. & Maimonid. Hal. *Sanhedrin*, cap. 12. [i] Miſna tit. *Sanhedrin* cap. 1, 2, &c. [k] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [l] Levit xx. 15, 16. [m] Exod. xxi. 29. [n] Videſis Gemaram Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 15, 2. [o] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 2.

bovis. Compara mortem dominorum cum morte bovis. Quomodo judicandum de dominorum morte? Inquisitione & examinatione apud vigintitriumviros. Etiam ideo de morte bovis, inquisitione & examinatione apud vigintitriumviros. Ita de bove, cujus expressa in lege mentio, consensum est: Non itidem de animalibus pariter reliquis nocivis, quorum causae rariores, nec in judiciis frequentes. Maimonides [p], אין דנין דיני נפשות בפחות מכ"ג שהן סנהדרי קטנה בין דיני נפשות של אדם בין דיני נפשות של בהמה כיצד אין דנין שור הנסקל ולא הבהמה הנרבעת או הרובע אלא בב"ד של כ"ג׃ אפילו ארי ודוב וברדלס שהן בני תרבות ויש להן בעלים שהמיתו מיתתן בכ"ג אבל נחש שהמית אחד הורג אותו׃ המוציא שם רע אין דנין אותו תחילה אלא בב"ד של כ"ג מפני שיש בדינו צד דיני נפשות שאם יהיה הדבר אמת ותסקל הבת׃ לא נאמנו דברי הבעל ובא האב לתובעו בקנס דינו בשלשה׃ ומניין שאין דנין דיני נפשות אלא בכ"ג אף על פי שדברי קבלה הן הרי הוא אומר ושפטו העדה והצילו העדה עדה שופטת ועדה מצלת עדה שופטת והן המחייבין ועדה מצלת והן המזכין׃ ואין עדה פחותה מעשרה הרי עשרים׃ ומוספין שלשה כדי שלא יהא בית דין שקול ויהיה בו אחרי רבים להטות׃ *Judicia capitalia a paucioribus quam vigintitriumviris, qui synedria minora faciebant, exercenda non erant, sive capitale esset hominis sive bestiae judicium. Inde scilicet non judicabant bovem cornupetam, nec bestiam cum homine turpiter coeunte, alibi quam apud vigintitriumviros.* (Scilicet neutiquam apud triumviros; nam omnimoda erat in synedrio magno jurisdictio; quod hic semper intelligendum.) *Etiam leo, & ursus, & vipera lethalis, qui ita nutriti ut haberent dominos, & in causa essent homicidii, morte puniebantur judicio vigintitriumvirali. Sed serpentem qui homicida esset etiam unus aliquis interimere posset. Qui infamiam* (uxori ut virgini nuptae, virginitatis praereptae nomine) *intulerat* [q], *de eo actio primo non alibi instituenda erat quam apud vigintitriumviros, quoniam nempe in judicio ejus pars erat judicii capitalis. Nam si verum esset quod uxori imputabatur, illa lapidanda erat. At vero, si mariti verbis fides non haberetur, & pater* uxoris accusatae *agere vellet de mulcta*, centum siclorum marito infligenda, *judicium illud etiam triumvirale erat. Undenam autem evenit ut judicia capitalia non exercerentur extra synedria vigintitriumviralia? Tametsi id quidem ex cabala* seu *veterum traditione obtineret, certe etiam in scriptura dicitur, Et coetus* seu *congregatio judicabunt, & congregatio liberabunt. Ita congregatio judicii, & congregatio liberationis. Congregatio judicii est quae reum damnat; congregatio liberationis est quae eum absolvat. At vero congregatio non e paucioribus constat quam decem. Ecce ibi viginti. Adjecti autem sunt tres, ut synedrium esset satis alterutrinque ponderatum, atque ibi locus haberetur inclinationis post plures* [r]. Qua de re superius satis est dictum.

IV. Ut vigintitriumvirorum jurisdictioni tum capitales & criminales tum civiles, juxta ante dicta, causae suberant, ita triumviris tam criminales quotquot capitales non essent, quam civiles. Ita tamen ut pro synedriorum triumviralium diversa qualitate, aliter aliterque se res haberet. Ex ante ostensis liquet triumviros fuisse alios publice per urbes pagosque constitutos, qui omnes ex rite ordinatis; alios etiam ex litigantium compromisso, velut arbitros, sed non sine jurisdictione receptos; qui itidem nunc ex rite ordinatis erant, nunc ex nondum ordinatis, Causae quidem multatitiae, uti & in quibus flagellationis [s] poena, ad prioris generis triumviros, etiam & ad ordinatos in posteriore tantum attinuere; aliae ad generis etiam posterioris seu nondum ordinatos. Maimonides [t], juxta mentem veterum Talmudicorum, מכות בשלשה ואף על פי שאפשר שימות כשמלקין אותו *Flagellatio infligi potuit etiam a triumviris, etiamsi fieri potuisset ut flagris ita caesus inde interimeretur.* Sed hoc tantum ubi triumviri rite ordinarentur. Idem [v]; דיני קנסות כגון גזילות וחבלות ותשלומי כפל ותשלומי ארבעה וחמשה והאונס והמפתה וכיוצא בהן אין דנין אותם אלא שלשה מומחים והם הסמוכים בארץ ישראל׃ *Judicia multatitia, ut de rapina, pignore, restitutione dupli, quadrupli, quintupli, de eo qui virginem sive vi comprimeret, sive illecebris pelliceret, & similia, non judicabant triumviri alii quam publice constituti, qui essent etiam rite ordinati in terra Israelis.* Subjicit vero, אבל שאר דיני ממונות כגון הודאות והלואות אינן צריכין מומחה אלא אפילו שלשה הדיוטות ואפילו אחד מומחה דן אותן׃ *Caeterum reliqua judi ia pecuniaria, ut de verborum seu instrumento obligationibus & de mutuo, non exigebant publice sic constitutum aliquem. Sed triumviri etiam privati* ex compromisso adsciti, *imo etiam unicus sic publice constitutus,* (de quo infra ubi de extraordinariis judiciis agimus) *ea judicabant.*

V. Pro vario judiciorum atque actionum jurisdictionisque jam dictae discrimine, personae universae, praeter regem, tam triumviralibus quam vigintitriumviralibus pariter subdebantur. Civilia autem judicia ad regem spectantia tractari, ut videtur, non debebant a synedrio aliquo triumvirali, sed tantum aut vigintitriumvirali aliquo aut magno. Gemara Hierosolymitana [x], paulo ante aliam in rem citata דיני ממונות שלו בעשרים ושלשה *judicia ejus*, ad eum spectantia, *quae civilia fuere* (quo nomine criminalia etiam, nec capitalia, venire solent) *peragenda erant apud vigintitriumviros.* Etiam illic regem flagris obnoxium, ut alios, juxta ea quae de flagellationis poena dicentur capite decimotertio, tradunt. Et singularibus praeceptis [y] negativis ad regem spectantibus de non multiplicandis equis, uxoribus, pecuniis, adjiciunt [z], ואם הרבה לוקה *Et, si multiplicaret, verberandus erat.* Certe Gemara [a] jam dicta, נשיא שחטא מלקין אותו בבית דין של שלשה *Si princeps* synedrii *reus perageretur* (in causa qua flagelli poena) *verberabatur a triumvirali synedrio.* Et de flagellatione illis in usu, ampliter capite citato. In judiciis autem hic atque

[p] Tit. *Sanhedrin*, cap. 5. § 2. & 3. [q] Deuter. xxii. 14. [r] Exod. xxiii 2. [s] Deuter. xxv. 2. & vide infra cap. 13. §. 6. [t] Tit. *Sanhedrin*, cap. 5. §. 4. [v] Ibid. §. 8. [x] Ad tit. *Sanhedrin*, cap 2. fol. 19 col. 4. Halach. 1. [y] Deuter. xvii. 16. [z] Maimonid. Hal. *Melakim*, cap. 3 §. 4. & tit. *Sanhedrin*, cap 19. & videsis Gul. Stuckardum in Jure Regio, cap. 2. theorem. 7. pag. 60. [a] Ad tit. *Haraijoth*, cap. 3. fol. 47. col. 1. & ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19. col. 4.

actioni-

actionibus tum civilibus tum criminalibus ad synedria haec minora diversimode attinentibus, continentur omnino tam sacra qualiscunque generis (synedrio magno non reservata) quam profana seu sacris non implicata: Sacra, veluti de functionibus sacris omissis, aut non rite peractis, idololatria, sabbati & dierum aliorum violatione, decimis, primitiis, sacrificiis, id genus caeteris: Profana; veluti de haereditatibus seu successionibus, donato, empto, vendito, locato, conducto, dotibus, pactis, usuris, furtis, injuriis, & quae illiusmodi sunt alia in civilibus; de homicidio, adulterio, incestu, & quae sunt ejusmodi in capitalibus. Neque enim, quod & alibi aliquoties monitum, sacerdotale seu pontificium collegium seu synedrium aliquod erat ordinarium quod de horum aliquo, qua sacrum erat, seu instar judicii ecclesiastici (ut dici apud nos solitum) cognosceret. Neque aliter fere, si rem serio & ex sui natura simplici consideremus, aut aliusmodi jurisdictio ac imperium circa sacra alias apud gentes se habuit. Nam etsi apud Romanos collegium erat pontificum, penes quod circa sacra imperium ac jurisdictio habebatur singularis (qua de re optime ac prae aliis Jacobus Gutherius libris de vetere jure pontificio) uti fere etiam apud Graecos passimque & in republica Platonica, attamen nihil omnino penes illud aliosve alibi pontifices erat cognitionis, quod non sive a regibus sive a senatu populoque Romano aliisve legumlatoribus, id est, ab eis qui summae in regimine publico rerum praefuere, derivatum est impetratumque. Id est, imperium & jurisdictio ad collegium illud attinuere, non qua collegae seu synedri ejusdem pontifices erant seu sacerdotes (quibus qua tales functio sacra duntaxat spectavit) sed qua ab summo in regimine imperio, regibus illis, senatu populoque Romano, potestate in sacra aliaque aliquot donabantur. Atque ita quidem pro eorum qui apud Ebraeos summae rerum praeerant arbitrio potuere (ex jure nullatenus dissimili) constitui sacerdotalia per se sodalitia seu collegia ac synedria ordinaria quibus imperium ac jurisdictio tam circa sacra quam profana competere ex autoritate ejusmodi publica rite quivisset. Sed ejusmodi quid factum apud Talmudicos nondum observavimus. Et si factum fuisset, ex constituentium arbitrio, non ex constitutorum qualitate sacerdotali, plane pependisset. Atque huc sane, dum de summarum sine sacerdotibus apud alias gentes potestatum imperio circa sacra verba fiunt, spectat illud Atheniensium caduceatoris ad Boeotos apud Thucydidem [b] missi, qui a suis proculdubio recte edoctus, eorumque verbis usus, ad illud quod Boeotorum dixerat caduceator ad Athenienses, nimirum, *juxta τὰ νόμιμα τῶν Ἑλλήνων Graecorum jura*, [illegible] ἰόντας ἐπὶ τὴν ἀλλήλων, [illegible] ἀπέχεσθαι, *omnibus esse con*[illegible] *ex jure receptum*, ut scholiastes) *eos qui alienam terram invaderent* (scholiastes, [illegible] πολεμικῶς κατὰ τῆς ἀλλήλων γῆς, *bellum alienae terrae inferentes) a locis sacris quae illic sunt abstinere*, respondit, Τὸν νόμον [illegible] τὸ κράτος τῆς γῆς ἑκάστης, [illegible] τούτων καὶ τὰ ἱερὰ [illegible], οἷς ἂν πρὸς τοῖς [illegible] *jus apud Graecos hujusmodi*

esse, ut penes quos imperium sit cujuscunque sive magni sive parvi territorii (qualicunque regiminis formula imperium ejus indueretur) *penes eosdem sint semper templa & loca sacra, ubi eisdem modis* aut *ceremoniis fiant sacra quibus consuetum esset, quoad fieri potest* (ut Laurentius Valla vertit; sed rectius Henricus Stephanus, *quibus more receptum sit, & praeterea etiam quibus quisque possit)* seu potius *ipsi* (pro re nata) *possint* aut velint. Adeoque penes eosdem ipsos quibus τὸ κράτος *imperium* summum erat, idem erat parile, uti etiam apud Ebraeos, tam circa sacra quam profana tum apud Graecos tum Romanos; uti etiam penes Druidas [c] apud Gallos veteres, quale itidem apud alias olim gentes, tum mythicis tum historicis seculis, passim obtinuit.

VI. Adversari forsan videatur hisce illud quod a viris alioquin etiam eruditissimis asseri seu potius fidentius admitti & mordicus retineri solet de pontificis maximi in synedrio magno principatu perpetuo; qua de re plura inferius. Hallucinatione illa major nulla habetur. Sed vero non synedrio solum magno, verum etiam minoribus illis, sive vigintitriumviralibus sive triumviralibus, ita suberat, cum aliis, pontifex maximus, ut in jus, pro imperii in eis ac jurisdictionis discrimine, vocari posset judicarique. Misna [d], כהן גדול דן ודנין אותו *judicat pontifex maximus* (id est judiciariae facultatis & functionis, ut idonei alii, modo ipse aliter idoneus, capax; ut ante ostensum) *& judicant ipsum*, ubi Gemara Babylonia [e], כהן גדול דן פשיטא דנין אותו. איצטריכא ליה הא נמי פשיטא לא דיינינן ליה איהו היכי דיין: *Judicat pontifex maximus. Id quidem certum est. Judicant ipsum? Sane neque hoc minus certum, sed necessarium. Nisi judiciis obnoxius esset, cum ratione non potuerat esse judex.* Sequitur ibi, והכתב והתקוששו וקושו ואמר ר"ש לקיש קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים *Et scriptum est* [f], *Excutite* (probate) *vosipsos, & excutite* (ubi Vulgata, ut Graeci, *congregamini, convenite*, ut fere Chaldaeus, Syrus, Arabs; quemadmodum etiam Lutherus, Angli, Belgica vetustior, alii; sed Judaei Hispanienses, *Escudrinad vos, y escrudinad*, uti & Munsterus, *Disquirite vos ipsos, & quaerite*; Tremellius, *Excutite vos, iterumque excutite*; Galli, *Espluchez vous, espluchez vous*; & Belgae nuperi, Doorsoeckt u selven nauwe, jae doorsoeck nauwe) & *dixit Rish Lakish*, inde eliciendum, *Orna* seu *idoneum redde teipsum, & postea orna alios.* Quod quidem in Talmude non semel [g] τῷ Rish Lakish totidem verbis tribuitur ut loci illius Zephaniae interpretatio. Sed Jarchius, ad Prophetam, interpretatur, התקבצו והאספו יחד כמו לקושש קש per התקוששו *Colligite vos ipsos, & simul congregamini, ut stipula colligitur*, & dein קושו per id quod est seipsum unumquemque examinare. Atque e locis jam citatis Talmudicis affert illud τοῦ Rish Lakish. ורז"ל inquit דרשו & *Rabbini nostri piae memoriae* sic explicant. Et David Kimchius ad verba illa, *Excutite vos ipsos, & excutite*, ענין, ait, חפוש הדברים ולקיחתם כמו לקושש קש וכן פי' התקוששו התחפשו ממעשיכם וחפשו מעשים אחרים אחר כך ובערו אותם *Dictum est ut de rebus per-*

[b] Lib. [illegible] [c] Caesar de Bello Gallico, lib 6. [d] Tit. *Sanhedrin*, cap. 2. [e] Fol 18. 1. [f] Zephan. ii. 1.
[g] [illegible] ad tit. *Baba Bathra*, cap. 3. fol. 60. 2. ad tit. *Baba Metzia*, [illegible] fol. 10[illegible]. 2.

scrutandis

scrutandis eisque colligendis, ut in eo quod est scrutari & colligere stipulam. Adeoque interpretantur EXCUTITE *hic*, *perscrutamini vitia vestra, & postea perscrutamini vitia aliorum, & ea amoveatis.* Dein subjicit, וקן ארז"ל מזה הפסוק קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים *Et dixerunt Rabbini nostri piae memoriae ex hoc versiculo natum esse illud, Orna teipsum, & postea orna* idoneos redde *alios.* Inde etiam addit, ועוד אמרו נקשט גרמין עד לא נקשט אחרנין *Et insuper dicunt* hinc, *ornemus nos ipsos priusquam alios ornemus*; quod juxta sensum bene vertit Joannes Drusius [h], *inquiramus in nosmetipsos priusquam in alios inquiramus.* Atque illud τοῦ Rish Lakish a Paulo Fagio [i] itidem bene redditur, *justifica teipsum, & dein justifica alios.* Sensus autem dicti hujus, qua judicia spectat, rabbinicus est, neminem judiciis praeficiendum qui non ante judiciis obnoxius ipse; neminem ad imperium & jurisdictionem admittendum qui non ante, ut alii, utrique subditus; adeoque pontificem maximum ideo secundum scita illorum & sententiam receptissimam judiciis fuisse obnoxium, quia, ut alii, judiciorum, rite ordinatus idoneusque, pariter capax erat. Judiciis capitalibus in synedrio magno (qua de re libro tertio) pecuniariis seu civilibus non in vigintitriumviralibus solum sed & triumviralibus. Atque ibi in Gemara Babylonia [k], כהן גדול שהרג את הנפש במזיד נהרג׳ בשוגג גולה עובר על עשה ועל לא תעשה והרי הוא הכדיוט לכל דבריו *Pontifex maximus homicidii spontanei reus morte plectendus erat*; *casu* seu *ex errore reus, exsilio*, juxta legem sacram de asylis in homicidii ejusmodi causis [l]. *Si transgrederetur praeceptum aliquod sive affirmativum sive negativum, parile erat ejusdem cum quovis e vulgo jus, idque in causis universis ad eum spectantibus*, exceptis quod capitalia ejus judicia ad synedrium magnum attinuere. Redux autem cum esse posset ex asylo homicida ex casu qui illuc confugerat, sed non ante mortem pontificis [m]; pontifex ipse sic confugiens redux esse nequibat omnino, uti nec is qui pontificem sic occiderat. Perpetuo tenebatur uterque in asylum exsilio. Non aliter igitur quam sacerdotes alii, Levitae, reliquique e populo synedriis omnibus suberat pontifex maximus, extra causam capitalem, & si quae essent aliae inter synedrio magno reservatas. Unde Maimonides [n], כהן גדול שחטא לוקה בשלשה כשאר כל העם וחוזר לגדולתו *Pontifex maximus flagellandus erat a triumviris* (synedrio triumvirali) *ut reliqui e populo, & restituebatur ad dignitatem suam*, id est, poena ejusmodi non habenda pro existimationis aut dignitatis suae pontificiae deminutione; seu, ut R. Eliaezer [o], אין מעברין אותו מגדולתו *dignitate* seu existimatione *sua eum non exuebant.* Legitur etiam in Gemara Hierosolymitana [p]; כהן משיח שחטא מלקין אותו בבית דין של שלשה *Sacerdotem unctum qui reus esset* (pontificem) *verberabant in synedrio triumvirali.* Unde, ni fallor, emendanda est, aut cautius intelligenda, eadem alibi Gemara; nam in ea etiam habetur [q], דיני ממונות שלו בכמה בעשרים ושלשה *Judicia ejus pecuniaria* (non capitalia) *ad quotnam spectabant? Ad viginti tres.* Sane si intelligas tantum ad viginti tres, tunc flagellandus non erat a triumviris. Aut igitur verba illa de usu frequentiori solum capienda, aut forsan in בעשרים ושלשה ובשלשה *ad viginti tres & ad tres.* Ob singularem autem erga eum reverentiam, & ne in jus vocatus functioni sacrae nimium forte, ut absens, alias deesset, voluere ut in civilibus causis procurator litis ad agendum nomine ejus excipiendumque, prae aliis, constitueretur. Gemara illic Hierosolymitana [r], כהן גדול דן ודנין אותו כו" ניזהא דן׳ דנין אותו׳ וימנה ליה אנטלר הגע עצמך שנפלה לו שבועה ואנטלר בשבועה *Pontifex maximus judicat, & judicant ipsum*, &c. quae verba sunt Misnae. *Dubitari nequit quin ipse judicare possit* rite in synedria cooptatus. *Quod ad illud attinet, judicant ipsum*; *constitui ei solebat procurator* seu *mandatarius* litis agendae, excipiendae, exsequendae. *Si cogitaveris juramentum ab eo esse* in lite *forsan praestandum, etiam procurator* (sed de versione hujusmodi plura mox) *pro eo jurat.* In Talmude suo Rabbi Nathan [s] ibi legisse videtur, כהן גדול דן ודנין אותו אבאי וימנה אנטלר הגע עצמך שנפלה שבועה ואנטלר בשבועה sed eundem in sensum.

VII. Pontificis ita procurator nuncupabatur Hierosolymitane, in loco ante citato אנטלר, *Enteler* seu *Entoler*, si lectio recta sit. Judaeos, Syros, Arabas, alios orientis, voces non paucas aliunde in linguas suas, ut alibi etiam semper fieri amavit, admisisse sciunt docti omnes; nec paucas e Graeco & Latino. Lexicographis Ebraeis significat illa vox plane, ut reddidimus, procuratorem seu mandatarium. Rabbi Nathan ex veteribus interpretatur per אפוטרופוס, quod plane est ἐπίτροπος, *procurator.* Et glossa ad Hierosolymitanam Cracoviensis, אנטלר פירוש אפוטרופוס *Enteler significat* ἐπίτροπος. Et in commentariis Talmudicis & Chaldaicis nunc אפוטרופוס nunc אפיטרופוס scribi solet vox illa Graeca. David de Pomis אנטלר פרקליט *Enteler est paraclit* (vox a παράκλητος *advocatus* in Rabbinismum recepta) id est, ut & ipse, *procurator.* Ad hunc modum Philippus Aquinas. Nec quidem aliam ibi significationem res ipsa ferre videtur. Moses Mikotzi [t] interpretatur per ממונה למען בשבילו *constitutus ut ejus nomine in foro agat.* Sed David Cohen de Lara [v], אנטלר, inquit, אפוטרופוס, ובית דין *Gr.* οἱ ἐν τέλει, *Lat. Magistratus. Hisp. Magistrado, corregidor.* Et Ebraica ibi sonant ἐπίτροπος *& domus judicii*, quasi utrumque significaret אנטלר, quod nullo pacto admittendum. Unde & inserit quasi etymon plurale illud, οἱ ἐν τέλει, *Qui dignitate* seu *magistratu conspicui*, classici, quasi inde derivatum *enteler.* Munsterus [x] exponens אנטל per *vas in quo lavantur manus*, adjicit *antalar* אנטלר est אפוטרופוס *procurator*, *officialis*, *praefectus.* Magnus Buxtorfius [y], אנטלר *Antelar*, *praefectus*, *praepositus*, *curator*, *procurator.* Et dein, Graecis ἐντέλλω, *faciendum injungo, mando, praecipio.* Ἐντελεῖς, *id est*, οἱ ἄρχοντες. Verum quidem est apud Sui-

[h] In adagiis Ebraic. decuria 6. adag. 4. [i] In versione Thisb. Eliae verb. פשט. adde Jo. Plantavitzium in Florilegio Rabbinico numer. 1702. [k] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 18, 1. [l] Numer. xxxv. 15. [m] Ibid. col. [illegible] [n] Halach. *Sanhedrin.* cap. 17. §. 8. [o] Gemar. Hierof. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19 col. 4. [p] Ad tit. *Horaioth*, cap. 3. fol. 47. col. 1. [q] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19 col. 4 [r] Fol. 19 col. 4. [s] In Aruch, verb. אנטלר. [t] Praecept. affirmat. 97. fol. 186. col. 3. [v] De convenientia voc. Rabbin. cum Graecis, pag. 10. [x] In diction. Chaldaico. [y] Lexic. Talmudic. col. 137.

dam legi illud, ἐντελεῖς, οἱ ἄρχοντες, unde etiam interpretatur πανοπλίας ἐντελεῖς per ἀρχοντικάς. Sed perrarum est, puto, vocem illam ea notione reperiri; licet etiam apud Hesychium legatur, ἐντέλεια, τάξις ἀρχοντική, ubi addit, ἐν τέλει, ἄρχοντες. Et satis obvium est οἱ ἐν τέλει eodem significatu, seu pro eis qui dignitate classica splendidiores; unde οἱ ἐν τελέεσσιν apud Homerum [z], pro ἐν τάγμασιν, *in ordinibus*. Atqui haud ita rationi consonum videtur, Procuratoris nomen derivare a voce quae ex sui natura dignitatem talem seu etiam principatum sic significat; quanquam interim verum fuerit, Ciceroni [a] procuratorem rerum pro absente gerendarum dici *quasi quendam pene dominum*. Sed id ei nihil aliud est quam *alieni juris vicarius*, ut Abrahae servus [b], qui זקן ביתו המושל בכל אשר לו *Senior domus ejus, qui praeerat omnibus quae illius erant:* unde & dici quidem posset procurator litis מושל דינו של רבו *praefectus* seu *dominus litis domini sui*. Jam vero, cum e Graeco vocabulum illud אנטלר sumptum esse satis sit viris doctis in confesso, atque itidem Procuratorem apud Talmudicos, qui inde ut ejusmodi alia non pauca sumpsere, significare, nominaque illa, ἐπίτροπος, διοικητής, σύνδικος, συνήγορος, κηδεμὼν, ἐπιμελητής, Graecis pro *procuratore* usitatiora, nihil in se habeant cum τοῦ אנטלר sono commune, ad τοὺς ἐν τέλει ac τοὺς ἐντελεῖς (quod adeo sensu in illo rarum est) juxta jam allata, ob cognationem ibi soni aliquam, convolatum est. Certe, cum procurator fuerit cui quis ut ἐντειλάμενος *Mandator* hoc vel illud, ut sibi ministro, facere injunxit, indeque is ipse ἐνταλθεὶς *Mandatarius* in basilicis alibique in jurisconsultorum Graecorum commentariis saepenumero vocitetur, unde passim ἡ ἐντολῆς ἐνοχὴ *Mandati obligatio*, & ἡ περὶ ἐντολῆς ἀγωγὴ, *Mandati actio*; cum item in Graecis foederis utriusque, id est, Judaeorum Graecis seu Hellenisticis, frequentissimus sit τοῦ ἐντολῆς prae vocibus aliis usus pro *mandato*, quo quidem procuratoris officium omnino fundatur; & demum, ex usu illo adeo crebro, ἐντολὴ seu ἐντόλινα pro eodem, etiam in Latinis, usurpatum fuerit, ut in illo Luitprandi [c] in legatione ad Nicephorum Phocam orientis imperatorem, ἐντολὴν (legi volunt potius alii [d] ἐντόλινα) id est, *praeceptum conscripsit* occidentis imperator Otho magnus, *quod & sigillo signavit suo, ne secus facerem. Scis, domine mi auguste, qua id fiducia dixerim?* Ἐντολὴν *istud in medium proferatur, & quicquid jusserit, juramento a me tibi firmetur*; cum, inquam, haec se ita habeant, certe ex hisce potius, aut cognato eis aliquo, sonum in vocem illam Talmudicam manasse, aequum videtur ut existimemus. Illud ἐνταλθεὶς pro *mandatarius* haud satis prope accedit. At vero apud jurisconsultos Graecos vox est jam dictis cognata pro mandatario multo vicinior τῷ אנטלר, & forte eadem ipsa quae haec esse debeat, alibi quam apud illos, puto, non lecta; scilicet ὁ ἐντολεὺς. Basilica; Ὁ δοθεὶς [e] ἐπὶ πράγματι κινητῷ διοικητὴς, ἤτοι ἐντολεὺς, καλῶς κινεῖ ἐπὶ τῇ φανερώσει τοῦ πράγματος ἀγωγὴν, *Procurator ad rem mobilem petendam datus, id est entoleus, ad exhibendum recte agit*; quod ex Ulpiani Latinis [f] transfertur. Paulo itidem post [g], ὁ διοικητὴς, ἤτοι ἐντολεὺς, καταδικασθεὶς, &c. *Procurator, id est entoleus, damnatus*, &c. Ejusmodi usus vocis postmodum [h] eodem in titulo satis frequens. Alibi [i], ὁ ἐντολεὺς τὰ τῆς δίκης προδιδοὺς δικαιώματα εὐτελὴς μὲν ὢν μεταλλίζεται, &c. *Procurator* seu *mandatarius litis humilior instrumenta litis suae prodens in metallum damnatur.* Quod Pauli est in digestis [k]. Alibi etiam [l], ὁ ἐντολεὺς, καὶ ἡττηθεὶς τὴν δίκην, λαμβάνει τὰ καλῇ πίστει γινόμενα δαπανήματα· θεματίζει ὅτι ἐν δίκῃ ἐκκλήτου δοθέντα τὸν ἐντολέα, *Procurator* seu *mandatarius* (id est entoleus) *quamvis in exsequenda causa victus sit, sumptus quos bona fide fecit repetit. Proponit autem procuratorem* entolea *ad exercendam causam appellationis constitutum.* Item, ὁ ἐντολεὺς μὴ αἰτήσας τὴν ἁρμόζουσαν τῷ δεσπότῃ τῶν πραγμάτων διακατοχὴν, ἐνάγεται τῇ περὶ ἐντολῆς ἀγωγῇ, *procurator qui bonorum possessionem domino competentem non petiit, mandati actione convenitur*, ubi, ut in basilicis alibi saepius, ut ἐνταλθεὶς, διοικητὴς, ἐπίτροπος & ἐντολεὺς, pro *procuratore* & *mandatario*, pro synonymis adhibentur, ita etiam μανδάτωρ, προκουράτωρ & κουράτωρ (ut alia innumera) Graeca fiunt e Latinis sumpta; quemadodnm אנטלר ex Graecis, Talmudicum. Jura autem de procuratore, e Basilicorum decimoquarto jam memorata, e codice Justinianeo sumpta sunt, ubi [m] de mandato & procuratore agitur. Alibi item in Basilicis [n], Ἐὰν ὁ ἐντολεὺς μου χρήμασιν ὑποφθαρεὶς καταδικασθῆναι ἀνάσχηται, κεχρήμαι παραγραφῇ, *Si procurator meus* entoleus *pecunia corruptus damnari se passus sit, utar exceptione.* Et creberrimus est vocis hujus usus. Locus jam allatus Pauli est in digestis [o]. Atque ex hisce plane corrigendae glossae juris veteres, ubi legitur μανδάτωρ, ἐντολεὺς. Substituendum, μανδαταριος, ἐντολεὺς. Nam non solum etiam pro μανδάτωρ ibi substituitur ἐντελλόμενος, sed & προκουράτωρ ibi postea redditur, ut debuit, ἐντολεὺς. Et expressim in glossario illo, in calce quorundam Cyrilli operum invento, ἐντολὴ, *commissum, mandatum*; ἐντολεὺς, *procurator*. Sed & glossae illae veteres ante; ἐντολεύς ἐστιν ὁ ξένην ὑπόθεσιν ἀναλαμβανόμενος καὶ κρινόμενος. Titulus etiam libri illius Basilicῶν decimi quarti in eorum ecloga seu synopsi est [p], περὶ ἐντολῶν καὶ ἐντολέων, *de mandatis & mandatariis*, qui ἐντολεῖς *vocitati*; unde & paulo post sequitur, Οὐ δύναται ὁ ἐντολεὺς ὁ ἐνταλθεὶς κινῆσαι περὶ χρέους μέρος λαβεῖν, καὶ τοῦ λοιποῦ ἀμεριμνίαν ποιῆσαι, *Non potest procurator, entoleus* dictus, *cui mandata est exactio debiti, partem accipere, ac nomine reliqui liberationem facere.* Sumitur ex codice Justinianeo [q]. Et in libro octavo alibique synopsis eandem itidem habet aliquoties ut receptissimam vocem. Constantinus item Harmenopulus [r], Ἐν τοῖς ἐγκληματικοῖς δικαστηρίοις οὔτε κατηγορεῖν οὔτε κατηγορεῖσθαι δι' ἐντολέως δύναται, *In judiciis criminalibus nec accusare nec defendere per procuratorem* entolea *licet*, quod e Papiniani responsis [s]. Vox haec ἐντολεὺς simili analogia facta est ab ἐντέλλω & ἐντολὴ ut ἐπιστολεὺς ab ἐπιστέλλω & ἐπιστολὴ, pro *eo qui est ab epistolis*, ut Xenophon-

[z] Iliad. σ. [a] Orat. pro Caecinna. [b] Genes. xxiv. 2. [c] Edit. Hieronymi de la Higuera, pag. 144. [d] Meursius in glossario Graecobarbaro, verb ἐντόλινα. [e] Tom 1. lib. 8. tit. 2. §. 55. [f] L. 56. D. tit. De procuratoribus. [g] §. 60. [h] §. 69 81, 82, 83, 84, &c. [i] Basilic tom. 7. lib. 60. tit. 51. §. 38. [k] L. 38. §. 8. tit. De poenis. [l] Tom. 2. lib. 14. tit. 1. §. 66 [m] L. 4. & 5. C. tit. Mandati, vel contra. [n] Tom 6. lib. 51. tit. 4 §. 9. ecog lib 8. tit. 1. pag. 106. [o] L. 9. D. tit. De dolo malo & metus exceptione. [p] Lib. 14. pag. 155. [q] L. 4. C. tit. De novationibus & delegationibus. [r] Prochir. lib. tit. 2. περὶ ἐγκλημάτων. [s] L. 3. tit. de publicis judiciis, §. 1.

ti[t], uti & pro *tabellione*[v], atque insuper pro *eo qui est* ὁ ἐπὶ τῷ στόλῳ διάδοχος τῷ ναυάρχῳ *in classe navarcho secundarius* seu velut *successor* designatus aut vicarius, ut Julio Polluci[x]; quemadmodum itidem ἀπόστολος pro *classis praefecto* apud Demosthenem[y] & Philochorum; quod Harpocrationi, Hesychio, Suidae notatur. Cum igitur adeo certum sit, tum Graecis jurisconsultis veteribus (qui a vetustioribus proculdubio acceperant) vocem ἐντολεὺς familiarissimam fuisse pro *procuratore* sive litis sive alius cujusquam negotii (qua & *mandatarium* ex vi sua magis proprie significat) tum e fonte Graeco אנטלר illud Talmudicum esse deducendum, a viris doctis agnosci; mihi quidem videtur potius ipsissimo τῷ ἐντο λεὺς in Rabbinismum recepto vocis illius Talmudicae natales deberi. Ita אנטגרפון אנטדיקים קטיגור קרטס ex ἀντίγραφον, ἀντίδικος, κατήγορος, κρίτης, id genus innumera alia, Talmudicis facta, quae plerumque, fateor, & scriptiones suas & terminationes satis Graecorum vocibus aut analogas aut non ita dissonas retinere solent. At vero finitur vox haec אנטלר in ר, quae non habetur in ἐντολεὺς, nec ut קטיגור, quod per apocopen τῷ ος ex κατήγορος fit, sed quasi aut postrema litera aut saltem aliqua in voce, unde nata est, ρω non ς fuisset. Certe exempla sunt perquam obvia, quibus vocum ejusmodi syllaba postrema in Rabbinismo, Talmudismo, Chaldaismo variatim mutatur. Veluti in voce Graeca τῷ ς finita, ac in Rabbinismum veterem sumpta, ς illud in ר est mutatum, quod longinquius, saltem si rectum originis casum spectes, abest a mutatione ς in ר, quae elementa etiam Graecis & Latinis saepius inter se commutari nemo nescit. Vox Graeca κεραμὶς, κεραμίδος, *tegula*, Hierosolymitane facta est קרמיד *keramid* eodem significatu. Fateor non sine elemento in fine quod in casibus Graecis obliquis, sed interim terminatione perquam discrepante. Gemara Hierosolymitana[z]; כמה גשמים ירדו ויהא אדם צריך לברך ר׳ חייה בשם ר׳ יוחנן בתחילה כדי רביעה ובסוף כדי שידוהו פני הקרמיד *Quantae pluviae descendunt ob quas oportet hominem benedictione* (solenni, ut ob res alias) *uti? Rabbi Chaiah nomine Rabbi Jochanan ait, in ipso initio* (pluendi, obligatur) *propter anni* seu *statorum temporum pluviam primam*[a], *& in fine* (רביעה שנייה *pluviam secundam* hic intelligunt[b]) *propterea quod impellant faciem tegulae*, aut ita pluit *ut tegulae*, per quam aqua pluvialis decidit, *stillent*. Idem ipsum legitur in *Beresith Rabba*[c], & totidem verbis in *Baal Aruch*[d] affertur ex capitis הרואה (quod nonum est tituli *Beracoth)* Gemara, unde plane est emendanda illius editio utraque, tam Cracoviana quam Veneta illic. In illis enim ibi legitur, ובסוף כדי שידוחו פניה *quoniam impellunt faciem ejus*, ubi quid *ejus* significet non constat; & vox קרמיד praetermittitur. Legendum plane, כדי שידוחו פני הקרמיד *quoniam impellunt faciem tegulae*, seu in stillicidia decidunt. Glossa Rabbi Issacar Ben Nephthali, ad illud in *Beresith Rabba*, הקרמידי׳ שידיח וישטוף פני הלבנה שקורין קרמים *mentio hic Keramid denotat, quando ita descendunt pluviae ut impellant ac copiosius abluant faciem lateris* seu *tegulae* (locorum ex materia ejusmodi confectorum unde pluvia stillat seu decidit) quam *keramos* κέραμος vocant; ubi non κεραμὶς *tegula*, sed κέραμος *terra figularis* seu tegulae materia, origo est vocis illius in Talmudismum receptae. Ex *Sephra Siphra* etiam affert R. Nathan in *Aruch* usum vocis pluralem seu קרמידים eundem in sensum. Ita, puto, recte legit ille. Sed libri *Siphra* editi habent, eadem in pagina[e], primo קרומרים; & paulo post קרומרים, unde etiam proculdubio corrigendi sunt ex illo Nathanis. Interpretatur David de Pomis *canali*. R. Nathan ille קנל קלי *canaliculi*. Non ita dissimili modo vox ὑποπόδιον *suppedaneum* e Graeco in Rabbinismi scripta[f] receptum, exarari solet איפופורין, quasi diceres ὑποπόριον, in quo τὸ ר locum τῷ ד sic occupasse, haud videtur aliunde natum quam ex librariorum negligentia, qui primi verbum neutiquam ex sono, nedum ex orthographia, satis cognoscentes τὸ ר pro ד ad posteros transmisere. Saepissime item in historicis theologisque Ebraeorum occurrit אפיפיר *apipior* & פיפיור *pipior* pro *papa* seu pontifice Romano; quod manasse videtur ab Graecorum (nam Ebraicam originem habere nemo suspicatur) notissimis illis ὁ πάπα, ὁ πάπας, ὁ πάππας, & *patrem* & *pontificem* significantibus. Unde videtur etiam in linguam Scytharum[g] veterum παππαῖον pro *Jove patre* migrasse. Sed depravatum illud, non tam primo ex soni male intellecti ratione quam per scriptionem negligentiorem τὸ ר pro ס substituentem. Quisquis vocem ejusmodi non ita antiquitus apud Ebraeos usitatam in scripta sic depravate & negligentius redegerat, satis in causa videtur fuisse ut posteri ejusdem incuriae, quam emendare nesciebant, essent oscitantius sequaces. Nam testimonia sunt innumera in Talmudibus, *Rabboth*, alibique, Ebraeos sicut in linguam suam vocabula Graeca saepius adsumebant, ita etiam nec integra servasse nec legitima, sed variatim deformata; quale memorat Galenus[h] de sui temporis sophistis, qui vocibus sic Phoeniciis, Syris, AEgyptiacis, Thraciis linguam Graecam contaminarent. Quomodo λόγχη & *lancea* in Talmudismo depravata sint, superius ostensum. Atque id genus sunt alia nec pauca. Sed haec obiter. Quod autem attinet ad illud de juramento τῷ ἐντολέως hic seu τῷ אנטלר aut procuratoris (& de juramento *in animam* etiam *domini* procuratorio, maxime in causis pontificum ac episcoporum, obvia est apud jurisconsultos nostros mentio: unde etiam Durandus[i] de episcopo litigante, *Si sit causa ecclesiae, aut est spiritualis, & tunc jurat; aut civilis, & tunc jurat non per se sed per procuratorem*; quasi voluissent pontifices ac episcopos revera non fuisse adjurandos, velut exemplo Flaminis Dialis, cui in Roma vetere jurare per se nunquam fas[k], sed per alium ut procuratorem) vertimus supra illud quidem ex Gemara ut verba sonare videntur ipsa. Sed Moses Mikotzi[l] aliter sane intelligere videtur, quasi aut illud in Gema-

[t] Hellenic. α. [v] Suidas in ἐπιστολεὺς. [x] Onomastic. 1. cap. 5 & 25. [y] Pro Ctesiphonte. [z] Ad tit. *Thaanith*, cap. 1. fol. 64. col. 1, 2. [a] Videsis Buxtorf. Lexic. Talmudic col. 2104 [b] Issachar Ben Nephthali ad *Beresith Rabba*, parash. 13. fol. 16. [c] Parash 13. fol. 16. col 3. [d] Verbo קרמד. [e] Fol 36. col. 142. seu ad Levit. xiv. 42. [f] Paraphr. Jonathan. Exod. xxiv. 10. *Beresith Rabba*, parash. 1. [g] Origen. contra Celsum lib. 5. [h] De differentiis Pulsuum, lib. 2. cap. 1. [i] Speculator. lib. 2. Partic. 2. tit. De Juramento Calumniae, &c. § 4. [k] Fabius Pictor apud Agellium, lib. 10. cap. 15. & Livius lib. 31. §. 50. [l] Praecept. Affirmat. 97. fol. 186. col. 3.

ra, ואנטלר בשבועה & *procurator in juramento*, seu *etiam procurator pro eo jurat*, interrogative dictum, velut id quod negaret a procuratore jurandum (certe & Buxtorfius[m] interrogative vertit, *Et curator per juramentum?)* aut ipse interrogative de non jurando locutus, idem affirmaret. Sic enim loquitur, ומתרין כגון שנפלה לו שבועה ואנטלר אינו יכול לישבע *Et si eveniret ut ab eo* (pontifice) *juramentum esset praestandum, etiam non potest procurator jurare*, aut *juramenti procurator fieri?* Si enim haec capiantur interrogative, satis consona sunt versioni nostrae. Sin vero, plane negant quod versio nostra affirmat. MS. Arundellianus, isque pervetustus, Mosis Kotzensis non aliter se habet atque editi.

VIII. Cum vero adeo rarus sit apud veteres τοῦ אנטלר usus, ac diversimode saepius exarari soleant a typis librariisque voces ejusmodi civitate Talmudica donatae; de voce illa אנטלר ego quidem suspicabundus fui, ipsam primariam ejusdem scriptionem fuisse אנטלס, quod plane satis respondet τῷ jurisconsultorum veterum (ut diximus) ἐντολεὺς. Etenim τοῦ ס curva parte dextera sive obliterata sive in scriptione negligentius ducta, facile quibat fieri ut quod reliquum haberetur pro figura ר sumeret librarius; unde error (si error ejusmodi admittendus) facilius maxime etiam in λέξει μονήρει (in corporibus scilicet Talmudicis; nam extra locum illum Gemarae Hierosolymitanae nullibi, puto, sive in Misna sive in Gemara aliqua compareat) propagari potuit, ita ut quod אנטלס ἐντολεὺς scribi debuerat in אנטלר casu migraret. Nam licet ס & ר similares literae, dum integros habet utraque ductus suos, non sint, attamen, pars τοῦ ס inferior haud simul cum superiori a dextera per lineolam illam curvam clausa, etiam τῷ ר integro adeo similis est, ut inde fieri potuerit sive per librarii negligentiam oscitantiamque, quale in vocibus peregrinis saepe nimis fieri amat, sive per vetustatis aut blattarum ac tinearum aliamve injuriam, ut ר pro ס in editis substitueretur. Parile forsan de אפיפור & פיפיור dicendum. Neque omnino hic obstat, quod postrema syllaba vocis ἐντολεὺς, unde deducendum velimus אנטלס, sit εὺς, quod videre possit exigere ut scriberetur אנטליוס aut אנטליור. Nam non solum ejusmodi praetermissiones vocalium nemo nescit fuisse in scriptis Ebraicis, tam in vocabulis suis quam exteris, frequentissimas, sed itidem in Graeca etiam dialecto quae prae aliis quidem in Graecia Europaea, nec parum inter Asiaticos, diffusa est, id est Dorica, voces in εὺς desinentia saepius claudebantur cum τοῦ ης sono simpliciori, quemadmodum apud Latinos Graecorum aliquot. Priscianus[n] verba faciens de in *eus* desinentibus, ut *Tydeus*, *Peleus*, *In hujusmodi*, inquit, *terminatione quaedam inveniuntur mutatione* eus *diphthongi in* es *longum prolata*, *ut* Ἀχιλλεὺς *Achilles*, Περσεὺς *Perses*, Ὀδυσσεὺς *Ulysses*. *In quo Dores sequimur, qui pro* Φιλεὺς Φίλης, *& pro* Ὀρφεὺς Ὄρφης *&* Ὀρφῆν *dicunt, pro* Τυδεὺς Τύδης. Atque affert ex Antimachi Thebaide, Τύδης τε Οἰνείδης, & ex Ibyco, ὀνομακλυτὸν Ὄρφην. Adeoque ob diphthongum *eus* hic non est quod omnino conjecturae nostrae assensus non praeberetur. Certe etiam non ita fuerit dissimile veri, ipsam vocem unde אנטלר factum fuisse ἐντολεὺρ pro ἐντολεὺς. Scimus enim dialectos Doricam AEolicamque, perquam cognatas, maximo in usu fuisse tam in Asia, unde earum origo, quam in Europa, apud Graecos, quibuscum versabantur Ebraei, maxime Lacedaemonios, Messenios, Argivos, Eretrienses, Cretenses, Rhodios, Siculos, aliosque[o]. Et certum est in more fuisse, eorum saltem nonnullis, finale in dialectis reliquis ς in ρ quandoque sibi vertere ac pronunciare. Exempli causa, ἵππορ, ἄνθρωπορ, ἔτορ, pro ἵππος, ἄνθρωπος, ἔτος. Hoc ῥαβακίζειν dictum. Eretriensium σκληρότηρ pro σκληρότης observatur a Platone[p]. Vocabula item Laconum compluria sic desinentia notantur ab Hesychio; quae simul congesserunt viri docti[q]. Et de AEolibus expressim in hanc rem Herodianus[r] grammaticus priscus. Quid quod etiam Severinus Boethius fidenter & generatim affirmat, *Spartiatas* Σ *literam in* P *vertere*[s], quasi in omnibus vocibus ita ρ usurpassent, adeoque senatusconsultum Laconum in Timotheum Milesium ob musicam ab eo innovatam & evulgata mysteria latum exhibet ut sic scriptum; qua de re nos plura in dissertatione ad senatusconsultum illud singulari. Neque sane hactenus assertionem Boethii illam amplexari quivi, neque non persuasum habere ex mala ipsa τοῦ ς in senatusconsulti scriptione hallucinatum Boethium fuisse; licet interim viros maximos, qui alias ac variatim emendando transcribendoque illud ediderint (excepto unico Lilio Gyraldo[t], qui in dialecto communi descripsit) eandem scriptionem velut Laconibus propriam securius ibi retinuisse viderim. Dubitanter merito & mirando loquitur de scriptione illa Josephus Scaliger[v], atque ita festinando praeterit. Eam vero plane ego ibi rejiciendam, in dissertatione illa, si quid omnino video, ex scriptorum locutionumque Laconicarum fragmentis, ampliter demonstravi, adeoque sigma locis suis ubique illic restituendum. Accedat, metaplasmum illum τοῦ *r* in *s* mutuum saepius (non omnino semper) haberi etiam apud Latinos AEolicae adeoque Doricae imitatores, quibus *arbos*[x], *robos*, *clamos*, *lases*, pro *arbor*, *robor*, *clamor*, *laser*, aliaque ejusmodi scimus usurpata esse; quemadmodum Attici[y] θάῤῥος, θάρσος, ἄῤῥεν, ἄρσεν. Adeoque ut τ & ξ, ita etiam ρ in σ saepius mutarunt. Et demum in Rabbinismum sic facile recipi potuit sive ἐντολεὺς aut ἐντολὴς sive ἐντολεὺρ aut ἐντολὴρ, unde אנטלר *enteler* suum facerent Talmudici. Quanti autem prae dialectis caeteris passim Dorica haberetur, & quam diffusa, satis edisci tur ex singulari ejusdem aestimatione apud Epicharmum etiam & Pythagoram; qua de re Metrodorus[z], ad fratrem, fusius.

m Lexic. Talmudic. col. 137.
n Lib 6.
o Corinthus de Dialectis, alii cum eo conjuncti.
p In Cratylo.
q If. Casaubon. Animadvers. in Athen. lib. 8. cap. 11.
r Apud Eustathium ad Iliad. α pag. 114 edit Romanae, & vide Suidam in ῥωτακίζειν & in χαλκιδίζειν.
s De Musica, lib. 1. cap. 1.
t De Poetis Dialog 9. pag. 346.
v Ad Manilii Sphaeram Barbaricam, pag. 426.
x Festus in *Arbosem*, Quintilian. Instit. 1 cap 4. Lipsius de Pronunciatione Linguae Lat. cap. 16.
y Joann. Grammaticus, de Dialectis, &c.
z Apud Jamblichum de Vita Pythagorae, lib. 1. cap. 34.

CAP.

CAP. XI.

I. *De actionum forensium & judiciorum divisione. Judicia animarum, id est capitalia.*

II. *Juramentorum jus & formulae, qua tum forenses actiones, exceptionesve, tum expiationes ac vitae sanctitatem spectarunt, per nomen aut cognomen aliquod Dei O. M.*

III. *Paganorum veterum, Graecorum, Africanorum, Romanorum, aliorum solennes jurandi, quasi consimiles, formulae publicae & usitatiores.*

IV. *De philosophorum, theologorum, astrologorum discipulos suos adjurandi formulis. De perjuriis, Cleanthis & Chrysippi sententiae discrepantes. Quinto cujuslibet mensis lunaris die perjuros, juxta theologiam Graecanicam, ad poenam insectabantur furiae. Amantium perjuria, irrita. Summa de formulis paganorum, & perjurii poenis. Monita eorum de juramenti abstinentia. De Christianorum circa juramenta disciplina vetere nonnihil.*

V. *De Mahumedanis seu Alcoranicis juramentis, eorumque formulis. Perjurii expiatio.*

VI. *De christianorum circa juramenta scitis moribusque. Formulae quibus adjurare Judaeos & Mahumedanos illi soliti.*

VII. *Judaeorum per res per se alias praeter Deum O. M. juramenta. De Deo in juramentis non nominando Philonis disciplina singularis. Quomodo perjurus per Deum a proximo audiente excommunicandus. Talmudica de juramentis per res alias doctrina. Explicatur,* Jura, verpe, per anchialum, *apud Martialem. Forensis jurandi formula.*

VIII. *De juramentorum apud Ebraeos genere quadruplice; futili seu temerario, vano, depositi, testimonii: Et de eis subtilia aliquot Talmudicorum.*

IX. *Absolutio solennis juramenti de futuro futiliter aut temere prolati, ejusque ritus, & circa tam forenses quam expiatorias poenas effectus. De poenis item juramenti depositi violati tam forensibus quam expiatoriis.*

X. *De juramento testimonii. Juramentum impositionis. Locus Chrysostomi de juramento in Ebraeorum synedriis. De poenis juramentorum violatorum, & de servorum juramento.*

SEquitur ut edendi, postulandi, actiones intendendi, excipiendi, testes adhibendi, causas discutiendi, sententias ferendi, praejudicandi formulas solennes, aliaque ad illas spectantia intueamur. Capitibus in superioribus sparsim id genus nonnulla, dum aliud agimus, interserta sunt. Etiam ejusmodi aliqua in uxoris Ebraicae libro tertio. Fuere etiam agendi formulae aliquot quibus per synedria vigintitriumviralia ad synedrium magnum deducebantur actiones: Sed de eis libro proximo. Cum autem omnigenae actiones, ut passim alibi, aut criminales ex lege essent, nec capitales, seu ad mortis poenam tendentes, דיני קנסות *judicia multatitia* dictae; aut etiam capitales, quas דיני נפשות *judicia animarum* vocitabant, in quibus ultimum supplicium irrogabatur (atque נפש est *anima* & *persona* & *vita*, unde etiam *amissio animae* pro ultimo supplicio usurpatur Justiniano [a], uti & *animae* parilis significatio vetustioribus aliis) aut demum tertii generis, seu mere civiles ac pecuniariae, דיני ממונות nuncupatae; & tam primum harum genus quam tertium & triumvirale esset & vigintitriumvirale, uti & generis secundi cunctae, in synedrio magno reservatis non censitae, vigintitriumvirales, secundum superius ostensa; videndum erit primo de formulis ad primum & tertium genus spectantibus, & dein de eis quae ad secundum attinent, id est de דיני נפשות *judiciis*, ut vocant, *animarum*, nomine perquam consono, ut diximus, veterum usui τῆς ψυχῆς & *animae* pro vita. Qua de re locus est egregius ille Tertulliani [b], ubi Christum de martyrio loquentem [c] inducit; *Qui pluris fecerit etiam animam suam quam me, non est me dignus; id est, qui maluerit vivere me negando, quam mori confitendo. Qui animam suam invenerit, perdet illam; qui vero perdiderit illam mei causa, inveniet illam. Proinde enim invenit eam, qui negarit lucrifaciendo vitam: Sed perdet in gehennam, qui se putat negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad praesens, qui confessus occiditur, sed inventurus eam in vitam aeternam.* Et subjicit praesidum de vocis *animae* notione sensum, *Ipsi denique praesides cum cohortantur negationi, serva animam tuam, dicunt, &, Noli animam tuam perdere.* Et hujusmodi vocis ψυχῆς & *animae* significatio est alibi satis obvia. Priusquam vero formulas ipsas agendi excipiendique, & quae inde pendeant, adgredimur, quoniam haud exiguus erat in actionibus & judiciis juramenti (quod Aristoteli [d] rectissime dicitur μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος, *cum divina sibi assumptione dictio non demonstrabilis*; aliis [e], velut proverbio, μαρτυρία Θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου, *testimo-*

[a] Instit. tit. De Publicis Judiciis §. *Sunt praeterea.* [b] In Scorpiaco, cap. 11. [c] Luc. xiv. 26. Matth. x 39 Joann. xii. 25. [d] Rhetoric. ad Alexandrum, cap. 18. [e] Apud Philonem Jud. de Allegoriis, lib. 2. & lib. de Sacrificiis Abelis & Caini, & lib. de Plantatione Noe, lib. de Decalogo.

nium Dei de re qua de ambigitur, & τὸ πίστεως βεβαιότατον σύμβολον, *fidei firmissimum sigillum*; autori ad Ebraeos [f], πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν, *omnis controversiae finis in confirmationem*, aut ad stabiliendam eam, tollendamque; & Gaio [g], *remedium expediendarum litium)* quoniam, inquam, haud exiguus erat juramenti, scilicet litigantium & testium, usus; ideo visum est ut reliquis praeviam hac de re Ebraeorum disciplinam exhibere; idque ita ut juramentorum formulas ac genera, personarum in juramentis praestandis discrimen, absolutionem juramenti, ac perjurii tum poenas forenses aliasque tum expiatorias, uti etiam paganorum & mahumedanorum & christianorum hanc circa rem disciplinam breviter repraesentemus. Neque enim sine hisce simul cunctis disciplinae circa juramentum, qua forense tantum erat, magis fere potest revera dignosci, quam quadrans aliudve circuli segmentum sine circuli totius ratione habita.

II. Juramenta forensia, adeoque alia quotquot licita, rite praestanda erant per nomen sanctissimum Domini. Quam ad rem praeceptum habent affirmativum ex illo [h], את יהוה אלהיך וגו' *Dominum Deum tuum timebis, & illum coles*, ובשמו תשבע *& in nomine*, aut *per nomen, ejus jurabis*. Titulus est in Talmude utroque de שבועות *juramentis*, cujus praecipua tum circa formulas tum circa reliqua hic advertenda, prout illic, ac apud Maimonidem Cotzensem, alios magistrorum, diligentius exhibentur, mox suis in locis trademus. Exemplum huc afferunt illud jurandi vetustissimum de Abraha adjurante servum [i] ad uxorem Isaaco quaerendam ituum; שים נא ידך תחת ירכי ואשביעך ביהוה אלוהי השמים ואלוהי הארץ *Pone manum tuam subter femur meum, & adjurabo te per Dominum Deum coeli & Deum terrae*; ubi Josephus [k] misisse ait Abrahamum servum illum, ἐγγυησάμενον μεγάλαις πίστεσι· γίνονται δὲ αὗται τὸν τρόπον. ὑπὸ τοὺς μηροὺς ἀλλήλοις τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες ἐπικαλοῦνται τὸν Θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων, *magnis fidei sacramentis eum obstringentem; Quae hoc modo fiebant. Utrique invicem manum sub femora mittebant, & invocabant Deum testem eorum quae futura essent.* Foedus item quod cum Gibeonitis inibant principes Israel (de quo dicitur primo generatim, *principes congregationis eis jurasse)* pro jurandi tam gentilibus quam suis apud Ebraeos more jureque usitato, firmabatur juramento [l], ביהוה אלוהי ישראל *per Dominum Deum Israel*. Alia ejusmodi sunt obvia. Aiunt igitur [m], מצות עשה שישבע מי שנתחייב שבועה בבית דין בשם *Praeceptum est affirmativum ut cuicunque praestandum fuerit in foro juramentum, is juret per nomen Dei.* Item, ואסור להשבע בדבר אחר עם שמו· וכל המשתף בדבר אחר שם הקב"ה בשבועה נעקר מן העולם· שאין שם מי שראוי לחלוק לו כבוד שנשבעין בשמו אלא האחד ברוך הוא: *Et nefas est jurare per rem aliam cum nomine Dei. Scilicet quisquis associaverit aliquam rem aliam in jurejurando cum nomine sanctissimi illius & benedicti, exstirpetur e mundo. Neque enim nomen praeter solum illum benedictum, habetur nomen quod dignum est cui communicetur gloria*, seu *honos, per illud jurandi.* Adjiciunt autem [n] etiam de Dei *cognominibus*, quae per vocem הכינוי a nomine המיוחד *proprio*, id est tetragrammato, distinguunt; אחד הנשבע או שהשביע אחר בשם המיוחד או באחד מן הכינוין כגון שנשבע במי ששמו חנון ובמי ששמו רחום ובמי ששמו ארך אפים וכיוצא בהן בכל לשון הרי זו שבועה גמורה: *Jus parile est, sive quis juret aut ab alio adjuretur per nomen proprium, sive per cognominum [o] aliquod, ut si juramentum fecit per nomen ejus qui est gratiosus, per nomen ejus qui est misericors, per nomen ejus qui est longanimis, per ejusmodi alia, quocunque modo. Atque hoc juramentum est perfectum.* Nec duntaxat verbis expressis clarisque declaratum juramentum pro praestito habebatur, verum etiam qualiscunque inter jurandum nominis seu verbi depravata, curta, aliave ejusmodi prolatio velut balbutientis, modo de animi sensu satis constaret, pro juramento habebatur. Inde aiunt, ולא השבועה בלבד אלא כל כנוי שבועה כשבועה: *Nec solum juramentum ipsum* clarum, perspicuum, expressius, *verum etiam quicquid speciem juramenti prae se fert, velut juramentum censendum*; וכן האומר לאו לאו שני פעמים דרך שבועה או הן הן והזכר שם או כינוי הרי זה כנשבע: *Ita etiam si quis dixerit* NON, NON, *bis, modo* seu *animo jurandi, aut* ETIAM, ETIAM, *& mentionem fecerit nominis seu cognominis Dei, is censendus pro jurante.* Itidem si dixerit se hoc vel illud facturum, & mentionem fecerit nominis cognominisve, אמר איסר לה' או למי ששמו חנון שאעשה או שלא אעשה הואיל והוציאו בלשון שבועה הרי היא כשבועה: *Si quis dixerit, Etiam Domino interdictum sit, seu eo cui nomen est gratiosus, ut ego faciam aut non faciam, cum illud protulerit modo juramenti, etiam ut juramentum hoc habendum.* Qui alium expressim jurantem audiens, dixerit ואני כמותך *Et ego sicut tu*, הואיל ולא הוציא שבועה מפיו ולא השביעו חבירו הרי זה פטור: *cum ex ore suo neutiquam protulerit juramentum ipse, neque eum adjuraverit alius, ille obligatione juramenti liber est.* Scilicet זהו מפתים בשבועה והוא פטור *hic captat solum juramentum* alterius, *adeoque est liber*, seu non obligatus, vi nempe juramenti. Captionem hujusmodi vocant התפיסה בשבועה *captationem juramenti*, quae itidem, qua ipsum jurantem solummodo spectaret, locum habuit. Ut si quis juraret se carnem hanc non comesturum, & postea, sine expresso juramento dixerit legumen hoc ei fore ut carnem illam, non tenebatur juramenti vi quoad legumen, שהרי לא היציא שבועה מפיו עליה אלא השפיסה *quoniam non protulit juramentum de illo, sed* tantum *captationem*; unde tamen nefas erat ei comedere legumen illud, quoniam voti reus ex ejusmodi etiam captatione, sed non perjurii, ob non prolatum juramentum, nec expiationum perjurii nomine. Generatim etiam addunt de corde & ore, אינו חייב עד שיהיה פיו ולבו שוין *Non obligatur juramento* (ut scilicet perjurii poenae & expiationes sequantur) *nisi jurans idem in corde ac ore habuerit*, seu *nisi os & cor sint aequalia.* Parile insuper jus docent esse sive quis juret מפי עצמו *ex ore sui* aut מפי

[f] Cap. vi. 16. [g] L. 1. D. tit De Jurejurando. [h] Deuter. vi 13. [i] Genes. xxiv. 2, 3. [k] Lib. 1. cap. 16. seu 24. [l] Josu. ix. 15. & 18. [m] Maimonides tract. *Shebuoth*, cap. 11. §. 1, &c. Mos. Kotzensis Praecept. Affirmat. 123. [n] Maimonides tit. *Shebuoth*, cap. 2. [o] De illis videsis Maimonid. *More Nebochim*, part. 1. cap. 59. & 61.

אחרים

אחרים *ex ore aliorum* eum adjurantium, quibus respondeat *amen*, idque sive minor, sive gentilis eum adjuraret; שכל העונה אמן אחר שבועה כמוצא שבועה מפיו ואחד העונה אמן או האומר דבר שענינו כענין אמן כגון שאמר הן או מחוייב אני שבועה זו: *Quoniam quisquis adjuratus ab alio responderit* AMEN, *parilis habendus est juris cum eo qui juramentum ex ore suo protulerit. Neque discrimen est sive quis* AMEN *dicat, sive aliud aliquod vocabulum tantundem innuens, ut* ETIAM, *seu* REUS SUM, *obligatus sum hoc juramento.* Ita illud ex quo juramentum pro obligante sumptum in se consistebat, erat usus, inter jurandum, sive nominis proprii (quamdiu nomen illud pronunciare licuit) sive cognominum alicujus Dei O. M. per quod juraret quis sive expressius (ut cum verbis conceptis juraret ipse) sive breviuscule, sed palam satis intellectus; ut cum ab alio adjuratus assensum, ut dictum est, praeberet. Praeter perjurii autem poenas forenses & expiationes (de quibus mox) vindictae coelestes pejerantibus exspectabantur ut debitae, idque sive earum invocatio inter jurandum aliqua adjiceretur, sive non; adeoque exsecrationes, si perjurium admissum, velut necessario atque ex sui natura conjunctae, in juramento, sive a jurante ipso sive ab adjurante prolato, licet non expressae, continebantur.

III. Atque ita quidem veteres pagani deorum suorum, pro discrimine cultus vario, generatimque saepius deorum & dearum omnium nomina in juramentis usurpabant, adjectis solennioribus expressim plerumque, si veraciter jurarent, bonae fortunae ac felicitatis sibi, si vero pejerarent, contrarii atque exitii invocationibus. Quod juramentis tacite, si non expressim, semper inesse existimatum; unde Plutarchus [p], Πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας, *Jusjurandum omne in exsecrationem perjurii terminatur.* Jurabant pagani & *deos* suos, & *per eos*, & *coram eis*, & eos testabantur, adhibitis in formulis ipsis eorum nominibus: Saepius item publice, ad aram, super exta, & per sacra aliasque res; & in familiari vitae commercio, per caput, salutem suam, Caesaris genium, plura; quorum specimina egregia in regum juramentis per sceptra sua [q]; in Socraticis illis, per canem, per anserem, per platanum, id genus alia, juramentis; in Zenoniano illo [r], per Kapparim; de quo etiam forte dicendum, ut Apollonius [s] de Socrate, Ὤμνυ ταῦτα, οὐχ ὡς Θεοὺς, ἀλλ᾽ ἵνα μὴ Θεοὺς ὀμνύῃ, *jurabat haec, non ut Deos, sed ne Deos* ipsos *juraret*; qualem disciplinam circa juramenta velut ex Rhadamanthi lege obtinuisse scripsit Cratinus [t]. Et nunc per Jovem, nunc per canem in eodem colloquio jurat Socrates [v]. Nec voluit Pythagoras quemquam [x] ἐν τῷ ὅρκῳ χρῆσθαι προπετῶς τοῖς τῶν Θεῶν ὀνόμασι, *in juramento temere uti Deorum nominibus.* Atque de sectariis ejus, Jamblichus [y], Θεῶν ὀνόμασι χρῆσθαι πολλὴν φειδὼ ἐποιοῦντο, *Deorum nominibus* in juramento *parcissime utebantur.* Unde illa de religiosissima sua suorumque jurisjurandi ut observatione ita & abstinentia notatu dignissima, apud eum, Hieroclem [z], alios. Etiam ex hisce paganorum scitis edoctus Julianus Augustus, impie exagitans Mosis decalogum (in quo illud de non sumendo Dei nomine ἐπὶ ματαίῳ *in vanum*) & pleraque ibi, utpote cuique familiaria & receptissima, tanto legislatore ac populo peculiari indigna esse praetexens, Ποῖον, inquit [a], ἔθνος ἐστὶ πρὸς τῶν Θεῶν, ἔξω τοῦ, Οὐ προσκυνήσεις θεοῖς ἑτέροις, καὶ τοῦ, Μνήσθητι τῶν σαββάτων, ὃ μὴ τὰς ἄλλας οἴεται χρῆναι φυλάττειν ἐντολὰς, ὡς καὶ τιμωρίας κεῖσθαι τοῖς παραβαίνουσιν ἐνιαχοῦ μὲν σφοδροτέρας, ἐνιαχοῦ δὲ παραπλησίας τῶν παρὰ Μωσέως νομοθετηθείσαις, ἐστὶ δὲ ὅπου φιλανθρωποτέρας; *Quaenam gens est per Deos, modo haec dempseris, Non adorabis deos alios, & Memento sabbatorum, quae mandata caetera* (adeoque de *nomine Dei in vanum non sumendo) servanda non putet, adeo ut illa violantibus poenae constitutae sint alibi quidem graviores, alibi vero similes eis quae a Mosis lege constitutae sunt, alicubi etiam humaniores?* Id genus sunt plura. Sed ita ut deorum etiam nomina & vindicta sive expressim sive tacite etiam in juramentis contineri cunctis admitteretur. Et notissima sunt apud comicos curtatae illae formulae, *aedepol, mecastor, pol, perpol, mehercle*, ejusmodi aliae, quae judiciariae non erant, sed vulgaris in confabulationibus usus, satis deorum suorum nomina sic indicantes. Diis etiam ipsis Styx fluvius singulare erat & maximum juramentum [b], adjectis etiam deorum inferorum nominibus. Etiam per illum deos pejerantes poenis subjiciebant poetarum figmenta. Unde Hesiodo [c] dicitur fluvius ille

——————μέγα πῆμα θεοῖσιν,

magnum diis damnum; & Venus apud Apuleium [d], ad Psychen, *diis etiam, ipsique Jovi, formidabiles aquas istas Stygias, vel fando comperisti? Quodque vos dejeratis per numina deorum, deos per Stygis majestatem solere?* Apud Hesiodum etiam quisquis deorum per Stygem perjurus deprehenderetur,

Κεῖται νήϋτμος τελελεσμένον εἰς ἐνιαυτόν·
Οὐδέ ποτ᾽ ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἔρχεται ἆσσον
Βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος, &c.

Jacet velut spiritus expers per annum integrum, nec ambrosiae & nectaris attingens cibum; sed sine spiritu jacet & mutus, lectis scilicet in illam poenam a diis destinatis. Accedit ibi etiam post annum illum dei perjuri e veterno ejusmodi experrecti exsilium seu plane excommunicatio;

Ἐννάετες δὲ θεῶν ἀπομείρεται αἰὲν ἐόντων,
Οὐδέ ποτ᾽ ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται, οὐδ᾽ ἐπὶ δαῖτας,
Ἐννέα πάντ᾽ ἔτεα· δεκάτῳ δ᾽ ἐπιμίσγεται αὖτις
Εἴρεας ἀθανάτων ——————

Per novennium tunc relegatur a diis immortalibus, nec interim concilio eorum aut epulis immiscendus per totum illud novennium. Anno autem decimo immiscetur iterum coetibus immortalium, ut perjurus satis sic purgatus. Item ex Orpheo habet Servius [e], *quod dii pejerantes per Stygem paludem novem annorum spatio puniun-*

[p] Quaest. Rom. ubi de Flamine Dial. [q] Aristot. Politic. 3. cap. 14. [r] Athenaeus Dipnos. 9. [s] Philostratus lib. 6. cap. 9. [t] Apud Suidam in Ῥαδαμάνθυος ὅρκος. [v] Plato in Hippia Majore. [x] Julian. Orat. 7. pag. 439. [y] De Vita Pythagorae, cap. 28. [z] In Carmina Pythagorae, pag. 29. [a] Apud Cyrillum adversus Julian lib 5. [b] Homer. Iliad. ξ. in Junonis Juramento. Odyss. 5. Aristot. Metaphysic. lib. 1. cap. 3. [c] In Theogonia. [d] Milef. 6. [e] Ad AEneid. 6.

tur

tur in tartaro, licet ipſe paulo ante aiat *dici, ſtatuiſſe Jovem ut ſi quis fefelliſſet ejus* (Stygis) *numen, uno anno & novem diebus ab ambroſia & nectare prohiberetur.* Sed res ipſa de tempore ex illis Orphei & Heſiodi rite intelligenda. Addit Heſiodus, quoties Jupiter mendacii reum eſſe deorum quenquam ſuſpicaretur, itidem accerſiiſſe ut poculum aquae Stygiae afferrent, quae juramenti eſſet materies. Et de Stygio juramento deorum, poetae alii tam Latini quam Graeci, ſcriptoreſque alii obiter. Etiam Vettius Valens Antiochenus [f], Ἔστι καὶ, inquit, ἐπὶ θεοῖς στύγιος ὅρκος φόβον ἔχων καὶ τιμωρίαν, *Eſt & diis Stygium juramentum nec ſine timore & vindicta.* Quod ſane videtur ab Empedocle intellectum ubi de neceſſitate & juramento apud deos loquitur [g]. Sed de Styge ſi plura velis, adi Natalem Comitem [h]. Etiam probatio (ut ex imminente reis numinis vindicta) juramentum, apud paganos, continebat in ſe ſive tacite ſive expreſſim; qualis illa uxoris apud Ebraeos ſuſpectae [i], & τὸ λίμνης δοκιμαστήριον *Lacus probationis* uſus apud veteres Indos, de qua Porphyrius [k], qualis item per maſſam ferream & ignem purgatio apud Sophoclem [l], & per ignem & aquam ſeu ordalia apud veteres chriſtianos. Paganorum autem formulae eminentiores aliquot, unde natura apud eos juramenti vera rituſque integer elici poſſint, animadvertendae. Cernitur formula vetuſtiſſima Graecorum in celebratiſſimo illo ab Hippocrate medicis praeſcripto jurejurando; Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν καὶ Ἀσκληπιὸν καὶ Ὑγείαν καὶ Πανάκειαν καὶ θεοὺς πάντας καὶ πάσας, ἵστορας ποιεύμενος, &c. *Juro Apollinem medicum & AEſculapium & Hygiam & Panaceam & deos deaſque omnes, teſtes faciens*, &c. Et inſertis quae juranti ex promiſſione ſacra fuerint praeſtanda, optat bonam ſibi cum felicitate exiſtimationem uberrimumque artis fructum, ſi religioſe obſervaverit juramentum, παραβαίνοντι δὲ καὶ ἐπιορκοῦντι, τἀναντία τουτέων, *violanti vero & pejeranti, hiſce contraria.* Foederis autem juramentum quod praeſtitere Hannibal & omnes ſenatores Carthaginienſes commilitoneſque ejus Xenophani legato Philippi regis Macedoniae, fieri dicitur [m], ἐναντίον Διὸς καὶ Ἥρας καὶ Ἀπόλλωνος· ἐναντίον δαίμονος Καρχηδονίων, καὶ Ἡρακλέους, &c. *Coram Jove & Junone & Apolline; coram daemone Carthaginienſium & Hercule & Iolao; coram Marte, Tritone, Neptuno; coram diis expeditionis comitibus, & ſole & luna & tellure; coram fluviis, pratis, aquis; coram omnibus diis qui Carthaginem imperio tenent; coram diis univerſis qui Macedoniam & reliquam terram Graeciam imperio ſuo obtinent; coram diis omnibus praeſidibus rei bellicae*, ὅσοι τινὲς ἐφεστήκασιν ἐπὶ τοῦδε τοῦ ὅρκου, *quotquot huic ſanciendo foederi praeſentes interveniunt.* Foedus item inter Carthaginienſes & Romanos [n], firmatum, ab hiſce διὰ Λίθου κατά τι παλαιὸν ἔθος, *per lapidem* (Jovem Lapidem) *ſecundum quendam morem antiquum*, ἐπὶ δὲ τοῦ τῷ τὸν Ἄρην καὶ Ἐνυάλιον, *atque inſuper per Martem & Gradivum*, ab illis, per deos patrios. Sanctiſſimum autem Romanis habitum eſt [o] graviſſimiſque in rebus adhibitum jusjurandum illud per Jovem Lapidem. *Silicem tenebant jurituri* [p] *per Jovem, haec verba dicentes, ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* Et ſimul lapidem manu ejiciebant; de quo Polybius [q] item, Plutarchus [r], alii. Habebatur apud eos etiam ſacramentum militare, quod per fidem ſuam praeſtitum [s], & pro obligatione ſumma exiſtimatum, a jurejurando [t] diſtinguebatur. Sed nec minus in illo numinis, ut teſtis tacite invocati, vindicta exſpectabatur. Et de Romanorum veterum circa juramenta more omnimodo affatim vir praeſtantiſſimus Barnabas Briſſonius [v]. Sed animadvertenda ſingularia quaedam huc de juramentis forenſibus ſpectantia in jure Caeſareo; ut illud Ulpiani [x], *Omne omnino licitum jusjurandum, per quod voluit quis ſibi jurari, idoneum eſt* (quod de juramentis forenſibus dictum:) *Et ſi ex eo fuerit juratum, praetor id tuebitur*; etiam & illud e divi Pii reſcripto [y], *jurijurando quod propria ſuperſtitione juratum eſt ſtandum*; ubi *non ſtandum* olim legebatur [z]. Sed negativa illa carent Florentinae. *At ſi quis*, inquit illic Ulpianus, *illicitum jusjurandum detulerit, ſcilicet improbatae publicae religionis, videamus an pro eo habeatur atque ſi juratum non eſſet; quod magis exiſtimo dicendum.* Et [a], *Si quis per ſalutem ſuam jurat, licet per Deum jurare videatur; reſpectu enim divini numinis jurat; attamen, ſi non ita ſpecialiter ei jusjurandum delatum eſt, juraſſe non videtur: & ideo de integro ſolenniter jurandum eſt.* Quod tum in Digeſto Juſtinianeo tum in baſilicis [b] habetur. Graecorum autem vetuſtiorum occurrunt publica aliquot inſigniora, quorum pauca, prae aliis ſatis innumeris, memoratu non indigna, ſubjicio, ut inde conceptum & naturam apud eos non ita, ſi cultum diſparem excipias, ab Ebraeorum diſſimilem dignoſcere liceat. Foedus inter Athenienſes eorumque ſocios & Laconas ictum ita firmandum erat [c], ut quaelibet civitas τὸν ἐπιχώριον ὅρκον *juramentum patrium* ſeu *domeſticum* juraret, idque τὸν μέγιστον ἐξ ἑκάστης πόλεως, *quod maximum erat in unaquaque civitate*, ſeu ἰσχυρότατον (ut Ulpianus ſcholiaſtes interpretatur) *firmiſſimum, fortiſſimum*, nec ſine ſacris. Ipſum juramenti ſubjectum breviuſculum ſatis erat, Ἐμμενῶ ταῖς συνθήκαις καὶ ταῖς σπονδαῖς ταῖσδε δικαίως καὶ ἀδόλως, *Stabo his pactis & his foederibus juſte & pure.* Cippis item erectis incidi in Olympiis, in Pythiis, in Iſthmo, Athenis intra urbem, & Lacedaemone in Amyclaeo, conventum eſt. Athenis ipſis poſt exactos triginta tyrannos, ex pſephiſmate jurandum unicuique erat [d], idque ſuper ſacra majora, occiſurum ſe ſua ipſius manu eum qui tyrannidem affectaret aut rempublicam invaderet, adjuncta clauſula illa inprimis advertenda, utpote etiam rariſſima, quae pars erat formulae jurandae, Ὁπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμώμονται Ἀθήνησιν ἢ ἐν

[f] Floridorum lib. IX. MS. [g] Apud Simplicium in Ariſtot. phyſic. lib. 8. comm. 14. [h] Mytholog. lib. 3. cap. 2. [i] Numer. v. 19. & videſis uxor. Ebraic. lib. 3. cap. 15. [k] Apud Stobaeum Eclog. Phyſic. cap. 7. & Andreaem Schottum Obſervat. 5. cap. 20. & Lucam Holſtenium in Porphyrianis. [l] In Antigone. [m] Polybius Hiſt. 7. [n] Idem lib. 3. [o] A. Gellius, lib. 1. cap. 11. [p] Feſtus in *Lapidem.* [q] Hiſtor. 3. [r] In Sylla. [s] Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 9. & 11. [t] Livius, lib. 22. cap. 38. [v] Formularum, lib 8. [x] L. 5. D. tit. De Jurejurando & Baſilic. lib. 22. tit. 5. [y] D. Ib. §. 1. [z] Videſis Stephanum Forcatulum Necyomantia Juris, Dialog. 12. [a] L. 33. D. tit. De Jurejurando. [b] Lib. 22. tit. 5. §. 33. [c] Thucydides, hiſt. 5. [d] Andocides Orat. 1. ſeu περὶ μυστηρίων, & videſis Samuel. Petit. Leg. Attic. lib. 3. tit. 2. & comment. pag. 232.

τῷ ϛρατοπέδῳ ἢ ἄλλοθί πȣ ἐναντίοι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων λύω κ̀ ἀφίημι, *Et quotquot juramenta jurata fuerint Athenis aut in castris alibive contra populum Atheniensem solvo & dimitto.* Accessit invocatio, εὐορκȣ̃ντι μὲν εἶναι πολλὰ κ̀ ἀγαθά· ἐπιορκȣ̃ντι ἢ, ἐξώλη αὐτὸν εἶναι κ̀ γένος, *recte ex animo juranti, multa & felicia; pejeranti vero & generi ejus, exitium.* Praestitum hoc πρὸ Διονυσίων paulo *ante* seu *pridie Dionysiacorum* seu *liberalium vernorum festum*, Athenis celeberrimum; quod male vertit Alphonsus Miniatus, *ante Dionysii templum.* Heliastarum item seu summi Athenis ordinis judicum juramentum erat [e], Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, *Juro Jovem, Neptunum, Cererem*; ut alii judices illic, *Apollinem patrium, Cererem & Jovem regem* [f]. Imprecatio autem Heliastarum solennis erat, Ἐπαρῶμαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ κ̀ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτȣ̃, εἴ τι τȣ́των παραβαίνοιμι· εὐορκȣ̃ντι ἢ καλὰ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι, *Imprecor exitium ipse mihi & familiae meae, si quid horum transgressus fuero; recte vero juranti ut pulchra multa & bona eveniant.* Testium juramentum voluit esse Plato [g], *per Jovem, Apollinem & Themidem.* Ephebορum Athenis juramentum clausum est cum illo, Ἴςορες θεοὶ Ἄγραυλοι, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεὺς, Θηλὼ, Ἡγεμόνη, *Testes sunt dii Agrauli, Enyalios, Mars, Jupiter, Thelo* seu terra *nutritia, Diana*, ut emendavit Pollucem [h] Petitus [i]. Et a Solone juramentum praescriptum est [k], Ἱκέσιον, Καθάρσιον, Ἐξακεςῆρα, *per supplicem, purgatorem, averruncatorem.* Item in foedere illo vetusto Smyrnaeorum & Magnetum [l], Magnetes jurabant διὰ Γῆν, Ἥλιον, &c. *per Terram, Solem, Martem, Minervam Martiam, Dianam, Matrem Sipylenem, Apollinem in Pandis*, κ̀ τȣ̀ς ἄλλȣς θεȣ̀ς πάντας κ̀ πάσας, κ̀ τ̀ȣ βασιλέως Σελεύκȣ τύχην, *& reliquos deos deasque omnes, & Seleuci regis fortunam*; qua de accessione nos [m] ad dictum foedus. Smyrnaei vero, διὰ Γῆν, Ἥλιον, &c. *Terram, Solem, Martem, Minervam Martiam, Venerem Stratonicidem, & reliquos deos deasque omnes.* Utrisque dein eadem imprecatio, Εὐορκȣ̃ντι μὲν μοι εὖ εἴη, ἐπιορκȣ̃ντι ἢ ἐξώλεια κ̀ αὐτῷ κ̀ γένει τῷ ἐξ ἐμȣ̃, *Recte juranti mihi bene sit; pejeranti vero, exitium & mihimetipsi & posteris meis.* Adnumeretur hic Taurus mons, qui deus & jusjurandum Cappadocibus; ut Palus Maeotica Tanaisque, Massagetis [n]. Alia ejusmodi apud scriptores teri solitos, etiam de gentibus veterum aliis. Habetur autem in Cretensi marmore [o] fragmentum aut appendix, ut videtur, foederis vetustissimi Hieraputniorum & Priansiorum, Cretae civitatum (quod ipsum etiam e marmore Arundelliano vir doctissimus Joannes Prisaeus [p] typis mandavit) ubi enumeratis a Priansiis in juramento Vesta, Junone, compluribus aliis diis (ut Ὀμνύω τὰν Ἑςίαν, &c. *Juro Vestam*, &c.) subjungitur κ̀ θεȣ̀ς πάντας κ̀ πάσας, *& deos deasque omnes*, cum imprecatione sibi, si pejerarent, exitii pessimi, atque ut nec tellus nec arbores sibi fructum ferrent, μήτε γυναῖκας τίκτειν κατὰ φύσιν, τῷ τε πολέμῳ ἐνέχεσθαι, *nec mulieres secundum naturam parerent, atque ut bello opprimerentur*; recte autem jurantibus ut propitius esset deus; κ̀ γίνεσθαι πάντα ἀγαθὰ, *& omnia fausta evenire.* Creticum aliud marmor e Creta a Francisco Molino insulae praeside ad Dominicum Molinum fratrem missum, ac typis quidem, cum aliis simul aliquot, Venetiis circa annos abhinc triginta mandatum, sed raro nimis prostans, foedus exhibet Latiorum & Olontiorum, populorum Cretensium, maxime de utrorumque finibus; ubi idem utrinque juramentum in Dorismo Cretico (sed non sine exscriptoris plane hallucinationibus) ad hunc se habet modum;

ΟΜΝΕΩ ΤΑΝ ΕΣΤΙΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΖΗΝΑ ΤΟΝ ΚΡΗΤΟΓΕΝΙΑ ΚΑΙ ΤΑΝ ΗΡΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΖΗΝΑ ΤΟΝ ΤΑΛΛΑΙΟΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΟΣΕΙΔΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΑΜΦΙΤΡΙΤΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΧΑΤΩΝ Κ' ΑΡΤΕΜΙΝ ΚΑΙ ΑΡΕΑ ΚΑΙ ΤΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΕΛΕΥΣΙΝΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΒΡΙΤΩΜΑΡΤΙΝ [q] ΚΑΙ ΕΡΜΑΝ ΚΑΙ ΚΩΡΗΤΑΣ ΚΑΙ ΝΥΜΦΑΣ ΚΑΙ ΤΩΣ ΑΛΛΟΣΙΩΣ ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΙ ΠΑΣΑΣ.

Juro Vestam, & Jovem in Creta genitum, & Junonem, & Jovem Tallaeum (Jovis τελείȣ non rara mentio; sed Hesychius, Ταλαιὸς, ὁ Ζεὺς ἐν Κρήτῃ, *Talaeus est Jupiter in Creta*; & quod habet ille, Ταλαιδίτης, ἀγὼν γυμνικὸς, *Talaedites, certamen gymnicum*, de festo ei eo nomine illic sacro sumit Joannes Meursius [r]) *& Neptunum, & Amphitritem, & Chaton* (legendum ΛΗΤΩΝ *Latonam*) *& Dianam, & Martem, & Venerem, & Eleusinen, & Britomartin, & Mercurium, & Curetes, & Nymphas, & Deos alios* (fallor enim nisi ΑΛΛΟΣΙΩΣ ab exscriptore depravatum fuerit ex ΑΛΛΟΥΣ ΣΕΙΟΥΣ *alios Deos*; nam nemo nescit Σιȣ̀ς pro Θεȣ̀ς Laconice aliasque Dorice usurpatum; tametsi interim verum sit, Θεȣ̀ς etiam in eodem foedere pro diis adhiberi) *cunctos cunctasque.* Et dein ΕΠΙΟΡΚΟΥΝΤΙ ΜΕΝΗ ΜΕΝ ΠΟΛΛΑ ΚΑΙ ΑΓΑΘΑ ΕΦΟΡΚΟΥΝΤΙ ΤΑ ΕΝΑΝΤΙΑ, *Recte juranti sint multa ac bona; pejeranti, contraria.* Subscribitur, ΟΡΚΟΣ ΟΛΟΝΤΙΩΝ Ο ΑΥΤΟΣ, *Jusjurandum Olontiorum idem.*

IV. Philosophi item, theologi, astrologique apud paganos veteres formulas suas habuere quibus in scholis suis discipulos adjurabant, ne mystica sua evulgarent. Julius Firmicus [s] de Orpheo; *Cum ignotis hominibus Orpheus sacrorum caeremonias aperiret* (MS. Collegii Lincolniensis Oxoniis non habet *aperiret*) *jurisjurandi necessitatem, & cum terribili quadam* (deest in MS. *quadam*) *autoritate religionis exegit, ne profanis auribus inventae ac compositae religionis secreta* (MS. non habet *secreta*) *proderentur*, &c. Unde & usus ejusmodi Pythagorei [t] tenacissimi fuere. *Unde & ego* (inquit Firmicus

[e] Demosthenes Orat. in Timocratem. [f] Pollux Onomast. 8. cap. 10. [g] De Legibus, lib. 11. [h] Onomastic. 8. cap. 25. [i] Comm. ad Leg. Attic. pag. 154. [k] Pollux, lib. 8. cap. 12. & vide Petit. ad Leg. Attic. pag. 349. [l] In Marmoribus Arundellianis. [m] Ibidem. [n] Maximus Tyrius Dissert. 38. [o] Apud Gruter. Thes. pag. 505. [p] Notis ad Apuleii Apologiam, pag. 59. [q] Lege ΒΡΙΤΟΜΑΡΤΙΝ. [r] Graeciae Feriata, lib. 6. [s] Mathes. lib. 7. in praef. [t] Jamblich. de vita Pythagorae, cap. 35.

micus ad Mavortium Lollianum proconsulem) *bonorum virorum legem secutus convenio te jurejurando per fabricatorem mundi Deum, qui omnia necessitate perpetuitatis excoluit, qui solem firmavit* (MS. *formavit*) *& lunam, qui omnium siderum cursus ordinesque disposuit, qui maris fluctus intra certos terrae terminos coartavit, qui ignem ad sempiternam sibi substantiam inflammavit, qui terram in medio collocatam aequata moderatione* (MS. *aequatam morationem*) *suspendit, qui homines, feras, alites & omnia animantium genera* (MS. *qui omnes feras alienantes & ex omni animantium genere*) *divina artificii majestate composuit, qui terram perennibus fontibus rigat, qui ventorum flatus cum quadam facit necessitatis moderatione variari, qui ad fabricationem omnium quatuor elementorum, diversitate composita, ex contrariis & repugnantibus cuncta perfecit, qui ortum ac occasum, ac omnium terraemotum* (MS. *occasumque terrae motum omnium*) *per animae descensum & ascensum, immortalitate aeternae perpetuitatis ordinavit* (MS. *per immortalitatem aeternae perpetuitatis ordinem*) *ne haec veneranda, communia profanis vel imperitis auribus intimentur, sed iis tantum* (in MS. deest *tantum*) *quos animus incorruptus*, &c. Nulla quidem adjicitur pejeranti vindictae divinae imprecatio: Sed plane illa, ut in juramentis cunctis receptissima, innuitur, expressiusque in Vettii Valentis [v] astrologi discipulorum suorum adjurationibus, quas & alibi attulimus, Ὁρκίζω σε, ἀδελφὲ μου τιμιώτατε, καὶ τοὺς μυσταγωγοὺς μου ταύτῃ τῇ συντάξει, &c. *Adjuro te, honorate mi frater, & eos qui alios sub me initiant huic disciplinae, per stellatum coeli fornicem, per circulum zodiaci, solem & lunam, & quinque stellas errantes, per quas vita universa gubernatur, ipsamque providentiam, & sacram necessitatem* (scribitur ἱερὰν ἄγκην) *ut in secretis haec conservetis, nec eorum participes faciatis indoctos, nisi qui sint digni & possint ea conservare, & juste vicissim compensare me valentem, qui eos introduxi, perpetua & bona fama*, &c. *Haec observantibus jam dicti dii omnes propitii erunt, vita strenua, & pro votis res succedent*; Ἐπιορκοῦσι δὲ, τὰ ἐναντία, μήτε γῆ βατὴ, μήτε θάλαττα πλωτὴ, μήτε τέκνων σπορά· τυφλός τε νοῦς καὶ πεπαιδευμένος ὑπάρχων ἀσχήμονα βίον καὶ ἀνεπίτευκτον ἀγαθῶν ἐπάγοι· Ἐὰν δέ τις καὶ μετὰ θάνατόν ἐστι κακῶν τε καὶ καλῶν ἀμοιβὴ, κἀκεῖ τῶν ὁμοίων μεταλάβοιεν, *Pejerantibus vero, contraria; nec gressus eorum terra patiatur, nec navigationem mare, & prole careant. Caecus sit eis animus, &, etiamsi edocti fuerint, vitam sordidam & bonis indigentem degant. Et si sit post mortem malorum & bonorum compensatio, etiam ibi similium participes fiant.* Et alibi idem [x]; Τοὺς τὰς παραγγελίας ἡμῶν πειθομένους, ὁρκίζω ἡλίου μὲν ἱερὸν κύκλον, καὶ σελήνης ἀνωμάλους δρόμους, τῶν τε λοιπῶν ἀστέρων δυνάμεις, καὶ κύκλον δυοκαίδεκα ζωδίων, ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα ἔχειν, καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμὴν τε καὶ μνήμην τῷ εἰσηγησαμένῳ ἀπονέμειν. Εὐορκοῦσι μὲν εὖ εἴη, καὶ καταθύμιοι οἱ προκείμενοι θεοί· ἐπιορκοῦσι δὲ, τὰ ἐναντία, *Qui disciplinam nostram edocti sint, eos adjuro per sacrum solis circulum, & inaequales lunae motus, viresque reliquorum siderum, & circulum duodecim animalium, ut in secretis ea* quae didicerint *habeant, nec eorum participes facere rudes aut nondum initiatos, & demum honorem & famam tribuant institutori suo. Eis qui recte juraverint bene sit, & dii jam dicti benevoli & propitii; perjerantibus vero, contraria.* Et nobilissima est formula illa qua se invicem obligare Plato [y] voluit Hermiam, Erastum & Coriscum, atque, ut videtur, alios ejusmodi studiorum socios, τὸν τῶν πάντων Θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας, *Deum omnium ducem* seu *gubernatorem praesentium & futurorum, ac ducis & causae patrem dominum jurantes*; *quem*, adjicit, *si vere philosophemur, cognoscemus aperte cuncti, juxta facultatem hominis felicis.* Quod Origenes ut expressim etiam dictum intelligit [z] περὶ υἱοῦ Θεοῦ *de filio Dei.* Locum integrum citat. Sed pro ἡγεμόνος legit ἡγεμονικοῦ. Maximum item erat Pythagoreis juramentum [a] per ναὶ & οὐ,

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν,

eum qui dederit animae nostrae quaternionem, id est, Pythagoram ipsum (ut Pythagorei, Platonici, aliique explicant) quem ut deum colebant & sic jurabant, uti simul etiam sic ipsam tetractyn, cujus disciplinam ab eo acceperant. Pejerare vocabant Graeci [b], ut ἐπιορκεῖν, ita τοὺς ὅρκους seu τὰ ὅρκια παραβῆναι, δηλήσασθαι, πημᾶναι, καταπατῆσαι, συγχέαι, ψεύδεσθαι, *juramenta transgredi, ludere, laedere, decipere, confundere, fallere.* Habebant etiam, ut passim, juramenta σοφιστικὰ & παραλογιστικὰ [c], seu ὅρκους σοφισματώδεις, *fallacia* quidem *juramenta*, sed non tam ex violatione, quam verborum in ipso juramento prolatorum homonymia. Item adverbia ὁρκωμοτικὰ *juramentis*, ut solennia, *inservientia* notantur [d] μὰ & μὴ & νὴ & ναὶ, sive deorum nominibus jurandorum sive actibus juratis praefigenda, hoc affirmativo, negativo illud juramento proprium. Egregium autem erat sententiae discrimen inter scholae Stoicae illustre illud philosophorum par, Cleanthem & Chrysippum ejus discipulum, circa obligationem ex juramento & perjurii naturam; idque cum primis animadvertendum. Cleanthes enim asserebat [e], τὸν ὀμνύντα ἤτοι εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν καθ' ὃν ὄμνυσι χρόνον. Ἐὰν μὲν γὰρ οὕτως ὀμνύῃ ὡς ἐπιτελέσων τὰ κατὰ τὸν ὅρκον, εὐορκεῖν· ἐὰν δὲ πρόθεσιν ἔχων μὴ ἐπιτελεῖν, ἐπιορκεῖν, *jurantem eo ipso quo jurat tempore* (de juramentis promissoriis dictis loquitur) *vere* seu *recte jurare, aut pejerare. Nam si ita juret tanquam facturus* (animi sententia faciendi) *quae in juramento continentur, vere & recte jurare*, officium εὐορκίας seu juramenti servandi integrum praestare; *sed si propositum ei tunc fuerit non se facturum, pejerare.* Adeo quidem ut juxta Cleanthem juramentum quodlibet proprie & ex intima sui natura assertorium esset dicendum, & in animi praesentis sola assertione consistere, licet insuper adjicere-

[v] Penes me MS. Anthologiarum, lib. 4. videsis Prolegom. de Diis Syris. cap. 3. Notas ad Marmora Arundelliana.
[x] Lib. 7. [y] Epist. 6. [z] In Celsum, lib. 6. [a] Sixtus Empiricus adversus mathematicos, lib. 4 & 7. Plutarch. de Placitis Philosoph. lib. 1. cap. 3. Hierocles in Carm. Pythag. Porphyr. in vita Pythagorae, Jamblich. de vita Pythag. cap. 28. Macrob. in Somnium Scipionis, lib. 1. Videsis, lib. 2. Syntag. 2, de Diis Syris, cap. 1. [b] Eustath. ad Iliad. δ. pag. 470. edit. Rom. [c] Idem ad Odyss. υ. pag. 1870. [d] Idem & Iliad. α. pag. 92. [e] Stobaeus Serm. 28.

tur,

tur, pro materiae subjectae discrimine, futuri promissio; nec perjurium committi ex eo quod jurans promisso postmodum non steterit; quasi non de eventu futuro, sed de praesenti tantum quis jurare posset. At Chrysippus διαφέρειν ἔφη τὸ ἀληθορκεῖν τοῦ εὐορκεῖν· καὶ τὸ ἐπιορκεῖν τοῦ ψευδορκεῖν, *discrepare id quod est verum jurare, & bene seu sancte jurare; uti & pejerare, & falsum jurare.* Atque adjicit, τὸν μὲν γὰρ ὀμνύοντα καθ' ὃν ὀμνύει καιρὸν πάντως ἢ ἀληθορκεῖν ἢ ψευδορκεῖν· τὸ γὰρ ὀμνύμενον ὑπ' αὐτοῦ ἢ ἀληθὲς εἶναι ἢ ψεῦδος, ἐπειδὴ ἀξίωμα τυγχάνει ὄν· τὸν δὲ ὀμνύοντα μὴ πάντως καθ' ὃν ὀμνύει χρόνον ἢ εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν, ὅτι μὴ πάρεστιν ὁ χρόνος εἰς ὃν ἡ ἀναφορὰ τῶν ὅρκων ἐγίγνετο. Ὃν τρόπον γὰρ λέγεταί τινα εὐσυνθετεῖν ἢ ἀσυνθετεῖν, οὐχ ὅτε συντίθεται, ἀλλ' ὅτε οἱ χρόνοι ἐνίστανται τῶν κατὰ τὰς ὁμολογίας· οὕτω καὶ εὐορκεῖν τις καὶ ἐπιορκεῖν ῥηθήσεται ὅταν οἱ καιροὶ παραστῶσι καθ' οὓς ὡμολόγησεν ἐπιτελεῖν τὰ κατὰ ὅρκους. *Jurantem enim ipso quo jurat tempore aut verum jurare aut jurare falsum. Quod enim juratur ab eo aut verum est aut falsum, cum sit enunciatio. Jurantem autem tempore quo jurat non omnino aut bene & sancte jurare, aut male jurare* seu *pejerare; quoniam nondum adest tempus ad quod jusjurandum refertur. Nam sicut aliquis dicitur bene pacisci vel male pacisci, non cum pactum ipsum initur, sed cum praescriptum conventa praestandi tempus accessit: Ita etiam bene & sancte jurare quis dicitur & pejerare, cum adfuerint tempora in quibus ea quae juramento continerentur praestare promiserit.* Ita Chrysippus, cujus sententia plerumque recepta. Certe qui eadem ipsa statis temporum intervallis denuo eisdem iterari juramenta voluere, sententiam Cleanthis hominum animis inhaerere existimare visi sunt; quasi, ne opinionem illam, juramentum in futurum extendi nequire, imbibissent illi, timerent. In foedere Atheniensium & Laconum superius memorato, conventum est, τὸν ὅρκον [f] ἀνανεοῦσθαι κατ' ἐνιαυτὸν ἀμφοτέροις, *juramentum quotannis renovari ab utrisque.* Quasi autumassent, id quod ex animi sententia vere sic juratum esset, licet in futurum, juxta Cleanthem, non ex sui natura jurantem obligaret, nihilominus (quantum ad verisimile ac probabile) per statum aliquod tempus ita in animo jurantis manere ut juratum servaret. Sive autem per Deum unum, plures, aut omnes, aliasve res juraretur, poenae coelitus infligendae perjuris exspectabantur; quae non omnino (juxta illud Ciceronis [g], *Perjurii poena divina, exitium; humana, dedecus)* aut rarissime eo nomine seculis vetustioribus ab hominibus irrogatae. Eumenides, Erinnyes, furiae (sic in theologia Graecanica creditum) quinta die cujuslibet mensis lunaris perjuros in poenam quaeritabant. Hesiodus, de diebus infaustis,

Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί·
Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν ἐριννύας ἀμφιπολεύειν
Ὅρκον τιννυμένας, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις·

Quintas vero evitato (maxime in conjugiis) *quia difficiles sunt gravesque. In quinta enim aiunt furias, Erinnyas, circum ambulare ut juramentum* (violatum, perjurium) *vindicent, quod Eris* seu *contentio genuit exitium perjuris.* Moschopulus ibi interpretatur τιννυμένας per ἀπαιτούσας & ζητούσας, *ut ad rationem exigant & inquirant.* Addit Joannes Tzetzes Hesiodum disciplinam illam e Melampode poeta vetustissimo sumpsisse, qui etiam scripserat, perjurii die quinta commissi poenam divinitus infligendam fuisse intra quinque dies mortem. Et σημειωσάμενός ποτε, inquit Tzetzes, εὗρον τοῦτο ἀληθές, *quod ex observatione nupera comperi esse verum.* Proclus autem ibi, juxta disciplinam Pythagoricam, τὸν Ὅρκον sumit pro eo quod est τὸν Ὅρκον θεὸν, κολαστικὸν ὄντα τῶν συγχεόντων τοὺς ὅρκους, ἐν τῇ πέμπτῃ γενέσθαι, καὶ τὰς τιμωροὺς δαίμονας τὴν γένεσιν αὐτοῦ πεντάδικην οὖσαν περιέπειν, *Orcum deum, qui punit perjuros, die quinta natum, adeoque daemones ultrices natalitia ejus quintana sic observare.* Ita quidem ille; quasi natum ex Eride seu Discordia Orcum die quinta illic voluisset Hesiodus, ideoque die illa ita ad perjurii vindictam circumambulare, ut Orco deo juramentorum inservientes, Erinnyes. Certe Virgilius etiam Erinnyes (id est Eumenides) tunc natas, velut ex Hesiodo canit [h],

——*Quintam fuge: Pallidus orcus*
Eumenidesque satae——

Et Celsus pro jurisjurandi deo Orcum ibi capit, uti & Servius. Sed de loco illo Virgilii, qua Hesiodum spectat, videsis doctissimum Cl. Salmasium de annis climactericis [i]. Gravissimas autem utcunque perjuris debitas esse poenas, & divinitus ab eis exigi solitas, receptissimum erat. Unde evenit ut Diagoras ille atheos ideo primum deos esse negaret, ἀδικηθεὶς [k] ὑπό τινος ἐπιορκήσαντος, καὶ μηδὲν ἕνεκα τούτου παθόντος, *cum injuriam accepisset a quodam pejerante, nec quid poenae nomine patiente.* Sed haec tantum extra causam amoris. Velut irrita, nec poenis obnoxia, amantium invicem fuisse juramenta, sed diis ridenda, ut apud poetas obvium est, ita etiam a philosophis summis ut sententia recepta traditur. Apud Platonem, ubi de amantis privilegiis agitur [l]. Ὃ δὲ δεινότατον, ὥς γε λέγουσιν οἱ πολλοί, ὅτι καὶ ὀμνύντι μόνῳ συγγνώμη παρὰ θεῶν ἐκβάντι τῶν ὅρκων. Ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον, οὔ φασιν εἶναι, *Maximum autem est id, quod ferunt plerique, soli ex perjuris amanti deos dare veniam. Nam juramentum venereum velut pro nullo habitum.* Idem tantundem alibi [m]. Summa demum est, apud gentiles veteres tam Graecos quam Romanos tum numina communia tum propria, tum res alias pariter & publice & privatim jurari solitas, nec rite quem jurasse nisi *ex animi sui sententia* sive expressa sive tacita, nec perjurii quempiam reum habitum, nisi qui ex animi sui sententia, ultro, sciens, fefellisset [n]. Vindicta perjurii divina apud eos exspectabatur, nec forensis aliave ex jure Caesareo vetustiore irrogata est, quoties deos quis jurasset: Si vero per principem ejusve genium, venerationem, salutem, caput pejerasset, nisi *calore quodam,* nec ex sedati animi sententia, id fecisset, *periculum corporis aut majestatis crimen inferri placuit.* Sic Alexander Severus [o], idque ex decessorum constitutionibus. Unde etiam non modo in codicem Justinianeum, adeoque in chri-

[f] Thucydid. Hist 5. [g] De legibus lib. 2. [h] Georgic. 1. [i] Pag. 828. [k] Sixtus Empiricus advers. Mathematicos, lib. 8. [l] In Symposio, & apud Stobaeum Serm. 61. [m] In Philebo. [n] Videsis l. 26. D tit. De Jurejurando, & Cujacium lib. 1. Observat. cap. 21. & Basilic. 22. tit. 5. §. 26. [o] L. 2. C. tit. De Rebus Creditis & Jurejurando, & videsis Cujacium, lib. 2. Observat. cap. 19.

stianismum,

ſtianiſmum, ſed & in Baſilica [p] ſumptum eſt & in juriſconſultos [q] recentiores etiam orientis. Poena vero ſpontanei neque ex calore, per principis ſalutem, &c. juramenti erat fuſtigatio, quod *periculum corporis* dicebatur. In verſione autem Michaelis Attaliatae inde hac de re agentis male pro κατὰ βασιλέως per oſcitantiam ſubſtituitur *adverſus imperatorem* pro *per imperatorem*. Sed & inolevit tandem ut hiſce adjectum, perjuriis aliquot forenſibus infamiam irrogari [r]; uti & in jure orientis Caeſareo lex illa [s], teſti ſeu litigatori qui in foro ἐφαπτόμενος τῶν ἁγίων Θεοῦ εὐαγγελίων, καὶ ὀμνύμενος, ἐπίορκος δὲ μετὰ ταῦτα ἀποδεικνύμενος, γλωσσοκοπείσθω, *tactis ſacroſanctis Dei evangeliis juraverit, & dein perjurus eſſe probatus fuerit, lingua praeciditor.* De chriſtianorum vero juramentis plura mox. Hoc autem de paganis haud praetereundum, monita apud eos eſſe ſingularia de non omnino jurando in vulgaribus collocutionibus, nec quidem, ubi res contrarium impenſe non exigeret, in foro. Choerilus poeta [t],

Ὅρκον δ' οὔτ' ἄδικον χρεὼν ὀμνύμεναι, οὔτε δίκαιον,

quod generatim dictum ab Epicteto [v] temperatur; *Evitandum juramentum,* εἰ μὲν οἷόν τε, εἰς ἅπαν· εἰ δὲ μή, ἐκ τῶν ἐνόντων, *ſi quidem fieri poteſt, omnino; ſin vero, ſaltem quoad fieri poſſit.* Qua de re perquam egregia habentur apud Platonem [x] & Hieroclem [y]. Quibus accedat illud e veteri Eſſenorum inter Judaeos diſciplina [z], Τὸ ὀμνύειν αὐτοῖς περιΐσταται· χεῖρόν τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνοντες. Ἤδη γὰρ ἤδη κατεγνῶσθαί φασι τὸν ἀπιστούμενον δίχα Θεοῦ, *Ipſum jusjurandum quaſi perjurio deterius vitant. Jam enim mendacii condemnatum arbitrantur, cui ſine Deo non creditur.* Quod de colloquiis aut commercio magis vulgari tantum dictum. Nam & ipſis conſtitutum erat [a] ne quis in cibi communionem eorum admitteretur antequam ὅρκους φρικώδεις *juramenta formidanda* praeſtitiſſet, ſe Deum colere, & erga homines juſtitiam ſervare.

V. Quod ad Mahumedanos; legitur quidem in Latina Roberti Retinenſis Alcorani verſione [b], *Jurans namque falſum confunditur. Vtroque vero jurante, verum ſuper Judaeos tranſit.* Sed nihil omnino habetur in Arabicis quod verbis illis reſpondeat. Nec quid pars eorum poſterior ſignificet ariolari poſſum. Sed codex MS. Retinenſis concors eſt. Quae etiam habentur poſtmodum ibi [c], *Nullus niſi per Deum juret. Sin autem, injuriam effecit,* in Arabico non ſunt; nec diſciplinae Mahumedicae conſona. Nec quod alibi [d] illic legitur de jurejurando praeſtando. Nec quamplurima alia in verſione illa Arabice occurrunt Et juxta Mahumedicam diſciplinam, ipſiuſque Mahumedis exemplum, tum per Deum tum per creaturas variatim jurari ſolitum. Lex habetur in Alcorano [e] de juramento forenſi in cauſa adulterii. Viri accuſantis, qui teſtibus careret, teſtimonio, quater invocando ac jurando, بالله انه لمن الصادقين *per Deum ſe verum dicere*, ſeu *ex veracibus ſe eſſe*, quinquies adjecta imprecatione, ان لعنة الله ان كان من الكاذبين *ut maledicat ei*, anathematizet eum, *Deus, ſi mentiretur.* Uxoris accuſatae; quater ſimiliter Deum teſtando virum ſuum falſo juraſſe, quinquies itidem imprecando, ان غضب الله عليها ان كان من الصادقين *ut iraſcatur ei Deus, ſi is fuerit veridicus*; quo praeſtito, illa abſolvenda. Jurat autem Mahumedes ipſe, per angelorum ordines [f], per Alcoranum [g], per ventos, per nubes, per aequoris naves, per coelum, per ſtellas [h], item [i]

والطور وكتاب مسطور في رق منشور

والبيت المعمور والسقف المرفوع والبحر المسجور

Per montem (Sinai, ut interpretes) *librumque linealiter in chartis ſubtiliſſimis ſcriptum* (ut Retinenſis: Mahumed Ben Achmed paraphraſtes exponit per legem & Alcoranum) *per domum ſuperne aedificatam* (ſic Retinenſis; Gallus, *Par les voutes des cieux*; paraphraſtes ille collocatam eſſe ait in coelo ſive tertio ſive ſexto ſive ſeptimo, locumque eſſe ubi angeli ſeptuagies mille per vices Mecae felicitatem quotidie procurant) *& tectum excelſum* (coelum ipſum) *& mare repletum.* Per ſtellam veſpertinam [k], per occaſum ſtellarum [l] (ubi adjicitur وانه لقسم لو تعلمون عظيم *quod magnum eſt, ſi cognoveritis, ſacramentum)* per Calamum [m] يوم القيمة *per diem reſurrectionis* & بالنفس اللوامة [n] *per animam ream,* per angelos juxta miniſteria ſua ſive bonos ſive malos, ſimul & ventos [o], per planetas, & lucem, & noctem [p]; والفجر وليال عشر والشفع والوتر والليل اذا يسر *per* [q] *auroram* (paraphraſtes فجر كل يوم *auroram quotidianam) per noctem decimam* (paraphraſtes اي عشر ذي الحجة *decimam Dilchagiathi*; Retinenſis, *nocteſque decem*; Gallus, *par la dixieme nuit de mois*; forte intelligitur decima nox decem dierum peregrinationis ſolennis ad Mecam) *per par & impar* (Retinenſis, *& per baſcha, biduumque praecedens*; Philippus Guadagnolus [r], *per interceſſionem & cordas) & noctis tranſitum,* per quae & qualia nunc ſe, nunc Deum O.M. impie inducit

[p] Lib. 60. tit. 36. [q] Harmenopulus in Prochiro, lib. 1. tit. 7. Mich. Attaliatae in Synopſi, tit. 28. Vide Not. ad Marmora Arundeliana. [r] L. 41. C. tit. De Tranſactionibus. [s] Ecloga Leonis & Conſtantini tit. 28. § 2. & Harmenopulus Prochir. lib. 1. tit. 7. [t] Apud Stobaeum ſerm. 27. [v] In Enchiridio. [x] Lib. 11. de Legibus. [y] In Carmin. Pythagoric. [z] Joſeph. de Bello Judaico 2. cap. 7. [a] Ibidem. [b] Azoar. 2. pag. 14. [c] Azoar. 12. pag. 38. [d] Azoar. 26. pag. 29. [e] Azoar. 34. Lat. 24. Arab. [f] Azoar. 47. Lat. Arab. 37. De illis Avicenna Metaphyſic. tract. 10. cap. 1. [g] Azoar. 48 Lat. 38 Arab. [h] Azoar. 61 Lat. 51 Arab. [i] Azoar. 62 Lat. 52 Arab. [k] Azoar. 63 Lat. 53 Arab. [l] Azoar. 66 Lat. 56 Arab. [m] Azoar. 78 Lat. 68 Arab. [n] Azoar. 85 Lat. 75 Arab. [o] Azoar. 87 Lat. 77 Arab. [p] Azoar. 91 Lat. 81 Arab. & Az. 96 Lat. Arab. 86. [q] Azoar. 99 Lat. 89 Arab. [r] Apologia pro Chriſtiana Religione, tract. 2. cap. 4.

quaſi

quasi jurantem, ut item & per Mecham[s], per solem[t], lunam, ignem, coelum, terram, noctem, animae creationem, per poma Persica, & olivas[v]. Et de juramentis alcoranicis videsis plura apud Guadagnolum. Adeo ut والله *per Deum* ita per res alias ex disciplina hac semper licuerit jurare. Inde ad Jacobum consiliarium, cum se occidisse Vlwaeum affirmaret, Mahumed Almahadi Chalifa, qui idem jusserat, احلف inquit[x], برأسي وحلف *jura per caput meum, & ita juravit ille.* Ita Abugiafar Haron Rasiiol Giafarem de statu Jahiae custodiae traditi respondentem, adjurat بحياتي *an per vitam meam,* inquit[y], cui Giafar لا بحياتك *non per vitam tuam.* Et Avicenna[z], *Juro per vitam meam, quod si Deus mitteret aliquem prophetam,* &c. Sic Achmetes Turcarum imperator foedus inter se & Henricum quartum Galliarum regem Turcico-Gallicum firmat juramento, *Per Deum*[a] *omnipotentem creatorem coeli & terrae, & per animas avorum nostrorum proavorumque.* Pejerantes non memini eo nomine poenis forensibus ex lege Mahumedica obnoxios. At vero praescribitur in alcorano[b] perjurii poena, quoad Deum, expiatoria singularis, quam nuncupat Mahumedes كفارة ايمانكم اذا حلفتم *expiationem juramentorum vestrorum cum ea violaveritis:* Ut scilicet perjurus aut decem pauperes Musulmanos bene pascat, أو كسوتهم aut vestiat eos, aut Musulmanum captivum redimat; aut, si haec praestando non sit, per triduum jejunet; quam ut expiationem leviculam & ridiculam Mahumedanis exprobrat Joannes Cantacuzenus[c]. Certe qualia pagani de juramenti abstinentia, habent etiam Mahumedani, ut videre est in proverbiis eorum Arabicis[d], ubi non modo perjurium omnino interdicitur, sed juramentum collocutionibus excludi videtur. فلتكن كلمتك نعم او لا لتكون حقاقا عند جميع الناس *Esto sermo tuus etiam vel non, ut sis verax apud omnes homines,* nec jurando affirma aut nega. Et quicquid de expiatione perjurii dixerit Mahumedes in supra allatis, postmodum in Alcorano[e] multo gravior ejusdem fit quoad Deum poena.

VI. In christianismo vetustiori dubitandum non est quin disciplina juramentorum maxime fundata esset verbis D. N. Jesu Christi, quibus legem Judaeorum veterem de perjurio commentis non paucis a magistris antea inquinatam (qua de re plura mox) ex Judaismo genuino ac vero explicavit. *Audistis*[f], *dictum esse antiquis,* οὐκ ἐπιορκήσεις, *non pejerabis*[g], (Syrus, ܠܐ ܬܕܓܠ ܒܡܘܡܬܟ *quod non mentiaris in juramento tuo,* Arabes لا تحنث بيمينك *fidem non falle, perfidus non sis in juramento tuo) reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare* ὅλως (Syrus ܣܟ, Arabes البتة *ullo modo,* not at all, *ne jures aucunement) omnino:* μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, *neque per coelum, quia thronus Dei est;* *neque per terram, quia scabellum pedum ejus est;* μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, &c. *neque per Hierosolyma, quia civitas est magni regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum.* Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ, ναὶ, οὒ, οὔ. τὸ δὲ περισσὸν τούτων ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν, *Sit vero sermo vester, est, est,* seu *etiam, etiam, non, non* (Syrus, ܐܠܐ ܢܗܘܐ ܡܠܬܟܘܢ ܐܝܢ ܐܝܢ ܘܠܐ ܠܐ *Sed sit sermo vester, ita, ita,* aut *est, est, & non, non;* quod Graecis consonum: Uti & Arabes Romanus & Erpenianus, ولتكن كلمتكم نعم نعم ولا لا *Et sit verbum vestrum, etiam, etiam, & non, non;* Jaianus Arabs, بل يكون قولك في النعم نعم وفي اللا لا *Sed sit verbum tuum,* seu *quod loqueris, per etiam, etiam, & per non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Totidem ferme verbis idem iterat S. Jacobus[h], ubi monet πρὸ πάντων *ante omnia* juramentis abstinere. Nec per coelum nec per terram jurari jubet, μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον, *nec aliud quodpiam juramentum.* Certe id quod in Matthaeo sic de juramentis ab Christo interdictis legitur haud exiguam existimo fuisse causam cur doctissimus ille Thomas Linacer nostras, circa 130 abhinc annos, medicus celeberrimus, cum studiis morbisque fractus & jam morti vicinus novum testamentum tum primo (licet etiam sacerdos esset) in manus cepisset, & Matthaei capita quintum, ubi hoc de juramentis, sextum, & septimum percurrisset, *abjecto iterum* (sic Joannes Chekus[i] in literis ad Stephanum episcopum Wintoniensem) *quantum potuit totis viribus, libro, jurasse, aut hoc non fuisse evangelium, aut nos non esse christianos.* Usus proculdubio frequentissimus temere adversum ipsa Christi verba jurandi apud christianos etiam illius temporis, ut nostri, ita viguit ut, cum interdictum hoc legeret Linacer, abstinere sententia & eloquio ejusmodi nequiret. Jurare per coelum, terram, caput in more fuisse apud Judaeos, ex verbis illis Christi non elicere nequimus; qua de re etiam plura inferius. Sed quisnam fuerit verborum sensus integer, controversum est. Si de non omnino jurando simpliciter, ut ab aliquibus veterum[k], capiatur, undenam aliquoties testem Deum ejusque praesentiam, ut

[s] Az. 100 Lat. 90 Arab. [t] Az. 101 & 104 Lat. Arab. 91, 94. & 103. Lat. Arab. 93. [v] Az. 105 Lat. Arab. 95. [x] Elmac. in Saracenic. Histor. lib. 2. cap. 4. [y] Ibid. cap. 6. [z] Lib. Almahad cap. 3. Et videsis poetam Arabem anonymum apud Ed. Pocockium in notis ad Abul Faraiium, pag. 100. [a] Ann. 1604 Parisiis 1615. [b] Azoar. 15 Lat. 5 Arab. [c] Orat. 2. κατὰ τοῦ Μωαμὲθ, §. 7. [d] Centuria 2. Prov. 38 & 40. [e] Azoar. 58 Arab. 68 Lat. [f] Matth. v. 33. [g] Levit. xix. 12. [h] Cap. v. 12. [i] Disputat. de Pronunciatione Linguae Graecae, pag. 282. & apud Balaeum ad Cent. 8. script. 65. [k] Vide Chrysostom. Orat. 1. adversus Judaeos, &c.

plane jurando, invocat S. Paulus [l], ut scripta sua confirmet? Unde Augustinus [m], *Apostolus noverat praeceptum Domini, & juravit tamen?* Atque autor ad Ebraeos [n] de juramento expressim loquitur, ut cujus in controversiis omnibus definiendis usus sit maximus atque omnino legitimus. Ita etiam christianis primitivis, qui per *genium* aut *fortunam* Caesaris, quoniam pro daemonibus sumebantur voces illae, jurare renuerent [o], per *salutem* ejus libenter jurabant. Perinsigne postea est exemplum illud Athanasii de Deo palam ab eo jurato, ubi [p] ad Constantium Caesarem, μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμαυτοῦ ψυχὴν, &c. *Deum testem invoco in animam meam,* &c. *nunquam in te malum fecisse apud Constantem fratrem tuum,* &c. Addit aliquoties ibi, μάρτυς ὁ κύριος, καὶ μάρτυς ὁ Χριστὸς αὐτοῦ, *Testis est Dominus, & testis Christus ejus,* ad formulam illam Samuelis [q]. Etiam, christianorum morem receptum indicans, Ἃ γὰρ ὡς Θεοῦ παρόντος λαλοῦμεν, τοῦτον ὅρκον ἔχομεν ἡμεῖς χριστιανοὶ, *In eis quae ut Deo praesente loquimur, eodem juramento utimur nos christiani.* Et Synesius Ptolemaidis circa annum 400 episcopus saepius νὴ τὴν ἱερὰν σοῦ κεφαλὴν, *per sacrum tuum caput,* aliterque sic in epistolis [r] jurat. Et quamplurima tam apud patres orientis occidentisque, atque in conciliis integris [s], quam in principum christianorum constitutionibus, ac adhibito passim tum in foro tum in foederibus usu, apertissime ostendunt illud *ne jurate omnino* non aliter acceptum esse quam ut id quo jurationis genera omnimoda neutiquam interdicerentur. Et in oriente veterum [t] canones ὅρκους quidem Ἑλληνικοὺς *per gentilium numina juramenta* vetabant, alia interim ultro admittentes, tam per res alias (modo non per daemonas aut res pro daemonibus habitas) quam per Deum opt. Maximum, ut, *per caput, per vitam.* Sed in occidente, circa annos abhinc 850, non semel lege vetitum est [v] *per vitam regis & filiorum ejus jurare.* Summa demum est, verba illa Christi ita scriptores & respublicas christianas interpretatas esse ut non intelligant velut de interdicto omnimodae jurationis, sed ejusmodi tantum quae oscitantius, petulantius, levius, morosius, temere in confabulationibus, pollicitationibus, seu sermone familiari vulgarique (nam de λόγῳ seu *sermone* loquitur, veluti solo interdicti objecto) male committi soleret; non quae circa res graviores sive publicas, sive forenses, sive privatas etiam, pro natura rei varia, adhiberetur. Augustinus [x], *Intelligitur ita Dominum prohibuisse a jurando, ut quantum in ipso est quisque non juret, quod multi faciunt, in ore habentes jurationem tanquam magnum aut suave aliquod;* &, *Prohibemur ergo jurare cupiditate aut delectatione jurandi.* Nam faciles ad jurandum cito perjuri evadunt; quod & veteribus [y] aliquoties dictum manifestum est. Patres alii consoni. Adeoque idem illis asseritur quod Epicteto, qui nollet jurari nisi ubi res serio exigit; non omnino ex loquacitatis petulantia aliove usu. Cui satis concordes philosophi summi superius cum illo memorati, aliique obvii. Atque hac de re prae aliis consulas Hugonem Grotium in verba Christi superius allata. Postquam autem Christo nomen dederant Caesares, juramentum instituerunt militare *Per Deum & Christum & Spiritum Sanctum, & per majestatem imperatoris* (quod in locum illorum, *per genium, per fortunam, per salutem* successit) *quae secundum Deum generi humano diligenda est & colenda.* Ita apud Vegetium [z]. Mittimus hic, principibus christianis, ut ex historiis satis obviis liquet, solennia fuisse & pecularia juramenta, ut *per vultum S. Lucae, per pedem Christi, per sanctum* hunc vel illum, ejusmodi alia nimis crebra. Inolevit vero tandem ut, quemadmodum pagani sacris ac mysteriis aliquot suis aut tactis aut praesentibus jurare solebant, ita solenniora christianorum juramenta fierent aut tactis sacrosanctis evangeliis, aut inspectis [a], aut in eorum praesentia manu ad pectus admota, sublata, aut protensa. Atque id corporaliter [b] seu personaliter juramentum praestare dictum est, ut ab juramentis per epistolam, aut in scriptis solummodo, praestitis distingueretur. Inde in vulgi passim ore, upon my corporall othe. Jurisconsulti Graeci dixere item eodem in sensu, σωματικῶς καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὀμνύειν, *corporaliter* [c] *& reapse* seu *veritate jurare,* ita discriminantes ab eo quod erat, ubi ἐνεγράφη τῷ συμβολαίῳ μόνον ὁ ὅρκος, *inscriptum est instrumento* seu *scriptis solum juramentum* seu *in instrumento* [d] *per sacramenti religionem est adseveratum.* Ex jure Caesareo vetere, ut hodieque frequentius, jurabant in foro alibique, ubi solennior juramenti usus, ἁπτόμενοι [e] τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, *tangentes sacra evangelia.* Accessit dein clausula illa, *Ita me Deus adjuvet, & haec sancta evangelia,* aut *& ea quae codice in hoc continentur,* &, pro persuasionis discrimine, *& omnes sancti.* Ita quidem tam per codicem [f] quam per Deum jurant. Et observandum est solenne illud procerum in Hispaniis de societate ac συμμαχίᾳ ineunda juramentum, in quo praeibat pater patratus, & demum —— *Si prior defecero,* inquit [g], *certo consilio, illo die vos superi, corpus in hoc seculo, in futuro animam diris cruciatibus mactate; vires verbaque deficiant facite; in pugna equus, arma, calcaria, subditi, cum opus esset maxime.* Quo dicto societatem sic ineuntes dicebant *Amen. Nonnunquam etiam divinam hostiam divisam in duas partes uterque sociorum libabat.* Alii item per res sanctas, ut sanctum aliquem, reliquias, crucem, altare, hostiam, jurandum solum volunt; alii [h] etiam, per res creatas alias, nec juramentum sic conceptum non obligare; alii, nec per creaturas [i] jurandum. In jurando

[l] Ad Rom. i 9. 2 Cor. xi. 31 Galat. i. 20. [m] In epist. ad Galat. cap. 1. [n] Cap. vi. 16. [o] Origen. contra Celsum, lib. 8. Tertullian. Apologetic. cap. 32. vide Prudent. περὶ στεφάνων hymno 10. & Collat. Carthagin. cap. 5. & Cassiodor. Variarum 8. Formul 3. [p] In Apologia ad Constantium, tom. 1. p. 674 & 678. [q] 1 Sam. xii 3. [r] Epist 49. 95. 103, &c. [s] Toletan. 8. cap 2. & videsis Collat. Carthagine habitae 1. cap 5. caus 22. q. 1, &c. & Sentent. 3. Distinct. 39. [t] Basilius Canone 81. Synod. in Trullo Can. 94 ubi vide Balsamonem & Zonaram, & Balsam. ad Photii Nomocanon. tit. 13. cap. 18. & videsis Samuel. Petitum Variarum lectionum, lib. 1. cap. 16. [v] Capitul. Karoli & Ludovici lib. 3. tit. 42. & Leg. Longobard. lib. 3. tit. 24. [x] In Epist. ad Galat. cap. 1. & caus. 22. quaest. 1. c. 2. [y] Vide Dion. Prusaeum Orat. 68. [z] De re Militari, lib. 2. cap. 5. [a] Extra tit. De Juramento Calumniae, cap. 7. Speculator. lib. 2. Partic. 2. tit. eodem §. 4. [b] L. 1. C. tit. Si adversus venditionem, & l. 3. C. tit. Si minor se majorem dixerit. [c] Basilic. lib. 10. tit. 25. §. 3. Harmenopulus Prochir. lib. 1. tit. 12. [d] L. 3. C. tit. Si minor se majorem dixerit. [e] Justinian. Novell. 124. cap. 1, &c. [f] Vide Caus. 12. [g] Jo. Mariana. De rebus Hisp. lib. 15. cap. 18. [h] Scholastici ad sent. 3. dist. 39. & videsis Partit. Alphonsinam lib. 3. tit. 11. l. 1. [i] Caus. 22. q. 1. c. 9, 10.

autem, manus extenſionis, quae ſaepius tum pectori adhiberi tum in aere fieri libero ſolet, exemplum videtur forſan vetuſtum in apologia illa Athanaſii[k], quod ante memoravimus, ad Conſtantium Caeſarem. Καὶ τὴν χεῖρα ἐκτείνας, ὃ μεμάθηκα παρὰ τοῦ Ἀποστόλου, μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι, &c. *Et manum extendens, quod didici ab Apoſtolo, Deum teſtem invoco*, &c. Sed Apoſtolicum illud non tam ad juramentum revera attinet, quam ad apologiam ipſam. *Paulus*[l] ἀπολογεῖτο ἐκτείνας τὴν χεῖρα, *apologiam iniit extendens manum*, ubi Syrus ܦܫܛ ܐܝܕܗ ܘܡܦܩ ܗܘܐ ܪܘܚܐ ܘܐܡܪ *extendit manum ſuam, & depromens ſpiritum locutus eſt.* Obiter in juris utriuſque ad notiſſimos titulos commentariis & ſcholaſticorum diſceptationibus de recepto apud chriſtianos adjurandi uſu habentur perplurima. Atque ſe inter ſuos adjurandi ſunt formulae cuique ſatis familiares. Interdum item per procuratores juratur *in* aut *per animam Domini*[m], aliorum etiam. Ita cum Iſabella Henrici Angliae regis tertii ſoror Frederico Caeſari ſecundo deſponſanda erat, legati, eam hic circa rem, Caeſarei, Weſtmonaſterii *confirmarunt*[n] *matrimonium, in animam imperatoris interpoſito juramento, offerentes ei ex parte ipſius imperatoris annulum ſponſalem: Quem cum in ejus digito poſuiſſent, pronunciaverunt eam imperatricem eſſe Romani imperii*, &c. Primas ſi non ſolas legationis illius partes egit Petrus de Vineis, Caeſaris Cancellarius, ut liquet ex Henrici literis ad ſororem ſuam reginam Scotiae ea de re tunc miſſis: *De conſilio magnatum*[o] *noſtrorum ipſam ſororem noſtram imperatori conceſſimus in uxorem; & ipſa ſoror noſtra de voluntate noſtra in praeſentia eorundem magnatum noſtrorum per verba de praeſenti conſenſit in ipſum imperatorem per Petrum de Vinea nuntium ipſius imperatoris ad hoc ſpecialiter deſtinatum cum poteſtate conſentiendi in ipſam ſororem noſtram, nomine ipſius imperatoris; qui quidem Petrus in ipſam conſenſit, & in animam imperatoris juravit quod idem imperator eam ducet in uxorem.* Alia ſunt ejuſmodi exempla. AEquiparari etiam ſolet interpoſitio fidei, *Per honorem, fidem*[p], juramento ſolenniori. Alienae autem perſuaſionis homines per id quod venerantur illi, & juxta modum quo venerantur, adjurari[q] conſueverunt. Prodigioſum eſt ejuſce rei exemplum in jure Graeco-Romano[r], ubi Judaeorum quilibet in forenſi negotio adjurandus rubo cingendus fuit & καβαλλικεύειν τὸν ἀσκόν, καὶ ἐμβαίνειν εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ πτύειν τὴν περιτομὴν αὐτοῦ τρίτον, *Culleo* ſeu *utri*[s] *inſidere, & mare ingredi* debuit, *ac circumciſionem ſuam ter conſpuere*, ac dein jurare, Μὰ τὸν Βαρασῆ, Βαραά, Ἀδωναί, Ἐλωΐ, τὸν διαπεράσαντα τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν τὸν Ἰσραὴλ ἀβρόχως, &c. μὰ τὸν νόμον ὃν δέδωκεν Ἀδωναί, καὶ τὸν ἐμπτυσμὸν τοῦ σώματος τῆς περιτομῆς, καὶ τὴν βάτον ἣν τῇ ἐμαυτοῦ ὀσφύϊ περιζώννυμαι, οὐκ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω τὸ ὄνομα Κυρίου Σαβαώθ. Εἰ δὲ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω, ἐπικατάρατα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας μου· ψηλαφήσω ὡς ὁ τυφλὸς τοῖχον· καὶ ὡς μὴ ὑπάρχων ἔχων ὀφθαλμοὺς, πεσοῦμαι· σὺν τούτοις πᾶσιν ἀνοιξάτω ἡ γῆ τὸ στόμα αὐτῆς, καὶ καταπινέτω με, ὡς Δαθὰν καὶ Ἀβειρών. *Per Baraſe, Baraa* (forte depravatum ex בורא השמים והארץ *Bora haſchamaim wearetz, creatorem coeli & terrae*) *Adonai, Eloi, qui traduxit ſiccis pedibus Iſraelem per mare rubrum*, &c. (adjectis ſcilicet beneficiis divinis, aquae e ſaxo, mannae, coturnicum) *Per eam legem quam Adonai dedit, & actum conſpuendi circumciſionem corporis mei, & rubum quo cinguntur lumbi mei, non falſo* aut *mentiendo juro nomen Domini Sabaoth. Sed ſi falſo juro, exſecrandi ſint poſteri ventris mei; more caeci parietem palpando quaeram; & inſtar ejus qui oculos non habet, cadam. Cum hiſce omnibus tellus aperiat os ſuum, meque abſorbeat ut Dathan & Abiron.* Aliud ibi ſequitur ex libro eparchico ſeu praefectorio conſimile, ſed brevius. Rubo autem ibi etiam Judaeus jurans cingitur, & jurat κρατήσας ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸ μεγαλεῖον, *tenens in manibus ſuis rem magnam*, auguſtam, id eſt, legis codicem. Ad tempora haec attinent Baſilii junioris & Conſtantini Porphyrogennetae imperatorum, ſeu annum 980 aut circiter. Delatum quidem eſt in lite jusjurandum illud Judaeis aliquot, a neſcio quo Judaeo paulo ante converſo, qui in libello ea de re ad imperatorem ſupplice formulam exhibens, καὶ οὗτοι, inquit, τὸν ὅρκον τοῦτον ἀσμένως ἐδέξαντο, *Et ipſi hoc juramentum libenter admiſerunt*, velut Judaeis legitimum & ſolenne, licet in lite illa juramentum praeſtare renuerent. Abſque autem ritibus illis rubi, cullei, maris, obtinuit apud chriſtianos poſteros ut adjurentur Judaei in chriſtiano foro (in quo, nec apud ſeniores ſeu presbyteros eorum, utcunque variatim permiſſos, dirimendae[t] inter eos & chriſtianos controverſiae) *Secundum legem ſuam, ſuper decem praeceptis Moſis*; vel ſic, *Juras tu per Deum patrem omnipotentem ſabaoth?* vel, *per Deum qui apparuit Moſi in rubo?* vel, *per verum Adonai patrem?* vel, *per Deum Elohim*, & hujuſmodi: Quibus reſpondendum a Judaeo, *juro.* Vel ſic, *Si tu culpabilis es & perjurus, ſis diſperſus inter gentes, & moriaris in terra inimicorum tuorum; & ſic te terra abſorbeat, ſicut Dathan & Abiron.* Cui reſpondendum, *Amen.* Vel ſic, *Te lepra apprehendat, ſicut Naaman Syrum*; vel ſic, *Habitatio tua fiat deſerta*; vel ſic, *Veniant ſuper caput tuum omnia peccata tua, & parentum tuorum, & omnes maledictiones quae in lege Moſaica & prophetarum inſcriptae ſunt, & ſemper tecum maneant*, reſpondente Judaeo, *Amen*[v]. Atque ad hunc modum uſus forenſis eſt in camera imperiali[x], uti olim in Anglia noſtra, cum ſaepius pro duodecimviris, juxta morem, in forum, ut facti judicibus, in chriſtiani alicujus ſimul & Judaei cauſa, evocandis, *Sex* juberi reſcripto regio ſoleret *probos & legales homines & ſex legales Judaeos* (is ſtylus archivorum in arce Londinenſi forenſis eſt) *adeſſe.* Simplicior item multo, ſed in eundem ſenſum, Judaeum in chriſtiano foro adjurandi formula habetur in Alphonſinis[y]. Mauris ſeu Mahumedanis deferri

[k] Apolog. ad Conſtantium, tom. 1. pag. 674. [l] Act xxvi. 1 [m] Speculator, lib. 2. Partic. 2. tit. De Juramento Calumniae, §. 4 & videſis ſupra, cap. 10. §. 7. [n] Matth. Pariſ. Ann. Dom. 1235. [o] Rot. Clauſ. 19 Henrici 3. dorſo, membrana 18 in arce Londinenſi, 23 Feb. 1259. [p] Andr. Gaill. lib. 2. Practic. Obſerv. 59, &c. [q] Videſis DD. ad l. 5. D. tit. De Jurejurando §. *Divus & Stephan.* Forcatulum in Necyomantia juris dialog. 12. [r] Tom. 1. pag. 119. [s] Vide inferius, §. 7. [t] L 15. C. tit. De Judaeis & C. Theodoſii, lib. 16, tit. 8. l. 22. [v] Durandus in Speculo, lib. 2. tit. De Juramento Calumniae, §. 3. num. 17. Bartol. ad. L. jurari D. tit. De jurejurando. Marquardus de Suſanes de Judaeis, part. 2. cap. 5. §. 10. [x] Mynſingerus Centur. 6. Obſervat. 20. quem & vide Cent. 5. Obſervat. 6. [y] Partit. 3. tit. 11. l. 18.

ſolebat

ſolebat in Hiſpaniis a chriſtianis juramentum in hunc modum, ut in Alphonſinis etiam legitur [z]. Tam is qui deferret quam Maurus adjurandus ſiſtebant ſe coram Meſquita Mahumedana, ſi loci opportunitas ferret, aliove in loco a judice praeſtituto, ubi Maurus in meridiem verſus, manu ſublata, ſic etiam per Deum & ſacra ſua adjurabatur, *Juras me tu Fulan Moro, por aquel Dios que non ha otro ſi el non, a quel que es demandador, e conocedor, e deſtruydor, e alcançador de todas las coſas, e crio eſta parte de Alquibla* (القبلة quod pro Auſtro [a] uſurpatur) *contra que tu faces oracion. E otroſi juras me por lo que recibio Jacob de la fe de Dios, para ſi, e para ſus fiios e por el omenaie, que fizo de la guardar. E por le verdad que tu tienes, que puſo Dios en la boca de Mahomat, fijo de Abdalla, quando lo fizo ſu propheta, e ſu mandadero, ſegun que tu crees, que eſto que io digo non es verdad, o que es aſſi como tu dizes. E ſi mentira juras, que ſeas apartado de todos los bienes de Dios, e de Mahomat, aquel que tu dizes que fue ſu propheta, e ſu mandadero. E non ayas parte con el nin con los otros prophetas in ninguno de los parayſos. Mas todas las penas que dize en el Alcoran, que dara Dios a los que non creen en la tu ley, vengan ſobre ti.* Reſpondebat Maurus, *Aſſi lo juro*, ipſique juramento prima perſona ab illo repetito ſubjiciebat, *Amen*. De juramenti autem Judaeorum fide, ubi per vetus teſtamentum editionis alicujus chriſtianae jurant, conſulas Paulum Fagium in Exodi [b] paraphraſin Chaldaicam. Poena item Judaeo & Mauro perjuro inflicta eſt, non minus quam chriſtiano, licet pro locorum & ſeculorum diſcrimine diſpar. Sed de vetuſtiore ac ſimpliciore Judaeorum jurandi formula forenſi plura mox. Atqui mira (quod obiter adnotare liceat) inoleverat apud chriſtianos diſciplina de temporibus etiam amplioribus quibus in litibus jurare prohibebatur. Unde legitur e concilio apud S Medardum habito [c], *Decrevit ſancta ſynodus ut a ſeptuageſima uſque in octavam Paſchae, & ab adventu Domini uſque poſt conſecratos dies, necnon & in jejuniis quatuor temporum, & in letania majori, & in diebus rogationum, & in diebus dominicis, in fide, concordia & pacificatione nullus ſuper ſacra jurare praeſumat*, quod item tranſcripſit Gratianus [d], excepto quod habet, *ab adventu Domini uſque in octavam epiphaniae, & nullus ſuper ſacra evangelia juret*. Tantundem habetur e concilio Erphordienſe ſub Henrico Aucupe Caeſare & Joanne Papa XII, anno 932 celebrato, etiam & de diebus aliquot aliis, licet nihil de juramentis illic dictum. Scilicet *Placita ſecularia & poteſtas judiciaria* (quae ſine juramento manca eſt) per tempora illa interdicuntur [e]. Gloſſa ad priorem canonem apud Gratianum, *Huic tamen canoni & praecedenti* (id eſt, Cauſ. 15. quaeſt. 4.) *obviat conſuetudo praeſcripta*. Et ad praecedentem illam, *Hoc tamen hodie non ſervat Romana eccleſia*. Nec quidem ullibi recepti ſunt canones illi de non jurando, aliter atque pro loci ſeculique temperamentis variis. Vetus eſt non ita diſſimilis apud Romanos veteres [f] de feriis ſolennibus diſciplina; qua de re etiam titulus in Digeſtis & Codice utroque. Et de ſabbatis diebuſque pridianis, aliiſque feſtis hanc circa rem apud Judaeos veteres, ſatis elicitur ex eis quae de diebus illis juridicis ſuperius dictum eſt. Certe & in chriſtianiſmo olim obtinuit Honorii & Theodoſii minoris AA. ſancitum (anno Chriſti 409) quo, *die ſabbati, ac reliquis ſub tempore quo Judaei cultus ſui reverentiam ſervant, neminem aut facere aliquid aut ulla ex parte conveniri debere praecipitur* [g], *cum fiſcalibus commodis & litigiis privatorum conſtat reliquos dies poſſe ſufficere*. Quod generatim ſic dictum ad Judaeorum hinc litium adeoque juramentorum vacationem pertinere vult Aniani gloſſa. Sub vicennium ante, ſeu 389, reſcripto Valentiniani, Theodoſii & Arcadii AAA [h]. vacationis intervalla etiam aliquot eis quae in canonibus jam memoratis occurrunt ſatis ſimilia, praeter dies ſolis ſeu dominicos (quibus item interdicuntur lites a Conſtantino [i]) & principum natales ac imperii ortus. Et explanatio ſeu gloſſa in Theodoſiano ſequitur quae in codice Theodoſiano meo MS. ipſius conſtitutionis locum occupat cum titulo *idem Auguſtus*, id eſt, *Conſtantinus*, qui legis primae illic autor eſt. Acceſſere aliae conſtitutiones Caeſareae [k] ad intervalla firmanda, uti & pontificiae [l]. Etiam habetur in codicibus aliquot Juſtinianeis conſtitutio ſimilis Theodoſio imperatori tributa. Sed ſuppoſititia potius illa, ſaltem non Theodoſii, a nonnullis exiſtimatur. Apud Anglos autem noſtros leges ſimul & canones illi de litium adeoque juramentorum vacationis intervallis eouſque recepti ſunt, ut illis proculdubio dierum faſtorum, quos *terminos* dicimus quatuor, origines partem maximam aequum fuerit deberi agnoſcere. Intervalla noſtra & canones & temperamenta climati noſtro neceſſaria intuenti, id facile liquebit. Et tum in libris noſtris juridicis editis [m] tum in archivis [n] obvia ſunt quae litigiorum juramenta in quadrageſima aliiſque ejuſmodi intervallis non praeſtanda fuiſſe, extra quam ubi autoritate ſive pontificia ſive regia ſive parlamentaria expreſſim permitteretur, oſtendant. Sed diu eſt quod mores ejuſmodi prorſus evanuere. Sequitur ut de juramentis tam in vetuſtiſſima eccleſia Dei unde Judaei propagati ſunt, quam de ipſorum circa ea ſcita ſubtiliora, ſed interim vetuſta, porro videamus.

VII. Licet recepta fuerit diſciplina illa juxta ſuperius [o] tradita, jurandi per nomen aut cognomen aliquod Dei O. M. nec ſimul aliam rem aliquam cum juramento illo conjungendo (quale quidem juramentum in foro pro legitimo & obligante habitum eſt, modo infra oſtenſo, juxta

[z] Partit. 3. tit. 11. l. 21. [a] Alcoran. Azoar. 10 Arab. 20 Lat. ubi vertitur *Oriens*. [b] Cap. xxiii. 1. [c] Apud Burchardum Decret. lib 12. cap 20. [d] Cauſ. 22. Quaeſt. 5. can 17. & videſis Ivonem, in Panormia, lib. 8. cap. 120. [e] Burchard, lib. 3 cap 21 Ivo Decret. part. 3. cap. 53. Grat Cauſ. 15 quaeſt. 4. Can. 2. [f] Macrobius Saturnal. 1. cap. 16, &c. [g] L. 3. C. Theodoſ. lib. 2. tit. 8. & L 8. tit. 8. [h] L. 7. C. Juſt. tit. De Feriis. L. 2. C. Theodoſ. lib. 2. tit. 8. [i] L. 1. ibidem & C Juſtin. eod. tit. L. 3. & videſis Sozomen lib 1. cap. 8. [k] L. 6, & 8 Cod Juſt. eod. tit. [l] Extr. tit. De Feriis, c. 5. [m] Leg Henrici 1. cap. 62. Breton, cap. 53. Statut Weſtmonaſt 1. 3 Ed. 1. cap 51. [n] Rot. Clauſ. 11 Hen. 3. part. 1. membrana 26. Rot. Pat. part. 1. 11 Hen. 3. membrana 13. Clauſ. 15 Ed. 3. part. 1. in Dorſo 40. regiſtr. Roberti Winchelſeii archiepiſcopi Cant. pag. 141 & 273. [o] §. 1.

etiam illud p, *Et jurabis*, חי יהוה *Vivit Dominus, in veritate in judicio & in justitia*) nihilominus ex usu majorum vetustissimo per res alias, sed non cum Dei O. M. nomine aut cognomine conjunctas, jurare in pollicitationibus colloquiisque solebant. Moris illius vetustissimi exempla cernuntur in illo Josephi patriarchae fratribus suis jurantis q חי פרעה *Vivit Pharao*, Νὴ τ̀ ὑγίειαν Φαραὼ *Per vitam, salutem, Pharaopis*; glossa ibi, אם חי פרעה *Si vivit Pharao*, quod gravissimum AEgyptiis juramentum, & capite r, si falso praestitum, luendum. Uti & in illo Uriae s Davidi, חייך וחי נפשך *Per vitam tuam & vitam animae tuae*. Quibus accedat illud

بدم هابيل אדם אבל *Per sanguinem Abelis*,

quod Sethianorum juramentum solenne fuisse scribit ex orientalium monimentis Eutychius patriarcha Alexandrinus t. Postmodum vero *per coelum, terram, caput, Hierosolyma* jurandi morem fuisse Ebraeis, satis elicitur ex juramentorum interdictione dominica, de qua supra. Item *per templum, per aurum templi, per altare & per altaris aurum* u. Atque in scriptis Ebraeorum vetustissimis occurrit formula illa בחיי המלך *Per vitam regis* x, velut familiaris; item veluti forensis quandoque, ex delatione דור לי בחיי ראשך *Vove* seu *jura mihi per vitam capitis tui* y, seu, ut glossa ibi, דור לי לשון שבועה *Vove mihi ad modum juramenti*; ubi quaestio fit utrum qui detulerit (etiamsi nec perfectum nec forense revera esset juramentum) perfectum postmodum & rite forense deferre potuisset. Etiam, *per templum*. Rabbi Jochanan z de familiis aliquot restituendis locutus היכלא, inquit, בידינו היא *Per templum in manibus* seu *potestate nostra est*, ubi glossa היכלא שבועה בהיכלו של מקום *Templi nomen ibi est juramentum per templum Dei*; pro quo dicebant item המעון הזה *Per habitaculum hoc, aedes hasce* a. Ita aliquoties in Misna b. Et in Gemara Babylonia c Rabba Simeon Ben Gamaliel, המעון הזה אם אלין הלילה עד וגו' *per habitaculum hoc, si dormivero hac nocte donec*, &c. ubi etiam glossa de templo explicat, licet nonnulli d de Hierosolymis sumpserint. Cum vero, ex disciplina eorum nemini non satis nota, per numinis sanctissimi sive nomen aliquod sive cognomen, juxta superius ostensa, jurandum esset, & affirmationis negationisve professio cum jurandi animo, legitimum juramentum, etiam sine expressa, modo satis intellecta, nominis aut cognominis mentione obligaret, nec juramenta per res alias pro obligatoriis sumerentur, exempla adjurandi afferunt e, משביע אני עליכם מצוה אני עליכם אוסרכם שני הרי אלו חייבין בשמים ובארץ הרי אלו פטורין . בא"לף ד"לת ב"יוד ה"א בשדי בצבאות בחנון ורחום בארך אפים ברב חסד ובכל הכינויים הרי זה חייבין *Adjuro vos ego* (si quis nempe sive in foro sive alibi deferret alicui generatim juramentum) *jubeo vos, interdico vobis* falsum dicere (dum adjuramini; nam in Gemara Babylonia f intelligitur ibi de adjuratione seu juramento legitimo, & jussu & interdictione שבתורה *legitima*) *hinc illi sic adjurati obligabantur*, assentiendo nimirum; etenim de juramento per numen ipsum sic verba capiebantur: *Sed si adjurarentur per coelum & terram, liberi erant, nec juramento ejusmodi obligati. Per aleph daleth (Adonai) per iod he (Tetragrammaton* seu *Jah) per sadai, per zabaoth, per gratiosum, per misericordem, per tardum ad iram, beneficentissimum, seu per omnia cognomina, obstringebantur*. Scilicet qui legitime juratum quenquam vellet, id est non sine obligatione ad poenam perjurii sive forensem sive per sacrificia (idque juxta expressam tantum lege poenam) expiatoriam (qua de re plura mox) haud juramento ulli satis credendum existimavit quod minime per sanctissimum numen aut expressim aut tacite, juxta ante dicta praestaretur. Neque enim poenae publicae illae ad juramenta alia attinebant. Quae sane disciplina Pharisaica aperte cernitur in verbis Domini g de juramentis per templum, per altare, apud illos pro nihilo habitis, ubi interim Dominus ipse ait, Ὁ ὀμόσας ἐν τῷ ναῷ ὀμνύει ἐν αὐτῷ ϗ ἐν τῷ κατοικοῦντι αὐτόν, *Jurantem per templum, jurare & per illud & per eum qui habitat in templo*; uti & jurantem per coelum jurare tum per thronum Dei tum per illum qui sedit super eum h. Neque aliunde quam ex disciplina illa Pharisaica rite intelligendum illud Martialis i in verpum, poetam aemulum; Hierosolymitanum nempe seu Judaeum Romae degentem. Quod detraheret scriptis ejus, eaque carperet verpus, non curabat Martialis, & ironice eum inde sapere ait. Sed, inquit,

Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipsis
Paedicas puerum, verpa poeta, meum.
Ecce negas, jurasque mihi per templa tonantis.
Non credo, jura, verpe, per Anchialum.

Vix aut ne vix quidem dubitandum quin Martialis, injuria ejusmodi a Judaeo isthoc affectus, didicisset inter Judaeos reliquos, ibi satis frequentes, quonam juramenti genere Judaeo ipsi legitimo, sibi religiosius servando, & pro satis obligante habito, illum de puero adjuraret. Judaeum quidem ei jurasse, ex epigrammate satis liquet, *per templa tonantis*, in quibus nec nomen numinis sanctissimi nec cognomen ex eis quae sic Ebraeis vocantur. Sed *per templum* etiam *Hierosolymitanum* facile, ne dicam necessario, intelligi possit in illis *per templa tonantis*, quibus tamen si Jovem Romanum seu Capitolinum *tonantis* nomine notissimum intellexisset Martialis, in idem res recideret: Nam ut illicitum ac plagis luendum, ita & irritum habebatur juramentum k per gentilium aliquod idolum. Voluit igitur, ut, si fieri posset, non falleret, eum ita jurare ut per numen ipsum suum expressius juraret, *Jura, verpe, per Anchialum. Nam dicebant vulgo Romani*, inquit Stephanus Forcatulus l *Anchialum esse Judaeorum numen sanctissimum*. Nec male. Nugaciter nimis ad Martialem, superioris

p Hierem. cap. iv 2. q Genes. xlii. 15. r Abenezra in Decalogum. s 2 Samuel. cap. xi 11. t In Annalibus. u Matth. xxiii. 16. &c. x Gemara Babylonia ad tit. *Rosh hashena*, cap. 1. fol. 17, 2. y Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 3. Gem. Babylon fol. 24. 1. z Gem. Babylon. tit. *Kidoschin*, cap. 4 pag. 71, 1. a Matth. xxiii. 21. b Tit. *Cerithoth*, cap. 1. Talm. Babylon. fol. 8, 1. & cap. 6. fol. 25, 1. & tit. *Kethuboth*, cap. 2. fol. 27, 2. c Tit. *Baba Bathra*, cap. 10. fol. 166. 1. d Videlis Joan. Drus. adMat. v. 35. e Misn. tit. *Shebuoth*, cap. 4. §. 14. f Eod. tit. fol. 35. a. g Matth. xxiii. 16. h Videsis Samuel, Petit. Variar. Lection. 1. cap. 16. i Lib 11. epigr. 95. k Maimonides tract. de Idololatria. cap. 5. §. 13. l Necyomantia Juris, dialog. 12.

seculi scriptores aliquot de Anchialo urbe hic somniabant. Sed primus Josephus Scaliger [m] ex Judaeorum formulis voluit in *Anchialum* per pronunciationem Romanam migrasse חי אלה [n] *Chi allah*, aut *per viventem Deum, vivit Deus*; quod & viris doctissimis Petro Scriverio, Gerardo Vossio [o] & Dionysio filio [p], uti & Hugoni Grotio [q], placuit. Atque ut recepta formula forensi utitur Caiaphas [r], Ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, *Adjuro te per Deum viventem.* Alii אם חי אלה *Si vivit Deus* originem esse volunt, alii nuperorum aliter, sed ex Ebraeorum interim usu variatim deducentes; qua de re etiam nos alibi [s] plura. Sic autem jurans, si perjurii reus, eo nomine apud suos puniendus; non item si per templum, caput, coelum; licet etiam juramenta ejusmodi, citra Dei sive nomina sive cognomina, conscientiam satis obligarent, ut ante legem, seu in exemplis illis vetustissimis superius memoratis, & violatis poenae quidem, sed coelitus tantum infligendae, exspectarentur. Et singularia huc spectantia meritoque advertenda habet Philo [t], ubi de Deo per seipsum jurante loquitur. Ad illud [v] ובשמו תשבע *Et per nomen ejus jurabis*, Ἀσεβεῖς ἂν νομισθεῖεν οἱ φάσκοντες ὀμνύναι κατὰ Θεοῦ, *Impii sunt* homines *qui se aiunt per Deum jurare*, quia nemini satis cognita ejus natura; sed *bonum est*, inquit, *si nominis ejus haud nescii esse possimus*; ὅπερ ἦν τοῦ ἑρμηνέως λόγου, *quod erat interpretantis verbi* ejus: & dein subdit, Οὗτος γὰρ ἡμῶν τῶν ἀτελῶν ἂν εἴη Θεός, τῶν δὲ σοφῶν καὶ τελείων, ὁ πρῶτος· καὶ Μωσῆς μέντοι, τὴν ὑπερβολὴν θαυμάσας τοῦ ἀγενήτου, φησίν, καὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ὀμῆ, οὐχὶ αὐτῷ. Ἱκανὸν γὰρ τῷ γενητῷ πιστοῦσθαι καὶ μαρτυρεῖσθαι λόγῳ Θείῳ, *Hoc enim verbum nostrum qui imperfecti sumus, Deus est; sapientum autem & perfectorum, ille primus. Certe Moses summam ingeniti excellentiam admiratus dicit*, & per nomen ejus jurabis; *non, per illum ipsum. Satis enim est per genitum fidem adstrui & testimonium haberi a Verbo divino.* Quod quidem inprimis animadvertendum apud Judaeum, nec dum christianum, cui alias τοῦ λόγου *Verbi*, etiam & *Filii Patris*, mentio quasi Platonica, sed interim notioni christianae perquam consona. Dum autem alibi [x] de juramentis agit, jurandum non esse voluit per Dei nomina, nec dubitans quin juramenta per res alias satis conscientiam jurantis obligarent, etiam & ad poenas coelitus exspectandas. A jurandi autem usu dehortans & ab omni mendacio, quoties, ait, juramentum fuerit (in seria fidei interpositione) necessarium, πατρὸς ἢ μητρός, ζώντων μὲν ὑγίειαν καὶ εὐγηρίαν, τετελευτηκότων δὲ τὴν μνήμην, ὅρκον ποιητέον, *praestandum juramentum per patris seu matris sanitatem & senectutem felicem, si superstites sint*; &, *si mortui fuerint, per eorum memoriam.* Rationem reddit, Ἀπεικονίσματα γὰρ οὗτοί γε καὶ μιμήματα θείας δυνάμεώς εἰσι, τοὺς μὴ ὄντας εἰς τὸ εἶναι παραγαγόντες, *Sunt enim hi effigies & imitamenta divinae potestatis, utpote qui eos qui non erant* (liberos suos) *in vitam produxerunt.* Adjicit dein, Ἀναγέγραπται τις ἐν τοῖς νόμοις τῶν ἀρχηγετῶν καὶ ἐπὶ σοφίᾳ μάλιστα θαυμασθέντων, ὀμνὺς κατὰ τοῦ φόβου τοῦ πατρὸς ὑπὲρ ὠφελείας οἶμαι τῶν ἔπειτα, καὶ διδαχῆς ἀναγκαίας, ἵνα τοὺς γονεῖς ὃν χρὴ τρόπον τιμῶσι, στέργοντες ὡς εὐεργέτας, καὶ εὐλαβούμενοι ὡς ἀπὸ φύσεως καθεσταθέντας ἄρχοντας, καὶ μὴ ῥᾳδίως ἐπιχειρῶσιν ὀνομάζειν Θεόν, *Memoratur in antiquorum & maxime admirandorum legibus quidam qui jurabat, per timorem*, seu *religionem patris, ut posteris sic prodesset, nec sine disciplina necessaria cultus ejusmodi exhibendi parentibus, qui honorandi ut benefici, & observandi ut a natura constituti principes, nec temere* (ut in jurandi usu vulgari) *nominarent Deum.* Religiosum tunc hanc circa rem usum aliquorum laudat, qui a juramentis adjurationibusque qualibuscunque, etiam & in eis a Dei nominatione, abstinentiores, εἰώθασιν ἀναφθεγξάμενοι τοσοῦτον, Νὴ τὸν καί, Μὰ τόν, μηδὲν προσλαμβάνοντες, προφάσει τῆς ἀποκοπῆς, ἐμφαίνειν ὅρκον οὐ γινόμενον· ἀλλὰ καὶ προσλαβέτω τις, εἰ βούλοιτο, μὴ μὲν τὸ ἀνωτάτω καὶ πρεσβύτατον εὐθὺς αἴτιον, ἀλλὰ γῆν, ἥλιον, ἀστέρας, οὐρανόν, τὸν σύμπαντα κόσμον. Ἀξιολογώτατα γὰρ ταῦτά γε καὶ πρεσβύτερα τῆς ἡμετέρας γενέσεως, καὶ προσέτι ἀγήρω διαιωνιοῦντα τῇ τοῦ πεποιηκότος γνώμῃ. Τοσαύτη δέ τινες εὐχερείᾳ καὶ ῥᾳθυμίᾳ χρῶνται, ὥστ', ἐν γενέσει πάνθ' ὑπερβάντες, ἐπὶ τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἀνατρέχειν τολμῶσιν, &c. *Solent, ubi hoc solum protulerint, ita per illum, aut, non per illum, nihil adjicere, abscissionem* juramenti integri *obtendentes, nec juramenti expressim proferentes formulam integram. Sed vero adjiciat quis, si libuerit, non statim supremam & antiquissimam causam* rerum omnium, Deum O. M. *sed terram, solem, astra, coelum, totum mundum. Sunt enim haec praecipua & antiquissima generationis nostrae, & insuper sempiterna ex creatoris decreto. Aliqui vero tam faciles & negligentes, ut quae generata sunt*, creaturas omnes, *praetereuntes, ad ipsum creatorem & patrem omnium*, ejus nomen aliquod, *recurrere audeant.* Et tunc in frequentiam & temeritatem jurandi merito invectus, Οὐ γάρ, inquit, πίστεως ἡ πολυορκία τεκμήριον, ἀλλ' ἀπιστίας ἐστὶ παρὰ τοῖς εὖ φρονοῦσιν, *Neque enim fidei signum est frequens juramenti usus, sed perfidiae, apud sapientiores.* Et dein de mendaciter jurante, a quo invocatur numinis sanctissimi testimonium, Ὁ τοῦτο, optime inquit, ποιῶν μόνον οὐκ ἄντικρυς βοᾷ, κἂν ἡσυχάζῃ, σοὶ χρῶμαι τοῦ ἀδικεῖν παρακαλύμματι, αἰδούμενος μὲν τῷ δοκεῖν ἁμαρτάνειν, συνέργησον, ἀνθ' ἐμοῦ πονηρευομένου τὴν αἰτίαν ὑπόστηθι. Μέλλει γάρ μοι πλημμελοῦντι μὴ παύλα νομίζεσθαι. Σὺ δὲ τῆς περὶ τοὺς πιστοὺς δόξης ἀλογεῖς, οὐδὲν εὐφημίας ἐπιστρεφόμενος· Ἅπερ καὶ λέγειν καὶ ἐννοεῖσθαι ἀσεβέστατον, *Qui hoc fecerit, tantum non Deo occlamat, sed interim tacite dicit, te utor pro tegumentis injustitiae* (mendacii) *meae, dum peccare quidem me pudet; adjuva me, in te culpam mei peccantis recipe. Eveniet sic me, utcunque transgrederem, malum non existimari. Tu autem existimationem eorum qui fidem servant negligis, nec bonam famam commutas. Quae quidem sive dicere sive cogitare, perquam est nefarium.* Libentius ex Philone haec adduximus, quoniam egregia sunt ipsa, nec interpreti Latino satis quidem reddita. Et Pythagorica plane sunt & Socratica, uti & Platonica, atque, ut ante notatur, Rhadamanthina, haec Philonis

[m] In Prolegomen. ad libros de emendat. temp. edit. 1598. [n] Vide Hierem. cap. iv. 2. & Cauf. 22. q. 1. c. 7. [o] Historiae Pelagianae, lib. 5. part. 2. [p] Ad Maimonidem de Idololatria, cap. 5. § 13. [q] Not. ad Matth. v. 34. [r] Matth. xxvi. 63. [s] In Prolegomen. ad lib. de successionibus, [t] Lib. 2. De Allegoriis. [v] Deut. vi. 13. [x] Περὶ ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων, seu de 3, 4, 5. praecepto.

de

de Dei nomine ipſo juramentis neutiquam adhibendo, ſed interim Talmudicis haud parum adverſa. Conſonam ei diſciplinam hic habes ex veterum plurimis apud Stobaeum[y], Antonium, Maximum[z]. Jurandi autem, ſive in colloquiis ſive in pollicitationibus, ubi neceſſarium juramentum non eſt, frequentiam, quae perjurio dipoſitio eſt praevia ac primaria, tantum abeſt ut magiſtri Talmudici non etiam fugiendam moneant, ut quaſi ipſis Chriſti de juramento evitando verbis utantur, טובה, inquiunt[a], גדולה היא לאדם שלא ישבע כלל *bonum eſſet homini, non omnino jurare*; ubi tamen maxime & firme ſolum ſpectant juramenta ex legis ſermone praeſtanda, id eſt per Dei ſive nomina ſive cognomina; quod Philoni ſatis eſt diſſonum. Adeo grave autem juramenti ſive falſi ſive futilis (de quibus ſtatim plura) peccatum aeſtimabant ut, praeter poenas alias ex lege praeſcriptas (de quibus mox) excommunicari protinus debere tradatur & jurantem, ab eo qui audierit, eumque, ſi officio huic defuerit, etiam ipſum excommunicandum. Maimonides[b], השמע הזכרת השם מפי חבירו לשוא או שנשבע לפניו לשקר או שבירך ברכה שאינה צריכה שהוא עיבר משום נושא שם י״י לשוא הרי זה חייב לנדותו ואם לא נדוהו הוא בעצמו יהא בנידוי: *Qui audierit mentionem nominis*, ſeu *Dei, ex ore proximi ſui in vanum, aut eum falſo jurantem, aut maledictione non neceſſaria utentem, ita ut ſic quoque tranſgrediatur aſſumendo nomen Domini in vanum, obligatur eum excommunicare.* Quid illud eſſet fuſius oſtenditur libro primo. *Si vero eum non excommunicaverit, ipſe eſt etiam excommunicationi obnoxius*, ſeu *a ſeipſo excommunicandus.* Abſolutio autem ſequi debebat מיד *ſtatim.* Quod interim de excommunicatione ſic dictum, intelligit ſolummodo de perjuriis ejuſmodi ſcienter, non ex errore aut ignorantia, commiſſis. Per res autem alias, ne quidem ſanctiſſimas, praeter Deum ipſum, aut ſimpliciter quod in pentateucho ſcriptum, juramenta praeſtita credenda aut pro juramentis civiliter haberi (ut ante etiam tactum eſt) volebant. Idem Maimonides[c], aliique hic ſatis ſubtiliter. מי שנשבע בשמים ובארע ובשמש וביוצא בהן אף על פי שאין כוונתו אלא למי שבראם אין זו שבועה׳ וכן הנשבע בנביא מן הנביאים או בכתב מכתבי הקדש א״עפ שאין כונתו אלא למי ששלה נביא זה או למי שצוה בכתב זה אין זו שבועה׳ וא״עפ שאין אלו שבועות מאיימין עליהם ומלמדים את העם שלא ינהגו קלות ראש בכך׳ ומראין בעיניהם שזו שבועה׳ ופותחין להם פתח ומתירין להם׳ במה דברים אמורים בשאר כתבי הקדש׳ אבל הנשבע בתורה אם נשבע במה שכתוב בה דעתו על ההזכרות׳ ואם נשבע בה סתם דעתו על הגויל ואין כאן שבועה׳ נטלה בידו ונשבע בה ה״ז כמו שנשבע במה שכתוב בה ואסור: *Si quis juraverit per coelum, & terram, & ſolem, & ſimilia, tametſi cogitaverit tantum de eo qui ea creavit, juramentum nihilominus* legitimum *non eſt. Ita etiam ſi per prophetam aliquem ex prophetis, aut ſcripturam aliquam ex ſacris ſcripturis, tametſi cogitarit tantum de eo qui prophetam hunc miſit, aut de eo qui per ſcripturam hanc quid juſſit, juramentum nihilominus* legitimum *non eſt. Caeterum licet haec non ſint juramenta quibus fides habenda, monere tamen ſolebant populum ut nec hiſce temere uteretur, cum etiam ipſis juramenta eſſe videantur. Et oſtium eis aperiunt, & abſolvunt eos. Quae dicta ſic tamen temperanda ut intelligantur de reliquis ſacris ſcripturis. Sed ſi quis juraverit per legem* ſeu pentateuchum, *ita ut juret per id quod in ea ſcriptum ſit, in mente habet nomina in ea divina. Sed ſi ſimpliciter per eam juraverit, adeoque cogitans* tantum *de volumine* qua volumen eſt, *haud ibi juramentum* legitimum *praeſtatur. Sed ſi ceperit eam in manus ſuas & per eam juraverit, idem eſt acſi juraſſet per id quod ſcriptum eſt in ea,* cogitationis diſcrimine adhibito nullo, *& obligatur.* Atque haec ex Gemara Babylonia [d]. Adeoque legitimum juramentum ſeu perfectum, שבועה גמולה Talmudicis dici ſolitum, non habebatur ſine Dei nomine aut cognomine ſive expreſſim, ſive aſſentiendo, juxta ante dicta, tacite adhibito. Forenſis autem jurandi formula ſeu שבועה הדיינים a Moſe Maimonide[e] & Mikotzi[f] aliiſque, ex uſu & ſcriptis ſuorum vetuſtis, ita deſcribitur, הנשבע אוחז ספר תורה בזרועו והוא עומד ונשבע בשם או בכינוי או בשבועה או באלה מפיו או מפי הדיינין *Qui jurat librum legis prehendit brachio ſuo, & ſtans jurat per nomen ſanctiſſimum aut cognomen aut juramentum aut exſecrationem, ex ipſius ore, aut ex judicum* ſeu *ſynedrorum ore.* Addiderunt item[g] in juramentis forenſibus ſolennioribus quandoque feretrum, culleum ſeu utrem inflatum (qualis forſan memoratur ſupra in chriſtiana Judaeos adjurandi formula) & candelas quae ſpiritu cullei emiſſo exſtinguerentur, non ſine exſecrationibus in pejerantem horrendis, ſive a ſynedris ſive a miniſtris ſynedrii proferendis, ut terrore ſic, ſi fieri poſſet, perjurium praeveniretur. Unde & ad infamiae timorem augendum adhibiti ſaepius, ut in excommunicatione graviſſima & ſolenniori, buccinarum clangores. Inter judicum item monita, quibus perjurium amoliri ſic ſtudebant, a circumſtantibus in terroris augmentum, clamari eſt ſolitum [h] illud Moſis ad populum de coetu Corah, Dathan & Abiram, סורו נא מעל אהלי האנשים הרשעים וגו׳ *Recedite*[i]*, quaeſo, a tabernaculis iſtorum virorum impiorum, & nolite tangere quicquam quod eorum eſt, ne forte conſumamini omni peccato illorum.* Et dein jurans ex ore ſuo exemplum ſeu formulam affert, הריני נשבע באלהי ישראל במי ששמו רחום במי ששמו חנון שאיני חייב לזה כלום וכן אם אמר הרי הוא ארור לה׳ או ארור למי ששמו רחום אם יש לזה כלם אצלו: *Ecce juro per Deum Iſrael, per eum cui nomen miſericors, per eum cui nomen gratioſus, me reum huic non eſſe. Atque ita ſi dicat ſe maledictum eſſe Domino, aut maledictum ei cujus nomen miſericors, ſi quid habeat quod adverſario debeatur.* Delati autem a judicibus juramenti forenſis formula erat hujuſmodi, משביעין אנו אותך בה׳ או במי ששמו חנון שאין לזה בידך כלום והוא עונה אמן כענין שנאמר והשביע הכהן׳ את האשה בשבועה האלה ואמרה האשה אמן אמן׳ או שאמרו לו הרי פלוני בן פלוני ארור לה׳ אלהי ישראל או למי ששמו

[y] Serm. 27, 28. [z] Serm. 85, 86, 87. [a] Maimonid. tract. *Shebuoth*, cap. 11. §. 12. [b] Ibid. §. 9. & videſis Gemaram Babyloniam ad tit. *Nidarim*, cap. 1. fol. 7, 2. [c] Tract. *Shebuoth*, cap 12 §. 3, 4. Moſes Mikotzi Praecept Negat. 241. [d] Ad tit *Nidarim*, cap. 2 fol. 14, 2. [e] Tract. *Shebuoth*, cap. 11. §. 8. [f] Praecept. Affirmat. 123. [g] *Baal Aruch* in verb. הסת. *Migdoloz* ad Maimonid. tract. *Shebuoth*, cap, 11. fol. 400, 1. [h] Gemar. Babylon. tit. *Shebuoth*, cap. 6. fol. 39, 1. [i] Numer. xvi. 26.

חנון אם יש לפלוני אצלו ממון ולא יודה כו והוא אמן: *Adjuramus te nos per Dominum, aut per eum cui nomen est gratiosus, quod in manua tua*, possessione, potestate tua, *nihil habes quod adversarii est. Et respondeat ille, amen, juxta negotium illud* de uxore suspecta [k], *Et adjuret sacerdos foeminam per juramentum & exsecrationem, & dicat foemina, amen, amen. Aut ad hunc modum, ecce, N. Filius N. maledictus sit Domino Deo Israel, aut ei cui nomen gratiosus, si sit apud N. res aliqua τῷ N. quam non illi agnoscit; atque is respondet, amen* [l]. Morem item aiunt fuisse, eos qui in foro adjurarent, monere solitos jurantem, se illum non juxta conceptum ejus adjurare, sed secundum conceptum ipsorum adjurantium & synedrii: Et seculis recentioribus desiisse in forensibus juramentis usum nominis sanctissimi, atque in locum ejus successisse exsecrationes alias legitimas. Illud autem de adjurandi more juxta sententiam (verbis declaratam) synedrii, nec jurantis (ut pectore celatam) firmant [m] exemplo Mosis populum adjurantis [n] in foedus divinum, *Non autem vobiscum solum ego ferio pactum istud & juramentum istud,* כי את אשר ישנו פה עמנו עמד היום לפני יהוה אלהינו ואת אשר איננו פה עמנו היום *Sed & cum omni eo qui hodie apud nos hic stat coram Domino Deo nostro, & cum eo qui hodie non est hic nobiscum,* ut etiam Graeci, Onkelos, Arabs Erpenianus, & MSS apud me veteres bini; recentiores passim. Vulgata tantum, *sed cunctis praesentibus, & absentibus.* Targum Hierosolymitanum, *sed & omnibus generationibus quae fuere,* מן ימות עלמא ועד כדון יתבין קיימין הכא יומא וגו׳ *a diebus seculi usque hactenus tecum stant* (seu *sunt*) *quasi hodie coram Deo vestro, & cum omnibus generationibus futuris quae fuerint post nos, quasi consisterent hodie nobiscum*; uti & Uzielides sic dictus, וית כל דריא דעתידין למיקם עד סוף כל עלמא כולהון הינון קיימין הכא עמן יומא *& omnibus generationibus quae futurae sint usque ad finem totius mundi,* quae quasi *stant hic nobiscum hodie.* Arabs autem Jaianus habet, *& cum eo qui est hic praesens nobiscum* اذا نقل اليه *cum ei delatum fuerit hoc juramentum.* Jam vero ad haec Talmudici de adjurationibus forensibus aiunt, כשמשביעין אותו אומר לו הוי יודע שלא על דעתך אנו משביעין אותך אלא על דעת המקום ועל דעת בית דין שכן מצינו במשה רבינו כשהשביע את ישראל אמר להן דעו שלא על דעתכם אני משביע אתכם אלא על דעת המקום ועל דעתי שנ׳ ולא אתכם בלבדכם וגו׳ כי את אשר ישנו פה אין לי אלא אותן העומדין על הר סיני דורות הבאים וגרים העתידין להתגייר מניין ת״ל ואת אשר איננו ואין לי אלא מצות שקיבלו עליהם מהר סיני מצות העתידות להתחדש כגון מקרא מגילה וגו׳: *Cum adjurandum adjurabant, dictum est, heus, scire oportet nos haud adjurare te juxta conceptum mentis tuum, sed juxta conceptum numinis sanctissimi, uti & synedrii, juxta id quod reperimus in eo quod fecit Moses magister noster, qui, cum adjuraret Israelitas, dixit eis, Sciendum est vobis me neutiquam vos adjurare juxta conceptum vestrum,* vestram sententiam, *sed juxta sententiam numinis sanctissimi, & sententiam mei ipsius. Secundum quod dicitur,* nec vobiscum solum, &c. verum etiam eo qui est hic. *Non comperio hic alios praeter eos qui stant in monte Sinai. Generationes futurae & proselyti qui imposterum in Judaismum recipientur quid facient? Adjicitur,* & qui non est hic. Et compluria alia monita, quae perjurium amolirentur, inculcare solebant. Ex veterum autem usu adjurationes judicum forenses lingua fiebant sancta, sed ita ut necessario lingua adjurato cognita statim explicarentur. Etiam introductum est a τοῖς Gaonim (contra quam voluere Rabbini vetustiores) ut rite adjurarent judices [o] בכל לשון שהוא מכיר *in quacunque lingua satis intellecta.* Et quantum ad pentateuchum brachio inter jurandum tenendum, ritus ille non ita necessarius ut juramentum neutiquam sic praestitum non obligaret. Verba & assensus illud satis conficiebant. Aiunt tamen judices errasse qui ex lege adjurarent quempiam בלא נקיטת חפץ *absque re aliqua* (puto, sacra) *sic prehensa* aut *manibus* sive *tenta* sive *alligata.* Supplebat satis, maxime in presbyterorum seu sapientum juramentis forensibus, pentateuchum manus phylacterium [p], in quo verba sacra & Domini nomina. Sapientes etiam seu presbyteri rite jurabant sedentes; qui ex vulgo, stantes. Neque vero שבועת הסת *juramentum impositionis,* etsi pro gravissimo habebatur (de quo plura mox) super pentateuchum praestabat adjuratus. Sed id, inter jurandum, coram tenebat sive fori minister aliquis, sive alius ex eis qui adessent.

VIII. Genus autem juramentorum, qua sive forum sive hominum alibi mores & commercium spectabant, Talmudici faciunt quadruplex. Distribuunt [q] in שבועת ביטוי ושבועת שוא ושבועת הפקדון ושבועת העדות *Juramentum futile* seu *temerarium, juramentum vanum, juramentum depositi, juramentum testimonii.* Genus primum, seu quod est juramentum ביטוי *futile* seu *temerarium,* habetur in illo legis [r], נפש כי תשבע לבטא בשפתים להרע או להיטיב לכל אשר יבטא אדם בשבועה וגו׳ *Anima, persona, si juraverit inconsiderate pronunciando labiis suis malefacere aut benefacere, juxta omnia* (seu aliquod eorum) *quae temere proferre solet homo cum juramento,* &c. & non rite rem cognoverit consideraveritve, ove foemella, aut turturibus, aut columbis, aut simila, aut capra, ut hostia pro peccato illo, expianda erat. Hoc itidem in partes quatuor dividunt; שתים להבא ושתים לשעבר *binas de futuro, & binas de praeterito.* De praeterito, ut cum non sine juramento ejusmodi quis sive affirmaverit sive negaverit se comedisse, aut saxum in mare projecisse, aut Rubenum cum Simeone colloquium habuisse. Ita partes illae binae sunt, negativa, & affirmativa. Simili modo de futuro; se comesturum, saxum projecturum; aut se non comesturum, non projecturum; ואין שבועת ביטוי נוהגת אלא בדברים שאיפשר לו לעשותן בין להבא בין לשעבר *Nec versabatur juramentum hoc temerarium nisi tantum in rebus quae sive facere sive non facere in potestate ju-*

[k] Numer. v. 21, 22. [l] Videsis Sam. Petit. Variar. Lect. lib. 1. cap. 17. [m] Gemara Babylonia tit. *Shebuoth,* cap. 3. fol. 29, 1. & cap. 6. fol. 39, 1. & tit. *Nedarim,* cap. 3. fol. 25, 1. [n] Deuter xxix. 14, 15. [o] Maimonid. tract. *Shebuoth,* cap. 11. §. 8 & 14. [p] Deuteron. vi. 8. [q] Maimonides tract. *Shebuoth,* cap 1. Mos. Mikotzi Praecept. Negat. 239. [r] Levitic. v. 4.

rantis

rantis esset. Si pronunciatum sic in hisce aliquod falsum de praeterito, aut non praestitum de futuro, esset, הרי זו שבועת שקר *Juramentum falsum dicebatur.* Nam de ejusmodi juramentis sumitur illud [s], לא תשבעו בשמי לשקר *Non jurabitis per nomen meum falso*; Graeci, ἐπ᾽ ἀδίκῳ *injuste*; Judaei Hispanienses, *a falsia.* Ita alii. Et Vulgata, *Non perjurabis in nomine meo*, ואם נשבע לשקר במזיד לוקה *Et si in hisce scienter juraverit falso, verberibus puniendus erat.* Si ex errore aut ignorantia, praescripta in lege [t] expiatio tantum adhibenda erat. Juramentorum genus secundum, id est שוא *vanum*, quadrifariam item tributum est. Species prima, ubi jurabat quis id quod nemo nescit se non ita habere; ut virum foeminam, aut foeminam virum esse, aut columnam marmoream auream esse, & similia. Secunda, ubi quis jurabat על דבר שאין בו ספק לאדם שהוא כן *rem ita esse vel non esse de qua nemo mortalium dubitat*, ut coelum esse coelum, saxum esse saxum, duo esse duo, & similia. Tertia, cum quis jurabat לבטל את המצוה ἀκυρῶν [v] *irritum facere* non observando *mandatum* aliquod, ut se non usurum phylacteriis, pascha aut scenopegiam non rite hoc vel illo modo celebraturum, jejunaturum se sabbatis & diebus festis, & similia. Quarta denique secundi hujus generis species est quando quis jurabat על דבר שאין כח בו לעשות *se facturum rem quae in potestate sua non esset*, ut se per dies noctesque tres continuos non dormiturum, aut per dies noctesque tres continuos se nihil gustaturum. Speciem harum quamlibet interdicto illo decalogi [x] contineri aiunt, לא תשא את שם יי' אלהיך לשוא *Nomen Domini Dei tui non assumes in vanum*; atque ita Graeci, οὐ λήψῃ, &c. ἐπὶ ματαίῳ & εἰς κενή. Onkelos vero, לא תימא בשמא וגו' למגנא *Non jurabis per nomen, &c. frustra*, seu *sine causa*; & Uzielides dictus, לא ישתבע חד מנכון בשום מימריה ד"יי על מדלג ארום לא מזכי יי' ביום דינא רבא ית כל מאן דמשתבע בשמיה על מגן: *Haud quis vestrum jurabit per nomen verbi Domini frustra. Neque eum non reum habebit Dominus in die judicii magni qui juraverit per nomen ejus frustra.* Syrus, *Non jurabis*, &c. ܒܕܓܠܘܬܐ *cum mendacio.* Sed Onkelo posteriora illa sunt, דיימי בשמיה לשיקרא *qui juraverit per nomen ejus falso.* Atque ita Judaei Hispanienses, *No jures a nombre de A. tu Dio a vanidad, que non a pardonara A. al que jurare a su nombre a falsedad.* Arabs Erpenianus, لا تحلف باسم الله ربك باطلا *Non jurabis per nomen Dei Domini tui frustra.* Nec aliter Jaianus. Si quis autem juramenti ejusmodi vani reus esset, ex disciplina Talmudica lege illa fundata, idque ultro ac scienter, במזיד verberibus plectendus erat: ואם היה שוגג פטור מן הכלום *Si vero ex errore aut ignorantia, omnino liber erat*, nec poenae forensi nec sacrificio expiatorio obnoxius. Tertium genus juramenti הפקדון *depositi*, circa deposita ipsa sic vulgo dicta, res alienas, mutuo acceptas, casu repertas, aliterve in cujuspiam potestate, sed quales dici solent fungibiles, versabatur. Quasi praevia ac inserviens sit juramenti generi huic lex illa [y], לא תכחשו *ne mentiamini. Ne sitis perfidi.* Quod pro אזהרה לכפירת ממון *praemonitione* divina *sumitur, ne quis neget sibi bona credita aut aliena.* Simplex autem negatio verberibus non puniebatur: Si vero cum juramento falso negasset, reus erat perjurii ad tertium hoc genus spectantis, idque ex verbis proxime sequentibus, ולא תשקרו איש בעמיתו *nec fallaciter agatis vestrum quis cum proximo suo*, ubi statim etiam sequitur, ולא תשבעו בשמי בשקר *Nec jurabitis per nomen meum falso.* Perjurus hujusmodi ex sententia forensi praeter rem ipsam quintam ejus insuper partem [z] restituebat. Et sive scienter sive ex ignorantia juris, de non falso in causa ejusmodi jurando, pejeraverat, sacrificio commissum expiabat. At vero si ignarus esset mandati de sacrificio hoc nomine praestando, aut si revera possideret rem petitam, sed oblitus id nesciret tempore quo juraret, liber erat tum a quintae mulcta tum a sacrificio expiatorio. Et in causa hac utraque juramentum ejus veluti pro vi illato sumebatur, seu irrito, quale quodlibet coactum juramentum. Quale itidem aiunt de genere hic quarto, quod juramentum est העדות *testimonii.* Lex [a] de eo, *Si peccaverit quis, & audierit vocem juramenti, testisque ipse fuerit, aut viderit aut cognoverit*, אם לא יגיד *si non indicaverit, portabit iniquitatem suam.* Juramenta autem violata, quae sive verberibus luenda sive sacrificio expianda erant, ea sola fuere in quibus expressim aut tacite inerat nomen aut cognomen numinis sanctissimi. Qui juraverat se hodie non comesturum, ואוכל פחות מכזית פטור שאין אכילה פחותה מכזית *Et comederat quod oliva minus esset, liber erat, cum quod oliva minus est in comestione pro nihilo deputetur.* Quale sexcenties dicunt de cibis comestis. Uti de potatione, parili in casu, loquitur Maimonides, jurantem scilicet se non hodie potaturum, non violare juramentum עד שישתה רביעית כשאר האסורין *usque dum potaverit haustus usitati partem quartam. Quale jus obtinet circa reliqua interdicta.* Si quis juraverat se hodie non comesturum, & biberat, liber non erat: Quoniam חשתייה בכלל אכילה *potatio includitur in comestione.* Si vero, se non hodie bibiturum, comedere ei fas erat: Nam אין אכילה בכלל שתייה *comestio non includitur in potatione.* Et quamplurima subdunt subtilia de juramenti objectis, in quibus & illud singulare de re notissima jurata, seu juramento vano. Exemplum afferunt [b]. Astronomis non dubitari solem tellure majorem esse centies septuagies; unde jurabat quis e vulgo imperito solem tellure esse majorem. Is אינו לוקה משום שבועה שוא *non vapulabat nomine juramenti vani*; שאף על פי שהדבר כן הוא אין דבר זה גלוי וידוע לכל העם אלא גדולי החכמים בלבד *quoniam tametsi res se ita habuerit, non adeo manifesta & aperta est toti vulgo, sed sapientibus* (philosophis, astronomis) *summis.* Neque, quantum ad hoc juramenti genus, pro reo habebatur, aut flagellandus erat, usque dum juraret על דבר שגלוי וידוע לשלשה בני אדם משאר העם כגון איש שהוא איש ואבן שהוא אבן' וכן אם נשבע שהשמש קטנה מן הארץ אינו לוקה ואף על פי שאין הדבר כן מפני שאין זה ידוע לכל אדם ואיני כמי שנשבע

[s] Levitic. xix. 12. [t] Ibid. v. 6. [v] Vide Matth. xv. 6. Marc. vii. 13. [x] Exod. xx. 7. [y] Levitic. xix. 11. [z] Ibid. vi. 5. [a] Ibid. v. 1. [b] Maimonides tit. *Sanhedrin*, cap. 5. §. 22.

על האיש שהוא אשה שהרי לא נשבע אלא על ראיית עיניו שהרי הוא רואה אותה קטנה וכן כל כיוצא בזה מדבר חשבון תקיפית מזלות וגימטראירת וכיוצא בהן מדברי חכמה שאינן נכרין אלא לאנשים אחרים : *De re quae manifesta esset & nota tribus hominibus* quibuscunque *ex reliquo vulgo, ut virum esse virum, saxum esse saxum. Ita, si juraret solem minorem esse tellure, nec flagellandus erat (tametsi res ipsa se neutiquam ita habeat) quoniam hoc non cuique notum, & aliud est ab eo quo juratur virum esse foeminam. Neque enim jurabat* de sole *aliunde quam ex oculi conspectu, quo visus est sibi minor. Parile jus de similibus in arithmetica, calculo astronomico, geometria, id genus aliis philosophicis, quae ignota sunt aliis praeter homines aliquot singulares.*

IX. Addunt de juramenti futilis seu temerarii, per incogitantiam, iram, aut ejusmodi animi affectum, in futurum de hoc vel illo praestando seu vitando prolati, absolutionis modum; quoties scilicet qui sive sic temere, sive ob aliud quid quod inter jurandum non cognosceret, juraverat, poenitentia ductus, vinculo juramenti se absolvi desideraret. Quod itidem jure parili in votis sic conceptis obtinebat. Adeundus juranti erat aut sapiens seu presbyter, aut, ubi is deerat, tres aliquot ex vulgo, quorum, veluti in jurisdictionis voluntariae actu, munus habebatur legitimum eum poenitentem & absolutionem petentem absolvendi. Maimonides[c], הרי זה נשאל לחכם אחד או לשלשה הדיוטות במקום שאין שם הכם ומתירין לו שבועתו. ויהיה מותר לעשות דבר שנשבע שלא לעשותו או שלא לעשות דבר שנשבע לעשותו וזהו הנקרא היתר שבועות *Is rogare debuit sapientem unicum, aut in loco ubi is deerat tres ex vulgo, & ab eis sic nancisci absolutionem. Et tunc licitum erat rem quamcunque sibi juramento ejusmodi interdictam facere, uti & eam praetermittere quam juraverat se facturum. Atque hoc dictum est juramentorum absolutio.* Hisce e veteribus, ut reliqua, subdit, ודבר זה אין לו עיקר כלל בתורה שבכתב. אלא כך למדו ממשה רבינו מפי הקבלה שזה הכתוב לא יחל דברו שלא יחלל הוא בעצמו דרך קלות ראש בשאט נפש כענין שנ׳ וחללת את שם אלהיך. אבל אם נחם וחזר בו חכם מתיר לו *Disciplina autem haec in ipsa non omnino lege scripta fundatur. Caeterum ita didicimus a Mose magistro nostro e cabala*, traditionibus e Mosis tempore ad nos transmissis, *scriptum illud*[d], is non violet, seu *non faciat irritum*, verbum suum, de vovente & jurante dictum, *ita intelligi ut is per se non violet, idque impudenter & contemptu animi, juxta interdictum illud* de non profanando nomine Dei tui[e]. *Sed interim ita ut, si eum poenituerit & ad meliorem mentem circa rem juratam redierit, sapiens eum legitime absolvere posset.* Ideoque אין אדם יכול להתר שבועת עצמו *nemo seipsum juramento potest absolvere.* Nec quis rite absolutione ejusmodi alterius usus est in praesentia sapientis se, eo nomine, eminentioris, aut ubi magister suus praesens erat, citra magistri assensum. Neque per nuncium res haec transfigenda, sed omnino coram. Et adstanti qui absolvi petebat, dicendum erat, *Juravi hoc vel illo modo, & me poenitet. Et conscius mihi sum me hucusque doluisse hanc ob rem, nec me voluisse sic jurare si rem satis intellexissem.* Sapiens tunc, aut triumvirorum primarius, interrogabat illum, וכבר נחמת *Et jamne te poenituit?* Illo affirmante, respondendum erat שרוי לך או מותר לך או מחול לך וכל כיוצא בענין זה בכל לשון. אבל אם אמר לו מופר לך או נעקרה שבועתך וכל כיוצא בענין זה לא אמר כלום שאין מיפר אלא הבעל או האב אבל החכם אינו אומר אלא לשון התר ומחילה *Solutus es; aut, liber es; aut, remittitur tibi; aut ejusmodi quid aliud quocunque loquendi modo* idem significante. *Sed si dixerat* sive sapiens ille, sive triumvirorum primarius, *irritum est tibi, aut pro nullo habendum*, quasi juramentum ab initio non obligasse assereret, *pro nihilo dictum censebatur; id enim genus absolvendi ad maritum & patrem tantum* ex lege sacra ea de re lata[f] *attinet. Sed sapienti hic*, & absolventibus, *usurpandae erant tantum voces quae solutionem obligationis & remissionem denotarent.* Nimirum in causis filiae & uxoris pater & maritus plane ab initio irritum reddebant, non pro contracto habitum juramentum dissolvebant; ut hic sapiens ille & triumviri, qui ligatum solvebant. Actus hujusmodi, jurisdictionis voluntariae instar, nec tamen pro forensi censitus, a propinquis aeque fiebat atque ab aliis & tam noctu quam die, etiam diebus festis & sabbatis. Temperamenta autem hic habebantur; ut, absolutionem hujusmodi locum non habuisse, ubi quis ab alio in juramentum ejusmodi adjuratus absolvi desideraret, nisi etiam qui adjuraverat praesens fuisset. Idem si quis בדעת רבים *ex consensu plurium*, veluti urbis, oppidi, eis juraverat, אין מתירין לו לעולם אלא לדבר מצוה *perpetuo ligatus manebat, nec absolvebant eum, nisi tantum in re aliqua in juramento contenta quae ex praecepto penderet.* Veluti שלא יהנה מבני העיר *se nolle sibi acquirere ex urbis beneficio commodum omnino aliquod.* Si, hac in causa, per urbem illam opus esset praelectioni legis aut circumcisionis aut sacrificii ritibus quenquam praeficere, nec quis alius praeter hujusmodi duntaxat juratum ibi reperiretur idoneus, הז״ נשאל לחכם או לג׳ הדיוטות ומתירין לו שבועתו ועושה להם מצות אלו ונוטל שכרו מאותן האנשים שנשבע שלא יהנה מהם *Is impetrare potuit a sapiente aut triumviris*, quales dicti sunt, *ut eum absolverent a juramento suo, & tunc praestare praeceptiva illa, adeoque mercedem accipere ab hominibus illis a quibus se commodum percepturum nullum juraverat.* Sed quoad causas non ejusmodi, absolvendus non omnino erat[g]. Si quis juratus ad synedrium se contulisset לקיים שבועתו *ut firmaret* seu *praestaret juramentum suum*, animi sui sententiam ea in re ostenderet, & *visum esset synedrio absolutionem juramenti ejus pietatis pacisque causam fore, praestationem vero* seu *obligationem juramenti fore in causa transgressionis ac contentionis*, פותחין לו פתח ונושאין ונותנין עמו בדבר

[c] Tract. *Shebuoth*, cap. 6 §. 1, &c. Sic Talmudici tit. *Nidarim*, cap. 3 fol. 21, 1 & tit. *Becoroth*, cap. 5. fol. 37, 1. tit. *Nazir*, cap. 9. fol 62, 1. tit. *Chagiga*, cap. 1. fol. 10, 1. [d] Numer. xxx. 2. [e] Levit. xix. 12. [f] Numer. xxx 9, &c.
[g] Videsis Maimonidem tract. *Shebuoth*, cap. 12. §. 12.

ומודיעין לו דברים שגורמות שבועתו עד שיתוהם. אם נחם בדבריהם ומתירין לו. אם לא נחם ועמד במריו הרי זה יקיים שבועתו *Ostium ei aperiebant, & exhortabantur, argumentis ex eis quorum in causa fuerit juramentum ejus petitis, ut se poeniteret. Et si poeniteret secundum monita illa, eum absolvebant. Sin vero persisteret, praestandum ei erat juramentum suum.* Nec absolvendus erat. Juramentorum in hoc de synedrio casu exempla sunt, se uxorem repudiaturum, Israelitarum neminem ex bonis ejus commodum aliquod percepturum, carnem se non comesurum, vinum non bibiturum per xxx dies, ejusmodi alia. Qui juramentum ejusmodi effuderat, & postmodum etiam juraverat se nolle absolvi, & dein poenituerat, primo impetrare debuit absolutionem juramenti secundi, & tunc primi. Se non habiturum cum N. colloquium, & postea, si impetraverit hujus juramenti absolutionem, se nunquam postmodum vinum bibiturum; poenitenti absolvendum primo primum, dein secundum. שאין מתירין נדר או שבועה שעדיין לא חלו *Quoniam absolvendum non erat sive votum sive juramentum aliquod* cujus tempus *nondum incoeptum. Ut si quis in mense Nisan juraverat se a carnibus abstenturum per triginta dies a mensis Jiar novilunio,* & poenituerat, ante initium Jiar absolutio impetranda non erat. Si idem ipsum juraverat quis ter, impetrandae erant totidem absolutiones, ita ut prima, secunda, tertia ordine suo succederent. Et demum mirum est quod habent de effectu absolutionis, etiam juramenti de futuro jam violati [h]; sive flagellationis poenas sive expiatorias spectes; מי שנשבע שבועת ביטוי להבא ושקר בשבועתו׃ כגון שנשבע שלא יאכל פת זו ואכלה ואחר שאכלה קודם שיביא קרבנו אם היה שוגג או קודם שילקה אם היה מזיד נחם ונשאל לחכם והתירה לו הרי זה פטור מן הקרבן או מן המלקות׃ ולא עוד אלא אפילו בפתוחו ללקות ונשאל והתירו לו קודם שיתחילו להלקותו הרי זה פטור *Cum juraverat quis juramentum futile de futuro, & illud violaverat, ut si juraverat se non comesturum buccellam istam, & comederat; & postquam comederat eam, & antequam obtulerat sacrificium suum, ubi ex errore aut ignorantia reus esset, aut priusquam flagris caesus esset, ubi reus scienter poenituerat, & a sapiente absolutionem impetraverat, is nec ad sacrificium hoc nomine obligabatur, nec flagris obnoxius erat. Imo, quod plus est, si jam flagellandus impetraverat absolutionem, idque priusquam flagellare eum coeptum est, etiam inde liber erat.* Advertendum autem, quae de absolutione sic impetranda dicta sunt, ubi juramenta per legem simpliciter aut similiter, juxta ante memorata, praestita, nec interim pro satis obligantibus habita absolvenda erant, ad vulgus, non ad חכמים *Sapientes* seu presbyteros eorumve discipulos, necessario spectasse. Expressim Maimonides, הנשבע בתורה סתם אם תלמיד חכם הוא אינו צריך שאלה לחכם ואם עם הארץ הוא צריך שאלה לחכם כדי שלא ינהיג קלות ראש בשבועות *Si etiam per legem simpliciter juratum fuisset, sapientis discipulos sic jurantes necesse non erat sapientem de absolutione consulere, quod tamen facere debuit quisque e vulgo sic jurans, ne frequenter nimis temeraria fierent juramenta.* De poena tum forensi tum expiatoria, uti & absolutione juramenti & futilis & vani, dictum est. De eo quod est depositi, flagellationem ad illud non attinuisse aiunt, הנשבע [i] שבועת הפקדון במזיד אף על פי שנשבע לשקר והתרו בו עדים בשעת שבועתו אינו לוקה אלא מביא אשמו בלבד׃ שהרי הכתוב מוציאו מכלל חייבי מלקות וחייבו אשם בין בזדון בין בשגגה *Qui juraverat juramentum depositi scienter, etiamsi pejerasset, nec sine testibus eum praemonentibus tempore juramenti, flagellandus non erat. Sed sacrificium transgressionis ab eo duntaxat offerendum erat. Scriptura enim excipit ejusmodi jurantem e numero flagellandorum, & reum eum facit sacrificii pro transgressione; idque tam ubi ex errore quam scientia pejeraverat. Depositi* nomine nihil continebatur quod erat פחות מפרוטה או משוה פרוטה *minus nummo minimo, aut ejusdem valore*; unde si quis de hoc impetitus cum juramento negaret, liber erat a juramento depositi; sed interim, si falso, juramenti futilis reus.

X. Quod ad testimonii juramentum violatum aut negatum attinet, lege de ea singulari neminem teneri scribunt, ubi petebatur fundus, servus, syngrapha, aut quaestio erat de natalibus sive puris sive inquinatis, seu de re aliqua sive male sive bene gesta, aut similibus, extra causam zelotypiae [k]; sed tantum [l], על כפירת עדות ממון שדומה לפקדון ותשומת יד וגזל ואבדה שפרטן הכתוב בפרשה שהן מטלטלין שגופן ממון וכשיערו זה יתן לזה *ob negationem* seu violationem *testimonii circa rem quae depositi fuerit instar, commodati, surrepti, deperditi, qualia particulatim enumerantur in lege* [m], *& in rebus sunt quae fungibiles dici solent.* Nec locum habuit violati aut negati juramenti hujus lex circa קנס *mulctam*, veluti dupli, quadrupli, quintupli; sed tantum circa קרן seu actionis aut quaestionis *rem principalem.* Atque is cujus intererat rogabat & adjurabat, etiam extra forum, testem ut de re attestanda testimonium suum praeberet, ad quod faciendum ex lege sacra tenebatur. Nec reus hic quis, nisi adjuraretur in lingua ei nota. Juramentum hoc extra casus jam dictos proferens, licet minime testimonii juramenti violati nomine teneretur, nihilominus juramenti futilis juri erat obnoxius. Qui vero juramenti testimonii rite reus erat, illo duntaxat nomine is non juramenti futilis reus habebatur. Nec alia hic poena quam per sacrificium expiatoria; non flagellatio. Testimonio idonei neutiquam fuere quales judiciis impares fuisse superius est ostensum, nec propinquiores. Juramenta jam memorata cuncta, quoties essent in foro delata, solenni nomine vocabantur [n] שבועות הדיינים *Juramenta Judicum,* qui itidem alio interdum, juxta Talmudicorum veterum disciplinam, utebantur, quod שבועה הסרת *Juramentum impositionis* dictum, & gravius erat, & verbis variatim & saepius repetitis sive reo sive testibus sive utrisque delatum, ad extorquendum veritatem; veluti per interrogationum

[h] Maimonid. tract. *Shebuoth*, cap. 6. §. 18. [i] Idem ibid cap. 7. §. 8. [k] Numer. v. 13. [l] Maimon. tract. *Shebuoth* cap. 9. §. 3. & cap. 10. §. 3. [m] Levit. vi. 5. & vide cap. v. 1. [n] Maimon. ibid. cap. 11. §. 4 & 7. & videsis Buxtorf. Lexic. Talmudic. col. 626. & Maimonid. tract. *Toaion Wenitaien*, cap. 1.

&

& poenarum comminationum torturam. Nec tamen hoc nomine *Juramenti Judicum* solenni venire volunt. Carmina fuere in adjurationibus illorum forensibus perquam horrenda, etiam ubi juramentum impositionis non adhibitum. Sed praeter haec juramento huic accessere molestissimae [o] & saepius iteratae variataeque adjurationis formulae, quibus tandem, si fieri posset, veritas erui quiret. Nec dubitandum quin generis hujus juramenta fuerint illa de quibus Jo. Chrysostomo [p] locutus est christianus ille qui foeminam illustrem, etiam christianam, adegerat, Εἰς τὰ τῶν Ἑβραίων εἰσελθεῖν, κἀκεῖ παρασχεῖν ὅρκον περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων αὐτῷ πραγμάτων, *in Ebraeorum* (synedria, veluti quae in Palaestina utraque [q] ipso Chrysostomi tempore fuere; & τὰ ibi τὰ συνέδρια denotare palam est ex sequentibus) *ibique jusjurandum de negotiis sibi controversis praestare.* Hic a Chrysostomo rogatus causam δι' ἣν τὴν ἐκκλησίαν ἀφεὶς ἐπὶ τὰ Ἑβραίων εἷλκε συνέδρια, *ob quam ecclesia relicta eam in Ebraeorum synedria traxisset*, respondet, πολλοὺς πρὸς αὐτὸν εἰρηκέναι, φοβερωτέρους τοὺς ἐκεῖ γινομένους ὅρκους εἶναι, *multos ei dixisse formidabiliora esse juramenta ibi adhibita.* Sed gravissime est hoc nomine a Chrysostomo reprehensus. Atque ita demum juramenta illis erant partim של תורה *ex ipsa lege*, partim של דברי סופרים *ex verbis* seu *disciplina scribarum*, id est sapientum, superinducta, quae itidem in שבועות דאורייתא *Juramenta legis* & שבועות דרבנן *juramenta Rabbinorum nostrorum* discriminantur [r]. Et satis respondent juramentis jam dictis genera illa in jure Caesareo [s] tria, voluntarium, judiciale, necessarium, quod Graecis [t] dicitur ἐπακτὸς ὅρκος, *jusjurandum adactum*, & οὐκ ἐγχώριος, ἀλλ' ἀπὸ ξένης ἐπηγμένος, *non vernaculum* (seu ex jure ordinario seu patrio) *sed aliunde adactum*; quale quidem *juramentum impositionis* magistris dictum. De horum omnium simul poenis ait Maimonides [v], דבר ברור וגלוי שכל הנשבע שבועת הדיינין או שבועת הכת בשקר שיהא חייב משום שבועת הפקדון ואינו לוקה *Juris est exploratissimi, quicunque juraverit juramentum judicum aut juramentum impositionis falso, reum eum esse juramenti depositi* violati; juxta varias ante ostensas ejus notiones, *nec flagellandum esse*, sed sacrificio tantum expiandum. Quantum vero ad forum coeleste seu numinis sanctissimi tribunal, aiunt perjurium & nominis divini abusum ejusmodi omnimodum peccatorum esse gravissimum, utpote cum Dei profanatione communem. Unde Maimonides [x], א"עפ שאין בו לא כרת ולא מיתת בית דין יש בו הילול השם המקודש שהוא גדול מכל העונות *Tametsi neque excisio* divinitus infligenda, *neque moris forensis ei praestituatur, attamen in eo est profanatio nominis sanctissimi, quod peccatorum cunctorum est gravissimum.* Accedit autem de servis, eos juramentis suis de futuro non omnino obligatos esse, quoniam neutiquam in potestate sua ipsi. Idem [y]; עבד שנשבע אין רבו צריך לכפותו · והרי הוא אחר שנשבע כקודם שנשבע · לפי שאין גופו קנוי לו כדי שתחול עליו שבועתו · ונאמר בשבועות לאסור אסר על נפשו מי שנפשו ברשותו יצא עבד שהוא ברשות אחרים · ונמצא זה כמו שנשבע על נכסי אחר *Si servus juraverat* de futuro quopiam praestando, *dominus ejus non obligabatur ad cogendum eum. Et sane ipse ejusdem postquam juraverat conditionis habebatur cujus ante. Quoniam corpus, personam suam, ipse non ita possidebat ut in se juramentum suum praestandum reciperet. Et dici solet de juramentorum obligatione, obligationem esse super ipsos jurantes* seu *animam* [z] *ipsorum*; *quod intelligendum de eo qui sua est in potestate. Excipitur ita servus, quia in aliorum est ille potestate. Et revera juramentum illiusmodi haud aliud erat quam si quis de bonis juraret alienis.* Sed de juramentis eorum, ut & jurandi usu forensi, plura capite proximo.

CAP. XII.

I. *Leges adjurationis forensis sacrae circa res mobiles. Usus in illis juramentorum varius. Testis unicus. Qui ab juramentis, perjurii futuri causa, ut suspecti, arcerentur. Ex lege, de rebus immobilibus seu fundis, servis, rebus sacris, chirographis non jurabatur; quod tamen ex sapientum praescripto fiebat.*

II. *De agendi & excipiendi in causis pecuniariis, seu non capitalibus, formulis.*

III. *De eo quod est judicare seipsum. Phrasis illius apud S. Paulum usus. Patres aliquot christiani se judicantes.*

IV. *Si synedri minores in causis ejusmodi decidendis errarent. Si litigatorum alter ad synedrium magnum litem deduci cuperet. Suffragiorum pars unico major in judicio vincebat. De dissensu inter triumviros vario, & adjectione plurium judicum, per paria, usque ad septuaginta unum.*

Juramentorum singularium disciplina, simul cum generibus judiciorum seu actionum forensium, sic praemissa, ad actionum species ac juramentorum in eis usum devenimus. Judicia pecuniaria seu דיני ממונות partim circa המטלטלין *res mobiles*, surreptas, detentas, partim circa injurias alias ac damnum illatum, & partim demum circa הקרקעות *praedia* seu *fundos* versabantur. Primariae circa res mobiles erant leges illae [a], de furto, & quintupli & quadrupli & dupli compensatione; & dein, *Si quis dederit proximo suo pecuniam aut vasa quae custodiat, & surrepta fuerint de domo viri illius, si inventus fuerit fur, reddat duplum. Et si fur non fuerit inventus,* נקרב בעל הבית אל האלהים אם לא שלח וגו' *accersatur* seu *applicabitur dominus domus ad*

[o] Gemar. Babylon. tit. *Shebuoth*, cap. 6. fol. 39, 1. *Baal Aruch* in רסח & Maimonid. tract. *Shebuoth*, cap. 11. [p] Orat 1. adversus Judaeos. [q] L. 17. C. tit. De Judaeis. [r] Gemar. Babylon. tit. *Shebuoth*, cap. 6. fol. 41, 1. [s] L. 1. D. tit. De jurejurando. [t] Hesychius, Suidas, Zenobius, in Ἐπακτός. [v] Tract. *Shebuoth*, cap. 11. §. 20. [x] Ibid. cap. 12. §. 2. [y] Ibidem. §. 6. [z] Vide Athanasii Juramentum, supra § 6. [a] Exod. xxii. 7.

judices, ut sciatur *utrum ipse misit manum suam in rem proximi sui* (Graeci, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἢ ὀμεῖται, *coram Deo, & jurabit*; Vulgata *ad Deos* (ita judices Israelitici dici soliti) *& jurabit*; unde Duacenses ibi alibique, to the gods, quemadmodum etiam Henricus Ainsworthus; Arabes & Syrus, *ad judicem*; Chaldaei, Judaei Hispanienses, Graecobarbari, alii passim, *ad judices*) *Et super omni re iniqua, propter bovem, propter asinum, propter ovem, propter vestem, & propter omnem rem perditam* אשר יאמר כי הוא זה *quam quis dixerit hoc esse* (quibus verbis *quam quis*, &c. in Vulgata nihil respondet. Quid enim ad illa, *& quicquid damnum inferre potest*, quod ibi injicitur? Sed pro illis varia apud interpretes habentur. Graecorum alii ὅ, τι ἂν ἂν ᾖ, *quicquid igitur illud sit*, alii, ὅ, τι ἐὰν ὀμῇ, *quando jurandum fuerit*; Onkelos, די יימר ארי הוא דין quod in regiis pressius vertitur, *qui dixerit quod haec est*; a Paulo Fagio, *de qua quis dixerit quod apud illum sit*; Uzielides sic dictus, ומי כד יימר ארום הוא דין וכד משתכחא גניבותא בתר כן ביד גנבא *jurabit quando dicet quod hoc sit, & quando inventum fuerit furtum postea in manu furis*; Arabs Erpenianus, seu Judaei Mauritanienses, ان يقول ان هو هذا *cum dixerit quod hoc sit*, aut *quod is sit*; Saadias Gaon, ان يقول هذا هو, Codex MS. Arundellianus, يقول ان هذا هو idem significantia; Jaianus, يقول هذا هو لي *dixerit hoc esse meum*; Judaei Hispanienses, *que dixere que el este*; Galli, *la quelle quelcun dira estre siene*; uti & Anglicana nostra publica; Ainsworthus, which he shall say that this is he) *ad judices* (*Deum* & *Deos* habent Graeci & Vulgata, ut ante & post) *perveniat causa utriusque: & quem damnaverint judices, is reddat duplum proximo suo. Si quis dederit proximo suo asinum vel bovem, vel ovem, aut quodcunque jumentum in custodiam, & illud mortuum fuerit, aut confractum, aut captum* (Vulgata, *ab hostibus*) *nemine vidente, erit* שבועת יהוה *Juramentum Domini inter utrumque* (Graeci, ὅρκος ἔσται ἐκ τοῦ Θεοῦ ἀνὰ μέσον ἀμφοτέρων. Vulgata, *Jusjurandum erit in medio*) *quod non extendit manum suam in rem proximi sui, & dominus rei accipiet* (juramentum; quod cum Chaldaeis expressim addit Vulgata) *& ille non restituet. Et si furto surreptum fuerit ab eo, restitutionem faciet domino suo. Si lacerando lacerata fuerit* (a bestia) res, יביאהו עד הטרפה לא ישלם *adducat is testem, laceratum non restituet* (ubi Hierosolymitani, *si occidatur*, ייתי ליה מן עיבריו סהיד קטילא לא ישלם *adducat ex membris ejus in testimonium occisionis, nec restituet*; Onkelos ייתי סהדין ותביר לא ישלם Fagius vertit, *adducat testes, & quod confractum est non restituet*; Regii, *afferet quod dilaceratum est in testimonium, & non restituet*; Chaldaeus alter, *si lacerata fuerit* מן חיות ברא מייתי ליה סהדין או ימטיניה עד גופא דתיבר לא ישלם *a fera agri, afferat ille testes, aut venire faciat eum usque ad corpus laceratum, nec restituet*; Graeci in Complutensi, regia, Brilingeriana, aliis aliquot, Ἐὰν δὲ θηριάλωτον γένηται, ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θύραν, καὶ οὐκ ἀποτίσει, *Si a fera captum fuerit, adducet illum ad ostium, nec restituet*; sed nihil in origine respondet τῷ ἐπὶ τὴν θύραν. In aliis autem legitur ibi ἐπὶ τὴν θήραν, *ad bestiam*. Sensus mirus! Sed ita Hervagiana, etiam & Romana. Syrus & Arabes de lacerato ipso in testimonium adducto loquuntur; uti & Judaei Hispanienses, *traera testigo la arrabatada.*) *Si quis* (ita pergit lex sacra) *postulaverit a proximo suo, & id confractum fuerit, vel mortuum, dominusque non fuerit praesens, reddendo reddet. Sin dominus ejus praesens fuerit, non reddet. Si conductitium fuerit, venit pro mercede sua.* Jam vero ad haec Maimonides [b], juxta Talmudicos vetustos, הטוען את חבירו במטלטלין והודה לו במקצת ה"ז משלם מה שהודה בו ונשבע על השאר מן התורה שנאמר אשר יאמר כי הוא *Cum quis actionem instituerat in alium de rebus mobilibus* (quales illae, dignoscetur ex eis quae e generali hic nomine hoc mox excipiuntur) *& reus de parte fassus esset, pars ea actori restituenda. Sed de reliquo quod non confitebatur reus, ei jurandum erat ex lege, secundum illud* [c], *Quam quis*, aut *cum quis* reus *dixerit hoc esse*; veluti, actionem partim bene fundari, seu partem jure petitam. Ita etiam, si rem petitam omnino negaret, & testem haberet actor unicum, jurabat reus ex lege. Ubi observat, שעד אחד לכל עון ולכל חטאת אינו קם אלא קם הוא לשבועה *Testem unicum, licet generatim is non admittatur, admitti tamen ita ut ad juramentum quis adigatur*, illius causa. Et dein ille. אין לך מחוייב שבוע מן התורה *Ex lege ipsa nullus juramento* (forensi, ut reus) *obnoxius erat exceptis tribus*, מי שהודה במקצת המטלטלין ומי שחייבו עד אחד והשומר, שהרי נאמר בשומר שבועת ה' תהיה בין שניהם *Qui de parte rei mobilis petitae confitebatur, qui reus fiebat per testem unicum, & custos; nam de eo dicitur* [d], *Juramentum domini erit inter utrumque.* Atque horum quilibet, re juramento negata, נפטר מלשלם restitutione absolvendus erat. Fuit autem aliorum juramentorum in foro rem definientium, in actionibus, de rebus mobilibus, aliisque, veluti in locationibus, conductionibus, pignoratitia, aliis, usus, qui non ex lege ipsa natus est, sed מן התקנת חכמים *ex ordinatione sapientum*, seu מדברי סופרים *e verbis* seu *praescriptis scribarum*, & כעין של תורה *quasi ex lege*, seu ejusdem imitatione, ortum obtinuit. Et ex jure simili in actionibus ejusmodi reliquis, ubi legis juramentum ex sui natura, juxta ante ostensa, locum non habuit, inolevit ut juramento superius dicto *impositionis* res decideretur. Si jurare recusaret juramenti ex lege reus, res petita e bonis suis exigebatur. Si ita, qui ex sapientum ordinatione reus esset, excommunicabatur & vapulabat. A reo interdum deferebatur juramentum actori, sed haud aliud quam illud quod הסת *Impulsionis* vocatum. Sed vero temperamenta hic adjicienda. Non omnes pariter ad juramenta sive lege sacra sive sapientum scitis fundata, licet alias eis obnoxii, admittebantur. Quisquis החשוד על השבועה pro *suspecto de ju-*

[b] Tract. *Toain Wenetaien*, cap. 1, &c. & videsis Talm. Babylon. tit. *Baba Metzia*, cap. 1. fol. 3. & 4. [c] Exod. xxii. 9.
[d] Ibid. comm. 11.

ramento haberetur, de quo ſcilicet ſuſpicio merito orta eſſet eum pejeraturum, adjurandus neutiquam erat ; nec quidem etiamſi id efflagitaret actor. Et quiſquis ante falſo juraſſet juramentum, ſive futile, ſive vanum, ſive depoſiti, ſive teſtimonii, (modo teſtibus perjurii convictus eſſet) ſuſpectis hujuſmodi connumerabatur, uti & quiſquis פסול לעדות *Teſtimonio ferendo* ob infamiam impar eſſet, juxta ſuperius dicta de eis qui judiciis arcebantur. Et qui pro ſuſpecto ſic haberetur, nomen illud non exuebat uſque dum ex ſententia forenſi vapularet, & dein poeniteret : Poſtea vero יחזור לכשרותו *in conditionem rediit rectam.* Cauſis autem in ejuſmodi ſi juraret actor, res petita ei reddebatur. Etiam ſi, poſtquam judicium ſecundum jurantem latum eſſet, teſtibus quis redderetur ſuſpectus qui juraverat, reſcindebatur judicium. Adeoque ſi, poſtquam juramento quis petitum negaverat, teſtibus adductis probaretur eum falſo juraſſe, & in ſuſpectis numerabatur & reſtitutioni erat obnoxius. Nec quis pro eo qui de parte tantum rei petitae faſſus eſſet rite ſumebatur, niſi faſſus eſſet בפרוטה או יתר ויכפור בשתי מעין כסף או יתר *de prota,* minutulo nummulo ſic dicto, ſeu nummuli pretio, *& negaſſet de duobus obolis argenteis, aut eo quod plus erat.* De nummulorum illorum valore ſcriptores obiter qui de nummis Ebraicis [e]. Hoc ex ſcitis ſuperinductis invaluit, licet adjurandi ex lege, juxta jam dicta, reliqui etiam de *prota* negata jurarent, & generatim fuerit receptum, שכל פחות מפרוטה אינו ממון ואין בית דין נזקקין לו *quod prota minus eſſet, illud pro pecunia haud haberi, nec forenſem ejuſdem eſſe rationem ullam.* De more circa haec judiciario compluria habet ſatis ſubtilia Maimonides. Ex rebus mobilibus quarum in cauſis ſic juramenti uſus erat excipiebantur aliquot etiam revera mobiles. Adeoque ad ſic exceptas & fundos ſeu praedia ſeu res immobiles juramentum ejuſmodi haud ex lege attinuit. Res illae fuere [f] ſervi, inſtrumenta ſeu chirographa, והקדשות *& res ſanctae.* Harum aliqua petita, ex lege non adhibebatur juramentum. Scilicet aiunt, id quod dicitur [g], *Si dederit quis proximo ſuo* excludere res ſacras, *pecuniam* ſeu argentum & ibi reliqua excludere fundos, uti & ſervos, שהוקשו לקרקעות *quoniam parilis eſt eorum cum fundis ratio.* Atque chirographa excludebantur, שאין גופן ממון *quoniam ex ſui natura neutiquam* pro pecunia ſeu bonis habita, ואינן אלא לראיה בהן *nec alius eſt eorum uſus quam ad probationem.* Sed interim in fundorum & ſervorum & chirographorum cauſas ſapientes ſuperinduxere juramenti impulſionis uſum ; uti etiam in cauſam ſacrorum juramentum inſtar illius a lege praeſcripti a reo praeſtandum. Adjurandus non erat ſurdus, fatuus, minor, ut reus.

II. Cum mutui condictionem, actionem depoſiti, furtive, aliamque ejuſmodi quis inſtituebat (quod tam ore tenus quam ſcripto legitime fieri potuit) ſi reus exceptione hujuſmodi uteretur, איני חייב כלום *Non omnino reus ſum,* ſeu אין לך בידי כלום *In manu mea,* ſeu *apud me, nihil omnino tui eſt,* ſeu שקר אתה טוען *Mendax es tu actor,* admitti noluere ſynedri ejuſmodi exceptiones ut ſatis legitimas, ſed reum adigebant ut reſponderet de facto ipſo ab actore edito, veluti, *Mutuo hoc non accepi, depoſitum illud non recepi, id furatus non ſum.* Neque generale illud exceptionis genus adhibendum voluere, ne reus cauſam ipſam non ſatis intelligens pronius in perjurium delaberetur. Eodem modo actori uſurpanda erat expreſſa actionis cauſa, ut depoſiti, mutui, furti ; nec ſufficiebat dicere, *Eſt apud N. bos meus, ovis mea, pecuniae meae mina.* Actionis enim cauſa ſynedris erat indicanda. Actionis formulam aliquam mutare pro libitu potuit actor [h] antequam teſtes adducerentur ; non poſt, niſi אמתלא ſeu *probabilem cauſam* ſeu veriſimilem oſtenderet cur ſic alia uteretur, nec e foro exiret priuſquam ſecundam exhiberet. Scilicet שמא אנשים רעים ילמדוהו טענות של שקר *ne mali homines,* ſi diſcederet, *docerent eum rationem falſas inſtituendi actiones.* Quoties autem injuriarum actiones, haereditatum, praediorum vendicationes, id genus reliquae lites inſtituerentur, ſimiles adhibebantur formulae tam agendi quam excipiendi, teſteſque adducendi, juxta ante dicta.

III. Aiunt autem [i], עביד איניש דינא לנפשיה אפילו במקום דליכא פסידא דנכסיו *Rite homo judicabat ſeipſum (in ſeipſum legitimum ferebat judicium) etiamſi bona ſua non minuerit.* Id eſt, ubi quis ſive actor ſive reus futurus ferret in aut de ſe ſententiam, quam & adverſario enarraret, ſive in ſententia illa commodum aliquod praeſtitueretur in compenſationem adverſario, ſive nullum, properare ei neceſſe non erat ad forum, ſed ſi poſtmodum rite accitus ſe ſiſteret, & ſententiam ſuam, ut in aut de ſe latam, ſynedris oſtenderet, אין סותרין את דינו *non oppugnabant* aut *reſcindebant ſententiam ejus.* Quod tamen ita temperatum ; אם יש בידו כח הואיל וכדת וכהלכה הוא עושה *modo facultas ei eſſet, ita ut juxta leges & mores receptos faceret.* Forte ex more hoc legitimo judicandi ſeipſum ortae ſunt locutiones aliquot S. Pauli, ſummi inter Judaeos chriſtianoſque ſui temporis theologi & juriſconſulti. Vox illa ſingularis αὐτοκατάκριτος *a ſeipſo damnatus* ei uſurpatur [k]. *Et beatus,* inquit [l], ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει, *qui non judicat* (damnat) *ſeipſum in eo quod probat.* Alibi item [m], ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω, οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα, *ſed neque meipſum judico: nihil enim mihi conſcius ſum.* Quaſi ſui ipſius judicium res fuiſſet notiſſima. Cui quidem neceſſario praevium erat illud [n], Δοκιμαζέτω ἄνθρωπος ἑαυτόν, *Probet ſeipſum homo.* Exempla etiam ſunt judicandi ſeipſum in eis quae libro ſuperiore de excommunicando ſeipſum afferuntur. Etiam & ejuſmodi uſus in chriſtianiſmo reperitur. Nam tametſi plerumque in ſynodis chriſtianis haereticorum damnatorum eorumque ſequacium poena eſſet excommunicatio & anathematiſmus, iſque a pleriſque in alios

[e] Et videſis Maimonidem Tract. *Toaion Wenetaien,* cap. 3. §. 1, &c. [f] Maimonides Tract. *Toaion,* cap. 5. [g] Exod. xxii. 7. [h] Idem ibid. cap. 7. §. 8. [i] R. Nachman tit. *Baba Kama,* cap. 6. in Talm. Babylon. fol 27, 2. Maimonides Tract. *Sanhedrin,* cap. 2. §. 12. & vide eum ibi, cap. 10. §. 8. [k] Ad tit. 3, 11. [l] Ad Rom. xiv. 22. [m] 1 Corinth. iv. 3. [n] Ibid. cap. xi. 28.

ſic

ſic pronunciatus & ſubſcriptus, aliqui nihilominus patres non in alios ſubſcribendo poenam illam pronunciabant, ſed ſeipſos tantum illorum communione ſententia privabant. Exemplum habetur in concilio Epheſino [n], ubi Acacius Melitenae epiſcopus Neſtorium ſubſcriptione damnans, *Rejicio*, inquit, *ut impia, dogmata ejus*, ἀλλότριον ἐμαυτὸν τῆς τῶν τοιαῦτα φθεγγομένων κοινωνίας ποιῶ, ſeu κρίνων, *meque ipſum ab illorum qui talia proloquuntur communione alienum eſſe facio* ſeu *judico*. Paulo poſt etiam ibi Euoptius Ptolemaidis epiſcopus, ἀλλότριον ἐμαυτὸν καὶ τῆς κοινωνίας αὐτοῦ καὶ πάντων τῶν τὰ αὐτὰ φρονούντων αὐτῷ καθίστημι, *Alienum meipſum a communione tum illius tum omnium ejus diſciplinam amplexantium conſtituo.* Ejuſmodi ſunt alia, nec tamen adeo obvia. Jure quidem Caeſareo ſcimus expreſſim inhiberi, ne quis in ſua cauſa judicet vel jus ſibi dicat; qua de re titulus eſt & lex unica in utroque Codice [o], in Baſilica [p] etiam recepta & obſervari ſolita. In MS. meo Codice Theodoſiano legitur *ad Baſſum ppo* (puto pro *praefectum praetorio)* pro eo quod eſt in editis *ad Graecum*, & in Juſtinianeo *ad Gracchum.* Item poſterior legis pars illic, *Cum enim omnibus in ſe propriam dicendi facultatem jura ſummoverint, iniquum admodum eſt, licentiam ſententiae dandae tribuere. Data kal. Decemb. Valente & Valentiniano Auguſtis conſulibus.*

IV. In cauſis civilibus, non capitalibus, ſi plane erraſſent ſynedri, ipſi ſe conſcii corrigebant [q], & ſecundum jus receptum, id eſt, כהלכה, inſtaurabant judicium, &, ubi fieri potuit, rem male judicatam reſtituebant. Ubi in urbe aliqua alibive actor & reus eſſet qui נתעצמו בדין *litem ſuam utrinque graviorem validis aſtruerent rationibus*, id eſt, quorum cauſa ſententiae ferendae erat idonea, ſed difficilis, licet eorum alter poſtularet ut potius ad ſynedrium magnum eam in judicium deducerent, ne ſcilicet ſynedri illi minores forte errarent, poſtulatio ejuſmodi, extra caſus aliquot ſtatim oſtenſos, nihili habebatur: Sed parendum erat ſynedris illis. Etiam poſtulanti litigatori rationem ſententiae in ſcriptis, ea concedebatur. Sed vero, אם הוצרך לשאול דבר מבית דין הגדול שבירושלם כותבים ושולחין ושואלין ודנין להם בעירם כפי מה שיבא בכתב בית דין הגדול: *Si opus erat ut conſuleretur in re aliqua ſynedrium magnum illud Hieroſolymitanum, per literas & nuncium id faciebant, & ſententiam ferebant in urbibus ſuis juxta id quod in ſcriptis acciperent a ſynedrio magno.* Jam dicta vero ita temperabantur ut, ſi in condictione ex mutuo actor diceret נלך לבית דין הגדול כופין את הלוה ועולה עמו שנאמר עבד לוה לאיש מלוה: *Adeamus ſynedrium magnum, cogerent reum ut aſcenderet cum illo, ſecundum illud quod ſcriptum eſt* [r], *Qui mutuo accipit ſervus eſt ei qui mutuo dat.* Ita etiam, ubi reus ſibi rem alienam contrectatam vindicaret, actorque vellet ad ſynedrium magnum litem deduci, cogebant ſynedri minores reum illuc etiam aſcendere. Et parile jus in aliis ſimilibus uſitatum. Adeoque appellatione interlocutoria ad ſynedrium magnum ſic uti illis fas erat. Quae ſic intelligenda, ut lis tunc tantum ad ſynedrium magnum ita deducenda eſſet quando teſtes aliaeve probationes praeſto eſſent: Alias enim juramento tantum res finiebatur. Atque obtinuit ut etiam, ex diſciplinae ſuae ejuſmodi vetuſtioris imitatione, ubique alienas per terras in condictione ex mutuo apud qualeſcunque ex Ebraeis inter ſe judices, אם אמר המלוה נלך למקום פלוני שבארץ פלוני לפלוני ופלוני הגדול ונדון לפניו בדין זה שכופין את הלוה והולך עמו וכן היו מעשים בכל יום בספרד: *Si dixerit actor, Eamus ad locum N. qui in terra N. ad N. & N. virum magnum* (ex eis qui inter eos judiciis praeficiebantur) *& judicemur coram eis in hac lite, cogant reum ut cum illo abeat. Atque ita fieri ſolitum quotidie in Hiſpania.* Sic Maimonides. Quod ad ſynedrorum demum in ſententiis ferendis numerum attinet, ubi diſſidebant [s], בדיני ממונות מטין על פי אחד בין לזכות בין לחובה *in cauſis pecuniariis*, non capitalibus, *unico pars major praeponderabat ſive ad condemnandum ſive ad abſolvendum*; ſeu הולכין אחר הרוב *pars major praeponderabat* in judiciis ejuſmodi. Atque hoc aiunt fundari lege ſacra [t] illa quam, aliquoties ante citatam, interpretantur quaſi ejuſdem verba illa אחרי רבים להטות *de poſt plures inclinando* tantundem in cauſis hujuſmodi praecepiſſent. Unde explicat Maimonides, בד"א בדיני ממונות ובשאר דיני אסור ומותר וטמא דטהור וכיוצא בהן *quod intelligendum de judiciis pecuniariis & reliquis judiciis circa ligatum & ſolutum ſeu vetitum & illicitum verſantibus, & circa mundum & immundum, & ſimilia*; quod aliter obtinuiſſe in judiciis capitalibus ſuperius eſt oſtenſum, in quibus major pars ut binis alteram ſuperaret opus erat. Et כל אלו הדברים inquit Maimonides, קבלה הם *& omnia haec dicta ſunt cabaliſtica*, ſeu per cabalam a ſeculis vetuſtiſſimis tradita. In judiciis triumviralibus ſi unus abſolveret, alter damnaret, & tertio non liqueret, aut ſi bini ſive abſolverent ſive damnarent, & tertio non liqueret, bini judices alii adjiciebatur. Et parilis ratio erat inter hoſce quinque qui ſi ſimiliter diſſentirent, bini itidem adjiciendi. At vero ſi horum quatuor ſive abſolverent ſive condemnarent, & quinto non liqueret, aut ſi tres abſolverent, unus damnaret, & alteri non liqueret, הולכים אחר הרוב *pars major praeponderabat*, & juxta eam ſententia erat ferenda. Si bini abſolverent, totidemque damnarent, & tertio non liqueret, adſciſcebant ſibi binos alios: quod etiam, ſi ratio, ejuſmodi ob diſſenſum, poſtularet, iterandum erat uſque ad ſeptuaginta unum, ſeu numerum ſynedrii magni. Cum illo perventum eſſet, ſi triginta quinque damnarent, totidemque abſolverent, & unico non liqueret, cum hoc illi agebant ut in partem alteram ſe rite perſuaſus conjiceret; ואם לא חזר לא הוא ולא אחד מהן הרי הדבר בספק ומעמידין את הממון בחזקת בעליו: *Et ſi non ſententiam mutaret nec ipſe nec alius quiſquam ex alterutra parte, cauſa plane in dubio reſtabat*, & velut interdicto, utri poſſidetis, aut utrubi, res ab illis ſopiebatur. Nec quis tenebatur rationem aliquam reddere cur ſibi non liqueret.

[n] Part. 2. pag. 188. edit. Bin. 1618. [o] C. Theodoſ. lib. 2. tit. 2. C. Juſtinian. lib. 3. tit. 5. [p] Lib. 7. tit. 3. §. 22. [q] Maimonid. tract. *Sanhedrin*, cap. 6. [r] Proverb. xxii. 7. [s] Miſna tit. *Sanhedrin*, cap. 4. Maimonid. tract. *Sanhedrin* cap. 8. [t] Exod. xxiii. 2.

CAP. XIII.

I. *De judiciis capitalibus. Eorum usus haud legitimus in minoribus synedriis, ubi magno, in templo, locus non esset. Horum in nonnullis & civilium discrimina. Maimonidis editiones aliquot emendatae.*

II. *Mirandum, de praemonitione actionibus capitalibus eisque in quibus verberum poenae usus necessaria; seu de juris aut facti ignorantia praesumpta.*

III. *Testimonia; absolutio; condemnatio. Confessio. Inebriatio. Exsecutio. Morte plectendum anteibat praeco clamitans. Saepius in synedrium ad novum judicium subeundum reducebatur damnatus. Foemina gravida. Plectendi sacra. Ad quosnam potissimum spectaret ipsa exsecutio. Si damnatus morte fugiens alio in synedrio sisteretur.*

IV. *Poenarum capitalium genera. Formulae ad eas spectantes.*

V. *Quinam lapidandi, comburendi, gladio feriendi, strangulandi.*

VI. *De poena verberum forensi. Modus ejusdem. De famae restitutione post flagellationem.*

VII. *Regulae juxta quas transgressoribus verbera, ex disciplina recepta, infligi solita. De singulari eorum poena qui tertio, eodem in genere flagellis plectendo, quod excisioni obnoxium esset, transgrederentur.*

VIII. *Numerus eorum qui flagellis, juxta legis sensum, puniendi,* CCVII. *De aliis ita puniendis ex jure superinducto.*

IX. *De poenae flagellationis fustigationisque apud alias gentes, Romanos veteres, Graecos, Mahumedanos, Sinenses, frequentia.*

X. *Miscellanea de judiciis synedrorum tum capitalibus tum civilibus. Suffragia, sententiae definitivae, singularia nec ab ipsis divulganda, nec ipsis litigatoribus cognoscenda. Mortis & verberum poenae, uti & aliae, ex jure superinducto. Ministrorum seu lictorum synedrii existimatio & fides. De excommunicationis forensis ritu nonnulla. Exsilium.*

XI. *Genera decem eorum qui in testimonium a synedriis neutiquam recipiendi; foeminae; servi; minores; fatui; surdi, quibuscum copulantur muti; caeci; impii; impudentiores, propinqui; falsi seu perjurii rite convicti. Et de testium falsorum poena, seu talione. De testimonio pontificis maximi.*

XII. *De Philonis libello de judice. Monitum ejus de consulendis in judiciis difficilioribus pontifice & sacerdotibus.*

QUAE ad judiciorum capitalium formulas spectant, habentur obiter aliquot in superioribus. Usum autem horum haud legitimum admittunt [v] fuisse in synedriis vigintitriumviralibus ullo tempore, nisi in quo synedrio magno aut locus esset aut considendi libertas in conclavi illo lapideo, seu *Liskat hagazith*, ei Hierosolymis, in templo, proprio; qua de re plura inferius, ubi de continuatione agitur. Sed mirum forsan videatur quod tradunt [x], סנהדרין שפתחו כולם בדיני נפשות תחלה ואמרו כולן חייב הרי זה פטור עד שיהיו שם מקצת מזכין שיהפכו בזכותו וירבו המחייבין ואחר כך יהרג. *Si synedrium totum* (simul omnes synedri) *in capitalis actionis initio, ut unanime, reum damnaret, is liber erat,* seu *velut absolutus, usque dum aliquot eorum eum absolvendum velle saltem visi oppugnarent eos qui damnarent. Postmodum vero,* nec ante, *morte plectendus erat.* Sed sensus est; in judiciis capitalibus ita fuisse synedris deliberandum discutiendumque ut non sine agitatione in utramque partem causae praevia, argumentisque tam de innocentia quam de facinore allatis, sententia capitalis ferretur. Quod sane satis humanum. In amplioribus aliquot splendidioribusque Maimonidis editionibus legitur hic סנהדרין גדולה שפתחו וגו׳ *si synedrium magnum,* &c. quasi periocha illa ad magnum tantum attinuisset. Et quidem periochae proxime sequentis initium est סנהדרי קטנה *synedrium minus.* Unde forsan גדולה *magnum* velut antecedenti proprium perperam natum est. Neque enim in vetustissima ejus editione illud legitur, neque in illa quae cum *Ceseph Misna* prodiit, neque in codicum MS. quibus utor alterutro גדולה ibi habetur, uti nec in Gemara Babylonia [y], unde illud hausit Maimonides. Et quod sequitur de קטנה *minore* synedrio, necessarium erat ut illud sic nominaretur, quoniam dissentientium invicem suffragiorum numerus in judiciis capitalibus, juxta vigintitriumviralem constitutionem ibi, secundum ea quae superius [z] memorantur, ejusque incrementum simul ad septuaginta unum, si res postularet, explicatur. Sed incrementi ejusmodi nullus erat in synedrio magno usus, ut & ibi monet Maimonides [a]. Synedrium qui ideo calculum in judicio capitali tulit quod in absolvendo damnandove sequax tantum esset alicujus collegarum suorum, nec ex sententia sui sibi rem dirimere posset, dicebant [b] violare legem illam sacram [c], לא תענה על ריב לנטות *Non respondebis in causa ut declines,* ubi Onkelos, לא תתמנע מלאלפא מה דבעינך על דינא *neque intermittas* seu *desi-*

[v] Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin,* cap. 7. Maimonid. tract *Sanhedrin,* cap. 11. § 12. [x] Maimonides tract. *Sanhedrin,* cap. 9. [y] Ad tit. *Sanhedrin,* cap. 1. [z] Cap. 5. § 2. [a] § 3. [b] Maimonides tract. [illegible] cap. 10, 11, &c. [c] Exod. xxiii. 2. ubi tantundem *Meciltha.*

nas docere quod tibi videtur in judicio. Qui, dum causa capitalis ventilabatur, absolvendum reum voluerat, in adversam partem transire nequibat ante ipsam sententiam prolatam. Tunc enim licuit. Etiam si moreretur aliquis qui absolvendum, inter ventilandum, vellet, suffragii ejus ratio habebatur perinde ac si loco suo sederet. Suffragia inibantur מצד *a latere* seu a postremis & deinceps, non a primo seu principe; quod aliter obtinuit in causis civilibus [d]. Si quis מן התלמידים *ex discipulis* (forte eis qui ordines illos vigintitriumvirales conficiebant) profiteretur se posse ostendere reum damnandum, משתקין אותו *silentio eum cohibebant*; si vero absolvendum, מעלין אותו עמהן לסנהדרין· אם יש ממש בדבריו שומעין לו ואינו יורד משם לעולם ואם אין ממש· בדבריו אינו יורד משם כל היום כולו: *Ascendere faciebant eum secum in synedrium; ubi si promissum praestitisset, eum sequebantur, nec inde illi omnino erat discedendum; etiam si promissum non praestitisset, non ei discedendum erat toto illo die.* Si ita errassent synedri ut satis jam cognoscerent se capitaliter damnatum absolvere debuisse, judicium suum rescindebant ipsi; non itidem, si absolutum rescissent fuisse damnandum, nisi in causis ex ipsa lege sacra plane capitalibus, seu [e] בדבר שמודין בו הצדוקין *in re aliqua quam etiam agnoscerent Sadducaei*, quibus lex sacra recepta, sed non traditiones & jura superinducta. Atque ita interpretantur illud suum Talmudici, *In judiciis capitalibus*, מחזירין לזכות ואין מחזירין לחובה *redeunt* (priorem rescindendo sententiam) *ad absolvendum; nec tamen sic redeunt ad condemnandum.* Causae civiles rite terminabantur sive interdiu sive nocte, eodemque die qualicunque, excepta tamen, ex majorum institutis, feria sexta, qui sabbatum praecessit. At capitales tantum interdiu tractabantur in absolutionem, sed non, ante crastinum saltem, in condemnationem, לפיכך אין דנין דיני נפשות לא ע"ש ולא ערב י"ט שמא יתחייב ואי אפשר להורגו למחור *Adeoque non judicabant* seu *agitabant causas capitales pridie sabbati & pridie diei alicujus festi, ne, si forte damnandus foret reus, morte nequiret die crastino plecti.* Custodiae igitur reo interim tradito, feria prima seu proxima post festum, non sacra, causa inchoanda. In suffragiis circa causas pecuniarias, & quae ad munditiem & immunditiem attinebant, ineundis, pater & filius & magister & discipulus pro binis generatim habebantur. Atqui in capitalibus, etiam & ubi verbera infligenda, & neomeniae sanctificatione & intercalatione anni, pater & filius pro unico numerabantur, uti & magister & discipulus.

II. Non rite quis in judicium capitale, aut illud quo flagellatione reatus luendus esset, deducebatur, nec facinori poena alias debita afficiendus erat, citra התראה *praemonitionem* [f], qua innuunt, reum hoc nomine in jus vocatum non condemnandum nisi de lege ipsa, in quam peccaverat, ita ante praemonitus fuisset ut satis sciret se pro reo habendum fore. Aliter ob praesumptam juris ignorantiam absolvendus erat. Quod quidem in causis capitalibus universis obtinuit, praeter unicam illam, ex lege sacra [g], de seductore. Maimonides, המסית אין דינו כשאר דיני נפשות מכמינין לו את העדים ואינו צריך התראה כשאר הנהרגים *Seductoris judicium discrepat ab aliis judiciis capitalibus. Plures in eum afferuntur testes, neque necesse erat ut praevia ei esset praemonitio, ut in causis caeteris, ubi reo mors immineret.* Nec capitaliter accusatum in jus rapi voluit synedrium, nisi qui accusarent ipsi eum rite praemonitum fuisse asseruissent. Et Maimonides, אחד תלמיד חכם ואחד עם הארץ צריך התראה שלא נתנה התראה אלא להבחין בין שוגג למזיד שמא שוגג היה: *Jus parile est discipuli sapientis & cujuscunque e vulgo. Utrisque necessaria est praemonitio. Quae non aliam ob causam introducta est, quam ut discerni posset inter sponte patratum & patratum ex ignorantia* sive juris sive facti, *ne scilicet ex ignorantia reus poena plecteretur forensi.* Formula praemonitionis hujusmodi erat. Dicendum erat facinus patraturo, פרוש או אל תעשה שזה עבירה היא וחייב אתה עליה מיתת ב"ד או מלקות *Abstine, aut minime fac, quoniam transgressio est hoc cujus nomine sententiae synedrii capitali obnoxius eris, aut verberum* seu *flagellationis poenae* Et אם פירוש פטור וכן אם שתק או הרכין בראשו פטור ואפילו אמר יודע אני פטור עד שיתיר עצמו למיתה ויאמר על מנת כן אני עושה ואחר כך יהרג: *Si abstineret*, (id est, si eum abstinuisse ex praemonito dixerant praemonitionis testes) *absolvendus erat; uti etiam, si taceret* [h], *aut ex vultu ejus judicium captarent; imo etiam, si respondisset, scio ego. Liber hic erat usque dum etiam morti seipsum ipse permitteret, & diceret, Ideo faciam. Et tunc morte erat plectendus.* Adjicit, וצריך שיעבור ויעשה תכף להתראה כתוך כדי דבור אבל אחר כדי דבור צריך התראה אחרת: *Oportuit etiam ut transgrediendo rem patraret statim post praemonitionem, & dum ea verba fierent. Postmodum enim patrato facinori alia necessaria erat praemonitio.* Sed vero si adeo [i] esset praefractus ut praemonitionibus pluribus non omnino obediret, morte tandem mulctabatur: A tertia scilicet praemonitione, juxta morem puniendi eos qui verberibus obnoxii tertio eadem in causa rei peragerentur; de quibus mox itidem dicetur. Neque ex confessione propria [k] quisquam sine testibus morte mulctandus.

III. Testes seu accusatores, qui in idem quasi apud eos recidebant, gravissime hortabantur in actionibus capitalibus synedri ne homicidio se agendo temere implicarent. Exhortationis formulam habent [l] bene prolixam, in qua de discrimine judiciorum civilium & capitalium monebant, דיני ממונות אדם נותן ממונו ומתכפר לו דיני נפשות דמו ודם זרעו תלויין בו עד סוף כל העולם: *In judiciis pecuniariis* seu *civilibus fas esse homini res suas pro libitu disponere, idque innocenter; sed in judiciis capitalibus sanguinem ejus*, actoris & testis, *posterorumque eorum inde pendere usque ad finem mundi:* Et Caini exemplum memorabant. Et dein, לפיכך נברא אדם יחידי בעולם ללמד שכל המאבד נפש אחת מן העולם

[d] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 4. Maimonides locis citatis. [e] Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 33, 2. [f] Maimonid. tit. *Sanhedrin*, cap. 11, 12. [g] Deut. xiii. 6. [h] Vide etiam Maimonidem tit. *Sanhedrin*, cap. 18. §. 5. [i] §. 7. [k] Maimonid. tit. *Sanhedrin*, cap. 18. §. 6. [l] Maimonides tract. *Sanhedrin*, cap. 12, 13.

מעלה עליו כאילו אבד עולם מלא וכל המקיים נפש אחת בעולם מעלה עליו כאילו קיים עולם מלא׳ הרי כל באי עולם בצורת אדם הראשון הם נבראים ואין פני כל אחד מהן דומין לפני חברו׳ לפיכך כל אחד ואחד יכול לומר בשבילי נברא העולם וגו׳ : *Idcirco etiam creatus eſt Adam ſolus in mundo, ut inde diſceremus, quemlibet qui animam unam* (perſonam) *deſtrueret e mundo, cenſendum eſſe perinde ac ſi deſtruxiſſet mundum plenum*; & *quemlibet qui ſalvam faceret animam unam, cenſendum eſſe quaſi mundum plenum ſalvum feciſſet. Ecce univerſi in mundum venientes ſunt inſtar Adae primi creati; nec inter eos eſt facies qui alterius faciei ſimilis eſt. Unde etiam quilibet poſſit dicere, Propter me creatus eſt mundus*, &c. Et ſummatim dein monebant ut cautiſſime interrogatis reſponderent [m]. Si centum adeſſent teſtes, quemlibet per ſe ac ſeorſim examinabant, & juxta ſive abſolvebant ſive condemnabant. Sed ita ut ſi non ſatis liqueret ex ſuffragiorum numero reum eſſe abſolvendum, אוסרין אותו עד למחר ובו ביום מזדווגין הסנהדרין זוגות וגו׳ *Cuſtodiae eum uſque in craſtinum traderent. Illo autem die in paria ſe tribuentes ſynedri* pauculum tantum comedebant, nec vinum omnino die illo guſtabant, ſed inter ſe de cauſa etiam in noctem totam conferebant, qua de re etiam ſupra [n] dictum eſt. Sic die craſtino in forum redeuntes ſuffragia ſua quiſque per ſe tulere, pro libitu ſive abſolvens ſive damnans. Si vero diſſenſus ejuſmodi interveniret ut, juxta ſuperius dicta, ob numeri in ſuffragiis ferendis defectum res rite definiri nequiret, adſciſcendi erant plures etiam uſque ad 71, ſi res poſtularet, juxta jam ante oſtenſa. Scribae autem ſuffragia eorumque rationes colligebant. Sententia condemnationis lata, ſynedri in locum procul a ſynedrio ſitum duci faciebant reum, ubi poenam capitalem ſubiret, quo trahunt illud [o], *Educ blaſphemum extra caſtra.* Maimonidi videtur, diſtantiam loci fuiſſe, aut eſſe debuiſſe, circa milliaria ſex, qualis inter Moſis ſynedrium, ad oſtium tabernaculi ſeu in Levitarum caſtris, & caſtra Iſraelitarum. Hoc tamen in idololatrae poena ſic temperabatur ut is lapidaretur, ſi commode fieri poſſet, aut ad portam civitatis, ubi reus erat, aut, ſi frequentia ibi eſſet Cuthaeorum, על פתח בית דין *ad oſtium ſynedrii.* Neque differenda erat judicii exſecutio, אלא יהרג ביומו *Die ſuo* quo damnatus eſt *morte erat plectendus.* Etiam foemina gravida ita morte plexa; ſic tamen ut ea vapularet uſque dum embryo aut necaretur, דחד גופא הוא *cum unum eſſet cum ea corpus*, aut in lucem prodiret, & dein eodem die morte afficeretur. Ita tamen [p] ut, dum ſic ad ſupplicium ducebatur reus, ſi innocentiam ejus, utcunque in foro ante damnati, ſatis aſſerere potuiſſet quis, liberandus eſſet. Praeco etiam hanc in rem, qui anteibat clamitans, איש פלוני בן פלוני יוצא ליסקל על שעבר עבירה פלונית ופלוני ופלוני עדיו כל מי שיודע לו זכות יבא וילמד עליו *Homo iſte N. filius N. prodit lapidandus* (& parilis, opinor, in reliquis executionibus capitalibus) *ob culpam talem, & talis & talis fuere rei teſtes. Si quis eum inſontem eſſe docere poteſt, accedat, & rationes ſuas explicet.* Si adeſſet qui id facere poſſet, redux in ſynedrium novum ſubibat judicium. Quod itidem fiebat ſemel ac iterum, ſi ipſe utcunque diceret ſe poſſe innocentiam ſuam oſtendere aut ſe abſolvendum fuiſſe. Dein autem, ſi in verbis ejus vis nulla reperiretur, in exſecutionem tertio educebatur. Sed vero etiam quotieſcunque ita eductus ſic faceret, ſi modo יש בדבריו ממש *in verbis ejus vis aliqua* aut quid ſolidi videretur, pariter in judicium novum redux fiebat. Quod ut commodius in via intelligeretur, aſſignabantur ei bini diſcipuli ſapientum, quibus verba ejus perpendenda, unde tunc aut in ſynedrium reducendus erat aut exſecutioni mandandus. Cum decem cubitis a poenae loco reus abeſſet, Deo confeſſionem eum edere jubebant, שכן, inquit Miſna, דרך כל המומתין מתודין שכל המתודה יש לו חלק לעולם הבא *quoniam ita omnibus morte plectendis confitendum eſt. Nam confitenti ſors eſt in ſeculo futuro.* Si reus ſe formulam confeſſionis nimium neſcire ſe diceret, jubebant eum hac uti, תהא מיתתי כפרה על כל עונותי *Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis*; idque licet innocentem ſe exiſtimaret. Et poſt confeſſionem hujuſmodi, משקין אותו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף בעתו וישתכר ואחר כך יהרג במיתה שהיא חייב בה *educto ad mortis poenam praeberi ſolitum granum thuris in poculo vini, ut turbaretur mens ejus, & inebriaretur. Et tunc morte ei debita plectebatur.* Si reus ſic morte plectendus tunc ſacrificaverat, noluere eum morti tradendum uſque dum, ubi ex ſacrificii natura fieri poſſet, donaretur ipſi מדם חטאתו ואשמו *pars aliqua ſacrificii ſui pro peccato & tranſgreſſione.* Etiam, ſi ipſe non ſacrificarat, ejus nomine, antequam morti traderetur, ſacrificabatur. והעדים הם ההורגין אותו בכל מיתה שיתחייב בה ורוצח שלא הרגוהו עדיו חייבין להמיתו כל אדם *Et teſtes in cauſa ejus eum morte plectebant, qualicunque mortis generi eſſet obnoxius. Homicidam ſi teſtes non morti traderent, homines univerſi* praeſentes *id praeſtare tenebantur.* Die quo judicio forenſi quis morte plexus erat, ſynedris fas non habebatur quidquam comedere. Ratio autem mira; ה"ז בכלל לא תאכלו על הדם ſcilicet hoc, ut *obſervandum continetur etiam in illo legis* [q], *Non comedetis ſuper ſanguinem.* Propinquis morte plexi (cujus nomine nec luctus ullus publicus) & ſynedri & teſtes amice ſalutandi erant, ut ſententiam juxta veritatem latam ſic agnoſcerent. Si morte ſic in ſynedrio vigintitriumvirali damnatus fugeret, atque prehenſus coram ſynedris aliis ſiſteretur, cauſis in univerſis capitalibus, excepto homicidio, denuo res ventilanda erat. At in homicidae cauſa ſufficiebat, ſi bini adeſſent qui de priori ſententia tantum ſatis teſtarentur, unde morti jam erat tradendus. Si quis extra terram Iſraeliticam a ſynedrio ejuſmodi qualicunque Ebraeorum, juxta facultatem ſibi illic permiſſam, morte damnatus in terrae Iſraeliticae ſynedrium ſe fuga contulerat, judicium in eum latum omnino reſcindendum erat, niſi iidem eſſent ipſi hic ſynedri qui extra terram judicaſſent.

IV. Poenae in foro capitales erant quadruplices, lapidatio, combuſtio, gladius (quarum obvia in pentateucho mentio) & ſtrangulatio. Nam aiunt [r] מפי משה רבינו למדו שכל מיתה האמורה

[m] Videſis *Miſnam* tit. *Sanhedrin*, cap. 4. [n] Cap. 10 §. 2. [o] Levit. xxiv. 14. [p] *Miſna* tit. *Sanhedrin*, cap. 6. [q] Levit. xix. 26. [r] Maimonid. Tract. *Sahedrin*, cap 14.

בתורה

בתורה סתם היא חנק *Ex ore Mosis magistri nostri doceri, omne mortis infligendae in lege genus simpliciter* seu *generatim sine adjectione aliqua dictum significare strangulationem.* Gladius ad homicidas spectabat, & ad homines urbis incitantis [s] ad idololatriam. Tres illae reliquae ad synedria tantummodo sive magnum sive minora attinebant, ex legis sensu: Neque in judicio regio (de quo inferius) earum ullius usus legitimus. In judiciis enim regiis capitalibus gladio solo locus erat. Gravior habebatur lapidatio quam combustio, atque haec gladio, uti & hic strangulatione. Si harum binis quis damnaretur, graviori plectendus erat. Si ita resisteret damnatus ut morti ei debitae non submitteret, testes tunc eum quocunque mortis genere interficiebant: quod aliis e populo, nisi a testibus rogatis, non licuit; extra causam homicidae, quem sic resistentem cuilibet a populo interficere fas erat. Et si testes eum cohibere nequirent, liber erat. Sepulcris patrum non condebantur morte sic plexi. Sed ex disciplina veteri bina habebantur, quae a synedriis praestituta, sepulcreta; alterum lapidandis, & comburendis; alterum gladio puniendis, & strangulatione. Ossa tamen licuit propinquis colligere, & in sepulcris patrum condere. A capitalibus poenis abstinentiores se debere esse profitebantur; unde vocare solebant, velut convitio, synedrium quod morti intra septennium quempiam tradidisset, סנהדרין חבלנין *Synedrium destructorium* [t]. Sed interim pro facinorum frequentia reos morte quocunque tempore legitimo damnabant; ita tamen ut eodem in die binos neutiquam judicarent, nisi idem utriusque facinus eademque poena, ut adulteri & adulterae. Lapidabatur [v] reus ad hunc modum. E suggestu binis hominis staturis alto a testibus pronus in saxum dejiciebatur, nudus praeter verenda. Sed foemina non alibi nuda quam in pectore, quod in saxum illidendum. Si non ita moreretur, jactu lapidum populus circumstans eum interficiebant. Blasphemus & Idololatra lapidatus, adeoque mortuus, etiam trabi in terra fixae alligatus suspendebatur. Sed ante occasum solis sepulturae tradendus. Inde Josephus [x], Μένας δι' ὅλης τῆς ἡμέρας εἰς θέαν τῶν ἁπάντων θαπτέσθω νυκτός. Οὕτω δὲ καὶ οἱ ὁπωσοῦν ὑπὸ τῶν νόμων ἀναιρεθῆναι κατακριθέντες, *Toto die in spectaculum omnium manens noctu sepeliendus erat. Quemadmodum etiam lex obtinuit de caeteris morte punitis.* Quantum nempe ad sepulturam. Ex lege scilicet sacra hoc de suspendio sibi habuere. De blasphemo capiunt illud de suspenso Mosaicum, quod generalius multo sonare videtur [y]; *Quando fuerit in homine peccatum morte dignum, & interfectus fuerit, & suspenderis eum in ligno, non pernox erit cadaver ejus super lignum, sed sepelies eum eadem die:* כי קללת אלהים תלוי quod quidem sonat *quia maledictio Dei est suspendiosus.* Sed Rabbini intelligunt tantum de lapidando mortuo. Et verba illa variatim ab interpretibus versa reddit Onkelos, ארי על דחב קדם יי אצטלב *quoniam pro eo quod peccavit coram Domino suspensus est.* Judaei Hispanienses, *que malediction de Dio colgado*; Syrus ibi, ܡܛܠ ܕܗܘ ܕܡܓܕܦ ܠܐܠܗܐ ܢܙܕܩܦ *nam qui blasphemaverit Deum suspendendus*; uti & versio Samaritana. Idem Judaei Mauritanienses,

لان من اجل الذي خطي الله علق

Alii tantundem; او صلب لما افترى على الله

quasi verba fierent tantum de blasphemo. Et idololatram parili cum blasphemo jure censent, eisdemque verbis contineri, היא המגדף *is* [z] *qui blasphemus est.* Comburendus [a] fimo immergebatur usque ad genua. Tunc linteum durius, molliori involutum, collo ejus circumdatum a testibus hinc inde trahebatur usque dum os aperiret, in quod stannum aut plumbum liquefactum injiciebant, quo viscera comburerentur. Gladii poena erat decollatio. Strangulandus fimo etiam immergebatur usque ad genua. Tunc linteo guttur ei constrictum usque dum animam efflaret. Trabea suspendiosi, saxa quibus lapidandus interiit, gladius quo quis sic decollatus, & linteum jam dictum in strangulatione, videtur etiam illud in combustione adhibitum, נקברין בתפיסת הנהרג אבל לא בקבר עצמו *sepelienda erant propius sic morti traditum, sed non in eodem quo ille sepulcro.*

V. Specierum reorum morte forensi damnandorum numerum faciunt triginta sex. Lapidandos aiunt [b] fuisse octodecim;

I. Concumbentem cum matre,
II. Cum uxore patris,
III. Cum nuru sua,
IV. Cum puella desponsata,
V. Cum masculo,
VI. Cum bestia,
VII. Mulierem attrahentem in se bestiam,
VIII. Blasphemum,
IX. Stellarum cultorem [c],
X. Qui dederat de semine suo Molocho,
XI. Qui consuluerat Ob,
XII. Qui consuluerat Iideoni,
XIII. Seductorem in idololatriam,
XIV. Impulsorem in idololatriam privatum,
XV. Veneficum,
XVI. Sabbatum profanantem,
XVII. Patrem aut matrem exsecrantem,
XVIII. Filium rebellem seu inobedientem.

Comburendos decem;

I. Filiam sacerdotis adulteram,
II. Concumbentem cum filia sua,
III. Cum nepte ex filia,
IV. Cum nepte ex filio,
V. Cum uxoris filia,
VI. Cum uxoris nepte ex filia ejus,
VII. Cum nepte ex filio ejus,
VIII. Cum socru sua,
IX. Cum socrus suae matre,
X. Cum matre soceri sui.

[s] Deuter. xiii. 15. [t] Videsis Misnam tit. *Maccoth*, cap. 1. [v] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 6. & Maimonides Tract. *Sanhedrin*, cap. 15. [x] Origin. 4. cap. 8. [y] Deuter. xxi. 23. [z] Numer. xv. 30. [a] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 7. & Maimonid. loco citato. [b] *Misna* tit. *Sanhedrin*, cap. 7. & Maimonid. Tract. *Sanhedrin*, cap. 14. [c] Videsis Maimonid. Tract. de Idololatria & *More Nebochim*, part 3. cap 41.

Quibus

Quibus subjicitur, והוא שבא עליהן בחיי אשתו אבל לאחר מיתת אשתו הרי הן בכרת בלבד בכלל העריות *Obtinebat hoc quoties quis concubitu sic peccaret superstite uxore sua. Ea autem mortua, obnoxius erat tantum excisioni* (poenae divinitus infligendae, de qua ampliter libro primo) *in omnibus incestus peccatis.*

Gladio puniendos,

I. Homicidam.
II. Qui publice ad idololatriam, ut urbis pars, impelleret.

Strangulandos sex;

I. Concumbentem cum alteri nupta,
II. Percutientem patrem seu matrem suam,
III. Qui furatus esset Israelitam,
IV. Senem seu presbyterum rebellem seu inobedientem,
V. Pseudoprophetam,
VI. Qui prophetabat בשם עכ"ום *velut cultor stellarum*;

Leges ad facinora haec spectantes in Mosaicis cuique sunt obviae.

VI. Proxima, ex lege sacra, neci erat poena talionis ob membrum corporis aliquod cum injuria minutum[d], & dein poena verberum expressim sic praescripta[e]. *Si lis fuerit inter homines, accedent ad judicium, & judicent eos, justificentque justum, impium vero condemnent. Et si fuerit* (בן הכות *filius verberationis*) *dignus qui verberandus sit impius, dejiciat* (inclinari faciat) *eum judex, & caedat eum coram se,* כדי רשעתו *juxta impietatem ejus,* במספר *in* aut *secundum numerum. Quadraginta* plagis *verberet eum, & non addat, ne forte, si addiderit verberare eum ultra verberationem illam magnam, contemtibilis fiat frater tuus in oculis tuis.* Vulgata, *prosternent eum, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant; ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Ex hac lege verbera reo (violationis praecepti negativi, cum temperamentis infra ostendendis; nec itidem affirmativi; quae מצות לא תעשה & מצות העשה appellitant) in foro infligebant non solum synedri majores sed etiam triumvirales[f], ita tamen ut, temporibus recentioribus, non alii triumviri quam qui ordinati essent seu manuum impositione creati, nec omnino privati seu presbyteri illi e vulgo, poenam hanc rite irrogarent. Nec vero verberandus quis citra praemonitionem & testes adhibitos, ut in judiciis capitalibus. Manibus verberandi columnae hinc inde alligatis, lictor nudum eum pectore tenus reddebat. Post eum lapis positus, cui insistebat minister habens in manu sua lorum taurinum, quo caedebat inclinantem eum & in ventre & in tergo, idque semper coram judicibus. Dum caedebat eum lictor, הגדול שבדיינים *Judicum praecipuus*, ut praeco, clamabat quod in lege[g] habetur, *Si non observaveris, ut omnia facias verba legis hujus,* &c. *omnino mirabiles efficiet Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui,* &c. addens ex alio loco[h], *Quapropter observabitis verba foederis hujus,* &c. Et tandem adjiciebat, *Ipse*[i] *autem misericors expiabit iniquitatem.* Quae & iterabat, si finierat ante verberum numerum finitum. Si inter caedendum moreretur, nihili erat. Ne autem legem de non adjiciendis numero quadragenario plagis forsan transgrederentur, excedi nolebant triginta novem, licet reus sive robustissimus, sive pertinacissimus esset. Unde etiam Josephus[k] vocat plagas ex lege infligendas μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα, *una minus quadraginta*; & S. Paulus, *a Judaeis,* inquit[l] πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον, *quinquies quadraginta una minus accepi.* Qua de re etiam optime doctissimus J. Buxtorfius pater in epistola dedicatoria ad abbreviaturas Rabbinicas. Et Ebraeis solenne erat illas vocare ארבעים חסר אחת, quod idem sonat. Sed numerus pro reatus & personae conditione minor etiam erat, & pro synedrii libitu varius. Atque ita ut ex sententia statim exsequenda praestitui solitus excedi non deberet; licet debilitate rei inter flagellandum perspecta, rite minui posset. Sed vero si quis poenam hanc bis simul mereretur, quadraginta interdum excedebant usque in numerum aliquem intra 79, aut pro libitu tempora verberationibus singula assignabant. Si inter caedendum conspurcaret se fimo aut urina sua, liber erat. Illuc enim trahunt etiam verba sacra[m], *ne contemptibilis fiat frater tuus in oculis tuis.* Si alligatus se solveret fugeretque, reducendus non erat. Poena sic affectus חוזר לכשרותו *regulariter rectitudini suae*, seu statui priori in integrum restituebatur; nec crimine commisso exprobrandus; quo etiam spectare volunt verba sacra jam dicta, ad quae aiunt, כיון שלקה הרי הוא אחיך *Cum fuerit verberatus, ecce tunc etiam frater tuus est.* Addunt etiam de quibuslibet excisioni כרת seu poenae illi divinitus infligendae (de qua libro primo) obnoxiis, indeque verberibus affectis, נפטרו מידי כריתן *soluti sunt inde excisione sua.* Etiam pontifex maximus, licet a triumviris aliisve synedris rite verberatus[n], חוזר לגדולתו *Restituebatur in majestatem suam,* nedum sacerdotes reliqui. Hoc autem in ראש הישיבה seu *consessus* aut *synedrii principe* ita temperabatur, ut ille sic verberatus אינו חוזר לשררותו *haud restitueretur ad praefecturam suam.*

VII. Regulas tradunt juxta quas transgressores aut verberum poenas luebant, aut eis obnoxii neutiquam erant. Vapulabat[o] quisque,

I. Praeceptum transgrediens negativum, quod itidem כרת *excisione* puniendum, nec capitali, ex forensi judicio, poena aliqua; ut comedens adipem aut sanguinem, aut fermentum in paschate.
II. Negativum transgrediens, cujus nomine quis mortis reus בידי שמים *manibus Dei infligendae*; ut qui comederet טבל *fructus nondum decimatos*, seu usui communi nondum rite idoneos, aut sacerdos immundus comedens oblationem mundam.

[d] Exod. xxi. 24. Levitic. xx. 19. Deuter. xix. 21. [e] Deuter. xxv. 1. [f] Maimonid. tract. *Sanhedrin*, cap. 16. & tit. Talmudic. *Maccoth*. [g] Deuter. xxviii. 58. [h] Ibid. xxix. 9. [i] Psalm lxxviii. 38. [k] Originum lib. 4. cap. 8. [l] Ad Corinth. cap. xi. 24. [m] Deuter. xxv. 2. [n] Gemara item Hierosolymitana ad tit. *Horajoth*, cap. 1. fol. 19. col. 4. & ad cap. 6. fol. 47. col. 1. [o] Maimonides tract. *Sanhedrin*, cap. 18. Et vide *More Nebochim* part. 3. cap. 41.

III. Trans-

III. Transgrediens negativum שיש בו מעשה *in quo actus manifestus*, seu res actu gesta; ut carnem cum sanguine comedens, vestimenta heterogenea induens.

IV. Ubi vero in praecepto actus ejusmodi non erat, nec intentioni simplici animi utcunque pravae, nec verbis poena haec debita habebatur, extra causam pejerantis, ac alium in nomine Domini exsecrantis. Quo spectare videtur Josephi[p] illud, ubi Polybium reprehendit quod scripserat Antiochum regem ideo periisse quod voluerat Dianae templum ejusque donaria diripere. Τὸ γὰρ, ait, μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον οὐκ ἔστι τιμωρίας ἄξιον, *Voluisse enim tantum, nec fecisse, poena dignum non est.* Quo nomine ut impius reprehenditur etiam a nonnullis Josephus. Certe ob conatum & apertam animi in facinoribus aliquot atrocioribus propensionem, etiam necem jure apud Ebraeos irrogari fas fuisse expressim docent Talmudici[q]; qua de re nos item alibi[r].

V. Si quis capitaliter in foro accusatus, reus peragi nequiret, nec tamen suspicione gravi careret, poenam ideo hanc non obibat.

VI. Nec quis violans negativum quod restitutione & solutione damni terminabatur; ut de rapina, furto.

VII. Ex כל לאו שניתק לעשה בהן *Negativo aliquo quod tenderet in factum aliquod praestandum quod in eo affirmative expressum esset*, reus non vapulabat nisi affirmativum prorsus praetermisisset. Ut in lege de matre a pullis non tollenda[s], sed dimittenda, & pullis capiendis; & in lege[t] de angulo agri non metendo, &c. sed pauperi & peregrino relinquendo.

VIII. Nec על לאו שבכללות *ob negativum* violatum *cujus objecta essent multiplicia* variatim complexa, seu לאו אחד שכילל ענינים הרבה *negativum quod res in se contineret plures.* Exemplum afferunt, *Non*[u] *comedetis ad* vel *super sanguinem*[x].

IX. Et demum, שאר כל הלאוין שבתורה לוקין עליהן *ob negativum quodcunque aliud in lege occurrens reus vapulabat.*

Si quis vero ob negativi excisionem in se continentis violationem semel iterumque in foro vapulasset, ac tertio reus ipsius ejusdem deprehenderetur, non verberabant eum, אלא מכניסין אותו לכיפה והוא מקום צר בפי קומתו ואינו יכול לשכב בו ונותנין לו לחם צר ומים לחץ עד שיצרו מעיו ויחלה ואח"כ מאכילין אותו שעורים עד שכריסו נקבעת *sed tradebant*[y] *eum carceri* quasi arcae, *qui locus erat angustus, statura ejus non altior, nec ejusmodi ut in eo decumbere posset, ubi dabant ei panem & aquam miseriae usque dum languesceret, & dein hordeo eum satiabant usque dum venter ejus rumperetur.* Et quantum ad praemonitionem adeo necessariam habitam, & satis miram, aiunt, כל אלו שלא קבלו עליהן ההתראה מכין אותן מכות מרדות הואיל וחטאו מכל מקום אפילו על איסור של דברי סופרים מכין אותו מכות מרדות *Omnes qui praemonitioni inobedientes essent, plagas obibant* pro fori placito *contumaciae debitas, quomodocunque peccarent, etiamsi interdictum à scribis superinductum violarent. Illis enim etiam plagis contumaciae* (quae eis quae ex ipsa lege sacra debitae accessere) *obnoxii erant.* Ex constitutione autem veteri inolevit ut nemo aut neci (qua de re ante monitum) traderetur aut poenae verberum ex confessione sua, sed tantum ex aliorum testimonio. Ne scilicet ipse ex animi impotentia & malitioso accusatorum impetu praesumpto temere persuasus; ad id cujus reus non omnino esset agnoscendum, aerumnosi contestationis incommodi evitandi gratia, perperam adigeretur. Adjicit Maimonides, וכללו של דבר גזירת של מלך היא *atque hoc totum ex decreto regio evenit.*

VIII. Numeros exhibent eorum qui flagellis rite puniendi[z]. Qui negativum aliquod violarent praeceptum, cujus poena כרת seu *excisio* divinitus exspectanda esset, nec debita ei in synedrio aliquo poena capitalis haberetur, fuere XXI.

I. Concumbens cum sorore,
II. Cum amita,
III. Cum matertera,
IV. Cum uxoris sorore,
V. Cum fratris uxore,
VI. Cum uxore patrui,
VII. Cum muliere in menstruis,
VIII. Comedens adipem,
IX. Sanguinem,
X. Fermentum in paschate,
XI. Comedens in die expiationum,
XII. Qui opus aliquod faceret eodem die,
XIII. Comedens residuum sacrificii voluntarii die tertio[a],
XIV. Abominationem sacrificii pacifici die tertio,
XV. Immundus comedens carnem sanctam,
XVI. Immundus intrans in atrium templi,
XVII. Immolans sancta extra templum,
XVIII. Elevans sancta extra templum,
XIX. Commiscens oleum unctionis,
XX. Fundens oleum unctionis,
XXI. Commiscens incensum.

Qui vero puniendi erant בידי שמים *manibus Dei* (poena omnino excisioni cognata, sed interim ab ea discriminari solita) ob negativum aliquod praeceptum violatum in quo actus aliquis seu affirmativum etiam quid contineretur, adeoque verberandi, fuere XVIII.

I. Extraneus (non ex ordine sacro) comedens de oblatione magna, theruma dicta,
II. Extraneus comedens de oblatione decimae,
III. Extraneus comedens de primogenitis postquam advenerint in Hierosolyma,
IV. Extraneus comedens חלה *placentam*[b] sacram,

[p] Antiquitat. 12. cap. 13. [q] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 8. Maimonid. tract. *Rotzah* cap. 1. & *More Nebochim*, part. 3. cap. 40. [r] De jure naturali & gent. lib. 4. cap. 3. &c. [s] Deuter. xxii. 6. [t] Levit. xix. 9. & videsis *Cesepb Misna* ad Maimonid. tit. *Sanhedrin*, cap. 16. §. 4. [u] Levit. xix. 26. [x] Videsis *More Nebochim*, part. 3. cap. 46. [y] Videsis Misnam tit. *Sanhedrin*, cap. 9. [z] Maimonid. tract. *Sanhedrin*, cap. 19. [a] Levit. vii. 17. [b] Numer. xv. 20.

V. Quivis comedens מבל *fructus nondum rite decimatos* ac usui communi idoneos,

VI. Comedens ex massa antequam placenta sacra offerretur,

VII. Sacerdos immundus comedens oblationem mundam,

VIII. Sacerdos intrans in sanctum sanctorum cum ibi illi ministerium nullum,

IX. Sacerdos exiens e templo cum ministerium ejus illic ei incumberet,

X. Levita se immiscens ministerio sacerdotali,

XI. Extraneus ministrans in templo,

XII. Instar extranei habebatur מחוסר בגדים *sacerdos non rite vestitus*, adeoque pariter vapulabat.

XIII. Sacerdos immundus ministrans,

XIV. Vino ebrius ministrans,

XV. טבול יום *lotioni obnoxius* ministrans,

XVI. Non rite expiatus (die solenni) ministrans,

XVII. Nudatus capite ministrans,

XVIII. Qui laceratis vestibus ministrat.

Praeter hosce fuere CLXVIII. juxta legem verberandi, praeceptorum negativorum violationis nomine, quibus nec excisio nec capitalis poena forensis contineretur.

I. Imaginem faciens,

II. Etiam ad ornatum tantum,

III. Ex creaturis aliquam velut numen obtendens fictitium,

IV. Statuam erigens[c] ad cultum,

V. Lucum in templo plantans,

VI. Saxum figuratum in cultum,

VII. Votum concipiens nomine idoli,

VIII. Jurans per nomen ejus,

IX. Commodum sibi ex eo faciens,

X. Urbem ex sententia forensi[d] destructam ob idololatriam reaedificans,

XI. Commodum sibi inde faciens,

XII. Gentilium placita observans,

XIII. Divinus[e],

XIV. Dies superstitiose observans,

XV. Augur,

XVI. Incantator,

XVII. Mortuos sciscitans,

XVIII. Abradens nomen Dei; cui conjungitur demoliens ex alteri saxum, lignum aliquod templi comburens, & similes,

XIX. Exstinguens altaris ignem,

XX. Ascendens in illud per gradus,

XXI. Intrans in atrium vestibus immundis,

XXII. Fluxu seminis laborans, & similes, intrantes in montem templi,

XXIII. Vectes arcae amovens[f],

XXIV. Pectorale dimovens ab ephodo[g],

XXV. Lacerans foramen interulae[h] ephodi,

XXVI. Sacrificium offerens super altare aureum[i],

XXVII. Sacerdos intrans in templum שלא בשעת עבודה *non tempore ministerii sui*,

XXVIII. Corpore vitiatus בעל מום illuc intrans,

XXIX. Ebrius illuc intrans,

XXX. Corpore vitiatus ministrans,

XXXI. Incircumcisus ministrans,

XXXII. Sacerdos immiscens se ministerio Levitico,

XXXIII. Sacerdos qui capite nudo intraret in templum,

XXXIV. Sacerdos intrans in templum vestibus laceratis.

XXXV. Corpora vitiata בעלי מומין inter sanctificata referens,

XXXVI. Ea immolans,

XXXVII. Sanguinem eorum spargens,

XXXVIII. Suffumigans sacrificia eorum,

XXXIX. Corpora vitiata pro gentium sacrificiis offerens.

XL. המטיל מום בקדשים בזמן המקדש *Qui vitium admitteret in sanctificatis tempore templi* (ita Maimonidis typis editi omnes. Sed MSS. & Arundellianus & meus non habent illud בזמן המקדש)

XLI. העובד בקדשים *operans cum sanctificatis*[k],

XLII. Tondens ea[l],

XLIII. Suffumigans seu incendens cum fermento aut melle[m],

XLIV. Comburens[n] primitiarum sacrificia,

XLV. Offerens sine[o] sale,

XLVI. Meretricis mercedem[p] aut pretium canis offerens,

XLVII. Ponens oleum in oblationem pro peccato,

XLVIII. Ponens super eam thus,

XLIX. Ponens oleum in sacrificium uxoris a viro zelotypo suspectae,

L. Ponens super illud thus,

LI. [q]המבדיל בחטאת העוף *dissecans avem in sacrificio pro peccato*,

LII. המימר בקדשי מזבח *morosius negligens sancta altaris*,

LIII. Comedens carnem sanctificatam quae immunda esset reddita.

LIV. Comedens ex eis quae sanctificationi non idonea,

LV. Sacerdos comedens carnem sanctissimam e קדשי קדשים extra atrium,

LVI. Extraneus comedens carnem sanctissimorum אחר מתן דמים *post diffusum sanguinem*,

LVII. Extraneus comedens carnem primogeniti,

LVIII. Sacerdotis filia extraneo nupta comedens armum & pectus[r], etiam post viri obitum,

LIX. Profana comedens therumam, seu oblationem frugum primariam,

LX. Comedens sancta leviora extra Hierosolyma,

LXI. Comedens sancta leviora ante sanguinis sparsionem,

LXII. Comedens primogenitum extra Hierosolyma,

LXIII. Comedens decimam secundam, אחר שראה פני הבית *postquam viderat faciem templi*, extra Hierosolyma,

[c] Levit. xxvi. 1. [d] Deuter. xiii. [e] Deuter. xviii. 10. [f] Exod. xxv. 15. [g] Ibid. xxviii. 28. & xxxix. 21. [h] Ibid. xxviii. 32. & xxxix. 23. [i] Ibid. xl 5 & 26. [k] Deuter xv. 19. [l] Ibid. [m] Levit. ii. 11. & 12. [n] Levit. ii. 12. [o] Ibid. 13. [p] Deuter. xxiii. 18. [q] Levit. i. 17. [r] Vide Levit. x 14 & xxii. 12

LXIV. Sacerdos

LXIV. Sacerdos comedens primogenita, postquam Hierosolyma accederent, antequam relinquerentur in atrio,
LXV. Sacerdos comedens primogenita extra Hierosolyma postquam relinquerentur in atrio,
LXVI. Comedens decimam secundam quae immunda fieret Hierosolymis antequam redimeretur,
LXVII. Immundus comedens decimam secundam quae munda esset Hierosolymis,
LXVIII. Comedens decimam secundam in luctu (quale jus obtinuit in eis quae de reliquis sanctis essent)
LXIX. Incircumcisus qui comederet sanctam carnem aut Therumoth,
LXX. Comedens de oblatione frumentacea sacerdotis, seu ex alia re שהוא כליל באישים *quod debuerit esse holocaustum*,
LXXI. Comedens ex carne pro peccato oblata, quae comburenda; & parile jus de caeteris comburendis;
LXXII. Pascha cum fermento immolans,
LXXIII. Os ejusdem frangens, sive in primo sive in secundo paschate,
LXXIV. Qui de carne paschatis efferret extra legitimum comestioni sodalitium,
LXXV. Comedens e carne ejus extra sodalitium illud,
LXXVI. Comedens illud crudum aut coctum,
LXXVII. הנהנה מן ההקדש במזיד *sponte sibi commodum faciens ex sanctificato*,
LXXVIII. Comedens fructus non decimatos,
LXXIX. Comedens de carne bestiae lapidationi damnatae,
LXXX. Comedens pecus seu bestiam immundam,
LXXXI. Comedens volucre immundum,
LXXXII. Comedens piscem immundum,
LXXXIII. Comedens reptile ex volucrium genere,
LXXXIV. Reptile terrestre,
LXXXV. Reptile aquaticum,
LXXXVI. Reptile qualecunque terrestre, etiamsi nondum creverit,
LXXXVII. Vermes in fructibus decerptis,
LXXXVIII. Morticinum,
LXXXIX. A fera discerptum,
XC. Membrum animalis viventis comedens,
XCI. Comedens גיד הנשה nervum femoris in Jacobi lucta [s] contractum,
XCII. Comedens carnem in lacte,
XCIII. Coquens carnem in lacte,
XCIV. Comedens de messe nova ante manipulum allatum [t],
XCV. Fructus incircumcisos comedens [v],
XCVI. Heterogenea vineae comedens,
XCVII. Mixturam fermenti in paschate,
XCVIII. Fermentum אחר חצות *post mediam noctem*,
XCIX. Retinens fermentum in potestate sua,
C. Bibens vinum cultui extraneo sacrum,
CI. Naziraeus comedens fructum vitis,
CII. Naziraeus rasus,
CIII. Naziraeus mortuo inquinatus,
CIV. Locum corrosionis leprae radens [x],
CV. Signa leprae incidens aut adurens,
CVI. Colens vallem in qua vitula decollaretur [y],
CVII. Seminans agrum Israeliticum anno septimo,
CVIII. Putans arbores in anno septimo,
CIX. Metens in messe sponte natum [z], בלא שנוי, *aliter atque praescriptum est*,
CX. Vindemians בלא שנוי,
CXI. Seminans in Jubilaeo,
CXII. Metens in eo בלא שנוי,
CXIII. Vindemians in eo בלא שנוי,
CXIV. Qui angulum [a] agri sui pauperi non dederit,
CXV. Qui ex vindemia non dederit pauperi,
CXVI. Qui spicilegium collegerit, nec pauperi dederit [b],
CXVII. Qui uvas in vinea relinquendas pauperi non dederit,
CXVIII. Qui manipulum oblivione in agro relictum ceperit, nec pauperi dederit [c],
CXIX. Qui ceperit matrem cum pullis, nec dimiserit matrem,
CXX. Semina heterogenea in satis seminans,
CXXI. Heterogenea in vinea seminans,
CXXII. Arbores heterogeneas ubicunque insitione conjungens,
CXXIII. Commisceri faciens bruta heterogenea,
CXXIV. Uti solitus heterogeneis,
CXXV. Os jumenti dum laborat obturans,
CXXVI. Immolans hostiam & prolem ejus,
CXXVII. Qui a proximo pignus acceperit, nec reddiderit ei,
CXXVIII. Pignus viduae non reddens,
CXXIX. In pignus accipiens utensilia [d] vitae quotidianae necessaria,
CXXX. Testis falsi convictus, qui solvendo non esset,
CXXXI. Qui percusserit proximum הכפה שאין בה שוה פרוטה *impulsione quasi nihili*. Nam שוה פרוטה nummulum minimum significabat. Atque si pluris quam ille, aut aequalis, percussio censeretur, damni restitutione, non verberibus luenda [e]. Neque enim de minori lis aliqua rite instituebatur.
CXXXII. Filius rebellis בעדות ראשונה *ex testimonio primo*.

Quod ut recte, simul cum eo quod ante [f] occurrit de filii rebellis patrem aut matrem exsecrantis aut percutientis poena capitali, intelligatur, disciplina de filio in parentes utcunque reo obiter explicanda. De exsecrante [g] & percutiente [h] leges sacrae sunt obviae, uti & illa [i], כי יהיה לאיש בן סורר

[s] Genes. xxxii. ult. [t] Levit. xxiii. 10. [v] Ibid. xix 23. [x] Ibid. xiii. 33. [y] Deuter. xxi. 4. & vide *More Nebochim*, part. 3. cap. 40. [z] Levitic. xxv. 5. [a] Ibid. xix 9, & xxiii. 22. [b] Ibid. xix 9. [c] Deuter. xxiv. 19. [d] Exod. xxii. 26. Deut. xxiv. 6 & 17. [e] Vide Maimon. tract. *Sanhedrin*, cap. 16. § ult. & cap. 20. §. 11. [f] §. 5. pag. 1501. num 15. & pag. 1502. num. 2. [g] Exod. xxi. 17. [h] Ibid. xv. & Lev. xx 9. [i] Deut. xxi. 18.

ומורה איננו שמע בקול אביו ואמו ויסרו אתו ולא ישמע אליהם וגו׳ *Si habuerit homo filium protervum & rebellem, qui noluerit audire vocem patris sui & vocem matris suae, &, cum castigaverint eum, noluerit audire eos, apprehendent eum pater ejus & mater ejus, educentque eum ad presbyteros civitatis illius, & ad portam loci ejus, dicentque ad presbyteros civitatis illius, Hic filius noster protervus & rebellis est, nec vult audire vocem nostram* זולל וסובא *comessator est & potator* (ubi Graeci συμβολοκοπῶν οἰνοφλυγεῖ, *comessationibus vacans vino inebriatur*; Vulgata, *Comessationibus vacat & luxuriae atque conviviis*; Onkelos, זליל בסר וסבי חמר *vorax carnis & potator vini*, quemadmodum & Chaldaeus alter; tantundem quidem alii veterum, dum recte vertunt *vorax & ebriosus*, uti Syrus & Judaei Mauritanienses; unde Hispanienses Judaei, *tragador y borracho*, a glutton and a drunkard; Sed Saadias Gaon, وهو مصرف ومفرط في الحرام *exercere se solet & intemperans est in illicitis*; Jaiana editio habet مسرف pro مصرف quod in idem fatis recidit) *Lapidabuntque eum omnes viri civitatis suae, ut moriatur; & eliminabis malum de medio tui, ut omnes Israelitae audientes timeant.* Atque lex haec proculdubio eadem est quam πάτριον νόμον *legem patriam* etiam in concilio Berytiensi [k] nuncupavit Herodes ubi filios suos velut sibi insidiatos accusabat, de quibus legem patriam seu Judaicam ait jubere, εἰ τοῦ καθηγορηθέντος οἱ γονεῖς ἐπιθεῖεν τῇ κεφαλῇ τὰς χεῖρας, ἐπάναγκες εἶναι τοῖς περιεστῶσι βάλλειν, καὶ τοῦτον ἀποκτείνειν τὸν τρόπον, *ut si cui* sic *accusato* filio *parentes manus imponant capiti, necesse habeant circumstantes saxis eum ferire, & in hunc modum interficere.* Josephus autem legem generatim intelligit [l] de cunctis τῶν νεωτέρων *juniorum* qui περιφρονῶσι τοὺς γονεῖς, καὶ τιμὴν αὐτοῖς μὴ νέμωσιν ἢ δι' αἰσχύνην ἢ διὰ ἀσύνεσιν, ἐξυβρίζοντες εἰς αὐτοὺς, *parentes suos contempserint, & debitum honorem prae pudore aut contumacia reddere eis neglexerint, & insuper contumaces & protervi in eos fuerint.* Et quantum ad rationem judicii hic adhibendam, Πρῶτον, inquit ille, λόγοις αὐτοὺς νουθετείτωσαν οἱ πατέρες. Αὐτάρκεις γὰρ πεφύκασιν οὗτοι δικασταί, *Hos primum verbis parentes moneant. Nam hos natura fecit idoneos judices.* Ex monitis parentum, sic saltem primis, si emendaretur liberorum arrogantia, veniam eis dari debere vult. Nec magis de filio quam filia legem capere videtur. Et dein, si monita neutiquam proficere viderent parentes, in lapidationis poenam educendos esse ait. Sed vero magistri subtilitates habent ut de reverentia liberorum erga parentes, ita de quolibet eorum in eos contumaciae genere, & demum eos judicandi ratione, saepius perquam miras [m]. Legem de lapidatione patrem vel matrem exsecrantis sic interpretantur ut locum haberet non minus ubi parentes mortui quam ubi superstites, nec tamen sine praemonitione & testibus, ut in reliquis criminibus capitalibus, nec nisi exsecraretur per nomen Dei aliquod proprium. Sed vero, אם קללם בכינוי פטור מן הסקילה ולוקה *Si exsecraretur eos per cognomen aliquod, lapidandus non erat, sed verberandus*, ut cum quemquam alium ex Israelitis fuisset exsecratus. Nec lege hac volunt contineri avum aut aviam. Percutiens item parentum alterutrum strangulandus non erat, nisi praecederat praemonitio & testes adessent, ut in ejusmodi reliquis, nec nisi יעשה חבורה *percussione intulisset vulnus* aut *vibicem.* Etiam abstinendum erat filio medico seu chirurgo a vena parentis secanda, aut cute ejus incidenda, ne vibicis aut vulneris sic ipse autor fieret, nisi nemo alius praesto esset qui recte opus facere posset. Nec in patrem qui filiorum suorum aliquem occiderat, vindex sanguinis legitimus erat filius ejus aliquis superstes. Certae matris spurius, eam percutiens, reus hic habebatur; non itidem si patrem, quem ipsa tantum affirmaret, percussisset. Nec lapidandus nec strangulandus erat על פיה *ex dicto ejus*. Ancillae autem aut Cuthaeae (aliae editiones habent כותית, aliae נכרית *extraneae*, non Judaeae) filius hoc nomine neutiquam reus erat. Quin proselytus qui concipiebatur non בקדושה *in sanctitate* (id est, antequam per baptismum mater ejus transierat in Judaismum) tametsi in sanctitate natus esset, neque exsecrationis neque percussionis lege tenebatur. Haud enim illic maternitas ejusmodi quae reum illum faceret; cujus, uti, & aliorum ejusmodi, ratio petenda ex eis quae de proselytis alibi tradidimus. De servo hic aiunt, אין לו ייחוס אלא הרי אביו כמו שאינו אביו לכל דבר א״עפ שנשתחררו *Ille genus* seu *prosapiam non habebat, sed pater ejus erat quasi non omnino pater ejus, idque etiamsi manumitteretur.* Filius minister synedrii in quo pater aut mater flagellanda, eos flagellare non debuit, uti nec excommunicationem in eos aliave mandata forensia quibus sive vis aliqua sive exsecratio inerat exsequi, extra causas binas, quae velut in unicam recidunt; cum nimirum sive seductores [n] essent sive incitatores [o] in idololatriam. Jus illic singulare hic ortum aiunt ex illo [p], *Neque parces ei, neque celabis eum.* Si pater in foro adjurandus esset a filio, usus obtinuit ut abstineretur a שבועת האלה שהרי זה בא לקללת אביו אלא משביעין שבועה שאין בה אלה *Juramento in quo exsecratio, quoniam res tenderet in patris exsecrationem. Adjurabant autem eum per juramentum in quo exsecratio non* expressim *contineretur.* Etiam interdictam observant non solum percussionem corporalem: Sed כל המכוה אביו או אמו אפילו בדברים ואפלו ברמיזה הרי זה ארור כפי הגבורה שנ׳ ארור מקלה אביו ואמו *Quisquis percusserit patrem aut matrem etiam verbis, etiam nutu*, id est, contempserit, *maledictus est ex ore numinis, juxta illud* [q], *Maledictus qui vilipenderit patrem suum & matrem suam.* Quo trahunt illud Salomonis [r], *Oculum qui patrem subsannat, & vilipendit* ליקהת אם *doctrinam matris* (Vulgata, *partum matris*; unde Duacenses, the travail of his mother; ubi Graeci, γῆρας, *senectutem*) *hunc eruent corvi torrentis*, &c. Etiam ob parentes sic tantum despectos licuit synedrio להכות מכת מרדות ולענוש כפי מה שיראו *flagellatione contumaciae debita uti, eosque aliter pro arbitrio punire.* Dum adjiciunt [s], praestandum ut honorem singularem ita & timorem erga parentes

[k] Joseph. lib. 16. cap. 17. [l] Lib. 4. cap. 8. [m] Maimonides tract. *Mamarim*, cap. 5. [n] Deuteron. xiii. 6. [o] Ibid. 12. [p] Ibid. 8. [q] Deuter. xxvii. 16. [r] Prov. xxx. 17. [s] Maimonid. tract. *Mamarim*, cap. 6.

parentes utrosque, idque ex legibus sacris illis, *Honora* [t] *patrem tuum & matrem*, &c, [v] *unusquisque matrem suam & patrem timebitis*, observant, הקדים אב לאם לכבוד והקדים אם לאב למורא ללמד ששניהם שוים בין למורא בין לכבוד *In praecepto de honore ponitur pater ante matrem; in eo de timore, mater ante patrem; ut inde discamus utrosque pariles esse quoad & honorem & timorem.* Timoris hic exempla dant; nec stare nec sedere in parentum loco; neque verba eorum contradicere, aut in ea cavillari; nec nomine suo eos compellare, sed dicere, אבא מרי *abba domine*, & אמא מרתא *amma domina*. Honoris exempla; victum & vestitum ab eis recipere; &, si pauperes illi, ea quibus careant ex suo suppeditare; quod etiam ex judicio forensi, si ultro non fieret, cogebatur. Nec coram patre sedendum erat, uti nec coram magistro; ita tamen ut, si pater discipulus esset filii, ei coram filio standum non esset, sed filio ejusdem magistro standum. Res paternas diligentissime curare debuit filius. Filiae pariter ac filii praeceptis de honore ac timore parentum tenebantur, quae scilicet non in aliena potestate, ut uxores. Sed filia vidua aut repudiata non minus ac filius obligabatur. Injuriae a parentibus illatae, utcunque graviores, a liberis patienter ferendae. At si pater filium puberem seu majorem percuteret, excommunicandus erat, velut is qui sic violarat interdictum illud [x], *Coram caeco non pones offendiculum*, quo res inhonestae ac indecorae vetitae. Si filius videret patrem legem aliquam transgredientem, dicendum ei non erat, *Pater, transgrederis verba legis*, sed, *Pater, anne scriptum est in lege hoc vel illud*, rem in praesenti innuens, ut ita consulentis non admonentis personam erga patrem indueret. Noverca, patre superstite, ab filio honoranda, licet mater non fuerit. Ratio, שזה בכלל כבוד אביו *Quoniam hoc in eo continetur quod est honorare patrem.* Etiam ex superinducta lege adjiciunt, שיהיה אדם חייב בכבוד אחיו הגדול כבכבוד אביו *Quemlibet etiam obligari ad fratrem majorem honorandum, ut ad patrem.* Jam vero de filio rebelli illo, crimen in lege de eo ob quod ita inde puniendus erat, aiunt fuisse tantum in illo, זולל וסובא *Comessator est & potator*, & quod [y] זולל הוא האוכל בשר ברעבתנות וסובא השותה יין ברעבתנות *comessator est qui carnem voracius ederet; & potator, qui vinum voracius biberet.* Sensum dein hujus legis mirum habent, quem recepisse se dicunt totum מפי הקבלה *e cabala* seu *traditione* vetustissima; scilicet, neminem hic lapidandum nisi qui bonis a patre surreptis emeret sibi carnem & vinum ad gulose devorandum, eaque in sodalitio aliquo extra patris potestatem voracius atque intemperantissime ingurgitaret, והוא שיאכל משקל חמשים דינרין מבשר זו במלוגמא אחת וישתה חצי לוג מיין זה בבת אחת *Ita ut ex carne illa comederet pondus quinque denariorum unica liguritione, & ex vino illo logi* sextarii *dimidium haustu unico.* Si tantundem in loco patriae potestatis edendo & bibendo praestitisset, aut bonis non a patre sed ab aliis surreptis carnem & vinum comparasset, lege hac liber habebatur. Nec carnis hic alius quam boum, pecorum & ejusmodi, non avium, ratio; nisi ubi quinque denariorum pondus illud e carne avis simul cum bestiae compleretur. Etiam שתה כל משקה ולא שתה יין פטור *Si alium quemcunque potum biberat, nec vinum, liber erat.* De vino item diluto, nec mero, res intelligitur, & de carne non omnino cruda. Filium hic minorem annis 13 & die unico lege non contineri volunt, שלא בא לכלל המצוות *quoniam nondum* ob aetatem *legibus obligabatur*; uti nec perfecte ac plene majorem [z], seu qui ברשות עצמו *in potestate sui*, veluti plenissime emancipatus. Adeoque aiunt, שאין דין זה אלא בבן י״ג שנה ויום אחר שהביא שתי שערות עד שיקיף כל הגיד ואחר שיקיף השער כל הגיד הרי הוא ברשות עצמו ואינו נסקל: *Judicium hoc locum non habuisse in filio alio quam qui compleverat annos 13 & diem unicum, & cui bini pili* circa pudendum *excreverant, idque* tantum *usque dum circumdatum omnino esset pilis pudendum. Postea enim potestatis suae fit*, & in parentum potestate esse desinit. Tempus faciunt trimestre intra quod circumdarentur sic pili; ita tamen ut si ante tempus illud exactum circumdatio haberetur, suae potestatis seu pubertatis plenae, adeoque pro emancipato, esset censendus. Inde illud, כל ימיו של בן סורר ומורה אינן אלא ג׳ חדשים מאחר שיביא שתי שערות *Dies cuncti* (tempus totum) *quibus quis pro filio rebelli & contumace* ex lege hac *censetur tres menses non superant postquam duo pili ei excreverint.* Hisce praemissis, pergunt, & forensem ejus judicandi rationem ad hunc modum exhibent. Primo adducebant parentes filium hunc in synedrium sive triumvirale sive majorum aliquod, ubi ita actionem instituebant, בננו זה סורר ומורה *Hic filius noster est comessator & potator.* Et statim testes afferebant, שגנב משל אביו וקנה בשר ויין בכה שגנב ואכל אותו אכילה האמורה אחר ההתראה *Furatum eum esse e bonis paternis, indeque comparasse carnem & vinum, atque comessatum esse* (juxta superius dicta) *idque post praemonitionem.* Atque actio haec dicebatur עדות ראשונה *testimonium* in eum *primum*; unde verberibus tantum castigandus erat, nec dum lapidandus: Quam in rem afferunt illud in lege ante allata, *& cum castigaverint eum, noluerit audire eos*, &c. quasi sic primo reus flagellandus ex lege ipsa esset. Reus secundo adducendus erat in synedrium cui suberat vigintitriumvirale (male legitur in Maimonidis editis cum *Ceseph Misna* לב״ד של ג׳ *in synedrium triumvirale*, pro של כ״ג *vigintitriumvirale*; neque enim triumviralis jurisdictio hic locum habuit, cum actio jam capitalis esset) ibique totidem verbis iterum accusandus. Testimonium dein itidem proferendum erat, quod vocant עדות אחרונה *Testimonium secundum.* Simulac acceptum esset sic testimonium hoc, בודקין אותו שמא הקיף השער את כל הגיד אם לא הקיף ולא שלמו לו ג׳ חדשים גומרין דינו כדרך כל הרוגי ב״ד וסוקלין אותו: *Perscrutandum erat ne forte pili pudendo ejus circumdati essent. Si non circumdarentur, nec tempus illud trimestre* seu plenam pubertatem *ipse compleverat*, nec aliter, *judicabant eum, ut alium quemcunque capitaliter in foro puniendum, & lapidabant eum.* Ita tamen ut id fieri non deberet nisi adessent triumviri quorum in foro ante flagellaretur, ut ip-

t Exod. xx. 12. v Levitic. xix. 3. x Ibid. xix 14. y Maimonid tract. *Memarim*, cap 7. Misn. & Gemar. tit. *Sanhedrin*, cap. 8. z Videsis lib. de Successionibus in Bona, cap. 9.

ſum ibi agnoſcerent, nec niſi parentes ei facinus non remitterent ante ſententiam in eum prolatam. Si fugeret, necdum ſententia in eum prolata, atque interim plenam nanciſceretur pubertatem, liber erat. Si parentum alteruter nollet eum in judicium deduci, aut deducto facinus remitteret, liber etiam erat, nec pro filio rebelli hic ſumptus; quoniam dicitur in lege, *Apprehendent eum pater ejus & mater ejus*, utrique ſcilicet. Nec quis hic pro reo habitus, ſi parentum alteruter manibus truncatus eſſet, quia ab utriſque erat apprehendendus; aut claudus, quia educendus erat; aut mutus, quia presbyteri ab eis alloquendi; aut caecus, quia dicendum erat, *hic filius noſter*; aut ſurdus, ex eo quod dicitur in lege, *nec vult audire vocem noſtram.* Subtiliſſima ſane! Nec filiam lege hac contineri volunt, שאין דרכה להמשך באכילה ושתייה כאיש *Quoniam foeminae mos non eſt comeſſatione & compotatione uti, ſicut viri.* De lapidatione autem filii ejuſmodi literae hujuſmodi a ſynedrio emittendae erant in quamlibet tribum, בבית דין פלוני סקלנו פלוני שהיה בן סורר ומורה *In ſynedrio N. lapidamus N. quoniam eſt filius contumax & rebellis.* Sed ad verberandorum enumerationem redimus.

CXXXIII. Infamiam alicui inſpergens falſam,
CXXXIV. Exſecrans proximum ſuum nomine ſanctiſſimo,
CXXXV. Pejerans, falſo jurans,
CXXXVI. Vane jurans,
CXXXVII. Profanans votum ſuum,
CXXXVIII. Qui extra terminum praeſcriptum iter faceret in ſabbato,
CXXXIX. Opus aliquod faciens die feſto,
CXL. Circumtondens angulum capitis[a],
CXLI. Circumtondens angulum barbae,
CXLII. Incidens ſe ob mortuum,
CXLIII. Glabrans ſe ob mortuum,
CXLIV. Stigmata ſibi indens ob mortuum,
CXLV. Heterogeneis veſtitus,
CXLVI. Amputans arbores fructiferas in earum deſtructionem,
CXLVII. Vir veſtitus veſtimentis foeminae,
CXLVIII. Foemina veſtita veſtimentis viri,
CXLIX. Sacerdos qui ſe mortuo contaminaret,
CL Sacerdos meretricem conjugio ſibi copulans, & cum ea concumbens,
CLI. Sacerdos divortio ejectam ſibi ſic copulans,
CLII. Sacerdos ſic ſibi profanam copulans,
CLIII. Pontifex maximus concumbens cum vidua, licet eam ſibi conjugio non copulaſſet,
CLIV. Qui divortio a ſe ejectam reſumeret poſtquam deſponſata eſſet,
CLV. Qui maritaret eam quae alteri, leviri nomine, debita,
CLVI. Concumbens cum meretrice,
CLVII. Mamzer qui in uxorem acciperet Iſraelitidem, & cum ea concumberet,
CLVIII. Qui membris exſectis Iſraelitidem duceret in uxorem, & cum ea concumberet,
CLIX. Qui hominem, beſtiam, aut volucre caſtraret,
CLX. Qui virginem compreſſerat, eamque divortio ejectam non receperat,
CLXI. Qui infamiam uxori quaſi divortio ejectae intulerat, nec eam receperat,
CLXII. Qui inceſtus ſuſpicionem incurreret,
CLXIII. Affinitatem cum gentilibus contrahens,
CLXIV. Proſelytus Ammonites qui in uxorem duxerat Iſraelitidem, & cum ea concubuerat,
CLXV. Proſelytus Moabites idem faciens,
CLXVI. Rex multiplicans ſibi uxores,
CLXVII. Rex multiplicans ſibi equos,
CLXVIII. Rex multiplicans ſibi aurum & argentum,

Ita XVIII & XXI ſuperius oſtenſi hiſce CLXVIII adjuncta faciunt verberandos juxta legis ſacrae ſenſum CCVII. Flagellationes etiam aliae ex ſcitis fuere ſuperinductis, מכות מרדות *ob contumaciam flagellationes* dictae: Exempli cauſa, in poenam rei contumacis, qui praeſcriptum a jure ſuperinducto juramentum in foro ſubire renuens, ideo excommunicaretur, atque dein excommunicatus[b], abſolutionem ſibi non rite procurans, per XXX dies permaneret. Neque enim flagellationes ejuſmodi legis ſacrae juſſu aliquo fundabantur, quarum quamplurimae in uſu; uti nec ipſum excommunicationis jus; quod adeo ampliter demonſtratum eſt libro primo. Quale de caeteris ſimilibus, uti etiam de praemonitionem in ſe non recipientibus, de quibus ſupra, aliiſque non paucis, eſt dicendum. Atque ea de re, ſectione etiam proxima.

IX. Verberum illa ſeu flagellationis poena apud orientales frequentiſſima. Neque pro ea quae exiſtimationem minueret, ut ex ante in Ebraeorum moribus oſtenſis liquet, ſumi ſolebat. Qua de re occidentaliores ſeculorum recentiorum aliter multo ſtatuunt, etiam mortem huic, ignominiae cauſa, plerumque praeferendo, libentiuſque ſe laturos profitendo. Flagellatio autem aliis erat neci tantum praevia; aliis, aut modus tantum per ſe poenae, aut in metallum damnationi, aliive inſuper poenae etiam praevia. Illuſtre quidem eſt primi generis exemplum in Antigono Haſmonaeorum rege Judaeae ultimo, cuſtodia tradito ſeu captivo, ab Antonio flagris primum Antiochiae in Herodis gratiam caeſo, & dein ſecuri percuſſo. Unde primum Antonium Romanorum fuiſſe qui ſecuri percuſſerat regem aliquem, monet Strabo[c]. Sed Plutarchus[d], οὐδενὸς πρότερον ἑτέρου βασιλέως οὕτω κολασθέντος, *Cum rex nullus ante alius poenam ejuſmodi ſubiiſſet.* Neuter quidem horum flagrorum hic poenae meminit. Sed Dio[e], *Antigonum*, inquit, ἐμαστίγωσε, σταυρῷ προσδήσας· ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει· καὶ μετὰ τοῦτο ἀπέσφαξε, *verberavit, palo alligans (quod nemo regum alius ſub Romanis paſſus eſt) & poſtmodum etiam occidit.* Ubi Xiphilinus de occiſione nihil. Hoc autem, licet in Judaeorum rege, apud ſuos ex eorum diſciplina

[a] Levitic. xix 27, &c. [b] Maimonides *Toaien Wenitaien*, cap. 1. §. 5. [c] Apud Joſephum, lib. 15. cap. 1.
[d] In Antonio. [e] Hiſtor. 49. & videſis Iſ. Caſaubon. Exercit. in Baronii Apparat. §. 7.

flagellis

flagellis obnoxio, nihil plane habuit cum disciplina illa commune. More majorum Romano vetustiori fundabatur, quo capitaliter puniendi aut virgis ad necem caedebantur, aut primo caesi percutiebantur [f] securi, gladio, aliterve occisi; qua de re ampliter & doctissime egit Petrus Faber [g] in Semestribus. Sed ita mos majorum demum mutavit, ut non solum civis Romanus ex legibus Porcia & Valeria nec morti tradi nec caedi omnino adversus provocationem ad populum deberet, sed tandem etiam ut nec hostis nec alius verberibus [h] solum necaretur. Atque & flagellationis & fustigationis castigationem etiam in usu Romanis fuisse satis ex Digestis [i] liquet historiisque [k]. Ita tamen ut servus flagellis, liber fustibus seu virgis caedendus esset, ut non semel docetur in Digestis, optimeque explicatur a Barnaba Brissonio [l], ubi *verbera servilia* dicta ostendit fuisse flagellationes. Quod tamen, ut fieri in rebus hujusmodi solet, haud perpetuo eodem se habuit modo. Ex more, ut videtur, Romano, quo in non cives Romanos animadverti volebant more majorum, id est ita ut capitaliter puniendi primo caederentur, orta est illa D. N. Jesu Christi flagellatio a Pilato [m] praeside Romano eum jam crucifixuro, non a Judaeis ex jure suo illata, licet Hierosolymis. Ut pro morte damnato habitus flagellabatur; quod plane contra morem Judaicum, sed Romano satis consonum. Verum quidem est, voluisse primo Pilatum eum castigare [n] (flagellatione, ut videtur) nec morti tradere; uti etiam ex more Romano praesidibus licuit: Sed cum aliter satisfieri nequiret Judaeis, poenam utramque ex more Romano conjunxit. Sed de judicio illo ac poena amplius agitur libro tertio. Fustigationi autem illi subjici solebant, idque ex rescriptis saepius principalibus, non omnes, sed liberi homines tantum qui tenuiores essent, non qui honestiores [o], extra causam majestatis, ut etiam in Basilica [p] seu jura Caesarea Graecanica recipitur. Generaliter autem ait Callistratus [q], *Omnes qui fustibus caedi prohibentur eandem habere honoris reverentiam debere quam decuriones habent.* Et de fustigatione in disciplina militari satis Polybius, & qui [r] ad eum. Sed puto usum tam fustigationis quam flagellorum forensem, extra causas aliquot atrocissimas & personas tenuissimas, diu abhinc apud christianos quasi evanuisse [s]. Certe apud Graecos veteres adeo infamis non habebatur poena ejusmodi, quin caesus, quasi crimen omnino inde, quantum ad famam, satis expiasset, existimationi pristinae restitueretur. Ea de re non dubitabatur inter hospitem Atheniensem, Cliniam Cretensem & Megillum Laconem, dum reipublicae suae Magneticae leges condituri erant. Tam civibus ac peregrinis quam servis verbera, veluti mulctae aliae civiles, saepius ab illis praescribuntur [t]. Etiam Lichas Arcesilai filius, Lacon, ob moris certaminis publici apicem violatum, ὑπὸ τῶν [v] ῥαβδούχων πληγὰς ἔλαβεν, *virgis a lictoribus caesus est*; vir qui gloriosius illic certaverat, & postea in legationem a Lacedaemoniis ad Argivos selectus est. Et memorat Athenaeus [x] coquum in Lyceo μαστιγωθῆναι ὡς παρασοφιζόμενον πονηρῶς, *velut impostorem scelestum flagris caesum*, quia salsamentum aliud loco alterius praepararat. Quinetiam Lacedaemoniis in more erat semel quotannis, pueros etiam nobiliores, adstantibus acriterque hortantibus parentibus, ad aram Dianae Orthiae flagris toto die caedi. Quod pro imagine etiam poenae nonnullis sumptum, eorum scilicet qui ex ritu caseum ab ara rapientes deprehensi essent. Hac de re Xenophon [y], Plutarchus [z], Lucianus [a], alii tam Latinorum quam Graecorum, quos diligentius congessit Nicolaus Cragius [b]. Mahumedanis item, sine servorum & liberorum discrimine aliquo, verberum disciplina & vetus est & hucusque duravit. Alcoranus [c];

الزّانية والزّاني فاجلدوا كلّ واحدٍ منهما مائة جلدة

Scortatrix & scortator (Retinensis, *omnis adulterans) centum verbera suscipiat.* Quod itidem habetur in doctrina Mahomedis [d] sic dicti, ubi *octuaginta ictus deberi* dicitur *inebriato.* Et Rasiidus avus Abulabbas Almamon Chaliphae vigesimi octavi, puellam, eo quod cantus ejus Almamoni displicuerat, quadraginta plagis caedi jussit; quod & factum est [e]. Ejusmodi sunt obvia satis alia in rebus Mahumedicis. Etiam apud Sinenses frequentissimo in usu esse refertur forensem fustigationem in tribunalibus Mandarinorum, ubi perpetuo adstant lictores fustibus instructi, qui sententiam propediem exsequantur. Ita Alvarus Semedus Lusitanus in historia monarchiae Sinensis [f]. Sed haec obiter de flagellationis fustigationisque poenae tam apud alias gentes quam Judaeos frequentia, utcunque adeo ignominiosae hominique libero abominandae apud recentiores habitae.

X. In capitalibus autem judiciis [g], nisi testes de ipsius actus commissi visu, ubi visus objectum esset crimen, reum morte non damnabant; quo trahunt illud [h], ונקי וצדיק אל תהרג *Et innocentem & justum non occides.* Etiam si alter testaretur de cultu solis, exempli causa, alter de lunae cultu, & uterque viderat solum quod testatus est, morte damnandus non erat idololatriae accusatus: Nec enim testes illic bini de eodem idololatriae genere. Et ubi unicus tantum, absolvendus erat. Neque confundenda in unum duo haec crimina a testibus singularibus tantum probata. Atque in capitalibus aut testis uterque [i] idem ipsum pariter testabatur, aut absolvendus reus. Non itidem in civilibus, ubi conjecturis & testimoniorum diversitati locus. Ubi vi quis ad facinus adigeretur, ob illud morte damnandus non erat. Quod ut legis sensu praescriptum eliciunt ex illo de puella vi compressa [k], ubi dicitur ולנער לא תעשה

[f] Suetonius in Nerone, cap. 47. [g] Lib. 2. cap. 10. [h] Ulpianus, lib. 8. §. 2. D. tit. De poenis. [i] Ibidem lib. 10. & lib. 4. §. 1. D. tit. de Incendio, Ruina, &c. [k] Valer. Maxim. lib. 2 cap. 7. §. 4. Julius Frontinus Strategemat. lib. 4, &c. [l] Select. ex Jure Civili Antiquit. lib. 3. cap. 9. [m] Matth. xxvii. 26. Marc. xv. 15. [n] Luc. xxiii. 22. [o] Callistratus, lib. 28. §. 2. D. tit. De poenis. [p] Tom. 7. lib. 60. tit. 51. §. 28. & ibidem scholia Graeca. [q] Lib. 28. §. 4. D. tit De poenis. [r] Lipsius de Militia Romana, lib. 5. cap. 18. [s] Videsis Julium Clarum sentent. lib. 5. Quaest 70. & ibi Dan. Baiardum. [t] Plato de legibus, lib. 8, 9, & 11. [v] Thucydid. Hist. 5. [x] Deipnosoph. 4. [y] De Rep. Lacedaemoniorum. [z] In Aristide, & institutis Laconicis. [a] De Gymnasiis. [b] De Repub. Lacedaemoniorum, lib. 3. Tabula 9. Instit. 8. [c] Azoar. 24 Arabice, 34 Lat. [d] Pag. 191. & Dionys. Carthusianus in sectam Mahomet. lib. 3. art. 5. [e] Elmacin. Histor. Sarcenic. lib. 2. [f] Romae 1633. Part. 1. cap. 28. Italice. [g] Maimonides Tract. *Sanhedrin*, cap. 20, 21, 22, 23, 24. [h] Exod. xxiii. 7. [i] Maimonid. Tract. *Aidoth*, cap. 4. [k] Deuter. xxii. 26.

דבר

לדבר & *puellae haud quicquam facies.* Et זו אזהרה לבית דין שלא יענשו את האנוס *hoc innuit ſynedrio, vi adactum neutiquam puniendum.* Quod tamen ita excipiendo temperant, ut vir ſic adactus in inceſtus genus aliquod morte plectendum nihilominus morte eſſet a ſynedris damnandus. Rationem reddunt, שאין קשוי אלא לדעת *pudendi erectio ſpontanea eſt.* At vero ſi foemina ſic adigeretur, etiamſi poſtmodum fateretur rem ſibi gratam fuiſſe, morte libera erat, מפני שיצרה נתגבר עליה *quoniam concupiſcentia ejus eam tunc ſuperabat.* Compluria habent monita ad illud[l], *Non facietis quidquam perverſum in judicio; nec reſpicies faciem pauperis, neque honorabis vultum magnifici. Cum juſtitia judicabis proximum tuum.* Singularia hinc, ut juſtitia inter agendum haberetur, tradunt, & ſatis miranda aliqua. Si litigantium alter eſſet pretioſius veſtitus, alter ſordidius, ſynedri, ne praeceptum hoc de juſtitia utrinque in foro pariter obſervando violarent, jubebant pretioſius veſtitum aut ſe veſtire inſtar alterius uſque dum lis perageretur, aut alterum inſtar ſui veſtire, עד שתהיו שוין ואחר כך תעמדו בדין *adeo ut ſitis pares, & poſtea litem agetis.* Nec litigantium alterum ſtare, alterum ſedere permittebant: Sed aut ſtabat aut ſedebat uterque. Et ſi ex indultu ſynedrii ſedendum eſſet, altero alter non ſedebat ſublimior, ſed a latere. Quod intelligendum de tempore ſententiae pronuntiationem praecedente: Dum enim ſententia pronuntiabatur, utrique ſtandum erat. Si litigatores complures in ſynedrio ſimul adeſſent, praeferenda erat pupilli cauſa cauſae viduae; viduae, diſcipuli ſapientis; diſcipuli ſapientis, cujuſque e vulgo; foeminae, viri. Litigantis alterius, ſive agendo ſive excipiendo, verba, abſente altero, audire nefas erat. Quo afferunt illud[m], שמוע בין אחיכם *audite cauſas inter fratres veſtros.* Laudabile habebatur litigantes, ſi fieri poſſet, invicem ſine litis conteſtatione reconciliare, ut per arbitrium פשרה & ביצוע dictum; ſed neutiquam poſt ſententiam definitivam. Neque fas habitum ſynedro, cum e ſynedrio exiiſſet, de ſuffragiis collegarum aut ſuo verba facere. Qui autem feciſſet, velut infamis nomine מגלה סוד *divulgantis arcanum* habebatur. Adjiciunt etiam hiſtoriolam de diſcipulo qui eo quod quae dicta eſſent בבית המדרש *in ſchola*, cujus pars ille, poſt annos XXII. divulgaverat, e ſchola judicio forenſi ejectus eſt, nec ſine praeconio de eo, זה מגלה סוד הוא *hic divulgator eſt arcani.* Si litigantium alteruter cuperet poſt cauſam definitam ſententiam ſibi habere in ſcriptis, ſcriptum hujuſmodi ei dabant ſynedri; *Venit N. ad ſynedrium N. cum N. adverſario ſuo, ubi de cauſa hac vel illa N. litigabant, & abſolutus eſt,* ſeu *damnatus eſt.* Nec omnino, ſi diſſidium fuiſſet, nomina ſive damnantium ſive abſolventium memorabant, ſed a בית דין של פלוני *ſynedrio N. rem peractam eſſe.* Atque, Hieroſolymis maxime, obtinuit, ut ſynedri auditis actore & reo, & dein teſtibus, מוציאין כל אדם לחוץ *emitterent e foro univerſos*, atque inter ſe ſoli diſceptarent. Hoc cum feciſſent, & ſententiae cauſa eſſet idonea definitivae, accerſitis actore & reo, primarius inter judices alteri dicebat eum reum eſſe; alteri, innocentem, כדי שלא ידע אחד מבעלי דינים אי זה דיין הוא מי שזכה אותו ולא אי זה דיין הוא שחייבו *ut neuter litigatorum ſciret quinam ex judicibus eum damnarent aut abſolverent.* Munera judicibus non omnino admittenda, lex[n] praecipit. Atque adjiciunt, לא שוחד ממון בלבד אלא אפי שוחד דברים quod intelligendum non modo *de munere pecuniario*, aut quod id genus eſt, *ſed etiam de verbis* quibus affectus concilietur. Et reum eſſe tam donantem munus ejuſmodi quam accipientem. Quale etiam aiunt de beneficio aliquo judici lite pendente praeſtito. Inimici invicem in judicio ſimul ſedere non debebant. Licet verberum poenae & capitales complures ex lege infligendae eſſent; aliae tamen generis utriuſque ex jure ſuperinducto in uſu erant, לא מן התורה אלא לעשות סייג לתורה *non ex lege, ſed ex eo quod erat ſepem legi facere*, ſeu ſanctitatem ejus conſervare: De quibus aliquid in ſuperius dictis. Unde etiam in his obtinuere הוראיות שעה *decreta temporis*, atque arbitraria, adeoque aliter aliterque ſe habentia. Exempla afferunt, de eo qui vapulabat quia ſub arbore concubuit cum uxore; qui בימי יונים *tempore Graecorum* terram ſanctam infeſtantium in ſabbato equo veheretur; uti & illud Simeonis Ben Shatach, qui Aſcalonae uno die ſuſpendebat octoginta foeminas ſine legitimo ſive praemonitionis ſive teſtimonii luculentioris uſu, אלא הוראת שעה כפי מה שראה *ſed ut decreto temporis* (e re nata idoneo) *juxta quod viſum eſſet.* Ita qui inceſtus infamia publica laboraret, flagris pro arbitratu caedebant ſynedri. Atque ad hoc genus attinuit bonorum confiſcatio, juxta exemplum Ezrae[o]; uti & illud excommunicationis, quod etiam ibidem ex more ſuperinducto uſurpabatur. Cuſtodiae traditio accedebat, ejuſmodi alia. Miniſtri ſeu lictoris forenſis exiſtimatio ejuſmodi erat, atque ita fides ei habebatur, ut ſi, poſtquam in jus quempiam citaverat, diceret citatum ſive ſynedrium contempſiſſe, ſive ex citatione haud comparuiſſe משמתין אותו על פיו *excommunicabant eum, verbis ejus ſolummodo nixi.* Nec tamen edictum in eum aliquod emittebant uſque dum teſtes bini adeſſent qui contumaciam probarent. Et qui miniſtrum ejuſmodi ſeu nuncium forenſem contemneret, contumaciae flagellatione debita pro arbitrio ſynedrorum puniendus erat. Si quempiam nomine unius ſynedrorum citaret die quo ſatis notum eſſet eos conſidere, perinde erat ac ſi plurium id fecerat nomine. Aliter trium minimum nomine citatio fieri debuerat. Dies praeſtituti, quibus non comparens, ex decreto ſynedrii, ut contumax excommunicandus erat, haud omnes erant ejuſdem juris. Nec enim ullus menſis Niſan aut menſis Tiſri dies locum hic habuit, nec pridie ſabbati aut diei feſti, ob ſacra tunc temporis obeunda munera. Adeoque in Niſan & Tiſri dies praeſtituebant poſt utrumque finitum. Atque ut non comparentem, ita & non judicium ſynedrii ſubeuntem tandem excommunicabant, primo per *Shematha*, & dein per *Cherem*, quae poena erat juris ſuperindcti, nec omnino lege ſacra fundata, juxta libro primo oſtenſa. Nec deerat interdum exſilium in facinoribus nec ca-

[l] Levit. xix. 15. & vide Deuter. i. 16, &c. Exod. xxiii. 6.
[m] Deuter. i. 16.
[n] Edod. xxiii. 9. & videſis J. Buxtorf. in Lexico Talmudico, col. 2361.
[o] Cap. x. 8.

pitaliter nec virgis punitis, in asyla scilicet aliterve, sive ex lege sacra[p] sive ex jure superinducto[q] praescriptum. Exemplum habes de jure superinducto in lictore qui אם הוסיף רצועה אחת על האומד ומת הרי גולה *si adjiceret* flagello quo quis a foro verberandus erat *lorum unicum ultra quod a foro praestitum erat, atque* flagellatus *interiret, relegandus erat.* Alia sunt ejusmodi.

XI. A testimonio in judiciis arcebantur פסולים seu *non idonei*; quorum decem[r] genera: Foeminae; servi; minores; fatui; surdi, quibuscum copulant mutos; caeci; impii; הבזוין impudentiores; propinqui; falsi ante convicti. Et rationes ex lege sacra pro more suo adjiciunt: *Foeminae*; quia ubi testes in lege[s] designantur, שני עדים *bini testes* masculine proferuntur, nec foeminine. Adeoque arcebatur androgynus & membris obstructus, quem טומטום nuncupant; quia in dubio erat foeminae an viri essent. Sed eunuchus testimonio satis par. *Servi* arcendi; quia ubi verba fiunt de teste falso, adjicitur[t], *facietis ei sicut inique cogitavit facere fratri suo*; adeoque cum servus, utpote non בן ברית *filius foederis*, nec originarius nec proselytus, *fratris* nomine non gauderet, nec ut testis admittendus erat. Scilicet verba illa *fratri suo* innuere ejusdem debuisse utrosque conditionis. Parile jus ad libertinos attinuit plenam libertatem manumissione non sortientes. Minores; masculi, intra annos tredecim & diem unicum; foeminae, duodecim; quia dicitur, *& stabunt bini viri*, aut *vir uterque*, &c. ubi de testibus agitur. Inde viro minores excludunt. Nec tamen majores admitti volebant sine aetatis integrae signis; de quibus alibi actum[v]. Nec insuper illos, nisi rerum agendarum scientiores essent, ad testimonium de fundo aut praediis; sed tantum in causis rerum mobilium. *Fatuum* juxta legem excludi aiunt, לפי שאינו בן מצוות *quoniam non est filius praeceptorum.* Nec solum hoc intelligendum de fatuo qui ex stultitia sua nudus ambularet, lapides jaceret, vasa confringeret, & similia faceret, אלא כל מי שנטרפה דעתו ונמצאת דעתו משובשת תמיד בדבר מן הדברים *verum etiam de unoquoque mente distracta, quae perpetuo in rerum consideratione turbaretur.* Qua de re, ut multiplici, pro arbitratu judicabant synedri. *Surdum* mutumve velut fatuum censebant; quem nec בן מצוות *filium praeceptorum* agnoscunt. Qui scilicet audire non posset judices, aut eis non posset ore suo respondere, rejiciendus. *Caecum* (de utroque oculo intellige) noluere admitti, quia in lege[x] habetur de teste, והוא עד או ראה וגו׳ *& testis fuerit, aut viderit*, &c. Ideo caecus haud testis idoneus. *Impium* in testem non admitti aiunt ex eo quod legitur[y], אל תשת ידך עם רשע להיות עד חמס *non pones manum tuam cum impio ut sis testis iniquus.* Illo enim sensu intelligunt verba, quae longe aliter verti solent, quasi dictum fuisset אל תשת רשע עד *non pones*, non facies, *impium esse testem.* Unde nefas fuisse aiunt testem satis idoneum testimonium suum cum testimonio, utcunque vero, ejus quem ipse cognosceret impium esse miscere, licet impietas ejus synedris clam esset. Impii nomine venit hic quisque reus facinoris alicujus sive capitaliter sive verberum poena plectendi, idque sive ex lege ipsa sive ex jure aliquo apud ipsos superinducto. Ita etiam raptor & fur, & testis falsi convictus, foenerator, & quisquis a judiciis, juxta superius dicta, arceretur, sive ex lege sive ex jure superinducto. Hisce accessit quisquis nec scripturae, nec misnae, nec disciplinae morali assuetus. De illo enim praesumebatur, [illegible] עובר על רוב העבירות שיבואו בידו *eum complura in vita sua observanda* libentius *praetermisisse.* Unde inolevit ut עם הארץ *homo e vulgo* pro teste non admitteretur, nisi satis examine constaret illum praeceptis divinis, charitati, & bonis moribus assuetum fuisse. Sed de discipulo sapientis praesumebatur eum in omnibus hisce semper fuisse idoneum. *Impudentioris*, qui ex jure superinducto item arcebatur, exemplum afferunt, comedentis in plateis coram populo, nudi ambulantis in plateis & similium, שכל האלו השובין ככלב ואין מקפידין על עדות שקר *quoniam ejusmodi universi reputantur ut canes. Neque testimonium falsum metuebant.* Sed vero distinctio erat inter testimonium ex lege, juxta ante dicta, rejiciendum, & illud quod ex jure superinducto. Primum genus ex sui natura nihili erat: Secundum non item, nisi הכריזו עליו בבתי כנסיות ובתי מדרשות *praeconio in synagogis & scholis* prius *denuntiaretur* testaturi vitium. Praeterea rex Israelis nec testabatur, nec a quopiam in eum testimonium admissum, quoniam praesumptum est eum jurisdictioni synedrii se non submissurum: Non ita rex Judae[z]. De impiis autem arcendis aiunt, neminem eo nomine non idoneum fuisse testem ex eo quod ipse impium in foro se profiteretur, nisi etiam adessent testes bini qui tantundem affirmarent. *Propinqui* arcebantur ex ratione mira e lege[a] eruta: Illic legitur, *patres non interficientur* על בנים *pro filiis*, quo non solum contineri volunt hoc, שלא ימותו אבות על פי בנים ולא בנים על פי אבות *non morti tradendos patres ex ore* seu *testimonio filiorum, uti nec hos ex illorum ore*, verum etiam adjiciunt והוא הדין לשאר קרובים *& idem jus attinere ad propinquos reliquos.* Ubi tamen legem ipsam nolunt alios innuere propinquos praeter paterno sanguine conjunctos. Conjunctos materno interdici tantum ex jure superinducto. Adeo autem maritus & uxor in testium rejiciendorum jure velut pro una persona habebantur, ut, si alteruter inidoneus esset, utrique pariter essent inidonei. Testes *falsi rite convicti* idem subibant[b] quod is debuerat in quem testimonium ediderant si reus peractus fuisset, sive mortem, sive verbera, sive restitutionem, ut in actionibus civilibus. Nec praemonitio testi necessaria. Sed ubi testes plures, nisi omnes simul falsi convicti essent, talionis ejusmodi locus erat nullus. Singulare autem obtinuit hic jus pontificis maximi[c], כהן גדול אינו חייב להעיד אלא עדות שהוא למלך ישראל בלבד הולך לב״ד הגדול ומעיד בה אבל

p Numer. xxxv. 15. q Misna tit. *Maccoth*, cap. 3. § 14. Maimonid. tit. *Sanhedrin*, cap 16 §. 12. r Maimonides tract. *Aidoth*, cap. 9. 10, 11, &c. s Numer. xxxv. 30. Deuter. xvii. 6 & xix. 15. t Deuter. xix. 10. v Lib. de Successionibus in bona defuncti, cap. 9. x Levit. v. 1. y Exod. xxiii. 1. z Videsis Maimonidem tract. *Melakim Wemalchemoth*, cap. 3 §. 7. Et quis hic rex Israelis, videsis, cap. 14. § 1. a Deuter. xxiv. 16. b Deuter. xix. 19 & vide tit. *Maccoth*, cap. 1. & *More Nebochim*, part. 3. cap. 41. c Maimonid. tract. *Aidoth*, cap. 1. §. 3. & cap. 11. §. 9. sed & vide Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 18. 2.

בשאר העדיות פטור *Pontifex Maximus non obligabatur in testimonium, nisi tantum pro causa regis Israelis. Accedendum ei erat ad synedrium magnum, ubi illud testimonium praebendum. Testimoniis reliquis liber erat.* De rege hic Israelis vide caput proximum. Innumeras de testimoniis, ut de forensibus aliis, habent subtilitates, de quarum fundamentis obvia satis sunt alia in titulis Talmudicis Sanhedrin & Maccoth Latine olim editis. De poenis autem atque aliis formulis forensibus plura dicentur libro tertio, ubi singularia synedrii magni ostenduntur.

XII. Habetur inter Philonis Judaei Alexandrini opera, libellus *τὰ περὶ δικαστοῦ*, *quae ad Judicem* spectant, inscriptus. Boni judicis officium ex praeceptis Mosaicis exsequitur ibi is; quem consulat lector, una cum Rolandi Petreii in eum notas editioni Philonis nuperae [d] adjectas. Libentius autem libellum illum hic meminimus, quoniam ex complurium tractatuum Philonicorum, alio quam habentur in editis ordine & divisione, codice MS. penes me pervetusto, legitur quidem titulus, *τὰ πρὸς δικαστὴν*, cui subjungitur idem ipsum quod in editis habetur, exceptis lectionibus aliquot variis. Scilicet sub initium post *ἀμετόχους εἶναι* sequitur hic *μᾶλλον ἢ τοὺς τοῖς ἄλλοις νόμοις χρωμένους. διαφερόντως δὲ*, &c. Dein post *ἐπιτετραφότων αὐτῷ* habetur literis in majusculis lemma, *εἰς τὸ μὴ παραδέξῃ ἀκοὴν ματαίαν* [e], pro primo illic praecepto, ubi ait Philo videri sibi Graecorum aliquos e Mosaicis institutis accepisse *μὴ μαρτυρεῖν ἀκοήν*, *ne ex auditu feratur testimonium*; quod e legibus Atticis seu Demosthene videtur sumptum: Nam is expressim [f], *οὐδὲ μαρτυρεῖν ἀκοὴν ἐῶσιν οἱ νόμοι, οὐδὲ ἐπὶ τοῖς φαύλοις πάνυ ἐγκλήμασι*, *Ex auditu testimonium admitti non sinunt leges, ne quidem in actionibus utcunque levioribus.* Dein post *μὴ πάντως βέβαια* sequitur lemma parile, *περὶ τοῦ μὴ λαμβάνειν δῶρα τὸν κριτὴν* [g]. *Δεύτερον παράγγελμα*, &c. Inde, post *τιμὴν τοῦ δικαίου καταστιθέντα*, lemma aliud, *Εἰς τὸ δικαίως τὸ δίκαιον διώξει* [h]. *διὸ σφόδρα παιδευτικῶς*, &c. Post *ἀνευρίσκεται*, lemma item, *περὶ τοῦ μὴ λαμβάνειν πρόσωπον ἐν κρίσει* [i]. *Τρίτον παράγγελμα*, &c. Post *παρὰ τοῦ πάντων ἀρίστου*, lemma item, *Εἰς τὸ, Οὐκ ἐλεήσεις πτωχὸν* [k] *ἐν κρίσει. Πρὸς δὲ τοῖς λεχθεῖσιν*, &c. Absoluto tandem tractatu illo, ut in editis, de judicibus, sequitur item additamentum illud de decalogi praecepto ultimo, quod in editis memoratur, quasi illic Philo commentarios in illud statim subjungere voluisset. Sed cum nihil ea de re in editis sequatur, in MS. post verba illa postrema, *τοῦτο δ' ἐστὶν Οὐκ ἐπιθυμήσεις*, *non concupisces*, sequitur, *Πᾶν μὲν πάθος ἐπίληπτον, ἐπεὶ καὶ πᾶσα ἄμετρος καὶ πλεονάζουσα ὁρμή*, &c. Atque aliam ibi habet praecepti illius explicationem ab ea quae in edito ejus de decalogo tractatu reperitur. Et de judicandi ratione a pontifice & sacerdotibus in causis difficilioribus etiam a principe petenda, idem Philo [l] alibi, verba faciens de principis (*ἄρχοντα* vocat, sed regem plane innuit) aliorumque in judiciis officio, *μηδεὶς*, inquit, *αἰδείσθω δικαστὴς ὁμολογῶν ἀγνοεῖν ὅπερ ἀγνοεῖ*, *Non pudeat judicem nescire quod nescit.* Et dein, *Ὅταν οὖν ἀμαυρὰν ποιῇ τὴν ἀντίληψιν τῶν πραγμάτων, ἀσάφειαν καὶ πολὺ σκότος ἀπεργαζομένων, παραιτείσθω τὰς κρίσεις, καὶ ἀναπεμπέτω πρὸς ἀκριβεστέρους δικαστάς· οὗτοι δὲ τίνες ἂν εἶεν ἢ ἱερεῖς καὶ ὁ τῶν ἱερέων ἔξαρχος ἡγεμών;* *Quoties igitur non satis causas perspiciet propter perplexitatem earum & caliginem, recuset officium judicis, & litigatores ad accuratius tribunal ableget:* (Ita interpres; *potius recuset judicia ipsa, & dimittat ad accuratiores judices:) Id vero non aliud fuerit quam sacerdotum atque pontificis.* Potius, *hi vero non alii fuerint quam sacerdotes & sacerdotum princeps.* Rationem autem reddit, *Οἱ γὰρ λειτουργοὶ Θεοῦ οἱ γνήσιοι τὴν διάνοιαν ἐπιμελῶς ἠκόνηνται, τὸ παρὰ μικρὸν, οὐ μικρὸν σφάλμα ἡγούμενοι, διὰ τὰς ἐν ἅπασιν ὑπερβολὰς τοῦ θεραπευομένου βασιλέως*, *Nam legitimi cultores Dei mente pollent plurimum, qui ne levia quidem errata negligunt, propter excellentiam summi regis in cujus versantur obsequiis.* Scimus autem tum ex Josepho tum ex Philone non modo tunc summam fuisse sacerdotalis generis in statu rerum nimium inclinante potestatem, verum etiam semper, juxta superius dicta, ex eodem genere & Levitico homines studiis juridicis [m] prae aliis vacasse. Unde non tam ad tribunal aliquod sacerdotum singulare (utcunque forte, ex accidente, subinde obtinens) spectat illud Philonis, quam ad singularem eorum doctrinam & juris peritiam; perinde ac si stata nunc tribunalia in litibus difficilioribus academicos juris studiis prae aliis vacantes (ut non ita raro fit) consulerent.

CAP. XIV.

I. *De synedriis & praefecturis juridicis extraordinariis, & judiciis a rege exercendis. Unde ortum illud Talmudicum, rex nec judicat, nec judicatur. Hyrcano Alexandri F. ut regi potestas judiciaria a Julio Caesare concessa. De Salomonis regis throni gradibus sex.*

II. *Judex unicus subinde ad judicia civilia constitutus. Qualitates & temperamenta ad eum attinentia.*

III. *De zelotarum in atrocioribus aliquot, citra figuram judicii forensis, facinoribus puniendis potestate legitima. Ejusmodi juris apud alios vestigia. In utlagatos, seu usque ad legis beneficii privationem capite diminutos, tale olim apud Anglos. Caput Lupinum. De eo aliisque obiter monitum ex Coci Fabula apud Galfredum Chaucerum, MS. De convictis apud nos olim formula forensi Praemunire dicta. Monomachiae extrajudicialis usus.*

[d] Parisiis 1640. [e] Exod. xxiii. 1. [f] Orat. adversus Eubulidem. [g] Exod. xxiii. 8. [h] Levitic. xix. 15. [i] Ibidem. [k] Ibid. [l] *Lib. περὶ καταστάσεως ἄρχοντος.* [m] Deuter. xxxiii. 10. Joseph. adversus Apion. lib. 2. *More Nebochim*, part. 3. cap. 39.

IV. *Centum-*

IV. *Centumviralia Essenorum judicia. Familiarum, tribuum omnium, Phylarcharum conventus. Et de eo quod habetur de tribuum complurium, etiam & unicae, conventu seu synedrio.*

V. *Sacerdotum notio singularis circa plagam leprae. De illo in lege, & ex ore illorum omnis lis & omnis plaga.*

DE synedriis Ebraeorum veterum seu praefecturis eorum juridicis intra terram sanctam ordinariis, earumque jurisdictione & imperio, atque de agendi, excipiendi, testandi, disceptandi, definiendi in eis formulis praecipuis, reorumque condemnatione ac poenis, hactenus actum est; excepto imperio ac jurisdictione synedrii magni, quae librum occupant tertium. Sequitur ut juxta institutum de extraordinariis videamus. Extraordinariae praefecturae fuere, tribunal regium, atque unici judicis publice constituti munus: Quibus accedunt etiam zelotarum, citra judicii forensis figuram, facinora aliquot atrociora puniendi potestas legitima; sodalitiorum seu sectarum aliquot synedria; uti etiam sive integrarum tribuum, sive partium earundem aliquot; & demum, sacerdotis notio circa lepram. De regibus legitur in Misna [n]; המלך לא דן ולא דנין אותו לא מעיד ולא מעידין אותו *Rex non judicabat, nec judicabant* alii *ipsum*; *nec testimonium dabat* forense, *nec in ipsum testimonium dicebatur*. Quod ita generatim dictum ex disciplina explicantes ibi temperant magistri. Hierosolymitani [o] adducunt illud de Davide rege [p], *Et regnavit David super omnem Israel, faciebatque David judicium & justitiam omni populo suo*, quasi non dubitassent quin revera regi judicia non essent deneganda. Sed ad Misnam illam Babylonii [q], אמר רב יוסף לא שנו אלא מלכי ישראל אבל מלכי בית דוד דן ודנין אותן דכתיב בית דוד כה אמר יי׳ דיני לבקר משפט וגו׳ *Dixit Rab Joseph, non recipi hoc nisi de regibus Israel*; (id est, regibus qui non ex stirpe Davidica; velut Hasmonaeis, qui ex tribu Levitica; nec enim de cunctis regibus Israel illud capiendum satis ostendunt alia quae e Talmudicis sequuntur de judiciis etiam regum Israel) *sed reges domus Judae & judicabant ipsi, & judicabant* alii *ipsos, juxta quod scriptum est* [r], *Domus Judae, sic ait Dominus, judicia exercete mane.* Et distinctio hujusmodi a magistris [s] recipi solet. Unde ea ortum habuerit, dignoscitur ex Gemara Babylonia [t], ubi statim post verba illa jam allata legitur; ואי לא דיינין ליה איגהו היכי דייני הכתיב התקוששו וקושו ואמר ריש לקיש קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים אלא מלכי ישראל מ״ט לא משום מעשה שהיה דעבדיה דינאי מלכא קטל נפשא אמר להו שמעון בן שטח לחכמים תנו עיניכם בו ונדוננו שלחו ליה עבדך קטל נפשא שדריה להו שלחו ליה תא אנת נמי להכא והועד בבעליו אמרה תורה יבא בעל השור ויעמוד על שורו אתא ויתיב אמר ליה שמעון בן שטח ינאי המלך עמוד על רגליך ויעידו בך ולא לפנינו אתה עומד אלא לפני מי שאמר והיה העולם אתה עומד שנ׳ ועמדו שני האנשים אשר להם הריב וגו׳ אמר לו לא כשתאמר אתה אלא כמה שיאמרו חבריך נפנה לימינו כבשו פניהם בקרקע נפנה לשמאלו וכבשו פניהם בקרקע אמר להן שמעון בן שטח בעלי מחשבות אתם יבא בעל מחשבות ויפרע מכם מיד בא גבריאל וחבטן בקרקע ומתו באותה שעה אמרו מלך לא דן ולא דנין אותו לא מעיד ולא מעידין אותו *Atque, nisi judicari possent ipsi, judicari rite nequibant, juxta illud* [v], *Excutite vos ipsos, & excutite; quod juxta Rish Lakish significat, Corrige te ipsum primum, & dein corrige alios. Caeterum quare non reges Israel? Ratio est ex eo quod accidit de servo Jannaei regis. Scilicet homicidium servus commiserat. Simeon Ben Shatach* princeps synedrii *monuit collegas ut rem animadverterent atque in judicium vocarent. Mittitur ad eum nuncius, servus tuus homicidium patravit. Misit eum rex. Citarunt ipsum regem, veni tu quoque huc, & testimonium ea de re accipias. De domino suo loquitur lex* [x] *ubi, de bove cornupeta, Veniat dominus bovis, & consistat juxta bovem suum. Venit rex, assedit. Tum Simeon Ben Shatach ad illum, rex Jannaee, surge in pedes tuos, & testimonium de te dicetur. Neque tam coram nobis surges quam coram illo quo jubente mundus exstitit. Nam & dicitur* [y], *Et stabunt duo viri quibus lis est. At vero rex, non ex tuo jussu, sed pro eo quod censebunt collegae tui. Conversus* princeps synedrii *in dextram, vidit omnes oculos in solum defixisse. Idem, in sinistram conversus, vidit. Unde eis, viri cogitabundi, inquit, veniet is qui cogitationes vestras scit*, ὁ καρδιογνώστης, *atque sumet de vobis vindictam. Confestim Gabriel advenit, & eos humi afflixit, adeo ut omnes morerentur. Ea in hora natum est illud, Rex nec judicat, nec judicant ipsum; nec testimonium dicit, nec dicitur testimonium in ipsum.* Summatim rem narrat Abraham Zacuthius [z], in Shatachide, כשהרג עבד המלך לאיש אחד עשה שבא המלך לפניו ושיקום לפני הסנהדרין והם כבשו פניהם ואמר שמעון בן שטח בעל מחשבות יפרע מהם ובא גבריאל והכבן בקרקע ואז גזרו מלך לא דן ולא דנין אותו: *Cum regis servus homicidium patrasset, fecit ille*, princeps nempe synedrii magni, *ut sisteretur coram se rex, & staret coram synedrio. Illis vero vultus dejicientibus*, ad regis praesentiam consternatis, *dixit Simeon Ben Shatach*, ὁ καρδιογνώστης *sumet de vobis vindictam*; *& venit Gabriel, & decussit eos in terram. Et tunc decrevere* (tunc, ab hoc exemplo, natum est decretum illud) *regem nec judicare nec judicari.* Inde etiam illud Maimonidis [a], *reges Israel*, id est neutiquam domus Davidicae, seu veteres, אין דנין ואין דנין אותם לפי שאינן נדנין לדברי תורה שמא תבא מהן תקלה *Nec judicabant nec judicabantur, cum scilicet verbis legis se non submitterent; ne scandalum*, contemptus judiciorum nimius, *inde introduceretur.* Jannaeus hic seu ינאי rex pro eodem sumitur, qui est Alexander Jannaeus in Hasmonaeorum serie.

[n] Tit. *Sanhedrin*, cap. 2 §. 3, &c. [o] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol 20 col. 1. [p] 2 Samuel viii 15. [q] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19, 1. [r] Jerem. xxi. 12 & xxii. 2, 3. [s] Maimonides Halach. *Melakin Wemalchemoth*, cap. 3. §. 7. alii passim. [t] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19, 1. videsis etiam in Guil. Schickardi erratis ad finem lib. de Jure Regio, & in Jo. Cochii tit. *Sanhedrin*, pag. 168. *Aiin Israel*, tom. 2 fol. 99 b. &c. [v] Zephan. cap. ii, 1. [x] Exod. xxi. 29. [y] Deuter. xix. 17. [z] *Juchasin*, pag. 57, 1. [a] Tract. *Sanhedrin*, cap. 2. §. 7.

Sed interea manifestum est ex ipsis ante allatis verbis, dictum illud de regiis judiciis, sive qua ad illum ut judicem, sive qua velut ad actorem reumve attinere potuerant, Hasmonaeorum ut ostensum est tempore, id est quo synedrium magnum, reges legem sacram nimium contempsisse, merito existimabant, hinc initia sumpsisse. Conjunctum vides illud de testimoniis. Atqui citatur in testimonium audiendum tunc rex. Ex jure igitur obtinuit antequam hoc fiebat, ut testimonium etiam contra regem audiretur. At vero ab hoc Jannaei exemplo evanuere tam quae antea rite in judiciis ferendis ad regem spectabant, quam quae ad testimonia attinerent sive in eum praebenda sive ab eo accipienda, ob praesentiae nempe ejus & majestatis terrorem. Alioquin tum testimonia praebuisse tum ab aliis accepisse, etiam & judicasse, reges seculis superioribus, quando legi sacrae scilicet obsequentiores erant, tum ex hisce tum ex superius allatis[b] palam est. Absolutissimam autem in poenis citra judicii figuram corpori infligendis, adeoque vitae & necis, potestatem regum etiam Israelis interim faciunt. Maimonides de eis, כל המורד במלך ישראל יש למלך רשות להרגו אפילו גזר על אחד משאר העם שילך למקום פלוני ולא הלך או שלא יצא מביתו ויצא חייב מיתה ואם רצה להרגו יהרג שנ׳ כל איש אשר ימרה את פיך וגו׳: *Si quis in regem Israelis contumax esset, regi licuit eum morti tradere. Ut si decerneret rex de quopiam, eundum ei ad locum talem, qui non iret, aut e domo sua non exeundum, qui tamen exiret, inde mortis reus erat. Et pro arbitratu suo morte eum afficiebat rex, secundum illud* quod a populo dictum Jehosuae[c], *Omnis homo qui rebellis fuerit ori tuo, & verbis tuis non acquieverit in omnibus quae ei mandaveris, interficiatur.* Ita Jehosuae ut Mosis successoris principatus jura regibus etiam Israelis illis tribuere. Adeoque regii hujus juris aiunt fuisse, ut liceret regi quemquam se contemptui habentem aut probris afficientem neci tradere, אלא בסייף בלבד *sed tantum gladio.* Exemplum etiam juris hujus regii in domo Davidica afferunt de Shimei filio Gerae[d], qui Davidem regem exsecratus esset, quasi etiam ad regium illic vetus hoc imperium attinuisset. Idem Maimonides, ubi de occiso in campis reperto ex lege sacra[e] agit[f] (qua de re plura libro tertio) & de homicida quocunque modo, etiam ex praesumptionibus synedrio magno jure strictiori agenti haud satisfacientibus, tantum detecto, *Si*, inquit, *eum morte non plecterent* בית דין *synedrium* magnum, המלך יהרגו שיש לו להרוג באמתלאות ובדדמי *morti tradendus erat a rege* (codex Arabicus habet ibi السلطان) *cui potestas ex indiciis & praesumptionibus morte plectere.* Et dubitari nequit quin pro vario rerum Ebraicarum statu alia atque alia esset, ut alibi aliorum, regum uti & pontificum potestas judiciaria. Exempli causa, Hyrcanus Alexandri filius cum a Julio Caesare ethnarcha simul & pontifex creabatur sibi suisque, adjectum est[g], *Et si qua exorta fuerit controversia de Judaica disciplina*, κρίσιν judicium *penes eum decerno fore.* Qui locus integrius infra[h] adducitur. Ita pro dominantium arbitratu ac potestate res aliter aliterque, se, ut in aliis, habuit. Atqui licet ut vitae & necis ita & custodiae reos tradendi & verbera infligendi ei erat potestas, nihilominus poenae nomine לא יפקיר ממון ואם הפקיר הרי זה גזל *confiscare* seu *publicare nequibat* rei *bona*, aut sibi pro libitu assumere: *Quod si faceret, rapinae habebatur reus ipse.* Non igitur exemplum publicationis bonorum in decreto Ezrae[i] ex jure illis pendet regio, sed suprema synedrii magni, quod ille & collegae ejus aut tunc agebant aut prout potuere imitabantur, potestate. Ita interim ut quanquam poenae singularis nomine publicatio bonorum fieri non potuerit a rege, tamen כל הרוגי המלך ממונו למלך *ejus qui neci sic a rege traderetur bona regi cederent*[k]. Amplissima imperii & jurisdictionis apud eos regiae capita alia tam circa res pacis quam belli exhibet fusius Guilielmus Schickardus in משפט המלך seu *jure regio* Hebraeorum, unde quae doctissime tradidit ille nobis compilare religio est. Judicia, ut videtur, quae regibus quibuscunque suis rite competiisse admittunt fuerunt לפי שעה *pro re nata* adeoque extraordinaria; qualia Salomonis illud[l] de puerulo & binis meretricibus. Accedat hic quod habent de throni ejus judiciarii sex gradibus[m]. Aiunt aliqui, praeconem publicum, quoties ascendebat rex, ita eum ex solito monuisse, ut ad singulum ascensum singula ei recitaret praecepta illa sex quae simul habentur & continua sunt in lege sacra[n]. Ad ascensum primum[o], *Ne pervertito judicium*; ad secundum, *Ne dignoscito personas*; ad tertium, *Ne accipito munera*; ad quartum, *Ne conserito lucum*; ad quintum, *Ne erigito statuam*; ad sextum, *Ne mactato Domino Deo tuo bovem aut ovem in qua macula*, &c. Et demum, simulac insideret thronum, *Scito coram quo tu sedeas*, &c. Alii vero, sex ista monita sex leones, utrinque ad gradus dispositos, una manu ostendisse, & alteram expansam habuisse ad dilacerationem. Ultimum autem monitum de consessu indicasse duos leones ad sustentacula manuum positos. Et ad vicariam regis in judiciis potestatem attinet illud[p] de Jothamo regis Azariae filio. Patre scilicet lepra percusso, adeoque in בית החפשית *domum solitariam* secluso, filius על הבית שפט את עם ארץ *praeficiebatur palatio, & judicabat populum terrae.*

II. Licet ex jure ordinario, juxta superius ostensa, synedri esse deberent sive tres, sive viginti tres, (neque hactenus assecutus sum cur vir summus[q] de *numero* XXIII. *aut minimum* XXI. hic locutus sit) sive septuaginta unus, adeoque nunquam ex alio quam impari numero constare (cujus exemplum vetustissimum est in triga illa judicum, Minois, Radamanthi & AEaci[r], omnium mortalium apud inferos) atque in imparem etiam semper pro re nata tum tres illi tum viginti tres augeri, ut dictum est, ne scilicet si numeri paris paria forent utrinque suffragia seu calculi judiciarii, nec sententia legitima sive absolutionis sive condemnationis ferri posset, adeoque facinorosi impune evaderent (nam vetus est & rationi

[b] Cap. 9. § 7. [c] Jehosua i. 18. [d] 2 Sam. xvi. 9 1 Reg. ii. 8, 9. [e] Deuter. xxi. 1. [f] *More Nebochim*, part. 3. cap. 40 [g] Joseph Originum, lib. 14. cap 17. [h] Cap. 15. § 12. [i] Cap x 8. [k] Maimonid. Halach. *Melakim*, cap 4. §. 7. [l] 1 Reg. iii. 16 [m] 1 Reg. x. 18. [n] Deuter. xvi. 19. in cap xvii. 1 [o] *Dabarim Rabba*, fol. 296. col. 3, 4 R Bechai in *Biur ad bathora*, fol. 218. col. 2. & videsis J. Buxtorf. in Lexic. Talmudico, col. 2361. [p] 2 Regum xv. 5. [q] Hugo Grotius ad Deuteron. xvii. 5. [r] Plato in Gorgia.

perquam

perquam consonum, quod habetur apud Euripidem[s], Aristotelem[t], alios, Ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἐὰν ἴσαι γένωνται ψῆφοι τοῖς ἀντιδίκοις, ὁ φεύγων νικᾷ, *In judiciis si pares sunt calculi parti adversae, victor est reus*, quod etiam juri Caesareo [v] consonum, fundatum est scito illo veteri Atheniensium, nempe, ubi paria utrinque suffragia essent[x], τὴν τῆς Ἀθηνᾶς ψῆφον ἐπιτιθεμένην τῷ τὴν δίκην ὀφλήσειν μέλλοντι, ἀπολύειν ἄμφω τῆς αἰτίας· τὸν μὲν ἐπάγοντα τὴν κατηγορίαν, τοῦ δοκεῖν εἶναι συκοφάντην· τὸν δὲ, ὡς εἰκὸς τοῦ δοκεῖν ἔνοχον εἶναι τῷ πονηρεύματι, *Adjectum Minervae suffragium ei qui in judicium deductus esset, utrumque satis liberare, adeoque tam eum qui crimen intulerat ab calumniae suspicione, quam eum qui accusatus fuerat ab objecto crimine)* nihilominus, cum numeri ratio, extra septuagintauniusviralem, non omnino lege fundaretur sacra, sed jure ac more majorum superinducto, inde evenit ut pro utiliori personarum & locorum commodo in jure itidem illo superinducto obtineret ut unicus (sed nunquam duo, ob dissensus ejusmodi incommodum) legitime judicia, non capitalia, quaedam exercere potuisset. Hunc מומחה vocitabant, ob excellentiam scilicet singularem undiquaque judiciis ejusmodi *per se idoneum & probatum*, seu מומחה לרבים *publice constitutum*, & שנוטל רשות מבית דין *qui acceperat facultatem* ita judicandi a synedrio sive vigintitriumvirali aliquo sive magno. Maimonides[y], אף על פי שאין בית דין פחות משלשה מותר לאחד לדון מן התורה שנ׳ בצדק תשפוט עמיתך ומדברי סופרים עד שיהיו שלשה׃ ושנים שדנו אין דיניהן דין׃ *Quanquam non erat* ex more receptiori seu ordinarie *synedrium e paucioribus quam tribus, attamen etiam unico licuit ex lege judicare, juxta quod scriptum est* [z] in praeceptis ad singulos attinentibus, *Cum justitia judicabis proximum tuum. Sed ex scribarum disciplina* seu jure superinducto *evenit ut triumviri inducerentur. Duumvirorum autem judicantium judicium irritum habebatur.* Caeterum judicem hujusmodi unicum aiunt non censeri solitum pro בית דין *domo judicii*, licet extra ordinem ei sic fas esset judicare. In monitis etiam habebant, ut, tametsi potestatem ejusmodi sortiretur judiciariam sibi solam, seu ut מותר לו לדון יחידי *fas ei esset soli judicare*, nihilominus alios sibi in consessum, ut judicii adsessores, adsciret. Dicere enim solebant selectis ejusmodi, לא תהי דן יחידי שאין דן יחיד אלא אחד *Ne sis judex solus*[a], *quoniam non exstat judex solus praeter unicum*, id est, Deum O. Maximum. Etiam judex hujusmodi unicus constituebatur tam ex non ordinatis quam ordinatis, sed non sine temperamentis ejusmodi quae minoris eum dignitatis faciant quam triumviros sive ordinatos sive non ordinatos. Maimonides[b], יחיד שהוא מומחה לרבים אע״פ שהוא דן דיני ממונות יחידי אין ההוראה בפניו הוראה בבית דין ואפילו היה סמוך׃ אבל השלשה א״עפ שאינן סמוכין והרי הן הדיוטות ואין אני קורא בהם אלהים הרי ההוראה בפניהם הוראה בבית דין׃ *Unicus qui fuerit publice probatus*, per excellentiam ad judicia extra ordinem admissus, *tametsi rite judicaret judicia civilia solus, attamen confessio obligationis aut debiti coram eo non censebatur velut ea quae in judicii domo*, sic vulgo dicta, seu *synedrio haberetur. Neque aliter se res habebat licet ordinatus esset. Sed apud triumviros, tametsi non essent ordinati, sed plane vulgares* seu *plebeii, qui nec dii vocandi* notione illa qua judices Ebraeorum ex sacra lege *dii* dicti, *Confessio ejusmodi confessio habebatur plane forensis.* Advertendum autem est, causis non aliis legitimum hunc fuisse judicem unicum quam quae triumviris etiam non ordinatis competerent, id est, non τοῖς דיני קנסות *judiciis multatitiis*, nec, ut puto, in quibus verberum poena; sed reliquis inter civiles simplicioribus. Et videsis supra cap. x. §. 4. ubi המומחה sic publice per se ordinatus & triumviri ex vulgo seu הדיוטות ἰδιῶται aequiparantur.

III. Quod ad zelotas attinet; fusius de eis alisque juris parilis egimus in libris de jure naturali & gentium[c]. Jus eis erat, pro atrocitate in numen sanctissimum populique sanctiora facinoris, peccantem, citra figuram judicii, nedum in jus vocationem, statim obruere, etiam morte multare. Ibi allatis adjice ex Philone[d], facinorosum ejusmodi, maxime in idololatriam pellicientem, Κολαστέον ὡς δήμιον καὶ κοινὸν ἐχθρὸν ὄντα, ὀλίγα φροντίσαντας οἰκειότητος, καὶ τὰς παραινέσεις αὐτοῦ διαγγελτέον πᾶσι τοῖς εὐσεβείας ἐρασταῖς, οἳ ἀνυπερθέτῳ τάχει τὰς κατ᾽ ἀνδρὸς ἀνοσίου ἐπιδραμοῦνται τιμωρίας, καθαρὸν νομίζοντες εὐαγὲς τὸ κατ᾽ αὐτοῦ φονᾷν, *Necandum esse velut hostem publicum sine respectu privatae necessitudinis. Et illecebrae ejus emittendae sunt ad omnes pietatis amatores, qui absque mora in scelestum irruant, rati sanctitatis officium talem hominem occidere.* Cum tamen Judaeorum ipsorum primates, velut juris ejusmodi oblivionem simulantes, apud Hyrcanum Herodem Antipatri filium accusabant, quod Ezeciam τὸν ἀρχιλῃστὴν *latronum principem* ejusque socios occidisset, adjecere, παραβὰς[e] τὸν ἡμέτερον νόμον, ὃς κεκώλυκεν ἄνθρωπον ἀναιρεῖν καὶ πονηρὸν ὄντα, εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ συνεδρίου. μὴ λαβὼν δὲ ἐξουσίαν παρὰ σοῦ ταῦτα ἐτόλμησεν, *Transgressus leges nostras, quae hominem quantumvis scelestum non sinunt tolli nisi prius morte damnatum a synedrio. Nec a te potestate accepta, hoc patrare ausus est.* Sed zelotarum illius sive moris sive juris tunc temporis obtinentis vestigia nec obscura sunt alibi apud Josephum ipsum. Ejusmodi quid cernitur etiam apud Athenienses, quorum legibus cautum est, Ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθηναίων, ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας, πολέμιος ἔστω Ἀθηναίων, καὶ νηποινὴ τεθνάτω, ut psephismatis verba sunt apud Andocidem[f], *Si quis democratiam Atheniensium everterit, aut eversa ea magistratum gesserit, ut hostis Atheniensium censendus erit, & cuique eum occidere impune sit.* Etiam quicunque occidisset, ὅσιος καὶ εὐαγής, *purus & sanctus a caede*, sine lustratione solenni, habebatur. Quin & jurejurando inter sacra universi obligabantur idem praestare, ut ante ostensum[g]. Subinde etiam praeconio edictum,

[s] In Electra. [t] Problemat. 29. §. 15. [v] L. 38. inter pares D. tit. De re judicata, & videsis Cujacium, lib. 17. Observat. 16. & Samuel. Petit. ad Legum Atticarum, lib. 5. pag. 334. [x] Julianus Orat. 3. pag. 213. [y] Halach. *Sanhedrin*, cap. 2. §. 10, 11. Gemara utraque ad Misnae tit. eundem, cap. 1. [z] Levitic. xix. 15. [a] Videsis R. Ismael in *Pirke Aboth*, cap. 4. Plantavitzii Florileg. Rabbinicum, §. 85. [b] Halach. *Sanhedrin*, cap 5. § 18. [c] Lib. 4. cap. 3, 4, 5. & vide lib. 1. de Success. in Pontif. cap. 8. & videsis Maimonid. tit. *Sanhedrin*, cap. 18. § 6. 1 Maccab. ii. 24. & ibi interpretes. [d] Lib. περὶ θυόντων. [e] Joseph. Originum, lib. 14. cap. 17. [f] Orat. 1. seu de Mysteriis. [g] Cap. 11. § 3.

quemque damnatum aliquem occidentem praemio remunerandum. Hac de re etiam Demosthenes[h], atque ex eo Harpocration[i], alii. Habent quidem in ſe etiam juris Caeſarei aliorumque ſcita aliquid ejuſmodi, dum publicorum judiciorum actiones nemini non permittunt. Juſtinianus[k]; judicia *publica dicta ſunt*, *quod cuivis ex populo exſecutio eorum* (criminalis accuſatio) *plerumque datur.* Simile zelotarum jus exerceri permittitur[l] apud Venetos in *bannitos*, quos ſic vocant. Quibus olim ſimiles apud nos habiti ſunt qui ob contumaciam in non comparendo cum in jus vocarentur, capitaliter convicti, adeoque capite deminuti fuerint. *Utlagatos* vocitamus, id eſt extra legis protectionem poſitos, etiam & antiquitus *forbannies*[m]. Henricus Bractonius vetuſtus apud nos juriſconſultus[n] anno Chriſti 1240 aut circiter, *Item*, inquit, *forisfacit utlagatus omnia quae pacis ſunt, quia a tempore quo utlagatus eſt caput gerit lupinum, ita quod ab omnibus interfici poterit, & impune, maxime ſi ſe defenderit, vel fugerit, ita quod ſit difficilis ejus captio.* Quibus conſonae ſunt leges Edwardi Confeſſoris dictae[o]. *Si repertus fuerit, & retineri poſſit, vivus regi reddatur, vel caput ejus, ſi ſe defenderit. Lupinum enim gerit caput, quod Anglice* ƿulfeſheofod *dicitur. Et haec eſt lex communis & generalis de omnibus utlagatis.* Et nomen illud *capitis lupini* etiam in Henrici quarti tempora in foro pro *utlagato* duravit, ut eliciendum videtur ex Rogeri Coci Londinenſis fabula apud Galfredum Chaucerum, necdum omnino edita, ubi de Gamelino legitur,

Gamelyn come boldeliche into the mote halle,
And putt adown his hoode amonge the Lordis alle.
God save you Lordinges that now here bee.
But brokebak ſhereff, evel mot thou the.
Whi haſt thou done me that ſhame and velanie
For to late endite me and *Wolfes hede* me crie?

& paulo ante,

Tho were his bondemen ſorri and nothinge gladde
Whan *Gamelyn* hur lord *Wolfes hede* was cried and made.

&,

Now is thi brother ſheriffe, and hath the baillie,
And hath endited the and *Wolfes hede* doth the crie.

Atque advertere obiter liceat, in Chauceri editis omnibus, repraeſentari lepidam Coci de ſervo quodam Londinenſi nequam prodigo narratiunculam, quaſi initium fabulae ejus inter itineris comites dicendae, monerique ab editoribus partem hanc eſſe fabulae ejus, reliquumque aut periiſſe aut ab autore non fuiſſe abſolutum. Quae hallucinatio quidem eſt ſumma, ac praeſtantiſſimo poetae fraus non toleranda. Etenim ex colloquio ibi hoſpitis, qui veluti itineris praeſes erat, & Coci narratiuncula illa, velut praeludium alioſum tendens, oritur, ſimulaturque quaſi foret revera fabula ejus tunc dicenda. Sed praeludium illud integrum eſt in editis, nec ejuſdem quid omnino interiit. Et poſt verſiculos illos quibus finitur,

And had a wife that held for countenance
A ſhop, and ſwived for her ſuſtenance.

ſtatim ſcripſit Chaucerus,

And therewithall he lough and made chear,
And ſaid his tale, as ye ſhullen after hear.

Quod perperam nimis in editis, uti etiam in MSS. nonnullis, locum non ſuum ſortitur proxime ante praeludium, quaſi illud pro fabula ipſa plane habendum eſſet. Sed vero in codice penes me pulcherrimo MS. aliiſque, ſtatim poſt verba illa de fabula Coci dicenda, ſequitur.

Here beginneth the cokes tale of *Gamelin.*

Lithen and liſtneth and harkneth aright,
And ye ſhall heren of a doughti knight,
Sire *John* of *Boundis* was his name,
He cowde of nurture and mochel of game.

Filii Joanni huic de Boundis ei fiunt tres, Joannes, anonymus, & Gamelinus, de quo in allatis. Et de maximi & minimi circa patrimonium diſſenſu, hujuſque virtute ac illius vafritie ſumma, fabula ſatis ampla nec omnino contemnenda contexitur, quae illic integra eſt. Definit etiam in Gamelini ſummae, quam paſſus eſt, injuriae ultionem, per mortem ignominioſam fratri Joanni ut judici, & duodecimviris juratis, velut etiam ex jure zelotarum ſimulato illatam. Nomen autem illud *capitis Lupini* quaſi zelotarum jus deſignavit, ex origine, uſurpatum pro eo quem non ſolum cuique licuerit occidere (quod ſeculis abhinc aliquot prorſus evanuit) ſed ob cujus mortem ſic inflictam laus ſaltem, ut praemium publicum, ſingularis debita eo nomine fuerit interfectori. Sic enim antiquitus mos apud nos ſe habuit circa lupos[p], quemadmodum poſtea aliquamdiu circa vulpes etiam, catos ſylveſtres, muſtelas, lutras, quadrupedes alios, uti & circa aves aliquot frugibus aut pullis infeſtiores, lex hic obtinuit[q]. Certe & jus ejuſmodi nonnulli olim apud nos opinati ſunt viguiſſe in eos qui *extra pacem & protectionem regis* ideo poſiti (juxta formulam forenſem *praemunire* dictam ſtatuto parliamentario[r] fundatam) quod de re aliqua in foro quocunque, ſive Romae, ſive Avenione, ſive intra Angliam agerent, cujus cognitio ad tribunalia ſpectaret regia; id eſt maxime in Eccleſiaſticos majeſtatem regiam ſic plane autoritatis pontificiae obtentu laedentes. Sed ſub Elizabetha regina ſancito parliamentario[s] opinio illa abolita eſt. Certe mortem poenae inſtar inferendi citra figuram judicii uſus etiam cernitur, ut in morem receptus, ubi fama aliterve laeſus quis in duellum laedentem provocaverit. Ea de re ſcriptores obvii. Sed prae aliis, qua ad hanc rem ſpectent, Thomas Hurtado in reſolutionibus moralibus[t].

[h] In Philippic. 3. [i] Verb. ἄτιμος & verb. ἐπικεκηρυχέναι, & Samuel. Petitus ad legg. Attic. lib 7. pag. 232. & 562. Et vide Plutarchum in Ageſilao & Alexandr. ab Alexandro Genial. Dierum, lib. 3. cap. 9. [k] Inſtit. tit. De Publicis Judiciis in principio. [l] Videſis Philip. Mauſſacum in Harpocrationem, pag. 179. [m] 1 Ed. 3. fol 19. a. [n] Lib 3. de Corona, cap. 13 §. 3. [o] Cap. 7. [p] Guil. Malmeſburienſis de Regibus Angliae, lib. 2. cap 8. Eſcaetriae anni 27 Henrici 3. *Leyceſtriae.* [q] Stat. 8 Elizabethae, cap. 15. [r] Stat. 25 Edwardi 3. [s] Stat. 5 Eliz. cap. 1. [t] Variar. Reſolution. Tract. ult.. Reſolut. 5, &c.

IV. Soda-

IV. Sodalitiorum aliquot ex confoederata inter ſe diſciplina praefecturae juridicae cernuntur in Eſſenorum conſiſtoriis centumviralibus; de quibus Joſephus[v], περὶ τὰς κρίσεις ἀκριβέστατοι ϗ δίκαιοι. Καὶ δικάζουσι μὲν οὐκ ἐλάττους τῶν ἑκατὸν συνελθόντες. τὸ δ' ὁρισθὲν ὑπ' αὐτῶν ἀκίνητον, *in judiciis ſunt diligentiſſimi atque juſtiſſimi. Diſceptant autem* (ſic Ruffinus; potius *dijudicant*) *non minus quam centum in unum coacti. Quod autem his decretum fuerit, immobile manet.* Scilicet ſingularis inter ſe in ſuorum quemque, nec alios, ſic creata juriſdictio qualiſcunque. Ejuſmodi proculdubio erant praefecturae ſodalitiis inter ſe aliis, velut ſacerdotali generi, quoad ſuam inter ſe dignitatem reſque alias in tribunalia publica non neceſſario ſemper deducendas, commodius tuendas. Nam circa praeſtitutam filiabus ſacerdotalibus dotibus ſummam memoratur בית דין של כהנים *domus judicii* ſeu *ſynedrium ſacerdotum*[x], quod plane non aliuſmodi erat, nec omnino quod in alios aliquos, nec quidem in ſui generis ex ordinario aliquo jure, homines juriſdictionem exerceret. Cum his cenſendi ſunt phylarcharum, aliorumve ejuſmodi, etiam & totius Iſrael, pro re nata conventus extraordinarii; quorum mentio ſatis obvia [y] ſacris in literis. Et de conventibus ejuſmodi magiſtri ſaepius, במקום שיתקבצו כל ישראל או רובם שם שכינה שורה *Ubicunque congregati fuerint omnes Iſraelitae ſeu pars eorum major, ibi majeſtas divina* ſeu *ſpiritus ſanctus quieſcere ſolebat.* De omnibus, ſeu majori parte civiliter congregata, capiendum eſt. Ita nempe ut qui conventibus ejuſmodi ſeu tributis comitiis adeſſent, abſentum non paucorum, veluti majores natu, phylarchi, patres, principes familiarum, perſonas ſimul, quemadmodum in comitiis fieri ſolet, pro more patrio ſuſtinerent. Plurium item tribuum, veluti ſex, quinque, ſeptem etiam & unicae, conventum ſeu domum judicii habemus ſimili ſenſu apud Talmudicos; qua de re plura ubi libro tertio agitur de ſenſu & notione legis illius[z], אם כל עדת ישראל ישגו וגו׳ *ſi omnis coetus Iſrael erraverit,* &c. Sed quicquid in conventibus ejuſmodi decretum eſt, לפי שעה *pro tempore* & re nata in publicam tutelam, neutiquam ex jure ordinario, fieri cenſebatur.

V. Ex legibus item ſacris[a] de ſacerdotis (Aharonis, aut ex ejuſdem filiis ſacerdotis alicujus) leprae ejuſque plagarum inſpectione adeoque judicio, & conſequentibus circa tam leproſum ipſum quam veſtes & vaſa ejus, munditiem, immunditiem, ſingularis quaedam notio & extraordinaria ad ſacerdotem aliquem, non ſingulariter aut nominis aut muneris ordine aliquo praeſtitutum, ſed obvium, ſeu a leproſo ſibi electum, attinens. De lepra ipſa cutiſque & plagarum diſcrimine multiplici ſubtilia habent non pauca e cabala ſua magiſtri; qua de re in corpore Talmudico titulus eſt נגעים *de plagis,* unde illi ſua congerunt[b]. Perſonae notioni huic ſubjectae, id eſt immundi ex lepra, fuere univerſi Iſraelitae[c], אפילו קטן בן יומו והעבדים *etiam minor* ſeu *infans recens natus, & ſervi:* At לא כותיים ולא גר תושב *non Cuthaei* (editiones aliae, לא גוים *non gentiles*) *nec proſelytus domicilii.* Miſnaca de re[d], הכל מטמאין בנגעים חוץ מן הנכרים וגר תושב *univerſi immundi fiunt ex lepra* (juxta legem ſacram) *praeter exteros & proſelytum domicilii* ſeu qui terrae ſanctae incola in ſe Noachidarum praecepta ſeptem ſuſcipiens, nondum in Judaiſmum tranſierat. Jam vero, tametſi in verbis ſacris adeo expreſſa habetur ſacerdotis inſpectio, nihilominus docent quod הכל כשרים לראות את הנגעים *nemo Iſraelitarum,* aliis utcunque rebus gerundis non inidoneus, *haud idoneus erat inſpectioni plagarum.* Quibus adjiciunt, אע״פ שהכל כשרים לראות נגעים הטומאה והטהרה תלויה בכהן *Licet univerſi ſint idonei inſpectioni plagarum, immunditiem tamen & munditiem pendere ex ſacerdote.* Exemplum afferunt, כיצד כהן שאינו יודע לראות החכם רואהו ואומר לו אמור טמא והכהן אומר טמא אמור טהור והכהן אומ׳ טהור הסגירו והוא מסגירו שנ׳ ועל פיהם יהיה כל ריב וכל נגע *Exempli gratia; ubi ſacerdos erat ignarus artis inſpiciendi, ſapiens* (legis peritus aliquis) *inſpiciebat, qui ſi pronuntiaret immundum, ſacerdoti etiam pronunciandus erat immundus; ſi mundum, ſacerdoti itidem mundus; ſi claudendum, claudendus erat, juxta illud*[e]; *Et ex ore eorum,* ſacerdotum, *omnis lis & omnis plaga.* Quod quidem dictum ubi leprae mentio alias nulla eſt, ſed cauſa tantum vaccae rufae indicatur, a Chaldaeis expreſſim ſumi videtur pro judicio circa leproſum, nec aliud omnino. Onkelos ibi, ועל מימריהון יהי כל דין וכל מכתש סגירו *& juxta verbum illorum erit omne judicium & omnis plaga incluſionis* ſeu *leprae.* Et alter, ועל מימר פומהון יהי מיתדן כל דין וכל מכתש צורעא למסגר ולמהלט *Et juxta verbum ipſorum erit ſolutum omne judicium & omnis plaga leprae, ad claudendum, & ad lepram praeciſe pronunciandum.* Atque ita quidem loci ſenſus eſt in Gemara Babylonia[f], alibique. Vulgata ibi, *& ad verbum eorum omne negotium pendet, & quicquid mundum vel immundum eſt judicetur.* Aut negotium praeſens ſolum ſic innuitur (de quo libro tertio) aut, ut Chaldaeis aliiſque, ſolum lepra, veluti parentheſi. Graeci illic, ϗ ἐπὶ τῷ στόματι αὐτῶν ἔσαι πᾶσα ἀντιλογία ϗ πᾶσα ἁφή. *& in ore eorum erit omnis controverſia & omnis tactus.* Sed verſiones nuperae verba illa transferunt quaſi omnimoda ſic ſacerdotibus juriſdictio illic agnoſceretur, *& a fin qu' a leur parole toute cauſe & toute playe ſoit definie,* and by their word ſhall every controverſie and every ſtroke be tried. Cum ſane nil ibi innui videatur praeter id quod alibi eodem in libro[g] dicitur expreſſius de lepra ſola. Addunt[h], ואפילו הוא הכהן קטן או שוטה החכם אומר לו והוא מחליט או פוטר או סוגר *& ſi forte ſacerdos hic ad inſpiciendum electus eſſet minor aut fatuus, ſapiens* ſeu *juriſconſultus indicabat ei* quid eſſet agendum, *& ille* juxta ſic ſibi indicata *aut leproſum eſſe praeciſe*

[v] Haloſeos 2. cap. 12 ſeu 7. [x] Miſn. & Gemara tit. *Cethuboth,* cap. 1. Babylon. fol. 12 1. & videſis Uxorem Ebraicam, lib. 2. cap. 9. [y] Numer. xxx. 1. Deuter. v. 23. & xxxiii. 5. Joſua xviii. 1. Judic. xx. 1. xxii 12. 1 Sam. vii. 5. 1 Paralip. xxviii. 1. 2 Paralip. v. 2. & xv. 9. Ezr. x. 9. [z] Levit. iv. 13. [a] Ibid. xiii. 2. & xiv. 3. [b] Maimonides tract. *Tomaeth Zeraeth,* & ad tit. illum Talmudicum. Mikotzi praecept. affirmat. 234, &c. [c] Maimonid. & Mikotzi ibidem & Gemar. Babylon. tit. *Nidda,* cap. 5. fol. 41. [d] Cap. 3. [e] Deuter. xxi. 5. [f] Ad tit. *Sanhedrin,* cap. 4. fol. 34. 2. & videſis ad tit. *Becoroth,* cap. 5. fol. 35. 2. [g] Dexter. xxiv. 8. [h] Maimonides tract. *Tomaeth Zeraeth,* cap. 5. §. 2.

pronuntiabat;

pronuntiabat, aut dimittebat ut satis mundum, *aut includebat.* Ita scilicet quoties sacerdos סומך על דברי החכם *nixus esset verbis sapientis*, seu sapientem sic consuleret. Quod si non faceret, ex sui ipsius judicio rem terminare fas ei non licuit antequam accuratius a magistro aliquo didicisset totam de plagis & lepra, tam quoad vestes ac domos quam homines, disciplinam. Si quis revera mundus esset, ex pronunciatione sacerdotis non reddebatur immundus. Sed si immundus esset revera, tametsi dum inclusus erat, aliterve sanus quoad lepram ipsam redderetur, mundus nihilominus non censebatur, עד שיאמר לו כהן טהור אתה *usque dum dixerat ei sacerdos, tu mundus es.* Huc spectat illud in Evangeliis de leproso quem D. N. Jesus Christus, simul ac mundasset ipse, ad sacerdotem nihilominus & sacrificia statim relegavit[i]. Sacerdos genere חלל *profanus* rite hic ut sacerdos inspicere nequibat. Mutilus tamen sacerdos aut corpore vitiatus rite inspiciebat, modo oculorum acies minime laesa esset. Dies universi inspectioni idonei erant praeter sabbata & dies festos. Nocturnum tempus illegitimum. Horae autem diei non aliae legitimae, praeter quartam, quintam, octavam, nonam. Nam matutinae, vespertinae ac meridianae, velut inspectioni haud accommodae, non satis idoneae habebantur. Quamplurima apud magistros sunt alia subtilia ad sacerdotalem hic spectantia qualemcunque leprae notionem, quae, veluti medici ac chirurgi, eam in rem divinitus praestituta erat, sed synedriorum ordinariorum imperio & jurisdictioni, ut functiones universae aliae, subjecta. Sacerdotales enim actiones functionesque omnimodae censurae synedriorum suberant. Neque id quod tradunt aliqui de sacerdotibus legalibus, eos nimirum *habuisse*[k] *potentiam judicandi de dignitate & indignitate ingrediendi in templum*, aliter verum est, quam eos scientiam ex accidenti etiam prae aliis habuisse mundorum & immundorum, adeoque rite atque ex charitate monere debuisse leges de munditie violantes, cum interim & violatores ejusmodi & sacerdotes ipsi[l] quoad jurisdictionem forensem synedriali potestati passim subessent, juxta superius ostensa & libro ostendenda proximo.

CAP. XV.

I. *De continuatione synedriorum hactenus ostensorum, quae ordinaria erant, ante adventum D. N. Jesu Christi; idque ex scriptis non Talmudicis.*

II. *Ex ejusmodi scriptis, de continuatione post adventum Christi.*

III. *Temperamentum de intermissionibus, maxime sub Antiocho Epiphane rege Syriae, & Herode magno.*

IV. *De loci synedrii magni continuatione. Ejusdem varietas. Liskath Hagazith, seu conclave saxis quadratis constructum*, **the stone-chamber**, *locus, ad templum, synedrii magni celeberrimus. Situs ejus. Nominis ratio. Exedra. Lithostrotos in evangelio, an conclave illud? Ruffiniana versio Josephi emendata.*

V. *An synedrii magni Samaritici locus ad templum Garizimiticum, ut Judaici ad Hierosolymitanum? Praeceptum velut undecimum decalogo a Samaritis in contextu suo sacro subjunctum.*

VI. *Synedrii magni loci in Liskath Hagazith continuatio sub templis primo & secundo judiciis capitalibus tum illic tum in minoribus synedriis exercendis omnino necessaria.*

VII. *Migrationes synedrii magni inde, aliisque e locis.*

VIII. *Migrationum tempora.*

IX. *De Jabne seu Jamnia urbe, in quam primo ex Hierosolymis migravit synedrium magnum sub excidium templi secundi. Josephi de synedrio illo Hierosolymis paulo ante tempus illud testimonium, ejusque velut effigies ab ipso in Galilaea, cui praeficiebatur, constituta.*

X. *Migrationis primae reliquarumque causae. Postremum synedrium magnum Tiberiade habitum; ubi Judaei exspectant illud instaurandum, indeque in templum suum novum transferendum.*

XI. *De singulari imperii & jurisdictionis synedrii magni sub annos ante excidium templi secundi quadraginta deminutione. An capitalium judiciorum potestas eis tunc, ut a viris etiam doctissimis asseri solet, adimeretur?*

XII. *De synedrorum qualitate, adeoque sacerdotalis generis in judiciis & synedriis praerogativa singulari per annos aliquot & ante & post Christi adventum. Atque, unde illa nata? Fl. Josephus emendatus. Mirae de ea apud scriptores & veteres & recentiores assertiones.*

XIII. *Eliae Ben Moseh Karaitae disciplina de pontificis summi & aliorum sacerdotum ac prophetae, stante templo, jurisdictione singulari, circa solennem mensium annique intercalationem. Im-*

[i] Matth. viii. 3. & 4. (& vide ibi Hug. Grotium) Marc. i. 40. Luc. v. 12.

[k] Thom. Aquin. in Sent. 4. Dist. 19. quaest. unic. art. 2. &c.

[l] Videsis Hug. Grotium ad Matth. v. 22. pag. 79.

parem

parem judicum, etiam ex Karaitarum scitis, numerum legitimum tantum fuisse.

XIV. *Synedria sacerdotalia ex jure ordinario per se fuisse juxta Talmudicos nulla; nec pontificem maximum, qua talem, fuisse unquam synedrii magni principem.*

XV. *De principum synedrii M. & pontificum dignitate summotorum qualitate, ac sacrificiis, & principum constitutione, collegarum, aliorumque judicum; & jure in dignitatibus haereditario.*

ACcedat jam ante dictis ostensorum synedriorum, eorumque imperii & jurisdictionis, successio & continuatio. Et primo de ea quae Christi adventum antevertit; idque e scriptoribus non Talmudicis. Quanquam synedrium magnum, cujus princeps Moses [m], post Jethronea synedria institutum erat, mansit nihilominus illorum usus & potestas tam in deserto quam etiam, juxta aliquos doctissimos [n], postea; qua de re etiam superius [o] dictum est. Sed temporis decursu, pro regiminis publici ordinatione commodiori, ad synedria vigintitriumviralia & triumviralia passim pro locorum qualitate constituenda admittendaque; juxta superius ostensa, praeter synedrium magnum, deventum est. Atqui non defuere inter christianos scriptores qui, ut ante etiam est tactum, ex ingenii sui adfectusque circa alienam sibi rempublicam, sed in rem suam interim, quomodocunque formandam, commentis, potius quam ex Talmudicis ipsis, quos nimium negligere amant, non solum ipsum synedrium magnum velut pontificis summi praefecturam singularem faciant, sed & post Mosaica tempora, in quibus a numine sic institutum est, non libenter concedant durasse. Etiam & nunc e sacerdotali genere tantum, nunc e tribu sola Judae constitisse volunt; quae veritati, ut videre est in supra allatis, sunt alienissima. Non concedentium hic continuationem synedrii illius, aut de ea pronius dubitantium, primarius est Benedictus Pererius [p], qui nec sequacibus caret. Sed de eo recte Stephanus Menochius [q], *immerito de re dubitat quae passim admittitur ab auctoribus.* Sed nec Dionysius Petavius synedriorum Judaicorum originem facit [r] aliam quam ex Gabinii Pompeii legati institutione illa quam memorat Josephus [s]. Nihil magis Pererium in dubitationem propulit quam apud Josephum ac Philonem synedrii magni seu septuagintaviralis mentionem non haberi. Verum quidem est, Josephum, nescitur unde, septemviralia, ut ante ex eo narratum, per urbes judicia constituta esse tradidisse. Sed interim & γερουσίαν [t] apud suos (uti & saepissime Hellenistae) & Συνέδρια [v] & Συνέδρες [x], veluti nomina tam magnum quam minora, pro subjectae rei discrimine, apud eum designantia, memorat. Et ubi ait a rege nihil faciendum citra pontificem (ut ille in pontificum, qui tempore suo adeo viguere, gratiam) κὴ τῆ τ̃ γερουσιαςῶν γνώμης, *sententiam senatorum*, intelligitur [y] de synedrio magno loqui. Quale itidem de Philone dicendum. Certe & ubi in apocryphis Latinis [z] legitur, *Joacim autem summus pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith*, Graeci habent, —— κὴ ἡ γερουσία τ̃ υἱῶν Ἰσραὴλ οἱ κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλὴμ, ἦλθον τȣ̃ θεμελιῶσαι τὰ ἀγαθὰ ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τῷ Ἰσραὴλ, κὴ τȣ̃ ἰδεῖν Ἰουδὶθ, κὴ λαλῆσαι μετ' αὐτῆς εἰρήνην, *Et senatus* (seu synedrium) *filiorum Israel habitans Hierosolymis, venerunt ut sibi satisfacerent de bonis quae fecerat Deus Israelitis, atque ut viderent Judith, eamque salutarent.* Quod de synedrii magni collegis capiendum. Intermissum quandoque per rerum turbas sive hostiles sive domesticas judiciorum ordinariorum usum, adeoque synedriorum, subinde fuisse, dubitari nequit. Sed & rebus pacatis & bene dispositis obtinuisse ea, juxta ante ostensa, non minus videtur dubitandum. Ad illud de Jehosaphati judicum constitutione [a] vir summus Hugo Grotius, *Cum numerus ad paucos recidisset, omissa cooptatione metu regum, quibus suspecta erat synedrii autoritas (de quo vide dicenda infra* XXI. 4.) *more legitimo impleri numerum jussit, partim ex sacerdotibus & Levitis (qui, quod ab aliis laboribus vacarent, legis studio erant aptissimi) partim ex eruditis aliarum tribuum.* Quod se refert ad caput XXI; ibi dicitur Jehoramum regem, Jehosaphati filium, occidisse omnes fratres suos gladio, וגם משרי ישראל & *quosdam de principibus Israel*; quod sumit Grotius pro synedris illis. *De synedrio*, inquit, *ut credibile est, homines legis amantes, & eximiae apud populum auctoritatis.* Et dein idem ad illud Jehosaphati, Amariam sacerdotem ibi facit נשיא seu *principem senatus*, & Zabadiam Ben Ismael *secundum in senatu, quem* אב בית דין *vocant.* Nec de synedrio magno verba ibi fieri dubitat. *Principes* item *Judae* apud Jeremiam [b] *senatores* sunt illi *magni synedrii ad quos pertinebat judicium de propheta vero aut falso.* Illud etiam in Ezekielis visione [c], *& septuaginta viri de presbyteris domus Israel, & Jezanias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & unusquisque habebat thuribulum in manu sua,* &c. de synedrio magno capitur. Idem ibi Grotius, *id est, illi septuaginta qui inter judices omnes eminebant summa cum potestate, tum eo accesserant quo fas ipsis non erat, tum ea videbant quae tollere ipsorum erat officii.* Et expressim ibi David Kimchius, ע"ס סנהדרין *septuaginta synedri.* Etiam synedros illos intelligi volunt viri docti per sive שרים τοὺς ἄρχοντας, *principes*, sive אילי הארץ τοὺς ἰσχυροὺς τ̃ γῆς, *potentes terrae*, Vulgatae *judices*, dictos, quos Nebuchadnezar captivos abduxit [d]. Unde Abulensis [e], *in hac parte satis assentiendum est Judaeis, qui dicunt semper fuisse* (quousque & quotiescunque sui essent juris, & reipublicae quies permitteret) *in Israel septuaginta judices, qui regerent domum judicii: & manabant ab illis*

[m] Numer. xi. 16. [n] Hugo Grotius ad Josuae viii. 33 & videsis Abulensem ad Numer. xi. quaest. 25. & 53. & Deuteron xvi. quaest. 6 [o] Cap. 2. §. 4. [p] Ad Genesis xlix. 8, &c. §. 84. [q] De Republica Hebraeorum 1 cap. 6, [r] De Doctrina Temporum, lib. 2 cap. 26. [s] Lib. 14. cap. 10. [t] Origin. lib. 4. cap. 8 lib 13. cap 9, &c & in vita sua. [v] Lib. 14 cap. 10. & 17. [x] De bello Judaico, lib. 1. cap. 6. [y] H. Grotius ad 2 Paralipom xix. 11. [z] Judith xv. 8. [a] 2 Paralip. xix. 8. 11. & vide eum ad Psalm lxxxi. 1. [b] Cap. xxvi. 10, 16. [c] Cap viii. 11. [d] 2 Regum xxiv. 12, 14. [e] Ad Deuteron. xvi. quaest. 6.

septuaginta senioribus quos elegerat Moses, per successiones. Et hi erant maximi judices, ad quos subordinabantur omnes judices qui etiam in aliis locis. Et isti septuaginta judices ducti sunt in Babylonem tempore captivitatis, sicut innuitur 4 *Regum cap.* xxiv. Sic ille. Tantumdem satis alii ad locum illum Numerorum, alibique[f]. Etiam Hieronymus[g] ad illud de *Cerethi* & *Pelethi*[h], כרתי *Cerethi exterminatores*, פלתי *Pelethi admirabiles. Dicuntur enim fuisse septuaginta judices loco eorum substituti quos Moyses in eremo Domino praecipiente delegerat.* Unde Lyranus ibi, *alii, Sanhedrin, hoc est, summos consiliarios*; & Petrus Damianus cardinalis episcopus Ostiensis, ad Albericum cardinalem[i], *Quaeris etiam qui erant Cerethi & Phelethi, qui bellatores dicuntur fuisse David? Legitur in libro Numeri dixisse Dominum Moysi*[k], *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint, ac magistri*, &c. (ubi synedrii magni institutio.) *Ex istorum itaque stirpe duae processerunt cognationes, quarum una Cerethi, altera dicebatur Phelethi. Et Cerethi quidem dans judicium, Phelethi puniens interpretatur: ut quos illi adjudicarent morti promulgando sententiam, isti punirent irrogando vindictam.* Hi de synedrii magni tunc usu non dubitarunt, quicquid de nominum habeant ratione. Adeoque, si vocibus illis (de quibus quod Talmudici tradunt occurret capite proximo) synedrium magnum innueretur, Benaias filius Jehoidae ibi memoratus videtur sic ejusdem tunc princeps. Hugo Grotius ad illud ibi, *super Cerethi & Phelethi, Hieronymus*, inquit, *alicubi* (loco ante citato) *putat haec nomina, ut & quod proxime praecessit*, Benaiam, *esse eximiorum senatorum synedrii magni; quomodo & Graeci sensisse videntur. Dicunt* enim, καὶ Βαναίας υἱὸς Ἰωδαὲ σύμβουλος καὶ ὁ Χερεθὶ, καὶ ὁ Φελεθί. (certe Graeci verba illa cum sequentibus continuant, καὶ οἱ υἱοὶ Δαυὶδ αὐλάρχαι ἦσαν, ita ut eorum sensus fuerit, *Banaiam consiliarium fuisse, & Cerethi & Pelethi & filios Davidis aulae principes* seu *comites consistorianos*; uti & vertunt quidem Judaei Hispanienses. Vulgata autem, *Banaias super Cerethi & Pelethi*; ubi in Ebraeo, והכרתי וגו' & *Cerethi*, &c. nil satis respondit τῷ *super*, licet tam versiones nuperae etiam plerumque sic transferant, ut Lutherana, Belgica prior, Gallica, aliae, quam Syra, & Arabica, & paraphrasis Chaldaica, quibus *militares, sagittarii, & illustriores* vocibus illis intelliguntur. Sed in Belgica nupera **over** vertitur in **met**, quod Ebraico quidem propius est. Pergit autem ibi Grotius) *at Hebraeorum alii familias Israeliticas fuisse censent. Chaldaeus sagittarios, a qua significatione non abit Corytus* (quasi nomen illud τῶ Cerithi sic cognatum esset, pro arcuum theca & pharetra Virgilio[l] aliisque usurpatum:) *Rursum alii, partes Philistinorum: quod si admittimus, forte horum* כרתי *posteri erunt Cretes. Certe milites fuisse satis apparet* xx. 3. Sic ille. Sub Salomone item septuaginta synedrii magni collegarum mentio habetur expressior, velut ex textu sacro intelligendorum, in paraphrasi Canticorum Chaldaica[m]. E Levitis quidem aetatis annorum triginta[n], id est, ministeriis tam sacris quam profanis idoneis (male ibi in Vulgatis priscis, quos amplexantur pontificii aliquot recentiores[o], *viginti* legitur) numerantur sub Davide & Salomone 38000; e quibus in ministerium domus Domini tunc exstruendae selecti sunt 24000, ושוטרים ושופטים & *scribae* seu *praepositi & judices* 6000, ubi Judaei Hispanienses, *y Alguaziles y Juezes seis mil*; nonnullis etiam legentibus in Vulgata illic *praepositorum vero judicum sex millia*[p], quasi sic praepositi iidem illic qui judices. Bene Grotius ibi, *apparitores & judices. Surgit enim oratio.* Sed vero qualesnam hi judices? An circa templum aedificandum resque eo duntaxat spectantes, ut extraordinarii? An synedri ordinarii? De ordinariis seu synedriis minoribus capit Abulensis[q], *Et sic Levitae*, inquit, *erant judices super Israel, & isti sex millia virorum Levitarum separati fuerant ut distribuerentur per omnia loca Israel*, quod firmari autumat ex illo, eodem in libro, sequente[r], *Isaaritis vero praeerat Chononias & filii ejus, ad opera forinsecus super Israel, ad docendum & judicandum eos*, ut Vulgata. Ebraea ibi sonant, *ex Isaaritis, Chenaniam & filios ejus ad opera forinsecus super Israel*, לשוטרים ולשופטים *in praepositos & judices*, τοῦ γραμματεύειν καὶ διακρίνειν. Judaei Hispanienses, *por Alguaziles y por Juezes.* Quod de praeposituris ac judiciis circa structuram Templi resque illuc attinentes sumunt alii[s]. Syrus autem loco priore haud parum ab aliis discrepat. Constituisse nimirum ait ex eis David praefectos operibus Domini, ܠܥܣܪܝܢ ܘܐܪܒܥܐ ܓܒܪܝܢ ܥܠ ܐܠܦ ܚܕ ܘܕܝܢܐ ܘܣܦܪܐ ܫܬܐ ܫܬܐ ܥܠ ܡܐܐ *Viginti & quatuor viros super mille*, singulis millenis, *& judices & scribas sex atque sex super centum*, seu *senos singulis centenis.* Injicitque velut textus partem, *ut curam haberent aedificii, & instarent ac satagerent auxilii eorum, possessionum*, ܕܡܫܘܚܬܗܘܢ & *operum eorum* (neque enim in versione placet *agriculturae) supputationum, & opum eorum, necnon eleemosynarum, ut prospicerent pauperibus: Creavit enim David super pauperes & inopes oeconomos & praefectos, ut alerent prospicerentque pauperibus, unum super denos quosque, & nihil deesse paterentur.* Et dein sequitur ibi comma sextum. Officium etiam sexcentorum praepositorum & judicum illic ita fere adjungitur in Arabico, uti & illud de pauperibus. Et de judicibus etiam tunc temporis videsis in alloquio Salomonis[t]. Sed prioribus illis in locis haud alii judices innui videntur quam qui operi sacro promovendo inter tot operarios ut judices, rei praesenti tantum selecti, praeessent. Alia huc e Talmudicis attinentia capite habentur proximo. Grotius etiam ad Maccabaicorum[v] illa *& ingemuerunt* οἱ ἄρχοντες *principes*, notat, *sic eximie solent dici magni synedrii senatores.* Et ad titulum Jo-

[f] Videsis J. Picum Mirandul. in Apologia, pag. 117. Petr. Tholosan. Syntagm. Juris Universi, lib. 47. cap. 26. § 3. Alovs. Novarin. Schediasmat. Sacro profan. lib. 5. cap. 19, &c. [g] Quaest. seu Tradit. Hebraic. ad 1 Paralip. xviii. [h] 2 Sam. viii. 18. & 1 Paralip. xviii. 17. [i] Opusc, 33. tom. 3. pag. 281. [k] Numer. xi. 16. [l] Æneid. 12. [m] Cap. vii. 2. [n] 1 Paralip. cap. xxiii. 4. [o] Abulensis ibid quaest. 9. Stephan. Menochius de Rep. Hebraeorum, lib. 2. cap. 2. §. 16. [p] Menochius ibidem. [q] Ad 1 Paralip. xxiii. quaest. 13. [r] 1 Paralip. xxvi. 29. [s] D. Kimchius ibid. Lyranus. [t] 2 Paralip. i. 2. [v] 1 Macc. i. 27.

nathanis

nathanis literarum ad Spartiatas[x], *Jonathan pontifex*, *&* ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους καὶ οἱ ἱερεῖς καὶ ὁ λοιπὸς δῆμος τῶν Ἰουδαίων, &c. *& ſenatus* (Vulgata, *ſeniores) gentis & ſacerdotes & reliquus populus Judaeorum*, &c. Grotius, *Eſt* ἡ γερουσία *ſenatus ille magni ſynedrii, qui non judiciis tantum ſed & reipublicae praeſidebat.* Sunt autem qui continuationi ſynedrii magni (e cujus majeſtate adeo pependit reliquorum conſtitutio & autoritas) eouſque adverſantur, ut certe de ejuſdem numero aut autoritate quidquam perſeveraſſe ſibi non videri ſcribant; unde Henricus Spondanus epiſcopus Apamienſis[y], *Cum admodum obſcura ſit eorum* (ſynedrii illius collegarum) *memoria in ſacra ſcriptura ac probatis hiſtoriis a Moſe uſque ad Chriſtum, falſum quoque putamus eos ſemper eodem numero vel ſuprema autoritate perſeveraſſe*; *quamvis probabile crediderimus exſtitiſſe ſemper imaginem quandam ejuſmodi magiſtratus, quem & aliquando reſtituiſſe videtur Joſaphat*[z] *rex Judae.* At vero viri doctiſſimi, praeter ante citatos, alii quorum nonnulli interim de numero, collegarum qualitate, & autoritate ejuſdem, aliquantulo diſcrepant, iique tam e pontificiis quam reformatis, de ordinarii juris ejuſdem ſynedrii continuatione a ſeculo Moſaico, qua temporum pacatorum turbidorumque diſcriminis varii ratio permitteret, neutiquam dubitarunt[a], tam de tempore ante quam poſt adventum Chriſti verba facientes. Qua de re plura etiam inferius.

II. Poſt Chriſti autem adventum etiam ſynedriorum illorum velut in republica illa notiſſimorum atque ex lege moribuſque vetuſtis obtinentium mentio admittitur haberi in D. N. Jeſu Chriſti verbis illis[b]; *Audiſtis quod dictum eſt antiquis, non occides; qui autem occiderit,* ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, *reus erit judicio. Ego autem dico vobis quod omnis qui iraſcitur fratri ſuo* εἰκῇ *ſine cauſa*, ut in exemplaribus aliquot, *reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca,* ἔνοχος ἔσται τῷ ϲυνεδρίῳ, *reus erit ſynedrio. Qui autem dixerit, fatue,* ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, *reus erit gehennae ignis.* Aliter quidem aliterque interpretes locum illum explicant, cum interim τὴν κρίσιν hic & ϲυνέδριον, *ſynedria* quae diximus, in ipſis Chriſti verbis, ſpectare velint. Unde etiam Chryſoſtomus ſequaxque ejus Theophylactus, Συνέδριον ἐνταῦθα τὸ δικαστήριον τῶν Ἑβραίων, *Synedrium hic tribunal eſt Ebraeorum.* In hanc rem, poſt Eraſmum, vide Angelum Caninium[c], Bezam hic, Joannem Rainoldum[d], Abrahamum Sculteum[e], & demum prae aliis Hugonem Grotium in annotationibus. Nec praetereundum hic quod apud Talmudicos dicto illi Chriſti, qua poteſtatem reſpicit forenſem, occurrit ſatis cognatum. Sic Gemara Babylonia[f]; הקורא לחבירו עבד יהא בנידוי ממזר כופג את הארבעים רשע יורד עמו לחייו *Qui vocaverit proximum ſuum ſervum* (id eſt, עבד כנען *ſervum Cananaeum*; ſic capite Iſraelitico minutum) *excommunicandus erat* (etiam a ſynedrio, ſeu praefectura juridica, cui ſuberat; שמזלזל בישראל כל כך אף הם יזלזלו בו *quoniam qui ita Iſraelitam vilipendiſſet, ipſe a ſynedris ſic erat vilipendendus) qui proximum ſuum vocaret Mamzerem*, coitu damnato ortum, *verberandus erat plagis quadraginta* (gloſſa, קנסא מכת מרדות וניהא ליה הא מנידוי *poena ſcilicet ſubeunda erat verberum contumaciae cauſa adhiberi ex lege ſuperinducta ſolitorum; nec ita excommunicandus) qui vocaverit proximum ſuum improbum, deſcendit* ſynedrium *cum eo in vitam ejus.* Ubi gloſſa, כלומר לזו אין בית דין נזקקין אבל הוא מותר לשנאותו אף למעט פרנסתו ולירד לאומנותו *Ac ſic diceres, Neceſſe non erat ut a ſynedris ſententiam ejuſmodi aliqua ei irrogaretur, ſed fas erat eis infamare eum, etiam & victum ejus* mulctando, aliterve, *minuere, & in vivendi ejus genus accuratius,* ut cenſores, *animadvertere.* Mentio *ſynedriorum* itidem & *ſynagogarum*, ſeu conventuum qui cum poteſtate praeeſſent, apud S. Marcum[g], & τοῦ ϲυνεδρίου ὅλου, *ſynedrii totius*; ubi legitur, *Et confeſtim mane* συμβούλιον ποιήσαντες, *conſilium facientes (capientes) ſacerdotes primarii cum presbyteris & ſcribis*[h], καὶ ὅλον τὸ ϲυνέδριον, *& totum ſynedrium, concilium*, totuſque conſeſſus (ubi Vulgata, *& univerſo concilio*, quaſi Graeca fuiſſent καὶ ὅλῳ τῷ ϲυνεδρίῳ, *& cum toto ſynedrio*, quemadmodum etiam Syrus ܘܥܡ ܟܠܗ ܟܢܘܫܬܐ *& cum tota ſynagoga*; Arabes itidem[i], ومع ساير الجموع *& cum reliquis turbis* ſeu *reliquis congregatis) vincientes Jeſum, abducebant, & tradebant eum Pilato.* Hugo Grotius innui ait rem geſtam *pleno ſenatu, cujus partes jam nominavit.* Partes eae fuere ſacerdotes, ſcribae, presbyteri, qui apud Matthaeum[k] & Lucam[l] *presbyteri* τοῦ λαοῦ *populi* nuncupantur. Unde & Lucas eadem de re, ϲυνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, *congregatum eſt presbyterium populi, ſacerdotes primarii, & ſcribae, & duxerunt illum* εἰς τὸ ϲυνέδριον ἑαυτῶν, *in ſynedrium ſuum.* Joannes[m] item; ϲυνήγαγον *congregarunt ſacerdotes primarii & Phariſaei* ϲυνέδριον. Et in Actis frequens τοῦ ϲυνεδρίου mentio[n], etiam & ὅλου τοῦ ϲυνεδρίου *totius ſynedrii*, quod magnum denotat. Sed de continuatione ejuſmodi, ut in ante oſtenſis haud pauca occurrunt, ita in ſequentibus plura habentur.

III. At vero non eſt quod quis exſpectet adeo aequabilem fuiſſe continuationem quam diximus ut ſemper & per omnia ab inſtitutione ſecula ſui ſimilis ea haberetur. Pro vario rerum, perſonarum, locorum ſtatu ut illa aliter aliterque reperiretur, intermitteretur que, neceſſe eſt; quod & ante tactum. Temperamenta igitur circa continuationem ſeu perpetuam ſui ſimilitudinem ſynedrii magni, adeoque reliquorum ſemper velut inde pendentium, advertenda ſunt maxime quatuor. Primum eſt de intermiſſionibus per exterorum dominatum reſque turbidas alias praeter cap-

[x] 1 Macc. xii. 6. [y] Annal. Sacr. A.M. 2545 §. 28. [z] 2 Paralip. xix. [a] Raymundus Raymundi in Pugione Fidei, part 2. cap. 4. Petrus Galatinus de Arcanis, lib. 4. cap. 6. Cornelius Bertram. in Politia Judaica, Jo. Bodinus de Republica, lib. 6. cap 8. Ludovic. Carbo de legibus, lib. 16. Baron. tom. 1. A. Chriſti 31, 10 32, 11. 33, 19. Lorinus, aut ad Num xi 16. Iſaac. Caſaubon. exercit. 13. §. 5. Jacob. Capellus Vindiciis pro If. Caſaub. lib. 3 cap. 2. Petrus Cunaeus de Rep Hebraeorum, Conſtantin. l'Empereur ad tit. *Middoth*, cap. 5. §. 3. pag. 187. alii. [b] Matth. v. 21. [c] Loc. Novi Teſtamenti, cap. 7. [d] Praelect. 167. de Libris Apocryphis. [e] Exercit. Evangelic. lib. 2. cap 22, 23 [f] Ad tit. *Kiduſchin*, cap. 1. fol. 28, 1. [g] Cap. xiii. 9. [h] Cap. xiv. 55. & xv. 1. [i] Sect 51. [k] Cap. xxvii. 1. [l] Cap. xxii. 66. [m] Cap. xi. 47. [n] Cap. iv. 15. v. 21, &c.

tivitates

I

tivitates quandoque coactis; secundum de loco ejusdem in sacris literis nomine *loci quem elegerit Dominus Deus tuus*[o] designato, ejusque varietate; tertium de singulari imperii & jurisdictionis tum ejusdem tum vigintitriumviralium deminutione per annos aliquot ante excidium templi secundi; quartum de synedrorum qualitate, adeoque sacerdotalis generis in judiciis praerogativa, per annos aliquot & ante & post Christi adventum, & causa ejusdem. Quod ad primum attinet; De intermissionibus per exterorum dominatum, captivitates, aliasque rerum turbas infelices, in seculis vetustioribus, nemini non satis est manifestum. At vir summus Hugo Grotius de duratione synedrii magni ut a Mosis tempore perpetua expressius loquitur: *Aliqua*, inquit[p], *judicia arbitror regibus adempta, mansisse penes synedrium* LXX. *virûm, quod divino imperio a Mose institutum ad Herodis tempora perpetua cooptatione duravit.* Ubi si perpetua cooptatio de facultatis judicandi in synedrio illo per ordinationem rite continuata collatione sumatur, verissimum quidem est quod asseritur. At si de ipsius sumatur synedrii corporis perpetua continuatione, plane temperandum est intermissionibus, quae pro rerum statusque discrimine, ut diximus, aliae fuere aliaeque. Quibus etiam accedat maxime quod evenit sub Antiocho Epiphane Syriae rege, & Herode magno. Populo scilicet sub Antiocho in factiones Jasonis & Menelai (qui & Onias dictus) de pontificatu concertantium scisso, Menelaici opem Antiochi invocant, quam ut sibi commodius conciliarent, professi sunt[q], ὅτι βούλονται τοὺς πατρίους νόμους καταλιπόντες καὶ τὴν κατ' αὐτοὺς πολιτείαν, ἕπεσθαι τοῖς βασιλικοῖς, καὶ τὴν Ἑλληνικὴν πολιτείαν ἔχειν, *se velle, relictis patriis institutis ac legibus, imperata regia sequi, & Graecanicam reipublicae formulam amplecti.* Annuens rex dominatum etiam totius populi sumit, a quo insuper impetrarunt ut gymnasium κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐθνῶν, *secundum leges ritusque gentium*, Hierosolymis sibi exstrueretur; praeputia adduxerunt, τά τε ἄλλα πάνθ' ὅσα ἦν αὐτοῖς πάτρια παρέντες ἐμιμοῦντο τὰ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ἔργα, *& contemptis omnibus patriis ritibus imitabantur mores exterarum gentium*, idque ex edicto etiam regio; qua de re fusius Josephus & Maccabaica. Intermissionem autem tunc variam fuisse synedrii non solum magni sed & caeterorum ex institutis avitis pendentium satis videtur hinc manifestum. Revixisse autem postmodum sub Hasmonaeis synedrium magnum, liquet ex historia Talmudica de Jannaei regis famulo homicidii illic accusato, etiam & rege ipso in synedrium introeunte, cum ad synedros praesentia regia in silentium consternatos Simeon Ben Shatach synedrii princeps, בעלי מחשבות, inquit[r], אתם יבא בעל מחשבות ויפרע מכם מיד בא גבריאל וחבטן בקרקע ומתו *Cogitabundi estis vos. Veniet qui cogitationum dominus est, & vindictam a vobis illico sumet. Et venit Gabriel, & percussit eos in terram, unde moriebantur*; quod ad intermissionem synedrii magni attinet, uti & illud de Herode Antipatri filio[s] synedros synedrii magni cunctos praeter Sameam morte plectente. Scilicet Herodes in jus, ut homicidii reus, ab eis ante vocatus, utcunque in Hyrcani regis gratiam ereptus, postquam regnum ipse adeptus est, πάντας ἀπέκτεινε τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ, καὶ Ὑρκανὸν αὐτόν, χωρὶς τοῦ Σαμέου, *interfecit cunctos synedrii collegas, etiam & Hyrcanum ipsum, excepto Samea*, qui solus in ipsum, dum sistebatur, liberrime locutus fuerat. Et quasi de toto synedrio tum sublato locum illum intelligunt viri summi[t]. Huc proculdubio spectavit illud a Pseudophilone[v] de *Zanedrim* traditum, *Anno XXX principatus sui tyrannici Zanedrim ex domo David delevit, & Ananelum quendam, atque Zanedrim ex proselytis suffecit, qui nimirum in lege videbantur eruditi.* Sic impostor ille, qui & ridicule de synedris domus Davidicae, quasi alii ante non fuissent, loquitur, & de proselytis suffectis; sed interim de synedrii magni ut ante usu & continuatione ita nunc intermissione, uti & Annius ejus, omnino securus. In editionibus Baronii[x] prioribus affertur idem velut Philonis. Sed postmodum dispunxit hoc ipse[y] totum. Accedat quod de magistris eminentioribus, adeoque synedris illis, ab Herode eodem universis, excepto unico Baba Ben Bota Sameae discipulo, quem etiam excaecavit, occisis traditur. Ea de re Talmudici[z], & partim etiam Josephus[a], & Eusebius[b]. Atqui non omnino ex hoc secutum est quod perperam nimis & temere inde inferunt Guilielmus Postellus[c], Petrus Galatinus[d], aliique aliquot scriptores Christiani, ab hoc scilicet tempore, quod ad initia Herodis illius refertur, legitimam judicandi potestatem omnimodam apud Judaeos cessasse, quoniam impositio manuum seu ordinatio solennis, qua conferri solebat, juxta superius ostensa, facultas judiciaria, non sine triumviris, ut Galatinus, nec fine quinqueviris, ut Postellus, iisque ante solenniter ordinatis, fieri quibat. Id quod sic haberi quidem non potuit, cum unicus tantum ordinatus restaret Baba Ben Bota. At vero nonnullis sumitur etiam illa occisio Herodiana de synedris tantum synedrii magni. Ac ita quidem alii quamplurimi ordinati superstites esse quibant. Sed si detur universos ordinatos, praeter unicum Ben Bota, sublatos esse, certissimum est, quod & ex superius ostensis palam fit, unicum illum ordinatum accitis sibi binis aliis, sive ordinatis sive e vulgo, alios ordinare rite potuisse. Triumviri enim sic, nec necessario quinqueviri, ordinabant. Et falluntur & fallunt illi qui Talmudicam doctrinam de tribus pariter ordinatis ordinationi solenni adhibendis hic loquuntur. Intermissionem autem in hisce synedrii magni fuisse satis constat; uti &, ex historia sacra sequente ac aliunde, ejusdem instaurationem, pro vario illic rerum statu, qualemcunque. Atque ea quidem haud parum pependit ab Caesarum indultu, quo permissa est eis, sed non sine temperamentis variis, politia avita; qua de re consulas Josephum[e].

IV. Locum synedrii magni res ipsa ostendit,

[o] Deuter. xvii 8 & 10. [p] De jure belli ac pacis, lib. 1. cap. 3. §. 20. [q] Joseph. lib. 12. cap. 6 & 1 Maccab. i 12. [r] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19. 2 *Juchasin*, fol 66. 1. [s] Joseph. lib. 14. cap. 17. [t] Hugo Grotius ad 2 Paralip. xxi. 4. [v] Breviar. de temporibus. [x] Tom. 1. Anno Christi 1. §. *Hinc tantum Antwerpiae*, 1589 &c. [y] Tom. 1. Anno Christi 1. §. 48. &c. 1601. Moguntiae &c. & vide Isaac. Casaubon. Exercit. 13. §. 5. [z] Gemar. Babylon. ad tit. *Baba Bathra*, cap. 1. fol. 3. 2. *Juchasin*, fol. 52 2 & vide Raimundum in Pugione Fidei part 2. cap. 4 §. 14. [a] Lib. 15 cap. 11. [b] Chron. num 2014. [c] De orbis concordia lib. 4. cap. De reprobatione Judaeorum, pag. 377. [d] De Arcanis, lib. 4. cap. 6. [e] Lib. 14. cap. 17. & lib. 16. cap. 18.

ab

1

ab origine ejus ad reipublicae Ebraicae exitum, varium fuisse. Nam a Mosis tempore (quo לפני פתח אהל מועד *ante ostium tabernaculi testimonii* sedes habuisse dicitur[f]) ad templum aedificatum, sive pro itineris commodo ante ingressum in terram sanctam, sive pro dominantium libitu post ingressum, sedes illud habuisse nunc has nunc illas, ubi tabernaculum erat, manifestum est; ut in Silo, Mizpah, Gilgal, Nobe, Gibione, ad domum Obed-edomis, & demum Hierosolymis. Et per illa tempora tam synedria minora quam magnum, ut status rerum varius tulit, sic viguisse credendum est. Quod enim dicitur[h], *non facietis ibi* (in terra promissa) *quae nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur*, quasi nec regimen aliquod forense tunc fuisset per desertum in usu, revera ad sacrificiorum loca, quae sibi quisque diversimode tunc eligere solebat, non ad regiminis seu coercitionis judiciariae formam aliquam, ejusve defectum, spectat; ut & textus etiam ibi sacer indicat, praeter interpretes. Et de judicibus synedrii mentio habetur in paraphrasi Chaldaica, ubi pro הזקנים[i] *Presbyteris* in causa Boaz memoratis substituitur סנהדרין *synedrium*. Id genus sunt alia. Ubinam consideret synedrium magnum templi primi aevo, non ita habemus exploratum[k]. Sed sedes ejus templo etiam tum conjunctas esse non dubitant magistri, qui toties *de loco quem elegerit Dominus*[l], ipsum templum simul & conjunctas synedrii sedes innuentes, loquuntur. Certe & conclave לשכת הגזית *conclave caesi lapidis* (de quo plura statim) sub templo primo synedrii hujus locum fuisse volunt aliqui. Maimonides[m], בתחילה כשנבנה בית המקדש היו ב"ד הגדול יושבין בלשכת הגזית שהיתה בעזרת ישראל *Cum primo exstructum est templum, considebat synedrium magnum in conclavi caesi lapidis* (seu in *Liskath hagazith*) *quod erat in atrio Israelis*. Et forsan sic cognominatus est tam sub primo quam secundo templo synedrii locus. Cum autem nemini praeter reges familiae Davidicae in atrio sedere licuisse aiant[n], conclave hoc sic constructum esse scribunt ut pars tantum altera קודש *id quod sanctum erat* seu *aream consecratam* seu atrium, altera vero חול *profanum, religione solutum* seu aream non sacratam occuparet; unde fiebat ut in parte sacra non considerent, sed in profana tantum; הסנהדרין שהיו יושבין בלשכת הגזית לא היו יושבין אלא בחציה של חול *Synedrium, cujus sedes erant in conclavi saxis politis insigni, considebat tantum in parte ejusdem profana* seu non sacrata. Adeo ut figura illa sedium ejus hemicyclica superius ostensa aream profanam seu non sacratam integram contineret. Eminentior saxorum, quae pavimentum ornabant, rigor conclavi in hoc, uti in aliis etiam, sanctum a profano disterminabat. Illum[o] ראשי פספסין *capita saxorum dolatorum* nuncupabant. Bina etiam ostia conclavi huic fuisse tradunt[p], quorum per alterum in profanam, per alterum in sacram partem introibatur. Quin vero in templi secundi aevo (id est, tam templi quod exstruxerunt e captivitate redeuntes seu Zorobabelici quam Herodiani; nam horum utrumque uno nomine secundi denotare solent, nec tertium faciunt Herodianum, utpote ad pristini, ideo tantum ut augustius reaedificaretur, diruti formulam constructum) in templi, inquam, secundi aevo in Talmude collocatur synedrii magni sedes propria in conclavi illo הגזית seu *saxeo*, eoque ad plagam templi australem sito in ea areae parte quae juxta primam territoriorum assignationem ad tribum Judae attinebat. Nam partem templi occidentaliorum, ubi altare & sacrosanctiora haberentur, in tribus Benjaminiticae territorio sedes habuisse aiunt. Sic expressim Gemara Babylonia[q], סנהדרין בחלקו של יהודה ושכינה בחלקו של בנימין *Sanhedrin in parte* seu *portione Judae, & divina praesentia* (seu occidentalis templi pars) *in portione Benjamin*[r]. Quod quidem tam de synedriis minoribus illis ibi binis quam majori dictum. In australi autem templi parte verbis Misnae[s] disertis collocatur, שבדרום לשכת העץ לשכת הגולה לשכת הגזית *Ad austrum erant conclave ligni, conclave scaturiginis* seu *putei, & conclave hagazith* seu *saxi caesi*, quod de ipso synedrii magni loco, ut paulo post ibi liquet, dicitur. Atqui in ichnographia templi Rabbi Jom Tob, titulo Talmudico *Middoth* subjuncta, ad plagam templi aquilonarem conclave hoc collocatur. Atqui & verba ejus sunt, שבצפון נוטה למזרח לשכת הגזית חציה בקדש וחציה בחול ופתוחה לחול ולקדש *In parte aquilonari quae ad orientem vergit habebatur Liskath hagazith* seu *conclave saxeum, cujus pars altera in area sacra erat, altera in profana. Ostium item erat tam in hanc quam in illam partem.* Sed de conclavis hujus positura vide inprimis quae fusius disputat vir doctissimus Constantinus L'Empereur[t], ubi de templi structura etiam tota agit. Utrum ἡ βουλὴ[v] apud Josephum & βουλευτήριον[x], ubi de templi partibus loquitur, huc spectent, viderint eruditi. De Herodiano templo quidem loquitur ille, uti & Talmudici solent. Et aequum est ut existimemus conclave hoc, aliaque loca pleraque, posituras tum in hoc tum in pristino quod ab Herode dirutum est similes habuisse eis quae in Salomonico fuerant, nec usum dissimilem. Nomen autem illud *Liskath hagazith* interpretatur *conclave saxis quadratarii opere politis* seu *dolatis insigne*; unde etiam אבני גזית *lapides dolati*[y], & בתי גזית[z] *domus quadro lapide constructae* habetur in lingua prophetarum; & מדות* גזית pro *mensuris in dolandis saxis adhibitis*. Raymundus Raymundi[a], atque ejusdem compilator Petrus Galatinus[b] vertit *Camera dolata*, vel polita & interdum *consistorium Gazith*. Atque synedrium ipsum a loco quem diximus non semel apud Hieronymum de Sancta Fide *consistorium de Guazit & consistorium Guazit* nuncupatur. Aliis dicitur[c] *atrii penetrale quadratis structum lapidibus*. Conclavia autem

f Numer. xi. 24. Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 12. §. 3. g Lib. de quaestionibus Ebraicis. h Deuter. xii. 8. i Ruth iv. 2. k Vid. sis Hug. Grot. ad Jeremiae xxvi. 10 l Deuter. xvii. 10. m Halach. *Sanhedrin*, cap. 14. videsis *Adrichomium* in descrip. Jerusalem, §. 35. Curia. n Ibid. & Halach. *Beth Habechira*, cap. 7. & Gemar. Babylonia ad tit. *Joma*, cap. 2. fol. 25. a. o Gemar. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 1. fol. 15. b. p Ibid. cap. 2. fol. 25. a. q Ad tit. *Zebachim*, cap. 5. fol. 54. b. r Videsis J. Baptistam Villalpandum (de tribuum harum hic portionibus) in Apparatu urbis ac templi p. 1. lib. 1. cap. 15. & 16. s Tit. *Middoth*, cap. 5. t Ad tit. Talm. *Middoth*, cap. 5. §. 3. v Halos. lib. 6. cap. 6. x Lib. 7. cap. 35. Gr. & 13. Lat. y 1 Regum v. 17. z Amos, v. 11. * 1 Regum vii. 11. a Pugione Fidei, part. 2. cap. 14. §. 3. &c. b De Arcanis, lib. 4. cap. 6. c Paul. Riccius in Epit. Doct. Talmudic. cap. 10.

compluria templo adjecta fuisse alia nomine לשכה notissima, palam est לשכה quidem veteribus interpretatur non semel *gazophylacium*, *pastophorium*, atque *exedra*, ut in Vulgata, Symmachi[d], Theodotionis, atque hellenistica versione. Id etiam observant de interpretationis ratione disputantes Franciscus Ribera[e], J. Baptista Villalpandus[f], alii. De exedris autem verba faciens Villalpandus, *exedrarum usus*, ait, *in Graecorum palaestris a Vitruvio describitur. Constituuntur autem in tribus porticibus*, inquit[g], *exedrae spatiosae, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. Pollux*[h] *exedram dici putat sessionem ubi viri considere solent. Quamvis Cicero*[i] *locum esse indicet quo posito lectulo meridie requiescant. Quod vero ad sessionem attinet, propterea fortasse Hebraei* לשכה *Liskath vocant exedram Zanedrim, quod ibi circumsedentes nobiles illi duo & septuaginta viri* (solennis ille error est de numero, ut supra monuimus) *jus populo dicerent, ac de difficilioribus negotiis peragendis consultarent.* Sic ille. Quod autem ad nomen attinet a dolatis seu saxis quadris deductum, id factum est ab apparatus artisque in hujus structura prae caeteris singularis[k] usu, sive tam in pavimento quam in eo toto quod inde exsurgebat supereminebatque, sive in pavimento tantum Nam *pavimenta lapidibus strata* non semel memorantur de templo apud Ezechielem[l], & in templo Herodiano singularis pavimenti λίθοις παντοδαποῖς *lapidibus omnigenis* strati mentio apud Josephum[m], veluti rei cujus splendoris ratio apud Ebraeos habita eximia. Id dum perpendo, non adeo absonum forte est suspicari conclave hoc ipsum idem esse quod in Evangelio nuncupatur etiam λιθόστρωτος *locus saxis stratus*. Vocabulum Graecum retinet Vulgata ubi de Pilato pro tribunali sedente verba fiunt sacra, *Pilatus*[n], *cum audisset hos sermones*, ἤγαγεν ἔξω seu *adduxit foras Jesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos. Lithostrota* autem pavimenta saxis discoloribus artificiose strata, ut hodieque passim, apud veteres dicta fuisse e Plinio[o], aliis, scimus; qua de re consulas τὸν πάνυ Claudium Salmasium in Plinianis[p]. Recte vertitur a Syro (quem sequitur Arabs) τὸ λιθόστρωτος per ܪܨܝܦܐ ܕܟܐܦܐ *pavimentum saxorum*; quod & *lapidipavium* Castalio vocavit. Quin & ipsum רצפה *pavimentum* sine saxorum adjectione, Hieronymo[q] in sacris literis λιθόστρωτον denotat, uti & Hellenistis[r]. Unde pro *lectulis*[s] *quoque aurei & argentei erant* על רצפת בהט ושש ודר וסחרת Graeci illi, ἐπὶ λιθοστρώτου σμαραγδίτου λίθου, καὶ πινίνου καὶ παρίνου λίθου, *super Lithostrotum*, seu *pavimentum saxeum, smaragdini lapidis & Pinini & Parii lapidis.* Et tralatitium est conclavia tam publica & forensia quam privata a coloribus, a columnis, a signo aliquo laqueari bus adfixo, id genus caeteris, denominari. Unde & hoc quadratarii in pavimentandi opere designatum. Quod nec parum ab Ebraeis ipsis firmari videtur, qui in causa D. N. Jesu Christi synedros, quoniam alibi ab ipsis capitalem sententiam rite ferri noluere ipsi, in conclave *liskath hagazith* rediisse diserte[t] scribunt; qua de re plura libro tertio. Verba sunt in editionibus non castratis, וי"ל מ"מ כשהיו רואין צורך שעה היו חוזרין ללשכת הגזית כי עובדא דישו וכיוצא בו *Et dicendum est, eos, quoties temporis ratio postularet, rediisse in Liskath hagazith, ut in causa Jesu, & similibus.* Scilicet postquam inde migrarant, juxta inferius ostensa. Certe & in Lithostroto latam in eis sententiam ex evangelio palam docemur. Unde non obscure elici videtur, sive nominis rationem spectemus, sive Ebraeorum illorum hic autoritatem, ipsum Lithostroton, ita Graece dictum, fuisse synedrii magni locum, seu conclave a pavimento sic nuncupatum. Gracca etiam sunt de Pilato hic, Ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον, *sedit super tribunali in loco Lithostroto dicto*, perinde ac si notissimum fuisset eo in loco tribunal seu sedes forensis, ut in ipsa *Liskath hagazith.* Nonnus vero ibi,

Ἀρτιδόμῳ δ' ἐκάθητο Λιθοστρώτῳ παρὰ χώρῳ,
Recens autem exstructo sedit in loco lithostroto:

Quod explicat per

Οἷα λίθοις στρωτοῖσι τετυγμένῳ ——

quasi lapidibus stratis elaborato, quod ipsum לשכת הגזית expressim satis per se interpretatur. Certe apud Ezechielem[v] in templi descriptione habetur רצפה אשר לחצר החיצונה quod vertitur in Vulgata & D. Hieronymo *pavimentum stratum lapide atrii exterioris*, quod ipsum est *lithostroton atrii exterioris.* An & quomodo nomen hoc ad lithostroton in evangelio pro synedrii conclavi sumptum attinere possit, viderint qui accuratius templi partes posituramque scrutentur: Sed interea, pavimenta pro porticibus superstructis ac peristyliis, ut vestibula pro fornicibus superstantibus, prophetarum phrasi usurpari recte adnotant[x] viri docti. Unde facilius lithostroton pro ipso conclavi rite posse sumi quis forsan admiserit. Nec infrequens est locum aliquem etiam a qualitate alteri pariter communi, ex loquendi usu hominumque arbitrio, signantius & solum denominari. Atqui in evangelio dicitur, eundem locum Ebraice (quod pro aevi more Syriace ibi denotat) appellatum *Gabbatha.* Vocabulum illud locum *eminentem* seu *excelsum* significat. Sed apud viros sane, quibus linguae orientales plurimum debent, doctissimos[y] occurrit, Syriace גבתא seu *Gabbatha* esse *locum editiorem lapidibus stratum*, & גב verbum *lapidibus viam sternere.* Ita *Lithostrotos* & *Gabbatha* non solum locum eundem sed eadem nominis etiam ratione idem indicant. Arabes ibi habent جبّا quod ipsum est *Gabbatha.* Syrus autem pro eo quod est in Graeco Γαββαθᾶ habet ܓܦܝܦܬܐ *Gaphiphata*,

[d] Hieronym ad Ezechielem, lib 12. cap. 40. & lib. 13 cap. 42. [e] De Templi Fabrica, lib 1. cap 17. [f] Tom 2. Explanat. part. 2. lib. 3 cap. 26. in Ezechielem. [g] Vitruv. lib 5. cap. 11. [h] Onomastic. lib 1. cap 1. [i] De Oratore 3. [k] Vide Baal Aruch in גזת & Constant. L'Empereur ad tit. *Middoth*, cap. 5. sect 3. [l] Cap. xl. & xlii. in vulgata. [m] Halos. lib. 6. cap 14 Gr. 6. Lat. [n] D Joann. xix. 13. [o] Lib. 36. cap. 25. [p] Pag. 1214, [q] De Nomin. Hebraic, ad lib. 2. Regum, & in Ezech xlii. 3. [r] 2 Paralip. vii 3. [s] Esther 1. 6. [t] *Thosiphta* Gem. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 37, 6. [v] Cap. xlii 3. videsis *Villalpand. ad dict.* caput & praecedentia. [x] J. Baptista Villalpandus, tom. 2. explanat. in Ezech. part. 2. lib. 3. cap. 27. [y] Guido Fabricius in ܓܒ & Valent. Schindler. eadem in voce.

phiphata,

phiphata, quod *peribolum* ſeu *clauſuram* denotans forte aliud erat nomen loci hujus forenſis. Fabricius[z]; *ſignificat non collem a* גבעתא, *ſed peribolum vel circumpavimentum, quod a Vitruvio dicitur lorica.* Nomen Lithoſtrotos in Lichoſtratos[a] & Licoſtratos aliterque a barbaris ſeculis corruptum eſt[b], etiam verſionibus eorundem ſic retineri ſolitum[c]. Rhemenſes, Vulgatam ſequentes, ipſum Graecum etiam retinent, uti & Belgae tum nuperi tum vetuſtiores, Sanctius Marmochinus in Italica, Bohemi, Poloni, alii. *Pavimentum* alii ſimpliciter ſubſtituunt, uti Galli, Angli. Lutherus **Hochpflaſter**, Itali recentiores *Laſtricato* & *Laſtrico*, Dani **Stenlagd**. Lyranus ibi, *Ille locus erat ante domum Pilati. Ante enim domos magnatorum ſolet eſſe locus de lapidibus praeparatus.* Nec melior ei ratio quare locum faceret ante domum Pilati. Sed & de platea ſeu loco ejuſmodi in aprico a veteribus ſumptus eſt[d]. Gloſſa interlinearis interpretatur, *id eſt judicium vel judiciale*, quoniam judicii erat locus. De eo conjecturae fuere variae. Alii[e] ſuſpicati ſunt fuiſſe eundem apud Nehemiam[f] denotatum, ubi poſtea exſtructa fuerat Antonia. Alii fidenter, ut Lyranus, *Locus erat*[g] *ante domum Pilati editus, & judicio accommodatus, ubi Romani praeſides ſententiam ferre ſolebant, qui Graece Lithoſtrotos, id eſt lapidibus ſtratus*, &c. adeoque faciunt τὸ βῆμα ἐν τῷ μεγάλῳ ςαδίῳ *tribunal in magno ſtadio* a Joſepho[h] Pilato tributum, uti & tribunal ejus apud Euſebium[i], hoc in loco fuiſſe. Ubi vero Joſephi Graeca ſunt, ὁ Πιλάτος καθίσας ἐπὶ βήματος ἐν τῷ μεγάλῳ ςαδίῳ, καὶ προσκαλεσάμενος τὸ πλῆθος, ὡς ἀποκρίνεσθαι δῆθεν αὐτοῖς θέλων, δίδωσι τοῖς ςρατιώταις σημεῖον, *Pilatus ſedens pro tribunali in magno ſtadio, & convocans multitudinem, quaſi eis dare vellet reſponſum, dedit militibus ſignum*, &c. depravate apud Ruffinum legitur, nec a Gelenio correctum, *Pilatus tribunal aſcendens ſtudio magno* (pro *in ſtadio magno*) *convocat multitudinem Judaeorum, quaſi*, &c. Ubi Genebrardus, *Pilate monta en ſiege judicial, & fit appeller au grand parquet ceſte multitude des Juifs, comme celuy*, &c. Certe & in verſione perpulchra admodumque vetuſta Ruffini MS. quae olim S. Albani Bibliothecae pars nunc ad bibliothecam ad S. Jacobi attinet, expreſſim ut in editis legitur *magno ſtudio.* Πραιτώριον *praetorium* Pilati ab Evangeliſtis[k] memoratum in aedibus ipſius fuiſſe dubitandum non eſt. Atqui extra eas fuiſſe ejus tribunal volunt viri doctiſſimi, idque ex locis Joſephi & S. Joannis. Summus ille Hugo Grotius[l], *Non erat tribunal Pilati intra praetorium, ſed in ſtadio quod erat non longe a praetorio.* Joſephus, ὁ Πιλάτος καθίσας ἐπὶ βήματος ἐν τῷ μεγάλῳ ςαδίῳ. *Pars hujus areae lapidibus erat conſtrata, ut ex Johanne diſcimus. Ibi erat & conſiſtorii locus & tribunal.* Atque idem ad citatum S. Johannis locum de Pilato ſedente pro tribunali in Lithoſtroto, *In xyſto*, inquit, *ſive ſtadio tecto:* qua de re lectorem relegat ad ante dicta ad S. Matthaeum. Et ad vocem *Gabbatha*, Ἑβραϊςί, inquit, *intellige ſermone ejus temporis, ſignificat* βῆμα, *locum excelſum, qualia erant Romanorum tribunalia. Syri ſaepe* ב *mutant in* פ, *ideo hic* גפיפתא. *Mos erat Romanorum praeſidum non pronunciare niſi pro tribunali, qui locus & jus dicitur*[m]. Sed ita interim incertum habetur de loco; quem ego ſuſpicatus ſum, tum ob nominis in *lithoſtroto* vicinitatem, tum ob quaſi immiſtos judicio illo, idque ex Pilati animi ſententia, ſynedros, quibus locus judicialis alibi adeo legitimus non haberetur, ipſum fuiſſe *Liskath Hagazith* ſeu *conclave ſaxeum*, quod, uti tempora tunc fuere, non videtur dubitandum quin tam Pilato ſuiſque quam ſynedris Judaeiſque reliquis pateret. Neque vero obſtat hic quod dicitur *Pilatum eduxiſſe Jeſum foras, & ſediſſe in Lithoſtroto pro tribunali*, quod interpretantur aliqui perinde ac ſi ſub dio neceſſario ſediſſet. Eduxit eum e praetorio quidem ſuo; quod τῷ *foras* ſeu ἔξω ſatis reſpondet. Tunc in conſiſtorium hoc introiiſſe ac ibi ſediſſe videtur, ubi ſimul haberet ſeniores & pontifices ſynedros, quibus (ut liquet ex evangeliis) libentius ille non ſemel rem illam totam permittere volebat. Et quomodo is ſimul ac ſynedri hi aut commiſti fuerint aut partes ſuas ſigillatim egerint agereve potuerint, pluribus aperiemus ſub finem libri tertii. Pro tribunali autem ſedens Pilatus tradidit *pontificibus illum*[n], *ut crucifigeretur. Suſceperunt autem Jeſum, &* ἀπήγαγον, ſeu *eduxerunt. Et bajulans ſibi crucem* ἐξῆλθε ſeu *exivit in eum qui dicitur Calvariae locum*; quae ſunt verba ſacra. Sane ſi ſub dio ſediſſet tunc Pilatus, aut *Lithoſtrotos* locus in aprico fuiſſet, non ita commode forſan *eductum* eum aut *exiiſſe* dici videatur. Nec quidem conſequens eſt ex ante dictis, βῆμα ſeu *tribunal* Pilati praeſidis fuiſſe unicum, aut ſemper in ſtadio illo, quodcunque fuerit. Certe poſtquam inde ſynedri, ut expulſi, juxta mox dicenda, migrarant, non ita diſſimile eſt etiam Pilatum illuc ſe cum eis ad judicium Chriſti, ut ſpecioſius ſaltem etiam ſynedri ipſi ejuſdem fierent participes, contuliſſe. Caeterum ut rem tantum perſpicacioribus diſquirendam propono, aſſenſum ipſe retinens. Sed dum de loco hic loquimur, praetereundum non eſt quod habent magiſtri aliqui de ſedentibus ſeu habitantibus in יעבץ *Jabetz*, in Paralipomenis. Legitur ibi[o] in enumeratione familiarum veterum, ומשפחות סופרים יושבי יעבץ & *familiae ſcribarum habitantium Jabets.* Hi autem ſumuntur quaſi ſynedrium magnum ſeculo in illo ſic deſignaretur, ut videre eſt ex *Bereſchith Rabba* & *Ketſira* apud Raimundum Martini[p] & Galatinum[q]. Neque illud apud Salomonem Ben Wirga, de *Liskat Hagazith* ex veteri diſciplina ſumptum, non advertendum. Ille inde, בעזרת ישראל היו שמנה בתים כיום לשרת המקדש ולעבודתיו כי רבים היו ושם בית נקרא לשכה הגזית ומי שלא ראה בנייניה אמרו שלא ראה מעולם בנין מפואר קדוש: *In atria Iſraelis erant octo aedes quae ad templi miniſteria ſacroſque ejus cultus attinuere. Atque ibi erant aedes quas vocabant Liskat Hagazith, cu-*

[z] In ܓܦܝܦܬܐ. [a] Petrus Comeſtor in Hiſtor. Evangelic. cap. 166. [b] Videſis Eraſmum ad Joannis xix 13. [c] Italic. Nicolai Malhermii. Anglic. Wiclefii. [d] Videſis Dan. Heinſium Exercit. in Joann. pag 238. [e] Beza. [f] Cap. ii. 8. aut iii. 7. [g] Adrichomius in deſcript. Hieroſolym. §. 115. [h] De Bello Judaico, lib. 2. cap. 8. ſeu 14. [i] Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 6. [k] Matth. xxvii. 27. Marc. xv. 16. Joann. xviii. 28, 33 & xix. 9. [l] Ad Matth. xxvii 27. [m] Paulus lib. 11. D. tit. De Juſtitia & Jure. [n] D. Joann. xix. 16. [o] Lib 1. cap 2, 55. [p] Pugione Fidei, part 2. cap. 4. §. 3, 4. [q] De Arcanis lib. 3. cap. 10. & lib. 4. cap. 5. [r] *Shebet Jehuda*, fol 43, 2.

jus

jus aedificium ejusmodi erat ut in terrarum orbe simile non heberetur. Adjicit etiam inde causam cur ibi collocatum illud conclave quoad sacra: והטעם, inquit, שבגזית שם הוא מפני שעיקרה לדין את הכהנים ואמרו. כי כל כהן שנמצא בו פסול ונודע מדין סנהדרין היה לובש שחורים ומוציאין אותו מחבורת הכהנים. והולך אל ביתו ומתאבל ואם לא נמצא בו פסול יום טוב היה עושה לאוהביו ואומר ברוך שבחר בזרעו של אהרן לשרת בקדש קדשים: *Causa cur ibi collocaretur conclave illud principalis erat, quoniam ibi judicium de sacerdotibus erat ferendum. Atque aiunt, Si quis sacerdos* (quis ex genere sacerdotali) *inidoneus* ad sacra peragenda *ex judicio synedrii deprehenderetur, nigris vestibus indutum a sodalitio sacerdotum eum ejiciebant. Adeoque ad domum suam ibat, & lugebat. Ubi vero inidoneus neutiquam reperiretur, festa coena excipiebat amicos, dicens, Benedictus sit qui elegerit ex semine Aharon qui sacra facerent in sancto sanctorum.* Quod omnino attinet ad illud de sacerdotum corporum vitiis juxta legem sacram discernendis dijudicandisque; qua de re satis alibi [s] e Talmudicis diximus.

V. Obiter advertere liceat, ut Judaeorum synedrio magno in templi Hierosolymitani conclavi illo saxeo locus erat maxime proprius, ita Samaritis, vero non ita dissimile esse, locum aliquem synedrio ejusmodi parilem fuisse ad templum suum Sicimis seu in monte Garizim a Sanballate & Manasse genero suo, Alexandri magni tempore & permissu, conditum. Etenim dicitur illud [t] ναὸς ὅμοιος τῷ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, *templum simile illi Hierosolymis*, uti & ὁ [v] εἰκασθεὶς τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερῷ ναὸς, *templum ad similitudinem ejus quod Hierosolymis erat factum*; quod ab Joanne Hyrcano, postquam per ducentos steterat annos, excisum est. Sic Flavius Josephus. Sed & ea de re videsis etiam Josephum Ben Gorion [x], Davidem Ganz [y], & Guilielmi Vorstii illic observationes, & Abrahamum in Cabala. Quamvis traditiones non scriptas seu legem oralem respuerent illic incolae, utpote quasi Sadducaei a defectione prima, nihilominus, cum synedrii magni seu septuagintauniusviralis institutio verbis haberetur expressis in pentateucho tantum inter scripturas sacras eis satis admisso, probabile videtur, illud apud se ritu suo seorsim, ut templum, habuisse. Accedat quod, cum locus synedrii illius intelligatur per locum *quem* [z] *elegerit Dominus Deus tuus*, adeoque Judaeis locus ille ad templum suum Hierosolymitanum, habeaturque mentio sacra [a] montium *Garizim*, in quo benedictiones positae, & *Ebal*, in quo maledictiones, & *lapidum*, in quibus lex inscripta, in monte Ebal ponendorum, eorumque etiam & altaris posituræ [b]; Samaritae velut praeceptum undecimum sibi inde ad templi sui Garizimitani dignitatem evehendam tuendamque ita finxerunt, ut pentateucho suo proxime post decalogi finem & in Exodo [c] & in Deuteronomio [d] indiderint veluti sermonis sacri, partem, sed e jam memoratis constructam, auctarium hoc, [illegible] *Cum autem introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Cananaeorum ad quam vadis possidendam, eriges tibi lapides magnos, & oblines eos calce, scribesque super lapides istos omnia verba legis hujus. Postquam etiam transiveris Jordanem, statues lapides istos, quos ego praecipio vobis hodie, in monte Garizim, & aedificabis ibi altare Domino Deo tuo, altare lapideum. Non elevabis super eos ferrum. Ex lapidibus informibus aedificabis altare istud Domino Deo tuo, & offeres super illud holocausta Domino Deo tuo, & sacrificabis pacifica, & comedes ibi, & laetaberis coram Domino Deo tuo in monte isto, ultra Jordanem, post viam occasus solis, in terra Cananaei habitantis in planitie e regione Gilgal, juxta quercum Mora versus Sicem.* Ita haec occupant, ut praeceptum adjectitium, decalogi calcem apud Samaritanos. Adeoque si, ut Mosaicorum aliorum, ita synedrii magni instituti, ut verisimile est, sequaces fuerint, aequum satis est ut existimemus, etiam ad templum suum & montem Garizim & Sicimas synedrium attinere eos voluisse suum, ut voluere Judaei suum ad Hierosolymitanum templum. Praeceptum autem adjectitium illud ut in bibliis habetur Jaianis, ita etiam in optimo codicis Samaritani exemplari bibliothecae Cottonianae, & puto in reliquis universis. Abraham Ben Dior [e] (qui Ben David male saepius dicitur, quo nomine etiam editus est) in Cabala, ubi de Hyrcaniano templi Garizimitici excidio loquitur, דקקו חוקים ומשפטים כאשר בדו מלבם *fecerunt leges atque judicia, prout ex corde suo finxerant.* Legitur etiam [f], quod Manasses ille, ut tum e Judaeis transfugarum & populi circumvicini gratiam commodius iniret, templum suum illic constructurus, cujus ipse pontifex maximus, שלח כרוז בכל הסביבות שכל מי שיבא אל מקדשו לא יתן מן התרומות והמעשרות כי אין כוונת ידו ורצונו כי אין רצון האל בדברים שהם על צד הכפייה כי אם בנדבה ומשך לב העמים אליו וגו׳ *misit praeconium in regiones circumvicinas, quicunque ad templum suum venirent, neque primitias neque decimas eos daturos, sed tantum spontanea donaria. Neque Deo grata esse quae cogerentur, sed tantum spontanea. Unde populorum animos sibi conciliavit, &c.* Ita in hujus templi Garizimitici diversissimum ab eo quod

[s] De Successione in Pontificatum, lib. 2 cap. 10. [t] Joseph. Orig. lib. 11 cap. 8. [v] Idem lib. 13 cap. 17. [x] Lib. 1. cap. 5. [y] Ad annum 3348. [z] Deuteron. xvii. 8, 10. [a] Deuteron. xi. 29. & xxvii. 4, 12. [b] Deut. xxvii. [c] Cap. xx. post ver. 17. [d] Cap. v. post ver. 21. [e] Videsis Juchasin, fol. 13[illegible] [f] Salomon Ben Virga in Shebet Jehuda, fol. 11, 1,

in Hierosolymitano: An itidem in aliis, adeoque in forensibus synedrii magni negotiis, aut in loco illi ibi assignando, ignotum.

VI. Quod autem ad locum illum synedrii magni ad templum Hierosolymitanum *Liskath Hagazith* seu *conclave saxeum* dictum attinet; spectanda est cum primis, dum de continuatione ejus & intermissione agitur, migratio ejus e conclavi illo, id est sedis ejusce judicialis seu tribunalis alios in locos translatio. Nimirum conclave illud adeo ex ipsa synedrii origine (quatenus scilicet *locus quem Dominus elegerit* tam templo quam tabernaculo testimonii, cujus in vicem successit templum, conjunctum conclave, in quo considerent, pariter designet) ei proprium habebatur, ut judicia capitalia extra illud rite exercere, seu de re capitali sententiam ferre, synedris ejusdem non licuisse statuant passim Talmudici; neque ita solum, verum etiam nec, postquam desierat conclave illud esse ejusce sedes, a synedriis minoribus potuisse judicia capitalia exerceri, המקום גורם לחייב הנידון ואם אינם שם לא ידונו *Etiam*[g] *locus ipse in causa est ut rite quis* in re capitali *ab eis damnetur. Si alibi considant, judicia ejusmodi non exercent.* Alii[h], *Nulla exercebantur judicia capitalia nisi si* יהיה ב"ד הגדול במקומו *synedrium magnum suum retineret locum*, id est nondum alio migrasset, conclavi illo deserto, seu quamdiu locus ille ita ejusce maneret solennis ut alio se non transferret. Et quoniam supremum hoc tribunal carebat, extra illum locum, imperio ac jurisdictione, unde appellatum a judicibus minoribus juxta legem sacram (ut libro ostenditur tertio) rite posset in capitalibus causis respondere, ideo nec minoribus illis mansisse volunt rerum capitalium jurisdictionem post ejusce migrationem, ne, cum appellationis legitimae effectui locus non esset, temere nimis & contra majorum instituta quis morte plecteretur.

VII. Cum igitur ex migratione e *Liskath Hagazith*, seu loci consueti atque antiquitus constituti desertione, ita minueretur utcunque synedrii magni imperii ac jurisdictionis facies, nec judicia capitalia extra locum illum essent ab eo exercenda; ut res illa integra commodius capiatur, tria inprimis sunt de migrationibus observanda. Loca in quae migravit, tempora migrationum, & causae earum. Loca migrationis sic in Gemara Babylonia[i] exhibentur, מלשכת הגזית לחנות ומחנות לירושלם ומירושלם ליבנה ומיבנה לאושא ומאושא לשפרעם ומשפרעם לבית שערים ומבית שערים לצפורי ומצפורי לטבריא: *E conclavi dolato*, saxeo illo, seu *Liskath Hagazith*, *in Hanoth* seu *Chanoth* (id est *tabernas* in monte templi positas; depravate editur *Hamith* apud Galatinum, Postellum, alios) *a tabernis in Hierosolyma* seu alia urbis loca, *ab Hierosolymis in Jabnem* (quae & Jamnia & Jabnia dicitur) *a Jabne in Usham, ab Usha in Sepharaim, a Sepharaim in Bethshairim, inde in Zepphori, atque demum a Zepphori in Tiberiadem.* Id est, per urbes hasce Palaestinae suae seu terrae sanctae sub urbis templique excidium, & in annis aliquot sequentibus, ita se ex Hierosolymis contulere. Hic migrationes octo habentur; quarum tamen numerus denarius[k] plerumque fit, quoniam ad loca jam memorata aliquot remigrasse aiunt semel atque iterum synedrium; quod, puto, pluries quidem fecit.

VIII. Migrationis autem ex conclavi illo seu *Liskath Hagazith* in tabernas, seu primae, tempus collocant sub annum ante excidium templi secundi quadragesimum. Gemara Babylonia[l], ארבעים שנה קודם חורבן הבית גלתה סנהדרי וישבה לה בחנות *Quadraginta annis ante excidium templi migravit synedrium, & sedes sibi posuit in Tabernis.* Alibi idem[m], מ' שנה עד שלא חרב הבית גלתה לה סנהדרין וישבה לה בחנות *Quadraginta annis antequam templum excisum est, migravit synedrium, & sedes sibi posuit in tabernis.* Unde & Moses Cotzensis[n], מ' שנה קודם חורבן הבית שני גלתה הסנהדרין ממקומה *Quadraginta annis ante excidium templi secundi migravit synedrium e loco suo.* Templi autem excidium illud ad annum attinet Vespasiani secundum[o], qui Christi septuagesimo respondet, & Augustum mensem. Sub annum igitur Christi trigesimum fiebat haec migratio prima. Qua de adjecit paraphrastes Chaldaeus titulum Psalmo sexagesimo nono, perinde etiam ac si de migratione hac futura cecinisset David. Pro eo quod est in Ebraeo למנצח על שושנים לדוד *Vincenti in Sosannim Davidi*, quod Hellenistis vertitur, Εἰς τὸ τέλος, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, τῷ Δαυίδ, seu, ut Vulgata, *In finem pro eis qui commutabuntur*, substituit Chaldaeus in fronte Psalmi, לשבחא על גלות סנהדרין על יד דוד *Ad modulandum super migrationem synedrii, juxta Davidem.* Et pro eo quod est in commate tertio, *Demersus sum in limum profundum, & non est firma consistentia; intravi in profunditates aquarum, & fluctus demersit me*, טְבַעַת בגלותא היך במיא דמצולתא ולית אתר למקום מטית בעמקי תקוף סיעת רשיעיא ומלכא רשיעא אגלי יתי *Immergor in migrationem*, seu *exsilium, ut in aquas profundas: Neque est locus consistendi. Veni in profunditates. Invaluit turba malorum. Et rex improbus*, seu *tyrannus, migrare me fecit.* Alia sequuntur apud Chaldaeum ibi de migratione ista. Vocabulum שושנים *Sosannim* lilia denotat, quod & instrumentum musicum seu hexachordum nonnullis significat. Alibi vero in Psalmorum[p] epigraphis bis adhibetur, utrobique etiam a Chaldaeo pro synedrio intellectum. Salomon Jarchius pro legis studiosis, quos *discipulos sapientum* vocitant, interdum ibi sumit[q], לכבוד תלמידי חכמים יסדו השיר הזה שהם רכים כשושנים ונאים כשושנים ומרטיבים מעשים טובים כשושנים *In honorem discipulorum sapientum composuere carmen hoc*, nempe Psalmum quadragesimum quintum, *qui dicti* Sosannim seu *lilia, quia ipsi ut lilia teneri, & ut lilia pulchri sunt, etiam effundunt opera bona ut lilia.* Caeterum & in ritualibus *lilia florentia* seu פרחי שושנים pro synedrio occurrit. In

[g] Gloss. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8, 1. ad Gemar. ibid. & ad tit. *Sanhedrin*, cap. 5. fol. 41, 1. [h] Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 14. Cotzensis Praecept Affirm. 102. & videsis Raymundum Martini in Pugionis Fidei, part. 2. cap. 4. § 3. Part. 3. dist. 3. cap. 16 §. 46. Galatin. & Postellum, superius citatos. [i] Ad tit. *Rosh Hashena*, cap. 4. fol. 31, 1. [k] Videsis *Sepher Juchasin*, fol. 21. 1, 2. & 53, 1. Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 14. item Jo. Cochium ad Gemar. *Sanhedrin*, pag. 160. J Buxtorf. Comm. Masoretic. cap. 5. [l] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 5. fol 41, a. [m] Ad tit. *Sabboth*, cap. 1 fol. 15. 1. & ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8, 2. [n] Praecept. Affirm. 102. [o] Joseph. Halos. lib. 7. cap. 26. videsis Jos. Scalig. de Emend. Temp. lib. 5. pag. 444. [p] Psalm. xlv. & lxxx. [q] Ad Psalm. xlv.

hymno ad neomeniam ſpectante, verbis prius de ſole & luna factis, ſequitur[r], למדים מהם פרחי שושנים ומנים וקצים הדשים גם ישנים *Ex eis docuerunt flores liliorum tempora & terminos novos vetereſque.* Ubi ſcholiaſtes, ר"ל סנהדרין המעברים השנים *Intelligendum eſt de ſynedrio annos intercalante.* Interdum etiam pro populo Iſraelitico[s] idem vocabulum ſumitur. Sed vero potius de migratione ſynedrorum in captivitate Babylonica ſumendus in jam dictis paraphraſtes Chaldaeus. In tabernis autem jam memoratis aut alibi Hieroſolymis ſedes habuit ſynedrium per annos inſequentes quadraginta, ſeu uſque ad templi excidium, cum in Jabniam urbem, principe Jochanan Ben Zacai, migravit: Poſtmodum autem in Uſham, principe Rabban Gamaliele primo; & demum in urbes caeteras temporibus principum qui uſque ad ejuſdem finem juxta eorum ſeriem in Catena Cabalica mox exhibitam ſucceſſerunt. Ita quidem res ſe habuit, ſi bene quod de migrationibus occurrit mihi intellectum. Sed vero in *Zemach* David[t] legitur, סנהדרין גלתה מירושלם ליבנה ארבעים שנה קודם חרבן הבית בשנה תש"פה ושם תקן שמואל ברכות המינים לפני ר"ג הזקן כדאיתא ב"פק דסנהדרין אשר בעת ההיא נפתחו דלתות ההיכל מעצמו וגער בהן יוחנן כ"ו כדאיתא ביומא פרק טרף *Synedrium* magnum *migravit ex Hieroſolymis in Jabnen annis ante excidium templi* 40, *in anno* Millenarii quarti 785; *& ibi ordinavit Samuel,* Hakaton ſeu minor dici ſolitus, *precandi formulam adverſus haereticos coram Rabban Gamaliele ſeniore, prout dicitur in tituli Sanhedrin capite primo, quando ſcilicet ſponte apertae ſunt portae templi, quas increpavit Rabban Jochanan,* &c. (ita enim ſonat; de Rabban Jochanan ſeu Johanne Ben Zacai dictum, non, ut in verſione Ganzii edita, *atque inter eas periit Rabban Johannes*) *ut dicitur capite Tereph tituli Joma*[v]. Ibi quidem legitur, תר" ארבעים שנה קודם חורבן הבית לא היה גורל עולה בימין ולא היה לשון של זהורית מלבין ולא היה נר מערבי דולק והיו דלתות ההיכל נפתחות מאליהן עד שגער בהן רבן יוחנן בן זכאי אמר לו היכל היכל מפני מה אתה מבעית עצמך יודע אני בך שסופך עתיד ליחרב וכבר נתנבא עליך זכריה בן עדוא פתח לבנון דלתיך ותאכל אש בארזיך אמר רבי יצחק בן טבלאי למה נקרא שמו לבנון שמלבין עוונותיהן של ישראל וגו' *Tradunt Rabbini noſtri, quadraginta annis ante excidium templi ſors non aſcendebat in dextera* (Segenis ſcilicet ſeu pontificis vicarii, in ritu illo ſortium binorum hircorum[x], die expiationum ſolenni) *nec lingula* ſeu *particula coccini* (ad frontem hirci apopompaei apponi ſolita, quae & veluti ſponte ad oſtium templi albeſcere credebatur, velut in ſignum ſingulare remiſſionis peccatorum populi[y]) *albeſcebat, nec candela veſpertina accendebatur, & portae templi ſponte ſunt apertae* (expreſſim ea de re Tacitus[z], *expaſſae repente delubri fores*) *uſque dum increparet eas Rabban Jochanan Ben Zecai, dicens ad templum, Templum, templum, cur adeo feſtinas? ego de te ſatis ſcio finem tuum excidio adventurum. Et olim de te prophetavit Zacharia filius Iddo*[a]*; Aperi fores tuas, o Lebanon, ut devoret ignis cedros tuas. Dixit Rabbi Iſaac Ben Tablai, quare vocatur nomen ejus Lebanon? quoniam albas reddit* (delet) *iniquitates Iſrael,* &c. *Lebanon* quidem illic alibique[b] apud prophetas intelligi ſolet pro templo, etiam & Hieroſolymis ipſis, & quandoque pro terra Iſraelis. Ob excellentiam ſcilicet eminentiamque montis ſic notiſſimi dicti, & ſtructurarum Hieroſolymis cedrinarum quae inde ſunt allatae, ſic nomen aiunt maxime eſſe tributum. Caeterum quantum ad migrationem ſynedrii tunc in Jabnen, neque loco memorato nec alibi quicquam mihi hactenus compertum quo ſatis innitatur illud Ganzii. Legitur quidem in capite *Sanhedrin* citato[c], תנו רבנן משמתו נביאים האחרונים חגי זכריה ומלאכי נסתלקה רוח הקדש מישראל ואף ע"פ כן היו משתמשין בבת קול פעם אחת היו מסובין בעליית בית גוריה ביריחו ונתנה עליהם בת קול מן השמים יש כאן אחד שראוי שתשרה עליו שכינה כמשה רבינו אלא שאין דורו זכאי לכך נתנו הכמים את עיניהם בהילל הזקן וכשמת אמרו עליו הי הסיד הי עניו תלמידו של עזרא שוב פעם אחת היו מסובין בעליה ביבנה ונתנה עליהם בת קול מן השמים יש כאן אחד שראוי שתשרה עליו שכינה אלא שאין דורו זכאי לכך נתנו חכמים את עיניהם בשמואל הקטן וכשמת אמרו עליו הי הסיד הי עניו תלמידו של הילל *Tradunt Rabbini noſtri; poſt mortem poſteriorum prophetarum, Haggaei, Zachariae, Malaciae, ablatum eſſe Spiritum Sanctum ab Iſraele. Attamen, licet ita fuerit, filia vocis inſtrui ſolebant. Evenit ut accumberent* ſapientes *in coenaculo domus Goriae Hierichunte, cum veniebat ad illos filia vocis e coelo hujuſmodi, Adeſt hic quidam qui dignus eſt ſuper quem quieſceret majeſtas divina* (quo nomine etiam Spiritum Sanctum indigitant[d]) *ſicut Moſes magiſter noſter. Sed ſeculum ſuum eo non eſt dignum. Inde conjecerunt oculos ſuos ſapientes in Hillelem ſeniorem, cujus poſt mortem dicebant* (dicere ſolebant) *ſuper eum, ubi pius, ubi manſuetus diſcipulus Ezrae?* (diſciplinae ejus ſequax.) *Alio quoque tempore accumbebant in coenaculo Jabniae, & data eſt eis filia vocis e coelo, hic quidam adeſt qui dignus eſt in quem quieſcat majeſtas divina: ſed ſeculum ejus indignum eſt. Tunc conjecerunt ſapientes oculos ſuos in Samuelem minorem* (קטן ita ſignificare poteſt; & alibi vocatur idem הפיקולי, quaſi *Piccioli,* quod tamen explicatur[e] per קוטון *Goſſypium*) *poſt cujus mortem dixerunt ſuper eum, ubi pius, ubi manſuetus, diſcipulus Hillelis?* Hic quidem ſapientum conventus habetur & Hierichunte & Jabniae, atque in hoc fuiſſe plane videtur tunc Samuel ille; ubi forſan[f] coram Rabban Gamaliele primo, ſynedrii magni Hieroſolymis tunc principe (de quo reliquiſque ejuſmodi capite agitur decimo ſexto) id eſt Gamalielis auſpiciis, compoſuit precationem illam in haereticos publice adhibendam, ברכת המינים dictam, in qua poſcebatur a numine לאבד המינים *perdere haereticos,* uti & memorat Maimonides[g], cujus in exemplaribus vetuſtioribus uti & in locis aliquot ‎תּ‎ם מינים uſurpatur pro Chri-

[r] *Machzor,* Jud. Germ. part 1. fol. 66. a. [s] Jarch. ad Pſalm lxxx. Scholiaſt ad *Machzor,* Jud. Germ. part. 1. fol. 144. b. [t] Part. 1. Millenarii 4. anno 715. [v] Tit. *Joma,* cap. 4. Talm. Babylon. fol. 39. 2. [x] Levit xvi 8 [y] Tit. *Roſh Haſhenah,* cap. 4. fol. 31. 2. [z] Hiſtor. 5. [a] Cap. xi 1. [b] Ezekiel. xvii. 3. Habacuc. ii. 17. vide illic Theodoret. & Hieronymum & D. Kimchium. [c] Talm. Babylon. fol. 11. 1. [d] Videſis Joannem Cocqium in Excerptis e Gemara Babylon. ad tit. *Sanhedrin,* cap. 1. pag. 157. [e] Gloſſ ad tit. *Beracoth,* Talm. Babylon. cap. 4. fol. 28. [f] Vide Gemar. Babylon. ad tit. *Beracoth,* cap. 4. fol. 28. [g] Tract. *Tephila Webarceth Cohenim,* cap 1. §. 1.

ſtianis

ſtianis, qui tunc temporis haud parum inter eos vigere coeperunt. Sed tum in loco ejus illo editionis cum *Ceſeph Miſna* tum in Talmude ipſo Babylonio[h], expuncto מינים, ſubſtituitur האפקורסין *Epicurioſin*. Vocem enim (ut recte Buxtorfius) המינים *uſurpare recentiores renuunt, quia innotuit abunde ea Chriſtianos intelligi*. Voces illae in idem quaſi recidunt, id eſt, in eos qui fundamentum legis ejuſque, quae faciant Judaei, conſequentia ipſis negant. Illud הפקורסין in Talmude aliquoties lectum, velut ab *Epicuro* Graecorum & Latinorum a Judaeis receptum plerumque admittitur, uti & אפיקורוס *Epicurus* ſingulariter, atque & אפיקורוס נכרי *Epicurum extraneum* pro Chriſtiano habent[i], & אפיקורוס ישראל *Epicurum Iſrael* pro Judaeo inter ſuos haeretico. Caeterum viri inter eos doctiſſimi originem aliam ſequentes derivant a verbo Syro & Talmudico פקר *Pekar*, quod & *omnia proſtituere* & *profana facere* & *doctrinam erroneam docere* ſignificat. Maimonides[k], המלה האפקורוס היא ארמית עוינה מי שמפקר ומבזה את התורה וגו׳ *vox* Epicurus *eſt Syriaca, & eum ſignificat qui rejectaneam facit & vilipendit legem*; ubi rem pluribus explicat. Unde & פקר pro *errare haereticum eſſe*, apud Talmudicos veteres, uti & optime notavit Joannes Buxtorfius[l]. Jam vero ex ante allatis, loquitur Ganzius quaſi tunc temporis, id eſt ante excidium templi, migraſſet ſynedrium magnum ex Hieroſolymis Jabniam. Caeterum nondum ejuſmodi quid apud veteres legi; licet dubitari, puto, nequeat quin fuerit tunc ſynedrium etiam Jabniae urbicum, nec interim magnum, quod hactenus non ex Hieroſolymis migraverat. Et tempus hoc R. Samuelis & Rabban Gamalielis ſenioris ad annos aliquot ante excidium templi plane attinet[m]. Atque ſapientes Jabnienſes ſic memoratos in Talmude pro ſynedris ſynedrii urbici ibi aliiſve, nullatenus pro ſynedris magnis, quaſi illuc ſe tunc contuliſſent, opinor ſumendos.

IX. Urbs יבנה *Jabne* memoratur in Paralipomenis[n], ubi Graeci codices nunc Ἰαβνὴρ nunc Ἰαβνᾶ & Ἰαβνὴ habent, & Vulgata *Jabnia*. In Maccabaicis[o], uti & Straboni[p], Joſepho[q], Stephano de Urbibus, aliis, nuncupatur Ἰαμνία & Ἰαμνεία, unde incolae Ἰαμνῖται. Vulgata illic *Jamnia* & *Jamnitae*[r]. Celebris videtur nominis illius urbs in maritimis Daniticis, quam, ut Joppe vicinam, finitimis praefuiſſe ſcribit Joſephus[s], ab Hieroſolymis, ſtadiis 240[t] diſſita, ſi nempe portus Jamnitarum a Juda Maccabaeo ſuccenſus pro urbis illius portu, ut nonnullis, ſumendus. Caeterum Ptolemaeo Ἰαμνιτῶν λιμὴν *Jamnitarum portus* (in MS. Arundelliano Ἰαμνητῶν dictus) collocatur in longitudinis gradu 65, latitudinis 32, ipſa autem Jamnia in ξε γο (ut in MS.) λβ, longit. 65, 40, lat. 32, adeo ut portus ſic ab urbe haud parum diſtaret. Κώμην *vicum* vocat Strabo, πολίχνιον *urbeculam Palaeſtinae* Stephanus. Sed *Jamnes* duas memorat Plinius[v], quarum *alteram vicum* appellat in editionibus vetuſtioribus, pro quo in nuperis ſubſtituitur *altera intus*. Et de יבנאל *Jabneel*, in Joſua, Andraeas Maſius[x], *quin ſit duarum Jamniarum altera nihil dubito. Nam ſolent Graeci literam Beth in ſuum Mi ſaepius convertere. Sitae enim erant ambae Jamnes ſive Jamniae inter Dioſpolim & Azotum*, &c. *Sed noſtram Jabneel eam fuiſſe Jamniam apparet quae maritima erat, non autem quae intus, ut Plinius loquitur, exſtabat.* Alibi autem Jamniam memorat idem[y], *quam Veneti hodie Zaniam vocant & Caſtrum Beroaldi*. Eſt etiam Jamnia inter ſuperioris Galilaeae vicos a Joſepho, dum illic praefectus erat, munitos. De ea expreſſim ipſe in vita ſua[z]. Utra ex Jamniis hiſce eſſet in quam ſic migravit ex Hieroſolymis ſynedrium magnum, nondum ſatis mihi exploratum. Sed videtur haud aliam fuiſſe quam illam Galilaeae ſuperioris, utpote a reliquis migrationis urbibus haud ita diſſitam, adeoque interiorem. In commentariis autem magiſtri expreſſius de Jabne hic loquuntur, quaſi etiam locus is non omnino ex natura ſui (utpote extra Hieroſolyma) ſed ex eo quod illuc ſe tranſtulerat ſynedrium, ſatis, quantum ad judicia non capitalia, reſpondiſſet Moſaicis illis[a] de *adeundis ſacerdotibus, levitis & judice*; quae de ſynedrio magno paſſim ſumuntur. *Sepher Siphri*[b] illic, ובאת לרבות בית דין שביבנה *Et adibis*, &c. *dictum eſt ut comprehendatur etiam ſynedrium quae in Jabne.* Quod interim ſic intelligunt, ut ex inſtituto divino ſynedrium illud haud alibi quam Hieroſolymis, in loco quem elegerit ei[c] Deus, judicia non capitalia (qualia illic praeſcribuntur) rite exercere potuiſſe velint, non omnino capitalia. Paulo poſt *Siphri*, על הוראת ב״ד הגדול שבירושלם חייבים מיתה ואין חייבים מיתה על הוראת ב״ד שביבנה *Ex ſententia ſynedrii Hieroſolymitani rite infligitur poena mortis: Sed non rite infligitur poena mortis ex ſententia ſynedrii quod in Jabne.* Quae ipſa leguntur verba in *Peſiktha Zoterthà*[d]. Uſque autem ad excidii templi tempora, Hieroſolymis duraſſe ſynedrium etiam magnum, haud obſcure elicitur etiam ex Joſephi vita ab ipſo conſcripta. Scilicet ille paulo ante Galilaeae praefectus a ſuis conſtitutus, ſcripſiſſe ſe ait[e] τῷ ϛυνεδρίῳ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, *ſynedrio Hieroſolymitarum*, ut mandata ſua ad eum mitteret; quod ipſum, ni fallor, alibi apud eum illic innuunt Ἱεροσολυμιτῶν οἱ πρῶτοι[f] *Hieroſolymitarum primores*, & Hieroſolymitarum τὸ κοινὸν[g] *commune* ſeu *populus*. Adeo enim populi perſonas & poteſtatem ſuſtinebat ſynedrium magnum (quatenus tunc a Romanis permiſſum eſt) ut ejuſdem nomen rite ſatis ſortiretur; qua de re plura libro tertio. Sed & forſan non indignum eſt quod hic animadvertatur, Joſephum ipſum, dum Galilaeae praeerat, etiam illic velut ſynedrium quoddam magnum, ſeu quod Hieroſolymitanum in judiciis itidem imitaretur, inſtituiſſe, & quaſi principis in eo locum obtinuiſſe. *Ante omnia*, inquit ipſe[h], *curavi in pace continere Galilaeam.* Τὺς δὲ ἐν τέλει τῆς Γαλιλαίας ὅσον ἑβδομήκοντα πάντας ὄντας ἐν

[h] Videſis J. Buxtorf. Lexic. Talmudic. col. 4. 194. [i] Talm Babylon ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4 fol. 38. 2. [k] In Miſnaioth, tit. *Sanhedrin*, cap. 10 § 1. [l] Lexico Talmudico col. 1793. [m] *Sepher Juchaſin*, fol. 21. 1. &c & 69, 1. [n] 2 Lib. xxvi. 6. [o] Lib. 1. cap. iv. 14. & v. 58 & 10. 69. & xv. 40. lib. 2. xii. 8. & 40. [p] Geograph 16. [q] Halof. 2. cap. 9. ſeu 4. [r] 2 Maccab. xii. 9. [s] Haloſ. 3. cap. 4. ſeu 2. [t] 2 Maccab. xii. 9. videſis Benjamin. Tudelenſem. Lat pag. 40. Ebraic. pag. 51. [v] Hiſt. 5. cap. 13. [x] Ad Joſuae xv. 11. [y] Ad Joſuae xv. [z] Pag. 1013 Genev. 1611. B. & videſis eum lib. 18. cap. 8. [a] Deuter. xvii. 9. [b] Fol. 45. col 1-7. [c] Deuter. xvii. 10. [d] Fol. 76. col. 2. [e] Pag. 1003. B. [f] Ibid. pag. 1000. D. [g] Ibid. pag. 1003. C & 1025. A. [h] Ibid pag. 1004 D.

προφάσει

προφάσει φιλίας καθάπερ ὅμηρα τῆς πίστεως ἔχειν, φίλους τε καὶ συνεκδήμους ἐποιησάμην, ἐπί τε κρίσεις παρελάμβανον, καὶ μετὰ γνώμης τῆς ἐκείνων τὰς ἀποφάσεις ἐποιούμην, μήτε προπετείᾳ πειρώμενος τοῦ δικαίου διαμαρτάνειν, καθαρεύειν δὲ παντὸς ἐν αὐταῖς λήμματος, *Cumque vellem optimates ejus regionis, circa ſeptuaginta numero, praetextu amicitiae habere quaſi obſides fidei, aſcitos in amicitiam feci mihi comites & judicandi ſocios, pleraque decernens ex ipſorum ſententia, inprimis curans ne temere diſcederem a juſtitia, utque abſtinerem ab omni corruptela munerum.* Effigies erat planiſſime apud Galilaeos ſeptuagintauniuſviralis apud Hieroſolymitas ſynedrii.

X. Quod ad cauſas migrationum jam dictarum attinet, primae erant aliae, aliae inſequentium. Primae cauſas aſſignant Talmudici ſummae temporis, maxime in homicidiis, iniquitati. Alii aiunt [i], מפני שרבו הרצחנים *ob frequentiam homicidarum* migravit primo ſynedrium, alii [k] in eundem ſenſum, כיון דחזו דנפישי להו רוצחין ולא יכלי למידן אמרו מוטב נגלי ממקום למקום כי היכי דלא ליחייב דכתיב ועשית על פי הדבר אשר יגידו לך מן המקום ההוא מלמד שהמקום גורם *Poſtquam viderant caedium humanarum frequentiam, quam nec ipſi judiciis compeſcere potuere, viſum eis eſt e loco ſuo (Liskath Hagazith) migrare, ut ita nec in quempiam ſententiam* capitalem *ferrent. Nam ſcriptum eſt* [l], *Et tu agere debes juxta verbum illud quod tibi oſtenderint de loco illo. Unde diſcimus etiam locum in cauſa eſſe*, adeo ut extra eum judicia capitalia juxta traditiones avitas exercere nequirent: qua de re non ſemel eſt ante monitum. Scilicet eſt inprimis hic obſervandus rerum Judaicarum eo in aevo ſtatus, qua ſive imminutus eſt, ſive priſtinae ſeu avitae dignitatis reliquias aliquot hactenus retinuit. Poſt Pompeianam victoriam gentem praeſidibus ac regibus a Romanis conſtitutis paruiſſe quidem certum. Praeſides item provinciarum ac reges ſic conſtitutos imperium habuiſſe [m] in ſuarum provinciarum homines; quod tamen ſic non raro temperatum erat, ut in urbibus, municipiis, tractibus aliquot, pro vario indultu principum Romanorum, mores priſtini non pauci & priſtina tribunalia gentibus devictis aut in deditionem receptis permitterentur. Quorum tamen vis pro vario praeſidum & legatorum inſolentia ac libidine dominantium nunquam fere non ita minuebatur ut etiam debito indultus principalis effectu nimium carerent. Jam vero ſcimus ſub Romanis permiſſum eſſe Judaeis Hieroſolymis ſynedrium magnum, eique ibi licuiſſe in loco conſueto ſeu *Liskath Hagazith* judicia, etiam capitalia exercere; quod ex ſupra allatis manifeſtum eſt. Cum vero ſub annum ante templi excidium quadrageſimum, ob ſicariorum frequentiam qui ſaepius, praeſidis favore aliterve tuti, etiam ſynedrii judicio proculdubio ſubinde eripiebantur, adeo ut nec homicidia compeſcere illud poſſet nec caedis diutius reos morte plectere, quod quidem ex jure avito atque hactenus ſibi relicto (utcunque ſic violato) in ejuſce munere & officio erat cum ſynedriis caeteris ferme communi; viſum eſt e loco judiciis hujuſmodi adeo proprio ut alibi rite exerceri ab ipſis nequirent, migrare locum in alium, ibique ſedes ponere, ubi ex ipſa ſeſſione manifeſtum redderetur tum homicidas ſe in jus vocare nolle, quia plane fruſtra fieret, tum pudere ſe in loco judiciis capitalibus ita proprio ſedes habere, cum tot homines rei capitalis damnandi ultimoque afficiendi ſupplicio poteſtatem ſuam ac ſententiam quotidie eluderent. In tabernas igitur primo migrarunt ſeu locum illum *Hanoth* ſeu *Chanoth* dictum; dein in alias urbis aedes, prout principi placuit, aut commodius eſt viſum. Nam ut, juxta quod expreſſim aiunt Talmudici, migrationes in urbes alias poſtmodum variatim factae ſunt eo quod aedes ſeu domicilium ſibi princeps ſynedrii, quem honoris cauſa ſequebantur collegae, templo exciſo & Hieroſolymis dirutis, ſive Jabnae ſive Uſhae ſive alibi [n] elegerat (quae erat migrationum inſequentium varietatis cauſa praecipua) ita dubitandum non videtur quin migratio e tabernis, & quae ſecutae ſunt aliae, ſed non extra Hieroſolyma, ante excidium, pro principis libitu in hunc vel illum urbis locum fieret. Tametſi igitur dominantium libido & victorum tyrannis in cauſa erat quod homicidia ſaepe nimis impune intra ſynedrii juriſdictionem ac imperium committerentur, unde evenit ut migraret illud e loco ſibi conſueto, alibique intra urbem diu judicia exerceret; id non accipiendum eſt perinde ac ſi decreto aliquo ſeu juſſu principali ita pulſum eſſet, aut judiciorum capitalium poteſtas ei fuiſſet erepta, ſed de migratione tantum ſpontanea qualem memoravimus; quod etiam ex aliis quae mox de capitalium ſynedrii judiciorum ceſſatione ſequuntur manifeſtius patebit. Neque aliud forſan voluit paraphraſtes Chaldaeus, dum de ſynedrio in Pſalmo ſupra citato ait, *Et rex improbus migrare me fecit:* Scilicet dominantis libido in cauſa fuit homicidiorum impune commiſſorum frequentiae, cui cum ſontes puniendo ſeu damnando obſtare nequirem, quin alio ob temporis ac dominatus iniquitatem migrarem, commode fieri non potuit. Male igitur nonnulli *judices* ſynedrii quadraginta ante excidium annis fuiſſe *depulſos* [o] ſcribunt, ſaltem ſi aliorum juſſu depulſos velint, ac jure ſedendi ibi exutos. Pejus alii [p]; *Ob falſum judicium in ſanguinem ipſius juſti Chriſti prolatum, de conſiſtorio Gazith expulſi fuerunt, anno ante ultimi templi excidium quadrageſimo* Certe quadrageſimus ante excidium annus judicium D. N. Jeſu Chriſti triennio aut biennio, juxta calculum ſcilicet vulgarem, antevertit. Id genus ſunt apud ſcriptores alia plane, dum de migratione hac videmus, nullo pacto admittenda. Recte hac de re Maimonides [q] ad mentem veterum, כשנתקלקלה השורה גלו ממקום למקום ולעשרה מקומות גלו וסופן לטבריא ומשם לא עמד ב״ד גדול עד עתה וקבלה היא שבטבריא עתידין לחזור תחילה ומשם נעתקין למקדש *Turbato rerum ordine*, ſeu *ob temporis iniquitatem, migrabant a loco ad locum, idque decies faciebant. Poſtrema migratio fuit ea quae fiebat Tiberiadem. Atque dein nondum omnino fuit ſynedrium magnum* [r] (Quale pro legitimo,

[i] Cotzenſ. praec. aff. 102.
[k] Gemar. Babylon. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8. 2.
[l] Deut. XVII. 10.
[m] D. tit. De officio praeſidis.
[n] Gloſſ. ad Gem. Babylon. tit. *Rosh Hashana*, cap. 2. fol. 31. 2.
[o] Guil. Poſtell. de Orbis Concordia, lib. 4.
[p] Petrus Galatinus, lib. 4. cap. 6. & vide eum ibi cap. 8. in fine.
[q] Halach. *Sanhedrin*, cap. 14. §. 12.
[r] Videſis *Meor Enaim*, Tract. 2. cap. 25. & citata inde in Obſervationibus ad Zemach David, pag. 192.

gitimo,

I

gitimo, sed judiciis duntaxat non capitalibus, haberetur; utpote intra terram sanctam, etiam post excidium templi urbisque. Nam synedria alia atque extra terram dicta non ex natura sui sed similitudinis qualiscunque causa sic nuncupabantur, neque eis quae intra terram sive stante templo & jugi sacrificio sive post habebantur, omnino aequiparanda; quod & aliquoties ante monitum) *Quin traditione accepimus, Tiberiade instaurandum posthac fore, atque inde transferendum ad templum*, seu in conclave suum, cum templo, ut somniant illi, itidem restituendum. Sic item Abraham Zacuthius[s], בעבור שרבו הרוצחים שלא רצו לדון דיני נפשות גלו ממקום למקום עד יבנה *Quoniam tanta erat homicidarum frequentia ut ipsis visum esset non exercere judicia capitalia, migrarunt a loco in locum usque in Jabniam*, id est varias habuere Hierosolymis extra conclave sibi proprium sedes, & demum urbe relicta Jabniam se contulere, juxta superius ostensa.

XI. De loco synedrii magni, & migrationibus ejus, hactenus. Sequitur ut de singulari imperii & jurisdictionis ejusdem aliorumque, per annos aliquot ante excidium templi, deminutione penitius, juxta institutum superius, videamus. Ea *intermissio* erat *cessatio* seu *desuetudo judiciorum capitalium*, quam בטלה דיני נפשות nuncupant. Qua de re verba fiunt passim fere ubi de migratione prima in tabernas loquuntur, locis scilicet superius de ea citatis. Et ipsi eidem tempori, scilicet quadragesimo ante excidium aut circiter anno, causa etiam superius indicata, cessatio haec, intermissio seu desuetudo tribuitur. Maimonides[t]; ארבעים שנה קודם חרבן בית שני בטלו דיני נפשות מישראל *Quadraginta annis ante excidium templi secundi intermisere*, seu *in desuetudinem abiere*, seu *cessarunt*, *judicia capitalia ab Israel.* Et Moses Cotzensis[v], eodem, inquit, tempore בטלו דיני נפשות מישראל מפני שהמקום גורם *Cessarunt judicia capitalia in Israel, quoniam extra locum consuetum exerceri rite nequibant.* Quod de synedrii magni migratione illa dictum. Illuc spectat quod non semel legitur in Gemara Hierosolymitana[x], קודם לארבעים שנה עד שלא חרב הבית ניטלו דיני נפשות מישראל *Quadraginta amplius annis ante templi excidium sublata sunt judicia capitalia ab Israel.* Quod usum eorum cessasse pristinum tantum denotat, ex causa scilicet jam ante indicata. Et sexcenties sane tantundem apud Talmudicos occurrit. Jam vero a scriptoribus christianis sumi passim hoc solet, pro eo quod est, judiciorum capitalium potestatem omnimodam a Judaeis tunc abstulisse Romanos, adeo ut non solum non exercere solerent capitalia synedria, sed nec jure diutius omnino debuissent, etiamsi in *Liskath Hagazith* congregati fuissent. Ita Galatinus[y], Postellus[z]; ita alii ad sententiam in Jesum Christum a Pilato latam ejusque circumstantias (de quibus plura libro tertio) scriptitantes, iique nominis maximi, verbis quae e Talmudicis de sublatis seu cessantibus judiciis capitalibus jam adduximus subnixi. Scimus quidem eidem tempori, quadragesimo scilicet aut circiter anno ante excidium, non pauca quae velut privilegia sacra Judaeis in templo singularia erant itidem desiisse, quia a numine eis velut indignis erepta sunt, si vel ipsis[a] fides. At vero hallucinatio videtur manifesta, judicia capitalia eis sic tunc ablata asserere ut jus ea exercendi eis remaneret nullum. Aliud est jus omnino adimi, seu judices potestate legitima judicandi ita privari ut nec judicare debeant aut jure possint, aliud ipsum duntaxat judiciorum exercitium sic praepediri seu ad tempus minui ut judices ipsi, cum tuto officio suo fungi nequeant, eo quidem abstineant ipsi, nec tamen potestate legitima seu jure pristino omnino exuantur. Uti & aliud est munia actu exsequi, aliud jus exsequendi seu potestatem legitimam sine actu, saltem ad tempus, retinere. Leges inter arma silent; nec tamen abolentur, adeo ut in pacis intervalla non redeant ut ante loquentes. At effectus earum, eaque notione ipsae, dum silent cessat. In desuetudinem sic abiere, seu cessarunt, seu ad tempus sublata sunt, circa quadragesimum ante excidium annum judicia capitalia apud Judaeos. Id est, synedrium magnum e loco consueto tunc sponte migrans, id effecit ut nec velle ipsum, quoniam etiam per rerum turbidarum iniquitatem praepediebatur, ea more consueto exercere nemini non liqueret; juxta superius dicta. Jus nihilominus exercendi, atque in *Liskath Hagazith* seu locum judiciis ejusmodi proprium pro libitu redeundi, penes idem mansit, nec stante templo secundo, ni fallor, prorsus desiit, aut est aliter ablatum. Id quod tum ex sensu Talmudico vocabuli illius בטלו (quemadmodum forsan legendum est in Gemara Hierosolymitana pro ניטלו, in supra inde citatis, non aliter intelligendo; licet in editione utraque, tam Cracoviana quam Veneta, eadem sit, sed idem denotans, lectio) quod *intermisere, in desuetudinem abiere, cessarunt* vertimus, tum ex disertis testimoniis de capitalibus judiciis postmodum a synedrio in usum revocatis. Nemo quidem Ebraicis literis paulo versatior nescit verbum בטל tam *impediri, cessare, intermittere*, quam *sufferre* aut *auferre* denotare: Ita tamen ut ablatio ejusmodi significare commode possit temporaneam cessationem solummodo seu intermissionem aut in desuetudinem abitionem, non juris omnino seu rei ipsius deletionem. In Threnis[b] legitur, זקנים משער שבתו *presbyteri* seu *seniores defecerunt de portis*, uti Chaldaeus, סביא מתרע סנהדרין איתבטלו *presbyteri ex porta synedrii cessarunt*, simili בטל notione. Id quod etiam in hac quae prae manibus est re fit manifestissimum ex Gemara Hierosolymitana. Verbis inde jam ante allatis de judiciis capitalibus annis ante excidium quadraginta ab Israel ablatis proxime[c] subjungitur, וביומי שמעון בן שטח ניטלו דיני ממונות מישראל *Etiam & in diebus Simeonis Shatachidis* (loco Gemarae illius secundo habetur Simeon Ben יוחי *Jochai) ablata sunt judicia pecuniaria ex Israele.* Quis dubitari queat sensum esse, quemadmodum sublata sunt quadraginta ante excidium templi annis judicia capitalia, ita & tempore Simeonis Shatachidis judicia pecuniaria etiam seu

[s] *Sepher Juchasin*, fol. 21. 1. ita etiam fol. 26. 2. [t] Halach. *Sanhedrin*, cap. 14. [v] Praecept. aff. 102.
[x] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 18. col. 1. & ad cap. 6 fol. 24. col. 2. hal 2 & vide Gem. Babylon. & Gloss. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 5. fol. 41, 1. & *Juchasin*, fol. 51, 1. in R. Eliaezer Bar Tzadok. [y] De Arcanis, lib 4. cap. 6. [z] De Orbis Concordia, lib. 4. [a] Gemar. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 4. fol. 39, 2. & vide Galatin. de Arcanis, lib. 4. cap. 6. [b] Cap. 5.
14 [c] Gem. Hierof. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 18. col. 1. & cap. 6. fol. 24. col. 2. hal. 2.

privata. Shatachides autem princeps erat synedrii magni sub Alexandro Jannaeo rege, seu annis amplius CL. ante tempus quo judicia capitalia sic sublata dicuntur. At vero nemo, puto, somniavit unquam, ipsum jus judiciorum privatorum seu pecuniariorum exercendorum tunc temporis penitus ablatum esse ab Israele, quod, nemine dissentiente, etiam quamdiu synedrium ullatenus viguit, ei, pro vario tamen rerum ac dominantium discrimine subinde praepeditum, permansit. Sensum citatae Gemarae existimo esse, annis quidem XL. ante excidium sublata esse judicia capitalia, quin & tempore Shatachidis tam haec quam illa esse diminuta, id est, utrorumque exercitium liberum & legitimum ita per temporum iniquitatem praepeditum seu intermissum ut ad tempus auferretur. Quod sane facile concedet qui tyrannidem Alexandri Jannaei regis aliorumque tunc temporis apud Flavium Josephum[d] observaverit. Nam ad illud aevum attinet quod habent Talmudici de anno CLXXX. ante excidium. Tunc, aiunt[e], מלכות הרשעה פשטה על ישראל *tyrannis palam diffusa est super Israelem.* Ut igitur tunc בטלו seu *per intermissionem sublata sunt* seu deminuta judicia tam capitalia quam pecuniaria, ita nec alio modo quadraginta ante excidium annis ablata sunt capitalia. Nam & post Shatachidem utraque revixisse palam est. Adeo ut non de jure deleto, sed de ipso exercitio intermisso seu minuto utrumque sit pariter accipiendum. Sic cum templo exciso dicitur[f] שבטלה סנהדרי *ablatum esse synedrium*; quod plane non de ipso synedrio deleto aut esse desinente sumendum est, (nam annis postea compluribus aliis in locis terrae sanctae viguit) sed pro eo quod pristinam judicia exercendi potestatem ejus, ut mox plenius liquebit, impeditam esse innuat, atque ipsum ex urbe tantum esse sublatum seu summotum, non abolitum. Sic alibi[g], משרבו הרוצחנין בטלה עגלה ערופה *Postquam caedes humanae frequentiores fiebant, ablatus est, intermissus,* seu *cessavit ritus ille*[h] *vitulae decervicandae.* Id quod manifesto intelligendum est de ritu illo a synedris praetermitti solito, non de jure eo utendi eis a victoribus sublato. Item[i] in Misna, משבטלה סנהדרין בטל השיר מבית המשתאות *Ex quo ablatum est* seu *cessavit synedrium, cessavit etiam* seu *ablatum est conviviis canticum.* Ubi *ablatum est* sumitur pro intermissione seu deminutione potestatis exercendi, qualem diximus, non de jure considendi sublato, quod diu post Misnam conscriptam duravit. Nec jus seu facultatem cantandi in conviviis ablatam esse, puto, quis ibi innui existimabit, sed ipsam laetitiam seu cantica intermissa. Alia eodem in loco adjecta sunt similia, unde significatio verbi בטל Talmudicis usitatior, adeoque & ea quae in jam dictis de judiciis capitalibus quadraginta ante excidium annis sublatis admittenda est, juxta superius ostensa, est elicienda. Sed vero id quod volumus ex eis quae apud veteres habentur de capitalibus judiciis postmodum a synedrio subinde in usum revocatis liquidius multo constabit. Ea partim apud Talmudicos reperiuntur, partim etiam in novo foedere scriptisque aliis quae res christianismi nascentis illustrant. Expressim legitur in *Thosiphtha*[k], י"ל דלפעמים צורך שעה היו חוזרין סנהדרין ללשכת הגזית *Dicendum est quandoque tempore opportuno rediisse synedrium in Liskath Hagazith.* Alibi[l] item, וי"ל ד"מ כשהיו רואין צורך שעה היו חוזרין אל הלשכת ודנין שם *Quin dicendum est eos, quoties decernerent tempus opportunum esse, rediisse in conclave illud, ibique judicasse.* Id est, illuc rediisse ut judicia capitalia, quibus dominantium libidinem non ita obstare viderent, ipsi, juxta jus avitum moresque patrios nondum quantum ad hanc rem abolitos, sed nimium praepediri solitos, exercerent. Disertius etiam alio in loco[m], ut & ante notatum, *Quoties decernerent ipsi tempus esse opportunum, rediisse dicuntur in Liskath Hagazith, quemadmodum ob causam Jesu, & quae similia sunt.* Nimirum dicta sunt haec fere ad verba illa Gemarae aliquoties repetita, מיום שחרב בית המקדש אע"פ שבטלה סנהדרי ארבע מיתות לא בטלו לא בטלו והא בטלו אלא דין ארבע מיתות לא בטל מי שנתחייב סקילה או נופל מן הגג או חיה דורסתו מי שנתחייב שריפה או נופל בדליקה או נחש מכישו וגו׳ : *Exciso templo, tametsi sublatum sit synedrium, attamen quatuor mortis genera* (poenae capitales ex ejusce sententia infligi solitae) *sublata non sunt,* seu *non cessarunt. Non cessarunt? imo cessarunt ipsa. Sed judicium harum poenarum quatuor capitalium non cessavit. Sed interim qui lapidari mereretur, is aut e tecto decidebat, aut a bestia dilanibatur*; *qui cremari, aut in ignem decidebat, aut a serpente ictus periit*; & similiter de caeteris. Sensus manifestus satis est. Post templum excisum, id est quadraginta annis post primam synedrii migrationem, seu tempus quo judicia capitalia Ebraeis sublata prorsus esse vulgo dicitur, sublatum esse ex urbe synedrium, adeoque judicia ejus capitalia plane desiisse, quoniam conclave eis proprium simul cum templo deletum est: Poenas autem illas, lapidationem, vivicomburium, strangulationem, & gladii, deinceps בידי שמים seu *coelitus* merentibus infligi esse solitas. Quorsum haec dicta & ipso templi adeoque conclavis excidio signata, si quadraginta ante annis sublatum fuisset judiciorum capitalium jus? Autor Thosiphtha[n] hic appositissime ait, אע"פ שבטלו ד׳ מיתות לגמרי לא בטלו דינהם וכ"ש באותם ארבעים שנה קודם הורבן שנהגו דין ד׳ מיתות *Tametsi jam,* templo & conclavi simul exciso, *cessarunt* seu *desierunt omnino* (nam locus jam restabat nullus judiciis eorum capitalibus) *quatuor ultimorum suppliciorum genera, non cessavit nihilominus judicium eorum,* seu vindicta coelestis. *Quod magis est dicendum de quadraginta illis qui excidium anteverterunt annis, quibus etiam quatuor poenae capitales in usu.* Summa est, לא בטלו לגמרי *non penitus sublata sunt* seu *non prorsus desiere* ante templi excidium; utcunque, juxta superius dicta, subinde praepedirentur atque intermitterent. Sed in usum quoties synedrio videretur opportunum conclave hisce proprium neque hactenus deletum redire, atque pro ejusdem arbitrio, si jus tantum etiam ab ipsis victoribus permissum spectes, revocari solita. Haec autem ma-

[d] Lib. 13. Orig. Jud. & lib. 1. Halosεos. [e] Gemar Babylon. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8, 2. [f] Gemar Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 37, 2. [g] Misna tit. *Sota*, cap. 9. Gemar Babylon. ad tit. *Cethuboth*, cap. 3. fol. 30, 1. [h] Deuter. xxi. 4. [i] Loco jam citato. [k] Ad tit. *Cethuboth*, cap. 3. fol. 30, 1. [l] Thosipht. ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8, 2. [m] Thosipht. ad Gem. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 37, 2. [n] Ad tit. *Aboda Zara*, cap. 1. fol. 8, 2.

nifestiora

nifestiora etiam fient ex eis quae e novo foedere aliisque christianismum nascentem illustrantibus scriptis, id est, quae ad quadraginta annos qui excidium templi praecedunt attinent ac res Judaicas explicant, adducemus libro tertio, ubi etiam de synedrii partibus in D. N. Jesu Christi judicio & poena fusius agitur. Viguisse autem synedriorum, adeoque magni, potestatem in judiciis verberum, quae דיני מכות vocant, exercendis, seu poena verberum, juxta superius ostensa, ex lege sacra[o] irroganda, etiam diu post Christi passionem & intra illud annorum quadraginta intervallum excidium templi antevertens, satis liquet ex eo quod S. Paulus *quinquies quadragenas* [p] *plagas una minus acceperit.* Atque interea observandum, ita permissum esse a Romanis jus avitum Judaeis suum ac velut hac in re intactum relinqui, ut, cum lege Porcia aliisque Romanis [q] qui Romanus simpliciter civis erat flagris caedi neutiquam deberet, Paulus tamen, utpote Judaeus etiam seu Ebraeus ex Ebraeis atque etiam civis simul Romanus (cujus ob dignitatem nominis a centurione Romano [r] caedi nequibat, id est juxta legem Romanam) quinquies nihilominus ex lege avita seu Ebraea popularium suorum primoribus, id est synedriis solennibus, permissa flagellaretur; neque poena eum eximeret, quia Judaeus erat, civitatis Romanae jus, quod sic adquisiverat.

XII. Sequitur demum ut de singulari sacerdotalis generis in judiciis, adeoque synedriis, idque ex instituto publico, praerogativa, quae per annos aliquot & ante & post Christum obtinuit, videamus. Ex eo quod sacerdotale & Leviticum genus studiis legis prae aliis, utpote haud pariter rei familiaris cura ut reliqui districtum, vacaret, seculis in vetustioribus illud itidem prae aliis, si numerum spectes, in cooptationibus in synedria locum, sed ex accidenti, non ex instituto publico aliquo ac continuo, habuisse, satis ante monitum est. Etenim ad tribules universos cooptationis jus pariter spectabat, nec magis ad genus sacerdotale, ut volunt morosius aliqui, aut ad Judae tribules, ut non recte magis alii (nisi quatenus Judaeorum nomine universa gens, a Juda denominata, veniebat [s]) quam ad Ebraeos quoscunque sanguinis satis puri alios Israelitas, secundum superius non semel tradita. Atqui sub Hasmonaeis seu Maccabaeis, qui circa 170 ante Christum annos regnum & sacerdotium, utpote ex tribu Levi, in se conjunxerant (nam etiam ante Aristobulum, qui diadema eorum primus induit, ut principes regebant) invaluisse aliter atque in seculis praecedentibus sacerdotalem in regimine potestatem, nemo non videt in Maccabaicis, apud Philonem, Josephum, alibique. Etiam & subinde pontifices summos rebus praefuisse, ut pro vario rerum statu fieri amat, in seculis Hasmonaeis multo vetustioribus, dubitari nequit. Josephus quidem, ubi historiam instaurati post captivitatem templi pertexit [t], incoluisse ait tunc Judaeos reduces Hierosolyma, πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας, *politia usos optimatum cum oligarchia mixtam.* Ruffinus ibi, *optimatum gubernatione regebantur.* Et dein Josephus, Οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεισαν τῶν πραγμάτων ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσμωναίου συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους, *Penes pontifices enim fuit summa autoritas* (Ruffinus, *nam sacerdotes tractabant eorum negotia) donec Hasmonaeorum genus regnum obtinuit.* Sic de instauratione illa loquuntur. Ante autem reges, & ante illos judices, quos etiam μονάρχους nuncupat, rebus apud illos praefuisse, ut necesse est, agnoscit illic Josephus. Et praefecturae pontificiae exemplum est egregium in Jaddo pontifice maximo suis ut principe imperante [v], & Alexandrum magnum Hierosolymis excipiente. Quale satis cernitur etiam in legatione Araei [x] Lacedaemoniorum regis ad Oniam pontificem ut Judaeorum principem, alibique. At vero, postquam sic inceperant Hasmonaei, tandem Hyrcano Alexandri filio (cui sacerdotium citra regnum restituerat Pompeius) ejusque ex illo genere posteris tum regnum & sacerdotium summum tum judiciorum omnimodorum apud Judaeos potestatem decreto, μετὰ συμβουλίου γνώμης [y], *cum consilii sententia*, (Ruffinus, *cum deliberata sententia)* contulit Julius Caesar, ut imperator simul & pontifex imperii Romani maximus; de qua dignitate, quatenus res hujusmodi ex recepta Romanorum disciplina spectabat, consulas quae libro diximus primo [z]. Decreti ipsius exemplar ostendit ille in literis suis ad magistratus senatum populumque Sidoniorum, cui titulus, *Julius Caesar imperator iterum* καὶ Ἀρχιερεὺς *& pontifex maximus.* Dein, Hyrcani merita recensens, Διὰ ταύτας τὰς, inquit, αἰτίας Ὑρκανὸν Ἀλεξάνδρου καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ ἐθνάρχας Ἰουδαίων εἶναι βούλομαι, ἀρχιερωσύνην τε Ἰουδαίων διὰ παντὸς ἔχειν κατὰ τὰ πάτρια ἔθη, εἶναί τε αὐτὸν καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ συμμάχους ἡμῖν, ἔτι τε καὶ ἐν τοῖς κατ' ἄνδρα φίλοις ἀριθμεῖσθαι. Ὅσα τε κατὰ τοὺς ἰδίους αὐτῶν νόμους ἐστὶ ἀρχιερατικὸς ἢ φιλάνθρωπος (scribendum recte manu sua notavit vir maximus Isaacus Casaubonus in Josepho suo, ἀρχιερατικὰ ἢ φιλάνθρωπα) ταῦτα κελεύω κατέχειν αὐτὸν καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ. Ἂν δὲ μεταξὺ γένηται τις ζήτησις περὶ τῆς Ἰουδαίων ἀγωγῆς, ἀρέσκει μοι κρίσιν γίνεσθαι παρ' αὐτοῦ, *Has ob causas Hyrcanum filium Alexandri filiosque ejus ethnarchas* seu *rectores esse Judaeorum jubeo, & pontificatum* seu *principatum sacerdotii Judaeorum perpetuo retinere more patrio; ipsum quoque & filios ejus esse nostros socios, etiam & inter amicos nostros connumerari. Quantacunque etiam, juxta jura illorum, pontificalia sunt aut aliter indulta beneficia, habere ipsum & filios suos decerno. Si qua vero interfuerit quaestio de Judaica disciplina, placet mihi judicium penes ipsum esse.* Certe in paulo post illic sequente ibi Caesaris ejusdem decreto, de jure Hyrcani Joppensi, usus ejusmodi τοῦ φιλάνθρωπα cum eis quae juris essent pontificii. Verba sunt, Μένειν δὲ τὰ ἀπ' ἀρχῆς δίκαια ὅσα πρὸς ἀλλήλους Ἰουδαίοις καὶ τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἦν, τά τε φιλάνθρωπα, ὅσα τοῦ δήμου ψηφισαμένου καὶ τῆς συγκλήτου ἔσχον, *Manere etiam jure quae ab initio inter Judaeos & pontifices erant, uti & beneficia* (Ruffinus, *institutiones) quae a populo & senatu habuerunt.* Ex indultu illo Caesareo Hyrcanus ille & summus pontifex illic

[o] Deuter. xxv. 2. [p] 2 Ad Corinth. xi. 24. [q] Valer. Maxim. lib. 4 cap. 1. Cicero Orat. pro Rabirio, Sigon. de antiquo Jure Romano, lib. 1. cap. 6. [r] Act. xxii. 25. [s] Euseb. Demonstrationis Evangelicae 8. alii ad Genes. xlix. 10. [t] Lib. 11. cap. 4. [v] Joseph. lib. 11. cap. 1. [x] 1 Maccab. xii. 20. Josephus lib. 13. cap. 8. [y] Joseph. lib. 14. cap. 17. [z] Cap. 10. pag. 957.

&c

& Ethnarcha sic factus, uti & summus in omnibus quaestionibus περὶ τῆς Ἰουδαίων ἀγωγῆς *circa Judaicam disciplinam* judex, exemplo satis fuit postmodum ita sequendo, ac velut in jus recipiendo continuum, ut pro Caesarum, praesidum regumque illic substitorum arbitrio, etiam post deletum Hasmonaeorum regnum[a], penes pontifices esset tunc suorum qualecunque, variatim interim temperatum, imperium, idque usque ad templi urbisque excidium. Amplissima item pontificatus Romanorum maximi nec sine imperio & jurisdictione dignitas haud parum in causa proculdubio fuit ut dignitati apud Judaeos sic cognomini imperium & jurisdictio pro temporum tunc discrimine facilius permitteretur. Inde fieri vix quibat quin sacerdotale genus etiam & complures pontificum seu ἀρχιερέων nomine simul superstites (sive ob singularem in ordine suo eminentiam, sive ob summi pontificis dignitatem, quam annuam aliterve gesserant exuerantque, ut sub Herode, Archelao, aliis, sic dicti) cum scribis & Pharisaeis, ut primores etiam in judiciis synedriisque censerentur; quemadmodum in Evangeliis passim. At nihilominus ex ipsa reipublicae sacrae institutione & usu vetustiori, praeter reges (ut in veteri testamento) synedria rebus, circa tam sacra quam profana, judiciariis, juxta ante ostensa, praefuere eadem, nec diversa, eaque quae ex tribulibus, pro re nata, qualibuscunque, modo puris satis natalibus essent, conflabantur, nec aliter rite conflanda erant. Nec omnino principes eorum alicujus ex sacerdotibus, qua tales erant, prae aliis creati esse videntur, antequam ex regno in Hasmonaeos translato, & Romanorum dominantium insequente arbitrio, fieret cunctis notissima illa mutatio etiam & confusio. Sed perquam mira interim sunt quae etiam a veteribus tum paganis tum Christianis etiam scriptoribus, & Josepho, traduntur de vetustissimo & continuato pontificum imperio, quasi ipsi, qua tales, undiquaque juxta reipublicae sacrae institutionem, populum diu ante rexissent. Certe si fides eclogis Diodori Siculi[b] apud Photium, tam secundum Davidis Hoeschelii[c] quam Andreae Schotti editiones, habenda satis fuerit, ipse Hecataeus, isque historicorum apud Graecos etiam dictus vetustissimus, Milesius, de Mosaica ipsa institutione agens, expressim eam ejusmodi facit. *Moses perquam idoneos regimini*, inquit, *seligens*, τούτους ἱερεῖς ἀπέδειξε, *hos sacerdotes constituit*. Et statim, Τοὺς αὐτοὺς δὲ καὶ δικαστὰς ἀπέδειξε τῶν μεγίστων κρίσεων· καὶ τὴν τῶν νόμων καὶ τῶν ἐθνῶν φυλακὴν τούτοις ἐπέτρεψε· διὸ καὶ βασιλέα μὲν μηδέποτε τῶν Ἰουδαίων, τὴν δὲ τοῦ πλήθους προστασίαν δίδοσθαι διὰ παντὸς τῷ δοκοῦντι τῶν ἱερέων φρονήσει καὶ ἀρετῇ προέχειν. Τοῦτον προσαγορεύουσιν Ἀρχιερέα, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσαγμάτων. Τοῦτον δὲ κατὰ τὰς ἐκκλησίας καὶ τὰς ἄλλας συνόδους φησὶν ἐκφέρειν τὰ παραγγελλόμενα· καὶ πρὸς τοῦτο τὸ μέρος οὕτως εὐπειθεῖς γίνεσθαι τοὺς Ἰουδαίους, ὥστε παραχρῆμα πίπτοντας ἐπὶ τὴν γῆν προσκυνεῖν τὸν τούτοις ἑρμηνεύοντα ἀρχιερέα. *Eosdem vero maximorum judiciorum judices constituit; atque eis legum & morum custodiam commisit: adeoque regem Judaeis non constituit sed imperium populi dari censuit ei qui prudentia & virtute inter sacerdotes aliis praestare videretur. Hunc summum pontificem appellant, quem velut nuncium sibi divinorum praeceptorum esse ducunt. Hunc in populi congregationibus & conciliis* (ecclesiis & synodis) *ait edicta proferre; atque hac in parte tam morigeros esse Judaeos, ut statim pontificem interpretem agentem cadentes in terram adorent.* Habentur quidem etiam haec in Diodori Siculi eclogis[d], velut e Photio, editionis Laurentii Rhodomanni (quae ut Hoeschelii recentior est, ita Schotti prior) sed sine Hecataei nomine adhibito, ut in illis. Caeterum ut de Judaeis ex Diodoro haec ipsa ac plura leguntur apud Photium, ita in Hoescheliana & Schottiana subjungitur, ut ex Diodoro ipso, περὶ μὲν τῶν Ἰουδαίων Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος ταῦτα ἱστόρηκεν, *de Judaeis Hecataeus Milesius haec tradidit*. Jam vero floruit Hecataeus ille Milesius, Olympiade[e] LXV. seu annis aliquot instaurationem seu initia templi secundi antevertentibus, sed interim dum Judaei tunc Hierosolyma esse reduces adeo cupiebant, etiam & publice satis affectabant sacerdotale illud regimen de quo loquitur in ante citatis Josephus. Cum igitur statum reipublicae instaurandae ex eis quae suo tempore sic publice affectata sunt praedicataque, Mosemque ejusdem antea fuisse autorem, didicisset, forsan Hecataeum illum admiserit quis scripsisse etiam eam ab ipso Mose institutam ita fuisse, & pontificium & sacerdotale omnino regimen, nec aliud, ab ipsis initiis obtinuisse. Verum de rebus Judaicis alibi Hecataeum Milesium scripsisse nondum legi, sed alterum illum Hecataeum Abderitam Alexandro magno coaevum, & Josepho[f] aliisque eo nomine citatum; cujus etiam id genus scriptum an genuinum ipsius fuerit & a priscis[g] & nostri seculi viris doctissimis[h] est dubitatum. Certe forsan in illud eclogae Diodori, ab ipso, apud Photium sic subscriptum *Milesius*, ut agnomen frequentius, pro *Abderites* irrepsit. Quod si ita fuerit, tunc scriptum est id plane quod attulimus diu post ipsam sub Ezra instauratam Judaeorum rempublicam. Quomodocunque autem se res haec habuerit, ut receptiorem de Judaeorum reipublicae institutione & imperio sacerdotali disciplinam, jam dicta, ut ex Hecataeo, Diodorus, qui sub Hasmonaeorum scripsit exitum, nobis tradidit. Atque inde, ut videtur, etiam Trogus Pompeius Diodoro coaevus hoc suum consonum hausit, quod diu post, seu sub Antonino Pio, Justinus[i] in epitome reliquit; *Post Mosem etiam filius ejus Arvas* (recte legit Arnas pro Aharone Hugo Grotius[k]) *sacerdos sacris AEgyptiis, mox rex creatur: semperque exinde hic mos apud Judaeos fuit ut eosdem reges & sacerdotes haberent; quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.* Sic ille. Josephus autem in pontificum veterum numeri recensione, etiam ab Aaronis tempore, subjungit[l], Ἐγένετο δὲ αὐτῶν ἀριστοκρατικὴ μὲν ἡ πρώτη πολιτεία, μετὰ ταύτην δὲ μοναρχία, βασιλέων δὲ τρίτη, *Fuit eorum*

[a] Joseph. lib. 14. cap. 25. &c. lib. 20. cap. 8. Euseb. demonstrationis Evangelicae lib. 8. & Chronic. num. 1983. [b] Lib. 40. [c] Bibliothec. Cod. 244. [d] Lib. 40. [e] Suidas in Hecataeo Hegesandri, & v. Ge... Vossium de Historicis Graecis lib. 1. cap. 1. & lib. 4. cap. 3. [f] Orig. 1. cap. 4. & 8. & lib. 1. in Apionem. [g] Herennius Philo apud Origen. in Celsum lib. 1. [h] Joseph. Scalig. lib. 2. epist. 115. vide Jo. Vossium de Historicis Graecis lib. 1. cap. 10. [i] Histor. 3.. [k] Annotat. ad lib. 1. de veritate religionis Christianae §. 17. pag. 53. [l] Lib. 20. cap. 8.

rum

I

rum administratio prima aristocratica, postmodum monarchia, & demum tertia regia. Ita verba sonare videntur velut de pontificum imperio dicta. Unde legimus Anglice, their first Government, &c. Gelenius vertit quasi ὑπ᾽ αὐτῶν legisset, *Sub his* pontificibus *primo penes optimates administratio fuit reipublicae; post ad monarchas, postremo ad reges transiit.* Sed Ruffinus αὐτῶν ibi sumpsit pro *Ebraeorum* gente, nec plane pro pontificibus, adeoque vertit, *Fuit autem Hebraeorum respublica primo quidem sub populi potestate* (quasi legisset δημοκρατικὴ) *post hoc autem sub unius potestate sita, tertio vero sub regibus.* Genebrardus autem, quasi etiam legisset ὑπ᾽ αὐτῶν, *Sous ceux-cy primierement nostre republique fuit governé per Aristocratie, que est un government des ancients ou plus grands, apres lequel il y eut des monarches, & finalement des Royes.* Et Josephus dein alibi[m], dignitati suae sacerdotali indulgentissimus, de praefectura pontificia & sacerdotali loquitur quasi ex primaria institutione regimen illic omne sacerdotale fuisset. Ex eo idem transcripsit[n] Eusebius, qui etiam ipse[o] a templi secundi initio rem ita perpetuo se habuisse scribit: Μέχρι, inquit, Ἡρώδου Χριστοῦ ἡγούμενοι. οὗτοι δὲ εἰσὶν οἱ ἀρχιερεῖς, οἵτινες προεστήκασιν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους, &c. *Usque ad Herodem Christi duces erant. Hi autem pontifices sunt summi, qui praeerant Judaeorum genti: Qui incipientes a sexagesima quinta Olympiade, & ab instauratione templi sub Dario, desierunt tempore Hyrcani, seu Olympiade centesima octogesima sexta.* Idem ex eo alii[p]. Et Hieronymus vertit, *Usque ad Herodem, Christi, id est, sacerdotes, erant reges Judaeorum: Qui imperare coeperunt,* &c. Ad illa autem bene Josephus Scaliger: *Haec facile confutari possent, si Eusebius sententiae suae fautores nactus fuisset. Sed quia nemo est, ne mediocriter quidem doctus, qui non haec dissimulatione praeterire quam confutare melius putet, ideo & nos ab hac velitatione stylum abstinebimus.* Superatur hoc ab illo Epiphanii, ubi, Θρόνος, inquit[q], Δαβὶδ καὶ βασιλικὴ ἕδρα ἐστὶν ἡ ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ ἱερωσύνη, ὅπερ ἀξίωμα βασιλικόν τε καὶ ἀρχιερατικὸν ὁμοῦ ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνάψας ὁ Κύριος δεδώρηται τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ, *Thronus David & sedes regia est in ecclesia sancta sacerdotium, quam dignitatem regiam & pontificiam in eandem contrahens Dominus attribuit sanctae suae ecclesiae.* In ejusmodi sensum quidem tendunt alia similia a non paucis veterum ad potestatem imperii ac regiminis qualemcunque episcopis & presbyteris Evangelicis, postquam sacerdotum nomen induerant, adstruendam dicta ampliataque. Synesius Cyrenensis episcopus sane cautius[r] & modestius; *Ebraei,* inquit, *& AEgyptii,* χρόνον συχνὸν ὑπὸ τῶν ἱερέων ἐβασιλεύθησαν, *longo tempore sacerdotum imperio usi sunt,* quae verba ipsissima postea etiam adhibens[s], statim subjungit, Ἐπεὶ δὲ διῳκίσθησαν οἱ βίοι, καὶ ὁ μὲν ἱερὸς, ὁ δὲ ἡγεμονικὸς ἀπεδείχθη, τετάχαται δὲ ἕτεροι μὲν ἐν τοῖς πράγμασιν, ἡμεῖς δὲ ἐν ταῖς εὐχαῖς εἶναι· οἷς ὁ νόμος ἀπαγορεύει χεῖρα ὀρέγειν τῇ δίκῃ, καὶ ἀποκτιννύναι τὸν πονηρότατον, πῶς ἄν τις αὐτοῖς ἐπιτρέψειεν ἀνδρὶ πανούργῳ χεῖρα ὀρέξαι κατὰ τῆς δίκης; *Sed postquam utriusque vitae factum est divortium, & qui imperaret seorsim designaretur, aliique rebus gerundis* (in regimine) *praeficerentur, & nos* (episcopi, sacerdotes) *precibus fundendis praepositi sumus; quibus lex vetat manum ad jura legesque porrigere, & vel sceleratissimum interficere; quonam modo quisquam eis concesserit manum homini veteratori contra jura porrigere?* Ubi profecto loquitur quasi praeter diras sibi, utpote sacerdoti, poenam irrogare cuiquam aliam non liceret, tametsi alibi apud eum[t] praeter diras ipsas, gravissimae in Andronicum Beronicensem, circa vitae commercium, poenae a Ptolemaidis ecclesia detonante incutiantur. Etiam nomen illud *dei & deorum* judicibus Mosaicis in lege sacra tributum, velut sacerdotibus tantum eo nomine agnoscendum volunt alii[v], iique nominis magni. Historia item sacra de Manasse Jaddi pontificis fratre, & Sanballati genero, quem a se fugasse ait Nehemias[x], ob ductam uxorem extraneam nec, ut ex edicto etiam debuit fieri, ejectam (id de excommunicationis actu etiam sumitur) & cui Josephus[y] tantundem innuens, velut a synedrio tunc magno factum, scribit a τοῖς Ἱεροσολύμων πρεσβυτέροις, *Hierosolymorum presbyteris,* interdictum esse, μὴ προσιέναι τῷ θυσιαστηρίῳ, *ne accederet ad altare,* quod etiam prohibuit frater ejus; historia, inquam, illa a Salomone Ben Wirga refertur quasi interdictum illud fuisset synedrii nescio cujus ex sacerdotibus solum congregati. Rem enim narrans, ונאספו, inquit[z], כל הכהנים וגרשוהו מעבודת המקדש *Et congregati sunt omnes sacerdotes, qui eum a ministerio templi* arcebant; quod non intelligo; uti nec illud apud Josephum, de cultu divino omnino ei illic prohibito, seu sacrorum participatione interdicta, sed tantum de ministerio sacerdotali seu ἀρχιερωσύνῃ *pontificatu,* cujus cum fratre μέτοχον *participem* eum fuisse ait Josephus, ut segenum, syncellum, vicarium, *comme son compagnon en la dignité du grand pontificat,* ut recte Genebrardus. Adjicitur quidem illic in Ruffini versione, *principes quoque sacerdotum cum populo hoc indigne ferebant,* cui nihil in Graecis Josephi respondet. Caeterum rei hic summa est, si Talmudicis credamus, apud Ebraeos; ut neminem a regimine publico eo quod sacerdos esset arceri, ita nec quenquam eo nomine, aut qua talis esset, ex sacra Ebraicae reipublicae institutione, in synedriis alibive in regiminis ratione primo instituta prae aliis locum habuisse. Novatum autem subinde jus illud sub templo secundo, & maxime sub Hasmonaeis, & deinceps, juxta superius dicta, usque ad templi excidium diversimode obtinuit.

XIII. Praetereundum autem non est quod de pontificia & sacerdotali ac prophetica circa solennem anni & mensium intercalationem jurisdictione tradit Elias Ben Moseh Karaita MS[a]. quem & alibi[b] hanc in rem citavimus. Expressim ille (sed Talmudicis interim, quos [illegible]

[m] Adversus Apionem lib. 2. [n] Praeparat. Evangelic. lib. 8. [o] Chronic. Num. 1983. & videsis eum Demonstrat. Evangelic. lib. 8. & Constit. Apostolic. lib. 2. cap. 36. [p] Georg. Syncellus Chronograph. pag. 300. [q] Haeresi 29. §. 3. [r] Epist. 57. [s] Epist. 121. [t] Epist. 57. [v] Gregor. ibid. 4. epist. 31. Gratian. Caus. 11. quaest. 1. cap. 41. [x] Cap. xiii. 28. [y] Lib. 11. cap 8. [z] In *Shebet Jehuda,* fol. 11. 1. [a] Tit. de Tempore, Anno & Noviluniis cap. 15. [b] L[illegible]o de Anno Civili, cap. 11.

הקבלה *magiſtros traditionis*, ſecundum ſectae ſuae morem, nuncupare ſolet, plane diſſonus) בזמן בית המקדש היה הדבר מסור לכהן הגדול עם שאר הכהנים או הנביא אשר היה בכל דור ודור *Tempore templi res illa* (de phaſibus lunaribus in menſis initio cujuſlibet decernendis) *tradebatur ſeu commiſſa eſt pontifici maximo, reliquiſque ſacerdotibus, aut prophetae qui quolibet ſeculo viguit.* Forenſem autem hanc rem fuiſſe, paſſim occurrit apud Talmudicos, ſed ad ſynedrii magni, qua talis, imperium & juriſdictionem ejus attinuiſſe. Atque ampliſſima erat ſane juriſdictio illa, cum ex temporum, feſtorum, adeoque ſacrorum inde, ut neceſſario fiebat, praeſtitutione, nemo eſſet hominum qui ei non perpetuo ſubeſſet. Adjicit autem Karaita ille de captivitatis tempore & ſeculis, quibus haud templum adeoque nec pontifex ſtetit, alios tunc fuiſſe paſſim ejuſce rei judices, qui tum ſuas phaſeon lunarium obſervationes tum aliorum ea de re teſtimonia rite diſcernere poſſent, indeque menſem ſanctificare; quod dum memorat, etiam ex ſuorum diſciplina docet, judices nec illos nec alios rite cooptari potuiſſe, niſi minimum tres ſimul accederent; quod Talmudicae doctrinae omnino conſonum. Quales nempe judices hic admittendi oſtendens, oportet, inquit, ut ſint הדיינין שלשה לכל הפחות מפני שאמר הרב רבינו ישועה אצל מיני העיון לשון רבים ומיעוט רבים שנים וצריך להם .גכ״ עוד אחד כשתתהפכנה הדעות להכריע אחת על האחרת׃ הנה היוצא מזה הוא שדיינים הקדוש צריך להיות שלשה ומזה נקיש ונאמר שבכל דין ודין צריך להיות הדיינים שלשה וכן אמרו בעלי הקבלה אין דין יחידי *Judices illi tres omnino ad minimum. Quoniam, ut ait Rab Rabenu Jeſuiah* (Karaita, quem aliquoties ſic alibi memorat) *in rite diſcernendo uſus eſt numeri pluralis, & minoris. Plures ſunt bini: Et illis adjiciendus inſuper unus; ut ſcilicet, ſi illi diſſentiant, res concilietur ab adjecto. Atque hinc quidem ſequitur, judices ſanctificationis debere eſſe tres. Unde etiam conſequitur ut amplexandum, in unoquoque judicio oportere eſſe judices* minimum *tres. Atque ita etiam dicunt magiſtri traditionis*, id eſt Talmudici; de quorum hunc circa numerum judiciarium ſcitis ſuperius dictum eſt.

XIV. Quod vero a viris alias doctiſſimis obtrudi ſaepe nimis atque ab aliis credi ſolet, ſacerdotum nempe aliorumve cum eis ſeorſim conjunctorum fuiſſe ſynedria ſingularia quae de rebus ſacris cognoſcerent[c], adeoque a ſynedriis aliis, ut in chriſtianiſmo eccleſiaſtica tribunalia a ſecularibus, ſic dici ſolitis, diſcriminarentur; Talmudicae doctrinae reique ipſi id alieniſſimum eſt; quod & in ſuperius adductis[d] aliquoties oſtenditur & libro tertio amplius demonſtrabitur. Neque admittendum omnino illud[e], pontificem maximum, qua talem, principem fuiſſe ſynedrii magni; quod & ante[f] tactum, a viris eximiis aliquot velut in deliciis, ad affectatam juriſdictionem eccleſiaſticam nuncupari ſolitam ſuis aſſerendam, habitum eſt; qua de re etiam plura capite proximo, ubi e Talmudicis de principum ſynedrii ſucceſſione agitur. Atqui interea animadvertendum eſt, pro reipublicae Ebraicae formulae diſcrimine, pontificem maximum, non qua talem, ſed qua cum pontificatu principatu ac regno, ut ſub templo ſecundo, maxime ſub Haſmonaeis & tempore uſque ad excidium urbis inſequente, diverſimode gauderet, ita rebus praefuiſſe, ut rite ſatis potuerit, juxta etiam ac reges, ſaltem Judae (de quibus vide plura, quantum ad hanc rem, infra[g]) principis nomine ſynedrio praeeſſe, aut forte alium, eodem nomine, ut vicarium ſibi ſurrogare, & pro libitu ſummovere. Quamvis enim catena ſeu ſeries habeatur per ſecula illa apud magiſtros (quae capite exhibetur proximo) principum ſynedrii uſque in urbis excidium, veluti eorum qui dignitate gaviſi eſſent perpetua, nihilominus tam de principibus quam de pontificibus ita obviam loquuntur, dum ſcita de eis generalia quaedam afferunt, ut dubitandum non ſit quin ut pontificatus ita & principatus ſeculis illis recentioribus dignitas eſſet nimis deſultoria ac diverſimode collata, erepta, reſtituta. Miſnae[h] verba ſunt, כהן משיח שחטא ואחר כך עבר ממשיחותו וכן נשיא שחטא ואחר כך עבר מגדולתו כהן משיח מביא פר והנשיא מביא שעיר כהן משיח שעבר ממשיחותו ואחר כך חטא וכן הנשיא שעבר מגדולתו ואחר כך חטא כהן משיח מביא פר והנשיא כהדיוט. עד שלא נתמנו ואחר כך נתמנו הרי אלו כהדיוט (dictum ſcilicet eſt ad leges ſacras de ſacrificiis expiatoriis pontificis atque principis in Levitico[i] praeſtitutis, ubi hujus oblatio propria hircus eſt, illius juvencus) *Si ſacerdos unctus*, id eſt, *pontifex, peccaverit, & poſtea pontificatu ſuo dejiciatur, aut ſi princeps peccaverit, & dignitate ſua poſtea exuatur, hircus huic, illi vero juvencus eſt offerendus. At vero ſi dignitate hic exuatur & poſtea peccaverit, ille etiam pontificatu, & poſtea peccaverit, pontifex juvencum nihilominus offerre debet, ſed princeps non aliud ſacrificium quam quod a privato quopiam debetur. Peccant antequam in dignitatem evehuntur. Etiam & tunc ſacrificia eorum ſunt ut privatorum.* Nimirum periochae omnia hoc ſubnituntur fundamento; ſacrificium ab utriſque idem offerendum quod juxta eorum, peccandi tempore, qualitatem offerri debuerat[k]. Res manifeſta eſt, extra quam ubi diſcrimen, ut vides, fit inter pontificem & principem ſummotum. Diſcriminis autem rationem fuiſſe aiunt, quoniam כהן משיח אע״פ שאינו עובד בקדושתו הוא עומד שאין בין כהן העובד לכהן שעבר אלא עבודת *Pontifex, tametſi ſacro munere non fungatur, dignitatem nihilominus retinet. Neque aliud eſt inter pontificem qui munere fungitur atque illum qui ſummovetur diſcrimen, praeter ipſam functionem*, Sed de principe aiunt, אבל הנשיא כיון שהעבירוהו הרי הוא כהדיוט *Caeterum princeps, poſtquam dignitate exutus eſt, plane inter privatos eſt cenſendus.*

XV. Principes igitur ſynedrii (nam de iis ibi univerſim locutam eſſe eo in loco Miſnam, ſive reges ipſi eſſent, ſive alii, manifeſtum eſt; tametſi

[c] [illegible] diſputationem Theologicam Stephani A. Szoko'aei, Lugd. Bat. 1648. alios de politia Ebraica, obvios, tam nuperos quam [illegible] [d] Cap. 8. [e] Tho. Aquin. 1, 2. quaeſt. 105. art. 2. Abulenſem ad Numer. xi. quaeſt. 29. [illegible] ad Deuteron. [illegible] quaeſt. 4 ad 1 Paral p. xxiii. quaeſt 13 paſſimque; alii obiter, maxime pontificii. [f] Cap 9. §. 7. & 10. [g] [illegible] cap. 16. §. 4 [h] Tit. *Horaioth*, cap. 3. & videſis Maimonid. hal. *Shagagoth*, cap. 15. [i] Levit. iv. [k] [illegible] vid. Bartenorius ad Miſnam, tit. *Horaioth*, cap 3.

de

de rege primario legem illam ſacram de principe capere [l] ſoleant) ſummotos interdum fuiſſe perinde ac pontifices, idque inprimis ſeculis illis recentioribus, quibus reipublicae, imperii, juriſdictionis facies pro dominantium victorumque arbitratu crebro mutabat, non eſt [m] cur omnino dubitemus. Etiam & conſtitutos ſubinde a Romanis, prout gubernandi ratio exigebat. Et diſerte R. Gedalia [n], טיטוס עשה ריב״ז נש״א *Titus conſtituit Rabbi Jochanan ben Zacai principem*, ſucceſſorem nempe Simeoni Gamalielis prioris filio in ipſo urbis excidio perempto. Quod de tempore poſt excidium dictum oſtendit, ad anteriora exempla, etiam tunc pro dominantium libitu principes illic conſtitutos. Et ſane quod habet idem ſcriptor de conſtituendis quibuſcunque in terra ſancta judicibus, id tempeſtive hic itidem eſt obſervandum. De foris, ſynedriis, ſynedriſque locutus ille [o], ידע, inquit, כי לא נמצא בתורה מי היה מעמיד ובוחר אלו שופטים כי יא״ שהיה מלך בהמצאו וי״א הסנהדרין וי״א גדולי ההמון ובפ״ק דכריתות אמרו שכל המנויין שבישראל היו לאדם כל חייו והיו גם כן ירושה לבניו אם היו ראוים *Id ſciendum eſt, nullibi in lege reperiri quiſnam conſtituerit ac elegerit judices illos. Nam & ſunt qui regis munus id fuiſſe aiunt, dum ſcilicet reges fuere. Alii ſynedrio* magno *hoc tribuunt*; qua de re plura libro tertio. *Alii, magnatibus populi. Quia in capite primo tituli Talmudici Cerithoth*, ſeu *de exciſionibus, aiunt, quoties quis in Iſrael in dignitatem evectus erat, eam non ſolum ipſi dum ſuperſtes erat, verum etiam filiis nepotibuſque ejus, ſi idonei eſſent, perpetuo remanſiſſe.* Sic ille. De jure quod tangit hic haereditario nos alibi [p] e magiſtris plura. Atque in Hillelis poſteris jus ejuſmodi in allata capite proximo traditionum catena atque ſynedrii principum ſucceſſione cernimus. Abarbinel [q] autem regium fuiſſe plerumque munus exiſtimat, quamdiu reges erant, judices ſynedriorum conſtituere ac ſurrogare. Cum vero nulli erant reges, ipſa ſynedria ſibi collegas in demortuorum locos adſciviſſe, neque aliter ipſos ſynedrii principes conſtitutos. Atque ea de re etiam plura libro tertio. Cum vero tam diverſa eſſet eligendi, ſurrogandi, ſummovendi ratio, eaque pro variante reipublicae ſtatu crebro ſatis mutaret, neque ex Ebraeorum moribus ſolum verum etiam ex affectu libituque Romanorum, penes quos rerum ſumma erat, principes interdum, quod jam oſtendimus, conſtituerentur, aliaque praeter receptiorem catenam ac ſeriem capite proximo exhibendam nomina etiam apud magiſtros ipſos occurrant, nec reipſa ſeu de facto, ut aiunt juriſconſulti, tranſmiſſio illa haereditaria ſemper in uſu reperiatur, utcunque ea ex jure, quo praedicando ſibi placent magiſtri, obtinere forte, ſi avita eorum jura non fuiſſent a victoribus minuta, debuiſſet; cum, inquam, haec aliaque inde pendentia ita ſe haberent, atque praecipua eſſet pontificum autoritas dum Chriſtus in terris agebat, facilius ſane ſententiam illam, quam de Annae principatu & Caiphae patris ſynedrii dignitate alibi [r] dubitantes proponimus, poterit forſan quis amplexari. Qua de re diſputationem hic non iteramus. Sed aequum ſane eſt ut credamus alios ex jure recepto ſeu diſciplina Ebraeis avita fuiſſe ſubinde revera principes ſynedrii aliaſque in dignitates rite evectos, alios ex victorum arbitratu ſubſtitutos, quod & in pontificibus manifeſtius cernitur. Atque ad hanc rem obſervandum eſt, Ananiam pontificem principis ſynedrii locum tenuiſſe videri in Actis Apoſtolorum [s], quando cauſam ſuam ibi egit D. Paulus. Ad eum Paulus, quoniam os ei percuti juſſerat, *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu ſedens judicas*, &c. *Et qui adſtabant dixerunt, ſummum ſacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus, neſciebam, fratres, eum eſſe pontificem: Scriptum eſt enim, principi populi tui non maledices.* Pontifex ſimul ac princeps populi expreſſim appellatur [t]. Et lex ſacra quam citat Paulus ut ad pontificem hunc tunc ſpectantem eſt [v], נשיא בעמך לא תאור *Principi in populo tuo non maledices.* Ubi idem ipſum vocabulum uſurpatur quo principes ſynedrii magni denotari ſolent. Et legem illam diſerte interpretantur magiſtri [x] de principe ſynedrii magni & de rege. At vero tunc temporis aut Rabban Gamaliel ſenior (Pauli, quod dici ſolet, praeceptor) aut Rabban Simeon ejus filius, juxta magiſtrorum ſcita atque jus Hillelianorum in principatu haereditarium, ſynedrii magni revera princeps erat; ut ex catena mox oſtenſa liquet. De ſacerdotum autem praerogativa hic decantari ſolita ante [y] etiam haud parum actum eſt. Et de loco illo Deuteronomii [z] inſigni, quo ſacerdotum etiam per ſe imperium, adeoque cardinalium conſiſtorii jus etiam divinum fundari volunt pontificii [a], plura libro tertio.

CAP. XVI.

I. *Diſciplina Talmudica de ſynedrii magni aliorumque continuatione. De Moſis, principis ejuſdem primi, legis & ſcriptae & oralis traditione, Aharoni filiiſque ejus, & collegis ſuis ſeptuaginta, Joſuae, reliquiſque Iſraelitis.*

II. *De Joſuae, principis ſynedrii magni ſecundi, traditione presbyteris, & quae ſecuta eſt.*

III. *Traditio principibus aliis, ut Samueli, & uſque in Davidem regem.*

IV. *Principes populi & ſynedrii magni principes ſaepius iidem. Saul princeps, Jonathan pater ſynedrii.*

V. *Davidis & ſynedrii ſui traditio Achiae Silonitae; reliquorum, adeoque ſyn-*

[l] Maimonides hal. *Shagazoth*, cap. 15. Cotzenſis praec. affirm. 213. fol. 225. & 227. *Miſna* tit. *Horaiioth*, cap. 3. [m] Videſis *Sepher Juchaſin*, fol. 18, 2. de filiis Bethira. [n] *Shalſheleth*, fol. 27, 1. [o] Fol. 26, 2. [p] De Succeſſ. in Pontific. lib. 2. cap. 1. [q] In *Piruſh Tora*, fol. 365. col 1. & 4. [r] Lib. 1. de ſucceſſ. in pontific. cap 12. [s] Cap. xxiii. 2. [t] Vide ibid. Hugonem Grotium. ad comm. 5. [v] Exod. xxii. 27. [x] Maimonid. halach. *Sanhedrin*, cap. 26. [y] Cap. 8. §. 2. [z] Cap. xvii. 12. [a] C. Per venerabilem 13. extr tit. Qui filii ſunt legitimi, Panormitan. ad c. 2. Ex geſtis, tit. de Clericis non reſidentibus. Petrus de Baiſio, directorio Electionum, cap 35. part. 2. §. 10. alii obvii.

edriorum

3

edriorum, successio usque ad Ezrae tempora. Davidis magistri. Vocis כהן, *pro sacerdote vulgo sumptae, significatio alia. De synedrio magno a Nebuchadnezare abducto.*

VI. *Receptio Ezrae, post restitutionem e captivitate, principis synagogae seu synedrii magni. De collegarum ejus numero CXX. & Simeone justo, eorum postremo, atque Antigoni Socaei, principis synedrii, ab Simeone receptione.*

VII. *De lege orali ab Ezra scriptis tradita (juxta nonnullos) & nupera Jacobi Gaffarelli τε̃ Recanati defloratione, quasi ille e libris Ezrae fuisset.*

VIII. *Receptiones legis, principes, patres synedrii magni ab Antigono Socaeo in Rabban Simeonem (F. R. Gamalielis I.) qui in excidio urbis sub Vespasiano peremptus est, alii per annos aliquot ab excidio illo in ipsius gentis illic deletionem.*

IX. *Commentum magistrorum, Josuam Ben Perachiah, principem synedrii magni, fuisse praeceptorem D. N. Jesu Christi.*

X. *De eo quod habent, synedrium magnum diu post excidium illud desiisse.*

XI. *Spicilegium de synedrorum principumque, maxime synedrii magni, qualitate.*

ACcedat demum coronis quae e Talmudicis aliqua observatu non indigna de continuatione synedrii magni, reliquorumque, & de principum ejusdem qualicunque successione exhibeat, unde & de ejusdem statu continuo dijudicari possit, idque ab ipsa origine prima; simul cum legis oralis catenata traditione. In seriei autem hic tradendae vestibulo haud absonum erit adnotare quod habetur inter magistros [b] de nobilissimo illo praefecturarum Jethronearum, quae etiam synedria fuere, judicio, quo decisa est successionis causa filiarum Zelophehadi [c] in jure agentium. Eas aiunt primo fora Jethronea cui decani praeerant adiisse ac consuluisse; ab hisce vero litem, ut difficillimam, ad pentecontarchorum fora delatam, a pentecontarchis ad centuriones, atque ab hisce demum ad chiliarchas, qui omnes plane Jethronei: Hosce autem rem ad Mosem (qui tunc princeps erat synedrii magni) difficultatis itidem causa detulisse, ipsumque tandem לשכינה seu ad *majestatem divinam*. De vario hujus judicii progressu penes eos sit fides. Neque ea de re disputo. Sed sententiam interea ostendunt velut satis receptam, Jethronea illa fora etiam post leges datas de futura reipublicae sacrae in terra promissa constitutione locum retinuisse. Tempus ipsum manifestius dignoscitur ex iis quae de synedrii magni institutionis tempore superius afferuntur. Et de praefecturarum illarum & continuatione & cessatione plura superius [d]; quibuscum confer quae habent fusius Cornelius Bertramus [e], Alphonsus Abulensis [f], id genus alii. Traditio illa catenata (שלשלת הקבלה vocitant) legis oralis erat, secundum quam & legem scriptam, aliaque ad illam sepiendam seu tuendam pro re nata superinducta, in synedriis jam dictis judicia exercenda fuere. Maimonides [g], velut juxta veterum disciplinam, כל המצות שניתנו לו למשה בסיני בפירושתן ניתנו שנ' ואתנה לך את לוחות האבן והתורה והמצוה· תורה זה תורה שבכתב והמצוה זו פירושה וצונו לעשות את התורה המצוה· והמצוה זו היא הנקראת תורה שבעל פה: *Omnia praecepta quae data fuere Mosi in Sinai, data sunt cum explicationibus suis, secundum id quod dicitur* [h], *Et dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & praeceptum.* Lex *hic est lex scripta, &* praeceptum *denotat explicationem ejus; unde praecipimur facere legem juxta sententiam praecepti. Et* praeceptum *hic est quod vocitatur lex oralis.* Ita ille, aliique. Sed vero textus est, *Et dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & praeceptum,* אשר כתבתי להורותם τ̃ νόμον ϰ̀ τὰς ἐντολὰς, ἃς ἔγραψα, *quod scripsi ut doceantur illi*, seu, ut Graeci, νομοθετῆσαι αὐτοῖς, *unde legem eis ponas*, aut *lex eis ponatur*, ubi de scriptione tam praeceptorum quam legis mentio esse videtur expressissima. Atque tantundem admittunt versiones tam vetustae quam nuperae. Ipsi Judaei etiam Hispanienses, *Y la ley y la encommendança, que escrivi para a mostrarlos.* Atqui etiam in corpore Talmudico [i], perquam hyperbolice hic R. Simeon Ben Lakish, מאי דכתיב ואתנה לך את לוחות האבן והתורה והמצוה אשר כתבתי להורותם לוחות אלו עשרת הדברות תורה זה מקרא והמצוה זו משנה אשר כתבתי אלו נביאים וכתובים להורותם זה תלמוד מלמד שכולם נתנו למשה מסיני: *Quod attinet ad illud quod scriptum est* [k], *Et dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & praeceptum; quod scripsi, ut doceantur illi;* tabulae *sunt decem verba,* lex *est scriptura, &* praeceptum *est Misna;* quod scripsi, *denotat prophetas & hagiographos;* ut doceantur illi, *innuit Thalmud,* seu *Gemaricam ejus partem. Ita observandum, haec cuncta donata fuisse Mosi e Sinai.* Caeterum distinctio illa legis in scriptam & ore traditam passim apud magistros est obvia. Et utramque ad posteros pariter aiunt propagatam. Primam eorum expositionem Aharoni filiisque ejus ac senioribus seu presbyteris, adeoque sui temporis synedris, etiam & populo factam, e Gemara Babylonia superius [l] obiter retulimus, quam & inde docet Maimonides [m], aliique. Moses ita princeps synedrii magni primus, cum legem sic explicatam reddidisset, dicitur [n] scriptae codices sua exarasse manu tredecim, quorum duodecim tribuum singulis distribuit, decimum tertium etiam in arca reponendum, juxta illud ejus [o], *Accipite hunc librum legis, & reponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.* Et

[b] Apud R. Bechai in *Peer Torah*, pag 193. col. 1. [c] Numer xx i [d] Cap. 2 § 4 [e] In Polit. Judaic. cap. 6. [f] Ad Numer. xi quaest 26. & 53. & ad Deuteron. xvi quaest 6. [g] Praefat. ad tit. Talmudic *Zeraim* & ad *Jad Chazaka*. [h] Exod. xxiv 12. [i] Gemar. Babylon. ad tit. *Beracoth*, cap 1. f. 5. 1 [k] Exod. xxiv. 12. [l] Cap. 2. § 4. [m] In Praefat. ad Seder *Zeraim* & ad *Jad Chazaka*. [n] Ibid. [o] Deuter. xxxi. 26.

dein

dein Maimonides, והמצוה שהיא פירוש התורה לא כתבה אלא צוה בה לזקנים וליהושע ולשאר כל ישראל שנ׳ את כל הדבר אשר אנכי מצוה אתכם אותו תשמרו לעשות וגו׳ ומפני זה נקראת תורה שבעל פה׃ אף על פי שלא נכתבה תורה שבעל פה למדה משה רבינו כולה בבית דינו לשבעים זקנים ואלעזר ופנחס ויהושע שלשתן קבלו ממשה׃ וליהושע שהוא תלמידו של משה רבינו מסר תורה שבעל פה וצוהו עליה׃ *Et praeceptum, quod erat explicatio legis, tradidit* Moses *presbyteris, & Josuae, & reliquis Israelitis, secundum quod scriptum est*[p], *Omne verbum quod ego praecepi vobis observabitis ut faciatis, &c.* (Samaritanus ibi codex, *Omne verbum quod ego* [Samaritan script] *praecepi tibi hodie*, &c.) *Atque inde dicta est lex oralis. Tametsi scripto haud mandata fuerit lex oralis, nihilominus eam universam docuit Moses magister noster in synedrio suo septuaginta presbyteris* synedrii sui collegis. *Et trias illa, Eliaezer & Phineas* filii Aharonis *& Josua, acceperunt eam a Mose. Et Josuae* prae aliis, *qui erat discipulus Mosis magistri nostri, tradidit is legem oralem, & de ea ei praecepit.* Inde traditio principibus synedrii aliisque secuta est continua, quae usque ad, etiam & post, excidium templi secundi reperitur partim in tractatu Talmudico *Pirke Aboth*, commentario cognomine Rabbi Nathan Babylonii, qui tractatus ejusdem est explicatio; plenius multo in Maimonide, Mose Mikotzi, Abraha Zacuthio in *Sepher Juchasin*, R. Gedaliah in *Shalsheleth Hacabala*, Josua Levita in *Hilcoth Olam*, Davide Ganz in *Tzemach David*, aliis ejusmodi, praeter commentarios non ita paucos Rabbinorum aliorum in tractatum jam dictum; Jarchium, Abraham Ben David, Abarbinelem, Samuelem de Ozida, Obadiam Bartenorium, alios satis obvios; qui tamen in traditionis successione unanimes semper non sunt. Utcunque autem, ex hisce compendium ejusdem exhibebimus per intervalla a Mose sequentia, usque in templi excidium, & tempus insequens, quo synedrium magnum, ita proprie dictum & vere veterum Ebraeorum, prorsus, juxta superius ostensa, desiit. Atque ita occurrent etiam principes & patres synedrii magni saepius memorati.

II. Josua synedrii magni princeps secundus, seu Mosis in synedrio successor[q], ex tribu Ephraim[r], acceptam a Mose legem oralem tradidit לזקנים *presbyteris*[s], tam collegis suis quam aliis. Hi vero dicuntur & Phineesus tradidisse Eli[t] prophetae, velut successori proximo. Atqui amplum est inter Josuam & Eli intervallum; annorum circa trecentorum. Sed universi qui intercesserunt presbyteri ac judices, patrum seu antecessorum doctrinam illam sacram velut haereditario sic excipientes, adeoque judicia varie exercentes, nomine illo הזקנים *presbyterorum*, ut in collecto, sic contineri videntur. Et Obadias Bartenorius[v] ad illud de lege orali presbyteris a Josua tradita; הזקנים לזקנים אותם ואותם אחרים עד שהגיעו לתחלתם של נביאים שהן עלי הכהן ושמואל הרמתי *Et presbyteri hi presbyteris aliis usque ad prophetarum initia, scilicet Eli sacerdotem & Samuelem Ramethensem.* Jarchius item illic, זקנים הללו מסרו לכל הזקנים שהיו בכל דור ודור כמו לעתניאל ועתניאל לאהוד ושאר שופטים שהיו אחריו עד שבאו לאנשי כנסת הגדולה *Presbyteri hi*, quibus legem oralem tradidit Josua, *eam tradiderunt presbyteris caeteris aevo quolibet insequente, velut Othonieli; qui tradidit Ehudo, & reliquis judicibus eum secutis, usque dum venirent ad viros synagogae magnae*; de quibus plura mox. Ipse item tractatus Talmudici, de capitulis patrum, textus, compendiose, הזקנים לנביאים ונביאים מסרוה לאנשי כנסת הגדולה *Presbyteri prophetis, & prophetae tradiderunt eam viris synagogae magnae.* Alii hic[x], שופטים קבלו מיהושע שנ׳ ויהי בימי שפוט השופטים *Judices receperunt a Josua, juxta quod scriptum est*[y], *In diebus quibus judicabant judices.* Adjicitur, נביאים קבלו משופטים שנ׳ ואשלח אליכם את כל עבי הנביאים יום השכם ושלוח *Prophetae receperunt a judicibus, secundum quod scriptum est*[z], *Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, mane surgendo & mittendo.*

III. Alii vero, ut maxime Maimonides & Abraham Zacuthius[a], particulatim multo magis rem explicant, antequam ad viros synagogae magnae deveniunt. Praefixam quidem insigni commentario illi suo in *Misnaioth*, ad titulum Talmudicum *Zeraim*, de legis traditione, adeoque principum synedrii magni successione, enarrationem dedit Maimonides, quae Ebraice in Talmudibus optimae editionis Babyloniis exstat, alibique seorsim. Sed jam opera viri summi Edwardi Pocockii, linguarum Ebraicae Arabicaeque Oxoniis professoris dignissimi, eadem cum aliis aliquot ejusdem luculentius proditura est ibi Arabice. Ferme typis jam absolvitur. Sed vero quantum ad judices qui in Josuae locum ut principes successere, aequum satis est existimare eos ad illius Mosisque exemplum fuisse synedrii magni principes, quatenus nimirum res tunc turbidissimae tribunalibus ordinariis adeoque synedrio huic omnium amplissimo locum permitterent. Habetur quidem in judicibus proxima post Shamgar Ehudi successorem Deborah[b]. Atque ex communi a majoribus recepto jure aiunt שאשה פסולה לדון[c] *foeminam judiciis haud idoneam*; quod tamen ita temperant, uti & alia quae לפי שעה *pro tempore* fierent, ut ex sancito publico res aliter se jure satis posset habere, adeoque tunc haberet. Eam rite statuunt praefuisse, quoniam populus קבלוה עליהם *eam in se susceperunt*, id est idoneam regimini adeoque judiciis decreverunt. Etiam Abarbinel & David Ganz Deboram & reliquos judices usque ad Samsonem hic pro Cabalae legis successoribus continuis enumerant. Dein autem de Eli & Samuele pariter dicendum videtur, ut de judicibus illis. Expressim etiam Maimonides[d], ושמואל קבל מעלי ובית דינו *Et Samuel recepit ab Eli & synedrio ejus.* Pergunt inde ad Davidem, ודוד קבל משמואל ובית דינו *Et David recepit a Samuele & synedrio ejus.* Et expressius memoratur[e] disciplina de exterorum post proselytismum conjugiis, recepta מבית דינו של

[p] Deuter. xii. 32. [q] Numer. xxvii. 18. Deuter. xxxiv. 9. Josua i. 1, &c. [r] Josua xxiii. 2. xxiv. 31. [s] Numer. xiii. 8. 1 Paralip. vii. 27. [t] 1 Sam. i 3, &c. [v] Ad *Pirke Aboth*, cap. 1. [x] R. Nathan Babylonius. [y] Ruth. i. 1. [z] Jerem. xxxv. 15. [a] Sub initium *Juchasin*, & fol. 158, 1. [b] Judic. iv. 4. [c] R. Gedalia Ben Jechai in *Shalsheleth Cabalae*, fol. 14, 1. [d] In Praefat. ad *Jad Chazeka*, videsis Guil. Vorstium ad *Tzemach David*, pag. 213. &c. [e] Gemar. Babylon. ad tit. *Jabimoth*, cap. 8. fol. 77, 1.

שמואל הרמתי *a synedrio Samuelis Ramathensis.* Quin, ubi legitur percussos esse e Bethsamitibus tempore Samuelis, eo quod inspexissent arcam Domini [f], בעם שבעים איש חמשים אלף איש, quod verbo tenus sonat, *in populo septuaginta viros, quinquaginta millia virorum*, numerus septuagenarius pro synedrio magno a magistris sumitur. Gemara Hierosolymitana [g]; דכתיב ויך באנשי בית שמש וגו' ר' חנינה ור' מנא חד אמר ויך בעם שבעים איש זו סנהדרין וחמשים אלף שהיו שקולין כנגד חמשים אלף יחד אמר ויך בעם שבעים איש זו סנהדרין וחמשים אלף מעם הארץ: *Ad verba illa de Bethsamitis percussis Rabbi Chaninah & Rabbi Mana dissentiunt. Alter vult verbis illis* in populo septuaginta *indicari synedrium* seu *Sanhedrin, atque adjici* quinquaginta millia, *quia ejusmodi numero synedri ipsi etiam* dignitate *aequiparandi. Alter vero fatetur quidem Sanhedrin* seu *synedrium* (idque magnum; nam id numerus ostendit) *ibi innui per numerum septuagenarium, sed per alterum illum quinquaginta millium plebem denotari.* Atque obvium est apud Rabbinos qui commentarios Samueli adjiciunt [h], *septuaginta* hic ad aevi illius synedrium magnum ex veterum traditione attinere. Unde etiam Jonathan paraphrastes Chaldaeus ibi, וקטל בסבי עמא שבעין גברא ובקהלא חמשין אלפין גברא & *occidit ex senioribus populi septuaginta viros, atque ex plebe quinquaginta millia virorum.* Et D. Hieronymus; *Hos,* inquit [i], *septuaginta viros, judices septuaginta Hebraei intelligunt, quorum merito & gloriae quinquaginta millia virum comparabantur*; *sicut & de David dicitur* [k], *Quia tu unus pro decem millibus computaris.* Vix autem dubitandum est quin & synedrii magni, quod illo tempore ita agnoscunt fuisse magistri, principem fuisse Samuelem innuant, qui etiam populi tunc princeps.

IV. Hactenus saltem, quantum scimus, semper obtinuerat ut idem esset princeps populi ac synedrii magni; quod & postmodum saepius, tametsi non semper, obtinuit. Sed Hugo Grotius, de synedrii hujus seu senatus dignitate & amplitudine ordinaria agens, *Quoties autem,* inquit [l], *Deus coelesti indicio aliquem populo praefecerat, qualis fuit Josua, Gideon, Jephthes, Samson, Samuel, eis etiam citra senatum judicandi jus erat, ut apparet Judic.* viii. ubi Deus Josuam tunc principem populi alloquitur. *Vocabantur autem tales reipublicae liberae summi magistratus ac velut interreges* סופטים (judices) *quod nomen etiam vicinae gentes usurparunt.* Et paulo post, *Quibus vero temporibus neminem talem Deus exciverat, recurrendum omnino erat ad senatum, in quo ferme eminebat pontifex maximus.* Sed de pontifice hic maximo & ante diximus & plura inferius adjiciemus. Jam vero ante Davidem etiam reperitur apud Talmudicos Saul rex, synedrii magni princeps, & Jonathan ejusdem pater, seu אב בית דין. Ad illud [m], *Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul & super Jonathan filium ejus, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quod corruissent gladio,* in utroque Talmude [n] legitur, על שאול זה הנשיא ועל יונתן בנו זה אב בית דין super Saul, *is princeps erat*; super Jonathan filium ejus, *is pater fuit synedrii.* Et quamdiu atque quatenus regnum sive Judaicum sive Israeliticum, ante captivitatis infortunia, suos retinuere mores, princeps synedrii ac rex idem esse, ut hic, ni fallor, solebat, ad Mosis, qui princeps primus, exemplum. Unde intelligendum etiam illud Misnae ad legem [o] de principis seu *Nasi* (quo vocabulo synedrii principem denotari solenne est) peccantis sacrificio, אשר נשיא יחטא וגו' *Quando princeps* seu *Nasi peccaverit, & fecerit unum ex omnibus praeceptis Domini Dei sui,* &c. *offeret hircum de capris immaculatum,* ואי [p] זה הוא הנשיא זה המלך שנאמר ועשה אחת מכל מצות יי' אלהיו נשיא שאין על גביו אלא יי' אלהיו *Quisnam hic principis nomine ibi designatur? Certe rex ipse*; *juxta quod dicitur, Et fecerit unum ex omnibus praeceptis Domini Dei sui. Nimirum princeps intelligendus, quo praeter Dominum Deum suum superior erat nemo.* Sic rex ipse etiam synedrii princeps. Nec de principe alio quam cui suberant universi locum capi volunt ibi Gemaristae [q], qui ad hunc modum; נשיא יכול נשיא שבטים כנחשון ת"ל ועשה אחת מכל מצות יי' אלהיו ולהלן הוא אומר למען ילמד ליראה את יי' אלהיו לגזירה שוה מה אלהיו שנ' להלן נשיא שאין על גביו אלא אלהיו אף אלהיו שנאמר כאן נשיא שאין על גביו אלא אלהיו: *Vocabulum* princeps *putarit forsan quis ibi denotare principes tribuum, quales Nahson* [r], *& sui similes. Sed observandum est dici, Et fecerit unum ex omnibus praeceptis Domini Dei sui. Alibi* [s] *scilicet dicitur etiam, Ut discat timere Dominum Deum suum.* Deus suus *utroque in loco tantundem significat. Quid vero denotat illic? Plane principem, quo superior non est praeter Deum suum.* (Nam periochae legis de rege constituendo pars sunt verba illa.) *Igitur etiam hic principem denotat, quo superior non est praeter Deum suum.* Idem veterum alii [t]. Et Abraham Zacuthius [v] verba faciens de ipsis principibus synedrii magni, locum Misnae jam memoratum de eis pariter ac regibus, utpote qui iidem essent, expressim capere videtur. Idemque paulo ante; ואב בית דין היה כמו משנה למלך שהוא הנשיא רצה לומר המלך *Et pater synedrii erat sicut secundus regi, qui scilicet princeps erat, id est ipse rex.* Unde alii itidem de rege & אב ב"ד *patre synedrii magni* veluti de principe & vicario ejus obiter [x] loquuntur, dum de oraculo numinis sanctissimo illo consulendo verba faciunt. Inde etiam *judex* signantius nominatus in Deuteronomio [y], ubi synedrium hoc etiam innui consentiunt magistri, pro rege a nonnullis sumitur, seu, ut Abenezra, pro מלך שכתב משנה התורה מיד הכהנים *Rege qui scripserit Deuteronomium a manu sacerdotum,* juxta illud scilicet quod ibi sequitur [z] de ejusmodi scriptione. Legem item il-

[f] 1 Samuel. vi. 19. [g] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2 fol 22. col. 2. [h] Sal. Jarchius & D. Kimchius [illegible] 1 Samuel vi 19. [i] In Tradit. Heb. ad 1 Regum vi. [k] 2 Samuel xviii 3. [l] Ad Matth v 22. pag 79. [illegible] Spanhemium, part. 2. Dub Evangelic. 139. §. 3. [m] 2 Sam. i. 12. [n] Gem Hierosolymit. ad tit. [illegible] cap 3. fol. 83 col 2 & Babylon. ibid. fol. 26, 1. [o] Levit. iv. 22. [p] Misn. tit. *Horaioth*, cap 3 [q] [illegible] ibid. fol. 47 col. 3. [r] Numer. x. 14. vide item Numer. ii. 3. [s] Deuter xvii 19. [t] [illegible], fol. 11. col. 43. [v] *Sepher Juchasin*, fol. 17, 2. & 16, 1. [x] Abarbinel in *Perush Tora*, fol 414, 1. [y] Cap. xvii. 12. [z] Comm. 18.

lam

Iam de principis sacrificio[a] ad principes itidem synedrii magni postmodum attinuisse, quamvis regum nomine non fruerentur, statuisse magistros, ex eis quae de hujusmodi principibus inferius adferemus haud difficile elicitur. Unde & scimus amplissimam & veluti nulla inferiorem minoremve habitam principis synedrii magni dignitatem, non solum quando ea simul etiam regia erat, verum etiam quoties, pro variante rerum statu, alii quiquam, ut mox liquebit, in eam sunt evecti. In magistrorum autem catena, ideo maxime instituta ut ii per quos, velut per autores primarios, ad posteros transmissae sunt traditiones illae Mosaicae ac Sinaicae, principes omnes synedrii M. non memorantur, unde nec Saulus rex. Sed ii tantum principes mandantur memoriae qui tam principes quam primarii ejusmodi traditionum autores fuerant; caeteris praetermissis, quia, tametsi synedrii principes, nihilominus ad dictam institutae catenae rationem locum in ea habere quibant nullum. Nec scilicet existimandum est, quoslibet, per quorum manus transmissio illa facta est, in catena memorari; sed eos tantum qui primas tenuere. Nam & plures alii fuere qui id muneris praestiterunt, velut eorum, qui primas sic tenuere, ea in re socii. Unde & toties aiunt accepisse quempiam ab N. ובית דינו & *synedrio ejus.*

V. Sequitur etiam in catena de Davide rege; scilicet Achiam Silonitem accepisse[b] מדוד ובית דינו והר"אבד ז"ל כתב שהיה הוא מבית דינו של דוד *a Davide & synedrio ejus. Quin adjicit R. Abraham Ben Dior beatae memoriae, Achiam fuisse ex ipsius Davidis synedrii collegis.* Alii vero[c] Achiam Samueli ita conjungunt ut tum Davidem tum Achiam ab ipso scribant accepisse. Et Achiam hunc perquam longaevum faciunt magistri. Nam unum ex eis qui ex AEgypto exierant eum fuisse[d] aiunt. Quod si ita res se habuerit, fieri nequit quin aetas ejus quingentos aut circiter superarit annos. Ita non solum a Davide & Samuele verum etiam a superioris seculi magistris eum legem accepisse facile esset concedendum. Annorum ejus calculus sine difficultate dignoscitur ex comparato exitus tempore cum Jeroboami regno, quando floruit hic propheta, ut ex sacris[e] literis scimus. Illud autem de Davide & synedrio ejus sic memoratum innuit & ipsum tunc, utpote simul & regem, synedrii principem fuisse, aut synedrium saltem habuisse. Et expressim Maimonides[f], דוד ע"ה מכלל סנהדרי גדולה *David, super quem sit pax, erat pars corporis synedrii magni.* Accedat quod habent magistrorum nonnulli ad illud[g], *Benaias filius Joiadae erat super Pelethi & Cerethi,* de viro aliquo principe sub Davide plane dictum. Sunt quidem qui sanctissimum illud oraculum *Urim & Thummim* per *Pelethi & Cerethi* ibi denotatum velint. Alii de satellitibus regiis, sagittariis & fundibulariis (quemadmodum Chaldaeus paraphrastes aliique) capiunt. At vero, inquit Levi Ben Gersom[h], רבותינו פירשו שהם סנהדרין ואמרו כרתי שכורתין דבריהם פלתי שמופלאים במעשיהם *Rabbini nostri de synedris* (seu synedrio magno) *interpretantur; eosque aiunt dictos Cerethi, quia verba sua praescindebant* seu *breviter jussa pronuntiabant; Pelethi autem, quia excellebant in factis suis.* Et diserte in Gemara Babylonia[i], בניהו בן יהוידע זו סנהדרין *Benaias filius Joiadae ipsum synedrium denotabat*; ubi etiam caetera sequuntur quae habet hic Gersomides. Accedat hic quod habent Talmudici de ducentis principibus synedriorum (in quibus, maxime videtur etiam fuisse principis magni; si alius tunc fuerit quam David rex ipse, quem, uti & reges alios, vicarios sibi in principatu illo subinde ex re nata suffecisse, credibile est; sed interim adverte quod legitur[k] de *Cerethi* tunc & *Pelethi*, pro synedrio magno tunc sumptis, velut Davidem comitantibus) in Absalomis partes pellectis; unde de synedriorum tunc temporis principatusque eorum continuatione placita magistrorum elici possint. Legitur[l] de Absalome, *Et cum Absalome iverunt ducenti viri ex Hierosolymis* קראים והולכים לתמם ולא ידעו כל דבר *qui vocati erant, & profecti sunt in simplicitate sua, nec quid omnino sciebant,* eorum scilicet quae tunc tentando ambiverat Absalom, aut consilii Achitophelis. Ad hoc Talmudici; Absalomem impetrasse a Davide patre literas ejus quibus facultas sibi daretur evocandi in comitatum suum binos ex Israelitis viros non aliter atque nomine illo generali distinctos. Inde per juga sibi adscivisse binos binosque, usque dum numerus eorum excreverat in ducentos. Hos universos fuisse[m] ראשי סנהדריות *capita* seu *principes synedriorum,* quorum *cor furatum* cum esse aiunt, ut patris itidem & populi, unde, pariter uti ex aliis ab eo gestis, armorum etiam quibus peremptus est, quemadmodum & juvenum qui peremerint, numeri rationem afferunt miram. Misna citata ipsa ait, eo quod tanti capillum suum aestimaret, capillis suspensum esse[n], ולפי שבא על עשר פלגשי אביו לפיכך נתנו בו עשר לונביות שנ' ויסבו עשרה נערים נושאי כלי יואב ולפי שגנב שלש גנבות לב אביו ולב בית דין ולב ישראל שנ' ויגנב אבשלום את לב אנשי ישראל לפיכך נתקעו בו ג' שבטים שנ' ויקח שלשה שבטים בכפו ויתקעם בלב אבשלום *Et quoniam concubuit cum patris sui concubinis decem*[o], *ideo indebantur ei decem lanceae; juxta id quod dicitur*[p], *Et venerunt decem juvenes, qui Joabo armigeri erant. Et quoniam triplicis furti erat reus, cordis nimirum patris sui, & cordis synedrii* (magni, adeoque caeterorum, quorum capita seu principes sibi sic adsciverat) *& cordis Israelis, secundum quod dicitur*[q], *Etiam cor hominum Israelis furatus est Absalom, ideo transfixa ei sunt tria jacula, secundum quod dicitur*[r] de Joabo, Et manu sua cepit tria jacula, quibus transfixit cor Absalomis. Gemara Hierosolymitana[s], ולב בית דין דאמר [illegible] אבשלום מי ישימני שופט הארץ וגו' רעש אבשלום

[a] Levit. iv. 22. [b] *Sepher Juchasin*, fol. 11. 6. [c] Gedalia Ben Jechia in *Shalsheleth*, fol. 15. 1. [d] [illegible] in praefat. ad *Jad*, *Sepher Juchasin* fol. 11. 2. [e] 1 Reg. xi. 29. [f] In *Perush Mishnaioth*, tit. *Sanhedrin*, fol. 115. ad cap. 2. [g] 2 Samuel viii. 18. & 1 Paralip. xviii. 17. [h] Ad 2 Samuel viii. & vide [illegible] ibid. & [illegible] Battenor. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 5. & Gloss. Talm. ibid. fol. 16. 2. [i] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 16. 2. & tit. *Beracoth*, cap. 1. fol. 4. 1. [k] 2 Samuel xv. 18. [l] Ibidem. xv. 11. [m] [illegible] Hierosolym. ad tit *Sota*, cap. 1. fol. 17. col. 2. Halach. 8. D. Kimchius ad 2 Samuel xviii. 14. Glossa ad Misn. Babylon. tit. *Sota*, cap. 1. fol. 9. 2. Battenor. ad dict. Misnam, §. 8. [n] 2 Sam. xviii. 9. [o] Ibid. cap. xv. 16. & xvi. 21. [p] Ibid xviii. 15. [q] 2 Sam. xv. 6. [r] 2 Sam xviii. 14. [s] Ad tit. *Sota*, cap. 1. fol. 17. col. 2. halach. 8.

בדברי

I

בדבר הזה *Et cordis synedrii, juxta dictum illud Absalomis*[t], *Quis constituit me judicem super terram, &c.* Affectum synedrorum sibi *dicto hoc commovit Absalom.* Fiunt dein successores Achiae Silonitae hic in receptione legis oralis Elias, Elisha, Jehoiada sacerdos, Zacharias, Hoseas, Amosus, Isaias, Micah, Joel, aliique prophetarum usque ad Baruchum, adeoque Ezram, quem a Barucho ובית דינו & *synedrio ejus* accepisse aiunt legem illam oralem, uti & reliquos cunctos ab antecessore proximo. Et pariter unicuique tribuitur illud, *accepit ab* eo וב"ד & *synedrio ejus*, quasi etiam synedrii principes fuissent. Etiam quod apud Jeremiam[v] habetur de שרים *principibus*, quibus, velut solis prophetae judicibus legitimis, a Zedekia rege res relinquitur, pro synedrio sumitur[x], tunc magno, quod ita in successione jam dicta locum habet. Illud autem de Davidis acceptione ante memoratum dum recitat Zacuthius, דוד, inquit, המקבל הששי כיצד משה יהושע פנחס עלי שמואל דוד *atque is erat eorum qui recepere sextus. Quomodo? Moses, Josuah, Phinees, Eli, Samuel, David*, nulla in enumerationis illius compendio hoc presbyterorum aut judicum habita ratione. Addit ille ex veteribus, Mephibosthethum uti & Achitophelum fuisse Davidis magistros, sed interim singularem ei fuisse magistrum, Iram Jairitem, de quo legitur[z], *etiam Ira Jairites erat* כהן לדוד, ubi ἱερεὺς habent Graeci, ut Vulgata *sacerdos Davidi.* Et usitatissimam esse pro sacerdote vocem כהן nemo nescit. Atque Syrus eandem usurpat, quae etiam, pauculis ante syllabis, pro sacerdote plane adhibetur. Arabs etiam ibi صار حبرا *factus est sacerdos*; Lutherus, Davids Priester; uti & Angli vetustiores. Sed Chaldaeus ibi רב לדוד *magister Davidi.* Judaei Hispanienses, *era mayoral a David.* Alii, *praeses pro Davide, le principal officier de David*; Belgae, Davids opper officier. Et Angli recentiores, chief about David, & a chief ruler about David, quasi in sensu vox illa ante eodem in libro[a] sumitur; ubi *filii Davidis* vocantur כהנים, quod recte a Graecis vertitur αὐλάρχαι, *aulae principes*, comites consistoriani; uti & Chaldaeis רברבין *magnates*, Judaeis Hispaniensibus *principales*, juxta quod etiam recentiores & Rabbini illic ipsi, ac Syrus Arabsque. Atque hic etiam Vulgata habet, *Filii David sacerdotes erant*; ubi rectissime Hugo Grotius, *Fieri id non potuit per legem. Sed error est in voce. Verbum* כהן, *unde id nomen venit, significat* λειτουργεῖν. *Inde participium in verbalis significationem transiens, si ad Deum expresse aut tacite referatur, significat* λειτουργὸν τοῦ Θεοῦ, *sacerdotem*; *si ad regem, ejus ministrum, puta* αὐλάρχην, *ut hic posuere septuaginta, quomodo & Chaldaei hic sumunt & Hebraei, qui addunt indignatum Absalomum quod non & ipsi talis* αὐλαρχία *obtigisset. Nec aliter nomen* כהן *sumi videtur infra* xx. 26. *Et in Paralipomenis explicatur per primos ad manum Regis*, 1, Par. xviii. 17. Hebraea illic sunt הראשונים ליד המלך *primores principes ad manum Regis.* Atque id ipsum innui in Paralipomenis quod in Samuele ibi, dubitari nequit[b]. Sed in loco de Ira *sacerdote* capiunt כהן Rabbini pro *sacerdote*, ideoque aiunt Iram dici *sacerdotem Davidi*, quia tanti eum habuit ut כל מתנות כהונה *omnia*[c] *dona sacerdotalia* (ab ipso sacerdotibus alias praestanda) *ei daret*, atque, ut Zacuthius, נתן לו מעשרותיו ולא לכהן אחר ואמרו שבעבור זה בא רעב שמ"ד סמוך ויהי רעב בימי דוד *dedit ei decimas suas, nec alicui alii sacerdotum. Et dicunt inde evenisse famem quae statim sequitur, Et erat*[d] *fames in diebus Davidis.* Jarchius autem, פשוטו של מקרא שעשאו שר ושופט *sensus scripturae apertus est, eum factum esse unum e primoribus & judicem.* Ad captivitatem synedrium magnum, adeoque reliqua, durasse satis consentiunt qui a Nebuzardane synedros captos aiunt ad Nebuchadnezarem deductos esse, atque ab eo occisos. Ratio quidem numeri eorum sic admissa satis mira. Legitur[e], *Et tulit magister militum Seraiam sacerdotem praecipuum, & Zephaniam* כהן משנה *sacerdotem secundum* (ubi Graeci codices aliqui habent υἱὸν τῆς δευτερώσεως, sed Complutensis τὸν δεύτερον, uti & Chaldaeus (סגן כהניא) *atque* שלשת שומרי הסף *tres custodes vasum*, alii *sacrorum*, alii *janitores*, Graeci φυλάσσοντας τὸν σαθμὸν, Judaei Hispanienses *guardantes la baxilla*, Chaldaeus אמרכליא *Camerarios, thesauri custodes*, Jarchius & David Kimchius ibi שומרי כלי בית המקדש *custodes vasum templi) de civitate vero tulit* סריס אחד *eunuchum unum* (seu *praefectum*, seu *aulicum*; Hispanienses *privado uno*) *qui erat constitutus super viros bellatores, & quinque viros qui aspexerant faciem regis* (interioris admissionis aulicos) *qui inventi sunt in civitate, sed & eum qui erat scriba principis militiae, educentis populum terrae ad pugnam* (Graeci ibi, κ. γραμματέα τοῦ ἄρχοντος τῆς δυνάμεως τὸν ἐκτάσσοντα τὸν λαὸν τῆς γῆς) *atque sexaginta viros de populo terrae. Et tulit eos Nebuzardan princeps militum, & duxit eos ad regem Babylonis in Ribla. Percussitque eos rex Babylonis, & occidit eos in Ribla*, &c. Alibi item tantundem legitur[f], excepto quod pro *quinque viros* substituitur *septem.* Jam vero magistri hic synedrii magni collegas designari volunt. Rabbi Jochanan[g] ad illud, *Et tulit magister militum Seraiam sacerdotem primariam, & Zephaniam sacerdotem*, הרי שנים *ecce ibi duo sunt. Et septem viros*, &c. הרי תשעה *ecce novem. Et sexaginta*, &c. הרי שבעים חסר אחד *ecce septuaginta, uno minus. Et ex civitate praefectum unum, ecce septuaginta.* Et dein, אית תני תני שבעים ואחד ויקח רב הטבחים את שלשת שומרי הסף ושבעה מרואי פני המלך וששים איש מעם הארץ ומן העיר לקח סריס אחד הרי שבעים ואחד ולמה קריהו סריס שמסרס ההלכה *Sed & dicitur septuaginta unum ibi* (numerum synedrii magni integrum) *haberi. Et tulit princeps militum tres custodes thesauri, & septem aulicos admissionis interioris, & sexaginta viros e populo terrae, & ex urbe praefectum unum; ecce septuaginta unus. Et quare dicitur ille*

[t] 2 Sam. xv. 4. [v] Cap. xxxviii. 5. [x] Hugo Grotius ad Matth. v. 22. pag. 81. [y] Fol. 11. 1. [z] 2 Sam. xx. 26. [a] 2 Sam. viii. 18. [b] Videsis Abulensem ad 1 Paralip. cap. xviii. quaest. 35. [c] Apud Jarchium ad 2 Sam. xx 26 & vide ibid David Kimchium. [d] 2 Sam. xxi. 1. [e] 2 Regum. xxv. 18. [f] Jerem. lii 25. [g] Gemar. Hierosolymit. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 18. Halach 2.

סרים? *Quoniam perverterat disciplinam veram.* Sequitur demum, וכתוב אחד אומר חמשהן וכתוב אחר אומר שבעה להביא שני סופרי הדיינים *Scriptura altera habet quinque*, ut in libro regum; *altera autem*, *septem*, ut in Jeremia: *ut scilicet ita continerentur bini judicum* seu synedrii *scribae*; quod ut magistris receptum etiam citat David Kimchius[h]. Atque ita pro arbitrio, ut septuaginta aut septuaginta unus conflentur illic, hos includunt, illos rejiciunt. Et de synedris illis Babylonem tunc abductis vide plura apud Jarchium in Threnos[i] & Raymundum Raymundi[k].

VI. Quicquid de numero sic elicito nugantur magistri, etiam sub captivitatis tempora ita synedrium magnum exstitisse citra controversiam admittunt. Magistrorum praecipui, juxta superius allata. Licet interim eorum aliqui in catenae continuatione discrepent; unde etiam, atque ex conjunctione ac successione aliquorum haud satis intuenti commoda, eam velut fictitiam respuunt scriptores aliquot christiani[l]. Etiam in Ezekielis[m] visione Jezonias Ben Saphan censetur a viris doctissimis princeps septuaginta virorum ibi memoratorum seu synedrii magni. *Eum credibile est*, inquit Hugo Grotius, *fuisse senatus principem*; aliis[n] eum caeterosque sacerdotes fuisse omnes, idque generis Levitici, autumantibus, quasi nemo praeter sacerdotes ejusmodi sacra illic idolorum memorata peragere quiret. Et de traditione continua legis, adeoque inde haud parum pendente principum & patrum synedrii magni successione, magistrorumque hic dissensu vario, operae erit pretium consulere prae aliis quae diligenter nuper congessit Josephus de Voisin[o] ubi etiam dissensus ejusmodi R. Davidis Ganzii conciliationem quandam exhibet. Jam vero ad Ezram seu tempora restitutionis e captivitate deventum est. Ipso autem captivitatis in tempore, qualiscunque esset disciplinae inter captivos traditio[p], synedrii magni, reliquorumque legitimorum scilicet atque ita proprie, juxta ante ostensa, dictorum, adeoque principum aliorum, praeter aechmalotarchas, qui huc neutiquam spectant, usus esse quibat nullus. De Ezra autem, qui Barucho sic successor fit, aiunt, ועזרא ובית דינו קבלו מברוך בן נריה ובית דינו *Et Ezra & synedrium ejus receperunt a Baruko filio Neriae & synedrio ejus.* Quale fuerit synedrium Ezrae, qualia item tempore restitutionis, seu ab initio secundi templi, alia, elicere haud adeo difficile videtur ex illis diplomatis Artaxerxiani[q], *Et tu, Ezra, secundum sapientiam Dei tui quae est in manu tua, constitue judices & praesides*, seu *moderatores*, *qui judicent universum populum qui est ultra fluvium, omnes eos qui sciunt leges Dei tui: Qui autem nesciunt, eos docebitis. Et quicunque noluerit facere legem Dei tui atque legem regis, absque mora fiat judicium de eo, sive in mortem, sive in eradicationem; sive in mulctationem facultatum, vel in vincula.* Juxta eum fecisse ambigendum non est. Cum autem non semel occurrat apud Talmudicos, Ezram tunc & *viros synagogae magnae* seu *concilii magni* (אנשי כנסת הגדולה passim vocitantur, quod utrumque significat) restituisse את הגדולה ליושנה *magnificentiam*[r] Israelis *in statum pristinum*, & עטרה ליושנה *coronam*[s] legis *in statum pristinum*, atque hinc etiam magni nomen esse sortitum *concilium* illud, *synagogam*, seu *synedrium*; cum item ipsum Ezram habeant Ebraei passim velut Mosem aut Josuam alterum, morumque vetustorum restitutorem summum celebrent; unde & D. Hieronymus[t], *post Babylonicam*, inquit, *captivitatem sub Zorobabel & Ezdra & Neemia Israel reversus est in Judaeam, & antiquum recepit statum*; idemque ad illud Esaiae[v], *restituam judices tuos ut fuerunt prius*, &c. *restituet ergo judicum similitudinem post captivitatem Babylonicam, ut Judaei volunt, Zorobabel, Esdram, & Neemiam, & caeteros principes, qui usque ad Hyrcanum populo praefuerunt:* Cum, inquam, haec aliaque hujusmodi de reditu illo apud veteres dicta sint, certe perquam est verisimile Ezram, juris patrii utpote callentissimum, sic judices ac praesides ex indultu illo regio Hierosolymis alibique in terra sancta, prout res ipsa in renascente republica ferre potuit, constituisse, ut tum synedria minora tum amplissimum illud magnum seu septuagintauniusvirale ibidem juxta mores patrios inde reviviscerent. Neque sane illud in edicto quo convocatus est populus ut uxores extraneas ejicerent, *Omnis*[x] *qui non venerit intra triduum* כעצת השרים והזקנים *juxta consilium principum & presbyterorum, auferetur universa substantia ejus, & ipse abjicietur de coetu transmigrationis*, aliunde manasse sentiendum est quam ex autoritate Ezrae simul ac synedrii magni, si rem ad Talmudicorum placita, quibus hujusmodi constitutiones plerumque synedrio illi tribuuntur, exigamus. Principem ita synedrii magni in republica sic instaurata primum, ni fallor, habemus Ezram. At vero obvia est objectio, synagogae magnae seu concilii magni cui praefuit Ezra numerum omnino alium dici solere ab eo qui fuit synedrii magni: Minime scilicet LXXI, sed CXX. Et passim quidem occurrit is numerus. Maimonides[y]; בית דינו של עזרא הם הנקראים אנשי כנסת הגדולה והם חגי זכריה ומלאכי דניאל וחנניה ומישאל ועזריה ונחמיה בן חכליה ומרדכי בלשן וזרובבל והרבה חכמים עמהם תשלום מאה ועשרים זקנים ואחרון מהם הוא שמעון הצדיק והוא היא בכלל המאה ועשרים וקבל תורה שבעל פה מכולם *Synedrium Ezrae fuerunt illi qui vocantur viri synagogae* seu *concilii magni, nimirum Haggaeus, Zacharias, Malachias, Daniel, Chananias, Misael, Azarias, Nehemias filius Chacaliae, & Mordecai, Bilshan*[z], *& Zerubabel, praeter plurimos alios sapientes, qui complebant numerum centum viginta seniorum. Postremus eorum fuit Simeon Justus. Atque is, cum ex illo numero esset, ab omnibus accepit*

[h] Ad 2 Regum xxv. 19. [i] Cap. ii. 10. [k] Pugione Fidei, part 2. dist. 3. cap. 22. [l] Videsis Gul. Vorstium ad Tzemach David, pag. 215. [m] Cap. viii. 11. [n] Villalpandus ibi, &c. [o] Lib. de Lege Divina. cap. 9. Paris 1650. [p] Adi, si placet, Ezrae iv, &c. & Josephum, lib. 11. cap. 4. [q] Ezra vii. 25. [r] Gem. Hierosolymit. ad tit. Megilla, cap. 3. fol. 74. col. 3. [s] Gem. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 7. fol. 69. 2. *Sepher Juchasin*, fol. 13. 1. [t] In Esaiam, lib. 1. cap. 1. [v] Ibid. [x] Ezra x. 8. [y] In praefat. ad *Jad.* vide item Gedaliam in *Shalsheleth*, fol. 21, 22, &c. Abraham Ben David in Cabala, *Juchasin*, fol. 131. 1, &c. Adde J. Buxtorfii Tiberiadis, cap. 10. [z] Videsis Ezram ii. 2.

legem oralem. Tantundem alii non pauci. Quomodo igitur septuagintauniusviralis synedrii is princeps appellandus fuerit? Certe mihi nondum est persuasum, numerum illum omnino hic refragari, neque sic intelligendum, ut tempore aliquo, ordinata saltem republica, synedrium haberetur cui praeesset Ezra ex CXX senioribus simul conflatum. Nam numerus is apud magistros, ubi de judiciis synedriisve loquuntur, est alias plane inauditus. Et cum ex pari etiam constet numero, juxta receptissima quae superius ostendimus gentis instituta, in synedrio aliquo legitimo ac ordinario locum sortiri nequibat, nedum in primario illo ac amplissimo, cui caetera universa, quotquot item ordinaria fuere, parebant. Id quod vim, fateor, tantum habet si Ezra simul cum synedrio suo numerum illum confecerit. Perit autem a numeri paritate argumentum hoc, ut nemo non videt, si, ut septuaginta Mosi juncti memorari solent, sic & hic CXX Ezrae. Neque mihi satis est hactenus exploratum, utrum is ex numero illo fuerit, an ei adjectus tantum ut princeps. Utut autem se res ea habuerit, existimandum potius videtur, septuagintauniusviralis synedrii principem ita fuisse Ezram ut cum demortuis collegis alii, ipso superstite, succederent, universi simul, id est tam LXXI, qui synedrium magnum primo sic & deinceps conficerent, quam sive quinquaginta sive quadraginta novem ut succedanei, suo quilibet tempore subinde adjecti, integrum centum viginti numerum complerent, synedrium ejus vocarentur. Adeo ut nunquam, ordinata saltem rite republica, plures quam LXXI synedrii simul essent collegae; omnes tamen collegae, sive primo adsciti sive postea succedanei, nomine pariter honestarentur. Neque sane temporis intervallum a Zerubbabele (qui ex eis, juxta magistros, fuit) aliisque ei coaetaneis ad Simeonem Justum patitur commode ut potuerit aliter fieri. Senes admodum alii, alii juvenes, utcunque ob morum ac scientiae praestantiam non minus ac provectiores inter senes idonei habiti, facile efficere quibant tum ut a tempore quo primo adscitorum natu maximi ante cooptationem florebant ad postrema juniorum tempora, secula aliquot diffusiora, ut hic, intervenirent, tum etiam ut nulla difficultate sive quadraginta novem sive quinquaginta in synedrorum septuagintauniusviralium demortuorum loca pro re nata surrogarentur. Horum autem postremus fit Simeon ille Justus, pontifex maximus, qui etiam dici solet משירי אנשי כנסת הגדולה & משירי כנסת הגדולה *Ex residuis concilii, synagogae* seu *synedrii, hujus magni,* seu *reliquiis,* ut Fagius. Et doctissimus Joannes Buxtorfius [b], *ex residuis,* inquit, *id est, ultimus, in quo concilium* illud *desiit.* Caeteris ita superstes Simeon ille erat, ut eo demortuo, nemo restaret qui Ezra principe in synedrium magnum cooptatus fuerat. Sic numerum illum intelligendum etiam suadent magistri, dum alii [c] de Simeone justo aiunt eum ex residuis nuncupari שלא היה עמהם בתחלת הבית כמו עזרא *quoniam non fuit in numerum eorum cooptatus in initio templi* secundi, *sicut Ezra,* alii ipsum numerum ut indefinitum praetermittunt, sapientum qui seculis illis prae aliis claruere congeriem [d], synagogam seu concilium vocantes. De Simeone hoc Alexandro magno coaetaneo vide quae alibi [e] contexímus, si de ejus dignitate plura velis. A Simeone Justo & ב"ד *synedrio ejus* accepit legem oralem Antigonus Socaeus; seu, ut Maimonides [f], *Antigonus Socaeus* וב"ד *& synedrium ejus acceperunt a Simeone Justo &* ב"ד *synedrio ejus.* Atque ut Ezra, sic etiam Simeon Justus, item & Antigonus, princeps synedrii magni habetur. In sequentibus tam pater synedrii magni quam princeps semper in receptione, ut statim liquebit. De hisce vero ait Abraham Salmanticensis [g], א"עפ שבשמעון ובאנטיגנוס לא מצאנו אב בית דין לעולם היה אב בית דין אלא שלא היו רשומים כמו אלה לזכור שמותם וזה היה מנהג בישראל שכן אמרו בסוף מועד קטן על שאול זה נשיא ועל יונתן זה אב בית דין *Tametsi conjunctos non reperimus patres synedrii Simeoni Justo ac Antigono, semper tamen fuit synedrii pater. Verum quidem est nomina eorum, velut in his* (mox sequentes hic innuit) *neutiquam indicari. Sed mos Israeliticus ejusmodi erat, quemadmodum aiunt, sub extremum tractatus Talmudici Moed Katon, de Saule, eum fuisse synedrii principem, ac de Jonathane, eum fuisse patrem synedrii.* Quod & ante memoratur.

VII. Dum de traditione ad Ezram, & receptione ab eo, ac synagoga seu synedrio ejus cogitamus, fieri nequit quin simul in mentem redeat quod traditur in Esdrae apocryphis, virisque recipitur doctis, de lege orali sub eo etiam scriptis, idque tunc primum velut ex numinis jussu, a scribis per dies quadraginta continuos operi incumbentibus mandata. Libros quidem omnes fuisse aiunt 204. de quibus, in apocryphis illis [h], *Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor. Et factum est, cum complevissent quadraginta dies, locutus est Altissimus, dicens, priora quae scripsisti in palam pone, & legant digni & indigni. Novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiae fons, & scientiae flumen. Et sic feci.* Ad haec Joannes Picus comes Mirandulanus [i], de cabala Ebraeorum verba faciens, *Postquam,* inquit, *Hebraei a Babylonica captivitate restituti per Cyrum, sub Zorobabel instaurato templo, ad reparandam legem animum appulerunt, Esdras tunc ecclesiae praefectus, post emendatum Moseos librum, cum plane cognosceret, per exsilia, caedes, fugas, captivitatem gentis Israeliticae, institutum a majoribus morem tradendae per manus doctrinae servari non posse, futurumque ut sibi divinitus indulta coelestis doctrinae arcana perirent, quorum, commentariis non intercedentibus, durare diu memoria non poterat, constituit ut, convocatis qui tunc supererant sapientibus, afferret unusquisque in medium quae de mysteriis legis memoriter tenebat, adhibitisque notariis, in septuagin-*

[a] *Pirke Aboth,* cap. 1. *Sepher Juchasin,* fol. 13. 2. & 66. 2. R. Gedalia in *Shalsheleth,* fol. 22. 2. alii. [b] In Tiberiade, cap. 10. [c] Sal. Jarch. in gloss. ad *Pirke Aboth,* cap. 1. [d] *Sepher Cozri,* part 3. §. 65. [e] Lib. 1. de Succ. in Pontificat. cap. 7. & 8. [f] In praefat. ad *Jad Chazeka.* [g] *Sepher Juchasin,* fol. 17. 2. [h] Esdras lib. 4. cap. XIV. 44. [i] In Apologia, pag. 82, & lib. de Hominis dignitate, pag. 218. Basil. 1601. videsis Sixtum Senensem in Bibliothec. lib. 2. lit. E. & Petrum Crinitum de Honesta disciplina, lib. 25. cap. 3.

ta

ta volumina (tot enim fere in synedrio sapientes) redigerentur. Adeoque & synedrium septuagintaunivirale tunc agnoscit, & theologiam mysticam seu cabalam reconditiorem in libris illis 70, numerum sibi velut a synedrii sui magni collegarum numero mutuantibus, contineri. Dein de libris illis 70 ipsis, *Hi sunt*, inquit, *libri scientiae cabalae, in quibus merito Esdras venam intellectus, id est ineffabilem de supersubstantiali deitate theologiam*, sapientiae fontem, *id est, de intelligibilibus angelicisque formis exactam metaphysicam*, & scientiae flumen, *id est, de rebus naturalibus firmissimam philosophiam esse, clara in primis voce pronunciavit.* De eorum etiam versione a Sixto quarto pontifice maximo procurata; *Hi libri Sixtus quartus pontifex maximus, qui hunc, sub quo vivimus feliciter, Innocentium octavum proxime antecessit, maxima cura studioque curavit ut in publicam fidei nostrae utilitatem Latinis literis mandarentur*; *jamque, cum ille decessit, tres ex illis pervenerant ad Latinos. Hi libri apud Ebraeos hac tempestate tanta religione coluntur ut neminem liceat nisi annos quadraginta natum illos attingere.* Et dein, *Hos ego libros non mediocri impensa mihi cum comparassem, summa diligentia, indefessis laboribus cum perlegissem, vidi in illis (testis est Deus) religionem non tam Mosaicam quam christianam*; quod compluribus christianae religionis capitibus enumeratis asserit. Postmodum etiam[k] fidenter Picus, *Ad imitationem numeri illorum 70 seniorum fuerunt redacta mysteria cabalae in 70 libros principales tempore Esdrae.* Etiam successionem ait ille perpetuam fuisse a Mose cabalae illius seu legis oralis per disciplinam septuaginta senioribus illis seu synedrii magni collegis semper receptam, ac successoribus suis traditam; qua de re plura ipse in apologia ex Hilario, Origene, etiam S. Paulo. Alii aliquot tantundem. Sed puto libros illos non solum septuaginta caeterosque, sed & tres quos ait Sixti quarti cura Latine versos, nimis reconditos, forsan jam nullibi manere. Notissimum enim est, per Italiam libros id genus non paucos, id est cabalisticos dictos, jussu pontificio aliorumque principum sub seculum Pici prorsus periisse. Atqui nuperrime ausus est Jacobus Gaffarellus trium illorum, velut jam a se repertorum, deflorationes edere; in libello scilicet cui titulus *Codicum cabalisticorum manuscriptorum quibus est usus Joannes Picus comes Mirandulanus*[l], adeoque Esdrianorum, quos jam diximus. *Et primus*, inquit, *versatur circa priores scripturae sacrae libros, quos pentateuchum appellant, quorum mysteria cabalistica pandit & explicat, collectore Rabbi Levi de Recineto, vulgo Recanati, Italo. Incipit, Ex sententia doctorum nostrorum: finit, AEdificans Jerusalem Dominus dispersiones Israel congregabit. Secundus est, De scientia animae rationalis divina, mere speculativa, instauratore Rab. Eleazar Katon, id est juniore, Germano. Incipit, Decimo septimo: finit, Subjuncta sunt semper in seculum seculi facta. Tertius est, De variis hominum gradibus, exscriptore Rab. Scem Tob Ben Joseph, Ben Phallachera, Hispano. Incipit, Liber graduum Rabi Scem Tob: finit, Cor ponat in sapientiam meam.* Expressius autem de libris illis Ebraicis ab Ezra scriptis, ac a se magno comparatis pretio, loquitur J. Picus quasi ipsos habuisset, nec Rabbini alicujus Itali, Germani aut Hispani, id est nuperi tantum, collectiones. Majoris quidem multo primum facit quam reliquos binos. Sed, nisi nimium fallor ego, primus ille haud omnino alius est quam Recanatensis ille, id est Ricinensis, quem annis abhinc 130 Venetiis mandavit typis Daniel Bombergus, id est בשנת ר״פג רפ״ק *in anno* 283 Judaeorum, *juxta computum minorem*, id est 1523 Christi. Verum quidem est, impressum illum non illic vocari *Levi de Recanati*, ut Gaffarello *Recanatensis* ille nominatur. sed חכם הקדוש ר׳ מנחם דרקנאטי זצ״ל *Sapiens sanctus R. Menahem de Recanati, memoriae benedictae.* Titulus autem est, פירוש על התורה על דרך האמת *Expositio super legem juxta viam veritatis.* Adeoque commentarius est in pentateuchum, ut Levi illius opus fuit, arcana legis & doctrinam cabalisticam maxime tradens; quod & praefatur Jacob Bar Chaim Ben Adoniah Ebraeus, qui per Bombergum edidit. Et revera eadem satis quidem ipsissima exhibet quae pauculis e suo MS. dedit Gaffarellus, modo cautius temperes aliquot quae de christiana religione velut illic saepius reperta injecit ille. Idem hic habetur paraschарum ordo, commentarius de eisdem rebus idem, citatis saepissime libris illis de re cabalistica celeberrimis vetustissimisque *Sepher Zohar* & *Sepher Bahir* (cujus autor dicitur R. Nehonia Ben Hakkana, scriptor ante Christum) praeter *Rabboth* pentateuchi. Notat item Gaffarellus ad finem deflorationis suae e commentario Recanatensis sui in deuteronomium, qui terminatur parasha libri nona seu penultima, *decimam particulam*, seu parasham, *autorem morte praeventum inexplicatam reliquisse*; quod itidem ipsissimum ab editore subjungitur. Monitum etiam Gaffarelli de initio & fine edito omnino consonum est. Ita enim incipit, בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ לפי דעת רז״ל וגו׳ *In principio creavit Deus coelum & terram. Ex sententia Rabbinorum nostrorum piae memoriae, &c.* Eisdem etiam syllabis finitur quibus codex ille Gaffarellianus, בונה ירושלם י׳י נדחי ישראל וכנם *AEdificans Jerusalem Dominus congregabit dispersiones Israel*; quod e Psalmis citatur[m]. Non igitur videtur dubitandum quin *Levi* pro *Menahem* casu aliquo in libro illo substitueretur, nec alius fuerit ab edito. Certe memorat libros illos cabalisticos Joannes Picus, nec semel, quasi ipsos Esdrae seculi commentarios, quos sibi pretio summo comparasset, nec alios, innui vellet. Atqui liber ille Ricinensis circa ducentos ante Pici obitum annos conscriptus est. Tunc enim floruit Rabbi Menahem ille דרקנאטי *de Recanati*, librumque illum suum aliosque composuit, ut testantur R. Gedaliah Ben Jechia[n], David Ganz[o], alii ex illis obvii. Et R. Gedaliah expressim etiam adjicit eum morte praeventum postremam deuteronomii parascham inexplicatam reliquisse. Citatum memini aliquoties Munstero in notis ad pentateuchum, Joanni Drusio in praeteritis, alibique. In bibliothecae Buxtorfii patris editione utraque legitur,

[k] Ibid. pag. 117 [l] Parisiis 1651. in 8°. [m] Psalm. cxlvii. 2. [n] In *Shalshcleth Hacabala*, fol. 61, 62.
[o] In *Tzemach David*, Millen. 6. anno 50.

gitur, רקנאט *Rakanat. Author R. Menachem Rakanatensis, qui scripsit librum Rakanat, & est Perusch super secreta legis, quae scripsit Rambam. Venetiis anno* 283 *Christi* 1523 *in* 4to, qui plane idem est cum edito quem diximus. Et Plantavitzius ejusdem sequax[p], רקנאט או ספר רקנאט *Rekanat, seu liber R. Menachen* (pro *Menachem) Rechanatensis. Complectitur liber iste secreta legis, quae scripsit R. Moses AEgyptius, excusus Venetiis.* Undenam vero adjectum hic fuerit R. Mosis nomen, aut in illo Buxtorfii Rambam, nondum satis didici. Jam an ex Esdrae fuerint libris 70 hic caeterive ibi bini a Gaffarello sic deflorati, viderint perspicaciores. Liber autem ille *Recanati* aliquoties a Conrado etiam Gesnero, centum amplius abhinc annis, ut impressus memoratur. *Menahem*[q] *Judaeus scripsit in legem Mosis*; &[r] *Recanati (videtur scriptum esse Rabbi Manahem a Ricanato in pentateuchum)* adjecto pretio quo venalis erat Venetiis, 4 *libris*; &[s], *R. Menahem a Ricanato dogmata cabalistica*; &[t], *Cabalistica dogmata R. Menahem a Ricanato.*

VIII. In catena Talmudica traditionis receptionisque insequentis, usque in gentis synedriorumque in terra sancta satis legitimorum excidium, in hujusmodi exhibetur nominum principum & patrum synedrii magni facie.

I. *Jose Ben Joazar Tzeradites* — *Joseph Ben Jochanan, Hierosolymitanus.*
II. *Jehosuah Ben Perachiah* — *Nithaeus Arbelites.*
III. *Jehuda Ben Tabai* — *Simeon Ben Shatach.*
IV. *Shemaiah* — *Abtalion.*
V. *Hillel* — *Shammai.*
VI. *Rabban Jochanan Ben Zacai* — *Rabbi Simeon Ben Hillel.*
VII. *Rabban Gamaliel Simeonis filius.*
VIII. *Rabban Simeon R. Gamalielis filius*, in ipso excidio urbis sub Vespasiano peremptus.
IX. *Rabban Gamaliel Simeonis filius.*
X. *Rabban Simeon Gamalielis filius*, quocum fuit *Rabbi Nathan Babylonius*[v] אב בית דין *Pater synedrii.*
XI. *Rabban Jehuda Haccados Simeonis filius*, quem etiam patrem synedrii Gamalieli fuisse existimatum est[x].
XII. *Gamaliel Jehudae F.*
XIII. *Jehuda Gamalielis filius.*
XIV. *Hillel Jehudae F.*
XV. *Gamaliel Hillelis F.*

De primo hic jugo aiunt, *Jose Ben Joazar & Joseph Ben Jochanan* וב"ד *& synedrium acceperunt* ab Antigono וב"ד *& synedrio*, seu, ut in Misna interdum[y], קבלו מהם *acceperunt ab eis*, id est, ut nonnulli[z] interpretantur, a Simeone Justo & Antigono Socaeo, aliis pluralem illam locutionem de Antigono & synedrio ejus tantum capientibus. In idem vero satis res ea recidit. Certe exemplaria Misnae alia ibi habent non מהם *ab illis* sed[a] ממנו *ab illo*; alia etiam statim adjiciunt[b] illud מהם, ita ut contextus sit, *acceperunt ab illo; ex eis vero Jose Ben Joazar dixit*, &c. In hisce sic incipiunt catenae successores jugati seu paria הזוגות dici magistris solita. Jugum hic secundum וב"ד *& synedrium ipsorum* dicitur recepisse a Jose Ben Joazar & Joseph Ben Jochanan וב"ד *& synedrio.* Ita jugum tertium וב"ד *& synedrium*, a secundo, & a synedrio. Quartum (in quo Abtalion vocatur גרי הצדק *proselytus justitiae*; inclinante enim, paulo ante excidium, imperio & disciplina pristina Judaica, proselyti etiam in synedria contra mores priscos admissi sunt) & synedrium, a Jehuda & Simeone ובית דין *& synedrio.* Quintum, seu Hillel & Shammai ובית דין *& synedrium* a Shemaiah & Abtalione, seu jugo quarto, & a synedrio. Sextum & synedrium, a quinto וב"ד *& synedrio.* De nominibus hic Hillel & Samai consulas Joannem Drusium[c]. Horum priorem quinque, quilibet aut princeps erat aut pater synedrii magni. Quin exceptis qui numero hic tertio sic conjugantur, id est, Jehuda Ben Tabai & Simeone Ben Shatach, de cunctis unanimes magistri pronunciant reliquis[d], eum qui prius nominatur fuisse principem synedrii magni; qui posterius, patrem: Quod ad Jehudam autem illum & Simeonem Shatachidem attinet, alii hunc principem, illum vero patrem; quod & receptius est, atque e Gemara Babylonia[e] confirmatur; alii[f] nullum inter hosce in recensione caeterosque discrimen fuisse volunt. Floruit Ben Shatach sub initia Hasmonaeorum, & diu post. De proxime jugatis, seu Simeone Ben Hillel & Jochanan Ben Zacai, simile non dicitur. Id verum est, Jochanan Ben Zacai principem synedrii fuisse; sed non ante excidium urbis templique sub Vespasiano. Successor scilicet erat (in synedrio Jamniae qualicunque) Simeoni Gamalielis I. seu senioris filio in ipso excidio perempto[g], qui numerum hic tenet octavum. Is vero qui jugatus est Jochanani huic, seu Simeon Ben Hillel, juxta nonnullos[h] etiam princeps erat, patrique Hilleli successor proximus. Sed vero (ut ordinem perpetuum principum qui receptior est hucusque texamus) Hilleli principi plerumque successor proximus fit[i] Rabban Gamaliel ejus ex Simeone F. nepos, senior dici solitus, etiam D. Pauli[k], ut putatur, praeceptor. Patrem item synedrii, dum hic princeps[l] erat, adjiciunt Josuam Ben Chanania ex discipulis Jochananis Ben Zacai. Nam etsi sero Jochanan ille principatum est sortitus, nihilominus non solum pater hic synedrii sed & viri aliquot perquam illustres alii ex ejus schola prodiere. Atque ingens erat illius eorumque in lege docenda traditionibusque avitis propagandis opera, eaque felicissima. Gamalieli principi illi synedrii successit ejusdem filius Rabban Simeon, qui in

[p] Bibliotheca Rabbinica, § 645. [q] Bibliothec. pag. 510. [r] Pandectarum lib. 1. tit. 21. fol. 42. col. 1. [s] Fol. 41. col. 2. [t] Lib. 20 tit. 2. fol. 15. col 4 [v] *Juchasin*, fol. 43. 2. [x] Ibidem. [y] *Pirke Aboth*, cap 1. [z] Zacuth. in *Juchasin*, fol 16, 1. Et R. Meir Tolosanus in *Pirush Pirke Aboth*, vide item R. Samuel. Ozidens. ibid. [a] Edit. Manass. Ben Israel, aliae. [b] Edit Obadiae Bartenorii. [c] Observat. 11. cap. 23. [d] *Sepher Juchasin*, fol. 16, 1. Obad. Bartenor. ad *Pirke Aboth*, cap. 1 § 4. [e] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19, 1. & vide cap. 14 §. 1. [f] R. Meir in *Juchasin*, ibid. & vide fol 17, 1. & 60, 1. & 67, 1. [g] Vide *Tzemach David*, Millen. 4 ann. 810. [h] *Juchasin*, fol. 66, 2 ex cap. 1. Gemar Babylon ad tit. *Sabbath.* [i] *Juchasin*, fol 20, 2. & 21, 1, 2. 66. 2. 53, 2. 67, 1. 60, 1. Vide item Petrum Crinitum de Honesta Disciplina, lib. 10. cap 1. & Buxtorf. Biblioth. Rabbinic. in ר. [k] Act. Apost. xxii. 3. vide lib. 3. de Nuptiis, cap. 18. [l] *Juchasin*, fol. 33, 1. 59, 1.

catena illa numerum habet octavum. Hunc ſecutus eſt R. Jochanan Ben Zacai, non hoc ordine in catena poſitus, quae nempe ad primarios eorum qui ad poſteros legis ſcientiam tranſmiſere (ipſi ſimul cum collegis diſcipuliſque ſuis innumeris; quod ſemper intelligendum) deſignandos, nec tam ad principes ſynedrii, qua principes, enarrandos apud magiſtros fieri reperitur. Quatuor demum qui ſuccedunt, Rabban Gamaliel Simeonis filius, ſeu Gamaliel II, Jaſnenſis item dici ſolitus, Simeon hujus filius, Jehuda Haccados filius Simeonis, & Hillel hujus filius cum hujus filio Gamaliele, ut in catena ſic in principatu ſynedrii ſucceſſores fiunt. Niſi interferamus R. Eliaezer Ben Azaria, qui dicitur [m] ראש ישיבה בחברת רג״ *princeps conſeſſus in ſocietate* ſeu *collegio* ſeu *conſortio Rabban Gamalielis* primi [n], נשיא ישראל *princeps Iſraelis* [o]. Adeo ut ab Hillele principe (excepto tantum Jochanan Ben Zacai, & ratione dubii de Eleazare hoc rite habita) dignitas illa velut jure haereditario ad filios nepoteſque juxta magiſtros tranſmitteretur. Summa igitur eſt, Moſem, Joſuam, judices inſecutos, Eli, Samuelem, Saulem, Davidem, reges caeteros, principes fuiſſe ſynedrii magni, niſi, ut interdum, alii ab eis mandatam forte juriſdictionem ac imperium, cum dignitatis nomine item, acceperint. Poſt reditum autem e captivitate Babylonica uſque ad Joſe Ben Joazar & Joſeph Ben Jochanan, ſeu aetatem initia Haſmonaeorum antevertentem, Ezram, Simeonem Juſtum, alios forte quorum nomina neſcimus, eandem tenuiſſe dignitatem. Dein quinque parium ſeu jugorum, quae inſequuntur in catena, priorem principem ſynedrii fuiſſe, ac poſteriorem patrem [p]. Et de ſucceſſione, hactenus e Talmudicis oſtenſa, recolas quae capite ſuperiore de principibus quandoque ſummotis variatimque conſtitutis monentur. Unde palam evenisse videtur ut nunc pontifices ſummi, gratia dominantium pollentes, nunc reges ipſi principum ſynedrii magni locum occuparent, idque eorum ipſorum qui catenam jam oſtenſam faciunt. Ut enim illud in evangeliis de Anna & Caipha pontificibus, in judicio D. N. Jeſu Chriſti aliiſque alibi foedere in novo, veluti principis & patris ſynedrii partes agentibus (qua de re plura libro tertio) praeteream, in judicio capitali illo Jacobi Juſti, fratris Domini dicti, ac epiſcopi Hieroſolymitani primi, circa ſexageſimum [q] a Chriſto annum, ſeu Neronis ſeptimo, in ſynedrio habito, principatum ſynedrii invaſiſſe videtur Ananus, junior dictus, pontifex maximus; quo tempore juxta catenam Talmudicam ſuperiorem aut Rabban Jochanan Ben Zacai aut Rabban Gamaliel illum jure obtinebant. Nam ubi Joſephus judicium illud narrat, ait [r], quod Ananus ille homo crudelis, utpote ex ſecta Sadducaeorum, ὅπερ εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους, *qui in judiciis reliquos Judaeos cunctos ſeveritate ſuperant*, mortuo Feſto praeſide, atque in itinere detento adhuc ſucceſſore ejus Albino, Hieroſolymis καθίζει συνέδριον κριτῶν, *congregari fecit, convocari, ſynedrium judicum* (Ruffinus, *Concilium fecit judicum*; Genebrardus, *il fit aſſembler les juges*) καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ, *introducens* aut *introduci faciens in illud* Jacobum illum alioſque aliquot (ubi male Ruffinus, & *quoſdam deducens ad ſemetipſum*) ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος παρέδωκε λευσθησομένους, *ut in legis violatores accuſationem inſtituens* (Ruffinus, *quaſi contra legem agentes accuſans*) *tradidit lapidandos.* Ubi explicatius in verſione Genebrardus, *les accuſa d'avoir commis quelque crime & blaſpheme contre Dieu, & donnant ſentence de mort les fit lapider.* Blaſphemi enim poena forenſis lapidatio. Et chriſtianum tunc ſe illic profiteri, erat velut blaſphemum eſſe. Ita hiſtoria illa de judicio Jacobi illius Juſti ſimplicius narratur a Joſepho; ſed ab aliis illo recentioribus adeo incruſtata eſt, ut nec forenſe judicium illud, ſeu poena forenſis aut ſynedrialis videatur, ſed neſcio quod e pinna templi praecipitium; qua de re conſulas quae habent Euſebius [s] in hiſtoria Eccleſiaſtica, & Hieronymus [t] ex Hegeſippo, Georgius Syncellus [v], Cedrenus in Nerone, Freculfus [x], alii, praeter martyrologia, Romanum, Hrabani, ac alia [y]. Sed demum adeas Joſephum Scaligerum [z] ad Euſebii chronicon Latinum, ubi tantum legitur, *A Judaeis lapidibus opprimitur* (Graeca ibi tantum, Ἰουδαῖοι κτείνουσι, *Judaei interficiunt)* cui conſonus Eutychius patriarcha Alexandrinus. Ille [a] ورجموه بالحجارة حتى مات *Lapidibus donec moreretur impetitum interfecerunt.* Certe qui *praecipitatum* eum ſimpliciter aiunt [b], non inde a forenſi poenae recedunt modo, quo neutiquam omnino e pinnis templi, ſed ex loco ſolo editiori praecipitabantur lapidandi, ut ſuperius eſt etiam oſtenſum. Illud autem Anani & ſynedrii ſui adeo omnibus in urbe bonis & legis ſtudioſioribus diſplicuit ut miſſis ad Agrippam regem clam nunciis rogaverint mandaret Anano ne quid tale poſthac ageret: Nam ne nunc quidem recte egiſſe. Etiam eorum nonnulli Albino praeſidi ab Alexandria adventanti occurrentes, διδάσκουσιν ὡς οὐκ ἐξὸν ἦν Ἀνάνῳ χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης καθίσαι συνέδριον, *docuerunt non licuiſſe Anano ſine ipſius conſenſu* (male legitur in hoc apud Georgium Syncellum [c] excerpto, χωρὶς τῆς αὐτῶν γνώμης, *abſque eorum conſenſu*; Ruffinus, *praeter illius*, utpote praeſidis, *voluntatem*; & Genebrardus, *ſans ſon conſentement) facere ſynedrium* Unde etiam Albinus, in itinere verſus Hieroſolyma, ex eorum dictis perſuaſus, iracunde ad Ananum ſcripſit, λήψεσθαι παρ' αὐτοῦ δίκας ἀπειλῶν, *daturum eum ſibi poenas minitans.* Etiam pontificatu, quem obtinuerat tribus menſibus, privavit eum Agrippa, ſuffecto Jeſu Damnaei filio, aliiſque poſtea, quorum in catena nullus. Hinc non ita obſcurum eſt, Romanorum praeſides & regis illic a Romanis tunc ſubſtitutos in ſynedrium illud ſummam exercuiſſe poteſtatem, etiam & principem ejuſdem pro eorum arbitratu ſuffectum, mutatum. Vix enim eſt ut non credamus, jure qualicunque illic tunc temporis admiſſo Ananum il-

[m] Thoſpoth apud R. Gedalia in *Shalſheleth*, fol. 27, 2. [n] *Juchaſin*, fol. 51, 1. [o] Vide *Juchaſin*, fol. 38, 2. 51, 2. & *Shalſheleth Hacabala*, fol. 27, 2. [p] Sed & videſis de Succeſſione lib Samuel. Petit. Obſervationum, lib 3. cap 3. [q] Videſis Baronium, tom. 1. ann. 63 §. 3. [r] Lib. 20. cap. 8 [s] Lib 2. cap. 23. [t] De Scriptoribus Eccleſiaſticis in Jacobo. [v] Pag. 337. [x] Tom 2. lib. 1. cap. 18. [y] Ad Cal. Maii, & Graec. Men. ad Octobris 23. [z] Num. 2077. vide item Chronic. Alexandrin. pag. 581 & 585. [a] Pag. 336. [b] Notkerus in Martyrologio ad Cal. Maii. [c] Pag 339.

lum, ut principem ſynedrii, illud convocaſſe; utcunque non citra praeſidis regiſque aut alterutrius conſenſum celebrandum. Et de regia tunc hic poteſtate veſtigium eſt inſigne in hiſtoria quae apud Joſephum ibi ſequitur de Leviticae tribus hymnodis, qui πείθουσι τὸν βασιλέα καθίσαντα συνέδριον, φορεῖν αὐτοὺς ἐπίσης τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιτρέψαι λινῆν στολήν, *perſuaſerunt regi* Agrippae *ut, facto ſynedrio, eis concederet uſum ſtolae lineae, perinde atque ſacerdotibus eſſet.* Et dein, Ὁ βασιλεὺς μετὰ γνώμης τῶν εἰς τὸ συνέδριον ἐποιχομένων συνεχώρησε τοῖς ὑμνῳδοῖς ἀποθεμένους τὴν προτέραν ἐσθῆτα, φορεῖν λινῆν οἵαν ἠθέλησαν, *Rex cum conſenſu eorum qui in ſynedrium venerant* (Ruffinus, *cum voluntate eorum qui concilio praeſidebant*, Genebrardus, *li roy ſelon l'arreſt du conſeil) hymnodis conceſſit ut, depoſita veſte ante eis uſitata, linea, ut voluerant, uterentur.* Convocat hic ſynedrium Agrippa, atque aut ut princeps adeſt, aut ſuffragia eorum pro jure tunc regio ita moderatur.

IX. Atqui & id interim verum eſt, magiſtros veteres haud dicere vereri, ſecundum in ordine proxime allato principem, ſeu Joſuam Ben Perachiah, fuiſſe magiſtrum ſeu praeceptorem D. N. Jeſu Chriſti, ejuſque in AEgyptum fuiſſe comitem[d]. Ita etiam Abraham Ben Dior in libro cabalae, & [e] Zacuthius. Undecunque figmentum hujuſmodi hauſerint illi, id certum eſt, Joſuam hunc tempore Simeonis Ben Shatach diſcipuli & ſucceſſoris ejus, id eſt, ſub Joanne Hyrcano Haſmonaeo, floruiſſe, ſeu circa annos ante Chriſti natales centum quinquaginta. Et dum illuc inepte Chriſtum noſtrum retrahunt, chronologoſque etiam noſtros, qui aliter eum collocant, ex ſuorum autoritate ſatis refellere ſe exiſtimare[f] audent, ridicule ſimul Joſuam hunc, qui tunc floruit, praeceptorem & comitem in AEgyptum Jeſu Chriſto faciunt.

X. Habentur quidem in catena traditionis legis oralis nomina alia, velut ſynedrii magni alicubi in terra ſancta principum, qui & patriarchae Judaeorum dicti, uſque in Hillelem Jehudae poſtremi filium, ejuſque filium Gamalielem, adeoque in annum quaſi 430 a natalibus Chriſti, ſeu Valentiniani tertii imperium. Et de ſeculis eorum quos nominavimus praecipuorum accuratius egit e Rabbinis Samuel Petitus in Obſervationibus[g]. Ab excidio autem urbis ſub Veſpaſiano anni ſunt 360. Cum autem poſt urbis illud templique excidium nullibi judiciis capitalibus locus in republica Ebraeorum illa qualicunque, nondum pro penitus exciſa ſumpta, maneret, eo quod locus ſynedrio magno ad templum proprius, juxta ſuperius oſtenſa, eſſe deſierat; cum etiam, ut ante in migrationibus liquet, poſt excidium illud urbis, alibi in Palaeſtina ſynedrii magni, atque, ut veriſimile eſt, aliorum illic, prout dominantium arbitrium variatim permitteret, facies ejuſmodi haberentur ut, exceptis capitalibus, cauſas omnimodas ſecundum leges ſuas definirent; cum item annis ab excidio illo amplius quinquaginta, ſeu ſub Adriano Auguſto, tum *reliquiae illae civitatis quae manſerant*[h] deletae ſint, tum *Judaeorum gens catervatim caeſa, ita ut Judaeae finibus pellerentur*[i] (qua de re conſulas etiam quae ſuperius attulimus[k]) adeo ut ſynedriorum eorum illic intermiſſiones ceſſationeſque neceſſario & tunc temporis & poſtea, pro Romanorum libitu ſatis vario, conſequerentur; certe utcunque continuatio ejuſmodi ſynedrii magni ejuſque principum ſucceſſio ante tradatur, intelligenda nihilominus ita eſt ſolum, ut tum deminutionis ejuſdem, etiam ex ipſa Ebraeorum diſciplina, imperii & juriſdictionis eminentioris circa capitalia verſantis, tum ceſſationum intermiſſionumque ſubinde intervenientium ratio omnino habeatur. Obſervatum eſſe (quod obiter memorare hic liceat) a nonnullis, ſynedrii magni initia Areopagi apud Athenienſes inſtitutioni, ſeu judiciis illic primis, quaſi aequalia fuiſſe, ſuperius monitum eſt. De origine illa ibi plura. Sed vero, ſi id omnino dignum ſit quod advertatur, non indignum fuerit Areopagi etiam finem cum ſplendoris & priſtinae amplitudinis illius ſynedrii magni ſingulari occaſu illo, qui per excidium urbis templique, adeoque capitalium judiciorum omnimodam illic ceſſationem, evenit, conferre. Ceſſatio illa ad Veſpaſiani tempora attinet. Is autem ut aliis Graeciae regionibus ita Achaiae (in qua Athenae cum Areopago ſuo, quem uſque in apoſtolorum tempora cum juriſdictione duraſſe illic ex Actis ſcimus[l]) *libertate adempta, in provinciarum formam redegit* ut ait Suetonius[m], unde etiam tantundem notat Joannes Meurſius[n]. Quanquam vero patria ſic pulſi erant, & plane tam gens illic, civitas, ac reſpublica eorum qualiſcunque quam urbs jam diruta erat, attamen ex accepto coelitus terrae ſanctae dono promiſſiſque divinis ac reſtitutionis ſpe, quoties, per annos quos diximus, patriam quomodocunque inſidendi facultatem undecunque redipiſcerentur, ſynedria ſua qua potuere inſtaurabant, quaſi genti illi qua ex originariis qua e proſelytis juſtitiae conflatae, licet devictae ac funditus dirutae atque in univerſalem victoris acquiſitionem abſorptae, ejuſve parti illuc redeunti, jus interim nunquam non remanſiſſet ſuos ibi more ſuo regendi, adeoque ſynedria habendi, judiciaque nec capitalia nec a Romanis illis interdicta exercendi (idque velut ex primaeva & Moſaica diſciplina) etiam & decreta, quibus ſui obligarentur, illic ferendi. Exempli gratia, exciſo ſub Veſpaſiano templo, adeo ut functionum illic ſacrarum uſus reſtaret nullus, decrevere nec Levitis nec ſacerdotibus dein perſolvendas eſſe pecorum decimas. R. Abraham Zacuthius, ubi[o] loquitur de R. Eleazar Ben Azariah ſacerdote (de quo paulo ante) quem ditiſſimum fuiſſe ait, adjicit, שהיה נותן למלך יג׳ אלפים עגלים ממעשר בכל שנה ואינו זה מעשר בהמה כי אחר החרבן גזרו שלא יוציאו מעשר בהמה שלא יבא לידי תקלה וכשהיה בן יח״ שנים לפחות היה ה׳ שנים אחר החרבן *Quotannis illum donaſſe regi* 1300 *vitulos e decima, quae neutiquam erat decima pecorum. Nam poſt excidium decrevere ne quis ſolveret decimam pecorum, ne ſcilicet inde* tunc *oriretur offendiculum. Et quando is annum agebat circa octode-*

[d] Videſis Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 107. 2. & ad tit. *Sota*, cap. 9. fol. 47. 1. [e] *Juchaſin*, fol. 16. 1 & 2. & 59. 1. & 150. 1. [f] Vide Abraham Ben Dior in Cabala. [g] Lib. 3. cap. 3. [h] Hieronim. Epiſt. 129. ad Dardonum. [i] Idem in Danielis cap. ix. [k] Cap. vii. §. 6. [l] Cap. xxvii. 19. [m] In Veſpaſiano cap. 8. [n] In Areopago cap. 3. [o] *Juchaſin*, fol. 38. 2.

cimum,

cimum, tranſierat annus ab excidio quintus. Sic ille. Alia ejuſmodi e re nata decernebant ſynedria illa tunc temporis magna, quae velut illorum quae diu ante excidium obtinuerant umbrae. Illic etiam ritus ſuos ſuorumque, ac diſciplinam ſacram, quanta qualiſque cum templo non evanuerat, ordinabant. Atque ad noviluniorum, feſtorumque aliorum item obſervationem legitimam, illic ex more veteri (de quo nos alibi[p]) fiebat intercalatio annorum ac menſium, quae e phaſi lunari varia ſub initia cujuſlibet menſis praeſtituebatur, atque ob ſummam erga ſynedrium ibi ejuſmodi qualecunque magnam reverentiam a gente paſſim, qua fieri potuit, etiam tunc dicitur fuiſſe obſervata. Sed vero tandem Rabban Hillel, qui tertius erat principum illius nominis & Jehudae filius, qui locum ſuperius occupat decimumquartum ac collegae ſui, cum non immerito dubitaretur ne ſynedrium ejuſmodi qualecunque intra terram ſanctam, per dominantium libidinem impeditum, prorſus tandem funditus periret, neque extra terram rite eam in rem haberi omnino quiret, calculum annorum & menſium aſtronomicum ex cyclo illo decemnovennali compoſuit certiorem, quo poſtmodum uſi ſunt Ebraei; adeo ut dein phaſi lunari ſeu ſynedrio alio ad temporum ac feſtorum rationem exhibendam opus non reſtaret; cum nimirum id quod ſic ab Hillele illo collegiſque ſuis praeſtitum eſt incertioris ante calculi uſum facilius multo, idque ex autoritate tunc ſynedrii illius qualiſcunque, paſſim ſuppleret. Neque, ut videtur, aliam ob cauſam ſub id tempus, praeter calculi rationem, e qua ſacra pleraque rite ordinabantur, uſum ſynedrii illius adeo fuiſſe neceſſarium exiſtimabant ipſi. Jam vero dum quod diximus enarrant, adjiciunt[q], ואחריו לא היה בית דין עוד *Et poſt eum,* Hillelem illum, *domus judicii* ſeu *ſynedrium amplius non erat.* Sic ille, Abraham Zacuthius, & R. Azariah[r], David Ganz[s], alii, quod dum pronunciatur ad hunc modum intelligendum eſt. Non quod uſque ad tempora illa duraſſent ſynedria alicubi ex lege & moribus avitis ſatis undiquaque integra ac legitima; ſed quod, cum hactenus umbra illa ſynedrii ad intercalandi munus (quod quidem ampliſſimum erat) uſque in Hillelis illius tempora, nec ſine intermiſſionibus, duraſſet, etiam illa jam ita evanuiſſet ut diutius ne quidem ejuſmodi ulla dein haberetur. Scimus quidem ſynedria qualiacunque poſtea etiam habuiſſe Judaeos[t] in Palaeſtina ex indultu Caeſareo ſibi permiſſa, uti & in regionibus[v] aliis[x], ut Surae, Pombodithae, Nehardaeae, alibique, ex aliorum principum indultu. Sed horum nulla habita ne quidem qualia illa ſub Hillelis tempore & ante, nedum qualia diu ante excidium, quae revera ſola fuere legitima. Atque extra terram dominantium libitu imperium & juriſdictio eorum diverſimode coercita, perangusta erat ac incerta, & ſcholarum illuſtriorum potius faciem ac poteſtatem quam curiarum induebat. Longaevi videntur principes illi; *Patriarcharum* etiam nomine inſignes. Nec quidem videtur dubitandum quin Hillel ille, qui numerum ſupra occupat decimum quartum, ſeu enneadecaeteridis Judaicae autor, is ipſe fuerit quem Julianus Auguſtus appellat[y] τὸν ἀδελφὸν Ἴουλον τὸν αἰδεσιμώτατον πατριάρχην, *fratrem Julum* (in quam vocem ut molliorem ac Graecis notam degeneraſſe puto, ut fit, *Hillelem*) *Patriarcham illum veneratione digniſſimum*; ubi Ἰουδαίων τῷ κοινῷ, *Judaeorum communi,* univerſis eorum, interdicit, ut alii poſtmodum[z] imperatores, coronarii auri, quod exigere ſoliti ſunt patriarchae illi ſeu principes, ſolutione. Poſtremum autem in catena, ſeu Gamalielem Hillelis filium, eundem fuiſſe exiſtimo cum Gamalielo, cui ab Honorio & Theodoſio juniore Auguſtis, anno Chriſti 415, dempti ſunt *codicilli[a] honorariae praefecturae; ita ut in eo ſit honore in quo ante praefecturam fuerat, ac deinceps nullas condi faciat ſynagogas.* Neque alius, puto, is cujus meminit Marcellus Empiricus[b]; *ad ſplenem remedium ſingulare quod de experimentis probatis Gamalielus patriarcha proxime oſtendit ſic, lapidis Aſii unciam unam, ſemis viſci quercini,* &c. Neque diverſos Gamalielos hoſce fuiſſe recte cenſet Claudius Salmaſius[c] ad Vopiſcum, ubi vir ſummus qui ante ad eundem ſcripſit ne quidem pro Judaeo, ſed Pagano, illum Marcelli fidentius ſumpſerat. De ſynedriis autem illis per tot annos poſt excidium urbis templique, etiam civitatis Ebraeorum ſeu reipublicae quaſi omnimodam exſtinctionem, intra terram utcunque habitis, advertendum eſt, ipſos neutiquam admiſiſſe, ſicut gentes alias[d], jus illorum a quibus devicti ſunt ejuſmodi unquam fuiſſe, ut univerſa illic aut aliqua territorii pars, utpote a numine ipſis donata, ita concederet victoribus ut ipſorum jus revera inde minueretur. Perpetuum ſibi utcunque exciſis, quaſi deletis, jus illic priſtinum, ut divinitus ſibi debitum vendicarunt, ſpretoque victorum juriſque armorum praetextu, reſtitutionem tum gentis illic tum ſynedrii ſui magni Tiberiade, ubi ultimum, juxta ante dicta, ſedes ſuas habuit, hactenus fruſtra exſpectarunt. Spemque illam nunc e ſcripturis ſuo modo eliciunt, nunc etiam ex aſtris, dum & infortunia & calamitates ſuas & redemptiones, haſce maxime ex conjunctionibus Jovis & Saturni redeuntibus magnis in Aquarium, illas ex eiſdem in Piſces revertentibus, pendere volunt; qua de re ampliter egit Abenezra in *Redemptione Iſrael,* ut citatur Petro de Alliaco (neque enim ipſum vidi) in Elucidario aſtronomicae concordiae cum hiſtorica & theologica veritate. Tale ſane fecit de ſecta ſua aliiſque Albumaſar Mahumedanus[e], uti etiam Rogerus noſter Bachonus[f] Minorita, aliique. Scilicet territorium illud, a quibuſcunque jure armorum ac victoriae inſeſſum, & gentem Iſraeliticam & ejus ſtatum atque leges Moſaicas avitaſque ita perpetuo ſimul illic copulari debere ſemper exiſtimarunt, ut nullo pacto, nullo jure humano, eorum diſcidium legi-

[p] Lib. de Anno Civili vet. Ebraeorum. videſis Joſeph. Scalig. Canon. lib. 3. pag. 277. [q] *Juchaſin,* fol. 90 1. [r] In *Meor Enaim,* tract. 2. cap. 25 & 40 & vide Guil. Vorſtium Obſervat. ad *Tzemach David,* pag. 102. lib. not. de Anno Civili Ebraeorum cap. 17. [s] Cap. 15. §. 10. [t] C. tit. de Judaeis l. 17. [v] Videſis notas Conſtantini L'Empereur ad Benjamin Tudelenſis Itinerar. p. 190 &c. [x] *Seder Olam Zota,* prope finem. [y] Epiſt. 25. [z] L. 14. 17. & 20. Tit. 8 lib. 16. C. Theodoſ. & l. 17. tit. eod. C. Juſtinianea. [a] C. Theodoſ. ibid. l. 22. [b] De Medicamentis cap. 23. [c] Pag. 454 5. [d] Videſis Fr. Hotoman. Quaeſt. Illuſtr. 5. Alberic. Gentil. de Jure belli lib. 3. cap. 5. Hugon. Grotium de Jure belli lib. 3. cap. 6. &c. [e] Tract. 1. de magnis conjunctionibus different. 4. [f] Id Epiſtola ad Clement. 5. MS.

timum

5

timum illic fieri poſſe, ſibi certi fuerint. Unde ſane etiam oborta illa apud veteres de eis *victis victoribus* interim *leges dantibus*[g]; paſſim nempe leges tam circa ſacra quam profana, qua potuerint, avitas retinentibus, Hieroſolymorumque urbem & Palaeſtinam jure utcunque armorum captam, ſibi nihilominus, velut titulo nunquam exſtinguendo, aut qui perire non poſſit, ut ſuam arrogando. Cui conſonum illud Rutilii[h],

Victoreſque ſuos natio victa premit.

Contra quam faciunt aliae per orbem terrarum gentes, quibus in jus belli, ferme ut in haereditarium, conſenſum eſt. Illi autem, belli jure omnino nullo obſtante, & Palaeſtinam illam ut ſibi vendicant debitam, & omnia illic a majoribus ſuis exercita jura ut illic jure renovanda decernunt, adeoque reipublicae veteris faciem (cujus ſynedria jam oſtenſa pars magna) tam circa ſacra quam profana illic denuo exhibendam. Sed & de perpetuo ſuo quod ibi obtendunt jure plura ad finem libri tertii, ubi initur diſquiſitio de eo quod eſt, ſi chriſtianiſmum tempore Chriſti aut apoſtolorum amplexata fuiſſet gens illa ſeu reſpublica Ebraica Palaeſtinam inſidens, adeo ut qui rebus praeeſſent atque ita ſynedria ipſa chriſtiana facta fuiſſent, & ſui ſaltem interim juris, utrum eadem ipſa reipublicae ſacrae facies, adeoque ſynedriorum, tam circa ſacra chriſtiana (quae jam, ex ritualibus Judaiſmi veteris a Chriſto perimpletis, in eorum locum ibi ſic ſucceſſiſſent) quam profana, retinenda, idque neceſſario, fuiſſet. Illud quidem penitius & cordatius perſpectum, forſan momenti fuerit graviſſimi. Quanquam enim per annos aliquot ſtatum ſuum veterem quadamtenus & variatim illic retinuerint, & tandem funditus deletus fuerit populus illic Judaicus, ejuſque civitas ſeu ſocietas civilis non aliter atque urbs ipſa penitus deſtructa (quod ſi non a Romanis factum fuiſſet, exiſtimat Flavius Joſephus[i], ipſe Judaeus, & e primoribus, immanem Hieroſolymitanorum ſuorum reliquorum gentis impietatem omnino tunc exacturam fuiſſe ut aut terrae hiatu abſorpti fuiſſent, aut diluvio periiſſent, aut incendio, inſtar Sodomae) nihilominus, ut in aliis ejuſmodi fieri aſſolet, diſquiſitioni locus ſatis tempeſtivus & idoneus ex ſuppoſiti, quod diximus, ratione relinquitur.

XI. In ſuperius allatis & principum & collegarum ſynedriorum, adeoque eorum qui judiciis quomodocunque apud Ebraeos praeeſſent, qualitas legitima particulatim ſatis oſtenſa eſt. Unde etiam de ſceptro apud Judaeos, de quo diſputationes ſunt obviae, continuato eſt facilius dijudicare. Scripſerat quidem vir ſummus[k], *apud Judaeos manſit ſceptrum in ſynedrio* magno *uſque ad confiſcationem*[l] *Archelai*, quae Chriſti natales paulo antevertit. Ita in editionibus Pariſienſi 1625 & Amſteldamenſi 1631. Sed in recognita annotatiſque aucta ab auctore Amſteldamenſi 1642. corriguntur verba illa *uſque ad* in *etiam poſt*, ut quidem poſtulat res ipſa. Cum vero ſint aliqua alia non ita contemnenda, nec ſatis ante adverſa, quae jam oſtenſis aut refragentur aut refragari ſaltem nimis videantur, idque tam apud Ebraeos quam chriſtianos ſcriptores, etiam celebres; de eis veluti in ſpicilegio monere hic viſum eſt. Rabbi Eliaezer Ben Jacob ad legem illam[m] de urbium intervallis metiendis ac vitula decervicanda ubi homicida ignorabatur (de qua plura libro tertio) *egredientur ſeniores tui & judices tui*, זקניך זה, inquit[n], ב"ד הגדול ושופטיך זה מלך וכהן גדול *Seniores tui innuunt ibi ſynedrium magnum, & judices tui regem & pontificem.* Neque rex igitur ei ſic ſynedrii pars aut princeps videtur, neque pontifex. Quorum utrique, pro vario rerum ſtatu, principatus ejuſdem in ſuperioribus agnoſcitur. Etiam ſic judicum nomine, velut ordinariorum, venit tam pontifex quam rex, idque ut a ſynedrio expreſſius diſcriminatus. Quin nec illud Joſephi praetereundum. De tribunalibus minorum urbium ob difficultates exortas ſynedrium magnum conſulentibus appellantibuſque locutus[o], *Συνελθόντες*, inquit, *ὅ, τε ἀρχιερεὺς καὶ ὁ προφήτης καὶ ἡ γερουσία, καὶ τὸ δοκοῦν ἀποφαινέσθωσαν*, *& convenientes pontifex & propheta & ſenatus id quod ſibi viſum fuerit decernant.* Senatus hic pro ſynedrio magno proculdubio ſumitur. Nam & res ipſa ad legem[p] de eo ſacram ſpectat, quod etiam ad ſynedriorum minorum appellationes reſpondiſſe liquet ex eis quae fuſius ea de re afferimus libro tertio; quemadmodum & hic ait Joſephus. At vero cum eo conjungitur hic pontifex & propheta, perinde ac ſi bini illi ſynedrii numero, ſaltem in ejuſmodi appellationibus cognoſcendis, neceſſario ſemper accedere debuiſſent. Quod plane aut ſeptuaginta quatuor cum principe ſynedros conficit, aut pontificem & prophetam ſeptuagintauniuſvirali ſynedrio ſeorſim in decernendo, velut aliud aut conjunctum tribunal duumvirale, opem tuliſſe aſſerit. Quorum utrumque jam oſtenſis nimium refragatur. Quod ad chriſtianos ſcriptores attinet; Carolus Sigonius, enumeratis e ſacris literis aliiſque aliquot ſcriptoribus quibuſdam de ſynedrio ſeu concilio quod tractamus teſtimoniis, *Inivere ergo hoc concilium*, inquit[q], *ut ex his apparet, rex cum principibus populi ac* LXX *ſenioribus populi & pontifex cum principibus ſacerdotum & ſcribis, id eſt, legis doctoribus, ut perſpicere liquet ex evangeliis, ubi agitur de judicio Chriſti. Voco autem principes populi duodecim principes tribuum, qui regi aſſidebant; ſeniores vero, ipſos quos dixi* LXX *populi ſenatores.* Sacerdotum autem principes eos hic vocat qui claſſibus ſacerdotum viginti quatuor praeerant. At vero ita vult, ni fallor, praeter LXX, qui e tribubus promiſcue electi ex Moſaico inſtituto cum principe integrum conficerent ſynedrium magnum, neceſſario ſemper acceſſiſſe pontificem, tribuum principes duodecim & ſacerdotalium etiam claſſium principes viginti quatuor. Id quod immane quantum a ſuperius oſtenſis diſtat; uti etiam ejuſmodi alia non ex Ebraeorum commentariis moribuſque deſumpta ſed ſcriptorum chriſtianorum ingenio excogitata. Unde & illud Thomae Aquinatis[r],

[g] Seneca apud Auguſtinum de Civitate Dei, lib 6. cap. 11. [h] Itinerarii, lib. 1. [i] Lib. 6. Haloſeos, cap 16. [k] Hugo Grotius de Jure Belli, lib 3 cap. 15. §. 9. [l] Joſeph lib. 18. cap 3. [m] Deuter. xxi. 2. [n] Gemar. Hieroſolym. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19. 1. & Babylon. ib. fol. 14. 2. item Hieroſolymit. ad tit. *Sota*, cap. 9. fol. 23. col. 3. [o] Archaeolog lib. 4 cap. ult. [p] Deut. xvii. 8. [q] De Republic. Hebraeor. lib 6. cap. 7. [r] 1, 2 quaeſt. 105 art. 2. ad 7.


Ad

Ad dubium etiam apud peritos tollendum constituit lex ut omnes recurrerent ad locum principalem a Deo electum, in quo & summus sacerdos esset, qui determinaret dubia circa ceremonias divini cultus; & summus judex populi, qui determinaret quae pertinent ad judicia hominum; sicut etiam nunc per appellationem vel per consultationem causae ab inferioribus judicibus ad superiores deferuntur. Unde dicitur Deuteron. xvii. *Si difficile & ambiguum apud te judicium prospexeris, & judicum intra portas tuas videris verba variari, ascende ad locum quem elegerit Dominus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit in illo tempore. Hujusmodi autem ambigua judicia non frequenter emergebant; unde ex hoc populus non gravabatur.* Sic ille; cujus & sequaces [s] sunt non pauci, dum inde pontifici Romano supremam adstruere jurisdictionem enixe laborant. Scilicet pontificem Ebraeorum principem semper synedrii magni fuisse asserunt. Etiam Baronius, *quod jus naturae cunctos populos docuit ac jus gentium ratum habuit, apud Hebraeos lex divinitus lata amplius perfectiusque monstravit; nimirum, ut penes sacerdotes summa rerum esset. Et licet aliquando reges habere coeperint, tamen iidem reges subjecti erant summo pontifici, qui suo arbitrio moderabatur magnum illud concilium septuaginta duorum seniorum quod Sanhedrin dicebatur.* Id genus ille alia, aliique generis ejusdem habent. Nec minus fidenter ipse alibi, *Non tantum summum pontificem interesse,* scribit, *consuevisse, primumque locum sibi vindicasse post septuaginta illos duos* (ita semper in numero impingit) *sed & summum magistratum illum qui praeesset concilio dictum principem sacerdotum & ipsum tenuisse principem locum; sicque hos duos, summum sacerdotem & principem sacerdotum, se habuisse eo consessu ut olim in prima institutione ipsius Moyses & Aaron; non sic tamen ut ante summum sacerdotem princeps sacerdotum assideret, sed duobus consessibus dispositis in utrisque lateribus, quisque horum primo loco sederet.* Sic ille. Caeterum haec atque ejusmodi reliqua superius e magistrorum commentariis de principibus synedrii magni ejusdemque corpore allatis reluctantia, partim plane figmenta sunt, atque ex reipublicae Ebraicae imperitia temere orta, partim vera; sed, rite intellecta, neutiquam omnino adversantur. Etiam vir summus Hugo Grotius de synedrio magno locutus, *in quo ferme,* inquit [t], *eminebat pontifex maximus.* Quod quidem prout tempora recentiora & jura ex accidenti sub Hasmonaeis superinducta spectat, verum est. Aliter sane nec ipse, rite utpote e Talmudicis edoctus, agnoscit illic praerogativam legitimam aliquam generi sacerdotali, nedum pontifici, ut ex aliis ejusdem superius allatis luculentius constat. Fridericus Spanheimius cautius [v], *In senatu isto pontifici summo locus erat, sed quem sapientiae deberet, non dignitati,* אם הוא ראוי בחכמה *si sapientia conspicuus esset*; quod e Maimonide mox citato sumpsit. Atque eo solum nomine in principatum synedriorum evecti reliqui. Jam vero, quod ait in ante memoratis Rabbi Eliaezer de rege & pontifice, perinde ac si in urbium intervallis dimetiendis ipsi a synedrio magno semper, veluti singulari per se illic jurisdictione gaudentes, disjuncti fuissent, receptissimae ea de re Talmudicorum sententiae, quam libro proximo ostendimus, plane adversatur, ideoque rejiciendum. Quod vero habet Josephus de pontifice, propheta & synedrio seu senatu in appellationum causa conjungi solitis, adversissimum est (ut non pauca alia apud scriptorem illum) Talmudicorum sententiis; quemadmodum ex eis etiam quae ostenduntur libro sequenti facile ediscitur. Alibi ipse eodem in capite Eleazarum pontificem ac Josuam & τ̃ γερȣσίαν *Senatum* (id est synedrium magnum) simul nec male memorat, ubi Josua & senatus synedrium ejusque principem indicant. Quamobrem vero pontificem synedrio sic adjunxerit hariolari non est difficile. Ipse scilicet sacerdos ac generi suo, ut nimium fieri amat, indulgentissimus vocabula illa *sacerdotes Levitici generis* [x] & *sacerdoti qui steterit coram Domino* in lege sacra pro pontifice proculdubio sumpsit. Qua de re vide tum quae supra habemus ubi de genere & natalibus synedrorum agitur, tum quae libro in tertio eam in rem accedunt. Cur autem prophetam insuper adjecerit, nondum conjicere quivi. Nec quod habet ille, tantae autoritatis est ut Talmudicorum hic fidei deroget. Id quod pariter dicendum de eis quae adversa jam ostensis habent scriptores christiani. Portentum est quod vult Sigonius, dum regem, pontificem, phylarchos, nescio quos alios praeter LXX viros, synedrio in magno locum habuisse scribit: Nec responsione indiget. Et quod ex Thoma affertur (cui non pauci libentissime hac in re, tam reformati quam pontificii, assentiunt) error est manifesto ingens, si Talmudicis omnino credendum: In eo scilicet quod pontificem perpetuo velut judicem primarium rerum sacrarum, aliumque summum judicem rerum civilium facit ex lege illa sacra [y] quae ad synedrii magni imperium & jurisdictionem, maxime in appellationibus, spectat. Reclamant passim magistri, nullo pacto pontificem aut synedrii principem seu primarium semper aut e synedrii collegis unum semper fuisse, nec res sacras ad aliud judicum genus, civiles autem ad aliud, ex jure ordinario seu generali, spectasse admittentes; uti nec viri ex reformatis doctissimi [z] celeberrimique. Et de principatu ejus ex principum successione superius allata judicari licet. Ad eum nempe non aliter atque ad alios hunc attinuisse; extra quam, ubi aut conjuncto principatu populi seu regno cum pontificatu (ut post Ezrae reditum, & sub Hasmonaeis potissimum) principis synedrii locum sive occupare pro libitu sive conferre jus factum est pontificibus ex accidente peculiare, aut ex indultu ac arbitrio dominantium, veluti Romanorum, contra jus patrium, principes synedrii fierent, dum ad alios ut pro rite constitutis habitos (secundum quod in catena superius ostensa continetur) munus illud revera attineret. Qua de re etiam plura, ex re nata, sub finem libri tertii, ubi de jurisdictione & imperio synedrii magni circa

[s] Baronius Annal. tom. I. ann. Christi 31. §. 10. ann. 34. §. 125. ann. 57. §. 26. ann. 58. §. 150. alibi, aliique perquam obvii. item Bellarmin. lib. 3. de verbo Dei, cap. 4. & lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 1. [t] Ad Matth. cap. v. 22 pag 85. [v] Part. 2. Dub. Evangelic. 139. §. 3. [x] Deuteron. xvii. 9, 12. [y] Ibidem. [z] If. Casaubon. Exercit in Baronium 13. §. 4, &c.

Christum ipsum aliosque in foedere novo agemus. Quod autem ad locum ejus inter synedros attinet; verum quidem est quod habetur in Misna[a], כ״ג דן ודנין אותו *pontifex judicat, & judicatur.* De eo quod dicitur eum judicari, plura etiam libro sequenti. Judiciis vero exercendis regulariter adeo idoneus habitus est, ut locus ei in synedrio magno permitteretur, inque illud rite cooptari posset, si ei scientia muneri ferendo non impar adesset, aliasque talis esset ipse qualem juxta mores patrios neminem rite cooptandum oportuit non esse. Aliter non illi magis quam alteri cuiquam e plebe (qua solus pontifex erat, nec simul populi princeps) locus in synedrio debitus. Maimonidis illud ad mentem veterum dictum advertendum; inquit[b], מושיבין כהן גדול אם היה ראוי בחכמה *collocabant* in synedrio *pontificem maximum, si esset ei scientia* seu *sapientia muneri ferendo non impar*; id est, si ejusmodi fuerit ut juxta mores patrios, etiamsi pontifex non esset, rite posset cooptari. Totidem ea de re usus est etiam verbis Moses Cotzensis[c]. Neque vestigia ulla mihi comperta sunt apud Talmudicos unde pontificem semper in synedrio aliquo aut praefectura juridica fuisse posset quis conjectari. Quod aeque profecto est dicendum de causarum illa distinctione, quasi alii sacris alii civilibus causis seorsim praefuissent in synedriis ullis. Id quod viri quidem docti, alioquin etiam persuasionis satis diversae, temere interdum scriptis pronunciant, ut ante monuimus. Sed ea de re etiam apertius libro agetur proximo, quo imperii & jurisdictionis synedrii magni amplitudo fusius ostenditur.

[a] Tit. *Sanhedrin*, cap. 2.
[b] Halach. *Sanhedrin*, cap. 2.
[c] Praecept. aff. 97. fol. 186. col. 3. videsis Petr. Cunaeum lib. 1. de Repub. Hebraeorum cap. 12.



D E

DE

SYNEDRIIS

ET

Praefecturis Juridicis

VETERUM EBRAEORUM

Liber Tertius & Ultimus

Typographus Lectori.

PRidie Kal. Decembr. diem obiit V. Cl. Johannes Seldenus, maximo literariae reip. detrimento: quod sane ex ultimo hoc ingenii foetu satis constat. Absolverat vir summus libris duobus accuratam synedriorum Ebraicorum historiam, destinata in hunc tertium synedrii magni jurisdictione: Quam cum duplicem statuisset, judiciariam, & deliberativam; alteram cap. hujus libri* XI. *executus est: Alterius vero† generis quatuor cum essent partes, illarum duae tractantur cap.* XII, & XIII; *duae desiderantur: Neque perventum est ad illa quae de constitutione minorum synedriorum, quae de novarum legum superinductione, quae insuper in Levitici* IV. 13. *dicenda fuerant. Cum enim de Encaeniorum apud Ebraeos celebratione res esset, amplusque ad differendum de dedicationum sacrarum usu pateret campus; Graecorum Romanorumque gentilium ritibus** solerter explicatis, cum dedicandorum apud christianos templorum †† originem liberrima, qua uti solet, sagacitate investigasset; obiter duo quantivis pretii calendaria Arabica, alterum Calcascendii Mahumedani, alterum Coptitarum Christianorum, reconditioris literaturae amatoribus exhibet. Non est infrequens vir praestantissimus, pro uberrima sua eruditione, in digressionibus. Sed, Deus bone, quales illae! quam doctae, quam utiles, quanta diligentia conquisitae, quanto judicio limatae! Quippe qui rerum divinarum, humanarum, antiquarum, nuperarum, domesticarum, extranearum, occidentalium, orientalium scientissimus fuit. Caeterum varios dedicationum christianarum ritus dictaturo ne *** primum quidem, qui de templorum versus orientalem plagam positione, transgredi concessum est. Optandum est hanc pulcherrimam diatribam ad umbilicum fuisse perductam: Cum vero mors nobis illam invideat, haec quae nos, tam vestro, lector, consulentes emolumento, quam nostro, jam publica facimus, omnibus boni consulenda sunt: cordatioribus certe viris & doctioribus gratissima erunt, etiam & jucundissima.*

* Cap. 1. † Pag. 1609. ** Cap. 14. †† Cap. 15. *** Cap. 16.



DE SYNEDRIIS ET Praefecturis Juridicis VETERUM EBRAEORUM

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

I. *Synedrii magni poteſtatis, imperii, juriſdictionis, & dignitatis, tum cum ſynedriis reliquis communis, tum eminentiſſimae illius quae ſibi ſingularis erat, deſignatio breviuſcula & generalior.*

II. *De actionibus ibi inſtituendis, quae itidem in ſynedriis minoribus inſtitui perficique quibant, conſideratio. Earum ibi uſus qualis ferme actionum ejuſmodi in priſcis apud Anglos regis & ordinum comitiis.*

III. *De poteſtate & imperio ſynedrii magni aſſertiones generaliores compendioſioreſque ſcriptorum aliquot inſigniorum, non Talmudicorum; quorum in locis ſuis ſeorſim teſtimonia adferuntur.*

IV. *Alphonſi Abulenſis de imperii & juriſdictionis collegarum ſynedrii magni primi ſub Moſe, ab ea quae in ſynedriis obtinuit ſequentibus diſcrepante, ſententia ſingularis & ſatis mira; quam & amplexari videtur Jacobus Salianus.*

OStenſa ſunt in libris ſuperioribus ſynedriorum & praefecturarum apud Ebraeos veteres omnimodarum, ex ipſorum diſciplina, origo, inſtitutio, imperium, juriſdictio, confidendi, agendi, excipiendi in eis formulae, continuatio, intermiſſiones, id genus alia; exceptis interim ſynedrii magni poteſtatis, imperii, juriſdictionis ac dignitatis amplitudine, caſibuſque ei ſoli reſervatis, qui libro huic tertio ex inſtituto deſtinati ſunt. Quod ad poteſtatem cum imperio & juriſdictionem ejus attinet; eae erant aut judiciariae, aut deliberativae, aut, ut fieri amat, mixtae. Judiciariae erant aut veluti cum ſynedriis caeteris ſeu minoribus communes, utcunque amplitudine ac dignitate diſcrepantes, aut ſingulares ſibique propriae. Communes huic cum reliquis cernuntur in cauſis tam criminalibus quam civilibus, circa tam ſacra quam profana, in poenis jure ordinario irrogandis, interdictis atque actionibus judiciiſque in vigintitriumviralibus ſynedriis triumviralibuſque, ſeu apud judicem illum unicum מומחה dictum, haberi, inſtitui ac exerceri ſolitis; de quibus ampliter dictum eſt libro ſecundo. Genus autem judiciariae poteſtatis alterum, quod ſibi ſingulare habuit ſynedrium hoc, partim viſitur in appellationibus recipiendis, partim in actionibus aliquot pro actorum libitu, quacunque in tribu ſeu urbe degentium, illic ſive primo inſtituendis ſive inſtaurandis, & demum partim in judiciis quae ex natura ſui alio in ſynedrio forove aut inchoari aut perfici rite nequibant. De appellationibus atque actionibus illis mox fuſius. Judicia autem alia quae ex natura ſui alio in ſynedrio rite inchoari perficive nequirent, ſed ſive ob dignitatem ſive ob difficultatem in ſynedrio magno aut omnino definienda fuere aut effectu atque exſecutione donanda, in rerum ſimul atque perſonarum genere, apud Talmudicos, cernuntur fere duodecimplici. Eae ſunt,

I. זקן ממרא *Senior*[a] ſeu *presbyter contumax*, & judex ſynedrii cujuſcunque minoris, qui a ſynedrio magno rite per appellationem ex lege ſacra edoctus ejuſce placitis reluctaretur.

II. Integra tribus, ſeu pars ejus major inſigniſve, atque res tribuariae quatenus tribuariae.

III. Urbs, ſeu pars ejus major ſeu inſignis, apoſtaſiae rea[b].

IV. Pſeudopropheta[c].

V. Uxor a viro zelotypo[d] adulterii ſuſpecta, qua ſcilicet ſubeundum ei erat per aquas a-

[a] Deut. xvii. 12. [b] Ibid. xiii. 13. [c] Ibid. i. [d] Numer. v. 12.

maras

maras examen, sacerdote juxta legem sacram ritus praestante.

VI. Sacerdotes de quorum vitiis [e] sive natalium, sive corporis, sive aliis, adeoque an functioni sacrae essent idonei, dubitabatur.

VII. Cadaveris in agro occisi, ubi homicida [f] ignorabatur, a circumjacentibus urbibus distantiae mensuratio.

VIII. Pontifex maximus, quoties de re capitali in jus esset vocandus, aut novus esset constituendus.

IX. Rex, juxta quosdam.

X. Siclorum seu pensitationum annuarum, ad sacrificia publica inprimis sustentanda, justae praestationis cura, earumque atque rerum aliarum sacrarum aliquot insumendarum ratio; id genus alia.

XI. Temporum calculus, ut neomeniarum designatio, mensium & annorum intercalatio, sabbaticorum & jubilaeorum ratio.

XII. Disciplinae sacrae traditio quotannis pontifici maximo paulo ante festum expiationum [g], seu diem decimum mensis Tisri.

Atque haec quidem ad potestatem judiciariam quae synedrio magno singularis erat referuntur. Alterum autem illud potestatis genus deliberativum vocamus, quod non tam judiciis juxta leges avitas moresque receptos forensibus ferendis occupabatur (quemadmodum in judiciariae quae indicavimus capitibus) quam in rebus sive novis plane sive rarioribus pro libitu atque juxta deliberandi rationem sive admittendis, decernendis praestituendisque, sive rejiciendis, versabatur. Hujusmodi sunt,

I. מלחמת הרשות *Bellum ultroneum* seu *arbitrarium*.

II. Sive urbis sive atriorum templi ampliatio seu novatio.

III. Synedriorum minorum per provincias, urbes ac pagos tribuum constitutio seu collocatio.

IV. Novarum legum superinductio: sacrarum item pro re nata interdum moderamen.

Haec sigillatim in sequentibus exsequemur; exceptis tamen tribus capitibus, quae alibi in nostris jam locum obtinuere: Eo nimirum quod est de uxoris adulterii suspectae per aquas amaras probatione, atque in judiciariae potestatis capitum recensione illi proximo de sacerdotibus sive admittendis ad functionem sacram sive arcendis; & demum quod habetur de neomeniarum aliorumque temporum & festorum designatione. De horum enim primo satis diximus in uxore Ebraica [h]; de secundo, in libris de successione in pontificatum [i]; de tertio, in libello de anno civili, cujus ratio, adeoque omnimodorum festorum, annorum, cunctorumque inde pendentium, quoniam ex synedrii pendebat definitione ac judicio, placuit ut libellus ille, velut hujus assecla, recognitus subjungeretur. Hisce velut ex judiciario & deliberativo genere aut mixtum aut utrique cognatum accedat munus synedrii in sacrificiis expiatoriis offerendis quoties כל עדת ישראל *totus Israelitarum coetus* juxta sacrae legis [k] mentem erraret; quod tandem etiam libro hoc explicabimus.

II. Licet vero ex potestate illa judiciaria diffusissima quae synedrio magno competiit (ut maximus enim circulus minores reliquos omnes, seu ut numerus maximus partes minores & unitates intra se cunctas, ita potestatis ejus judiciariae amplitudo universam quae reliqua erat in se continebat) nulla omnino actio esset sive gravior sive levior quae ex natura sui non potuisset ibi institui perficique, nihilominus pauca tantum actionum genera, ex praestituto sibi jure, pro actorum ubicunque degentium libitu, inchoari ibi voluere; de quibus mox [l] plura. Neque sane aestimandum est omnimodas a quibuscunque locis & personis illuc deductas in decisionem admissas unquam fuisse; sed pro synedrii hujus arbitrio sive rejectas, ac synedriis aliis, etiam Hierosolymis (ubi bina erant minora) aliisve in urbibus pagisque, quae viciniis suis circumscripta sunt, relictas, aut pro eodem itidem arbitrio admissas. Nisi enim causae quamplurimae, nec graviores nec difficiliores, sive Hierosolymis sive alibi per terram sanctam ortae, ad synedros sive vigintitriumvirales, sive triumvirales, aut ad judicem illum unicum, in conclavi saxeo forsan inceptae, illinc, ut ad locos commodiores, saepius relegatae fuissent, imo si leviores facilesque qualescunque illic, ut vendicationes, condictiones, actiones ex maleficio e trivio proditae, indiscriminatim fuissent admissae, certe nec cum personarum, temporis locive commodo, nec cum amplissimi synedrii eminentia consistere id quivisset. Ita tamen semper ut pro arbitratu synedrorum aliter aliterque admissio ejusmodi rejectiove fieret. Quod sane legibus sacris de synedrio tam hoc quam aliis instituendis haud omnino dissonum est. Quale indubitanter dici potest de Graecorum, Romanorum, aliorum senatibus consistoriisque supremis. Ubi enim undiquaque supremae nec omnino circumscriptae autoritatis imperiique sedes est, ibi plane ut revera potestas habetur omnimodas causas actionesque recipiendi, ita & praefecturis ordinariis minoribus eas quae ab illis terminari queant pro arbitrio relinquendi, atque a se rejiciendi. Simile plane in comitiis Angliae parlamentariis priscis cernimus. Rex, atque ordines procerum, praelatorum, populique, ut comitiorum caput & membra universa, adsessoribus judicibus regni insignioribus aliisque a consiliis dictis, rite tam circa actiones judiciariam exercebant quam in legibus ferendis deliberativam potestatem; nec interim sine hoc, pro arbitratu maxime procerum aliorumque, quibus ipsa actionum illic institutarum tum & admissio tum rejectio delegari solebat, temperamento, ut nimirum prout delegatis ejusmodi serio rem perpendentibus videretur, sive admitterentur illae, sive ut senatui amplissimo non satis, pro temporis aliarumve circumstantiarum ratione varia, idoneae rejicerentur, aut ut inutiles omnino, aut tribunalibus magis propriae ordinariis aliis haberentur. Scilicet in more erat perpetuo, ut ipsis comitiorum initiis, apud pro-

[e] Levitic. xxi. 17. [f] Deuter. xxi. 2. [g] Levitic. xvi. [h] Lib. 3 cap. 15. [i] Lib. 2. cap. 10. [k] Levitic. iv. 13. [l] §. 6.

ceres constituerentur aliquot minoris nobilitatis viri, tres aut circiter, receptores petitionum Receivers of Petitions Angliae, Hiberniae, Walliae, & Scotiae per se, uti & Aquitaniae aliarumque regionum exterarum per se alii (petitionum nempe nomine, ut actionum formulae pleraeque, ita & libelli etiam in leges ferendas porrecti, Bills vulgo tunc nuncupari soliti) uti etiam probatores Triers ex ipsis proceribus plurimi (adjectis judicibus aliquot) quorum omnium, sic probatorum, admittendi rejiciendive jam dictum munus erat. Adeoque pro personarum, locorum, temporis, caussae natura, actiones illic sic inchoatae, aut illuc quomodocunque deductae, perquam diversimode, nec certo omnino more, admissae, definitaeque, aut aliorsum rejectae. Hae interdum partim appellationes fuere, quae *brevia* dicuntur *de errore*, interdum relationes [m] ab judicibus inferiorum, sed quae dignitate proximiora tantum essent, tribunalium quoties difficultas scilicet exoriretur in eis adeo ipsis inextricabilis ut nec alibi terminari quiret. Frequentius autem habentur aliae illic prorsus inchoatae; quae, si ibi eas perficere non visum esset, rejiciebantur. Responso nunc actori dato, *sequatur ad communem legem*, id est tribunalium ordinariorum seu minorum opem imploret; nunc, *perquiret breve in cancellaria*, seu actionem ex curia illa, quae juris ordinarii officina nobis habita; conceptis verbis nunc, *Fiat breve justitiariis de Banco, ut inquirant & procedant*, &c. uti & *Thesaurario & Baronibus Scaccarii, Vicecomiti* comitatus, ubi notior res esse posset, aliis, aliterque; nunc, in sensum satis parilem sed expressiorem, *non est petitio Parlamenti* [n], cum scilicet de rebus leviculis atque tantae amplitudinis foro plane indignis, utcunque intra amplitudinem etiam illam, quemadmodum aliis etiam universis, contentis. Summa est; pro libitu hic, ut in synedrio magno, receptas, decisas, rejectas, alio mandatas actiones. Quale dicendum de amplissimis illis apud Graecos Amphictyonico ac Areopagitico conventibus, de Milesiorum curia illa ab Hippodamo instituta, ut δικαστηρίῳ τῷ κυρίῳ [o] *praetorio praecipuo* (quod itidem ἐκ τινῶν γερόντων αἱρετῶν *e quibusdam senioribus* seu presbyteris *selectioribus* conflabatur) uti & de comitiis & senatu Romano, reliquisque ejusmodi. Et rectissime sane de synedrio hoc Christianus Adrichomius [p], *Reipublicae negotia curabant, jura dabant, ambigua & graviora etiam aliarum civitatum judicia definiebant, lites & controversias dirimebant, & capitalia judicia ferebant.* Hactenus, inquam, rectissime ille, sed exceptio quam adjicit, ab aliis non paucis etiam asseri solita, *Exceptis duntaxat difficultatibus, quaestionibus & caussis divinae legis Judaicaeque religionis, quas summus pontifex & sacerdotes determinabant*, adeo Talmudicorum hac de re doctrinae refragatur ut nil omnino magis. Id quod ex accuratiore singulorum juxta magistros explicatione, quae insequetur, fiet manifestissimum.

III. Scripturae sacrae & Talmudicorum de jam dicendis testimonia & disciplina suis in locis ordineque suo inferius occurrunt. Quoniam autem apud scriptores etiam non Talmudicos, sed graves quidem atque in Christianismo plurimi habitos, amplitudinis synedrii hujus potestatis ac imperii designationes occurrunt generaliores quaedam succinctioresque, operae quidem visum est pretium eas hic potius seorsim praemittere quam, ubi de singulis capitibus ante indicatis agitur, simul cum scitis Talmudicis commiscere. Quae istius generis sunt, obvia subinde nonnulla, sparsim in superioribus, aliorsum e re nata afferuntur. Particularium in capitibus superius indicatis praecipua, sed e Talmudicis quidem, memorant Raimundus Martini [q], Victoria Porchetus, Petrus Galatinus [r], Carolus Sigonius [s], Bonaventura, Bertramus [t], Angelus Caninius [v], ejusmodi superioris aevi alii. Et quidem plurimis ante seculis S. Hilarius [x], forte de vero tribunalis illius seu curiae statu non satis edoctus, *Erat a Mose*, inquit [y], *institutum, in synagoga omni septuaginta esse doctores* (quod, nisi de septuaginta uniusvirali curia capiatur unica, adeo ut *in synagoga omni* denotet in toto Israel aut quid ejusmodi, admittendum non est) *Nam idem Moses quamvis veteris testamenti verba in literis condidisset, tamen separatim quaedam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimaverat* (quod consonum est quae libro secundo [z] e Talmudicis ea de re traduntur) *Cujus doctrinae etiam Dominus in Evangeliis meminit, dicens, super cathedram Mosi*, inquit, *sedent Scribae & Pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis servate & facite: Secundum vero facta eorum nolite facere. Doctrina ergo horum in posterum, quae ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum numero & officio conservata est.* Quod sane generalior est dignitatis illius curiae indicatio, non sine hallucinatione, qua septuaginta illi fiunt septuaginta interpretes a Ptolemaeo rege accersiti. Christianus Adrichomius [a], *Septuaginta senatores & judices ordinarii, qui a Judaeis Sanhedrin, Graece synedrium, Latine autem Concilium seniorum & seniores oppuli vocantur, reipublicae negotia curabant, jura dabant, ambigua & graviora etiam aliarum civitatum judicia definiebant, lites & controversias dirimebant, & capitalia judicia ferebant, exceptis duntaxat difficultatibus, quaestionibus & caussis divinae legis Judaicaeqae religionis, quas summus pontifex & sacerdotes determinabant.* Quae quidem exceptio Talmudicae doctrinae plane alienissima est adversissimaque [b], & certe omnimoda caussa in republica illa divinitus sic instituta, lege divina & religione Judaica nitebantur. *In hoc consistorio* (sic pergit Adrichomius) *Apostoli examinati, flagris caesi, & praedicare prohibiti, ibant gaudentes a conspectu concilii quod digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati. Ibidem S. Ste-*

[m] 5 Edwardi 2. Fitzherb. tit. Dower 143. 1 Edwardi 3. fol. 9. 2. Placito 12. 3 Ed. 3. tit. Assise 170. 13 Ed. 3. tit. Voucher 119 & Rot. Claus. 14 Ed. 3. part 1. membrana 14 Dorso. 17 Ed. 3. fol. 49 plac. 18. 4 Ed. 4. 40. b. alibi obiter. [n] Fascicul. Petitionum Parlamenti ann. 8. Regis Ed. 3. in arce Londinensi. [o] Aristot. Politic. lib. 2. cap. 6. [p] In Descript. Jerusalem. verb. Curia. [q] Pugione Fidei part. 2. cap. 4. §. 4. [r] Contra Hebraeos part. 1. cap. 2. [s] De repub. Hebraeorum lib. 6. cap. 7. [t] Polit. Judaic. cap. 13. [v] Loc. N. T. cap. 7. [x] De Arcanis lib. 4. cap. 5 & 6. [y] Enarratio in Psalm. ii. [z] Cap. 16. §. 1. [a] In Jerusalem num. 35. [b] Videsis Isaac. Casaubon. exercitat. 15. §. 11.

phanus coram concilio ſtans, facieque angelica fulgens, intentis in coelum oculis, vidit coelos apertos, ac gloriam Dei, & Jeſum ſtantem a dextris Dei. Unde impetu ejectus extra civitatem, lapidatus eſt. Sic ille. Et de imperio ſynedrii hujus tempore Chriſti & Apoſtolorum plura ſub libri hujus calcem. Baronius item[c], *Erat horum ſumma autoritas, ut qui de lege cognoſcerent, & de propheta ac ſimul de regibus*[d] *judicarent.* Anno item proximo[e] ille, ubi triumviralium & vigintitriumviralium ſynedriorum hujuſque magni meminit, ad illud de judicio & ſynedrio in Evangelio[f], *Tertium*, inquit, *erat ſeptuaginta duorum virorum* (ſic in numero impingere ei cum aliis eſt ſolenne) *quod* Συνέδριον *magnum dicebatur, in quo graviſſimae agebantur cauſae, illae nimirum quae ad ſummam reipublicae pertinerent, ut de tribu, lege, rege, propheta, ac ſummo denique ſacerdote.* Lorinus etiam[g], *pertinebat ad illos de lege cognoſcere, de propheta, de rege, de ſummo ſacerdote, de pace, de bello, de rebus graviſſimis, maximeque publicis, ut tanto poſt factum legimus, cum legatio ad Joannem miſſa eſt*[h] (illic legitur, Ἰουδαίους ἐξ Ἱεροσολύμων, &c. *Judaeos ex Hieroſolymis miſiſſe ſacerdotes & Levitas ut interrogarent eum, tu quis es?* quod de legatione ſynedrii magni Hieroſolymis conſidentis ſumitur. Unde etiam Hugo Grotius ibi, Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων, *id eſt ſynedrium magnum, cujus conſeſſus erat Hieroſolymis, quorumque notio erat de vero ac falſo propheta. Simili modo ad Barchocebam miſiſſe ſynedrium narratur percunctatum quem ſe diceret,* & ad illud de ſacerdotibus & Levitis, *Miſerant doctiſſimos ſui coetus. Nam hi, quibus e publico victus erat, liberius ſtudiis vacabant*) dein pergit Lorinus; *& quando Herodes judicio poſtulatus*[i], *Chriſtuſque quoſdam affirmavit reos eſſe judicio*[k]. *Addunt aliqui, apud ſe iſtos tenuiſſe ſublimiorem ſcripturae intelligentiam, vulgo vocatam Cabalam, id eſt traditionem.* Atque inde ſe refert ad ſua in Actus Apoſtolicos[l] dicta. Ejuſmodi alia huc ſpectant apud Abulenſem in Numerorum caput undecimum, alioſque ibi, uti & ad quintum S. Matthaei obvios. Tantundem occurrit de ſynedrio hoc magno apud Petrum Cunaeum[m], & Hugonem Grotium paſſim in annotatis. Et J. Stephanus Menochius[n], ex Joanne Quinquarboreo in paraphraſin Chaldaeam, *Illi tantiſper dum ſine rege fuerunt Hebraei ſceptrum repraeſentabant, & ab illis ſceptrum pendebat. Semper apud illos ſanciendi leges, & omnis judicandi poteſtas fuit, etiam ſub regibus & ſub ducibus. Eiſque deletis, adhuc durabat eorum auctoritas, ita ut nihil unquam niſi ipſorum conſilio fieret.* Et paulo poſt, *In tribum aut ſceptrum aut Pſeudoprophetam aut ſacerdotem magnum ſententia ferri non poterat niſi a ſeptuaginta duntaxat ſenioribus magni collegii. Ad illos a caeteris Judaeae ſubſelliis provocare, & illos tanquam ſupremum ſenatum appellare licebat.*

IV. Singulare autem habet Abulenſis de Moſis collegarum ſive ſynedrorum hic primorum ſingulorum imperio & poteſtate (de quorum prophetico munere & facultate adeo expreſſim ſacra ſcriptura) velut plurimum ab ea quae collegarum ſequentium fuit diſcrepante; ſcilicet aequalem omnes (quemque ſolum) cum Moſe juriſdictionem ſortitos eſſe; ſubordinationemque ad Moſem habuiſſe illos nullam. *Ex litera*, inquit[o], *non apparet aliqua ſubordinatio, ſed magis quod iſti fungerentur eadem juriſdictione qua Moyſes fungebatur, quia dati ſunt ſibi in coadjutores; nec eſt de iſtis ſicut de aliis judicibus quos ordinavit Jethro, quia de illis dicitur quae eſſet poteſtas eorum, ut patet Exod.* xviii. *cap. Et ibi habetur quomodo ſubordinentur Moyſi. Hic autem nihil dicitur de iſtorum juriſdictione, ſed ſolum quod erant coadjutores Moyſi, ne ipſe nimis gravaretur: non tamen tollerent ejus gravamen, ſi forte maneret aliqua ſpecies juriſdictionis Moyſi quae non pertineret ad iſtos judices ſeniores, vel ſi eſſet ſubordinatio ad Moyſem, quia tunc devolutis cauſis ab iſtis ad Moyſem, maneret idem gravamen in Moyſe quod prius erat cum devolvebantur cauſae a judicibus ordinariis per Jethro ad ipſum. Jam patet quod habebant totaliter eandem juriſdictionem quam Moyſes; quia dixit Deus, auferam de ſpiritu tuo, & dabo illis. Cum ergo per eundem ſpiritum judicarent per quem Moyſes, de eiſdem judicarent de quibus Moyſes, ideo dicendum eſt quod non erat aliqua ſubordinatio iſtorum ad Moyſen, ita quod Moyſes eſſet major ſive in aliqua ſpecie juriſdictionis quam haberet ipſe, & non ſeniores, quia tam ſpiritualia quam temporalia eis commiſſa erant, cum datus eis eſſet ſpiritus propheticus, per quem de omnibus difficilibus judicare poterant: nec etiam erat major Moyſes quantum ad excellentiam juriſdictionis in ſubordinatione, quia non erant ei ſubordinati iſti ſeniores quantum ad aliquid. Nam cum aliqua cauſa devolvebatur a judicibus minoribus, quos Jethro conſtituerat, non erat aliquis ordo an ad Moyſen illa devolveretur vel ad aliquem de ſenioribus. Item ab ipſis ſenioribus nunquam appellabatur ad Moyſen, quia ita erat juriſdictio eorum excellens ſicut juriſdictio Moyſi, & judicium eorum ita erat certum ſicut judicium Moyſi, quia ipſi ſpiritu prophetico judicabant, cum dicantur accepiſſe de ſpiritu Moyſi. Non erat igitur aliquid cauſae quare ab eis ad Moyſen appellaretur: fieret tamen ſi non accepiſſent ipſi ſpiritum propheticum, quia eſſent eorum judicia adhuc incerta. Nec debet hoc videri cuiquam irrationabile quod iſti efficerentur aequales Moyſi. Nam non erat iſta juriſdictio contentioſa, ita quod Moyſes contenderet ſe habere juriſdictionem majorem, & alii dicerent ſe habere juriſdictionem aequalem ei, quia tunc non fuiſſet datum aliquid de juriſdictione ſenioribus, nec aequaliter nec inaequaliter, ſi eam Moyſes in ſolidum voluiſſet, ſed data eſt juriſdictio illis ad petitionem Moyſi, ne ipſe gravaretur. Et tamen ſi non conſtituerentur ei aequales in juriſdictione, reſervata Moyſi aliqua ſpecie ju-*

[c] Tom. I. Ann Chri. 31. §. 10. [d] Videſis Iſaac. Caſaubon. Exercit. 13. §. 5. [e] Tom. I. ann. 32. §. 11. [f] Matth. v. 22. [g] Ad Numer. xi 16. [h] Joann. i. 19. [i] Joſephus lib. 14. cap. 12. [k] Matth. v. 22. [l] Ad Act. iv. 5. [m] De Republic. Hebraeorum lib. I. cap. 12. [n] De Republic. Hebraeorum lib. I. cap. 5. §. 6. [o] Ad Numeros cap xi quaeſt. 31 & 32.

risdictionis quae non esset penes seniores, vel aliqua subordinatione in devolutione causarum, semper maneret Moyses in gravamine, quia in illo in quo excederet alios judices ipse solus posset judicare, & ibi pluralitate causarum turbaretur. Non ergo fuit injuste factum contra Moysen quod alii judices fuerint sibi aequales facti; sed magis in hoc gratiam suscepisse dicitur. Nec erat inconveniens fieri hic plures judices aequales, quia non esset aequalitas occasio contendendi, cum nullus invideret alteri, quia erant omnes prophetae, & quilibet satis gauderet quod quilibet aliorum sibi totam jurisdictionem acciperet. Item non erat periculum, quia quilibet habebat spiritum propheticum, & poterat judicare de causis quantumcunque difficilibus. Considerandum autem, ubi de institutione illa sub Mose loquitur, *quod non erat de istis septuaginta senioribus, sicut fuit postea de eis in terra Chanaan, cum erant in domo consilii, scilicet in congregatione judicum cum sacerdote magno* (quasi postea semper sacerdos magnus princeps fuisset synedrii; qua de re satis libro secundo dictum) *quia nunc poterant per se judicare sine Moyse* (id est quisque solus) *postea vero in terra Chanaan nequibant. Et causa est, quia isti fuerunt dati in subsidium Moysi, ut relevaretur a laboribus. Si tamen non possent judicare sine Moyse, interesset Moyses omni judicio, & tunc nihil tolleretur de gravamine, quia ipse ibi posset per se judicare, Nec enim dati sunt sibi seniores illi tanquam consulentes, quia non indigebat, cum haberet spiritum propheticum, sed tanquam adjutores, ut ipsi quoque in causis judicarent; & tamen non posset hoc fieri nisi ipsi per se judicare possent. Etiam ex parte ipsorum non erat aliquod periculum, quod quilibet ipsorum per se judicare posset, quia quilibet habebat spiritum propheticum, & posset dicere verum in quacunque causa quantumcunque ardua. In terra autem promissionis non debuit esse sic, quia apud summum sacerdotem residebat maxima auctoritas judicandi, Deut.* xvi. *cap.* (innuitur cap. xvii. unde novum non est, pontifici maximo auctoritatem ejusmodi a pontificiis, non sine errore apertissimo, adstructum iri) *Ipse tamen non erat propheta; ideo indigebat consiliariis ad proferendas sententias. Dati sunt autem sibi* (quasi is princeps semper fuisset synedrii; qua de re satis libro secundo dictum) *septuaginta seniores qui assisterent ei. Et illi omnes simul vocabantur domus judicii. Senioribus autem non debuit licere per se judicare, quia tunc non erant ipsi prophetae, sicut fuerant tempore Moysi, ut supra declaratum est. Ideo assistebant sacerdoti magno, & cum eo dicebantur sententiare, ut patet Marci cap.* xiv. *ubi dicitur quod sacerdos magnus & seniores condemnaverunt Christum; & hoc, in quantum sacerdos magnus sententiam, quam proferre debebat, de eorum consilio & autoritate habebat prius formatam. Solus tamen summus sacerdos proferebat sententiam, & dicebatur judex tempore suo.* Et postea haud dissimilibus rationibus usus, idem Abulensis[p], *Dicendum igitur quod non judicabant omnes isti septuaginta simul, nec multi eorum simul, sed quilibet per se, quia cum cuilibet occurreret aliqua causa, judicabat in illa, &, si aliquod dubium ei esset, consulebat Dominum, qui statim respondebat. Et sic non poterat dubitari an verum vel justum esset id quod per istum unum definiebatur ac si per mille viros definiretur, cum a Deo dictum esset quod iste judicabat. Sed hoc verum est tempore Moysi, quando ipse accepit istos in socios ad relevandum laborem, & quilibet istorum erat propheta, quia per se poterat quilibet consulere Dominum. Secus autem fuit post mortem Moysi tempore summorum sacerdotum, quando etiam mansit consistorium septuaginta seniorum, quia tunc non judicabat quilibet istorum per se, sed omnes simul cum summo sacerdote, quia illi non erant prophetae, neque summus sacerdos erat propheta: Ideo cum humano judicio agendum esset, oportebat omnes concurrere, ad hoc quod firmius esset judicium; sicut jura humana dicunt quod firmum est judicium quod plurimorum sententiis confirmatur.* Ita velut Mosem ipsum per septuaginta hos multiplicatum facit, & praeter solennem illum de pontifice magno veluti perpetuo synedrii magni principe errorem, haud aliam judicandi rationem in posterorum synedriis admittit praeter eam qua universi simul collegae cum ipso principe rem pro tribunali deciderent: Quod quidem disciplinae Talmudicae receptissimaeque est adversissimum. Capitalia enim in synedrio magno judicia a vigintitribus solum, synedrii magni collegis, considentibus, pecuniaria a tribus, intercalationes & neomeniarum sanctificationes a septem & quinque decernebantur, adeo ut necesse non omnino esset ut cuncti simul in omnibus judiciis congregarentur; qua de re etiam satis libro in secundo dictum. Certe amplexari videtur Abulensis sententiam hanc de Mose Jacobus Salianus[q]; *Et manebat tamen,* inquit, *ipse populi princeps & omnium prophetarum maximus, Deoque familiarissimus. Eodemque modo in lege nova, etsi Petrus apostolorum princeps fuit, totique ecclesiae praepositus, in Paulum nihilominus, & caeteros eodem modo apostolos, solicitudo omnium ecclesiarum incumbebat, qui primitias spiritus acceperant, & eminentem gratiam apostolatus, prae successoribus suis.* Sic ille. Sed de hisce porro viderint qui velint.

CAP. II.

I. *De causis per appellationes ad synedrium magnum variatim deductis, & lege sacra qua jus illud nitebatur.*

II. *Progressus appellationum legitimus a judicibus minoribus ad synedrium magnum.*

III. *Quomodo in synedrio illo res per appellationem intermediam illuc deductae agitandae essent decernendaeque.*

IV. *De appellationibus primo ad synedrium hoc factis.*

V. *De synedrio magno consulendo, quasi*

[p] Ad Numer. xi. Quaest. 66. & videsis eum ad Deuteron. xvii. Quaest. 4.

[q] Annal. Vet. Test. A. M. 2545. §. 151.

appellando

appellando, circa proselytorum justitiae suspectorum, immundorum aliquot dubiorum jure, adeoque id genus e re nata aliis.

VI. *De actionibus aliquot singularibus pro actorum ubicunque in terra sancta degentium libitu illic sive inchoandis sive instaurandis.*

INter capita praecipua & singularia imperii & jurisdictionis synedrii magni superius breviter indicata primum est de presbytero contumace, simul & causis per appellationes illuc deductis. Presbyteri contumacis causa commodius dignoscetur, illa de appellationibus prius inspecta. Appellationes hic vocamus, quibus scilicet sive per synedria inferiora seu minora primo adita seu appellata, sive aliter, citra appellationes intermedias a judicibus inferioribus, res difficiliores ad amplissimi hujus synedrii judicium, cui universis erat acquiescendum, postremo deferebantur. Quae per synedria minora fiebant tunc locum obtinuere cum apud judices inferiores, dum causa agitabatur, difficultas exorta, neutro litigantium ad synedrium magnum provocante[r], illuc interdum ab synedris ablegabatur. Quae vero citra ejusmodi intermedias fiebant appellationes locum duntaxat tunc habuere quando interdum apud judices inferiores sive actor sive reus instantius, utpote difficultatibus forensibus implicatus, rogabat ut tum ipsi simul tum causa integra Hierosolyma in synedrium magnum mitterentur, ne sive per errorem sive per ignorantiam ab eo quod justum esset judices hi forte deviarent. Subnititur jus hujusmodi legi illi sacrae[s], כי יפלא ממך דבר למשפט וגו׳ *Si res aliqua difficilis apud te in judicio nata fuerit* (seu, ut Vulgata, *Si difficile & ambiguum judicium apud te esse perspexeris*, ubi Hellenistae, Ἐὰν ἀδυνατήσῃ ἀπὸ σȣ͂ ῥῆμα ἐν κρίσει, *Si nequeat a te verbum* seu *res aliqua in judicio* terminari) *inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter plagam & plagam, adeo ut rerum discordia sit in portis tuis, surges & ascendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui erit in diebus illis, & inquires. Illique indicabunt tibi judicii veritatem, & tu agere debes juxta verbum illud quod annunciaverint tibi de loco illo* (Vulgata, *& facies quodcunque dixerint qui praesunt loco) quem elegerit Dominus, observabisque ut facias juxta omnia quae te docuerint. Juxta verbum legis quam te docuerint, & juxta judicium quod tibi dixerint, ages, nec declinabis a verbo quod annunciaverint tibi ad dextram vel ad sinistram. Vir autem ille qui egerit procaciter,* לבלתי שמע אל־הכהן העמד לשרת שם את יהוה אלהיך או אל־השופט ומת האיש ההוא וגו׳ id est, *nolueritque audire sacerdotem qui stat coram Domino Deo tuo ut ibi ministret, aut judicem* (codex Samaritanus editus [Samaritan text] & *judici*; sed MS. Cottonianus, ut Ebraeus, [Samaritan text] *aut judici*, atque ita Graeci, ἢ τȣ͂ κριτȣ͂, aliique) *etiam morietur vir ille; & eliminabis malum de Israel. Et omnes de populo audient, & timebunt, & amplius procaciter non agent.* De *sacerdotum* ac *judicis* nomine sic in lege usurpato aliquoties superiore in libro actum est. Et rejicienda plane est lectio illa depravatissima quae viris magnis etiam Ebraice satis scientibus libentius[t], ex aliquot Vulgatae tum MSS. tum male editis, admissa est pro Ebraeis illis, scilicet *nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur:* Quasi ex sacerdotis imperio velut exsecutoris munus tantum inde praestaret judex qualiscunque illic memoratus, seu ut ministrum ei se gereret. Sed nihil in origine sic de sacerdotis imperio nec quid de decreto judicis habetur, nedum quod τῷ *ex decreto judicis* respondeat. Unde Vulgata etiam a Clemente VIII. approbata ex optimis codicibus sic corrigitur ut legendum sit illic *& decreto judicis*; quod satis quidem sensui sacro consonum est, *nolens obedire sive sacerdotibus sive aliquibus judicibus illic aliis, morietur*, &c. Sixtus Quintus in Vulgata sua retineri voluit *ex decreto*; quod sensum haud parum mutat[v]. Prodigiosa simul ac ridicula ex lectione illa pessima perniciosissimaque etiam antiquitus orta sunt; veluti, *Veteri quidem lege haberi, quicunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subjecta contemtum expiabat cruore*; quod velut ex Anteri circa annos abhinc MCC Papae epistolis[x] in jus pontificium[y] libentius receptum est, ut etiam inde jus excommunicationis seu gladii, quem vocant spiritualis adstrueretur. Item apud Innocentium tertium (qui *decreto judicis* & reliqua de sacerdotis imperio praevio illic legit[z]) aliosque veluti parilis aut analoga e textu illo elicitur Petro ac pontifici Romano potestas ac imperium, quasi locus quem Deus in Deuteronomio elegerit Romam Hierosolymis translatus fuisset, & synedrium magnum in cardinalium consistorium; quod jure divino etiam fundatum sic voluere aliqui ex eo quod legunt ipsi[a], *Domini sunt cardinales terrae, & posuit super eos orbem*, pro *Domini sunt cardines terrae*, &c. Argutiola interim bellula. Sed hac de re compluria & obvia sunt apud eos qui obtensam pontificis Romani inde potestatem tam ante reformationem initam quam postea cordatius impugnarunt. Illud autem in lege illa, *inter sanguinem & sanguinem*, interpretantur, inter sanguinem menstruum & sanguinem virginitatis, profluvii, seu qui morbum aliquem comitatur; *inter causam & causam*[b], seu *judicium & judicium*, inter judicia capitalia & judicia pecuniaria; etiam inter poenarum genera, ubi quaestio exorta est utrum lapidationis, strangulationis, combustio-

[r] Vide lib. 2. cap. 12. & Spanheim Part. 3. Dub. Evangelic. 130 §. 3. [s] Deuter. xvii. 8. [t] Bellarmin. de Verbo Dei lib. 3. cap. 4. & de Pontifice Romano lib. 4. cap. 16. vide etiam Abulensem ad Deuter. xvii. Quaest. 5, 6 & 7. alios obvios, & lib. nostr. 2. cap 8. §. 3. [v] Videsis Colloq. Harti & Rainoldi, & Sixtinum ab Amama in Antibarbaro lib. 2. pag. 588. [x] Epist. 1. [y] Caus. 11. quaest. 3. c. 14. Absit. & videsis Thom. Aq. 1, 2. quaest. 105. art. 2. [z] Venerabilem Extr. tit. Qui filii sint legitim. & vide Panormitan. in. c. ex gestis, extr. tit. de Clericis non residentibus. [a] 1 Samuel. ii. 8. videsis Hostiensem, & Jo. Andream in c. ex gestis extr. tit. de Clericis non residentibus, & Petrum de Baisio in Directorio Electionum part. 2. cap. 35. §. 10. [b] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 18. fol. 30. col 1. hal. 4. Targum Pseudo-Uzielidis & Hierosolymit. *Sepher Siphra*, fol. 45. col. 177. Gem. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 87. 1. Mos. Mikotzi praecept. affirm. 111.

nis,

nis, gladii supplicio reus esset afficiendus. *Inter plagam & plagam*, inter lepram occlusam & lepram corrodentem[c], & de plaga qua sive hominem respicit ipsum, sive vestes, sive domum. Nam de plagis hisce si sacerdos[d] ob difficultatem ambigens juxta praescriptum legis judicare nequiret, consulendum ei seu appellandum erat aut synedrium urbis suae, dein etiam viciniae, ut plerumque volunt; a quo tandem, si aliter interea non solveretur difficultas, per intermedias ejusmodi ad synedrium Hierosolymis ad montem templi positum, & dein ad illud quod ad atrii introitum sedes habuit, appellationes ad magnum transmittebatur: aut per haec duo ultimo memorata synedria, sine aliqua antecedente appellatione seu consultatione, ut interdum aiunt, causa illuc delata est. Quod itidem de quaestionibus aliis quibuscunque, sive ad fora triumviralia sive ad synedria minora per urbes ac tributim disposita attinentibus, in universum est dicendum, quoties nimirum in eis, ubi nulla antecesserat, qualem diximus, sive actoris sive rei de experiundo in synedrio magno rogatio, judices difficultate implicarentur. Nisi forsan excipienda putes synedria illa XXIII. viralia bina Hierosolymis posita, quae ob difficultatem in eis primo exortam, intermedia tantum unica appellatione, scilicet alterius ad alterum, uti potuere; quod ex eis quae de solenni velut itinere appellationum jam dicentur facile elicietur. Neque aliter capiunt illud, *si res aliqua difficilis*, &c. *surges, & ascendes ad locum quem elegerit Dominus*, &c. utpote e traditionibus avitis sic explicandum. *Appellationis* autem vocabulum hic usurpamus pro eo quod est qualiscunque ab alio ad alium, velut superiorem seu dignitatis amplioris, ad controversias ac difficultates solvendas, arbitrum provocatio. Quod monemus, ne ob sententiae iniquitatem aut gravaminis interventum appellationes de quibus loquimur (quemadmodum in usitatiori appellationum forensium formula) semper factas quis existimet. Cum autem non solum ob sententiae iniquitatem ab actore seu reo (hos בעלי דינין *magistros litium* vocant) verum etiam ob exortam juris difficultatem tantum judicem quempiam appellari posse, velut oraculum in dubiis consulendum, facile intelligatur; sane an utroque modo ad amplissimum hoc tribunal provocare licuerit, adeo ut, modo priori, sententiae contra jus latae rescinderentur, restitutionesque in integrum fierent, nondum satis didici. Nam in magistrorum commentariis non tam provocationis ob sententiae iniquitatem quam ob exortam difficultatem mentionem expressiorem comperio: Id est judicum ipsorum ad judices alios provocationis, quoties ipsi ita de re dubitarent ut sine ejusmodi appellatione rem definire nollent. Scilicet ex jure ordinario, ubi diffidebat synedrium minus forumve triumvirale, in quibus majoris numeri cum distinctionibus aliquot ratio habenda erat, juxta ea quae libro secundo ea de re ostenduntur, secundum eam rationem sententia sive condemnationis sive absolutionis sive pro reo sive pro actore regulariter erat ferenda: Ita tamen ut, si synedri inter se ex collegarum aliquot objectionibus rem non satis liquere existimarent, nec a se posse rite terminari, avitasque de ea traditiones sibi non satis perspectas esse, ad alia primo synedria minora ubi neuter litigantium sub ipsam sive actionis sive exceptionis inchoationem professione qualem diximus usus fuerat, & tandem ad supremum, si aliter res per intermedias appellationes ex receptissima traditione sibi inde indicata finem non sortiretur, provocarent. Solennis autem ejusmodi provocatio prioris generis, seu ubi neutrius litigantium ejusmodi antecesserat rogatio, ad hunc modum progredi solebat.

II. Exorta difficultate qualem diximus, sive apud triumviros, sive apud judicem unicum triumvirorum potestatem, ut libro superiore docetur, habentem, sive apud sacerdotem, ubi ad eum leprae, verbi gratia, notio spectabat, consulebatur primo synedrium urbis seu loci cui suberant dubitantes, atque ab eo diligentius agitabatur causa. Si vero a synedrio illo ob collegarum dissensum satis definiri res nequiret, aut adeundum erat synedrium vigintitriumvirale urbis proximae (quod etiam, opinor, primo adibant judices inferiores quoties sua in urbe, seu sedium loco, synedrium minus seu vigintitriumvirale neutiquam haberent; qua de re, & caeteris hic de synedriis minoribus dictis, recole quae libro antecedente enarrantur) aut synedrium vigintitriumvirale Hierosolymitanum, quod juxta introitum montis templi sedes habuit. Nam non raro praetermittitur synedrium illud urbi seu loco ubi exorta est difficultas vicinius, ut in infra citatis manifestius liquebit. Sed sive illuc fieret appellatio prima, sive non, necessarium habetur apud magistros passim ut synedrium hoc Hierosolymitanum ad montem templi ab eis appellaretur qui post appellatum seu consultum synedrium urbis suae juris hanc formulam omnino ultra adhiberent. Si in hoc itidem difficultas pariter restaret, modo non dispari synedrium item vigintitriumvirale vicinum, ad introitum atrii situm, erat adeundum. Si nec ibi demum terminari posset, tunc ad synedrium magnum postremo erat provocandum: Atque in eo quod ibi decernebatur erat acquiescendum. Sed dissensus reperitur nonnullus inter Talmudicos de eis qui sic alia synedria, post urbanum suum diligentius consultum, formula jam indicata, adirent. Nam interdum dicitur הוא ומופלא שלהן *ille & primarius* seu *princeps eorum* adibant; interdum generatim, *adibant*; interdum etiam, הוא והחולקין עמו *ille atque ii qui ab eo dissentirent.* Quin & nonnulli aiunt, re in synedrium ad montem templi deducta, nec ibi terminata באין כולן *adibant omnes* synedrium ad atrii ostium, simili itidem locutione utentes de adeundo proxime ipso synedrio magno, aliis interea locutione illa, *ille & primarius eorum*, usque dum synedrium magnum adeundum erat, retinentibus. Tunc vero, inquiunt alii, אילו ואילו *tam hi quam illi*, alii itidem כולן באין *cuncti adibant* synedrium magnum. Certe sensus videtur esse non ita diversus. Voluere, opinor, omnes, tum ipsos judices apud quos primo orta est quaestio, tum aut synedrium urbis eorum ipsum, aut collegas aliquot, maxime principem, ejusdem nomine, velut delegatos, intermedia synedria modo jam dicto adiisse, & tandem, nisi res prius definiretur, simul cum

c Ad Leges sacras in Levitic. xiii. & xiv.

d Videsis lib. 2. cap. 14. §. 5.

utroque fynedrio Hierofolymitano minore adiiffe magnum. Teftimonia quae huc attinent tum ex utraque habentur Gemara, tum ex ipfa Mifna, alibique non raro. In Gemara Hierofolymitana [e] legitur; בתי דינין של שלשה ועשרים היו יושבין בכל עריות ארץ ישראל צרך אחד מהן לשאול דבר הלכה היה בא ושואלה בב"ד שבעירו אם שמעו אמרו לו ואי לא היה הוא ומופלא שלהן באין ושואלין אותה בבית דין הסמוך לעירו אם שמעו אמרו להן ואי לא היה הוא ומופלא שלהן באין ושואלין אותה בב"ד שבהר הבית אם שמעו אמרו להן ואי לא היה הוא ומופלא שלהן באין ושואלין אותה בב"ד שבחול אם שמעו אמרו להן ואם לאו היו אילו ואילו מתכנסין לב"ד הגדול שבלשכת הגזית שמשם תורה יוצאה ורווחת לכל ישראל שנ׳ מן המקום ההוא אשר יבחר יי׳ וגו׳ *Synedria vigintitriumviralia fedes habuere in qualibet* fere *urbe terrae Ifraeliticae. Si quifquam ex eis* (fcilicet fi urbium illarum judicum quifquam) *difficiliori juris aviti quaeftione implicaretur, confulendum erat fynedrium urbis fuae. Hoc fi traditione rem acceperat, fententiam ei pronuntiabat. Sin vero, tum ipfe tum princeps* feu *praefes eorum de eadem re confulebant fynedrium quod urbi fuae vicinius erat. Id fi traditione rem acceperat, fententiam eis pronunciabat. Sin vero, tum is & eorum princeps* feu *praefes eodem modo adibant fynedrium ad montem templi pofitum* Hierofolymis: *Quod, fi traditione rem acceperat, fententiam eis pronunciabat. Sin vero, adibant itidem tum ipfe tum princeps etiam* feu *praefes eorum fynedrium ad antemurale fitum* (Ita quidem fonant verba in Gemara hac; quae, opinor, emendanda funt, legendumque potius fcilicet pro שבחיל *quod ad antemurale*, שבפתח העזרה *quod ad introitum atrii*, ut non folum locorum circa templum fitus verum etiam fequentia hac de re teftimonia fatis videntur evincere) *Id autem fynedrium, fi traditione rem acceperat, fententiam pronunciabat. Sin vero, tam hi quam illi* feu *omnes conjunctim introibant fynedrium magnum, quod in conclavi faxeo* feu *quadratarii opere infigni locum habebat. Quoniam nempe illinc lex egreditur, & transfunditur in univerfum Ifrael, juxta id quod dicitur* [f], *ex loco illo quem elegerit Dominus*, &c. Gemara item Babylonia [g], הוצרך הדבר לשאול שואל בב"ד שבעירו אם שמעו אמרו להן ואם לאו באין לזה שסמוך לעירו אם שמעו אמרו להם ואם לאו באין לזה שעל פתח הר הבית אם שמעו אמרו להם ואם לאו באין לזה שעל פתח העזרה ואומר כך דרשתי וכך דרשו חבירי כך למדתי וכך למדו חבירי אם שמעו אמרו להם ואם לאו אילו ואילו באין ללשכת הגזית *Exorta quaeftione juris, confulendum erat primo fynedrium urbis in qua exoriebatur. Hoc fi traditione rem acceperat, fententiam pronunciabat eis* qui confulebant. *Sin vero, fynedrium quod urbi vicinius erat adibant: Quod, fi traditione rem acceperat, fententiam ferebat eis. Sin vero, adibant fynedrium ad introitum montis templi fitum. Hoc, fi rem traditione acceperat, ferebat eis fententiam. Sin vero, adibant fynedrium quod ad introitum atrii. Atque ait* (is, five qui primo dubitabat, five qui plurium in appellationis hac formula perfonam velut delegatus gerebat. Et variatur, ut vides, numerus; quod apud Talmudicos rarum non eft) *ad hunc modum explicavi* feu *interpretatus fum ego; fed ad hunc modum collegae mei* feu *focii* feu *illi quibufcum velut judicibus aliis rem communicavi. Si hujus fynedrii judices rem traditione acceperant, fententiam eis ferebant: Sin vero, tam hi quam illi adibant conclave faxis quadratis* feu *politis infigne.* Adeo ut Gemara utraque faciat fynedrium urbis vicinioris in appellatione intermedium; quod in Mifna [h] non habetur. Ibi enim, res primo ex urbe feu fynedrio aliquo urbium minorum ad illud quod fedes habuit ad introitum montis defertur; & dein eadem fere fequuntur verba quae in Gemara Babylonia. Mifnae etiam concors eft, praeter Mofem [i] Cotzenfem, *Sepher Siphri* [k]; alii item magiftrorum commentarii, etiam qui Mifnae verbis non loquuntur, ejufdem interdum fenfum fic explicant [l]; בעת שיפלא דבר ויורה בו חכם המגיע להוראה בין בדבר שיראה בעיניו בין בדבר שקבל מרבותיו הרי הוא והחולקין עמו עולין לירושלם ובאין לבית דין שעל פתח הר הבית אומרים להן ב"ד כך הוא הדין אם שמע וקבל מהן מוטב ואם לאו באין כולן לב"ד שעל פתח העזרה ואומרים להם גם הם כך היא הדין אם קבלו ילכו להן ואם לאו כולן באין לב"ד הגדול ללשכת הגזית שמשם תורה יוצאה לכל ישראל שנ׳ מן המקום ההוא אשר יבחר ה׳ ובית דין אומר להם כך הוא הדין ויוצאין כולן: *Quando difficultas oboriebatur, de qua fententiam ferenti e fapientibus cuiquam fententiis ferendis juxta ritum patrium neutiquam impari alii reluctarentur (five de re quam ipfe viderat five de ea quam a magiftris fuis acceperat) tam ii quam ipfe afcendebant Hierofolymam, atque fynedrium ad introitum montis adibant. Synedrium illud quomodo judicandum effet docebant* (fi nempe rem fatis decernere poterant; nam fic expreffius voluit Maimonides [m]; ut non liceret eis להורות מלבם אלא מה שקיבלו ושמעו יאמרו ולא זולת *decernere rem ita fibi allatam ex ingenii commentis, fed juxta ea tantummodo quae acceperant*, idque five a majoribus, five a fynedrio aliquo rite ante confulto) & *fi audiebat & recipiebat eorum difciplinam, res bene fe habuit. Sin vero, cuncti fimul adibant fynedrium ad introitum atrii, quod ubi tantundem praeftandum. Sin vero, cuncti fimul adibant fynedrium magnum, quod in conclavi faxis politis infigni fedes habuit; quoniam inde lex egreffa eft* (fcilicet fumma & a nemine poftmodum difputanda juris oracula) *univerfo Ifraeli; juxta id quod fcriptum eft* [n], *Ex loco illo quem elegerit fibi Dominus. Ibi autem quid juris effet oftenfo, cuncti fimul difcedebant.* Accedat hic judiciorum & appellationum ad fynedrium magnum ordo ab Jehofaphato rege praeftitutus in Paralipomenis [o], & apud Flavium Jofephum [p], ubi plane quod hic pluribus juxta difciplinam Talmudicam traditur, compendiofius fed fatis aperte traditur.

III. Jam vero, ad modum ante indicatum, re in fynedrium magnum delata, videndum ibi primo erat utrum ex certa traditione veterumque

[e] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 8. fol. 19. col. 3. & videfis Raimundum Martini, in Pugione Fidei, Dift. 3. cap. 22. §. 2. [f] Deut. xvi. 8. [g] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 88 2. Idem in *Ain Ifrael*, tom. 2. fol. 116. col. 3. [h] Tit. *Sanhedrin*, cap. 10. [i] Praecept. affirm. 111. [k] Fol. 48. col. 177. [l] Maimonid. halach. *Memarim*, cap. 3. vide eum infuper in praefat. ad *Jad Chazeka*. [m] Apud R. Jom Tob in Thofp. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 11. [n] Deuter. xvii. 8. [o] Lib. 2. cap. xix. 10. [p] Lib. 9. cap. 1.

disciplina singulis recepta eam possent definire. Si sic nequibant, recurrendum erat ad suffragia synedrorum, quorum pars major praeponderabat. Gemara Babylonia[r], נשאלה שאלה בפניהם אם שמעו אמר להם ואם לאו עומדים למניין רבו המטמאים טמאו רבו המטהרין טהרו *Quaestione inter eos proposita, si traditione acceperant quid definiendum, ita sententiam ferebant: Sin vero, suffragia inibant. Si major pars rem immundam esse* (ubi scilicet, exempli gratia, de munditie, cujus leges plurimae in sacri juris corpore, difficultas erat) *decernebant, immundam esse pronunciabant; sin mundam, itidem mundam.* Gemara similiter Hierosolymitana[s]; נשאלה הלכה אם שמעו אמרו להן ואם לאו עומדין על המניין רבו המזכין זיכו רבו מחייבין חייבו רבו המטהרין טהירו רבו המטמין טימאו שמשם תורה יוצאה ורווחת לכל ישראל *Ubi consulebantur, si traditione acceperant, secundum id pronunciabant; sin vero, suffragia inibant. Si numerus eorum major absolvebat, absolvebant eum; si condemnabat, itidem condemnabant. Pariter etiam dicendum si de munditie ac immunditie quaestio erat exorta. Quoniam inde lex egrediebatur efflabaturque in totum populum Israeliticum.* Adeo ut tum traditionis tum suffragiorum partis majoris ratio haberetur in jam narrata formula consulendi appellandique, quando in synedrium magnum res deferebatur. Tametsi autem prius semper adibatur synedrium viginti triumvirale ad montem templi quam illud ad atrii introitum, non dignitatis alterius eorum prae altero causa aiunt hoc factum, sed morem illum inde duntaxat natum quod בו פוגעים תחלה[t] *in illud prius incidebant quam in hoc.* Scilicet in itinere hujusmodi ad synedrium magnum, primo Hierosolymis obvium erat synedrium ad montis introitum. Et de appellationibus ob difficultatem tantum inter causam agitandam exortam, neutrius litigantium de synedrio magno adeundo interveniente voto, hactenus.

IV. Genus illud alterum quo, citra intermediam aliquam appellationem, primo ipsum synedrium magnum adibatur, hujusmodi erat. Si litigantium alteruter instantius rogaret ut res ad synedrium magnum ablegaretur definienda, ibique experiretur ipse, ne judices minores, quorum in foro alias agendum erat, a justo judicio forte aberrarent, id quidem (exceptis duntaxat causis tribus, de quibus capite proximo) concedendum non erat: Sed in urbe sua, seu loco cujus jurisdictioni ratione domicilii suberat, judicium erat nihilominus peragendum. At vero, quoniam ita[v] rogaverat sive actor sive reus, exorta difficultate inter agitandum, non appellabatur synedrium aliquod minus, sed אם הוצרך לשאול דבר מב"ד הגדול שבירושלם כותבין ושולחין ושואלין ודנין להם בעירם כפי מה שיבא בכתב ב"ד הגדול *Si quid ob difficultatem esset interrogandum a synedrio magno Hierosolymis, missis illuc literis illud consulebant, & demum judicabant secundum id quod ex synedrii magni rescripto esset decernendum.* Atque, ut adjiciunt nonnulli[x], שני בעלי דינין יפרעו שכר השליח *actor & reus simul nunciis mercedem solvebant.* Hac de re sic Talmudici. Flavius etiam Josephus, ubi de judicibus & synedriis ex primario instituto per urbes collocatis loquitur, sed nimium discrepans a scitis Talmudicorum, ut libro superiore animadversum est, Ἂν δὲ, inquit[y], οἱ δικασταὶ μὴ νοῶσι περὶ τῶν ἐπ' αὐτοῖς παρατεταγμένων ἀποφήνασθαι, συμβαίνει δὲ πολλὰ τοιαῦτα τοῖς ἀνθρώποις, ἀκέραιον ἀναπεμπέτωσαν τὴν δίκην εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν, καὶ συνελθόντες ὅ, τι ἀρχιερεὺς καὶ ὁ προφήτης καὶ ἡ γερουσία κατὰ τὸ δοκοῦν ἀποφαινέσθωσαν, *Si vero judices nesciant de negotio ad se delato judicare, (quemadmodum non raro ejusmodi quid hominibus accidit) integram causam in urbem sacram remittant. Et convenientes pontifex, propheta & senatus id quod sibi fuerit visum decernant.* De posteriori periochae parte satis dictum est libro superiore, ubi nec prophetam nec pontificem maximum ex Talmudicorum scitis locum, illis solum nominibus, in synedrio magno aut in judiciis exercendis cum eo habuisse ostensum est. Sed & de suprema in rebus synedriorum minorum decernendis, indeque appellationibus, magni autoritate[z] alibi etiam loquitur ille, ubi synedria magnum & minora a Jehosaphato rege Hierosolymis alibique constituta, ut diximus, memorat, uti & per se Hierosolymis constituta; de quibus, monuit, inquit, ut juste judicarent, atque, ἂν περὶ μειζόνων διαφορὰν ἔχοντες τῶν ὁμοφύλων τινὲς ἐκ τῶν ἄλλων πέμψωσι πρὸς αὐτοὺς πόλεων, τούτων δὲ μετὰ πλείονος σπουδῆς ἀποφαίνεσθαι δικαίως περὶ τῶν πραγμάτων, *Si de rebus majoribus quidam contribulium* (sic bene Ruffinus) *ex aliis civitatibus eos consulerent, cum maximo studio eis & justissime responderent.* Quod de appellationibus plane dictum. Rationem adjicit, Μάλιστα γὰρ τὰς ἐν ταύτῃ τῇ πόλει κρίσεις, ἐν ᾗ τόν τε ναὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ συμβέβηκε, καὶ δίαιταν ὁ βασιλεὺς ἔχει, προσήκει σπουδαίας εἶναι καὶ δικαιοτάτας, *Quandoquidem rectum deberet esse judicium in ea civitate constitutum, ubi & templum Dei & habitaculum erat imperatoris*, seu *regis*. Sic ille.

V. Satis commode quidem censendum est, cum disciplina appellationum ad synedrium magnum attinente, velut aliorum similium non paucorum, exemplum illustre proselytorum justitiae (de quorum admissione & natura fusius egimus alibi[a]) jus, non ita legitime, quoad legis sacrae observationis in se susceptionem, admissorum, nec tamen actu plane irrito. Scilicet sacramentorum baptismi, circumcisionis, oblationisque rituum, utcunque factorum, probatio seu improbatio ad curiae hujus, prae caeteris, amplitudinem ita, cum gravioribus in republica illa sacra dubiis aliis, velut ex officio atque citra actiones illic ab aliquo institutas, spectavit, ut ubi ambigeretur utrum proselyti sic utcunque, velut ex opere operato, facti, adeoque ex Gentilium sic utcunque universitate in Israelitarum coetum recepti, ob legis sacrae amorem revera, an lucri, honoris, timoris gratia, Judaismo nomen dedissent, synedrium magnum, etiam post judicia aliorum ea de re synedriorum, ut magistratus summus (cujus ex ore totius reipublicae sacrae ordi-

[r] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 88. 2. [s] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 3. [t] Obadias Bartenorius ad Misn. tit. *Sanhedrin*, cap. 11. §. 2 Jarchius, alii. [v] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap 3 fol. 31. 2. Moses Mikotzi praecept. aff. 97. fol. 187. col. 2. Maimonid. hal. *Sanhedrin*, cap. 6. [x] Shulcan Aruch tit. *Choschen Hamispat*, cap. 14. [y] Archaeolog. lib. 4. cap. ult. [z] Lib. 9. cap. 1. [a] De Jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 2. & supra lib. 1.

natio

natio rerumque probatio & improbatio tam circa ſacra quam profana pendebat) eos penitius circa dubium illud obſervarent velut univerſales Ephori; nec interim Iſraelitarum univerſitatis ut ſatis ſocios admittentes, uſque dum de ſincera eorum legis ſacrae profeſſione omnino conſtaret. Neque tamen interea eos velut non admittendos omnino rejicere volebant, nec quidem, ſi in Paganiſmum rediiſſent, aliter eos habentes atque Iſraelitas apoſtatas. Scilicet indelebilis cenſebatur character illa per ſacramenta illa in proſelytiſmum qualiſcunque admiſſio; ſed interim non alia quam quae, ob profeſſionis ſimulatae ſuſpicionem apud ſynedros hoſce pendentem, velut regenerationis (ita enim proſelytiſmum nuncupabant) dubiae infamiam & gravem exiſtimationis deminutionem in ſe contineret. Hanc rem tetigimus quidem in libris de Jure naturali & gentium[b]. Sed ut res explicatior reddatur, Maimonidis locum de ea integrum, utpote non uno nomine obſervatu dignum, adjicere hic viſum eſt. Ubi de proſelytis utriuſque ſexus faciendis atque exterarum apud Iſraelitas conjugiis agit, אל יעלה, דעתך ששמשון המושיע על inquit[c], את ישראל או שלמה מלך ישראל שנקרא ידיד י״י נשאו נשים נכריות בגויתן אלא סוד הדבר כך הוא שהמצוה הנכונה כשיבוא הגר או הגיורת להתגייר בודקין אחריו שמא בגלל ממון שיטול או בשביל שררה שיזכה לה או מפני הפחד בא להכנס לדת׃ ואם איש הוא בודקין אחריו שמא עיניו נתן באשה יהודית. ואם אשה היא בודקין שמא עיניה נתנה בבחור מבחורי ישראל. אם לא נמצא להם עילה מודיעין אותן כובד עול התורה וטורח שיש בעשייתה על עמי הארצות כדי שיפרושו. אם קבלו ולא פרשו וראו אותן שחזרו מאהבה מקבלים אותן שנ׳ ותרא כי מתאמצת היא ללכת אתה ותחדל לדבר אליה׃ לפיכך לא קבלו בית דין גרים כל ימי דוד ושלמה׃ בימי דוד שמא מן הפחד חזרו, ובימי שלמה שמא בשביל המלכות והטובה והגדולה שהיו בה ישראל חזרו *Nollem exiſtimes* (ita rem hic ad ſynedrii hujus notionem attinentem incipit) *quod Samſon, qui Iſraeli ſalutis in cauſa erat, aut Salomon rex Iſrael, qui vocatur dilectus Domino, uxores duxerint exteras*[d], *dum ſcilicet plane gentiles erant. Myſterium autem* ſeu *arcanum rei hujuſmodi erat. Juxta ritum proſelyti proſelytaeve admittendae, diligentius inquiri ſolebant de admittendo, utrum opum, quas exſpectaret, gratia, an honoris nanciſcendi an timoris cauſa, admitti deſideraret; & de viro, annon ob amorem mulieris alicujus Judaicae; & de foemina, annon ob juvenis Iſraelitici amorem. Si hujuſmodi nihil obſtaret, oſtendebat eis gravitatem jugi legis, & quam difficile eſſet eam obſervari a gentibus aliis; ut ſcilicet ita deterrerentur* (aiunt enim[e] hoc fieri, ne facile nimis fierent proſelyti. Atque adjiciunt, קשים גרים לישראל כספחת דכתי׳ ונלוה הגר עליהם ונספחו על בית יעקב *Moleſti fuere proſelyti Iſraelitis, etiam ut apoſtema* ſeu *ſcabies, juxta quod ſcriptum eſt*[f], *Et adjungatur illis advena, & ſociabitur, ut apoſtema* ſeu *ſcabies domui Jacob*; ut quod non ſincere ſatis mundum[g]. Atque alibi[h], תנו רבנן הגרים והמשחקים בתנוקות מעכבים את המשיח *Tradunt Rabbini, proſelytos & ludentes cum puellis impedire adventum Meſſiae*; adeoque ex diſciplina recepta cautiſſime recipiendi fuere proſelyti; licet eſſent ex Scribis & Phariſaeis[i] *qui circumirent mare & aridam ut facerent unum proſelytum*, utcunque peſſimum) *Si vero reciperent* (ſic pergit Maimonides) *jugum legis libenter, nec deterrerentur, conſtaretque eos ex amore legis gentiliſmum exuere velle, recipiebant eos*; *inſtar illius quod ſcriptum eſt*[k] (de Rutha Moabitide & Naomi ſocru ejus Iſraelitide, velut de proſelytiſmo altercantibus) *Videns ergo* Naomi *quod animo conſtanti decreviſſet* Rutha *ſecum pergere*, e gentiliſmo in Judaiſmum tranſire, *deſiit porro ad eam loqui*, (ubi Vulgata, *adverſari noluit, nec ultra ad ſuos reditum perſuadere) ideoque non recepit* (ut ſatis perfectos non agnovit) *ſynedrium proſelytos toto tempore Davidis & Salomonis*; *Davidis tempore, ne timoris cauſa gentiliſmum exuiſſent*; *tempore Salomonis, ne regni ejuſque opulentiae & gloriae cauſa, etiam Iſraelitae tantundem facerent.* Pergit dein, שכל החוזר מן הגוים בשביל דבר מהבלי העולם אינו מגירי הצדק *Quoniam quiſquis in Judaiſmum tranſibat ex gentibus* (ubi exemplaria aliquot habent הכותים *e Cuthaeis* (quod in idem, ut alibi non raro, recidit) *ob rem aliquam quae e vanitatibus eſſet mundi, is non erat ex proſelytis juſtitiae* (id eſt, haud accerſendus erat veris ſinceris & in foro, ut dicitur, interiori ſibi proſelytis) ואף על פי כן היו גרים הרבה מתגיירים בימי דוד ושלמה בפני הדיוטות׃ והיו בית דין הגדול חוששין להם לא דוחין אותן אחר שטבלו מכל מקום ולא מקריבין אותן עד שתראה אחריתם׃ ולפי שגייר שלמה נשים ונשאן וכן שמשון גייר ונשא׃ והדבר ידוע שלא חזרו אלו אלא בשביל דבר׃ ולא על פי בית דין גיירום חשבן הכתוב כאלו הן גויות ובאסורן עומדין׃ ועוד שהוכיח סופן על תחלתן שהן עובדות עבודה זרה שלהן ובנו להן במות והעלה עליו הכתוב כאלו הוא בנאן שנאמר אז יבנה שלמה במה׃ גר שלא בדקו אחריו או שלא הודיעוהו המצות ועונשין ומל וטבל בפני שלשה הדיוטות הרי זה גר׃ אפילו נודע שבשביל דבר הוא מתגייר הואיל ומל וטבל יצא מכלל הגוים וחוששין לו עד שיתבאר צדקותו׃ ואפילו חזר ועבד עבודה זרה הרי הוא כישראל מומר שקידושין קידושין׃ ומצוה להחזיר אבדתו מאחר שטבל נעשה כישראל׃ ולפיכך קיימו שמשון ושלמה נשותיהן ואע״פ שנגלה סודן׃ ומפני זה אמרו חכמים קשים להם גרים לישראל כנגע צרעת שרובין חוזרין בשביל דבר ומטעין את ישראל וקשה הדבר לפירוש מהם אחר שנתגיירו צא ולמד מה עירא במדבר במעשה העגל ובקברות התאוה וכן רוב הנסיונות האספסוף היו בהן תחלה׃ *Et nihilominus erant proſelyti quam plurimi admiſſi tempore Davidis & Salomonis, a privatis* (ſcilicet triumviris in cauſa ejuſmodi uſitatis, aliiſve. Et ſane legitur, tempore Davidis proſelytos juſtitiae utcunque tunc factos fuiſſe numeroſiſſimos, nempe מאה וחמשים אלף *centies & quinquageſies mille*[l], quo trahunt illud[m] de operariis circa templum, *Fuerunt Salomoni ſeptuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte*, quod non ſemel memoratur, praeter 3600 operum inſpectores ſeu praefectos: Hos autem Iſraelitas

[b] Lib. 2. cap. 2. & lib. 5. cap. 15. [c] Tract. *Iſuri Bia*, cap. 13. § 14, 15 & 16, 17 & 18. [d] Judic. cap. xiv. 1 Regum xi. 1. [e] R. Chelbo in Gemar. Babylonia tit. *Jabimoth* cap. 4. fol. 47. 2. & tit. *Kidduſchin*, cap. 4. fol. ע 2 & tit. *Nidda*, cap. 2 fol. 13 2. [f] Jeſaiae cap xiv. 1. [g] Videſis gloſſ. ad Gemar. Babylon. tit. *Nidda*, cap. 2. fol. 13 2. [h] Dict. Gemara, ibid. [i] Matth. xxiii. 15. [k] Ruth i 18. [l] Gemara Babylonia ad tit. *Jabimoth*, fol. 79. 1. [m] 1 Regum v. 15.

ori-

originarios volunt fuisse; uti illos 150000, proselytos qualescunque justitiae sub Davide factos, juxta illud[n], *Et numeravit Salomon* כל האנשים הגרים אשר בארץ ישראל אחרי הספר אשר ספרם דוד אביו וגו׳ *cunctos viros proselytos qui essent in terra Israelis, secundum numerum quo numeraverat eos David pater ejus; repertique sunt centum & quinquaginta millia.* Numerum autem illum opificum aiunt Israelitarum neutiquam esse potuisse, eo quod scriptum sit[o], *De filiis Israelis non Salomon posuit servos pro opere suo.* Et de Salomonis tempore satis liquet in historia sacra de uxoribus ejus, quae proselytae qualescunque fuere, nec paucae.) *Jam vero solicitius advertebant proselytos ejusmodi* (utriusque sexus; ita pergit Maimonides) *synedrii magni*; *quos tamen non depellebant, quoniam utcunque baptizati fuissent*; *nec suadebant* aut *ultro invitabant ad sacrificia, antequam vitae* seu *disciplinae eorum sic mutatae ratio satis haberetur explorata. Et cum Salomon proselytas fecit, easque matrimonio sibi copulavit, uti & Samson proselytam duxit, haud obscurum erat, eos e gentilismo non transiisse aliam ob rem quam quae eis tunc utilior esset. Nec juxta sententiam synedrii proselytos eos faciebant. Unde in scriptura censentur quasi gentiles, & pro interdictis habentur. Praeterea in statum reversi sunt pristinum: Nam in idololatriam reciderunt, & aedificarunt sibi excelsa. Quod quidem refert scriptura quasi is* (qui adeo in causa esset) *ea aedificasset*; *secundum quod dicitur*[p]. *Tunc aedificavit Salomon excelsum.* Quale Moabiticis, AEgyptiacis, id genus aliis uxoribus suis praestitit[q]. *Verum quidem est, proselytum, de quo adeo solicite* in admissione prima *non est quaesitum, & eum cui legis & praeceptorum gravitas haud fuerit sic explicata, postquam circumcisus esset & baptizatus coram tribus privatis, plane fuisse proselytum, tametsi etiam utilitatis & commodi sui causa eum proselytismum ambiisse esset notissimum. Nam simulac circumcisus esset ac baptizatus, exibat e universitate gentilium* ex opere operato, seu *desinebat esse gentilis. Sed tunc animadvertebatur* (ut dictum est) *usque dum de justitia ejus satis constaret. Etiam si in idololatriam recidisset, habendus erat ut Israelita apostata, quoniam sancti, sancti sunt. Et oportuit ut damnum ejus* (nam ex disciplina proselytismi exuebat patriam; & parentes, liberos, fratres vilia habuit, quod & ait Tacitus[r]) *resarciretur, adeoque ut postquam esset baptizatus, fieret* seu *haberetur ut Israelita. Atque ideo retinuere Salomon & Samson uxores suas, etiamsi revelaretur sic earum arcanum. Hinc aiunt sapientes molestos* seu *graves eis visos esse proselytos Israelitis, velut plagam leprae, quoniam plerique eorum e gentilismo utilitatis tantum causa in Judaismum transibant, & in errorem ducebant Israelitas. Et gravius quidem erat consortium eorum exuere postquam proselyti facti essent. Ita & disce quid acciderit in negotio illo vituli aurei*[s], *& in sepulchris concupiscentiae*[t], *aliisque compluribus* majorum *infortuniis, quorum primo in causa fuere illi.* Summa est; penes judicium synedrii magni fuisse ita proselytos justitiae agnoscere, secernere, pro suspectis censere, ut, quantum tam ad sacra eorum quam profana attineret, universum ex eo, neque ex sacerdotum jurisdictione, qua talium, judicio omnino penderet. Ejusdem est commatis quod habent de mulieris menstruatae[v], profluvio laborantis[x], puerperae jure ab eodem synedrio maxime decidendo. Maimonides, postquam accuratius, ut solet, de eorum immunditie, ac sacris, egerat, subjungit[y], כל שאמרנו בנדה וזבה ויולדת הוא דין תורה וכמשפטים אלו עושין כשהיו ב״ד הגדול מצויין והיו שם חכמים גדולים שמכירים הדמים ואם נולד להם ספק בראיות או בימי נדה וזיבה יעלו לב״ד וישאלו כמו שהבטיחה תורה עליהן שנ׳ כי יפלא ממך דבר למשפט בין דם לדם בין דין לדין בין דם נדה לדם זיבה: *Omnia quae diximus de menstruata, profluvio laborante, & puerpera, sunt ex praescripto legis. Et secundum haec jura mores obtinuere quando vigebat synedrium magnum, atque in eo erant sapientes magni quibus peritia esset sanguines discernendi. Nam si forte dubium emergeret de inspectione fluxus, aut de diebus menstruatae, aut profluvio laborantis, ascendebant ad synedrium, ut illud ea de re consulerent*; *sicut fiduciam de eis illic collocandam docuit lex, ubi ait*[z], *Si res aliqua difficilis apud te in judicio nata fuerit inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam*, &c. *scilicet inter sanguinem menstruum & sanguinem profluvii.* Et juxta synedrii hujus judicium sacra hisce in causis praescripta aut offerenda erant aut differenda. Nec ambigendum est quin in quamplurimis quae exorirentur dubiis aliis gravioribus, ejusmodi mos illic forensis, seu velut appellandi jus, obtineret.

VI. Regulariter quidem synedria in altera tribu seu urbe sedes habentia alterius tribus incolarum seu civium actiones seu judicia apud se non admittebant. Quod interim cum exceptione de appellationum ratione jam ostensa, atque actionibus aliquot singularibus nihilominus pro actorum quacunque in tribu seu urbe degentium libitu in synedrio magno sive instituendis sive instaurandis, de quibus locuturi jam sumus, aliisque inferius occurrentibus, est temperandum. Videtur quidem sententias in foris ac synedriis inferioribus, nec contra synedrii magni appellati decretum, latas eatenus vim obtinuisse ut ex jure ordinario litigantibus esset in eis omnino acquiescendum[a], usque quo ipsi qui judicarant causa redintegrata eas rescinderent. Quod quidem interdum fieri licuit[b], uti & libro ostenditur superiori. Unde etiam existimandum est, appellationi ob judiciorum hujusmodi iniquitatem locum fuisse ex jure ordinario nullum. Quod etiam superius tactum. Cum autem inter judicia illa quae ad fora seu synedria minora ex ejusmodi jure attinebant, tria fuerint quorum quidem passim frequentior usus, scilicet de mutuo accepto seu credito, de rapina seu furto, ac de damno illato; hisce exceptis, universa quae eorum reliqua fuere in foris ac synedriis inferioribus inchoanda erant,

[n] [illegible] & vide comma 2. [o] 2 Paralip. viii 9. [p] 1 Regum xi 7. [q] Ibid. comm 8. [r] Histor. 5. [s] Exod. xxxii. [t] Numer. xi. 34. [v] Levitic. xv. 19 [x] Ibid. xxv, &c [y] Tract. *Issure Bia*, cap. [illegible] [z] Deuter. xvii. 8. [a] Gemar. Babylon ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol 33. 1. Maimonid. Halach. *Sanhedrin*, cap. 6. Moses Mikotzi praecept. aff. 97. fol. 187. col. 1. *Shulcan Aruch*, tit *Choschen Hamispat*, cap. 25. [b] Vide Maimon. d. Halach. *Sanhedrin*, cap. 7. §. 10, 11.

ibique ſolum ex jure ordinario peragenda, niſi judices ipſi aut ob juris difficultatem ſynedria primo minora, ut oſtenſum eſt, aut ex litigantium alterutrius voto, citra intermediam appellationem, juxta illud etiam quod jam ante aperuimus, ſynedrium magnum conſulendo appellaſſent. Neque quoties ſive actor ſive reus in judiciis, praeter illa tria, reliquis rogaſſet ut in ſynedrio ſolum magno, ne judices inferiores per errorem ſeu ignorantiam deviarent, res definiretur, ipſeque ibi experiretur, aliud, quantum didici, ad hanc rem inſecutum eſt, praeterquam quod citra appellationem aliquam intermediam difficultas forte oborta ad ſynedrium hoc ſcripta deferretur, ac juxta ejus reſcriptum eſſet decernenda, ut ſuperius explicatum. Neque illuc ablegandus erat litigantium alteruter. At vero in judiciis jam dictis tribus pro actoris libitu (modo teſtes aut probationes ei non deeſſent, nec aliter) ſive in foro cui ratione domicilii ſuberat reus, ſive in ſynedrio magno, quacunque in tribu ſedes haberet ſive hic ſive ille, erat agendum. Adeoque reo in hiſce actoris libitum ſequendum erat, ut judicibus ſynedrii magni illuc eum evocandi poteſtas ſemper eſſet, ac inferioribus eum illuc ad experiendum mittendi, quoties tantundem ab actore peteretur. Unde & ſive inſtituta ſive inſtaurata ibi actione res erat finienda. Maimonides ad veterum mentem[c]; אבל אם אמר המלוה נלך לבית דין הגדול כופין את הלוה ועולה עמו שנ׳ עבד לוה לאיש מלוה׃ וכן אם טען זה שהזיקו או גזלו ורצה הטוען לעלות כופין ב״ד שבעירו את הנטען לעלות עמו וכן כל כיוצא בזה׃ *At vero ſi dixerat creditor, Adeamus ſynedrium magnum, cogebant debitorem ut cum eo illuc iret, juxta etiam illud quod habetur in ſacris literis, Qui* [d] *mutuum accipit ſervus eſt ejus qui dat mutuo*, (neque enim de foeneratore ſolum locus ille capiendus, ut volunt nonnullae verſiones; ſed de mutuo citra foenus etiam, quemadmodum optime Symmachus & Theodotion, Δοῦλος δανειζόμενος ἀνδρὶ δανείζοντι, id eſt, *Servus eſt is qui mutuum accipit ei qui mutuo dat*, ſive cum foenore ſive citra; nam ejuſmodi eſt verbi δανείζειν ſignificatio) *Idem jus obtinuit quoties, cum lis eſſet de damno illato ſeu rapina, voluit actor ad ſynedrium magnum aſcendere. Nam & tunc etiam cogebant reum cum illo aſcendere. Quod itidem in caeteris quae actionum harum induebant naturam pariter locum habuit.* Adjicit dein idem magiſter eximius exceptionem quam memoravimus de teſtium ſeu probationum defectu; ſcilicet niſi conſtaret, crediti, rapinae, damni illati, teſtes eſſe aut probationes, rem ex illo, cui ſuberant actor & reus ratione domicilii, foro neutiquam in ſynedrium magnum rite potuiſſe hoc modo ablegari. Verba ſunt, כד״א כשיהיו שם עדים או ראייה לנגזל או לנזיק או למלוה אבל טענה ריקנית אין מחייבין את הנטען לצאת כלל אלא נשבע במקומו ונפטר׃ וכן הדין בזמן הזה שאין שם בית דין גדול׃ אבל יש מקומות שיש בהן חכמים גדולים מומחין לרבים ומקומות שיש בהן תלמידין שאינן כמותן אם אמר המלוה נלך למקום פלוני שבארץ פלוני לפלוני ופלוני הגדול ונדון לפניו בדין זה שכופין את הלוה והולך עמו וכן היו מעשים בכל יום בספרד׃ *Quae ſuperius dicta ſunt ſic intelligas oportet ut adeſſent ſive creditori, ſive ei cui damnum inferebatur, ſive ei a quo quid erat injuria ablatum, teſtes aut probationes. Nam ſi nihil aliud in actionis inſtitutione prima haberetur praeter nudam ejus aſſertionem, non erat reus omnino cogendus ſynedrium magnum adire: Sed in loco cui ratione domicilii ſuberat ſive ad juramentum adigendus erat, ſive dimittendus. Idem etiam hodieque jus obtinet, quando ſcilicet ſynedrium magnum non omnino reperitur, ſed ſunt loca alia in quibus habentur viri graviſſimi judicandi poteſtate publica praediti, aliaque in quibus florent diſcipuli iſtis impares. Nimirum ſi dicat creditor, Adeamus locum N. in terra N. ad N. & N. virum ſummum, & judicio ibi hac de re experiamur, cogendus eſt debitor ut cum illo vadat. Atque hic uſus eſt in foris Hiſpanienſibus* Judaeorum *quotidianus*. Scilicet Moſes Maimonides Cordubae natus circa quadringentos octoginta abhinc annos in Hiſpania floruit, ubi Judaeorum ſuorum juris, etiam quod ibi in uſu, erat ſcientiſſimus. Tantundem alii [e]. Scimus quidem interdum locum illum ſeu ſynedrium in quod a creditore ſeu actore alio, juxta jam dicta, citabatur ſic reus, nuncupari [f] tantum מקום הוועד *locum virorum frequentia celebriorem:* unde etiam, poſtquam eſſe deſiit ſynedrium magnum, alia loca celebriora quae per auguſtiorem judicum amplitudinem reum ſive a perjurio ſive a negatione deterrerent, ex hoc more vetuſto vigebant (quemadmodum de uſu Hiſpanienſi dixit Maimonides) pro libitu actoris adeunda. Sed, quantum video, dum ſtetit reſp. Ebraica, ipſumque in ea ſynedrium magnum, tribuumque ac ſynedriorum minorum per territoria diſtinctio, jus illud quale jam diximus ſynedrio huic erat plane ſingulare.

CAP. III.

I. *De presbyteri ſeu judicis rite ordinati, in decretum deciſionemve ſynedrii magni contumacis, poena capitali.*

II. *Modus ſecundum quem decretum ejuſmodi fieri debuit: Et locus in quo.*

III. *De rebus praeceptis ac juribus circa quae decretum ejuſmodi verſari deberet.*

IV. *De contumaciae hic actu ipſo.*

V. *De poenae capitalis contumaciae nomine ſic irrogandae genere & circumſtantiis.*

VI. *Locus in quo morte plectendus erat ejuſmodi contumax, Hieroſolyma.*

VII. *Tempus quo capitalis illa poena contumaci presbytero irroganda.*

VIII. *Promulgatio ſolennis poenae in contumacem ejuſmodi infligendae.*

[c] Halach. *Sanhedrin*, cap. 6. atque ita Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 3. fol. 31, 2. Moſes Mikotzi praecept. affirm. 97. fol. 187. *Shulcan Aruch*, tit. *Choſchen Hamiſpat*, cap. 14. [d] Proverb. xxii. 7. [e] *Shulcan Aruch* tit. *Choſchen Hamiſpat*, cap. 14. §. 2, &c. [f] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 3. fol. 31, 2. & vide ibi Gloſſam.

IX. *De judicibus seu presbyteris inferioribus, nec ordinatis, non, juxta mores receptos, contumaciae utcunque hic reis.*

De appellationibus ad synedrium magnum capite actum est in superiore; quod ut praevium est disciplinae de causa illa presbyteri seu judicis contumacis qui a synedrio magno rite edoctus ejusce placitis nihilominus adversaretur; quae in distributione nostra superiore locum occupat, cum appellationibus, primum. De presbytero dico seu judice qui fori seu synedrii minoris aut collega aut praefectus erat, juxta fororum ac tribunalium superiori in libro distinctionem. Nam cum, ut nemo non videt, contumacia in synedrium magnum duplici constaret in genere, aut in eo quo sententiae illic ex actione seu judicio ibi primum inchoato latae non parebat sive actor sive reus sive minister, aut in eo quo judices inferiores inde velut ab oraculo edocti (secundum jus ei competens singulare, quod capite aperuimus superiori) suam retinentes aut novam comminiscentes sententiam, ejusce decretum nolebant sequi; prioris contumaciae hujusmodi genus ejusdem erat plane naturae cum eo quo in alia sive fora sive synedria itidem commissum est, & sive excommunicatione sive verberibus, tam ex horum quam illius autoritate puniendum. Et quae synedrio magno cum caeteris communia fuere praetermittimus. Genus autem posterius, quod alibi quam in synedrio magno habere ex jure ordinario locum non potuit, cernitur aut in judice manuum impositione rite, ut libro etiam superiori fusius docetur, generatim ordinato in dignitatem judicandi decernendique, aut in triumviralis fori ex nondum ordinatis collega, sacerdote de rebus sibi peculiaribus ex lege aliquot decernente, id genus caeteris. Judex autem, sive triumviralis, sive solus sic ordinatus, sive vigintitriumviralis, qui nunquam non erat sic ordinatus, contumaciae ejusmodi reus, supplicio ultimo erat eo nomine plectendus. Ita scilicet interpretantur legem illam e Deuteronomio superius[g] citatam de synedrio magno appellando seu consulendo quoties difficultas eximia exoriebatur. Verba sunt[h], *Vir autem ille* אשר יעשה בזדון *qui fecerit procaciter, superbe,* id est, *sponte contra fecerit, nolueritque audire sacerdotem qui stat coram Domino Deo tuo, ut ibi ministret, aut judicem, morietur vir ille.* Hoc vero, ut juxta Talmudicorum mentem rite capiatur, utpote regulariter dictum, explicationibus aliquot atque exceptionibus, quas afferre solent, est temperandum.

II. Exceptiones illae habentur aut in modo quo ejusmodi fieret synedrii magni decretum, ut contumacia refragantis qualem diximus morte puniretur, aut in loco singulari ubi ejusmodi decretum fieri deberet, aut in rebus de quibus sic decernebat synedrium, aut in ipso presbyteri seu judicis inferioris actu refragandi, seu non parendi, aut demum in ultimi supplicii ejus genere & circumstantiis. Modus[i] quo fiebat ejusmodi synedrii magni decretum non alius erat ab eo qui capite superiore exhibetur. Quoties scilicet, ut ibi ostensum est, consultum appellatumque, sive per intermedias appellationes sive citra eas, synedrium hoc quid decernebat, nec caetera quae dicentur deerant, presbyteri seu judicis contumaciam poena jam dicta sequebatur. Neque aliter. Nam & lex hac de re sacra ipsa loquitur tantum de synedrio magno, exorta difficultate, adeundo, atque inde nato ibi decreto, non de quolibet ejusdem synedrii decreto. Sic volunt magistri. Loco autem non alio, quando ejusmodi fiebat decretum ut contumaciae qualem diximus poena mors esset, considere debebant synedri, quam in usitatiori illo temploque Hierosolymitano conjuncto. Is erat conclave illud politis saxis insigne, seu *Liskath Hagazith*, de quo superius dictum. Nimirum, si extra locum illum consultum appellatumque a judicibus inferioribus quid decrevisset, poena hac liber erat quicunque contra sententiam procacius tulerat. Id quod ex verbis legis jam dictae sacrae etiam eliciunt, *surges*[k], *& ascendes ad locum quem elegerit Dominus*, &c. מלמד שהמקום גורם לו מיתה *unde*, inquiunt[l], *& observandum est ipsius loci rationem habendam in ultimo contumaci supplicio infligendo.*

III. Quod autem attinet ad res de quibus sic decernebat synedrium magnum, ut ob sententiam ab inferiore judice, qui ad illud velut ad oraculum provocaverat, contra latam poena mortis sequeretur; de eis dissensum comperio apud magistros insignem. Alii de rebus omnimodis quae sunt דברי תורה id est, *verba, res,* seu *praecepta in lege expressa,* alii de rebus etiam quae sunt דברי סופרים *verba, res,* seu *praecepta a scribis* superinducta, alii de re duntaxat quacunque שעיקרו מדברי תורה *cujus principale* seu *fundamentum pendet ex lege sacra,* atque alii demum solummodo de דברי שזדונן כרת ושגגתן חטאת או בדברי המביאין לכך או בתפלין *rebus quae sponte commissae excisione, errore autem seu ignorantia patratae sacrificio expiatorio erant ex lege sacra luendae, aut de rebus quae illuc quempiam deducere possent, aut de phylacteriis,* legem jam ante dictam ac poenam illam mortis intelligunt[m]. Receptior videtur sententia hic postrema; qua ita temperatum est id quod de difficultate apud judicem inferiorem exorta, ac de mortis ob contumaciam in synedrii magni sic, ut ante dictum est, appellati decretum poena, generatim in lege sacra legitur, ut mors non esset ex illa lege judici contumaci infligenda, nisi ubi res ipsa circa quam difficultas versabatur, adeoque id quod a synedrio decretum erat, aut ad phylacteria, aut ad leges sacras quae reatus spontaneos excisione ac errore commissos sacrificio expiatorio praescribunt luendos, aut ad ea quibus sive actor sive reus sive quis alius, pro sententiae varietate, in crimina excisione luenda forte impelleretur, spectabant. Nam si de sponsaliis aut matrimonio difficultas exorta esset, aut de anni intercalati ratione, tametsi harum neutra ad legem aliquam qua excisio sponte delinquentibus praestituta est per se atti-

[g] Cap 2. [h] Deut. xvii. 12. [i] Misna & Gem. tit. *Sanhedrin*, cap. 10. Maimonid. hal. *Mamrim*, cap 3. & 4. Moses Mikotzi praecept. Negat. 217. *Sepher Siphri*, fol. 45. col. 178. *Pesiktha Zotertha*, fol. [illegible]. 1. [k] Deut. xvii. 8. [l] Maimonid. loco citato. [m] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol 88. 1. Moses Maimonid. Mikotzi, alii locis citatis. & videsis Joh. Cochium in tit. *Sanhedrin*, pag. 81.

nuerit,

nuerit, nihilominus quoniam ex altera non rite decreto explicata paschatis & temporis azymorum, ex altera conjugii violatio (quarum utraque [n] excisione punitur) facillime sequi posset, ideo parem rerum hujusmodi rationem eis quae ad ipsarum de excisione legum explicationem spectarent haberi hoc in judicio volebant. Quin & judicia seu difficultates ab excisionis legibus haud parum dissitas non paucas, si contumacia judicis inferioris seu presbyteri aut collegae synedrii alicujus minoris hic intervenisset, in causa fuisse mortis poenae ei infligendae scribunt etiam hujus sententiae autores. Maimonides [o], צריכין לבדוק ולחקור אם היתה המחלוקת זו מביאה לידי דבר זה ׃ ודבר זה מביא לידי דבר שני אפילו אחר מאה דברים אם יבוא בסוף לדבר שזדונו כרת ושגגתו חטאת בין שהיה הזקן מיקל והן מחמירין בין שהיה הוא מחמיר והן מקילין חייב ׃ ואם לא תביא המחלוקת לידי כך הרי זה פטור חוץ ממצות תפילין בלבד *Diligentissime perscrutandum perpendendumque erat, utrum difficultas* seu *dissensus exortus pertineret ad rem aliquam quae per rem aliam itidem aliamque, etiamsi post centena rerum quae evenire possent intervalla, tandem ad rem aliquam devenire quiret excisione, ubi sponte patrata est, & expiatorio sacrificio, ubi errore est commissa, puniendam. Nam ubi circa rem hujusmodi versaretur difficultas* seu *dissensus, presbyter* seu *judex contumax, sive leviori ille sive graviori quam synedrium magnum usus esset sententia, mortis erat reus*; *alioquin plane liber*, mortis poena scilicet, *excepta duntaxat difficultate* seu *dissensu ad praeceptum de phylacteriis spectante.* Et quod de phylacteriis sic adjicitur, aiunt fuisse הלכה מפי הקבלה *traditionem singularem ab omni aevo receptam.* Exempla autem afferunt de rebus hujusmodi adeo a sacris de excisione legibus per se dissitis; quae nihilominus illuc sive actorem sive reum, aliumve cujus in judicio intererat, per aliquot rerum aliarum intervalla facile deducerent; eaque maxime ex jure sponsalitio sumunt. Nam cum sponsalia apud eos quaedam aut vim sortirentur aut irrita plane essent juxta diversam bonorum quae eorum nomine velut arra seu pretium a sponso sponsae dabantur, atque ea quae sic data plane irrita redderent sponsalia, ferme essent aut bona quae usibus humanis apud Ebraeos sive ex lege sacra sive ex scribarum scitis sunt interdicta, veluti sanguis, adeps, arborum praeputium, fermentum in paschate, id genus non pauca, aut sacerdotalis generis sancta, quibus vesci sacerdotibus licuit, sed alio modo non uti (id quod ad illud genus hominum eorumque sponsalia hic tantum attinet) aut demum quae non revera in sponsi sponsaeve bonis, sed ex alieno rapta; caeteris ferme rebus in contrahendis sponsaliis vim satis legitimam obtinentibus, juxta ea quae suo in loco [p] expressius ad magistrorum mentem aperuimus; cum, inquam, haec ita se haberent, nemo non videt, secundum id quod (post synedrii magni ex appellatione decretum, quo, velut juris oraculo, acquiescendum erat universis, nec aliunde rerum sive natura sive dominium decidendum) judex quisquam qui sic appellarat ob exortam de triplicis hujus bonorum generis aliquo difficultatem pronunciaret, potuisse sequi ut inde sponsalia bonis illis, velut pretio, intervenie[illegible]bus contracta, aut plane irrita haberentur aut fir[illegible]ma, quatenus nimirum ex ejus sententia seu [illegible]fragio qui sic pronunciaret, in eorum sive na[illegible] sive dominio quis hallucinaretur. Quoniam [illegible]tur, quoties in actione debiti, depositi, [illegible]dati, pignoris, furti, caeterisque simil[illegible] qualem diximus, a synedrio magno c[illegible] dos, animalia, utensilia, aliave bona aliter atque illud decreto modo jam indicato praestituerat, sive actori sive reo addicebat, id, quantum in se erat (tametsi socii seu collegae ejus synedrio magno parerent, justamque sic sententiam ferrent) ut contumax faciebat, unde tandem sponsalia aliqua contra jus receptum aut firma aut irrita, utpote bonis illis solenni ritu datis contrac[illegible], haberi possent, adeoque conjugii per adult[illegible] violatio excisione si sponte, & sacrificio expiatorio si errore seu ignorantia patraretur, luenda quiret sequi; ideo etiam in judiciis hujusmodi pecuniariis ob contumaciam in bonis contra illud synedrii magni decretum addicendis poena mortis erat infligenda. Quod itidem dicendum, idque simili ratione, ubi difficultas seu dissensus fuerat ejusmodi ut utrum fermentum, seu praeputium arborum, seu adeps, seu quid id genus a contractibus sponsalitiis semper arcendum, hoc vel illud esset, disputaretur, ac tandem synedrii magni ex appellatione sopiretur decreto. Nam qui contra quam sic debebat, a synedrio magno rite edoctus, sententiam ferebat, id decernebat quo sponsalia sive irrita sive firma contra jus haberi quibant, adeoque & ii quorum intererat poena sive excisionis sive expiatorii sacrificii forsan implicari. De caeteris autem praeceptis rebusque illis innitentibus asserunt hujus sententiae sequaces, judicis inferioris in synedrii magni circa ea, ex appellatione, decretum contumaciam neutiquam morte fuisse plectendam. Maimonides [q], ad veterum etiam mentem; אבל אם [illegible] מצות כגון שחלק בדבר מדברי לולב [illegible] או שופר זה אומר פסול וזה אומר כשר [illegible] אומר יצא ידי חובתו וזה אומר לא יצא זה [illegible] טהור וזה אומר שני לטומאה הרי זה פטור מן המיתה וכן כל כיוצא בזה *At vero si dissensus ortus esset de praeceptis caeteris, veluti de palmarum ramis, fimbriis, de buccina, alterque hoc vel illud assereret illegitimum, alter autem legitimum, alter officium satis praestitisse quempiam, alter nequaquam, alter mundum quid, alter immundum idem pronunciaret, mortis poena liber erat* judex post appellatum synedrium magnum contumax: *atque similiter se res habuit in id genus caeteris.* Poena illa capitali liber; aliis minoribus etsi illa liber, pro arbitrio synedrii obnoxius. Idem illic; וכל אלו וכיוצא בהן שהן פטורין מן המיתה יש לב״ד הגדול לנדותן ולהבדילן ולהכותן ולמנען מללמד כפי שיראת להן שהדבר צריך לכך *Sed vero omnes illos, qui sic liberi erant morte, synedri magni excommunicabant, segregabant, verberabant, a docendi facultate summovebant, quemadmodum illis videbatur. Ita enim res ipsa postulabat.*

IV. Actus autem contumaciae seu refragandi

[n] Numer. xix. 13. Levitic. xviii.
[o] Halach. *Memarim*, cap. 4. §. 2. & 3. & vide cap. 3. §. 5, &c.
[p] In Uxore Ebraica, lib. 2. cap. 2.
[q] Halach. *Mamarim*, cap. 4 §. 3.

non

I

non quilibet tanti ſupplicii in cauſa fuit. Nam licet adverſam ſuam eſſe nihilominus ſententiam publice aliis profiteretur judex inferior ſic a ſynedrio magno edoctus, is tamen, niſi etiam aut ſententiam in foro, ſeu ſynedrio ſuo expreſſim ferret, idque בזדון *procaciter*, ſeu *ſponte* לעשות *ut quid fieret* ſeu *exſecutioni ab aliis mandaretur* contra quod ſic decreverat ſynedrium magnum, aut ipſe tantundem per ſe faceret, hujuſmodi poena atque hac lege ſacra liber erat. Ad verba illa legis, *Vir ille qui fecerit procaciter*, obſervant, לא שיאמר בזדון אלא יורה לעשות או יעשה בעצמו *non ſufficiebat ut loqueretur procaciter, ſed ut decerneret fieri* contrarium, *aut ſaltem per ſe ipſe faceret.* Sic Maimonides, alii.

V. Quod demum ad ultimi ſupplicii ex hac lege irrogandi genus & circumſtantias attinet; genus erat ſtrangulatio; quam innui aiunt paſſim, quoties in ſacro legis ſermone, ut ubi hac de re verba fiunt, ſimpliciter *poenae mortis* habetur mentio סתם מיתה האמורת בתורה בחנק *Mortis*[r] *poena ſimpliciter in lege memorata ſtrangulationem denotat.* Circumſtantiae cernuntur aut in ratione qua in judicium deducendus erat judex ejuſmodi contumax, ac judicandus, aut in loco quo lata in eum mortis ſententia effectum ſortiretur, aut in tempore quo id fieret, aut in promulgatione, tum judicii, tum exſecutionis, urbis ſeu loci, cujus juriſdictioni ſuberat contumax. Prolatis teſtibus qui eum, ut jam diximus, in ſynedrii magni decretum contumaciae reum aſſererent, morte damnandus erat. Pronunciabant[s] quidem eum mortis reum ſocii ſui ipſi, in ſynedrio aliquo vigintitriumvirali, ſed ut in magnum deducendum. Nec profuit ei rationis contumaciae ſuae obtentus qualiſcunque; ne quidem tametſi ſententiam ſuam apud majores antea palam obtinuiſſe oſtenderet. Semper enim praeponendum erat ſequendumque decretum qualecunque ſic in ſynedrio magno latum Maimonides[t], אפילו נתן טעם לדבריו אין שומעין לו אלא כיון שבאו עדים שעשה כהוראתו או שהורה אחרים לעשות גומרין דינו למיתה *Etiamſi rationem afferret quare ſic fecerat, audiendus non erat. Sed a teſtibus probato, eum ſive feciſſe quid juxta ſui ipſius ſententiam* contra quam decreverat ſynedrium magnum, *ſive ut alii facerent decreviſſe, ultimo ſupplicio erat damnandus.* Idem etiam; אע״פ שהוא דן והם דנים הוא קבל והם קבלו הרי התורה חלקה להם כבוד ואם רצו ב״ד למחול על כבודן ולהניחו אינן יכולים כדי שלא ירבו מחלוקות בישראל *Tametſi is judiciis praeeſſet, uti & ipſi, etiam & is traditiones* ſeu *diſciplinam veterum, non minus ac ipſi, acce-piſſet, lex nihilominus eis praerogativam tribuit. Quin ſi vellet ſynedrium praerogativam ſuam remittere, id facere non potuit, ne ſcilicet multiplicaretur ſententiarum diverſitas in Iſrael.* Contumacia igitur haec forenſis ejuſmodi erat ut nec condonari poſſet a ſynedrio magno, e cujus reſponſis ac decretis ſic habitis pendebat ipſa veritas civilis.

VI. Locus autem in quo ad effectum ſeu exſecutionem perduceretur hujuſmodi judicium, erat ipſa Hieroſolyma, idque ex autoritate ſynedrii magni ibidem. Nimirum, ut decretum ſynedrii extra locum ſuum uſitatiorem habitum, quod ſupra monitum eſt, in cauſa eſſe nequibat ultimi ſupplicii judici contumaci infligendi, ita nec eo affici rite is potuit extra Hieroſolyma, utpote locum ſedibus ſynedrii proprium, nec ad effectum ſententia in eum vigintitriumviralis perduci aliter quibat quam ſi ſynedrium hoc ampliſſimum fundus factus eſſet. Scilicet[v], ניגמר קטליה בסנהדרי גדולה *Executioni mandabatur ſententia ejus capitalis in ſynedrio magno.* Et Miſna[x]; אין ממיתין אותו לא ב״בר שבעירו ולא ב״בר שביבנה אלא מעלין אותו לב״ד הגדול שבירושלם *Morte afficiendus erat nec in urbis ſuae ſynedrio, nec in ſynedrio Jabnienſi*, in ſynedrio ſcilicet magno extra locum ſibi ad capitalia judicia ſatis legitimum, juxta libro oſtenſa ſuperiore. *Deducendus autem erat in ſynedrium magnum quod Hieroſolymis.* Tantundem paſſim in Talmudicorum commentariis. Atque Obadias Bartenorius ad illud, *nec in ſynedrio Jabnienſi* (de Jabnia, Jafne & Jamnia ſuperiore etiam dictum eſt libro) שאלו לב״ד שבלשכת הגזית ואמרו לו וחזר לעירו ושהה שם ימים רבים עד שגלתה סנהדרי גדולה ליבנה וא״חכ הורה כבתחלה אין ממיתין אותו ביבנה א״עפ שסנהדרי גדולה שם וא״עפ שעדין הבית קיים כיון שסנהדרי גדולה אינה יושבת במקומם בלשכת הגזית inquit[y], *Detur, conſultum appellatumque fuiſſe ſynedrium in conclavi illo ſaxis politis inſigni, decretumque ibi latum, & judicem quempiam ex appellantibus rediiſſe in urbem ſuam, ibique diu manſiſſe, etiam uſque dum migrarat ſynedrium Jabniam, & poſtmodum juxta ſuipſius, non ſynedrii magni, ſententiam decreviſſe; Jabniae morte non erat plectendus, tametſi ibi ſedes ſuas haberet ſynedrium magnum. Quod itidem dicendum tametſi templum hactenus ſtaret. Ratio eſt, quoniam non conſidebant ſynedri in loco ſuo, id eſt, in conclavi illo ſaxeo.* Sic Jarchius[z], alii.

VII. De tempore autem quo ultimum hoc ſupplicium illi erat infligendum diſſenſus quidem reperitur. Tradit R. Aquiba[a], ſic damnatum, atque ad ſynedrium magnum deductum, cuſtodia ſervandum עד הרגל *uſque ad feſtum* ſive paſchatis, ſive pentecoſtes, ſive tabernaculorum, quo ſtrangulandus eſſet. Ut ſcilicet *omnes de populo*[b], feſtis illis Hieroſolymam ſe conferre ſoliti, *audirent* ſententiam ſynedrii magni, qua ad effectum atque exſecutionem perduceretur illa vigintitriumviralis, & *timerent, ne amplius procaciter agerent*, quotquot nempe judicum officio ſic fungerentur. Verba Miſnae juxta Aquibam ſunt, ומשמרין אותו עד הרגל וממיתין אותו ברגל שנ׳ וכל העם ישמעו ויראו ולא יזידון עוד *Et cuſtodiendus erat uſque ad feſtum, &, in feſto, ultimo ſupplicio afficiendus, juxta illud, & totus populus audiet, & timebit, nec amplius procaciter aget.* At vero R. Jehuda ibidem; אין מענין את דינו של זה אלא ממיתין אותו מיד quod vertitur, *Non reddunt acerbum ejus judicium dilatione longa, ſed quamprimum eum occidunt.*

[r] *Sepher Siphri*, fol. 48. col. 178. Miſna tit. *Sanhedrin*, cap. 10 alii paſſim. [s] Moſes Mikotzi praecept negat. 217. R. Jom Tob ad Miſna tit. *Sanhedrin*, cap. 10. 11. alii. [t] Halach. *Memarim*, cap. 3 § 8. [v] Talmud. Babylon. tit *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 16. 1. [x] Tit. *Sanhedrin*, cap. 10. [y] Ad Miſn. tit. *Sanhedrin*, cap. 11. [z] Gloſſ. ad Talm. Babylon. tit. *Sanhedrin*, fol. 89. 1. [a] Miſna tit. *Sanhedrin*, cap. 10. [b] Deuter. xvii. 13.

cidunt. Receptior[c] autem est traditio, ante festum eum non fuisse plectendum.

VIII. Promulgatio demum judicii atque exsecutionis hujus, solenni ritu, sic accessit, ut a synedrio magno literae per urbes & provincias passim Israeliticas mitterentur quibus Rubenem seu Simeonem, qui sic contumaciae reus esset, morte affici universis innotesceret. Formula literarum fuit, איש פלוני בן איש פלוני נתחייב מיתה בית דין *Vir*[d] *ille N. filius viri illius N. ex sententia synedrii plexus est ultimo supplicio*, seu *supplicio ultimo damnatus*. Quod ex verbis illis legis sacrae evenit, *& totus populus audiet, & timebit*; quod sine ejusmodi promulgatione seu edicto commode fieri posse non existimabant. Ex eadem scilicet ratione id genus promulgationis quam הכרזה vocitant, idque etiam in urbibus minoribus, adhibendum erat, quoties sive filius in parentes rebellis, sive persuasor in idololatriam, sive testis mendax ex lege morte plectebatur. Nimirum de prioribus binis[e] dicitur, *& omnis Israel audiet, & timebit*, & de tertio[f], *& audientes caeteri timebunt.* Adeoque judicem contumacem, filium rebellem, persuasorem in idololatriam, & testem mendacem velut quadrigam faciunt[g] & ארבעה צריכין הכרזה *quatuor quibus promulgatio* seu *edictum ejusmodi debetur* solent nuncupare. Sed & de tribus illis etiam usque ad festum celebrius proxime insequens custodiendis, ac tunc morte plectendis ex autoritate synedriorum juniorum, ad quae attinuere, loquuntur[h] interdum magistri. Et de presbytero seu judice rite ordinato ita in synedrii magni decretum, juxta ea quae dicta sunt, contumace, ut ultimum illius supplicium inde sequeretur, hactenus. Neque enim ad alios jam allata spectant.

IX. Caeteri qui ordinati non erant, uti etiam ordinati qui in synedrii magni appellati decretum qualitercunque contumaces quidem, sed non ejusmodi contumaciae quae mortem mereretur rei fuere (quales ii essent ex jam ostensis facile ediscitur) poenis ad obedientiam a synedrio solum eodem adigebantur, sed levioribus; veluti excommunicatione, anathemate, temporaria functionis civilis inhibitione, seu, ut pontificii apud Christianos juris vocabulo etiam hic utamur, suspensione, verberibus, aliterve, ut tandem ei audientes essent dicto, ac poenae formidine decretis ejusmodi non refragarentur; quemadmodum superius[i] e Maimonide monitum est, ubi ille de eis loquitur qui, licet nihil facerent ipsi aliisve faciendum contra synedrii decretum decrevissent, contrarium tamen in scholis alibive docerent, aut aliter, quacunque in re, juxta superius memorata, synedrio refragantes, ultimum supplicium non mererentur. Et notandum ejusdem[k] item illud, אין זקן ממרא חייב מיתה עד שיהא חכם שהגיע להוראה סמוך בסנהדרין *Presbyter contumax hic mortis reus non censebatur, nisi fuerit is qui decernendi facultate donatus ordinatus esset, atque inter synedros*, seu synedrii alicujus collega. Immane quantum, ut vides, discrepant magistrorum interpretationes, quae etiam receptissimae fuere, celeberrimae illius legis de contumacia in sacerdotem seu judicem, ab eo quod Christiani scriptores aliquot illustrissimi inde afferunt. Dum enim ipsam legem, non solum ab Ebraica veritate sed ab aliis omnibus veterum, extra unicam Vulgatam, translationibus distorquentes, reddunt, *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis*, seu *ex decreto judicis, morietur vir ille* (qua de re capite dictum secundo) sacerdoti aiunt tribui sententiam definitivam, judici autem, quem pro politico, ut scribere amant, principe sumunt, exsecutionem in contumaces. Cum interea certissimum sit, in Ebraicis aliisque versionibus vetustis nuperisque haberi tantum parilem sive sacerdotis sive judicis qualiscunque illic mentionem; quae ex veterum scitis apud Talmudicos juxta ea quae dicta sunt explicatur, nulla in eo pontificis aut aliorum judicum habita ratione praeter synedrii magni principem & collegas, qui rem hanc exsecutioni semper mandarent, & vigintitriumvirale synedrium, a quo, ut ostensum est, mortis sententia, sed citra illic exsecutionem, erat damnandus contumax.

CAP. IV.

I. *De Tribu integra rea a synedrio magno solum judicanda. Et primo de tribulium notione, eorumque discrimine.*
II. *Ea de re textus Talmudicus.*
III. *Textus illius sensus apud magistros varius. Et de Tribu integra, seu majore ejus parte, apostasiae rea.*
IV. *De tribuario hoc jure consideratio.*

QUOD ad integram tribum & res tribuarias, quatenus tribuarias, spectat (nam illuc ordo instituti deducit) advertendum est, *tribus* nomine intelligi aut cunctos unico ex sanguine invicem tribules, veluti Simeonitas vel Rubenitas a Simeone & Rubene, singularum tribuum autoribus, genus trahentes, id est, tota Rubenitarum vel Simeonitarum stemmata, qua tum a caeteris tum invicem ipsa sunt discriminata, aut tribules unico ex territorio quod incolerent, seu ex agris primo tributim assignatis, denominatos. Scilicet, tametsi ex lege sacra[l] sub initium distributionis terrae sanctae, *non migrabat possessio filiorum Israel a tribu ad tribum, quoniam quisque de filiis Israel haerebit in haereditate tribus patrum suorum*, postmodum tamen per conjugia, venditiones, aliasque cessiones a tribulibus ex sanguine aliis ad alios saepe translati sunt agri sub ipsum introitum assignati, *& migrabat possessio a tribu ad tribum.* Nam & receptissimum est magistris, praeceptum illud de non transferendis haereditatibus a tribule aliquo in eum qui suae ex sanguine tribus non erat, vim obtinuisse

[c] Maimonides Hal. *Memarim*, cap. 3. Moses Mikotzi in praecept. Negat. 217. Abarbinel in *Pirush Tora*, fol. 365. col. 3. Jarchius ad Deuter. xvii. 13 [d] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 10. Talm. Bab. ibid. fol. 89. 1. alii, locis citatis. [e] Deute. xxi. 21. & xiii. 11. [f] Deut. xix. 20 [g] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 89. 1. alii, locis citatis. [h] Videsis sepher *Siphri*, fol. 41. col. 2. *Pesiktha Zotertha*, fol. 73. col. 2. alios ad leges de eis sacras. [i] Sect. 3. [k] Halach. *Memarim*, cap. 3. §. 5. [l] Numer. xxxvi. 7.

בּאותו דור בלבד *eo duntaxat in seculo quo natum est*, ut nimirum in assignatione prima tribulium ex sanguine portiones invicem distinguerentur; qua de re alibi[m] fusius diximus. Hinc igitur variatim passimque tribulibus ex sanguine demum ita commistis ut nullius forsan in tribus territorio primo assignato non essent qui ex alia tribu aut illic migrassent aut illic orti essent complures, restabat nihilominus territoriorum a primis tribuum autoribus primaque assignatione denominatorum distinctio ejusmodi ut, tametsi tribules ex sanguine tabulis genealogicis accuratius designati invicem dignoscerentur, atque inde, verbi gratia, tribus Judae & Rubeniticae nomina, qua majorum sanguinem spectabant, satis discernerentur (quemadmodum etiam de caeteris est dicendum) attamen eam tribus notionem, quae sic ex sanguine seu stemmate pendebat gentilitio, nemo non videt plurimum discrepasse ab ista quae ratione territorii assignati pariter indita a tribulibus diversi simul generis, pro rerum ac seculorum varietate, agrarias sive Judae sive Rubenis aliarumve tribuum portiones, simul cum proselytis justitiae, occupantibus retinebatur. Adeo ut Rubenitici, Gaditici, Asheritici, aliive tribules in Judae, exempli causa, territorio sedes habentes, ratione territorii, licet non ex sanguine, pars essent tribus Judae, atque hac notione itidem Levitae, quibus urbes assignatae sunt in uniuscujusque tribus territoriis[n], cum eadem in qua collocarentur tribu essent, domicilii seu territorii ratione, diversimode censendi, cum interea ex sanguine unicam conficerent universi tribum. Simili ratione hodieque passim nationes earumve partes alio migrantes tum territorii in quod se conferunt nomen induunt, tum sanguinis insuper non raro retinent. Tribus igitur nuncupare liceat alias personales, id est, qui ex sanguine pendent, alias territoriales.

II. Duplici tribulium notione ita praemissa, facilius capietur quid sibi velle quiverit traditio de tribu judicanda. Ea sic se habet[o], אין דנין את השבט אלא בבד של ע״א *Non judicabant tribum alibi atque in synedrio septuagintauniusvirali.* Sunt quidem viri docti qui dubitanter locum hunc vertunt, *Non erant judicantes tribum vel sceptrum nisi domus judicii* LXXI *judicum*, perinde ac si plane nescirent utrum tribus an sceptrum in traditione illa intelligeretur. Sciunt quidem pueri שבט non solum *tribum* sed etiam *sceptrum scipionem* seu *virgam* denotare, uti etiam pariter מטה; unde ob homonymiam orta est dubia illa versio, idque apud Petrum Galatinum[p]; cum interim manifestum sit ex utroque Talmude, tribum duntaxat, non omnino sceptrum, ibi innui. Nec quidem Raymundus Martini, cujus plagiarius passim Galatinus, etiam ex eo hic versionem suam compilavit, aliud praeter, *Non judicabant tribum*, ut oportuit, hic substituit[q]. Carolus Sigonius, nec interim hic compilando satis fidus, habet[r], *Nemo judicabat tribum, sceptrum, &c. nisi domus judicii* LXXI *judicum.* Prima Galatini editio[s] legit, *Non judicabant tribum, neque sceptrum, &c. nisi domus judicii* LXXI *judicum*, quod postea transit in *non erant judicantes tribum vel sceptrum, &c.* Sed apage omnino *sceptrum*, quod merito fecere etiam viri docti qui rem hanc tetigerint.

III. Quaenam vero traditionis istius mens esset, non satis convenit inter se Talmudicis[t]. Fuere qui de נשיאין שבטים *phylarchis* seu *tribuum principibus* rei capitalis reis voluerunt intelligi, ut Rabbi Mathaniah; alii, בחורש שנין שני שבטים *de controversia inter binas tribus exorta.* Veluti de finibus regundis, id genus aliis. Unde & agrorum assignationi illi, Josuae tempore[v], tribuariae amplissimi hujus synedrii accessisse aiunt autoritatem. Receptior autem est sententia[x] tribum sumendam esse hic potissimum pro השבט שהודח *tribu apostasiae rea*, seu quae, relicto veri numinis cultu, idololatriam במזיד seu *sponte* amplexa esset. Cum enim binae leges sint insigniores quibus idololatrae generatim erant puniendi, altera qua privatus quisque[y], altera qua civitas[z] rea, atque horum nominum alterutro universos, quantum ad hanc rem, satis comprehendi vellent, exceptis tantum eis qui *tribus*, juxta ea quae dicentur, nomine veniebant; cumque privati in synedriis minoribus judicium subirent, civitas vero non alibi atque in synedrio magno, ut mox ostendetur; inde evenit ut tribum, utpote civitate multo digniorem, neque synedrii alicujus minoris ditioni ex sui natura subditam, in magno judicandam statuerent. R. Obadias Bartenorius ad Misnam jam ante de tribu citatam, רובו, inquit, של שבט שעבדו ע״ז ובמזיד אין דנין אלא בב״ד של ע״א דכתיב והוצאת את האיש ההיא או את האשה ההיא אל שעריך איש ואשה מוציא אל שעריך ואי אתה מוציא את השבט אל שעריך אלא בבית דין הגדול: *Intelligendum est de multitudine* seu *parte majori tribus idololatriae, seu cultus extranei, sponte reae. Scilicet eam non alibi judicabant quam in synedrio septuagintauniusvirali. Nam scriptum est* de privato sic reo[a], *Et educes virum illum aut foeminam illam ad portas tuas* (seu, ut habet Chaldaeus, לתרע בית דינך *ad portam synedrii tui*, quod de synedriis minoribus capitur) *virum aut foeminam educes ad portas tuas*, nempe privatos reos; *sed tribum non educes ad portas tuas, sed ad synedrium magnum.* Ita tam de majori parte quam de tribu integra interpretatur ille. Maimonides autem ad eandem Misnam, דין שבט הוא שהודח כלו ואין דנין אותו אלא ב״בד הגדול לפי שאמר הכתוב והוצאתם את האיש הוא וגו׳ היחידים בלבד כגון איש ואשה הם שנהרגים בשעריך בב״ד של שלשה ועשרים אבל כל השבט לא אלא בב״ד הגדול: *Judicium tribus hic intelligendum, si apostasiae rea fuerit ea tota. Tunc alibi quam in synedrio magno judicanda non erat. Quoniam in scriptura dicitur*[b], *Et educes virum illum aut foeminam illam, &c. Unde elicitum est, privatos tantum morte plectendos in portis tuis, seu in synedriis vigintitriumviralibus. Totam au-*

[m] Lib. de Success. in Bona, cap. 18. [n] Numer. xxxv. [o] Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 1. §. 5. & Talm. Babylon. ibid. fol. 15. 2. [p] De Arcanis Catholicae veritatis, lib. 4. cap 5. [q] Pugione Fidei, part 2. cap 4. § 4. [r] De Rep. Hebraeorum, lib. 6. cap. 7. [s] Ann. 1518. [t] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 2. Babylon. ibid. fol. 15, 16. [v] Vide Josuae xix. 51. [x] Gem. Babylon. jam cit. Maimonid. Halach. *Sanhedrin*. cap. 5. Moses Mikotzi praecept. affirm. 97. fol. 187. col. 1. [y] Deuter. xvii. 2. [z] Ibid. xiii. 12. [a] Deuter. xvii. 5. [b] Ibid.

tem

tem tribum non alibi atque in synedrio magno. Alii [c] item de שבט שלם seu *tribu integra* loquuntur.

IV. Sed quoniam in judiciis non raro totius seu omnium & majoris partis similis est ratio, ideo indiscriminatim, puto, totam & majorem partem hac in re sic memorari. Et Paulus Riccius [d] sensum Misnae reddere volens, vertit, *Judicantur per magnum Hierosolymae unius & septuaginta senatorum consilium ea quae ad unius tribus multitudinem spectant.* Quin & insignem tribus partem, quae vires vigintitriumvirales seu synedriorum minorum imperium excederet, aeque verisimile est ad synedrii magni jurisdictionem attinuisse; quod ex eis quae capite sequuntur proximo satis est eliciendum. Jam vero illud de apostasia non tam pro eo quod integram de tribu mentem Misnae explicat capio, quam pro illustriori exemplo quo, ante alia, res ad tribum aliquam sive unicam sive plures spectantes denotarentur itidem ad synedrium magnum attinere. Neque, opinor, dubitandum est quin tribus quaelibet, quoties de rebus tribuariis, qua tribuariis, disceptandum decernendumque esset, non minori alicui sed huic synedrio duntaxat subesset. Nam quod habent aliqui de synedriis ordinariis seu vigintitriumviralibus quae tribubus singulis, eisque integris, praeficerentur (qualia, in Platonis republica magnetica [e], τὰ κατὰ φυλὰς δικαστήρια) plane rejiciendum, ut & superius [f] monitum. Neque sane, quanquam ejusmodi fuissent synedria, controversiae inter tribus invicem exortae ab eorum aliquo rite definiri quibant. Non enim erant omnino res alterius tribus ab alterius judicibus decidendae extra Hierosolyma, ut etiam e magistris est ostensum. Atque ut plurimi veteris Graeciae populi unico Amphictyonum synedrio in litibus inter eos invicem subortis tantum suberant, hodieque passim provinciae complures integrae earumque tribunalia qualiacunque moderatores habent summos in unico aliquo tribunali omnium supremo, ita, ni fallor, tribus singulae, quatenus provinciae erant singulares parisque invicem juris, huic unico utpote synedriorum ordinariorum omnium supremo jure parebant. Idque tum qua personales, tum qua territoriales fuere. Qua personales; veluti si tota tribus majorve ejus pars, ubicunque sedes habens, a vero cultu ad idololatriam defecerat, seu quid aliud patrarat vindice dignum. Tantae enim universitatis flagitia ac delicta vigintitriumviralium synedriorum jurisdictionem, qua scilicet in tanti corporis membra diffunderentur, nimium superabant. Simile forsan dicendum, quoties, instaurata post calamitates republica, intermissus tribus Leviticae decimarum proventus ex ejusdem actione esset instaurandus. Nam qua instaurandus erat, ob singulare tribus hujus jus, generatim proventus hic, judicium plane de tribu integra, qua singularis erat tribus, ferebatur. Qua territoriales; veluti quoties agros huic vel illi tribui primo assignatos occupantes, sive sanguine inter se puri, sive, ut dictum est, commisti, aut a vero cultu defecissent, aut de territorii sui limitibus seu confiniis, aut de Levitarum in eo urbium numero, aut de ipsarum suburbiorumve amplitudine, &, si quae sunt, id genus aliis, controversiam movissent. Haec enim cuncta juris erant tribuarii, & ad tribus attinuere, qua integrae sunt adinvicem distinctae disterminataeque. Qua autem ratione major de qua loquuntur tribus pars sive personalis sive territorialis dignoscenda esset, ex eis quae mox de civitate deficiente ejusve majore parte dicemus intelligendum est: Uti etiam forsan alia quae ad ordinem hic in actione apostasiae judiciarium atque poenae genus attinent. Nam tametsi, velut ex lege sacra de privato quopiam a vero cultu deficiente, similem tribus apostasiam puniri etiam quoquo modo a synedrio magno, ut ostensum est, statuant, attamen quoniam, ratione universitatis seu multitudinis, tribus ad civitatem ex civium aliquot persuasione seu impulsu (cujus expressa in lege sacra de civitate mentio in causa est cur ipsam criminis naturam ex illa quae ad privati apostasiam qualemcunque, etiam absque aliorum impulsu, attinet, desumerent) apostasiae ream propius multo quam ad privatum accedit, ideo ordinem judicii ac poenam potius qualis ex lege qua civitas deficiens tenebatur adhibenda est, in tribu judicanda voluere nonnulli [g] usurpari, aliis [h] interea poenam tribus non aliam fuisse atque hominum privatorum, id est, lapidum, non gladii, asserentibus; quorum quidem sententia receptior videtur. Ejusce autem ratio ex eis quae capite proximo exhibentur satis erit manifesta.

CAP. V.

I. *Leges sacrae de urbe apostasiae rea. Sensus inde Talmudicorum generalis, qua ad jurisdictionem tantum synedrii magni attinuit.*

II. *De civium seductorum numero ac qualitate. Varians de majore parte lectio apud Maimonidem.*

III. *Qualesnam civitates legibus illis de apostasiae reatu continerentur. Nec refugii civitates, nec Hierosolyma.*

IV. *Urbem maritimam aut limitaneam legibus illis non teneri.*

V. *Neque ullam nisi in persuasionis formula adhiberetur numerus pluralis, atque etiam cives persuasi idolum aliquod inde palam coluissent.*

VI. *Modus & ordo judicii & executionis. Personarum in urbe discrimen, reorum, innocentium, advenarum, hospitum, vicinorum.*

VII. *De bonis urbis seductae, civium, aliorum, sacris.*

VIII. *De urbe ipsa non instauranda. Universitatis populi judicium in Ezrae synedrio magno.*

[c] Gloss. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 15, 2. [d] In Epit. Talm. Doctrinae. [e] De legibus lib. 11. [f] Lib. 2. cap. 14. [g] Gloss. Talmud. Babylon. tit. *Sanhedrin*, fol. 15, 2. [h] Maimonid. Halach. *Aboda Zara*, cap. 4.

LEX

LEX ſacra eſt [i]; *Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus dat tibi ut habites in eis, dicentem*, (ſeu *dicentes aliquos,*) *egreſſi ſunt viri filii Belial* (ſeu *impii) de medio tui*, וידיחו, id eſt, *& averterunt*, ſeu *impulerunt, habitatores urbis ſuae, dicentes, Eamus & ſerviamus diis alienis, quos ignoratis*, ſeu *non noviſtis*; *debes inquirere, inveſtigare & interrogare diligenter, & ecce ſi verum eſt verbum iſtud, & certum, quod facta ſit abominatio iſta in medio tui*; *percutiendo percuties habitatores civitatis illius in ore gladii, & delebis*, ſeu *veluti anathema perdes* (Septuaginta, ἀναθέματι ἀναθεματιεῖτε, *anathemate anathematizabitis) eam, etiam jumenta*, ſeu *pecora, ejus, in ore gladii, Univerſam autem praedam ejus*, (Vulgata, *quicquid ſupellectilis fuerit) congregabis in plateam ejus, & combures civitatem illam igne, & univerſam praedam ejus per totum, ut ſit tumulus ſempiternus* (Chaldaeus, תל חרוב *tumulus devaſtationis*, LXX. καὶ ἔσαι ἀοίκητος εἰς τὸν αἰῶνα, *& erit inhabitabilis in perpetuum) nec reaedificetur amplius. Nec haerebit in manu tua quicquam de anathemate illo*; *ut avertatur Dominus ab ira furoris ſui, & det tibi miſericordias, miſereaturque tui, & multiplicet te, ſicut juravit patribus tuis.* Tum qui incitaverint ſeu perſuaſionibus impulerint ad idololatriam, tum qui ſic impulſi ſint, hac vides lege memorari. Binae autem ſunt praeterea leges cognatae, quarum altera * ſeductor, perſuaſor ſeu impulſor in idololatriam qualiſcunque, altera [k] idololatra quilibet ſingularis, nec civitatis nomine ea implicatus, lapidandus erat, idque regulariter ex ſententia vigintitriumvirali; unde evenit ut etiam qui in jam allata lege impulſores eſſent (idque tametſi ipſi a vero cultu non defecerint) itidem lapidandi [l] fuerint. At vero idololatrarum multitudo qualiſcunque, quoties aut civitatis corpus ſeu univerſitatem, aut majorem ejus partem, aut partem tam inſignem ut vires vigintitriumvirales ſeu ſynedriorum minorum imperium ſuperaret, conficiebat, a ſynedrio magno tantum, ſed diverſimode, coercebatur: Interdum nempe ſententia ex ejus autoritate, ſed formula ſingulari ordineque judicii hiſce proprio, lata, qua poena ex jam dictis in privatos legibus, ſeu lapidatione tantum, infligebatur, interdum autem qua horrendum illud in lege de civitate a vero cultu deficiente ſupplicium erat exſequendum. Diverſitatem hanc ejuſque rationem, ac rem integram, manifeſtam faciemus dum magiſtrorum ad legem hanc de civitate ſic deficiente traditiones accuratius exhibemus. Verba Miſnae [m] ſunt, אין עושין עיר הנדחת אלא בב"ד של ע"א quod recte quidem vertit Joannes Cochius, *In nullam urbem ſententia univerſalis apoſtaſiae fertur niſi ab hoc judicum collegio*, id eſt ſeptuagintauniuſvirali. Nimirum verba ipſa ſonant, *Non faciunt urbem impulſam*, ſeu *averſam*, a vero cultu, *alibi quam in ſynedrio ſeptuagintauniuſvirali*, id eſt, non alibi ejuſmodi apoſtaſiae eam damnant ut inde pro urbe revera impulſa habeatur deleaturque. Maimonides [n] item; אין דנין עיר הנדחת אלא בב"ד של ע"א שנ' והוצאתה את האיש ההוא או את האשה ההיא אשר עשו את הדבר הרע הזה אל שעריך יחידים נהרגין בב"ד של כל שער ושער ואין המרובין נהרגין אלא בב"ד הגדול: *Sententia de civitate apoſtaſiae rea non alibi ferenda erat quam in ſynedrio ſeptuagintauniuſvirali. Nam & ſcriptum eſt, Et educes illos*, in lege [o] de privatis a vero cultu deficientibus, *virum ſcilicet illum*, *ſeu foeminam illam, malum hoc perpetrantem, ad portas tuas. Privati, ſeu homines ſinguli, morte plectendi fuere a ſynedriis quarumcunque portarum. Atqui univerſitates, non ex alia atque ſynedrii magni ſententia.* Tantundem alii [p].

II. Complures autem fuere conditiones ac temperamenta, partim ex ipſa ſacri ſermonis ejuſque ſyllabarum obſervatione ſtrictiſſima nata, partim ex majorum ſcitis introducta, ſine quibus ſententia in loci alicujus incolas ex hac lege non erat [q] ferenda. Tametſi defecerat civitas, nec tamen conſtiterat impulſores ſeu perſuaſores, quos מדיחי nuncupant, eam habuiſſe minimum binos, eoſque viros, nec foeminas nec minores, & tum concives tum contribules, hac lege non tenebatur. Nimirum illud אנשים *viri impii de medio tui*, & *habitatores urbis ſuae*, hoc poſtulaſſe aiunt: Pluralem impulſorum ſeu ſeductorum numerum & ſexum ſic indicari, & alienae urbis aliuſve tribus cives ita ſecludi: Atque tunc reum, quatenus ſeductor aut impulſor in judicium erat deducendus, ad legem illam de ſeductore unico attinuiſſe; quatenus vero civitas ſeducta defecerat, ad alteram de privatorum defectu. Quod autem de concivibus ſimul etiam ac contribulibus dicitur, intelligendum tantum eſt de civitate unica a tribulibus binarum tribuum territorialium, eo quod in earum confinio ſedes haberet civitas, habitata. Nempe voluere, ſi in ejuſmodi civitate alterius tribus cives impellerentur ad apoſtaſiam ab alterius tantum aliquot civibus, rem ad hanc legem non [r] attinuiſſe. Sed & ubi unius alicujus tribus territorialis civitas erat, idem fuit ipſum concivis & contribulis. Maimonides [s] hac de re; אין העיר נעשית עיר הנדחת עד שיהיו מדוחיה מתוכה ומאותו השבט שנ' מקרבך וידיחו את יושבי עירם ועד שיהיו מדיחיה שנים או יתר על שנים שנ' יצאו אנשים בני בליעל וידיחו את יושבי עירם ועד שידיחו רובה; ויהיו המודחין ממאה ועד רובו של שבט אבל אם לא הודחו רובו של שבט דנין אותם כיחידים שנ' יושבי העיר לא כפר קטן ולא כרך גדול וכל פחות ממאה כפר קטן ורובו של שבט כרך גדול וכך אם הדיחוה נשים או קטנים או שהדיחוה יחיד או שהודחה מיעוטה או שהודחו מאליהן או שהיו מדיחיה מחוצה לה אין דנין בה דין עיר הנדחת אלא הרי הן כיחידים שעברו עכ"ום וסוקלין כל מי שעבד ומניחין ליורשיהן כשאר הרוגי בית דין: *Non fit*, *neutiquam in judicio ſumenda erat urbs pro ſeducta*, ex lege de urbe ita ſeducta ſuperius memorata, *niſi ſeductores ejus ex ea eſſent & ex eadem tribu. Scribitur eum in lege, e medio tui, & impulerunt habitatores civitatis ſuae*; *nec niſi ſeductores bini pluresſve binis eſſent, juxta quod ſcriptum eſt* in lege, *Exierunt homines nequam, & impulerunt habitantes*

[i] Deuter. xiii 12. * Ibid. comm. 6. [k] Ibid. xvii 2. [l] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 4. fol. 50, 1. Maimonid Halach. *Aboda Zara*, cap. 4. [m] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. [n] Halach. *Aboda Zara*, cap. 4 § 3. [o] Deuter. xvii 5. [p] CoTzenſis praecept. affirm. 97. fol. 187. col. 1. [q] Maimonid Halach. *Aboda Zara*, cap 4 *Sepher Siphri*, fol. 41. col. 162. *Peſikta Zotertha*, fol. 73. col. 2. Inprimis autem in Miſna, & Gemara Babylon. tit *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 111, 112. [r] Gloſſ. ad citat. Gemaram. [s] Halach. *Aboda Zara*, cap 4 §. 2.

civi-

5

civitatem ſuam; *nec niſi ſeduxiſſent majorem ejus partem, & ſeducti a centum & inde*[t] *major pars tribus* illic *eſſet. Sed ſi non defecerit major pars tribus*, urbanae illius, ſive perſonalis illic unicae tribus partis ſive territorialis, *judicandi erant hi tanquam privati* ſeu *ſingulares*, *ſecundum quod dicitur* in lege, *habitatores civitatis*; *non villae* dicitur *parvulae*, *nec urbis magnae* integrae. *Ubi enim pauciores erant centenis, velut villa parvula erat*; *ubi autem major tribus* habitantis *illic pars*, *ibi etiam urbs* ſeu *civitas magna* ſeu *integra*, juxta civilem paſſim fere majoris partis notionem. *Ita etiam, ſi ſeducta eſſet civitas a foeminis, aut minoribus, aut ſingulari quopiam, aut pars minor ultro defeciſſet, aut ſi deductio ab exteris fieret, non judicanda erat ut urbs ſeducta. Sed ut ſingulares habebantur*, ſeu *privati, qui ſic idololatriae rei eſſent. Idololatra autem omnis lapidibus obruendus*[v] *erat, & bona ejus cedebant haeredibus ſuis, uti & aliorum alias a ſynedrio morte plexorum.* Senſus horum habetur in Miſna [x], etiam & in Gemara Babylonia. Hieroſolymitana [y] autem, אנשי עיר הנדחת כו׳ עיר לא כפר׳ עיר לא כרך׳ והיא שתהא מחמשה ועד עשרה דברי ר׳ מאיר׳ רבי יהודה אומר ממאה ועד רובו *Viri civitatis ſeductae*, &c. *Civitatis, non villae*; *civitatis, non pagi. Atque ita intelligendum ut fuerint a quinque & excreverunt ad decem, juxta Rabbi Meir. Sed juxta Rabbi Jehuda, a centum uſque ad majorem civitatis partem.* Adjicitur, גרים ותושבין *proſelytos & inquilinos* minime partem majorem complere potuiſſe. Sed vero in loco e Maimonide allato lectio varians eſt non praetermittenda. Scilicet in illo, אבל אם יצא הודח רובו של שבט וגו׳ *Sed ſi non defecerit major pars tribus* urbanae illius, &c. Ita quidem legitur in prima, quae pervetuſta eſt, ejuſdem editione, quae ſine commentariis ullis notiſve prodiit. Ita etiam in amplioribus cum commentariis editionibus, quas & ſecutus eſt doctiſſimus vir Dionyſius Voſſius in tractatus illius Maimonidis editione ſua. Sed vero in editionibus Maimonidis ornatioribus adnotatur in ora libri, בספר ישן נמצא כתוב אם הודח רובו של שבט *in codice veteri reperitur ſcriptum, ſi defecerit major pars tribus*, praetermiſſo לא ſeu negatione. Atque ita quidem in perpulchro & vetuſto codice ejus penes me MS. Quin & editio Joſephi Karo non modo negationem rejicit, ſed etiam in *Ceſeph Miſna* expreſſim monet lectionem alteram illam cum negatione erratum eſſe; quod ſane nondum ſatis concoxi, niſi tribus hic juxta Maimonidem, ut in capite ſuperiore, ſumatur non de tribulibus civitatis, ſed de integra ex duodecim tribu, cujus, juxta eum, pars major (ſcilicet univerſitate tota minor) pro privatis illic ſumuntur, adeoque pro judicandis ex jure ad privatos, non tribum, ſpectante. Certe de univerſitatis hic integrae & majoris diſcrimine alia ſunt mihi, fateor, nondum ſatis extricata in ordine & modo judicii hic & exſecutionis, quem mox [z] verbis ejuſdem dabimus. Caeterum in Septuaginta legitur, *Si audiveris*, &c. *exierunt viri iniqui ex vobis*, ϗ ἀπέστησαν πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν πόλιν αὐτῶν, *& averterunt univerſos incolas urbis ſuae*, cum interim in Ebraeo aliiſve verſionibus nihil habebatur quod τῷ *univerſos* reſpondeat, aut majorem numerum, juxta magiſtros, in lege contineri neget.

III. Urbem autem ſeu civitatem quamlibet ex hac lege judicandam noluere. Nimirum non aliquam מערי מקלט *ex urbibus aſyli jure donatis*, ſex illis [a] in ſacra lege (ut aliqui volunt, novem) praeſtitutis. Ratio adjicitur, quia legis [b] verba ſunt, באחת עריך *in una*, ſeu *aliqua*, *urbium tuarum*. Urbes ad fugitivorum refugia deſtinatas, ſeu jure aſyli donatas, eo nomine generali venire nolebant, nec Hieroſolyma hac lege teneri. Legis ſacrae verba ſunt [c], *In una urbium tuarum, quas Dominus Deus dat tibi ut habites in eis*, ſeu *ad habitandum ibi*. Ad haec magiſtri [d], פרט לירושלם שלא ניתנה לבית דירה *Excipiuntur ſic Hieroſolyma, quae non data ſunt ut habitationis ſedes fieret*, promiſcuae ſcilicet; ſed ut ibi templum aedificaretur, peragerentur ab univerſis ſacrificia, terrae ſanctae metropolis eſſet, habitatio autem hiſce tantum fieret acceſſoria. Quin & Maimonides [e]; ולא ירושלם נעשית עיר הנדחת לפי שלא נתחלקה לשבטים *Sed in Hieroſolyma ſententia ex lege illa ferenda non erat, quoniam urbs ea tribubus non eſt diſtributa.* Non eo modo nec ac finem eundem quo urbes caeterae tribubus ſparſim aſſignatae; quod & aliis in rebus [f] aiunt. Alioquin tribubus Juda & Benjamin diſtributam eſſe ſcimus. Sed praerogativam ejuſmodi, aliaſque id genus, aut conſtitutionibus Ezraianis maxime deberi, aut ejuſdem morum veterum inſtaurationi, in Talmude legitur [g] Babylonio.

IV. Neque urbem in terrae ſanctae ac territorii gentium vicinaram confinio, aut maritimam, legibus hiſce damnari volebant. Miſna [h]; אין עושין עיר הנדחת בספר *Lege apoſtaſiae generali damnanda non erat urbs in limitibus poſita*, ſeu urbs terrae ſanctae limitanea, aut maritima, aut כרך המבדיל בין ישראל לכותיים *urbs limitanea inter Iſraelitas & Cuthaeos*, ſeu *Gentiles*. Rationes adducuntur ex illo, *e medio tui* [i], adeoque non ex agris limitaneis aut maritimis; item [k], כדי שלא יכנסו גוים ויחריבו את ארץ ישראל *ne inde eveniret ut facilius irrumperent Gentiles, & terram Iſraeliticam devaſtarent.*

V. Locum item negabant legibus illis, niſi perſuaſores, impulſores, ſeductores in ipſa perſuadendi formula ſeu phraſi numerum pluralem uſurpaſſent [l], veluti, *Eamus & ſerviamus diis alienis*, quae ipſa ſunt ſacrae legis verba, aut id genus aliud pluraliter; nec niſi ex ejuſmodi perſuaſione, vero relicto cultu, deficientes cives aut idolum in cujus cultum eos perſuaſerant concives

[t] Videſis Gemar. Babylon tit. *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 111. 2. Moſes Mikotzi Praecept. Affirmat. 15. [v] Tit. *Sanhedrin*, cap. 11 [x] Fol. 111 2. [y] Tit. *Sanhedrin*, cap. 17. fol. 29. col. 3. Halach. 7. [z] § 6. [a] Numer. xxxv. 13. vide Deut xix 9. & ibidem Jarch. & Lyranum, & J. Druſ. ad Deut. cap. xix 9. [b] Deut. xiii. 12. [c] Ibid [d] *Sepher Siphri*, fol. 41. col. 162. *Peſiktha Zotertha*, fol. 73. col. 2, [e] Halach. *Aboda Zara*, cap. 4. §. 4. & Halach. *Bith habechira*, cap. 7. §. 14 [f] *Peſiktha Zotertha*, fol. 78. col. 2. Gem. Hieroſolymitan. ad tit. *Sota*, cap. 9. fol 23. col 3. Maimonid. Halach. *Rotzach*, cap. 9. & vide infra cap 8. [g] Ad tit. *Baba Kama*, cap. 7. fol. 82 2. [h] Tit *Sanhedrin*, cap. 1. [i] Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 16. 2. [k] Maimonid. Halach. *Aboda Zara*, cap 4. §. 4 *Ceſeph Miſna* ibidem. [l] Maimonides Halach. *Aboda Zara*, cap. 4. § 5.

illi קבלו באלוה *pro ipso numine accepissent*, cultuve aut numini sanctissimo aut ipsi idolo proprio, או באחת מארבע עבודות *aut aliquo cultus quadruplicis genere*, id est, aut adoratione, aut immolatione, aut suffumigatione, aut libamine, coluissent. Nimirum, ut alibi [m] fusius monemus, extra haec idololatriae genera, non ultimum supplicium sed alia poenarum genera subibant Israelitae. Praeteraea, trinae urbes invicem vicinae ex hac lege non erant delendae; non scilicet supra binas sic vicinas. Nec plures בב"ד אחד *ex autoritate synedrii unius*; quod puto intelligendum unius synedrii magni principis tempore. Urbs igitur apostasiae rea absque temperamentorum seu conditionum jam dictorum ratione non omnino erat ex legibus illis de urbe seu civium universitatis parte saltem majori judicanda, sed ex illa quae ad privatos hominesque singulos attinet; adeoque nec gladio sed lapidatione plectendi cives, nec urbs delenda.

VI. Quoniam tamen qualiscunque apostasia generalis, seu quae hominum multitudinem invaserat, provincialium seu synedriorum minorum vires, quod aliter fieri nequibat, excedere potuisset, ideo sive ex hac lege de civium universitate illa civili sive altera illa de privatis ac singulis hominibus res esset definienda, ordo judicii atque exsecutionis ex autoritate synedrii magni pendebat, atque inde ritu solenni emanavit. Is erat ejusmodi, ut, cognita rei veritate, temperamentisque jam dictis accurate perpensis, aut ex hac aut illa legum superius allatarum, prout res ipsa ferebat, dijudicarent. Judicium autem hoc aut ad personas attinuit, aut ad res. De personis, rem integram sic ad veterum mentem enarrat optime Maimonides [n]; והיאך דין עיר הנדחת בזמן שתהיה ראויה להעשות עיר הנדחת בד"ה הגדול שולחין ודורשין וחוקרין עד שידעו בראיה ברורה שהודחה כל העיר או רובה וחזרו לע"ז אחר כך שולחין להם שני תלמידי חכמים להזהירם ולהחזירם אם חזרו ועשו תשובה מוטב ואם עמדו באולתם בד" מצוין לכל ישראל לעלות עליהן לצבא וצרין עליהן ועורכין עמהם מלחמה עד שתבקע העיר כשתבקע מיד מרבין להן בתי דינין ודנין אותם כל מי שבאו עליו שני עדים שעבד ע"ז אחר שהתרו אותו מפרישין אותו נמצאו כל העובדים מיעוטה סוקלין אותן ושאר העיר ניצול נמצאו רובה מעלין אותן לב"ד הגדול וגומרים שם דינם והורגין כל אלו שעבדו בסייף ומכין את כל נפש אדם אשר בה לפי חרב טף ונשים אם הודחה כולה ואם נמצאו העובדים רובה מכין את כל הטף והנשים של עובדים לפי חרב ובין שהודחה כולה בין שהודחה רובה סוקלין את מדיחיה: *Ordo judicii quod ad urbem apostasiae ream attinuit hujusmodi erat. Si quando visum erat de ejusmodi urbe cognoscere*, quoties nempe fama apostasiae generalis percrebuit, *synedrium magnum, missis primo qui, diligentissima habita pervestigatione, ex evidentia rei certius facerent sive universitatem sive majorem partem urbis defecisse ad idololatriam, dein ad eam mittebat binos sapientiae studiosos*, seu *judiciariae dignitatis saltem candidatos, qui & monitorum officium praestarent, & ad bonam mentem, si fieri posset, reducerent. Si urbs ad verum cultum redux resipisceret, res se bene habuit. At vero si stultitiae suae tenax perseveraret, synedrium jubebat populum Israeliticum vi militari eam adgredi, qui eam obsidione copiisque bellicis*, si aliter res peragi nequibat, *adortus tandem irrumpebat. Quo facto, confestim synedria compluria ibi ab eo constituebantur qui eos in jus vocarent. In causa hac cognoscenda, quotquot bini testes idololatriae reos assererent fuisse, postquam monerentur, seorsim collocabantur. Hi, si minorem duntaxat partem civitatis conficerent, lapidandi erant*, ex lege nempe de singulis apostatis, non ex ea quae ad universitatem civium spectabat; *caeteris poena omnino liberis. Quod si pars ii major essent, ablegandi erant ad synedrium magnum, in quo peragendum erat eorum judicium. Nimirum gladio interficiendi erant universi sic apostasiae rei. Quin si urbs universa sic rea esset, gladio similiter percutiendus erat quilibet in ea homo, etiam parvuli & foeminae. Sin vero pars tantum major, gladio percutiendi erant parvuli & foeminae* uxores *cunctae eorum qui defecerant. Sive vero urbs universa sive pars major defecisset, persuasores seu impulsores ipsi lapidandi fuere.* Sic ille. Adjicit dein [o], שיירה העוברת ממקום למקום אם עבדה בעיר הנדחת והודחה עמה אם שהתה שם ל' יום נהרגין בסייף וממונם אבד ואם לאו הן בסקילה וממונן ליורשיהן vertit Dionysius Vossius, *peregrinantes, si, dum per urbem seductam transeunt, pariter seducantur, post moram eorum triginta dierum gladio necantur, & facultates amittunt. Sin tantam in ea moram non traxerint, ipsi quidem lapidibus obruuntur, bona vero haeredibus cedunt.* Quod Maimonidi est שיירה, *turmam transeuntium* significans, in Misna est הגמלת וחמרת העוברת ממקום למקום *camelarii & asinarii transeuntes a loco ad locum.* Res quae in hoc venere judicium aut bona fuere quae in urbe seu civium erant, aut urbs ipsa.

VII. Tam bona quam urbs ipsa comburenda fuit, ex legis sermone; gladio primo percussis etiam jumentis brutisque omnimodis; temperamentorum aliquot, quae statim insequuntur, ratione semper habita: Bona autem (quae שלל id est tam *praeda* quam *supellex* nuncupantur) non alibi atque in platea ejus, seu loco ampliori qui eorum capax, seu in foro. Quin si forte deesset urbi platea ejusmodi, ne a legis verbis discederent, ante combustionem locum ita capacem intra urbem aptabant. Si in suburbiis forum seu platea esset idonea, ea ita muro incingenda erat ut intra urbem inde ejusque pars haberetur. Nec solum eorum qui gladio puniti, seu deficientium, bona, sed *justorum* [p] etiam (uti appellant) id est eorum qui cum majore parte non defecerant, ibi reperta, igne sic consumenda erant. Non tamen deposita, pignora, aliave id genus quae eorum erant qui non istius urbis cives. Quoniam scilicet dicitur in lege, שללה ולא שלל חבירתה *supellex ejus, non alterius cujuspiam.* Licuit autem deficientium bona quacunque in civitate alia reperta in rogum congerere. Quod tamen si non fieret, ea ad haeredes eorum transibant;

[m] Lib. 2. de Iure Naturali & Gent. cap. 1. & Misn. tit. Sanhedrin, cap. 11. §. 5.
[n] Hal. *Aboda Zara*, cap. 4. §. 6.
[o] Halach. *Aboda Zara*, cap. 4. §. 9.
[p] Maimonides Halach. *Aboda Zara*, cap 4. §. 10. Misna tit. *Sanhedrin*, cap. 11.

nec

nec anathematis hic nomine seu rerum humanis apud eos usibus exemtarum continebantur. Excipiebantur etiam, praeter jam dicta, arbores in urbe crescentes, earumque fructus nondum decerpti, similique ratione capilli nondum detonsi, etiam & res sacrae; distinctione tamen de hisce adhibita. Si quae animalia ibi reperirentur ad altare ex voto immolanda, aut bona templi fabricae devota, haec primo redempta in rogum erant conjicienda, illa cum caeteris gladio percutienda comburendaque. Oblationes, id genus caetera, quae jam in sacerdotis alicujus bonis, in putredinem seponebantur, nec combusta, sed humanis usibus, ut anathemata, interdicta. Quae tamen, si nondum in sacerdotis, sed Israelitae seu laici, a quo sacerdos nondum acceperat, bonis censerentur, יתנו לכהן של מדינה אחרת מפני שהן נכסי שמים וקודשתן קדושת הגוף *dabant eis sacerdoti alicujus alius urbis, quoniam erant sic bona ipsius numinis, & suam in seipsis retinebant sanctitatem.* Nam observant, שללה ולא שלל שמים *supellectilem ejus, non supellectilem numinis,* contineri in lege sacra. Decimam autem secundam, & scripta sacra in urbe ejusmodi reperta, itidem recondebant, humanisque usibus eximebant, nec comburi volebant.

VIII. Urbs ipsa sic deleta nunquam instauranda erat, ex ipsa lege sacra. Qui instauratum iret, uti etiam qui rebus sic interdictis, seu anathemate, ut bonis aliis uteretur, verberibus erat puniendus. Caeterum, tametsi urbs ibi nova exstrui non debebat, fas fuit nihilominus ejusdem locum omnigeno arborum, fruticum, herbarum genere conserere, hortosque ibi plantare; quod expressim complures dicunt: Forsan etiam aedificia adjicere, modo in urbem non excrescerent. Nam signantius scribunt [q], לא נבנה עוד לכמו שהיית *non amplius aedificetur in pristinum statum.* Neque aliter interpretantur illi sacrum de tumulo sempiterno, in quem redigenda erat, sermonem. Cum interea alii * adeo tumulum fore sempiternum velint, ut nec columbarium, seu quid ejusmodi aliud, nec hortos aut pomaria statuant ibi unquam permittenda. Eis quae hactenus dicta sunt de tribu & urbe ad imperium & jurisdictionem synedrii magni solum attinentibus adjungantur quae apud Ezram occurrunt de populo convocando, & uxoribus exteris, quibus se conjunxerat, ejiciendis. Universitas ibi judicatur & (si recte libro superiori conjecimus) in ipso synedrio tunc temporis magno. Neque in foris seu synedriis ordinariis fieri potuit ut eorum aliquod, praeter hoc, quod omnia supereminebat, populi universitatem seu insigniorem ejusce partem judicaret.

CAP. VI.

I. *Pseudopropheta qualisnam esset, cujus judicium synedrio magno proprium.*

II. *De prophetis fide habenda, maxime de rebus praesentibus.*

III. *De futuris quomodo prophetae habenda fides, pseudoprophetae poena.*

IV. *Testimonia aliquot scripturae de judicio pseudoprophetae, quo nomine volunt aliqui D. N. Jesum Christum in synedrium magnum deductum.*

ILLUD etiam in scitis habent receptissimum; אין דנין נביא השקר אלא בב"ד של ע"א *Judicandus* [r] *non erat propheta mendax,* seu *pseudopropheta, alibi atque in synedrio septuagintauniusvirali.* Quod ut rite capiatur, monendum est de diversa prophetae notione; non pseudoprophetam hic intelligi quicunque in novam haeresin seu alienum cultum sive populum sive singulos Israelitas incitaret, humanum duntaxat obtendens ingenium ac doctrinam simul cum interpretatione sibi sectariisve peculiari, aut tantum qui futura aut qui futura semper falso praediceret, sed pseudoprophetam tantummodo qui aut veri numinis aut idoli sibi dictata simulans, sive in alienum cultum sive in haeresin quempiam inde incitaret, sive inde futura etiam praediceret: Etiam quicquid ex idoli autoritate praemoneret, tametsi res ipsa licita alias esset nec a vero cultu dissona, pro pseudopropheta nihilominus habebatur. Adeo ut prophetae hujusmodi falsitas non tam ex re de qua locutus est, quam sive ex falso numinis veri sive ex vero falsove numinis falsi obtentu esset decernenda. Etenim si quis, etiam alias propheta, quempiam absque hujusmodi obtentu in idololatriam seu extraneum cultum persuaserat, lege illa solummodo [s] tenebatur qua quilibet alius e vulgo seductor. Quin & lapidationis poena is erat puniendus, idque ex sententia synedrii cui suberat vigintitriumviralis. At si accederet obtentus ejusmodi, judicium in eum extra synedrium magnum neutiquam erat ferendum, nec alia praeter strangulationem poena ipse afficiendus. Lex ait [t], *Propheta qui praesumpserit loqui* (seu, ut Vulgata, *arrogantia depravatus voluerit loqui) verbum in nomine meo quod ego illi non praecepi ut loqueretur, & qui loquitur in nomine deorum alienorum, morietur propheta ille.* Alibique [v], proxime ante legem de seductore qualicunque e vulgo, propheta & somniator qui pellexerit in idololatriam morte plectendus est; quod simpliciter dictum perpetuo (ut non semel est monitum) de strangulatione accipitur. Adeoque legem illam de propheta ac somniatore, utpote manifesto ab ea quae de seductore e vulgo fertur distinctam, ex jam citata de propheta sic interpretantur ut de eo qui loqueretur aut falso in nomine Dei veri aut omnino in nomine idoli utramque capiant. Unde est quod habetur in Gemara Babylonia [x], Misnae etiam omnino concordi; ת"ר שלשה מיתתן בידי אדם ושלשה מיתתן בידי שמים המתנבא מה שלא שמע ומה שלא נאמר לו והמתנבא בשם ע"ז מיתתו בידי אדם הכובש את נבואתו והמוותר על דברי נביא ונביא שעבר על דברי עצמו מיתתו בידי שמים *Tra-*

[q] Misna tit. *Sanhedrin*, cap 11. Maimonid. Hal. *Aboda Zara*, cap. 4. *Pesiktha Zotertha*, fol. 73. col. 3. * *Sepher Siphri*, fol. 41. col. 163. & vide Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 113. 1. [r] Misn. tit. *Sanhedrin*, cap 1. Maimonid. halach. *Aboda Zara*, cap 5. Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 97. [s] Deuter. xiii 6. [t] Deuter. xviii. 20. [v] Deuter. xiii. 1. [x] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol. 89. 1.

ditio

dicio est Rabbinica; in re prophetali triplex esse hominum genus quod judicio humano puniendum est, & triplex itidem quod divino, seu *coelitus, punitur. Qui prophetat id quod non audivit*; exemplum ejusmodi pseudoprophetae afferunt ex illo [y] de Zedekia Ben Chenana; *& qui quod non illi sed alteri cuipiam tantum dictum est*; hujus exemplum ex illo de Chanania [z] Ben Azur; *& qui nomine idoli prophetat*, veluti prophetae Baal, *judicio is puniendus est humano. Qui autem prophetiam suam supprimit*, veluti Jonas †, *& qui prophetae verba spernit, aut sui ipsius verba non observat, coelitus puniendus est.* Idem fere in Gemara altera *, alibique apud magistros. Priora igitur genera tria pseudoprophetarum in synedrio magno judicanda erant.

II. Quod autem legi adjicitur, *Si* [a] *dixeris in corde tuo, quomodo scire poterimus verbum quod non locutus est Dominus? Quando scilicet propheta loquitur in nomine Domini, & non fuerit verbum*, seu *res illa, nec evenerit, verbum illud est quod Dominus non est locutus: Sed ex praesumptione locutus est propheta. Non timebis ab illo*; illud interpretantur de re a quoquam, velut a propheta qualem diximus, pronunciata, sive quae Mosaicis institutis, quae scilicet jam antea erant, esset adversa aut discors; sive quae simpliciter esset futura, neque illis omnino adversa; hoc adjecto interim temperamento, prophetam pietate alias ac justitia celebrem, etiam in rebus quae Mosaicis institutis pro re nata tantum seu לפי שעה pro *singulari temporis necessitate* adversarentur nec in legem perpetuam transirent, credendum. Jarchius ibi, ut ex numinis dictatis, idque ad veterum mentem; אני אומר כבר נצטוו שאם בא להדיחך מאחת מכל המצות לא תשמע לו אלא אם כן מוחזק הוא לך שהוא צדיק גמור כגון אליהו בהר הכרמל שהקריב בבמה בשעת איסור הבמות כדי לגדור את ישראל הכל לפי צורך שעה ומשם הפריצה לכך נאמר אליו תשמעון *Dico ego; jam in praeceptis habetur, si advenerit* propheta *ut te in defectionem ab aliquo praeceptorum impellat, non audias eum; nisi scilicet spectatissimus tibi sit ipse, & justitiae vir integrae; quemadmodum Elias in monte Carmeli, qui obtulit* [b] *in excelso, etiam quando excelsa interdicta fuere, ut nimirum temporis necessitate ductus labantes res Israelis instaurando tueretur; unde etiam is erit* [c] *audiendus.* Cum autem prophetae verba fierent aut de praesentibus aut futuris, ipsumque prophetae munus ac qualitas aut in Mose cernatur, aut in caeteris qui eum sunt secuti; aiunt [d] Mosem plane a caeteris inprimis ex hoc esse discriminandum, quod ei loqueretur numen sanctissimum פה אל [e] פה *ore ad os*, nec videret ipse בחידה או במשל *in aenigmate aut parabola*, sed כל דבר על בוריו *rem unamquamque manifesto ac aperte*, caeteris vero per angelos Deum esse locutum, ipsosque vidisse in aenigmate & parabola, animasque eorum, postquam moribus sanctissimis ac mente defaecatissima se dignos prophetiae munere reddentes spiritum sanctum acceperant, evectas esse in dignitatem angelorum qui ignei dicuntur, atque eorum ministerio res illis a Deo patefactas. Quod autem ad praesentia, in fide prophetis habenda, attinet; illud in universum pronunciant, pseudoprophetam esse censendum quicunque prophetia obtenderet id quod legem Mosaicam solveret, quam sempiternam fore, idque ex primario instituto coelitus accepto, credunt. Idem itidem de eo qui aut non sempiternam esse eam, ut propheta, doceret, aut ejusdem caput aliquod non diutius obligare, novumque esse ex autoritate numinis adjiciendum. At vero jam e Jarchio allatae exceptioni consentiunt, de re nata seu temporis necessitate, distinctione tamen adhibita; nimirum prophetae alias probatissimo etiam credendum, & quod dixerit sequendum fuisse, tametsi legem violari ex autoritate numinis jussisset, modo nec in cultum omnino extraneum (qui semper excipiendus erat) quempiam adigeret, nec abolitionem seu solutionem legis seu ejusdem capitis alicujus introduceret, sed tantum לפי שעה *pro temporis necessitate*, ut Elias in Carmelo, id faciendum vellet cui nec cultus aliquis extraneus seu idololatria nec autoritatis alicujus legis Mosaicae abolitio inesset, לפי שעה שומעין לו בכל *Quoties pro temporis necessitate* aut *pro re nata* tantum *loquebatur* ejusmodi propheta, *in omnibus* erat audiendus, nec pseudopropheta eo nomine habendus. Atque sic intelligunt id quod in lege sacra [f] de fide prophetae habenda continetur, quantum ad praesentia attineret.

III. Futurorum prophetae fides ex eventu pendebat, sed cum hisce temperamentis. Si complura praedixerat bona, quorum pars tantum aliqua evenisset, nec omnia, in pseudoprophetis habebatur; quod de tempore & loco etiam in prophetia assignato est intelligendum. Si famem, pestem, bellum, id genus alias calamitates seu mala praedixerat, tametsi non evenirent, pseudopropheta nihilominus neutiquam censebatur. Rationem afferunt diversitatis. Ubi bona praedicta non evenirent, בידוע שהוא נביא השקר *inde manifestum fiebat quod esset pseudopropheta*, quoniam regulariter כל דבר טובה שיגזור האל אפילו על תנאי אינו חוזר *quodcunque decreverit Deus de bono eventuro, id aliter se habere nequit*, seu *sententiam ipse non rescindit*. At vero aliter se rem in malis seu calamitatibus praedictis habuisse volunt. Quoniam tardus ad vindictam & misericors est Deus; & forte poenitentia ducti ii in quos praedixerat ad bonam mentem redierant, ideo אין בזה הכחשה לנביאתו ואין אומרין הנה דבר ולא בא *non inde mendacii erat prophetia ejusmodi damnanda, neque eum velut hallucinatum suggillabant*. Unde habent & illud, בדברי הטובה בלבד יבחן הנביא *ex bono tantummodo praedicto propheta dijudicabatur*, in futuris scilicet praedicendis; exemplumque afferunt illud hic etiam Chananiae [g] Ben Azur. Addunt item, נביא שהעיד לו נביא אחר שהוא נביא הרי הוא בחזקת נביא *Propheta qui testem sibi habet prophetam alterum* jam probatum, *praesumitur esse propheta* verax. Universi autem, juxta ea

[y] 1 Regum xxii. 11. & 2 Paralip. xviii. 10. [z] Hierem. xxviii. 11. † Jonas i. 3. * Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 30. col. 2. Maimonides Halach. *Jesude Thora*, cap. 9, &c. *Aboda Zara*, cap. 5. Cotzensis Praecept. negat. 32, 33, &c. Jarch. ad Deuter. xviii. [a] Deuter. xviii. 21. [b] 1 Regum xviii. [c] Deut. xviii. 15. [d] Maimonid. Halach. *Jesude Tora*, cap. 7, 8, 9, 10. & supra citat. e Gemaris, & de natura Prophetiae consulas *More Nebochim*, part. 2. cap. 36, &c. [e] Numer. xii. 8. [f] Deut. viii. 15, 18. [g] Jerem. xxviii. 11.

quae

quae dicta sunt, in pseudoprophetis habiti, ex sententia duntaxat synedrii magni, strangulatione plectendi fuere.

IV. Ad judicium synedrii magni in pseudoprophetam ferendum, attinet illud quod habetur apud Jeremiam[h] de se in jus vocato & in lacum conjecto; ubi Hugo Grotius[i] verba illa, *Ecce ipse in manibus vestris est*, explicat, *in manibus synedrii, cujus est judicare de propheta vero aut falso.* Item huc referendum illud quod de eodem propheta velut pro falso apud Judaeos suos habito praecedit[k], *Factumque est cum consummasset Jeremias, loquens quae praeceperat Dominus loqui ad cunctum populum, apprehenderunt eum sacerdotes & prophetae atque cunctus populus* (ubi Hugo Grotius, *nempe* ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *cui prehendendi in templo jus erat, assentientibus sacerdotibus qui aderant & prophetis, plebe autem obsecundante) dicentes, morte morieris. Et quare prophetasti in nomine Domini, dicens, sicut Silo erit domus ista, & civitas ista devastabitur, eritque absque habitatore? Et congregatus est universus populus ad Jeremiam in domo Domini. Et audientes principes* (שרים) *Judae* (Grotius, *senatores magni synedrii, ad quos pertinebat judicium de propheta vero aut falso) verba ista, ascenderunt de domo regis in domum Domini, sederuntque in ostio portae Domini novae.* (Grotius, *aedificatae a Jothamo,* 2 Reg. xv. 35. 2 Paralip. xxvii. 3. *Eam fuisse ad orientem ait hic Chaldaeus. At Maimonides curiam hujus synedrii ad occidentem locat. Verum nihil mirum, eum conventus locum in templo secundo fuisse translatum.* Et de loco synedrii magni diximus libro secundo) *Dixerunt autem sacerdotes & prophetae ad principes & ad cunctum populum, loquentes, judicium mortis est viro huic, quoniam prophetat contra civitatem istam, sicut auribus vestris audivistis,* &c. Etiam *principes* שרים postmodum ibi pro majore parte synedrii sumit Grotius, uti & אנשים מזקני הארץ *viros e presbyteris terrae* pro synedris ejusdem. Aliud ibi[l] de Michaea propheta, velut synedrii, nomine totius Judae, seu populi, cujus vices sustinebant (ut inferius ostendetur) jurisdictioni obnoxio, huc etiam attinet. Quin & jurisdictionem synedrii hanc singularem nonnulli[m] existimarunt spectasse D. N. Jesum Christum, ubi[n] ait, οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ, *non capit*, seu *fieri non potest, prophetam perire* morte plecti *extra Hierosolyma*, ubi synedrii illius sedes. Atque alia id genus ex Evangeliis statim memorata illuc itidem trahunt. Cum autem apud Hieronymum[o] habeatur, *Constituti erant in populo Judaeorum sacerdotales gradus, qui prophetas pseudoprophetasque discernerent, hoc est, intelligerent qui de Dei spiritu loquerentur, qui de contrario. Legamus Hieremiam.* Sacerdotalium ad hanc rem graduum apud magistros ne vestigium quidem alibive comperio. Etiam prophetiae nomine in synedrium hoc deductum volunt scriptores aliqui D. N. Jesum Christum. Baronius[p]; *Cum ad Caipham summum pontificem perductus est, quo magnum illud septuaginta duorum seniorum* (sic ille saepius in numero impingit, ut ante[q] monuimus) *summo mane cogendum concilium erat, atque hoc exspectaretur, viri qui tenebant Jesum illudebant ei; & quoniam quaestio de eo habenda erat, an esset propheta, id prius illi experturi, velantes eum percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum, dicentes[r], prophetiza, quis est qui te percussit?* Alibique ante[s] Christum ait ad synedrium hoc perductum quoniam subinde de veritate prophetiae ejus quaestio agitabatur; alii tantundem. Etiam Judaei[t] eo interdum nomine ut seductorem fuisse ipsum morte damnatum aiunt. Cum ab eo veluti a propheta signum petiisse[v] Judaeos constet. Et singularem signi (quod σημεῖον & אות vocant) in prophetis dijudicandis rationem haberi tum e sacris literis[x] tum e magistrorum doctrina discimus. Etiam ad hanc synedrii magni jurisdictionem atque hujusmodi judicia attinet illud in Evangeliis[y]; *Hierusalem, Hierusalem, quae occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.* Hierosolymis tantum ex singulari synedrii magni ibi sedes habentis, jam dicto jure *occidendos*, id est, strangulandos, pseudoprophetas videmus. Et prophetas revera veros si ita morte plexi, pro pseudoprophetis seu eorum nomine plexos nemo dubitabit. Quod vero adjicitur de *lapidatis qui missi sunt*, juxta magistrorum traditiones hac in re receptissimas intelligi potest de prophetis, alisve qui, dum non ut prophetae (notione superius indicata) sed ut persuasores tantum pii seu impulsores impiorum ad bonam mentem missi, velut pro iis qui ad extraneum aut non admittendum cultum persuaderent impellerentve, sumpti, lapidatione, juxta legem[z] in seductores, punirentur. Nam ex prophetis[a] scimus, Hierosolymis interdum judices *abominatos esse judicium, & omnia recta pervertisse.* Nisi velis lapidationem in Evangeliis hic pro plebis furore, ut nonnunquam, non pro poena forensi accipiendam. Etenim forensis poena pseudoprophetae non lapidatio fuit sed strangulatio, quam simplici poenae mortis seu occisionis mentione innui semper in lege volunt magistri. Sed de judicio illic in D. N. Jesum Christum plura inferius.

CAP. VII.

I. *De Cadaveris occisi jacentis in agro, ubi homicida ignorabatur, a circumjacentibus urbibus distantiae mensuratione, & vitula seu juvenca decervicanda, lex sacra.*

[h] Cap. xxxviii. 4, &c. [i] Et videsis eum de Jure Pacis & Belli lib. 1. cap. 3. § 20. & ad Matthaei cap. v. pag. 81. [k] Jeremiae xxv 8. [l] Comm 18. [m] *J.* Drusius Praeterit ad Matth. xxiii. 37. & ad Luc xiii. 33 & Frederic. Spanheim. Dubiorum Evangelic. part. 3. Dub 130 pag. 801. [n] Luc. xiii. 33 [o] Lib. 2. in Esaiam cap. iii. [p] Annal. ann. Christi 34. [q] Lib. 2. [r] D Matth xxvi &c. [s] Ann Christi 31. [t] Videsis Gemar. Babylon ad tit. *Sanhedrin*, cap 6 fol. 43 1. R Lipman Mulhusinum in *Sepher Nizahon*, Paulum Fag in Chald. paraphr. Deut. xviii Munster. ib. & in Evangel. Ebraic D. Matthaei pag 365, & ad Deut. xiii. [v] D. Matth xii. 38. & xvi. 1. D. Luc. xi. 29. 1 ad Corinth. 1. 22. & vide Luc. xxiii. 8. [x] Moses Maimonid. Halach *Jesudi Tora*, cap. 10. Gemar. Babylon. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 10. fol 89. 2 & videsis Jo. Cochium in Excerpt. Gemar. tit. *Sanhedrin*, pag. 301. [y] D. Matth. xxiii. 37. D. Luc. xiii. 34. [z] Deuter. xiii. 10 [a] Micheas iii. 9. Habacuc. i. &c.

II. *Qualianam cadavera lege illa continerentur, & quomodo mensurandi hic munus incubuerit synedris magnis.*

III. *Qualium hic urbium in distantia mensuranda ratio habenda. Terminus a quo in mensura distantiae.*

IV. *Vitulae seu juvencae decervicandae, velut in caedis expiationem, ritus a synedriis minoribus praestandi.*

V. *Sacerdotum hic officium, & carminis expiatorii pronunciatio.*

VI. *Si urbes binae in distantia pari. Ritus interdiu non nocte praestandus. Juvenca humanda, nec omnino usibus humanis adhibenda. Quid hac de lege Fl. Josephus.*

VII. *Mos Graecorum priscus de caedis, maxime dolo vel clam patratae, sacris publicis expiatione, per extremas etiam occisi partes abscissas & collo appensas. Caedis humanae apud Romanos, prae aliis sceleribus, expiatio solennis frequensque.*

VIII. *Obiter de jure apud Anglos veteres ad clam occisi cadaver spectante singulari, seu de Englisheria, quae sub Edwardo tertio abolita est.*

QUAE proxime in distributione superiore de uxore adulterii suspecta per aquas amaras examinanda, & de sacerdotum natalibus vitiisque sive corporis sive aliis dijudicandis sequuntur, juxta institutum, praetermittimus, quoniam alibi [b], suisque in locis, de eis satis egimus. Hisce proximum est, de cadaveris in agro reperti, ubi homicida ignorabatur, a circumjacentibus urbibus distantiae mensuratione. Lex est [c]; *Si inventum fuerit hominis cadaver occisi in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi possidendam, jacens in agro, & ignoratus fuerit homicida, egredientur seniores*, seu *presbyteri tui, & judices tui, & metientur a loco cadaveris singularum per circuitum distantias civitatum. Et quae caeteris est vicinior*, notetur; *tollantque seniores illius civitatis vitulam*, seu *juvencam, de armento, qua non est servitium ullum factum, & quae non traxit jugum. Et deducant seniores illius civitatis vitulam illam in vallem asperam ac saxosam, incultam, nec satam, & decervicabunt ibi vitulam in valle. Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegit Dominus Deus tuus, ut ministrent sibi, & benedicant in nomine Domini; & juxta verbum eorum*, seu *in ore eorum, erit omnis causa atque omnis plaga. Et omnes seniores civitatis illius, qui propinquiores cadaveri, lavabunt manus suas super vitulam in valle decervicatam, & respondebunt, & dicent, Manus nostrae non fuderunt sanguinem istum, nec oculi nostri viderunt. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine; nec reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis. Tu itaque alienus eris ab innocentis cruore qui fusus est, si feceris quod rectum est in oculis Domini.* Id quidem verum est, legem hanc non solum ad synedrii magni jurisdictionem seu imperium, verum etiam ad synedria minora, & sacerdotes etiam, presbyterosque minorum urbium spectasse. Quoniam vero ordo solennis, quo omnia in ea contenta peragerentur, inchoandus semper erat a synedrio magno, atque ex eo quod illi hic erat praestandum caetera quae sequebantur omnino pendebant, ideo tam quod ad caetera quam quod ad magnum attinuit, secundum magistrorum placita, hic explicabimus.

II. Cum autem homicidii genus aliud esset manifestum, seu ex testium fide cognitum, aliud nec manifestum sed in occulto patratum, adeo ut homicida plane ignoraretur, atque in hoc genere variae essent caedis species, loca item varia in quibus cadaver reperiretur; prioris generis homicidia universa ex jure ordinario, uti & secundi ea quae juxta jam dicenda hac in lege non continerentur, ad vigintitriumviralia synedria quorum intra ditionem erat homicidii locus tantummodo attinebant; sive poenam spectes, sive inquisitionem, sive actum aliquem inquisitioni praevium. At vero quoties in campestribus aut rusticis locis, juxta statim ostendenda, cadaver occisi in terra jacens repertum est, prout sunt legis verba (quibus sic pro more suo inhaerent ut nec de cadavere in aere suspenso, aut arenae seu pulveris cumulo abscondito aut terra obruto, aut in aquis fluitante legem capi velint [d]) neque sciebatur undenam caedes illa evenisset, synedriis sive omnibus sive aliquot, ex autoritate omnium, synedrii [e] magni, exeundum erat ad loci cadaveris atque urbium circumjacentium inde distantias metiendum, tum ut ita urbem cadaveri proximantem, tum ut an ejusdem ut proximantis ex lege ratio habenda esset, ipsi dignoscerent. Neque enim universae urbes ejusmodi erant ut pro proximantibus aut eis ad quas erat mensurandum hic sumerentur. Hoc a synedrii magni collegis sic facto, caetera in lege sequebantur. Nimirum verba illa, *Egredientur seniores tui ac judices tui*, de synedris synedrii magni intelligunt. Unde & Maimonides, לא מוציאין למדידת החלל אלא על פי ב"ד הגדול *Non exibant* [f] *quiquam ad intervalla inter cadaver occisi & circumjacentes urbes mensuranda citra decretum synedrii magni.* Neque sane res ad complures urbes simul attinens commode ab aliis peragi quibat. Fuere qui verba illa aliter interpretarentur, uti libro occurrit in superiore. Sed receptissimum est, de synedrio magno ejusve synedris eam in rem delegatis tantum ea sumenda; unde & in paraphrasi Uzielidi tributa pro eo quod est, *Et egredientur seniores tui*, seu *presbyteri tui, & judices tui*, legitur ויפקון מבי דינא רבא תרי מן חכימיך ותלת מן דייניך

[b] In Uxore Ebraica, lib. 2. cap. 13. & lib. 2. de Success. in Pontificat. cap ult. [c] Deuter. xxi 1. [d] [illegible] fol 47. col 1?8. *Pesikta* [illegible], fol 78. col 3. Pseudo-Uzielides in Paraphr. Deut. xxi 1. statim [illegible]. [e] [illegible] Gemarae utraque tit. *Sota*, cap. 9. Maimonid. Halach. *Rotzach*, cap 9. Jarchi ad Deut. xxi. Moses [illegible] Praecep. Affirm. [illegible] 8. Abarbinel in *Perush Tora*, fol. 366. col. 2, 3. [f] Halach. *Sanhedrin*, cap. 5.

Et

Et egredientur e synedrio magno bini ex sapientibus tuis, & tres ex judicibus tuis. Quod vero habet de numero, ex eo est quod apud Talmudicos receptior sit sententia, quinque [g] nimirum synedrii magni collegas mensurationi illi adesse oportuisse. Nec aliter distinguit inter sapientes ac judices quam ipse sermo sacer inter *seniores* seu *presbyteros* ac *judices*, qui utrique sic memorati pro synedris hujus synedrii indiscriminatim solent capi. Fuere etiam qui ternarium synedrorum hic numerum admitterent. Pro arbitrio autem synedrii magni numerus ille variatim praestituebatur, uti & in phasium lunarium & intercalationum negotio. Adeoque sic delegati illic fuere instar septemviralium aliorumque numerorum judicum a centumviris [h] in Roma veteri delegatis. Sed mire adversatur hic Talmudicis suis, ut non raro alibi, R. Abenezra. Diserte enim ad verba illa *seniores tui* habet זקני הערים הקרובות *seniores civitatum viciniorum*, reclamante magistrorum turba, quae synedrii magni collegas ibi intelligit. Nec praetermittenda erat ejusmodi mensuratio, tametsi manifestissimum esset ex cadaveris in agro aliquo suburbano loco, proximam esse hanc vel illam urbem. Quia ex praecepto mensuratio erat adhibenda, ideo etiam plane inutiliter sic adhiberi debuit.

III. Temperamenta autem de urbibus aliquot ad quas actus hic dimetiendi non omnino attinuit sunt advertenda. Scilicet, a cadavere non mensurabant intervallum aliquod praeter ea quae inter illud & urbem aliquam cui inerat synedrium vigintitriumvirale interciperentur. Aliis minoris notae, ut huic rei imparibus, nec in lege sacra intellectis, prorsus praetermissis. Nec, si in circumjacentibus urbibus ipsa essent Hierosolyma, distantiam eorum metiebantur. Nam neque voluere caetera quae de vitula decervicanda in lege sequuntur ad eam spectasse; ipsa eadem adjecta ratione quam afferunt de sententia urbis apostasiae reae in eam non ferenda: Nec hac, nec illa de apostasia lege, ut & ante memoravimus, hanc teneri [i]. Nam ut in lege de apostasiae urbe rea dicitur, *In una urbium tuarum quas Dominus Deus tuus dat tibi ad habitandum*, ita & hic terrae mentio est expressa *quam Dominus Deus dat tibi possidendam*, aut *ad possidendum*; qualem locutionis formulam excipere aiunt Hierosolyma, quae, utcunque possiderentur & habitarentur, nihilominus dabantur, non tam ut sic perinde atque aliarum urbium domini fierent tribules, sed ut illuc universi solennibus festis se conferrent, sacrificarent ibi, atque ut metropolim suspicerent. Nec urbis alicujus distantia mensuranda erat, nec legis hujus usus aliquis, quoties cadaver prope confinium seu in vicinia gentilium reperiretur. Nam cum ideo mensuram ritusque insequentes adhibitos fuisse liqueat quoniam ignorabatur homicida, in dicta specie sic ignoratum eum esse, aut dubium de caedis autore fieri, ut innocentiam suam ex lege profiteri inde deberent vicinioris urbis incolae, non omnino admittebant. Rationem afferunt, שהרי זה בחזקת שהורגוהו גוים *Quoniam praesumendum est a gentilibus caedem patratam*, adeoque homicidas non ignorari. Terminus a quo dimetiebantur, nonnullis est umbilicus occisi, aliis nasus, aliis areolae quam jacens occupabat extremitas. Sed, puto, nasus receptior est [k]. Et qui de naso opinionem amplexantur, aiunt, si caput detruncatum reperiretur a trunco dissitum, hic ad illud deportandus erat, atque ita jungendus ut a naso, veluti cadaveris integri, mensura posset inchoari.

IV. Mensura sic rite a synedris synedrii magni peracta, sepeliendum erat cadaver, & dein Hierosolyma redibant ipsi, si de homicida interea nihil constaret, nec aliter. Tunc vicinioris cadaveri urbis synedrium vigintitriumvirale (modo scilicet urbs ipsa, pariter ac remotiores, populosa esset; aliter enim etiam remotior eo nomine pro viciniori interdum hic sumebatur) juvencam bimulam, aut aetatis minoris, sed non omnino majoris, in vallem qualis in lege descripta est ducebant, ibique decervicabant; nec solum ipsi verum etiam universi seniores seu presbyteri alii ejusdem urbis, quotcunque essent, aqua ibi lavabant manus suas, carmen in lege praescriptum lingua sancta, nec alia, pronunciantes, *Manus nostrae non fuderunt sanguinem istum, nec oculi nostri viderunt.* Id quod non sumi volunt pro eo quod est suspicionis alicujus de ipso eorum homicidio amolitio, aut quasi de synedrii minoris collegis caeterisque presbyteris suspicio ejusmodi habita fuisset, sed hoc tantum denotasse aiunt, לא באת בידינו הנהרג הזה ופטרנוהו בלא מזונות ולא ראינוהו ופטרנוהו בלא לויה *In nostram potestatem non venit occisus hic, & dimissus a nobis est impastus; nec eum vidimus, & dimisimus eum incomitatum.* In causa nimirum non fuimus nos, sive hospitio eum non excipiendo, sive cibum aut itineris comitatum aliave humanitatis officia ei non praestando, petenti non praebendo, ut inde hujusmodi caedis infortunium extra urbem vaganti eveniret; qua de re vide plura apud Maimonidem in *More Nebochim* [l], ubi, ut praeceptorum reliquorum, etiam hujus usum eximium asserit.

V. Sequebatur dein sacerdotum carmen expiatorium, lingua itidem sancta perpetuo pronunciandum, *Propitius esto* [m] *populo tuo Israel, quem redemisti, Domine; nec reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel.* Ea enim verba, utcunque cum eis quae a presbyteris erant dicenda sine expressa personae mutatione in sacra conjungantur lege, a sacerdotibus paulo ante ibi memoratis semper erant proferenda. Adjiciunt etiam [n], לא היו צריכין לומר ונכפר להם הדם אלא רוח הקודש מבשרתן אימתי שתעשו ככה הדם מתכפר לכם *Neque oportuit* necessario sacerdotes *dicere, Et auferetur ab eis reatus sanguinis*, aut *expiabitur illis sanguis*, quae sunt verba legis proxime sequentia; *sed Spiritus Sanctus eis annunciabat ex eo quod sic fecissent, sanguinem esse eis expiatum.*

VI. Si binarum urbium adeo videretur par omnimodo a cadavere distantia ut quaenam vicinior

[g] Maimonid. (praeter citata) Halach. *Sanhedrin*, cap. 5. [h] Videsis Cujacium. lib. 3. Observat. 32. [i] Videsis Maimonid. Halach. *Bith Habechira*, cap. 7. [k] Maimonid. Hal. *Rotzach*, cap. 9. vide Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sota*, cap. 9. fol. 23. col. 3. Hal. 3. *Pesiktha Zotertha*, fol. 78. col. 3. *Sepher Siphri*, fol. 47. col. 188. Misna tit. *Sota*, cap. 9. [l] Part. 3. cap. 40. [m] Deut. xxi. 8. [n] Misna tit. *Sota*, cap. 9. §. 6. Talm. Babylon. ibid. fol. 46. 1.

satis

satis dignosci nequiret, unicam utraeque, ut sociae, juvencam afferebant, atque altera alteri invicem partem juvencae suam (conditione adjecta, si revera vicinior esset) donabat; unde fieret ut juvencae integrae domina, ut vicinior ex eis, eam decervicaret, cum utraeque simul id facerent. Neque binae omnino juvencae unius loco erant decervicandae. Neque noctu sed tantum interdiu ritus hic peragendus erat. Humandi autem juvenca fuit, nec omnino caro ejus aut pollucenda aut degustanda, aut pars ejus ulla usui alicui retinenda. Vallis item ipsa in aeternum inculta nec sata remanere debuit; quod ex ipsis de ea sacris verbis eliciunt. Universam nempe ejus culturam, quae בגופה של קרקע *in ipso fundi corpore fit*, veluti plantatio, aratio, seminatio, nec aliusmodi, interdictam volunt. Flavius Josephus, ubi hac de lege agit, a Talmudicorum scitis receptissimis nimium discedit. Primo ait, reperto cadavere occisi in agro, si nil de homicida constaret, Ζητείτωσαν μὲν αὐτὸν μετὰ πολλῆς σπουδῆς, μήνυτρα προθέμενοι, *Summa inquirant eum diligentia, indicibus praemia proponentes*, seu *bon salaire & guerdon a celuy que revelir a le fact*, ut Genebrardus, ubi Ruffinus, *quinetiam de eo nunciando proponantur edicta*; sed codex ibi MS. *de eoque nuncianda proponantur edicta.* Dein nullo comparente indice, Αἱ, inquit[o], ἀρχαὶ τῶν πόλεων τῶν πλησίον τῇ χώρᾳ ἐν ᾗ ὁ φόνος ἐπράχθη καὶ ἡ γερουσία συνελθόντες μετρείτωσαν ἀπὸ τοῦ τόπου ὅπου κεῖται ὁ νεκρὸς τὴν χώραν, *magistratus* (Ruffinus *principes*, Genebrardus *les magistrats) urbium vicinarum agro in quo caedes est facta & senatus* (Ruffinus *seniores*, Genebrardus *les gens de justice du lieu) convenientes regionem a loco in quo jacet cadaver circumquaque metiantur.* An per *senatum* hic synedrium intellexerit magnum non satis liquet. Utcunque vero, ipse mensurandi actus juxta Talmudicos ad urbium vicinarum magistratus neutiquam omnino spectabat, sed ad synedrium tantummodo magnum eorumve delegatos. Addit Josephus, Ἡ δ' ἂν ᾖ πλησιεστάτη (πλησιεστάτη) πόλις, οἱ ἐν αὐτῇ δημόσιοι πριάμενοι δάμαλιν, καὶ κομίσαντες εἰς φάραγγα ἀνεπιτήδειον ἀρότρῳ καὶ φυτοῖς χωρίον, τοὺς τένοντας κοψάτωσαν τῆς βοός, *Quae vero fuerit proxima urbs* (Ruffinus, uti & MS *& pars quae fuerit vicinior civitati) ejus cives emant juvencam, & adducant in tesqua nec sementi nec plantationibus idonea, ejusque cervicis nervos scindant.* Et demum, Χέρνιβας ἑλόμενοι ὑπὲρ κεφαλῆς τῆς βοὸς οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ Λευῖται καὶ ἡ γερουσία τῆς πόλεως ἐκείνης, καθαρὰς ἀναβοησάτωσαν τὰς χεῖρας ἔχειν ἀπὸ τοῦ φόνου, καὶ μήτε δρᾶσαι μήτε δρωμένων παρατυχεῖν· ἐπικαλεῖσθαι δὲ ἵλεω τὸν θεὸν, καὶ μηκέτι τοιοῦτον δεινὸν συμβῆναι τῇ γῇ πάθος, *Sumentes aquam lavent manus suas super caput juvencae sacerdotes & Levitae & senatus illius urbis, & proclament se manus puras ab ea caede habere, eamque nec fecisse se, neque interfuisse. Atque invocent Deum sibi propitium fore, atque ut nunquam posthac ea in regione malum quid ejusmodi eveniat.* Juxta Josephum igitur non sacerdotes solum sed & Levitae & senatus urbis proximantis carmine utebantur simul expiatorio, quod juxta Talmudicos ad sacerdotes tantum attinuit. Lavant etiam manus sacerdotes hic ac Levitae, purasque se manus a caede habere simul cum senatu proclamant. Id quod duntaxat a senatu seu synedrio urbis vigintitriumvirali, caeterisque quotquot fuere presbyteris in urbe illa, erat, ut vides ex magistrorum scitis, faciendum.

VII. Caedis dolo & clam ita patratae lustratio & expiatio videtur fuisse publica apud Athenienses, ut reipublicae saluti accommoda & necessaria. Tantundem arbitror contineri in lege illa apud Demosthenem[p]. Τοὺς δ' ἀπογινομένους ἐν τοῖς δήμοις, οὓς ἂν μηδεὶς ἀναιρῆται, ἐπαγγελλέτω ὁ δήμαρχος τοῖς προσήκουσιν ἀναιρεῖν καὶ θάπτειν, καὶ καθαίρειν τὸν δῆμον, τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἂν ἀπογίνηται ἕκαστος αὐτῶν. Ἐπαγγέλλειν δὲ περὶ μὲν τῶν δούλων τῷ δεσπότῃ, περὶ δὲ τῶν ἐλευθέρων τοῖς τὰ χρήματα ἔχουσιν. Ἐὰν δὲ μὴ ᾖ χρήματα τῷ ἀποθανόντι, τοῖς προσήκουσι τοῦ ἀποθανόντος ἐπαγγέλλειν. Ἐὰν δὲ τοῦ δημάρχου ἐπαγγείλαντος μὴ ἀναιρῶνται οἱ προσήκοντες, ὁ μὲν δήμαρχος ἀπομισθωσάτω ἀνελεῖν καὶ καταθάψαι καὶ καθᾶραι τὸν δῆμον αὐθήμερον, ὅπως ἂν δύνωνται, ὀλιγίστου. Ἐὰν δὲ μὴ ἀπομισθώσῃ, ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ· ὅ,τι δ' ἂν ἀναλώσῃ, διπλάσιον πραξάσθω παρὰ τῶν ὀφειλόντων. Ἐὰν δὲ μὴ πράξῃ, αὐτὸς ὀφειλέτω τοῖς δημόταις. *Si qui in municipiis* (in populis seu tribubus Atticis) *demortui fuerint, neque eos sustulerit quisquam* (quod tam de clam occisis quam aliis dici videtur) *denunciet demarchus* (tribunus populi intra quem ejusmodi mortuus) *cognatis, ut tollant & sepeliant. Et populus ille*, seu *tribus, lustretur eo die quo quis ita demortuus. Denuncietur autem de servis domino; de ingenuis, eis qui in eorum bona succedunt. Sin vero nulla fuerint demortuo bona, denuncietur utcunque cognatis ejus. Quod si post demarchi denunciationem cognati non sustulerint, demarchus ipse tollendum cadaver locet, & sepeliendum & lustrandum eo die populum, quam minimo poterit. Sin non locarit, debeto mille drachmas aerario. Quicquid autem impenderit, duplum a debentibus exigito. Quod nisi fecerit, ipse debeto popularibus* seu *tribulibus*. Hic solennis etiam caedis, si inde demortuus esset ille ita sepeliendus, lustratio habetur. Neque apud Graecos veteres sceleris alicujus tam solennis frequensque ac varia κάθαρσις, *lustratio* seu *expiatio*, adhibebatur quam homicidii, etiam nec illiciti. Unde solum mutantes saepius homicidae ad principes exteros, qui eos rite lustrarent, adeoque scelus expiarent, se conferebant. Qua de re obvia sunt in historiis testimonia. Etiam observatur mos vetus & satis mirus lustrationis quam οἱ δολοφονοῦντες *qui sponte doloque quemquam interfecerant* adhibere solebant. Nempe ἐξάργματα seu ἀκρωτηριάσματα, μασχαλίσματα item dicta, id est, corporis occisi extremitates (veluti nasi, aurium, digitorum, alias) abscindentes, collo sibi ita catenata, sacrarum instar reliquiarum, suspendebant, ut διὰ τῶν μασχαλῶν *per axillas* etiam trajicerentur, sanguinem interim occisi delingentes, & in os ejus despuentes. Quale memoratur apud Apollonium Rhodium[q], ubi de Jasone absyrti extremitatibus sic abscindente. Et scholiastes ibi, τοῦτο δὲ ἐποίουν πρὸς τὸ ἐξιλάσασθαι τὴν δολοφονίαν, *Hoc autem faciebant ut caedem dolosam sic expiarent.* Similem in sensum habetur apud Sophoclem[r] de Agamemnone & Clytemnaestra,

[o] Orig. Judaic. lib. 4. cap. 8. [p] Oratione adversus Macartatum. [q] Argonautic. 4 478. [r] In Electra.

Ὑφ'

Ὑφ' ἧς θανὼν ἄτιμος ὥστε δυσμενὴς
Ἐμασχαλίσθη ————

A qua ipse morte affectus indigna, velut hostis extremitatibus corporis mutilatus est. Hac de re videsis etiam scholiastem illic Sophoclis, praeter Hesychium in Μασχαλίσματα, & Suidam in Μασχαλισθῆναι, uti & in Ἐμματέως, ubi τῶν μορίων ὁρμαθὸν, *partium illarum catenam memorat* sub axillis trajectam. Ritus illius usus etiam bello civili caesis, velut & numinis & occisorum iram aut placans aut minuens. Caetera quidem scelera expiare se existimabant veteres sacrificiis solennibus: Sed nihil adeo solicite, publice, frequenter curabant atque homicidii qualiscunque, extra poenae legitimae rationem, ab ipsis suisve commissi. Unde etiam populus Romanus qui P. Horatium a caede sororis absolverant, admiratione magis virtutis quam jure causae, imperarunt [s] patri, filium expiaret pecunia publica; quod ab eo praestitum in gentis Horatianae sacris mansit. Atque ad toties iterata, scilicet quolibet lustro, Suovetaurilium, ex Tullii Hostilii [t] instituto, sacra, uti & alia aliquot insigniora, attinet ejusmodi caedis quomodocunque patratae expiatio, prae aliis, pro exoptatissima semper habita. Cum enim reliqua inter homines scelera & invicem injuriae compensatione, spontaneaque invicem solutione aut acceptilatione, inter ipsos satis dilui possent, ob caedis humanae (de qua tantundem pariter dici nequit) solutionem expiatoriam impetrandam ad sacros ritus deosque ipsos enixius erat & variatim ita erat necessario convolandum.

VIII. Dum de cadaveris apud Ebraeos occisi sic repertique, ut ante, cogitamus, fieri nequibat ut non in animum subiret vetus apud Anglos nostros jus adhiberi solitum circa clam quocunque in loco occisi cadaver repertum, idque satis mirum; scilicet quoties cadaver ejusmodi reperiretur, nec interfector cognitus esset, nec occisus ipse post vulnera eatenus superstes fuisset ut eloqui potuisset tum interfectorem tum genus suum, nec satis probaretur, idque & agnatorum & cognatorum seu parentum utriusque generis propaginis testimonio, occisum fuisse Anglicum, aut non casu seu infortunio occisum, pro alienigena habebatur, atque inde pagus seu comitatus in quo repertus est *Murdri* nomine mulctabatur. Adeo ut etiamsi vulgo satis notum esset eum Anglicum fuisse, tamen nisi testimonium ejusmodi solenni & accuratiori, pro vario pagorum seu comitatuum moris discrimine, modo in foro afferretur, alienigenam fuisse eum praesumendum esset. Neque enim, si ex solenni ejusmodi testimonio Anglicum eum fuisse adsereretur, mulcta aliqua ejusmodi (neque enim de aliis ob fugam homicidae permissam, aut itinera non satis custodita loquor) subeunda erat. Quale itidem puto de urbibus per se, oppidis, centuriis, aliis id genus territoriis dicendum. Seculorum illorum vetustorum lingua *Murdrum* tum illam significabat mulctam, tum & occisionem ipsam; unde & pro quolibet homicidio ex malitia praevia patrato, postmodum atque etiamnum, ut vox forensis singularis, sumptum est; licet olim caedem dolo & clam commissam duntaxat significaret. Henricus de Bractona [v], *Murdrum est occulta extraneorum & notorum hominum excisio. —Et dicitur murdrum extraneorum occisio & notorum, quia sive notus sit vel extraneus ille qui interfectus est semper reputabitur Francigena* (vox illa pro alienigena qualicunque usurpatur hic, ut etiam e Fleta [x] & Andrea Hornio [y], ubi eadem de re agunt, liquet) *nisi Englescheria* (id est, quod Anglus fuisset, ut ante ostensum; *Anglesheria* Fletae dicta) *rite fuerit coram justitiariis praesentata, per hoc quod sciri possit quod Anglicus exstiterit.* Addit item Bractonius moris hujus originem Canuto regi tribuens, non minus ipso jure miram: *Causa vero*, inquit, *inventionis murdrorum talis fuit, quod in diebus Canuti* (in MSS. aliquot perpulchris legitur *Kynici) regis Danorum, qui post Angliam acquisitam & pacificatam rogatu baronum Anglorum remisit ad Daciam* (Daniam) *exercitum suum: Et ipsi barones Angliae erga ipsum regem Canutum fidejussores exstiterunt, quod quotquot rex in Anglia secum retineret firmam pacem per omnia haberent, ita quod si quis Anglorum aliquem hominum quos rex secum adduxit interficeret, si se super hoc defendere non posset judicio Dei*, (scilicet *aqua vel ferro*, ordaliorum tunc purgatione solenni) *fieret de eo justitia: Si autem aufugeret, & capi non posset, solverentur pro eo sexaginta sex marcae, & colligerentur in villa ubi quis esset interfectus, & ideo quia interfectorem non habuerunt; &, si in tali villa pro paupertate colligi non possent, colligerentur in hundredo*, centuria intra quam villa sita, *in thesauro regis deponendae.* Sic ille. Item Andreas Hornius statutum citat [z], *Le Roy le Canut quant il feu a la Denmearch que ordeina pur le salvation de ses Danes queux il lessa en Angliterre que per la ou home disconue fuit occise que tout le hundred deveneroit en la mercy le roy per le judgement de Murdre.* Certam habet Bractonius sic mulctae summam. Sed reliqui illi de mulcta generatim loquuntur, incolis intra quorum territorium cadaver repertum est irroganda, eo quod homicidam ejusmodi aufugere permisissent. Memini in archivo arcis Londinensis, inter *placita coronae*, seu judicia publica per comitatus antiquitus habita, saepius breviter occurrere, *villata N. occisus repertus est N.* (seu, ut interdum, *ignotus) nulla Englesheria praesentata* (nam quae non exactissime *praesentata* erat pro nulla habebatur) *ideo murdrum super villatam* aut *villata in misericordia.* De tempore scilicet Johannis regis, etiam & aliorum. In veteri jure etiam Cambro-Britannorum seu Wallorum simile habebatur, *Wallesheria* dictum, quod explicatur [a] per *parentelam interfecti.* Sed vero tandem in comitiis Edwardi tertii parlamentariis [b] abolitum est *Englesheriae* jus illud vetus, adeoque in desuetudinem prorsus tum illa abiit tum *Wallesheria.* Consulas quae hac de re habent alii [c]. Certe nondum mihi compertum unde illud suum de Canuto magno habuerit

[s] Livius, lib. 1. [t] Ibidem, & Dionys. Halicarnass. lib. 4. [v] Lib. 3. de Corona, cap. 15. §. 2. & 4. Glanvill. lib 14. cap. 3. [x] Lib. 1. cap. 30 [y] En le Mirrour des Justices, cap. 1. sect. 13. pag. 104. Adde Britton, cap. 6 [z] Ibidem. [a] Stat. Rothelan, 12 Edwardi 1. [b] Anno ejus 14. cap. 4. Chr. 1339. [c] Guil. Stamford. in Placit. Coronae, lib. 1. cap. 10. Henric. Spelman. in Glossario, verb. *Englesheria.*

Bractonius. Nihil ejusmodi in historiis mihi occurrit sive Anglicis sive Danicis. Ipsae etiam Canuti de Anglorum regimine leges Saxonice & Latine prostant, in quibus nec quid ejusmodi. Sed extra metas nimis vagamur.

CAP. VIII.

I. *Pontificis maximi causas capitales ad synedrium magnum tantum attinuisse. Magistrorum ejusdem ratio.*

II. *Singularia aliquot ad indicia in pontificem M. spectantia. Ratio, quare praerogativa gauderet procuratorem in litibus prae aliis constituendi. Flagellatio eidem reo non solum in synedrio magno irroganda. Locus insignis ea de re Maimonidis sibi restitutus.*

III. *De Asylorum jure, qua ad pontificem M. hic attinuerit. Non ei, nedum minoribus sacerdotibus, aliisve, spontaneae caedis reis, refugii locus altare.*

IV. *De dignitate ejus & sanctitate singulari Talmudicorum testimonia aliquot alia. Ratio de ex asylo reditu tuto post pontificis M. mortem, ex eis & e Philone. Ad testimonium forense praebendum, adeoque juramentum, eum haud, nisi in causa regis, apud synedros magnos, teneri.*

V. *De pontifice magno ex judicio synedrii magni constituendo. In dignitates successionis ratio.*

VI. *Singularia aliquot alia de summo constituti pontificis honore.*

GEneratim legitur in Misna[d], אין דנין את כהן גדול אלא על פי ב"ד של ע"א *Non judicabant pontificem maximum extra synedrium septuagintauniusvirale*. Quod etiam a Magistris aliquot recentioribus[e], dum synedrii magni aliorumque imperium ac jurisdictionem enarrant, similiter effertur. Sed qui accuratius veterum mentem explicant inter causas distinguunt hic pecuniarias, caeterasque quotquot capitales non fuere, atque capitales: In hisce nimirum duntaxat a synedrio tantum magno judicandum pontificem, neque earum nomine a synedrio aliquo vigintitriumvirali in jus rite potuisse eum vocari: In illis autem, etiam triumvirali (seu, ut volunt aliqui[f], vigintitriumvirali) foro, ut privatum quemlibet, sed non sine temperamentis aliquot infra ostensis, subfuisse; qua de re etiam vide quae libro adnotantur secundo[g]. Maimonides[h]; אין דנין את כהן גדול בדיני נפשות אלא בב"ד הגדול אבל דיני ממונות בשלשה *Non judicabant pontificem maximum in causis capitalibus alibi atque in synedrio magno; sed in causis pecuniariis, etiam in foro triumvirali.* Item Abraham Jom Tob[i]; כל שאר דינין חוץ מדיני נפשות דנין אותו כהדיוט בשלשה דהא דתנן לעיל ולא את כג" אלא בב"ד של עא" בדיני נפשות הוא דמי כתיב דבר הגדול הדבר הגדול כתיב דבר גדול ממש *In causis universis praeter capitales judicabant pontificem maximum non aliter ac quempiam e vulgo in foro triumvirali; quod ipsum intelligendum ubi supra* in Misna *dicitur, nec pontificem M. judicandum alibi atque in foro septuagintauniusvirali, non scilicet in causis capitalibus. Quod & consonum est sacro sermoni, ubi verba fiunt de rebus magnis*, seu *magnatis. Nam res magna sumitur ibi pro re ad virum magnum ipsum*, ipsius personam vitamque, *attinente*. Id quod habet de re magna sumitur ex consilio Jethroneo. Monuit ille Mosem generum suum[k] ut, constitutis judicibus inferioribus, res minores ad eos, majores ad illum, ut omnium supremum, deferrentur. Quod tametsi ad tempus institutionem synedrii magni sacram aliquantulum praecedens attinet, nihilominus huc a magistris non raro trahitur, quia, quemadmodum res omnes majoris momenti ad Mosem ipsiusque qualecunque tunc temporis synedrium afferebantur, sic etiam post synedrii magni institutionem similem mansisse Mosis ejusdemque synedrii praerogativam volunt. Unde verba illa *rem majorem*[l] seu *magnam* per דבריו של גדול *res magnatis*, seu *viri summi*, adeoque summi pontificis, interpretantur; ita tamen ut eae duntaxat hoc nomine hic contineantur quae causarum capitalium habeantur numero. Et in glossa Talmudica[m] expressim nominantur pro exemplis simul כ"ג ונשיא *pontifex & princeps*; princeps nimirum, opinor, synedrii magni.

II. Ordo in eum alias judicii idem fere universim fuit qui in alios; nisi excipiendum velis id quod ob singularem ejusce dignitatem, atque perpetuum circa sacra ministerium, ei in causis civilibus indulgendum erat; ut scilicet pro libitu procuratorem (quem אנטלר vocabant, vocabulo procuratori ejus peculiari) constitueret, nec ipse in jus vocatus se sistere cogeretur. Atque hoc de procuratore sic constituendo singulare est hic temperamentum quo in causis non capitalibus pontifex a caeteris discriminabatur. Sed ea de re plura diximus libro superiori[n]. Quibus adde quae velut rationem ostendunt quare procuratorem prae aliis pontifici constituere licuerit. Scilicet conclave erat ei in templo peculiare. ותפארתו וכבודו שיהיה יושב במקדש כל (sic Maimonides[o]) היום ולא יצא אלא לביתו בלבד בלילה או שעה או שתים ביום ויהיה ביתו בירושלם ואינו זז משם: *Et gloria ei erat atque honor quotidie manere in templo, neque inde exire omnino, praeterquam tantum noctu, aut ad horam unam seu alteram interdiu. Ædes autem habere debuit Hierosolymis*

d Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. e Moses Mikotzi Praecept. Affirmat. 97. fol. 187. col. 1. f Videsis Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 19. col 4. & ad tit. *Horaioth*, cap. 3. fol. 47. col. 1. g Cap. 10. §. 6. h Halach. *Sanhedrin*, cap. 5. & Halach *Celi Hamikdash*, cap. 5. i In Comment ad Misnam tit. *Sanhedrin*, cap 2. § 1. & Jarch. in Gloss. ad tit. *Sanhedrin*, cap 2. fol. 18. 2. k Exod. XVIII. 22. l Gemar. Babylon ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 16. 1. & cap. 2. fol. 18. 2. Maimonid. Halach, *Celi Hamikdash*, cap. 5. m Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. 16. 1. n Cap. 10. §. 6. & 7. o Halach. *Celi Hamikdash*, cap. 5. §. 7.

lymis;

lymis ; neque inde ei discedendum erat. Sic ratio manifesta est quare procuratorem litium civilium ei semper constituere fas esset. Quod vero ad pontificis maximi flagellationem forensem ibi memoratam ; legitur quidem apud Maimonidem, in editionibus amplioribus[p], puto, cunctis, כהן גדול שעבר עבירה שחייב עליה מלקות מלקין אותו בבית דין של שבעים ואחד כשאר מחוייבי מלקות וחוזר לגדולתו *Si pontifex maximus transgressus fuerit in re aliqua flagellatione punienda, flagellandus erat in synedrio septuagintauniusvirali, ut reliqui flagello puniendi, atque dignitas* seu *existimatio ejus integra illaesa mansit.* Quasi poena illa ei extra synedrium magnum irroganda neutiquam fuisset. Sed idem alibi (ut loco citato ostendimus) de foro hic triumvirali, ex ordinatis scilicet conflato, & recte loquitur. Neque hic aliter edi debuerat. Prima typorum editio habet in hac periocha, בבית דין של שבעי' ואחד נא" בב"ד של שלשה כשאר וגו' *In synedrio septuagintauniusvirali, ubi alia exemplaria habent, in synedrio triumvirali, ut reliqui*, &c. Codices quibus utor binis MSS. opem non ferunt, utpote quorum neutri liber inest ille cujus titulus *Celi Hammikdash.* Caeterum in editione cum *Ceseph Misna* expressim legitur, מלקין אותו בבית דין של שלשה כשאר וגו' *flagellandus erat in foro triumvirali*, ubi bene adnotat Joseph Karo, ומה שכתוב בקצת ספרי רבינו בב"ד של ע"א הוא שיבוש *Et quod scriptum est in codicibus aliquot magistri hic nostri, in synedrio septuagintauniusvirali, erroneum est.*

III. Sunt etiam non contemnenda quaedam, de rebus capitalibus, seu homicidii quaestione, qua ad pontificem, velut singularia, attinere potuerint. Ea maxime in juris sive asylorum sive altaris, qua pro asylo forte obtenderetur, explicatione cernuntur. Asyla habuisse nemo nescit Ebraeos, seu urbes aliquot refugii, quo qui caedem per errorem seu fortuito patrassent se ex instituto sacro tutelae causa reciperent. Legis[q] sacrae verba sunt, *Et judicabit coetus*, seu *congregatio* (id est עדה, quam, ut saepius alibi, pro synedrio, sed hic etiam vigintitriumvirali quoties ad reos e vulgo spectabat, intelligunt) *inter percussorem & propinquum sanguinis super causis hujusmodi : liberabitque congregatio occisorem de manu vindicis sanguinis ; & faciet redire eum congregatio ad civitatem refugii sui, ad quam confugerat : manebitque ibi usque ad mortem summi sacerdotis, qui oleo est unctus sancto.* Quod si non fecerat, fas fuit sanguinis vindici eum obvium interficere : Sed minime post pontificis mortem. Jam vero si casu caedem patrarat pontifex maximus, aut pontificem quis casu occiderat, unde sive hic sive ille ex hac lege ad asyla haec confugerat, neutri aiunt redire fas unquam omnino fuisse, nec pontificis sequentis mortem alterutrum liberasse. In Gemara Babylonia legitur[r] ; כהן גדול שהרג את הנפש במזיד נהרג בשוגג גולה ועובר על עשה ועל לא תעשה והרי הוא כהדיוט לכל דבריו *Pontifex homicidii spontanei reus morte plectendus erat ; fortuiti, exsulabat* in urbem aliquam refugii seu asylum. *Et sive in praecepta affirmativa sive in negativa commiserat, habebatur velut unus e plebe*, quantum scilicet ad poenam seu judicium ipsum; non quantum ad synedrium quo sistendus erat. At vero subjicitur, ההורג כהן גדול או כהן גדול שהרג את הנפש אינו יוצא משם לעולם *Si quis occiderat pontificem, aut si quempiam occiderat casu pontifex, ex asylo nunquam ei erat tuto egrediendum.* Rationem afferunt, quia neutra in specie, ipso caedis fortuitae tempore, legitime habebatur pontifex. Idem ipsum in Misna[s] alibi legitur ; adjecto insuper nullam ob causam, non testimonii dicendi, ואפילו ישראל צריכים לו ואפילו שר צבא ישראל אינו יוצא משם לעולם שם תהא דירתו שם תהא מיתתו שם תהא קבורתו *Non si indigeat respublica Israelitica ope ejus, non si fuerit exercitus imperator, ab asylo esse ei unquam decedendum, sed ibi commorandum, ibi moriendum ; ibique ipsum sepeliendum esse.* Quod nihilominus ita temperant[t], ut si quis pontifex alius, functione scilicet antea summotus, tempore caedis esset in vivis, post ejus mortem tuto sive pontificis percussorem sive pontificem homicidam ejusmodi potuisse ex asylo egredi statuant. Nam dignitatem pontificiam, etiam functione summoto, manere censebant[v]. Atque hoc est quod habent singulare tum de pontifice homicidii fortuiti reo, tum de alio qui casu pontificem occiderat, ad urbem cui jus erat asyli confugiente. Quod ad altare attinet, lex habetur sacra[x], *Si quis superbe per industriam* seu *sponte, agat contra proximum suum, aut machinetur contra proximum suum, ut dolo occidat* (id est, *& dolo occidat*) *eum, ab altari meo tolles eum*, seu, ut Vulgata, *evelles illum, ut moriatur*, seu *morte plectatur.* Ubi LXX. in exemplaribus aliquot insertum habent, ϗ καταφύγῃ εἰς τὸ θυσιαστήριον, *& confugiat ad altare.* Hic Nicolaus Lyranus, *etiamsi*, inquit, *fuerit sacerdos, ut dicit Rabbi Salomon, nisi inceperit officium ministrandi in altari, in quo casu erat exspectandum complementum ministerii.* Sic ille. Sed aliud omnino ab eo quod habetur apud R. Salomonem affert. Is enim expressim etiam sacerdotem ad altare sacrificaturum, si ex insidiis seu dolo homicida esset, inde dicit ex ea lege rapiendum, ut mortis judicium subiret. Ita scilicet loquitur ; *ab altari meo*, אם היה כהן ורוצה לעביד עבודה תקחנו למות *etiamsi fuerit sacerdos, & voluerit sacrificare, rapies eum ad mortem.* Abenezra item ; וקדמונינו אמרו אפילו כהן ורצה לעבוד עבודת מזבחי יומת *Et vetusti apud nos autores aiunt, etiam sacerdos sacrificaturus ad altare meum, morte sic plectendus.* Ut nempe nullum restaret, ne locus quidem sanctissimus, homicidae ejusmodi, qui dolo seu per insidias quempiam interfecerat, perfugium. Quod autem sic de sacerdote ad eam legem, etiam de pontifice maximo in Targum Hierosolymitano diserte memoratur ; אפילו היא כהנא רבא דקאי ומשמש קדמוי מן תמן תסבון יתיה ותקטלין יתיה *Tametsi pontifex erat maximus qui functionem obiret coram me, inde rapient eum, ultimoque plectent supplicio* ; quod & olim observavit J. Drusius[y]. Adnotat ad legem memoratam Hugo Grotius, *Ex contrario*

[p] Tract. *Celi Hamikdash*, cap. 4. §. 22. [q] Numer. xxxv. 24. 25. Exod. xxi. 13. [r] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 18. 1. [s] Tit. *Maccoth*, cap. 2. & Gem. Babylon. ibid. fol. 11. 2. [t] Ibid. Maimonid. Halach. *Rotzach*, cap. 7. [v] Misn. & Gem. tit. *Horaijoth*, cap. 3. [x] Exod. xxi. 14. Videsis *More Nebochim*, part. 3. cap. 39. [y] Ad difficil. loc. Vet. Test. lib. 2. cap. 33.

intelligunt Hebraei altare pro perfugio fuisse iis qui φόνον ἀκέσιον *commisissent, ut ferme apud omnes gentes. Verum apud Hebraeos ibi morari non poterant, sed deducendi erant ad urbem perfugii.* Ea de re videsis quae e Talmudicis nos alibi fusius [z]. Quae dicta sunt hic de Asyli jure, compara si vis cum titulo Codicis *de his qui ad ecclesiam confugiunt*, & doctores ibidem, cum eis etiam quae de *immunitate ecclesiastica & jure Asylorum* scripsere Petri Gambacurta & Sarpius aliique; quibus forte operae pretium etiam adjicere notas nostras in foedus Smyrnaeorum & Magnetum in Marmoribus Arundellianis.

IV. Dum vero haec de pontifice maximo intuemur, praetermittenda non sunt quae habent Ebraei de singulari etiam ejus dignitate, amplitudine atque sanctitate, quam adeo eximiam haberi atque inviolatam servari voluere, ut ab actionibus quibuscunque in eum instituendis judiciisque ferendis quemlibet abstinentiorem esse debuisse simul monere videantur. Etiam nonnulli universi juris moderatorem eum unicum facere. Ubi in Gemara Hierosolymitana agitur de pontifice in causis pecuniariis seu civilibus in jus vocando a synedriis vigintitriumviralibus, Rabbi Eliaezer [a]; כהן גדול שחטא מלקין אותו ואין מעבירין אותו מגדולתו אמר ר׳מנא כתיב כנזר שמן משחת אלהיו עליו אני יי׳ כביכול מה אני בקדושתי אף אהרן בקדושתו: *Pontificem maximum qui peccat verberibus plectunt, nec dignitate sua eum summovent. At Rabbi Mina ad haec, scriptum est* [b], *Corona olei unctionis Dei sui super eum; ego Dominus; ac si fere dixisset Deus, sicut ego in sanctitate mea, sic etiam Aaron in ejus sanctitate.* Noluit scilicet sanctitatem ejusmodi temere violari. Quin & Maimonides legis jam dictae sacrae de licito homicidae post mortem pontificis reditu rationem, uti & caeterarum, suo more afferens, eam latam esse ait [c] ad placandam animam vindicis sanguinis, ne, dum in ultionem infervesceret, obvium haberet homicidam. Arabica ejus sunt,

גואל הדם واما كون حتي لا רוצח בשגגה יגלה

فذلك لسكون نفس يرادلك الذي حدثت

هذه المعثرة على ايديه *Etiam homicida ex casu, seu errore, exsulabat*, in asylum scilicet: *& hoc factum est ut placaretur anima vindicis sanguinis, nec videret eum per cujus manum offensio ejusmodi eveniret.* De reditu autem ejus ait,

وعلق رجوعه بموت الشخص الذي هو

اعز الناس واحبهم الي جميع يسرال

Et pendet reditus ejus ex morte personae singularis inter homines qui charissimi sunt coetui Israel; ubi Ebraeus interpres במות האיש אשר הוא הנכבד שבבני אדם והאהוב לכל ישראל *A morte hominis filiorum hominis praestantissimi, & toti Israel charissimi.* Vetus interpres ibi, *dependet de morte pontificis summi*; nec aliud addit, quod nec Arabicis nec Ebraicis illic respondet. Sed de pontifice dictum esse satis liquet. Subjungit enim, quoniam hominibus natura insitum est ut solatium accipiant sive a doloribus sociis sive a majoribus quam ipsi patiuntur, ideo praesumendum fuisse, pontifice demortuo, iram ac dolorem vindicis sanguinis deferbuisse.

على ما صابه في مصايب موت الا

اعزو عندنا شخاص מן מות כהן גדול, ubi Hebraeus, ואין במקרה מות בני אדם אצלינו יותר גדול ממיתת כהן גדול *Nulla autem*, inquit, *tristior mors nobis evenire potest quam mors sacerdotis magni.* Ubi vetus Latina, *In omnibus autem mortibus apud nos non est tanta occasio quanta in morte summi pontificis.* Hac de re Philo verba faciens [d], reditum usque ad mortem pontificis negari, itidem (sed juxta recentiores tantum aliquot: nam e veteribus aliam de puritate ejus ac sanctitate affert ipse interpretationem) perinde ac si fuisset dictum, ἕως ἂν ἀποθάνῃ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας, ὁ πάντων κοινὸς ἀγχιστεὺς ὤν, ᾧ μόνῳ καὶ τὰ τῶν ζώντων καὶ τὰ τῶν τετελευτηκότων ἐφεῖται βραβεύειν, *donec moriatur pontifex maximus, omnium cognatus publicus, cui soli permittitur res tum vivorum tum mortuorum moderari.* Versio Graecis conjuncta habet, *qui solus habet jus in vivos pariter & mortuos.* Id quid sibi vellet plane ignoro, si ad Talmudicorum scita aut literas sacras sit exigendum. Nam jus ejusmodi nullibi, quantum scio, pontifici tribuunt sive hi sive ille. Accedant hisce quae de pontificis maximi testimonio seu juramento forensi etiam habent Talmudici. Maimonides [e] de eo, היה יודע עדות אינו חייב להעיד ואפילו בבית דין הגדול שזה אינו כבוד לו שילך ויעיד ׃ ואם היתה עדות למלך ישראל הרי זה הולך בבית דין הגדול ומעיד לו: *Si testimonium sciret, neutiquam*, ut vulgus, *tenebatur ad testimonium* in foro *praebendum, ne quidem in synedrio magno. Neque enim dignitati ejus consonum erat ut ad testimonium praebendum illuc iret. Attamen si haberet quod regi Israel*, regi in jus vocato, *testimonium prodesse posset, eundum ei erat in synedrium magnum, ubi testimonium ei ab eo praestandum.* Scimus etiam flaminem apud Romanos Dialem ad juramenta forensia aliave neutiquam adigi debuisse [f]. Caeterum haec atque alia similia de summa [g] pontificis sanctitate dignitateque eximia, quam ita supereminere volunt, apud Ebraeos occurrentia, uti & alia statim dicenda, quae animadvertantur digna sunt, dum de jurisdictione seu imperio forensi, cui eum, ut ante ostensum est, subjiciunt, placita eorum consideramus; ut scilicet qualenam jurisdictionis ac imperii objectum revera esset pontifex M. commodius & facilius perspiciatur.

V. Adjiciunt de pontifice novo constituendo [h], אין מעמידין כ״ג אלא ב״ד של אחד ושבעים *Non constituere solebant pontificem alii praeter synedrium septuagintaunviurale.* An functioni

[z] De Jure Naturali & Gent. lib. 4 cap. 2. [a] Gemar. Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap 2. fol. 19. col. 4. & tit. *Horaiioth* cap 3. fol 47. col. 1. [b] Levitic. xxi. 12. [c] *More Nebochim*, part. 3. cap. 40. Arab. 42. [d] De Special. Legib. de Adulterio & Homicidio. [e] Halach. *Celi Hammikdash*, cap. 5. §. 8. [f] Fabius Pictor apud A Gellium, lib 10. cap. 15. [g] Videsis Maimonid. Halach. *Celi Hammikdash*, cap. 5. [h] Maimonid. Halach. *Celi Hammikdash*: cap. 4. §. 15. & *Thosiphtha*, ad tit. *Sanhedrin*, cap. 3.

ſacrae quis idoneus eſſet, aut altari arcendus, ex lege definiiſſe ſynedrium hoc alibi [i] oſtendimus. Atque quoties de ſucceſſione in pontificatum quaeſtio oriretur, etiam rem eam, ut ſemper praeviam, excutiendam nemo non videt. Et rationi quidem perquam eſt conſonum, eos qui de ſacerdotali functione ſic cognoſcerent, itidem pontificiae ſucceſſionis judices fuiſſe. Adeo ut velle eos putem, quoties de ſucceſſione pontificia [k] quaeſtio eſſet, eam a ſynedrio hoc tantummodo eſſe ſolvendam, nec aliter in pontificiam dignitatem quempiam evehendum. Par ratio in judiciis ſynedrii hujus de pontifice novo conſtituendo, atque in eis quae ad aliarum dignitatum, quotquot perpetuae eſſent, ſucceſſiones attinuere. Nimirum [l] מעמידין תחתיו בנו או הראוי לירשו וכל הקודם לנחלה קודם לשררות המת והוא שיהיה ממלא מקומו בחכמה או ביראה אף על פי שאינו כמותו בחכמה: *Conſtituebant loco ejus*, ſeu *ei ſucceſſorem, filium ejus, aut qui jure haereditario eſſet ei proximus. Nam quiſquis defuncti bonis eſſet haeres proximus* (de maribus ſemper intellige) *is in dignitatem ejus ſuccedebat, modo ejus inſtar eſſet ſapientia aut timore*, ſeu *reverentia par, etiamſi ſapientia diſpar.* Qua de re plura etiam ſtatim. De jure autem ſucceſſionis pontificiae & ſacerdotalis cognoſcebat ita tantum ſynedrium magnum, ut de aliis, excepta regia, ſynedria ſuis in ditionibus reliqua.

VI. Perquam ſunt autem ſingularia alia ad conſtitutionem ſeu ſucceſſionem hanc ſeptuagintauniuſviralem ſpectantia. Aiunt [m] pontificem M. qui rite ita eſſet conſtituendus eſſe debuiſſe גדול מכל אחיו הכהנים בנוי בכח בעושר בחכמה ובמראה *praeſtantiorem* (ſi res ita ſe commode ferret) *cunctis fratribus ſuis ſacerdotibus in decore, in viribus, in divitiis, in ſapientia, & in vultu.* Sed quantum ad divitias; licet pauperior nondum conſtitutus eſſet, eouſque jam erat ditandus a ſacerdotum collegio ut eorum omnium ditiſſimum opibus inde ſuperaret. Verba ſunt, אין לו ממון כל הכהנים נותנין לו משלהן׳ כל אחד לפי עשורו עד שיעשור יותר מעשיר; שבכולהן *Si pauperior eſſet, univerſorum ſacerdotum erat officium ex ſuo ei contribuere, juxta opulentiae ſuae modum, uſquequo fieret ſic ditior quovis inter eos omnes divite.* Conſtituebant item ex ſacerdotibus ei vicarium סגן *ſegen* vocitatum [n], וכל הכהנים תחת יד הסגן *Et ſacerdotes univerſi reliqui erant ſub ſegenis poteſtate*, quantum ad functiones praeſtandas. Segeni item binos aut plures conſtituebant קתיקולין *cathicolos*, qui ei ſuberant ut vicarii, quemadmodum ſegenus pontifici maximo. Etiam ſimul creabant אמרכלין *amarcalos* minimum ſeptem, id eſt oſtiarios atrii templi; quod nec aperire fas erat niſi cuncti ſimul adeſſent. Atque his ſuberant tunc etiam creati tres minimum rerum ſacrarum quaeſtores גיזברין dicti. Ita ex judicio ſynedrii magni tum pontifex ipſe tum vicarius ejus & templi rerumque ſacrarum procuratores reliqui ex genere ſacerdotali ordinandi. Conviciis [o] publicis, ob dignitatem, ei abſtinendum erat. Et ſumma cum reverentia & comitatu ſacerdotali prodeundum. Ejuſmodi alia in conſtituti honorem compluria tradunt.

CAP. IX.

I. *De judiciis adeo ſynedrio magno propriis ut nec a regibus aut impediri aut ad tribunal ſuum vocari jure potuerint. Hyrcanus rex in Herodis judicio ſynedrium eludens. De regis ipſius poteſtate judiciaria, nonnihil.*

II. *De ſententia eorum qui regem apud Ebraeos ſynedrii magni judicio ſubſuiſſe velint.*

III. *Adverſa apud Talmudicos ſententia.*

IV. *Chriſtianorum patrum hic ſcita.*

V. *Hugonis Grotii aliorumque de verberibus regi ob peccata infligendis ſententia; & clarorum virorum e recentioribus aliquot de judicio & autoritate qualicunque ſynedriali in regem.*

VI. *De rege a ſynedrio magno conſtituendo, ejuſque natalibus ſatis puris. Et de nobilitate ſeu natalibus puris ex ſanguine tantum materno. Egregium Juliani Auguſti ea de re commentum.*

ANtequam ad titulum diſtributionis noſtrae ſuperioris proximum, quae de rege judicando eſt, devenimus, obſervare liceat quae de nonnullis jam memoratis, ut de tribu, pontifice, ac propheta, cognitionum generibus, veluti eis quae adeo ſynedrio magno propria eſſent ac ſingularia ut ne regi quidem ipſi (qui extra ordinem etiam de rebus capitalibus cognoſcere [p] ſolebat) permitterentur, notat vir praeſtantiſſimus Hugo Grotius [q]. *Aliqua judicia*, inquit ille, *arbitror regibus adempta manſiſſe penes ſynedrium LXX virum, quod divino imperio a Moſe inſtitutum ad Herodis tempora perpetua cooptatione duravit.* Et paulo poſt; *Non nego regem Judaeorum capitalia quaedam judicia per ſe exercuiſſe; qua in re ipſum regi decem tribuum Iſraeliticarum praefert Maimonides* [r]*: quod & exempla non pauca tum in ſacris literis tum in ſcriptis Hebraeorum evincunt. Sed quaedam cognitionum genera regi videntur non permiſſa, ut de tribu, de pontifice, de propheta. Ejuſque rei argumentum eſt in Jeremiae prophetae hiſtoria* [s]*, quem cum proceres ad mortem depoſcerent, reſpondit rex, Ecce in poteſtate veſtra eſt; nam contra vos rex nihil poteſt; in hoc negotiorum genere ſcilicet.* Exemplum ita affert de propheta velut id cui caetera cognitionum hu-

[i] Lib. 2. de Succeſſ. in Pontif. cap. 10. [k] Videſis ibid. cap. 6. juxta finem. [l] Maimonid. Halach. *Celi Hammikdaſh*, cap. 4. § 20. [m] Ibidem cap. 5. §. 1. [n] Ibid. cap. 4. §. 16. & Gem. tit. *Horaioth*, cap. 3. Mikotzi Praecept. Affirm. 172. & videſis Petr. Cunaeum de Repub. Hebraeorum, lib. 2. cap. 6. Lib. 2. de Succeſſ in Pontificat. cap 1. [o] Maimonid. Hal. *Celi Hammikdaſh*, cap. 5. §. 4. [p] Maimonid. Hal. *Melakim*, cap. 3. & *More Nebochim*, part. 3 cap. 40. prope finem. [q] Lib. 1. de Jure Belli ac Pacis, cap. 3. §. 20 & vide eum ad Matth. cap. v. pag. 81. [r] Halach *Sanhedrin*, cap. 2. [s] Jerem. xxxviii. 5.

juſmodi genera conſona. Locus ille e Jeremia eſt de Zedekia rege, a quo proceres ſeu ſynedrii collegae illum veluti pſeudoprophetam ad mortem depoſcentes hujuſmodi tulere reſponſum. Ebraea ſunt, ויאמר המלך צדקיהו הנה הוא בידכם כי אין המלך יוכל אתכם דבר *Et reſpondit rex Zedekias, Ecce is in manu veſtra; quia non rex in vos poteſt quicquid*, ſeu, ut Graeci, ὅτι οὐκ ἠδύνατο ὁ βασιλεὺς πρὸς αὐτοὺς, *quia non potuerit rex adverſus eos*; ubi Jonathan Chaldaeus, ארי לית מלכא יכול לאתבא יתכון פתגם Syrus ܡܛܠ ܕܡܠܟܐ ܠܐ ܡܫܟܚ ܠܡܥܒܕ ܠܟܘܢ ܡܕܡ Arabs لان الملك لم يقدر لهم eundem cum Graecis in ſenſum. Judaei Hiſpanienſes, *que no el Rey podra con vos algo*. Vulgata. *Nec enim fas eſt regem vobis quidquam negare*. Unde Duacenſes, For it is not lawfull for the king to denie you any thing. Verſiones Anglicae vetuſtiores editae, For the king may deny you nothing, &, The king can deny you nothing. Nupera, For the king is not he that can do any thing against you, plane ex Tremellio, qui vertit, *Nam minime is eſt rex qui poſſit contra vos quicquam*. Lutherus, denn der König kan nichts wider euch. Belgae nuperi, want de Coninck en ſoude geen dinck tegens u vermogen. Et quae ſequuntur ibi ſunt obſervanda. Quin & adjicit Grotius, *Imo & qui alia quavis de cauſa apud ſynedrium reus factus eſſet, eum rex judicio eximere non poterat. Ideo Hyrcanus judicium de Herode, cum impedire non poſſet, arte eluſit*. Hyrcani & Herodis exemplum illud a Joſepho [t] narratum certe inprimis hic animadvertendum. Herodes ille Antipatri filius, poſtea rex, ſed tunc Galilaeae praeſes ſub Hyrcano Judaeorum rege Alexandri Jannaei filio, ſimul cum parte ac fratribus ingentem creverant, ex indultu ac gratia regia, in poteſtatem; adeo ut proceribus non immerito haberentur rerum novarum ſuſpecti. Patriae igitur ii proſpicientes deſidioſum regem irritare conantur, & ad eum, *Jam non procuratores tuos*, inquiunt, *amplius agunt, ſed palam dominationem exercent. Nam & Herodes Ezeciam ejuſque comites interfecit, contemptis legibus noſtris, quae hominem quantumvis ſceleſtum non ſinunt affici ſupplicio, niſi prius ad iſtam poenam ſubeundam damnatus fuerit a ſynedrio* (id eſt, ſive magno, ſive minori, ſaltem ex jure ordinario [v], ac citra cognitionem regiam; verba Graeca ſunt, εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ συνεδρίου, quod vertitur a Ruffino, *niſi prius in concilio condemnatus ſit*, a recentiori interprete, *niſi prius damnatum ex ſententia judicum*.) *Hoc autem auſus eſt etiam iſte, poteſtate a te prius non accepta*. Ezecias ille latro erat primarius, qui viatores inſigniter tunc infeſtarat. Hyrcanus tum hiſce ſic auditis, tum precibus matrum eorum qui occiſi fuerant indeſinenter fuſis, ut in ſynedrio ſcilicet facti ſui Herodes rationem redderet, tandem permotus, eum ἐκάλει δικασόμενον ὑπὲρ ὧν διεβάλλετο, *vocavit ſatisfacturum de criminibus ſibi illatis*. Venit ille, ſed non ſine comitatu ad ſe tuendum idoneo, ita nimirum temperato ut nec tam eſſet numeroſus aut armatus ut inde terreretur Hyrcanus, nec adeo tenuis quin e judicii periculo eum potis eſſet eripere. Quin & Sextus Caeſar praeſes Syriae ſcripſerat ad Hyrcanum, παρακαλῶν ἀπολῦσαι τὸν Ἡρώδην ἐκ τῆς δίκης, καὶ προσαπειλῶν παρακούσαντι, *hortatus ut judicio eum liberaret; minis, ſi ſecus fecerit, adjectis*. Id quod ab eo facile impetratum eſt. Quippe ut filium Herodem is amavit, ideoque libentiſſime contendit eum, μηδὲν ἐκ τοῦ συνεδρίου παθόντα ἀπολῦσαι, *ita liberare ut a ſynedrio graviori aliqua ſententia non feriretur*. Siſtit igitur ſe Herodes in ſynedrio, non ſine regis etiam praeſentia & comitatu armato; qui adeo omnes terruit, ut nec qui ad accuſandum venerant hiſcere auderent, altumque eſſet in ſynedrio ſilentium atque inopia conſilii. Rebus ſic ſe ibi habentibus, Sameas quidam nomine, vir juſtus atque terroribus invictus (ſive princeps ſynedrii ſive collega) *Equidem, ſynedri*, ſeu *judices*, inquit, *tuque rex, nec ipſe unquam vidi quenquam qui ad cauſam apud nos dicendam vocatus ad hunc modum comparuerit, nec vos puto poſſe proferre hujuſmodi quempiam. Sed quiſquis hactenus in hoc ſynedrium judicandum ſe praebuerit, humilis venit ac timentis habitu ac captantis miſericordiam, capillis promiſſis, veſteque indutus atra. At bonus iſte Herodes, caedis reus & tam gravi obnoxius crimini, adſtat hic purpuratus, & crine belle compoſito, cum ſtipatoribus armatis; ut nempe ſi juxta legem eum condemnemus, nos ipſos trucidet, ipſeque, vi legibus illata, evadat. At vero Herodem neutiquam tam incuſo quod incolumitatis ſuae majorem quam legum habuerit rationem, quam vos & regem, qui tantam ei indulſiſtis licentiam. Scitote tamen potentem eſſe Deum, & quod iſte, quem nunc in Hyrcani gratiam legibus eripitis, & vos aliquando & ipſum etiam regem puniet*. Nec vanus fuit vates. Nam Herodes regnum adeptus univerſos ſynedros, unico excepto Samea, etiam & Hyrcanum ipſum, ut ait Joſephus, ſuſtulit; qua de re etiam libro ſecundo. Habita hac a Samea oratione, propenſiores fiebant judices ad Herodem damnandum: Quo viſo, Hyrcanus τὴν δίκην εἰς ἄλλην ἡμέραν ἀνεβάλλετο, καὶ πέμψας κρύφα πρὸς Ἡρώδην συνεβούλευσεν αὐτῷ φυγεῖν ἐκ τῆς πόλεως· οὕτω γὰρ τὸν κίνδυνον διαφεύξεσθαι. καὶ ὁ μὲν ἀνεχώρησεν εἰς Δαμασκὸν, ὡς φεύγων τὸν βασιλέα, *in aliam diem judicium diſtulit* (interpretes; *in ſequentem diem diſtulit*, ſeu *in craſtinum*, quemadmodum etiam Joſippus [x], qui habet hic, וכאשר ראה המלך הורקנוס כי הסנהדרין כמעט היו גומרין את הדין למיתה חמל עליו ואמר לא נגמר הדין היום עד למחר למען הציל אותו מידם *Et cum vidiſſet Hyrcanus rex quod ſynedrium fere judicium capitale in eum tulerant, miſertus eſt illius, dixitque, non feramus ſententiam hodie, ſed cras; ut ſic eriperet eum ex eorum poteſtate*) *& clam eum admonuit ut fuga ſibi conſuleret. Sic enim periculum fore evadendum* (pro quo interpres recentior, *non enim eſſe remedium aliud*) *atque ille ſeceſſit Damaſcum, quaſi regem fugiens*. Ibi cum res ſuas in tuto collocaſſet, palam prae ſe tulit quod, εἰ καλοῖτο πάλιν εἰς τὸ συνέδριον, *ſi denuo citaretur ad ſynedrium*, non eſſet compariturus. Hiſce ſubjicit Joſephus, Ἠγανάκτουν δ᾽ οἱ ἐν τῷ συνεδρίῳ, καὶ τὸν Ὑρκανὸν ἐπειρῶντο διδάσκειν ὅτι πάντα ταῦτ᾽ εἴη καὶ

[t] Archaeolog. lib. 14 cap. 17.

[v] Videſis lib. noſt. 3. de Jure Nat. & Gent. cap. 2.

[x] Edit. Munſt. in 8° pag. 101.

αὐτοῦ.

αὐτῷ. τῷ δ' οὐκ ἐλάνθανε μὲν, πράττειν δ' οὐδὲν εἶχεν ὑπὸ ἀπανδρείας καὶ ἀνοίας, *Synedri vero indignabantur, & docere contendebant Hyrcanum omnia haec in ipſius perniciem tendere. Sed neque ille tantundem ignorabat. Facere autem aliquid non potuit propter ignaviam & vecordiam.* De ſynedrio, quod tractamus, magno rem totam narrari, a viris magnis [y] habetur in confeſſo: Nec ſane in minorum quae Hieroſolymis erant alterutro, ejuſmodi judicium inchoari omnino cuiquam, puto, eſt veriſimile. Sameas autem hic memoratus apud Joſippum aliosque Ebraeos שמאי *Sammai* nominatur, atque is ipſe habetur [z] qui in catena cabalica libro ſuperiori allata pater eſt ſynedrii magni, Hillele principe. Ex illius autem oratione, Hyrcani regis praeſentia, judicii procraſtinatione, ejuſce erga Herodem amore, atque hujus demum fuga ſimul perpenſis prudens lector facile eliciet id quod voluit ſummus ille vir, dum Hyrcanum arte ait eluſiſſe judicium de Herode, cum impedire non poſſet. Scribit vero vir doctiſſimus alter [a], idque velut ex Hyrcani exemplo illo, de rege judicante, *jus dicebat in iis quae ſuae erant cognitionis, non ſolus, ſed una cum ſenatoribus*, ſynedris magnis, *ut ex Joſephi hac hiſtoria conſtat.* Quam in rem etiam adfert illud velut a Moſe dictum apud Joſephum [b] de rege forte apud eos futuro, *Is quiſquis fuerit, plus legibus & Deo quam ſuae ſapientiae tribuat*; *πρασσέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης*, *Nihil vero agat citra pontificem maximum & collegarum ſynedrii* magni *ſententiam.* Sed non omnino ejuſmodi quid ex Hyrcani illo exemplo, aut aliunde, puto, ſatis eſt eliciendum. Nec quidem illud Joſephi ſic generatim dictum aut hiſtoriae ſacrae aut Talmudicae diſciplinae eſt ullatenus conſonum. De judiciaria autem regis ipſius poteſtate, praeter ea quae ſuperiore libro de ea occurrunt, conſulas quae de imperio ejus & juriſdictione tam circa ſacra quam profana agnoſcit & adſtruere conatur Alphonſus Abulenſis [c], alia etiam apud ſcriptores ea de re paſſim obvios. Adde de Zedekia rege & Micha propheta illud a ſynedris aliquot magnis dictum [d], *nunquid morte condemnavit eum Ezekias rex Judae* וכל יהודה *& omnis Juda?* ubi Grotius ad illud de rege, *jure regio, tanquam ſeditioſum*; & ad illud *& omnis Juda*; *id eſt ſynedrium gerens totius populi vices, & cognitionem habens de eis qui prophetas ſe dicerent.* De quibus ſupra capite ſexto.

II. Quod ad regem ipſum judicandum attinet; non ſemel habetur in Miſna [e], המלך לא דן ולא דנין אותו לא מעיד ולא מעידין אותו *Rex nec judicat, nec ipſe judicatur; nec teſtimonium praebet, nec in ipſum teſtimonium praebetur.* Unde certe viri aliquot doctiſſimi negarunt ſynedrium magnum jus habuiſſe omnino in reges ſuos, ut Iſaacus Caſaubonus [f] in Caeſarem Baronium. Baronius enim expreſſim [g], *Erat horum* ſynedrorum ſynedrii magni *ſumma auctoritas, ut qui de lege cognoſcerent, & de propheta, ac ſimul de regibus judicarent*; qua de re etiam ſupra [h]. Adjungit ibi Baronius, *Horum namque judicio Herodes rex poſtulatus eſt*; *in quos poſtea crudeliter ſaeviit, ut teſtatur Joſephus.* In exemplo autem nimium hallucinatur. Nam non Herodes quando rex erat, ſed diu ante, ſub Hyrcano rege (ut fuſe e Joſepho oſtenditur ſectione ſuperiore) ſiſtebatur in ſynedrio, nec aliter ibi poſtulatus. Alii etiam hic obiter de regibus illic ſynedrii magni judicio obnoxiis fidentius & ſecuri agunt [i]. Maxime pontificii, qua rem velut indubitatam, etiam haud parum in rem ſuam, admittunt, dum pontificem ſummum, qua talem, principem ſynedrii moderatoremque ſummum volunt; unde etiam pontifici ſummo ſuo parilem in reges alioſque principes & reſpublicas chriſtianas poteſtatem arrogare enixius conantur. Adeoque regem Ebraeorum ſeptuagintauniuſvirali ſynedrio, ita a ſe formato & capite ſic falſo donato, ſubdunt; ut fere apud Taprobanenſes (ſi Plinio [k] fides) quorum judices erant ſeptuaginta (Jacobus Pintianus legi vult, ſed contra omnia exemplaria, ſexaginta) qui regem (quem ſcilicet eligebant improlem, nec haereditarium volebant fore) *ſi quid delinqueret, morte multabant, nullo interimente,* ſed *averſantibus cunctis, & commercia etiam ſermonis negantibus*; quod ſic apud eos admodum erat inſtar ejus quod innuitur in anathematiſmis. Sed vero illa de re adverſantes invicem etiam apud magiſtros comperio ſententias, quarum genus utrumque exhibemus. A Baronio, qui ſynedrium de regibus judicaſſe ait (non illibenter, puto, oblitus pontificis, qui, ut oſtenſum eſt, ejuſdem juriſdictioni palam ſuberat; licet cardinalis ille, uti id genus alii, ut aliquoties ante monitum, pontificem ſynedria praefuiſſe velint, adeoque pontifici & ſynedrio ſubditum fuiſſe regem) ſtat ſatis Gemara Babylonia [l] ad allata e Miſna. Diſtinguit illa inter reges Iſrael & reges Juda; nec de hiſce illud dictum eſſe, ſed de illis tantummodo, idque ea notione regum Iſrael quam memoravimus libro ſuperiore, ubi, dum de regis loco in ſynedrio agimus, etiam diſtinctionis ejuſmodi rationem, quae hic recolenda eſt, afferimus, non ſine exemplo quod huc inprimis etiam ſpectat. Et ſi omnino judicandus eſſet rex ipſe (perſonam dico; nam de rebus ejuſce ſeu bonis veriſimillimum eſt in ſynedriis etiam foriſque minoribus, pro re nata, uti & pro vario rerumpublicarum inſtituto alibi non raro videmus, cognitiones fuiſſe habitas) dubitari nequit quin tantummodo in ſynedrio magno id eſſet faciendum. Quod non ſolum ex re ipſa, ſeu ſuprema ejuſdem dignitate, ſed ex magiſtrorum ſententiis de re magna ſeu ſummi viri rebus illic judicandis ſupra, ubi de pontifice agitur, oſtenſis, haud difficile evincitur. Neque aliter volunt viri doctiſſimi qui hanc rem diſputant. Juxta Gemaram igitur jam dictam magiſtri [m], מלכי בית דוד דנין ודנין אותן ומעידין עליהם אבל מלכי ישראל גזרו חכמים שלא ידון ולא דנין אותו ולא מעיד ולא מעידין עליו מפני שלבן גם בהן ויבא מן הדבר תקלה והפסד על הדת *Reges familiae Davidicae &*

[y] Baron. Annal. tom. 1. ad Ann. Chriſti 31. Iſ. Caſaubon. Exercit. 13. §. 5. H. Grotius, alii. [z] *Sepher Juchaſin*, fol. 19. 2. [a] Samuel Petitus in Diatriba de Jure Principum edictis, Eccleſiae quaeſito, cap. 2. pag. 16. [b] Archaeolog. 4. cap. 8. [c] Ad 4 Regum, cap xii. quaeſt 8. [d] Jerem. xxvi. 19. [e] Tit. *Sanhedrin*, cap. 2. & tit. *Horaiioth*, cap. 2. [f] Exercit. 13. num 5 [g] Tom. 1. ann. Chr. 31. § 22. & ann. 32 §. 11. & ann. 57. §. 36. [h] Cap. 1. §. 3. [i] Lorinus ad Numer. xi. 16, &c. [k] Lib 6. cap. 22. [l] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol 19 1. [m] Maimonid. Halach. *Melachim*, cap. 3. & *Sanhedrin*, cap. 2 & videlis Moſem Mikotzi praecept. affirm. 97. fol. 186. col 3. & Praec. affirm. 115

judi-

3

judicabant & judicabantur: Etiam testimonium adversus eos praebere licuit. *At vero de regibus Israel decrevere sapientes, eos nec judicare nec judicari, nec testimonium praebere nec in ipsos praeberi testimonium, quoniam corda eorum superba fuere, nec aliud inde manaret praeter scandalum atque abolitionem institutorum legis.* Idem alibi[n] ad illud jam e Misna citatum, זה במלכי ישראל בלבד לפי שהיו עברנין במלכותם לא היו משבחין ושפלות ולא היו נכנעין לדברי תורה אבל מלכי בית דוד דנין ודנין אותם לפי שהם יודעים התורה ולא היה רע בעיניהם השפלה וההכנעה לדברי תורה *Hoc sumendum est duntaxat de regibus Israel, quia transgressores erant in regno suo, nec placuit eis humilitas, nec legi se subjiciebant. Caeterum reges familiae Davidicae & judicabant & judicabantur ipsi, quia noverunt legem, nec turpis erat in oculis eorum humiliatio haec & submissio legalis.* Quin adeo ex jure judiciis synedrialibus subfuisse regem ostendit ille ut etiam flagrorum poenae subesset, sicut delinquentium vulgus, etiam & pontifex; qua de re vide eorum qui flagris punirentur recensionem libro in superiore.

III. Hactenus de sententia magistrorum qui regem synedrii magni jurisdictioni ita subjiciebant. Contrariam itidem ostendimus; id est, eorum qui regem suum, nulla adhibita regum distinctione, solius numinis sanctissimi subfuisse judicio voluere, idque non ex nupero aliquo decreto, sed ex ipsa Israeliticae reipublicae ratione atque institutis receptis manasse. Sunt quidem ex eis qui totum id quod in Samuelis libro primo de more apud orientales (quibus παμβασιλεία seu regnum plenum frequens erat) regio habetur, ad reges etiam suos [o] velint attinuisse. Sed illud praetermittimus, etiam a scriptoribus christianis passim disputatum. De eo autem quod in Misna occurrit superius allata ולא דנין אותו & *nec ipse* rex *judicatur*, seu *non judicant eum*, ad hunc modum Gemara Hierosolymitana[p], לא דנין אותו על שם מלפניך משפטי יצא רבי יצחק בשם רבי המלך וציבור נידונין לפניו בכל יום שנאמר לעשות משפט עבדו ומשפט עמו ישראל דבר יום ביומו *Rex ipse judicandus non erat*, seu *non judicabant ipsum, ob id*, seu *sensum ejus*, quod in Davide habetur[q], *De vultu tuo*, seu *ex ore tuo*, seu *ex ante te, judicium meum prodeat*, seu *exeat* (qui tamen locus a magistris aliis [r] sumitur pro eo quod est, עבירות שבידי שאני ראוי להשפט עליהם בייסורין יצאו מלפניך ולא יבאו לפניך בדין *Peccata mea, quorum nomine ego judicio obnoxius sum, per castigationes exeant e conspectu tuo, nec veniant coram te in judicio) dixit vero Rabbi Isaac nomine Rabbi, rex & populi universitas judicantur coram numine unoquoque die, juxta id quod dicitur* a Salomone in oratione[s], *ut faciat judicium servo suo, & judicium populo suo Israel, rem diei in die suo.* Quin etiam in *Dabarim Rabba*[t], הלכה מלך מישראל שהיה לו עסק מהו שיהא מותר לו לדון לפני בית דין כך שנו חכמים מלך לא דן ולא דנין אותו לא מעיד ולא מעדין אותו ילימדונו רבותינו למה אין דנין אותו אמר ר׳ ירמיה שכתיב בדוד המלך מלפניך משפטי יצא הכי אין בריה דן את המלך אלא הק״בה *Quantum ad regem Israelis qui litigium aliquod habuerit quod in synedrio ex jure judicandum videatur, docemur a rabbinis nostris quare regem non judicarent*, seu *judicandus is non esset. Dixit nempe Rabbi Jeremias, scriptum esse* [v] *de Davide rege, Ex ore tuo prodeat judicium meum; adeo ut nemini mortalium judicii in regem exercendi jus competeret, sed tantummodo numini sanctissimo.*

IV. Tantundem etiam patres christiani ad illud itidem Davidis numen alloquentis, *tibi soli peccavi*[x]; *rex utique erat*, inquit ibi D. Ambrosius, *nullis ipse legibus tenebatur: quia liberi sunt reges a vinculis delictorum; neque enim ullis ad poenam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Et Isidorus Pelusiota[y] de rege verba faciens, Τῇ θείᾳ δίκῃ μόνος, inquit, ὁ τοιοῦτος ὑπεύθυνος· διὸ καὶ ὁ μελῳδὸς ἔλεγε, Σοὶ μόνῳ ἥμαρτον, *Divino solum judicio subditus est qui rex est: unde & psalmographus ait, Tibi soli peccavi.* Sic etiam alii.

V. Diversae autem Ebraeorum sententiae hic adeo conciliandae videntur Hugoni Grotio, ut verbera, de quibus loquuntur velut regi delinquenti infligendis, non tam in poenam, aut ex synedrii alicujus autoritate, quam in peccatorum erga Deum satisfactionem ac poenitentiae signum subeunda velit. Ita enim hac de re ille[z]; *video consentire Hebraeos, regi in eas leges quae de officio regis scriptae exstabant*[a] *peccanti inflicta verbera. Sed ea apud illos infamia carebant, & a rege in signum poenitentiae sponte suscipiebantur: ideoque non a lictore, sed ab eo quem legisset ipse caedebatur, & suo arbitrio verberibus statuebat modum. A poenis autem coactivis adeo liberi erant reges, ut etiam excalceationis lex, quippe cum ignominia conjuncta, in ipsis cessaret. Hebraei Barnachmoni sententia exstat in dictis Rabbinorum, titulo de judicibus, nulla creatura judicat regem, sed Deus benedictus.* Quod ipsum est etiam R. Jeremiae dictum superius citatum. Infamia quidem verberum etiam poenam caruisse ante ostensum est. Hoc item amplectitur Claudius Salmasius[b], aliique. Jam vero planissime, pace virorum praestantissimorum, Maimonides, ubi verberum poenas enumerat, regemque eis obnoxium facit (quod libro ostenditur superiore) non castigationes sponte suscipiendas, sed a synedriis ob delicta infligendas, omnino innuit. Neque enumerantur delicta regia illa, quasi ob ea solum sic poena illa forensis ei subeunda fuisset, sed ut singularia ad eum, nec ad quenquam alium, attinentia. Samuel autem Petitus[c] e Talmudicis jus in reges illud synedriale enarrans, *Atque haec*, inquit, *jus dici solitum regi si quid deliquisset, a nobis dicta sunto e Judaeorum sententia, non ex vero.*

[n] *Pirush Misn.* fol. 115. 2. [o] *Jehuda* in Gem. Babyloniae ad tit. *Sanhedrin* cap 2. fol. 20 2. videsis Jo Cochium in excerpt. *Sanhedrin*, cap 2. pag. 176. & Mos. Mikotzi praecept. affir. 115. [p] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 2. fol. 20. col. 1. Hal 3. [q] Psalm. xvii. 2. [r] Jarchius ad Psalm. xvii. [s] 1 Reg viii. 50. [t] Fol. 295. col. 4. [v] Psalm xvii. 2. [x] Psalm l. 6. seu li. 4. [y] Lib. 5. epist. 383. [z] De Jure Belli ac Pacis, lib. 1. cap 3. §. 20. [a] Deut. xvii. 17. [b] In Defensione Regia, cap. 2. [c] Diatriba De Jure, Principum edictis, Ecclesiae quaesito, cap. 2. pag. 16.

Judaei

Judaei enim istam πολιτείαν *animo tantum conceperunt, nulli principes eo jure regnarunt. Vide quae in sacris Bibliis habentur, quae apud Josephum vernaculum rerum Judaicarum scriptorem leguntur; dabo pignus in omnes meas fortunas, si vel verbo jus istud asseratur: Sed contrarium plane illis quaesitum est, Deo auctore, in Saulis inauguratione apud Samuelem. Et constat ex historia legibus solutum fuisse principem,* ἤγουν ἁμαρτήσαντα οὐ κολάζεσθαι, *quamvis deliquisset, poenae non fuisse obnoxium: ut illud Æschyli de Jove,* Τραχὺς μόναρχος οὐδ᾽ ὑπεύθυνος κρατεῖ, *Durus Monarcha & nemini subditus imperat. Non igitur in jus vocabatur, nec item armis oppugnabatur, utcunque a Judaicis institutis descivisset, & in pios persecutionem fecisset. In eo namque judicium Dei suspiciebant qui praefecisset. Id in eo sciebant esse quod Deus voluisset. Itaque nunquam in regem suum religionis obtentu arma movisse in sacra legitur historia.* Sic ille. Recole hic quae supra[d] ex Isaaco Casaubono adnotantur. Atque de rege & synedrio, nec sine temporum regumque discrimine advertendo, Claudius Salmasius[e]; *Post migrationem e Babylone per pontifices, qui duces & principes populi erant, gubernati sunt, usque ad Aristobulum Jonathae filium, qui rex pariter & pontifex fuit, primusque apud Judaeos diadematis sumpsit insigne,* τὴν ἀρχὴν, *ut ait Josephus,* εἰς βασιλείαν μεταθεῖναι δόξας. *Sub illo & sequentibus regibus usque ad Herodem magnum, quo regnante natus est Christus, plurimum potuit synedrium; nec sine ejus consilio & consensu quicquam regi majoris quod esset momenti agere licuit. Et de his plane regibus verum est quod dixit Josephus lib.* IV. *Antiquitatum, ubi jura regis commemorat sicut habentur Deuteronomii* xvii. Πρασσέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης, *Nihil praeter pontificis & seniorum sententiam faciat* (de quo loco paulo ante diximus.) *Quod de regibus qui paulo ante Josephi tempora imperarunt fortasse dici debet, ab Aristobuli regno, non de primis illis qui ante captivitatem fuere. Sed nec verba illa quae ex Josepho citavimus in illo Deuteronomii loco leguntur, quo regibus Israelis Moses leges dat secundum quas eos regnare oporteret. Nihil inquam ibi exstat quod nihil agere debeant sine consensu & consilio pontificis & synedrii. Josephus ad suae aetatis reges respiciebat cum illa scriberet. Qui tamen & synedrio majorem habuere potestatem: Nam & ipsos pontifices maximos pro libitu creabant & dejiciebant:* (Quod tamen Talmudici indefinite synedrio magno tribuunt, ut capite ostenditur superiore.) *Ex tota autem priorum regum historia satis compertum est, pleraque eos egisse non consultis synedrii senioribus, nec pontifice, cum & multa contra legem Dei statuerint & fecerint, praecipue circa idolorum cultum: Ob quem tamen, cum crimen esset omnium gravissimum, nec accusatos unquam aut judicatos a synedrio constat. Illud vero quod ait Maimonides de regibus ex familia Davidis qui judicabant & judicabantur* (quod & superius allatum) *ne de illis etiam id intelligendum qui post Aristobulum regnarunt, multo minus de illis quos diximus, quorum primus fuit Saul, ultimus Joachimus. In Gemarae tractatu de synedrio cap.* II. *haec Talmudis traditio* (ante etiam memorata) *quod rex nec judicat nec judicatur, non pertinere dicitur nisi ad regem Israelis. Nam, inquit, qui ex familia Davidis sunt, judicant & judicantur. Qui sunt illi reges Israelis? Nempe qui in terra Israelis, hoc est, in Judaea, regnarunt, non primi illi quos diximus a Saule usque ad Joachimum imperasse, sed hi qui post Aristobulum usque ad Herodem imperium nomine regio tenuerunt. Quod ex illo capite Gemarae clarum est. Nam ibi narratur qua ex causa factum sit hoc decretum de rege, quod nec judicaret nec judicaretur:* (interjectaque dein historiola illa de Jannaei regis servo in jus a synedrio vocato tempore Simeonis Ben Shatach, juxta ante a nobis ex Talmude Babylonio ostensa.) *Inde aiunt, factum esse decretum ut rex nec judicaret nec judicaretur. Sed hae nugae sunt & fabulae Rabbinicae. Jannaeus iste successit Aristobulo, qui primus diadema sumpsit & regem se fecit, cum praedecessores ejus omnes* (e gente Hasmonaica) *principes & duces populi tantum essent, iidemque pontifices, regio vero nomine abstinerent ac jure. Judicabant quippe & judicabantur, & maxima tum potestas & administrandi ratio penes synedrium erat. Aristobulus primus hunc statum in regium commutavit, sumpto regni insigni. Ut vero omnia sunt initia, non satis perfecta nec absoluta, nondum jus regium habuit cum regis insigne gestaret. Successor ejus ulterius progressus est: Nam vocatus in jus a senioribus consessus parere noluit. Ab eo firmatum id jus, & sequentibus traditum. Sed quia supremam non habebant potestatem, jus non reddebant, hoc ex regali jure retinentes tantum ut non possent judicari. Nec exemplum ullius in his posterioribus Judaeae & Israelis regibus afferri potest qui judicium capitis subierit aut in jus vocatus sit ex ulla criminis causa. Nam quod de Herode afferunt Hildebrandinae & Enthusiasticae doctrinae auctores, nihil eos juvat; qua rex non erat, sed praefectus Galilaeae, cum ad synedrium citatus est, vivente adhuc patre rege, ut ex Josepho clarum est* (quod & paulo ante satis observatum) *Et parum prudenter urget hanc historiam Sichardus* (Guilielmus Schickardus[f]) *ut probet synedrium etiam judicasse de regibus: Quod falsissimum est, nec probari potest. Reges e posteris Davidis judicium in se accipiebant, & in alios exercebant. Quinam illi fuere? Nempe duces captivitatis, qui Babylone agebant,* Αἰχμαλωτάρχαι *Graece dicti. Hi ad Davidem genus suum per mares referebant. De his habetur in Gemara Talmudica cap.* I. *de synedrio, traditionem qua fertur non recessurum sceptrum a Juda ad eos pertinere; nam eos esse aechmolatarchas Babylonicos, qui sceptrum Israelis tenebant. Sed cur hi judicabantur, cum id proprium esset regii juris non judicari? Non erant veri reges, sed vice tantum regia regnabant. Suberant enim regibus Persidis, a quibus potestatem suam accipiebant. Ex his liquet qui reges essent re & nomine, non potuisse judicari; impune ergo ipsis fuisse quicquid fecissent.* Aliis dein in Rabbinorum hic scita alia,

[d] Sect. 2. [e] In Defensione Regia cap. 2. [f] In Jure Regio Hebraeorum cap. 2. Theorem. 7. quem & vide in Erratis.

superius allata, subjunctis, *Unde certum est*, inquit, *regem non vocari in jus solitum ad tribunal septuaginta seniorum, non coram his accusatum, nec ab his judicatum.* Certe & Joannes Bodinus de synedriis magnis locutus, & Herodis ac Hyrcani exemplum e Josepho memorans, *Et perspicuum*, inquit[g], *fit, summum reipublicae imperium in eo senatu non fuisse, tametsi Josephus*[h] *patres adducit conquerentes quod Hyrcanus & Aristobulus, principes Asmonaei, formam civitatis Aristocraticam in regnum mutassent.* Obvia sunt alia apud scriptores hosce, aliosque jura regia tractantes, nec paucos, qui synedrio aliive conventui apud Ebraeos regem ἀνυπεύθυνον nec omnino obnoxium asserunt ex juris, quod apud orientales alios esset regium, exemplis velut cognatis, apud historicos, poetas, alios veterum repertis, quibus hic locus non est, Ebraeorum duntaxat regibus ex instituto proprius. Suum esto circa hoc, de rege Ebraeorum a synedris magnis judicando, cuilibet hic judicium. Nos, quae habent diversarum sententiarum hac in re autores fideliter ostensis, nihil omnino definimus.

VI. Aiunt etiam Talmudici[i], אין מעמידין מלך אלא על פי ב"ד של ע"א *Non constituebant*, seu *solebant constituere, regem nisi de sententia synedrii septuagintauniusviralis.* Hoc ita generatim dictum aliquantulum alibi[k] temperatur: אין מעמידין מלך בתחלה אלא על פי ב"ד של ע' זקנים ועל פי נביא כיהושע שמינהו משה רבינו ובית דינו וכשאול ודוד שמינם שמואל הרמתי וב"ד *Non constituebant reges initio* (id est, ut explicat Guil. Schickardus[l], antequam res ad successionem deveniret) *nisi de sententia synedrii septuagintaviralis & de sententia prophetae. Exemplum habetur in Josua, quem constituit Moses magister noster & synedrium ejus; atque in Saul, & Davide, quos ordinarunt Samuel Ramathaeus & synedrium ejus.* Sequentibus autem in seculis, ubi quaestio sive de legitimae successionis sive electionis tempore, aut eligendi qualitate, idve genus aliis (ut sub templo secundo seu in Hasmonaeis & Herodiana familia) orta est, penes synedrium cognitionem, puto, ex jure, volunt fuisse. Nec quidem in Talmude ipso aliud huc spectans me comperisse memini praeter illud ודנין אותו variatim, ut ante ostenditur, explicatum. Certe si in regem exercere potuisset synedrorum collegium illud jurisdictionem tam amplam quam a nonnullis obtenditur, satis consonum est fateri etiam, inde ejusdem constitutionem ad idem attinuisse. Maxime de successionis jure & natalibus; ne scilicet Ebraeorum frater non esset, juxta illud legis[m], *Ex fratribus tuis constitues regem super te. Nec constitues extraneum, qui non fuerit de fratribus tuis*, id est, non puris satis ad successionem natalibus. Qua in re generis Israelitici materni ratio maxime habenda erat. Inde enim puri satis natales (quantum ad nobilitatem Israeliticam & dignitates omnimodas, praeter pontificalem adeoque sacerdotalem; ut alibi[n] explicavimus) tamersi patre quis genitus esset sanguinis non Israelitici; quod fusius aperitur in libris de Jure Gentium & Naturali, ubi[o] de proselytis, Herode rege, aliisque huc spectantibus agitur. Et optime quidem Petrus Cunaeus, jurisconsultus plane scientissimus, ubi verba faciens de collegis synedrorum, qui, juxta libro superiore ostensa, ex jure ordinario, parili natalium undiquaque puritate esse debuere cum regibus, *Nec peregrini*, inquit[p], *exterive recepti in hunc ordinem, nisi matre saltem Judaea essent. Hos enim excipit Maimonides*; quod & ante illic notavimus. Atque apposite adjicit Cunaeus, *Et sane aequum erat. Neque secus constitutum jure Quiritium est. Ait Ulpianus JC. in l. 1. §. 2. ff. ad municipalem, si quis ex patre Campano, matre Puteolana natus sit, eum municipem Campanum esse, nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur: tunc enim filium maternam originem sequi. Quare Iliensibus concessum esse, ut qui matre Iliensi est sit eorum municeps. Et Ponticis ex beneficio Pompeii Magni competere, ut qui Pontica matre natus esset Ponticus esset. Atque etiam Delphis hoc idem tributum & conservatum fuisse.* Ut Iliensibus, quorum civitatis inclyta nobilitas dicta[q], Ponticis, Delphis hoc jus de sanguine materno competiit singulare (nam ex jure communiori, aut quod ut plurimum obtinuit, materni sanguinis aut solum aut maxime ratio haberi solita) ita & simile Antiochenis. Julianus Augustus[r] Juliano comiti orientis, *Eos indulserunt veteres principes ex materno genere curialibus Antiochenis adscribi, quos patris dignitas*, seu *conditio, nullius vindicaret juri civitatis.* Parile jus Xanthiis[s], uti &, ut videtur, Lyciis[t] cunctis, quorum pars Xanthii. Et consonum est illud Virgilii[v] de Drance,

> ——— *Genus huic materna superbum*
> *Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat.*

Et de nobilitate a matre sola praestita recentiora habentur exempla in Campanis, Trecensibus, Senonensibus Clarimontanis Galliae[x]. Ex jure autem Caesareo, *exemplo*[y] *senatorii ordinis, patris originem municeps unusquisque sequatur*, nec valuit contra rescriptum principale, quo privatus quis ex materno sanguine sibi privilegium vendicaret, licet jus ejusmodi civitatibus aut provinciis integris rite satis, ut in ante ostensis, concederetur. Et hac de re plura simul congessit Andreas Tiraquellus[z]. Certe ad materni sanguinis solius inter homines dignitatem spectat haud parum egregium Juliani Augusti commentum illud ubi de [a] diis, veluti Jove, Apolline, aliis, loco patrum nonnullis habitis loquens, Καὶ οὐ, inquit, πιστέον τοῖς λέγουσιν ὡς ποιηταὶ ἐκεῖνοι ὑπὸ ἀμαθίας ἐξαπατώμενοι ταῦτα τῶν θεῶν κατεψεύσαντο, *Nec fides eis habenda qui dicunt illos per inscitiam deceptos haec de diis mendacia finxisse.* Et paulo post, ὅπερ οὖν ἔφην, χρὴ περὶ αὐτῶν πειθομένους ἡμᾶς ταύτην ποιεῖσθαι τὴν ὑπὲρ τῆς εὐγενείας ἐξέτασιν· καὶ ἔστω μὲν ἂν ὦσιν ἀγαθοὶ πατέρες, καὶ αὐτοὺς ἐκείνοις ἐμ-

[g] De Republica lib. 6. cap. 4. [h] Lib. 14 cap. 5. [i] Maimonides Halach. Sanhedrin, cap. 5 § 1. [k] Idem Halach. Melachim, cap. 1. [l] De Iure Regio Hebr. cap. 1. Theor. 2. & videsis Petrum Cunaeum de Repub. Hebraeorum lib. 1. cap. 12. pag. 109. [m] Deuter. xvii. 15. [n] Lib. 2. de Successione in Pontificatum. [o] Lib. 2. [p] De Repub. Hebraeorum lib. 1. cap. 12. pag. 106. [q] L. 17. D. tit. de Excusationibus §. 1. [r] C. Theodos. lib. 12 tit. 1. l. 51. C. Juli. tit. de Decurionibus l. 22. [s] Plutarch. de Claris mulieribus cap. 9. [t] Herodot. lib. 1. [v] Aeneid. 11. [x] Dionys. Gothofred. ad l. 1. D. Ad Municipalem. [y] Theodos. lib. 12. tit. 1. l. 12. ... de Decurionibus l. 36. [z] Lib. de Nobilitate cap. 12. §. 20. &c. [a] Orat. 2. de Constantii Imp. rebus gestis.

Φερέ-

φορὰς, τοῦτον εἰσοικίζειν θαῤῥούντως ψυχῇ. Ὅτῳ δὲ τὰ μὲν τῶν πατέρων ὑπῆρξεν ἀρετῆς ἐνδεᾶ, αὐτὸς μετεποιήθη τοῦ κτήματος· τοῦτο δὲ νομιστέον πατέρα τὸν Δία καὶ φυτουργὸν· καὶ οὐδὲ μεῖον αὐτῷ δοτέον ἐκείνων οἱ γεγονότες πατέρων ἀγαθῶν τοὺς σφῶν τοκέας ἐζήλωσαν. ὅστις δὲ ἐξ ἀγαθῶν γέγονε μοχθηρὸς, τοῦτον τοῖς νόθοις ἐγγράφειν ἄξιον. τοὺς δὲ ἐκ μοχθηρῶν φύντας, καὶ προσομοίους τοῖς τοκεῦσιν, οὔποτε εὐγενεῖς φατέον· οὐδὲ εἰ πλουτεῖεν ταλάντοις μυρίοις· οὐδὲ εἰ ἀπαριθμοῖντο προγόνους δυνατάς. ἢ καὶ μὰ Δία τυράννους εἴκοσι· οὐδὲ εἰ νίκας Ὀλυμπικὰς, ἢ Πυθικὰς, &c *Sed quemadmodum dixi, nos ita de iis persuasos oportet in illorum nobilitatem inquirere. Adeoque quicunque praeclaros parentes sortitus fuerit, & horum ipse similis fuerit, hunc audacter nobilem esse pronunciemus. Quisquis vero parentes habuit virtute minime praeditos, cujus ipse possessionem sibi vendicaverit, ejus parentem & autorem generis esse Jovem,* seu quem deum alium, *existimandum est*; *nec ei minus quam iis deferendum qui, cum parentibus bonis nati essent, illorum virtutem imitati sunt. Sed qui malus & depravatus a bonis ortum accepit, hic inter illegitimos* seu *spurios habendus est. Nec qui, ex pravis orti, illorum similes sunt, eos unquam nobiles appellare debemus, tametsi decem millia talenta in bonis habeant, aut majorum suorum quamplurimos principes percenseant, aut certe tyrannos viginti, aut Olympiacas aut Pythicas victorias*, &c. Ita, dum de nobilitate philosophica potissimum disserit, eousque sanguinis apud homines materni solius, patribus humanis spretis, rationem vult haberi, ut quoties cuiquam viro praeclaro ac virtute eminentius praedito defuerit ejusmodi pater humanus, eidem divinus seu e deorum coetu aliquis fuerit pro patre assignandus, a quo ut a matris amasio divino, adeoque per matrem, apud homines, solum nobilitatus fuerit. Ingens adsciscendi, in partus nobilitatem, patres, sexus sequioris sic privilegium! Sed de his hactenus.

CAP. X.

I. *De sumptibus jure divino aliterve in sacrificia publica praestitis.*

II. *Annuae Sicli eam in rem pensitationis tempus modusque.*

III. *De synedrii magni circa pensitationem illam, aliasque id genus, jurisdictione.*

IV. *De residuis ad anni exitum pensitationum ejusmodi.*

V. *Firmatur potestas circa pensitationes ejusmodi sacras synedrii magni. Testimonium e paraphrasi Chaldaica eam in rem singulare.*

SEquitur ut, juxta institutum, de synedrii magni potestate judiciaria circa annuam siclorum praestationem, earumque atque rerum aliarum aliquot sacrarum insumendarum rationem videamus. Publicorum sacrificiorum, quae קרבנות על ציבור *oblationes* seu *sacrificia universitatis* seu *populi* nuncupant, quantum ad rem quam tractamus attinet, genera fuere bina. Alterum eorum quae sive jugiter sive sabbatis sive neomeniis sive quotannis, ex legis sacrae praescripto[b], in templo erant veluti universitatis, non privati cujuspiam, nomine offerenda. Alterum eorum quae totius populi, ex disertis etiam sacrae legis[c] verbis, quoties ipse qua universitas deliquerat tantum, nomine erant facienda. Secundum genus ad illud distributionis nostrae caput attinet, quod est de universitatis persona quam in sacrificii ejusmodi tum causa tum ritu induebat synedrium magnum; qua de re inferius. Prioris autem sumptus subministrandi erant ex lege illa[d] de dimidio siclo sanctuarii, id est, integro ex vulgaribus, didrachmae Atticae aequiparari solito, a quolibet viginti annorum praestando, *in cultum tabernaculi testimonii, ut sit filiis Israel in memoriale*, seu *monimentum*, *coram Domino*, לכפר על נפשותיכם id est, *ut propitius fiat super animabus vestris*, seu *propitietur animabus vestris*; unde etiam כסף הכפורים *pecunia expiatoria* seu *expiationum* eadem in lege appellatur. Tributum hoc sacrum annuum erat & perpetuum, stante Ebraeorum republica, ac templo postmodum, ut tabernaculo primo, solutum; idque[e] inprimis ad coemenda sacrificia illa publica, diurna, sabbatica, menstrua, annua, quae populo erant expiatoria; aliis nihilominus ex eo pecuniarum summis quotannis (ut mox ostenditur) praestari etiam solitis. Tertia pars sicli sub initio templi secundi, ob graviores tunc sacrorum operumque impensas, edicto temporario[f] adjecta est. Dimidii autem sicli tributum ipsum idem erat quod a Tito in oratione ad Judaeos habita innuitur, ubi de amplissima Romanorum indulgentia verba faciens, Τὸ δὲ μέγιστον, inquit[g], δασμολογεῖν τε ὑμῖν ἐπὶ τῷ Θεῷ καὶ ἀναθήματα συλλέγειν ἐπετρέψαμεν, καὶ τοὺς ταῦτα φέροντας οὔτε ἐνουθετήσαμεν οὔτε ἐκωλύσαμεν, ἵν' ἡμῖν γένησθε πλουσιώτεροι, καὶ παρασκευάσησθε τοῖς ἡμετέροις χρήμασι καθ' ἡμῶν, *Quodque maximum est, tributum capere Dei nomine ac donaria colligere vobis permisimus, Eaque offerentes neque monuimus neque prohibuimus, ut hostes nobis efficeremini ditiores, nostraque pecunia vos contra nos instrueretis.* Sic Ruffinus. Genebrardus ibi, *Et qui plus est, avons ottroyc de lever tributs au nom de Dieu, & recuellier dons & offrandes: & n'avons ay admoneste ne empesche ceux qui les offroient: & cela a este fait a fin que vous que nous estiez enemis* (sed hostium voci in Graeco nihil respondet) *fussiez plus riches que nous, & que vous fussiez armez contre nous de nostre propre argent.* Post templi excidium, desinente sacrificiorum usu, idem tributum ex Vespasiani sancito in capitolium Romae a Judaeis erat deferendum. Josephi[h] verba sunt, Φόρον δὲ τοῖς ὁπουδήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις, δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν, *Tributum Judaeis ubicunque degerent imposuit, jubens eos quotannis singulos didrachmas in capitolium*

[b] Num. xxviii. 2 &c. [c] Levit. iv. 13. [d] Exod. xxx. 12. videsis Joseph. lib. 3. Origin. cap. 9. [e] Gloss. Jarchi ad Exod. xxx. 15. [f] Nehem. x. 32. & ibi R. Aben Ezra. [g] Halos. seu lib. 6. cap. 34. in Graeco, in Ruffino lib. 7. cap. 15. [h] Halos. lib. 7. seu vet. cap. 27. & vide Philonem in Legatione ad Caium.

pitolium deferre, quemadmodum ante pendebant templo Hierosolymitano. De hoc etiam Tacitus [i], res Judaicas tractans, *tributa & stipes illuc* (Hierosolyma) *congerebant* Cicero item [k], *cum aurum Judaeorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus provinciis Hierosolyma exportari soleret, Flaccus sanxit edicto ne Asia exportari liceret.* Nam Judaei, ubicunque locorum in orbe Romano degerent, hoc persolvebant.

II. Quoniam igitur res ipsa postulavit ut ante anni cujuslibet initium solveretur in sacros illos usus tributum ejusmodi, id est ante initium Nisan mensis, qui fere Martio Juliano respondet, ideo quotannis primo die Adar mensis, qui proxime antevertit, edicto publico per tribus universas in urbibus tractibusque monitum est ut quisque Siclum suum in annum futurum appararet solveretque post dies quatuordecim. Decimo quinto ejusdem die, ישבו השולחנין בכל מדינה ומדינה ותובעין בנחת כל מי שיתן להם יקבלו ממנו ומי שלא נתן אין כופין אותו ליתן quae verba sunt Maimonidis [l], juxta mentem veterum, id est, *trapezitae passim per urbes & provincias commorabantur, ac canistro* seu *vasculo aliquo siclos poscebant. Qui dederit, ab eo accipiebant. Qui vero non dederit, eum* tunc *non cogebant dare.* Die dein vigesimo quinto Adar mensis, ישבו השולחנין במקדש לגבות ומכאן ואילך כופין את מי שלא יתן עד שיתן וכל מי שלא יתן ממשכנין אותו ולוקחין עבוטו בעל כרחו ואפילו כסותו *Trapezitae commorabantur in templo ad exigendum tributum illud; atque ab illo tempore quicunque non daret, eum id facere cogebant. Scilicet qui non daret, eum prehendebant, pignusque ab eo capiebant, etiam amictum ejus.* Nemo enim praeter foeminas, servos & minores excusandus erat, nec paupertate extrema; hoc tamen adjecto temperamento; sacerdotes, quanquam hoc pariter atque alii tributum deberent, & instantius usque dum solverent crebro rogarentur, nihilominus prehensione neutiquam esse ad id praestandum coactos, idque מפני דרכי שלום *propter vias pacis*, id est, publicae honestatis causa. Sic magistri. De eis quae habentur apud scriptores hac de re christianos, nec etiam satis Ebraeis consona, consule, si placet, maxime disputationes Joannis Baptistae Villalpandi [m], ut magis obvias praeteream.

III. Id verum quidem est, non expressam occurrere synedrii magni mentionem ubi de exigendo tributo hoc in libris Talmudicis agitur. Sed rem ipsam ejusmodi fuisse satis liquet, ut cum ratione fingi quidem nequeat alius alicujus synedrii seu fori ordinarii jurisdictionem locum habere potuisse in prehensione pignoreque, quo non solventes ad praestandum cogerentur, capiendo. Sine jurisdictionis synedrii alicujus ope, trapezitas, qui corrogarent, sive prehensione sive pignoriscapione uti potuisse, credere absonum nimis est. Et cum prehensione non cogerent hic debitores antequam in templo Hierosolymis, idque vigesimo quinto die mensis Adar, siclos cujuslibet, qui, dum per urbes ac tribuum tractus postularant, non solvisset, expectare inciperent, non omnino videtur existimandum quin ex autoritate hujus ibi synedrii tum non solventium prehensio ac pignoriscapio penderet, tum, si forte ea de re lis moveretur, ejusce ad illud cognitio solum spectaret. Nam aliarum tribuum tribulium res (nisi appellationis causa, ut superius ostenditur) in synedriis Hierosolymitanis minoribus agitari fas non erat. Et trapezitas sive ipsos sive per procuratores, postquam jam fere accesserat anni initium, adeoque quotidianus proventus hujus sacri usus, in synedriis per tribuum urbes & tractus dispositis sive in contumaces sive in negligentes egisse, veri nemo non videt dissimillimum. Perquam igitur consonum est, ad synedrii magni duntaxat imperium & jurisdictionem rem hanc attinuisse. Quod libentius forsan credas, si etiam observaveris synedrii hujus in siclorum ita quotannis praestitorum distributione, sacrisque inde faciendis, potestatem. Nimirum ex amplissima horum oblationis congerie, seu aerario hoc sacro, non solum sacrificia illa quotidiana, menstrua, annua, sabbatica suppeditabantur, atque vestes sacerdotales pontificiaeque, alia item ad cultum spectantia, verum etiam censorum seu curatorum urbis, eorum qui sacerdotes ritus immolandi atque id genus alios docerent, libros Hierosolymis descriptos corrigerent, judicia exercerent, aliorum etiam ejusmodi reipublicae ministrorum operarumque stipendia, ac mercedes in muros, arces, aquaeductus, id genus caetera reficienda, aliosque non dissimiles sumptus, solvebantur, idque juxta synedrii magni semper [n] taxationem. Quin & ad illius judicium, si forte publicis sacrificiis aliisque sic impendendis non sufficeret hoc aerarium, ex aliis sponte oblatorum quae deerant supplebantur.

IV. Quod item supererat sub anni exitum, holocaustis adjectitiis, quae קיץ המזבח *Sacrificia altaris secunda* nuncupabantur, insumendum pro arbitrio decernebat. Quamprimum autem advenerat dies Nisan mensis primus, id est ipsum anni initium, sacrificia publica tantummodo coemenda erant מתרומה חדשה id est, *oblatione nova* seu *siclis in novum annum solutis*; non omnino iis qui in anni praeteriti aerario superflui manebant, ni forte nondum in annum novum quae sufficerent praestarentur. Adeo etiam ut tametsi in sacrificia quotidiana tunc animalia pristini anni siclis (quos תרומה ישנה *oblationem veterem* appellabant) coempta haberent, sive ad pristinos dominos redhibitione ea transirent sive venderentur, ויוצאין לחולין atque *plane haberentur inter res profanas*, seu prorsus resecratas, pretio in veteris oblationis aerarium conjecto, quod similiter dicendum quoties victimarum in sacra quotidiana coemptarum aliquot usus non esset; שתנאי ב"ד הוא על כל הבהמות שלוקחין לתמידין שאם לא יהיו צריכין להן יצאו לחולין *quoniam ita voluit synedrium de omnibus pecoribus in sacrificia quotidiana comparatis, quoties nempe eorum usus non esset, ut in rerum profa-*

[i] Histor. 5. [k] Orat. pro Flacco. [l] Halach. *Siklim*, cap. 1. §. 9. & sic Misn. & Gem. Hierosolym. ad tit. *Siklim*, cap. 1, &c. [m] Tom. 2. Explanat in Ezech. part. 2. lib. 5. disp. 3 cap. 56 item in Apparatu Urbis & Templi, part 2. seu de Ponderibus & Mensuris, lib. 2. disp. 4. cap. 31. [n] Gemar. Babylon. ad tit. *Cethuboth*, cap. 13. fol. 105. 1. Maimonid. Halach. *Siklim*, cap. 4. Moses Mikotzi praec. aff. 45. fol. 122. col 3. Misn. & Gem tit. *Siklim*, cap. 1, 2, 3 ibi etiam Bartenorius.

narum

5

narum numerum redirent. Quod de ſynedrio alio quam magno intelligi nequit.

V. Hiſce ſane rite perpenſis, vix dubitari poteſt quin ab ſynedrii magni imperio atque juriſdictione penderet tam ipſa ſive contumacium ſive ex negligentia non ſolventium ſiclos jam dicta prehenſio & pignoriſcapio, quam proventus hujus ſacri in ſacrificia publica aliaque jam oſtenſa inſumendi etiam ratio. Unde quidem & caetera quae hiſce ita ſimilia fuere ut ſive ob amplitudinem ſingularem, ſive ob diffuſam per tribus univerſas naturam & poteſtatem, in ſynedriis minoribus locum commode habere nequire videantur (veluti urbis totius cura, panegyres Hieroſolymitanae ex inſtituto divino celebrandae, & ſi quae ſunt ejuſmodi reliqua) ad ſynedrium hoc itidem attinuiſſe par eſt ut exiſtimemus. Accedat hic, e paraphraſi Chaldaica teſtimonium de ſynedrii magni etiam apud Judaeos Babylonienſes ſimulacro, ſeu, qua in terris exteris eſſe potuerit, figura imitatrice, (illic enim ſeu extra terram ſanctam legitimum Moſaice eſſe nequibat) poſtmodum, ſcilicet Ezra, Zorobabele, eorumque collegis in terram ſanctam ac Hieroſolyma e captivitate reducibus, ſtatum priſtinum & figuram ejuſdem genuinam, juxta quae de ſynagoga magna libro ſecundo dicta ſunt, induente. Ad illud Cantici Canticorum [o], *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, ut ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat,* Paraphraſtes, *dominator ſeculi ſuſcipit voluntarie orationem eorum, & deſcendit in Babylonem* (לסנהדרין דחכימיא) *ad ſynedrium ſapientum, & dedit populo ſuo requiem, & eduxit eos de captivitate ipſorum per manum Cyri & Eſdrae & Nehemiae & Zorobabel filii Sealthiel* (וסבי יהודאי) *& presbyterorum Judaeorum: Et aedificaverunt domum ſanctuarii, & conſtituerunt ſacerdotes ſuper oblationes, & Levitas ſuper cuſtodiam verbi ſanctitatis: Et miſit ignem de coelis, & ſuſcepit voluntarie oblationem & incenſum aromatum. Et ſicut vir qui nutrit filium ſuum dilectum in deliciis, ita delicate nutrivit eos; & ſicut vir qui colligit roſas de convallibus, ita congregavit eos de Babylonia;* ubi inſtar aechmalotarcharum alienis in terris ante gubernarant, & tandem reduces ſynedrium revera magnum in loco quem elegerat Dominus inter ſuos inſtaurabant ipſi. Et capite proximo, ad illud [p], *Quam pulchri ſunt greſſus tui,* &c. Paraphraſtes, *Dixit Salomon in ſpiritu prophetiae ſuae a facie Domini, quam pulchri ſunt pedes Iſrael, quando aſcenderint ut appareant coram Domino tribus vicibus in anno,* &c. adeoque rempublicam ſacram in terra ſancta e captivitate reduces inſtauraverint, ורישׁ מתיבתה די בזכות מתפרנסין כל עלמא וגו׳ *Et principi conſeſſus* ſeu *ſynedrii tui indultum eſt ut gubernet omnia ſecula, ſicut foetus enutritur per umbilicum in utero matris ſuae. Splendidus eſt in lege ſicut circulus lunae, quando venit ad mundandum & ad contaminandum, & ad juſtificandum & ad condemnandum,* id eſt, ad dubia de munditie, immunditie, innocentia, reatu ſolvenda. *Et non deficiunt verba legis unquam ab ore ejus, ſicut non deficiunt aquae fluminis magni, quando egreditur de paradiſo.* ושׁבעין חכימין מסחרין יתה כאדר שׁגלגל *Et ſeptuaginta ſapientes circumdant eum inſtar areae circularis,* ſemicircularis, ut libro oſtenditur ſecundo. ואוצרוהן מלין מן מעשׂר וגו׳ *Et cellaria* ſeu *theſauri eorum pleni ſunt decimis ſanctificatis & votivis & ſpontaneis, quae conſtituerunt eis Ezra ſacerdos, & Zorobabel, & Joſue, & Nehemias, & Mardochaeus, & Bilſan,* אנשׁי כנשׁתא רבתא *viri ſynagogae magnae, qui comparantur roſis, ut ſit eis virtus ut laborent in lege die ac nocte.* Deſignantur plane ſynedri magni nomine ſeptuagintauniuſvirorum, ſimul cum officio eorum, ſeu procuratione judiciaria ſuprema circa proventus & res ſacras quae Hieroſolymis ſeu in templi cellariis, exercenda.

CAP. XI.

I. *De ſacra diſciplina a ſynedrii magni delegatis aliquot pontifici maximo paulo ante feſtum expiationum illud generale in menſe Tiſri tradenda.*

II. *Juramentum eam in rem ab eo praeſtandum. Alia ad procurationem hanc attinentia.*

III. *Ex re nata, de veſtibus ſacris extra templum nullis, nec in templo extra ipſum miniſterii tempus aut ejuſdem confinia proxima, a ſacerdote geſtandis. Maxime e Talmudicis. Et num ego merito reprehenſus ſim a tituli Talmudici interprete nupero quod ex juriſconſultis Ebraeorum adfirmaſſem, fas non fuiſſe ſacerdoti gregario ſacris indui veſtibus alio in tempore quam dum ſacris operabatur.*

IV. *Singularis eam in rem traditio Talmudica de miniſteriorum diurnorum ſortium ritu ſolenni.*

V. *Numerandi ratio ſingularis. Nec alia Iſraelitis, ut legitima, ſeu recepta.*

VI. *De veſtium ſacerdotalium uſu ex ſermone ſacro & ſcriptoribus chriſtianis hic advertenda.*

VII. *Enarratio apud Salomonem Ben Wirga de pontificis maximi, comitante ſynedrio magno aliiſque in templum, e domo ſua, paulo ante feſtum expiationum, pompa ſplendidiſſima.*

ORDO inſtituti deducit ad illud de temporum, ut neomeniarum, intercalationis, reliquorumque inde pendentium, calculo. Sed quoniam rejicitur quicquid id genus fuerit ad librum de anno Ebraeorum civili, qui tertio huic adeo utpote cognatus ſubjungitur, ideo tranſimus

[o] Cap. vi. 2.

[p] Cantic. vii. 1.

ad disciplinam sacram ex judicio synedrii magni quotannis pontifici maximo tradendam paulo ante festum expiationum seu diem decimum mensis Tisri. Stante templo primo, qui in pontificatum successere viri erant adeo doctrina ac pietate praediti (sic ipsi Ebraei) ut suum satis absque synedrorum ope plerumque munus praestare edocti essent. Sub templo autem secundo, cum septiduo ante festum [q] expiationum, quod diem decimum Tisri mensis occupabat, ex more vetustissimo [r] pontifex, ut tanto sacrificio in universi populi expiationem peragendo quotidiana sacrorum consuetudine magis idoneus redderetur, se in templi conclave פלהדרין dictum receperat (quoniam saepe eveniebat sacrorum imperitos nimium, pro dominantium nutu, in dignitatem illam esse evectos) mos erat ut synedri aliquot a synedrio magno delegati dierum illorum quolibet ei praelegerent totum munus ejus in die illo magno praestandum, quemadmodum in Levitico praescriptum est; ne scilicet aut nondum didicisset ipse, aut forte oblitus esset. Etiam & imperabant ei ut lectioni assuesceret ipse iteraretque, ne quid rituum insciens forte praetermitteret; rituumque formulas eum docebant. Nam & eo die omnigena sacrificia ab ipso solo [s] offerenda erant. Misna[t], מסרו לו זקנים מזקני ב"ד וקורין לפניו בסדר היום ואומרים לו אישי כהן גדול קרא אתה בפיך שמא שכחת או שמא לא למדת ערב יום כיפורים שחרית מעמידין אותו בשער מזרח ומעבירין לפניו פרים ואלים וכבשים כדי שיהא מכיר ורגיל בעבודה: *Tradebantur ei*, seu *ad eum mittebantur, seniores e senioribus synedrii, qui legerent coram eo in officio*[v] *diei, admonitione etiam hujusmodi utentes; Domine pontifex maxime, lege & tu ore tuo, ne forte oblitus fueris, aut non satis didiceris. Mane autem diei parasceves festi expiationum constituebant eum in porta* templi *orientali, & transire faciebant coram eo juvencos, arietes, agnos, ut scilicet rituum fieret satis sciens & peritus.* Nam inde firmatam aiunt indicatarum mactandi formularum memoriam. Et expressim Maimonides [x] de senioribus illis, ומלמדין אותו עבודת היום וסדורה *Et docebant eum cultum ritusque diei, ejusque officium.* Adjicitur in Misna, על שבעת הימים לא היו מונעין ממנו מאכל ומשתה ערב יום הכיפורים עם חשיכה לא היו מניחין אותו לאכול הרבה מפני שהמאכל מביא את השינה: *Per totos septem dies non impeditur a cibo potuque. At vero sub crepusculi finem pridie festi expiationum non sinunt eum multum comedere, ne somnus inde sequeretur.* Dormire enim eum nocte illa nolebant, ne seminis effusione forsan pollueretur; unde nec sinebant eum comedere דברים המרגילין לשכבת זרע כגון ביצים וחלב חם וכיוצא בהן *Ea quae seminis effusionis in causa esse solent, veluti lac calidum, & ova, & quae sunt id genus caetera.*

II. Pridie etiam festi tradebatur senioribus aliquot e sacerdotibus qui thymiamatis ritum eum edocerent; sed non sine juramento de thymiamate in sancto sanctorum rite offerendo ab eo praestito senioribus a synedrio delegatis. Jam dicta Misna, ואמרו לו אישי כהן גדול אנו שלוחי ב"ד ואתה שלוחינו ושליח ב"ד משביעין אנו עליך במי ששכן שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל מה שאמרנו לך הוא פורש ובוכה והן פורשין ובוכין: *Et dicunt illi, domine pontifex maxime, nos ministri sumus synedrii, tu vero & synedrii & nostrum minister es*, seu a synedrio & nobis missus. *Adjuramus te per nomen ejus qui habitat in hisce aedibus, ut non mutaveris rem quampiam*, seu *aliter feceris quam juxta ea quae tibi praescripsimus. Et tunc discedit ille flens: Etiam & illi flentes discedunt.* Quae explicatiora reddenda. Ad id, *Tu & synedrii & nostrum legatus es*, adnotant[y], id non omnino sic intelligendum quasi innuerent pontificem suum esse legatum לענין עבודה *in ipsa sacrificii ratione*, quoniam כהני שלוחי דרחמנא *sacerdotes ministri sunt sanctissimi numinis* tantum, qua sacerdotes. Ideo vero ea vocabula adhibita ut hoc sonent משביעין אנו עליך על דעתינו ועל דעת ב"ד *adjuramus te ex sententia & nostra & synedrii.* Scilicet, quantum ad juramentum hujusmodi praestandum velut minister es & nobis & synedrio. Quantumvis autem verba illa de *non mutanda re quapiam* seu *aliter facienda* generatim in juramenti formula usurparentur, nihilominus monent hoc inprimis ad innovationem sacrorum illius diei, quam introducere conati sunt Sadducaei, spectasse. Nimirum ubi legitur in lege sacra [z], qua ritus diei illius praestituuntur, *Sumet* Aharon *thuribulum plenum ignitis carbonibus de altari a conspectu Domini, & implebit pugillum suum thymiamate aromatico contuso, & inferet intra velum. Ponetque thymiama super ignem coram Domino, ut nebula thymiamatis operiat propitiatorium, quod est super testimonium*, &c. recepta est sententia apud eos qui majorum traditiones amplexi sunt (quorum in numero esse nolebant Sadducaei) thymiama non alibi quam intra velum, seu in loco sanctissimo, adolendum fuisse. Apud Sadducaeos vero, adoleri solitum extra velum, fumumque ascendentem rite satis intromitti existimari. Jam vero, cum quid faceret pontifex solus intra velum nemo hominum satis posset rescire, nec sacrificium diei juxta legem peragcretur, si aut intra non adoleret, aliudve quid novaret pontifex haereticorum, id est, Sadducaeorum, qui sub posteriora templi secundi tempora numerosi florebant, forte sequax; ideo adjurandus erat ne a traditionibus majorum ritibusque ei jam ostensis recederet. Id demum quod subjicitur, tam hunc quam illos discessisse ac flevisse, hoc tantum innuit; hunc, quia adeo suspectus est, illos etiam, quia in hoc adjurandi munere eum suspicari se professi sunt, doluisse, seu signa praebuisse doloris. Adjicitur in Misna citata, אם היה חכם דורש ואם לאו תלמידי חכמים דורשין לפניו ואם היה רגיל לקרות קורא ואם לאו קורין לפניו ובמה קורין לפניו באיוב ובעזרא ובדברי הימים זכריה בן קבוטל אומר פעמים הרבה קריתי לפניו בדניאל: *Si sapiens esset*, id est, si sacrae doctrinae callentior, *scripturas explicabat*, nocte scilicet festum praecedente: *Sin vero, explicabant coram eo sapientum discipuli*, seu *sacrae philosophiae candidati aliquot. Quin si legere ipse consueverat, legebat: Sin vero, legebant illi; nimirum in libro Job, & Ezra, & Paralipomenis.*

[q] Levitic xvi. 16. [r] Maimonid. Halach. *Abodeth jom hacippurim*, cap. 1. [s] Idem ibidem. [t] Tit *Joma*, cap. 1. [v] Levitic xvi. [x] Halach *Abodath jom hacippurim*, cap. 1. & Moses Kotzensis praecept. Affirmat. 209. [y] Gemar. Babylon. ad tit. *Joma*, cap. 1. fol. 19, 1. [z] Levit xvi. 12.

lipomenis. *Ait Zacharias Ben Cabitol* (floruit ille [a], sacerdos, paulo ante templi excidium) *saepius se legisse coram eo in Daniele.* Expressissima certe sunt in ante dictis synedrii magni circa sacra curae vestigia, adeo ut si quid in his aut similibus, quae ad synedria minora non attinerent, commissum esset, ipsum duntaxat ex jure ordinario cognovisse atque animadvertisse omnino videatur; qua de re etiam plura inferius.

III. Sunt quidem alia aliquot ad procurationem seu judicium synedrii magni ejusque, ut summo in sacris imperio gaudentis, potestatem attinentia, in codice Talmudico *Joma* dicto, quem pridem V. Cl. Robertus Sheringhamus Cantabrigiensis Latine transtulit; commentariis sane eruditis illum illustrans. Operaepretium erit hac etiam de re eum consulere. Sed vero obiter hic praetermittere nequeo monitum quo ut lapsum me [b] satis fidenter ibi reprehendit ille circa vestes apud Ebraeos sacras, *alibi aut alio tempore sacerdoti non gerendas praeterquam dum, vicem sacram observans, altaris ministerio assiduus adesset.* Quibus etiam addidi, *Peracta vice, in apothecis reponebantur, adeo ut extra templum vestitus cultu nec a plebe caetera differret sacerdos.* Ex jure scilicet ordinario magistris recepto, & ad sacerdotes gregarios attinente. Unde etiam ibi dixi, *jurisconsulti Ebraei*; אסור לכהן הדיוט ללובשו אלא בשעת עבודה *Fas non erat sacerdoti gregario sacris indui vestibus alio tempore quam dum sacris operabatur.* Sed lapsum me hac in re asserit ille. Forsan. Si ita; lapsus sum cum Ebraeorum magistris simul & scriptoribus christianis etiam scientissimis. Ad lectorem provocandi (qui mos mihi, maxime in rebus hujusmodi aliis, placuit) locus hic non est. Neque enim quae litem, ut satis contestatam, statuminent, adeoque lectorem in judicium instruant, a parte alterutra producta sunt plene hactenus testimonia Ebraeorum; quae rem, puto, facient exploratissimam. Adversarii qualiscunque personam inter scribendum induere mihi nunquam non admodum displicuit. Caeterum utcunque, veri disquisitionis solum causa, nonnulla hic satis adversantia ingerere visum est omnino necessarium. Adjicit ille, *Si jurisconsultos Hebraeos nominassem, sibi aliquid certi proferre licuisse.* Certe post lineas pauculas, loco citato, expressius designo ubinam jurisconsultorum, quos innueram, ea in re scita reperiantur. Eorum primarius est Maimonides, cujus verba sunt [c], בגדי כהונה מותר ליהנות בהן׳ לפיכך לובשם ביום עבודתו ואפילו שלא בשעת עבודה חוץ מן האבנט מפני שהוא שעטנז *Vestes sacerdotales ejusmodi sunt ut ex eis commodum utendo capere liceat; unde eas induebat sacerdos* (eis vestitus erat) *die ministerii sui, idque etiam extra tempus ipsum* seu *horam ministerii, excepto cingulo, quoniam illud erat ex heterogeneis,* seu *ex lana & lino*; adeoque non induendum extra ipsum ministerii tempus seu horam; id est, extra tempus quo sacrorum actui operabatur. Etenim, ex lege generali [d] de vestibus, heterogeneae ejusmodi locus non erat. Josephus [e], de legibus quae huc attinent, Μηδεὶς ἐξ ὑμῶν καλῶς τ' ἐξ ἐρίου καὶ λινοῦ στολὴν φορείτω· τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι, *Nullus vestrum* (sic Ruffinus) *texta ex lana & lino tunica vestiatur. Haec enim solummodo sacerdotibus est concessa*; ubi Gelenius, *Nemo veste e lino & lana contexta utatur. Est enim solorum sacerdotum.* Genebrardus, *Nul ne se doit vestir de robbe tissue de line & de laine: car cela appertient aux seuls sacrificateurs.* Quod quidem sic dictum innuere videtur, tunicas, stolas & indumenta sacerdotalia fuisse etiam ex lino & lana confecta reliqua. Nec forte ex ipso sermone sacro [f] aliud rite eliciendum. Sed Talmudici reliqua aiunt fuisse ex lino puro [g], והאבנט לבדו רקום בצמר *cingulum autem solum acupictum esse lana* colorata. Sed & vide Josephum alibi [h] de cingulo reliquisque. Verba autem quae de die ministerii sacerdotalis ex Maimonide jam ante attuli, statim sequitur apud eum quod citabam ego velut ex jurisconsultis Ebraeorum, אסור לכהן הדיוט ללובשו אלא בשעת עבודה *Haud licuit sacerdoti gregario vestibus sacris indui nisi tantum in ipso tempore* seu *hora ministerii*; id est, reliquis vestibus simul cum cingulo (unde integre sic vestiretur) fas non erat vestiri extra tempus illud. Sine cingulo, quod singulare erat & sacrum reliquarum retinaculum, ministerii sui die toto, vestibus indui reliquis licuit. Scilicet nemo nescit matutina, pomeridiana, vespertina fuisse [i] sacrificia: unde horae ac momenta temporis ministerii dignoscebantur indicebanturque quotidie per praeconium הממונה על הזמנים *praefecti temporum* ipsius [k], aut alicujus eorum qui ei eo nomine subessent. Jam dictis consonus apertissime est Maimonidis sensus; quod & pluribus agnoscit R. Joseph Karo [l]; ubi adjectam habet, quae pariter occurrit in aliis aliquot editionibus Maimonidis animadversionem R. Abrahae Ben David (cui Maimonidem reprehendere in deliciis erat) in hunc modum, השגת הראב״ד אסור לכהן הדיוט א״א לא מחוור מן הגמרא הכי אלא כל היום מותר במקדש *commentum R. Abrahae Ben David*; *haud licuit sacerdoti gregario,* &c. *Ego vero dico non constare ex Gemara* (unde deducit illud Maimonides) *quin fas fuerit toto die* ministerii, *in templo* seu *sanctuario.* Non quidem loquitur illic Maimonides expressim de templo, sed tantum de die ministerii, cujus vel partem transigere extra templum nefas. Adeo ut & ipse tacite satis templum innueret intelligendum, atque ita tam locum quam tempus vestes illas gestandi esse satis designatum. Gemara autem, quam innuit illic Davidides ille, citatur etiam scriptori qui me sic impetit. Sed aliter omnino ei vertitur quam aut disciplina Talmudica sacris literis etiam fundata aut pronius reprehendendi in Davidide studium patitur. Neque enim dubitabat Maimonides quin extra sanctuarium vestibus illis indui sacerdoti non licuerit. Intra sanctuarium licitas fuisse voluit omnes citra cingulum, toto ministerii die. Et rectissime observat ibi R. Joseph Karo, Davididem cavillo usum esse circa illud de cingulo

[a] *Sepher Juchasin,* fol. 56, 1. [b] Lib. 2. de Successione in Pontificatum, cap. 7. [c] Tit. *Celi Hammikdash,* cap. 8. §. 11, 12. [d] Levit. xix. 19. [e] Lib. 4. cap. 8. [f] Vide Exod. xxviii. 5, &c. & 40. xxxix. 2, &c. [g] Maimonides Halach. *Celi Hammikdash,* cap. 8. §. 1. Mikotzi Praecept. Affirmat 173 alii. [h] Archaeolog. 3. cap. 8. [i] Exod. xxix. 38. Num. xxviii. 4. [k] Maimonid. Halach. *Celi Hammikdash* cap. 7. § 2. [l] In *Ceseph Mishna,* ad tit. [illegible]ctum, cap. 8. §. 12.

a reliquis (quae interdum nomine בגדי כהונה *veſtium ſacerdotalium* per ſe veniunt) diſtinguendo, adeoque voluiſſe omnes ſimul potuiſſe geſtari tam במקום עבודה *in loco miniſterii*, ſed non alibi, quam בעידן עבודה *in ejuſdem tempore*. Atque מפני, inquit, שראה הרב רבי אברה' בן דוד הולשת דברים אלו לא כתב דבריו כגוזר אומר להשי״ *Quoniam vidit Rabbi Abraham Ben David argumenta ſua eſſe ea in re imbellia, non ſcripſit animadverſionem illam decernendo, ſed velut cavillando* aut *commentando*. Aliquot in editionibus non adjicitur illud Davididis. Ejuſmodi autem alibi habet ille ad Maimonidem, tantundem docentem, hac de re animadverſionem, quae in *Ceſeph Miſna* ſatis refutatur. Scilicet ad locum ubi Maimonides totam de heterogeneis, tum ſeminibus arborumque ac fruticum conjunctionibus tum veſtibus, diſciplinam Moſaicam ſimul tradens, & de Judaeo altero veſte aliqua lege ipſa de heterogeneis contenta indutum alterum reperiente aut obviam habente loquens, הרואה, inquit[m], כלאים של תורה על חברו אפילו היה מהלך בשוק קופץ לו וקורעו עליו מיד ואפילו היה רבו שלמדו חכמה *Qui viderat quis veſtem heterogeneam* (ex lana & lino) *ipſa lege interdictam ſuper proximum ſuum, etiamſi in platea* publice *incederet, inſiliebat in eum, ipſamque dilacerabat illico ſuper eum*, niſi exueret ipſe; *idque etiamſi eſſet magiſter ſuus qui ſapientiam eum doceret*. Quae enim ex ſcitis ſcribarum ſeu lege moreve praeter legem ipſam ſacram ſuperinducto pro heterogeneis habebantur, ſic ab obvio dilacerandae non erant, nec quidem neceſſario exuendae antequam qui geſtaret in domum ſuam rediret. Reus autem veſtis ejuſmodi geſtandae verberibus puniendus erat. Hiſce vero paulo poſt ſubjungit[n], כהנים שלבשו בגדי כהונה שלא בשעת עבודה אפילו במקדש לוקין מפני האבנט שהוא כלאים ולא הותרו בו אלא בשעת עבודה שהיא מצות עשה כציצית *ſacerdotes ſi qui veſtiebant ſe veſtibus ſacerdotalibus*, cunctis miniſterii, *extra tempus*, ſeu *ipſam operationis ſacrae horam, etiamſi id fieret in templo, verberibus erant plectendi; idque cinguli gratia, quod ex heterogeneis erat. Neque permittebant extra tempus miniſterii, quod nempe praecepto nitebantur affirmativo, ſicut & fimbriae*[o]; in quibus itidem permiſſa aiunt[p], etiam ex legis ſacrae mente, heterogenea velut eorum uſui neceſſaria. Hic planiſſime τὸ מקדש ſimpliciter pro *templo* ipſo uſurpatur; qua de re plura inferius. Nec quidem locum alium admittit ipſum miniſterium. Extra veſtes ejuſmodi neutiquam geſtandae erant, juxta quod hic ac in ante ex Maimonide citatis aperte occurrit. Priore in loco de interdicto extra miniſterium, ſeu ejuſdem diem, ſacrarum veſtium ſacerdotibus uſu agit; poſteriore, de ſacerdote heterogeneae veſtis geſtatae nomine verberando. Ibi autem R. Joſeph Karo, eum explicans. Talmudicum[q] affert quo expreſſim de ſacerdotalis veſtis heterogeneae uſu definitur, דאישתרי בעידן עבודה בלא עידן עבודה לא אישתרי *licitum eo* (id eſt, balteo) *eſſe uti tempore* (hora) *miniſterii; neutiquam omnino extra tempus miniſterii*. Caeterae autem intra templum miniſterii die geſtari rite potuerant. Et ſenſus quidem in jam allatis Maimonidis, adeoque vetuſtiorum, aliorumque hic obiter conſonorum, de veſtibus illis non omnino geſtandis extra templum, apertior fit ex eis quae verba ejus de miniſterii ſacerdotalis die ante memorata antecedunt, & perquam hic animadvertenda exhibent de veſtibus illis ſacerdotalibus לכבוד ולתפארת *in gloriam* ſeu *honorem & decorem* generi ſacerdotali[r] divinitus aſſignatis. Scilicet ibi[s] docet quod ſi veſtes illae נעשו צואין *ſordidiores fierent* aut *inquinarentur*, אין מלבנין אותן ואין מכבסין אותן אלא מניחן לפתילות ולובש חדשים *neutiquam mundabant eas nec lavabant, ſed reponebant eas ad conficienda ellychnia* & id genus alia; *& ſacerdos erat novis induendus*. Veſtem autem pontificis vetuſtate attritam in gazophylacio ſeponebant. Nec veſtibus albis in quibus operabatur die jejunii עובד פעם שנייה *unquam iterum utebatur*, אלא גונזין אותן לעולם במקום שיפשוט אותם שם *ſed recondendae erant in loco ubi exuebat eas*, ex lege illa[t] de pontificis miniſterio in expiatione annua, *Et veniet Aharon ad tabernaculum teſtimonii, & exuet veſtes lineas quibus indutus fuit cum ingrederetur ſanctuarium, & relinquet eas ibi*. De quibus adjicit Maimonides, והם אסורין בהנאה *atque nefas erat illis uſibus communibus adhiberi*. Item, כל בגדי הכהנים אינן באים אלא משל ציבור ויחיד שהתנדב בגד מבגדי כהונה מוסרו לציבור ומותר *Veſtes ſacerdotales omnes non aliunde proveniebant quam ex eo quod populi, univerſitatis publicum erat. Et cum privatus offerebat veſtem ex eis aliquam, tradebat eam populo*, publicis illic praefectis, quibus ſynedrium praeerat magnum; *unde rite fuit ea recipienda*. Quale item de aliis miniſterii ſacri inſtrumentis ac ſacrificiis adjungit. Et dein, בגדי כהנים הדיוטים היו עושין מהן מחלוצות רבות׃ וששה ותשעים חלונות היו במקדש להניח בהן הבגדים׃ ארבעה חלונות לכל משמר׃ ושם כל משמר כתוב על חלונותיו וכולן סתומות׃ וכשיכנסו אנשי משמר לעבודה בשבת שלהן פותחין חלונותיהן כל ימי שבתן ונוטלין הכלים וכשיצאו מחזירין הבגדים להלונותיהם וסותמין׃ ולמה עשו ארבעה חלונות לכל משמר׃ לפי שלא יהיו הכלים מעורבין׃ אלא כל המכנסים בהלון אחד וכתוב עליו מכנסים׃ וכן האבנטים בהלון אחד וכתוב עליו אבנט וכן המצנפת כולן בחלון אחד׃ והכתנות כולן בחלון אחד׃ כהן גדול מניח בגדי זהב בלשכה שלו בלילה או בעת שיצא מן המקדש׃ בגדי כהונה מותר ליהנות בהם וגו׳ *Sacerdotibus vulgaribus* ſeu *minoribus faciebant veſtes mutatorias complures. Et nonaginta ſex arcae erant in templo, ut in illis relinquerentur*, ſeu *reponerentur, veſtes illae. Quatuor ſcilicet cuique cuſtodiae* ſeu *ephemeriae. Et nomen cujuſque ephemeriae inſcriptum erat arcis ſuis; quae cunctae clauſae. Et quando ephemeriae miniſtri introibant ad operandum in hebdomadibus ſuis, recludebant arcas ſuas, ſingulis hebdomadum ſuarum diebus, inſtrumenta illa veſtiaria ſibi tollentes. Et cum egrederentur* e templo, *reponebant veſtes illas in arcis ſuis, eaſque claudebant* ſeu *obſerabant. Ratio autem cur fierent quatuor arcae cuilibet ephemeriae erat, ne inſtrumenta illa* ſeu *veſtes* inter ſe *confunderentur*, nimirum ut in arcis ſibi propriis ſingulae facilius & promptius ſe exhiberent; *adeoque ut femoralia omnia arca in unica*

[m] Halach. *Kelaim*, cap. 10. §. 20. [n] Ibid. §. 32. [o] Numer. xv. 38. Deuter. xxii. 12. [p] Idem, ibid. §. 1 & tit. *Tzitzith*, cap. 1. &c. [q] Gemar. tit. *Erakin*, cap. 1. fol. 3, 2. [r] Exod. xxviii. 2. & 40. [s] Halach. *Celi Hammikdaſh*, cap. 8. §. 5, 6, &c. [t] Levit. xvi. 23.

conti-

continerentur, inſcripta nomine femoralium; *uti etiam cingula cuncta arca in unica, inſcripta nomine cinguli*; *& pilei omnes arca in unica, & demum tunicae arca itidem in unica. Pontifex autem ſummus relinquebat veſtimenta ſua aurea in conclavi ſuo nocte ac tempore quo egrediebatur e templo. Veſtes ſacerdotales fas erat in communes* (ſcilicet non ſacras, ſed nec communes omnes) *uſus adhibere*, &c. Dein ſtatim ſequuntur quae paulo ſuperius ex Maimonide primo citavimus. Anne quidquam apertius dici poſſit ad aſſerendum, extra templum ſacras geſtare veſtes ſuas ſacerdoti ex jure ordinario non omnino licuiſſe? Et de arcis illis videſis plura in Titulo Talmudico *Tamid*[v], unde haec Maimonides, cui toties hic, ut locis innumeris aliis, aliiſque ſcriptoribus, מקדש pro *templo* ſolo palam uſurpatur; qua de re mox plura. Admodum conſonus eſt ſententiae velut indubitatiſſimae, de non gerendis ex jure ordinario extra templum veſtibus illis, textus ſacer. In prima earum inſtitutione divina de eis legitur[x], והיו על אהרן נעל בניו בבאם אל אהל מועד או בגשתם אל המזבח לשרת בקדש *Et utentur eis Aaron & filii ejus quando ingredientur tabernaculum teſtimonii, vel quando appropinquant ad altare, ut miniſtrent in ſanctuario*, id eſt, ingreſſis & appropinquantibus. Unde etiam ſignantius nuncupantur[y] בגדי שרד לשרת בקדש *indumenta miniſterii ad miniſtrandum*, ſeu quae inſervirent, *in ſanctuario*, ſeu, ut recte ſatis Vulgata, *quibus indueretur Aaron quando miniſtrabat in ſanctis*. De aliis, iiſque viris clariſſimis, qui eandem, velut de qua non ambigendum fuerit, cum Talmudicis (quantum ad veſtes ſacras extra templum non omnino geſtandas) ſententiam amplexantur, mox dicetur. Gemara autem illa, qua etiam niti videtur illud Maimonidis, ita ſe habet[z], תא שמע בגדי כהונה היוצא בהן למדינה אסור ובמקדש בין בשעת עבודה בין שלא בשעת עבודה מותר מפני שבגדי כהונה ניתנו ליהנות בהן ש"מ ובמדינה לא Quam ita verto, *Veni, & audi*; *veſtibus ſacerdotalibus induto in urbem* ſeu *foras prodire nefas. Eis autem in ſanctuario* ſeu *templo veſtiri ſacerdoti licuit, ſive hora miniſterii ſive extra horam illam*, intra miniſterii ſcilicet diem; *quoniam veſtes ſacerdotales datae ſunt ut earum uſus eſſet humanus*, in ſanctuario ſcilicet, etiam extra ipſum miniſterii actum, *nec tamen in urbe* ſeu *foras*. Quod de omnibus, praeter cingulum, dictum; juxta ſenſum Maimonidis, aliorumque qui eum expoſuerint, ut oſtenſum eſt. Vertit autem qui me hic ita lapſus incuſavit. *Prohibitum eſt quemvis veſtibus ſacris indui cum abeat in provinciam*; *ſed hoc in ſanctuario & in urbe Hieroſolyma licitum eſt tum eo tempore quo altari miniſtrant, tum eo tempore quo non miniſtrant*; *quia veſtes ſacerdotales datae ſunt ut ex iis utilitas caperetur*. Subjungit dein, *Ex his apertum eſt, ſi ex juriſpandectis Hebraeorum res ſit decernenda, uſum veſtium ſacerdotalium gregariis ſacerdotibus conceſſum eſſe eo tempore quo miniſterium altaris non obierint*; *& hoc quidem non ſolum in ſanctuario, ſed etiam cum e ſanctuario in urbem prodirent. Cum enim* מקדש *&* מדינה *ut in l. co citato, opponuntur, per* מקדש *ſanctuarium Hieroſolymitanum cum tota urbe ſive* ירושלים כולה *intelligitur, ut recte notavit Buxtorfius in ſuo lexico magno ad dictionem* מדינה. Ingenue agnoſcit, in Gemara citata nihil haberi quod expreſſim denotet Hieroſolyma ſeu locum aliquem extra ſanctuarium ſeu templum veſtibus illis gerendis idoneum. Sed nomine מקדש ibi Hieroſolyma tota contineri exiſtimat, ex eo quod habetur apud doctiſſimum Buxtorfium[a] de ſignificatione qualem facit ille, quando מקדש & מדינה ſibi opponuntur. Oppoſita quidem hic ſunt. Et verum ſatis eſt, ea notione ſumi poſſe, etiam & ſumptum eſſe, ob urbis illius ſanctitatem ſingularem[b], המקדש, quod interim ex natura ſui & generali ſenſu ipſum *templum* ſeu *ſanctuarium* denotat (ut videre eſt etiam apud Maimonidem[c]) quemadmodum מדינה *urbem* ſeu *provinciam* qualemcunque, adeo ipſa Hieroſolyma. Certe & urbs ipſa interdum vocatur Mons Sion, ut a templo diſtincta, uti etiam ex collatione Joſephi & Maccabaicorum advertit Hugo Grotius[d]. Nimirum gradus ejuſmodi הקדושה *ſanctitatis* erant in templo per ſe (nec ſine diſtinctione etiam illic locorum, qua alter altero ſanctior) in Hieroſolymis item per ſe, ac demum per terram Iſraelis totam, ut ſingularis haberetur Hieroſolymorum ſanctitas & proxima ei quae templi erat. Ac utrorumque ſanctitatem maxime pependiſſe aiunt ab ſanctificatione prima & dedicatione Salomonis (de qua plura inferius) quam adeo perpetuam donaſſe ipſi ſolo locisque ſanctitatem (ſed interim, ut diximus, inaequalem) ut nec tempore nec devaſtatione obliterari minuive quiret, tametſi poſt excidium Babylonicum, uti & Antiochi profanationem, encaenia in novam quandam fierent dedicationem; quod etiam fuſius in ſequentibus exhibebitur. Maimonides[e] de קדושה ראשונה *ſanctitate prima* ab Salomone data, הוא קידש העזרה וירושלם לשעתן וקידשן לעתיד לבוא׃ לפיכך מקריבין הקרבנות כולן אע"פי שאין שם בית בנוי׃ ואוכלין קדשי קדשים בכל העזרה אע"פי שהיא חריבה ואינה מוקפת במחיצה׃ ואוכלין קדשים קלים ומעשר שני בכל ירושלם אע"פי שאין שם חומות שהקדושה ראשונה קדשה לשעתה וקדשה לעתיד לביא׃ *Ille ſanctificavit tum atrium tum Hieroſolyma temporibus ſuis*, cum exſtruxiſſet, circuituſque deſignaſſet, *& in tempus futurum. Adeoque offerre licuit ſacrificia omnimoda, etiamſi non maneret templum exſtructum*; *uti & comedere ſancta ſanctiora in toto atrio, etiamſi ipſum eſſet ita deſtructum ut partim eſſe deſineret*; *& ſancta leviora comedere, & decimam ſecundam, pro libitu, quocunque Hieroſolymorum loco, tametſi muris carerent, quoniam primaria ſanctitas ſanctificabat ea non tempore ſuo ſolum ſed & in tempus futurum*. Sic ille; licet Gemarici de primariae hujus ſanctificationis effectu ejuſmodi inter ſe diſcrepent. Sed receptiorem ſententiam amplectitur Maimonides; qua de re conſulas Joſephum Caro in *Ceſeph Miſna*, ad locum illius citatum. Templum autem ex ſumma ſui parti-

[v] Cap. 4. [x] Exod. xxviii. 43. [y] Ibid. xxxix. 1. [z] Ad tit. *Joma*, cap. 7. fol. 69. 1. & videſis *Aiin Iſrael* part. 1. fol. 107. col. 4. [a] Lexic. Talmudic. col. 516. [b] Videſis Maimonid. tit. *Bith Habechira*, cap. 6. §. 14, 15, &c & cap. 7. §. 14. &c. [c] Tit. *Bith Habechira*, cap. 1. §. 5. & locis apud eum etiam innumeris, alioſque. [d] Ad 1 Maccab. cap. iv. 60. [e] Halach. *Bith Habechira*, cap. 6. §. 14 & 15.

umque ejus sanctitate variatim nominatum est in sermone sacro, alibique; ut בית יהוה *domus Domini* [f] (בית enim seu *domus*, qua numinis habitationis locus est habitus, vox recepta est pro *templo*; ut sane etiam in בית־אל *Bethel, domus Dei*, qua voce locum Luz ante dictum vocari voluit [g] Jacobus patriarcha, item in בית דגון [h] *templum* seu *domus Dagonis*, בית שמש *templum solis* [i] aliisque urbes ipsas in quibus exstructa sunt denominantibus; qua de re etiam inferius plura) היכל & היכל יהוה *templum*, & *templum Domini*, & בית המקדש *domus sanctuarii*. Ita *aedes* Latine, maxime singulariter [k]; & *aedes Jovis*, *aedes Veneris*, & *aedis sacra* Varroni [l]. Quomodo etiam usurpant Arabes بيت *domum*, & بيت الاقدس *domum sanctam*, & بيت المقدس *domum sanctuarii* pro templo; qua de re item plura mox. Latinis item *domus* simpliciter usus ejusmodi,

Ostia [m] *jamque domus patuere ingentia centum*
Sponte sua ———

Etiam בית הבחירה *domus electa*, & simpliciter הבית per excellentiam, & מקדש item simpliciter ex ratione parili, aliterque [n], templum appellatum est. Atque nomina quidem *domus Domini* aut *templi Domini* similiter tributa sunt [o] locis ubi, ante Salomonicum exstructum, resedit arca foederis ut in tabernaculo mobili. Etiam ob tabernaculi testimonii seu foederis (cujus in locum mobilem successit templum Salomonicum fixum) sanctitatem transfertur בשקל הקודש [p] *juxta siclum* ἅγιον *sanctum*, seu *sanctuarii*, (ut Judaei Hispanienses, *en peso de la santidad*, & Graeci, κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον, uti & alii) in Vulgata, *juxta mensuram templi*, compluribus annis ante templi fixi seu vulgo dicti conditum: Aliis in locis [q] *siclo sanctuarii* & [r] ad *mensuram sanctuarii* ibi substitutis. Similiter sanctuarium illud primum expressim a sanctitate sua aliquoties nuncupatur in sermone sacro [s] מקדש, id est plane τὸ ἱερόν, ut templum & ἁγίασμα Graecis, ob sanctitatem. Igitur illud ועשו לי מקדש וגו׳ [t] *Et faciant mihi sanctuarium, ut habitem inter eos*, pariter de בית המקדש templo ipso atque de tabernaculo sumitur [v]. Unde Philoni [x] tabernaculum illud φορητὸν ἱερὸν *portabile templum* nuncupatur. Atque hinc satis manifestum est, vocem illam *sanctuarium* seu מקדש, tabernaculo ob sanctitatem ante tributam, communicatam esse fixamque templo condito, quod tabernaculo successit. Nec tamen ita templo (quod fatendum est) propria inde facta est, quin locis aliis (utpote in usus singulares excellentioresque aliquot destinatis) aliterque ex analogia seu translatione aliqua, tribueretur. Inde ad illud Jesaiae [y] de Deo O.M. והיה למקדש & *erit in sanctuarium*, David Kimchius, הוא ארמון ומקום משגב שישגב אדם בו כמו כי מקדש מלך היא *Ille erit* ut *palatium & locus editior, in quo homo exaltari solet*; *instar illius* [z], *Quoniam palatium regis est*; quod apud Amos ita se habet, *In Bethel ne adjeceris prophetare*, כי מקדש מלך הוא ובית ממלכה הוא *quoniam sanctuarium regis est* (Kimchius ille [a], וכן ארמון & *sic palatium* regis לפי שהוא כמקדש שלא יכנסו שם אלא הידועים נקרא כן *quoniam erat sicut sanctuarium* seu *templum, in quod nulli introeunt praeter notiores, sic vocatur) & domus regni*; ubi Judaei Hispanienses, *que santuario de rey el, y casa de Reyno el*. De rege Tyri item dicitur [b], חללת מקדשיך *profanasti sanctuaria tua*, ubi R. Kimchius interpretatur ארמונך *palatium tuum*, sic, quia sanctuarii instar erat, nuncupatum; Graeci; ἐβεβήλωσας τὰ ἱερά σου, Jarchius קדושתך, ut Vulgata, *sanctificationem tuam*. Alibi [c] de Moab, ובא אל מקדשו להתפלל & *ibit in sanctuarium suum, ut oret*; ubi vox eadem pro templo quod idolium est sumitur. Unde Graeci, εἰς τὰ χειροποίητα αὐτῆς, quemadmodum & Arabs; Vulgata, *ad sancta sua*; Chaldaeus, לבית טעותיה *in domum idololatriae suae*. Ita ob sanctitatem in voce denotatam aliter aliterque per translationem ea usurpata est. Unde etiam pro Hierosolymis adeo sanctis (quae *civitas sancta, civitas Domini* appellata, vere erat *hierapolis*) subinde quidem adhibetur. Etiam sive ex allusione nimis petulante, sive ex sono fallente, patribus aliquot priscis [d] urbis nomen fuisse primum asseritur ἱερὸν Σολομῶνος *sanctuarium* seu *templum Salomonis*, atque hoc degenerasse in Ἱερουσαλήμ, & demum in Ἱεροσόλυμα migrasse. Docte non magis atque illud Lysimachi [e], qui Judaeos aliorum illic templa & sacra invadentes, ex ἱεροσυλίᾳ *sacrilegio*, urbem primo Ἱερόσυλα denominasse, & postea, ut aboleretur e nomine criminis adeo atrocis memoria, in Ἱεροσόλυμα mutasse. Sed & templum ipsum *Hierapolin* dicendum fuisse voluit Philo [f]. Neque mirum est, tam palatium regium, idolium, urbem adeo insignem & sacram, quam ipsum templum מקדש ita nuncupari, qua vox illa *sacrum* & *sanctitatem* innuit, cum itidem τὸ ἱερὸν, quod *templum* qua sacrum est, & *sacrum* quodcunque denotat, ad alia sciamus veteribus usitatius ita, velut per participationem, translatum esse, ut quod eminentius in genere suo magnumve esset τοῦ ἱεροῦ *sacri* voce insigniretur. Inde epilepsia seu comitialis morbus dictus est ἡ νόσος ἱερὴ *morbus sacer*, non aliter quidem ac *Herculeus* [g] nominatus est, id est, ob admirandam sui & saevam accessionem magnus ac eminentissimus. Sic enim medicorum principes [h], quibus omne magnum ἱερὸν ac *sacrum* dici consuevit: Ut nemo nescit in Ossis Sacri nomine. Voluere quidem qui Hippocratem antecessere aliqui [i], tum dictum morbum illum sacrum nescio quid in se divinum prae aliis habere, adeoque expiationibus potius quam medicamentis curandum, indeque *sacrum* dictum; quod tam Hippocrates quam Galenus refutat. Alii [k] a cerebro, quod & sacrum est, affecto nominatum volunt. A syderum effectu singulari,

[f] 1 Regum vii. 10, 63, 64. ix. 1. [g] Genes. xxviii. 19. [h] 1 Samuel. v. 5. [i] Josua xv. 10. [k] Servius ad AEneid. 2. & 5. [l] De Ling. Lat. 5. [m] AEneid. 6. [n] Arias Montanus in Ariel, alii obiter. [o] 1 Samuel. i. 7, 9, &c. [p] Exod. xxx. 13. [q] Levitic. xxvii. 25. [r] Numer. iii. 47. [s] Exod. xxv. 8. Levitic. xix. 30. xxvi. 2. [t] Exod. xxv. 8. [v] David Kimchi in קדש. [x] De Vita Mosis, lib. 3. [y] Cap. viii. 14 & vide Ezekiel. xi. 16. [z] Amos vii. 13. [a] In Radic. קדש. [b] Ezekiel. xxviii. 18. [c] Jesai. xvi. 12. [d] Euseb. Praeparat. Evangelic. lib. 9. cap. 34. [e] Apud Josephum in Apionem, lib. 1. [f] De Vita Mosis, lib. 3. [g] Aristot. Probl. sect. 30. quaest. 1. [h] Galen. ad lib. 6. Hippocratis de Morbis Epidemicis, cap. 7. Aretaeus de causis & notis diuturnorum affectuum lib. 1. cap. 4, &c. Et videsis If. Casaubon. in Athenaeum, lib. 7. cap. 10. [i] Apud Hippocratem, lib. περὶ ἱερῆς νόσου. [k] Apud Trallianum, lib. 1. cap. 15.

alii,

alii. Sed ſententia prior, quae de magnitudine ac ſaevitia ſingulari eſt, recipitur. Sicut morbo huic medicorum lingua τὸ ἱερὸν, etiam & aliorum, parilem ob rationem, gravioribus caeteris, uti & membris aliquot corporis humani, aſſignatum eſt [l], ita pariter propter excellentiam ſingularem medicamenta aliquot ejuſmodi ſortita ſunt nomen. Sic emplaſtrum illud ex dictamno, quod Heras medicus vetuſtus celebriſque velut ex Vulcani Memphitici templo praeſcriptum memorat [m], ἱερὰ ἔμπλαστρος non tam a Vulcano aut templo quam ob excellentiam denominatum. Sic ἱερὸν καθαρτήριον, *medicamentum purgatorium ſacrum* [n]. Sic Hierae quamplurimae, ut Ruffi, Galeni, Antiochi, Archigenis, aliorum, ἱερὰ ἀντίδοτα etiam dicta [o]. Fecerunt Arabes ſibi vocem الايارج *Alhierach* pro *Hiera*, & pluraliter الايارجات. Atque Avicenna [p], dum ait الايارج هو اسم المسهل المصلح *Hiera eſt nomen ſolutivi rectificantis*, adjicit تاويله الهى *hoc praeſtantiſſimam ejus qualitatem indicat*. Et tunc Graecorum reſpiciens vocis uſum, inquit, وتفسير الدوا الالهي واول مسهل من المعروفات ايارج روفس *Expoſitio autem ejus eſt, Habens in ſe divinitatem* (interpres, *medicina divina.) Et primum ſolutivum de cognitis fuit Hiera Ruffi* Epheſii, qui ſub Trajano floruit, apud medicos notiſſima. Et dein, وكان في القديم انما يوقع اسم الايارج على هذا ثم يسمى بها غيره وانما يقال المسهل دوا الهي لان عمل المسهل امر الهي مسلّم من قوة طبيعة *Et antiquitus quidem attributum eſt huic nomen Hierae, quod & poſtmodum aliis datum. Et dicitur ſane ſolutivum habens in ſe divinum*, ſacrum, *quia actio ſolutivi eſt res divina, ſalvum reddens ex poteſtate naturae ſuae.* Sic ille. Ex ſimili uſu aliis ſacra indiderunt veteres medicinis, ob excellentiam ſingularem, nomina, unde صنعة دوا يسمى عطية الله *Confectio* (male, ut ſimul alia, redditur [q] in Latinis, *ars medicinae) cui nomen eſt donum Dei.* Accenſeri hiſce merito poteſt unguentum de quo ait Avicenna [r], ليس شي مثله *Non eſt aliquid ei ſimile*, adeoque nomine ſacro donatum eſt. مرهم الرسل *Unguentum apoſtolorum* nuncupatur in capituli de eo titulo. Et dein وهو دسليقا اي مرهم الحواريين ويعرف بمرهم الزهرة وبمرهم منديا *Et eſt apoſtolicon* (ſic Gerardus Cremonenſis) *& nominatur unguentum veneris*, ubi nihil de منديا (quod nec me ſatis intelligere fateor) aut الحواريين. Sonat autem, *Et eſt apoſtolicum, id eſt, virorum dealbatorum* (quo nomine duodecim Chriſti apoſtoli paſſim tam apud Chriſtianos in Arabiſmo quam Mahumedanos denotari ſolent) *Et noſcitur nomine unguenti Veneris*, ſeu *ſplendoris, & unguenti mindia.* Paulo item poſt يقال انه اثنا عشر دوا للاثني عشر الحواريين *Et dicitur τὸ duodecim, cum ſcilicet fuerint duodecim apoſtoli.* Cremonenſis, *Et dicitur quod eſt medicina* XII *apoſtolorum.* In editionibus aliquot verſionis Cremonenſis ab Alpago Bellunenſi correctis, legitur [s], *Unguentum apoſtolorum, & apoſtolicon: & nominatur unguentum Albavarin*, id eſt, الحواريين expuncto *Veneris*, quod τῷ الزهرة reſpondebat. Aliis autem tum anterioribus [t] tum recentioribus [v], *Et nominatur unguentum (Veneris)* adjecta in margine nota *B. Albavarin*; illud ſcilicet ab Alpago illic ſubſtitutum eſſe; quod ut Cremonenſi ita & Avicennae ſic nimis diſſonum. Exiſtimatum eſt (juxta quod etiam ſatis innuunt Avicennae jam allata verba de XII Apoſtolis) inde nomen eſſe ſortitum quod ex duodecim ſpeciebus permiſceatur; quae tamen, dum acetum eis ſemper admiſcendum eſt & oleum, in quatuordecim creſcunt. Caeterum & a ſpecierum numero ſolum denominata ſunt alias medicamenta, ut *enneapharmacum Hori Mendeſii* [x], *emplaſtrum manus*, quia quinque in eo ſpecies, *pentatheton*, id genus alia Sed interim perquam mirum eſt, non defuiſſe qui adeo temere hic pronunciarint [y] ut non modo per interpretis vitium irrepſiſſe in Avicennam *apoſtolorum* nomen, ſed neque Avicennam *apoſtolorum numerum eum reſciviſſe unquam* ſcribant. Quaſi vero ſummus ille philoſophus theologuſque (ut ex aliis ejuſdem ſcriptis ſcimus) apoſtolorum eorumve numeri ignarus eſſe potuiſſet! id eſt, rei in Mahumedanorum commentariis non raro memoratae. Etiam in Alcorano [z] non ſemel occurrit الحواريون (quod idem eſt cum *Albavarin)* pro *apoſtolis*, ubi reddit Retinenſis, *viri albis induti veſtibus*, qui in commentariis ad Alcoranum obviis pro duodecim expreſſim apoſtolis ſumuntur, *Albicantes*, ut Mahumedani volunt, ſic dicti ſive ob veſtium candorem ac puritatem, ſive ob vultus decorem. Jam vero Avicennam Alcorani (in quo etiam *Jeſu & evangelii* mentio, cum honore non exiguo, non infrequens) lectorem fuiſſe diligentiorem, adeoque theologum Mahumedanum inſignem, ſciunt quotquot libros ejus metaphyſicae, de anima, Al-

[l] Athenaeus lib. 7. [m] Apud Galenum, lib. 5 de Compoſit Medicamentorum κατὰ γένη, cap. 2. [n] Aretaeus lib. 1. De curatione acutorum, cap. 4. [o] Paulus AEgineta, lib. 7. cap 8. [p] Canon lib. 5. ſumm. 1. tract. 2. [q] Idem lib. 5. ſumm 1. tract. 1. [r] Ibid. tract. 11. [s] Venetiis 1582. [t] Ibid. 1564. [v] Ibid 1608. [x] Aëtius Tetrabibl. 4 ſerm. 3. cap. 22, 23, 26, 35. [y] Joann. Renodaeus Inſtitut. Pharmaceuticarum, lib. 5. ſect. 1. cap. 20. Antidotarium Meſſanenſe, pag. 251. [z] Azoar. iii. 5, &c. Arab. 5. & 13 Lat. &c.

mahad,

mahed, deguſtarunt, adeoque proculdubio *Deum coluiſſe* (quod itidem a Renodaeo jam citato negatur) more, inquam, ſuo, ſeu Mahumedano. Imo in canone ejus medicinae perplura ita diſerte occurrunt de الله تعالى *ſupremo Deo*, pro rerum conditore actionumque humanarum diſpoſitore colendo, ab eo palam & ſaepius agnito, ut forſan in medicorum qualiumcunque commentariis tam frequens ejuſdem recognitio nullibi reperiatur. Habetur quidem ad calcem libri primi canonis in verſione Cremonenſis; *Deinceps autem laboremus ut de ſimplicibus medicinis librum componamus, ſi Deus voluerit. Et ipſe quidem nos juvabit: Cui ſint grates ſecundum ſui innumerabiles miſericordias.* Deſunt quidem editioni Romanae, uti & perpulchro & vetuſto penes me libri hujus primi exemplari, Arabica hiſce reſpondentia. Sed non defuiſſe ea in codice unde Cremonenſis vertit, credendum. Nam in Arabicis, ut Avicennae ipſius, non pauca habentur quae neutiquam in Latinis; uti etiam in Latinis Cremonenſis quae non in Arabicis. Et frons Arabica libri cujuſlibet ejus, ut ipſius autoris, illud ſolenne apud Mahumedanos pietatis cultuſque indicium exhibet بسم الله الرحمن الرحيم *In nomine Dei miſericordis, miſerantis:* Quod & capiti cuique Alcorani praefigitur. Sed in Latinis Avicennae neutiquam comperitur. Inter caetera autem cultus divini ac affectus religioſi in eo teſtimonia, eminet quidem illud, ubi de admirando Dei in foetus formatione, nutritione, in lucem editione opere agens وقعه inquit [a], من سرّ الله تعالى الله الملك الحق المبين وتبارك الله احسن الخالقين *Sit ergo Deus exaltatus, qui eſt rex verus, laudabilis, benedictus, benefactor creaturis.* Male ibi Latinus codex, & *melior omnium factorum.* Sunt id genus apud eum alia. Sed demum, jam ante dicta non majore ſcientia aut minori temeritate ridicula deputantur Avicennae quam epiſtolae Amoebaeae inter eum & S. Auguſtinum; quod memoratum & ſatis ſuggillatum a Franciſco Calphurnio [b] Vindocinenſi. Cum nemo literis non nimium inaſſuetus neſciat, Auguſtinum ſub centuriae tertiae finem & initia aliquot quartae tantum floruiſſe, Avicennam vero natum anno Hegirae 370 [c], qui Chriſti eſt 980, & in Hegirae 428 obiiſſe, ideoque circa annos ſexcentos Auguſtino fuiſſe recentiorem. Calculum de tempore Avicennae aliter inire ſolent medicorum vitarum ſcriptores chriſtiani [d], etiam & natales ejus centum amplius annis poſt obitum ejus verum collocantes. Sed vero etiam nomen *unguenti* illius *apoſtolorum* & permixtio ejuſdem ex Avicenna recipitur in pharmacopoeis medicorum, uti etiam *electuarium* الاسقف *Eleſcoph*, quod Cremonenſi dicitur *epiſcopi*, ſeu ſacri alicujus capitis. Pro eodem Joannis Meſue [e] interpres retinet *eleſcoph.* Habetur item ex ejuſmodi origine *emplaſtrum apoſtolicon* apud Nicolaum [f] medicum inſignem, qui Anglus erat cognomento Hoſtersham. Floruit ſub annum 1440 [g]. Idem habet *potionem S. Pauli*, velut ab apoſtolo ipſo, ob excellentiam, compoſitam; uti & *ſal ſacerdotale, quo utebantur ſacerdotes in diebus Heliae prophetae.* Accedat, dum hiſce ita animi atque Avicennae cauſa obiter divertendo immoramur, illud de *divini* & *ſacri* nominibus terrae ſeu luto in Latinis ejus Lemnio ſeu ſigillato tributis. Ampliter quidem de eo etiam Galenus [h]; e cujus Arabicis ſua plerumque hauſit compendioſiuſque more ſuo tradidit Avicenna. Verba Cremonenſis ſunt [i], *Hoc autem dicitur lutum divinum. Et illud ideo, quoniam primus qui ipſum accepit fuit mulier divina, in diebus ſcilicet praeteritis, & ipſum quidem dicitur Magra divina, quoniam ipſum vere eſt Magra, quam divina, quae nominabatur Bartamiſe, accipiebat, & ad civitatem deferebat*, &c. Galenus differentiam luti Lemnii faciens triplicem, poſtquam de Dianae ſigillo ſacro ei tunc imprimendo (in cujus vicem poſtmodum alia ſucceſſere ſigilla) locutus eſt, Μία μὲν, inquit, ἡ προειρημένη τῆς ἱερᾶς γῆς, ἧς οὐδεὶς ἄλλος ἅπτεται πλὴν τῆς ἱερείας. *Una antedicta illa terrae ſacrae, quam nemo alius praeter ſacerdotem foeminam tangebat*, id eſt, Ἀρτέμιδος ἱέρειαν *Dianae ſacerdotem. Sacram* autem Galeno dictam volunt aliqui, quoniam de ea teſtatur Dioſcorides [k] quod nonnulli [l] etiam εἰς τελετὰς *ſacrorum initiamentis* eam adhibuere. Certe ob Divae ſigillum (quod capram fuiſſe ait Dioſcorides; & Galeno dicitur (σφραγὶς τῆς Ἀρτέμιδος ἱερά, *ſigillum Dianae ſacrum*) ſacerdotiſque ejus tam ſingularem hic praerogativam, *ſacrae* nomen ſortitam eſſe, etiam apud Galenum, videtur. Jam vero Avicennae hic Arabica, unde jam dicta Cremonenſis Latina facta ſunt, videamus; in capite [m] ſcilicet de طين مختوم *Luto ſigillato*, ويقال لهذا الطين الطين الكاهني وذلك انه لم يكن ياخذها الا امراة كاهنه اعني في سالف الايام ويقال له المغرة الكاهنية لانه بالحقيقة مغرة كانت تاخذه الكاهنة المسماة ارطمس وتاتي بها الى المدينة quae ſic vertenda, *Et dicitur hoc lutum lutum ſacerdotale: Atque hoc ideo evenit, quia illud accepit nemo praeter foeminam quae ſacerdos erat foemina, antiquis nimirum ſeculis. Et vocatur etiam* μίλτος *(rubrica) ſacerdotalis quoniam revera rubrica eſt. Accipiebat eam ſacerdos quae cognominata ab Artemide* (ſeu forſan *Artemis* ſeu *Diana nominata*; impingente ſic interprete Galeni Arabico ut ſacerdotem pro ipſa dea perperam ſumeret) & *affere-*

[a] Canon lib. 3. Sen. 2. tract. 1. in Arabicis, pag. 570, 571. & videſis eum ad calcem tum tractatus 1. lib. 2. tum libri de Medicinis cordialibus, tum Prooemii libri de Removendis Nocumentis, & vide Edwardum Pocockium in Cat. Authorum. [b] In Avicennae Vita, editioni primae Canonis praefixa. [c] Ben Chaſem apud Maronitas de Moribus Arabum, Edward. Pocockius in Catalog. Aut. [d] Paſchalis Gallus, Joannes Neander, &c. [e] Compendio Medicamentorum Secretorum, lib. 1. diſt. 3. [f] In Antidotario. [g] Balaeus Cent. 8. Script. 8. [h] De Simplicium Medicamentorum facultatibus, lib. 9. cap. De Differentiis nominatae paſſim terrae. [i] Canonis lib. 2. cap. 411. [k] Claud. Salmaſ. Plinian. Exercit. pag. 1156. [l] Lib. 5. cap. 887. [m] Lib. 2. pag. 184.

bat illud in urbem, &c. id est, in Hephaestiada, urbium Lemni tunc binarum nobiliorem. Atque ita *Artemis* seu *Diana* exuitur larva quam in nomine *Bartamise* a Cremonensi ignorante quid ارطمس effet, nec advertente usum ibi ڤ ل inservientis, depravato tamdiu in Avicenna ejus infeliciter gessit. Quod vero ait neminem praeter sacerdotem accepisse, idem est quod Galenus habet de illo a nemine alio praeter sacerdotem illam tangendo. Licet interea apud Dioscoridem [n] de seculis Galeno vetustioribus legamus, quod οἱ ἐκεῖ ἄνθρωποι ἀναπλάσσοντες, *viri illic illud formantes* sigillum imprimebant. Apud jurisconsultos item & politicos *constitutiones sacrae, sacra moneta, sacrae largitiones, sacer comitatus, sacrum stabulum*, id genus alia, qua principem spectant, tam in christianismo quam paganismo obvia sunt ad dignitatem eminentissimam designandam. Sed vero ut Ebraeis plerumque & perquam obiter המקדש *sanctuarium*, uti & בית המקדש & בית simplex, pro *templo* per se usurpatur, ita Arabibus (quibus, ut aliis orientalium, ipsa retinentur paulo, ut fit, deformata in hisce, ut in reliquis, Ebraica vocabula templum significantia) البيت المقدس *Domus sanctuarii* seu *sanctificata*, nunc templum ipsum solum, nunc etiam urbem Hierosolymitanam totam significat. Etiam eodem in loco ab aliis pro templo, pro urbe tota ab aliis, sumitur. Ubi in Alcorano [o] legitur de divino Mahumedis transitu,

من المسجد الحرام الي المسجد الاقصي

(quod Retinensis vertit, *a templo Haram* (quo saepe nomine vocatur illic templum Meccanum, id est templum sacratissimum) *ad templum longinquum*, ut Arrivabenius *al tempio lontano*; vir doctissimus, in versione non edita, *usque ad templum ultimum*; Ryerius, juxta interpretes Mahumedanos, *du temple de la Meque au temple de Jerusalem)* Mahumed Ben Achmed, perpetuus Alcorani sed compendiosior paraphrastes,

المسجد الحرام اي مكة الي مسجد الاقصي

بيت المقدس لبعده منه *Templum (Meschita,* locus adorationis) *Haram, id est Mecca, ad templum posterius,* seu *domum sanctuarii quae posterior fuerit.* Hic pro *templo* usurpari ab eo videtur بيت المقدس; nisi forte intelligi velis christianorum illic templum; quod non admittendum si recipiamus quae habet Aladrisius Geographus [p] de templo illic tam christianorum quam Judaeorum seculi recentioris. Licet etiam capi possit, sicut totum pro parte; pro ipsa urbe sancta ubi olim steterat templum. Scilicet ex figmento illo, Abraham patriarcham fundasse templum Meccanum, ait Mahumedes [q], illud fuisse per orbem terrarum اول *primum*, adeoque Hierosolymitanum, inde puto, posterius; unde etiam المسجد simplex toties in Alcorano pro *Meschita Meccana.* Jacobus Golius [r] illud مسجد الاقصي vertit item *templum Hierosolymitanum.* Certe apud Mahumedanos supponitur, templum Salomonis ipsum, seu aliud loco ejus positum, seculis recentioribus, adeoque & post excidium sub Vespasiano & Adriano, atque in Mahumedis aevo, ita ibi subinde exstitisse, ut de eo (quemadmodum etiam Judaei [s] aliqui, veluti de ipsius Salomonis) loquantur; idque nomine مسجد الاقصي Alcoranico illo, velut notissimo. Inde Aladrisius ille [t], qui quingentis abhinc paulo minus annis scripsit, de Moslemannorum Hierosolymitanae regionis, adeoque templi illius, acquisitione locutus, inquit,

وكان معظما في مدة ملك المسلمين وهو

المسجد الاعظم المسمي بالاقصي عندهم

Et sub regno Moslemannorum admodum erat magnificens, atque est Meschita seu *templum illud quod nominatur apud eos posterius* seu *ultimum*; unde loco illi Alcorani lux. Maronitae vertunt *ulterius* seu *remotum,* & *Alacsa* pro الاقصي nuncupant. De eo in historia Saracenica, Elmacini dicta, legitur [v] quod Chalifa duodecimus seu Abdumelic Ben Merwan misit

الي بيت المقدس فزاد في المسجد الاقصي

الي ان ادخل الصخرة في حرم المسجد

واخذ الناس بالحج الي بيت المقدس

misit Hierosolyma, & auxit templum posterius (exstructum illic velut Salomonis succedaneum a Moslemannis ipsis) *ita ut petram inferret in templi aditum. Coeperuntque homines peregrinari Hierosolyma.* Nam vetuerat peregrinationem Meccanam propter Abdalla Ben Zaber. Alter autem penes me in Alcoranum commentarius amplior illic;

الي المسجد الاقصي بيت المقدس لانه لم

يكن حينئذ وراه مسجد *ad templum posterius, id est urbem Hierosolymitanam* (seu locum ejus & reliquias) *quoniam tunc nullibi comparuit templum ipsum.* Adeoque البيت المقدس pro urbe sumitur, ideo quod in ea templum Hierosolymitanum, seu ejusdem locus, ad quem e Meccano translatus fingitur Mahumedes. Gregorius etiam Abul Faraius [x] de Mahumede paulo post Hegiram,

صرفت القبلة عن جهة البيت المقدس الي

جهة الكعبة *Conversa est Kebla ab ea coeli parte*

[n] Lib. 5. cap. 887. pag. 1142. [o] Surata 17 Arabice, 27 Lat. [p] Climat 3. part 5. [q] Surat. 3, 2. 22. [r] Arab Lexic. [s] Benjamin Tudelensis in Itinerario, pag. 41. ubi vide Constantinum l'Empereur, pag 171. [t] Climat 3. part. 5. [v] Lib. 1. cap. 12. [x] In Specimine Historiae Arabum, pag. 11. & vide ibi Edwardi Pococki notas pag. 175.

quae templum Hierosolymitanum spectat, ad eam quae Caabae imminet; id est Hierosolyma, quae plane paulo post [y] ita بيت المقدس vocantur ut pro templo per se vox sumi nequeat. Ita saepius apud Aldrisium [z] pro ipsa urbe, ut ex notissimo usu, adhibetur. In Alfragani item versione veteri, Joannis Hispalensis, vertitur [a] بيت المقدس per *Hierosolymorum regiones*. Illa autem quae ex Ebraeo facta est habet [b] *beit almacdis, hoc est domus sanctificationis, sive Jerusalem.* Plane inter urbes climatis tertii بيت المقدس positum, de urbe, non templo, ex origine Alfragani sumendum. Ismael item Abulfeda MS. in enumeratione sua geographica [c] provinciarum, insularum, urbium (non omnino templorum) habet, inter urbes illius plagae, بيت المقدس pro *Hierosolymis*, quibus tribuit, uti apud eum alii, longitudinis gradus 56, adjectis, pro autorum varietate, minutis invicem discrepantibus, retento interim cunctis illic graduum eodem numero. Ratio autem cur decem hic gradibus longitudinis sic distet Abulfeda a Ptolemaeo [d] (qui gradus, praeter minuta sua, Hierosolymitanae longitudini sexaginta sex assignat) non alia nititur in calculo causa quam quod, ut Ptolemaeus ejusque sequaces vulgusque geographorum occidentale ab insulis ipsis Fortunatis originem sumunt longitudinum, ita ille & Arabum plerique ab occidentaliori Africae continentis littore, ubi eam in rem meridianum collocant, gradibus decem insulis illis orientaliorem. Tum Abulfeda ipse tum Arabum alii obvii id monent, uti & recte Jacobus Christmannus [e], aliique. Interdum autem mathematici orientales summi & Persae & Tartari terminum primum longitudinis, ut Ptolemaeus ejusque sequaces, faciunt etiam ipsas insulas Fortunatas. Sic eximio illi philosopho & mathematico Nassir Eddino Persae [f] بيت المقدسي *domus sanctuarii*, pro ipsis Hierosolymis, collocatur gradu longitudinis سح seu 68 cum semisse paulo amplius, qualis distantiae plane rationem inivit ab insulis, tametsi receptiorem a littore Africano gradibus auxerit binis. Ita Ulug Beig Tartarus Parthiae & Indiae rex magnique Tamerlani nepos, ubi habet [g] بيت المقدس از فلسطين pro *Hierosolymis in Palaestina*, in gradu longitudinis سول 66, 30. Abulfeda autem loco in citato,

وبيت المقدس بناه سليمون بن داوود وبقي حتي خربه نبكدنصر ثم بناه بعض ملوك الفرس وبقي حتي خربه طيطوس ملك الروم *Quantum ad urbem Hierosolymitanam; eam exstruxit Salomon filius Davidis. Ac superstes erat usque dum devastavit eam Nebuchadnezar. Postmodum eam exstruxere Persarum quidam reges* (exstruere scilicet Ebraeis e captivitate reducibus permittebant) *& superstes mansit usque dum excisa est a Tito imperatore Romano*, &c. Plane pro urbe sumit, id quod sic etiam templum denotat, sed non aliter atque in urbe templum contineretur. Eutychius etiam patriarcha Alexandrinus, hisce, excepto Alcorano, cunctis multo antiquior, in annalibus Hierosolyma, sub florentiore Judaeorum statu, اورشليم ut Arabes alii, frequentius & مدينه اورشـليـم vocitat. Sed postmodum مدينة بيت المقدس & بيت المقدس unde [h] مدبر بيت المقدس pro *praefecto Hierosolymorum* usurpat. Et dum saepius in rebus quas narrat politicis ac militaribus eadem utitur locutione, in episcoporum itidem Hierosolymitanorum successione quemque eorum appellat اسقف بيت المقدس pro *episcopo Hierosolymitano.* Atque perpetuo post excidium, praefici على بيت المقدس *Hierosolymis*, de episcopis aliisque adhibet. E Maccabaicorum autem Arabicis, a Graecis & Latinis haud parum discrepantibus, non semel vertitur [i], مدينه بيت المقدس *Civitas domus sanctuarii* seu *sanctae*, quod potius dicendum *urbs Hierosolymitana.* Item بيت المقدس *domus sancta*; ubi plane juxta Arabum locutionem *Hierosolyma* substituendum, quemadmodum etiam interpres ipse quandoque ibi [k] substituit. Pro Hierosolymis ipsis item cum usurpatum habeamus, in libello securitatis Omar Ben Alchittabi, apud autorem historiae Saracenicae ante citatae [l], مدينه ايليا *urbem AEliam*, notissimum ab Hadriano nomen (etiam in concilio Nicaeno primo [m]) pro Hierosolymis adhibitum, nihilominus بيت المقدس autori ipsi urbem Hierosolymitanam indicat, ut & المقدس *sanctum* simpliciter [n] (quemadmodum item apud alios) licet & hoc & بيت المقدس apud eundem, ut synonyma receptissima, eodem occurrant in capite [o]. Versio Arabica [p] concilii Nicaeni ibi habet اورشليم *Jerusalem.* Et dum ἁγιόπολιν

[y] Abul Faraius pag. 15. [z] Clim. 3. part. 5. [a] Different. 9. [b] Cap. 11. [c] Num قسمي eu 1?2. alias 164. [d] Geograph. 5. cap. 16. [e] Ad Alfraganum, cap. 11. [f] In Tab. Geograph. a Joanne Gravio editis Londini 1650. [g] Ibidem. [h] Tom. 1. pag. 337, &c. [i] Lib. 2. cap. 35, 36, 37, 38, 52 & 59. [k] Cap. 29. [l] Lib. 1. cap. 3, &c. [m] Can. 7. [n] Lib. 3. cap. 8. [o] Ibid. cap. 6. [p] MS. in Bibliotheca Oxoniensi, fol. 96, 1. & videsis Turriani Canon. Nicaen. 33. ex Arabico & dict. M. fol. 106, 2. & Alfons. Pisanum lib. 3. can. 10.

ἀρχαίαν *traditionem antiquam* in Graecis memoratam, qua obtinuisse generatim dicitur episcopum AEliae τιμᾶσθαι *honorari*, ut paraphrastes, pro more suo, explicat illic interpres, etiam & Patriarchae & Exarchi (الاكسرخس) dignitatem ait ei competere ob singularem sedis vetustatis praerogativam; adjicitque,

واكرم بهذا الاسم ايضا من اجل شرف المواضع المقدسة التي هي تحت يديه وليعلم ذلك *Et honoratur his nominibus etiam propter nobilitatem* seu *dignitatem loci sanctitate* prae aliis *clari qui ei subest, atque ut inde tantundem agnoscatur.* Quasi in animo habuisset nomen بيت المقدس *domus sanctuarii* pro ipsa urbe, ut ostensum est, usurpari solitum. Etiam in *Gieuhari*, lexico Arabico celeberrimo sic dicto (cujus autor الامام ابو نصر اسمعيل بن حماد الجوهري *doctor* seu *antistes Abu Natzar Ismael Ben Hamad, Algieuhari*, ut principium libri loquitur[q]) per *Hierosolyma* exponitur, uti & adnotavit vir summus Jacobus Golius[r], & مقدسي per *Hierosolymitanus.* Raphalengius item docte & caute بيت المقدس *saepe*, inquit, *pro Hierosolymis*; ubi[s] item Avicennam autorem (quonam e loco nondum me fateor observasse) affert, مقدسي significare *Jerosolymitanum.* Perquam obvia est ejusmodi apud Arabas alios significatio ejusmodi, qualis itidem (ut non paucae aliae) apud Persas, ut & ante notatur, recepta; unde in Evangelio Matthaei Persico[t] aliquoties occurrit بيت المقدس pro *Hierosolymis*; ubi vir doctissimus Abrahamus Whelocus in versione inserit, *Persice & Arabice ad domum sanctam, scilicet Hierosolyma*; alias interim saepius in Persico τῷ اورسليم retento. Ita in historia Christi Persice ab Hieronymo Xaverio[v] conscripta saepius pro *Hierosolymis* occurrit بيت المقدس uti Persicum, seu civitate Persica ex Arabico donatum. Certe dum Arabes, adeoque Persae, ita urbem, plane ex ipso in urbe templo nominabant haud aliud faciebant, quam in compluribus aliis Ebraei ipsi vetustissimi, apud quos tantundem obtinuisse palam est. Quid enim aliud est apud illos בית דגון בית בעל מעון בית פעור *Beth Dagon, Beth Baal Meon, Beth Peor*, ejusmodi alia, maxime apud Josuam[x] alibique, uti & בית־אל *Bethel*, pro urbibus sic dictis toties usurpata? Quorum illa priora nomina, deorum in urbibus ipsis cultorum fana tantum in se significantia, uti &, ex origine, posterius cultum numinis veri, adeo eminebant ut, tantum propter sacrae partis excellentiam, urbes ipsas totas nominibus illis, sermone vulgari, voluerint familiarissime intelligi; ipsis nihilominus nominibus, pro diverso dicendi usu, fana etiam tantum ipsa nec amplius pariter innuentibus. Nec inusitatum erat priscis a numinum in urbibus cultu, cultusque locis, ipsas urbes integras ut ab augustiore parte denominare. Inde *Heliopolis, Heraclea, Dianium, Artemisium*, id genus reliqua; uti & apud christianos urbes ac oppida a sanctis qui eis praefuerint dicta, quemadmodum a SS. Germano, Audomaro, Edmundo, Petro, Maildulpho, Andrea, ejusmodi sexcentis. Ipsam etiam urbem Hierosolymitanam nomine בית οἶκος, *Domus* (quasi המקדש *Sanctuarii* subaudiretur) ut voce recepta intellectuque facili, existimant viri doctissimi indicari a D. N. Jesu Christo in sermone illo[y] ad Hierosolymitas, ubi ait, *Jerusalem, Jerusalem*, ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος, *ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.* Hugo Grotius ibi, *Locus iste in quo vos, o Hierosolymitae, habitatis in solitudinem vertetur. Urbem enim malim intelligi quam templum solum*, &c. Eandem in mentem Constantinus L'Empereur[z], de excidio urbis locutus, *Tum demum*, inquit, *impleta omnino illa servatoris nostri prophetia, Matt.* xxiii. 38. *cum urbis primates alloquens concludit, relinquetur* (quod per tempus praesens ibi innuitur) *vobis domus vestra deserta*, &c. *Nam antecedentia, quibus urbis praefectos & ecclesiasticos alloquitur*, domum *hic totam urbis structuram significare edocent.* Ita בית *domus* pro urbe ipsa, adeoque בית המקדש pro urbe illa in qua sola sanctuarium, pro vario locutionis genere etiam ex natura sui recte satis sumi potuit; licet apud Ebraeos ipsos rarius, si unquam, pro urbe occurrat, uti in sequentibus fusius statim ostenditur. Quod vero attinet ad allatum in me a reprehensore meo ex magno Buxtorfio testimonium, velut perpetuo Rabbinicum; Verba quidem ejus sunt[a], *apud Rabbinos, quando* מקדש & מדינה *sibi opponuntur, tunc per* מקדש *intelligitur sanctuarium Hierosolymitanum cum tota urbe, sive* ירושלים כולה & *per* מדינה *intelliguntur* שאר העיירות שבכל ארץ ישראל *reliquae urbes quae sunt in tota terra Israelis.* Et statim subjicit ad tantundem adstruendum, *Maimon in Taanis, cap.* 4. *in initio*; *die feriato novi anni, qui incidit in sabbatum, in sanctuario clangebant buccina, sed non in provincia, id est, extra urbem Hierosolymorum.* Neque aliud illic affertur ad laxiorem illam vocis significationem firmandam. Palam est apud virum summum, dum, ut ex Maimonide hoc affertur, ejusdem expositionem in caput quartum tituli τῆς *Misnaioth Taanis*, seu *de jejuniis*, nescio unde (sed leviculi ejusmodi errores in omnium scriptis sunt non infrequentes) se ingessisse pro eo quod esse proculdubio debuerat in *Rosh Hashena, cap.* 4. seu titulum *de initio anni*, qui proxime illum *de jejuniis* antecedit. Neque enim res illa ad titulum *de jejuniis* attinet, nec in commentariis Maimonidis ad eum reperitur allata. In capitis autem illius tituli alterius quar-

[q] MS. in Biblioth. Arundelliana. [r] Lexic. Arab. col. 1865. [s] Lexic. pag 338. 2. [t] Cap. ii. 1, & 3. [v] Pag. 16. 107, 116, 144, 320, 372, &c. [x] Cap. vii. cap. xiii, &c. [y] Matth. xxiii. 37, 38. [z] Notis ad Benjamini Itinerarium, pag 171. [a] Lexic. Talmudic. col. 516.

ti

ti initio legitur, יום טוב של ראש השנה שחל להיות בשבת במקדש היו תוקעים אבל לא במדינה: *Die feriato novi anni qui inciderit in sabbatum, in sanctuario clangebant buccina*, juxta legem ea de re sacram [b], *sed non in urbe*, seu, ut vox etiam significat, *provincia*, quasi diceres, *extra sanctuarium*. An מקדש *sanctuarium* hic denotet ipsum templum solummodo, an itidem Hierosolyma, adeoque מדינה *reliquas urbes & provincias*, quaeritur. Maimonides illic, כבר ביארנו פעמים כי מקדש תקרא ירושלים כולה ומדינה שאר העיירות שבכל ארץ ישראל *Dudum ostendimus aliquoties sanctuarium vocari etiam Hierosolyma tota, & provinciam reliquas urbes terrae Israeliticae.* Adeoque hoc loco tam ipsa Hierosolyma quam templum eo nomine contineri velle Maimonides plane videtur; uti etiam alibi non semel dum Talmudica explicat de buccinarum ac tubarum usu in jejuniis, in anni initio ac jubilaeis, palmarum festi celebratione, decimae secundae comestione, siclorum exactione annua. Nec sequacibus [c] caret. Et expressim, ubi occurrunt in Misna [d] nomina Hierosolymorum & מדינה ut invicem distincta, quantum ad fructuum comedendorum & pecuniae sive hic sive illic usum, Maimonides [e], מדינה נקרא כל מדינה ומדינה ממדינות ארץ ישראל כלבד מירושלים *Medina* seu *provincia vocatur quaelibet provincia ex provinciis*, urbibusve, *per terram Israeliticam, exceptis Hierosolymis.* Scilicet ibi alibique pro subjecti discrimine sic vocari vult. Et quidem cum Medina sic opponitur Hierosolymis, facile fit ut illiusmodi sit ejus significatio. At vero glossa Talmudica [f] utraque cum titulo illo *Rosh Hashena* edita (ubi *sanctuarium* sic Medinae opponitur) אבל לא במדינה interpretatur per לא בירושלם ולא בגבולים *Nec Hierosolymis*, id est, in urbe extra templum, *nec in provinciis* vicinis terrae sanctae reliquis. Idem diserte amplectitur ibi R. Obadias Bartenorius: אבל, inquit, לא במדינה לא בירושלם ולא בגבולין ורמב"ם מפרש שירושלים כולה קרויה מקדש ושאר ארץ ישראל קרויה מדינה *Verba illa, non in provincia, significant, nec Hierosolymis nec in reliquis terrae sanctae provinciis. Sed R. Moses Ben Maimon ita interpretatur ut Hierosolyma* illic *tota vocata fuerint sanctuarium*, seu nomine eo quo templum appellari solet; *& quod reliquum est terrae sanctae, Medina* seu *provincia.* Alii item consoni Maimonidis sententiam hic ut controverti solitam animadvertunt. Recitat quidem, velut a Maimonide maxime ortam, Rabbi Jom Tob Bar Abraham in *Magid Misna* illic (si is ejusdem autor fuerit, & non Don Vidalus de Tolosa, cui ab Abraha Zacuthio [g] tribui videtur) uti etiam in *Migdol Oz*, & ויש, inquit, בזה שטה אחרת ומדינה כולל אפילו ירושלים עצם *Etiam obtinet hac de re alia sententia, Medinam nempe continere pariter Hierosolyma ipsa.* Sequitur autem statim in Misna illa, משחרב בית המקדש התקין רבן יוחנן בן זכאי שיהיו תוקעין בכל מקום שיש בו בית דין וגו' *Postquam domus sanctuarii excisa est, constituit Rabban Jochanan Ben Zecai*, princeps synedrii magni, *ut clangerent quolibet in loco* [h] per terram sanctam, in anni initio ejusmodi, *modo in eo esset domus judicii*, &c. id est plane synedrium magnum [i], ad quod sanctificatio initii mensium adeoque initii anni attinebat. Et de migrationibus post excidium templi satis diximus libro secundo. Atque ejusmodi verba de constitutionibus ejus parilibus adjiciuntur in *Misnaioth* de clangoris sive tubae sive buccinae usu in jejuniis, festo palmarum, jubilaeis. Ubi semper במקדש usurpatur pro *in sanctuario*, seu stante templo, & בית המקדש pro *domo sanctuarii.* Quae sane in idem recidere videntur. Sed de amplitudine etiam nominis המקדש pro eo quod est plusquam *sanctuarium* ipsum seu *templum*, videsis Constantinum l'Empereur in commentariis ad titulum Talmudicum [k] *Middoth.* Utut autem se res habuerit circa singularia illa de quibus sic asserit sententiam suam Maimonides, contradictoribus satis interim impugnatus, certo certius est tam ex disciplina ab ipso de vestibus sacris tradita, quam ex aliis statim animadvertendis, τῷ מדינה, qua vestium illarum a sacerdotibus gerendarum jus respicit, utcunque τῷ מקדש oppositum, tota Hierosolyma sine templo reliquamque terram sanctam comprehendere, uti & τῷ מקדש ipsum templum solum ejusque sanctiora interioraque loca. Hisce de nominis vario usu praemissis, accedat jam dictis de illicito extra ipsum templum vestium sacerdotalium usu, ex *Thosiphtha* ad titulum *Joma* [l], illud בגדי היוצא כהן למדינה אסור וכן משמע בפרק האיש המקדש ואפילו בעזרה אסור לכתחילה ללובשן שלא לצרוך עבודה *Vestibus* sacris *induto exire in urbem nefas. Atque ita se habet disciplina in capite* [m] *Vir qui desponsaverit, etiam in ipso atrio vestiri eis omnino nefas, extra necessitatem ministerii*, seu *non in ordine ad illud.* Tantundem in citati capitis Gemara, ubi glossa utraque expressim, ad illud Gemarae de indumentis sacris locutae, לא ניתנה תורה למלאכי השרת *non data est lex angelis ministerii* (quod videtur maxime dictum de cingulo heterogeneo, quo sacerdotes cincti erant, licet lex in contrarium cunctis generalis praestitueretur) לא נתנה תורה למלאכי השרת שיהיו הכהנים זריזים כמלאכים להפשיטן בגמר עבודה ולא ישהום עליהם אחר העבודה כהרף עין *Non data est lex angelis ministerii. Quoniam fuere sacerdotes cincti ut angeli; ita ut exuere deberent vestes sacras simulac perfecissent ministerium, nec eas super se retinere, ne quidem oculi ictus tempore*, seu *momento aliquo.* Sensus est, ut reliquorum supra allatorum, cingulum saltem exuendum, causa jam dicta, simulac, verbi gratia, ministerium matutinum perficeretur; neque vero illud neque indumenta reliqua induenda, ne quidem in templo, praeterquam in ministerii apparatum, qui, citra cingulum utpote tantum in ministerii hora adhibendum, ut continuus retineri potuit toto ministerii die. Hic ipse est Gemararum, Glossarum, Maimonidis, ejusque sequacium hic sensus. Hisce consonum est illud Misnae [n] de sacerdotibus in conclavibus suis humi dormientibus, id est peracto ministerio, in excubiis, somnum utcunque captantibus, templi interim custodiam [o]

[b] Levit. xxiii. 24. Numer. xxix. 1. [c] Mikotzi Praecept. Affirmat. 42, &c. [d] Tit. *Maasher Sheni*, cap. 3. §. 4. [e] In *Pirush*, ibidem. [f] Babylon. tit. *Rosh Hashena*, cap. 4. fol. 29. 2. [g] In *Juchasin*, fol. 133. 2. [h] Videsis Maimonid. Halach. *Shopher*, cap. 2. §. 8 & 9. [i] Gloss. ad tit. *Rosh Hashena*, cap. 4. fol. 29. 2. [k] Cap. 1. §. 1. pag. 3. [l] Cap. 7. fol. 69. 1. [m] *Misna* tit. *Kidoschim*, cap. 2. fol. 24. 1. [n] Tit. *Thamid.* cap. 1. fol. 25. 2. & Gemara fol. 27. 1. [o] Consulas Maimon. dem tit. *Bith Habechira*, cap. 8. & Petrum Cunaeum de Rep. Hebraeorum lib. 2. cap. 14.

curan-

I

curantibus; לא היו ישנים בבגדי קדש אלא היו פושטין ומניחין אותן תחת ראשיהם ומתכסין בכסות עצמן *Non dormiebant in vestibus sacris, sed exuebant illas*, (Gemara, ומקפלין & *complicabant*) *ponebantque subter capita sua, vestibus suis* plebeiis *tunc induendis*. Ne quidem in templo post ministerium diei absolutum eas indutas retinere sic licuit; nedum in urbe uti. Eandem in mentem Maimonides[p], לא היו הכהנים השומרים ישנים בבגדי כהונה אלא מקפלין אותן ומניחין אותן כנגד ראשיהן ולובשין בגדי עצמן וישנים על הארץ *Sacerdotibus excubantibus non erat dormiendum in vestibus sacerdotalibus. Sed complicatas eas juxta capita ponebant, vestesque suas* vulgares *induebant, & humi dormiebant*. Peracto enim ministerio, nec alio ut ejusdem diei, exspectato, tam vestes reliquae sacrae, quam balteus, exuendae erant. Tantundem plane in ratione data, cur praefectus aegrotorum (ממונה על החולים vocant) inter praefecturas viginti quinque templi constitueretur. Nimirum[q] הכהנים מפני שהם עומדין על הרצפה תמיד ואוכלין בשר הרבה ואין עליהן בגדים בשעת העבודה אלא חלוק אחד הם חלין במעיהן לפיכך מעמידין ממונה אחד שיהיה מבקר אותן ומרפא כל תחלואיהן ועוסק בהן תמיד הוא ואנשיו שתחת ידו; *Sacerdotes, quoniam in pavimento jugiter stabant, & carnibus pluribus vescebantur, nec in hora ministerii vestem, quae corpus scilicet, ut tunica tegeret, aliam induebant, praeter unicam, eamque simpliciorem, aegrotari solebant in visceribus*, seu dolore *colico*. *Unde constituebatur praefectus unicus, cujus officium erat eos scrutari, moderique eorum morbis quibuscunque. Atque hanc in rem assiduus erat ipse cum aliis qui ei suberant*. Collegium plane medicorum sacrum erat. Hinc etiam satis eliciendum est, sacerdotes sacris vestibus indutos e templo neutiquam exivisse. Quod semper, ut ante dicta, intelligendum ex jure ordinario. Nam si ob salutem publicam exeundum eis simul necessario esset, etiam vestibus induti sacris prodibant; uti & in loco hic controverso e Talmudicis & Josepho adnotabamus: De Simone scilicet Justo, seu Jaddo pontifice maximo, qui, uti & sacerdotes gregarii universi, in Alexandri Magni occursum sic exibant. Mikotzius[r] sacerdotium ait adeo ex vestium sanctitate pependisse, ut eis non indutis quasi sacerdotium deesset. Verba sunt, והיתה להם כהונה לחוקת עולם בזמן שבגדיהם עליהם כהונתם עליהם אין בגדיהם עליהם אין כהונתם עליהם והרי הם כזרים *Perpetuum erat eis ex instituto sacerdotum: Sed ita ut, quamdiu vestibus sacris erant induti, sacerdotium eis esset; si illis induti neutiquam essent, nec sacerdotium eis erat, sed instar extraneorum seu* laicorum *habebantur*. Id est, officium sacerdotis non magis praestabant sine vestibus illis quam extraneus quisquam eorum officio sacro se temere immiscens. Nimirum העבודה פסולה *ministerium ipsum* in sacrificiis pro *irrito nulloque* sic habebatur. Idem ante Maimonides[s], והיתה להם כהונה בזמן שבגדיהן עליהן כהונתן עליהן אין בגדיהן עליהן אין כהונתן עליהן אלא הרי הם כזרים ונאמר והזר הקרב יומת *Et erit illis sacerdotium* (verba sacra[t]; quae ita intelligunt ut ex vestibus e praecepto divino illic induendis sacerdotium ipsum pependisse velint) *tempore scilicet quo*, seu *quamdiu, vestes suae fuerint super illos, etiam sacerdotium super illos. Si vero neutiquam essent super illos, nec erat super illos sacerdotium: Imo erant velut extranei. Et dicitur[v], Et extraneus qui accesserit morietur*, scilicet בידי שמים poena coelitus immissa; cui subdunt & pontificem maximum, & sacerdotem quemlibet gregarium, sive non omnibus simul in ipso ministerii actu indutum, aut pluribus quam in praescripto habentur. Adeo nec tunicis binis, nec binis femoralibus, aut cingulis uti licuit. Mikotzius autem jam ex eo adductis subjungit, תניא ביומא בפרק בא לו אין כהן גדול יוצא בבגדי כהונה למדינה אסור אלא לצורך גדול כגון שמעון הצדיק כשיצא לקראת אלכסנדרוס מוקדון ובמקדש מותר בין בשעת עבודה בין שלא בשעת עבודה *In titulo Talmudico Joma, capite* ibat, *ante citato, traditur, vestibus sacerdotalibus induto nefas fuisse prodire in urbem*, seu locum extra templum aliquem, *nisi magna eveniret necessitas*; ob qualem saepius jus temperabatur ordinarium; *ut cum Simeon Justus occurrebat Alexandro Macedoni. Sed intra sanctuarium* seu *templum fas fuit eis indui, non solum ministerii hora, sed & extra eam*; adjecta ratione illa saepius in Talmudicis repetita, שבגדי כהונה נתנו ליהנות בהן *quoniam vestes sacerdotales dabantur ut ex eis communis aliquis usus rite satis fieri posset*, intra templi septa scilicet, excepto semper, ut ante ostenditur, cingulo. Neque aliud omnino innuit illud Levi Barcinonensis[x] ab censore meo allatum, quod plane ex Maimonidis superius citatis sumpsit ille Levi, qui commentarium suum in legem, velut catechismum utilissimum, nomine *Sepher Hachinuch*, ex eo aliisque aliquot conscripsit. Usus autem seu juris extraordinarii de gestanda sacerdoti veste aliqua sacra, aut quae ejus esset instar, extra ministerii tempus, habetur forte etiam in illo Josephi de stolis sacerdotalibus sacerdotibus mille ab Herode[y] coemptis templum suum magnificum exstructuro; qui scilicet inter operas inservirent. *Decem millia*, inquit, *peritissimos selegit*, καὶ ἱερεῦσι τ' ἀριθμὸν χιλίοις ἱερατικὰς ἀνησάμενος στολὰς, καὶ τοὺς μὲν διδάξας οἰκοδόμους, ἑτέρους δὲ τέκτονας ἥπτετο τῆς κατασκευῆς, quod vertit Ruffinus, *Et mille numero sacerdotes, quibus stolas secundum eorum honorem habitumque paravit. Sed & quosdam caementarios, alios autem fabros lignarios, eruditos ad templi fabricam hortabatur*; Gelenius, *Et insuper mille sacerdotes stolis sacerdotalibus suo sumptu vestitos, partim caementariae, partim lignariae fabricae non imperitos, hosque omnes adhibuit operi*. Genebrardus, *Et avec ce mille sacrificateurs vestus a ses despens d'accoustremens sacerdotaux, les uns experts en massonerie, les autres en charpenterie, & les employa tous a cest oeuvre.* Curnam hic stolarum sacerdotalium mentio fiat nondum video, nisi etiam sacerdotes operi inter caeteros, etiam inter aptandas extra templum structuras, adhibiti stolas illas ad dignitatis excellentiam denotandam gestarent. Etiam in templo ex usu extraordinario evenit, si historiae Judithae[z] fides, ut sacco praecincti &

p Tit. *Bith Habechira*, cap. 8. §. 6. q Maimonid. Hal. *Celi Hammikdash*, cap. 7. §. 14. & ad Misn. tit. *Siklim*, cap. 5. §. 1. r Praecept. affirmat. 173. fol. 212. col. 3. s Halach. *Celi Hammikdash*, cap. 10. §. 4. t Exod. xxix. 9. v Num. iii. 10 & 38. x Ad Parash תצוה praecept. 99. fol. 42. seu ad Exodi xxviii. y Joseph. lib. 15. cap. 14. z Cap. iv. De historia illa vide, prae aliis, Hug. Grotium in praefat. ad eam.

cinere inſperſi ſacra ad altare miniſteria praeſtarent & pontifex maximus & reliqui ſacerdotes, in ſummo nimirum ſalutis publicae & ſacrorum diſcrimine poſiti; cum interim ex jure ordinario receptiſſimoque nec amictum praeter ſacrum aliquem alium inter ſic miniſtrandum geſtare, nec pulviſculum idve genus rem aliam aliquam ullibi in corpore tunc permittere ut non ablutum, nedum cineribus inſpergi, licuerit. Sed ad jus ordinarium hujuſmodi exempla non attinent. Et forte quantum ſtolis tot ſacerdotes veſtiret, idque in miniſteriis ſuis ſacris, aerario publici ſacro obtulit (quod ſatis reſpondet illi τῷ coemit) Herodes. Ex ſuperius ante allatis rite, puto, intelligenda ſunt verba Joſephi[a] illa de ſacerdotum in templo conventu ſolenni, τῶν δ' ἀπογενεῖς ἱερέων ὅσοι διὰ πήρωσιν οὐκ ἐλειτούργουν, παρῆσάν τε ἅμα τοῖς ὁλοκλήροις ἔνδοθεν τοῦ γεισίου· καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ γένους ἐλάμβανον μερίδας· ταῖς γε μὴν ἐσθήσεσιν ἰδιωτικαῖς ἐχρῶντο. τὴν γὰρ ἱερὰν ὁ λειτουργῶν ἠμφιέννυτο μόνος, Ita interpungo, & verto, *generis ſacerdotalis quotquot per defectum aliquem miniſterio arcerentur ſacro, ſimul cum eis qui omnino integri eſſent intra limitem* (ſeptum quo populus arcebatur a ſacerdotibus) *aderant*, ſeu *adeſſe ſolebant. Etiam partes generis* (ſacerdotalis, qui illuc manerent) *ſimul omnes capiebant. Atque veſtibus utebantur* ſimul omnes illi *plebeiis. Nam ſacerdotali ſolus qui adminiſtrabat induebatur*; quod cenſor noſter non de ſacerdote actu miniſterii occupato, ſed pro eo qui munere ſacro ob defectum aliquem non arceretur. Fateor me ſatis capere nequire ſenſum illic illum. Λειτουργοῦντες (Joſepho etiam alibi adhiberi ſolitum) non modo qui actus ſacri momento operabantur denotat, ſed pariter qui aſſidui per diem totum in templo, ſtatis horis, redeuntes miniſterii ſui vices exſpectabant. Ruffinus ibi *veſtibus tantum utebantur plebeiis* per ſe vertit, quaſi ad omnes non miniſtrantes attineret. Genebrardus, velut de omnibus itidem ſimul ſic rite congregatis, *Ils avoient autant de portion que les autres de la race Levitique. Seulement ils eſtoient habillés come les laiz pour la difference: d'autant que nul n'eſtoit veſtu de robbe ſacerdotale ſinon ceux qui faiſoient le ſervice divin.* Atque ejuſmodi fuiſſe Joſephi mentem, firmat alibi ipſe ubi de induendarum veſtium ſingularum ritu agens, Ὅταν δὲ, inquit[b], προσίῃ ταῖς ἱερουργίαις ὁ ἱερεὺς, ἡγνευκὼς ἣν ὁ νόμος ἁγνείαν προσαγορεύει, πρῶτον μὲν περιτίθεται τὸν μαναχάση, *ſacerdos, quando ad ſacra miniſteria accedit*, nec alias, *atque purus factus eſt juxta praeſcriptam in lege puritatem, primo induendus erat Manachaſe*; quae vox ibi plane corrupta eſt ex מכנסים pro *femoralibus*, quae primo etiam juxta doctrinam Talmudicam[c] induebantur. Nonne hic Joſephus aperte innuit in templo, & cum operaturus erat ſacerdos, nec alibi, eum fuiſſe veſtiendum: Certe ſenſu jam dicto etiam capit Joſephum expreſſius Joſephus Scaliger, ubi[d] hac de re pluribus in Hegeſippum agit. Male a me adductum ait cenſor meus locum illum in rem quam aſſerueram. Sed tandem de lapſibus meis circa veſtes ſacerdotales, & cenſura illa, judicet lector neutiquam impar atque hiſce inſtructus.

IV. Diſciplinae jam dictae de veſtium ſacerdotalium uſu intra templum, juxta ante oſtenſa, ſolo, neque aliter atque aut in ipſo miniſterii actu aut in ejuſdem aſſiduam exſpectationem, apprime conſonum eſt quod alibi habet Maimonides[e] ex Miſna & Gemara Babylonia[f]. Sacerdotum miniſteriis in templo multiplicibus a ſe primo traditis ſubjungit, כל העבודות האלו שעושין בכל יום בפייס היו עושין אותן *miniſteria univerſa jam dicta quotidiana ex ſortitione peragi ſolebant*. Scilicet, juxta ephemeriarum vices, quolibet ſummo mane conveniebant in *Liskath Hagazith* (loco, ad templum, ſynedrii magni; ante ejuſdem ſeſſionis horam) ומלובשין הן בבגדי כהונה *& induebant ibi veſtes ſacras* ſacerdotes illi omnes qui Ephemeriae praeſentis eſſent. Jam vero, ne miniſteria ſacra turbarentur ſi ſuum cujuſque officium quiſque non ſatis dignoſceret, collocabantur illic in gyro univerſi illi, quos facile ſic intuens הממונה על הפייסות *praefectus ſortium* (munus in templo celeberrimum, & hanc in rem conſtitutum[g]) pro arbitratu ſuo unum eorum aliquem ſeligebat, cujus pileum exuens ſtatim induebat: Quod in ſignum dabatur ut in ſortiendo is velut terminus a quo reliquis fieret. Dein conſentiebant in numerum aliquem tum miniſteriis diurnis integris tum ſortitioni idoneum, velut ſexaginta, octoginta, centum, mille, plures, paucioreſve. Sortes inibantur quatuor; prima, de altari cineribus aliterque purgando, eoque apparando, igneque ſtruendo; ſecunda, de immolationibus, aliiſque ſacrificiorum ſolennibus pleriſque; tertia, de ſuffimentis; quarta, de levandis membris ſacrificii in altare. Tunc dicebat eis praefectus, הצביעו *Digitos extendite*. Tunc per gyrum extendebat quiſque digitum ſive unum, ſive duos, ſive etiam, ut vult ille, tres ſed pollicis extenſio hic nihili habita; aliis[h] etiam digiti tertii extenſi rationem in numero habendam negantibus. Et dum δακτυλοτονία ejuſmodi fiebat, praefectus מתחיל למנות מן האיש הידוע שהסיר מצנפתו תחילה *Incipiebat numerare ab eo cujus pileum primo ſic exuerat*. Numeratis inde digitis extenſis uſque dum compleretur numerus in quem conſenſerant, is qui numerum illum digitorum geſtu compleverat, primus erat ex ſorte in miniſterium futurum. Simili modo ſortitiones aliae, quae fuere, in diei miniſteria reliquae; nova ſemper δακτυλοτονία & numerandi ſimili ratione adhibita. Et ubi unicus ſufficiebat, ut pro libitu, in ſorte prima, tertia, & quarta, is in cujus digitis complebatur numerus miniſterium diei obibat. In ſecunda autem ſorte (quae de immolationibus aliiſque ſacrificiorum ſolennibus pleriſque erat, adeoque actus complures generiſque diverſi in ea praeſtandi fuere) miniſteria continebantur tredecim, quae ſic diſtribuebantur, ut primus ille in cujus digitis ſic complebatur numerus, primum, ſcilicet immolationem, obiret; ſecundus, ſeu ei proximus, ſanguinem reciperet ſpargeretque; atque officia

[a] Haloſeos, lib 5. ſeu 6. cap. 15. Graece. [b] Archaeolog. lib. 3. cap. 8. [c] Maimonides tit. Halach. *Celi Hammikdaſh*, cap. 10. §. 1. [d] Animadverſ. in Euſeb. num. 2077. pag. 276. [e] Tit. *Thamidin Wemoſpkin*, cap. 4. §. 1. [f] Tit. *Joma*, cap. 2. fol. 24, 2. & Maimon. tit. *Celi Hammikdaſh*, cap. 7. §. 8. [g] Maimonid. tit. *Celi Hammikdaſh*, cap. 7. §. 8. [h] Gemar. Hieroſolymit. ad tit. *Joma*, cap. 2. fol. 39. cap. 4.

reliqua

reliqua tertius, quartus, caeterique in ordine illo usque ad tredecim praestarent. Atque hoc aiunt introductum esse per ordinationem [i] בית דין *synedrii magni*, quoniam compertum erat quod, cum ministri diurni ita certo non distinguebantur, alter alterum nimium turbaret, cunctique, ex ministerii affectu, non sine periculo quotidiano, altari adessent. In editione Hierosolymitani Talmudis Veneta, male ibi legitur בין דין pro בית דין ut recte, ac juxta editiones alias, Cracoviana. Sortibus ita rite peractis, יוצאין לעבודה אנשים שעובדין בו ושאר הכהנים מוסרין אותן לחזנין ומפשיטין אותן את בגדי הקדש ולא היו מניחין עליהן אלא המכנסיים בלבד עד שלובשין בגדי חול והחזנין ופושטין את המכנסיים של קדש ומחזירים החזנים את הכלים לחלונות : *prodibant inde* sacris induti vestibus *ad munera obeunda sic sorte designati. Caeteri autem sacerdotes se dedebant aedituis, qui exuerent eos vestibus sacris. Ii vero non relinquebant super eos earum aliquam praeter femoralia tantum, idque usque dum vestes profanas* seu *plebeias induti essent. Tum etiam femoralia sacra eis exuebant; & vestes cunctas arcis suis restituebant.* Hic apertissime omnes ephemeriae sacerdotes in conclavi saxeo, quod templi pars erat, sacris induebantur vestibus cunctis (puto, excepto cingulo) ubi sortes illas in ministerium futurum simul omnes obibant, adeoque steterunt illic, velut in ordine ad altare. Simulac autem sortes peragerentur, ita ut jam sacris ministeriis admissi tunc alii, alii per sortes exclusi, hisce statim exeundae erant vestes sacrae, & profanae seu plebeiae cuilibet induendae, idque ex procuratione assidua aedituorum, qui huic rei praeessent. Unde etiam lavabant se semper sacerdotes in templo antequam sacris induebantur [k].

V. Numerandi ante dicti ratio, qua non personae ipsae sed digitorum extensiones numerabantur, adhibita est ex eo quod receptum erat, Israelitas, veluti capite censos aut per se, numerari fas non fuisse. Unde hic ex digitorum extensionibus conflabatur numerus quo personarum etiam dignoscebatur quidem numerus, sed ut ex re alia quam ipsorum personis. Maimonides [l], ולמה מונה המנין שהסכימו עליו על האצבעות שהוציאו ולא היה מונה על האנשים עצמן לפי שאסור למנות ישראל אלא על ידי דבר אחר שנאמר ויפקדם בטלאים : *Et undenam fit ut numerarent numerum in quem consenserant per digitos sic extensos, & non per homines ipsos?* dicendo, unus, duo, tres, unde sors exiret. *Quoniam illicitum erat numerare Israelitas aliter atque per rem* a personis *aliam, juxta quod dicitur* [m] de Saule, *Et numeravit eos per agnos, ducenta millia peditum,* &c. Ubi Salomon Jarchi, אמר לכל אחד ואחד שיקח טלה מצאנו של מלך ואחר כך מנה את הטלאים לפי שאסור למנות את ישראל שנ' גם לא יספר מרוב : *Praecepit* rex *ut quilibet agnum caperet ex gregibus regiis, & postmodum ut agnos numerarent,* ad numerum suum inde dignoscendum : *Quoniam illicitum est numerare Israelitas ipsos, ex eo quod legitur* [n], *Nec numerabitur* populus Israelis *multitudine* [o]. Paraphrastes Chaldaeus in loco Samuelis citato habet, *Et numeravit eos* באמרי פסחיא *per agnos paschatis*; quasi tempore paschatis res facta fuisset; qua de re videsis ibi David Kimchium. Prope accedit Rabbinicis hic, in Samuelis illo, Vulgata, quae habet, *Et recensuit eos quasi agnos*; unde Duacenses, and numbred them as it were lambes. Ita alii Vulgatam sequentes. Judaei etiam Hispanienses, *y contolos con los corderos.* Vocem טלאים ita hi sumpsere illic pro *agnis*, quorum numeri in populo recensendo ratio sit habita. Sententiam illam ut pluribus receptam ibi memorat R. Jesaiah. Alii potius de loco *Telaim* dicto capiunt, quasi *in Telaim* vertendum esset, idque pro טלם *Telem* [p], loco tribus Judae. Neque enim in sacris literis habetur locus aut טלאים dictus, aut huic adeo propinquus. De loco capit David Kimchius, aliique, ut adnotat ibi R. Jesaiah. Neque aliter Graeci, qui ἐν Γαλγάλοις substituunt, pro loco, eodem in capite [q] post memorato. Syrus item ܒܛܠܝܐ *in Telia.* Arabs expressius, موضع يقول له طويلا *in loco dicto Tawilla.* Et versiones nuperae, Lutheri, Gallica, Anglica, Belgica, pro loco capiunt, nec alio quam *Telem* jam dicto. Parile, juxta Talmudicos aliquos, habetur ante in Samuele, ubi [r] de Saule dicitur, *& numeravit eos* בבזק. *Bezek* ibi pro loco capitur quidem tum Talmudicorum nonnullis, tum in versionibus priscis recentioribusque. At vero Talmudicis aliis [s] בזק ibi sumitur pro fragmine testaceo, quasi fragminibus ejusmodi tunc numeratum fuisset, ut postea agnis. Receptior [t] est haec sententia. Et Salomon Jarchi ibi, רבותינו אמרו בשברי חריסים *Rabbini nostri dicunt, per fragmina testacea.* Adjicit vero is, לשון אחר בבזק באבנים שנטל מכל אחד אבן ומנאם כמו שיפקדם בטלאים *Alia sententia est, lapillos ibi intelligi; ab unoquoque scilicet accepto lapillo, numerasse eos* Saulum, *juxta illud de numerando per agnos.* Ex hisce R. Isaac, doctor Gemaricus, אסור למנות את ישראל אפילו לדבר מצוה *Illicitum est numerare Israelitas* ipsos *etiam in re ex praecepto agenda.* Id genus habent alia. Quo quidem spectare videtur id quod habet Josephus [v] de populo Hierosolymitano numerato, rogatu Cestii, sub Nerone. Is, ut numero illo Neroni gratificaretur, παρεκάλεσε τοὺς ἀρχιερεῖς, εἴπως δυνατὸν εἴη, τὸ πλῆθος ἐξαριθμήσασθαι, *a pontificibus petiit ut, si quo modo possent, multitudinem numerarent.* Id quod praestitere illi quidem : Sed eadem ipsa ratione quae apud vetustiores, juxta ante dicta, in usu; non personas ipsas aut capita, sed agnos paschales (nam pascha tunc agebatur) & comedentium contubernia numerando: Unde conflatus est numerus quasi 2070000, praeter immundos nec paschati idoneos. Libentius commentum hoc Talmudicum de numerandi Israelitas ratione hic adjecimus, quoniam proculdubio, quoties ex synedrorum dissensu numerus absolventium condemnantiumque, juxta libro secundo ostensa, quaereretur, atque haec ratio observaretur numerandi, non necessum

[i] Misna tit. *Joma*, cap. 2. [k] Maimonid. tit. *Thamidin Wemosphin*, cap. 6. §. 1. [l] Tit. eod. cap. 4. §. 4. [m] 1 Samuel. xv. 4. [n] 1 Regum iii. 8. vide Hoseae i. 10. [o] Vide Jarchium in Glossa ad tit. *Joma*, cap. 2. fol. 22, 2. [p] Josuae xv. 24. [q] Comm. 12. [r] 1 Samuel. xi. 8. [s] D. Kimchi & R. Jesaiah ibi. [t] Gemar. Babylon. tit. *Joma*, cap. 2. fol. 22, 2. [v] Haloseos lib. 7. cap. 45. seu 17. in parte libri priore.

esse

esse nequibat ut per res alias, veluti scribarum adstantium suffragiorum adnotationem, aliumve id genus modum, non per capita, ut in discessione fieri solet, numerarentur.

VI. Quod vero attinet ad usum vestium sacerdotalium, qualem ante diximus, tantum intra templum; certe in sacra scriptura, praeter ante memorata, illuc spectare etiam nonnulla videntur expressiora; velut illud de cineribus holocausti a sacerdote juxta altare positis, & inde efferendis. *Et* [x] sacerdos *exuens vestes suas* sacras, ibi etiam praescriptas, *induet vestes alias, efferetque cineres extra castra ad locum mundum.* Sacris illis induto vestibus ad cineres efferendos exeundum non erat, ut non e tabernaculo, ita nec e templo; unde etiam adnotant nonnulli [y], ipsis qui ex genere sacerdotali nati a sacris tam vestibus quam ministeriis ob defectum aliquem arcerentur, fas fuisse cineres efferre: Quasi sacri ministerii pars actus ille haud ita haberetur. Alii autem quibus actus ille habetur עבודה מעבודות כהונה *ministerium ex ministeriis sacerdotii*, adjiciunt [z], אינו אומר אחרים שיהיו בגדי חול אלא שיהיו פחותין מן הראשונים *Non dictum est, vestes alias, quasi illae esse deberent profanae* aut *plebeiae, sed quoniam esse debuere minoris dignitatis quam priores.* An medias nescio quas hic velint inter sacras & profanas, an ex ipso actu efferendi profanas ac plebeias, pro tempore, sanctitatem sibi singularem, etsi minorem, adquirere, mihi incertum. Sed exeunti interim vestes aliae plane usurpandae. R. Menahem Recanati seu Ricinensis ibi, הוצאת הדשן למחנה אינה ראויה לעשות בבגדי לבן רק בבגדי אחרים *Elatio cineris in castra indigna erat quae vestibus albis fieret, sed vestibus aliis.* Huc etiam referendum illud Ezechielis, ubi de sacerdotum procurationibus agitur, & cameris eorum sanctis, *Et* [a] *quando sacerdotes ipsi ingrediuntur, non egredientur de sancto in atrium exterius, sed ibi reponant vestes suas in quibus ministraverunt; sunt enim sanctae, atque aliis vestibus sese induant, & accedant ubi est populus* [b]. Et paulo post [c], *Et quando egrediuntur ad atrium exterius, ad atrium, inquam, exterius, ad populum, exuant vestimenta sua* (אשר המה משרתם בם) *in quibus ministrabant, & reponant ea* בלשכת הקודש *in conclavi sanctuarii* (Graeci, ἐν τ͂ ἐξέδραις τ͂ ἁγίων, *in exedris* seu *repositoriis sanctorum*; Vulgata, *in gazophylacio sanctuarii) induantque vestimenta alia. Non autem sanctificabunt populum in vestimentis suis*, seu sacris. Targum Jonathanis ibi, ולא יתערבון עם עמא בלבושיהון *Nec miscebuntur cum populo in vestimentis suis*; ut itidem loco in priori, וילבשון לבושין אוחרנין ויתערבון עם עמא *Et vestimentis aliis se induent, & populo commisceantur.* Intelligunt magistri [d] hic atrium Israelis; quod etiamsi intra templum esset, nihilominus quoniam illuc exibant non in ordine ad sacrum quid, ad altare, ministerium, ideo sacras retinere super se vestes tunc haud licuit. Nec sane parum jam ostensa hac de re firmantur ex aliis ad sacerdotes vestiendos spectantibus. Scilicet, perpetuo sacerdotum ablutiones intra templum semper vestibus sacris induendis praevias fuisse est notissimum. Mutatoriae item earum complures fuere, quae in templi solum repositoriis seu vestiariis servabantur. Quale dicendum [e] de reliqua supellectile sacra; ut scilicet si forte pollueretur altera, altera locum ejus statim suppleret. Singularem item lavati in ministerium sacerdotis cutis mundities ibi exigitur, adeo ut si sordium quidquam aut pulvis ullus inter vestem intimam & cutem relinqueretur, ministerium ipsum inde vitium sibi contraheret. Praefectus etiam e quindecim illustrioribus in templo qui dictus [f] est הממונה על מעשה בגדי כהונה *Qui praeerat vestibus sacerdotalibus illic conficiendis* (ut הממונה על הפרכית *praefectus velorum*, quorum nullus extra templum usus) cujus officium ac opera versabatur nempe בהכנת בגדי כהנים הדיוטים ובגדי כהן גדול ובאריגתן ומתחת ידו נעשה הכל ולשכה היתה לו במקדש *in ordinandis conficiendisque vestibus tum sacerdotum minorum tum pontificis maximi, & in textura earum. Atque sub manu ejus fiebat omne* illuc attinens. (Nam etiam induendis exuendisque ibi praeerat.) *Et conclave suum in templo sibi habuit*, velut Protovestiarius seu Master of the wardrobe, in Misna [g] dictus הממונה על המלבוש *rei vestiariae* illic *praefectus*; ubi R. Obadias Bartenorius expressim, המלביש היה מכונה להלביש הכהנים בשעת עבודה ולהפשיטם אחר עבודה ולשמור בגדי כהונה בלשכות העשויות לכך: *Vestiarii officium erat induere sacerdotes tempore ministerii, eosque exuere post ministerium, & custodire vestes sacerdotales in repositoriis eam in rem destinatis.* Tantundem ille ad alium *Misnaioth* locum, ubi praefectus ille nuncupatur tantum המלביש *vestitor* seu *vestiarius*. Origenes [h] item, *Observandum est quod aliis indumentis sacerdos utitur dum est in sacrificiorum ministerio; & aliis, cum procedit ad populum.* Atque alibi [i], *Vestimenta quae sancta nominantur non jubentur intra domum usui deservire pontificis, sed in templo esse, & inde omnino nunquam efferri: Sed ad hoc tantum consecrata esse ut eis Deo ministrans pontifex induatur, & sint semper in templo. Ad caeteros vero usus communes utatur communibus indumentis.* Hieronymus item [k], de sacerdote Judaico, *Quando foras egreditur, & miscet se populo, sacerdotalia vestimenta deponit in gazophylacio, in quo dominicae divitiae conservantur: & aliis utuntur vestibus sacerdotes aliaque doctrina ad vulgus ignobile, ne sanctificetur populus in stolis eorum.* Tantundem theologi alii Christiani ad Levitici & Ezechielis loca indicata, alibique. Lyranus [l], *Habebant sacerdotes proprias vestes, quibus utebantur in ministerio tabernaculi, & non alibi: de quibus vestibus dictum fuit Exodi* xxviii. Abulensis [m], *Introibat summus sacerdos in tabernaculum ad deponendum vestes sacerdotales: quia ibi locus erat in quo conservabantur vestes, atque ibidem sacerdotes induebantur & exuebantur. Relinquebat autem ibi sacerdos*

[x] Levitic. vi. 10, 21. [y] *Chiskuni*, fol. 143, 2. [z] Maimonid. tit. *Thamidin Wemosphin*, cap. 2. & Talmud. locis ante citatis; Levi Barcinocensis ad Levit. vi. praecept. 131. alii. [a] Cap. xiii 14. [b] Videsis ibi Jarchium & Kimchium & Joannem Villalpandum Explanat. part. 2. lib. 4. cap. 69. [c] Cap. xliv. 19. [d] Sal. Jarchi & David. Kimchi ibidem. [e] Maimonid. Hal. *Celi Hammikdash*, cap. 7. § 10. [f] Ibid. §. 14, 20. [g] Tit. *Siklim*, cap. 5. §. 1. [h] Homil. 4. in Leviticum. [i] Homil. 11. ibid. [k] Lib. 13. in Ezekielem seu cap. xliv. [l] Ad Levitic. vi. [m] Ad Levitic. xvi. quaest. 30. & videsis eum ad Exod. xxviii. quaest. 6 & 7, & 17.

cerdos veſtes ſuas, ut, poſtquam lotus fuiſſet, reſumeret eas. Joſephus Scaliger [n] etiam, *Sacerdotes ſemper laneas geſtabant* καὶ ἰδιωτικὰς *extra ſepta templi: Lineas vero* ſacras illas, *ne in ipſis quidem ſeptis templi, niſi cum miniſtrarent.* Quo & trahit illud Flavii Joſephi ſuperius adductum. Quin & Petrus Cunaeus [o] Maimonidem hic intelligit ut docentem, *Exuere toties & ſumere neceſſe habuiſſe quoties aut operationem intermittebant, aut redibant ad eam.* Adjungas hic Chriſtianum Adrichomium [p], cui ne dubitatum fuit quod aſſeruimus; viro, citra Talmudicam opem, Graece Latineque circa terram ſanctam, urbem, templum diligentiſſimo, atque ſcripturis ſacris & Joſepho nitenti: *Exedrae,* inquit de templo locutus, *quae alias gazophylacia & paſtophoria vocantur, domus erant laterales, inſtar turrium longae, latae & celſae, in quibus ſacerdotes ſanctuarium ingreſſuri profana ſua veſtimenta lanea exuebant, & ſanctificatas lineas veſtes induebant, easque dein ſacris peractis reponebant.* Sic Franciſcus Ribera [q], *Sacerdotes veſtes ſacras habebant, quibus utebantur eo duntaxat tempore quo miniſtrabant, & ſoli qui miniſtrabant.* Et teſtem quidem ſibi facit Joſephi ea de re locum ex libro Haloſeos ſexto ſuperius memoratum. Accedat hic, quod, ubi in Salomonis Ben Wirga [r] farragine occurrit templi Hieroſolymitani deſcriptio, velut a Marco neſcio quo conſule olim, dum etiam ſtetit templum, Romano, &, ſi credere velis, etiam chriſtiano, tradita, inter alia, ut ab oculato teſte, memoratur pontificis maximi domus ſeu conclave in templo; dein ſubjicitur, גם שם בית לכהן המלביש אשר היה מלביש כל הכהנים לשעת עבודה ונותן לכל אחד ואחד ארבעה מיני לבוש אשר נצטוו והוא היה מוצא מחלונות הבית ההיא ולבושין ובכל חלון וחלון מחלונות שבכתלי הבית היה כתוב עליו ר"ל לכעלה מן החלון שם הלביש ההוא כדי שלא יטעה או שלא יתבלבל בעת הצורך: *Hic quoque domus erat ſacerdoti cujus munus erat veſtire ſacerdotes in tempus miniſterii. Dedit unicuique quatuor veſtium ſpecies, juxta legis praeſcriptum. Et porrigebat ille eas ex arcis* ſeu *repoſitoriis domus hujus ita ad veſtiendum attinentis. Et in unoquoque repoſitorio, quod erat ad parietes domus hujus, id eſt, ſupra quamlibet, ſcribebatur nomen veſtis, ne forte error aut confuſio fieret in porrigendo accipiendoque.* Epiſtolam Marci illius, velut ad ſenatum populumque Romanum, paulo poſt excidium ſub Veſpaſiano ſimile templum molientes, conſcriptam, nactum ſe fuiſſe illic ait neſcio quis וירשוריש *Verſorius,* Alfonſo Hiſpaniarum regi IX chariſſimus, & ob ſapientiam doctrinamque in admiratione habitus, & הגדול *vir magnus* Salomoni illi dictus. Ille ad regem eam tranſmiſiſſe per epiſtolam narratur, cum rex eum per literas conſuluerat de Titi Auguſti literis neſcio quibus templum deſcribentibus. Et licet figmentum proculdubio fuerit, nihilominus cum quamplurima in deſcriptione illa Marci habeantur res ipſas templi cultusque adeo explicantia, aequum ſane eſt ut hoc etiam ita illic interjectum, pro teſtimonio de ſacerdotibus non extra templum veſtibus ſacris induendis, in ſe ſatis vero apertoque accipiamus. Epiſtolam illam ait Salomon Ben Wirga, uti & Alphonſi ad Verſorium literas ſe tranſtuliſſe מלשון לאטין אל לשוננו הקדוש *e lingua Latina* (qua videntur primo conſcripta) *in linguam noſtram ſanctam.* Sed & ſcriptores chriſtiani, ut oſtenſum eſt, de paſtophoriis veſtium ſacrarum affatim; quibus adjiciatur vir ſummus Hugo Grotius, ubi de eis loquens [s], הלשכות, inquit, *id eſt conclavia illa ad templi latera in quibus ſervabantur veſtes ſacerdotales, inſtrumenta templi, copia aromatum, & ſimilia.* Ex diſciplina illa Judaica ſimilis plane introducta eſt in chriſtianiſmum (ut videre eſt in jure pontificio [t]) de veſtibus ejuſdem ſacris. Et Judaicam expreſſius agnoſcunt, dum ſuam conſtituunt. Sed de his ſatis ſuperque.

VII. Nec viſum eſt enarrationem, quae advertatur forſan dignam, omittere, quam velut ab jam dicto Marco conſule Romano, teſte oculato, adeoque dum ſtetit templum (nam poſt excidium res geri nequibat) praeſente, de ſplendidiſſimo (& quaſi annuus ſolenniſque fuiſſet) pontificis maximi paulo ante feſtum expiationum, comitante ſynedrio magno, ſimul cum rege, & ſacerdotum choro, in templum e domo ſua ingreſſu, tradidit Salomon ille Ben Wirga [v]. Enarratio quidem fit tum de ingreſſu hoc tum de paſchatis apparatu, in quem במאמר המלך והשופטים *juſſu regio & judicum* (quod de ſynedrio magno plane intelligendum) in neomenia Niſan per terram ſanctam ex Hieroſolymis mittebantur curſores qui proclamarent, לכל מי שיש לו מקנה צאן וקצרת בקר ימהר להביא המקנה כדי שימצאו עולי רגלים די זביחם וגם למאכלם כי העם רב מאד וכל מי שלא היה בא לזמן הקצוב היו החרימים כל ממונו לקדשי הבית: *Ut quiſquis poſſideret oves & boves, confeſtim eos adduceret, ut haberentur quae ſufficerent & victimis ſolennibus & victui populi, qui illic perquam frequens: Et quicunque ſic adducere eos detrectaret, bona ejus omnia in ſacros templi uſus converterentur.* Ubi circa ſacra illa, regis & ſynedrii cernitur autoritas ſumma. Et peracta juxta omnia ibi memorantur. De pontificis autem ingreſſu ait idem, ſeptem diebus ante dictum expiationum feſtum apparari ſolere in domo pontificis maximi urbana ſellas לאב בית דין ולנשיא ולכהן גדול וסגן הכהנים ולמלך ולבד אלה שבעים כסאות של כסף לשבעים סנהדרין והזקן מן הכהנים היה קם על רגליו ואומר לפניו וגו': *Patri ſynedrii, & principi, & pontifici maximo, & ſegeni* ſeu *ex ſacerdotibus pontificis vicario, & regi, & praeter has ſeptuaginta argenteas ſeptuaginta ſynedris. Et qui natu major ex ſacerdotibus erat aſſurgens ſermocinabatur coram eo,* &c. ſaluberrima ei monita & ſevera indens de inſtante officio, qua Deum, qua homines expiandos ſpectaret. Promittente pontifice ſe cuncta rite praeſtiturum, rex eum ſermone demulcebat mitiore, nec ſine beneficiorum ei promiſſis poſtquam e templo redux eſſet. Hoc peracto procla-

[n] Animadverſ. in Euſeb. num. 2077. pag. 178. [o] Lib. 2. de Repub. Hebraeorum, cap. 14. [p] In deſcriptione Templi, num. 92. [q] De Templo, lib. 5. cap. 5. [r] *Sepher Shebat Jehudae*, fol. 43. 2. Adrianopoli. In verſione Georgii Gentii, pag 364. [s] Ad 1 Maccab iv. 40. [t] Diſt. 1. de Conſecratione, cap 42. Durandus Rational. lib, 1. cap 3. §. 48. & lib. 3. cap. 1. §. 1. Fortunat. Amalarius de Eccleſ. Officiis, lib. 2. cap. 16. Joann. Durantus de ritibus Eccleſiae, lib. 2. cap. 9. § 1. [v] In *Sepher Shebat Jehuda*, fol. 45. 1, 2. in verſione Georgii Gentii, pag. 382. Ibid. fol. 45, 1. in verſione pag. 376, & 382.

mabatur, הכהן הגדול יוצא והולך ללשכה שלו אשר במקדש *Pontifex maximus jam ad conclave ſuum in templo.* Primo הולכין לפניו כל שהוא מזרע מלכי ישראל כי הקרב הקדב אל הכהן יותר חשוב ואחריהם כל שהם ממלכי בית דוד וכלם בסדר נכון זה אחר זה *ibant ante eum ex regibus Iſraelis oriundi, quoniam quiſque, ut pontifici proximior erat, loco incedebat honoratiore. Et poſt eos, omnes ex regibus domus Davidicae* (de regiis illis nominibus binis non ſemel in ſuperioribus diximus) *qui decenti ordine incedebant,* praecone acclamante ante eos, תנו כבוד לבית דוד *honorem tribuite domui Davidicae.* Et poſt eos, familia Levi, nec ſine praeconio parili domui Leviticae, וכל סגניהם היו לובשין באותה שעה בגד משי תכלת והכהנים משי לבן *& primores eorum* ſeu *eminentiores cuncti veſtibus induebantur hyacinthinis ex ſerico* ; *& ſacerdotes* reliqui eorum, *candidis etiam ex ſerico* (id eſt veſtibus ſplendidioribus, ſed non ſacris, quorum uſus, extra templum, ne in pompa ejuſmodi ſacra, permiſſus) ואחריהם *& poſt eos,* cantores ; *& poſt eos,* inſtrumenta muſica pulſantes ; *& poſt eos,* tibicines ; *& poſt eos,* janitores ; *& poſt eos,* ſuffituum curatores ; eodemque ordine aulaeorum textores, cuſtodes templi, האמרכלים ſeu *quaeſtores* ; *& poſt eos,* כת אחת נקרא קאאטופילוש (vertit interpres) *certus hominum ordo qui bibliothecis praefectus earum curam gerebat* (forte קארטופילוש pro *chartophylaces) & poſt eos,* כל אנשי המלאכה ממלאכת הקדש ואחריהם ה"ע סנהדרין ואחריהם מאה כהנים וגזרי כסף בידם לעשות דרך ואחריהם הכהן גדול ואחריו כל זקני הכהונה שנים שנים *omnes artifices ſacri, & poſt eos, ſeptuaginta ſynedri, & poſt eos, centum ſacerdotes, manibus habentes virgas argenteas, ut viam faciliorem redderent* ; *& poſt eos, pontifex maximus* ; *& poſt eum, omnes presbyteri generis ſacerdotalis, bini, bini.* Ordinem incedendi fateor me non ſatis capere, nec quid לפניו *coram eo,* & אחריו *poſt eum,* & אחריהם *poſt eos* in pompa deſignet. Veniſſe eum ibi dictum eſt in templum, rediiſſeque. Sed nihil interjectum illic de diſciplina hac de re Talmudica ſuperius oſtenſa.

CAP. XII.

I. *De duplici belli genere, altero ex praecepto divino, altero ultroneo ſeu arbitrario.*

II. *Poteſtas arbitrarii belli legitima ſummaque in ſynedrio magno. Non itidem ejus quod ex praecepto gerendum eſſet ; ſcilicet principum regumque in ſeptem populos & Amalekitas.*

III. *Quae apud Fl. Joſephum hac de re occurrunt.*

IV. *Alia, maxime e Vulgata, quae pontifici maximo poteſtatem etiam hic tribuant. De Joſephi & magiſtrorum hanc circa rem ſenſu, & de conſulendo oraculo Urim & Thummim. Diſcurſus nuperus Joannis* **Friſchmuth** *Germani de jure Ebraeorum regio.*

IN iis quae juxta diſtributionem ſub initium hujus libri habitam ad poteſtatem ſynedrii magni deliberativam attinuere, locum habet primum מלחמת הרשות *bellum ultroneum* ſeu *arbitrarium.* Legitur in Miſna[x], אין מוצאין למלחמת הרשות אלא על פי ב"ד של ע"א quod a Petro Galatino[y], uti & ante a Raymundo Martini[z], cujus pleraque compilavit Galatinus, male nimis vertitur, *Nec erant egredientes ad licitum bellum niſi ſecundum os domus judicii ſeptuaginta unius judicum.* Quaſi omnimodum bellum illic illicitum fuiſſet citra decretum ſynedrii hujus. Certe & Carolus Sigonius, literis Ebraicis nimium alienus, utcunque vir alias doctiſſimus, plurima Galatini verba velut e Talmudiſtis, tacito ejus nomine, in ſua ſimul deſcribens, phraſinque paulo immutans, *Nemo,* inquit[a], *egrediebatur ad bellum (licitum* omittens) *niſi ſecundum os domus judicii ſeptuaginta unius judicum.* Sed pervertitur omnino Talmudicorum ſenſus, & quod ipſi ne ſomniarunt quidem hallucinatione craſſiſſima introducitur. Nimirum bellum apud Ebraeos erat duplex : Aliud, מלחמת מצוה *bellum ex praecepto divino gerendum,* quod item מלחמת א"י *bellum terrae Iſraelis* vocabatur ; aliud, מלחמת הרשות *bellum licentiae,* ſeu *arbitrii liberi,* id eſt, ultronei ſeu arbitrarii, quod nec ſuſpicere nec omittere habebatur in praecepto. Genus prius erat ex praecepto cum ſeptem populis illis[b] notiſſimis & Amalekitis gerendum ; Secundum, adverſus finitimos qui ex eis non erant, ac, pro re nata, alios quoſcunque ; ſcilicet adverſus hoſtes finitimos ejuſmodi incurſantes publicae ſalutis cauſa[c] ſuſcipiendum. De genere utroque Guilielmus Schickardus docte[d]. Etiam alibi[e] nos fuſius de utroque diximus. Miſnae autem allatae verba de ſecundo genere tantummodo intelligenda ; unde recte Joannes Cochius vertit, *Bellum arbitrarium non niſi ex ſeptuaginta unius judicum autoritate ſuſcipitur.* Obadias Bartenorius[f], כל מלחמה חוץ ממלחמת ז" עממים ומלחמת עמלק קרויה מלחמת הרשות *Omnimodum bellum, praeter id quod gerebatur in ſeptem populos & Amalekitas, recte nuncupandum eſt bellum arbitrarium* ſeu *ultroneum.* Qua in re ſatis conſentiunt magiſtri. Dicitur[g] item bellum geſtum על שאר העם כדי להרחיב גבול ישראל ולהרבות גדולתו ושמעו *cum caeteris gentibus ad ampliandos fines Iſraelis, & ad augendam ejus dignitatem & gloriam.* Unde a viris doctis *bellum majeſtatis* etiam interdum nuncupatur. Et quod legitur in gloſſa[h] Talmudica, omnimodum bellum vocari hoc nomine, לבר ממלחמת יהושע שהיתה לכבוש את ארץ ישראל *praeter bellum Joſuae, quod ideo ſuſceptum ut ſubjiceretur terra Iſraelis,* ita capio ut afferatur ibi bellum Joſuae pro exemplo tantum, quia

[x] Tit. *Sanhedrin,* cap. 1. [y] De Arcanis Catholic. verit. lib. 4. cap. 5. [z] Pugione Fidei Part. 2. cap. 4 § 4. [a] De Repub. Hebraeorum lib. 6. cap. 7. [b] Deut. vii. 1. & xx. 17. [c] Ob. Bartenor ad tit. *Sota,* cap 8. [d] De Jure Regio Hebraeor. cap. 5. theor. 16 & 17. [e] Lib 6. de Jure Nat. & Gent. cap. 12. [f] Ad citat. Miſn. videſis Miſn. tit. *Sota,* cap. 8. juxta finem. [g] Maimonides Hal. *Melakim,* cap. 5. Mikotzi praec. aff. 118. [h] Ad tit. *Sanhedrin,* cap. 1. fol. 2. 1.

in ſeptem populos gerebatur ac Amalekitas. Neque omnino intelligi poteſt pro eo quod bellum ex praecepto ad perſonam illius ejuſve aevum reſtringat.

II. De utroque autem genere, quantum ad hanc rem, Maimonides ad veterum mentem, ubi bellica regis Ebraeorum officia docet[i], מלחמת מצוה אינו צריך ליטול בהרשות ב"ד אלא יוצא מעצמו בכל עת וכופה העם לצאת אבל מלחמת הרשות אינו מוציא העם בה אלא על פי ב"ד של ע"א *Quando bellum ex praecepto erat gerendum, non opus erat regi ut ejuſce gerendi fundus fieret ſynedrium; ſed ipſe quoties placeret exibat quovis tempore, etiam & populum exire cogebat. At vero in bellum arbitrarium non exibat citra decretum ſynedrii ſeptuagintauniuſviralis.* Certe in Roma veteri, etiam ſub Caeſaribus inclinante imperio, ejuſmodi ſenatui in omnimodo bello decernendo renovari viſa eſt poteſtas. Claudianus[k] de Honorii tempore,

Neglectum Stilico tot jam per ſecula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent proelia patres,
Decretoque togae felix legionibus iret
Teſſera. Romuleas leges rediiſſe fatemur,
Cum procerum juſſis famulantia cernimus arma.

Et poſtea,

——— *Et ſpectant aquilae decreta ſenatus.*

Qua de re plura apud virum doctiſſimum Philippum Berterium[l].

III. Sed mirum interea eſt illud quod de rege Ebraeorum habet Flavius Joſephus[m], etiam veluti a Moſe ipſo inter leges regias traditum, atque ante aliorſum itidem memoratum, Παραχωρείτω ἢ ἔτος τοῖς μὲν νόμοις καὶ τῷ Θεῷ τὰ πλείονα τοῦ φρονεῖν· πρασσέτω ἢ μηδὲν δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης, Rex qui vobis fuerit, *plus legibus & Deo quam ſuae ſapientiae tribuat: Nec quidquam citra pontificis & ſenatorum ſententiam faciat.* Et dein ſequuntur leges de uxoribus, equis, auri & argenti vi regiae in Deuteronomio ſcriptae. Cur autem pontificem hic adjecerit Joſephus, aut adeo ex ſynedrii magni (nam de ſenatoribus illis quin loquatur ambigere nequeo) autoritate omnia pendere velit quae regi facienda, ne ariolari quidem poſſum, niſi forte id omne intelligat tantummodo quod ad bellum arbitrarium, atque oraculi ſanctiſſimi in eo ſuſcipiendo uſum, ſpectet. Certe & ipſe inferius Moſem ait eos docuiſſe ὅπως ἂν στρατευόντες ἐξίοιεν, τεκμηρίῳ χρώμενοι τοῖς λίθοις, ὡς καὶ πρότερον δεδήλωκα, *quomodo in militiam exirent, ſigno capto ex lapillis, de quibus jam diximus*; id eſt, ſigno capto ex ſanctiſſimo illo oraculo *urim & thummim* dicto, quod ſuperius deſcripſerat.

IV. Jam vero etiam in Vulgata legitur de Joſua, Moſi ſuccedaneo, idque ex ipſius numinis praeſcripto, coram Eleazaro pontifice M. & populo collocato, *Pro hoc, ſi quid*[n] *agendum erit, Eleazar ſacerdos* (is pontifex erat) *conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & caetera multitudo.* Quod dictum plane de conſulendo oraculo illo. Nam in Ebraicis habetur, ולפני אלעזר הכהן יעמוד ושאל לו במשפט האורים לפני יהוה *Et coram Eleazare ſacerdote ſtabit, qui conſulet pro eo oraculum urim* (ſeu *rogabit pro eo per judicium urim,* ſeu *manifeſtationis* aut *veritatis) coram Domino,* quemadmodum item Graeci. Caeterum illa, *pro hoc, ſi quid agendum erit,* alibi atque in Vulgata non habetur. Quae tamen non male reſpondent Joſephi verbis jam allatis, quibus regi ſine pontifice & ſenatoribus nil agendum aſſeritur. Ebraei vero rem totam non ad aliud *quid agendum* praeterquam quod rerum bellicarum nomine veniebat attinere volunt. Quae ſequuntur in origine ita ſe habent, על פיו יצאו ועל פיו יבאו הוא וכל בני ישראל אותו וכל העדה *Juxta verbum ejus egredientur, & juxta verbum ejus ingredientur, tam ipſe, quam univerſi filii Iſrael cum eo, & tota congregatio,* ſeu *ſynogoga.* Ex hiſce dignoſci volunt quid eo in loco innuatur dum de oraculo hoc conſulendo, reque juxta ejus decretum gerenda, verba fiunt; nec aliud quid praeter res belli, quae *egrediendi & ingrediendi* ſeu *redeundi* vocabulis deſignari ſolent, intelligi. Et ſane, ſi quae habent hic magiſtri caetera intueamur, & Joſephi de rege verba priora cum ipſius poſterioribus de oraculo conſulendo comparata de bello arbitrario tantummodo capiamus, ſatis ad amuſſim cum ipſis illi conveniet. Scilicet aiunt hic magiſtri, Joſuam principem Iſraelis, caeteroſque ei in principatu ſeu regno Ebraeorum ſucceſſores, non rite bellum ſuſcepiſſe, ſaltem arbitrarium, niſi etiam conſuleretur apud pontificem oraculum illud. Adeo ut tametſi bellum ejuſmodi ſine ſynedrii decreto rite non ſuſcipiebatur, nihilominus nudo ejuſdem decreto, ac inconſulto oraculo, nec rite poſſet ſuſcipi. Ipſum item docent ſynedrium M. in verbis illis ſacris contineri. Nam כל העדה quod *totam congregationem* ſeu *ſynagogam* vertimus pro eo quod eſt a *filiis Iſrael,* quo univerſi Iſraelitae ſatis continentur, diverſum ſumunt, & ipſum aiunt eſſe ſynedrium; perinde puto ac ſi dictum fuiſſet, nec princeps ſeu rex de bello ex praecepto, nec ſynedrium de eo quod arbitrarium eſt ſuſcipiendo decernet citra oraculi autoritatem. Et de ſynedrio magno eo vocabulo in ſacris literis denotato plura inferius. Gemara Babylonia[o] ad Miſnam ſupra citatam, מנהני מילי אמ' ר' אבהו דא' קרא ולפני אלעזר הכהן יעמד היא זה מלך וכל ישראל אתו זה משוח מלחמה וכל העדה זה סנהדרי' *Id quod de bello arbitrario citra ſynedrii magni decretum non ſuſcipiendo dicitur, inde, juxta Rabbi Abibu, manavit, quod ſcriptum ſit*[p], *Et coram Eleazar ſacerdote ſtabit, quibus verbis rex innuitur; illis autem, & omnes Iſraelitae, ſacerdos, qui velut populi totius nomine* *unctus erat*[q] *in bellum; atque demum illis, omnis congregatio* ſeu *ſynagoga, ipſum ſynedrium.* Quod itidem alibi in eadem legitur Gemara[r]. Unde & gloſſa Jarchii ad verba illa ſacra, ושאל לו כשיצטרך לצאת למלחמה על פיו של אלעזר וכל עדה סנהדרין *& conſulet*[s] *pro eo, quando ſcilicet in bellum ei*

[i] Halach. *Melakim*, cap. 5. §. 2. [k] De laudib. Stiliconis lib. 1. [l] Pithanon. 1. cap. 7. [m] Archaeol. lib. 4. cap. 8. [n] Numer. xxvii. 21. ubi conſulas Abulenſem Quaeſt. 40, &c. alios obvios. [o] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 16. 1. [p] Numer. xxvii. 21. [q] Deut. xx. 2. [r] Ad tit. *Joma*, cap. 7. fol. 73. 2. [s] De conſulendo hic videſis Abulenſem ad Numer xxvii. quaeſt. 47.

erat

erat proficiſcendum, juxta verbum ejus, ſcilicet Eleazaris; & *omnis congregatio ipſum ſynedrium denotat.* Quin ad illud in Miſna[t] de conſulendo hoc oraculo, nemini ſcilicet id licuiſſe privato, אלא למלך ולב״ד ולמי שהציבור צריך בו *ſed regi*, & *ſynedrio*, & *ei qui reipublicae*, id eſt, qui populi ac univerſitatis nomine atque autoritate, ut legatus, conſulebat, Obadias Bartenorius, אלא למלך וכו׳ דכתיב ולפני אלעזר הכהן יעמוד וגו׳ הוא זה מלך וכל בני ישראל אתו כי שכל בני ישראל אתו לצאת למלחמה אחריו זה משוח מלחמה ומי שצורך הציבור בו וכל העדה אלו סנהדרי גדולה *Sed regi*, &c. *Nam ſcriptum eſt*[v], & *coram Eleazare ſacerdote ſtabit*, &c. *ſcilicet ipſe rex. Verba autem illa*, & *omnes filii Iſrael cum eo, denotant eum quocum, velut duce, in bellum proficiſcendum erat omnibus Iſraelitis, id eſt ſacerdotem in bellum unctum*, & *qui totius populi neceſſarius erat in hanc rem miniſter* ſeu *legatus. Tota autem congregatio eſt ibi ipſum ſynedrium magnum.* Quae eadem ſunt ferme verba etiam Maimonidis[x]. Neque aliud vult Abarbinel[y], ubi ait oportuiſſe ut qui conſuleret eſſet מלך או אב ב״ד הגדול או מי שצבור צריך לו *Rex, aut pater ſynedrii magni, aut qui a populi univerſitate huic rei praeficeretur.* Nam per *patrem ſynedrii* ipſum proculdubio ſynedrium intelligit, quemadmodum etiam alii[z] qui eum hic memorant. Plura habent Talmudici[a] quibus id ipſum aſſerunt. Quod neque hic erat praetermittendum, quia niſi ſingularis oraculi uſus jam indicatus ſimul animadvertatur, non ſatis liquet quid ſibi velint dum bellum arbitrarium adeo ex ſynedrii autoritate pependiſſe tradunt. Nam & oraculi ab eo conſulendi ſimul autoritas adhibenda erat. Oraculum autem hoc ad tabernaculi ac templi primi aetatem duntaxat, ut volunt magiſtri, attinuit. Nam ſub ſecundo[b] compertum non eſſe aiunt genuinum; qua de re alibi etiam[c] monuimus. Atque legitur in libello qui Epiphanio adſcribitur, de vitis prophetarum, poſt caedem Zachariae patris Joannis Baptiſtae* non amplius per oraculum hoc reſponſa data eſſe, perinde ac ſi uſque ad id tempus ſeu ſub templo ſecundo fuiſſet pariter ac ſub primo in uſu. Nam & expreſſim dicitur non reſpondiſſe ὥσπερ τὸ πρὶν, *quemadmodum antea conſueverat.* Verum & id ipſum in Auguſtano codice[d] habetur de Zachariae prophetae caede de qua in Paralipomenis[e]. Adeo ut altero in loco deſiiſſe ante templi primi excidium oraculum hoc, altero non ante Chriſti natales velit libelli illius autor, cujus de nugis locus hic non eſt amplius diſſerendi. Joſephus[f] autem diſerte ſcribit deſiiſſe oraculum hoc ducentis ante tempus quo Antiquitates ſuas congeſſit annis, id eſt, ſub Maccabaeorum initia. Ita diu etiam in templo ſecundo manſit. Vide quae hac de re diſputat J. Baptiſta Villalpandus[g], alii. Qualenam fuerit oraculum illud, modus item conſulendi, juxta Ebraeos, oſtenditur a V. Cl. Guilielmo Schickardo in libello de jure Ebraeorum regio[h]; nec raro apud magiſtros[i] de eo agitur. Alia quae ſine oraculi ejuſdem autoritate a ſynedrio decerni rite nequibant, capite etiam habes proximo. Prodit, dum noſtra haec ſub praelo calent, de *rege eligendo* & *deponendo diſcurſus*, Ebraicae reipublicae quomodocunque aptatus, autore Joanne Friſchmuth profeſſore Jenae Germano[k], qui ſententiis Talmudicorum receptioribus tam de bello a rege qualicunque pro libitu ſuo gerendo, quam de aliis ad jus Ebraeorum regium (de quo ſupra) attinentibus, ſui ipſius commenta (illorum ſcriptis juridicis minime ſatis inſtructus, ut ex ipſo liquet diſcurſu, nimiſque inaſſuetus) anteferre libentiſſime amat. Qui volet eum conſulat: Et qui poterit, de eo judicium ferat.

CAP. XIII.

I. *Neque urbs, neque atrium aliquod templi ampliandum, citra ſynedrii magni decretum.*

II. *Regis item, prophetae ac oraculi ſanctiſſimi autoritas acceſſit. Unde illud a magiſtris deductum.*

III. *In templi primi conditu parilis adhibita autoritas. De prima areae ejus ſub Davide rege dedicatione, & Pſalmo* XXX, *cui titulus Dedicatio domus David; qui variatim dedicationibus apud Ebraeos adhibitus. Uſus ejuſdem in templo ſolennis cum primitiae juxta legem ex terrae ſanctae agris illuc afferebantur. Obiter de ritu eas ſic afferendi legitimo meritoque advertendo. Salomonica templi dedicatio.*

IV. *Urbis Hieroſolymitanae ampliandae ritus.*

V. *Ampliandi atrii alicujus ſacri ritus.*

VI. *De encaeniis Ezrae, ſeu Zorobabelianis, magiſtrorum ſenſus.*

VII. *Encaenia Maccabaica, in Evangelio S. Joannis memorata, menſis Caſleu die 25 per octiduum inde quotannis celebrata. Patrum veterum, etiam & e doctiſſimis recentiorum aliquot, hallucinatio circa encaenia illa in Evangelio. Expreſſiſſima illorum cauſa & origo e ritualibus Ebraeorum, aliundeque. Mendum, aut ex calamo autoris nimis feſtinante, aut ex librarii incuria, in praeteritis Joannis Druſii, ubi ut e ritualibus illis vertuntur aliqua huc ſpectan-*

[t] Tit. *Joma*, cap. 7. alibi. [v] Num. xxvii. 21. [x] Halach. *Celi Hammikdaſh*, cap. 10. [y] *Piruſh Tora*, fol. 414. col. 1. [z] *Peſiktha Zothertha*, fol. 60. col. 4. [a] In Gemar. Babylon. tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 16. 1. Bartenor. ad Miſn. ibi. §. 5. [b] Maimonid. Hal. *Celi Hammikdaſh*, cap. 10. [c] Lib. 2. de Succeſſ. in Pontif. cap. 8. & hic capite proximo §. 7. * Vita 23. [d] Vita 21. edit. Petaviana. [e] Lib. 2. cap. 20. [f] Archaeolog. 3. cap. 9. [g] Tom. 2. Explanat. in Ezechiel. part. 2. lib. 5. diſp. 4. cap. 70. [h] Cap. 2. theor. 2. [i] Maimonid. Halach. citat. Mikotzi praecept. aff. 173. Gemarae ad finem Miſn. tit. *Joma*, cap. 7. *Peſiktha Zotertha*, fol. 60. col. 4. *Sepher Siphri*, fol. 24. col. 96. [k] *Jenae* 1653. in 4°.

tia.

3

tia. De Urim & Thummim etiam templi secundi.

VIII. *Zorobabelianum templum vere secundum, usque ad excidium postremum. Nec tertii nomen in Herodiano reperiri.*

IX. *De festo luminum Encaeniis illis Maccabaicis conjuncto. Ratio & origo varia, & continuatio ejusdem.*

X. *De eo quod habent aliqui, tam Ebraei quam christiani scriptores, victoriam Judithae contra Assyrios seu Olophernem in Encaeniis illis celebrari. De Philone Anniano Ebraice verso.*

XI. *Alii Judithae Hasmonaicae, quam confingunt, Nicanoris decollationem in eis observatam esse quotannis volunt.*

XII. *Ex re nata, e codice vetusto &, licet typis impresso, nimium raro,* Megillath Thainith *dicto, dies festi percurruntur complures, quorum pauci tantum in calendariis Ebraeorum vulgaribus, quoniam multis abhinc seculis aboliti sunt aut in desuetudinem abiere. De Turino, Lolliano, Pipo, aliis, ex historiis Talmudicis, in codicem illum receptis.*

XIII. *Codicem illum revera videri esse* Midrash *seu expositionem, etiam rationarium, vetustissimi codicis sic dicti, nec jam reperti; sed in Talmude utroque memorati, cujus autor Rabbi Eliaezer Ben Chanina.*

MIsnae [l] verba sunt, אין מוסיפין על העיר ועל העזרות אלא ע"פ ב"ד של ע"א *Non amplificanda erat urbs, aut atria, nisi ex decreto synedrii septuagintauniusviralis. Urbis* nomine, ut alias Roma, sic Hierosolyma tantum hic intelligitur. Vertit Raymundus Martini [m], *nec addebant civitati ac solariis* (id est locis peribolis cinctis, sed in aprico & subdialibus, *templi) nisi per os domus judicii* LXXI *judicum.* Quod dum, ut alia, ex eo compilavit Petrus Galatinus [n], ipsissimum retinet, excepto quod, ut in editis, *salariis* perperam legitur. Certe Sigonius [o] etiam *salariis* hic habet, ubi, tacito Galatini nomine, plurima ex eo exscribit. Atria autem hic sunt atria templi, veluti sacerdotum, Israelitarum, foeminarum, proselytorum, gentium. Moenia item urbis proferendo eam augere quidem licuit. Sed ob singularem tam urbis quam templi, licet diversi generis, sanctitatem, & quia nova sic erat superinducenda locis adjectis sanctitas (nam ut templum urbe [p], sic urbem suburbiis ac reliqua terra sancta multo sanctiorem habebant) ideo neque urbis termini neque atriorum templi promovendi erant citra decretum synedrii magni: Ita tamen interim ut ex ejusce solo decreto neutrum rite fieri deberet.

II. Etenim necessario accedebat regis, prophetae, ac oraculi sanctissimi pariter autoritas. Maimonides [q], ב"ד שרצו להוסיף על ירושלם או להוסיף על העזרה מוסיפין ויש לה למשוך עד העזרה המקום שירצו מהר הבית ולמשך חומות ירושלם עד מקום שירצו: *Si synedrium vellet adjicere quid sive Hierosolymis ipsis, sive atrio* templi, *licuit quidem id facere, & locum quemcunque montis templi adjicere* seu *protrahere ad atrium, & moenia etiam urbis quocunque vellet proferre.* At vero, inquit [r], אין מוסיפין על העיר או על העזרות אלא ע"פ המלך וע"פ הנביא ובאורים ותומים ועל פי סנהדרין של ע"א זקנים: *Neque urbis neque atriorum termini promovendi erant nisi & regis & prophetae & pontificis oraculi & septuagintauniusviralis synedrii autoritas simul accederet:* Quae fere verba sunt ipsissima Misnae [s]. Ratio petitur [t] ex illo [v] quod de tabernaculo a numine dicitur, *Faciant mihi sanctuarium, ut habitem inter eos. Juxta omnia quae ego ostendo tibi, tam juxta exemplar* seu *structuram tabernaculi, quam juxta exemplar* seu *structuram cunctorum vasorum ejus, sic facietis.* Hoc itidem ad templum, quod in tabernaculi locum successit, ejusque partes, etiam ex avita traditione ad urbem, quae sanctitate templo proxima erat, ejusque pomoeria proferenda, trahebant cum hujusmodi interpretamento; ut nimirum intelligatur perinde ac si Deus Mosem & Aaronem ibi alloquendo, regem, prophetam, pontificem maximum (cujus in pectore oraculum eminebat) & synedrium magnum eodem monitu simul compellasset, atque ut omnium simul eorum autoritate loca ejusmodi sancta futuris item seculis dedicarentur, ampliarentur, etiam &, ne simpliciter instaurando forte fieret ampliatio seu accessio nova, instaurarentur, jussisset. Mosem pro propheta sumunt hic simul ac rege & pro ipso synedrio magno, quod tametsi non esset, ut libro superiori [x] ostenditur, ante annum insequentem institutum, nihilominus hic, ut alias non raro, ex eo quod Mosi soli tribuitur, rem ipsam seculis in succedentibus ad synedrium magnum, cui integro is dignitate par erat, attinere volunt. Atque ex hoc sive exemplo sive praecepto, veterum traditione explicato, manasse aiunt id quod sic habetur de rege, oraculo, propheta & synedrio in hisce quae jam tractamus conjungendis.

III. Hinc etiam conditum templum primum non sine jam dictis cunctis aiunt. Gemara Hierosolymitana [y], ויעל דוד בדברי גד זה מלך ונביא ויחל שלמה לבנות את בית י' אלהי ישראל בהר המוריה אשר נראה לו אלו אורים ותומים לדוד אביו זה סנהדרין: *Ubi dicitur, Et ascendit David juxta sermonem Gad* [z], *&c.* (nempe aream Araunae regis, in qua altare posuit David, ut ibi narratur, ipsum locum

[l] Tit. *Sanhedrin*, cap. 1. Maimonid. Hal. *Sanhedrin*, cap 5. §. 1.
[m] In Pugione Fidei, part. 2 cap 4 §. 4.
[n] Lib 4. de Arcanis Catholic. ver. cap. 5.
[o] De Rep. Hebr. lib. 6. cap. 7.
[p] Videsis Maimonid. Halach. *Beth Habechira*, cap 6. §. 13, &c. & Hugonem Grotium in Matth. xxiv. 15.
[q] Ibid. cap 6. §. 10.
[r] Ibid. §. 11 & in *Perush Mishnaioth*, tit. *Sanhedrin*, fol. 115, 2.
[s] Tit. *Shebuoth*, cap. 2.
[t] Gemar. Babylon. ad dict. Misn. fol 14, 15. & Hierosolymit. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 2. Bartenor. ad tit. *Shebuoth*, alii passim.
[v] Exod. xxv. 8, 9.
[x] Cap. 4 §. 2.
[y] Ad tit. *Sanhedrin*, cap. 1. fol. 19. col. 2. & ad tit. *Shebuoth*, cap. 2. fol. 33. col. 4. Hal. 3.
[z] 2 Sam. xxiv. 19.

fuisse volunt [a] in monte Moriah in quo & Abraham sacrificaturus erat Isaacum filium, aliique ante, velut Abel & Noachus, sacra fecissent, & Salomon rex postea templum condidit, ut condere voluerat David) *Rex & propheta simul palam indicantur.* *Et dein ubi dicitur* [b], *Et coepit Salomon aedificare templum Dei Israelis in monte Moriah, qui demonstratus fuerat Davidi patri ejus*; *ex eo quod locum demonstrari dicitur, oraculum sanctissimum innuitur*; *atque ex eo quod Davidi patri ejus sic demonstratum esse adjicitur, synedrium intelligitur.* Adeo ut etiam sanctificatum ex recepto jure velint locum seu arcam templi post a Salomone conditi, non sine auspiciis Davidis regis, Gad prophetae, synedrii magni, atque autoritate etiam oraculi. Illuc spectare volunt Psalmum trigesimum Davidis, cui titulus [c], מזמר שיר חנוכת הבית לדוד *Psalmus quod canticum est dedicationis domus Davidis*, quae etiam templi dedicationem plerumque Talmudicis designat. Etiam *pro dedicatione* aut *in dedicatione domus David*, aut *ipsi David*, aliis sumitur. Graeci, *Ψαλμὸς ᾠδῆς τοῦ ἐγκαινισμοῦ τοῦ οἴκου Δαβίδ.* Apollinarius inde, dum titulum psalmi istius (illi, ut in Graeca, Vulgata, Syriaca, Jaiana, & Arabica, pro notissimo numerorum illic discrimine, vigesimi noni) carmine complecti vult,

> Εἰκοστὸν, inquit, *κελάδησε καὶ ἔνατον ἱερὸν ᾆσμα*
> *Δαβίδος πινυτὸς δωμησάμενος νέον οἶκον,*

qualem domum, sive sacram sive suam, non indicans. Initium est, *Exaltabo te, Domine, quoniam exaltasti me.* Chaldaeus ibi, שבח שירתא על חנוכת בית מקדשא תשבחתא לדוד *Laudatio cantici pro dedicatione domus sanctuarii*; *hymnus Davidi*, ut in regiis; seu, תושבחת שירתא על חנוכת בית מקדשא לדוד *Laudatorium canticum super dedicationem domus sanctuarii*, ut in Bombergianis & Buxtorfianis. In editione Nebiensi, dum Ebraica sic redduntur, Chaldaea, quae ibi se ita habent, כד תושבחתא שירתא שיר חנוכת הבית לדוד vertunt interpunguntur que, *Dum laudes dicerentur canticum dedicationis domus Davidis.* Syrus nihil in titulo habet de domo aut templo, nedum de ejusdem dedicatione. Nec quid Arabs Nebiensis aut editionis Maronitarum Romanae. Atqui in Jaianae titulo legitur,

المزمور التاسع والعشرون قاله علي تجديد الهيكل *Psalmus vigesimus nonus. Dixit eum de renovatione* (plane *dedicatione) templi.* Theodoretus [d] autem ibi *nec Davidem* ait *aedificasse templum, οὔτε τῷ δειμαμένῳ ἁρμόττειν τοῦ Ψαλμοῦ τὰ ῥητὰ, nec verba Psalmi convenire ei qui aedificaverit.* Ille igitur *ἐγκαινισμὸν τοῦ οἴκου dedicationem domus* ibi intelligit esse *τὴν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως νεουργίαν, Humanae naturae per Christum instaurationem.* Etiam ad Ezechiae victorias refert. Ita etiam alii, aliterque. Et de dedicatione palatii Davidis cedrini sumitur [e]. Grotius, *Id est, cum David domum suam ab Absalomo foedatam repurgavit.* Sed Lyranus ex Judaeus ibi, *Sciendum quod ista dedicatio non fuit domus David in qua habitavit (licet aliqui hoc dicant, & male, quia non legitur aliqua illius domus dedicatio) sed templi aedificati per Salomonem, quod hic dicitur* domus David, *quia voluit templum aedificare, ut habetur* 2 *Reg.* vii. *Sed de mandato Domini aedificium fuit retardatum usque ad tempus Salomonis filii sui. David tamen tradidit ei descriptionem templi, & & aedificiorum in circumitu, & utensilium; & praeparavit impensas, saltem pro magna parte, ut habetur* 1 *Paralipom.* xxviii. *propter quod hic dicitur* domus David. Adjicit item, quod ex Judaica disciplina hic advertendum, *Dicunt autem Hebraei, & satis verisimiliter, prout plenius declaratum fuit* 3 *Regum* viii, & 2 *Paralipom.* vi. *quod in dedicatione templi, cum sacerdotes portantes arcam, vellent eam transferre de tabernaculo David, in quo fuerat, & introducere intra sancta sanctorum, portae templi clauserunt se, nec fuerunt reseratae donec Levitae, cantantes Psalmum* cxxxi, *venirent ad locum illum, Propter David servum tuum ne avertas faciem Christi tui, id est Salomonis in regem inuncti. Et tunc portae fuerunt reseratae. Quod videntes omnes populi cognoverunt quod peccatum David de adulterio Bethsabeae & homicidio Uriae erat totaliter a Deo remissum*; *& usque ad tempus illud plures de populo tenebant contrarium. Igitur David hoc praevidens in spiritu fecit hunc Psalmum, in quo describit praedicti peccati commissionem ex sua fragilitate, & ejusdem remissionem ex Dei misericordia & benignitate.* Sic ex Judaeis suis ille. Psalmus autem ille trigesimus, veluti, ex Ebraeorum sententia, consecrationibus dedicationibusque aliis etiam natus, adhibendus erat; ut nempe in festo dedicationis anniversario (de quo plura inferius) ita & in solenni illa primitiarum ad templum dedicatione ipsa ex lege [f] instituta, quoties scilicet primitiae ex agris passim sic afferendae erant. Tempus afferendi legitimum erat [g] ad festum aestivale septimanarum, id est pentecostes, seu messis [h], nec omnino ante; & post illud festum usque ad encaeniorum festivitatem hyemalem; qua de mox. Decerpendae autem ita a colono erant ut fructuum quotannis maturescentium partem minimum facerent ipsae sexagesimam; quod ut e traditione receptum, ita more suo ex Gematria sua, seu numerorum literalium ratione, sibi firmatum habent, ex eo quod vocis טנא *canistrum* seu *cophinus*, in quo ex lege ponendae essent, literae faciunt [i] sexaginta; unde in bibliis ibi Garianis, טנא בגימט' ששים לבכורים אחד מששים *Vox tena* cophinus *in Gematria, cum faciat* 60, *indicat primitias constare debere ex parte una e sexaginta.* Quoties, dico, sic afferendae erant, כל העיירות [k] שבמעמד מתכנסות לעירו של מעמד ולנים ברחובות של עיר ולא היו נכנסין לבתים וגו': *Omnes urbes* (incolae omnes terrae sanctae qui afferre deberent primitias ac vellent) *stationis* (unicae; stationes erant coetus seu collegia juxta sacerdotum ephemeriarum

[a] Levi Ben Gersom, David Kimchi ibidem *Beresith Rabba*, parash. 34. Arias Montanus in Ariel, Pineda de Rebus Salomonis, lib. 5. cap 5. sect 2 § 9. Scriptores item Christiani passim. [b] 2 Paralip. iii. 1. [c] Videsis Jarchium & D. Kimchium ibidem [illegible] Psalm. xxix. [e] Videsis Aben Ezra ibid & Simeonem de Muys. [f] Deuter. xxvi. 2 [g] Misna tit *Biccurim*, cap 1 § 3 Maimonid Hal. *Biccurim*, cap. 2 § 6. [h] Videsis Exod. xxiii. 16. [i] טנא גטט 1. 50 9.
[k] Misna tit. *Biccurim*, cap. 3. § 2, Maimonid. eod. cap. 4 § 16. & vide Gemaram Hierosolymitanam, ad dictam Misnam

numerum

numerum 24, quorum collegae dicti אנשי מעמד *viri*[l] *stationis*, qui per urbes, oppida ac agros, ut collegarum corpora, tributa, ministeria sacra, aliaque, suorum nomine, ut procuratores obibant) *primitiis onusti congregabantur in urbe stationis illius* (urbe in qua degebat eorum primarius seu princeps) *& pernoctabant in plateis* aut synagogis, *nec domos* privatorum *intrabant*, ne scilicet immunditiem aliquam forte sibi inde contraherent. Hinc mane discedebant versus Hierosolyma, quo hac in specie ascendendum non erat per se singulis, sed in multitudine ejusmodi ex stationibus singulis conjuncta, juxta quod dictum est[m], *In multitudine populi est regis honor.* Sic illi. והשור הולך לפניהם וקרניו מצופין זהב ועטרה של זית בראשו להודיע שהבכורים משבעת המינין והחליל מכה לפניהם עד שהם מגיעין קרוב לירושלם *Juvencus ibat ante eos, cujus cornua aurata erant, & caput corona oleagina ornatum, ut innueretur primitias constare ex septem speciebus* ([n]החטים והשעורים והענבים והתאנים והרמונים והזיתים והתמרים *tritico*, *hordeo*, *uvis*, *ficubus*, *malis punicis*, *olivis*, *dactylis) & tibicen inde anteibat eos usque dum Hierosolymis appropinquarent.* Juvencus ille in oblationem pacificam illuc adigebatur. Afferunt etiam rationem coronae oleaginae, ob arboris prae caeteris excellentiam. Sed numerus septenarius primitiarum specierum sic innuendus, ex ז, initiali ז זית litera, quae *septem* denotat, pendere videtur, quod pariter & ז in זהב supplere potest. In via autem utebantur Psalmi cxxii versu primo, *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, &c. ולא חיו מהלכין ביום אלא שתי ידות בלבד *Nec ibant die unico plusquam per spatia tantum bina.* Duabus plures stationes itineris sibi non faciebant. Appropinquantes Hierosolymis mittebant illuc nuntios qui adventum suum indicarent. Tunc עטרו בכוריהן *coronabant primitias suas*, id est, ex optimis viridioribusque, nec arescentibus, velut coronam, in canistris, quibus gestarentur, parti aptabant supremae; ut pulchriores sic viderentur. Exibant dein Hierosolymis in eorum occursum aliquot ex segenis (seu eminentioribus) sacerdotibus & e quaestoribus, sive plures sive pauciores pro advenientium numero. Simulac autem portas intrabant urbis, inchoabant versum Psalmi jam dicti secundum, *stabunt pedes nostri in portis tuis, o Hierosolyma.* Tum כל בעלי אומניות *omnes opifices* urbis occurrentes eos salutabant, dicentes, אחינו אנשי מקום פלוני באתם בשלום *fratres nostri loci N. adestis in pace.* Dein praeeunte tibicine ibant in urbem usque ad montem templi, ubi unusquisque eorum canistrum suum (ditior in aureo aut argenteo, pauperior in vimineo) manu sua prehendens, Psalmum canebat cl integrum, *Hallelujah*, seu *laudate Dominum. Laudate Deum in sanctuario suo*, &c. usque dum accederent ad atrium, ubi Levitae canebant Psalmum item illum trigesimum, ut consecrationi maxime proprium. Illic vero canistrum (*cartallum* vocat Vulgata, a Graeco κάρταλλον · quod & κάρπαλλον in editionibus nonnullis inde legitur) & primitias dabant sacerdotibus; uti & turtures & columbas, canistris in holocausta pro libitu appensas. Manibus sustentans canistrum unusquisque suum incepit periocham illam in lege[o] oblationibus hisce expressim praescriptam, in qua simulac deveniret ad[p] *Syrus* (potius *Syriensis) miser* seu quasi *perditus pater meus*, canistri tantum ansas seu labra illo tenente, הכהן מניח את ידו תחתיו ומניפו עד שקורא את כל הפרשה *Sacerdos ponebat manum suam sub eo, & ventilabat illud usque dum legerat iste periocham totam.* Ritus autem integer cum precibus & sacrificiis amplissimis dedicationis Salomonicae refertur in sacra historia[q], ubi dicitur[r] *Salomonem & totum populum obtulisse in templo aedificato sacrificia Domino*, ויחנכו את בית יהוה המלך וכל בני ישראל *& dedicarunt domum Domini rex & omnes filii Israel.* Graeci utrobique habent, καὶ ἐνεκαίνισε, &c. ὁ βασιλεὺς, &c. **Weiheten**, *dedicarunt*, **Dedicated.** Judaei Hispanienses, *y estrenaron a casa del A.* **and they gave hanzell to the house of the Lord**; Syrus, ܘܚܕܬܘ *& innovarunt.* Postquam exstructa esset, ut sacris ante destinata, nunc qualibus ibi esset utendum exemplo primo ostendebant; quod ipsissima dedicatio simplex & proprie sumpta; unde & Arabs وجعله الملك sensum in eundem. Ita quod dedicatio seu חנוכה erat ipsa, initiamentis in sacris, seu primo, in loco apparato, sacrorum usui respondit, uti & *dedicare* τῷ *initiare.* Scilicet quisquis primo initiatus est, novus est factus, adeoque innovatus; nec solum is qui denuo aut iterato est initiatus. Erasmus ad vocem *Encaenia* in Evangelio, *id est*, inquit[s], *initialia, ut verbum verbo reddam.* Alii per *innovationes* explicant. In Maccabaicis[t] vocatur etiam καθαρισμὸς τῦ ἱερῦ, *purificatio templi.* Syrus reddit in Maccabaicis[v] ܚܘܕܬܐ & in Evangelio ܚܘܕܬܐ *renovatio* seu *innovatio.* Arabs in Maccabaicis[x], ايام التجديد *dies dedicationis*, vocem quasi Ebraicam usurpans; *dedicationis* nomine in Vulgatae testamento veteri plerumque adhibita, ut in nuperis versionibus utriusque. In Evangelio Arabes eundem in sensum التجديد Anglo-Saxo templ halgunga, *templi sanctificatio.* Recte quidem in locis Regum & Paralipomenon citatis, **So** (id est, sacrificii ritu adhibendo) **the king and all the children of Israel dedicated the house of the Lord.** Augustinus[y], *Encaenia festivitas erat dedicationis templi. Graece enim Caenon dicitur novum. Quandocunque novum aliquod fuerit dedicatum, Encaenia vocantur. Jam & usus habet hoc verbum: Si quis nova tunica induatur, Encaeniare dicitur.* Sic ille. In Salomonica autem hac dedicatione, cui intererant זקני ישראל *majores natu* seu *presbyteri Israel*, qui primarium in conventu illo[z] locum per se prae aliis principibus ibi memoratis obtinebant, sumuntur etiam a scriptoribus Christianis[a] pro *septuaginta illis senioribus delectis*, &c. id est

[l] De eis videsis Misnam. tit. *Thainith*, cap. 4. Maimonid. ib. & ad tit. *Biccurim*, cap. 2. §. 2. & Bartenorium ibidem. [m] Prov. xiv. 28. [n] Maimonides Halach. *Biccurim*, cap. 2. §. 2. & Misna citata. [o] Deuter. xxvi. 3. [p] Ibid. 5. [q] 1 Regum cap. viii. & 2 Paral. vii. [r] Ibid. comm. 62. & 41. [s] Ad Joan. x 22. [t] Lib. 2. cap. i. 18. [v] Lib. 1. cap. iv. 59. [x] Lib. 2. cap. ix. [y] Tractat. 48. ad Joannem. [z] 2 Regum viii. 1. 2 Paralip. vii. 2. [a] Pineda ad 3 Reg. viii. & de Rebus Salomonis lib. 5. cap. 5. §. 2. §. 24. alii.

plane

Plane pro rotundo numero septuagintauniusvirali. Statim autem sequitur illic quod *Salomon* קדש *sanctificavit medium atrium*, &c. Atque haec prima loci in templum dedicatio Ebraica simul & sanctificatio non minus Ἐγκαίνια dicta quam merae profanati postmodum templi restaurationes, seu in sanctificationem pristinam restitutiones; de quibus mox. Dedicationem illam perperam nimis sumpsere veterum aliquot pro encaeniis in Evangelio[b] celebratis: Quae plane celebrabantur quando χειμὼν ἦν *hyems erat*, nec ad primi aut secundi templi conditum, sed ad encaenia post Antiochi profanationem secundi Hierosolymis in mense *Casleu*, quasi Decembri, habita; qua de re plura statim. Salomonica autem dedicatio ad mensem attinet *Ethanim*[c], id est Tisri, seu septimum a Nisan, quasi Septembrem, atque ad tempora scenopegiae festo proximantia; quod ex sacro sermone liquet, & in commentariis ut Ebraeorum ita & Christianorum annalibusque affatim explicatur. Atque ea de re plura mox[d].

IV. Ritus autem urbis ampliandae ejusmodi erat. Lex sacra est de sacrificio Eucharistico quod תודה[e] nuncupant, ex placentis azymis & oleo confectis consistente, praeter panem adjectum etiam fermentatum. Quando termini urbis promovendi essent, עושין, inquit Maimonides[f], ב"ד שתי תודות ולוקחין לחם חמץ שבהם והולכים ב"ד אחר שתי התודות ושתי התודות זו אחר זו ועומדין בכנורות ובנבלים ובצלצל על כל פנה ופנה ועל כל אבן ואבן שבירושלים ואומר ארוממך יי כי דלתני וגו' עד שמגיעין לסוף המקום שמקדישין אותו ועומדין שם׃ ואוכלים שם לחם תודה אחת משתי התודות והשנייה נשרפת ועל פי הנביא שורפין את זו ואוכלין את זו׃ *faciebant synedrium* magnum *bina sacrificia eucharistica, & accipiebant panem fermentatum ad ea spectantem. Et progrediebantur synedrium post sacrificia eucharistica utraque, & horum alterum post alterum, & in qualibet, inter eundum, Hierosolymorum statione canebant cytharis, nabliis, aliis instrumentis musicis, Psalmum illum, Exaltabo*[g] *te, Domine, quoniam subvexisti me*, &c. *usque dum advenirent ad terminum loci quem sanctificare destinarent, ibique stabant. Ibi etiam comedebant panem eucharistici sacrificii unius ex duobus illis: Alterum vero comburendum erat. Atque ex decreto* seu *indicatione prophetae alterum comedendum erat, alterum comburendum.* Tantundem in Misna[h], alibique[i]. Atque ritu sic peracto, locus designatus parem cum urbe sanctitatem omniaque jura urbi singularia obtinebat.

V. Similis ferme erat solennium ratio quando templi atrio quid esset adjiciendum, excepto quod hic non eucharistici illius, sed alterius sacrificii non admodum dissimilis residui[k], seu ejus quod ex eo non comburebatur, usus erat; ejus scilicet quod, מנחה dictum, erat frumentaceum. Maimonides post ritum urbis ampliandae traditum, וכן אם הוסיפו על inquit[l], העזרה מקדשין אותה בשירי המנחה ׃כמה ירושלם התודה שנאכלת בה מקדשתה אף העזרה שירי המנחות שאין נאכלין אלא בה הן שמקדשין אותה בהן ואוכלין אותן בסוף המקום שקדשו׃ *Atque ita, si quando ampliaverint atrium aliquod, sanctificabant illud residuo sacrificii frumentacei. Ut Hierosolyma* (pomoerium ei sic adjectum) *sanctificabat sacrificium eucharisticum, ita sanctificabat atrium residua sacrificii frumentacei, quae alibi comedenda non erat: Comedebant autem in termino loci sanctificandi.*

VI. Sub Ezra, Nehemia, caeterisque (id est synedris synagogae seu synedrii magni) qui urbem, muros, templumque instaurabant[m], rituum horum habemus exempla ferme expressa[n]. ובחנוכה חומת ירושלם *Et in dedicatione muri Hierosolymorum* (Graeci ἐν ἐγκαινίοις, uti & Vulgata *in dedicatione*, ubi Syrus & Arabs nihil omnino de dedicatione habent, sed tantum absolutionem muri & celebrationem sacram inde secutam memorant) *quaesiverunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Hierosolyma, & facerent* החנוכה *dedicationem & laetitiam cum gratiarum actione, & cum sacris eucharisticis* ובשיר, *& in cantico, in cymbalis*, &c. Et observatur[o], *canticum* numero singulari sic expressum denotare forte *canticum dedicationis*, etiam tunc ut sacris illiusmodi adhiberi solitum. Sed vero pronunciant magistri, quoniam deerat tunc rex & oraculum, ideo novam sanctitatem non omnino loco alicui tunc accessisse, sed tantummodo pristinam seu veterem velut designando solum esse instauratam. Unde aiunt[p], כל מקום שלא נעשה בכל אלו ובסדר הזה אין קדוש גמור וזה שעשה עזרא שני תודות זבח הוא שעשה לא במעשיו נתקדש המקום שלא היה שם לא מלך ולא אירום ותומים *Quoties omnes hi ritus atque hic ordo non observaretur, neutiquam accessit loco* (sive urbis sive templi) *adjiciendo sanctitas perfecta. Atque id quod fecit Ezra cum obtulit bina sacrificia eucharistica sanctitatem locum alicui non adjecit, quoniam nec rex tunc erat nec oraculum Urim.* Nam post templi primi excidium non exstitisse perpetuo consentiunt Rabbini oraculum illud, ut ante monitum est. De dedicatione autem illa sub Ezra, seu Zorobabeliana, consule, si placet, J. Baptistam Villalpandum, loco citato, praeter commentarios magis obvios, & annalium conditores. Legitur apud Maccabaiorum autorem[q], in epistola Judaeorum Hierosolymitanorum ad AEgyptienses Judaeos de Encaeniis Maccabaicis, de quibus plura mox, diligenter servandis, *Facturi igitur quinta & vigesima die mensis Casleu* καθαρισμὸν τοῦ ἱεροῦ, *purificationem templi, necessarium duximus significare vobis*, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἄγητε ὡς σκηνοπηγίας, (ut in editione Complutensi, regia, aliisque harum sequacibus, adeoque in Jaianis; aliis editionibus vetustis nuperisque habentibus ἕως σκηνοπηγίας; sed Sixti V. Romana, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἄγητε τῆς σκηνοπηγίας, subaudito sive τὴν ἑορτὴν sive τὰς ἡμέρας) καὶ τοῦ πυρὸς, ὅτε Νεεμίας, οἰκοδομήσας τό, τε ἱερὸν καὶ τὸ θυσιαστήριον, ἀνήνεγκε θυσίαν, *ut etiam vos quoque agatis festum quasi* aut *instar scenopegiae* (undenam nomen illud hic alibique in Maccabaicis

[b] Joan. x. 22. [c] 1 Regum viii. 2. [d] Sect. 7. [e] Levit. vii. 12. [f] Halach. Bith Habechira, cap. 6. §. 12. [g] Psalm xxx. [h] Tit. *Shebuoth*, cap. 2. [i] Moses Mikotzi Praecept. affirm. 163, & 210. Gemara Babylon. ad [illegible] Min. fol. 15. 1. [k] Levitic. ii. 1. [l] Halach. *Bith Habechira*, cap. 6. § 13. Mikotzi, alii, locis ante citatis. [m] [illegible] vi. 16. Nehemias xii, &c. [n] Nehem. xii. 27. [o] Joannes Baptista Villalpandus in Apparatu Urbis & Templi part. 1. lib. 3. cap. 27 & 28. [p] Maimon. Halach. *Bith Habechira*, cap. 6. §. 14. [q] Lib. 2. cap. 1. 9 & 18.

ex infra allatis liquebit) & *ignis* (Vulgata, *diem scenopegiae, & diem ignis, qui datus est) quando Neemias, aedificato templo & altari, obtulit sacrificium.* Qui in Apocryphos disputant, aliique[r] obiter, secundum Maccabaicum velut non genuinum rejiciunt. In Graeca editione nulla habetur quod illi Vulgatae, *qui datus est*, respondet. Sequitur ibi historia de sacrificiis ex aqua in loco ubi ignis sacer reconditus fuerat tempore Neemiae accensis, alibi non ita occurrens. Jam vero diem seu festum τῦ πυρὸς *ignis* illic memoratum sumunt viri docti pro die illo, etiam quotannis revolvente, quo Nehemias sacrificiis urbem instaurans ignem sacrum ita repertum altari adhibuit. Inde Franciscus Ribera[s] refert ad dedicationem murorum[t], adeoque urbis denuo exstructae; ubi[v] legitur, *Et adduxi principes Jehuda super murum, & constitui* שתי תודות גדולות (Graeci, δύο περὶ αἰνέσεως μεγάλας, *duos pro laudatione magnos*; Vulgata, *& statui duos choros magnos laudantium*; quem sensum versiones nuperae recipiunt, quod, ut videtur, verti potius debuit) *duo sacrificia eucharistica*, altari apparata, quae rei gestae nempe propria; Judaei Hispanienses, *dos processiones grandes*; *euntes ad dextram super murum versus portam sterquilinii. Abiitque post eos Hosaiah,* וחצי שרי יהודה καὶ ἥμισυ ἀρχόντων Ἰούδα, *& dimidia pars principum Juda, & Azariah, Ezra*, &c. Et paulo post[x], והתודה השנית (καὶ περὶ αἰνέσεως ἡ δευτέρα) *ibat in adversum illius; quem ego sequebar, & dimidia pars populi, super murum*, &c. Et dein[y], *steteruntque duo eucharistica in domo Dei, & ego, &* חצי הסגנים עמי *dimidia pars magistratuum* seu *principum mecum.*

VII. Certe in encaeniorum festo quod ex instituto quotannis celebrarunt vigesimo quinto die mensis *Casleu* seu noni (ut in Maccabaicis[z] & apud Josephum[a]) in novae templi dedicationis seu reconciliationis (ut vocant) aut instaurationis sacrae memoriam, singularis hodieque in ritualibus Judaeorum Germaniensibus[b], aliisque[c], habetur etiam Psalmi istius trigesimi usus. Etiam olim pariter in ampliandae urbis ritu, ut statim liquebit. Festum illud ex more patrio octo dies celebrationis habuit, sacrificiis etiam, stante templo, hymnisque adhibitis, idemque erat cum eo quod *encaeniorum* nomine habitum esse Hierosolymis memoratur in Evangelio Joannis[d], ubi Dominus noster Jesus Christus, veluti simul celebrans, ambulabat in templo in porticu Salomonis[e]: Καὶ χειμὼν ἦν, *& tempus erat hyemale.* Nimium autem hallucinati hic patres aliquot magni, quorum alii encaenia illic intelligebant pro festo redeunte dedicationis templi secundi seu Zorobabeliani; alii etiam, pro dedicationis templi primi seu Salomonici; alii demum, pro urbis totius Hierosolymitanae instauratione. Prioris generis est Chrysostomus[f], qui fidenter ait, τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ὁ ναὸς ᾠκοδομήθη, ἐπανελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς μακρᾶς αἰχμαλωσίας τῆς ἐν τῇ Περσίδι, ταύτην ἦγον μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς, *Diem illum quo aedificatum est templum, cum reduces fierent ex diutina in Perside captivitate, summa cum diligentia celebrabant.* Atque opinionem hanc velut apud aliquos suo tempore obtinentem narrat Theophylactus[g]; ubi etiam alios ait encaenia templi Salomonici ibi intelligenda velle. Atque ita securius illic vult Nonnus Panopolita, Joannis paraphrastes metricus. Sic enim ille,

Καὶ πάλιν ἦμαρ ἔην πανδήμιον, ᾧ ἐνὶ λαοὶ
Μνημοσύνην τελέεσκον ἐτήσιον, ἐξ ὅτε νηῦ
Ἕδρανα δωμήσας Σολομῶν εὐκίονι τέχνῃ
Θεσπεσίης ἀρχαῖον ἐκαίνισε θεσμὸν ἑορτῆς.

Et reversus est dies publicus, in quo populus memoriam celebrabat anniversariam, ex quo templi fulcimenta aedificans Solomon pulchras columnas faciente arte divini veterem innovavit legem festi. Sed etiam indubitanter de Zorobabelianis encaeniis revertentibus cum Chrysostomo sumit Euthymius Zygabenus[h], uti etiam Erasmus, aliique. In tertio hic genere, quod urbis instaurationem spectat, habetur Theodorus Mopsuestiae episcopus, ad S. Joannem[i]. Atqui manifestius videtur nihil esse quam solummodo instaurationem illam sub Hasmonaeis in Evangelio ejusque festum anniversarium ibi innui. Neque enim tempus dedicationis Salomonicae, quod incidit in *Tisri*, id est, mensem septimum[k] seu autumnum, aut Zorobabelianae, quod ad mensem *Adar*[l] attinet seu ultimum, qui aequinoctium paulo praecedit vernum, hyemis partem in Evangelio memoratae aliquam sortiri potuit. Utrum ante Hasmonaicam illam dedicationem celebratio anniversaria aliqua esset sive Salomonicae sive Zorobabelianae dedicationis nondum satis didici. Fuere etiam templi primi variatim polluti & disrupti instaurationes amplae sub Joaso[m] & Josia[n] regibus, ad quas celebrationes anniversarias attinuisse aliquas nullibi liquet. Atqui de Salomonica & Zorobabeliana dedicationibus loquitur Thomas Aquinas, seu quis alius commentariorum in Maccabaica autor nomen ejus gerens, quasi etiam illae antea quotannis observatae fuissent: *Istae*, inquit, *fuerunt abolitae propter istam tertiam, quae facta est in hyeme.* Et Petrus Comestor praeierat: *Quae dedicatio*, inquit ille, *stetit in posterum, aliis duabus habitis in desuetudinem.* Addesis hic Carolum Sigonium[o]. Sed palam interea est, Ebraeos ipsos, in commentariis ritualibusque suis, dum festum חנוכה *encaeniorum* ex ritu veterrimo tractant, hodieque etiam diligentius quotannis 25 die mensis *Casleu* & deinceps per octiduum celebrant, illam solam quae Hasmonaica est dedicationem intelligere & expressissime denotare. Solennis est ejusdem commemoratio illa sacra vetusque in ritualibus, ut formula peculiaris nunc praevia nunc interspersa, qua diserte festi illius causa designatur[p], על הנסים ועל הפרקן ועל הגבורות ועל התשועות ועל המלחמות שעשית לאבותינו בימים ההם בזמן הזה בימי מתתיהו בן יוחנן כהן גדול חשמונאי ובניו כשעמדה מלכות

[r] Videsis Jo. Buxtorf. in Instit. Epistolic. Hebraic. cap. 3. pag. 12. [s] De Templo lib. 5 cap. 17. [t] Nehemias xii 27. [v] Ibid. xxxi. [x] Comm. 37. [y] Comm. 40. [z] Lib. 1. cap. 4. 52. [a] Lib 12 cap. 11. [b] *Machzor*, Jud. German. part. 1. fol. 105. 2. [c] *Seder Tephiloth Lasuccoth*, &c. pag. 101. 1, &c. [d] Cap. x. 22. [e] Videsis Joannem Drusium, & Bezam, & Hug. Grotium, alios ad Joannis x, 22. Hospinian. de origine Festorum lib. 1. cap 13. Daniel Heinsium in Aristarch. sacro cap. 9. pag. 908. praeter Tho. Aquin. in 1 Mac. iv. Petrum Comestorem, &c. [f] Hemil 61 in Joannem. [g] Ad Joann. x. 22. [h] Ad locum citatum. [i] Videsis Stephanum Menochium de Repub. Ebraeorum lib. 3. cap. 9. [k] 1 Regum viii. 2. [l] Ezra vi. 15. [m] 2 Regum xii. 4, &c. [n] Ibid. xxii. 5. [o] De Rep Hebraeorum lib. 3. cap. 17, 18. [p] *Machzor*, Jud. Germ. part. 1. fol 100. 1. *Sepher Tephiloth Lasuccoth*, fol 101. 1.

יון על עמך ישראל להשכיחם מתורתך ולהעבירם מחקי רצונך ואתה ברחמיך הרבים עמדת להם בעת צרתם רבת את ריבם דנת את דינם נקמת את נקמתם מסרת גבורים ביד חלשים ורבים ביד מעטים וטמאים ביד טהרים ורשעים ביד צדיקים וזדים ביד עוסקי תורתיך ולך עשית שם גדול וקדוש בעולמך ולעמך ישראל עשית תשועה גדולה ופורקן כהיום הזה ואחר כך באו בניך לדביר ביתך ופנו את היכלך וטהרו את מקדשך והדליקו נרות בחצרות קדשך וקבעו שמונת ימי חנוכה אלו להודות ולהלל לשמך הגדול סלה, *Ob miracula, & ob redemptionem, & ob potestates, & ob salutes, & ob bella quae,* o Deus, *fecisti patribus nostris in diebus illis sub hoc tempus*; *in diebus Mattathiae filii Joannis, pontificis maximi, Hasmonaei, & filiorum ejus*; *quando insistebat regnum Graecorum in populum tuum Israel, ut eos a lege tua diverteret, & faceret eos transgredi statuta voluntatis tuae*; *& tu in misericordiis tuis multiplicibus stabas pro eis in tempore aerumnarum eorum, & causam eorum suscipiebas, & judicium eorum judicabas, & vindicabas vindictam eorum, & tradebas potentes in manum debilium & multitudinem in manum paucorum, & immundos in manum mundorum, & impios in manum justorum, & superbos in manum eorum qui incumbebant legi tuae*; *& magnum tibi faciebas nomen & sanctum in aeternitate tua*; *& populo tuo Israel faciebas salutem magnam, uti & redemptionem sicut hodieque*; *& postmodum venerunt filii tui in adytum domus tuae, purgarunt templum tuum, & mundarunt sacrarium tuum, & accenderunt lucernas* (qua de re plura mox) *in atriis sancti tui, & constituerunt octo dies encaeniorum* seu *dedicationis illos, ut in eis celebraretur & laudaretur nomen tuum magnum. Selah.* Ita festum illud planissime ex veteri instituto est Maccabaicorum encaenia. Seu potius ipsius Judae Maccabaei, Mattathiae filii. Unde Rabbi Nahasson inter festa[q], *dedicatio templi ex institutione Judae Maccabaei celebratur die 25 Casleu.* Etiam in cantico quod יוצר לשבת שני דחנוכה *poema* seu *hymnum sabbati secundi dedicationis* vocant, in synagogis cantari solito ritualibusque occurrente, legitur[r],

מצבא המלחמה באו בעשרים וחמישה בכסלו
וילכו לאהליהם שמחים וטובי לב:
כל אבני מזבח אשר כבתום יונים׃
וגנזום במירחית צפונית לשכת תונים:
ולקחו אבנים אחרות והביאו אל תחת האבנים:
יהר לווים נאספו לשיר ולשבח׃
ישרים משרתים באו להקרוב ולזבח:
את קרבנם לחנכת המזבח וגו׳

E pugna reversi sunt 25 die Casleu, & ivere in tentoria sua laeti & alacres. Saxa omnia altaris, quae illicita profanando *reddiderant Graeci, reposuere*[s] *ad euroaquilonem in conclavi rei illi designato. Alia dein pro eis attulere saxa, accedentibus Levitis simul ad cantica & laudes. Quorum munus erat ministrandi, accedebant ut offerrent sacrificarentque oblationes in encaenia altaris.* Et paulo post eodem in cantico,

הרצים יצאו לבשר בגבולים ישועה צמחה:
להביאם לירושלם לעשות חנוכה בשמחה:
והנכו וכבדו את היכל להעלות נרות כאמן:

כהפשו ומצאו בשתים פך שיש נטמן להטמן:
כאם אסוך שמן:
זיהרו מצאו לימים שמונה קבע לשקדוני:
קבעו לכן הימים האלה לדורות עניני:
להזכיר גבורות ולהודות ולהלל ליי

Cursores exibant in regiones circumjacentes per terram sanctam, *qui nunciarent salutem, atque ut Hierosolyma advenirent ad facienda encaenia in laetitia. Et dedicabant & gloriosum reddebant templum luminaria artificiose erigendo. Scrutabantur & reperiebant, dum occulta recludebant, lenticulam data opera absconditam. Sed erat illa lecythus* seu *vasculum olei. Ex illo accendebant reperiebantque suffecisse in octiduum. Inde constituebant dies illos, ut per eos commemorarentur magnalia, & gratiae laudesque darentur Domino.* In benedictionibus etiam ritualium, *benedictus*[t] *sis, Domine, qui sanctificasti nos praeceptis tuis,* וצונו להדלק נר של חנוכה *& praecepisti nobis accendere luminare encaeniorum,* בימים ההם בזמן הזה *in diebus illis, hac* anni *tempestate.* Atque observandum est, eodem in loco inter solennes festi hujus lectiones recipi parasham a Numerorum capite vi, 22. usque in viii, 4. integram, utpote in qua dedicatio seu encaenia tabernaculi testimonii habetur, & altaris diserte memoratur[v], simul cum candelabro & luminum tunc accensione. Quid quod etiam tunc temporis designari etiam a numine voluerint aliqui veluti futuram hanc festivitatem encaeniorum Hasmonaicam? R. Moses Miteranius[x]; ונרות חנוכה גם יש להן רמז בתורה בפרשת בהעלותך כיון שהקריבו שנים עשר שבטים ולא הקריב שבט לוי חלשה דעתו של אהרן אמר לו הק״בה למשה דבר אל אהרן ואמרת אליו יש חנוכה אחרת שיש בה הדלקת הנרות ואני עושה בה לישראל על ידי בניך נסים ותשועה וחנוכה שהיא קרויה על שמם והוא חנוכת בני השמונאי *Et quod ad lumina encaeniorum attinet, est etiam idem de illis indicium in lege, in parasha, Cum accenderis*[y]. *Cum offerrent* in dedicatione tabernaculi *duodecim tribus, sed non offerret tribus Levi, quod Aharoni displicuit, dixit Deus O. M. Mosi, Loquere Aharoni, & dic ei, est dedicatio alia in qua fiet luminum accensio. Atque ego faciam in ea Israelitis per manus posterorum tuorum miracula & salutem, & dedicationem ex eorum nomine vocandam. Atque haec est dedicatio filiorum Hasmonaei.* Sic ille. Quod vero attinet ad Mattathiae hic tempora, certe chronicum templi secundi[z] de eo loquitur quasi, victoria in Graecos post templi profanationem parta, ipse illud sibi mundando restituisset; ובא, inquit, מתתיהו הכהן אל ירושלם וטיהר את המקדש והחזיר את העבידה *Et venit Mattathias Hierosolyma, & purgavit templum, & cultum restituit.* Josepho[a] quidem de eo dicitur, τὰς βωμὰς καθεῖλε, *altaria* (quae invexerant Graeci) *sustulit.* Sed illa ejus qualiacunque encaenia in festivitatem iterandam neutiquam abiere. Paulo post[b] autem chronicon illud, ubi Judam Maccabaeum (quem & regem facit unctum, eoque nomine appellat) holocausta in encaeniis offerentem, & ignis veluti coelitus dati miraculum memorat, adjicit, וביום כ״ה לאלול נעשה זה *Et in die*

q Pag. 151. r *Machzor*, Jud. Germanensium part. 1. fol 105. 2. s Vide 1 Maccab. iv. 42. &c. t *Seder Tephilloth Lajamoth*, fol. 101 & 102, &c. v Numer. vii. 84 & 88. x In *Kiriath Sepher*, Halach *Thamioth*, cap. 2. fol. 37. col. 2. y Numer. viii. 2. z Fol. 85 & 86. in 8°. a Lib. 12. cap. 8. b Ibid. fol. 87. 1.

25 *Elul factum est miraculum hoc*; quo encaenia haec ad hyemis initia, aut circiter, ut dictum est, spectantia, in finem aestatis perperam rejiciuntur. Legendum proculdubio כ"ה לכסליו 25 *Casleu*; quod & recte monuit Joannes Drusius [c]. Praetereundum autem hic non erat, hujus ipsius quod citavimus, e rituali aliquo Judaeorum, partes aliquot ab eodem [d], sive per adversaria sua ei forte nimium festinanti male suggerentia, sive per librarii incuriam, perperam nimis confundi, totidemque verbis ab viro erudito [e] dudum secure recipi in commentarios suos in novum testamentum ex aliis scriptoribus compilatos. Sic enim Drusius ex libro aliquo precum; quales sunt, pro gentium discrimine inter quas degunt Judaei, multiplices; *In diebus Mattathiae filii Johannis magni sacerdotis venerunt filii tui in oraculum domus tuae, & purgarunt templum.* Et sequuntur dein caetera citatorum. Sed vero in diebus Mattathiae non erat purgatio illa, utpote qui circa biennium [f] ante encaenia mortuus est; quae facta sub Juda Maccabaeo filio Mattathiae; unde illud, ואחר כן וגו' & *postmodum*, &c. in formula superius adducta. Forsan vertendo scripserat J. Drusius, *In diebus Mattathiae filii Johannis magni sacerdotis*, &c. & tunc, ultro illic praetermissis quae interveniunt, transiit in illud, *Venerunt filii tui*, &c. Utraque Praeteritorum ejus editio [g] idem habet incorrectum. Nec quid eam in rem in annotationum in N. T. ejus parte altera; licet ad idem evangelii comma aliud quid adjectum illic fuerit. Atque ut ex ante dictis ii penes quos summa autoritas dedicandi ampliandique erat dignoscuntur, ita ex historia illa encaeniorum haud ita dispar, qua sub calamitatis bellicae remissionem res permittere potuerit, elicitur quaenam autoritas publica obtineret in illo de festo encaeniorum sacris tunc peracto, quotannisque die 25 mensis Casleu (qui in mensibus hyemalibus Decembri partim & Novembri respondebat) celebrando. Dicitur scilicet Judam Maccabaeum & fratres ejus, καὶ πᾶσαν ἐκκλησίαν, *totam ecclesiam*, populum, כל העדה *totum coetum*, constituisse perpetuam illam observationem, velut actus denuo sic dedicandi appendicem. Certe nomine עדה saepius pro ipso *synedrio magno* usurpatum in libro ostenditur superiori, alibique inferius, uti etiam *seniores populi* [h], etiam & τὸ κοινὸν *commune* Israel. Quod autem scriptor habet nuperus, statutum hinc fuisse, non ut perpetuo quotannis recurreret festum illud, sed tantum *ut* [i] *dies iste annuatim* 8 *diebus celebraretur ipsorum tempore, vel ipsis viventibus, sicuti versus* 39 [k] (pro 59) *indicat. Non itaque universale aut perpetuum hoc decretum censendum est, ut omnes Judaeorum posteros ad ejus observationem constringeret*, &c. haud opinor omnino recipiendum. Versus illius verba sunt, *statutum fuisse* ἵνα ἄγωνται αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτὸν ἡμέρας ὀκτὼ ἀπὸ τῆς πέμπτης καὶ εἰκάδος τοῦ μηνὸς Κασλεῦ, &c. *Ut celebrarentur dies Encaeniorum altaris* (nam ut *templi* ita & *altaris encaenia* dicta sunt) *in suis temporibus* (id est quoties tempestas eorum annua recurreret; Duacenses bene, **in the times thereof**, & Angli, **in their season**, ita recte quidem non tempora constituentium seu tum viventium verbis illis omnino intelligentes, sed annua quibus redirent tempora) *quotannis per octo dies a 25 mensis Casleu*, &c. Et ex decreto tunc perpetuam fuisse institutionem, aperte comprobant alia e Talmudicis mox ostensa. Memoratur autem supra usus τῶν *Urim & Thummim* in dedicationibus, quod ad templum primum spectare tantum potuit. Nam in secundo oraculum illud revera non exstitisse, adeoque nec illius in consulendo rationem habitam docent; tametsi, ne pontifex maximus indumenti alicujus sibi proprii specie careret, ea quae saltem oraculum illud imitaretur, illum, cum vestimentis caeteris, indui volebant. Maimonides [l], עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלים שמנה בגדים ואע"פ שלא היו נשאלין בהן׳ ומפני מה לא היו שאלין בהן׳ מפני שלא היתה שם רוח הקודש׳ וכל כהן שאינו מדבר ברוח הקודש ואין שכינה שורה עליו אין נשאלין בו: *Fecerunt sub templo secundo Urim & Thummim*, loco veteris oraculi per excidium & captivitatem Babylonicam deperditi, *ut complerentur* pontificis *vestes octo, idque etiamsi non* ut oraculum *consulerentur. Et quare non consulebant eos? Quoniam ibi neutiquam erat Spiritus Sanctus. Et sacerdos nullus, nisi loqueretur ex Spiritu Sancto, ac haberet majestatem divinam quiescentem super eo, erat consulendus.*

VIII. Advertendum autem, בית שני *templum secundum* perpetuo ita vocari Zorobabelianum, ut non minus id quod ante Antiochi profanationem stetit & quod exinde a Maccabaicis instauratum est, quam quod postea sub Herode innovatum legimus, contineret denotaretque, idque usque ad excidium urbis templique. Neque enim templum habebatur aliquod tertium, nedum quartum, sed primum tantum & secundum; licet Zorobabelianum hoc ita denuo dedicatum fuerit etiam & instauratum sub Hasmonaeis, atque dein reaedificatum ab Herode, qui (si Josepho fides) ἀνελὼν τοὺς ἀρχαίους θεμελίους, καὶ καταβαλόμενος ἑτέρους, ἐπ' αὐτῶν τὸν ναὸν ἤγειρε, *Sublatis fundamentis priscis, & aliis actis, super ea templum exstruxit.* Scilicet ampliavit passim, celsiusque reddidit [m]; quo absoluto, festivitatem quidem celebratam magnam testatur etiam Josephus, nec tamen ut anniversariam eam rediisse. Non defuere quidem qui de templo secundo apud Aggaeum prophetam memorata considerantes, scilicet [n], גדול יהיה כבוד בית הזה האחרון מן הראשון *Major erit gloria templi hujus posterioris* seu *novissimi quam primi* (quasi inde eliciendum esset, ipsum ut tunc exstructum, atque integrum, sine fundamentis sublatis, durasse usque in excidium sub Vespasiano) Josephi de Herodiana illa super fundamenta nova exstructione [o] historiam velint quasi omnino rejiciendam velut fictam. Sed temere nimis, ut alii [p] satis refutantes ostendunt. Summa est, Herodem nihil molitum esse quo tem-

[c] Ad lib. Hasmonaeorum, cap. 4, 52. [d] Praeterit. lib. 4. ad Joan. x. 22. [e] Baldwinus Walaeus ad Joan x. 22. [f] 1 Maccab. ii. 69, 70. & iv. 52. [g] Franekerae 1612. Amstelodami 1632. [h] Videsis 1 Maccab. vii 33. & Hug. Grotium ibidem. [i] Guilielmus Vorstius in Observat. ad *Tzemach David*, pag 273. [k] 1 Maccab iv 59. [l] Halach *Celi Hammikdash*, cap. 10. § 10. ubi videsis *Ceseph Misna* [m] Josephus lib. 15. cap. 14. Halofeos lib. 1. cap 16. [n] [illegible] 2. 9 ubi videsis Munsterum, &c. [o] Jo. B. Villalpandus Explan. in Ezechielem, tom. 2. part. 2. lib 5. disp 4 cap [illegible] Jacobus Salianus Annal. tom 6. Anno 4035. §. 5, &c. & videsis Henricum Spondan. Ann. M. 4032. §. 1, &c. [p] Augustin. Torniellus Annal. A. ab orbe condito 4032. §. 2. alii.

plum

plum fieret jam tertium, ſed ut ſecundum, terminis undiquaque ampliatis, & nomine & re ſic maneret, pro eodemque haberetur, ut non omnino tertii nomen indueret. Unde etiam ipſe, ut populum placaret dubitantem ne demoliretur illud, nec reaedificando ſatis par eſſet, profeſſus eſt [q], οὐ πρότερον καθαιρήσειν τὸν νεὼν ἢ πάντων αὐτοῦ τὰ εἰς τὴν συντέλειαν παρεσκευασμένων. Καὶ ταῦτα προειπὼν οὐκ ἐψεύσατο, *Se non prius deponere templum, niſi omnia praepararentur quae ad perfectionem ejus pertinerent. Nam neque mentitus eſt ex hoc quod promiſerat*, ut Ruffinus; ubi de templo demoliendo veluti notione ſua eodem cum reaedificando locutus eſt. Nec omnino ex demolitione illa jugis ſacrificii aliorumve ſacrorum illic intermiſſio ulla. Adeoque tertium non condidit; uti nec inſtauratio illa Haſmonaica tertii nomen invexit. Scimus quidem ex Maccabaicis & Joſepho, admodum profanatum ſub Antiocho fuiſſe templum, etiam deſolatum, fores exuſtas, alias ejuſdem partes deſtructas, nec per annos aliquot Ebraeorum ſacrificia in eo omnino permiſſa. Unde Joſephus [r], Καὶ γὰρ καθημερινὰς θυσίας, ἃς προσέφερον τῷ Θεῷ κατὰ νόμον, ἐκώλυσεν αὐτοὺς προσφέρειν, *Nam etiam quotidiana ſacrificia, quae offerre ſolebant ex lege, eos offerre prohibuit.* Non modo autem repurgatum dein eſt templum, ſed etiam novis aedificiis inſtauratum, ejuſque vaſa novata, ſacrificia reſtituta, & dedicatio. Sed templum inde tertium non magis fiebat quam ex Herodiana inſtauratione illa quartum. Joſephus Scaliger diſputans in aliquos qui domum tertiam fuiſſe, nec Zorobabelianam, inferant, ſi modo ſic ab Herode exſtructum fuerit (quod credi nolunt) atqui interim ſecundam dici objiciant, *Acutum*, inquit [s], ζυμπέρασμα. *Etiam ſi decies inſtauratum fuiſſet templum a ſolutione captivitatis, tamen non decem ſed unum templum diceretur: quia* ἐνδελεχισμὸς *& continuatio ſacrificii facit ut unum idemque habeatur. Nam dupliciter* בית שני, *id eſt domus ſecunda, intelligitur, & ratione ſtructurae, & ratione* ἐνδελεχισμοῦ. *Ubi eſt* ἐνδελεχισμὸς, *ibi nulla eſt interruptio. Quaero, Potuitne Joſephus ignorare quod in actis Herodis exſtabat, quod ſeculo ſuo recens erat, quod ipſe ſuis oculis uſurpavit? Neſcias, major futurus fuerit ſtupor haec ignorare, an impudentia fingere.* Sic ille. Dum vero continuationem ſacrificii cauſam hic facit, etiam & ſolam, cur idem templum fuerit dicendum, adeoque ſemper ſecundum, inde merito quaeſierit quis qua ratione poſt inſtaurationem Maccabaicam maneret ſecundi (quod nemini non agnoſcitur) nomen. Etenim ſacrificium juge uſuſque altaris omnimodus per triennium aut circiter ante inſtaurationem ex profanatione Antiochi intermiſſum eſt; quod ex hiſtoria illa cuique palam fit. Revera autem Herodianum, licet ſuper fundamenta prorſus nova, ſed locum priſtinum & antiquitus in templum ſanctificatum circum ambientia, exſtructum, idem cum eo quod ante ſteterat, adeoque ſecundum, dicendum habendumque; quemadmodum poſt atria quomodocunque alias extenſa, idem prorſus manebat templum primum ſecundumque. Quale paſſim & ſemper dictum de Judaeorum ſynagogis, de templis Chriſtianis, aliiſque aedibus inſtauratis ampliatiſve, uti & de Theſei nave. Neque enim alio animo aut cauſa fundamenta vetera ſuſtulit Herodes, quam ut templum ipſum ampliaret, ac ſacrificia caeteroſque illic ritus interim continuari faceret, non omnino ut deſtrueretur reſecraretur ve. Adeoque priſtinum ſatis continuavit. Juriſconſulti etiam [t], *Nihil additum tale facit deſinere rem eſſe talem, quod identitas rei & formae facit ut quid ſit idem in ſubſtantia, licet ſecundum philoſophum additum tale faciat eſſe magis tale. Et de his patet exemplum in naturalibus incrementis, ut in homine, qui ab infantia augetur & creſcit, & ſemper remanet idem homo, licet fiat major. L. proponebatur in F. De judiciis. Idem in populo, grege, &c.* Adeoque uniformiter auctae ampliataeque aedes pro eiſdem habendae; ſecus interdum, ubi difformiter. Ita pro eadem ipſa numero urbs cenſetur, pomeriis areiſve circumjacentibus adjectis; ſic numen, alveo ampliato. Sic monarchia prima, ſecunda, tertia, quarta dicta, quarum interim quaeque per ſe acceſſiones perquam varias amplaſque ſortitae nomen priſtinum neutiquam mutarunt.

IX. In feſto autem encaeniorum Maccabaicorum ſuperius dicto habebatur הדלקת נרות λυχνοκαΐα, *luminum accenſio*; quaſi πυρσῶν *facularum* feſtum, quod erat Argivis [v] anniverſarium; ſeu Λαμπάδος, cujus nominis triplex erat Athenienſibus feſtum ſeu certamen; in Panathenaeis, Hephaeſtiis, & Promethiis [x]. Uti etiam in Chriſtianiſmo, cum feſto quod Ὑπαντὴ & Ὑπαπαντὴ in eccleſia utraque antiquitus, pro Simeonis & Domini noſtri Jeſu Chriſti in templo *occurſu*, poſtridie kalendarum Februarii ex inſtitutione Pelagii primi papae ac Juſtiniani primi [y] celebrato, conjunctus tandem fuerit καθαρισμὸς, qui tunc temporis evenit [z], Beatae Mariae Virginis, ſeu *purificatio*, Syris dicta ܥܐܠܠܗ ܕܡܪܢ ܠܗܝܟܠܐ *introitus Domini N. in templum*; huic adjeciſſe dicitur Sergius papa, circa annum Chriſti 690 ſeu ſub Juſtiniano ſecundo, cereorum quotannis numeroſiſſimorum [a] uſum ſolennem (quem etiam Sergio vetuſtiorem fuiſſe volunt aliqui [b]) velut ex ritu luminum in Lupercalibus & Februis eodem in menſe pro luſtrationibus aut purificationibus adhibitorum paganico, chriſtianiſmi feſtivitati aptatum; unde nomina habuit a cereis illis ſeu candelis *Chandeleur*, *la Chandeleuſe*, & ſimilia in linguis provincialibus, uti in Germanica & Belgica **Lichtmeſſe**, ut & apud nos **Candlemaſſe**. Perperam acceptum eſt illud a nonnullis [c], velut hoc nomine celebratum tempore Gregorii Nazianzeni, ex eo quod ille in oratione [d], εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν Ἐπιφανίων, *in ſancta lumina Epiphaniorum*, habet, τὴν ἁγίαν τῶν φώτων ἡμέραν, *ſanctum luminum diem.* Atque eo nomine aliis ſic dictus eſt Epiphaniorum dies, qua baptiſmatis ejus, quo illuminavit homines, feſtum in illo celebratur. Sed haud omnino quid illic de candelarum aut fa-

[q] Joſephus lib. 15. cap. 14. [r] Lib. 12. cap. 7. [s] De Emendatione Temporum, lib 6 pag 520 [t] Albertus Brunus Aſtenſis, de augmento rebuſque additis Concluſ. 4. & videſis Innocent. alioſque DD ad cap 1 extr. tit. De Conſecratione Eccleſiae vel Altaris. [v] Pauſanias in Corinthiacis. [x] Polemon apud Harpocrat. in Λαμπάς, Scholiaſt. in Ariſtophanis Ranas, Suidas in Λαμπάδος. [y] Sigebertus anno 542. [z] Luc. ii 22. [a] Ordo Romanus, Durandus in Rationali lib. 7. cap. 7. §. 15. [b] Baronius ad Martyrolog. Februarii 2. [c] Pamelius in Cyprian. epiſt. 34 not. 13. [d] Orat. 39, & 40.

cium

cium lumine. Maccabaica autem luminum accensio, sive ut pars encaeniorum seu appendix singularis, sive ut festum per se cum encaeniis (ut volunt, nec forsan immerito, aliqui) habendum. Josephus *φῶτα lumina* vocat, & ubi summam Ebraeorum in encaeniis ipsis laetitiam ac felicitatem anniversariamque, apud posteros, ejusdem observationem enarrat [e], Τὴν ἑορτὴν, inquit, ἄγομεν, καλοῦντες αὐτὴν Φῶτα, ἐκ τοῦ παρ' ἐλπίδας, οἶμαι, ταύτην ἡμῖν φανῆναι τὴν ἐξουσίαν τὴν προσηγορίαν θέμενοι τῇ ἑορτῇ, *Festum celebramus, vocantes illud Lumina; opinor, ideo quod ex insperato nobis illuxerit illa felicitas*, seu *potestas*. Ruffinus, quasi alia illic Graeca aliqua legisset, *eo quod praeter spem hoc nobis splendidum lumen colendae religionis apparuit*. Genebrardus pro φῶτα illic habet *la feste des lumiers*, & vertit, *& la raison selon mon advis est, que un tel bonheur nous est esclairé come un lumiere contre toute opinion & esperance*. Christiani subinde Josepho hic suppares, ut Genebrardus [f], qui institutum vult *ob lumen religionis a Macedonibus exstinctae recuperatum*. Ad Graeca illa animadvertens Josephus Scaliger [g], *Atqui nos scimus*, inquit, *per illos dies octo tantum lucernarum ab illis accendi ut nusquam alias plus. Itaque inde appellatio* τῶν φώτων καὶ τῆς λυχνοκαΐας. Id quidem verum est, in luminum adeo solenni per festi illius octiduum in synagogis singulisque demum aedibus accensione satis conspici videri nominis illius rationem. Sed origo omnino hic alia, cum accensionis ejusmodi alia causa, quae ut miraculum eveniebat in ipsa templi sacrorumque instauratione Maccabaica, a Talmudicis expressius assignatur. Nimirum scimus ex sermone sacro [h], in tabernaculo testimonii lucernas septem candelabri sacri ramis & hastili impositas, quae perpetuo ardentes oleo puro [i] e publico supplendo alerentur: In templo autem postmodum primo decem [k] fuisse ad illuminationem illic jugem candelabra, quibus olei puri copia non impar. Similia in templo secundo; quod cum profanabat Antiochus, adeo etiam aiunt Talmudici eum ut sacram supellectilem reliquam, ita & oleum, quantum nactus est, sacrum aut abstulisse, destruxisse aut polluisse, ut, cum repurgaretur jam templum, supellectilisque illius pars quaelibet diligentius excuteretur, unicum tantum olei sacri vasculum seu lenticula (quae etiam ex ritualibus superius memoratur) sigillo munita pontificis maximi, intacta reperta fuerit. Illam autem adeo exiguam fuisse ut nec diei unici lucernis per se sufficeret: Atqui nihilominus, ne oleum deesset lucernis purum, adeo per octo illos encaeniorum dies jugiter ita ex miraculo crevisse oleum illud ac continenter repletum esse ut satis inserviret lucernis in templo dierum illorum cunctis seu octo; circa quorum finem (nam ob loci, unde sive olivas sive oleum ejusmodi afferri oportuit, distantiam [l], itineris scilicet eundo & redeundo quatriduani, citius oleum sibi comparare nequibant) nec ante, oleum huic rei purum esse ab eis confectum; atque in miraculi illius memoriam in festo encaeniorum tot lumina perpetuo dein fuisse in templo dum stabat, & postmodum in synagogis domibusque, accendi solita. Gemara Babylonia [m], ubi festi hujus, ut die 25 *Casleu* celebrati, mentio fit, משנכנסו יונים להיכל טמאו כל השמנים שבהיכל וכשגברה מלכות בית חשמונאי ונצחום בדקו ולא מצאו אלא פך אחד של שמן שהיה מונח בחותמו של כ״ג ולא היה בו אלא להדליק יום אחד נעשה בו נס והדליקו ממנו ח״ ימים : *Cum introibant Graeci in templum, polluebant quicquid erat ibi olei* ipsis repertum: *& invalescens dein regnum domus Hasmonaica eos devicit; quae dum scrutabatur, non inveniebat plusquam lenticulam unicam quae maneret sub sigillo pontificis maximi intacta. In ea autem cum neutiquam haberetur plus olei quam quod accensioni diei unici sufficeret, miraculum in eo factum est, & inde accendebant per octiduum.* Et juxta Maimonides [n], de Hasmonaica in Antiochum suosque victoria locutus, כשגברו ישראל על אויביהם בכ״ה בחדש כסליו היה ונכנסו להיכל ולא מצאו שמן טהור במקדש אלא פך אחד ולא היה בו להדליק אלא יום אחד בלבד והדליקו ממנו נרות המערכה ח״ ימים עד שכתשו זיתים והוציאו שמן טהור : *Quando invaluere Israelitae adversus hostes suos, & disperdidere eos die 25 mensis Casleu, introibant in templum, ubi non reperiebant plus olei puri quam lenticulam unicam. Nec in ea erat plus quam accensioni tantum unius diei sufficeret. At nihilominus accendebant ex eo per totos octo dies, usque dum scilicet contusis olivis ex eis oleum conficerent purum.* Dein subjungit, ומפני זה התקינו החכמים שבאותו הדור שיהיו שמנת ימים האלו שתחלתן כ״ה בכסליו ימי שמחה והלל ומדליקין בהן הנרות בערב על פתחי הבתים בכל לילה ולילה משמנת הלילות להראות ולגלות הנס וימים אלו הן הנקראין חנוכה והן אסורין בהספד ותענית כימי הפורים והדלקת הנרות בהן מצוה מדברי סופרים כקריאת המגילה : *Et jam dictam ob causam constituere sapientes seculi illius ut dies illi octo* anniversarii, *quorum initium dies 25 Casleu, dies essent laetitiae & laudationis. Et accendere mos est in eis lumina tempore vespertino ad ostia domorum, nocte qualibet noctium illarum octo, ut miraculum inde agnoscatur palamque reddatur. Dies hi nuncupantur encaenia* seu *dedicatio. Atque interdicitur in eis luctus & jejunium, sicuti in festo Purim* seu *sortium. Accensio etiam hujusmodi praecepto ex scribarum* (eorum qui rebus praeessent; qualis locutio passim denotat autoritatem apud eos humanam, nec jus omnino aliquod divinum) *pendet, uti etiam lectio Megillah* seu libri Hester in festo Purim, & quamplurima alia. Benedictionibus, precibus, laudationibusque festi dein ostensis, addit [o], accensionem fieri debere solennem, ut ad ostium domus cujusque, ita, ubi bina fuerint ostia adversas spectantia plagas mundi, in utrisque accendendum semper fuisse: Etiam ubi plures in domo habitarent, secundum eorum (tam foeminarum quam virorum) numerum lumina accendenda; & incolae etiam unico, suum: Quinetiam nocte prima pro quolibet unicum lumen; secunda pro quolibet duo, adeoque deinceps, ut tandem octo pro unoquoque ex familiis seu domibus singulis nocte octava seu ultima lucerent;

[e] Lib. 12. cap 11. [f] In Calend. Hebraeorum Commentariis ejus in Psalmos praefixis. [g] De Emendatione Temporum, lib. 5. pag. 409. [h] Exod. xxv. 31. Numer. viii. 2. [i] Levitic. xxiv. 2. & videsis Josephum. Archaeolog 3. cap. 3. [k] 1 Regum vii. 49. [l] Vide R. Nissim in R. Alphesium, part. 1. fol. 106, 1. Joann. Buxtorf. in Synagog. Judaica, cap. 23. [m] Ad tit. *Sabbath*, cap. 2. fol. 21, 2. [n] Halach. *Megilla Wechanocha*, cap. 3. §. 2. [o] Ibid. cap 4

licet hac de re mos varius subinde esset. Gemarae superius allatae, ritualium, & Maimonidis sequaces sunt in disciplina jam de encaeniorum festo ostensa *Megillath Thainith* [p], R.R. Moses Cotzensis[q], Jacob Ben Aser[r], Joseph Karo[s], R. Alphes[t], ad cum R. Nissim[v], David Ganz[x], praeter Ludovicum Mutinensem[y], Manasseh Ben Israel[z], alios Rabbinorum. Scriptores autem aliqui christiani de ratione nominis, *Et accenderunt luminaria multa, & dixerunt festum luminum, vel propter multitudinem luminarium, vel quia tunc illuminaverat eos Deus sedentes in tenebris.* Sic historia ecclesiastica; quam & secuti sunt commentarii Thomae Aquinatis dicti, & Hugo Carrensis, adjicientes etiam illud de igne ad sacrificia coelitus tunc denuo dato [a], quasi & inde nomen festi luminum ortum habuerit. Et demum, cum nec apud Josephum nec in Maccabaicis mentio aliqua fuerit lenticulae illius olei, sed tantum accensionis solennis adhibitae [b], sunt etiam apud Ebraeos qui miraculo illi locum hic tribui nolint, ut R. Azarias Edomaeus[c]; quem hac de re consulas.

X. Obtinuit autem apud aliquos opinio, festum illud *encaenia* sic dictum ob victoriam Judithae celebrari solere; saltem victoriae ejusdem commemorationem in eo contineri. Sed cujusnam Judithae, & an filiae Merari [d] ob victoriam in decollatione Olophernis, an Judithae filiae Hasmonaicae ob simile in Nicanorem facinus, controversum est. In calce quidem historiae Judithae, a Graecis Latinisque receptae, Latinus codex versionis Hieronymianae ex Chaldaeo habet [e], *Dies autem victoriae hujus festivitatis ab Hebraeis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judaeis ab illo tempore usque in praesentem diem*; quasi anniversarium dein fuisset festum quod tunc temporis Hierosolymis eandem ob causam celebratum esse ibi dicitur. Sed ejusmodi nihil omnino legitur in codicibus Graecis. Unde in versionibus recentioribus e Graeco factis plane deest, velut in Anglicana Episcopali dicta, & quae secuta est sub Jacobo rege (nam in bibliis anterioribus reperitur, ut e Vulgata) in Gallica, Belgica, ejusmodi aliis. Atqui Lutherus versioni suae Germanicae illud adjecit. Excidisse autem verba illa Graecis ait Serrarius [f], aliique Vulgatam tuentes. Hinc in Pseudo-Philone Anniano de Jesu Joakimi patre pontifice maximo in historia Judithae memorato legitur [g], *Is & Judith gesta conscripsit, & anniversariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit.* Idem habetur in Ebraicis ejusdem libri, qui ספר הידידיה האלכשנדרי *liber Philonis Alexandrini* dicitur R. Edomaeo [h], נעתק מיוני לרומיי ומכנו עתה ללשון קדש *translatus e Graeco in linguam Romanam, atque inde nunc in linguam sanctam*, id est ab ipso translatus, atque in commentarium ejus מאור עינים *Meor Enaiim* insertus. Versio haec, de Jesu illo, והוא כתב את פעולות יהודית וגזר להעשות זכרון ההצלה בכל שנה Quae plane Philonis Anniani verbis jam citatis respondent, uti & caetera illic Ebraica. Neque enim alius omnino est liber ille [i] ab Azaria versus quam Pseudophilo ille cordatioribus plane, cum reliquis Annii suppositiis, rejici solitus. Occurrunt etiam in commentariis Thomae Aquinati in Maccabaica [k] tributis, *Festum Esther, & Judith*, veluti usu apud Ebraeos parili nixum. Atqui in hisce hactenus nil omnino habetur quod magis ad encaeniorum nostrorum quam ad alicujus alius festi celebrationem aut tempus attineat. Est quidem in computo AEthiopico [l] festi *Jodid* seu *Judid* mentio, quae pro Judith hac sumitur, seu pro lectione libri Judith *ea die*, ut notat Josephus Scaliger, *quae est quarta Elul Nicaeni sive Dionysiaci.* Sed ita celebratur sub aestatis exitum, non tempore hyemali, ut encaenia de quibus loquimur. Diem autem illum AEthiopicum pro festo Judithae in historia ejus memoratum accipit Nicolaus Serrarius [m], ubi etiam fumos vendere dicit scholasticam historiam, dum festum Judithae vocatam fuisse *Cambysam* ait, *quasi Cambysae temporibus historia haec evenerit*, sed temere nimis. Comestoris verba sunt, *Et dein hanc in numero sanctorum dierum receperunt, vocantes Cambysem secundum Nabuchodonosor.* Hunc ait Cambysem *secundum Nabuchodonosor* dictum, non festum Judithae *Cambysam.* Et tempus historiae Judithae adeo incertum ab omnibus agnoscitur [n], ut nihil supra. Caeterum scriptores sunt ecclesiae occidentalis christiani, iique eximii, quibus velut satis exploratum recipitur, tempus encaeniorum Maccabaicorum idem esse cum festo Judithae, seu hoc in illo contineri, idque ob victoriam in Olophernem; etiam & in calendariis Ebraeorum die 25 *Casleu* affigi. Ita Carolus Sigonius [o] de die victoriae Judithae locutus, *Is*, inquit, *a Judaeis celebratur die 25 mensis Casleu.* Sic Jacobus Salianus[p]; *In calendario Hebraeorum ponitur ille festus dies 25 mensis noni, qui Casleu dictus est.* Henricus item Spondanus [q] de festis, praeter Mosaica, institutis agens, *Succedentibus*, inquit, *temporibus introducta & alia sunt ob alios diversos rerum eventus, puta, victoriae Judith, dati ignis, encaeniorum Judae Maccabaei, quod & dicebatur scenopegia*; *quae tria simul agebantur die vigesima quinta mensis noni, qui dicebatur Casleu.* Imo apud Sigonium [r], uti etiam Augustinum Torniellum [s], occurrit quod vocant ipsi *vetus kalendarium Hebraeorum*, cujus in mensis Casleu die 25 collocant festum hoc Judithae, velut ex ipsis autographis Hebraeorum sibi illuc translatum. Et fidenter inde Cornelius a Lapide [t], *Judith in calendario Hebraeorum assignatur 25 mensis noni, qui Casleu dicitur.* Caeterum Ebraeorum in calendariis, quae exhibentur etiam in ritualibus, nihil omnino opinor repertum de festo ejusmodi, sive ut per se sive cum encaeniis Maccabaicis celebrando; ut videre est in ritualibus illis prostantibus, quae satis varia sunt, sed hac

[p] In *Casleu* seu cap 9. [q] Praecept. affirmat. ex sancitis Scribarum 5. fol. 250. col. 3. [r] In *Arba Turim* tit. *Orach Chiim*, §. 670. [s] In *Shulcan Aruch* eodem tit. & numero. [t] Part. 1. fol. 105, 2. [v] Ibid. fol 106, 1. [x] In *Tzemach David* part. 1. Mill 4. anno 622. [y] De gli Riti Hebraici, part. 3. cap. 9. [z] Em Thesouro des preceitos cap. 111. [a] Videsis Josephum Ben Gorion, lib. 4. cap. 20. [b] 1 Maccab. iv. 50. [c] *Meor Enaiim*, part 3. cap. 51. fol. 163, 1. [d] Judith. viii. 1. [e] Cap. xvi. 25. [f] Ad Judithae cap. xxvi. quaest. 9. [g] Lib 2. [h] *Meor Enaiim*, part. 3. cap. 32. fol. 105, 2. [i] Videsis Guilielmum Vorstium ad Chronologiam David Ganz pag. 308. [k] Cap. x 34 [l] Joseph. Scaliger. lib. 7. de Emendatione Temporum, pag. 633 & 652. [m] In Judithae cap xvi. quaest 9. [n] Videsis Bellarmin de Verbo Dei, lib. 1. cap. 12. id genus alios praeter Annalium V. T. conditores. [o] De Republic. Hebraeorum, lib 3. cap. 17. [p] Annal. tom. 3. A.M. 3418. §. 4. [q] Annal. V. T. anno 2545. §. 18. [r] De Rep. Hebraeorum, lib. 3. cap. 18. [s] Anno M. 2545. §. 35. [t] Ad Judith xvi. 31.

de

I

de re interim consona, & in calendario Palaestino & Rabbi Ori Ben Simeon a Jacobo Christmanno edito[v], in canonibus computi Rabbi Nahesson, calendario Ebraico a Munstero publicato[x], id genus aliis; unde & nostrum Ebraeorum calendarium in libello de civili inferius subjuncto contextum. Quibus accedat calendarium Judaicum Josephi Scaligeri[y], & Dionysii Petavii[z], etiam & Gilberti Genebrardi Psalmis praefixum, & demum monitum concors viri summi Joannis Rainoldi nostratis ad eos qui editionem Latinam Judithae propugnant, ubi[a] ait, *Atqui dies ille nunquam est habitus pro festo a Judaeis, neque agnoscunt talem aliquem diem, aut quicquam tale esse gestum. Nemo veterum Judaeorum mentionem facit alicujus hujusmodi festi.* Et scriptores tunc hanc in rem percurrit singulares. Sed vero etiam Ludovicus Mutinensis Archisynagogus Venetus, in ritibus Ebraicis[b] suis Italice dudum conscriptis, festi institutionis, qua sive dedicationis dicitur sive luminum (nam titulus capitis ei est, *Della festa de Hanuca o delle candele*) ex Talmudico illo de miraculo olei afferens, adjungit, sententiam non deesse, qua Judithae in Olophernem & Assyrios victoria in eodem celebrari asseritur. Verba ejus sunt, *Anco per l'empresa di Giuditt contro di Oloferne, ben che non fu nell istesso tempo, come multi credono, ma per esser de Maccabei, la raccordono all' hora.* Recentiorum etiam Judaeorum aliqui librum Judithae, licet utcunque Apocryphum nec Ebraice exstantem, agnoscentes, & velut festum illius nomine nescio quare ad encaeniorum tempus attinere volentes, tum Judithae victoriam illam simul & Maccabaicam ita confundunt ut utramque in hymnis encaeniorum expressim commemorari voluerint, etiam quasi in origine cum Maccabaicis coaevam. Unde in hymno in ritualia festi recepto & cantari solito & Olophernis & Judithae res gestae simul cum Judae Maccabaei victoria & dedicatione contexuntur. Atque hinc, sub Judae illius tempora, R. David Ganz, יהודית, inquit[c], אשת חיל מן העבריות הרגה את שר צבא אלפירנא בשכבה אצלו על מטתו והתכה את ראשו וגרמה תשועת גדולה ופורקן ליהודים ככתוב בספר יהודית׳ זמן זה המעשה לא ידענו כי לא מצאתי מזה בספר היוסיפון דברי׳ ולפי דברי הפייטן המיסד יוצר של חנוכה הוה זה המעשה גם בימי חשמונאים *Judith foemina fortis ex Eleaeis interfecit imperatorem exercitus Olophernem, cum apud illum juxta lectum accumbebat, & caput ejus amputavit, insignem salutem & redemptionem praestans sic Judaeis, ut scriptum est in libro Judith. Tempus hujus historiae haud scimus, quoniam nec quidquam ejusdem reperi apud Josephum. Sed juxta verba poetae qui formavit hymnum suum* seu *ordinem dedicationis, etiam historia haec ad dies Hasmonaeorum spectat.* Et pauculis de incerto illo adjectis, lectorem ablegat ad R. Azariam[d], cui sententia illa de victoria Judithae cum Hasmonaica hoc die conjuncta, apud Ebraeos aliquos recepta, omnino displicet, nec pro recipienda habetur ipsa ejus historia. Atque idem ad verba illa Pseudophilonis superius ex versione apud eum Ebraica de Jesu perpetuam Judithae nomine festi celebrationem instituente quasi libentius, quacunque data ansa, praeripiendam voluerit opinionem, etiam tam suorum aliquot quam aliorum de celebratione illa ut ad encaenia nostra spectante adnotat[e], אין ספק כי זכרון הנוכה על דבר אנטיוכוס שהיה לאחר כמה שנים בימי החשמונאים הוא זכרון אחר׳ וכמו שאכתוב בפרק נ״א *Dubitandum non est quin commemoratio encaeniorum ob devictum Antiochum,* gesta scilicet Maccabaica, *quod evenit quam plurimis postea annis in diebus Hasmonaeorum, fuerit commemoratio alia, prout etiam scripsi capite 51.* Jam dicta autem illam in Olophernem & Assyrios suos Judithae victoriam respiciunt, confusis interim, ut saepe nimis fieri assolet, seculis invicem admodum distantibus. Quid enim Olophernis sive Nabuchodonosoris sive Cambysis tempori aut gestis cum Maccabaicis?

XI. Alii autem, ut Judithae hic qualiscunque victoriam festo encaeniorum sive ut partem sive ut cognatam adeoque commodius aptandam esse, satis asserere videantur, Juditham aut finxerunt aut somniarunt alia a Bethuliensi quae Olophernem decollavit, seu filia Merari; id est Juditham Hierosolymitanam, filiam Mattathiae, adeoque Judae Maccabaei sororem, seu, ut alii, Joannis Hasmonaei filiam Judae sororem, quam Nicanori[f] sub Demetrio rege imperatori adamatam caput ei aiunt sub triennium post victoriam illam Maccabaicam ab ipsa trucidato amputasse, idque dum Judas Maccabaeus illum acriter impugnavit. Unde R. Gedaliah Ben Jechai, de Maccabaicis gestis verba faciens, ואת, inquit[g], הישועה בקבלה על פה יש לנו שנהרג ניקנור באמצעות יהודית בת מתתיה שניקנור אהבה מאד והיא הלכה אליו ונתנה לו מאכלים של גבינה הנותנים צמא וישכרהו וימיתו והביא ראשו לאחיו ואז היהודים הלכו על היונים וימתום כנ״ל ויגרשום מ״אי ראוי שתדע כי לא יש זכר מזאת האשה אלא המדרש שמביא ה״רן פ״ב דשבת *Etiam salus tunc parta haec habetur in cabala orali nostra, occisum scilicet esse Nicanorem interventu Judithae filiae Mattathiae; cum Nicanor eam deperiret, eaque ad eum accederet, eique daret dapes ex caseo sitim contrahentes, adeoque inebriaret eum, & occideret eum, atque caput ejus abscissum afferret ad fratrem suum* Judam Maccabaeum. *Et tunc Judaei adgressi Graecos eos interfecerunt, ut superius memoratur, atque e terra Israelis sancta pepulerunt. Sed scire oportet hoc de foemina illa* Juditha jam dicta *non memorari alibi atque in Midrash, prout ab R. Nissim in caput tituli de sabbato secundum affertur.* Certe R. Nissim ibi[h], praetermisso nomine Judithae, de filia, non Mattathiae, sed Joannis Hasmonaei filii ejus, pro ipsa Judithae, puto, sumpta, loquens, *decrevisse* ait *Graecos* גזר כי הבתולות הנישאות שיבעלו להגמון תחלה ועל ידי אשה נעשה נס דאמרינן במדרש דבתו של יוחנן האכילה ראש האויבים גבינא לשכרות והתכה את ראשו וברחו כולם ועל זה נהגו לאכול גבינה בחנוכה *in omnes virgines qui nuptui collocarentur, ut illae primo a praefecto aliquo* castrensi *vitiarentur: unde per foeminam miraculum factum esse dicitur in Midrash (de Megillath*

[v] Francofurti 1593. [x] Basileae 1527. pag. 130. [y] In Canonibus Isagogic. lib. 1. pag. 41. [z] De Doctrina Temporum lib. 7. cap. 12.
[a] In Censura librorum Apocryphorum, praelect. 73. [b] Part. 3. cap. 9. [c] *Tzemach David,* Millenar. 4. ann. 622.
[d] *Meor Enaiim,* part. 3. cap. 32 & 34 & 51. & vide eum pag. 106, 2. & 163, 1. [e] Ibid. fol. 106. 2.
[f] 1 Maccab. vii. 26, &c. [g] *Sepher Shalsheleth Hacabala,* fol. 25, 1. [h] Ad Alphesium part. 1. tit. De Sabbato cap. 2. fol. 106. 1.

Thainith;

Thainith, de qua plura statim) *Filiam nempe Joannis quae in cibum praebuit hostium imperatori caseum ut inebriaretur, caputque ejus* (quod de Nicanore intelligendum) *amputavit*; *unde fugere universi. Atque hanc ob causam solennior est casei comestio in encaeniis.* Hinc R. Gedaliah, ונכל לומר שבבטול מגלת תענית הסכימו חכמי הדור לכלול יחד בשמחת חנוכה דבר יהודית מתי שהיתה ויהודית אחרת בת חשמונאי *Ut probabile est dicendum, postquam in desuetudinem abierat* Megillath Thainith, *consenserunt sapientes seculi illius ut conjungeretur laetitiae encaeniorum res a Juditha gesta*; *cum nimirum esset Juditha altera* ab illa quae Olophernem decollavit, *filia Hasmonaica.* Tantundem R. Azarias[i]; quem hac de re prae aliis consulas. Atqui commentum perquam videtur interea mirum, Nicanoris caedis ac decollationis festum encaeniis Maccabaicis sic omnino conjungi, eamque in rem Juditham nescio quam Maccabaicam, juxta jam ostensa, fingere; cum certissimus sit festus dies alius, & in calendariis Ebraeorum obvius, ac nomine יום נקנור *diei Nicanoris* suorumque tunc caesorum notissimus qui ex decreto expresso tempore Judae Maccabaei lato[k] quotannis observatus est, die 13 mensis Adar, qui tantum non vernus est, nec in hyeme, ut encaenia; qua de re etiam plura inferius. Neque a foemina aliqua, sed a Juda ipso copiisque ejus caesum decollatumque Nicanorem esse historia Maccabaica[l] planissime docet.

XII. Festivitates autem, quales diximus, dum Judaeos vetustiores respicimus, non ita discendae sunt ex calendariis quibus seculis in recentioribus usi sunt; quale est argumentum primarium doctissimi Joannis Rainoldi superius allatum. Etenim fuere aliae non paucae ex jure superinducto eis receptae quae in desuetudinem prorsus abiere, quantum ad observationem aliquam publicam; quod maxime liquet ex codice illo *Megillath Thainith* dicto, id est *volumine afflictionis*, ut jejunii & luctus, quo designantur dies cum laetitia omnino ob beneficia coelitus recepta servandi, nec jejunia aut luctum admittentes; quorum in calendariis quidem exstant pauci; complures vero praetermittuntur, velut seculis aboliti vetustis. Et sane, quoniam codex ille videtur nimis rarus, utpote qui nec a doctissimo diligentissimoque Joanne Buxtorfio patre in Bibliotheca sua Rabbinica, nec a filio non impari, in recognitione ejusdem, memoratur (tametsi interim eo usum fuisse filium satis liqueat[m]) nec in Antonii Legeri appendice, nec demum Genebrardo[n], aut Geinero[o]; nec Plantavitzio[p], qui summo conamine & libros Ebraicos sibi affatim, adjuvante praeceptore suo Ludovico Mutinensi, comparavit, uti & nomina enixius collegit, aliter notus fuit quam ex testimonio Joannis Morini, cui dicitur[q] *Judaeorum judicio admodum antiquus*; & cum in festivitatibus ibi designatis non paucae sint Hasmonaicae, etiam & foemina Hasmonaica anonyma occurrat quae pro Juditha illius temporis a nonnullis sumitur, & demum quia compluria in eo sunt historica alibi forte non reperta, sed ad festivitates Ebraicas attinentia, ideo visum est singulos dies festos illic narratos nec in calendariis obvios lectos hic exhibere. Codex meus editus est cum *Seder Olam Zota*, Cabala Rabbi Abrahae, & chronico templi secundi in 4to. Horum primum sequitur. Nec alium habet praeter simplicem sui titulum, nec reliquis titulus alius modi est, adeo ut nec ubi nec quando impressus fuerit dignoscere possim. Caeterum illic in *Nisan* seu mense primo, quasi Martio, ejusmodi quales diximus habetur dies festus nullus.

In *Jiar*, seu mense secundo [r], quasi Aprili.

Dies 7. חנוכת ירושלם *dedicatio Hierosolymorum*, כשפרצוהו מלכי יון וגדרוהו בית חשמונאי *quando disrupta ea a regibus Graeciae instaurabant domus Hasmonaica.*

Dies 14. נכיסת פסחא זעירא *immolatio paschalis minoris*, seu *secundi*[s]. In eo luctus non magis admissus atque in 14 Nisan, seu paschate primo.

Dies 23. In eo נפקו בני הקרא מירושלם *egressi sunt filii scripturarii* seu *Karaitae ex Hierosolymis.* Scilicet, molestissimi erant gravissimique Hierosolymitanis, וכשגברה בית חשמונאי הגלו אותם משם ואותו היום שעקרו׳ עשאוהו יום טוב *Et quando invaluit potestas Hasmonaeorum, ejecerunt eos inde. Atque diem hunc, quo exstirpabant eos, faciebant diem festum.*

Dies 27. In eo איתנטילו כליליא מיהודה ומירושלם *Sublati sunt Celilaei*, id est *coronarii*, sic dicti, *e Judaea & ex Hierosolymis.* Invalescentibus enim Graecis, fuere qui passim illic coronas rosaceas & delubrorum suorum illic exstructorum & tabernarum & atriorum ostiis appendebant, & hymnos sacros idolis suis canebant, וכותבין על מצחו של שור ועל מצחו של חמור שאין לבעליהן חלק באלהי ישראל כמו שהיו פלשתים עושין כמו שנ׳ וחרש לא ימצא וגו׳ והיתה הפצירה פים וגו׳ וכשגבר יד בני חשמונאי בטלום ויום שבטלום עשאוהו יום טוב *Et scribebant in fronte bovium & in fronte asinorum, neutiquam esse partem aliquam dominis eorum in Deo Israelis*; *quemadmodum faciebant Palaestini, juxta quod dicitur*[t], Et non erat faber ferrarius in Israel, &c. & erant acies retusae[v], &c. quod variatim vertitur. *Sed cum invaluit manus filiorum Hasmonaei, eos expellebant, & diem* hunc, *quo expellebant eos, fecere diem festum.*

In *Sivan*, seu mense tertio [x], quasi Maio.

Dies 17. Gravissime infestabant Judaeos יושבי קסרי *Caesareae incolae*, וכשגברה יד בני חשמונאי כבשוה והוציאום משם והושיבו ישראל בתוכה ואותו היום שכבשוה עשאוהו יום טוב *Et cum praevaluit manus filiorum Hasmonaei, subegerunt eam; & incolis ejectis, collocarunt ibi Israelitas. Atque diem illum, quo subigebant eam, diem fecere festum.*

Dies 15 & 16. Hujusmodi habetur ordo in *Megilla.* Ob fugatos itidem ab Hasmonaeis urbis Bethsan[y] confiniorumque ejus incolas, qui, Chananaeorum pars, haud sub Josua[z] regumve dein

[i] In *Meor Enaiim*, part. 3. c. 51. fol. 163, 2. [k] 1 Maccab. vii. 43 & 49. 2 Maccab. xv. 39. Josephus lib. 12 cap. 17. [l] Lib. 1. cap 7. 47. & lib. 2. cap. 15, 30. [m] Lexic. Talmudic. col. 1046. [n] Bibliotheca Rabbinica, num. 319. [o] Pandect. seu Partit. lib. 1. tit. 21. [p] Ad finem Isagoges Rabbinicae. [q] Lib. 1. Exercit. Biblic. 8. cap 3. §. 1. [r] *Megillath Thainith*, cap. 2. [s] Numer. ix. 12. [t] 1 Samuel. xiii. 19. [v] Ibid. 21. [x] *Megillath Thainith*, cap. 3. [y] Videsis 1 Maccab. v. 52. & xii. 40 & 41. [z] Josua xvii. 11. 16. Judic. i. 27.

quopiam,

quopiam, quemadmodum nec id genus alii aliquot, ante pulsi, Judaeis infestissimi erant.

Dies 25 memoratur, ut festum, pro tempore quo Alexander Magnus illustrem illam ferebat sententiam pro Judaeis in actionibus adversus eos institutis ab Ismaelitis ut primogeniturae jure terram sanctam sibi vendicantibus, ab Cananaeis item ut eam velut jure avito sibi debitam petentibus, atque ab AEgyptiis bona sua ab Ebraeis in exitu asportata postulantibus; Gibeah Ben Pesisa Judaeis in foro patrocinante; qua de re in Gemara Babylonia [a] ampliter agitur; unde & nos alibi [b] traduximus. Atqui in Gemara illa expressim assignatur judicii illius dies vigesimo quarto mensis *Nisan*.

In *Thamuz*, seu mense quarto [c], quasi Junio.

Dies 14. Ob Sadducaeorum & Baethusiorum disciplinam a sapientibus damnatam abolitamque, qua nempe legem oralem & *Halacoth* universas rejicientes, ac nudis sacri sermonis verbis tantum innitentes, codicem eam in rem sibi conscripserant, ואותו היום שבטלוהו עשאוהו יום טוב *Et eundem diem, quo abolebant illum, diem fecerunt festum.*

In *Ab*, seu mense quinto [d], quasi Julio.

Dies 5. Quia זמן אעי כהניא *tempus lignorum sacerdotum*; id est, ut ibi explicatur, memoriae singularis בני יתואל בן יהודה *filiorum Jethuel filii Jehudae* [e] pietatis ac munificentiae in supplendis, post reditum e captivitate Babylonica, lignis, etiam & sacrificiis.

Dies 24. Ab Hasmonaeis institutus ob abolitam ab ipsis Sadducaeorum disciplinam morum gentium imitatricem, atque in judicia forensia introductam, circa successiones in bona parentum, qua haereditas pariter inter filias & filios fieret ercifcunda. Talmudica enim & veterum Ebraeorum ea de re doctrina, sacro etiam sermone [f] subnitens, contraria est, ut fusius in libello de successionibus ostendimus.

In *Elul*, seu mense sexto [g], quasi Augusto.

Dies 7. חנוכת שור ירושלם *dedicatio* seu *encaenia muri Hierosolymorum* [h], sub Zorobabele e captivitate Babylonica reduce. Finitus autem est murus tunc 25 *Elul* [i]. Sed nondum ita esse tunc aptatas portas, ait *Megilla*, utcunque pene absolutas [k], nec solennia (in quibus necessaria illa omnia docet fuisse quae superius e Talmudicis ut dedicationibus adhibenda explicavimus) sive res ipsas sive personas sive pompam respicias, ita apparari potuisse, ut ante anni proximi mensem *Elul*, adeoque diem ejusdem septimum, dedicatio muri fieri quiverit, וכשגמרו לבנותו אותו היום עשאוהו יום טוב *Et cum absolvissent exstructionem ejus, diem illum fecerunt diem festum.*

Dies 17. איתנטילו רומאי מיהודה ומירושלם *Pulsi sunt e Judaea & Hierosolymis Romani*, qui scilicet tempore regum Graeciae acerrime Judaeos infestarant. Atque dum sic faciebant illi, reges Graeciae מושיבין קסטריאות בעיירות להיות מענים את הכלות ואחר כך היו נשואות לבעליהן ומנעו את ישראל שלא לשכוח עם נשותיהם *Constituebant per urbes quaesitores, qui considerarent sponsas* & despondendas, *quae postmodum viris suis nuberent, adeoque Israelitas a conjugii solatio & laetitia cohiberent.* Addit vero, ובת אחת היתה למתתיה בן יוחנן הכהן הגדול וכשהגיע זמנה להנשא בא הקסטרין לטמאה ולא הניחו אותו וקנאו מתתיה ובניו וגברה ידם על מלכות יון ונמסרו בידן ונהרגום ואותו היום שבטלום עשאוהו יום טוב *Et filia Mattathiae filii Joannis erat unica, quam, cum nuptura esset, adgressus est quaesitor vitiare. Sed neutiquam permisere eum. Zelo inde affecti sunt Mattathias & filii ejus; atque invaluit manus eorum in eos qui regni erant Graeciae. Atque in ejus manum traditi sunt illi, caesique. Diem hunc, in quo subegerunt eos, fecere diem festum.* Judithae nomen hic non habetur: Sed alii sic dictam Mattathiae hanc filiam volunt, ut ostensum est; cum interim festum ejus rejiciant in 25 *Casleu*, juxta superius etiam dicta.

Dies 22. ביה תבנא לקטלא משמדיא מפני שהיו גוים שרויין בא"י ולא היו ישראל יכולין לשלוח יד ברשעים שבהם עד שיצאו משם המיתנו להם שלשה ימים אם יעשו תשובה ולא עשו כיון שראו שלא עשו תשובה נמנו עליהם והרגום ואותו היום שהרגום עשאוהו יום טוב *In eo consilium initum est de morte plectendis* nescio quos *deperditi generis hominibus. Quoniam scilicet gentes fuere terram Israelis inhabitantes, nec potuerunt Israelitae cohibere malitiam eorum antequam inde ejicerentur, dederunt eis triduum intra quod se poeniterent; quod cum eos non facere viderent, constituere adversus eos* judices seu actionem forensem, & *morte eos affecere. Et diem illum, quo morte eos plectebant, fecere diem festum.* Statim sequuntur dicta R. Eliaezeris Ben Jacob & R. Simeonis Levitae de eo quod est in usu forensi, & mortis & verberum & mulctarum poenas infligi solere שלא מן התורה *quae non in lege designantur*; quod inde tamen pendere & juris naturam satis induere aiunt ex eo quod toties [l] iteratur in lege, ובערת הרע מקרבך & *auferes malum e medio tui.* Et exempla aliquot forensia velut extraordinaria illic adducuntur, unde de hominibus illis ex sententia forensi, eaque synedrii magni, morte affectos esse sumpsimus. Nam minorum potestas locum ejusmodi neutiquam habuit.

In *Tisri*, seu mense septimo [m], quasi Septembri.

Dies 3. איתנטלת אדרכתא מן שטריא שפעם אחת גזרה מלכות הרשעה שמד על ישראל ואמרו להם אין לכם חלק באלהי ישראל ולא היו מזכרין שם שמים בפיהם וכשגברו בית חשמונאי ונצחום התקינו שיהיו כותבין שם שמים ואפילו בשטרות וכך היו כותבין בשנת כך וכך ליוחנן כהן גדול שהוא משמש לאל עליון וכשמעו חכמים בדבר אמרו וכי מזכירין שם שמים בשטרות למחר פורע זה את חובו וקורע את שטרו ונמצא שם שמים מוטל באשפה ובטלום ואותו היום עשאותו יום טוב: *Abolitio juris agendi ex contractuum instrumentis. Quodam scilicet tempore principes impii ex decreto persequentes Israelitas, dixere eis, vobis haud pars est in Deo Israel; nec memorabant nomen Dei in ore suo. Cum vero invalescebat domus Hasmonaica, & vincebat eos, ordinarunt ut scriberent nomen Dei in contractuum suorum instrumentis. Atque ad hunc modum scribebant, In anno tali & tali Joannis pontificis maximi, qui minister est Dei supremi*; *quod cum audierant sapientes* (qui

[a] Ad tit *Sanhedrin*, cap. 11. fol. 91, 1. [b] De Jure Naturali & Gentium, lib. 7. cap. 8. [c] Megill. cap. 4. [d] Cap. 5. [e] Videsis Misnam tit. *Thainith*, cap. 3. §, 6. [f] Numer. xxvii. [g] Megill. cap. 6. & cap 2. [h] Nehem. xii. 27. [i] Ibid. vi. 15 [k] Ibid. cap. iii. [l] Deut. xiii. 5. xvii. 7. xix. 19, &c. [m] Meg ll. cap. 7.

rebus actionibuſque forenſibus, ut maxime ſynedrium magnum, praeerant) *pronunciabant, quoniam memorabant nomen coeli in contractuum inſtrumentis, die craſtino*, ſeu *in poſterum, exigat debitum ſuum* creditor, & *dilaceret inſtrumentum* ſeu *ſyngrapham ſuam. Et repertum eſt nomen Dei ſublatum eſſe e membrana. Et irrita reddiderunt ea. Atque illum diem fecere diem hunc feſtum.*

In *Marcheſvan*, ſeu menſe octavo[n], quaſi Octobri.

Dies 23. איסתתר סוריגה מן עזרתא *abſconſio materiae ſaxeae ex atrio*; Saxorum ſcilicet quae reperta in ſtructura gentium in atrio, abſcondebantur, uſque dum a numine doceretur quidnam cum eis alias faciundum[o], ובאותו היום שגנזו עשאוהו י"ט *Et diem quo ea abſcondebant*, ſeu *in loco reponebant abdito, diem fecere feſtum.*

Dies 25. Ob loca aliquot a Cuthaeis poſſeſſa, ab Iſraelitis in eorum reditu e captivitate Babylonica, occupata.

Dies 27. In eo diſputatum eſt, nec ſine victoria, a R. Jochanan Ben Zacai in Sadducaeos, qui *Mincha* ſeu ſacrum illud frumentaceum[p] nollent ſuper altare offerri, ſed comedere per ſe calidum.

In *Caſleu*, ſeu menſe nono[q], quaſi Novembri.

Dies 3. In eo איתנטלו סימואתא מן דרתא מפני שבנו הגוים סימואות סימואות בעזרה *Sublata ſunt ſigna*, imagines, *ex atrio. Scilicet gentes ibi variatim ſigna erexerant*, וכשגברה יד בית חשמונאי בטלום והוצאום משם ובאותו היום שבטלום עשאוהו י"ט *Cum autem invaluerat domus Haſmonaica, deſtruebant ea, indeque ejiciebant. Et diem illum quo hoc fecere inſtituebant pro feſto celebrari.*

Dies 7. Ob Herodis Antipatri F. mortem[r], מפני שהיה שונא את החכמים *quoniam ita adverſabatur ſapientibus*, adeoque diſciplinae eorum Judaicae; ובאותו היום שמת הורודוס עשאוהו י"ט *Et diem quo mortuus eſt Herodes fecerunt diem feſtum.* Ratio ibi redditur, ששמחה היא לפני המקום כשהרשעים מסתלקין מן העלם *quia laetitia eſt coram Domino quando homines mali e mundo removentur.* Quo trahunt textus aliquot ſacros, in quibus illud de Adonia a Salomone[s] morti tradito.

Dies 21. יום הר גריזים *dies montis Garizim.* Scilicet adjicitur, tempore quo Simeon Juſtus pontifex maximus pompa perquam glorioſa Hieroſolyma in occurſum Alexandri magni exibat (qua de re etiam Joſephus; cui Jaddus idem dici creditur, nec omnino hiſtoriola haec de monte Garizim memoratur) acceſſiſſe etiam Cuthaeos ſeu Samaritas ad petendum ab Alexandro את בית אלהינו להחריבו *domum Dei noſtri ad eam deſtruendam.* Nam ut templum ſibi habebant Garizimiticum, ita nec aliud exſtare in terra ſancta volebant. Unde primo impetrabant ab rege ut venderet illis partem aliquam fundi in monte Moria. Summo autem pontificis maximi ſplendore & praeſtantia captus Alexander dicitur illic rogaſſe eum ſuoſque quam ob cauſam in occurſum ejus exiſſent, ac, reſpondentibus illis, ad impetrandum ne templum ſuum deſtrueretur a Cuthaeis, qui ſic adeſſent, regem indulgentiſſime repoſuiſſe, הרי הם מסורים בידכם *Ecce illi in manum veſtram traduntur*, מה עשו להם נקבים בעקביהם ותלאים בזנבי סוסיהם והיו מגררים אותם על הקוצים ועל הברקנים עד שהגיעו להר גריזים הרשוהו וזרעוהו כרשינין כדרך שבקשו לעשות לבית אלהינו *Quid igitur faciebant* Judaei Hieroſolymitani? *Perforabant calcaneos eorum, & ad equorum ſuorum caudas eos ſuſpendebant, & lacerabant eos tribulis ac ſpinis, uſque dum venirent ad montem Garizim; quem arabant, ſeminabantque viciis, ſecundum quod petierant* Cuthaei *ut facerent domui Dei noſtri.* Quibus ſtatim ſubjungitur, ובאותו היום שעשאו לו כך עשאוהו יום טוב *Et diem iſtum quo ſic faciebant fecere diem feſtum.* Sed hac de hiſtoria conſulas Davidem Ganzium in *Tzemach David*[t], & ibi citata.

Dies 25. Dedicationis altaris, templi, luminum feſtum. De eo ſuperius ſatis. Et rationes eaedem e Talmudicis afferuntur. Sed nihil illic de Juditha alterutra.

In *Tebeth*, ſeu menſe decimo[v], quaſi Decembri.

Dies 28. יתיבא כנישתא על דינא *Conſeſſus ſynedrii* magni *circa judicia*, reformatus. Nimirum מפני שכשהיו צדוקין יושבין בסנהדרין שלהם ינאי המלך ושלמינון המלכה יושבה אצלו ולא אחד מהם יושב עמהם חוץ משמעון בן שטח וגו' *Quoniam, quando Sadducaei ſedebant in ſynedrio eorum*, Iſraelitarum, *Jannaeus rex* (cui Sadducaei, Phariſaeis uſque ad mortem ſibi inſtantem velut rejectis, in pretio habiti) & *Saleminun regina* (de quibus vide diem ſecundum menſis proximi) *ibi juxta eum ſedebat, nec Iſraelitarum* (rite inſtitutorum) *ullus* (nemo non e Sadducaeorum ſecta) *praeter Simeonem Ben Shatach* principem ſynedrii, &c. inter altercandum, plane impares erant illi opinionum ſuarum probationibus ex lege afferendis. Inde monente eos principe ſynedrii, illi qui ſic impar eſſet locum in ſynedrio nullum deberi, ſed tantum illis qui eſſent probationibus ex lege afferendis pares, &, emergente inter eos cauſa diſceptatione digna, לא היו יודעין להביא ראייה מן התורה חוץ מזקן אחד שיהיה מפטפט כנגדו אמר תן לו זמן הלך ישב לו בינו לבין עצמו יכון שראה שלא היה יודע להביא ראייה מן התורה למחר נתבייש מלבוא ומלישב בסנהדרי גדולה עמוד שמעון בן שטח אחד מן תלמידים והושיבו במקומו אמר להם אין פוחתין בסנהדרין של שבעים ואחד וכך היה עושה בכל יום ויום עד שנסתלקו כולם ויושבה סנהדרים ישראל על דעתה: *Rationem ex lege afferre minime ſciebant*, nec ſcire quiſquam eorum prae ſe ferebant, *praeter presbyterum unicum, qui petulantius obloquendo in eum, Da mihi, inquit, tempus, & cras tibi reſpondebo. Abiit, & ſecum ſolus ſedens conſuluit. Cum vero videret ſe neutiquam ſcire quomodo rationem ex lege deduceret, die craſtino eum puduit in ſynedrium magnum ingredi, nedum illic ſedere. Tunc conſtituit Simeon Ben Shatach unum ex diſcipulis* (dignitatis ſynedrialis candidatis in ordinibus tribus conſidentibus, juxta libro ſecundo oſtenſa) & *collocavit eum in loco ejus. Dixit enim eis, haud minuendum eſſe in ſynedrio numerum ſeptuaginta & unius. Atque ad eundem modum fecit quotidie, uſque dum ſemoverentur univerſi* Sadducaei, & *fieret ſynedrii conſeſſus ex Iſraelitis juxta diſciplinam ad il-*

[n] Ibid. cap. 8. [o] Videſis 1 Maccab. iv. 46. [p] Levit. xxiii. 18. [q] Megill. cap. 9. [r] Part. 1. Millen. 4. anno 448. [s] 1 Reg. ii. 25. [t] Et ibid. cap. 11. [v] Megill. cap. 10.

lud attinentem. Et dein, ובאותו היום שנסתלקה סנהדרין של צדוקין וישבה סנהדרין של ישראל עשאוהו יום טוב *Et diem illum, quo ſemovebantur e ſynedrio Sadducaei, & conſeſſus ejuſdem fiebat ex Iſraelitis* rite inſtitutis, id eſt Phariſaeis, *fecere diem feſtum.* Vide diem ſecundum menſis proximi.

In *Sebat*, ſeu menſe undecimo[x], quaſi Januario.

Dies 2. Quoniam מת ינאי המלך *obiit Jannaeus rex*, Alexander itidem dictus: Idem qui in 28 *Tebeth* memoratur. Atque ut Herodis diem celebrarunt emortualem, ita ſimilem ob cauſam obitum Jannaei regis. Etenim ille ſapientibus Phariſaeorum, qui rectae diſciplinae patroni primarii, ſi non ſoli, haberentur, infenſiſſimus[y], כשהלה שלח ותפש שבעים זקנים מזקני ישראל נטלן וחבשן בבית האיסורין אמר לו לשר בית האיסורין אם מתי הרוג את הזקנים הללו *quando aegrotabat, juſſit ut prehenderentur ſeptuaginta presbyteri ex presbyteris Iſraelis* (quo nomine aliquoties diſcriminantur in *Megilla* Phariſaei a Sadducaeis, quibus Jannaeus adhaeſit; atque, ut videtur, ſeptuaginta illos e ſynedrio magno ſemovit, ut totidem ex Sadducaeis, juxta oſtenſa in die 28 *Tebeth*, ſubſtitueret) *adeoque prehendit eos, & in carcerem conjecit: Et dein carceris praefecto in mandatis dedit, ut, ſi moreretur, is presbyteros illos trucidaret.* Dein vero, אשה טובה היתה לו לינאי המלך ושלמינון שמה וכשמת סלקה טבעתו על ידו ושלחה לשר בית האיסורין אמרה לו רבך בחלום היתר אותם הזקנים התירן והלכו להם לבתיהם ואחר כך אמרה מת ינאו המלך *bona uxor erat Jannaeo regi, Saleminun dicta* (eadem quae Alexandra apud Joſephum & in Ebraeorum annalibus nuncupatur) *quae, ſimulac mortuus eſt ille, annulum e digito ejus cepit, & miſit ad carceris praefectum cum hoc nuncio, Dominus tuus per inſomnium ſolvit presbyteros illos. Unde ſolvebat eos; & abiere illi ad aedes ſuas. Et poſtea propalavit mortuum eſſe Jannaeum regem.* Et celatam ejus mortem ſcimus ex Joſepho, atque Alexandram uxorem ejus regnum adminiſtraſſe. ואותו היום שמת ינאי המלך עשאוהו יום טוב *Et diem illum, quo mortuus eſt Jannaeus rex, diem fecere feſtum.*

Dies 22. Ob decreta de imaginibus in templum inferendis ab mihi ignoto, qui נסקלנס *Niskalenus* hic dicitur, lata, & per caedem ejus, & Judaeorum in numine opem impetratam, irrita reddita, ובטלי גזירותיו מיד בטלו את הצלמין ונרדו אותם׳ אותו היום עשאוהו יום טוב *Vim perdidere decreta ejus; & ſtatim deſtruebant imagines, & diſcindebant eas. Atque diem illum fecere diem feſtum.* Eveniſſe hoc, quicquid fuerit, ex *Megillah* liquet, tempore Simeonis Juſti. Sane haud videtur dubitandum quin idem ipſe qui typis hic נסקלנס (quod, forſan ex literarum in ſcriptione Rabbinica cognatione corruptum, fuiſſe debuit גסקלגס) idem fuerit qui in Talmude Hieroſolymitano nuncupatur גיים גוליקס *Giis* (forſan *Gaius*) *Gulikus.* Legitur ibi[z], מעשה ששמע שמעון הצדיק בת קול יוצא מבית קדשי הקדשים ואמר נהרג גיים גוליקס ובטלו גזירותיו *Hiſtoria eſt, Simeonem Juſtum audiviſſe filiam vocis ex domo ſancti ſanctorum, quae dixit, caeſus eſt Giis Gulikus, atque decreta ejus evanuiſſe*; quod ipſum in *Megilla* etiam de *Niskaleno* occurrit.

Dies 29. ob mortem Antiochi[a].

In *Adar*, ſeu menſe duodecimo[b], quaſi Februario.

Dies 8 & 9. יום תרועא מיטרא *dies clangoris pluviae*; ob illam, puto, gratias agendo, eamque in futurum obſecrando. Ait enim, ראשון משנה זו ושני משנה אחרת *prior ad annum praeſentem, poſterior ad alium*, ſeu *inſequentem, attinebat.*

Dies 12. יום טוריינוס שתפס את לוליינוס ואת פפוס אחיו בלודיקיא *dies Tyrini* ſeu *Turiani, qui prehenſos Lolianum & pipum fratrem ejus* (ſive Judaeos ex origine, ſive proſelytos) *in Laodicea* adigere voluit ad legem ſuam violandam, ſed fruſtra. Nec quid ultra faceret ibi narratur. Apud Talmudicos autem habetur diſciplina (quam fuſius etiam oſtendimus nos in libris de Jure Naturali & Gentium, ubi de profanando & blaſphemando nomine Dei agitur) Judaeum qui in publico, ſeu coram decem aut pluribus, legem qualemcunque, etiam leviſſimam, ſacram, in gentium perſecutione metus cauſa violarat, mortem בידי שמים *coelitus* mereri. Lolianum autem & Pipum pro exemplo ſingulari afferunt, utpote שנתנו להם מים בכלי זכוכית צבועה ולא קיבלו מהן *qui, cum dabant eis* Gentiles *aquam in vaſe picto* ſeu *colorato*, forte cultus extranei imaginibus aliquot aut ſacrificiis foedato, *non receperunt ab eis.* Ita Gemara Hieroſolymitana[c]. Alibi idem dies vocatus eſt etiam יום טירון *dies Tirion*, ubi[d] R. Jacob Bar Acha, בטל יום טירון יום שנהרג לוליינוס ופפוס *in deſuetudinem abiit dies Tirion, dies nimirum quo caeſi ſunt Lolianus & Pupus.* Scribitur ibi & פפוס, uti & alibi. Idem ipſum de eis & die Tironis, duodecimo *Adar* collocato, legitur alibi in Talmudis ejuſdem Gemara[e]. Refertur eadem Turiani & Loliani & Pipi hiſtoriola, cum diei feſti inſtitutione eadem, in Gemara Babylonia[f]. Habentur in titulo *Semacoth*[g], qui inter extravagantes Talmudi Babylonio adjectos locum obtinet, eadem ipſa fere verba de Loliani, לוליאנוס illic nuncupati, & Pipi caede, quae velut eorum martyrium ob nominis Dei ſanctificationem ejuſmodi ſub titulo *diei Turiani & Tirionis* celebraretur. Sed caedis autor vocatur ibi טרגיאנוס, quo nihil expreſſius *Trajanum* deſignat. Utrum טורנוס רופוס הרשע *Turnus Rufus improbus*, ſeu *deteſtandus* (qui etiam in Talmude ſubinde ſcribi ſolet, ut vox unica, טורנוסרופוס *Turnus Rufus*) cum *Turiano* aut *Tirione* jam dicto quid habeat commune nondum didici. Illum dico qui in excidio urbis aratrum ſolo ejus in devaſtationis irrecuperabilis ſignum, juxta morem, induxiſſe dicitur[h], alioſque ſapientes ſeu philoſophos, id eſt, theolo-

[x] Megill cap. 11. [y] Vide Joſeph. lib. 13. cap. 23 & 24. Chronicon Templi Secundi, &c. Autorem Cabalicae Hiſtoriae, J. Buxtorfium Lexic. Talmudic. col. 2113. Joſeph. Ben Gorion lib. 4. cap. 12. [z] Gemar. Hieroſolymit. ad tit. *Sota*, cap. 9. fol. 24. Halach. 14. [a] 1 Maccab. vi. 1. [b] Megill. cap. 12. [c] Ad tit. *Shebiith*, cap. 3. fol. 35. col. 1 Hal. 2. [d] Gemar. Hieroſolymit. ad tit. *Thainioth*, cap. 2. fol. 66. col. 1. Halach. 13. & ad tit. *Megillah*, cap. 1. fol. 70. col. 3. Halach. 6. [e] Ad tit. *Megillah*, cap. 1. fol. 70. col 3. Halach. 6. & tit. *Thainioth*, cap. 2. fol 66. Hal. 13. [f] Ad tit. *Thainith*, cap. 2 fol. 18, 2. [g] Cap. 8. [h] Gemar. Babylon. ad tit. *Thainith*, cap 4. fol. 29, 1. ad tit. *Nidarim*, cap. 6, fol. 50, 2. ad tit. *Sanhedrin*, cap. 7. fol. 65, 2. ad tit. *Aboda Zara*, cap 1. fol 20, 1. *Bereſith Rabba*, paraſh. 11. fol. 11. col. 3. Maimon. tit. *Thainioth*, cap. 5. §. 2. *Sepher Tanchuma*, fol. 4. col. 3. & vide Joſ. Scalig. ad lib. Can. Iſag. 3. pag. 304. & Joan. Buxtorf. in Lexic. Talmudico col. 916.

gos

gos & jurisconsultos Ebraeorum, haud parum infestasse. Glossa Talmudica[i], טורנוס רופוס הגמון אחד שמני רופוס *Turnus Rufus*; *imperator* seu *praefectus quidam dictus Rufus*.

Dies 13. יום נקנור *dies Nicanoris*, qui etiam in calendariis vulgaribus, ob caedem ejus, quae ibi narratur, uti etiam in Maccabaicis[k], ubi idem etiam dies memoratur. Tantundem in Gemara Hierosolymitana, ubi יצא, inquit[l], אליו אחר משל בית חשמוני והיה הורג בחייליותיו עד שהגיע להרוגין שלו וכיון שהגיע לקריבון שלו קטע את ידיו והתך את ראשו וגו׳ *contra eum egressus est unus e domo Hasmonaica*, (*unus*, non *una*, ut somniarunt aliqui, Juditham tunc temporis Hasmonaicam eum decollasse, ut ante memoratur, fingentes; aliis hic, uti & *Megilla* ipsa & Maccabaicis, non de persona unica, sed de Juda & exercitu ejus loquentibus) &, *caede per copias ejus peracta usque dum cum accederet, simulac ad eum accessit, manus ejus abscidit, & caput ejus amputavit, &c.* Idem dies festus sic memoratur in Gemara Babylonia[m].

Dies 14 & 15. Festum *Purim* seu sortium[n]; quod in calendariis etiam vulgaribus.

Dies 17. Jannaeus rex, qui & Alexander dictus, sapientibus Israelis, id est sectae Pharisaicae, infestissimus, & Sadducaeis adhaerens, morti eos tradere sibi (ut non semel alias) constituit: unde fugerunt לסוריא ושרו במדינה קוסליקוס *in Suriam*, seu *Syriam*, (quo nomine Talmudicis[o] veniunt regiones Judaeae orientales amplissimae, & quae a Davide rege imperio Israelitico adjectae sunt) & *habitarunt in urbe quae Koslikus dicta*. Inde, cum Gentiles eos trucidare volebant, noctu clam effugerunt. ובאותו היום שברחו משם עשאוהו יום טוב & *diem jam dictum, quo effugere illinc, faciebant diem festum*.

Dies 20. Ob pluviam post diutinam aeris siccitatem a numine singulari *&* חוני המעגל *Choni*[p] seu *Oniae Hamaigel*, id est *Plaustrarii*, interventu impetratam[q]. ואותו היום עשאוהו יום טוב שאין הגשמים יורדין אלא בזכותן של ישראל שנאמר יפתח ה׳ לך את אוצרו הטוב לך בזכותך *Et diem illum fecere festum diem*; *cum pluviae non descendant nisi ob meritum Israelis. Unde dicitur*[r] inter benedictiones veteres, *aperiet Dominus tibi thesaurum suum bonum. Tibi denotat, ob meritum tuum.* Spectat ad Simeonis Ben Shatach aevum, ut ibi liquet & in Gemara citata Babylonia, id est, ad tempora Jannaei regis seu Alexandri.

Dies 28. Decreverant reges Graeciae ne Judaei filios circumciderent, nec legi incumberent, nec sabbatum servarent, nec a cultu abstinerent extraneo. Jehuda tunc Ben Shemuai & socii sui, ut servitute hujusmodi gens solveretur, se contulere ad מטרוניתה אחת שכל גדולי רומי מצויין אצלה ונטלו עצה ממנה *illustrem quandam foeminam, apud quam Romani magnates versantes consilium ab ea capiebant.* Admissi, לא, inquiunt, בני אב אחד אנחנו לא בני אם אחת אנחנו מה נשתנינו מכל אומה ולשון שאתם גוזרים עלינו גזרות קשות וזו משם עד שהתירו להם מצות *Nonne filii ejusdem patris sumus nos? Nonne ejusdem matris filii? Undenam fit ut prae aliis gentibus cunctis linguisque in nos decrevistis adeo gravia decreta? Nec discedebant inde usque dum permittebant eis* servare libere *tria praecepta illa*, de circumcisione, legis studio, & sabbati observatione, nec ad cultum extraneum eos porro adigebant & dein sequitur, אותו היום שהתירו שלש מצות הללו עשאוהו יום טוב & *diem illum, quo permittebant illis tria illa praecepta, fecerunt diem festum.* Idem habetur in Gemara Babylonia[s].

XIII. E codice illo *Megillath Thainith* dicto, diebus festis sic ordinatis subjunguntur complures jejunii dies, ut in calendariis vulgaribus. Eo quidem nomine obiter citari solet Rabbinis codex ille. Atque ut titulus impressus haud alius est, ita ad calcem adjicitur, סליקא לה מגלת תענית *explicit Megillath Thainith.* Sed, ni fallor, ille potius revera est *Midrash* seu expositio codicis vetustioris ejusdem tituli. Etenim aliquoties in eo citatur nomen illud simplex, ut alterius libri, quem hujus autor sequitur, titulus, ut וכתוב במגלת תענית & *scriptum habetur in Megillath Thainith*, ubi[t] de die 14 *Jiar* seu paschate secundo agitur; &[v] במגילה כל הכתוב *omne quod scriptum est in Megillah*; circa luctum & jejunium, ad hunc vel illum modum intelligendum est, quod plane ad *Megillath Thainith* referendum. Atque ad calcem mensium & dierum eorum festorum adjicitur a quibus, ut autoribus, Megilla illa conscripta fuerit. ימי, inquit, כתב מגילת תענית סיעתו של ר׳ אליעזר בן חנינא בן חזקיה בן גרון כתבו מגילת תענית *Et quisnam scripsit Megillath? Coetus* seu *schola R. Eliaezeris Ben Chanina, Ben Ezechiah, Ben Garon scripsere Megillath Thainith.* Haec sane ex ipso codice satis indicare videntur, opusculum ipsum confectum fuisse ex libro alio sic dicto, in quo dies illi denotarentur festi, & ita hoc origines eorum fusius e Talmudicis explicaret, atque *τ͂ς Megillath* velut rationarii locum suppleret. Quo quidem, ut argumentum minime leve, spectant quae in Gemara Hierosolymitana occurrunt de cessatione seu in desuetudinem abitione *τ͂ς Megillath Thainith*, quam tangunt, ut supra notatum est, R. Gedaliah Ben Jechia & R. Azarias Edomaeus. Sed vero etiam ante tempus Talmudis Hierosolymitani liquet notissimum fuisse, eam etiam in desuetudinem (scilicet festorum ejusmodi omnium, seu ullorum, qua illic simul ita congererentur, observationem) ex auctoritate publica evanuisse. Ubi enim in Gemara illa dies aliquot festi[x] jure superinducto tantum nixi tractantur, nec interim observari tunc dicuntur, adjicitur, disciplinam de eis amplexandam fuisse atque obtinuisse עד שלא בטלה מגילת תענית אבל משבטלה מגלת תענית בטלו כל אילו *quamdiu nondum evanuerat* aut *abolita est Megillath Thainith*; *sed a tempore quo abolita est Megillath Thainith* (autoritas scilicet ejus omnimoda licet ob reverentiam legi soleret, & festos die aliquot, ut dedicationis, Nicanoris, sortium aliunde vim per se retinentes, exhiberet) *evanuere*

[i] Ad tit. *Nidarim*, c. 6 fol. 50, 2. [k] 1 Maccab. vii. 43, &c. [l] Ad tit. *Thainioth*, cap 2. fol 66 col. 1 § 13 & ad tit. *Megillah*, cap. 1. fol. 70 col. 3. Hal. 6. [m] Ad tit. *Thainith*, cap. 2. fol. 18, 2. [n] Esther ix 21. [o] Maimonid. Halach. *Terumah*, cap. 1 & videsis J. Buxtorf. in Lexic. Talmudic. col. 1453. [p] De eo videsis *Sepher Juchasin*, fol. 17. 1 & 2. … 3[?], 2. [q] Vide Misnam & Gemar. Babylon. ad tit. *Thainith*, cap. 3. fol. 19, 1 & 21. 1. [r] Deuter xxviii. 12. [s] Ad tit. *Thainith*, cap. 2. fol. 18, 1. [t] Cap. 2. [v] Cap. 11. [x] Ad tit. *Thainioth*, cap. 2. fol. 66. col. 1. Hal. 13.

omnes illi. Ubi Rabbi Ba, ואפילו תימר בטלה מגילת תענית חנוכה ופורים לא בטילו *tametsi abolita fuerit* (sit) *Megillath Thainith, nihilominus dedicationis festum & illud sortium perpetua* manserunt. Tantundem illic alibique in eadem Gemara[y] saepius ex Gemaricorum ore ut indubitatum pronunciatur. Unde illud Rabbi Jacob Bar Acha, בטל יום טירין *Tiriani dies abolitus est*; de quo supra. Babyloniae item Gemarae ἡ מגילת תענית, ubi festa vetera[z] recenset, non semel citatur. Inoleverat enim antiquitus, ut in Hierosolymitana occurrit, dies Ebraeos frequentissime instituisse festos ob beneficia praecellentia & miranda a numine accepta; quos postmodum parili autoritate in numerum multo contractiorem, ut in calendariis, redegerunt. In Christianorum festis idem cernitur: Pro temporum ac locorum discrimine alia aliaque servantur, retinentur, evanescunt. Sed & sententiae interim apud Ebraeos ortae sunt variae de servanda praetermittendave festorum illorum quae ex jure superinducto, nec ex lege sacra, stabilirentur observatione, ut videre est maxime in Gemaris Hierosolymitanis superius memoratis. Ex jam dictis, codicem illum quo impresso utimur non ipsam esse *Megillam*, sed ejusdem explicationem, existimavi. Citatur quidem τῷ Rabbi Nissim[a] המדרש *Hamidrash, expositio*; ubi inde ait caseum a filia Joannis Hasmonaei ad imperatorem seu praefectum, (ut supra etiam dicitur) allatum eum inebriasse. Atque verba ejus a R. Azaria[b] citantur. Sed qualisnam fuerit *Midrash* ille non constat. Nec quidem illud de caseo habetur in codice jam dicto de filia Joannis, sed filia Mattathiae F. Joannis. Nec praetereundum, scriptorem luculentum Mahumedanum, Abulaibsan Achmed Calcasendium (dum historica, geographica, astronomica, alia congerit, inseritque etiam festa AEgyptiorum, Persarum, & demum Judaeorum, velut ex eorum disciplina de eis satis instructus, & Judaica recte, in ea quae lege sacra nituntur, & quae aliunde superinducta sunt, tribuit) secundi generis haud alia afferre[c] praeter bina illa quae *Purim* seu *Sortium* & dedicationis & luminum sunt, quasi ab eis qui eum edocuerant didicisset, reliqua generis secundi in desuetudinem, quantum ad obligationem saltem universalem attinet, abiisse. Sed de encaeniis, eorumque apud Ebraeos celebratione solenni, hactenus.

CAP. XIV.

I. *Notiones τῆς* חנוכה *dedicationis, encaeniorum, apud Ebraeos perpenduntur binae; quarum altera consecrationem aliquam non omnino complectitur. Dedicare domum ex lege in Mosaicis militari. Latinis ejusdem vocis notionis usus.*

II. *Singularis dedicationis, ex lege illa, domus interpretatio in Targum Jonathanis dicto. Et de Mazuzis seu schedis quae periochis e Deuteronomio binis inscriptae postibus erant ex lege affigendae. Quaenam aedium seu structurarum genera lege illa continerentur.*

III. *Dedicationum ararum, fanorum, id genus aliorum quae figerentur sacrorum, usus in Graecorum veterum Paganismo, veluti Ebraeorum morem ante indicatum imitabundo. Ollarum frugibus & leguminibus omnigenis elixis plenarum in eisdem usus simplicior tenuiorque; sacrificiis itidem sumptuosioribus, pro dedicantium libitu, adhibitis. De Pluti & Pacis dedicatione apud Aristophanem.* Χύτροι *seu festi Anthesteriorum dies tertia eucharistica ob primum hominum, post cataclysmum Deucalioneum, victum ex leguminibus frugibusque; unde etiam, in dedicationibus, ollae illae. Non sine auctoritate publica apud Graecos dedicationes, novave numina permissa.*

IV. *Persis veteribus, aliisque in oriente & Africa, dedicationes nullae; utpote nec arae, imagines, aut templa. De Serum gente apud Celsum eandem disciplinam amplexante. Nec simulacra diu ab urbe condita apud Romanos, qui tandem superstitiosissimis tam illorum quam templorum dedicationibus usi sunt.*

V. *Plebis, senatus, principum auctoritate fiebant illae. De ritibus, verborum formulis, personis quae praeessent. Postis ostii inter dedicandum aedem sacram manu tenendus. Focus accensus. Concepta augurum in finibus designandis verba.*

VI. *Pulvinaria, ludi, epulae, largitiones publicae tandem dedicationibus accessere; etiam vota ut plurimum praevia.* Κατακλίσεις *apud Origenem in Celsum pro pulvinaribus sumendae videntur. Quales plerumque in marmoribus dedicationum formulae repertae.*

VII. *Anniversaria dedicationum festaludique apud Romanos. Asseritur Livii lectio recepta, quam vir doctus pridem temere immutandam voluit.*

VIII. *Singularis Deum magnorum, matris Deum, & Attidis seu Attinis, &*

[y] Ad tit. *Megillath*, cap. 1. fol. 70. col. 3 & 4. Halach. 6. [z] Ad tit. *Thainith*, cap. 2. fol. 17, 2 & 18, 2. [a] Ad Alphes. tit. *Sabbath*, cap. 2. fol. 10, 1. [b] *Meor Enaiim*, part. 3. cap. 51. pag. 163. [c] Part. 1. MS. penes me pag. 530 & 531.

sacrificiorum quae Taurobolium & Kriobolium dicta, prae caeteris, in dedicationum formulis marmoreis, mentio. Tauroboliari & Tauroboliatus. Taurobolini. Vicennalis sacrorum illorum periodus. Ut renati, ac puri redditi; per vicennium illud Tauroboliati mansere. Magnae Deae Lavatio Romae.

IX. *Tauropolium pro Taurobolio. Sacra Taurica. Taurus, quibusnam diis rite immolandus. In Tauricis (qua Dianam Scythicam seu Tauricam, sive illa sive Tauropolia, quod festum, alia in notione erat Dianae illi proprium, spectant) locum non omnino habuisse Tauri immolationem. Unde illa Tauropolos dicta. Ludi Taurii.* Ταυροκαθάψια, *ludus seu certamen, in codicibus ante non lectum, ejusque ex veteri marmore figura. De capitibus Bubalinis in aedis Londini Paulinae coemeterio olim effossis, cervi cervaeque oblatione annua, capitumque eorum circumgestatione illic solenni, unde Dianae fuisse olim eam templum, ritusque ibi olim praestitos illos Tauropolia paganorum redolere, existimatum est. Cervorum ibi oblationis circumgestationisque origo plane christiana, nec trecentis abhinc supra octoginta annis vetustior.*

X. *Templorum, ararum, regionumque circumjacentium effandarum formulae aliquot Romanorum ampliores. Leges dedicationis tabulis in marmoreis affixae. Legum ejusmodi in solo non Romano ratio apud Romanos non habebatur. Mendum crassissimum in editionibus plerisque dedicationis marmoreae perinsignis sub Adriano Augusto, Cneii scilicet Domitii Valentis, corrigitur.*

CUM autem apud Ebraeos חנך & חנוכה ἐγκαινίζειν & ἐγκαίνια & ἐγκαινισμὸς seu *initiare* ac *initia* seu *initiamenta* ac *dedicare* & *dedicationem* significent; advertendum est interim, verba illa cuncta, pro rei circa quam versantur discrimine, nunc consecrationem seu usibus sacris cultuique divino addictionem sive primam sive denuo instauratam, adeoque ἀφιέρωσιν, ἀνατιθέναι τῷ Θεῷ, & similia, nunc etiam *inchoare*, *incipere*, primo *frui*, sine consecratione aliqua, denotare. Sed & *inchoare*, ut *verbum sacrorum* est, quod scribit Servius [d], *perficere* denotat seu consummare sacra. Et significatio τοῦ חנך prior perquam obvia est in sacris literis [e], passimque usitatior. Altera occurrit in lege illa militari, qua ubi in bellum arbitrarium (nam ad bellum ex praecepto gerendum hoc non attinuit [f]) exeundum esset, & משוח מלחמה sacerdos *unctus in bellum*, & delectus copiarum ministri שוטרים dicti, omnibus qui in procinctu essent, reliquisque proclamabant [g], *Vir ille qui aedificavit domum* novam ולא חנכו καὶ οὐκ ἐνεκαίνισεν αὐτὴν, & *nondum dedicavit eam* (Judaei Hispanienses, *y no la estreno*, hath not taken hanself of it, Galli, & *ne l'a point dediée*, Angli, and hath not dedicated it, ut & alii & veterum, ut Syrus & Arabs, & recentiorum, excepta Pseudo-Uzielidis singulari ibi expositione, de qua statim) *vadat & redeat in domum suam, ne forte moriatur in bello, & vir alter* יחנכנו ἐγκαινιεῖ αὐτὴν, *dedicet illam*, Judaei illi, *y varon otro la estrenara*. Adjunguntur ibi sponsus novus, & qui novam plantasset vineam; ut bello immunes. Et quoniam de sponso novo alibi [h] legitur lex itidem militaris, velut huc spectans, *Cum acceperit quisquam uxorem novam, non egredietur ad militiam, nec quicquam aliud transibit super eum. Sed immunis erit domi anno uno, laetabiturque cum uxore quam accepit*, nec de reliquis binis tempus immunitatis aliquod praescribitur, ideo, ut מפי הקבלה *ex avita* seu *Mosaica traditione*, receptum est apud Talmudicos [i], idem ipsum tempus triplici illi hominum generi pariter esse tribuendum; adeoque illum tandem, hoc sensu, dedicasse domum suam novam, qui sive per annum integrum a tempore aedificationis, aliusve sive ex empto, sive ex donatione, aut haereditaria successione, acquisitionis legitimae (neque enim de aedificatione sola legem capiunt) eam inhabitarat, sive alteri ob pretium annuum incontinenti solutum locaverat: Ita enim quasi per annum unicum domo sua fruitus est. Josephus [k] item de tempore illo annuo expressim loquitur, ubi inter eos qui immunes essent a militia recenset τοὺς νεωστὶ δειμαμένους οἰκίας, οἷς οὔπω χρόνος ἀπολαύσεως ἐνιαύσιος, *novas domus aedificantes, quibus nondum fuit tempus fruendi annuum*. De domo autem sic constructa aut acquisita nova nolunt intelligi aut porticum aut atrium aut domum aliquam cujus quadratum non fuerit cubitorum quatuor, aut eam quam sibi quis vi ab alio comparaverat, aut demum extra terram sanctam aedificaverat. *Dedicare* sic, pro uti fruique velut primitiis domus, aut usum ejusdem auspicari, Talmudicis sumitur, quemadmodum etiam apud Latinos in Suetonii illo de Nerone [l], *Ejusmodi domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare coepisse*. Qui & alibi habet *dedicationem patinae* [m] pro usu primo. Et bene quidem vim illam vocabuli refert ad legem illam militarem vir summus Isaacus Casaubonus, ut supparem. Simili sensu Paulus [n] dixit, Pater putans filii demortui togam suam esse, *dedicavit eam in funus*; scilicet usibus funeris qualibuscunque solennibus destinavit. Item Adrianus Augustus in epistola ad Servianum consulem [o], *Calices tibi alassontes versicolores transmisi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meae*

[d] Ad AEneid. 6. ——*nocturnas inchoat aras.* [e] Numer. vii. 10, 11, 84, 88. 1 Reg. viii. 63, &c. Levitic. xxvii. 14, &c. [f] Maimonides Hal. *Melakim*, cap. 7. §. 4, &c. [g] Deuter. xx. 6. [h] Ibid. cap. xxiv. 5. [i] Maimonid. Halach. *Melakim*, cap. 7 §. 10, &c. [k] Archaeolog. 4. cap 8. [l] Cap 31. [m] In Vitellio, cap. 13. [n] Lib. 19. D. tit. De in rem verso. [o] Ex libris Phlegontis apud Vopiscum in Saturnino.

specia-

ſpecialiter dedicatos, quos tu velim feſtis diebus conviviis adhibeas. Ita pariter quoad perſonam tum intranſitive tum tranſitive verbum uſurpatum eſt. Ejuſmodi itidem uſus verbi *dicare* & *dicatio.* Aliter autem accepere viri aliqui docti [p] Neronis dedicationem illam, pro ea nempe quae fieret *profano cultu & exſecrando*, quaſi ἀφιέρωσις illic fuiſſet aliqua. Etiam & illud Deuteronomii ſumunt, quaſi *ſanctiore ritu populi ſui habitacula voluit Deus eſſe conſecrata*, quaſi quid illic de conſecratione innueretur. Adjecto, *Laudatiſſimo itaque cultu eccleſia utraque domos novas benedicit & dedicat.* Benedictiones quidem domorum novarum fundamentorumque earum ſimul & inhabitantium, cum precibus, adhibitas, ſcimus ex euchologio & ritualibus Romanis. Sed in eis nihil de dedicatione alio in ſenſu quam juxta poſteriorem hic vocis notionem; niſi etiam dapes, quas non ſine benedictionibus praeviis comedimus, priori in vocabuli ſenſu dedicatas quis perperam autumaret.

II. In Targum autem Uzielidi tribui ſolito lex illa militaris de dedicatione domus novae ſic exſtructae [q] ita concipitur, מאן גברא די בנא ביתא חדתא ולא קבע ביה מזוזתא לשכללותיה יהך ויתיב לביתיה דלמא יגרום ליה חובה דיתקטל בקרבא וגבר חורן ישכלליניה quod vertit Cevalerius [r], *Quis eſt vir qui aedificavit domum novam, & non fixit in ea poſtes ad fundandum ipſam? Eat, & revertatur rurſus in domum ſuam, ne occaſionem praebeat illi peccatum ut interficiatur in bello, & vir alter fundet eam.* Quod de poſtibus figendis, atque ita domo fundanda, ſic dicitur, non ſatis capio. Qui aedificaverit, fixit, puto, poſtes. Sed alia omnino, ſi quid video, paraphraſtae illi mens. *Poſtem* quidem Chaldaice τὸ מזוזתא, ab Ebraeo מזוזה, denotare certum eſt. Atque ita uſurpatur in praecepto [s] de verbis legis aliquot poſtibus portiſque inſcribendis; וכתבתם על מזוזות ביתך ובשעריך *Et ſcribes ea ſuper poſtes domus tuae, & in portis tuis.* Jam vero & Chaldaice & Rabbinice voces illae a poſte & portis ipſis tranſlatae ſunt ad ſignificandum itidem membranas ſeu ſchedas ipſas artificioſe ex lege inſcribendas, poſtibuſque & portis, ex ſcriptionis illic mandato, affigendas. Adeoque לקבוע מזוזה בפתחי השערים *affigere Mezuza* (ſeu *membranam* ejuſmodi) *in foribus portarum*, obvium habetur apud Talmudicos [t], alibique in paraphraſtis Chaldaicis praeceptum illud explicantibus. Unde Onkelos loco utroque Deuteronomii jam citato, ותכתבינון ותקבעינון בסיפי ביתך ובתרעך *Et ſcribes ea ſuper poſtes, & affiges ea in liminibus domus tuae, & in portis tuis.* Et Maimonides, ubi accuratam *Mezuzae* ſcribendae convolvendaeque rationem tradit [v], addit, tum aptandam eam eſſe poſtibus oſtiorum, adeo ut בשפופרות של קנה או של עץ או של כל דבר *cavae fiſtulae ex canna aut ligno aut alia quacunque materie* impoſita poſſit clavo aliave ejuſmodi re poſtibus adjungi; & demum, וקודם, inquit, שיקבענה במזוזת הפתח מברך תחלה ברוך אתה י״י אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו לקבוע מזוזה ואינו מברך בשעת כתיבתה שקביעתה היא המצוה *Et priuſquam eam affigebat* qui ſic praeparaverat *in poſte oſtii, adhibenda erat tunc primum benedictio haec, benedictus ſis tu, Domine Deus noſter, rex mundi, qui ſanctificat nos mandatis ſuis, & praecepit nobis affigere Mezuzam*, ſeu ſchedam jam dictam. *Nec benedictio adhibenda erat in ejuſdem ſcriptione. Nam affixio ejus erat ipſum praeceptum*, ſeu *praecepti ſenſus.* Et circa hanc rem compluria derivant ſibi ut a Moſe ex Sinai tradita. Ejuſmodi ſunt non pauca de uſu hic verbi *figendi* aut *affigendi*, & τῷ מזוזות, qua ſchedas jam dictas denotant. Hinc etiam illud [x], יהוה ישמרך יהוה צלך על יד ימינך *Dominus cuſtos tui, dominus umbra ſuper manum tuam dexteram* (quod in Chaldaica paraphraſi regia, Buxtorfiana, Jaiana quaſi idem ipſum eſt) in Bombergiana redditur, י״י ינטרינך יטליל עלך מן בגלל מזוזתא דקביעא על סטר ימינך במיעלך *Dominus cuſtodiet te, Dominus obumbrabit tibi propter Mezuztha* (ſchedam illam) *quae affixa eſt ſuper latus dexterae tuae in introitu tuo.* Alibi etiam paraphraſis illa in editionibus cunctis, pro eo quod eſt, *Laeva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* [y], ſubſtituit, אמרת כנישתא דישראל אנא בחירתא מכל עממיא די אנא קטרא תפילין ביד שמאלי וברישי וקביעא מזוזתא בסטר ימינא דרשי תולתא לקביל תיקי דלית רשו למזיקא לחבלא בו quod in regiis vertitur, *Dixit ſynagoga Iſrael, Ego electa ſum ſupra omnes populos, quia ego alligo frontalia manui ſiniſtrae meae & capiti meo, chartulaque (Mezuztha* ſeu ſcheda jam dicta) *affixa eſt lateri dextero portae meae, cujus tertia pars reſpicit thalamum meum, ut non habeant licentiam daemones ad me nocendum.* Unde etiam *Targum* Uzielidis dictum; locum illum de poſtibus ex praecepto inſcribendis, ותכתובינון על מזוזיין ותקבעינון בתולתא לקבל תקי על ספי ביתך ובתרעך מימינא במיעלך quod vertit Cevallerius [z], *Et ſcribes ea ſuper poſtes, & affiges ea in tribus locis in ſuperlimineri poſtium domus tuae, & in porta tua a dextra ingreſſus tui.* Lectionem illam בתולתא, quod *in tribus locis* eſt Cevallerio, vertit Buxtorfius filius [a], *Et affiges eas tertia parte ante thalamum ad limina domus tuae.* Sed inquit, *pro* בתולתא, *quod eſt a* תלת *ſignificationis* שלש, *quidam legunt* בחילתא, *id eſt, in calamo cavo*, aut fiſtula; quod jam dictis juxta veteres e Maimonide eſt conſonum. Nec quidquam ſive τῷ *tribus in locis* ſive *tertiae parti* hic apud Talmudicos reſpondens hactenus didici. Utcunque autem ſe lectio haec habeat, ſatis manifeſtum fore ex uſu opinor τῶ לקבוע *affigere* Mezuzas tam frequenti, mentem autoris paraphraſis illius de dedicatione domus in bellum alias profecturi fuiſſe, adeoque verſionem debere fieri, *Quis eſt vir qui aedificavit domum novam, & nondum affixit in ea Mezuzam* ſeu *ſchedam illam ad perficiendam eam?* (ſeu habitationi juxta legem idoneae nondum aptavit) *eat, & revertatur rurſus in domum ſuam, ne occaſionem praebeat illi peccatum ut interficiatur in bello, & vir alter ſic perficiat eam.* Nec mihi locus videtur ullus τῷ שכלל in notione *fundandi*, cum neceſſario in ipſa exſtructione fundaretur domus, ante allocutionem

p Jacobus Goar in Euchologium, pag. 606. q Deut. xx. 6 r MS. s Deut. vi 9. xi. 20. t Maimonid. Halach. *Tephi'lin*, cap. 1, &c. alii obiter. v Ibid. cap. 5. §. 6, 7. x Pſal cxxi. 5. y Cantic. viii. 3. z MS. a Lexic. Talmud. col. 2587 & 2601.

illam

illam in procinctu. In *Mezuzis* autem illis accuratius ſcriptae fuere periochae binae ſacrae [b]; altera e Deuteronomii capitis ſexti verſibus 4, 5, 6, 7, 8 & 9, ubi praeceptum habetur de ſcriptura poſtibus affigenda; altera ex ejuſdem capitis undecimi verſibus 13, 14, &c. uſque in 21, ubi tantundem occurrit. Schedulae illae ſic poſtibus affixae aedibus ita ſeu poſtibus ipſis cedebant, ut conductor ſive qui illas ibi reperiſſet, ſive qui ipſe affixiſſet, cum diſcederet, auferre jure nequiret [c]. Regulariter aiunt alia aedificia, praeter domos דירה *habitationi* aptatas, eaſque cubitorum quatuor minimum ſpatio quadratas, praecepto de *Mezuzis* nequiquam teneri, adeoque nec ſtructuras templi, aut ſynagogas, in quibus habitatio nulla; exceptis tamen in templo porta Nicanoris ejuſque interioribus, & conclavi פרהדרין d . . . quod erat בית דירה לכהן גדול בשבעת ימי הפרשה *Domus habitationis pontificis maximi per ſeptiduum ſeparationis ſuae*, ante feſtum nempe expiationum; atque exceptis itidem portis atriorum, introituum in aedes ex diſtantia ducentium, urbium ac oppidorum; quoniam receptum erat, אם היו בתים החייבין למזוזה פתוחין למקומות אלו חייבין במזוזה *Si fuerint domus praecepto Mezuzarum obligatae, introitus ad loca ejuſmodi ſimiliter eſſe obligatos.* Affixae autem erant ad latus dexterum [d] introeunti. Si plura eſſent domui oſtia, uniuſcujuſque poſtibus pariter affigendae erant [e]. Temperamenta ac ſubtilitates perquam numeroſae ex veteribus habentur hac de re, in Maimonidis tractatu *Tephilin Wemazuza*; quo, qui Talmudica hic velit plura, ſe conferat. Quicquid autem ſtatuendum fuerit de ſententia illa paraphraſis Jonathanis dictae, qua ipſam dedicationem in *Mazuzis* affigendis (quarum praecepto aedificia in habitationem univerſa obligabantur) nulla temporis annui ratione habita, conſiſtere vult; id certum eſt, non ſine benedictione ſolenni ante oſtenſa, ac ſcheda illa ſacra poſtibus affigenda, dedicationem ipſam rite perfici potuiſſe; quia ſcilicet ſimulac aedes exſtruebantur affigendae erant. Sed in dedicatione illiuſmodi, aut benedictione, *Mezuzaeve* uſu, nulla habebatur conſecratio ſeu in ſacros uſus addictio.

III. Ab Judaeorum exemplis, ſicut & alia compluria, dedicandi ac in ſacros uſus conſecrandi inolevit [f] manavitque mos apud Gentiles, ut aedes eorum ſacrae, arae, deorum ſtatuae, ambituſque circumjacentes per ſolennia ſacra, quae tum euchariſtica eſſent tum propitiatoria, ac velut התודות ſeu ſacrificia illa Ebraeorum in dedicationibus ſuperius memorata, dedicarentur, uti & interdum transferrentur, ampliarentur, reficerenturque. Graeci veteres πολυτελεστέροις ἱερείοις *ſacrificiis ſumptuoſioribus*, ut victimis, pro arbitrio, aras, templa, ſtatuas deorum dedicare quidem ſolebant [g]. Sed vero qui manu etiam tenaciore in dedicationem offerebant, nec victimas hoſtiaſve ſumptuoſiores, χύτρας *ollas* adhibebant more ſolenni a mulieribus (uti etiam legitur) ſuper capita circumferendas, in quibus πανόσπερμα ſeu leguminum omnigenum elixorum mixtio, unde libatio fieret ἀφιδρυμένοις diis *dedicatis* euchariſtica & propitiatoria. Apud Ariſtophanem ejuſque ſcholiaſten, indeque penes Suidam, luculenta hac de re habentur teſtimonia. In lepida illa Pluti [h] in deum dedicatione deſtinata, anus in adoleſcentuli, quem deperibat, gratiam amictu verſicolori ornata, & circa dedicationem illam haud parum ſatagens, Carionem Chremyli ſervum rogat quid faceret ipſa, ſeu quomodo in ſolennitate ſe gereret; cui ille,

——— Τὰς χύτρας αἷς τὸν θεὸν
Ἱδρυσόμεθα, λαβοῦσ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρε
Σεμνῶς. ἔχουσα δ' ἦλθες αὐτὴ ποικίλα·

Ollas quibus deum conſecraverimus accipias, & ſuper caput deferas graviter ſeu *gradu honeſto. Adveniſti vero ipſa verſicolores habens* veſtes; quaſi dixiſſet, jam ornaſti te eam in rem decenter, id eſt coloribus variis. Ubi Friſchlinus, *nam alioqui verſicoloribus ades veſtibus*, quaſi eam reprehendiſſet Cario, aut ludificaſſet, ob habitum illum velut ſacris ejuſmodi haud ſatis decentem, nec gravitati & venerationi in dedicatione adhibendae idoneam. Sed ſcholiaſtes vetus ibi expreſſim, Ἔθος γὰρ ἦν ἐν τοῖς ἱδρύσεσι τῶν ἀγαλμάτων, ὀσπρίων ἑψημένων χύτρας περιπομπεύεσθαι ὑπὸ γυναικῶν ποικίλως ἠμφιεσμένων· καὶ τούτων ἀπήρχοντο χαριστήρια τοῖς θεοῖς ἀπονέμοντες, *Mos enim erat in dedicationibus ſtatuarum* diis ſacratarum *leguminum elixorum ollas circumgeſtari a mulieribus verſicoloribus veſtitis. Atque ex hiſce ſacra in gratiarum actiones diis libabant.* Ita igitur veſtes verſicolores ipſae ſolennitatis pars erant neceſſaria. Et dein idem ibi, Ὁπότε μέλλοιεν βωμοὺς ἀφιδρύειν ἢ ἄγαλμα θεῶν, ἕψοντες ὄσπρια ἀπήρχοντο τούτων τοῖς ἀφιδρυμένοις εὐχαριστήρια (legitur etiam χαριστήρια ibi) ἀπονέμοντες τῆς πρώτης Δίαιτης, *cum vellent aras dedicare aut ſtatuam deorum, elixabant legumina, e quibus libabant diis conſecratis, euchariſtica dantes primi victus nomine.* Quam in rem ex Ariſtophanis ipſius Danaidibus, quae periere, diſtichon affert,

Μαρτύρομαι καὶ Ζηνὸς Ἑρκίου χύτρας,
Παρ' αἷς ὁ βωμὸς οὗτος ἱδρύθη ποτέ,

Teſtor autem Jovis Hercii ollas, quibus ara haec olim dedicata eſt. Etiam de veſtium verſicolorum hic uſu, ad ποικίλα, λείπει, inquit, τὰ ἱμάτια. ἵν' ᾖ, ποικίλα ἱμάτια ἔχουσα σεμνῶς ἦλθες, *ſubauditur veſtis, cum ſenſus fuerit, habens veſtes verſicolores adveniſti ipſa, ut apte in rem ornata.* Atque juxta intelligunt poetam de verſicoloribus ibi Carolus Gerardus, Alexander ab Alexandro [i], alii. Sed hoc de veſtibus ejuſmodi, pace ſcholiaſtis, forſan Carionis tantum ſcomma fuerit in anum ridiculam ſic veſtitam, quam plane in his caeteriſque ludibrio habet. Neque enim alio in loco (ut ſtatim liquebit) poetae ſcholiaſtiſque ipſius, ubi, pro dramatis ratione, ſerio magis de dedicandi hoc ritu pariter agitur, quidquam occurrit de mulieribus ipſis, ut quae ſolae ſic dedicarent, nedum de veſtitu ejuſmodi adhibendo. Jocando etiam, nec aliud omnino faciundo, Cario ibi, cum anus ridicula ſe ollas alla-

[b] Maimonides Halach. *Tephillin*, cap. 1. §. 2. & cap. 5. §. 1. [c] Ibid. §. 11. *Peſiktha Zotertha*, fol. 69. col. 1. [d] *Sepher Siphri*, fol. 34. col. 133. [e] Maimonid. Halach. *Tephilin*, cap. 6. §. 10. [f] Guil. Stuckius de Sacrificiis, pag. 58 & 59. alii. [g] Scholiaſt. in Ariſtophanis Irenen, Scen. Chori & Trygaei, & apud Suidam in Χύτραις. [h] Act. 5. Scen. 3. [i] Genial. Dierum, lib. 6. cap. 14.

turam

turam ait, quasi ollas qualescunque satis idoneas dedicationi existimasset,

Καὶ μὴν, inquit, πολὺ τ̃ ἄλλων χυτρῶν τ'αναντία
Αὗται ποιοῦσι. τ̃ μὲν ἄλλαις γὰρ χύτραις
Ἡ γραῦς ἔπεσ' ἀνωτάτω· ταύτης δὲ νῦν
Τῆς γραὸς ἐπιπολῆς ἔνεισιν αἱ χύτραι.

Certe longe diversum hae ollae dedicationi adhibendae ab aliis faciunt ollis. In aliis spuma (quae inter jocandum γραῦς hic, quod *vetulam* significat, agnominatione ridicula, sed ei non impari, dicitur ; nam spuma elixorum γραῦς, licet raro, veteribus, ob canitiem nuncupatur) *in summo esse solet. Hujus autem spumae* (seu vetulae) *ollae ipsae summum tenent.* Nam, juxta disciplinam illic Carionis, super caput anus gestandae erant. Alibi autem apud eundem poetam[k], postquam Trygaeus agricola cantharo in coelum vectus, Mercurii ope Pacem deam e barathro, ubi recondita fuerat, in Graeciae suae commodum, ut omnium servator, redemerat, chorus, populi nomine,

ΧΟΡ. Ἄγε δὴ, inquit illi, τί νῷιν ἐντεῦθενὶ ποιητέον;

Age vero. Quid jam nobis hac in re faciendum est?

Et dein ita interloquuntur,

ΤΡΥΓ. Τί δ' ἄλλο γ' ἢ ταύτην χύτραις ἱδρύτεον;
ΧΟΡ. Χύτραισιν, ὥσπερ μεμφόμενον Ἑρμίδιον;
ΤΡΥΓ. Τί δαὶ δοκεῖ, βούλεσθε λαρίνῳ βοΐ;
ΧΟΡ. Βοΐ; μηδαμῶς, ἵνα μὴ βοηθεῖν ποι δέοι.
ΤΡΥΓ. Ἀλλ' ὑὶ παχείᾳ καὶ μεγάλῃ; ΧΟΡ. μὴ, μή.
ΤΡΥΓ. τιή;
ΧΟΡ. Ἵνα μὴ γένηται Θεαγένους ὑηνία.
ΤΡΥΓ. Τῷ δαὶ δοκεῖ σοι δῆτα τ̃ λοιπῶν; ΧΟΡ. Ὀΐ.
ΤΡΥΓ. Ὀΐ; ΧΟΡ. Ναὶ μὰ Δία ———

TRYG. Quid aliud quam eam deam scilicet Pacem *ollis dedicare?* (sumptus enim in his parcissimus, sed, ut videtur inde, usitatissimus) *CHOR. Ollis, ut Hermulam* seu *Mercuriolum conqueri solitum?* (seu de quo queri solent alii ob vilius ejusmodi sacrificium ei factum) *TRYG. Quid tum videtur? an juvenco Larino? CHOR. Juvenco? non omnino, ne forte hostes reperiamus* (quod Paci non consonum. Sed lusus est ex vocabulis βοΐ & βοηθεῖν. Q. Septimius Florens vertit, *absit juvenco, ne juventur proelia.* Βοηθεῖν autem, cum significet etiam *hostibus occurrere*, quod Paci ita alienum, scholiastes ibi interpretatur ἐπὶ μάχην δραμεῖν, *in pugnam irruere*) *TRYG. An vero sue pingui & magna? CHOR. Non, Non. TRYG. Curnam ita? CHOR. Ne committatur Theagenis* (hominis nimis sordidi & odorem suillum spirantis) *suilitas. TRYG. Reliquorum igitur* sacrificiorum *quidnam tibi tandem adhibere placet; CHOR. Ovem. TRYG. Ovem? CHOR. Ita per Jovem.* Atque ita adhibita est, ut sacrificium ollis istis lautius, ovis in dedicatione illa; qua de re plura ibi postea sequuntur. Trygaeus item,

Ἴθι νῦν ἄγ' ὡς τάχιστα τὸ πρόβατον λαβών.
Ἐγὼ δὲ πορίσω βωμὸν ἐφ' ὅτου θύσομεν.

I nunc, ovemque duc prehensam. Ego interim aram praeparabo super quam sacrificabimus. Aderat dein ignis, & canistrum, in quo secespita sub molis salsis & corona occulta ; uti & tibicen. Tunc inquit Trygaeus ministro suo,

Ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ χέρνιβα
Περίιθι τ̃ βωμὸν ταχέως ἐπὶ δεξιά.

Age, cum canistro sume aqualem trullam; & circumito lustrans *aram dextrorsum.* Aquae intincta fax, ad illam purificandam ; hordea sparsa ; preces tandem & vota numini concepta ;

Δέξαι θυσίαν τ̃ ἡμετέραν,

Accipe sacrificium hoc nostrum, &c. Cum autem super aram pacis sic dedicatae immolaturus erat minister, Trygaeus ex disciplina sacra prohibuit, atque extra ferri jussit, ibique immolari, & τὰ μηρία *clunes, coxas*, seu *femora*, tunc inferri, ut inde, sed sine sanguine sparso, deae libaretur[l]: Etenim haud cruentanda ejus ara. Et cum festum ei quotannis celebrari soleret, in ipso synoecesicn[m] festivitate, ἀναιμακτὶ *sine sanguine* ad aram ei sacrificabant, licet vere interim dicat illic jocando Trygaeus Hierocli,

Εἰρήνην εἵλοντο, καὶ ἱδρύσανθ' ἱερείῳ,

Pacem accepere, & dedicarunt eam sacrificio, sumptuosiori scilicet ollis illis. Et quae ad Plutum, hic habet ad pacem itidem scholiastes, excepto illo de mulieribus versicoloribus. Ita sacrificiis nunc minoribus nunc majoribus ab ollis leguminum ad victimas pretiosiores, pro libitu & devotionis discrimine, deos suos, eorumque aras, statuas, etiam & templa ac appendices, dedicabant ; hoc in primis temperamento adhibito, ut sacrificii sive genere sive modo deo ipsi dedicando (ut hic cruoris erat sparsio seu effusio) neutiquam idoneo non omnino uterentur. Advertendum autem illud apud scholiasten, εὐχαριστήρια ἀπονέμοντες τ̃ πρώτης διαίτης, quod transtulimus, *eucharistica dantes primi victus nomine*, Hieronymus Wolfius vertit, *ob memoriam grati animi de primo victu*; AEmilius Portus, *pro primo victu gratias illis agentes*; Alexander ab Alexandro[n], *ollas leguminum circumferunt, illasque gratias agentes, erectoribus dividunt*; ubi Graecorum mens mire pervertitur. Hoc, opinor, de χύτραις seu *ollis* illis signanter dictum, velut originem, spectat id quod receptum erat de ejusmodi sacrificio in χύτροις, quod festum erat, χύτραι[o] item dictum, die 13 Anthesterionis mensis quotannis celebratum[p], id est, tertio Anthesteriorum post Pithoegia & Choas, quibuscum male confunduntur etiam apud veteres interdum χύτροι. Retulit enim Theopompus[q] διασωθέντας ἐκ τ̃ κατακλυσμοῦ ἑψῆσαι χύτρας πανσπερμίας, ὅθεν οὕτω κληθῆναι τ̃ ἑορτὴν, *servatos e diluvio* Deucalioneo *elixasse ollas omni seminum genere refertas; unde festi* (seu chytrorum) *nomen illud sortitum est*, & sacrificasse Mercurio terrestri. Suidas autem, in festo illo πᾶν σπέρμα εἰς χύτραν ἑψήσαντες, ἔθυον Διονύσῳ καὶ Ἑρμῇ, *omnigena semina elixantes in olla, Baccho & Mercurio sacrificabant*; scilicet Athenienses. Atque ipse interpre-

[k] In Irene, Scen. *Chorus, Trygaeus.* [l] Videsis Lilium Gyraldum Hist. Deorum Syntag. 17. pag. 528. [m] Scholiast. Ibid. [n] Genial. Dierum lib. 6. cap. 14. [o] Scholiast. ibid. Scen. 3. [p] Philochorus de festis, apud Harpocrationem in χύτροι, & Scholiastes ad Aristoph. Acharnenses act. 4. Scen. 7. [q] Scholiastes ille ibidem, & ad Ranas act. 1. Scen. 5. & Suidas & Phavorinus in χύτροι.

tatur alibi πανσπερμίαν *omnium seminum mixtionem* per παγκαρπίαν *omnigenos fructus*, in quibus leguminα haud pars exigua. Scilicet ut ob legumina atque fructus omnimodos primae post cataclysmum rationi victus seu πρώτῃ hominum qui tunc non perierant διαίτῃ inservientes, eucharistica quotannis in festo illo chytrorum seu τῶν χύτρων *ollarum* Baccho, adeoque diis aliis, peragebantur, ita etiam in libationibus ex ollis leguminibus plenis & dedicationibus sic adhibitis, gratias ob primum illum ex frugibus ejusmodi victum, qui tam ante quam post cataclysmum primus quidem habebatur, agi solenniter, par satis est ut existimemus. Sacrificium enim simplicius illud & incruentum, ut & far pium & saliens mica, numini nulli dedicando non satis, inter alia quae fuerint, nisi sumptus excipias, idoneum. Et scimus ex Xenocrate aliisque apud Porphyrium[r], vetustissimis Atheniensium legibus, deos generatim τοῖς καρποῖς *frugibus*, libis, primitiis venerandos, adeoque pariter dedicandos, ubi hostiae aberant lautiores. Cum autem sacrificiorum genera tam multiplicia fere essent[s] quam ipsa numina, videtur sane in ipsa dedicatione, saltem plerumque, idem adhibitum quod postmodum singulis in usu, utcunque pro sacrificantis liberalitate ultronea subinde auctum. Huc spectat dedicatio Philoctetis arae templique in Cassandrae vaticinio apud Lycophronem,

Ἐν δ' αὖ Μακέλλοις σηκὸν ἔγχωροι μέγαν
Ὑπὲρ τάφων δείμαντες, αἰανῆ θεὸν
Λοιβαῖσι κυδανοῦσι καὶ θύθλοις βοῶν,

In Macellis, Italiae urbe[t], *tandem templum indigenae magnum super sepulcrum exstruentes, aeternum Deum libationibus honorabunt & boum sacrificiis.* Ἐν Μακέλλοις scribitur in editis; orae libri subinde pro lectione varia Μακάλλοις adjecto. Etiam in editione cum Isaaci Tzetzae commentariis Μακέλλοις habetur, licet in commentariis legat Tzetzes ipse indubitanter Μακάλλοις. Atqui in MS. codice Lycophronis cum Tzetzae commentariis Arundelliano, certe antiquo, tam poeta ipse quam commentarius habet ἐν Μακάλλοις. Simile occurrit etiam apud Lycophronem de Parthenopes templo exstructo & libationibus sacrificiisque annuis honorato, id est, eisdem dedicationi adhibitis, & postmodum quotannis iteratis. Atque ita quidem Salomon, Zorobabel, Judas Maccabaeus, Herodes sacrificiis, juxta ante indicata, quae Deo O. M. ex se idonea fuere, dedicationibus pro libitu & variatim utebantur. Quibusnam vero ex auspiciis, & quorum autoritate publica, an pontificis, an magistratus alicujus, penderent dedicationes ejusmodi apud Graecos (quemadmodum apud Ebraeos, atque, ut statim ostendetur, Romanos) ex comicis apud Aristophanem exemplis illis non quidem liquet. Nec scenam adeo levem voluit poeta gravioribus ejusmodi rebus interturbare. Caeterum nisi Areopagitae, aliive quibus permissa potestas publica, adprobarent, ἐπιθέτου seu *novi numinis*, etiam & veteris seu jam ἐγχωρίου & publici, qualemcunque dedicationem in usum publicum (quicquid de laribus, penatibus, idque genus caeteris fuerit dicendum) puto nullam pro legitima Athenis habitam; quod elicere non difficile est ex eis quae de festis adnotat Harpocration[v] ex Isocratis Areopagitica & Lysiae apologia ad Mixidemum, unde idem habet Suidas[x]. Tantundem etiam ex Socratis judicio ob illata nova pro numinibus daemonia, quae civitas seu autoritas publica improbabat. Unde etiam D. Paulus accusabatur ut ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς, *novorum daemoniorum annunciator*[y], cum Jesum ibi ut in Deum recipiendum praedicasset; adeoque in Areopagiticum judicium est ductus. Quid quod etiam cum Plato, in AEgypto de Deo vero & Mose edoctus, disciplinam illam inter suos disseminare ac propagare volebat, μνημονεῦσαι παρ' Ἀθηναίοις οὐκ ἀσφαλὲς ἡγεῖτο, δεδιὼς τὸν Ἄρειον πάγον, *mentionem ejusdem facere apud Athenienses suos tutum haud existimavit, metuens scilicet Areopagum*, & ne Melitus quispiam aut Anytus adversus se eo nomine excitaretur. Ita nempe Justinus Martyr[z], nec semel. Tandem etiam, cum imperatores Caesarei, eorumque interdum deliciae, ut Antinous, in deos referendi erant apud Graecos Romanis parentes, id non sine publica provinciarum urbiumque autoritate, permissu principis populique Romani nixa, factum est; quod ex historia Augusta satis obvium. Et Tacitus[a], *Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum; datumque in omnes provincias* (tam Graecas quam alias) *exemplum.* Quod sine permissu injussuve principis & senatus adhuc populique rite satis fieri nequibat. Idem etiam[b], *decrevere Asiae urbes templum Tiberio, matrique ejus, ac senatui. Et permissum statuere.* Atque, ex autoritate ejusmodi, Ephesus, Smyrna, urbes aliae, toties τῶν Σεβαστῶν *Augustorum* aliorumque νεωκόροι numinum erant. Nec quidem Graecorum aliorumque orientis ritus hic (licet ii haud adeo expressim in eorum monimentis sint comperti) non fuisse satis Romanorum ritibus, de quibus statim, analogos, est autumandum. Certe in scriptis Graecorum & marmoribus editis paucae sunt illorum dedicationes. Et quae sunt, simplicius plerumque concipiuntur, cum ἀνέθηκε interdum, ἱδρύσατο, & similibus. Sed vetustissima dedicationum vox Graeca est ἀνέθηκε, ut in tripodum epigraphis tribus, in literis Ionicis, apud Herodotum[c]. Nunc metro, sed rarius, fiebant; plerumque prosa. Interdum etiam intersertis quae a numine eo nomine desiderabantur: Ut in dedicatione fundi haud procul ab urbe, in Triopio, facta ab Herode sive rege sive rhetore, in quam Isaacus Casaubonus & Claudius Salmasius notas ediderunt. Inter eas enim quae Graecanico more conceptae sunt censenda illa, licet in solo Italico facta fuerit. Causa item accessit in turris Phari, velut arae, Sostrati Cnidii dedicatione[d].

ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ
ΔΕΧΙΦΑΝΟΥΣ
ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ
ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ.

Sostratus Cnidius Dexiphanis F. diis servatoribus, pro navigantibus. Frequentius autem, ΑΠΟΛΛΩΝΙ, ΑΡΤΕΜΙΔΙ, aliis inscriptae

[r] Περὶ ἀποχῆς lib. 4. [s] Lactantius lib. de Falsa Religione cap. 21. [t] Stephanus de Urbibus, in Μάκελλα. [v] In [illegible] [x] In eisdem vocibus. [y] Act. Apost. cap. xvii, 18. videsis Joann. Meursium in Areopago [illegible] Sam. Petit. ad Leges Atticas cap. 9. [z] In Paraenetico ad Graecos. [a] Annal. 1. [b] Annal. 4. [c] [illegible] Terpsichore. [d] Strabo lib. 17.

sunt

ſunt arae, citra *dedicandi* verbi, aliuſve tantundem innuentis, cauſaeve adjectionem. De ritibus autem aliter dedicationibus ejuſmodi adhibitis non inter illas liquet. Exempla habentur aliqua in libro ſuperiore[e]. Etiam in pagis Atticis olim reperiebantur βωμοὶ ἀνώνυμοι *arae ſine nomine* dei alicujus. Ad luſtrandum nempe urbem, & lue graſſante ſic liberandum, accerſitus e Creta Epimenides oves & nigras & candidas in Areopagum duxit, atque inde quo vellent abire permiſit, his qui illas ſequebantur dans in mandatis, ubicunque decumberent illorum ſinguli, θύειν τῷ προσήκοντι θεῷ, uti inquit Laertius[f], *ſacrificare* illos *peculiari cuipiam deo*, ut vertit frater Ambroſius; ſed Thomas Aldobrandinus, *deo proprio*; quod loci ſenſus poſtulat. Nimirum nigras diis inferis, candidas ſuperis, utriſque ſcilicet pariter generatim ſic placandis. Hugo Grotius[g], τῷ προσήκοντι θεῷ, *id eſt, ei deo ad quem ea res pertineret, non addito nomine. Sic Romani ſi deus, ſi dea es, Macrob.* 3. 9. Adjicitur a Laertio de ſuo tempore, ſeu ſeculis aliquot poſt Chriſtum, καὶ νῦν ἔστιν εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους, ὑπόμνημα τῆς τότε γενομένης ἐξιλάσεως, ubi Ambroſius, *Ex eo jam hodieque per Athenienſium pagos aras ſine nomine inveniri certum eſt, in ejus quae tunc facta eſt expiationis memoriam*; Aldobrandinus, *Quocirca etiam nunc in oppidis Athenienſium, ejus placationis monimentum, aras ſine nomine licet invenire.* Atque in annotationibus[h], *Id autem propterea opinor quia cum oves proprio deo mactarentur, non explicabatur nomen dei cui ſacrificium fieret, ideoque arae etiam ſine nomine erant. Credibile autem eſt, poſt purgatam urbem, homines peſtilentia liberatos illius expiationis monimentum in ſuis quiſque oppidis has aras aedificaſſe.* Huc bene referunt Th. Beza[i], Iſaacus Caſaubonus ad Laertium, aliique, Aram ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ, *Ignoto Deo*, Athenis ſacram; de qua S. Paulus, *Praeteriens & videns ſimulacra veſtra* (ſeu *culturas veſtras*[k], (σεβάσματα ὑμῶν) *inveni & aram in qua ſcriptum erat*, Ἀγνώστῳ Θεῷ. Ibi Syrus, *& videns* ܒܝܬ *domum* (ſeu *templum) religionum veſtrarum, inveni* ܚܕ ܐܠܬܐ *aram unam cui inſcriptum erat* ܠܐܠܗܐ ܟܣܝܐ *Dei reconditi* ſeu *Apocryphi*. Arabs Erpenianus, *& videns* بيوت *Domos cultuum veſtrorum, inveni aram cui inſcriptum,* الاله المكنون *Deus abſconditus*. Lucianus non ſemel Θεοῦ Athenis ἀγνώστου meminit[l], uti & Pauſanias[m] Θεῶν ἀγνώστων illic ararum; quem interpretans Hugo Grotius, *Hoc vult*, inquit, *multas fuiſſe aras tali inſcriptione*, Θεῷ ἀγνώστῳ, *quanquam potuere & aliae eſſe pluraliter inſcriptae, aliae ſingulariter.* Theophylactus autem, *Erat tota inſcriptio arae,*

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥ
ΡΩΠΗΣ ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ·
ΘΕΩ ΑΓΝΩΣΤΩ
ΚΑΙ ΞΕΝΩ.

Diis Aſiae & Europae & Africae. Deo ignoto & peregrino, ſeu *hoſpiti*. Quod itidem habetur in commentariis Hieronymi[n], excepto quod ibi legitur *diis ignotis*, ut apud Pauſaniam, *& peregrinis*. Ubi additur, *Verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, ſed uno tantum ignoto Deo, ſingulari verbo uſus eſt.* Adeoque partem tantum ad rem pertinentem eis objecit. Dubitari autem interim, opinor, nequit quin tum ſacrorum quae poſtmodum diis qui dedicarentur, ſive ſuperi ſive inferi, ex natura ſui, continuanda eſſent, tum rituum aliorum ſolennitas (plerumque ſaltem) annua, etiam dedicationis nomine, celebraretur.

IV. His quae de more in dedicationibus Graecanico dicta ſunt, analoga obtinuere pariter apud gentes alias; quotquot nimirum templa aedeſque ſacras aris ſtatuiſque ornatas admiſere. Nam fuerunt quae, utcunque numina colentes varia, aut ſolem ſaltem ſub variis nominibus, neque aras nec ſtatuas imagineſve ullas eorum habuere, nec templis eos circumſcribebant; hoſtias interim pro placito loco in quocunque immolantes, atque orbem terrarum coelo tectum mundumque ipſum tantum eſſe deorum ſuorum templum exiſtimantes. Sic ex magorum diſciplina Perſae[o], Scythae, Afrorum Nomades ſeu Numidae, aliique. Celſus apud Origenem[p], Οὐκ ἀνέχονται νεὼς ὁρῶντες, καὶ βωμοὺς, καὶ ἀγάλματα. οὐδὲ γὰρ Σκύθαι τοῦτο, οὐδὲ Λιβύων οἱ Νομάδες, οὐδὲ Σῆρες οἱ ἄθεοι, οὐδὲ ἄλλα ἔθνη τὰ δυσαγέστατα καὶ ἀνομώτατα. ὅτι δὲ καὶ Πέρσαι οὕτως ὀνομάζουσι (potius νομίζουσι) Ἡρόδοτος ἐν τοῖσδε ἱστορεῖ· Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοῖσδε χρεωμένους· ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς καὶ ναοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιοῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι. *Non ferunt* gentes aliquae *templa, aras, ſtatuas* deorum *aſpicere. Ita enim nec Scythae, nec in Afris Nomades, nec Seres illi athei, uti & aliae gentes maxime profanae & legibus deſtitutae. Etiam & Perſae idem ſibi ſtatuere, ut narrat in his Herodotus: Perſarum ritus hoſce novi: Statuas, aras, templa nec ipſi dedicant, & alios pro ſtultis habent qui hoc faciunt*; quae ſunt Herodoti verba in loco citato. Graeca quidem, quae Davidi Hoeſchelio debemus, illic ſic habent, οὐδὲ Σῆρες οἱ ἄθεοι, *non Seres illi athei.* Atque *Seres* etiam legitur in verſione cum Hoeſchelii editione conjuncta Geleniana (quae itidem in Baſileenſi & Pariſienſi recentiori) tum illic tum paulo poſt, ubi iterato de eiſdem Celſi verbis loquitur Origenes. Ita etiam illic Graeca illa. Caeterum verſio antiquior, Pariſiis etiam edita a Jacobo Merlino anno 1512, quae Chriſtophori perſonae eſt ſub annum 1480 demortui, habet, *nec qui ſine deo ſunt Syri.* Interpres igitur legerat, οὐδὲ Σύροι οἱ ἄθεοι, tum in Celſi verbis tum in Origenis ſequentibus. Certe, cum Seres illi, orientis populi celeberrimi (nam de Seribus illis, non de obſcurioribus in Auſtro ſeu apud AEthiopas, de quibus Lucanus[q] & Heliodorus[r], videtur intelligendum) ἔθνη quidem βάρβαρα dicta Dionyſio Alexandrino, vocentur Melae[s] *genus plenum juſtitiae*; Plinio[t], Solino[v], aliis, *mites & inter ſe*

[e] Cap. 3. § 3. [f] Lib. 1. in Epimenide. [g] Ad Act. Apoſt. cap. xvii. 23. [h] Ad Laert. lib. 1. [illegible] [i] Ad Act. Apoſt. xvii. 23. [k] Vide ſis Ludovic. de Dieu ad Act. xvii. 23. [l] In Philopatride. [m] [illegible] [n] Ad Epiſt. ad Titum cap. 1. [o] Herodotus lib. 1. Strabo lib. 15. Cicero in Verrem Orat. 2. alii. [p] [illegible] [q] Lib. 1. [r] Hiſt. AEthiopica, lib. 9. [s] De ſitu Orbis, lib. 3. cap. 6. [t] Lib. 6. cap. 17. [illegible] [v] [illegible] Hiſt. cap. 53. Euſtath. ad Dionyſium, Ammian. Marcellinus, lib. 23.

quietissimi, & reliquorum mortalium coetus fugientes, adeo ut mos eorum ritusque sive cultus sive impietatis, qualiscunque ille esset, haud ita facile scriptoribus dignosci quiret; aegre nimis concoquitur undenam signantius & prae caeteris detestandum hic *atheorum* nomen fuerit. Si de Syris caperetur, Judaei, ut Syri, Celso athei, per scomma potuerint innui: Tam enim illorum nomen quam christianorum erat ei odiosissimum. Et Syros Judaeos continere nemo nescit; quibus tunc temporis nec templum nec ara aliqua, nedum statua fuit. Sed interim manifestum est, Origenem ipsum Judaeos aut Christianos in gentibus illic sic memoratis non omnino contineri agnoscere, utpote qui horum utrorumque disciplinae rationem diversissimam expressius ibi facit ab istorum. Σῆρες igitur videtur legendum, juxta editionem e MSS. optimis quibus usus est Hoeschelius. Sed vero etiam nec Romanos ipsos statuis seu simulacris deorum plusquam annos centum & septuaginta in cultu usos esse, testis est Varro [x], id est, ab Romuli initiis usque ad Tarquinii Prisci ferme exitum, qui Hierosolymorum excidio primo coaevus erat. Nec quidem dissimile est veri, ex fama, quae proculdubio etiam tam per occidentem quam orientem passim increbuerat, de clade illa Hierosolymorum templique adeo insigni, deque templo illo ac institutis gentis numinis imagines non admittentibus, Romanos, qui Ebraeos ea in re hactenus imitati fuerant, velut in tutiorem sibi partem, ut cladis exemplo monitos, transeuntes (qua numina, qua homines, etiam ob religionem, ejusve praetextu, invicem acrius dimicare solitos spectarent) etiam imaginum deorum usum in templa, sibi posterisque suis cautius consulentes, adscivisse. Imo Tertullianus [y], diu sine templis etiam cultum apud eos fuisse omnimodum: *Etsi*, inquit, *a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat, frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia coelo, sed temeraria de cespite altaria.* De simulacris quidem & tot annorum spatio consentiunt alii, ut Clearchus [z], Plutarchus [a], Halicarnassensis [b]; sed templa interim, ναοὺς καὶ τεμένη, tunc a Romanis sine illis exstructa adjiciunt. Et nihil magis sub regum tempora obvium, quam ab ipsis templa dedicata, sed sine simulacris; quae postea inolevere. Unde quidem facile satis intelligitur cur Numae Pompilii libros circa annum ab U.C. 570 sub Janiculo effossos comburendos decerneret senatus [c], utpote Pythagoricos, & qui pleraque haberent dissolvendarum religionum, sub Numa scilicet scripti cum simulacra & pulvinaria numinum non modo non in usu essent, sed neque ex religione ac doctrina Pythagorica permissa. Et demum non est quod dubitemus quin libris in illis continerentur quae adeo pomposum illum simulacrorum & pulvinarium usum, qui ita postmodum in usu, impugnarent, vulgoque tunc credita dissolvere potuissent. Quod ad templorum autem ac delubrorum, adeoque dedicationum illorum, initia apud Gentiles attinet, perquam varia traduntur. Fertur quidem celeberrimus ille & longaevus Epimenides Cretensis (de quo supra) philosophus & theologus insignis (cui etiam ut deo Cretenses sacrificare solitos esse tradidere nonnulli) πρῶτος [d] οἰκίας καὶ ἀγροὺς καθῆραι, καὶ ἱερὰ ἱδρύσασθαι, *Primus domos & agros lustrasse, & templa dedicasse.* Unde etiam ἱδρύσατο Athenis *dedicavit* a se exstructum τὸ [e] ἱερὸν τῶν σεμνῶν θεῶν, *Templum deorum verendorum.* Et cum Nympharum templum exstructurus erat, Theopompus ait [f] ῥαγῆναι φωνὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *vocem e coelo lapsam, Epimenides*, μὴ Νυμφῶν, ἀλλὰ Διός, *non Nympharum, sed Jovis.* Si hoc de exstruendis dedicandisque templis apud Graecos primis verum esset, forte non indignum itidem fuerit quod advertatur, disciplinam Epimenidis in Graeciam introductam illam plane coaevam fuisse Hierosolymorum templique excidio illi primo sub quod ipsum simulacra in templa sua receperunt, ut diximus, primo Romani; quibus ita templa antequam Graecis in usu. Floruit enim Epimenides Olympiade 47, Tarquinio Prisco coaevus. Et veri est non dissimile, ex vagante de clade Hierosolymitana passim fama, cultusque ibi ante numinis ratione perpensa, varias in Graecorum Romanorumque mentes ingestas circa cultum suum, aras, templa persuasiones. Alii autem AEgyptiis (sed cujusnam interim seculi non indicatur) tribuunt non solum deorum duodecim nominum Graecis communicationem, sed & [g] βωμούς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους. *aras & simulacra & templa diis statuisse ipsos primos* aiunt, quasi inde illa Graeci, ut alia, didicissent. Quicquid autem sive ex Epimenidis aliorumve disciplina hanc circa rem imbiberant Graeci, adeoque in usum receperant, invaluit apud illorum aliorumque non paucos, aut potius continuatum est diuque permansit postmodum, dogma vetus illud de templis arisque non adhibendis. Unde etiam circa trecentos ab Epimenide annos magnus ille Stoicorum coryphaeus, Zeno Citticus, in commentariis de republica, ejusque sequaces numerosissimi, templa omnimoda, adeoque eorum & appendicum consecrationes, ex professo improbabant; tametsi, sibi ipsis adversi, sic dedicata laudarent interim, eisque uti frui nihilominus consuescerent; quod de eis notat Plutarchus [h]. Δόγμα, inquit, Ζήνωνός ἐστιν, ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν, *Decretum* (disciplina) *Zenonis est, templa deorum non aedificanda*; ratione argutula adjuncta, Ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οὐκ ἔστιν. Οἰκοδόμων δὲ ἔργον καὶ βαναύσων οὐδὲν ἐστι πολλοῦ ἄξιον, *Quod enim non sit magni precii, id ne sacrum quidem esse. Fabrorum autem & sordidas artes exercentium opera non esse magni precii.* Atque postmodum, maxime apud discipulos ejus sectamque illam, quae plane in philosophia ac theologia seculorum illorum praepotens erat, viguit opinio ista. Unde Plutarchus bene illis exprobrat quod ipsi sacrificarent ἐπὶ τῶν βωμῶν καὶ τῶν ἱερῶν, ἃ μήτ' εἶναι μήτ' οἰκοδομεῖσθαι δεῖν ἀξιοῦσι, *in altaribus & templis, quae interim nec esse nec aedificari debere dijudicant.* Breviuscule hac de re Laertius [i], μήτε ἱερὰ, μήτε δικαστήρια, μήτε γυμνάσια ἐπὶ ταῖς πόλεσιν οἰκοδομεῖσθαι, *Nec templa, nec tribunalia, nec gymnasia per urbes aedificanda.* Quod vero ad Epimenidem

[x] Apud Augustin. de Civitate Dei, lib. 4. cap. 31.
[y] In Apologetico, cap 25.
[z] Apud Clem. Alexandrin. Stromat. . . & Euseb. Praeparat. Evangelic. lib. 8. cap. 6.
[a] In Numa.
[b] Lib. 2.
[c] Livius Decad. 4 lib. 10. cap. 29.
[d] Laertius lib. 7.
[e] Lobon Argivus, ibidem.
[f] Ibidem.
[g] Herodot. in Euterpe.
[h] Lib. de Stoicorum repugnantiis.
[i] Lib. 7. in Zenone.

Cretensem illum velut templorum autorem quomodolibetcunque primum spectat, receptum quidem est apud veteres, templa apud Graecos etiam in usu fuisse, eoque forsan a plurimis ante seculis tunc deductum, tempore Pythagorae, qui de eis non semel in symbolis loquitur (ut ex Porphyrio scimus & Jamblicho) & in templo Carmeli montis fertur plerumque *μονάζειν monachi instar vixisse*[k]. Sic Abaris Hyperboreus in Graeciam veniens dicitur[l] *καταλύειν ἐν τοῖς ἱεροῖς, hospitari solere in templis*, velut locis tunc satis obviis. Quo tempore floruerit sive Pythagoras sive Abaris, nimis incertum quidem est: Sed Epimenidem utrique[m] diu antevertebant juxta veterum aliquos, quorum alii Abaridem Olympiade tertia floruisse aiunt, ut Hippostratus[n]; alii, in vigesima prima, quae plurimis annis Epimenidem antecedit. Imo traditur[o] quidem annos circa 1400 ante Epimenidem in Creta sua ipsa, a Crete primo illic rege & Curetibus caeteris conditum Cybeles matris templum: uti etiam in Delo Apollinis templum ab Erysichthone filio Cecropis fabricatum esse[p]. Cecrops autem Epimenidem annos circa 1000 antevertit. Alia sunt in Graecia ejusmodi de seculis illo immane quantum vetustioribus. De AEgyptiorum autem templis, quoad tempora, quibus antiquitus illa habuerint, legitur apud scriptores priscos, Ebraeos ibi *καὶ τὸ ἐν Ἄθῳ καὶ τὸ ἐν Ἡλιουπόλει ἱερὸν κατασκευάσαι τοὺς Ἑρμιοὺθ ὀνομαζομένους, & templum quod in Atho, & quod Heliopoli, condidisse, Ermiouth dictos.* Sic in libro de Judaeis Artapanus[q], qui eos sic nominatos alibi[r] scribit, velut nomine AEgyptiaco sic Judaeorum nomen vertente. Mosis item tempore Diospolis *ναὸς* ibi ab eodem memoratur[s]; uti & de Apide, Chenephren regem illic Mosi coaevum *κελεῦσαι τὸ ἱερὸν αὐτοῦ τοὺς ὄχλους καθιδρύσασθαι, jussisse templum ejus a plebe fundatum dedicari*; etiam &, ex eo quod Moses virga adeo miraculosa usus fuisset, ideo AEgyptios *τὴν ῥάβδον ἀνατιθέναι εἰς πᾶν ἱερὸν, virgam consecrasse in quolibet templo*; imo &, cum grandine & terrae quassationibus prodigiosis a Mose exitum postulante affligerentur, *συμπεσεῖν τὰς μὲν οἰκίας πάσας, τῶν τε ναῶν τοὺς πλείστους, corruisse domos quidem universas, & templorum pleraque.* Unde palam satis liquet etiam seculo in illo Mosaico AEgyptiis suum fuisse, nec tunc novum, templorum usum, non dubitasse Artapanum; quem & secutus est Alexander Polyhistor, aliique. Tantundem, ut Graecis suis receptum, de templis arisque tunc temporis frequentibus indubitanter admittit Lysimachus, hostis ille nominis Judaici acerrimus, cum Mosem comitesque ejus calumniatus est, eos in exitu & in Cananaeam itinere ubique[t] *θεῶν τε ναοὺς καὶ βωμοὺς οἷς ἂν περιτύχωσιν ἀνατρέπειν, deorum & templa & aras in quas nempe inciderint evertisse*; & ab *ἱεροσυλίᾳ, sacrilegio* seu *templorum direptione*, qua sic utebantur, posteros illorum urbem postea exstruentes eam *Ἱερόσυλα* nuncupasse, idemque postea pudoris causa in *Hierosolyma* commutasse. Etiam de templis tunc temporis in AEgypto, ad illud Mosis de ipso exitu[v], ובאלהיהם עשה יהוה שפטים *Et in diis eorum fecit Dominus judicia*, seu, ut Graeci, *τὴν ἐκδίκησιν ultionem*, *Ebraei ipsi autumant*, inquit Hieronymus[x], *quod nocte qua egressus est populus omnia in AEgypto templa destructa sunt, sive motu terrae, sive ictu fulminum.* Quod quidem de idolis seu simulacris, uti & locum Mosis id genus alterum[y], capere solent interpretes. Accedat hisce, receptum etiam videri apud Graecos Mosis tempore sua habuisse templa & simulacra. Comites nempe ejus in Cananaeam fingebantur apud Graecos fuisse AEgyptios, illumque eos docuisse *numinis simulacrum non omnino formare, τέμενος ἀφορίσαντας καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἄνευ ἕδους, sed templum ei assignare, & habitationem* illam sacram *honorare citra simulacrum.* Sic Strabo[z]. Etiam in Palaestina, circa secula illa adeo vetusta, templa in usu fuisse, satis cernitur in Asdodorum בית דגון *οἴκῳ Δαγὼν domo* seu, ut in Vulgata, *templo Dagonis*[a]; unde urbs ipsa sic denominata[b], sicuti & aliae urbes a templis tunc suis, ut *Beth-Phegor*[c], *Beth-Shemesh*[d], a templo *Phegorii*, *Solis*, dictae, quemadmodum item complures. Imo templorum initia Phalegi aevo tribuuntur. Isidorus[e] Hispalensis; *His temporibus primum templa constructa sunt.* Sed origo hic incertissima est, ut ex aliis eam in rem a Lilio Gyraldo[f] & Rodulpho Hospiniano[g] congestis videre est.

V. In scriptis tum chartaceis tum marmoreis Romanorum habentur dedicationes templorum solennes frequentissimae, quarum etiam, illis in usu, jura ritusque expressius occurrunt. Injussu populi aut sine plebis scitu aut senatusconsulto, quod plebiscitum saepius supplebat, aut demum principis indultu (uti apud Ebraeos injussu synedrii magni, aut sine reliquis, ut ostensum est, eam in rem accedentibus) aedes, terra, ager rite dedicari nequibant, aut pro religione tenendis haberi. Id de aedibus ac templis maxime liquet ex Livio[h], ubi *Cornelium Barbatum pontificem maximum* ait *negasse nisi consulem aut imperatorem posse templum dedicare: Itaque ex autoritate senatus latum ad populum fuisse, ne quis templum aramve injussu senatus aut tribunorum plebis partis majoris dedicaret.* Scilicet anno ab U. C. 450. Postmodum vero, ex autoritate pontificibus permissa, atque lege Papiria, nec aedium, nec terrae, nec agri *sine populi jussu aut plebis scitu* legitima fiebat dedicatio, ut videre est apud Ciceronem[i], jus dedicationum sui aevi copiosius, nec semel, explicantem. Sed & de senatusconsulti hic autoritate impetrata non semel Livius[k]. Et demum ex lege regia & pontificatu Caesarum maximo, penes eos erat, ut rerum aliarum, ita dedicationum potestas & permissio. Ante vero legem illam, quae Vespasiani tempori tribui solet, haud Caesares quidem ipsi, licet pontifices maximi, nedum alii, senatu populove contradicente, novum dedicandum colendumve numen admittere quibant, aut numinis jam ante recepti

[k] Jamblich. de Vita Pythagorae, cap. 3. [l] Idem ibid. cap. 28. [m] Videsis Euseb. in Chron. poster. num. 1414 & 1568 atque ibi Josephum Scaligerum. [n] Apud Harpocrationem in Ἄβαρις. [o] Euseb. Chron. lib. poster. num 55. [p] Idem ib. num. 407. & Cedrenus pag. 67, 21. edit. Xylandri. Georgius Syncellus in Chron. pag. 153 Isidor. in Chronic aetat. 3. [q] Apud Eusebium de Praeparat. Evangelica, lib. 9. cap. 23. [r] Ibid. cap. 18. [s] Ibid cap. 27. [t] Apud Josephum in Apionem, lib. 1. prope finem. [v] Numer. xxxiii 4. [x] Epist. 127. ad Fabiolam Mans. 1. [y] Exod. xii 12. [z] Lib. 16. [a] 1 Samuel v. 2. [b] Josuae xv. 41. xix. 27. [c] Idem xiii. 20. [d] Idem xv. 10. [e] In Chronico, aetate 2. [f] Syntagmate de diis 17. pag. 492. [g] De Origine Templorum, lib. 1. cap. 5. [h] Lib 9. sub finem. [i] Orat. pro Domo sua, & ad Atticum, lib. 4. epist. 1. [k] Decad. 4. lib. 10. cap 34. 41. 52, alibi.

dedicationis jus rite cuiquam concedere. Quod satis etiam eliciendum ex eo quod habet Tertullianus, aliique ex eo, & de deo Alburno, & de Jesu Christo, quem amplecti voluerat Tiberius, respuente senatu [l]; unde receptus non est. *Vetus*, ait ille, *decretum ne quis deus ab imperatore consecraretur nisi a senatu probatus. Scit M. AEmilius de deo suo Alburno.* Et, *Utique impiissimum*, inquit, *imo contumeliosissimum admissum est, in arbitrio & libidine sententiae humanae locare honorem divinitatis, ut Deus non sit nisi cui esse permiserit senatus. Saepe censores inconsulto populo adsolaverunt* (ad solum dejecerunt templa sine autoritate illa publica dedicata) *certe Liberum patrem cum socru sua* (ex Apologetici [m] lectione *cum mysteriis suis* legit doctissimus Jacobus Gothofredus, *cum sacro suo) consules, senatus autoritate, non urbe solummodo verum tota Italia eliminaverunt.* Atque ita recte legitur in editione Rigaltiana. Alia habentur illic alibique ejusdem generis de diis non dedicandis citra autoritatem, qua obtinuit, publicam. Legimus quidem de Tiberio [n], *Dedicavit Concordiae aedem, item Pollucis & Castoris, suo fratrisque nomine, de manubiis.* Quod, ante legem regiam latam factum, intelligendum videtur aut de juris apicum, qui necessarii essent, accessione praevia, aut de obtentu qualicunque imperatorio eos supplere viso; idque tametsi pontificatum maximum gereret ipse, uti & successores ejus. Imo post legem illam regiam a dedicationibus aedium in sacros cultus a se exstructarum abstinendum quandoque voluere imperatores ipsi, si pontifices, aliive rite consulentes sacra, velut augures & aruspices, monerent perniciosas eas fore imperio Romano numinumque ejusdem cultui. Scilicet de Alexandro Severo legitur apud Lampridium, *Christo templum facere voluit, eumque inter deos recipere.* Sed nec fecit, ita, ut videtur, praepeditus. *Quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quae hodie*, (floruit Lampridius sub Diocletiano, seu circa annos post Adriani exitum 160) *idcirco quia non habent numina, dicuntur Adriani, quae ille ad hoc parasse dicebatur. Sed prohibitus est* monitu augurum aruspicumque *ab iis qui consulentes sacra repererant omnes christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda.* Atqui vir summus Isaacus Casaubonus [o] fidem huic de Adriano rei haud existimat praebendam, sed templa illa constituta fuisse ab eo, non ut Christus in eis, sed ipse, aris ac simulacris tandem positis, coleretur. Utut autem ea se res habuerit, satis manifestum est imperatores, pontifices interim maximos ipsos, in causis sacris, adeoque dedicationibus, plurimum autoritatis saepius pontificibus minoribus eorumque collegio, quindecimviris sacris faciundis, & auguribus, etiam ubi ipsi ante rem definierant, permisisse tribuisseque. Inde Alexander Severus [p] *pontificibus tantum detulit & quindecimviris & auguribus, ut quasdam causas sacrorum a se finitas iterari & aliter distingui pateretur.* Ut vox usitatior in & de dedicationibus Romanis est *dedicare*, ita subinde pro eodem substituitur *dicare* [q], *ponere*, *sacrare*, *consecrare*. Atque ut dedicationes fiebant sic recens exstructarum aedium sacrarum (fanorum, templorum, aliorum nomine venientium) ita & restitutarum, quemadmodum in encaeniis Zorobabelianis, Maccabaicis & Herodianis. Et templi veteris ideo tantum diruti ut denuo exstrueretur spatium seu area, tametsi non ampliata aliterve mutata, denuo, interdum etiam ante quam reaedificaretur, dedicabatur. Egregium & singulare est ejusdem exemplum in Capitolio sub Vespasiano restituendo, cujus cura ab eo in L. Vestinum collata. *Ab eo*, inquit Tacitus [r], *contracti haruspices monuere ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur*, eisdem finibus, eadem area contineretur. *Nolle deos mutari veterem formam. Undecimo kalendas Julias, serena luce, spatium omne quod templo dicabatur evinctum vittis coronisque. Ingressi milites quibus fausta nomina, felicibus ramis. Dein Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque*, aream aqua viva *perluebant. Tum Helvidius Priscus praetor, praeeunte Plauto Eliano pontifice, lustrata bove taurisque* (legit Lipsius *Suovetaurilibus) area, & super cespitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, praesidesque imperii deos precatus, saxo ingente*, cum *caeteris magistratibus, sacerdotibus, senatu, equestri* ordine, & *magna parte populi, jecit fundamenta.* Hic praetor dedicat, praeeunte verba pontifice, & aruspices sistunt & effantur spatium. Nec legitimum templum quod non per augures [s] & aruspices consecraretur. Ita magistratus summi, pontifices, augures, aruspices dedicationibus apud eos, simul cum dedicante, praeerant; ut apud Ebraeos, rex, pontificis oraculum, propheta, juxta ante ostensa. Et ubi aedes in usum publicum a magistratibus quibus jus satis parile dedicandae essent, sortiri solebant illi uter dedicaret. Sic Valerius Publicola & Horatius Pulvillus consules [t]: Sic alii. Et pro dignitate eximia habebatur munus illud. Ritus ac formulae dedicationis, uti & personae quae ei praeessent, apud eos multiplices fuere, & quasi Ebraeorum ritibus ac personis analogae. Verbis de aedibus, arearumque finibus & legibus juxta quas sacrarentur, conceptis praeibat pontifex, quem sequebatur magistratus seu alius qui dedicaret. Varro [v], *AEdis sacra a magistratu, pontifice praeeunte, dicendo dedicatur*; &, *Effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum coelestium extra urbem agris sunt effati. Hinc effari templa dicuntur ab auguribus: Adfatus, qui in heis fines sunt.* Compluria hac de re Alexander ab Alexandro [x], & ad eum Tiraquellus, Stuckius de sacrificiis [y], Lilius Gyraldus [z], Rosinus [a], & ad illum Demsterus, Brissonius [b], Joannes Catanaeus [c], Jacobus Gutherius [d] accuratius congesserunt; quibus adjungantur Claudii Salmasii explicatio Herodianae in Triopio dedicationis, etiam & Joannis Baptistae Belli diatriba de templo augurali [e]. Ritibus autem in illis, prae-

[l] Apologetic. cap 5. & adversus Nationes, lib. 1. cap. 10. [m] Cap. 6. [n] Sueton. in eo cap 20. [o] In August. Hist. ... pag. 2... C. & pag. 170 H. [p] Lampridius in eo. [q] De Dicatione vide sis Cl. Salmasium ad August. Hist. pag. 2... E. [r] Hist. ... [s] Varro apud A. Gellium lib. 14. cap. 7. [t] Livius Dec. 1. lib. 2. [v] De Lingua Lat. ... [x] Genial. Dierum lib. 6. cap 14. [y] Pag. 61, &c. [z] Histor. Deorum Syntagm. 17. [a] Antiq. Rom. lib. 2. cap. 1, &c. [b] ... lib. 1. [c] Ad Plin. lib. 4. epist. 4. [d] De Vetere Jure Pontificio, lib. 3 cap. 11, &c. [e] ...

ter precationes, auguralis sistendi seu effandi munus, & sacrificia, singularis erat ille, dedicaturum, dum verba praeibat, postem ostii templi manu tenuisse, illique eam sic imposuisse ut tum certo indicaret aedem sic usibus sacris addicendas, tum in eosdem ex autoritate publica dedicaret. Sic in Jovis aedibus in capitolio dedicandis *postem tenuit*[f] Horatius Pulvillus consul *inter precationem*, ut Livius, seu *inter nuncupationem solennium verborum*, ut Valerius Maximus, qui dum Horatii filii mortis nuncium (uti habetur etiam apud Livium) narrat dedicationem interrumpere inde voluisse, *neque vultum*, inquit, *a publica religione ad privatum dolorem deflexit* Horatius, *ne patris magis quam pontificis partes egisse videretur.* Adeoque magistratum ex ore pontificis dedicantem partes pontificis agere dixit. Luculentus ejusdem ritus testis est itidem Cicero[g], aliique. Dum vero de poste sic tento cogitamus, fieri nequit quin aedium novarum, utcunque habitationi omnium idonearum, nec in sacros omnino usus apud Ebraeos dedicatarum, postes *Mazuzis*, de quibus supra, ex lege ornandos recolamus. Certe illum postium ornatum pro ipsa dedicatione in lege illa militari sumpsit Chaldaeus paraphrastes Jonathan dictus. Et quisquis paraphrastes ille fuerit, vix dubitandum quin illud hauserit ex sententia aliqua de novis domibus, ex lege illa, dedicandis vetustiore: Atque forte evenerit ut sententia illa perperam, ut fieri amat, ab adeo dissitis intellecta in postium inter dedicandum tenendorum usum solennem transiret. Ea de re viderit qui voluerit. Bene ex veteribus Alexander ab Alexandro[h]; *templi consecratio fiebat, ut qui templum aedemve dedicaturus erat, postem tenens, accenso foculo* (qui sacrorum perficiendorum causa in ipsa dedicatione praesto esset: Nec sacra fuisse ulla sine foco accenso docet Varro apud Servium in Virgilii illud[i],

——— & laetam cognomine gentem
Hortor amare focos ———————)

& advocato numine cui templum aedesve sacrantur, se ex profano usu & humano jure templum, cellam, menses, arulas, quaeque eo pertinent, eximere, eaque conceptis verbis ipsi numini (nominat numen) divina humanaque omnia consecrare dicareque affirmet, sabina herba ad sacrum adhibita, sine qua templum aedemve, fana aut sacella minime dicari putarunt posse. Varro[k]; *in terris dictum templum* (ante locutus est de coeli & orci templis) *locus augurii aut auspicii causa quibusdam concepteis verbeis finitus. Concipitur verbeis non iisdem usquequaque.* Sequitur dein formula verborum ab auguribus, & qui eorum auspiciis designarent templum futurum, adhibendorum de finibus quibus illud circumscriberetur; scilicet cum in arce inauguratio fieret. Codices Varronis illic corruptissimi. Verba sibi restituere tentarunt Adrianus Turnebus[l], & Josephus Scaliger[m], alii. Scaliger autem satis etiam dubitanter, sed doctissime, ad hunc modum, *Tesca dumecta* (pro *dumeta*) *sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero, olla veter arbor, quisquis est, quam me sentio dixisse, templum tectumque esto in sinistrum, olla veter arbor, quisquis est, quicquid est, quod me sentio dixisse, templum tectumque esto in dextrum intra ea, conrecione, conspitione* (potius *conspicione) cortumione, utique ea rectissime sensi.* Vocibus illis tribus fines seu limites conspectu oculorum & cordis visu seu animi sententia designati significantur. *Tesca* sic dicta *loca augurio designata, quo termino finis in terra auguri.* Sic Verrius[n], Opilius autem Aurelius[o], *loca consecrata ad augurandum scripsit, sed sancta loca undique capta* (*caepta* in Schedis) *docent pontificis libri, in quibus scriptum est, templumque, sedemque, tescumque sive deo sive deae dedicaverit, ubi eos accipias volentes propitiosque.* Et qui dedicationem seu ἀνιέρωσιν hujusmodi, etiam & ἐπιγραφὴν seu *inscriptionem* ad eam pertinentem pariter procurabat[p]; qua de re plura mox[q].

VI. Haud parum gliscente tandem in dedicationibus magnificentia, eaque studiosissime affectata, accessere eis, praeter sacrificia, pulvinaria, ludi, epulae, largitiones publicae, alia. Cicero[r]; *aram & aediculam & pulvinar sub saxo sacro dedicavit.* Atque pro templo ipso numineve nomen illud usurpatum. Livius[s] non semel pro *supplicatio ad omnia delubra* habet *diem unum supplicatum ad omnia pulvinaria fuit*, uti & *diem alterum.* Tantundem apud Ciceronem[t]. Nimirum numini sic aede excepto pulvinar assignatum est, velut lectus in quo discumberet, aut tabulatum super quod se commodius reponeret, aut velut satis utrumque. Servius[v], *pulvinaria pro templis ponimus* (fatetur, abusive) *cum sint proprie lectuli, qui sterni in templis supervenientibus plerisque solent.* Acron autem ad illud Horatii[x],

——————— nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erit dapibus sodales;

Pulvinaria, inquit, *dicebantur aut lecti deorum, aut tabulata, in quibus stabant numina, ut eminentiora viderentur.* Eadem vocant Graeci τὰς κλίνας[y], & τὰ ἕδη θεῶν[z], *lectos, seliquastra* seu *sellas deorum.* Adeo ut praesentiam suam templis praestando crederentur (nam non dubitabatur quin in dedicatione invocati illuc se conferrent supervenirentque) sive decumbere sive stare sive reclinare sive sedere pulvinaribus illis; unde fiebant etiam in supplicationibus publicis Lectisternia illa solennia. Hinc *fana sistere* significabat, *Lectisternia certis locis & diis habere*[a]. Accessere pulvinaribus *fasciculi de verbenis facti qui pro deorum capitibus ponebantur*, ut Festus, cui *struppi* dicuntur; quae vox existimatur antiquitus corrupta esse a *strophiis* coronas significante, nec tamen primo omnimodas, sed eas quarum *inter sacra tantum & bellicos honores usus esset*, ut Plinius[b]. Huc spectat locus Origenis in Celsum, ab interpretibus non satis feliciter intel-

[f] Livius Dec. 1 lib. 2. Valer. Maximus lib. 5. cap. 10. 1. [g] Orat. pro domo sua. [h] Genial. Dierum lib. 6. cap. 1[illegible] [i] Aeneid. 3. [k] De L. L. lib. 6. [l] Adversar. 22. cap. 25. [m] In Conjectaneis. [n] Apud Festum in [illegible] [o] [illegible] [p] Dionys. Halicarnass. lib. 5. A. ab U. C. 247. [q] Sect. 9. [r] Orat. pro domo sua. [s] Dec. 5 lib. 1. cap. 9 & [illegible] 5. cap. 16. [t] In Catilinar. 3. [v] Ad Georgic. 3. [x] Lib. 1. Carmin. 37. [y] Prudentius in Apotheosi & P[illegible] [z] Halicarnass. lib. 5. Julius Pollux lib. 1. §. 3. [a] Labeo apud Festum in *Sistere Fana.* [b] Hist. Nat. 21. cap. 2. & vide Turneb. Adversar. lib. 29, 1.

lecti-

lectus. Ille in δαιμονίων, nomine deorum, θεραπείαν apud Gentiles meritissimo invectus, Πάντες γὰρ, inquit, οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια. Δῆλον δὲ καὶ τοῦτο ἐκ τοῦ εἰς τὰ δοκοῦντα ἐνεργέστερα τῶν νομιζομένων ἱερῶν κατακλίσεις περιέργους γεγονέναι, καὶ κατὰ τὰς ἀρχὰς τῆς ἱδρύσεως τῶν τοιῶνδε ξοάνων καὶ νεῶν. ἅς τινας κατακλίσεις οἱ τῇ τῶν δαιμόνων διὰ μαγγανειῶν θεραπείᾳ σχολάζοντες πεποιήκασι, quod vertitur in Geleniana in Basiliensem, Hoeschelianam ac Parisiensem recentiorem editiones recepta, *Omnes enim dii gentium daemonia: id quod liquet ex templis, quae ut sacratiora putantur a praesente incoli numine, quod ab initio dedicationis receperunt in delubra tales daemonas per invocationes curiosas & magicas.* Vetustior autem, seu Christophori Personae, versio cum reliquis Origenis operibus Parisiis anno 1512 edita, illic; *Nam & gentium dii universi daemones sunt. Et ex eo plane id liquet quod cum primum legitimis hi exstruendis delubris & pulvinaribus jecerint fundamenta, quae sibi ad id efficaciora videntur, varie moliuntur nec secus cum locare ubi*[c] *& statuas coeperint*; *quae utique peragunt qui daemonum veneficiis vacant, & his obsequuntur.* Neutra, puto, Origenis omnino reddit mentem. Certe fallor nimium nisi pro κατακλίσεις legerit illic Gelenius κατακλήσεις, indeque substituerit *invocationes*. Mihi sane videtur κατακλίσεις ibi significare ipsa *pulvinaria*; ideoque vertendum, *Omnes enim dii gentium sunt daemonia. Hoc vero manifestum fit ex eo quod, ut efficaciora* & magis conspicua *videantur ea quae pro sacris accipiuntur* (quemadmodum, *ut eminentiora viderentur numina*, dixit Acron[d], in pulvinaribus collocata) *fieri solent curiosa nimis pulvinaria* (decubitoria qualia diximus, quibus apprime respondet κατακλίσεις) *idque sub initia dedicationis simulacrorum ejusmodi templorumque*; *quae quidem pulvinaria daemonum cultui vacantes per praestigias faciunt*[e]. Quod fecere plane ut in illis numina se reponerent quibus dedicatio fieret, ibique seu templo habitarent; quae locutio etiam apud Ebraeos veteres notissima est de veri numinis in templo suo[f] praesentia & habitatione; unde similis in Gentiles propagata est circa daemonia sua notio. Et apposite dixit Origenes κατακλίσεις περιέργους, *pulvinaria curiosa nimis*, quae tum artificiosissime facta sunt, tum coronis illis *struppis* dictis ornata. Et de praesentia ac habitatione deorum in templis ex ipsa natura sui non dubitasse veteres palam satis est ex eo quod superorum deum Coelum, inferorum Orcus templum fuerit etiam dictus[g]. Sane τὸ κατακλιθέντες, *reclinato corpore decumbentes*, eodem in Origenis libro de diis gentium usurpatum, ad pulvinaria etiam forsan spectat. Persarum, Nomadum, aliarum illic memoratarum gentium templum, arasque, adeoque harum appendices, abhorrentium neminem ait[h] id facere, διὰ τὸ διειληφέναι περὶ δαιμόνων, ὅτι τοισίδε προσκαθίζονται σχήματι καὶ χωρίοις, ἤτοι ὑπό τινων μαγγανειῶν κατακλιθέντες, ἢ καὶ ἄλλως δυνηθέντες προκαταλαβεῖν ἑαυτοῖς τούτους, quod vertit Christophorus Persona, *Sive quia de daemonibus illud acceperit, quod in his imaginibus & locis isti insideant, & veneficiis quibusdam ad haec evocentur* (ubi videtur ille legisse κατακληθέντες, uti in loco illo altero Gelenius κατακλήσεις) *sive alias utcunque praeripere ea loca potuerint*; Gelenius vero, *nec quod intelligat daemonas devinctos haerere certis locis & statuis, sive incantatos quibusdam magicis carminibus, sive alias incubantes locis semel praeoccupatis.* Mallem sane ego ὑπό τινων μαγγανειῶν κατακλιθέντες vertere, *incantationibus* (praestigiis) *quibusdam in pulvinaribus reclinati.* Μαγγανειῶν nomine veniunt proprie invocationes illae seu appropinquationes daemonum quas κλήσεις & προσεγγίσεις vocabant; de quibus Michael Psellus[i]. Nec solum apud Romanos sed & Graecos pulvinaria seu κλῖναι deorum, id est, *lectisternia*, in usu; sic dicta a deorum, ut in lectis, illic reclinatione illa credita, quod optime olim &, quantum scio, primus observavit Isaacus Casaubonus[k] ex Pausaniae Arcadicis ac Phocicis, ubi & Minervae & AEsculapio in templis suis κλίνη tribuitur, atque ex Pindari scholiaste[l] AEmilio Probo[m], & Valerio Maximo[n], qui de Attico & Rhodio pulvinarium sacrorum usu, ut satis apud Graecos veteres obvio, expressius loquuntur. De ludis autem dedicationibus adhibitis, Livius[o]; *Per idem fere tempus aedes matris magnae Idaeae dedicata est; quam deam is P. Cornelius advectam ex Asia, P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio consulibus in palatium a mari detulerat. Locaverant aedem faciendam ex S. C. M. Livius, C. Claudius, censores, M. Cornelio, P. Sempronio consulibus. Tredecim annis postquam locata est, dedicavit eam Junius Brutus: Ludique ob dedicationem ejus facti; quos primos*[p] *Scenicos fuisse Valerius Antias est autor, Megalesia appellatos. Item juventutis aedem in circo maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit* (quam dum censor erat faciendam locaverat) *hujus quoque dedicandae causa ludi facti.* Ejusmodi sunt alia compluria de ludis *ob dedicationem* & *ad dedicationem factis*. Accessit etiam ludis hisce eorumque sumptibus senatus autoritas, qua item coerciti sunt effusiores in eos sumptus, & pecunia eroganda finita[q]. Horum mentio maxime in saxis vetustis apud inscriptionum collectores. Additae etiam epulae lautissimae & largitiones munificentissimae. Cordatiores, & qui quod necessario deceret servare affectabant, epulo carere nolebant. Plinius ad Fabatum prosocerum suum de dedicatione templi quod in oppido sibi vicino, Tiferno Tiberino, pecunia sua exstruxerat, *Ejus*, inquit[r], *dedicationem, cum sit paratum, differre longius irreligiosum est. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem epulo celebrare constitui.* Formulae autem illae saxeis aris, basibus, antepagmentis, aliasve in memoriam perpetuam hanc in rem inscriptae, rarius quid habent de sacrificiis dedicationem comitantibus. Crebro autem tempus consignant; subjuncto illo solenni. V. S. L. M. pro *votum solvens lubens merito.* Interjicitur etiam interdum autoritas qua fiebat, ut EX S. C. seu *senatusconsulto*, & *ex*

[c] Lege, *ibi*. [d] Ad Horat. lib. 1. Carm. 37. [e] Lib. 7. pag. 389. [f] 2 Sam. vii. 5. 1 Reg. viii. 30. Matth. xxiii. 21, &c. [g] Varro L. L. lib 6. [h] Pag. 385. [i] Lib. περὶ ἐνεργείας τῶν δαιμόνων. [k] Ad Suetonium lib. 1. cap. 76. [l] Ad Olympionic. od. 1. [m] In Timotheo. [n] Lib. 2. [o] Decad. 4. lib. 6. cap. 36. [p] Videsis Fellum in verbo *Romani*. [q] Liv. Decad. 4. lib. 10. cap. 44. [r] Lib. 4 epist. 1.

senatus

senatus sententia[s]; uti etiam id quod a numine ob dedicationem impetrari vellent; ut in illa in agro Patavino inscriptione templi Priapi[t];

VILLICVS. AERARI. QUONDAM. NVNC. CULTOR. AGELLI.
HAEC. TIBI. PERSPECTUS. TEMPLA. PRIAPE. DICO.
PRO. QUIBUS. OFFICIIS. SI. FAS. EST. SANCTE. PACISCOR.
ADSIDUUS. CUSTOS. RURIS. UT. ESSE. VELIS.
IMPROBUS. UT. SI. QUIS. NOSTRUM. VIOLABIT. AGELLUM.
HUNC. TU. SED. TENTO. SCIS. PUTO. QUOD. SEQUITUR.

Saepius item adjicitur *ob salutem Augustorum*, aliorum.

VII. Festa insuper dedicationis anniversaria celebrabantur. Ovidius[v] de Junonis Sospitae dedicationis festo ejusmodi Kal. Februarii servari solito,

Principio mensis Phrygiae contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.

tunc dedicabatur scilicet templum ejus; unde dies quotannis recurrens festus erat. Nescio quare Carolus Neapolis ad Ovidium ibi festum idem Kalendis Januariis tribuit. Atque ut numinis hujus, ita parili modo haud pauci aliorum dedicationum dies in anniversarios transiebant perpetuo celebrandos, uti & ludi solennes in earum honorem conjuncti. Megalesia jam dicta, quae in calendario vetustiori Romano *ludi matris magnae* dicti, & in Constantiniano *ludi Megalesiaci*, celebrari quotannis cum ipso festo solebant a pridie nonas Aprilis (quod initium ludorum & festum erat ipsum, quo primae aedis numinis illius dedicatio celebrata) ad 4 nonas ejusdem, seu per dies sex, ut calendaria illa testantur. Carolus autem ille Neapolis[x], incogitantia plane nimis temeraria, hinc emendandum vult Livium, ubi de dea matre in aedem victoriae perlata sic loquitur[y], *Pertulere deam pridie idus Aprilis isque dies festus fuit. Populus frequens dona deae in palatium tulit*; *Lectisterniumque, & ludi fuere Megalesia appellata.* Ad haec ille, *ausim dicere scribendum pro Idus Nonas.* Quasi ibi aliter falso designaretur dies dedicationis deae matri. Sed plane locus ille non ad dedicationem ejus omnino attinet. Receptio ejus a Pessinunte Romam advectae, prima & deductio, ut res & tempus tulere, in alterius numinis aedem ibi tantum narrantur, nec tamen sine lectisternio & ludis; unde etiam eo nomine dies ille nonarum Aprilium pridianus, qui secundus erat a Megalesiorum nonarum, festus dictus & forte anniversarius itidem fuit, sed non omnino ut dedicationis aedis ejus solennitas. Illud scilicet de dea sic primo recepta contigisse scribit Livius M. Cornelio, P. Sempronio consulibus, id est, annis tredecim ante aedis ejus dedicationem. Atque ob eam simul Megalesiorum, qui Valerio Antiate autore sic primi scenici fuere, fuit institutio, quae ad annum spectat quo consules P. Cornelius Scipio & Manlius Acilius Glabrio, seu a dea primo recepta decimum tertium. Quod aperte liquet ex superius e Livio allatis. Simile, quantum ad recurrentes dedicationum dies, videtur haberi in aliis calendarii festis *ludisque* non paucis. De Concordiae item aedis a Camillo exstructae dedicatione 17 Kal. Januarii celebrari quotannis solita Ovidius[z],

Nunc te sacratae constituere manus;

dies hic est dedicationis tuae festus anniversarius. Idem[a] de Jovis Victoris templo idibus Aprilis dedicato, indeque festo recurrente, uti & de atriis Libertatis,

Occupat Apriles idus cognomine Victor
Jupiter: hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria Libertas coepit habere die.

Et postmodum[b] de idibus Juniis,

Nulla nota est veniente die, quam dicere possis;
Idibus invicto sunt data templa deo:

Ex simili ratione Palladis Aventinae festum ob cultus ejus solennis initia seu dedicationem 13 Kalend. Julii.

Sol[c] *abit e geminis, & cancri signa rubescunt,*
Coepit Aventina Pallas in arce coli.

De Fortunae item Publicae festo 8. Id. Aprilis, idem[d],

Qui dicet, quondam sacrata est colle Quirini
Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Parile de Junonis Monetae templi dedicationis festo Kal. Juniis recurrente[e];

Arce quoque in summa Junoni templa Monetae
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.

Unde & Macrobius[f], *nam & aedes Junonis Monetae Kalend. Juniis dedicata est.* De Fortis Fortunae itidem templi prima 8 Kalend. Julias positione, id est, per sacra a Servio Tullio rege peracta dedicatione[g],

Plebs colit hanc; quia qui posuit de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

Ideo festum erat quia eo die templum dedicatum fuerat. Festus item[h], *Servorum dies festus vulgo existimatur idibus Augusti, quod eo die Servius Tullius natus servus aedem Dianae dedicaverit in Aventino.* Item[i], *Rustica vinalia, mense Augusto, ut est in fastis, Veneri fiebant, quod eodem illo die aedes deae consecrata est.* Alia sunt ejusmodi quae celebrationes anniversarias cum suis appendicibus ex dedicatione, ut origine sola, pependisse apertissime demonstrant; scilicet ut urbium, principum, privatorum natalitia redeuntia festa agebantur annua, ita & templorum dedicationes. Etiam mos ille, ut videtur, Romanis antiquissimus, & cum ipsa urbe condita quasi natus. Licet vero didicisse videantur illi ab Ebraeis dedicationes solennes ipsas (nam templum Salomonicum circa annos 270

[s] Gruter pag. 43, 5. Octavius Rossus *nelle Memorie Bresciane* pag. 77. [t] Apud Bernardin. Scardeonium de Antiqu.t. Urbis Patavii lib. 1. pag. 62. & Gruter. pag. 95, 3 [v] Fastorum lib. 2. [x] Carolus Neapolis ad Fastor. 2. [y] Decad. 3. lib 9. cap. 14. [z] Fastorum 1. [a] Ibid. lib. 4. [b] Ibid. lib. 6. [c] Ibidem. [d] Lib. 4. [e] Lib. 6. [f] Saturnal 1 cap. 12. [g] Ibidem, & Varro de L. L. lib. 5. [h] In *Servorum.* [i] In *Rustica*, bis.

ante Romam conditam magnificentissime dedicatum est, & proculdubio etiam inde per orientem occidentemque celeberrimum habebatur; ut dedicationes alias praetermittamus) attamen recurrens earum quotannis Hierosolymis celebratio non reperitur ante encaenia Maccabaica. Tametsi non defuerint, ut ante ostensum est, recentiorum nonnulli qui pariter Salomonicam & Zorobabelianam quotannis celebratam esse asseruerint. Et rectius, puto, Rodulphus Hospinianus[k] de Maccabaica, *atque haec dedicatio prima anniversaria facta est.* Atque antiquiores multo sunt complures apud Romanos anniversarii nomine dedicationis dies festi. Ea de re viderint porro qui operae duxerint pretium.

VIII. Sed vero in marmoribus sunt aliquot deum magnorum, matris deum & Attidis, dedicationes, in quibus sacrificia ut diis eisdem propria memorantur; quae alibi quam in saxis apud veteres perraro occurrunt; ut *Taurobolium,* & *Kriobolium.* Et bene quidem Janus Gruterus ad Lampridium notat, absque saxis illis fuisset, sacra illa quasi ignorabilia plane fuisse, utpote quorum vix omnino apud scriptores chartaceos veteres mentio, eaque nimis depravata. Neque aliunde ea memorat Turnebus[l]. Apud Julium Firmicum[m] diu legebatur, *miseri sunt qui profusione sacrilegi sanguinis* (id est, taurini & arietini) *cruentantur. Tauribolium vel Orobolium* (pro *Taurobolium* & *Criobolium*) *scelerata te sanguinis labe perfundit.* Ita scilicet sacerdos perfusus inquinare etiam, ut videtur, solebat sacrificii auctores. De dedicatione autem post illa ut praevia peracta Romae exstat haec in marmore grandi[n] inscriptio,

D I S
MAGNIS
MATRI. DEVM. ET. ATTIDI. SE
XTILIVS AGESILAVS. AEDISIVS
V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBI
LIS. AFRICANI. TRIBVNALIS. ORA
TOR. ET. IN. CONSISTORIO
PRINCIPVM. ITEM. MAGISTE
R. LIBELLORVM. ET. COGNITION.
SACRARVM. MAGISTER. EPISTV
LAR. MAGISTER. MEMORIAE.
VICARIVS. PRAEFECTORVM. PER
HISPANIAS. VICE. S. IC. PA
TER. PATRVM. DEI. SOLIS. INVI
CTI. MITHRAE. HIEROPHANTA.
HECATAE. DEI. LIBERI. ARCHI
BVCOLVS . TAVROBOLIO
CRIOBOLIOQ. IN AETER
NVM. RENATVS. ARAM. SACRA
VIT. DD. NN. . VALEN
TE. V. ET. VALENTINIANO
JVN. AVGG. CONSS. IDIBVS
AVGVSTIS.

Sub annum nempe Christi 376. Necdum enim publicus Paganicarum superstitionum usus Romae, nedum per Italiam, evanuerat. Ejusdem ipsius anni dieique aut dedicatio ejusmodi, aut sacrificiorum eorundem diis magnis peragendorum votum habetur[o] Ulpii Egnatii Faventini. Etiam sexennio ante, seu Valentiniano & Valente consulibus tertium, Petronius Apollodorus pontifex major[p],

TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO.
VNA. CVM. RVF. VOLVSIANA. C. F. CON
IVGE. XVI. KAL. IVLIAS. DD. NN.
VALENTINIANO. ET. VALENTE. III. COSS.
ARAM. DICAVIT.

In qua etiam numinum figurae, & sacrificiorum illorum symbola Et Valentiniano & Neoterico consulibus, seu sub annum Christi 390, Kal. Jun. Ceionius Rufius Volusianus[q],

ITERATO. VIGINTI. ANNIS. EX. PERCEP
TIS. TAVROBOLIIS VI. ARAM CONSTITVIT

ubi male irrepsisse[r] videtur VI. Superne autem illic arietes quinque, & unus mactatus, ad Kriobolii conjuncti, quod Attidi, ut Matri deum Taurobolium, perfici solebat, designationem. Hinc *Taurobolium & Kriobolium facere* in saxis obvium, pro initiatione cujuspiam diis illis magnis, adeoque pro sacrificiis eisdem propriis, atque in dedicationibus, aut proxime ante, perficiendis. Unde etiam *Tauroboliatus*[s] dictus qui sacra illa perficeret. Vocabulum, cujus, in Lampridii editionibus ante Gruterianam, locum perperam occupabat *adeo debacchatus.* Sed restitutum est demum ex codice Palatino *Tauroboliatus*; quod de Heliogabalo dictum. Ita etiam *Taurobolini*[t] & *Tauroboliti.* Renovari solebat a Tauroboliatis Crioboliatisque sacrificium illud, ut forsan & dedicatio, quolibet vicennio[v], intra quod tempus renatus (ut Sextilius Agesilaus in marmore ante allato) per sacrum illud, velut per initiamentum, mundusque habebatur usque in vicennii proximi initia Sed ut hoc vicennale erat, ita alia sacra Matris deum (praeter ante memorata) annua. Julius Firmicus[x], *In sacris Phrygiis, quae Matris deum dicunt, per annos singulos arbor pinea caeditur, & in media arbore simulacrum juvenis subligatur.* Alii de pompis annalibus loquuntur[y], in quibus ablutio deae in Almone fluvio, juxta urbem, VI Kal. Aprilis; unde in Kalendario Constantini dicto ad diem illum notatur *Lavatio.* Sacra autem bina illa in aris aliisque saxis a Tauroboliatis diis magnis dedicatis sic saepius memorantur. Nec in ejusmodi sive aris sive saxis aliis sacrificia ipsa dedicationi adhibita aut praevia solent occurrere. Sunt vero dedicationes etiam illic[z] diis illis breviuscule, & sine sacrorum illorum mentione, conceptae.

IX. Nec raro etiam sine dedicatione expressa perfectum aut celebratum a quopiam Taurobolium esse inscribitur[a]. Etiam, pro salute Augustorum, aut civitatis, a civium ordinibus & provin-

[k] De Origine Festorum lib. 1. cap. 13. [l] Adversar. lib. 27. cap 21. [m] Lib. de errore profanarum religionum, cap 28. [n] Smetius fol. 20, 1. Gruter. pag. 28, 2. [o] Smetius fol. 19, 11. [p] Idem. ibid. 13. Gruter. pag 28, 1. [q] Idem ibid. 5. [r] Vide Cl. Salmas. in Notis ad Historiam Augustam pag. 180. F. [s] Lampridius in Heliogabalo, & Jan. Gruter. ad eum. & Inscrip. vet. Romae apud Salmasium in Notis pag. 179. [t] Smetius fol. 20, 4. Gruter. pag 28, 6. [v] Smetius fol. 19, 11. [x] Lib. de Errore Profanarum religionum. [y] Ovid. Fastor. 4. Ammian. Marcellinus lib 23. Vibius Sequester, in Regionibus Urbis; Herodianus in Commodo. [z] Gruter. pag. 29, 1, 2, 3, 6. [a] Idem ibid. 10, 11, 13, 14.

ciis.

ciis. Lapis hujuſmodi Narbone [b] mirae pulchritudinis cum multis capitibus bubalinis;

IMPERIO. D. M.
TAVROPOLIVM. PROVINCIÆ.
NARBONENSIS.
FACTVM. PER. C BATONIVM. PRIMVM.
FLAMINEM. AVGG. PRO. SALVTE. DOMI
NORVM. IMPP. L. SEPTIMII. SEVERI. &c.

Id genus complures ſunt alii [c]. *Tauropolium* hic alibique [d] ſaepius a quadratariis ſcribitur, ut interdum *Tauropolium* [e], & *Tauribolium* *, quae pro eodem plane ſumuntur, nempe *Taurobolio*, quod nomen eſt genuinum. Et *Tauripolium accipere* [f] locutio ſolennis pro *Taurobolium perficere, facere, celebrare*. Et tam foeminae [g] quam viri, urbes ac provinciae faciebant. Horrendum a Prudentio [h] deſcriptum ſacrum, in quo ſacerdos ſummus in ſcrobem defoſſus tauri ſuper tabulata perforata mactati ſanguinem in oculos, aures, os, nares avide conbibebat, Taurobolium fuiſſe ipſum exiſtimat Claudius Salmaſius [i], qui de ſacro illo ante nimis ignorata compluria docuit. Sed alii [k] aliter. Petrus autem Aringhius de templis aliquot, veluti Martis & Apollinis in Vaticano veteri, agens [l], *Nec interim deſunt*, inquit, *qui antiquum Cybeles, quam deorum omnium matrem inſana olim antiquitas pronunciavit, templum eodem in loco ſtatuant, hac una ad id aſſerendum ratione permoti, quod quamplurima Crioboliorum & Tauroboliorum ſimulacra, quae in ejuſdem deae honorem celebrabantur, cum nova Vaticanae Baſilicae fundamenta hoc noſtro ſeculo aperirentur, ibidem inter effodiendum reperiri contigerit; ex quo pariter alio deducto argumento aream illam, ingentemque pineam, quae jam in medio Vaticanae Baſilicae atrio exſtabat, & modo in proximis ſummorum pontificum hortis reſervatur, uſui quondam & ornamento ejuſdem deae Cybeles templo exſtitiſſe conjiciunt; cui arborem videlicet pinum gratam ſummopere acceptamque poetarum plerique, & Ovidius & Virgilius prae caeteris, pro more fabulantur. Verum aſſertionem hanc nulla, quod noverimus, ſcriptorum veterum auctoritate ſuffultam, nobis interim ſatis ſit indicaſſe.* Et lectorem qui de ſimulacris illis plura voluerit ablegat ad Joannis Severani librum de Sacris ſeptem Eccleſiarum memoriis, ubi illum ait copioſe de ſimulacris illis diſſeruiſſe. Utinam explicatius illa tradidiſſet Aringhius ipſe. Nam Severani librum ejuſdem nominis haud alium comperio praeter partem primam [m], in qua de ſimulacris illis mihi haud quicquam occurrit. Quod ad Prudentii autem illud attinet, ego ſane non illibenter forſan admiſerim apud eum *Taurica ſacra* in illo [n],

Incaſſum arguere jam Taurica ſacra ſolemus,

Taurobolia innuere, aut ſaltem complecti; licet a viris doctis [o] ſumantur illic pro tauris Plutoni immolari ſolitis. Et Pluto quidem ibi memoratur ut hoſtiis humanis placari ſolitus; cui alia etiam pariter ſacrificia, ſed interim etiam taurorum; ut ex Horatio [p] ſcimus, aliiſque. Et ſacra quidem taurorum, prae aliis, fiebant itidem tam Neptuno (idque interdum ex oraculo [q]) uti & Apollini, quam diis magnis ſic dictis. Virgilius [r],

——*Meritos aris mactavit honores,*
Taurum Neptuno; taurum tibi, pulcher Apollo.

Mari item & Fluviis, ut ex Homero [s] liquet. Inde Neptunus *Taurius* [t] dictus; uti Ταύρεια [v], feſtum ejus. Etiam triumphantes diis ſimul Capitolinis tauros ſacrificabant. Uti & Sabini [x] Marti. Hinc

——·——*maxima Taurus*
Victima


Virgilio [y]. Sed ita ſane evenit ut etiam apud veteres recentioreſque tum *Taurica*, quorum genera etiam alia ſunt ſacra, tum nomina alia a *Tauro* aut *Tauris* quomodocunque ſumpta, in obſcuro nimis & incerto, ſi quae alia, latuerint. Labeo [z] Neptuno tantum, Apollini, & Marti taurum rite immolari voluit; nec omnino Jovi, quod tamen ſine temperamento (utcunque etiam Jovi taurum immolare non licuiſſe, in libris de jure ſacrificiorum ſcripſerit) haud verum eſt. Nam ut ex diis Capitolinis erat, ſeu Jupiter Capitolinus, a triumphantibus rite ei cum reliquis tauro litabatur [a], ſed nec aliter. Quod diſciplinae Homericae conſonum,

Ἔνθα Διῒ ῥέξαντες ὑπερμενεῖ ἱερὰ καλὰ,
Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι, &c.

Ibi Jovi praepotenti facientes ſacra pulchra, ei idonea, *ſed tauro Alphaeo* fluvio, & *tauro Neptuno*, &c. ubi quaſi expreſſim ſatis Jovi negatur taurus. Quemadmodum autem quid Taurobolium ipſum eſſet adeo in obſcuro apud recentiores manſit, ita etiam alia, praeter jam memorata, ſacra Taurica; quorum unicum Dianae dictum, etiam *Tauropolion* (quo nomine itidem in ſaxis indigitari Taurobolium jam oſtendimus) & *Tauropolia* appellatum. Heſychius, Ταυροπόλια, ἃ εἰς ἑορτὴν ἄγουσιν Ἀρτέμιδι, *Tauropolia, quae ut feſtum celebrant Dianae.* Qualenam fuerit feſtum illud, parum conſtat. Ταυροπολικὰ memorat Athenaeus [b], ut ſatis deteſtanda. Etiam Iſaacus Caſaubonus eum explicans, *Qualia*, inquit [c], *fuiſſe legimus ſacra Cotytus, omnis turpitudinis & obſcoenitatis plena, talia erant & Tauropolia, quemadmodum colligas recte ex hoc loco.* Sed originis horum ſe neſcium plane fatetur. Certe Diana ipſa Taurica a Scythiae cognomine regione Ταυροπόλα [d] (quod nomen etiam Minervae tributum) uti etiam Ταυροβόλος, & Ταυρὼ, & Ταυριώνη, & Ταυροπόλος [e], atque dea Ταυρική [f]. Et templum narrat fuiſſe in Icaria maris AEgaei inſula Strabo [g] *Tauropolium* nuncupatum, quod

[b] Idem. ib. 12. [c] Ibid. 14. & pag. 30. 1, 2. [d] Ibid. 13, 14 & pag. 30. 1, 3, 4, 5. pag 31. 3, 4, 5, &c. [e] Pag. 20. 10. * Ib. 8. [f] Ibid. 13. [g] Ibid. & pag. 30, 4. & 31. 3, 4, &c. [h] In Periſtephanon [i] Ad Lampridium pag. 180. C. [k] Videſis Georgium Fabricium ad Prudentii locum citatum. [l] In Roma Subterranea, lib 2 cap. 3. §. 15. [m] Romae 1630, in 8°. [n] Contra Symmachum, lib. 1. tit. In ſpectaculis, quos ſint venerati. [o] Jo. Weitzius ibidem. [p] Carm. 2. Od. 14. [q] Pauſanias in Phocicis. [r] AEneid. 3. [s] Iliad λ. Et Euſtath. ad Iliad. φ & ψ. & Odyſſ. λ. & videſis A. Gellium, lib. 13. cap. 25. [t] Suidas in Ταυρέϊον. [v] Heſychius in Ταύρεια. [x] Strabo lib. 5. [y] Georgic. 2. [z] Apud Macrob. Saturn. 3. cap. 10. [a] Servius ad AEneid. 9. [b] Dipnoſoph. lib. 6. [c] Animadverſ. 6. cap. 16. [d] Sophocles in Ajace, Heſychius, Suidas in Ταυρέων. [e] Euripid. in Iphigenia, in Tauris. Diodor. Sicul. lib. 2. Strabo lib. 12. Liv. Decad. 5. lib. 4. Euſtath. ad Dionyſ. Periegeten. [f] Euripid. ibidem & Pauſan. in Atticis & Laconicis. [g] Lib. 14.

dum ex eo eam in rem citato citat Stephanus, in Samo insula perquam vicina collocat. Dum vero nominibus hisce dea ipsa templumque ejus sic celebratur, nihil omnino de tauri sacrificiis apud veteres, quantum video, admittitur in nominum illorum ratione haberi; sed vocamina a gente Scytharum Taurica tantum deducta esse (quasi diceres, *Diana in tauris*, ut, *Iphigenia in tauris)* adeo ut Diana Ταυροπόλος aliud non fuerit quam quae versabatur, colebatur, apud Tauricam gentem; aut ab eo quod praefuerit illa armentis, in quibus taurus adeo princeps; aut quod, cum luna fuerit, tauris sit vecta [h]. Sacra autem ei hoc nomine fuisse peculiaria, scimus e Diodori loco citato, uti satis ex templo *Tauropolio* dicto, & festo cognomine apud Hesychium. Atque illa humano seu hospitum immolatorum [i] sanguine, non taurino, omnino in tauris peragi solebant. Nec postquam Orestes [k] simulacrum ejus inde surripuerat, & in Graeciam detulerat dedicaratque, sacra ejus illic quicquam omnino habuerunt taurini sanguinis; sed humani interim, non ex immolatione, ut in tauris, sed ex flagellatione [l]. Neque enim Graeci aliter pristinorum sacrorum memoriam aut reliquias inter se admittendas voluere. Verum quidem est, obtinuisse opinionem, *Tauricae* ipsius gentis nomen ortum, ἀπὸ τοῦ ζώου ταύρου, διὰ τὸ ἐκεῖ τὸν Ὄσιριν ζεύξαντα βοῦν ἀρόσαι γῆν, ut narrat Eustathius [m], id est, *a Tauro animali, quoniam ibi bovem junxit Osiris ad tellurem arandam*; atque ex eo quod oriunda sit ab AEgyptiis Apin bovem colentibus. Sed hoc nihil ad animalis sacrificium. Etiam ipsi Eustathio ibi videtur Ταυροπόλου Dianae nominis originem causamque esse tantum a gente in qua versata est & hospitibus caesis coli solebat. Veteres illi Apollodorus & Istrus nominis Ταυροπόλης & Ταυροβόλου non omnino ab sacrificio taurino deduci voluere [n]. Nec puto ullibi animal illud immolatum ei apud veteres legi; praeterquam ubi nonnulli voluere in Iphigeniae, cum in Aulide ei immolanda esset, ab ea abreptae locum non ursam, aut anum, ut aliqui [o], nec cervam, ut Euripides [p], sed taurum fuisse substitutum, adeoque ei immolatum. Nihilominus fidentius ab nonnullis [q] nescio unde asseritur *Tauripolion* fuisse sacrum *in quo Marti & Dianae non humano sed taurino sanguine sacrificabatur*; Et *Tauripoliam Dianam dictam quod illi Taurino sanguine sacrificaretur*. Sed nec facit ad solennem tauri ei immolationem id quod de succedaneo Iphigeniae sacrificio sic habetur, quod nec pro recepto admittitur, nec in morem omnino postea transit. Adeoque haud in Dianae sacris *Tauripoliis* dictis taurus locum sortitus est ullum, magis quam in ejusdem apud Phocenses [r] Elaphoboliis *cervus*. Illic enim placentae tantum sacrificabantur ex adipe, melle & sesamo confectae, ut legitur apud Athenaeum [s]: Sed illae *Elaphi* seu *Cervi* dicti. Diana vero ipsa *Elaphebolos* a venationibus & *Elaphaea* itidem nuncupata est, eisque nominibus culta [t]. Sunt autem viri docti qui nescio quid commune habuisse Tauripolia Dianae cum deorum magnorum Tauroboliis, *Tauropoliis* etiam dictis; quos [v], si placet, consulas. Fuere item ludi Taurici, Taurii, seu Taurilia dicti, quibus cum Tauroboliis aut Tauropoliis nihil commune, Romae celebrari soliti in circo Flaminio, in quibus *circum metas currebant*, ut Varro [x]. Et de eis vide Festum, & ad eum Josephum Scaligerum. Diis inferis instituebantur sub Tarquinio Superbo. Occurrunt etiam apud Hesychium Ταυροχόλια pro festo Cyzicenorum, aliter, puto, ignorata. Etiam apud Graecos ludus erat seu certamen Ταυροκαθάψια dicta, quorum mentio, puto, in veterum libris non omnino habetur. Reperio in marmore e Graecia Asiatica pridem allato, quod in hortulo musei mei Carmelitici habeo figuris hisce & inscriptione insignitum, longitudo est pedum quinque; latitudo sesquipedalis. Qualisnam fuerit sive ludus sive certamen, ex ipsis figuris haud aegre elicitur. Non animadvertere demum hic nequibam doctissimi & optimi viri Guilielmi Camdeni observationem seu monitum de Tauropoliis, velut quae curiosioribus merito respicienda essent ex sacrorum, ut existimatum est, nescio quorum, vestigiis, in bubalinis capitibus sub annos abhinc 350 circa aedem Londini Paulinam effossis compluribus. Nimirum Dianae templum aedem illam aevo paganico fuisse ait conjectasse aliquos [y], atque *esse quae fidem eorum conjecturae adjungunt*. Etiam quoniam *antiquae scilicet aedes adjacentes in ecclesiae archivis Dianae Camerae*, inquit, *vocantur, & in coemeterio, regnante Edwardo primo, incredibilis vis bubalinorum capitum effossa fuit, ut est in nostris annalibus,*



[h] Scholiastes in Sophoclis Ajacem, Suidas in Ταυρελόνη. [i] Herodotus in Melpomene, alii. [k] Euripides in Iphigenia in tauris. [l] Philostratus de Vita Apollonii, lib. 8. cap. 10. [m] In Dionys. Periegeten. [n] Apud Suidam in Ταυροπόλα. [o] Apud Isaac. Tzetz. in Lycophronem. [p] In Iphigenia, in Aulide. [q] Carolus Stephanus, in Dictionar. Poetico. [r] Plutarch. lib. de Virtutibus Mulierum. [s] Dipnosoph. 14. [t] Pausanias in Eliacis. [v] Thomas Dempster. in Paralipomenis ad Rossinum, lib. 2. cap. 4. & Joannes a Wower ad Julium Firmicum, de Errore Profanarum religionum. [x] L. 4. de Lingua Lat. [y] In Britannia, pag. 306.

quae tunc cum admiratione tanquam gentilium sacrificia suspexit multitudo. Et Tauropolia in Dianae honorem fuisse celebrata norunt eruditi. Quasi capita bubalina in Tauropoliis vetustis partem egissent, quod nusquam puto repertum. Sua manu postea in codice suo [z] adnotavit illic ipse, ut conjecturam de sacrificiis hic bubalinis firmaret, *Ubi pagani (inquit Gregorius M.) boves multas immolare consueverunt, christiani religiosis conviviis debitas solennitates celebrent*, cujus sensus expressim habetur apud Gregorium [a] frequentiam sacrorum bubalinorum apud majores nostros paganos aperte indicans. Caeterum ut ad Tauropolia nihil omnino attinebant boves aut capita bubalina, eorumve partes aliquae, ita nec revera ad sacra Dianae ulla, exceptis illis quae Dianae Aventinae fiebant, in quibus, dum aliis in Artemisiis seu Dianae Romae templis, quae non pauca fuere, cervorum cornua (velut primitiae [b] a venatoribus allatae) affigi solebant, cornua, ex jure singulari, boum affigebantur; quod memorat Plutarchus [c]. Adeoque Dianae illic cultum capita effossa bubalina non omnino adstruunt. Adjicit autem praestantissimus Camdenus, velut ad Dianae symbola sacraque propius accedens, *Nos etiam ipsi pueri cervi caput pilo praefixum, quod Dianae sacrificiis convenire videbatur, magna cum pompa & cornicinum boatu in ipso templo circumgestatum vidimus. Cervumque illum, quem illi* de Baude *in Essexia pro terris quibusdam praestabant, ut accepimus, hujus ecclesiae sacerdotes sacris vestibus induti & capita corollis e floribus redimiti ad gradus chori recipere soliti. An hoc in usu fuerit antequam* Baudi *cervum praestare tenerentur, nescio; certe Dianae cultum & gentilium errorem magis quam christianam religionem hic ritus redolere videatur.* Et Dianam venatricem & Ἐλαφοκτόνον [d] *cervorum interfectricem* dictam nemo nescit. Sed vero certissimum est, solennitatem illam, quae compluribus abhinc annis evanuit, originem non habuisse vetustiorem quam annum Edwardi regis primi tertium, seu Christi 1274, cum, ut ex Archivis [e] quae fuere illius ecclesiae liquet, Guilielmus *Baud*, vir equestris dignitatis, in compensationem praedii ei ab Harvaeo de *Boreham* decano illic & canonicis, ut intra vivarium suum Coringhamiae in Essexia clauderetur, concessi, se posterosque suos obligavit ad praestandum quotannis illis ad altare magnum die conversionis S. Pauli (quae est Januarii 25) cervam, uti etiam die commemorationis ejusdem cervum, quorum capita cum pompa jam dicta per ecclesiam circumgestarentur; aliis itidem tunc institutis eam circa rem ritibus; quae omnia usque in tempora Elizabethae reginae durarunt. Consule, si placet, ea de re etiam Joannem Stowaeum [f] & Archiva [g]. Adeoque in ritu illo nihil ex origine paganica. Alii autem capita illa effossa sacrorum Jovis reliquias fuisse existimarunt [h], adeoque templum ipsum Jovis olim fuisse. Sed haec obiter.

X. Adjiciebantur etiam in marmoreis aliisque dedicationibus, praeter jam ostensas, leges ad aras locosque rite in templa effatos spectantes, etiam & causae interdum praeviae dedicandi, cum ampliori ac varia rituum mentione. Ejusmodi autem paucae supersunt. Singulares autem ex eis aliquas, ut plenius dedicandi & mos & vis perspecta habeatur, adponere visum est. Vetustissimam formulam habet Livius [i] in illo de Romulo, qui, cum Acronem Caeninensium regem bello spoliasset, Jovi Feretrio templum terminis quos ipse animo metatus fuerat designavit. *Spolia*, inquit iste, *fabricato ad id apte ferculo, gerens, in capitolium ascendit; ibique ea, cum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono, designavit templo Jovis fines, cognomentumque addidit Deo*; id est, *Feretrium* eum vocavit, ut opima illi spolia ferrentur. Et dein, *Jupiter Feretri*, inquit Romulus, *Haec tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque eis regionibus quas modo animo metatus sum dedico, sedem opimis spoliis, quae regibusque ducibusque hostium caesis, me auctorem sequentes, posteri ferent.* Festus ubi [k] hoc de templo seu aede Jovis Feretrii loquitur, adjicit, *Hujus aedis lex nulla exstat, neque templum habeat necne scitur.* Quasi ex vita Romuli dedicatio illa haud ita satis dignosceretur, ut utrum revera templum fuisset, annon, inspicienti satis constaret. Impense mirum quidem videtur, historiam de dedicatione illa non suffecisse dubio illi plane tollendo. Halicarnassensis etiam, Propertius [l], Plutarchus [m] de aede Jovis Feretrii illa ut de templo undiquaque legitimo loquuntur. Festi autem illud forte inde manavit quod nullibi in templi parietibus reperiretur dedicatio ipsa, nedum lex ejus, aut templi nomen. Unde ad ejus verba illa Josephus Scaliger; *Olim leges aedium in aedibus ipsis in postico earum ponebantur*; quod ut asserat, Varronis locum subjungit; ubi is rupem Tarpeiam *montem Saturnium* olim dictum ait [n], & *antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam. Ejus vestigia etiam nunc manent tria; quod Saturni fanum in faucibus; quod Saturnina porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam; quod post aedem Saturni, in aedificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti.* Tunc Scaliger, *Continebant autem leges aedium inter alia, utrum aedes illa esset templum, necne. Et hoc est quod ait Festus.* Et paulo post, *Apponebantur & leges dedicationis, quibus aedes ipsae sacrae fiebant, neque sine exauguratione transferri poterant.* Atque illuc affert quod Plinius [o] habet de aede Matris Deum vetustissima, cui nulla lex dicta est apud Nicomedenses. Ad Trajanum Augustum inquit Plinius, *Ego cum quaererem num esset aliqua lex dicata templo* (codices aliqui habent *dicta templo*; sed lectio prior Catanaeo placet, quae etiam Trajani rescripto satis consona) *cognovi alium hic, alium apud nos* Romanos *esse morem dedicationis. Dispice ergo, Domine, an putes aedem cui nulla lex data est salva religione posse transferri. Alioqui commodissimum est*, ut transferatur, *si religio non impedit.* Respondet Trajanus, *Potes sine solicitu-*

[z] In Bibliotheca Cottoniana. [a] Lib. 9. Ep. 71. [b] Arrianus, de Venatione, cap. 3. [c] In Quaestionibus Romanis. [d] Euripides in Iphigenia in Tauris, &c. [e] Regist. Eccles. Paul. Signatum lit. G. [f] In Notitia Londini, pag. 640. in 4° 1618. [g] Eschaet. & Inquisit. anni 2 Edwardi 3. numero 72 in arce Londinensi. [h] Franciscus Godwinus in Episcoporum Catalogo, seu Londinensi 51. [i] Lib. 1. cap. 10. [k] In voce *Opima*, vide & Schedas ejus. [l] Lib. 4. eleg. penultima. [m] In Romulo & Marcello. [n] De LL. lib. 4. [o] Plin. 10 Epist. 58, 59.

dine religionis, si loci positio videtur hoc desiderare, aedem Matris deum transferre in eam quae est accommodatior. Nec te moveat quod lex dedicationis nulla reperitur, cum solum peregrinae civitatis capax non sit dedicationis quae fit jure nostro, seu Romano. Consulit eum Plinius, an templum cui lex nulla adjecta transferri, ut aedes haud pro templo censenda, salva religione, id est, jure, potuerit. Definit Trajanus, legis adjiciendae rationem apud Nicomedenses, quae peregrina civitas esset, habendam nullam: Haud capacem scilicet esse civitatem peregrinam dedicationis quae, juxta ante dicta, jure fieret Romano: Sacra nempe Romana eorumque rationem ad peregrinos non attinere; sed jure tantum Quiritium sacro niti. Non quod existimarunt Romani haud legitimas in se omnino fuisse apud peregrinos templorum dedicationes (ut manifestum etiam fit ex eorum, in obsidionibus, deorum evocationibus perquam solennibus) sed non quales ex jure Romano definiendae essent, extra scilicet agrum Romani nomine cognitum, seu velut civitate donatum. Etiam scimus Octavio Augusto templum Hierosolymitanum, cujus dedicatio Romanis prorsus ritus peregrini, tanti eo nomine aestimatum, ut sacrificia [p] quotidiana sui gratia illic praestari, idque sumptibus suis amplissimis, voluerit. Quod vero attinet ad leges in postico templi velut ex more inscribendas, id quod videtur viro maximo ex Varronis loco illo eliciendum; certe opinor ego usitatius fuisse in antico supra aut circa valvas, aut postem tenendum, tum dedicationis ipsius tabulam seu formulam, quae marmorea erat, tum causas praevias & leges inscribi ex more solitas; pro vario nimirum formularum inscribendarum discrimine. Plusquam tantundem innuitur expressim a Livio ubi AEmylium narrat [q] aedem larium permarinorum (Ἰαλαπτοντίων) dedicasse, quam voverat quadraginta ante annis L. AEmylius in navali proelio adversus Antiochum regem Syriae, *Et supra valvas templi tabulam cum titulo fixam esse*, in quo, victoria, ut vovendi causa, memorata, subjicitur, *Ejus rei ergo aedem laribus permarinis vovit.* Etiam, *Eodem exemplo tabula in aede Jovis in Capitolio supra valvas fixa est.* Neque sane locus aliquis alius aeque tabulae figendae, tam dedicationis ipsius ejusque legum quam voti ante nuncupati solutique, idoneus. Nam ut bene simul uno in textu conjungi potuerunt, ita, quantum video, conjungi in marmoribus solebant. Jacobus autem Gutherius [r], *Lex arae sive instrumentum arae vel templi a tabula differebat, quae in dedicatione cum titulo supra valvas templi figebatur.* Quod quidem non satis capio, nisi intelligat, eodem in marmore tabulam interdum votum susceptum ejusque causas, sacrificiorumque generum ex eo futurorum enumerationem, etiam & aram templumve positum per se continuisse alteram, alteram vero ipsam dedicationem simul, atque ad numen allocutionem legesque; quemadmodum quidem res cernitur in tabula qua Narbonensis [s] velut aram Octavii Augusti numini dedicaturi, votum a se susceptum ejusque & sacrificia futura annua in altera marmoris seu priore ejusdem parte designant, in altera vero verbis solennibus dedicant, regionesque circumscribunt, ac leges adjiciunt, quales arae Dianae in Aventino. Sed exemplum est illud rarissimum. Perquam vero egregium est illud Cneii Domitii Valentis, duumviri juri sacro in dedicatione dicundo (ut mos erat) constituti, qui sub Adriano Augusto, seu circa annum Christi 137, Salonae Dalmaticae, coloniae Martiae, Juliae dictae, aram hujusmodi templique circumjacentem aream, C. Julio Severo pontifice praeeunte, Jovi consecrabat. Apud Gruterum [t] ita se habet.

L. AELIO. CAESARE. IMP. ET. P. COELIO. P. F. BALBINO. VIBULLIO. COSS. VII. IDUS. OCTOBRES.
CN. DOMITIUS. VALENS II. VIR. I. D. PRAEEUNTE. C. JULIO. SEVERO. PONTIFIC.
LEGEM. DIXIT. IN. EA. VERBA. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT
JVPPITER. OPTIME. MAXIME. QVANDOQVE. TIBI. HODIE. HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQVE. OLLIS. LEGIBVS
OLLISQVE. REGIONIBUS. DABO. DEDICABOQVE. QVAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO. UT. INFIMVM SOLVM. HVIVS. ARAE. EST
SI. QVIS. HIC. HOSTIA. SACRVM. FAXIT. QVOD. MAGMENTVM. NEC. PROTOLIAT. ITCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTVM. ESTO. CETERAE
LEGES. HVIC. ARAE. EAEDEM. SVNTO. QVAE. ARAE. DIANAE. SVNT. IN. AVENTINO. MONTE. DICTAE. HISCE. LEGIB. HISCE. REGIONIB.
SICVTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. JVPPITER. OPT. MAX. DICO. DEDICOQVE. UTI. SIS. VOLENS. PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQVE
MEIS. DECVRIONIB. COLONIS. INCOLIS. COLONIAE. MARTIAE. JVLIAE. SALONAE. CONJVGIBUS. LIBERISQVE. NOSTRIS.

Quaelibet hic linearum distinctio unicam in marmore a Grutero exhibito facit. Ad Jovem vides allocutionem; qualis proculdubio in aliis numinum dedicationibus. Leges hic dedicandi referuntur ad eas quae fuere arae Dianae in Aventino, uti etiam in Narbonensi jam dicto marmore. Saxum in quo incisa est haec dedicatio Salonae olim visebatur, sed mutilum. Inde Joannes Baptista Rhamnusius dono accepit, ac aliquandiu in aedibus suis Patavii tenuit. Postmodum ipse, cum portam Patavinam, unam ex eis qui eorum murorum sunt qui vetustiorem civitatis partem introrsus circumeant, prope pontem D. Benedicti, aereis Andreae Naugerii & Hieronymi Fracastorii capitibus exornabat, saxum hoc etiam antiquitatis venerandae conservandae causa sub eis collocavit; sed instauratum atque ex conjecturis suppletum, nec sine pervetusti codicis, in quo descripta est ope, ut videtur, adjutus. Quae omnia narrat Aldus Manutius [v], ubi etiam ipsum sax-

[p] Philo de Legatione. [q] Decad. 4. lib. 10. cap. 52. [r] De Veteri Jure Pontificio, lib. 3. cap 11. [s] Apud Gruter. in Thesauro, fol. 229. Brissonium de Formulis, lib. 1. Jos. Scaliger. in Schedas Festi, pag. 44. [t] Thesaur. fol. 23, 12. [v] In Orthographiae ratione pag. 37.

um

um velut inde vere descriptum exhibet; nec, quantum ad rem ipsam, a superiore ita discrepans. Clauditur autem illic ad hunc modum—VTI. SIS. VOLENS. PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQVE. JVLIAE. SALONAE. CONJVGIBVS. LIBERISQVE. NOSTRIS. Vocibus sic MEIS. DECVRIONIBVS. COLONIS. INCOLIS. COLONIAE. MARTIAE. haudquaquam insertis. Sed lectionem illam de colonia Martia Julia Salona agnovit etiam Jacobus Mazochius[x], ut ex illo notat Ortelius[y]. Atque, ut apud Gruterum habetur, ita suis interseruerunt saxum integrum Bernardinus Scardeonius[z] ipse Patavinus, Barnabas Brissonius[a], & Jacobus Gutherius[b]. Apud Joannem Rosinum[c] linea prima caret, aliasque differt. In fronte autem, seu linea illa prima, discrepantia est non praetereunda. Aldus habet—BALBINO. VIRBULLIO. PIO. COSS. Atque, ut Gruterus, AELIO. CAESARE. IMP. ita eandem retinent lectionem Brissonius & Gutherius; in qua sequaces quidem sunt Aldinae & Scardeonianae, quae habent item ibi IMP. Sed proculdubio non sine errore crassissimo. Anne enim AElius ille Verus unquam imperator? Nescio quomodo saxum ita mutilum variatim describentibus imposuit. Smetius[d] ante Gruterum recte habet AELIO. CAESARE II. P. COELIO, &c. COSS. Nam certissimum est anno qui praecedit hunc quo dedicatio haec facta est, Aelium, qui ante adoptionem Adrianeam *Ceionius Commodus Verus* dictus est, consulem eo nomine cum Pompeiano fuisse, & anno sequente Commodum secundum; unde pro IMP. legendum II. Bis autem illum consulem sic designatum esse manifesto liquet ex Spartiano[e], fastisque obviis, atque ex nummis apud Goltzium, Occonem, alios, quamplurimis & Graecis & Latinis, qui habent Λ. ΑΙΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ &c. ΥΠΑΤ. Β. & L. AELIVS CAESAR. TR. P. COS. II. Quod habetur hic de *Magmento non protollendo* idem ipsissimum est in Narbonensi dedicatione ante memorata, excepto quod illic *qui*, non *quod*. *Magmentum* eundem satis in sensum significat, opinor, si quis hostiam ibi immolaret, nec adjecerit Magmenti, nomine jecinoris, aliave insuper ejusmodi desecta, nihilominus rite sacrificatum fore. Legebat hic Turnebus[f], QVOD. MAGNENTVM. NE. PROTOLLET. De Magmentis videsis illum ibi, & Josephum Scaligerum in conjectaneis; sed maxime Claudium Salmasium in Plinianis[g], ubi Varronis[h] locus depravatus ea de re e codice vetusto sibi restituitur. Accedat hic de dedicatione Vulcano, ut videtur, praestita, legibusque ei conjunctis, monimentum Romanum eximium[i],

HAEC. AREA. INTRA. HANC. DEFINITIONEM. CIPPORVM
CLAUSA. VERVBVS. ET. ARA. QVAE. EST INFERIVS
DEDICATA. EST. EX. VOTO. SVSCEPTO QVOD. DIV—
ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM INCENDIORVM
ARCENDORVM. CAVSA. QVANDO. VRBS PER. NOVEM
DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBVS ET. HAC
LEGE. DEDICATA. EST. NE. CVI. LICEAT INTRA. HOS
TERMINOS. AEDIFICIVM. EXSTRVERE MANERE
NEGOTIARI. ARBOREM. PONERE ALIVDVE. QVID
SERERE. ET. VT. PRAETOR. CVI. HAEC REGIO. SORTI
OBVENERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT ALIVSVE. QVIS
MAGISTRATVS. VOLCANALIBVS. X. KAL SEPT. OMNIBVS
ANNIS. VITVLO. ROBIO. ET. VERRE

Hanc affert Brissonius[k] quasi inciperet ab EX VOTO SVSCEPTO, atque ita Romae conspici ait. Sed in duas partes ab artificibus aliquot circa Basilicam S. Petri, ubi habetur, divisa esse dicitur apud Gruterum. Adeoque partem alteram tantum habet Brissonius. Ita praeter circumscriptionem areae dedicatae ac leges adjectas sacrificiique genus, celebritas anniversaria Vulcanalibus seu 10 Kal. Septembris tribuitur; unde, juxta ante de recurrente ejusmodi festorum celebratione allata, videtur Festo in illo Vulcano, qui igni adeoque incendiis averruncandis praefuit, aram hanc areamque dedicatam esse.

CAP. XV.

I. *Ebraeorum in dedicando morem, etiam & gentium, pro disciplinae suae discrimine, imitatos esse Christianos. Id a reformatis nonnullis prorsus improbatum. Et de origine dedicationum Christianarum a centuriatoribus eorumque sequacibus ex Athanasio petita.*

II. *De ecclesiis qualibuscunque (qua sacrorum gratia conveniendi loca voce illa designata sunt) Christianorum in seculis primitivis Constantinum Magnum, seu imperii summi & Christianismi conjunctionem primam, antevertentibus.*

III. *Quod in dedicationibus tum Judaicis tum gentium primarium locum obtinuit, id est summum imperium, ut superius ostensum, defuit Christianis illis primitivis, tametsi ex confoederata inter se disciplina, nomine tenus, etiam synedrium habuerint.*

IV. *Testimonia praecipua quae seculis in illis dedicationum apud Christianos usum*

[x] In Inscriptionibus pag. 28. [y] In Thesauro, in *Salo.* [z] De Antiquitate Urbis Patavii pag. 85. [a] Formularum lib. 1. [b] De vetere Jure Pontificio lib. 3. cap. 11. [c] Antiq. Roman. lib. 2. cap. 2. [d] Pag. 18. num. 18. [e] In Adriano, & in AElio Vero. [f] Adversar. lib. 22. cap. 6. [g] Pag. 129. [h] Lib. 4. de LL. [i] E Mazochio Gruterus pag. 61. 3. [k] Formularum lib. 1.

satis

I

ſatis aſſerere videantur. Memoria, Titulus. Scriptores ſententiam illam amplexantes. Euſtathiani & Maſſaliani templa eorumque dedicationem averſabantur.

V. *Expenduntur teſtimonia illa. Et quid videatur de ſeculorum illorum primitivorum circa dedicationes ſacras diſciplina ſtatuendum, ex Origene, Clemente Alexandrino, Minutio Felice, Arnobio, & Lactantio.*

VI. *Sententia quae revera & tunc temporis & ſub Conſtantino obtinuit de templorum Chriſtianorum dedicationibus Deo, angelis, ſanctis; quarum feſta ab imperatore illo aliiſque celebrabantur frequentius & ſplendidiſſime, tum prima, tum anniverſaria, idque encaeniorum nomine.*

VII. *Dein ſtatim receptum eſſe, nec ſynaxes in eccleſiis nondum dedicatis regulariter rite fieri, neque citra auctoritatem Caeſaream dedicationes epiſcopis, nedum aliis, licitas fuiſſe.*

VIII. *De eccleſia magna & Caeſarea dicta apud Alexandrinos; quam & S. Michaelis archangeli eccleſiam e templo idoli Michaelis dicti, a Cleopatra exſtructo, confectam eſſe ſcribit Eutychius patriarcha Alexandrinus. De feſto ejuſdem anniverſario in die duodecimo Hathuri ſeu Novembris* 8 *apud AEgyptios & per eccleſiam orientalem; quod in occidente ad Septembris* 29 *attinet.*

IX. *Teſtimonium de S. Michaelis feſto ſic in AEgppto celebrato e calendario AEgyptiaco ſeu Coptitarum Chriſtiano, autore Abulaibſan Achmed Calcaſendio Mahumedano, una cum toto calendario, ex eodem, ipſo. De feſto palmarum (quod & olivarum illic vocatur) nativitatis Chriſti, immerſionis ſeu baptiſmi, circumciſionis, aſcenſionis, Moſis natalibus, Noachi egreſſus ex arca, uti & ingreſſus ejus; Commemoratio patrum* 318 *Nicaenorum; alia id genus quamplurima.*

AB dedicationum ſacrarum, non ſine ritibus ſingularibus propriiſque ac ſolennibus, exemplo Ebraico, eoque notiſſimo (quod juxta analoga ſua, utcunque depravata, inſtituta ſecuti ſunt Gentiles) inolevit etiam tandem dedicandi templa, eccleſias, altaria mos Chriſtianorum, cum utriſque miſtorum, receptiſſimus, & diſciplinae ipſorum accommodatus. Id de quo reformatorum aliqui[l], veluti & Judaiſmi & Gentiliſmi imitamento, graviter ſunt conqueſti; Romanenſibus ex adverſo ſummopere adprobantibus[m] propugnantibuſque. Magdeburgenſes[n], de ſeculi Chriſtianiſmi quarti initiis, *Uſitata omnino magis quam ſuperioribus ſeculis templorum fuerunt dedicationes ſeu conſecrationes, & quidem feſtivae. Nam Athanaſius in libro de paſſione imaginis Domini ſcribit, Judaeos Beryti converſos ſynagogam maximam Chriſto ſalvatori per antiſtitem ejus loci conſecrari curaſſe; atque ex eo tempore morem hunc per diverſas orbis terrae nationes & provincias inoleviſſe, ut baſilicas plurimas Chriſtianae religionis pontifices in honorem ſalvatoris mundi condiderint & dedicarint.* Quibus adjiciunt, *videntur autem haec etiam quadam prava aemulatione Gentiliſmi eſſe facta, praeſertim ubi non indiguerunt tot aedificiis ad conventus ſuos Chriſtiani.* Sed paulo poſt, *caeterum ut templorum dedicatio ex κακοζηλίᾳ Judaiſmi originem ſumpſit, ita ſuperſtitionibus & humanis traditionibus anſam & campum mox praebuit.* Hoſpinianus[o] etiam, de templis Chriſtianorum ſeculis illis vetuſtis magnifice exſtructis & dedicatis verba faciens, vult *omnia* circa ea *partim Judaiſmi, partim Gentiliſmi ſuperſtitioſa κακοζηλίᾳ inventa & excogitata eſſe.* Tantundem reformatorum alii. Et ſane palam eſt ex Felicis papae quarti (qui ad centuriam attinet ſextam) ſcripto ad epiſcopos miſſo[p], ac in jus pontificium recepto, ex Ebraico more conſecrationes aedium ſacrarum apud Chriſtianos maxime deductas fuiſſe, velut majorem ob rationem cauſamque ab eis praeſtandas. Etiam Graeci Ebraeorum uſum in dedicationibus pariter reſpiciunt. Verbi gratia, celebrant quotannis[q] τὰ ἐγκαίνια τοῦ ναοῦ τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἀναστάσεως *dedicationem templi ſanctae Chriſti Deique noſtri reſurrectionis.* Quae in Meniaeo & Anthologiis μνήμη τῶν ἐγκαινίων τῆς ἁγίας, &c. *Memoria dedicationis ſanctae,* &c. dicitur, nulla inſerta *templi* mentione, quae proculdubio interim innuitur. Diei autem ἰδιόμελον ſeu *canticum illi proprium* in Meniaeo[r] ita ſe habet, Ἐγκαίνια τιμᾶσθαι παλαιὸς νόμος, καὶ καλῶς ἔχων· μᾶλλον δὲ τὰ νέα τιμᾶσθαι δι᾽ ἐγκαινίων. Ἐγκαινίζονται γὰρ νῆσοι πρὸς Θεὸν, ὥς φησιν Ἡσαΐας· ἅς τινας ὑπολήπτεον τὰς ἐξ ἐθνῶν ἐκκλησίας ἄρτι καθισαμένας καὶ πῆξιν λαμβανούσας βάσιμον τῷ Θεῷ. διὸ καὶ ἡμεῖς τὰ παρόντα ἐγκαίνια πνευματικῶς πανηγυρίζωμεν, *Encaenia* dedicationes *honoranda eſſe, lex vetus expreſſim docet. Sed & potius nova, per encaenia eſſe honoranda. Dedicantur enim inſulae ad Deum, ut dicit Eſaias*[s]; *quae quidem ſumendae pro gentium eccleſiis nuper conſtitutis & fixionem firmam ſortientibus Deo. Ideo etiam nos praeſentia encaenia ſpiritualiter celebremus.* Hinc

[l] Magdeburg. Centur. 4. cap. 6. Hoſpinian. lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 1 & 2. Alphonſus a Caſtro de Haereſibus, lib. 14. tit *Templum,* alii.
[m] Bellarmin. de Cultu Sanctorum lib. 3. cap. 5.
[n] Cent. 4 cap. 6. tit. Ritus particularum Congregationis.
[o] De Origine Templorum lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 1 & 2.
[p] Epiſt. 1. Grat Diſt. de Conſecratione c. n 1 & 2 Burchard. lib. 3. cap. 57, Ivo Decret. part. 3. cap. 60. & in Pannormit. lib. 2. cap. 33. & videſis Diſt. de Conſecratione cap. 17 Durand. Rational. lib. 1. cap. 1 & 6. & lib. 7. cap. 48.
[q] Ὡρολογ. Sept. 3.
[r] Sept. 3.
[s] Cap. xli, 1. & xlv, 16. in LXX

 metrice

metrice ad eundem diem legitur in Anthologii editionibus aliquot[t] (nam in plerisque deest)

> Νόμον παλαιὸν Ἰσραὴλ πληρῶν νέῳ
> Ἐγκαινίοις σοι τὸν τάφον τιμᾷ, Λόγε.

legem veterem Israelitarum implens nova encaeniis tibi sepulcrum tuum *honorat, o Verbum.* Pro indubitato in his apud Graecos sumitur, veteri Ebraeorum lege dedicationes Christianas velut origine fundari. Templum autem resurrectionis a Graecis sic memoratum honoratumque pro magnificentissimo illo Hierosolymis a Constantino[v] eodem nomine exstructo dedicatoque sumendum videtur. Quod vero attinet ad illud de origine dedicationum christianarum usus ex Athanasio a centuriatoribus in supra allatis citatum, habetur quidem Latine in libello ei tributo[x] cui titulus *de passione imaginis Domini N. Jesu Christi, qualiter crucifixa est in Beryto Syriae civitate*, historiola de Judaeis ibi omnibus simul conversis, ac ab loci antistite baptizatis, & de synagoga illic eorum rogatu majore ab eodem in ecclesiam Christianam dedicata. Quibus statim subjungitur[y], *Ex tunc itaque per diversas orbis terrae nationes & provincias mos inolevit ut basilicas plurimas vel oratoria pontifices Christianae legis in honore sancti Salvatoris mundi* (ut synagoga illa sacrabatur) *condere & dedicare non desinant. Nam antea antiquiores nostri vel majores hoc peragere minime praesumpserunt.* Alias item adjicitur synagogas in honorem martyrum tunc illic consecratas esse. Atqui interea, cum bina exemplaria Graece e bibliotheca Palatina praefigantur ejusdem libelli inter se satis discrepantia, eorum neutrum quicquam habet de origine ejusmodi, licet de synagogarum ἀφιερώσεσι seu *dedicationibus* pariter loquatur utrumque. Produxit libellum illum ad imaginum cultum firmandum in synodo septima seu Nicaena secunda[z] Petrus Nicomediensis episcopus, ubi perlectus a patribus pro Athanasii genuino agnoscebatur. Sed nec in eodem dedicationis Christianae originis vestigium aliquod ejusmodi comparet.

II. Ut autem res haec rite statuatur intelligaturque, altius repetenda est. Dubitari nequit (utpote quod aliter se habere ex sui natura nequaquam potuit) quin etiam tempore apostolorum & deinceps, per secula primitiva imperii summi & christianismi in Constantino M. conjunctionem primam antevertentia, conveniendi ad sacra exercenda locos, coenacula, cryptas, eremos, domus, oratoria habuerint christianorum coetus, ex disciplina scilicet tantum inter se confoederata, qua tunc prout quivere nitebantur; uti & philosophorum sodalitia, imperio penitus carentia, conveniendi id genus modum (quemadmodum Pythagorica, Platonica, alia, etiam Essenica) inter se sibi praestitutum itidem habuere. Id satis liquet tum ex Actis apostolorum, ubi[a] memoratur τὸ ὑπερῷον *coenaculum* in quod apostoli & discipuli sacrorum suorum gratia ascendebant, velut in locum conventus sacri satis notum; tum ex S. Paulo[b], ubi singulorum *domos* expressim ut habitationis locos distinguit ab *ecclesia*, quo nomine illic conventus locus ad sacra celebranda destinatus, ut alias itidem qui convenirent, pro subjecti discrimine, plane innui videtur. Hugo Grotius ad verba illa, ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταφρονεῖτε; *an despicitis* (negligitis, evitatis) *ecclesiam Dei? Respicitur*, inquit, *locus qui est Levitic.* xix. 30. *Sanctuarium meum reveremini.* Et *ecclesia* ibi plane locum solennis conventus denotat; uti a patribus aliquot & recentioribus doctis est adnotatum. Atque huc spectat illud sive Luciani[c], sive alius ejusdem seculi, ubi Critias accessum suum ad christianorum (sub Trajano Augusto) coetum quendam enarrans, *Multis*, inquit, *superatis scalis*, ἐς χρυσόροφον οἶκον *in domum auratam ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse.* Adeoque etiam splendidiora habuere christiani tunc temporis coenacula in locis quae sacris suis commodiora fuere. Tantundem pariter innuitur in illo Lampridii de Alexandro Severo Augusto, *Cum christiani quendam locum qui publicus fuerat occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit, Melius esse ut quomodocunque illic Deus colatur quam popinariis dedatur.* Etiam de προσευκτηρίοις *oratoriis* & προσευκτηρίων οἴκοις ac ecclesiis, eisque diversi generis & numerosissimis, a christianis exstructis ante Diocletianum expressius Eusebius[d]; ubi Ruffinus, *Jam vero multitudines coeuntium intra ecclesias populorum, & praecipue in diebus festis innumeras catervas per loca singula confluentes quis digne poterit explicare? Cum ne ipsa quidem antiqua receptacula sufficerent, sed quotidie orationum domus dilatarentur, ita ut amplitudo earum concludere instar urbium videretur.* Eusebius ipse ibi tantum erectas ait fuisse, cum veteres ob angustiam non sufficerent, εὐρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας τὰς πόλεις ἐκκλησίας, *latiores lautioresque per singulas urbes ecclesias.* Utcunque, palam satis ex hisce fit, solennes ad sacra exercenda christianorum in locis certis, veluti templis, conventus fuisse tunc frequentes, uti & Judaeorum antiquitus in synagogis proseuchisque. Et demum, de locis tunc conveniendi, *ecclesiarum* nomine, res adeo certa est ut nihil certius. Atque afferri possent alia perquam luculentissima testimonia quae a viris doctis jamdudum congesta sunt, veluti a Baronio[e], Bellarmino[f], Polydoro Vergilio[g], Alphonso Castrensi[h], Duranto[i]; quibus accedat Joannes Quintinus[k], Paganinus Gaudentius[l], Alexander Donatus[m], Paulus Aringhius[n], Josephus Isaeus[o], etiam & Magdeburgenses[p], aliique horum sequaces. Eam etiam in rem nuper edidit diatribam utilem Josephus Medus[q] nostras.

[t] Venetiis 1603 Matthaei Hieromonachi Cyprii. [v] Euseb. de Vita Constantini lib. 3. cap. 27. &c. [x] Tom. 2. Pag. 633 edit. Paris. 1628. [y] Ibidem pag. 636. cap. 5. [z] Actione 4. Tom. 3. Concilior. [illegible] Colon. 1618. [a] Cap. i, 13. [b] Ad 1 Corinth. cap. xi. 22. [c] In Philopatride. [d] Hist. Eccles. lib. 8. cap. 1 & 2. adde lib. 9. cap. 9. & lib. 10. cap. 2. & lib. 2. de Vita Constantini cap. 2. & 44 & 45. [e] Tom. 1. ann. [illegible] Tom. 2. ann. 211. § 4 & 5. & ann. 224. §. 4. [f] De Cultu Sanctorum lib. 3. cap. 4. &c. [g] De Invent. Rerum lib. 5. cap. 6. [h] De Haeresibus lib. 14. tit. *Templum.* [i] De Ritibus Ecclesiae lib. 1. cap. 2. [k] In Synod. Gangrens. can. [illegible] [l] De Vita Christianorum ante Constant. cap. 25. [m] De Urbe Roma lib. 4. cap. 1. [n] In Roma subterranea lib. 1. cap. 2. [o] In notis ad Lactantii lib. 2. cap. 2. [p] Cent. 3. cap. 6. [q] Anglice, Londini 1638 in 4°.

III. Cum autem dedicationi aedis ſacrae legitimae, ſeu ex uſu communi in ſacrum exemptioni temploque & atriis adjectioni, rite accedere apud Ebraeos (quorum chriſtiani fuere propagines) ſynedrii magni aliorumque ſummae rerum participum qualiumcunque autoritas deberet; quale etiam de jure Romano pariter dicendum; nullibi inter chriſtianos tunc habebantur qui ex jure ſive Ebraico ſive ſuo ſive Romano ſive alio eam legitime praeſtare, ut imperio gaudentes, potuiſſent. Tametſi conventum ſuum quemlibet ampliorem *ſynedrium*, *tribunal* ſuum *ſummum*, & τ̀ βȣλὼ ſeu *ſenatum* vocitarent, quaſi ſummi inter ſe imperii ſic titulos ſibi etiam tunc adſciſcentes. Inde in Ignatii epiſtola ad Magneſios mentio, *προκαθημένȣ τȣ̃ ἐπισκόπȣ εἰς τόπον Θεȣ̃· καὶ τ̃ πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίȣ τ̃ ἀποστόλων*, *epiſcopo praeſidente in Dei loco, & presbyteris in loco ſynedrii apoſtolorum.* Et habetur in epiſtola Pio primo tributa[r] ad Juſtum Viennenſem epiſcopum, *ſalutat te ſenatus pauper Chriſti apud Romanos conſtitutus.* Etiam in conſtitutionibus apoſtolorum dictis[s], ubi de presbyterorum ac epiſcopi dignitate agitur, *εἰσὶ γὰρ συνέδριον καὶ βȣλὴ τ̃ ἐκκλησίας*, *ſunt enim ſynedrium & ſenatus eccleſiae.* Nominibus enim illis conventus ſupremi ad res regundas tam Graecis & Romanis quam Ebraeis dicti, uti & aliis; unde & Hydaſpes rex, apud Heliodorum[t], ſcribit, *τῷ θειοτάτῳ συνεδρίῳ* *diviniſſimo ſynedrio*, cujus Siſimithres princeps erat. Recolendum autem eſt quod capite ſuperiore memoratur de diverſa vocis *dedicare* notione. Scilicet eam tum primum domo qualicunque, ſine numinis cultuſve ſacri alicujus, ſeu ex uſibus communibus exemptionis, ratione habita, uti frui, tum ipſam verbis actibuſque ſolennibus conſecrationem ſignificare; idque tam Ebraeis quam Gentilibus. Atque exinde, juxta priorem hic notionem, de dedicatione in ſeculis primitivis dubitare, idem eſſet quod an domibus illis, coenaculis, aliiſve conveniendi locis omnino tunc uterentur ambigere; cum ſcilicet primus in locis ejuſmodi exſtructis, aliaſve quaeſitis, cultus ſacri uſus ſimplex dedicationem ejuſmodi ipſam omnimodo praeſtaret. De ritibus autem & formulis ſacris primo coenaculorum aediumve ejuſmodi uſui, nomine *dedicationis*, in notione poſteriore tantum praeviis ſingularibuſque quaeritur, &, ſi qui fuerint, qualeſnam eſſent.

IV. Sunt viri docti celebreſque qui illiuſmodi qualeſcunque fuiſſe aſſerant, ut illi quos jam citavimus de conveniendi aedibus, *eccleſiis* inde dictis. Occurrit quidem in monimentis pontificiis pro vetuſtis habitis, ſeu Clementis papae I, ad Jacobum fratrem Domini epiſtola ſecunda[v], *eccleſias per congrua & utilia facite loca, quae divinis precibus ſacrare oportet.* Etiam velut non ambigendum narratur[x], ubi martyrium paſſus eſt Clemens, *νεὼ ἐκεῖσε θείᾳ δυνάμει* *templum ibi divinitus* excitatum. Imo etiam diu ante Clementem, Jacobum apoſtolum in Hiſpaniis *templum vel oratorium Beatae Virgini, ex ejus juſſu praeſentiaque ſuper columnam, Caeſarauguſtae erexiſſe.* Sic traditum habemus a Flavio Dextro[y]; quod & Franciſcus Bivarius in commentariis ad eum firmare pluribus nititur. Mentio item *titulorum* in ſeculis illis primitivis *eccleſiarum*; unde de Evariſto papa ſub annum 112[z], ſeu Trajani tempora, *hic titulos in urbe Roma diviſit presbyteris*, id eſt, aedes ſynaxibus ſacris & cultui pietatique deſtinatas tituliſque inſignitas, quibus indicaretur quamnam potiſſimum in rem & cujuſnam in honorem exſtruerentur. Hinc in epiſtola Pii primi ſubdititia[a], *Euprepia titulum domus ſuae pauperibus aſſignavit.* Illud autem de Evariſto apud Alphonſum Ciaconium[b] ita ſe habet, *Titulos in urbe presbyteris diviſit, ut unuſquiſque ſuae paroeciae terminis caeteriſque limitibus diſtingueretur.* Adjungit etiam, *mandavit*, &c. *ut oratoria praedicandi cauſa aedificata a ſacerdotibus conſecrarentur.* Quaſi dedicandi ſeu conſecrandi ritus tunc fuiſſent in uſu familiari ſacerdotales. Unde *Tituli* nominis tunc fuerit uſus ejuſmodi quaeſitum eſt. Baronius in annalibus[c] ab titulis trahit fiſcalibus. Sed notiſſimum eſt, *tituli* voce (praeter alia, ut acquiſitionis titulum ſeu cauſam) venire inſcriptionem etiam qualemcunque qua res cui affixa inciſave fuerit melius praetereuntibus innoteſcat. Ejuſdem uſus apud Livium, ubi de templi Larium Permarinorum M. AEmylii dedicatione agens[d], *ſupra valvas templi*, inquit, *tabula cum titulo, fixa eſt*; quae inſcriptio eſt de dedicationis cauſa ibi allata, ſeu *στηλογραφία*[e] *tituli inſcriptio.* Ita utitur *titulo* Plinius[f], alii ſaepius, praeter juriſconſultos vereres[g] recentioreſque, quorum librorum, uti & aliorum, argumenta *Tituli* vocantur. Unde etiam e Latino in Graecum recepta eſt vox in Evangelio Joannis[h], ubi mentio *τίτλȣ* crucis, qui Marco[i] & Lucae[k] vocatur *ἐπιγραφὴ* *inſcriptio.* Atque ex hac origine demum etiam hodieque eccleſias ipſas, praediaque illis aſſignata, in jure pontificio ejuſque formulis paſſim denotant *tituli*; ut in cardinalium presbyterorum titulis nominibus ſuis adjici ſolitis, aliiſque id genus quamplurimis; licet inſcriptionum in eccleſiis uſus vetus deſierit, aut raro adhibeatur. Hinc apud Prudentium[l], *Titulum figere martyris*; &[m],

Parte alia titulum Pauli via ſervat Oſtienſis.

Idem autem titulus, inquit Baronius[n], *quod memoria ſeu eccleſia.* Et dein, *Romae obtinuit vetus loquendi uſus, ut non omnis eccleſia martyrumve memoria titulus diceretur, ſed tantum inſigniores eccleſiae, quibus praeficerentur cardinales presbyteri.* Sed inolevit plerumque ut ordinatus etiam quilibet *ἀπολελυμένως* ſeu *ἀπολύτως* *abſolute* (id eſt citra ſpecialem eccleſiae, monaſterii, martyrii, cui manciparetur, deſignationem; qualis etiam ordinationis *χειροθεσίαν* *manuum impoſitionem* *ἄκυρον* *irritam* ſynodus genera-

[r] Epiſt. 4. [s] Lib. 2. cap. 28. [t] Hiſt. AEthiopic. 9. [v] Cauſ. 16. quaeſt. 7. Can. 28. & Diſt. 1. de Conſecratione, cap. 7. [x] Nicephorus Calliſtus hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 18. [y] In Chronici anno Chriſti 36. [z] Damaſus in Pontificali, Anaſtaſius Biblioth. in Evariſto, Platina ibidem; & videſis Baron. tom. 2. Ann. 112. §. 4. [a] Epiſt. 3. [b] In Pontifice 6. [c] Tom. 2. ann. 112. §. 5. [d] Decad. 4. lib. 10. [e] Vide tit. Pſalm. lix. Graece, & in Vulgata. [f] Lib. 7. epiſt. 29. [g] C. tit. Ut nemo privatos Titulos; & his qui potentiorum nomine Titulos praediis ſuis, &c. [h] Cap. xix. 19 & 20. [i] Cap. xv. 26. [k] Cap. xxiii. 38. [l] Periſtephanon, hymn. 5. [m] Ibid. hymn. 6. [n] Ad Martyrolog. 26. Julii, ſ. addeſis Bellarmin. de Clericis lib. 1. cap. 16.

lis

1

lis Chalcedonensis [o] decrevit; licet diu fuerit quod tam in oriente [p] quam occidente canonis illius vis evanuerit genuina) ordinatus diceretur *sine titulo*, seu *non attitulatus* [q]; unde *titulari* verbum. Et in formulis ordinationis presbyterorum, *in titulum S. Petri*, *in titulum S. Albani*, id genus alia frequentissime occurrunt; atque etiam hodieque sunt in usu ex veteri more, quem interim locutiones ejusmodi non tam sequuntur quam plane deludunt; tametsi idem quod decreverant patres Chalcedonenses instauratum sit in concilio Placentino [r] sub Urbano II, & quadamtenus itidem apud nos in canonibus [s] sub Jacobo rege Ecclesiasticis editis. Quinetiam Evaristo papae tribuitur decretum quo *omnes basilicae cum missa debent consecrari semper*. Ubi ritum missae quasi etiam tunc temporis dedicationi designatum habes. Sic Burchardus [t], & Ivo, neque hic semel [v], aliique [x] veterum. Idem ipsum alii Hygino papae circa vicennium postea sedenti assignant; ut Gratianus [y]. Legitur etiam circa annum Christi 166 [z] illud e Pii primi epistolis [a], *Presbyter pastor titulum condidit*, cujus mentio etiam in martyrologio [b] Romano. Expressius hanc in rem Anastasius de eodem Pio, *Ex rogatu beatae Praxedis dedicavit ecclesiam Thermas Novati in vico Patritii in honorem sororis suae sanctae Potentianae.* Platina; *Rogatu primo Praxedis*, &c. Luitprandus addit, *Hic firmiter decrevit ut omnis qui praedia divinis usibus tradita Deo subtrahere & suis usibus applicare praesumpserit, sacrilegus habeatur, & ut sacrilegus proculdubio judicetur.* Qui canon etiam in juris pontificii collectiones ex epistola Pii secunda ad fratres Italicos scripta receptus [c] dedicationes, quae rem dedicatam humanis usibus tunc exemerint, aperte supponit. In epistola illa, qualiscunque fuerit ipsa, *praedia usibus secretorum coelestium dicata* memorantur; quae phrasis quidem est Honorii & Theodosii AA. in codice Theodosiano [d]. Apud Ivonem autem eandem epistolam citantem legitur, *Ne praedia sub secretis coelestibus vendicata a quibusdam irruentibus vexentur*; quod apud Hincmarum [e] transcribitur, *Ne praedia secretorum coelestium judicata a quibusdam irruentibus vexentur.* Apud Damasum item aliosque pontificum biographos, Calixtus I, circa annum 224 [f], ecclesiam, etiam basilicam recentioribus scriptoribus nuncupatam, fecit, nec sine *titulo Deiparae Virginis*. Sic Felix dicitur circa annum 272 *fecisse* [g] *basilicam in via Aurelia, & missas celebrari supra memorias*, seu *sepulcra, martyrum*, quae altaria tunc fuisse volunt plurimi [h], adeoque, puto, dedicata. Instauratorem etiam eum faciunt dedicandi rituum, veluti ante usitatorum. Platina, *Si de consecratione templi ignoratum fuerit, utpote vetustate & abolitione monumentorum, consecrari denuo mandat.* Quae in canonibus etiam apostolorum dictis dedicationes tunc redolentia ultro, ut cum aliis ibi nimis supposititia, praeterimus; cujus quidem generis hic sunt superius allatorum non pauca, uti & quod habetur de dedicatione honori Beatae Virginis facta ab Josepho Arimathaeensi Glastoniae [i] in agro apud nos Somersetensi. Non dubitare autem videtur Christophorsonus de dedicationum in seculis illis usu singulari, ubi Eusebii [k] verba de oratoriis sub Diocletiano funditus eversis, τῶν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους, vertit *aedes sacras precibus dicatas*. Substituente Ruffino, *Domus orationis, & ecclesias Dei vivi*. Quinetiam receptus est in juris pontificii corpus, nec semel, canon, velut Nicaeni concilii primi, dedicandi ecclesias ante Constantinum (sub quo illud celebratum) morem indubitanter agnoscens. Inde enim obtenditur canon hic apud Gratianum [l], *Ecclesiis semel consecratis Deo non iterum debet consecratio adhiberi, nisi*, &c. quasi pro concesso satis tunc haberetur, notissimas ante Constantini tempora fuisse dedicationes. In canonibus Nicaenis, ex Arabico [m] Francisci Turriani, vestigia quidem videntur aperta ecclesiarum & monasteriorum velut tempore praecedente ita dedicatorum ut communibus prorsus usibus eximerentur, & *templa* seu هياكل nominari solerent. Verbi gratia, in Arabicis [n] canonum illorum

وان يقوم الاسقف في الصلاة في صدر الهيكل في جوف المذبح

Et sedem habeat episcopus inter precandum in summo loco templi, intra altare; ubi pariter sedes Archidiacono, Chorepiscopo, Protopapae seu Archipresbytero assignantur singulae. Atque huc spectat Gangrensis synodi [o] illud, *Si quis docet* τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ εὐκαταφρόνητον εἶναι, καὶ τὰς ἐν αὐτῷ συνάξεις, ἀνάθεμα ἔστω, *domum Dei* (id est ecclesiam, ut in canone illic proximo) *comtemptibilem esse, & conventus qui in ea celebrantur, anathema sit.* Quale itidem de Agapis, quibus in ecclesiis celebratis interesse quis abnueret, a Gangrensibus [p] decretum est; uti etiam de abhorrentibus [q] τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, *Conventus martyrum, & memorias eorum*; ubi Dionysius Exiguus, *Conventus ad confessiones martyrum, & eorum memorias.* Sed versio altera, quae in conciliorum & juris pontificii corpora recipiuntur, *Conventus qui per loca & basilicas sanctorum martyrum fiunt, & sanctorum memorias*; quasi ambigendum non fuerit quin basilicae martyrum tunc haberentur (quo nomine sacrae aedes majorum gentium & solennius dedicatae venire solent) tempore & synodum hanc & Constantini christianismum antevertente,

[o] Can. 6. & Dist. 70, c. 1. [p] Zonaras ad Can. citatum. [q] Ivo Decret. part. 6. cap. 26. [r] Dist. 70. cap. 2. [s] Cap 33. [t] Lib 3. cap. 27. [v] Decret. part. 3. cap. 32. & Pannormia, lib. 2. cap. 13. [x] Vide Binium Concil tom 1. pag 54. edit. 1618. [y] De Consecratione dist. 1. cap. 3. Binius ibidem pag. 67. [z] Baronius tom. 2. ann. 162, 1. & 166. §. 3. [a] Epist. 34. [b] Jul. 26. [c] Caus. 12. quaest. 2. can. 5. Ivo Decreti, part. 13. cap. 39. [d] Lib. 16 tit. 2. de Episopis & Clericis, lib. 40. [e] In Dialogo de Statu Ecclesiae, pag. 957. Parisiis 1615. in 4°. [f] Vide Baron. tom. 2. eod. ann. §. 5. & Platinam & Ciaconium, in Calixto I. [g] Anastasius in eo, & Luitprandus. [h] Videsis Baron. tom. 2. ann. 275. §. 2. & Ciaconium in Felice I. [i] Apud Jacobum Armachan. De Britannicarum Ecclesiarum Primordiis, cap. 2. & Henr. Spelman. in Conciliis Orbis Britannici, pag. 9. [k] Hist. Eccles. lib. 8. cap. 2. [l] Dist 68. cap. 3. & dist 1. de Consecratione, cap. 20. [m] Can. 54, 55, 57, &c. 62, 63. [n] MS. in Bibliothec. Oxoniensi, can. 53 pag. 111, 2. Respondet Canoni 57. in Latinis. [o] Can. 5. & vide 6. & in Cod. Eccles. Universae 64, 65. Gratian. dist. 30. cap. 10. & Synod Laodicen. Can. 6. Cod. Eccles. Univers. 110. [p] Can. 11. Cod. Eccles. Univers. can. 70. dist. 42. can. 1. [q] Can. 20. Cod. Eccles. univers. 70. dist. 30. cap. 9.

domus ejusmodi fuissent Deo dicatae, sed interim a sectariis aliquot, hic anathemate plexis, contemptui habitae. Videsis ibi Joannem Quintinum. Vetustam quidem fuisse haeresin ejusmodi liquet ex eo quod traditur de Massalianis, qui singularia sibi oratoria construentes[r], aliorum conventus sacros contemnebant[s] fugiebantque; quale etiam apud Eustathianos[t] ex disciplina sibi veteri in usu, qua ἰδίᾳ συνάξεις ποιούμενοι[v], *privatim* seu *seorsim conventicula sibi facientes*, Dei domos respuebant. Sed de Massalianis illis Joannes Damascenus ait[x] eos haeresi suae adjecisse *templorum & ararum contemptum, quod non deceat monachos ecclesiasticos* (quales illi) *coetus & sacrificium celebrare; eos contentos esse oportere precibus quas in sacellis & oratoriis expleant*; quasi de templis arisque, seculis in illis eum longe praecedentibus, dedicatis neutiquam dubitasset. Alphonsus item Castrensis[y] de Eustathio, *Hic basilicas martyrum & templa sub nomine Divorum Deo dedicata contemnebat, & omnes qui ad illa conveniebant ibidem aut sacrificaturi aut oraturi reprehendebat.* Et Nicephorus quidem Callistus indiscriminatim oratoria illius temporis νεὼς[z] vocat & τεμένη & ἱεροὺς οἴκους, *templa, delubra, sacras aedes*, velut de dedicatione tunc temporis usitata securus. Ita demum, juxta superius congesta, non solum pontificii ante memorati aliique dedicationum sacrarum tunc usum enixius asserunt, verum etiam & reformati nonnulli, qui, licet magnopere illum improbarint, nihilominus primitivis etiam illis in seculis obtinuisse non illibenter agnoscunt.

V. Sed vero habentur etiam in reformatis qui dedicationes ejusmodi seculis in primitivis illis, maxime per centurias binas priores, adhibitas esse negent, adeoque nec templa tunc nec aedes sacras christianis sic usibus communibus per dedicationis vim aliquam exemptas adstructum velint[a]; quae afferuntur supra in adversum veluti plerumque supposititia aut aliter plane intelligenda sentientes. Etiam ob persecutiones ita grassantes aegre illis concoquitur quod habetur de basilicis atque ecclesiis seu oratoriis adeo tunc splendidis ac frequentibus. Et hac de re plura statim. Advertendum est interim, in exemplis Ebraicis numini supremo vero ac unico, & apud Gentiles diis suis minoribus, dedicationes esse, ut ostensum est, ita factas, ut numen ipsum, velut ex dedicationis formula, donatarium aedis dedicatae, ac simul etiam atriorum ambituumque pariter adjectorum incolam esse etiam perpetuum, non dubitaretur[b], adeoque ut locus sic dedicatus pro eo qui usibus communibus in cultum tantum atque incolatum divinum exemptus esset, & optimo jure dedicatus, sumeretur. Unde apud Minutium Felicem, *Intendo templis ac delubris deorum, quibus Romana civitas & protegitur & ornatur: magis sunt augusta numinibus incolis, praesentibus, inquilinis, quam cultus insignibus & muneribus opulenta.* Jam vero qui fidei prodigus non fuerit, haud, puto, crediderit testimoniis, autoritatis nimis tenuis, ante ostensis illis, de aedibus B. Mariae sanctisve aliquibus aliis tunc dicatis, ut earum donatariis, maxime in prioribus centuriis binis. Detur autem (quod negari quidem non debet[c]) *titulos & memorias* martyrum sic in conveniendi sive aedibus sive coemeteriis tunc celebratas fuisse, uti etiam *precibus dicatas esse ecclesias*, atque id genus alia tunc obtinuisse; anne interim *tituli* illi & *memoriae* dedicationem aut donationem martyri aut sancto, instar numinis minorum gentium ibi aede in sacra excipiendi (aliter atque reliquiae martyris aut sancti ibi reconderentur) necessario in se continebant? Ea de re non satis constat. *Precibus* autem *dicatae ecclesiae* nihil omnino praeter ipsa εὐκτήρια *oratoria*, quae, pro dominorum a quibus locarentur permitterenturve libitu, in alios converti, si nil aliud obstaret, potuerint usus, significant. Etiam si precum formula aliqua dedicationi ejusmodi singularis aut missa (ne de nomine illo aut re, veluti tunc temporis, hic disputetur) intelligatur, ne quidem ita sane quidquam inde elici poterit praeter ipsum primum illic precandi seu missam celebrandi usum, qui, ut habitatio prima domus alicujus, sive aedificatae sive conductae emptaeve, etiam cum benedictionibus, dedicatio tantum est altera in illa, non in consecrandi notione aliqua, nec omnino aliusmodi. Atque aliud palam est, ut in primo utendis fruendis rebus quibuscunque, uti frui incipere, quae notio est dedicandi altera & simplicior illa; aliud omnino, rem velut numini vero (ut faciebant Ebraei dedicantes ampliantesque templum) aut diis adscititiis (ut apud Gentiles in dedicationibus suis) per consecrationem simul, in quantum ab consecrantibus fieri potuerit, adeoque in cultus sacri solummodo usum alienare. Alienatio ejusmodi plane apud Ebraeos, ut in dedicationibus primis, ita in templi ampliatione ac instauratione. Nimirum locos adjectos & novas structuras eadem lege, causa, titulo, id est ut numini vero in habitationem singularem ejusque cultum cederent addicerenturque, obligabant. Unde usibus non sacris omnimodis eximebantur. Quale etiam pro theologiae, cultus & persuasionis discrimine fecisse Gentiles ex ante allatis constat. Distinctione hac cum ante congestis testimoniis rite perpensa, penitius videndum, utrum temporibus illis primitivis ita Deo, martyribus, sanctis dedicationes ejusmodi fuerint in usu, seu ex professo velut in eorum alicujus patrimonium alienationes, ita ut sive Ebraeorum sive Gentilium consecrationes, pro disciplinae discrimine, saltem aliquatenus imitarentur aut simularent. Incertissima sunt quaecunque eam in rem ab asserentibus hic obtenduntur, idque sive autores obtensos (ut pontifices Romanos quibus decreta illa & epistola tribuuntur) sive locutionum eorum formulas, quasi ad secula illa attinentes, spectaveris. Mihi sane, pace virorum aliquot doctissimorum, res ipsa ex Origene, Clemente Alexandrino, Minutio Felice, Arnobio & Lactantio (scriptoribus temporum illorum genuinis ac nemini non hic adprobatis)

[r] Epiphan. haeres. 80. 1, 2. [s] Damascen. de Haeresibus haeres. 80. [t] Zonaras ad Gangr. Synod can. 5. [v] Praefat. ad Synodum Gangrensem. [x] Haeres. 80. [y] De Haeresib. lib. 14. tit. *Templum*, Addesis Bintum in Synodi Gangrensis Can. 5. [z] Hist. Eccles. lib. 7. cap. 3, 46. alibi. [a] Nicolaus Vedelius in Ignatii Epist. ad Magnesios, cap. 4. alii. [b] Videsis Barnabae epist. edit. Hugonis Menardi §. 11. Parisiis 1645. [c] Vide Synod. Gang. etiam can. 20. Cod. Eccles. Univers. 79.

omnino definienda videtur. Origenes circa initium centuriae tertiae, seu sub Alexandro Severo, floruit, ante Constantinum quasi centum annis. Is autem in Celsum [d] scribens, uti id quod nemini tunc ignotum esset, fatetur νεὼς καὶ βωμοὺς καὶ ἀγάλματα, *templa, aras & simulacra* non omnino sibi admittere Christianos magis atque Judaeos; extra templum scilicet Hierosolymitanum, dum stabat; neque post excidium ullibi. Et dein [e], Μετὰ ταῦτα δὲ, inquit, ὁ Κέλσος φησὶν ἡμᾶς βωμοὺς καὶ ἀγάλματα καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν, ἐπεὶ τὸ πιστὸν ἡμῖν ἀφανοῦς καὶ ἀπορρήτου κοινωνίας οἴεται εἶναι συνθῆμα, quod vertit Christophorus Persona, *Post haec Celsus & aras & simulacra & delubra nos* (christianos illos primitivos) *ait defugere, quo minus fundentur; quandoquidem invisibilis nostrae hujus & inexplicabilis communionis fidem & charitatis factionem esse existimat*; Gelenius autem, *Post haec, Celsus ait nos ararum, statuarum, templorumque dedicationes fugere, ut occulti foederis fidem sanciamus hac ceu tessera.* Illud, *Aras, statuas & templa* ἱδρύσθαι φεύγειν, ut Celsus in christianos universim objecit, velut disciplinam inter eos passim notissimam, ita plane iterum agnoscit Origenes ut verissimum; scilicet eos tunc non solum non dedicasse (ita enim ἱδρύσθαι sonat) aras, simulacra, templa, sed ipsam dedicationem abhorruisse, nec judaismi veteris nec gentilismi sic ea in re sequaces. Conveniendi locos qualescunque ad preces, agapas, sacramenta eis non negat Celsus (qui etiam sub initio libri primi [f] satis eos videtur agnoscere) nedum Origenes, sed dedicationes ait eos fugisse. Sumi volunt nonnulli hic, dedicationis usum tunc negatum, pro eo tantum quod est, aut christianos dedicare gentilismi ritu templa noluisse, aut sic dedicata abhorruisse. Quod sane nimis absonum videtur. Disputarat nempe ante in complura disciplinae christianae capita alia Celsus, ut gentilismi diis ritibusque adversissima. Quorsum post illa satis, ut existimavit ille, refutata querelam ejusmodi in eos seorsim nunc instituisset de non dedicandis templis juxta ritus gentilismi, quem adeo detestabantur, illisque undiquaque odiosissimum fuisse non dubitabat ipse? Templorum dedicationes, qualescunque dii & qualicunque cultu colerentur, adeo necessarias censuit ille, juxta ac sui generis reliqui, ut nihil supra. Ideoque objecit christianis velut irreligiosissimum, eos dedicationes illorum fugere, id est, instar templi seu aedis consecratae inter se nihil habere; licet alias sodalitiorum conventuumque locis, prout tempora ferebant, neutiquam carerent. Quasi dixisset, more suo, religionem nescio quam amplectimini, cum interim id quod gentes universae seu pleraeque amplecti solent, nimirum templorum, ararum, simulacrorum dedicationes, abhorreatis. Sensum hunc ampliter firmare videtur Origenes ipse, qui non solum id, quod sic a Celso christianis deputatur, palam agnoscit, sed de aris interim hoc objicere ait Celsus οὐχ ὁρῶν ὅτι βωμοὶ μέν εἰσιν ἡμῖν τὸ ἑκάστου τῶν δικαίων ἡγεμονικὸν, ἀφ᾽ οὗ ἀναπέμπεται ἀληθῶς καὶ νοητῶς εὐώδη θυμιάματα, προσευχαὶ ἀπὸ συνειδήσεως καθαρᾶς, *Cum nihil interea videat* (sic Christophorus Persona) *nobis quidem pro aris & delubris justorum esse mentem; a qua haud dubie emittuntur suavissimi incensi odores, vota, inquam, & preces ex conscientia puriore.* Et Gelenius, *non videns, pro aris nobis esse mentem suam cuique, ex qua sursum feruntur vere ac intelligenter suaveolentes suffitus, orationes ex conscientia pura* [g]. Alia habet id genus aras christianorum disciplinae alias nec accommodas nec utiles nec tolerandas fore docentia. De simulacris dedicandis itidem, non admittere inquit christianos ἀγάλματα πρέποντα Θεῷ ἀναθήματα ὑπὸ βαναύσων τεχνιτῶν κατεσκευασμένα, ἀλλ᾽ ὑπὸ λόγου Θεοῦ τρανούμενα καὶ μορφούμενα ἐν ἡμῖν, τὰς ἀρετάς· μιμήματα τυγχανούσας τοῦ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως, &c. *ea quae fabrorum opera praeparantur ut Deo dedicanda, sed quae a verbo Dei dedolata formataque fuerint in nobis; scilicet virtutes, seu imitamenta primogeniti totius creaturae*, &c. Neque aras tunc extra piorum mentes vult; quod pluribus exsequitur. Et dein de templis, Εἰ δὲ καὶ ναοὺς ναοῖς δεῖ παραβάλλειν, ἵνα παραστήσωμεν τοῖς ἀποδεχομένοις τὰ Κέλσου, ὅτι νεὼς μὲν ἱδρύεσθαι τοὺς πρέποντας τοῖς εἰρημένοις ἀγάλμασι καὶ βωμοῖς οὐ φεύγομεν· ἐκτρεπόμεθα δὲ τῷ πάσης ζωῆς χορηγῷ ἀψύχους καὶ νεκροὺς οἰκοδομεῖν νεὼς, *Quod si etiam templa templis conferenda sunt* (quasi expressim dixisset, Quod si templa vestra eorumque ratio cum nostris, quae pro nullis omnino vobis habentur, sint omnino conferenda) *discant Celsi sequaces, nos minime fugere dedicationes templorum quae conveniant* (id genus fuerint) *cum simulacris & aris jam dictis; cavere tamen, ne omnis vitae largitori templa struamus inanimata & mortua.* Quo affert illud ut ex S. Paulo [h], Ὅτι τὰ σώματα ἡμῶν τοῦ Θεοῦ ναός ἐστι, *Quoniam corpora nostra templum Dei sunt.* Unde Tertullianus [i] de Paulo, *Primus omnium templum Dei dedicavit, Non scitis vos templum Dei esse, & in vobis dominum* (Paulus ipse, *Spiritum Dei) habitare; qui & templo sanciendo purificandoque aeditualem legem scripsit. Si quis templum Dei vitiaverit*, &c. *templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Ita sane apertissime videtur Origenes nihil, ex disciplina tunc christiana, pro ara, simulacro, templo (ut dedicato) extra credentium mentes omnino agnoscere; nec quidem Tertullianus, dum sic de templo primo a S. Paulo dedicato, in Origenis etiam sensum, loquitur. Certe & tantundem habet Clemens Alexandrinus [k] satis Origeni coaevus, ubi in templorum structuras qualescunque invehitur, neque inter christianos aliud esse inculcat templum εἰς παραδοχὴν μεγέθους ἀξίας τοῦ Θεοῦ, *ad accipiendam Dei dignitatis majestatem*, praeter τὸ ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν *electorum congregationem*, quam *christianorum ecclesiam* vocat, qua *ecclesia* non locum sed personas tantum significat. Suppar est hic, apud Minutium Felicem [l], hisce satis etiam coaevum, Caecilius ethnicus, qui complura in christianos ut impia & ridicula congerens, *Cur*, inquit, *occultare & abscondere quicquid illud colunt, magnopere nituntur? cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint. Cur*

[d] Lib. 7. pag 384, 385. Ed Hoescheliana. [e] Ibid. lib. 8. pag. 400. [f] Pag. 4. [g] Apocalypf. v. 8. Psalm. cxli. 2. [h] Ad 1 Corinth. iii. 16. & vi. 19. & 2 Corinth. vi. 16. Ad Ephes. ii. 21. [i] De Pudicitia, cap. 16. [k] Stromat. 7. [l] In Octavio.

nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? nunquam palam loqui, nunquam libere congregari, nisi illud quod colunt & interprimunt aut puniendum est aut pudendum? Et paulo post, *Judaeorum sola & misera gentilitas unum & ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, ceremoniisque, coluerunt.* Manifestius hic nihil videtur quam verba non omnino fieri de gentilium aris, statuis, templis christianis non admissis, aut instar eorum seu ritu gentilitio dedicatis. Vitio christianis vertit Caecilius quod sibi nulla haberent templa, ne quidem qualia Judaeis ait fuisse, id est, simulacris carentia. Quod ita de templis ab christianis nullis tunc dedicatis capiendum, uti & locus Origenis ante allatus. Luculenter idem firmatur ex Octavio illic christiano Caecilium redarguente; *Putatis,* inquit, *nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei exstruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit? Et cum homo latius maneam, intra unam aediculam vim tantae majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore?* Joannes ab Wower ibi, *Christiani non habebant templa dedicata & consecrata ritu ethnico; suas tamen basilicas seu, ut ipsi appellabant,* κυριακὰς *habuisse satis constat, easque frequentasse, nisi quatenus persecutione impedirentur. Tunc enim ad domus privatas confugiebant.* Hujus sequax est Geverhartus Elmenhorstius. Quasi, licet ritu non ethnico, nihilominus christiano aliquo dedicationi sacrae tunc proprio consecrata habuissent templa. Cujus sensus neque ex Origene nec Minutio videtur omnino eliciendus. Haec autem velut ad initia centuriae attinent tertiae. Intermissiones fuisse dein aliquas persecutionum scimus ex historia ecclesiastica; in eisque liberius constructas fuisse a christianis προσευκτήρια *oratoria,* & conveniendi, quae sacris accommodiores tunc esse possent, aedes; quas tamen tunc dedicatas, in notione de qua jam quaeritur, neutiquam omnino fuisse, aequum est ut credamus. Luculentus est testis Arnobius, qui sub ipsum centuriae tertiae exitum, seu paulo ante Constantini christianismum, floruit. Adversus gentes scribens [m], *Consuestis,* inquit, *crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque aedes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus* (sive nostri, sive vestrum) *simulacrum constituamus, aut formam; non altaria fabricemus,* &c. Expressim respondet ille, *Haec quidem nos cessamus non ideo vel exaedificare vel facere tanquam impias geramus & scelerosas mentes, aut aliquem sumpserimus temeraria in Deos desperatione contemptum, sed quod eos arbitramur & credimus, si modo dii certi sunt & nominis hujus eminentia praediti, honorum haec genera aut risui habere, si rideant; aut indigne perpeti, si motibus exasperentur irarum.* Qualiscunque e diis fuerit, sive verus, sive e daemonibus adscititius, templum ei constructum dedicare, christianae tunc disciplinae adversissimum facit, saltem in usum nondum inolevisse ostendit. Et paulo post, *Nunquid enim delubris aut templorum eum* (numen unicum & summum) *constructionibus honoramus?* Et dein, *Etenim plena dementia est, necessitatibus tuis potentiora metiri, & quae tibi sint usui datoribus diis dare, & honorem istum, non contumeliam ducere.* Etiam inferius, *Satis igitur, ut opinor, ostendimus templa diis immortalibus, aut inaniter iis esse constructa, aut contra decus & potentiam creditam contumeliosis opinationibus fabricata.* Ullam sic aedium numini alicui sive vero sive adscititio constructionem dedicationemque a christianis admittendam adprobandamve denegat. Accedant hisce Lactantii (qui ad ipsum centuriae etiam quartae initium attinet) loci complures. *Virtus colenda est,* inquit [n], *non imago virtutis,* &c. *Quid igitur opus est supervacuis exstructionibus loca occupare, quae possint humanis usibus cedere?* Et dein, *Firmius & incorruptius templum est pectus humanum: hoc potius ornetur; hoc veris illis numinibus* (virtute, pietate, fide) *impleatur. Has ergo falsas consecrationes* (gentilium, adeoque omnimodarum extra pectus humanum) *esse sequitur: quod necesse est.* Postea etiam [o], *Quid sibi templa? Quid arae volunt?* &c. velut in universum non magis has quam illa qualiacunque ibi sic damnans ridensque. Eidem [p] placet illud quod Senecae exciderat in libro suo, ut videtur, de superstitionibus, Tertulliano & Augustino citato, sed deperdito, *Non templa illi* (numini summo) *congestis in celsitudinem saxis exstruenda sunt; in suo cuique consecrandus est pectore.* Cui consonus admodum est idem in editis [q], *Totum mundum deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine eorum & magnificentia dignum.* Alia pro libitu tantum sive exstrui sive praetermitti jure potuisse. Alibi etiam Lactantius [r], *Sit nobis Deus non in templis, sed in corde nostro consecratus,* &c. Locus autem apud Lactantium alius occurrit, templum, ut christianorum, memorans, qui a viris aliquot doctis affertur ad probandum conveniendi aedes, tunc in usu, templorum nomine designatas esse. *Ego,* inquit [s], *cum in Bithynia oratorias literas accitus docerem, contigissetque ut eodem tempore templum Dei everteretur, duo exstiterunt ibidem qui jacenti atque abjectae veritati nescio utrum superbius an importunius insultarent.* Respicit hoc quidem edicta Diocletiani & Maxentii contra christianos ipsos, eorumque & libros & conveniendi aedes seu proseucteria ac oratoria. Sed plane *templum Dei* hic haud aliud significat praeter christianorum sodalitium seu personas simul ac doctrinam disciplinamque seu *veritatem* in eis tunc ex edicto illo *jacentem ac abjectam,* cujus participes pii *templa Dei* merito dicti. Unde bene illic adnotat Xystus Betuleius, *Dei templum vivis constructum lapidibus, ut Petrus inquit* [t]. Accedat, velut disciplinae ejusmodi dedicationem universim templorum tunc impugnantis fundamentum, illud S. Pauli ad Athenienses [v], *Deus, cum sit coeli & ter-*

[m] Lib. 6. [n] Lib. 1. seu de falsa Religione, cap. 20. [o] De Origine Erroris, seu lib. 2. cap. 2. [p] Lib. 6. seu de Vero cultu, cap. 25. [q] De Beneficiis, lib. 7. cap. 7. [r] Lib. de Ira Dei, cap. 24. [s] Lib. 5. seu de Justitia, cap. 2. [t] Epist. 1. cap. ii. 5. [v] Act. Apost. xvii. 24.

rae

rae Dominus, οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται, προσδεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν κατὰ πάντα, *non in manufactis templis habitat* (quod sane primarius dedicationis qualiscunque numini alicui effectus habebatur) *nec manibus humanis colitur, ut indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia*; quibus consona paulo ante de primo templo Christiano a S. Paulo[x] dedicato citata. Sane, si Origenes, Clemens Alexandrinus, Minutius, Arnobius, Lactantius aliter atque ostensum est de templis omnimodis, quae tunc in usu esse potuissent, cogitarant, atque, ut volunt hic dedicationum seculorum illorum assertores, christianis sua interim fuisse ritu suo numini vero, martyribus, sanctis aliquibus dedicata, perquam mirum esset curnam gentilium calumniam illam crebro circa templa ingestam minime eluissent, respondendo, templa quidem aedesque numini vero, martyribus, sanctis, sed ritu nostro, dedicata habemus, sicuti vos ritibus vestris idololatricis (qui inter se, pro vario gentium locorumque discrimine, aliter aliterque passim discrepant) Jovi, Apollini, Marti, Minervae, reliquisque in coetum deorum a vobis admissis. Nihil ejusmodi omnino ab eorum quoquam regeritur: Sed tantum, christianos templa eo nomine aut notione illa (id est aedes dedicatas; nam aedium aliarum, necdum dedicatarum, in conventus, agapas, orationes, sacramenta usum eis tunc fuisse tam gentiles quam ipsi satis sciebant) sibi aliqua, ob rationes ex eis jam ante exhibitas (&, puto, alias, ut statim dicetur) ἱδρῦσθαι φεύγειν *dedicare noluisse*, nec alia consecrationis nomine admittere praeter ipsorum mentes; juxta quod ita unanimiter, velut ea in re apostolicae doctrinae etiam sequaces, rem definiunt; nullius christianorum templorum seu aedium dedicatarum usus alicujus exceptionem omnino interponentes, nec aliud intexentes quod in adversum trahere videatur. Liberum sit, ut in cunctis, suum cuique hic judicium, mihi meum. Et, si fallor, humanum est.

VI. Quanquam vero ex ante ostensis haud iniquum est ut existimemus templa seu ecclesias revera dedicatas seculis in illis primitivis fuisse christianis nullas (quo nomine eos ita suggillabant gentiles, atque opprobium inde summum eis ingerebant) attamen haud inde eliciendum est, dedicationes simplicitate christiana singularique dedicandi ritu adhibitas, qui nec Judaicis nec gentilitiis superstitionibus inquinaretur, eos minime satis autumasse in se licitas fuisse, ac saltem in adiaphoris recensendas. Nimirum existimandum videtur eos dedicationibus hactenus abstinuisse utpote summarum in rebus ejusmodi observantissimos potestatum, seu Caesarum, ut pontificatu maximo gaudentium, & senatus populique, quorum nullus ante Constantinum christianismum ita in se receperat ut aedes Christo aliisve christianismi nominibus sacris dedicari permitteret. Et sine ejusmodi indultu, scimus ex ante allatis, nefas plane ex jure Romano & Caesareo habitum fuisse novum aliquem deum sive majorum sive minorum gentium consecrando in orbem Romanum introduxisse. Verum quidem est, Arnobium paulo ante Constantinum, seu summi imperii & christianismi conjunctionem, scripsisse, sed Lactantium sub ipsum. Nimirum divinas suas institutiones, unde superius ex eo dicta afferuntur, *ejus nominis auspicio tunc* ait[y] *se inchoare*, quem & *primum* appellat *Romanorum principum qui repudiatis erroribus majestatem Dei singularis ac veri & cognoverit & honoraverit*. Jam vero, eousque imperio & christianismo primum conjuncto, uti & postmodum, tum permissae sunt ex autoritate publica & summa, (uti debuit ex jure fieri) scilicet imperatoria, tum jussae dedicationes quamplurimae christianae; unde manifesto sequitur haud omnimoda dedicatione sacra abstinuisse ante christianos velut ab eo quod nefas in se esset omnino fieri; sed velut ab eo quod tuto ac impune in imperio nondum christiano fieri nequiret. Neque omnino admittendum videtur, disciplinam seu dogmata de consecrationibus templorum christianismo, cum tempus ferret, accommodandis jam apud eos primum incepisse, sed eadem ipsa ante eis fuisse, tametsi antehac ob rationem jam dictam nihil eo nomine ab eis perageretur. Quamdiu nec ausi fuerint, nec ex jure Caesareo debuerint, templum dedicare, id quod gentibus toties regerebant de templis numinis in pectoribus suis sufficiebat; quo nullatenus negabatur quin ritu aliquo Christiano, nec Ebraico nec Gentilitio, quando loca, tempora rerumque status ferrent, dedicationes pie satis praestari possent. Earum autem quae jam in christiana ejusmodi, sub imperio christiano, libertate inoleverint, ritus uti & effectus tunc crediti ex ipsarum historiis eliciendi sunt. Constantinus christianis suis indulgentissimus, inhibitis, qua potuerit, Gentilismi tum sacris tum delubrorum exstructionibus, legem tulit[z] qua jussum est τῶν εὐκτηρίων οἴκων τὰς οἰκοδομὰς ὑψοῦν, αὔξειν τε καὶ εἰς πλάτος καὶ μῆκος τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, *oratoriarum domuum structuras* magistratuum passim procuratione *fieri sublimiores, & ecclesias Dei tum longitudine tum latitudine ampliores*. Ipse etiam mandavit in sacro resurrectionis servatoris nostri loco νεὼν[a] προσευκτήριον *templum in orationem* Hierosolymis exstrui splendidissimum ditissimumque, & quod caetera per urbes alias universa superaret. Alia in terra sancta alibique non pauca construi jussit[b]. Quorum nonnulla[c] τῷ προσκυνηθέντι Θεῷ ἀφιέρου, *Deo qui adoratur consecravit* seu *dedicavit*; alia & angelis[d], apostolis, martyribus, sanctis. Nam etiam de apostolorum martyriis ac memoriis, harumque atriis & porticibus, inquit Eusebius[e], ταῦτα πάντα ἀφιέρου βασιλεὺς, *omnia haec dedicavit imperator*. Quale dicendum de templo Michaeli archangelo ab eo dedicato[f]; cui & tunc alias dedicationes factae[g]. Et patroni scilicet templis adsciscebantur ii quibus dedicatum sic fuerit: ac velut in eorum dominium, ad sacrum tantum in illis cultum exercendum, per ultroneam alienationem ea transferebantur. Inde & τὰ ἐξοχώτατα βασιλέως ἀφιερώ-

[x] 1 Corinth. cap. iii. 16. [y] In Praefatione. [z] Euseb. de Vita Constantini lib. 2. cap. 44. [a] Idem lib. 3. de Vita Constantini cap. 24 29 30, &c. [b] Ibid. cap. 40 & 41, &c. Socrat. lib. 1. cap. 16, 17 & 18. Niceph. Callist. lib. 7. cap. 34 & 49. [c] Euseb. Ibid. cap. 42. [d] Vide Sozomen. lib. 2. cap. 2. & Baron. ad Martyrolog. Rom. Maii 8. [e] Ib. lib. 4. cap. 59. [f] Sozomen. lib. 2. cap. 2. [g] Eutych. in Annal. Tom. 1. pag. 435.

ματα

8

μαΐα *augustissimae imperatoris aedes* seu *templa consecrata* vocabantur[h]. Sed plerumque Eusebio etiam οἶκοι εὐκτήριοι *aedes oratoriae* dicuntur; quod nomen quidem in christianismum pro templis suis invaluit ex eo quod Dominus ipse templum Hierosolymitanum בית תפלתי *domum orationis meam*, & בית תפלה *domum orationis* οἶκον προσευχῆς vocandum esse pronunciavit[i]. Jam vero dicta dedicatio ipsa ἀφιέρωσις[k]. Vox item ἐγκαίνια *encaenia* de dedicationibus illis usurpata[l]. Atque eorum nomine Hierosolymis ab ingenti episcoporum conventu jussu imperatorio celebratum est festum magnificentissimum[m]. Unde Theodoretus, synodi Tyriae patribus Hierosolyma eam in rem allegatis, συνελθεῖν δὲ κ', inquit[n], τοὺς ἄλλους ἅπαντας πανταχόθεν ἐκέλευσε, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ δομηθέντας καθιερῶσαι νεὼς, *convenire etiam* illuc *alios omnes* episcopos *undiquaque jussit*, & *templa ab eo* illic *constructa consecrare*, sumptus festi lautissimos & publicas largitiones proceribus aliquot ab imperatore illuc missis suppeditantibus, atque altari aulaeis regalibus vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus ornato. Quod factum tricesimo imperii ejus anno[o], circa Christi 335, seu decennio post synodum Nicaenam. Hac de re Socrates[p], *encaenia faciebant* & πάνδημον ἑορτὴν ἐπὶ τῇ καθιερώσει τῶν τόπων, *festum publicum* seu *universale ob locorum illorum dedicationem*. Tantundem de templo illo in Calvaria exstructo ac dedicato Sozomenus[q], qui καθιερῶσαι hic & ἀφιέρωσιν adhibet, atque episcopos ait tum τὸν ναὸν καθιερῶσαι *templum ipsum dedicasse*, tum thesauros & monimenta ab imperatore illuc missa. De templis sic Hierosolymis exstructis Eutychius patriarcha Alexandrinus[r], احب الملك ان يقدسها *voluit imperator ut sanctificarentur*, id est, *dedicarentur*, ويجمع جماعه من الاساقفه حتي يحضروا تقديس المواضع *Et congregavit synodum episcoporum, ut locorum dedicationi interesset*. Et de templis ab Constantino christianis sic exstructis renovatisve universis chronicon Alexandrinum[s], τελεσθέντων ἐγκαίνια ἐγένοντο, *absolutorum encaenia facta sunt*. Scribit etiam Sozomenus[t], anniversarium inde dedicationis festum Hierosolymis celebrari solitum, idque per octiduum, quasi encaenia tunc ab exemplo Maccabaico sumpta fuissent: Ἐξ ἐκείνου δὲ, inquit, ἐτήσιον ταύτην ἑορτὴν λαμπρῶς μάλα ἄγει ἡ τῶν Ἱεροσολύμων ἐκκλησία, ὡς καὶ μυήσεις ἐν αὐτῇ τελεῖσθαι, καὶ ὀκτὼ ἡμέραις ἐφεξῆς ἐκκλησιάζειν, συνιέναι τε πολλοὺς σχεδὸν ἐκ πάσης τῆς ὑφ' ἡλίου, &c. *Ab eo tempore*, seu *ex illa causa*, *ecclesia Hierosolymitana quotannis diem festum splendide celebrat, adeo ut eo initiationes sacrae peragantur*, & *per dies octo conventus* eam in rem *fiant, compluresque ex omnibus terrae quae sub sole est regionibus*, &c. Ita etiam Nicephorus Callistus[v], alii. Atque inde etiam encaeniorum celebrationis annuae usus tunc per ecclesias alias. Sic encaenia prima, quotannisque per festum iterata, jam per orbem vigebant christianum.

VII. Sed ita haec interim capienda ut statim, saltem post Constantinum, nefas regulariter haberetur tum in aedibus utcunque in sacros usus constructis, sed nondum sic dedicatis, synaxes facere, eisve illic interesse, nisi scilicet urgentibus aliarum aedium angustiis, aut ob illarum defectum, causamve aliquam ejusmodi inevitabilem, tum templum aliquod seu ecclesiam dedicare citra mandatum, autoritatem seu permissum Caesareum. Id quidem publice agnoscebatur ab ejusdem temporis patribus, tam orthodoxis quam Arianis. Et quod animadvertatur hoc dignissimum est, dum autoritatem publicam in dedicationibus legitimis semper, tam ex Ebraica quam Paganica etiam disciplina, adhibendam, juxta superius allata, consideramus. Nimirum cum intra pauculos a Constantino annos Athanasius episcopus Alexandrinus, sub Constantio, in ecclesia Alexandriae magna, quae eo nomine aliis illic ecclesiis ob amplitudinem christianorum tempore paschali conventui admodum commodior esset, synaxin prudenter ac tempestivius celebrarat, ab Arianis accusatus est[x] apud imperatorem eo quod aut in ecclesia nondum dedicata (πρὶν αὐτὴν τελειωθῆναι, *antequam dedicatione perficeretur*; interpres ibi, *priusquam absoluta esset*, quod plane de dedicatione sumendum esse ex ejusdem apologia liquet, atque ita a viris doctis[y] sumitur etiam & vertitur) synaxin habuisset, aut ipse injussu Caesaris dedicare fuisset ausus. Ibi quidem synaxin celebrasse se fatetur Athanasius, quia, ut tempora ac loca se habebant, ecclesia nulla dedicata Alexandriae erat multitudini satis idonea: Dedicasse autem se ecclesiam illam pernegat. Atque, inquit, Οὐκ ἐγκαινίων ἡμέραν ἐπετελέσαμεν, θεοσεβέστατε Αὔγουστε· τοῦτο γὰρ ἀθέμιτον ἦν ἀληθῶς πρὸ τῆς σῆς προστάξεως ποιῆσαι· οὐδὲ ἐκ παρασκευῆς εἰς τοῦτο παρήλθομεν, &c. *Nec celebravimus nos encaeniorum diem*, seu *festum* quo dedicaretur, *religiosissime Auguste*; *hoc enim revera nefas fuisset ante mandatum tuum facere. Neque illud facere omnino conati sumus*, &c. Et paulo post, καὶ γέγονεν οὐκ ἐγκαίνια, ἀλλὰ σύναξις εὐχῆς, *nec fiebant encaenia, sed precum synaxis* tantum. Ecclesiam illam magnam, κυριακὸν *dominicum*, etiam ante dedicationem, omnibus illic dictam ait, eamque τὸν ἐπώνυμόν σου τόπον, *tuum* (imperatoris) *nomen prae se ferentem locum*, appellat. Unde ecclesiam ibi nuncupatam *Caesaream*, cujus meminit Epiphanius[z], intelligi admittunt viri docti[a]. Quam insuper pater ille ait primo fuisse Andrianum, & postea Licinianum gymnasium, εἴτουν βασίλειον *seu basilicam*, & postmodum sub Constantio ecclesiam factam; nempe ab Gregorio Meletiano & Ariano inchoatam, τελειώσαντος Ἀθανασίου, *perficiente* seu *dedicante* tandem *Athanasio*; quod haud injussu Caesareo, juxta jam ostensa, factum intelligas.

[h] Euseb. lib. 3. de Vita Constantin. cap. 50. [i] Isaiae cap. lvi. 7. [k] Euseb. lib 4. de Vita Constant. cap. 40. [l] Ibid. cap. 43 & 47. in Lemmatis. [m] Ibidem. [n] Hist. Eccles. lib. 1. cap. 29 seu 31. [o] De Vita Constantini lib 4. cap. 47. [p] Lib. 1. cap. 33. [q] Hist. Eccles. lib. 2. cap. 25. [r] In Annal. tom. 1. pag. 457. quem vide etiam pag. 465. [s] Pag. 658. edit. Raderian. Monachii. 1615. [t] Hist. Eccles. 2. cap 25. [v] Hist. Eccles. lib. 8. cap. 50. [x] Athanas. in Apologia ad Constantium Tom. 1. pag. 682. Parisiis 1627. [y] Baron. Tom. 3. Ann. 350. §. 31. Dionys. Petavius ad Epiphan. Haeres. 69. §. 2. [z] Haeres. 69 §. 2. [a] Baronius, Dionysius Petavius, locis ante citatis.

VIII. Sed

VIII. Sed interim perquam mirum est, nec alibi puto omnino lectum, quod habet de ecclesia Caesarea ibi dicta Eutychius patriarcha ipse Alexandrinus, atque ex ecclesiae ejusdem monimentis (& plane admodum sedulus erat indagator) edoctus. Is nec Constantio, nec Gregorio illi, nedum Athanasio, sed tantum Alexandro proximo Athanasii decessori ecclesiae illius initia tribuit [a], ut Michaeli archangelo ab eo dedicatae. Etiam antea idolum magnum aereum ait ميكاييل *Michaelem* nescio quem dictum a gentibus illic cultum, templumque ipsum fuisse primo a Cleopatra regina extructum على اسم زحل *Nomini Saturni*, id est, *ei dedicatum.* Adjicit, وكانوا اهل الاسكندرية ومصر في اثني عشر من شهر هتور وهو تشرين الثاني يعيدون لذلك الصنم عيدا عظيما ويذبحون له الذبائح الكثيرة *Et Alexandriae & AEgypti incolae die duodecimo mensis Haturi, qui Tishrin posterior est, festum magnum huic idolo celebrabant, & sacrificabant ei sacrificia multa.* Et dein, quod Alexander, simulac patriarcha illic factus est, Christianismi, qui aliquatenus ibi vigebat, gratia, اراد ان يكسر الصنم ويبطل الذبائح *voluit confringi idolum, & aboleri sacrificia*; cumque ei obsisterent Alexandrini (qui, ut AEgyptii reliqui, Gentilismi sui prae caeteris gentibus erant tenaciores propugnatoresque acriores) فاحتال لهم ان قال هذا صنم لا منفعة فيه ولا فائدة فان صيرتم هذا العيد لميكاييل الملاك وجعلتم هذه الذبائح له كان يتشفع لكم عند الله وكان اخير لكم من هذا الصنم *Astutia ipsos aggressus, idolum, inquit, istud nulli omnino rei utile est. Quod si festum illud Michaeli archangelo celebraveritis, & sacrificia haec ei feceritis, ipse pro vobis apud Deum intercedet, majorisque vobis boni causa quam idolum istud futurus est.* Illis annuentibus, Alexander كسر الصنم واصلح منه صليبا وسما الهيكل كنيسة ميكاييل وهي الكنيسة التي تسما القيسارية واحرقت بالنار في وقت دخول المغاربة الي الاسكندرية واخربوها وصير العيد والذبائح لميكاييل الملاك والي اليوم القبط بمصر والاسكندرية يعادون بهذا اليوم لميكاييل الملاك ويذبحون فيه الذبائح الكثيرة *Idolum confregit, & crucem ex eo confecit, & nuncupavit templum ecclesiam Michaelis, quae ipsa ecclesia est, quae Caesarea dicta, igne periit, cum occidentales Alexandriam ingressi eam devastarunt. Et cedebant festum & sacrificia Michaeli angelo. Etiam & adhuc Coptitae in Mitzar* (seu *Babylonia AEgyptiaca*, Cairo, metropoli AEgypti) *& in Alexandria festum illo die celebrant Michaeli angelo, & sacrificant in eo sacrificia quamplurima.* Dies ille in anno AEgyptiaco Augustorum seu fixo (qui, capta ab Octavio Caesare Alexandria, & Antonio & Cleopatra devictis, ita incepit, ut prima dies Thoth mensis seu initium anni in Augusti Juliani 29. inciderit) respondet Novembris Juliani octavo. Sed si institutum fuerit aut celebratum hoc festum, ut idolo illi Michaeli dicto sacrum, cum templum illud extruxit Cleopatra, aut dum floruit illa, quae demortua est sub ipsum tempus quo annus AEgyptiorum Actiacus seu Augustorum, ante vagus, initia post devictum cum ea Antonium sua habuerit [b], tunc nemo non videt ex origine sua non omnino ad octavum Novembris aliter atque ad diem revolventis anni quemlibet alium festum illud spectasse, sed ad 12 mensis Hathuri nondum fixi, qui, ut menses reliqui AEgyptiaci, per Julianos tunc circum vagabatur. Idem ipse dies in menologiis aliisque ritualibus [c] ecclesiae orientalis etiam nuncupatur, Ἡ Σύναξις τῶν παμμεγίστων ταξιαρχῶν Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ καὶ πασῶν τῶν ἐπουρανίων δυνάμεων, *Synaxis omnino maximorum ordinum ductorum Michaelis & Gabrielis, & universarum supercoelestium potestatum.* Et in menologio Graecorum, cardinalis Sirleti [d], diei huic assignatur *Celebritas principis militiae coelestis Michaelis, & reliquarum virtutum incorporearum.* Eadem ipsa tribuitur, in ecclesiae occidentalis ritualibus, vigesimo nono Septembris, quod festum est non modo S. Michaelis sed etiam omnium angelorum, ut tam ex titulis liturgicis quam precibus diei assignatis liquet; tametsi in Martyrologio Romano alibique ad diem illum legatur tantum, *In monte Gargano* Apuliae (juxta mare Adriaticum, *Monte di S. Angelo* dicto) *venerabilis memoria beati Michaelis archangeli, quando ipsius nomine ibi consecrata fuit ecclesia*, &c. unde manavit [e] & ejusdem & reliquorum angelorum festivitas, olim & nunc quotannis celebrari solita. Neque in martyrologiis occidentalis ecclesiae, nec apud eos qui illa sive explicant, sive praetermissos martyres eorumque dies suppletum eunt, alia S. Michaelis

[a] Annal. tom. 1. pag. 434. [b] Jos. Scalig. de Emendatione Temporum, lib. 4. pag. 221. Dionys. Petavius de Doctr. Temporum, lib. 7. cap. 16. & lib. 10. cap. 7. [c] Men. & Anthologio Novemb. 8. [d] Apud Canisium Antiq. lect. tom. 2. pag. 905. [e] Videsis Baron. ad Martyrolog. Rom. 29. Septembris.

festa occurrunt, praeter apparitionem ejus in monte Gargano 8 Maii, & dedicationem ejus 29 Septembris. Atque hoc quidem simpliciter dictum est antiquitus *dedicatio S. Michaelis* [a], & *festum S. Michaelis* [b], ut nunc vulgo. Sed vero nec in orientis nec occidentis scriptis, puto, alibi Michaelis idoli templum in S. Michaelis archangeli ecclesiam Alexandriae mutatum esse occurrit. Alias autem alibi a Constantino Magno ante ei dedicatas legimus [c]: adeoque haud novum tunc Christianis tituli seu dedicationis illius sub Constantio illic erat nomen.

IX. Memoratur idem dies ut festum apud AEgyptios Michaelis archangeli scriptori perinsigni Mahumedano Abulaibsan Achmed Calcasendio [d], dum festa AEgyptiorum Christiana enumerat, a Christiano aliquo illic proculdubio edoctus. Quoniam autem compluria sunt festa in ejusdem enumeratione, calendarium sic AEgyptiacum seu *Elcupti* [e] supplente, quae, ut ad AEgyptios spectantia, occidentali ecclesiae, puto, necdum audita fuerint, cum alia item in ea occurrant, quae studiosioribus forsan non fuerint ingrata (utcunque mihi saepe nimis obscura, incerta, & plane hactenus ignorabilia, uti etiam iterari subinde visa) ideo non intempestivum duxi, etiam cuncta simul, cum eo quod habet hic de S. Michaele exhibere: sed non alia quam autoris methodo; fideliter satis exhibitis exemplaris punctis, diacriticis saepius carentis, literarum ductibus. Lemma habet [f], في أعياد القبط *De festis Coptitarum* seu *AEgyptiorum*, quae كبار وصغار *in majora & minora* tribuit. Majora facit septem.

I. البشارة *Annunciatio*; ويعنون به بشارة عزيا وهو جبريل في زعمهم لمريم عليها السلام بميلاد عيسى صلوات الله عليه *Innuunt per eam annunciationem consolatoris* (lego scilicet (عزيا) *qui ipse est juxta eorum* (Christianorum) [g] *disciplinam Gabriel, Mariae super quam sit pax, de nativitate Jesu, super quem sit misericordia Dei.* Dies ejus idem illic est qui in oriente & occidente receptus, scilicet 29 mensis AEgyptiaci *Barmahath*, cui Martii Juliani 25 respondet.

II. الزيتونة *Olivae* seu *olivarum*, unde & alias [h] عيد الزيتون, idem denotans, vocatur. Addit Calcasendius, وهو عيد الشعانين *Atque hoc est festum Alshaianin.* Raphalengius habet عيد الشعانين *festum*; nec aliter explicat [i]. Golius ex Camuso [k] شعانين *festum palmarum.* Addit Calcasendius وتفسيره بالعربية التسبيح & *interpretatio ejus Arabice est laudatio.* Et tunc, celebrant illud في سابع أحد من صومهم *In die solis postremo jejunii illorum*, seu quadragesimae. Plane *dominica in ramis Palmarum* [l] seu *in Palmis* innuitur: quae celebratur, in ecclesia utraque, dominica Pascha proxime praecedente. Interim non suspicari nequeo, vocem illam الشعانين *Alshaianin* corruptam esse ab הושענא, *Hoshanna*, Ὡσαννὰ, ܐܘܫܥܢܐ, هوشعنا, quod clamabant ramos gestantes; unde etiam festum ipsum eo nomine appellatum. Syro titulus lectionis ex Evangelio diei propriae est ܕܚܕܒܫܒܐ ܕܐܘܫܥܢܐ *dominica* ܕ *Hosanna.* Et quidem Calcasendius pro Arabico illic non agnoscit الشعانين dum Arabicam vocis affert expositionem per التسبيح *laudationem*, quam in AEgypto pro *Hoshanna* usurpatam videmus apud Nonnum Panopolitam seu AEgyptium, qui loco in illo Joannis substituit,

Εὐλογίησιν ἄναξ Ἰσραὴλ αἰνετὸς ἔστω,

Celebrationibus rex Israel laudatus sit. Arabes autem festum illud etiam الباينة ἀπὸ τῶν βαΐων nuncupant [m], & السباسب a Chaldaico שבישין, ut putat vir praestantissimus Jacobus Golius [n], quod *ramos* & *frondes* notat. In Graecanica ecclesia vocatur [o] ἡ κυριακὴ τῶν βαΐων, *dominica ramorum*, & βαιοφόρος [p], *dies in quo rami gestantur.* Joannes evangelista habet τὰ βαΐα τῶν φοινίκων *ramos palmarum.* Matthaeus [q] autem generatim, κλάδους τῶν δένδρων *ramos arborum*, sive palmarum, olivarum, aliarumve. Unde etiam in precatione so-

[a] Ansegisus in Capitulis Caroli & Ludovici, lib. 2. cap. 35. & Extr. tit. de Feriis, cap. 5. [b] Simon Archiepisc. Cant. apud Lindwood, tit. de Feriis, cap. ex Scripturis. [c] Sozomen. lib. 2. cap. 2. Nicephor. Callist. lib. 7. cap. 50. [d] Penes me MS. pag. 523. [e] Videsis Jos. Scaliger. de Emendat. Temporum, lib. 7. pag. 661. & Athanas. Kircherum in Supplemento Prodromi Copti, cap. 4. pag. 553. [f] Part. 1. pag. 523. [g] Luc. i. 26. [h] Jac. Golius in Lexico, col. 2778. [i] Lexic. Arab. pag. 211. [k] Ibid. col. 1177. [l] S. Joann. cap. 12, 13. [m] Jacob. Golius in Lexic. col. 2778. [n] Ibid. col. 1131. [o] Euchovlog. fol. 241, 1. [p] Edit. Jacobi Goar, pag. 744. [q] Cap. xxi. 8.

lenni ad hunc diem attinente Graeci populum, qui tunc Christum Hierosolyma adventantem exciperet deduceretque, τοὺς κλάδους τῶν δένδρων καὶ βαΐα τῶν φοινίκων, *Germina arborum ramosque palmarum* adhibuisse aiunt. D. Hoshanna & τοῖς βαΐοις si plura velis, vide Angelum Caninium [a] & Isaacum Casaubonum [b]. Et in liturgiis Romanis [c], nunc *palmae* solum hoc de festo inde memorantur, nunc *palmae* simul & *olivarum rami*, nunc tantum *olivae*, nunc *rami palmae & olivarum*, nunc *olivae caeterarumque arborum rami*, nunc *palmae seu olivae*, nunc *rami arborum*. Atque inde Durandus [d], *Dicitur etiam alibi dominica olivarum*, ut hic apud Calcasendium, *quia rami olivae portantur; quod fit ad repraesentandum filios Israel, qui cum ramis palmarum & olivarum venienti Domino obviam exierunt.* Hierosolyma nempe paulo ante passionem accedenti. Et ubi nec palmae nec olivae fuerint, ramuli salicum efflorescentes, ut apud Anglos nostros alibique, festo in illo adhibiti, & myrtei [e] apud Graecos, uti & buxei apud Gallos [f]. Scilicet ut Hoshanna e festo scenopegiarum autumnali in vernum hoc translatum est, ita & rami seu surculi in eo gestandi alii praeter palmarum, juxta legem Sacram [g] de festo illo, & usum Judaeorum [h].

III. الفسح *Pascha.* يعملونه يوم الفطر من صومهم *celebrant die solutionis jejunii eorum*, quem eundem, ut nos, facit cum resurrectione Domini.

IV. خميس الاربعين *Feria quinta* (dies Jovis) ꝯ *quadraginta*, seu festum ascensionis, السلاق itidem dictae. Et يقولون ان المسيح عليه السّلام تسلّق فيه من تلاميذه الي السّما بعد القيام ووعدهم بارسال الفارقليط وهو روح القدس عندهم *Dicunt Christum, super quem sit pax, hodie ascendisse ab discipulis suis in coelum post resurrectionem, & pollicitum esse eis Paracletum, qui est Spiritus Sanctus apud eos.* De die hoc ejusque circumstantiis occurit in Constitutionum, quae apostolicae dictae Arabice [i] conscriptae sunt, praefatione, quod observatu adeo forte dignum, ut locum hic mereatur. Verba sunt, وكان التلاميذ بعد انبعاث المسيح من الموت متفرقين في ارض الجليل ومدينة الناصرة التي امرهم ان يصيروا اليها فلما كان في سنة ثلاثماية وتسعة وثلثون سنة من سني القرنين في احد وعشرون يوم من شهر ايّار يوم الخميس وذلك بعد انبعاث سيّدنا يسوع المسيح باربعين يوم اجتمعوا والمسيح معهم وهم لا يعرفونه ولا يدرون مكانه بينهم وظهر لهم ذلك اليوم ووضع يده على رووسهم واحد واحد وهم يوميذ احدى عشر تلميذا فباركهم وصيّرهم بمنزلة كهنة بني اسرايل المرذولين *Atque evenit ut discipuli post resurrectionem Christi a morte, dispersi essent in terra Galilaeae & urbis Nazareth, juxta quod praeceperat illos se illuc conferre. Et cum annus erat 330. ex annis Alkarnaiin* (Seleucidarum) *dies vero 21 mensis Jiar, & feria quinta, quae quadragesima erat ab resurrectione Domini nostri Jesu Christi, congregabantur & Christus cum illis. Sed illi haud noverunt eum, & loci ejus* seu *ubi esset inter eos ignorabant. Sed apparuit illis eodem die, & imposuit manum ejus super capita eorum singulatim, qui tunc fuere undecim; & benedixit eis, & constituit eos in loco* seu *vice sacerdotum ex filiis Israel, qui rejecti sunt;* juxta prophetiam Malachiae [k].

V. عيد الخميس *Festum quinque* dierum decadum, pentecoste. Potius عيد الخمسين Sic autem explicat; وهو عيد العنصرة يعملونه بعد خمسين يوما من القيام وهو في السّادس والعشرين من بشنس يقولون ان روح القدس حلّت في التلاميذ وتفرّقت عليهم السنة فتكلّموا بجميع الالسنة وذهب كلّ

[a] In loc. N. T. cap. 4. [b] Exercit. 16. sect. 2. [c] Missal. Roman. in Dominica in Palmis. [d] Rational. lib. 6. cap. 67. sect. 16. [e] Georg. Phranzes, lib. 2. cap. 4. [f] Angel. Caninius in loc. N. T. cap. 4. [g] Levit. xxiii. 40. [h] Nehemiae viii. 15. & videsis Maimonid. in More Nebochim, part. 3. cap. 43. [i] MS. in Bibliotheca Oxoniensi, fol. 47. 2. [k] Cap. 1. & 2.

واحد

واحدٍ منهم الي بلاد لسانه الذي تكلّم به يدعوهم الي دين المسيح *Atque hoc est festum Aitzereth* (עצרת[a]) *& celebrant illud post dies quinquaginta a resurrectione. Incidit autem in diem 26 Basckunes* (id est, 21 Maii Juliani; quasi in anni recurrentis diebus fixa fuisset pentecoste, uti & dies resurrectionis, adeoque paschatis, quod ita quotannis incideret in diem *6 Barmuda*, seu Aprilis Juliani primum) *atque aiunt quod Spiritus Sanctus superveniebat discipulis, & distribuit eis linguas hominum* (gentium omnium) *adeo ut loquerentur linguas universas; & quod abibant unusquisque eorum in provinciam* seu *regionem linguae suae, ut ita docerent propagarentque religionem Christianam.*

VI. الميلاد *Nativitas* Domini. ويعملونه في التاسع والعشرين من كيهك من شهور القبط *Et celebrant festum hoc die 29 Chiak in mensibus Coptitarum*, qui dies est 25 Decembris Juliani. Eundem diem ut apud AEgyptios suos receptum pro Domini natalibus memorat Eutychius Alexandrinus [b] patriarcha, qui circa annum 900. scripsit; uti & Constitutiones Apostolicae [c]. Etiam Christiani Graeci per annos mille ducentos & quinquaginta, aut circiter, diem illum observarunt; ut ex ritualibus eorum scriptisque aliis obviis scimus. Ita Syri, velut pariter apostolicam ipsam de eo doctrinam secuti; ut Joannes Widmanstadius [d], monimentis illorum edoctus, qui in Mahumedis illud scribens, *Vigesimo tertio die Ramadan* (id est, tempore verno) *natus est Christus filius Mariae; orationes Dei super eum* [e]. *Quod* XXIII. inquit, *diem Ramadan mensis natalem scripserit Mahometes, a veritate est prorsus alienum. Et ipse in codice Graeco bibliothecae D. Marci Florentiae Honorii* I. *pontificis maximi tempore* (circa annum Christi 620. cum floruit Mahumedes) *scripto legi, apostolos memoriae prodidisse, Christum ex virgine natum Bethlehemae* XXV *Decembris, hora diei sexta, baptizatum anno aetatis suae* XXX, *die Januarii* XI. *hora noctis decima*, &c. Adjicit, *Hesychius scribit* [f], *in anno* XLII. *Augusti* XXV *Decembris, hora diei septima, partu virginis editum in hanc lucem fuisse.* Occidentalis autem ecclesia diu antequam agnosceretur hic in oriente dies, illum pro vero natali acceperunt observaruntque. AEthiopes etiam in celebratione hac consoni [g]. Seculis in primitivis illis per orientem variae atque ab observatione hac dissonae opiniones obtinuere, cum nondum dies ille nativitati illic assignatus est. Apud Clementem Alexandrinum [h], qui floruit sub annum 190. memorantur qui diem ἐν πέμπτῃ Παχὼν ϗ εἰκάδι fidenter collocabant, *die vigesima quinta mensis AEgyptiaci Pachon*, seu Maii Juliani 20. Et quidem ille velut de re plane in oriente ignorata loquitur. Epiphanius [i] etiam, qui diu post, seu sub centuriae quartae finem scripsit, Epiphaniorum diem seu sextum Januarii natalem facit, quemadmodum & alii. At sub idem tempus Chrysostomus, apud occidentaliores vetustissimam fuisse agnitionem illius, hoc nomine, diei, etiam a Thracia usque in Gadira [k] seu extremum occidentis, ait, unde orientales eam didicerunt; ut orationem Latinam ea de re immerito ei tributam, nec Graece extantem, [l] praetereamus. Nempe creditum est [m], Titi tempore Romam allatas tabulas aliquas publicas, e quibus in occidente tantundem ediscеretur, licet orientalibus nondum receptum; idque etiam ab ipso Epiphanio traditum esse. Sed de vero die variatim jam pridem inter chronologos dubitatum est, aliis interim post seculum Constantini Romae observationem institutam esse asserentibus, tempore Chrysostomi Constantinopolim derivatam esse, natalemque in alium diem mensemque incidisse. Ita Josephus Scaliger [n], Sethus Calvisius [o], Joannes Keplerus [p], alii; qui & contradictores suos [q] habent satis acres. Utut autem se res habuerit alibi, scimus tam sub Eutychio Alexandrino, qui annis amplius 750. abhinc floruit, in AEgypto observatum pro natali. Vigesimum quintum Decembris, quam id receptum diu ante Calcasendii tempus, quod recentius est, sed mihi incertum. Vetustiores autem AEgyptii, iique Chrysostomo coaevi, diem 6 Januarii, qui Epiphania dicitur, & baptismum & natalem faciebant; ut e Cassiano [r] aliisque liquet.

VII. الغطاس *Immersio*, id est, *baptismus* Domini. Assignatur diei undecimo mensis *Tuba* Coptitarum, qui est ipse Januarii Juliani dies sextus. Scilicet Christi in Jordane baptismum [f] hoc die peractum esse, frequentius receptum est tam in oriente quam occidente; etiam apud AEgyptios AEthiopasque. Quin & natalem eodem die Januarii non pauci celebrare soliti; unde etiam Epiphania pro ipso natali non infrequens a-

[a] Vide Onkeli Paraph. Chald. Numer. xxviii. 26. [b] Tom. 1. pag. 310. [c] Lib. 5. cap. 12. [d] Epist. subnexa Testamento Syriaco. [e] Mahometis Dialog seu Theologia, sect. 12. edit. 1543. in 4. [f] Serm. de Natali Domini. [g] Videsis Jos. Scalig. de Emendat. Temporum, lib. 7. pag. 650. a. [h] Stromat. α. [i] Haeres. 51. N. 16. [k] Orat. 71. tom. 5. pag. 512. edit. Savilianae. [l] Vide Isaac. Casaubon. exercit. 2. sect. 4. [m] Catholicus Armeniorum in Legatione ad Armenios, ubi male legitur in editionibus nonnullis xx Decembris, quod Graece esse debuit κε Decembris, ut videre est apud Josephum Scaligerum in Canon. Isagog. lib. 3. pag. 302. [n] De Emendat. Temp. lib. 6. pag. 510. [o] Isagog. Chronolog. cap. 48. [p] De anno Natali, cap. 15. [q] Dionys. Petav. de Doctrina Temporum, lib. 12. cap. 7. Richard. Montacut. ad Origines Ecclesiastic. Apparat. 11. sect. 40. [r] Collat. 10. cap. 2. Baron. in Martyrolog. Decemb. 21. & Jan. 6. [f] Matth. iii. 16, &c.

pud

pud veteres. Ob creditum autem eo in die Chrifti baptifmum, mos invaluit vetus, non folum die illo, veluti in quo prae caeteris anniverfaria fieret aquarum fanctificatio fingularis, baptizare catechumenos, verum etiam tum cunctos fe quotannis fluviis immergere, adeoque baptifmum eatenus fibi iterare, tum aquas ex illis in annum fequentem fervandas domum afferre, quas etiam incorruptas illic ait Chryfoftomus [a], per biennium trienniumque faepius manfiffe. Nofter hic, النصاري يغمسون ولادهم فيه في الماء *Chriftianis mos eft immergere liberos fuos in aqua illo in die.* Atque hinc dictus eft in AEgypto الكميع f. الكميم *Balneatio.* In occidente autem obtinuit ejufmodi etiam ufus, quafi praerogativa fingularis baptifmi ad diem illum attinuiffet, etiam cum pafchatis & pentecoftes tempora folum baptifmo, extra mortis periculi caufam, affignarentur; unde etiam, ad amoliendam fuperftitionem quae circa diem illum glifcere nimis coepit, decretum eft, ne quis illo in die, nifi in articulo neceffitatis, baptizaretur [b]. Tributus eft etiam baptifmus Domini diei 12 *Athyr* [c], id eft, Novembris Juliani octavo.

Atque hactenus de feftis feptem majoribus. Totidem habet minora.

I. الختان *Circumcifio* Domini. ويعملونه في سادس بونه من شهور القبط ويقولون ان المسيح ختن في هذا اليوم وهو الثامن من الميلاد *Et celebrant hoc feftum die fexto Beuna in menfibus Coptitarum; & dicunt quod Chriftus circumcifus eft die in illo; qui fcilicet octavus erat a nativitate* [d]. Sed octavus a nativitate eft Januarii Juliani primus. Sextus autem dies *Beuna* eft Maii Juliani 31. Ergo pro بونه *Beuna* hic legendum طوبه *Tuba.*

II. الاربعون *Quadragefima.* Celebratum ait octavo die *Mufre* menfis AEgyptiaci, qui Augufti Juliani refpondet primo. ويقولون ان سمعون الكاهن دخل بعيسي عليه السلام مع امه بعد اربعين يوما من ميلاده للهيكل وبارك عليه *Atque dicunt quod Simeon facerdos introduxit* feu *excepit Jefum, fuper quem fit pax, & matrem ejus, poftquam dies quadraginta praeterierant* [e] *a nativitate ejus, in templum* [f], *& benedixit ei.*

III. خميس العهد *Feria quinta* (*dies Jovis*) *confoederationis* feu *teftimonii* mutui difcipulorum [g] invicem dati, quando Dominus pedes eorum lavabat. يعملونه قبل الفصح ثلاثة ايام *Celebrant eam triduo ante pafcha. Et patriarcha,* inquit, يغسل ارجل جميع النصاري الحاضرين *lavat in eo homines cunctos* Chriftianos, *quotquot fint praefentes,* ab exemplo Chrifti. Quale eodem die pauperibus praeftare foliti reges Angliae, aliique [h]. Adjicit, ويزعمون ان المسيح عليه السلام فعل هذا بتلاميذه في هذا اليوم ليعلمهم التواضع واخذ عليهم العهد ان لا يتفرقوا وان يتواضع بعضهم لبعض والعامة من النصاري يسمون هذا الخميس خميس العهد وهم يطبخون فيه العدس على الوان *Et recipitur eis quod Chriftus, fuper quem fit pax, ita fecit difcipulis fuis eodem in die, ut doceret eos humilitatem, & inirent confoederationem, ut non fe difpergerent, fed humiles inter fe invicem forent. Et coetus Chriftianorum feriam hanc quintam nominant quintam confoederationis* feu *teftimonii mutui. Et folent in ea comminuere lentes cum aliis leguminum fpeciebus.*

IV. سبت النور *Sabbatum luminis.* Sabbatum fanctum & fabbatum pafchatis dici folitum, in quo cerei pafchales benedicti. Ob lumen quod illo die apparuit circa Chrifti

[a] Orat. 74. tom. 5. edit. Savil. pag. 524. & de hifce videfis Gregor. Turonenf. de Miraculis, lib. 1, cap. 81. Caffian. Collation. lib. 10. cap. 2. Jofeph. Scalig. de Emendat. Temporum, lib. 7. pag. 641, & 661. Ifaac. Cafaubon. exercit. 2. fect. 11. Gratian. de Confecratione dift. 4. cap. 11, &c. [b] Vide Leonem Mag Epift. 4. cap. 1. de Confecrat. dift. 4. cap. 14. Durand. Rational. lib. 6. cap. 16. fect. 6. Ant. Auguftin. epift. Juris Pontificii, lib. 22. tit. 19. [c] Epiphanius Haeref. 51. N. 16. [d] Luc. ii. 21. [e] Levitic. xii. 2, &c [f] Luc. ii. 25. [g] Joan. xiii. 12. [h] Videfis Durand. Rational. lib. 6. cap. 75. fect. 6.

ſepulchrum, ſic nominatum ait Calcaſendius.

V. ومنها حد الكلد *Atque hujus generis feſtorum minorum, eſt feſtum claudens* ſeu *terminans*. وهو بعد الفصح ثمانية ايام *& eſt octiduo poſt paſcha,* ſcilicet octavae ſeu clauſum paſchatis.

VI. ومنها التجلى *Et hujus generis eſt feſtum transfigurationis*[a] Domini. *Dies nempe menſis* Meſure 13. Auguſti Juliani 6. quo & Graeci & occidentales feſtum illud celebrant. Male Raphalengius [b], تجلي *Epiphania.*

VII. ومنها عيد الصليب *Et hujus generis eſt feſtum crucis.* Dies 17 menſis *Thoth*, ſeu Septembris 14. quo *exaltatio crucis* per eccleſiam celebratur utramque [c], etiam & Antiochenam. Orientalibus autem, qua Conſtantinum crux ſpectabat; occidentalibus, qua Heraclii in Coſroem Perſidis regem victoriam, crucemque ab eo Hieroſolymam reportatam innuit. Addit hic Calcaſendius, inoleviſſe in AEgypto, ut anni initium, id eſt, dies *Thoth* menſis primus, ſeu Auguſti Juliani 29. voce illa Perſica النيروز *Neuruz* nuncupatum, pro feſto etiam habetur; atque ita celebrari pariter etiam Syris anni ſui initium, ut Romanis aliiſque calendas Januarii.

Dein compluria alia, ſed breviuſcule, اعياد ومواسم *feſta ac ſolennitates* Chriſtianorum illic, ad hunc modum, in menſibus AEgyptiacis enumerat:

Thoth. Auguſti Juliani.

Dies 2 عيد سيغرس وعيد متي الانجيلي *Feſtum Syagrii & feſtum Matthaei evangeliſtae.* 30

Septembris.

4 سمعان الحبيس *Simeonis detenti* in columna; Stylitis [d]; quod in Graecorum ritualibus eodem ſervatur die. 1

Thoth. Septembris.

5 عيد ماما *Feſtum Mamantis* martyris; quod itidem in ritualibus Graecis. 2

6 عيد اشعيا *Feſtum Iſaiae* prophetae 3

7 عيد ساويرس *Feſtum Severi.* 4

8 عيد موسي النبي عليه السلام *Feſtum Moſis prophetae, ſuper quem ſit pax.* Utraque in eccleſia ſervatur hoc feſtum die priduano, ut natalis ejus [f]. Mahumedani collocant [g] in 24 menſis eorum *Ramadan*, qui vernus eſt. 5

9 عيد توما التلميذ *Feſtum Thomae diſcipuli* ſeu apoſtoli. 6

10 خروج [h] نوح عليه السلام من السفينه ومولد مريم عليها السلام *Egreſſus Noachi, ſuper quem ſit pax, ex nave,* ſeu *arca, & nativitas Miriam.* Atque Eutychius, AEgyptius ipſe & patriarcha Alexandrinus, egreſſum ait [i] Noachum بعد سنة وشهرين في سبعة عشر يوما من الشهر الثاني وهو نيسان وهو برموده *Poſt annum & duos menſes,* ab initio diluvii, *decimoſeptimo nempe menſis ſecundi, qui eſt Niſan, cui reſpondet,* in menſibus AEgyptiis, *Barmuda.* Ita ſub tempus vernum, diem egreſſus Noachi ponit ille, ut ſub autumnum, calendarium hoc Calcaſendii. Notiſſimum eſt apud Ebraeos fuiſſe initium anni duplex [k], vernum, ſeu in *Niſan*, quaſi Martio; autumnale, ſeu in *Tiſri*, quaſi Septembri. Et juxta diſcrimen illud alii in *Jiar*, quaſi Aprili, qui ſequitur Niſan, & eſt menſis ſic ſecundus, initium ponunt diluvii [l]; adeoque in ejuſdem menſis die 27 Noachi egreſſum; ſic interpretantes illud [m] de fine diluvii, *In menſe ſecundo, & die 27 ejuſdem menſis, arefacta eſt terra,* quando Dominus praecepit Noachum exire ex arca. Sic ſe res ha- 7

[a] Matth. xvii. 2. [b] Lexic. pag. 133. vide Joſeph. Scaliger. de Emendat. Temporum. lib. 5. pag. 761, & 675. [c] Martyrolog. Rom. Sept. 14. & ibi Baronius, Ritual. Graec. ad eundem diem. [d] Videſis Baron. ad Martyrolog. Januar. 5. [e] Jacob. Golius in Lexico. col. 1201. [f] Menologium Graec. & Martyrolog. Rom. Sept. 4. [g] Mahometis Theologia edit. ab Widmanſtadio, 1543. [h] Male exaratur خروج. [i] Annal. tom. 1. pag. 41. [k] Joſeph. Origin. lib. 1. cap. 4. alii paſſim. [l] Geneſ. vii. 11. [m] Geneſ. viii. 14, 15, & 16.

Thoth, Septembris.

bet ex calculo R. Josue. Alii locum illum mensemque de *Marchesvan,* quasi Octobri, seu secundo a *Tisri,* sumunt, juxta disciplinam hic de anni diluvii initio verno [a]. Atque ita indubitanter paraphrastes Jonathan dictus, uti etiam Flavius Josephus [b]. Et pro discrimine illo aliasque hanc circa rem chronologi dissensere, qui egressum Noachi aliter aliterque collocant [c].

11 عيد باسيليوس *Festum Basilii.* 8

13 عيد منخاييل وصوم جدليا 10
Festum Menahelis & Jejunium forte *Godoliae,* quod calendarium Judaicum habet in 3 *Tisri.* De utroque ἐπέχω.

14 عيد سمعان الحبيس وعيد بارس 14
الشهيد *Festum Simeonis Stylitae,* alterius seu junioris [d], *& festum Baris* seu *Paridis.*

16 عيد اسعادوس 13

20 صوم كور *Jejunium* 17

22 نياحة ابي حرج *Planctus Abi Harech.* 19

23 عيد اولاد الفردوس *Festum prolis Paridis.* 20

26 عيد الصابا *Festum* 23

27 عيد اسطاتوا وانتقال يوحنا *Festum* 24
Eustathiae & translationis Joannis.

Baba. Septembris.

1 عيد اجرويعون *Festum* . . . . forte 28
pro Charitone, cujus dies hic in ritualibus Graecorum,

2 عيد سوسان *Festum* 29

Octobris.

5 عيد يعقوب بن حلفا *Festum Jacobi filii Cleopae.* 2

7 عيد ابوبولا *Festum Abululae.* 4

Baba. Octobris.

8 عيد توما *Festum Thomae.* 5

10 عيد ابي مسرجة *Festum abi Misracha.*

11 عيد يعقوب *Festum Jacobi.* 8

12 شهادة متي *Martyrium Matthaei.* 9

13 عيد الفرات *Festum* 10

20 شهادة يوحنا *Martyrium Joannis.* 17

21 تذكار السيدة *Commemoratio* 18
Dominae.

22 عيد لوقا *Festum Lucae,* quod in 19
ecclesia utraque pridie celebratur.

23 عيد ابي جرج *Festum Abi Charech.* 20

21 دخول السيدة الي الهيكل 18
Ingressus Dominae in templum.

26 عيد يعقوب ويوسف *Festum Jacobi* 23
& Josephi.

27 عيد ابي مقار *Festum Abi Macarii.* 24

30 عيد مرقص *Festum Marci.* 27

Hathur. Octobris.

1 عيد بطرس البطرك *Festum Petri* 28
patriarchae.

4 عيد زكريا *Festum Zachariae.* 31

Novembris.

6 اجتماع التلاميذ *Synodus apostolorum.* 2

7 تكرير ابي جرج *Iteratio Abi* 3
Charech.

8 عيد الاربع حيوانات *Festum quatuor animalium* 4

9 تذكار الثلثماية وثمانية عشر 5
Commemoratio trecentorum & octodecim, synodi scilicet primae Nicaenae, numero illo (de quo consulas commentarium nostrum in Eutychii Origines Alexandrinas) signantius denotari solitae.

10 نياحة اسحق *Planctus Isaac.* 6

[a] Seder Olam Rabba, cap. 4. & Sal. Jarchius ad Genes. vii. 11. [b] Origin. lib. 1. cap. 4. [c] Josephus Scaliger de Emend. Temp lib. 5. pag. 349. Sethus Calvisius in anno M. 1656. Torniellus eod. ann. sect. 1. Dionys. Petavius de Doctrina Temporum, lib. 13. pag. 518
[d] Vide Baron. ad Martyrolog. Rom. 5. Jan. & 3. Septembris. [e] Ita methodus hic Calcasendii.

عيد

Hathur. Novembris.

12 عيد ميكايل *Festum Michaelis* de quo supra.

15 شهادة ابي مينا *Martyrium patris* 11 *Menae*, cui idem dies in Graecorum menologiis.

17 عيد فلبس الرسول (legendum 13 فيلبس) *Festum Philippi apostoli*, quod diem occupat posterum in ritualibus Graecorum.

20 عيد أساسياس *Festum Asasii*, & 16 عيد سمعون *Festum Simeonis* & تذكار الشهداء *Commemoratio martyrum.*

24 عيد مركوريوس *Festum Mercurii.* 20

25 عيد ابي مقوره *Festum patris Macore.* 21

26 عيد ادوفيانيوس *Festum Adphianii.* 22

27 عيد يعقوب المقطع *Festum Jacobi dissecti.* 23

Chiac. Novembris.

2 عيد بهور *Festum Bahuris*, si forte 28 legendum باهور.

4 عيد اندراوس *Festum Andreae*, 30 eodem in ecclesiae utriusque ritualibus celebratum.

Decembris.

5 عيد سيورس *Festum Severi.* 1

7 عيد بربارة *Festum Barbarae*, quod 3 die habetur postero in ritualibus Graecis & Romanis.

8 عيد ابامين *Festum Ammini.* 4

10 عيد ماري نقولا *Festum domini* 6 *Nicolai*, ut etiam in utriusque ecclesiae fastis.

14 عيد سمعون *Festum Simeonis.* 10

Chiac. Decembris.

16 نياحة يوحنا *Planctus Joannis.* 12

23 صوم الميلاد *Jejunium nativitatis.* 19

Tuba. Decembris.

3 قتل الاطفال *Caedes parvulorum*, 29 innocentium; uti pariter in ecclesia utraque.

4 عيد يوحنا الانجيلي *Festum Joannis evangelistae.* 30

Januarii.

7 عيد توما *Festum Thomae.* 2

8 عيد الحنان *Festum Hanan.* 3

9 عيد ابرهيم *Festum Abrahae.*

10 وصية الغطاس واوله *Praeceptum* 5 *immersionis* (baptismi) *& initium ejus*

13 صوم العذارى *Jejunium virginum.* 8

14 عيد ملسوس *Festum Meletii* seu 9 *Milesii.*

15 عيد غاريوس *Festum Gharii.* 10

16 عيد قيلانوس *Festum Kilani.* 11

19 عيد يوحيس *Festum Jochis.* 14

20 نزول الانجيل وتذكار السيدة 15 *Descensus evangelii, & commemoratio Dominae*

21 صوم نينوي *Jejunium Ninive.* 16

24 مقتل يحيي *Caedes Jahia*, id est, 19 *Joannis Baptistae.*

25 عيد ابي بشاره *Festum patris Basarae.* 20

26 عيد الشهدا *Festum martyrum.* 21

27 عيد طيماثاوس الرسول Pro 22 طيمتيوس *Festum Timothei apostoli.* Idem dies ei tribuitur a Graecis, uti 24 Januarii ab ecclesia occidentali.

حرباه

Tuba. Januarii.

30 أخرنياحة نقولا *Nicolai* forte *Planctus alter Paulae.* 25

Amschir. Januarii.

1 عيد العذارى وعيد يهودا 26
Festum Virginum & festum Judae.

2 عيد مقار *Festum Macarii.* 27

6 نياحة تيادر *Planctus Theodori.* 31

Februarii.

9 نياحة برصوما *Planctus Barzumae.* 3

10 عيد بطرس وشهادة يعقوب *Festum . . . & Martyrium Jacobi* 4

14 أبي مسرجه *Pater Mesracha.* 8

16 عيد تيلانوس *Festum Kilani.* 10

17 عيد يعقوب الرسول *Festum Jacobi apostoli.* 11

19 عيد بطرس السهيد *Festum Petri martyris.* 13

21 نزول السيدة من الجبل *Descensus Dominae e monte.* 15

26 شهادة سدرس *Martyrium Sedaris.* 20

30 وجود راس يوحنا *Inventio capitis Joannis*, praecursoris Domini; quo die celebratur etiam in utraque ecclesia. 24

Barmahath. Februarii.

3 عيد الكلبانه *Festum . . . .* 27

Martii.

7 عيد ارمانوس *Festum Armeni.* 3

9 عيد المعمودية *Festum Baptismi.* 5

10 ظهور الصليب *Apparitio Crucis.* 6

11 عيد ابي مينا *Festum patris Menae.* 7

Barmahath. Martii.

12 عيد ميلاخي *Festum Melachii.* 8

17 عيد لباس السهيد *Festum Lasasii martyris.* 13

22 نياحة بولوص *Planctus Pauli.* 18

23 عيد العازر *Festum Azari.* 19

24 عيد السعانين *Festum Palmarum.* 20

25 عيد المرسونة *Festum . . . . .* 21

28 غسل الارجل *Ablutio Pedum.* 24

29 جمعة الصلبوت *Crucifixionis hebdomas.* 25

30 عيد مرقص الانجيلي *Festum Marci evangelistae.* 26

Barmuda. Martii.

2 عيد توما البطرك *Festum Thomae patriarchae.* 28

5 عيد هرقل النجيب Forte *festum Herculis Heraclii generosi.* 31

Aprilis.

7 عيد مرقص *Festum Marci.* 2

8 الاحد الجديد *Dominica nova*, id est, *Prima post pascha. Dominica in Albis a pontificiis dicitur.* 3

11 عيد يوحنا الاسقف *Festum Joannis episcopi.* 6

13 عيد جورجس *Festum Georgii.* 8

16 عيد ابي مي *Festum patris Matthaei.* 11 عيد يعقوب *Festum Jacobi.*

19 عيد سانوطه *Festum Sanutae.* 14

21 ذكران الشهدا *Commemoratio Martyrum.* 16

26 عيد سايرس *Festum Severi.* 21

Barmuda. Martii.

27 عيد ابي نيطس *Festum patris Niti.* 22

29 عيد اصحاب الكهف *Festum sociorum speluncae vulgo septem dormientium.* 18

30 عيد مرقص الانجيلي *Festum Marci evangelistae.* 25

Baschnes. Aprilis.

2 عيد تادرس *Festum Theodori.* 27

Theodorae virginis martyrium ei tribuunt.

3 عيد سمعون *Festum Simeonis.* 28

4 عيد الكنايس *Festum . . . .* 29

Maii.

7 نياحة يعقوب *Planctus Jacobi.* 2

6 عيد حقري سوه *Festum . . . .* 1

7 عيد اساسياس *Festum Asasii.* 2

8 صعود المسيح عندهم *Ascensio Christi, juxta illos,* id est, Christianos. 3

21 عيد برا القسر *Festum . . . .* 16

24 نزول السيد الي مصر *Descensio Domini in Aegyptum.* 19

25 عيد عوس *Festum . . . .* 20

26 عيد توما التلميذ *Festum Thomae discipuli.* 21

27 عيد سمعون البعبس *Festum Simeonis . . . .* 22

29 عيد طيمارس *Festum Temaris.* 24

30 عيد الورد الشب *Festum . . . .* 25

Beuna. Maii.

2 عيد ابي مقار *Festum patris Macarii.* 27

3 وجود عظام لوقا *Inventio ossium Lucae.* 28

Beuna. Maii.

4 عيد توما *Festum Thomae* 29

4 عيد ماعور *Festum Mamurii.* 29

Junii.

9 عيد يوحنا ونزول محف ابرهيم عليه السلام *Festum Joannis, & descensus libri Abrahae, super quem sit pax.* 3

15 عيد ابي مينا *Festum patris Menae.* 9

16 عيد ابي مقر *Festum patris Macarii.* 10

21 عيد السيدة *Festum Dominae.* 15

23 عيد ابريب *Festum . . . .* 17

2.. عيد ابي منا *Festum patris Menae.* 1..

Abib. Junii.

1 تذكار تيدارس *Commemoratio Theodori.* 25

2 & 3 نياحة بولص *Planctus Pauli.* 26 & 27

5 عيد المعينه وعيد القصريه *Festum Mamae, & festum Caesareae.* 26

Julii.

7 عيد ابي سسويه *Festum patris . . .* 1

8 عيد اسبناط *Festum . . .* 2

9 شهادة هرون وعيد سمعون *Martyrium Aharonis, & festum Simeonis.* 3

10 عيد تادرس نطس *Festum Theodori . . . .* 4

12 عيد ابي هور *Festum patris Hori.* 6

14 عيد ابي مقار *Festum patris Macarii.* 8

15 عيد اقلام السريي *Festum . . .* 9

عيد

Abib. Julii.

16 عيد يوحنا وزكريا *Festum Joannis & Zachariae.* 10

17 عيد يعقوب التلميذ *Festum Jacobi discipuli.* 11

19 عيد بولاق *Festum . . .* 13

20 عيد دريس الشهيد *Festum Daretis martyris.* 14

21 عيد السيدة وعيد ميخاييل *Festum Dominae, & festum Menhaelis.* 15

23 عيد سمعون البطرك وعيد سنوده *Festum Simeonis patriarchae, & festum Sanudae.* 17

24 عيد سنوده *Festum . . . .* 18

25 عيد مرقوليوس *Festum Merculiis.* 19

27 عيد حرقيل النبي عليه السلام 21

(lege حزقيل) *Festum Ezechielis prophetae, super quem sit pax.*

28 رفعة ادريس عليه السلام وعيد مريم 22

Exaltatio (Afcenfus) *Adrisii* (Henochi) *& festum Miriam,* feu *Mariae.*

30 حرم السيد *Interdictum Domini.* 24

Mufre. Julii.

1 عيد الخنكف *Festum* forte *Candaces.* 25

2 عيد امينا *Festum Aminae.* 26

3 عيد سمعون العامودي *Festum Simeonis Stylitae.* 27

Augusti.

8 دخول نوح السفينة *Ingressus Noachi in arcam* [a]. 1

9 عيد طورسينا وعيد السيدة *Festum Turfinae, & festum Dominae.* 2

Mufre. Augusti.

10 عيد اللباس *Festum . . . .*

15 شهادة انطونيوس *Martyrium Antonii.* 8

وعيد العلوية *& festum . . . .*

14 عيد يعقوب الشهيد *Festum Jacobi martyris.* 7

18 عيد ابي مقار *Festum patris Macarii.* 11

19 عيد اليسع *Festum Elifhae.* 12

20 عيد اصحاب الكهف *Festum septem dormientium.* 13

21 صوم الاربعين *Jejunium quadraginta.* 14

23 عيد الكورة بدمشق *Festum . . . in Damasco.* 16

26 عيد صوفيل *Festum . . . .* 19

28 عيد ابرهيم واسحق *Festum Abrahae & Isaaci.* 21

30 عيد موسي الشهيد وشهادة يوحنا *Festum Mofis martyris, & martyrium Joannis.* 23

Digreffioni, quae fic nata eft ex ecclefiae S. Michaelis apud Alexandrinos dedicatione vetufta, veniam a ftudiofo quolibet non intempeftivius morofiori, aut nimis indiligente, datum iri fpero, uti etiam fi, poft recenfionem hanc Mahumedanam, luculentiorem multo adjecerimus e Coptitarum monimentis Chriftianis. Ad calcem Evangeliorum exemplaris penes me Arabice antiquitus in AEgypto perpulchre confcripti (abfoluti nempe 8 die *Mufre,* menfis Coptici, id eft, 1 Augufti Juliani, anno AErae martyrum 1002. feu Chrifti 1286.) reperitur menfium, dierum feftorum, lectionum vefpertinarum ac matutinarum calendarium, in quo funt quidem aliquot hactenus me fugientia. Sed dies & fefta ipfis ejufdem verbis ac methodo, qua potui, exhibere itidem vifum eft, velut quod lectori ingenuo minime ingratum fuerit. Incipit & procedit dierum & feftorum recenfio illa ad modum fequentem, qui nec parum diverfus eft a Mahumedano feu Calcafendiano illo ante allato. Quae in ea minus intellexerimus, eruditiorum indagationi relicta funt. Numeralium figurarum formas juxta MS. repraefentavimus. Eae funt generis, apud Arabas, vetuftiffimi, atque, ut vi-

[a] Genef. vii. 7. & vide Torniell. tom. 1. An. 1656. fect. 18. & Salianum eodem anno fect. 27.

des,

des, ab Indicis (quae tum ab ipsis tum ab Europaeis adhiberi solent) uti etiam a literali, juxta Ebraeos, numerandi more, Arabibus itidem, alphabetum suum eam in rem Ebraico conformantibus, usitatissimo, diversissimi. Tales ex Evangeliis suis, anno Christo 1272. exaratis, & vetustissimo chronico, exhibuit olim vir praestantissimus Thomas Erpenius [a]. Eaedem in codice meo usurpantur in Evangeliorum canonibus aliisque illic designandis. Arabica hic miniata ita etiam se habent in origine.

توت وهو الشهر الاول

Thoth, qui mensis est primus.

الايام الاعياد

Dies & festa.

			Augusti.
ⲁ̅	النيروز وبرتلموس واليشع النبي	I. *Neuruz ; & Bartholomaei, & Elishae prophetae.*	XXIX.
ⲃ̅	يوحنا المعمدان	II. *Joannis Baptistae.*	XXX.
			Septembris.
ⲍ̅	ديسقرس وساويرس وانباغتو	VII. *Dioscuri, & Severi, & Anbaiatho.*	IV.
ⲏ̅	موسي النبي وارميا النبي وزكاريا الكاهن	VIII. *Mosis prophetae, & Jeremiae prophetae, & Zachariae sacerdotis.*	V.
ⲓ̅	ميلاد السيدة مرتمريم	X. *Nativitas Dominae, Dominae Mariae.*	VII.
ⲓ̅ⲁ̅	القديس باسيلوس وتادرس اسقف نسي	XI. *Sancti Basilii, & Theodori episcopi Nyssae.*	VIII.
ⲓ̅ⲃ̅	توما التلميذ	XII. *Thomae discipuli.*	IX.
ⲓ̅ⲉ̅	شهادة استفانوس	XV. *Martyrii Stephani.*	XII.
ⲓ̅ⲍ̅	عيد الصليب المجيد	XVII. *Festum crucis gloriosae.*	XIV.
ⲓ̅ⲏ̅	ثاني عيد الصليب المجيد	XVIII. *Secundum festum crucis gloriosae.*	XV.
ⲓ̅ⲑ̅	ثالث عيد الصليب المجيد	XIX. *Tertium festum crucis gloriosae.*	XVI.
ⲕ̅ⲁ̅	طيباريوس التلميذ	XXI. *Tiberii discipuli.*	XVIII.
ⲕ̅ⲃ̅	كوتلاس واكسوا اخيه وبولوس كالشهدا	XXII. *Cythelae, & Acsuae fratris ejus, & Pauli sicut martyris.*	XIX.
ⲕ̅ⲍ̅	اسطاتيوس وولده وزوجته	XXVII. *Eustathii, & filii ejus, & uxoris ejus.*	XXIV.
ⲕ̅ⲑ̅	اسر يوحنا الانجيلي واربسما ومن معهما من العذاري	XXIX. *Prehensionis Joannis evangelistae, & Arbasmae, & eorum qui cum eis erant ex virginibus.*	XXVI.

Sequitur dein repetitus dierum & festorum ordo, sive ut suppletorius, sive ut usus extraordinarii aut alicujus diversi, ad hunc modum, qui per menses tantum non singulos itidem variatim continuatur. Nec caeteris recta subjungitur ordo is, sed columellas sibi seorsim assignatas occupant

[a] Grammatic. Arab. lib 1. cap. 1. Leidae 1613. in 4.

ejusdem

ejuſdem dies ſic diſtinctae. Etiam titulum habet hic ordo توت تتمة *complementum menſis Thoth.* Atque ita in menſibus qui ſequuntur.

Thoth.			Auguſti.
دسقرس البطريرك	ⲅ̄	III. *Dioſcuri patriarchae.*	XXXI.
اشعيا النبي	ⲅ̄	III. *Iſaiae prophetae.*	XXXI.
			Septembris.
سمعان الحبيس ويوشع بن نون	ⲇ̄	IV. *Simeonis detenti, & Joſuae Ben Nun.*	I.
الديسماما الشهيد	ⲉ̄	V. *Al . . . diſhmamae, martyris.*	II.
اثناسيوس البطريرك الثاني	ⲑ̄	IX. *Athanaſii patriarchae ſecundi.*	VI.
اسحق البدسي الحبيس	ⲓ̄ⲅ̄	XIII. *Iſcaph* (forte اسحق pro *Iſaac*) *detenti.*	X.
ماري ماما الشهيد	ⲓ̄ⲇ̄	XIV. *Mari Mamae, martyris.*	XI.
الاحد الجديد بعد القيامة وهلانه وارقله	ⲓ̄ⲋ̄	XVI. *Dominica nova poſt reſurrectionem, & Helenae, & Herculeae* aut *Heracleae.*	XIII.
القديسه العذرا مليدما الشهيدة	ⲕ̄	XX. *Sancta virgo Melidmae, martyris.*	XVII.
تكله الشهيدة	ⲕ̄ⲃ̄	XXII. *Theclae, martyris.*	XIX.
حبل اليصات يوحنا	ⲕ̄ⲅ̄	XXIII. *Conceptus Joannis.*	XX.
اغريغوريوس المنطيقي	ⲕ̄ⲇ̄	XXIV. *Gregorii incluſi.*	XXI.
ابا دير وايراي اخيه الشيهدان	ⲕ̄ⲏ̄	XXVIII. *Abba Dir, & Airai fratris ejus, martyrum.*	XXV.
اغريغريوس الارمني وابواه	ⲗ̄	XXX. *Gregorii Armenii, & patris ac matris ejus.*	XXVII.
بوله الشهيدة		*Paulae, martyris.*	

بابه وهو الشهر الثاني — *Baba, qui menſis eſt ſecundus.*

الايام والاعياد — *Dies & feſta.*

دخول سويرس مصر	ⲃ̄	II. *Ingreſſus Severi in AEgyptum.*	XXIX.
			Octobris.
يعقوب بن حلفا	ⲉ̄	V. *Jacobi filii Cleopae.*	II.
سرجيس واخيه واخس الشهدا	ⲓ̄	X. *Sergii, & fratris ejus, & Achaſii, martyris.*	VII.

Baba.			Octobris.
يعقوب بطريرك الاسكندرية	ⲓⲁ	XI. *Jacobi patriarchae Alexandrini.*	VIII.
متي الانجيلي الرّسول	ⲓⲃ	XII. *Matthaeus evangelista & apostolus.*	IX.
ابطلامن واخته الشهدا	ⲓⲅ	XIII. *Abtalmonis, & sororis ejus, martyrum.*	X.
السيدة العذري في كل شهر	ⲕⲁ	XXI. *Dominae virginis, in quolibet mense.*	XVIII.
لوقا الانجيلي	ⲕⲃ	XXII. *Lucae evangelistae.*	XIX.
ابا ابلو الرّاهب	ⲕⲉ	XXV. *Patris Abluae monachi.*	XXII.
ابو معار الشّهيد اسقف قاو	ⲕⲍ	XXVII. *Abu Maiar, episcopi Cao.*	XXIV.

ORDO ALTER.

Baba.			Septembris.
خريطن القدّيس وسوسنه العذري	ⲃ	II. *Charitonis sancti, & Susannae virginis.*	XXIX.
اغريغوريوس اسقف ارمنيه	ⲅ	III. *Gregorii episcopi Armeniae.*	XXXX.
			Octobris.
حنانيا الرّسول	ⲉ	V. . . . . *Apostoli.*	II.
رواق وانطونيوس الشّهدا	ⲋ	VI. *Roaci & Antonii, martyrum.*	III.
ابنا بولامن طماو	ⲍ	VII. *Patris nostri Pola de Temao.*	IV.
بلافيه ووحاس الشهدا	ⲏ	VIII. *Belaphiae & Vacasii, martyrum.*	V.
فيليبس من السّبعة الشمامسة وديمتريوس البطريرك	ⲓⲇ	XIV. *Philippi ex septem diaconis, & Demetrii patriarchae.*	XI.
ابنا اغاثوا القسّ القدّيس	ⲓⲋ	XVI. *Patris nostri Aghathii, presbyteri sancti.*	XIII.
اغريغوريوس اسقف توس	ⲓⲍ	XVII. *Gregorii episcopi Tusae.*	XIV.

Baba.

Baba.			Octobris.
اقلس البطريرك	ιη	XVIII. *Herculis* feu *Heraclii, patriarchae.*	XV.
برتلميوس الشهيد	ιθ	XIX. *Bartholomaei, martyris.*	XVI.
القديس ابو يحنس تشهات	κ	XX. *Sancti patris Joannis . . . .*	XVII.
يويل النبي وديونيسيوس	κγ	XXIII. *Joelis prophetae, & Dionyſii.*	XX.
مريم القديسة الشهيدة	κδ	XXIV. *Mariae ſanctae, martyris.*	XXI.
يعقوب اخي الرب ووارس الشهيد	κς	XXVI. *Jacobi fratris Domini, & Vareſii, martyris.*	XXIII.
الميلاد بكل شهر ووضع راس يوحنا	κθ	XXIX. *Nativitatis in unoquoque menſe, & poſitionis capitis Joannis.*	XXVI.

هتور وهو الشهر الثالث — *Hathur, qui menſis eſt tertius.*

الايام والاعياد — *Dies & feſta.*

			Novembris.
تجديد بيعة القدس بوجرج بلده	ζ	VII.	III.
الاربع حيوانات الملايكة	η	VIII. *Quatuor animalium angelicorum.*	IV.
الثلثماية وثمانية عشر المجتمعين بنيقية	θ	IX. Ita exaratur; planiſſime pro patrum 318. in ſynodo Nicaena prima, ſolennitate; uti etiam ante in Calcaſendianis.	V.
ميخايل ريس الملايكة	ιβ	XII. *Michaelis principis angelorum.*	VIII.
ثاني عيد ميكايل	ιγ	XIII. *Feſti ſecundi Michaelis.*	IX.
شهادة ابو مينا	ιε	XV. *Martyrii Abu Menae.*	XI.
متي الانجيلي واتناسيوس البطريرك وتادرس	κ	XX. *Matthaei evangeliſtae, & Athanaſii patriarchae, & Theodori.*	XVI.
فرمان ودميان واخوتها وامها	κβ	XXII. *Fermanaeae Damianae, & ſororum, & matris earum.*	XVIII.
الاربعة وعشرين قسيس الملايكة	κδ	XXIV. *Viginti quatuor presbyterorum. . . . .*	XX.

Hathur.

Hathur.			Novembris.
الشّهيد القدّيس مرقوريوس	ⲕⲉ	XXV. *Martyris ſancti Mercurii.*	XXI.
فيليمون الرّسول ويعقوب المقطّع	ⲕⲍ	XXVII. *Philemonis apoſtoli, & Jacobi diſſecti.*	XXIII.
سرابيون اسقف ابساده	ⲕⲏ	XXVIII. *Serapionis epiſcopi Abaſadae.*	XXIV.
بطرس بطريرك الاسكندرية وهدلف الشهدا واقليمس الرّسول	ⲕⲑ	XXIX. *Petri patriarchae Alexandrini, & Hedalephi martyris, & Clementis apoſtoli.*	XXV.

Ordo alter.

Hathur.			Octobris.
اكلاوبا الملك	ⲁ	I. *Aclaubae regis.*	XXVIII.
بطرس البطريرك	ⲃ	II. *Petri patriarchae.*	XXIX.
انتيماخس الشّهيد القدّيس	ⲅ	III. *Antimachi, martyris ſancti.*	XXX.
			Novembris.
ملجي حسبل تادرس الي شطب	ⲉ	V. *Adventus Theodori* . . .	I.
لعماح التلميذ مع الخاص	ⲋ	VI. *Laimah diſcipuli cum* . . .	II.
اسحق بطريرك الاسكندرية	ⲓ	X. *Iſaaci patriarchae Alexandrini.*	VI.
اخوميس القدّيس	ⲓⲁ	XI. *Achumiſii ſancti.*	VII.
ثالثا عيد ميكاييل	ⲓⲇ	XIV. *Feſti tertii Michaelis.*	X.
رسمت فيه كنيسة ليويهرعصر	ⲓⲋ	XVI. . . . . *in AEgypto.*	XII.
يوحنا فم الذهب	ⲓⲍ	XVII. *Joannis Chryſoſtomi.*	XIII.
فيلبس الرّسول	ⲓⲏ	XVIII. *Philippi apoſtoli.*	XIV.
برتلموس الرّسول	ⲓⲑ	XIX. *Bartholomaei apoſtoli.*	XV.
ſubſcribitur العلجاني اغريغوريوس ibi extra lineas يومقار الشّهيد & dein.	ⲕⲁ	XXI. *Gregorii Aiganenſis.*	XVII.
يويل النّبي والاحد واربعين الشّهيد	ⲕⲅ	XXIII. *Joelis prophetae, & quadrageſimi primi martyris.*	XIX.
اغريغريوس اسقف نوس	ⲕⲋ	XXVI. *Gregorii epiſcopi Nyſſeni.*	XXII.

Chiach.

كهيك وهو الشّهر الرابع		*Chiach, qui mensis est quartus.*	
الآيّام والاعياد		*Dies & festa.*	
بطرس الكبديل اسقف بهواش	ⲁ	I. *Petri Albbadil, episcopi . . .*	XXVII.
			Decembris.
بربارة وتكلة والعريس صموبل	ⲏ	VIII. *Barbarae, & Theclae, & sponsi Tzemuelis.*	IV.
الرّاهب سمعون استشهد في ايام المسلمين	ⲓⲇ	XIV. *Monachi Simeonis, martyrio coronati in diebus Musulmanorum.*	X.
اغريغوريوس الارمني	ⲓⲉ	XV. *Gregorii Armenii.*	XI.
غبريال ملاك البشري	ⲕⲃ	XXII. *Gabrielis angeli, annunciatoris.*	XVIII.
سراج الميلاد المقدس	ⲕⲏ	XXVIII. *Publicationis nativitatis sanctae.*	XXIV.
صوم الي الغروب		*Jejunii usque ad occasum (Solis.)*	
ميلاد ربّنا يسوع المسيح	ⲕⲑ	XXIX. *Nativitatis Domini nostri Jesu Christi.*	XXV.
ثاني الميلاد وداود النّبي ويعقوب اسقف يا روشليم	ⲗ	XXX. *Secundi* festi *nativitatis, & Davidis, prophetae, & Jacobi, episcopi hierosolymorum.*	XXVI.

ORDO ALTER.

Chiach.			Novembris.
ابنا باهور الرّاهب الجديد	ⲃ	II. *Patris nostri . . monachi . .*	XXVIII.
دخول السّيدة للهيكل	ⲅ	III. *Ingressus Dominae in templum.*	XXIX.
اندراوس الرّسول	ⲇ	IV. *Andreae, apostoli.*	XXX.
			Decembris.
ايسيدرس الشّهيد وناحوم النّبي	ⲉ	V. *Isidori, martyris, et Nahum, prophetae.*	I.
بطلما القس الشّهيد بدايل داس الخلكي	ⲋ	VI. *Ptolemaei, martyris . . . .*	II.
ماتوس العمير بابوما الخمبا	ⲍ	VII.	III.

II F *Chiach.*

Chiach. | Decembris.

عمن الراهب المحسوب من الشهداء	θ	X.	... *Monachi inter martyres recensiti.*	V.
مار نقولا الاسقف وغيره	ι	X.	*Mar Nicolai episcopi, & sociorum ejus.*	VI.
ابنا بجيمه وبرتلموس الاسقف	ια	XI.	*Patris nostri Bechimae, & Bartholomaei, episcopi.*	VII
القديس بولص راباسيان	ιβ	XII.	*Sancti Pauli*	VIII.
حلكنه بالسيدة مريم عير	ιγ	XIII.	....	IX.
لبو هرواج الشهيد	ιϛ	XVI.	*Patris Haruach, martyris.*	XII.
ابنا سر امن وغيره	ιζ	XVII.	*Patris nostri* .... *& sociorum ejus.*	XIII.
ارقلا الشهيد وغيره	ιη	XVIII.	*Herculis* aut *Heraclii, martyris, & sociorum ejus.*	XIV.
اغناطيوس القديس الشهيد	κδ	XXIV.	*Ignatii, sancti martyris.*	XX.
يوحنس كمابوادي	κε	XXV.	*Joannis*	XXI.
انسطاسيه الشهيدة القديسة	κϛ	XXVI.	*Anastasiae, martyris sanctae.*	XXII.
ابنا ابشاده الشهيد	κζ	XXVII.	*Patris nostri Abishadae, martyris.*	XXIII.

طوبه وهو الشهر الخامس | *Tuba qui mensis est quintus.*

الايام والاعياد | *Dies & festa.*

وجود عظام استفانوس	α	I.	*Inventio ossium Stephani.*	XXVII.
الاطفال	γ	III.	*Innocentium.*	XXIX.
يوحنا الرسول الانجيلي	δ	IV.	*Joannis apostoli & evangelistae.*	XXX.
				Januarii.
الختان وبسيلوس وبليا	ϛ	VI.	.... *Et Basilii*	I.
سامي البطريرك وتلبيرم لنفسه بوسقاب	η	VIII.	... *Patriarchae*	III.

Tuba.

Tuba.			Januarii.
أفرهام وجرجه مشهات	ⲑ	IX. *Ephraim*	IV.
صوم الغطاس الي الغروب	ⲓ	X. *Jejunium baptiſmi, in veſpertino tempore praecedente.*	V.
يوم الغطاس المقدس	ⲓⲁ	II. *Dies baptiſmi ſanctificati.*	VI.
ثاني الغطاس وتادرس المشرقي	ⲓⲃ	XII. *Feſti ſecundi baptiſmi, & Theodori*	VII.
ثالث الغطاس وعرس قانا	ⲓⲅ	XII. *Tertii* feſti *baptiſmi, & nuptiarum in Cana.*	VIII.
فيلاثارس الشهيد	ⲓⲋ	XVI. *Philetaeri, martyris.*	XI.
دوماديوس اخو ملسيمس	ⲓⲍ	XVII. *Dumadii* (forte *Diomedis) fratris Mileſimi.*	XIII.
نياحة السيّدة مرتمريم	ⲕⲁ	XXI. *Planctus dominae, dominae Mariae.*	XVI.
القديس العظيم انطونيوس	ⲕⲃ	XXII. *Sancti magni Antonii.*	XVII.
ابنا اسكل الشهيد	ⲕⲉ	XXV. *Patris noſtri AEſchyli, martyris.*	XX.
السبعة واربعين بوادي	ⲕⲋ	XXVI. *Quadraginta ſeptem martyrum in*	XXI.
اقليمنطس الاسقف الشهيد	ⲕⲏ	XXVIII. *Clementis epiſcopi, & martyris.*	XXII.
الميلاد في كل شهر	ⲕⲑ	XXIX. *Nativitatis in quolibet menſe.*	XXIII.

ORDO ALTER.

Tuba.			Decembris.
لانتيس البطريرك وفيه رسمت كنيسة السيّدة يوسوده	ⲃ	II. *Lanthii patriarchae, & eodem die dedicata fuit eccleſia Dominae.*	XXVIII.
اوسفيوس الشهيد	ⲉ	V. . . . . *martyris.*	XXXI.
			Januarii.
القديس مار افرام	ⲍ	VII. *Sancti Mar Ephreemi.*	II.
ملسيمس وارشليدس وفهراسل الشهيد	ⲏ	VIII. *Mileſimi, & Arſhalidis, & . . . martyris.*	III.
مرتا ومريم اختي العازر	ⲓⲏ	XVIII. *Marthae & Mariae ſororum Lazari.*	XIII.

Tuba.

Tuba.			Januarii.
بهنوا الشّهيدة . .	ⲕ̄	xx. *Bebethuae, martyris.*	xv.
تاودسيوس الملك	ⲕ̄ⲅ̄	xxiii. *Theodosii regis.*	xviii.
القديس ابو بشاره القسّ	ⲕ̄ⲇ̄	xxiv. *Sancti patris Bashidae, presbyteri.*	xix.
طيماتاوس الرسول وسرابيون		*Timothei, apostoli, & . . . . .*	
اغريغوريوس التاولوغس والعذاري القديسات بسنس		*Gregorii Theologi & Virginum sanctarum.*	
بوتوار دمنوا الشّهيد	ⲕ̄ⲍ̄	xxvii. . . . . *martyris.*	xxii.
فهد . . س واغباني وصوفيا امهنّ	ⲗ̄	xxx. . . . . . *& Sophiae matris earum.*	xxv.

شهر امشير وهو السّادس — *Mensis Amschir, qui est sextus.*

الايّام والاعياد — *Dies & festa.*

			Januarii.
ابو بولا الكبير فانبايكنس اغوس در الزجاج	ⲃ̄	ii. *Abu Pola . . . .*	xxvii.
ابو قير ويوحنا الشّهدا	ⲋ̄	vi. *Abu Kir, & Joannis, martyrum.*	xxxi.
			Februarii.
القديس تيدس	ⲍ̄	vii. *Sancti Theodosii.*	i.
سمعان الكاهن وحمله السّيد وهو دخول السّيد للهيكل	ⲏ̄	viii. *Simeonis sacerdotis, & gestationis Domini; & idem est introitus Domini in templum.*	ii.
القديس القليد يسطس	ⲓ̄	x. *Sancti praesidis justi.*	iv.
سويرس بطريرك انطاكيه وزكريا النبي	ⲓ̄ⲇ̄	xiv. *Severi patriarchae Antiocheni, & . . . prophetae.*	viii.
بوليقريوس الاسقف وفي نسخة البطريرك	ⲓ̄ⲑ̄	xix. *Pulcherii episcopi, alias patriarchae.*	xiii.

ORDO ALTER.

Amschir.			Januarii.
يهودا الرسول وابو بولا الشّهيد	ⲁ	I. *Judae, apostoli, & Abu Bolae, martyris.*	XXVI.
ماري افرام الشّهيد	ⲅ	III. *Domini Ephraim, martyris.*	XXVIII.
			Februarii.
القديس ابو بنلا	ⲍ	VII. *Sancti patris Benla.*	I.
يسطس الاسقف وبرصوما ابارهان الربان	ⲑ	IX. *Justi episcopi, & Barzumae, patris . . . . . .*	III.
سرجه وابو هفس وطيماتاوس البطيرك	ⲓⲅ	XIII. . . . . *& Timothei, patriarchae.*	VII.
القديس ابنا ابنوده	ⲓⲉ	XV. *Sancti patris nostri Abnodae.*	IX.
ابنا ابرهام القديس	ⲓⲍ	XVII. *Patris nostri Abrahae sancti.*	XI.
يعقوب الرسول	ⲓⲏ	XVIII. *Jacobi, apostoli.*	XII.
بطرس البطريرك	ⲕ	XX. *Petri, patriarchae.*	XIV.
بطرس مطران دمشق	ⲕⲁ	XXI. *Petri, metropolitae Damasci.*	XV.
دلمديس من عنره	ⲕⲉ	XXV. *Dalmatii, cum sociis suis.*	XIX.
القديس ابنا تادرس الرومي	ⲕⲏ	XXVIII. *Sancti patris nostri Theodori Romani.*	XX.

شهر برمهات وهو السّابع — *Mensis Barmahath, qui est septimus.*

الايّام والاعياد — *Dies & festa.*

			Februarii.
ابنا مكراره الشّهيد الاسقف	ⲃ	II. *Patris nostri Macarae, martyris, & episcopi.*	XXVI.
			Martii
وجود الصليب المقدس	ⲓ	X. *Inventio sanctae Crucis.*	VI.
القديس ملاخي الشّهيد	ⲓⲃ	XII. *Sancti Malachiae, martyris.*	VIII.
الاربعين شهيد بسبسطيه	ⲓⲅ	XIII. *Quadraginta martyrum in Sebastia.*	IX.

11 G Barmahath.

Barmahath.				Martii.
السيّدة العذرى	ⲕⲁ	XXI.	*Dominae Virginis.*	XVII.
ابومقار القديس الكبير بشيهات	ⲕⲍ	XXVII.	*Patris Macarii sancti Domini in Shiath.*	XXIII.

ORDO ALTER.

				Februarii.
مقرينوس وتكلة الشّهيدة	ⲁ	I.	*Macrini & Theclae, martyris.*	XXV.
				Martii.
تاوداسياس الملك	ⲍ	VII.	*Theodosii imperatoris.*	III.
هلياس الشّهيد مع اهناس	ⲓⲋ	XVI.	*Eliae, martyris,* forte, *cum Enosho.*	XII.
ايسيدرس الشّهيد واخته	ⲓⲏ	XVIII.	*Isidori, martyris, & sororis ejus.*	XIV.
فيه اعطي المخلص الحلّ والرّبط للتلاميذ	ⲓⲑ	XIX.	*In eo* celebratur festum *donationis sanctae, Solvendi & Ligandi, apostolis.*	XV.
طيطس تلميذ الرّسول بولس	ⲕⲃ	XXII.	*Titi discipuli apostoli Pauli.*	XVIII.
فرفيوس القديس	ⲕⲅ	XXIII.	*Parphii sancti.*	XIX.
بشارة الملاك غبريال للسيّدة	ⲕⲑ	XXIX.	*Evangelismus angeli Gabrielis, dominae.*	XXV.
ارجانيوس الشّهيد	ⲗ	XXX.	*Erganii, martyris.*	XXVI.

شهر برموده وهو الثامن — *Mensis Barmuda, qui octavus est.*

الايّام والاعياد — *Dies & festa.*

				Martii.
هرون الكاهن	ⲁ	I.	*Aaronis, sacerdotis.*	XXVII.
				Aprilis.
يوحنا البطريرك	ⲋ	VI.	*Joannis, patriarchae.*	I.
اسحق الاغومنس	ⲓⲇ	XIV.	*Isaaci . . . . .*	IX.
حزقيال النبي	ⲓⲉ	XV.	*Ezekielis, prophetae.*	X.
مرقس اخو يوحنا	ⲓⲋ	XVI.	*Marci fratris Joannis.*	XI.

Barmuda,

Barmuda.				Aprilis.
يوحنا الاسقف عنه	ⲓ̅ⲁ̅	XI.	*Joannis, episcopi . . . .*	VI.
أنطونيوس اسقف طمويه	ⲓ̅ⲃ̅	XII.	*Antonii, episcopi Tamuensis.*	VII.
يعقوب بن زبدي الرّسول	ⲓ̅ⲍ̅	XVII.	*Jacobi, filii Zebedaei apostoli.*	XII.
قرقس الجديد البطريرك	ⲕ̅ⲃ̅	XXII.	*Cercesii novi patriarchae.*	XVII.
ابو خرج كبير الشّهدا	ⲕ̅ⲇ̅	XXIV.	*Patris Karech, domini martyrum.*	XIX.
الفتية بافسس	ⲓ̅ⲉ̅	XV.	. . . .	X.
سوسنيوس الشّهيد	ⲕ̅ⲋ̅	XXVI.	*Susanii, Martyris.*	XXI.
ابو بقطر الشّهيد			*Patris victoris martyris.*	

شهر بشنس وهو التاسع — *Mensis Baschnes, qui est nonus.*

الايّام والاعياد			*Dies & festa.*	Aprilis.
ميلاد السيّدة العذرى	ⲁ̅	I.	*Nativitatis dominae, virginis.*	XXVI.
				Maii.
اسحق بدفري ويسمي عين شحن وابو معار القس وارميا النبي	ⲋ̅	VI.	*Isaaci . . . . & patris Macarii, presbyteri, & Jeremiae, prophetae.*	I.
القديس اتناسيوس الرسول	ⲍ̅	VII.	*Sancti Athanasii, apostoli.*	II.
بويحنس السنهرتي بسبرا	ⲏ̅	VIII.	*Joannis . . . .*	III.
تادرس الشّماس في ايام المسلمين	ⲑ̅	IX.	*Theodori Diaconi in diebus musulmanorum.*	IV.
لبلبه فتيه القديسين وبلده	ⲓ̅	X.	. . . . . *sanctorum*	V.
ابو نحوم اب الشركة	ⲓ̅ⲇ̅	XIV.	*Patris Nachumi, patris communicationis* seu *consortii.*	IX.
يوحنا الانجيلي	ⲓ̅ⲋ̅	XVI.	*Joannis, evangelistae.*	XI.
استفانوس القديس	ⲓ̅ⲍ̅	XVII.	*Stephani sancti*	XII.
القديس امرنيوس المتوحّد	ⲕ̅	XX.	*Sancti Amarnii. . . . .*	XV.
السيّدة العذرى	ⲕ̅ⲁ̅	XXI.	*Dominae Virginis.*	XVI.

Baschnes.

Baschnes. Maii.

دخول السّيدة ارض مصر	ⲕⲇ	XXIV. *Introitus Dominae in AEgyptum.*	XIX.
توما الرسول التلميذ	ⲕⲋ	XXVI. *Thomae, apostoli & discipuli.*	XXI.

ORDO ALTER.

Aprilis.

تادرس ابن بجوميس وايّوب	ⲃ	II. *Theodori filii Pachomii, & Jobi*	XXVII.
سيمون الشّهيد القديس	ⲅ	III. *Simeonis, martyris sancti.*	XXVIII.
يوحنا البطريرك	ⲇ	IV. *Joannis, patriarchae.*	XXIX.
يعقوب ابن زبدي	?	. . . *Jacobi filii Zebedaei.*	. . .

Maii.

يوحنا فم الذهب	ⲓⲃ	XII. *Joannis Chrysostomi.*	VII.
ارساني معلّم الملوك على راي الرّوم	ⲓⲅ	XIII. *Arsenii, qui docuit imperatorem super institutis Romanis.*	VIII.
يهودا التلميذ الرسول	ⲓⲉ	XV. *Judae, discipuli & apostoli.*	X.
ابنا حرجيه الرّاهب وشنوده	ⲓⲏ	XVIII. *Patris nostri Harachae monachi . . . . .*	XIII.
موت العازر الثاني القديس	ⲕⲍ	XXVII. *Obitus Lazari, secundi & sancti.*	XXII.
القديس سمعون الكبير	ⲕⲑ	XXIX. *Sancti Simeonis magni.*	XXIV.
دماديوس الشّهيد سمعون الصّغير	ⲗ	XXX. *Damadii, martyris, & Simeonis minoris.*	XXV.

شهر بوونه وهو العاشر — *Mensis Bewna, qui est decimus.*

الأيّام والاعياد — *Dies & festa.*

Maii.

الشّهيد ابو بافام ولايلسين الشّهيد بالتّام في ايّام المسلمين	ⲁ	I. *Martyris Abu Baphami, & Alandeshini, martyris . . . . in diebus musulmanorum.*	XXVI.
وجود عظام يوحنا المعمّد لله	ⲃ	II. *Inventio ossium Johannis Baptistae Dei.*	XXVII.

Bewna.			Junii.
اكلوديس الشهيد	ια̅	XI. *Claudii, martyris.*	V.
ميخايل ريس الملايكة	ιβ̅	XII. *Michaelis, principis angelorum.*	VI.
ثاني عيد ميخايل	ιγ̅	XIII. *Festi secundi Michaelis.*	VII.
ثالث عيد ميخايل	ιδ̅	XIV. *Festi tertii Michaelis.*	VIII.
القديس انبور المعترف	κγ̅	XXIII. *Sancti . . . . . .*	XVII.
ابنا موسي الاكسود	κδ̅	XXIV. *Patris nostri Mosis pauperis.*	XVIII.
ميلاد يوحنا المعمّد لز وقيمه ومرتا الشهدين	λ̅	XXX. *Nativitatis Joannis Baptistae . . . & Cibemae, & Marthae, martyrum.*	XXIV.

ORDO ALTER.

Bewna.			Maii.
بامون الشهيد	δ̅	IV. *Bamonis, martyris.*	XXIX.
ابو نخ الشهيد وغيره من الشهدا	ε̅	V. *Abu Nachi, martyris, & reliquorum cum eo martyrum.*	XXX.
تادرس الشهيد	ϛ̅	VI. *Theodori, martyris.*	XXXI.
			Junii.
سخرون الشهيد	ζ̅	VII. *Ascharonis, martyris.*	I.
تامده واولادها الشهيد	η̅	VIII. *Thamedae, & prolis ejusdem, martyrum.*	II.
كليمين الشهيد ابن الملك	ι̅	X. *Climini, martyris, filii regis.*	IV.
تكرين كنيسة الشهيد ابو مينا	ιε̅	XV. *Dedicationis . . . martyris, Abu Menae.*	IX.
تكرين كنيسة ابو نفرعصر ونياحته	ιϛ̅	XVI. *Dedicationis . . . Abu Nephri in AEgypto, & planctus ejus.*	X.
ابنا بطسان وبريس وبرتلموس الرسول	ιζ̅	XVII. *Patris nostri Batesani, & Brisii, & Bartholomaei, apostoli.*	[illegible]
بوحرج من لعر	ιθ̅	XIX.	[illegible]

 Bewna.

		Junii.
جوع اليسع النبي	XX. *Famis Elifhae, prophetae.*	XIV.
تكريز كنيسة السيدة باتريب	XX. *Dedicationis . . . Dominae . .*	XIV.
قرمان واخوته وامهم	XXII. *Carmani, & fororum ejus, & . . . .*	XVI.
بطرس البطريرك	XXV. *Petri, patriarchae.*	XIX.
وقوف الشمس ليوشع بن نون	XXVI. *Stationis folis pro Jofua, filio Nun.*	XX.
انانيا التلميذ وغيره من القديسين	XXVII. *Ananiae, difcipuli, & reliquorum cum eo fanctorum.*	XXI.
تاودوسيوس بطريرك الاسكندرية	XXVIII. *Theodofii, patriarchae Alexandrini.*	XXII.

شهر ابيب وهو الحادي عشر — *Menfis Abib, qui eft undecimus.*

الايام والاعياد — *Dies & fefta.*

		Junii.
القديسة افرانية العذري	I. *Sanctae Aphraniae, virginis.*	XXV.
القديس الحكيم كيرلس ريس اناقه لباسة بطريركية القديس عين	II. *Sancti, & judicis Kirlefii, principis . . . . patriarchatus, fancti . . . . . .*	XXVI.
وجود عظام ابو قير وسرحا	IV. *Inventio offium Abu Kir, et . . . .*	XXVIII.
شهادة بطرس وبولس	V. *Martyrii Petri, et Pauli.*	XXIX.
		Julii.
ابا هور الشهيد	XII. *Abbae Hur, martyris.*	VI.
تادرس الشهيد القايد	XX. *Theodori, martyris, et judicis* feu *praefecti.*	XIV.
السيدة العذرى	XXIV. *Dominae Virginis.*	XVIII.
تراوس التلميذ الرسول	XXIX. *Tarufii, difcipuli et apoftoli.*	XXIII.

ORDO

ORDO ALTER.

Abib.			Junii.
كيرلص وكهعتنيس	ⲋ	VI.	XXX.
برتلموس الشهيد في اشله	ⲋ	VI. *Bartholomaei, apostoli in* . . .	XXX.
			Julii.
ابو سنوده الاب الكبير	ⲍ	VII. *Abu Samudae, patris & domini.*	I.
بوسناي بوادي هبيب	ⲏ	VIII.	II.
هرون الشهيد	ⲑ	IX. *Aharonis, martyris.*	III.
ماري بطره الشهيد وطريركيه	ⲓ	X. *Domini Batrae, martyris, et*	IV.
ابو بسيده اسقف فغط	ⲓⲅ	XIII. *Abu Basidae, episcopi*	VII.
ابو مقار الكبير وامونيوس الشهيد	ⲓⲇ	XIV. *Abu Macarii, domini, et Ammonii, martyris.*	VIII.
ابنا افرام السرياني	ⲓⲉ	XV. *Patris nostri Ephrem Syri.*	IX.
يوحنا صاحب الانجيل الراهب	ⲓⲋ	XVI. *Joannis promotoris evangelii, monachi.*	X.
يسيدرس الشهيد بعين شمس	ⲓⲍ	XVII. *Isidori, martyris, in Heliopoli,* AEgypti scilicet.	XI.

Significat عين شمس sive *oculum,* sive *fontem solis.* Et apud Avicennam expressim عين السمس redditur [a] *oculus solis,* ubi AEgypti locum, in quo balsamum nascitur, indicat; quem Dioscorides [b] solum τινὰ αὐλῶνα *quandam convallem* nuncupat. *Oppidum solis* vocatur Plinio [c]. Sed *fontem* non *oculum solis* reddi debere firmat Simeon Sethi [d], qui de balsamo illic (ut Avicenna, atque ex eo; nam paulo recentior erat) nascente verba faciens, Γίνεται, inquit, πλησίον Αἰγύπτου, ἐν χώρᾳ παρ' Αἰγυπτίοις μὲν Ἡλίου Πηγὴ ὀνομαζομένη, παρὰ δὲ τῶν παλαιοτέρων Ἡλίου πόλις, *Nascitur prope AEgyptum, in regione AEgyptiis Solis Fonte dicta, sed ab vetustioribus Solis urbe.* Pro eodem sumitur און *on* in Sacris Literis [e]; urbs tempore AEgyptiacae captivitatis regia, cujus praefecti seu sacerdotis כהן, nempe Potipherae, filiam, Asenath dictam, Pharaoh collocavit in uxorem Josepho patriarchae. Sed substituit ibi paraphrastes, Jonathan dictus, ויהב ליה ית אסנת דילידת דינה לשכם ורביתה איתת פוטפרע רבא דטנים לאינתו, *Et dedit Asenath, quam peperit Dina ipsi Sichem, quae, ubi crevit* (ita vertit vir doctus nondum editus) *facta est uxor Potipherae principis Taneos, in uxorem.* Reddendum autem --- *quam educavit uxor Potipherae,* &c. Quasi inde filia ejus Asenath nuncupata fuisset. De عين شمس autem Abulfeda [f] ويقال انها كانت مدينة

[a] Lib. 2. cap. 81. [b] Lib. 1. cap. 18. [c] Lib. 5. cap. 9. [d] Lib. περὶ τροφῶν δυνάμεων, in Βαλσαμέλαιο. [e] Genes xli. 45. & 50. cap. xlvi. 20. Ezechielis xxx. 17. & Joseph. in Origin. lib. 2. cap. 3. [f] MS. Num. 67.

فرعون

فرعون & *dicitur fuiſſe urbem Pharaonis.* Illud vero Avicennae de عين شمس reddit R. Nathan [a], qui eum Ebraice vertit, בארץ רעמסס ובערב עין אלשמס, *In terra Rameſes* [b], *quod Arabice eſt, Aiin alShemes,* ſeu *Fons Solis.*

Abib.				Julii.
اوفيمية الشهيدة	ιη	XVIII.	*Euphemiae, martyris.*	XII.
ابطونيوس الاسقف	ιθ	XIX.	*Aphthonii, epiſcopi.*	XIII.
سنوده الشهيد	κγ	XXIII.	*Sanudae, martyris.*	XVII.
سمعان البطريرك	κδ	XXIV.	*Simeonis, patriarchae.*	XVIII.
عروج اخنوخ الي السماء والخمس والعشرين الف الذين استشهدوا وابا تريب ودبشاره وتلا وكمرير	κε	XXV.	*Aſcenſionis Henochi in coelum, & 25000 qui martyrium ſubierunt, & Abba Theribae, & Dabaſhirae, & Thelae, & Cameririi.*	XIX.
كب نورقميه بمصر			*Converſio . . . in AEgypto.*	
يوسف النجار وصعوده لطبا الي السما ويوسف الصديق	κς	XXVI.	*Joſephi fabri lignarii, et aſcenſus . . . . in coelum, et Joſephi Juſti.*	XX.
حزقيال النبي والقديس ايمون وكمرنيع يوحنا الانجيلي الاسلي	κζ	XXVII.	*Ezechielis,* ut puto, *prophetae, et ſancti Aimonis . . . . et Joannis, Evangeliſtae . . . . . .*	XXI.
مريم المجدلية وقرفا الشهيد	κη	XXVIII.	*Mariae Magdalenae, & Cerphae, martyris.*	XXII.
طيماثاوس البطريرك	λ	XXX.	*Timothei, patriarchae.*	XXIV.

شهر مسري وهو الثاني عشر — *Menſis Muſre, qui eſt duodecimus*

الايام والاعياد — *Dies & feſta.*

				Julii.
سمعان العماسودي	γ	III.	*Simeonis Stylitis.*	XXVII.

[a] MS. in Bibliotheca Bodleiana. [b] Geneſ. xlvii. 11.

Musre.			Augusti.
تذكار ريّس الملايكة	ⲓⲃ	XII. *Commemorationis principis angelorum.*	V.
تجلّي الرّب بطور تابور	ⲓⲅ	XIII. *Transfigurationis Domini in monte Thabor.*	VI.
صعود جسد السّيّدة	ⲓⲋ	XVI. *Ascensus corporis Dominae.*	IX.
الابا ابرهيم واسحق ويعقوب	ⲓⲏ	XVIII. *Patrum Abrahae, Isaaci, & Jacobi.*	XI.
تذكار الميلاد المجيد	ⲕⲑ	XXIX. *Commemorationis nativitatis.*	XXII.

ORDO ALTER.

Musre.			Julii
ابالي الشّهيد وجسد ملشيسادق وجوع حنّه امّ السيّدة	ⲁ	I. *Abalii, martyris, & corporis* puto *Melchisedec, & inediae Annae, matris Dominae.*	XXV.
مينا الشّهيد	ⲃ	II. *Menae, martyris.*	XXVI.
ابنا داود السخاوي	ⲉ	V. *Patris nostri Davidis . . . . .*	XXIX.
ابنا ويصا تلميذ ابنا شنوده	ⲋ	VI. *Patris nostri Vitzae, discipuli patris nostri Shanudae.*	XXX.
طيماثاوس البطريرك	ⲍ	VII. *Timothei, patriarchae.*	XXXI.
			Augusti.
السبعة الفتية بانطاكية	ⲏ	VIII. *Septem adolescentum in Antiochia.*	I.
ابنا باره دسطدوف	ⲑ	IX. *Patris nostri Barae in Satanuph.*	II.
ابطلماوس الشّهيد بمنوف العليا	ⲓⲁ	XI. *Ptolemaei, martyris, in Menopheth superiori.*	IV.
يعقوب الشّهيد	ⲓⲍ	XVII. *Jacobi, martyris.*	X.
حمل جسد ابو مقار الي الدير	ⲓⲑ	XIX. *Gestationis corporis Abu Macarii in coenobium.*	XII.
السبعة الفتية بافسوس	ⲕ	XX. *Septem juvenum in Epheso.* Septem dormientium.	XIII.
ميخا النّبي والقديسة اهرالي الشّهيدة	ⲕⲁ	XXI. *Micheae, prophetae, & sanctae Abaraliae, martyris,*	XIV.

 Musre.

يعيد فيه لصعود جسد السيدة على راي السريانيين الفرنج والارمن والروم وفي عندهم نياحتها ايضا

& *in eodem celebratur ascensus*, assumptio, *corporis Dominae; juxta disciplinam Syrorum &*, puto, *Francorum* (quo nomine Europaei designari Orientalibus solent) & *Armeniorum*, & *Romanorum; quibus est ejusdem etiam planctus.* Postriduum assumptioni ejus tribuitur in ecclesia Romana [a], quae in Graeca tunc celebratur nomine πανσεβασμίου κοιμήσεως τῆς δεσποίνης, seu *dormitionis.*

صموئيل النبي	كه	XXVI.	*Samuelis, prophetae.*	XIX.
موسي اسقف الفرمن	ل	XXX.	*Mosis, episcopi Fermensis.*	XXIII.

Alia sequuntur ibi de lectionibus sacris mensis quem vocitant خمس النسي *Quinque Nisi*, & الشهر الصغير *mensem minorem*, id est, dies illas quinque, quas anno eorum, uti & Persarum & AEthiopum, dierum 360. rotundo adjectas, ἐπαγομένας appellitant Graeci; de quibus obiter chronologi. Cum hisce & Calcalendianis ante allatis, si plura e Mahumedanis ejusmodi de Christianorum festis apud Coptitas visere cupias, compara quae habet Ulug Beigus Persa in Epochis [b], quas dudum publicavit vir doctissimus Joannes Gravius. Habetur etiam penes me MS. codex vetus cui titulus كتاب الزيج الجديد تحرير الشيخ الامام علاي الدين ابن الشاطر رحمة الله عليه *Liber tabularum seu computi compositus ab seniore & doctore summo ac praefecto Ibn Shatar, super quem sit Dei misericordia.* Exemplar in oriente scriptum est die veneris, qui fuit 29 Mensis Giumadi prioris, anno Hegirae ٧٠٢, id est, 702. seu Christi 1302. Festa autem exhibet Mahumedanus ille & anni rationem motusque coelestes pulcherrime dispositos, atque tam Christiana, apud Syros, festa, quam Judaica & Mahumedica sua. Et Christianorum alia من اول الصوم *a primo die seu initio jejunii* (quadragesimae) alia من الفطر seu *jejunii solutione*, alia aliter ordinantur illi dum tabellam eorum exhibet. Adnotat autem quod قبط مصر تصوم الاثنين الذي قبل صوم النصارى ولذا عرفت صومهم فاعلم ان فطرهم ابدا يكون يوم التاسع والاربعون من صومهم *Coptitae AEgypti jejunium auspicantur a secundo die jejunium Nazarenorum praecedente* (nam ita eos a Coptitis hic distinguit; & de Nazareni jejunii initio, juxta eum plura statim) *atque inde intelligitur jejunium eorum. Et scire oportet, solutionem eorum perpetuo incidere in feriam primam, diebus* 49. *ab ipsorum jejunio.* Adeoque hebdomade integra, tum in ejusdem initio tum in solutione anticipanda, ab aliis orientalibus eos vult discrepare. Cum hisce, de variis jejunii magni initiis & solutione, confer quae ea de re tradit Eusebius [c], Socrates [d], Sozomenus, & quae de primitivis ante Victorem papam seculis habet Eutychius [e] patriarcha Alexandrinus, praeter ea quae in canonibus & constitutionibus apostolorum [f], sic dictis, conciliis vetustis [g], jurisconsultorum ad illa, & de divinis officiis, commentariis, alibi satis obvia occurrunt. Volunt quidem e pontificiis viri [h] magni, idque fidentius, institutum illud de diebus 49. seu septem hebdomadibus, quae τεσσαρακοστῆς & *quadragesimae* nomine, uti & alia jejunia paschalia, passim apud veteres memorari solent, fuisse apostolicum, sed a Telesphoro papa, ut in biographis paparum habetur, renovatum; qua de re etiam in epistola ejus pseudodecretali. Certe & de initio & de solutione jejunii illius magni, adeoque de dierum numero, apud orientales tum inter se tum ab occidentalibus discrepantia habita est non exigua. Sed ipsius tandem tabellae jam dictae faciem, prout etiam atro minioque distinguitur, subjungimus.

[a] Videsis Baronium in Martyrolog. Rom. Augusti 15. [b] Cap. 7. [c] Hist. Eccles. lib. 5. cap. 23. [d] Hist. Eccles. lib. 5. cap. 21. [e] Annal. tom. 1. pag. 364. [f] Canon. 69. & Constit. lib. 5. cap. 12, &c. [g] Laodicen. Can. 50, 6. in Trullo Can. 89 & vide Baron tom. 1. ann. 57 sect. 197. & 198. [h] Bellarmin. de Verbo Dei, lib. 4. cap. 2, & 7. Baron tom. 2. ann. 154. sect. 2. Binius in notis ad Telesphori Epistolam, notae ad Alphonsi Ciaconii Telesphorum, alii. videsis Gratian. dist. 4. cap. 4, & 5. Clement. Pap. epist. 1. & Durandum in Rationali, lib. 6. pag. 28. Anton. Augustin. Epit. Juris Pont. lib. 21. tit. 9, &c.

جدول

جدول اعياد النصاري وايّامهم المشهوره

اعياد النصاري	ايام الاسابيع	العدد	من الصوم من الفطر	اعياد النّصاري	الايام	العدد	من الفطر
اوّل الصّوم	ب	♈	من الصوم	صوم ايليا	ب	قط	من الفطر
الفروقه	د	كد	من الصوم	فطر ايليا	ا	قسن	من الفطر
الشعانين	ا	مب	من الصوم	صوم مر موسي	ب	قصح	من الفطر
غسل الارجل	د	مه	من الصوم	فطر مر موسي	ا	ومه	من الفطر
الفصح	ه	مو	من الصوم				
			الخميس الكبير	اعياد النّصاري	العدد		شهور الروم
الصّلبوت	و	من	من الصوم	الميلاد	كه	الصوم	كانون الاوّل
ليلة القيامة	ا	مط	من الصوم	القلنداس	ا	ايام	كانون الثاني
فطر النصاري	ا	مط	من الصوم	الدنح	و	عدد	كانون الثاني
ذكران الشهدا	و	و	من الفطر	عيد الشمع	ب		شباط
احد الجديد	ا	ح	من الفطر	ميلاد يوحنا	كه		حزيران
الشلاق	ه	م	من الفطر	مر توما			تمّوز
بنطيقسطي	ا	ن	من الفطر	اوّل الباعوث	يط		تمّوز
صوم السّليحين	ب	نا	من الفطر	اخر الباعوث	كو		تمّوز
جمعة الذهب	و	نه	من الفطر	صوم مارت مريم	ا	يد	اب
فطر السّليحين	و	صر	من الفطر	اوّل التجلّي التجلّي	و ز	ل	اب
عيد السّليحين	ا	صط	من الفطر	مقتل يحيي	كط		اب

اي الكبير

TABELLAE jam oftenfae verfio.

TABELLA *Feftorum Chriftianorum & dierum eorum per menfes.*

Fefta Chriftianorum.	*Dies Septimanae*	*Numerus*	*A jejunio aut Ab folutione.*	*Fefta Chriftianorum.*	*Dies*	*Numerus*	*A Solutione Jejunii.*
Initium Jejunii.	2	0	*A jejunio.*	*Jejunium Eliae.*	2	109	*A folutione*
Media Quadragefima.	4	24	*A jejunio.*	*Solutio Eliae.*	1	197	*A folutione.*
Feftum Hofanna.	1	42	*A jejunio.*	*Jejunium domini Mofis.*	2	93	*A folutione.*
Ablutio pedum.	4	40	*A jejunio.*	*Solutio domini Mofis.*	1	240	*A folutione.*
Pafcha.	5	40	*A jejunio. Quintanus. Magnus dictus.*	*Fefta Chriftianorum.*	*Numerus*		*Menfes Romani.*
Crucifixio.	6	47	*A jejunio.*	*Nativitas.*	25	*Numerus Dierum Jejunii*	*Canun prioris.*
Vox Refurrectionis.	1	49	*A jejunio.*	*Calendae.*	1		*Canun fecundi.*
Solutio Jejunii Chriftianis.	1	49	*A jejunio.*	*Epiphania.*	6		*Canun fecundi.*
Commemoratio Martyrum [a].	6	6	*A folutione.*	*Feftum Cereorum.*	2		*Shebat.*
Altera novatio [b].	1	8	*A folutione.*	*Nativitas Joannis.*	25		*Chozairan*
Afcenfio.	5	40	*A folutione.*	*Dominus Thomas.*	8		*Thamuz.*
Pentecofte.	1	50	*A folutione.*	*Primus incenfi.*	19		*Thamuz.*
Jejunium [c] *apoftolicum.*	2	51	*A folutione.*	*Alter incenfi.*	26		*Thamuz.*
Parafceve, feu *feria auri* [d].	6	55	*A folutione.*	*Domina Maria.*	1	14	*Ab.*
Solutio Jejunii apoftolicum.	6	97	*A folutione.*	*Primus transfigurationis.*	6 7	30	*Ab.*
Feftum apoftolicum [e].	1	99	*A folutione.*	*Caedes* (forte) *Maccabaeorum* [f].	29		*Ab.*

a Videfis tit. capitis Marci. 5. 21. & Actorum 4. in Teftam Syriaco. b Tit. ibi, capitis 20. 19. Joannis & 2 Corinth. v. 11. c Ephef. v. 17, Ibidem Act. v. 12. & x. 9. d Ibid. Act. iii. 1. & x. 9. e Videfis ibid. tit. Matth. xix. 36. Luc. iv. 16. Act. v. 12. 1 Corinth. xii. 28. Meniaeum Graec. Jun. 30. f Vide Graec. Menolog. & Martyrolog. Rom. Auguft. 1.

الفروقة

الفروقة pro media quadragesima, id est, *divisio*, respondet Syrorum [a] ܦܘܠܓܗ ܕܨܘܡܐ *divisio jejunii*, pro eodem die, ut Graeci, *ἡ μεσότης τῆς νηστείας* & *μεσονήστιμος*, Midlent. *Hosanna* est dominica in palmis. De festo الــــــــقيامه *resurrectionis* agens, maledictionem simul & benedictionem in Judaeos ex disciplina sua Mahumedica fundit, eo quod jejunio Christum se crucifixisse obtenderent. Verba sunt,

والنصاري, inquit, تزعم القيامه تقوم فــي
هذا الاحد المذكور ومنهم من يقول فيه
قام عيسي عليه السلام بعد الدفن وصعد
الى السماء وهو اليوم الذي قام فيه عيسي
من قبره على زعمهم والسبت الذي قبل
فطرهم يسمي سبت النور والجمعه الذي
قبل الفطر تسما جمعه الصلبوت وهي التي
صلب فيها المسيح على زعمهم لعنهم
الله فان القران نطق بانهم ما قتلوه ولا
صلبوه ولكن شبه لهم اضلهم الله

Et juxta sententiam Christianorum resurrectio attinet ad diem hebdomadae *primum ante memoratum. Atque ex eis sunt qui dicant, quod resurrexit Jesus, super quem sit pax, post sepulturam suam, & ascendit in coelum; & quod hic dies erat, in quo resurrexit e sepulchro suo, juxta eorum scilicet sententiam. Et sabbatum, solutionem jejunii praecedens, nuncupatur sabbatum luminis; & feria sexta ante solutionem dicitur feria sexta* seu *conventus crucifixionis, quae eadem est in qua crucifixus est Christus, juxta dogma illorum. Maledicat illis Deus. Nam impugnat illos Alcoranus*, ubi dicitur de Judaeis, *Non occiderunt eum, nec crucifixerunt; sed alius ei similis eis substitutus est. Deus* sit eis propitius. Sic ille. Locus Alcorani est in Surata 4, Arabice, in Azoara 11. apud Retinensem; qui vertit, *Nequaquam eum, imo sui similem suspendentes interfecerunt, profitentes etiam se suae caedis autores.* Hinc Joannes Cantacuzenus [b], Φησὶν ὁ Μωαμὲθ, μὴ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἀναιρεθῆναι, μήτε σταυρωθῆναι, ἀλλὰ ἕνα ἕτερον ὅμοιον, καὶ κατὰ φαντασίαν ἐδόκει τὸν Χριστὸν ἐσταυρῶσθαι, Μανιχαίοις ἀκολουθῶν, *Ait Mohamet, non* Christum *a Judaeis occisum & crucifixum esse, sed alium quendam illi similem; & quod per imaginationem videretur Christus esse crucifixus; Manichaeorum hic sequax.* صوم ايـلـيـا *Jejunium* est Eliae prophetae [c], de cujus jejunio D. Ambrosius libellum conscripsit. De initio jejunii, quod ita epochae hic cum solutione locum obtinet, uti & aliis aliquot Christianorum in oriente, & per se Nestorianorum, festis fixis, caput idem scriptor subjicit, cui titulus,

ــفي معرفة صوم النصاري الكبير *De investigatione jejunii Christianorum magni* (id est initio ejus) وهو يوم الاثنين الاقرب
الي اليوم الذي تجتمع فيه الشمس والقمر
الواقع فيما بين اليوم الثاني من اشباط
والثامن من ادار وله وجه اخر يوم الاثنين
الذي بعد سادس وعشرين الشهر العربي
الذي يدخل فيه اشـــبـــاط

Illud autem in diem feriam *incidit secundam, quae proximat diei conjunctionis solis & lunae per interstitium quod habetur inter diem 2 Asbebat & 8 diem Adar. Aliter dies est* (feria) 2, *qui fuerit post 26 mensis Arabici, in quem inciderit Asbbat.* Menses in tabella nominati respondent Decembri, Januario, Februario, Martio, Junio, Julio, Augusto Julianis. Delicatioribus forsan, & pauca pro more oscitantius morosiusve respicientibus, aut nihil praeter taedium solennium Christianorum injecti hic indices afferent, aut pro leviculis contemnendisque habebuntur; diligentioribus interim, ita spero, & accuratius cordatiusque disquirentibus, eousque grati etiam & jucundi, ut nec digressioni tam prolixae ultro ignoscere fuerint dedignati. Sed demum in callem, id est, rem ex analoga qualicunque tum Ebraeorum tum Gentilium imitatione Christiana dedicatoriam, regredimur.

CAP. XVI.

I. *Dedicationem aediumque a Christianis dedicatarum usum impugnarunt aliqui recentiores, ut seculis primitivis Eustathiani & Massaliani. Christiana in exstructionibus dedicationibusque analoga imitatio partim Ebraeorum, partim Gentilium. Ebraeorum tabernaculi foederis, templi Hierosolymitani, & synagogarum positio seu situs orienti patescens. Precantium apud eos extra templum positio in plagas mundi varia, et versus templum. Ejusmodi ritus origo.*

[a] Testam. Syr. Marc. vi. & Act. xv. 23. [b] Contra Mohamet. Orat. 3. [c] Vide comput. AEthiopicum apud Jos. Scaligerum de Emendatione Temporum lib. 7. pag. 635. & 659.

De positione eorum versus austrum, etiam et orientem, apud auctorem libri Quaestionum ad Antiochum principem S. Athanasio a nonnullis tributi. Sanctitas, quam tribuunt Ebraei synagogis et scholis publicis, singularis. Etiam ex Abrahae in monte Moriah ritu sacro introitum templi ac synagogarum ab oriente firmant. Locus ea de re insignis e Maimonide.

II. Gentilium inter adorandum, adeoque templorum illorum, varius erga plagas mundi situs, et discrepantes de eo apud veteres sententiae.

III. Christianorum veterum itidem inter precandum faciei versus orientem positio in posteros propagata. Ea de re et testimonia et rationes variae. Posituras in cultu ejusmodi sponte selectas, increpat Mahumedes in Alcorano, ut nimis superstitiosas.

IV. Qualisnam plaga orientalis fuerit illa, in quam adorantium facies verti voluere veteres. An semper ortus aequinoctialis?

V. Venerationem in ortum, originem aliquam etiam ex Gentilium scitis philosophicis et astrologicis, in Christianorum mores receptis, sumpsisse videri. De Aristotelis, de primi motoris in oriente sede, sententia. Singularis apud Gentes siderum, in plaga orientali, ortus existimatio.

VI. Caniculae, quae Σῶθις Siriusque dicta, ortus quanti in AEgypto habitus, etiam et apud Graecos. In ortu ejus matutino heliaco, uti et diebus aliquot ante et post, ut Deo, ei sacrificabatur. Σῆθ, seu ipso Sethi patriarchae nomine, sidus illud Nechepsoni apud AEgyptios regi vetustissimo, et astronomo summo dictum. De eo et Petosiride philosopho, qui subinde, a viris summis, in locum ejus perperam substituitur. Siderum ascendentium seu orientium efficacia, apud veteres, ingens. Sirii, a Graecis et Latinis, et الشعرى Alshairi ab Arabibus nomina Cani tributa, etiam in Alcorano. Idem Alhabor dicitur; quod viri doctissimi perperam rejici voluere, ut depravatum. In Algomesa Procyonis nomine eorum etiam hallucinatio. In eis quae de Sethi patriarchae faciei splendore simul et sanctitate a veteribus traduntur, forsan haberi causam unde nomen ejus Sirio fuerit apud AEgyptios tributum.

VII. Orientium siderum, maxime apud AEgyptios, etiam et Graecos, veneratio. Disciplinarum ex Alexandria in Graecos Barbarosque instauratio sub Ptolemaeo Euergete secundo. Marmor vetustum, in quo ejusdem et Cleopatrae suae mentio. Vox πέδιος pro Campestris, a viris doctis apud Plutarchum expuncta, sibi restituitur.

VIII. De Decanis seu faciebus signorum coelestium, adeoque de figuris invisibilibus et impensissime prodigiosis in eis, ex astrotheologiae veteris disciplina collocatis. Numina saltem tria unicuique ita signo, per decanos disposita. Partes eorum plenae, et vacuae. Albumasar et Abenezra ex Indorum, Persarum, Chaldaeorum, AEgyptiorum sententiis receptis, figuras illas tradidere. Eorum versiones Latinae. Aliorum, qui et vetustiores, traditiones eadem de re, sed generaliores. Quid in libro Dargenem apud Haly in Ptolemaei Centiloquium, significet. Figurarum illarum invisibilium et numinum ratio primaria, si non sola, habita, qua ex orientis horizonte ascendebant, seu παρανατέλλοντα coorientia sideribus visibilibus fuere. Hinc etiam ansa singularis versus orientem adorandi apud gentes, quibus disciplina illa admissa. Adoratio Saturni, Veneris, solis apud orientales gentes complures et illustres, manu ad pectus non ad os admota. Planetarum adorationis apud orientales, orientem versus, apud occidentales versus occasum. Ascendentium, seu horoscoporum

porum, id eſt, orientium ſignorum regionibus et civitatibus ſingulis, in religione illa aſtrica, propriorum, ratio habita ingens.

IX. *Commentum orientalium vetuſtiſſimum de virginis, velut in Ebraeorum terra cibantis puerum cui nomen Jeſu, imagine inviſibili in primo ſigni virginis decano ſemper aſcendente. Albumaſaris Mahumedani et R. Abenezrae Judaei, ea de re, e Perſarum aliorumque ſcitis antiquiſſimis, traditiones. Numina tria in ſphaera barbarica cum ſigno illo coorientia. Etiam in Chriſtianiſmo veteri, perſuaſio habita de virgine Deipara, in ſigno virginis, denotata.*

X. *De codice ſub titulo de Vetula, P. Ovidio Naſoni, per ridiculam, Chriſtiani alicujus, ante ſecula aliquot, ſive ignorantiam ſive impoſturam tributo, in quo paraphraſis metrica, ſed miſerrima, diſciplinae illius Albumaſarianae, de primo virginis decano exoriente.*

XI. *Viri ſummi inter Chriſtianos occidentis, qui eandem diſciplinam ſeu perſuaſionem admittentes, etiam opus illud Pſeudo Ovidianum pro genuino, et diſciplinam illam in eo aſtricam pro vera amplexati ſunt.*

XII. *De ſtella in oriente magis comparente. De horum numero. Liber Sethin. Virginis et pueri in coelo imaginis Auguſto Caeſari a ſibylla Tyburtina oſtenſae fabella. Stella maris tranſmontana, matutina, Diana etiam, dicta beata virgo. Arietis ſignum nonnullis, ex veterum theologia aſtrica, Chriſtum denotans. Edvicon, in ſumma aſtrologiae Anglicana ſaepius citatus, eſt Odyntonus, ſeu Gualterus Odyntonus, monachus Eveſhamienſis.*

POſtquam dedicationum Chriſtianarum eccleſiarum ſeu templorum uſus publicus ſub Conſtantino ac tempore ei proximante in oriente ſic, ut ſuperius traditur, inoleverat, frequens itidem earum in occidente ſecutus eſt uſus, qui planiſſime pependit itidem, partim ex Ebraeorum veterum, partim ex Gentilium, juxta ante [a] allata, hac in re imitatione analoga prudentius temperata; quatenus nempe diſciplina Chriſtiana ritus tum horum tum illorum ritibus hic analogos, ſine detrimento ſui, admittere quiret. Neque id quod ſub Athanaſii receptum eſt tempora, de quibus ante etiam dictum eſt, ſacra ſcilicet rite ac regulariter peragi extra locum ſolenniter dedicatum non debere, aliter in ſeculis ſe habuit inſequentibus [b]; ut ſatis teſtantur canones pontificii. Dum imitationem autem illiuſmodi (quae ut ſub Conſtantino incepit, ita per tempora ſequentia propagata eſt) conſideramus, advertenda ſunt potiſſimum quinque.

I. AEdium ipſarum in exſtructione, poſitio ſituſque.
II. Nominum quibus exſtructio ipſa & dedicatio fieret, una cum templorum Gentilium, in Chriſtiana, per dedicationem, converſione.
III. Poteſtas ſumma e cujus autoritate, per ſecula ſequentia, dedicatio pendebat, & ad cujus attinebat munus.
IV. Dedicandi jus, uſus, ritus ſingulares.
V. Encaeniorum ſolennitates anniverſariae.

Horum omnium obſervationis inde Chriſtianus orbis generatim tenaciſſimus fuit, tametſi, ut in ſeculis primitivis Euſtathiani & Maſſaliani in oriente, de quibus ante [c] diximus, ita alii recentiores in occidente eam acrius ut non admittendam impugnarint: etiam & templa ipſa ſic dedicata merito diruenda aſſeruerint. Sic Petrobruſiani apud Toloſates alibique in Gallia ſub annum MCXXX. & deinceps, praedicarunt [d], *Templorum vel eccleſiarum fabricam fieri non debere, factas inſuper ſubrui oportere, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad orandum, quoniam aeque in taberna & in eccleſia, in foro & in templo, ante altare vel ante ſtabulum invocatus Deus audit, & deos qui merentur exaudit.* In horum anteſignanos, igne, ut in haereticos (nam & alia receptis Chriſtianiſmi ſententiis dogmata adverſiſſima diſſeminabant) animadverſum eſt. Nihilominus propagines horum variatim [e], uſque etiam in tempora noſtra, qua potuerint, duravere. Quod ad aedium in exſtructione poſitionem ſpectat; verum quidem eſt, Chriſtianos nec templi Hieroſolymitani, quod tamdiu ante Conſtantini tempora prorſus evanuerat, nec Judaeorum ſynagogarum ſitum imitatos eſſe, ſed ut plurimum, licet non ſemper, plane Gentilitium, qualis, ut videtur, in occidente ſub tempora illa primitiva maxime erat Paganis in uſu. Sed hoc interim, ob rationem quam ipſi de plaga mundi verſus quam precarentur, ſeculis aliquot anterioribus imbiberant; qua de re ſtatim plura. Templi poſitio Hieroſolymitani ejuſmodi erat, ut introitus ejus a parte haberetur orientali, nulla, in occidentali, porta admiſſa.

[a] Cap. 15. §. 1. [b] De Conſecratione diſt. 1. cap. 14, & 15. &c. [c] Cap. 15. §. 4. [d] Petrus Cluniacenſis Tract. adverſus Petrobruſianos, in bibliotheca Cluniacenſi, pag. 1119. Baron. tom. 12. ann. MCXXVI. 15. Adverte hac S. Barnabae epiſtolam §. 12. [e] Alphonſus Caſtrenſis de Haereſibus lib. 14. verb. Templum, Henric. Spondanus in Epitome Baronii ann. MCLXXVI. §. 2. alii.

Eiuſmodi

Ejusmodi situs erat introitus tabernaculi foederis [a]; parilemque fuisse templi testatur etiam Josephus [b], & Aristeas [c], patres Christiani [d], titulus Talmudicus *Middoth*, & ad illum magistri, praeter scriptores ex professo illud delineantes, ut Adrichomios, Riberas, Villalpandos, etiam & Scripturam ipsam [e]. Adeo ut ingredientes in occidentem sic versi preces ac sacra peragerent. Et perperam nimis, in Clementinis Apostolorum Constitutionibus [f], usus in orientem precandi Christianis etiam ex Ebraico exemplo derivatur; ex eo nempe quod habetur [g] de positione Levitarum chorique cantantium, in templi Salomonici encaeniis. Eos autem sacra sua peragentes, stetisse ibi legitur, *καθ' ἀνατολάς, ad orientem.* Id vero non necessario indicat facies suas versus orientem esse positas. Nec quidem textus sacer quid ejusmodi innuit, dum ait eos stetisse מזרח למזבח, *in oriente ad altare*, seu *ad orientalem* (ut Vulgata) *plagam altaris*, atque, ut Judaei Mauritanienses, *a oriente dela ara.* Syrus & Arabs omnino praetermittunt hic comma illud, uti & proxime sequens. Lutherus ibi bene, **gegen morgen des altars**, uti & Belgae **tegen het oosten des altaers**, juxta quod itidem Galli, *vers l'orient de l'autel*, & Anglicana sub reformationis initia versio, puto, Guilielmi Tindalli, **east from the altar.** Nec ita male alia quae Milonis Coverdalii erat, **toward the east parte of the altare.** Sed non ita versio tunc publice recepta, nec episcopalis dicta (cui non dissonat qua etiamnum utimur) quae habet, **at the east end of the altar**, *ad finem* seu *latus orientale altaris.* Graeci ibi, ἑστηκότες κατέναντι τοῦ θυσιαστηρίου, *stantes obversi altari*, seu *coram eo*, praetermissa voce מזרח *in oriente.* Innui autem nil aliud videtur, quam coram altari eos stetisse, tergisque obversis orienti ministerium peregisse; quod planissime positionem versus orientem ibi denegat, contrarium asserens. Adeoque argumentum ab exemplo illo in nihilum evanescit; quod & recte monet Baronius [h]. Nec melius nuperorum nonnulli ex eo quod pontifici M. in maximo illo diei expiationum sacrificio [i] spargendus erat juvenci sanguis coram propitiatorio קדמה *κατ' ἀνατολάς, ad orientem*, eliciendum esse existimant exemplum singulare sacra versus orientem tunc peragendi; cum haud aliud inde sit deducendum, quam quod pontifex ad orientem propitiatorii, facie in occidentem, ut reliqui, versa, munus illud spargendi praestaret. Ob templi autem Hierosolymitani positionem ejusmodi, tam ante ejusdem excidium quam post, synagogae & proseuchae Judaeorum eam sunt imitatae. Tradit Maimonides [k] ex jure suis avito, uti & magistrorum alii, ubicunque fuerit Israelitarum (de inhabitantibus capio) numerus denarius, eos oportere proseucham sibi qualemcunque ad orandum aedificare, quae nuncupatur בית הכנסת, *domus synagogae.* Etiam & in urbe qualibet, quoties sui essent juris, invitos, reliquorum jussu, cogendos esse ad aedificandam sibi synagogam, & librum legis, prophetarum, & hagiographorum comparandum, & synagogae structuram esse debere in loco urbis editiore, atque aedificiis reliquis altiorem. Dein subdit, ואין פותחין פתחי הכנסת אלא במזרח שנ' והחונים לפני המשכן קדמה וגו', *Neque fieri debent ostia synagogae alibi atque in orientem; juxta quod dicitur* [l], *Et qui castrametantur ante tabernaculum, orientem versus, ante tabernaculum foederis ad ortum.* Scilicet ex illo tabernaculi, situm hunc in templum propagatum, etiam in synagogas ubicunque locorum derivandum, voluere veteres. Adjicit, ובונין היכל שמנחין בו ספר תורה ובונין היכל זה ברוח שמתפללין כנגדו באותה העיר, *Et construendum est sacellum, in quo ponant*, in arca, *librum legis. Sacellum autem hoc sic exstrui debet, ut situm habeat ad plagam illam, in quam precari mos est urbis illius.* Nimirum plagam in quam orandum, aliam fuisse atque aliam, ex avita traditione, docent. Unde dum octo inter orandum observationes necessarias tradunt, unicam interjiciunt quae נכח המקדש, *respectus templi* dicitur, juxta quam, extra terram sanctam, orantis facies ponenda versus illud; ut apud Mahumedanos versus Meccam seu templum ibi. Expressim enim Mahumedes sub initia imperii sui vetuit [m] suos, qui ritus retinerent Judaicos, adorare versus templum Hierosolymitanum. Judaei autem intra terram adorabant versus Hierosolyma (& adorationem versus Hierosolyma, quocunque in loco quis extra esset, discipulos suos docebat pseudopropheta ille Elxai [n] sub Trajani tempora) in Hierosolymis versus templum; in templo versus sanctum sanctorum; quod sic temperatur, ut סומא ומי שלא יכול לכוין את הרוחות והמהלך בספינה יכוון את לבו כנגד השכינה ויתפלל, *Caecus, & quisquis sibi non satis habet cognitas plagas, & in nave vectus, dirigat cor versus Dominum, &* (citra observationem illam) *oret.* Sic illi. Ad haec autem spectat, velut jam dictorum origo, Salomonis regis, in templi sui dedicatione, orationis pars [o], ubi de ejusdem usu sacro verba faciens, & de precationibus a Judaeis sive illic sive ubicunque captivis, seu extra terram sanctam, effundendis, de precantibus extra terram loquitur, ut qui orarent, אליך דרך ארצם אשר נתתה לאבותם העיר אשר בחרת והבית אשר בניתי לשמך, *Ad te, versus* seu *in via telluris eorum quam dedisti patribus eorum, civitatem scilicet quam elegisti, & aedes* seu *templum quod ego nomini tuo exstruxi.* Ubi Levi Gersomides, ואף על פי אינם מתפללים תוך הבית הזה אחר שהם מתפללים לנכחו לפי מה שאפשר להם, *Et quanquam non precantur intra templum, dum tamen precantur, ut obvertant se illi, quoad fieri possit.* Atque inde quod habetur [p] de Danielis ter quotidie precantis fenestris apertis נגד *versus* Hierosolyma, adeoque locum templi, ubi scilicet ante Nabuchadnezaris excidium steterat, intelligitur. Nam eadem post excidium quae ante loci illius habita inter precandum ratio. Sic RRR. Saadias

[a] Numer. iii. 38. [b] Archaeolog. lib. 8. cap. 2. [c] Libello de 72 interpretibus. [d] Hieronym. ad Ezechiel. cap. viii. [e] Ezekiel. ibid. xvi. & xi. 1. [f] Constit. Apostolic. lib. 7. cap. 46. [g] 2 Paralip. cap. 5. 12. [h] Tom. 1. ann. 58 §. 105. [i] Levit. xvi. 14. [k] Halach. Thephilah seu de Oratione cap. 11. §. 1, & 2, &c. & cap. 5. §. 3. Moses Mikotzi Praecept. affirm. 19. Arba Turim & Shulcan Aruch in Orach Chiim sect. 50. [l] Num. iii. 38. [m] Gregorius Abulfaraius de Arabum Moribus, pag. 10. [n] Epiphanius Haeres. 19. §. 3. [o] 1 Regum viii. 48. & vide comm. 30, 35, 38, 42, & 44. [p] Dan. vi. 10. ubi vide Hugonem Grotium.

Gaon

Gaon, Aben Ezra, & Salomon Jarchi ad Danielem, aliique. Sed perquam mirum interea videtur quod occurrit in libro S. Athanasii dicto, Quaestionum nempe ad Antiochum principem [a], de praescripta a prophetis precandi adorandique lege versus austrum. Id quidem verum est, si quis in regione aliqua Hierosolymis boreali, aut quae boream in plagis mundi participaret, oraverat, eum juxta disciplinam jam dictam, versus austrum ipsum, aut plagas similiter sive ex oriente sive ex occasu austrum participantibus, adorare debuisse: haud tamen omnino nomine austri, sed quia in austro ejusmodi collocabantur sic oranti Hierosolyma. Atque libro in illo pro indubitatissimo sumitur, quod quemadmodum Christiani κατ' ἀνατολάς, *versus orientem*, qua de re plura mox; ita Judaei κατὰ νότον, *versus austrum* adorare solebant. Rationes afferuntur etiam de Christianismi usu, quas inferius dabimus, uti & ejusdem scriptoris, sibi incertissimi, commentum de Judaeorum itidem adoratione versus orientem. Atqui de eo ad quod illi ex lege prophetica obligabantur velut omnino sibi certus autor ille, quisquis fuerit, Εἰς νότον γὰρ, inquit, προσέχειν Ἰουδαίοις οἱ προφῆται ἐνομοθέτησαν, διὰ τὸ ἐκ νότου τῆς Ἱερουσαλὴμ, ἤγουν ἐκ Βηθλεὲμ, μέλλοντα τίκτεσθαι Κύριον· διὸ καὶ ἔλεγεν ὁ προφήτης, Ὁ Θεὸς ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει, τουτέστιν, ἐκ νότου, *Ad austrum vero intendere Judaeis prophetae praeceperunt, quod ex austro, quoad Jerusalem, scilicet ex Bethlehem* (milliariis sex versus austrum ab Hierosolymis distante) *nasciturus erat Dominus. Unde dixit propheta* [b], *Deus a Thaeman veniet, hoc est, a noto* seu *austro.* Legitur quidem in origine prophetae citati, אלוה מתימן יבוא, *Deus ab austro venit,* ubi Septuaginta pro futuro sumunt, & vocem Ebraicam *Theman* retinent, quae austrum significat. Versiones item nuperae aliquot *Theman* retineri volunt, & cum vetustioribus etiam pro יבוא *venit,* in praeterito, substituunt. Vulgata illic, ut 70. *ab austro veniet.* Theodotion item ἀπὸ νότου. Intelligi autem solet de legis datione in Sinai, qui Judaeae est australis, dictumque hoc prophetae respicere quod ea de re in Deuteronomio [c] legitur. Et Chaldaeus optime, במתן אוריתא לעמה אלהא מדרום איתגלי, *In legis datione Deus revelatus est ab austro.* Arabs penes me MS. habet من تمان *e Theman.* Sed Jaianus الله من المشرق ياتي *Deus veniet ex oriente.* Et dum Bethlehem hic locus est, quo auster designatur, utpote Hierosolymis australi, loqui videtur autor ille, quisquis fuerit, de adoratione ex lege illa prophetica in ipsis Hierosolymis; atque ita plane receptissimae Judaeorum hanc circa rem disciplinae est adversissimus. Sed interim simpliciter tradit, Judaeorum fuisse, Hierosolymis ipsis orare versus orientem; quod pariter doctrinae Judaicae est prorsus alienum, nisi intelligatur de eis qui in urbis regione templo occidentaliori orarent. Ratio illic allata inferius [d] traditur. Viri autem doctissimi librum illum Athanasii neutiquam omnino esse, sed multo recentiorem, recte monuerunt, iique tam ex pontificiis [e] quam reformatis [f], qui veterum censuram inierunt. Judaei vero synagogis suis jam dictis (quod obiter advertere liceat) & τοῖς בתי מדרש *aedibus scholae* legi praelegendae primario destinatis קדושה *sanctitatem* suam, ob sacrorum suorum illic usum, tribuunt; ita interim ut aiant [g] etiam, מותר לעשות בית הכנסת בית המדרש אבל בית המדרש אסור לעשותו בית הכנסת שקדושת בית המדרש יתירה על קדושת בית הכנסת ומעלין בקדש ולא מורידין, *Fas esse facere domum synagogae domum scholae, sed nefas esse facere domum scholae, domum synagogae; quoniam sanctitas domus scholae praecellit sanctitati domus synagogae, & augeri rite potest sanctitas, non minui.* De locis autem in quibus precum ex accidente tantum usus (qualis erat, in jejunii ob pluviam solennitate, urbis platea, in quam etiam synagogae arcam, in qua liber legis, tunc efferebant, uti & habitationis aedibus & atriis, in quae ad orandum contingenter, nulla dedicationis sacrae formula praecedente, congregabatur populus) aiunt [h], אין בהן קדושה מפני שלא קבעו אותם לתפלה בלבד אלא עראי מתפללין בהן כאדם שמתפלל בתוך ביתו, *Non esse in eis sanctitatem* (qualis in synagoga, nedum in schola) *eo quod non constituebantur ad orandum solum, sed in eis contingenter orabatur, sicuti cum quisquam oraverit in domo sua.* Atque ex hisce difficile non est elicere synagogas Judaeorum etiam quandam sortitas esse dedicationem in קביעות ἀφιερώσει seu *constitutione sua* לתפלה בלבד *ad preces,* earumque appendices publicas, *tantummodo,* qua ut usibus communibus, inter ipsos, eximerentur, sacris solum inservirent; quale dicendum de scholis ad legis praelectionem destinatis. Sed vero nec positionis templi ac synagogarum in orientem, aut precandi regulariter in occidentem, originem tabernaculi testimonii situi ita tribuunt, ut non multo vetustiorem eam faciant. Designatam eandem ipsam, aiunt ex illis viri magni, ab Domino ipso, cum Abrahamum in terram Moriah [i], ut immolaret Isaacum filium illic in monte, quem ipse ei monstraret, ablegabat; Abrahamumque ipsum tunc, ex disciplina recepta, versus occidentem in monte precatum esse, id est, versus locum qui postea in templo ibi Sanctum Sanctorum erat, ibique sanctuarium etiam tunc, quatenus plagam illam mundi spectabat, dedicasse. Nam non dubitant quin eodem in monte exstructum fuerit a Salomone templum; quod & satis Christianis est receptum, nec Scripturae Sacrae [k] fundamento caret. Unde etiam ארץ המוריה *terra Moriah* (quam LXX. τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν *terram excelsam* vocant, Symmachus terram τῆς ὀπτασίας *visionis,* uti & habet Vulgata, Aquila terram τὴν καταφανῆ *lucidam*) Syro est *terra* ܕܐܡܘܪܝܐ *Amorrhaeorum,* Chaldaeis ארץ פולחנא *terra cultus,* quod videtur *cultus divini,* Saadiae بلد العبادة *regio cultus,* & Judaeis Mauritaniensibus ارض العبادة

[a] Quaest. 37. tom. 2. pag 344. Parisiis MDCXXVII.
[b] Habacuc cap. iii. 3.
[c] Cap. xxxiii. 2.
[d] §. 3.
[e] Bellarmin. de Scriptoribus Ecclesiasticis ann. CCCXL. alii.
[f] Andr. Rivet. in Critico Sacro lib. 3. cap. 6. alii.
[g] Maimonid. Halach. Thephila cap. 11. §. 14.
[h] Ibid. §. 21.
[i] Genes. xxii. 2.
[k] 2 Paralip. iii. 1.

terra cultus (ſed in verſione penes me veteri MS. ارض المرتفعة ارض الموابين *terra excelſa, terra Moabitarum*) & ſignantius, a futura ſanctitate in Targumim, verbis Abrahae, deſcribitur. Nimirum citati capitis Geneſeos commatis 14 locus, in illis orationem Abrahae habet, in qua is prophetice locutus de futuro Iſraelitarum illic cultu, precatur etiam poſteri dicant, ut in Hieroſolymitano, בטור בית מקדשיה ד״ קריב אברהם ית יצחק בריה ובטורא הדין הוא בית מקדשא איתגלית עלוי יקר שכנתא ד״, *In monte domus ſanctuarii* (templi) *Domini obtulit Abraham Iſaacum filium ſuum, & in hoc monte, qui eſt domus ſanctuarii, revelata eſt ei gloria praeſentiae divinae.* Conſonum eſt Targum Jonathae illic tributum. Hinc etiam in Chaldaicis Pſalmorum [a], mons Moriah dicitur, אתר די פלחו דבהת עלמא קדם יי אתבחר לבנין בית מקדשא, *Locus eſt cultus divini patrum veterum, & electus eſt ad templum in eo aedificandum*; quod ideo potius adnoto, quia, cum in Bombergianis & Buxtorfianis hoc, cum aliis, de montibus Sinai, Thabor, aliiſque, inſerantur, in Regiis & Jaianis nihil ejuſmodi habeatur. Noachum etiam & Adamum eodem maxime in monte, ut divinitus edoctos ſacra peregiſſe volunt. De Abrahae autem ſacrificantis poſitura verſus occidentem in monte Moria, locus eſt egregius apud Maimonidem [b] e traditionibus avitis extractus. Rem notiſſimam eſſe ait, idololatras ſeu Gentiles templa ſua locis in editioribus conſtruxiſſe, ولذلك امر אברהם אבינו هر هموريه لكونه اعلي جبل هناك واعلن فيه بالتوحيد وبصص القبله وحدها اعني الغرب لان קדש הקדשים في الغرب وهو معني قول שכינה במערב وكربتينو ז״ל في גמר׳ יומא ان אברה אנ جدد القبله اعني קדש קדשים Ita ille in origine ſua Arabica MS. literis Ebraicis exarata, qua ex viri praecellentiſſimi Edwardi Pocockii Ebraicarum & Arabicarum Oxoniis literarum praelectoris longe digniſſimi beneficio utor. Mihi ſonant illa, *Et ſecundum hoc uſus eſt Abraham monte Moriah, utpote prae caeteris illic montibus eminentiore. Et revelata ibi dedicationis ratione, & manifeſta plaga verſus quam orandum eſt, dedicavit eam, id eſt, occidentem, quoniam Sanctum Sanctorum eſt in occidente; quod innuit effatum illud, majeſtatem divinam eſſe in occidente; uti & Rabbini noſtri piae memoriae tradunt in Gemara Joma, Abrahamum ſcilicet dedicaſſe locum, quem verſus eſt orandum, nimirum Sanctum Sanctorum, etiam tunc in monte illo.* Paulo diſcrepat verſio Ebraica, etiam & Latina utraque. Sed, ni nimium fallor, mentem Maimonidis genuinam ex origine reddidi. Cauſa autem cur ſic Abrahae faciundum eſſet, juxta eundem ſtatim oſtenditur. Certe quantum ad coeli plagas, forte etiam hic, quod merito ſimul advertatur, dignum eſt, ex vetuſtiſſima Ebraeorum diſciplina, ritum ad orientem ſacrum nullum in templo peragi ſolitum, ſed interim ad occidentem, ut neceſſe erat, ſanctificationem Neomeniarum menſtruam. Illic enim ſemper lunae phaſis, juxta quam Neomenias ſanctificabant. De qua fuſius in libello de Anno eorum civili.

II. Gentilium item ratio in templorum ſitu diſponendo, maxime pendebat (quemadmodum itidem Ebraeorum in templo ac ſynagogis ſuis exſtruendis, juxta jam dicta, & Chriſtianorum in eccleſiis ſuis, ut mox dicetur) ex plaga illa verſus quam generatim precandum erat; qua in re, adeoque in plaga mundi deſignanda in quam pateſceret templum, ſuiſque aris ac ſimulachris recta introeuntibus obverſi cultum praeſtarent, ſeculorum apud eos uſus fuit varius nec parum difformis. Admittitur autem plerumque, Gentiles generatim orientem, inter precandum, adeoque fores templorum eorum eandem in plagam a vetuſtiſſimis etiam ſeculis ſpectaſſe. Jam allatis e Maimonide, ſubdens ille conjecturam ſuam cur occidentalis ab Abraha ita dedicata fuerit, de Orientali ita tradit, وسبب ذلك עני׳ انه لما كان الراي المشهور في العالم حينيذ عبادة الشمس وانه الاله فلاشك ان كان الناس كلهم يستقبلون الشرق ولذلك אברה׳ אבינו استقبل الغرب في הר המוריה اعني في المقدس حتي يستدبر الشمس *Et cauſa, juxta ſententiam meam, eſt, quod cum dogma tunc receptiſſimum eſſet per orbem terrarum, ſolem colendum, eumque Deum eſſe, nec dubitandum fuerit, quin omnes homines facies ſuas orienti* (in cultu) *obverterent, ideo Abraham pater noſter faciem ſuam obvertit occidenti in monte Moriah, ſcilicet in ſanctuario, ut tergum ſuum ſoli obverteret.* Et dein affert illud Ezechielis [c], *Ecce juxta oſtium templi Domini, inter veſtibulum & inter altare, erant quaſi 25 viri, quorum terga erant ad templum Domini, & facies eorum ad orientem; adorabantque* קדמה לשמש *ſolem ad orientem,* ſeu, ut LXX. ϗ αὐτοὶ προσκυνοῦσι κατ' ἀνατολὰς τῷ ἡλίῳ, *& adorabant illi, orientem verſus, ſolem* [d]; id eſt, Gentilium more. De quo etiam intelligitur illud Jobi [e], ad tempora ſpectantis multo antiquiora, ubi peccata enumerat compluria, quorum ſe reum fuiſſe denegat; אם אראה אור כי הול וגו׳, *Si adſpexi ſolem cum ſplendeſceret, aut lunam clare incedentem* (nam luna, ut ſoli vicaria, pro Dea tunc habita) *& ſeductum eſt in abſcondito cor meum, & applicata eſt manus mea ori meo,* גם

[a] Pſalm. lxviii. 16.

[b] More Nebochim part. 3. cap. 46.

[c] Cap. viii. 16.

[d] De loco illo Ezechielis conſule illic Abarbinelem.

[e] Job. xxxi. 26, 27, 28.

הוא

הוא עון פלילי כי כחשתי לאל ממעל, *Etiam hoc iniquitas magna* (poena dignissima) *quia sic negassem Deum qui est desuper.* Quasi idololatria seu adoratio ejusmodi versus solem scilicet, maxime saltem, cum oriretur, & ejusdem gratia, versus lunam, apud eos qui Deum verum non agnoscerent, summo fuisset in usu. Versio LXX. se aliter ibi habet. Etiam Catena Arabica [a] in Genesim,

من ادم الي ابراهيم وهي مدة ثلاثة الاف وثلاثمائة وثمانية وعشرين سنة كانوا يسجدون نحو المشرق *Ab Ada ad Abrahamum, scilicet per annos* MMMCCCXXVIII. *adorare solebant versus orientem.* Quam in plagam traditur apud magistros, in ipso creationis momento primo spectasse Adamum. Unde dum aiunt quod [b] Ebraeis suis tria sunt orientis nomina, מזרח *ortus* (eo quod ibi solis זריחת *ortus*) קדם *anterior* seu *praecedens* (eo quod מאתו רוח קודם לזרוח, *ex illa plaga praecessio est ortui*) & demum פנים *faciei obversus*, seu *quod coram est*, hoc nomine donatum aiunt, על שם יצירתו של אדם שנבראו פניו למזרח, *propter creationem Adae, qui creatus est facie ad orientem obversa:* unde cultus vetustioris eam versus plagam originem deductam forsan voluere. Etiam Vitruvius [c], qui sub Augusto floruit, veluti pro notissima sui temporis & vetusta, de aedibus sacris constituendis secundum regiones & mundi plagas, disciplina tradit, eas ita constituendas esse, uti, si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit potestas, aedis signum, seu Numinis simulachrum, quod erat in cella collocatum, spectaret ad vespertinam coeli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem coeli orientis, ipsaque simulachra videantur exorientia contueri supplicantes & sacrificantes; quod aras omnes deorum necesse esse videatur ad orientem spectare. *Sin autem,* inquit, *loci natura interpellaverit, tunc convertendae sunt earum aedium constitutiones, uti quamplurima pars moenium e templis deorum conspiciatur. Ita si secundum flumina aedes sacrae fient, ita uti AEgypto circa Nilum, ad fluminis ripas videntur spectare debere. Similiter si circum vias publicas erunt aedificia deorum, ita constituantur, uti praetereuntes possint respicere & in conspectu salutationes facere.* Ita regulariter ait, uti ex veterum disciplina, introitum cultumque esse debere ab occidente, in orientem, si loci natura non impediret; quae si obstaret, tunc pro commodiori praetereuntium aliorumque usu, aliter aliterque. Sed vero quicquid de Abrahae tempore, juxta Maimonidis circa Gentilium morem illum, quem sic facit vetustissimum, sit admittendum, & utcunque Vitruvii illud sit intelligendum; testimonia sunt alia nunc consona, nunc variatim adversa; in quibus maxime advertendum est illud Hygeni [d] Augusti liberti, *Secundum antiquam constitutionem limites diriguntur: quare non omnis agrorum mensura in orientem potius quam in occidentem spectat. In orientem, sicut aedes sacrae. Nam antiqui architecti in occidentem templa spectare recte scripserunt. Postea placuit, omnem religionem eo convertere, ex qua parte coeli terra inluminatur. Sic & limites in orientem constituuntur.* Quasi mos adorandi versus occidentem, adeoque templorum introitus ad orientem ponendi, haud minori fuisset apud tunc illos antiquos in usu, quam postmodum posituram illam inversam. Quomodo autem orientem sibi reperirent, capite traditur proximo; ubi de Christianae fabricae positura agitur. Fuere quidem Paganis templa sine tecto aut parietibus, quorum latera aut circuitus nullibi clausus, sed columnarum interstitiis tantum ita distinctus, ut pro introitu seu ostio intercolumnium circumquaque quodlibet pariter haberetur; maxime in systolis & diastolis. Unde meminit Pausanias [e] ejusmodi Junonis templi οὐ θύρας ἔχοντος, *foribus carentis*, in via a Phalero Athenas ducente; uti & templi in Eleorum foro sine parietibus [f]. Id genus fuere alia. Aliis etiam aditus valvarum ex utraque parte in pronao & postico habentibus, teste Vitruvio [g], ut Jovis Olympii aedis Athenis, cujus exemplum ait ille Romae non habitum. Accedat ex Hermetis Trismegisti, sic dicti, Adlocutis ad Asclepium, inter Apuleiana versis, quae proculdubio seculo Vitruviano recentiora sunt, *De adyto egressi, cum Deum orare coepissent in austrum respicientes erant. Sole enim occidente, cum quis Deum rogare voluerit, illuc debet intendere; sicut & sole oriente, in eum qui subsolanus dicitur.* Hic, pro discrimine temporis diei, precantis situs etiam discriminandus. At de Latino, Turnoque regibus, AEnea & Ascanio sacrificantibus & precaturis, Virgilius [h]:

Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Ubi Servius, *Non utique nunc solem surgentem dixit. Jamdudum enim dies erat. Sed disciplinam ceremoniarum secutus est, ut orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.* Ita etiam AEneas precaturus ante [i]:

Surgit, & aetherii spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad aethera voces,
Nymphae, Laurentes nymphae-------

Clemens item Alexandrinus, rituum Gentilium scientissimus, de Christianis precationibus in orientem fieri solitis, veluti more hominum antiquissimo rite fundatis, Ὅθεν, inquit, καὶ τὰ παλαιότατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἀπαντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι, πρὸς ἀνατολὴν τρέπεσθαι διδάσκωνται, *Unde etiam templorum antiquissima respiciebant ad occidentem, ut qui vultu stant ad simulachra converso, doceantur verti ad orientem.* Unde scholiastes Pindari [k] morem fuisse ait, κατὰ τὰς ἀνατολὰς ἱερουργεῖν τοῖς θεοῖς, *versus orientem sacra facere diis*; sed πρὸς δυσμὰς τοῖς ἥρωσι, *versus occidentem,*

[a] M. S. in Bibliothec. Oxoniensi. [b] R. Bechai in Pirush hatorah fol. 203. col. 2. [c] Architect. lib. 4. cap. 5. [d] Lib. de Limitibus Constitutendis, pag. 163. edit. Rigal. MDCXXIV. Paris. [e] In Atticis. [f] In Eliac. 2. [g] Lib. 3. cap. 2. [h] AEneid. 12. [i] AEneid. 8. [k] Ad Isthmiac. od. 4.

heroibus;

heroibus; quod elicitur ex illo Pindari de ſacrificio Herculis praeſtito:

> Τοῖσιν ἐν δυμαῖς αὐγᾶν
> Φλὸξ ἀνατελλομένα συνεχὲς
> Παννυχίζει ----------

Quibus in occaſu radiorum, flamma emergens aſſidue pernoctat. Atqui Lucianus [a] Syrus, de aedibus orientem proſpicientibus locutus, Καθ' ὃ, inquit, καὶ τὰ ἱερὰ βλέποντα ἐποίουν οἱ παλαιοὶ, *juxta quod etiam templa aſpicere fecere veteres.* Floruit ille ſub initia centuriae primae; qui & templorum haud paucorum origines ac poſituras ſe ex inſpectione didiciſſe fuſius tradit in libello de Dea Syra. Ubi interim templum Priapi accuratius deſcribens, Τὰ δὲ προπύλαια, ait, τοῦ ἱροῦ ἐς ἄνεμον βορέην ἀποκέκριται, *Veſtibula templi verſus ventum borealem directa ſunt*, areae, puto, incluſae, per quas fores ipſae ſeu pronaon non recta adibatur, ſed ex aquilone. Paulo poſt enim ſubdit, Ὁ νηὸς ὁρέει ἐς ἠέλιον ἀνιόντα, *Templum ipſum proſpexit ſolem orientem.* Sic Lucianus de eis qui ipſi veteres cenſiti. Porphyrius etiam de temporis ſui templis idem, quod de veterum, Lucianus generatim docet. Etenim in libello de Antro Nympharum tractat illud, velut templum earum, quod Homerus [b] allegorice aliaſve ita deſcripſit, ut oſtia ſeu deſcenſus haberet binos, alterum ab auſtro diis tributum, atque ad boream alterum hominibus inſervientem. Miratur quod ſic fecerit, Ἀλλ' οὐκ ἀνατολῆς καὶ δύσεως πρὸς τοῦτο μᾶλλον κέχρηται· ὡς ἂν σχεδὸν πάντων τῶν ἱερῶν τὰ μὲν ἀγάλματα καὶ τὰς εἰσόδους ἐχόντων πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένας· τῶν δὲ εἰσιόντων πρὸς δύσιν ἀφορώντων, ὅταν ἀντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἑστῶτες τοῖς θεοῖς τιμὰς καὶ θεραπείας προσάγωσι, *Et quare non potius oriente & occidente fuerit ad hoc uſus; cum omnia ferme templa ſtatuas* (deorum) *atque introitus verſus ortum habeant, introeuntes autem occaſum aſpiciant, ut facie ſtatuis obverſa conſiſtentes diis honorem cultumque exhibeant.* Quaſi tunc temporis (nam de praeſenti ibi loquitur) id eſt, paulo ante Conſtantinum, templorum Gentilium plerorumque introitus ad orientem fuiſſet, cultuſque ad occidentem praeſtitus. Erat Porphyrius e Tyro Phoeniciae, unde & Italiam, ipſamque Romam & Siciliam [c] petens, aliaſque regiones, pro philoſophorum tunc more, templorum illic eorumve poſiturae neſcius eſſe nequibat. Neque indiligens ille rerum ejuſmodi inſpector Recentiores aliqui hac de re obiter agunt. Iſidorus [d] autem de poſitura loquitur ortum aequinoctialem ſpectante, veluti in perpetuo apud veteres uſu. Et conſulas, ſi placet, ſeculorum nuperorum ſcriptores [e].

III. Hiſce de Ebraeorum Gentiliumque in ſacris & aedium ſacrarum ſuarum poſitione, praemiſſis, de Chriſtiano ritu ſive horum ſive illorum utcunque poſitioni analogo videndum. Imbibiſſe Chriſtianos a temporibus maxime primitivis morem ad orientem adorandi, qui eccleſiarum poſitioni illam ſpectanti plagam praevius eſt, adeoque Judaicum prorſus, ſive templum Hieroſolymitanum, Sanctum Sanctorum, urbemve ipſam, juxta ſuperius dicta, reſpicias, prorſus rejeciſſe, palam fit ex patrum ſcriptis fidei indubitatiſſimae ipſis Conſtantinum longe antevertentibus; ut Conſtitutionibus Clementinis illis & Apoſtolicis nuncupatis, minime ſubnitamur, quae paſſim cum titulo illo ſplendido ſed parum credito proſtantes idem ipſum non ſemel ſupponunt praecipiuntque [f]. Illis autem adjicere hic liceat Canonem Arabicum etiam inter Clementinas compendioſe manuſcriptas [g] lectum eundem in ſenſum. Nec ſine ratione ex ſermone Domini ipſius deſumpta ſingulari. Titulum tunc هذه السنن التي علموهم الرسل القديسين *Hae ſunt conſtitutiones quas docuere apoſtoli ſancti,* proxime ſequitur ut primas tenens,

فمن ذلك ان تكون صلاتهم نحو المشرق
وقبالته واستشهدوا في ذلك بقول سيدنا المسيح
ان الله مجيه من السما في اخر الايام كالبرق
الذي يلمع في المشرق ك
استدلينا على ان مجيه يكون من المشرق

Atque ex illis eſt, ut preces fandantur verſus orientem; cujus rei traditio ac probatio plena habetur in ſermone Domini noſtri Chriſti, nempe Deum venturum e coelo in poſterioribus diebus, ſicut fulgur, quod micat in oriente, & ſplendet in occidentem. Unde docemur circa adventum ejus, illum fore ex oriente. Accedat, velut Arabicis hiſce cognatum, & orientalium Chriſtianorum & uſus hic & rationis etiam aliunde e Sacris Literis petitae judicium, id quod legitur in commentario in Pentateuchum Arabico MS. eos precari verſus orientem, quoniam Chriſtus illuc aſcendit, & ibi ſedet, juxta illud Davidis, *Pſallite Deo, qui equitat ſuper coelum coelorum,* جهة المشرق *verſus* ſeu *ad orientem*; nec dubitare eos, quin ibi ſedeat, facie in mundum inferiorem obverſa, adeoque nec quin adorare verſus orientem ſit adorare عرشه *thronum ejus.*

Idem quidem textus ſacer in Clementinis Graecis adhibetur ex illo Davidis, juxta LXX. *Pſallite Domino, qui aſcenderit ſuper coelum coeli,* κατ' ἀνατολὰς *ad orientem,* quemadmodum habet etiam Vulgata, & Gallica & Romana, & Auguſtinus Nebienſis in editione Pſalterii κατὰ τὰς ἀνατολάς. Quibus conſonat Pagninus. Syrus item ibi ܡܢ ܡܕܢܚܐ *ab oriente*, quod, in verſione, voci Domini ibi edendae tributum ſatis in idem recidit. Arabs Nebienſis & Jaianus . . . .

Haec hactenus.

Ab ultima Seldeni manu reliqua deſiderantur.

[a] Libello περὶ τοῦ οἴκου. [b] Odyſſ. N. [c] Eunapius in Vita ejus. [d] Origin. lib. 15. cap. 4. [e] Coelium Rhodiginum Ant. lect. lib. 12. cap. 1, & 2 Baronium tom. 1. ann. LVIII. §. 103. Villalpand. ad Ezechiel. viii. 16. Annotationes in Clem. Alexandrinum pag. 77. [f] Conſtit. Apoſtolic. lib. 2. cap. 57. & lib. 7. cap. 46. [g] In Canon. MS. in Bibliotheca Oxonienſi publica, fol. 49. 1.

F I N I S.

INDEX Locorum Sacrae Scripturae quae in Volumine Primo explicantur vel citantur.

GENESIS.

EXODUS.

INDEX Locorum S. Scripturae quae

LEVITICUS.

in Volumine Primo explicantur vel citantur.

Cap.

INDEX Locorum S. Scripturae quae

Cap.

JOSHUA.

JUDICUM.

INDEX Locorum S. Scripturae quae

Cap.

in Volumine Primo explicantur vel citantur.

Cap.

INDEX Locorum S. Scripturae quae

Cap.

in Volumine Primo explicantur vel citantur.

INDEX Locorum S. Scripturae quae, &c.



INDEX Auctorum qui in Primo Volumine citantur vel explicantur.

INDEX Auctorum qui in Primo

Martyro-

8


Volumine citantur vel explicantur.

N

O

P

T



INDEX

INDEX RERUM & MATERIARUM quae in Primo Volumine continentur.

A.

A[illegible]

quae in Primo Volumine continentur.

INDEX Rerum & Materiarum

primitivi

D.

Gentilibus

E.

Elia

H.

I.

ipfe,

 liber-

P.

Repu-

Scorta-

kath

W.

X.

Y.

Z.

F I N I S.

[illegible] [illegible]
[illegible] — o. ४L. o
v. ४v. o

1771.	By Cash pd shifting the Clay into the other Warehouse	0 : 6 : 0
Ap. 15.	By cash paid, cleaning House ——	0 : 12 : 0
20.	By Do. opening Drein ——	0 : 4 : 0
	By Chocolate and Chocolate Shells to 20 June	1 : 6 : 1
		2 : 8 : 1
		48 : 9 : 5